Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

4° H. Ghz.
110 h

Digitized by Google



AMSTELODAMI.
Apud DANIELEM ELZEVIRIUM. cIↃ IↃC LXVIII.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

THEATRUM

HISTORICVM THEORETICO-PRACTICVM.

In quo

QUATUOR MONARCHIÆ.

Nempe *Prima*, quæ est BABYLONIORUM & ASSYRIORUM; *Secunda*, MEDORUM & PERSARUM; *Tertia*, GRÆCORUM; *Quarta*, ROMANORUM. Omnesque REGES & IMPERATORES, qui in illis regnarunt, nova & artificiosa Methodo describuntur, omniaque ad usum OEconomicum, Politicum & Ecclesiasticum accommodantur.

AVTHORE

CHRISTIANO MATTHIÆ,

S.S. Theologiæ Doctore, antea in illustri Noricorum Academia Altorfina, & postea in Regia Sorana, PROFESSORE primario.

Nunc primum accessit supplementum insigne earum rerum, quæ desiderari poterant usque ad annum Christi CIↃ IↃC LXVIII.

Opus apprime utile, exhibens perfectum omnis Historiæ compendium.

AMSTELODAMI,

Apud DANIELEM ELZEVIRIUM,

Anno CIↃ IↃC LXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

D. FREDERICO III,

DANIÆ, NORVEGIÆ, GOTHORUM,
ET VANDALORUM

REGI,

Duci Slesvicæ, Stormariæ & Dithmarsiæ; Comiti in Oldenburg & Delmenhorst. &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

Gratiam, pacem & salutem æternam à JESU CHRISTO *precor.*

QUando, *Rex Serenissime & Domine Clementissime*, *Naturam Historiarum*, præsertim autem QUATUOR MONARCHIARUM, accuratius ego considero, omnino existimo, eas nullo commodiore nomine insigniri posse, quam si vocentur THEATRUM TOTIUS VITÆ HUMANÆ, in quo introducuntur omnes Monarchæ, Reges & Principes, qui fere à condito mundo usque ad nostra tempora vixerunt. In illorum enim historia, velut in speculo limpidissimo, videmus eorum consilia, dicta atque facta, tum bona, tum mala: quæ si quis attente consideret, facile inveniet, quid in moribus suis corrigere, quid omnino fugere, quid magno studio sectari debeat, si ad perfectionem vitæ præsentis, & ad felicitatem futuræ pertingere velit. Quid autem quæso utilius aut jucundius cogitari potest, quam in *Vitæ humanæ Theatro*, quod Historia partibus omnibus instructum habet, sedentem, periculis aliorum cautum sapientemque fieri, exempla capere omnigena, quæ ad usum tuum, quid videlicet in vita expetendum, & quid declinandum sit, traducas? Unde Historia tali laude atque encomio merito ornatur:

Illa ego, quæ gestis præsum custodia rebus,
Digero quod caveas, quodque sequaris iter.
Priscaque ne veteris vanescat gloria secli,
Vivida defensant qua monumenta damus.

Et

Et ſua virtuti per me ſunt præmia, rurſum
Impia famoſis defero facta notis.
Eloquor, & ſummi quantum jactentur & imi:
Eloquor, & cæcæ faſque nefasque Deæ.
Quod majus Theatrum, circuſque capacior, aut quæ
Doctior humanas ſcena referre vices?
Me ſine quis prudens? Unde experientia major?
Qui me adiit, tandem non mage doctus eat?
Omnis enim noſtro pendet prudentia ſenſu,
Riteque nil, noſtra qui caret arte, ſapit.

Cum quibus examuſſim congruit præclarum illud & vere aureum monitum politicum, quod *Baſilius* Imperator in Oriente ad filium *Leonem* in Imperio ſucceſſorem hiſce verbis ſcripſit: *Per hiſtorias veteres ire ne recuſa. Ibi enim reperies ſine labore, quæ alii collegerunt cum labore, atque illinc hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia, vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea converſiones; mundi hujus inſtabilitatem, & impiorum præcipites caſus, ac ut verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia: quorum illa fugies, ne in juſtitiæ divinæ manus incidas; hæc amplecteris, ut præmiis, quæ ea comitantur, potiaris.* Hæc *Baſilius* recte & graviter monuit. Nam nulla res eſt, quæ majorem vim habeat ad hominum vitam recte informandam, ad eandem abotio, vitiiſque omnibus ad laboris & veræ laudis ſtudium traducendam, quam clariſſimorum hominum & eximia virtute præditorum exempla pulcherrima: quæ magis movent quam verba: & facilius perſuadent res geſtæ, quam diſerti ſermones, quia inſtructus animus redditur in futuris, ſi præteritorum commovetur exemplis. Duæ enim (uti Polybius prudenter monet) univerſis mortalibus propoſitæ ſunt ad præficiendum rationes, per PROPRIOS caſus, aut per ALIENOS. *Evidentior* quidem illa eſt, quæ per propria ducit infortunia: at *tutior* illa, quæ per aliena. Itaque viam priorem ſponte ſuo nemo unquam debet ingredi: Magis enim ejuſmodi correctio laboribus conſtat ac periculis: Poſterior ſemper nobis capienda, per quam ſine ulla noxa, id quod melius eſt, cernere, unicuique licet.

Has ipſas ob cauſas omnibus temporibus, apud omnium ætatum viros præſtantiſſimos, ſummo in honore atque authoritate *Hiſtoria* fuit, ac huic tam honeſto, utili, jucundo & neceſſario ſtudio plurimum tribuerunt non privati ſolum homines & plebei, ſed ſapientiſſimi & potentiſſimi etiam Reges, magnique Principes, cum alii ſcribendo hiſtorias vacarent ipſi, alii eos, qui hiſtorias conſcriberent, ſtudio alerent munifico, & maximis juvarent ſumptibus. *Alexandro Magno* Ariſtoteles auctor fuiſſe traditur,

ditur, ut prædeceſſorum acta aſſidue evolveret, patrumque annales diſcuteret, unde optima exempla poſſet colligere, quoniam præterita acta certum dent documentum in futuris. Nec utile hoc præceptum neglexit aut contemſit Alexander: quinimo, Plutarcho teſte, dum eo uſque in Aſia progreſſus eſſet, ut nullos libros inveniret, ex ipſa Græcia, præter alios nonnullos libros, imprimis Philiſti hiſtorias ſibi mitti, Harpalo mandavit. Homero item ille tantum tribuit, ut ne dormiens quidem illius libros dimiſerit, iiſque aſſervandis inter ſpolia Darii Perſarum Regis unguentorum ſcrinium captum, quod erat auro gemmiſque ac margaritis pretioſum, varios ejus uſus amicis monſtrantibus, addixerit atque devoverit.

Ptolemæus Philadelphus à Demetrio Phalereo ad perlegendas hiſtorias, libroſque de regno conſcriptos, ſæpius admonitus eſt, cujus admonitioni Regem locum dediſſe, nullum eſt dubium, quia tam immenſam omnium authorum bibliothecam ſibi comparavit, qualis in toto terrarum Orbe tunc temporis reperiri non potuit, præcepitque prædicto Demetrio, ut pretioſiſſimos ex omnibus regionibus & terris libros colligeret. Percepit quoque Rex, adhuc quendam librum adeſſe, qui nonniſi Hieroſolymæ apud Iudæos extaret: quapropter legatum Hieroſolymam ipſius libri afferendi gratia ablegavit: & ita Biblia Hebraica ab Eleazaro Sacerdotum principe Regi transmiſſa ſunt: ex quolibet etiam ſtemmate Iſraëlitico ſex viri ad Regem una venerunt, & Biblia in linguam Græcam tranſtulerunt. Hoc facto Rex gratitudinis declarandæ gratia, Iudæorum captivorum 100000. carcere eduxit, & manumiſit: In templo Hieroſolymitano auream menſam gemmis undique pretioſiſſimis ornatam erigi curavit; ut & duo aurea ingentis magnitudinis pocula, & triginta pateras donavit: cuilibet etiam Interpreti baſilica dona dedit, uti *Ioſephus lib.* 12, *Antiq. Iudaic. c.* 2. *Cl. Alexandr. lib.* 1. *Stromat. Euſeb. l.* 5. *Hiſt. Ecc. c.* 8. *Niceph. lib.* 4. *c.* 14. & alii annotarunt.

C. Iulius Cæſar adeo hiſtoriarum ſtudio eſt delectatus, ut non ſolum aliorum libros legerit, ſed ipſe etiam ingentem hiſtoriarum codicem condiderit. Cujus *Commentaria de Bello Gallico* Selymus Turcarum Imperator primus in vernaculam linguam transferri curavit, ex iiſque de bellandi arte inſtructus, magnam Africæ & Aſiæ minoris partem cum majorum imperio conjunxit, teſte *Bodino*. Hos præclare imitatus eſt *Octavianus Cæſar Auguſtus*: quippe qui in evolvendis utriuſque linguæ autoribus nihil æque ſectatus fuit, quam præcepta & exempla publice vel privatim ſalubria; eaque ad verbum excerpta, aut ad domeſticos, aut ad exercituum provinciarumque rectores, aut ad urbis Magiſtratus plerumque miſit,

ſit, prout quique monitione indigerent, ſicut refert *Suetonius in Octav.* §. 11. Quo eodem modo *Pindarus Hieronem* laudat *Principem Syracuſanum*, quod ex omnibus heroum præſtantiſſimorum virtutibus florem decerpere, & quæ optima fuerint, ex crebra & frequenti quaſi delibatione in ſuum mellificium, apum inſtar, convertere ſolitus fuerit.

L. Lucullum, qui Mithridatem in Ponto vicit, Roma profectum, rei militaris ignarum & pene rudem; cum totum iter & navigationem legendis hiſtoriis & doctorum hominum diſputationibus conſumſiſſet, tantum evaſiſſe Imperatorem annotat *Cic. Acad. Quæſt. lib.* 2: ut Mithridates Rex poſt Alexandrum maximus, eum majorem Ducem, quam quenquam eorum, quos legiſſet aut vidiſſet, à ſe cognitum fateretur.

Alexandro Severo Imp. hæc conſuetudo fuit, ut, ſi de jure aut de negotiis tractaret, ſolos doctos & diſertos adhiberet. Si vero de re militari, milites veteres, ac bene meritos, & locorum, ac bellorum & caſtrorum peritos, & omnes literatos, maxime *eos*, qui HISTORIAM norant: requirens, quid in talibus cauſis, quales in diſceptatione verſabantur, veteres Imperatores, vel Romani, vel exterarum gentium, feciſſent, uti affirmat *Æl. Lamprid. in ejus vita* §. 16. Hic idem eſt Severus, qui Oppiano pro ſingulis verſibus, quibus hiſtoriam de piſcium generibus, natura atque captura, complexus erat, ſingulos numeravit aureos. Apparet inde, opinor, quanti hiſtorias ille fecerit, illarumque peritos æſtimarit, quoque loco habuerit & habendos judicarit.

Rex Alphonſus Livianam hiſtoriam ſemper habuit comitem, & ut hiſtoriarum lectioni ſuam bene regnandi facultatem acceptam ſe ferre teſtaretur, librum regiis ſuis inſignibus appingi juſſit; ſicut ſcribit *Panorm. lib.* 4.

Videmus igitur ex his, ſtudium hiſtoricum adeo eſſe neceſſarium, ut ne quidem eo carere poſſimus; videmus, quanto in pretio apud ſummos ſemper Principes, & auguſtiſſimos Rerumpubl. gubernatores, fuerit. Quapropter recte faciunt Principes & Magnates, qui horum exempla imitantes, hoc ſtudium ambabus (quod ajunt) manibus amplectuntur, & ita tempora diſtribuunt, ut lectioni hiſtoriarum & librorum, qui de Regimine Reip. tractant ac docent, certas adſignent horas. Ex iis enim (ut dictum) virtutes & vitia aliorum Principum cognoſcere: bona & ſalutaria conſilia addiſcere: bella, ex quibus cauſis mota & ſuſcepta, qui eorum exitus: quæ forma Rerumpublicarum, quæ initia, quæ incrementa, progreſſus, mutationes & everſiones fuerint, percipere poterunt. Ea denique ipſimet diſcent, de quibus ut alii ipſos monerent, nec tutum, nec ea ignorare honeſtum eſſet.

Quia

Quia autem valde utile eſt, in lectione hiſtoriarum Exempla omnium humanorum officiorum tanquam in illuſtri poſita loco, prudenter accommodare ad regulas ſeu leges vitæ, per *Quatuor Monarchias* ibo, & exemplis quibuſdam memorabilibus in medium prolatis, ceu in ſpeculo fructum hiſtoriarum oſtendam.

IN PRIMA MONARCHIA de NABUCHDONOSORE M. qui in ordine XLVII Monarcha fuit, legimus, quod in urbe Babylone *Scholam regiam* inſtituerit, in qua pueri atque adoleſcentes in lingua Chaldaica aliisque artibus & diſciplinis liberalibus inſtituerentur. Quibus Præceptores doctiſſimi & ſapientiſſimi ſingulari ſtudio præficiebantur, iisque de rebus omnibus ad vitam victumque neceſſariis regia munificentia proſpiciebatur. Unde patet quantopere illi Scholæ & Scholaſtica juventutis inſtitutio curæ fuerint. Nam & ipſe examini alumnorum ſuorum (quod etiam Carolus Magnus feciſſe fertur) interfuit, imo præfuit: quia cum adoleſcentibus illis eſt colloquutus, inque profectum eorum inquiſivit, ſicut *Dan.* 1. *verſ.* 18, 19. legimus.

Hoc Nabuchdonoſoris exemplum dignum eſt, quod omnes Reges, Principes & Magnates imitentur. Ad officium enim Principum non ſecundarium, (ut quidam falſo putant) ſed primarium pertinet, ſcholas fundare & laudabiliter conſervare. Nam ſi Scholæ ſunt pietatis & virtutis officina, & ſeminarium Eccleſiæ & Reipublicæ, quid privatio harum aliud quam atheiſmus, Epicureiſmus & regnum tenebrarum? Quare de optimis Scholis inſtituendis, augendis & fovendis maxime ſint ſolliciti. Quod ut fiat, viros doctrina & eruditione præſtantes accerſant, liberaliter foveant & in pretio habeant. Nullos enim ſumptus poſſunt melius collocare, quam eos, quos ad Scholarum ædificationem & conſervationem convertunt, quia hac ratione, regnum Chriſti & Reip. commodum augent & promovent. Hoc ipſum optime intellexit Leo Imp. in Oriente, qui cum Eulogium ad aperiendam in urbe Conſtantinopolitana ſcholam ſtipendio liberaliori invitaſſet, & propterea à ſatellitibus reprehenderetur, laudabiliter reſpondit: *Vtinam meis temporibus ea, quæ militibus dantur*, Doctoribus numerari deberent!

Deinde Nabuchdonoſor quoque *Danielis* 3. *verſ.* 8. *& ſeqq.* vocatur ARBOR EXCELSA & ROBORATA, cujus altitudo cœlum contingebat, & cujus aſpectus in univerſam terram: Rami ejus pulcherrimi, & fructus ejus copioſus, & in qua cibus pro omnibus, ſub qua habitabant beſtiæ agri, & in cujus ramis conſidebant volucres cœli. In hac arbore elegans imago boni Principis graphicè depingitur, idque *quadruplici de cauſa.*

1. *Propter acceſſus facilitatem.* Sicut enim ad arborem in medio terræ ſtantem undique aditus & acceſſus eſt apertus: ita quoque Princeps ſubditis ſuis liberum ad ſe aditum aperiat, cauſas eorum cognoſcat, ipſeque eos audiat, & quidem ſine ullo diſcrimine, non ſolum nobiles, divites & magnos; ſed etiam viliſſimos & pauperrimos, imo hi eum paratiorem inveniant, quam illi, quia præſentiore ope indigent. Hinc *M. Antoninus Imp.* ipſemet audiviſſe & judicaſſe legitur pupillorum controverſias & querimonias, palatiique fores egenis & viduis ſemper apertas habuiſſe, cum *Ianitorum*, quibus in palatio utebatur, munus eſſet, non ingreſſu prohibere tenuiores, ſed acceſſu arcere locupletes. Imo hæc verba frequenter uſurpaſſe fertur: *Decere* Principes bonos & generoſos, orbis & viduis viſcera ſemper habere aperta, ut illis opitulentur, & portas nunquam claudere, ut illos audiant. Ita Rudolphus I. Imp. ſuis ſatellitibus præcepit, ne quenquam pauperum acceſſu & colloquio ſuo arcerent, dicens: *Date obſecro hominibus me accedendi locum & facultatem. Non enim ideo ad imperium evectus ſum, ut hominibus in arca plæcludar.* O horum Principum verba eximia & ſublimia, & tum notatu tum citatu digniſſima, quæ utinam Principum cordibus inſcripta forent!

2. *Propter fructuoſitatem.* Sicut bona arbor multos & bonos fructus affert: Ita quoque Princeps copioſis fructibus, hoc eſt, virtutibus, pietate ſcilicet, juſtitia, fortitudine, prudentia, clementia, temperantia, & liberalitate ſit fœcundus, quo populus exemplum recte vivendi, moreſque ſuos laudabiliter inſtituendi ab eo mutuetur.

3. *Propter umbræ amœnitatem.* Sicut *arbor* viridis & frondoſa umbraculum præbet beſtiis ad eam confugientibus: Ita quoque Princeps umbra alarum ſuarum ſubditos tegat, hoc eſt, corpora & facultates eorum contra injuſtam violentiam fortiter defendat. Nam conſtitutus eſt religionis cuſtos & ſubditorum patronus & clypeus. Ergo ejus eſt veram religionem, ne ſalus hominum periclitetur, & gloria Dei minuatur, etiam armis, ſi aliter fieri non poteſt, propugnare, & pluris eam æſtimare, quam ipſam vitam & omnia hujus vitæ bona: Quando hoc fit, tum Princeps eſt arbor frondoſa, ſub qua ſubditi ſuaviter quieſcere poſſunt.

4. *Propter habitationis commoditatem.* Sicut enim aves cœli in ramis arboris altæ atque roboratæ nidulantur: Ita quoque ſubditi ſub protectione *Pii & Pacifici* Principis vitam ſecure & pacate tranſigunt, quod vere divinum beneficium & ſummum bonum eſt. Unde non ſine gravi cauſa S. Paulus 1 *Timoth.* 2. pro Regibus & cunctis Magiſtratibus

bus precandum esse monuit, ut tranquillam & quietam vitam cum omni pietate & honestate (sub illorum videlicet pacato imperio) degamus.

Denique in Nabuchdonosore detestandum habemus superbiæ exemplum. & miram fortunæ varietatem sive vicissitudinem. Nam cum sua sapientia suisque viribus pugnando arbitrabatur se Monarchiam obtinuisse, dicens: *Hæc est illa Babylon* &c. *Dan.* 4. *vers.* 27. justo Dei judicio, qui per superbiam supra hominem se exaltaverat, *infra* hominem dejectus ad humilitatem bestiarum devenit. Hoc horribili exemplo omnes Reges & Principes moti se ipsos non extollant, ne horrendum in modum humilientur. Nam superbiam & arrogantiam nunquam à Deo impunitam esse relictam, testantur *exempla* tum *sacra*, tum *prophana*, quæ omnia hic enumerare nimis longum foret. Hæc pauca instar omnium erunt. Superbus ille Pharao, qui dicebat; Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus? *Exod.* 5. 2. cum toto exercitu in mari rubro suffocatus est. *Sennacherib* à propriis filiis interfectus. 2 *Reg.* 19. *Antiochus*, qui fluctibus maris imperare sibi videbatur, 2 *Maccab.* 9. vivus à vermibus corrosus est. *Xerxes* se Dominum esse omnium hominum ab ortu Solis usque ad occasum jactitabat, sed paulo post à Græcis profligatus, parva navicula vitam ægre servabat. Sed mortem violentam minime effugere potuit: nam ab Artabano patruo suo interfectus misere periit. *Alexander M.* cum honorem divinum affectaret, Deusque haberi vellet, subito vel veneno, vel ebrietate in florida ætate extinctus est. *Apreys* Rex Ægypti tantam de regni sui firmitate conceperat fiduciam, ut palam jactitare non sit veritus, Regnum se possidere, quod nulla vi Deorum hominumque everti posset. Sed paulo post regnum una cum vita amisit. *Dionysius* Syracusanus Tyrannus gloriari solitus est, Regnum se filio relicturum *adamantinis catenis* colligatum. Verum hæ catenæ facili negotio sunt ruptæ, & filius regno pulsus, panem mendicare coactus est. *Crœsus* Rex Lydorum potentissimus, & ditissimus, se ob divitias beatum prædicabat. Verum Solon ei recte respondebat:

——— *Dicique beatus*
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Nam postea à *Cyro* Rege Persarum victus & regno exutus, ad extremam paupertatem redactus est. Unde Proverbium: *Irus* & est subito qui modo *Crœsus* erat. Ita Deus de throno suo superbos deponere & humiliare novit, sicut Maria Virgo in Cantico suo cecinit, *Luc.* 1. v. 22. Detraxit potentes de sede, & exaltavit humiles. Nemo enim sanæ mentis negare potest, quin hoc à Deo rerum omnium moderatore fiat, qui pro imperscrutabili & liberrima voluntate sua Reges & regna constituit, constituta destruit, de-

ſtructa erigit, ut ſciamus & credamus, eum eſſe Regem Regum, & Dominum Dominantium. Proinde Reges & Principes nil ſolidi in hoc fragili rerum ſtatu ſibi promittant, præter factorum pie, honeſte, & laudabiliter geſtorum gloriam, & nominis ſui apud poſteros immortalem & ſolidam famam. Si ſceptro, ſi opibus, ſi populis ſuperbiunt, fallax ex iis, & non diuturna voluptas. Temporis iſta omnia ſunt dona & rapina: Id quod à *Seneca Tragœdo* hiſce verſibus expreſſum legimus:

Vos, quibus Rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidoſque vultus.
Quicquid à vobis minor extimeſcit,
Major hoc vobis Dominus minatur.
Omne ſub regno graviore regnum eſt.
Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies viait fugiens jacentem.
Nemo confidat nimium ſecundis,
Nemo deſperet meliora lapſus.
Miſcet hæc illis, prohibetque Clotho
Stare fortunam, rotat omne fatum.
Nemo tam divos habuit faventes,
Craſtinum ut poſſit ſibi polliceri.
Res Deus noſtras celeri citatas
Turbine verſat.

DE MONARCHIA SECUNDA jucunda viſio *Danielis* 8. *verſ.* 3. *& ſeqq.* In qua Monarchia II. præfiguratur per ARIETEM, quod inter alias cauſas fit propter admirandam trium Monarcharum Medo-Perſicorum beneficentiam & liberalitatem. Sicut enim aries homines carne alit & lana veſtit: Ita quoque *Cyrus*, *Darius Hyſtaſpis*, *& Artaxerxes Longimanus* populum Dei magnis beneficiis affecerunt.

CYRUS in primo anno Monarchiæ ſuæ captivitatem Babylonicam ſolvit, captivos Iudæos dimiſit; & non ſolum *edictum* promulgavit, ut templum repararent, ſed etiam omnia vaſa templi reſtituit, omnibuſque ſuis provinciis ac ſubditis imperavit, ut Judæis in patriam ituris viaticum omniaque neceſſaria ſubminiſtrarent, ſicut legimus 1 *Eſdr.* 1. *verſ.* 1. *& ſeqq.* Imo adeo liberalis hic Monarcha fuit, ut apud Xenophontem per Deum juret, ſe majore affici voluptate, cum aliis benefaciat, quam cum ſe ipſum ditet. Ita *Artaxerxes* Xerxis filius dicere ſolebat, Multo regalius eſſe addere quam adimere. Et *Ptolemæus* Rex Ægypti: Τὸ πλουτεῖν τὸ πλουτίζειν ἐστὶ βασιλικώτερον hoc eſt; *Magis regium eſt ditare quam ditescere.* O felices Reſpubl.

quæ

quæ tales meruerunt Principes habere; ô felices linguas, quæ talem potuere proferre ſermonem!

II. DARIUS HYSTASPIS *ſecundum edictum* de ſtructura templi Hieroſolymitani continuanda & abſolvenda promulgavit, ſumptus largiſſimos ad illam contulit, & ſub pœna ſuſpendii edixit, ne quis Iudæos in ædificationis opere impediret, ſacerdotibus item ſacra peracturis omnia ad ſtructuram templi neceſſaria præberi de ſuo curavit, ut Deum pro vita regis & filiorum ejus deprecarentur. 1 *Eſd. 6. verſ.* 8, 9, 10.

III. ARTAXERXES LONGIMANUS *tertium edictum* anno regni ſui ſeptimo promulgavit, quo populo Iſraëlitico poteſtatem dedit in patriam redeundi, & non ſolum vaſa templi aurea & argentea reſtituit, ſed etiam ingentem vim auri & argenti de ſuo obtulit, ut templum inſtaurarent, urbemque ſanctam repararent: præterea theſaurariis ſuis, qui erant transflumen, mandavit, ut Eſdræ Sacerdoti & Scribæ largirentur, quicquid poſtularet, ut legere eſt 1 *Eſdr. 7. à v. 12. uſque ad finem.*

Admodum jucunda apud Plutarchum de nomine hujus Regis extat obſervatio, cur nempe cognomento *Longimanus* ſit dictus. Dextra manus ei longior fuit; quam ſiniſtra. Quod cum ei vitio verteretur, ipſe contra in bonum omen regiamque virtutem hoc ipſum convertebat, dicens: Sibi tanquam optimo Principi naturam conceſſiſſe, ut manum dextram haberet ad largiendum ampliſſimam atque longiſſimam: alteram vero, nempe ſiniſtram, ad accipiendum & detrahendum breviſſimam & contractam.

Hujus veſtigia poſtea inſequutus *Alexander M.* adeo liberalis erga quosvis extitit, ut inter alia illud inprimis prædicare ſolitus ſit, *A nemine ſeſe unquam liberalitate & benignitate* ſuperatum eſſe. Id quod etiam re ipſa demonſtravit. Nam trajecturus in Aſiam adverſus Perſas, convocatis amicis & copiarum Ducibus, pene univerſum regium patrimonium eis benigne largitus eſt, ut nihil ipſi propemodum ſupereſſet. Cum in Ægypto verſaretur, tenuioris fortunæ homini, ſtipem in dotem filiæ ſuæ roganti, civitatem opulentam & magnam dono dedit. Cui obſtupeſcenti, dicentique: Vide, Rex invictiſſime, quid des, & cui. Nam forte alium me eſſe opinaris, quam qui ſum; aut quid petierim, non ſatis aſſecutus es. Reſpondit Alexander: Non ita ſum ignarus, ut tu me eſſe arbitraris: Scio enim & qui ſis, & quid dederim: tu accipe, quod dedi, & tace. Nam ut petere, quod petiiſti, eſt Biantii, ita donare, quod donavi, eſt Alexandri. In primis magna uſus eſt liberalitate Alexander erga viros doctos, *Eleo* Pyrrhoni decem millia aureorum dono dedit. *Xenocrati* talenta quinquaginta muneris loco miſit. Ariſtoteli pro Hiſtoria animalium deſcribenda ſubminiſtratis.

tis omnibus neceſſariis ſumptibus, præmium laboris dedit 800. talenta, hoc eſt, coronatorum aureorum millia quadringenta octoginta. Horum Monarcharum exemplo monentur Principes, ut liberalitati ſtudeant; ſiquidem liberalitas, & beneficentia Principum erga ſubditos, magnum eis amorem conciliat atque favorem. Nam quemadmodum nullum tetrius eſt vitium in Principe & Rempublicam gubernantibus *avaritia & crudelitate*, nihil certius ad derivandum populi in ſe odium & malevolentiam: Ita quoque *Liberalitate & Clementia* nullam eſſe *Potentiorem* dotem in Principe, nullum efficacius præſidium adverſus malorum odium, nullum efficacius inſtrumentum ad amorem & benevolentiam populi ſibi conciliandam conſtat.

Videant tamen Reges & Principes, ne in exceſſu peccent, hoc eſt, ne prodigaliſſimi & profuſiſſimi potius ſint, quam liberales, ſicuti legimus apud *Polybium* de Antiocho Epiphane, quem cognomine paululum immutato, aliquando *Epimanem*, hoc eſt, furibundum & mente captum appellat. Hunc namque ſcribit immenſos pecuniarum theſauros in comeſſationibus & ſympoſiis prodegiſſe & brevi tempore profudiſſe, ſolitumque eſſe ludibundum interdum & ebrium grandiuſculos nummorum ſaculos in viis publicis abjicere, & ſubinde dictitare: Iſthæc accipiant ii, quos ſors fortunave huic commodo jampridem deſtinavit. Imitatorem hac in re habuit *C. Caligulam*, qui aliquot diebus continuis pecuniam larga manu in vulgus diſperſit. Similiter de Nerone ſcribit Dion, quod prætoriano militi dari juſſerit aureorum 100000. cumque Agrippina mater ejus ea in unum coacervaſſet locum, quo filium intuentem ſummam tantæ pecuniæ pœniteret, interrogavit Nero, quantum eſſet numeratum, cognitaque ſumma duplicari juſſit, dicens: Non putavi, me tam exiguum munus dediſſe.

IN MONARCHIA TERTIA contemplandus nobis proponitur ALEXANDER MAGNUS. Hunc inſignem Monarcham Deus tanquam Heroëm excitavit, eumque heroicis animi & corporis dotibus exornavit atque armavit, ut per eum ἀξίωμα ſummi Imperii à Perſis ad Græcos transferret. Nam multæ virtutes in eo fuere conjunctæ, quæ in aliis ſummis viris vix reperiuntur ſingulæ: Nullus enim Regum Ethnicorum cum eo comparari poteſt, ſive ſpectemus inſignem ejus ſapientiam, ſive fortitudinem heroicam & felicitatem in rebus gerendis, ſive alias virtutes, liberalitatem ſcilicet, juſtitiam, clementiam, modeſtiam & continentiam &c. Verum quemadmodum ſegetes fœcundæ & uberes, non ſolum fruges, ſed etiam herbas effundunt inimiciſſimas frugibus: Ita magnæ & admirabiles naturæ inter præclaras actiones virtutis maxima quo-

que

que vitia afferre conſueverunt. Hujus rei luculentum teſtem exhibet ſe nobis Alexander, cujus præmemoratæ virtutes non fuerunt puræ putæ, ſed nigricantibus vitiorum notis aſperſæ. Nam tandem devicto Dario, quando videbatur potentiæ & felicitatis humanæ ſupremum attigiſſe faſtigium, fortuna rerum geſtarum ebrius factus, prorſus eſt immutatus, variiſque vitiis atque flagitiis ſeſe inquinavit. Vituperatur enim in eo:

1. *Arrogantia.* Facile namque perſuaderi paſſus eſt, ſe non Philippi Regis Macedoniæ, ſed Jovis Hammonis filium eſſe, adeoque immortalem Deum; & ridiculum eſt, quod à Græcis per literas petiverit, ut decreto ſuo ipſum Deum facerent. Itaque aliis aliter ſtatuentibus, Lacedæmonii decretum ejuſmodi fecerunt: Ἐπειδὴ Ἀλέξανδρος βούλεται θεὸς εἶναι, ἔστω θεός. hoc eſt, *Quoniam Alexander Deus eſſe vult, eſto.* Qua voce plane Laconice irriſerunt ſtultam ejus ambitionem, quod ea hominibus petierit, quæ natura ei largita non fuerat, & putaverit ab iis poſſe creari Deos, qui ipſimet nihil aliud eſſent, quam miſeri mortales. Et hanc ob cauſam Alexander toti Græciæ, ſuisque omnibus exoſus eſt factus & ridiculus, cum divinos honores affectaret, & tum maxime Deum ſe declarari peteret, cum virtuti remiſſo nuncio, vitiis omnibus delectaretur, & peſſimarum cupiditatum, ebrietatis, crudelitatis & ſuperbiæ ſervus factus fuiſſet. Quare Olympias mater ejus, cum audiviſſet, filium jam longo tempore ſepulchro carere, graviter ingemiſcens, atque acerbiſſime plorans, O fili, inquit, cum in Deorum numerum referri volueris, & id perficere ſummo ſtudio conatus ſis, nunc neque illorum quidem, quorum omnibus mortalibus æquale & par jus eſt, particeps fieri potes, nempe terræ ſepulturæque. Et ſic ſimul *infortunium ſuum luxit*, ſimul etiam faſtum & inanem filii arrogantiam taxavit.

Talis ſtultus quoque fuit C. Caligula IV. Imp. Rom. qui tanquam Deus adorari volebat, & miſerebatur ſtultitiam Judæorum, quod ſe Deum eſſe ſibi perſuadere non poſſent: cum tamen paulo poſt experimento didicerit, ſe vere fuiſſe mortalem. *Philo de legatione ad Cajum.* Sic *Domitianus* omnium edictorum & diplomatum cæſareorum exordium ita fieri juſſit: *Dominus Deus noſter hoc mandat.* Unde in communi ſermone ei titulus hic tributus fuit: *Dominus Deus noſter Domitianus.* Verum paulo poſt non tantum falſam divinitatem, ſed etiam veram humanitatem interfectus amiſit. Ergo Princeps Chriſtianus, humilis ſit in oculis ſuis: quia arrogantiam & ſuperbiam Deus deteſtatur. *Prov. 8. verſ. 13.* & abominatio eſt coram Deo omnis arrogans. *ibid. cap. 16.* Unde etiam quovis tempore graviter à Deo puniti & humiliati ſunt, ſicut ſupra in hiſtoria Nabuchdonoſoris dictum.

II. *Tru-*

II. *Truculentia.* Nam *Primo*: Proficiſcens ad bellum Perſicum, omnes novercæ ſuæ cognatos, quos Philippus in excelſiorem dignitatis locum provehens imperiis præfecerat, interfecit, ne, ſe bellum in Aſia gerente, materia ſeditionis, quod ipſe putabat, in Macedonia remaneret. *Secundo:* Cum Alexander divinos honores ſibi deferri vellet, maximam civium ſuorum contraxit invidiam. Dicebant namque Macedones: peſſime cum eo Principe agi, qui ſe Deum quam Regem haberi mallet. Hæc res multis exitio fuit, ſiquidem ii, qui Alexandrum ut Deum adorare nolebant, juſſu ejus, vel leonibus objiciebantur, vel in carcerem conjiciebantur, & poſtea interficiebantur. In primis *Calliſthenes* Philoſophus hanc arrogantiam Alexandri magna verborum licentia execrabatur. Quod cum accepiſſet Rex, gravi ira excanduit; eum inſidiarum in ſe conſcium accuſari paſſus eſt, exegitque ab eo immaniſſimas & crudeliſſimas pœnas. Nam truncatis manibus, abſciſſisque auriculis, & naſo, labriſque mutilatis, deforme ac miſerum ſpectaculum omnibus illum viſendum præbuit, ac deinde eum in caveam cum quodam cane conjectum ad metum exemplumque cæterorum palam circumferri juſſit. At Lyſimachus Macedo vir illuſtris, & virtute viriumque gloria præſtantiſſimus, miſeratus tanti viri fortunam, venenum ei in remedium miſerandæ calamitatis detulit. Quod adeo iniquo animo Rex tulit, ut Lyſimachum ferociſſimo leoni exponi juſſerit. Sed cum leo in eum impetum aperto ore feciſſet, manum pallio involutam in os leonis inſevit, avulſaque lingua feram exanimavit. Quod cum vidiſſet Alexander, Lyſimacho pepercit.

Tertio: Parmenionem Ducem ſuum præſtantiſſimum innocentem, & nil ſibi male conſcium, crudeliſſime interfici mandavit. Imo multos ſuorum amicorum & conſiliariorum optime meritorum, nec non *Clitum* Ducem ſuum fideliſſimum, alioſque, inter pocula è medio ſuſtulit.

In hoc igitur Alexandri M. exemplum omnes Principes & Magnates intuentes à crudelitate abſtineant, quia plus clementia quam ſævitia proficiunt. Adde, quod bonus Magiſtratus civibus ſit carus: Tyrannus vero exoſus. Nam *illo* in publicum procedente, tanquam ad clarum & beneficum ſidus certatim advolant: *Hoc* vero conſpecto, tanquam malum aliquod ſeu noxium animal è cubili proſiliret, omnes defugiunt. Et experientia omnium rerum magiſtra teſtatur, tyrannos raro ad ſenectutem canam pervenire. Unde Thales aiebat, nil ſibi inſolens magis eſſe, quam tyranni ſenis aſpectum. Teſtatur eadem, rarius, imo nunquam illos placidum ex hujus vitæ ergaſtulo exitum ſortiri. Nimirum.

Ad

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte tyranni.

Quod exempla Pharaonis, Abſolomi, Achabi, Nimrodi, Cambyſis, Ochi, Antiochi, Belſazaris, Herodis Aſcalonitæ, Antipæ, Agrippæ, Neronis, Diocletiani, Aureliani, Valeriani, Juliani, Phocæ, Maximini, aliorumque tyrannorum innumerabilium oſtendunt.

III. *Luxuria.* Tantam denique ſui mutationem ſubiit Alexander, ut qui totum ferme terrarum orbem vicerat, omnemque vim humanam ſpreverat, & initio egregia continentiæ ſpecimina ediderat, tandem nec libidinis ardorem inhibere, nec epulandi potandique voluptatem vincere potuerit. Hinc Monarchia III. Græcorum *Hirco* caprarum, item *Ventri æneo* comparatur, ad ſignificandam Alexandri helluationem & laſciviam, quippe qui immoderatis cupiditatum motibus frena ita laxaſſe perhibetur, ut ei nefas non videretur 365. concubinas in aulam introducere, dies noctesque comeſſando & potando conſumere, certamina potationum inſtituere, & victoribus præmia diſtribuere. Ferunt ipſum aliquando apud Medum Theſſalum in viginti convivarum ſympoſio perpotantem, ſingulis ſingulos vini calices propinaſſe, ab eiſdemque totidem accepiſſe, & illico hauſiſſe. De eo quoque, teſte *Athenæo*, refert *Ephippius*, quod plurimi fuerit vini, ita ut aliquando è ſympoſio per manus ablatus duos poſtea integros dies totidemque noctes pertinacius ſterterit: & quod in convivio quodam ſcypho bicongio accepto, meroque repleto illum Proteæ Macedoni, qui bibaciſſimus eſſe ferebatur, propinaverit: qui ſcyphum hilare accipiens, illum omnium convivarum profuſiſſimo cum applauſu integre totum hauſiſſe, pauloque poſt eundem ſcyphum mero repletum Alexandro rurſus propinaſſe. Quem accipiens Rex, generoſe quidem illum ebibiſſe, verum deficientibus ſtatim viribus, depoſito ſcypho, in pulvillo procubuiſſe, indeque in morbum incidiſſe fertur, quo paulo poſt extinctus. *Ælianus lib. 3. Var. Hiſt.* hac de re ita ſcribit: Hæc, inquit, non ſunt laudanda in Alexandro, quod, cum quinta die menſis, ut fama eſt, perpotaſſet apud Eumæum, deinde ſexta crapulam edormierit, ſeptima deinde die epulatus eſt apud Perdiccam, qua ſe rurſus vino ingurgitavit, & octava dormivit. Et decimaquinta die ejuſdem menſis iterum indulſit vino: & ſequenti ſolito more crapulam ſomno decoxit, &c.

Quare omnes Reges & Principes conſiderantes hoc Alexandri exemplum, quod magno nocumento ſibi fuerit, tot diebus potando conſumptis: à nimio Baccho abſtineant, ebrietatem tanquam rationis hoſtem & noxiam peſtem fugiant, & nimias perpotationes execrentur. Nam crapula & ebrietas Principem reddit ignavum & ineptum ad officii ſui munia recte obeun-

obeunda. Quid boni proficiſci poteſt à Principe quotidie gulæ & genio dedito? Quid infelicius ebrietatis dominatu? Hæc artium & diſciplinarum pernicies, hæc omnis honeſtæ vitæ morumque peſtis & corruptela. Hæc mentis uſum pervertit, omnem humanæ vitæ dignitatem commaculat, Dei in homine ſculptam imaginem debilitat, corporis robur perdit, Iliada morborum gignit, imo, ut uno verbo complectar, omnium vitiorum gurges eſt & ſentina. Neque ſilent hiſtoriæ, quam funeſta ebrietas iis, qui ei dediti fuere, extiterit. *Alexander M.* hac luxuria & immoderato harum voluptatum uſu eo proceſſit, ut optimos etiam amicos, Conſiliarios ac Duces occiderit, ſuamque vitam abbreviarit. Hinc *Alphonſus* Rex cum interrogaretur, quid ſibi vellet, quod vinum aqua dilueret? Ne ebrius fiam, reſpondit. Non enim ignoro, quantum vini intemperantia Alexandri Macedonum Regis gloriæ obfuerit. Quo impietatis & crudelitatis Nero impuriſſimus non proſiliit? Cum vino gulæque tam deditus eſſet, ut mutato nomine, pro Claudio Tiberio Nerone, Caldius Biberius Mero dici meruerit. Quot quæſo ad duriorem reſervati caſum, vel linguæ ſuæ temeritate, vel caſu inter compotandum jugulati? quorum vita, heu! male

—— *Cum gemitu fugit indignata ſub umbras.*

Sic Clitus periit. Sic Belſazar. Sic Holofernes Aſſyriorum Dux; cum ſe vino obruiſſet in convivio, & in lecto jaceret nimia ebrietate ſepultus, gladium ejuſdem Judith fortiſſima virago arripuit, & divino robore munita beſtiam immanem turpiſſima morte confecit. *Iudith c.* 13. *verſ.* 10. Sic 1 *Maccab. c.* 16. legimus ebrium & temulentum factum fuiſſe Simonem ſenem, & filium ejuſdem: quod ſimul atque intellexit Ptolemæus, arma cepit ſtatim, & cum militibus in palatium, in quo convivium maximum lectis magnificentiſſime ſtratis celebrabatur, tumultuoſiſſime invaſit, & ille & milites cædendi faciunt initium, & ſtragem, in illum, in filios, in pueros irruentes, horribilem edunt. Sic multi alii ſine modo bibentes perpotationibus immoderatis mortem ſibi conſciverunt ac miſere extincti ſunt.

—— *Quorum ſi nomina dicam.*
Icariæ numerum ſcribere coner aquæ.

IN MONARCHIA QUARTA nobis ſiſtuntur multi præſtantiſſimi Imperatores, quorum (ut tantum paucos in aream producam) poſt Ethnicos Impp. *Conſtantinus*, *Theodoſius & Carolus*, cognomento *Magni* dicti, fuere præcipui & celeberrimi.

PRIMO: CONSTANTINUS M. tot tantiſque virtutibus fuit ornatus, ut nemo ex anteceſſoribus illi præferri, imo ne comparari cum eo poſſit; inprimis magna in ipſo PIETAS (ut cæterarum ejus virtutum jam non faciam mentionem) fuit. Nam 1. ipſe primus ex Impp. Rom. Chriſtia-

Christianus factus Christumque amplexus est: & postquam devictis tyrannis Ethnicis solus summa rerum potitus; ad religionem Christianam instaurandam, stabiliendam & amplificandam, omnem curam, studia ac laborem contulit, liberum religionis exercitium Christianis concessit, piis Ecclesiæ Doctoribus stipendia constituit, iisque magna privilegia concessit, adeoque non tantum Politiam, sed etiam Ecclesiam bene gubernavit ac protexit.

2. Cum Arius pestilentissimus ille hæreticus Deitatem Filii Dei negaret, Constantinus Imp. præcipuos Ecclesiarum, per omnem Asiam, Africam, & Europam, Episcopos Niceam convocavit, quos oratione pia & clementi ad concordiam animorumque conjunctionem cohortatus est. In qua inter alia hæc sententia vere aurea eminet: *Intestina*, inquit, *seditio in Ecclesia Dei conflata, multo plus molestiarum & acerbitatis, quam quodvis bellum pugnave in se complectitur.* Conscriptum est in hoc Concilio Symbolum Nicænum, quod adhuc in Ecclesiis Christi retinetur.

3. Biblia suis sumptibus sæpius describi (nam typographia tunc temporis nondum fuit inventa) & in exteras nationes hinc inde mitti curavit, quo vera religio longe lateque propagaretur.

Novum Testamentum sibi semper præferri mandavit: Quo insinuare voluit, quod ipse ex eo veram Dei atque Christi agnitionem hauserit, inque ea constanter perseverare, subditosque suos protegere vellet. Ex hisce aliisque documentis Constantini *Pietas* satis superque effulget. Optime namque novit hic Imperator, PIETATEM REGNA FIRMARE; quod pientissimi Regis CHRISTIANI IV. parentis R. M. V. beatæ ac glorioſæ memoriæ, & Evergetæ mei, dum viveret, benignissimi, *Symbolum* vere aureum fuit. Ab hac enim sola Magnatum & Reipublicæ felicitas dependet: vera pietate pax conservatur, bella extinguuntur, hostes in fugam conjiciuntur, trophæa eriguntur, & victoria paratur. Contra vero Principes, qui Deum non timent, nec ipsi felices esse possunt, nec eorum subditi, quia ibi nulla potest esse felicitas, ubi nulla est pietas. Proinde in præsentissimo versatur periculo regnum, cujus Princeps est malus Christianus. At fortunatum, cujus Princeps ambulat in lege Domini, deque ea meditatur die ac nocte. Quare Principum primarium est officium, ut pietati studeant, verbum Dei diligant, magni faciant, libenter audiant, ruminentur, & in corde suo conservent: sint veri Ecclesiæ nutritii, hoc est, dent operam ut in suis finibus Ecclesia Christi crescat, vigeat & floreat: Doctores puræ & sanæ doctrinæ addictos vocent, liberaliter foveant & defendant: sine horum enim opera & studio Ecclesia feliciter crescere non potest, quia sunt organa

gana talia, per quæ Spiritus Sanctus in cordibus hominum operatur.

SECUNDO: THEODOSIUS M. poſt Conſtantinum M. Imperator celeberrimus & religioſiſſimus fuit, ac magnæ, omnibuſque Chriſtianis Principibus imitandæ virtutes in eo eminuerunt. Inprimis laudatur ejus:

1. *Pietas.* Ipſe namque primus fuit, qui cultum inanium Deorum ſevere prohibuit, fana ac templa Deorum extirpavit radicitus, & ſempiterna oblivione obruenda curavit, teſte *Theodoreto.* Nam Conſtantinus M. omnibus præconiis merito efferendus, videns adhuc orbem terræ cæco errore furentem, tametſi vetuit omnino dæmonibus hoſtias immolari: non tamen eorum delubra demolitus eſt, mandatum ſolum dedit, ne quisquam ad ea accederet. Sed revertor ad Theodoſium, cujus fidem & pietatem etiam *Auguſtinus lib. 5. de Civ. Dei* miris laudibus effert, dicitque, eum in bello magis orando quam feriendo pugnaſſe: & hoc tam manifeſtum fuiſſe omnibus, ut etiam *Claudianus* Poëta Gentilis de eo cecinerit:

O nimium dilecte Deo, tibi militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Meminit quoque *Auguſtinus*, Theodoſium ſolitum fuiſſe dicere, magis ſe gaudere, quod membrum Eccleſiæ Dei eſſet, quam in terris regnaret. Imo Theodoſium piiſſimum fuiſſe Imperatorem, patet ex oratione ejus περὶ ἀγωνίας, qua filios ſuos Arcadium & Honorium (quos in imperio habuit ſucceſſores) ſerio hortatus eſt, ut patriis veſtigiis inſiſtentes hoc ſibi unice curæ eſſe vellent, ut fidei & pietatis doctrina pura & incorrupta conſervaretur, & ad poſteros propagaretur, ac in eo conatu nullis laboribus ac ſumptibus parceret. Hinc D. Ambroſius Theodoſium inter eos, qui beatiſſima in vita æterna lætitia & gloria fruuntur, connumerare non dubitat. Sic enim loquitur in oratione funebri de laudibus ejus habita ad populum: *Convertere*, inquit, *anima mea, in requiem tuam, in quam feſtinavit ingredi Theodoſius.* Et paulo infra: *Abſolutus igitur dubio certamine fruitur nunc Auguſtæ memoriæ Theodoſius luce perpetua.* Et infra; *Manet ergo in lumine Theodoſius, & ſanctorum cœtibus gloriatur.*

2. *Amor & ſtudium erga Rempublicam.* Non neſciebat Theodoſius, vigilantiam Principis Eccleſiæ & Reipublicæ eſſe incrementum; oſcitantiam vero ejus decrementum & ruinam. Quare juxta Dei & naturæ præſcriptum ita imperio præfuit, ut omni ratione publicis conſuleret commodis, omnique ſtudio caveret, ne quid Eccleſia & Reſpublica damni acciperet: & potius ſua commoda neglexit, ut publica promoveret, juxta monitum Claudiani:

Tu civem patremque geras, tu conſule cunctis,
Nec tibi: nec tua te moveant, ſed publica vota.

Ita-

Itaque cum multi Tyranni adverſus Theodoſium inſurgerent, ipſeque, niſi opprimerentur, imminere exitium Reipublicæ proſpiceret, pro lege & grege pugnandum exiſtimavit. Multa autem prælia geſſit, quorum tria inprimis notatu digna. *Primum* adverſus Barbaros, qui cum Iſtrum flumen tranſiiſſent cum ingentibus copiis, ut non ſolum Thraciæ, ſed etiam toti Orienti terrorem maximum ineuſſerint: occurrit illis Theodoſius, nondum Imperator, ſed à Gratiano Imp. Dux militum electus: & primo prælio tanta celeritate illos fudit, ut cum Cæſare dicere poſſet: *Veni, vidi, vici.* Eaque cauſa fuit, ut Gratianus eum conſortem Imperii declaraverit. *Alterum* prælium, fuit commiſſum cum *Maximo* tyranno, qui Gratianum interfecerat, & imperium ejus invaſerat: Sed hoc ſine ſanguine militum ſuorum confecit, occiſo repente tyranno & occidentali Imperio recuperato. *Tertium* prælium cum Eugenio altero tyranno commiſit, ſed pugnante Deo de cœlo pauci multos vicerunt, & ita Theodoſius, quia non in gladio & potentia ſua, ſed in Deo vivo & vero ſuam collocabat fiduciam, ſemper in prælio victor evaſit.

Hac in re omnes Reges ac Principes Theodoſium imitari debent, ut bellum contra hoſtes geſturi, non in multitudine aut robore exercitus ſui cum Sennacheribe, Xerxe, & Maximo confidant, ſed in omnipotenti Deo, à quo ſolo victoria eſt expectanda. 2 *Sam.* 1. *v.* 21. 1 *Mac.* 2. *verſ.* 18, 19. *Pſalm.* 22. *verſ.* 5, 6, 7, 8. & *Pſalm.* 33. *verſ.* 16, 17. Quod optime intellexit Heraclius LXIII. Imp. Rom. qui palam profeſſus eſt, neminem ſibi præter Deum auxiliari poſſe: quo volente, unus mille facile perſequatur. Quare hoc ſymbolo uſus: A DEO VICTORIA. Digna quoque vox eſt Imperatore, quæ in legum volumine hiſce verbis repræſentatur: Deo autore noſtro gubernante imperium, & bella feliciter peragimus, & pace decoramus, & fatum ſuſtentamus Reipublicæ, & ita noſtros animos ad Dei omnipotentis adjutorium erigimus, ut neque armis, neque noſtris militibus, neque bellorum Ducibus, vel noſtro ingenio confidamus, ſed ſpem omnem ad ſummæ Triunitatis Providentiam referamus. Et memorabile eſt illud de Carolo V, quod referunt hiſtorici: In expeditionibus illum bellicis ſæpius cum Deo quam hominibus locutum eſſe, quod de ſuis conſiliis cum nemine aut paucis communicaret. ſæpe ad Deum ardentes preces funderet.

3. *Liberalitas.* Valde liberalis fuit Theodoſius erga omnes, imprimis autem erga Eccleſiæ Doctores & egenos: & cum de nimia liberalitate moneretur, dixit: Nunquam defuturum fiſco regio pecuniam, quamdiu pauperes eleemoſynas acciperent, & Eccleſiarum Doctores ex eo ſuſtentarentur. Secutus hac in re Cyrum, Darium Hyſtaſpem, Artaxerxem Longimanum, Alexan-

Alexandrum M., Titum Veſpaſianum, Ulpium Trajanum, Antoninum Pium & Conſtantinum M. qui maximis laudibus ob immenſam liberalitatem, qua erga egenos, & imprimis viros doctos uſi ſunt, efferuntur. Unde mirandum non eſt, quod illorum ætate doctrinæ & artes ita floruerint, ut tot & tam multiplices fructus ad nos propagati ſint. Ut enim fruges aëris temperie liquidioreque cœlo exuberant: haud ſecus bonæ artes benignitate, honorificentia, humanitateque excitantur: E contra invidia, ſordibus, moroſitateque eorum, qui rerum potiuntur, reſtinguuntur & langueſcunt. Quis enim eſt, qui, ſi præmium laborum ſuorum vel habet vel expectat, non ad omnia alacrior & promptior reddatur? Et teſte *Claudiano in laudibus Stilliconis Paneg.* 2.

—— *Egregios invitant præmia mores.*

4. *Clementia. Egnatius* & *D. Ambroſius* ſcribunt de Theodoſio, quod ſumma in eo *Clementia* fuerit, quam etiam (teſte *Zonara*) declaravit erga *Antiochenos*. Nam Imperator poſt exantlatos difficiles labores bellicos, civitati Antiochenæ tributum novum imperavit: quod cum durius graviuſque videretur civibus, ad iram excitati, Imperatori non ſolum infamiæ notam inurere annituntur, ſed in majorem adhuc contumeliam, ſtatuas tum ipſi, tum conjugi erectas, quaſi furoris œſtro perciti, deturbant, affligunt, comminuunt, diſſipant: præterea è Magiſtratu quoſdam interficiunt. Agnoſcentes poſtea delicti ſui gravitatem, & Imperatoris indignationem ſubodorantes, ſibi ſuiſque omnibus non niſi eladem funeſtam & exitium certum jam jam impendere ſentiunt. Hinc pœnitentia ducti Flavianum Epiſcopum ad Theodoſium Imp. ſupplices ablegant; qui in aulam cum veniſſet, Imperatorem magno irarum æſtu (ut par erat) flagrantem offendit, ut vix ulli interceſſioni locus eſſet relictus. Quocirca, cum cantorum Magiſtro aulico re communicata, ſupplices civium literas numeris rhytmicis aſtringendas eſſe concluditur, atque ad menſam Imperatoris ab ordinariis pueris ſymphoniacis decantandas. Hoc ita facto Imperatori ubertim exit lacrymarum vis, animus demulcetur, iracundia tollitur: & Epiſcopus tandem re ex voto geſta, civibuſque impetrata gratia, in pace dimittitur. Magnopere igitur laudandus Theodoſius, quod Antiochenis tam clementer ignoverit, cum ſæpius Reges & Principes, ob leviuſculam cauſam, (quæ non tanti momenti, quam hæc Antiochenorum contra Theodoſium commiſſa) perſonam tyranni induant, & crudeliſſime agant, uti Cambyſes, Ochus, Xerxes, Alexander, Phocas, & alii fecere. Si quis autem Theodoſio objicere vellet peccatum cædis Theſſalonicenſis, huic *D. Ambroſ. in Orat. ejus funeb.* reſpondit, dicens: *Dilexi virum, qui magis arguentem, quam adulantem probaret. Stravit omne, quo utebatur, inſigne regium, deflevit publice*

in

in Eccleſia factum ſuum quod ei aliorum fraude obrepſerat: gemitu & lacrymis oravit veniam, quod privati erubeſcunt: non erubuit Imperator publice pœnitentiam agere. Neque ullus poſtea dies fuit, quo non illum doleret errorem. Hæc Ambroſius.

Hinc multa Principes addiſcere poſſunt. I. Quando etiam ex infirmitate humana lapſi, atrocia peccata commiſerunt, in iis non pertinaciter perſeverent aut ſub eorundem mole deſperent, ſed cum Theodoſio vera fide pœnitentiam agentes ad Deum confugiant, & remiſſionem peccatorum ab eo petant, quo pœnæ æternæ condonentur, & temporales mitigentur,

II. *Facile injuriarum oblivi ſcantur*, uti Theodoſius fecit. Quod eſſet graviſſimis injuriis & contumeliis ab Antiochenis exceptus, eos ex juſta cauſa ulciſci, deque iis ſupplicium ſumere potuiſſet: attamen eos in gratiam recepit, omniumque offenſarum oblitus eſt. Nam hæc ſumma Principis laus eſt, in offenſione clementiæ ſtudere: injurias contemnere, animum iracundum vincere, parcere ſubjectis & debellare ſuperbos. Proinde clementia & lenitate multi Reges ac Principes ſua imperia ſibi acquiſiverunt, acquiſita conſervarunt: conſervata auxerunt atque amplificarunt. Hac Alexander M. totum fere terrarum orbem imperio ſuo ſubjecit. Hac potens factus eſt in Gallia Julius Cæſar. Cujus præclara vox notanda: *Nulla ex re majorem ſe capere voluptatem, quam injurias condonando, & beneficia compenſando.* Optandum eſſet, ut vocem hanc Chriſtiani omnes, præſertim autem Principes & Magnates, non ſolum in pectus demittant, verum etiam imitatione exprimant. Fide Cæſar paganus fuit & gentilis, ſed hac in re fecit tanquam optimus Chriſtianus.

III. Principes quoque iracundiam ſummo ſtudio fugiant. Nam hac incenſus Theodoſius, cætera pius & optimus Imperator, ad ſeptem hominum millia Theſſalonicæ trucidari juſſit. Hac inflammatus Alexander Lyſimachum leoni objecit: haſta Clitum trajecit: Calliſthenem mori coëgit. Sunt Alexandriæ Caracallæ juſſu omnes pii interfecti, qui geſtus ejus ridicule expreſſerunt. Iracundiæ ſuæ monumenta plurima Periander, Lyſander, Sylla, Caſſius, Cambyſes, Totilas, & alii reliquerunt.

TERTIO: Denique CAROLUS M. quantus ipſe Imperator fuerit, neminem adeo in hiſtoriarum cognitione hoſpitem & peregrinum eſſe puto, ut non audierit, ſi minus legerit. Ipſe namque fuit boni & optimi Principis perfectum exemplar, quia omnibus fere virtutibus, quæ in Principe requiri poſſunt, ornatus fuit. Quas, quia dignæ ſunt ut omnes Chriſtiani,

ſtiani, adeoque Reges & Principes imitentur, breviter percurram, uſumque earum oſtendam. Præcipuæ autem hæ ſunt:

I. PIETAS. Carolus M. bene intelligens, ſuper omnia præclara, quæ regnum ſive imperium habet, pietatis cultusque divini coronam Principem exornare, pietatis ſtudio adeo delectatus eſt, ut ipſe ſe choris pſallentium in Eccleſia immiſcuerit, & coram ſe, ubicunque eſſet, divinum peragi officium ac miniſterium curaverit: imo in id unice incubuit, ut religionem Chriſtianam (quam ipſe primus in Germaniæ oras invexit) promoveret ac propagaret. Quare cum ita in Republ. fieri videamus, ut

Mobile mutetur ſemper cum Principe vulgus;

non tantum in moribus, ſed etiam Religione: & quod ſubditi omni tempore imitentur opiniones & facta Dominorum ſive bona ſive mala: in id potiſſimum Princeps incumbat, huc omnes ſuas cogitationes inprimis dirigat neceſſe eſt, ut pietate animum exornet, cultuque tam interno quam externo Deum veneretur: Sic facile ſubditos quoque ſuos ad pietatem & optimos mores adducet, ſibique obſequentiores reddet. Nunquam moritura laus eſt Theodoſii II. Imp., quod aulam ſuam veluti Scholam, in qua ad pietatem ſe ſuosque exercuit, inſtituerit, habens ordine diſtributa tempora lectionum, Pſalmorum, jejuniorum, imo & vigiliarum. Ut de aliis Chriſtianiſſimis Imperatoribus & Principibus nihil dicam.

II. PRUDENTIA. Prudentiſſimus hic Imperator fuit, & ſe potius ſcientia rerum divinarum & humanarum, quam potentia excellere velle ſæpius dixit. Prudentia enim Principi inprimis eſt neceſſaria ad regendum alios, & etiam ad regendum ſe ipſum. Hinc David filio ſuo Salomoni Regi, tunc primum inuncto à Deo, precatur hanc virtutem maxime omnium ei neceſſariam, dicens: 1 *Paral.* 23. *Det tibi Deus Prudentiam & ſenſum, ut regere poſſis Iſraël, & cuſtodire legem Domini Dei tui &c.*

III. FORTITUDO. Carolum M. fortiſſimum Heroëm fuiſſe teſtantur varia bella felici ſucceſſu ab eo geſta. Ipſe namque domuit indomitos antea Saxones, brevi temporis ſpatio redegit ſub imperium ſuum Italiam, Radbodum Friſiorum Regem è regno ſuo fugavit, ipſe compeſcuit Hungaros, vicit Hunnos & Avares, ille majorem Hiſpaniæ partem Saracanis inde expulſis ſibi ſubjecit, & Sclavos ac Bohemos in ordinem redegit. Unde omnibus exteris Regibus & gentibus adeo terrori fuit, ut ipſum velut Dominum ſuum coluerint. Annon igitur Carolus à tanta rerum geſtarum magnitudine, qua totum terrarum orbem complevit, merito dictus eſt MAGNUS? Quem hinc Principes & Magnates habent uſum? Hunc videlicet, ut ſint Alexandri, Julii, Ottones, Caroli hoc eſt, *fortiſſimi* & heroës, bellatores, & pro lege & grege, ſi neceſſitas poſtulat, alacriter puguare non detre-

det rectent: non autem sint *ignavi*, ut Licinius Gallienus Imp. quo Remp. non curante, 30 Tyranni, ejus contemptu, imperium occuparunt. Non sint *desidiosi*, ut Phocas, cujus negligentia hostes Romani Imperii undiquaque potentiores sunt facti: denique, non sint *inertes*, ut Wenceslaus, qui administrationem imperii & regni paterni Bohemiæ ita neglexit, ut passim seditiones exorirentur, & itinera latrociniis infesta redderentur. Fortissimorum enim Principum virtus animique magnitudo toti regioni salutaris, imo necessaria est.

Ast quemadmodum Carolus M. nullum bellum nisi summa necessitate coactus, suscepit: Ita quoque Reges & Principes prudentissimi cavere sciant, imo debent, ne bella temeraria moveant, quia ejusmodi non necessaria bella, hoc est, non propter defensionem, vel bonorum amissorum recuperationem, sed vel ex avaritia, vel ambitione, vel propriarum virium fiducia suscepta, semper infelices successus, tragicosque exitus habent, id quod exempla *tum sacra*, ut Iosiæ, 2 *Par.* 35. Sennacheribi, 2 *Reg.* 19. *Esa.* 37. Amaziæ, 2 *Reg.* 14. *tum profana*, videlicet Semiramis, Crœsi, Cyri, Xerxis aliorumque testantur.

IV. IUSTITIA. Iustitiæ Carolus fuit amantissimus & administrator fidelissimus. Hac enim sola proxime ad Deum Princeps accedit, & ut recte & ubique eam semper exerceat summopere necesse est, si verus Dei Vicarius in terris, ac justus Princeps audire, populique amorem promereri cupit. Nam quando justitiam sincere administrat, à Deo benedictione cumulatur, & à subditis suis amatur: Si secus, odium subditorum in se, Deique iram derivat. Hoc considerantes Darius Medus, Cyrus, Augustus Imp. Nerva, Trajanus, Alexander Severus, Adrianus, Titus Vespasianus, Antoninus Pius. Otto III, justitiam optime administrarunt, sicut ex historia eorum patet.

V. TEMPERANTIA. Cum Principes sint specula vel exemplaria, in quæ subditi respiciunt, seque eorum moribus accommodare satagunt: ea de causa si Principes sobrietati studeant, multos ex subditis cum magna sua laude tales efficient. Contra vero si sunt Epicurei & helluones, & utuntur hoc symbolo: Ede, Bibe, Lude, post mortem nulla voluptas; plurimos exemplo suo trahent ad inferos. Proinde Carolus laudabili temperantiæ exemplo suis subditis præivit, à crapula & nimio potu vini abstinuit, ebrietatemque cane & angue pejus aversatus est. Quid enim perturbationes illas, quæ in Regum & Principum animorum quasi visceribus hærent, reprimet & sedabit, *Temperantia* moderatrix si non adfuerit? Illa remota omnes virtutes reliquæ mutilæ sunt & imperfectæ. Ob *Temperantiam* laudem invenit Cyrus, celebres sunt Epaminondas, Agesilaus, Scipio, Paulus Æmylius, Julius, Augustus, Trajanus, aliique Principes. In reprehensionem contra ob inglu-

ingluviem & crapulam venerunt, tragicumque exitum ſortiti ſunt, Sardanapalus, Belſazar, Cambyſes, Antiochus Epiphanes & Alexander M. Inter Cæſares. C. Caligula, qui in cæna una 150000 ducatorum conſumpſiſſe, & intra annuum ſpatium 675 tonnas auri inutiliter profudiſſe ſcribitur. Ejus imitatores fuere Nero, Sergius Galba, Domitianus: & Aulus Vitellius, qui tanta fuiſſe luxuria dicitur, ut niſi mature ab imperio amotus fuiſſet, commeſſationibus ſuis atque ſympoſiis facultates imperii conſumpſiſſet omnes. Hos autem ſuperavit Heliogabalus XXIV. Imp. Rom. ut Ælius Lampridius & alii referunt. Sed quarto ſtatim imperii anno à militibus interfectus meritas ſuæ intemperantiæ pœnas dedit.

VI. HUMANITAS. Carolus per omne vitæ tempus erga quosvis domi & foris ſumma uſus eſt humanitate. Vnde etiam ab omnibus mirifice dilectus eſt. Quid enim *humanitas & manſuetudo* Principis non efficit? Cives atque ſocios omnes ita devincit, ut eum non ſecus, atque parentem liberi, ament: pro ejus vita atque incolumitate vota ad Deum faciant, pro eodem caput ſuum periculis objicere, ſanguinem profundere minime dubitent. Non igitur Princeps talis ſit, de quo Poëta ait:

Nec viſu facilis, nec dictu affabilis ulli.

Sed comitate, humanitate, manſuetudine & affabilitate ſua quoſcunque ſibi devinciat & obſtringat. Hæc Alexandrum M. militibus univerſis gratum reddidit. Cum ſemel frigore pene eſſet correptus, ignique corpus refovens aſſideret, gregarium vidit è ſuis militem algore prope mortuum ac torpentem: nec mora, loco & ſede ſua exſiliens militem illum in ſede ſua collocavit. O admirandam in tanto Monarcha *Humanitatem!* Illa eſt, quæ Trajano Imperatori civium & militum omnium amorem conciliavit, dum milites in prælio vulneratos curaret. Hac Titus Veſp. Imp. effecit, ut *Amor & delitia generis humani vocaretur*

VII. CONSTANTIA IN PROSPERIS ET ADVERSIS. Cum Generoſum animum non deceat proſpero fortunæ flatu inſoleſcere, nec adverſæ telis ſuccumbere: certe *Carolus. M.* neque irraſcentis fortunæ ictibus neque arridentibus ſucceſſibus animum mutavit, ſed ſemper ſui ſimilis permanſit, exemplo M. Antonini Imp. qui neque plurimis fortunæ blandimentis, ut illi fideret, adduci potuit, neque adverſis, quæ in vita ſuſtinuit plurima, fractus animum unquam deſpondit. Ita Caroli V animi excelſi atque invicti Magnitudo & firmitas laudatur, qui eandem in rebus ſecundis & adverſis conſtantiam & tranquillitatem retinuit, ut in cubiculo eodem cum ipſe verſantes, nunquam læta vel triſtia, ad eundem allata ex ejus vultu deprehèdere potuerint. Nunquam enim Regius ipſius animus nutante, vel etiam urgente fortuna abjecte ſe demiſit: vel proſpero & ſecundo

ſecundo flatu aſpirante, inſolentius ſe efferre, aut jactitare ſolitus eſt, teſte *D. Chytr. in Orat. de Car. V.* Tales Principes ſummis laudibus ſunt provehendi, qui hac in re prædictos Imp. imitantur, ita ut ferant quamlibet ſortem, felicitatem & infelicitatem, & nulli calamitati aut dolori ſuccumbant. Si omnia ad voluntatem & voluptatem fluunt, non fiant inſolentiores: ſin vero acerba & dura occurrant, à ſtatu recto & dignitate ſua haud diſcedant. *Præclara enim eſt*, inquit Cicero, *æquabilitas in omni vita, & idem ſemper vultus, eademque frons.*

VIII. AMOR ERGA LITERAS ET LITERATOS. Carolus M. non ſolum eruditiſſimus Princeps fuit, quod varia ingenii ejus monumenta oſtendunt, ſed etiam cum doctis ac uſu rerum & experientia civili ac militari inſignibus viris libenter converſatus eſt, de rebus ad Prudentiam neceſſariis cum iis quotidie contulit, eoſque in ſummo honore habuit & magnifecit. Nec immerito id fecit. Cum enim duplex ratio temporis ſit conſideranda, alia Pacis, alia Belli: Principi quoque alia Prudentia in bello gerendo, alia in tranquillo Reip. ſtatu opus eſt. In hoſte vincendo, & bello feliciter ac laudabiliter conficiendo Imperatore & Ducibus ſtrenuis ac fortibus nec non peritis utendum. In pacata vero Rep. doctis & prudentibus viris negocia utiliter expedienda recte committuntur. Hoc duplici hominum genere nullus Princeps, nulla Reſp. carere poteſt. Hinc factum eſt, ut ſummi Heroës *Literatos* ſummo ſemper ſint proſecuti *amore & honore. Alexander M.* tantus fuit ſtudiorum liberalium & virorum doctorum fautor & admirator, ut nullus fuerit Philoſophus, Poëta, Orator aut Mathematicus, quem ille non videret, alloqueretur, honoraret & ditaret: atque adeo non nullis ſtatuas curavit erigi, quo declararet publice, quanti eruditionem & virtutem faceret, & aliorum animos ad ſe imitandum accenderet. *Auguſtum Cæſarem* nullo hominum genere magis quam literatorum & eruditorum delectatum eſſe Hiſtorici memorant. Ideoque aſſidui ipſius comites fuere Mecœnas, Horatius, Virgilius & alii. *Trajanus Imp.* Philoſophos, qui ipſo imperante Romam confluebant, maximo in pretio habuit, ac honoribus affecit: imo è longinquis regionibus magno ſtipendio conductos evocavit, tantique fecit, ut *Dionem* in curru triumphali ſecum veheret.

Cæteras *Caroli M.* virtutes aliaque multa nunc omitto. Nam ex dictis luce meridiana clarius effulget, quod nulla mortalibus facilior ad vitæ inſtitutionem via ſit, quam rerum antea geſtarum cognitio, ac proinde QUATUOR MONARCHIÆ recte THEATRUM VITÆ HUMANÆ appellari poſſint, in quo ὡς ἐν τύπῳ exempla ſplendidiſſima & abſolutiſſima, & in illis expreſſæ atque illuſtres imagines omnium ferme & ſingularum Decalogi virtutum pulcherrimarum conſpiciuntur, quæ ad

vitam Christianam recte instituendam, & Remp. prudenter administrandam requiruntur.

Salomon Rex sapientissimus *Prov. 25. vers.* 11. pulchre inquit: *Sicut poma aurea in cælatura argentea sunt aspectu jucunda atque grata: ita quoque est verbum vel factum* ὁ καιρὸν, hoc est, *tempestivum.* Recte ego hoc dictum Salomonis ad præsens meum institutum accommodare possum. Nam Deus summus mundi Dominus nuper Regiæ Vestræ Majestati Sceptrum Regium tradidit, eamque in Throno Regio paterno collocavit. Quare nunc in tempore Majestati Vestræ Theatrum hoc Historicum offero, humillime rogans, ut Regium hoc opus clementi vultu aspiciat atque accipiat. Nam cui hoc opus dedicarem & consecrarem, nisi Regiæ Majestati Vestræ, cujus insignis pietas, admiranda clementia atque humanitas (quam speciatim erga me non semel perspicuis indiciis demonstravit) talis est ac tanta, ut nemini, nisi in orbe Christiano sit hospes, incognita esse possit? Idcirco nunc ex animo gratulor Majestati Vestræ de felici hujus officii Regii ortu atque ingressu. Faxit Rex Regum & Dominus Dominantium, ut omnia Regiæ Majestati Vestræ consilia, verba atque facta unice tendant & vergant ad Dei Trinunius honorem atque gloriam, ad Regni Christi amplificationem, nec non ad totius Regni Daniæ & Norvegiæ, adeoque ad proprium vestram salutem.

Ego Deum meum ardentibus votis supplex invocabo, ut ille Regiam Majestatem Vestram cum conjuge Regia & liberis Regiis quam diutissime & felicissime sospitem atque incolumem præstet atque superesse jubeat, animumque vestrum Spiritu principali, uti hactenus, ex alto induat atque augeat, & Pietate, Justitia, Clementia omnique virtute heroica ornet, Regiam Majestatem Vestram ab omni malo protegat, & in viam rectam deducat, ut Religio vera in templis, bonæ artes in Academiis & Scholis, justitia in foro, honestas in toro, publica denique tranquillitas & pax aurea in universo Daniæ & Norvegiæ Regno vigeat atque floreat,

His votis Dominus pondus inesse velit!

Dabam Ultrajecti, 1 Septemb. Anno 1648.

Regiam Vestram Majestatem

Humillime colens

CHRISTIANUS MATTHIÆ,
S. S. Theolog. Doctor.

IN-

INDEX

Nominum & Rerum locupletiſſimus.

ADolonymus, hortulanus, quomodo rex factus ſit. 192. *a.*
Abenezra inter Ebræos ſolus Nimrodum laudat. 20. *a.*
Abilamerodachus. 93. *a.*
Abiſai Davidi opem fert, cum Iesbi-benob eum gladio percutere niteretur. 251. *a.*
Abraham quomodo ſe ad *bellum præparaverit*. 237. *a.* quare ſic appellatus. 70. *a.*
Abſolon Davidis *filius*, Patris regno inſidiatur. 342. *a.*
Abuſahita Feſſarum rex, à ſervo quare cæſus. 45. *b.*
Academia Perſarum in urbe Suſan. 132. *b.*
Achas Rex Judæ premitur. 49. *a.* Tiglathphilaſſar in auxilium vocat, qui illum ſibi vectigalem reddit. *ib. a.*
Achabi poſteritas quare deleta ſit, 59. *b.* Ejus domus eburnea. 83. *b.*
Achan cum filiis, filiabus, bobus, aſinis, &c. comburitur, juſſu Joſuæ. 145. *b.*
Acholius, Epiſc. Theſſalon. Theodoſium M. baptizavit. 719. *b.*
Acta Pilati, libellus, in quo horrenda ſcelera de Chriſto conficta continebantur. 690. *a.*
Adiſanes Rex Æthiopum. 117. *a.*
Adius Poëta, Jul. Cæſari cur non aſſurrexerit. 428. *a.*
Adoſa, Belloparis filia, ſeptem annos cum patre regnavit. 37. *b.*
Adadus Adumitarum Rex ad Chriſtum convertitur. 760. *b.*
Adamus an primus fuerit Magiſtratus. 14. *a.*
Adolphus Naſſovienſis, XXXII. Imp. Germ. 971. *a.* Rudolpho I. mortuo, Moguntini aſtu eligitur. 971. *b.* Inaugurationem Pontificis reſpuit. *ibid.* Præclara belli ſpecimina ante Imperium edidit. 972. *a.* Ejus bella in Imperio. *ibid.* Cur Imperio dejectus & in locum ejus Albertus Auſtriacus electus ſit. 973. *a.* Cedere Imperio noluit. *ibid.* Tandem in prœlio ab Alberto vulneratur, & moritur. *ibid.* Ejus interfectores mala morte pereunt, *ibid.*
Adonibezek. 14. *a.*
Adrianus VI. Trajectenſis, paupertinis parentibus ortus, Caroli V. Præceptor, Pontifex eligitur. 1054. *a.* Nomen ſuum non mutat. *ib.* Quid veſtibulo Collegii Lovanienſis à ſe conſtructo inſcripſerit. 1055. *a.*
Adulatores magnatum. 232. *a.* Quomodo vocentur Conſtantino Magno. Heliogabalo, &c. 661. *a.*
Adulteria Papa Rom. pro levibus criminibus habet. 419. *b.*
Ægyptii cur in conviviis σκίλετον circumferri juſſerint. 1140. *b.*
Ælius Adrianus, XV. Imperator Romanorum, Ælii Adriani Afri filius. 555. *b.* Ejus proſopographia & acta juventutis. *ibidem.* Cur Græculus dictus, *ibid.* Conjugium. *ibid.* Cum Antinoo maſculam venerem exercuit. 556. *a.* Eum inter Deos recenſuit. *ibid.* Ejus Imperii occupatio. *ibid.* Laudabiliter imperium adminiſtrat. *ibid.* Ejus virtutes. *ibid.* Servi caſtigat inſolentiam. 556. *b.* Mira clementia in inimicos. *ibid.* Ejus vitia. 557. *b.* Ejus mira ambitio. *ib.* Cur Homeri gloriam extenuare conatus ſit. 558. *a.* Multos artifices excellentiores ex invidia necat. *ibid.* Ejus acta bellica. *ibid.* Urbem Jeroſolymam ædificat, Æliamque appellat. *ibid.* Cur portæ Bethlemiticæ ſues inſculpi curarit. 559. *a.* Acta Eccleſiaſtica. 559. *b.* Chriſtianorum perſecutio in Aſia. *ibid.* Interceſſio pro Chriſtianis ipſi facta. *ibid.* Chriſto templum exſtruere voluit. *ibid.* Plurimæ ſub eo hæreſes in Eccleſia ortæ ſunt 560. *a.* Literati qui ſub eo claruerunt. 560. *b.* Luc. Ælium Verum adoptat, & Cæſarem creat. *ibid.* Hoc mortuo, Titum Aurelium Fulvium ſucceſſorem adoptavit. *ibid.* Cur contemta dicta mortem ſibi acceleraverit, 561, *a.* Morituri verba. *ibid.* *Vide plura in* Hadrianus.
Æmylianus, Libycus, Scythas, imperante Treboniano Gallo, repreſſit, imperatorque à militibus ſalutatus eſt. 628. *a.* Ejus ortus, officium & fortitudo. *ibid.* Necato Gallo, à Senatu confirmatur. 628. *b.* Sed à militibus occiditur, Valeriano in Alpibus electo. *ibid.* Ejus Symbolum. *ibidem.*
Æmylius Papinianus cur occiſus ſit. 194. *b.*
Æneas Sylvius quid fecerit. 1013. *b.* Ejus de literis judicium. 328. *b.*
Æniandus, quomodo Anaſtaſium Imper. confuderit. 748. *b.*
Ænotherus, Gigas, ſub Carolo M. militans. 825. *a*
Æra, vocabulum unde ortum ſit. 443. *a.*
Africa in Turcarum poteſtatem venit. 1128. *b.*
Agareni & Saraceni iidem ſunt populi. 794. *b.* unde ſic appellentur. *ibid.*
Agathocles Siciliæ Rex, figulique filius, pateras aureas & luteas menſæ ſimul imponi jubebat. 522. *b.*
Agenorius Romanorum Deus. 529. *a.*
Ageſilaus Themiſtoclis frater, exemplum admirandæ magnitudinis. 243. *a.*
Agriculturæ ſtudium regale quid eſſe, aſſeritur. 153. *b.*
Agrippina Auguſta Rom. Cæſaris uxor, ſoror, mater & filia, Coloniam Agrippin. condit. 490. *b.*
Agrippa poſthumus cur ægrè cæſus. 197. *b.*
Ahaſchverus Monarchiæ II. Monarcha tertius. 190. *a.* & 132. *a.* 134. *a.* Nominis uſus & ſignificatio. 190. *a.* 134. *a.* Tres ejus nominis Reges in S. Scriptura. 190. *a.* alias Cambyſes vocatur. 168. *b.* Quomodo nomen hoc in S. literis uſurpetur. 159. *a.* Quare Vaſthi Reginam repudiarit. 119. *b.* An Darii Medi pater. 134. *a. b.*
Alamandurus Agarenorum Princeps, Severi Epiſcopi Antiocheni legatis, qui eum ad ſuam hæreſin pertrahere volebant, quid reſponderit. 748. *b.*
Alæ aquilinæ in 2. viſione Danielis quid denotent. 2, 3, 4.
Albanus Dux venit in Belgium, ubi decimas viceſimaſque violenter petebat. 1096. *b.* Comites Egmondæ & Hornæ carnifici occidendos tradit. *ibid.* 18000. Belgarum ſe carnifici tradidiſſe jactitavit. *ibid.*
Albertus I. Auſtriacus, XXXIII. Imp. G. Rudolphi I. filius, contra Adolphum Imp. eligitur. 973. *a.* 974. *b.* Ejus magna encomia. 973. *b.* Cur monoculus dictus. *ibid.* Devicto & occiſo Adolpho Imper. coronatur. 974. *b.* à Papa Bonifacio VIII. renunciationem petit, ſed ille corona redimitus caput, & gladio accinctus, ſe Imperatorem ſimul ac Pontifex profeſſus, denegavit. *ibid.* Poſtea tamen approbavit electionem ejus. *ibid.* Virtutes ſuas nefanda avaritia obſcuravit. 975. *a.* Duodecies acie conflixiſſe dicitur. *ibid.* Ejus varia bella. *ibid.* Qua occaſione interfectus ſit. 977. *b.*
Albertus II. XLI. Imper. G. Auſtriacus. 1010. *a.* Ejus educatio, & indoles. *ibid.* Defuncto Sigiſm. Imper. Albertus

bertus unanimiter eligitur. 1011. *b.* Ejus mors, & encomion. *ib. &* 1012. *a.*
Albertus, Electoꝛ Brandenburgicus; cur Achilles Teutonicus appellatus ſit. 1020. *a.*
Albertus Landgravius Thuringiæ. 949. *b.* 28. *b.*
Albert. Maximil. II. Filius, Gubernat. Belg. 1092. *a.*
Albertus Magnus. 957. *b.*
Alcibiades Athenienſium dux, duplicem fortunam patitur. 250. *b.*
Alcimus transfuga ex Iſraël & proditor, ſummus ſacerdos Ieroſolymis conſtituitur à Demetrio I. Rege Syriæ. 388. *a.* Iudam Maccabæum accuſat. *ibid.* Manu Dei tandem percutitur. *ibid.*
Alcoranus blaſphemiarum oceanus. 405. *b.* Opera Sergii Monachi Ariani ex Judaiſmo, Chriſtianiſmo & gentiliſmo, compoſitus eſt à Mahumete. *ibid.*
Alemanni à Conſtantio Imper. Pacem petunt. 678. *a.*
Alexander I Bala ſeu Veles, XI Syriæ rex, Antiochi Epiphanis filius. 389. *a.* Ejus conjugium. *ibidem.* Ejus Acta politica. *ibid.* à Zabdiele Arabe interficitur, & caput ejus Ptolemæo mittitur. 389. *b.*
Alexander Farneſius, Parmæ & Placentiæ Dux, belli Belgici Præfectus. 1132. *a.* 1135. Lutetias liberat. 1136. *b.*
Alexander M. Monarchiæ III Monarcha I. quomodo vocetur à Daniele. 311. *a.* 124. *a.* 125. *a.* Cn à Jove Ammonio genitus ſit, ſecundum fabulam. *ibid.* Inſignia ſua unde ſibi ſumpſerit. *ib.* Quid mater ejus reſponderit, cum ſe Jovis Ammonis filium nominaret. *ibid. &* 42. *b.* Quo anno & die natus ſit. 311. *b.* Ejus natali die Pater ejus triplicem felicitatis nuncium accepit. *ibid.* Vatum de ejus nativitate judicium. *ibid.* Ejus patria triplex. *ibid.* Cur Pellæus vocetur. 312. *a.* Ejus color, & complexio *ibid.* Cur corpus ejus ſeptimo à morte die nulla tabe nullo livore corruptum ſit. *ibid.* Ariſtotelis diſcipulus fuit. 312. *b.* Cur Ariſtotelem objurgaverit. *ibid.* Ejus reſponſum de tributis. 195. *a.* In Medicina ſe exercuit', & amicis ægrotantibus medicinam fecit. 312. *b.* Ejus Pædagogus Leonides, quare eum objurgaverit. *ibid.* Ejus ingenium & gratitudo erga Præceptorem. *ibid. &* 313. *a.* Quomodo equum Bucephalum mitigarit. *ibid.* Cur equo huic mortuo ſepulcrum fieri curarit. 313. *b.* In ejus demortui gloriam, Bucephaliam, Indiæ urbem, condidit. *ibid.* Cur non gavilus ſit ob victorias Parentis. 314. *a.* Quid Ariſtoteli, exſpectandam eſſe ætatem, & tunc bella gerenda eſſe, ſuadenti reſponderit. Ejus in puerili ætate temperantia. Subditis vectigalia imponere noluit. 187. *a.* Ejus uxores 4. & concubinæ 365. 314. *a.* Ejus conjugium cum Roxane. 314. *b.* Ejus honoratiſſimus amicus Craterus, ſed dilectiſſimus Hephæſtio, cur fuerint. *ib. &* 210. *a.* Cur æri comparetur. 303. *a.* Parvo exercitu univerſum orbem ſubjugare aggreſſus eſt. 237. *b.* Ejus magnanimitas. 238. *b.* Nunquam cum hoſte congreſſus, quin eum vicerit. *ibid.* A Lyſippo ſtatuario quomodo fictus, & ab Apelle quomodo pictus ſit. 303. *b.* Ejus victoriarum celeritas. *ib.* tribus præliis Aſiæ imperium rapuit. *ib.* Cur pardo comparetur. *ib.* Ex corpore ejus jucundiſſimus odor emanavit. 304. *a.* Ejus ingenii celeritas. 304. *b.* Vino oppreſſus interiit. 305. *a.* Ieroſolymam veniens, Jaddum Judæorum Pontificem, ante illius pedes projectus, adoravit. 305. *b.* Ejus titulus generalis. 306. *a.* Specialis. 307. *a.* Magni cognomen à Daniele ei tributum. *ibid. &* 311. *a.* Cur in Templo Ieroſolymitano, ex Pontificis præſcripto, Deo immolaverit. 308. *b. &* 319. *a.* Quamdiu regnaverit. 315. *b.* & Monarcha fuerit. 57. *b.* Quo anno ætatis Patri interfecto ſucceſſerit. 315. *b.* parricidas ad tumulum Patris occidi juſſit. *ib.* Regnum accepit turbidum. *ibid.* Ejus bella. *ibid.* Cum Germanis pacem fecit. 316. *a.* In expugnatione Thebarum parci juſſit Pindari familiæ, ejuſque domui. *ib.* Thebas diruit, & ſolo æquavit. *ibid.* A Demade Oratore, ab Athenienſibus miſſo, placatur. *ibid.* Æmulos regni trucidavit. 316. *b.* Ejus cum amicis de bello conſultatio. *ibid.* Patrimonium inter amicos diſtribuit. *ibid. &* 201. *a.* Dario Codomanno bellum denunciat. 316. *b.* A Dario famulus appellatur. 317. *a.* Præſtantiſſimos Perſarum Duces ſua manu occidit. *ibid.* Ejus prudentia & heroica virtus laudatur. 317. *b.* Matrem, uxorem, liberos & univerſam familiam Darii captam, clementer tractat. 318. *a.* Darii magnificum tentorium ingreſſus, quid dixerit. *ib.* Orientem fortunam moderatè tulit. *ib.* Mulierum Perſicarum pulcritudinem adſpiciens, quid dixerit. *ibid. &* 120. *a. b.* De ejus continentia & mira clementia, Darii verba. 318. *a.* Sidonem capit. 318. *b.* Cur literis Darii, Αν' ἐγγ pro captivo gynæceo offerentis, offenſus ſit. *ibid.* Tyrum expugnat. *ibid.* Ejus ſomnium ante Tyri expugnationem ab Ariſtandro explicatur. *ibid.* Saneballeti cur licentiam dederit condendi templi in monte Garizim. 319. *a.* Gazam occupat. *ibid.* Secunda ad eum Darii legatio, de redimendo Gynæceo. *ibid.* Quid ad Parmenionis conſilium de ineundâ pace reſponſi dederit. *ibid.* Nomen immortalitas reſpuit, 131. *b.* Summo deſiderio ab Ægyptiis recipitur. 320. *a.* Alexandriam in Ægypto condidit. *ibid.* Tertia Darii ad eum legatio, de ejus clementia erga ſuos. *ibid.* Ejus ad Darii gratiarum actionem generoſum reſponſum. 320. *b.* Darii uxori demortuæ illacrymatus, & funus ejus omni honore proſecutus eſt. 320. *a.* Tertium prælium cum Dario geſtum. 320. *b.* Omnes, victo Dario, theſauros ejus occupat. 321. *a.* Perſepolin, perſuaſus à Thaide meretrice Attica, cremavit. *ibid.* Darii occiſores ad ſupplicium rapit. 322. *a.* Ejuſque corpus tam indigne habitum lacrymis proſecutus eſt. 321. *b.* & 253. *a.* Monarchiam tertiam, exſtincto Dario, inchoat. 322. *a.* Victoria hæc inſignis in viſione Danielis præmonſtratur. *ibid.* Cum Amazonum Regina Thaleſtri, ex eo liberos quæſitura, 13 dies conſumſit. 322. *b.* Veſtitum & mores mutat *ibid.* In odium militum & amicorum incurrit. *ibid.* & 297. *a.* Philotas cum Parmenione patre ab eo cur trucidatus ſit. 322. *b.* Septemtrionales regiones ſubegit. 323. *a.* Ejus tolerantia laudatur. *ibid.* Cur aquam ei ſitienti oblatam in terram profuderit. *ibid.* Ab Arimaze, rupis alicujus inexpugnabilis Præfecto, falſe irridetur. 323. *b.* Ejus Proverbium. *ibid.* Ebrius Clitum ſui ſervatorem interficit, poſtea lamentabatur. *ibid. &* 172. *b.* Calliſthenem Philoſophum cur necaverit. 324. *a.* Ejus erga militem frigore correptum humanitas. 324. *b.* Ejus certamen cum Taxile de mutua benevolentia. *ibid.* Porum Indorum Regem devictum humaniſſime tractat. 325. *a.* In India duas urbes condidit. *ibid. b.* Milites ejus cur fleverint. *ibid.* Periculum ejus apud Mallos. *ib.* Calanum Philoſophum cur cremari juſſerit. *ibid.* Cur Macedones cum Perſis miſcuerit. 326. *a.* Certamina potatoria inſtituit. 222. *a.* Promachum, in vini certamine victorem, talenti corona donavit. *ibid.* Cyri ſepulcrum aperienti quid acciderit, 224. *b.* Hephæſtionis demortui cauſa Glauciam Medicum in crucem tolli jubet 326. *a.* Magna pompa Hephæſtionem ſepeliri curat. *ibid.* Cur Babylonem ingredi diſtulerit. 326. *b.* Legatos toto fere terrarum orbe venientes ordine audit. *ibid.* Ejus maxima animi perturbatio unde orta ſit. 327. *a.* Ejus eruditio, & amor erga Literas & literatos. *ib. &*

78. a. Cur Iliadem Homeri rei militaris viaticum nominarit. 327. a. Cur maluerit Homeri Therſites eſſe, quam Cherili Achilles. ib. Quid Pindari ædibus inſcripſerit. 327. b. Ad Diogenem quid dixerit. ibid. Ab Anaximene quomodo deluſus ſit. ibid. Gymnoſophiſtis 10, bello Indico captis, 10 quæſtiones proponit. 328. a. Quomodo animos ad eruditionem & virtutem excitarit. 329. b. Perſas quid docuerit. 129. b. Eo mortuo, cur inedia ſe interemerit Darii mater. 330. b. Ejus mira caſtitas & continentia. 331. a. Ejus mors à Calano Philoſ. Indo & Chaldæis prædicitur. 332. a. Ejus mortem quæ præſagia præceſſerint. 332. b. Nautam, diadema ejus regium, natans ne madefaceret, capiti impoſitum, afferentem, capite plecti jubet. ibid. Ejus diadema duplex. ib. De morte ejus diverſæ Hiſtoricorum ſententiæ. 333. a. & 303. a. Quamdiu regnarit, Chronologi variant. 333. b. Ejus verba & facta jam morituri. 334. a. Mater ejus Olympias quid de filio ſuo defuncto tam longo tempore ſepulcro carente dixerit. 334. b. De loco ejus ſepulturæ variant hiſtorici. ibid. Ejus Epitaphium. ibid. Ejus regnum dividitur inter 4. duces. 335. a. Ejus familia funditus deletur. 124. a. A Caſſandro Antipatri filio. 336. a. Perdiccæ moriens annulum digito detractum tradidit. 337. a. Ejus in Cyri urnam pietas. 167. b.

Alexander Imper. matrem Mammæam reprehendit. 195. b.

Alexander VI, Papa filiam ſuam ducit in uxorem. 171. a.

Alexandri III, Papæ, inhumana & diabolica perfidia erga Fridericum I. Imper. 939. a.

Alexander Severus, deſcriptum habuit, quid cui præſtitiſſet. 201. a.

Alexander II, Zebenna vel Zebina, XVII. Syriæ Rex, Protarchi negotiatoris filius. 393. a. Quomodo ad regnum pervenerit. ibid. Cur urbe ejectus, à militibus deſertus & interfectus ſit. ib.

Alphonſus Arragonum Rex. 78. b. Ejus in militem inimicum demortuum pietas. 252. b. Ex libris & arma, & armorum jura ſe didiciſſe fatetur. 329. a. Ejus de conſiliariis mortuis judicium. 361. a.

Alphonſus Eſtenſis, majeſtate vultus ſui ſe à conjuratorum cæde liberat. 197. b.

Alphonſus, cognom. Sapiens, Rex Caſtellæ in Hiſpan. XXX Imper. Germ. 963. b. Contra Richardum Imp. à Principibus eligitur. ibid. Sed Imperium modeſte deprecatus eſt. 964. a. Perſuaſus tamen à Pontifice, præter nudum titulum nequicquam obtinuit, & imperium foris & regnum domi amiſit. ibid. Priſtinos honores regios tandem recuperat. ibid. b. Biblia cum commentariis decies quater perlegit, & in Hiſpan. linguam traduci curavit. ibid. a. Ex animi mœrore moritur. ibid. b.

Alphonſi, Cæſaris Cancellarii, de Auguſtana Confeſſione judicium. 1058. b.

Altadas Monarchiæ I Monarcha XII, Calviſio Sethus dictus, Balei filius & ſucceſſor. 35. b. Otioſus & guloſus fuit. ibid. Regulæ vitæ ejus. ibid.

Altorfiana academia, erecta. 1104. a.

Amaſis, Ægypti Rex quomodo ſe ſubditis odioſum reddiderit. 117. a. Et quomodo ſubditos ſuos ad ſui venerationem rurſus pellexerit. 94. b.

Amazia, Rex Judæ, infelici ſucceſſu, contra Regem Iſraelis arma ſumit. 54. a.

Amazones mulieres Scythicæ. 32. a.

Ambroſius ad Epiſcopatum Mediolan. eligitur. 702. a. Cur Theodoſium M. per octo menſes excommunicarit. 718. b. Periculis objicitur, 719. b.

Ambroſius homo dives, ab Origene à Valentiniana hæreſi liberatus, opibus ſuis multa laudabilia perfecit. 614. b.

Americus Veſputius ad novas terras inquirendas mittitur, qui Americam à ſe ſic dictam invenit. 1033. b.

Amilcar, Dux Carthaginenſium, quid ſomniarit. 233. b.

Amilinus Merodachus. 93. a.

Ammianus Marcellinus machinam helepolin deſcripſit. 64. b.

Amor illicitus quid cauſet. 28. b. De eo exempla. ib.

Amoris affectus animum & corpus ægrotare facit, quod exemplis probatur. 373. b.

Amphilochius qua arte Theodoſium M. commoverit, ut decreto Arianorum conventus ſuſtulerit. 719. b.

Amraphel primus belli author. 12. b.

Amurathis III Turcici Imperat. Titulus. 43. a.

Amynthas Monarcha XIX. Aſcadatis ſucceſſor. 37. a. An Chuſam Riſchataim fuerit. ibid.

Anabaptiſtæ plebem adverſus magiſtratum concitarunt. 1058. Magiſtratum à Deo eſſe negantes refutantur. 14. a. 15.

Anabos, Chalai ſucceſſor, 38. a.

Anaſtaſia Chriſtiana, Judici à marito ſuo excarnificanda traditur. 648. b.

Anaſtaſius Epiſc. Antiochenus reſtitit Juſtiniano Imper. Aphthardocitarum hæreſi addicto. 764. a.

Anaſtaſius, Presbyter, quid pro concione dixerit. 731. b.

Anatum & anſerum pugna. 1101.

Anaxyndaraxes. 39. a.

Anaxarchus Alexandri M. adulator. 232. b.

Anaximenes Philoſophus, verſutia ingenii ſui Lampſacum patriam periclitantem quomodo ſervaverit. 327. b.

Andreas, tribun. mil., in monte Tauro deprehenſus occiditur. 654. b.

Andreas, diſcurſor, cujus canis ruffus & cæcus miracula multa faciebat. 764. b.

Andreas Hunderiortus, ab Alexandro Comite Gauriæ conductus, ut Jacobum VI. Regem Scotiæ interficeret, quid egerit. 196. b.

Andreas Proles, quid de reformatione Religionis prædixerit. 1029. a.

Angelorum exercitus in muris Regiæ conſpicitur. 723. a.

Angelus Gabriel quo anno ad Zachariam miſſus ſit. 457. a. Et ad Mariam Virginem. ibid. b.

Angliæ Regina, Eliſabetha. 32. b.

Anglicana conſpiratio contra Regem Iacob. VI. & Regni Proceres detegitur. 1142. a.

Anicetus Epiſc. Romanus interficitur. 573. a.

Anicius Olybrius, vix deguſtato Imperio moritur. 738. a.

Animi bona non ſunt perennia. 596. b.

Annæ Sophiæ Duc. Megap. egregius in Cruce ad ſuos ſermo. 1109. b.

Annas Burgius propter confeſſionem ſuam concrematur. 1090. b.

Annus 100. fatalis eſt principibus familiis. 548. a.

Anni Chriſti, quando Epiſtolis & libellis addi cœperint. 852. a.

Annulorum apud Romanos duplex uſus. 446. b.

Ἀνομία Perſis, Rege defuncto, quamdiu permiſſa ſit. 131. a.

Anſgarius Hamburgenſis, ex mandato Ludovici Pii Imper. G. Danis & Suecis doctrinam Chriſti annunciat. 829. b. Primus Hamburg. Archiepiſc. deſignatur. 830. a.

Anthemius, qua occaſione ad Imper. pervenerit. 738. a. Occiditur à Ricimero. ibid.

Antigonus Philippi Regis Macedoniæ filius nothus, Aſiæ Minoris Rex, cum Antipatro & aliis fœdus init contra Perdiccam ad Monarchiam adſpirantem. 355. a. Ejus Perdiccam ad Monarchiam adſpirantem. 355. a. Ejus regni occupatio, & alia bella. ibid. Ab hoſtibus jaculis occi-

occiditur. 356. *a.* Ejus virtutes. *ibid.* Solis filius ab Hermodoto appellatus, quid reſponderit. *ibid.*

Antigonus II Gonatas, Demetrii Poliorcetæ filius, XII Macedon. Rex. 349. *a.* Ejus victoriæ. *ib.* Aſiæ regno excidit. *ibid.* Ejus pietas in patrem. *ibid.* Zenone Citienſi mortuo quid dixerit. 349. *b.*

Antigonus III, cognomento Doſon, Philippi, filii Demetrii II. Regis XIII Maced. parvuli Tutor. 350. *a.* Ducta in uxorem vidua Demetrii, Regem ſe declarari curavit. *ibid.* Multarum virtutum pulcherrimarum exemplar. *ibid.* Ejus acta bellica. *ibid.* Quomodo exſpirarit. *ibid. b.*

Antigonus Rex Macedoniæ propter ſomnium Mithridati bellum intulit. 228. *a.*

Antigonus Rex Aſiæ ſæviſſimus. 20. *b.*

Antinous formoſus juvenis, cur ab Adriano inter Deos relatus ſit. 556. *a*

Antiochus I Soter, II Syriæ rex, Novercam Stratonicem, Seleuci Nicanoris uxorem, in matrimonium, patris conſenſu, ducit. 373. *b.* A patre Seleuco in conſortium regni aſſumitur. 375. *a.*

Antiochus II. Theos, III Syriæ Rex, filius Antiochi Soteris. 375. *a.* Ejus uxores & liberi. *ibid.* Difficile ejus bellum cum Ptolemæo Philadelpho. *ib.* Cur à propria conjuge veneno exſtinctus ſit. 375. *b.* 376. *a.*

Antiochus III. Magnus, VI Syriæ Rex, Sel. Callinici filius. 377. *a.* Varia geſſit bella. 377. *b. ſeqq.* De eo vaticinatur Daniel Proph. *ibid.* Ejus victoriæ. 380. *b.* A Barbaris cur interfectus ſit. 381. *b.*

Antiochus VII, XV Syriæ rex, Sidetes Pius vel Soter cognominatus, Demetrii I Soteris filius, 391. *b.* Quomodo ad regnum pervenerit, illudque adminiſtrarit *ib.* 392. *a.* Jeroſolymam obſidet *ibid.* Pacem cum Hyrcano facit. 392. *b.* A Parthis prælio victus, manus violentas ſibi injecit. *ibid.*

Antiochus Epiphanes, VIII. Rex Syriæ, Antiochi M. filius. 382. *b.* Eccleſiam Dei delere voluit. *ib.* De ejus regni occupatione vaticinatur angelus. 383. *a.* Cur deſpectus fuerit. *ibid.* Ejus regni adminiſtratio & bella. 384. *a. ſeqq.* Ejus minæ contra Jeruſalem. 386. *b.* Miſere moritur. *ibid.*

Antiochus Eupator, IX Syriæ Rex, Ant. Epiphanis filius. 386. *b.* Lyſiæ tutoris ſui opera ad regnum pervenit. *ibid.* Bellum ejus contra Judæos. 387. *a.* Contra Philippum Tutorem regni ſeditioſum. *ib.* Vita & regno privatur ab agnato ſuo Demetrio Sotere. 387. *b.*

Antiochus Entheus, XIII Syriæ Rex, Alex. Balæ filius. 390. *b.* In aula regis Arabiæ educatus, à Tryphone Tutore animatur ad recuperandam ſedem paternam. *ibid.* Cum Simone & Jonatha amicitiam coluit. *ibid.* A Tryphone per ſcelus interficitur. 391. *a.*

Antiochus Grypus, XVIII Syriæ Rex, Demetrii II. Nicanoris filius. 393. *a.* Ejus conjugium. *ibid.* à matre Cleopatra Rex Syriæ conſtituitur. *ibid.* Matrem dominationis cupidam per ſe ipſam quomodo necaverit. *ibid.* Ejus bella. 394. *a.* Heracleonis inſidiis trucidatur. *ib.*

Antiochus Cyzicenus, XIX Syriæ Rex, Antiochi VI. Sid. filius. 394. *a.* Ejus conjugium. *ibid.* Bella inteſtina. *ibid.* A Seleuco V Antiochi Grypi filio trucidatur. 395. *a.*

Ἀνταίθεα inter camelum & equum. 158.

Antipater III Aridæi adminiſtrator à Pithone eligitur. 339. *b.* Vincitur ab Athenienſibus principatum Græciæ affectantibus. 340. *a.* Poſtea, Cratero, genero, ſuppetias illi ferente, Athenienſes rurſum vincit, qui de pacis conditionibus agunt, *ibid.* Hyperidem capite & lingua privat. *ibid.*

Antipater, X Rex Macedoniæ. 348. *b.* dies XLV. regnavit. 349. *a.*

Antipater Caſſandri filius, cur propriam matrem occiderit. 343. *a.*

Antoninus Baſſianus Caracalla, Severi Pertin. filius, XXII Imper. Rom. 591. *b.* Ejus appellatio. *ibid.* proſopographia & acta juventutis. *ib.* Ejus fraudulentia erga Plautianum. 592. *a.* Novercam in uxorem ducit. *ibid. b.* Imperii occupatio. 593. *b.* Adminiſtratio. *ibid.* Cur Medicos aulicos occiderit. *ibid.* Ejus vitia inſignia poſt parricidium. 594. *a.* Simulatio hypocritica. *ib. b.* Papinianum cur occidi juſſerit. *ibid.* Ejus ingens perfidia erga Artabanum Parthorum Regem, & Augarum, regem Oſroënorum. 54. *b.* 596. *a.* Pax Chriſtianis conceditur. *ibid. b.* ſui necandi occaſionem præbuit. 597. *a.* Fugione per averſum a centuriore Martiali trajicitur. *ib.* Uxor ejus mortem ſibi ipſi conſcivit.

Antoninus Pius, XVI Imper. Rom. Aurelii Fulvii filius. 561. *a.* Ejus nativitas. *ib.* Ejus appellatio. *ibid. b.* Cur Pius cognominatus ſit. *ib.* Proſopographia *ibid.* Conjugium 562. *a.* Ejus vita privata. *ibid.* Adoptio. *ibid.* Per adoptionem ad imperium pervenit. *ibid.* Imperii adminiſtratio. *ib. b.* Virtutes, *ibid.* Ejus acta bellica. 564. *b.* Viri ſub eo in Eccleſia celebres. *ibid.* Cur prohibuerit, ne Sybyllinorum vatum carmina, nec Ciceronis libri de divinatione, legerentur. 565. *a.* Sixtum & Telesphorum, Papas, ob Chriſtianam fidem ſupplicio afficit. *ib.* Cur Meſomedi Lyrico ſalarium imminuerit. *ib. b.* perſecutionem Chriſtianorum ſevere inhibuit. 145. *a.* 565. *a.* Prodigia ſub eo. *ibid. b.* Ejus morbus ex caſeo alpino. 566. *a.* Quaſi dormiret, ſpiritum reddidit. *ibid.* Ejus honores & elogia. *ibid.*

Antonius Ciceronis occiſi caput, & manum, quæ Philippicas ſcripſerat, amputari juſſit. 253. *a.* Ejus uxor Fulvia, præ lætitia ex nece Ciceronis quid fecerit. *ibid.*

Antwerpia ab Hiſpanis occupatur, & miſere tractatur. 1128. *a.*

Apelles, Alexandro M. de picturis imperite judicanti, ſilentium quomodo indixerit. 428. *b.* Cur cum pinxerit fulminiferum. 303. *b.*

Apenninus mons. 580. *a.*

Apis feſtum apud Ægyptios à Cambyſe ſolvitur. 180. *b.*

Apologus de Vulpe & Erinaceo. 49. *b.*

Apollinaris Epiſc. Hieropolitanus, Apologiam ſcribit pro Chriſtianis. 573. *a.* Moyſis libros & vet. Ebræorum res uſque ad Saulis regnum, ad imitationem Homeri, verſibus heroicis compoſuit. 691. *b.*

Apollodorus, inſignis architectus, cur ab Adriano interfectus ſit. 553. *a.*

Apollonia virgo, Chriſtiana, ſub Decio viva crematur. 26. *b.*

Apollonius Chalcedonius Philoſ. ab Antonino Pio Imper. cur irriſus ſit. 562. *a.*

Apollonius, Philoſ. Chriſtianus, capite truncatus eſt, & ejus delator, juxta legem, cruribus fractis mulctatur. 578. *a.*

Apollonii Tyanæi, Magi, de Domitiani morte exclamatio. 545. *b.* Ejus reſponſum ad Regis Babylonis interrogatum de regno tranquillo. 262. *a.*

Apollonii monitum de educatione Principum. 522. *a.*

Apryes Rex Ægypt. 90. *b.* A Nabuchdonoſore victus. 66. *a.* 67. *a.*

Aquarum inundatio Hollandiæ, &c. 1128. *a.*

Aquila, quare à Perſis & Romanis pro ſigno electa ſit. 83. *a.*

Unde

Unde insigne Romanorum Imperatorum facta sit. *ibid.*
Aquila Prophetas ex Ebræo sermone vertit in Græcum. 560. *a.*
Aquilam Romanam, quod Moses Deuter. 28. v. 49. per *Aquilam volantem* intellexerit, demonstratur. 528. *b.*
Aquisgranensis tumultus ob Religionem & Magistratum. 1103. *b.*
Aralius Monarchiæ I. Rex VII, Arii filius & successor, in otio & luxu vixit. 35. *a.* quot annos regnum administraverit. *ibid.*
Atatus Consiliarius Philippi Macedoniæ Regis penultimi veneno necatus quid dixerit. 352. *a.* 82. *b.*
Arbaces, vel Arbactus, Medorum Præfectus; & postea Rex, aditum in Sardanapali palatium impetrat. 41. *a.* Societatem cum Belosо init. 41. *b.* Bellum contra Sardanapalum parat. *ibid.* 109. 110. Quamdiu regnarit. 111. *a.* Cum Belocho Monarchiam primam inter se dividit. 45. *b.* Illius humanitas. 46. *a.* Regia sedes 46. *b.*
Arbelus nomen Beli. 21. *b.* 22. *b.* Quo anno ad Imperium evectus sit. 38. *a.*
Arbianes, 5 Rex Medorum. 111. *a.*
Arcadius, L. Imperator Rom. Theodosii M. filius. 721. *b.* Ejus Prosopographia & natura *ibid.* Ejus uxor à Chrysostomo reprehenditur, quia Imperii negotiis se immiscebat. *ibid.* A patre consors Imperii factus est. *ibid.* Post mortem Patris fit Imperator Orientis ex testamento. *ibid.* Consiliarios suos in summo honore habuit. 722. *a.* Ejus Tutoris Rufini perfidia. *ibid.* In ejus Regiæ muris Angelorum exercitus conspicitur, qui Gainam depulit. 723. *a.* Precaturus templum ingressus domus Imperatoris corruit. *ibid. b.* Chrysostomum bis in exilium ejecit instinctu uxoris Eudoxiæ. 724. *a.* Ejus mors. *ibid.*
Arcana literis non committenda. 340. *a.*
Archelaus Rex Macedoniæ quamdiu regnarit. 57. *b.*
Archidamus Rex à Spartanis quare mulctatus. 220. *a.*
Archiepiscopus Colonienſis, judices male judicantes quomodo puniverit. 178. *a.*
Archiepiscopatus Moguntinensis insigne unde venerit. 522. *b*
Ariani Concilium Nicenum instituunt. 679. *b.* Synodum Nicenam unius literæ adjectione corumpunt. *ibid.* Sicque Arianismum dolo occultant. *ibidem.* Eos Constantinus M. Imperator cur Porphyrianos merito appellandos esse censeat. 672. *a.*
Arianus Presbyter baptizat Constantinum Imper. 679. *a.* Constantium filium Imp. Arianismo qua occasione infecerit. *ibid.* Totum Orientem perturbat. *ibidem.*
Aridæus frater Alexand. M. è Philinna saltatrice Laniſica Philippo natus, I. Rex Macedoniæ, post Alexand. M. salutatur. 338. Perdiccas tutor ei cur additus sit. *ibid.* Biennium fere in exequiis Alexand. M. adornandis consumsit. 339. *a.* Administratores regni vel tutores 4 habuit. *ibidem.* perfidiosè à suis desertus, & matris Alexand. M. jussu occisus est. *ibid. & 341. b.*
Aries Medo-Persicus. 122. *a.* Quare bicornis dicatur. 124. *a.* Et cur tantum bicornis. 124. *b.*
Aristides Adrianus, Orator. 578. *b.*
Aristides Philosophus libros pro religione Christiana scriptos Adriano Imperatori exhibuit. 559. *b.*
Aristoteles pro descripta natura animalium ab Alexand. M. quale donum acceperit. 543. *a.*
Arius Monarchiæ I. Rex VI. Ninyæ filius, & successor, à Suida Thurias appellatur. 34. *b.* Ad studia bellica, à patre depositæ, redit. *ibid.* Tanquam Deus cultus, & Baal nominatus. *ibid.* Quamdiu regnaverit. *ibid.*
Arius. Somnium de ejus adulterina doctrina Antonii. 679. *a.* Ejus dogma blasphemum quando cœperit. 668. *a.* Ejus Confessio comburitur, & damnatur in Concilio Niceno. 670. *a.* Relegatur, postmodum vero confessione facta cum Eusebio, revocatur. 672. *a.* Contra Athanasium concilia agitat. *ibid.* Dolosè jurat. 673. *a.* In latrina intestina effudit. *ibid. b.*
Armathrites, Monarchiæ I. Rex IX, Balei I. filius & successor. 35. b. Ejus variæ appellationes. *ibid.* Varios libidinis modos invenit. *ibid.* Quamdiu regnarit. *ibid.*
Arminius per refutationem quorundam contra absolutam prædestinationem convertitur. 1119. *b.*
Arnulphus, VIII Imper. Germ. Carolomanni filius 854. *a.* Pseudo-Imperatorem vincit, Romam vi occupat, & à Pontifice Rom. Imperator gratitudinis ergo coronatur. 855. *a.* Liberalitate sua infidis potentiam auget. *ibid. b.* Romam obsidenti quid acciderit. 203. *b.* Bellum cum æmulis Imperii. 855. *b.* Modestia notabilis erga Berengarium. 856. *a.* Qua occasione Romam ceperit. 856. *a.* Bellum ejus contra Normannos Christianos persequentes. *ibid. b.* Ejus acta Eccles. 857. *a.* Poculum amatorium ab Agiltrude accipit. *ibid.* Misere exstinguitur. *ibid. b.*
Arphaxad, 6 Rex Medorum. 112. *a.* Legem tulit primus, ne cui ad Regem ingredi liceret. *ibid.* Ecbatanam ædificavit. *ibidem.* Quis fuerit. 13. *b.* 22. *a.*
Aphraortes, 7 Rex Medorum. 112. *a.* Persas sibi subjicit. 112. *b.* Bellicæ fortitudinis gloriam affectat. *ibid.*
Artabanus Xerxis consiliarius cautus & circumspectus. 230. *a.*
Artabani Oratio ad Xerxem de magno exercitu gloriantem. 238. *a.*
Arsaces, cognomen regum Parthorum, & unde ortum. 590. *b.*
Arsenius præficitur liberis Theodosii Magni. 536. Cur vitam solitariam egerit. *ibid.*
Arses, Ochi filius & successor; Monarchiæ II. Monarcha IX. 291. *b.* Cur à Bagosè in vita conservatus sit. *ibid.* Postmodum tamen cum omni prole exstinguitur. 292. *a.* Ultimus ex Cyri familia. *ibid.*
Artachsasta, alias Cambyses. 168. *b.*
Artæus, 6 Rex Medorum. 111. *b.*
Artaxerxes Regum Persicorum titulus. 190. *a.*
Artaxerxes Monarchiæ II. Rex 2. 168. *b.* Nomen appellativum fuit. 169. *a*
Artaxerxes Longimanus, Xerxis filius & successor, Monarchiæ II. Monarcha V. 257. *a.* Ejus Nominis significatio. 257. *b.* Nomen appellativum & proprium. *ibid.* Cur Longimanus appellatus sit. *ibid.* Pulcherrimus omnium mortalium sui temporis judicatus est. 258. *a.* Uxores ejus Vasthi & Esther. *ibid.* Liberi ejus. 258. *b.* Fratrem Achæmenidem honorifice habuit. 259. *b.* Fraudulenta Artabani opera ad regnum pervenit. *ib.* Darium fratrem natu majorem cur interemerit. *ibidem.* Artabanum cum 7 filiis cur trucidaverit. *ibid.* Multis præclaris virtutibus ornatus fuit. 260. *a.* Quam acceptus ei fuerit Themistocles exul, verba ejus demonstrant. 260. *b.* Quid Saubarzani cubiculario injuste aliquid à se petenti fecerit. *ibid.* Ejus institutum de supplicio principum virorum. 261. *a.* Ejus severitas erga Hamanum. *ibidem.* Nimis credulus fuit. 261. *b.* Ejus geminum Edictum. 121. *a.* Ægyptios rebelles in potestatem suam redigit. 262. *a. b.* Esdram Legis Dei Scribam in Judæam mittit. 263. *a.* Ejus edictum Esdræ datum. *ibid.* Mittit Nehemiam, pincernam regis, Jerosolymam. 265. *a.* Monarcha munificentior erga Ecclesiam.

ſiam Dei non fuit atque ille, juxta Philipp. Melanchth. 269. *b.* Typus eſt Dei Patris. 270. *a.* Ejus ſceptrum Evangelii typus. 272. *b.*

Artaxerxes Mnemon, Monarchiæ II. Monarcha VII, Darii filius & ſucceſſor. 275. *b.* Ante regni occupationem Arſicas nominatur. *ibid.* Quare ſic appellatus fuerit. *ibid.* Ejus mater Paryſatis quid mali fecerit. 276. *a.* Amore inceſto exarſit erga filiam ſuam. 276. *b.* Duas filias in uxores duxit. *ib.* Concubinas CCCLX habuit. 277. *b.* Plurimos habuit liberos, tum legitimos, tum illigitimos. *ibid.* ejus juſta ira in Orontem filiæ maritum. 277. *b.* 278. 281. *a.* Ex concubinis 115. filios ſuſcepit. 277. Se vivo cur Darium filium Regem pronunciaverit. 278. *a.* Darius, aſſumtis in ſocietatem 50 fratribus, cur eum è medio tollere voluerit. *ibid.* Darium vita privat. 278. *b.* In delubro Minervæ ſacris Regiis inauguratur. 279. *a.* Ubi Cyrus eum inſidiis circumvenire cogitat. *ibid.* Ejus Imperii adminſtratio. *ibid.* Virtutes. 280. *a.* Ad Omiſum malum punicum miræ magnitudinis ei offerentem quid dixerit. *ibid.* Colono, aquam manibus ei offerenti, quid fecerit. *ibid.* Ejus lenitas in Euclidem licentius in ipſum loquentem. *ibid.* Ad Tiribazum candyn ruptum petentem quid dixerit. *ibid.* Quale ſpectaculum præbuerit Perſis. 280. *b.* Artaxerxis Longimani virtutes exprimere ſtuduit. *ibid.* Singularis ejus clementia erga matrem, conjugem ejus toxico necantem. *ibid.* Judices injuſtos quomodo puniverit. 281. *a.* Junoni pro uxoris ſalute quale votum fecerit. *ibid.* Obſcœna ejus ſeveritas in Arbacem. *ibid.* Ejus in fratrem Cyrum expeditio milit. 282. *a.* Caunio quodam ei aquam, cum ſitiret, præbenti, quid dederit. 283. *a.* Ejus matris mira crudelitas in Carin. 283. Ejus mors ex ingenti mœrore. 287. *a.*

Artaxerxes Ochus, Monarchiæ I I, Monarcha VIII, filius Artaxerxis Mnemonis & ſucceſſor. 287. *b.* Patris virtutes omni vitiorum genere adæquavit. *ibid.* Soror ei deſponſata, poſtmodum in Patris thalamum recepta fuit. *ibid.* Ejus liberi. *ibid.* Ejus filia Paryſatis in Alexandri M. thalamum aſſumitur. 288. *a.* Regni ejus occupatio fraudulenta. *ibidem.* Fratres 80 uno die obtruncavit. 288. *b.* Ejus vitia recenſentur. *ibid. &* 289. *a.* Ejus in Mentoris Rhodii Legatum iracundia. 288. *b.* Perſepolin cur ingredi noluerit. 289. *a.* Omnium avariſſimus fuit. 288. *b.* Ejus bella. 289. 290. Erga Tennem Sidonis Regem ingratus. 289. *b.* Gratus erga Mentorem. 290. *b.* Hoſtis Judæorum infenſiſſimus. *ibid.* Per Bagoſen templum Jeroſol. profanat. *ibid.* A Bagoſe per medicum quendam, data medica potione, interfectus eſt. 291. *b.* Ejus oſſa Bagoſes in gladiatorum manubria convertit. *ibid.*

Artemiſia Cariæ & Halicarnaſſi regina, Mauſoli conjux, ſponte ſua, cum navibus aliquot Xerxem in bellum ſequitur. 32. *a.* 248. *a.*

Artemiſium unde ſic dictum. 246. *b.*

Artemius, vel Anaſtaſius II, LXXII Imp. Rom. à populo & Senatu Conſtantinop., rejecto Philippico, Imp. eſt creatus. 801. *a.* Optime imperavit, & veram religionem coluit. *ibid.* Ejus bella. *ibid.* Vincitur à Theodoſio, capitur, & habitu monaſtico indutus relegatur. *ibid. b.* Tandem occiditur. *ibid.*

Artices vel Artecarmis, 4. Rex Medor. 111. *a.*

Artynes, 7. Rex Medorum. 112. *a.*

Asbazareth. 58. *b.*

Aſcades Monarcha XVIII, Spareti ſucceſſor. 37. *a.* Sub ipſo vitis inventa eſt. *ibid.*

Aſtrazapes, Monarcha XXXVII, Ophraganeo ſucceſſit. 39. *a.* Ejus ſub Imperio Ionas Propheta urbi Ninive interitum annunciavit. *ibid.*

Aſenaphas Rex Aſſyriorum. 50. *b.* 58. *b.*

Aſinius Gallus, homo bilinguis, quid fecerit. 233. *a.*

Aſſa, III Rex Iuda, quomodo Regis Æthiopum innumeras copias aggreſſus ſit. 257. *b.*

Aſſarhaddon. 46. *b.* fuit Monarcha XLIII. & varia habuit nomina. 58. *b.* Quare tanquam minimus natu Patris regnum adeptus ſit. *ibid.* Novam coloniam in Samariam deduxit. 59. *a.* Tobiam Seniorem ab exilio revocatum reſtituit in integrum. *ibid.* Cum fratribus & Merodacho Babyloniæ præfecto bella geſſit. *ibid.* Familiam ſuam & Aſſyriorum regnum cum interitu ſuo finivit. *ibid.*

Aſſur filius Semi, regnum Aſſyriæ primus fundavit. 1. *b.* Monarchiam à familia Chami ad ſtirpem Semi tranſtulit. *ibid.* Quis fuerit. 24. *b.* Niniven an & cur condiderit. *ibid.* 11. *b.* 12. *a.* Cur è Babylone abierit. *ib.* Quare Niniven ſic nominarit. *ibid.* Et cur ex Chaldæa exierit. *ibid.*

Aſſyrii à filio Semi, nempe Aſſur, deſcendunt, 1. *b.* 24. *b.* Eorum imperium quamdiu ſteterit. 111. *a.* Eorum exercitus murium agreſtium magna vi fatigatur. 53. *b.* Eos peſte conſumtos eſſe, teſtatur Joſephus. *ibid.*

Aſſyria quare vocetur terra Aſſur, 1. *b.* Ejus Reges. *ibid.*

Aſſyriaci regni autor quis fuerit. 11. *b.* 25. *b.* 26. *a.*

Aſtyages, 9 Rex Medorum, infeſtatur à Scythis in Aſiam penetrantibus. 112. *b.* Ejus dolus. *ibid.* Niniven expugnat, & ſolo æquat. *ibid.* Arienam Halyattis Lydorum Regis filiam in uxorem ducit. 113. *a.* Cur Cyrum è filia ſua natum perdere voluerit. 115. *b.* 151. *a.* Ejus in Harpagum crudelitas. 116. *a.* 151. *b.* Capitur à Cyro. 116. *b.* Hircanorum genti præficitur. 117. *b.* Cyaxarem II, vel Darium Medum, avunculum ſuum, Medis præficit. *ibid.*

Aſtybarus, 8 Rex Medorum. 112. *b.* Primus haſtatos, ſagittarios, & equites in ſuum quosque ordinem diſtribuit. *ibid.* Quare de pace agi permiſerit. *ibid.* Ejus filius Aſtyages. 113. *a.*

Aſylorum immunitatem Iuſtinianus Imp. contrahit, 757. *a.*

Athanaſius falſiſſime accuſatur ab Ario, Euſebio, & Theogni. 672. *a. b.* Ejus adverſarii confunduntur. *ibid.* Falſiſſime accuſatus in exilium relegatur. 673. *a.* Eum Julianus Apoſtata vehementer perſequitur, 693. *b.* Alexandriæ obdormivit. 694. *a.* A Conſtantino M. in Galliam relegatus, & Conſtantino filio reſtitutus, apud Lucium Papam accuſatur. 680. *a.* Ubi & quando ſymbolum ſuum conſcripſerit. *ibid.* Alexandriam ad Epiſcopatum mittitur. *ibid.* Ariani ſeditiones adverſus eum movent. *ibid.* Accuſatur apud Imperatorem Conſtantium, & Alexandria pellitur. *ibid.* Vis ipſi infertur à Conſtantio. *ib. b.* Inoffenſe per medios milites, qui ipſum comprehendere volebant, elapſus eſt. 681. *a.* Ejus magna perſecutio. *ibid.* Ad Eccleſiam Alexandrinam revertitur. *ibidem. b.* Eo damnato, prodigia. 683. *a.*

Athenienſium mirus ardor in defenſione Patriæ. 249. *b.* Modeſtia qua in re laudanda ſit. 247. *b.*

Atys Cræſi filius antea mutus, capta urbe, in ſummo angore loquitur. 158.

Attalus, à Gothis Imperator Roman. factus eſt. 725. *b.*

Attalus beſtiis projicitur, quæ ab ipſo abſtinent. 573. *a.*

Attila Hunnorum Rex, Dei flagellum ſe ipſum appellavit. 43. *a.* 734. *b.* Ejus aſtutia. *ibid.* Italiam invaſit, & Aquilegiam obſedit. 735. *a.* Quo indicio viderit, Aquilegiam perituram eſſe. *ibid.* Oculorum ſcintillis hoſtes terrere potuit. 197. *a.*

Aves loquentes. 452. a.
Auguſtana confeſſio, unde nomen habeat. 668. b. 1057. a. Breviſſimum ejus compendium. *ibid.* Imperatori exhibetur. *ibid.* Ejus authores. *ibid.* In varias linguas transfertur. 1058. a. Legitur publice. *ibid.* E maximis calumniis Lutheranos liberat. *ibid.* a. b. Fruitur meliori pace, quam adverſarii ſperant. 1059. b. Ejus Apologia. 1058. b.
Auguſtinus Cainum primum fuiſſe Monarcham ſtatuens, refutatur. 14. a. in Paſchate ab Ambroſio baptizatur. 719. b.
Auguſtulus, Oreſtis patricii, Imp. filius, adhuc puer Imperator creatur. 738. b. 142. b. Ipſe præ metu Imperium depoſuit. 739. b. Cum eo Rom. Imperium in Occidente deſiit. *ibid.*
Auguſtus. *V. Octavianus.*
Avicenna totam Ariſtotelis *Metaphyſicam* memoria tenuit. 439. a.
Avitus, occiſo Maximo Imper. illegitimo imperium accipit. 737. a. Roma pellitur, juſſu Marciani Imperatoris, & Placentiæ Epiſcopus factus eſt. *ibid.*
Aulica beatitudo mutabilis quod ſit, exemplis demonſtratur. 505. b.
Aulus Torquatus oppugnans urbem aliquam, juventutem in ea ſtudioſe jaculis exerceri cum diceretur, quid reſponderit. 245. b.
Aulus Vitellius Imper. Rom. IX, L. Vitellii & Sextiliæ filius. 517. a. Ejus nativitas, & proſopographia. *ibid.* b. Ejus vita privata. *ibidem.* Conjugium. *ibidem.* Dignitas & officia. 518. a. Cur in Germaniam à Galba miſſus ſit. *ibid.* Imperii ejus occupatio. *ibid.* b. Cognomen Germanici accepit. *ibid.* Ejus Imperii adminiſtratio. *ibid.* Cur mathematicis infenſus fuerit. 517. b. 519. b. Ejus vitia. 519. a. Ejus monſtroſa patina. 520. a. Crudeliter excarnificatur. *ibid.*
Aurea Bulla Caroli IV. quando ſit condita. 988. b.
Aurelianus Imperator, Æditui filius, quomodo ad Imperium pervenerit. 191. b.
Aurel. Alexander Severus, XXV. Imper. Roman. Varii Marcelli filius. 605. a. Mater ejus Julia Mammæa, Heliogabali Imp. ſoror, feminaque Chriſtiana, quomodo ei notam infamiæ intulerit. *ibid.* Cur Alexander dictus ſit. *ibid.* Cur nomina Antonini & Magni reſpuerit. *ibid.* Dominum ſe appellari vetuit. *ibid.* Ejus proſopographia & acta juvenilia. *ibid.* Multos habuit præceptores. 606. a. Geometriam fecit, pinxit, cantavit nobiliter, &c. *ibid.* Vitas principum bonorum verſibus deſcriptit. *ibid.* Ejus conjugium. *ibid.* Ejus pietas erga Deum. *ibid.* erga matrem. *ibid.* Vitam Alexandri M. imitatur. *ibidem.* b. Quid in Alexandro M. condemnarit. *ibid.* Uxori ſuæ continentiam in veſtitu præcepit. *ibid.* Vetuit, ne quis ſalutaret principem, qui ſe furem eſſe noſceret. 607. a. Imperii occupatio. *ibid.* Uno die omnes honores cur acceperit. *ibid.* Ejus Imperii adminiſtratio. *ibid.* b. Homines non neceſſarios expulit. *ibid.* Ejus eximiæ virtutes. *ibid.* Δωροξενίαν graviter punivit. 609. a. Neminem, niſi ſervos, ſordidis miniſteriis volebat dehoneſtare. 610. a. Literatis ſalaria inſtituit. *ibid.* b. Oppiano Poëtæ, pro ſingulis verſibus, aureum Floren. dedit. *ibid.* Ejus acta bellica. *ibid.* Milites ſuos exacte noverat. *ibid.* Artaxerxem, perſarum Regem, vicit. *ibid.* Acta Eccleſiaſtica. *ibid* Chriſti imaginem in lario habuit. 611. a. In expeditione altera in Germaniam cur occiſus ſit. *ibid.* b.
Aurelius Commodus, XVIII. Roman. Imp. M. Aur. Antonini filius. 574. a. Cur tam multas pugnas gladiatorias publice exhibuerit. *ibid.* Ejus appellatio. *ibid.* b. Ejus proſopographia. *ibid.* Conjugium. 575. a. Concubinas 300 habuit. *ibidem.* Ejus electio, & Imperii adminiſtratio. *ibid.* Vitia ejus. *ibid.* Ejus ambitio ex titulis ſuperbis. *ibid.* Quomodo menſium nomina immutaverit. *ibid.* b. 300 concubinas & 300 puberes exoletos habuit. 577. b. Ejus mala conſcientia. *ibidem.* Cur barbam ſibi ipſi aduſſerit *ibidem.* Acta ejus bellica. *ibidem.* Quare motus ſit, perſecutionem Chriſtianorum inhibere. *ibid.* Legem tulit de Chriſtianorum delatoribus interficiendis. 578. a. Mors ejus ignominioſa. 579. a. Contumelia poſt mortem. *ibid.* b.
Aurum coronarium Romanorum. 195. a.
Auſtriaca domus quomodo ad Regnum Hiſpaniæ pervenerit. 1037. b.
Αὐτοχειρία an ſit laudanda. 516. b.
Auxiliatores plerumque fiunt domini. 49. b.
Azaracoldus. 58. b.
Azaria, Rex Juda, quare lepra percuſſus. 99. b.

B.

Babios. Anabi ſucceſſor. 38. a.
Babo, Baro in Abenſperg / ex 2. legitimis uxoribus 32 filios & 8 filias ſuſcepit. 892. b.
Babylas Epiſcop. Antiochenus, Numerianum imper. ad Sacra Chriſtianorum ſpectanda non admittere nolens, occiditur. 646. a.
Babylonicæ turris ædificatores cur in univerſam terram diſperſi. 56. b.
Babylonico Leoni quare duæ alæ tribuantur. 3. a.
Babylonii à Cyro in extremam ſervitutem redacti. 4. b. Inſtante obſidione mulierum maximam partem ſtrangularunt. 198. b.
Babyloniorum dii, deæque. 81. a.
Babylon quomodo à Semiramide condita dicatur. 30. a. Unde ſic dicta *ibid.* ejus ambitus. *ibid.* Vaſtitas. 30. b. Ejus verus conditor quis fuerit. 79. b. Quo anno capta ſit ab Alexandro Magno. 9. b. A Nimrodo fundata. *ibid.* A Semiramide conſummata. 10. a. Unde dicta. 9. b. A Nabuchdonoſore poſt disjectionem reparata. 10. a. Plinio caput Chaldææ vocatur. *ibid.* Decus regnorum dicitur. 1. b. Et gloria majeſtatis Chaldæorum. 2. a. Aurea quare. *ibid.* Metropolis regni Babylonici. 3. a. A Cyro capta. 4. b.
Bagaudæ, qui fuerint. 648. a.
Bajazethes Rex Turcicus. 995. a. 1002. a.
Baladas. 60. a.
Baleus, cognomine Xerxes, Monarchiæ I Rex VIII, Aralii filius & ſucceſſor, bellicoſiſſimus fuit. 35. a. Gentibus duplo pluribus, quam Parens, imperavit. *ibidem.* quare Xerxes nominatus ſit. *ibid.* quot annos vixerit. *ibid.*
Baleus II, Monarchiæ I Monarcha XI, Belochi filius & ſucceſſor, bellicoſiſſimus fuit. 35. b. Laudem cum Semiramide parem habuit. *ibid.* Ad Indos uſque imperium propagavit. *ibid.*
Balthaſarus Seracus, Principem Wilhelmum Auraicum tribus globis trajecit. 1131. b. 1132. a.
Baptiſmus, aqua deficiente, arena perficitur. 573. b. Per corpore humano fœdatus. 992. b. Cur cum Conſtantinus M. & filii ejus uſque ad mortem diſtulerint. 674. a.
Baptiſmate non lotus, moriens, an ſalvetur. 703. a.
Barba Imperatoribus Rom. radi ſolebat, uſque ad Ælium Hadrianum. 551. b.
Bartholomæus Burgeſius, qui ſe Pontificis Rom. filium ex concubina natum dicebat, in Anglia crematur. 1142. b.
Bartolus de Saxoferrato, JCtus. 981. a.

Baſilius Imp. Conſtant. 1500 Bulgaros oculis erutis excæcat. 894. *b.* quale monitum ad filium ſcripſerit. 328. *b.*
Baſilius Magnus moritur. 719. *b.*
Baſilius, Ameſanus Epiſcopus capitis ſupplicio afficitur. 658. *b.*
Baſilius, Ancyranus Epiſc. occiditur. 692. *a.*
Baſilii precibus, Modeſtus præfectus Valentis Imp. ex gravi morbo ſanatur. 708. *a.*
Baſileenſis Academia inſtituitur. 1014. *a.*
Beatus ante vitæ finem nemo judicandus, 155. *b.*
Bel idolum Babyloniorum unde ſic dictum. 23. *a.* à Daniele fractum. *ibid.*
Belgæ cum Hiſp. duodecennales inducias pangunt. 1142. *b.* fœdus ineunt cum Henrico IV. Galliæ Rege, & cum Eliſab. Regina Angliæ. 1138. *b.* In libertatem ſe vindicant. 1096. *a.*
Belgica Inquiſitio & perſecutio per Margaretam Ducem Parmenſem introducta. 1096. *a*
Belial Deus Sidoniorum. 23. *a.*
Beliſarius Præfectus militaris victorioſiſſimus tandem, Juſtiniano jubente, exoculatur. 251. *a.*
Bellarmini cæcitas, ſe ipſum intricantis, culpatur. 555. *a.*
Belli author quis fuerit. 12. *b.*
Bellopares, Jornandi, Belepares, Monarcha XXI, Belochi II filius & ſucceſſor. 37. *b.* Ejus filia Actoſa cur Semiramis nominetur. *ibid.*
Bellum Ruſticorum contra Magiſtratum. 1055. *b.* In quo ad 100000 hominum periere. 1056. *a.*
Bellum pro religione an ſit gerendum. 16. *b.* 17. *b.* cum venatione comparatur. 18. *b.*
Belochus I. Monarchiæ I. Monarcha X, cognomento Priſcus, Armathritæ filius & ſucceſſor. 35. *b.* divinationes & auſpicia curavit. *ibid.* Nomen unde traxerit. *ibidem.*
Belochus II. Monarcha XX, Amyntæ ſucceſſor. 37. *a.*
Belochi avaritia. 46. *a.* capitis damnatus. *ibid.* Ejus regia ſedes. *ibid.* Familia. 46. *b.*
Belſazar Monarcha XLIX. in exilio ſuo Nabonidus appellatur. 95. *b.* Labynetus Medus à Metaſthene cur vocetur. *ibid.* Alia ejus nomina. 96. *a.* In Convivio ſuo magnifico digitos quaſi manus hominis ſcribentis, in pariete apparentes conſpicit. 4. *a.* alæ aquilinæ ei avelluntur à Dario Medo, atque Cyro. 4. *b.* à Cyri præfectis interficitur. *ibid.* Ejus Pater & avus qui fuerint. 96. *b.* 97. Voluptuoſus & levis fuit. *ibid.* Ejus convivium idololatricum *ibid.* Pœnæ prodigioſa denunciatio. 99. *a.* An à Cyro occiſus, nec ne. 103. *b.* 107. Quando & ubi interfectus ſit. 46. *b.* 104, 105. Typus Epicureorum. 105. *a.* Quamdiu regnaverit. 107. *b.* Sepultura aſini ſepultus fuit. 108. *b.* Ejus ſucceſſor quis fuerit. 109. *a.*
Belſazar, & Belſazar, an differant. 96. *a.*
Belus Monarcha ſecundus. 21. *a.* Nimrodi & Rheæ filius ibid. & 13. *b.* Arphaxadus dictus, & Nox ex filio Semo nepos, juxta Reineccium. 21. *a.* ejus appellatio. 22. *a.* quare ſic dictus. 22. *a* quare Juppiter appellatus. *ibid.* ejus & Junonis filius Ninus. *ibid.* ſideralem ſcientiam excoluit. *ibid.* quouſque regnum ſuum extenderit. 22. *b.* Poſt obitum pro Deo ab Aſſyriis habitus. *ibid.* primus hominum Deitatis nomen accepit; teſte Cyrillo 23. *a.* Scientiæ ſideralis inventor quare vocetur à Plinio. *ibid.* quando regnaverit, & quando deſierit. 23. *b.* ejus ſepulcrum, cum inſcriptione miraculoſa. *ibid.*
Belus Rex Phœniciæ, aut Tyriorum. 21. *ib.* Alias Metres dictus, teſte Servio. *ibid.*
Belus fluvius Syriæ. 21. *b.* Oppidum Hiſpaniæ. *ibid.*
Belus cognemento Priſcus. 21. *b.*
Bencochab., Judæorum ſeditioſorum ſub Adriano Imp. dux, cur ſibi ipſi Meſſiæ titulum tribuerit. 558. *b.* interficitur. *ibid. b.* cur poſtea Barcozbah dictus ſit. *ibid.*
Beneficentia juxta Syneſium quid ſit. 525. *b.*
Benmerodachus, Monarcha XLIV. Merodachi filius & ſucceſſor, amicitiam Parentis cum Iudæis deſeruit. 62. *a.* Regem Iudææ Manaſſen Babylonem captivum ducit. 62. *b.* quamdiu regnaverit. *ibid.*
Berengarius ſuam ſententiam de Euchariſtia revocat. 910. *b.*
Bergenſe monaſterium prope Magdeburgum fundatum. 869. *b.*
Bertholdus Niger, Monachus Germanus, Chymiſta, bombardarum inventor fuit. 994. *b.*
Beſtia cum ſeptem capitibus & 10. cornibus, apud Iohannem, quid denotet. 408. *a. b.*
Bethlehem duplex fuit. 459. *b.* Cur Ephrata & Bethlehem Iuda vocetur. 460. *a.*
Biblia Ebræa in Græcum ſermonem verſa. 78. *b.* à Luth. Germanice tranſlata excuduntur. 1059. *b*
Bibliorum tres verſiones. 578. *a.*
Bibliotheca Vaticana à Pontifice Rom. Nicolao V. augetur. 1013. *b.*
Bironius, Regis Galliæ Mareſchallus; Hariolis & Magis deditus, cur occiſus ſit. 1140. *b.* Magos conſulit. 1141. *a.*
Bohemiæ Duces quando Regium nomen acceperint. 930. *b.*
Bombardæ à Bertholdo Nigro inventæ. 994. *b.*
Bonaventura Magiſter ſententiarum Pariſienſis. 970. *a.*
Bononienſium Academia, quando fundata ſit. 733. *a.*
Brennus Gallorum Dux templum Apollinis ſpoliare tentans, quid dixerit. 349. *a.* Ejus pœna. *ibid.*
Britanni in vera Chriſti religione inſtituuntur. 578. *a.*
Britannion Pſeudo-imperator Rom. 778. *b.*
Brunswicum à quo ſit conditum. 865. *a.*
Brunsvicenſes reformationem religionis concedunt. 1056. *a.*
Bucephalus equus à ſolo Alexandro domitus. 313. *a.* Cur eum in deliciis habuerit Rex. 313. *b.* Credebatur ſentire quem veheret. *ibid.* In ejus gloriam Bucephalia, Indiæ urbs, conditur. *ibid.* Tumulus erigitur. *ibid.*
Bulgari unde ſic appellentur. 795. *a.* mirabili modo ad Chriſtum convertuntur. 843. *a.*
Burgundiones fiunt Chriſtiani. 731. *a.*

C.

CAbades Rex Perſiæ, eo quod juſſerat Lege, uxores eſſe communes, in carcerem conjicitur. 747. *a.* Liberatur concubitu uxoris cum carceris cuſtode. *ibid.* Chriſtianos perſequitur. 749. *a.* cur poſtea mitior in Chriſtianos factus. *ibid. b.*
Cæcilia Evangelii codicem ſemper in ſinu geſtaſſe legitur. 273. *b.*
Cæſar Borgia, Alexandri VI. Pontificis Rom. filius quid fecerit. 183. *b.* 187. *a.*
Cæſonia philtrum Caligulæ porrigit, 482. *b.* 483. a. Cum ipſo periit. *ibid.*
Cainus an primus fuerit Monarcha. 14. *a.*
Caius Caligula IV. Imp. Rom. Germanici Conſulis & Agrippinæ filius. 481. *b.* Monſtrum hominis. *ibid.* Propter virtutem patris venit ad imperium. *ibid.* Deus eſſe voluit. *ibid.* & 484. *b.* Ejus genealogia, 482. *a.* Cur Caligula appelletur. *ibid.* Ejus educatio. *ibidem.* Ejus perſonæ deſcriptio. *ibid. b.* Tiberii de eo judicium. *ibid.* Inquietus erat. *ibid.* Ejus Conjugium. *ibid.* Adulteria & ἀσυγίαι 483. *a.* Cur Cæſoniam ardentius quam ullam aliam feminam amarit. *ibid.* Duabus ſororibus ſtuprum intulit. *ibid.* Cur à Tiberio hæres

hæres conſtitutus ſit. *ibid. b.* Ejus virtutes. *ibid.* Se filium & alumnum Senatus nominavit. *ibid.* Cur minutus acceptus fuerit. *ibid.* Certamen latinæ & græcæ facundiæ Lugduni ab eo inſtitutum. *ibid.* Ejus vitia. *ibid.* In palatio cur lupanar extraxerit. 484. *a.* Nudum ſe in auri copia provolvit. *ibid.* In templum Ieroſolymit. imaginem ſuam inferri voluit. *ibid. b. & 486. a.* Equum ſuum, Incitatum, invocabat ad cœnam, & ſacerdotem faciebat. 485. *a.* Libidines Iovis imitatus eſt. *ibid.* Horreis clauſis Populo Romano famem indixit. *ibid. b.* Ejus Symbola. *ibid.* Cum Luna ſe coire dicebat. 486. *a.* Ejus acta eccleſiaſtica. *ibid.* Herodem II. Antipam relegavit. *ibid. b.* Iudæos graviter afflixit. *ibid.* Chærea cur eum interfecerit. 487. *a.* Annis 3 imperavit. *ibid. b.* Duo libelli, quorum unus *Gladius*, alter *Pugio* vocabatur, poſt mortem in ſecretis ejus reperti ſunt. *ibid. a.*

C. Iul. Cæſar I. Imperator Romanus, & fundator IV Monarchiæ. 416. *a.* Parentes ejus. *ibid.* Quando natus ſit, & cur Cæſar appellatus. 417. *a. b.* Ejus corporis conſtitutio. 417. *a.* A præceptore M. Ant. Gnipho ſtudioſe informatur. *ibid. b.* Cur Julium Syllanum pecudem aream appellarit. *ibid.* Imago ejus in Cl. Paradini Symbolis heroic. *ibid.* Orator eloquentiſſimus fuit. 418. *a.* Ejus Commentarii Gallici belli. *ibid. &* 422. *a.* Mathematicus inſignis, & in literis ſcribendis ſolertiſſimus fuit. 418. *a. b.* Faſtos correxit. *ibid. b.* & 421. *b.* Occultam ſcripturam invenit. 418. *b.* divina memoria & ingenio præditus fuit. *ibid.* ejus conjugium. *ibid.* Civilitas ejus in uxoris repudiatæ famam. *ibid.* Uxor eum dehortatur, ne eunam fatali die adſcendat. 419. *a.* Ejus converſatio & diſciplina domeſtica. *ibid. a. b.* Ejus ſomnium de terra ſubjicienda. *ibid. b.* Ejus Equus prodigioſus, quem primus adſcendit. 420. *a.* Officia dignitatum ab eo adminiſtrata. *ibidem.* Conſulatum & dictaturam quinquies geſſit. 421. *a.* Unde Imperator dictus ſit. *ibid. b.* Ejus Officiorum politicorum adminiſtratio. *ibid.* Acta Bellica. 422. *a.* Quinquagies bis conferta manu cum hoſtibus conflixit. *ibidem.* Novem notatu digna bella geſſit. *ibid.* In Britanniam Romanis antehac inacceſſam primus trajecit. *ibid.* Decem diebus ponte facto primus mortalium Rhenum transgreditur. *ibid. b.* Ejus fortuna Pompeio ſudes in oculis erat. *ibid.* Ejus moderatio admiranda. 423. *a.* Pompeii amputatum caput videns, illacrymavit. *ibid. b.* Dictatoria poteſtas ei in perpetuum datur. *ibid.* Qua celeritate Ponti regem vicerit, titulus triumphi indigitat. 424. *a.* Ejus prælium Mundenſe qualia portenta præceſſerint. *ibid. b.* Quinquies Romæ triumphavit. 425. *a.* Triumphus ejus de Pompeii M. filiis in Hiſpania devictis, Romanis cur acerbus fuerit. *ibid.* Cur liberator, Patriæ Pater, & Dictator perpetuus appellatus ſit. *ibid.* Quo anno Imperatoris nomen acceperit. *ibid. b.* Ejus virtutum catalogus. *ibid.* A piratis captus quomodo ſe geſſerit. *ibidem.* Ab hoſtibus cinctus, à ponte armatus in mare deſiliit. *ibid.* In pugna contra Pompeium junioren quid dixerit ad milites fugientes, quidque fecerit. 427. *a.* Quomodo Rempublicam evertere potuerit. *ibid. b.* Ejus loquendi libertas. *ibid.* Mira modeſtia. 428. *a.* Gratitudo & æquanimitas. *ibid.* Ejus vitiorum catalogus. *ibid.* Calpurnio Bibulo Collegæ ſuo eum averſanti quid fecerit. 429. *a.* Senatui, ſuadente adulatore ſuo Balbo, non aſſurrexit. *ibid.* Ejus nimia ſecuritas. *ibid. b.* Ejus ſolœciſmus politicus. *ibid.* Ejus conjuratorum conſpiratio. 430. *a.* Prodigia mortem ejus præcedentia. *ibid.* Interficitur, 431. *a.* Bruti in illum ingratitudo. *ibid.* Quot homines in prœliis occiderit. *ibid. b.* Quæ cædem ejus ſecuta ſint. 432. *a.* Percuſſorum Jul. Cæſaris exitus tragicus. *ibid.*

C. Valerius Licinius à Galerio Maximino Imp. Auguſtus appellatus eſt. 657. *a.* Ejus fœdus cum Conſtantino M. *ibid.* Contemtor literarum fuit. *ibid.* Doctores aulicos mures vocat. *ibid.* Maximinum vicit. 657. *b.* Bellum cum Conſtantino M. cur geſſerit. *ibid.* Ab eoque occidi juſſus eſt. 658. *b.*

Calanus Gymnoſophiſta Indus ad Alexand. M. veniens quid fecerit. 327. *b.*

Calanus Philoſophus cur Alexandrum rogarit, ut ſe vivum cremari juberet. 325. *b.*

Calendarium Gregorian. inſtituitur. 1112. *a.* pertinet ad forum politicum. *ibid. b.* Ejus errores. 1113. *a.*

Caligulæ IV. Rom. Imp. avaritia. 194. *b.* cum tribus ſororibus in inceſtu vixit. 172. *b.*

Callicratis conſilium de non ineundo fœdere cum Perſeo Rege Macedoniæ. 353. *b.*

Calvini aliorumque error, dum Nimrodum regni Aſſyriaci fundatorem eſſe ſtatuunt, rejicitur. 25. *b.*

Cambyſes, Cyri filius, Monarchiæ II. Rex ſecundus. 168. *b.* Tria habuit nomina. *ibid. &* 169. *a.* Ejus educatio. 169. *b.* A paterna virtute defecit. 170. *a.* Ab Amaſi filiam petens, fallitur. *ibid.* Cum ſororibus nuptias contrahit. 170. *b.* 171. *a.* Iuniorem quare interemit. *ibid. &* 172. *b.* Cur fratrem trucidaverit. 172. *a.* 115. *b.* 173. *a.* 174. *a.* Prexaſpis filium cur ſagitta transfixerit. 172. *b. &* 174. *a.* Quomodo regnum occupaverit. 172. *b.* Monſtrum hominis cur dicendus. 137. *a.* Ejus ſtolida impietas in Amaſin defunctum. *ibid. &* 175. *a.* 120. *a.* Crœſum cur telo transfigere voluerit. 174. *a.* Malos conſiliarios habuit. 175. *a.* Unum juſtitiæ exemplum de eo narrat Herodotus. 176. *a.* Quatuor bella geſſit. 178. *a.* Quomodo Pſammeniti animum explorarit. 178. *b.* Exercitus ejus arenarum molibus obruitur. 179. *a.* Mittit Legatos ſpeculatores cum donis ad Regem Æthiopiæ. *ibid.* Idola deſtruxit. 180. *b.* Ab Herodoto & Iuſtino quare vituperetur. 181. *a.* Ædificationem Templi Ieroſolymitani impedivit. *ibid. &* 166. *a.* Quomodo perierit, & quid moriens dixerit. 181. *b.* 184. *b.* Quamdiu regnarit, inter Chronologos non convenit. 181. *b.* Cyri familia in ipſo extinguitur. 182. *a.*

Cameræ Imperialis Spirenſis Iudicium quando inſtitutum ſit. 1024. *a.*

Campagnaci Adoleſcentis magnanimitas. 1090. *a.*

Campegius gravius peccatum ſtatuit, ſacerdotem fieri maritum, quam concubinas alere. 1055. *a.*

Canaan quare ſervus ſervorum vocetur. 74. *b.*

Cancellarii Trevir. perſecutoris pœna. 1078. *a.*

Canis homicidam indicat. 795. *b.* Canem geſtare inſignis olim infamiæ nota erat. 931. *b.*

Canopus Ægyptium numen victor Chaldaici. 13. *a.*

Canutus Rex Anglorum, quomodo adulatorem quendam repreſſerit. 241. *a.*

Capitis aurei in Danielis priore viſione cum Monarchia prima comparatio. 2.

Capricornus in horoſcopo naſcentium adſcendens quid denotet. 433. *a.*

Captivitates Babylonicæ quatuor. 66. *b.*

Caput ſapientiæ atx. 2. *a*

Caput futuram non habens. 257. *a.*

Caracalla, quare in urbe Alexandria tam multa millia hominum trucidaverit. 171. *a.* 111.

Cariçeas, 5 Rex Medorum. C-

Carolinorum uſque ad Saxonum Imperium genealogia. 837.

Carolus II. ſeu Calvus, V Imper Germ. Ludovici I. Imp. filius. 843. *b.* Violenter & dolose imperium occupavit, & nihil memoratu dignum geſſit. 844. *a. b.* Ejus 4 bella. *ib. b. &* 845. Ejus acta Eccleſ. 845. *b.* In religione orthodoxus & literatorum amans fuit. *ibid.* Veneno ſe ipſum necat. 846. *b.*

Carolus III. vel Craſſus, VII Imper. Germ. Ludovici Regis Germ. filius. 850. *b.* Quomodo ad imperium pervenerit. 851. *a.* Cur ab imperio dejectus ſit. *ibid. &* 852. 57. *b.* Ejus bella. 851. *b.* Primus annos Chriſti epiſtolis, libellis & diplomatibus addi juſſit. 852. *a.* Stipem ab Arnulpho ejus ſucceſſore petere coactus eſt. *ib.* Præmœrore moritur. *ibid. a. b.*

Carolus IV. XXXVI. Imper. Germ. Regis Bohemiæ filius. 987. *a.* Ejus educatio, & conjugium. *ibid. b.* Vivente Anteceſſore inſtinctu Papæ electus eſt; & eo defuncto, longa facta deliberatione, ejus electio confirmatur. 988. *a.* Fraudulenter & numerata multa pecunia voti compos factus eſt. *ib.* Auream Bullam condit. *ib.* Nobili Zachoræ, qui ſacerdoti oculos excuſſit, quid fecerit. 176. *b.* Diſputationibus publ. interfuit, juſtitiamque ſevere adminiſtravit. 989. *a.* Sex enormia admiſit delicta. *ibid. b.* Ejus acta bellica. 990. *a.* In vigilia S. Andreæ moritur. 992. *a.* Ejus Symbol. *ib.*

Caroli Burgund. Ducis exercitus ab Helvetiis cur victus ſit. 255. *b.* Adamas ejus maximi precii Turcarum Imp. venditur. *ibid.*

Carolus IX. Galliæ Rex omnes Reform. religionis Principes in feſtivitate nuptiarum interfici curat. 1097. *a.* Ejus gloriatio in literis ad Papam. 1098. *b.* Mala conſcientia poſt lanienam Pariſienſem. 1123. *b.*

Carolus Martellus, Caroli Magni avus unde ortus ſit. 811. *a.* Gallarum Pater cur dictus ſit. *ibid.*

Carolus M. I. Imp. Germ. unde originem ſuam traxerit. 811. *a.* Pipino Franciæ regi, Patri ſucceſſit, & regnum cum fratre Carolomanno dividit. *ib. b.* 817. *a.* Ejus nativitas 812. *a.* Ejus genealogia. *ibid.* Ejus appellatio. 813. *a.* ejus memoriæ cultus deſcribitur. *ibid. b.* Ejus proſopographia & vita privata. *ibid. a.* Animi ingeniique dotes. *ibid. b.* Ejus præceptores & mira diligentia. *ib.* In omni genere diſciplinarum profecit. 814. *a.* Scripſit Grammaticam patrii ſermonis, & univerſos V. & N. Teſtam. libros correxit. *ibid.* Ejus epigramma in obitum Rolandi, ſororis filii, & verſus in mulierculam penſa trahentem, cantuque tædium ſolantem. *ibid.* Menſibus Teutonica nomina impoſuit, ventos in collaterales 12 diſtinxit. *ibid.* In eccleſ. ipſe ſe choris pſallentium immiſcuit. *ibid. b.* Sui ſemper ſimilis in virtute & pietate permanſit. *ibid.* Præmia ſuæ pietatis accipit. *ibid.* Omnium nationum, quæ ſibi ſubjectæ erant, memorabilia geſta conſcribi juſſit. *ibid.* Temperantiæ & valetudinis ſtudioſiſſimus fuit. 815. *a.* Omnes nando ſuperavit. *ibid.* Peregrina veſtimenta contemſit. *ibid. b.* Ejus conjugium. 816. *b.* Concubinæ. *ibid.* Maxima cura liberos educavit. 817. *a.* Filias lanificio, colo, fuſoque, ne otio torperent, aſſuefecit. *ibid.* Nullam earum nuptum cur dederit, uſque ad mortem. *ibid.* Eigenhardo Cancellario filiam ſuam cur dederit. *ibid.* Wormatiæ regni ſedem conſtituit. *ibid. b.* Triplici jure ad culmen imperii Rom. evehitur. *ibid.* Populi acclamationes, eo coronato. *ibid.* Pipinus filius ejus Italiæ rex pronunciatur. 818. *a.* Ejus bella. 820. *b.* Omnibus regibus orbis terrori fuit. 818. *b.* Claves ſancti ſepulcri & urbis Hieroſolymæ ipſi traduntur. 819. *a.* Ejus prudentia in judicus. *ibid.* Opes Eccleſiaſticas in 3 partes diviſit. *ibid. b.* Lege vetuit, ne quis alium ad bibendum provocaret. *ib.* Gladii ſui capulo, cui inſignia ipſius inſculpta erant, cur edicta & literas ſignarit. 120. *a.* Caſtrum Dreſdam ad Albim ædificat, aliaque ædificia ſtruit. *ibid.* Danubium in Rhenum derivare conatur, ſed invita fortuna. *ibid.* Belli cum Longobardis cauſa. *ibid.* Cum magno triumpho in Franciam redit. 822. *a.* Ferream coronam à Mediolanenſi Epiſc. accepit. *ibid.* Patritius Roman. appellatur. *ibid.* Ejus laborioſum & diuturnum cum Saxon. bellum. 823. *a.* Ejus diſciplina militaris. 824. *b.* Ejus oratio ad milites. *ib.* Ejus acta Eccleſiaſtica 825. *a.* Epiſcopatus, Academias Concilia & comitia inſtituit. *ib.* Pueros ipſe examinavit, & negligentes objurgavit. 826. *a.* Ordinavit, ut omnes Reges Franciæ, Pariſienſis Eccleſiæ Epiſc. conſenſu coronentur. 827. *b.* Pus ſublevandis, ſub imperio impiorum regum degentibus miſit magnam argenti vim. 828. *b.* Epiſcoporum negligentiam puniebat. *ibid.* Quid Sacerdoti cuidam uno impetu in equum ſubſilienti dixerit. *ibid.* Nudum gladium cum 10 literis ſibi ſemper præferri curavit. 829. *a.* Populi ſub eo converſi. *ibid.* Ejus Teſtamentum. 830. *a.* filium ſuum Imperatorem creat. *ibid. b.* Auream menſam & 3 argenteas venditas pauperibus diſtribui juſſit. *ib.* Moritur. *ibid.*

Carolus V. XLIV Imper. Rom. Philippi Archid. Auſtriæ filius 1032. 1033. Ejus ortus. *ibid.* 7 munera apud baptiſterium ejus donata explicantur. 1034. *a.* Ejus naſus aquilinus. 180. *b.* Ejus cognomina. 1034. *b.* Ejus educatio, ingenium & mores. 1035. *a.* Peccata ſua quomodo celarit. 1036. *a.* Ejus nothus Iohannes Auſtriacus navali pugna Turcas feliciſſime devicit. *ibid.* Ejus eximiæ virtutes *ibid. b.* Duodecim egentium pedes Romæ abluit. 1037. *a.* Quomodo ad imperium, & Parens ejus ad Regnum Hiſpanicum pervenerit: 1037, 1038. Teſtamento hæres Regni inſtituitur. 1038. *a.* A pontifice cum coronaretur, quid acciderit. *ibid. b.* Ejus dicta. *ibid.* Conjugium quomodo vocarit. 1040. *a.* Curii Tutoris & Curatoris ejus ſapientia. 1041. *a.* Ejus Cancellarii & Conſiliarii. *ibid.* Conſpirationes adverſus eum mirabiles *ibid. b.* Ejus ſymbolum. 1042. *b.* Ejus ſymbolum. 1042. *b.* Matheſin coluit. 1044. *a.* Thucydidem ſæpius legit. *ib.* 1122. *a.* Quid de juvene pulchro indocto rudique dixerit. 1044 *b.* Vitæ capitiſque periculo ſanxit, inviolatum Lutheri ſepulcrum ut eſſet. 1045. *b.* Ejus ſolœciſmus Politicus 1046. *a.* Ejus tota vita nihil fuit quam belligeratio perpetua. *ibid.* Bellum Gallic. *ibid.* Romæ expugnatio. 1048. *a.* Ejus oratio contra Regem Gallic. præſente Papa. 1049. *a.* Cur Franciſcum Regem Gall. ad privatum certamen provocarit. *ib.* Ejus bellum contra Proteſtantes, de Religione Luth. exſtirpanda. 1050. *a.* Saxonem & Landgravium publicis literis proſcripſit. *ibid.* Electorem Saxoniæ Ioh. Frid. cepit. 1050. *b.* capitalis ſupplicii reum peregit. 1051. *a.* Mauritius Dux Saxon. in ejus locum à Cæſare ſubſtituitur. 1050. *b.* Ejus bellum cum Mauritio. 1052. *a.* Iohannem Frid. Elect. dimittit. *ib. b.* Proteſtantibus dat librum & perpetuum in Germania exercitium. *ibid.* Turcam terrore adventus ſui Viennam deſerere cogit. *ibid.* Regem Muleaſſanem Mahumetanæ religionis reſtituit, & ſibi vectigalem fecit. *ibid.* Ejus de ſervanda fide animoſa ſententia. 1054. *a.* Apud Antipodes in novo orbe 28 prœliis 28 Reges & Regna devincit. 1052. *b.* Prima ſua Wormatiæ Comitia celebrat.

lebrat. 1053. *a.* Lutherum proſcribit. *ibid. b.* Conventum Spirenſem cur inhibuerit. 1055. *b.* Prudenter agit cum Papa de inſtituendo Concilio generali. 1056. *b.* à Pontif. coronatur. *ibid.* Comitia Auguſtæ indicit. 1357. *a.* Colloquio Ratisbonenſi intereſt. 1060. *b.* Item comitiis Spiræ, ubi Auguſt. Conf. ei traditur. *ib.* à Papa cur reprehenſus ſit. 1061. *a.* Primum contra Doctrinam Luth. edictum edit. 1072. *a.* Imperium in manus Electorum cur reſignarit. *ibid. &c.* Ferdinando fratri commendat. *ibid. b.* In monaſt. D. Iuſti abit, & per 5. annos ſacrophagum ſecum ducit. *ib.* Bernhardi dictis mirifice delectatur, & recreatur. 1073. *a.* Obitus, & Epithapium ipſius *ib. b.* Ejus reſponſum, cum inſtigaretur, ne fidem Luthero datam ſervaret. 55. *b.* Quid filio ſuo in Commentariis ſuis reliquerit. 238. *a.*

Caſſander Antipatri filius cur Demadem oratorem & Athenienſium Legatum occiderit. 341. *a.* Polyſperchonti adjungitur à Patre. 341. *a.* Olympiadem Alex. M. matrem cur trucidarit. 341. *b.* Theſſalonicen Alex. M. ſororem cur in uxorem duxerit. *ibid.* Ejus bellum contra Antigonum. *ibid.* miſerrime extinctus eſt. 342. *a.* Thebas reſtauravit. *ibid.* Ejus filius & ſucceſſor tabidi corporis lue interiit. *ibid.* Ejus filius Antipater cur matrem occiderit. *ibid.*

Caſſianus Ludimoderator Chriſtian. Brixiæ diſcipulis ſuis exctuciandus traditur. 648. *b.*

Caſſiodorus, Eccleſiaſticus ſcriptor. 752. *b.*

Caſſius Charea Caligulam interficit. 108. *b.*

Catalogus eruditiſſimorum virorum, qui Rudolphi II. Imp. tempore vixerunt, continens omnium illorum conditionem & mortem. 1116. *a.*

Catharina, Laurentii Medicis, Urbini Ducis filia, Henr. III. Mater, vetitarum artium ſtudioſa, quid fecerit. 1134. *a.* Ejus adhortatio materna. *ibid.*

Cecilia virgo, ob Chriſti profeſſionem, aquis ferventibus torquebatur. 611. *a.*

Cedrenus, qui Aſtyagi Eſtheram conjugem tribuit, refutatur. 113. *b.* Ejus error circa diviſionem primæ Monarchiæ. 45. *b. &*, dum Salmanaſſarem eundem cum Sardanapalo facit. 50. *b.* 93. *b.*

Centurio virginem violans, ab ipſa interficitur, quæ uxoris nomine interfecti hæres conſtituitur. 1129. *a.*

Chabrias de ducib. exercituum quid dixerit. 238. *b.*

Chalaos, Arabeli ſucceſſor. 38. *a.*

Chaldæa quare terra Nimrod vocetur. 9. *b.* Cur ignem pro Deo coluerit. 13. *a.*

Chaldæi unde ſic dicti 23. *b.* Cur filii diaboli dicti. 13. *b.* Eorum Dii. 81. *a.*

Chamæleon omnes colores aſſumit, præter candidum. 684. *a.* Ei Iulianus Apoſtata comparatur. *ibid.*

Charicla Hydaſpis regis Æthiopiæ filia. 371. *a.*

Charondas Tyrius prohibuerat in Senatum inferre telum, ſeu gladium 723. *a.* Poſtmodum, cum ipſe ex obliviſcentia hanc legem violarat, ſe ipſum ſuo gladio transfodit. *ibid.*

Charilus Alex. M. Poëta non ſatis felix, quale pactum cum Alexandro habuerit. 327. *a.*

Childericus, ultimus primæ ſtirpis regum Francorum in monaſterium cur detruſus ſit. 811. *a.*

Chilonis Lacedæmonii præceptum de mortuis. 252. *b.*

Chittim quid denotet. 312. *a.*

Choſroës, rex Perſarum, quo reſponſo Legatos Imperatoris Heracliti pacem petentes, remiſerit. 56. *b.* à Siroë filio quare captus, & ſagittis confixus. *ibid.*

Crates Philoſophus, quomodo deceperit Alexandrum M. 327. *b.*

Chriſtinæ lingua præciſa, ne fidem profiteri poſſet. 693. *a.*

Chriſtiana religio qua occaſione in Perſia propagata ſit. 727. *b.*

Chriſtiani fiunt fœdifragi, & ingenti à Turcis afficiuntur clade. 1016. *b.* Chriſtianorum legio ſub Antonino Imp. pluviam precibus impetrat. 571. *a.* Imperatoris de iis judicium. *ibid.* Eorum 3 perſecutio ſub Trajano deſcribitur. 553. *a.* Ipſorum 10 perſecutiones ſub Impp. Romanis recenſentur. 509. Chriſtianorum expeditio ſancta in Palæſtinam incredibili numero ſuſcipitur. 912. *a.* 941. *a.* Solimanni Sultani exercitum repellunt, Saracenos magna clade afficiunt. 912. *a.* Hieroſolyma expugnatur ab eis. *ibid.*

Chriſtophor. Mora, Regis Hiſp. Conſiliarius, bellum diſſuadens, malè tractatur. 230. *b.*

Chriſtophorus Cardinalis Eboracenſis, ignorantiam ſuam quomodo deridendam propinaverit. 329. *b.*

Chriſtus an & quomodo in primo adventu omnia regna mundi conſumſerit. 401. *b.* Quando natus ſit. 458. Lapis ille, qui coloſſi Danielis pedes percuſſit. *ibid. b.* Quod verus ſit promiſſus Meſſias. 459. *a.* Qua occaſione, & cur ſit natus in Bethlehem. 460. *a.* Ejus genealogia. *ibid. b.* Nativitas an fuerit naturalis, vel ſupernaturalis. 461. *a.* Eo naſcente corruit templum Iani. 462. *a.* Ejus fuga in Ægyptum. *ibid. b.* Redit in Palæſtinam. 463. *a.* Baptizatur à Iohanne, mundi 4000 anno. 472. *a.* Ejus miniſterii acta deſcribuntur. *ib. b.* Acta poſt ejus adſcenſionem. 480. *a.* Ejus imago in Alex. Severi Imp. larario habebatur. 611. *a.* An ſit filius Dei adoptivus, ſecundum humanam naturam. 827. *a.*

Chuſam Riſchataim, Amyntam eſſe, negatur. 37. *a.*

Cicero ab Antonio, conſentiente Auguſto, è medio tollitur. 441. *a.* Ejus degener filius quare Bicongius dicatur. 175. *b.* 175. *a.*

Claſſis. V. Hiſpanica. 1135.

Claudianus Poëta. 727. *a.*

Claudius, XXXV Roman. Imper. è Dalmatiis oriundus. 634. *a.* Ejus proſopographia & mores. *ibid. b.* Acta politica ante imperium, & imperii ſententia morientis Gallieni Imper. occupatio. *ibid.* Senatus in eum honorificæ acclamationes. *ibid.* Boni principis decus fuit. 634. *a.* Ejus acta bellica. *ibid.* Cur prius Gothos, quam Pſeudo-Imperatores aggredi cenſuerit. *ibid.* 320 millia Gothorum delevit. *ibid. b.* Alemannos fudit. *ibidem.* Ejus crudelitas in Chriſtianos. *ibid.* De eligendo ſucceſſore, convocatis Ducibus & Tribunis, Aurelianum longa oratione commendat. *ibid.* Ex morbo contagioſo mortuus eſt. *ibid.* Honor illi poſt mortem habitus. 636 *a.* Elogium. *ibid.* Frater ejus Quintillus recipit imperium. *ibid.* Venas ſibi ſolvit, & moritur *ibid.* Claudius Imp. edictum meditatus, quo veniam dabat flatum in convivio emittendi. 44. *a.*

Claud. Domitius Nero, VI Imp. Rom. Cn. Domit. Ænobarbi, & Agrippinæ, quæ poſtea Cl. Tiber. Druſo Imp. nupſit, filius. 498. *b.* Conſilio matris à Tiberio in filium adoptatus. *ibid.* Cur Nero ſit dictus. 499. *a.* Omnium, quos terra tulit, tyrannorum crudeliſſimus. *ibid.* Natalem formidoloſum habuit. *ibid.* Ejus educatio & proſopographia. *ibid.* Annæo Senecæ & Aphran. Burrho in diſciplinam traditur. *ibid. b.* Pingendi, cælandi, cantandi & poëſeos artes callebat. *ibid.* Ejus conjugium. 500. *a.* Veſtali virgini vim intulit *ibid. b.* Adulter fuit. *ibid.* Inceſtuoſus, & Sodomita. *ibid. &* 501. *a.* Sporum in muliebrem naturam transfigurare conatus eſt. *ibid.* Parricida & Matricida fuit.

fuit. *ibid.* Fratricida. 502. *a.* Artibus matris Agripp. ad imperium pervenit. *ibid.* Ejus virtutes primo quinquennio. *ibid. b.* Ejus vitia. 503. *a.* avaricia 194. *b.* Ejus convivium in Amphitheatro. *ibid. b.* Quinquennale certamen instituit. 504. *a.* A Iulio Montano Senatore cur plagas acceperit. *ibid. b.* Vestem nullam bis induebat. *ibid.* Ejus domus aurea describitur. 505. *a.* Paridem saltatorem cur interfecerit. *ibid. b.* Senecam præceptorem, ut αὐτοχειρ fieret, coëgit. *ibid.* Burrho alteri præfecto pro remedio toxicum misit. 506. *a.* Lucanus incisione venæ ab ipso interficitur. *ibid.* Ejus symbolum. *ibid.* Incendiarius fuit. *ibid.* Primus, Imperatorum Dominus vocari voluit. *ibid.* Verba ejus superbissima ad Tiridatem, cum eum regem Armeniæ crearet. 507. *a.* Ejus mala conscientia. *ibid.* Ejus acta bellica. *ibid. b.* Acta Ecclesiastica. 508. *a.* Primus Christianorum persecutor fuit. *ibid.* Cur Romam incendi jusserit. *ibid.* Mortem ejus quæ portenta præcesserint. 510. *a.* Militum ejus defectio, & Galbæ electio. *ibid.* Ejus tragicus exitus. *ibid.* Extincto illo, defecit Iulii & Augusti Cæsarum progenies. *ibid. b.*

Claud. Tiber. Drusus, V. Rom. Imp. Drusi Majoris Augusti ex Livia privigni, & Antoniæ Minoris filius. 488. *a.* De ejus statura & forma. *ibid. b.* Cur pro despectissimo à matre & avia sit habitus. *ibid.* Libros 40. Histor. hortante Præceptore Tit. Livio, scripsit. *ibid.* Totum Homerum memoria tenebat. *ibid.* Quomodo bono ingenio præditus, dici potuerit stultus? 489. *b.* Sex conjuges habuit. *ibid.* Messalinam cur jugulaverit. 490. *a.* Sororem Fratri quomodo junxerit. 491. *a.* Mirabili casu Imperium adeptus. *ibid. a.* Primus Cæsarum fidem militis præmio pignoratus. *ibid. b.* Ejus imperii administratio. *ibid.* Cauponas evertit. *ibid.* Cur Caligulæ occisores interemerit. *ibid.* Prænomine Imperatoris abstinuit. 492. *a.* Portam Hostiensem exstruxit. *ibid. b.* Aquæductus consummavit. *ibid. b.* Ejus acta mala. 493. *a.* De aleæ lusu librum scripsit. 494. *b.* Ejus acta bellica 495. *a.* Claud. Camill. Scribonianus contra eum Imper. creatus, se ipsum cur interfecerit. *ibid.* Ejus triumphus Britannicus. *ibid. b.* Acta Ecclesiastica. *ibid.* Prodigia ejus mortem antecedentia. 497. *b.* Ab uxore cur boleto necatus sit. *ibid.* Mortuo eo, quem librum Lucius Gallio evulgarit. *ibid.*

Claudius Tiberius Nero, III Romanorum Imp. Tiberii Neronis filius. 463. *b.* Natus est ex Livia Drusilla, quæ postmodum, consensu mariti, Augusto nupsit. *ibid.* Augusti filius adoptivus & gener factus est. *ibid.* Cur *Caldius Biberius Mero* dictus sit. *ibid.* 468. *a.* Ejus cognomina. 463. *b.* Personæ ejus descriptio 464. *a.* Hypocrita fuit. *ibid.* Quomodo Præceptor ejus Godareus eum appellarit. *ibid.* Ejus vitia quomodo Augustus excusarit. *ibid.* In tenebris videre potuit. *ibid.* Novem annorum puer patrem mortuum pro rostris laudavit. *ibid.* delectabatur Poëtis græcis. 465. *a.* Ejus conjugium. *ibid.* Acta ejus, antequam pervenerat ad imperium. *ibid. b.* Ejus imperii occupatio. *ibid.* Singularis astus. *ibid.* Ejus virtutes. 466. *b.* vitia. 468. *a.* Dominum se vocari noluit. 466. *b.* Quid Præsidibus onerandas tributo provincias suadentibus respondent. 467. *a.* De ejus prudentia Augusti judicium. *ibid.* cum amici quererentur, illum potestates fecisse perpetuas, quid responderit? *ibid.* Diogenis Grammatici superbiam quomodo ultus sit. 468. *a.* Valde ebriosus fuit. *ibid.* Cur Caprinæus dictus sit. *ibid. b.* Cur matrem suam Ulyssem stolatum nominarit. 469. *a.* Nova suppliciorum, genera excogitavit. *ibid. b.* Quos summe oderat, illis publicè benefaciebat. 470. *a.* Ejus mira crudelitas in Sejanum. *ibid.* Quid præ dolore conscientiæ ad Senatum scripserit. *ibid. b.* Ejus mortis genus. 571. *a.* Ob ejus mortem populi gaudium. *ibid. b.* Acta ecclesiastica sub ejus imperio. *ibid.* Neronis quinquennium, Proverb. 502. *b.*

Clemens VII P. Rom. uxoratum esse sacerdotem pro majore peccato, habet, quam si plurimas meretrices domi alat. 1055. *a.*

Clementia, Regni custos. 569. *a.*

Cleopatra Ptol. Dionysii Junioris soror, XIII Ægypti regina. 369. *a.* Ejus conjugium cum fratre. *ibid.* Speculum multorum vitiorum fuit. *ibid.* M. Antonium eo adduxit, ut repudiata Octavia Octaviani Augusti sorore, se in matrimonium duceret. *ibid.* Ejus eburnea cymba *ibid.* Superbia & pompa. *ibid.* Ejus uniones preciosissimi. 370. *a.* Sponsio ejus cum marito facta. 370. *b.* Cur & quomodo sibi ipsi mortem adsciverit. *ibid.* Regina Reginarum vocari volebat. 42. *b.*

Cleopatræ Ptol. Philometoris filiæ crudelitas in Maritum, & filios. 393.

Cleopatra Ptolemæi Physconis Ægypti regis vidua. 366. *a.* Cur à proprio filio occisa sit. 367. *a.*

Codex Theodosianus, Constantinopoli editus. 733. *a.*

Cœna lignea, cerea, marmorea, &c. per Heliogabalum instituta. 604. *a.*

Cognomina ipsis nominibus sæpe usitatiora esse, exemplis demonstratur. 433. *b.*

Colossus Solis. 81. *a.*

Colinius Thalassiarchus misere interficitur propter religionem. 1097. *a.*

Colloquium Marpurgense. 1056. *b.* Mompelgartense. 1105. *a.* Ratisbonense. 1106. *a.* Wormatiense institutum. 1072. *a.*

Colonia Agrippina ad Rhenum, unde sic dicatur. 481. *b.* 490. *b.* Urbs imperialis facta. 873. *b.*

Columbæ imago in monte Garizim colitur. 51. *b.*

Columbus multas Insulas incognitas invenit. 1033. *a.*

Comes Gleichensis bigamus. 958. *a.*

Cometæ multa mala portendunt. 1126. *a.*

Comitia Spiræ celebrata. 1060. *a.* Francofurti. 1072. *a.* Norica. 1054. *a.*

Commodus Imper. omnium suæ ætatis formosissimus, & tamen sceleſtissimus fuit. 220. *a.* Ejus Epitheta. 76. *a.*

Comœdia muta de reformatione religionis Carolo V exhibita. 1080. *a.*

Concilia œcumenica 8, post Christi nativitatem celebrata. 673. *b.* 1062. *a.*

Concilium an sit supra Papam. 1065. *a.* Oecumen. IV à Martiano Imp. institutum. 740. *b.* Tridentinum innumerabilibus erroribus scatet. 1061. *b.* Cur illegitimum sit. 1062. *b. &c.*

Confessio Augustana nomen & omen habuit. 688. *b.*

Confessionarius ex ordine Parvisiorum confitetur se Ferdinandum I. Cæsarem, &c. seduxisse à via salutis. 1086. *a.*

Conjectura optimus vates. 684. *a.*

Conjugium inter privignum & novercam, quod non sit permittendum. 592. *b.*

Conjugii sanciendi pignus apud Maced. 314. *b.*

Conradus Celtes, primus Germaniæ Poëta laureatus. 1015. *a.*

Conradus I, X Imp. Rom. 860. *b.* Ejus ortus ignoratur. *ibid.* Ottone Saxoniæ Duce propter senectutem se excusante, eligitur hic. *ibid.* Optime imperavit. *ibid.* Bella ejus contra seditiosos varia. 861. *a.* Henrico Aucupi,

cupi, Hattonis opera, inſidias ſtruit. *ibid.* Tandem ipſius amicus factus, Imperii eum ſucceſſorem elegit. *ibid. b.* Tres virtutes ante obitum declaravit. 862. *a.* Moritur. *ibid. b.* Quamdiu regnaverit. 57. *b.*

Conradus II, cognom. Salicus, Dux Saxoniæ, XVI Imper. Germ. 895. *a.* Ejus genealogia. 896. *a.* Henrico Sancto Imperatore abſque maſcula prole extincto, legitima electione Imperium à Saxonibus ad Conradum ejuſque poſteros tranſlatum eſt. *ibid. b. &* 897. *a.* Exteris omnibus formidabilis fuit. *ibid. b.* Filium ſuum, ab Epiſc. Auguſtano eruditum, Regem Bavariæ declaravit, & Imperii, omnium conſenſu, Socium fecit. *ibid.* Legem tulit de proprietate ſylvar. & venationis jure. *ibid.* Ejus candor erga Regem Poloniæ. *ibid.* Ejus varia bella. 898. Prope Ultrajectum moritur. 899. *a.*

Conradus III, XXI Imp. Germ. Friderici Ducis Sueviæ filius. 924. *a.* Omnium Procerum conſenſu in Comitiis eligitur. *ibid. b.* Summa cum laude imperavit. *ibid.* Urbes Germ. varias inſtaurat & exornat. *ibid.* Ejus bellum contra Henricum Superbum, æmulum ſuum. 925. *a.* Mulierum Winsbergenſium aſtutâ ira ejus vincitur. *ibid. b.* Cum exercitu valido in Paleſtinam profectus eſt. *ibid.* Qua morte mortuus ſit. 926. *b.*

Conradus IV, XXVII Imper. Germ., Frider. II. Imper. filius. 958. *a.* A patre conſenſu procerum conſors Imperii & ſucceſſor declaratus eſt. *ib. b.* Dejicitur cum Parente à Pontif. Rom. *ibid.* Vi & parricidii ſcelere pollutus imperium ſuſcepit. 959. *a.* A fratre Manfredo ſpurio, veneno necatur. *ibid.*

Conradus Imperator, Guelf. Bavariæ Duci, Winſpergum obſidens, quid fecerit. 55. *a.*

Conſcientia quid ſit. 470. *b.* Mala immaniſque beſtia. 507. *a.* Bona quid proſit. 532. *b.* Ei dominari an homo poſſit. 16. *b.* 1095. *a.*

Conſilia impia ſunt quaſi turris Babel. 11. *a.* Parvulorum non aſpernanda ſunt. 164. *a.* Senum valde ſunt ſalutaria. 229. *b.* Sæpe Principibus ingrata. 231. *a.* Sunt occultanda. 285. *a.* Bonis conſiliis quid obſtet. 180. *a.*

Conſiliarii adulatores. 175. *a.*

Conſiliarii Regum Perſiæ quomodo appellentur. 285. *a.* Mali bonum principem corrumpunt. 148. *b.* Eorum juvenum conſilia ſunt plerumque pernicioſa. 229. *a.*

Conſulatus Rom. 421. *a.* A Junio Bruto introducitur. *ibid.*

Convivia quæ optima ſint. 530. *b.*

Cornelius Balbus, Jul. Cæſaris adulator, quid fecerit 429. *a.*

Cornicis in Capitolio eloquium. 545. *a.*

Cornu parvulum poſt decem cornua apud Danielem emergens quid denotet. 404. *b.* 407. *b.* 409. *b.*

Coronatio Pontificia Imperatoribus an neceſſaria ſit. 1020. *b.*

Corvi ſalutatores Auguſti. 452. *a.*

Coſroës Rex Perſiæ, juſſu filii, cur telis confixus ſit. 787. *a.*

Conſtans, XLIV Imper. Rom. Conſtantini M. filius. 675. *a.* Imperium Occidentis totum occupat. *ibid.* Contra eum conſpiratio inter Centuriones oritur, & Magnentius Imperator eligitur. *ibid.* Trucidatur Magnentii juſſu. *ibid.* Ejus acta Eccleſiaſtica. *ibid. b.*

Conſtans II, LXVI Imper. Rom. Conſtantini Jun. Imp. filius. 791. *a.* Pulſo in exſilium Heracleona, à Senatu ſine ſuffragiis militum Imperator eligitur. *ibid.* Omnis generis vitiis ſe dedidit. *ibid.* Fratrem Theodoſium cur Eccleſiæ manciparit, & tandem interfecerit. *ibid. b.* Cum Saracenis inducias ad biennium cur fecerit. *ibid. b.* Ejus ſomnium. *ibid.* Ejus in bello adverſa fortuna. 792. *a.* Monotheletarum hæreſi infectus orthodoxos acerrimè perſequitur. *ibid.* Ejus edictum de rebus Eccleſiaſticis. *ibid. b.* In balneo occiſus eſt. *ibid.*

Conſtantius Chlorus, Conſtantini M. pater, quid dixerit. 144. *a.* 200. *b.*

Conſtantius Chlorus, XLII Imper. Rom. Eutropii filius. 651. *a. b.* A Maximiano Cæſar creatur. *ibid. b.* Cum Galerio Maximino imperium diviſit. *ibid.* Paupertas ipſi, & negligentia Reipubl. adminiſtrandæ objicitur à Diocletiano Imper. 652. *a.* Theſaurorum à ſubditis collectio, & reſtitutio. *ibid.* Præſio vincitur ab Alimannis. *ibid. b.* Spiram ad Rhenum condidit. *ibid.* Chriſtianorum protector, & poſtea ipſe Chriſtianus factus eſt. *ibid.* Ejus ſtrategema in explorandis animis aulicorum ſuorum, erga Chriſtianos. *ibid.* Ejus morituri oratio. 653. *a.* In Britannia moritur. *ibid. b.*

Conſtantius, XLIV Imper. Rom. Conſtantini M. filius. 674. *a.* 776. Ejus proſopographia & ſtatura. *ibid.* Ejus conjugium. *ibid.* Imperii occupatio. *ibid.* Adminiſtratio. *ibid.* Impius fuit. *ib.* A Leontio Epiſcopo cur reprehenſus ſit. 677. *a.* Ejus tempore multi fuerunt voluptatum artifices. *ibid.* Conſtantiam urbem ædificavit. *ibid. b.* Ejus cum Magnentio Imperium arripiente bella. *ibid. &* 675. *b.* Gallum Cæſarem Orientis fecit. 677. *b.* Cur eum poſtea occidi juſſerit. *ibid.* Totius orbis Dominus vocari voluit. *ibid.* Ejus alia bella. 678. *a.* Contra Alemannos exercitum ducens, cum iis pacem init. *ibid.* Ejus oratio ad milites; cum Alemanni pacem rogarent. *ibid.* Cur Julianum, Galli Fratrem, Cæſarem Romæ proclamarit. *ibid. b.* Pſeudo-Imperatores tres contra eum creati. *ibid.* Ejus acta Eccleſiaſtica. 579. *a.* Ariana hæreſi infectus fuit. *ibid.* Qua occaſione Arianus Presbyter gratiam Imperatoris adeptus ſit. *ib.* Omnes Orientis & Occidentis Epiſcopos coëgit, ut Arianæ formulæ ſubſcriptione, vocabulum οὐσίας & ὁμοουσίας damnarent. *ibid. b. &* 680. *a.* Varia concilia indicit. 679. 680. &c. Athanaſio vim intulit. *ibid. b.* Multos veræ fidei confeſſores Epiſcopos in exilium expulit. 681. *b.* Prodigia ſub ejus imperio. 683. *a.* Febri correptus moritur. *ib. b.* Perfidiam & impietatem ſuam non impune tulit. *ibid.*

Conſtantini Manaſſis error. 93. *b.*

Conſtantinopolis, Byzantium olim dicta, non Nova Roma appelletur. 396. *b.* 692. *b.* ædificatur à Conſtantino M. *ibid.* Conſtantini ſtrategema in amplificanda urbe. *ibid.* à Mahumete Turcarum Rege capitur. 1009. *a.* 1017. *b.* 1018.

Conſtantinus Copronymus, LXXV. Imp. Rom. Leonis Imper. fil. 804. *a.* cur Copronymus dictus ſit. *ibid. b.* Vivo parente, Auguſtus appellatus eſt. *ibid.* A Deo defecit, magicis maleficiis, cruentis ſacrificiis, caballinis ſtercoribus delectatus eſt. 805. Colluvies quædam impietatis fuit. *ibid.* Ejus bella. *ib.* Moritur. 807. *a.* Imagines omnes prohibuit, permiſit tamen ut per crucem Chriſti jurarent. 806. *a.* Titulum Sancti, neque Apoſtolis neque Mariæ tribui voluit. *ibid.* Ejus immanis crudelitas in imaginum cultores. *ibid.* Monachos coëgit, ut monachas uxores ducerent. 806. *b.* Ejus corporis cinis cur in mare conjectus ſit. 807. *a.*

Conſtantinus M. Conſtantii Chlori Imp. filius, primus Chriſtian. & XLIII Rom. Imp. 658. *a.* Ex clavibus crucis Chriſti frænos compoſuit, quibus in bello uteretur 659. *a.* Matris ſuæ Helenæ inſtinctu, Templum Veneris ſuper ſepulchrum Chriſti exſtructum demolitus eſt. *ibid. b.*

Ejus genealogia. *ibid.* Ejus proſopographia, & acta juvenilia. *ibid.* Filium Criſpum cur interfici juſſerit. 660. *b.* & uxorem Fauſtam in balneo ſuffocari. *ibid.* Tria regna; Patris teſtamento relicta, accepit *ibid.* Initio cum 4 Imper. ſimul imperavit. *ibid.* Ejus virtutes. 661. *a.* Adulatores quomodo appellaverit. *ibid.* Urbem Conſtantinopolin ædificat. 662. *b.* Cur ſedem imperii ex urbe Roma in Orientem transferre voluerit. *ibid.* Ejus ſtrategema in amplificando & exornando Byzantio. 663. *a.* Legem tulit, violatores conjugii gladio puniendos eſſe. 663. *b.* Ejus Symbolum. *ibid.* Ejus error Eccleſiaſticus. 664. *a.* Qua re impulſus Athanaſium in exilium ejecerit. *ibid.* Militibus peculiarem orationem præſcripſit. *ib. b.* quinque bella geſſit. *ib.* Deus ei dat illuſtre victoriæ ſignum. 665. *a.* Statuam mnemonicam erigit. *ibid. b.* Ejus Epiſtola ad Saporem Parſarum Regem. 666. *b.* Ejus acta Eccleſiaſtica. *ib.* Conſecrationis templorum Chriſt. deſcriptio. 667. *a.* Deletis Chriſtianorum hoſtibus, ſex Tyrannis, Chriſtianos valde promovet. *ibid.* Novum Teſtamentum ſibi ſemper præferri mandavit. *ibid. b.* Crucis ſupplicium lege ſuſtulit. *ibid.* Diem Solis in locum Sabbathi Judaici deſtinatum, conſtitutione peculiari confirmavit. *ib.* Ex libris Sibyllinis Judæos refutavit. *ib.* Plures religiones tolerare noluit. *ib.* Idolorum templa clauſit. *ibid.* In Hæreticos uſque ad ſanguinem non ſæviit, ſed eos relegavit. 668. *a.* Concilium Nicenum convocat. *ibid.* Ejus oratio ad Epiſcopos. 669. *b.* Ejus acta poſt Concilium. 671. *b.* Multas Epiſtolas ad Epiſcopos, populum & alios, ſcripſit. *ibid. &* 672. *a.* Omnes Arii libros comburi juſſit. *ibid.* Cur baptiſmum ad finem vitæ uſque diſtulerit. 674. *a.* Moriturus baptizatur à Presbytero Ariano. *ibid.* Quæ res ipſius fidem in dubium vocarit. *ibid.* Ejus mors. *ibid.* Ejus ſepultura. *ibid.* Clavum Chriſti in diademate circumtulit. 273. *b.*

Conſtantinus Magnus Magiſter conſtitutus à Deo immanium Tyrannorum 106. *a.*

Conſtantinus II, ſive Junior, XLIV Imperator Roman. Conſtantini M. filius. 674. *b.* Cum fratribus Conſtante & Conſtantio Imperio diſtributo regnat. *ibid.* Cæditur equo dejectus in conflictu cum fratre Conſtante. *ibid.* Ejus acta Eccleſiaſtica. 675. *a.*

Conſtantinus III, LXIV Roman. Imper. Heraclii filius. 789. *b.* Ejus Educatio & Symbolum. *ibid.* Puer adhuc unius anni coronatus eſt. 790. *a.* Hæreticis quomodo ſe odioſum reddiderit. *ibid.* A noverca ſua Martina cur veneno necatus ſit. *ibidem.*

Conſtantinus IV. Pogonatus, LXVII Imper. Rom. Conſtantis II filius. 792. *b.* A patre in conſortium Imperii aſſumtus & coronatus eſt. 793. *a.* Abſente patre Orientem adminiſtravit in 7 annum. *ibid.* Bene adminiſtravit imperium. *ibid.* A Leone II, Papa, vocatur Rex magnus à Deo coronatus. *ibid.* Cur fratres naribus truncarit. *ibid.* Ejus bella. *ibid. b.* Cur Pogonatus ſeu Barbatus dictus ſit. 793. *a. b.* Paternæ cædis authores ultus eſt. *ibid.* Pacem cum Saracenis Imperio honorabilem facit. 794. *a.* Religioni orthodoxæ addictus fuit. 795. *a.* Synodum Oecumenic. conſcribit. *ibid.* Monotheletas penitus eliminavit. *ibid.* Moritur. *ibid. b.*

Conſtantinus VI, Leonis IV filius, LXXVII Imper. Roman. 808. *a.* Idolorum cultum de novo reſtituit. *ibid. b.* Ejus Sinodus cur diſturbata ſit. *ib.* Synodum œcumenic. VII inſtituit. *ibid.* Diſſentit cum matre Irene. 809. *a.* Quæ populum coëgit, ut ſibi, neglecto filio, fidelitatem jurarent. *ibid.* Matri Imperium abrogat. *ibid. b.* Ejus crudelitas erga patruos. *ibid.* Uxorem cœnobio includit. *ib.* Ejus bella. *ibid.* Matris in eum crudelitas. 810. *a.* Moritur. *ibid.* Ejus mater, eo mortuo, Nicephorum & Chriſtophorum, mariti fratres, occidi juſſit. *ibid.* Imperio deponitur, & in Inſulam Lesbum relegatur. *ibid. b.*

Cræſus Cyro bellum infert. 112. *b.* Ejus ſtulta ambitio. 50. *b.* Eo in urbem Sardium ſe recipiente, quale acciderit prodigium, narratur. 158. *a.* Ejus mirabilis à militis furore conſervatio. 158. *a.* Rogo impoſitus quid clamarit. 155. *b.* 158. Cur bellum contra Cyrum inierit. 157. Ad Oraculum miſit. 159. *b.*

Credulitas nimia quod ſit regum pernicies, exemplis demonſtratur. 146. *b.* 261. *b.*

Creſcentius, Pontificis legatus, à cane atro occiſus. 1079. *a.*

Crucigerorum in Boruſſia exterminatio. 285. *b.*

Crucis Chriſti lignum Perſæ cum reliqua præda in Perſiam abducunt. 784. *a.* Redditur. 787. *a.*

Crucis exaltatæ feriarum origo. *ibid. b.*

Crudelitas Principum nimia rebellionis occaſionem præbet. 117. *a.*

Currus Statiræ Reginæ Perſ. velis diſtractis progrediens. 280. *b.*

Cutha Regio Perſidis. 51. *a.*

Cuthæorum origo. *ibid.*

Cyaxares, 8 Rex Medorum. 112. *b.* 132. *a.* Urbem Niniven obſidet. 112. *b.* Primus Aſiæ populos in provincias diſtinxit. *ibid.*

Cyndaraxes. 39. *a.*

Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſ. capite truncatur. 633. *a.* Quid de Tertulliano dixerit. 590. *a.*

Cyrenius, Iudææ Rector ab Auguſto conſtitutus, à Joſepho & Tacito vocatur P. Sulpitius Quirinus. 457. *b.*

Cyrillus Epiſc. Alexandr. 726. *b.* Neſtorium refutavit. 731. *b.*

Cyrillus, Heliopoli Diaconus, cur interemtus & diſſectus ſit. 692. *b.*

Cyrus, Monarchiæ II fundator, & Monarcha. 149. *a.* Ejus appellatio. 80. *b.* Cur Spaco, h. e. canis dicatur. 150. *a.* & 115. *a.* 119. *a.* Cur Semiaſinus vel mulus appelletur. 150. *a. b.* & 119. *a.* Ante nativitatem 200 annis nomen ſuum accepit. 121. *b.* 150. *b.* Ejus parentes. *ibid.* Perſonæ conſtitutio. *ibid.* Ejus infantis expoſitio. 151. *a. &* 151. *b.* Educatio. 119. *a.* 151. *a. b.* An à cane lactatus ſit 115. *a.* Indolis oſtentatio. 151. *b.* Ab avo Aſtyage quomodo ſit agnitus. 151. *b.* Adoleſcens adhuc quale judicium pronunciaverit. 252. *a.* Ejus imprudentia reſtringitur. 119. *a.* Publicum Edictum Iſraelitas in patriam redeuntes concernens promulgat. 121. *a.* In venatione quam animoſum ſe oſtenderit. 152. *a.* Ejus temperantia. 152. *b.* Avo pincernam agens quid fecerit. *ibid.* Quot conjuges habuerit. *ibid.* Ejus caſtitas. 153. *a.* Regia domus. *ibid.* & 153. *b.* Agriculturam exercebat ipſe. 83. *b.* Diſciplinam domeſticam neglexit. *ibid.* Avo Aſtyage devicto, regnum ſibi acquiſivit particulare. 154. *a.* 156. *b.* 157. *a.* Poſtea Monarchiam conſtituit. 156. *b.* Cur vocetur Chriſtus. 154. *a.* & 162. *a.* Ejus Regni adminiſtratio. 154. *b.* Quomodo Cræſum devictum ſalutarit. 155. *a. b.* Clemens fuit erga Aſtyagen avum à ſe devictum. 155. *a.* Gratus erga altricem ſuam Spaconem. 156. *b.* Quinque bella geſſit. *ibid.* Ejus ſtrategema contra Cræſum. 158. Reſponſio ad Ionas & Æolos pacem petentes. 106. *a.* Babylonem ſtrategemate capit. 105. *b.* 161. *a.* An cum Dario Medo ſimul regnarit, interfecto Belſazare, ut Metaſthenes

thenes ait. 161. *b.* Quanta memoria fuerit. 162. *b.* Bellum contra *Scythas* ei diſſuadetur. 163. *a.* Ejus ad Deum converſio. 165. *a.* Captivitatem Babylonicam ſolvit. 165, *b.* Ejus ſomnium explicatur, vincitur à Tomyri Maſſagetarum Regina. 31. *b.* 163. *a.* 166. *b.* Caput ejus in utrem ſanguine repletum mittitur. 163. *b.* Oraculi de ejus morte reſponſum, *ibid.* Placida morte eum defunctum eſſe, tradit Xenophon. 167. *a.* Ejus ſepulcrum. *ibid.* Spoliatum Alexander M. invenit. 167. *b.* Ejus vita Tragœdiæ inſtar fuit. *ibid.* Ultima verba ad Cambyſen filium. 200. *a.* Ornamenta ipſi miſſa. 200. *b.* Chriſti typus fuit. 168. *a.*

Cyrus Major ad componendum bellum civile, inter Caros exortum, exoratus quid fecerit. 49. *b.*

Cyrus Junior, Artaxerxen Mnemon. ejus fratrem opprimere decrevit. 282. *a.* Matris interceſſione in vita conſervatur. *ibid.* Veritatem ſemper ſecutus eſt. 281. *b.* Aliæ ejus virtutes. *ibid.* Cur ſemiplenas lagenas amicis miſerit. *ibid.* Ejus vita. 282. *a.* Cum fratre bellum geſſit. *ibid.* Celerrima ejus expeditio. 282. *b.* In acie quomodo occubuerit. 283. *a.* Ad imperandum & pugnandum maxime factus erat, teſte Xenophonte. *ibid.* A quo interfectus ſit, an à Rege, an ab aliis, demonſtratur. *ibid.* & 284. *a.* Ejus interfectores crudeliter tractati ſunt. *ibid.* Ejus audax temeritas culpatur. 286. *b.*

Cyrus, nomen duorum fluviorum. 149. *b.*

D.

DAni fiunt Chriſtiani. 878. *a.* Miraculo Popponis confirmantur. *ibid.* Eorum Reges quomodo olim appellati ſint. 357. *b.*

Daniel à Nabuchdonoſore ſuper cunctos ſapientes Babylonis conſtitutus. 2. *a.* Duplici viſione Monarchiam primam præfiguravit. 2. *a.* Cur in expugnatione Babylonis ſolum Darium nominet. 137. *a.* Primus inter Triumviros. *ibid.* Magiſtratus ſive Scholarcha ſuper omnes ſapientes Babylonis conſtituitur. 72. *b.* An recte fecerit, quod ſe ipſum laudaverit. 137. *b.* Ejus conjectio in lacum leonum. 139. *b.* Hebdomadas ultima initium ſumſit à baptiſmate Chriſti. 476. *a.* Finitur cœnæ inſtitutione. *ibid.* Vaticinium, de leone Babylonico alis aquilinis ornato, quibus è terris ſublatus eſt, impletum. 57. *a.*

Daphne, lucus opacus, in quo Babylas martyr ſepultus erat. 530.

Darius Codomannus, Monachiæ I I. Monarcha X. & ultimus, à Bagoo ad regnum delectus. 292. *b.* De ejus parentibus inter Hiſtoricos controverſia. *ibid.* Cur Darius Arſami f. à Diodoro vocetur. *ibid.* Conjux ejus erat ſoror Statira, quæ ab Alexandro Magno capta βασιλικῶς tractatur. 293. *a.* Liberi ejus. *ibid.* Ejus filius Ochus ab Alexandro M. captus conſervatur, & Suſis diſciplina & lingua Græca eruditur. *ibid.* In duobus prœliis quot hominum perdiderit. 123. *a.* Ejus filia Statira Alexandri conjugio honoratur. 293. *a.* Filiam Statipnam Alexandro M. inter conditiones pacis offert. 293. *b.* 299. *b.* Ejus divitiæ & deliciæ. 293. *b.* Ejus lectus magnificus. *ibidem.* Cur & quomodo rex conſtitutus ſit. *ibid.* Ejus virtutes. 294. *a.* Bagoam inſidiis eum petentem veneno necat. *ibid.* Sidonem reædificat. *ibidem.* Ejus fortitudo contra provocatorem barbarum. 294. *b.* Ejus vitia. *ibid.* Ejus tituli ambitioſi, 295. *a.* Alexandrum M. vocat famulum ſuum. *ibidem* & 298. *a.* Quid Alexandro M. per contentum miſerit. 295. *a.* Mnemonis Rhodii conſilium ſalutare ex pertinacia negligit. 295. *b.* Charidemum Athen. aliosque cur ad ſupplicium traxerit. *ibid.* & 299. *b.* Tria bella cum Alexandro M. geſſit. 298. *a.* Quam laudem Alexandro M. tribuerit. 299. *b.* Vincitur, & in Bactra fugatur. 302. *a.* Aureis compedibus vinctus, nefario ſcelere trucidatur. *ibid.* Ejus jam morituri gratio ad Polyſtratum. 300. *b.* Ejus occiſores ab Alexandro ad ſupplicium trahuntur, 301. *a.* Defletur ab Alexandro. *ibidem.* Ejus ſomnium. 233. *b.*

Darius Hyſtaſpis Monarcha tertius. 121. *a.* 122. *b.* 190. *a.* Ejus variæ appellationes. *ibid.* Generatio, & virtutes in juventute. *ibid.* Mirabiliter ad regnum pervenit. 186. *b.* 192. *a. b.* Cur filiam Cyri in uxorem duxerit. 192. *b.* Satrapias viginti & annua tributa inſtituit. 194. *a.* Cur male audierit in principio regni. 194. *b.* Quomodo ſubditorum animos ſibi reconciliarit. 195. *a.* Intaphernem cur & quomodo puniverit. 195. *b.* Cur Orœten & Ariandum trucidandos curarit. *ibid.* & 196. *a.* Liberalitas ejus erga Democedem Medicum, Siloſontem. *ibid.* Magnanimitas laudatur. 196. *b.* Ejus ſimulacrum. 197. *b.* Crudelitas erga Deobazen. 198. *a.* & 201. *b.* Ex avaritia ſepulcrum Semiramidis violavit. 198. *a.* & 33. *a.* Prima arma pro Siloſonte ſumſit. 198. *a.* Babylonios obſidet, & ab iis irridetur, 198. *b.* 199. *a.* Gratus erga Zopyrum. 201. *a.* Cur Scythis bellum intulerit. 201. *b.* Aſinis eorum equus perturbavit. 202. *b.* Munera Scytharum ad eum miſſa, quid ſignificent. 202. *a.* Septem conjuges habuit. 207. *a. b.* An fuerit matitus Eſther. 207. *b.* Ejus ſucceſſor ex filiis quis fuerit. 208. *b.* Ejus filiorum numerus. 208. *a.* Dei veri cultus & veneratio. 209. *a.* An ſub ejus imperio templum Jeroſolymitanum conſummatum fuerit. 215. *b.* Quando mortuus ſit, & quamdiu regnarit. 219. *a.* Venator & Potator egregius quod fuerit, epitaphium ejus teſtatur. *ibid.*

Darius Medus, Aſtyagis Medorum Regis filius, varie appellatur. 109. *a.* 132. *a.* An fuerit Cyaxares. 132. *b.* De ipſius patre multorum opiniones. 133. *a.* De ejus progreſſu. 134. *b.* Regni occupatio. 135. *b.* An vi regnum Babylonicum occuparit. *ibid.* An regnum Belſazaris in eo ſit continuatum, an vero ſublatum? *ibid.* An ſolus Babylonem expugnaverit. 136. *a. b.* Quamdiu regnarit. 136. *a.* & 142. *a.* Quomodo regnum conſtituerit. 137. *a. b.* Quot ſatrapas habuerit. 137, *b.* Quomodo ſeſe geſſerit erga Danielem. *ibid.* & *ſeqq.* Ejus edictum de Deo Danielis colendo. 141. *a. b.* Ejus virtutes enumerantur, & exemplis illuſtrantur. 143. 144. An juſte fecerit, quod Accuſatorum Danielis uxores & liberos quoque ad mortem damnarit. 145. *a. b.* Vitia recenſentur. 146. *a. b.*

Darius Nothus, Monarchiæ I I Monarcha V I, Artaxerxis filius & ſucceſſor. 273. *b.* De uxore ejus Paryſatide duplex hiſtoricorum ſententia. 274. *a.* Conjugem mortuam à Democrito in vitam revocari petiit. 274. *b.* Ejus liberi. *ibid.* Regni occupatio. *ibid.* Sub Patre Artaxerxe Satrapiam Hircanorum regebat. 275. *a.* Cur arma contra fratrem Sogdianum regem ceperit. *ib.* Quomodo ante regni occupationem dictus fuerit. *ibid.* Ejus geſta. *ibid.*

Dariorum quatuor diverſorum Monarchiæ I I Monarcharum cognomina. 190. *a.*

David ex paſtore Rex factus eſt. 191. *b.* Sibæ calumniatori nimis facile credit. 261. *b.*

Debora,

Debora, Dux VI. Iſraëlis. 31. *b.*

Decebalus, Dacorum Rex, cur mortem ſibi ipſi intulerit. 552. *a.* Ejus virtus deſcribitur. 544. *a.*

Decius, XXXI Imper. Rom. claris parentibus in Pannonia oriundus. 624. *a.* Ejus appellatio. *ibid.* Ejus proſopographia & mores. *ibid.* Conjugium. *ibid.* Imperii occupatio. *ibid. b.* Filium conſortem imperii fecit. *ibid.* Optime adminiſtrat. *ibid.* Ejus virtutes & elogia *ibid.* & 625. *a.* Bellum contra Scythas & Gothos. *ibid.* Filius in prælio, & Pater in palude periit. *ibid. a. b.* Horrendus Chriſtianorum perſecutor fuit. *ibid. b.*

Defenſores plerumque ſunt devoratores. 49. *b.*

Dei decreta quod ſint immutabilia, exemplis demonſtratur. 115.

Deioces, ſextus Rex Medorum. 111. *b.* Cur eum Plutarchus laudarit. *ibid.*

Delicta non omnia ultimo ſupplicio & morte vindicanda ſunt. 661. *b.*

Delphicum Templum ſub Iuliano Apoſtata ultimo delebatur. 694. *a.*

Delphinatus Imperii pars, venditur Galliæ Regi. 990. *a.*

Demades Orator ad Antipatrum ad Athenienſibus miſſus, cur occiſus ſit. 340. *b.*

Demaratus exul Spartanus Xerxi quid dixerit. 240. *a.* Fidelis erga Patriam. 243. *b.* Ejus ſcriptum occultum. 100. *b.* 243. *b.*

Demetrius I. Soter, X Syriæ Rex, Seleuci Philopatoris filius, regnum quomodo occuparit. 387. *b.* Quomodo adminiſtraverit. 388. *a.* Ejus tria bella contra Judæos. *ibid.* Vita & regno ſpoliatur à Judæis. 389. *a.*

Demetrius II Nicanor, 12 Syriæ Rex, Demetrii I filius. 389. *b.* Ejus regni occupatio & adminiſtratio. 390. *a.* Ionathan Iudæorum Ducem magnis honorat. *ibidem.* Ingratus poſtea erga Iudæos. *ibid.* Ejus exitus. *ibidem.* Redux in regnum. 392. *b.*

Demetrius II. Nicanor Redux, XVI Syriæ rex. 392. *b.*

Demetrius II, Antigoni Gonatæ filius, XIII Macedoniæ Rex, 10 annos regnat. 349. *b.*

Demetrius Poliorcetes, Antigoni filius, ab Alexandro, Caſſandri regis Macedoniæ filio, in auxilium vocatus, ipſi ſit formidabilis. 342. *a. b.* Trucidat Alexandrum ipſi inſidias ſtruentem. *ibid.* Regnum Macedoniæ occupat, *ibid.*

Democedes ingratus erga Darium exiſtit. 196, *a.*

Democritus Philoſophus Abderita, Darii Conjugem in vitam revocaturus, quid petierit. 274. *b.*

Demoſthenes Orator veneno cur ſe ipſum necarit. 340. *a.* Ei mortuo ſtatua ærea ponitur. *ibid.* Dolebat, cum opificum antelucana victus eſſet induſtria. 325. *a.*

Dercylus, Monarcha XXXI, ſucceſſit Tineo. 38. *b.*

Deucalion. 36. *b.*

Deus tanquam Arithmeticus, vel Calculator depingitur. 101. *b.*

Deuterius Epiſc. Arianorum, quondam *in nomine Patris, per Filium, in Spiritu S.* baptizans, quid illi acciderit. 749. *a.*

Dextræ porrectio apud Perſas pro firmiſſima fide habetur. 288. *b.*

Diabolus variis formis aſſumtis per Rotwilam vagatur. 1081. *b.* In Bohemia pocula ſibi quibuſdam propinantibus quid fecerit. 1082. *a.* in forma ignis adoratur. 13. *b.*

Diadema quid ſignificet, quidque ſit. 599. *a.*

Dictatoris Rom. officium. 421. *a.* Hoc Julius Cæſar quinquies geſſit. *ibid.*

Didymus, oculis captus, commentarios ſcripſit in Pſalmos & Euangelia. 719. *b.* De Spiritu S. libellum ſcripſit. 695. S. Ejus ſomnium de morte Iuliani Apoſtatæ. *ibid. &* 114. *a.*

Didius Julianus, XX Roman. Imperator, Petronii Didii Severi filius, 583. *b.* Ejus educatio & conjugium. *ibid.* Acta politica ante imperium. *ibid.* Imperii occupatio ingenti militibus promiſſa pecunia. 584. Ejus ſymbolum. *ibid.* Imperii adminiſtratio. *ibidem.* A militibus & populo cur aſpernatus ſit. *ibidem. b.* Capitis damnatur a conſule 585. *a.* Deſtitutus ab omnibus à milite obtruncatur. *ibid.*

Diluvium Deucalionis in Theſſalia. 36 *b.* Unde ſic dicatur. *ibid.* Cum diluvio Noæ apud Ovidium confunditur. *ibid.*

Diocles, 6. Rex Medorum. 111.

Deocletianus, XL Imper. Roman. obſcuris parentibus ortus. 646. *a.* Ejus cognomen, Jovius. *ibid.* Proſopographia & natura. *ibid.* Futuri imperii præſagium, electio, & adminiſtratio. 647. *a. b.* Collegas ſibi cur adjunxerit Maximianum, &c. *ibid. b.* Initio clemens fuit, ſed poſtea ſe tanquam Deum adorari voluit. *ibid.* Ejus bella. 648. *a.* Splendidum triumphum cum Maximiano agit. *ibid.* Crudelitatem ſuam à muſcarum confixione incipit, 19. *a.* Templa Chriſtianorum everti juſſit. 648. *b.* Cur imperium deponere voluerit, 649. *a.* Tandem veneno hauſto mortem ſibi ipſi conſcivit. *ibid. b.*

Diodorus Siculus cum Juſtino in ſupputatione annorum circa initium primæ Monarchiæ pulchre congruit. 9. *b.* Ejus error circa diviſionem primæ Monarchiæ. 45. *b.*

Diodorus, cum in ſpecu quodam ſacram Synaxin celebraret, obſtructo aditu cum omnibus Chriſtianis periit 649. *a.*

Diogenis dictum de educatione. 170. *a.*

Diogenes Sinopſenſis, Cynicus, ad Alexand. M. venire detrectat. 327. *b.*

Dion Caſſius, alias Cocceius, quando & quomodo Hiſtoriam ſuam conſcripſerit. 578. *b.*

Dionyſius Tyrannus Syracuſis expulſus, quid de Philoſophia dixerit. 500. *a.*

Dionyſius Syracuſanus gloriatur. 90. *b.*

Dionyſius Minor, debita à patre contracta perſolvit, & ludum literarium Corinthi aperire coactus eſt. 182. *b.*

Doctoratus & Magiſterii gradus quis introduxerit. 921. *a.*

Domitius, Neronis pater, libertum ſuum occidit, quod potare, quantum jubebatur, recuſaret. 172. *a.*

Domicilla Imperatoris Domitiani ex ſorore neptis, Chriſtianam fidem amplexa, relegatur, & poſtea crematur. 544. *a.*

Dominia cur Deus fundaverit. *Prolog.* Quare hominibus exoſa reddita fuerunt. *ibid.*

Domitianus Imperator, homo timidus quid fecerit. 11. *a.* Unde tam ferox exſtiterit. 13. *b.* Dominus & Deus noſter, in communi ſermone cur vocatus ſit. 42. *b.* 43. *a.* A cubiculariis ſuis interficitur. 43. *a.*

Dona degenerant in debita. 195. *a.*

Donatus Grammaticus, Chriſtianus, occiditur. 693. *a.*

Dorothea virgo Alexandrina nobilis & dives, Maximino Imperatori de ſtupro eam occulte interpellanti, cum ad ſupplicium raperetur, quid reſponderit. 615. *a.*

Dreſda, caſtrum ad Albim, à Carolo M. contra Bohemos ædificatur. 820. *a.*

Druſus Germanicus. 48. *b.*

Dryander, propter Euangelium ejuſque confeſſionem, Romæ combuſtus eſt. 1077. *a.*

Duellatores, quos imitentur, hic habent. 482. *a.*

E.

EBerhardus Dux Wurtenbergenſis laudatur. 76. a.
Ebræi quare una voce linguam & gloriam appellent. 57. a.
Ebrietas ſummopere fugienda. 171. b. Cædes cauſat. 172. a. Exemplis aliquot demonſtratur. 172. b.
Ebriorum pereuntium exempla. 105. a. b.
Ecbatanæ urbis autor quis fuerit. 111. a. b. 112. a. Regiam Babylonicam magnificentia ſuperavit. 112. a.
Eccleſiæ Idololatricæ fuit author Nimrodus. 12. b.
Eccleſiæ Græcæ cum Romana reconciliatio inſtituitur. 1009. a.
Eccleſiaſtici Pariſienſes arma contra Regem ſumunt. 1136. a.
Ecebolius, Sophiſta Conſtantinopolitanus, hypocrita & homo leviſſimus, quid dixerit. 694. a.
Eduinus, Anglorum Rex, cum multis nobilibus & plebe baptizatus. 788. b.
Electoralis dignitas & Septemvirorum in eligendo Imperatore quando primum inceperit. 886. b. 930. b. 948. a.
Eliſabetha, Henrici VIII Angliæ Regis filia, virgo 25 annorum ad regnum evecta, pontificiam religionem rurſus abolevit. 32. b. 1141. a. b. Ejus laudes. *ibid.* XL annos regnavit cum laude. *ibid.* Mariam Scotiæ Reginam occidendam tradit. *ibid.* Provida, & Bellatrix ſtrenua. 1134. b. Jeſuitas è regno pellit. 1137. a. Claſſem Hiſpanicam Duce Eſſexio vincit. 1138. b. Moritur. 1141. a.
Elulæus Tyriorum Rex. 52. a.
Emſeri perſecutoris pœna. 1077. b.
Enemaſar. 50. b.
Epialtes Trachinius proditor, Xerxi occultum tramitem per montes monſtrat. 244. a.
Epicharmi Symbolum. 262. a.
Epiphanius Tyri Epiſcopus. 400. Ejus & Cedreni error circa mutationem Nebucadnezaris. 87. a.
Epiphanius Epiſcopus Salaminæ. 726. b.
Epiſcopus Belluacenſis lorica, & aliis armis indutus, à Rege Angliæ captus & exutus eſt. 945. b.
Epitaphia belluinorum hominum. 44. b.
Epitaphium Guilhelmi Naſſovii. 1132. b. Buchanani. 1121. a.
Eraſiſtrati Medici induſtria. 372. a. 374. a.
Eraſmi Roterodami de Baptiſta Pio inuſitata verba proferente judicium. 439. a. Ejuſdem nativitas & pueritia. 1015. a.
Erneſtus, filius Maximiliani II Imperatoris German. Gubernator in Belgio. 1091. b. obiit Bruxellis. *ibid.*
Eſdræ acta hodœporica. 264. b. Jeroſolymitana. 265. a.
Ethnici quoque ſciunt in hac vita plus amaritudinis, quam dulcedinis, obviam ire mortalibus. 1109. a.
Eſther Artaxerxis uxor. 258. b. Alio nomine dicitur Hadaſſa. *ibid.* Typus eccleſiæ eſt. 271. a.
Eſtotilandia, Novi orbis pars, quando inventa ſit. 995. a.
Evagrius Scholaſticus. 731. a.
Evangelicarum & epiſtolicarum pericoparum diſtributio quando & à quo facta ſit. 829. a.
Evangelii & ejus Confeſſorum Perſecutio graviſſima in Belgio. 1096. a.
Evangeliſtæ Johannis caput I, an vim habeat morbos ſanandi & diabolum fugandi, ut cenſent Pontificii. 273. b.
Eudocia Theodoſii II Imper. Conjux, femina eruditiſſima, multa poemata ſcripſit. 727. b. Ex humili loco nata, quomodo ad altiorem pervenerit. *ibid.*
Everhardi, Ducis Wurtenbergici fiducia & ſubditis ſuis, ejus verbis propriis exprimitur. 547. b.
Eupales, Monarcha XXXII, Dercylo ſucceſſit. 38. b.
Euphraſius, Antiochiæ Epiſcopus, terræ motu obiit. 39. b.
Eſaias Propheta ſerra lignea ſectus. 62. b.
Euſebius Epiſc. Nicomed. hæreſeos, tyrannidis & ſeditionis à Conſtantino Magno accuſatur. 672. a. quando mortuus ſit. 681. b. ei ſuccedit Paulus Theſſalonicenſis. *ibid.*
Euſebii incogitantia, dum Salmanaſſaris & Sennacheribi hiſtoriam confundit. 50. b.
Euſebii Samoſateni conſtantia. 683. a.
Euſtathius Magnæ Antiochiæ Epiſcop. Concilii Niceni Præſes eccleſiaſticus. 669. b.
Euſtochius Epiſcopus Hieroſolymitanus injuſte dejicitur. 763. b.
Eutropius Andrianopolitan. Epiſcopus Euſebium Arianum Epiſcopum acerrime oppugnavit. 682. b. juſſu Valentis Imperator. res Romanas ab urbe condita uſque ad ſuam ætatem collegit. 704. b. qualem legem ab Imperatore efflagitarit. 722. b.
Eutyches Archimandrita, controverſiam de natura, proprietatibus eſſentialibus Chriſti movet. 730. b.
Eutychius Epiſcop. Conſtantinopol. cœnobio cur incluſus ſit. 763. b.
Evilmerodach, Monarcha XLVIII, Nebucadnezaris filius & ſucceſſor. 93. a. Ejus varia nomina explicantur. *ibid.* Binominis fuit. *ibid.* 93. b. Ejus liberi. *ibid.* Vicarie regnum adminiſtrat, patre μανίᾳ correpto. *ibid.* Fabula de eo narratur. 94. a. Facilis & beneficus in Eccleſiam fuit. *ibid.* Nominis ejus cauſa. *ibid.* Interficitur à Regaſſare. 94. b. De ejus ſucceſſoribus dubium *ibid.* & 95. a. Quamdiu regnaverit. 95. a. b.
Excommunicatio Theodoſii per 8 menſes. 718. b.
Exercitus quomodo judicandus ſit. 236. b.
Ezechias Rex Judæ à Rabſacis violentia liberatur. 53. b. Ejus ſuperbia. 90. b.
Ezechiel Propheta Babylonem ducitur. 65. b.

F.

FAbianus, Epiſcopus Romanus, quando occiſus ſit. 625. b.
Fabius Maximus, provocatus ab Hannibale in duellum, quid reſponderit. 450. b.
Fabius Conſul Roman. cur patri venienti non aſſurrexerit. 862. b.
Fames in Italia ita magna fuit, ut tritici modius 34 coronatis venderetur. 1127. b.
Familiarum Magnatum, exſtinctarum in ſecundo, tertio, aut quarto hærede, exempla. 182. a.
Felicis Comitis à Wartenburg ſanguinolentum propoſitum, & pœna. 1078. a.
Felicis nova hæreſis. 826. b.
Felix Præſes Romanus, injuſtus judex. 177. b.
Ferdinandus I, Imperator Germanorum, Caroli V Imperatoris frater, juxta avi Maximiliani voluntatem, ſibi Regis Hungar. filiam Annam matrimonio jungit. 1082. b. Woywodam Johannem ex Hungaria profligat, & communi ſuffragio rex renunciatur. 1083. a. & Imperator eligitur. *ibid.* b. Papa & multi Principes reſiſtunt. *ibid.* Ipſius virtutes. *ibid.* Levius res quam famam amittere vult. 1084. b. Ejus acta bellica. 1085. a. Turcam repellit, & pace floret. *ibid.* Pacem Paſſavienſem obtinet, quæ Concil. Tridentinum diſſipat. *ibid.* b. & 1086. a. Ejus epiſtolæ humaniſſimæ ad B. Lutherum & Georgium Caſſan-

Caſſandrum. 1086.1087. Ejus Symbolum. 76. a. Teſtamentum & obitus. 1088. b. Menii de Ferdinando epitaphium. 1089. a. Uxorem cum Gynæceo cur ſemper ſecum duxerit. 1082. b. Quid ante obitum dixerit. 55. b.
Ferdinandus Dux Albanus in Belgio quomodo ſæviverit. 21. a.
Ferdinandus Magellanus fretum Magellanicum auſu plane Herculeo aperit. 1079. b. Primus omnium terrarum orbem circumnavigavit. ibid.
Faſti Juliani. 416. b. 418. b.
Feſtum nativitatis Chriſti & Purificationis Mariæ quando inſtitutum ſit. 761. b.
Fides obedientiam, non curioſitatem, exigit. 1108. a.
Fides etiamſi in toto mundo exulet, tamen promiſſorum apud Cæſarem conſiſtere oportet. 1054. a.
Flandria bello, peſte, fame devaſtatur. 1126. b.
Flavius Domitianus, XII. Imperat. Roman. Flav. Veſpan. filius. 538. b. Ejus proſopographia & acta juvenilia. ibid. Libellum de cura capillorum edidit. 539. a. Ab optima patris indole degeneravit. ibid. Ejus conjugium. ibid. b. Ejus imperii occupatio & adminiſtratio. 540. a. Ejus virtutes. ibid. Clemens audire volebat. 541. a. Bibliothecas incendio abſumtas impenſiſſime reparare curavit. ibid. Ejus vitia. ibid. Muſcas ſolebat captare, & occidere; deinde homines. ibid. Metium Pompoſianum cur occiderit. 541. b. Quem diligere ſimulabat, eum maxime interfectum cupiebat. ibid. Hypocritica ejus calliditas. 542. a. Ejus ambitio in titulis. ibid. Dominum & Deum ſe appellat. ibid. Odium ejus erga artes liberales & literatos. ibid. b. Vineta ſuccidere cur juſſerit. 543. a. Ejus mala conſcientia. ibid. b. Ejus acta bellica. ibid. Acta Eccleſiaſtica. 544. a. Sub ipſo cœpit ſecunda Chriſtianorum perſecutio. ibid. Viri docti & celebres, qui ſub ejus imperio vixerunt, enumerantur. ibid. b. Multiplex interitus ejus præſagium. ibid. Quando occiſus ſit. 545. b. Cadaver ejus more gladiatorum exportatur. ibid. Ejus funeratio. ibid. Mortem ejus gravillime tulerunt milites, & occiſores trucidant. ibid. Senatus gaudium. ibid.
Flavius Veſpaſianus, X Rom. Imp. Sabini Flavii & Veſpaſiæ Pollæ filius. 520. b. Rom. imperium reſtituit. ibid. Ejus proſopographia & acta juvenilia. 521. a. Conjugium. ibid. Ejus vita domeſtica, & præclaræ virtutes. ibid. Urinæ vectigal impoſuit. ibid. b. & 526. b. Patienter tulit amicorum libertatem. 521. b. Humanitas ejus poſt balnea. 521. b. Acta ejus politica ante imperium. ibid. b. 523. a. Ejus imperii occupatio. ibid. Electur à militibus. ibid. Prodigia futuri imperii. ibid. Imperii adminiſtratio. 524. a. Amor ejus erga rempubl. ibid. Scrutator naturæ fuit. 525. a. Multos inimicos habuit. 526. a. Conſcientiæ ſtuduit. ibid. Ob avaritiam ſolam culpatur. ibid. b. Ejus bellum Judaicum, Nerone vivente. 527. a. Triumphavit devicta Judæa. 528. b. Mortis ejus præſagia. ibid. Dicta ante mortem. 529. a. Mors ipſa. ibid. Encomion ejus. ibid. b.
Fœmina lene tormentum. 187. b.
Forma indicium mentis cujuſque, egregia in Principe cur requiratur. 434. b. Principis cum quo comparetur. 220. a.
Formula religionis, ſive Interim. 1067. b. ab omnibus improbatur. 1068. a.
Fortuna quando maxime metuenda ſit. 250. b. Exemplis demonſtratur. ibid. Ejus inconſtantia depingitur. 852. b. 853. a. Ejus mutabilitas. 158. b.
Franc. Patritius. 55. a.
Francia duplex, orientalis & occident. 812. a. Ejus fines. ibid. Ejus regum familiæ 3 mutationes expertæ ſunt. 811. b. Ejus regnum Carolinæ ſtirpi quando adeptum ſit. 855. a.
Francica genus cur Salica appelletur. 896. a.
Franciſcus Alenconius Henrici III Regiæ Galliæ frater. 1137. a.
Franciſcus I, Rex Galliæ, prandens ac cœnans loquebatur de literis. 329. b. quid fecerit. 78. b. Beneficentia. 258. b.
Franciſcus Petrarcha. 921. a.
Franciſci Spieræ apoſtaſia & deſperatio. 1068. & 1078. b.
Francofurti ad Oderam dæmoniaca puella numiſmata devorat. 181. a.
Francorum Dux inſolentiſſimus à Saxonibus ſtrage afficitur. 204. a. b.
Fraternitas quid ſit. 946. a.
Fratrum ſimultates omnium graviſſimæ. 353. a.
Freculphus Epiſcopus Lexovienſis errat, dum ſcribit, Darium 140 Satrapas conſtituiſſe. 137. b.
Fretum Magellanicum, unde ſic dictum, & à quo apertum ſit. 1079. b.
Fridericus I, cognomento Barbaroſſa, Conradi III Imper. nepos. 927. a. Ejus elogia. ibid. b. Ejus educatio. ibid. Suaſu anteceſſoris ſui à Proceribus eligitur. 928. b. Ex Gibellina ſtirpe paternam, ex Guelphorum vero maternam originem duxit. ibid. Ejus cum Pontifice concertatio. 929. a. Ejus ſymbolum. ibid. b. Ejus prudentia in conciliandis Principum animis. 930. a. Jus inveſtituræ ſibi pro antiqua conſuetudine uſurpare cœpit. ibid. b. Ordinem Electorum confirmavit. ibid. Jus feudale in ordinem redegit, & ſcripto complecti curavit. 931. a. Juriſconſultis negotium dedit de regni Italiæ jure cognoſcendo, quatenus ad ſe ſpectet. 931. a. & 937. b. Jus Majeſtatis integrum conſervavit. 931. a. Bellicoſiſſimus omnium bellicoſorum Principum nominatur. 932. a. Cur ſemper ab hoſtibus victoriam deportarit. ibid. b. Ejus bella. ibid. &c. Ejus triumphus in Italia. 933. a. Senatus Roman. ad eum legatio, ejuſque heroica reſponſio. ib. Ejus prælium cum Romanis. ibid. b. Multæ ipſi inſidiæ ſtruuntur. 933. b. & 940. a. Ejus bellum ſacrum. 935. b. Ejus acta Eccleſiaſtica. 936. b. Diſſenſio ejus cum Papa perpetua. 937. Modeſtia ejus Papa abuſus, pedem collo Imperatoris imponit additis ſtultiſſimis verbis. 938. b. Captus eſt ab inſidiatoribus Soldani, & ad ipſum perductus, literas proditorias Papæ invenit. 939. a. Ejus dimiſſio. ibid. Qua morte perierit variant hiſtorici. ibid. b. Ejus ultima verba. ibid. In urbe Tyro ſepultus eſt. 940. a.
Fredericus II, Rex Siciliæ, Henrici IV Imp. filius, XXVI Imp. Germanorum, à Proceribus contra Ottonem IV eligitur. 948. b. 949. b. Ejus filia Margareta male tractatur à marito, itaque in monaſterium fugit. 949. b. 950. a. Ejus concubinæ. ibid. Quomodo ſibi odium Pontificum conciliarit. 951. a. 952. 953. Cur filium ſuum puerum 9 annorum coronarit, & imperii ſocium aſſumſerit. 951. b. Ejus bella, & acta cum Pontificibus 952. ſeqq. Recta Romam tendit contra Papam. 953. a. Septem exercitibus una ſe defendit. ibid. b. Ejus judicium de Rege. 329. a. Ligneam urbem condidit, & Victoriam appellavit. 954. b. Deſtituitur ab amicis & fortuna 955. a. Medicum, & Petrum de Vinea, venenum ipſi pro medicamento porrigentes, ſuſpendi juſſit. ibid. Ejus bella externa. ibid. b. Hieroſolymis coronatur. 956. a. Sultani in eum candor. ibid. Academiam Viennenſem fundat. ibid. Quinquies excommunicatus eſt. ibid. b. A filio ſuo notho, pulvino ſuffocatur. ibidem. Ejus poſteri delentur. 960. b.

Fridericus III, Auſtriacus, XLII Imper. German. fatis functo Alberto II, Imper. parente, ipſi imperium traditur. 1012. a. Imperio annis 53 ſumma laude præfuit. *ibid. b.* Ejus conſiliariis fraudulentis quid dixerit. *ibid.* Ejus dicteria. *ibid.* &c. Bellis abhorrebat. 1013. b. Ejus mors. 1014. a.
Fulvius, garrulitate conjugis ſuæ ad deſperationem adactus, mortem ſibi conſcivit. 187. b.
Funera larvata, apud veteres. 502. a.

G.

GAleatii Sforziæ inhumanitas. 20. b.
Galericulo utitur M. Salvius Otto. 514. b.
Galenus Medicus quando vixerit. 565. b.
Galerius Maximinus, *Conſtantii Chloti* Imp. Rom. Collega. 653. b. A Diocletiano Imper. Cæſar creatus. 654. a. Cum Conſtantio Chloro Imperium diviſit. *ibid.* Multa adulteria commiſit. *ibidem.* Ejus bella. *ibid.* Acerrimus Chriſtianorum perſecutor fuit. *ibid. b.* A Deo morbo furioſo & graviſſimo punitur, pœnitentiam agit, & Chriſtianis parci jubet. 655. a. Vim ſibi ipſi tandem gladio intulit. *ibid.*
Galilæa occupatur. 48. a.
Galli, alias dicti Galatæ, unde originem traxerint. 377. a. ob vinum Italicum Italiam ſubigere voluerunt. 228. a.
Gallia carnificina. 1097. 1098.
Galliæ Rex, Henricus II, quomodo Lutheranis minatus ſit. 1090. a. In ludis equeſtribus haſta percutitur. *ibid.* Societatem cum Turca contra Imp. Rom. init. 1060. b.
Gallica laniena propter evangelicos inſtituta. 1089. b.
Gallinicus, architectus artificioſus, ignem in aqua ardentem invenit. 794. a.
Gallus Cuthæorum Deus. 51. b.
Gaudentius templa falſorum Deorum in urbe Carthagine evertit. 726. b.
Gebhardus Archiepiſcopus & Elector. Col. Auguſtanam confeſſionem amplectitur. 1104. b. Nuptias celebrat. 1105. a.
Gedeon ex torcular vocatur ad principatum. 191. b. hoſtium innumeram multitudinem quomodo fuderit. 237. a.
Gelimeres Vandalorum rex à Juſtiniano Cæſare victus, vinctuſque, quid dixerit. 251. a.
Gennadius Epiſcop. Conſtantin. Pictoris, Chriſtum forma Iovis pingere aggreſſi, manum arefactam ſanavit. 742. a.
Georgius Major, novi dogmatis de bonis operibus author. 9029. b.
Germani & Galli cur cognati dicantur in ſe. 812. b. eorum ad Alexand. M. interrogata reſponſio. 316. a.
Germaniçum Imperium quando ortum ſit. 813. a.
Germanicus devictis Germanis, cur de ſe nihil, in titulo congerici deſcripto, mentionis fecerit. 468. b.
Geta, Caracallæ Imper. Roman. frater. 597. b. Ejus cognomen. *ibid.* Mortis omen. 598. a. Ejus natura. *ibid.* Cæſar appellatur. *ibid.* Interficitur à fratre Caracalla. 594. b. 598. b. Ejus Symbolum. *ibid.*
Geta, ſervus, Imperante Vitellio, ſe Scribonianum Camerinum, ſervatorem Romanum, finxit. 189. b.
Gethes Herulorum Rex, cum propinquis & conſiliariis & populo magno Conſtantin. veniens, baptizatur. 760. b.
Gieſſenſis academia fundata. 1120. a.
Gigantes Babylonis conditores. 79. b.
Gilead occupatur. 48. a.
Gilimer Rex Vandalorum, à Beliſario victus & monte incluſus, cur panem unum, citharam & ſpongiam ſibi mitti petierit. 335. b.
Gladii uſus duplex. 550. a.
Gladio adverſus innocentes evaginato, gladio qui perierint. 183. a.
Gloriatio de ſe ipſo an ſit licita. 138. a. ante victoriam. 686. a.
Glycerius, invito Senatu, à militibus Imperator creatur 738. b. Deponitur imperio, & Epiſcopus Salonæ in Dalmatia factus eſt. *ibid.*
Gnoſtici, Hæretici. 560. a.
Godofredus Bilionæus, Princeps Lotharingiæ, primus Rex Hieroſolymorum à Chriſtianis creatur. 912. b. Cur regni titulum & diadema recipere noluerit. *ibid.* Ei ſucceſſit frater Balduinus. *ibid.*
Goliathi arrogantia punitur. 56. b.
Gordas Hunnorum Rex fit Chriſtianus. 760. b.
Gordiani Junioris Imp. Symbolum. 231. b.
Gordiani tres Auguſti appellati ſunt. 620. a.
Gordianus, XXVII Imper. Rom. Metii Marulli filius. 616. a. Ejus proſopographia. *ibid. b.* Multa poëmata ſcripſit. *ibid.* Ejus conjugium. *ibid.* Acta ante imperium. *ibid.* Electio ad imperium. 617. a. Ejus filius Gordianus una eligitur. *ibid.* Filii proſopographia, officia & dignitates. *ibid. a. b.* Filius in prælio Africano vincitur & trucidatur. *ibid. b.* Pater ex mœrore ſemet ipſum laqueo ſuſpendit. *ibid.* ad Miſitheum quid ſcripſerit. 173. b.
Gordius, Rex Phrygiæ quomodo factus. 193. a. ejus dictum. 57. a.
Gordii Centurionis magna conſtantia in fide Chriſtiana. 655. a. ſub Maximino Imp. combuſtus eſt. 615. a.
Græcorum mira pugnacitas. 256. a.
Gratianus, XLVIII Imper. Rom. Valentiniani I filius. 709. b. Ejus proſopographia & acta juvenilia. *ibid.* A patre inſignibus Imperii ornatus eſt. 710. a. Laudatiſſime imperium adminiſtrat. *ibid.* In vera religione uſque ad finem vitæ perſeveravit. *ibid. b.* Cum fratre Valentiniano II, jam pridem ab exercitu Imper. ſalutato, imperium diviſit. *ibid.* Gubernationem Imperii poſtea negligit. *ib.* Alemannos vincit. *ibid. b.* Cur Valenti patruo auxilia bellica negarit. *ibid.* Epiſcopos à Valente relegatos revocat. *ibid.* Ejus epiſt. ad Ambroſium. *ibid.* Cur in odium apud Romanos milites venerit. 711. a. Ab Andragathio doloſe occiditur. *ibid.* Ejus occiſores juſtas pœnas luerunt. *ibid.*
Gratianus Monachus decretorum opus compoſuit. 927. a.
Gregorius Nazianzenus moritur. 719. b.
Gregorius Papa Roman. an precibus Trajanum ex inferno liberare potuerit. 555. a.
Gregorius Papa Romanus imaginum cultum Idololatricum contra Leonem Imper. acerrime defendit. 893. a.
Gregorius Trapezuntius omnium literarum in ſenio oblitus eſt. 596. b.
Gregorius VII, Papa Roman. primus fuit, qui Majeſtatis imperatoriæ jus convellere & diris Imperatorem devovere voluit. 911. b. Matrimonium ſacerdotum damnavit, Magiſtratum contemſit, &c. *ibid.* Pacem Germaniæ horribiliter turbavit. *ibid.* Romæ ab Imperatore ejicitur. *ibid.*
Gregorius XIV, ſpatio 10 menſium 5000000 coron. conſumit, & Excommunicationis ipſius bulla in Gallia crematur. 1114. b. 1115. a.
Grumbechius ab Imper. Maxim. cur proſcriptus & denique ſupplicio affectus ſit. 1094. b.
Gryphiſwaldiæ Xiphias ſeu piſcis gladius, variis literis & armis inſignitus, captus eſt. 1127. a. 1014. a.
Gryphiſwaldiana Academia conditur. 150. b.
Gryphus quid ſignificet. Guel-

Guelforum & Gibellinorum factioſa nomina quando nata ſint. 927. a. 928. b.
Guelfus Dux Bavariæ à Conrado Imperatore victus, quid egerit. 55. a.

H.

HAbanckiorum familiæ origo. 783. b.
Habraymus à Solymanno Turcarum Imperatore ad ſummam dignitatem evectus. 54. b.
Hadrianus Scholas & Bibliothecas plurimas inſtituit. 78. a.
Epitaphium ejus. 45. a.
Hadrianus Imperator, quid in Senatu dixerit. 130. b.
Hæretici an ſanguinis effuſione ſint removendi. 668. a.
Hæreticis quod fides non ſervanda ſit, ſancitur. 1008. a.
Halberſtadenſis Epiſcopatus origo. 825. a.
Halyattes, Lydorum Rex. 112. b.
Haman, typus diaboli. 272. a. quare perierit. 56. b.
Hamburgum contra Danos munire juſſit Carolus Magn. 820. a. Ejus Epiſcopatus origo. 825. b. Archiepiſcopatus. 838. b.
Harpagus Cyrum contra avum Aſtyagem cur & quomodo inſtigarit. 116. a.
Hattonis Abbatis Fuldenſis, & poſt Epiſcopi Moguntini, crudelitas erga pauperes in horreo congregatos. Turris in medio Rheni, & horrenda mors. 879. a.
Hecubæ ſomnium. 114. a.
Helena, Adiabenorum Regina, legem Moſaicam amplectitur. 499. a.
Helena, Conſtantini M. Imper. mater, Crucem Chriſti in terra occultatam invenit. 658. b. Templa ædificat. 659. a.
Heliogabalus, XXIV Imper. Rom. 601. a. unde ſic dictus. 602. a. nudas puellas ſibi prandenti miniſtrantes conſtituit. 54. b.
Helvetiorum maxima inopia. 256. a.
Henricus Auceps XI Imperat. German. 863. a. Marchiones inſtituit. 864. b. Miſniam urbem condit. 865. a. Sanxit, ut primogenitis das Hergerâte tribueretur. 865. b. Varias condidit Eccleſias. 867. b.
Henricus II, cognom. Claudius, item Sanctus, XV Imp. Germ. 891. a. Cur Claudius ſit dictus, fabula narratur. 891. a. b. Cum uxore perpetuam virginitatem ſervavit. 891. b. Ottone veneno extincto, eligitur, Princeps religione maximus. 892. a. Ejus Lex de pacis turbatoribus. 892. b. Ejus liberalitas erga Babonem, 32 filios, & 8 filias habentem. 892. b. Multos hoſtes habuit. 893. a. Acie non antea permiſit exercitum certare, quam Euchariſtia eſſet munitus. *ibid.* Acta Eccleſiaſt. 893. b. Magis precibus apud Deum, quam armis triumphavit. 864. a. Epiſcopatus magnis reditibus locupletavit. 894. a. Ungari cur ultro ſe Imperio ſubjecerint. 854. a. Succeſſorem Imperii eligit. 895. a. & dolore calculi moritur. 895. b.
Henricus III, cogn. Niger, XVII Imper. Germ. 899. a. A Parente conſors & ſucceſſor imperii factus eſt, multoſque Pontifices creat. 899. b. Ejus bella. 900. a. Bellum, niſi laceſſitus, gerere noluit. *ibid.* a. magnum periculum evaſit. 901. a. Moritur, ultimus, qui tyrannidem Pontificiorum compeſcuit. 901. b.
Henricus IV, XVIII Imper. Germ. 901. b. Uxorem ex juvenili fervore repudiare ſtudet, ſed non potuit. 902. b. In navi Coloniam abducitur; ex qua deſilit in Rhenum, vim metuens, & fere perit. 303. a. Ejus educatio perſtringitur. 903. b. Ubi ad maturam ætatem pervenit, Imperii tranquillitatem quæſivit. 903. b. Ejus manſuetudo erga hoſtem Rudolphum. 904. a. Ejus elogium. 904. a. bella. 905. a. b. Bis & ſexagies pugnavit, & ſemper victor extitit. 904. b. Ejus Majeſtas contemni cœpit. 906. a. Cur à Pontif. excommunicatus ſit. 906. a. 913. a. Contumelia maxima afficitur à Pontifice. 906. a. 907. b. Omnes adverſarios bello ſuperat. 907. b. Romam expugnat. 908. a. adverſarios devincit. 908. b. Ejus domeſtica mala. *ibid.* Filii ejus à Pontificibus ſeducuntur 909. a. Imperii inſignibus & corona ſpoliatur. 910. a. Ærumnis exhauſtus moritur. 913.
Henricus V, XIX Imper. German. 915. a. Ut alter Abſolom, ejecto Patre fraudulenter ad Imperium pervenit. 916. a. Ejus bella. 916. a. b. Legatio ad Pontificem. 917. a. à Pontificialibus comitiis excluditur. *ibid.* Romæ in periculo necis eſt, at Pontificem capit tamen; qui jurejurando ſe obſtringit, jus inveſtituræ ſacerdotum Cæſari integrum eſſe debere. *ibid.* b. Eo abſente, Privilegium hoc à Pontifice revocatur. 918. a. Sine liberis moritur. *ibid.* b.
Henricus VI, cogn. Aſper, XXIII Imper. 941. a. Ejus uxor, cur publice in ſacello enixa ſit. 942. a. A patre puer quinquennis coronatus eſt. *ibid.* b. Ei coronato Papa coronam elevato pede decuſſit cum inſolentibus verbis. *ibid.* b. 943. a. Legem tulit de creando Imperatore ex ſola ſanguinis ſucceſſione: ſed hæc lex cum ipſo exſpiravit. *ibid.* b. Ejus ingratitudo & crudelitas. 944. a. Annuum tributum ab Imperatore Conſtantinopolitano poſcit. Bellum ſacrum. *ibid.* b. Mors, & ſepultura. 945. a.
Henricus VII, Lucelburgicus, XXXIV Imper. Germ. 977. a. Interfecto Alberto, Imperator poſt longam deliberationem eligitur. 973. b. Ejus eximiæ laudes. *ibid.* 979. a. Unicum ejus vitium. *ibid.* Ejus bella. *ibid.* b. Romam venit, & à Cardinalibus coronatur, abſente Papa. 978. b. Venenum ſub ſpecie ſacramenti accipit à Monacho ſubornato. 980. b.
Henricus II, Galliæ rex, ob tyrannidem graviter punitus. 1090. b.
Henricus IV, Galliæ Rex, cum Evangelicos patrocinio dignaretur, crebris inſidiis fuit petitus. 1137. b. interficitur à Franciſco Ravaillaco. 1143. a.
Henricus VIII, Angliæ Rex, à Papa excommunicatur, Rex è contrario omnes Pontificis præfectos Anglia ejicit. 1059. b. librum contra Lutherum ſcripſit. 1054. a.
Henricus Guiſius, Dux Pontificiorum, ac perſecutionis Gallicæ Author, pugionibus confoditur. 1098. b.
Hephæſtion, Alexandri M. familiaris. 314. b. magnifice ſepelitur. 326. b.
Heracleonas. LXV Rom. Imp. per fraudulentiam & violentiam, Conſtantino à matre occiſo, ad imperium pervenit. Sub quo Saraceni Cæſariam Palæſtinæ expugnarunt. 790. a. b. Cur eum Senatus naſo mutilarit, & matri linguam præciderit. 790. b.
Heraclius, LXIII Imperat. Roman. 782. a. A Senatu & Priſco rogatur ut ſe à tyrannide Phocæ Imper. vindicaret. 780. b. Phoca interfecto, conſenſu Senatus & milit. Imperator electus, & à Sergio Patriarcha coronatus eſt. 782. a. Initio pie & laudabiliter imperavit. *ibid.* Ejus Symbolum, à Deo victoria. *ibid.* In hæreſin Monotheletarum lapſus eſt, & aruſpicinæ & Incantationibus deditus fuit, & fratris filiam in uxorem duxit, non ſine fœda pœna. 783. b. Coſroëm Regem Perſiæ penitus depreſſit. 786. a. b. Milites ſuos ad pugnam quomodo inſtruxerit. 785. a. Ejus Triumphus. 787. a. Feſtum exaltatæ crucis, cujus lignum humeris in urbem portavit, & Judæos Hieroſolymis expulit. 788. a. à Mahumedanis profligatur, & in ejus exercitu 50000 hominum ab angelo

angelo occiduntur. 789. *a*. Hic poſtremus Imperator fuit, quem exercitus elegit. 789. *a*. *b*.
Hermano Gobi / fanum. 814. *b*.
Herodes Antipas cur Johannem Baptiſtam metuerit. 176. *a*
Herodes Magnus Aſcalonita Meſſiam è medio tollere conatur. 112. *b*. Cur omnes ſuos filios trucidaverit. 342. *b*. Antigonum ultimum ex Aſmonæis regibus, & conſiſtorium Judicum Jeroſolymitanum interficit. Item quot pueros occiderit. 174. *b*. 458. *b*. & cur à vermibus eroſus ſit. 56. *b*. Immania ejus crimina recenſentur. 174. *b*.
Herodis filiæ immanis impietas in caput Johannis Baptiſtæ, & ſupplicium divinum. 253. *b*.
Herodotus quando & quot annos poſt Moſen vixerit. Ejus orationis ſuavitas. 257. *a*.
Herodoti in Chronologia error. 93. *b*.
Heroſtratus Templum Dianæ Epheſ. quo die incenderit? 311. *b*.
Hiarnus, Epitaphio in Regem demortuum ſcripto, diadema regni Danici promeruit. 330. *a*.
Hieronymus Pragenſis, Johan. Huſſi diſcipulus. 1003. *a*. crematur. 1006. *b*. Ejus vaticinium de Luthero. 1006. *b*.
Hieronymus, Doctor Eccleſiaſticus, Biblia S. ex Ebræo vertit latine, & ſua verſione antiquat eam, quæ ex 70 Interpret. verſa in uſu erat. 720. *b*.
Hieroſolyma V. *Jeroſolyma*.
Hilarius Epiſcopus Pictavienſis. 682. *b*.
Hildesheimenſis Epiſcopatus à Carolo Magn. inſtitutus. 825. *b*.
Hiſpaniæ. Claſſis ingens. 1135. *a*. *b*. ab Anglis deletur. 1134. *b*.
Hiſtoria Moſaica, Herodoti ſcriptis quod multis annis antiquior ſit, demonſtratur. 257. *a*.
Hofmanni veritatis hoſtis mors. 1078. *b*.
Homicidas non diu eſſe ſuperſtites, demonſtratur. 183. *a*.
Honorius, Theodoſii M. filius, Arcadii Imper. frater & ſocius. Cujus ſoror Placidia multum Romano Imperio profuit. 724. *a*. 725. *b*. Cur nullam poſt ſe ſobolem reliquerit. 724. *b*. A patre Auguſtus appellatus, &, per teſtamentum, occidentis Imp. factus. 724. *b*. Cur gladiatoria certamina Romæ prohibuerit. 725. *a*, Negligens in gubernatione fuit. 725. *a*. Ejus bella. 725. *a*. *b*. Eo regnante, Roma à Gothis expugnatur, & Imperator, nomine Attalus, eligitur. 725. *b*. Stilichonem cur interfici juſſerit. 726. *a*. Pacem cum Valla Gothorum rege facit. 726. *a*. Romæ triumphat, devictis Gothis. 726. *b*. Attalum manu dextera truncat. 726. *b*. Ejus mors. 726. *b*.
Honos, quare ſcribatur cum aſpiratione, & *Onus* non ita. 528. *b*.
Hormiſdas, Perſa, Chriſtianus, cur decollatus ſit. 687. *b*.
Horoſcopus quid ſignificet. 520. *b*. Tres Imperatores Romanorum eum habuerunt adſcendentem in nativitate. 520. *b*.
Hortus penſilis à Nabuchdonoſore ſupra Euphratem ædificatus. 30. *b*.
Hugo Barcinonenſis Cardinalis, Concordantiarum Biblicarum author. 657. *a*.
Hugonis Pariſiorum Comitis vanitas riſu excipitur ab Ottone Imperatore. 204. *b*.
Humiles à Deo exaltari, exemplis demonſtratur. 358. *a*.
Hungarorum inſolentia verba ab Ottone Imperatore puniuntur. 204. *b*.
Hunnericus Vandalorum rex ab Arianis ad perſequendos Orthodoxos inſtigatur. 744. *a*. Ejus tragica mors. 744. *b*.

I.

Jacobus VI. Scotiæ Rex, ab Alexandri Ruveni violentia mirabiliter liberatur. 1140, *b*. Sceptrum Angliæ adeptus, cur ſe magnæ Britanniæ Regem nominarit? 1141. *b*. Conſpiratio in eum detecta. 1142. *a*. *b*.
Jacobus Latomus inter horrendos mugitus mortuus eſt. 1079. *a*.
Jacobus Minor, Alphæi filius, quomodo necatus ſit. 509. *b*.
Jaddus V. *Manaſſes*.
Jahelis fortitudo. 31. *b*.
Jareb, Aſſyriorum rex. 50. *a*.
Ibrahim Baſſa, gener Solymanni, contra datam fidem interfectus eſt. 1081. *a*.
Idololat. à Nimr. & Belo filio introducta. 13. *a*. 23. *a*.
Jechonias ab Evilmerodacho carcere exemptus. 94. *a*. Neri vocatus. 94. *a*.
Jeroboami manus quare exaruerit. 99. *b*.
Jeroſolymæ ſecundæ murus ædificatus. 266. *a*. dedicatur. 267. *b*. 268. *a*. Abuſus abrogantur. 268. *a*. *b*. à Bagoſe cur ſpoliata ſit? 300. *b*. Urbis deſolatio. 536. *b*. & ejus duratio. 537. *a*. Ab Adriano Imperatore reædificatur, & Ælia vocatur. 558. *a*. *b*. Ejus duratio. 589. *a*. à Turcis expugnatur. 894. *b*. à Chriſtianis expugnata, LXXXVIII. annos retinetur. 912. *b*.
Jeroſolymitanum excidium ſub Tito Veſpaſiano, & portenta antegreſſa. 533. Urbis obſeſſio & expugnatio. 534. &c.
Jeroſolymitanum templum ſub Juliano apoſtata, ſed miraculo profligatum. 689. *a*.
Jeſuitæ, quando initium ordinis ſumſerint? 1060. *a*. Prohibentur docere Pariſiis. 1106. *a*. *b*. è Regno Galliæ proſcribuntur. 1138. *a*. Et Angliæ. 1137. *a*.
Jeſus Phabetis filius, ſummus Pontifex ab Herode conſtituitur. 457. *a*,
Ignatius Loyola, Societatis Jeſuitarum author. 1060. *a*.
Ignatius, Johannis Evangel. & Apoſtoli diſcipulus, Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſub Trajano, leonibus objicitur. 553. *b*. in ejus corde nomen Jeſu aureis literis inſcriptum invenitur. 554. *b*.
Ignis, à Chaldæis cur pro Deo habitus, & omnibus aliis prælatus, Ægyptii ſacerdotis fraude extinctus. 13. *a*. à Perſis equo albo circumvectus. 13. *b*.
Imagines dejiciuntur, juſſu Leonis Imperatoris. 803. *a*. Eorum cultus damnatur. 827. *b*.
Immireni, Perſiæ populi, Evangelium Chriſti amplexi ſunt. 749. *a*.
Imperator Romanorum recens electus triplici corona inſigniri ſolet. 393. *b*. Cur ſemper-Auguſtus vocetur? 399. *a*. 433. *a*. *b*. & invictiſſimus? 400. *a*.
Imperator, an privatorum etiam bonorum dominus nominari & eſſe poſſit. 979. *a*.
Imperatorum illegitimorum, ſeu Tyrannorum, qui in Occidente regnarunt, appendix. 736. *a*.
Imperia poteſtates à Deo fundatæ; & quare? 9. *a*. aſſurgea occupantium varia exempla. 29. *a*. *b*.
Imperium Germanicum penes quatuor gentes fuit. 360. *a*.
Imperium Germano-Roman. in decem provincias ſeu circulos quando diſtributum ſit? 124. *a*.
Imperium Romanum à militibus venale proponitur. 584. *a*.
Inceſtum cædes ſequuntur. 172. *a*. *b*.
Inquiſitionis officium in Hiſpania inſtitutur. 1033. *a*. Sub Ferdinando I perſecutio atrociſſima. 1089. *a*. *b*.

Intaphernis uxor, cur fratrem, & non maritum, ex vinctis elegerit? 195. b.
Invidia Darii Cyaxaris erga Cyrum. 147. b.
Joachimus, II Electior Brandeb., reformationem religionis, & Ecclesiarum visitationem instituit. 1060. b.
Jocus, quod sæpe calamitatem afferat, exemplo monstratur. 915. a. b.
Jodocus, Marchio Moraviæ, XXXIX Imperator Germanorum, plane ineptus, à Wenceslao Rege Bohemiæ magnis muneribus donatur. 997. a. b.
Johannes Fridericus, Electior Saxon., nascitur cum cruce igneo. 371. b. in prælio contra Carolum V vulneratus & captus est. 1050. b. Post quinquennii captivitatem dimittitur. 1052. b. Mors. 1071. b.
Johannes Evangelista, ex oleo igneo salvus evadens, in Patmum damnatur. 544. a. Quando Apocalypsin scripserit? 544. b. Drusianam vitæ restituit. 548. a. Placide obdormivit. 552. b.
Joh. & Jacobus Apostoli, quare Boanerges vocentur. 71. a.
Joh. Funccius, Theologus quid ante decollationem suam dixerit? 1030. a.
Johannes Baptista, quando conceptus sit? 475. b. Nascitur. 475. b. Officium suum auspicatur, Inchoator N. T. 471. b. in carcerem conjectus ab Herode Antipa. 473. a. Obtruncatur in carcere. 475. b.
Joh. Castellius Henricum IV. interficere conatur, & supplicio digno affectus est. 1137. b. 1138. a.
Johan. Beckius, Wordensis, propter religionem strangulatur. 1075. b.
Johan. della Casa, Archiepiscopus Beneventanus, librum de laudibus Sodomiæ composuit. 171. b.
Johan de Temporibus, Caroli M. armiger, annum ætatis 361 attigit. 923. b.
Johannis Diazii à fratre occisi historia. 1076. a. b.
Johannes Hunniades, Hungariæ Prorex, Heros excellentissimus, cur fulmineus terror Turcarum, & Europæ murus, appellatus sit. 1010. b. Naves Turcarum ducentas capit. 1011. a.
Joh. Hus, vocatus ad concilium, salvo conductu Cæsaris venit. 1005. b. Inauditus, nec convictus, damnatur. 1006. a. 1007. a. Verba ejus prophetica de Luthero ante mortem. 1006. a. b. Ejus Epistolæ. 1007. a. b. Ejus Præceptor Wiclefus. 1007. b.
Johannes Wiclefus, Anglus, Papatum falsitatis arguit. 991. b.
Joh. VIII, Papa Romanus, sed femina. 840. a.
Johannes Smirzius, dum vitæ alienæ studet, propriam amittit. 340. b.
Johan. VI, Constantiensis Episcopus, subito moritur, antea dicens: Ich will sie (die Lutheraner) putzen / oder die Hand Gottes soll mich rühren. 1078. b.
Johannis Mandelscheidii, Episcopi Argentinensis, mors multos in Germania motus excitat. 1137. a.
Johan. Minerii, persecutoris, mors. 1078. b.
Johan. Monachus, ob futurorum scientiam celebris. 719. b.
Iohan. XII. Papa Roman., in amorem diaboli vina bibisse accusatur. 879. a. b. Cum adultera deprehensus, à marito confossus est. 879. b.
Iojakim, Rex Iuda, Babylonem abductus, & sepultura asini sepultus est. 64. b. 65. a.
Ionas, ubi ejectus sit. 39. a.
Jonathan, paucis innumeras copias vicit. 238. b.
Josaphatus, Rex, in angustiis quid fecerit. 39. b.
Josephus, Antiquit. Iud. scriptor, quando opus suum absolverit? 544. b. Vespasiano, cum vinculis injiceretur, quid prædixerit? 524. a.
Josephus, Ægypti prorex, imago boni magistratus. 76. a. Anno XXX ætatis suæ evehitur ad summum fastigium. 191. b.
Josephus Scaliger errat, dum nomen Artaxerxis tantum proprium nomen esse dicit. 276. a.
Josias, bellum Regi Ægypti temeratie inferens, vulnere exstinctus est. 32. b.
Iovianus, XLVI Imperator Rom., in vera religione bene informatus, usque ad vitæ finem perduravit. A militibus, excusante se propter senectutem Sallustio, eligitur ad Imperium, sed illud repudians. 697. a. b. Imperio menses octo cum laude præfuit. 698. a. Deridetur ob pacem (jactura tot provinciarum) factam. 698. b. Symbolum ejus, *Scopus vitæ Christus*. 699. a. Episcopus in exilium à Constantino & Iuliano pulsos restituit. Iudæis & gentibus, ne sacra sua palam exercerent, interdixit. Synodum per Athanasium conscribit. 699. a. Noctu fœtore pruinarum mortuus in lecto invenitur. Ejus sepultura. 699. b.
Iram Dei exsequentes, quare ab ipso rejiciantur? 58. a.
Irenæus, Lugdun. Episcopus. 573. a. Occiditur. 590. b.
Irnerius ICtus, Cancellarius, Imper. Lotharii II, primus legibus glossas apposuit. 921. a.
Isaacus Monachus, quid Valenti Imper. prædixerit. 708. b.
Israelis regnum à Chaldæis & Assyrus infestatum. 47. b.
Israelitarum Captivitas Assyriaca gemina. 51. a. Horrenda Idololatria. 51. b.
Italia, annis CCVI sub XXIV Regibus, in ditionem Longobardorum redacta, permansit. 766. b. Eorum Principes armis decertantes, à Regibus peregrinis, à Papa vocatis, quid commodi traxerint? 49. b.
Ithobales, Tyriorum Rex, victus. 64. a.
Iubilæus Papalis, cur, & à quo sit institutus. 976. a.
Iudæus Catechumenus arena baptizatur. 573. b.
Iudæi, respectu dispersionis, sunt duplices. 536. b. Contumeliose aliquem tractare volentes, Samaritanum vocabant. 51. b. Sub Constantino II Imper. jugum Imper. Rom. excutere student. Sed opprimuntur a Galbo Cæsare. 677. b. 678. a.
Iudices apud Ægyptios jurejurando adstringebantur, se juste judicaturos, quamvis Rex ipse contrarium requirat. 177. b.
Iudicum furacium pœna, apud veteres. 178. a.
Iudith, Heroina. 31. b.
Iulia Imperatoris Severi vidua, privigno suo nupsit. 171. a.
Iuliana vectigalia, Iuliani fasti, Iuliani milites. 416. b.
Iulianus Apostata, XLV Imper. Rom. Cur Idolianus dictus sit. 783. b. Ex destinata malicia à fide Christiana defecit. 684. a. Cur à Nazianzeno chamæleonti comparetur. 684. a. Ejus mores describuntur. 684. b. Eusebio Episcopo Nicomediæ juvenis traditur erudiendus; à Libanio & aliis Ethnicis Philosophis depravatus est, & Græcus literio vocatur. Sedecim annorum puer, nomen inter clericos professus est. 684. b. Ejus conjugium. 685. a. A Constantio Imper. Cæsar creatur. 685. a. Quibus Imperatoribus comparatus sit. 685. a. Ejus acta, cum socium Imperii haberet. 685. a. Et cum solus imperaret 685. b. A militibus cur Augustus vocatus sit. 686. a. Christianos se funditus eversurum minatus est. 686. a. Alexandri M. animam in se migrasse gloriatus est. 686. b. Triplex ejus in statu Ecclesiastico status. 688. a. Simia Christianorum. 688. a. b. Sperans fore, ut Christianos ad gentilitium converteret, à tormentis aliquandiu abstinuit, hostem postea se Christi acerbissimum præstitit. Ejus numisma, SS. Trinitatem cavillans, & pictura. 689. a. Christum mendacii arguere voluit. Verba decalogi

Iogi cavillatus eſt. 689. b. Acta Pilati in ignominiam Chriſtianorum conſcribi juſſit. 690. a. Reſponſio, Legi, cognovi, damnavi. 690. b. Oraculum Apollinis reſtaurare voluit. 403. a. 690. b. Cur Babylam in Daphne luco ſepultum inde aſportari juſſerit. 690. b. 691. a. Templa in fœni receptacula & equorum ſtabula convertere tentavit. 691. a. Chriſtianos omnes deſcribi, & tributum ab eis exigi præcepit. 691. a. Omnes ſceleratos & nequam homines fecit. 691. b. Eorum nomina, in quos tyrannidem exercuerit. 692. a. &c. Prodigia & miracula, eo regnante. 694. a. &c. Salluſtii ad eum verba de Chriſtianorum ſupplicijs. 694. b. Oracula de eventu belli interrogat, & horrenda magica inſtituit. 695. a. Ejus minæ, & Athanaſii vatidica conſolatio. 695. b. Ejus mors præſagitur. 695. b. In expedit. Perſica haſta vulneratus, quomodo Chriſtum moriturus alloquutus ſit. 57. b. 696. a. 689. a. Mors Didymo Alexandrino nuntiata. 114. a. In ejus ſepultura corpus ab igne abſumitur ſubito. 696. b. Ejus avunculorum tragica mors. 697. a. Spectra videt. 234. b.

Julius Cæſar, quid de periculoſis facinoribus dixerit? & Veni, vidi, vici. 296. a. Simulacrum Alexandri M. adſpiciens, cur ingemuerit? 316. b. Bibulum Collegam ſuum in conſulatu repudiavit. 348. a. Quomodo depictus à Gabr. Simeonis? 75. b. Mathematicos in Italiam adduxit. 78. a. Militum fidelitatem incomparabiliter comparavit. 201. a. Ejus, in Paradini ſymbolis, imago. 328. b.

Julius Menſis, unde ſic appelletur? 416. b. 432. a.

Julius Cæſar Scaliger, oculos habuit χαλκοῦς. 464. b. Ejus origo, & encomia. 1015. b.

Julius Pollux, quo tempore vixerit. 578. b.

Julius Nepos, pulſo Glycerio, Imperium in Occidente invadit, & occiditur. 738. b.

Julii III, Papæ, blaſphemia in Deum. 1071. a. & mors. 1072. b.

Juno, Beli uxor. 22. a. Ejus ſtatua aurea in ſacello templi Beli. 30. b.

Jupiter, primogenitus quondam dicebatur. 22. a

Jupiter Belus. 13. b. 21. b. 22. a.

Juris civilis ortus & progreſſus. 920. b.

Jus feudale, quando ſcripto complexum ſit. 930. b.

Jus Saxonicum conſtituitur. 869. b.

Juſtinianus M. LVIII Imper. Rom 753. a. Inſignes habuit corporis & animi dotes. An latinas literas & jura noverit. 754. a. Inſtitutiones Juris per compilatores ſibi oblatas ipſe recognovit. 754 a 755. b. 756. a. b. De Chriſti incarnatione libros ſcripſit. *ibid.* In exercitiis equeſtribus excellunt. 754. a. Ad κακουργίαν ab uxore pellicitur. 754. b. Nobiliſſimi titulum à principibus accipit. A Juſtino Imper. diadema accipit. Cum uxore coronatur ab Euphemio Epiſcopo Conſtantinopolitano. 755. a. Leges ſalutares tulit & reſtituit. 755. b. Quid in Jure condendo præſtiterit. 755. b. &c. Ejus numiſma. 756. b. Aſylorum immunitatem contrahit. 757. a. Progreſſu temporis multis vitiis obſcuravit virtutes ſuas eximias. Latrones in ſummo honore habuit. 757. a. b. Erroneam juramenti formulam, ut ſcilicet per Mariam & Archangelos jurarent, magiſtratibus præſcripſit. Toti orbi ſalutaria bella geſſit. Duces 5 præſtantes habuit. 757. b. Gilimerem Regem per Beliſarium vicit, & in monte quondam trimeſtri ſpatio obſedit. 758. a. b. Beliſario ob devictam & ſibi ſubjectam totam Lybiam triumphum decernit. 758. b. Ejus bella Gothica varia. 759. a. &c. Ejus acta Eccleſ. Legem promulgavit, ut non eſſent Pagani, nec hæretici. Multi ad eum reges veniunt, & ad Chriſtum convertuntur. 760. a. Synodum œcumen. V. conſcribit. 761. b. Templum Sophiæ in honorem Chriſti condidit. 761. b. Sanxit, ut Judæi Biblia non Ebraice, ſed uſitata lingua, ubi vivunt, legant. Sine ſua approbatione quemquam creari Rom. Pontificem noluit. 762. a. Leges Eccleſiaſt. varias tulit. 762. a. b. Privilegia Presbyteris conceſſit. 762. b. 763. b. Opes Eccleſiaſt. Judæis ablatas reſtituit. Legem tulit, ut hæreticorum ſcripta igni traderentur. Moneta ejus cum imagine Chriſti. 763. a. Ejus ſtatua. 763. b. Ejus mors. 764. a.

Juſtinianus II, LXVIII Imp. Rom. 795. b. &c.

Juſtinus I, Imp. Rom. LVII. 750. a. Sub eo clades urbis Antiochenæ. 39. b.

Juſtinus II, Curopalates, LIX Imp. Rom. Illyricus. 765. a. A Juſtiniano Imp. Imperator deſignatus, & poſtea cum uxore Sophia ab Eutychio Patriarcha coronatus. Juſtitiæ ſtudioſiſſimus. 765. b. & tranquillitatis publicæ protector. Manſuetudo ejus mira erga fratrem injuſtè à ſe offenſum 766. a. Ejus acta bellica. Exarchos in Italiam mittit. 766. b. Quibus pulſis, Pontifices Francos attrahunt, qui illis Ravennam cum adjacentibus urbibus tribuunt. 767. a. Judæos in Chriſtianos ſævientes repreſſit. 767. a. b. Dunaam Pſeudo-Moſen interfici jubet. Epiſcopos à Juſtiniano injuſtè ejectos revocat, ſed tandem Pelagiana dogmata amplexus eſt. Cur inſanire cœperit. Tiberium ſuaſu uxoris Imperatorem appellat. 767. b. Ejus Oratio ad Tiberium, & mors. 768. a. Ejus encomium. 768. b.

Juſtinus Hiſtoricus, Xerxis conatus ridet. 341. a. Ejus de morte Alexandri M. error. 733. b.

Juſtinus Philoſophus, ad Chriſtianos cur ſe converterit. 560. b. Martyr factus ſub Antonino Pio. 560. b. 572. b.

Juſtus Jonas. 160. b.

K.

Robtaucio, König. 907. b.

König-Luter / cœnobium, inſtauratum, re & nomine. 923. a.

L.

Labaſſar. 95. a.

Labaſſardach. 95. b.

Labynetus. 93. a.

Lactantius, ex Philoſopho Epiſcopus factus. 648. b.

Laertes, abſente filio Ulyſſe, quid fecerit. 133. b.

Lambertus, de rebus geſtis Germanorum ſcripſit. 914.

Lampares, & Lampraes, & ante illum Lamprides, qui Monarchæ? 37. b.

Loadice, Mithridatis ſoror & conjux, quid fecerit? 28. b.

Laoſthenes, qui Monarcha? 6. b.

Laurentius, Hiſpanus, Diaconus & Theſaurius Eccleſiæ Rom. quomodo Sixtum Epiſcopum Rom. cum ipſe ad ſupplicium ducereur, allocutus ſit. 625. b. 628. a.

Laus de ſe ipſo. Vide, *Gloriatio.*

Legio immortalis, apud Perſas. 131. b.

Leo, ab aſino occiditur. 332. b.

Leo, & aquilæ, Rudolpho mortem portendunt. 1106. b.

Leoni Babylonico cur alæ aquilinæ à Daniele attribuantur? 3. a. Quare & quomodo cor hominis ei datum ſit? 3. b. 4. a.

Leo M. ſive Primus, LIV Imperator Roman. 741. a. Ventris profluvio moritur. 742. b.

Leo Secundus, ſive Junior. 742. b. infans Imperii conſors. 741. b. 742. b.

Leo Tertius, Iſaurus, LXXIV Imperator Rom. Conon dictus. 802. *a. b.* Judæos & Montanos vi coegit, ut baptiſmum acciperent. Imagines & ſimulacra evertit. 803. *a.* Synodum convocat. Crudeliſſime graſſatur in Epiſcopos & Monachos imagines defendentes. *ibid. b.* Ex morbo inteſtinorum moritur. 804. *a.*

Leo Quartus, LXXVI Imper. Roman. 807. *b.* Filius ejus Conſtantinus Imaginum adorationem prohibuit. A conjuge ſua ſe abſtinuit. Templum Dei ſpolians pœnas luit. 808. *a.*

Leonhardus, cogn. Cæſar, Bavarus, propter religionem comburitur. 1075. *b.*

Leonidas, Origenis pater, Martyr. 590. *b.*

Leonides, Rex Spartanorum, 300 militibus 20000 Perſas una nocte proſtravit. 120. *b.* 123. *a.* Ejus ad milites oratio. 243. *b.* 244. *a.* 245. *b.*

Leontius, Philoſophus Athenienſis, filiæ Athenaidi pauca teſtamento relinquit, quia ſplendidam fortunam ex arte ſua eam conſecuturam cognoviſſet. 727. *b.*

Leontius, LXIX Imper. Rom. 797. *b.*

Lepus, infauſtum & mali ominis animal. 203. *a.*

Leſcus, per curſum equorum Princeps Poloniæ electus. 29. *b.* 193. *a.*

Lex nautica, à Nazianzeno laudatur. 229. *b.*

Libanius, Sophiſta, Juliani Apoſtatæ in relig. Ethnica præceptor, quid ſcommatis dixerit in Chriſtum. 695. *b.*

Libellatici, eorumque origo. 627. *a.*

Liber Pater, unde ſic dictus? 187. *b.*

Liber Concordiæ, publicatur. 1102. *b.* 1103. *b.*

Liber Interim. 1067. *b.*

Liberius, Pontifex Roman. à Conſtantio Imperat. relegatur. 682. *b.*

Licinius, *V. Publius.*

Lingua, ad quod officium ſit creata? 57. *a.*

Literæ amicorum, ab aliis lectæ, nocent. 597. *a.*

Literas exenterato lepori, ut eo tutius in Perſiden transferri poſſent, Harpagus inſerit. 116. *a.*

Lithuani, Chriſtianiſmum induunt. 994. *b.*

Longobardi, ob fertilitatem ſoli, Italiæ bellum moverunt. 228. *a. b.* Eorum in Italia regnum, quomodo ad Franciæ reges tranſierit. 811. *b.*

Lotharius I, Rex Lotharingiæ. 838. *a.* Teutbergam uxorem cur repudiarit? 841. *a.* Cur Magiſtratus Romæ mutarit? Filium ſuum Ludovic. Italiæ regem conſtituit. Ejus acta Eccleſiaſtica. A Pontifice & Romanis fidelitatis juramentum exigit. 839. *b.* Ejus conſenſu femina Gilberta Pontifex creatur. 840. *a.* Regna ſua inter filios dividit. Imperium ſponte deponit, & Cœnobium Prumienſe ingreſſus eſt. Ubi ex vivis excedit. 840. *b.*

Lotharius II, Saxo, XX Imper. Germ. 919. *b.* Gradum Doctoratus & Magiſterii in Academias introduxit. Ejus ſymbolum. 921. *a.* Eo vivente, felix & tranquilla Reipublicæ gubernatio fuit. 922. *a.* Acta Eccleſiaſtica. *ibidem. b.* Moritur. 923. *a.*

Lubeca, quando & cur cœperit libera eſſe imperii civitas? 935. *a.*

Lucianus, Presbyter Antiochenus, necatur. 615. *a.*

Lucianus Sophiſta, à canibus laceratur. 553. *a.*

Lucianus Samoſat. quomodo Chriſtum appellarit. 560. *a.*

Lucius, Britanniæ Rex, cum ſubditis in vera Chriſtiana religione inſtituitur. 578. *a.*

L. Vitellius, libertinæ amore victus, ludibrio omnibus habebatur. 34. *a.*

Lucius, Epiſcopus Adrianopolitanus. 682. *b.*

Lucius J. Gallio, Senecæ frater, librum ridiculum in Claudii mortem ſcripſit. 800. *a.*

Lucullus, contra Tigranem vix vigeſimam ejus copiarum partem ducens, victor exſiſtit. 237. *b.*

Ludolphus à Kroppenſtet / ruſtici filius, poſtmodum Archiepiſcopus Magdeburgenſis factus, matrem ad ſe venientem quomodo habuerit? 522. *b.*

Ludovicus Bavarus, XXXV Imper. Germ. 981. *b.* Ejus genealogia. 982. *a.* Defuncto Henrico VIII Imperatore, poſt longam difficilemque ob duos competitores deliberationem, eligitur & coronatur. *ibid. b.* Diadema Mediolani ab Archiepiſcopo ſumſit, & cum uxore Margarita Romæ per Cardinalem Steph. Columnam coronatur. *ibid. b.* Ejus imperii adminiſtratio. 983. *a.* Ejus bella cum Friderico Auſtriaco Anti-Cæſare; quem captum arte magica liberare ſtudet frater. *ibid. a. b.* Cur cum Papa excommunicarit. 984. *b.* 985. *a.* Multi docti eum defendunt contra Papam. *ibid.* Papam creat. *ibid.* Veneno fertur intoxicatus. 986. *b.*

Ludovicus I, Pius, II Imperator Germanor. 831. *a.* Ejus conjugium. 832. *a.* imperii occupatio. *ibid. b.* Primogenitum filium creavit regem Franciæ & imperii ſocium, alterum Aquitaniæ, & tertio titulum Regum Italiæ aſſignat. 833. *a.* Iudices quomodo admonuerit? *ibid.* Haraldo Danorum Regi pulſo Friſiam incolendam dedit. *ibid.* Ejus bella. *ibid. b.* Bernhardum Patruelem rebellantem luminibus orbari juſſit. 834. *a.* Ejus bellum cum tribus filiis. *ibid. b.* Ejus degradatio & contumeliæ. 834. *b.* 835. *a.* Quomodo reſtitutus ſit. *ibid. b.* Ejus acta Eccleſiaſtica. 836. *a.* Ejus teſtamentum, & mors. 837. *a. b.*

Ludovicus II, IV Imperator Germanorum, Lotharii I filius. 841. *b.* Patre in monaſterium ingreſſo, imperium ſuſcepit. *ibid.* Optime imperavit. *ibid.* Ejus laudabile reſponſum ad Papam Sergium. 842. *a.* Injuriam ſibi illatam æquo animo fert. *ibid.* Ejus clementia erga Adalgiſum. *ibid.* Bella contra Saracenos, Normannos, & Adalgiſum ſeditioſum. *ibid. a. b.* Ejus acta Eccleſiaſtica. *ibid. b.* Leo IV Papa ſe ei ſubjicit. 843. *a.* Populi ſub eo converſi. *ibid.* Moritur, nullo hærede maſculo relicto. *ibid. b.*

Ludovicus III, Balbus, VI Imperator German. 849. *a.* Inſcio patre quam ſibi junxerat uxorem, repudiare coactus eſt. *ibid.* Opera & ſtudio Iohannis Pontif. Roman. titulum imperii conſecutus eſt. *ibid. b.* Pauca memoratu digna geſſit. *ibid. b.* Pacis, juſtitiæ & pietatis ſtudioſus erat. *ibid. b.* 850. *a.* Ludovicum filium Regem Franciæ creari juſſit. *ibid.* Ejus mors. *ibid.* Ejus filii Reges ab Epiſcopis creati per annos regnum adminiſtrarunt. *ibid.*

Ludovicus IV, IX Imperat. Roman. communi Procerum conſenſu Imperator eligitur. 858. *a.* In hoc ſtirps Carolina exſtinguitur. *ibid.* Cur à Pontifice Rom. non ſit coronatus. *ibid.* Ejus bella inteſtina varia. *ibid. b.* Contra Hungaros, in Ital. & Germ. irrumpentes, parum feliciter pugnavit. 859. *b.* Ex animi ægritudine moritur. 860. *a.*

Ludovicus Germaniæ Rex, Ludovici I Imperator. filius. 846. *a.* Rex Bavariæ à patre factus eſt. *ibid. b.* Poſtmodum Germaniam diviſione adeptus eſt. *ibid. b.* Ejus bella contra Patrem, Vandalos, Sorabos, Bohemos, atque Sclavos. 847. *a. b.* Ejus acta Eccleſiaſt. 848. *a.* Veram religionem propagare ſummopere ſtuduit. *ibid. b.* Ejus obitus. 849. *b.*

Ludovicus, Rex Hungariæ, in palude oppreſſus, ab equo recidens. 1085. *a.* 1107. *b.*

Ludovicus XI, Rex Galliæ, cur Carolum VIII, filium, literis eruditi noluerit? 329. *a.* Quid filio ſub Carolo conſilii dederit? 230. *b.* Unde tam rigidus juſtitiæ adminiſtrator exſtiterit. 921. *b.* 922. *a.*

Ludovicus XII, Rex Franciæ, perpetrati homicidii veniam flagitanti quid dixerit? 177. a. Iasoni Iurisconsulto quid fecerit. 78. b. Ejus apophthegma. 204. a.
Luna, circa se parasselinas habuit cum alba cruce. 1128. a.
Luporum & Canum furor. 1127. a.
Luthen, cœnobium, re, & nomine instauratum. 924. a.
Lutherus, quando in reformanda religione initium fecerit. 1026. a. b. Initio Iurisprudentiæ operam dedit; postmodum fulmine territus, monachus factus est. 1026. a. Propositiones 95 contra indulgentias Witebergæ publicat. 1026. b. Licentiam Doctorum Theologiæ adipiscitur; postea Theologiæ Doctor renunciatur. 1027. b. Ejus testimonium de Iohanne Hussio. 1006. a. b. 1007. a. Ius Pontificium Witebergæ cur combusserit? 1053. a. Comparet in Comitiis Wormatiæ. *ibid.* & rationem suæ fidei reddit. *ibid.* a. b. A Carolo V proscribitur. *ibid.* b. & in Wartberg clam deducitur. Rursus excommunicatur. 1054. a. sed è Patmo sua redit, Caroli stadii causa. *ibid.* b. Missæ, & Communionis formulam, edit. *ibid.* b. 1055. a. Psalterium Davidis Germanice, librum contra seditiosos, & Epistolam contra Iconomachos scribit. Virginem nobilem in uxorem ducit, & Formam ordinationis Ministrorum instaurat, atque cantionum. 1055. b. Librum contra Zwingl. & Oecolampad. de verbis Cœnæ edit. 1056. a. Ejus Colloquium cum Zwinglio Marpurgi. *ibid.* b. Ejus preces in periculis. 1111. b. Plenam & claram confessionem edidit. 1057. a. In Arce Coburgensi clam sustentatur. Librum de statu Ecclesiæ sub Pontifice Rom. scribit. 1059. a. Biblia Germanica a se translata Witteberg. edit. Genesin enarrare incipit. *ibid.* b. Articulos Smalcaldicos conscribit. 1060. a. Ultima ipsius precatio, & morbus, ac obitus. Cujus mortem belli motus sequuntur. 1067. a. Librum de Libertate Christiana Pontifici Rom. mittit; à quo ut hæreticus proscribitur. Provocat à Papa ad Concilium. Ejus libri publice cremantur. 1053. a. Ejus uxor, quid marito letaliter decumbenti optaverit. 1111. b. Ejus imago saxea in Carinthiæ templo à Friderico I Imperatore exstructo, amplius trecentis annis ante Lutherum. 941. a. Ejus sepulcrum dirui cur noluerit Carolus Quintus. 1045. b.
Lycurgus legem scripsit, ne mulieres in mysteriorum festo curru vehérentur. 723. a.
Lydos cur Musica & artibus ludicris imbuendos esse Crœsus consuluerit. 158. a.
Lysimachus, Agathoclis filius, VII Rex Macedoniæ, Alexandro M. custos corporis fuit. Cur eum Alexander M. leoni obici jusserit, & quomodo leonem exanimavent. Cur Ptolemæi Regis Ægypti filiam in uxorem duxerit. Ejus regnandi libido. In pugna contra Seleucum fortiter cecidit. 347. b.
Lysimachus Philippidi Poëtæ arcana sua detegere volens, quid responsi acceperit. 315. a.
Lysippus, statuarius, cur Alexandrum M. ex ære, supina facie cœlum suspicientem, finxerit? 303. b.

M.

MAchaleus. V. *Mancaleus.*
Machiavelli periculosum consilium. 144. a.
Magdeburgenses Imperatoris nomine à Duce Saxon. Mauritio obsidentur. Soli fere per totam Germaniam docuerunt suo exemplo, quid constantia possit. 1051. b.
Magdeburgensis episcopatus subditis, pecunia numerata, exercitium religionis conceditur. 1060. b.
Magdeburgum, unde nomen habeat? 825. b. In dotem data conjugi Ottonis Imper., privilegiis & libertatibus donatur. 869. b.
Magi, qui incunabula Christi inquisiverunt, non ex lumine naturæ, sed lumine gratiæ Christum agnoverunt. Nam eorum in scholis seminaria quædam doctrinæ cœlestis manserunt 2. a. Unde venerint. 132. a.
Magorum interregnum Persicum. 184. a. per septem menses. 185. a. A Proceribus Regni turbatur. 185. b.
Magistratus, an, & cur, à Deo institutus? & cur hominibus exosus esse cœperit? 9. a. 14. Ejus constitutio, Domino inscio, quomodo apud Hoseam intelligenda? 16. a. An subditos armis ad religionem cogere debeat? 16. b. An in omnibus ei sit obediendum? 687. a. Ejus imago. 75. b. Perpetui annuis cur præsint? 467. b.
Magnentius, Pseudo-Imperator, & Tyrannus. Quomodo Imperator factus sit. Ejus ingratitudo erga Constantem Imperatorem, quem trucidari jubet. Ejus dolosa crudelitas. Fratres suos Decretium & Desiderium Cæsares creat; utque exercitu Hispaniam occuparent, & Gallias tuerentur, dimittit. 675. b. Cum Constantio, fratris mortem ulturo, acerrime confligit. Fugit in Italiam, sed Romæ non intromittitur. Mittit sicarium Antiochiam, ut Gallus à Constantio in Oriente relictus trucidaretur. Vincitur iterum à Constantio bis. Manus sibi ipsi infert. 676. a.
Magophonia, festum Persicum. 186. a.
Mahometes infimæ conditionis homo, cur & quomodo initia Regni Turcici posuerit? Ejus parentes, annus nativitatis, professio. Ejus patria & regressus. 404. b. Cur & cujus opera adjutus, composuerit Alcoranum. 405. b. 789. a. Quomodo tempora mutarit. Ejus imperium quamdiu duraturum sit. 406. a.
Mahumed, Turcicæ impietatis author, armata manu dogmata sua propagare incipit. 788. b.
Mahumetes, Turcarum Imperator, in luxu vivens. 45. b.
Mahumetes II, qualem natum habuerit? 150. b.
Mahumetes III. fil. Amurathis, in Imperio patrem sequitur. 18 fratres occidit cum conjuge sua, ac filio. 1138. a. b.
Majoranus, à Leone I militiæ magister creatus, prope Ravennam Imperium accipit. Vandalos & Afros vincit. 737. b. Trucidatur. 738. a.
Mali sæpissime fiunt boni. 331. b.
Mamelus, Monarcha XVI. 36. b.
Mamalucarum autor, Saladinus. 945. a.
Mamithus Monarcha XIII. 36. a.
Manahem, Rex Israelis, an jure merito à Belocho infestatus sit? 48. a.
Manasses, Iaddi Pontificis summi frater. 319. a. sacerdotio privatus, fit Samaritanus. 319. a. 332. a.
Manasse, propter ostentationem patris Ezechiæ, in captivitatem abducitur. 62. a. b. Etiam Prophetam serra lignea confectum crudelissime necavit. *ibid.* b. Ejus captivitas quando acciderit? *ibid.*
Mancaleus, Monarcha XIV. 36. a. In eo narrandi deficit argumentum. *ibid.* b.
Mandanes, II Rex Medorum, Patri Arbaci successit. 111. a.
Manfredus, Friderici II Imperatoris filius nothus, parentem pulvino necat. 956. b. Conradum fratrem, qui jam imperabat, veneno. Postea tutelam Conradini filii fratris sui suscipit. 959. a. Ejus exitus causa. *ibid.* b.
Manichæorum error detegitur Romæ, & eorum libri comburuntur. 732. a.
Manliana severitas in filium. 155. a.
Manlius Torquatus consul declaratus, oculorum valetudinem quomodo excusarit. 622. b.
Mantuanum Concilium Protestantes adire nolunt 1060. a.

Marchia Brandenburgenſis inſtituta. 864. b. cum dignitate Electorali venditur Burggravio Noribergenſi. 1000. a.

Marchiones ab Henrico Aucupe Imper. Germ. varii inſtituuntur. 864. b.

Marcionis & Baſilidis hæreſis. 560. a.

Marcus Antoninus Baſſianus, XXIV Imper. Roman. 601. a. Varia habuit nomina. *ibid.* b. Heliogabalus dictus. 602. a. Sub eo mulier primum in Senatum admittitur. 603. a b. Zotico nupſit. Proverbium, *Omnia olla.* 603. b. Ejus cœna lignea, cerea, Eburnea, fictilis, marmorea, &c. 604. a. Amictus ridiculus. Ejus inconſtantia & perfidia. Milites prætoriani cur illum trucidarint? 604. b. Ejus ignominioſa nomina. 605. a.

M. Antonius Gordianus III, XXIX Imper. Rom. 620. a. Prudenter imperavit, conſilio Miſitthei, Soceri ſui. 620. b. Sabiniani contra eum factio. 621. a. Ejus converſia cum Philippo imperium ſuſcipiente 621. b. Poſtmodum interfectus eſt. Interfectorum ejus vindicta. 622. a. Ejus ſepulcrum, & inſcriptio. 622. a. Symbolum. *ibid.* b.

M. Aurelius Antoninus, Imper. XVII Rom. cognomine Philoſophus. Duplicem patrem habuit, naturalem & legalem. Ejus appellatio. Ejus acta Academica. Ejus honor erga præceptores. Conjugium. 567. a. Chriſtianos abſolvit. 145. a. Imperii occupatio & adminiſtratio. Sub eo Imperatore Roma duos Auguſtos ſimul pari poteſtate fulgentes habere cœpit 367. b. Dictum. 164. b. Ejus virtutes. 568. a. &c. Ejus patientia ex epiſtola ad Catulum Cenſorium in luctu ſuper morte Veriſſimi filii patet. 569. b. Ejus acta bellica. 570. a. Frater ejus moritur. 570. b. Precibus Chriſtianorum adjutus de Quadis & Marcomannis victoriam reportat. Chriſtianam ejus legionem cur nominarit fulminatricem; Ejus literæ ad ſenatum de Chriſtianis. 571. a. Sub eo quarta perſecutio Chriſtianorum orta eſt in Aſia. 571. b. Ejus ultima verba & mors. 573. b.

M. Aurelius Carus, XXXIX Imper. Roman. 643. b. Erga omnes humanus & amabilis fuit. 644. a. Bella feliciter geſſit. Reſponſio ejus heroica, ad Arſacidæ Perſarum Regis inſolentis legationem. 644. b. In tentorio exſtinctus reperitur. 645. a. Ejus f. Numerianus à Senatu & militibus ad imperium delectus, à factione Arii Apri, ſoceri ſui, necatur. Alter ejus filius Carinus in pugna quadam à militibus deſeritur & occiditur. 645. b.

M. Aurelius Maxentius ipſe Auguſtum ſe appellat. 651. b. 656. a. Ejus libidinoſus amor in Sophroniam, feminam caſtiſſimam. 656. b. 664. b. Cum Conſtantino M. multis prœliis conflixit. 656. b. In Tyberim fugiens perit. 656. b. 665. a.

M. Aurelius Probus, XXXVIII Imp. Rom. 641. a. A militibus eligitur, & à ſenatu confirmatur. 641. b. Optime imperat. 642. a. Bella contra tres tyrannos, & alia maxima feliciſſime geſſit. 642. a. b. Novem hoſtium Reges ad pedes ipſius ſe projicere coguntur. *ibidem.* b. Ejus duellum cum Aradione. Et virtutes. 643. a. A militibus illius pertæſis interficitur in turri ferrata. A relinquis ei tumulus cum laudabili inſcriptione paratur. 643. b.

M. Brutus, quale ſpectrum viderit? 235. a.

M. Cato, trium ſe per totam vitam pœnitere dixit. 187. b.

M. Claudius Tacitus, XXXVII Imperator Romanus. Temperantia ejus in victu & amictu. 640. a. Cornel. Tacitum Hiſtoricum, Parentem ſuum nominavit. & quotannis exemplaria aliquot deſcribere juſſit. 640. a. b. Septembrem cur Tacitum appellarit? De ejus electione Senatus & militum contentio. Roma diſceſſit, cum rumor eſſet, ſe Imperatorem futurum. Cum omnium acclamatione recipitur. Holoſericam veſtem omnibus viris interdixit. 640. b. In expeditione adverſus Barbaros, ſexto menſe Imperii, inſidiis militantibus interficitur. Ejus frater germanus, Florianus, arripit Imperium, quaſi hæreditarium eſſet; ſed occiditur à militibus. 641. a.

Marcus Craſſus, cur Parthis bellum intulerit? Perit miſere, aurumque capiti detruncato infunditur. 167. a.

Marcus Evangeliſta, qua morte perierit? 510. a.

M. Philippus Arabs, XXX Imper. Roman. obſcuris parentibus natus. 622. b. Ejus conſtitutio corporis & animi. Conjugium, & acta ante imperium. Militheum, inclytum Ducem, dolo necat, & erga Gordianum III Imper. ingratus exſtitit. Imperii ejus per fraudulentiam occupatio, & adminiſtratio. 623. a. Bellum cum Scythis, & contra Decium, à militibus ad Imperium electum. Verona à militibus trucidatur. 623. b. Hunc primum ex Imperatoribus per Fabianum Epiſcopum, cum familia ſua, baptizatum fuiſſe, dicitur. 624. a.

M. Salvius Otto, VIII Rom. Imper. 514. b. Conſtans Ottonis moriendi propoſitum, & ultima verba ad milites. Se ipſum interficit. 516. a. Ejus ſepultura. De morte ejus Ethnicorum judicium taxatur. 516. b.

Marcus Varro, Cneio Pompeio Conſuli commentarium de officiò Senatus habendi dedit. 361. a.

M. Ulpius Trajanus, XIV Imper. Rom. natione Hiſpanus. Primus hic ex peregrinis Imperator creatur. 548. b. Uxoris ejus Plotinæ laus. 548. b. 549. a. Adoptatus & Cæſar creatus à Nerva. Ejus imperii præſagium. 549. a. Omen felicis gubernationis. 549. b. Ejus imperii felix adminiſtratio. Ejus virtutes. 550. a. &c. Conſtans ejus & admiranda amicitia cum Sura. Unde Germanicus dictus ſit. Ejus acta bellica. 551. b. Iudæos ſeditioſos bis domuit. Acta Eccleſiaſtica. 552. b. Chriſtianos perſequitur. 553. a. Cur mitior in Chriſtianos poſtea factus ſit? Ejus edictum de Chriſtianis taxatur. 554. a. Viri docti, eo regnante. Ejus mors. 554. b. An per preces Gregorii Papæ Romani ex inferno liberatus, in cœlum tranſierit. 555. a.

Mardochæus, typus Chriſti. 271. b.

Mardonius, Xerxem contra Græcos cur animaverit? 225. b. Egregium aſſentatoris aulici exemplum. 225. b. 226. a. Interficitur. 229. b. 249. b.

Maria, diva mater, & virgo, nata. 456. a. denata. 496. a.

Maria, Moſis ſoror, cur lepra percuſſa? 56. b.

Maria Scota. 1132. b.

Maria Angla. 1141. b.

Maria Medicæa. 1140. b.

Marianus Scotus, hiſtoricus. 914. a.

Marinus, martyr. 630. a.

Maris mortui mirabilem naturam perſcrutatur. Flav. Veſpaſianus. 525. a.

Marius Conſul, primus aquilam in vexillo uſurpavit. 83. a.

Mars, bellorum præſes. 35. a.

Martini Forbiſſeri navigatio in ſeptemtrionales regiones. 1129. a.

Martianus, LIII Imp. Rom. humili genere ex Thracia natus. 739. a. A Pulcheria ad conjugium invitatur, hoc pacto, ut juramento confirmaret, ſe virginitatem ipſius intactam eſſe conſervaturum. 739. a. b. Qua occaſione & conditione Imperium adeptus ſit. 740. a. Ejus gratitu-

gratitudo erga benefactores, & conſtantia in promiſſis erga Regem Vandalorum. 740. *a b.* Concilium Oecumenicum IV Chalcedone Bithyniæ cur inſtituerit? Ejus Mors. 740. *b.*

Martinus Bucerus, Theologus, Luthero familiaris. 1028. *b.*

Martinus, Epiſcopus Turonenſis, moritur. 726. *b.* Ejus oratio in periculoſo morbo. 1111. *a. b.*

Martyrium quinque virginum ſub Trajano. 553. *b.* 554. *a.* 1500000 Chriſtianorum ſub Carolo V. 1074. *b.* V. *Tyrannus.*

Maruthas Epiſcop. filium Regis Perſiæ à dæmonio liberat. 731. *b.*

Maſeſcerus, adverſus Gildonem ad recuperandam Africam miſſus, quale ſomnium habuerit? 114. *a.*

Maſſagetæ, ſtirps Gothorum. 162. *b.*

Maſſilia, unde ſic dicatur? 160. *b.*

Matrimonia inter *inæquales*, an conducibilia. 114. *b.*

Mauri cum *600000* hominum in Hiſpaniam tranſeunt. 945. *b.*

Mauritius Cappadox, LXI Imp. Rom. 771. *a.* Primus ex Græcorum genere in imperio confirmatur. Initio fuit glorioſus, ſed tandem calamitoſus factus eſt. *ibid. b.* Ejus virtutes. Cur nocte conſilium capere ſolitus ſit. 772. *a.* Avaritia eum vita & imperio exuit. 772. *b.* 776. *b.* 777. *a.* Pius & religioſiſſimus fuit. 776. *a.* Ejus ſomnium. *ibid. b.* Cum tota familia occiditur à Phoca. 777. *a. b.*

Mauritius, Dux Saxon., Auguſtam capit. 1052. *a.* Oenipontem venit, & inducias facit. *ibid. b.* Miſniæ tres Ludos inſtituit. 1060. *b.* Saxoniam & Haſſiam invadit. 1067. *b.* Iubet conſcribi Confeſſionem Eccleſiarum Saxon. 1071. *b.* Erga delatores quomodo ſe geſſerit. 262. *a.*

Mauritius, Princ. Auraicus, Wilhelmi filius, ab Ordinibus Fœderatis Gubernator, ac maris ſummus Præfectus, conſtituitur. 1032. *b.* Ejus victoria contra Albertum, Rudolphi fratrem. 1138. *b.*

Maxilla cum dentibus, ex uno oſſe conſtans. 257. *a.*

Maximilianus I, XLIV Imper. Germ. 1019. *a.* Cur à Pontifice Romano coronari noluerit? 1020. *b.* Ejus cordata dicta. 1021. *b.* Militum rapacitatem acerrime punit. 1022. *a.* Ejus manſuetudo in aulicum nummos aureos ex poculo pone Imperatorem clam auferentem. *ibid. b.* 1023. *a.* Symbolum ejus ex quinque vocalibus compoſitum. 1034. *a.* Ejus magna prodigalitas. 1024. *a. b.* Nimia curioſitas. 1024. *b.* Captus fuit Brugis à ſubditis ſuis. 197. *a. b.* 1025. *a.* Cur arcam ligneam toto biennio ante mortem ſecum circumvectaverit. Moritur. 1028. *a.* In ſummo periculo mirabiliter conſervatur. 1031. *b.*

Maximilianus II, XLVII Imper. Germ. Mariam Carol. V filiam conjugem habuit. 1091. *a.* omnia dignitatum faſtigia brevi temp. attigit, religioſiſſimus; in bello contra Turcam fortis. 1092. *b.* 1093. *a.* Ejus pax cum Selimo. 1094. *a.* Sub ipſo bellum Grumbachianum oritur. 1094. *a. b.* Alit Paſtorem Evangelicum. 1095. *a.* Non vult conſcientiis dominari. 81. *a.* 1095. *a.* Sub ipſo Auguſtana confeſſio floruit. Et perſecutio. 1096. *a.* Ejus ætas, obitus, epitaphia. 1099. *a.*

Maximinus Iunior, à Galerio Maximino avunculo ſuo Cæſar creatus, & Orienti præfectus eſt. 612. *a.*

Maximinus Thrax, XXVI Rom. imper. barbaro patre oriundus. 191. *b.* 612. *a.* Libras carnis XL aut etiam LX comedit uno die. Sudores in calicibus excipiebat multos. Ejus conjugium. 612. *a.* Ejus filius formoſiſſimus, & ſuperbiſſimus, Maximinus minor. Paſtor prius fuit in Thracia. Tyrocinia belli ſub Severo Imp. Ejus admirandum robur. 612. *b.* Per ſeditionem & tyrannidem venit ad imperium. Ejus ingratitudo erga Alex. Severum Imper. Imperii adminiſtratio. Grudelitas maxima. Ejus cognomina infamia. 613. *b.* Militaria acta. Germaniam vaſtat. 614. *a.* Eccleſiæ perſecutor fuit. Mandavit, ut acta Pilati in ſcholis prælegerentur. 614. *b.* A militibus cur & quomodo ſit occiſus? 615. *b.* Ejus infamia poſt mortem. 616. *a.*

Maximus Pupienus, XXVIII Imp. Rom. genere ignobilis, cum Clodio Balbino eligitur. 618. *a.* Imperii adminiſtratio. *ibid. b.* A militibus quomodo & cur occiſi ſint? Eorum elogium. 619. *b.*

Maximus, Imper. Rom. illegitimus. 736. *a.* Qua occaſione imperium arripuerit? 734. *a.* 736. *a.* Eudoxiam Valentiniani uxorem vi compreſſam turpibus nuptiis ſibi copulavit. *ibid.* Garrulitate ſua ſibi ipſe mortem cauſat. Ejus tragicus interitus. *ibid. b.*

Maximus, Epiſcopus Taurinenſis. 731. *b.*

Medicina, ſine cœleſti favore irrita ac noxia. 1126. *b.*

Medorum Reges, poſt diviſam Monarchiam Aſſyriac. enumerantur. 109. *a.*

Melchior Canus, Ieſuita, refutatur, quod ſtatuerit, nomen Ahaſueri eſſe proprium nomen. 196. *a.*

Meleager, IX Rex Macedoniæ. 348. *b.*

Memnon, Regiæ Cyri domus exſtructor. 153. *a.*

Memoria admiranda prædicatorum exempla. 491. *a.*

Menonis conjux, Semir.; filii, Iapetes & Idaſpes. 28. *a.*

Mergis, id eſt, Smerdis. 187. *a.*

Merodachus, Monarcha XLIV, varia habuit nomina. 60. Ejus idolum. 61. *b.* Legatio ad Regem Iuda. *ibid. a.* Totam Aſſyriam ad Babylonios tranſtulit. 59. *a.*

Metaſthenis error. 93. *b.*

Micypſæ apud Saluſtium oratio, Septimio Severo cui uſui? 586. *a.*

Medianitæ ſomnium pro Gideone. 114. *a.*

Meletii & Novati hæreſis. 669. *b.* 671. *a.*

Militaris diſciplina in quo conſiſtat. 236. *b.*

Milites immortales Perſarum. 121. *b.*

Militibus antiquorum nihil impervium. 256. *a.*

Minutius Felix, Dialogum hominis Chriſtiani & Iudæi ſcripſit. 590. *a.*

Miracula mundi ſeptem. 153. *a.*

Miſithei, Gordiani III. Imp. Soceri, triumphalis currus & tituli. 621. *a.* Ejus fraudulenta mors. 621. *b.*

Miſna ad Albim contra Slavos ab Henrico Aucupe conditur. 165. *a.*

Mithridates, Ponti atque Bithyniæ Rex, ſeptem annos continenter in ſylvis venatur. 87. *a.* XXII. gentium linguas percalluit. 328. *b.*

Mitræus, Monarcha XXVII, Soſarmo ſucceſſit. 38. *a.*

Moabitarum Regis Epitaphium. 58. *a. b.*

Mœnia Semiramidis, proverbium. 30. *b.*

Monachatus origo, ſub Decio Imp. 626. *b.*

Monarcha primus, Nimrodus. 7. 8. 14. *a.* Secundus, Belus. 21. *a.* Tertius, Ninus. 14. *a.*

Monarcharum Perſicorum numerus. 126. *a. b.* 849. *a.* Regia ſedes. 128. *a.* Eorum inſtituta. 128. *b.* 129. *a.* Eorum familiæ duæ recenſentur. 182. *a.*

Monarchia quid ſit, ſecundum Politicos & Theologos. Spiritus S. quatuor Monarchias appellat πεμπαπολείας Sic & quartam Pompeius. 398. *a.* Quare nulla unquam omnibus populis mundi imperaſſe legatur, cum tamen vocentur imperia catholica. *prolegom.* Ejus nomen & duplex notatio. *prolegom.* & 14. *a. b.* Deus eſt, qui Rex πανπρακτωρ. *prolegom.*

Monarchiæ fatales ſuos terminos quare habuerint? *prolegom.*

legem. Quem & qualem unaquæque obtinuerit. *prolegom.* & 102. *a. b.* Earum quantitas & ordo. *prolegom.*
Monarchia prima triplici nomine indigitatur. 1. *a.* 9. *b.* 26. *a.* Apud Danielem duplici viſione adumbratur. 2. *a.* Ejus duplex ſtatus. 2. *b.* 3. *b.* Quo tempore cœperit. 9. *a. b.* Duas præcipuas regias aut metropoles habuit. 6. *b.* 46. *a.* Ejus terminus à Deo conſtitutus. 91. *a.* Quo anno deſierit? 34. *a. b.* 46. *b.*
Monarchia II. quæ Medo-Perſica vocatur. 118. *a.* Quare per typos adeo diverſos repræſentetur à Daniele. 123. *b.* Ejus ortus. 123. *b.* 125. *b.* Quare per arietem duo tantum cornua habentem præfiguretur, cum pluribus regnis conſtiterit? 123. *b.* Ejus Reges qui & quot fuerint? 126. *a. b.* 127. *a.* Familiarum deſignatio. *ibid. b.* Regia Sedes. 128. *a.* Inſtituta. 128. *b.* 129. *a.* Sepulcrorum ſituatio. *ibid. b.* Inſignia. 131. *a.* Per Magos regnata. 184. *a.*
Monarchia tertia, cur vocetur Græca, vel Macedonica. 302. *a.* Quæ poſt Alexandri M., primi ejus Monarchæ, obitum dividitur. 336. *a.* 308. *b.* De ejus ortu, progreſſu. 307. *b.* 308. *a.* & egreſſu. *ibid.* De ejus generali deliniatione. *ibid. b.* Ejus quadruplex interitus. 309. *a* Quamdiu ſteterit. Ejus Monarcharum Catalogus. 309. *a. b.* 310. *a.* De ea locus Danielis explicatur. 336. *b.* Ejus diviſor quis fuerit. 338. *b.* 337. *a.* An Monarchia vocanda? 338. *a. b.*
Monarchia IV. quæ eſt Romanorum duplici inſignitur nomine. 396. *a.* Ejus præfiguratio in duabus Danielis viſionibus. *ibid. b.* Ejus fundator Iul. Cæſar. 398. *a.* 419. *b.* &c. Sanguine multo fundata eſt. 398. *a.* Sub ejus initio Meſſias venit in hunc mundum, rediturus ſub ejus fine. 398. *a. b.* 401. *a. b.* 403. *a. b.* 407 *b.* Quando terrea fuerit, & quando ferrea? Occidens quando ab ea avulſus, orientale imperium quando amiſſum? 399. *a.* In decem regna diviſa fuit. 399. *b.* 404. *b.* An ſit revera quartum illud regnum apud Danielem? 400. *a. b.* 407. *a.* Cur beſtiæ magnæ, horrendæ & robuſtæ imagine depingatur. 403. *b.* 404. *a.* Ejus delineatio. 411. *b.* Imperatorum catalogus. 412. &c.
Morbus Epidemicus fere totum terratum orbem peragravit, quo Romæ 40000 homines uno tempore infecti fuere. 1126.
Μορὸν vocabulum, quid denotet. 91. *b.*
Moſci ab idolomania Ethnica convertuntur. 889. *b.*
Moſes Cretenſis, qui finxit, ſe illum eſſe, qui Iſraelitas per mare rubrum deduxerit. Diſparuit tandem. 732. *a.*
Moſis vaticinium de exercitu Romano in ſimilitudine aquilæ. 83. *a. b.*
Mortuorum ſepulchra quare non ſint violanda. 224. *a.* 252. *b.*
Muleaſſes, Tuneti Rex, centum aureos nummos ad unius pavonis condimentum impendit. 44. *a.* 484. *a.* Odore unguentorum agnitus captusque. 44. *a.*
Mulier, ſub Heliogabalo primum in ſenatum admittitur. 603. *a.* quinquagenaria, an parere poſſit? 942. *b.*
Mulieres Perſicæ, viros fugientes quomodo increpaverint. 116. *b.* 157. *a.*
Mulieres quandoque viris prudentiores eſſe exemplis demonſtratur. 100. *a.* malæ quomodo vocentur ab Hieronymo? 704. *a.*
Mulus, id eſt, Cyrus. 150. *a.*
Murus Jeroſolymæ, cum ſolennitate dedicatus à Nehemia. 267. *b.*
Muſica, quæ in conſonantiis progreditur, quando inventa ſit. 805. *a.*
Mucius Scævola, cur ſibi ipſi manum aduſſerit? 243. *a.*
Mylitta, Babyloniorum Dea. 81. *a.* 98. *a.*

N.

NAbonazar, Rex Aſſyriorum. 50. *b.*
Nabuchdonoſor I, Monarcha XLVI, varie appellatur. 62. *b.*
Nabuchdonoſor II, Monarcha XLVII, cognomento magnus. Quare interdum Nebucadnezar, interdum Nebucadrezar, in Scripturis vocetur. 63. *a.* Plurima geſſit bella. Hercule præſtantior habitus. Malleus univerſæ terræ. 63. *b.* Tyrum & Peluſium vicit. 64. *a.* Jojakimum Judæ Regem perfidum captivum ducit. 65. *a.* 66. *b.* Furore correptus quid Chaldæis prædixerit. 150. *a.*
Narciſſus, Epiſc. Hieroſolym. in deſerto aliquot annis latet. 590. *b.*
Narſes, VII Rex Perſarum, quamdiu regnum adminiſtraverit? 57. *b.* V. *Arſes.*
Naves, ut Arca Noach, totum terrarum orbem circumnavizavere. 1079. *b.*
Nazianzenus, quid de Juliano Apoſtata dixerit per conjecturam. 684. *a. b.*
Nebo, quid ſignificet? 50. *b.*
Nebuchdonoſor. Nebucadnezar. Nebucadrezar. V. *Nabuchdonoſor.*
Nehemias pincerna Ieroſolyma mittitur. 265. *a. b.*
Nepotianus, Conſtantini Imper. ex ſorore nepos, occiſo Conſtante, arripit Imperium, ſed occiditur ab Heraclide, factionis Magnentianæ fautore. 675. *b.*
Nero. V. *Claudius Tiberius.*
Nero falſus, à Parthis acceptus, & à Calphurnio occiſus. 189. *b.*
Nerva Cocceius, XIII Rom. Imper. ex Sabinorum familia nobili oriundus. Invitus & coactus imperium ſuſcepit. 546. *a.* Ejus imperii adminiſtratio. *ib.* Virtutes. 546. *b.* 547. *a.* Conjuratoribus ſuis quid fecerit? Æquitas ejus ſumma. 547. *a.* Cur Ulpium Trajanum in filium adoptarit? 547. *b.* Acta eccleſiaſtica. Stomachi dolore mortuus eſt. Ejus elogia. 548. *a.* Mortuo eo, cur Imperium ad peregrinos pervenerit? 549. *b.*
Neſtorius hæreticus, in prima ſua ad Epiſcopatum Conſtantinopol. inauguratione, quid ad Imperator. Conſtantin. M. dixerit? 668. *a.* Quid docuerit. 730. *b.*
Neſtorianæ hæreſeos origo. 731. *b.*
Nicanor, Demetrii I Dux, quid juraverit contra Domum Domini. 388. *b.*
Nicenum Symbol. quemadmodum primo Niceæ in Bithynia conſcriptum? 670. *b* œcumenicum à Conſtantino M vocatur. 668. *a. b.* duratio. 673. *b.* per Arianos inſtitutum aliud in Thracia. 679. *b.*
Nicephorus Phocas, Imp. Or., ex nimia ſecuritate vitam amittit. 429. *b.* Irene Imperatrice depoſita imperium Rom. arripit, & VIII ann. IX menſ. imperat. Ejus caput amputatum cruci affigitur. 810. *b.*
Nicetas, homo rudis, quomodo ad Epiſcopatum pervenerit? 806. *b.*
Nigidius Figulus, Senator & Aſtronomus inſignis, Octaviano Cæſari jam nato ſummum Imperium prædixit. 432. *b.*
Nimrodus, filius Chuſi, nepos Chami, cur à Moſe ſecorſim poſitus? 1. *a.* Monarchiæ originem ab eo traxerunt. 7. *a.* 14. *a.* Babyloniæ Saturnus primus vocatur. 7. *a. b.* Pater Jovis Beli. 24. *b.* Duodecim ulnas longus. 8. *a.* Venator potens coram Domino. 8. *b.* 9. *a.* 12. *b.* Turris Babyloniæ extruendæ autor. 10. *b.* 13. *a.* Cur amarus Dominator dictus? 7. *b.* Ejus ſedes, & urbes conditæ. 9. *b.* 10. *a.*

9. b. 10. a. 79. b. An ædificaverit urbem Niniven. 11. b. Principes colonarum huc illuc cum exercitu misit, primus ipsi belli author. 12. b. Ecclesiæ Idololatricæ author. 13. b. Ruina turris Babylonicæ vento disjectæ oppressus. 13. b. Quamdiu regnaverit. 14. a. An laudandus, vel vituperandus? 14. b. 15. a.
Nimrodi nomen quater legitur. 7. a. etymon. 7. b. 8. b.
Ninive, metropolis regni Assyriaci. 12. a. Cur & à quo condita. 11. b. 12. a. 24. b. 25. a. Quantum distiterit Jerosolymis. Ejus magnitudo & mœnia. Cur à Jonâ proph. civitas Dei vocetur. 25. a. à Cyaxare Medorum Rege evertitur. 80. a. 112. a.
Ninus, tertius Monarchiæ primæ Rex, quo anno patri Belo successerit. 24. a. An sit Assur. ibid. b. Ejus uxores. 25. a. Babylonicum regnum cum Assyriaco conjunxit. ibid. b. In Assyria Niniven sedem Monarchicam fixit. 26. a. Ninivem absolvit. 12. a. 25. a. Ardentius bella gessit, quam antecessores. Idola & statuas introduxit. Patri defuncto divinos deferri honores jussit. 20. a. Quando mortuus. 27. a. Ejus Epitaphium à Semiramide positum. 27. b.
Ninus, civitas, Ptolemæo, & aliis. 24. a.
Ninyas, Monarchiæ I. Monarcha V. 33. b. Quamdiu regnarit. 34. a.
Nitocris Labyneti uxor. 93. a. b. Mirabilia de ea recensentur. 93. b.
No, urbs Ægypti regia, vastatur. 53. a.
Nobilitas, quæ præstantior. 1001. a.
Nomina regum, quando Imperii administrationem susceperunt, fuerunt immutata. 257. b. fatalia. 142. b.
Nomina ante nativitatem imposita. 150. b. 151. a.
Nominum impositio, quale sit signum? 70. b.
Nomothetæ Babyloniorum. 22. b.
Notæ genitivæ quarundam personarum. 371. a.
Novati controversia. 669. b. 671. a.
Numburgum ad Salam, à Carolo M. ædificatur. 820. a.
Numerus septenarius, Magnatibus fatalis. 57. b.

O.

OBlivione in senio laborantium exempla. 596. a. b.
Occasio arripienda. 523. a.
Ochus, VIII Rex Persarum. 297. b.
Ocrazapes, XXXVI. Monarcha. 39. a.
Octavianus Cæsar Augustus. II. Roman. Imperator. 432. b. Notæ illius genitivæ. 371. b. Quando & unde Augustus dictus sit? 433. a. b. 448. b. 459. a. b. Ejus uxor Livia Drusilla castitatis speculum. 435. a. b. Moderatus in victu & vestitu erat. 436. b. Ejus acta academica. 437. a. b. Symbolum. 180. b. 439. b. 450. b. Ejus Præceptor Athenodorus Philosophus, ab eo discedens, quale præceptum ei reliquerit. Libros de vita sua conscripsit. Quid hæredibus suis scripserit. 437. b. Ejus comites erant docti. Inter Virgilium & Horatium sedens quid dixerit. 438. a. Quomodo Mecænatis, familiaris sui, stylum lascivientem irriserit. 438. b. Anno XIX ætatis è schola ad regnum transit. 440. a. Quomodo regnarit. 440. a. 441. b. De ejus futuro regno præsagia. 440. a. Consulatum petit. Decies ter consul fuit. Ultimus ejus consulatus incidit in nativitatem Christi. Ejus Trium-viratus cum Lepido & Antonio. 440. b. Interfectores Julii Cæsaris persequitur. Cur Lepido bellum intulerit. Ejus Duum-viratus cum Antonio. Ejus Monarchia, victo Antonio. 441. a. Ejus Tribunitia potestas perpetua. Pacato mundo, Templum Jani bis claudit, seque ad gerendam rempubl. convertit. 441. b. 448. b. Leges corrigit. Vestiarias tulit. Adulteros ad capitale supplicium primus damnavit. 442. a. 452. b. Venalitatem Magistratuum prohibuit. Calendarium emendavit. 442. b. Ejus acta judicatoria. Quid de infanticidio Herodis dixerit? Pollionis crudelitatem erga servum quomodo reprehenderit? 443. b. Acta vindicatoria. 444. a. Ejus mira clementia erga Cinnam. 444. b. & Caracotam. 260. b. 444. b. Acta militaria pecuniaria. 445. a. Frumentaria & mechanica. Pantheon templum, quod jam Maria rotunda appellatur. Ejus numismata. ibid. b. Annuli signatorii figura. 448. a. Quinque bella civilia, & duo externa gessit. ibid. a. b. &c. Ejus tributi impositio & triumphi. 448. a. Ejus encomia. ibid. b. Augustam urbem in Hispania condidit. Ingentem cladem in Germania per Quintilium Varum accepit. 449. a. Qua ante se natum examinarit. ibid. a. b. Ejus magnæ virtutes. Liberalitas ejus erga Anton. Musam eum sanantem Ejus Sororis liberalitas erga Virgilium *Romanorum lateritiam accepi, marmoream relinquo*, dixit. In dictis & factis sapiens fuit. 450. a. Ejus de Thracum rege, proditore, judicium, item de Alex. M. ibid. b. Ejus responsum, Antonio, eum ad duellum provocanti, datum. ibid. Ejus de vestibus superbis judicium. 297. b. 450. b. 451. a. Otiosos odit. Quomodo filios suos populo commendaverit. 451. a. Erga Æmylium Ælianum clemens fuit. Mansuetudo & patientia erga Timagenem Historiam male de ipso scribentem. ibidem b. Qua gravitate ignotum periculum vitæ evaserit. 197. a. Se ipsum punit, quod leges à se latas non servarit. De corvis ejus salutatoribus. 452. a. Amicos suos valedixit. Ejus mira gratitudo erga militem in in jus vocatum. 452. b. Ajacem Tragœdiam scripsit. Ejus locus cum adolescente eum oris similitudine referente. 453. a. Græculo epigramma ipsi offerenti quid fecerit? ibid. b. Dominum se vocari prohibuit. 402. b. Patriæ Pater in nomine totius Reipubl. salutatus lacrymas spargit. 454. a. Ejus vita. ib. a. b. Quomodo eum Athenodorus ab adulterio absterruerit, ib. b. Ejus mors, verba novissima. Responsum Delphicum de ejus successore. 402. b. 458. a. Sepultura, Testamentum 455. a. b. Acta ejus ecclesiastica ante Christi nativitatem 456, a. &c. & Christo nascente, & nato. 458. a. &c. Aram primogeniti Dei exstruxit. 402. b. 458. a. Ejus moneta argentea. ibid. Regnavit 56 annos. 459. b. Regnum Herodis, Rege mortuo, in Tetrarchias divisit. 463. a.
October, à Flav. Domitiano vocatur mensis Dominitianus. 542. a. b.
Odenatus, Rex Palmyrenorum, in vindictam Valeriani Imp. Persis bellum indixit. 632. a.
Odoacer, Rex Herulorum, Augustulum deposuit, & Imperio occidentali finem imposuit. 142. b. Qua occasione Rex Italiæ proclamatus sit. 738. b. 739. b.
Oedipus Thebanus, patrem suum interficit, & ex matre tres liberos procreat. 171. a.
Oliverius, Regis Galliæ Cancellarius, cur in tam miserabili desperatione mortuus sit? 1090. a. b.
Olympias, Alex. M. mater, fratrem ejus Aridæum cur occidi jusserit? 339. a. 341. b.
Olympius, Arianus in Africa, blasphemias in SS. Trinitatem vomens, tribus igneis fulmineis jaculis percutitur. 749. a
Ophraganeus, Monarcha XXXVI. 39. a.
Ophratæus, Monarcha XXXV. 38. b.
Opilius Macrinus, ortu vilis & ignobilis, XXIII Imperator Roman. 598. b. Novus terræ filius, & Fortunæ pila-

pila. 599. a. Antoninum Caracallam, Imperatorem ſuum, dolo occidi curavit, & ſic imperium occupavit. Cur ſe Severum & Pertinacem nuncupari voluerit. 599. b. Ejus virtutes & vitia. 600. a. b. Interficitur à militibus. 600. b. 601. a. Cum filio ejus Diadumeno, non abſque contumelia. *ibid.*

Oppianus Cilex, inſignis Poëta, Cynegetica & Haleutica ſcripſit. 596. b. Quid pro dedicatione acceperit. 597. a. 610. b.

Optio ſaniſſima, quæ ad Dei voluntatem; eaque vitæ regula. 1108. a.

Oracula, quando deſierint. 402. b.

Oraculi Delphici, de muris ligneis Athenienſibus dati, explicatio. 242. a. b.

Oroëtes Perſa, quid fecerit. 195. b.

Oratio Chriſtiani, qualis eſſe debeat? 1108. b.

Oratio militaris, ante pugnam, Conſtantini M. 664. b.

Oreſtes, Nepote à ſe ejecto, Imperium arripit, illudque filio ſuo adhuc puero tradidit. Interficitur ab Odoacro, Herulorum Rege. 738. b.

Origenes Bibliorum volumen in VI columnas diſtinguit. 611. a. Cur libellaticus factus ſit? 627. a. Alexandriæ aperit ſcholam Chriſt. ac ſe ipſum eviravit. 590. a.

Orontis Apophthegma de Regum gratia. 278. a.

Oropaſtes, i. e. Smerdis. 184. a.

Oroſius, Presbyter Hiſpanus. 727. a.

Oſtenda, ab Ambr. Spinola expugnatur. 1141. b.

Othomannus; quomodo nominari voluerit? 40. b.

Otten-ſund, unde nomen. 873. b.

Otto cum telo, quis? 981. a. b.

Otto I, cognom. Magn. XII Imp. Germ. 867. b. *Amor mundi* dictus. 868. a. Magnificè & opipare vixit, à parente ſucceſſor declaratur. 868. b. Ejus unctio & coronatio Aquisgrani peracta. 868. b. 869. a. Coronatur à Papa Romæ. 869. a. b. 876. a. Ejus virtutes. 869. a. b. Clementia erga fratrem ſeditioſum. Ludolphum filium Imper. conſortem & ſucceſſorem eligit. Ottonem quoque declaravit Regem & ſibi ſucceſſorem. 869. b. Wenceslaum Regem Bohemiæ creat; quod ille detrectat. 870. a. Semper hoſtes habuit, & bella geſſit varia. 870. b. &c.

Octo legiones ex variis nationibus in patentis campi planiciem prope Auguſt. Vindelic. convocat. 872. a. b. Regulos Hungarorum tres cepit. 873. a. Sclavos ad internecionem pene delevit, & bona illorum militibus dedit. 873. b. 174. a. Epiſtola ſagittæ, una cum annulo, tabellarius alligavit, & intento arcu in arcem, ubi Atho cuſtodiebatur, tranſmiſit. 175. a. Benedictum Pontificem cur exilio mulctarit. 876. a. b. Græci Imperatoris perfidiam ulciſcitur. 877. b. Ejus acta Eccleſiaſtica varia. Danos qua occaſione ad Chriſtianiſmum recipiendum coëgerit? 878. a. Populi multi ſub eo converſi. *ibid.* b. Epiſcopatus fundavit. 879. a. Moritur. 880. a.

Otto II, XIII Imp. Germ. 881. a. auctoritate Patris inſignia Imperii accipit. Paternæ virtutis æmulus. *ib.* b. Ejus manſuetudo heroica erga Biſetulaum, filiam ſuam rapientem, & juſticia in Geronem comitem mortuum, & varia ejus bella. 882. a. In magno periculo eſt, ſed beneficio Græcæ linguæ evaſit. 883. b. Ejus conſilium crudele magis quam laudabile contra Principes Italiæ ſeditioſos. 883. b. 884. a. Cur Pallida mors Saracenorum ſit dictus. *ibid.* a. Mortis ejus cauſa, & mors ipſa. 884. b. 885. a.

Otto III, XIV Imperat. Germ. cur Puer ab Italis appellatus ſit. 885. a. Ejus Præceptores. 885. b. Cur uxorem ſuam vivam cremarit? 886. a. 887. a. A Parente, ſucceſſor declaratur. 886. a. Cur *Mirabilia mundi* dictus ſit. *ibid.* a. b. Decretum fecit conſentiente Papa, ut jus eligendi Imperat. apud ſolos Germanos ſit. Ejus veſtis pretioſiſſima. *ibid.* b. Ejus animadverſio in Creſcentium ſeditioſum. 887. b. 888. a. Pacificatio ejus cum Romanis. Antipapam naſo & oculis privat. 889. b. Romæ in diſcrimen capitis venit, ſed induſtria Hugonis evaſit. 888. a. b. 889. a. Per chirothecas veneno tinctas, eique à Creſcentii vidua miſſas, exſtinguitur. *ibid.* Sepulcrum Caroli M. effringens, & ſpolians, pœnas luit. 224. b.

Otto IV, XXV Imp. Ger. Suaſu Papæ eligitur, & coronatur. 946. a. b. Occiſo Philippo autem, juxta eorum pactum. 946. b. In Imperio confirmatur. 947. b. Nihil temere ac inconſulto, ſed adhibitis ICtis, fecit. 147. b. 948. a. Legem ſanxit, ne ullus Imperatorum hæreditariam dignitatem ſibi vendicet. Electores VI conſtituuntur. In vitæ periculum conjicitur à Papa. 948. a. Vincitur à Rege Galliæ. Sponte ab Imperio deſtitit. 948. b. Moritur privatim vivens. 849. a.

P.

PAcis Religionis prima fundamenta. 1059. b.

Pædagogia, quid ſignificet? 500. b.

Palladius ad Scotos in Chriſtum credentes mittitur. 731. a.

Pallii uſus Epiſcopis à Valentiniano III conceditur. 736. a.

Pamphilus Laodicenus, Presbyter Cæſarienſis, quid fecerit? 615. a.

Panes, miraculoſe ſanguinem ſudarunt. 1127. a.

Pannias, Monarcha XXV, Lampari ſucceſſit. 37. b.

Pantaleonis martyris caput Carolo magno offertur. 819. a.

Pantænus, Philoſophus Chriſtianus, Scholam Chriſtianorum Alexandriæ inſtituit. 578. a.

Papa Romanus, cur veſtes geſtet coccineas? 409. a. Vivus in Papam mortuum ſævit. 225. a.

Papæ, quam ob cauſam nomen mutent? 1054. a. b. Sunt diaboli ſimiæ. 1114. a. Illegitima authoritate & poteſtate utuntur. 1112. b.

Paphnutius, Epiſc. in Thebe Ægyptiaca, negavit. contra Novatum, conjugia Sacerdotum diſſolvenda eſſe. 671. a.

Papias, Iohan. Evangeliſtæ diſcipulus, Sectæ de regno terreno piorum per mille annos autor. 552. b. 553. b.

Papinianus ICtus, ab Antonino Baſſiano Caracalla cur interfectus ſit? 233. a.

Paradiſus, cur hortus Dei dicatur. 25. a.

Paraſitorum exempla, & Epitaphium Romæ. 637. a. b.

Parentum crimina an in liberis quoque vindicanda ſint? 145. a. Eorum virtus liberos beat. 175. b.

Paridis mater Hecuba, quale ſomnium habuerit, cum prægnans illum contineret? 114. a.

Pariſiana laniena XXX hominum M. ab impietate alienorum abſumpſit triduo, centum M. ſpatio menſtruo. 1097. b. 1098. a. Ejus authorum ultio divina. 1098. b.

Pariſienſes, cur Henrico IV Gall. Regi parere noluerint? 1136. a. Cincti, urbem acriter defendunt, & ad atrociſſimam famem adacti, ab Hiſpanicis tandem liberantur. 1136. a. b. Alexandrum Farneſium cum triumpho excipiunt. *ibid.* b. Cur Ieſuitas Claræmontanos regno expulerint? 1138. a.

Pariſienſis Academiæ origo. 825. b.

Parricidarum apud Rom. pœna. 401. a. 501. b. Eos Deus graviter punit. 343. b.

Partu uno CCCLXV infantes vivos Hollandiæ Comitiſſa peperit. 961. b.

Partui immaturo cutis à Medicis conficitur. 1030. b.

Paryſatis, Regina Perſiæ, filii ſui Artaxerxis Mnemonis uxorem toxico necat. Multas alias crudelitates perpetravit. 274. a. Ejus apophthegma. 232. a. 274. a.
Paſcha omnium conſenſu in diem dominicum eſt collatum. 671. a.
Paſſavienſis Transactio perficitur. 1052. b.
Pater noſter, Germanice Roſen-krantz / unde & quando originem ſumſerit? 912. a.
Patizithes, Regni Perſici Curator à Cambyſe conſtitutus fratrem ſuum Smerdin, Regis fratri Smerdi jam occiſo perſimilem, inito cum cæteris Magis ſuadere, in ſolium collocat. 184. a.
Paulus Apoſtolus, à Nerone Imper. Romæ capite truncatus eſt. 509. a. Athenis altare ignotis & peregrinis diis dedicatum videns, quid fecerit. 496. a.
Paulus Diaconus, hiſtoricus. 822. a.
Paulus, Epiſcopus Nicomediæ Euſebii ſucceſſor, ab Epiſcopatu cur depoſitus? 681. b. 682. a. Decreto Julii Papæ in Epiſcopatum Conſtantinopolit. reducitur. 682. a Ejicitur à Conſtantio. ibid.
Paulus Thebæus, Monacharus autor. 626. b.
Paulus II, Pontifex, inter Sodomiticas impunitates à diabolo trucidatus eſt. 171. b.
Paulus III, Papa, matrem & ſororem interfici cur curarit? 1059. b.
Pauſanias, Spartanorum rex, omnes Græcos gloria antecellit, dum innumeras Perſarum copias funditus delet. 249. b. 254. a. Ejus prudentiſſ. reſponſum ad verba Lamponis Æginetæ. 249. b. 250. a. Victo Mardonio quales cœnas fecerit? 250. a. 254. a. Ejus in Mardonii cadaver pietas. 253. a. 254. a. Poſt tot victorias immutatus & degener factus, fame, in templo Minervæ incluſus, moritur. 254. b.
Pauſanias Hiſtoricus, quando Hiſtoriam ſuam ſcripſerit. 565. b.
Pax inter Philippum Hiſpaniæ, & Henricum IV Galliæ Regem. 1138. b.
Pax propter Religionem primo Suinfurti inchoatur, & poſtea Norbergæ publicatur. 1059. b.
Pax Paſſavienſis. 1052. b.
Peccata parentum quod in filiis puniantur, exemplis demonſtratur. 59. a. b.
Pecuniæ omnia obediunt. 584. b.
Peluſium, urbs Ægypti, capta. 63. b. 64. a.
Perdiccas I, Aridæi adminiſtrator, cui annulum digito detractum Alexander M. moriturus tradidit ceu prorege, & regni diviſori. 337. a. b. Tutor cur additus ſit Aridæo Alexandri M. fratri regi conſtituto, ſed à proprio exercitu in tentorio ſuo occiſus. 339. b. Cappadociæ regem devicit. ibid. Cleopatram Alexandri M. ſororem cur in uxorem ſibi dari popoſcerit? Ejus dolus. Ptolemæo Lagi regnum erepturus, exercitum in Ægyptum traduxit. 339. b.
Pericles, juramentum frangit. 54. b.
Perſæ, ſuperſtitionibus ethnicis dediti fuerunt. 165. a. Eorum mira taciturnitas & fides in arcanis Regum. 285. b. Eorum Reges olim ſe fratres Solis nominarunt. 42. b. Eorum Regibus ebrios eſſe non licebat, niſi uno die in anno. 219. a. b.
Perſepolis, Regia ſedes Regum Perſicorum. 128. a.
Perſecutiones Eccleſiaſticæ ſub Ferdinando I. in Hiſpania. 1089. a. b. In Gallia. ibid. b. In regno Neapolit. 1091. a. Waldenſium. 1076. a. In Flandria, & Anglia. 1077. b.
Perſequutorum pœnæ. 1077. b. 1078. a.
Perſeus, Philippi II filius naturalis, ultimus Macedoniæ Rex, fraude ad regnum pervenit. 352. b. Infortunium ipſi maxima vitia graviſſimum contrahunt. 353. a. b. Supplex ad Conſulis genua provolutus magnas edidit animi abjecti ſignificationes. ibid. b. In carcere moritur. Filius ejus ſcriba populi Romani factus eſt. 354. b.
Perſicorum Regum Majeſtas. 129. b. 130. a. Reipublicæ cura, & quibus verbis excitabantur mane. ibid. Eorum miniſteria. ibid. b. Sigilli forma. Inſignia. 131. a. Militum tria genera. ib. b. Religionis cura, & Studiorum cultura. 132. a.
Peſtis ingens in Livonia. 1127. b. In Lisbona, & Hiſpania, ultra 20000 hominum exſtinguit. 1128. a.
Peters-berg / templum. 918. b.
Petri Carretæ ignavia. 1129. a.
Petri Lindenbergii carmen de inopinato obitu Paparum Sixti V, & Urbani VII. 1114. a. b.
Petrus Apoſtolus, anno Chriſti 44, in carcerem ab Herode conjectus, ab angelo liberatur. 495. b. A Nerone crucifigitur. 509. a. b.
Petrus, Comes Sabaudiæ, feudum ab Ottone IV. Imperat. petens, in duplici habitu apparuit. 252. a.
Petrus Comeſtor, cur ita cognominatus ſit. 941. a.
Petrus Brulus, propter Evangelium exuſtus. 1076. b.
Petrus Lombardus, primus Theologiæ Doctor creatus. 921. a.
Petrus Ramus, in Laniena laniatur à lethæis geniis. 1030.
Petrus Paulus Vergerius, è concilio Tridenti pulſus, ex mera ſuſpicione. 1065. d. Convertitur. 1070. b.
Phaethontis incendium, quo ævo? 37. a.
Pharao cur in mari rubro perierit. 56. b. Ejus reverentia erga ſacerdotes. 164. a.
Philetas Coüs, Ptolemæi Philadelphi, Ægypti Regis præceptor, corpuſculo adeo tenui, ut plumbum pedum plantis adjiceretur, ne violentia ventorum deturbaretur. 360. a.
Philippides Poëta de arcanis principum quid dixerit. 315. a.
Philippicus Bardanes, LXXI Imper. Roman. per ſeditionem ad imperium pervenit. 799. b. Conſtantinopolin capit, & Juſtinian. Imper. cum ipſius progenie occidit. 800. a. Ejus gubernatio infelix. ibid. Ejus bella, & acta Eccleſiaſt. ibid. Monotheleta hæreticus factus eſt. ibid. Excommunicatur à Papa ut hæreticus. ibid. b. Oculi illi effoſſi ſunt ibid. Et in carcere periit. ibid.
Philippus Macedo, Alexand. M. pater, quid Ariſtoteli ſcripſerit. 313. a. Ad filium quid dixerit, cum Bucephalum equum domuerat. ibid. b. A Pauſania, nobili Macedone, interficitur. 315. b. Filio cur autor fuerit, ne Poëtas & Hiſtoricos offenderet. 330. b.
Philippus Melanchthon Confeſſionem Auguſtanam concinnat. 1028. b. 1057. b. Ejus cum Alphonſo Cæſaris Cancellario de Auguſt. Confeſſ. colloquium. 1058. b.
Pro Confeſſione Apologiam conſcribit. ibid.
Philippus Demetrii II, Regis Macedoniæ 13 filius, XV Macedon. Rex. 350. b. Poſt mortem Turonis ſui Antigoni, regnum ſuſcipit. ibid. Multa crudelitatis & libidinis exempla edidit. ibid. Ab urbe Chiorum mulierum virtute cur repulſus ſit. 351. a. Oppidum Abydum vacuum capit. ibid. Arato juniori uxorem ſubducit. ibid. Vincitur à Romanis. ibid. b. Filium Demetrium falſo accuſatum interfici jubet, poſtmodum piæ mœrore miſere perit. ibid. Regni Macedonici everſor, & ſuæ ſtirpis exſtinctor fuit. ibid. Ejus diverſi ingenii & indolis conſiliarii, Demetrius & Aratus. 352. a. Cur Aratum veneno necarit. ibid.
Philippus, XXIV Imper. Germ. Henrici IV Imper. fra-

ter. 945. *b*. Ejus imperii occupatio. *ibid*. Imperator contra Bertoldum eligitur. 946. *a*. Anathemate percutitur à Papa nebulone. *ibid. b*. Alius adhuc, ſc. Otto IV, contra eligitur. *ibid*. Omnes ſuos adverſarios vincit, & pacata Germ. optime imperat. *ibid*. Occiditur in lectulo ſuo perfide. 947. *a*.

Philippus Hiſpan. Rex, Caroli V filius, filium ſuum quomodo admonuerit. 230. *b*. Portugalliam occupat. 1131. *a*.

Philippus II, Hiſpan. Rex, cum Gallis pacem init. 1139. *a*. Horribili mortis genere perit. *ibid*. & 1140. *a*. Quomodo filium ſuum morturus allocutus ſit. 1139. *a*.

Philippus Apoſt. cruci affigitur. 496. *a*.

Philopœmen Achæorum Dux Therſiti cuidam, quam Principi, ſimilior. 220. *b*.

Philoſophus verſutiſſimus cum Laico in Concilio Niceno diſputans convertitur. 691. *a*.

Philoſophi, maximi Chriſtianorum perſecutores fuerunt. 648. *b*.

Philoſophi Babyloniis Chaldæi dicti. 22. *b*. Ubi & quando orti. 23. *a*.

Phocas LXII. Imp. Rom. 778. *a*. Ob avaritiam Mauritii Imper. à militibus Exarchus proclamatur, & poſtea Conſtantinop. veniens in templo Iohan. ab Epiſc. & Senatu Imperator factus eſt. *ibid*. Sanguine Mauritii ejuſque totæ familiæ, imperium ſuum ſtabilivit. *ibid. b*. Initio bonam ſpem de ſe præbuit, ſed poſtea totum ſe vitiis dedidit. 779. *a*. Ejus mira deſidia deſcribitur. *ibid*. Crudelis, perfidus & ebrioſus in ſummo gradu fuit. *ibid*. Priſcus, gener ejus, & Domnentia, Auguſti à populo, invit. Phoca, proclamantur. *ibid. b*. Ejus acta bellica. *ibid*. Tyrannidis Hierarchicæ Romanæ initia poſuit, cum Principatum Romanæ Eccleſiæ tribueret. 780. *a*. Ejus tragica mors. 194. *b*. & 780. *b*.

Phœnicis Poetæ Iambi de Ninya. 33. *b*.

Photinus, quid Ptolemæo Regi Ægypti conſilii dederit. 148. *b*.

Phraortes, ſeptimus Rex Medorum. 112. *a*.

Phul, quid ſignificet. 47. *a*.

Phul Belochus, Monarcha XXXIX. 45. *b*. 47. *a*. Ejus nominis ſignificatio & ortus. *ibid*. Varie appellatur. *ibid*. Babyloniis dux fuit ſub Sardanapalo. *ibid*. Aſtrologiam intelligebat. *ibid*. Ab Arbace ad defectionem inſtigatus. *ibid*. Regnum Iſraelis infeſtavit. *ibid. b*. Manahem vectigalem ſibi fecit. *ibid*. An recte fecerit, quod Iſraëlitas infeſtaverit. 48. *a*. Ejus obitus. *ibid. b*.

Pilatus præſes Iudææ, quo anno, poſt condemnatum Chriſtum, ſe interfecerit 57. *b*. Iudæis feſtinam Chriſti ſupplicii exſecutionem indulgens, contra leges Roman. peccat. 81. Se ipſum interficit. 114.

Pindarus, ejuſque familia in expugnatione Theb. ab Alexandro conſervatur. 319. *a*.

Pipinus Caroli M. pater, juſſu Papæ Rom. vocatur Rex Francorum. 811. *b*. A S. Bonifacio Archiepiſcopo inungitur. *ibid*.

Pithon II Aridæi adminiſtrator à Ptolemæo conſtitutus. 339. *b*. Cur Curatura hac ſe abdicarit. 339. *a*. *b*.

Pius IV Papa crudeliter tractat Evangelii Confeſſores in Neapoli & in Calabria. 1091. *a*.

Plancus Plotius à ſervis occultatus, odore unguentorum proditus eſt. 44. *a*.

Plato à Rege Siciliæ ad cœnam invitatus, cur veſtem purpuream recuſarit. 232. *b*. Mutationes Rerumpublicarum arithmetico ænigmate involvit. 102. *a*.

Plinius II, in Epiſtola ad Trajanum, Chriſtianos commendat. 554. *a*.

Plutarchus, Traiani Præceptor, librum de imperatoria inſtitutione edidit. 554. *b*.

Pœni in Campania quomodo virtutis robur amiſerint. 33. *a*.

Poëtæ quare non offendendi. 30. *b*.

Polonia, quando primum Regem acceperit. 837. *a*.

Polycarpus Iohannis Evangeliſtæ diſcipulus M. Antonino imperante venit Romam, & multos ad veram fidem Hæreticos reducit. 571. *b*. In perſecutione Aſiatica vivus crematur. *ibidem*. Ejus colloquium cum Proconſule Aſiæ. 572. *a*. Precatio ejus in martyrio. *ibid*.

Polycrates Samiorum Rex, juxta ſomnium filiæ ſuæ, cruci affigitur. 195. *b*.

Polydamas, incredibili robore præditus. 175. *a*.

πολυπράγμων magnis ingeniis familiaris. 163. *b*. Exemplis demonſtratur. *ibidem*.

Polyſperchon quartus Aridæi adminiſtrator ab Antipatro jam morituro conſtituitur. 341. *a*. Olympiadem, cum Alexandri filiolo ex Roxane, quæ in Epirum metu Antipatri profugerat, revocat. 341. *a*. Cur Herculem Alexandri M. filium Trucidarit. *ibid. b*.

Pompejus, Iul. Cæſaris gener, æmulus & hoſtis, in Ægyptum fugiens, cur & quomodo trucidatus ſit. 367. *b*. 422. *b*. 853. *a*. Ejus gloriatio, impietas & ſuperbia abominanda. *ibid*. Somnium. 233. *b*. Symbolum. 173. *a*. Duplex fortuna. 251. *a*. Cæſaris copias ſpernens vincitur. 199. *b*.

Pomponius Lætus, cur nomen Petri rejecerit. 1015. *a*.

Pontifex unde ſic dicatur. 420. *b*. Primus à Numa inſtituitur. *ibid*. Ejus officium. *ibid*.

Pontifex Roman. cur omnes urſorum imagines ex domibus ſuis aboleverit. 971. *a*. Se Dominum mundi in Spiritualibus & temporalibus jactitat. 976. *a*. Captivus in Galliam perducitur. 976. *b*.

Pontifex Pontificem excommunicat. 911. *b*. Per Synodos Regnum Antichriſti ſtabilire tentat. *ibidem*. Ejus in Epiſcopos ſævitia. 917. *b*.

Pontifex Romanus Bonifacius IX, Wiclefum exhumari & cremari jubet. 225. *a*.

Pontificatus ſedes cur & quando in Galliam ſit tranſlata. 977. *a*.

Pontificii cur vera dicere non poſſint. 1063. *a*. Eorum tyrannide 900000 intra 30 annos in Gallia, Italia, Hiſpania, Anglia & Belgio interfecti ſunt. 1098. *b*.

Pontifices Romani hodierni cur Vibio Ruffo comparandi. 626. *b*. Eorum ſucceſſio non interrupta, an ſit veræ Eccleſiæ nota. 627. *a*. Tres ſimul à diverſis factionibus eliguntur. 900. *b*. Eorum mos coronandi Imperatores unde fluxerit. 817. *b*. Item Nominis mutandi. 139. *b*. Eorum tituli. 43. *b*. Eorum principatus initium ſumſit ſub Phoca Imp. cum ſedem Romanæ Eccleſiæ ſtatuiſſet caput eſſe omnium Eccleſiarum. 780. *a*.

Pontificiorum. Vide *Tyrannis*.

Portenta circa captivitatem Iohan. Frid. Electoris Saxoniæ. 1081. *b*.

Potentiores invitati ab imbecilliotibus, plerumque eos oppreſſerunt. 343. *a*.

Pragenſis Academiæ conſtitutio. 991. *a*.

Prexaſpis fidelis reprehenſio male collocatur. 172. *b*. 173. *b*. Quare ſe de turri præcipitem dederit. 185. *b*.

Princeps, quomodo ab Ebræis appelletur? 94. *b*. Ejus laudes, & epitheta. 76. *a*.

Princeps illiteratus eſt aſinus coronatus, juxta Alphonſum I regem Neapol. Eum tria meminiſſe decet. 418. *a*.

Principes qui rem literariam adamarunt. 323. *b*. Eorum amici, quibus ſimiles. 82. *b*. Propria virtus. 200. *b*.

Priſcus Helvidius Conſiliarius Veſpaſiani Imper. quid fecerit. 175. *b*.

Procli præſagium de morte Domitiani Imperatoris. 545. a.
Procopius Cæſarienſis. 727. a.
Prodigia, & miracula. 242. b. 565. b. 571. a. 578. a. 585. a. 587. a. 591. a. 616. a. 620. b. 665. a. 674. a. 689. a. 694. a. 699. b. 732. a. 736. a. 740. a. 744. b. 749. b. 753. a. 764. a. 766. b. 776. a. 780. a. 789. a. 795. a. 804. a. 806. b. 812. a. 830. a. 836. b. 840. a. 843. b. 848. b. 850. a. 884. b. 889. b. 894. b. 914. b. 919. a. 923. b. 941. a. 957. b. 971. a. 992. a. 1028. a. 1031. a. 1051. a. 1081. b. 1126. a. *& ſeqq.*
Prodigium in Lydia, Crœſo fugiente. 158. a.
Proditio grata, ſed proditores exoſi. 991. a.
Prompalus, ſortis extremæ *juvenis*, ſe filium Antiochi mentitur, & Rex creatur. 188. b. Tandem à Demetrio juniore victus & occiſus. 189. a.
Protoctetus Presbyter Cæſarienſis. 615. a.
Proteſtantium nomen quando & quomodo enatum ſit. 1056. b. Hi fœdus ineunt. 1059. b. Eorum cum Carolo V. Imp. bellum I. 1050. a. Iis religionis liberum exercitium datur. 1053. b. Principum provocatio ad Cæſarem & futurum concilium. 1056. b. Primarii conveniunt Smalcaldiæ Theologi. 1060. a. Eorum legati à Rege Hiſpaniæ occiduntur, Marchio Bergenſis, & Dux Montignius. 1096. a. b.
Prudentius Poëta. 727. a.
Pſalmus 89, quando & quare editus ſit. 94. a.
Pſammenytus Ægyptii Rex, Azotum vel Aſdod capit. 53. a.
Pſammetychus Ægyptiorum Rex. 15. b.
Pſammus Ægypti Rex. 66. a.
Pſeudo-Alexander. tempore Auguſti Imper. in Sidoniorum pago educatus. 189. a.
Pſeudo-Fridericus II, Imperat. in quadam ruinoſa & deſerta arce invenitur. 189. b.
Pſeudo-Sebaſtianus, Rex Portugalliæ ad triremes condemnatus. 189. b.
Ptolemæus Lagi, I Rex Ægypti, unde ortum traxerit. 356. a. Ejus ſucceſſores cur Lagidæ appellati ſint. *ibid.* Quid initio fuerit. 357. b. 358. Sagitta venenata vulneratus quomodo curatus ſit. 358. a. b. Quatuor bella geſſit. *ibid.* b. Duas habuit uxores. 359. a. Ejus mors. *ibid.* Ejus laus. *ibidem.* Vaticinium de eo Danielis c. 11. v. 5. *ibidem* b.
Ptolemæus Philadelphus, Ptolemæi Lagi filius II. Rex Ægypti. 78. a. 360. a. Ejus præceptor Straton Lampſacenus, & alii. *ibid.* Conjugium ejus inceſtuoſum. *ibid.* Regni occupatio, & adminiſtratio. *ibid.* b. Rex pacificus fuit. 361. a. De Ægyptiis in prato otiantibus & ludentibus quid dixerit. *ibid.* Foſſam à Nilo uſque ad mare rubrum perfecit. *ibid.* Veritatem audire noluit. *ibid.* Cur Sotadem familiarem ſuum in mare ſubmergi juſſerit. *ibid.* b. Ejus acta bellica, Eccleſiaſtica & Academia. *ibid.* Ad Eleazarum Iudæorum ſummum Pontificem cur ſcripſerit. *ibid.* Interpretes 72 ex Iudæa ipſi mittuntur. 362. a. Ejus liberalitas in 72 interpretes. 329. b. 362. a. b. Moritur. *ibid.* b.
Ptolemæus Evergetes III Rex Ægypti, Ptol. Philadelphi filius. 362. b. Ejus regni occupatio & adminiſtratio *ibid.* & 363. a. Acta bellica. *ibid.* Quamdiu regnaverit. *ibid.* Veneno à proprio filio ſublatus eſt. *ibid.*
Ptolemæus Philopator IV Ægypti Rex, Ptol. Euergetis filius, cur Philopator dictus ſit. 363. b. Regni occupatio & adminiſtratio. *ibid.* Cur eum ſubditi contemſerint. *ibid.* Acta bellica. *ibidem.* Cur in expugnabili odio adverſus Iudæos exarſerit. *ibidem.* a. Voluptuoſus & crudelis fuit. *ibidem.* b. Occiditur à populo tumultuante. 364. a. Propter ſcortum Agathocleam, uxorem Euridicen interficit. *ibid.*
Ptolemæus Epiphanes V Ægypti Rex; Ptol. Philopatoris filius, 364. a. Puer quinquennis regnare cœpit. *ibid.* Bella cum Antiocho Magno. *ibidem.* b. Ejus conjugium. *ibid.* Moritur. *ibid.*
Ptolemæus Philometor, VI Ægypti Rex, Ptol. Epiphanis filius, matrem ſuam in uxorem duxit. 365. a. Cur bello illum Antiochus Epiphanes infeſtarit. *ibid.* Ejus mors. *ibidem.* b.
Ptolomæus Phyſcon, vel Euergetes II, VII. Ægypti Rex, Ptol. Epiphanis filius. 365. b. Inceſtuoſus & impurus fuit. *ibid.* Cur in exilium profectus ſit. *ibid.* Filium Memphitem cur occidi juſſerit. *ibid.* Tandem in regnum reconciliatus cum ſorore & uxore rediit, & mortuus eſt. *ibidem. &* 366. a.
Ptolemæus Lathurus, VIII Ægypti Rex. 366. a. Iudæam cur aggreſſus ſit. *ibid* b.
Ptolemæus Alexander, IX Ægypti Rex. 366. a. Cur ſponte ſe regno abdicarit *ibid.* b. Matrem cur occiderit. 367. a.
Ptolemæus Lathurus redux, X Ægypti Rex. 366. a. 367. a.
Ptolemæus Auletes, Ptol. Lathuri filius, XI Ægypti Rex. 367. a. Regni occupatio & adminiſtratio. *ibid.* Cur regno ejectus ſit. *ibid.* Ejus in regnum reſtituti ingratitudo. *ib.* b.
Ptolemæus Dionyſius Iunior, Ptol. Auletæ filius. XII Ægypti Rex. 367. b. Exitus ejus tragicus. 368. a.
Ptolemæus Ceraunus, Ptolem. Lagi filius, Ptolemæi Philadelphi frater, regnum Macedoniæ vi occupat. 348. a. Seleucum interficit, regnumque ejus occupat. *ibid.* b. Ejus immanitas in libros Lyſimachi & ejus viduam. *ibid.* Iuſtas pœnas impietatis perſolvit. *ibid.* Somnium de ejus morte. *ibid.* Ejus ſucceſſores. *ibidem.*
Publiæ nobiliſſimæ feminæ, Antiochiæ magiſtræ virginum caſtitatem profitentium, cur alapas Iulianus Apoſtata impingi juſſerit. 693. a.
P. Ælius Pertinax, XIX Imper. Rom. ex obſcuro genere natus eſt. 579. b. Cur Pertinax dictus ſit. 580. a. Ejus conſtitutio corporis & animi. *ibid.* Conjugium. *ibid.* Ejus frugalitas. *ibid.* b. Acta politica ante imperium, & imperii occupatio. *ibid. &* 581. a. Invitus imperium accipit. *ibid.* Ejus imperii adminiſtratio. *ibid.* Virtutes. *ibidem.* Milites & aulici contra eum cur conſpiraverint. 582. b. Ejus animoſa militum compellatio, & trucidatio. Populi indignatio, & Senatus conturbatio, ob ejus cladem. *ibidem.*
P. Æmylius de Perſeo victo Romæ triumphum per triduum agit. 354. b.
P. Licinius Gallienus, XXXIV Imper. Rom. Valeriani Imper. filius, à quo cum conſenſu Senatus Cæſar creatur. 631. a. Ejus educatio & acta juventutis. *ibid.* Ejus Epithalamium inter centum poëtas præcipuum fuit. *ibid.* Ingenioſiſſimus fuit. *ibid.* Ejus conjugium. *ibid.* b. Imperii occupatio & adminiſtratio. *ibid.* Ingratitudo erga patrem captivum deteſtanda. 632. a. Vincente Odenato, triumphat. *ibid.* Muſtum, quemadmodum toto anno haberetur, docuit. *ibid.* b. Multas regiones amittit, vilique pendit. *ibidem.* Ejus ſecordia. 633. a. Ejus contemtu, 30 Tyranni in diverſis locis exiliterunt, qui imperium occuparunt. *ibid.* Cur pacem Eccleſiæ reddiderit. *ibid.* b. Inſtigatur à Claudio, ejus ſucceſſore, ut ſocordiam excuteret, & contra hoſtes proficiſceretur. 634. a. Interficitur cum fratre & filio, conſpiratione facta. *ibid.*
P. Licinius Valerianus, XXXIII. Imper. Rom. ex nobili Corneliorum familia oriundus. 629. a. Ejus conjugium & acta politica. *ibidem.* Qua unanimitate ad Cenſuram evectus ſit. *ibid.* b. Ejus elogia maxima. *ibid.* Electio ad imperium. *ibid.* Filios ſuos Valerian. Iuniorem & Gallie-

Gallienum imperii ſocios ſumit. *ibid.* Initio Chriſtianos valde dilexit, poſtea vero per magum quendam ad eos perſequendos inſtigatur. *ibid.* & 630. *a.* Liberos immolavit. *ibidem.* Ejus fortuna cur evanuerit. *ibid. b.* Ejus Vicarius Claudius, infenſiſſimus Chriſtian. perſecutor, à diabolo torquebatur, & tandem interficiebatur. *ibid.* Proditione Macriani Ducis ingenti clade à Perſis afficitur. *ibid.* A rege Perſarum Sapore captus eſt, & apud Parthos in miſerabili & perpetua ſervitute conſenuit. *ibid.* Tandem excoriatus & ſale conſperſus, miſerrime periit. *ibid.*

Puella 8 annorum, puerum peperit. 970. *b.*

Puer in aërem tractus angelos canentes audit. 732. *b.*

Pulcheria, cum Mariano Imper. deſponderetur, juramento ipſum adegit, ut virginitatem ejus intactam conſervaret. 739. *a. b.*

Pupiennus Maximus, fabri ferrarii filius, in Auguſtum evehitur. 191. *b.*

Purpurea veſtis quid denotet. 701. *a.*

Pyrithidias, Monarcha XXXIV, Laoſtheni ſucceſſit. 38. *b.*

Pyrrhus, Epirotarum Rex, cognomine Aquila, materno genere ab Achille, paterno ab Hercule oriundus. 344. *b.* Demetrium Poliorceten V Macedoniæ, regem cur bello aggreſſus ſit. *ibid.* Ejus bellum contra Romanos. 345. *a.* Prælium cum Conſule Levino primum, ſecundum cum Fabricio Luſcinio, geſſit. *ibid.* Prope Romam caſtra movit. *ibid.* Ejus legatio ad Romanos. *ibid.* Ipſi profuga quidam cum epiſtola, veneno cum necaturum Romanis promittente, remittitur. *ibid. b.* Tertio prælio vincitur, & Italia pellitur. 346. *a.* Oraculi reſponſionem ambiguam accipit. *ibid.* Cur Antigonum Gonatam bello aggreſſus ſit. *ibidem.* Saxo de muris à femina jactato occiſus eſt. *ibid.* Ejus prudentia & conſilium Athenienſibus datum, de arcis aditu non permittendo. *ibid. b.* Humanitas ejus erga doctos & literatos. *ibid.* Plures à Cyneæ oratione urbes, quam à ſe armis expugnatas eſſe, dixit *ibid.* Ejus manſuetudo erga milites Tarentinos. *ibid.* Regnandi libido. 347. *a.* A Lyſimacho cur ejectus ſit. *ibid. b.* Quam favendum ſit ſepulturæ, ſuo exemplo docet. 252. *b.* Tarentinis militibus liberius de eo loquentibus quid fecerit. 131. *a.*

Q

Quintilianus ex Hiſpania venit, & Romæ ſcholam publicam aperuit. 544. *b.* Ejus de ingenio puerorum dictum. 313. *a.*

Quintilis quando & cur nominatus ſit Iulius. 432. *a.*

R.

Radagaiſi, Regis Gothorum, maxima clades à Stilicone accepta. 725. *a.*

Raduiphus Orcadum Epiſcopus ad milites quid dixerit. 236. *b.*

Rebellionis primaria cauſa. 117. *a.*

Reccaredi Regis ſententia in Concilio Toletano. 143. *b.*

Regiæ ſellæ inſidere capitale erat. 112. *a.*

Regillianus militari joco regnum promeruit. 29. *b.*

Regis vocabulum olim commune. 14. *a.*

Regna mundi omnia ſunt periodica. *Proleg.* Uni ſoli ſubjecta quare diligentius & laudabilius adminiſtrentur. 531. *b.* Quamdiu immutabilia ſteterint. 101. *a.*

Regneri, Daniæ Regis felicitas inſtabilis. 853. *b.*

Regni Chriſti inchoatio. 400 *b.* An ſit mundanum. 401. *b.*

Regnum Chriſti ſolum eſt Oecumenicum. *Proleg.*

Regum munus. 351. *b.*

Regum Perſicorum cultus. 193. *a.*

Rehabeam degener & ſtultus Salomonis filius, quid fecerit. 230. *a.*

Religio Evangelica ſub Imperat. Maximil. II ſe late diffundit. 1096. *a.* Ejus ſtatus in Saxonia mutatur in melius. 1105. *b.* An armis propaganda & propugnanda. 16. *b.*

Religionis reformatio in Marchia Brandeburg. inſtituitur. 1060. *a.*

Reſpublica corpori comparatur à Plutarcho. 75. *a.* 200. *b.*

Rex alliorum, Knoblauchs-König. 907. *b.*

Rex Perſiæ cur & quomodo pro Deo habeatur. 285. *a.*

Regis primi nomen ſucceſſores ejus olim ſervabant. 256. *a. b. ſeqq.*

Rezin Rex Syriæ cum Peca Rege Iſraël Ieroſolymam obſideret. 49. *a.*

Rhamnus in regem electus. 76. *b.* Ei comparatur malus princeps. *ibid.*

Rhea Nimrodi conjux, Iovem Belum enixa eſt. 13. *b.*

Rhytaces, avicula apud Perſas deſcribitur. 276. *b.*

Richardus Comes Cornubiæ, XXIX Imperat. Germ. Regis Angliæ filius. 963. *a.* Defuncto Wilhelmo Imper. eligitur à Proceribus Imperii. *ibid.* Contra eum à diſſentientibus Principibus Alphonſus, Rex Caſtellæ Hiſpan., Imperator creatur. *ibid. a.* Odio omnium gravatus, in Angliam redit. *ibid. b.* In obſidione urbis cujusdam Angliæ ſagitta percuſſus moritur. *ibid.*

Robertus, Rex Siciliæ, cariores literas quam regnum habuit. 329. *a.*

Roboami Conſiliarii. 229. *b.*

Rolandus, filius Bertæ, ſororis Caroli M. 824. *b.* Ejus bulla & ſepulcrum. 825. *a.* Epitaphium ei à Carolo M. poſitum. 814. *a.* 1107. *a.*

Roma unde dicta ſit caput mundi, & terrarum Dea. 369. *a.* Ante Gothicas & Vandalicas vaſtationes ſeptem montes ambitu ſuo complexa eſt. 408. *b.* Septem ejus reges recenſentur. *ibid.* Septem gubernationis formas habuit. *ibid.* ex tumultu, per leporem facto, capitur. 203. *b.* Biennio circumſeſſa, à Gothis capitur, & devaſtatur. 725. *a. b.* Placidiæ, Regis Gothorum uxoris, interceſſione ſervatur. 724. *b.* Capitur à Genſerico Vandalorum Rege. 736. *b.* Quoties capta ſit. 759. *b.* Expugnatur ab Henrico IV, German. Imperatore. 903. *a.* 907. *b.* Sub Carolo V capta. 1048. *a.* Inundatione Tyberis valde deſtruitur. 1128. *a.*

Romani veteres cur ferreos annulos in manibus geſtarint. 398. *b.* Cur Imperatoribus ferream coronam Aquisgrani impoſuerint. *ibid.* Eorum Imperatorum à Iulio Cæſare uſque ad Carolum M. truculenta mors. 432. *a.* Quomodo aquilam inſigne Rom. Imperii acceperint. 131. *a.* Ultra Euphratem progreſſi infelices ſunt. *Proleg.*

Romani pontificis tituli. 43. *b.*

Romanum Imperium an ſit Monarchia. *Proleg.* Vocatur παμβασιλεία à Pompeio. *Proleg.* Quomodo ad hoc faſtigium adſcenderit. 155. *a.* Velut anchora fuit fluctuanti mundo, teſte Plutarcho. 396. *a.* Cur παμβασιλεία hoc eſt, Catholicum vocetur à Pompeio. 398. *a.* In Oriente quando deſierit. 399. *a.* In decem regna diviſum fuit. *ibid. b.* An deſierit. *ibid.* Sub Treboniano Gallo, Scythicæ ſervitutis jugum primum accepit. 628. *a.* A 30 tyrannis diverſis in locis, ſub Gallieno, occupatur. 633. *a. b.* Per ſex menſes nullum Imperatorem cur habuerit. 640. *b.* Ejus fatalis terminus. 645. *a.* Duos oculos ſub Conſtantino Magno habuit. 667. *b.*

Romulus primus Rex Romanorum, regnum ſuum avi Numitoris, muros ipſos Remi fratris, templum Socci ſan-

ſanguine dedicavit. 398. a. Ejus ſtatua quamdiu duraverit. 402. b.

Roſen-kranz / *V. Pater noſter.*

Ruben quomodo toti poſteritati pœnas accerſiverit. 59. a. 292. a.

Rudolphus Agricola, divina carmina ſcripſit. 1015. b.

Rudolphus I, Habsburgenſis, XXXI Imperator Germanorum. 965. a. Ejus ortus deſcribitur. *ibid.* Epiſcopum Spirenſem, cum Imperatricem oſculo irritarat, relegat. *ibid. b.* A Proceribus, elegitur, & Aquisgrani coronatur. 966. a. b. Cur coronam Romæ, de more majorum accipere noluerit. *ibid. b.* Symbolum & dicteria. *ibid.* Spernitur à Rege Bohemiæ & Duce Bavariæ, aliisque. 967. a. Repetit ab Ottocaro rege Bohemiæ Auſtriam. *ibid.* Cur ab Aſtrologo tamdiu cultus ſit. *ibid.* Supplices ſibi omnes facit. *ibid.* Milites ſuos rapis pro pane veſci docuit. 967. b. Aquam remittit ſitiens. 323. b. Ejus gratitudo erga Comitem Fridericum. 967. b. 968. a. Ejus errores perſtringuntur. *ibid.* Bella ante imperium. *ibid.* Bella in imperio. *ibid. b.* Pſeudo-Fridericum Imperatorem cremari juſſit. 969. b. Ejus mors. 970. a. Primus in domum Auſtriacam decus & ἀξίωμα Imperii intulit. 225. a.

Rudolphus II, XLVIII. Imperator Germanorum Maximiliani II. filius. Patri ſucceſſit in Imperio. 1099. a. Ejus laudes & Comitia. 1099. b. & 1100. a. Bellum Turcicum. *ibid.* &c. Ubi aliquot ejus caſtella & munitiones à Turcis occupantur. 1101. b. Ejus aliud bellum, & votum. 1102. a. Fratri Matthiæ Ungaria & Auſtria cedit. *ibid.* Ejus acta Eccleſiaſtica. *ibid.* Ungaris exercitium Religionis liberum concedit. *ibid. b.* Ejus obitus, deque eo omen. 1107. a. Symbolum, ejuſque explicatio. *ibid. b.*

Ruffini Chronica. 727. a.

Rupertus, Palatinus, XXXVIII. Imperator Germanorum. 996. a. Wenceſlao Imperatore depoſito, eligitur. *ibid. b.* Ejus virtutum deſcriptio. *ibid.* Bella non niſi coactus geſſit. *ibid.* Subito morbo exſtinctus eſt. 997. a.

Rupertus de victoria verbi Dei. 123. b.

Rupes Culmbergenſis ſe prodigioſe aperuit. 1127. a.

Ruſticorum in Germania horrenda ſeditio. 1055. b. A Muntzero Concionatore Alſtetenſi concitatur. 1056. a.

S.

Sabatius Rex Sagarum à Nino devictus. 22. b. 26. b.

Sacerdos à diabolo arreptus, de ſuggeſto ſubducitur. 1079. b.

Sacerdotum crimina non eſſe publicanda. 670. a.

Sagæ Sacerdotes Armenii. 22. b. Unde ſic dicti. *ibid.*

Sagan idem quod vates. 22. b.

Sagan quis fuerit. 98. a.

Saladinus Ægypti Sultanus, Mamalucorum ſectæ autor, montur. 945. a.

Salmanaſſer, Monarcha Aſſyriorum XLI, varia habuit nomina. 50. a. Iſraelitas in captivitatem abduxit. *ibid. b.* Quatuor bella geſſit. *ibid.* Samariam capit. 48. a. Quinque gentes de Babylone deduxit, & in deſolatas Iſraelitarum ſedes collocavit. 50. b. A Tyriis graviſſima clade affectus. 52. a. Ejus mors. *ibid. b.*

Salomonis filius quare ſtultis Conſiliariis à Deo punitus ſit. 59. b. Ejus familia cur regnum amiſerit. 103. a.

Samgar ex bubulco fit Dux. 191. b.

Sanctorum interceſſionem fabulam eſſe effuſit in Synodo, à Leone Imperatore inſtituta. 103. b. 806. a.

Sanherib. 52. b.

Sannaballat Darii præfectus Templum in monte Garizim exſtruit. 51. b.

Sapor, Rex Perſarum, quomodo ſe nominarit. 42. b.

Sara quare ſic appellata. 70.

Saraceni Conſtantinopolin obſident. 694. a. Quo artificio eorum naves perierint. *ibid.* Cur Agareni appellentur. An à Sara, Abrahami conjuge ſic appellentur. *ibid.* in Orientem vocati, Chriſtianis magnam cladem aſſerunt. 789. a.

Sardanapalus, Monarcha XXXVIII, Aſcrazapis filius & ſucceſſor. 40. a. Nomen ejus quid ſignificet. *ibid.* Alias vocatur Tonoſconcoleros. *ibid.* Uno die duo oppida condidit. *ibid. b.* Ejus vita tota fuit mala. *ibid.* Ei, qui novam aliquam voluptatem excogitaſſet, præconis voce præmium pollicebatur. *ibid.* Colum tractabat. 41. a. Niniven confugit & munit, debellantibus eum præfectis. 41. b. Ejus tragica mors, & totius regni mutatio. 41. a. 42. a. Ejus Epitaphium & ſtatua. *ibid.* De eo judicia. *ibid. b.* & 43. b. Exemplum belluinæ voluptatis. *ibid.* Ejus cognomen in proverbium abiit. *ibid.* Ab Arbace quomodo victus. 109. a.

Samaritani. 51. a. Judæis quare exoſi. *ibid. b.*

Samaritaniſmus, Cuthæorum religio. *ibid. a.*

Sargon Rex Aſſyriorum. 52. b.

Sarmatæ ad Chriſtum converſuntur. 760. b.

Sarmatia Europæa ubi ſita ſit. 22. b.

Saul aſinas Patris ſui quærens, regnum invenit. 191. b. Ejus familia, propter ejus ſcelera, deletur. 59. b. Filii ejus crucifixi. *ibid.*

Saulus è lupo in ovem converſus. 331. b. perſecutio, & miraculoſa converſio. 481. a.

Sauromatæ unde ſic dicti. 22. b.

Saxones à Carolo Magno devicti, cum Duce Witekindo baptiſmum & Chriſtianiſmum ſuſceperunt. 823. b. Eorum ſimulacra. *ibid.*

Saxoniæ Electorum genealogia. 1001. quo ordine ſucceſſerint. 46. b.

Scaligeri ænigma de crepitu ventris. 494. b.

Sceptrum regni veriſſimum quod ſit. 200. a.

Sceptrum à Juda quando & quomodo ablatum ſit. 456. b. 458. b.

Schaca Dea Babylonica 98. a. Ejus feſtum. *ibid.*

Schirenſis Epiſcopatus origo. 825. b.

Schola Argentinenſis inſtituta. 1060. a.

Scholæ quid ſint. 77. b. Earum uſus. *ibid.* Illuſtres in Miſnia tres aperiuntur. 1060. b.

Scilurus, Scytha, octoginta liberos maſculos habens, quid moriturus fecerit. 721. a.

Scipio Africanus, quare ſic cognominatus. 48. b. obedientiam militibus ſuorum quomodo monſtraverit. 237. a.

Scotiæ Reges 52 crudeliter interemtos eſſe, Jovius ſcribit. 432. a.

Scribonianus Camerinus, Servator Romanus, à Nerone occiſus. 189. b.

Scripturæ ſacræ in græcum ſermonem à LXXII. interpretibus converſio. 362. a.

Scriptura ænigmatica. 101. b.

Scythæ cur Ionas, mancipia Dominos amantia appellarint. 203. a.

Sebaſtianus Rex Luſitaniæ, à Melico Mauritaniæ Rege cum 15000 hominum occiſus eſt. 1130. a.

Securitas nimia multos perdidit. 429. b.

Seleucus Nicanor, I Syriæ rex, Antiochi Macedonis & Laodices filius. 371. a. Nota ejus genitiva. *ibid.* Mattis ejus ſoſſnium. *ibid.* Ejus uxores. *ibid.* Cur uxorem ſuam

ſuam Stratonicen filio Antiocho in matrimonium dederit. 372. a. 373. b. A Ptolem. Cerauno interficitur. 372. a. 373. a. Quatuor urbes in Syria condidit. 372. b. Ejus acta bellica. 373. a. Ejus regnandi cupiditas. *ibid. b.*

Seleucus Callinicus, I V. Syriæ Rex, Antiochi Thei filius. 376. a. Novercam Berenicen, inſtinctu matris, contra fidem datam, interficit. *ibid.* Ptolemæus Evergetes cur eum regno expulerit. *ibid.* Cum fratre bello congreditur. *ibid. b.* Oraculi reſponſio de poſteris ejus. *ibid.*

Seleucus Ceraunus, V. Syriæ Rex, Sel. Callinici filius. 377. a. Ejus bellum cum Attalo Rege Pergami. *ibid.* Dolo Gallorum occiditur. *ibid.*

Seleucus IV Philopator, VII. Syriæ rex, Antiochi M. primogenitus. 381. b. Regni occupatio & adminiſtratio deſcribitur ab angelo. *ibid.* Cur Heliodorum Quæſtorem Jeroſolymam ablegarit. 382. a. Exitus ejus fuit tragicus. *ib.*

Saliæ leges ſub Pharamundo filio Marcomiri latæ. 896. a.

Semiatinus, i. e. Cyrus. 150. a.

Semiramis, Monarcha I V, unde originem duxerit. 27. b. Quare ſic appellata. *ibid.* Expoſita ab avibus educatur. 28. a. & 190 b. Ejus geminum conjugium, viduitas & libido. 28. a. Cum filio concubitum petiit. *ibid.* & 33. a. Legem tulit, qua concubitus parentum cum liberis concederetur. 28. a Equum adamavit teſtante Juba. *ibid.* Ejus crater à Cyro inventus, quanti æſtimatus fuerit. *ibid. b.* prima Eunuchis uſa fuit. *ibid.* Nino marito in imperio ſucceſſit. *ibid.* De hac ſucceſſione variæ opiniones. 29. a. Mentita ſexum virilem, Juſtino teſte. *ibid.* Ninum enecaſſe dicitur. 28. a. 29. a. Babylonem delegit Regiam, inſtauravitque & amplificavit. 30. a. Ejus Obeliſcus. 31. a. Iter ad Iarcicum montem Mediæ longiſſimum, magno ſumtu, breviſſimum effecit. *ibid.* Virtute in rebus bellicis feminas non modo, ſed & viros anteivit. *ibid.* Cur eam Alexander M. admiratus ſit. *ibid.* Præfecto Babylonico ab ea deficienti quid fecerit. *ibidem b.* Vulneratur in prælio 32. b. Idololatriam auxit. 33. a. Interfecta à filio. *ibid.*

Senatusconſulta ridicula de legibus matronalibus per Senatulum mulierum evulgata. 603. b.

Seneca, Neronis Præceptor, quare librum de Neronis clementia ſcripſerit. 503. a. A Nerone coactus eſt ſe ipſum interficere. 505. b.

Sennacherib, Monarcha XLII, filius Salmanaſſaris & imperii hæres. 52. b. Ejus varia nomina. *ibid.* Cur bella duo geſſerit valde cruenta. 53. a. In ejus caſtra Jeroſolymam cingentia Angelus exterminator quare miſſus. 53. b. Tobiam patris ſui Procuratorem exilio cur mulctaverit. *ibid.* Ejus ſtatua in Vulcani templo. 54. a. & 4. a. Quo anno interierit. 57. b. Baculus impiorum vocatur, & virga dominantium. *ibid.* Iſraelitas delere voluit, ſed infelici ſucceſſu. 43. a. Ejus exercitus ab angelo proſtratus. *ibid.* In ſacello idoli ſui à propriis filiis interfectus eſt. 4. a. 48. a. 53. a. b.

Septem dormientes reviviſcunt. 732. a.

September, cur Tacitus appellatus ſit. 640. b. Germanicus à Flav. Domitiano appellatur. 542. b.

Septenarius. V *Numerus.*

Septimius Severus pertinax, XXI. Imperator Romanorum. Marci Getæ, Equitis Romani, filius. 595. b. Hic ſolus ex Africa oriundus ad imperium Romanorum eligitur. *ibid.* Ejus appellatio. *ibid.* Proſopographia, educatio & acta juventutis. 586. a. Conjugium. *ibid.* Baſſianum filium Cæſarem facit. *ibid.* Cur eum Antoninum vocarit. *ibid.* Acta ante imperium. *ibid. b.* Varia futuri imperii omina. *ibid.* Imperii occupatio & adminiſtratio. 587. a. & 585. a. Cur Flavianum interfici juſſerit. 587. b. Manſuetudo ejus erga Pollenii Sabinii mordax dicterium. 588. a. Ejus ſymbolum. *ibid.* Ejus acta ſagata. *ibid. b.* Cur cum Pescennio Nigro bellum geſſerit. *ibid.* Viri ſub eo in Eccleſia celebres. 589. b. Chriſtianos perſequitur. 590. a. Ejus verba ante mortem: & mors ipſa. *ibid. b.* & 591. a.

Sepulcrorum apud Ægyptios cur major cura fuerit quam domorum. 326. b.

Sergius Galba, VII. Imper. Rom. Galbæ Sulpicii Conſulis, & Mumiæ Achajæ filius. 511. a. Ejus proſopographia & natura. *ibid.* Conjugium. *ibid.* luxuria & libido. *ibid. b.* Acta politica ante imperium. *ibid.* Futuri imperii præfiguratio. 512. a. Ejus imperii occupatio. *ibid. b.* Adminiſtratio. 513. a. Ejus ſomnium. *ibidem b.* Interficitur à conjuratis. 514. a. Ejus noviſſima verba. *ibid.* Ejus caput amputatum per caſtra portatur. 514. a. Ejus encomia. *ibidem.*

Seſoſtris Rex Ægypti feliciſſimus, aureo curru, qui à quatuor à ſe devictis regibus trahebatur, vehi ſolitus eſt. 159. a.

Setho, Rex Ægypti & Vulcani ſacerdos, quid impetraverit. 53. b.

Sethus Calviſius perſtringitur, quod Darium regnum Babylonicum non vi occupaſſe putet. 135. b.

Sevechus Æthiops, Rex Ægyptiorum. 50. b.

Severi Imper. teſtamentum ab Antonino filio violatur. 233. a.

Severus, à Galerio Maximino Imp. avunculo ſuo Cæſar creatus, apud tres tabernas Romæ extinguitur. 655. b.

Severus, I V Imperator Romanorum illegitimus. 738. a.

Severus Sulpicius errat, dum Darium 18 annis regnaſſe dicit, qua tempeſtate apud Medos regnarit Aſtyages. 134. b.

Sextilis cur & quando Auguſtus nominari cœperit. 442. b.

Sextus Pompejus, Pompeii M. filius, quale reſponſum Menodoro, eum ad perfidiam incitanti, remiſerit. 55. a.

Sexto Pontifici quid ſignificatum ſit. 47. a.

Siciliæ Reges cur ſe Reges Hieruſalem nominent. 952. a.

Sidon proditur Ocho Perſarum Regi. 289. b.

Sidonius Poeta coronatur, & ſtatua honoratur. 757. b.

Sigebertus pro Henrico I V. Imper. contra Papam ſcripſit. 914. a.

Sigiſmundus, XL. Imper. Germ. Wenceſlai frater, & Caroli I V Imp. filius. 78. a. 997. b. unanimi conſenſu Procer. eligitur. 998. a. Cur poſt 22 annos demum Romæ coronatus ſit. *ibid. b.* Ejus eximiæ virtutes, & dicta. *ibid.* Ducatum Saxoniæ, Alberto mortuo, occupat. 1000. b. Illius de doctis judicium, & cur illos magni faceret. 1001. a. Contemtor divitiarum fuit. *ibid. b.* Pace bonus, ſed in bello infelix fuit. 1002. a. Ejus bellum contra Turcas. *ibid.* Cur deriſus ſit à Cardinale Placentino. 329. a. b. Bellum Huſſiticum unde ortum. 1003. a. Ejus pacificatio cum Huſſitis. 1004. b. Synodum de trium Pontificum ſchiſmatibus tollendis inſtituit. 1005. a. Iohannem Huſſum ad Concilium vocat. *ibid. b.* Moritur. 1009. b.

Sileſiorum appellatio. 874. a.

Siloſontis liberalitas erga Darium compenſatur. 196. a.

Simon Maccabæus quomodo perierit. 105. b.

Simri, V. Rex Iſrael ſe vivum comburit. 42. a.

Simulationis perſonarum exempla recenſentur. 188. b.

Sinear terra ſedes Nimrodi. 9. b. quomodo olim vocata, & ubi ſita fuerit. *ibid.*

Siſinius, diſputationibus contentiones & hæreſes augeri, cenſet. 717. b.

Sixtus, Epiſcopus Rom. 25. ſub Decio Imp. martyrii coronam accepit. 625. b.

Sixtus V. Papa, Henricum Navarræ Regem & Princ. Condæum

dæum propter tutelam reformatorum, ut & Eliſabetham, Angliæ Reginam, propter patrocinium Belgicum, excommunicat. 204. b. 1114. a.
Sixtus IV Pontifex, licentiam & privilegium dat ſodomiam exercendi. 171. b.
Smalcaldici articuli. 1060. a.
Smalcaldicum Proteſtantium fœdus. 1059. b.
Smerdis, Patizithis frater, in ſolium Perſicum à Magis collocatur. 134. a. Quomodo ſe geſſerit erga ſubditos. *ibid.* b. mirabiliter patefactus fuit. 185. a.
So vel Sua, Rex Ægyptiorum. 50. b.
Socrates Oraculo ſapientiſſimus judicatus, deformis fuit. 220 b.
Sodomia à Pontifice conceditur. 171. b. 1030. b. à Iohanne della Caſa laudatur. 171. b. Hoc ſcelere delectantur Pontifices Romani. *ibidem.*
Sodomia Neronis. 501. a.
Sol in horologio Achas 10 gradus retroceſſit. 61. a.
Solomo Jeroboamum cur e medio tollere conatus ſit. 115. a
Solymannus Ibrahimo promiſſa jurejurando præſtita non ſervat. 54. b.
Somnium Alexandri M. ante Tyri expugnationem. 319. a. Cyri. 192. a. Didymi de interitu Iuliani Apoſtatæ. 114. a. Maſeſceri, Midiamitæ, & Hecubæ *ibid.* Polycratis filiæ. 195. b. Theocriti de aureo piſce. 228. b.
Somnia niſi ſint Θεόπνευστα fallunt. 233. a. Exemplis hoc demonſtratur. *ibid.*
Somnia Aſtyagis gemina. 113. b. Xerxis. 226. b.
Somniorum triplicitas. 68. b.
Sophiæ? Iuſtini II Imp. Conſtantinop. Conjugis, mira impietas in decollatum Iuſtini cognatum. 253. a.
Sophronia à Maxentio Imperatore ad libidinoſum concubitum ſollicitata, mucrone ſe transfodit. 656. b.
Soſares, Monarcha XXIII, Lampridi ſucceſſit. 37. b.
Soſarmus III Rex Medorum, Mandanis filius & ſucceſſor. 111. a.
Soſarmus, Monarcha XXXVI, Panniæ ſucceſſit. 37. b.
Soſthenes XI Rex Macedoniæ, Gallos pellit, & fere per annum regnat. 348. b.
Spaco Cyri nomen. 150. a.
Sparetus, Caſſiodoro Spataëthes, Monarcha XVII, Mamyli ſucceſſor. 36. b. Cum Syris & Phœnicibus bellum geſſit. *ibid.*
Spartanorum virtus laudatur. 345. a. Iuramentum, quod ephebi præſtare ſolebant. 246. a.
Spectrorum in Papatu adjurationis modus. 236. b.
Spectris an credendum. 234. b. An ſint. *ib.* Quid ſint 235. a.
Spectrum mulieris Antiochiæ viſum. 234. b. in balneis viſum, referente Nyſſeno. 235. a. ad fluv. Rubiconem Iul. Cæſar vidit. *ibid.* Item Brutus. *ibidem.*
Sphærus Monarcha XV, Mancalei filius & ſucceſſor, optime regnavit. 36. a.
Spira ad Rhenum à Conſtantio Chloro Imp. condita. 652. b.
Spiritus S. quod Deus ſit, probavit Nanzianzenus. 720. a.
Spurii plerumque ſunt mali, turbidi & inquieti. 352. b.
Statuæ Iovis, Junonis, & Opis, aureæ in Templo Beli. 30. b. Artemiſiæ & Rhodiorum civitatis. 32. a.
Status regnorum quis optimus ſit. 441. b.
Stellarum congeries literas exprimens. 695. b.
Stemmata Imperatorum Conſtantinopol. quaduplici B conſtant. 43. a.
Stephanus Batori, Rex Poloniæ. 16. b.
Stephanus Protomartyr N. Teſtamenti. 481. a.
Stoïcerus, certo die periculum ſibi imminere videns, quid egerit; quidque ipſi acciderit. 1080. b.
Stratocles Demetrii Regis adulator, quid dixerit. 232. b.
Stratonice Seleuci Nicanoris uxor, cur filio deſponſata ſit. 372. a.
Stratonis ſervus quo aſtu ad imperium pervenerit. 29. b.
Stuprum quomodo Apoſt. Paulus inter Gentes non nominari dicat. 374. a.
Subditi an Magiſtratibus ſuperiores ſint. 701. a.
Subditi fideles pro rege & principe vitam periculis objicere debent. 251. b. Hujus rei exempla enarrantur. *ibid.*
Subditorum officium erga magiſtratus. 77. a.
Succeſſiones in Principum & privatorum familiis certa periodo circumſcriptæ ſunt. 46. b.
Sueci ad Chriſtianiſm. convertuntur. 878. b.
Suetonius Hiſtoricus, cur ab Adriano Imper. gradu dignitatis expelſus ſit. 555. b. & 556. a. Hoſtis Chriſtianorum. 560. b.
Suidæ error. 93. b.
Sulpitius Severus Epiſcopus Bituricenſis. 726. b. Ejus error. 93. b.
Superbia prima iræ cauſa. 84. a.
Suppoſitionis perſonarum exempla. 188. b.
Suſan, Regum Perſicorum ſedes. 128. a.
Suſanna virgo, quod nollet nubere Maximiano Imperatori, religionis cauſa carceri includitur. 650. b.
Sylvanus Pſeudo-Imperator Rom. 679. a.
Symbola ſubjectionis quæ. 204. a.
Symmachus verſionem Bibliorum edidit. 590. a.
Synodus Apoſtolorum Ieroſolymis celebratur. 496. a. in Arabia ob hæreſin hanc, animas una cum corporibus mori & corrumpi, inſtituitur. 624. a. Epheſina II, infelix & latrociniis infamis. 730. b.
Synodi autoritatem majorem eſſe quam Pontificum, Baſileæ affirmatur. 1008. a.

T.

TAbulæ Alphonſinæ à quo conditæ ſint. 964. a.
Tacitus. V. *Claudius.*
Tamerlanes, Tartarorum Rex, Turcarum Imperatorem devincit, & in caveam includit. 995. a. b. Iram Dei ſe vocavit, & vaſtitatem Orbis. 43. a.
Tamerlanes Scytharum Princeps, gloriam magis quam ſpolia ſectatus, quomodo Bajazetem devictum allocutus ſit. 354. b.
Tautanes, Monarcha XXVIII, Mitræi ſucceſſor. 38. a.
Templariorum ordo inſtituitur. 918. a.
Templi Jeroſolymitani Pontifex ſummus fratrem in templo cur occiderit. 290. b. Ejus profanatio. *ibid.* Ejus ædificatio quando permiſſa fuerit, Hiſtoricorum diverſæ opiniones. 209. a. De ejus fundatione. *ibid.* b. Ejus ſtructura ſub quibus Regibus impedita fuerit. 210. b. Quod ſub quinque regibus impedita fuerit, negatur. 211. b. Quamdiu impeditio hæc duraverit. *ibid.* Repetitio, ſeu continuatio. 212. b. *& ſeqq.*
Templum ſecundum Jeroſolymitanum an XLVI annis exſtructum fuerit. 217. b. An Herodes illud reædificaverit. 218. a. b.
Templorum Chriſtianor. conſecrationis deſcriptio. 667. a. eorum emendationis memoria in Polonia, Sileſia, Miſnia quotannis celebratur. 878. b.
Templum Dianæ Epheſinum quo die & cur conflagrarit. 311. b.
Templum Jovis Beli. 30. b.
Templum Pacis Romæ exſtructum, quamdiu duraverit. 402. b.
Tennes prodens patriam & ſubditos ſuos; quale præmium acceperit. 289. b.

Terentii Gentilis verba de fragili hominum vita. 274. *b.*
Termini fatales Regnorum mundi. *Proleg.* 645. *a.*
Terræmotus tempore electionis Urbani VII Rom. Pontif. 1127. *b.* in Norſia, & Florentina. 1128. *a.* Conſtantinopoli. 1031. *a.* Antiochiæ. 39. *b.*
Tertullianus, quid dixerit. 564. *b.*
Tertullianus Afer, de præſcriptione contra Hæreticos ſcripſit. 589. *b.* Relicta vera religione ad Montaniſtas deſcendit. 590. *a.*
Teutæus, Monar. XXIX, ſucceſſit Tautani. 38. *b.*
Teutonicorum militum D. Johannis Ordo. 927. *a.*
Thalmudi Judæorum Anno Chriſti 191 conſcribitur. 578. *b.*
Themiſtocles Athenienſium Princeps. 776. *b.* Ab Athenienſibus patria pulſus, ab Artaxerxe in ſummo honore habitus eſt. 260. *a. b.* Tres urbes ei donantur. *ibid. b.* Quid reſcripſerit ad ſuos. *ibid.* Ejus glorioſum factum. 354. *b.* Trophæis Miltiadis ſe è ſomno excitari dixit. 325. *a.* Omnium Græcorum ſapientiſſimus fuit. 254. *b.* Cur patria pulſus ſit, & epoto ſanguine taurino, morte voluntaria occubuerit. 255. *b.*
Theodoricus Afer, Rex Arianus, Orthodoxum, valde dilectum miniſtrum, ob hypocriſin interfici jubet. 653. *a.*
Theodoricus Gothorum Rex, cum moneretur, ne temerario periculoſo ſe committeret (Romam enim quam obſidebat, militibus ſtipatiſſimam eſſe,) quid reſponderit. 245. *b.* Ejus tyrannis in Johannem Papam & alios punitur. 751. *b.*
Theodoricus Veronenſis Italiæ rex, Judicem ſuum quomode inſtruxerit. 177. *b.*
Theodorus, per 9 horas infandis tormentis afficitur, ſed ab Angelo ſolatium percipit. 695. *a.*
Theodoſius Magnus, XLIX Imp. Rom. 712. *b.*
Theodoſius II, LI Imper. Roman. Arcadii Imp. filius. 727. *a.*
Theodoſius III Adramyttenus, publicorum vectigalium exactor, Imperator invitus ſalutatur 802. *a.* Ultro deinde imperium depoſuit, & Clericus factus eſt. *ibid.*
Theodotion, hæreticus, Biblia vertit. 578.
Themiſtocles, ſe malle artem oblivionis, quam memoriæ, cur dixerit. 489. *a.* Ejus magna prudentia laudatur. 242. *a.* Ejus ſtrategema. 247. *b.*
Thermopylæ, unde nomen habeant. 244. *a.*
Theudas, præſtigiator populum Judaicum ſicco pede per Jordanem ducere vult, ſed occiditur à Cuſpio Fado. 497. *a.*
Thomæ Blaveri Scoti perſecutoris pœna. 1078. *a.*
Thomæ Volſæi, Regis Angliæ Sacellani, ſuperbia taxatur. 519. *a.*
Thomas Aquinas, Scholaſticus Theologus, Doctor Angelicus appellatus. 970. *a.*
Thryzus qualem legem tulerit. 117. *a.* Flendi libertatem adimere volens interimitur. *ibid. b.*
Thuras, Monarchiæ primæ Rex quintus. 35. *a.* Planetæ Martis nomen accepit. *ibid.*
Tiberius Cæſar, ſi quid excellens in ſubditorum nativitate inveniret, eos occidebat. 115. *b.*
Tiberius II, LX. Imp., Rom. à Juſtino Imp., uxoris ejus ſuaſu, imperator factus eſt. 768. *b.* Optime regnavit. *ibid.* De liberalitate erga pauperes à Sophia Juſtini Imper. vidua reprehenſus, quid reſponderit. 769. *a.* Sub tabula marmorea cruce Chriſti aureo ornata, invenit ingentem theſaurum. *ibid.* Narſetis theſauros nactus eſt. *ibid.* Sophia Auguſta cur ei inſidias ſtruxerit. *ibid. b.* Duo bella geſſit cum Perſis per Duces. *ibid.* Mauritio, ob Perſas devictos, triumphum & Cæſaris nomen decernit. 770. *a.* Valde pius fuit. *ibid.* Cum cucurbitas ſerotinas comediſſet, in tabem incidit. *ibid. b.* Mauritium generum ſuum Auguſtum declarat. *ibid.* Ejus oratio ante mortem. *ibid.* Ejus mors. *ibid.* Encomion. 771. *a.*
Tiberius III, cognom. Abſimarus, LXX Imper. Roman., qua occaſione ad imperium pervenerit. 798. *a.* Ejus bellum contra Saracenos *ib. b.* A Juſtiniano ad imperium reverſo occiditur *ib.* Milvo rapacior fuit. 194. *b.* Quod expetebat, id ſe odiſſe ſimulabat. 188. *a.*
Tiglath-Pileſer vel Tiglath Philaſſer, Monarcha XL, Belochi filius & ſucceſſor. 1. *b.* 48. *b.* Ejus varia nomina, & eorum ſignificationes. *ibid.* Quare novacula mercenaria vocetur. 49. *a.* Terram Gilead & Galilæam occupat. 48. *a.* Damaſcum Syriæ metropolin vi expugnat. *ibid.* A Rege Iuda in auxilium vocatur. *ibid.* Ieroſolymam obſidet. *ib.* Muneribus ab Achazo placatur. *ibid.*
Tigranes Rex Armeniæ Majoris, qua occaſione Rex Syriæ factus ſit. 395. *a.* Ejus bellum cum Romanis, ſocerum ſuum Mithridatem pellentibus. *ib.* Alterum cum Pompeio, cui ſupplex. *ibid. b.* Reſtituitur regno. *ibid.* Dum populum Romanum ſpernit, punitur. 199. *b.*
Tilemannus Heshuſius Doctrinam de majeſtate Chriſti impugnat 1104. *b.*
Timidus quod ſit homicida, demonſtratur. 776. *b.*
Timocreontis Epitaphium. 44. *b.*
Tineus, Monarcha XXX, Teuteri ſucceſſor. 83. *a.*
Tituli Regum & Antichriſti ex ſuperbia aſſumti. 42. *b.* 43. *a.* Regum potius à vi, quam à virtute, deſumuntur. 344. *a.* 348. *a.*
Titus Veſpaſianus, XI Imper. Roman., Flavii Veſpaſ. Imp. & Flaviæ Domicillæ filius. 529. *b.* Ejus nativitat. tempus & locus. *ibid.* Metopoſcopi mirum de eo præſagium. *ibid.* Ejus Proſopographia, educatio, & acta juvenilia. 530. *a.* Vitia juventutis. *ib.* Acta virilia. *ibid.* Politica ante imperium. *ibid. b.* Ejus electio ad imperium. 531. *a.* Laudabiliter regnat. *ibid.* Amor & deliciæ generis humani vocatur. *ibid. & 155. b.* 258. *a.* Ejus virtutes. *ibid. b.* Fratrem ſibi inſidiari non deſinentem fraterne admonet. 532. *b.* Ejus acta bellica. 533. *b.* Bellum Iudaicum à patre inchoatum abſolvit. *ibid.* Cur in cœna quadam dixerit, Hunc diem perdidimus. 258. *b.* Coronas triumphales ob devictam Ieroſolymam quare recuſarit. 537. *a.* Ejus triumphus cum Veſpaſiano *ib.* ejus verba ante mortem. 538. *a.* Febri extinctus eſt. *ib. b.* Tempus adminiſtrati regni. *ibid.* Senatus luctus. *ibid.* Veneno à fratre necatus, ut quidam tradunt. 540. *a.*
Tobias ſenior, Salmanaſſaris rerum Procurator. 52. *b.* à Sennacheribo in exilium miſſus. 53. *b.*
Tholoſani ſententia, quod Adamus primus fuerit Magiſtratus, refutatur. 14. *a.*
Tomyris Maſſagetarum regina, Cyrum cum 200000 Perſarum trucidavit. *Proleg.* 31. *b.* 121. *b.* 163. *b.* 165. *a.*
Tonoſconcoleros, ſive Sardanapalus. 40. *a.*
Trajanus Imperator quibus verbis gladium præfecto prætorii tradiderit. 350. *a.* Quare à Conſtantino imperatore herba parietina vocatus ſit. 43. *a.*
Trebonianus Gallus, XXXII Imp. Rom. Patricius. 627. *a.* C. Vibius Treben. Gallus appellatur à Pomponio Læto. *ib.* Per fraudulentiam ad imperium pervenit. *ibid. b.* Filium ſuum Voluſianum imperii conſortem fecit. *ibid.* Ejus muniſmata doloſa. *ibid.* Ejus hypocriſis & immanitas. *ibid.* Hoſtis Chriſtianor. acerrimus fuit. *ibid.* Pœna divina. 628. *a.* Peſtis ſub eo graviſſima per totum Orientem vagatur. *ibid.* Sub eo populus Rom. primum Scythicæ

Scythicæ ſervitutis jugum accepit. *ibid.* Qua occaſione à militibus ſuis cum filio necatus ſit. *ib. b.* Eorum ſymbola. *ibid.*
Tridentinum Concilium quod fuerit Cœtus malignantium. 1062. *a.* In nomine Antichriſti inceptum. 1064. *b.* Reges Galliæ & Angliæ hoc improbant. 1066. *a.* Ejus errata, & peccata in ingreſſu, in progreſſu, & egreſſu. *ibid. b.*
Triumphus ante victoriam vanus, exemplis depingitur. 203. *b.*
Tryphon XIV Syriæ Rex, Apamienſis, Antiochi Enthei tutor. 391. *a.* Ejus regni fraudulenta occupatio. *ibid.* Crudelis erga ſubditos fuit. 391. *b.* Capitur & interficitur. *ibid.*
Tubingenſis Academia fundatur. 1014. *a.*
Turcæ cur diem Veneris, loco *diei dominicæ*, obſervent. 405. *b.* Tempora ab *aufugio* Mahometis ex urbe Mecha ſupputant. *ib. infenſiſſimi* Chriſtianorum hoſtes. 1101. *a.* Eorum Calendarium. 788. *b.* à tempore Ferdin. I. non potuerunt ulterius in Germaniam penetrare. 1085. *b.* Eorum Regnum cum Iubilæo Papali cœpit. 976. *b.*
Turcici Imperatores omnium Imperatorum termaximos ſe appellant. 43. *a.* Regni origo. 404. *b.*
Turris Babylonica à Nimrodo ædificata. 10. *b.* Ejus materies, & forma. *ibid.* Finis ejus triplex. *ib. & 11. a.* Tragicus ejus eventus. *ibid.*
Turris Argentinenſis exſtructio inchoatur. 970. *b.*
Turris Uratislavienſis corruit. 1080. *b.*
Tycho Brahe, Eques Danus, & Mathematicus inſignis. 1124. *b.*
Typographiæ ars quando inventa ſit. 1016. *a.*
Tyranni tres tantum nominari poſſunt, quorum mors placida fuerit. 108. *a.* Natura ſunt timidi. 11. *a.* Eorum exitus tragicus exemplis demonſtratur. 107. *b.* 108. *a.* 182. *b.* Eorum humiliatio deſcribitur. 88. 89. Eos ſuibus eſſe ſimiles, Ælianus demonſtrat. 543. *b.*
Tyranni vox olim honeſta erat. 92. *a.*
Tyrannis intolerabilior quæ. 70. *a.*
Tyrannis Pontificiorum, XXX annorum ſpatio nongenties centena millia hominum innocentum abſumpſit. 1098. *b.*
Tyrus metropolis Phœniciæ capitur. 64. *a.* Similis fuit Venetiis. *ibid.* Bis vaſtata. *ibid.*
Tyrus cur ſic dicta fuerit. 319. *a.* Herculem coluit. *ibid.* Bis vaſtata. *ibid.*

V.

VAlens, Imperator, Valentiniani I frater, & conſors imperii. 703. *b.*
Valentinianus I, vel Magnus, XLVII Imper. Roman. 700. *a.*
Valentinianus II, ſive Iunior, Gratiani Imp. conſors. 711. *a.* Ejus matris Iuſtinæ impietas in Orthodoxos *ibid.* Poſt mortem patris ab exercitu eligitur. *ibid. b.* Inſtinctu matris Arianis addictus fuit. 712. *a.* Maximo Tyranno interfecto in Occidentis imperium reſtitutus eſt. *ibid.* Ambroſium cur perſecutus ſit. *ibid.* Cur eum poſtea dilexerit. *ibid. b.* Arbogaſtes cur eum ſtrangulari curaverit. *ibid.*
Valentinianus III, LII Imp. Rom. Conſtantii, Patricii Rom. filius. 733. *a.* Ejus pater ab Honorio Imper. conſors imperii factus eſt. *ibid.* Ejus proſopographia, & natura. *ibid. b.* A Theodoſio II puer ſex annorum Cæſar creatus eſt. *ib.* Mortua matre, in omnis generis ſcelera projectus eſt. 734. *a.* Cum ipſo Occidentis imperium corruit. *ibid.* Petronii Maximi uxorem formoſiſſimam vi ſtupravit. *ibid.* Attilam per Aëtium ducem vincit. *ibid.* Pallii uſum Epiſcopis conceſſit. 736. *a.* Conſtituit, ne Clerici cauſas dijudicent. *ibid.* Ejus mors. *ibid. b.*
Valentinus Hæreſiarcha. 565. *a.*
Valeria Meſſalina, libidinoſiſſima femina, Claudii Tiberii Druſi uxor quid fecerit. 490. *a.* Tandem jugulatur. *ibid.*
Valerianus imperat. quo anno Imperii à Sapore captus ſit. 57. *b.*
Valerius Aurelianus, XXXV Imper. Roman. Æditui in Pannonia filius. 636. *a.* Ejus proſopographia, & natura. *ibid. b.* Ancillam ſuam, adulterium cum ſervo committentem, capite punit. 637. *a.* Inedia ſe *ipſum* curavit. *ibid.* Cur Hunilam, Gothicam mulierem nobilem, Bonoſo Imper. uxorem dederit. *ibid.* Militem qui adulterium cum hoſpitis uxore commiſerat, crudeliter necavit. *ibid. b.* Leges militares tulit. *ibid.* Virtute ad imperium pervenit. 638. *a.* Trux & ſævus fuit, imo filii ſororis interfector. *ibid.* Bellum contra Suevos, Sarmatas, Marcomannos, urbem Tyanam, Zenobiam Reginam, & Zabam ſociam, &c. geſſit. *ibid. a. b.* Calliditate Marcomanorum funditus pene deletur. *ibid.* Quale numen in templo Heliogabali invenerit. *ibid. b.* Ejus epiſtola ad Zenobiam. 639. *a.* Zenobiam vincit, & capit. *ibid.* Cur Carpii cognomen repudiarit. *ibid.* De Occidente & Oriente triumphat. *ibid. b.* Quid in Chriſtianos molitus ſit. *ibid.* Fraude Notarii ſui Mneſthei periit, cum contra Perſas tenderet. *ibid.* Pædagogus Senatorum, à populo vocatus eſt. 640. *a.*
Valerius Maximianus Herculeus, XLI Imper. Roman. 649. *b.* Ejus conjugium. 650. *a.* A Diocletiano Imper. Cæſar creatur, & Auguſtus appellatur. *ibid. &* 647. *b.* Ejus acta Togata & Sagata. 650. *a.* Acerrime Chriſtianos perſecutus eſt. *ibid. b.* Suaſu Diocletiani imperium depoſuit. 651. *a.* Conſtantino genero ſuo clanculum inſidias ſtruit. *ibid.* Strangulatur, juſſu Conſtantini. *ibid.* Ejus ſymbolum. *ibid.*
Vaphres Rex Ægypti regno exuitur. 67. *a.*
Varnenſis clades. 1016. *b.*
Vaſthi, Artaxerxis uxor, eſt typus mundi. 270. *a.*
Vaticinia varia Regis Galliæ Henr. IV mortem prædicentia 1143.
Vbiquitatis origo. 1104. *b.*
Der Vito-Tanz. 992. *a.*
Venationes an ſit licitæ. 18. Salubertimæ ſunt. *ibid. b.* Homines reddunt temperantiores. *ibid.*
Venator primus Nimrod. 19. *a.*
Venericus de diſcordia regni & ſacerdotii ſcripſit. 914. *a.*
Venetiæ cum Tyro comparantur. 64 *a.*
Venetiani Duces, unde morem ſibi cum annulo aureo deſponendi maris acceperint. 938. *a.*
Venetorum cum Papa Paulo V diſceptatio. 1116. *a.*
Venus Babylonica. 81. *a.*
Venus cur Verticordia appelletur. 369. *b.*
Verba Regum debent eſſe regia. 54. *b.*
Verba per ſtellas in cœlis ſcripta de morte Iuliani Apoſtatæ. 695. *b.*
Veritas in aulis exulat. 702. *b.*
Veritatem in aula Franciæ exulare dixit Ludovicus XI, Rex Franciæ. 148. *a.*
Veſpaſianus Imperator quid fecerit. 83. *a.*
Veſta Romanorum numen. 13. *a.* Quid ſignificet. *ibid.*
Veſtales Virgines. 13. *a.*
Veſtis cur in S. Scriptura לבוש vocetur. 297. *b.* Luxuria, ægritudinis & civitatis indicium. 815. *b.* Exceſſus & levitas. 296. *a.*

Vettannio Pſeudo Imperator Rom. 678. b.
Victor Epiſcop. Rom. ſeveritatis impeſtivæ erat. 578. a. Cur Epiſcopos Aſiæ excommunicare voluerit. 590. a. Supplicio afficitur. ibid.
Victor, Cemmenſis Epiſcopus. 764. a.
Victoria ἐπιγλαυκὶς 636. b. In bellis à Deo eſt. 255. a. An in multitudine militum conſiſtat, exemplis demonſtratur. 237. a.
Victoria, navis Magellani, cur ſic dicta ſit. 1079. b.
Vienna à Turcis obſeſſa liberatur. 1052. b.
Virgilius 6562 Ioachimicis ab Octavia, Auguſti ſorore, cur donatus ſit. 450. a.
Viſionum de Monarchia IV apud Danielem explicatio. 397. &c. In Apocalypſi. 408.
Vita humana quid ſit. 1139. a.
Vitis quo anno & ubi inventa ſit. 37. a.
Vitrariorum officina deſcribitur. 470. b.
Vitrum ubi primo repertum fuerit. 21. b.
Vladiſlai Bohemiæ & Hungariæ Regis verba de indoctis. 329. a.
Vldaricus Bohemorum XXI Dux ignobilem in uxorem ducit. 114. b.
Vlemerodachus. 93. a.
Vlpianus JCtus, Alexand. Severo Imper. Chriſtianos odioſos reddit. 611. b. Interficitur. ibid.
Vlvilda Regis Danorum Hadingi filia, privato homini nuptum elocata quid fecerit. 114. b.
Vngaria quando regni titulum acceperit. 887. a.
Vocabula antiqua & obſoleta in oratione non uſurpanda. 438. b.
Voluptatis punitæ exempla. 45.
Vr Abrahami patria quare Vr Caſdim appelletur. 13. b.
Vrbes à Nimrodo ædificatæ enumerantur. 10. a. De iis doctorum diverſæ opiniones. ibid.
Vrſus quare & quomodo cum Monarchia ſecunda comparetur. 119. a. ſeqq.
Vrſi ortus. 119. a. Ejus critica explicatio. ibid.
Vſa arcam Dei tangens moritur. 99. b.

W.

WAldenſis perſequutio. 1076. a.
Wenceslaus, XXXVII Imp. Germ., Caroli IV Imper. filius. 992. b. Ejus fœda nomina. ibid. Stercore baptiſmum & aram fœdavit. ibid. Coëmtis ac bene extortis ſuffragiis eligitur. 993. a. Graviſſ. vitiis & flagitiis laboravit. ibid. Genuam Regi Franciæ vendidit. ibid. Magicis artibus delectatus fuit. ibid. b. Aliquoties à Pragenſibus captivus detentus fuit. ibid. Removetur ab imperio. 994. a. In regno ſuo Bohemia reliquam ætatem exigit. ibid. b. Qua occaſione interierit. ibid.
Wenceslaus Maximil. II filius. 1092. a.
Wilhelmus, Comes Hollandiæ, XXVIII Imper. German. 961. b. Ejus ſoror Margareta Hagæ-Comitis in Holland. uno partu 365 infantes vivos peperit. ibid. Qua ratione ad imperium pervenerit. 962. a. & 954. a. Cur nihil memorabile fecerit. 962. a. Ejus cum Friderici Imperatoris filio bellum. ibid. b. A quibusdam fugitivis, Friſia ſubacta, cuſpidibus transfigitur, & perit. ibid. In Selandia Middelburgi ſepultus eſt. 963. a.
Wilhelmus Grumbachius ab Auguſto Electore Saxoniæ captus, ac diſſectus in quatuor partes. 1094. b.
Wilhelmus, Princeps Auraicus. Ipſius ortus, in ipſum inſidiæ. Virtutes ejus, & mors. 1131. b.
Willigiſus Moguntinenſis Septemvir, & ejus ordinis autor, unde ortum traxerit, & quid fecerit. 193. b. ſeq. 522. b. 885. b.
Winſperg / Bavariæ opidum, à Conrado Imperatore cur in gratiam receptum ſit. 55. a.
Wirtenbergenſes Comites, quando in ordinem Ducum evecti ſint. 1024. a.
Wittebergenſis Academia quando fundata ſit. 1023. b. 1027. a.

X.

XErxes, Monarchiæ II Monarcha IV. 219. b.

Z.

ZAchariæ muto redditur ſermo. 457. b.
Zaleucus Locris Orientalibus leges dedit, ut adultero bini oculi effoderentur. 723. a.
Zatus, Lazorum Dux, ſit Chriſtianus, & baptizatur Conſtantinopoli. 752. a.
Zedekias fidem fallit, & punitur. 59. b.
Zedekias à Rege Babylonis in locum patrui ſubſtitutus deficit. 65. b. 66. a. Babylonem captivus ducitur. 65. a. b.
Zeno Iſauricus, LV Imper. Rom. 742. b. A filio ſuo Leone II Imperii conſors electus eſt. 743. a. Tyranno quam Principi ſimilior fuit. ibid. Ejus acta Eccleſiaſtica. ibid. b. Exulat, Baſiliſco imperium vi occupante, ſed tandem reducitur, & Baſiliſcum in caſtello quodam fame perire juſſit. ibid. Ejus tragica mors. 744. b.
Zigetum à Turcis expugnatum. 1093. b.
Ziſca, Huſſitarum dux cæcus, multas victorias obtinuit. 1003. a. Moriturus; pellem cadaveri ſuo cur detrahi, & ex ea tympanum fieri juſſerit. 1004. a.
Zonaras. 48. b. Quam ob rem ſit reprehendendus. 105. a.
Zopyrus, Megabyzi filius, Dario fidus. 199. a.
Zoroaſtres Scythiæ Rex, Magicæ artis inventor. 26. b. Ejus arx munitiſſima, Semiramidis conſilio capitur. ibid.
Zyto, Wenceslai Imperatoris Magus, quid fecerit. 993. b.

FINIS.

IN

IN LIBROS QUATUOR MONARCHIARUM PROLEGOMENA.

VT recto ordine in Monarchiarum tractatione progrediamur, placet Prolegomena præmittere, antequam ad ſpecialem Monarchiarum deſcriptionem accedamus. Agemus I. *De Monarchiæ notatione.* II. *De Monarchiæ deſcriptione.* III. *De Monarchiarum numero & quantitate.* IV. *De Monarchiarum relatione, ſive ordine.*

I. De Monarchiæ nomine, ejusque notatione.

Apud Chronologus decantata vox eſt, quod *Monarchiæ temporum atque hiſtoriarum ſint columnæ.* De vera autem Monarchiæ *Etymologia* tenendum eſt, quod illa ſit duplex: nempe *abſoluta*, & *comparativa.*

Abſoluta (ſive generalis) eſt, qua μοναρχία dicitur à μόνος, hoc eſt, ſolus, & ἀρχὴ, hoc eſt, imperium: quod in Monarchia unus imperare debeat. Quæ notatio *Bodino in libr. de Method. Hiſtor. c. 7.* arridet, ut ex illa evincere poſſit, Romanum Imperium non eſſe Monarchiam. Siquidem in eo potius vigeat Ariſtocratia, quam Monarchia.

Comparativa (ſive ſpecialis) eſt, qua dicitur à μόνος, & ἀρχὴ, κατ' ἐξοχὴν ſic dicta. Ita ut ſenſus ſit: Monarchiam eſſe ſummum in mundo imperium, ſive tale Regnum, quod Majeſtate ſua omnia reliqua Mundi Regna ſuperet atque vincat, quaſi ſolum & unicum, cui cætera velut capiti ſubeſſe cogantur. Omnia enim Regna cætera quotquot in Orbe exſtiterunt, vel etiamnum exſiſtunt, ad Monarchiam, tanquam ad caput, referri debent.

II. De Monarchiæ Definitione.

Si *Monarchiam* recte definire velimus, oportet nos diſtinguere inter *Monarchiam Politice & Theologice* acceptam.

Monarchia Politice vel generaliter accepta, definitur ab *Ariſtotele* in Politicis, quod *ſit Imperii forma ubi unus imperat omnibus.* Et hanc ſententiam Ariſtotelis *Bodinus* aliique ſequuntur.

Monarchia vero *Theologice* vel ſpecialiter accepta, *eſt ſummum in Orbe imperium, à Deo ipſo præfiguratum, & à Daniele Propheta ex Spiritus S. inſpiratione explicatum, quod Deus præ cæteris Mundi regnis magna poteſtate armavit atque Majeſtate ornavit ut præ illis emineat.* Unde patet, quod, quando de IV Monarchiis loquimur, nos ſint illæ ex ſchola Ariſtotelis, ſed Spiritus S. definiendæ. Ille namque Monarchiam accipit in ſenſu abſoluto, non comparativo; ſed perperam. Nam quando Monarchiæ numerantur & diſtinguuntur, non tam *ad ſtatum unius Regni*, quam ad *ipſam molem imperii* ſive *ad ſupremam in toto Orbe potentiam* reſpicimus; illamque Monarchiam κατ' ἐξοχὴν appellamus, quæ præcipuum & ſupremum eſt in orbe Regnum, Legibus conſtitutum, & armis viribuſque ad tuendam diſciplinam inſtructum, licet plures in eo ſimul imperent; uti, in Imperio Romano, tum ante, tum poſt diviſionem, factum eſſe, hiſtoriæ docent. Hinc *ipſe Spiritus S.*

IV *Monarchias appellat* παμβασιλείας, *hoc est, catholica & universalia imperia, illisque totius Orbis dominium assignat.*

De prima Monarchia hoc affirmat, quando *Daniel* Propheta *c.* 2. *v.* 37. *Nabuchdonosorem* (qui illo tempore Monarcha Babyloniorum erat) *Regem Regum* appellat, cui Deus cœli OMNIA, in quibus habitant filii hominum, in manus dederit, ac sub ejus dominio UNIVERSA constituerit. Et *Dan.* 4. *v.* 19. de eodem dicitur, potestatem ejus pervenisse in *terminos* UNIVERSÆ TERRÆ.

De secunda Monarchia Daniel c. 8. *v.* 4. inquit: Vidi ARIETEM (hoc est, Regem Persarum) cornibus ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem. OMNES *bestiæ* non potuerunt resistere ei, neque liberari de manu ejus. Ita 2 *Paral.* 36. *v.* 32. de Cyro primo Monarchiæ Persicæ authore dicitur, quod Dominus Deus illi OMNIA REGNA TERRÆ dederit. *Esdræ* 1. *v.* 2.

De tertia Monarchia Dan. 2. *v.* 39. dicitur, quod imperatura sit UNIVERSÆ TERRÆ.

De quarta Monarchia Dan. 2. *v.* 40. exstat: OMNIA conteret atque comminuet. *Luc.* 2. *v.* 1. Exiit decretum à *Cæsare Augusto*, ut censeretur πᾶσα οἰκουμένη, hoc est, *totus orbis.* In quam sententiam etiam *Petronius* canit:

Orbem jam TOTUM *Victor Romanus habebat.*

Et Romanum Imperium παμβασιλεία, hoc est, *catholicum sive universale imperium* vocatur à *Pompeio*, versiculis aureo Victoriæ simulacro inscriptis, cum cœlitus illud tactum esset, dejectis alis. *Natal. Com. in Mytholog.* Et *in lib.* 4. *Epigram. Græcorum à Iohanne Brudæo Turonensi illustratorum. Edit. Basiliens.* Anno 1549. *pag.* 487. ita legitur: Εἰς ἄγαλμα νίκης ἄπτερον ἐν Ῥώμῃ, ἧς τὰ πτερὰ κεραυνῷ κατεφλέχθη, Πομπηΐου.

Ῥώμη παμβασιλεία τεὸν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται.
Νίκη γάρ σε φυγεῖν ἄπτερος οὐ δύναται.

DVBIVM.

At dicat aliquis: *Si* IV *Monarchiæ sunt catholica orbis Imperia; qui igitur fit, quod nullus unquam Monarcha omnibus Gentibus ac populis in mundo imperasse legatur?*

Quod nulla unquam Monarchia omnibus omnino mundi partibus dominata sit; sicut neque hodierna Monarchia Romana omnibus Gentibus imperat; sed exiguis finibus circumscripta est: illud duplici de causa fieri dicendum est.

1. *Propter perversum hominum ingenium*: ut quidam Historici volunt, qui scribere haud verentur, hoc ipsum confusioni ac perversitati humanæ tribuendum esse, quæ caput à Deo ordinatum non velit agnoscere.

2. *Propter Mysterium*: (quæ ratio nobis placet.) ut insinuetur, quod Deus atque Christus ejus sit Rex παντοκράτωρ præter Eum namque nihil infinitum agnoscimus, vel ratione οὐσίας, hoc est, essentiæ; vel ratione παρουσίας, hoc est, præsentiæ; vel denique ratione ἐξουσίας, sive potentiæ. *Psalm.* 72. *v.* 8. *Zach.* 9. *v.* 10. Et hac de causa nullus unquam sub sole absolute catholicus mundi Monarcha fuit.

Nam *omnes Monarchiæ fatales suos terminos habuerunt, ultra quos progredi non potuerunt, ut omnes Reges agnoscant, se esse sub* DEO; sicut *Ioseph* dicebat *Gen.* 50. *v.* 19. Sic PRIMA MONARCHIA CHALDÆORUM & ASSYRIORUM fatalem terminum habuit *Hellespontum*, angustum illud fretum inter Asiam & Europam prope Constantiopolin inter-

interjacens. Teſtatur hoc exemplum *Semiramidis*; de quo vide *Diodor. Sicul. lib. 2. de rerum antiquit. c. 5.*

SECUNDA MONARCHIA MEDORUM & PERSARUM, fatalem terminum habuit, non tantum *Helleſpontum*, cum prima Monarchia communem; ſed etiam verſus Septentrionem terminus illi fatalis fuit *Tanais fluvius*, & *mons Caucaſus*. Iſque eidem cum MONARCHIA TERTIA GRÆCORUM communis fuit. Sic *Darius Hyſtaſpis* & *Xerxes* Helleſpontem tranſgreſſi, cum exercitu, re infecta, magniſque cladibus acceptis, intra fatales terminos revocati ſunt: ſicut teſtatur *Strigelius in Chron. pag. 71. Cyrus, primus Monarchiæ Perſicæ fundator*, ad Colchidem à *Tomyri* Maſſagetarum Regina victus eſt. *Herodotus lib. 1. Darius Hyſtaſpis*, contra Scythas profectus, re infecta domum eſt reverſus. *Herodot. lib. 1.* Et notandum eſt, quod nullus Rex in Septentrionem altius aſcenderit *Dario*, ſed tamen ultra Tanaim fluvium non eſt progreſſus, *Alexander Magnus*, non irritatis feris gentibus Septentrionis, Portas Caſpias, ferratis repagulis obſeratas clauſit, ut gentes Scythicas hoc pacto ob Aſiæ aditu arceret. *Plutarchus in vitâ Alexandri.*

QUARTA denique MONARCHIA ROMANORUM, verſus Orientem fatalem terminum habuit *Euphratem*. Quandocunque enim Romani ultrà Euphratem progreſſi ſunt, ſemper infelices fuerunt: ſicut teſtantur exempla *Cari*, *Valeriani*, *Iuliani Apoſtatæ*, Imperatorum Romanorum; de quibus conſulantur *Philippus Melanchth. in Chron. lib. 3. pag. 193. Cuſpinianus* & *Flavius Vopiſcus* in vita Cari Imperatoris *p. 104. Chytræus* in Joſuam *fol. 67.* Hunc tranſgreſſus

Craſſus, ad Euphratem, Natumque, Aquilaſque, ſuoſque
Perdidit, & leto eſt ultimus ipſe datus.

V S V S.

Diſcimus nos hinc: I *Omnia regna mundi & Imperia eſſe periodica*; hoc eſt, Deum conſtituiſſe περιοδείαν; (uti *Paulus* in concione ad Athenienſes habita *Act. 17.* inquit:) hoc eſt, conſtituiſſe metas & fines ſingulis imperiis, ultra quas metas & fines progredi haud potuerunt. Confer *Syſt. noſt. Polit. l. 2. Exercit. 1. pag. 218.*

II. *Solum Chriſti regnum eſſe œcumenitum.* Intellige *non corporale*, (quod Chriſtus non habuit; quia regnum ejus de hoc mundo non fuit, *Ioh. 18. v. 36.*) *ſed ſpirituale*: quia ipſe ſolus dominatur à mari uſque ad mare & terminos terræ. *Pſal. 72. 1. Pſal. 110. 2. Zach. 9. v. 10.* Ac proinde omnes mundi Reges ac Domini, faſces Chriſto ſponte ſubmittere, eumque Regem Regum & Dominum dominantium, ſicut *Apoc. 16.* vocatur, imo Deum & Creatorem ſuum, agnoſcere debebant.

III. DE MONARCHIARUM QUANTITATE.

Monarchiæ in prædicamento Quantitatis ratione Numeri, hoc eſt, *Quotnam* earum ſint, conſiderantur. Ubi nos ductum Scripturæ S. ſequuti dicimus, quatuor eſſe Monarchias; id quod ex *duabus viſionibus Danielis* probamus.

In capite 2. quatuor Monarchiæ præfigurantur per Statuam à Nabuchdonoſore in ſomnio viſam, quæ in quatuor partes dividitur. 1. in *caput aureum*. 2. in *pectus* & *brachia argentea*. 3. in *ventrem* & *femora ænea*. 4. in *tibias ferreas, pedeſque* ex parte tum *ferreos*, tum *fictiles*. Ubi diligenter notandum eſt, quod *ſtatua illa Danielis* non ſit conſideranda *materiali-*

rialiter, hoc eſt, ſecundum materiarum diverſitatem; ſed *formaliter*, hoc eſt, ſecundum diverſam partium corporis applicationem.

In cap. 7 eædem Monarchiæ præfigurantur per 4 diſtinctas Beſtias. 1. Per *Leonem* alis aquilinis ornatum. 2 Per *Urſum* carnivorum. Per *Pardum* alatum. 4. Per Beſtiam terrificam adſpectuque horrendam.

IV. DE MONARCHIARUM RELATIONE, vel ORDINE.

Monarchiæ in prædicamento Relationis conſiderantur ratione *Ordinis*. Qui talis eſt: 1. Eſt *Monarchia Chaldæorum* (Babyloniorum,) vel *Aſſyriorum*. 2. *Monarchia Medorum* & *Perſarum*. 3 *Monarchia Græcorum*. 4. *Monarchia Romanorum*. De hiſce in 4 libris (in nomine Iehovæ) acturi ſumus

Deus T.O.M. ingreſſum inſtruat, progreſſum dirigat, & egreſſum compleat, ad Nominis ſui ſacroſancti laudem & gloriam, meam multorumque hominum Salutem!

DE

DE

MONARCHIA PRIMA,

Quæ eſt

CHALDÆORUM, (Babyloniorum,) vel ASSYRIORUM.

LIBER I.

TRACTATIO GENERALIS.

PRÆCOGNITA.

I.

IN generali Monarchiæ PRIMÆ tractatione ſex veniunt notanda: I. *Triplex Monarchiæ primæ appellatio.* II. *Typica Monarchiæ I prefiguratio.* III. *Generalis ejus delineatio.* IV. *Monarcharum primæ Monarchiæ enumeratio.* V. *Genealogiarum ordinatio, ſive familiarum enumeratio.* VI. *Regia, vel habitatio.*

II.

I. *Triplex Monarchiæ primæ appellatio.*

Monarchia prima triplici nomine indigitatur.

1. Vocatur Monarchia BABYLONICA. Quia *Nimrod Chami nepos* Regiam ſuam ſedem in Babylone Chaldææ metropoli poſuit. Sicut patet ex *Gen.* 10. *v.* 10. *Initium Regni ejus fuit* BABEL, quæ ad confluentem Tigridis & Euphratis erat ſita. Unde *Babylonia* vocatur *terra* NIMROD, qui primus Rex Babylonis fuit. *Mich.* 5. *v.* 6. & *Reges primæ Monarchiæ* dicuntur *Reges Babylonis.* Sic *Nabuchdonoſor*, 2 *Reg.* 24. *v.* 1. *Jer.* 21, *v.* 2, 4, 7, 10. & *Belſazar*, *Dan.* 7. *v.* 1. Rex Babylonis vocatur. *Eſai.* 13. *v.* 19. Babylon vocatur Decus Regnorum.

2. Vocatur Monarchia CHALDÆA, vel CHALDAICA, à *Regione Chaldæa Orientali*, in qua Babylon ſedes regia erat ſita, & in qua regione Reges Babylonici regnabant. Hinc *Nabuchdonoſor* dicitur Rex *Chaldæorum*, 2 *Paral.* 36. *v.* 6, 17. & *Eſdræ* 5. *v.* 12. compoſito nomine (NB) idem vocatur *Rex Babylonius Chaldæus. Eſaiæ* 13. *v.* 19. Babylon vocatur Decus Regnorum & Gloria Majeſtatis CHALDÆORUM.

3. Vocatur Monarchia ASSYRIACA, vel ASSYRIORUM, ab *Aſſur filio Semi*, qui Regnum Aſſyriæ primus fundavit, & Monarchiam à Chaldæis ad Aſſyrios, & ſic à familia Chami ad ſtirpem Semi tranſtulit. Nam Aſſyrii à Semi filio, nempe Aſſur, deſcendunt. Hinc *Aſſyria* vocatur *terra Aſſur*, *Mich.* 5. *v.* 6. Et *Reges primæ Monarchiæ*, ut *Phul*, 2 *Reg.* 15. *v.* 19. *Tiglatphilaſſar*, 2 *Reg.* 16. 7. *Salmanaſſar*, 2 *Reg.* 17. 3. *Sennacherib*, 2 *Reg.* 18. 13. qui & *Sargon*, *Eſai.* 20. *v.* 1. & *Nabuchdonoſor*, *Judith* 1. *v.* 5. *Reges Aſſyriorum* appellantur.

III.

II. *Typica Monarchiæ primæ præfiguratio.*

Monarchia prima Chaldæorum vel Assyriorum *in duplici visione* apud Danielem Prophetam præfiguratur. *In visione prima*, quæ describitur in *cap.* 2. per CAPUT AUREUM. *In visione secunda*; quæ describitur in *cap.* 7. per LEONEM ALIS AQUILINIS ORNATUM adumbratur.

IV.

Explicatio prioris Visionis.

In priori visione Monarchia prima comparatur CAPITI AVREO, quintuplici de causa.

1. *Propter dignitatem & eminentiam.* Sicut enim caput in corpore humano est summum & honoratissimum membrum; quippe primo & summo loco positum: ita quoque Monarchia Chaldaica inter quatuor mundi Monarchias, uti prima, ita quoque dignissima & honoratissima fuit. Huc pertinet insignis locus ex *Esai.* 13. *v.* 19. in quo vocatur *Babylon* DECUS REGNORUM & GLORIA MAJESTATIS *Chaldæorum.*

2. *Propter sapientiam. Sicut caput est arx sapientiæ*; quippe in quo ingenium, judicium & memoria sedem sibi fixerunt: *ita Monarchia Chaldaica* cæteris omnibus sapientiâ antecelluit. Nam in Chaldæa non modò artium humanarum, *Dan.* 1. *v.* 20. *& c.* 4. *v.* 2 *&* 27. sed etiam divinarum sapientia tradita fuit: uti ex *Dan.* 2. *v.* 48. colligitur. Ibi namque legimus, quòd *Daniel* à Nabuchdonosore Magno Magistratus sive Scholarcha super cunctos sapientes Babylonis constitutus sit. Quare ipse veram religionem in regno Babylonico plantavit. Et *cap.* 2. *v.* 44. ipse Regi Babylonico disertè vaticinatur de *Regno cœli venturo*, quod in æternum duraturum sit. Hinc dicendum, quòd *Magi*, qui incunabula Christi inquisiverunt, *Matth.* 2. non ex lumine naturæ, (hoc est, ex stellæ novæ apparitione, quod impossibile, 1 *Cor.* 2. *v.* 6.) sed potius ex lumine gratiæ, sive ex Spiritus S. inspiratione Christum agnoverint. Quia Daniel Propheta doctrinam de Messia quibusdam Magis instillavit: ut nullum sit dubium, quin seminaria quædam doctrinæ cœlestis in schola Magorum manserint. Confer *Dn. D. Chemn. Harmon. Evangelic. cap.* 10. *p.* 212.

Huc etiam pertinet, quod *Justinus Martyr in paranesi ad Græcos de Chaldæis* scribit: Consulente quodam oraculum Ethnicum, quinam unquam exstiterint verè pii & religiosi homines, tale responsum illi dedit:

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι,
Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν ἁγνῶς.

Id est:

Solus Chaldæus sapit, & Judæus Apella,
Per se exsistentem Regemque Deumque colentes.

Quod tamen nos potissimùm de Merodachi, Nabuchdonosoris, & Evilmerodachi temporibus intelligendum esse statuimus.

3. *Propter opulentiam.* Quia hæc Monarchia reliquis opulentior, ac præsertim auri abundantior fuit; sicut ex *Dan.* 3. *v.* 1. *Esaia* 13. *v.* 17, patet. Unde etiam *Babylon* AVREA, hoc est, auri ditissima, dicta fuit, *Esai.* 14. *v.* 4. Quoniam à finitimis regnis & gentibus omnibus tributum auri accepit. (Ita namque vocem Ebræam דְּהַב *dehabh* Rabbi David, item Chaldæi, Syri & Arabes exponunt.)

4. *Propter integritatem & vitæ innocentiam*, quæ in ea major fuit, quàm posterioribus seculis. Tunc namque ætas verè aurea fuit, cui argentea, & huic postea ænea, & huic denique ferrea successit.

5. *Propter clementiam.* Quia licet etiam in hac Monarchia prima immanis tyrannis atque idololatria grassata sit, tamen tolerabilior populi DEI status sub hac Monarchia, quàm sub aliis, fuit. Idcirco *caput aureum* appellatur, non in sensu *absoluto*, sed *comparativo.*

V.

Explicatio posterioris Visionis.

In *secunda visione* (quæ exstat *Dan.* 7. *v.* 4.) Monarchia prima comparatur *Leoni alis aquilinis ornato.* Quo duplex Monarchiæ primæ adumbratur status.

PRIMO: *Status exaltationis*; hoc est, quando in summo flore atque vigore fuit: illeque duplici similitudine depingitur.

Nam 1. Monarchia prima comparatur LEONI. Quia sicut Leo est omnium animalium animal generosissimum, animosissimum atque robustissimum, adeoque Rex animalium; simul tamen est atrox, atque ferox: Ita etiam Monarchia prima reliquis Monarchiis antecelluit, ob Monarchas generosos heroicâque animi magnitudine atque invicto robore præditos: quales fuerunt Nimrodus, Ninus, Semiramis, Merodachus, Nabuchdonosor, &c. in quibus tamen magna mixtura virtutum & vitiorum, nempe libidinis & crudelitatis fuit, adeò ut non immeritò *Leones* appellentur. Quo *titulo Nabuchdonosorem* & *Chaldæos* insignit Propheta

Esaias

Eſaiæ c. 5. v. 29. Rugitus ejus ut immanis *Leonis*: rugiet ut juvenes *Leones*, & fremet, & prehendet prædam, ſalvamque deportabit; & nemo eripiet. Et *Jeremiæ c. 4. v. 7.* Aſcendet *Leo* ex vepreto ſuo, & Interfector gentium proficiſcitur: prodit è loco ſuo, ut exponat terram tuam deſolationi, & civitates tuæ deſtruantur, & nemo inhabitet.

VI.

11. Deinde *Leoni iſti* ALÆ AQUILINÆ tribuuntur. Quæ ſimilitudo διπλῶς exponi poteſt.

1. *In bonam partem.* Sic Leoni Babylonico *Alæ aquilinæ* tribuuntur propter celerrimam regnorum acquiſitionem & ſubjugationem. Quia Monarchæ primi regni, præſertim autem *Nabuchdonoſor*, in dilatando imperio & ſubjugandis diverſis populis atque gentibus, adeò alacres atque veloces fuerunt, ut victoriis quaſi volârint. Nam ita *Jeremiæ c. 48. v. 40.* de Nabuchdonoſore in perſona Dei inquit: Ecce ſimilis *Aquila* involabit, pandetque alas ſuas in Moabum. *Ezechiel c. 17. v. 3.* Sic ait Dominus Jehova: *Aquila* quædam maxima, magna alis, alatiſſima, plena plumis, cui ſpecies artificioſiſſima, veniens ad Libanum deſumſit calamum ſummi cedri. Similiter *Habacuc c. 1. v. 7. 8, 9.* de militibus & exercitu ejus Regis ita ſcribit. Ego (inquit Deus) ſuſcitabo *Chaldæos*, gentem amaram & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, ut poſſideat tabernacula non ſua. Horribilis & terribilis eſt, leviores *pardis equi* ejus, & velociores *lupis veſpertinis*: *Equi* ejus volabunt, quaſi *Aquila* feſtinans ad comedendum.

2. *In malam partem.* Sic Leoni Babylonico ALÆ DUÆ tribuuntur propter ſuperbam Regnorum duorum adminiſtrationem. Quia per *duas alas Leonis* duo *Regna* denotantur, nempe *Babylonicum & Aſſyriacum*: in illo metropolis Babylon; in hoc verò Ninive erat. Quæ duo Regna initio uni Monarchæ parebant, & conjunctim ab eo regebantur, uſque ad tempus Sardanapali, quo prima illorum diviſio eſt facta. Verùm propter duas illas alas, hoc eſt, propter duo illa, quæ conjunctim gubernabant Regna potentiſſima, Monarchæ iſti Leoni criſtas erigebant. Nam ſtatim in textu additur; *quod Beſtia alis è terra ſublata ſit*, hoc eſt, quòd ſupra communem hominum ſortem ſeſe elevârint, & os in cœlum ponere voluerint. *Pſal. 73.* Sicut enim Aquila omnium altiſſimè volat, nec reverita ſolem, contumaci conſtantique acie in ipſum contuetur: ita Reges illi tantâ erant ſuperbiâ, ut Deum contemnerent, ſeque pro Deo adorari vellent; ſicut *de Nabuchdonoſore Eſaias ſcribit cap. 14. v. 13, 14.* quòd dixerit: *Aſcendam ſuper cœlum, ſuper aſtra exaltabo ſolium meum: ſimilis ero Altiſſimo.*

VII.

SECUNDO: *Status Humiliationis*; hoc eſt, quando in declinatione & decremento fuit. Illeque ſimiliter duos gradus comprehendit.

1. *Primò* namque *alæ*, quibus hæc Beſtia è terra efferebatur, *ei ſunt evulſæ*. Hæc verba dupliciter exponi poſſunt: vel *de Rege*, vel *de Regno ipſo.*

Si de REGE accipiuntur; tum vaticinium hoc accommodari poteſt *vel ad Nabuchdonoſorem*, vel ad nepotem ejus *Belſazarem*. *Quando* accommodantur *ad Nabuchdonoſorem*; tum dicendum eſt, quod alæ ei ſint evulſæ, hoc eſt, Nabuchdonoſori, quando ille Regno ſuo privatus, per ſeptennium cum beſtiis teræ in ſylvis oberrare coactus eſt: tum ſanè alæ ſuperbiæ ei ita ſunt decuſſæ, depreſſæ atque contuſæ, ut in beſtiam mutatus fuerit; ſicut *Dan. 4. v. 30.* legitur. Quando vero hæc verba accommodantur *ad Belſazarem*; tum ſanè alæ ei ſunt evulſæ, quando aquilina illa alacritas, & velocitas, qua ſe antea ſupra communem aliorum hominum ſortem extollebat, eſt depreſſa atque in terram proſtrata, alacritate mutatâ in ſegnitiem, & velocitate in cunctationem, adeò ut ipſe cum Ducibus atque militibus ſuis, contra Cyrum, urbem obſidione cingentem, ne egredi quidem extra mœnia auſi fuerint; ſicut *Xenoph. lib. 7. de padia Cyri* ſcribit.

Sin verò hæc verba accipiuntur *de* REGNO; tum hic *ſenſus* eſt, quod *Regno Babylonico alæ ſint evulſæ*, hoc eſt, quod illud omni eminentiâ, potentiâ atque opulentiâ ſpoliatum atque exutum ſit, cum fatalis ejus periodus adveniſſet: idque factum eſt πρώτως, vel principaliter, à Deo ſupremo mundi Judice, qui transfert Regna, *Dan. 2. v. 21. Dan. 4. 22.* ob peccata Regum atque ſublitorum, *Dan. 5. 25.* δεύτερως verò, vel miniſterialiter, per Darium atque Cyrum, ita ut Medorum atque Perſarum dominationi parere, iiſque ſervire coactum ſit.

VIII.

11. Deinde: *Beſtia in pedes velut homo ſtare coacta eſt*, & *cor hominis datum eſt illi*, Dan. 7. verſ. 4.

Hæc verba διπλῶς explicari poſſunt:

1. PARTICULARITER de *quibuſdam Regibus Babylonicis*, qui anteà velut alis aquilinis in aëre volitantes, alioſque infra ſe ſpernentes, poſteà juſto Dei judicio depreſſi ad humanam ſortem redacti ſunt. *Exempla* habemus in *Sennacherib*, qui corde

corde ſuo alta ſpirabat, & ſupra ipſum Deum ſeſe efferebat: ſed poſtea cor ei humanum eſt datum, quando à propriis filiis in templo Niſroch immania inter ſacra interfectus, hominem mortalem ſe eſſe didicit. Unde in *templo Ægyptio* ei monumentum eſt erectum cum hac inſcriptione:

Εἰς ἐμὲ τίς ἐσέβων, θνητὸς ἐὼν τὸ πρίν.

hoc eſt:

Quiſquis me intuetur, pietatem veneretur.

Vide 4 *Reg.* 19. *v.* 36, 37. *Eſai.* 37. *v.* 37, 38. Similiter *in Nabuchdonoſore*, qui etiam habebat cor leoninum, hoc eſt, animoſum & ſuperbum, atque alis aquilinis in cœlum ſubvolare præſumebat. *Dan.* 4. *v.* 27. Poſtea alæ ei ſunt evulſæ, hoc eſt, ipſe propter ſuperbiam mente captus, regnoque privatus & ex hominum ſocietate ejectus, per ſeptem annos beſtiarum quadrupedantium ingreſſu, victu & habitatione eſt uſus. Sed evoluto ſeptennio cum pœnitentiam ageret, ſummamque Dei altiſſimi potentiam agnoſceret, *ſuper pedes velut homo ſtetit, & cor hominis ei datum eſt.* hoc eſt, poſt caſtigationem divinam didicit ſapere, atque agnovit, ſe hominem fragilem & mortalem eſſe, nec quaſi aquilam in cœlum volare debuiſſe. Quo facto humanam figuram, rationem & inceſſum, regnumque recepit.

2. UNIVERSALITER. Sic *tum de Belſazare, tum de toto Regno* intelligendum eſt. *Belſazar* enim *cor leoninum*, hoc eſt, tumidum, ferox atque ſuperbum habebat, & alis aquilinis in cœlum ſubvolare cogitabat, quando in convivio magnifico, quod optimatibus, uxoribus & concubinis apparaverat, vaſa aurea & argentea, quæ Nabuchdonoſor pater (hoc eſt, avus ejus) è templo Jeroſolymitano aſportaverat, afferri mandabat, atque ex iis cum optimatibus & uxoribus ſuis bibebat, Deum Iſraëlis contemnebat, & contra Deos ſuos fictitios laudabat. Sed cum in illa hora apparerent digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum, in ſuperficie parietis aulæ, & Rex articulos manus ſcribentis aſpiceret, *Dan.* 5. *v.* 3, 4, 5. tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur. *Ibid. v.* 6. Ita ille, qui velut aquila in cœlum volare cogitabat, quaſi *homo ſuper pedes ſtare* coactus eſt, & *cor*, quod *antea leoninum, ei eſt ademtum*, & *cor hominis datum, alæque aquilinæ ei prorſus ſunt evulſæ* à Dario Medo atque Cyro. Nam eâ ipſâ nocte Babylon à Cyro eſt capta, ipſeque à duobus Cyri Præfectis Gobrya & Gadata interfectus eſt. *v.* 30.

Similiter etiam *ſubditi ejus*, mores Regis ſui perperam æmulabantur, (juxta tritum illud ſermone vulgi proverbium: Qualis Rex, tales ſubditi) & ſuperbiſſimi erant, *inſtar leonis, alis aquilinis volare* ſatagentes; quia omnes gentes terræ præ ſe contemnebant, ſeque ſolos præ omnibus mortalibus ſapientiâ, prudentiâ atque potentiâ pollere putabant, ſicut *Eſai.* 47. *v.* 10. de Babyloniis dicitur: *Sapientia tua, & ſcientia tua decepit te. Et dixiſti in corde tuo: Ego ſum, & præter me non eſt altera.* Sed & *illis* ALÆ AQUILINÆ *ſunt evulſæ*, & *velut* HOMINES *pedibus ſuis ſuper terram ſtare* ſunt coacti, COR LEONINUM illis ademtum, & contra COR HOMINIS eis datum, hoc eſt, ad communem hominum ſortem ſunt redacti, ut non ampliùs eſſent ſimiles leoni, ſed homines privati omnibus viribus atque potentiâ ſuâ ſpoliati. Deinde COR HOMINIS DATUM EST EIS, hoc eſt, Babylonii, loco excelſi illius animi, quo antea, velut leo, ferociebant atque ſuperbiebant, animum abjectum timidumque induerunt, non ſecus atque vulgi animus coram Magnatibus abjectus eſt, factique ſunt quaſi quilibet privatus; ſicut *Xenophon lib.* 7. *de Cyropædia* ſcribit. Nam Cyrus Babyloniis demandavit, ut arma traderent, terram colerent, tributaque perſolverent, atque his obſequerentur, quibus ſinguli eorum dati eſſent: quibus etiam juſſit, ut Perſas atque Medos tanquam Dominos ſuos ſalutarent. Quin etiam conſtituit Cyrus Babylone præſidiariorum ſatis, utque mercedem illis darent, imperavit Babyloniis; quippe quos vellet maximè imbelles & effeminatos reddere, quò & humillimi & maximè ſubjecti eſſent. Hoc ſanè erat *cogere ut in pedes ſtarent*, hoc eſt, ut velut homo privatus, & unus aliquis de plebe, ſervire & miniſtrare diſcerent.

IX.

III. *Artificiosa Monarchiæ primæ σχιαγραφία sive delineatio.*

Monarchiæ primæ tres sunt Gradus:

I. *Ortus.* In quo *Dynastia* I. viguit; quâ Monarchiæ I. fundatio facta est à Nimrodo; uti dicitur *Gen.* 10. *v.* 9, 10. anno M. 1788. *juxta Bucholtz. Chron. p.* 3.

II. *Progressus.* In hoc tres Dynastiæ notandæ sunt:

Dynastia II. in hac Monarchiæ I. amplificatio, hoc est, utriusque Regni Chaldaici & Assyriaci conjunctio facta est,
- vel à *Belo* primo Assyriorum Rege, juxta *Africanum*; qui anno 29 Regni sui, devictis Babyloniis, ἀξίωμα Monarchiæ ad Assyrios transtulit, atque ita utrumque Regnum conjunxit.
- vel à *Nino*, juxta *Justinum*, qui Niniven, in Assyria sitam, Regiam suam esse voluit, primò ab *Assure* ædificatam, & deinde à *Nino* magnificè amplificatam. Hæc utriusque Regni conjunctio duravit usque ad Sardanapalum.

Dynastia III. In hac facta est Monarchiæ I. *disjunctio* vel *divisio.*
1. *Quando facta?* Post occasum Sardanapali; qui, obsessus à Præfectis suis, salute desperata, in pyra se ipsum combussit.
2. *A quibus?* A Præfectis ejus,
- *Arbace.* Hic Regnum Medicum tenuit, & Ecbatanam sedem Regiam suam esse voluit.
- *Belocho.* Hic regnum Babylonicum & Assyriacum occupavit.

Dynastia IV. in hac facta est Monarchiæ reparatio, h. e. nova utriusq; regni Babylonici & Assyriaci conjunctio.
1. *Quando facta?* Post interfectum Sennacheribum, anno M. 3229.
2. *A quo?*
1. juxta quosdam à *Nabonassare*, à quo celeberrima illa æra Chaldæorum originem ducit; teste *Josepho l.* 10.
2. juxta alios, à *Merodacho* Præfecto Babyloniæ, qui filium Sennacheribi Assarhaddonem Regem Assyriorum vicit, & totum Assyriorum Regnum Babylonico adjunxit; teste *Sleidano lib. de* 4. *Monarchiis.*

III. *Egressus.* Hic notanda Monarchiæ eversio, *Quando, & à quo* facta? Monarchia I, quæ à Nimrodo est fundata A. M. 1788, eversa est in Belsazare ultimo Babyloniorum Rege, à Dario Medorum, & Cyro Persarum Rege, A. M. 3434. Stetit 1646. annis.

X.

IV. *Catalogus sive ordinata omnium Regum primæ Monarchiæ enumeratio.*

1. Nimrod.
2. Belus.
3. Ninus.
4. Semiramis.
5. Ninyas. (*Zameis.*)
6. Arius.
7. Aralius.
8. Baleus I. (*Xerxes.*)
9. Armathrites. (*Armamithres.*)
10. Belochus I. cognomento *Priscus.*
11. Baleus II.
12. Altadas. (*Sethus.*)
13. Mamitus.
14. Mancaleus.
15. Sphærus.
16. Mamelus.
17. Sparetus.
18. Ascatades.
19. Amyntas.
20. Belochus II.
21. Bellopares. (*Balatores.*)
22. Lamprides.
23. Sosares.
24. Lampares.
25. Pannias.
26. Sosarmus.
27. Mitræus.
28. Tautanes.
29. Teutæus.
30. Tinæus.
31. Dercilus.
32. Eupales. (*Eucpacmes.*)
33. Laosthenes.
34. Pyrithidias.
35. Ophratæus.
36. Ophraganeus. (*Epacheres.*)
37. Ascrazapes. (*Acracarnes.*)
38. Sardanapalus. (*Tonosconcoleros.*)
39. Belochus. (*Phul-Belochus.*)
40. Phul-Assar. (*Tiglat-Philassar.*)
41. Salmanassar. (*Nabonassar.*)
42. Sennacherib. (*Sargon.*)
43. Assarhaddon.
44. Merodachus. (*Merodachus-Baladan. Mardocempad.*)
45. Ben-Merodachus.

46. Na-

46. Nabuchdonoſor I. (*Nabulaſſar vel Nabopolaſſar.*)
47. Nabuchdonoſor II. cognomento *Magnus.*
48. Evil-merodach.
49. Belſazar.

XI.

v. *Genealogia Monarcharum Babylonicorum & Aſſyriorum conſignatio.*

1. NIMRODUS.

I.

FAMILIA BELI.

2. BELUS vel Aſſur.
3. Ninus.
4. Uxor Semiramis.
5. Ninyas.
6. Arius.
7. Aralius.
8. Baleus I.
9. Armatrites.
10. Belochus I.
11. Baleus II.
12. Altadas.
13. Mamitus.
14. Mancaleus.
15. Sphærus.
16. Mamelus.
17. Sparetus.
18. Aſcatades.
19. Amyntas.
20. Belochus II.
21. Bellopares.
22. Lamprides.
23. Soſares.
24. Lampares.
25. Pannias.
26. Soſarmus.
27. Mitreus.
28. Tautanes.
29. Teutæus.
30. Tinæus.
31. Dercilus.
32. Eupales.
33. Laoſthenes.
34. Pyrithidias.
35. Ophratæus.
36. Ophraganeus.
37. Aſcrazapes.
38. Sardanapalus.

II.

FAMILIA PHUL-BELOCHI.

39. PHUL-BELOCHUS.
40. PHUL-ASSAR. (*Tiglat-Philaſſar.*)
41. SALMANASSAR.
42. SENNACHERIBUS.
43. ASSARHADDON. Adramelechus. Saraſſar.

III.

FAMILIA MERODACHI.

44. MERODACHUS.
45. BEN-MERODACHUS.
46. NABUCHDONOSOR I.
47. NABUCHDONOSOR II. cognomento *Magnus.*
48. EVIL-MERODACHUS.
49. BELSAZAR. Regaſſar. Labaſſardachus.

XII.

VI. *Diſtincta Monarcharum regia, ſive habitatio.*

Ex eo tempore, quo Ninus Niniven condidit, duæ diſtinctæ fuerunt in Monarchia I. regiæ: una in urbe *Babylon*, altera in *Ninive*. Monarchæ autem diverſi, pro cujuſque indole, modò illam, modò hanc Regiam incolebant; quod notatu eſt digniſſimum.

In Dynaſtia
- I. *Nimrod & Belus* Regiâ uſi ſunt Babylone.
- II.
  - *Ninus* Ninive à ſe condita Regiâ uſus eſt.
  - *Semiramis* { initio Ninive / poſtea Babylone } Regiâ uſa eſt.
  - *Ninyas* { Babylone aliquamdiu remanſit: poſtea Niniven repetiit. / Idem exemplum omnes ſucceſſores ejus uſque ad Sardanapalum ſequuti ſunt.
- III. Ninive regia ſedes permanſit à Sardanapalo uſque ad Aſſarhaddonem, qui victus eſt à Merodacho præfecto Babyloniæ.
- IV. Merodachus, expulſo Aſſarhaddone, vel patriæ amore quodam, vel quòd minus Aſſyriis fideret, Babylonem prætulit, eâque Regiâ uſus eſt.

Et hac de cauſa Reges è Nini & Phulbelochi ſtirpe, Aſſyrii; è Merodachi verò proſati, Babylonii nuncupantur: licet etiam Phulbelochus gente Chaldæus fuerit.

TRA-

TRACTATIO SPECIALIS.

DYNASTIA PRIMA.

MONARCHA I.
NIMROD.

I.

IN προσωπογραφίᾳ Nimrodi tria sunt notanda: I. Ortus. II. Progressus. III. Egressus.

II.

SECTIO I.

I. DE ORTV.

1. GENERATIO. *Nimrodus* fuit *filius Chusi, nepos impii Chami, pronepos Noæ. Gen.* 10. *v.* 8. *Quod autem Moses* illum *non inter reliquos Chusi filios v.* 7. enumeratos; *sed v.* 8. *seorsim ponit:* illud factum *vel* propter generationem ejus diversam, quòd forsan illegitimus fuerit, *vel*, quod verius, propter ejus ἐξοχὴν & excellentiam; quòd videlicet res magnas atque præclaras præ fratribus suis gesserit. Nam Monarchiæ, sive summa in mundo imperia, originem ab eo traxerunt. Confer *D. Augustin. lib.* 17. *de Civitate Dei cap.* 2.

III.

2. APPELLATIO. Circa appellationem Nimrod *tria* veniunt notanda.

Primo, ὁμωνυμία. Vox NIMROD *quater in Bibliis legitur*, sed in sensu diverso. Nam *ter* legitur προσωπικῶς. Et sic est nomen proprium Nimrodi, de quo hoc loco agimus. *Semel* usurpatur τοπικῶς Et sic est nomen regionis atque urbis. Ita usurpatur *Mich.* 5. *v.* 6. Pascent in gladio (hoc est, depascent, depopulabuntur) *Terram Assur* (hoc est, Niniven, ab Assure filio Semi ædificatam. *Gen.* 10. 11.) & TERRAM NIMROD in lanceis ejus. Hic אֶרֶץ נִמְרוֹד *arez Nimrod, terra Nimrod*, hoc est, *Nimrodica*, significat urbem Babylonem, à qua postea tota regio dicta est Babylonia.

IV.

Secundo, πολυωνυμία. Nimrod fuit πολυώνυμος. Ebraicè dicitur נִמְרוֹד *Nimrod*. LXX. Νεβρὼδ, vel Νεμβρὼδ (ut quædam exemplaria Græca habent.) Latinè *Nimrodus*, vel *Nemrodus*. Aventinus in Annal. Bojoar. p. 8. legit: *Nymbrothus. Berosus lib.* 4. vocat *Nimbrodum*, & *Babyloniæ Saturnum primum*, (quod videtur Regum Babylonicorum cognomen fuisse) patrem Jovis Beli prisci, & avum Nini, &c. Similiter etiam Cedrenus testatur, quòd Nimrod *Saturni*, alias etiam *Orionis* nomine appellatus sit.

V.

Tertio, ἐτυμολογία hujus nominis est gemina: *Ebræa* & *Germanica*.

1. *Ebræa*. Sic Nimrod נִמְרוֹד *Politicè* dicitur à מר *mar*, amarus, & רדה *radah*, dominatus est, quasi dicatur, amarus Dominator: quoniam amarum, hoc est, tyrannicum erga subditos gessit Imperium. Vel *Ecclesiasticè* dicitur à מָרַד *marad*, quod Græcis est ἀποστατεῖν, rebellare, deficere. (ו Nun est formativum Nominis.) Quoniam à vera religione ad idololatriam defecit, & cultum divinum nefariè oppugnavit. Quare in hoc sensu *Nimrod* idem est atque *Apostata*, ein abtrünniger. Nimrod namque factus est rebellis, & mundum rebellem fecit. *Jonathan ben Uziel* ad nomen Nimrodi alludens ait, illum fuisse *Merodat*; quod Tyrannum & Apostatam denotat.

2. *Germanica*. Sic quidam viri docti in Germanico hujus vocis etymo luserunt, dicentes, quòd *Nimrod* dicatur, quasi Nim-brod; vel Νεμβρώδ, quasi dicatur, Nem-brod: quia pauperibus panem è faucibus eripiat. Confer *Dresser. Millen.* 11. *p.* 101. Quidam eum vocant *Nimrod*, quasi dicat Nimmer-roth / hoc est, quòd absque pudore atque rubore fecerit, quicquid ei placuerit. *Herberg. in postill.* Verùm hæc potiùs est ficta lepidave allusio, quàm vera notatio.

SECTIO II.

II. DE PROGRESSV.

VI.

In progressu notanda est Nimrodi *vita*, eaque gemina: 1. *Privata*, 2. *Publica*.

VII.

VITA PRIVATA.

Nimrod à Mose vocatur גִּבּוֹר *Gibbor*. *Hæc vox* διττῶς accipi potest. 1. *De corporis quantitate*. Sicut LXX reddiderunt: *Fuit Gigas*, hoc est, vastæ molis homo, qui vulgò Gigas appellatur. Secundùm horum igitur opinionem statuendum est, formam corporis ejus reliquis hominum corporibus

bus fuiſſe majorem, auguſtiorem & robuſtiorem. *Chronicon Thuringiacum MSS.* duodecim ulnis longum eum fuiſſe fabulatur. Simile eſt figmentum fictitii *Methodii*, quod narrat *Hiſt. Scholaſt. lib. Gen. c.* 37. Nimrodum fuiſſe Gigantem 10 cubitorum. Confer *Perer. in Gen. p.* 402. 2. *De corporis qualitate*, hoc eſt, de virium corporis abuſu, quòd videlicet illis abuſus fuerit ad ferociam: atque venandi ſtudio in primis annis deditus, literas humaniores nihil curârit. Siquidem efferus & tyrannus fuit. Contrà:

——— *didiciſſe fideliter artes*
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

VIII.

VITA PUBLICA.

Quod vitam Nimrodi publicam attinet, notanda ſunt *Acta* ejus triplicia: 1. *Politica.* 2. *Eccleſiaſtica.* 3. *OEconomica.*

IX.

1. *ACTA POLITICA.*

Nimrod perſona politica fuit, & primus in orbe Monarcha. Ejus autem *acta politica* ſunt duplicia: *Togata, & Bellica.*

X.

Acta Togata.

Acta Togata concernunt Imperium ejus. Circa quod tria veniunt conſideranda: 1. *Imperii ortus* atque *modus.* 2. *Tempus.* 3. *Locus.*

XI.

1. IMPERII ORTUS. Moſes *Gen.* 10. 8, 9. *Nimrod cœpit* גבור *potens eſſe in terra, & erat robuſtus venator coram Domino.*

XII.

Hæc verba bifariam intelligi poſſunt.

Primò, IN MALUM. Sic quidam dicunt, *quòd Nimrod fuerit Tyrannus*, hoc eſt, cœperit tyrannicè alios opprimere atque in ſuam poteſtatem redigere. Hactenus enim Noah, ejuſque poſteri, per ſingulas familias placidè gubernaverant alii alios, nec de ſtabilienda aut per vim acquirenda in alios potentia laboraverant: Hic autem primus imperium in plures violentum affectavit atque uſurpavit.

In hac ſententia *plerique* ſunt *Theologi*, & *Eccleſiæ Doctores. Hieronymus in quæſt. Ebraic. Gen.* ita ſcribit: Nimrod arripuit inſuetam primus in populo tyrannidem. *Chryſoſtomus homil.* 29. Abuſus eſt Nimrod naturæ privilegiis, novum ſervitutis modum invenit, & Princeps atque Rex fieri attentavit. *Philo* quoque in libro de Gigantibus, Nimrodum ἀποστασίας accuſat, indeque nomen factum illi eſſe affirmat. *Marad* enim eſt deficere. Similiter *Jonathan ben Vziel* ad nomen Nimrodi alludens, ait illum fuiſſe *Merodac*, quod & apoſtatam & Tyrannum denotat. Ita etiam *Jonathan in Targum* explicat, quando inquit: Hic fuit Heros rebellis coram Jehovah; propterea dictum eſt: *A diebus creati mundi non exſtitit velut Nimrod, potens in venatione, & rebellis coram Domino.*

Deinde, IN BONUM à quibuſdam accipiuntur illa verba: *Fuit potens venator coram Domino*, vel ut in textu Ebræo eſt, *in conſpectu Domini*: hoc eſt, Dei juſſu atque mandato certam politiæ formam ſive Monarchiam primam inſtituit, & leges honeſtas præſcripſit, hominesque in officio continuit, ad tuendam Remp. & Eccleſiam, adeòque ad Dei gloriam.

Verùm hanc ſententiam quidam refutant; qui Nimrodum ſimpliciter Tyrannum appellant. Illudque probant 1. EX NOMINE. Quia dicatur *Nimrod*, quod nomen apoſtatam, rebellem, ſeditioſum defectorem notat. Vide §. 5. II. EX PERIPHRASTICA NIMRODI DESCRIPTIONE. Quia fuit גבור ציד *gibbor ſajid, fortis venator*: quo elogio perſequutores atque oppreſſores inſigniri in ſcripturis ſolent. *Metaphora à feris deſumta Thren.* 3. *v.* 51. Venando venati ſunt me velut avem inimici mei immeritò. *Jerem.* 16. *v.* 16. Mittam venatores multos, & venabuntur eos in omni monte. *Ezech.* 32. *v.* 30. Ibi Principes Aquilonis omnes (hoſtes populi Dei, Duces atque ſatrapæ Babylonici) & univerſi venatores. Ita etiam Nimrod venator hominum dicitur, quòd nempe homines vel trucidatos, vel ſub jugum miſſos, violenter oppreſſerit; ſicut venatores ſolent feras captas interficere, vel vivas loris conſtringere. III. EX TURRIUM ATQUE MUNITIONUM ÆDIFICATIONE, cujus finis, ut haberet præſidium ſuæ tyrannidis, è quo genus humanum impugnare, & cujus altitudine ac robore omnem inimicorum inſultum excipere atque reprimere poſſet. IV. EX REGIA SEDE. Principium regni ejus fuit Babel, dicit Moſes, *Gen.* 10. *v.* 10. Quare procul dubio turris Babylonicæ exſtruendæ author fuit. Et hæ ſunt rationes, quibus inducti quidam Theologi imperium Nimrodi non laudandum exiſtimant.

XIII.

Επίκρισις.

Verùm nos *diſtinguimus* inter *ipſam poteſtatem*, & po-

& poteſtatis acquiſitionem atque uſurpationem. Ipſa poteſtas Nimrodica regia fuit à Deo: quia omnis poteſtas eſt à Deo. *Rom.* 13. *v.* 1. & ille ſolus Regna conſtituit atque transfert. *Dan.* 2. *v.* 21. Deus imperia in mundo conſtituit, gladioque armavit, ad defenſionem bonorum & coercitionem malorum. Si namque mali non reprimerentur, ſed in aliorum corpora atque bona pro lubitu & impunè graſſarentur; nulla honeſta hominum ſocietas ſalva manere poſſet. Quare cum multitudo hominum creſceret, patriaque authoritas ob malitiam invaleſcentem vileſceret, Deus hoc novo conſilio ſocietatem humanam munivit; videlicet, excitato Duce, qui armis populos coërceret, ne latrocinia graſſarentur, ſed ad pœnas improbi vi pertraherentur. Quare Nimrod memor gladii, abavo ſuo Noæ divinitus conceſſi, reprobos & contumaces pœnis coërcendos, ac proinde regnum armis conſtituere cœpit. Unde etiam *Nimrod* dictus eſt, hoc eſt, amarus Dominator. Quia hæc Imperii Monarchici forma fuit terribilior, quàm antea paterna authoritas atque poteſtas. Et dicitur *Venator coram Domino*. Quia & feras & latrones cepit, atque à Deo robore atque ſucceſſibus armatus eſt, ut durabilem imperii formam legibus, judiciis, atque præſidiis conſtituere, ſonteſque ad pœnas vi pertrahere poſſet. *Verum Nimrod poteſtate divinitus acceptâ abuſus eſt contra Deum*, uti ex ſtructura turris Babylonicæ patet, *Gen.* 11. *v.* 3, 4. *atque contra homines, quos inſtar venatoris violenter tractavit, atque in poteſtatem ſuam tyrannice redegit.* Quo facto diabolus, humani generis hoſtis ἀντιθεὸς, Magiſtratum velut ſanctam bonamque Dei ordinationem turbare, hominibuſque exoſam reddere ſategit. Unde patet, quòd *Nimrodus non fuerit Tyrannus, ratione tituli*, ſed *ratione exercitii*; uti Politici loquuntur.

XIV.

2. IMPERII TEMPUS. Initium Monarchiæ Babylonicæ à Chronologis diverſis diverſum ſtatuitur.

Cœpit anno
- Ab orbe condito
  - 1788. juxta Lutherum, Bucholzerum in Chronol. pag. 3. Dreſſ. in Millen. 11. p. 100.
  - 1789. juxta Eliam Reuſn. in Chron. p. 181.
  - 1718. juxta Sethum Calviſium in Chronol. p. 5. & D. Helvicum in Chron.
- A diluvio
  - 131. juxta Beroſum lib. 4. & Chytr. Onom. p. 101. Dreſſ. Millen. 11. p. 94.
  - 162. juxta Sethum Calviſ. Chron. p. 5.

NOTA.

[De *initio Monarchiæ Babylonicæ* Hiſtorici & Chronologi variant. Non enim apponuntur Regibus Babylonicis & Aſſyriacis anni certò explorati, ſed tantùm probabiles; illique non à priori, ſed à poſteriori inveſtigandi ſunt.

Duas autem hoc loco *ſupputationes attingemus.*

Una eſt JUSTINI. Hic licet non omnes Reges Babylonicos aut Aſſyriacos recenſeat, talem tamen annorum numerum ponit, qui & cum ſcriptura & cum æra Babylonis bene convenit. Nam è Trogo Pompeio aſſerit, Monarchiam Aſſyriorum à Nino (quem ille primum Monarcham eſſe ait) uſque ad caſum Sardanapali ſteriſſe annos 1300. Adde his annos 55 Beli patris ante Ninum, aut annos 65 juxta Auguſtin. lib. 16. de Civ. D. c. 17. & habebis 1355, vel 1365. & proximè pervenies ad initium æræ Babylonicæ, quæ cœpit anno M. 1717. vel 1718.

Altera eſt DIODORI SICULI, quæ cum Juſtini ſupputatione pulchrè congruit. Hic Diodorus è Cteſia Cnidio dicit, Regnum Aſſyriorum ſteriſſe annis 1360, uſque ad caſum Sardanapali. Numera retrò annos 1360 à caſu Sardanapali, qui contigit circa annum M. 3073, & pervenies ad caput æræ Babylonicæ, hoc eſt, ad initium Beli. Babylonis autem æra à Calliſthene Philoſopho prodita fuit, qui Ariſtoteli de antiquitate rerum Chaldaicarum quærenti, ex Archivis Babylonicis reſcripſit, captam ab Alexandro M. Babylonem anno 1903 ab Epocha Babylonica, ut eſt apud Simplic. Capta eſt autem Babylon ab Alexandro Magno anno M. 3619. Hinc annis 1902 deductis, manet initium regni Babylonici, nempe anni 1717.]

XV.

3. IMPERII LOCUS. Locus aut ſedes Imperii Nimrodici fuit geminus: 1. *Communis.* 2. *Proprius.*

XVI.

LOCUS COMMUNIS, in quo Nimrod ſedem Regni ſui fixit, fuit *Terra Sinear. Gen.* 10. *v.* 10. & 11. *v.* 2. Ita olim vocata fuit Babylonia, vel Chaldæa, quæ eſt regio in Aſia majori potentiſſima verſus orientem reſpectu Judææ, ſita intra Tigrim & Euphratem. Vide *Plin. lib.* 6. *c.* 28. *Strabon. lib.* 16. *Volaterran. lib.* 11. *Geograph.* Hinc Chaldæa dicitur Terra Nimrod, *Micb.* 5. *v.* 6. Et Reges Babyloniorum dicti ſunt Reges Chaldæorum. *Jer.* 37. 38. 39. 40. & in Daniele. Et Monarchia prima Chaldaica vel Babylonica appellatur.

XVII.

LOCUS PROPRIUS fuit BABYLON. Nam Nimrod urbem Babylonem primus ad Euphratem ædificavit, eamque regni ſui metropolin regiamque ſedem eſſe voluit; ſicut Moſes *Gen.* 10. *v.* 10. dicit: Principium Regni ejus fuit Babel. בָּבֶל ſic dicta à confuſione linguarum, *Gen.* 11. *v.* 9. Quia Deus ædificantium linguas ibi confudit. Et ſanè *Paulus Oroſius lib.* 2. *c.* 6. tradit, Nimrodum celebrari à multis tanquam Babylonis conditorem.

Antiquiſſima hæc & potentiſſima civitatum poſt diluvium fuit, quam, uti dictum eſt, Nimrodus primus ædificare cœpit, Semiramis conſummavit, (quæ communis eſt Græcorum & Latinorum ſententia; uti patet ex *Herodoto lib.* 1. *Diodoro Siculo lib.* 3. *Strab. lib.* 16. *Pomponio Mela lib.* 1. *c.* 11. *Juſtino lib.* 1.) collapſam denique & disjectam Nabuchdonoſor reparavit, & latiſſimè amplificatam magnificentiſſimis operibus adornavit, uti ſuis locis plenius dicemus. Hanc urbem Plinius vocat *caput Chaldæa*, *lib.* 5. *c.* 36. caput Chaldaicarum gentium, *lib.* 6. *cap.* 36. quia fuit locus totius Orientis fortiſſimus, *ibid.* tantæque ubertatis, ut ſequenti anno ſponte reſtibilis fieret ſeges. *lib.* 18. *cap.* 17.

XVIII.

Condidit quoque *Nimrod* præter *Babylonem tres alias in Chaldæa urbes munitiſſimas*, nempe *Erech*, *Accad*, & *Calne*. *Gen.* 10. *v.* 10. De quatuor autem hiſce urbibus diverſæ exſtant Doctorum opiniones.

Quidam illa nomina intelligunt in ſenſu *conjuncto* de una eademque civitate, nempe Babylone, quæ fuit τετράπολις, hoc eſt, in quatuor partes diſtincta; non ſecus atque *Hebron* olim dicta fuit *Kiriath-arba*, hoc eſt, civitas in quatuor partes digeſta. *Joſua* 15. 13. Et pro hac ſententia confirmanda adducunt authoritatem Plinii, qui *lib.* 6. *c.* 26. ſcribit: plures urbanas plebes in ea fuiſſe. Item Ariſtotelis, qui Babylonem gentis potiùs, quàm urbis aut civitatis circumſcriptione contineri memorat. Item Provinciam muris cinctam appellat. *lib.* 3. *Polit. c.* 3.

Quidam verò, ut D. Lutherus & Targumici interpretes, aliique, *hæc quatuor omnia accipiunt in ſenſu disjuncto*, hoc eſt, pro quatuor diſtinctis urbibus; idque veriſſime. Nam 1. BABYLON à Jonathane in Targum vocatur Babylon magna. 11. *Erech.* [אֲרוּכִין longanimis] ab eodem: uti etiam à Targum Hieroſolymitanô; *Hadas* vel *Edeſſa* ab Hieronymo & Lyra vocatur. 111. *Accad.* [אַגְּרָא amphora, vel hydria] tempore Hieronymi *Niſibis* vocata eſt, ſicut Hieronymus in quæſtionibus Ebraicis ſcribit. 1v. *Calne.* [כַּלְנֵה Sponſa lamentatrix.] Hæc ad Euphratem fuit ſita in terra Sinear 179 milliaribus à Jeroſolyma verſus Orientem. *Eſai.* 10. *v.* 9. *Amos* 6. *v.* 2. Chaldaici paraphraſtæ, *Jonathan* & *Jeroſolymitanus*, vocant eam *Cteſiphontem*; illis ſuffragatur *Hieronymus in quæſtionibus Ebraic.* *Strabo lib.* 16. ſcribit Cteſiphontem eſſe vicum prope Seleuciam, qui Civitatis magnitudinem & potentiam habeat. *Buntingus in Itinerario part.* 1. *pag.* 170. Calnen putat eſſe Seleuciam, quæ à Seleuco non procul à Babylone juxta confluentes Euphratis & Tigris condita eſt, ut Babylonis potentia & opes hac æmulâ minuerentur. Atque haſce quatuor civitates, nempe *Babel*, *Erech*, *Accad*, & *Calne*, in terra Sinear vel Babylonia ſitas eſſe, *Strabo lib.* 16. *fol.* 709. teſtatur.

XIX.

Præterea in *urbe Babylone Turrim* ſtupendæ molis Nimrodus ædificavit, *Gen.* 11. *verſ.* 3, 4.

Hæc autem TURRIS quadrupliciter conſiderari poteſt.

1. ORIGINALITER. Sic *cauſa* conſideranda eſt *Efficiens*; quæ fuerunt *Architecti*, nempe plurimi ex filiis & nepotibus Noæ, inter quos *Nimrodus* Princeps atque ἀρχιδιάκτης totius operis fuit.

11. MATERIALITER. *Materia Turris* fuerunt *lateres* ad ignem cocti, & *bitumen*: illi quidem vicem lapidum expleverunt; hoc vero pro cæmento adhibitum fuit. *Strabo lib.* 5. *fol.* 705. ſcribit: In Babylonia bitumen multum innaſcitur; unde glebæ maximæ concremantur ad ædificia idoneæ, quæ ex coctilibus fiunt lateribus.

111. FORMALITER. *Formam Turris* Architecti mente conceptam ore ſuo exprimunt, nempè quod in urbe ſua (ſcilicet Babylone) Turrim ædificare velint tantæ altitudinis, ut cœlum attingat. De hac Turri ambigit *D. Auguſtinus lib.* 16. *de Civit. Dei c.* 4. *utrùm unam, an verò plures intelligant*: Quoniam uſitatum ſit, nomine ſingulari non ſemper individua, ſed ſæpe ſpeciem indicare; ut cùm miles pro militum exercitu, rana & locuſta in Exodo pro multitudine illarum beſtiarum uſurpatur. *Verùm nos reſpondemus*, quòd altitudo atque amplitudo operis haud admittat ut credamus, illos plures ejuſmodi turres molitos fuiſſe. *Herodotus* de Turri hac Babylonica ita ſcribit: *In medio Jovis Beli templo, quod meâ etiam nunc ætate exſtitit, duorum undecunque ſtadiorum amplitudine, figura quadrata turris, ſolida, craſſitudine ſimul & altitudine ſtadii, cui alia rurſus ſuperimpoſita turris, & huic ſubinde alia, ad octavam uſque.* Hæc ille. Octo igitur turres ſibi invicem ſuperimpoſitæ, erant turris una, octo ſtadiorum altitudine, hoc eſt, milliaris Italici. Hæc fuit Turris illa, de qua Architecti iſti dicunt: *Cujus caput cœlum attingat.*

1v. FINALITER. *Finis* hujus Turris ex parte æ lificantium fuit triplex: *Oeconomicus*, *Politicus*, *Eccleſiaſticus*.

Finis Oeconomicus fuit, ut Nimrodus magnificam Arcem regiam haberet, in qua magno cum ſplen-

ſplendore atque gloria habitare poſſet; atque hac ratione magnam ſibi nominis famam pararet: uti ex verbis architectorum *Geneſ.* 11. *verſ.* 4. patet.

Finis Politicus fuit, ut novum in terris imperium conſtitueret, atque firmiſſimum adverſus vim hoſtium haberet præſidium. Quia enim Tyrannus erat, hoſtes ſuos metuebat. Tyranni namque naturâ ſunt timidi; juxta illud Davidicum: *Ibi trepidant timore, ubi non eſt timor. Pſal.* 53. *v.* 6. Mala quippe conſcientia eos facit trepidare; ut fugiant, nemine perſequente; & perſequatur eos ſtrepitus folii volantis. *Levit.* 26. *v.* 36.

Ut folium à quovis agitatur mobile vento:
Sic minimus terret conſcia corda pavor.

Exemplum memorabile habemus vel in ſolo *Domitiano Imp.* Hic metu inſidiarum, porticuum, in quibus ſpatiari conſueverat, parietes, phengite lapide diſtinxit, ut ejus ſplendore per imagines, quicquid à tergo fieret, prævideret.

Finis Eccleſiaſticus fuit, ut Idololatriam ſuam ſtabiliret, atque longe lateque propagaret. Debuit enim Turris iſta oraculum eſſe, ad quod omnes undique homines concurrerent, tanquam ad ſedem Dei peculiarem. Verùm Tragicus fuit faſtuoſi & temerarii hujus ædificii eventus. Nam *Gen.* 11. *v.* 5. *ſeqq.* legimus, quòd Deus urbem & turrim ædificantium luſtraverit, factum atque temerarium eorum inſtitutum improbârit: illiſque pœnam inflixerit, ædificantium linguas confundendo, eoſque in omnes terras diſpergendo. Quo facto opus inchoatum eſt diſturbatum.

USUS.

Conſilia impia, temeraria atque ſuperba, ſunt TURRIS BABEL. Qui enim illa adverſus Deum, Eccleſiam & Remp. ſuſcipiunt, ædificant turrim Babel; ſed ſimilem tandem eventum ſortiuntur. Quemadmodum enim Deus turrim Babel, cujus ſingulæ partes firmâ ſolidâque commiſſurâ inter ſe compactæ erant, in plagas mundi diverſas longè lateque diſperſit: ita quoque idem Deus ingentem illam conſiliorum machinam atque molem, quam ſuperbi veluti novam Babelis turrim ædificant, derepente diſſipat atque diſpergit, ut propriis conſiliis vel ſapientiſſimè excogitatis evertantur. Quare moniti ſint omnes mortales, ut tractent τὰ ἰδιακά, hoc eſt, propria, Eccleſiæ & Reipub. ſalutaria, & verſentur in timore Dei, cum humilitate & modeſtia. Ita felices conſiliorum atque actionum ſuarum eventus experientur.

XX.

Quæſtio *hic moveri dubia poteſt: Ame etiam urbs Ninive à Nimrodo ſit ædificata?*

Ratio dubitandi deſumitur ex *Gen.* 10. *v.* 11. ubi hæc verba leguntur: *E terra hac egreſſus eſt Aſſur,* אַשּׁוּר, *& ædificavit Niniven.*

Hæc verba ab Interpp. bifariam explicantur.

1. *Quidam vocem* אַשּׁוּר *Aſſchur* interpretantur γεωγραφικῶς de *Regione Aſſyria*, & narrationem *de Nimrodo* (cujus Moſes in *v.* 10. præcedente mentionem facit) intelligunt, quaſi ille Babylonico Regno non contentus, è Sinear, hoc eſt, è Chaldæa in Aſſyriam progreſſus, ibique alias urbes quatuor, ut *Niniven, Rehoboth, Calah & Reſen* condiderit; ſicut etiam poſtea Regnum Babylonicum & Aſſyriacum coaluerunt. Et ſic ita textus ordinandus foret: E terra Sinear egreſſus eſt (ſcilicet Nimrod) אַשּׁוּר Aſſur, ut ſubaudiatur, אֶל אַשּׁוּר hoc eſt, in Aſſyriam. Et in hac ſententia ſunt *Targumici Interpp. Johan. Calvin. comm. in Geneſ. Franciſc. Jun. in Bibl. Joh. Alſted. Chronol. p.* 129. *Toſſan in Bibl. Germ. not. margin. Pareus Gen. p.* 936. *Johan. Piſcat. in Gen. p.* 247. *Utuntur illi hiſce argumentis.* 1. *Dicunt*, eſſe hoc loco *Ellipſin præpoſitionis.* Nam poſitum eſſe אַשּׁוּר *Aſſchur* pro בְּאַשּׁוּר *Beaſſchur*, *Piſcat. pag.* 247. vel אֵל אַשּׁוּר *el Aſſchur*, ut *Pareus Gen. p.* 937. 11. *Dicunt*, *in voce* ASSUR *duplicem eſſe Metonymiam; unam Efficientis, alteram Adjuncti*: videlicet, Aſſur, pro Aſſyriis ortis ex Aſſur; & Aſſyrii, pro Aſſyria regione, quam incoluerunt illi. *Piſcat. p.* 247. 111. *Dicit Piſcator*: Qui vertunt (E terra illa exivit Aſſur) illi alienum à propoſito loquuntur. Nam in hoc loco Moſes loquitur de Nimrodo, ejuſque actis & rebus geſtis. At de Aſſure, qui filius Semi fuit, demum in *v.* 22. loquitur. *Nec voluit* (inquit *Pareus p.* 936.) *Moſes commiſcere Genealogias.* Nulla enim fuit cauſa, cur hîc recenſeret res geſtas Aſſuris.

2. *Quidam nomen* אַשּׁוּר *Aſſchur* interpretantur προσωπικῶς de *Perſona*, nempe de *Aſſure filio Semi*, hoc modo: E terra hac (Sinear) egreſſus eſt Aſſur (filius Semi,) & ædificavit Niniven. Luth. Von dem Lande iſt darnach kommen der Aſſur / und bauete Niniven. Ita ut ſit ſenſus: Aſſur filius Semi è terra Sinear egreſſus, vel *nolens* (hoc eſt, ſævitiâ & tyrannide Nimrodi inde expulſus,) vel *volens* (hoc eſt, ſponte fugam capeſſens) terram Sinear, hoc eſt, Chaldæam, reliquit. Cùm enim videret Nimrodum tyrannidem affectare, vera religione abnegata, idololatriam ſtabilire, ne cum homine impio videretur jugum trahere, hoc eſt, conſilia contuliſſe, in-

que ſubditorum oppreſſionem conjuraſſe; ſponte ceſſit, Ninivenque Aſſyriæ Regiam ædificavit, à Nino filio, (ut quidam volunt) à quo etiam nomen accepit, abſolutam, ut ſe adverſus Chamitarum potentiam defendere poſſet. Et *hæc ſententia eſt Lutheri*, & *omnium orthodoxorum Theologorum*; cui etiam nos calculum noſtrum addimus.

Refutatio prioris opinionis.

Ad I. argumentum contrariæ partis dicimus, quòd in eo committatur Elenchus petitionis principii. Siquidem pars adverſa pro conceſſo ſumit, quod concedi non debet, neque poteſt. Nam dicunt eſſe hoc loco *Elipſin*. At unde illam probant? Sic enim poni debuiſſet אַשּׁוּר־אֶל, uti fit *Hoſea* 5. *v.* 13. Ephraim *el Aſſur*, ad Aſſur miſit.

Ad II. argumentum dicimus, ſi *Aſſur* hoc loco accipitur non *propriè*, ſed metonymicè, pro regione Aſſyria, & Aſſyriis, ut vult *Piſcator* & *Pareus*; tum inexplicabilis foret quæſtio, Unde Aſſyria & Aſſyrii nomen ſortiti fuiſſent.

Ad III. argumentum dicimus, quòd alienum à Moſis inſtituto non ſit in deſcriptione Nimrodi Aſſuris nomen exprimere, licet diſtinctæ eorum ſint Genealogiæ: ille namque ex impii Chami, *Gen.* 10. *v.* 6, 7, 8. hic verò ex Semi proſapia oriundus fuit. *Geneſ.* 10. *v.* 22. Nam quia Moſes primæ Monarchiæ, quæ Babyloniorum & Aſſyriorum fuit, & Regiam habuit Babylonem, mentionem fecit, *Gen.* 10. *v.* 9, 10. ideò digreſſiunculâ παρεκβατικῇ indicat, quare iſta Monarchia poſtea dicta fuerit *Aſſyria*, & nomen Nimrodi perdiderit; nempe, quòd Nimrodus tyrannide ſuâ effecerit, ut populi, quos paullò antè ſubegerat, rurſus ab eo deficerent: Inter illos etiam inſignis ille Heros Aſſur filius Semi fuit, qui & tyrannidem Chamitarum ferre nolens, è terra Sinear, hoc eſt, è Chaldæa, exivit, & Niniven ædificavit, ut adverſus Chamitarum potentiam tueri ſe poſſet. Nam prima *Monarchia duas præcipuas Regias aut Metropoles habuit*, nempe *Babylonem* & *Niniven*: quarum illa à *Nimrod*, hæc verò ab *Aſſure* ædificata, & poſtea à *Nino* conſummata fuit; uti *Xenophon de Æquivocis* ſcribit.

Acta Bellica.

XXI.

Nimrodum plurima geſſiſſe bella, extra controverſiam eſt. Nam non tantùm Imperium armis conſtituit, ſed etiam conſtitutum armis defendit. Cùm enim homines inſuetum illud imperii jugum ægrè ſubirent, illudque ſubinde excutere attentarent, nolentes volentes eos parere coëgit. Unde etiam *potens Venator* appellatur. Fertur quoque anno Imperii ſui 45 cum exercitu *Principes Coloniarum* miſiſſe huc illuc, Aſſur, Medum, Magogum, Moſcum, qui Regna ſui nominis conderent, nempe Aſſyrium, Medum, Magogum (regnum Scytharum) & Moſcum (regnum Moſcovitarum:) quorum duo prima ad Aſiam; duo verò poſtrema ad Aſiam & Europam pertinent. Quia omnes ipſum pro Monarcha ſummo agnoſcebant, donec tandem tyrannico ejus jugo preſſi ſeſe vindicarent atque deficerent. Vide *Sleidanum lib. de 4. Monarchiis.* Hinc *Xenophon* primos hominum Chaldæos latè regnaſſe; & *Plin. lib. 6. c. 26.* Babylonem gentium Chaldaicarum caput dici, ſummamque in toto orbe claritatem obtinuiſſe ſcribit.

Quæſtio *hic moveri poteſt*: *Quiſnam primus belli author fuerit?*

Tres circa hanc quæſtionem diſtinctæ ſeſe offerunt *ſententiæ.*

I. *Juſtinus Hiſtoricus*, Ninum Aſſyriorum Regem finitimis primùm bella intuliſſe, author eſt.

II. D. *Chriſtophorus Pelargus Com. in Gen. p.* 265. putat, quod אַמְרָפֶל Amraphel (hoc eſt, loquens ruinam vel everſionem) primus belli author fuerit: Hic namque cum confœderatis quatuor Regibus, contra quinque πεντάπολεως Reges bellum geſſit, eoſque devicit, *Gen.* 14. *v.* 1, 2, 8, 9. & multos captivos, inter quos etiam Lothus fuit, abduxit. *v.* 11, 12. Hoſce verò *Abraham* 318. ſervis ſuis, & ſociis *Eſcol*, *Aner*, & *Mamre* perſequitur uſque Danem, *v.* 14. dividit exercitum, & nocte ſecuros invadit, cædit hoſtes, fugatque eos. *v.* 15. & omnem unà cum *Lotho* ſubſtantiam reducit. *v.* 16.

III. Verùm omnium optima eſt ſententia, ſi dicatur *Nimrod primus belli author.* Etenim ille à Moſe *Gen.* 10. *v.* 10. expreſſè potens in terra VENATOR appellatur, utique non tantum ferarum, ſed etiam hominum, quos belligerando in poteſtatem ſuam redegit; uti ex ſequentibus plenius patebit.

II. *ACTA ECCLESIASTICA.*

XXII.

Poſt diluvium impius ille *Chamus*, & inter *Chamitas Nimrodus præcipuus Eccleſiæ Idololatricæ author exſtitit.* Nam ipſe *Turrim Babylonicam* ſtupendæ altitudinis (uti *Targum Hieroſolymitanum* habet) *eum in finem ædificavit, ut in ſummitate ejus idolo ſuo templum conderet, & homines, ad tantum ſpectaculum undiquaque concurrentes, ad idololatriam ſenſim pertraheret.* Atque propter hanc etiam hominum ſeductionem, *Venatorem* illum appellatum fuiſſe, idem *Targum* annotavit. *Verba*

ejus

„, *ejus hæc sunt:* Hic fuit potens in venatione in pec-
„, cato coram Jehovah. Quia fuit venatus filios ho-
„, minum linguis suis, & dixit eis: *Discedite ab institu-*
„, *tutis ritibus Dei, & adhærete institutis Nimrodi.*
„, Propterea dictum fuit: sicut Nimrod heros potens
„, in venatione & peccato coram Jehovah. *Hactenus Targum.* Idem *Cyrillus lib. 1. cont. Julianum* confirmat, quando scribit: Nullus (inquit) hominum, qui vixerunt *ante diluvium*, taxatur, quod Diis alienis fuerit deditus, vel immundis dæmonibus obtulerit. At *post diluvium & constructionem Turris* & linguarum discretionem, etiam de Deo indignam habuerunt opinionem, qui per universam terram dispersi erant. *Hæc* autem *idololatria* in Historiis sacris UR à *Chaldæis* (hoc est, lux, vel ignis) appellatur; à *Persis* (teste *Plutarcho* in vita Alexandri & Artaxerxis) *Orimasda* (hoc est, lumen sanctum, vel ignis sacer;) à Græcis Ἑστία, à *Romanis* VESTA nominatur (quasi ignis Domini: ab *Esch*, ignis; & *Jah*, Dominus.) Nam *Chaldæi ignem sacrum pro Deo coluerunt.*. Cum enim audierant sacrificia à sanctis Patriarchis oblata, igne cœlitus delapso incensa & consumta esse, non Deum, cujus potentiâ illud fiebat, sed ipsum ignem colere stolidi cœperunt; sicut etiam *Justinus* tradit. Atque hoc fictitium suum Numen reliquis Gentium Diis omnibus longè præferebant Chaldæi, propterea quod illarum simulacra ex auro, argento, ære, ebore, aliâve materiâ fabrefacta, igne consumerentur. In quem etiam finem per varias orbis regiones, ignem suum circumvehebant, eoque idola reliqua comburebant, ut hoc Numen suum omnibus aliis majus demonstrarent; donec tandem fraude cujusdam *Sacerdotis Ægyptii ipsorum etiam ignis vinceretur.* Confecerat enim sibi iste Sacerdos ingentem hydriam crebris undiquaque foraminibus patentem, quibus cerâ obstructis, varioque colore depictis, hydriam aquâ replevit, caputque ab idoli Canopi simulacro ablatum ei imponens arte fraudem dissimulat, illamque veluti idolum constituit. Veniunt Chaldæi, ignemque simulacro admovent: tunc cera igne grassante resolvitur, & aquâ perfluente ignis exstinguitur. Atque ita *Ægyptium Numen*, cui nomen erat *Canopus*, victor evasit. *Suidas in Collect.* Atque hic cultus ignis idololatricus à *Chaldæis* ad *Assyrios*, *Medos*, *Persas*, *Græcos* & *Romanos* est propagatus. *Persæ* namque ignem talem annuatim equo albo impositum in pompa frequente circumgestarunt, quem Rex ipse, regni Proceres,. & turba ingens populi adorarunt. A *Romanis* etiam, ut *ignis perennis & pervigil*, per *Virgines Vestales* (à *Vesta* sic dictas) in Templis religiosè custoditus est. Ita in maxima mundi parte à religione sancti Noachi discessum est, authore Chamo atque Nimrodo; & pro vero Deo diabolus in forma ignis adoratus est. Nam & sancta *semi posteritas* isto veneno idololatrico infecta fuit; ita ut Deus Ecclesiæ suæ, ne planè incideret, consulturus, *Abrahamum* ex patria sua idololatrica, nempe ex UR *Chaldæorum*, in qua patres ipsius Diis alienis servierant, (*Josua* 24. 2.) evocaret, terramque Chanaan ingredi juberet, *Gen.* 12. *v.* 1. Unde *Chaldæi* dicti sunt בְּנֵי *tanquam Dæmones vel Vastatores*, vel *filii Diaboli*; ex sententia D. Hieronymi: Nam UR Abrahami patria, à cultu idololatrico אוּר בַּשְׂדִּים *Ur Casdim*, hoc est, ignis Dæmonum appellatur; juxta *Targ.* אוּרָא *Ura*. Hodie verò *Orchoe* appellatur; sicut *Petrus Appianus* tradit.

III. *ACTA OECONOMICA.*

XXIII.

Nimrodi conjux fuit RHEA, ex qua filium *Jovem Belum* suscepit; juxta plerorumque Historicorum sententiam. Utrùm plures genuerit liberos, incognitum est. Solius Beli fit mentio, qui patri in regno successit. *Alii Historici* statuunt, *Belum* fuisse *Arphaxadum fratrem Assuris*, qui cognomento *Belus* dictus fuerit: sed de hoc plenius suo loco dicturi sumus. *Alii* denique putant, *Belum non* fuisse *filium Nimrodi*, & ex stirpe Chami; sed fuisse *filium Semi*, qui alias *Assur* dictus fuit. *Gen.* 10. *v.* 22.

Tempus, quod à publicis negotiis vacuum habuit Nimrodus, *venationibus impendit*, atque ita dum bestias nimium insectatus fuit, animum quoque bestialem, hoc est, crudelem erga homines induit. Nam experientia testatur, eos, qui venationibus perpetuò occupantur, sanguinarios ac crudeles ut plurimum fieri. *Exemplum*, quamvis in re dissimili, habemus in *Domitiano Imperatore*. Hic namque stylo muscas interficiens, crudelitatem ex illo quotidiano exercitio didicit.

SECTIO III.

III. DE EGRESSU.

XXIV.

Denique Nimrodus, qui velut Tyrannus multa hominum millia perdidit, & ipse præter omnem spem & opinionem periit. Nam (ut *Cedrenus* scribit) *Turris Babylonica* ab ipso ædificata, subitò vento disjuncta, ruinâ eum oppressit. *Berosus lib.* 4. aliud mortis genus recenset, idemque subitum & inopinatum. Scribit namque eum non amplius comparuisse, subitò translatum à Diis, puta Ethnicis,

hoc eſt, à diabolo ipſo, cui hactenus ſervierat, & cujus idololatricum in hoc mundo regnum ſtabiliverat. Ita videmus, verum eſſe Politicorum monitum; nempe, tragicos eſſe Tyrannorum exitus: ipſis in pœnam; iis verò, quos habent ſucceſſores, in exemplum.

Regnavit Nimrodus annos 56. & ſucceſſorem habuit *Jovem Belum*: quem plurimi Hiſtorici exiſtimant ejus fuiſſe filium.

USUS.

QUÆSTIO I.

An Nimrodus primus in orbe Monarcha fuerit.

De hac quæſtione *ſex* reperiuntur Doctorum ſententiæ.

I. *Petrus Gregorius Tholoſan. l.* 19. *de Republ. cap.* 1. *ſect.* 2. ſtatuit ADAMUM *primum fuiſſe* à Deo conſtitutum *Magiſtratum*: tum quia ad imaginem Dei conditus fuit, cujus pars vel certè conſequens eſt dominium; tum quia jubetur præeſſe piſcibus maris, volatilibus cœli, adeoque univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram. *Gen.* 1. *verſ.* 28.

Reſp. Verùm hæc Tholoſani ſententia in arce veritatis ponenda non eſt. Nam 1. diſtinguendum inter *imperium in creaturas irrationales*, & *inter imperium in homines*. Illud fuiſſe hujus præludium concedimus; ſed tamen alterum ab altero diſtinctum eſſe & manere, contendimus. 2. Diſtinguendum inter *imperium Paternum*, & *Monarchicum*: illud Adamus in familiâ ſuâ exercuit; hoc verò à Nimrodo & cum Nimrodo cœpit.

II. *Quidam contendunt*, CAINUM *primum fuiſſe in orbe Monarcham.* Quoniam *Gen.* 4. 17. *Urbem nomine Henochiam condidiſſe legitur.*

In hac ſententia eſt *Auguſtinus, qui lib.* 15. *de Civit. Dei c.* 20. ſcribit; Cainum Regiâ & Monarchicâ poteſtate in civitate à ſe conditâ fuiſſe armatum.

Reſp. Verùm nos dicimus, quòd vox *Monarchia* dupliciter accipiatur.

1. Γενικῶς, *& generaliter*: ſic accipitur *pro qualibet Reipubl. adminiſtratione, cui* UNUS *aliquis cum imperio præeſt.* Nam notum eſt ex ſacris pariter atque profanis Scriptoribus, quòd vox *Regis* olim adeò communis fuerit, ut quibuſlibet Gubernatoribus aut Dynaſtis, qui vel in unam civitatem imperium habuit, מֶלֶךְ Rex appellatus ſit. Nam *Joſuæ cap.* 11. enumerantur 31 Reges, quos Joſua debellaverit, quique tantùm in terra Canaan imperitarint. *Judic.* 1. ait *Adonibezek*: LXX Reges, amputatis manuum & pedum pollicibus, colligebant micas ſub menſâ meâ. Unde facilè eſt conjicere, illos LXX Regulos admodùm tenuis fuiſſe ſortis atque conditionis, parvæque regionis Gubernatores: alioquin Adonibezek potentia in immenſum creviſſet, tot Regibus ſpoliatis. Et in hoc ſignificatu facilè concedimus Cainum Monarcham, vel Regem, dici potuiſſe.

2. Εἰδικῶς, hoc eſt, *ſpecialiter*, ſive ſtrictè. Sic vox *Monarchia* accipitur pro uno ex quatuor ſummis in mundo Imperiis, quæ in Scriptura S. enumerantur, & Catholica Imperia nominantur. Et hoc reſpectu, Cainum Monarcham fuiſſe, ſimpliciter negamus.

III. *Quidam* NIMRODUM;

IV. *Quidam* BELUM;

V. *Quidam* NINUM;

VI. *Quidam* denique NABUCHDONOSOREM M. primum mundi Monarcham fuiſſe affirmant. Quoniam ille primæ Monarchiæ Rex primus appelletur *Dan.* 2. 39.

Verùm nos reſpondemus, quòd *Nimrodus fuerit primus in orbe Monarcha.* Ubi tamen notandum, quod *ortus Monarchiæ primæ* dupliciter conſiderandus ſit. 1. ἀπλῶς, hoc eſt, *abſolutè*. Sic prima Monarchia Babylonica in ipſo originem cœpit; uti ex *Gen.* 10. 10. patet. 2. ἐξοχικῶς. Sic cœpit in Nabuchdonoſore, in *ſenſu limitato*, hoc eſt, quoad ſummæ excellentiæ & dignitatis gradum. Qua de cauſa ipſe *Dan.* 2. 38. CAPUT AUREUM vocatur, quòd nempe ipſe præ cæteris Regibus Babylonicis potentiâ & clementiâ excelluerit.

QUÆSTIO II.

An ſtatus Monarchicus, adeoque omnis Magiſtratus, ſit ſancta & bona Dei ordinatio?

Anabaptiſtæ negant Magiſtratum eſſe ſanctam atque bonam Dei ordinationem; ideoque illum planè tollunt, eique ne inter pios quidem locum concedunt. Hunc autem furorem ſuum atque delirium *exemplo Nimrodi* probare conantur. Ille namque primus in orbe Monarcha fuit. At ille fuit rebellis & ſeditioſus, Deo minimè placens; id quod ipſum nomen Nimrodi arguit, quod amarum Dominatorem ſignificat, à מָרַד rebellare, deficere. Unde fortis Venator coram Domino appellatur. Sicut enim Venatores feras ſolent capere, aut interficere: ita ipſe homines ſubjugum miſſos violenter oppreſſit. Unde tale argumentum formant.

Cujus malum eſt principium, illud eſt malum; ac proinde abrogandum.

Atqui Imperiorum atque Magiſtratus malum eſt principium in Nimrodo. Ipſe namque injuſtâ atque

atque violentâ hominum oppreſſione imperium conſtituit. Ergo.

Reſp. *Primò: Ad Majorem* dupliciter. I. *Per inficiationem.* Non ſtatim omnia quæ ex malo principio ſunt orta, ſunt tollenda, ſi ipſa per ſe ſint bona atque utilia: idque *triplici exemplorum genere* demonſtrari poteſt. Quorum *primum* eſt *Eccleſiaſticum.* Multi baptizantur abſque fide & pœnitentia, neque tamen ideò anabaptiſmus introducendus eſt, hoc eſt, Baptiſmum repetere licet. Quia Baptiſmus etiam illegitimè acceptus, poſtea fit ratus atque legitimus, quando vera pœnitentia agitur. *Alterum* eſt *politicum.* Regii ſtatus in populo Iſraëlitico principium fuit malum, nempe populi faſtidium, ſuperbia atque κακοζηλία; neque tamen vel Reges, vel ſtatum regium abrogare licitum fuit. Sic etiam ex malis moribus bonæ Leges ſunt ortæ; (inquit ille apud Terentium.) neque tamen bonæ Leges propterea ſunt abrogandæ. *Tertium* eſt *Œconomicum.* Multa matrimonia ex principio peſſimo oriuntur, atque illegitimè contrahuntur, quæ tamen conſummata non licet reſcindere. Unde patet, quòd Major propoſitio ſit particularis. II. *Per limitationem.* Major propoſitio tantùm valet de iis rebus, quæ ita ex malo principio oriuntur; ut ipſæ quoque ſint malæ, pugnantes cum Legibus tum divinis tum humanis, & aut ſint perniciosæ aut inutiles. At hoc de Imperiis aut Magiſtratibus dici non poteſt. Quia Magiſtratus eſt ordinatio Dei, & nulla eſt poteſtas niſi à Deo, inquit *D. Paulus Roman.* 13. 1.

Deinde: Ad Minorem Theologi bifariam reſpondent.

1. *Alii Nimrodi Imperium laudant*, quòd nempe ipſe memor gladii abavo ſuo Noæ divinitùs conceſſi, reprobos & contumaces pœnis coërcendos, & idcirco Regnum aliquod armis conſtituendum in animum induxerit. Et *ſic Venator coram* DOMINO appellatur, quia & *feras & latrones* cepit, & à Deo armatus eſt robore & ſucceſſibus, ut conſtituere durabilem Imperii formam legibus, judiciis & præſidiis, & fontes vi trahere ad pœnas poſſet. Et ſic Deus ſingulari conſilio ſocietatem humani generis muniit, & ordine maxima Imperia, quæ Monarchiæ nominantur, conſtitui voluit, ut plures Gentes conjungi poſſent, & unius ſummi Imperii potentiâ facilius Tyranni punirentur. Poſtea autem Nimrodus potentiâ divinitùs traditâ abuſus, atque Tyrannus eſt factus. Fuit igitur Nimrodus Tyrannus non ratione Tituli, quia à Deo poteſtatem accepit; ſed ratione Exercitii, quia poteſtate à Deo acceptâ abuſus eſt.

2. *Alii Nimrodi Imperium vituperant*, quod nempe tyrannicum fuerit. Et hi *diſtinguunt inter rem ipſam*, & *modum* quo quis rem conſequitur. Res ipſa ſæpius eſt à Deo, & probatur Deo; licet modus quo quis eam conſequitur, non ſit à Deo, neque probetur Deo. Sic *Miniſterium Eccleſiaſticum* eſt ſancta Dei ordinatio; licet modus ſæpe ſit vitioſus, quo quidam in illud ſeſe ingerunt. Sic *divitiæ* in ſe & per ſe ſunt & manent bonæ; (quia ſunt inſigne Dei donum) licet modus, quo avari eas ad ſe rapiunt, non ſit à Deo. Ita etiam de *Imperio Nimrodi* dicendum. Nimrodi Imperium non à tyrannide cœpit, ſed cum tyrannide conjunctum fuit. Quare aliud eſt poteſtas, & aliud eſt abuſus poteſtatis. *Ipſa poteſtas* eſt à Deo, & initium à Dei ordinatione cepit. Deus namque poſt diluvium Magiſtratum inſtituit. *Gen.* 9. 5. *Formula* inſtitutionis hæc eſt: *Qui ſanguinem hominis fuderit, ejus ſanguis* PER HOMINEM (ſcilicet, divinitus ad hoc vocatum & ordinatum, hoc eſt, Magiſtratum) *effundetur.* Sed *initium Tyrannidis*, quæ eſt abuſus poteſtatis, eſt à Nimrodo atque diabolo. Quare diſtinguenda eſt poteſtas à vitio poteſtatis atque perſonæ. Huc pertinet elegans locus, qui exſtat *Eſaiæ* 19. 4. ubi Deus inquit: *Concludam Ægyptum in manu* אֲדֹנִים קָשֶׁה DOMINORUM DURI. Putant Interpp. Prophetam loqui de *Pſammetycho Ægyptiorum Rege.* Cum enim aliquando cæco Rege interregnum eſſet, & 12. Gubernatores eligerentur, qui debebant unanimi conſenſu regnum adminiſtrare, illi poteſtatem ſuam in tyrannidem verterunt: Et cum odiſſent Pſammetychum (qui unus ex 12 erat) eumque in exilium ejeciſſent, ille auxilio Ionum in Ægyptum rediit, & ſublatis cæteris Tyrannis (ut ſcribunt *Herodotus* & *Diodorus Siculus*) ſolus regnum obtinuit, atque multa per vim & tyrannidem fecit. De hoc igitur Tyranno Pſammetycho Deus inquit: *Concludam Ægyptum in manu* DOMINORUM DURI. Mirabilis hæc videtur conſtructio, ſed non caret myſterio. Nam *Dominium* Pſammetychi à Deo ipſi conceſſum, per plurale DOMINORUM; ſed *Duities & tyrannis* à propria perſona dependens per DURUM ſingulare exprimitur: ut ita ipſa conſtructio & epitheti attributio diſcrimen faciat, oſtendatque Tyranni dominium eſſe à Deo, quod denotatur per plurale אֲדֹנִים DOMINORUM. Magiſtratus namque eſt Vicarius Dei, (qui eſt in eſſentia unus & in perſonis trinus,) ſed duritiem eſſe à Tyranno, vel originem trahere à diabolo.

DUBIUM.

Dicis: Poteſtatem omnium Magiſtratuum eſſe à Deo; ſed Tyrannidem eſſe à diabolo & Tyranno ipſo. Quomodo igitur intelligendum eſt, quod Deus

apud

apud Hoſeam Prophetam c. 8. v. 4. inquit ? *Ipſi Reges conſtituunt abſque me: Principes aſſumunt me inſcio.*

Reſp. Deus ibi loquitur de *Jeroboamo impio & rebelle Rege Iſraël*, qui per vim Regnum Iſraël occupavit, hunc, inquit Deus apud Oſeam, Regem à ſe non conſtitutum eſſe. Quod ita intelligendum.

1. *Aliud* eſt *ipſa poteſtas*, *aliud* eſt *poteſtatis acquiſitio & uſurpatio.* Ipſa poteſtas ſemper eſt à Deo: Quoniam non eſt poteſtas niſi à Deo, hoc eſt, omnis poteſtas eſt à Deo. *Rom.* 13. 1. Sed poteſtatis acquiſitio & uſurpatio illegitima eſt tyrannis, quæ eſt ulcus poteſtatis, non poteſtas. Et hæc non eſt à Deo.

11. *Tyrannis* rurſus dupliciter conſideratur. *Primò* quatenus eſt *malum culpæ*: *Deinde* quatenus eſt *malum pœnæ*. Quatenus eſt *malum culpæ*, ſic non eſt à Deo. Deus enim non vult malum, *Pſal.* 5. 4. Quin potiùs Deus Tyrannos eorumque tyrannidem odit. *Sap.* 14. 9. Similiter odio ſunt Deo IMPIUS & IMPIETAS ejus: & tandem utrumque punit, uti oſtendit exemplum *Pharaonis Exod.* 14. 18. *Jeroboami* 1 *Reg.* 13. 34. *Herodis utriuſque Matth.* 2. 19. *Actor.* 12. 23. Cujus autem Deus eſt ultor, ejus non eſt author; ſicut pulchrè Fulgentius ait. Quatenus verò *Tyrannis* eſt *malum pœnæ*; ſic omnino eſt à Deo, non tanquam Authore, ſed irato Judice. Quia univerſalis eſt regula Prophetica *Amos* 3. 6. Non eſt malum in civitate, quod non fecerit Dominus. Deus namque ſubditorum impietate & ingratitudine ad iram provocatus Tyrannis imperium in eos concedit, ut pœnas luant, qui piis Magiſtratibus parere noluerunt. Ita *Hoſea.* 13. 11. Deus inquit: *Dedi tibi Regem in furore meo.* Ita etiam *Regni Iſraëlitici laceratio*, & poteſtatis tranſlatio a Roboamo ad Jeroboamum, fuit à Deo, tanquam juſto Judice, peccata Salomonis & Roboami vindicante. Hinc legimus 1 *Reg.* 12. 24. quòd Deus prohibuerit *Roboamo Regi Juda*, cum 10 tribus ab eo defecerant, ne adſcenderet, atque bellum contra fratres filios Iſraël gereret. Addit hanc rationem: A *me enim factum eſt verbum hoc*, hoc eſt, Ego volui (voluntate conſequente vel judicii) ut 10 illæ tribus ab Imperio poſteritatis Salomonis avellerentur. Confer 1 *Reg.* 14. 7, 8. Ipſa verò ſeditio & rebellio Jeroboami, quatenus malum culpæ fuit, non erat à Deo, ſed à diabolo, & à Jeroboamo ſuperbo. Ideoque etiam Deus illum graviter punivit. 1 *Reg.* 13. v. 34. & 1 *Reg.* 14. 10.

QUÆSTIO III.

An Magiſtratus ſubditos ſuos armis ad religionem cogere debeat?

Reſp. Aliud eſt, *Religionem propagare*; aliud eſt, *eandem propugnare.* Quæ duo accuratè ſunt diſcernenda.

PROPOSITIO I.

Religionem veram armis & gladio propagare Magiſtratui non licet.

Sicut *Nimrod* fecit, qui *potens Venator* coram DOMINO fuit. *Gen.* 10. 9. Nam ipſe ſubditos ſuos ad falſam religionem violenter adegit, & à vero Dei cultu abduxit. Quod exemplum *uterque Antichriſtus* Orientalis & Occidentalis imitatus eſt. *Mahumet* namque gloriari non dubitavit, ſe miſſum eſſe non in virtute miraculorum, ſed gladii; uti ex Alcorano patet, & ex Epiſtola Amurathis III Turcici Imp. anno 1593. ad Rudolphum II Imperatorem Romanum miſſa: Cujus formulam vide in hiſtoria Sardanapali Monarchæ XXXVIII. *Papa Romanus* idem facit; uti ex Inquiſitione Hiſpanica conſtat. Similiter etiam *Jeſuitæ* Principes atque Magnates ſubinde ad arma capienda adverſus ſubditos Pontificiæ Religioni non addictos incitant. Vide *Coſterum in Enchiridio.*

Verùm nos ex verbo Dei docemus atque dicimus:

1. Quod *Magiſtratus Chriſtianus jure ſubditos ſuos ad religionem atque fidem cogere non queat.* Quia hominum voluntatibus atque conſcientiis dominari, eſt ſupra vires omnium hominum conſtitutum. Nam voluntas cogi non poteſt. Coacta enim voluntas (ut inquiunt Juriſconſulti) non eſt voluntas. *D. Matthæus in Comment. de Regul. Jur. p.* 41. Voluntas per eſſentiam libera eſt, adeò ut libertate detractâ voluntas deſinat eſſe voluntas. *Scalig. Exer.* 307. *l.* 25. De qua libera poteſtate dicimus verè & omnium Gentium conſenſu: Volo velle, volo nolle. *Scalig. ibid.* Jam vero Religio & fides ſunt maximè voluntaria. Nam Fides eſt notitia in mente, & aſſenſus liberrimus in voluntate. Mentes autem & voluntates hominum homo nullus cogere poteſt. Unde non minùs piè quàm verè dixit *Stephanus Batori*, *Rex Poloniæ*: Deum tria ſibi reſervâſſe: 1. Ex nihilo aliquid creare. 2. Futura prænunciare. 3. Conſcientiis dominari. Et in eandem ſententiam quoque inquit *Lactant. l.* 5. *Inſtit. divin. c.* 19. Quis imponat mihi neceſſitatem vel credendi quod nolim, vel, quod velim, non credendi? Nihil tam voluntarium quàm religio; in qua, ſi animus averſus, jam ſublata, jam nulla eſt. Similiter

Ma-i-

Maximil. II. Imperator dixit, Nullam esse tyrannidem intolerabiliorem, quàm conscientiis dominari velle. Quia solus Deus sit conscientiarum Dominus.

11. *Dicimus, quod Magistratus Christianus subditos ad religionem cogere non debeat.* Quia *violenta hominum* ad Religionem atque fidem *coactio*

Primò est ἄγραφος. Nam nullibi in Scriptura S. præsertim autem in N. T. mandatum est, ut homines Christiani externâ violentiâ, ferro, gladio flammâque ad religionem capessendam cogantur. In parabola quidem de cœna magna, *Luc.* 14. 23. narratur, Patremfamilias servo suo mandasse, ut invitatos ad cœnam COMPELLAT vel COGAT intrare. Verùm *coactio illa* non *est externa, vel violenta.* Quia hæc Ministris Ecclesiæ nullo modo competit, sed *moralis vel spiritualis*, quæ consistit in verbi divini prædicatione, & pœnarum comminatione, qua mediante auditores suos Ecclesiæ Ministri ad pœnitentiam excitare debent.

Deinde est ἀνάγραφος. Nam perversus & inversus ille docendi ordo, ut in Ecclesia à violenta coactione fiat initium, planè ignotus est Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ; imò eidem est è diametro contrarius. Nam Christus jussit Apostolos docere ac baptizare; non verò jussit, ut eos, qui audire nollent, interficerent, aut civilis potestatis authoritate ad credendum compellerent. Huc respiciens *D. Paulus* 2 *Cor.* 10. *v.* 4. inquit: *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia*, sed δυνατὰ τῷ Θεῷ, *potentia Deo*, hoc est, à Deo, *ad subversionem munitionum.* Similiter Christus Johanni Apostolo apparens, *gladium* ore gestare visus est, *Apoc.* 1. *v.* 16. Hic per *Gladium Christi* & per *arma Apostolorum* non σαρκικῶς intelligenda sunt arma, & gladii externi sive corporales. Sed spirituales, ut ipsa oppositio 2 *Cor.* 10. evincit, hoc est, Evangelii prædicatio, quâ Christus ejusque Apostoli mundum debellarunt.

Tertiò est ἄλογος καὶ ἀπόλογος. Ideòque cum infelici successu conjuncta. Violentis namque & cruentis mediis homines ab illa religione, ad quam coguntur, magis abalienantur & irritantur. Coactio enim illa non fidem, sed tantùm hypocrisin inducit. Unde pulchrè ait D. Gregorius: Qui fidem asperitatibus propagari volunt, suas, non Dei causas probantur attendere. *Tertull. in lib. ad Scapulam cap.* 2. *p.* 88. Religionis non est, cogere ad religionem, quæ sponte suscipi debet, non vi. *Et in Apologet. c.* 23. inquit: Videte, ne & hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis; ut non liceat mihi colere quem velim, sed cogar colere quem nolim. *Nemo se ab invito coli vellet, ne homo quidem.* Confer *Psal.* 54. *v.* 7. Unde *Rex Navarræ* in literis ad Nobiles Aquitaniæ ap. *Dimethum lib.* 6. *Histor. Gall. fol.* 488. rectè scribit: Non gladio, sed persuasione ac vi doctrinæ, in cordibus hominum, religio plantatur, & honesto vitæ exemplo confirmatur.

PROPOSITIO II.

Veram Religionem armis propugnare sive defendere licet.

Nam piis Principibus non tantum *licet*, sed etiam eos *decet*, si qua vis publica atque injuria subditis suis, præsertim ab hostibus externis intentetur, sive religionis, sive libertatis prætextu id ipsum fiat, eorum defensionem suscipere. *In tali namque bello non hoc præcipuè quæritur, An religio in se & per se armis* defendenda; sed *an subditi propter religionis* professionem *injustè oppressi, à Principe suo contra vim illatam sint defendendi?* Id quod non solùm *licitum*, sed etiam *necessarium* esse contendimus. Nam immota est hæc *lex naturæ*: *Vim vi repellere licet.* In quam sententiam etiam *Cicero* graphicè inquit in *Oratione pro Milone*: Est, judices, " hæc non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, " accepimus, legimus, verùm ex Natura ipsa arri- " puimus, hausimus, expressimus: ad quam non do- " cti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus: ut, " si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela " aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis " honesta ratio esset expediendæ salutis. *Hæc Cicero.* Sic olim *Judices*, *Reges* atque *Duces populi Dei* veram religionem propugnarunt adversus *Philistæos* aliosque feroces *Tyrannos.* 1 *Mach.* 3. *v.* 20. legimus, cum *Antiochus* Israëlitas propter religionem oppugnaret; dicit *Judas Maccabæus*: Ipsi *veniunt ut disperdant nos, & uxores nostras, & filios nostros. v.* 21. *Nos verò pugnabimus pro animabus nostris & pro legibus nostris.* Ita *Constantinus M.* & *Theodosius M.* Christianos contra Gentiles armis tuebantur, & hactenus Christiana Religio contra *Turcarum* vim defenditur. Nam si patriam, si libertatem, fortunas denique adversus injustam hostium violentiam defendere licet; utique etiam religionem veram, necessitate ita flagitante, defendere licebit. Hinc veteri proverbio *pro aris atque focis* pugnare dicuntur, qui se suosque justo bello, sive sacrum sive profanum illud fuerit, defendunt. Neque ab hoc officio Magistratus propter incertum belli eventum deterreri debet, sed potius cum Deo committens, dicat cum *Joabo* belli Duce, adversus Ammonitas & Syros pugnaturo: *Confortemur nos pro populo*

pulo noſtro, & pro urbibus Dei noſtri; Dominus autem faciat, quod bonum eſt in oculis ejus! 2 *Sam.* 10. 12.

QUÆSTIO IV.

Quæritur, an Venationes ſint licitæ, & in Principibus viris probandæ?

Occaſionem huic quæſtioni præbet nobis *Nimrodus*, qui reprehenditur à Spiritu S. quòd *potens* fuerit *venator coram Domino.* Ideoque non immeritò quæritur: An Venationes ſint licitæ, & in Principibus viris probandæ?

Nos breviter reſpondemus: Valet hîc uſitatus ille verſiculus.

Vſus habet laudem: crimen abuſus habet. Quare diſtinguimus inter *ſtudium venationis moderatum*, & *immoderatum.*

Si ſermo eſt *de moderato venationis ſtudio*, Quis ſanè eam non probaret?

1. *Propter ipſius Jehovæ præſcriptionem.* Deus ipſe leges venationis præſcribit *Lev.* 17. 13. Qui venatione atque aucupio ceperit feram vel avem, quibus veſci licitum eſt, fundat ſanguinem ejus, & operiat illum terrâ.

2. *Propter Exemplorum inductionem. Gen.* 27. 4. legimus, quòd *Iſaacus* filio ſuo *Eſavo* demandarit, ut ipſe in campum egreſſus feram capiat. Similiter *Rex Salomon* venatione cervorum, capreārum & bubalorum, menſam regiam ferinâ carne inſtruxit, 1 *Reg* 4. 23. *In profanis* quoque *hiſtoriis* legimus, quòd optimi atque fortiſſimi Imperatores, Reges atque Principes venationibus delectati ſint. *Alexander M.* poſt prandium ſæpe diem venatione conſumebat; & ubi ab armis atque acie quies erat, aſſiduâ venatione oblectabatur. *Plutarchus* in Alex. *Alexander Severus* laudatiſſimus ille Imperator, qui ſummam Imperii curam gerebat, quandoque venabatur. *Lampridius in vita Severi. M. Antoninus Philoſophus* Imperator à gravioribus imperii curis animum remittens in venationem perrexit. *Julius Capitolinus in vita ipſius.*

3. *Propter venationis utilitatem. Quadruplex* potiſſimum *venationis* eſt *utilitas.* Prima eſt *OEconomica.* Quia menſa Principum venatione cervorum, aprorum, leporum, &c. inſtrui poteſt, uti exemplum *Salomonis* oſtendit. Itaque Veteres venatu fere vivebant, & arcu victum ſibi parabant, hoc eſt, ſagittandi arte. Eapropter βίος vita ipſa fuit dicta ἀπὸ τῦ βιῦ, hoc eſt, ab arcu, ſive ἀπὸ τῆς βίας, à violentia; contraria videlicet primis illis hominibus qui carnes non guſtabant, ſed terræ fructibus contenti vivebant. *Euſtath. Illiad. a.*

Secunda eſt *Phyſica.* Quia venatio non ſolùm curas levat, ſed ſuo exercitio corpus vegetius atque robuſtius reddit, & bonam valetudinem comparat, ut venationis ſtudio dediti videant audiantque magis, & ſeneſcant minùs. *Xenophon l.* 1. *de Cyropæd.* Unde *Carolus M.* Imp. ille laudatiſſimus venationem tanquam rem ſaluberrimam etiam ſenex haud neglexit, neque ob hanc per nives vel calores ſaltuſque aut montes percurrere, aut aliam quampiam tempeſtatem exhorruit graviorem. *Cuſpinian.*

Tertia eſt *Ethica.* Quia homo venationibus temperantior redditur & ſapientiâ inſtruitur. Hinc *Saluſtius* ſcribit in *bello Jugurth. Jugurtham* ſtatim initio ætatis non ſe luxui & inertiæ corrumpendum dediſſe, ſed pleraque tempora in venando tranſegiſſe. Siquidem ſolitudo & ſilentium, quod venationi datur, magna cogitationis eruditæ incitamenta eſſe ſolent. *Plin. lib.* 1. *Epiſt.* 6. *Et lib.* 9. *Epiſt.* 10.

Quarta eſt *Polemica.* Quia venationibus animus fortior redditur; Et venationes ſimilitudinem cum re bellica habent: neque parvam fortitudinis ſpeciem præ ſe ferunt. Non enim cujuſvis eſt, luſtrare ſaltus, excutere cubilibus feras, ſuperare immenſa montium juga, & horrentibus ſcopulis gradum inferre, nullius manu, nullius veſtigio adjutum. Unde nullum ſtudium eſt, quo impenſiùs Principes delectantur. *Xenoph. Cyrop. lib.* 1. ſcribit: Venationis exercitium plurimum ſimile eſſe militari labori; ideoque qui ad bellum aſſuefaciendi ſunt, illos primis ſtatim annis venationibus eſſe exercendos. Quod etiam *Platonis lib.* 7. *de Legibus* eſt conſilium. Conſer *Philonem lib.* 1. *de Vita Moſis fol.* 393. item *in lib. de Joſepho.* Et *Euſebium lib.* 8. *de præparat. Evangel. c.* 14. Et *Julium Pollucem in proœm. lib.* 5. *ad Commod. Imperat.* Ita *Virgilius* Poëtarum princeps decori obſervantiſſimus venandi ſtudium in *Aſcanio* laudavit; illius namque juvenilis ardor

Optat aprum & fulvum deſcendere monte leonem.

Et ſi ita venandi ſtudium intra terminos mediocritatis conſiſtat; quis illud, ſi prudens rerum æſtimator audire velit, improbaret?

Verùm *immoderatum venationis ſtudium* omnibus modis eſt improbandum & deteſtandum, quando nempe Principes, totam eò mentem ſuam dejiciunt, ad majora natam; miſellis ruſticis plagas inferunt, ſata læta, boumque labores diruunt; inter cervorum greges, quaſi eſſent ex numero

ipſo-

ipſorum, obambulantes; id tantùm ab iis differunt, quòd lineamenta hominis geſtent, ut de *Hagide Curetum Rege* loquitur *Juſtinus lib.* 44. Quorum

Tunc etiam defeſſa thoro cùm membra reponunt,
Mens tamen ad ſylvas & ſua luſtra redit.

Uti *Thomas Morus Anglia Cancellarius* pulcrè & venuſtè ſcribit.

Hæc, inquam, ἱπποµανία & κυνηγεσιοµανία meritò eſt improbanda. Hac nonnulli Principes ita ſunt correpti & corrupti, ut ei omnia poſthabeant, magno ſuo cum dedecore & ingenti ſubditorum damno. Hinc fit, ut

Hæc bis bina, canes, & aves, ſervi atque caballi
Dicantur dominos ſæpe vorare ſuos.

Hinc fit, ut ille qui nimiâ venandi µανίᾳ laborat, tandem abjectâ humanitate ipſe fera efficiatur, morumque prodigioſa perverſitate tanquam *Actæon* in bellum mutetur: Sicut *Itali* non inconcinnè deſcribunt atque derident furioſum hujuſmodi venationum aucupem, nempe, quòd *venator ſit beſtia, ſedens ſuper beſtiam, manu tenens beſtiam, ſecum ducens beſtiam*, & *inſequens beſtiam*. Confer *Spangenberg. in Damone Venat.*

De *Mithridate Rege Ponti* ſcribit *Patricius lib.* 3. *de Regno, Tit.* 6. quòd tantâ venandi rabie percitus fuerit, ut ſeptem annis continuis, neque urbis, neque ruris tecto uſus, inter ſylvas quaſi errabundus vagatus fuerit,

Vt fera ſub nemorum latebras fugit, acta canum vi.

Imò etiam tandem crudelitatem & ſævitiam induunt, ut, qui ferarum ſanguine gaudent, humano etiam delectari incipiant. Ita *Diocletianus Imp.* tyrannidem ſuam à muſcarum confixione incipiebat. Eodem modo quoque *Nimrodus* initiò venatui liberiùs indulſit: tandem verò non tantùm è ſylvis in apertum campum progreſſus, hominum venator factus, eos in ſuam poteſtatem redigebat, & omnes, quotquot ei reſiſtebant, bello victos atque captos inſtar *venaboris* jugulabat. Quare moniti ſint Principes, ne nimiùm venationi indulgeant.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines;
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

ADAGIUM.

גִּבּוֹר צַיִד לִפְנֵי יְהוָה

Ὡς Νεβρὼδ γίγας ἐναντίον Κυρίου.

Arias Montanus: Sicut Nimrod fortis venatione ad conſpectum Domini.

D. Hieron. Quaſi Nimrod robuſtus venator coram Domino.

Luth. Das iſt ein gewaltiger Jäger für dem HErrn / wie Nimrod.

In hujus Adagii interpretatione duo veniunt notanda: 1. *Senſus.* 2. *Vſus.*

I. SENSUS.

Senſus hujus Adagii ſecundum diverſam Interpretum explicationem triplex eſt. Accipitur enim

PRIMO: Θηρεύτικῶς τῇ κυνηγετικῇ, hoc eſt, de *Ferarum venatione.* Græcus textus ipſum nominat κυνηγὸν, hoc eſt, Venatorem, qui primus canes venatum duxerit. Primus namque artem venatoriam exercuiſſe Nimrod in Scripturis Divinis legitur. Illud enim CORAM DOMINO, publicam apud omnes venatoriæ artis peritiam & exiſtimationem affert. Vide *Pined. in c.* 3. *Jobi v.* 14. *p.* 206.

SECUNDO: Πολιτικῶς, hoc eſt, de *politica dominatione.* Ubi rurſus duplex occurrit Interpretum ſententia. 1. *Quidam* accipiunt hoc Adagium *in bonum*, quòd Nimrod primus à Deo Monarcha in orbe ſit conſtitutus, gladiuſque ei traditus in bonorum defenſionem & malorum coërcitionem. *Rom.* 13. Et hi dicunt, quòd fuerit *potens Venator* CORAM DOMINO, hoc eſt, quòd potentia ei à Deo ſit tradita, eique nota & approbata. 2. *Quidam* accipiunt illud *in malum*, quòd nempe fuerit venator non ferarum, ſed hominum, quos violenter inſtar venatoris oppreſſerit, inque ſuam poteſtatem redegerit. Et hi dicunt, quòd fuerit *Venator robuſtus coram Domino*, hoc eſt, quòd palam excuſſo omni Dei timore, violentiâ & fraudulentiâ in alios graſſatus fuerit, vicinoſque violenter oppreſſerit. Non ſecùs atque *Gen.* 6. 11. dicitur terra corrupta eſſe CORAM DOMINO, hoc eſt, palàm.

TERTIO: Ἐκκλησιαστικῶς, idque rurſus in *bonum* & in *malum.*

1. Qui *in bonum* accipiunt, illi dicunt quòd Nimrod fuerit fortis venator coram Domino, hoc eſt, quòd feras ſit venatus, quas poſteà Deo in ſacrificium offerret.

2. Qui *in malum* accipiunt, dicunt quòd Nimrod fuerit robuſtus venator coram Domino, hoc eſt, quòd novam religionis formam excogitaverit, ad quam ſubditos violenter adegerit, & à vero Dei cultu abduxerit.

Ἐπίκρισις.

Quid autem in tanta ſententiarum varietate de vero Adagii hujus ſenſu ſtatuendum ſit, paucis mentem noſtram aperiemus, judiciumque noſtrum ſubjungemus.

De *prima* dicimus, quod ea ſit *vera in tantum, ſed non in totum*: hoc eſt, concedimus quòd Nim-

rod fuerit venator ferarum; ſed non tantùm, verum etiam hominum. Namè ſylvis & luſtris ferarum ad pugnas cum hominibus progreſſus, de ſumma rerum cum illis concertavit; uti ex textu patet. Præcedit enim *v.* 8. *Ipſe cœpit potens eſſe in terra.* Et ſequitur *verſ.* 10. *Principium regni ejus Babel.* E. non tantùm *venator ferarum* fuit. Quia hæc potentia venatoria tantam non merebatur laudem. Licet enim venationes per ſe non vituperentur; tamen immoderatum venandi ſtudium omninò vituperio dignum eſt. quo etiam Nimrodus fuit percitus; quoque multi Principes ita ſunt correpti & corrupti, ut malint potentes venatores, quam ſapientes Gubernatores ſalutari. Verùm illi potentes venatores potius coram lupis & apris, quàm coram Domino dici merentur.

De ſecunda dicimus, quòd *Nimrodus* fuerit *bonus Imperator Originaliter*, vel reſpectu divinæ intentionis. Deus namque gladio Magiſtratum armavit poſt diluvium, in defenſionem bonorum & vindictam malorum. *Gen.* 9. 5. Sed *malus Imperator* fuit *Eventualiter.* Quia poteſtate divinitùs conceſſâ abuſus in Tyrannum degeneravit, ſicut etiam Nimrodi nomen arguit. Aliud igitur eſt ſancta Dei voluntas, aliud verò eſt malitioſa Nimrodi perverſitas. Juxta DEI voluntatem venator latronum atque facinoroſorum eſſe debuit: ſed ex Satanæ inſtinctu & propria cordis perverſitate Tyrannus, quam DEI Miniſter eſſe maluit. Vide ſupra §. 11. 12.

De tertia dicimus, quòd ſolus *Abenezra* inter Ebræos inventus ſit, qui Nimrodum laudet; vel, ut *Mercerus* loquitur, qui impium juſtificare velit. Non enim dicendus eſt Nimrod *potens Venator coram Domino*, *in bonum*, quòd feras ceperit, ut illas in ſacrificium Deo offerret, uti Abenezra contendit: ſed potiùs *in malum* ita appellatur, quòd videlicèt inſtar Venatoris conſcientiis hominum inſidiatus ſit, eaſque illaqueârit. Et ita interpretantur *Lutherus omneſque Orthodoxi Theologi.*

Unde patet, quòd *Nimrodus* fuerit *Venator triplici reſpectu.* 1. *Sylveſtris*, qui nimiùm venatui ferarum indulſerit. 2. *Civilis*, qui ſummum in mundo Imperium affectârit, vel poteſtate divinitùs datâ abuſus ſit, & tandem in Tyrannum degenerarit. 3. *Spiritualis* (*in malum*,) qui veram religionem invaſerit, multoſque ad δαιμονείαν & ignis Chaldaici adorationem violenter coëgerit, atque in pios Semi poſteros, veræ religioni addictos, non ſecùs ac venator in beſtias horribiliter graſſatus ſit, eoſque oppreſſerit. Unde *Joſephus lib.* 1. *Antiq. Judaic. cap.* 5. rectè ſcribit, quod Nimrodus ſubditos ἀεὶ πι ὑβρει & Θεὸν ἐς καταφρόνησιν, hoc eſt, ad deſpectum & contumeliam Numinis inſtigârit. Et ſic fuit *potens venator coram Domino* duobus modis: 1. *Intentionaliter.* Quia titulo religionis, hoc eſt, titulo cultûs divini & ordinis à Deo ſanciti, tyrannidem ſuam tutatus eſt; uti *Lutherus* inquit. 2. *Eventualiter.* Tandem omni timore Dei omnique pudore excuſſo, *coram Domino*, hoc eſt, *contra Deum* ejuſque Eccleſiam tyrannide ſuâ abuſus eſt, & tantam erga Semitas exercuit tyrannidem, ut oppreſſorum lacrymæ, & ſanguinis profuſi clamor in conſpectum Domini adſcenderit & vindictam flagitaverit; ſicut de peccatis Sodomorum Spiritus S. loquitur, *Gen.* 19. 13.

II. USUS,

Uſus hujus Adagii eſt duplex, iſque tùm *Politicus*, tùm *Eccleſiaſticus.*

Uſus Politicus.

Uſurpari hoc Adagium poteſt adverſus Tyrannos. 1. Qui *in bona & fortunas ſubditorum violenter graſſantur*, eoſque novis ſubinde exactionibus inſtar Nimrodi exhauriunt. Ut *Roboamus*, 1 *Reg.* 12. *Caligula*, *Sueton. c.* 40. *Heliogabalus*, *Antigonus* Rex Aſiæ, qui, cùm ei objiceretur, quòd Alexander Aſiam tot exactionibus non oneraſſet: *Benè*, inquit; *ille enim meſſuit ſegetes Aſiæ: Ego autem ſtipulas colligo.* Verùm cogitare illi debebant, quod *Salomon Prov.* 30. 33. ait: Qui nimiùm nares emungit, ſanguinem elicit.

2. *Adverſus eos, qui in corpora vitamque ſubditorum tyrannicè graſſantur*, eorumque ſanguine oculos ſuos paſcunt. Quales erant *Domitianus*, *Caligula*, *Maximinus*, *Tamerlanes*, aliique Tyranni, qui nullum jucundius habebant ſpectaculum, quàm humano ſanguine animi feritatem oblectare. Talis quoque erat *Galeatius Sforcia*, qui coëgit colonum, ut leporem, quem ceperat, crudum cum pelle devoraret, ex quo mortuus eſt. *Corius vol.* 6. *hiſt. Mediolan.* In tales homines, qui pluris amant vitam alicujus feræ, quàm hominis ad imaginem Dei conditi, quadrat hoc Adagium, quòd ſint *alteri Nimrodi.* Quibus *Salisber. in Policrat. lib.* 1. *c.* 4. ſummam veſaniam tribuit. Non enim cogitant, quòd homo ad imaginem Dei ſit conditus, *Gen.* 1. *v.* 27. *Gen.* 9. 7. *Jacob.* 3. 9. quodque ſanguis ejus ſit pretioſus in conſpectu Jehovæ, ſicut Salomon ait *Pſal.* 72. 14.

Uſus Eccleſiaſticus.

Quadrat quoque hoc Adagium (*Eſt quaſi Nimrodus*: vel, *Eſt alter Nimrodus*) *in Eccleſia hoſtes*, qui

qui abſolutum adeóque tyrannicum in conſcientias hominum imperium ſibi arrogant, eoſque ad falſam ſuam religionem cogere ſatagunt, conſtanteſque Evangelii Confeſſores, qui characterem Antichriſti in fronte manibuſque recipere reſpuunt, graviſſimè premunt, bona eorum rapiunt, eoſque omnibus honoribus exutos, vel in exilium ejiciunt, vel ferro flammaque è medio tollunt. Notum namque non uni urbi, ſed toti Orbi, quàm innumerabilis hominum multitudo, in *Hiſpania*, *Gallia*, *Italia*, *Hollandia*, ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ſolius religionis cauſa interemta ſit. *Author de Jure belli Belg.* ſcribit: *Ferdinandum Ducem Albanum* paucis illis annis, quibus Belgio præfuit, octodecim mille & ſexcentos utriuſque ſexus homines clam & palàm furialibus carnificinis ſuſtuliſſe. Ita *D. Lutherus Tom.* 1. *Germ. fol.* 557. in *Epiſtola* ad *Albertum Cardinalem & Archiepiſcopum Moguntinum* hoc Adagium uſurpat, ubi inter alia inquit: Was hülft doch euch Biſchöffe / daß ihr ſo frech mit gewalt fahret? &: Was laſſet ihr euch dünecken? Sept ihr eitel Gigantẽ vnd Nimroden von Babylonien worden?

REGULA.

Nomina Magnatum, propter ſimilia ſtudia atque mores, ſive *virtutes* aut *vitia* inſignia, ad alios proverbialiter transferri ſolent. Ita hominem Tyrannum vocamus alterum Nimrodum; voluptuarium, alterum Sardanapalum; hominem libidinoſum atque crudelem, alterum Neronem; eloquentem, alterum Ciceronem aut Demoſthenem, appellamus.

DYNASTIA SECUNDA.

MONARCHA II.

BELUS.

SECTIO I.

DE ORTU.

I.

Circa Ortum notanda ſunt duo: 1. *Generatio.* 2. *Appellatio.*

II.

1. GENERATIO. *Belus*, Græcè Βῆλος, natus eſt Babylone in arce regia *patre Nimrodo* & *matre Rheâ*; juxta *Beroſum*, & plerorumque Hiſtoricorum ſententiam. At *Reinerus Reineccius* in Syntagm. Heroico p. 51. ſtatuit, *Belum*, alio nomine ARPHAXADUM dictum, fuiſſe Noæ ex filio Semo nepotem. *Alii* verò ſtatuunt, *Belum* fuiſſe *Aſſurem*, non ex ſtirpe Chami, ſed Semi; ejuſque filium fuiſſe. Verùm hac de re in hiſtoria Nini fuſiùs dicturi ſumus.

III.

II. APPELLATIO. Circa Appellationem Beli tria ſunt notanda: 1. ὁμωνυμία. 2. πολυωνυμία. 3. ἐπιμηλοσία.

IV.

1. Ὁμωνυμία. Nomen Beli eſt æquivocum: nam accipitur πρωτοτυπικῶς, & παραγωγικῶς.

Quando *vox Beli* πρωτοτυπικῶς accipitur, tum *tribus diſtinctis perſonis* tribuitur.

1. *Belus*, ſecundùm communem Hiſtoricorum ſententiam, fuit *ſecundus Rex* Babyloniorum, *filius Nimrodi*, & *pater Nini*: de quo h. l. agimus. II. *Belus, cognomento Priſcus*, fuit *Epaphi*, vel (ut alii volunt) Neptuni & Libyes filius, cui Iſis poſt Apidis mortem nupſit, regnante Athenis Cecrope. III. *Belus* fuit *Rex Phœnicia* aut *Tyriorum*, pater Didonis. (quæ proprio nomine apud Virgilium *Eliſa*, h. e. Eliſabeth appellatur, & Carthaginem condidit.) Qui Belus inſignis Heros & Bellator fuit. Nam Cyprios Phœnicum littus infeſtantes piraticâ ſubegit; ut eſt apud Virgilium lib 1. Æneid.

——— *Genitor tum Belus opimam*
Vaſtabat Cyprum.

Alio nomine dicebatur *Metres*; uti Servius ait.

Quandò verò vox *Beli* πραγματικῶς accipitur, tum duo notat. 1. *Belus* eſt *fluvius Syriæ*; ubi primò repertum fuiſſe vitrum, *Plinius* ſcribit *lib.* 5. *c.* 19. *Joſephus lib.* 1. *Belli Judaici*, Stadiis, ait duobus à Ptolemaide Belum amnem diſtare, juxta quem ſepulcrum Memnonis ſit, & vitrea, in rotunda valle, arena, quam venti ex circumdatis jugis convehant, inexhauſta ſeculis vi, ſed ante omnia mirabili naturâ, mutandi alia quoque in vitrum, quæ attigerit, metalla. II. *Belus* Stephano *oppidum eſt Hiſpaniæ*, non procul ab Herculis columnis; idem fortaſſis cum eo, quod à Plinio *Belon* appellatur.

V.

2. Πολυωνυμία. Hic Belus πολυώνυμος fuit. Quia dictus fuit 1. *Belus*. II. *Jupiter Belus*, à *Beroſo* & *Sleidano* in lib. de IV. Monarchiis de vita Beli. III. A *Cyrillo* appellatur *Arbelus*. IV. A *Reinero Reineccio*

neccio, vocatur *Arphaxadus*. v. Ab aliis *Aſſur*, cognomento *Belus*, appellatur.

VI.

3. *Ἐπιφλογία.* Hic Monarcha dictus eſt 1. *Belus*, triplici de cauſa. 1. Juxta quoſdam dicitur *Belus à Babel*, *ἀναδιπλώσει* primæ ſyllabæ demta. Quod nomen poſtea Regibus Babyloniis & Aſſyriis manſiſſe putant, ſicut in Ægypto *Pharaones* nuncupati ſunt. 11. Alii ſtatuunt, quòd dictus ſit *Belus*, à בעל *baal*, *Dominus*. Quoniam Subditi eum pro Domino ſuo agnoverunt, non ſecus atque à Sorabis, Pannonibus, & Græcis vicinis, Rex Δυνάστης appellatur. 111. Alii putant, eum dici *Belum* à *Bel*, hoc eſt, à *Sole*: quia Sol ab Aſſyriis, Babyloniis atque Perſis Bel vocatur. Nam illi vitâ functo templum erexerunt Babylonii, eumque divinis honoribus ſunt proſequuti.

2. Dicitur *Jupiter Belus*. Quia fuit Nimrodi, (ſicut Hiſtorici communiter ſentiunt) primogenitus. Joves autem primogeniti appellabantur. De quo elegans locus *Xenophontis* eſt notandus, qui exſtat in *libro de Æquivocis Perſonarum*, *c.* 1. ubi inquit: *Saturni* dicuntur familiarum nobilium Regum, qui urbes condiderunt, Sereniſſimi. Primogeniti eorum *Joves*, & *Junones*: *Hercules* verò, nepotes eorum fortiſſimi: *Patres* Saturniorum *Cœli*: Vxores *Rheæ* & Cœlorum *Veſtæ*. Quot ergo Saturni, tot Cœli, Veſtæ, Rheæ, Junones, Joves, Hercules.

SECTIO II.

DE PROGRESSV.

VII.

In progreſſu triplicia *Beli Acta* veniunt notanda: 1. *OEconomica*, 11. *Politica*, 111. *Eccleſiaſtica*.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VIII.

Belus matrimonio ſibi junctam habuit *Vxorem Iunonem*, quæ ipſi peperit filium in regno ſucceſſorem *Ninum*.

II. *ACTA POLITICA.*

IX.

1. TEMPORE PACIS. Quoniam *Belus literis operam dedit, atque ſideralem ſcientiam excoluit*, (Nam *Diodorus Sicul. c.* 28. ſcribit: Flamines, pro more Ægyptiorum impenſis & omnibus publicis oneribus exemtos, quos Babylonii Chaldæos appellant, Belum inſtituiſſe) ideoque parente procul dubio mitior, nec tam crudelis erga ſubditos fuit, juxta illud Poëtæ.

——— *Didiciſſe fideliter artes,*
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Quin potius leges ipſis atque ſtatuta præſcripſit, quibus in officio continerentur. Nam vixerunt ſub eo Babyloniorum Philoſophi, Chaldæi appellati. Hiſce in mandatis dabat Belus, ut ſubditis Leges & vivendi præcepta præſcriberent. Unde Babyloniorum *Nomothetæ* dicuntur in Pandectis, *Titulo de Origin. juris.*

X.

11. TEMPORE BELLI. Belus bella cruenta geſſit, regnumque ſuum latè extendit ad Sarmatiam uſque Europæam; teſte Sleidano, *in lib. de* IV. *Monarchiis in vita Beli.*

[*Sarmatia Europæa* locus ille eſt, quem hodie Poloni atque Gentes vicinæ incolunt, quique nomen Sarmatarum etiamnunc retinent. Nomen habet *Sarmatia* ab incolis Sarmatis, qui à Græcis *Sauromatæ* appellantur, q. d. Duces altitudinis, quia terra verſus ſeptentrionem in altum aſſurgit. *Sauromatæ* autem, juxta Criticorum opinionem, dicuntur ab *oculis lacertarum*. Nam σαῦρος eſt lacerta, genus ſerpentis. Et ὄμμα oculus.]

Deinde quoque verſus ortum regni ſui terminos propagaturus, bellum intulit *Sagarum Regi Sabatio*: quem tamen non ipſe, ſed Ninus filius, atque ſucceſſor ejus, devicit; ſicut Beroſus tradit.

Fuerunt autem *Sagæ* primùm ſacerdotes Armenii, qui multiplicati poſſederunt poſtea omnem regionem Caſpiam uſque ad Bactrianos. Nomen *Sagæ* idem eſt, quod *Vates*. Unde deſcendunt nomina Latina *Saga* & *præſagium*; & Germanicum Sägen / h. e. benedictio.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

XI.

Belus, *Nimrodi ingreſſus veſtigiis*, *cultum retinuit idololatricum*; qui ſub ejus Imperio tantopere crevit, ut poſt obitum pro Deo ab Aſſyriis coli cœperit. *Reineccius*, *p.* 51. Unde etiam à *Beroſo Iupiter Belus* appellatus eſt. Quia ei vitâ defuncto *templum & ſtatuam erexerunt Babylonii*, eumque præ cæteris Diis tanquam *Iovem* (à juvando ſic dictum) divinis honoribus affecerunt. Vide *Arrian. lib.* 3. & *Lil. Gyraldum ſyntagm.* 11. *Hiſtor. Deor. p.* 108. *Plinius lib.* 6. *c.* 26. etiam ſuo ævo Jovis Beli templum duraſſe refert, cùm urbs alioquin in ſolitudinem rediiſſet. Hujus templi etiam mentionem facit *Pauſanias in Atticis*. A *Cyrillo* nominatur *Arbelus*, qui *lib.* 4. *contra Iulian.* hæc de eo addit: Arbelus, vir ſuperbus & arrogans, primus hominum dicitur

dicitur à ſubditis Deitatis nomen accepiſſe. Perſeverarunt igitur Aſſyrii & finitimæ illis Gentes, ſacrificantes ei, & adorantes, &c. Sic poſt diluvium & ignis cultum *prima idololatria* à *ſtatuis* originem cœpit. *Epiphanius in Ancorato primam ſcortationem* appellat; cujus hæc ſunt verba: Prima ſcortatio eſt cultus ſtatuarum. Confer *Petrum Gregor. Tholoſan. lib.* 12. *de Republ. c.* 18.

[Bel בל *Vetuſtus*, aut *nihil*, fuit *idolum Babyloniorum*, à Belo II Babyloniorum Rege ortum; cui apud poſteros ſtatua erectâ honores divini ſunt exhibiti. *Dictum* fuit I. à בעל baal, *Dominus*. Quia & diabolum honore divino affici voluiſſe, hodieque velle, cognitiſſimum. Vid. *Tremell. & Jun. in Jeſaiam c.* 46. *v.* 1. II. Vel *a Sole. Quia Sol* ab Aſſyriis, Babyloniis & Perſis *pro Deo* ſummo habitus & adoratus fuit. *Vel* (ut alii putant) *idolum illud* quod illi adoraverunt, *formam Solis* habuit. Unde factum, ut temporibus *Joſiæ Regis*, equi, currus & cultus Soli eſſent dicati Jeroſolymis, ſuperſtitione invectâ per Aſſyrios. 2. *Reg.* 23. *v.* 11. Ab *hoc idolo alia etiam idola, quæ à multis Gentibus colebantur, nomen acceperunt*. Hinc enim dictum eſt nomen *Belial*, ſive *Baal*; qui erat *Deus Sidoniorum. Num.* 22. *v.* 41. *Judic.* 6. *v.* 25, 28. *Judic* 8. *v.* 33. 2 *Reg.* 3. *v.* 2. *Beelzebub, Deus Accaron.* 2 *Reg.* 1. *v.* 2, 3, 6, 16 *Beelphegor, Deus Moabitarum. Num.* 25. 3. 5. *Deut* 4. 3. *Joſu* 22. 17. *Pſal.* 106. *v.* 28. *Hoſeæ* 9. *v.* 10 Denique *idolum* BEL *crebro in ſcriptura nominatur*; ut videre eſt apud *Jeſaiam c.* 46. *v.* 1. apud *Jeremiam c.* 50. *v.* 2. *c.* 51. *v.* 44. *Baruch* 6. *v.* 4c. *Dan.* 14. *v.* 2, 3, 5, 8, 9, 10, 13, 17, 21, 27. Hoc Idolum Beli *Daniel* propheta confregit. *Dan.* 14. *v.* 21.]

XII.

Deinde *ad Acta* Beli *Eccleſiaſtica* rectè quoque poſſunt referri SCHOLASTICA, nempe, quod *ſtudia Philoſophica* ſub ipſo reflorverint. Unde *ſcientiæ ſideralis inventor* à *Plinio lib.* 6. *c.* 26. appellatur. Ortique ſunt tunc temporis *Babyloniorum Philoſophi*, CHALDÆI, non *ex artis*, ſed *gentis* vocabulo nominati; uti *Cicero libro* 1. *de Divinat.* ſcribit: Quamvis *Philo* contrarium ſtatuat, uti mox dicemus. Habitarunt illi ad Tigridis & Euphratis confluentem, ſine dubio in urbe Seleucia, quam illo loco ſitam fuiſſe Chorographi tradunt. Confer *Hiſtoriam Nimrodi* §. 18. *Ludos* ibi aperuerunt *literarios*, in quibus ſtudium, cumprimis Aſtronomicum & Aſtrologicum, excoluerunt. Nam propter planiciem magnitudinemque regionis, quam incolebant, cùm cœlum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, trajectiones motuſque ſtellarum obſervaverunt. Quibus notatis, quid ubique ſignificaretur, memoriæ prodiderunt. Eâque diuturnâ ſiderum obſervatione ſcientiam putantur effeciſſe, ut prædici poſſet, quid cuique eventurum, & quo quiſque fato natus eſſet: ſicut *Cicero lib.* 1. *de Divinat.* ſcribit. Unde *Philo* ſtatuit, *Chaldæos* nomen trahere à כלדים *Chaldim*, quæ vox *æquabilitatem* ſonat. Et hæc notatio cultum à Chaldæis ſideralem ſcientiam, & æquabilem orbium cœleſtium motum ſpectat. Et ſic eſt *nomen* non tantùm *gentis*, ſed etiam *artis & profeſſionis*.

Chaldæi dicti ſunt;

1. כשדים *Chaldæi*; à כשד *Ceſed filio Nachor ex Melcha*, *Gen.* 22. *v.* 21. à quo ſunt profati. Et hi occuparunt regionem Babyloniam, quæ ab ipſis dicitur ארץ כשדים *Terra Chaldæorum*. *Hieronymus* Chaſdim interpretatur, quaſi Dæmones. Accepit ג ſicut: & Dæmon. Et ſic eſt *nomen Gentis. Gen.* 11. *v.* 28. *Ur Chaſdim*, hoc eſt, Chaldæorum.

2. כשדים, mutato ש in ל *Chaldim*, *Chaldæi ab æquabilitate* dicuntur, uti ex *Philone* notavimus; & ſic eſt *nomen artis atque profeſſionis*. Quia Chaldæi Aſtronomiam judiciariam invenerunt: & tantum hac in arte valuerunt, ut ab illis כשדים Chaldæi fuerint appellati omnes Mathematici, Genethliaci, Magi, &c. qui hanc artem profitebantur, quamvis in ſejunctiſſimis regionibus oriundi eſſent. Ita accipitur *Dan.* 2. *v.* 2.

SECTIO III.

DE EGRESSU.

XIII.

BELUS juxta *Africanum incepit regnare* in Aſſyria anno poſt diluvium 194, & *regnavit* annos 55. *Moritur* anno M. 1908. *Vel juxta alios*, *regnavit* annos 62 vel 65. Reiner. Reinecc. in Syntagm. Heroic. p. 51. Dreſſ. part. 1. Iſag. Millen 11. p. 107.

Mortuus eſt anno regni 55, juxta Africanum & Calviſium: juxta Reineccium & Dreſſerum anno 62, vel 65.

XIV.

De ſepulcro Beli.

Ælianus lib. 13. *c.* 3. ex *Herodoti lib.* 3. ſcribit, quod ipſe vita functus *in urna vitrea in oleo collocatus fuerit*. Aſtabat urnæ *columella*, in qua ſcriptum continebatur, eum, qui ſepulcrum aperuiſſet, neque ſtatim repleviſſet urnam, (non enim plena fuit urna, ſed vacuum à ſummis labris ferè palmæ ſpatium habuit) peſſimè habiturum. Quo lecto *Xerxes*, qui ſepulcrum aperuerat, expavit, & oleum celerrimè juſſit infundi, non tamen impletum. Qui iterum infundi juſſit, ſed ne ſic quidem incrementum cepit, donec fruſtratus omni labore infundendi ceſſaret, clauſoque monumento, ſumma cum mœſtitia diſcederet.

Neque verò falſum eum habuerunt, quorum præ-

nuncia

nuncia fuerat columna. Nam quinquaginta myriadum exercitu adversùs Græcos conscripto, magnam cladem accepit, reversusque turpissimâ morte vitam finivit, noctu in strato à propria filia peremtus. *Strabo* de eodem *Beli sepulcro* ita scribit: Horti (inquit) super flumine sunt, ubi etiam Beli sepultura est, nunc eruta; quam Xerxes eruit, ut fertur. Ea pyramis erat quadrata, ex latere coctili structa, stadii altitudine, cujus quodque latus stadium obtinebat. Hanc *Alexander Magnus* reparare voluit; sed cum multi laboris esset & multi temporis, (nam solùm ad expurgandam terram 10000 hominum duobus mensibus opus erat,) quod inceperat, perficere non valuit. Illico enim morbus & mors subsequuta est, &c.

MONARCHA III.

NINUS.

CAPUT I.

DE ORTU.

I.

TErtius Monarchiæ I. Rex fuit *Ninus*, Græcè Νῖνος, qui Belo successit anno 1905, juxta *Sethum Calvis. Chron. p.* 5. juxta *Dress.* verò in parte II. Isag. Histor. Millen. p. 108. anno M. 1908.

II.

Nomen *Ninus* est æquivocum, & ἀντίφρασις usurpatur.

1. Τοπικῶς pro *Civitate*. Nam *Civitas Ninive* à *Suida Ninoë*, à *Ptolemæo* verò & omnibus ferè Geographis *Ninus* appellatur. Vide *Plin. lib.* 6. *c.* 26. & *Strabonem* in principio libri 26.

2. Προσωπικῶς. Sic est *nomen proprium* tertii Monarchæ Chaldæorum; de quo h. l. agimus.

III.

De *persona* & *ortu Nini* quinque diversæ apud Historicos opiniones exstant.

1. *Mercator* in Chronologia sua contra *Ammianum Berosum* demonstrare conatur, *Nimrodum* fuisse illum ipsum, quem Græci & Latini vocant *Ninum*. Quia (inquit) omnia quæ de utroque dicuntur, mirificè inter se congruunt. Nam sicut de Nimrodo dicit Moses, quòd primus in terra potens fuerit: *Gen.* 10. 9. idem Justinus Historicus de Nino affirmat. Deinde Moses *Gen.* 10. 9, 10. de Nimrodo dicit, illum non contentum suo Regno, egressum ex terra Assur, aliena Regna quæsiviſſe, & invasisse Assyriam, & Niniven urbem maximam condidisse. Hæc ipsa quoque de Nino tradiderunt cùm alii, tùm *Diodorus Siculus lib.* 3. Hæc ille.

2. *Alii* statuunt, quòd *Ninus fuerit filius Nimrodi*, sive Beli: & *hi Nimrodum atque Belum pro eodem habent*. In hac opinione sunt *Bellarm.* in *Chronolog. p.* 3. & 5. *Perer.* comment. in *Genes. p.* 403. & in Comment. in *Daniel. p.* 351. *Augustinus Torniellus* in Annalibus sacris *p.* 135. & alii.

3. *Alii* statuunt, quòd *Ninus* ex stirpe Chami oriundus *filius Beli*, & *nepos Nimrodi* fuerit. In qua sententia est *Ammianus Berosus lib.* 4. & 5. *Antiq. Chaldaicar.* ubi scribit: Nimrodum alio nomine dictum esse Saturnum primum, & patrem fuisse Jovis Beli, avumque Nini, primi Assyriorum Monarchæ, nepotem autem Chus, &c. Berosi sententiam sequuntur plerique *Historici* tùm *Veteres*, ut Archilochus & Metasthenes; tum *recentes*, ut Sleidanus in *lib. de* 4. *Monarch.* Eâdem de re exstat *Nini Epitaphium* apud Xenophontem *in lib. de Æquivocis*; quod infra vide §. 14.

4. *Quidam* statuunt, hunc *Ninum* non fuisse de stirpe Chami, h. e. Beli filium & Nimrodi nepotem, sed eum fuisse de stirpe SEMI; & dici *Assurem*, cognomento *Ninum*. Juxta quorum sententiam tertius Monarcha est *Assur*, cognomento *Ninus*, filius Semi, & frater Arphaxadi sive Beli. In hac sententia est *Reinerus Reineccius* in Syntagm. Heroico, p. 47. ubi ita scribit: Eo in eorum sententiam, quibus Ninus Assur est. Cur enim à sacrarum literarum authoritate manifesta discederemus? In quibus quod relictum, è circumstantiis quibusdam omissis sustulit interpretando *Josephus*. Et *Suidas* inter cætera inquit: Assyrii dicuntur ab Assur filio Sem, nepote Noæ, qui Assur primus urbem magnam, Niniven postea dictam, condidit. De eodem ita *Eucherius* commentans in *c.* 10. *Gen.* Assur (unde Assyrii) non fuit in filiis Cham. Idem inculcat *D. August. lib.* 16. *de Civit. Dei.* Sed in filiis Sem reperitur. Unde apparet de progenie Sem exortos, qui postea regnum Gigantis illius (Nimrodi) obtinerent.

5. *Alii* statuunt, Ninum fuisse de *stirpe Semi*, sed *Assuris filium* & *Semi* nepotem. Et hi nituntur authoritate Mosis, qui scribit *Gen.* 10. 11. E terra Sinear (h. e. è Chaldæa) egressum esse Assur, & ædificasse Niniven. Ubi nonnulli Theologi statuunt, Assurem Semi filium idololatriæ Nimrodicæ odio è Babylone abiisse, atque urbem Niniven condidisse, ut vera Dei religio in ea conservaretur; sicut ex *historia Jonæ* notum est, religionis & cultûs divini reliquias in illa remansisse. Et verisimile esse aiunt, *Assurem* à filio *Nino* urbi *Ninive* nomen imposuisse: sicut etiam *Cain* urbem, quam condidit,

Heno-

Henochiam à filio ſuo *Henoch* denominavit. *Gen.* 4. Vide *D. Auguſtinum lib.* 16. *de Civit. Dei. c.* 3.

CAPUT II.
DE PROGRESSU.

IV.

IN *progreſſu* tria ſunt notanda: I. *Acta* OEconomica. II. *Politica.* III. *Eccleſiaſtica.*

I. ACTA OECONOMICA.

V.

Nino Diodorus Siculus *duas uxores* tribuit: *Unam* ἀνώνυμον, quæ ei *filiam* nomine *Soſanen* peperit: *Alteram* verò SEMIRAMIDEM, quæ dato arcis Regiæ Zoroaſtris munitiſſimæ capiendæ conſilio, Nino innotuit: Ideoque eam ob ſingularem ſapientiam & admirandam formæ elegantiam amare occœpit, *maritoque Menoni* ereptam ad ſe tranſtulit, proque uxore habuit, & ex ea *filium Ninyam* ſuſcepit.

II. ACTA POLITICA.

VI.

I. Regni Aſſyriaci fundatio.

Ninus Niniven à patre ſuo Aſſure vel Belo inchoatam abſolvit; eamque regiam ſuam ſedem eſſe voluit, ut adverſus Chamitarum violentiam in ea defendere ſe ſuoſque poſſet. Diſtabat illa Jeroſolymis 171 milliaribus, à Babylone 30 milliaribus. Hæc metropolis valde magnifica erat. Nam 480 ſtadia in circuitu habebat, & 1500 *turres* in orbem continuit: *mœnia* erant centenûm pedum altitudine: latitudine verò tantâ, ut murorum faſtigia ternis eſſent plauſtris pervia. *Jonas Propheta c.* 3. *v.* 2, 3. vocat *Niniven Civitatem illam magnam.* Item *Civitatem Dei, Ebræorum more, qui illa, quæ aliquo in genere excellunt, vel quantitate vel qualitate*, DIVINA *appellare ſolent.* Ita *Paradiſus* dicitur *Hortus Dei*, h. e. amœniſſimus & fertiliſſimus. *Montes Dei Pſal.* 36. 7. dicuntur montes maximi. *Cedri Dei* dicuntur arbores maximæ atque altiſſimæ. *Pſal.* 104. 16. Et addit *Jonas*, quòd Ninive fuerit *magna itinere trium dierum.* Quæ verba *quidam* intelligunt *de urbis tranſitu ſive diſcurſu* per omnes plateas & vicos, *hoc ſenſu*: quod ſi quis eam voluerit totam per omnes plateas diſcurſu perluſtrare, illi opus fuerit triduo. Atque hi conſiderant vocem מהלך *Mahalach*, ambulationem. Sed poſſunt quoque hæc verba intelligi *de magnitudine urbis*, ejuſque *ambitu*, hoc ſenſu: quod videlicet urbs Ninive tam magna atque ampla fuerit, ut trium dierum iter fuerit unius portæ ad alteram ſpatium. Nam in circuitu 480 ſtadia (ſicut *Diodorus Siculus lib.* 2. ſcribit) h. e. 15 milliaria Germanica habuit; uti ex *Herodoti lib.* 1. *Dreſſerus Millen II. p.* 111. refert: ubi tamen per *iter unius diei* intelligendum eſt, non quantum *eques* uno die poſſit conficere, ac ne quantum *pedes* quiſpiam feſtinando emetiri queat; *ſed* quod commodè à quolibet peragi poſſit: ſicut JCti (*Titulo de Verbor. ſignification.*) in ſingulos dies definiunt vicena paſſuum millia. Unde facilè æſtimari poteſt, quam magnifica, imò (ut Jonas Propheta loquitur,) quàm divina hujus metropolis regni Aſſyriaci, quam Aſſur inchoavit & Ninus conſummavit, magnificentia fuerit.

Πόρισμα.

Unde patet errare *Calvinum*, *Franciſcum Junium*, *Pareum*, *Piſcatorem*, *Toſſanum*, *alioſque*, qui non Aſſurem atque Ninum, ſed Nimrodum regni Aſſyriaci authorem & fundatorem eſſe ſtatuunt; illud probare ſatagentes ex loco toties citato *Gen.* 10. *v.* 11. Ex terra Sinear, h. e. Chaldæâ egreſſus eſt Aſſur, & ædificavit Niniven. Ubi vocem Aſſur accipiunt non προσωπικῶς, de Aſſuris vel Nini (ut quibuſdam placet) perſonâ; ſed τοπικῶς, h. e. de regione Aſſyria, in quam profectus ſit non Aſſur, ſed Nimrod, ibique civitatem illam magnam Niniven ædificaverit: ac proinde ille fundator regni Aſſyriaci dicendus ſit. Verùm hunc errorem in Hiſtoria *Nimrodi cap.* 2. §. 20. refutavimus.

VII.

II. Monarchiæ primæ ampliſicatio.

Nam Ninus regnum Babylonicum cum Aſſyriaco conjunxit, atque ita ἀξίωμα Monarchicum à Babyloniis ad Aſſyrios tranſtulit. *Dreſſer. Iſag. Hiſtor. Mill. II. p.* 108.

Quod ut meliùs intelligatur, occaſionem & rationem hujus facti paulò altius repetemus.

Vero conſentanea eſt ſententia eorum Hiſtoricorum, qui ſtatuunt, Belum fuiſſe Aſſurem Semi filium, qui defuncto Nimrodo, regnum Chaldaicum ad ſuam ſtirpem revocavit, atque ſic in integrum quaſi reſtituit. Nam ſicut Cham, ita etiam NIMROD non contentus fuit Africæ ſuæ Imperio, quod pater illis in Meridie aſſignaverat; ſed in Oriente quoque dominatus eſt, ibidemque in illa regione & mundi parte, quæ erat poſteritati Sem in Aſia deputata & aſſignata, vi & armis Babylonem, in alieno nempe territorio, ædificavit, ſeque Monarcham conſtituit. Hujus itaque inſolentiæ pertæſus Assur, ſive BELUS, defuncto Nimrodo alienigenâ, imperium

rium recuperavit, & regnum Chaldaicum in integrum reſtituit, ſeque Monarcham in ſolo patrio conſtituit, ac BABYLONEM metropolin Chaldææ occupavit. Mortuo autem Belo vel Aſſure, ſucceſſit filius ejus NINUS, qui Babylonem, quam ædificarat atque inhabitaverat Nimrod alienigena, inhabitare noluit, neque ſede eam Monarchica amplius dignatus eſt; ſed ſedem Regni in Aſſyriam (à patre Aſſure ſic dictam) in metropolin Niniven, à ſuo nomine (NINO) appellatam, tranſtulit. Hinc Africanus ſcribit, quod Belus primus rex Aſſyriorum anno 29 regni ſui (Aſſyriaci) anno M. 1878 Babylonios vicerit, atque illud Regnum cum ſuo conjunxerit: cui Ninus filius ejus poſtea ſucceſſerit. *Sethus Calviſius Chron. p.* 5. & *p.* 78. Quare juxta Africani ſententiam Belus eſt Aſſur, & Ninus filius ejus.

Et hæc eſt occaſio, qua ἀξίωμα Monarchicum à Chaldæis ad Aſſyrios per *Aſſurem* atque *Ninum* tranſlatum fuit. Ergo, quemadmodum Monarchia hæc primùm à regione principali *Chaldæa*, CHALDAICA; à metropoli verò ejus *Babylonia*, BABYLONICA dicta fuit: Ita poſtea à principali regione, nempe *Aſſyria*, dicta eſt ASSYRIACA. Interim tamen Monarchia Chaldaica ſeu Babylonica, & Aſſyriaca, eſt una Monarchia. Neque enim gens Chaldaica & Aſſyriaca diſtincta alia & peculiaria regna habuerunt, ſed alternatim potentiam regiam ſive Monarchicam poſſederunt. Nam Aſſyrii, poſtquam ſumma potentia ad eos tranſlata fuit, & Niniven & Babylonem tenuerunt.

Πόρισμα.

Atque hinc patet, quomodo *Sleidani* aliorumque Hiſtoricorum verba intelligenda ſint, qui ſcribunt: *Ninum productis longè latéque finibus Monarchiam primum omnium cœpiſſe*, videlicet reſpectu Monarchiæ Aſſyriacæ. Siquidem hic Ninus fuit primus Aſſyriæ rex, qui Monarchiam Chaldaicam in regionem Aſſyriacam (à patris ſui nomine denominatam) tranſtulit. Unde Juſtinus ait: *Ninum fuiſſe Aſſyriorum* REGEM PRIMUM. Similiter *Beroſus* ſcribit: *Ninum primum omnium regnum Babylonicum* PROPAGASSE, h. e. in aliam regionem tranſtuliſſe & amplificaſſe. Unde colligitur, quod non Nimrod filius Chami, ſed Ninus, primus Imperii Aſſyriaci author & fundator fuerit.

VIII.

Præterea varia bella Ninus geſſit, iiſque imperium ſuum amplificavit.

Primo, ardore imperandi flagrans, verſus MERIDIEM finitimis bella intulit, & uſque ad Libyæ terminos, rudes ad reſiſtendum populos domuit. *Juſtin. lib.* 1. Longè enim majore vi atque ardore bella geſſit, quam ante ipſum factum erat. Nam, authore *Diodoro Siculo*, in exercitu duxit decies ſepties centena millia peditum, ducenta millia equitum, & decies mille atque ſexcentos currus falcatos, qui ita erant facti, ut utrinque falces prominerent, quibus hoſtium exercitus diſſipabatur pariter atque trucidabatur. Hanc itaque vim inſolitam, cùm ferre hoſtes non poſſent, nullo negotio fere ſuperati ſunt. *Oroſius l.* 2. *cap.* 10.

IX.

Deinde domitis ad Meridiem populis, verſus ORIENTEM regreſſus eſt, totiuſque Orientis populos ſibi ſubjecit. (nam proxima quæque victoria inſtrumentum ſequentis eſſe ſolet; uti *Juſtinus l.* 1. ſcribit.) Inter quos regem Sagarum SABACIUM, contra quem pater ejus bellum moverat, devicit. Confer *Reuſn. Chronolog. p.* 179.

X.

Tandem anno M. 1954. expeditionem ſuſcepit contra ZOROASTREM (quem Cteſias *Oxiatten* vocat) Bactrianorum Regem. (qui primus dicitur Magicas artes inveniſſe, & ſiderum motus curioſius obſervaſſe.) Quæ expeditio licet initio infelix eſſet, tamen audentius eam renovavit; & virtute Semiramidis, quæ arcis regiæ Zoroaſtr is munitiſſimæ capiendæ ſtrategema invenit, Zoroaſtrem regem vicit, inque ſuam poteſtatem redegit. Vide *Diodorum Siculum lib.* 2. & *Arnobium lib.* 5. Unde potentia ejus in immenſum crevit, adeò ut Oroſio atque Plutarcho *Rex magnus* dicatur.

III *ACTA ECCLESIASTICA.*

XI.

Ninus Anteceſſores ſuos ſuperſtitione vicit. Præter enim IGNIS cultum, qui ſub Nimrodo cœperat, (uti in Hiſtoria Nimrodi diximus) ipſe IDOLA & STATUAS introduxit. Nam patri Belo in regno ſuccedens, ſeu ut divinâ natus ſtirpe videretur, ſeu pietate motus, ut & memoriam defuncti patris coleret, ſeu, quod magis credam, inſtinctu mali Genii, parentem conſecrat, eidem divinos defert honores, & ab omnibus deferri publico edicto jubet. Templum quoque (cujus Plinius meminit) in media Babylone exſtruxit, inque eo ſtatuam patris poſuit atque dedicavit, quæ ab omnibus velut Deus adoraretur; additis privilegiis magnis, ut cultus vel adorationis cauſa eò qui venirent, à quibuſvis etiam ſceleribus graviſſimis abſolverentur. Hinc factum, ut

flagi-

flagitiis quotquot conſpurcati eſſent, magno ibi numero confluerent, velut ad commune quoddam aſylum. Præterea diaboli, ſpiritus illi defertores, divinitatis affectatores, (ut *Aventinus lib. 1. Annal. Bojor. p. 9.* loquitur,) ſimulacris illapſi, ut honores ſibi Deorum vendicarent, multa ſigna & prodigia mendacia (uti *Paulus 2 Theſſalon. 2. v. 9.* loquitur) ibidem ediderunt, fallendiſque hominibus reſponſa ex ſtatuis dederunt, ſub nominibus mortuorum viventibus imponentes.

Lyra locum *Sapientiæ cap. 14. verſ. 12, 13, 15.* (cujus hæc ſunt verba: Præcipua ſpecies fornicationis eſt inventio idolorum, & adinventio illorum corruptio vitæ eſt: neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum. Acerbo enim luctu dolens pater, citò ſibi rapti filii fecit imaginem, & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra & ſacrificia.) de BELO interpretatur, additque: Beli filius Ninus patris ſui defuncti imaginem in arce regia conſtituit, ut delinquentibus aſylum eſſet, & quicunque ad illud confugiſſent, iis delictorum veniam, ob reverentiam erga patrem, fecit. Et hoc exemplum alii etiam poſtea ſequuti ſunt. Unde factum eſt, ut idololatria longè latéque graſſari inciperet. *Hoc verò idolum ſub nomine* BAAL *Prophetæ paſſim in ſcriptis ſuis damnant, poſtquam ejus cultus ad ipſum quoque Dei populum penetraverat.* Cultus illius deſcribitur in Apocrypho Danielis *de Bele Babylonis.*

CAPUT III.

DE EGRESSV.

XII.

DE *mortis genere*, quo Ninus occubuerit, Hiſtorici inter ſe non conſentiunt.

1. *Quidam* ſentiunt, *eum occubuiſſe* FORIS *in urbis cujuſdam oppugnatione ex ictu ſagittæ, & regnum Semiramidi reliquiſſe*, cum regnaſſet annos 52. *Oroſius, Reineccius in Syntagm. Heroico, p. 52. Reuſnerus Chronico p. 181.* ſcribit, illum in bello Bactriano interiiſſe.

2. *Diodorus verò Siculus* aliique ſcribunt, eum DOMI *periiſſe, & quidem juſſu Reginæ Semiramidis conjugis ſuæ interfectum eſſe.* Cujus rei ἀφορμὴν *Dreſſerus Millen. 11. p. 109.* ita deſcribit: Impoſuit aliquando Ninus uxori vel concubinæ ſuæ Semiramidi, petenti coronam regiam, poteſtatemque omnem regnandi ad diem unum, vel, ut alii ſcribunt, ad dies quinque, conceſſit. Hac acceptâ, Semiramis Ninum in carcerem conjecit, vel (ut alii ſcribunt) à ſatellitibus occidi juſſit.

XIII.

EPITAPHIUM in columna exciſum, Nino à Semiramide poſitum fuiſſe hoc, *Xenophon in lib. de Æquivocis* refert:

Mihi Pater JUPITER BELUS. *Avus* SATURNUS BABYLONIUS (hoc eſt, Nimrod.) *Proavus* CHUS, SATURNUS ÆTHIOPS. *Abavus*, SATURNUS ÆGYPTIUS (Cham.) *Atavus*, COELUS, PHŒNIX OGYGES. (h. e. Noah.) *Ab Ogyge ad meum Avum ſol luſtravit mundum ſemel ac tricies & centies: ab avo ad Patrem* (ſc. Jovem Belum) *ſexies & quinquagies: à Patre ſexies bis.*

Poſtea ſubſcriptum fuit:

Columnam, Templum, Statuam, Jovi Belo ſocero, & matri Rheæ in hoc Olympo Semiramis dicavi.

MONARCHA IV.

SEMIRAMIS.

CAPUT I.

DE ORTV.

I.

CIrca ORTUM Semiramidis duo veniunt notanda: 1. *Origo.* 2. *Appellatio.*

II.

PRIMO; De ORIGINE Semiramidis Hiſtorici variant.

1. *Diodorus Siculus* ſcribit, eam fuiſſe *Aſcalonitam*, h. e. ex Aſcalone oppido Syriæ oriundam.

2. *Reineccius* verò *in Syntagmate Heroico p. 47.* ſtatuit, eam à *Semo proſatam*, dum ita ſcribit: Amplectimur, quod aliqui adſtruunt, Semiramidem genitam patre Semo. Nam, præterquam quod nomen ipſum iſtuc alludit, etiam *Diodorus Siculus lib. 2. c. 2.* altorem ejus SIMMAM facit, quod eſt depravatum nomen SEM.

III.

SECUNDO: APPELLATIO. *Diodorus Siculus* ſcribit eam Semiramidem à *columbis altricibus* dictam. Nam Aſſyrii columbam Semiramidem vocant; uti modò plenius dicturi ſumus.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

IV.

IN *progreſſu* tria ſunt notanda: 1. *Acta œconomica.* 2. *Politica.* 3. *Eccleſiaſtica.*

V.

I. *ACTA OECONOMICA.*

I. EDUCATIO. De educatione Semiramidis *Diodorus Siculus* ita ſcribit: Expoſita fuit infans, & ab avibus educata; quæ alis eam foventes enutrierunt lacte coagulato, è proximis paſtorum mappilibus rapto. Paſtores tandem repertam Præſidi regio donarunt; qui liberis carens, filiæ loco eam ſuſcepit, & ab avibus altricibus, linguâ Aſſyriorum, Semiramidem appellavit.

VI.

II. CONJUGII RATIO. Conjugium Semiramidis fuit geminum.

Primum conjugium illi fuit cum *Menone*, ſupremo Nini Præfecto, cui Præſes regius eam à paſtoribus dono acceptam nuptui elocavit. Huic Menoni Semiramis *duos liberos Japetem & Idaſpem* enixa eſt. *Reineccius Syntagm. Heroico p. 53.*

Secundum conjugium ei fuit cum *Nino*, tertio Aſſyriorum Rege. Cujus conjugii incundi occaſio hæc fuit. Cùm Meno maritus ejus ſequutus eſſet Ninum in bello contra Bactrianos, Semiramis femina virtute heroicâ & formæ venuſtate præcellens, maritum inſequuta, Nino innotuit ex eo, quòd arcis regiæ Zoroaſtris munitiſſimæ capiendæ conſilium reperiſſet. Ideoque Ninus eam in conjugem poposcit, & marito Menone, ex quadam amoris impatientia, ſponte vitam abrumpente, protinus ducta ab eo eſt, eamque, ob formæ elegantiam & ingenii atque leporis excellentiam, in deliciis habuit & ſupra modum dilexit.

VII.

III. VIDUITAS & LIBIDO. Poſt interitum autem Nini alii marito haud nupſit, verita ne de imperio deturbaretur. Interim à varia nefandaque libidine haud abſtinuit. Nam viros hinc inde conquirebat, quorum turpi concubitu abuteretur, eoſque poſtmodum è medio clam ſuſtulit, ne flagitium emanaret.

VIII.

Tandem *filii* quoque *concubitum* impudenter petiit: quem ut obtineret, *legem tuliſſe* fertur, quâ permitteretur parentibus cum liberis coire, vel cognatis (ut *Oroſius* habet) cognatas in uxores ducere.

IX.

Equum etiam à Semiramide *adamatum* eſſe, uſque ad coitum, *Juba* author eſt; referente *Plinio lib. 8. c. 42.*

X.

In omnem præterea *luxum* effuſam fuiſſe Semiramidem, partim ex ſplendida *urbis Babylonis & murorum* ejus atque *Obeliſci* ſtructurâ; partim inde conſtat, quòd *Cyrus* ſecundæ Monarchiæ fundator, devictâ Aſiâ, inter vaſa aurea & argentea reliqua, invenit *Semiramidis craterem*, cujus pondus 15 talenta continebat, hoc eſt, florenorum circiter 18000. *Plinius lib. 33. c. 3.*

XI.

Semiramis quoque *prima eunuchis uſa fuit.* De quibus *Claudianus* ita ſcribit:

Hos fecêre manus, ſeu prima Semiramis æſtu
Aſſyriis mentita virum, ne vocis acutæ
Mollicies leveſque genæ ſe prodere poſſent:
Hos ſibi conjunxit ſimiles: ſeu percita ferro
Luxuries vetuit naſci lanuginis umbram;
Servatoque diu puerili flore, coëgit
Arte retardatam Veneri ſervire juventam.

Usus.

REGULA. *Sæpe compellit amor illicitus, ad perfidiam proditionemque manifeſtam. Franciſcus Patrit. lib. 4. de Regno, Tit. XI. p. 258.*

Exempla.

I. *Laodice*, Mithridatis Regis ſoror atque conjux, tam impiè in adulterii amores exarſit, ut redeunti ex longa militia viro, quaſi illum feſtis epulis lætoque convivio exciperet, venenum miſcuerit, à quo ex conſuetudine noti antidoti vix evaſit.

II. *Albertus Landgravius Thuringiæ*, etſi ex *Margareta, filia Friderici II. Imperatoris*, duo ipſi geniti eſſent filii, *Fridericus & Dithmannus*: tamen ſpretâ conjuge pudicâ, & matre pulcherrimorum filiorum, intano pellicis adeò exarſit amore, ut etiam conjugem caſtiſſimam odiſſe inciperet, ejuſque vitæ inſidias ſtrueret. Ac tandem adortus mulionem, qui cuſtos erat mularum vehentium aquam in arcem Iſenacenſem, petiit ab eo, ut interficeret conjugem filiam Imperatoris. (Nondum enim Germanis venena nota erant.) Mulio metuens, ne, ſi recuſaret, interficeretur ipſe, ſimulat ſe Principi obtemperaturum eſſe. Verùm ille Dominæ rem totam exponit: Cui Conſiliarii ſunt authores, ut fugâ ſaluti ſuæ quamprimùm conſuleret: Quæ, tametſi ægrè à complexu dulciſſimorum liberorum divelli ſe pateretur, tamen tandem conſenſit; atque ita cruentas perfidi mariti manus evaſit. *Philipp. Melanchth. tom. III. Declamation. pag. 120. & ſeqq.*

III. Ita quoque *Semiramis* tanti nominis Regina, quæ virtutibus heroicis, rebuſque geſtis, omnes

Reges

Reges Aſſyriorum anteivit, vidua cum eſſet, inſani amoris æſtu accenſa, eos ex militibus ſuis eligebat, quos formâ & robore præſtantiores eſſe cernebat; & eoſdem aliquandiu in deliciis habitos tandem necabat, ne ſtuprum ſecum commiſſum aliis proderent. Vide *Franciſc. Patrit. in loco antea allegato, p.* 258.

II. *ACTA POLITICA.*

XII.

1. IMPERII OCCUPATIO. Poſt interitum Nini mariti, Semiramis ei in Imperio ſucceſſit. Quia *Ninyas filius* adhuc impubis erat.

Quo medio verò ad *Imperium pervenerit*, non eadem eſt Hiſtoricorum narratio.

Primò: *Quidam* putant eam *per media legitima* ad regnum perveniſſe. Nam ita ſcribit *Reinecc. in Syntagm. Heroico p.* 48. Semiramis neque parricidio, neque fraude, (quaſi poſt Nini mortem ſexum mentita fuerit virilem, & ſe Nini filium eſſe ſimularit; uti *Juſtinus* ſcribit) ſed *legato*, ſeu ex *teſtamento* regnum adiit.

Deinde: *Quidam* ſcribunt, eam *per media illegitima*, hoc eſt, non cum laude, ſed cum fraude; non candidè, ſed callidè ad regnum perveniſſe. *Juſtinus lib.* 1. refert, eam ſexum virilem mentitam, pro Nini filio ſeſe venditaſſe, atque ita puerum creditam, ſucceſſionis titulo Imperium ſuſcepiſſe. *Diodorus Siculus* diligens antiquitatis ſcrutator, *lib.* 2. ex *Athenæo*, rem aliter narrat, ſuamque narrationem apud pleroſque, inprimis verò Græcos Scriptores receptam eſſe affirmat. *Ea verò ſic ſe habet.* Semiramis, aſtuta & ambitioſa mulier, aliquando inter cæteros ſermones hunc quoque injecit apud Regem; teneri ſe miro cujuſdam rei deſiderio, quam nec exponere, nec ſperare ob magnitudinem auſit. Rex non metuens inſidias, protinus eam proloqui jubet, quid optet. Illa petiit ſtolam regiam, & Aſiæ imperium ad quinque dies. Quo impetrato, ſceptro regni ſtolaque regia ſumtis, primâ die ſplendidum convivium paravit, ac Principes omnes adegit, Nino ſic volente, ut ſibi tanquam Reginæ parerent. Secundâ die, cùm populares jam & primarii eam ut Reginam colerent, ipſaque cunctorum potens eſſet, principiò Satellitum pertentans animos moderatè quædam juſſit: at poſtquam vidit eos nihil refragari, alacriterque obire mandata; capere eos Ninum, mox vincire, & tandem necare mandavit. Ita Ninus illecebris atque inſidiis Semiramidis uxoris ſuæ periit, & ipſa regno Aſſyriorum potita, totius Aſiæ dominatum occupavit.

AXIOMA POLITICUM.

Muſti per æſtum atque jocum pervenerunt ad imperium ſive regnum.

EXEMPLA.

1. *Per æſtum Semiramis*, (uti modò diximus) &
2. *Leſcus Princeps Poloniæ* ad imperium pervenerunt: de quo *Johannes Herbottus in Chron. Polon. lib.* 1. *cap.* 8. *Premiſlao*, inquit, vitâ functo, exoritur nova de Principatu contentio: cumque nullus appareret ambiendi modus atque finis, placuit rem fortunæ committere. Indictus eſt itaque ad certam diem maculoſorum equorum curſus: qui primus ad metam perveniſſet, ejus Dominus Princeps ut eſſet. Erigitur meta ad Prandinicum amnem: effunditur ad ſpectaculum ingens hominum multitudo. Ibi Leſcus quiſpiam competitorum unus, cum ſtadium vafro conſilio (ſtraverat enim clàm in ſabulo ferreos acutos ſtylos, quibus currentium equorum pedes irretiret) impediviſſet, primus ad metam, obliquo & minimè impedito tramite, pervenit. Munierat autem & equi ſui calces ferreis ſoleis, ut, ſi fortè cum impetu currens, in eos incidiſſet, non offenderet in ſtylis, cùm omnes omnium aliorum equi, de more illius temporis, ſoleas nullas haberent. Illius itaque rei prorſus ignaris omnibus, & miraculo attonitis, jamque victorem & Principem (quaſi divinitùs ſibi oblatum) Leſcum proclamantibus, techna deprehenditur; protrahitur Leſcus in medium, convincitur, damnatur, diſcerpitur.

3. Similiter *Juſtinus lib.* 18. *Hiſtoriar.* lepidam recenſet Hiſtoriam *de Stratonis ſervo*, qui ſolem orientem in occidente perquam illuſtri ſtrategemate quærens ac inveniens, hoc ipſo regnum conſequutus eſt. *Hiſtoria ita ſeſe habet.* Tyriorum ſervi, dominis omnique libero populo trucidatis, Regem electuri proceſſere in campum ante lucem, conditione poſitâ, ut qui ſolem orientem primus vidiſſet, uti Diis gratior, Rex eſſet. Ibi cæteris in orientem obverſis, Stratonis ſervus, qui minus ingenio truci, Dominum ſervarat, abſconderatque, ſpectabat ejuſdem monitu occidentem: irridentibus cæteris, quod in occaſu quæreretur ortus. Adventante die, in editiſſimis urbis faſtigiis ſolem ille fulgentem vidit, non adhuc ortum aliis, manuque indicavit: atque hoc facto Rex proclamatus eſt.

4. *De Regilliano* videamus quæ narret *Trebellius Pollio in Hiſt. xxx. Tyrann. n.* IX. Mirabile (*inquit*) videatur, ſi, quæ origo hujus imperii fuit, declaretur, militari joco regna promeruiſſe. Nam cum duca-

Ducatum in Illyrico gerens, milites quoſdam ſecum in cœna haberet, adſtitit Valerianus Tribunus, qui diceret: *Regilliani* nomen unde credimus dictum? Alius continuò: Credimus, quod à regno. Tum is, qui aderat Scholaſticus, cœpit quaſi Grammaticaliter declinare, *Rex, Regis, Regi, Regillianus*. Milites (ut eſt hominum genus, pronum ad ea, quæ cogitant) dixerunt: Ergo poteſt Rex eſſe. Item alius: Ergo poteſt nos regere. Item alius: Deus tibi Regis nomen impoſuit. Quid multa? His dictis, quum aliâ die manè proceſſiſſet, à Principibus Imperator eſt ſalutatus. Ita, quod aliis vel audacia, vel judicium detulit, huic jocularis aſtutia.

XIII.

11. *Regni adminiſtratio.* Circa hanc notanda ſunt *Acta* duplicia. 1. *Togata.* 2. *Bellica.*

XIV.

1. ACTA TOGATA. Semiramis, occiſo à ſe Nino marito, *Babylonem delegit Regiam*, quam ſitus loci, Euphratis alluvio, terræque bonitas maximè commendabat. *Hanc* in urbis formam redactam *mirificè exornavit & amplificavit.* Ita enim intelligendi ſunt Hiſtorici, *Strabo lib. 16. Mela lib. 2. c. 11. Juſtinus lib. 1.* item *Propertius lib. 3. Eleg.* qui eam à Semiramide conditam ſcribunt. Siquidem *primus ejus author Nimrodus* fuit; & hæc urbs Babylon, a Babel, hoc eſt, à linguarum confuſione ſic dicta eſt: uti ex *Gen. 10.* patet. *Poſtea* verò à *Semiramide eſt inſtaurata & amplificata*, mœnibus ac hortis penſilibus, temploque ac duplici Regiâ maximè fuit admirabilis, campi planicie undique conſpicua, naturâ loci valdè jucunda. Architectos Semiramis undiquaque accerſivit, &, teſte *Diodoro Siculo*, ter decies centena hominum millia ad hanc urbem perficiendam adhibuit. *Ambitu* ſuo continuit ſexaginta millia paſſuum, juxta *Plin. l. 6. c. 26. Solinum c. 6.* & *Herodotum lib. 1.* hoc eſt, milliaria Italica 60, ſeu communia Germanica 15. *Muri*, qui coctili latere & infuſo bitumine compacti, & quaſi revincti erant, pedibus 200 alti, & 50 pedibus lati, ita ut quadrigæ ibi invicem occurrentes facilè pertranſire poſſent. A fronte murorum 100 portæ æneæ erant; ſicut *Herodotus* ſcribit. Et hæc omnia, quod mireris, uno anno abſoluta à ter decies centenis hominum millibus, (ut antea diximus) urgente Semiramide, tantâque prudentiâ opus dirigente, ut, cùm fuerint tot ſtadia in circuitu, quot anni dies, tantum adhibuerit operariorum numerum, quantus uni ſtadio ſingulis diebus perficiendo ſufficeret. Mirus fuit hujus urbis ornatus, magna rerum omnium affluentia. *Euphrates* in utraque ripâ interceptus muro trecentorum ſexaginta ſtadiorum, pari mœnium urbis altitudine & latitudine medius urbem ſecuit. Qui dum ad Meridiem labitur, quâ parte anguſtior eſt, nempe ſtadiorum quinque, *ponte* junctus eſt teſtudineo, triginta pedum latitudine, columnis pedibus invicem duodenis diſtantibus, ſummâ arte in profundo jactis, lapidibuſque uncis ferreis, immixto juncturis plumbo liquefacto, conjunctis, & præpoſitis ponti angulis robuſtiſſimis, qui impetum fluminis & vim aquæ reprimerent. Ab utraque parte Orientem & Occidentem verſùs, *Regias* habuit *duas*, tanquam Urbis propugnacula, magnâ curâ conſtructa. Quæ erat excellentior Occidentalis, fuit tribus muris in circuitu cincta. Quorum primus ſtadiorum 60 erat in ambitu; alter in circuitu 40 ſtadiorum variis exornatus animalium & venationum ſculpturis; tertius & interior, qui arcem continuit, 30 ſtadiorum. Hiſce addidiſſe *Nabuchdonoſorem*, *Joſephus lib. 1. contra Appion.* ſcribit, & *tertiam Regiam* cæteris multò magnificentiorem amplioremque, quæ 15 dierum ſpatio abſoluta ſit. *Hortus* quoque *penſilis* in ea fuit, ſupra Euphratem ædificatus, tantæ magnitudinis, ut ſingula latera quatuor jugeribus extenderentur. *Teſtudines* ex profundo Euphratis, & aliæ ſupra alias poſitæ, pavimentum horti continuerunt, cui tam profunda humus ingeſta, ut conſitæ in ea arbores, ad tantam proceritatem excreverint, ut pleræque octo cubitorum craſſitie inſtar ſylvæ cujuſdam jucundiſſimam adſpicientibus ſpeciem præbuerint. Et hic hortus tantâ arte & ſolertiâ exſtructus fuit, ut inter *ſeptem mundi miracula* referatur à *Lactantio l. 3. c. 14.* Alii etiam *urbis mœnia* illis annumerant: ſicut *Eraſmus in Adagiis* hoc proverbium inde deduxit: *Mœnia Semiramidis*, hoc eſt, inexpugnabilia. Tanta *Urbis* fuit *vaſtitas*, ut (teſtante Ariſtotele & Cœlio Rhodigino) cùm aliquando ab hoſtibus capta fuerit, tertio demum die id perſenſerint, qui ultimam Urbis partem incoluêre. Præcipuum verò opus in ea, *Jovis Beli Templum* admirandæ amplitudinis, à Semiramide (ut putant Hiſtorici) in medio urbis ædificatum, in cujus ſummitate ſacellum exſtruxit, in quo *tres ingentes* ex *auro ſtatuas*, *Jovis*, *Junonis*, & *Opis* erexit: quarum *Jovis* (inquit *Diodorus Siculus*) longitudine pedum quadraginta, & mille Babylonicorum talentorum ponderis: *Opis* ſimili pondere in ſella aurea reſidet, ad cujus genua duo adſtant leones, juxtaque ſerpentes argentei, ingentis & magnitudinis, & ponderis. Quilibet enim eſt talentorum 30. *Junonis* ſignum ſtans eſt ponderis talentorum 80. His omnibus communis *Menſa aurea* erat manu facta, longitudinis pedum 40, latitu-

titudinis 12, ponderis talentorum 50. Huic impoſita fuêre *duo* carcheſia ſeu *Regia pocula*, & totidem *Thuribula*, anteque menſam *Crateres tres*, omnes ex auro ſolido: quorum unus Jovi dicatus, talenta mille & ducenta Babylonica ſeu magna; reliquorum quilibet ſexcenta pendebat. Univerſa verò in unam ſummam redacta, noſtrâ computatione conficiunt undecies centies & octies centena triginta octo millia aureorum, quæ ſunt circiter 1180 tonnæ auri. Vide *Diodorum Siculum lib.* 3. Unde *Babylon* jure merito ab *Eſaia Propheta c.* 14. 4. *Babylon aurea* appellatur.

Inter præclariſſima orbis opera recenſetur & OBELISCUS Semiramidis, longitudine pedum 150, latitudine verò & ſpiſſitudine 24. Lapis unus erat ex Armeniæ montibus exciſus, & magnâ curruum multitudine ingentique cura, longo itinere ad flumen delatus, & navi impoſitus Babylonem uſque ductus, & in via nobiliſſima erectus, jucundiſſimam pariter aſpicientibus & admirabilem præbuit ſpeciem. Vide *Strabonem lib.* 16.

Præterea Semiramis *iter ad Iarcicum* montem Mediæ longiſſimum, non quidem locorum diſtantiâ, ſed montium interjacentium præcipitiis & convallibus pluribus, perruptis montibus, abſciſſis anfractibus, lociſque concavis in planum diductis, maximo labore & ſumtu, ad nominis monumentum immortale, breviſſimum effecit.

Eadem in *Ecbatana*, cum urbs aquâ careret, ex lacu eam ſtadiis duodecim, perforato Oronte, monte aſpero & acceſſu difficili, altitudine 25 ſtadiorum, in urbem diduxit. Vide *Diodorum Siculum lib.* 2. *c.* 5.

XV.

2. ACTA BELLICA. Semiramis maximas in bello res feliciſſimè perfecit, ut non feminas modò virtute, ſed & viros anteiret. *Juſtin. lib.* 1. *p.* 14. magnaque bella geſſit, tùm *externa*, tùm *interna*.

BELLA EXTERNA. *Ægyptum* vaſtavit, *Æthiopiam* & *Arabiam* regno ſuo adjecit. *Plutarch. Orat.* 2. *de virtut. Alex. Magni. Ultra Bactrianos* quoque à Nino marito ſuo devictos imperium propagavit. Inde progreſſa bellum Indis intulit, ad quos præter illam & Alexandrum Magnum nemo intravit. *Juſtinus lib.* 1. Unde Alexander M. non alium gentium harum magis admiratus eſt, quàm Cyrum & Semiramidem, in quibus & magnitudinem animi, & claritatem rerum geſtarum longè emicuiſſe credebat. *Curtius lib.* 7. Duxit in exercitu ſuo ter decies centena millia peditum, & quingentamillia equitum; & currus ad centum millia.

BELLA INTERNA. Semiramis quoque bella domeſtica geſſit. Nam defecit ab ea *Præfectus Babylonicus*, primaſque in hac Monarchia turbas dedit. Quod cum ei, circa cultum capitis ſui occupatæ nunciatum eſſet, alterâ parte crinium adhuc ſolutâ, protinus ad expugnationem Babylonis contendit, nec priùs decorem capillorum in ordinem, quam urbem in poteſtatem ſuam, redegit. Quocirca ſtatua ejus Babylone poſita, eo habitu, quo ad ultionem exigendam celeritate præcipiti tetendit, & hoc meruit, ut *Regum Perſia annulis*, & *ſigillo* tali potiſſimum effigie conſpiceretur. Vide *Valerium Maxim. lib.* 9. *c.* 3. Et *Polyænum lib.* 8. *ſtrategematum*.

AXIOMA ETHICO-POLITICUM.

Etiam in Feminis eſt Virtus maſcula & Fortitudo heroica.

Nam animus heroicus facit, ut mulier habeatur pro viro, ob animum virilem: & vir pro muliere, ob animum muliebrem.

Exempla.

1. SACRA. 1. *Deborâ* Dux V. Iſraëlis, erat Heroina admirandæ fortitudinis, ità ut *Barak* ſine illa in bellum proficiſci nollet. *Judic.* 4. 8. Judicabat populum Iſraëliticum ſingulari prudentiâ atque fortitudine heroicâ per annos quadraginta, illumque ab incurſionibus hoſtium vicinorum defendit. Unde מם *mater in Iſraël* appellatur *Judic.* 5. *verſ.* 7.

2. *Iahelis* fortitudo quoque eſt celebranda, quæ Siſaræ Duci dormienti, viro femina, clavum per frontem & cerebrum malleo tranſadegit, & caput impium diminuit, terræque affixit. *Judic.* 4. 21.

3. *Iudith* quoque Heroina fuit, quæ tantos ſibi ſpiritus ſumſit, ut animo maſculo Holofernem Ducem illum belli inſolentiſſimum, omnibus hoſtibus formidabilem, occideret, ejuſque caput enſe proprio auferret. *Iudith.* 13. 8.

11. PROFANA. 1. *Semiramis* admirandæ fortitudinis femina fuit, quæ Chaldæis & Aſſyriis per 42 annos dominata eſt; uti ex dictis patet. Confer *Polyæn. lib.* 8. *ſtrategematum*.

2. *Tomyris*, *Maſſagetarum Regina*, mortuo marito Cyrum Regem per inſidias perductum in angustias, unà cum 200000 Perſarum trucidavit, adeò ut neque tantæ cladis nuncius ſuperfuerit: Caput Cyri amputatum in utrem ſanguine humano impletum conjici Regina juſſit, cum hac exprobratione crudelitatis:

Satia

Satia te ſanguine, quem ſitiviſti; cujuſve inſatiabilis ſemper fuiſti.

Vide *Juſtinum lib. 1. & Herodotum lib. 1.*

3. *Amazones mulieres Scythicas* quis non obſtupeſcet? quæ contra quoſvis hoſtes feliciſſimè pugnabant, atque, ut in pugna eſſent expeditiores, alteram mammillarum ipſæ combuſſerunt, & ſe, ſuoſque liberos, & maritos, & patriam aſſeruerunt. *Dict. Cretenſ. lib. 4. de Bell. Trojan. Diodor. Sicul. lib. 3. c. 4.*

4. *Artemiſiam Cariæ Reginam*, & *Mauſoli conjugem*, mirantur Græci. Hæc namque cum Xerxe Rege adverſus Græcos militavit, cui primam etiam palmam navalis pugnæ ad Salaminem factæ Rex detulit, & in ipſo tempore, dum prælium committeretur, Rex videns eam ſtrenuè pugnare, viros autem timidius, clamavit; *O Jupiter, ex* VIRIS MULIERES *feciſti: & ex* MULIERIBUS VIROS. *Trogus lib. 2. olyan. lib. 8. ſtrategemat.* *Herodotus* ad hunc modum de ea ſcribit: Artemiſiæ præcipua me tenet admiratio, Mulieris expeditionem adverſus Græciam ſequutæ, quæ defuncto viro, nullâ adacta neceſſitate, ſed præſtantiâ animi atque virilitate in militiam conceſſit. *Hæc ille.* Artemiſia quoque irruentes Rhodios claſſe exuit. Inſulam eorum occupavit, erectâ in urbe ſtatuâ, quæ Civitati ſtigmata videretur inurere. Quam hiſtoriam pulchrè & venuſtè deſcribit *Vitruvius lib. 2. de Architectura c. 8.* hiſce verbis: Poſt mortem Mauſoli, Artemiſiâ uxore ejus regnante, *Rhodii* indignantes mulierem imperare Civitatibus Cariæ totius, armatâ claſſe profecti ſunt, ut id regnum occuparent. Tum Artemiſia, cùm eſſet id renunciatum, in eo portu abſtruſam claſſem, velatis remigibus & epibatis comparatis, reliquos autem civès in muro eſſe juſſit. Cum autem Rhodii ornatam claſſem in portum majorem expoſuiſſent, plauſum juſſit à muro his darent, pollicerique ſe oppidum tradituros; qui cum penetraſſent intra murum, relictis navibus inanibus, Artemiſia, repentè foſſâ factâ, in pelagus eduxit claſſem ex portu minore, & ita invecta eſt in majorem. Expoſitis autem militibus, & remigibus, claſſem Rhodiorum inanem abduxit in altum. Ita Rhodii non habentes, quò ſe reciperent, in medio concluſi, in ipſo foro ſunt trucidati. Artemiſia autem in navibus Rhodiorum ſuis militibus & remigibus impoſitis, Rhodum eſt profecta. Rhodii cum proſpexiſſent ſuas naves laureatas venire, opinantes, cives victores reverti, hoſtes receperunt. Tunc Artemiſia, Rhodo captâ, Principibus occiſis, trophæum in urbe Rhodo ſuæ victoriæ conſtituit, æneaſque duas ſtatuas fecit, unam Rhodiorum civitatis, alteram ſuæ imaginis: & iſtam figuravit Rhodiorum Civitati ſtigmata imponentem. Poſtea autem Rhodii religione impediti (quod nefas eſt trophæa dedicata removeri) circa eum locum ædificium ſtruxerunt, & illud erectâ Grajâ ſtatione texerunt, ne quis poſſet adſpicere, & id ἄϑεατον vocitari juſſerunt.

5. Noſtrâ quoque memoriâ *Angliæ Regina* exſtitit *Eliſabetha*, quæ ad miraculum uſque docta, prudens & bellicoſa fuit. De qua quidam *verſum* illum *Emilianum* jure merito uſurpavit:

Vos etenim juvenes animos geritis MULIEBRES,
Illa VIRAGO VIRI.

Plura vide in *Syſtemate meo Polit. p. 280.* Et in *Syſtemate Ethico p. 291. 292.*

XVI.

Notandum tamen de *Semiramide*, quòd tandem *non neceſſaria bella* moverit. Nam bellum intulit *Indorum Regi Staurobati*, nullâ aliâ de cauſa, quàm ut Regnum amplificaret, & nomen immortale ſibi pararet de devictis Indorum populis, qui habebantur ea ætate pro bellicoſiſſimis. Sed Regina ipſa in prælio vulneratur, totuſque ipſius exercitus in fœdam fugam vertitur. *Diodor. Siculus lib. 2. rer. antiq. c. 3.*

AXIOMA POLITICUM.

Bella non neceſſaria, h. e. quæ non ſuſcipiuntur juſtis de cauſis, ſed vel ex avaritia, vel ambitione, raro ſunt felicia.

Exempla habemus, tùm SACRA: in *Joſia* Rege alias pientiſſimo, qui adverſus Regem Ægypti, pacem ipſi offerentem, temerariè bellum movit, ſed vulnere in campo Megiddo accepto, paulò poſt extinctus eſt. *2 Paral. 35. v. 21, 22, 23, 24.* In *Sennacherib*, qui ex ambitione & ſuperbia *Ezechiæ Regi Juda* bellum intulit; ſed infelici prorſus ſucceſſu. *2 Reg. 19. v. 35. Eſaiæ 37. v. 36.*

Tum PROFANA; in *Semiramide*, in *Cyro*, qui à Maſſagetarum Regina interfectus. *Herodotus lib. 1.* In *Xerxe*; qui, Mardonio authore & ſuaſore, Græcis bellum non neceſſarium intulit; ſed infelix eventus fuit. Nam ipſe poſt pugnam Salaminiam, parva cymba fugiens cum dedecore in Aſiam eſt reverſus. Prudentius autem *Auguſt. Imp.* fecit, qui nulli genti ſine juſtis & neceſſariis cauſis bellum intulit: jactantis ingenii eſſe affirmans, ob triumphalis pompæ ſuperbiam & lauream corollam, civium vitas ac ſecuritatem periclitari. *Cuſpinianus in vita Auguſti, pag. 8.*

III.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

XVII.

Idololatriam auxit Semiramis. Nam haud contenta delubris à marito exstructis, in media Babylone, socero Assuri, cognomento Belo, templum magnificentissimum incredibilibus sumtibus exstruxit, cujus supra in §. 14. & in Historia Nini §. 13. facta est mentio; novumque decretum fecit, ut Belus apud Babylonios loco Dei coleretur. *Hieronymus comment. super Hoseam.*

CAPUT III.
DE EGRESSU.

XVIII.

Semiramis in proprium filium amore incestuoso exarsit, qui exhorrens maternum concubitum, eam interfecisse creditur anno imperii 42, ætatis 62. *Berosus, Diodorus, Plutarchus, Suidas.*

AXIOMA.

Multi Reges atque Duces vesanis amoribus correpti atque corrupti, vel se ipsos, vel exercitus suos, perdiderunt. Franciscus Patrit. lib. 4. de Regn. Tit. XI. p. 263.

Exemplum prioris habemus in *Semiramide.* Hæc namque virtute & rerum gestarum magnitudine, non modò Reginas, sed & Reges omnes, qui ante eam vixerant, anteivit. Nihilominus tamen amore erga filium incestuoso flagrans, jugulata occubuit, atque hac amoris turpitudine laudem suam perpetuo probro obscuravit.

Exemplum posterioris habemus in *Pœnis.* Hi namque cùm in Campania hybernarent, virtutis robur, Venereis deliciis inescati, magna ex parte amiserunt; ut hoc *Adagium* de illis non immeritò usurparetur; *Capuam Pœnis alteras fuisse Cannas.* Vide plura *apud Franciscum Patritium in loc. alleg.*

XIX.

SEPULCRUM supra portas Babylonis magnificas in loco edito atque conspicuo sibi ante obitum condiderat, & hæc verba inscribi curaverat: *Si quis Rex pecuniâ indiguerit, is recluso hoc monumento, sumat quantum volet.* Id cùm legisset Darius Hystaspis Rex Persarum, auri cupiditate sepulcrum aperiri jussit; in quo tamen pecuniam invenit nullam, sed hoc tantùm literis sculptum; NISI MALUS FUISSES HOMO, ET PECUNIÆ INSATIABILIS, NUNQUAM SANE SEPULCRA MORTUORUM VIOLASSES. *Plutarchus in Moralibus sive Apophthegm. p. 323. Herodot. lib. 1. Stobæus.* Simile quid habet Herodotus de *Nitocri* Regina, quæ diu post Semiramidem vixit, atque Evilmerodachi penultimi Babyloniorum Regis uxor ab Herodoto fuisse traditur.

MONARCHA V.
NINYAS.

I.

1. ORTUS. *Ninyas* parentibus Nino & Semiramide natus, variis nominibus appellatus est. Nam 1. aliis dicitur *Ninyas.* 2. Aliis *Zameis. Sleidanus. lib. de 4. Monarch.* 3. Aliis *Ninus*, (uti placet *Justino*) vel *Ninus junior.* 4. Sunt denique, qui illum à Mose (*Gen. 14. v. 1, 2, 8, 9.*) *Amraphel* vocari existiment.

II.

2. PROGRESSUS. In hoc notanda sunt *Acta OEconomica*, & *Politica.*

III.

ACTA OECONOMICA. I. A matre mollius educatus est. *Reinecc. Syntag. Heroic. p. 54.* Unde etiam *degener* factus. Nam à parentum heroica indole atque bellica virtute planè degeneravit, juxta vulgatum illud *Adagium*: Ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα: *Heroum filii noxæ.* II. In conjugio filium genuit Arium, qui postea ipsi in Imperio successit.

IV.

ACTA POLITICA.

1. *Regni occupatio.* Ninyas, matre Semiramide propter nefariam libidinem interfecta, regno potitus est.

2. *Regni administratio.* Ninyas parto à parentibus Imperio contentus, belli studia deposuit, & veluti sexum cum matre mutasset, rarò à viris visus in feminarum turba consenuit, & voluptatibus deditus fuit, responsaque gentibus non ipse coram dabat, sed per internuncios. *Justinus lib. 1.* Similiter *Athenæus lib. 12.* è *Ctesia* memorat, quòd ipse voluptatibus prorsus deditus alta nocte se abscondiderit, & à nemine, nisi ab eunuchis & feminis suis se conspici passus fuerit. Et *idem c. seq.* Phœnicis Poëtæ Iambos sale Momi adspersos de eo recitat, inter quos & hic est:

Ἄριστος ἐσθίειν καὶ πίνειν, τὰ δὲ ἄλλα κατὰ πετρῶν ὤθει.

Strenuus erat edendo & bibendo; cetera in lapides projiciebat.

Idem de eo scribit *Diodor. Sicul. l. 2. c. 6.* cujus hæc sunt verba: Omne vitæ tempus reclusus in Regia, conspectumque hominum vitans, inter pellices &

& eunuchos otium & delicias ſequutus, traduxit. Exiſtimabat enim, incommoda omnia vitare, in continuis verſari voluptatibus, vacuum eſſe curis, ſummam in Rege voluptatem eſſe. Ita plerumque amor ad ea flagitia Magnates compellit, quæ aut turpia ſunt, aut dignitatem imminuunt. Quale etiam exemplum habemus in *L. Vitellio* (à quo *Vitellius Imperator* natus eſt.) qui vir aliàs innocens & induſtrius, amore tamen *Libertinæ* adeò inſanivit, ut infamis haberetur. Illius namque ſalivis ſale commiſtis quotidiè palàm arterias & fauces pro remedio fovebat: Qua ex re omnibus ludibrio habebatur.

V.

Ne autem ex continuo illo voluptatum otiique ſtudio, vel ipſius contemtus aliquis, vel rebellio naſceretur, quotannis militem novum provinciis imperabat, & nationi cuique Ducem ex iis, quos ſecum habebat, prudentiſſimum præficiebat, ut gentes ſibi ſubjectas præſentium copiarum metu à defectione cohiberet. *Euſebius in Chron.*

VI.

3. EGRESSUS. Tandem Ninyas cùm inglorius vixiſſet, inglorius obiit, poſtquam regnaſſet annis 38. cui Arius filius imperio ſucceſſit anno M. 2041. juxta *Seth. Calviſ. Chron. pag. 6.*

NOTA.

[NB. Reges, qui in hac Dynaſtia II. adhuc reſtant uſque ad Sardanapalum, vel ſunt admodum obſcuri, vel parùm laudati. Obſcuritatem parit defectus Hiſtoricorum, qui horum Monarcharum res geſtas deſcripſere. Unde *Diodorus Siculus ex Cteſia* inquit: Omnia Regum Aſſyriorum nomina poſt Ninyam prætevita, quod nihil memoriâ dignum geſſerint. Similiter *Theophilus Antiochenus lib. 2. p. 325.* rectè inquit: *Aſſyriorum Reges ſilentium & oblivio oppreſſit.* Quamvis *Oroſius* teſtatur Reges Aſſyriæ (qui omnes Ninyæ poſteri ſunt, & continuâ ſucceſſionis poſſeſſione uſque ad Sardanapalum Regnum retinuerunt) nunquam fere vel inferendis vel excipiendis bellis ceſſaſſe.]

DUBIUM.

At dubium h. l. moveri poteſt, quî nempe factum ſit, ut in tantâ Regum luxuriâ atque ignaviâ per mille annos, & ultrà, Monarchia I. *potuerit manere ſalva?*

Reſp. *Cauſa* hujus rei poteſt dari gemina.

1. THEOLOGICA. Deus T. O. M. pro admirabili ſuâ providentiâ Monarchiam hanc primam, uſque ad terminum fatalem illi præfixum, ſalvam & inconcuſſam conſervare voluit, etiamſi propter Monarcharum ignaviam omnia viderentur in pejus ruere & retrò ſublapſa referri.

2. POLITICA, eaque ſimiliter gemina. *Prima, quòd ſemper in procinctu quaſi haberent militem domeſticum.* Nam inſtitutum Monarcharum ſapiens atque ad firmitatem ſecuritatemque Regni firmiſſimum hoc erat, quod ſingulis annis (uti *Diodor. Sicul. l. 2. c. refert.*) novum militem imperarint, & juventutem ſemper in armis tenuerint, ciſque Duces præfecerint prudentiſſimos, ſibique maximè devotos. Ea quippe res, ut ſubditos in officio continuit, ita vicinis terrori fuit, & effecit, ut omnes vicinæ gentes Aſſyriorum Regibus parerent, & quicquid imperarent, efficerent. *Altera cauſa eſt, quòd non haberent militem externum.* Hanc cauſſam affert *D. Auguſtinus lib. 18. de C. D. c. 12.* dicens, quòd ob eam Monarchia prima ſtabilis fuerit, quòd à milite externo alendo immunis fuerit & ſecura. Nam rectè cenſent ſapientes: Nullum principatum propriis armis deſtitutum fore ſecurum, nihilque eâ potentiâ eſſe infirmius, quam non domeſtica virtus ſuffulciat. Mercenarii enim milites ignavi, negligentes, & ſumtuoſi: Auxiliares autem moleſti & periculoſi ſunt, ita ut vel illis devictis, ipſum quoque Principem vinci & everti; vel hiſce vincentibus, captivum & prædam fieri neceſſum ſit.

MONARCHA VI.

ARIUS.

I. ORTUS.

Arius Ninyæ filius (qui à *Suida* THURAS appellatur) patri in regno ſucceſſit, anno M. 2041. juxta *Calviſ. Chron. p. 6.*

II. PROGRESSUS.

1. ACTA OECONOMICA. Genuit *filium Aràlium* Regni ſucceſſorem.

2. ACTA POLEMICA. Rediit hic ad *belli ſtudia*, quæ depoſuerat parens ejus Ninyas, & *Caſpios* (populos Scythiæ, ad mare Caſpium ſive Hircanum habitantes) & *Bactrianos* (etiam Scythiæ populos, quorum Rex olim Zoroaſtres fuit, Magicæ artis inventor, qui cum naſceretur, riſit,) rebellantes compeſcuit, & vectigales fecit: uti teſtantur *Beroſus, Juſtinus, Diodorus Siculus, Euſebius, Auguſtinus, Caſſiodorus, Iornandes.*

3. ACTA ECCLESIASTICA. Sub Ario ejuſque ſucceſſoribus majores ſubinde vires acquiſivit idololatria. Nam haud contenti Aſſyrii patrum ſuorum idolis, hunc quoque Arium Deum fecerunt, & religioſè coluerunt, eique nomen *Baal* (quod alii *Martem*, alii *Dominum* interpretantur) impo-

mpoſuerunt. Nam ita ſcribit *Suidas*. *Thuras* (inquit) poſt Ninum (juniorem) in Aſſyria regnavit, cui nomen planetæ *Martis* indiderunt. Hunc Aſſyrii ut Deum adorarunt, & ſua lingua *Baal*, hoc eſt, Martem, appellarunt, bellorum Præſidem, cujus etiam Daniel Propheta meminit. *Hactenus Suidas.*

III EGRESSVS.

Poſtquam imperio præfuerat 30 annis, mortuus eſt. *Euſebius.*

MONARCHA VII.
ARALIUS.

I. ORTUS. Aralius patre Ario defuncto, Regni adminiſtrationem ſuſcepit anno M. 2071. juxta *Calviſ. Chron. p.* 7.

II. PROGRESSUS. *Beroſus, Euſebius & Metaſthenes* ſcribunt, quòd in otio & luxu vixerit, & muliebres pompas atque delicias animo muliebri auxerit. *Sleidanus lib. de* IV *Monarch.* ita de eo ſcribit. Aralius ingenio quidem & ſtudio militari clarus fuiſſe traditur. Quid autem geſſerit, non eſt proditum literis.

III. EGRESSUS. Regnavit annos 40, & mortuus eſt. *Africanus.*

MONARCHA VIII.
BALEUS, *cognomento* XERXES.

I. ORTUS BALEUS I, *cognomento* XERXES, in Aralii patris defuncti locum ſucceſſit anno M. 2111.

II. PROGRESSUS. Rex fuit bellicoſiſſimus. Armis namque plurimas gentes domuit, & fines Imperii ſui uſque ad Judæam produxit, & ad ipſos quoque Indos penetravit, ita ut Gentibus imperaret duplo pluribus, quàm pater ejus Aralius. Unde etiam cognomen XERXIS obtinuit, quod Victorem & Triumphatorem notat. *Beroſus, Euſebius, Metaſthenes, Caſſiodorus, Iornandes.* Ubi notetur, quantum ſocordia Regis Ninyæ primæ Monarchiæ nocuerit. Nam quos Semiramis populos jam antea ſubjugaverat, turſus per ipſius ſocordiam à Chaldæorum Regno defecerunt. Ideoque hic Baleus eos denuo ſub obedientiæ jugum redigere neceſſum habuit. Adeò

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

III. EGRESSUS. Poſtquam regnaſſet annis 30, mortuus eſt anno M. 2140. *Calviſ. Chron. pag.* 7.

MONARCHA IX.
ARMATHRITES.

I. ORTUS. *Armathrites* à Caſſiodore *Armametres*, à Jornande *Armanitres*, à *Calviſ. Chronol. p.* 7. *Armamites* nominatur. Hic fuit Balei I filius, & defuncto patre ad Imperii dignitatem eſt evectus anno M. 2140. *Calviſ. ibid.*

II. PROGRESSUS. Fuit vir prorſus effeminatus & mollis, qui, depoſito belli ſtudio, & ſeria Regni cura, ad voluptates & delicias ſe convertit. Varios libidinis modos partim ipſe invenit, partim ab aliis inventos adauxit.

III. EGRESSUS. Mortuus eſt, poſtquam regnaſſet annos 28, juxta *Calviſ. Chron. p.* 7. vel 38, juxta *Reinecc. Syntagm. Heroic. pag.* 55.

MONARCHA X.
BELOCHUS I, *cognomento* PRISCUS.

I. ORTUS. *Belochus* I. Armathritæ parenti ſucceſſit anno M. 2168. juxta *Sethum Calviſ. Chron. p.* 8. *vel* 2178. *Metaſtheni* PRISCUS dicitur.

II. PROGRESSUS. Nihil de eo traditur, niſi quòd auſpicia curarit, & divinationes; ſicut ſcribit de eo *Sleidan. lib. de* IV. *Monarch.* Unde à *Beli ſacerdotio* nomen traxit. Quoniam cùm imperium exercere voluit, circa ſacerdotium Beli Jovis, & maximè circa auſpicia & divinationes occupatus fuit; uti Beroſus ſcribit.

III. EGRESSUS. Vixit in Regno annis 35. *Sethus Calv. Chron. p.* 8.

MONARCHA XI.
BALEUS II.

I. ORTUS. *Baleus* II. patri Belocho in Regno ſucceſſit anno M. 2203. juxta *Calviſ. Chron. pag.* 8. Vocatur *Baleus* II, vel *Junior*, ad differentiam Balei Xerxis proavi, Monarchæ VIII.

II. PROGRESSUS. Monarcha fuit bellicoſiſſimus. Nam alteram à Semiramide laudem virtutis & induſtriæ militaris habet: & imperium ſuum uſque in Indiam propagavit. Siquidem Indi eò ſunt redacti, ut poteſtati Babyloniorum ſe ſuaque ſubmitterent. *Beroſus, Metaſthenes, Euſebius, Jornandes, Sleidanus.*

III. EGRESSUS.

Regnavit annis {42 / 52} juxta { *Afric.* & *Calviſ. Chron. p.* 8. / *Reinecc. Syntagm. Heroic. p.* 56. }

MONARCHA XII.

ALTADAS.

I. ORTUS. *Altadas*, à *Calvisio in Chronolog. pag. 9.* vocatur SETHUS. Patri suo Baleo II. successit in Imperio.

II. PROGRESSUS. Hic homo prorsus otiosus atque gulosus erat. Nam, teste *Beroso*, hæ erant *Regulæ vitæ* ejus otiosæ atque desidiosæ.

Prima. Vanus & stultus est, qui continuo labore & miseriâ militat, in exitium sui & humani generis.

Secunda. Omnium stultissimus est, qui jugi desudatione thesaurizat non sibi, sed genti.

Tertia. Qui abstinet usu gloriæ & rerum à se partarum, nequissimus est. Quia, qui sibi nequam, nunquam alteri beneficus est.

Ex hisce autem inertiæ atque pigritiæ Regulis duo πορίσματα colligebat.

Primum: Abstinendum esse ab omni labore bellico & lucroso. Quia *in bellico sudore*, sibi labor, & gentibus cædes occurit: Et *in lucroso labore* miser & infelix avarus efficitur, magis custos divitiarum, quàm dominus.

Alterum: Fruendum esse bellis & gloriâ, alienâ miseriâ & sudore partis; ne incidas in miseriam & sudores, dum parta bona fugis.

III. EGRESSUS. Inter luxuriam & otium efflavit animam, anno Regni 32. *Calvis. Chron. p. 9.*

MONARCHA XIII.

MAMITUS.

I. ORTUS. *Mamitus* Altadæ filius (à *Iornande* Mamintus dicitur) in patris defuncti locum successit, anno M. 2277. *Calvis. Chronolog. p. 9.*

II. PROGRESSUS. Hic Mamitus militum animos otio jam torpidos rursus excitavit, atque ad belli studium reduxit, tantasque res gessit, ut Syris & Ægyptiis formidini atque terrori esset. Nec interim delicias & unguentorum omisit luxum. Vide *Berosum*, *Metasthenem*, *Eusebium*, *Iornandem*, *Sleidanum*.

III. EGRESSUS. Occubuit anno Regni sui 30. *Africanus.*

MONARCHA XIV.

MANCALEUS.

I. ORTUS. *Mancaleus* (*Cassiodoro* Machaleus, *Iornandi* Manchaleus, *Setho Calvis. in Chronol. p. 10.* Aschalius dicitur) successit Mamito anno M. 2307.

II. PROGRESSUS. Hic quo se gesserit modo, non constat. Fortè ita obscuram egit vitam, atque à publicis negotiis sejunctam, ut scribendi materiam præbuerit nemini. Unde rectè de eo *Sleidanus* ait: In hoc Mancaleo narrandi deficit argumentum.

III. EGRESSUS. Mortuus est anno Imperii 30. juxta *Berosum*, *Metasthenem* & *Eusebium*: vel 28. juxta *African.* & *Calvisium*, *Chronolog. p. 10.*

MONARCHA XV.

SPHÆRUS.

I. ORTUS. *Spharus* vel *Saphrus* Mancaleo patri in regno successit A. M. 2335.

II. PROGRESSUS. Hic & pacis & belli tempore Regnum optimè administravit. Nam magna ejus virtus atque prudentia fuisse dicitur. *Metasthenes*, *Eusebius*, *Cassiodorus*, *Iornandes*, *Sleidanus*. *Berosus* ait: De hujus gestis omne vulgus personat.

III. EGRESSUS. Mortuus est anno imperii 20, vel juxta alios 22. *Calvisius*, *Chronolog. p. 10.*

MONARCHA XVI.

MAMELUS.

MAMELUS, Eusebio *Mamylas*, Cassiodoro & Jornandi *Mamylus* dicitur. Successit Sphæro anno M. 2357. Hujus facinus nullum commemoratur, inquit *Sleidanus*. Postquam 30 annos regnasset, mortuus est. *Berosus*, *Metasthenes*, *Africanus*.

MONARCHA XVII.

SPARETUS.

SPARETUS, Cassiodoro vocatur *Sputaëthus*. Hic Mamylo in Regno successit anno M. 2387. *Calvis. Chronol. p. 10.* Bellum gessit cum Syris & Phœnicibus, eosque tandem subegit, circiter annum Regni sui 35. *Sleidanus* meminit tempore hujus Spareti passim accidisse miranda. Quæ hisce verbis *Berosus* apud Gothofredum aliique Historici indigitant.

1. *Terræ motus* contigit, qui Babylonios valde terruit.

2. *Diluvium Deucalionis* in Thessalia fuit, in quo non solùm ex imbribus, sed obturatis montibus, casu flumina planitiem impleverunt, & subsequuto terræ motu, apertis ostiis, montium aquæ in alveos regressæ. Dicitur *Diluvium Deucalionis* propterea, quòd circa Parnassum montem, ubi imperabat Deucalion, maximè acciderit: quo Duce multi mortales in illo monte sunt conservati. *Apollon.* Hoc diluvium *Ovid. Metam.* 1. cum Diluvio

Nobæ

Nohæ confundit. *Xenophon de Æquivoc. Oroſ. lib. 1. cap. 9.*

3. *Incendium* ſequutum eſt *Phaëthontis* in Æthiopia & Italia, quæ tribus in locis, ingenti ex æſtu atque ardore, quem prædixerat, arſerunt. *Xenophon de Æquivoc. Oroſius lib. 1. c. 9. Euſebius.*

Regnavit annis {40 / 42} juxta {*Beroſum, Metaſthen. Euſeb. Fornand. Africanum.*

MONARCHA XVIII.
ASCADES.

ASCADES (alio nomine *Aſcadates*, vel *Aſcatades*) Rex Aſſyriorum XVIII. Hic Spareto ſucceſſit anno M. 2429. & Regnum ſuum auxit, quia omnem Syriam ei adjecit. Hujus anno 13, Vitis inventa apud Græcos narratur, uti Beroſus apud Gothofredum ait.

Regnavit annis {40 / 38} juxta {*Beroſum. Africanum.*

Nota: In hoc Monarcha deſinit hiſtoria Beroſi: quam Manetho & Metaſthenes pertexuerunt.

MONARCHA XIX.
AMYNTAS.

AMYNTAS, *Rex Aſſyriorum* XIX. Aſcadati ſucceſſit anno M. 2467. juxta *Calviſium Chron. p.* 12.

Regnavit annis {45 / 35} juxta {*Reinecc. Syntagm. Heroic. p. 57. Reuſn. Chr. p. 186. African. & Calviſ. Chron. p. 12.*

[Hiſtorici quidam putant *Chuſan Riſchataim* כושן רשעתים quod ſonat *Nigrum iniquitatum* vel *iniquum*, Regem *Meſopotamiæ*, (qui 8 annis Iſraëlitas primo & quidem gravi ſervitutis jugo preſſit, ſed ab *Othoniele Judice* populi Iſraëlitici III. victus eſt, de quo *Judic.* 3. 10.) eſſe *Aſcatadem* Monarcham XVIII. In qua ſententia eſt *Reinecc. Syntagm. Heroico p.* 57.) *Alii* putant eum fuiſſe *Amyntam* Monarcham XIX, in qua ſententia eſt *Reuſn. Chron p.* 186. *Sed neutra* ſententia in arce veritatis poni poteſt. Nam cum Chronologia non congruit. Quia ſub finem regni Belloparis XXI Aſſyriorum Regis *Chuſan Riſchataim* domum ab Othoniële eſt cæſus; juxta ſupputationem *Sethi Calviſ. Chronol. p.* 12, 13, 14.]

MONARCHA XX.
BELOCHUS II.

BELOCHUS II, XX *Rex Aſſyriorum*, Amyntæ in regno ſucceſſit anno M. 2503. juxta *Calviſ. in Chron. p.* 13. regnavit annis 25.

MONARCHA XXI.
BELLOPARES.

BELLOPARES, *Jornandi* BELIPARES; *Calviſio*, BALATORES, *in Chron. p.* 13. vocatus, patri Belocho II. in Regno ſucceſſit, anno M. 2528. Hujus *filia* nomine ACTOSA, cognomento SEMIRAMIS, procul dubio ob res præclarè geſtas ſic dicta, 7 annis cum patre regnavit. *Euſebius.*

Anno 30 regni mortuus eſt.

MONARCHA XXII.
LAMPRIDES.

LAMPRIDES, *Rex Aſſyriorum* XXII, Bellopari, ſeu Balatoræ ſucceſſit, A. M. 2558, juxta *Calviſ. Chron. p.* 14. Regnavit annis 32, juxta *Africanum.*

MONARCHA XXIII.
SOSARES.

SOSARES, *Rex Aſſyriorum* XXIII, Lampridi ſucceſſit anno M. 2590, juxta *Calviſ. Chronol. p.* 15. & regnavit annis 20.

MONARCHA XXIV.
LAMPARES.

LAMPARES, *Rex Aſſyriorum* XXIV, qui *Calviſio in Chron. p.* 15. Lampraës dicitur, Soſari ſucceſſit anno M. 2610; & regnavit annis 30. *Africanus.*

MONARCHA XXV.
PANNIAS.

PANNIAS vel PANYAS (uti eum vocat *Calviſius*) Lampari vel Lamprai in Imperio ſucceſſit anno M. 2640.

Et regnavit annis {45 / 35} juxta {*Reinecc. Synt. Heroic. p. 57. Reuſn. Chron. p. 188. Calviſ. Chron. p. 16.*

MONARCHA XXVI.
SOSARMUS.

SOSARMUS, *Rex Aſſyriorum* XXVI, Panniæ ſucceſſit anno M. 2675. *Calviſ. Chron. p. 16.*

Et regnavit annis {19 / 32} juxta {*Reinecc. p. 57. & Reuſn. p. 188. Africanum & Calviſ. Chron. p. 16.*

MONARCHA XXVII.
MITRÆUS.

MITRÆUS, juxta *Reinecc. p.* 57. MITREUS, juxta *Reuſn. p.* 189. vel MITHREOS, juxta *Calviſ. Chron. p.* 17. XXVII *Rex Aſſyriorum*, ſucceſſit *Soſarmo*, anno M. 2713. *Calv. ibid.* Regnavit annis 27.

MONARCHA XXVIII.
TAUTANES.

TAUTANES, juxta *Reinecc. p.* 57. TAUTANIUS, juxta *Reuſn. p.* 189. aut TEUTANIOS, juxta *Metaſthenem*; vel TEUTAMUS, juxta *Diodor. Sicul. Cyrill. lib.* 1. contra Julian. & & *Calviſio Chron. p.* 18. XXVIII *Rex Aſſyriorum*, ſucceſſit Mitræo.

Regnavit annis {29, 32} juxta {*Africanum* & *Calviſ. p.* 18. *Reinecc. p.* 57. *Reuſn. p.* 189.

MONARCHA XXIX.
TEUTÆUS.

TEUTÆUS, *Euſebio* TANTÆUS dicitur, *Rex Aſſyriorum* XXIX, ſucceſſit Teutani, vel Teutamo, anno M. 2769. *Calviſ. Chron. p.* 19.

Regnavit annis {24, 40} juxta {*Diod. Sicul.* & *Calviſ. p.* 19. *Reinecc. pag.* 57. & *Reuſn. p.* 191.

[Hic diligenter notandum, quòd Chronologi h. l. in enumerandis Aſſyriorum Regibus variant. Nam *Joſephus Scalig. in Euſeb.* & *Seth. Calviſ. in Chron.* hic quatuor Monarchas interſerunt, qui ab aliis Hiſtoricis omittuntur. Ideoque hic in gratiam ſtudioſorum eorum nomina exprimam; ne hoc diſcrepante Chronologorum calculo turbentur.]

1. *Arabelus* ad imperium evectus eſt A. M. 2793. regnavit annis 34. *Calv. Chron. p.* 20.

2. *Chalaos* ſucceſſit Arabelo A. M 2827. regnavit annis 24. *Calviſ. Chron. p.* 21.

3. *Anabos* ſucceſſit Chalao A. M. 2851. regnavit annis 21. ſecundùm *Africanum* & *Calv. Chron. p.* 22.

4. *Babios*, vel *Babius*, ſucceſſit Anabo A. M. 2872. regnavitque annis 27 *Calv. p.* 22.

MONARCHA XXX.
TINEUS.

TINEUS, *Reinecc.* THINÆUS, *Calviſio Chron. pag.* 25. TINNEUS, *Jornandi*; THIMEUS, *Reuſn. Chron. p.* 191. XXX Aſſyriorum Rex ſucceſſit *Teuteo* (ex ſententia *Reineccii p.* 57. & *Reuſn. Chron.*) anno 2899. juxta *Calv. p.* 25.

Regnavit annis {30, 24} juxta {*Reineccium. p.* 57. & *Reuſn. p.* 191. *Africanum* & *Calv. Chron. p.* 25.

MONARCHA XXXI.
DERCYLUS.

DERCYLUS, vel DERCILUS, XXXI Aſſyriorum Rex, ſucceſſit *Tineo*, anno Mundi 2923.

Regnavit annis {40, 22} juxta {*Reineccium p.* 57. *Reuſn. p.* 191. *African.* & *Calv. p.* 27.

MONARCHA XXXII.
EUPALES.

EUPALES (juxta *Reinecc. p.* 58. & *Reuſ. p.* 192.) vel *Eupacmes* (juxta *Africanum* & *Calviſ.*) ſucceſſit Dercylo, anno M. 2945.

Regnavit annis {30, 38} juxta {*Africanum* & *Calv. p.* 29. *Reinecc. p.* 58. *Reuſ. p.* 192.

MONARCHA XXXIII.
LAOSTHENES.

LAOSTHENES, XXXIII Rex Aſſyriorum, ſucceſſit Eupali, anno M. 2975.

Regnavit annis {45, 18} juxta {*Reinecc. p.* 58. *Reuſn. p.* 193. *Calv. p.* 30.

MONARCHA XXXIV.
PYRITHIDIAS.

PYRITHIDIAS; Euſebio *Piriciades*; Jornandi *Pritiades*; Calviſio *Puritiades*; ſucceſſit Laoſtheni anno M. 2993.

Imperavit annis {30, 14} juxta {*Reineccium p.* 58. *Reuſn. p.* 193. *African.* & *Calviſ. p.* 30.

MONARCHA XXXV.
OPHRATÆUS.

OPHRATÆUS, Rex Aſſyriorum XXXV, *Pyrithidia* ſucceſſit, anno M. 3007. Jornandi dicitur *Ophratenes.*

Regnavit annis {20, 21} juxta {*Reineccium pag.* 58. *Reuſn. p.* 194. *Africanum, Calviſ. p.* 31.

MO-

MONARCHA XXXVI.

OPHRAGANEUS.

OPHRAGANEUS, Euſebio *Ophratanes*; Africano & Calviſ. *Ephacheres*; ſucceſſit Ophratæo in regno, anno M. 3028.

Regnavit annis {21 / 50} juxta {*Africanum* & *Calviſ. p.* 32. / *Reinec. p.* 58. *Reuſn. p.* 194.

MONARCHA XXXVII.

ASCRAZAPES.

1. ORTUS. *Aſcrazapes* (Euſebio eſt *Ocrazapes*; Stephano *Cyndaraxes*; Ariano *lib.* 2. Suidæ & Straboni, *Anatyndaraxes*; Setho Calviſio *Acracarnes*) Aſſyriorum Rex XXXVII, ſucceſſit Ophraganeo anno M. 3050. juxta *Sethum Calv. p.* 34. juxta alios 3088,

2. PROGRESSUS. Anno regni ejus 18, vel, ut alii volunt, 33, anno M. 3119, ante Chriſtum natum 852, cùm magna impietas in *urbe Ninive* graſſaretur, Deus, ex ſingulari & extraordinariâ motus gratiâ, eò miſit *Prophetam Jonam*, qui prædicaret, *πανολεθρίαν* urbis certò futuram, niſi actâ pœnitentiâ incolæ à malo deſiſterent. Jonas autem in initio perculſus magno metu, ad mare ſeceſſit, & in urbe *Japho*, quinque milliaribus Jeroſolyma diſtante, navim conſcendit. Sed coorta inter navigandum tempeſtate, cùm navis ſubmergendæ periculum metueretur, ſorte miſſâ, Jonas ejus mali cauſa deprehenditur. A nautis itaque, licet invitis, attamen ſalutis amore adductis, in mare abjicitur, tanquam hoſtia quædam piacularis. Quem cetus deglutivit, & trium dierum atque noctium ſpatio ventri incluſum per milliaria 250 geſtavit atque circumvexit. Nam à Japho, circumnavigatâ minori Aſiâ, per mare Ægeum tranſiit Conſtantinopolin, per Helleſpontum in Pontum Euxinum; (quod longum eſt 200: & latum 70 milliaribus) in cujus portu demum ejectus eſt, teſte *Joſepho lib.* 9. *Antiquit. Iudaic. c.* 11. *p.* 253. Inde ergo 200 circiter milliaria progreſſus Jonas Niniven venit, & munus divinitùs demandatum exſequutus eſt. Vide *Bunting. in Itiner. Part.* II. *p.* 189, 190. Cùm verò incolæ, auditâ Prophetæ concione, verâ ſe ad Deum pœnitentiâ converterent, & Rex ipſe de ſolio ſurgeret, & ſacco indutus in cinere ſederet, & univerſale indiceret jejunium, tam brutorum animantium, quàm hominum, ac denique ut omnes converterentur ab iniquitate, ſcriò mandaret, interitum tum temporis evitarunt. Vide *Jonæ c.* 1. 2 & 3.

3. EGRESSUS. Poſtquam regnaſſet annis 41, juxta *Euſebium*; vel 42, juxta *Reineccium. p.* 58. & *Reuſn. Chron. p.* 194. ex hac vita deceſſit. A. M. 3129. ante C. N. 842.

NOTA.

De Tempore Concionis pœnitentialis Jonæ ad Ninivitas habitæ, Chronologi inter ſe diſſentiunt. I. *Quidam* eam referunt ad *tempora Sardanapali Aſcrazapis* filii, ultimi Aſſyriorum Regis. (intellige ex familia Nini) Et in hac ſententia eſt *Calviſ. Chron.* 35. Cui calculum ſuum addit *Auguſtinus Torniellus in Annalib. Sacr. tom.* 11. *p.* 72. II. *Quidam* verò eam referunt ad *tempora Aſcrazapis Sardanapali patris*: ut *Reuſn. in Chron. p.* 194. Et hæc ſententia poſterior priori eſt præferenda. Quia melius cum Chronologia, cumque ipſius rei & perſonarum circumſtantiis congruit. Nam cæteri Chronologi Aſcrazapem 41, vel 42 annis; Calviſius verò tantùm 7 annis regnaſſe ait. Quod ſi autem juſti regiminis anni Aſcrazapi aſſignantur, utique concionem Jonæ in tempora ejus incidiſſe dicendum erit.

REGULA VITÆ.

Reges atque Principes tempore periculoſo ingruente & irâ Dei ſæviente pœnitentiam agant ipſi, & ſubditos pariter ad pœnitentiam exhortentur. In quam ſententiam pulchrè ait *Fulgentius. epiſt.* 6. Qui ſunt in culmine ſeculi conſtituti, aut plurimos ſecum perdunt, aut plurimos ſecum in viam ſalutis perducunt. Hoc ipſum fecit *Rex Joſaphatus*, qui in anguſtiis bellorum conſtitutus quærebat Dominum, & jejunium in tota Judæa proclamari jubebat. 2 *Par.* 20. *v.* 3. Idem fecit *Rex Ezechias*, cùm *Rex Sennacherib* valido exercitu Jeroſolymam cingeret, & horribilia quæque illi minitaretur. *Eſai.* 36. *v.* 5, & 37. *v.* 10. Idem fecit *Rex Ninives Aſcrazapes*, cùm Jonas Propheta illi Dei iram, & urbis, omniumque, qui in urbe erant, *πανολεθρίαν* denunciaret. *Jonæ* 3.

Ex profanis hiſtoriis placet hîc adferre hiſtoriam, quæ cum præſenti examuſſim congruit. Anno Chriſti 526, Terræmotus horrendus *Antiochiam* 14 Calend. Junii, die Veneris tremefecit: parumque abfuit, quin tota urbs corruerit, civiumque ſepulcrum facta ſit. *Euphraſius*, *Antiochiæ Epiſcopus*, eo obrutus obiit; templa collapſa ſunt, urbiſque decor periit. Ab omni hominum memoria non extitit tanta iræ Dei in urbem aliquam graſſatio. *Juſtinus Imperator* nunciatâ hac clade graviſſimè indoluit, abjectiſque diademate & purpurâ, ſacco indutus, & cinere conſperſus, per multos dies luxit, ad urbis quoque inſtaurationem pecunias & opifices miſit. *Bucholtz. Chron. p.* 271.

MO-

MONARCHA XXXVIII.
TONOSCONCOLEROS, *sive* SARDANAPALUS.

CAPUT I.
DE ORTV.

I.

CIrca ORTUM *Sardanapali* duo ſunt notanda. 1. GENERATIO. 2. APPELLATIO.

II.

1. GENERATIO. Sardanapalus fuit *filius Aſcrazapis*, vel *Anacyndaraxis*; Nam ipſe ſe ipſum in Epitaphio ſuo filium Anacyndaraxis vocavit; ſicut *Suidas* tradit. Vide §. 11.

III.

II. APPELLATIO. *Duo hic Rex habuit nomina.* 1. Dictus eſt *Tonoſconcoleros.* 2. A Græcis appellatur Σαρδανάπαλος: à Latinis, *Sardanapalus.* Hoc poſterius nomen διπλῶς ſcribitur. *Primò*, *Sardanapallus*, per duplex *ll*, ut ſit & nomine & vitiis deformis: ſecundum *Ciceron. l. 3. de Republ.* Eſt enim *pallus & tripallus* in obſcœnis. In hac ſententia eſt *Sethus Calviſ. in Chronol. pag. 35.* Verùm ea acrioris judicii Criticis haud probatur. *Secundò*, alii communiter ſcribunt *Sardanapalus*, per unicum *l.* Quod rurſus à doctis accipitur, vel in *bonum*, vel in *malum.*

1. *Abſolutè & in ſe* eſt nomen optimi Principis, non voluptuarii & delicati. Nam dicitur à סר, hoc eſt, Dux, Princeps; דן judex; & פלא, hoc eſt, arduum, eximium, mirabile. Ita *Beeman. de Origin. ling. Lat. p. 680.*

2. *Relatè*: vel *reſpectu Sardanapali.* Sic ſecundum communem Hiſtoricorum ſententiam hoc nomen plenum eſt ſuperbiæ atque arrogantiæ. סר eſt Dux; דן Judex; & נפיל Irruptor, Everſor. q. d. Dux, Judex, Everſor. Quomodo etiam *Gigantes* appellarunt נפילים *Nephilim. Num. 13. v. 34.* Sic dicti quaſi Dejectores, quod immani ſua proceritate homines cadere facerent, ut ſcribit Aben-Eſra: vel quaſi irruptores, quod violenter in homines irruerent, eoſque opprimerent. Cùm enim (ut addit *Phil. Mel. in Chron. p. 45.*) impendet ruina, creſcit ſuperbia, ſicut dicitur: *Tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant.* Et ante ruinam præcedit exaltatio. *Prov. 16. 18.* Et antequam conteratur, exaltatur cor hominis. *Prov. 18. 12. Reineccius Syntagmate Heroico p. 59.* ſimiliter inquit: Credibile eſt, cognomenti vel tituli loco id Regem hunc aſſumſiſſe: ſicut *Attila* Hunnus nominari voluit, *Flagellum Dei*; *Mahumetes* Othomannus, *Terror Orbis*; & *Chaganus* omnium nationum Dominus: ut *Niceph. Callim. lib. 18. c. 29.* ſcribit.

CAPUT II.
DE PROGRESSV.

IV.

IN PROGRESSU vita ejus notanda; quæ continet *Acta* tùm *bona*, tùm *mala.*

V.

ACTA BONA non memorantur ejus plurima; ſed unicum tantùm: nempe, quòd uno die (uti Epitaphium ejus ſonat) Tarſum & Anchialen Ciliciæ oppida condidit, hoc eſt, (ut quidam explicant) reparavit, vel (ut vult *Eraſmus Chiliad. III. Adag. VII. p. 785.*) obtinuit. Eaque re ferè ſolâ gloriæ nonnihil ad poſteritatem promeruit.

VI.

ACTA ejus reliqua omnia fuerunt *mala atque nefaria.* Nam *tota Vita ejus fuit mala Eccleſiaſticè, OEconomicè, Politicè.*

Siquidem patrem ſuum defunctum, qui per Jonam Prophetam ad pœnitentiam paulò antè vocatus fuerat, & benè currere cœperat, haud imitabatur hic filius, ubi regni adminiſtrationem ſolus obtinuit; ſed ad ingenium reverſus, ut canis ad vomitum, excuſſo omni Dei timore, omnique pudore, totus voluptate & otio diffluebat. Nullâ (ut *Suidas* ſcribit) tangebatur regni curâ, non arma tractabat, non venatum exibat, ut veteres ſolebant Reges; ſed mollis, effeminatus, impudicus, fucatâ facie, depictis oculis, ſtolâ muliebri indutus, inter pellices in Gynæceo deſidebat, cumque concubinis de pulchritudine & cincinnis capillorum certabat; imò femineam quoque vocem loquendo imitabatur, & colum tractabat. Videbatur à nemine niſi ab eunuchis & puellis; quibuſcum omnia libidinum atque voluptatum genera exercebat, ita ut præconis voce præmium polliceretur ei, qui novam aliquam voluptatem excogitaſſet. Unde *Adagium* exortum eſt: Σαρδανάπαλος, hoc eſt, *Sardanapalus.* Quod in hominem effeminatum & voluptuarium quadrat. Et notus eſt vulgatus verſiculus:

Non homo, ſed porcus, Sardanapalus erat.

CA-

CAPUT III.
DE EGRESSU.

VII.

EGRESSUS continet *pœnam Sardanapali*, quæ libidinosam ejus insequuta est vitam; nempe *subditorum seditio*, *mors ejus tragica*; & *totius regni mutatio*. Quæ ut meliùs intelligantur, notanda sunt *tria*. 1. Τὰ προηγούμενα. 2. Τὰ πραχθέντα. 3. Τὰ παρεπόμενα.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ,
sive ANTECEDENTIA.

VIII.

1. SUBDITORUM OFFENSIO. Cum enim Sardanapalus nullâ regni curâ tangeretur, nec ulli copiam sui conveniendi faceret, in odium offensionemque omnium incurrit. Sicut enim virtus, velut ingens bonum, omnibus est amori, & omnibus appetitur: (unde etiam καλὸν, hoc est, bonum, honestum, pulcrum, Græcis dicitur ἀπὸ τοῦ καλεῖν, hoc est, *à vocando*; quia animos hominum ad se appetendum provocat: vel ἀπὸ τοῦ κηλεῖν, quia appetitum demulcet. *Cœlius Rhodigin. lib. 24. Antiq. lect. c. 7. Scalig. Exercit. 300. sect. 3.*) Ita contra vitia omnibus sunt odio & abominationi: quia malum hominem non perficit, sed destruit.

2. SARDANAPALI IN GYNÆCEO VISIO. Tandem circa annum regni ejus decimum sextum *Arbaces* sive *Arbactus*, Medorum Præfectus, auditis illis Sardanapali flagitiis, ardentissimo illum videndi desiderio flagravit. Etsi autem nemini ad Regem aditus patebat, (quoniam à temporibus Ninyæ per 1100 annos Monarchis hisce ignavis & desidiosis in more positum erat, ut gentibus responsa darent, non ipsi coram, sed per internuncios; *Justin. lib. 1.*) tamen tandem eunucho muneribus expugnato (dedit namque illi auream phialam; sicut *Diodor. Sicul. lib. 2. rer. antiq. c. 7* scribit) aditum impetravit. Intromissus ergo in Regium palatium, Gynæceum id esse vidit, Regemque deprehendit inter scortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu, cùm mollitie corporis & oculorum lasciviâ omnes feminas anteiret, pensa inter virgines partientem.

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ,
ACTA IPSA,
hoc est,
CONFOEDERATIO & SARDANAPALI OPPUGNATIO.

IX.

Quibus visis, indignatus, tali Mulieri tot viros subjectos esse, tractantique lanam, ferrum & arma portantes parere, ad socios properans, quid viderit, refert. Negant se ei parere posse, qui mulierem se malit esse, quàm virum. Societate igitur initâ cum *Belosо*, sive *Phul-Belocho*, Babyloniorum Præfecto, bellum in Sardanapalum parat. Quo audito, Sardanapalus talenta auri ducenta per præconem constituit ei, qui occidisset istos Præfectos: qui autem vivos tradidisset, duplex præmium, ac Mediæ Præfecturam pollicitus est. Verùm neminem ea præmia moverunt. Rex initiò tribus prœliis rebelles cædit, & victor extitit. Verùm cùm è tanto successu, tum insolentior, tum negligentior factus ad voluptates suas rediisset, & Regis exemplum imitaretur miles, ex improviso exercitus vino somnoque gravatus à Præfectis opprimitur, & *Dux ipse Salamenus uxoris frater* in pugna desideratur, tantaque strages editur, ut fluvius redundante hominum sanguine colorem mutaret; sicut scribit *Diodor. Sicul. l. 2. c. 7.* Rex verò nondum se consilio deserit, sed quinque liberis, inter quos filii tres erant, ad *Cottam* Paphlagoniæ præsidem, Ducum omnium sibi gratissimum, cum magna gaza missis, Niniven confugit, eamque commeatu instructam egregiè munit: quem statim insequuti Præfecti, obsidione cingunt. Rex nullum periculum extimescit, tum quia urbs Ninive propugnaculum omni humanâ arte inexpugnabile videbatur, tum quia ab Oraculo responsum accepisse Majores noverat, nunquam capi posse Ninum urbem, nisi fluvius (nempe Tigris) hostis urbi fieret. Quod nunquam fore ratus Sardanapalus, obsidionem in tertium usque annum toleravit.

III. ΤΑ ΠΑΡΕΠΟΜΕΝΑ,
sive CONSEQUENTIA.

X.

Verùm Sardanapalus tam diu obsessus, tandem Tigridis inundatione, quâ magna muri pars, nempe ad stadia viginti conciderat, ad desperationem adigitur,

gitur. Namque fatale Oraculi tempus adveniſſe putabat. Ideoque in Regiam ſe recepit; & ne in poteſtatem hoſtium veniret, vivus in pyram ingentem ibi exſtructam ſeunà cum uxore, & pellicibus, & veſtibus regiis, omnique gazâ, quam immenſam fuiſſe memoriâ proditum eſt, incluſit, atque Vulcano conſecravit, A.M. 3148. regni ſui 20. *Diodorus, Athenæus, Euſebius, Suidas, Oroſius, Jornandes.* Quod incendium per 15 dies duravit: uti *Philipp. Melanchth. in Chron. p.* 46. ſcribit. Et hic fuit funeſtus ille tragicuſque tanti Regis exitus. Simile combuſtionis exemplum habemus in *Simri* vel *Zambri*, *V. Rege in Iſraël*, qui, poſtquam Dominum & Regem ſuum *Ellam* interfeciſſet, urbem Tharſam metropolin regiam occupavit, & diadema, populo inſcio, rapuit. Cum autem exercitus, urbem Gebethonem obſidens, Regem occiſum audiret, & facti inuſitati novitate territus, Ducem militiæ AMRIUM Regem Iſraël crearent, & ad Tharſam recuperundam exercitum univerſum adducerent; Simrius conſcientiâ facinoris, & præſentis periculi magnitudine perterritus, *Regiam clauſam incendit, & cum ſceleris ſociis* SE CREMAT, *die tyrannidis occupatæ ſeptimo.* Vide 1 *Reg.* 16. *v.* 8, 9. &c.

XI.

EPITAPHIUM. Sardanapalus in urbe Anchiale, monumentum juxta urbis mœnia exſtrui curaverat, in cujus faſtigio ſtatua lapidea ſculpta ſtabat, dextræ manus digitis ſupra caput elevatis; & ad crepitum edendum compoſitis, in eoque hoc epitaphium Aſſyriis literis inſculptum erat: uti *Suidas in Nino*, & *Athenæus* ex *Ariſtobulo lib.* 12. *cap.* 12. *dipnoſoph.* referunt.

SARDANAPALUS ANACYNDARAXIS FILIUS, ANCHIALEM ET TARSUM UNO DIE CONDIDIT.

TU VERO Ô HOSPES EDE, BIBE, LUDE: RELIQUA HUMANA NE TANTI QUIDEM SUNT. hoc eſt, ne digitorum crepitu digna ſunt.

Strabo autem *lib.* 14. *Geograph. fol.* 462. *ex Chœrilo Poëta* hos verſus ſubjicit.

Cùm te mortalem nôris, præſentibus exple
Deliciis animum; poſt mortem nulla voluptas.
Namque Ego ſum pulvis, qui nuper tanta tenebam.
Hæc habeo, quæ edi, quæque exſaturata libido
Hauſit: at illa manent multa & præclara relicta.
Hoc ſapiens vitæ mortalibus eſt documentum.

Weil du biſt ſterblich/ trinck und iß/
Nach dem tod' kein wolleben iſt;
Ich bin ein aſch/ hab viel gehabt/
Doch iſt es alles jetzt ſchaff ab.
Viel beſſers Ich verlaſſen muß.
Brauch du der Welt/ hab guten muth.

Virorum ſapientum de hoc Epitaphio judicia.

In hoc monumentum (teſte *Cicer. l.* 5. *Tuſculan. Quæſtion.*) cùm aliquando incidiſſet *Ariſtoteles*, ſubſtitit, partemque primam cùm legiſſet, ait: *Equid aliud in bovis, non in Regis ſepulcro ſcripſiſſet?* Deinde cùm poſteriores verſus legeret, riſit, dixitque: Hic ea ſe mortuum habere dicit, quæ ne vivus quidem habuit, niſi quamdiu deglutiebat. Confer *Plutarchum lib.* 5. *de fortuna & virtute Alex. Magni.* Rectè itaque *Crates* Philoſophus ab eodem Plutarcho laudatur. Is enim cum legeret hos Sardanapali verſus, mox appoſuit:

Hæc habui, didici ſtudio quæ pulchra; Camœna
Me quibus inſtruxêre.

USUS.

Hæc hiſtoria Sardanapali diligenter eſt diſcenda, & ob oculos ponenda: quia eſt quaſi *ſpeculum vitæ humanæ.* Proponitur namque in ea.

1. *Exemplum ſuperbiæ & ambitionis in titulis.*

Nam *Sardanapalus* idem eſt atque *Dux, Judex & Everſor*, de quo in §. 3. luculenter egimus. Qui *titulus ſuperbiæ*, fuit præſagium futuræ ipſius ruinæ. Nam *regula* eſt Politicorum: *Virtute decreſcente, creſcit arrogantia & inanis gloria.* Item: *Creſcentibus titulis & ambitioſis nominibus, decreſcit virtus.* Placet huc quoque ex hiſtoriis *exempla* afferre parallela.

I. REGES PERSARUM olim ſe *fratres Solis natos ante Luciferum* appellari gaudebant. *Darius Arſami filius* Rex Perſarum, ſe *Regem Regum & conſanguineum Deorum appellabat*, & *Alexandrum M. famulum ſuum. lib.* 2. *ſupplem. ad Curtium.* Sed hic faſtus fuit initium ruinæ ejus; uti hiſtoriæ oſtendunt.

Ita quoque longo tempore poſt *Sapor*, *Rex Perſarum*, vocabat ſe *Regem Regum, participem ſiderum, fratrem Solis & Lunæ.*

II. ALEXANDER M. cùm ſe *Jovis Ammonis* filium ſalutari mandabat, ad ruinam properabat. *Valer. Max. lib.* 9. *c.* 5.

III. CLEOPATRA *Regina Reginarum* vocari volebat, ſed tandem ſceptro vitâque privatur.

IV. CALIGULA *Deus* vocari volebat. *Joſephus lib.* 18. *Antiqu. Jud. c.* 4 & 10. Sed eventus infelix fuit. Nam tandem à *Caſſio Chærea* & *Cornelio Sabinio* Præfectis militum fœdè occiſus eſt. *Dion. in Caligul. Hiſtor. Auguſt. t.* 1. *p.* 612.

V. DOMITIANUS (ſicut *Sueton.* & *Euſebius* ſcribunt)

ſcribunt) eò ſuperbiæ provectus eſt, ut omnium edictorum & diplomatum Cæſareorum exordium ita fieri juſſerit: *Dominus & Deus noſter hoc mandat.* Unde in communi ſermone *titulus* hic ei tributus fuit: *Dominus Deus noſter Domitianus.* Sed exitus infelix fuit. Tandem enim in cubiculo ſuo à propriis cubicularis, qui contra ipſum conſpiraverant, 7 vulneribus confoſſus miſerè interiit.

VI. TRAJANUS, alioquin optimus Imperator, omnibus operibus ſuis, quà novis, quà innovatis, titulos adſcribere pompoſos ſolebat. Unde *Conſtantinus Imp.* eum ſemper *Herbam parietinam* appellavit; ſicut *Aurel. Victor* ſcribit.

VII. ATTILA, Hunnorum Rex, ſe *Flagellum Dei & Malleum univerſi orbis* appellari voluit. Vide *Nicolaum Olaum lib. 6. apud Bonfinium. Buholtz Chron. p. 249.*

VIII. TAMERLANES, *Iram Dei* ſe vocavit, & *Vaſtitatem orbis. Petrus Gregor. Tholoſan. de Republ. l. 13. cap. 12. §. 2.*

IX. ANTICHRISTI ORIENTALES, nempe TURCICI IMPP. *omnium Imperatorum ter maximos ſe appellant.* Vide *Bodin. lib. 1. de Republ. c. 9. p. 230.* Quæ appellatio ab Impp. Conſtantinopolitanis unà cum Imperio tranſlata videtur. Nam illorum ſtemmata quadruplici B conſtant: quibus hæc verba ſignificantur: *Βασιλεὺς Βασιλέων, Βασιλεὺς Βασιλεῦσι.* hoc eſt, *Rex Regum, Reges Regens.*



Huc referri poteſt AMURATHIS III, *Turcici Imperatoris titulus ex epiſtola ejus ad Rudolphum II. Imp. Roman.* anno 1593 miſſa: Amurathes III. hujus nominis, potentiſſimus, invictiſſimus, Imperator Conſtantinopolitanus; Thraciæ, Illyrici, Græciæ, Terræ ſanctæ, Aſiæ majoris & minoris, Aſſyriæ, Armeniæ, utriuſque Arabiæ, Syriæ, Ægypti, Sarmatiæ, utriuſque Turciæ, ſuperioris & inferioris Palæſtinæ, Mauritaniæ, Tuneti Dominator, & Princeps TOTIUS ORBIS, omniumque Regnorum magni maris Oceani, & Rex Mechæ & Algieræ, Poſſeſſor ſepuleri Chriſti, omnium Chriſtianorum Dei, in medio centro Hieroſolymis; Dominus in Europa, Aſia, Africa, America, omniumque Inſularum totius magni maris; cujus potentia formidabilis omnibus; vaſtator, & in æternum irreconciliabilis, univerſi Chriſtianiſmi hoſtis, omniumque qui ſe Chriſtianos jactitant: FILIUS OMNIPOTENS DEI, qui juſſit & mentem illuminavit ad oppugnandum Chriſtianos.

X. ANTICHRISTI OCCIDENTALES, titulos honorarios Chriſto maximè competentes ſibi imprudenter, dicam, an impudenter, arrogant; ſicut ex *Bellarm. l. 2. de Rom. Pontif. c. 31.* patet, qui 15 titulos, quos Papa ſibi arrogat, recenſet, & dicit ipſum eſſe. 1. *Papam.* 2. *Patrem Patrum.* 3. *Chriſtianorum Pontificem.* 4. *Summum Sacerdotem.* 5. *Principem Sacerdotum.* 6. *Vicarium Chriſti.* 7. *Caput corporis Chriſti.* 8. *Fundamentum ædificii Eccleſiæ.* 9. *Paſtorem ovilis Domini.* 10. *Patrem & Doctorem omnium fidelium.* 11. *Rectorem domus Dei.* 12. *Cuſtodem vineæ Dei.* 13. *Sponſum Eccleſiæ.* 14. *Apoſtolicæ ſedis Præſulem.* & denique 15. *Epiſcopum univerſalem.*

II. *Exemplum belluinæ atque monſtroſæ voluptatis.*

Sardanapalus erat vir non-vir, & non-mulier mulier. Hoc eſt, vir erat ſexu, ſed non animo. Et non erat mulier ſexu, ſed animo; imò muliere (ut *Aventin. Annal. Bojoar.* loquitur) corruptior erat. Quia veſte muliebri indutus, in gynæceo inter mulieres ſedens, vitam muliebrem duxit: fuco muliebri faciem pingebat, non Regnum curabat, ſed colum muliebrem tractabat, & fila ducebat; imò velut larvale voluptatis mancipium, adeoque monſtrum, ſupra luxum muliebrem laſciviebat, omneſque Reges & Reginas Aſſyriorum luxuriâ atque ignaviâ vincebat. Hinc *Eraſmus Roterodamus* in aureo ſuo Adagiorum libro hoc Adagium ex probatis authoribus deſumtum uſurpat. Chil. III. Cent. VII. p. 785. Σαρδανάπαλος, id eſt, *Sardanapalus.* Hujus cognomen ob inſignem hominis mollitiem abiit in proverbium. Ariſtophanes in Avibus: Τίς ὁ Σαρδανάπαλος οὗτος; hoc eſt, Quis hic Sardanapalus? Fuit autem Sardanapalus deliciis uſque adeo effeminatus, ut inter eunuchos & puellas ipſe puellari cultu deſidere ſit ſolitus. *Apollodorus* (ut citat *Ariſtophanis interpres*) tradit, ejus ſepulcro epitaphium hujuſmodi literis Aſſyriis inſculptum fuiſſe: Ἔσθι, πῖνε, ὄχου· ὡς τἄλλα οὐδενὸς ἐστιν ἄξια. id eſt, Ede, bibe, utere Venere: nam cætera ſunt nihil. *Suidas* hac formâ refert ex *Calliſthene*: Σὺ δ', ὦ ξένε, ἴσθι, καὶ πῖνε, καὶ παῖζε· ὡς πάντα ἀνθρώπεια ὧδε ὄντα τοῦτο ἄξια. id eſt, Tu verò hoſpes ede, bibe, lude; tanquam cæteras res humanas hujus non faciens. *Hæc Eraſmus.*

Tales Sardanapali & olim & nunc inventi ſunt numero plurimi, & vitiis adeoque flagitiis terribiles,

mi, quibus primum Sardanapalum imitantur, tum *in vita*, tum *in morte*.

I. IN VITA.

1. Talis Sardanapalus erat PLANCUS PLOTIUS, Munatii Planci Conſularis, & Cenſorii frater. Nam ita de eo ſcribit *Valer. Max. lib. 6, c. 8.* Plancus Plotius, cùm in proſcriptione Triumvirali à militibus ad necem quæreretur, fidelitate ſervorum in regione Salernitana occultatus, odore unguentorum proditus eſt. De quo *Beza* tale epigramma concinnavit.

Seva cohors Planeum ad mortem cùm quareret, ille
Triumviralis Carnifex:
Servarant Dominum ſervi penetralibus imis,
Et ille mortem effugerat.
Unguentis illum fuſis de more madentem
Odor indicatum prodidit.
Quam potuit multos virtus ſervare fideles,
Mala quos voluptas perdidit?

2. Talis Sardanapalus erat MULEASSES *Tunetorum Rex*, de quo *Bodinus l. 4. Polit. c. 1. p. 585.* ita ex *Pauli Jovii l. 44.* ſcribit. Hic tametſi exul in Italia & Germania vagaretur, ac de opibus Caroli V. Imperatoris, in quo ſpes omnes collocarat, omnino deſperaret, nihilominus ad pavonis unius, quo veſcebatur, condimenta, vix aurei nummi centum ſufficiebant: & ut ſuavitatem ac dulcedinem, quæ ab harmonia proficiſcitur, jucundius molliuſque hauriret, oculos velabat, quod duobus ſenſibus duplicem voluptatem ſimul percipi non poſſe didiciſſet. *Idem Paulus Jovius de eodem ſcribit*: Ipſum, cum contra *Amidam filium* ad recuperandum regnum infeliciter pugnaſſet, ſuo cruore & multo pulvere fœdatum, inter turbam terga vertentium, nulla alia re magis ab hoſtibus quam odore unguentorum agnitum captumque, & à filio candenti ſcalpello (non ſine ultione divina) proſciſſa utriuſque oculi pupilla, immaniter occæcatum eſſe.

3. Talis Sardanapalus erat CLAUDIUS *Imperator Romanus*, in quo neſcias, quid primùm accuſes; adeò vecordia cum ſævitia & luxuria certabat. Convivia agitavit & ampla, & aſſidua, ac ferè patentiſſimis locis, ut plerumque ſexcenti diſcumberent; cibi vinique quocunque loco & tempore appetentiſſimus: nec temere unquam triclinio abſceſſit, niſi diſtentus ac madens, ut ſtatim ſupino, ac per ſomnum hianti pinna in os inderetur ad exonerandum ſtomachum. Dicitur etiam meditatus *edictum*, quo veniam daret flatum crepitumque ventris in convivio emittendi. Edictum tali Principe dignum! *Eobanus* tale epigramma de eo concinnavit:

Edicto vetuit ructus crepituſque teneri
Claudius: O Medici, Principis Imperium!

4. Talis quoque Sardanapalus erat HELIOGABALUS, qui nudas puellas ſibi prandenti & cœnanti miniſtrantes conſtituit, & tantam habuit pellicum multitudinem, ut (ſicut *Nero nunquam* bis unam veſtem induit. *Sueton. in Neron.*) earum nullam reiterarit. *Ælius Lampridius & Johan. Baptiſt. Ignat. in vita Heliogabali.*

Huc quóque referri poteſt elegans *epigramma Actii Samazarii*, in quo vox talium Sardanapalorum atque Epicureorum venuſtè & eleganter depingitur:

Majus adeſt, da ſerta puer: ſic ſancta vetuſtas
Inſtituit, priſci ſic docuere patres.
Junge hederam violis, myrtum ſubtexe liguſtris,
Alba verecundis lilia pinge roſis.
Fundat inexhauſtos mihi decolor Indus odores:
Et fluat Aſſyrio ſparſa liquore coma.
Grandia fumoſo ſpument cryſtalla Lyæo:
Et bibat in calices lapſa corona meos.
Poſt obitum non ulla mihi Parcheſia ponet
Æacus, infernis non viret uva jugis.
Heu vanum mortale genus, quid gaudia differs?
Falle diem: mediis mors venit atra jocis.

II. IN MORTE.

Similiter hunc Sardanapalum deinceps alii plures immemores futuræ vitæ imitati; ſicut ex monumentis atque epitaphiis, quæ poſt mortem ſibi erigi voluerunt, conſtat.

Tale conſpicitur in *Arragoniæ* urbe clariſſima; ſicut *Appianus refert*.

QUO VADAM, NESCIO; INVITUS MORIOR. VALETE POSTHUMI.
M. POSTHUMIUS EQUES.

Simile *Romæ* in domo *Petri Chiavelucii Notarii* legitur:

DIS MANIBUS
SEXTI PERPENÆ FIRMI.
VIXI, QUEMADMODUM VOLUI. QUARE MORTUUS SIM, NESCIO.

Non multum diſſimile eſt *epitaphium Timocreontis*, uti à *Lilio Giraldo* de Poëtar. hiſtoria *ex Athenæi lib. x.* refertur:

Πολλὰ πιὼν, καὶ πολλὰ φαγὼν, καὶ πολλὰ κακ' εἰπὼν
Ἀνθρώποις, κεῖμαι Τιμοκρέων Ῥόδιος.
Multa bibens, & multa vorans, mala multaque dicens
Ipſe viris, jaceo Timocreon Rhodius.

Non poſſum facere, quin hic commemorem verſiculos

ſiculos *Hadriani Imperatoris*, quos moriens (ut *Ælius Spart.* memoriæ tradidit) compoſuiſſe dicitur. Ex quibus apparet, quam perplexus dubiuſque ipſe in mortis agone fuerit, quodque nullam certam vitæ futuræ notitiam habuerit.

Animula vagula, blandula,
Hoſpes comeſque corporis,
Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut ſoles, dabis joca?

III. *Exemplum punitæ voluptatis atque libidinis.*

AXIOMA eſt POLITICUM, quod exſtat apud *Bodin. lib. 4. de Republ. c. 1. p. 584. Imperii converſiones eò citiùs accidunt, ſi tyrannus avaritiâ, aut impotenti libidine, aut utroque vitio fractus langueſcat: plures tamen voluptas perdidit quàm crudelitas. Quia crudelitate homines perterrentur: at libido Tyranni non modò ſubditos ad odium, verum etiam ad contemtum excitat: cùm intelligunt hominem voluptatibus deditum impotentis animi eſſe; nec imperio dignum videri, qui imperare ſibi non poſſit. Itaque innumerabiles penè tyrannos perdidit voluptas.*

EXEMPLA habemus in *Sardanapalo*, *Alexandro Magno*, *Dionyſio juniore*, *Galeatio Sforcia*, *Alexandro Medices*, & quos antea enumeravi, in *Planco Plotio*, *Muleaſſe*, *Claudio*, & *Heliogabalo* Impp. Addit quoque *Bodinus* in loco alleg. memorabile exemplum de *Feſſarum Rege*. Majorum ætate duæ Africæ urbes potentiſſimæ à Rege Feſſarum defecerunt, propterea quod Præfectus ſponſam alienam Regis exemplo rapuiſſet: quo ſtatim occiſo, Rex ipſe Feſſarum Abuſahita cum ſex liberis cæſus eſt à domeſtico ſervo; quod ejus uxori ſtuprum intuliſſet. Memorabile quoque exemplum habemus in MAHUMETE *Turcico Imperatore*. Cum anno C. 1603. Aſiæ Præfectus eum totum deliciis deditum videret, ex contemptu ipſius jugum excutit & rebellat, ac permultos in ſuas trahit partes: unde Janizari magnam Conſtantinopoli ſuſcitant ſeditionem, quæ ſedari non potuit, niſi ſupplicio duorum Imperatoris Turcarum Cubiculariorum, in quos rejiciebatur culpa male adminiſtratæ reipublicæ. *Bucholtz. in Chronolog. pag. 771.*

DYNASTIA TERTIA.

In qua agitur de Monarchiæ I. Diviſione, deque familia Phul-Belochi uſque ad Merodachum.

I.

I. *Monarchiæ primæ continuatio.*

POſt ſublatum è medio Sardanapalum, Monarchia I. etſi mutationem quandam paſſa, non tamen eſſe deſiit, ſed manſit eadem in iiſdem regnis, mutatis tantum perſonis. Antea fuit integra, nunc verò diviſa. Quæ mutatio eſt non ſubſtantialis, ſed tantùm accidentalis. Quemadmodum enim Monarchiam III non ſuſtulit ejus in quatuor partes diſtractio, poſt Alexandri M. obitum: Sic neque Monarchia I hic finem ſortitur, ſed tantùm in duos veluti ramos dividitur. Id quod obſervandum contra illos, qui ſecundæ Monarchiæ initium hic fingunt. Pugnat namque pro nobis Scripturæ S. authoritas, quæ Nabuchdonoſorem Monarchiæ I Regem facit. Sic enim divino afflatus Spiritu Daniel Propheta eum alloquitur *c. 2. v. 38.* explicans Coloſſum ſive ſtatuam illam quatuor Monarchiarum: *Tu es caput aureum.*

II.

II. *Monarchiæ primæ diviſio.*

Duo autem *illi Præfecti*, *Arbaces* & *Belochus*, Monarchiam hanc inter ſe partiti ſunt, ut ille Medis & Perſis imperaret; Hic verò Babylonem & Aſſyriam retineret. Unde patet evidentiſſimè *Diodori Siculi* & *Cedreni error*: quorum *ille*, ſolam Babyloniam permiſſam Phul-Belocho: *hic* verò, Aſſyriorum Reges inde uſque ab Arbacis temporibus Medis paruiſſe putat. Etenim tam ipſe *Phul-Belochus*, quàm è poſteris *Succeſſores* cæteri, *perpetuò Aſſyriæ Reges* nominantur, & ita nominantur, ut potentia ipſorum haud paulò illuſtrior indicetur. Quanquam forte imponere Diodoro potuit, quod Phul-Belochus Chaldæus fuerit. Hoc quod dicimus, è Scripturis divinis ita docemus, *2 Reg. 15. v. 19, 20.* PHUL (h. e. Belochus, vel Phul-Belochus, uti à profanis Hiſtoricis nominatur) ter expreſſè vocatur REX ASSYRIORUM. *2 Reg. 19. & 20.* bis. Et *1 Par. 5. verſ. 26.* ſemel vocatur REX ASSYRIORUM. Deinde, filius ejus THOLATPHILASSER ſimiliter vocatur *Rex Aſſyriorum*, qui

qui multos Iſraëlitas captivos in Aſſyriam abduxit. 2 *Reg.* 15. *v.* 29. & 1 *Paral.* 5. *v.* 26. Tertiò SALMANASSAR nepos ejus vocatur REX ASSYRIORUM, 2 *Reg.* 17. 3. & 2 *Reg.* 18. *v.* 9. 2 *Eſdra cap.* 13. *v.* 40. *Tobiæ* 1. *v.* 2. 13. 18. Quartò, SENNACHERIB pronepos ejus vocatur REX ASSYRIORUM, 2 *Reg.* 18. *v.* 13. &c. *cap.* 19. *v.* 20, 36. 2 *Paral.* 32. 1. 9. 10. 22. *Eſai.* 36. *v.* 1. Quintò ASSARHADDON abnepos ejus vocatur *Rex Aſſur. Eſdr.* 4. *v.* 3. Quæ dicta Scripturæ clara atque manifeſta luculenter evincunt, Phul-Belochum ejuſque poſteros, non tantum Reges Babyloniorum, ſed etiam Aſſyriorum fuiſſe.

III.

Hic autem diligenter notandum, in ipſo hujus novæ Dynaſtiæ auſpicio, *Belochi avaritia* novam excitatam fuiſſe *σύμφυξιν*, niſi Arbacis manſuetudo atque clementia illam compoſuiſſet. Nam (referente *Diodoro Siculo*) demonſtraverat quidam Sardanapali eunuchus Belocho magnam auri argentique copiam, inter cineres pyræ, quâ conflagraverat Sardanapalus. Belochus auri ſacra fame exſtimulatus, illicò votum feciſſe ſe fingit. Nam, Quæ reverentia legum? Quis metus aut pudor eſt unquam properantis avari? *Juven. Satyr.* 14.) de univerſis cineribus Regiæ Sardanapali Babylonem deferendis, deque aggere exſtruendo, qui ab omnibus per Euphratem navigantibus conſpici poſſet, perpetuum monumentum deleti Regis Aſſyriorum. Arbaces, qui nihil fraudis ſubeſſe ſuſpicabatur, facile aſſentitur. Verum Belochus una cum cineribus, magnam vim auri & argenti, inter rudera latentem, una Babylonem avehit. Fraude comperta Belochus capitis damnatus publico judicio fuit. Verum Arbaces, ne periculoſas conciret turbas, quin potius humanitate & clementia Regni principia redderet firmiora, Belochum non modò abſolvit, ſed auro donato utramque Præfecturam habere permiſit, hæc verba memorabilia ſubjiciens: MAJORA ERGA SE ESSE ILLIUS BENEFICIA, QUAM INJURIAS. Et ſic diſſidium illud, quod periculoſum videbatur, humanitate Arbacis amice compoſitum eſt.

IV.

III. *Sedes Regia utriuſque Regis.*

Tranſtulit poſtea *Arbaces* ſedem Regiam *in Ecbatanam Mediæ metropolin*, & Medis Perſiſque imperavit annis 29. *Belochus* vero Regni partem ſibi permiſſam adminiſtravit, nempe, *Babyloniam* & *Aſſyriam* & in hujus metropoli, nempe *Ninive*, ſedem regiam ſibi elegit, anno M. 3248, juxta *Bucholtz. Chronolog. pag.* 21. *vid. infr.*

V.

IV. *Duratio.*

Duravit autem Monarchia I poſt hanc diviſionem adhuc annos 287. uſque ad annum M. 3435. quo Imperium ſummum, *Belſazare*, ultimo Babyloniorum & Aſſyriorum Rege interfecto, ad Perſas tranſlatum eſt, & *ſecunda Monarchia* Perſarum cœpit.

VI.

V. *Ordo.*

Nos autem ſuperiorum Monarcharum continuaturi numerum non *Arbacem* illis ejuſque ſucceſſores ſubjungemus, ſed *Belochum*, & *qui poſt eum gubernacula Imperii tenuerunt, annectemus; imitati* in hoc iterum *Scripturæ S. authoritatem, quæ hanc gloriam Chaldaicis & Aſſyriacis defert*, dum ipſum *Belochum ejus ſucceſſores*, quorum mentionem facit, *omnes & ſingulos* REGIS *titulo dignatur*, & *Nabuchdonoſorem Magnum* REGEM REGUM *appellat. Daniel.* 2.

VII.

In hac autem *Dynaſtia*, quæ *familiam Phul-Belochi* continet, 5 *Monarchæ* ordine veniunt conſiderandi. I. Eſt *Phul-Belochus.* II. *Tiglat-Philaſſar.* III. *Salmanaſſar.* IV. *Sennacherib.* V. *Aſſarhaddon.*

REGULA OECONOMICO-POLITICA.

Conſtat ex Hiſtoriarum obſervationibus, *Succeſſiones in Principum, uti etiam privatorum familiis, certâ periodo circumſcriptas eſſe, quâ exactâ deſinere, & raro ultra quintum aut ſextum gradum ſeſe extendere.* Phil. Melanchth. lib. 2. Chronicis. Peucer. de Divinat. p. 22. b. & p. 342.

EXEMPLA.

I. *Exemplum* elegans h. l. habemus IN FAMILIA PHUL-BELOCHI. Hujus poſteritas Monarchiam Chaldaicam atque Aſſyriacam tenuit uſque ad Aſſarhaddonem, qui fuit abnepos Phul-Belochi.

II. IN FAMILIA MERODACHI. Hæc poſt Aſſarhaddonem Monarchiam habuit, uſque ad Regem Belſazar, quem Cyrus Rex Perſarum victum interfecit. Hic autem atnepos Merodachi fuit.

III. IN ELECTORIBUS SAXONIÆ, qui hoc ordine fuerunt: Fridericus I Elector. Fridericus

cus II. Elector, Ernestus, Fridericus III. Joannes Elector IV. Denique Joannes Fridericus, qui quintus à Friderico I. fuit. Ab hoc Electoratus ad Mauritium in alteram lineam devolutus est.

Denique *Eventus*, qui optimus rerum magister est, docet hasce periodos in historiis adeo regulariter congruere, ut etiam Romæ aliquando *Sexto Pontifici* idem significatum sit, non propagari ἀξίωμα aut felicitatem ultra sextum gradum, hoc disticho:

SEXTUS *Tarquinius*, SEXTUS NERO,
SEXTUS *& hic est:*
Semper sub SEXTIS *Martia Roma perit.*

MONARCHA XXXIX.

PHUL-BELOCHUS.

ORTUS.

I.

PHUL vel PUL ex Ebr. פול separator, abscheider. è Chald. exstirpator, Auß-rotter. Arab. faba. 2 *Sam.* 17. Unde *Benjamin in Itinerario* scribit: *Regio Apulia* sic dicta est à *Pul*, h. e. à *fabis*. Vide *Schind. lex. pag.* 1428.

Hic Monarcha *varia* habet *nomina*. I. *In sacris literis* dicitur PHUL. Quæ vox ter usurpatur in scriptura, nempe 2 *Reg.* 15. *v.* 19. 20. bis, & 1 *Paral.* 5. 26. semel. *A Josepho lib.* 9. *Antiq. Judaic. c.* 11. *p.* 254. vocatur PHULLUS. II. *A profanis Scriptoribus* communiter vocatur PHUL-BELOCHUS: ita ut *Phul* sit ejus nomen proprium: BELOCHUS vero cognomen, à sacerdotio & cultu Baal vel Beli, q. d. Beli sacerdos, uti statuit *Joh. Baptista Grammaye in Histor. Asiatica pag.* 293. III. A Zonara PHUÀ. IV. à Diodoro Siculo BELESIS V. Ab aliis BELESUS vocatur. In quibus nominibus illud deflexum apparet à *Phul*, quod Sacræ literæ & Josephus habent.

PHUL etiam ποιμὴν in sacris literis accipitur, & notat Regiones Africæ & Mauritaniæ. *Esai.* 66. *vers.* 19.

PROGRESSUS.

II.

1. IMPERII OCCUPATIO. Phul-Belochus Babylonis Dux fuit sub Sardanapalo. Hic postquam ab Arbace in amicitiam pertractus est hac occasione; quod nempe Duces quotannis ad sistendas copias provinciales Ninum petere cogerentur, eum ad defectionem instigat; &, quia non tantum gente, sed etiam professione Chaldæus erat, h. e. peritus Astrologiæ divinationisque, Arbaci prædixit ex arte sua Astrologica, cum universo Assyriorum Regno potiturum. Hoc Arbaci animum dedit, præsertim visa Sardanapali tum ignaviâ, tum lasciviâ & luxuriâ. Nec mora; illicò ambo in armis sunt. Bello autem inito, cum superior Sardanapalus tribus in prœliis esset, fracti Medorum animi arma projecissent, & victoriæ spem, nisi Phul-Belochus, qui bellum suggesserat, eos trepidantes, deque fuga cogitantes, prudenter atque animosè in proposito confirmasset. Cujus consilii eventus felix fuit. Nam tandem & urbe, & Regno potiti sunt, & Rege potituri, nisi se ille maturiùs omniaque sua Vulcano consecrasset. Quare *Belochus* non modò in *Provincia Babylonica* hactenus administrata ab Arbace confirmatur, sed insuper *Assyriaca* donatur. Anno M. 3151. ante C. N. 820. Nam 2 *Reg.* 15. *v.* 19. 20. expresse *ter*: sicut etiam 1 *Par.* 5. *v.* 26. *semel* REX ASSYRIORUM appellatur: *Vti etiam omnes posteri & successores ejus tali elogio à Spiritu S. in sacro codice ornantur*, sicut in *Præloquio* §. 2. manifestis & luculentis Scripturæ testimoniis demonstratum est.

Unde patet, quod Belochus per violentiam & seditionem Regnum Babylonicum & Assyriacum occupaverit. *Hæc* autem *seditio* respectu *Belochi* erat *malum culpæ*, & eatenus Deus illam non probabat: sed *respectu Sardanapali* erat *malum pœnæ*, & à Deo permittebatur, qui Belocho successum largiebatur. Deus enim, supremus ille mundi Judex, potestatem habet regna transferendi à gente in gentem. *Dan.* 2. *v.* 21. Ille Sardanapalum propter impietatem, ignaviam, atque luxuriam hoc Regno suo privare voluit; ut omnes Reges terræ discerent se coram Deo humiliare & confiteri, quod omne sub Regno graviore Regnum sit; sicut rectè & pulcrè Seneca loquitur. Confer *Psalm.* 2. *v.* 10. *Sapient.* 6. *v.* 2, 3, 4, 5.

III.

2. IMPERII ADMINISTRATIO. Hoc modo Phul-Belochus in Regno confirmatus, pro Rege sese gerens, tùm *legibus ferendis*, tùm *Monarchiæ instauranda & amplificandæ invigilavit*. Nam *Regnum Israëlis infestavit*. *Manahem Rex* non ausus cum illo in certamen descendere, ut pacem sibi redimat, & Regnum scelere partum sibi confirmetur, M. argenti talenta, h. e. quindecies centena florenorum millia fere hosti offert. Hanc summam Manahemo populus contulit, exactis L. siclis argenti (h. e. drachmis, uti *Josephus* explicat) in singula capita. 2 *Reg.* *v.* 19, 20. *Josephus Antiq. Judaic. lib.* 9. *c.* 11. *pag.* 254. Ante *Sardanapali* occasum.

caſum Regnum Iſraël & Juda ab incurſionibus Chaldæorum & Aſſyriorum immune fuit: verùm *poſt ejus interitum* Aſſyrii utrumque Regnum diverſis temporibus graviter afflixerunt. Et quidem *Phul-Belochus primus fuit*, qui arma hoſtilia Iſraëlitis intulit, & Regem eorum Manahemum (ut dixi) vectigalem ſibi fecit, ac poſtea exercitum reduxit.

Quod factum eſt { 3184. 251. 39. 2. 787. } anno { ab Orbe condito. à templo ædificato. Regni Uziæ Regis Juda. Manahemi Regis Iſraël. ante Chriſtum natum. }

Deinde TIGLAT-PHILASSAR terrâ Gilead & Galiæâ potitus eſt, & univerſam terram Naphthalim occupavit, & plurimos Iſraëlitas in Aſſyriam abduxit. 1 *Paral.* 5. 26. Poſtea SALMANASSAR Rex Aſſyriorum Samariam cepit, & totum Regnum Iſraëlitarum delevit, Hoſeam Regem captum catenis ligavit, & cum eo decem tribus Iſraël in Aſſyriam captivas abduxit. 2 *Reg.* 17. 4, 5, 6. Denique SENNACHERIB patris exemplum æmulari & reliquam populi Dei partem delere voluit, ſed infelici ſucceſſu. Nam ad preces Regis Ezechiæ & Prophetæ Eſaiæ, Deus Angelum miſit, qui ejus exercitum proſtravit, ipſeque Rex Sennacherib cum dedecore fugiens Niniven rediit; ubi in ſacello idoli ſui, quod colebat, à propriis filiis Adramelec & Saraſar interfectus eſt. 2 *Reg.* 18. & 19. *v.* 35, 36, 37. Sicut poſtea de ſingulis, in hiſtoriis ſequentibus, ordine dicturi ſumus.

IV.

DUBIUM.

Quaritur h. l. an rectè fecerit Phul-Belochus, quòd Manahemum Regem Iſraël, ejuſque Regnum infeſtaverit, à quo tamen laceſſitus non erat.

Reſp. 1. Non putandum eſt, hoc ipſum *caſu* quodam factum: ſed bellum hoc *à Deo* ipſo eſt excitatum. *Cauſa* erat gemina; nempe *generalis* & *ſpecialis*. *Generalis erat Iſraëlitarum idololatria.* Nam 1 *Par.* 5. 25. ita de illis ſcribitur: Reliquerunt Deum patrum ſuorum; & fornicati ſunt poſt Deos populorum terræ, quos abſtulit Deus coram eis. *Specialis* erat *horrenda & inaudita Manahem tyrannis.* Nam ex 2 *Reg.* 15. 16, 17. ita de eo ſcribit *Joſephus lib.* 9. *Antiq. Judaic. c.* 11. *p.* 254. Manaëmus Tapſam cum exercitu victore profectus eſt. Oppidani verò, obſirmatis portis, noluerunt Regem admittere. At ille, ut in defectores ſæviens, totum circumquaque agrum vaſtavit, & poſtremò urbem quoque vi cepit; & quod eſſet Tapſenſibus infenſus, omnes ferro confecit, ne teneræ quidem ætati parcens, & nihil ſibi ad extremam crudelitatem reliquum faciens. Quæ enim ne in barbaros quidem devictos perpetrare fas fuerit, ea in ſui generis homines ſibi permiſit. Et additur 2 *Reg.* 15. 18. *Fecitque quod erat malum coram Domino, & non receſſit à peccatis Jeroboami*, &c. Et *hac de cauſa Deus Iſraël ſuſcitavit ſpiritum Phul Regis Aſſyriorum*, atque per eum punivit & Regem & Subditos; quia utrique peccarant. 1 *Paral.* 5. 26.

Ubi tamen notandum, quod *alia Dei*, & *alia Phul-Belochi fuerit intentio. Ille* ob idololatriam aliaque horrenda ſcelera per Phul-Belochum velut virgam populum ſuum punire: *Hic* verò ex ambitione quadam Regnum ſuum amplificare voluit. Vide inſignem locum *Eſai.* 10. 5, 6, 7. *& ſeqq.*

EGRESSUS.

V.

Deceſſit Phul-Belochus anno M. 3199. Regni ſui 48.

MONARCHA XL.
TIGLATH-PILESER.

I. ORTUS.

TIGLATH-PILESER, Phul-Belochi filius, תגלת פלאסר coronâ ſocians deficientes rebelles, Chald. Der die abfällige Rebellen mit der Kron vereiniget: Vel: *Teglath-Pilneëſer* תגלת פלנאסר. Alii legunt *Tiglat-Philaſſar*. Alii *Tiglat-Philaſſar*. Alii *Tiglat-Phul-Aſſar*. Aliis dicitur *Phul-Aſſar*, cognomento *Teglath*. Ita etiam à *Joſepho*, *Cyrillo* & *Cedreno* Teglat-Phalaſſar, cognomento cum nomine compoſito appellatur. *Cognomentum* autem TEGLATH *à debellata Galilæa uſurpaſſe exiſtimatur.* Eſt enim conſuetudo pervulgata, ut Victores à provinciis gentibuſve devictis denominationes aſſumant; uti in Scipionis Africani, Druſi Germanici, aliorumque exemplis videre eſt. *Zonaras* verò à Scriptura ſacra diſcedens, eum *Thegla-Paraſſar* appellat.

II. PROGRESSUS.

II.

TIGLAT-PHILASSAR hæres factus eſt, ut paterni Regni: ita in Judæos odii. Nam *duplex* in ſacro codice *bellum* geſtiſſe legitur. 1. *Contra Regnum Iſraël.* 2. *Contra Regnum Juda.*

III. PRI-

III.

PRIMUM BELLUM geſſit contra *Regem Syriæ & Iſraëlis*. Cum enim *Rezin Rex Syriæ*, & *Peca Rex Iſraël* (qui *Eſai.* 7. 4. *Cauda titionum fumigantium*, Luthero, Räuchende leſchbrände/ appellantur) Urbem Jeroſolymam obſidione cingerent, *Regemque Achas* graviter premerent; & cum urbem capere non poſſent, totam Judæam miſere vaſtarent, & centum viginti millia hominum barbaricâ immanitate trucidarent: tum *Achas* panico terrore perculſus, *Eſai.* 7. 2. *Tiglatphulaſſar Regem Aſſyriorum in auxilium evocavit*, eique ingentia munera miſit: quibus ille motus Regi Juda in auxilium venit, (unde *Eſai.* 7. 20. *Rex Aſſyriorum Novacula* שכירה *mercenaria*, h. e. mercede conducta; Luth. ein gemietet ſchermeſſer appellatur; quia Deus eo ad tempus in puniendo populo ſuo uſus, & ab ipſo Rege Achas veluti mercede conductus eſt) & Ninive in Syriam profectus 130 milliaribus Damaſcum Syriæ metropolin vi expugnavit, & *Rezin Regem* trucidavit, & habitatores ejus in Cyrenen in Africa ſitam tranſtulit, h. e. in exilium deportavit, 242 milliaribus. 2 *Reg.* 16. 7, 8, 9. Factum hoc eſt anno M. 3252. A qua tam illuſtri victoria, cùm ad exercitum reficiendum Damaſci aliquandiu ſubſtitiſſet, ab *Achazo* & honorificè ſalutatur, & in gratiam ejus altare novum, ad exemplum altaris Damaſceni, per *Uriam Sacerdotem ſummum* Jeroſolymis exſtrui jubet 2 *Reg.* 16. 10, 11. Inde profectus eſt in *Regnum Iſraël*, & *Regi Peca* magnum damnum intulit, terram *Gilead* & *Galilæam*, & *univerſam terram Naphthali* occupavit, & plurimos *Iſraëlitas* in Niniven Aſſyriæ metropolin, 160 milliaribus captivos abduxit. 2 *Reg.* 15. 29. Et *hæc fuit prima captivitas Aſſyriaca*, in quam *magna pars populi Iſraël abducta eſt*. Anno M. 3213. Quo anno etiam *Peca Rex Iſraël* ab *Hoſea* per inſidias comprehenſus & trucidatus eſt. 2 *Reg.* 15. 30. 1 *Paral.* 5. 26. Ita impletum eſt vaticinium Eſaiæ de duobus illis Regibus, nempe Syriæ & Iſraël, brevi è medio tollendis. *Eſai.* 7. 16.

IV.

SECUNDUM BELLUM *geſſit contra regnum Juda*. Nam Deus idololatriam aliaque immania impii Regis & ſubditorum peccata puniturus, Tiglatphulaſſar Regem Aſſyriorum (quem ipſe antea in auxilium evocaverat) contra illum adduxit, qui ex metropoli ſua Ninive Jeroſolymam 170 milliaribus profectus urbem obſidet; ſed cum eam expugnare non poſſet, muneribus ab Achazo placatus Niniven rediit. 2 *Paral.* 28. 20, 21.

III. *EGRESSVS.*

Deceſſit Tiglat-Phul-Aſſar anno regni 25.

USUS.

1. *Politici* hæc Axiomata tradunt: *Plerumque ita fieri ſolet, ut potentiores invitati ab imbecillioribus ad belli ſocietatem, tandem ipſos oppreſſerint.*

2. *Συμμαχίαι omnibus temporibus Regna & Imperia everterunt.*

3. *Auxiliatores, ut ſolet fieri, poſtea fiunt Domini. Philippus in Cordiali. Abraham Bucholtz. p.* 42.

4. *Defenſores plerumque ſunt devoratores. Strigel. in* 2 *Paralipom.* 28. Et *Chronolog. Bucholtz. pag.* 389.

Huc referri poteſt venuſtus *apologus* de *Vulpe* & *Erinaceo*. *Erinaceus* propè frigore enectus venit ad cavernam vulpeculæ, petit ſe recipi intra ſpecum. Aſſentitur vulpes, mota miſericordia, admittit erinaceum. Erinaceus ingreſſus, cum incaluiſſet, exſerit aculeos & pungit vulpem. Vulpes cedit; inſequitur erinaceus, & pungendo finem non facit. Queritur de ingratitudine vulpes; reſpondet erinaceus: Si tibi ſum moleſtus, exi. *Id faciunt potentiores, introducti in urbes & Regna.*

Huc referri poſſunt *venuſti verſus Caroli Sigonii*:

Accipitrem milvi pulſurum bella Columbæ
Accipiunt Regem: Rex magis hoſte nocet.
Incipiunt de Rege queri: quiâ ſanius eſſet
Milvi bella pati, quàm ſine Marte mori.

EXEMPLA.

1. CYRUS MAJOR, ad componendum bellum civile, inter *Cares* exortum, exoratus bellum componit, ſed Cariam libertate exutam ſibi ſubjecit. *Xenophon. lib.* 7. *Cyropæd.*

11. Tempore FRIDERICI III. IMP. cum de Imperio *Italiæ* armis decertarent *Principes* Italici, & ambitioſa illa gens æqualitatem nuſquam admitteret, tandem Papa Romanus, ut bella civilia inter Principes componeret, peregrinos Reges attraxit, qui, confectâ pace, ſublatis bellis inteſtinis, cœperunt ipſi de Regno Italiæ armis contendere donec tandem, pulſis reliquis, Hiſpani victores evaderent, & Italiam Regis Hiſpaniæ jugo ſubjicerent. *Philip. Melanchth. Chron. lib.* 5. *p.* 1344.

111. Ita quoque impius REX ACHAS, fœdere cum TIGLAT-PHUL-ASSAR Rege ASSYRIORUM inito, illum in Syriam attrahit: Qui, interfecto Syriorum Rege *Razin*, Damaſcum occupat, *Syros* in Cyrenen colonos tranſfert, *plurimos è Regno Iſraël* in captivitatem in Niniven metro-

metropolim abduxit, & poſtea ipſum Regem, à quo invitatus erat, *Achas*, oppugnat, ſibique vectigalem reddit. Et *filius ejus Salmanaſſar* totum *Regnum Iſraël* delet. Quo deſtructo, etiam *populus Judaicus* in captivitatem Babyloniacam abductus eſt, quod tum à *Merodacho Baladan*, tum à *Nabuchdonoſore* diſtinctis vicibus factum in codice ſacro legimus, ſicut ſuo loco plenius dicturi ſumus. Hiſce autem irruptionibus hic Achas ἀφορμὴν ſive occaſionem præbuit, qui Aſſyrios invitavit.

MONARCHA XLI.

SALMANASSAR.

I. ORTVS.

I.

SALMANASSAR שלמנאסר pacis prohibitor, ein Frieden-verbieter / Stören-fried, vel perfectus ad vinciendum. juxta *Philip. Melanch. l. 2. Chron. p. 47.* dicitur pacificus Aſſyrius. Hæc vox decies in Veteri Teſtamento uſurpatur. Varia habuit nomina. I. Dictus fuit SALMANASSAR; vel, ut *Joſephus* legit, SALMANASAR, *lib. 9. Antiq. Iudaic. c.* 10. II. שלמן SALMAN, *Hoſea* 18. *v.* 15. „ Sicut Salman domum Arbel, in die belli quando „ mater unà cum filiis alliſa eſt: ſic faciet vobis in „ Bethel propter malitiam nequitiæ veſtræ. Hic per *Salman* intelligitur Salmanaſſar, Rex Aſſyriorum. *Senſus* eſt: Rex Salman, h. e. Salmanaſſar, deleturus eſt Regnum Samariæ, ſicut evertit urbem Arbeli. III. Rex JAREB יָרֵב, magnus, præſtans, à יב magnus, præſtans fuit; excelluit. LXX. Ἰαρὲβ, *Hoſea* 5. *v.* 13. *& c. c.* 10. *v.* 6. Hic per vocem *Jareb* juxta *Geſner. in Hoſeam p.* 368. *Phul-Belochus*; (cui Menahem Rex Iſraëlis mille talenta argenti dedit, ut eſſet ſibi in auxilium. vide 1 *Reg.* 15. 19.) ſed rectius *Salmanaſſar* intelligitur. Qui ita dictus, *vel ab urbe*, in qua ſedem habuit. *Iareb* enim civitas magna in Aſſyria, & Regum Aſſyriæ metropolis fuit. Nam *Hoſea* 5. *v.* 13. dicitur: Abiit Ephraim ad Aſſur, & miſit ad Regem יב. Luth. vertit, Dem Könige zu Jareb. Unde patet, quod nomen *Iareb* τοπικῶς, h. e. pro loco acceperit. Quare Salmanaſſar convenientiùs dicitur Rex JAREB, quàm nudè JAREB. *Vel ab eventu*; quia Iſraëlitas vicit, eoſque univerſos in captivitatem abduxit, totumque Samariæ Regnum delevit. *Vel à ſingulari potentia*, quâ præ cæteris Regibus polluit. Nam licet pater ejus Tiglatphilaſſar etiam Iſraëlitas in captivitatem abduxit; tamen captivitas illa non erat univerſalis, ſicut hæc, ſed tantùm particularis. IV. 1 *Eſdræ* 4. *v.* 10. vocatur ASENAPHAR, ut vult *Chytr. Onom. p.* 359. *Reinecc. Syntagm. Heroic. p.* 61. Sed rectiùs per *Aſenapharem* intelligitur ipſius nepos, nempe *Aſſarhaddon*; uti conſtat ex collatione *v.* 2. & 10. *lib.* 1. *Eſdræ cap.* 4. uti in vita Aſſarhaddonis §. 1. dicemus. V. NABONAZAR, apud *Cenſorinum* pag. 48. VI. NABONASSAR, apud *Ptolemæum* μεγάλης συντάξεως *l.* 3. *c.* 8. qui à regno ejus uſque ad Alexandri mortem numerat annos 424. Nomen *Nebo* ſignificat *divinum*. Quia idolum fuit ejus nominis, à vaticinando ſic dictum, ut Græci Pythium nominarunt. *Nebonaſſar*, h. e. divinus Aſſyrius. *Phil. Melanchth. Chronol. lib.* 2. *pag.* 47. VII. *Zonara* & *Glyca pag.* 237. ENEMASAR dicitur.

II.

1. Patet hinc, magnum eſſe *errorem Cedreni*, qui Salmanaſſarem eundem cum Sardanapalo facit, & patrem Nabuchdonoſoris vocat.

2. Magna quoque fuit *Euſebii* incogitantia, qui Salmanaſſaris & Sennacheribi hiſtoriam ita confudit, ut Reges duos pro uno accipiat.

II. PROGRESSVS.

III.

Hic Salmanaſſar 4. *Bella geſſit.*

PRIMUM BELLUM geſſit *contra Iſraëlitas.* Nam ex urbe Ninive in Samariam profectus eſt 163 milliaribus, & *Hoſeam Regem Iſraëlis* bello petiit, qui viribus impar ſubjecit ſe Regi Aſſyriorum, eique annuum tributum promiſit, anno M. 3225. Vide 2 *Reg.* 17. *v.* 1, 3.

IV.

SECUNDUM BELLUM geſſit *contra eundem* HOSEAM. Nam poſtquam ille anno M. 3227. cum SO vel SUA (qui Marethoni eſt *Sevechus Æthiops*) Rege Ægyptiorum fœdere inito conſpiraſſet, neque annuum tributum Salmanaſſari ſolveret, expeditionem contra eum novam ſuſcipit, eumque comprehenſum in carcerem compingit, Regnum ipſum cæde & incendiis vaſtat, & Samariâ triennali obſidione in poteſtatem ſuam redactâ, 10. tribus Iſraël in Aſſyriam tranſportat, atque in *Medorum colonias* miſerabili ſervitute diſpergit, ex qua nunquam in patriam ſuam reverſi ſunt. 2 *Reg.* 17. *v.* 4, 5, 6.

V.

Contrà autem in deſolatas Iſraëlitarum ſedes *colonos*, nempe *quinque gentes de Babylone, de Cutha*,

tha, & de *Ava*, & de *Emath*, & de *Sepharvaim*, novos deduxit, eosque in civitatibus Samariæ collocavit pro filiis Israël, ut Samariam possiderent, urbesque ejus inhabitarent. Cum autem Samariæ regionem irato Numine leones vastarent, & colonos ipsos laniarent, Rex Assyriorum sacerdotem Israëliticum in Samariam misit, iisque præfecit, qui populum ritè informaret, vel, ut ipse textus habet, *ut doceret eos legitima Dei terræ*. 2 *Reg.* 17. *v.* 24, 25, 27. Verùm illi non tantum Deum Israëlis colebant, sed etiam Diis suis servitbant juxta consuetudinem gentium, *ibid. v.* 33. *Hi coloni* dicti sunt CUTHÆI & SAMARITANI. CUTHÆI dicti sunt *ab origine*: Quia à *Cutha regione Persidis* oriundi erant. Licet autem quinque gentes in Samariam mitterentur à Salmanassare, uti anteà dictum: tamen synecdochicè à majori parte omnes *Cuthæi* sunt appellati, quòd maxima pars ex Cutha oriunda esset. SAMARITANI verò שמרים sunt dicti ab *inhabitatione*. Quoniam urbem in tribu Ephraim nomine שמרון *Samariam* incolebant. *Ipsorum religio* dicebatur SAMARITANISMUS, qui erat ex duabus corruptis una corruptissima facta religio. Nam religio Judaica jam anteà superstitione erat corrupta, & postea cum idololatria gentili commiscebatur, & in urbibus Samariæ tot sunt constituti Dii, quot in eas migraverant populi externi. Coluerunt enim & Deum verum, & simul patrios Deos. Præsertim autem de *Cuthæis* in specie sic dictis narratur, 2 *Reg.* 17. 30. quod נרגל *gallum* sibi fecerint, h. e. quòd gallum lucis nuncium sibi in Deum posuerint, eumque religiosè coluerint. Templum postea habuerunt proprium in monte Garizim, in quo ipsi adorabant, exstructum à *Sanaballat* Præfecto Darii, in gratiam *Manasse* generi sui, sacerdotio Hierosolymis pulsi. Et quamvis omnem tunc idololatriam deposuisse viderentur; deprehensum tamen fuit, ipsos in monte illo coluisse imaginem *columbæ*. Inde *Samaritani Judæis valde exosi fuerunt*.

Primo: *propter mixtam corruptamque religionem*. Nam eos pro Idololatris habuerunt, & gentibus annumerarunt. In Thalmud enim conjunguntur הנכרי והכותי *alienigena* & *Cuthæus*.

Deinde: *propter infidelitatem*. Quia Judæis è captivitate Babylonica reversis gravissimè adversabantur, *Esdr.* 4. *v.* 1. *Nehem.* 4. *v.* 1. & postea semper hostili erga eos animo fuerunt: rebus secundis, Judæis favebant; rebus adversis, Judæis resistebant. Vide *Ioseph. lib.* 9. *Antiq. Iudaic. cap.* 14. Et *lib.* 11. *cap.* 8. *Epiphan. hæres.* 8. & 9. Unde Judæi aliquem contumeliosè tractare volentes, illum *Samaritanum* appellare solebant. *Sirac.* 50. *v.* 28. *Iohan.* 4. *v.* 9. *c.* 8. *v.* 48.

[כות Cuth & כותה Cutha regio Persidis, à fluvio כות cui adjacet, sic nominata. Inde כותי Cuthæus. Plural. כותים & כותיים Cuthæi, qui ex Cutha & aliis regionibus Assyriæ atque Persiæ à Salmanassare in Samariam missi sunt.]

VI.

Captivitas Assyriaca populi Israël fuit gemina.

- *Prior* fuit *particularis*, quando *Tiglath-Phul-Assar* pater Salmanassaris terram Gilead & Galilæam, & universam terram Naphthalim occupavit, & plurimos Israëlitas in Assyriam abduxit. 2 *Reg.* 15. *v.* 29. 1 *Paral.* 5. *v.* 26. & hoc factum est adhuc vivente Esaia Propheta,
  - Anno
    - à Mundo condito 3213.
    - Jotham Regis in Juda 17.
    - Pekæ Regis in Israël 18.
    - ante Christi nativitatem 758.
- *Posterior* fuit *universalis*, quando *Salmanassar* filius Tiglat-Philassaris Samariam expugnavit, totumque regnum Samariæ delevit, Hoseam Regem Israël rebellem vinctum, atque una 10 tribus Israël captivas abduxit, easque in Assyriam & Mediam dispersit: Quod etiam vivente adhuc Esaia Propheta
  - Contigit anno
    - ab Orbe condito 3232
    - post divisionem terræ Canaan 732
    - à morte Salomonis. 263
    - regni
      - Hoseæ Regis Israël. 2 *Reg.* 17. 16. 9
      - Ezechiæ Regis Juda, 6
      - ante Christi nativitatem. 739

VII.

CAUSA παιδολεθρίας, hoc est, *desolationis regni Samariæ*, vel *Israëlitici*, *tergemina* fuit.

1. *Horrenda idololatria*. Nam Israëlitæ peccabant contra Dominum Deum, qui eduxerat eos è terra Ægypti; & colebant Deos alienos, & ambulabant

labant juxta ritum gentium, quas ejecerat Dominus, 2 *Reg.* 17. 7, 8. & faciebant ſibi duos vitulos conflatiles, & lucos, & adorabant univerſam militiam cœli, ſervicbantque Baal, & traducebant filios ſuos & filias ſuas per ignem, &c. *v.* 16, 17.

2. *Contemtus Miniſterii.* Deus eos per Prophetas ſuos monuit, ut reverterentur à viis ſuis peſſimis, & cuſtodirent præcepta ejus. At illi obedire noluerunt. *v.* 13, 14.

3. *Contumacia in atrocibus delictis.* Nam cervicem ſuam induraverunt, & pactum Dei abjecerunt. *ibid. v.* 14, 15. Et poſt acceptam à Tiglatphilaſſare cladem 2 *Reg.* 15. 29. adeò non emendabantur, ut Deo ſe pertinaciùs opponerent; & in ſuperbia & magnitudine cordis hoc Adagium uſurparent: *Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus: Sycomoros ſuccciderunt, ſed cedros immutabimus.* (in locum eorum plantabimus.) *Eſai.* 9. 9, 10. Quo Adagio ſignificare volebant, ſe oppidorum & ædificiorum ſuorum jacturam, ut rem levem & reparabilem, nihili pendere, ſeque oppida domoſque ſuas magnificentiùs reparare & glorioſius exornare poſſe.

VIII.

TERTIUM BELLUM geſſit contra ELULÆUM *Tyriorum Regem*, eumque poſt pacificationem factam, ad arma redeuntem, geminâ expeditione infeſtat. *Metaſthènes*, *Nicephorus*, *Zonaras*, *Cedrenus*, *Sulpitius Severus*. *Joſephus lib.* 9. *Antiquit. Judaic. c.* 14. *p.* 258. hoc bellum hiſce verbis deſcribit: Aſſyriorum Rex cum armis totam Syriam & Phœnicen peragravit, & nomen ejus in Tyriorum annalibus ſcriptum invenitur. Bellavit enim contra Tyrum, regnante ibi *Elulæo*, atteſtante etiam *Menandro*, qui in ſuis Chronicis, ex Tyriorum annalibus in Græcam linguam tranſlatis ſic ſcribit. Is deinde, qui Elulæus nominabatur, regnavit annos 36. Hic deficientes Cittæos cum claſſe eò profectus ſub Imperium ſuum retraxit. Contra quos miſſo exercitu Aſſyriorum Rex Phœnicen totam invaſit; factâ deinde pace cum copiis domum reverſus eſt. Paulò poſt Sidon, Arce, Palætyrus cum multis aliis oppidis à Tyriis ad Aſſyriorum Regem defecerunt: & cùm ſoli Tyrii facere ejus imperata detrectarent, reverſus eſt contra eos cum ſexaginta navibus, quas Phœnices inſtruxerunt, impoſitis etiam octingentis remigibus. Quibus occurrentes Tyrii cum duodecim navibus, disjecta hoſtili claſſe, quingentos ex ea captivos abduxerunt: quo facinore non mediocrem rei navalis gloriam ſibi comparaverunt. Revertens autem Rex Aſſyrius, cuſtodes ad fluvium & aquæductus diſpoſuit, qui aquari Tyrios prohiberent: quod cùm per continuos quinque annos fieret, coacti ſunt effoſſis puteis inde ſe ſuſtentare. Hæc ſunt, quæ in Tyriorum annalibus de Salmanaſſare Aſſyrio ſcripta inveniuntur.

IX.

QUARTUM BELLUM geſſit *contra Medos*, eoſque victos imperio ſuo ſubjecit; uti colligi poteſt ex 2 *Reg.* 18. 11. Nam ibi narratur, quòd *Salmanaſſar Rex Aſſyriorum* captâ Samariâ tranſtulerit populum Iſraëliticum in Aſſyrios, *collocaveritque eos* in Hala & in Habor, fluvio Gozan, & IN CIVITATIBUS MEDORUM. Si igitur Salmanaſſar Iſraëlitis in civitatibus Medorum domicilium attribuit, utique Media ſub ipſius imperio fuit. Etſi Imperium illud mox obitu ejus ceſſavit, Medis libertatem armis repetentibus. Unde bella ea contra Sennacheribum filium ejus nata arbitrantur nonnulli, quæ *Tobias c.* 1. attingit. Hunc namque (ut hoc addam) *Tobiam ſeniorem* in honore habuit, quippe quem rerum ſuarum Procuratorem conſtituit, fidumque expertus talentis 10 donavit.

III. EGRESSUS.

X.

Mortuus eſt anno Imperii 10 vel 17 juxta *Aventinum Annal. Bojoar. p.* 24.

MONARCHA XLII.
SENNACHERIB.

I. ORTUS.

I.

SENNACHERIB, vel SANHERIB, סנחריב, *rubus deſtructionis*, ein zerſtörungs-buſch / vel acutus gladius, vel acutus bellator; fuit filius Salmanaſſaris, XLI Regis Aſſyriorum. II. Ab *Herodoto* SANACHERIBUS vocatur. III. Alio nomine appellatur SARGON, סרגון, hoc eſt, *Princeps defenſor*, vel *princeps horti*, quæ vox ſemel tantum in Scriptura S. uſurpatur, nempe *Jeſai.* 20. 1. ubi per *Sargon* (ex mente Interpp.) intelligitur Sennacherib; uti ex 2 *Reg.* 18. 17. colligitur. Ibi namque *Thartan* (cujus *Jeſai.* 20. 1. fit mentio) inter Legatos vel Duces Sennacheribi numeratur, qui miſſi ſunt ad obſidendam urbem Jeroſolymam. Nam ita ſonant verba: *Miſit Rex Aſſyriorum Thartan, Rabſarin & Rabſacen.* Ille quoque Thartan *Jeſai.* 20. 1. mittitur à Sargon Rege Aſſyriorum, ad expugnandam urbem Azotum. Ergo

Sargon

Sargon eſt Sennacherib. Nam (ut rectè *Hieronymus* ex Ebræorum commentariis refert) Sennacherib plura nomina habuit.

II. PROGRESSVS.

II.

Tres ei *filii* editi fuerunt: *Adramelechus*, *Saraſſar* & *Aſſarhaddon*: quorum illi patrem trucidarunt; hic verò ei in regno ſucceſſit.

Ad regnum pervenit A.M.3235. ante C.N.736.

III.

Sennacherib fuit homo crudelis, ſanguinarius, atque ſuperbus. *Bella duo geſſit valdè cruenta.*

IV.

PRIMUM BELLUM geſſit anno M. 3240. contra *Regem Ægypti* & *Æthiopiæ*, eoſque variis cladibus affecit, & multa millia captivorum abduxit; juxta vaticinium *Jeſaiæ Prophetæ c.* 20. *v.* 3, 4. Urbem quoque Ægypti antiquiſſimam נא No, & Regiam metropolin, in qua celeberrimum inter gentes Serapidis templum erat, vaſtavit; juxta vaticinia Prophetarum, *Jerem.* 46. 25. *Ezech.* 30. *v.* 14, 15. *Nahum.* 3. 8. Nunquid melior eſt No populorum? Die ſtatt No der Regenten?

Factum hoc eſt { 3240 / 14 / 731 } anno { ab Orbe condito. / Ezechiæ, Regis Juda. / ante Chriſti nativitatem. }

V.

SECUNDUM BELLUM geſſit contra *Ezechiam Regem Judæ* XIII. In qua expeditione *Azotum*, vel *Aſdod* (urbem Philiſtinorum celeberrimam ad mare mediterraneum ſitam, inter Aſcalon & Joppen in tribu Juda, olim à Pſammenyto Rege Ægypti poſt multorum annorum obſidionem captam) per Thartanem Ducem militiæ expugnat. *Jeſaiæ* 20. 1. Urbes turritas *Lachin* & *Libnam* obſidet, & ad expugnandam urbem Jeroſolymam animum intendit, ut Ezechiæ Regis defectionem vindicaret. Verùm legationem ad eum miſit Ezechias, imperata ſe facturum, & tributa ſoluturum promittens. *Semacheribus* verò auditis Legatis, decrevit miſſo bello poſtulata Regis admittere, & pollicitus eſt, ſi trecenta argenti talenta, & auri triginta accepiſſet, pacatum ſe abiturum, jurejurando interpoſito, quòd ab omni injuria temperaturus ſibi eſſet. His perſuaſus Ezechias, exhauſtis templi theſauris, mittit eam pecuniam, ratus hoſte remoto, poſthac ſine periculo ſe regnaturum. Accepta pecunia, nihilominus Rex impius atque perfidus pacta non præſtitit. Nam ipſe profectus cum copiis contra *Ægyptios*, *tres belli Duces*, nempe, *Thartanen*, *Rabſarin*, & *Rabſacen* (qui omnium inſolentiſſimus erat) ad obſidendam Jeroſolymam ingenti cum exercitu mittit. 2 *Reg.* 18. 13, 14, 15, 16, 17. Verùm cognito, quod *Taracha* Rex Æthiopum Ægyptiis ſubſidio veniret, ſubito in Judæam eſt regreſſus: cumque nova legatione Ezechiam fatigaſſet, & *Rabſaces* Dux ejus horrenda convicia atque blaſphemias in Deum Iſraëlis iteraſſet, Deus, Prophetæ Jeſaiæ, & Regis Ezechiæ preces exaudiens, Angelum exterminatorem miſit in caſtra Sennacheribi, qui unâ nocte 185000 militum trucidavit, in qua ſtrage Rabſaces quoque dirus atque blaſphemus ille conviciator periit. Hanc tantam cladem cæleſtis Numinis violati pœnam, uti revera erat, ratus Sennacheribus, neque in hoſtili terra amplius conſiſtere auſus, cum ignominia Ninum urbem Imperialem trepidus rediit, omneque virus acerbitatis ſuæ in gentem Iſraëlis captivam evomens, quotidie innumeros neci dabat; Tobiam vero ſeniorem, patris ſui Procuratorem, facultatibus exutum exilio mulctabat. Vide 2 *Reg.* 18 & 19. 2 *Paral.* 32. *Jeſaiæ cap.* 36 & 37. *Joſephus lib.* 10. *Antiqu. Judaic. c.* 1.

VI.

Herodotus lib. 2. hanc cladem etiam attingit. Refert enim, *Sethonem* Ægypti Regem & Vulcani ſacerdotem à Deo ſuo impetraſſe, ut noctu in Aſſyriorum exercitu ingens vis effunderetur MURIUM AGRESTIUM, qui illorum pharetras, arcus & ſcutorum habenas corroſerint; ita ut poſtridie hoſtis exarmatus, multis amiſſis fugam arripuerit, & Ægypto exceſſerit.

Verùm hæc fabuloſa ſunt, & cum Scriptura S. non congruunt. Sed tamen propter *ſtatuam*, *Sennacheribo* in templo Ægypti *erectam*, notanda ſunt, de qua §. 8. dicemus.

Joſephus lib. 10. *Antiqu. c.* 2. ait, eos peſte conſumtos eſſe.

III. EGRESSVS.

VII.

Tandem ipſe *Semacherib*, cum in templo idoli ſui Niſroch adoraret à *filiis propriis* ADRAMELECHO & SARASSARE *interemtus* eſt, anno regni 7. *Occaſio hujus parricidii* diverſa ab Hiſtoricis narratur.

PRIMO: *Quidam putant*, quòd *Semacherib* ad reparandum Deorum ſuorum favorem, ſuperſti-

tione crudeli *duos parvos filios immolarit*, ideoque à duobus natu majoribus, *Adramelecho* & *Saraſſare*, inter ſacra immaniſſima gladio tranſverberatus ſit.

DEINDE: *Alii* verò *ſcribunt* quòd *Sennacherib filios ſuos Adramelechum & Saraſſarem deſtinarit in ſacrificium victimæ*; ſed illi de hoc periculo ſuo præmoniti illum parricidio è medio ſuſtulerint, & poſtea in terram Armeniorum aufugerint. 2 *Reg.* 19. *v.* 36, 37.

VIII.

Memorabile eſt, quod *Herodotus lib.* 2. narrat, *ſtatuam* ei in templo quodam Vulcani Ægyptio erectam, quæ manu *murem* tenebat, cum hac inſcriptione:

Εἰς ἐμὲ ὁρῶν, ὅσιος ἴσθι.
Intuens in me aliquis, diſcat eſſe pius.

Et addit, hanc ſtatuam ſuo adhuc tempore conſpectam fuiſſe.

Johannes Baptiſta Gramaye in Hiſtoria ſua Aſiatica p. 296. ſcribit: Huic, neſcio, quare in Ægypto ſtatua MUREM tenens ſacra ſit.

At cauſa hujus ſculpturæ ex narratione, quam in §. 6. ex *Herodoti lib.* 2. adduximus, facilè demonſtrari poteſt.

USUS.

Hiſtoria Sennacheribi eſt SPECULUM *multorum magnorumque vitiorum.*

I. Κακοζηλίας ABOMINANDÆ.

Nam *Sennacherib* bellum infelix contra Ezechiam Regem Juda movit, ex mera κακοζηλίᾳ patris ſui *Salmanaſſar*, quem viderat magno cum ſucceſſu Regnum Iſraël in Samaria deleviſſe. At principium hujus belli fuit injuſtum. E. etiam exitus talis fuit, juxta verſum:

Κακῆς ἀπ' ἀρχῆς γίνεται τέλος κακόν.

Etenim *bella non neceſſaria & injuſta, infelices ſucceſſus tragicoſque exitus habent.* Tale quoque exemplum habemus in *Amazia, Rege Juda.* Hic poſtquam fortunam adverſus Idumæos tentaſſet, bellum quoque Regi Iſraëlis indicit; ſed exercitus ejus fugatur, Jeroſolyma expugnatur, & ipſe capitur. 2 *Reg.* 14. Quare Magnates ob oculos ſibi ponant monitum illud *Pindari*:

Ἔα πόλεμον, ἔα μάχην χωρὶς θεοῦ.
Omitte pugnam, omitte bellum ſine Deo.

II. PERFIDIÆ EXECRANDÆ.

SENNACHERIB *Ezechiæ* per Legatos promiſerat, ſi trecenta argenti talenta, & triginta auri ab eo acciperet, ſe pacatum abiturum, neque Regnum ejus armis hoſtilibus infeſtaturum; ſed pecuniâ acceptâ, Rex impius atque perfidus pacta non præſtitit. *Hoc eſt Tyrannorum proprium, qui magis æſtimant utilitatem, quàm pietatem & honeſtatem. Omnes namque illis amici atque hoſtes ſunt, pro temporis opportunitate*; uti præclarè ait *Thucydides lib.* 6.

Ita PERICLES, juramento incolumitatem promiſerat hoſtibus, qui ferrum depoſuiſſent. Quod cum illi fecerunt, interfecit omnes, quotquot ferreas in ſagulis fibulas haberent. *Frontinus l.* 4. *c.* 7.

Eodem modo, teſte *Herodiano*, *Parthis* improviſo clades, ab *Antonino Caracalla*, ſub prætextu nuptiarum, dum immemor juris jurandi præſtiti, eos inermes & ſecuros, utpote novum ſponſum excepturos, cum parato exercitu invaderet, magna cum ipſius indignatione & deteſtatione perjurii, accidit. Qui etiam non quieverunt, donec collectis viribus, recuperatis captivis, & rebus ademtis, Romanos ad iniquas pacis conditiones adigerent. Omiſſis autem exemplis, quæ à noſtra memoria ob vetuſtatem remota ſunt, recentem hiſtoriam ex *Pauli Iovii hiſtoriarum libro* 33. *pag.* 267, 268. repetam de *Habraymo*. HABRAYMUS, licet in ignobili pago Epiri natus eſſet, ſingulari tamen prudentiâ virtuteque militiæ munia implens, Veſiris (inter purpuratos *Solymanni*) dignitatem, quâ nulla major dari poteſt, adeptus eſt. Nam Solymannus Turcarum Imperator regii ſerinii ſigillum ei tribuit: & omnis arcani conſilii participem fecit. Narrant, hunc *Habraymum*, cùm ſummâ Solymanni gratiâ potiretur, familiari ſermone aliquando poſtulaſſe, ne ſe tantis honoribus onerare contenderet: ne demum amplitudine odioſa ſupra æquum florentem, è gradu tanquam è faſtigio ſummæ fortunæ, præcipitem dare atque occidere neceſſe haberet. Fidem verò in ea verba ita Principem dediſſe: *Ut nunquam ei vivo vitam erepturum polliceretur.* Sic ut ea inanis juramenti religione obſtrictum, ne datam falleret fidem, non aliter, quàm altè ſtertenti necem intuliſſe. Quoniam Taliſmanes Sacerdos, divini interpres juris, dormientem nequaquam cenſeri inter vivos, cùm unâ vigiliâ totius vitæ actus conſtaret, aſſeveraſſet. Hoc ſanè eſt promiſſis atque juramentis ludere, non ſecus ac pueri aſtragalis ſolent.

At non ita agere Reges & Principes decet. Notentur igitur hæc AXIOMATA: VERBA REGUM DEBENT ESSE REGIA. *Prov.* 8. 6. PRINCIPES EA, QUÆ DIGNA SUNT PRINCIPE, COGITABUNT, EISQUE INSISTENT. *Iſai.* 32. 8. hoc eſt, Principum cogi-

cogitationes & ſermones debent eſſe Principales aut Regales. Principum VERBA non debent eſſe AQUEA, (hoc eſt, fluxa & mutabilia;) ſed AUREA & ARGENTEA, (hoc eſt, conſtantia & immutabilia.)

Jam verò FIDES *eſt virtus verè Regia, omniumque virtutum in Rege maxima & ſplendidiſſima.* Hinc rectè *Franciſc. Patritius lib. 8. de Regno titul. 20. p. 558.* inquit: Fides tanto ſplendore præfulget, ut ſine ea omnes Regum ac Principum virtutes obſcuriores fiant. Eleganti exemplo hoc ipſum ibidem declarat de SEXTO POMPEIO. Cœnantibus (inquit) in navi ad Puteolos *Antonio & Auguſto*, apud Sextum Pompeium Pompeii Magni filium, qui tunc conciliati ſocietatem iniverant; *Menodorus* Pompeianæ claſſi præfectus, per internuncium Pompeio ſignificavit: nunc tempeſtivum eſſe, parentis ac fratris injurias ulciſci: quod ſi occaſionem ſumere vellet, ſe operam daturum, ut è navibus evadat nemo. Cui Pompeius: *Referte*, inquit, *Menodoro, ei ſine me id facere licere, qui jam pejerare conſuevit: mihi autem nefas eſſe qui fidem fallere neſcio.* Quæ quidem vox & decora fuit, & Magni Pompeii filio digna.

Elegans hiſtoria de *fide Regum* atque *Principum* occurrit in *Chronico Hirſavienſi & Urſpergenſi. Guelfus Dux Bavariæ*, pugnâ victus à *Cunrado Imperatore* die S. Thomæ, vallo & mœnibus oppidi Winſperg ſe ſuoſque incluſit. Obſeſſus igitur à Cunrado, poſt multas difficileſque oppugnationes, fame & rerum neceſſariarum inopiâ, deditionem facere compulſus. Cumque metueretur, ne Imperator in Guelfum ejuſque cives jure belli propter rebellionem graviter animadverſurus eſſet, feminæ ejus oppidi, antequam portæ aperirentur, petiverunt, ut ſibi ſalvis abire liceret, unà cum iis rebus, quas humeris geſtare poſſent. Quod cùm à clementi victore & optimo Principe facilè impetrarent, & hoſtes aurum, gemmas, mundumque muliebrem eas elaturas crederent; matronæ illæ, omni ſupellectile neglectâ, militumque præda relicta, maritos ſuos humeris exceptos ex oppido, cunctis ſpectantibus & induſtriam admirantibus, aſportarunt. Qua pietate ingenioſâ Cunradus Imperator motus, Guelfum cum civibus ſuis inviolatum & incolumem dimiſit, & pace conſtitutâ cum eo amicitiam junxit. Ducibus verò indignantibus, & frementibus ob leges deditionis iſto dolo violatas, reſpondit Imperator: NON DECERE VERBUM REGIUM IMMUTARI; ſubindicans, malle ſe clementiâ, quàm ſeveritate delinquere.

Hiſtoriæ etiam valde memorabiles exſtant de *Carolo V.* & *Ferdinando* fratre ejus, Impp. Romanis. *Carolus V.* Imperator invictiſſimus, cùm à quibuſdam Pontificiis flabellis ac furiis in comitiis Wormatienſibus inſtigaretur, ut ne fidem Luthero datam ſervaret, propterea quòd, ſecundùm decretum Concilii Conſtantienſis, Hæretico non ſit ſervanda fides; animoſè reſpondit, *Fidem rerum promiſſarum, etiamſi toto mundo exulet, apud Imperatorem tamen conſiſtere oportere. Guiliel. Zenocarus in vita Caroli V.*

Quam heroicam animi magnitudinem æmulatus eſt FERDINANDUS I. IMPERATOR, qui uſque adeò pacificationis cum Lutheranis ſemel confirmatæ ſtudioſus & obſervans fuiſſe legitur, ut ante obitum ſingulari perfuſus lætitiâ ſæpius in hæc verba erumperet: *Inter ſumma, quæ Deus in gubernatione Imperii mihi conceſſit, primum atque maximum vero animi judicio hoc duco, quòd ad ſedandas diſcordias publicas animum adjeci, & tolerantiæ in Religione formulam Deus mihi in mentem dedit.* Vide Epiſtolam præliminarem *Cratonis à Craftheim, in hiſtor. Bohem. Dubravii.*.

III. SUPERBIÆ ET BLASPHEMIÆ DETESTANDÆ.

Superbus fuit *Sennacheribus* tùm erga *Deum*, tum *erga Ezechiam Regem.* Nam, excuſſo omni timore Dei, ſeſuamque potentiam admiratur, in eaque confidit: imò os in cœlum poſuit, & Deo altiſſimo maledixit, licet non immediatè, tamen mediatè, nempe per Legatum ſuum Rabſacem; Ezechiamque Regem præ ſe contemſit atque deſpexit. Et quia memorabile hoc eſt exemplum diabolicæ tùm *ſuperbiæ*, tùm *blaſphemiæ*, verba ejus hìc ſubjungam ex *Jeſaiæ* 36. 4. Et dixit ad eos Rabſaces: Dicite Ezechiæ: Hæc dicit Rex Magnus, Rex Aſſyriorum: Quæ eſt iſta fiducia, quâ confidis? *v.* 5. Aut quo conſilio vel fortitudine rebellare diſponis? ſuper quem habes fiduciam, quia receſſiſti à me? *v.* 6. Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum, ſuper Ægyptium; cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam: ſic Pharao Rex Ægypti omnibus, qui confidunt in eo. *v.* 7. Quod ſi reſponderis mihi: In Domino Deo noſtro confidimus: Nonne ipſe eſt, cujus abſtulit Ezechias excelſa & altaria, & dixit Judæ & Jeruſalem: Coram altari iſto adorabitis? *v.* 8. Et nunc trade te Domino meo Regi Aſſyriorum; & dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere aſcenſores eorum. *v.* 9. Et quomodo reſiſtes uni ex ſervis Domini mei minoribus? Quod ſi confidis in Ægyptio, in quadrigis & in equitibus. *Similiter v.* 13. Et ſtetit Rabſaces, & clamavit voce magnâ Judaicè, & dixit: Audite verba Regis magni, regis Aſſyriorum! *v.* 14.

Hæc dicit Rex: Non ſeducat vos Ezechias; quia non poterit eruere vos *v.* 15. Et non tribuat vobis fiduciam Ezechias ſuper Domino, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, non dabitur civitas iſta in manum Regis Aſſyriorum. Et *v.* 18. Nec conturbet vos Ezechias, dicens: Dominus liberabit nos. Numquid liberarunt Dii gentium, unuſquiſque terram ſuam de manu Regis Aſſyriorum? *v.* 19. Ubi eſt Deus Emath & Arphad? ubi eſt Deus Sepharvaim? Numquid liberaverunt Samariam de manu mea? *v.* 20. Quis eſt ex omnibus Diis terrarum iſtarum, qui eruerit terram ſuam de manu mea, ut eruat Dominus Jeruſalem de manu mea? At hic Sennacherib Rex ille MAGNUS Aſſyriorum (uti illum *Rabſaces* vocabat, *Jeſai.* 36. 13.) viribus ſuis confidens, contemto Deo, infelicem exitum ſortitus eſt. Nam exercitus ejus ab Angelo Domini trucidatur, ipſeque turpi fugâ elapſus, à propriis filiis interficitur. *Ieſaiæ* 37. 38.

PARENESIS I.

De fugienda ſuperbia.

At diſcant Magnates Deum timere, eumque ſibi ob oculos ſemper ponere. Nam timor Domini eſt initium ſapientiæ *Pſal.* 111. 10. Cordibus ſuis inſcribant aureolos illos *Prudentii* verſiculos:

Sic tota decurrat dies,
Ne lingua mendax, nec manus,
Oculi ne peccent lubrici,
Nec noxa corpus inquinet.
Speculator adſtat deſuper,
Qui nos diebus omnibus
Actuſque noſtros proſpicit
A prima luce in veſperam.
Hic teſtis, hic eſt arbiter,
Hic intuetur quicquid eſt,
Humana quod mens concipit:
Hunc nemo fallit Iudicem.

Quare

Deſine grande loqui, frangit Deus omne ſuperbum:
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Diſce ſupercilium deponere, diſce cavere
Ante pedes foveam, quiſquis ſublime minaris.

ut idem *Prudentius* ait.

Apud *Senecam* quoque *Tragœdum* memorabilis exſtat admonitio, quæ talis eſt:

Vos, quibus Rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidoſque vultus.
Quicquid à vobis MINOR *extimeſcit,*
MAJOR *hoc vobis* DOMINUS *minatur.*
OMNE SUB REGNO GRAVIORE REGNUM EST.

Hiſtoriæ omnium temporum teſtantur, *Ambitionem atque ſuperbiam nunquam à Deo impunitam eſſe relictam. Exempla* exſtant in ſacris atque profanis Scriptoribus. I. *Adam* & *Heva*, qui Deo ſimiles ſe fore credebant, ſi de arbore vetita comederent, graviter à Deo ſunt puniti. *Gen.* 3. 5, 6. II. *Ædificatores turris Babylonicæ* in univerſam terram ſunt diſperſi. *Gen.* 11. 5. III. *Pharao* ex ſuperbia dicebat ad Moſen: *Exod.* 5. 2. Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſraël? Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam. Sed poſtea in mari rubro ſubmerſus periit. *Exod.* 14. IV. *Maria Moſis ſoror* leprâ divinitùs eſt percuſſa, quòd ambitioſè in Moſen fratrem ſuum ſurrexiſſet. *Num.* 12. 10. V. *Core*, *Dathan*, & *Abiron* cum ſua cohorte, ex arrogantiâ atque ſuperbiâ ſeſe cum Moſe comparantes, hiatu terræ vivi abſorpti ſunt in oculis univerſi populi. *Num.* 16. 33. VI. *Goliathi* arrogantiæ quiſnam erat exitus? Nonne perditio? 1 *Sam.* 17. 49. VII. *Hamanem* ſuperbia perdidit. *Eſther* 7. 10. VIII. *Herodes* ob ſuperbiam ab Angelo Domini percuſſus, & à vermibus eroſus, quòd non tribuiſſet gloriam Deo, ſed totam ſibi vendicaſſet, à Tyriis adulantibus eloquentiæ nomine ſupra hominem laudatus. *Actor.* 12. 23. IX. *Coſroës*, Rex Perſarum ſuperbiſſimus erat. Cùm enim anno Chriſti 618. Heraclius Imp. Legatis in Perſidem miſſis, ab eo pacem peteret, ille hoc reſponſo eos dimiſit: *Non parcam vobis, donec Chriſtum crucifixum, quem Deum etiam fatemini, abnegetis, & ſolem adoretis. Diacon. Cedr.* At exitus infelix fuit. Nam anno Chriſti 627. filium ſuum juniorem, nomine *Mardaſam*, neglecto primogenito *Siroë*, regno inauguraturus, capitur à Siroë, in carcerem detruditur, fame cruciatur, malignè ſuppeditato pane & aquâ, à Satrapis conſpuitur & contumeliis afficitur, ſpectator eſt necis Mardaſæ, & reliquorum filiorum, ac paucos poſt dies ipſe quoque ſagittis conficitur. Sic inter ſpicula nequiſſimam animam reddidit, qui conviciorum ac blaſphemiarum tela in Chriſtum crucifixum ejaculatus fuerat, & arma impia ei intulerat. *Cedr. Diac. Zonar.* En dignam talionis pœnam! X. Ita quoque SENNACHERIB Rex Aſſyriorum, qui per os Legati ſui Rabſacis horribiles blaſphemias in Deum altiſſimum evomuit, & ſuperbiâ atque intolerabili arrogantiâ excœcatus in omnipotentem invehi, eumque quaſi provocare auſus eſt; juſto Dei judicio periit, à propriis filiis in templo idoli ſui interfectus. Meritò ergo hic cum Poëta Homero exclamamus:

Ἐχὶ Θεὸς ἔχθρου ὄμμα: hoc eſt, Deus habet vindicem oculum. Ita impletum eſt in eo vaticinium illud *Danielis* 7. 4. de *leone Babylonico alis aquilinis ornato, quibus è terra ſublatus eſt.* (notatur *ſuperbia Sennacheribi*, quòd nempe futurum eſſet, ut ſuperbiret, hoc eſt, ſupra communem hominum ſortem iret, & velut alis aquilinis è terra in altum ſubvolaret, os in cœlum poneret, & Altiſſimo malediceret.) *Sed additur: quod beſtia in pedes velut homo ſtare coacta, quodque cor hominis ei datum ſit.* (Quibus verbis notatur: quòd tandem è ſtatu ſuperbiæ in ſtatum miſeriæ dejectus, miſerrimam humanæ ſortis conditionem didicerit, quando in templo à propriis filiis interfectus eſt.) Quò alludit *ſtatua ei erecta* cum hac inſcriptione:

Εἰς ἐμέ τις ὁρῶν εὐσεβὴς ἴτω.

hoc eſt,

Quiſquis me intuetur, pietatem veneretur.

PARÆNESIS II.

De fugienda in Deum blaſphemia.

Omnes mortales caveant ſibi, ne blaſphemiarum ſagittas in Deum ejaculentur. Nam blaſphemia cum natura atque fine linguæ humanæ pugnat. Pulcrè namque ait *Gordius*: AURIS condita eſt ad audiendum ea, quæ Deus loquitur: LABIA verò condita ad celebrandum Deum Creatorem. Et venuſtè inquit *Lactantius lib.* 4. *c.* 26. Lingua cum virtutem majeſtatemque Dei interpretari cœperit, tum demum officio NATURÆ SUÆ fungitur.

Hac de cauſa *Ebræi* unâ voce כבוד & *linguam* & *gloriam* appellant. *Pſalm* 16. 9. *Joſua* 7. 19. Quo promiſcuo uſu alludunt ad præſtantiam hujus organi, nempe linguæ, cujus vero uſu à brutis glorioſè differt. Verus autem linguæ uſus in eo conſiſtit, ut homo Deum ſuum glorificet. Qui autem Deum glorificat, hunc Deus rurſus glorificabit: Qui autem Deum blaſphemando ignominiâ afficit, hunc quoque Deus ignominiâ afficiet. 1 *Sam.* 2. 30. Et ſeptuplo eis in ſinum eorum reddet illuſionem, quâ illuſerunt Deo, *Pſal.* 79. 12. Quod in pulcherrimo Emblemate oſtenditur:

HOMO COELUM VERSUS SPUENS.

EPIGRAMMA.

Cernis, ut is cœlum fœdo qui conſpuit ore,
Non cœlum, imò ſuos conſpuat ipſe SINUS?
Et tu cœlorum Domini contemtor, in illum
Non quot verba jacis, tot tibi probra vomis?

Exemplum habemus in *Sennacheribo* & *Choſroë*, (de quibus antea) & in *Juliano Apoſtata*, qui Chriſtum per contemtum & blaſphemiam vocabat GALILÆUM, tandem verò vel ſagittâ, vel haſtâ, letaliter in bello Perſico vulneratus eſt. Moriturus autem fertur manum ſanguine impleviſſe, illumque in aërem projeciſſe, & Chriſtum debellatorem ſuum rabioſè allatraſſe hoc ſcommate; *Viciſti tandem, Galilæe.* Ita ſimul & victoriam confeſſus eſt, & blaſphemiam evomuit. *Eutropius Ammian. Marcellin. Theodoret. lib.* 3.

IV. Sennacherib anno Regni 7 interiit.

Obſervationem quoque meretur, quòd Sennacherib, Rex Aſſyriorum penultimus, (qui Ninive regnavit) ſeptimo regni anno interierit. *Numerus namque ſeptenarius magnis Principibus fatalis ut plurimùm eſſe ſolet*; uti ex exemplis patet. Nam I. *Cyrus*, primus Rex Perſarum, poſt captam Babylonem annos 7 vixit, & poſtea interfectus eſt. II. *Cambyſes* ſecundus Rex Perſarum annos 7 & menſes 5 regnavit, & poſtea caſu à ſe ipſo interfectus eſt. III. *Darius ultimus*, annos 7. IV. *Alexander M.* Monarchiam tertiam obtinuit annos 7, poſt cujus obitum de ſumma rerum armis certatum eſt annos 7, tandem obtinuit Seleucus cum ſua poſteritate Syriam. V. *Archelaus* Rex Macedoniæ periit in venatione, cùm regnaſſet annos 7. VI. *Narſes*, ſeptimus Rex Perſarum, regnavit annos 7, menſes 9. VII. *Valerianus Imp.* poſtquam cum filio Galeno imperaſſet annos 7. à Sapore Perſarum Rege victus & captus eſt. VIII. *Conradus I*, Ludovici IV. filius, regnavit annos 7. IX. *Carolus Craſſus* imperio cedere juſſus anno 7, X. *Pilatus* Præſes Judææ ſe ipſum interfecit anno 7 poſt condemnationem Chriſti, quæ facta ab illo, ipſo ſeptimo anno ſuæ præfecturæ.

V. Adagium.

Iſaiæ cap. 14. *verſſ.* 4, 5.

Quomodo ceſſavit exactor, quievit tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, & virgam dominantium, cadentem populos in indignatione plagâ inceſſabili.

In hoc adagio *epitaphium* θεομισεύλεω Sennacheribo Regi Aſſyriorum à piis erigitur, & falſè ab illis irridetur, quòd antea velut leo alis aquilinis in altum evolaret, & ſupra Deum atque homines elevare ſe præſumeret; nunc verò velut homo ſuper pedes ſtet, & cor hominis ei datum ſit; *Dan.* 7. 4. quòd de ſolio ſuo à Deo dejectus, ignobilis nunc

& inglorius jaceat, ita ut piis non ampliùs sit terrori, sed risui.

Vocatur autem Sennacherib, *Baculus Impiorum*, & *Virga dominantium*: ein ſtecken der gottloſen/ und ruthe der herſcher. Sicut etiam *Esai.* 10. 5. *idem* vocatur *Virga furoris Dei*, & *Baculus in manu Domini*. Quia Deus in ira ſua per illum, velut virgam & baculum, populum ſuum caſtigavit. Non ſecus enim atque *parentes* in liberos petulantes atque contumaces virgis animadvertunt; *Prov.* 13. *v.* 24. iis autem emendatis, & ad frugem meliorem redactis, virgas confractas & minutim diſcerptas in ignem projiciunt: Ita quoque Deus ad tempus Tyrannorum operâ, velut virgâ, *Esai.* 10. 5. & baculo, *ibid.* & malleo utitur, *Jerem.* 50. 22. & 51. *v.* 21. ut liberos ſuos caſtiget. (ipſe namque viſitat iniquitatem patrum in filiis in tertiam & quartam generationem. *Exod.* 20.) Sed quando illi pœnitentiam agentes à Deo tanquam patre miſericorde & miſeratore, *Pſal.* 103. in gratiam recepti ſunt, tum Tyrannos tragicâ morte extinctos in infernum præcipitat. *Esai.* 10. 16.

DUBIUM.

At quare Deus Reges iram ſuam exſequentes abjicit, cùm tamen voluntatem ejus impleant?

Reſp. *Concurſus Dei & hominum*, tanquam cauſæ primæ & ſecundarum, *duplex* eſt.

1. CONFORMIS, quando Deus & cauſæ ſecundæ ratione finis inter ſe concordant; ut, quando Deus ea, quæ vult, per ſanctos peragit.

2. DIFFORMIS, quando Deus & cauſæ ſecundæ, nempe Tyranni homineſque impii, ratione finis inter ſe diſcordant. Licet enim Deus Tyrannorum miniſterio utatur; tamen alia Dei, alia illorum eſt intentio. *Dei intentio* vel *finis* eſt, ut per Regem Aſſyriorum multos populos, imò etiam ſuum populum puniat, & publica iræ ſuæ exempla omnibus proponat, ut omnes in mundo homines Deum timeant, & pœnitentiam agant. *Sennacheribi* verò, licet Dei in hoc opere miniſter fuerit, *finis* eſt, Regni ſui amplificatio, & gloriæ propriæ, atque potentiæ oſtentatio. Sicut etiam *Esai.* 10. 5, 6. inſinuat, quando ait? Væ Aſſur, virga furoris mei, & baculus, ipſe eſt in manu, ad gentem hypocriticam mittam eum, &c. At *v.* 7. ſubjungit: *Ipſe autem non ſic arbitrabitur, neque cor ejus ſic exiſtimabit: ſed ad delendum erit cor ejus, & ad internecionem gentium non paucarum.* Et hæc eſt cauſa, quare Deus Sennacheribum contriverit, omneſque tyrannos adhuc conterat. *Tale* quoque *Epitaphium* exſtat de *Rege Moabitarum* interfecto, *Jeremiæ* 48. 17. *Quomodo fracta eſt virga fortis, baculus glorioſus?* Ita quoque pii diabolo, qui princeps hujus mundi, & per crucem Chriſti victus atque dejectus eſt, inſultant ex *Hoſea* 13. 14. & 1 *Cor.* 15. 55, 56. *Ubi tuus, mors, aculeus? Ubi tua, inferne, victoria?* &c.

MONARCHA XLIII.
ASSARHADDON.

I. ORTVS.

I.

ASSARHADDON אסרחדון 2 *Reg.* 19. *v.* 37. אסרחדון *Esdr.* 4. 2. אסרחדן *Esai.* 37. 38. Vinctus qui gaudet jure. ein gebundener/ welcher ſich des Rechten freuwet. vel: acutus Aſſyrius. Varia habet nomina. Aliàs dicitur I. ASENAPHAR, *lib.* 1. *Esdr.* 4. 10. *Aventin. Annal. Bojoar. lib.* 1. *p.* 20. II. ASBAZARETH. 3 *Esdr.* 5. 69. quæ vox ſemel tantùm in ſcriptura reperitur. Nam Asbazareth ille Rex Aſſyriorum, qui 3 *Esdr.* 5. 69. coloniam deduxiſſe dicitur in Palæſtinam atque Samariam, *lib.* 1. *Esdr.* 4. 2. expreſſè vocatur ASSARHADDON. III. NOCHORDAN, à *Zonara*. IV. ASSAROCHODDAS, à *Joſepho l.* 30. *Antiqu. Judaic. cap.* 2. V. AZARACOLDUS, *Reuſn. Chron. p.* 197.

II.

Hic autem, poſt tragicum parentis exitum, *regnum adeptus* eſt, licet *natu minimus* eſſet. CAUSA hujus rei fuit gemina.

1. REMOTA. Quia jam ante, patre foris abſente, regnum adminiſtraverat. Erat namque moris apud populos Orientales, ut quoties Rex bellum foris gereret; domi certum ſucceſſorem aut vicarium ſubſtitueret, ſi quid humanitùs ipſi contigiſſet; Sicut legimus de *Cyro*, quòd *Cambyſen* filium regni Perſici, cùm ille expeditionem contra Maſſagetas ſuſciperet, Gubernatorem conſtituerit.

2. PROPINQUA. Quia fratres ejus parricidæ, nempe, *Adramelechus*, & *Sarazſar*, (quem Joſephus Selennaram nominat) populari tumultu è regno ejecti in Armeniam aufugerant, 2 *Reg.* 19. *v.* 37. ideirco ipſe ob innocentiam patri ſurrogatus eſt.

Factum hoc eſt { 3242 / 15 / 14 / 729 } anno { ab Orbe condito. / Ezechiæ Regis in Juda. / Numæ Pompilii regis Romanorum. / ante nativitatem Chriſti. }

II. PROGRESSVS.

III.

1. ACTA TOGATA. *Primò*: *Novam coloniam in Samariam deduxit*, uti patet ex *Eſdræ l. 1. cap. 4. v. 2. & ex Eſdræ lib. 3. c. 5. v. 69. Aventin. Annal. Bojoar. lib. 1. p. 20.* ita ſcribit: Aſſaradon, qui & Aſſenaphar, in Samariam Medos & Babylonios miſit, qui terram colerent, ne deſerta habitationique hominum minùs idonea redderetur, fieretque latibula ferarum. *Deinde*: *Tobiam Seniorem* ab exilio revocatum reſtituit in integrum, & patruelem ejus Achiacharum (quem alii Aquicarem nominant) ſuis omnibus & Aſſyriis imperio præfecit. Vide *Tob. 1. 25. Reinecc. Syntagm. Heroic. p. 61.*

IV.

II. ACTA BELLICA. *Duo Bella geſſit.* PRIMUM *cum fratribus*, nempe *Adramelecho* & *Saraſſare*; qui, licet ob parricidium populari tumultu è Regno ejecti in Armeniam aufugiſſent, nihilominus tamen armis eum oppugnabant.

ALTERUM cum *Merodacho, Babyloniæ Præfecto*. Hic enim cùm diſſidium inter fratres videret, occaſionem rei benè gerendæ adeptum ſe ratus, non deſcivit modò, & Regem Babyloniæ ſalutari ſe voluit, ſed cùm vicinas undique gentes, partim gratiâ, partim violentiâ, ad ſe traduxiſſet, devicto Aſſarhaddone, totum Aſſyriorum regnum ad Babylonios tranſtulit. *Sleidan. lib. 1. de quatuor Monarchiis.*

III. EGRESSVS.

V.

Aſſarhaddon à Merodacho ſuperatus, & familiam & Aſſyriorum regnum interitu ſuo finivit, anno regni ſui x.

Usus.

Peccata parentum à Deo in filiis puniuntur.

Nam vox Decalogi de divina juſtitia concionatur *Exod. 20. 5.* Viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem.

Exempla.

1. *Ruben*, qui inceſtâ conſuetudine novercæ ſeſe impiè ac nefariè polluit, toti poſteritati pœnas accerſivit, quæ voce patris velut oraculo ei denunciatæ ſunt? *Effuſus es ſicut aqua: non creſcas. Quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum ejus. Gen. 49. 4.*

2. Propter *Saulis* ſcelera tota familia & poſteritas ejus deleta eſt, præter filium Jonathæ Mephiboſeth. *2 Sam. 21. 5, 6, 7, 9.* imò & filium ſanctum Jonathan, alienum à paterno ſcelere, tamen unà cum parente interfici Deus voluit. *1 Sam. 31. 2.* Manet tamen Jonathæ poſteritas uſque ad tempus exilii Babylonici.

3. Cùm *Salomon* Rex ſapientiſſimus amoribus & genio indulgeret, & in idololatriam delaberetur, & delubra ethnica in gratiam concubinarum ſuarum exſtrueret, ſpreto vero Dei cultu atque templo, puniebat Deus filium ejus ſtultis conſiliariis, ut decem tribus Iſraël ab ipſo deficerent. Unde poſtea perpetua exſtiterunt bella, donec à vicinis hoſtibus utraque familia fuit oppreſſa atque deleta. Vide *1 Reg. c. 11. & 12.*

4. *Achabi* poſteritas propter ipſius idololatriam tollitur, interfectis à Jehu ſeptuaginta viris. *2 Reg. 9.*

5. Ita quoque *Aſſarhaddon* punitus eſt propter peccata parentis ſui Sennacheribi, qui ſuperbus, blaſphemus atque perfidus fuit; uti in hiſtoria Sennacheribi diximus. Nam ex ſuperbia quadam & inſolentiâ Deum ipſum in cœlis præ ſe contemſit, inque eum blaſphemas voces evomuit, atque contra fidem datam, Ezechiam in urbe Jeroſolyma obſedit. Ideoque non tantùm ipſe punitur, (nam exercitum amiſit, & ipſe à propriis filiis interfectus eſt;) ſed etiam tota ipſius poſteritas defecit, tranſlatâ Monarchiâ à filio ejus Aſſarhaddone ad Chaldæos per Merodachum.

Ita propter perfidiam *Saulis*, qui Gibeonitas contra fidem datam occiderat, SEPTEM FILII EJUS INNOCENTES in monte coram Domino crucifixi ſunt, *2 Sam. 21. 6, 9.* Domino factum illud approbante; uti colligitur ex *v. 14.* Quia Deus terræ reconciliatus eſt poſt hæc, h. e. pœna Iſraëlitis divinitus propter peccatum Saulis inflicta, videlicet fames trium annorum, ceſſavit.

Similiter ZEDECHIAS fidem fallit jurejurando Regi Nabuchdonoſori confirmatam. Idcirco divinitus punitur, urbe Jeroſolymâ expugnatâ & flammis deletâ; inque conſpectu ejus omnes ipſius liberi interficiuntur, juſſu Regis Nabuchdonoſoris; ipſe captus excæcatur, & catenis vinctus in Babylonem abducitur. *2 Reg. 25. 7, 8, 9.*

Quare ô homo, quiſquis es, fidem ſanctè datam conſtanter & inviolate ſerva. Nam Deus perjuros graviter punit: fidos verò præmiis ornat atque beat, juxta verſum:

Ἀνδρὸς δ' εὐόρκου μετόπισθε γένος μάκαιρα.
Stans pactis longâ fit poſteritate beatus.

DYNASTIA QVARTA,

In qua familia Merodachi continetur, ſive ſeries Regum Chaldaicorum, poſt Imperium ab Aſſyriis ad Babylonios tranſlatum, interfecto Sennacheribo, & devicto Aſſarhaddone.

MONARCHIA XLIV.
MERODACHUS.

I. ORTVS.

I.

MERODACHUS, Baladanis filius, Rex Babylonis, varia habuit nomina. I. Dictus eſt MERODACH BALADAN מראך בלאדן amara contritio abſque judicio. *Chytræus Onomaſt. p.* 279. inquit: מראך amara contritio; בלאדן iniquus judex. *Eſai.* 39. 1. 2 *Reg.* 20. 12. II. BERODACH vel BRODACH ברודך creans interitum, vel filius interitus. Ein zerſtörer/ oder ein kind des verderbens und untergangs. 2 *Reg.* 20. 12. III. MARDOCEMPADUS MARDOCEMPADES nominatur à *Ptolemæo lib.* 4. *c.* 7. μαρδόκ. συμπάθ. Idem confirmat inſignis Aſtronomus & Mathematicus *Eraſmus Reinholdus* in *Tabulis Prutenic.* IV. MARODACHUS, à *Suida.* V. BALADAS à *Zonara* appellatur.

II.

2. Ὁμωνυμία. Vox *Merodachi* in ſacris literis bifariam uſurpatur.

1. PROPRIE. Sic eſt *nomen perſonæ*, & notat 44 Monarcham Babylonicum, de quo h. l. agimus. Et in hoc ſignificatu *ſemel* uſurpatur, nempe *Eſai.* 39. 1. Et vox ſynonymica *Berodach ſemel*, nempe 2 *Reg.* 20. 12.

2. FIGURATE, vel *iconoclaſticè*. Sic notat „ *idolum Merodachi. Jerem.* 50. 2. Capta eſt Baby-„ lon, confuſus eſt Bel, contritus eſt Merodach, „ confuſa ſunt omnia ſculptilia ejus, contrita ſunt „ idola eorum. Hic *Bel* & *Merodach* notant idola Babyloniorum.

II. PROGRESSVS.

III.

1. IMPERII OCCUPATIO. Merodachus præfectus Babyloniæ erat ſub Regibus Sennacheribo & Aſſarhaddone. Sed cum ille turpi fuga, poſt exercitum ejus ab Angelo Domini trucidatum, è Juda in metropolin ſuam Niniven regreſſus, poſt 45 dies (uti habetur *Tobiæ* 1. 24.) à propriis filiis in templo idoli Niſroch interfectus eſſet; 2 *Reg.* 19. *v.* 37. hic verò à fratribus ſuis parricidis Adramelecho & Saraſſare bello oppugnaretur; viribus omnium conſumtis, rebus novis ſtudere occipit, & converſus in Aſſarhaddonem, eum prœlio victum Regno deturbat, idque Aſſyriis ereptum Babyloniis conciliat. Vide 2 *Reg.* 19. *v.* 37. & 2 *Reg.* 20. *v.* 12. Huc referri poteſt *inſignis locus ex Ezech.* 31. *v.* 3. Ecce, ASSUR quaſi cedrus in Libano, pulcher ramis, & frondibus nemoroſus, excelſuſque altitudine; & inter condenſas frondes elevatum eſt cacumen ejus. Et poſtea *v.* 10, 11. *ſubjungitur*: Propterea hæc dicit Dominus Deus: Pro eo, quòd ſublimatus eſt in altitudine, TRADIDI EUM IN MANUS FORTISSIMI GENTIUM. In hiſce verbis per REGEM ASSYRIORUM intelligitur ASSARHADDON, (de quo 2 *Reg.* 19. *v.* 37. & *Eſai.* 37. *v.* 38.) & per איר ARIETEM, h. e. *fortiſſimum* GENTIUM, *non* intelligitur *Nabuchdonoſor*, (uti quidam volunt. Nam Nabuchdonoſor Aſſyrios non vicit: imò neque bellum quidem cum illis unquam geſſiſſe, in hiſtoriis, vel ſacris vel profanis, legitur) ſed MERODACH BALADAN, Rex Babylonis, (2 *Reg.* 20. 12. *Eſai.* 39. 1.) à quo Aſſarhaddon eſt devictus, & inſtar arboris exciſus, & rami ejus fracti: h. e. Reges fiduciarii ſeu vaſalli, Principes, Proceres ſeu Magnates, Conſiliarii & populi Aſſyrio ſubjecti, maxima ex parte interemti ſunt; reſidui, deſerto eo, ſe Babylonio Regi adjunxerunt. Atque ita *ſuper cadivum truncum ejus habitarunt omnes aves cæli, & in ramis ejus fuerunt omnes beſtiæ agri. v.* 13. h. e. regnum ejus ab exteris populis occupatum atque poſſeſſum eſt. Hæc autem *ratio* amplificatur *à fine* judicii contra Aſſyrium inſtituti. *v.* 14. *Ut non exaltent ſe, propter ſublimitatem ſuam, illa arbores irriguæ, & non extendant cacumen ſuum inter frondes, & non conquieſcant in ſe ipſis altitudine ſua ullæ irriguæ: quandoquidem omnes illi traditi ſunt morti, dejecti in terram imam inter filios hominis, ad eos qui deſcenderunt in foveam.* Senſus eſt. Ut omnes Reges, Principes atque populi, edocti exemplo Regis Aſſyrii, diſcant non exaltare ſe ob potentiam atque opulentiam ſuam, non luxuriari, neque fiducia

cia ſui in ſe ipſis conquieſcere, ne tandem in parem aut graviorem pœnam incidant.

Factum hoc eſt anno { 3251. ab Orbe condito. 24. Ezechiæ Regis in Juda. 19. à devicta Samaria per Salmanaſſar, Regem Aſſyrior. 720. ante Chriſti nativitatem.

IV.

II. IMPERII ADMINISTRATIO. Circa hanc notanda ſunt tria: 1. *Regia habitatio.* 2. *Legatio.* 3. *Religio.*

V.

1. REGIA HABITATIO. *Merodachus* devicto Aſſarhaddone etiam in *Aſſyria ejuſque metropoli Ninive regnavit*, ſed *in ea non habitavit*; verùm in *Babylone*, vel patriæ amore quodam, vel quod minus Aſſyriis fideret. *Unde non ſit amplius mentio in Scripturis* REGUM ASSYRIORUM, *ſed tantum* BABYLONIORUM. Quia *in Babylone ſedem regiam habuerunt.* Non *ſecus atque Reges* DYNASTIÆ II. & III. *è Nini & Phul-Belochi ſtirpe proſati, Aſſyrii appellantur.* Quia *in Ninive Aſſyriæ metropoli regiam ſedem habuerunt.*

VI.

2. LEGATIO. Legationem ampliſſimam Merodachus miſit *ad Ezechiam Regem Juda*, ceu eximiè Deo carum.

Factum hoc, anno { 3242. ab Orbe condito. 15. Regni Ezechiæ Regis Juda. 729. ante Chriſti nativitatem.

VII.

Cauſa hujus *Legationis* erat *triplex*. I. ETHICA, ut nempe *Ezechiæ Regi de recuperata valetudine gratularetur*, *Eſai.* 39. *v.* 1. 2 *Reg.* 20. *v.* 12. II. ASTROLOGICA, nempe, ut interrogarent Legati Ezechiam de *miraculo ſolis retrogradi*: Nam ſol 10. gradibus retroceſſerat in horologio Achas. Quæ cauſa expreſſis verbis ponitur 2 *Paral.* 32. *v.* 31. *Aventin. lib.* 1. *Annal. Bojoar. pag.* 20. ita ſcribit; Merodachus ad Ezechiam cum muneribus Legatos mittit exploratum, quidnam portentum ſibi vellet, quod tum acciderat. Ezechias letaliter ægrotabat, cui deſperanti ſalutem, complorantique fatum ſuum, Majeſtas æterna 15 annos adjecit: & diem, præter naturæ legem, prolongavit. Sic juſſu authoris natura retrorſum orientem verſus tendens, curſus repetierat relictos, & longiſſimum diem mortalibus miniſtrarat. Id fama divulgatum eſt, animadverſumque à Chaldæis. Hæc *Avent.* III. *Cauſa* eſt POLITICA, quæ additur à *Joſepho lib.* 10. *Antiq. Iudaic. cap.* 3. *pag.* 261. nempe, *ut Ezechiam ſocietate atque fœdere ſibi jungeret ad vicinos populos ſubigendos.*

VIII.

Addit præterea *Joſephus in loco alleg. Quomodo Ezechias Rex Legatos Merodachi exceperit, iiſque* theſauros regios oſtenderit, & quomodo eo nomine à Propheta Eſaia reprehenſus ſit: *Verba ejus hæc ſunt*: Ille exceptis Legatis comiter, & convivio regali adhibitis, theſauros etiam oſtendit, & apparatum armorum, & quicquid pretioſum auro conſtabat ac gemmis: atque ita cum donis remiſit ad Baladam. Aditus deinde ab Eſaia, rogatuſque, quinam eſſent qui venerant: ait, è Babylone miſſos à Rege veniſſe: oſtendiſſeque ſe illis omnia, ut viſis divitiis colligentes ex his ipſius potentiam, Regi ſuo renunciare poſſent certiùs. Tum Propheta reſpondens: Scito, inquit, quòd hæ divitiæ *paulo poſt* transferentur in Babyloniam, & poſteri tui virilitate amiſſa eunuchi ſervient Regi Babylonio. Hæc enim prædicit Dominus. Ezechias contriſtatus hac prædictione, ait; ſe quidem malle gentem ſuam in eam calamitatem non incidere, ſed quando non aliter viſum ſit Deo, precari, ut ſaltem ipſe poſſit in pace, quod reliquum vitæ, exigere. *Hæc ille.* Eodem modo etiam *Eſaias in cap.* 39. ſcribit. Et *v.* 8. ſubjungit: Et dixit *Ezechias ad Eſaiam*: *Bonum verbum Domini quod loquutus eſt*: Et dixit; *Fiat tantùm pax & veritas in diebus meis.* h. e. Deus me vivo tranquillum Reipubl. ſtatum largiatur. Unde patet, quòd hæc oſtentatio Regis Ezechiæ captivitatis ſubſequuturæ cauſa ſaltem remota fuerit, quæ contigit filio ejus *Manaſſe*, quem *Benmerodach*, Merodachi filius, fœdo carceri per decennium addixit: Unde tamen malè actorum ductus pœnitudine in regnum remiſſus eſt.

IX.

3. RELIGIO. *Merodachus fuit idololatra.* Nam ita *Jeremias c.* 50. *v.* 2. ſcribit: Capta eſt Babylon, confuſus eſt *Bel*, (ſummum Babyloniorum idolum, in honorem Beli erectum) *contritus Merodachus*, (h. e. idolum Merodachi, ab amara contritione ſic dicti, eſt contritum) & *confracta ſunt idola eorum.* Unde patet, quod Merodachus ad exemplum Beli, ſecundi Babyloniorum Monarchæ, etiam idola de ſuo nomine dicta erexerit, iiſque cultum divinum exhiberi juſſerit. Unde etiam *Jeremias* Propheta urbi Babyloni, ejuſque ſtatuis atque idolis, excidium atque exitium prædicit.

III. EGRESSVS.

X.

Merodachus regnavit annis { 12 / 29 / 40 } juxta { Metaſthenem & Avent. *lib. 1. Annal. p. 20.* / Beroſum & Ioſephum. / Funccium & Reinecc. *Syntag. heroic. p. 62.* }

MONARCHA XLV.
BENMERODACHUS.

ORTVS.

I.

BENMERODACHUS, h. e. Merodachi filius, parenti defuncto in imperio ſucceſſit.

PROGRESSVS.

II.

Hic parentis cum Judæis amicitiam initam deſeruit, & magnam Judææ partem depopulatus, *Manaſſem Regem, Ezechiæ filium* (quem Deus juſtus mundi Judex ob horrenda ſcelera atque flagitia, quæ 2 *Reg.* 21. & 2 *Paral.* 33. enumerantur, caſtigare voluit) in agro oppreſſum per Duces ſuos vivum cepit, atque vinctum catenis atque compedibus duxit in Babylonem, atque carceri tetro, vinculiſque duriſſimis annos decem incluſit, *anno Regni ejus* 41. ſicut *Lyra* in 2 *Reg.* 21. ſcribit. Vide 2 *Paral.* 33. 11. Hæc fuit *captivitas Babylonica prima*, (quæ alias *particularis* dici poteſt) in qua Rex Manaſſes, & non ſimul totus populus Juda captivus abductus eſt, ſed paucæ tantùm perſonæ; uti colligitur ex 2 *Reg.* 21. 14. Quam captivitatem *Eſaias Propheta* Ezechiæ Regi, poſtquam ex oſtentatione regios theſauros Legatis Merodachi oſtendiſſet, hiſce verbis prædixit, *Eſai.* 39. *v.* 5, 6, 7. *Audi verbum Domini exercituum: Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua ſunt, & quæ theſaurizaverunt patres tui, uſque ad diem hanc, in Babylonem: non relinquetur quicquam, dicit Dominus. Et de filiis tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis.* Et *verſ.* 8. additur: *Et dixit Ezechias ad Eſaiam: Bonum verbum Domini quod loquutus eſt; Et dixit: Fiat tantum pax & veritas in diebus meis!* Idem confirmat *Joſephus lib.* 10. *Antiquit. Iudaic. cap.* 3. Scito, *inquit*, quòd hæ divitiæ PAULO POST transferentur in Babylonem, cùm & poſteri tui, virilitate amiſſa, eunuchi ſervient Regi Babylonio. *Hæc Ioſephus.* Quod Eſaiæ Prophetæ vaticinium poſteà in impio Rege Manaſſe, filio Ezechiæ, impletum eſt, quem Ben-Merodach Rex Babylonis captivum in Babylonem abduxit. In eandem ſententiam ſcribit *Aventinus lib.* 1. *Ann. p.* 20. Ben-Merodachus Manaſſem Regem Judææ omnibus flagitiis ſceleribuſque inquinatiſſimum (ut qui *Eſaiam Prophetam* ſerrâ ligneâ conſectum crudeliſſimè necaverit) vinctum Babylonem duxit: ubi eidem poſt tot adverſitates reſipiſcenti, & affirmanti, profitentique ſe non ampliùs peccaturum, ſupremus Deus pater indulgentiſſimus (qui purgari homines à peccatis maximè cupit) non ſolùm veniam omnium criminum donavit, verùm rurſus quoque ad Imperii culmen ipſum evexit, quò foret illuſtre divinæ clementiæ monumentum.

NOTA.

Captivitas Regis Manaſſis à quibuſdam Hiſtoricis refertur *ad tempora* { *Merodachi*: ut à *Suida* & *Cedreno*. Verùm hæc narratio nullo argumento ab illis confirmatur, eamque fabula Suidæ de ſtatua ferrea, in qua Manaſſes aſſervatus ſit, ſuſpectam reddit. / *Ben-Merodachi*: ut *Aventinus Annal. l.* 1. *p.* 20. *Reinecc. Syntagm. Heroic. p.* 62. Quæ ſententia cum Chronologia exactè congruit. }

EGRESSVS.

III.

Ben-Merodachus, conſentiente Chronologorum calculo, XXI annis regnavit. *Avent. l.* 1. *Annal. p.* 1. *Reinecc. p.* 62. *Reuſn. Chronolog. p.* 199.

MONARCHA XLVI.
NABUCHDONOSOR I.

I.

NABUCHDONOSOR I. fuit Rex Babyloniorum longe clariſſimus, qui Ben-Merodacho ſucceſſit. *Joſeph. lib.* 1. *contra Appion.* NABULASSAR. *Ptolemæo* NABOPOLLASSAR. *Straboni l.* 15. NABOCRODOSORUS appellatur.

II.

Bella geſſit duo. Unum cum Phraorte Medorum Rege, quem caſtris & vita exuit. *Alterum* verò *cum Pharaone Nechone*, vel *Necchao Ægypti Rege.* (qui *Joſiam Regem Iuda* tranſitum per Regionem ſuam denegantem, prælio fuſum interemit.) Contra hunc Nabuchdonoſor in limine ſenectæ filium cum valido exercitu miſit. At ille cognito Babylonii conatu,

tu, non contemſit hoſtem, ſed cum validis & numeroſis copiis ad Euphratem in Chaţcamis ei ſe oppoſuit, & collatis ſignis cum eo congreſſus, amiſſis multis millibus, coactus eſt cedere. Babylonius autem ſuperato Euphrate totam Syriam Peluſium uſque ſubegit. Factum hoc quarto anno Jojakimi filii Joſiæ Regis Juda. Vide *Jerem.* 46. *v.* 1, 2. *Joſeph. lib.* 1. *Antiq. Judaic. c.* 7. *pag.* 266.

III.

Nabuchdonoſor moritur, cùm regnâſſet.

Annos { 21 / 36 } juxta { *Ptolemæum in Canone.* / *Reinec. Syntag. Heroic. p.* 62. *Avent. Annal. Bojoar. l.* 1. *p.* 20.

MONARCHA XLVII.

NABUCHDONOSOR II.

cognomento MAGNUS.

CAPUT I.

DE ORTV.

H.e. *Nomine atque Origine ejus.*

I.

NABUCHDONOSOR cognomento MAGNUS; *Ptolemæo* NABOPOLLASSAR, Straboni NABOCRODOSORUS appellatur: filius Nabuchdonoſoris primi fuit. Ebraicè dicitur נבוכד־נאצר NEBUCADNEZAR 1 *Paral.* 6. *v.* 15. נבוכד־נאצר *Dan.* 1. 1. Græcè Ναβυχοδονόσορ, *Judith.* 1. *v.* 5. procreans interitum, *vel* pulchris inſidians. Item dicitur נבוכד־ראצר NEBUCAD-REZAR procreans interitum! *vel* ſtercori inſidians. *Ierem.* 32. *v.* 1. ראי Ebræis ſignificat omne quod viſu eſt abominabile, ut fimus, ſtercus. *Nahumi* 3. *verſ.* 6. Ponam ut ראי, ſpeculum h.e. exemplum, quod omnes intueantur, tam fœdum & ignominioſum, ut omnes ab illo intuendo abhorreant. נאי idem eſt quod pulchritudo, & נאה pulchrum. Idcircò Nebucadnezar in Scriptura interdum vocatur NEBUCADNESAR: interdum verò NEBUCADRESAR: idque non ſine cauſa. Nam eo inſinuatur, quod *Nebucadnezar* Rex Babylonis potentiſſimus *inſidiaturus ſit Judæis impœnitentibus*, imò planè eos vaſtaturus, *qui initiò* quidem *decori* & *pulchri* coram Deo: & סגולה *ſegülla*, λαὸς περιούσιος, h.e. populus Dei peculiaris erant, *Deut.* 7. *v.* 6. *Exod.* 19. *v.* 5. cùm in præceptis ejus ambulabant. *Poſteà* verò cùm à Deo & Domino ſuo deficerent, & cum diis alienis ſcortarentur, à Deo abjecti, *& coram facie ejus velut excrementum* aut *purgamentum*: h.e. velut fimus aut ſtercus facti ſunt. *Chytræus in Onomaſt. pag.* 290. ita hoc Nomen interpretatur. *Nebucadneſar* (inquit) eſt prophetans hujuſmodi anguſtiam; à *Nab* prophetans, *Cidnah* hujuſmodi, *Zar* anguſtia: vel divinus judex, Aſſyrius: vel tribulator, à צור ligavit, colligavit. item: hoſtiliter egit, arctavit, anguſtiis affecit. *Schindl. Lex. p.* 1154. derivat à נצר. Quod 1. ſignificat *ſervavit, conſervavit.* 2. per *antiphraſin*, *deſtruxit, vaſtavit, deſolavit.* Nam Nabuchdonoſor fuit terribilis omnium Gentium deſtructor. Vide *Habacuc.* 1. *v.* 15, 16. *Nahum.* 2. 2. Aſcendit diſſipator contra faciem tuam נצור deſtruere munitionem. *Ierem.* 4. *v.* 16. נצרים devaſtatores veniunt ex terra longinqua exercitus נבוכד־נצר Nebucadnezer; ad cujus nomen alluditur. *Hæc Schindl.* Hujus Nabuchdonoſoris fit mentio 2 *Reg.* 25. 2 *Paral.* 36. *Ierem.* 39, 52. *Daniel.* 1, 2, 3, 4.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

Et quidem

1. *DE ACTIS POLITICIS.*

II.

Acta Nebucadnezaris Politica ſunt gemina. 1. *Polemica* vel *Bellica.* 2. *Irenica* vel *Togata.*

1. *Acta Bellica.*

III.

Nebucadnezarem plurima geſſiſſe bella, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Nam *Joſephus lib.* 10. *Antiq. Judaic. c.* 11. *p.* 276. *& lib.* 1. *contra Appion. & Strabo lib.* 15. *Geograph.* citant ex *Metaſthene*, eum fortitudine & rerum geſtarum magnitudine, Hercule præſtantiorem habitum fuiſſe, urbem Africæ primariam, bonamque partem Hiſpaniæ Regno ſuo adjeciſſe. Deus ipſe vocat eum *Malleum univerſæ terræ*, quo Gentes confregerit & Regna contriverit. *Ierem.* 50, 22. & *c.* 51. *v.* 20. Inter ea, quæ nominatim apud Scriptores reperiuntur, hæc ſunt præcipua.

IV.

Anno M. 3347. & *regni ſui primo, à patre ſuo adminiſtrationem belli contra Nechaonem Ægypti Regem accipit*, contra quem magno animo in Syriam profectus victum ad Euphratem fugat, & fortunam urgendo, mulctat provinciis omnibus, quas in Aſia ille acquiſivit, & in ipſo Ægypti aditu Peluſium

luſium urbem capit. *Jerem.* 46. Et hinc Scriptura S. annos Regni ejus inchoat.

V.

Cùm autem hoc ipſum *Rechabitæ* audirent, ejus terrore Jeroſolymam ſe conferunt. Nebucadnezar verò victoriam perſequutus, Jeroſolymam venit dira minans, ni tributa pendant, ſicut reliqui Syriæ habitatores. *Rex* itaque *Jojakimus*, timore ſuadente, pacem mercatus pecuniis integro triennio imperata tributa perſolvit, vel tribus annis ei ſerviit; ſicut dicitur 2 *Reg.* 23. *v.* 63. *Joſeph. lib.* 10. *Antiq. Iudaic. cap.* 7.

Factum hoc eſt anno
- 3351. à condito Orbe.
- 132. à condita urbe Roma.
- 8. Regni Jojakimi Regis in Juda.
- 4. ſui Regni in Syria.
- 620. ante Chriſti nativitatem.

VI.

Deinde Nebucadnezar exercitum tranſtulit in *Phœniciam & metropolin Tyrum, ejuſque Regem Ithobalem oppugnavit atque devicit*, ſicut *Diocles* in *ſecundo rerum Perſicarum libro*, & *Philoſtratus tam in Phœnicum, quàm Indorum hiſtoriis*, tradunt. Tyrus autem metropolis Phœniciæ fuit, & Regum Judæorum & Perſarum temporibus: ſimilis fuit Venetiis, uti patet ex *Ezechielis* 27. ſuper petra vel rupe exſtructa, & ſeptingentis paſſibus à continente diviſa. Unde Ebraice dicta eſt צר vel צר. Fuit urbs pulcherrima. Unde *Eſai.* 23. *v.* 8. *Corona urbium*; ſicut hodie *Venetiæ* Regina urbium appellatur. *Bis Tyrus eſt vaſtata.* Primò à *Nabuchdonoſore* Rege Babyloniorum. Deinde *ab Alexandro Magno. Hæc vaſtatio* prædicta fuit ab *Eſai. c.* 23. *v.* 1, 2, 3. quòd nempe è terra Cethim, h. e. è Macedonia Alexander M. Tyri everſor venturus ſit; qui eam ſex menſium ſpatio delevit. *Illa* verò prædicta eſt ab *Ezechiele cap.* 26. *v.* 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14. Sic ait Dominus Jehovah: Ecce, ego adducam contra Tyrum *Nebucadnezarem Regem Babyloniæ ab Aquilone, Regem Regum*; cum equis curribuſque & equitibus, & congregatione, populoque multo. Filias tuas per agrum gladio interficiet: & diſpoſito contra te propugnaculo, diffundet in te aggeſtas moles, & ſtatuet contra te clypeum: Et helepolin diſponet in muros tuos, & turres tuas demolietur cultris ejus. Præ agminibus equorum ejus operiet te pulviſculus eorum; præ ſtrepitu equitum & eſſedorum curruſque commovebuntur muri tui: quum intrabit intra portas tuas, ad ingreſſus civitatis diſrupta patebis. Ungulis equorum ſuorum calcabit omnes vicos tuos: populum tuum gladio interficiet, & ſtationum robuſtarum tuarum unaquæque in terram deſcendet. Et prædabuntur opes tuas, diripientque mercem tuam, ac deſtruent muros tuos, & domos deſiderabiles tuas demolientur. Et lapides tuos lignaque tua, etiam pulverem tuum, in medio aquarum ponent. Ita faciam ut ceſſet ſtrepitus canticorum tuorum, & ſonus citharārum tuarum non audietur ampliùs. Et redigam te in arduam petram: locus expandendis ſagenis eris, non ædificaberis ampliùs; nam ego Jehova loquutus ſum, dictum Domini Jehovæ.

Senſus horum verborum hic eſt: Dominum Adonai Jehovah ipſummet adducturum contra Tyrum Nebucadnezarem Regem Babyloniæ ab Aquilone, Regem Regum, cum equitatu, curribus falcatis & peditatu numeroſo, qui in tota ditione Tyriorum omnes pagos, villas & omnia oppidula eſſet vaſtaturus, & incolas abſque diſcrimine ætatis & ſexus interfecturus, tum urbem Tyrum ipſam obſeſſurus: molibus aggeſtis & machinis obſidionalibus ad verberandos evertendoſque muros comparatis oppugnaturus; (è quibus machinis eſt *helepolis*, quæ ferramentis mucronatis veluti cultris muros proſcindit & ſubruit, quam Ebræi periphraſi quadam vocant *inſtrumentum delens* quod adverſum eſt ſibi. deſcripſit illud *Ammianus Marcellinus lib.* 23.) cum omni exercitu urbem trementem ingreſſurus, vicos omnes occupaturus, obvium quemque trucidaturus, facultates omnes prædaturus, merces direpturus, muros deſtructurus, domos magnificas & elegantiſſimas demoliturus, lapides lignaque, etiam pulverem ipſum, in mare, cui urbs ſuperſtructa erat, proturbaturus, atque ita ceſſatura omnia oblectamenta, & voluptatum inſtrumenta incolarum, quia trucidandi erant: urbemque redigendam in petram ſterilem, in qua piſcatores ſagenas ſuas expandant, non ædificandam amplius, nempe ab antiquis inhabitatoribus, qui exſtirpandi erant, nec eâ dignitate, elegantiâ, & celebritate, qua fuerat. Nam inſtaurata fuit & natura loci munita admodùm, & poſteà rurſus obſeſſa & expugnata ab Alexandro Magno.

VII.

Cùm parens ejus Nabopollaſſar 21 *annos regnâſſet, mortuus eſt, ipſe ei in regno ſucceſſit, & Rex Babylonis factus* eſt, ſicut *Ptolemæus in Canone*, & *Beroſus apud Joſephum* teſtantur.

VIII.

Tertio anno pòſt, cùm *Jojakimus Rex Iuda*, inductus ad vanas ſpes, rumoribus expeditionis Ægyptiorum contra Babylonios, à Nabuchdonoſore defe-

defeciſſet, & tributum promiſſum dare negaret, verùm exſpectatione ſuâ fruſtratus, cùm Ægyptii bellum inſtaurare non auderent, Nabuchdonoſor valido exercitu Jeroſolymam petit, in quam aſtu intromiſſus Regem perfidum cepit, & catenis ligatum Babylonem abduxit, ubi inglorius obiit, & *ſepulturâ aſini ſepultus eſt*; juxta vaticinium *Ieremiæ* Prophetæ *cap.* 22. *v.* 18. Et cum eo aliquot vaſa templi aſportata. 2 *Reg.* 24. *v.* 1. 2 *Paral.* 36. *v.* 6. *Ierem.* 52. 28. & ter mille atque viginti Judæi captivi abducti ſunt, inter quos nobiliſſimi & ſelectiſſimi Judæorum pueri Babylonem miſſi; inter hoſce autem *quatuor* pulchri & egregio præditi ingenio, nempè, *Daniel*, *Ananias*, *Miſaël & Azarias*, quorum nomina Nabuchdonoſor mutavit, & pro Daniele Belthſazarem, pro Anania Sadrachem, pro Miſaële Meſachem, & pro Azaria Abednego, appellari voluit, eoſque in omni ſapientia Chaldæorum inſtituit. 2 *Paral.* 36. *v.* 5. *Dan.* 1. *v.* 1. *Joſeph. l.* 10. *Antiq. Iudic. c.* 11. *p.* 273.

Factum hoc eſt anno
- 3354. ab Orbe condito.
- 135. ab urbe Roma condita.
- 7. Regni Nebucadnezaris in Syria. *Ier.* 52. *v.* 28.
- 4. Nebucadnezaris in Babel.
- 11. Jojakimi. 2 *Reg.* 24, 2 *Par.* 36.
- 1. Captivitatis Babylonicæ.
- 617. ante Chriſti nativitatem.

Dubium Chronologicum.

Dicis: *Iojakimum* eſſe captum à Nabuchdonoſore, Regno *Iojakimi* 11. idque probas ex 2 *Reg.* 24. *v.* 1. & 2 *Par.* 36. *v.* 5. ubi expreſſè habetur, quòd Jojakimus UNDECIM ANNIS regnaverit Jeroſolymis. *At contrarium* habetur *Dan.* 1. *v.* 1. ubi dicitur, quòd ANNO TERTIO *Regni Iojakimi Regis Iuda*, Nabuchdonoſor Rex Babyloniæ Jeroſolymam obſederit, eâque expugnatâ Jojakimum captivum abduxerit Babylonem.

Reſp. Neutiquam hæc inter ſe pugnant, Dicuntur namque πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο. Quare diſtinguantur tempora, & conciliabitur Scriptura. *Iojakimus* à Nabuchdonoſore captus eſt UNDECIMO Regni ANNO, videlicet ex quo Joachæ fratri, de Regno dejecto, ſurrogatus eſt à *Nechone Ægypti Rege*; & ANNO TERTIO, videlicet à relicto & confirmato ipſi Regno, à Nabuchdonoſore Magno, qui ſuperato Nechone Ægypti Rege, totius Syriæ dominatu potitus, Jehojakimum tributarium ſibi fecerat.

Hæc Chronologia confirmatur ex 2 *Reg. cap.* 23. *v.* 36. ubi dicitur: Viginti quinque annorum erat Jojakim, cùm regnare cœpiſſet; & UNDECIM ANNIS regnavit in Jeruſalem. Et 2 *Reg.* 24. 1, 2. additur: In diebus ejus adſcendit Nabuchdonoſor Rex Babylonis, & factus eſt ei Jojakim ſervus TRIBUS ANNIS, & rurſum rebellavit contra eum. Quamobrem immiſit ei Dominus exercitum Chaldæorum.

IX.

Deinde, cùm *Iojakimus captivus abduceretur*, *filius ejus Iechonias ei ſucceſſit*, *ſed tantùm tribus menſibus.* Nam metuebat Nabuchdonoſor, ne & ipſe deficeret, & mortem patris vindicaret; ideoque poſt tres menſes rediit, ut & illum abduceret. Advenienti autem cum exercitu, & Jeroſolymam obſidenti, de conſilio Jeremiæ prophetæ ſeſe in poteſtatem ejus tradidit, qui ab eodem cum matre vidua, & proceribus regni, & omnibus, qui aliquâ re eminebant, ad octodecim millia hominum in Babylonem tranſportatur. *Inter hoſce abductus eſt Ezechiel Propheta, qui hinc numerat* 70 *captivitatis Babylonicæ annos*, dum nonum captivitatis annum, menſiſque decimi decimam diem eſſe ait, in qua confirmatus eſt Rex Babylonis adverſus Jeruſalem; id quod factum eſt in deportatione Jechoniæ. Confer *Ieremiam cap.* 24. & 29. 2, 10. 2 *Reg.* 24. *v.* 8. 2 *Paral.* 36. *v.* 9, 10.

Factum hoc eſt anno
- 3354. ab Orbe condito.
- 7. regni Nebucadnezaris in Syria? *Ierem.* 52. 28.
- 4. regni Nebucadnezaris in Babylone.
- 1. Captivitatis Babylonicæ.
- 616. ante Chriſti nativitatem.

X.

Tertio Nebucadnezar Zedekiam patruum Iechoniæ, ultimum Regem in Iuda, poſtquam ei juramentum fidelitatis præſtitiſſet, in locum Iechoniæ ſubſtituit. Ezech. 17. *v.* 13, 14. qui undecim annis in Jeruſalem regnavit. *Ierem. cap.* 52. *v.* 1. Hic quarto anno Regni ſui ad Regem Babylonicum iter ſuſcipit. Hujus Comiti SARAJÆ *Ieremias* Propheta vaticinia ſua tradidit, de exilio Babylonico, in publico prælegenda, & poſtea ad lapidem alligata in Euphratem abjicienda. Sicut enim liber ſententiæ & ſupplicii de Babylone ſumendi ad lapidem alligatus in Euphratem projiciebatur, & ſubito ſubmergebatur: ita etiam Babylon. *Ierem. cap.* 51. *v.* 59, 60, 61, 62, 63, 64.

Factum anno
- 3358. ab Orbe condito.
- 11. regni Nebucadnezaris in Syria.
- 8. regni Nebucadnezaris in Babylone.
- 4. captivitatis Babylonicæ.
- 4. regni Zedekiæ. *Ierem.* 51. 59.
- 613. ante nativitatem Chriſti.

XI.

Verùm ZEDEKIAS, *cum octo annos ſervus Regis Babylonis fuiſſet*, anno M. 3362. ab eodem deficit, atque juramentum fecit irritum, & pactum quod cum eo habebat, irato Numine, ſolvit; cumque PSAMNO *Ægypti Rege contra Nabuchdonoſorem de auxiliis paciſcitur. Ezech.* 17. *v.* 14, 15, 16, 19. Quo cognito, Nebucadnezar anno M. 3363. exercitum contra eum duxit, regioneque vaſtatâ, & arcibus occupatis, ad ipſam Jeroſolymam oppugnandam acceſſit. *Ezech.* 24. 2. *Ierem.* 52. *v.* 4. APRYES autem Rex Ægypti (alias *Vaphres* dictus, qui Pſamno ſucceſſerat) audiens in quibus anguſtiis Zedekias ſocius eſſet, aſſumto valido exercitu, Judæam petiit, Jeroſolymæ obſidionem ſoluturus. Verùm Rex Babylonius, intermiſſa obſidione, obviam illi profectus, eum uno prælio victum totâ Syriâ expulit. Quo facto, exercitum iterum admovit Jeroſolymæ, & continuatâ per 18 menſes obſidione, ſummis viribus urbem expugnare conatus eſt, octo exſtructis aggeribus, & erectis turribus, è quibus arcebat propugnatores ſtantes in mœniis. Nec ſegniter interim defendebatur urbs, nec fami, nec peſti (quibus malis ingentibus civitas intùs conflictabatur) ſuccumbentibus, ſed obduratis animis omnia mala perferentibus; ac ne machinis quidem hoſtium territi, alias contrà machinas excogitabant, ut inter ſe utrique non viribus ſolùm certarent, verùm etiam artibus. Tandem ſuccubuêre cives, partim inediâ victi, partim ſupernè è turribus telorum multitudine oppreſſi. Quam victoriam Nabuchdonoſor anno regni 18 obtinuit, poſtquam Jeroſolymam 18 menſium pertinaci obſidione fatigaſſet. *Ierem. cap.* 39. *v.* 1, 2. Captâ urbe Zedekias Rex, aſſumtis uxoribus, liberis, Ducibus & amicis ſuis, fugam arripuit per fauces quaſdam anguſtias in deſertum. Quod cùm Babylonii cognoviſſent transfugarum indicio, inſequuti non procul à Jerichunte eos circumvenerunt. Amici verò & Duces, fugæ comites, viſis è longinquo hoſtibus, relicto Zedekiâ, diſſipati ſunt, quâ quemque tulit ſpes effugii. Ipſe pene deſertus, cùm uxoribus & liberis, ac paucis amicis, in hoſtium poteſtatem devenit; & mox ad Regem, qui tunc in Syriæ urbe Reblath degebat, perductus eſt. Cui poſtquam Nabuchdonoſor ingratum perfidumque animum exprobrâſſet, è veſtigio juſſit, ipſo & aliis captivis inſpectantibus, filios ejus & amicos trucidari. Deinde ipſum excæcavit, Babylonem ſecum abducendum; indignum luce ratus eum, qui perjurio ſuo Deum & homines offendiſſet. *Poſtea anno XIX. Regni ſui Nabuzaradanem* Ducem Jeroſolymam cum mandatis miſit, *ut ablatis Templi & Regiæ ornamentis totam urbem unà cum Templo & Regia incenderet, & à fundamentis diruеret.* Hic dirutis omnibus, & populo migrare juſſo, captivos ſecum duxit ſexaginta viros primarios, qui ad Regem in prædictam Syriæ urbem perducti, ſupplicio afficiebantur, partim quòd Zedekiæ rebellionis authores fuiſſe viderentur, partim ne denuò res novas in Judæa molirentur. His omnibus peractis, Nebucadnezar Babylonem revertitur, abductis ſecum è Judæa 832 captivis: transfugas verò & pauperes illic reliquit, & GEDALIAM *Ducem* ipſis præfecit, ad quem Judæi reliqui in regnis finitimis habitantes confluebant. 2 *Reg. cap.* 25. *v.* 1. 2 *Paral.* 36. *v.* 11. *Ierem. c.* 39. *v.* 1. & *cap.* 52. *v.* 1. *& ſeqq. Joſephus lib.* 10. *Antiq. Iudaic. c.* 11.

Factum anno
- 3365. ab Orbe condito.
- 606. ante Chriſti nativitatem.

[NOTA I.

De Æra captivitatis Babylonica (de qua in §. 9. diximus) *magna inter Chronologos eſt controverſia, quiſnam 70 annorum captivitatis* TERMINUS à QUO *ſit conſtituendus*; ſive unde anni illi ſint incipiendi. Nam *captivitates Babylonica quatuor fuerunt.*

IN PRIMA *abductus eſt impius Rex Manaſſes à Ben-Merodacho, & non populus Juda.* Unde illa hic non attenditur. Factum hoc eſt anno 41 Regni ejus, & 10 annos catenis ferreis ligatus, carceri incluſus fuit. 2 *Reg.* 21. *verſ.* 12. 2 *Paral.* 33. *v.* 11.

IN SECUNDA *à Nebucadnezare Joiakim Rex Juda antepenultimus*, vinctus Babylonem abductus, in exilio moritur inglorius. 2 *Reg.* 24. *verſ.* 1, 2. 2 *Paral.* 36. *v.* 6, 8. Et cadaver ejus ſepulturâ aſini ſepelitur; juxta verbum Prophetæ *Jeremiæ cap.* 22. *v.* 18. *c.* 36. *v.* 1, 30. Inter hoſce captivos etiam fuit *Daniel Propheta*, & ſocii ejus. *Daniel.* 1. *v.* 1, 2, & 6.

IN TERTIA abductus eſt *Jechonias, filius Joiakimi*, Babylonem à *Nabuchdonoſore*, poſtquam ille tribus menſibus regnaſſet in Jeruſalem. 2 *Reg.* 24. 8. & 18000 partim optimates, partim diverſi ordinis homines cum eo omnes in exilium voluntarium migrarunt. Et unà cum illis transportatus etiam fuit *Ezechiel Propheta.* 2 *Paral.* 36 *verſ.* 10. *Jerem.* 22. *v.* 24. *c.* 24. *v.* 1. *c.* 27. *v.* 20. *c.* 29. *v.* 2.

IN QUARTA *Zedekias, Rex Juda ultimus*, unà tum totò Regno Juda in captivitatem abductus eſt à Nebucadnezare. 2 *Reg.* 25. *v.* 1, 7. 2 *Paral. cap.* 36. *v.* 17. *Ierem. c.* 24. 8. *c.* 27. *v.* 3. *c.* 39. *v.* 1. Ubi tenendum, quod anni 70 captivitatis Babylonicæ à captivitate Regis Jechoniæ ſint ordiendi. Vide *Ierem. cap.* 24. *v.* 5. *& cap.* 29. *v.* 2. 13. *Ezech. cap.* 24. *v.* 1, 2.

NOTA II.

Quia diverſorum *Joſiæ Regis Juda filiorum* in diverſis captivitatibus Babylonicis fit mentio, partem Genealogiæ ejus hic ſubjiciemus.

JOSIAS habuit tres filios. Qui ſunt:

Joachas, vel *Sellum*. Hic abductus eſt à Necao, & interfectus in Ægypto.

Jojakim, vel *Iehojakim*, abductus Babylonem, in exilio mortuus & ſepultura aſini ſepultus eſt. *Jerem.* 22. *Quæ fuit ſecunda captivitas.* (Nam in *prima* captivitate abductus eſt *Manaſſes.*) *Jojakimi* filius fuit *Ieconias* (*Iechonias* vel *Ioachin.*) Qui, obtemperans conſilio Jeremiæ, deditionem fecit ſponteneam, &, à Nebucadnezare Babylonem abductus, 37 annos carceri incluſus fuit. *Jerem. cap.* 52. *v.* 31, 33. Quæ fuit *tertia captivitas.* Et ab hac captivitate Theologi & Hiſtorici æram 70 annorum captivitatis Babylonicæ ordiuntur.

Zedekias, (alias Matthathias dictus, 2 *Reg.* 24. *v.* 17.) *patruus Jechoniæ*, capta Jeroſolyma, effoſſis oculis, Babylonem abductus eſt. Quæ *quarta captivitas.* Ipſeque, Rex ultimus Juda fuit. Nam poſt captivitatem Babylonicam, qui regno Juda præfuerunt non מלכים *Reges*, ſed שרים *Duces*, appellantur, quia erant ſub poteſtate Gentium. Vide *Hagg. c.* 1. *v.* 1.

XII.

Quinto autem *poſt excidium Jeroſolymitanum anno*, qui XIX *Nebucadnezaris fuit*, 2 *Reg.* 25. 22, 25. cum ISMAEL quidam è *regio ſtemmate ortus*, vir alioqui malus & doloſus, ex inſtinctu *Bathalis Ammonitarum Regis*, ad quem tempore obſidionis profugerat, GEDALIAM *Judæa Præfectum* occidiſſet, & reliqui Judæi, gravem cædis vindictam veriti, in Ægyptum aufugiſſent, *Nebucadnezar* collectis magnis copiis, *invaſit Cœle-Syriam.* Quâ ſubactâ, bellum geſſit contra *Moabitas* & *Ammonitas*; & his quoque domitis *Ægyptum* hoſtiliter eſt ingreſſus, totamque imperio ſuo ſubjecit, & fortunatiſſimum antea Regem APRYERA (qui à *Jeremia cap.* 44. *v.* 30. HAPHRA, *Euſebio* VAPHRES appellatur) opulentiſſimo *exuit regno*, atque (ut *Joſephus lib.* 10. *Antiquit. Judaic. cap.* 11. *pag.* 273. ſcribit) etiam *occidit. Herodotus lib.* 2, narrat, *Apriën* à Cyrenæis victum regno excidiſſe, jubente procul dubio Nebucadnezare, poſtea à ſucceſſore ſuo *Amaſi*, ex voluntate Ægyptiorum *ſtrangulatum eſſe*, cum regnaſſet 25 annis. Ita Rex ille ſtolidiſſimus, qui antea ſe, nec Deorum nec hominum vi, regno dejici poſſe ſuperbè gloriatus fuerat, immanis ſuperbiæ pœnas dedit.

Hiſce peractis, Nebucadnezar anno 23 Judæos ibi repertos Babylonem abduxit, qui erant 745. *Jerem.* 52. *v.* 30.

XIII.

Tot ergo tantiſque victoriis quam celerrimè partis mirum in modum aucta eſt Nabuchdonoſoris majeſtas atque potentia. Nam *Caput* ille in ſtatua Monarchica erat *aureum*, & *Rex omnium Regum. Daniel. c.* 2. *v.* 37, 38. *Ezech.* 26. 7. Ipſe erat *arbor* illa *grandis*, cujus culmen ad cœlum uſque pertingebat, quæque totum terrarum orbem velut obumbrabat. *Dan.* 4. *v.* 17. Imò ipſe omnes priores Chaldæorum & Babyloniorum Reges potentia & opibus ſuperabat. *Joſephus lib.* 1. *contra Appion.* Verum ſicut *prima Monarchia ſub hoc Rege ad ſummum perducta fuit faſtigium*: ita quoque *deſiit & planè deleta eſt in ipſius nepotibus*; ſicut Deus per Prophetas ſuos denunciaverat.

II. *Acta Irenica, ſive Togata.*

XIV.

Nebucadnezar domitis in circuitu gentibus, belli laborum nonnihil pertæſus, ad pacem ſe convertit; primum omnium captivos recens adductos per opportuna Babyloniæ loca in colonias diſtribuit. De ſpoliis bello partis, Belli templum & alia quædam magnifice exornavit. Auxit etiam & reparavit antiqua urbis ædificia, munito & fluminis alveo, ita ne hoſtes eo poſſent uti ad civitatis incommodum. Tres quoque *murorum* ambitus intra urbem exſtruxit, & totidem foris circumdedit, omnes è coctilibus latereculis. Cumque memorabilibus operibus civitatem muniviſſet, & *portas* in templorum modum ornaſſet, paternæ regiæ contiguam exſtruxit aliam *regiam*, cujus ſubſtructiones & reliquam magnificentiam fortè ſupervacaneum eſſet dicere: unum ſilere non poſſum, quòd tam amplum & ſuperbum ædificium intra quindecim dies abſolutum eſt. In hac regia moles ſaxeas fornicibus ſuſpendit, montium ſpeciem referentes, ſupernè conſitas variis arborum generibus, atque ita celebratos illos penſiles hortos abſolvit, eò quòd uxor educata in Media concupiſſet quondam patriæ ſuæ ſimilitudinem. *Joſeph. l.* 10. *Antiq. Judaic. cap.* 11. *pag.* 276. Hoc in proſperrimo rerum omnium domi foriſque ſucceſſu, magno ſibi ſpiritus magnamque ſumebat arrogantiam, ita ut tantum regnum ſibi ipſi acceptum ferret, atque reti ſuo ſacrificaret, & thymiama adoleret ſagenæ ſuæ. (ut *Habacuc Propheta cap.* 1. *v.* 16. loquitur.) Neque, vel à Daniele Propheta admonitus, agnoſcere volebat, divinitùs imperia dari & auferri; uti ex faſtuoſis ejus verbis patet, quæ protulit cùm aliquando in palatio regio deambularet: *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam* EGO *ædificavi in domum Regni* MEI, *in robore fortitudinis*

dinis ΜΕΕ, *& in gloria decoris* ΜΕΙ? *Dan. c. 4. v. 27.* Verùm Deus, ὃς ἐχει ἔκδικον ὄμμα, qui habet vindicem oculum, immanem iſtam inſolentiam, cum ſecuritate & impœnitentia conjunctam, acerrimè vindicavit, & pœnæ tarditatem magnitudine compenſavit; uti poſtea dicturi ſumus.

II. *ACTA ECCLESIASTICA.*

XV.

Anno M. 3349, qui fuit annus ſecundus regni, poſtquam Nebucadnezar Magnus, parenti ſuo Nabuchdonoſori vel Nabopollaſſari in Chaldæa & Babylone ſucceſſerat, Deus voluntatem ſuam ei de IV Monarchiis in Coloſſo præfiguratis, mediante ſomnio oſtendit. Erat autem ejuſmodi: *Viderat* Nebucadnezar *ſtatuam* (notatur mundus) *capite aureo fulgentem* (Monarchia Babyloniorum) *brachiis argenteis* (Monarchia Perſarum) *ventre & femoribus aneis* (Monarchia Græcorum) *tibiis ferreis*, (Monarchia Romanorum) *cujus pedes partim ferrei, partim fictiles erant*, (notatur Imperii diviſio) *ſed teſtum & ferrum inter ſe confuſa coire non poterant.* (hoc eſt, in Imperio Romano poſt ejus diviſionem fuerunt multi Imperatores fortiſſimi, qui utriuſque Imperii Orientalis & Occidentalis conjunctionem tentarent; ſed tamen nunquam ad priſtinum florem, dignitatem & potentiam imperium diſtractum potuerunt reducere: adeoque nulla vis, neque conſœderationes, aut per conjugia contractæ amicitiæ, quicquam proficere potuerunt.) *Tandem totum hunc coloſſum* (hoc eſt, Regna mundana) *Lapis* (Chriſtus) *ſine manibus à monte abſciſſus* (hoc eſt, ſine viri opera ex populo Judaico inſtar montis excelſi miraculoſe natus) *in pedibus percuſſit, omniaque in pulverem redacta vento credebantur.* Vide *Dan. 2. v. 32, 33, 34, 35, 43.* Hoc autem ſomnium nemo Magorum Chaldaicorum Regi vel narrare, vel enarrare poterat; & actum de vita eorum fuiſſet, niſi Daniel ſuperveniens, & ſomnium ipſum Regi narraſſet, ejuſque ſenſum ex divina revelatione enarraſſet. Et hac ſuâ ſapientiâ tantam ſibi authoritatem comparavit, etiamſi adhuc juvenis eſſet, ut Nebucadnezar eum Satrapam Regni Babylonici loco à ſe proximo conſtitueret. *Dan. 2. v. 46, 47, 48.*

XVI.

Hic jucunda QUÆSTIO ſeſe offert, *quale illud Nebucadnezaris ſomnium fuerit?* Ad quod reſpondemus, ſomnia ratione cauſarum efficientium eſſe triplicia.

Somnia namque ſunt

1. PHYSICA, (quæ Græcis dicuntur ἐνύπνια, Latinis *inſomnia*) quæ ex ſeſe natura animæ format; ſicut *Clemens Alexandrin. l. 2. Pædagog. c. 9.* ſcribit.
2. SATANICA, quæ à Satana hominibus immittuntur. Qualia fuerunt Baalitarum 2 *Paral. 18.* & *Tundali Hyberni*, quibus purgatorium & cultus idoli Maoſim ſtabilitus fuit, & *Carolſtadii*, *Swenckfeldii*, aliorumque hominum fanaticorum.
3. DIVINA, quæ ſunt Θεόπνευſα, hoc eſt, divinitus immiſſa.
   - vel *fidelibus*; ut *Patriarchis*, *Prophetis*, Jacobo, Joſepho, Danieli, &c. aliiſque piis.
   - vel *infidelibus*, qui non erant de populo Dei; ut *Abimelecho*, *Geneſ. 20. v. 3.* *Labani*, *Gen. 31. v. 24.* *Pharaoni*, *Geneſ. 41. 1.* & *Nebucadnezari*. *Dan. 2.*

Hæc autem ſomnia Θεόπνευſα omnia ſunt μαντικὰ, h. e. divinationem continentia, eaque ſunt

- *nuda ἐνύπνια*, hoc eſt, viſa, quæ expreſſe & explicatè citra figuras & involucra allegoriarum & ænigmatum repræſentant res arcanas & futuros eventus, ac proinde eodem modo ſunt & eveniunt, quo apparuerunt. Sic Joſephus, cui Maria erat deſponſata, ſomnio monetur, eam è Spiritu Sancto gravidam eſſe. *Matth. 1. v. 20.*
- Ὄνειρος vero ſunt talia ſomnia, quæ figuris, allegoriis & ænigmatibus quibuſdam ſunt tecta atque involuta, & ſine interpretatione intelligi non poſſunt. *Tale* fuit ſomnium *Joſephi. Gen. 37. Pharaonis. Gen. 41. v. 18, 19. & 22, 23, 24. Nebucadnezaris*, *Dan. 2.*

Nam licet ſomnium Nebucadnezaris ἀφορμὴν à cauſa naturali habuerit, quòd nempe ipſe de imperii poſt ſe futura conditione ſollicitè cogitarit: nihilominus tamen ad ſomnia Θεόπνευſα ſive *divina* referri debet; uti ex Danielis verbis conſtat, quæ habentur *Daniel. 2. v. 28.* Deus in cœlo revelans

MY-

MYSTERIA indicavit tibi Nabuchdonosor, quæ eventura sunt in novissimis temporibus. Et ex verbis ipsius Regis *v.* 47. Verè Deus vester Deus Deorum & Dominus Regum, REVELANS MYSTERIA. Quoniam tu potuisti revelare HOC ARCANUM.

XVII.

Quaenam autem causa fuit, quare Deus infidelem Regem Nebucadnezarem hoc divino atque mystico somnio dignatus est?

Resp. Causa somnii hujus divini atque mystici in *genere triplex* dari potest.

Causa
- 1. *Theologica* est *agnitio divina*
  - 1. *Sapientiæ*: nempe ut Sapientia Danielis θεόπνευστος à Magorum Chaldaicorum sapientia, quæ fuit partim ἔμφυτος, partim ἐπίκτητος, discerneretur, atque hoc modo ipsorum præstigia atque fallaciæ manifestæ redderentur.
  - 2. *Potentiæ*: ut palam fieret, Regna terrena esse sub alio Regno, quod *Daniel c.* 2. *v.* 44. *cœli Regnum* appellavit. In quam sententiam etiam *Seneca* rectè ait: Omne sub Regno graviore Regnum est. Atque Regnorum successionem & Ecclesiæ in ea conservationem opus esse divinæ Majestatis. Nam Deus removet Reges, & instituit. *Dan.* 2. 21.
- 2. *Ethica*, est *Regis humilitas*: ut Rex superbus & arrogans instabilitatem & brevitatem Regni sui, non multo pòst ad aliam gentem transferendi, agnoscens, spiritus suos deponeret, seque Deo vero submitteret; neque cursum victoriarum felicem atque glorioſum, & eminentiam potentiæ atque dignitatis regiæ: sibi in solidum adscriberet; uti ex *Dan.* 4. 27. patet.
- 3. *Politica*, eaque rursus tergemina.
  - 1. *Regis erga populum Dei benignitas*, hoc est, ut mitiorem se atque æquiorem erga populum Dei in exilio præberet.
  - 2. *Regnorum terrenorum vilitas*, quòd nempe Regna mundana ad regnum Christi Regis Regum comparata, non solùm sint mutila, atque manca, sed etiam nihil, imò sive liceat, sive non liceat dicere, plus quam nihil sint. Quia Christi Regnum est Regnum è cœlo & cœleste; sed aliorum Regum Regna sunt è terra & terrena. Quæ vel sola consideratio moderationem in animo Nebucadnezaris excitare debuisset.
  - 3. *Regum & Regnorum mundanorum vanitas*, ut nempe ostenderetur omnibus Regibus & Principibus, quòd omnium Regum atque Regnorum eminentia, potentia atque gloria vana sit, imò vanitas vanitatum. *Ecclesiastæ* 1. 2. quod sit instar fumi, somnii atque imaginis. *Psal.* 37. 20. imò πομπὴ φαντασίας. *Act.* 25. 23. confer *Job* 20. 6, 7, 21, 22.

XVIII.

Circa RELIGIONEM varius fuit Nabuchdonosor, atque instabilis. 1. Namque majorum suorum vestigiis insistens idola coluit. 2. Sed cùm ex interpretatione somnii à Daniele facta verum agnovisset Deum, ejus solius cultor factus est. *Daniel* 2. 47, 48. 3. Non multo post in idololatriam relapsus statuam erexit auream, eamque omnibus adorandam proposuit. *Daniel* 3. *vers.* 1. 4. Verum ex miraculo servatorum in camino ardente, trium Danielis sociorum, denuò veritatem agnovit, & publicum de colendo Deo edictum in omnibus Regnis suis promulgari jussit. *Daniel* 3. *v.* 95, 96, 97, 98, 99, 100. 5. Rursus Dei oblitus, ruit in superbiam, & veluti ebrius rerum gestarum magnitudine, gentili more se ipsum admiratur & magnificat, deque magnifica sua regia gloriatur. *Daniel* 4. 27. 6. Ob summam autem hanc in religione levitatem & inconstantiam, fœdamque peccandi libidinem, graviter à Deo castigatus, ad mentem sanam rediit, totoque deinceps vitæ tempore serius Dei cultor exstitit, ac sui memor intra limites modestiæ sese continuit. *Daniel* 4. 34.

XIX.

SCHOLAM REGIAM instituit in *urbe Babylone*, in qua Procerum Judaicorum forma eleganti & ingenio præstanti excellentes pueri atque adolescentes in lingua Chaldaica, aliisque artibus & disciplinis liberalibus informabantur. Præceptores optimi ac sapientissimi singulari consilio illis præficiebantur, deque rebus omnibus ad vitam victumque necessariis regia munificentia illis abunde prospiciebatur, ut per triennium ita educati & informati coram Rege starent, hoc est, ei in aula ministrarent. Et inter illos erant quatuor præstanti forma ingenioque pueri, è tribu Juda oriundi, quorum nomina Ebræa hæc erant: *Daniel, Chananias, Mischael & Azaria.* Hisce autem 4 pueris jussu Nebucadnezaris Magnus aulæ Magister *nomina nova*, nempe *Chaldaica*, imposuit: 1. *Danielem* BELTHSAZAR. 2. *Chananiam* SADRACH. 3. *Mischaëlem* MISACH. Et 4. *Azariam* ABEDNEGO vocavit. *Nomi-*

Nomina horum 4 puerorum.

Ebræa.

1. *Daniel*, judex Dei fortis, à דן judicavit, & אל Deus fortis.
2. *Chanania*, h. e. quem gratificatus eſt Jehova, à חנן h. e. gratiam fecit, & יה h. e. Jehova, vel Deus.
3. *Miſchaël*, qui eſt Deus fortis, à ישה fuit, à quo eſt יש ſignificans itidem fuit: & אל Deus fortis.
4. *Azaria*, hoc eſt, adjumentum Dei, vel cui Deus eſt adjumentum, à rad. עזר adjuvit, & יה hoc eſt Deus.

Chaldæa.

1. *Daniel* dictus eſt בלטשאצר *Belthſazar*, abſconditus theſaurus, vel Beli theſaurum recondens, à nomine בל h. e. Belus, & à verbo טשר h. e. recondidit; & à nomine אצר theſaurus.
2. *Sadrach*, hoc eſt, inſpiratio vel afflatus Regis vel Solis, à verbo שרה h. e. inſpiravit, afflavit; & à nomine *Rach*, quod propriè Chaldæis ſignificat Regem, deinde Solem, qui eſt Rex Planetarum. Nam Sol à Chaldæis pro Rege & pro Deo colebatur.
3. *Miſach*, q. d. qui eſt Schachæ Deæ. Dicitur à dictione מי qui eſt, & שך h. e. Schacha, Dea feſtiva.
4. *Abednego*, q. d. Servus Negonis. Derivatur à עבד ſervus, & נג h. e. ſplendens ignis, vel idolum ignis.

AXIOMA I.

Luc. 16. 8. Chriſtus Servator noſter tale Adagium recitat:

Filii hujus ſeculi ſunt prudentiores filiis lucis, in natione ſua.

H.e. Homines profani, & mundani, ſunt aſtutiores & ferventiores in rebus hujus mundi curandis: ſuiſque commodis procurandis, quam pii in rebus Dei tractandis. Exemplum elegans habemus in Nebucadnezare, qui jubens regaliter tractari captivos pueros callidè ſua commoda procuravit, ut illorum deinceps opera uteretur.

AXIOMA II.

Ὀ ΝΟΜΑΘΕΣΙΑ,

Hoc eſt, ***Nominum impoſitio vel mutatio eſt ſignum authoritatis, ſuperioritatis, atque poteſtatis.***

Ὀνομαθεσία, h.e. Nominum impoſitio, eſt

Θεία, *divina*. Sic Deus mutavit ſive nova impoſuit nomina Abrahæ & Saræ, quæ magna continent myſteria.

Abraham initio dictus fuit ABRAM ſine ה h. e. adſpiratione, q. d. pater excelſus vel ſublimis, ein hoher Vater/ à radice אב pater, & ם h. e. altus, ſublimis fuit. Nam Abram initio fuit pater populi Judaici, qui erat populus excelſus, vel natio grandis. *Deut.* 4. 7. Unde *Dan.* 2. 45. monti magno comparatur. Deinde mutatum eſt nomen ejus à Deo, & dictus ABRAHAM, inſerta litera ה, quæ deſumta eſt ex nomine המון h. e. multitudo; q. d. pater multarum Gentium. Quia inquit Deus ad illum, cum nomen ejus mutaret, *Gen.* 17. *v.* 5. Non vocaberis amplius *Abram*, ſed *Abraham*. Quia patrem multarum גוים *Gentium*, h. e. Judæorum & Gentium conſtitui te. *Rom.* 4. 18. Vide *Hiſtorias noſtras Patriarch. Hiſtor. Abrah.* §. 1.

Ita Deus mutavit SARÆ nomen. Illa antea dicebatur SARAI, שרי *Principiſſa* mea, poſtea à Deo vocata eſt שרה h. e. *Principiſſa*. Quod autem nomina Abrahæ atque Saræ una litera augentur, ita ut ex utroque fiat nomen יה JAH, quod *Deum Dominum* ſignificat, eo inſinuatur, quod ex ſemine Abrahæ atque Saræ tandem naſciturus ſit, qui ſit Deus Dominus, *Luc.* 1. 16. & Dominus de cœlo: 1 *Cor.* 15. 47. Ità etiam *Jacobo Patriarchæ* Filius Dei novum nomen impoſuit. Poſtquam enim ille cum Filio Dei per integram ferè noctem luctatus, ei prævaluiſſet, nomen Iſraëlis, h. e. victoris nactus eſt *Gen.* 32. 28. Sic *Chriſtus in N. Teſtam. Jacobo & Johanni* novum nomen imponit, *Boanerges*, quod eſt, Filii tonitrui, Donners-kinder. *Marc.* 3. 17.

Ono-

REGULA.

Quorum opera Deus ad res magnas conficiendas uti decrevit, iis nomina immutare solitus est, tùm in V. tum in N. Testamento.

Ita *Jacobus* & *Johannes* novo nomine dicitur *Boanerges*, h. e. filii tonitrui: quia magna, sublimia, & stupenda divinitatis edicta debebant per orbem terræ deffundere voce tam sonora, quæ in toto orbe quasi tonaret. Ut ita vis & efficacia prædicationis ipsorum appellatione tonitrui designetur, sicut *Psal.* 29. & 68. efficacia Evangelii metaphorâ tonitrui describitur. Addi etiam hæc ratiò appellationis potest: Sicut tonitru seu vox Domini juxta *Psal.* 29. commovet, concutit, terret: Ita Jacobo & Johanni impositam esse hanc appellationem. Quia futurum erat, ut præ cæteris acriùs & vehementiùs adversarii iis Evangelii se opponerent, & illos tonitru suæ prædicationis reprimerent. Ideò enim *Herodes Agrippa Act.* 12. 2. gratificaturus Judæis, ante omnes alios Apostolos *Jacobum* interfecit. Postea verò demùm *Petrum* comprehendit. *Jacobus* igitur sine dubio præ reliquis Apostolis vehementiâ suâ Judæis molestus fuit. *Johannes* verò quomodo post obitum reliquorum Apostolorum, portis inferorum eructantibus innumerabiles & prodigiosas hæreses, opposuerit tonitru suæ prædicationis & scriptionis, sonora ejus vox adhuc hodie in Ecclesia tonans testatur.

Ὀνομαθεσία, h. e. Nominum impositio, est

1. Γαμικὴ, h. e. *conjugalis*. Sic *Adamus Evæ* conjugi suæ, pro authoritate, quâ pollet maritus in uxorem, nomen imposuit. Nam HEVA חוה idem est ac vita, q. d. mater omnium viventium, scilicet, hominum; quæ rectè dici potest Matriarcha. Quia Deus pro varia sua sapientia & potentia ex una isthac fœmina infinitam hanc omnium hominum multitudinem voluit & valuit producere. *Gen.* 3. 20.

2. Πατρικὴ, h. e. *paterna*. Sic *parentes* pro authoritate, quam habent in liberos, nomina eis imponunt. *Hevæ* filium suum primogenitum vocavit CAIN קין h. e. possessio, vel possessus. *Gen.* 4. 1. & dixit: Acquisivi virum Dominum. Alii dicunt, quòd significet hastam vel lanceam. *Schind.* Lex. Ebr. p. 1603. Secundum filium suum vocavit הבל h. e. *vanitas*, quòd mater ejus necem præsagiret. *Gen.* 4. 2. Sic *Lamech* filium suum vocavit נוח Noë. d. Consolator. *Gen.* 5. *v.* 28, 29.

Ἀνθρωπίνη, h. e. humana.

3. Βασιλικὴ, h. e. *regia*. Sic *Reges olim* Regibus aut Principibus à se devictis nomina mutabant, ut suum in eos jus atque imperium hoc ipso testarentur. Ita *Nebucadnezar* pueris captivis è stemmate regio oriundis, nempe Danieli ejusque sociis, nomina immutari jussit. *Dan.* 1. 7. uti anteà diximus. Sic *Pharao Neco* Rex Ægypti nomen *Eliakimi* Regis Juda, filii Josiæ, mutavit, eumque *Jehojakimum* vel *Jojakimum* dici voluit, 2 *Reg.* 23. 34. Ita *Nebucadnezar* ultimo Regi Juda *Matthatia* vel *Mathatia* nomen mutavit, eumque *Zedekiam* appellavit. 2 *Reg.* 24. 17. *Pharao Rex Ægypti* (qui Apis vel Serapis & Osiris dictus est; sicut Meinhardus Moltherus in Chron. scribit) *Josepho* novum nomen imposuit, eumque צפנת פענח Sophnath Pahaneach appellavit, quod Occultorum inventorem significat. *Gen.* 41. 45. *Ahasuerus* conjugem suam Esthe-rem vocavit חדסה hoc est myrtinam. *Esther.* 2. 7.

NOTA.

Ridiculi verò sunt *Pontifices Romani*, qui pro libitu post acceptam mitram Pontificalem nomina sua mutant.

SECTIO II.

De Nebucadnezaris natura, ingenio, moribus atque virtutibus.

XX.

In magnis viris mixtura virtutum atque vitiorum plerumque esse solet. Nam scitum est illud *Platonis* dictum: *αἱ μεγάλαι φύσεις μεγάλας ἐκφέρουσι κακίας*, hoc est, *Heroica natura ut magnis virtutibus inclarescunt: ita non levioribus vitiis sunt obnoxii.* Et sicut in Ægypto nascuntur optima simul remedia, ac nocentissima venena: ita & magna bona, & magna mala Reipubl. à magnis istis viris impendent. Unde rectè *Strigel: in Comment. in lib.* 1. *Tusculan.* scribit: *Heroici viri ferè omnes insigni probro à diabolo deformantur.* Exemplum illustre habe-

habemus in *Nebucadnezare*, tùm magnarum virtutum, quibus ornatus; tùm magnorum vitiorum, quibus deformatus fuit.

VIRTUTES ejus quod attinet, multæ & magnæ in eo fuerunt.

XXI.

1. FORTITUDO ADMIRANDA. Nam *fuit alter Hercules, imò Hercule major.* Quia fortitudine rerumque geſtarum magnitudine longiſſimè eum ſuperavit; uti *Joſephus lib.* 10. *Antiq. Judaic. c.* 11. & *lib.* 1. *contra Appionem*, & *Strabo l.* 15. *Geogr. ex Metaſthene* narrant. Nam ad quaſcunque devenit Gentes, eas vicit, neque ullus Rex ei reſiſtere potuit. Unde ipſe Deus hoc ei cognomentum impoſuit, quòd ſit *I. Malleus* ſuus *conterens. Jerem.* 51. 20. Item quod ſit פטיש כל־הארץ ἡ σφύρα πάσης τ῀ς γῆς. *Malleus univerſæ terræ*, ein Hammer der gantzen Welt. Quoniam Deus eo quaſi malleo quodam ad conterenda cætera totius mundi Regna uſus fuit. Quomodo etiam olim *Attila* Hunnorum Rex *flagellum Dei*, & *Tamerlanes*, qui Bajazetem Turcicum Imp. in cavea ferrea circumduxit, *furor Dei* atque *terror mundi* cognominati fuerunt. *Petr. Gregor. Tholoſan. lib.* 13. *de Republ. cap.* 12. §. 2. Et hodiè talis Malleus orbis Chriſtiani Turca exiſtit.

2. Vocatur LEO ALIS AQUILINIS ORNATUS. *Dan.* 7. 4. Nam ſicut leo eſt omnium animalium animal generoſiſſimum, animoſiſſimum atque robuſtiſſimum: ita quoque Nabuchdonoſor omnibus mundi Regibus ſui temporis heroicâ animi magnitudine invictoque robore longè antecelluit. Eodem *leonis* titulo etiam inſignitur *Jeſaiæ* 5. *v.* 29. & *Ieremiæ* 4. 7. Deinde *leoni* huic Babylonico à *Daniele cap.* 7. ALÆ AQUILINÆ tribuuntur propter celerrimam Regnorum acquiſitionem atque ſubjugationem. Quia Nabuchdonoſor in dilatando imperio & ſubjugandis diverſis populis atque gentibus adeò alacris atque velox fuit, ut victoriis inſtar aquilæ magnæ volantis volârit. Unde *Ieremias* Propheta *c.* 48. *v.* 40. de Nabuchdonoſore in perſona Dei ita loquitur: *Ecce ſimilis* AQUILÆ *involabit*, pandetque alas ſuas in Moabum. Et *Ezechiel cap.* 17. *v.* 3. Sic ait Dominus Jehova: AQUILA quædam maxima, magna alis, alatiſſima, plena plumis, cui ſpecies artificioſiſſima, veniens ad Libanum, decerpſit ſummitatem cedri. Quibus verbis inſinuat, quòd Nabuchdonoſor Babylone Jeroſolymam celerrimè profectus ſit, & quaſi volârit, & Jechoniam Regem Juda penultimum captivum abduxerit; uti ex 2 *Reg* 24. & 2 *Par. c.* 36. patet. Similiter *Habac.* 1. 7, 8, 9, 10. de militibus & exercitu ejus ita ſcribit: Ego (inquit Deus) ſuſcitabo Chaldæos gentem amaram & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, ut poſſideat tabernacula non ſua. Horribilis & terribilis eſt, leviores pardis equi ejus, & velociores lupis veſpertinis: equi ejus volabunt quaſi AQUILA feſtinans ad comedendum. Omnes ad violentiam veniunt, facies eorum ventus urens, & congregabit quaſi arenam captivitatem. Et ipſe Reges ſubſannabit, & Principes irridebit, ipſe ſuper omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.

XXII.

II. SAPIENTIA & CLEMENTIA. Nam inter alias cauſas etiam ideò Nabuchodnoſor CAPITI AUREO, *Daniel* 2. 38. comparatur. Sicut enim caput eſt arx ſapientiæ, quippe in qua ingenium, judicium & memoria ſedem ſibi fixerunt: ita quoque Nabuchdonoſor cæteris omnibus Regibus ſapientiâ antecelluit. Nam in aula Nabuchdonoſoris ingens fuit literarum atque ſapientiæ ſtudium. Neminem enim ad miniſteria aulica adhibebat, qui liberalibus ſtudiis triennium innutritus non eſſet. Prudenter namque ſtatuit, ſine ſtudio ſapientiæ nullam unquam poteſtatem diuturnam ſtabilemque eſſe potuiſſe, juxta illud Poëtæ effatum:

Vis conſilii expers mole ruit ſuâ.

Neque tantùm artium humanarum, ſed etiam divinarum ſapientia tradita in ſchola Babylonica fuit, uti ex *Daniel* 2. 48. colligitur; ibi namque legimus, quòd Daniel à Nabuchdonoſore magnus Magiſtratus ſive Scholarcha ſuper cunctos ſapientes Babylonis conſtitutus ſit. Quare ipſe *veram* religionem in regno Babylonico plantavit. Et *c.* 2. *v.* 44. ipſe Regi Babylonico diſertè vaticinatur de Regno cœli venturo, quod in æternum ſtabit.

Huc pertinet quod *Juſtinus Martyr* in paræneſi ad Græcos de Chaldæis ſcribit: Conſulente quodam Oraculum Ethnicum, quinam unquam exſtiterint verè pii & religioſi homines, tale reſponſum illud dedit:

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίλω λάχον, ἠδ' ἀρ' Ἑβραῖοι,
Ἀ'υτὸ γένητον ἄνακτα σεβάζομενοι Θεὸν ἀγνῶς.

id eſt:

Solus Chaldæus ſapit, & Judæus Apella:
Per ſe exiſtentem Regemque Deumque colentes.

XXIII.

III. EMINENTIA. Unde I. CAPUT AUREUM, *Daniel* 2. 32. appellatur. Sicut enim caput in corpore humano eſt ſummum & honoratiſſimum membrum, quippe primo & ſummo loco poſitum:

ſitum: ita quoque Nabuchdonoſor inter omnes Monarchiæ primæ Monarchas digniſſimus & honoratiſſimus fuit. Huc pertinet inſignis locus ex *Ieſaiæ* 13. 19. in quo Babylon vocatur DECUS REGNORUM, & GLORIA MAJESTATIS CHALDÆORUM. Quo elogio Babylon tempore Nabuchdonoſoris inſigniri maximè digna fuit.

II. AQUILA MAGNA vocatur *Ezech.* 17. *v.* 3. *Ratio* appellationis peti poteſt ex *c.* 39. *Iobi*, in quo Deus *v.* 30, 31, 32, & 33. ait ad Jobum: Numquid ad præceptum tuum altum petit *aquila*? & in arduis ponit nidum ſuum? In petris habitat, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus. Inde contemplatur eſcam, & de longè oculi ejus proſpiciunt. Pulli ejus lambent ſanguinem: & ubicunque cadaver fuerit, ſtatim adeſt. Deus hanc naturam *aquilæ* indidit, ut, ſicut *ſtruthio* humi nidulatur, ſic *aquila* contrà in excelſis nidum collocet, & altiùs volet quàm ulla alia avis, fulminis ictum non metuens, & ſolis fulgorem oculis inconniventibus adſpicere valens; unde inter aves primatum obtinet. Sic aquilæ naturale eſt, loca celſa & edita, rimas rupium & petras altas præruptaſque petere, & in illis ſibi ſedem deligere, velut in arcibus & propugnaculis naturâ munitis ac validis. Eadem ex altiſſima rupe, in qua degit, cibum ſibi proſpicit. Hoc reverà in ejus natura admirandum eſt, quomodo præter cætera animantia ita procul proſpicere poſſit: Eſt enim perſpicaciſſimi viſus, ſic ut è loco remotiſſimo ſibi eſcam & cadavera notet ac deſignet. Perſentiſcit eminùs, & deprehendit ubi ſint occiſorum cadavera, eoque conjicit oculos & quàm primùm convolat. *Aquila naturam* imitantur *Monarchæ* ſeu *Reges magni*, ſpectant & tendunt ad ardua, appetunt ſublimia, eminere ſuper alios omnes ſatagunt, ſedes ſibi altas firmaſque deligunt, & munitiſſimas reddunt: *oculos* habent qui procul vident, tam multis hominibus in omnibus partibus regnorum ſuorum & alienorum exiſtentibus, qui iptis loco oculorum ſunt, qui omnia rimantur, explorant, cognoſcunt, & Regibus nota faciunt; ſicut etiam ipſis *longæ manus* eſſe dicuntur. Simul appetentiſſimi ſunt majorum opum, ditionum, honorum, ac ubi eſt, quòd in ſuam poteſtatem redigere poſſint, eò potentiam ſuam convertunt. Unde etiam proverbio dicitur: Ἀετὸς ἐν νεφέλαις. Aquila in nubibus. Ἀετὸς οὐ θηρᾷ τὰς μύας. Aquila non captat muſcas. Ita & Monarchæ ſeu Reges magni, quum animo excelſo ſint, ad ſublimia feruntur, & res humiles deſpiciunt.

Unde intelligitur, quòd Nabuchdonoſor propter eminentiam rectiſſimè *Aquila magna* à Propheta comparetur.

XXIV.

IV. POTENTIA. Nam Nabuchdonoſor 1. comparatur LEONI. Sicut enim leo eſt omnium animalium robuſtiſſimum, potentiſſimum atque terribiliſſimum: (Eſt enim Rex animalium. Hinc dicitur *Iudic.* 14. 18. Quid eſt fortius leone? Et *Prov.* 30. 30. fortiſſimum animal eſt leo. Nam nullum animalium extimeſcit: In venationibus quando venatores ipſi inſidiantur, nuſpiam ſe occultat, neque magno conatu fugit, quòd hoc ipſum turpe ipſi futurum eſſet; ſed gradatim incedit, ſæpe etiam conſiſtit, & in conſpectum venatorum ſeſe ad defenſionem præparat. Ubi autem virgultum aliquod intercedit, ibi velociſſimè currit, ut citiùs in conſpectum venatorum redeat, ne ex metu ſeſe abſcondere videatur.) Ita etiam Nebucadnezar omnibus Regibus terræ potentiâ antecellebat, omnibuſque terribilis potentia ejus erat. Ipſe namque velut leo fortis atque generoſus nulli cedebat, ſed omnes adverſus ſe inſurgentes urgebat, premebat, vincebat: uti vel ex ſolis bellis, quæ contra Regem Ægypti, item contra Regem Tyri & Reges Juda, geſſit, evidenter patet. Vide ſupra §. 4, 5, 6, 8, 9, 10, 11, 12.

2. Vocatur AQUILA MAXIMA, vel ILLA MAGNA *magnarum* alarum, longarum pennarum, plena plumis, & habens varios colores. *Ezechiel* 17. 3. In quo loco pondera verborum diligenter ſunt notanda. 1. Vocatur AQUILA MAXIMA, vel AQUILA ILLA MAGNA. in Ebr. eſt הַנֶּשֶׁר. Hic ה emphaticum ſuperlationem vel amplificationem indicat, h. e. maximam Nabuchdonoſoris potentiam inſinuat. Ipſe namque vocabatur MAGNUS: & reverà erat magnus: quia potentiſſimus totius Orientis Rex fuit, habens ſub ſe multos Reges fiduciarios, quos vel devicerat, vel adactos terrore ſibi ſubjectos reddiderat. ut patet ex 2 *Reg.* 25. 5. & 27. & *Ieremiæ* 52. 31, 32. in quibus dicitur, quod *Evilmerodach Rex Babylonis*, Nabuchdonoſoris Magni filius, anno primo Regni ſui, bona verba loquutus ſit cum *Ioachin* Rege Juda, & poſuerit ſolium ejus ſupra ſolium RELIQUORUM REGUM, QUI ERANT CUM IPSO in Babylone. 2. Vocatur *aquila magna alis*, propter amplitudinem Regni longè lateque ſeſe extendentis. Unde *Ieſaiæ* 47. 5. Babylon vocatur Regnorum Domina. Et *Ierem.* 27. 7, 8. ait Dominus de Nebucadnezare: Servient ei *gentes multæ* & *Reges magni*. Gens autem & Regnum, quod non ſervierit ei, & non curvaverit collum ſub jugo ejus, Ego Dominus in gladio, peſte & fame viſitabo illud. 3. Vocatur *aquila longis pennis*. Luth. mit

mit langen Fittigen / propter exercitus copioſiſſimos, qui longos ordines habebant, & velociſſimi erant, atque ad nutum ſui Imperatoris dicto citiùs convolabant, latuſque ſui Regis claudebant, veſtiebant atque ornabant. Sicut ſimili metaphorâ Duces belli Regis Ægypti, item Antiochi Epiphanis Regis Syriæ, dicuntur BRACHIA *Daniel c.* 11. *v.* 22. & 31. 4. Dicitur *aquila* illa eſſe *plena plumis*, propter immenſas opes, quas Nebucadnezar poſſidebat. Unde caput aureum, *Daniel* 2. & *Babylon*, *Jeſai.* 13. 17. *Babylon* aurea appellatur. 5. Dicitur *aquila* illa *variegata*, h. e. variis coloribus ornata, propter varietatem populorum atque gentium ei ſervientium, vel quia exercitus ejus ex variis nationibus & gentibus ei ſervientibus collectus erat: unde Majeſtas ejus regia, non ſecus atque veſtis Phrygionica variis coloribus artificioſè elaborata, mirificè elucebat atque nitebat.

3. Vocatur מלך מלכים REX REGUM. *Dan.* 2. *v.* 37. Quia Deus promiſit ſe omnia ei in manus daturum. Verba Danielis hæc ſunt: Tu es Rex Regum, & Deus Cœli regnum, & facultates, & potentiam, & gloriam dedit tibi: & omnia, in quibus habitant filii hominum, & beſtiæ agri, volucres quoque cœli dedit in manu tua, & ſub ditione tua univerſa conſtituit. Et *Jerem.* 27. *v.* 6, 7, 8. inquit Deus ipſe: Ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchdonoſoris Regis Babylonis ſervi mei: inſuper & beſtias agri dedi ei, ut ſerviant illi. Et ſervient ei *omnes gentes*, & *filio ejus*, & *filio filii ejus*, donec veniat tempus terræ ejus, & ipſius; & ſervient ei gentes multæ & Reges magni. Gens autem & Regnum, quod non ſervierit Nabuchdonoſori Regi Babylonis, & quicunque non dederit collum ſuum ſub jugo Regis Babylonis, viſitabo ſuper gentem illam, ait Dominus. Et rurſus *c.* 4. *v.* 19. ait Daniel: Tu Rex magnificatus es, & invaluiſti, & magnitudo tua crevit, & pervenit uſque ad cœlum, & poteſtas tua in terminos univerſæ terræ.

DUBIUM.

At non videtur veritati conſentaneum, quod Daniel c. 2. *v.* 37, 38. *ait: quod univerſa, quæ homines & beſtiæ inhabitabant, Nebuchdonoſoris imperio* fuerint *ſubjecta.* item: *quod c.* 4. *v.* 19. *ait, poteſtatem ipſius in terminos univerſæ terræ perveniſſe.* Nam conſtat, non totam *Europam, nec Indiam, & alias complures provincias & gentes, imperio Nabuchdonoſori ſubjectas fuiſſe.*

Reſp. *OEcumenica poteſtas, ſimpliciter & propriè loquendo, nulli unquam Regum terrenorum ſub cœlo tributa fuit.* Quia hoc privilegium ſoli Chriſto competit, qui eſt Rex Regum & Dominus dominantium. 1 *Tim.* 6. *v.* 15. *Apoc. c.* 17. *v.* 14. *c.* 19 *v.* 16. & Dominus exercituum. *Pſalm.* 24. *v.* 10. Quia dominatur à flumine uſque ad fines terræ. *Pſalm* 72. *Zach.* 9. & in medio inimicorum. *Pſalm* 110.

Verùm *quando œcumenica poteſtas Nabuchdonoſori aliiſque Regibus terrenis in ſcripturis divinis tribuitur, tum loquutiones illæ intelligendæ ſunt; vel hyperbolicè*, vel *ſynecdochicè.*

HYPERBOLICÈ, *quando rei veritas excedit*, h. e. quando vel Reges ſe ipſos regnorumve ſuorum magnitudinem nimiùm extollere volentes, ſeſe Reges Regum, aut Dominos univerſæ terræ vocant, aut à ſubditis ita vocantur: Quæ loquutiones ὑπερβολικῶς, ſive ſecundùm communem vulgi opinionem ita accipiuntur. Sicut etiam *Ananias* Pſeudopropheta vocatur ſimpliciter Propheta. *Jerem.* 28. 1. Quia vulgi exiſtimatione & appellatione Propheta erat. Sic hyperbolica erat vanitas Darii Perſarum Regis, qui ſeſe Regem Regum nominabat, & Alexandrum Magnum famulum ſuum. Vide *l.* 2. *Suppl. ad Curt.* Sic quoque vaniſſimus & ſuperbiſſimus eſt *titulus*, quo *Turcicus Imperator* omnium Imperatorum ter maximum ſe appellat. Vide *Bodin. lib.* 1. *Polit. c.* 9. *p.* 230. Quæ appellatio ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis unà cum imperio tranſlata videtur. Nam illorum ſtemmata quadruplici B conſtant: quibus hæc verba ſignificantur. Βασιλεὺς Βασιλέων, Βασιλεὺς Βασιλευόντων. h. e. Rex Regum, Reges Regens.

SYNECDOCHICÈ *Reges Regum* dicuntur in ſacris *Reges Chaldæorum*, ſive *Aſſyriorum*, & poſtea *Perſarum.* Sic *Nabuchdonoſor* à *Daniele c.* 2. *v.* 37. מלך מלכים Rex regum appellatur, cui Deus promittit, ſe omnia in manus daturum. Sic etiam *Artaxerxes Perſarum Rex*, Rex Regum appellatur. *Eſdr.* 7. *v.* 12. h. e. maximus Regum, cui alii Reges ſerviunt & parent; ſicut *Jeremias* 25. *v.* 15. & *ſeqq.* prædixerat, fore ut *Babylonius* ſervitutem exigeret non tantùm à Judæis, ſed etiam à gentibus Regibuſque magnis. Confer *Ezech.* 29. *v.* 19. Ubi hæc regula Theologica eſt notanda: *Idiotiſmus ſcripturæ eſt, quo excellentes in re aliqua, duplicatione vocantur.* Sic *Geneſ.* 9. *v.* 25. *Canaan* vocatur ſervus ſervorum, h. e. viliſſimus & abjectiſſimus. Et *Exod.* 26. *Summum Sacrum*, ſanctum ſanctorum, h. e. ſanctiſſimum nuncupatur. Ita quoque Monarchæ excellentes, alios Reges ſub ſe habentes, Reges Regum nuncupantur loquutione ſynecdochicâ. Ita etiam ſynecdochicè intelligendum, quando 2 *Paral.*

val. exp. 36. de *Cyro Rege Perſarum* dicitur, quòd Dominus Deus illi omnia regna terræ dederit. Et *Luc.* 2. 1. Exiit decretum à *Cæſare Auguſto*, ut cenſeretur πᾶσα οἰκουμένη, h. e. totus orbis, h. e. maxima pars orbis. Quia Romani non univerſum orbem, ſed potiſſimam ejus partem ſubegerunt.

XXV.

v. BENEFICENTIA. Nam 1 ideò *Nabuchdonoſor* CAPITI comparatur, & CAPUT AUREUM vocatur: *Dan.* 2. 3. Ut enim ex capite motus & ſenſus per organa convenientia in membra corporis influit: ſic à Magiſtratu varia omnino beneficia ad ſubditos promanant. Huc referri poteſt locus pulcherrimus ex *Plutarcho*, in quo Rempubl. comparat *Corpori*, in *lib. de doctr. princip. ad Trajanum*: *Caput* omnium (inquit) eſt princeps, penes quem Imperii ſumma eſt: *Oculi* quibus videmus, ſunt viri boni in Republica, quorum ductum ſequimur. *Aures*, quæ audiunt quæ dicimus, ſunt ſubditi, qui Imperata faciunt. *Lingua*, quâ loquimur, ſunt eruditione præſtantes viri, ex quibus leges & diſciplinas audimus. *Capilli* de capite penduli, ſunt injuriâ affecti, qui opem Regis implorant. *Manus & Brachia* ſunt Equites & Nobiles, qui hoſtem reprimunt. *Pedes*, qui omnia ſuſtinent, ſunt agricolæ, qui victum omnibus ordinibus ſubminiſtrant. *Oſſa dura*, quæ fragilem carnem fulciunt, ſunt viri ſapientes, qui onus Reipubl. ſuſtinent. *Corda*, quæ palam non videmus, ſunt familiares intimi, qui in arcano conſilium dant Senatui. Denique *Collum*, quo corpus capiti cohæret, eſt amor Regis & Regni, ex quibus conſtat civitas.

2 *Dan. c.* 4. *v.* 8. *ſeqq. Nabuchdonoſor* vocatur ARBOR *excelſa* & *roborata*, cujus altitudo cœlum contingebat, & cujus aſpectus in univerſam terram: *rami* (*folia*, habet verſio vulgata) ejus pulcherrimi & *fructus* ejus copioſus, & in qua *cibus* pro omnibus, ſub qua habitabant *beſtiæ agri*, & in cujus ramis conſidebant *volucres cœli*. Hac pulcherrima imagine beneficia Nabuchdonoſoris in ſubditos collata graphicè depinguntur. Sicut enim arbor illa quam Nabuchdonoſor in viſione videbat, erat excelſa & robuſta, & frondes ſuas longè lateque diffundebat, umbramque amœniſſimam de ſe ſpargebat, in quâ animantia terræ & volucres cœli quieſcebant, deque fructibus ejus comedebant: Ita quoque ſubditi Nabuchdonoſoris, ſub tutela & protectione ejus, velut ſub umbra in pace & quiete cohabitare, victum ſibi quærere, & quilibet demandato ſibi munere defungi poterat.

USUS.

Arbor excelſa, robuſta & fructuoſa eſt elegans imago boni Magiſtratus.

Comparatio talis inſtitui poteſt. *Bonus Magiſtratus arbori excelſæ robuſtæ atque fructuoſæ eſt ſimilis.*

1. *Propter validam atque excelſam* POTESTATEM. Sicut enim arbor magna atque excelſa eſt robuſta, & impetum ventorum ſuſtinere poteſt: Ita quoque Magiſtratus legibus ſit armatus & armis decoratus. h. e. robore & potentia munitus; ut citra impedimentum officio ſuo ritè defungi poſſit, & potentiores, ſi quando opus eſt, in ordinem cogere. Huc reſpexit *Juſtinianus Imperator* in principio ſuarum Inſtitutionum juris, ubi ſic orditur: Imperatoriam majeſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed etiam legibus oportere eſſe armatam, ut utrumque tempus, & bellorum & pacis, rectè poſſit gubernari, & princeps Romanus non ſolùm in hoſtilibus prælliis victor exiſtat, ſed etiam per legitimos tramites calumniantium calamitates expellat.

Sic *Julius Cæſar* in heroicis Gabriëlis Simeonis Symbolis depingitur, ſtans ſuper globum mundi, ſiniſtra tenens *librum*, dextra *gladium*; cum hac inſcriptione: EX UTROQUE CÆSAR. Qua pictura demonſtratur, his duobus, *literis* videlicet & *armis*, Cæſarem Imperium acquiſiviſſe, acquiſitumque conſervaſſe.

11. *Propter authoritatem & dignitatem.* Sicut arbor foliis atque ramis pulchrè eſt ornata; & eò eſt amœnior acceptiorque, & plures ad ſe allicit, quò pulchriores ſunt rami ejus: Ita quoque magiſtratus, quanto major ejus eſt authoritas, tanto majore reverentiâ & obedientiâ omnes eum honorant. Per FOLIA & RAMOS *arboris decoros* adumbratur ille decor & ornatus, qui conſpicitur in Regis veſte glorioſa, & throno, & in aulicis, ſcutatis, haſtatis, ſatellitibus ac ſtipatoribus corporis. Quæ omnia Regi authoritatem conciliant, ſicut dicitur *Prov.* 14. 28. In multitudine populi decor (vel magnificentia) Regis eſt: at in paucitate plebis contritio eſt. *Luth.* Wo ein König viel volcks hat / das iſt ſeine Herrligkeit; wo aber wenig Volcks iſt / daß macht einen Herrn blöde.

111. *Propter* HUMANITATEM *atque* AFFABILITATEM. Sicut ad arborem in medio terræ ſtantem, undique aditus ſive acceſſus eſt apertus: ita quoque ad magiſtratum aditus non ſit difficilis, ſed facilis; & quidem omnibus ſubditis ex æquo, præſertim autem pauperibus atque afflictis. Talis

Talis affabilitas eſt virtus maxima in Principe, inquit *Plinius in Panegyr. Trajan.* Hinc inter epitheta & laudes boni Principis à *Julio Polluce Imperatori Commodo* præſcriptas, etiam hæc habentur, quod ſit εὐπροσήγορος, εὐντυχὴς, μειλίχιος, εὐπρόσοδος, h. e. facilis acceſſu, facilè ſalutans, facilè admittens interpellantes & ſupplicantes, blandus & lenis. Talis erat *Joſephus, Ægypti Prorex.* Hic namque amicè ac blandè alloquebatur fratres ſuos, à quibus nondum agnoſcebatur. *Geneſ.* 43. *v.* 26. Et *Thecuitis* ad *Regem Davidem* dicit 2 *Sam.* 14. *v.* 17. Sicut Angelus Domini: ſic eſt Dominus meus Rex, ut audiat bonum & malum h. e. ut Angeli facies eſt amica & gratia: ſic tu quoque, ô Rex, aſpectu alloquio es facilis & ſuavis. Perpetuâ memoriâ digna vox eſt *Ferdinandi* I, *Imperatoris*, quam ſæpè ad aulicos ſuos nobiles, pauperes cum ſupplicationibus ſuis repellentes, proferre ſolitus fuit: **Werden wir die armen nicht hören / ſo wird Gott uns auch nicht hören.** Contrà autem inter *Tyranni* vituperia refertur, quod ſit δυσπρόσιτος, δυσπροσήγορος, δυσέντευκτος, h. e. difficilis aditu, ferox in acceſſu, parum ſalutans, paucos audiens. Ita *Plutarchus* ſcribit de *Demetrio Rege*, ipſum fuiſſe δυσμείλικτον, καὶ δυσπρόσοδον, ὃς ἢ διὰ πυρᾶς καιρὸν εὐτυχῆ, ἢ χαλεπὸς καὶ τραχὺς ἦν ἐντυγχάνειν. Cum enim in via aliquando magnam copiam libellorum ſupplicum hilari vultu à ſuis ſubditis accepiſſet; & hi optimâ ſpe læti, certam ſibi opem à Regis clementia promittentes, ſequerentur: Rex tranſiens flumen Axium, cùm ad medium pontem veniſſet, omnes ſupplicationes non lectas in flumen effudit, & ſupplices à ſuo comitatu veluti muſcas depelli juſſit.

IV. *Propter* FRUCTUOSITATEM. Sicut arbor bona eſt ὄκαρπος καὶ πολύκαρπος· Ita quoque Magiſtratus copioſis fructibus ſit fœcundus, & tueatur ſubditos, ut in pace cohabitare & pane ſuo veſci queant. Et ſicut arbores fructibus gravidæ inclinant ramos, & demittunt ſe & offerunt carpi: ita quoque magiſtratus vera virtute uber, & benevolus & beneficus ultrò eſt erga ſubditos ſuos, & invitat ad fruendum. Nam vocatur *Pater patriæ*, ob paternum, quem erga ſubditos gerere debet, affectum. Quia non poteſt Princeps meliùs ſibi devincire ſubditorum animos, quàm amore & benevolentiâ, juxta illud: *Ut ameris, amabilis eſto.* Diligi Princeps, niſi ipſe diligat, non poteſt, inquit *Plin. in panegyr. Trajan.* Benevolentia enim populi eſt tutiſſimum Principis munimentum: ſicut *Eberhardus Dux Wirtenbergicus*, cùm alius Princeps de vini copia, alius de vi argenti maxima gloriaretur, beatum ſe hoc nomine prædicabat, *quòd tutus in gremio cujuſvis ſubditorum ſuorum dormire poſſet.* Bonus Magiſtratus civibus eſt carus: Tyrannus omnibus exoſus. Nam *illo in publicum procedente, tanquam ad clarum & beneficum ſidus certatim advolant: Hoc verò conſpecto, tanquam malum aliquod ſeu noxium animal è cubili proſiliret, omnes defugiunt:* Sicut præclarè loquitur *Seneca l.* 1. *de Clement. c.* 3.

V. *Propter* UMBRÆ AMOENITATEM. Sicut arbor viridis & frondoſa umbraculum præbet beſtiis ad eam confugientibus: ita quoque Magiſtratus umbrâ alarum debet ſubditos tegere & fovere, & imbecilliores adverſus potentiores protegere, & ſolis torrentis & adurentis æſtus, h. e. vim injuſtam, & hoſtilem oppreſſionem à ſubditis arcere. Quando hoc fit, tum magiſtratus eſt arbor umbroſa, ſub qua ſubditi ſuaviter quieſcere poſſunt. In ſumma: Magiſtratui curæ ſit, ut Reſpubl. floreat interius, & tuta ſit exterius, h. e. ut ſubditi inter ſe vivant piè, juſtè, pacificè, & ab aliorum injuriis atque oppreſſionibus ſecurè.

VI. *Propter* HABITATIONIS COMMODITATEM. Sicut aves cœli in ramis arboris altæ atque roboratæ nidulantur: ita quoque ſubditi ſub protectione magiſtratus pii ſecurè & pacatè vivunt; vel, ut 1 *Reg.* 4. 25. & *Micheæ* 4. 4. dicitur, confidenter unuſquiſque habitat ſub vite ſua & ſub ficu ſua.

Paræneſis ad Magiſtratus.

Quare ſedulo in id incumbant *Reges atque Principes*, qui à Deo in ſtatu magiſtratus ſupereminenti conſtituti ſunt, ut ſint *arbores frondoſæ* atque *frugiferæ*, h. e. ut ſint erga ſubditos benevoli, benefici, humani & affabiles, non ſuum, ſed publica imperii & ſubditorum commoda quærentes. juxta ſymbolum optimi cujuſdam Imperatoris: *Aliis inſerviendo conſumor.* Contra mali Principes, & Tyranni ſunt inſtar *rhamni.* De quo elegans *Apologus* exſtat *Iudic.* 9. 14, 15. Quem cum arbores reliquæ in Regem elegiſſent;

Elatus ille regio faſtu ac tumens,
Si Rex, ait, ſum veſter, ad me accedite
Omnes, & umbra ſub mea conſidite.
Ni id feceritis, rapidus ignis nemini
Parſurus ex me erumpat, atque ipſas quoque
Excelſiores hauriat Libani cedros.

Comparantur autem *Tyranni* RHAMNIS triplici potiſſimum de cauſa.

I. *Propter* ASPERITATEM. Sicut rhamnus eſt ſpinæ genus fruticoſius & aſperius, ramos ſpargens, non rectis aculeis, ut cæteræ, ſed uncis; ideoque impunè à nemine contrectari poteſt; & tamen

ſuper

ſuper alias arbores dominium ſibi arrogat: ita etiam Tyranni ſunt inſolentes, inſipientes, aſperi & ad imperium prorſus inepti, & nihilominus tamen illud affectant. Exemplum elegans in Amazia Rege Juda. 2 *Reg.* 14. *v.* 9.

II. *Propter* SPECIOSITATEM. Sicut rhamnus eſt ſpinæ genus candidius & de umbra ſua gloriatur, cum tamen parum umbræ habeat; & ſi quis ſub eo umbram captaret, non ſine vulnerum doloribus inde recederet: ita etiam Tyranni (uti exemplum Neronis oſtendit) initio ſunt boni, mellita verba proferunt, ſubditiſque magnam umbram, h. e. amicam pacem promittunt, donec omnia ad nutum eorum fluunt, ſed quod promiſere, non ſervant, neque ſervare queunt. Quia non fert eorum natura depravata bene agere.

III. *Propter* TYRANNICAM CRUDELITATEM. Sicut rhamnus eſt inſolens, & iratus, ignem flammamque minatur, etiam excelſis Libani cedris: eo etiam ſunt Tyranni ingenio: ſi modicum illis reſiſtas, illico ex illis ignis erumpit, h. e. protinus ad vindictam accincti ſunt, & contemni ſe putant, ſi ad nutum voluntatemque eorum re ſemper haud componas; exercent vindictam, non tantum adverſus plebeios, ſed etiam adverſus excelſas Libani cedros, h. e. adverſus optimates terræ.

At talem à nobis, Deus ah! avertito peſtem.

Paræneſis ad Subditos.

Subditi quoque ſint moniti, ut magiſtratus ſuos, à quibus fructus, h. e. victum & amictum, umbram & habitationem, h. e. tranquillam & ſecuram vitam habent, decenter honorent. Honorent, inquam, eos I. CORDE, eos tanquam Deos reverendo, iiſque obediendo. 1 *Petr.* 2. *v.* 13. ὑποτάγητε, ſubditi eſtote cuivis humanæ creaturæ (h. e. omni magiſtratui) PROPTER DOMINUM. (quem omnes timere debent.) 2. ORE, pro illis orando. ſicut D. Paulus 1 *Tim.* 2. *v.* 2. præcipit: & addit hanc prægnantem cauſam finalem, ut nempe placidam & tranquillam vitam degamus, cum omni pietate & honeſtate. Similiter ipſe Deus per Jeremiam Prophetam Judæos monet, ut pro Nebucadnezare ejuſque Babylone orent, quando inquit *c.* 29. *v.* 7. Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro eo ad Dominum. Quia in pace illius erit pax vobis. Hæc enim dicit Dominus exercituum, Deus Iſraël. Quare meritò celebratur, & ſubditis inculcatur dictum *D. Bugenhagii Pomerani*: Si tam promti eſſemus ad preces pro magiſtratibus fundendas, quam parati ſumus ad detrahendum ac maledicendum ipſis, næ res noſtræ melius haberent. 3. OPERE, rivulos ſuos foras derivando. h. e. tributum & victigal magiſtratui ſolvendo, ut arbor hæc excelſa atque frondoſa, de qua omnia animantia terræ cibum capiunt, conſervari poſſit. *Rom.* 13. *verſ.* 7. *Ælian. lib.* 9. *variar. hiſtor. de Themiſtocle Athenienſium Principe ſcribit*: dicere illum fuiſſe ſolitum, ſe quidem de ſubditis ſuis optimè meritum, ſed nullam ob id gratiam reportaſſe; Ideoque *platano* ſe ſimilem dictitabat, ad quam decurrerent, quos infeſtaret imber, à quibus, reddita ſerenitate, velleretur. Sed malè. Quia

Arbor honoretur, cujus nos umbra tuetur.

Moveant ſubditos almæ commoda pacis, quæ illis per magiſtratum ſuum procurantur. De quibus pulchellum & venuſtum Epigramma *Mantuani*, quod exſtat *lib.* 3. *Sylvar. eleg.* 6. *v.* 25. obſervandum eſt:

Pax Cererem campis, & mitem collibus uvam
Reddit, & armoſo dividit arva bove.
Gramina pace virent, per pinguia paſcua latum
Luxuriat multâ fertilitate pecus.
Pax vehit Eoas peregrina per æquora merces,
Et ſteriles Ponti non ſinit eſſe vias.
Pax hilares menſas facit, & convivia paſſim,
Et recreat molli triſtia corda mero.

XXVI.

VI. MAGNIFICENTIA *Nebucadnezaris* apparet

Primo: *Ex* SCHOLÆ *Babylonicæ* FUNDATIONE, in qua Procerum Judaicorum filii informabantur, illiſque Profeſſores & Præceptores ſapientiſſimi præficiebantur, quibus ex regia magnificentia ſufficientiſſima ſalaria tribuit. Unde patet, quantopere illi ſcholæ & ſcholaſtica juventutis inſtitutio curæ cordique fuerit. Nam & ipſe examini alumnorum ſuorum interfuit, imò præfuit. Quia cum adoleſcentibus illis eſt colloquutus, inque eorum profectum inquiſivit. *Dan.* 1. *v.* 18, 19.

Paræneſis ad Principes.

Dignum hoc eſt Nebucadnezar exemplum, quod omnes Principes imitentur. Nam *ad Officium Principum non ſecundarium* (ut quidam Pſeudo-politici ſomniant) *ſed primarium pertinent, ſcholas bene fundare & laudabiliter conſervare.* Nam ſcholæ ſunt ſeminaria Eccleſiæ & Reipublicæ. Sicut autem hortus, optimè licet cultus, & feraciſſimis arboribus uberrimè conſitus, ætatem ac perennitatem obtinere nequit, niſi in ſeminariis, quæ ita vocant, ac plantariis, tenellæ educentur ac formentur arbores, quæ in locum vetuſtate marcidarum

rum ac emortuarum olim ſuccedant: ita ſtatus Eccleſiaſticus & Politicus, diu ſalvus & incolumis conſervari nequit, niſi in ſcholis formentur & educentur, qui aliis, tùm Eccleſiæ Miniſtris, tùm Viris Politicis morte abreptis ſurrogentur. Ament igitur pii Reges & Principes literas & vitos literatos. *Nulla enim major aut ſolidior hiſce in terris gloria paratur, quàm ſtudiis pietatis & artium liberalium, quibus Dei prapotentis gloria illuſtratur & ſalus ſubditorum promovetur.*

Alexander M. tanti fecit bonarum & laudatiſſimarum diſciplinarum ſtudium, ut apertè pronunciare auſus ſit, ſe malle doctrinâ anteire alios, quàm opibus & dignitate. *Briſſon. lib. 3. c. 3.*

Athenæus lib. 9. de ipſo ſcribit, quòd Ariſtoteli Præceptori ſuo pro libris de hiſtoria animalium dederit 800 talenta, quæ ad noſtram monetam computata coronatos Gallicos, quorum quilibet 30 groſſis Miſnicis æſtimatur, 480000 faciunt.

Julius Cæſar ex Ægypto inſignes Mathematicos in Italiam adduxit. *Auguſtus Octavianus* Cæſar, hujus ſucceſſor, juventuti Præceptores optimos conſtituit. De *Nerva* & *Trajano* idem refert Dion. *Hadrianus* etiam ſcholas & Bibliothecas plurimas inſtituit. Quos tamen omnes in eadem cauſa ſuperavit *Conſtantinus M.* ut refert *Nicephorus lib. 10. cap. 52. & lib. 14. cap. 3. Theodoſius M.* Imperator, cùm Arſenio viro doctiſſimo filios ſuos in diſciplinam tradidiſſet, ſempiternâ memoriâ dignum, & verè Imperiale verbum proloquutus eſt: *Si tales ſe præbituri eſſent, ut mores vitamque ſuam ad diſciplinam & leges Dei componerent, propenſum ſe fore, ut eis imperium in manus tradat, ad civium & ſubditorum utilitatem accommodatum: ſin minus, conducibilius eſſe, ut ſic privati vitam agerent, quam doctrina nulla cum periculo imperarent.* Nicephor. Calliſthen. *Eccleſiaſt. hiſt. lib. 12. c. 23.*

Sigiſmundus Imp. cum à Principibus qui literas oderant, reprehenderetur, quòd homines obſcuro genere natos ob literarum ſtudia foveret; *Quidni*, inquit, *amem eos, quos natura cæteris antecellere voluit?* Alii plurimum tribuunt generis nobilitati: at Cæſar prudentiſſimus intellexit, in eruditis eſſe quiddam ſtemmatis præſtantius: illi habent æ dium parietes clypeis & imaginibus depictos, hi animum optimis diſciplinis exornatum. Porrò ut natura animus præſtantior eſt corpore: ita ornamenta ingenii longe pulchriora ſunt externis bonis. *Jacob. Spigel. in Æneam Sylvium.*

Ptolemæus Philadelphi Rex Ægypti incredibilem pecuniæ vim in conquirendis undique libris & hominibus eruditis impendit, & quam multis muneribus 70 ſeniores, qui Biblia Ebræa in Græcum ſermonem ad ipſius poſtulationem tranſtulerunt, nec non Pontificem Jeroſolymitanum, affecit: ut *Joſephus lib. 12. Antiq. Iudaic. c. 2. Clemens Alexand. lib. 1. ſtrom. Euſeb. lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 8. Nicephor. lib. 4. c. 14.* & alii annotarunt.

Leo Imperator cum Eulogium ad aperiendam in urbe ſcholam ſtipendio liberaliori invitaſſet, & propterea à ſatellitibus reprehenderetur, reſpondit: Εἴθε ἤθροιτο ἐπὶ βίου χρόνου, ὅσα τοῖς τοξόταις εἰς ἐλαυνομάχας παρέχεται! Utinam meis temporibus ea, quæ militibus dantur, Doctoribus numerari deberent!

Carolus IV. *Rom. Imp.* in ſcholam Pragenſem aliquando ingreſſus, cum diſputantes Philoſophos per 4 horas audiviſſet, & purpurati cœnæ tempus adeſſe dicerent, reſpondit: Mihi tempus eſt minimè: nam cœna mea hæc eſt. *Crantzius lib. 10. Vandalia. Alphonſus Arragonum Rex* ſæpiſſimè lectionibus Profeſſorum interfuit, ut teſtatur *Panormitan. lib. 1. de rebus geſtis ipſius.*

Ludovicus XII. *Gallorum Rex* potentiſſimus, Ticini Jaſonis JCti auditorium ingreſſus, atque ſtudioſis immixtus conſedit, & docentem Jaſonem per horam audivit: Poſt lectionem verò ſibi à latere comitem Jaſonem eſſe voluit, tecto capite, quem togâ aureâ donavit.

Franciſcus I. *Rex Galliæ* magnâ cum laude idem fecit: Quo nemo ſuo ſeculo artes liberales omnes vehementius amavit aut liberalius proſequutus eſt, & prandens atque cœnans ſemper loquebatur de literis: ſicut ſcribit *Sleidan. lib. 19.*

Coronidis loco ſubjungam *Carolum Magnum*, Imp. illum laudatiſſimum, qui agmen claudet. Ille magno cum ſui ſeculi hominum totiuſque poſteritatis emolumento ſcholas publicas, officinas omnis eruditionis, pietatis, ac doctrinæ aperuit, Pariſiis, Bononiæ, & Ticini: atque annonam & ſtipendia è fiſco Profeſſoribus dedit, iiſque Procerum pauperumque liberos commiſit; & quidem Pariſienſem ſcholam Carolus M. tantâ proventuum & poſſeſſionum amplitudine locupletavit, quantam vix omnes Galliæ & Germaniæ, quæ inde poſtea natæ ſunt, Academiæ poſſent æquare. *Curio 2. Chronolog.* Ejus igitur auſpiciis felicibus factum eſt, ut Italia, Gallia, Germaniaque terrarum magiſtra venerabilis, Muſa cœleſtis, & Camœna legatorum (ut de Carthagine refert Suidas) appellari poſſit.

Reverſus Carolus ab expeditione bellica in Galliam, pueros ſui profectus ſpecimen, epiſtolis, verſibus, carminibus, orationibus panegyricis aliiſque ſcriptis, exhibere juſſit. Ubi cum tenuiores pro-

propter ſpem profeciſſe, nobiles cultum animi neglexiſſe deprehendiſſet; illis ad dexteram ſegregatis: Vos quidem macte virtute eſtote, *inquit*, filii piiſſimi, qui veſtro officio gnaviter defuncti eſtis: veſtra erunt ſacerdotia locupletiſſima, & Pontificatus maximi; ego vos in aulam adſciſcam, ex vobis Senatores cooptabo, vos in album prætorum & patrum curiæ adlegam. Deinde ad nobilium liberos, quos à læva collocârat, vultu irato nihil diſſimulans, ait: Vos comatuli & delicatuli, freti opibus & ſplendore parentum, noſtram Majeſtatem ſpreviſtis; vitia, otia, luxum & inertiam bonis literis & virtuti, contemto decreto noſtro, prætuliſtis. Deum verò immortalem teſtor, nihil penitùs commodi honoriſque à me ad vos perventurum: quinimò edam in vos exempla, niſi reſipueritis, & negligentiam diligentiâ expiaveritis. *Aventinus.*

Hæc exempla pii Reges & Principes ſemper ob oculos ſibi ponant, in quæ intueantur, & cogitent, viros doctos & ſapientes, ſibi non tantùm utiles, quos conſiliis ſuis & deliberationibus adhibeant, ſed etiam neceſſarios eſſe, quippe quorum opera carere non poſſint. Sicut enim *vitis*, tametſi arbor eſt omnium nobiliſſima, tamen arundinum, vallorum, arborumve infrugiferarum eget ſuſtentaculis: ita potentes eruditorum, aliàs deſpectorum, operâ.

XXVII.

Deinde MAGNIFICENTIA *Nebucadnezaris* apparet *ex* URBIS *Babylonis* EXORNATIONE & *amplificatione*. Nam *Joſeph. l.* 1. *contra Appion.* ex *Beroſo* commemorat, Nabuchdonoſorem M. audita patris Nabulaſſaris morte, cùm ex Ægypto & Phœnicia, quò ad compeſcendos motus à patre miſſus fuerat, una cum populo Judaïco captivo Babylonem reverſus, & imperio potitus eſſet, ſex aliis Babylonem muris circumdediſſe. Prætereà Babylon ab utraque parte Orientem & Occidentem verſus, *Regias* habuit duas, à Semiramide ædificatas, tanquam urbis propugnacula magna cura conſtructa. De quibus in vita Semiramidis §. 14. diximus. Hiſce addidiſſe Nabuchdonoſorem, Joſephus ſcribit, & tertiam *Regiam*, multò ampliorem ſplendidioremque, cujus ornatum, & magnificentiam, dicit, nimis longum fore, ſi exſequeretur. Hoc ſolummodò refert, hanc adeò ſuperbam & ſupra fidem magnificam ſtructuram, quindecim dierum ſpacio abſolutam fuiſſe. Quod ſi verum eſt, liquet, ingentem hominum multitudinem ad eam ædificandam adhibitam fuiſſe. Excitâſſe quoque in ea lapideas moles, montibus aſpectu perſimiles, omniſque generis arboribus conſitas. Hinc Nebucadnezar cum Babylonem adeò ſuperbè & magnificè à ſe conditam intueretur, ingenti perfuſus lætitiâ, in hanc vocem ſuperbam prorupit: *Hæc eſt Babylon, civitas illa magna, quam* EGO *ædificavi, in domum Regni, in robore fortitudinis* MEÆ, *& in gloria decoris* MEI. *Daniel.* 4. *v.* 27.

DUBIUM.

At h. l. *Dubium* non leve ſeſe offert *de vero Babylonis conditore.*

I. *Moſes*, *Geneſ.* 10. *v.* 10. ſcribit, *Nimrodum primum* fuiſſe *Babylonis conditorem.* Quoniam, *inquit*, initium regni ejus fuit Babel. Idem confirmat *Paulus Oroſius*, *lib.* 2. *cap.* 6.

II. *Alexander Polyhiſtor*, apud *Euſeb. lib.* 9. *de præparat. Evang. c. ult.* teſtimonio Eupolemi confirmat, Babylonem poſt diluvium *à Gigantibus* ædificatam fuiſſe.

III. Communis Græcorum & Latinorum eſt ſententia, Babylonem *à Semiramide* eſſe ædificatam. In ea ſententia ſunt *Herodotus lib.* 1. *Diodor. Sicul. lib.* 3. *Strabo lib.* 16. *Pomponius Mela lib.* 1. *cap.* 11. *Juſtinus lib.* 1. & *D. Hieronymus*, qui ſuper caput ſecundum Hoſeæ ad hoc citat verſus illos *Ovidii ex lib.* 4. *Metamorph.*

Ubi dicitur altam
Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis urbem.

IV. *Daniel Propheta cap.* 4. *v.* 27. introducit Regem Nabuchdonoſorem gloriantem, ſeque ſuperbè jactantem, quòd ipſe Babylonem ædificâſſet. *Hæc*, inquit Nabuchdonoſor, eſt *Babylon* civitas illa magna, quam *ego ædificavi*, &c.

Reſp. Verùm hæ diverſæ & φαινομένως pugnantes ſententiæ facilè ad concordiam hoc modo revocari poſſunt, ſi dicamus, quòd *Babylon* tripliciter conſideretur:

1. *Ratione* INCHOATIONIS. Sic dicimus, quod urbs Babylon & turris ejus à *Nimrodo* ſit inchoata vel ædificari cœptâ; uti ex *Geneſ.* 10. patet, & *Joſephus lib.* 1. *Antiquit.* idem confirmat. Neque huic contraria eſt *Eupolemi* ſententia, qui apud Euſebium inquit, Babylonis conditores poſt diluvium fuiſſe *Gigantes*. Nam Nimrod fuit unus de illis Gigantibus, & quidem Princeps eorum. Unde גבור *potens*, vel juxta LXX. Interpp. *fortis Gigas* appellatur.

2. *Ratione* CONSUMMATIONIS. Sic *Semiramis* illam mirificè amplificavit, firmiſſimè munivit, multiſque ſtupendis operibus exornavit, ideo rectè ac verè eam condidiſſe dicitur. Vide *Hiſtor. Semiramid.* §. 14.

3. *Ratione* REPARATIONIS & AMPLIFICATIONIS. Sic à Nabuchdonoſore eſt reſtaurata

ſtaurata atque reparata. Nam poſt Semiramidem qui deinde longo ex ordine ſequuti ſunt Aſſyriorum Reges, poſthabitâ Babylone, urbem Niniven coluerunt, eamque Regiam & caput imperii fecerunt; ſicut *Diodor. Sicul. l.* 3. ſcribit: Et nos anteà in Prolegomenis demonſtravimus. Hinc factum eſt, ut Babylon à Regibus derelicta, partim Euphratis eluvionibus, partim hoſtium incurſionibus graviter labefactata atque disjecta, diu obſcura & ignobilis jaceret. Tandem poſt Niniven à Cyaxare Medorum Rege, Proavo Cyri everſam, Rex Nabuchdonoſor Babylonem cupiens reducere imperii ſedem, eam civitatem de integro reſtauravit, amplificavit & magnificentiſſimis operibus exornavit; ſicut anteà dictum eſt. Quare Nabuchdonoſor jure ſuo dicere potuit, Babylonem à ſe conditam & ædificatam eſſe.

XXVIII.

VII. CONFESSIO VERA atque SINCERA. Ubi notandum eſt, quòd *Confeſſio* ſit triplex.

1. *Confeſſio laudis*, eſt nihil aliud quàm gratiarum actio, quâ Deum pro beneficiis in nos collatis, tùm generalibus, tùm ſpecialibus & ſingularibus, ex toto corde laudamus & glorificamus. Ita accipitur *Pſal.* 118. *v.* 1. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia ejus.

2. *Confeſſio fraudis* eſt, quando peccata noſtra vel coram Deo, vel coram Eccleſiæ miniſtro, vel coram proximo confitemur. Ita accipitur *Pſal.* 32. *v.* 6. Dixi, confitebor adverſus me omnem injuſtitiam meam Domino.

3. *Confeſſio veritatis* eſt, quando veritatem cœleſtem apertè & intrepidè coram mundo confitemur. De hac confeſſione *Chriſtus* loquitur *Matth.* 10. *v.* 32. Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, illum & Ego confitebor coram Patre meo cœleſti. Item D. Paulus *Rom.* 10. *v.* 10. Corde creditur ad juſtitiam; ore fit confeſſio ad ſalutem.

Triplicem quoque hanc confeſſionem Nabuchdonoſor edidit, cùm vidit tres juvenes, in caminum ardentem ſuo mandato conjectos, à Deo in eodem ſalvos & incolumes conſervatos. 1. *Confeſſio laudis.* & 2. *fraudis* continentur *Daniel* 3. *v.* 95. Benedictus Deus Sadrach, Meſach & Abednego, qui miſit Angelum, & eruit ſervos ſuos, qui crediderunt in in eum, & mandatum Regis non ſervaverunt; & tradiderunt corpora ſua, ne colerent, & ne adorarent omnem Deum, excepto Deo ſuo. Hæc ſunt verba Regis à Spiritu S. jam illuminati, quibus non tantùm horum virorum fidem & conſtantiam approbat, ſed etiam Edictum ſuum idololatricum damnat. 3. *Confeſſio veritatis* continetur *ibid. v.* 96. A me ergo poſitum eſt hoc decretum, ut omnis populus, tribus & lingua, quæcunque loquuta fuerit blaſphemiam contra Deum Sadrach, Meſach & Abednego, diſpereat, & domus ejus vaſtetur. Neque enim eſt alius Deus, qui poſſit ita ſalvare. *Decretum parallelum* Regis *Darii* continetur *Dan.* 6. *v.* 27.

Hinc videmus verum eſſe, quod Salomon ait *Prov.* 21. *v.* 1. Sicut rivi aquarum; ita cor Regis (eſt) in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud. Nam Nabuchdonoſor antea erat furibundus inſtar leonis, h. e. veræ religionis & ſanctorum Dei virorum perſequutor: poſtea verò factus eſt manſuetus inſtar ovis. Quoniam veræ religionis factus eſt Nutritius atque Defenſor. O admirabilem Dei providentiam! Ita autem ſolet Deus hominum, adeoque Magnatum conſiliis illudendo, ea in contrarium planè finem, præter omnium hominum exſpectationem, convertere. Feſtinat Gnomon debilibus fretus libramentis ad horam & momenta ſua; quæ ſi digito movere horologi Magiſtro viſum eſt, in alteram circuli extremitatem inclinatur.

XXIX.

VIII. ARDENS IN RELIGIONE ZELUS, *ejuſque* MODERATIO VERA. Nam 1. Rex & Monarcha *Nabuchdonoſor*, converſus ad Deum Iſraëlis, non ſtatim omnes ſubjectas provincias ad eam fidem externâ vi adegit: ſed hoc proclamari curavit, ut ne cuipiam fas eſſet, Deum Iſraëlis blaſphemiâ afficere. ſic enim habebat *edicti* formula: *A me poſitum eſt hoc decretum, ut omnis populus, tribus, & lingua, quæcunque loquuta fuerit blaſpemiam contra Deum Sadrach, Meſach & Abednego, diſpereat, & domus ejus vaſtetur.* Qui tamen zelus apud *Pontificios*, Judæos blaſphemos in ſuis ditionibus, Romæ præſertim, ferentes, planè exulat.

2. *Cyrus*, primus Perſarum Monarcha, Judæis libertatem ſuæ exercendæ religionis permiſit: licet ipſe initiò Judæorum fidei non eſſet addictus. *Eſdra* 1. 2. & *ſeqq.*

3. *David*, certè non Iſraëlitis modò, in religione ὁμοψήφους, ſed & Philiſtæis, Moabitis, Ammonitis, Syris, Damaſcenis, diverſiſſimarum religionum populis, imperaſſe, & in Regno quidem Juda purioris religionis cultum adſeruiſſe; reliquos verò populos ad eandem amplexandam bello armiſque coëgiſſe, vel in ipſorum conſcientias quicquam ſibi dominii arrogâſſe, nuſpiam legitur. 2 *Samuel.* 8. 1. & *ſeqq.*

4. *Salomon* Regum omnium ſapientiſſimus, regnaſſe

gnâſſe legitur à flumine terræ Philiſtæorum uſque ad terminum Ægypti; in horum autem fidem & religionem vi armiſque ſæviiſſe, vel hoc nomine fœdera & pacta cum illis inita rupiſſe, nuſpiam legitur. Quin Scriptura potiùs teſtis eſt, ipſum contentum tributis & penſionibus, quæ in ſignum ſubjectionis numerare cogebantur, libertatem ipſis ſuæ religionis exercendæ conceſſiſſe. 1 *Reg.* 4. 21.

5. Horum Regum & Monarcharum exemplum piiſſimus Imperator *Maximilianus* II. præclarè æmulatus eſt, ita ut nonnullis flabellis ipſum inſtigantibus, ut Lutheranos ad religionem Pontificiam ſuſcipiendam cogeret, magno zelo animoque reſponderet: *Nullum peccatum gravius eſt, quàm conſcientiis dominari velle. Deo enim ipſi ſeſe opponunt, qui conſcientiis in cauſa religionis dominari volunt.* Crato *in Orat. funeb.*

Utinam etiam Imperatores, Pontifices, Epiſcopi, aliique Magnates hoc ipſum obſervarent! Sic namque in propria viſcera haud ſævirent, nec vires Romani imperii, cum damno irrecuperabili, labefactarent. Deus oculis gratiæ nos reſpiciat, & hoſtes noſtros convertat!

SECTIO III.

De vitiis atque defectibus Nebucadnezaris.

XXX.

Uti in Nebucadnezare fuerunt multæ magnæque virtutes, ſicut audivimus: Ita quoque magna in eo vitia ſedem ſibi fixerunt: ſicut nunc audiemus. Regnavit namque in eo

1. IDOLOLATRIA. Quia *varia idola Deoſque alienos coluit*, qui à Chaldæis colebantur. Celebres autem *Dii* eorum hi erant: BEL, qui fuit Jupiter Saturni filius, à quo Belſazar dictus: RACH, qui fuit Apollo vel Sol, à quo Sadrach: NEGO, à quo Abednego appellatur. Item OR, hoc eſt, Ignis.

Deæ autem *Babyloniæ* fuerunt SCHACHA, quæ Terra; & MYLITTA, quæ Venus. Prætereà quoque Nabuchdonoſor ipſemet idolum excogitavit, nempe, *Statuam auream*, ſive aureum Coloſſum, quem in convalle Duræ in provincia Babylonica erexit, cujus altitudo erat ſexaginta cubitorum, & latitudo ſex cubitorum, *Dan.* 3. *v.* 1. ſimulacrum & monumentum omnium, quæcunque fuerunt apud Paganos & idololatras, magnificentiſſimum, & fidem penè ſuperans. Fuerunt quidem Coloſſi hoc majores, ſed non glorioſiores & pretioſiores. Nam *Plinius lib.* 34. *cap.* 7. ſcribit: *Coloſſum Solis*, qui erat *Rhodi*, fuiſſe 70 cubitorum altitudinis. *Coloſſus Neronis* centum pedum longitudine conſtabat; ut ibidem *Plinius* tradit, qui *lib.* 35. *cap.* 7. refert, factam illam imaginem Neronis Coloſſeam, in linteo pictam centum viginti pedum. At Nebucadnezaris ſtatua, ſi non magnitudine; certè, quia fuit aurea, prædictis longè præſtantior & admirabilior fuit. Hoc autem commento Satanæ aſtutiſſimo uſus Nebucadnezar fuit, ad irretiendum homines, non ſubditos tantùm ſuos, ſed etiam peregrinos. Nam *Philoſtratus lib.* 1. de *vita Apollonii cap.* 10. ſcribit, hanc fuiſſe conſuetudinem Babylone, ut Satrapa, qui magnæ urbis portæ præſidebat, neminem peregrinorum ad viſendam urbem admitteret, niſi priùs auream Regis ſtatuam adoraret. O horrendam idololatriam! Nam Nebucadnezar non tantùm ipſe idololatra fuit, ſed etiam univerſos Principes ſuos ad dedicationem ſtatuæ convocavit, *Daniel.* 3. *v.* 2. ut nempe, eorum exemplo, etiam omnes reliquos ad ſtatuæ ſuæ adorationem invitaret. Nam *Eccleſiaſtici* 10. *v.* 4. dicitur. *Sicut eſt princeps, ita & præfecti. Sicut eſt Senatus, ita cives.* Hinc *Cicero*: Quales ſunt in Republ. Principes, tales eſſe in ea ſolere cives Quapropter non tantum mali eſt, ut ſcribit *idem lib.* 3. *de legib.* peccare Principes, quanquam eſt magnum hoc per ſe malum, quantum illud, quod permulti etiam imitatores Principum exſiſtunt. Nam qualeſcunque ſummi civitatis viri fuerint, talem civitatem eſſe ſolere: & quæcunque mutatio morum in Principibus exſtiterit, eandem in populo exſiſtere. Quo perniciosius de Republ. merentur vitioſi Principes, quòd non ſolùm vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in civitatem; neque ſolùm obſunt, quòd illi ipſi corrumpuntur, ſed etiam quòd corrumpunt, pluſque exemplo, quàm peccato nocent.

Pulchrè *Claudian. Panegyr. de* 4. *conſulat. Honorii v.* 299.

——— ——— *Componitur orbis*
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.
Scilicet in vulgus manant exempla regentum:
Utque ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.

Fulgentius: Qui ſunt in culmine ſeculi conſtituti, aut plurimos ſecum perdunt, aut plurimos ſecum in viam ſalutis perducunt. *Plinius*: Vita Principis cenſura eſt, eaque perpetua; ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur.

XXXI.

II. INCONSTANTIA. *Valde inconſtans Nabuchdonoſor fuit*: 1. Theologicè, h. e. *in Religione.* 11. Politicè, h. e. *in aulico erga miniſtros ſuos favore.*

XXXII.

Primò: *Inconſtans fuit* THEOLOGICE, h. e. *in religione.* Nam 1. fuit idololatra. Coluit namque Belum alioſque Deos Babylonicos, pro more iſtius gentis. Vide §. XXX. 2. Motus divinâ ſomnii ſui per Danielem revelatione, clarè profeſſus eſt, Deum Judæorum eſſe verum Deum. Verba ejus hæc ſunt: *Verè Deus veſter eſt Deus Deorum & Dominus regum revelans myſteria: quoniam tu revelâſti hoc arcanum. Daniel.* 2. *v.* 47. 3. Poſteà verò (haud dubiè ex inſtinctu procerum Chaldaicorum invidentium Danieli & ſociis ejus dignitates, ad quas à Rege fuerant promoti, *Daniel.* 2. *v.* 48, 49.) conficit idolum, & mandat, ut illi tribuatur divinus adorationis honor, atque ſibi ut Deo in illa. *Daniel.* 3. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7. Pulchrè *Hieronymus* inquit: Velox oblivio veritatis, ut, qui dudum ſervum Dei quaſi Deum adoraverat, nunc ſtatuam ſibi fieri jubeat, ut ipſe quaſi Deus in ſtatua adoraretur. 4. Rurſus ex miraculoſa trium ſociorum Danielis in camino ardenti conſervatione Deum verum agnovit, eumque per decretum publicum ab omnibus ſubditis ſuis colendum demandavit. 5. Poſtquam ob ſuperbiam pœnâ ſeptenennali à Deo affectus, denuò Deum Dominum cœleſtem agnovit, eumque publicè glorificavit. *Dan.* 4. *v.* 37. Unde diſcimus, *magnam eſſe vim veritatis*, cui licet quidam ad tempus reſiſtant, tandem convicti, vel nolentes volentes teſtimonium perhibere coguntur. Exempla habemus h. l. in Nabuchdonoſore. *Dan.* 2. *v.* 47. *c.* 3. 95. Item in Pharaone, ejuſque Magis & miniſtris. *Exod.* 8. 18. *cap.* 12. 30. & in Achabo. 1 *Reg.* 19. *v.* 42. Unde veritas rectè à ſapientibus *temporis filia* appellatur.

XXXIII.

Deinde: *Inconſtans* fuit POLITICE, *in aulico erga Miniſtros ſuos favore.* Nam Danielem initiò velut Deum voluit adorare. *Dan.* 2. *v.* 46. poſtea verò ipſe tanquam Deus in ſtatua voluit adorari. *Dan.* 3. *v.* 1. *& ſeqq.* Similiter ſocios Danielis primò ad ſummos dignitatum atque honorum gradus evexit *Daniel.* 2. 48, 49. Mox verò eos ad rogum damnavit. *Dan.* 3. *v.* 15.

REGULA.

Favor Regum mundanorum plerumque eſt πρόσκαιρος, h. e. ad tempus durans.

Sicut enim ipſi ſunt mutabiles, ita quoque favor eorum. juxta illud *Epigramma*:

Nec domino blando, nec cœlo crede ſereno;
Nam facili cauſâ dominus mutatur, & aura.

Germani pulchrè hoc ita efferunt:

Der Herren Gunſt und Lärchen g'ſang
Das klingt wol/ aber währt nicht lang.

Duo namque ſunt AULÆ PROPRIA: ἀναβολὴ, & μετάβολὴ, h. e. *Cunctatio* & *mutatio.* Etenim Principes ſæpè in beneficiis dandis ſunt teſtudine tardigrado tardiores: at in affectu ſunt polypo mutabiliores. Ideoque Regum & Principum amici ſunt ſimiles Arithmeticorum digitis; ſicut pulchrè dixiſſe *Orontem*, Artaxerxis Regis generum, *Plutarchus in Apophthegmatibus* tradit. Hic namque indignatione quadam à ſocero damnatus ac honore dejectus, cùm ſe contemtibilem animadverteret, ac eſſe ludibrio inimicis, ſolitus eſt dicere: *Principum amicos, videri conſimiles Arithmeticorum digitis. Nam ut hi computando nunc myriada, nunc monada repræſentant: Ita & qui Regibus ſe inſinuant, modò pollent plurimùm & obſervantur; mox verò, qui fortunæ mos eſt, quæ homines velut pilas habet, in imum demerſi, ludibrio ſunt omnibus.* Cicero *lib.* 2. *Epiſt. ad Attic. de Publio* ita ſcribit: Subcontumelioſè tractatur noſter Publius, qui cùm in domo Cæſaris quondam unus vir fuerit, nunc ne in viginti quidem eſſe poteſt. Indicat, Publium, qui quidvis anteà apud Cæſarem potuerit, nunc de gratia dejectum viluiſſe; & penes quem ſolum ſumma rei ſteterat, nunce ne inter viginti quidem primos locum habere potuiſſe. *Plutarch. in Apophthegm. Laërt. lib.* 1. Unus pro multis ſpondeat & reſpondeat. *Aratus* præſtantiſſimus ille princeps, qui, cum ſanguinem exſpueret, hauſto veneno, *à Philippo Macedonico* poſteriore ſibi dato, ſic exclamat: *Hæc ſunt regiæ amicitiæ præclara præmia!* *Plutarch. in Arato.* Vetus verbum eſt veriſſimum: *Aulica gratia facilè ſenescit.* Hinc *Veteranus quidam* interrogatus, quâ ratione ſenectutem, rem rariſſimam in aula, conſequutus eſſet? reſpondit: *Injurias accipiendo, & de iis gratias agendo. Senec. lib.* 2. *de ira cap.* 33. *Briſſon. lib.* 1. *cap.* 6.

Quiſquis in ambigua ſe non accommodat Aula
Omnibus ingeniis, non habet ingenium.

In aula nemo niſi per plures gradus aſcendit, plus ſatis eſt unus ad deſcendendum, vel deorſum præcipitandum.

Exempla habemus in *ſociis Danielis.* Hi, quia ad ſummas à Rege Nabuchdonoſore dignitates erant promoti, exoſi erant Chaldæis, & ab illis iniquè apud Regem accuſabantur, quaſi ex Regiæ Majeſtatis contemtu mandatum ejus idololatricum obſervare nollent. Ideoque in caminum ardentem conjiciuntur. *Dan.* 3. 8. *& ſeqq.*

Ubi tamen notandum, quod *aula & vita aulica in ſe non ſit mala.* Quia multi pii & ſancti viri in ea verſati ſunt. uti *Joſephus, Gen.* 41. *David,* 1 *Sam.* 16.

Daniel

Daniel & ſocii ejus, *Daniel.* 2. *Nehemias*, *Nehem.* 1. *Mardochai*, *Eſther.* 10. *Centurio in Capernaum*, *Matth.* 8. *Eunuchus Æthiopia*, *Actor.* 10.

XXXIV.

III. VIRULENTIA *adverſus Eccleſiam.* Nabuchdonoſor ſanctos Dei cultores idololatricam ſuam adorare nolentes ſtatuam, in caminum ardentem projici mandabat. *Daniel.* 3. Huc referri poteſt *vaticinium ex Hoſea* 8. 1. *Aſſur quaſi aquila ſuper domum Domini.* Hic *Rex Aſſyrius* comparatur *aquilæ.* 1. propter divinam & cœleſtem miſſionem; non ſecus atque aquila è cœlo venit. 2. propter adventus celeritatem. 3. propter laniandi aviditatem. 4. propter robur & potentiam. 5. propter crudelitatem & ſævitiam. 6. propter certam victoriam. Quia aquila felices ſucceſſus & certam victoriam portendit apud gentes. Unde illam tum Perſæ, tum Romani pro *ſigno* elegerunt. *Quidam* autem hunc locum *de Regno Iſraëlis* accipiunt, quod *Salmanaſſar Rex Aſſyriorum* XLI evertit, ejuſque incolas inſtar aquilæ ſævientis miſere dilaniavit. 2 *Reg.* 17. *v.* 6. *Quidam* vero intelligunt eum *de Regno Juda*, & putant innui, vel *Sennacheribi* Regis Aſſyr. XLII impreſſionem, factam tempore Regis Ezechiæ, 2 *Reg.* 18. 13. *Eſai.* 36. 1. vel vaſtationem Jeroſolymæ à *Nebucadnezare* Rege Aſſyriorum XLVIII peractam. 2 *Reg.* 25. 1. *Dan.* 1. 1. *Nabuchdonoſor* namque, *Daniel.* 7. *v.* 4. per *leonem* ALIS AQUILINIS ornatum adumbratur. Unde olim *Iudæi* ex loco *Hoſea* 8. (*Aquila ſuper domum Domini*) hoc Axioma exſtruxerunt: *Aquilas fatales eſſe Eccleſiæ.* Nam *Reges Aſſyrii*, quorum figura erat aquila, *Daniel.* 7. 4. *Jerem.* 4. *verſ.* 13. *Jerem.* 48. *v.* 40. *Hoſea* 8. *v.* 1. Judæos graviter afflixerunt, præſertim verò *Nabuchdonoſor.* Hic namque ter Reges Judaicos, nempe, *Joſakimum*, *Jechoniam* & *Zedekiam*, una cum ſubditis in captivitatem abduxit; uti in §. 8, 9, 10. oſtendimus. Similiter *aquila eſt inſigne Monarcharum Perſicorum* (ſicut Plutarchus in Ageſilao ſcribit) *& poſtea Romanorum Imperatorum.* Et quidem *Marius Conſul* adverſus Cimbros profectus, primus omnium aquilam in vexillo prætorio uſurpavit, anno M. 3846. ante Chriſti nativitatem 102. Inde aquila inſigne Romani Imperii & Imperatorum facta eſt. Hi namque (uti *Joſephus l.* 3. *de Bell. Judaic. cap.* 5. *pag.* 692. ſcribit) illam & Principatus inſigne putarunt, & omen victoriæ, quoſcunque bello petierunt. Unde *Veſpaſianus* in expugnatione Judææ aquilam in vexillis gerebat: nam (ut *Joſephus* ibidem ſcribit) aquila omnibus apud Romanos agminibus præeſt, quod & univerſarum avium regnum habeat. & ſit validiſſima. Huc referri poteſt *inſigne vaticinium Moſis de exercitu Romano in ſimilitudine aquilæ* volantis cum impetu, cum Jeroſolymam obſideret & expugnaret, quod annis 1548 ante everſionem Jeroſolymæ editum eſt. *Verba Moſis Deut.* 28. *verſ.* 49, 50, 51, 52, 53. ita ſonant: Adducet " Dominus ſuper te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu, cujus linguam intelligere non poſſis; Gentem procaciſſimam, quæ non reſpiciat perſonam ſenis, neque miſereatur parvuli, & devoret fructum jumentorum tuorum, & fruges terræ tuæ, donec intereas; & non derelinquat tibi triticum, vinum & oleum, armenta boum, & greges ovium, donec te diſperdat, & conterat te in cunctis urbibus tuis, & deſtruantur muri tui firmi atque ſublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. Obſidione cingeris intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus. Et comedes fructum uteri tui, & carnem filiorum tuorum & filiarum tuarum, quas dedit tibi Dominus tuus in anguſtia & vaſtitate, qua opprimet te hoſtis tuus. "

XXXV.

IV. SUPERBIA *& vana in ædificiis ſplendidis* CONFIDENTIA. Nam in aula ſua obambulans Nabuchdonoſor, ex ſuperbia ſe ipſum alloquebatur ita dicens: *Nonne hæc eſt Babylon* MAGNA, *quam* EGO *ædificavi, in domum Regni, in robore fortitudinis* MEÆ, *& in gloria decoris* MEI? Unde patet, quod Nabuchdonoſor nulla re magis, quam magnificis & ſplendide exſtructis ædificiis delectatus ſit, nec quicquam magis in votis habuerit, quam ut mirabilia opera perficiendo, ædeſque magnificas exſtruendo, perpetuam ſibi nominis memoriam quæreret, juxta regulam filiorum hujus ſeculi in *Pſalm.* 49. *v.* 11. expreſſam: Hoc eſt cor eorum, ut domus eorum ſint perpetuæ, & habitationes eorum à progeniè in progeniem, & nomen eorum ſit illuſtre ſuper terram. Sed cum ingentem Nebucadnezar de ſua Regia concepiſſet animi lætitiam, nimis ſubito converſum gaudium illud fuit in triſtiſſimum ſpectaculum, uti ex *Daniel.* 4. patet. Ita *de Babyloniis Geneſ.* 11. *v.* 4. legitur, quod ſe invicem hiſce alloquuti verbis ſint: Venite faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum; & celebremus nomen noſtrum, antequam dividamur in univerſas terras. Sed mox ruina ſubſequuta eſt. Et de *Achabo* ſacræ literæ referunt, quod *domum* ſibi condiderit *eburneam.* pro qua voce Hieronymus teſtatur *domum dentis* in lingua ſancta legi. O deteſtandam Achabi ſuperbiam! Quia

Quia non niſi in domo è dentibus elephantinis ſive ebore exſtructa habitare voluit! 1 *Reg.* 22. *v.* 39. Sed tandem arcu percuſſus miſerrimè periit, & canes linxerunt ſanguinem ejus. 1 *Reg.* 22. *v.* 38. De *Cyro* quoque hiſtoriæ teſtantur, quod domum ſplendidiſſimam exſtruxerit, illigatis auro lapidibus, menſis & ſubſelliis ex ſolido auro & argento fabrefactis, & diſtincto lacunari gemmis pretioſiſſimis, ut cœli ornamentum referret. Verum nullam capiebat ex hoc palatio ſuo tam ſplendide exſtructo voluptatem: quin potius vix abſoluto ædificio, poſtquam contra Maſſagetas profectus eſt, non rediit, nec ſperati gaudii & voluptatis compos factus eſt. Idcirco, *ô homo, quiſquis es, noli ſuperbire; Luna eſto, & gloria tua omne lumen Deo juſtitiæ Soli refunde.* Quid enim habes, ô homo, quod non accepiſti? Quod ſi autem accepiſti, quid gloriaris? 1 *Cor.* 4. Dicamus cum Rege Davide ex *Pſal.* 115. *v.* 1. Non nobis, Domine; non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.

XXXVI.

v. IRACUNDIA. Nam cum videret Nabuchdonoſor, ſocios Danielis, ſanctos illos Dei veri cultores, religionis cauſa perſequutionem patientes, & ad tribunal pertractos, nullis promiſſis flecti, nullis terroribus frangi, nulliſve monitis aut minis ad veræ religionis abnegationem, & falſæ approbationem abduci poſſe, totus ingenti repletus excandeſcentia contra Sadrachum, Meſachum & Abednegonem, mandavit ut fornax ſeptuplo magis ſuccenderetur, inque caminum ſuccenſum projicerentur. *Daniel.* 3. *v.* 13.

AXIOMA ETHICUM.

Superbia primæ eſt iræ cauſa.

Ubi enim regnat ſuperbia, ibi & ira inſana. Nec enim ullum ſuperbum videas non impatientem, non moroſum, non irritatu facilem, ſi quid in illum peccetur; idque propterea, quod ſe ſperni, aut non pro dignitate ſatis honorari arbitratur. *Ioh. Spinæus l.* 3. *de Tranquillit. animi. pag.* 144.

Exemplum evidens habemus in *Nabuchdonoſore.* Hic quia ſuperbus & faſtuoſus erat, & gloriam ſoli Deo vero competentem appetebat, ideo ſubito exarſit in iram & furorem, & repentè tres juvenes in caminum ardentem confici juſſit, quod ſtatuam ejus adorare nollent: Contra autem, ubi eſt modeſtia & animi ſubmiſſio, ibi quoque eſt affectuum & actionum decora moderatio.

XXXVII.

VI. TRUCULENTIA, quæ iræ inordinatæ atque inſanæ comes eſt. Nam Nabuchdonoſor excandeſcentia repletus, fornacem ſeptuplo magis accendi juſſit, quam pro more. *Dan.* 3. Tale quoque *Exemplum* habemus in *Theodoſio M.* Hic namque cum anno C. 390. Theſſalonicæ quidam per tumultum interfecti eſſent, Imperator nimium excandeſcens, juſſit promiſcuam turbam, inſontes pariter cum ſontibus trucidari, ita ut ad ſeptem millia hominum perierint. Quam hiſtoriam fuſe deſcribit *Theodoretus lib.* 5. *& Hiſtor. Tripart. lib.* 9. *Auguſtin. de Civ. Dei, lib.* 5. *cap.* 26.

Idcirco Judices & Magnates iram inordinatam atque excandeſcentiam fugiant. Quia mentem adimit, furorque brevis eſt, & vultum etiam turpiter deformat, & ad injuſtam ſententiam promulgandam impellit, & truculentam crudelitatem ſuggerit, adeo ut Tyranni, quando ſemel ira inſanire cœperint, tortores & animæ & corporis eſſe velint, ſi modo poſſint. At non ita Chriſtianos agere decet. Præceptum Jacobi Apoſtoli obſervent, *Jacob.* 1. 20. Ira viri juſtitiam Dei non operatur. Et pulchrè *Seneca* docet: Juſtus etiamſi juſtum dixerit, ſi cum ira dixit, injuſtus eſt. Unde *Imperator Theodoſius*, monente Ambroſio, conſcripſit legem, qua cognitiones cauſarum de cæde, & pœnæ capitales, ab Imperatore injunctæ, in diem triceſimum differri juberentur. Dignum quoque obſervatione eſt, quòd *Ira* Ebræis dicatur חמה. Quæ vox notat 1 *Calorem.* 2. *Iram.* Quia irati incaleſcunt. *Deut.* 19. *verſ.* 6. Si incaluerit cor ejus. 3. חמה per *Metonymiam* ſignificat *venenum*, quod ſerpentes irati emittunt. Iratus quoque videtur venenum emittere ex ore & facie inſtar ſerpentis irati. *Eſther.* 1. 12. *Rex Ahaſuerus* valde iratus eſt, & ira ejus ſuccenſa. *Proverb.* 15. *verſ.* 18. *Iſch chemoth. Vir furorum.* Luth. ein zörniger Mann / qui iratus ſpirat naribus ignem. Libet hic apponere in majorem turpiſſimi & peſtilentiſſimi hujus vitii deteſtationem, fœdiſſimorum iracundorum geſtuum deſcriptionem. *D. Baſilii*, cujus hæc ſunt verba: Quod jaculantibus beſtiis eſt venenum, hoc exacerbatis fit ira: concitantur, exiliunt, rabiunt veluti canes; impetunt ac pungunt, veluti ſcorpii; mordent, veluti ſerpentes. Appetentibus enim ultionem ſanguis quidem circa cor efferveſcit, velut per ignis vim turbatus & exæſtuans. Ad *ſuperficiem* vero efflorescens in alia forma iraſcentem commonſtrat, conſuetam & notam omnibus, velut perſonam in ſcena mutans: *Oculi* enim illis proprii & conſueti non cognoſcuntur, perculſus eſt aſpectus, & ignem jam præ ſe fert; & acuit *dentes* more ſuum, adverſarios palam impetentium: *Facies* eſt livida & ſanguine ſuffuſa: *Moles corporis* tumida: *Vena* diſrumpuntur

ſpiritu

ſpiritu ab interna tempeſtate commoto. *Vox* aſpera eſt & ſuperintenta: *Sermo* inarticulatus, & temerè prolabens: *Manus* elevantur; *pedes* inſiliunt nullo habito reſpectu. Et *rurſum*. Quæ de iracundis dicta ſunt, agnoſce tu qui iracundus es. Dic; Hic meus affectus eſt, cognoſco infirmitatem meam. Accipe medelam: Scriptura dicit tibi; Non decorus eſt vir iracundus. Quomodo non decorus eſt vir iracundus? Deponit figuram humanam, & feræ beſtiæ figuram aſſumit. Concipe in animo iracundum: Efferbuit ipſi ira, & oculi alterati ſunt, non ſunt iidem oculi: Ignis faciem induit, ſurſum excurrit ipſi ſanguis. Si itaque videris iracundum ſpumare, ſi videris ignota loqui in corde, ſi videris iratum patris oblivifci, filii corpus non agnoſcere, per omnia immodice procedere, quo impetum ſuum impleat, ac ſibi ſatisfaciat; vides rei turpitudinem ac indecorum habitum. In alieno malo tibi ipſi medere, ut ne illius indecorum habitum etiam ipſe aſſumas.

SECTIO IV.

De Nabuchdonoſoris humiliatione, & pœnis ei divinitùs inflictis.

XXXVIII.

HUMILIATIO. Nabuchdonoſoris à Daniele Propheta δπλῶς deſcribitur. 1. *Figurate*. 2. *Proprie*.

Primo: FIGURATE deſcribitur in duplici *typo* ſive *figura*. 1. ARBORIS SUCCISÆ (intelligitur Regis de regno dejectio) *cujus rami erant amputandi* (h. e. Principes, Præfecti, Satrapæ, aliique Officiales & Miniſtri aulici ab eo ſegregandi) *folia diſtringenda* (intelligitur omnis gloria & Majeſtas, quam habuerat, quæ debebat inſtar foliorum auferri & tabeſcere) *fructum ejus diſpergendum*. (h. e. vectigal Regni atque tributum non amplius ad Regem exulem rediturum, ſed ad præfectos atque miniſtros ejus rapaces tranſiturum.) *Aves & beſtias, quæ antea in arbore hac nidulabantur, ab ea receſſuras*. (intelliguntur plurimi ſubditi, qui antea contra voluntatem ſuam Regi Babylonico ſervire ſunt coacti, inventa occaſione ex tanta Regis calamitate, defecturi.) *Veruntamen ſtirpem radicum in terrâ eſſe relinquendam*. (h. e. Regnum ipſi reſtituendum eſſe.) *Daniel* 4. 8, 9, 11. 2. LEONIS, *cui ala aquilina ſunt evellenda, ut poſtea ſuper pedes velut homo ſteterit, & cor hominis ei ſit datum. Alæ* autem *aquilinæ Nabuchdonoſori ſunt evulſæ*, quando ipſe ob ſuperbiam, qua velut alis aquilinis in cœlum ſubvolare præſumebat, mente captus, regnoque privatus, & ex hominum ſocietate ejectus, per 7 annos beſtiarum quadrupedantium ingreſſu, victu & habitatione eſt uſus. Sed evoluto ſeptennio, cùm pœnitentiam ageret, ſummamque Dei altiſſimi potentiam agnoſceret, *ſuper pedes velut homo ſtetit, & cor hominis ei datum eſt*, h. e. poſt caſtigationem divinam didicit ſapere, atque agnovit ſe hominem mortalem & fragilem eſſe, nec quaſi aquilam in cœlum volare debuiſſe. Quo facto humanam figuram, rationem & inceſſum regnumque recepit.

Secundo: PROPRIE. Sic *Humiliatio* Nabuchdonoſoris in duobus etiam conſiſtit. 1. In *degradatione*. 2. In μεταμορφώσει, ſive *tranſmutatione*.

XXXIX.

1. DEGRADATIO. Cum Nabuchdonoſor rebus ſecundis ebrius, obturatas ad Prophetæ Danielis admonitiones & Dei comminationes habebat aures, ut eas non audiret: (*Dan.* 4. 24.) Quin potius exſerto collo, ut Moſes loquitur, in peccatis ambularet; & ſuperbia inflatus de ſuo excelſo gloriaretur palatio: Ecce: cum ſermo eſſet adhuc in ore Regis, vox de cœlo decidit, h. e. de throno Dei omnipotentis ſententia damnatoria pronunciata eſt, eaque cum impetu inſtar fulminis ruit, & non ad alium quempiam internuncium, ſed ad ipſum Nabuchdonoſorem directa eſt, ut tanto fortius cum feriret & percelleret: *Tibi dicitur, Nabuchdonoſor Rex: Regnum tuum tranſibit à te, & ab hominibus ejicient te*, &c. *Dan.* 4. 27, 28.

XL.

11. Μεταμόρφωσις, ſive TRANSFORMATIO. De hac *Daniel* 4. 30. ait: *Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchdonoſorem, & ex hominibus abjectus eſt, & herbam ut bos comedit, & rore cœli corpus ejus conſperſum eſt; donec capilli ejus in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & ungues ejus quaſi ungues avium*. Horrendum ſanè hoc mirandæ metamorphoſis exemplum eſt, quo nullum fuit unquam magis terrificum in uno aliquo homine editum ſpectaculum. O exemplum luctuoſum atque tragicum! Quis enim non miretur, quod tantus Rex & Monarcha, qui erat malleus Dei & malleus univerſæ terræ, (uti vocatur *Jeremiæ* 51. 20.) de ſolio & regno ſuo dejiciatur, ab hominum ſocietate removeatur, in ſolitudinem ſylveſtrem fugiat, &, mutata natura, bovis pabulo utatur, cœli tempeſtatibus ſub dio obnoxius, & mente atque ſenſu bruto animante nihilo ſanior. *Capilli ejus ut aquilarum, & ungues ut avium creverunt, nempe ut non unius tantum beſtiæ referret ſimilitudinem pœna, qui multarum fuiſſet ſimilis moribus*

ribus & conſuetudine. Quis tale quid unquam fando audivit? Simpliciter quidem illa narrantur; ſed quo terrore perculſos eſſe credimus, qui divinæ Majeſtatis atque iræ documentum hoc tam luctuoſum coram viderunt. Unde *Daniel* 4. 16. legimus, quòd Daniel Propheta, poſtquam Rex Nabuchdonoſor ſomnium ſuum ei narraſſet, atque interpretationem ejus ab ipſo petiiſſet, obſtupuerit quaſi unam horam, & cogitationes ejus conturbaverint eum. Nam ille intelligebat, quantum malum Regi immineret.

XLI.

Hic autem *Quæſtio* oritur;

Qualis illa metamorphoſis ſive transformatio Regis Nabuchdonoſoris fuerit?

Ad hanc Quæſtionem nos reſpondemus. *Non fuit* SUBSTANTIALIS; qualis fuit converſio *uxoris Lothi* in ſtatuam ſalis, *Gen.* 19. & *aquæ* in vinum, *Johan.* 2. Sed fuit ACCIDENTALIS; Quia in ſtatum atque conditionem beſtiarum redactus eſt. Quæ in octo gradibus conſiſtebat. Quorum

I. erat EXPULSIO, ſive *ejectio ex hominum conſuetudine.* Nam Nabuchdonoſor ex hominum contubernio ejectus, hominumque conſuetudine privatus eſt. *Daniel* 4. 29. Hæc privatio converſationis humanæ eſt majus malum privatione Regni. Quia homo naturâ eſt ζῶον πολιτικὸν, h. e. animal ſociale; ſed Rex eſt ex accidenti. Jam verò gravius eſt conditione naturali privari, quàm accidentali.

II. RATIONIS PRIVATIO. Quia Angelus prædicit, *Dan.* 4. 13. quòd cor ejus ab humano mutandum, & cor beſtiæ ei dandum ſit, h. e. quòd mens & ſapientia ei auferenda, & ferina inſipientia ei danda. Nam regulare eſt illud, quandocunque Deus impios trahit ad pœnas, tum primum ſanam eis mentem aufert, h. e. ut *Germani* communi adagio efferunt: *Quem Deus excæcaturus eſt, huic primum oculos claudit.* Homerus:

Hunc Deus, ut pereat, privabit lumine mentis.

III. ORATIONIS IMMUTATIO. Non humano more loquebatur & voces articulatas proferebat, (Quia ratione privatus erat: ideoque inſtar hominis loqui non poterat. Nam λόγος προφορικὸς & λόγος ἐνδιάθετος σύμφυτος τῇ διανοίᾳ ἐστι. oratio externa orationis internæ ſoboles atque index eſt.) verum pecora imitatus voces inarticulatas ſonabat..

IV. LIGATIO. Rex catenis ferreis ligatus eſt. *Daniel* 4. 12. Quæ verba *Lyranus* & *alii* accipiunt κατὰ τροπολογίαν, *de ſpiritualibus vinculis*: Sicut *Deus Eſai.* 37. 29. ait ſe *Aſſyriorum Regi* circulum in naribus & frenum in maxillis poſiturum, h. e. ipſum depreſſurum, & ſuperbiam ejus contuſurum, ſicut *David Pſalm* 32. 9. *de impiis* ait: In camo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te. Verùm hæc allegoria veritas hiſtoriæ obſcuratur. Ideoque verba hæc *ἁπλῶς accipienda ſunt.* Nam utrumque verum eſt, nempe, quod Nabuchdonoſor cum furere & à diabolo agitari inciperet, procul dubio catenis ferreis fuerit conſtrictus, poſtea vero è vinculis eruperit, & vagam atque ferinam in ſylvis vitam egerit; ſicut. *Gergeſenus ille damoniacus*, *Marc.* 5. *v.* 2, 3, 4, 5. initio vinctus fuit, poſtea nihilominus vinculis diſruptis in montibus atque monumentis vagatus eſt. Et ſane hæc juſta talionis pœna fuit. Sicut enim Nabuchdonoſor inſanâ regnandi cupiditate, & quaſi phreneticâ crudelitate, contra omnes gentes rabiem ſuam exercuerat: Ita debuit juſto Dei judicio, tanquam inſanus & furibundus vinculis conſtringi, quibus deinde diſruptis more ferarum per deſerta loca vagatus eſt.

V. HABITUS. Habitus namque ejus non erat humanus, ſed beſtialis atque ferinus. Nam *Capilli* ejus in morem aquilarum excreverunt, h. e. adeo prolixi fuerunt, ut totum corpus contegerent; & *ungues* in ſimilitudinem avium digitatarum creverunt; imò *nudus* inceſſit, rori & imbribus aliiſque cœli injuriis more beſtiarum obnoxius.

VI. GRESSUS. Non more humano ingrediebatur, erecto vultu, erectoque corpore, juxta illud *Poëtæ*:

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram;
Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Verùm pronus & incurvatus humum ſpectavit, ad ſimilitudinem beſtiarum, manibus pedibuſque reptans.

VII. VICTUS erat non humanus, ſed belluinus. Veſcebatur namque gramine, inſtar bovis. *Daniel* 4. 30. Ubi nemo curioſe quærere debet, quâ ratione cibus beſtiarum, qui humano temperamento eſt noxius, ab illo concoqui; indeque nutrimentum habere valuerit. Nam hoc eſt tremendæ juſtitiæ & infinitæ potentiæ divinæ exemplum, toti humano generi obſervandum, quod nempe Deus juſtus ille & tremendus mundi judex, ad perdomandam effrenem hujus Regis ſuperbiam, temperamentum ejus plane immutare voluerit, & ſtomachum ei dederit belluinum, qui cibis bovi & vaccæ convenientibus par eſſet digerendis. Et ſi *Samaritani* ſtercore columbino, 2 *Reg.* 6. 25. ſi *filius prodigus* furfuribus porcorum, tempore famis victitâ-

ditârunt, *Luc.* 15. quid mirum, ſi Rex iſte deliciis aſſuetus, pabulo jam veſci belluino cogitur?

VIII. HABITATIO. Nabuchdonoſor ſocietatem hominum eorumque congreſſum averſabatur, in ſylvis vagabatur, atque in ſpeluncis cum beſtiis atque feris conſociatus commorabatur. Et ſi quis quærat, quomodo Nabuchdonoſor 7 annos inter beſtias abſque detrimento incolumis manere potuerit, ne ab illis dilaniaretur? ei reſpondemus, quod ipſe, Deo ſupremo mundi Domino ſic volente, inter feras immaniſſimas facilè tutus eſſe potuerit, ut juſtitiæ divinæ & punitæ ſuperbiæ illuſtre exemplum eſſet: ſicut *Daniel* inter leones mirabiliter à Deo conſervatus eſt. *Dan.* 6, 21, 22. Mirabile quoque & memorabile exemplum recenſet *Franc. Patrit. lib.* 3. *de Regn. tit.* 6. de *Mithridate Pontico*, quòd ζωανθρωπίᾳ adeò correptus & corruptus fuerit, ut 7 annos neque urbis neque ruris tecto uſus, inter ſylvas quaſi errabundus vagatus fuerit.

Unde patet, quomodo Nabuchdonoſor tùm ratione animæ, tùm ratione corporis transformatus ſit, quæ tamen mutatio non fuit ſubſtantialis, ſed accidentalis; uti demonſtratum.

ΠΟΡΙΣΜΑ.

1. *Errant* ergo illi, qui ſcribunt Nabuchdonoſorem *tantùm animo, non corpore* mutatum eſſe.

2. *Errant* quoque *Epiphanius* & *Cedrenus* in vita Danielis, qui putant *Regem Nabuchdonoſorem humanam corporis formam amiſiſſe*, & priore parte, nempe capite, in bovem: poſteriore, nempe pedibus, in leonem mutatum eſſe. Quam ſententiam etiam *Johannes Bodinus* approbat, qui ſtatuit humanam ei figuram revera ademtam eſſe.

Neque obſtat huic ſententiæ, quod *Dan.* 4. 30. dicitur, *Nabuchdonoſorem herbam inſtar bovis comediſſe. Reſp.* Hic notanda eſt pulcra *Ebræorum* REGULA: *Nulla objectio ex ſcriptura affertur, ubi non ſimul ejus ſolutio inveniatur.* Nam in eod. verſu 30. utrumque affirmatur, tum quòd Nabuchdonoſor *herbam velut bos comederit*, tùm quod *capillos & ungues habuerit.* Jam verò capillos & ungues habere, in bovem non quadrat. E. evidenter hinc patet, quòd Nabuchdonoſor in bovem vel aliud animal tranſmutatus non ſit, ſed quòd toto illo ſeptennio humanam ſpeciem retinuerit: ac proinde textus non intelligendus eſt *in ſenſu abſoluto*, quaſi ipſe in bovem, quoad ſubſtantiam mutatus, herbam comederit; *ſed in ſenſu comparativo*, quod videlicet ipſe herbam comederit, non ſecus ac bos eam comedere ſolet: alioqui *non reſtitutus* (*v.* 33.) ſed *novus omninò homo creatus* dicendus eſſet; quod abſurdum.

USUS.

1. *Deus juſtus ille mundi Judex*, *Gen.* 18. ſuper throno ſedens Judex juſtitiæ, *Pſal.* 9. 5. Reges removet & conſtituit. *Dan.* 2. 21. ipſe excelſus dominatur ſuper Regna hominum, & donat illa cui vult. *Dan.* 4. 22. Deus Judex eſt, qui *hunc humiliat* & *hunc exaltat*. *Pſal.* 75. 7. Tu terribilis es, (*inquit David*) & quis conſiſtit coram te in ira tua? De cœlo auditum feciſti judicium: terra tremuit & ſiluit. *Pſal.* 76. 8, 9.

Exempla habemus in *Pharaone Exod.* 14. 18. *in Sennacheribo*, 2 *Reg.* 18. *Jeſai.* 37. 7. in *Nabuchdonoſore*, *Daniel* 4. in *Belſazare*, *Dan.* 5.

11. *Quo medio eos humiliat? Voce ſuâ cæleſti.* Nam *Dan.* 4. 27. cùm *Nabuchdonoſor* Regiam ſuam contemplans diceret: Hæc eſt Babylon, magna, quam EGO ædificavi, in domum Regni, in robore fortitudinis MEÆ, & in gloria decoris MEI. Tum ſtatim *v.* 28. ſubjungitur: Cumque *ſermo adhuc in ore Regis* eſſet, *vox de cœlo ruit*: Tibi dicitur, Nabuchdonoſor Rex: Regnum tuum tranſibit à te, *&c. Ubi notandum*, quòd *Deus duobus modis cum hominibus loquatur. Primò*: PER VERBA, quando nempe homines per verbum ſuum vocat, ſed illi vocantem audire nolunt. Sicut *Sapientia*, h. e. Filius Dei conqueritur, *Prov.* 1. *v.* 20. Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum profert verba ſua, dicens: Quouſque tandem vos inſipientes diligetis inſipientiam? In hiſce verbis conqueritur Salomon in perſonâ Filii Dei (qui eſt ſapientia cœleſtis) quòd, cùm largiſſimè in verbo Dei publicè & privatim proponatur vera ſapientia, h. e. agnitio Dei & vera pietas; nihilominus tamen plerique ſtultitiâ magis delectentur, hoc eſt, convertere ſe ad Deum nolint. *Deinde* Deus *alloquitur homines* PER VERBERA. Quando enim illi Deum per verba loquentem, h. e. amicè eos vocantem audire nolunt, tum loquitur ad eos *per verbera*, hoc eſt, graviter eos punit atque caſtigat. *Quæ eſt loquutio non verbalis*, ſed *realis*. Et de hac ſapientia *ibid. v.* 24, 25, 26, 27. loquitur hiſce verbis: Quia vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & omnes INCREPATIONES MEAS (intelligitur *loquutio Dei verbalis*) neglexiſtis. Ergo quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit: cùm irruerit calamitas tanquam turbo, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit: quando venerit ſuper vos tribu-

tribulatio & anguſtia. Et hæc eſt *loquutio Dei realis*. Namſolet Deus eos, qui obbruteſcunt, voceſque humanas audire nolunt & intelligere dedignantur, non jam verbis alloqui; ſed flagello, ſive camo & freno: ſicut ſcriptum eſt *Pſal.* 32. 11. Ne ſitis ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus: in CAMO & FRENO OS ejus obturabis, qui non appropinquant ad te. h. e. Quando homines nolunt audire Deum loquentem & in verbo ſuo eos monentem, ad eumque appropinquare nolunt, tum coguntur audire eum punientem. Nam ſicut flagellum equo, & ſtimulus aſino: ſic virga genti iniquæ. (ſicut LXX interpp. legunt.) *Prov.* 26. 8. Jam verò impii ſunt equi & aſini, h. e. planè belluini & refractarii. E. etiam belluino modo à Deo tractantur, nempe fuſtibus, verberibus atque flagellis. Quando enim Deus miſeretur impii, ut diſcat juſtitiam; ille verò eam non diſcit, ſed in terra recta iniquè agit: tum Deus punit eum, ut in anguſtia requirat Dominum. *Jeſai.* 26. 9, 10, 16. Elegans *exemplum* habemus in *Nabuchdonoſore*. Ad hunc loquutus eſt Deus *per verba*, quando *audivit* Danielem Prophetam ex inſpiratione Spiritus S. coloſſum illum Babylonicum de 4 Monarchiis interpretantem: ubi ſimul de Regno cœli, h. e. de Regno Meſſiæ cœleſti informatus atque ad Deum converſus eſt. *Dan.* 2. 37, 46. Loquutus eſt Deus denuò cum ipſo in *ſomnio viſione nocturnâ*, quando vidit *Arborem excelſam*, cujus interpretationem etiam à Daniele audivit; in qua Deus illi excidium minatus eſt. *Audivit* quoque ſalutare Danielis de pœnitentia agenda conſilium. *Daniel* 4. 44. Verùm cùm Danielis conſilio non obtemperaret, neque reſipiſceret, vitamque in melius emendaret: Ergo deinceps *cum illo Deus loquutus eſt realiter*, h. e. pœnis atque ſuppliciis ſeveriſſimis. Nam cùm de palatio ſuo regio ſplendidiſſimo in corde ſuo gloriaretur, & cùm vox adhuc in ore ejus eſſet; ecce VOX DE COELO RUIT, h. e. velut tonitru ad eum magno cum fragore atque tremore delata eſt. Tibi dicitur, Nabuchdonoſor Rex: Regnum tuum tranſibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum BESTIIS erit habitatio tua, &c. Et eâdem horâ ſermo completus eſt ſuper Nabuchdonoſorem, & ab hominibus ejectus eſt, & comedit herbam velut bos, & capilli ejus in ſimilitudinem AQUILARUM, & ungues quaſi ungues AVIUM creverunt. *Dan.* 4. 28. Horribile hoc eſt iræ divinæ exemplum. Nabuchdonoſor belluis multis ſimilis erat moribus atque vitâ. Ergo nunc quoque belluam non unam, ſed multas cogitur præſentare pœnâ.

3. *Quomodo Deus Reges impios atque tyrannos humiliat?*

Reſp. 1. SAPIENTER. Quia Deus apprehendit ſapientes in aſtutia eorum. *Job.* 5. 13. 1 *Cor.* 1. *v.* 19, 20. *Prov.* 21. 30. *Pſal.* 18. 28. h. e. Tyrannos Eccleſiam Dei evertere molientes, vel errore in conſiliis, vel infelicitate eventuum punit. Deus ſuperbos diſpergit in cogitatione cordis ſui. *Luc.* 1. 51. Pulchri habentur verſus in *Oratione Lycurgi* contra *Leocratem*:

Iratus ad pœnam Deus ſi quos trahit,
Auferre mentem talibus primum ſolet,
Caliginemque effundit, ut ruant ſuas
Furenter in clades: ſibi quas noxiis
Accerſiverunt ultrò conſiliis mali.

Ita cùm *Nabuchdonoſor* in ſapientia ſua confideret, ſeque regnum & Regiam ſapientiâ ſuâ condidiſſe gloriaretur; cor ejus ab humano mutatum & cor beſtiæ ei datum eſt. h. e. Sapientiâ excellens, quâ confidebat, ei ablata, & ferina inſipientia ei data. Unde velut exoculatus Cyclops ſuis deſpectus, ab illis eſt ejectus, & ad beſtias rejectus.

2. POTENTER. Nam *Sapient.* 6. 7. dicitur: Δυνατῶι δυνατῶς ἐπιδοκιμασθήσονται, h. e. *Potentes potenter tormenta patientur*. Eſt comminatio proverbialis in Tyrannos, qui hoc adagio admonentur, ne potentiâ ſuâ, divinitus acceptâ, abutantur. Quia quo majore potentiâ præditi, quoque petulantiùs & ferociùs eâ abuſi fuerint, eò gravioribus ſuppliciis eos aliquando, vel in hac vel in futura vita affectum iri, inſinuat. Nam Deus potentiam facit in brachio ſuo, & diſpergit ſuperbos. *Luc.* 1. 51. Sicut diſpellitur fumus, ſic Deus impios diſpellit. Et ſicut cera fluit à facie ignis: ſic impii pereunt à facie Dei. *Pſal.* 68. 2. Et *Pſal* 76. 9, 11. David ait: *De cœlo auditum* feciſti judicium: terra tremuit & ſiluit. Furor hominum celebrabit te, & contra reliquos furores accingeris. h. e. Hoſtes Eccleſiæ, qui primùm furenter Deum & Eccleſiam oppugnant, mox victi teſtimonium potentiæ tribuunt Deo, eique ſe coguntur ſubmittere; aut ſi nolunt, eos tandem evertit. *Exempla* habemus in *Pharaone*, *Exod.* 14. 18. in *Semacheribo*, *Jeſai.* 37. 7. in *Antiocho*, 2 *Macch.* 9. 12. in *Herode*, *Act.* 12. in *Juliano Apoſtata*. Et præſertim in *Nebucadnezare* memorabile exemplum habemus. Hic tres ſocios Danielis ſtatuam ſuam adorare nolentes fremebundus hiſce verbis compellabat: Nunc ergo eſtote parati, quâcunque horâ audieritis ſonitum tubæ, &c. poſternite vos & adorate ſtatuam quam feci. Quod ſi non adoraveritis, eâdem horâ mittemini in fornacem ignis ardentis: ET QUIS EST DEUS, QUI ERIPIAT VOS DE MANU MEA? *Dan.* 3. 15, 16. At cùm illi illæſi media in flamma ignis manerent, tandem tremendam Dei potentiam cogebatur agnoſcere,

ſcere, eumque glorificabat. *ibid. v. 95,96,97,98.* Similiter *Dan.* 4. 14. legimus, quòd cùm Nabuchdonoſor non fuiſſet motus nec ſomnii ſignificatione, nec Danielis prædictione, quin potius in ſuperbia ſua pergeret, deque arce ſuâ gloriaretur, potenti Dei omnipotentis voce de ſolio deturbatus eſt. Unde videmus, verum eſſe quod David ait *Pſal.* 76. 5, 8. Tu (Domine) illuſtrior & admirabilior es, quàm montes prædantes. Tu terribilis es: & quis conſiſtet coram Te in ira tua?

III. CELERITER. Deus namque Tyrannos nil tale opinantes, ſubitò & in momento evertit; ut nempe ſpeculum iræ ſuæ in illis ob oculos nobis ponat, quando in medio impietatis curſu morte repentinâ atque violentâ eos opprimit: ſicut dicitur *Job* 5. 13. Deus conſilia pravorum diſſipat, nempe accelerando, conturbando, præcipitando. חוּשׁ namque eſt accelerare, præcipitare. *Pſalm* 1. 4. Impii ſunt quaſi paleæ, quæ à vento diſperguntur. Quod *Cremcovius* in *Cythara Davidica* pulchrè reddidit:

Par inſtitutum reprobi
Vento rotato pulveri.

Unde omnis impiorum in hoc mundo gloria (nempe

Ambitioſus honos, & opes, & fœda voluptas:
Quæ tria pro trino Numine mundus habet.)

Pſalm 72. *v.* 20. vocatur *Somnium evigilantis*, & *imago* (non ſubſiſtens aut permanens, ſed evaneſcens) & *umbra. Pſalm* 39. 6. Umbra, inquam, rerum ſunt, non res ipſa. Unde jubente Domino ſubitò diſpereunt; ut dicitur *Pſalm* 73. 19. Ita *Pharao Rex Ægypti* medio in furore in mari rubro, gurgite aquarum abſorptus eſt. *Exod.* 14. 16. *Haman* cum Rege Ahaſuero à Regina ad convivium invitatus, *Eſther* 5. 9. vehementer animo efferebatur, & Mardochæo exitium minitabatur. *v.* 12, 13. Sed in ipſo convivio ſubitò ad mandatum Regis è patibulo ſuſpendebatur. *cap.* 7. *v.* 8, 9, 10. Ita quoque *Nabuchdonoſor* in ipſo ſuperbiæ tumore atque furore à Deo punitus eſt. Nam *cùm ſermo ille ſuperbus adhuc in ore Regis eſſet*, (Hæc, nempe, eſt Babylon magna, quam Ego ædificavi.) *vox de cœlo ruit*: (h. e. ſubitò & illo ipſo momento Deus terribili voce illum nil tale exſpectantem compellavit:) *Tibi dicitur, Nabuchdonoſor; Regnum tuum tranſibit à te, & ab hominibus ejicient te. Dan.* 4. *v.* 27, 28. Et ſtatim exſecutio mandati divini facta eſt. nam *v.* 30. ſubjungit Propheta: EADEM HORA *ſermo completus eſt ſuper Nabuchdonoſorem, & ex hominibus ejectus eſt.* Citra moram enim Proceres Regni ipſum expulerunt; tam potens fuit & tam efficax vox cœleſtis, juxta Proverbium, Ἅμα λεχθῆναι, ἅμα πραχθῆναι. Dictum factum. Ipſe dixit, & facta ſunt. *Pſalm* 32. *v.* 9. Deus namque non loquitur verba, ſed res; inquit *B. Lutherus.*

IV. HORRIBILITER. *Jobus* 20. 6, 7, 8, 9. ita de Tyrannis hominibuſque ſceleratis inquit: Si aſcenderit uſque ad cœlum magnitudo ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent: Ubi eſt? Velut ſomnium avolat, non invenietur, fugabitur ſicut viſio nocturna. Oculus qui eum viderat, non videbit, neque ultra intuebitur eum ſuus locus. *v.* 15. Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre ejus extrahit eas Deus. *v.* 16. Caput aſpidum ſuxit, & occidet eum lingua viperæ. Et *Pſalm* 73. 18, 19. dicitur *de impiis*: In lubrico poſuiſti eos, dejeciſti eos in interitum. Quomodo facti ſunt in deſolationem? Quam ſubitò defecerunt? Perierunt propter iniquitatem ſuam.

Ita *horribilis ira divina exemplum eſt Nabuchdonoſor*, quo nullum horribilius in ullo hominum editum fuit. Quis enim non obſtupeſcat, quòd tantus Monarcha, qui erat malleus univerſæ terræ, *Jerem. c.* 50. qui à *Daniel c.* 4. *arbori* comparatur, quæ uſque ad cœlum pertingebat, quæ totum terrarum orbem obumbrabat, cujus folia erant longè pulcherrima, fructus omnium uberrimus, quo ſaginabatur quicquid erat animalium, cujus in frondibus atque ramis omne voluerum genus nidificabat atque quieſcebat; quòd, inquam, tantus Monarcha, ſuam jactans potentiam, eamque ſolertiæ ſuæ ſtultè arrogans, ſubitò mente alienetur, de regno dejiciatur, & graſſatus belluinâ feritate ſic ut vinculis coërceri non poſſet, ad feras in ſylvas & agros expellatur, herbis agri boum inſtar mutatâ naturâ paſcatur, & capilli ut aquilis, ungues verò ut volucribus digitatis, ei creſcant, inque ea miſeria ſeptennium verſatus ſit?

DUBIUM.

At *dicat aliquis*: *Nabuchdonoſor M. ab ipſo Deo* MALLEUS TOTIUS ORBIS TERRARUM, *Jerem.* 50. *v.* 28. *c.* 51. *v.* 28. & SERVUS DEI appellatur, *Jerem.* 2. 2. qui populum Dei rebellem in ordinem redigere & ad ſaniorem mentem reducere deberet. *Quare ergo Deus illum tàm horribiliter punivit?*

Reſp. Sicut infelices oportet eſſe illos Eccleſiæ cives, qui tantùm diſplicent Deo, ut per rabiem barbarorum, Dei in illos ira deſæviat: *Hieron. in* 50. *cap. Jeremiæ.* Ita noxiæ in mundo potentiæ, proſunt quidem negotiis divinæ providentiæ, dum puniunt, quos punire par eſt: nihilo tamen ſequiùs ſunt

ſunt inviſæ Deo atque abominabiles, ut, poſtquam divinæ ſubſervierunt voluntati, & carnificum inſtar illis fuerunt, adverſus quos mittuntur, quùm oporteret illis referri gratiam pro navatâ operâ, tum maximè & illi puniantur.

PARÆNESIS AD REGES atque PRINCIPES.

Hoc ipſum diligenter conſiderent omnes Reges terreni, & diſcant Deum revereri. Nam *omne ſub Regno graviore regnum eſt*, ait *Seneca*. Ipſe verbo omnia efficere poteſt, quæcunque vult. David Rex ipſe Reges terræ ita alloquitur. *Pſalm* 2. 10, 11, 12. Nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Servite Domino in timore, & exſultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam; ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta. I. *Nemo confidat in* SAPIENTIA *ſua*. *Jerem.* 9. 23. Sicut *Rex Aſſyriæ*; de quo Deus ipſe inquit *Eſai.* 10. 12, 13, 14, 15. Cùm impleverit Dominus cuncta opera ſua in Zion & in Jeruſalem, viſitabo ſuper fructum magnifici cordis Regis Aſſyriorum & ſuper gloriam altitudinis oculorum ejus. Dixit enim: IN FORTITUDINE MANUS MEÆ feci, & IN SAPIENTIA MEA, quia intellexi: & abſtuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus ſum, & detraxi quaſi potens in ſublimi reſidentes. Et invenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum: Et ſicut colliguntur ova, quæ derelicta ſunt, ſic univerſam terram ego congregavi: & non fuit, qui moveret pennam, & aperiret os, & ganniret. Numquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat eâ? aut exaltabitur ſerra contra eum, à quo trahitur? Quomodo ſi elevetur virga contra elevantem ſe, & exaltetur baculus, qui utique lignum eſt? II. *Nemo confidat* IN POTENTIA *ſua*. *Jeremiæ* 9. 23. Non enim ſervatur Rex multitudine exercitus, neque fortis liberatur multâ VIRTUTE ſuâ. Fallax equus ad ſalutem, in multitudine *potentiæ* non liberabit: *Pſalm* 33. 16, 17. Deus namque omnibus Tyrannis eſt potentior, eorumque impetus unico verbo frangere poteſt. Ita de *Sennacheribo* potentiſſimo Aſſyriorum Rege loquitur Dominus, *Eſaiæ* 37. *v.* 24, 25, 26. *& ſeqq.* Dixiſti: In MULTITUDINE QUADRIGARUM MEARUM Ego adſcendi in altitudinem montium Libani: & ſuccidam excelſa cedrorum ejus & electas abietes ejus; & introibo altitudinem ſummitatis ejus, ſaltum Carmeli ejus. Ego fodi, & bibi aquam, & exſiccavi veſtigio pedis mei omnes rivos aggerum, *&c.* Sed reſpondet Dominus *v.* 29. Cùm fureres adverſum me, ſuperbia tua adſcendit in aures meas. *Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labiis tuis; & reducam te in viam per quam veniſti.* Illi nec voluntas nec vires deerant; Sed potentia Dei ei obſiſtebat. *Luther. in Gen. c.* 33. *p.* 504. *b.* Talis Cyclops fuit *Maximinus Imperator*, de quo *Capitolinus* ita ſcribit: Non fuit crudelius animal in terris, omnia ſic in viribus ſuis ponens, quaſi non poſſet occidi. Cumque ſe ob magnitudinem corporis propè immortalem crederet, quidam in theatro, præſente illo, Græcos verſus dixit in hanc ſententiam:

Et qui ab uno non poteſt occidi, à mille occiditur.
Elephas grandis eſt, & occiditur:
Leo fortis eſt, & occiditur:
Tigris fortis eſt, & occiditur.
Cave multos, ſi ſingulos non times.

Verùm anno ætatis 65, Imperii 3, una cum filio à ſuis militibus jugulatur. Cadavera eorum ad ludibrium publicum projecta, canibus & volucribus lanianda relicta ſunt; capita patris & filii contis affixa, & Romam miſſa, jucundum omnibus ſpectaculum præbuerunt, & poſtremò ab inſultante populo in Campo Martio combuſta ſunt. Cùm necaretur Maximini filius, acclamatum eſt: *Ex peſſimo genere ne catulum quidem relinquendum.*

Apryës Ægypti Rex ſuperbè jactabat, regnum ſuum tantis viribus munitum eſſe, ut nulla neque Deorum neque hominum vi everti poſſet. Paulò poſt verò regnum unà cum vitâ amiſit, cùm ab Amaſe ſervo ſtrangularetur. Similiter *Dionyſius Syracuſanus* gloriari ſolitus eſt: Regnum ſe filio relicturum adamantinis catenis colligatum: tamen hæ catenæ facili momento ruptæ ſunt, & filius regno pulſus panem emendicare coactus eſt.

III. *Nemo confidat* IN OPULENTIA *ſua*. Quo nomine impii divites vituperantur *Pſalm* 49. *v.* 6. quòd confidant in divitiis ſuis, & in multitudine divitiarum ſuarum glorientur. *Proverb.* 11. *v.* 28. Qui confidit in divitiis ſuis, corruet. *Ezechias Rex Juda*, alias pius Deoque cariſſimus, in divitiis ſuis confidebat, adeò ut in eam tandem prolaberetur ſuperbiam, ut divitias ſuas omnes, cunctoſque Regni theſauros, ſtultâ ambitione Babylonis Regis Legatis oſtentaret. Quæ res Deum ita offendit, ut minatus ei ſit, fore, ut theſauri iſti omnes Babylonem transferantur. 2 *Reg.* 20. 2 *Paral.* 32. *Eſai.* 38. Similiter *Cræſus*, *Lydorum Rex*, ſtultâ & ambitioſâ opum ſuarum oſtentatione, non ſolùm quod affectabat, ut nimirum feliciſſimus omnium proclamaretur, apud Solonem non obtinuit; ſed repentè omnium infeliciſſimus redditus eſt, poſtquam

quam regnum una cum opibus omnibus Cyro cedere cogeretur.

Quare Nabuchdonoſoris memor humilis eſto, cujuſcunque ordinis aut conditionis fueris; neque rebus ſecundis confidito. Nam facilè vel momento in adverſas mutari, magnæque opes ſubverti vel amitti poſſunt.

SECTIO V.

De Nabuchdonoſoris reſtitutione, *vel* exaltatione.

XLII.

Hactenus Nabuchdonoſoris *Humiliationem* ſive degradationem, horribilemque, quâ Deus ſuperbiam illius compeſcuit, pœnam vidimus: Nunc EXALTATIONEM ejus, h. e. quomodo rurſus in integrum, inque ſtatum priſtinum reſtitutus ſit, videamus. *Circa hanc* autem duo ſunt notanda: 1. *Exaltatio ipſa.* 2. *Subſequentia Effecta.*

XLIII.

1. EXALTATIO vel RESTITUTIO IPSA tria concernit Objecta. 1. *Mentem*, ſive *intellectum.* 2. *Humanum vultum.* 3. *Regnum.*

LXIV.

1. *De Mentis reſtitutione* ait *Daniel* 4. 31. Et *poſt finem dierum* (h. e. elapſo ſeptennio) *mens mea ad me reverſa eſt.* LXX. καὶ αἱ φρένες μου ἐπ' ἐμὶ ἐπεστράφησαν. Unde patet, quòd uſus rationis Nabuchdonoſori fuerit ademtus, ſed evoluto pœnæ termino divinitus conſtituto, & ab Angelo atque Propheta Daniele prædicto, h. e. elapſo ſeptennio, eidem ſit reſtitutus.

REGULA.

Omnibus rebus in hoc mundo certa temporis periodus à Deo eſt præfinita, quamdiu durare debeant; qua periodo circumvoluta, deſinunt.

Ita humiliationi vel exilio Nabuchdonoſoris ſeptennium à Deo præfixum fuit: quo exacto illud ceſſavit, ipſeque ex exilio in regium thronum atque regnum, ex miſeria in gloriam reſtitutus eſt. Ita Deus *certum Monarchiæ* I *terminum* conſtituit, uti ex prodigioſa illa ſcriptura (*Mene Mene*, *Tekel*, *Upharſin*) patet. *Dan.* 5. 25, 26. Ubi vox, *Mene*, notat, Deum terminum Regno Belſazaris præfiniviſſe: quo præſente, illud ceſſare oportebat; ſicut plenius hac de re in hiſtoria Belſazaris dicturi ſimus.

XLV.

2. *De vultus humani reverſione* loquitur *Dan.* 4. 33. Et *figura mea reverſa eſt ad me*, uti vulgata verſio habet: Quæ cum Græca congruit: καὶ ἡ μορφή μου ἐπέστρεψεν ἐπ' ἐμί. Alii reddunt ita: *Splendor meus reverſus eſt ad me.* Senſus eſt: Forma vel figura, aut nitor corporis mihi eſt reſtitutus. Alii explicant etiam Politicè, quòd Regius ornatus ei ſit redditus.

DUBIUM.

At dicat aliquis: Ex *hoc loco probari poſſe, corpus Nabuchdonoſoris ſubſtantialiter in beſtiam tranſmutatum fuiſſe.* Quia LXX *habent vocem* μορφὴν, *quæ formam ſubſtantialem notat.*

Reſpond. Vocabulum μορφὴ, licet apud profanos authores interdum formam totius corporis & cujuſcunque rei notet; tamen in univerſo Codice ſacro, nempe in V. T. ſive verſione LXX interpp. & in toto N. T. non reperitur, niſi de formâ externâ & accidentali.

In *Daniele* hæc *vox quinquies uſurpatur*, & *ſemper vocabulum Chaldaicum* זִיו *habetur*, quod μορφὴ redditur à Græcis, & *non niſi externa vel accidentalis forma intelligitur*, quæ à Logicis FIGURA appellatur. *Dan.* 4. 33. uſurpatur de Nabuchdonoſore: καὶ ἡ μορφή μου ἐπέστρεψεν ἐπ' ἐμί. *Et figura mea reverſa eſt ad me.* h. e. nitor aut decor corporis. Antea enim deformatus erat velut beſtia; nunc verò ſqualida illa ſpecies beſtiæ eſt abjecta, & figura nitorque humanus ei eſt reſtitutus. Antea erat ἄμορφος, informis, h. e. deformis, ſqualidus, incultus: nunc verò factus eſt εὔμορφος, h. e. decorus, inſignis formâ, vel formoſus. *Daniel.* 5. 6. Τοῦ Βασιλέως ἡ μορφὴ ἠλλοιώθη. Et Regis Belſazaris facies eſt immutata. *verſ.* 9. Rex (Belſazar) vehementer conturbatus eſt, & [μορφὴ] vultus ejus immutatus eſt. Et *v.* 10. καὶ ἡ μορφή σου μὴ ἀλλοιούσθω. Et facies tua non immutetur, inquit Regina ad Belſazarem. *Dan.* 7. 28. uſurpatur de Daniele Propheta, qui poſtquam ſub 4 animalium figuris 4 Monarchias adumbratas vidiſſet, inquit: καὶ ἡ μορφή μου ἠλλοιώθη ἐπ' ἐμί. *Et facies mea mutata eſt in me.* Quare certum eſt, quòd vox μορφὴ non niſi formam externam vel figuram oris atque corporis indicet.

Sic in N. T. *de Chriſto* uſurpatur, *Marc.* 16. *v.* 12. ille dicitur poſt reſurrectionem ſuam duobus diſcipulis in Emaus caſtellum euntibus apparuiſſe ἐν μορφῇ ἑτέρᾳ, h. e. in alia forma vel effigie. Hanc formam externam Marcus vocat ἑτέραν μορφήν. Quod non ita intelligendum, quaſi Chriſtus habuerit aliam formam ἀληθινὴν, h. e. ſecundum rei

rei veritatem; ſed φαινομένως, apparenter, h. e. ſecundùm converſantium opinionem: uti ex exemplo duorum diſcipulorum Emauntem euntium patet. *Luc.* 24. 16.

XLVI.

3. *De glorioſa in Regnum reductione*, tria prædicat Nabuchdonoſor.

Primò inquit *v.* 33. *Ad gloriam regni mei reverſus ſum.* LXX Interpretes: καὶ εἰς τιμὴν καὶ εἰς βασιλείας μου ἦλθον. hoc eſt: Regnum mihi eſt reſtitutum, ſcilicet à filio Evilmerodacho, & à Proceribus Babylonicis. ſicuti ſtatim ſubjungit: Gubernatores mei (LXX: οἱ τύραννοί μου. Vox *Tyranni* olim honeſtum vocabulum erat: uti patet ex illo Virgilii;

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.)

& Proceres mei (οἱ μεγιστᾶνες μου) requiſiverunt me. Hi namque miſerti calamitoſæ ſortis ejecti Regis ſui, eum, Deo rem ſic dirigente, receperunt.

Deinde inquit *v.* 33. *Ego ad decorem Regni perveni.* Significat, authoritatem priſtinam, qua antea apud ſubditos & exteros pollebat, redïiſſe: Hic Authoritas regia, pulchrè vocatur decor regni & ſplendor Regis.

Tertio inquit *v.* 33. *in regno meo confirmatus ſum, & magnificentia amplior addita eſt mihi.* ſcil. à Deo. Nam experientia edoctus Nabuchdonoſor didicerat, Regna à Deo ſtabiliri & transferri. *Dan.* 2. *v.* 21. & *c.* 4. *v.* 14, 29. Deus mortificat & vivificat: ipſe in infernum deducit, & ex eodem reducit. 1 *Sam.* 2. 6. Et omnes homines hoc videntes, annunciabunt opera Dei, & facta ejus intelligent. *Pſalm* 64. 10.

XLVII.

11. EFFECTA SUBSEQUENTIA Nabuchdonoſoris reſtitutionem, ſunt duplicia. 1. *Humilitatio.* 2. Δοξολογία, ſive *Glorificatio.*

XLVIII.

1. *Humiliatio.* Ego *Nabuchdonoſor* (inquit ipſe) *poſt finem dierum* (h. e. elapſo ſeptennio, ſcil. poſtquam mens mea ad me reverſa eſt) *oculos meos in cœlum levavi. Daniel* 4. 31. Quæ elevatio oculorum in cœlum fuit ſignum humiliationis. Nam in ſtatu proſpero oculos ſuos convertebat ad vanitatem, nempe ad Regiam ſuam Babylonicam, in eaque confidebat, deque ea ſuperbe gloriabatur: qua de cauſa etiam graviter à Deo caſtigatus eſt. At nunc in ſtatu aſpero oculos in cœlum elevat, & agnoſcit, *Omne ſub Regno graviore Regnum eſſe*; ſicuti pulchre Seneca ait. Unde in *v.* 34. denuo repetit hanc δοξολογίαν, dicens: *Nunc igitur Ego Nabuchdonoſor laudo & magnifico & glorifico Regem cœli: quia omnia opera ejus ſunt veritas, & omnes viæ ejus judicia; & ipſe ambulantes in ſuperbia poteſt humiliare.*

XLIX.

11. Δοξολογία, ſive *Glorificatio.* Nabuchdonoſor præterea *Deum* (quem vocat *Excelſum & viventem in æternum*) quadruplici de cauſa glorificat.

Primo: *Ob æternam poteſtatem. v.* 31. Altiſſimo (inquit) benedixi, & viventem in ſempiternum laudavi & glorificavi. Quia poteſtas ejus poteſtas æterna. שולטן עלם שולטנה ἐξουσία αἰώνιος ἐξουσία αἰώνιος. Hic ἐξουσία notat poteſtatem, non à δυνάμει ſejunctam, ſed cum eadem conjunctam. Nam Deus liberè poteſt facere, quæcunque vult, ſive in cœlo, ſive in terra; uti in *v.* 32. dicitur.

Deinde: *Ob Regni æternitatem. v.* 31. Quia Regnum ejus durat à generatione in generationem, h. e. perpetuum eſt, & fine caret.

Tertio: *ob ejus Majeſtatem. v.* 32. Quia omnes habitatores terræ apud illum ut nihilum reputantur. Omnes namque Reges & Magnates terræ, quantumvis excellentes atque potentes fuerint; omnes, inquam: non dico, ſinguli, ſed omnes, atque etiam cuncti & conferti, ita ut ex iis unus fiat: non ſolum mutili & manci, ſed etiam nihil; imo ſive liceat, ſive non liceat dicere, minus quam nihil ſunt.

Quarto: *Ob voluntatis libertatem. v.* 32. Quia juxta voluntatem ſuam omnia facit in cœlo & in terra, ipſiuſque manum nemo cohibere poteſt. Quare æquum eſt, ut ego omneſque Reges terræ Ipſum ſuperiorem agnoſcamus, & coram Eo nos humiliemus.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

L.

Poſtquam Nabuchdonoſor Regni compos factus eſſet, moritur anno Mundi 3390. ante C. N. 581.

cum regnaſſet annos { 45 / 44 / 43 } juxta { Metaſthenem, & Chyt. *Onom. p.* 290. / Dreſſ. *Mill.* 4. *Iſagog. p.* 215. / Communem Hiſtoricorum ſententiam. }

MO-

MONARCHA XLVIII.
EVIL-MERODACH.

CAPUT I.
DE ORTV.

I.

EVilmerodachus filius Nabuchdonoſoris Magni fuit, qui patri, poſtquam 43 annos regnaſſet, in imperio ſucceſſit.

II.

NOMINA habuit varia. 1. Dictus eſt EVILMERODACH אויל־מרדך. Quod nomen *quidam* interpretantur *in malum*, q. d. ſtultus, fatuus: & putant, hoc ei nomen à Babyloniis impoſitum ideo, quod ipſe ſummo populum Juda captivum favore & amore proſequutus ſit; quod ſuperbis Babyloniis ſtultum videbatur. *Quidam* vero interpretantur *in bonum*, q. d. ſtulti amaritudinem conterens, h. e. vir ſapiens atque prudens, quod ſuorum cavillationes nihil curarit. *Hoc nomen bis in ſacro codice legitur*, nempe 2 *Reg.* 25. *verſ.* 27. & *Ierem.* 52, *v.* 31. 2. *Zonara* EVILAD-MERODACH. 3. *Ptolemæo in Canone*, & *Beroſo*, ILVARODAMUS. 4. *Cedreno* ULMERODACHUS. 5. *Ioſepho* ABILAMERODACHUS. *lib.* 10. *c.* 12. *p.* 276. 6. *Aventino lib.* 1. *Annal. Bojoar. p.* 21. AMILINUS MERODACUS. 7. *Herodoto in Clione* dicitur Λαβυνητος, quod Latinè effertur LABYNETUS: ab aliis LABYNITUS, vel LABUNITUS PRIMUS. (Nam etiam Belſazar filius ejus LABYNETUS eſt dictus; uti ex *Herodoto* patet, qui ſcribit, ultimum Regem Babyloniorum, nempe Belſazarem, patri ſuo cognominem fuiſſe, & *Labynetum* appellatum. Et ſimiliter *in Clione* ſcribit; quòd Nitocris fuerit Labyneti Regis uxor & Labyneti mater.) Quare Evilmerodach pater, fuit Labynetus I; & filius ejus Belſazar, fuit Labynetus II. 8. BALTHASAR appellatur *in lib. Baruch. c.* 1. *v.* 11, 12. in quo narratur, Jechoniam Regem & Judæos, qui erant Babylone, ſcripſiſſe ad Judæos, qui erant Jeroſolymis, ut orarent Deum pro vita Nabuchdonoſoris, & filii ejus *Balthaſaris*. Ubi non poteſt intelligi ultimus Rex Babyloniorum, qui Belſazar propriè dictus fuit; ſed Evilmerodach, qui fuit filius Nabuchdonoſoris, eique in Regno immediatè ſucceſſit; uti patet ex 2 *Reg.* 25. *v.* 27. & *Ierem.* 52. 31. Quare dicendum eſt, quod *Evilmerodach* fuerit *binominis*, & regnante patre Nabuchdonoſore, dictus *Balthaſar* nomine proprio; poſt mortem vero patris nominatus fuerit cognomento *Evilmerodach*, ab eventu; de quo antea diximus.

CAPUT II.
DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

III.

1. CONJUGIUM. *Evilmerodach uxorem* habuit, cui nomen NITOCRIS; uti *Herodotus lib.* 1. & *Metaſthenes* tradunt. Hæc namque (uti *Herodotus in Clione* ſcribit) erat *Labyneti* (ſcil. I, h. e. Evilmerodachi) uxor, & *Labyneti* (ſcil. II, h. e. Belſazaris) mater; cujus etiam *Dan.* 5. 10. fit mentio, ubi indefinite REGINA appellatur. Hæc prudentiſſima fuit femina, de qua *Herodotus lib.* 1. memorabilia ſcribit: Hæc, *inquit*, quinque ætatibus Semiramide poſterior (qui tamen inſignis Herodoti in Chronologia lapſus eſt. Nam liquet, Nitocrem fuiſſe propemodum 1500 annos Semiramide poſteriorem) metuens imperium Medorum, & quaſi præſagiens Medos imperio Aſſyriorum ſive Babyloniorum aliquando potituros, quibus potuit rationibus ſe præmunivit: Euphratem, qui recto curſu Babylonem medius ſecat, tortuoſum reddidit, foſſis ſuperius depreſſis, adeo ut quendam non procul à Babylone pagum, *Arderica* nomine, ter interfluat, ita ut qui hoc fluvio tendunt Babylonem, ter ad hunc eundem pagum applicent; idque triduo.

IV.

II. LIBER I. E *Nitocri* Evilmerodachus filium procreavit nomine BELSAZAREM. Ubi error *Suidæ*, *Conſtantini Manaſſis*, & *Sulpicii Severi*, caſtigandus venit, qui patrem Belſazaris Nabuchdonoſorem: Item *Cedreni*, *Zonaræ* & *Euſebii*, qui Evilmerodachum fratrem Belſazaris faciunt. Similiter *Metaſthenes* errat, qui putat, Evilmerodachum tres habuiſſe filios; nempe *Regaſſarem*, *Labaſſarodachum*, & *Belſazarem*: cum tamen ſolus Belſazar ejus filius, Regaſſar vero ejus affinis, & Labaſſarodachus ipſius affinis fuerit filius.

II. *ACTA POLITICA.*

V.

Adminiſtratio Regni ab ipſo ſuſcepta, gemina fuit. 1. *Vicaria.* 2. *Ordinaria.*

VI.

VICARIE Evilmerodachus regnum cum præcipuis Proceribus adminiſtravit, poſtquam Nabuchdonoſor pater ejus μανίᾳ correptus, de ſolio deturbatus, & à contubernio hominum ad beſtias agri ejectus

ejectus est. Nam Angelus demandavit: *Stirpem arboris relinquendam esse. Daniel.* 4. *v.* 12, 20. quod *Daniel* ita exponit: *Regnum Nabuchdonosori relinquendum esse. Daniel.* 4. 23.

VII.

ORDINARIE Regnum, & quidem laudabiliter administravit, cum parenti demortuo in Regno successisset.

Unum de eo narrat *Nauclerus Generat.* 51. quòd fabulæ potius quam veræ historiæ speciem habet. Tradunt (*inquit*) aliqui, quòd Evilmerodach in diebus ejectionis paternæ multa egerit impia. Patre itaque restituto accusatus, missus est in carcerem, ubi Jechonias erat. Recuperato post parentis obitum regno, timens ne resurgeret pater, ut qui de bestia antea redierat in hominem, consulit Jechoniam. Ad cujus consilium cadaver patris sui effossum divisit in trecentas particulas, & dedit trecentis vulturibus, dicente ad eum Jechonia: *Non resurget pater, nisi redeant vultures in eum.* verùm

——— *Credat Judæus Apella.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

VIII.

Evilmerodachus ad veram Dei agnitionem conversus, facilis & benefictus in Ecclesiam fuit. Cum enim consensu Procerum regni Babylonici, pro patre mentis impote ad regni gubernacula admotus, statim primo regni sui anno, *Iechoniam* quondam *Regem in Iuda*, quem pater ejus annos 35 captivum tenuerat, *è carcere liberavit*, eumque in solio, cæterorum Regum qui Babylone erant, soliis altiore, collocavit; & mutatis carceris vestimentis, eum in honore habuit, eumque de mensâ suâ ali toto vitæ tempore demandavit. 2 *Reg.* 25. *v.* 27. *Ierem.* 52. *v.* 31. Hæc res, & erga gentem Judaicam propensio pia, ita Proceres & animos vulgi, patrias negligi religiones indignantis, alienavit, nomenque ei immutavit, ut *Evilmerodachi*, h. e. fatui cognomine à suis appellatus sit. Ita pii mundo immundo sunt fatui! *Philo* scribit, *Iechoniam* à populo vocatum fuisse *Neri*, h. e. *lumen meum*, eò quòd lucerna Davidis, quæ exstincta videbatur, ipso è vinculis liberato, vicissim illuxisset. Et addit, tunc insignem illum Psalmum, qui juxta Ebræos 89 est, ad gratiarum actionem & recordationem promissi Messiæ editum esse.

Factum hoc est anno { 3390 ab Orbe condito. 26 captivitatis Babylonicæ. 581 ante Christi nativitatem.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

IX.

Regnavit annos { 2 30 37 } juxta { *Berosum*, & *Ptolemæum in Canone.* *Reinecc. Syntagm. Heroic. pag.* 64. *Avent. Annal. Bojoar. l.* 1. *p.* 21. *Sleidan. l. de* 4. *Monarch.* *D. Gesner. super cap.* 5. *in Daniel. th.* 13.

Obiit morte violentâ. Nam Regassar sive Neglissar, affinis ejus, illum interfecit, atque injustè regnum occupavit. Vide *Josephum lib.* 1. *contra Appionem.*

Synchronismus.

Tempore Evilmerodachi regnavit *Amasis Rex Ægypti*; de quo jucundam & memorabilem historiam narrabo. Hic contra Apryen Ægypti Regem adversus Cyrenæos infeliciter pugnantem, Rex electus, illum cruento prœlio devictum strangulavit: & postea regnum ipse occupavit. Quem Ægyptii initio non magni fecerunt, ut, qui antea plebeius fuisset, & familiæ haud illustris: postea verò calliditate magis eos Amasis, quam animi comitate ad sese pellexit. Erat ipsi PELVIS AUREA, in qua tam ipse Amasis, quam convivæ omnes semper pedes lavabant. Contusa ergo pelvi, statuam Dei, ex illa fecit, & in ea urbis parte collocavit, ubi erat commodissimum. Ægyptii autem litantes ad statuam studiosè eam coluerunt. Quo Amasis cognito, accersitis Ægyptiis exposuit, dixitque: *Statuam ex pelvi factam esse, in qua prius laverit pedes, modo autem religiosè ab illis coli. Nunc igitur* (inquit) *eadem est mea qua pelvis ratio. Utut enim prius fuerim plebeius, nunc tamen Rex vester sum. Honorare igitur me & venerari vos jubeo.* Hac quidem ratione Ægyptios sibi conciliavit, ut æquum judicarent ipsi servire. *Herodot. l.* 2. Pulchre dictum! Pulchre factum! Nam Princeps ab Ebræis נשיא appellatur, h. e. Prælatus, ad dignitatem evectus, aliis altior, sublimior & superior, à rad. נשא levavit, elevavit. *Genes.* 23. *v.* 6. Audi nos, mi Domine נשיא אלהים, Princeps Dei; tu es in medio nostri. LXX, βασιλεὺς παρὰ Θεοῦ, Rex à Deo. Quare æquum est, ut subditi Principes suos honorent. Quia eos quidem constituerunt; verum non infra se, sed supra se. Vide *Systema Politic. nostrum pag.* 421.

DUBIUM CHRONOLOGICUM.

Quidam Historici inter Evilmerodachum &

Belsa-

Belſazarem duos alios Reges Babyloniorum interceſſiſſe tradunt: quorum unus fuerit REGASSAR, (qui Joſepho dicitur *Nigliſar*) & LABASSAR, (qui Joſepho vocatur *Laboſardachus*) & hoſce filios Evilmerodachi fuiſſe tradit *Metaſthenes*. Quam ſententiam etiam plurimorum & graviſſimorum Scriptorum authoritas confirmat, nempe *Beroſi*, *Alexandri Polyhiſtoris*, *Alphæi*; (quos memorant *Joſephus lib.* 1. contra Appionem, & *Euſebius l.* 9. de præparat. Evangelica *cap.* 4. qui in eadem ſunt ſententia) item *Hieronymi* & *Bedæ*. *Vtuntur hoc argumento*. Quia aliàs anni 70 captivitatis Babylonicæ, quorum *Ierem.* 25, & 29, fit mentio, compleri non poſſint.

Contra: *Alii authores graviſſimi conſtanter docent, à tranſmigratione populi Iſraëlitici in captivitatem Babylonicam, tres tantùm Reges Babyloniorum fuiſſe*; illudque probant ex *Ierem.* 27. *v.* 5, 6. ubi Deus ita loquitur: Ego feci terram, homines & jumenta, &c. Nunc itaque ego trado regiones omnes iſtas in manum *Nebucadnezaris* Regis Babyloniæ ſervi mei, ut ſerviant ei. Servient autem EI omnes iſtæ gentes, & FILIO *ejus* (h. e. Evilmerodacho, cujus mentio fit 2 *Reg.* 25. 30. & *Ierem.* 52. *verſ.* 31.) & FILIO FILII ſive NEPOTI ejus, (h. e. Belſazari,) *donec adveniat tempus terræ ejus, etiam ipſius, cùm ſervitutem exigent ab eo gentes ampla*, (nempe Perſæ & Medi,) *& Reges Magni*. (nempe Darius Medus, & Cyrus Perſa.) E. inde concludunt, quod à captivitate Babylonica plures Reges, quàm tres conſtituendi non ſint; videlicet, *Nebucadnezar*, *Evilmerodach*, & *Belſazar*, qui poſtremi fuerunt.

Ε' Π Ι' ΚΡΙΣΙΣ.

Dubium hoc multis *ἀδιάλυτον* videtur. Neque certè res inſigni difficultate caret. Quia vix duo inter ſe Chronologi de annis horum trium Regum conſtituendis inter ſe congruunt.

Quidam namque putant, *Nabuchdonoſorem regnaſſe annos* 43; ut *Reinecc. Syntag. Heroic. p.* 62. *Alii* 44; ut *Dreſſer. Iſag. Hiſtor. Mill.* IV. *p.* 215. *Alii* 45; ut *Metaſthenes*, *& Chytr. Onom. p.* 290. *Similiter quidam ſtatuunt, Evilmerodachum tantùm regnaſſe annos duos*; ut *Beroſus Ptolem. in Canone*, *Alexander Polyhiſtor*, *& Alphæus*. *Alii* 12, ut *Severus Sulpitius in lib.* 2. *Hiſtor. ſacræ*. *Alii* 23; *Alii* 30; ut *Aventin. annal. Bojoar. lib.* 1. *pag.* 21. *Sleidan. lib. de* 4. *Monarch. Reinecc. Syntagm. Heroic. p.* 64. *Alii* 37; ut *D. Salomon Geſner. Diſput. ſuper cap.* 5. *Dan. th.* 13. *Similiter* variant de annis BELSAZARIS. Quidam enim ſtatuunt, eum regnaſſe annos tres; ut *Geſner. Diſput. in Daniel. in cap.* 5. *theſ.* 12. *Alii* 5; ut *Beroſus Chaldæus*, *referente Metaſthene Perſa*, *in libro de judiciis temporum*; & *Reinecc. Syntagm. Heroic. p.* 65. *Alii* 14. *Richt. Axiom. Pol. pag.* 60. *Fabricius Hiſtor. illuſtr. Viror. p.* 195. *Alii* denique 17; ut *Joſephus lib.* 10. *Antiq. Judai. cap.* 13.

Unde patet, quàm difficillimum ſit, in tanta calculi Chronologici incertitudine, apodicticè quippiam in dubii hujus ſolutione ſtatuere. Verum utut ſit: Nos diſtinguimus inter *Monarchas Babylonicos* LEGITIMOS & ILLEGITIMOS. *A captivitate Babylonica uſque ad finem ejus tantùm tres legitimi Monarchæ ſive Reges Babylonici fuerunt*; nempe, *Nabuchdonoſor*, *Evilmerodach*, & *Belſazar*, quibus DE JURE regnum debebatur; uti ex loco *Ierem.* 27. antèà allegato evidenter patet.

Verùm juxta plurimorum & præſtantiſſimorum Hiſtoricorum ſententiam, *duo Reges illegitimi* (qui potiùs Reguli nuncupandi, quam Monarchæ vel Reges) ſunt interponendi inter Evilmerodachum & Belſazarem. Nam *Regaſſar* ſive *Nigliſſar*, Evilmerodachi affinis, affinem ſuum interfecit, atque ita injuſtè Regnum occupavit; ſicut tradunt Authores, quos *Joſeph. lib.* 1. *contra Appionem citat*. Quo facto *Belſazar* hæreditario regno exutus, quia adhuc parvulus erat, ad Medos perfugium habuit, apud quos tempore exilii ſui verſatus *Nabonidus* eſt appellatus, (h. e. Princeps expulſus ſive ejectus; vel *Naboandel*, ut habet *Joſephus lib.* 10. *Antiq. Judaic. cap.* 13. vel *Nebonidus*; ut eſt apud alios.) Item *Labynetus Medus* à Metaſthene vocatur: non quòd Medus gente fuerit, aut Medis imperârit; ſed quia tempore exilii ſui apud Medos habitaverit: ſicut hiſtoriæ docent, ex habitationis loco cognomina imponi ſolere. Interim autem Regaſſar, quem dixi, Evilmerodachi affinis, (*Metaſthenes* primum filium Evilmerodachi facit) Regnum Babylonicum tribus annis adminiſtravit. Huic ſucceſſit *filius Labaſſardachus*. (quem idem Metaſthenes ſecundum filium Evilmerodachi facit, eumque ſex annis regnaſſe ait) ſed hic *Labaſſardach* partim odio tyrannicæ crudelitatis, quâ utebatur, partim ſtudio rerum novarum, à Proceribus regni Babylonici expulſus, cum 9 menſes regnaſſet; & Belſazar in regnum patrium revocatus eſt. Et ſi hæc ſententia teneatur, & ſacris profanis ſcriptoribus ſua conſtat auctoritas, & anni congruenter inter hoſce Monarchas diſtribui poſſunt, ut eorum regimen annis 70 captivitatis Babylonicæ coincidat, hoc modo; *Nabuchdonoſor* regnavit 43 annis. Et ab anno ejus 18 inchoanda eſt captivitas Babylonica; ita ut Judæi ab ejus imperio annis 36, non ampliùs, Babylone exules fuerint. *Evilmerodacho*, *Nigliſſari*, & *Labaſſardacho*

ſardacho ſimul attribuere cogimur annos 22: quot autem unicuique iſtorum duorum aſſignari conveniat, incompertum eſt. Denique *Belſazari* 11 annos Hiſtorici aſſignant. Et poſtea cum Darius deceſſit, Cyrus captivitatem Babylonicam ſolvit: quod factum eſt vel primo, vel ſecundo, poſt devictum Belſazarem, anno. Et hi anni, conjunctim ſumpti, faciunt 70 annos.

MONARCHA XLIX.
BELSAZAR.

CAPUT I.
DE ORTV.

I.
APPELLATIO.

BELSAZAR varia habuit nomina. I. Dictus eſt BELSAZAR, בלשאצר. Ubi notandum, quòd *nomen Regis ultimi hujus Babyloniorum*, & *nomen Prophetæ Danielis*, quòd Aſpenas Præfectus cameræ Regis Babyloniorum ei impoſuit, *Dan.* 1. 7. *ſono quidem verborum conveniant*, ſed *tamen duobus modis inter ſe differant.* 1. *Literarum quantitate.* Nam nomen Danielis Prophetæ BELTHSAZAR, vel BELTHESAZAR בלתשאצר, literam ת, quæ valet idem quod TH, plus habet, quàm nomen Regis Belſazar. 2. *Vocum ſignificatione.* Nam *nomen Danielis Prophetæ Belthſazar* idem eſt atque *theſaurizans*, ein ſchatz-ſamler/ vel theſaurum in abſcondito colligens, aut theſaurus abſconditus. Sed *Belſazar*, idem eſt atque non theſaurizans, ſchatzlos. II. LABYNETUS SECUNDUS ab *Herodoto* appellatur. Nam parens ipſius Evilmerodachus dictus fuit *Labynetus* I. Sed hic *Belſazar* dictus eſt *Labynetus* II. Uti ex Herodoti Clione patet, ubi dicit, quòd Regina *Nitocre* fuerit uxor Labyneti Regis, & mater Labyneti. III. LABYNETUS MEDUS vel MEDES appellatur à Metaſthene: non quòd Medus fuerit, aut Medis imperârit; ſed quia tempore exilii ſui (cùm pater ipſius Evilmerodach à Regaſſar affine ſuo occiſus, ipſeque è patria expulſus) apud Medos habitârit: ſicut *ſæpe ab habitationis loco nomina imponi ſolent*; uti conſtat ex *Matth.* 2. *v.* 23, quod *Chriſtus noſter* dicatur *Nazarenus*, ideo quia in civitate Nazareth uſque ad annum ætatis 30 cum parentibus ſuis habitârit. IV. MERODACH nonnullis vocatur, quod probant ex *cap.* 50. *Ierem.* 2. qui hunc Regem Merodach appellare videtur; ita ſcribens: *Capta eſt Babylon*; *victus eſt Merodach*, confuſa ſunt ſculptilia ejus, ſuperata ſunt idola eorum. Cum enim vaticinetur de cæde Regis ſimul cum everſione Babylonis, putant, non alium Regem Merodachum intelligi poſſe, quàm hunc Belſazarem, cum quo ſimul & Babel & regnum Chaldaicum concidit. V. NABONIDUS à Beroſo & Alexandro Polyhiſtore, vel NEBONIDOCHUS, h. e. *Princeps expulſus ſive ejectus*, vocatur ab Alphæo apud Euſebium lib. 9. de præparatione Evangel. c. ult. VI. NABOANDEL dictus eſt à Babyloniis; uti monet *Joſephus lib.* 10. *Antiquit. cap.* 13. & *lib.* 1. *contra Appionem.* VII. Vocatur Rex ששך SCHESACH, *Jerem.* 25. *v.* 27. h. e. Babyloniæ feſta agens; de quo nomine poſtea plurib. dicemus in §. 3.

II.
GENERATIO.

Pater Belſazaris fuit *Evilmerodachus*, *avus verò Nabuchdonoſor Magnus.* Quia Deus (*Ierem.* 27. *v.* 7.) promittit, ſe Nabuchdonoſori daturum regnum ampliſſimum; neque tantùm *ipſi*, ſed etiam *filio* ipſius, & præterea *filio filii* ejus. Jam verò Evilmerodachus, filius Nabuchdonoſoris, patri ſuo in imperio ſucceſſit; uti patet ex *Ierem.* 52. Similiter Belſazar, nepos Nabuchdonoſoris, patri ſuo Evilmerodacho ſucceſſit, uti conſtat ex *Daniel.* 5. *Mater* verò ejus fuit *Nitocris*, ex qua Evilmerodach hunc filium ſuum genuit. Unde *Herodotus in Clione* Nitocren vocat uxorem *Labyneti* I. (h. e. Evilmerodachi) & matrem *Labyneti* II. (h. e. Belſazaris.)

DUBIUM.

Quæritur hoc loco: *An Nabuchdonoſor fuerit abavus, an verò avus, an denique pater Belſazaris?*

1. *Joſephus lib.* 10. *Antiquit. Iudaic. cap.* 12. & *D. Hieronymus in comment. ſup. cap.* 5. *Daniel.* ſcribunt, Nabuchdonoſorem fuiſſe abavum Belſazaris. *Verba Hieronymi hæc ſunt*: Sciendum eſt, hunc Balthaſarem non fuiſſe filium Nabuchdonoſoris, ut vulgò legentes arbitrantur; ſed juxta Beroſum, qui Chaldæam ſcripſit hiſtoriam, & juxta Joſephum, qui ſequitur Beroſum, poſt Nabuchdonoſorem, qui regnavit annis 43, ſucceſſit in Regno filius ejus EVILMERODACH, cujus in fine ſuæ prophetiæ meminit Jeremias. Refert idem Joſephus, quòd poſt mortem Evilmerodachi, in regno ſucceſſerit filius ejus NIGLISAR, poſt quem regnârit filius ejus LABOSARDACH; quo mortuo, regnum tenuerit filius ejus BALTHASAR, de quo nunc agitur. *Hæc Hieronymus.*

Genea-

Genealogia talis foret.

Nabuchdonosor.

|

Evilmerodach.

|

Neglisar.

|

Labosardach.

|

Balthasar.

II. *Quidam* putant, *Nabuchdonosorem patrem* fuisse Belsazaris; idque probant ex *Dan.* 5. *v.* 2. ubi ita legitur. Præcepit (Belsazar) jam temulentus, ut afferrentur vasa aurea & argentea, quæ asportaverat Nabuchdonosor PATER *ejus* de templo, quod fuit in Jerusalem. Similiter *v.* 18. Propheta Daniel appellat *Nebuchdonosorem* PATREM *Belsazaris*. Item *vers.* 22. *Belsazarem* nominat FILIUM *Nabuchdonosoris*.

Refutatio.

Ad priorem opinionem respondemus, 1. *Omnino negandum esse, Nabuchdonosorem abavum fuisse Regis Belsazaris.* Nam *Neglisar* & *Labosardach non* fuerunt *filii Evilmerodachi*, neque de posteritate Nabuchdonosoris; sed *tantùm affines* Evilmerodachi. Neglisar enim sororis ejus maritus, ut imperium sibi raperet, Evilmerodachum occidit. 2. Licet *Neglisar* & *Labosardach* ad tempus imperio Babylonico præfuerint; tamen dicendum est, fuisse *Reges illegitimos*, *vel Regulos*. Reges verò *legitimos* a captivitate Babylonica usque ad excidium ejus *tantùm tres* fuisse, videlicet, Nabuchdonosorem, Evilmerodachum & Belsazarem. 3. Adducimus locum insignem ex *Ierem.* 27. *v.* 7. Ubi Deus Regnum amplissimum pollicetur *Regi Nabuchdonosori*; & *post ipsum*, *filio ejus*, & *filii filio*; & post eum Monarchiam Babylonicam eversum iri. Ex quo loco ἐφθαλμοφανῶς videre est, quòd duo tantùm Reges post Nabuchdonosorem, ex posteris ejus regnum gubernarint, nempe filius (Evilmerodachus) & filius filii, vel nepos ejus (Belsazar.) Cùm autem sub hoc Belsazare Monarchia Babylonica sit destructa, ipseque ultimus Rex Babyloniorum fuerit; necessariò dicendum erit, Belsazarem non abnepotem, sed nepotem Nabuchdonosoris fuisse. Alioqui dicendum, quòd *non duo* tantùm post Nabuchdonosorem (quod Jeremias disertis verbis affirmat) sed QUATUOR ex posteris Nabuchdonosoris regnarint; quod falsum. Patet ergo hinc, Nabuchdonosorem non abavum, sed avum Belsazaris appellandum esse.

Ad posteriorem opinionem respondemus. *Mos erat Orientalibus, ut non tantùm eum à quo quis immediatè genitus esset, sed etiam avum, proavum, abavum, imò quemlibet ex Majoribus* אב PATREM *appellarent. Daniel.* 2. *vers.* 23. Tibi Deus *Patrum* meorum confitebor. *Esdr.* 4. *v.* 15. *Patrum* tuorum. *Esdr.* 5. 12. *Patres* nostri. *Rom.* 9. 5. Christus est natus ex *Patribus* secundùm carnem. Ita *Gen.* 29. 5. *Laban* filius *Bethuëlis*, vocatur *filius Nachor*; cùm tamen Nachor non pater, sed avus ejus esset. Similiter *Christus* Servator vocatur *filius David*, & *filius Abrahæ*, *Matth.* 1. *v.* 1. cum tamen illi non essent strictè loquendo Patres ejus, sed Majores. Ita h. l. vocabulum אבא non reddendum est PATER *ejus* (ut in *vulgata*, & apud *Ariamontanum*, & in Græca versione) sed AVUS *ejus*. Vox enim illa אב non est accipienda propriè & strictè, pro parente, à quo quis immediatè progenitus est, (uti fit in *versione vulgata* & *Græca*) neque etiam *nimis latè* pro abavo, uti facit *Osiand. in Bibl. notis marg.* sup. cap. 5. Danielis: sed ut dixi, *latè & moderatè*, pro *avo*; uti ex loco *Ierem.* 27. 7. patet.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

III.

I. BElsazar habuit *uxorem & concubinas*, sicut legitur *Daniel.* 5. *v.* 2. Quæ autem, quales & quantæ fuerint, ignoratur.

II. VOLUPTUOSUS fuit. Nam coram mille optimatibus atque Proceribus suis vino sese ingurgitavit, *Daniel.* 5. *v.* 1. præter morem & consuetudinem, maximè Regum Babyloniorum, (uti notat Aben-Ezra) qui cum Proceribus suis cibum capere & compotare soliti non erant.

III. LEVIS fuit. Nam ipse Deus scriptione manus levitatem ejus arguit, voce *Tekel*, *Daniel.* 5. *v.* 25. h. e. in statera appensus, levis inventus es. At non magnates decet esse leves, sed graves, h. e. accurata sit gubernatio consiliorum, actionum, sermonum & gestuum in vita, ne suo exemplo inferioribus noceant: sicut Jesaias Principes viros monet *c.* 32. *v.* 8. Princeps ea, quæ digna sunt Principe, cogitabit; & super verba sua stabit.

IV. *In convivio suo*, quod Babylone instituit, 4 *grandia* PECCATA *commisit*. Nam *convivium istud* consideratur quadrupliciter.

1. *Originaliter.* Sic illud CONVIVIUM IDOLOLATRICUM fuit, h. e. *ex idololatria originem traxit.* Nam in honorem idoli sui, h. e. Deæ Schaex

cæ illud inſtituit. De quo cultu ſequentia ſunt notanda, *Cteſias lib.* 2. Perſicõr, ut eſt apud Athenæum *lib.* 14. δειπνοσοφιςῶν, narrat, die 16 menſis Loii fuiſſe feſtum Sacæas, h. e. Deæ Schacæ Babylone, & dierum quinque ſpatio celebrari ſolitum: per quod tempus Domini ferebant imperium famulorum, quorum unus familiæ præeſſe ſolebat, indutus veſte regiæ perſimili: is vocabatur *Saganem*. Ebræis dicitur סגן h. e. Princeps magnus (uti interpretatur R. David Kimchi) vel Sacerdos; apud Beroſum nomen *Saga* frequenter occurrit, pro ſacrorum Pontifice. Hinc Belſazar Rex Babyloniæ vocatur *Rex Scheſach*, *Jerem.* 25. 27. h. e. Babyloniæ feſta agens, *Schace* dicta, in honorem Deæ *Schace*. Et *cap.* 51. *v.* 41. ipſa urbs Babylon *Scheſach* appellatur.

[NOTA.

Apud Babylonios duæ colebantur Deæ, nempe *Schacha* & *Mylitta*. SCHACHA erat Terra, quam Latini etiam *Tellurem* vel *Opis* nomine coluerunt. Altera Dea erat VENUS, quæ Μυλιττα, MYLITTA, appellata fuit. *Herodot. lib.* 1. vel potius *Mulcata*, à perfecta ejus venuſtate. Arabes Uraniam indigitarunt. Ejus Sacerdotes *Nesira* vel *Notesbanta* dicti, h. e. Veneris formoſæ obſervatores; ut eſt apud *Plinium lib.* 6. *Natural. hiſt. c.* 26.]

2. *Materialiter*. Sic fuit CONVIVIUM SUPERBUM, h. e. cum abominandæ magnificentiæ atque ſuperbiæ oſtentatione conjunctum. *Dan.* 5. *v.* 1. vocatur *convivium grande*. Nam invitaverat Rex ad illud convivas mille: erant fercula lauta, pocula plena, aurea & argentea. *Daniel.* 5. *v.* 1, 2. Idem patet ex *Ieſai.* 21. 5. Ubi Belſazar genio indulgens jubet ſplendidum magnificumque convivium inſtruere. In Ebræo habetur vocabulum ערך, quod ſignificat cum ratione & proportione omnia ordinare; aptè & ordine omnia collocare, vel diſponere; quod non ſolet fieri in menſis quotidianis & vulgaribus, ſed in conviviis lautioribus & magnificis, quæ ad amicos excipiendos parantur; ubi nimirum eſt major copia & varietas omnium rerum.

Hîc autem ſingulari obſervatione dignum, quod vocabulum שנ *duo* notet, quæ ad propoſitum noſtrum faciunt. 1. notat *aciem militarem inſtruere*. *Jerem.* 50. *v.* 9. Ecce ego ſuſcitabo & adducam in Babylonem congregationem gentium magnarum (h. e. Medorum & Perſarum) de terra Aquilonis, & *ordinabunt* contra eam bellum, h. e. inſtruent aciem; & inde capietur, h. e. armatâ manu occupabitur. 2. *Menſam inſtruere*, *Prov.* 9. 2. Sapientia ordinavit vel inſtruxit menſam ſuam, h. e. omnis generis cibis eam replevit, omneſque cibos ordine ſuo diſpoſuit. Hinc patet, quòd vocabulum ערך uſurpetur *de Cyro*, aciem militarem inſtruente, & *de Belſazare* Rege Babylonis, menſam variis cibis replente & ordinante. Debuiſſet ſanè Belſazar illo tempore longè periculoſiſſimo de acie militari inſtruenda ſingulis momentis cogitâſſe. At ille de menſa inſtruenda & ordinanda, deque ventre replendo cogitavit. Pugnavit ille contra Duces ſuos poculis (*Dan.* 5. 1, 2.) cùm debuiſſet contra hoſtes pugnare gladiis: Unde inſipientiam & ſecuritatem ejus deteſtandam videre eſt. Contra hoſce lurcones, poculis ita inter ſe certantes & pugnantes, *D. Ambroſius* in lib. de Elia & jejunio graviſſimè loquitur hiſce verbis: Cernes poculorum diverſorum ordines, aciem ordinatam putes, vaſa expoſita aurea & argentea, pompam arbitreris, cornu in medio vini plenum, non epularis ſed prœliaris, inſtrumentum buccinæ, quod diſcumbentes in certamen accendet. Primò minoribus poculis, velut velitaris pugna præluditur, &c.

3. *Formaliter*. Sic fuit CONVIVIUM non tantùm *belluinum*, ſed etiam *diabolicum*. BELLUINUM fuit: quia Rex contra mille convivas ſuos vinum bibebat: h. e. poculis cum illis certabat, ſequè vino ingurgitabat. *Daniel.* 5. 1. DIABOLICUM fuit, quia ubi vino incaluiſſet, & temulentus factus eſſet, præcepit, ut vaſa aurea & argentea, quæ Nabuchdonoſor avus ejus (qui more Ebræorum *pater* appellatur) Jeroſolymis aſportaverat, adferrent, è quibus ipſe, Principes, uxores, & concubinæ ejus ſtrenuè potarunt, inque contumeliam Dei Iſraëlis, idola Babyloniorum aurea, argentea, ærea, ferrea, liguea, & lapidea, bibentes laudarunt, *Dan.* 5. 3, 4.

4. *Finaliter*. Sic fuit CONVIVIUM EPICUREUM, h. e. cum prodigioſa ſecuritate conjunctum: Quia Rex cum uxoribus: concubinis & proceribus ſuis genio indulgebat, in diem vivebat, & Deum cœli terræque Dominum, hoſteſque ſuos flocci pendebat. Nonne enim prodigii ſimile eſt, quod Belſazar hoc ſympoſium tempore periculoſiſſimo inſtituerit: cùm nempe urbs à Dario & Cyro exercitu validiſſimo cincta eſſet, (ut ex *Daniel.* 5. *v.* 30, 31. patet) & tam ſecurus periculi fuerit, acſi in alta pace eſſet; ac tunc convivium exhibuit, cùm maximè erat vigilandum, & providendum, ne urbs caperetur.

REGULA.

Quo pœna eſt propior, eo homines magis ſunt ſecuri, omniſque generis deliciis & voluptatibus dediti.

Verùm ſecuritas illa cum voluptate conjuncta, eſt non tantùm periculoſa, ſed etiam exitioſa.

Exem-

Exemplum h. l. habemus in Belſazare Rege Babylonis, qui mediis in malis atque ſummis periculis, nihil meruit *periculi*. quin potius ſympoſium cum uxoribus & concubinis & mille Proceribus ſuis inſtituit, cumque illis potando ſtrenuè certavit. Sed cum illi ita ſecuri eſſent, genioque ſuo indulgerent, urbs Babylonis à Cyro capta eſt, atque regnum everſum.

11. *ACTA ECCLESIASTICA.*

IV.

Belſazar ad Ethnicam majorum religionem defecit, & idola coluit. Judæos infeſto odio proſequutus eſt, & *Danielem* Prophetam, virum illum Dei ſanctum, religioſum, deque toto Regno optimè meritum, ſibi vero exoſum, ex aula ad Suſianæ præfecturam dimiſit. Unde *Rex Schacha* appellatur. *Ierem.* 25. *v.* 26. quoniam in honorem Deæ Schachæ feſtivum convivium Babylone inſtituit, idola ſua atque Numina glorificavit: Deo autem Iſraëlis inſultare auſus fuit, vaſis ſacris templi Jeroſolymitani per ludibrium temulento convivio adhibitis. Quo ipſo gloriam Deo Iſraëlis vero debitam detraxit; & contra fictitiis ſuis Diis, aureis, argenteis, æreis, ligneis, lapideis attribuit, quaſi ipſorum ope Judæa devicta, Jeroſolyma capta, templum direptum, ſpolia exportata eſſent. Hoc ſane erat os in cœlum ponere, & Altiſſimo maledicere. *Pſal.* 73. 9.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

Hoc eſt, *De pœnâ Belſazari divinitus inflictâ.*

V.

CIrca egreſſum Belſazaris tria ſunt notanda. 1. Τὰ προηγούμενα. 2. Τὰ συμπτώματα. 3. Τὰ παρεπόμενα.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ,

VI.

Τὰ προηγούμενα continent *pœnæ denunciationem.* Circa quam rurſus quatuor ſunt obſervanda. 1. *Scripturæ prodigioſæ exaratio.* 2. *Regis conturbatio.* 3. *Reginæ conſolatio, & conſilii communicatio.* 4. *Danielis interpretatio.*

VII.

1. SCRIPTURÆ PRODIGIOSÆ EXARATIO. Dum autem Rex Belſazar dicto modo Deum Iſraëlis blaſphemaret, quaſi ille ſuum templum & populum adverſus Babyloniorum potentiam tueri haud potuiſſet, & contra fictitia ſua Numina celebraret: Ecce Deus, Judex mundi ſummus, vindex hujus horrendæ blaſphemiæ atque impietatis ſeveriſſimus, ὡς ἀπὸ μηχανῆς digitos quaſi manus humanæ, h. e. figuram digitorum manus humanæ præ ſe ferentes, è pariete egredi fecit, qui in conſpectu Regis in pariete oppoſito, ubi ſympoſium illud belluinum & diabolicum agitabatur, hæc verba ſcripſit: MENE, MENE, TEKEL, UPHARSIN, (PARES.) *Dan.* 5. 25, 26, 27, 28.

USUS.

Deus, juſtus mundi Judex, omnia hominum cogitata, dicta & facta intuetur; impiaque & abominanda facinora velut Deus zelotes ſæpe ἐπ' ἀυτοφώρῳ punit. EXEMPLA talis vindictæ Dei ſubitaneæ habemus in *Uſa* arcam Domini tangente, qui ſtatim ita percuſſus, ut mortuus ſit. 2 *Sam.* 6. *v.* 6, 7. in *Jeroboamo*, manum contra Prophetam extendente, quæ ſubito exaruit. 1 *Reg.* 13. *v.* 4. in *Uzia vel Azaria Rege Juda*, ſacrificare volente, qui ſtatim lepra percuſſus eſt. 2 *Reg.* 15. *v.* 5. 2 *Paral.* 26. *v.* 16. Et in *Belſazare*, h. l. Quare moniti ſint Magnates, ut Deum in conſpectu ſuo ponant, & ejus iram formident, illoſque pulcherrimos *Prudentii* verſiculos ſemper in conſpectu ſuo ponant:

Sic tota decurrat dies,
Ne lingua mendax, nec manus,
Oculi ne peccent lubrici,
Nec noxa corpus inquinet.
Speculator adſtat, deſuper
Qui nos diebus omnibus
Actuſque noſtros proſpicit,
A prima luce in veſperam.
Hic teſtis, hic eſt arbiter,
Hic intuetur quicquid eſt,
Humana quod mens concipit:
Hunc nemo fallit judicem.

VIII.

II. REGIS CONTURBATIO. Hoc autem inſolito ſubitoque prodigio, in illa ipſa convivii belluini hora, palam exhibito, Rex adeo conſternatus eſt, ut color faciei ejus protinus immutaretur, & cogitationes ejus eum turbarent, zona inſuper, qua cinctus erat, præ jactatione & corporis trepidatione diſrumperetur, ipſeque toto corpore contremiſceret, ita ut epileptico paroxyſmo correptus videretur. *Dan.* 5. *v.* 6. *Eodem modo Eſaias Propheta cap.* 21. *v.* 3, 4. per συμπτώματα introducit Regem Babylonium Belſazarem, anguſtias animi ſui,

ſui, & trepidationem in urbis expugnatione, è ſubita atque inopinata hoſtium irruptione conceptam, exponentem, cujus verbâ per *μίμησιν* recitat: *Propterea repleti ſunt lumbi mei dolore; anguſtia poſſedit me, ſicut anguſtia parturientis: corrui cum audirem, conturbatus ſum cum viderem*, &c. Ex quibus verbis patet, quanta fuerit Regis illius tum temporis conſternatio atque trepidatio. O horribilem Dei ad judicium citationem! Ideoque Belſazar fortiter exclamavit, ut illico Magi, Chaldæi, & aruſpices introducerentur, ad legendam ſcripturam illam: ſed omnes illi ingreſſi, ſcripturam neque legere, neque intelligere potuerunt. *Dan.* 5. 7, 8.

Usus.

Hinc patet, quanta vis ſit malæ conſcientiæ, quæ (uti *Chryſoſt. homil.* 15. *ſuper Gen. inquit*) eſt ultor ſceleris & vindex criminis. Ubi enim peccatum inſtar nubis denſæ mentem corruperit & obvelarit, conſcientia inſurgit, & quovis accuſatore mentem gravius pungit. Hinc *Levit.* 26. 36. dicitur, quod impii trepident inſtar foliivolantis, & fugiant neminẽ perſequẽte.

Ut folium à quovis agitatur mobile vento:
Sic minimus terret conſcia corda pavor.

IX.

III. REGINÆ CONSOLATIO & CONSILII COMMUNICATIO. Cùm porro Regem omneſque Principes ejus atque conſiliarios panicus terror atque horror occupaſſet, neque Magi etiam, Chaldæi & ſapientes quicquam conſilii aut remedii in mirabili illa omnium rerum perturbatione reperire poſſent, fama hujus facti ſubito per totam aulam divulgata ad Reginæ quoque aures pervenit. Quæ Regina (*Nitocris*, *Evilmerodachi conjux*, & *Belſazaris mater* fuit, uti Hiſtorici exiſtimant, atque ex Danielis informatione procul dubio verum Deum agnovit, neque impio huic atque impuro convivio intereſſe voluit) quæ, inquam, ad Regem ingreſſa, cum, ut poſito horrore, animo tranquillo eſſet, cohortata, conſilium dedit, ut Danielem, qui ſpiritu Prophetiæ & ſapientiæ plenus eſſet, advocaret. *Dan.* 5. *v.* 10, 11.

Usus.

Hinc patet, quod mulieres, præſertim piæ, quandoque plus viris ſapiant, earumque conſilia ſpernenda haud ſint.

Exempla habemus tùm ſacra, tùm profana. SACRA hæc ſunt. 1. *Nitocris* Regina, mater Belſazaris, deficiente omnium ſapientum in aula conſilio prudenter in medium conſulit de vocando Daniele. *Daniel.* 5. 11. *Hulda Prophetiſſa* ſalutare conſilium Regi Joſiæ ſubminiſtrat de religionis reformatione inſtituenda, deque pœnitentiâ agenda 2 *Reg.* 22. III. *Debora* Prophetiſſa erat Judex in Iſraël. *Judic.* 4. 4. Unde vocatur בם *Mater* ſive *Matriarcha* in Iſraël. *Judic.* 5. 7. nempe ob ſapientiam atque authoritatem. IV. *Ruth*, *Ruth.* 2. 2. *v. Rahab*, *Joſua* 2. 9, 12, 13. VI. *Abigail*, 1 *Sam.* 25. 18, 32, 33. VII. *Mulier à Tekoah*, 2 *Sam.* 14. 19. *cap.* 20. 16. VIII. *Bathſeba*, 1 *Reg.* 1. 17, 18. IX. *Regina* ex Arabia Felice. 1 *Reg.* 10. 1. 2 *Paral.* 9. 1. X. *Eſther*, *Eſther* 7. 1. XI. *Virgo Maria*, mater D. N. J. C. *Luc. cap.* 1. 34, 38, 46. XII. *Eliſabetha*, mater Joh. Baptiſtæ. *Luc.* 1. 41, 42, 43. XIII. Quin etiam ethnica mulier, *Pilati uxor*, marito ſuo ſuadet, ne Jeſum Nazarenum ulla injuria afficiat. Matth. 27.

In PROFANIS hiſtoriis pulchrum & memorabile exemplum reperitur de *Gorgone*, *Regis Leonidæ uxore*. Cùm Xerxes Græciæ bellum illaturus eſſet, *Demaratus* Rex Spartanus exul, ne inopinato bello patria opprimeretur, de conſilio Xerxis (in cujus aula vivebat) mature ad Lacedæmonios ſcripſit, aſtute hoc ſtrategemate uſus: Ne ſcriptura deprehenderetur, ſumſit duarum tabellarum pugillares, & ceram inde abraſit. In ligno conſilium omne Xerxis enarravit, & priſtinam ceram ſuperinduxit, ne vel ſcriptura ſine tegumento indicium daret, aut recens cera dolum proderet: fido deinde ſervo perferendas tabellas tradidit: quibus allatis, quæſtioni res diu fuit, quod neque ſcriptum aliquid Magiſtratus cernerent: nec fruſtra miſſas ſuſpicarentur, tantoque rem majorem, quanto ſit occultior, putabant. Hærentibus in conjectura, uxor Regis Leonidæ, filia Cleomenis Gorgo, conſilium ſcribentis invenit. Eraſa igitur cera, belli conſilia detecta ſunt.

X.

IV. DANIELIS INTERPRETATIO. Daniel Propheta, poſtquam Regem Belſazarem ob impietatem, inſolentiam, atque impœnitentiam graviter increpaſſet, tandem ſcripturam legit, ſingulaque ejus vocabula interpretatur.

Prima vox ſcripturæ in pariete regio exaratæ erat: MENE MENE, h. e. *numeravit, numeravit*. Quæ vox eſt metaphorica ab Arithmeticis deſumta, & ingeminatur ob majorem decreti divini tùm veritatem, tùm celeritatem: docetque, Deum dies, tùm Belſazaris, tùm regni ejus numeraſſe; & quidem perfectè numeraſſe, ortum & progreſſum ejus accurate obſervaſſe, certum utrique terminum conſtituiſſe, illumque nunc adveniſſe. MENE

NE significat *numerare*. Inde derivatum est nomen *Mina* & *Almanach*, h. e. ἀπολογισμὸς, supputatio, quam Calendarium vel Ephemeridem appellare solemus. *Al* est articulus, *Mane* numeratum est. *Sensus* est: Tu Rex Belsazar scias, quod terminus dierum tum vitæ tuæ, tùm Regni tui sit evolutus, & periodus exacta. Tempus namque quo Regnum Chaldæorum duraturum erat, spatio 70 annorum post captivitatem Judæorum à Deo definitum & constitutum erat; sicut *Jeremias* 25. 12. scribit: *Cumque impleti fuerint 70 anni, visitabo super Regem Babylonis, & super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, & super terram Chaldæorum, & ponam illam in solitudines sempiternas.* Et *c.* 29. *v.* 10. dicitur: *Cum cœperint impleri in Babylone 70 anni, visitabo vos: & suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum.* Confer *Jerem.* 27. 7. Quo tempore autem hæc scriptura prodigiosa in pariete Belsazaris regio exarata est, tum terminus illorum annorum jam proxime aderat.

XI.

Secunda vox est TEKEL, h. e. *in lance appendit & examinavit*; ejusque sententiam hanc esse, docet Daniel: *Appensus es in statera, & inventus es deficiens.* (minus habens ut nummus reprobus aut adulterinus.) Metaphora est in voce *Tekel*; ab argentariis vel nummulariis desumta, qui pondus nummi justum ab injusto, adhibitâ statera, examinant atque dijudicant. *Sensus comparationis* hic est. Quemadmodum argentarii nummum stateræ appendunt, ut pondus nummi alicujus, sitne justum an vero injustum, & expondere precium exquisitè cognoscant: ita quoque Deus, (inquit Daniel) ô Belsazar, omnia tua dicta & facta, consilia, decreta, statuta, ad trutinam legis & justitiæ suæ examinavit, sed inventus es *levior*, non secus ac nummus justo levior, ac proinde reprobandus, h. e. inventus es homo levis virtute & authoritate, imo homo nihili, ac proinde abjiciendus, ne amplius Rex sis.

XI.

Tertia vox est PHARSIN (*upharsin.*) h. e. dividunt. vel: *Peres*, h. e. divisit: Hanc *Daniel v.* 28. explicat, ejusque sensum esse dicit: *Divisum est regnum tuum, traditumque Medis & Persis.* Summa autem horum trium verborum est: Omnibus Regnis certa periodus est constituta divinitus, quam non transcendunt: hac exacta, perit Gubernatorum authoritas, qua amissa sequitur mutatio imperiorum.

XIII.

ANTILOGIA.

At *dicat aliquis*: In *v.* 25. *in quo continetur scriptio & lectio*, habetur *verbum plurale* PHARSIN; At *in v.* 28. in quo continetur *scriptura interpretatio*, *verbum singulare* PERES habetur: Quid autem hæc sibi vult mutatio?

Resp. Hæc mutatio veritati nihil detrahit. Etenim ambo hæc verba causas subordinatas respiciunt, quæ non pugnant, neque mutuo sese tollunt.

Nam verbum { singulare *Peres* in *v.* 28. / plurale *Pharsin* in *v.* 25. } refertur ad { Causam principalem istius divisionis, videlicet DEUM. / Causas instrumentales Deo in hac divisione inservientes; nempe Darium Medum, & Cyrum Persam. }

Confirmationis loco addi possunt dicta sequentia, in quibus Deus tanquam causa principalis, & Darius atque Cyrus tanquam causæ instrumentales conjunguntur. Ut *Esai.* 13. 17. inquit Deus: Ecce EGO (Deus) suscitabo super eos (Chaldæos) *Medos*, (scil. tanquam administros meos) qui argentum non quærant, neque aurum velint; sed sagittis parvulos interficient, & embryonibus non parcent. Et *Jerem.* 51. 11. legitur: Suscitavit DOMINUS (tanquam causa principalis) Spiritum REGUM MEDORUM, (tanquam administrorum suorum) & contra Babylonem mens ejus est, ut perdat eam: quoniam ultio Domini est, ultio templi sui. Similiter de *Cyro* Rege Persarum (*Jesai.* 44. 27, 28.) Deus ait: EGO dico profundo, (h. e. Euphrati) exsiccator: flumina tua, ô Babylon, arefaciam. Qui dico Cyro, Pastor meus es, & omnem voluntatem meam facies. Et *Jesaiæ* 45. 1. Hæc dicit DOMINUS CYRO uncto meo, cujus apprehendi dexteram, *&c.* & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur. Ego antecibo & gloriosos terræ humiliabo, portas æneas conteram, & vectes ferreos confringam.

USUS.

XIV.

Deus ter Opt. Max. in hac scriptura ænigmatica *artificiose nobis depingitur.*

1. *Tanquam Arithmeticus* vel *Calculator sapientissimus*; de quo *Sapient.* 11. 22. dicitur:

Pondere, mensura, numero, Deus omnia novit.

Ipse namque dies tùm regnorum, tùm Regum exacte numerat, eorum ortum, progressum & egres-

greſſum accuratè novit, & annos, dies, menſes, horas ipſe præciſe prædefinivit & determinavit, quouſque durare debeant. Quis hoc ipſum cum admiratione non recognoſceret? *Plato* mutationes Rerumpublicarum arithmetico ænigmate involvit, & ait: Politias mutari, cum fundus ſeſquitertius quinario junctus duas exhibet harmonias ter auctus. Quidnam autem per hoſce numeros Platonis ænigmaticos intelligatur, neipſe quidem Ariſtoteles explicavit; ſiquidem ſunt Sibyllæ foliis obſcuriores. *Ariſtoteles* omiſſa Dei providentia, & cauſis fatalibus ac Phyſicis tanquam remotioribus & obſcurioribus præteritis, ſolas intuetur cauſas propinquas & morales. Nam & motus cieri efficique mutationes, & quaſi metas conſtitui, ac definiri circuitus durationum, oſtendit vitiis Politiarum, & hominum cupiditatibus, qui vel communibus ac publicis vitiis & morbis Politiarum, vel aliis cauſis irritati atque accenſi, ſi moliantur res novas, præſentem rerumpubl. ſtatum perturbant. Verum nos ex *Daniele* 5. 28. diſcimus, quod ſolus Deus mundi Dominus ſit ille, cui hæc vox tribuenda ſit: MENE, MENE, h. e. *numeravit*, *numeravit*, h. e. ille omnibus Regnis atque Imperiis in mundo fatales initii, incrementi atque durationis præſcripſit terminos atque periodos; quibus evolutis, non ſecus ac fumus à vento diſſipatus, tranſeunt & evaneſcunt.

PRIMA MONARCHIA *Aſſyriorum* ſive *Babyloniorum* à Nimrodo condita exiguis cœpit initiis, conſtititque cæteris diutius, nempe annis 1646; quibus elapſis concidit. Hinc *Jeremiæ* 25. *v.* 11, 12. dicitur, quod Deus Babyloniorum Regno à tempore Jeroſolymæ expugnatæ 70 annos præfixerit. Nam ita ſonant verba: Omnes gentes iſtæ ſervient Regi Babylonis *ſeptuaginta* annis. Cumque impleti fuerint 70 anni, viſitabo ſuper Regem Babylonis, & ſuper gentem illam, (dicit Dominus) iniquitatem eorum, & ſuper terram Chaldæorum, & ponam illam in ſolitudines ſempiternas. Similiter *Jeremiæ* 27. 7. inquit Deus: Servient ei Nebucadnezari omnes gentes, & filio ejus, & filio filii ejus, DONEC VENIAT TEMPUS TERRÆ EJUS, & IPSIUS.

SECUNDA MONARCHIA, *Medorum* & *Perſarum* à Dario & Cyro conſtituta A. M. 3434. juxta *Calviſium Chron. p.* 65. anno M. 3412. poſt occupatam Babylonem, & interfecto ultimo Aſſyriorum Rege Belſazare, qui *Herodoto* eſt *Labynitus*, duravit annos 207. & interiit.

TERTIA MONARCHIA *Græcorum* ab Alexandro M. fundata A. M. 3642, ſtetit annos 282, & in fumos abiit.

QUARTA MONARCHIA *Romanorum* à Julio Cæſare initium ſumſit anno M. 3924, ante Chriſti nativitatem 46. quo Julius victo Pompeio Imperator dictus eſt. Jam vero Chriſtus natus eſt ante annos 1648. adde ann. 46, habebis ann. 1694. Tamdiu Monarchia IV uſque huc ſtetit. & juxta hanc ſupputationem Monarchia III duravit 282. annis. Diximus etiam in præcogn. Monarch. III, *cap.* 3. eam ſtetiſſe anno 300. Sic initium Monarchiæ IV faciendum eſt ab Auguſto, qui A. M. 3942, ante Chriſti nativitatem 29, victo Antonio & Cleopatra, ſolus imperare cœpit; & regnum Ægyptiacum (quod hactenus 294 ann. ſteterat) immediate Imperio Roman. ſubjecit. Natus eſt Chriſtus ante 1648. an. adde an. 29, habebis 1677 annum, initium Monarchiæ IV. Vel, mundus creatus eſt ante Chriſti nativitatem 3970. (juxta Bucholzeri, aliorumque clariſſimorum Chronologorum ſupputationem.) adde ann. nat. Chriſti 1648. veniunt 5618. anni durationis mundi. Ab his 5618. ann. rurſus detrahe 3942, emergent quamdiu Monarchia IV duraverit. Quæ & durabit uſque dum Lapis de monte ſine manibus abſciſſus percutiet ſtatuam in pedibus partim fictilibus, partim ferreis, & comminuet eos. *Daniel* 2. 34.

Habent & alia Regna, Principatus atque urbes terminum à Deo ſibi conſtitutum. Et oſtendunt omnium temporum hiſtoriæ, raro conſtitiſſe aliquod Regnum & Imperium, abſque inſigni aliqua mutatione, ultra 500 annos, imo ſingulis 50 annis aliquam inſignem mutationem Rempubl. ſentire, animadverſum eſt.

Hæc periodus definitur *à Daniele* 9. 24. ubi prædicitur *tempus durationis Politiæ Judaicæ*: Septuaginta hebdomades (annorum) definitæ ſunt ſupra populum tuum, h. e. 490 anni. Quo Deus vult oſtendere, omnia ſub ſole eſſe mutationi obnoxia; vel ut *Eccleſiaſtes c.* 1. loquitur, omnia eſſe vanitatem, imo vanitatem vanitatum; ac proinde cœleſte æternumque in cœlis Regnum quærendum, in quo κληρονομίαν ἄφθαρτον, καὶ ἀμίαντον, καὶ ἀμάραντον, h. e. hæreditatem incorruptibilem, & incontaminabilem, & immarceſcibilem, à Deo nobis præparatam poſſidebimus. 1 *Petr.* 1. 4.

XV.

11. *Tanquam Judex juſtiſſimus*, lances manibus tenens, & Reges terræ ponderans, atque eorum facta ad trutinam legis ſuæ examinans, non ſecus atque argentarius nummorum valorem explorat. Sicut *Eſai.* 28. 17. ipſe Deus inquit: Ego ponam judicium in REGULAM, & juſtitiam in TRUTINAM: h. e. Ego exactiſſime & exquiſitiſſime

tiſſimè mortales, præſertim autem Reges, judicabo, omniaque eorum cogitata, acta & facta examinabo. Deus in medio Deorum (h. e. Magiſtratuum) cum exactiſſima juſtitiæ ſuæ norma ſtat, omniaque obſervat & dijudicat. *Pſalm* 82. 1. Quos autem leves virtute invenit, illos quoque leves authoritate facit, vel, ut dicitur *Pſalm* 107. 40. contemtum ſuper Principes effundit. *Exempla* habemus in Sardanapalo, Sennacheribo & Belſazare, Regibus Aſſyriorum & Babyloniorum. Item in Joachazo, Jojakimo, Jechonia & Zedechia, Regibus Juda. Uti etiam in Romanis Impp. in Caligula, Nerone, Vitellio, Commodo, Antonino Caracalla, Heliogabalo, Maximino, Valeriano, Diocletiano, Maximiniano, Valerio Maximino, Maxentio, Licinio, *&c.*

XVI.

III. *Tanquam vindex potentiſſimus, Regna à gente in gentem transferens:* uti oſtendit vox PARES, quæ notat, quòd Deus Regnum Belſazaris diviſerit, atque Medis & Perſis dederit. Ita quando periodus Regnorum exacta, atque virtus authoritaſque Regum ſublata eſt, ita ut appenſi in ſtatera judicii atque juſtitiæ divinæ leves inveniantur, tum tandem mutationes atque everſiones Regnorum ſequuntur, quæ ſanè non fiunt ex abſoluto & fatali quodam Dei decreto, ſed propter Regum atque ſubditorum peccata Regnum de gente in gentem transfertur; ſicut dicitur *Syrac.* 10. 8. Regnum à gente in gentem transfertur propter injuſtitias, injurias, contumelias & διαφόρους δόλους. h. e. opes doloſas, h. e. dolo partas. Ita *Rex Saul* ob hypocriſin & inobedientiam à Deo abjicitur, ut non ſit Rex ſuper Iſraël. 1 *Sam.* 15.

Et ob *Salomonis idololatriam regnum* 10 *tribuum* ab ipſius familia aufertur, & *Jeroboamo* filio Nebath Euphratæo traditur. 1 *Reg.* 11. & 12. Et ſæpe Deus punit impium per alium impium; uti patet ex *Jeſai.* 21. 2. Prævaricator veniet contra prævaricatorem, & vaſtator contra vaſtatorem. Ubi per *Vaſtatorem* & *Prævaricatorem agentem* intelliguntur Medi & Perſæ. Per *prævaricatorem & vaſtatorem patientem* intelligitur Rex Babylonius Belſazar cum Chaldæis ſuis. Uterque autem Rex & Perſicus & Babylonius vocatur *prævaricator & vaſtator*, quod in amplificandis imperii ſui finibus cupiditatibus ſuis obſequeretur, & regna aliena vaſtaret atque occuparet. Diſertè autem in eodem loco Deus Medos & Perſas nominat, eoſque per Apoſtrophen alloquitur, & ad obſidendam oppugnandamque Babylonem evocat atque hortatur. *Aſcende* (inquit) *Elam* (h. e. Perſæ) atque *Mede.*

PARÆNESIS.

Quare Reges atque Principes ſint moniti, ut in ſtatu eminentiæ ſuæ cautè atque providè ambulent, quo Chriſto Regi Regum & Judici vivorum atque mortuorum olim rationem reddere queant: ſeque ipſos examinent atque dijudicent, ne à Domino pœnis atque calamitatibus probari neceſſum habeant. 1 *Cor.* 11. 31. Ratio enim reddenda eſt de omni verbo otioſo, *Matth.* 12. 36. & omnes ſiſtentur ad tribunal Chriſti. *Rom. c.* 14. Quod qui facere detrectant, magno in periculo ſunt conſtituti. Metuendum namque eſt, ne ipſis, nil tale cogitantibus, & pacem ſecuram ſomniantibus. Manus Dei omnipotentis prodeat, inque pariete hæc verba fatalia ſcribat: *Mene Mene, Tekel, Upharſin*, h. e. Dies vitæ tuæ regnique tui ſunt numerati, tu levior virtute es inventus: ideoque authoritas tua vileſcit, atque Regnum tuum ad alium te digniorem transferetur. Quare ô Magnates terræ, intelligite & erudimini. Cogitate, quòd Dominum habeatis in cœlis, *Eph.* 6. quodque ſub Regno graviore regnum veſtrum ſit: uti venuſtè Seneca ait. Servite Domino in timore, & exſultate ei cum tremore. Oſculamini filium, ne iraſcatur, & pereatis in via. *Pſalm* 2. *v.* 10, 11, 12.

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ, REGIS INTERFECTIO.

XVII.

Exitum tùm *Belſazaris Regis*, tùm *regni* ejus, Daniel Propheta hiſce verbis deſcribit *c.* 5. *v.* 30, 31. *Eadem nocte interfectus eſt Belſazar Rex Chaldæus, & Darius Medus ſucceſſit in regnum annos natus ſexaginta duos.* Hæc eſt *Epitaſis* hiſtoriæ Belſazaris, quæ in *cap.* 5. Danielis deſcribitur, continens illius Regis, & totius Regni Babylonici exitum & exitium. Duo autem in illis ſunt notanda. I. *Belſazaris Regis trucidatio.* II. *Regni ejus in Darium Medum tranſlatio.*

1. *De Belſazaris Regis trucidatione.*

XVIII.

De *Belſazaris Regis trucidatione* quatuor Quæſtiones ſunt notandæ. 1. AN. 2. QUANDO. 3. UBI, & 4. A QUIBUS *occiſus ſit.*

QUÆSTIO I.

An Belſazar interfectus ſit?

Alexander Polyhiſtor, Metaſthenes, Alphenus, aliique profani ſcriptores, (quos *Joſephus lib.* 10. *Anti-*

Antiquit. S. lib. 1. *contra Appionem*, uti etiam *Eusebius lib.* 9. *de præparat. Evangelica c. ult.* allegant) tradiderunt, *Regem Belſazarem* (quem illi Nabonidem vocant) *non fuiſſe interfectum*, ſed à Cyro Rege Perſarum, à quo obſeſſus fuerat, cuique tandem ſe dediderat, in gratiam receptum, & non modò vitam, ſed etiam commodam in Carmaniæ provincia habitationem obtinuiſſe, ibique naturali morte defunctum eſſe. *Verùm prædicti iſti Scriptores graviter errant.* Nam I. *Daniel Propheta* (per quem Spiritus Jehovæ loquutus eſt, & ſermo per linguam ejus) diſertè ſcribit, quòd Belſazar occupatâ Babylone à Medis & Perſis INTERFECTUS ſit. *c.* 5. *v.* 30. II. Cum Daniele congruit quoque *vaticinium Prophetæ Eſaiæ*, qui *c.* 14. *v.* 18, 19, 20. prædixit; Regem hunc vulneratum & occiſum, honore quoque ſepulturæ in patrio monumento privatum iri. *Verba Eſaiæ hæc ſunt*: Omnes Reges gentium, quotquot ſunt, dormiunt cum honore, quiſque in domo ſua. (h. e. honorificè ſepulti jacent in ſepulcris, quæ vel ipſi ſibi ſtruxerunt, vel in quibus majores eorum ſepulti ſunt.) Tu verò projectus es è ſepulcro tuo, velut ſurculus abominabilis, quaſi veſtimentum occiſorum, qui transfixi ſunt gladio, & qui deſcenderunt ad lapides foveæ quaſi cadaver putridum: tu non adunaberis cum eis in ſepultura. (h. e. non honorificè ſicut Reges, tùm gentium longè inferiores, tum etiam Babyloniorum, ſepelieris, ſed in terra inhumatus relinqueris, & projicieris cum cæteris in expugnatione Babylonis interfectis, velut ſurculus inutilis, & veſtimentum [ſanguineum, & putridum cadaver projici ſolet; & acervo lapidum obruêris.) Quæ omnia in Belſazarem quadrant. Hic namque captâ à Medis & Perſis urbe, inter pocula trucidatus fuit, & cadaver ejus inter cætera cæſorum cadavera projectum & conculcatum. III. Idem *Xenoph. l.* 7. *Cyropæd.* confirmat, qui ſcribit, Regem Babylonis captâ urbe in palatio, diſtricto acinace ſtrenuè dimicantem, à militibus Cyri interemtum eſſe.

XX.

QUÆSTIO II.

Quando Belſazar interfectus ſit?

Daniel Propheta reſpondet, quòd EADEM NOCTE, nempe, quâ Belſazar magnificum convivium Principibus ſuis inſtruxit, cumque illis comeſſatus eſt, in eadem quoque Babylon capta, ipſeque interfectus ſit. Similiter *Jeſaias Propheta cap.* 47. *v.* 9. ducentis annis antè, noctis hujus cladem prædixit, hiſce verbis: *Venient tibi duo hæc ſubitò in die una; ſterilitas & viduitas.* q. d. Rex tuus obtruncabitur, ô virgo Babylon. (ita eam *v.* 1. nominat.) *duo mala tibi eodem die*, h. e. eodem tempore ſubitò & præter exſpectationem contingent, nempe & Rege & Regno per Medos & Perſas privaberis. Idem confirmatur ex *Jeſaiæ* 21. ubi Propheta deſcribit *tria*.

1. BABYLONIS OBSESSIONEM, *v.* 3. *Aſcende Elam.* (h. e. Elamita, Perſa.) *obſide Mede.* Hæc ſunt verba Dei præcipientis Perſis & Medis obſidionem Babylonis. *Ratio obſeſſionis* additur. Quia (inquit Deus) *omnem gemitum ejus* (Babylonis) *ceſſare feci.* Hîc *gemitus Babylonis* non intelligendus eſt *affectivè*, h. e. de gemitu quo Babylonii ſunt uſi, ſed *effectivè*, h. e. de gemitu populorum finitimorum, quos illi debellatos graviter afflixerant, iiſque materiam gemitûs atque doloris præbuerant.

2. REGIS CONTURBATIONEM, *v.* 3, 4. in quibus per Proſopopœiam Regem Belſazarem trepidantem & hiſce verbis querulantem introducit: *Propterea repleti ſunt lumbi mei dolore; angustia poſſedit me, ſicut angustia parturientis: incurvatus ſum cùm audirem, conturbatus ſum cùm viderem. Erravit cor meum, terror tremere me fecit:* NOCTEM DESIDERII MEI *poſuit mihi in horrorem.* Hîc Propheta per *noctem deſideris* notat noctem deſiderabilem vel ſuavem; quando videlicet Rex Babylonis cum mille Proceribus ſuis, uxoribus atque concubinis convivium ſplendidum celebrabat, in illa ipſa nocte urbs capta & Belſazar interfectus eſt. Et ſic nox deſiderii ipſi revera in terrorem poſita eſt; uti ex *Daniel* 5. patet.

3. SARCASTICAM DEI ILLUSIONEM. *v.* 5. *Inſtrue menſam, ſpeculare ſpeculator, comedite, bibite, ſurgite, ô Principes, & arripite clypeos.* Hæc ſunt *verba Dei alludentis ad ſolenne & magnificum Regis Belſazaris convivium*, Babylone tempore obſidionis inſtitutum, (de quo *Dan.* 5.) & alloquentis Babylonios, iiſque ſecuritatem tempore obſidionis periculoſiſſimo objicientis. q. d. Non jam eſt tempus convivandi, & poculis magna cum ſecuritate indulgendi: malè vobis cedet iſta compotatio atque ſecuritas. *Vel* poſſunt hæc verba ita exponi, quaſi ſint *verba Regis genio indulgentis*, ut intelligatur Rex Babylonius juſſiſſe convivium magnificum inſtrui, [Hoc enim ſignificat verbum Ebræum צפה] & interim vigiles diligenter excubias agere, ne qua ab hoſte irruptio fiat, deinde convivas ſuos ad hilaritatem excitaſſe, cumque omnes genio indulgerent, accurriſſe vigiles, & nunciato hoſtis adventu, omnes ut arma caperent, juſſiſſe, clamantem: *Surgite, ô Principes, arripite clypeos.* Idem

patet

patet ex *Jerem.* 25. 26. ubi dicitur; *Rex Scheſach bibet poſt illos.* (ſcil. Reges Gentium; in *eodem cap.* à Propheta antea à *v.* 15. *uſque ad v.* 27. enumeratos.) Quibus verbis Propheta alluſit ad convivium à Belſazare inſtitutum in honorem Deæ Schacæ. Quâ de cauſâ Belſazarem vocat Regem Scheſach, & diem caſûs Belſazaris digito velut commonſtravit.

Idem *profani* quoque *ſcriptores* teſtantur. Nam *Xenophon. lib.* 7. *Cyropæd.* ſcribit: Cyrum, cùm audiſſet ejuſmodi feſtum eſſe Babylone, in quo Babylonii omnes univerſam noctem biberent, & laſcivis carminibus ſaltationibuſque indulgerent, per flumen Euphratem omnes copias ſuas intra mœnia adduxiſſe. Idemque annotavit *Herodotus lib.* 1.

XXI.

Unde patet, *Johannem Zonaram* hiſtoricum Chriſtianum *lib.* 1. *Annal.* meritæ reprehenſionis virgulâ caſtigandum, qui hanc ſententiam, utrùm Belſazar Rex Babylonis, ſtatim eâ nocte, quâ ſcriptura prodigioſa in pariete regio exarata eſt, interfectus fuerit, in dubium vocat. Nobis namque Chriſtianis religio eſſe debet de veritate hiſtoriæ Danielis Prophetæ vel minimùm dubitare.

USUS.

XXII.

Ex hoc *exemplo Belſazaris* diſcimus. *Quot quantorumque malorum cauſa ſit* EBRIETAS. Nam ipſe ebrius & ſe ipſum & regnum ſuum perdidit. Dum enim ille cum Magnatibus ſuis mille, comeſſationi poculiſque indulgeret & contra illos ſtrenuè potaret, potandoque cum illis certaret, Cyrus Rex Perſarum urbem, cui confidebat, munitiſſimam Babylonem, Regem, Reginamque, omneſque Principes temulentos interfecit. Hîc *Belſazar ejuſque Principes, typus ſunt omnium Epicureorum*, qui comeſſationi indulgentes, à Cyro cœleſti, h. e. Chriſto Judice vivorum & mortuorum, de improviſo opprimentur, & in lacum ardentem conjicientur. Unde ipſe Jehova hujuſmodi poculorum certamen ſub æternæ damnationis comminatione deteſtatur, quando *Eſai.* 5. 22. inquit: Væ vobis, qui eſtis heroës ad exhauriendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Et *Chriſtus Servator Luc.* 21. 34, 35. omnes Chriſtianos graviter à comeſſatione & crapula dehortatur, hiſce verbis. Cavete vobis, ne corda veſtra graventur crapulâ, & ebrietate, & curis hujus vitæ, ſubituſque vobis ingruat dies ille. (nempe extremi judicii.) Tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem totius terræ. *Exempla in ebrietate extinctorum illuſtria* reperiuntur. I. *Philiſtæorum Principes* in magno numero congregati idolo ſuo Dagon ſacrificia magna offerebant, & convivia agitabant. Sed cùm putarent ſe frontem exporrecturos: Ecce ruinâ domûs oppreſſi ſunt. *Judic.* 16. *v.* 23, 25, 30. II. *Amnon* in ipſo convivio juſſu fratris ſui Abſolonis transfixus periit. 2 *Sam.* 13. 28. III. *Ela Rex Iſraël* à Simrio Magiſtro Equitum inter vina opprimitur. 1 *Reg.* 16. 6. IV. *Benhadad Rex Syriæ*, qui maximum habens exercitum & 32 Regulos ſecum, bibens tamen & temulentus cum toto exercitu à pauciſſimis victus & profligatus eſt. 1 *Regum* 20. V. *Simon Maccabæus* cum filiis & quibuſdam pueris, in convivio cum largiùs bibiſſet, à Ptolemæo Duce oppreſſus eſt. 1 *Macc.* 16. 16, 17.

REGULA POLITICA.

Vix ulla Reſpubl. diu ſtetit, quæ ebrioſorum conſilio geſta eſt; vix ulla concidit, quam ebrioſi non everterint. Vix ulla floruit, quæ à ſiccis & ſobriis hominibus non adminiſtraretur. Hinc *Alexander M.* (uti *Plutarchus* ait) devicti Darii tentorium ingreſſus, viliſque voluptatum apparatibus magnificentiſſimis, exclamavit, dicens: *Quid! Num hoc eſt regnare?*

XXIII.

QUÆSTIO III.

Ubi interfectus ſit?

Reſp. *In urbe Babylone*, quæ unâ nocte à Dario & Cyro capta eſt. Belſazar quidem in urbe ſua Babylone confidebat, eamque inexpugnabilem fore judicabat: At terminus regni ejus fatalis evolutus jamerat, ideoque fruſtra ſalvum ſe tutumque in ea fore ſperavit. Nam *cauſa excidii Babylonis* fuit tùm *divina*, tùm *humana.*

XXIV.

CAUSA DIVINA fuit *divinum conſilium* & *auxilium*, quo ſuffultus *Cyrus* urbem Babylonem, quæ omnium urbium, quas ſol unquam adſpexit, munitiſſima & potentiſſima fuit, (ſicuti *Pauſanias* ait) facilè unicâ nocte expugnare atque capere potuit. Nam *Eſai.* 44. 27. Deus ipſe inquit: *Ego dico profundo*, (h. e. Euphrati) *exſiccator! flumina tua, ô Babylon, arefaciam.* Hæc verba Interpp. de exſiccatis aquis Euphratis, Babylonem interlabentis, exponunt, quo tempore à Cyro urbs capta fuit, quem hiſtoriæ referunt, admirabili artificio, aquas Euphratis ex alveo ſuo, per foſſas ſuas deductas aliò derivaſſe, ut fluvius vado tranſiri poſſet, atque hoc

hoc pacto militi ſuo per illum viam ac tranſitum aperuiſſe ad capiendam urbem. Deinde *v.* 28. addit *Propheta verba Jehovæ: Qui dico Cyro, paſtor meus es tu, & omnem voluntatem meam facies.* In hiſce verbis Cyrus Rex Perſarum à Deo expreſſe eſt per Prophetam denominatus atque deſignatus Regni Babylonici everſor, & quidem 200 annis, antequam in hunc mundum natus eſt, illeque inſtar paſtoris populum Iſraëliticum ceu gregem è faucibus luporum, h. e. Babyloniorum erepturus erat, atque in patriam reducturus. Et *Eſai.* 45. 1, 2. *Hæc dicit Dominus Cyro Chriſto* (uncto) *meo, cujus apprehendam dexteram & aperiam coram eo januas, & porta non claudentur. Ego antè eum ibo, & vias obliquas rectas faciam, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.* Quia ergo Cyrus divinitùs fuit excitatus ad evertendum Babylonicum Tyrannum, ejuſque imperium; quis mirabitur eum unâ nocte Babylonem, quæ invicta putabatur, expugnare & capere potuiſſe? Nam *feliciter ille pugnat, qui Deo adjuvante pugnat.* Deus namque quoties Heroicos viros excitat, ad puniendos tyrannos, & mutanda imperia, eos excellenti ſapientiâ & prudentiâ ornat, atque ſingulari virtute, robore & felicitate rerum gerendarum armat, ut nihil impetum eorum impedire aut remorari poſſit. Vnde Rex David *Pſalm.* 127. 5. eos comparat SAGITTIS validâ manu contortis, quæ omnia proſternunt, quæ petunt. *Exemplum* habemus in *Cyro*, in Rege *Davide*, quibus nemo hoſtium nocere poterat: in *Jehu*, qui domum Achabi feliciter exſcindebat: in *Alexandro Magno*, qui Darium, in *C. Julio Cæſare*, qui Pompeium; in *Auguſto*, qui Antonium glorioſè vincebat: in *Conſtantino Magno*, quem Deus מורה, h. e. Doctorem vel Magiſtrum conſtituit (ut David *Pſalm.* 9. 21. loquitur) immanium tyrannorum, nempe Maxentii, Licinii, Maximiani, Diocletiani, *&c.* quos ille omnes evertit & è medio ſuſtulit.

XXV.

CAUSA HUMANA fuit CYRUS, qui (uti *Xenophon lib.* 7. & *Herodotus lib.* 1. ſcribunt) cùm animadvertiſſet, aut nullo modo, aut non niſi longiſſimo tempore Babylonem expugnari & capi poſſe, tandem converſus ad *ſtrategemata*, hoc uſus eſt conſilio; (ſicut etiam antea dictum eſt) Prope Babylonem, quo ſcilic. loco Euphrates urbem ingreditur, multas fecit latas & altas foſſas, ignorantibus Babyloniis ejus conſilium & propoſitum: Quo facto, laxavit obſidionem, atque diſceſſum ſimulavit, ut hoc credentes Babylonios, ob idque in defenſionem urbis remiſſos ac negligentes, poſtea facilius opprimeret. Eo autem die, quo Babylonii omnis periculi ſecuriſſimi, ludis & conviviis intentiſſimi erant, Cyrus in foſſas illas derivavit Euphratem, in tantum exinanito ejus alveo, ut à militibus commodè tranſmeari poſſet. Itaque urbem ingreſſis, facillimum fuit, & civitatem capere, & Babylonios vino ſomnoque ſepultos & incautos, inopinatoque hoſtium ingreſſu conſternatos ſuperare.

REGULA POLITICA.

In arcibus, propugnaculis atque munitionibus non eſt confidendum. Nulla enim arx aut urbs unquam tam firma fuit, quam non hoſtes continuâ oppugnatione ceperint atque expugnaverint. Unde rectè *Cicero* ait: Nihil eſſe manibus humanis elaboratum, quod non aliquando hominum injuriâ, vel ipſa rerum omnium confectrice vetuſtate, ad interitum redigatur. *Lactantius* ſic ait: Nihil eſt humanis viribus laboratum, quod non humanis æquè viribus deſtrui poſſit; quia mortalia ſunt opera mortalium. Præſertim autem, quando Deus conſilium & auxilium ſubtrahit, vana & fruſtranea ſunt omnia propugnacula; ſicut Deus per *Abdiam* Prophetam *ſuperbos Edomitas* in arcibus ſuis confidentes increpat, quando *v.* 3. inquit: *Superbia cordis tui extulit te habitantem in ſciſſuris petrarum, exaltantem ſolium tuum; qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram?* At ſtatim reſpondet Deus *v.* 4. *Si exaltatus fueris ut aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidum tuum, inde detraham te; dicit Dominus.* Ita *Rex Belſazar, ejuſque Babylonii*, in urbe ſua munitiſſima confidebant. Nam muri Babylonis à Semiramide exſtructi, juxta *Diodor. Siculum*, incredibilis erant altitudinis, nempe 365 pedum, frequentibus turribus atque validis, latitudinis ad ſtuporem tantæ, ut ſex ſimul curribus unà euntibus apti fuerint, & (*Herodoto* authore) centum portis ſimul cum cardinibus æneis pervii. Præterea Nabuchdonoſor M. (uti *Joſephus* ex *Beroſo* ſcribit) poſt mortem patris ſui, ſex aliis muris Babylonem circumdedit. Euphrates in utraque ripa interceptus muro 360 ſtadiorum, pari mœnium urbis altitudine & latitudine, medius urbem ſecuit. Præterea urbis propugnatores erant tùm plurimi, tùm fortiſſimi, omnique armorum genere inſtructiſſimi. Denique abundantiam commeatuum rerumque omnium habebant, quæ ad tolerandam in multos annos obſidionem ſufficiebant. Nam (ut tradunt *Herodotus & Xenophon*) præſentientes Babylonii futuram urbis obſidionem, commeatu in xx annos eam præmunierant. Verùm vanum & fruſtraneum erat hoc præſidium. Nam Cyrus urbem hanc munitiſſimam unâ nocte expugna-

pugnavit atque cepit. Hac de causa *Deus urbis Babylonis πανωλεθρίαν* per Prophetam *Jeremiam cap.* 51. *v.* 53. & 58. *longe ante prædixit*: Si ascenderit Babylon *in* cœlum, & firmaverit in excelso robur suum, à me venient vastatores ejus; ait Dominus. *Item*: Hæc dicit Dominus exercituum: Murus Babylonis ille latissimus suffossione suffodietur, & portæ ejus excelsæ igni comburentur, & labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem eruent & disperibunt. *Similiter per Esaiam Prophetam c.* 13. *v.* 19, 20, 21. inquit Deus: Et erit Babylon decus Regnorum, gloria Majestatis Chaldæorum: sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrham, *&c.* Idem confirmant *Exempla urbium munitissimarum*, & tamen ab hostibus expugnatarum, ut: Urbis Jericho, Jerosolymæ, Ecbatanæ, Romæ, & aliarum. Quare in solo Domino est confidendum. Nam turris fortissima (inquit *Salomon Prov.* 10.) est nomen Domini: ad ipsum currit justus, & exaltabitur. Confer *Psalm.* 18. 2. *Psalm.* 46. 1, 2. *& seqq. Jesaiæ* 26. 4. *Nahum.* 1. *v.* 7. Si in hoc præsidio confidemus, nunquam movebimur.

Nam si Christus adest, nobis vel ARANEA *muro est*;
At ubi Christus abest, vel MURUS ARANEA *fiet.*

uti pulchre *Paulinus* poëta Christianus ait.

Contra autem, qui omnem spem salutis in arcibus & urbibus vallo ac fossa munitis collocant, audiant venustissimum illud venustissimi poëtæ *Sabini* epigramma:

Quando ruinosis stabant circumdata muris
Oppida, nec præceps fossa, nec agger erat:
Inclyta tum belli Germania laude vigebas,
Hoste tibi nullos incutiente metus.
At fossis postquam nunc es munita profundis,
Aggeribusque urbes vallat arena tuas:
Nunc virtute cares, nunc supplex porrigis ultro
Omnibus imbelles hostibus ipsa manus.
Grandia nimirum timidos quod cornua cervos:
Hoc tua te fossis mœnia cuncta juvant.

XXVI.

QUÆSTIO IV.

A QUIBUS *Belsazar interfectus sit?*

De hac quæstione duplex occurrit Historicorum *sententia. Primò*, Quidam statuunt, quod oppressus sit AB AMICIS, ab illisque crudeliter interfectus. Et qui eum oppresserant, conveniunt, & communi sententia regnum tradunt *Nabonedo Medo*; ut *Berosus, Metasthenes* & *Ptolemæus* habent.

Deinde alii tradunt, quod trucidatus sit AB INIMICIS, nempe à *Gobrya* & *Gadata*; uti scribit *Xenophon. lib.* 7. de pædia Cyri, ubi inter alia dicitur: Gadatam & Gobryam Deos adorasse, quod de Rege nefario vindictam sumsissent. Nam Belsazar alterum, nempe Gadatam castraverat per ignominiam. *Xenophon lib.* 5. *de pædia Cyri p.* 85. Alterius vero Gobryæ filium occiderat in venatione. *Xenophon lib.* 4. *de pædia Cyri p.* 77. Cum ergo alter arderet cupiditate vindictæ ob necem filii, alter vero ob ignominiam sibi illatam; conspiraverunt ambo, atque ad Cyrum defecerunt, & modum viamque occupandi Babylonem ostenderunt. Ita fuerunt Gobryas & Gadatas administri Dei in trucidando Belsazare; licet ipsi vindictæ tantum privatæ studio ducti fuerint. Nam *sæpe fit, ut causa prima & secunda in agendo, quoad finem sive intentionem, inter se dissentiant*; uti in historia Sennacheribi Monarchæ XLII ostendimus.

Regnavit autem Belsazar annis	3	juxta	*Gesn. in præfat. Disp. sup. Dan. pag.* 4.
	5		*Berosum*, referente *Metasthene Persa, in lib. de judiciis temporum. Reineccium Syntagm. Heroico p.* 65.
	14		*Richterum, Axiom. OEconom.* 16.
	17		*Josephum lib.* 10. *Antiq. Judaic. cap.* 13.
	11		*alios.*

NOTA.

Quidam dicunt, quod Belsazar 17 annis regnarit, juxta *Josephum*; sed 5 duntaxat annis, juxta *Berosum* & *Metasthenem*: nempe quiete. Quia Regassar & Labassardoch, quos ante Belsazarem *Berosus* & *Metasthenes* recensent, per vim & illegitime regnum usurparant, pertinente illo ad Belsazarem; uti antea in historia Evilmerodachi diximus.

AXIOMA I. POLITICUM.

Tyrannorum exitus tragicus esse solet.

Verum namque est quod *Juvenalis* canit:

Ad generum Cereris, sine cade & sanguine pauci
Descendunt Reges & sicca morte Tyranni.

Sapient. 6. 7. Potentes potenter tormenta patientur. *Psalm.* 37. 2. Malefici funditus delebuntur. *v.* 14, 15. *Gladium evaginaverunt* impii, intenderunt *arcum* suum, ut prosternant pauperem & inopem, & trucident rectos corde. *Gladius eorum intrabit in corda ipsorum, & arcus eorum confringetur. Exempla* habemus illustria in omnibus Tyrannis. *Saul* sæpe in furore suo gladium evaginaverat adversus Davidem innocentem; sed tandem in cor

cor ipſius atque viſcera intravit, quando proprio gladio ſe ipſum confodit. 1 *Sam.* 31. 4. Ita etiam *Sennacherib* Rex Aſſyriorum, Ezechiæ pientiſſimo Regi Juda, & toti populo Iſraël horrenda quæque minabatur, gladium ſuum adverſus eos evaginabat, & arcum intendebat, ut inopes ad reſiſtendum proſterneret, & trucidaret rectos corde; ſed gladius intrabat in cor ejus, cùm à propriis filiis ſuis Adramelech & Saraſſar in templo Niſroth interfectus eſt. 2 *Reg.* 19. 36, 37. *Jeſai.* 37. 36. *Pſalm* 37. 38. Injuſti diſperibunt SIMUL, tandem impii peribunt. Veriſſimum hoc eſſe, *exempla Abſolonis, Achabi, Herodis Aſcalonitæ, Antipæ, Agrippæ, Holofernis, Antiochi, Belſazaris, Neronis, Diocletiani, Aureliani, Valeriani, Juliani, Phocæ*, aliorumque innumerabilium tyrannorum, evidenter docent. Ubi notandum, quod moneant Politici, *tres tantum tyrannos nominari in veterum Hiſtoriis, quorum mors placida fuit*; nempe, *Dionyſium Majorem, Syllam, & Tiberium Imperatorem*, ſub quo Chriſtus crucifixus eſt. At hæc exempla neminem turbent. Nam licet non tragica morte ſint extincti in hoc mundo; tamen in altero ſeculo dignam impietatis mercedem reportabunt. *Tandem* enim (ut David ait) *impii peribunt*. Quare non reſpiciendum eſt ad exigui temporis pompam & ſplendorem, quo hominum illi oculos perſtringunt: (qui tamen eſt πρὸς φαντασίαν, juxta Spiritus S. judicium, *Act.* 25. 23.) ſed ad extremum finem, qui erit in altero ſeculo, animi noſtri oculos convertere debemus. Pulchè *Herodotus in Clione* inquit: Ἐκ θεῶν νέμεσις μεγάλη.

AXIOMA II. POLITICUM.

Magnates ſollicite caveant, ne miniſtros ſuos ingenuos, viroſque cordatos, contumelia afficiant.

Nemo enim (inquit *Patritius lib. 6. de Republ. tit. 6. p. 296.*) æquo animo ferre poteſt, ſe contemtui ludibrioque haberi. Nam nullus dolor eſt major, quam is, qui contumeliæ mucrone vulnerat pectus animumque hominis ingenuum. *Plutarchus*: Homines offenduntur contumeliis magis, quam ullâ alia re; quia convicia videntur proficiſci ex odio & malitia nimia. Contra violentas injurias vi & armis conceditur defenſio etiam hoſtibus. *Carolus Borbonius* (ſicuti *Ferronus lib. 7. de rebus geſt. Gall.* refert) plerumque in ore habuit Aquitani cujuſdam ſcitum reſponſum, qui rogatus à *Carolo* VII. *Rege Galliæ*, Quo tandem præmio impelli poſſet, ut fidem ſibi tot magnis rebus perſpectam falleret: *Non tuo*, inquit, *regno, non orbis imperio adduci poſſim, non omnium theſauris: Contumelia tamen & ſtomachoſa injuria poſſim. Exemplum* illuſtre habemus in *Belſazare*. Hic interfectores ſuos *Gadatam* & *Gobryam* contumelia atque injuria affecerat: Illum namque per ignominiam caſtraverat; hujus vero filium occiderat. Ideoque illi de Tyranno iſto immani è medio tollendo conſpirabant, neque quieſcebant, donec propoſitum ſuum in actum deduxiſſent: uti ex dictis patet. Simile exemplum habemus in *Caligula*, Imperatore Romano. *Caſſius Chærea* vir fortiſſimus, contumelioſè tractatus à Caligula, quæſivit occaſionem eum interficiendi; id quod etiam præſtitit, Caligula è theatro exeunte. Hic enim Caſſium, quoties accedebat, licet fortiſſimum virum, *mulierem* vocabat, & ſignum dabat Cupidinis, ſeu Veneris aut aliud ejuſmodi. Quibus contumeliis irritatus Caſſius, non quievit priùs, quàm Caligulam interficeret. *Dion. in Calig. Hiſtoria Auguſt. tom. 1. p. 6. 12.*

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

XXVII.

1. BELSAZARIS PROJECTIO. Belſazar ab hoſtibus ſuis trucidatus, inſtar ſurculi abominabilis, veſtimenti ſanguinolenti atque cadaveris putridi, abjectus atque ſepulturæ honore privatus fuit. *Jeſai.* 14. 18, 19, 20. *vide ſupra* §. 19. Ubi notandum, quod privatio ſepulturæ, ſi cadat in impios, pœnæ loco habenda ſit; uti *exemplum Jojakimi, Jerem.* 22. 19. oſtendit. Quia Rex quidem vinctus fuit catenis chalybeis, ut in Babylonem abduceretur, ſicut 2 *Paral.* 36. 6. ſcribitur ſed non fuit eouſque deductus. Nam Nabuchdonoſor mutato conſilio eum vel Jeroſolymis, vel in itinere interfecit, & inhumatum projici juſſit; uti *Joſeph. lib.* 10. *Antiqu. cap.* 8.. commemorat, nullo mortem ejus deflente & luctu proſequente, atque ita ſepultura aſini ſepultus eſt, h. e. *inſepulta ſepultura*; ut *Cicero* in *prima Philipp.* appellat. Non enim humi defoſſus aut tumulatus eſt, ſed triſti ſpectaculo cadaver ejus tractum, & ſine ſepulturæ honore projectum extra terminos Judææ, ut fieret eſca avium & beſtiarum.

USUS.

Hodie hoc *Adagium* [קבורת חמור הקבר ὄνου ταφὴ ταφὴ, h. e. *ſepultura aſini ſepeliri.*] frequenter uſurpari ſolet contra atheos atque præfractos Evangelii & Cœnæ Dominicæ contemtores; quibus comminamur, niſi reſipiſcant, fore ut ipſi quoque poſt obitum, non cum hominibus, ſed cum aſinis ſepeliantur.

XXVIII.

XXVIII.

II. DARII SUCCESSIO. *Daniel.* 5. *verſ.* 31. legimus, quod Darius Medus Belſazari occiſo in Regno ſucceſſerit, natus annos *ſexaginta duos.* Quibus verbis ſignificat Daniel Propheta, quod Darius Aſtyagis filius, alio nomine *Cyaxares* dictus, Belſazari ultimo Babyloniorum Regi interfecto ſucceſſerit. Licet enim in expugnanda Babylone, præcipua fuerit Cyri Perſarum Regis virtus atque induſtria: tamen Dario conſanguineo & ſeniori (erat namque avunculus atque ſocer ejus) Cyrus regiam dignitatem conceſſit, donec Dario mortuo plenam dignitatem conſequeretur.

Elegans Epigramma.

Splendida dum celebrat poſitis convivia menſis
Belſazar, Imperii regia ſceptra tenens:
Dum mentem exhilarat magna Babylonis in aula,
Evacuans largo pocula plena mero:
Invitatque ſuas Baccho uxoreſque, lupaſque,
Fœde conſpurcans vaſa ſacrata Dei:
En Cyrus, vaſti ſiccato fluminis alveo,
Seſe infert intra mœnia victor ovans.
Belſazar ipſe luit dignas pro crimine pœnas,
Et manus Euantum Marte peremta cadit.
Sic nox Chaldaico regno tulit unica finem,
Aurati capitis quod prius inſtar erat:
Ipſeque (fata Deo ſic diſponente) Darius
Cum Cyro ad Perſas tranſtulit imperium.

MEDORUM REGES

Poſt diviſam Monarchiam Aſſyriorum primam in III Dynaſtias.

CATALOGUS REGUM MEDORUM.

REges *Medorum* poſt *diviſam Monarchiam* I novem fuerunt, quorum ſeries hæc eſt:

I. *Arbaces*, vel *Arbactus.*
II. *Mandanes*, vel *Mandauces.*
III. *Oſarmenes*, vel *Oſarmus.*
IV. *Articas*, vel *Artecarmis.*
V. *Arbianes*, qui & *Cardiceas.*
VI. *Deioces*, qui & *Artæus.*
VII. *Artynes*, qui & *Phraortes.*
VIII. *Cyaxares*, qui & *Aſtybares.*
IX. *Aſtyages*, qui & *Apandas.*

REX MEDORUM I.

ARBACES, vel ARBACTUS.

I.

ARBACES initio *Medorum Præfectus* fuit ſub *Sardanapalo.* Quo pacto ille cum Phul-Belôcho Sardanapalum regem Aſſyriorum effeminatiſſimum & luxurioſiſſimum devicerit, graphicè deſcribit *Diodor. Sicul. lib. rer. antiq.* Quæ hiſtoria, quia eſt valde memorabilis, ex Diodoro eam hic ſubjungere placet. *Verba ejus hæc ſunt*: SARDANAPALUS à Nino XXX Rex, (nobis eſt XXXVI) ultimus vero Aſſyriorum, exceſſit omnes ſuperiores luxuria atque ignavia. Nam, præterquam quod à nullis exterius conſpiciebatur, vitam muliebrem duxit: cum pellicibus veſte tùm purpureâ indutus, tùm molli lanâ contextâ, ſtolâ inſuper muliebri, faciem, totumque corpus in modum meretricis ſuco componens, ultra luxum muliebrem laſciviebat: vocem femineam loquendo imitatus. Non ſolum cibum potumque, qui voluptatem præberent, appetebat; ſed luxuriæ quoque deditus, nunc viri, nunc mulieris vice abutebatur, omni poſthabita ſexus ac pudoris cura. Adeo vero deliciæ, turpis voluptas, incontinentiaque in eo viguere, ut Succeſſoribus, poſt obitum ſuum, in ſepulcro inſcribi barbarica lingua mandarit; quod poſtmodum Græcus interpretatus eſt: *Hæc habeo, quæ comedi: & quæ cum amore & voluptate percepi. Illa plurima & præcipua relicta ſunt.* Vita in hunc modum turpiter exacta, Imperium Aſſyriorum, quod diutius perſeverarat, evertit. Arbaces quidam genere Medus, virtute & animi magnitudine præclarus, Dux erat copiarum, quæ ſingulis annis in Ninum à Medis deſtinabantur. Contracta hic amicitia cum Babyloniorum Duce, nomine Beleſe, inſtigatus eſt ab eo, ut principatum Aſſyriorum deleret. Erat enim inſignis inter Sacerdotes, quos Babylonii Chaldæos vocant, peritus Aſtrologiæ divinationiſque, qui multis prædixerat, quæ erant procul dubio futura. Hic Arbaci cùm amicus eſſet, eum imperio omnium potiturum prædixit, quibus Sardanapalus regnaret. Laudato viro, Satrapam ſe illum Babyloniorum, ſi vera prædiceret, facturum promiſit. Ipſe tanquam Dei vocibus in ſpem elatus, eum præ reliquis Ducibus, tùm benigne alloquendo, tum beneficiis ad ſuam benevolentiam attraxit. Cupiens autem Regem atque ejus vitam inſpicere, data uni ex eunuchis aurea phiala ad Sardanapalum introductus eſt. Conſpecta

cta Regis mollicie & muliebri apparatu, illum ut nullius rei hominem deſpexit: magiſque in ſpem incubuit à Chaldæo datam, inita cum Beleſe ſocietate, ut ipſe Medos ad imperium, Perſas ad defectionem ſollicitaret, ille vero Babylonios barbarorumque Ducem ſibi amicum ad communionem conſiliorum impelleret. Cum tempus miſſionis exercitus adveniſſet, de more in patriam dimiſſi ſunt cæteri. Arbaces ad Medos reverſus illis perſuavit, ut pro imperio; Perſis, ut pro libertate ſumerent arma. Similiter & Beleſes Babylonios impulit ad libertatem, & ad Arabes legatis miſſis, præfectum eorum ſibi familiarem ad ſocietatem conſiliorum hortatus eſt. Acto anno ad Ninum convenere omnes, ſuccedere ſe de more cæteris ſimulantes, re autem vera, ut imperium Sardanapalo auferrent. Erant quatuor gentes, quæ in unum convenerant, numero millia hominum quadraginta, muniti caſtris, ac de rebus communibus conſultantes. Cognita defectione, Sardanapalus aliarum nationum exercitum adverſus deſciſcentes ducens, commiſſo certamine hoſtes ſuperat, profligati ad montes confugiunt ſtadiis à Nino diſtantes 70; quibus, cum denuo ad campos fortunam experturi deſcendiſſent, Sardanapalus cum omnibus copiis occurrit. Inſtructa acie, per præconem ei, qui Arbacem aut Babylonium Beleſem occidiſſet, talenta auri ducenta; qui vivos tradidiſſet, duplex præmium ac Mediæ præfecturam pollicitus eſt. Verum nullum ea præmia moverunt. Commiſſo certamine, multi ex hoſtibus occubuere, reliquos Sardanapalus uſque ad caſtra in montibus ſita perſequitur. Qui cum Arbace erant, adverſis prœliis paventes, initio quid victis agendum eſſet, conſultant: major pars in patriam cuique redeundum, ibi præoccupanda munita loca, alios in ſocietatem belli vocandos, neceſſaria ad bellum paranda eſſe cenſebat. Beleſes Babylonius, aſſerens Deos multis cum laboribus periculiſque victoriam polliceri, perſuaſit, ut in bello perſeverarent. Commiſſa igitur rurſus pugna, Rex ſuperior fuit: caſtris hoſtium potitus, uſque ad Babylonios inſecutus eſt. In eo certamine Arbaces viriliter pugnans, multiſque proſtratis Aſſyriis, vulnus accepit. Tot adverſis prœliis eorum, qui deſciverant icti Duces, cum domum abire decreviſſent, Beleſes ſub dio pernoctans, ex aſtrorum obſervatione recedere volentibus prædixit: Paucos poſt dies ultro illis auxilia adventura, reſque eorum in melius ceſſuras eſſe. Hæc aſtris ſignificare Deos. Suadere igitur ſe, ut ſuæ arti fidentes, parumper Deorum beneficia exſpectarent. Huic exhortationi parentibus Ducibus, promiſſumque exſpectantibus tempus, nunciatum eſt, Bactrianorum exercitum ad Regem mitti, propinquumque eſſe, magnis itineribus proficiſcentem. Viſum eſt igitur Arbaci reliquiſque, cum expeditis militibus obviam proficiſci, ut aut defectionem perſuaderent Bactrianis, aut ad id armis cogerent. Primùm Duces, tum reliqui libertatem aſſerentes, copiis cæterorum ſeſe addiderunt. Hæc Sardanapalus ignorans, memor ſuperioris fortunæ, ad hilaritatem profuſus, epulas militibus ex ſacris, vinumque abunde præbuit, aliaque epulis accommodata. His intentis Aſſyriis, Arbaces, qui per transfugas hoſtium in caſtris negligentiam, ut qui vino ciboque gravati ſomno quietique indulgerent, norat, noctu caſtra hoſtium expugnavit: acie inſtructi incompoſitos, parati imparatos adorti, multis interfectis, reliquos in urbem compulere. Sardanapalus, cùm exercitui Ducem præfeciſſet Salamenum uxoris fratrem, urbis curam cuſtodiendæ ſumſit. Hoſtes in locis patentibus juxta urbem duobus prœliis copias regias fundunt, interfectoque Salameno, reliquos perſequentes, partim in fuga cædunt, partim in flumen Tigrim præcipites agunt, paucis, qui cædi ſuperfuerant, in urbem compulſis. Adeo ingens numerus occiſorum fuit, ut fluvius, redundante hominum ſanguine, colorem mutarit. Obſeſſo in urbe Rege, multæ nationes libertatis cupidine ad Arbacem defecerunt. Rex magno in diſcrimine regnum verſari videns, filios tres, duaſque filias, cum magna auri argentique copia in Paphlagoniam ad Cottam Præſidem miſit, Ducum omnium ſibi acceptiſſimum, tum per epiſtolas reliquorum, qui non defecerant, auxilia accerſit, ad ferendam obſidionem paratus. Erat enim reſponſum progenitoribus datum, nunquam Ninum capi poſſe, niſi cùm fluvius urbis hoſtis fieret. Quod Rex nunquam futurum ratus, ſpem ceperat obſidionis ferendæ, & ſimul futura auxilia exſpectabat. Hoſtem urbem, quam propter mœnium altitudinem expugnare nequibant, obſedere. Nondum enim catapultæ, neque vinearum, neque arietis, quo muri urbium dejiciuntur, uſus erat. Iis, qui in urbe erant, omnes ad victum res & obſidionem tolerandam neceſſariæ, Regis cura ad id antea impenſa, ſupererant. Cùm duobus annis obſidio perſeveraſſet, per ſummum otium obſeſſorum, tertio anno continuis imbribus exceſcens ſupra modum fluvius, cùm partem urbis inundaſſet, muros dejecit ad ſtadia viginti. Vide *Nahum. 2. v. 6, 7, 8.* Hic Rex exiſtimans tempus oraculi adveniſſe, deſperata ſalute, ne in hoſtium poteſtatem perveniret, pyram in regia ingentem exſtruxit, ſuperque eam omni auro argentoque, omni veſte inſuper regia, impoſitis, uxoribus quoque atque eunuchis in medio pyræ reclusis,

cluſis, ſe cremandum una cum his in ignem injecit. Hoſtes auditâ Regis morte, urbem per eam, quæ ab oraculo prædicta erat, muri partem ingreſſi, Arbacem regiâ ſtolâ indutum Regem appellarunt, omnium ei rerum poteſtate permiſſâ. Hoc pacto Aſſyriorum imperium, quod ad trigeſimam prolem à Nino pervenerat, annoſque plus mille & quadringentos duraverat, ad Medos tranſiit,

II.

Hic *Arbaces ſedem regiam è Nino* (ſive Ninive) *in Ecbatanam tranſtulit*, eamque urbem à ſe conditam, caput regni Medici fecit, & mœnibus, portis, turribus, propugnaculiſque munitiſſimam reddidit. Et *hic* ex ſententia quorundam eſt *Arphaxad*, *Rex ille Medorum*, qui *Judith. 1. v. 1, 2.* Ecbatanam condidiſſe legitur. *Chytr. Onom. p. 54.* *Alii* verò *Deiocem* VI. Medorum Regem Ecbatanæ authorem tradunt: uti poſtea in hiſtoria ejus dicemus.

III.

Arbaces, poſtquam 28 vel 29 annos regnaverat, moritur, *Diodorus*, *Athenæus*, *Vellejus Paterculus*, *Juſtinus*, *Oroſius*, *Jornandes*.

II. MANDANES.

Mandanes, aliis *Mandauces*, Euſebio & Jornandi *Medidas* appellatur, patri Arbaci in Regno ſucceſſit, & imperavit 40 annis. Hoc regnante, Regnum Medorum ſeditionibus agitatum, in multas lacinias diſcerptum eſt, quarum magnam partem Aſſyrii occuparunt.

III. SOSARMUS.

SOSARMUS, (ſic dictus ab *Euſebio* & *Jornande*.) *Metaſthene* SOSARMON, *Cteſia Cnidio*, & *Diodoro Siculo*, SOZARMENES dicitur, tertius Rex Medorum, Mandani patri ſucceſſit, qui annis 40 regnaverat, & famâ nominis obſcurâ præeſt regno; quod variis ſeditionibus agitabatur, annis 30. *Cteſias*.

IV. ARTICAS.

Articas, qui *Cteſia Cnidio*, & *Diodoro Siculo* dicitur *Artecarmis*, IV Rex Medorum Soſarmo ſuccedit, qui 30 annis regnârat, & præeſt regno annis 6. *Cteſias*.

V. ARBIANES.

ARBIANES (*Cteſia Cnidio*, *Diodoro Siculo* & *Metaſtheni* ſic dictus.) CARDICEAS ab *Euſebio*, & CARDICES à *Jornande* vocatur, ſuccedit Articæ, qui annis 32 præfuerat, & regnat annis 13. *Diodor. ex Cteſia*.

VI. DEIOCES.

1. *Appellatio.*

Hic Deioces ſextus Rex Medorum *Polyæno*, *Oroſio*, *Euſebio*, & *Jornandi* DIOCLES: *Cteſia Cnidio* & *Diodoro*, ARTÆUS vocatur. Aliis quoque ARPHAXAD appellatur; idque ex *Herodoti lib. 1.* demonſtrant. Quoniam hic Ecbatanam ædificaverit.

II. *Regni occupatio.*

Deioces cùm privatus peculiari prudentia lites inter vicinos diremiſſet, Rex ab ipſis eligitur; uti *Herodotus lib. 1.*

III. *Regni adminiſtratio.*

Hic Rex fuit 1. *juſtiſſimus*. 2. *authoritatis obſervantiſſimus*.

1. JUSTISSIMUS fuit. Quia ſubditos ſuos non armis atque minis, ſed legibus atque paternis monitis ad obſequium pertraxit. Unde *Plutarchus*, author ille graviſſimus maximis eum laudibus effert. Nam hiſtoriam ejus ex Herodoto, pro Nobilitate repetit, ubi generis obſcuritatem cum virtutibus ipſius comparans: Enimvero (inquit) Deioces ille tuus, quid nobilitati ſubtrahit? Quid enim nobilitati honorificentius, quàm à divina illa æqui bonique diſceptatione, æquitate juſtitiâque originem ſumſiſſe? Et *rurſus*: Nec negabo, nobilitatem generis initia duxiſſe à virtute, eâdem fulciri, ejuſdem radiis illuſtrari, *&c.*

2. AUTHORITATIS OBSERVANTISSIMUS fuit. Nam poſt delatum ſibi à Medis regnum priuſquam illud ſuſciperet, voluit ſibi ædificia Imperio digna erigi, ſtipatores corporis ſui adjungi, quos ſibi ex univerſis Medis, quos voluit, delegit. Atque his munitus, & Regiâ cum mœnibus conſtructâ, primus cavit, ne cui ad Regem ingredi liceret, ſed per internuncios cuncta tranſigerentur, adeò ut neque conſpici Regem à quoquam fas eſſet; adhæc nec ridere, nec ſpuere, propterea quod omnibus factu deformia eſſent, coram liceret. Quæ ideo (inquit *Herodotus*) faciunt circa Regem, ne videlicet eum cernentes æquales, & unà cum eo educati ſtrenui & fortes indoleant atque inſidientur, quin potius quiddam à reliquis hominibus diverſum ipſis ineſſe videatur, ſi coràm ipſum non intueantur.

Et hæc conſuetudo poſtea ab inſequentibus Regibus obſervata eſt; ſicut *Ammianus Marcellinus* tradit

tradit, & ad *Perſas* quoque dimanavit. Hinc *Eſther ad Mardochæum* inquit: *Omnes ſervi Regis, & cuncta, quæ ſub ditione ejus ſunt, provinciæ norunt, quòd, ſive vir ſive mulier, non vocatus, ſi interius atrium Regis intraverit, juxta ſtatutum ſtatim interficiatur, niſi forte Rex virgam auream ad eum extenderit* (pro ſigno clementiæ) *atque ita poſſit vivere. Eſther.* 4. *v.* 11. Erant etiam viæ non faciles ad adeundos Reges. Nam ultra Oſtiarium palatii (qui illis πυλωρὸς dicebatur) erant Cubicularii; (quos *Plutarchus in Themiſtocl.* vocat κοιτωνίτας) item ſatellites, ſtipatores, qui Regiæ foribus aſtabant, conſiſtebantque ex Cyri præcepto purpurati torquatique; uti apud *Xenoph. lib.* 1. & 2. *Cyropæd.* exſtat. Tanta erat & regia illa veneratio, ut *Regia ſella* honorem deferrent, & ei inſidere, quam vocabant βασιλικὸν ἆθρον, capitale eſſet. *Quintus Curtius lib.* 8. *Frontin. lib.* 4. *ſtrategemat. cap.* 6. *Valer. Maxim. lib.* 5. *cap.* 1. *Petrus Gregor. Tholoſan. lib.* 8. *de Republ. cap.* 3. §. 4, 5.

IV.

Multi viri docti exiſtimant, hunc Deiocem eſſe Regem illum ARPHAXADUM, *cujus in lib. Judith. cap.* 1. *v.* 1. *fit mentio*; & in ea ſententia quoque eſt *Herodot. lib.* 1. Hic *urbem Ecbatanam* ex lapidibus quadratis & ſectis condidit, fecit muros ejus in altitudinem cubitorum ſeptuaginta, & in latitudinem cubitorum triginta; *turres* verò ejus poſuit in altitudinem cubitorum centum. *Judith. cap.* 1. *v.* 1, 2. *Regiam Babylonicam* in omnibus hiſtoriis nullam legimus magnificentiâ ſuperâſſe, niſi illam, quam *Herodotus lib.* 1. putat ab hoc Deioce in Media ædificatam mœnibus amplis ſimul & validiſſimis, quæ ECBATANA appellatur. *Murus* ſepties circumactus arcem cinxit, in qua theſauri regii erant: ita tamen, ut circuitus unus altero eſſet gradatim ſublimior, & pari quidem murorum in ſe altitudine, loci tamen beneficio, qui inſtar collis paulatim ſeſe erigebat, ſolis pinnis promineret. Hæ ſuis diſtinctæ coloribus jucundiſſimam adſpicientibus præbuêre ſpeciem. Nam primi ambitus pinnæ colore erant albicante, ſecundi nigro, tertii purpureo, quarti cæſio, quinti ſandarachino, ſexti argenteo, ſeptimi pinnæ auro fulgebant.

Hic Deioces annis 53 regnavit, juxta *Herodotum* & *Euſebium*.

VII. PHRAORTES.

PHRAORTES (qui à *Diodoro* ARTYNES, & à *Pauſania* variato modicè nomine APHRAORTES appellatur) VII. Rex Medorum fuit. Hic affectavit bellicæ fortitudinis gloriam, cujus ſtudium cùm & in Regni Proceribus accendiſſet, *bellum Perſis intulit*, eoſque ſibi ſubjecit, inde Aſiam infeſtat. Cumque magnam Aſiæ partem ſibi ſubjeciſſet, Aſſyrios etiam bello aggreditur. Tandem in bello contra Aſſyrios cum parte exercitûs perit, anno regni 24. *Herodot. lib.* 1. *Vide hiſtoriam Nabuchdonoſoris I. Monarchæ XLVI.* §. 2.

VIII. CYAXARES.

CYAXARES I. *Diodoro* dictus ASTYBARUS, *aliis* ASTYBARES, Phraortis *Regis Perſarum & Medorum filius*, cui in regno ſucceſſit, componit & emendat à patre renovatam ſeu conditam militarem diſciplinam, & parentis necem ulturus *bellum cum Aſſyriis* continuat, eos magno prœlio vincit, & urbem Niniven obſidet, anno Mundi 3338. *Herodot. lib.* 1. Hic primus Aſiæ populos in provincias diſtinxit, primuſque in ſuum quoſque ordinem diſtribuit, haſtàtos, ſagittarios, equites, cum primò omnia promiſcua eſſent & implicita. *Cum Lydis* quoque ſigna contulit, & *Halym fluvium* tranſgreſſus, (quo limite utebantur Lydi) HALYATTEM *Regem* bello aggreſſus eſt. Etſi autem multa prœlia ſecunda faceret: tamen frangitur morâ, ac territus denique inſolito ſolis deliquio, quo ſubitò dies in noctem converſus eſt, quod anno M. 3351, exercitu utroque in acie ſtante, atque armis depugnante, contigit, de pace agi permittit. Arbiter pacis fuit Labynitus Babylonicus, hac conditione, ut Aſtyages filius Cyaxaris duceret Halyattis filiam, Crœſi, qui poſt regnavit, ſororem; Qui Crœſus poſtea Cyro Perſarum Regi bellum intulit, quòd Aſtyagem affinem ſuum regno pepuliſſet. Aſtyages quoque infeſtatus à *Scythis*, qui perſequendo Cimmerios, populabundi in Aſiam penetrarant, infelicem cum iis pugnam init, & clade affectus maxima, annis multis hoſtes eos graviſſimos expertus eſt, amiſſis interea regni provinciis omnibus. Ideò de armis ſpem abjicit, atque ad dolos ſe convertit, Principes illorum amicitiæ & hoſpitii jungendi prætextu ad convivium invitat, hiſque in ipſo prandio cæſis, reliquam deinde multitudinem, non magno negotio debellatam, iterum Aſiâ ejicit. Devictis autem Scythis jam demum anno M. 3370. *Aſſyrios* aggreditur, *Niniven Metropolin Regni* obſidet, expugnat & ſolo æquat. *Herodot. lib.* 1. *Factum hoc eſt* 200 *annis poſt concionem Jonæ Prophetæ ad Ninivitas habitam*, quâ illi permoti pœnitentiam egerunt, & excidium, quod illis minabatur Deus, effugerunt.

Prædixerant hanc Ninives παλιλθοίαν, *Nahum. cap.* 1. *v.* 1. *cap.* 2. *v.* 7. *cap.* 3. *v.* 8. & *Tobiæ cap.* 1. *v.* 11. *cap.* 7. *v.* 3. *c.* 11. *v.* 1. *c.* 14. *v.* 2. *Iſaiæ*

ſaiæ cap. 37. *v.* 37. *Sophoniæ c.* 2. *v.* 13. Moritur anno Regni 32, vel juxta alios 40. eique Aſtyages filius, Cyri avus maternus, in Regno ſucceſſit.

IX. ASTYAGES.

CAPUT I.

DE ORTV.

I.

ASTYAGES, Ἀστυάγης, Civitatis Ductor, ein Stat-Vogt. *Diodorus è Cteſia* APANDAM nominat. Cyaxaris I. filius, *Rex Perſarum & Medorum*, parenti, qui annos 32 vel 40. regnaverat, ſucceſſit, regnatque an. 35.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

1. ACTA OECONOMICA.

II.

1. CONJUGIUM. *Arienam Halyattis Lydorum Regis filiam in uxorem duxit.* OCCASIO *hujus conjugii* (ſicut *Herodotus lib.* 1. *pag.* 15. deſcribit) hæc fuit: Apud Scythas pecuarios cum eſſet ſeditio, caterva quædam eorum ſeceſſit in terram Medicam, quâ tempeſtate Medorum Tyrannus erat CYAXARES, Phraortis filius, Deiocis nepos: qui Scythas hos, tanquam ſupplices, initio benignè alloquebatur, ac plurimi faciebat, adeò ut pueros ei traderet imbuendos, tùm lingua Scythica, tùm artificio arcûs utendi. Interjecto deinde tempore, cùm Scythæ venatum aſſiduè irent, & ſemper aliquid afferrent; nonnunquam tamen contingebat, ut nihil caperent. Quos ita revertentes manibus inanibus Cyaxares (erat enim, cùm ingenti tenebatur irâ, peracerbus) probris inſectabatur. Id illi ut ſe dignum à Cyaxare pati non ferentes, conſilio habito, decreverunt, ut aliquem eorum puerorum, quos docerent, trucidarent, inſtructumque (ut feras inſtruere conſueverant) Cyaxari offerrent, perinde ac venationem. Idque cùm obtuliſſent, quàm celerrimè ſe ad Halyattem Saliattis filium Sardis conferrent, quod & factum eſt. Nam & Cyaxares, & qui aderant convivæ, ex his carnibus guſtaverunt, & Scythæ perpetrato hoc, Halyatti ſe ſupplices præbuerunt: Quos poſtea repoſcente Cyaxari, quod Halyattes reddere abnuerat, bellum inter Lydos Medoſque quinquennale conflatum eſt. Quo in bello aliquoties Medi victores exſtiterunt, & nocturnum quoddam prœlium geſſerunt. Sexto anno ſignis collatis, cùm æquo Marte certarent, ſtante acie contigit, ut repentè dies nox efficeretur. Quam immutationem hujus diei futuram Thales Mileſius Ionibus prædixerat, hunc annum præfiniens, quo immutatio facta eſt. Lydi ac Medi ubi diem nocteſcere viderunt, à pugnando deſtiterunt, eoque propenſiùs ad pacem inter ſe conſtituendam feſtinarunt, authoribus conventionis *Siennenſi Cilice* & *Labyneto Babylonio*, qui, ut juſjurandum intercederet, & reconciliatio affinitate fieret, properarunt, decernentes, ab *Halyatte* ARIENAM *filiam* ASTYAGI *Cyaxaris filio* nuptum dandam. Quoniam (addit hoc velut ἐπιφώνημα *Herodotus*) CONVENTIONES STABILES SINE INGENTI NECESSITUDINE INIRI NON QUEUNT. Ineunt autem hæ gentes fœdera ritu Græcorum: tùm feriendo brachia, quâ illa humeris connectuntur, tùm mutuum ſanguinem delingendo.

III.

2. GENERATIO LIBERORUM. Ex hac autem *Ariena* Lyda conjuge Aſtyagi *nati ſunt liberi* CYAXARES (aliàs Darius Medus dictus, qui patri in regno ſucceſſit) & MANDANE. Quibus *Cteſias* addidit filiam alteram *Amytin*, quæ Cyro nupſerit. Sed hæc fabula etiam a Xenophonte refutata, meritò rejicitur, præſertim quoniam idem Author Cyrum ab Aſtyagis familia alienum facit. Neque audiendus eſt *Cedrenus*, qui Aſtyagi *Eſtheram conjugem* tribuit. Quia ipſe alibi hanc hiſtoriam retractans ad Artaxerxem Longimanum refert.

IV.

3. SOMNIUM *Aſtyagis geminum.* Herodotus narrat *Somnium*, quod Aſtyages per quietem viderat, nempe, Mandanen filiam ſuam tantum urinæ facere, ut omnem ipſius urbem impleret, & Aſiam univerſam inundaret. Idem quoque Herodotus, ſicut & Juſtinus, lib. 1. *alterum ſomnium* Aſtyages recitat, quo ex utero filiæ ſuæ ipſi dormienti videbatur enaſci vitis, tantâ magnitudine, ut palmitibus ſuis totam Aſiam obumbraret.

REGULA.

Non omnia ſomnia ſunt vana. Sæpe namque ſunt futurarum rerum quaſi certa quædam præſagia. Hoc autem de ſomniis non phyſicis, ſed divinis, quæ θεόπνευστα vulgò dicuntur, intellectum volumus. *Exempla* exſtant plurima tùm *ſacra*, tùm *profana*.

1. *Gideon* adverſus *Midianitas* pugnaturus, noctu, comitante ipſum armigero Pharâ, in partem caſtrorum, ubi erant armatorum vigiliæ, deſcendit;

ibi ex militibus quidam narrabat proximo ſuo ſomnium, hunc in modum: Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volvi, & in caſtra Midian deſcendere, cumque perveniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud atque ſubvertit, & terræ funditùs coæquavit. Reſpondit is, cui loquebatur: Non eſt hoc aliud, niſi gladius Gideonis filii Joas viri Iſraëlitæ. Tradidit enim Dominus in manus ejus Midian & omnia caſtra ejus. Cùm audiſſet Gideon ſomnium, & interpretationem ejus, adoravit, & reverſus eſt ad caſtra Iſraël, & ait: Surgite: tradidit enim Dominus in manus noſtras caſtra Midian. *Judic.* 7. 10, 15.

2. *Maſeſcerus* adverſus *Gildonem* ad recuperandam Africam miſſus ab Honorio Imperatore, ſomniavit ſe Epiſcopum Mediolanenſem Ambroſium videre, qui jam diu mortuus erat, pedo paſtorali ter humum percutere, terque dicere: Hic atque in hoc loco. Itaque poſterâ die, in eoipſo loco parvo labore Gildonem ſuperavit. *Fulg. l. 1. c. 3.*

1. Eodem die, quo *Julianus* in Perſide interiit, *Dydimus Alexandrinus*, ob Imperatoris ſcelera, contra Chriſtianam religionem admiſſa, ſupra modum dolens, totus jejuniis & precibus vacabat: cumque ſequenti nocte fortè in ſolio aſſidens ſomno oppreſſus eſſet, videbatur ſibi videre equos albos in aëre curſare, & qui in eis videbantur, eos ita prædicare: Nunciate Didymo, hodie Julianum hac ipſa horâ interfectum eſſe, ipſeque idem illud Athanaſio Epiſcopo ſignificet. Didymus igitur illicò ſomno ſolutus ſurrexit, cibumque cepit: Interituſque Juliani paullo pòſt ex Perſide annunciatus eſt. *Sozom. lib. 6. cap. 2.*

4. *Hecuba* ſomniat, ſe facem ardentis ignis, quæ univerſam Aſiam & Europam inflammaret, peperiſſe. Arioli reſpondent: futurum ut infans, quem in utero geſtabat, eſſet cauſa excidii ſuæ patriæ. Fuit is *Paris*, cujus inceſtis amoribus decennale illud bellum ad Trojam, ob non reſtitutam Helenam, geſtum eſt, in quo univerſa

Gracia barbariæ lento eſt colliſa duello;

uti canit *Horatius Epiſt. lib. 1. ad Lollium. Sabell. lib. 1. c. 1.* Plura de ſomniis vide in hiſtoria Nebucadnezaris §. 16. *pag. 79.*

V.

IV. MATRIMONIUM FILIÆ *parum honeſtum.* Aſtyages primo ſomnio ſuo (nempe quod ſibi per quietem filia viſa eſt tantum urinæ reddere, ut totam Aſiam inundaret) permotus, de matrimonio filiæ ſuæ parùm honeſto conſilium inivit. Cum enim à Magis didiciſſet, fore, ut qui ex filia ſua naſceretur, Aſiæ imperium obtineret, regno ſuo metuens, Medorum nemini eam tradere voluit uxorem; ſed Cambyſem quendam Achæmenis filium, Perſam humilis ſortis atque conditionis, generum ſibi delegit. Quod filia iniquo animo tulit; ſicut eventus docuit.

AXIOMA POLITICUM.

Matrimonia inter inæquales perſonas contrahi non debent.

1. Sicut Rex *Aſtyages* viro Perſæ ignobili & obſcuro filiam ſuam elocavit.

2. Ita legimus apud *Saxonem Grammaticum hiſtor. Dan. lib. 1.* quod ULVILDA, *Regis Danorum Hadingi filia*, *Guthormo* privato homini nuptum elocata, graviſſimè conqueritur, ſe in obſoletos & deſpicabiles amplexus tranſmiſſam ab ignavo patre, ſuæ felicitati tori commercium derogare, ſuam munditiem immunditiam ruralem contrectare, ſuam dignitatem indignitatem vulgarem inclinare, denique ingenuitatem ſuam maritalem conditionem extenuare. Eſtque eò progreſſa hæc *Ulvilda*, ut crebris interpellationibus virum eò adigeret, ut mortem Regi ſpe potiundi regni inferret.

3. *Dubravius*, ſcriptor hiſtoriæ Bohem. celeberrimus, de ULDARICO XXI. *Bohemorum Duce* ita ſcribit: Ne Uldaricus abſque uxore planè ſolitarius ageret, initio ſtatim principatûs animum ad matrimonium appulit. Evenit autem forte, ut à venatu revertens incideret in puellam ruſtici cujuſdam hominis filiam, linteolorum tunc ſordes ad fontem eluentem: Hujus ſpecie pellectus adequitat propiùs, illamque intuens, alloquitur familiariùs, ac mox uxorem petit, nihil motus diſſuaſione aulicorum; jocatus etiam inter eos, ſe unâ nocte effecturum, ut quæ heri virgo ruſtica fuerit, eadem eras fieret Princeps mulier: prorſus ad exemplum M. Ciceronis, qui de juvencula ducta cavillantibus idem reſpondit: Deſinerent ſolliciti eſſe: unius enim noctis negotium eſſe, ut mulier & uxor fiat. Non potuit tamen efficere (addit *Hiſtoricus*) ut extra aulam res ſugillatione careret, præſertim in cœtu matronarum nobilium procaciter ignobilitatem *Beatricis* (id nomen ſponſæ erat) inceſſentium.

4. *Gerardus de Roo lib. 11. hiſt. Auſtriac. p. 392.* de nuptiis MAXIMILIANI I. *Imperatoris* & BLANCÆ MARIÆ *Sfortiæ* ita ſcribit. *Maximiliani* cum Blanca Maria Sfortia nuptiæ non probabantur pleriſque Germaniæ Principibus, quod Sfortiarum ac Vicecomitum familiæ Auſtriacæ veteri, & tot majorum imaginibus auctæ proſapiæ, impar eſſet, videreturque Cæſar, dote magis quàm genere adductus, eam adfinitatem inire.

VI. 5. *Cru-*

VI.

5. *Cruentum Aſtyagis de nepote trucidando* CONSILIUM. Cum Aſtyages inaudiret filiam ſuam ex Cambyſe marito imprægnatam, rurſus ſomniavit, ex filiæ utero vitem egredi, quæ totam Aſiam obumbraret. Ex quo ſomnio conjecturam cepit, parituram eam eſſe filium, qui totius Aſiæ Dominus futurus eſſet. Quare hoc ſomnio exterritus filiam gravidam ad ſe vocavit, filiumque ex ea natum, cuidam ex intimis familiaribus, *Harpago* nomine, tradidit necandum. Qui cum tam crudele miniſterium per ſe ipſum nollet exſequi, *Mithridati* regio bubulco negotium illud committit. Huic uxor erat nomine *Spaco*, quod Medorum lingua canem ſignificat. Hæc tum forte mortuum enixa erat partum. Quare cum regium puerum videret forma inſigni præditum, eum pro ſuo accepit, & 10 annis in caſa ſua paſtorali educavit. Qui poſtea ab avo agnitus, & in Perſidem ad parentes remiſſus de conſilio ſapientum eſt. Nam cùm Cyrus adhuc puer per ludum jocularem à pueris Rex conſtitutus eſſet, Satrapæ cujuſdam filium duriùs verberavit. Quod Aſtyages avus inaudiens, cauſam ei dicere demandavit, cur puerum illum Satrapæ verberibus durius tractaſſet; reſpondit ille: *Se ab æqualibus ſuis Regem factum; illum vero propter contumaciam juſtas pœnas dediſſe.* Quod cùm Magi in eam interpretati partem eſſent, completam jam eſſe ſomnii ſignificationem, non tantùm vitam nepoti donavit Aſtyages, verùm etiam ob ſummam ingenii alacritatem, morumque mirificam ſuavitatem, ſingulari amore complexus eſt, eumque (ut dixi) ad parentes ſuos in Perſiam remiſit. *Herodotus lib.* 1.

AXIOMA POLITICUM.

Nemo ſucceſſorem divinitus deſignatum è medio tollere poteſt.

Quia decreta Dei immutari haud poſſunt. Et conſilium Domini manet in æternum. *Pſal.* 33. 11. Vide *Petr. Gregor. Tholoſan. lib.* 21. *de Republ. c.* 3. *pag.* 1285.

Exempla exſtant in ſacris atque profanis monumentis plurima & maxime illuſtria.

1. Exempla ſacra.

1. SAUL voluit ſæpe Davidem necare, ſuſpicatus tanquam meliorem & à Deo electum regnaturum: ſed non potuit. 1 *Samuel.* 23.

2. SALOMON voluit interficere Jeroboam, ſervum ſuum, ſeu præfectum tributorum; eo quod intellexerat cum regnaturum in 10 tribubus poſt mortem ſuam, ex prophetia Ahiæ Silonitæ Prophetæ: ſed non potuit. Dominus enim ita decreverat ob peccatum Salomonis, atque ideò effugiens manus ejus, fugit in Ægyptum ad Seſac Regem Ægypti, donec mortuus fuit Salomon, & ſucceſſit Roboam in regnum; qui conſultus à populo de remittendis tributis, cùm noluiſſet, dedit occaſionem implendi voluntatem Dei: & elegerunt decem tribus juxta prædictionem Prophetæ, Jeroboam in Regem. Neque tamen fuit melior Jeroboam Salomone: quia & ipſe fuit idololatra. 1 *Reg.* 11. 30, 31, 40. 1 *Reg.* 12. 15, 20.

3. JOAS *Ochozia Regis Iudæ filius*, cùm in crepundiis eſſet, omni virili ſtirpe Davidicæ gentis, crudeliſſimo *Athaliæ* aviæ imperio, uno die extincta, vita donatus eſt: opera aliena regno ſpoliatus, puer tamen adhuc Regnum recepit, 2 *Reg.* 11. Receptum turpiter amiſiſſet, niſi aliud aliquanto turpius, omni gaza regia fuiſſet ab eo redemtum, Ad poſtremum, ferrum, quod infans aliena effugit ſolertia, ſua ipſius effugere non potuit. 2 *Reg.* 12.

4. HERODES *Aſcalonita*, *Meſſiam* recens natum Judæorum Regem è medio tollere conatus, multo effuſo ſanguine innocentium infantium, & ſui ipſius & aliorum: verùm irrito conatu. Nam decretum Dei erat, quod ex ſemine David Rex ſuper ſolium Davidis uſque ad tempus Meſſiæ ſucceſſurus eſſet. Ideoque Herodes Regem ſucceſſorem æterni regni tollere non valuit. *Matth.* 2.

2. Exempla profana.

1. ASTYAGES metuens ſibi naſci ſucceſſorem in Regno ex filia Mandane, juxta ſibi revelatum ſomnium, voluit perdere ex illa natum filium Cyrum: ſed non potuit.

2. CAMBYSES *Cyri filius*, admonitus in ſomniis, quod Smerdis ei ſucceſſurus eſſet: putans ſortem eludere, curavit, fratrem ſuum Smerdin interimi: tamen non evitavit, quod decretum erat. Nam alius Magi filius, Smerdin ſe dicens, ei ſucceſſit: & per ſeditionem regnum occupavit.

3. TIBERIUS *Cæſar* poſt mortem Germanici factus crudelis, Aſtrologiæ ſe dedit in hominum perniciem. Nam multos, indagata illorum nativitate, ſi quid excellens vel imperium concernens inveniret, occidebat. Galbam tamen futurum Imperatorem non occidit.

4. VALENS *Imperator* Arianus ſucceſſorem ſibi deſtinatum extinguere voluit, ſed non potuit. Nam cum Dæmonem conſuleret, quis poſt eum imperio potiturus eſſet; accepit à Dæmone literas Græcas ΘΕΟΔ. ſignificans hoc eſſe initium nominis ejus. Qua ratione Valens juſſit occidi omnes, quotquot in nominum ſuorum initiis haberent has literas.

literas, nempe vel nomen *Theodi*, *Theodosii*, *Theoduli*: sed non potuit Theodosium successorem suum occidere.

II. *ACTA POLITICA.*

1. *Irenica.*

VII.

1. *Astyagis in Harpagum crudelitas.* Astyages autem, cognita Harpagi inobedientia, neglecti mandati sui ultionem de eo sumsit truculentam & plane tyrannicam. Nam unicum ejus filium annos 13 natum mactavit, & ad vescendum illius carne assa pariter & elixa cum invitavit. Peracta cœna, Astyages Harpagum interrogavit: Nunquid lautè vixisset? Cui cum annuisset Harpagus, mox caput, brachia & crura afferri jussit, interrogans: Nunquid agnosceret, filii sui carnibus se epulatum esse, & nunquid factum hoc ipsi placeret? At ille conceptum animo dolorem sic repressit, ut nihil perturbari tam tristi spectaculo videretur. Nihil igitur respondit aliud, nisi, *sibi placere, quicquid Rex fecisset.*

II. *Polemica.*

VIII.

11. *Astyagis in bello fatuitas atque temeritas.* Harpagus crudelitatis in se ab Astyage editæ memor, altum pressit corde dolorem, deque ultione meditatus est. Cum enim Cyrus adolevisset, crebris illum hortationibus incitavit contra avum; quibus etiam persuasus Cyrus bello Astyagen petiit, eumque opera Harpagi cepit, regnoque exuit.

Quia autem multa in bello illo memorabilia occurrunt, placet illud ex Herodoto & Justino plenius describere.

Circa hoc bellum Astyagis tria veniunt notanda.

- I. *Occasio* — *remota*, est Astyagis *in Harpagum crudelitas*; de qua §. 7.
  - *propinqua*
    1. *Harpagi instigatio.* Harpagus, cum Cyrus adolevisset, dolore orbitatis admonitus, scribit Cyro, ut relegatus in Persas ab avo fuerit, ut occidi eum parvulum avus jusserit, ut beneficio suo servatus sit, ut Regem offenderit, ut filium amiserit: hortatur exercitum paret, & pronam ad Regnum viam ingrediatur, Medorum transitionem pollicitus. Epistola, quia palam ferri nequibat, Regis custodibus omnes aditus obsidentibus, exenterato lepori inseritur, lepusque in Persidem Cyro ferendus, fido servo traditur. Addita sunt retia, ut sub specie venationis dolus lateret.
    2. *Oraculi admonitio.* Cyrus lectis epistolis eandem viam somnio aggredi jussus est: sed præmonitus, ut, quem primò obvium postero die haberet, socium cœptis assumeret.
- II. *Præparatio*, sive *callida Persarum contra Medos concitatio.* Cyrus somnio monitus, statim antelucano tempore iter ingressus, ruri obvium habuit servum de ergastulo cujusdam Medi, nomine *Sybaren*. Hujus requisita origine, ut in Persida genitum audivit, demtis compedibus, assumtoque comite, Persepolin urbem regreditur. Ibi convocato populo, jubet omnes præsto cum securibus esse, & sylvam viæ circumdatam excindere. Quod cum strenue effecissent, eosdem postero die apparatis epulis invitat. Deinde cum alacriores ipso convivio factos videret, rogat, ut si conditio proponatur, utrius vitæ sortem legant, hesternine laboris, an præsentiùm epularum? Præsentium, ut acclamavere omnes, ait; Hesterno similem labori omnem vitam acturos, quoad Medis pareant; se sequutos, hodiernis epulis. Lætis omnibus, bellum Medis se illaturos concludunt.
- III. *Bellum ipsum*, idque *geminum. Astyages bellum gessit contra Cyrum geminum:*
  - I. *per Harpagum.* Nam Astyages crudelitatis suæ in Harpagum oblitus, summam belli eidem committit, qui exercitum acceptum statim Cyro per deditionem tradidit: Regis tyrannidem perfidia defectionis ulciscens. Ita Deus tyrannidem Astyagis punire volens, sanam ei mentem abstulit, quod Harpago, quem atrociter læserat, belli summam commiserit.
  - II. *per se ipsum.* In quo *tria notanda:*
    1. *Astyagis fortitudo.* Ubi autem hoc Harpagi facinus audivit Astyages, contractis undique auxiliis, ipsemet contra Persas proficiscitur, & repetito alacrius certamine, pugnantibus suis partem exercitus à tergo ponit, & in tergiversantes ferro agi ut in hostes jubet, ac suis denunciat: *Ne vicerint, non minus fortes etiam post terga inventuros, quam à frontibus viros.* Proinde videant, fugientibus hæc, an illa pugnantibus acies rumpenda sit. Ingens post necessitatem pugnandi animus exercitui ejus accessit.
    2. *Mascula mulierum Persicarum ad viros fugientes oratio, eorumque castigatio.* Cum autem Persarum pulsa acies paulatim cederet, matres & uxores eorum obviam occurrunt, orant, ut in prælium revertantur. Cunctantibus, sublata veste, obscœna corporis ostentant, rogantes, num in uteros matrum velint refugere. Hac repressi castigatione in prælium redeunt; & facta impressione, quos fugiebant, fugere compellunt.
    3. *Cyri felicitas & victoria.* Atque ita Cyrus Victor exstitit, Astyagen avum suum cepit, eumque Regno exuit. *Herod. lib. 1. Justin. lib. 1.*

Axio-

AXIOMA.

Nimia Principum crudelitas atque tyrannis ſubditis rebellionis occaſionem præbet.

Exempla.

1. Ab ASTYAGE Rege Medorum defecit regnum, & à Medis in Perſas tranſlatum per Cyrum nepotem Aſtyagis fuit per conjurationem Harpagi. Is enim Harpagus juſſus ab Aſtyage exponere & necare recens natum ex filia ſua Cyrum, cum eum conſervaſſet, incidit in odium Aſtyagis, qui in ultionem conſervati nepotis, ejus filium interfecit, epulandumque patri tradidit. Sed Harpagus ad præſens tempus diſſimulato dolore, odium Regis in vindictæ occaſionem diſtulit, & ita prodidit regnum, & favit Cyro.

2. AMASIS Ægyptiorum Rex, cùm pleroſque ex ſuis ultimo ſupplicio affeciſſet, alioſque fortunis ſpoliaſſet, & in omnes inſolentior & ſuperbior fieret, ejus imperium aliquantum toleratum eſt, donec Actiſanes Æthiopum Rex in eum irrupit. Tunc enim odia occulta erupere: cumque multi ab eo deſciviſſent, regno tandem pulſus eſt.

3. Refert de THRYZO Ælianus: ita eum ſubditis evaſiſſe infeſtiſſimum, quod legem tulerit, ut nemo publice aut privatim invicem colloqui, aut ſermones invicem miſcere auderet, imo ne nutu oculorum manuumque geſtu animi ſenſa erprimere. Sed cum adhuc vellet adimere flendi libertatem, & contra flentes cum ſatellitibus in forum perveniſſet: Subditos, ereptis ſatellitibus armis, ſuum quoque Tyrannum ſuſtuliſſe.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

ASTYAGES iſto in prælio capitur, cui Cyrus nihil aliud niſi Regnum abſtulit, atque illud, poſtquam annos 259 ſteterat, ad Perſas tranſtulit, nepotemque ſe in illo magis quam victorem geſſit, eumque Hircanorum genti præpoſuit. Nam Aſtyages ipſe reverti ad Medos noluit. Cyaxarem vero II, vel Darium Medum, avunculum ſuum, Medis præfecit, eique titulum Regis indulſit, qui Regnum 28 annis adminiſtravit.

NOTA.

Hoc loco nunc de *Dario Medo* X. Medorum Rege agendum foret, juxta communem Hiſtoricorum ſententiam; ſed nos commodius de eo in Monarchia II. agemus, quam in ſuas Dynaſtias diſpeſcemus. *Prima* eſt *Medica*, in qua de Dario Medo: *Altera* eſt *Perſica*, in qua de Cyro ejuſque ſucceſſoribus, uſque ad Darium Codomannum Perſarum Regem noviſſimum, diſſertationem *σὺν Θεῷ* inſtituemus.

SOLI DEO GLORIA.

DE MONARCHIA SECUNDA,

Quæ eſt

MEDORUM, & PERSARUM,

LIBER II.

TRACTATIO GENERALIS.

PRÆCOGNITA.

I.

IN Præcognitis hujus Monarchiæ notanda veniunt capita ſeptem: 1. *Monarchiæ ſecundæ appellatio.* 2. *Typica ejus præfiguratio.* 3. *Generalis Monarchiæ ſecundæ delineatio.* 4. *Regum Monarchiæ ſecundæ catalogus*, ſive *ſpecialis enumeratio.* 5. *Familiarum deſignatio.* 6. *Regia ſedes* ſive *habitatio.* 7. *Inſtituta Regum Perſicorum, eorumque ratio.*

CAPUT I.

De MONARCHIÆ ſecundæ APPELLATIONE.

II.

MOnarchia ſecunda vocatur *Monarchia* MEDO-PERSICA, ſive MEDORUM & PERSARUM. Quia ex duplici Regno (principali) nempe Medico & Perſico conſtabat, ut ita à potiori fiat denominatio. Regnum namque Belſazaris datum eſt Medis atque Perſis. *Dan.* 5. 28. Et *Daniel* 2. 32. adumbratur per pectus habens *duo* BRACHIA ARGENTEA.

CAPUT II.

De TYPICA MONARCHIÆ ſecundæ PRÆFIGURATIONE.

III.

MOnarchia ſecunda *in triplici viſione* præfiguratа eſt.

In *prima viſione Dan.* 2. 32. adumbratur per PECTUS DUO BRACHIA ARGENTEA HABENS.

In *ſecunda viſione*, quæ exſtat *Daniel* 7. 5. adumbratur per URSUM, *qui in parte una ſtetit*, (vel ad latus unum ſe erexit) & tres coſtæ erant in ore ejus, & inter dentes ejus; & ſic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas.

In *tertia viſione*, quæ habetur *Daniel* 8. 3. præfiguratur per ARIETEM BICORNEM, h. e. habentem duo cornua excelſa, quorum unum excelſius altero, & excelſius poſtremo aſcendebat.

IV.

Viſionis primæ explicatio.

In prima viſione MONARCHIA II. comparatur

1. PECTORI ARGENTEO. Quia ſicut argentum eſt vilius auro: ita quoque hæc Monarchia eſt minor, hoc eſt, inferior prima; ſicut hoc ipſum *Daniel.* 2. 39. explicatur. Non enim tantum ejus fuit robur, divitiæ, virtus & duratio, quanta fuit primæ. Siquidem Monarchia prima 1646, ſecunda vero 204, vel ad ſummum 206 annos duravit. *Alii* dicunt, Monarchiam ſecundam propterea per pectus argenteum adumbrari, quod fuerit minor prima; non tam quoad divitias & potentiam, quam quoad dignitatem & Majeſtatem ex meliori regiminis forma dependentem.

II. PECTORI ARGENTEO habenti BRACHIA DUO. Quia hæc Monarchia initio duplex erat, ſive duas Dynaſtias comprehendebat, nempe Medicam & Perſicam.

V. Vi-

V.

Viſionis ſecundæ explicatio.

In ſecunda viſione Monarchia ſecunda comparatur

1. URSO; idque duplici ſenſu.

Primò, *in ſenſu* COMPARATIVO. Quia Monarchia prima per LEONEM; ſecunda verò per URSUM præfiguratur. *Daniel 7. v. 4, 5.* Sicut autem leo eſt animal generoſius; urſus verò eſt animal minùs generoſum, ignavum atque tardum: ita quoque Monarchia ſecunda eſt ignobilior primâ.

Deinde, *in ſenſu* ABSOLUTO urſo comparatur,

1. *Propter originem abjectam.* Quia urſus in ortu non eſt aliud niſi candida quædam caro, rudis atque informis, ſine oculis & pilis, ungues duntaxat prominentes oſtendens, quam lambendo parens paulatim figurat, & ad ſpeciem urſi conformat. Unde Criticis nonnullis *urſus*, quaſi *orſus*, ab ipſa fœtus limitatione dicitur. Et hac de cauſa *Virgilius* dicere eſt ſolitus, ſe verſus ſuos componere, ſicut urſi fœtus ſuos gignunt lambendo, h. e. difficulter: ita quoque abjecta fuerunt Regum Perſicorum primordia, ſed poſtea multo labore & induſtriâ claritas illis atque potentia acceſſit. Nota namque eſt hiſtoria de Cyro primo Perſarum Rege; quòd juſſu Aſtyagis avi ſui per Harpagum expoſitus, à Mithridatis Regii bubulci uxore, cui nomen SPACO, (quod Medorum lingua canem ſignificat) conſervatus & lactatus ſit. Unde *Herodotus* & *Juſtinus* ſcribunt, quòd Cyrus proprio nomine in Medorum lingua *Spaco* dictus ſit, unde etiam fabula nata eſt, Cyrum à cane lactatum eſſe. Et in Oraculo, quod Crœſo datum, dictus eſt *Semiaſinus*, h. e. Mulus ex equa & aſino generatus. Quia Cyrus nobili matre, Aſtyagis Medorum Regis filia, patre vero Cambyſe, obſcuri generis Perſâ, natus eſt.

11. *Propter prudentiæ inopiam.* Sicut enim urſus infirmo eſt viſu, & vitiis ophthalmiæ obnoxius, ſæpiuſque hebetatur: Ita quoque Perſæ in bello, non tam ſolertiâ ingenii, prudentiâve diſciplinæ militaris, quàm innumerabili hominum turbâ, vel eorum, quibuſcum belligerabant, ignaviâ, prævaluerunt. *Exemplum* memorabile habemus in *Cyro primo Perſarum Rege.* Hic, licet alioquin Imperator prudentiſſimus eſſet, attamen in fine vitæ contra Scythas valdè imprudenter egit; tùm ante bellum, quòd nempe prudens Crœſi bellum diſſuadentis conſilium velut amens nihil curârit; tùm in ipſo bello, quod nempe ex ignorantia Geographiæ à Tomyride Scytharum Regina fugam ſimulante in anguſtias locorum pertractus, ubi ipſe, unà cum toto exercitu è ducentis millibus Perſarum conſtante, trucidatus eſt, adeò ut ne tantæ quidem cladis nuncius ſuperfuerit; ſicut *Herodotus* ſcribit. Quodſi autem Cyrus locorum peritiam habuiſſet, fluvium Araxin neutiquam transmiſiſſet, neque divortiorum anguſtiis per errorem exercitum ſuum circumduci permiſiſſet, cùm aditus omnes occupare potuiſſet, & effugia ſcientibus loca ſatis tuta paterent. Vide *Franciſcum Patrit. lib. 3. de Regno, Tit. 14. pag. 213. Ita Xerxes* IV. *Rex Perſarum*, ſi Geographiæ notitiam habuiſſet, in anguſtias Thermopylarum haud penetraſſet, ibique cum *Leonide* Spartanorum Rege, qui tantùm 300 milites ſecum habebat, temerariè dimicaſſet, amiſſis ex exercitu ſuo 20000 militibus; uti *Herodotus* & *Juſtinus* ſcribunt.

111. *Propter iracundiam.* Sicut urſi valdè ſunt iracundi & vindictæ cupidiſſimi, & ſingulos, à quibus tanguntur, perſequi ſtudent. Unde *Comites Davidis* dicuntur viri fortiſſimi & amaro animo, veluti ſi urſa raptis catulis in ſaltu ſæviat. *2 Sam. 17. v. 8.* Et Beſtiarii docent, urſos naſo (in quo iræ ſigna eſſe ſolent: unde apud Ebræos אף ſignificat primò *naſum*, deinde *iram*; & quidem talem iram, quam quis naribus efflat, cùm ſcintillæ obſiſtunt oculis. *Pſalm. 6. v. 1.*) urſos, inquam, naſo icto potiſſimùm irritari, juxta Adagium: *Fumantem naſum urſi ne tentaveris*: Quod exſtat apud *Martialem.*

——— Rabido nec perditus ore
Fumantem naſum vivi tentaveris urſi:
Sit placidus licet, & lambat digitoſque manuſque,
Si dolor & bilis, ſi juſta coëgerit ira,
Urſus erit, vacuâ dentes in pelle fatigans.

Ita quoque quidem *Perſarum Reges* valdè iracundi erant, uti oſtendunt exempla 1. *Cambyſis*, qui Prexaſpis Conſiliarii ſui liberè eum admonentis filium ſagittâ transfixit. Similiter etiam ex immani iracundia ſororem ſuam juniorem, quam uxorem duxerat, interfecit, quod nempe Smerdin fratrem ab eo interfectum lacrymaretur. 2. *Ahaſveri*, qui *Vaſthi* Reginam ad ſe venire in convivium, quod paraverat Principibus & populis, renuentem, magna ira accenſus dignitate exuit, & in repudiatæ locum *Eſtherem* in thori ſociam elegit, *Eſther. 1. v. 12, 3. Xerxis*, qui adeò furioſè iracundus fuit, ut non ſatis ei fuerit, in homines iracundiam & rabiem ſuam exercere, ſed idem adverſus mundi elementa facere contenderit. Nam cùm trajectum ex Abydo ad ulteriorem ripam, qui eſt ſeptem ſtadiorum,

diorum, pontibus junxiſſet, ingenſque exorta tempeſtas ea omnia dirupiſſet, indignatus, tanquam ſenſus aquis ineſſet, trecenta Helleſponto verbera infligi, & ſtigmata inuri, adeoque par compedum in pelagus demitti juſſit, atque eis, qui præpoſiti operi erant, capita præcidi. Deinde cùm Athos longo tractu in mare procurrens, claſſem ejus affixiſſet, à continente eum abſcindere, omnibus copiis ſub verberibus in effodiendo occupatis, aggreſſus eſt.

4. *Propter crudelitatem & virulentiam.* Sicut urſus eſt animal immane, crudele atque ſævum: Unde Critici nonnulli cenſent, quod urſus ob ferociam, impetum atque immanitatem, à ſupino *urſum*, *Turgeo*, appellationem trahat; quòd nempe, velut animal grande atque robuſtum, valde urgeat atque premat: Et hac de cauſa in ſacro codice leo rugiens & urſus eſuriens conjunguntur: *Proverb.* 28. 15. Præſertim autem urſa catulis orbata valde eſt immanis atque crudelis, uti dicitur 2 *Sam.* 17, 8. *Prov.* 17. 12. *Hoſea* 13. 8. Ita quoque quidam Reges Perſarum valde crudeles atque immanes fuerunt. Unde dicitur *Dan.* 7. *Surge, comede carnes multas.* Similiter *Jeſaias* de Medorum, qui ſocii Perſarum in occupanda Babylone erant, crudelitate vaticinatus eſt *c.* 13. *v.* 17, 18. *Exemplum* habemus in *Cambyſe*. *Cambyſes* Cyri filius, Rex Perſarum, cùm Amaſis Ægyptii Regis filiam in matrimonium petiiſſet, Amaſis veritus, ne eâ potitus, non uxoris loco, ſed in concubinarum numero retineret, aliam pro filia ei ſimillimam miſit: quam rem Cambyſes cùm cognoviſſet, irâ exarſit, atque cum ingenti exercitu in Ægyptum deſcendit. Ubi cùm defunctum Amaſim inveniſſet, filium ejus Pſammetichum regno ejecit, ipſius quoque Amaſis corpus ſepulcro eruit, & tanquam viveret, verberibus cædi, acutiſque ferramentis totum pungi, ac deinde in foro comburi fecit; Neque enim animadvertit, plus in ſe ipſum iracundiæ flammas telaque, quàm in mortuum Amaſim ſævire, quod ea iracundiæ vis ac natura eſt, ut ſemper authorem torquere incipiat. Simile exemplum habemur in *Xerxe*, de quo paulò antè dictum.

5. *Propter intemperantiam.* Sicut urſæ vehementer delectantur melle, unde odore ſuo faves apum inveſtigare in concavis arboribus ſolent: Ita Perſæ deliciis fuêre dediti, luxûs & ſuperbiæ ſtudioſi, delectabantur multis bellariis; amabant externos veſtitus & quidem pictos, ebrii deliberationes inſtituebant: *Herodot lib.* 1. Solebant aureas habere menſas, aureos & argenteos lectos; uti in deſcriptione Cambyſis & Darii Codomanni ultimi Perſarum Regis dicemus. Hinc *Alexander M.* devicti Darii tentorium ingreſſus, viſiſque voluptatum apparatibus magnificentiſſimis, exclamavit dicens: *Quid! Num hoc eſt regnare?* uti *Plutarchus* ſcribit.

6. *Propter laſciviam.* Sicut urſa eſt animal libidinoſiſſimum: Ita quoque Perſæ valde libidinoſi erant. Apud *Herodot. lib.* 5. ipſimet fatentur, moris eſſe ſuis in conviviis concubinas introducere. Apud ipſos etiam primæ partes concedebantur militi, proximæ illi, qui ſtrenuus eſſet in amore, nec non plures haberet liberos. *Exemplum* memorabile habemus in *Cambyſe*, qui duas ſorores in uxores duxit, cumque illis inceſtum commiſit; uti *Herodotus lib.* 5. ſcribit. Antea Perſæ ſorores in matrimonium ducere non conſueverant, ſed ipſe ſororis amore captus, cupiduſque ducendi illam in uxorem, accerſivit ad ſe judices regios, eoſque percontatus eſt: Num quæ lex ſit, quæ permittat fratri matrimonium cum ſorore contrahere. Reſpondent illi: *Nullam ſe invenire legem, quæ ſinat fratri ducere ſororem, quandam tamen ſe reperire legem*; QUOD LICEAT PERSARUM REGI FACERE, QUOD LIBEAT. Duxit ergò Cambyſes ſororem ſuam in conjugem, ſed eâ unâ non contentus, etiam alteram ſororem duxit. Ex his, quæ junior erat, comitata eſt eum in Ægyptum, & ab eo hac occaſione interfecta, tantùm quòd illacrymarit ob Smerdis fratris à Cambyſe interfecti necem.

7. *Propter ἀσθένειαν*, h. e. *capitis infirmitatem atque mollitiem.* Sicut enim urſus, licet reliquo corpore ſatis ſit robuſtus, tamen caput habet admodum infirmum; Unde aut averſus deſcendit de arbore, aut, neceſſitate urgente, cùm defilit de arbore, prioribus pedibus caput ſolet diligenter cuſtodire: Plinius teſtatur, quòd ſæpè Romæ in ſpectaculis factum ſit, ut urſi leviter infracto colapho, mortui atque exanimati ſint: Ita Perſæ deliciis atque luxu adeo fuerunt fracti atque enervati, ut omni robore deſtituti hoſtibus ſuis ſufficienter reſiſtere haud potuerint. Exemplum habemus in *Xerxe*, qui ingentem exercitum contra Græcos eduxit. & tamen Græciam ſubigere haud potuit: imò *Leonides Rex Spartanorum* (quod mirandum) 300 Spartanis tota Xerxis caſtra aggredi auſus 20000 Perſas unâ nocte proſtravit. Vide *Herodotum lib.* 7. Huc quoque pertinet, quod refert *Herodotus lib.* 3. Se vidiſſe, poſt prælium aliquod commiſſum, capita Ægyptiorum & Perſarum, & quidem Ægyptiaca fuiſſe duriſſima, ſed Perſica admodum mollia. Nam ex victu molli & delicato ſequi ſolet virium corporis enervatio.

VI. *Dein-*

VI.

Deinde huic urſo TRIA ATTRIBUTA à Daniele aſſignantur.

1. De eo dicitur *v.* 5. QUOD IN PARTE STETERIT. Vel: QUOD LATUS UNUM SE EREXERIT. Quæ verba Ebræi Eccleſiaſtice & Ethice exponunt, quod nempe Perſæ in alias quidem gentes atque populos ſævi & crudeles fuerint: (uti ex *Eſai.* 13. 17, 18. patet, ubi Propheta de Medorum, qui Perſarum in occupanda Babylone ſocii fuerunt, crudelitate vaticinatus eſt.) At *erga Judæos ſteterunt*, h. e. nullam crudelitatem, quin potius omnem humanitatem atque benignitatem erga eos exercuerunt. Nam *Cyrus* in primo ſtatim Monarchiæ ſuæ anno, cum 70 captivitatis Babylonicæ anni finiti eſſent, ex vaticinio *Jeremiæ* 25. 12. populo Judaico per publicum edictum poteſtatem in patriam redeundi conceſſit. 1 *Eſdr.* 1. 1, 2. 3 *Eſdr.* 2. 1, 2. Similiter *Darius Hyſtaſpis* III. Rex Perſarum edictum Cyri Regis confirmavit, de ſtructura templi continuanda & perficienda. 1 *Eſdræ* 6. *v.* 6. additis maximis impenſis ad hanc rem neceſſariis. *v.* 8, 9, 10. & pœna capitali annexa, ſi quis eos impediret. *v.* 11. Denique etiam *Artaxerxes Longimanus*, V Rex Perſarum, geminum decretum promulgavit. In *primo* (quod anno ſeptimo Regni ejus promulgatum eſt) juſſit, ut Eſdras Sacerdos, & quicunque una comitari vellent, Jeroſolymam proficiſcerentur, ut exercitium religionis & cultus divinus ibi inſtitueretur. 1 *Eſdr.* 7. 12, 13, 23. In *altero* (quod regno ejus vigeſimo promulgatum eſt) mandavit *Nehemiæ* (qui pincerna ejus erat) ut Jeroſolymam proficiſceretur, & muros diſſipatos repararet. *Nehem.* 2. 1. Et propter hanc bonitatem atque clementiam Regum Perſicorum, exiſtimant Rabbini urſum ita depingi, quod non ex adverſo ſtet, ut hoſtis; ſed ex parte ſeu latere, tanquam Protector & Tutor.

VII.

II. De hoc urſo dicitur, *v.* 5. QUOD TRES COSTÆ (vel tres magni & inſignes dentes) IN ORE EJUS FUERINT. Per quas TRES COSTAS *Lutherus*, & alii, *tres inſignes & præpotentes* Regni Perſici *Monarchas* intelligunt, nempe, Cyrum, Darium Hyſtaſpem, & Artaxerxem Longimanum: qui tres ſalutares Reges fuerunt, uti ex dictis patet; reliqui vero omnes fere crudeles fuerunt. *Hieronymus* vero exiſtimat, per *tres illas coſtas* intelligi *tria Regna*, è quibus Monarchia Perſica primo coaluit & convaluit; nempe Regnum Medorum, Perſarum atque Chaldæorum.

VIII.

III. Huic urſo dicitur: SURGE, COMEDE CARNES MULTAS. Circa hæc verba duo ſunt notanda. 1. *Principium*, h. e. à quo ſint prolata. 2. *Subjectum*, h. e. ad quem ſint dicta. Scriptores hic variant.

Quidam enim explicant illa ἀνθρωπίνως, h. e. quod *ab hominibus* ſint prolata, & *ad homines* dicta; & ſic referunt ea AD CYRUM Magnum Monarchiæ Perſicæ fundatorem, qui, teſte *Herodoto*, inſatiabili cupiditate dominandi, omneſque gentes Imperio ſuo ſubjiciendi flagrabat. Cum quo conſentit *Juſtinus lib.* 1. narrans: Tomyrim Scytharum Reginam, quam Cyrus bello petierat, interfecto Cyro, una cum ducentis millibus Perſarum, juſſiſſe caput ejus amputari, & conjici in utrem ſanguine humano repletum, cum hac exprobatione crudelitatis: *Bibe ſanguinem, quem ſitiviſti, & cujus inſatiabilis ſemper fuiſti.* Hieronymus putat, hæc verba à crudeli *Hamane* ad ASSUERUM Eſtheris maritum dicta eſſe. Ille namque Aſſuero ſuaſit, ut totam Judæorum gentem in toto Regno ſuo ad internecionem deleret. Quod & factum fuiſſet, niſi pietate Eſtheris ſanguinarium iſtud decretum inhibitum, & Hamanis propoſitum everſum fuiſſet: uti ex *libro Eſther cap.* 8. patet.

Alii vero hæc verba accipiunt θείως, h. e. quod *à Deo ſint dicta* AD REGES PERSARUM in genere; inprimis vero ad DARIUM MEDUM, atque CYRUM. Hos namque Deus magna potentia inſtruxit, & robore ex alto induit, ad compeſcendam Aſſyriorum & Babyloniorum inſolentiam, aliarumque gentium impietatem nefandam. Et hæc ſententia ſcripturæ ſacræ eſt conſentanea. Licet enim Deus crudelitatem Perſarum minime probarit, quin potius eos propterea graviter puniverit; nihilominus tamen ea ad puniendos impios, pro admirabili ſapientia ſua, recte uſus eſt. Hinc de MEDIS Deus expreſſe inquit *Jeſaiæ* 13. 17. Ecce EGO SUSCITABO ſuper eos (Babylonios) *Medos*, qui argentum nihili æſtiment, neque auro delectentur, ſed ſagittis parvulos interficient, & embryonibus non parcent. Similiter *Jerem.* 51. 11. dicitur: *Suſcitavit Dominus ſpiritum Regum Medorum*, & contra Babylonem mens ejus eſt: quoniam ultio Domini eſt, ultio templi ſui. Similiter CYRI REGIS PERSARUM, 200 annis antequam natus eſt, nomen expreſſit Deus, quando ita de eo inquit, *Eſai.* 44. 27, 28. Qui dico profundo (h. e. Euphrati) exſiccare, & flumina tua (ô Babylon) areſaciam. Qui dico *Cyro*: Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Et *cap.* 45. *v.* 1, 2, 3, 4.

v. 1, 2, 3, 4. Hæc dicit Dominus *Cyro* Chriſto (unctо) meo, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus gentes, & dorſa Regum diſcingam, & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & vias obliquas rectas faciam, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi theſauros abſconditos; ut ſcias, quia Ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Iſraël; Propter ſervum meum Jacob, & Iſraël electum meum. Et vocavi te in nomine tuo, cognominavi te, antequam noſſes me. Similiter *Jerem.* 50. 9. Deus conjunctim de Medis & Perſis inquit: Ecce EGO SUSCITABO & adducam in Babylonem, congregationem GENTIUM MAGNARUM (nempe Medorum & Perſarum) de terra Aquilonis, & aciem militarem inſtruent adverſus eam, & inde capietur. Et hoc impletum eſt, quando Cyrus atque Darius noctu urbem Babylonem ceperunt, & Regem, Principes, multoſque homines genio ſecurè indulgentes interfecerunt; tunc ſanè ad hunc urſum Medo-Perſicum dictum eſt: *Surge, comede carnes multas.*

IX.

Viſionis tertiæ explicatio.

Viſio III. *Dan.* 8. 3, 4, 5, 6, 7. hiſce verbis depingitur: Ecce aries unus ſtabat ante flumen, habens duo cornua excelſa, & unum excelſius altero, & altius poſtremò aſcendebat. Poſtea vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem: & omnes beſtiæ non poterant reſiſtere ei, neque liberari de manu ejus: fecitque ſecundùm voluntatem ſuam, & magnificatus eſt. Et ego intelligebam: ecce autem hircus caprarum veniebat ab occidente ſuper faciem totius terræ, & non tangebat terram: porrò hircus habebat cornu inſigne inter oculos ſuos. Et venit uſque ad arietem illum cornutum, quem videram ſtantem ante fluvium, & cucurrit ad eum cum ira fortitudinis ſuæ. Cumque appropinquaſſet prope arietem: efferatus eſt in eum, & percuſſit arietem: & comminuit duo cornua ejus, & non poterat aries reſiſtere ei: cumque eum miſiſſet in terram: conculcabatur, & nemo quibat liberare arietem de manu ejus.

In hiſce verbis ARIES MEDO-PERSICUS διπλῶς deſcribitur. 1. *A titulo.* 2. *Ab attributo tergemino.*

X.

Primò: *A titulo.* Sic vocatur ARIES; idque duplici de cauſa.

1. *Propter beneficentiam & liberalitatem.* Sicut enim aries homines carne alit, & lanâ veſtit; Ita quoque Cyrus, Darius Hyſtaſpis, & Artaxerxes Longimanus populum Dei maximis beneficiis affecerunt; id quod ex ſacro codice clariſſimis & jucundiſſimis teſtimoniis doceri poteſt.

De CYRO *primo Perſarum Rege* ita ſcribitur *l.* 1. *Eſdræ.* 1. 2, 3, 4. Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipſe præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa. Quis eſt in vobis de univerſo populo ejus? Sit Deus illius cum ipſo. Adſcendat in Jeruſalem, & ædificet domum Domini Dei Iſraël: ipſe eſt Deus, qui eſt in Jeruſalem. Et omnes, qui reliqui ſunt in omnibus locis, ubi hactenus habitarunt: hos adjuvent cives loci illius argento, auro, divitiis & jumentis; idque faciant promtè, ad (ædificandam) domum Dei, quæ (reſtauranda) eſt in Jeruſalem.

Et in hunc finem Cyrus vaſa templi aurea & argentea, quæ numero 5400 erant, per manum Mithridatis Præfecti theſaurorum, reſtituit Saſſabari Principi Judæ, ut ea Jeroſolymam aſportaret. 1 *Eſdr.* 1. 8, 10.

DE DARIO HYSTASPIS, III. *Rege Perſarum* ita ſcribitur 1 *Eſdræ.* 6. 8, 9, 10. A me præceptum eſt, quid oporteat fieri cum presbyteris Judæorum illis, ut ædificetur domus Dei, ſcilicet ut de area de proventibus Regis, id eſt, de tributis, quæ dantur de regione trans flumen, ſtudioſè ſumtus dentur viris illis, ne impediatur opus. Quodſi neceſſe fuerit & vitulos, arietes, & agnos, in holocauſtum Deo cœli, frumentum, ſal, vinum & oleum, ſecundùm verbum Sacerdotum, qui ſunt in Jeruſalem, detur eis per ſingulos dies: ne ſit in aliquo negligentia. Et offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vita Regis & filiorum ejus.

De ARTAXERXE LONGIMANO, V. *Perſarum Rege*, ejuſque erga Judæos beneficentia ſcriptum exſtat 1 *Eſdr.* 7. 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24. Artaxerxes Rex Regum Eſdræ Sacerdoti, ſcribæ Legis Dei cœli (perfectionem) ſalutem. A me decretum eſt, ut cuicunque placuerit in regno meo de populo Iſraël & de Sacerdotibus, & de Levitis ire in Jeruſalem, tecum vadat. A facie enim Regis & ſeptem Conſiliariorum ejus miſſus es, ut viſites Judæam & Jeruſalem in Lege Dei tui, quæ eſt in manu tua: & ut feras argentum & aurum, quod Rex & conſiliarii ejus ſponte obtulerunt Deo Iſraël, cujus in Jeruſalem tabernaculum eſt. Et omne argentum & aurum, quodcunque inveneris in univerſa Provincia Babylonis, quod populus offerre ſponte voluerit, & de Sacerdotibus, qui ſponte obtulerunt domui Dei ſui, quæ eſt in Jeruſalem.

Liberè

„ Liberè accipe, & ſtudioſe eme de hac pecunia boves,
„ arietes, agnos, & ſacrificia & libamina eorum; & of-
„ fer ea ſuper altare templi Dei veſtri, quod eſt in Je-
„ ruſalem. Sed & ſi quid tibi & fratribus tuis placue-
„ rit de reliquo argento & auro, ut faciatis, juxta vo-
„ luntatem Dei veſtri facite. Vaſa quoque, quæ dantur
„ tibi in miniſterium domus Dei tui, trade in conſpe-
„ ctu Dei in Jeruſalem. Sed & cætera, quibus opus
„ fuerit in domum Dei tui, quantumcunque neceſſe
„ eſt, ut expendas, dabis de theſauro & de fiſco Regis,
„ & à me. Ego Artaxerxes Rex ſtatui atque decrevi
„ omnibus theſaurariis, qui ſunt trans flumen, ut
„ quodcunque petierit à vobis Eſdras ſacerdos, ſcriba
„ legis Dei cœli, abſque mora detis, uſque ad argenti
„ Kikarim centum, & uſque ad frumenti coros cen-
„ tum, & uſque ad vini batos centum, & uſque ad ba-
„ tos olei centum, ſal vero abſque menſura. Omne
„ quod ad ritum Dei cœli pertinet, tribuatur dili-
„ genter in domo Dei cœli, ne forte iraſcatur contra
„ Regnum Regis & filiorum ejus. Vobis quoque no-
„ tum facimus de univerſis Sacerdotibus, & Levitis,
„ & cantoribus, & janitoribus, Nathinæis & miniſtris
„ domus Dei hujus, ut vectigal & tributum, & an-
„ nuas penſiones, non habeatis poteſtatem imponen-
„ di ſuper eos.

Idem repetitur 3 *Eſdr.* 8. 11, 12, *& ſeqq.*

XI.

11. *Propter virium imbecillitatem*, ſive *bellandi infelicitatem.* Id quod de *Xerxe* IV, & de *Dario Codomanno*, ultimo Perſarum Rege, verum eſt. Sicut enim aries magnum ducit gregem, ſed tamen imbecillem atque imbellem: ita quoque *Xerxes* ingentem duxit exercitum in Græciam, nempe 2317610. (ter & vicies centena & præterea decem & ſeptem millia militum ſexcentos & decem) uti Herodotus recenſet. Et tamen immenſæ illæ copiæ à Græcis ſunt cæſæ, ipſeque Rex ſuperbiſſimus Xerxes exigua piſcatoris ſcapha magno cum dedecore è Græcia clam aufugit. Et ſcribit *Diodorus Siculus*, quod *Leonides* Rex Spartanorum 300 militibus (quos oratione ſua ſic animaverat atque firmaverat, ut initio ſtatim animo ad moriendum cum ipſo parati eſſent) in caſtra Xerxis effuſus 20000 Perſarum occiderit; ſicut Herodotus ſcribit. Similiter *Darius Codomannus*, ultimus Rex Perſarum, in priori prœlio ad Granicum 600000; in ultimo vero ad Arbela 900000 hominum perdidiſſe ſcribitur. Unde videmus, quod ingens ille Perſarum exercitus fuerit quaſi grex ovium, reſpectu ferociſſimorum & audaciſſimorum Macedonum, quorum Dux Alexander M. ſub *hirco caprarum* præfiguratus fuit.

XII.

DUBIUM.

At quærat quis: Quare una eademque Perſarum Monarchia per typos adeò diverſos repræſentetur in Daniele Propheta? Nam in *cap.* 2. per *pectus argenteum*; in *cap.* 7. per *urſum carnivorum*; & in *cap.* 8. per *arietem bicornem* præfiguratur.

Reſpond. Hoc ipſum fit propter diverſam Regum Perſicorum naturam atque indolem. Nam. 1. Monarchia Perſarum per *pectus argenteum* in *cap.* 2. præfigurata fuit, propter immenſas opes, atque theſauros eorum. 2. Per *urſum carnivorum* adumbrata eſt. Quia plerique Principes Perſici crudeles & ſanguinolenti fuerunt, multoſque populos & gentes ſubegerunt, adeoque ipſum Dei populum miſere afflixerunt. 3. Per *arietem* repræſentata eſt propter pios quoſdam atque erga Eccleſiam Dei beneficos Reges, nempe, Cyrum Magnum, Darium Hyſtaſpis, & Artaxerxem Longimanum; uti ex dictis patet. Huc elegans dictum *Ruperti* (quod exſtat *lib.* 8. *de Victoria verbi Dei cap.* 30.) referri poteſt: Quæſitu *(inquit)* dignum eſt, cur in viſione priori, regnum Perſarum per ſimilitudinem URSI, in hac autem viſione per ſimilitudinem ARIETIS ſignatum fuerit. Ad quod congrue reſponderi poteſt. Quia cauſæ diverſæ, imo contrariæ, regni illius fuere erga Dei populum. Cauſas illas tam longe diverſas dicere non dubitaverim, quam diverſæ ſunt naturæ horum animalium, *urſi & arietis*: quorum alterum rapto & cruore vivit; alterum innocuum neque ſanguinem ſitit, neque rapto vivit. Promtum eſt hoc diſcerni, ſi reſpicias regnum illud, ſecundum *Haman*, quam crudele fuerit; ſecundum *Reges*, quam clementer illi populo ſe impenderint: *Haman* quippe moribus veraciter *urſus*, truci furore, immani rabie Judæorum genus univerſum ore aperto hians devorare voluit. *Reges* autem, maxime *Aſſuerus*, more *arietis*, lanis ſuis, id eſt, opibus multis, quibus regnum illud abundavit, eundem populum fovit & ditavit, nullumque dentem malignitatis inflixit, ſicut aries dente neminem petit: imo vitam gentis illius lætificavit, gratia reginæ Eſther & Mardochæi. *Hæc Rupertus.*

XIII.

Secundo: Ab attributo tergemino ARIES deſcribitur: quod reſpicit Monarchiæ II. *Ortum*, *Progreſſum*, atque *Egreſſum.*

XIV.

1. ORTUM reſpicit *attributum primum*; nempe,

nempe, quod dicitur ARIES BICORNIS, ſive quod DUO CORNUA ei tribuantur. Nam in Ebræo exſtat nomen קרנים, quod eſt duale, & *duo cornua* notat. Ubi caſtiganda venit verſio tùm Græca tùm Latina vulgata, in qua utraque numerus ille dualis haud exprimitur. Nam Græca ſic habet: καὶ αὐτῷ κέρατα, omiſſo nomine numerali δύο. Similiter in verſione vulgata Latina ſimpliciter legitur; *& erant ei* CORNUA. Per CORNUA autem DUO, h. l. duo ſecundum ſtylum Spiritus S. intelliguntur Regna: uti patet ex *Dan.* 7. 7. ubi quartæ Beſtiæ (per quam IV Monarchia intelligitur) 10 cornua tribuuntur, per quæ 10 Regna intelliguntur; uti in *v.* 24. explicatur. Item *Dan.* 8. HIRCO *caprarum* (per quem Monarchia Græcorum intelligitur *v.* 8.) tribuitur *cornu magnum*: (per quod primus Rex Græcorum, nempe Alexander Magnus, intelligitur *v.* 8.) fracto autem cornu illo, dicuntur ex eo *quatuor cornua* orta *v.* 8. quæ ſunt quatuor regna, *v.* 22. Quia ſucceſſores Alexandri Magni, tertiam Monarchiam diviſerunt, ex eaque 4 Regna conſtituerunt. Nam Antipater Græciam, Antigonus Aſiam, Seleucus Syriam, & Ptolemæus Ægyptum occupavit. Præterea de uno ex illis ortum eſt *cornu parvulum*, *v.* 9. per quod intelligitur Antiochus Epiphanes, *v.* 23. Ita etiam hoc loco per DUO CORNUA arietis, duo intelliguntur Regna, nempe Medorum & Perſarum, è quibus hæc Monarchia initio conſtabat. Nam ita Danieli ipſe Angelus Gabriel hanc viſionem interpretatur *v.* 20. ARIES quem vidiſti habere *duo cornua*, Rex eſt Medorum & Perſarum.

XV.

Hæc autem DUO CORNUA dupliciter deſcribuntur *v.* 3. 1. In *ſenſu abſoluto*. 2. In *ſenſu comparativo*.

1. In *ſenſu abſoluto* deſcribuntur ab adjuncto, & de illis conjunctim dicitur, quod fuerint EXCELSA. Nam olim in Aſia Regna Medorum atque Perſarum florentia Regna fuerunt.

2. In *ſenſu comparativo*. Sic comparantur in duabus rebus, nempe in *celſitudine*, & in *tempore*.

In celſitudine. Sic *unum* dicitur *altero excelſius* fuiſſe. Nam Regnum Perſarum quod initio erat Medico Regno minus, poſtea eodem factum eſt majus.

In tempore quando inquit: *quod excelſius poſtremo aſcenderit*. Nam regnum Perſarum poſt Medorum Regnum ad ſummum ἀξίωμα, dignitatem & poteſtatem evectum eſt. Quoniam poſt Darium Medum Cyrus M. Rex Perſarum regnavit, qui Majeſtatem Monarchiæ ad Perſas tranſtulit.

DUBIUM.

At ex Hiſtoriarum monumentis conſtat, Monarchiam II. plura regna comprehendiſſe, quam duo tantum; nempe Medorum atque Perſarum. Quomodo igitur duo tantum cornua ei tribuuntur?

Reſpond. Vulgata Logicorum regula eſt vera: *A principaliori fit denominatio*. Eadem h. l. etiam valet. Licet enim Monarchæ Perſici plurima Regna atque Provincias habuerint; ſicut de Ahaſuero Rege Perſarum, *Eſther* I. 1. dicitur, quod 127 provincias gubernarit: attamen hæc duo regna Medorum & Perſarum præcipua erant. Unde communis hic titulus eis tribuebatur, quod Reges Medorum & Perſarum eſſent. Unde etiam ipſe Angelus Gabriel in *v.* 20. in explicatione hujus viſionis ad Danielem inquit: ARIES, quem vidiſti habere duo cornua, REX eſt MEDORUM & PERSARUM.

XVI.

II. PROGRESSUM reſpicit *Attributum ſecundum*; Et ſic *aries* dupliciter deſcribitur.

1. *A Regni proprii defenſione*. Sic *aries* dicitur STARE ANTE FLUVIUM EULÆUM, ſeu ULAI. *Dan.* 8. 2, 3. Qui ejus ſitus, defenſionem atque propugnationem Regni Perſici denotat. Nam ordinaria Regum Perſicorum ſtativa erant ad fluvium Eulæum.

2. *A Regni proprii amplificatione & aliorum occupatione*. Sic *aries* dicitur VENTILARE CORNUA SUA VERSUS OCCIDENTEM, & VERSUS AQUILONEM, & VERSUS MERIDIEM. *v.* 4. Quibus verbis inſinuatur, quod Medi atque Perſæ oppugnaturi & ſubjugaturi ſint *Occidentem*, vel (ut in Ebræo textu habetur) *Mare*, h. e. inſulas Maris Mediterranei, ceu Babyloniam, Syriam, Cappadociam, Aſiam minorem, Græciam & Palæſtinam. Deinde quod *Aquilonem*, h. e. Lydiam, Armeniam, Colchos, Caſpios, Scythas, cæteraſque gentes Septentrionales devicturi ſint, quod partim à Cyro, partim à Dario Hyſtaſpis factum eſt. Denique quod *Meridiem* ſubjugaturi ſint, h. e. Ægyptum, Arabiam, Indiam & Æthiopiam. Nam Reges Perſarum regnum obtinuerunt ab India uſque ad Æthiopiam 127 provinciarum; ut habetur *Eſther* I. *v.* 1. Ubi notandum, quod *aries* non dicatur *cornua ventilaſſe in orientem*: Quia Perſia in ipſo Oriente ſita eſt. Idcirco pro illa defendenda aries ſtat erectus

ctus in flumine Ulai. Ex Oriente autem Perſæ caſtra ſua moverunt, reliquaſque orbis partes ſubjugarunt.

Deinde ait Daniel, *verſ. 9.* Et *nulla beſtia conſiſtebant coram eo, & non erat qui eriperet è manu ejus*, h. e. nullum in orbe Regnum erat, quod Monarchis Perſis reſiſtere vel poſſet, vel auderet. Hoc in ſpecie Deus de Babyloniis prædixit *Ierem.* 51. *v.* 30. Deſinent potentes Babyloniæ pugnare, deſidebunt in munitionibus, oblivioni erit potentia eorum, erunt velut mulieres. Et hoc eventu ipſo completum eſt. Nam Babylonii, poſtquam Cyrus exercitu urbem cinxiſſet, alacritate animi in ſegnitiem & muliebrem mollitiem mutata, ne quidem extra mœnia egredi ſunt auſi, ſicut *Xenoph. lib. 7. Cyropæd.* ſcribit. Neque etiam Belſazarem Regem Babylonis eripere è manu Cyri potuit Crœſus Lydorum Rex ditiſſimus & potentiſſimus, qui Belſazari fœdere erat junctus; ſicut *Herodotus lib.* 1. teſtatur, qui eum *Labynetum* appellat.

Tertio ſubjungit Daniel felicem Regum Perſicorum ſucceſſum, quando ait: Et *faciebat pro voluntate ſua, & magnificatus eſt.* h. e. Perſæ habebant felices omnium rerum ſucceſſus, omniaque ad nutum eorum fluebant, omneſque nationes atque gentes eis parere cogebantur.

XVII.

III. EGRESSUM, h. e. *interitum.* Sic dicitur *Daniel.* 8. *v.* 6, 7. de hoc ariete, *quod ſit proſtratus ab hirco, quodque nemo arietem liberare potuerit.* Ubi per *arietem bicornem* intelligitur *Darius Codomannus*, ultimus Rex Medorum & Perſarum; per *hircum* vero caprarum Rex Græcorum, h. e. *Alexander M.* interprete ipſo Angelo *Daniel. cap.* 8. *v.* 20, 21. Alexander namque M. Darium ultimum devicit, & arietis duo cornua comminuit, h. e. Regnum Medorum & Perſarum, per duo illa cornua adumbratum, evertit: Et nemo potuit arietem è manu hirci liberare, h. e. nemo Darium à poteſtate Alexandri M. liberare potuit. Et licet Darius ingentem pecuniæ ſummam, partemque Regni dimidiam Alexandro M. offerret, tamen nihil obtinere potuit. Quia Alexander M. ſolus mundi Dominus ſalutari voluit.

CAPUT III.

De GENERALI *Monarchiæ ſecundæ* DELINEATIONE.

XVIII.

IN Monarchia II tria ſunt notanda. 1. *Ortus.* 2. *Progreſſus.* 3. *Egreſſus*, ſive *Occaſus.*

I. ORTVS.

XIX.

In Ortu Monarchiæ II notanda eſt ejus *Diviſio* ſive *Disjunctio.* Nam Monarchia hæc à Dario Medo eſt inchoata, & à Cyro Perſarum Rege amplificata & conſummata. Et ſic prima hujus Monarchiæ Dynaſtia fuit *Medo-Perſica*, in qua ſimul gubernarunt Darius Medus & Cyrus Magnus Perſa, ſocer atque gener, ſed Regnis inter ſe diviſis. Unde *Daniel.* 2. 32. per *pectus argenteum* repræſentata fuit. Sicut enim pectus duo continet brachia: Ita quoque hæc Monarchia ab initio fuit duplex, conſtans nempe ex Medis atque Perſis. Siquidem Darius Medus & Cyrus Perſa copiis conjunctis Babylonem expugnarunt, atque Regnum Babylonicum ad ſe tranſtulerunt, ſicut *Daniel. c.* 5. *v.* 28. hiſce verbis docet: Regnum tuum diviſum eſt, & datum Medis & Perſis. Et *ibid. v.* 30, 31. hæc verba leguntur: Eadem nocte interfectus eſt Belſazar, (Rex Chaldæus) & Darius Medus ſucceſſit in Regnum annos natus ſexaginta duos.

II. PROGRESSVS.

XX.

In progreſſu vero Monarchiæ II notanda ſunt tria. 1. Ejus *Conjunctio.* 2. *Amplificatio.* 3. *Duratio.*

1. *Conjunctio.*

Monarchia hæc ſecunda initio diviſa fuit. Licet enim Darius & Cyrus Regnum Babylonicum, Belſazare interfecto, occuparint, tamen Darius illud accepit, *Daniel. c.* 5. *v.* 31. Cyro ſponte illud ei concedente & donante, ut *Xenophon* teſtatur *lib.* 8. *Cyropæd.* Quare Darius velut Monarcha in Regno Medorum & Babyloniorum: Cyrus vero veluti ſocius ejus in Regno Perſarum regnavit. At mortuo Dario, Cyrus dominatum unum erexit, ſicut quidam interpp. verba *Daniel. cap. 7. verſ.* 5 vertunt, h. e. axioma Monarchiæ à Medis & Babyloniis ad Perſas tranſtulit, illaque Regna, quæ, Dario vivente, disjuncta erant, conjunxit, unumque dominatum erexit. Et hæc eſt *ſecunda* Monarchiæ II. *Dynaſtia*, in qua Cyrus primum locum tenuit. Unde Cyrus in primo anno Monarchiæ ſuæ, de ædificando templo Jeroſolymitano, hæc verba ponit: Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum; Omnia Regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli. 1 *Eſdr.* 1. *v.* 2.

II. *Amplificatio.*

Hæc Monarchia ſub tribus Regibus, nempe, Cyro,

ro, Dario Hyſtaſpis, & Artaxerxe Longimano maximum cœpit incrementum. Unde illi per *tres dentes inſignes* aut prælongos in ore ursi præfigurantur. *Dan. 7. v. 5.* Reliqui vero Monarchæ ferè omnes crudeles fuerunt, *multaſque carnes devorarunt*, ſicut *ibid.* dicitur. Per quam phraſin Spiritus ſanctus crudelitatem & virulentiam deſignare in ſcripturis ſolet: uti patet ex *Pſal. 27. v. 2. Pſal. 56. v. 2, 3. Pſal. 35. v. 25. Pſal. 79. v. 7.*

III. *Duratio.*

Duravit hæc Monarchia annos 204 à tempore occupatæ Aſiæ, vel ab initio Cyri, annos 228, (Agathia authore) vel connumeratis initio & fine, annos 230. *Reuſner. in Chronolog.* ſcribit, quod duraverit annos duntaxat 207.

III. EGRESSVS, *ſive* INTERITUS.

XXI.

Circa interitum Monarchiæ II duo notanda ſunt. 1. *Subjectum*, h. e. Rex, in quo periit. 2. *Adjunctum*; h. e. Tempus, quo periit.

SUBJECTUM, h. e. *Rex in quo & cum quo periit*, fuit *Darius* ultimus Rex Perſarum, Juſtino *Codomannus* dictus. Hic enim ab Alexandro M. tribus magnis prœliis victus tandem ad Arbela, vel potiùs ad Gaugamela, ubi tertium prœlium commiſſum, à Nabarzane & Beſſo Præfectis interemtus eſt. Quod præfiguratum eſt *Daniel. 8. verſ. 7.* per *hircum*, arietem percutientem & cornua ejus comminuentem, ita ut aries ei haud reſiſtere, neque quiſquam eum de manu ejus liberare potuerit. Nam Alexander Magnus omnem pecuniam reſpuit, partem Regni oblatam repudiavit, dicens: Sicut mundus non poſſet ferre duos ſoles: ita nec duos Reges.

ADJUNCTUM, h. e. Tempus quo everſa eſt hæc Monarchia, fuit tempus Alexandri Magni, qui, devicto Dario Codomanno, Monarchiam III inchoavit A. M. 3642. juxta alios 3634.

CAPUT IV.

Continens REGUM MONARCHIÆ *ſecundæ* CATALOGUM *ſive ſpecialem enumerationem.*

XXII.

DE numero Monarcharum Perſicorum inter Hiſtoricos non convenit.

1. *Quidam, Thalmudicos* ſequuti, 4 *tantum Perſarum Reges* fuiſſe tradunt; nempe Cyrum, Cambyſem, Darium Hyſtaſpis, & Xerxen: detorto in eam ſententiam *Danielis* loco, ex *cap. 11. v. 1, 2.* Ego in anno primo Darii Medi ſtabam, ut confortaretur & roboraretur. Et nunc veritatem annunciabo tibi. Ecce adhuc tres Reges ſtabunt in Perſide, & quartus ditabitur opibus nimiis ſuper omnes, & cùm invaluerit divitiis ſuis, concitabit omnia adverſus Regnum Græciæ. Et poſtea *v. 3.* ſubjungitur, quod Alexander M. cum ſit devicturus, & ſic Regnum Perſarum concidet.

Verùm facilis eſt reſponſio. Nam per quartum illum Regem Perſarum potentem intelligitur Xerxes, poſt quem ſex Reges Perſarum exſtiterunt. Nam Alexander non devicit Xerxem, ſed Darium Codomannum, qui ultimus Rex Perſarum fuit.

II. *Alii* ſtatuunt, ſex *tantum Reges Perſarum* fuiſſe.

III. *Joſephus Scaliger lib. 6. de emendat. Temporum* 14 *Reges Perſarum* conſtituit. Nam numerat ſeorſim ſeptem menſes Magorum, ſeptem menſes *Artabani*, & duos menſes *Xerxis* II, & ſeptem menſes *Sogdiani*.

IV. *Alii* 10 *Reges Perſarum* conſtituunt; eoſque ita ordinant, ut ſeptem menſes Artabani ad annos Xerxis reponant; duos menſes Xerxis II includant annis præcedentis Artaxerxis Longimani, & ſeptem menſes Sogdiani referant ad annum primum Darii Nothi ſucceſſoris.

V. *Noſtra ſententia* hæc eſt. Nos diſtinguimus inter Dynaſtiam Monarchiæ II priorem, & poſteriorem. Et hæc diſtinctio fundatur in verbis illis Danielis, quæ exſtant *Daniel. 5. v. 28.* Diviſum eſt regnum tuum, & datum eſt MEDIS & PERSIS.

In DYNASTIA I quæ Medorum fuit, unus tantùm Monarcha reperitur, nempe *Darius Medus*. Hic namque Belſazari in regno ſucceſſit: uti patet ex *Daniel. 5. v. 30, 31.* Eadem nocte interfectus eſt Belſazar Rex Chaldæus; & Darius Medus ſucceſſit in Regnum, annos natus ſexaginta duos. Et *Daniel. cap. 9. v. 1.* in anno primo Darii filii Aſſueri de ſemine Medorum, qui imperavit ſuper regnum Chaldæorum. Licet enim in expugnanda Babylone præcipua fuit Cyri virtus & induſtria: tamen Dario conſanguineo & ſeniori Cyrus regiam dignitatem conceſſit, donec Dario mortuo plenam Regni adminiſtrationem conſequeretur. Quidam dicunt, quod annum; quidam vero ſtatuunt, quod biennium regnarit.

In DYNASTIA II decem Monarchæ fuerunt, qui hoc ordine recenſentur:

I. CY-

I. CYRUS. Hujus fit mentio *explicitè*: 1 *Esdr.* 1. *v.* 1. 2. *Daniel.* 10. *v.* 1. *implicitè. Dan.* 11. *v.* 2.	regnavit annis	30. ut Rex. 7. ut Monarcha.
II. CAMBYSES. Hoc nomen in sacris κατὰ τὸ ῥητὸν non legitur, sed alio nomine *Assuerus.* 1 *Esd.* 4. *v.* 6. Et *Artaxerxes. ibid. v.* 7. & 3 *Esdræ. c.* 2. *vers.* 16. appellatur. Cambyses erat ejus nomen proprium, sed Assuerus & Artaxerxes cognomen: sicut hodie Impp. Romanorum cognomen est Augustus & Cæsar. *Implicitè* ejus fit mentio *Dan.* 11. *v.* 2.		8.
III. DARIUS HYSTASPIS. Ejus fit mentio *explicitè* 1 *Esdræ* 4. *v.* 5, 24. 1 *Esdræ* 5. *vers.* 1. 3 *Esdræ* 3. *v.* 1. *implicitè Daniel.* 11. *v.* 2.		36. quibus 7 menses Magorum inclusi sunt.
IV. XERXES. Neque hujus *explicitè* in codice sacro fit mentio, sed tantùm *implicitè. Dan.* 11. *vers.* 2.		21. quibus 7 menses Artabani includuntur.
V. ARTAXERXES *Longimanus.* Ejus fit mentio 1 *Esdræ* 6. 14. 7. *v.* 1, 12, 21. *Nehem. c.* 2. *v.* 1.		40. quibus 2 menses Xerxis II. sunt inclusi.
VI. DARIUS *Nothus.*		19. quibus 7 menses Sogdiani sunt inclusi.
VII. ARTAXERXES *Mnemon.*		43.
VIII. ARTAXERXES OCHUS, Tyrannus.		23.
IX. ARSES, *vel Arsames.*		4.
X. DARIUS ultimus; *Codomannus* à Justino appellatus.		6.

Horum X Monarcharum, præter Darium Medum, nomina hisce versiculis sunt inclusa:

Cyrus, Cambyses, Hystaspis & ille *Darius,*
Infelix *Xerxes, Longimanusque* potens:
Inde *Darius* adest *Nothus*, hinc *Mnemon* quoque, *Ochusque*,
Regnat & *Arsames*, post *Codomannus* obit.

CAPUT V.

Continens FAMILIARUM IN MONARCHIA *secunda* DESIGNATIONEM.

XXIII.

THeodoretus in *Orationibus super Daniel. cap.* 8. recenset duas familias Regum Persidis, penes quos hoc imperium fuerit à Cyro usque ad Alexandrum Magnum.

PRIOR FAMILIA fuit CYRI, qui hoc imperium fundavit, quæ mox in filio ejus Cambyse exstincta est. Hic enim cum tyrannicis obsequutus suspicionibus suis sustulisset per insidias *Smerdin fratrem*, & incestis sororum nuptiis se polluisset, *filiam* duntaxat unicam PANTAPTEN reliquit: uti *Hieronymus* scribit: & Regnum ipsorum Magorum fraude amisit. Qui Magi etsi eam dignitatem aliquamdiu retinuerunt, tamen suspecti primùm habiti ab OTANE, deinde proditi à filia, & *Prexaspe*, opprimuntur occultâ Principum Achæmenidarum conspiratione.

POSTERIOR FAMILIA fuit DOMUS DARII HYSTASPIS. Hic è familia Principum Persicorum oriundus, communibus eorum suffragiis, Rex iterum legitimus creatur, ut ait *Zonaras*; inque successoribus ejus imperium Persicum usque ad Darium Codomannum, in quo & cum quo exstinctum est, permansit.

Ε'ΠΙ'ΚΡΙΣΙΣ.

Verùm hæc Theodoreti sententia veritati consentanea non est. Nam licet etiam *Diodorus Siculus lib.* 17. scribat, hunc Darium (quem Justinus Codomannum vocat) fuisse filium Arsami, qui Regi Ocho frater fuerat: Tamen *Strabo lib.* 16. eum regiæ stirpis fuisse negat, & sic ex neutra familia oriundus fuit. Non enim quia regio esset genere, sed ob virtutem & fortitudinem, cujus præclara ediderat exempla, Persarum suffragio ad Regnum assumtus est: ut *Iustinus lib.* 10. tradit.

Prima

Prima familia.	*Secunda familia.*
I. *Cyrus.*	III. *Darius Hyſtaſpis.*
II. *Cambyſes.*	IV. *Xerxes.*
	V. *Artaxerxes Longimanus.*
	VI. *Darius Nothus.*
	VII. *Artaxerxes Mnemon.*
	VIII. *Artaxerxes Ochus.*
	IX. *Arſames.*
	X. *Darius Codomannus.*

CAPUT VI.

DE REGIA SEDE, *vel* HABITATIONE.

XXIV.

HIſtorici tradunt, *tres Regias ſedes* Reges Perſicos habuiſſe. Quarum PRIMA fuit PERSEPOLIS, Græcè Περσέπολις, h. e. Perſei Civitas. quia à Perſeo Rege condita & denominata fuit, ſicut *Strabo lib.* 15. ſcribit, 310 milliaribus Jeroſolymis diſtabat. Fuit metropolis in Perſia, & urbs Orientis pulcherrima, & Regibus Perſicis digna ſedes. In ea namque ordinariam ſedem ſuam habebant, donec Cyrus I Rex Perſarum, Babylone captâ, & Aſſyriis in poteſtatem ſuam redactis, ſedem Regiam in Suſan, in fronte Perſidis ſitam, tranſtulit, ut Aſſyrios eò meliùs gubernare poſſet. Hanc urbem Alexander M. devicto Dario Codomanno, ebrius, in gratiam Thaidis meretricis unà cum Regia combuſſit: ſicut *Diodor. Sicul lib.* 17. *Bibliotheca Hiſtor. pag.* 600. ſcribit. Poſtea rurſus ædificata eſt, & hodie SIRAS appellatur, teſte *Schræt. Tom. hiſtor. Geograph. ſub Tit. Perſis, p.* 107.

XXV.

SECUNDA fuit SUSAN, שושן *lilium, roſa*, ein Lilien- oder Roſen-ſtat / metropolis Perſiæ, 230 milliaribus diſtabat Jeroſolymis, verſùs orientem ſita ad flumen Eulæum. In hanc, devicto Belſazare Rege Babylonis, urbe captâ atque totâ regione ſubactâ, Cyrus Monarcha Perſarum Regiam ſedem tranſtulit, ut Babylonicum aliaque Regna vi occupata eò melius ſub obedientiæ jugo continere poſſet. Nam erat in fronte Perſidis ſita, & Regio Suſiana ad commoditatem reliquarum ditionum in omnes partes Regibus Perſarum patebat. Et quia Urbs amœniſſima erat, Reges Perſarum libenter illic habitabant. *Athenæus* idem confirmat, hanc urbem SUSAN dictam eſſe, h. e. Lilium, vel roſam, ob admirandam amœnitatem & jucunditatem. Et tota Regio circumjacens ab ea denominata, & *Suſiana* dicta eſt. *Eſdr.* 4. 9. *Nehem.* 1. *v.* 1. *Eſther.* 1. 2, 5. *c.* 2, 2. 5, 8. *c.* 3. 15. *c.* 4. 8, 16. *c.* 8. *v.* 15. *c.* 9. *v.* 6, 11, 12, 14, 15, 18. *Daniel.* 8. *v.* 2. *Fragment. Eſther. c.* 4. *v.* 18. *c.* 5. *v.* 3.

XXVI.

TERTIA Regia erat ECBATANA, quæ ab Arphaxad Medorum Rege eſt ædificata. *Judith.* 1. Quidam eum *Phraortem* VII. Regem Medorum fuiſſe tradunt, qui anno 10 Regni Nabuchdonoſoris I. vixit, & 22 annis regnavit, ab eoque devictus eſt, ſicut *Judith.* 1. deſcribitur. Diſtabat Jeroſolymis 284 milliaribus. *Herodotus lib.* 1. putat à *Deioce* Ecbatanam ædificatam eſſe mœnibus amplis ſimul & validiſſimis. Murus ſepties circumactus arcem cinxit, in qua theſauri regii erant; ita tamen, ut circuitus unus altero eſſet gradatim ſublimior, & pari quidem murorum in ſe altitudine, loci tamen beneficio, qui inſtar collis paulatim ſeſe erigebat, ſolis pinnis promineret: Hæ ſuis diſtinctæ coloribus jucundiſſimam aſpicientibus præbuêre ſpeciem. Nam primi ambitûs pinnæ colore erant albicante, ſecundi nigro, tertii purpureo, quarti cæſio, quinti ſandarachino, ſexti argenteo, ſeptimi pinnæ auro fulgebant. In hac urbe Reges Perſarum æſtate habitabant. Quoniam civitas in regione opaca & montoſa, & adverſus calores æſtivos commoda erat. In hyeme autem in urbe Suſan & Babylone habitabant, ubi temperies aëris calidior erat.

Athenæus ſcribit, Reges Perſarum hyemaſſe in Suſis, æſtatem in Ecbatanis degiſſe, in autumno Perſepoli verſatos, reliquam anni partem in Babylonia habitaſſe.

CAPUT VII.

DE INSTITUTIS REGUM PERSICORUM, *eorumque ratione.*

XXVII.

INſtituta (vel Statuta) Regum Perſicorum fuerunt triplicia. 1. *Oeconomica.* 2. *Politica.* 3. *Eccleſiaſtica.*

XXVIII.

XXVIII.

I. Inſtituta Oeconomica.

Inſtitura Regum Perſicorum Oeconomica erant triplicia.

I. REGUM JUNIORUM EDUCATIO. Regum Perſicorum filii Magis tradebantur informandi, quorum magna apud Perſas erat authoritas. Erant namque Magi præcipui Regum Conſiliarii atque Gubernationis Adminiſtri. Unde *Cicero lib. 1. de divinat. p. 188. Editionis Frobenianæ*, de iis ſcribit: Magi genus ſapientum & doctorum habebantur in Perſis. Et ſub finem addit: Nec quiſquam Rex Perſarum eſſe poteſt, qui non antè Magorum diſciplinam ſcientiamque perceperit.

Plato in Alcibiade priore, educationem Regum Perſicorum eleganter deſcribit hiſce verbis: Poſtquam Regi filius natu maximus genitus fuerit, qui in Regno ſuccedit, primùm quidem omnes, qui ſub Regno ſunt, *diem feſtum* agunt. Deinde in reliquum tempus hoc die Regis *natalem* tota Aſia colit & celebrat. Poſtea *nutritur puer*, non à muliere nutrice parùm ſplendida, ſed ab eunuchis, qui circa Regem præſtantiſſimi eſſe putantur. Quibus tùm reliqua recens nati cura incumbit, tùm ut cogitent, quomodo quàm pulcherrimus evadat, effingendo ac dirigendo pueri membra. Atque hæc facientes illi in magno honore ſunt. Poſtquam verò ſeptennis factus eſt puer, ad equos & equitandi magiſtros abit, & ad venationes proficiſci incipit. At ubi annos bis ſeptem implevit, ſuſcipiunt puerum hi, quos illi *regios Pædagogos* nominant. Sunt autem ex Perſis delecti, qui præſtantiſſimi in ætatis vigore eſſe putantur, quatuor, & *ſapientiſſimus*, & *juſtiſſimus*, & *temperantiſſimus*, & *fortiſſimus*. Quorum primus Magiam docet Zoroaſtræ filii Oromazæ. Eſt autem hæc cultus Deorum. Docet item regias inſtitutiones. Qui verò *juſtiſſimus* eſt, vera loqui docet per omnem vitam. *Temperantiſſimus* autem docet, ut à nulla voluptate ſuperetur, ut liber eſſe aſſueſcat, & ut revera Rex ſit, imperans primùm his, quæ ſunt in ipſo, & iis non inſerviens. At *Fortiſſimus* impavidum & intrepidum eſſe inſtruit, ut qui, ubi timet, ſervus ſit. *Hactenus Plato.*

XXIX.

II. CONJUGII RATIO. *Laërtius* ſcribit, inceſtuoſam parentum & liberorum conjunctionem apud *Reges Perſarum poſteriores* in uſu fuiſſe, eamque è Magorum doctrina profectam aſtruit. Idem confirmat *Athenæus lib. 5. cap. 14. Tertullian. in Apologet.* In eandem ſententiam *Clemens Alexandrinus* ita ſcribit: Regum Perſarum, filii poſtquam ad pubertatem pervenerunt, cum ſororibus & matribus, mulieribuſque tàm uxoribus, quam concubinis innumerabilibus coëunt, tanquam capri ad venereum congreſſum exercitati, *&c.* At *Tiraquellus* in legem ſeptimam connubialem, multa adducit exempla probatorum authorum, qui indicant, apud alias gentes, tales conjunctiones jure naturæ impias, inceſtas atque nefarias habitas fuiſſe. Ita namque *Virgil. lib. 6. Æneid.* ſcribit, apud inferos atrociter puniri,

Qui thalamos nata invadit, vetitoſque hymenæos.

Et *Catullus in Gellium* ita ſtatuit:

Nam Magus ex matre & nato gignatur oportet:
Si vera eſt Perſarum impia religio.

Similiter ex *Agathia lib. 2. de bello Gothorum* oſtendit *Tiraquellus*, non fuiſſe hoc apud *priſcos illos Perſas* obſervatum. *Plutarchus in vita Artaxerxis* dicit, ipſum filias ſuas uxores duxiſſe, contra leges Perſarum & Græcorum. *Idem* in libro de fortuna Alexandri refert: *Alexandrum M.* docuiſſe Perſas matres revereri, earumque nuptiis abſtinere. Et in Authentica de inceſtis nuptiis dicitur. Multa etiam bruta hujuſmodi concubitus averſari. Et *Socrates cap. Xenophont. lib. 3.* ait, illam legem, ne filii parentibus miſceantur, ab ipſis Diis eſſe conditam. Inde etiam tragicæ Oedipodarum calamitates deſcribuntur.

XXX.

III. *Sepulcrorum* ſituatio. Cyri ſepulturam in Baſſargadis fuiſſe, Hiſtorici tradunt. *Strabo lib. 15.* & *Arrianus lib. 6*, citant Ariſtobulum Alexandri M. Ducem bellicum, qui Cyri ſepulcrum apud Baſſargadas in hortis regiis ſe vidiſſe tradat. Cæteros Reges monumenta ſua in monte quodam Perſepolitano habuiſſe *Diodorus* refert. *Joſephus lib. 10. Antiq. Judaic. c. ult.* ſcribit, eos in turri Ecbatana, quam Daniel Propheta condidit, ſepultos fuiſſe; & addit, etiam ſuo tempore cuſtodiam ejus Sacerdoti Judaico commiſſam fuiſſe.

XXXI.

II. Inſtituta Politica.

Inſtituta Regum Perſicorum Politica erant gemina. 1. *Irenica.* 2. *Polemica.*

XXXII.

I. Irenica.

I. MAGNA *Regum erat* MAJESTAS *atque* reve-

reverentiæ. Nemo enim mandata Regum annulo eorum obſignata violare, nive contradicere audebat. Sicut *Eſther.* 8. *v.* 8. Rex Ahaſuerus ad Eſther & Mardochæum inquit: Scribite pro Judæis, ſicut vobis placet, ex Regis nomine ſignantes literas annulo meo. Hæc enim conſuetudo erat, ut epiſtolis, quæ Regis nomine mittebantur, & illius annulo ſignatæ erant, nemo auderet contradicere. Similiter *Daniel.* 6. 16. dicunt Principes Regni Medo-Perſici ad Darium Medum primum, ſecundæ Monarchiæ in Dynaſtia Medica Monarcham: *Scito Rex, quòd lex Medorum & Perſarum ſit, ut omne decretum atque edictum, quod conſtituerit Rex, non liceat immutari.* Utque Regibus Perſicis divina quædam Majeſtas ineſſe vulgo crederetur, ſingulari cum pompa atque ſolennitate Ignis ſacer, argenteis altaribus, comitantibus atque accinentibus carmen patrium Magis, Regi præferebatur. In quam ſententiam apud Plutarchum ad Themiſtoclem *Artabanus* eleganter diſſerit, hanc adorationis ceremoniam inde confirmatam, quòd Dei omnia conſervantis effigies Rex haberetur. Elegans quoque & memorabile exſtat exemplum apud *Herodotum lib.* 8. *de Xerxe*, pro cujus ſalute conſervanda Perſæ è navi in mare præcipites ſeſe dederunt. *Verba ejus hæc ſunt.* Xerxes aliquando nave vectus, cum in Aſiam tranſmitteret, exortâque tempeſtate, ac nave nimium vectoribus onuſta, in vitæ diſcrimen adduceretur, ita ſuos alloquitur: Cùm in vobis, Perſæ, veſtri Regis ſita ſit ſalus, quantæ ea vobis curæ ſit, jam demonſtrate. Illicò plerique ipſum venerati, in mare proſiliunt, ac Regem præſenti liberant periculo. Similiter *Perſæ* erga Reges ſuos valdè *liberales* erant. Nam *Alexand. lib.* 4, *cap.* 23. ſcribit: Apud Perſas Rex; in principio dominatus, quodcunque optaret, à populo donum ferebat.

XXXIII.

II. REIPUBLICÆ CURA. Laudandus ſanè mos ille Regum Perſarum fuit, quòd inter Cubicularios quendam hoc munus ſuſtinere volebant, ut manè Regium thalamum ingreſſus, regem hiſce verbis excitaret: Ἀνάστα ὦ βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν σε φροντίζειν ὁ μισοπονηρόδης ἠθέλησε, h. e. Surge Rex, ac negotia cura, quæ te miſoromaſdes curare juſſit: Author eſt *Plutarchus in comment.* adverſus imperitum Ducem. O pulchrum præclarumque inſtitutum! Non minus enim Princeps cogitur ſervire populo, quàm populus Principi, niſi quòd Princeps id facit cum dignitate. Sicut enim ſubditi ſunt propter Principem, nempe ὑπηρετικῶς, h. e. ut ei obediant atque miniſtrent; ita quoque Principes ſunt propter ſubditos κυβερνητικῶς, h. e. ut eos regant atque gubernent.

PARÆNESIS.

Quare Principum actiones ad bonum publicum promovendum, non privatum, ſint directæ; juxta vulgatum Politicorum axioma: *Salus Reipublicæ ſuprema lex eſto.*

Trium namque (ex *Agathonis* ſententia) Principem meminiſſe decet. *Primum* eſt, ſe hominibus imperare. *Alterum*, ſe ex legibus imperare. *Tertium*, ſe non ſemper imperaturum eſſe. Hinc *Hadrianus* Imp. in ſenatu frequenter dicere ſolebat, ſe ſic geſturum Principatum, ut ſciret rem populi eſſe, non ſuam privatam: ſicut *Dion* ſcribit. Et *Theodoſius M.* cùm Arſenio viro doctiſſimo filios ſuos (Honorium & Arcadium) in diſciplinam tradidiſſet, ſempiternâ memoriâ dignum & verè imperiale illud verbum proloquutus eſt: *Si tales ſe præbituri eſſent, ut mores vitamque ſuam ad diſciplinam & leges Dei componerent, propenſum ſe fore, ut eis imperium in manus tradat, ad civium & ſubditorum commodum & utilitatem accommodatum: Sin minùs, conducibilius eſſe, ut ſic privati vitam agerent, quàm cum periculo imperarent. Nicephor. Call. hiſtor. Eccleſiaſt. lib.* 12. *c.* 23.

XXXIV.

III. MINISTERIA. *Dion. Chryſoſt. Orat.* 58. ſcribit, quòd Reges Perſici vulgares homines emiſerint in omnes terras, quos appellabant REGIS AURES, eoſque omnia auſcultare jubebant; Et alius quidam erat, REGIS OCULUS dictus; de quo idem *Dion. Orat.* 3. *de Regno.*

REGULA.

Omnes homines ſint moniti, ut omnibus in actionibus ſuis prudenter agant, linguamque ſuam ratione gubernent, ſemper recordantes adagii Salomonici, quod exſtat *Eccleſ. cap.* 10. *v.* 20. *Aves cœli portabunt vocem tuam; & qui habent pennas, annunciabunt verbum tuum.* Et in vulgato Græcorum proverbio dicitur; Πολλοὶ βασιλέως ὀφθαλμοὶ, καὶ πολλαὶ ἄτραι. *Xenoph. lib.* 8. *Cyroped. fol.* 124. *Lucianus* (de iis, qui mercede conducti, *pag.* 339.) ita enunciat: Ὥσπερ καὶ ὀφθαλμοὶ βασιλέως πολλοὶ, καὶ μάγοι τ' ἀληθῆ ὁρῶντες, ἀλλὰ καί τι σφαπατηζόντες ὡς μὴ ῥυσιάζειν δοκεῖν. h. e. Multæ Regum ſunt aures & oculi multi. h. e. multi reperiuntur corycæi vel delatores, ad hoc conſtituti, ut ſubditorum ſermones captent atque Regibus indicent, qui non palam, ſed clam, res ſuas ita agunt, ut aviculas cœli ſupervolitantes, te apud Magiſtratum detuliſſe opinari poſſis.

poſſis. Nam captant ſubditorum voces, inquirunt in ipſorum actiones, atque ii non tantum vera cernunt, ſed ſemper aliquid ſuperfluum de ſuo admetiuntur (vel admentiuntur) ne munus ſuum negligenter peregiſſe videantur. *Eraſmus lib. 6. Apophthegm.* pulchellam de militibus Tarentinis narrat hiſtoriam. Hi anno mundi 3692. inter cœnandum multa liberius dixerant in Pyrrhum. Res ſtatim per corycæos ad eum delata eſt. Acciti ſunt juvenes, ac periclitabantur omnes, cum factum nec negari poſſet, nec defendi. Tum unus illorum dexterioris ingenii: Imo, inquit, Rex & iſta diximus, & longe acerbiora dicturi fueramus, niſi nos lagena defeciſſet; linguæ petulantiam in temulentiam rejiciens. Itaque mox ira Principis in riſum verſa, dimiſſi ſunt. *Hæc ille.* Tu autem quiſquis es, obſervato monitum illud Epicharmi: *Μήποτε ἀπίστει.* Et illud *Catonis*:

Noli homines blandos nimium ſermone probare:
Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

XXXV.

IV. SIGILLI FORMA. Scholiaſtes Thucydidis ſigilli in literis uſurpati formam triplicibus authorum ſententiis retulit: quippe quod alii Cyri imaginem crediderint, alii Regis eo tempore regnantis: alii denique equi Darii, cujus præſagio ille Regnum conſequutus erat.

XXXVI.

V. 'Ἀπομία REGE DEFUNCTO PERMISSA. Stobæus Sermon. 42 Perſis legem fuiſſe ſcribit, quæ defuncto Rege juberet *ἀπομίαν εἶναι πολὺ χρόνον*, ut, cum inde pax publica turbaretur, ſubditi, Regno denuo conſtituto, leges & Magiſtratus revereri, maximique boni loco habere diſcerent. Nam pulchre inquit *Seneca lib. 1. de clement. c. 4, 5.* Magiſtratus eſt illud vinculum, per quod Reſpublica cohæret; & ſpiritus ille vitalis, quem hæc tot millia trahunt; nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa Imperii ſubtrahatur.

II. *Polemica.*

XXXVII.

I. SIGNUM MILITARE. Hoc erat AQUILA AUREA, quæ expanſis pennis milites præcedebat; ſicut *Plutarchus* in Ageſilao ſcribit.

NOTA.

Notandum eſt diligenter, quod AQUILA inſigne fuerit Monarcharum Perſicorum, & poſtea quoque Imperatorum Romanorum. *Marius Conſul* adverſus Cimbros profectus, primus omnium aquilam in vexillo prætorio uſurpavit, anno M. 3846. ante Chriſti incarnationem anno 124. Inde aquila inſigne Romani imperii & Imperatorum facta eſt. Hi namque (uti *Joſeph lib. 3. de Bello Judaic. cap. 5. pag. 652.* ſcribit) illam & Principatus inſigne putarunt & omen victoriæ, quoſcunque bello petierunt. Unde Veſpaſianus in expugnatione Judææ aquilam in vexillis gerebat. Nam (ut *Joſephus ibid.* ſcribit) aquila omnibus apud Romanos agminibus præeſt, quod & univerſarum avium reguum habeat, & ſit validiſſima.

XXXVIII.

II. MILITIA. Reges Perſici in militia præcipue triplices habebant milites.

PRIMI dicebantur IMMORTALES. Horum Cyrus M. author fuit, uti *Xenophon. lib. 7. παιδείας* inſinuat. Iidem *inviolabiles* appellabantur, uti *Diodor. Sicul. lib. 2. tradit.* Hoſce quoque *Darius* Perſarum Rex ultimus, nomine Codomannus, in exercitu ſuo habuit. Hi erant numero 10000 Perſarum, quos immortales vocavit ideo, (uti *Cœlius Rhodigin. lib. 8. c. 2. & l. 25. c. 1.* annotat) non quod plane nunquam morerentur, (ubi enim illi tales?) ſed ſi quis horum aut nece aut morbo numerum minuiſſet, confeſtim ſubſtituebatur alius: nec unquam plures erant, pauciorſve decem millibus. Ita & Darius immortalitatem aliquam, & muneris æternitatem confinxit. Sed brevis admodum hæc fuit, Dario totoque ipſius exercitu funditus pereunte. Vide *Herodot. lib. 7. Pauſan. lib. 7. Curt. lib. 3.*

NOTA.

Niceph. lib. 14. cap. 21. de Perſis poſterioribus idem ſcribit: *Legio* (inquit) erat apud Perſas, quæ vocabatur *immortalis*, decem millium numerum habens, quam ex delectis & fortibus viris ſemper complebant, quam olim Romani, imperante Theodoſio, Chriſto Duce, ita conciderunt, ut ſubito mortales omnes comperti ſint.

SECUNDI erant DORYPHORI, (qui & *cognati Regis*) & hi 15000 cenſebantur; uti *Curtius lib. 3.* ſcribit.

TERTII vocabantur MALIFERI, ex *Athenæi* authoritate, *lib. 12. cap. 3.* qui erant flos immortalium; inde ſic dicti, quod poma aurea in haſtis geſtarent. Vide plura apud *Polyænum lib. 4. pag. 171.*

USUS.

Hinc patet, fictam hominum eſſe immortalitatem, dum ſolus Deus habeat immortalitatem.

Exempla habemus. 1. *In militibus Regum Perſarum*, qui immortales dicebantur, ſed perierunt. 2. *In Alexandro Magno* cui adulatores immortalitatem falſo tribuebant. Niceſias enim, cum Alexandrum M. à muſcis petitum videret; Quanto, inquit, hæc cæteris præſtant, quæ tuum ſanguinem

deguſtant. Cum vulneratum ſemel conſpiceret, illum Homericum protulit verſum: Ἰχὼρ οἷος πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσιν. h.e. Qualis Divorum percurrit corpora ſanguis. Sed vanitatem hanc ipſe Alexander M. riſit. Nam ita de eo ſcribit *Seneca Epiſt. 60. ad Lucilium*: Alexander M. cum in obſidione cujuſdam urbis circuiſſet muros, ictu ſagittæ percuſſus, cum repreſſo ſanguine ſicci vulneris dolor creſceret, & crus obſtupuiſſet, coactus abſiſtere: Omnes, *inquit*, jurant me Jovis eſſe filium, ſed vulnus hoc hominem me eſſe clamat. Idem nos faciamus: dicamus, Vos quidem dicitis me eſſe prudentem; ego autem video, quod multa inutilia concupiſcam, nocitura optem.

XXXIX.

III. Inſtituta Eccleſiaſtica.

1. RELIGIONIS CURA. Plures Reges Perſarum valde religioſi erant: ut patet ex trium Regum Perſarum diſtinctis decretis, de populo Iſraëlitico è captivitate dimittendo, de templo Jeroſolymitano reædificando, deque urbe & politia Judaica reſtauranda; uti in §. 10. diximus.

XL.

II. STUDIORUM CULTURA. Reges Perſarum in urbe Suſan florentiſſimam & celeberrimam Academiam erexerunt, in qua Magia, Aſtronomia, aliæque diſciplinæ Mathematicæ tractabantur à Magis. diſtabat Jeroſolymis 230 milliaribus. Ex hac SUSAN venerunt Magi nato Chriſto, eumque tanquam recens natum Judæorum Regem Jeroſolymis inquiſiverunt. *Matth.* 2. 1, 2. Errant ergo illi, qui tradunt, eos veniſſe ex *Saba*; idque ex *Pſal.* 72. 10. & *Iſ.* 60. 6. probare ſatagunt. Quibus nos talem ἀπόδειξιν opponimus.

Magi (de quibus *Matthæus cap.* 2. loquitur) Jeroſolymam venerunt ab Oriente.

Atqui Saba non ſita eſt in Oriente, ſed in Meridie. *Matth.* 12. 42.

E. Magi ex Saba non venerunt.

TRACTATIO SPECIALIS.

DYNASTIA PRIMA

MEDORUM.

DARIUS MEDUS.

CAPUT I.

DE ORTU.

I.

1. *Appellatio.*

1. DARIUS MEDUS דריוש מדיא Græcè Δαρεῖος Victor ſeu Dominator abundans, ein reicher Herr oder Siegs-Fürſt. Vocatur autem *Darius Medus* duplici ſenſu. 1. *abſolutè*, h. e. *in ſenſu abſoluto*. Quia patre Medorum Rege, nempe Aſtyage, oriundus fuit: uti poſtea dicemus: 2. *ἀποκεκριμένως*, h.e. *in ſenſu disjunctivo*; ut nempe diſtinguatur à Dario Hyſtaſpis tertio Perſarum Rege, qui poſt Cambyſen Cyri filium regnavit; uti patet ex 1 *Eſdr. cap.* 4. *v.* 5, & 24. Nam Porphyrius nugatur, hunc Darium Medum Darium Hyſtaſpis fuiſſe. Quæ ſententia falſa eſt. Quia hic Darius fuit filius Ahaſueri. *Dan.* 9. *v.* 1. Ergo non poteſt eſſe filius Hyſtaſpis. 2. Hic Darius fuit Medus; At Darius Hyſtaſpis fuit Perſa & Rex Perſarum. 1 *Eſdr. cap.* 4. *v.* 15, 24.

II. CYAXARES vocatur à *Xenoph.* in *Cyrop.* Quod nomen Perſice ſcriberetur קיאחשורש *Cuachaſueroſch.* Et eſt nomen compoſitum, ex קי, quod in lingua Perſica Principem ſignificat: & Axares, vel Oxuares, & aliquando Oxares; quæ nomina idem ſignificant, atque *Ahaſuerus*, h. e. magnus Princeps, ein Groß-Fürſt/ licet ſono literarum differant. Nam notum eſt, quod nomina ex una lingua in aliam tranſlata varie mutentur & corrumpantur, quod oſtendunt etiam nomina דריוש *Darius* & קורש Κύρος, *Cores*, vel *Cyrus*. Unde patet, quod conjunctione utriuſque nominis excellentia & præeminentia inter alios Principes ſignificetur. Nam קי *Cu* in Perſica lingua ſignificat Principem, & חשרש ſignificat Principem. Quare Cyaxares idem eſt atque Magnus Princeps. Sicut apud Græcos dicitur ἀρχηγὸς, ἀρχιεπίσκοπος, apud Latinos Archidux, Archiepiſcopus, Ertz-Herzog/ Ertz-Biſchof. Ertz eſt ex nomine Græco ἄρχων, Princeps. Nam Ertz-Biſchof idem eſt quod Ἀρχιεπίσκοπος.

DUBIUM.

At quidam negant, hunc Darium Medum fuiſſe Cyaxarem. Quia *Herodotus lib.* 1. ſcribit fuiſſe Phraortæ Regis Medorum filium, patrem Aſtyagis. Quomodo ergo Darius filius Aſtyagis Cyaxares dici poteſt, cum ejus nepos fuerit?

Reſp. Dubium hoc levioris eſt momenti. Nam duplex fuit Cyaxares, I & II. ille avus, hic nepos fuit.

fuit. Quare dicimus, quod Darius non quidem fuerit Cyaxares I, ſed II. Nam expreſſe à *Xenoph. in Cyrop ed.* Cyaxares appellatur; ſicut etiam conſtat, Cyri tam patrem, quam filium Cambyſen, fuiſſe appellatum. Vide *Auguſtinum Terniell. p.* 101.

II.

II. *Generatio.*

De patre hujus Darii variæ exſtant Hiſtoricorum opiniones. Nos quatuor tantum, quæ præcipuæ ſunt, adducemus.

Prima eſt *Theodoreti*, qui in Oratione ſexta ſuper *Daniel.* ſcribit, hunc *Darium* fuiſſe *regis Nabuchdonoſoris nepotem ex filia*, matremque habuiſſe Chaldæam, patrem vero Medum, & eam ob cauſam *Medum* nominari, idque probat ex *Jerem.* 27. *v.* 7. ubi legitur, quod Deus promiſerit, ſe Nebucadnezari daturum regnum ampliſſimum, neque tantum ipſi, ſed etiam filio ejus & filio filii. At hæc ſententia Theodoreti tolerari non poteſt. Nam filius Nebucadnezaris fuit Evilmerodach. *Jerem.* 51. Nepos autem vel filius filii fuit Belſazar. At Darius non fuit filius filii Nabuchdonoſoris, ſed filius FILII (ut fatetur Theodoretus.) Ergo promiſſio Dei ad ipſum non pertinebat. Præterea Darius quidem Belſazari in Regno ſucceſſit, verum non in eo Regnum eſt conſervatum (ſicut Deus *Jerem.* 27. *v.* 7. Nabuchdonoſori promiſerat) ſed everſum. Quod autem Nabuchdonoſor pater ejus appellatur, *Daniel.* 5. 2. illud per Ebraiſmum intelligendum, quo ſæpe majores appellantur patres. Vide plura, ſi voles, in *Monarchia* I. *in vita Belſazaris Monarcha* XLIX. §. 2.

III.

Secunda opinio eſt; *Darium Medum* fuiſſe *Darium Hyſtaſpis.* Quia Darius Hyſtaſpis bellum cum Chaldæis geſſit, eoſque Babylone expugnata ſubjugavit, ſicut *Juſtinus lib.* 1. & *Herodotus lib.* 3. tradunt. Hoc autem ipſum *Daniel Propheta in cap.* 5. de Dario Medo ſcripſit. Et hanc ſententiam *Hieronym. ſuper. c.* 9. *Daniel Porphyrio* tribuit. *Reſp.* Verum hæc opinio nullo modo admitti poteſt. Nam magnum eſt diſcrimen inter Darium Medum & Darium Hyſtaſpis. 1. *Ratione patriæ*: Nam ille Medus: hic vero Perſa natione fuit. 2. *Ratione patris.* Ille fuit filius Regis, nempe Ahaſueri. *Daniel* 2. 1. Hic non item. 3. *Ratione Regni*: Ille regnavit ante Cyrum, uti ex *Daniel* 5. 30, 31. colligitur. Nam ibi dicitur, quod Darius Belſazari Regi Babyloniorum interfecto ſucceſſerit in regnum, natus annos ſexaginta duos. Ratio vero quæ à Porphyrio affertur, nullius eſt ponderis. Oritur namque ex craſſa Chronologiæ ignorantia. Nam Babylon bis capta eſt, ſemel à Dario Medo atque Cyro Perſa: Qui interfecto Belſazare Regnum Babyloniorum & Aſſyriorum ad Medos & Perſas tranſtulerunt, ſicut ex ſcriptura illa prodigioſa patet. *Daniel.* 5. 28. Diviſum eſt regnum tuum, & datum Medis & Perſis. Cum autem Chaldæi Medorum & Perſarum Regibus aliquantiſper paruiſſent, tandem tempore Darii Hyſtaſpis defecerunt: qui expugnata Babylone, opera Zopyri Ducis ſui, illos rurſus in poteſtatem ſuam redegit, & muros Babylonis diruit. Vide *Herodotum lib.* 3. & *Juſtinum lib.* 1.

IV.

Tertia opinio eſt eorum qui putant, *Darium Medum* fuiſſe *filium Cyaxaris* I. *Medorum Regis*, & *fratrem Aſtyagis*, cujus filia Mandane nupſit Cambyſi, ex quo genitus eſt Cyrus expugnator Babylonis. Hic poſtquam crudelitatem Aſtyagis avi ſui erga ſe infantem ab Harpago Conſiliario Regis cognoviſſet, bello illum aggreſſus eſt, & victum regno privavit: atque ita permiſſu Cyri, Cyaxares II. frater Aſtyagis, abavunculus Cyri Regnum adiit, nomenque Darii aſſumſit; unde à Daniele Darius Medus appellatur. *Daniel.* 6. 1. Et hæc opinio eſt *Amandi Polani in Daniel. p.* 414.

Juxta hanc opinionem Darius Medus foret frater Aſtyagis & abavunculus Cyri.

V.

Quarta & communiſſima Theologorum & Hiſtoricorum ſententia eſt, *Darium Medum* fuiſſe *filium Aſtyagis Medorum Regis*, cujus conjux fuit Aryenis Lyda, ex qua ipſi nati ſunt hi liberi, nempe Cyaxares II. & Mandane, quam poſtea Aſtyages in matrimonium collocavit Cambyſi Perſæ homini conditionis mediocris, ex qua poſtea natus eſt Cyrus. Atque ita Darius eſt Cyri avunculus, quem *Xenophon lib. de Cyropad.* Cyaxarem appellat. Hanc ſententiam probant *Joſephus lib.* 10. *Antiqu. Xenophon de pædia Cyri lib.* 8. *D Hieronymus ſuper* 5. *& 9. cap. Daniel.*

GENEALOGIA.

Cyaxares I.

Aſtyages, cui Aryenis conjux.	Cyaxares II, vel Darius Medus.

Mandane. — Hæc nupſit Cambyſi Perſæ.

Cyrus.

DUBIUM I.

At *Herodot. lib. 1. Juſtinus lib. 1. Valerius Maximus lib. 1.* de ſomniis, pro certo affirmant, *Aſtyagem filiis caruiſſe, unamque* tantum *filiam* nomine Mandanem habuiſſe, eique Cyrum in regno immediate ſucceſſiſſe. Quare dici non poteſt, Darium Aſtyagis filium fuiſſe.

Reſp. Diverſæ de hoc dubio ſeſe offerunt Hiſtoricorum ſententiæ. 1. *Quidam* aſſerunt, *Darium* fuiſſe Aſtyagis *filium naturalem*; ut *Herodotus*. 2. *Quidam* vero dicunt, eundem fuiſſe *Aſtyagis conſobrinum*, & ſic *non filium naturalem*, verum *adoptivum*; ut *Xenophon*. Cum enim Aſtyages à Cyro nepote ſuo bello premeretur, ne ſcilicet ipſe aliquando ad Regnum ſuam deveniret, Cyaxarem filium ſibi adoptavit, eumque Regni hæredem nuncupavit. Verum Cyrus, devicto Aſtyage, regnum conceſſit Cyaxari quoad vixit; idque vel avi contentus vindicta, vel veritus, ne, ſi etiam Cyaxarem regno pelleret, omnium contra ſe Medorum odia atque vires concitaret.

DUBIUM II.

Daniel. 9. 1. dicitur, quod *Darius Medus* fuerit *filius Ahaſueri*: quomodo igitur Aſtyagis filius dici poteſt? Quia Ahaſuerus & Aſtyages idem non ſunt.

Reſp. Ahaſuerus non fuit nomen proprium unius alicujus Regis, (ſicut *Melchior Canus Jeſuita lib. 11. de Locis Theologicis c. 3.* putat, qui per Ahaſuerum *Dan. 9. 1.* intelligit maritum Eſther, eumque patrem Darii Medi fuiſſe dicit) ſed eſt nomen appellativum. Quia Ebræi hoc nomine externos magnoſque Principes nominare ſolebant, præſertim vero præpotentes Medorum & Perſarum Reges, qui per excellentiam *Ahaſueri* dicebantur. Unde inferri non poteſt, quod Darius Medus non fuerit filius Aſtyagis. Nam hic cognomento Ahaſuerus dictus fuit. Et ſingulari obſervatione dignum eſt, quod tres in Codice ſacro reperiantur Reges, qui Ahaſueri dicuntur. *Primus* eſt *Aſtyages* Rex Medorum, pater Darii Medi. *Alter* eſt *Cambyſes*, ſecundus Rex Perſarum, Cyri filius, qui ædificationem templi prohibuit. *1 Eſdr. 4. 6. Tertius* eſt *maritus Eſther*, quem quidam Theologi & Chronologi Darium Hyſtaſpis fuiſſe affirmant; de quo agitur *Eſther. 1. 1.* Verum nos ſtatuimus, Ahaſuerum illum Eſtheri maritum fuiſſe Artaxerxem Longimanum, V Regem Perſarum; uti in Hiſtoria ejus dicemus.

Conciliatio.

Unde patet utrumque verum eſſe; nempe quod Darius Medus fuerit filius *Aſtyagis*, vel *naturalis*; ut vult *Herodotus*; vel *adoptivus*; ut vult *Xenophon*: hoc eſt, filius *Ahaſueri*; uti habetur *Dan. 9. v. 1.* Quia Aſtyages & Ahaſuerus eadem eſt perſona. Qui nomine proprio *Aſtyages*, & cognomine *Ahaſuerus* appellatus eſt. Nam *Ahaſuerus* apud Ebræos & Perſas per excellentiam ſignificat magnum caput, ſeu magnum Principem. *Pagninus* in libro de interpretatione nominum Ebraicorum docet, pro ASSUERUS ſcribendum & pronunciandum eſſe אחשורש ACHASCHUERUS, ab אחש *Achaſch*, h. e. Princeps; & ורש *roſch* caput. Quando igitur Darius Medus dicitur filius Achaſchueri, ſenſus eſt: quod, videlicet, ſit filius magni Principis vel Regis.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

VI.

ACta Darii Medi ſunt triplicia. 1. *OEconomica* 2. *Politica*. 3. *Eccleſiaſtica*.

1. *ACTA OECONOMICA.*

VII.

MATRIMONIUM *Darii* ignoratur; ſed *Xenophon* ei unicam filiam attribuit, quæ à *Suida* BARDANE appellatur. Et ex eodem Suida patet, quod habuerit filium, nomine ARPHAXADUM, ſeu ARBACEM nothum.

II. *ACTA POLITICA.*

VIII.

1. REGNI OCCUPATIO. Darius Medus regnum alio modo in Media, & alio modo in Babylonia occupavit.

IX.

Primo, IN MEDIA ad regnum pervenit, partim jure *ſucceſſionis*, partim *indultu* Cyri *victoris*. Hic namque capto Aſtyage avo ſuo, Medorum regnum ad Perſas tranſtulit, atque Cyaxarem II, vel Darium Medum avunculum ſuum Medis præfecit, eique titulum Regis indulſit, qui Regnum illud adminiſtravit annis 28.

ERROR.

Hinc ergo patet, quod magnus error ſit *Severi Sulpitii, in lib. 2. ſacræ hiſtoriæ* inconſiderate ſcribentis,

bentis, hunc Darium 18 annis regnaſſe, quâ tempeſtate apud Medos regnabat Aſtyages. Sed hoc rationi haud conſentaneum eſt. Nam & hunc Darium vel Cyaxarem II. Medis imperaſſe, ex *cap. 6. Danielis v.* 8. evidenter conſtat; & Aſtyagem Medorum regnum tenuiſſe, omnes Hiſtorici profani uno ore affirmant: ſed fieri non potuit, ut uno eodemque tempore duo ſimul Medorum Reges eſſent.

X.

Deinde IN BABYLONIA ad Monarchiam pervenit duplici modo atque medio.

Primò, partem regni JURE BELLI acqviſivit. Quia ipſe Babylonios debellare cupiens, ſocium & adjutorem gerendi belli adſcivit Cyrum Regem Perſarum, filium ſororis ſuæ; cumque eo Babylonem expugnavit, & Belſazarem Regem Babylonicum interfecit. Et ſic jure belli ipſi tanquam victori pars regni debebatur.

Secundò, integrum Regnum Babylonicum accepit JURE PACTI. Nam *Dan.* 5. 31. ita in lingua Chaldaica exſtat: Darius קבל, hoc eſt, παρέλαβεν vel ἀνεδέξατο מלכותא, hoc eſt, παρ' ἄλλου, alio tradente accepit regnum. Græca editio Aldina & Hervagiana cum textu Chaldæo planè congruit. Ita enim habet: καὶ Δαρεῖος ὁ Μῆδος παρέλαβε τὴν βασιλείαν. Similiter *Daniel.* 9. 1. ita legitur: In anno primo Darii filii Ahaſuerus, de ſemine Medorum, QUI CONSTITUTUS FUIT Rex ſuper Regnum Chaldæorum, אשר המלך על מלכות כשדים. Quomodo autem Darius regnum Babyloniorum acceperit, *Xenophon lib.* 8. *de pædia Cyri* teſtatur: nempe Cyro ſponte regnum illud Babylonicum ei concedente & donante. Cyrus enim rebus Babylone conſtitutis, reditum in Perſida ſuſcepit, in quo reditu in Mediam etiam venit, & apud Cyaxarem divertit; & cum ſe invicem eſſent complexi, Cyrus primùm inquit Cyaxari, ei & ædes electas eſſe & ἀρχεῖα, (h. e. palatia ſeu curiam, & tabularium in quo acta publica aſſervantur) quo haberet, etiam cùm illuc iret, ubi diverteret, tanquam domum ſuam; tùm alia quoque ei dona dedit & plurima, & pulcherrima. Contra autem Darius unicam filiam, quæ *Herodoto* & *Suidæ* BARDANE dicitur, (quoniam maſculam prolem non habebat,) Cyro deſpondit, & dotis loco totum regnum reliquit. Ita poſt obitum ejus Cyrus omne imperium ejus obtinuit: & ſic Monarchia II. vivente Dario, erat diviſa & à duobus Monarchis adminiſtrata; poſt obitum autem Darii in Cyro eſt conjuncta. Darius autem Monarchiam Babylonicam accepit annos 62 natus, quam ætatem vetere. Latini ingraveſcentem, & propter varia incommoda, quibus illa premitur, *malam*, ſoliti ſunt appellare. *Chaldæus textus* ita habet: *Erat fermè* FILIUS *annorum ſexaginta duorum.* Quæ phraſis etiam Ebræis familiaris eſt. ſicut patet ex *Geneſ.* 5. 32. ubi Noachus dicitur בן חמש מאות filius quingentorum annorum. Sic filius (h. e. vir) viginti annorum. *Exod.* 30. 14. 2 *Paral.* 25. 5.

ERROR.

Errat igitur *Sethus Calviſius*, *in Chronolog. ſua p.* 63. qui putat Darium regnum Babylonicum non vi occupaſſe, ſed voluntariâ ſubditorum traditione accepiſſe. *Verba ejus hæc ſunt*: Belſazar, Babyloniorum Rex, pravæ indolis adoleſcens, ab amicis oppreſſus, cum cruciatu interficitur. Qui eum oppreſſerant, conveniunt, & de communi ſententia regnum tradunt NABONEDO MEDO. Nam Darius Medus non vi occupaſſe Regnum, ſed accepiſſe dicitur *Dan.* 7. 31.

Verùm falſa eſt hæc opinio: Nam Darius Medus regnum vi occupatum accepit, ſcilicet à Cyro illud ſponte ei concedente & dante; uti antea ex Xenophonte demonſtravimus. Calviſius quidem *Beroſum lib.* 3. *rerum Chaldaicarum* ſcriptorem, *Metaſthenem* atque *Ptolemæum* pro ſe allegat: Verùm ſi accuratiùs illorum conſiderentur verba, multis erroribus ſcatent, & Danieli Prophetæ in faciem contradicunt. Ideoque nos illa miſſa facimus, ſequuti regulam Hieronymi. *Quicquid cum ſacra Scriptura congruit, recipiendum: Quicquid verò cum ea non congruit, illud eâdem facilitate rejicitur, quâ adducitur.*

XI.

QUÆSTIO I.

Dubium hoc loco moveri poteſt: *Anne regnum Belſazaris in Dario Medo ſit continuatum, an verò ſublatum?*

Ratio dubitandi deſumi poteſt ex verbis *Theodoreti*, qui ſtatuit Darium Medum fuiſſe Nebucadnezaris M. nepotem; illudque ex *Jerem.* 27. 7. probat, ubi dicitur, quòd Deus Nebucadnezari regnum ampliſſimum promiſerit, & FILIO ejus, & FILIO FILII. Jam verò Belſazar fuit filius Nabuchdonoſoris; uti ex *Dan.* 5. 2. patet. Et de *Dario Medo* dicitur *Dan.* 5. 31. quòd ei (velut filius) in regno ſucceſſerit. Unde *Beroſus lib.* 3. *rerum Chaldaicarum* ſcribit, quòd illi, qui contra Belſazarem conſpiraverant, regnum tradiderint *Nabonimedo*, cuidam *Babylonio* ejuſdem factionis homini.

Reſp. Verùm nos reſpondemus, quòd ſententia illa

illa Theodoreti (quam antea §. 2. refutavimus) & Berosi nullo modo in arce veritatis sit ponenda. Quia quando *Daniel.* 5. 28. inquit: *Phares*, hoc est, *Regnum tuum est divisum, & datum Medis & Persis*, utique verba illa non de successoribus Belsazaris in regno Babylonico, sed de translatione, vel universali totius regni mutatione intelligenda sunt. Nam ipse Daniel hanc interpretationem nobis subministrat *v.* 26. ubi inquit ad Belsazarem: *Mene*, h. e. *numeravit Deus regnum tuum*, & COMPLEVIT ILLUD. Luth. hat vollendet. Quo verbo significare voluit, circumactam esse periodum Regni Babylonici, & fato jam distrahi illud atque aliò transferri. Id quod res etiam atque eventus declaravit. Capta enim est Babylon, quo finis Monarchiæ ejus conspectior esset, & ad gentem aliam imperii summa devoluta est; ut jam dubium nullum esse possit, quin alia etiam Monarchia nova constituta sit. Cumque Daniel aliud hoc regnum dicat, non fas est dubitare, quin diversum à superiori intelligi velit.

XII.

QUÆSTIO II.

Anne Babylon à solo Dario, an verò etiam à Cyro expugnata sit? & quare Daniel Propheta solum Darium, nomine Cyri suppresso, nominet, eumque Belsazari interfecto successisse dicat? Daniel. 5. vers. 31.

De hac quæstione tres occurrunt Scriptorum, tùm sacrorum, tùm profanorum sententiæ.

SENTENTIA I.

Quod solus Cyrus Babylonem expugnaverit.

XIII.

Omnes ferè Græci Scriptores expugnationem Babylonis soli Cyro adscribunt, excluso Dario: Unum excipio *Xenophontem*, qui scribit, Cyaxarem Medorum Regem, & Cyri avunculum, authorem fuisse belli inferendi, at Cyrum solum, gesti. Quoniam ipse Cyrum in auxilium vocaverit, eumque magnâ cum exercitûs parte ad expugnandam Babylonem miserit; ipse verò aliquâ exercitûs parte ad custodiam Regni in Media remanserit. Quare expugnationem Babylonis, omnemque ejus victoriæ gloriam, soli Cyro adscribit. *Propter tres autem causas* Græci Scriptores *soli Cyro* Babylonis expugnationem tribuunt.

1. *Ex magna erga Persas affectione.* Nam *Strabo lib.* 15. scribit, quòd Græci semper Persas maximo favore prosequuti sint.

2. *Ex annalium Persicorum testificatione.* Scribunt Græci, se ita reperisse in annalibus Persarum, qui omnem ejus victoriæ laudem Regi suo Cyro adscripserant.

3. *Ex perbrevi Darii regimine.* Nam Darius Medus exiguo tempore Monarchiæ Babylonicæ præfuit, nempe, uno tantùm anno; vel, juxta alios, biennio. Postea regnum ejus ad Cyrum ejusque successores translatum fuit, idemque ultra 200 annos duravit.

SENTENTIA II.

Quod solus Darius Babylonem expugnaverit.

XIV.

In vaticiniis Prophetarum ab ipso Deo prædictum est, quòd velit per Medos regnum Babylonicum destrui. Nam *Jesai.* 13. 17. inquit: Ecce ego suscitabo super eos MEDOS, qui argentum non quærant, nec aurum velint; sed sagittis parvulos interficient, & embryonibus non parcent. Et *Jerem.* 51. 11. inquit: Suscitavit Dominus SPIRITUM REGUM MEDORUM, & contra Babylonem mens ejus est, ut perdat eam; quoniam ultio Domini est.

Verùm hæc dicta non *exclusivè* sunt intelligenda, quasi Deus tantùm per Medos, Persis exclusis, regnum Babylonicum everti voluerit; sed *inclusivè*; uti ex iis, quæ mox dicemus, patebit.

SENTENTIA III, ET VERA.

Quod uterque, nempe & Darius Medus, & Cyrus, simul Babylonem expugnaverint.

XV.

1. *Ex Prophetarum oraculis. Jesaiæ.* 21. 2. inquit Deus: *Adscende, Elam; obside, Mede.* Ubi per *Elamitas*, Deus intelligit Persas; per *Medum*, Medos: qui conjunctis copiis & viribus Babylonios oppugnarunt. Hosce autem Persas atque Medos Deus per Apostrophen alloquitur, eosque ad obsidendam oppugnandamque Babylonem evocat atque hortatur. Deinde *v.* 7. narrat Propheta, quòd speculator, qui pro urbe Babylonis excubias agebat, in specula viderit, nempe *duos equitum ordines*; quorum unus camelis, alter mulis veheretur. Quibus verbis duo populi, Medi & Persæ, innuuntur. Quia fortè alteri camelis, alteri crebriùs mulis usi sunt. *Jerem.* 50. *v.* 9. inquit Deus: Ecce ego suscitabo & adducam in Babylonem *congregationem gentium*. h. e. Medorum & Persarum. *Daniel.* 5. *v.* 28. inquit Daniel Propheta, scripturam prodigiosam interpretans,

tans, ad Belſazarem ultimum Babylonis Regem: *Phares*, h. e. Regnum tuum diviſum, & datum eſt Medis & Perſis. Ubi etiam voce *Peres* ad Perſas alludit; uti quidam volunt: Et de Dario Medo *Daniel.* 5. 31. expreſſè dicitur, quòd Belſazaris regnum acceperit.

XVI.

2. *Ex typis.* Idem in ſtatua illa ingenti, quam Nebucadnezar in ſomno vidit, patet. Nam Monarchia II. per *duo brachia argentea* adumbrata eſt, à quibus *caput aureum* ſubvertendum erat. Quo typo adumbratum, quòd Medorum & Perſarum Principes conjunctim Monarchiam Babylonicam deſtructuri, & aliàs Medorum, aliàs Perſarum Reges Monarchiam iſtam adminiſtraturi eſſent. Quam ſententiam etiam *Joſephus lib.* 10. *Antiquit.* approbat.

XVII.

DUBIUM.

At *ſi porrò quis quærat*: Si *Darius atque Cyrus Babylonem conjunctim expugnarunt; quare igitur Daniel Propheta, ſuppreſſo Cyri nomine, ſolum Darium nominet, eique ſucceſſionem in regno tribuat? Dan.* 5. 31. *& 6.* 1.

Nos reſpondemus, factum hoc eſſe quadruplicem ob cauſam.

Prima eſt φυσικὴ, ſive χρονικὴ, h. e. factum eſt *propter ætatis ordinem atque dignitatem.* Nam Darius tum temporis vir grandævus erat. Quia, teſte *Daniele* 5. 31. annos 62 natus erat. Contra autem Cyrus erat vir juvenis cum ipſo comparatus. Nam 40 annorum erat, cùm imperium ſuſcepit; uti *Cicero lib.* 1. *de divinatione* ſcribit.

Secunda erat οἰκονομικὴ, ſive συγγενικὴ. Sic factum eſt *propter conſanguinitatis authoritatem.* Quia Darius erat Cyri abavunculus atque ſocer. Ideoque Cyro inſtar parentis erat, quemque Cyrus tanquam filius revereri voluit, tradendo ei ἀξίωμα imperii Babylonici.

Tertia erat πολιτικὴ. Sic factum eſt *propter Regni Medici Majeſtatem.* Nam regnum Medorum & majus, & tum temporis excellentius regno Perſarum fuiſſe Hiſtorici ſcribunt.

Quarta erat πολεμικὴ. Sic factum eſt *propter belli illius originem.* Darius belli illius gerendi Princeps atque author fuerat: Cyrus verò quaſi *coadjutor* ejus in auxilium ab eo accitus eſt.

XVIII.

II. REGNI CONSTITUTIO atque ADMINISTRATIO. *Daniel Propheta cap.* 6. *v.* 2, 3. de Dario ſcribit, quòd Regni adminiſtrationem prudenter inchoaverit. Nam quia ipſe ætate gravis, & ſolus omnibus regni negotiis expediendis impar erat, Magiſtratus inferiores ordinavit, qui toti Regno præeſſent. Illique erant duplices: Toparchæ & Eparchi. *Toparchæ* (aliàs Satrapæ dicti) erant, qui provinciam ſingulis attributam gubernabant. Horum erant 120. Quia Darius Regnum in tot præfecturas partitus erat, ut ſinguli ſingulas præfecturas curarent. *Eparchi* erant Triumviri ſupra Toparchas iſtos conſtituti, qui rationes adminiſtratæ Reipubl. ab illis exigerent, ut Rex minori cum moleſtia, & majori cum fructu ſubditorum, regnum adminiſtrare poſſet. Verſio Græca Aldina & Hervagiana vocat Τακτικὸς, quaſi dicat *Ordinatores*, qui nempe omnia in regno ordinandi poteſtatem haberent, ordinem cæteris præſcriberent, eoſque in officio continerent. In illa autem Eparchorum aut Triumvirorum ſenatu *Daniel* principem locum obtinebat. *Dan.* 6. 2. Nam in Chaldæo textu exſtat vocula ראשׁ, quæ non reddenda eſt *unus* (ut ſit in verſione vulgata:) ſed *primus.* Quia h. l. eſt nomen numeri, non numeralis, ſed ordinalis; ſicut etiam ſæpe apud Ebræos uſurpatur.

ERROR.

Undo patet, erraſſe *Freculphum Epiſcopum Lexovienſem*, qui *Chronici ſui tomo* 1. *lib.* 3. *c.* 18. ſcribit, Darium CCCLX Satrapas ſuper regnum ſuum conſtituiſſe. Quem errorem hauſit ex *Joſepho*, qui *lib.* 10. *Antiqu. Judaic. c.* 10. *p.* 278. ita ſcribit: Daniel erat unus è tribus ſummis Satrapis, qui ſub ſe habebant alios 360 Satrapas. Tot enim à Dario primùm inſtituti ſunt. *Hæc Joſephus.* At manifeſtus hic eſt error. Nam expreſſis verbis *Daniel Propheta cap.* 6. *v.* 1. dicit, quòd Darius conſtituerit ſupra regnum Satrapas CENTUM VIGINTI.

XIX.

Quomodo autem *Rex Darius erga Danielem ſeſe geſſit?* Breviter reſpondeo. Sicut Darius fuit πολύτροπος: ita quoque erga eum ſeſe geſſit πολυτρόπως. Quod ut meliùs intelligatur, totum actum tribus propoſitionibus includam; nempe Darius erga Danielem ſeſe geſſit. I. *in ortu* benè. II. *in progreſſu* partim malè, partim benè. III. *in egreſſu* optimè.

XX.

PROPOSITIO I.

Darius erga Danielem in ortu ſeſe geſſit benè.

Nam Danielem Prophetam (ut *Joſephus lib.* 10. *Antiqu. c.* 10. *p.* 278. ſcribit) aſſumtum ſecum duxit in Mediam, eumque in ſummo honore apud ſe habuit. Et ſtatim addit: Tam charus & honoratus apud Regem fuit, ut ei, tanquam viro divino, libenter de quovis negotio conſulenti pareret. *Hæc ille.* DIGNITAS autem *Danielis* duplex fuiſſe narratur. *Daniel.* 6. 2, 3. altera jam *collata*, altera *conferenda*. *Dignitas* jam *collata* erat πρωτοθρονία ſive primatus, non tantum inter Toparchas ſive Satrapas, ſed etiam inter Eparchos. Quoniam ſpiritus excellens erat in Daniele, h. e. ipſe donis Spiritus S. non tantum *ſanctificantibus* (ut, fide, timore Dei, ſpe, charitate, &c.) ſed etiam *miniſtrantibus*. (uti Theologi loquuntur) h. e. eximiis ſapientiæ, prudentiæ aliiſque donis præditus erat: eorumque reſpectu cæteris regni Proceribus præcellebat. *Dignitas* verò Danieli *conferenda* erat *Vicariatus* regni. Darius namque Rex partim ſenectutis incommodis, partim adminiſtrandi regni mole, partim denique donis, quæ in Daniele fulgebant, excellentibus adductus, illum univerſo Regno præficere, atque ita *Proregem* creare cogitabat. *Dan.* 6. 3.

XXI.

DUBIUM.

At *dubium hic oboritur*: An *rectè fecerit Daniel, quod ſe ipſum laudarit.* Nam de ſe ipſo ſcribit: quòd SPIRITUS EXCELLENS in ſe fuerit. Contra autem *Salomon Prov.* 27. *v.* 2. inquit: Ἐγκωμιαζέτω σε ὁ πέλας, καὶ μὴ τὸ σὸν στόμα: ἀλλότριος, καὶ μὴ τὰ σὰ χείλη. hoc eſt, *Laudet te alienus, & non os tuum; extraneus, & non labia tua.* Cum quo Adagio conſentit Chria *Themiſtii* apud Stobæum Sermon. 62. Οὐδὲν οὕτως ἄκαιρον φορτικὸν, ὡς τὸ καθ' αὑτὸν ἐπαινεῖν. h. e. Nulla narratio tam odioſa eſt, quàm ſui ipſius encomium. Unde vulgò dici ſolet: *Propria laus ſordet.*

RESPONSIO.

Gloriatio duplex eſt; *vana & vera.*

Gloriatio VANA eſt, quando homo de bonis, quæ habet, gloriatur ex ambitione & ſuperbia, quaſi ea à ſe habeat; neque Deo illa accepta refert. *Sic nemo glorietur.* 1. *de ſapientiâ ſuâ*; ut *Rex Aſſyriorum*, qui gloriabatur ſe in ſapientia ſua tot regna atque Reges populoſque & nationes ſubjugaſſe, *Jeſai.* 10. *v.* 13. 2. neque *de potentia ſua*; ut *Semacherib* Rex Aſſyriorum, qui gloriabatur, quòd in multitudine quadrigarum in altitudinem montium Libani aſcendiſſet. *Jeſai.* 37. 24, 25. 3. neque *de opulentia ſua*, ut Rex *Ezechias.* 2 *Reg.* 20. 2 *Paral.* 32. *Jeſai.* 38. 2. & *Cræſus* Rex Lydorum ob magnas opes ſuas beatum ſe prædicabat. Vide *Hiſtoriam Nebucadnez. in Monarch.* 1. §. 41. Huc pertinet graphicum illud monitum D. *Pauli.* 1 *Cor.* 4. 6, 7. Nemo ſupra id, quod ſcriptum eſt, de ſe ſentiat. Quid enim habes, ô homo, quod non accepiſti: quod ſi autem accepiſti, quid gloriaris? *luna* eſto, ô homo, & gloriæ tuæ omne lumen Deo, juſtitiæ *ſoli*, refunde.

Gloriatio VERA eſt, quando homo pius gloriatur non in ſe, ſed in Deo ejuſque donis nobis divinitus conceſſis. *Sic Gloriatio tribus temporibus eſt licita, & triplex eſt.* 1. *Gloriatio* εὐχαριστικὴ, hoc eſt, *gratiarum actionis.* Quando quis gratâ mente agnoſcit, & ſi neceſſitas flagitat, ex vera cordis humilitate deprædicat magna bona atque dona animi & corporis, quæ larga Dei benignitas ſibi conceſſit, idque tùm *in luce*, tùm *in cruce.* IN LUCE. Ut cùm D. *Paulus* inquit de ſe ipſo, 1 *Cor.* 15. 10. Gratiâ Dei id ſum, quod ſum, & gratia ejus, quæ eſt in me, non eſt inanis: ſed copioſiùs quàm illi omnes laboravi; non tamen ego, ſed gratia Dei, quæ mihi adeſt. Item 2 *Cor.* 11. 22. *ſeqq.* Ita David ad Regem Saulem dicebat 2 *Sam.* 17. 36. Et leonem & urſum interfeci EGO ſervus tuus: Erit igitur & Philiſtæus hic incircumciſus quaſi unus ex eis. IN CRUCE. Ut cum D. *Paulus* ait de piis & credentibus *Rom.* 5. 3. Gloriamur in afflictionibus. Ita poëta Chriſtianus de *Stephano protomartyre* N. Teſtamenti ait:

Ibat ovans animis, & ſpe ſua damna levabat.

2. *Gloriatio* διδακτικὴ καὶ ἀποδεικτικὴ, h. e. *informationis*, eſt, quando alios ad pietatem & conſtantiam, in Chriſtianiſmo exercendam, exemplo noſtro informamus. Ut cùm *Paulus* ait 2 *Tim.* 4. 7, 8. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ. 3. *Gloriatio* ἀπολογητικὴ, hoc eſt, *defenſionis*, quando contra homines improbos officium noſtrum vituperantes aut vitam noſtram dente Theonino lacinantes, innocentiam noſtram palàm demonſtramus, & juſtâ apologiâ nos purgamus. Uti D. *Paulus* fecit 2 *Cor.* 1. 12. Gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd cum ſimplicitate & ſinceritate Dei, non ſapientiâ carnali, ſed per gratiam Dei verſati fuerimus in mundo, abundantius autem erga vos.

Ita in *cap. 6. Danielis* reperimus duplicem Danielis gloriationem. 1. εὐχαριστικὴν, quando inquit *v.* 3. quod *spiritus excellentior* in se fuerit. 2. ἀπολογητικὴν, quando *v.* 22. inquit: Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi. Quia coram eo inventa est justitia in me, & coram te Rex delictum non feci.

XXII.

PROPOSITIO II.

Darius in progressu erga Danielem sese gessit partim male: partim bene.

1. MALE *sese gessit Darius erga Danielem*; idque tripliciter.

1. *Impium edictum in gratiam procerum suorum sanciendo, & promulgando.* Impium namque erat, quod Rex Darius publico edicto prohiberet, ne quisquam à quoquam vel Deorum vel hominum aliquid peteret, nisi à solo Dario, usque ad triginta dies. Hoc namque edicto Darius viam stravit Proceribus Danielem perdendi. Etenim illi nullam poterant invenire occasionem accusationis in Danielis gubernatione; sed sperabant, se eam inventuros in Danielis religione. Quoniam igitur hoc impium edictum obtinuerunt, lata fenestra opprimendi Danielem illis aperta est. *Dan. 6. 6, 7.*

2. *Edictum hoc impium sigillo suo obsignando.* Nam & hoc temerarium factum fuit, quo Rex & sibi & Danieli mœrorum magnum atque ingens periculum attraxit. Ut serunt namque hoc ipsum Proceres, quoniam edictum hoc regio annulo obsignatum esset, revocari illud non posse, nisi Rex authoritatem suam imminutam vellet. *Daniel. 6. 8, 9, 10, 11, 12, 13.*

3. *Edictum hoc impium exsequendo.* Nonne enim mirandum est, quod Rex Darius, qui Danielem in deliciis habebat, nihilominus tamen animum suum ab eo per Principes insidiatores abalienari passus sit, ipsorumque fraudulenta machinatione non observata, calumniis eorum fidem habuerit, atque Danielem innocentem contra conscientiæ dictamen in speluncam leonum conjiciendum demandarit? *Daniel. 6. 16.* Qui enim hominem innocentem liberare potest, illudque non facit, peccat contra charitatem Dei & proximi. *Prov. 24. 11.*

XXIII.

II. BENE *sese gessit Darius erga Danielem* triplici modo: *1. ante. 2. in 3. post conjectionem in lacum leonum.*

XXIV.

Primo: ANTE *conjectionem Danielis in lacum leonum bene sese gessit Darius, cum Principibus & Satrapis suis disceptando.* Cum enim Rex videret, se astute atque dolose à Principibus & Satrapis circumventum, ita ut technis eorum Propheta Daniel è medio tollendus esset; vehementer contristatus est, & animum adhibuit pro Daniele, ut liberaret eum, & usque ad occasum solis laborabat, ut eriperet eum. *Dan. 6. 14.* Unde liquet, quam diuturnum Dario pro Daniele certamen cum Principibus atque Satrapis fuerit.

XXV.

Secundo: IN *conjectione Danielis in lacum leonum bene sese gessit Darius, eum consolando.* Cum enim Rex importunitati Procerum instantium amplius resistere non posset, tandem compulsus est cedere, & præcipere, ut Daniel ad supplicium raperetur. Dictum, factum! Proceres, qui Danielem accusaverant, illi ipsi veloces pedes habebant ad effundendum sanguinem, nullaque suæ dignitatis habita ratione, carnifices fiunt, virumque innocentem, indicta causa, in lacum leonibus immanissimis refertum conjiciunt, ea spe freti, fore, ut Daniel illico ab illis crudeliter discerperetur & deglutiretur. In hoc autem tanto Danielis periculo Darius, qui audiverat, tres socios Danielis in camino Babylonis ardenti, in quem jussu Nebucadnezaris, in simili plane casu conjecti erant, miraculose conservatos esse, consolatus est Danielem, eumque hisce verbis, fide erga Deum, & benevolentia erga Danielem plenis alloquitur, dicens: *Deus tuus, quem tu colis jugiter, ipse liberet te! Dan. 6. 16.* Voti hujus sensus hic est: Ah mi Daniel! Ego quidem toto die cum Proceribus meis litigavi: urgent illi invariabilem edicti regii, quod mihi imprudenti extorserunt, authoritatem. Ideoque dicunt, non liberum mihi esse, eo in negotio dispensare, quod amplius in mea potestate non est. Fateor equidem, quod tu servus meus fidelissimus in vitæ periculum, mea imprudentia, sed certe non voluntate mea, incideris: Deus tuus, quem tu jugiter colis, vindex tuus erit.

XXVI.

Tertio: POST *conjectionem Danielis in lacum leonum Darius bene se erga Danielem gessit.*

1. *Lapidem super speluncam leonem positum obsignando. Daniel. 6. 17.* Allatusque est lapis unus, & positus est super os lacus, quem obsignavit Rex annulo suo, & annulo Optimatum suorum. Additur

finis: *ne quid fieret contra Danielem.* Quia Satrapæ videbant, leones à Daniele abſtinere eique parcere, metuebant, ne Rex mutata ſententia, eum rurſus extrahi incolumem juberet, aut etiam ipſe Daniel effugeret, ingentem lapidem ſuper os ſpeluncæ imponunt, ne inde egredi poſſet. Sed hoc eorum inſtitutum prudenti Regis Darii cura in emolumentum Danielis eſt converſum. Quoniam Rex lapidem illum obſignavit & ſuo & Procerum ſuorum annulo, ne vis ulla Danieli inferri poſſet.

2. *Ingentem ſuam triſtitiam declarando.* Nam *Daniel 6.* 18. dicitur, quod Rex Darius in palatium ſuum iverit, & manſerit ἄδειπνος (ſicut in Græca verſione redditur) h. e. incœnatus, & ἄϋπνος, h. e. pervigil. Mala namque conſcientia ingentem homini dolorem atque mœrorem affert. Unde *conſcientia* pulchre definitur, quod ſit *index* faciendorum, & *judex* atque *vindex* malefactorum, *vel*; quod ſit frenum ante peccatum, & flagrum poſt peccatum. *Exemplum* evidens h. l. habemus in Rege Dario. Hic enim licet tanti ſceleris non eſſet author; quia tamen conſenſerat, ſtimulis conſcientiæ adeo exagitatur, ut nec cibum, nec ſomnum capere poſſet.

XXVII.

PROPOSITIO III.

Darius in egreſſu erga Danielem ſeſe geſſit optime.

1. *Ad foveam leonum properando, deque ſtatu Danielis ſollicite interrogando.* Nam *Daniel.6.*19,20. legitur, quod Darius (qui totam noctem fuerat ἄδειπνος καὶ ἄϋπνος) ſummo diluculo ſurrexerit, feſtinanter ad antrum leonum perrexerit, & appropinquans lacui lamentabili voce Danielem inclamaverit, dicens: *O Daniel, ſerve Dei viventis! Deus tuus, quem jugiter colis, potuitne liberare te à leonibus?* Hæc verba tripliciter conſiderantur. 1. Προσφωνηματικῶς. Nam compellat Danielem honorifico titulo, eumque appellat SERVUM DEI, non *ſuum*; ideoque inſinuat, quod recte fecerit, non ſibi, ſed Deo vero inſerviendo. 2. Ἐγκωμιαστικῶς. Sic laudat eum ob conſtantiam, quod nempe Deum ſuum jugiter colat, nulliſque minis aut periculis à vero Dei veri cultu vel deterreri vel avelli ſe patiatur. 3. Ἐρωτηματικῶς, h. e. interrogative. Sic interrogatio hæc: *Deus tuus valuitne eripere te à leonibus?* non ita intelligenda eſt, quaſi de Dei potentia dubitaverit: (Nam ex pio & fideli Darii voto, quod *v.* 16. exſtat: *Deus tuus quem tu jugiter colis, is liberet te*, contrarium apparet.) Verum de Dei voluntate atque eventu incertus erat. Nam dona atque bona Dei corporalia cum conditione divinæ voluntatis petenda & exſpectanda ſunt, ſicut exemplum trium ſociorum Danielis (*Dan.*3.17,18.) oſtendit: *Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod ſi noluerit, notum ſit tibi, Rex, quia Deos tuos non colimus.*

XXVIII.

11. *De conſervatione ejus vehementer lætando, ejuſque extractionem è lacu leonum demandando.* Nam Daniel Regi ſuo reverenter reſpondet, eique incolumitatem diuturnam precatur, & poſtea *formam* & *finem admiranda conſervationis ſui narrat.*

FORMA *conſervationis* Danielis exprimitur ab eo hiſce verbis: *Deus meus* (h. e. in quem ego credo, cui confido & quem colo) *miſit Angelum ſuum, qui occluſit ora leonum, ut non laderent me. Dan.* 6.22.

FINIS *converſationis* Danielis fuit *demonſtratio innocentiæ ejus.* De quo Daniel ita ait *verſ.* 22. Quia coram eo inventa eſt juſtitia (puritas) in me; atque etiam coram te, ô Rex, maleficium non commiſi. q. d. Principes & Satrapæ hoſtes mei infenſiſſimi, ô Rex, coram te me accuſarunt, quod crimen læſæ Majeſtatis commiſerim, eo ipſo, dum mandato tuo ſpreto Deum meum invocaverim: atque eo rem deduxerunt, ut in lacum leonum conjectus ſim, ab immaniſſimis illis beſtiis dilaniandus, diſcerpendus & deglutiendus; at Deus me per Angelum ſuum medios inter leones ſedentem, ſalvum & incolumem conſervavit. *Ideo coram ipſo inventa eſt juſtitia in me.* h. e. Deus hac miraculoſa mei conſervatione publicum atque evidens teſtimonium perhibuit, me coram eo in præſenti cauſa innocentem eſſe: quin & tu, ô Rex mi, mihi teſtimonium perhibere cogeris, quod nullum adverſus te crimen aut maleficium commiſerim. Et hoc modo Daniel Deum & Regem innocentiæ ſuæ teſtem invocat.

His autem *auditis, Rex Darius vehementer eſt gaviſus ſuper eo.* Sicut enim antea Darius Danielis calamitate magno mœrore affectus eſt: Ita nunc viciſſim, cognita ejus incolumitate, valde lætatur, & abſque mora, non interrogatis prius Proceribus, è ſpecu leonum illum extrahi jubet. Et additur *v.*23. *Et nulla læſio inventa eſt in eo.* h. e. poſt diligentem explorationem ne minimum quidem læſionis veſtigium deprehendi potuit. Atque ita illuſtris hujus miraculi veritas etiam teſtibus multis conſtitit, ne quis illud in dubium vocare poſſet.

XXIX.

XXIX.

III. *Calumniatores Danielis severe vindicando.* Postquam enim Danielis innocentia, & calumniatorum ejus improbitas atque malitia, ab ipso Deo justo mundi Judice tam evidenter patefacta esset; Rex Darius, qui antea invitus adactus erat ad ferendam mortis sententiam in Danielem, ille nunc hostes Danielis volens morti adjudicat, & eodem supplicii genere, quo illi Danielem afficere cogitabant, ex lege talionis affecit. Nam jussit satellitibus suis, ut accusatores Danielis adducerent, eosque una cum uxoribus & liberis in foveam leonum præcipitarent. *Daniel. cap. 6. vers. 24.* Et statim in eod. v. additur EVENTUS. *Et non pervenerunt ad fundum lacus, cum dominium in ipsis leones exercuerunt, omniaque ossa eorum comminuerunt.* Magnum sane hoc miraculum fuit, quod leones bestiæ feroces atque crudeles innocentem Danielem in medio eorum sedentem non læserint, sed erga hostes ejus consuetam suam immanitatem atque sævitiam ostenderint. Neque enim exspectaverunt, donec in terram deciderent; sed sublimes in aëre exceptos discerpserunt, ossaque illorum comminuerunt. *Josephus lib. 10. Antiq. Judaic. cap. 12. pag. 278, 279.* addit, quomodo patuerit, leones à laniena Danielis divinitus cohibitos fuisse. *Verba ejus hæc sunt*: Inimici Danielis, videntes ei nihil mali accidisse, noluerunt hoc Dei providentiæ tribuere, sed causam referentes in *leonum saturitatem*, ausi sunt etiam apud Regem hoc asserere. At ille offensus eorum malitia, jussit multum carnium objici leonibus, & illis jam saturatis inimicos Danielis in foveam conjici; ut appareat, si propter saturitatem eos non attingant: ac tum demum evidentissimum fuit, vatem ope divina esse servatum. Nam nemini ex eis pepercerunt; sed non secus, acsi fuissent famelici & alimentis caruissent, sine mora eos dilaniaverunt: acuit autem ferarum rabiem, non vexatio famis, quæ jam eis exemta fuerat, sed objectorum malitia, Deo sic volente, ut ne bruta quidem eam impunitam sinerent.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

XXX.

Cum Darius ingens illud miraculum, vereque divinum, tum Danielis medios inter leones conservati, tum accusatorum ejusdem ab illis absorptorum videret, sui officii esse cogitavit, publicum promulgare edictum, ad omnes ditionum suarum subditos, de Deo vero Danielis colendo.

EDICTUM autem illud hisce conceptum verbis exstat *Daniel. 6. vers. 25, 26, 27. Tunc Darius Rex scripsit omnibus populis, nationibus, & linguis, habitantibus in universa terra: Pax vestra multiplicetur! A me constitutum est decretum, ut in universo imperio & regno meo, tremant ac timeant à conspectu Dei Danielis. Quia ipse est Deus vivens & subsistens in secula, & regnum ejus non destruetur,* (dissipabitur) *& potestas ejus usque in æternum. Ipse est liberator & servator, faciens signa atque miracula in cœlo atque in terra, qui liberavit Danielem ex faucibus leonum.*

XXXI.

Hujus autem Edicti regii tres sunt partes. 1. EXORDIUM. 2. PROPOSITIO. 3. CONFIRMATIO.

XXXII.

1. EXORDIUM continet *Salutationem*, quâ omnibus Regni sui incolis pacem, h. e. tranquillitatem, quietem, atque felicitatem optat; sicut etiam Rex Nebucadnezar facit. *Daniel. 3. vers. 96.* Nam finis Regni atque Reipubl. cujusvis debet esse pax subditorum. Quò etiam tendit parænesis illa *D. Pauli 1 Tim. 2. vers. 2.* in qua docet, ad hunc finem constitutos esse Magistratus, ut sub illorum gubernatione & tutela tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate & honestate. In eandem sententiam *D. Augustinus* duas species Reipubl. constituit, terrenam unam, alteram cœlestem; easque finibus ita distinguit *lib. 1. de Civitat. Dei. c. 14.* Omnis (*inquit*) usus rerum temporalium refertur ad fructum terrenæ pacis in civitate terrena; in cœlesti autem civitate refertur ad fructum pacis æternæ.

XXXIII.

II. PROPOSITIO est, *ut omnes subditi Deum Danielis tremant, atque timeant*, h. e. *filiali timore colant.* Hinc discimus admirabilem Dei providentiam, quod ipse corda Regum pro arbitrio immutare possit; sicut dicitur *Proverb. 21. vers. 1.* Sicut rivi aquarum; ita cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud. *Exemplum* h. l. habemus in *Dario* Rege, qui primo ἄθεος erat, & à proceribus suis seductus edictum promulgabat, ne quis intra 30 dies à quoquam vel Deorum vel hominum aliquid peteret, nisi à se solo. *Daniel. 6. v. 9, 12.* Postea vero ἔνθεος καὶ θεόφιλος factus mandatum de vero Danielis Deo colendo promulgavit. Ibidem.

XXXIV.

III. CONFIRMATIO, in qua edicti regii *rationes* continentur, quæ tres ſunt.

Prima deſumta eſt *à Dei immortalitate & æternitate. Nam* (inquit) *ipſe eſt Deus vivens, & in ſecula ſubſiſtens.* Q. d. omnia idola, quæ loco Deorum coluntur, ſunt ſimulacra ex auro & argento facta, & opera manuum hominum: *os* habent, & non loquuntur; *oculos* habent, & non vident; *aures* habent, & non audiunt; *nares* habent, ſed non odorantur; *manus* habent, ſed non palpant; *pedes* habent, ſed non ambulant: non meditantur in *gutture* ſuo. Similes illorum ſunt, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. *Pſal.* 115. *v.* 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8.

Secunda deſumta eſt *à Regno Dei incorruptibili & æterno.* Nam (inquit) *Regnum ejus non corrumpetur, & dominatus ejus uſque ad finem durat.*

Tertia deſumta eſt *à potentia Dei infinita*, tum *intenſiva*: quia tanta præditus eſt potentia, ut pios ex omni periculorum genere eruere poſſit. tum *extenſiva*: Quia Majeſtatem ſuam miraculis atque prodigiis patefecit, non in uno aliquo loco, ſed in cœlo & in terra: idque declarat ſpeciali exemplo, quod nempe Danielem medios inter leones conſervarit, ubi nulla potentia humana conſervari potuiſſet.

XXXV.

FRUCTUS hujus mandati Regii ſubjungitur *Daniel.* 6. *v.* 28. *Et Daniel proſpere egit in Regno Darii, & in Regno Cyri Perſæ.* Quibus verbis inſinuatur non tantum *proſperitas Oeconomico-Politica*, quod ſtatus ipſius, qui initio fuit aſper, poſtea factus ſit proſper; ſed etiam *Eccleſiaſtica proſperitas* intelligitur, quod nempe Daniel ejuſque religio, non modo ſub Darii, ſed etiam ſub Cyri imperio innotuerit, inque maximo honore fuerit.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

XXXVI.

DArius in Monarchia II regnavit juxta quoſdam hiſtoricos annum, juxta alios, biennium, cum Cyro conſobrino atque genero ſuo, cui etiam Regnum integrum dotis loco promiſit & moriens legavit. Quæ etiam Monarchia apud Perſas manſit uſque ad Alexandrum M. qui finem ei impoſuit, devicto & occiſo ultimo Perſarum Rege, Dario Codomanno. Atque ita Monarchiæ II Dynaſtia cum Dario Medo cœpit anno M. 3434, & deſiit anno M. 3436.

REGULA POLITICA.

Nomina Regum ſæpe ſunt fatalia.

H. e. *quando periodus regni vel familiæ evoluta eſt, tum nomina Regis primi atque ultimi plerumque congruunt.*

EXEMPLA.

Exempla hujus regulæ illuſtria habemus.

I. In MONARCHIA SECUNDA, quæ erat Medo-Perſarum. Nam Darius Medus Regnum Perſarum fundavit: cum Dario vero Codomanno, qui ultimus Rex Perſarum fuit, Regnum concidit.

II. In MONARCHIA QUARTA habemus tria illuſtria exempla.

Nam *primo* ſub AUGUSTO, ſecundo Romani Imperii *Monarcha*, Italia floruit: ſed ſub AUGUSTULO robur Italiæ exſtinctum eſt.

Ubi diligenter obſervandum, *Auguſtulum* (qui puer adhuc ab Oreſte patre ſuo Imperator conſtitutus eſt A. C. 475.) imperare cœpiſſe anno 500, poſtquam Senatus Romanus Octavianum Cæſarem primum *Auguſti* appellatione ſalutaverat & honoraverat. Fato ergo quodam Romani ultimum hunc Occidentalis imperii Principem, qui puer erat, diminuto nomine *Auguſtulum* appellarunt; ut intelligeretur, nunc demum anno 500 à nata appellatione Auguſti, una cum vocis mutatione, ipſam quoque Auguſtalem dignitatem, imperiique Romani Majeſtatem diminuendam, immutandam aut alio transferendam eſſe. Nam tantum 9 menſes regnavit, teſte *Onuphrio*, *Jornande*, *Diacono*. Etenim advenſus eum excitus *Odoacer* Rex Herulorum eundem depoſuit, & Imperio Occidentali finem impoſuit.

Secundo, CONSTANTINUS M. Conſtantinopolin & Orientis imperium inſtauravit; CONSTANTINUS *Palæologus* ultimus amiſit. Atque ita urbi huic idem accidit, quod Oraculi verſu Macedonibus ſignificatum fuit, ut Conſtantini nomen urbi fatale, & Conſtantinus imperans ἀγαθὸν τῇ πόλει eſſet.

Tertio CAROLUS M. imperium Occidentale reſtituit. Et ſub *Carolo Craſſo* ſtirps Carolina defecit.

Ita quoque PHILIPPUS pater Alexandri M. Rex Macedoniæ Regnum Macedoniæ inſtauravit, & cum PHILIPPO ultimo Perſei patre concidit.

Unde patet, quod Regna ſæpe ſub iis Regibus deficiant, concidant & mutentur, qui eorundem Regnorum conditores ac fundatores nomine referunt.

USUS.

I. DE DARIO REGE.

In Dario Medo nobis proponitur elegans ſpeculum tum *virtutum*, tum *vitiorum*.

Spe-

Speculum virtutum.

Virtutes in Dario nobis exhibentur quinque. 1. *Pietas*. 2. *Prudentia*. 3. *Clementia*. 4. *Juſtitia*. 5. *Humanitas*.

1. PIETAS.

Pietas Darii ex *edicto ejus* eluceſcit, quod nempe omnibus populis, tribubus, & linguis, habitantibus in omni terra, ſtupendum illud Dei miraculum de Daniele medios inter leones conſervato, per edictum regium notum facit, atque præcipit, ut deinceps deſerta gentili ſuperſtitione Deum verum Danielis colant. *Daniel. 6. verſ.* 25, 26, 27. De quo in §. 30. plura vide.

PARÆNESES.

Hujus *Darii exemplum omnes Principes terræ imitentur*: qui non tantum veram religionem colant, (Nam optimum & tutiſſimum Principis munimentum eſt pietas. Nemo enim facile inſidiis petet illum, quem ob pietatem Deo curæ eſſe perſuaſum ſibi habuerit, inquit *Cyrus* apud *Xenophont. lib.* 8. *pæd.* Et: Super omnia præclara, quæ Regnum habet, pietatis cultuſque divini corona Regem exornat; inquit *Agapetus in expoſit. parænet. Tom.* 1. *Orthod. pag.* 185.) ſed etiam veram religionem apud ſubditos promoveant. Sicut *Rex David* Reges terræ monet *Pſalm.* 2. *v.* 10, 11, 12. Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore, & exſultate ei cum tremore. *Oſculamini filium*, ne quando iraſcatur. Hic quando Reges jubentur *filium Dei oſculari*, intelligitur non tantum *oſculum amoris*; ſed etiam *honoris*, *reverentiæ atque ſubjectionis*, quod huic Regi ſua ſceptra ſubmittere, ipſique ſervire & poteſtatem divinitus acceptam ad Regni hujus propagationem & defenſionem convertere debeant. Ita de JOSEPHO Ægypti Prorege *Pſalm.* 105. *v.* 22. dicitur, quod Principes Pharaonis erudierit, juxta voluntatem ſuam, & ſenes ejus ſapientiam docuerit. JOSUA ſucceſſor Moſis deductionem arcæ fœderis Levitis demandavit, fœdus inter Deum & populum renovavit, ac plurima, quæ ad religionis & cultus divini conſtitutionem pertinebant, ſuſcepit. *Joſuæ* 5. 8, 24. GEDEON antequam contra Midianitas pugnaret, aram Baalis deſtruxit, *Judic.* 6. DAVID arcam fœderis ex ædibus Obed-Edom reduxit. 2 *Sam.* 6. *verſ.* 12. 1 *Paral.* 13. *v.* 2. SALOMON ab officio removit Abjatharem ſummum Sacerdotam, & Sadocum in locum illius ſubſtituit. 1 *Reg.* 2. *v.* 27. ASA Rex *Juda* fecit, quod bonum & placitum erat in conſpectu Domini, altaria idololatrica ſubvertit, excelſa & ſtatuas confregit, lucoſque ſuccidit, effeminatos de terra abſtulit; purgavitque univerſas ſordes idolorum, quæ fecerant patres ejus. 1 *Reg.* 15. *v.* 12. 2 *Paral.* 14. *v.* 3. retulit res conſecratas patris ſui, & res conſecratas à ſe, in domum Domini, aurum, argentum, & vaſa. 1 *Reg.* 15. 15. ac præcepit Juda, ut quæreret Dominum Deum patrum ſuorum, & faceret legem & univerſa mandata. 2 *Paral.* 14. *v.* 4. renovavit altare Domini & ſubditos fœdus cum Deo inire, idque juramento confirmare juſſit. 1 *Paral.* 15. *v.* 8. *ſeqq.* JOSAPHATUS *Aſæ filius* excelſa & lucos de filiis Juda abſtulit. 2 *Paral.* 17. *v.* 6. ac miſit Principes & Sacerdotes, qui circumirent in toto Regno, ac populum in lege inſtituerent. *v.* 7. h. e. abolevit cultus idololatricos, & viſitatores ablegavit, quando & ipſe egreſſus ad populum de Berſabe uſque ad montes Ephraïm revocavit eos ad Dominum Deum patrum ſuorum. 2 *Paral.* 19. *v.* 4. conſtituit inſuper Sacerdotes & Levitas & Principes familiarum ex Iſraël ad judicium Domini & controverſias ejus, illiſque certa præcepta propoſuit. *v.* 8. *& ſeqq.* JOAS inſtauravit ruinas templi. 2 *Reg.* 12. *v.* 4. 2 *Paral.* 24. *v.* 4. EZECHIAS Rex primo ſtatim anno menſe primo regni ſui valvas domus Dei aperuit, eaſque reſtauravit. 2 *Paral.* 29. *v.* 3. excelſa diſſipavit, ſtatuas contrivit, lucos ſuccidit, ſerpentem æneum confregit, cui Iſraëlitæ adolebant incenſum. 2 *Reg.* 18. *v.* 4. inſtituit reformationem cultus divini atque templi, iniit fœdus cum Domino, & conſtituit Levitas in domo Domini, cum cymbalis & pſalteriis. *v.* 5, 10, 25. celebrationem Paſchatos in uſum revocavit, & populum ad verum Dei cultum reduxit. *cap.* 30. JOSIAS librum legis ab Helkia Sacerdote repertum publicavit, & univerſo populo prælegi curavit: præcepit etiam Sacerdotibus, ut vaſa idololatrica templo ejicerent: delevit Camarim, quos poſuerant Reges Juda ad adolendum in excelſis, atque inſtrumenta idololatriæ è medio removit. 2 *Reg.* 23. 2 *Par.* 34. fecit Domino phaſe, Sacerdotes in officiis ſuis conſtituit, coſque hortatus eſt, ut miniſtrarent in domo Dei. 2 *Paral. c.* 25. NABUCHDONOSOR *Rex Babylonis* publico edicto Deum verum Iſraëlis coli præcepit, & blaſphemias contra Deum ſub pœna mortis prohibuit. *Daniel.* 3. *v.* 29. Unde Principes Chriſtiani dicuntur *Eccleſiæ nutritii*, *Jeſai. cap.* 49. *v.* 22. atque ad muros ejus ædificandos conſtituti. *Jeſai. cap.* 60. & *Clypei terræ*, *Pſalm.* 47. *verſ. ult.* Huc graphica & emphatica pertinet ſententia, quam *Reccaredus Rex* in concilio Toletano III graviſſime & prudentiſſime protulit hiſce verbis: Non in iis tantummodo rebus diffundimus ſolertiam noſtram,

noſtram, quibus populi, ſub noſtro regimine poſiti, pacatiſſimè gubernentur & vivant; ſed etiam in adjutorio Chriſti extendemus nos ad ea, quæ ſunt cœleſtia, cogitanda, & quæ populos fideles faciunt, ſatagimus non neſcire. *Tom.* II. *Conc.* §. 863. Similiter *Juſtiniani Imp. vox* memoratu digna eſt, quæ exſtat *Novella* 8. Non minor nobis cura eſt horum, quæ ſanctiſſimis Eccleſiis proſunt, quàm ipſius animæ.

II. PRUDENTIA.

Prudentia quoque *Darii* effulget *ex Conſiliariorum ordinatione*. Nam *Daniel. 6. verſ.* 2, 3. legitur, quod ipſe Regni gubernationem prudenter inchoaverit: quando magiſtratus inferiores ordinavit, nempe Toparchas & Eparchos, qui toti Regno præeſſent. Vide §. 18.

Paræneſis.

Ita quoque Reges & Principes Conſiliarios bonos atque fideles eligant; juxta exemplum *Moſis. Exod.* 18. 21. *Davidis.* 2 *Sam. cap.* 8. *v.* 14. *c.* 10. *verſ.* 23. 1 *Paral.* 28. *v.* 1. Et *Pſalm.* 101. *v.* 6, 7. *Salomonis.* 1 *Reg. cap.* 2. *v.* 28. & *Joſaphati.* 2 *Paral.* 19. 4. Nam Conſiliarius optimus eſt res etiam Regibus ipſis præſtantiſſima ac utiliſſima: inquit *Iſocrates ad Nicoclem.* Ubi enim non eſt conſilium, populus corruit; inquit *Salomon* Rex ſapientiſſimus, *Proverb.* 11. *verſ.* 14. Meminerit Princeps, quòd conſilium ſit res ſacra, ἱερὸν τὸ βουλὴ, quodque res ſit ſecura conſiliis fidelibus; uti pulchrè *Baptiſta Mantuanus* ait. Et *Syracides cap.* 10. *verſ.* 5. ait: In manu Dei ſucceſſus hominis, & ſuper faciem Scribæ (Cancellarii) imponet honorem ſuum. *Lutherus* reddit: Es ſtehet in Gottes Händen/ daß es einem Regenten gerahte: derſelbe gibt ihm einen löblichen Cantzler. Tunc enim Reges atque Principes verè beati in terris ſunt, juxta apophthegma *Sigiſmundi Imp.* ſi, excluſis ſuperbis, manſuetudinis, humanitatiſque cultores in curiam adſciſcant. Et *Conſtantius Chlorus*, Conſtantini M. pater, ſapientes pioſque homines, veritatem Dei firmo animo ſemper profeſſos, ſtipatores ſuos, ipſiuſque Regni cuſtodes conſtituit, inquiens: Id genus homines in præcipuis maximeque neceſſariis amicis ac familiaribus numerandos eſſe, multoque pluris quam æraria ingenti theſauro referta meritò æſtimandos. *Euſeb. de vita Conſtant. lib.* 1. *c.* 11. Unde liquet, quam perniciioſum ſit conſilium *Machiavelli*, qui Principem ſuum ad contemtum conſilii informat.

III. CLEMENTIA.

Darius cum Cyro Coadjutore ſuo, occupato regno Babylonico, victos atque deditos non crudeliter trucidarunt, ſed potiùs humaniter tractarunt: Etenim non tam rei militaris gloriâ, quàm benè Rempubl. togatam regendi peritiâ, clari eſſe ſtuduerunt, ſicut *Cyrus* apud *Xenophontem lib.* 9. *Cyropæd.* Gobryæ reſpondet: Καὶ μὲν δὴ μοι ἐπιδεικνύσαι τὰ ἔργα πολὺ ἥδιον φιλανθρωπίας, ἢ σοφρονίας, h. e. Multò profectò mihi jucundius eſt humanitatis opera demonſtrare, quàm rei militaris. Idem probè conſiderans *Carolus* V, Imperator ille glorioſiſſimus, Antonio Levæ, aliiſque Ducibus, Julii C. & Alexandri M. exempla laudantibus, neque uti ſcire Carolum ſuis victoriis ad potentiæ & magnitudinis incrementum, aſſerentibus & conquerentibus, graviſſimè in hæc verba reſpondit: *Alexandro & Julio* ſolum honorem & gloriam fuiſſe propoſitam pro ſcopo: ſibi verò & omnibus Chriſtianis Principibus ad honorem ſic reſpiciendum & gloriam, ne, dum illam aucupentur, animæ ſalutem deperdant. Quare Duces belli felices victoriâ ſuâ rectè utantur, ut Deo quoque actionum ſuarum rationem reddere poſſint.

IV. JUSTITIA.

Darius Rex juſtitiam ritè exercuit objectorum diverſorum reſpectu.

PRIMO: ERGA DANIELEM; *eum innocentem abſolvendo.* Nam cognitâ Danielis medios inter leones ſedentis incolumitate, valdè exhilaratus eſt, & abſque mora, non interrogatis priùs Proceribus, illum è lacu extrahi juſſit, eumque ab intentatis criminibus immunem & inſontem pronunciavit. *Daniel. 6. v.* 23.

REGULA.

Sæpe Magnates mirandis Dei judiciis ita moveri videmus, ut, quos vident à Deo abſolvi in cœlis, eos quoque ipſi abſolvant in terris.

Exempla habemus. 1. *In* DARIO Rege, qui motus Dei judicio è cœlis patefacto, Danielem abſolvit. *Daniel. cap. 6. v.* 23. 2. *In* M. ANTONINO *Philoſopho, Imperatore Romano.* Hic A. C. 175. primò iracundiâ adverſus Chriſtianos exarſit, quod, propter ipſorum in exercitu Romano præſentiam, in tantas ſe & exercitum ſuum angustias ab iratis Diis conjectum putabat: poſtea verò, Deo è cœlis teſtimonium pietati eorum perhibente, eos abſolvit; uti patet ex ipſius epiſt. quæ Juſtini martyris apologiæ, pro Chriſtianis ſecundæ,

dæ, eſt annexa. 3. *In* ANTONINO PIO: Qui anno C. 153. edictum pro Chriſtianis promulgavit Epheſi, in totius Aſiæ Concilio, tale: Si quiſpiam, inquit, cuiquam Chriſtiano, quia Chriſtianus ſit, pergat moleſtiæ quicquam aut criminis inferre, ille, cui crimen illatum erit, etiamſi re ipſa Chriſtianus deprehenſus ſit, *abſolvatur*. Qui autem illum accuſaverit, juſtum debitumque ſupplicium ſubeat.

SECUNDO: ADVERSUS DELATORES *Danielis, eos ſeveriſſimè puniendo*. Poſtquam enim Danielis innocentia, & delatorum ejus virulenta calumnia atque malitia, ab ipſo Deo, juſto mundi judice tam evidenter patefacta eſſet; Rex Darius, qui invitus antea adactus erat ad ferendam mortis ſententiam in Danielem; nunc hoſtes Danielis magno cum zelo morti adjudicat, & eodem ſupplicii genere, quo illi Danielem afficere cogitabant, ex lege talionis affecit. Nam illicò mandavit ſatellitibus ſuis, ut accuſatores Danielis adductos, unà cum uxoribus & liberis in foveam leonum præcipitarent. *Dan. cap. 6. v. 24.*

DUBIUM.

At *dubium* hic occurrit: *An juſtè fecerit Darius, quòd non tantùm accuſatores Danielis ſed etiam, eorum liberos atque conjuges, propter delictum patrum atque maritorum, ſupplicio, & quidem tam gravi, affecerit.* Videtur enim hoc exemplum repugnare juri naturæ & divino. Nam *Deuter. 24. v. 16.* exſtat: Ne occidantur patres pro filiis, neque filii pro patribus: ſed quiſque propter peccatum ſuum moriatur. Et *Ezech. cap. 18. v. 20.* Non portabit filius iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impii erit ſuper eum.

RESPONSIO.

Juſtum fuit illud *ſupplicium* triplici reſpectu.

I. *Propter delicti ipſius rationem.* Nam accuratè hic diſtinguendum eſt inter *delictum privatum*, atque *publicum*.

Propter delictum PRIVATUM nemo ſupplicio affici debet, niſi ille, à quo perpetratum eſt. Atque ita intelligenda ſunt loca *Deut. 24.* & *Ezech. 18.* allegata.

Verùm *propter delictum* PUBLICUM ſæpè plures perſonæ juſtè occiduntur. Ita *juris gentium eſt*, propter crimen læſæ Majeſtatis totas familias ſupplicio affici. Cujus juris rationem expoſuit *Seneca lib. 1. de clementia cap. 8.* editionis Dionyſii Gothofredi JCti. Nam parentes (inquit) liberique eorum, qui interfecti ſunt, & propinqui, & amici, in locum ſingulorum ſuccedunt, quaſi dicat, totidem conjurati ſunt in Principis perniciem. *JCti* addunt hanc rationem, quòd paterni ſceleris exemplum in illis metuendum ſit. Eſt enim portio parentum liberis ingenita, per quam vivunt, aluntur & ſentiunt: Nec iniquum eſt, cùm ſint illorum, etiam habere, quæ ſunt illorum; ait *Plutarch. in lib. de ſera Num. vindicta. Confer. lib. 5. C. de crim. laſ. Majeſt. Weſenb. in Parat.* ad hunc locum. *Alciat. 1. præſumt. 24. Scipion. Gentil. Tract. de Juriſdict. lib. 3. cap. 4.* Unde etiam Divi Imperatores *Arcadius & Honorius* exſtincta Talniæ conſpiratione, in eo reſcripto, quod exſtat in Cod. Tit. ad legem Juliam Majeſtatis, hiſce verbis utuntur: *Paterno deberent perire ſupplicio, in quibus paterni*, h. e. *hæreditarii criminis exempla metuuntur.*

Jam verò Conſiliarii Darii Regis *crimen læſæ Majeſtatis* commiſerant tum in Regem, tum in Danielem. *In Regem.* Quia calumniis ſuis impium Regi decretum extorſerant, eumque metu adegerant hominem inſontem damnare. *In Danielem.* Quia eum velut intimum & primarium Regis Conſiliarum, qui totum Regnum fideliter & feliciter adminiſtrabat, calumniis oneraverant, eumque in ſpeluncam leonum, connivente & inſpiciente Rege, præcipitarant.

II. *Juſtum* illud ſupplicium fuit παραδειγματικῶς, h. e. *propter exempli conſiderationem.* Nam editum fuit propter exemplum, ut nempe alii, aliquâ ſaltem erga liberos uxoreſque ſuas commiſeratione, deterrerentur à tam atroci calumniæ crimine, quod tam atroci ſupplicio vindicaretur.

III. *Juſtum* fuit illud *ſupplicium* συγκοινωνικῶς, h. e. *propter delicti iſtius participationem.* Nam uxores atque liberi Conſiliariorum Regis Darii criminis illius procul dubio participes fuerunt, atque ex ambitione maritos atque patres ſuos adverſus Danielem inſtigarunt, aut certè conſilii & facti paterni approbatores exſtiterunt: ac proinde idem cum illis ſupplicium jure merito perpeſſi ſunt. *Exempla ſimilia* habemus. 1. In ACHAN, qui non tantùm ipſe, ſed etiam filii & filiæ, boves, aſini, greges, tentorium ejus, & omnia quæ habebat, juſſu ſummi Ducis Joſuæ lapidibus obruti & igni combuſti ſunt. *Joſua 7. v. 24, 25, 26.* 2. In HAMANE, qui cum decem filiis ſuis ſuſpenſus eſſe legitur. *Eſther. 9. v. 14.*

Unde patet, juſtum fuiſſe illud ſupplicium, quo Conſiliarii iſti una cum liberis & uxoribus à Dario affecti ſunt.

V. HUMANITAS.

Humanitatem Darius erga Danielem declaravit. eaque duplex fuit. 1. *Verbalis.* 2. *Realis.*

1. *Verbalis*, quam erga eum declaravit τῆς λόγοις sive verbis, cum nempe consolando. Cùm enim Daniel à proceribus velut carnificibus in speluncam abjiceretur, Darius eum hisce verbis, fide erga Deum & benevolentiâ erga Danielem plenis, alloquebatur, dicens: Deus tuus, quem tu colis jugiter, ipse liberet te. *Dan.* 6. 16. Vide *sup.* §. 25. *p.* 163.

2. *Realis*, h. e. quam Darius erga Danielem declaravit τῆς ἔργοις, h. e. factis. Quia lapidem illum, qui ponebatur super os speluncæ, in quam Daniel demissus, & bestiis objectus erat, annulo suo & annulo optimatum suorum obsignavit, ne quid contra Danielem fieret. *Daniel.* 6. 17. *Joseph. lib.* 10. *Antiq. Judaic. c.* 12. Vide §. 26. *pag.* 163.

Speculum vitiorum.

In hoc speculo quatuor vitia Darii nobis contemplanda proponuntur. 1. *Mutabilitas.* 2. *Nimia credulitas.* 3. *In judicando* ὀξύτης *& celeritas.* 4. *Invidia.*

I. MUTABILITAS.

Pulchella sunt sermone vulgi trita illa Emblemata: *Aulica gratia facilè senescit. Aulica voluntates sunt instabiles. In aulis regnant duo:* ἀναβολὴ & μεταβολὴ: *cunctatio & mutatio.* In aulis namque lenta sunt beneficia, & præcipites injuriæ. Item: Aulici jam beati sunt pro nutu Regis: è vestigio miseri sunt. Cum quibus congruit hoc epigramma:

Nec Domino blando, nec cœlo crede sereno:
Nam facili causâ Dominus mutatur, & aura.
Herren Gunſt / und Lerchen G'ſang/
Klingt wol; aber währt nicht lang.

Exempla hujus mutabilitatis habemus. 1. In NABUCHDONOSORE. Hic namque *Danielem Prophetam* initiò velut Deum voluit adorare. *Dan. c.* 2. *v.* 46. Postea verò ipse tanquam Deus in statua voluit adorari. *Daniel.* 3. *v.* 1. *& seqq.* Similiter *socios Danielis* primò ad summos dignitatum atque honorum gradus evexit. *Daniel.* 2. *v.* 48, 49. Mox verò eos ad rogum damnavit. *Daniel.* 3. *v.* 15. Vide *Monarch.* I. *de Nabuchdon.* §. 3.

II. In DARIO *Persarum Rege*, qui similiter Danielem Prophetam magnâ initiò complectebatur gratiâ; deinde verò animo mutato illum in speluncam leonum præcipitari demandabat. *Dan.* 6. Vide *Historias meas Patriarch. Historiâ* XIII. *de Isaaco.* §. 22.

II. STOLIDITAS, vel STULTA CREDULITAS.

Sæpe etiam boni Principes delatoribus atque infidis ministris (qui in aures eorum fictè & simulatè quæstus sui favorisque aulici gratia insusurrant) nimium tribuunt, atque ab illis persuaderi se patiuntur.

Exempla.

1. Rex *David* audit Sibam contra Mephibosethum. 2 *Sam.* 16. *v.* 3, 4.

2. *Ahasverus* ab Hamane seducitur, & ab eodem instigatur, ut decretum de omnibus Judæis in toto regno suo exstirpandis promulgaret. *Esther. c.* 3. *v.* 8, 10.

3. *Abimelechus* Rex in Gerar aulicorum suorum suasu atque impulsu Isaacum Patriarcham publico velut decreto abire jubet, nullamque omnino hujus facti causam allegat, nisi secundam Isaaci fortunam: Multo (*inquit*) fortior nobis es; Discede à nobis. *Genes. cap.* 26. *v.* 16.

4. *Darius* Rex Persarum incautus decipiebatur, cùm fraudulentis consiliariis suis, Danielem sophisticè & astutè accusantibus, patulas aures præberet, neque prospiceret, quem illi scopum sibi propositum haberent. Ideoque tandem nolens volens ipsis Danielem in foveam leonum præcipitandum tradit. *Daniel.* 6. 9.

PARÆNESIS POLITICA.

At moniti sint Reges atque Principes 1. *ne delatores atque calumniatores in aulis suis ferant*, juxta præscriptum Regis Davidis, qui in *Psalmo* 101. (qui est speculum boni Principis) hanc regulam verè auream omnibus Principibus præscribit, *v.* 4, 5. Cor perversum declinabit à me: malignum non cognoscam. (h. e. non amabo, non diligam.) Detrahentem secretò proximo suo, hunc perdam. 2. *Neque etiam patulas eorum calumniis atque delationibus aures præbeant, illisque temere & sine prudenti circumspectione credant*; sicut *David* ad Regem *Saulem* (cum in manus ejus incidisset, sed occidere eum noluisset) dicebat: Domine mi Rex, QUARE AUDIS VERBA HOMINUM, loquentium, David quærit malum adversum te? Ecce hodie viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu mea, & dictum fuit, ut occiderem te; sed pepercit tibi oculus meus. Dixi enim: Non extendam manum meam adversus Dominum meum. Quia christus Domini est. 1 *Sam.* 24. 10, 11.

Ex hoc *exemplo Davidis* discimus, qui fiat, quòd sæpe homines pii apud Magnates atque Principes in odium deducantur & calumniis denigrentur,

tur, nempe quando illi delatoribus atque ſuſurronibus locum in aulis ſuis concedunt, illiſque credunt; ſicut experientia quotidiana teſtatur. Quare notanda eſt hæc *regula* Politicorum. *Principes, dum omnibus ſine diſcrimine confidunt, ſæpe in magna pericula incurrunt.* Recte & prudenter ait *Epicharmus*: Νῆφε, καὶ μίμνε ἀπίστως. Sobrius ſis, & memor eſto nulli temere credere. Cum quo conſentit aphoriſmus ille *Theognidis* aureolus:

Res mihi fracta fide: res diffidendo retenta.

Vel ita:

Fiſo res periit: Diffiſo ſalva remanſit.

Unde Apollonius Thyanæus interrogatus à Rege Babylonis; Quonam pacto ſtabiliter tutoque regnare poſſit? ſapienter reſpondit: *Si multos honoraveris; paucis vero credideris.* Vide *Petr. Gregor. Tholoſan. lib. 22. de Republ. c. 11. p. 1414.* Et *Hiſtor. meas Patriarch. hiſtor. 13. de Iſaaco. §. 22.*

III. NIMIA IN JUDICANDO CELERITAS.

Graviter quoque in eo peccavit Darius, quod Conſiliariis ſuis ſophiſtice Danielem accuſantibus, patulas aures præbuit, eumque abſque prævia inquiſitione ſtatim ad leones damnavit. Hæc προπέτεια atque nimia *celeritas* à Judice exulet. Sicut enim nimia celeritas bonis conſiliis: ita quoque rectis judiciis eſt inimica. Quin potius Judex audita actoris accuſatione, alteram autem reo reſervare debet. Qui enim ſtatuit aliquid parte altera inaudita, æquum licet ſtatuerit, haud tamen æquus fuit, uti *Seneca* in Medea ait: *Lex Attica* erat: Δεῖ ἀμφοῖν ἰσοίως ἀκοῦσαι: Decet utramque partem ſimiliter audire. *item*: Μήτε δίκλω δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς: Non debes cauſam dijudicare, niſi prius utriuſque ſermonem audiveris. Obſervavit hoc ipſum *Alexander M.* qui alteram aurem actori aperiebat: alteram vero clauſam habebat. Uti *Plutarchus in Alexand.* ſcribit.

Et hac de cauſa *Judices* olim SEDENDO judicabant, atque ſententias è tribunali pronunciabant; juxta illud Propertii:

——— *Poſita judex ſedet Æacus urna.*

Et *Cicero* pro Rabirio ſcribit: *Modo vos iidem in Gabinium judices* SEDISTIS. Quo ſignificatum fuit, judicem animo conſtante & bene compoſito eſſe, atqua excluſa omni προπετείᾳ & præcipitantia, cauſam recte examinare debere. Confer *Frid. Taub. in Moſt. Plaut. fol.* 586. Et perpetuo ob oculos ſibi ponant Magnates auream illam *Papæ Euariſti Epiſt. 2. regulam*: Mala audita nullum moveant, nec paſſim dicta abſque certa probatione quiſquam unquam crédat: ſed ante audita diligenter inquirat, ne præcipitando quicquam aliquis agat. Hinc pulchre *juſtitia* hoc modo deſcribitur: Juſtitia recto oculo cauſas intuetur, æqua aure attendit, recto pede ad juris æquabilitatem incedit, animo incorrupto & recto vere conſiderat, quid fieri oporteat.

IV.

INVIDIA.

Xenophon de Cyaxare vel Dario ſcribit, cum gloria Cyri offenſum lacrymantem expoſtulaſſe cùm Cyro; & conqueſtum, ſe contemni à miniſtris & Medis. Quod in aulis valde uſitatum eſt. Nam plerumque miniſtri aulici omnibus ſtudiis ſeſe inclinant ad efflorescentem fortunam ejus, cujus nomen & gloria creſcit, & deſerunt eum, cujus gloria minuitur. Huc pertinet adagium ſacrum, quod extat *Eccleſiaſte 4. v. 15.* Σύμπαντες οἱ ζῶντες περιπατοῦσι ὑπὸ τὸν ἥλιον μετὰ τοῦ νεανίσκου τοῦ δευτέρου, ὃς στήσεται ἀντ' αὐτοῦ. *Cuncti viventes ambulant ſub ſole cum adoleſcente ſecundo, qui conſurget.* Luth. Alle lebendige unter der Sonnen wandeln bey einem andern Kinde / der an jenes ſtat ſol aufkommen. M. *Ludovicus Helmboldus crepund. ſacror. Od. 8.*

Es wandeln groſſe Herren
Bey einem andern Kinde/
Das mit der zeit ſich finde
Zu ihrem Stand' und ehren.

In aulis namque πλείονες τὸν ἥλιον ἀνατέλλοντα ἢ δυνόμενον προσκυνοῦσιν. h. e. Plures ſolem orientem, quam occidentem adorant. Quo falſo apophthegmate *Pompeius Syllam* (*Plutarch. in vita Pompeii. fol.* 455.) & Dux *Mauritius* Ferdinandum Regem Romanum Caroli V fratrem tangebat. Quod *Germani* ſimpliciter ita efferunt: *Junioribus Principibus natura duce, neminem non magis favere quam ſenioribus*: Jungen Fürſten iſt jederman von natur geneigter / dan den alten. Hic namque mos eſt hominum; *Præſentem faſtidiunt, futurum petunt.* Quam κίνησιν venuſte & eleganter expreſſit *Statius lib. 1. Thebaid. v. 168.*

——— *jam murmura ſerpunt*
Plebis Echionie, tacitumque à Principe vulgus
Diſſidet, &, qui mos populis, VENTURUS AMATUR.

Idem quoque *Dario ſeni* contigit. Unde ipſe invidiæ œſtro percitus, lacrymans cum Cyro, cujus quotidie creſcentem videbat gloriam, expoſtulavit. Quanquam autem Cyrus mirifica diligentia, fide, obſequio, delinire iratum vel offenſum ſenem Cyaxarem ſtuduit; tamen in animo ſenis conceptæ ſuſpiciones alte hæſerunt, nec facile deleri potuerunt. Nam ſenes natura valde proni ſunt ad ſuſpiciones,

nec facile eas deponunt. Vide *Hyppol. à Collib. in Conſiliario pag.* 151.

II. *DE CONSILIARIIS REGIS DARII MALIS.*

Conſiliarii Darii Regis ſunt typi malorum Conſiliariorum. Nam 4 grandia in illis regnant vitia atque flagitia.

I. INVIDIA.

Cum enim Satrapæ Regis Darii, propter inertiam ſuam, eundem dignitatis gradum, in quo Daniel collocatus erat, aſſequi non poſſent, gloria Danielis urebantur, omniaque in ejus exitium parabant atque meditabantur. *Nulla* namque *ingenia tam prona ad invidiam ſunt, quam eorum, qui & genus & fortunam animis haud æquant.* Nam *virtutem & bona aliena oderunt*; ſicut *Livius lib.* 45. præclare ſcribit.

II. FRAUDULENTIA, atque CALUMNIA.

Cum enim invidi Satrapæ nullam notam infidelitatis aut injuſtitiæ in gubernatione Danieli inurere, ad ignominiam ſempiternam, poſſent; inſidias aſtutiſſime cogitatas doctrinæ, quam Daniel profitebatur de vera agnitione & invocatione Dei, collocarunt. Impulerunt enim Darium Regem ſapientem & juſtum, ut veram Dei invocationem prohiberet, & hujus prohibitionis prætextu Danielem leonibus objiceret.

In hanc ſententiam *Johan. Spinæus lib.* 4. *de Tranquill. animi pag.* 179. ſcribit: Manifeſtum eſt, invidum non minus doloris ex virorum bonorum aſpectu concipere, quam *Panthera* inviſa eſt hominis facies; cujus vel ſola imago (ut *D. Baſilius* inquit) ita illi invidioſa eſt, ut in illam ſtatim dilacerandam furioſe irruat. Nam eo quidem modo invidus odium detegit: ſed alienæ virtuti detrahere volens, aliquo prætextu & colore utitur: ne ſimultatem aperiat. Ita etiam Satrapæ Darii fecerunt. Nam ſub mendaci religionis prætextu Danielem ad necem quærebant.

REGULA.

Calumnia in aulis regnat; & veritas exulat; ſicut ex hac hiſtoria videmus. Unde *Ludovicus* XI, *Galliæ Rex*, aliquando dixiſſe fertur, ſe in ſuo Regno, & potiſſimum in Aula propria, abundare rebus omnibus, una excepta. Quam vero innueret rem, dum quæreret unus ex aulicis ejus familiaribus: *Veritatem* eſſe reſpondit. *Phil. Camer. Hor. Succ. Cent.* 1. *cap.* 90.

III. PERFIDIA.

Quia Conſiliarii illi Regi ſuo ſuadent ea, non quæ pia, honeſta & ſalutaria ſunt, tum Regi tum Regno. Dario enim Regi ſuo fucum faciunt, q. boni publici cura cum primis tangantur, q. honoris Regis ſui ſint ſtudioſiſſimi, deque ſtatu ejus ſtabiliendo valde ſolliciti: cum tamen nulli magis eum infirment, quam illi ipſi. Nam verbis Regi adulantur, dicentes: Rex, in ſecula vive: ſed re ipſa eum perditum eunt. Quia Danielem Prophetam, qui Regis intimus & fideliſſimus Conſiliarius erat, ſubmovere molientes, ingens ei damnum intulerunt. *Daniel.* 6. *v.* 20.

IV. VIOLENTIA.

Quia Regem ipſum veluti cogunt, ut Danielem ſuæ libidini tradat. Quem illi arreptum in ſpeluncam leonum præcipitarunt. Ita imitantur Satrapæ iſti ſatanam patrem ſuum, qui mendax & homicida ab initio fuit. *Johan.* 8. *verſ.* 44. Nam & ipſi mendaciis atque calumniis necem Danielis quærebant.

REGULA.

Mali conſiliarii ſæpe bonum Principem corrumpunt, aut tandem eum perdunt. Unde *Politici* quæſtionem movent: An melior ſtatus ſit Reipubl. in qua Princeps malus; an vero ea, in qua Conſiliarii Principis ſint mali? Ad hanc quæſtionem reſponderi poteſt ex *Lampridio*, qui in *vita Alexandri Severi* ſcribit: Meliorem ac prope tutiorem eſſe Rempubl. in qua Princeps malus ſit, quam ea, in qua ſint Principis amici mali. Nec ſane ratio deeſt. Nam unus malus poteſt à multis bonis corrigi: Multi autem mali non poſſunt ab uno, quantumvis bono, ſuperari ulla ratione. *Exemplis* res declarari poteſt. *Saul* Rex impius erat; & tamen Samuele utens Conſiliario, multa fecit, quæ alias non feciſſet: uti ex *libro* 1. *Samuelis* patet. Contra vero nullus tam bonus eſt Princeps, qui non ſeducatur, ſi malos habeat Conſiliarios. Sic quam diu *Joas Rex Iuda* apud ſe habuit Jojadam Pontificem, virum ſingulari pietate atque prudentia præditum; res bene ſucceſſerunt Regi & toti Regno. Ubi vero illo mortuo deſtitutus fuit Rex viris legis divinæ peritis Deumque timentibus, omnia ad ruinam ſpectarunt.

Ita *Photinus* eunuchus, & Ptolemæi junioris Ægypti Regis Conſiliarius, Regi ſuo, de Pompeio M. (à quo pater ipſius in regnum reſtitutus erat) recipiendo deliberanti, perfidum hiſce verbis dedit conſilium:

Nulla

Nulla fides unquam miseros elegit amicos.
Tu cole felices: miseros fuge. Exeat nulla
Qui velit esse pius.

Verum Sophisticis consiliis suis & sibi, & tandem Regi exitium attulit. Vide *Anti-Machiavellum à pag. 638. usque ad 647.* Hinc recte *Diocletianum* jam privatum dixisse, *Flavius Vopiscus in Aureliani vita* refert: Nihil est difficilius, quam bene imperare. Nam quatuor vel quinque viri se colligunt, atque unum consilium capiunt ad Imperatorem decipiendum; dicunt, quid probandum sit: Imperator, qui domi clausus est, vera non novit: Cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur: facit Judices, quos fieri non oportebat: amovet à Republ. quos retinere debebat. Quid multa? Bonus, cautus & optimus venditur Imperator. *Hæc ille.* Unde patet, quod nulla major pestis Reipubl. sit, quam mali Consiliarii. Et contra: Nullum majus boni Imperii instrumentum, quam boni Consiliarii. Nam magnum sane Principi est ornamentum, corona doctorum atque cordatorum Consiliariorum cinctum esse. Imo & maximum Principi est emolumentum. Quia felicem actionum successum præbet, & adversariis metum incutit, & subditi libentius parent.

DYNASTIA SECVNDA.

PERSARVM.

Dan. 8. v. 7. ARIETI (per quem Monarchia II. intelligitur) DUO CORNUA tribuuntur, per quæ duæ unius Monarchiæ Dynastiæ præfigurantur, nempe Medorum & Persarum; uti ibidem *v. 20.* explicatur. Quoniam igitur Dynastiam primam absolvimus, in qua unum Monarcham, nempe Darium Medum descripsimus: ordo methodi nunc postulat, ut ad Dynastiam secundam accedamus. In qua Monarchæ sequentes considerandi veniunt.

Catalogus Regum Persicorum in Dynastia secunda.

1. *Cyrus.*
2. *Cambyses.*
3. *Darius Hystaspis.*
4. *Xerxes.*
5. *Artaxerxes Longimanus.*
6. *Darius Nothus,*
7. *Artaxerxes Mnemon.*
8. *Artaxerxes Ochus.*
9. *Arses*, vel *Arsames.*
10. *Darius Codomannus.*

CYRUS.

MONARCHA I.

CAPUT I.

DE ORTV.

I.

Circa ortum Cyri tria sunt notanda. 1. *Appellatio.* 2. *Generatio.* 3. *Persona constitutio.*

II.

1. Appellatio.

Circa *Appellationem* Cyri tria veniunt notanda. 1. Ἐτυμολογία. 2. Ὁμωνυμία. 3. Πολυωνυμία.

III.

1. Ἐτυμολογία nominis Cyri est *triplex.*

I. *Apud Ebræos* Cores vel Cyrus dicitur כורש quasi hæres aut Dominus, à rad. ירש hæreditatem adiit, vel terminos circumscriptos possedit.

II. *Apud Persas* קורש Coresch Solem notat, ex Ebræo חרס Sol, corruscatio, teste *Plutarcho in Artaxerxe.*

III. *Apud Græcos* Κῦρος, ου, τὸ, plenam authoritatem atque imperium significat, apud *Platon. in Georgia*, *apud Sophoclem in Electra.* Item apud *Galenum* & *Philonem.* Hinc κυρόω authoritatem do, authoritate mea comprobo. 2 *Cor.* 2. 8. Obsecro vos, ut ratam faciatis in illum charitatem. Κύριος authoritatem habens seu obtinens in rem aliquam, vel Dominus. *Demosthen. Olynth.* 2. *Plato de Legibus.* Ἄκυρος authoritate privatus, jus & potestatem non habens, ἀκυρόω authoritate privo, vel spolio. *Marc.* 7. 13. Et sic *Cyrus* dicitur q. d. Κύρος, authoritate plenus, vel Dominus.

IV.

2. Ὁμωνυμία. Vox *Cyri* est ambigua. Διττῶς enim accipitur.

Primo πραγματικῶς. Sic est nomen duorum fluviorum, quorum unus Armeniæ & Iberiæ fines interluit. & per Albaniam labitur: oritur in monte Cau-

Caucaſo. Alter juxta Paſargadas, per cavam Perſidem; à quo, Cyro Majori, qui juxta hunc amnem expoſitus fuit, nomen eſt inditum, teſte *Strabone lib.* 15.

Secundo κατονομαστικῶς. Sic Κύρος Cyrus dicitur, Monarchiæ, nempe Perſicæ, author & fundator: de quo h. l. agimus.

V.

3. Πολυωνυμία. Cyrus plura habuit nomina. 1. Dictus *Spaco.* II. *Cyrus.* De quibus nominibus *Tremellius* & *Franciſcus Junius* in *c.* 45. *Jeſaiæ v.* 4. ita ſcribunt: *Proprium* Cyri Regis *nomen* (teſte Herodoto & Juſtino) fuit SPACO, h. e. *Canis*, Medorum lingua, à cane, quæ expoſitum infantem lactaverat. CORESCH vero *cognomen* fuit honorificum à Perſis inditum, quod ſonat Dominum. Nam eadem quoque ratione *Coreſch* apud Perſas eſt ſolis (quem colunt) epitheton, vel cum augmento Perſicæ terminationis, *Coreſar.* Hæc illi. III. Dictus fuit *Mulus*, vel *Semiaſinus*, ab Oraculo, quod datum fuit Crœſo. Cum enim Oraculum interrogaſſet, quamdiu regnaturus eſſet, reſpondit ei Oraculum: *Tunc finem regni Crœſi fore, quando mulus potitus eſſet ſede Regis Medorum. Alphæus* ſcriptor Græcus & perantiquus ait: Chaldæos in ſuis annalibus prodidiſſe, Regem ipſorum Nabuchdonoſorem, cum maxime floreret ejus imperium, ſubito furore divinitus correptum, magna voce exclamaſſe: Futuram vobis, ô Chaldæi, prænuncio calamitatem, quam nec Belus veſter, nec ulla Deorum vis avertere poterit: *Veniet Perſa Semiaſinus, qui vobis jugum ſervitutis imponet.* His atque aliis hujuſmodi dictis repente ex oculis omnium evanuiſſe. Hæc *Alphæus.* Ubi per *Semiaſinum* intelligitur Cyrus, qui Chaldæorum imperium evertit. Ratio autem quare ſic nuncupatus, à nobis in §. 6. adducetur.

NOTA.

Cyri nomen à Deo nominatum fuit in codice ſacro longe ante, quam Cyrus conceptus aut natus fuit. Ubi diligenter notandum, quod *ſeptem* in ſacris literis inveniantur *perſonæ*, quibus nomina ſunt impoſita, antequam in hunc mundum naſcerentur.

I. *Iſmaël*, filius Abrahami & Agaris ancillæ. *Gen.* 16. 11.

II. *Iſaacus*, filius Abrahami & Saræ liberæ. *Gen* 17. 19.

III. *Salomon*, filius Davidis. 1 *Par.* 22. 9.

IV. *Joſias*, Rex Judah, cujus nomen 330 annis ante, quam natus eſt, per Prophetam prædictum eſt. 1 *Reg.* 13. 2. & 2 *Reg.* 23. 15.

V. *Cyrus*, primus Rex Perſarum, multis priùs, quam natus eſſet, ſeculis Eccleſiæ Tutor atque Liberator deſignatus divinitus fuit, 200 videlicet annis, quam ejus nomen fuiſſet cognitum. *Jeſai.* 44. *v.* 28. *c.* 45. *v.* 1.

VI. *Johannes Baptiſta*, Chriſti prodromus; cujus nomen ab Angelo eſt revelatum. *Luc.* 1. 13.

VII. *Jeſus*, Dei & Mariæ Filius: cujus nomen nominatum eſt ab Angelo, priùs quam in utero conciperetur. *Luc.* 2. 21.

II. Generatio.

VI.

Pater ejus fuit *Perſa* nomine *Cambyſes*, Achæmenis cujuſdam filius, humilis ſortis atque conditionis homo. *Mater* ejus fuit *Mandane* Aſtyagis Medorum Regis filia, quam Aſtyages Cambyſi Perſæ in matrimonium collocavit, motus ſomnio, quod per quietem viderat, nempe Mandanem filiam ſuam tantum urinæ facere, ut omnem ipſius urbem impleret, & Aſiam univerſam inundaret. Ex hiſce parentibus genitus Cyrus, dictus fuit *Semiaſinus*, h. e. *mulus*, ex aſino & equa generatus. Quia Cyrus Cambyſe obſcuri generis Perſa; & nobili matre, Aſtyagis Medorum Regis filia, natus eſt. Sicut enim equa eſt generoſior aſino: ita quoque Mandane Cyri mater nobilior fuit Cambyſe patre.

III. Perſonæ conſtitutio.

VII.

Author eſt *Plutarchus*, *Cyrum naſo adunco vel aquilino fuiſſe.* Quæ naſi granditas, ſi aſſurgens clementer à medio in aquilinam deſinit aduncitatem, prudentiæ, patientiæ, magnanimitatis præbere indicium ſolet. Ideoque apud Perſas olim non fuit honoratior formæ ſpecies, quam illa *gryporum*, quos dicebant; quod Cyrus iſta unci figura naſum habuerit. Quod in *Carolo* etiam V, aliiſque Auſtriæ Principibus nonnullis, notatum fuit, quos animi magnitudo, & aquilinæ ſtrenuitatis indoles mundo commendavit. Quam laudem quoque ad poſteritatis memoriam *Mahumetes* II. de ſe promulgavit, naſo uſque adeo adunco, ut ſummitas contingere labra videretur. Non autem accipitur in hanc Nimrodi familiam *gryporum* illud genus, cui ſtatim à fronte naſus intumeſcit. Nam corvinæ hoc eſt rapacitatis, non aquilinæ ſtrenuitatis, impudentis animi plerunque nota. Vide *Edonem Neuhuſium in Theatro ingenii humani, lib.* 1. *p.* 97.

[*Grypus*, γρυπὸς, ſine adſpiratione, dicitur ille, qui naſum habet aduncum, fortaſſis à gryphorum ſimilitudine, quos Græci γρῦπας vocant. Feruntur enim gryphes roſtrum habere incurvatum, in morem aquilæ.]

CA-

CAPUT II.
DE PROGRESSV.

VIII.

In progreſſu tria ſunt notanda. I. *Acta OEconomica.* II. *Politica.* III. *Eccleſiaſtica.*

I. ACTA OECONOMICA.

IX.

Acta OEconomica Cyri ſunt triplicia. 1. *Ætatis infantilis.* 2. *puerilis & juvenilis.* 3. *virilis.*

X.

I. Acta ætatis infantilis.

Primò: CYRI INFANTIS EXPOSITIO, *ejuſque mirabilis conſervatio.* Cùm Aſtyages avus Cyri maternus inaudiret filiam ſuam ex Cambyſe marito imprægnatam eſſe, rurſus ſomniavit, ex filiæ utero vitem egredi, quæ totam Aſiam obumbraret; ex quo ſomnio conjecturam cepit, parituram eam eſſe filium, qui totius Aſiæ Dominus futurus eſſet. Quare hoc ſomnio perterritus, filiam gravidam ad ſe vocavit, filiumque ex ea natum, cuidam ex intimis familiaribus, *Harpago* nomine, tradidit necandum. Qui cùm tam crudele miniſterium per ſe ipſum nollet exſequi, *Mithridati* regio bubulco negotium illud committit. Huic uxor erat nomine *Spaco* quod Medorum linguâ *canem* ſignificat. Hæc tum fortè mortuum enixa partum. Quare cùm Regium puerum videret formâ inſigni præditum, eum pro ſuo accepit, & 10 annis in caſa ſua paſtorali educavit. Qui poſtea ab avo agnitus, & in Perſidem ad parentes remiſſus de conſilio ſapientum eſt. Nam cùm Cyrus adhuc puer per ludum jocularem à pueris Rex conſtitutus eſſet, Satrapæ cujuſdam filium duriùs verberavit. Quod Aſtyages avus inaudiens, cauſam ei dicere demandavit, cur puerum illum Satrapæ verberibus duriùs tractaſſet. Reſpondit ille: *Se ab æqualibus ſuis Regem factum; illum verò ſua contumacia juſtas pœnas dediſſe.* Quod cùm Magi in eam interpretati partem eſſent, completam jam eſſe ſomnii ſignificationem, non tantùm vitam nepoti donavit Aſtyages, verùm etiam ob ſummam ingenii alacritatem, morumque mirificam ſuavitatem, ſingulari amore complexus eſt, eumque, ut diximus, ad parentes ſuos in Perſiam remiſit. *Herodotus lib.* 1.

XI.

Secundò: EDUCATIO. Cyrus uti mirabiliter conſervatus: ita quoque à Mithridatis Regii bubulci uxore, cui nomen *Spaco* erat, 10 annis in caſa paſtorali loco filii educatus fuit. Quod verò *Juſtinus lib.* 1. ſcribit, juxta infantem in ſylva canem feminam parvulo ubera præbentem inventam, fabula creditur, inde nata, quòd nutrix ejus Medorum linguâ Spaco Græcis Cyno, dicta eſt: quæ voces canem ſignificant. Licet autem Cyrus ſe Cambyſis Perſæ & Mandanes filiæ Aſtyagis Regis Medorum filium eſſe reſciviſſet, ſuam tamen altricem in tanto honore ſemper habuit, ut ſemper in ejus ſermone eſſet Cyno. *Herod. lib.* 1.

XII.

II. Acta ætatis puerilis & juvenilis.

Primò: INDOLIS OSTENSIO. *Proverb.* 20. *v.* 11. inquit *Salomon*: *Ex ſtudiis ſuis intelligitur puer, ſi munda & recta ſint opera ejus*: h. e. Indoles pueri tùm bona, tùm mala, ex verbis atque factis, velut ſignis indubitatis cognoſcitur. Pulchrè hoc ipſum in puerum Cyrum quadrat. Licet enim ipſe ruri inter paſtores educaretur, tamen indolem regiam puer adhuc oſtendit. Cùm enim à pueris Rex ſorte creatus eſſet, regiam præ ſe tulit magnanimitatem & ſplendorem, heroico planè animo cæteris imperavit, jus adminiſtravit, contumaces punivit. Cumque Artembaris Regii Satrapæ filium verberaſſet, accuſatus propterea coram Aſtyage Rege, quòd ſervus bubulcique filius ingenuos ſervilibus plagis affeciſſet, cauſam ſuam ſummâ conſtantiâ defendit; ſe ab æqualibus ſuis Regem electum, atque ſe ut Regem feciſſe, intrepido vultu animoque affirmans: illum verò propter contumaciam ſuam pœnas dediſſe. Quam conſtantiam pueri admiratus Aſtyages, in memoriam ſomnii reſponſique revocatur. Atque cùm facies, & expoſitionis tempus, & paſtoris confeſſio convenirent, eum nepotem agnovit, eidemque, cum Magi dicerent, completam jam ſomnii eſſe ſignificationem, agitato inter paſtores regno, vitam donavit. De *Harpago* verò neglecti mandati ultionem ſumſit truculentam & planè tyrannicam. Nam unicum ejus filium annos 13 natum mactavit, & ad veſcendum illius carne aſſâ pariter & elixâ eum invitavit. Peractâ cœnâ Aſtyages Harpagum interrogavit: Nunquid lautè vixiſſet? Cui cum annuiſſet Harpagus, mox caput, brachia & crura, afferri juſſit, interrogans; Nunquid agnoſceret filii ſui carnibus ſe epulatum eſſe, & nunquid factum hoc ipſi placeret? At ille conceptum animo dolorem ſic repreſſit, ut nihil perturbari tam triſti ſpectaculo videretur. Nihil igitur reſpon-

respondit aliud, nisi sibi placere, quicquid Rex fecisset. *Justin. lib.* 1. *Herodotus lib.* 1. *Nauclerus generat.* 52.

Similiter insigne animositatis & fortitudinis futuræ edidit documentum Cyrus, cùm puer in venatu, quoties cervam prosilientem, aut aprum irruentem vidit, frustra inhibentibus corporis custodibus, cum periculo etiam vitæ impetum in illas feras faceret, instar generosi catuli, uti *Xenophon* scribit, qui *lib.* 1. totus in eo est, ut ingenitam naturæ Cyri heroicæ bonitatem ostendat.

XIII.

Secundò: INFORMATIO atque DISCIPLINÆ RATIO. Cyrus adhuc adolescentulus informatur ad omne virtutum genus, honesta & egregia patris disciplina. Inter reliqua autem disciplinæ exempla, *Xenophon* hoc ipsum recitat, quod docet: *Leges anteferendas esse privatis opinionibus.* Exercebant judicia adolescentes; & postea sententiarum rationem Magistro reddebant. Venerant autem in judicium duo, quorum alter procerior detraxerat tunicam longiorem minori adolescenti, & ei curtam tradidit. Cùm autem hæc res ad Cyrum judicem deferretur, ipse audita utriusque oratione, pronunciat, ut quisque vestem corpori suo aptam teneat. Id enim juvenili quadam opinione commodum & æquum esse arbitrabatur. Sed postea Pædagogus, retractata sententia, dat plagas Cyro, & monet, *justa esse, non quæ nobis videntur commoda, sed quæ legibus sunt sancita.* Jam verò præcipua lex est, ut suum quisque teneat, neque aliorum bona furto & rapina auferat. Quo ipso insinuare voluit ille Cyri Præceptor, assuefaciendos esse animos, ut nostris opinionibus & cupiditatibus longè ante feramus legum authoritatem. Vide *Xenophont. lib.* 1. *Cyropæd.*

REGULA.

Judices in causis dijudicandis non agant juxta arbitrium privatum, sed juxta legum præscriptum. Quia non sunt SUPRA, sed INFRA leges. Τὸ μὲν νόμιμον, δίκαιον: τὸ δ' ἄνομον, βίαιον. h. e. Quod cum lege congruit, justum: quod verò cum eadem non congruit, violentum est.

XIV.

Tertiò: TEMPERANTIÆ STUDIUM. Cyrus valdè temperans fuit. Nam narrant, ipsum nunquam sine appetitu accubuisse, nunquam surrexisse saturum. Et *apud Xenophon. lib.* 1. *pæd.* legimus, ab ipso adhuc puero Medorum ebriosorum luxuriam atque vinolentiam falsè atque facetè taxatam. Cum enim accepto à Saca poculo, Astyagi avo Medorum Regi sese pincernam gereret, & vini pauxillum de more in sinistram manum infudisset, (quod Regibus fieri consuevit ad exploranda venena) illud non prægustavit, sed in terram eluit studiosè. Tum Astyages: Cur, Cyre, ait, non ut Sacas, vinum absorbuisti? Quod metueram, inquit, medius fidius, ne in cratere mixta venena forent. Etenim in conviviis nuper natalitiis perspicuè didici, eum vobis venena infudisse. Et quonam pacto, ait ille, ô fili, hoc dignovisti? Respondet Cyrus: Quod vos videbam, neque mentis esse, neque corporis compotes. Primùm, quæ nos pueri facere prohibemur, hæc vos faciebatis. Omnes enim clamabatis simul, dicebatisque invicem nihil: canebatis magno cum cachinno: & cum canentem audiretis, jurabatis, optimè eum canere. Et quisque vestrum cùm de suis viribus loqueretur, mox saltaturi surgebatis, cùm non modò non ad numerum saltare, sed ne ingredi quidem possetis: eratisque omnino obliti; & tu quidem, quod Rex esses; & alii, quod ipsis imperares.

XV.

III. Acta ætatis virilis sunt sequentia.

I. *Cyri conjuges*
- *veræ*
  - *Bardane.* Hæc genita patre Cyaxare, vel Dario Medo, ἄπαιδος fuit, h. e. prolem nullam reliquit.
  - *Cassandane.* Hæc ab Achæmenidis patre Pharnaspe oriunda, liberos progenuit.
- *falsæ*
  1. *Ctesias* tertiam adjecit, *Amytim* Astyagis filiam. Sed hoc fabulosè traditum *Xenophon* refutavit *lib.* 8. παιδείας.
  2. *Polyænus* addit quartam, *Nytetin* Aprii filiam, ex eaque Cyrum complures liberos suscepisse scribit. Verùm & hoc ipsum expressâ asseveratione rejicit *Herodotus.* Confer *Athenæum lib.* 13. *c.* 4.
  3. *Diodorus Siculus* addit quintam, *Meroën* Cambysis matrem; sed neque huic fides debetur, & potior hîc authoritas *Josephi* ducenda est.

XVI.

XVI.

II. *Liberi*, quos Cyrus ex Caſſandane Pharnaſpis filia ſuſcepit, fuerunt,

maſculi duo.
1. *Cambyſes*, qui Regni adminiſtrator à Cyro conſtitutus, cùm adverſus Scythas bellum gereret: & ſucceſſor, cùm naturæ debitum ultimum ſolviſſet. In hoc Cambyſe Cyri familia eſt extincta.
2. *Smerdis*. Hic ſcelerato Cambyſis juſſu per Prexaſpem è vita tollitur.

femellæ tres.
1. *Atoſſa*. Hæc per vim coacta in matrimonium à Cambyſe fratre aſſumpta eſt, & poſtea Smerdi Mago, & tandem Dario Hyſtaſpi nubit.
2. *Meroë*. Et hæc nuptiis Cambyſi fratri conjungitur.
3. *Artyſtona*. Hæc ſola fraterni matrimonii expers manens, Dario Hyſtaſpi nupſit.

XVII.

III. *Caſtitas*. Quæ virtutum reliquarum ſingulare eſt ornamentum, abſque qua virtutes reliquæ, ſunt inſtar trunci à capite revulſi. Huc pertinet pulcherrimum epigramma:

Ut, cum de ſtatua facies formoſa revulſa eſt,
Non decus in reliquo corpore truncus habet:
Sic reliqui mores ſpreti ſine honore jacebunt,
Ni ſint ornati laude pudicitiæ.

Ita Cyrus abſtinebat à conſpectu Pantheæ. Ob iſtud ipſum, aiebat, magis eſt ut abſtinecam. Etenim ſi nunc illam adiero, cùm vacat, fortaſſe illa efficiet, ut adeam etiam cùm non vacat, eique aſſideam, neglectis rebus ſeriis. *Xenophon in Cyropæd.*

Et *Strabo lib. 6.* de Cyro ſcribit, ipſum feminis perſuaſiſſe, vera matronarum ornamenta pudicitiam, non veſtes eſſe.

XVIII.

IV. *Regia Cyri domus* valdè magnifica fuit, à Memnone admirando artifice ædificata, & ſeptem mundi miraculis adnumerata. Cujus parietes fuerunt ex marmore, junctis auro lapidibus; laquearia fuerunt auro ſubducta, gemmis & margaritis eo ordine diſtinctis, ut totius cœli curſum, & ſiderum ordinem præſentarint: columnæ ſolido auro circumductæ: menſæ & ſubſellia ex argento, pavimentum ex marmore varii coloris ſtratum. Hæc autem Regia, tùm æſtate tùm hyeme, ſolem orientem reſpexit; ſicut *Xenoph. lib. 8. Cyropæd.* ſcribit.

NOTA.

Septem *fuerunt* mundi Miracula.

1. *Templum Dianæ Epheſinæ*, quod ſummæ magnificentiæ fuit & admirationis apud priſcos, quippe quod 220 annis à tota Aſia exædificatum eſt. *Plin. lib. 7. c. 34. & 16. c. 40.*

2. *Sepulcrum Mauſoleum*, quod Artemiſia ſuo conjugi Mauſolo Cariæ regi ſplendidiſſimè ædificari fecerat. *Plin. lib. 35. c. 14.*

3. *Coloſſus ſolis*, qui erat inuſitatæ magnitudinis imago, quam Rhodii in honorem ſolis ædificaverant, propterea quòd adeò temperatò aëre fruerentur, ut quotidie ferè ſine nubibus tenebricoſis ſolem intueri poſſent.

4. *Simulacrum Jovis Olympici*, quod Phidias fecit ex ebore, ut eodem Jovem ſummum Ethnicorum Deum exprimeret.

5. *Muri Babylonis*, quos Semiramis Regina conſtituit tantæ altitudinis, & latitudinis, ut omnes homines in ſtuporem converterent.

6. *Pyramides Ægyptiacæ*, quæ columnæ ſtupendæ magnitudinis erant, de quarum unâ ſcribunt, quòd in ea exædificanda 360000 homines occupati fuerint.

7. *Regia domus Cyri* Medorum Regis, quam Memnon arte prodigâ illigatis auro lapidibus fabricavit.

XIX.

V. *Agricultura*. *Cyrus* Rex Perſarum ingenio præſtans, & tanti gloriâ imperii clariſſimus, agrum ipſe ſibi conſerebat, aboreſque ſuâ manu ſatas dimetiebatur & in ordinem diſponebat. Unde *Xenophon* dixit; ſicut *Cicero in lib. de ſenectute* ſcribit: Nihil ſibi tam regale videri, quàm ſtudium agri colendi. Unde voluptas & utilitas agriculturæ patet. Similiter Proceres illos Romanæ nobilitatis & antiquitatis viros, ex agris ad Imperia & dictaturas accerſiri mos fuit; quibus illi cùm eſſent perfuncti, ad priores agriculturæ exercitationes revertebantur. Homerus *Laërtem* Ulyſſis patrem, heroicâ corporis majeſtate præditum, quem ex filii abſentia ſenectuteque ingraveſcente mœrorem capiebat, cum ſolatio colendi agri lenire ac mitigare facit; in qua occupatione poſt tot annorum exilium reverſus Ulyſſes verſantem invenit.

XX.

VI. *Neglectus diſciplinæ domeſticæ*. Vulgò dici ſolet: *Nihil ex omni parte beatum*. Idem in Cyro quadrat: licet enim ipſe mirabiliter à Deorum quadrat: licet enim ipſe mirabiliter à Deo conſervatus, ſollicitè educatus, laudabiliter à præcepto-

ceptoribus informatus, ipse quoque postea temperanter atque castè vixerit: tamen *Plato*, quem divinum Philosophum vocant, in eo Cyrum reprehendit, quòd neglectâ domesticâ disciplinâ educandos filios suos mulieribus & eunuchis tradiderit, itaque ambos corruperit, inque mutuam cædem armarit.

II. *ACTA POLITICA.*

I. Togata.

XXI.

Acta Togata Cyri sunt duplicia. 1. *Quædam respicium Regni constitutionem.* 2. *Quædam Regni administrationem.*

XXII.

1. *De Regni constitutione.* Hic accuratè distinguendum est inter Regnum *particulare* & *universale.*

Primò: *Regnum particulare*, nempe *Medicum*, acquisivit sibi Cyrus, devicto Astyage avo suo. Postquam enim Cyrus ad virilem ætatem perveniisset, & ab Harpago Astyagis Consiliario edoctus esset, quantam avus tyrannidem erga se matremque suam exercuisset, eum debellatum regno expulit, & Rex Persiæ atque Mediæ factus est.

Nempe anno { 3412. ab Orbe condito. 48. Captivitatis Babylonicæ. 35. Astyagis Medorum Regis. 558. ante Christi nativitatem.

XXIII.

Deinde: *Regnum universale*, h. e. *Monarchiam* constituit Cyrus A. M. 3434. postquam Babylone capta Belsazarem ultimum Monarcham Babylonicum è medio sustulisset, sicut constat ex *Daniel.* 5. 25. 30. Ad quod ἀξίωμα Monarchiæ augustissimum, & munus amplissimum accipiendum, Cyrus à Deo destinatus & constitutus est, *Jesaiæ* 45. 1. ut Jehovah per eum debellatis Tyrannis, Leges, judicia & disciplinam in magna parte humani generis collapsam restitueret. Et hac de causa Cyrus vocatur משיח *Christus* sive *Unctus Dei. Luth.* ein Gesalbter des Herrn. Quia Reges unctione inaugurabantur ad Regnum ex ipsius Dei mandato, 1 *Sam.* 9. 16. c. 15. v. 1. ubi probè notandum, quòd, licet Cyrus non acceperit externam unctionem, oleo sacro peractam: sicuti Reges Israëlitici in V. T. inaugurari solebant; nihilominus tamen dicatur *Christus* vel *unctus* Dei vel Domini: nimirum, quia imperium ipsi divinitùs erat datum, cujus vocationis major est habenda ratio, quàm externæ unctionis.

ADAGIUM.

Prov. 15. v. 33, &c. 18. v. 12. *Gloriam præcedit humilitas.* Ehr man zu ehren kommt/muß man zuvor leiden. *Psalm.* 113. 5. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? v. 6. Erigit de pulvere inopem, & de stercore exaltat pauperem. v. 7. Ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui. *Exemplum elegans* habemus *in Cyro*, qui natus è filia Astyagis; à crudelissimo avo exponitur, & à bubulci uxore 10 annis in casa pastorali inter pastores educatur: à Deo autem mirabiliter servatur, & ad Regni Chaldaici, Persici atque Medici fastigium evehitur; sicut ipse Deus de Cyro Rege Persarum inquit *Jesaiæ* 44. 27, 28. Ego dico profundo, h. e. Euphrati, exsiccator, flumina tua (ô Babylon) arefaciam. Qui dico Cyro; Pastor meus es tu, & omnem voluntatem meam facies. Et *Jesaiæ* 45. v. 1. Hæc dicit DOMINUS Cyro uncto meo, cujus apprehendi dextram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, & dorsa Regum vertam: & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur: Ego anteibo, & glorioso terræ humiliabo; portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et *Dan.* 5. v. 28. per scripturam prodigiosam Deus Belsazarem Regem Babylonis ultimum ita alloquitur: *Mene, Mene, Tekel, Vpharsin*, h. e. Numeravit, numeravit, in lance appendit & examinavit, divisit Regnum tuum, & tradidit Medis & Persis, h. e. Dario Medorum, & Cyro Persarum Regi, nempe DEUS, qui transfert Regna & stabilit. *Dan.* 2. 25.

XXIV.

11. *De Regni administratione.* Cyrus benè & laudabiliter Regnum administravit.

Nam *Primò*: Fuit *erga subditos* suos BENEVOLUS. Quia paternum erga eos animum gessit. Nam nullum à Persis tributum exegit. Ideo *pater* ab illis appellatus est: quod omni ratione de subditis benè mereri studeret, sicut etiam ipse de paterno suo Imperio apud *Xenophont. lib.* 8. *Cyropæd.* inquit: Bonus Princeps non differt à bono patre, h. e. Imperia non debent esse Tyrannica, non quæstoria, sed paterna. Unde *Herodotus* Cyrum vocat *Patrem*, Cambysem *Tyrannum*, & Darium Hystaspem *Quæstorem.* Idcirco Princeps cogitet, subditos velut præclarum aliquod depositum à Deo sibi traditos esse. Amore igitur illos complectatur, tanquam thesaurum divinitùs sibi datum.

XXV.

Secundò: Fuit JUSTUS. Nam sub Cyro Regnum

gnum Perſicum erexit, quod *domi* à teneris ad juſtitiam & obſervantiam legum adducerentur milites: *foris* vero militares labore magna virtute exercerent. Cyrus juſſit præconium fieri in bellis, ut parceretur agricolis. Mandavit ſic vincere, ut poſſeſſores maneant in ſuis poſſeſſionibus. Reprimi voluit armatos hoſtes, & ſervari populum pacis cupidum, ſicut *Xenoph. in Cyroped.* ſcribit: Ita quoque Romanum Imperium aſcendit ad hoc faſtigium, cum domi diligentes in regenda diſciplina & moribus populi eſſent; foris vero acerrimi in militia: id quod oſtendit Manliana ſeveritas interfectione filii, quod contra edictum paternum cum hoſte dimicarat. De qua juſtitia Romanorum pulchrè poëta ſcribit:

Moribus antiquis res ſtat Romana, virisque.

XXVI.

Tertio, Fuit COMIS, AFFABILIS *atque* HUMANUS. Uti patet ex colloquio habito cum Crœſo Lydorum Rege. Cum enim Crœſus captivus à militibus ad ipſum adductus eſſet, & Regem victorem his verbis ſalutaſſet: *Salve, ô Domine: Hunc enim titulum fortuna tibi concedit.* Cyrus humaniſſime reſpondit: *Salve & tu, Crœſe: Quia ambo homines ſumus.* Talis affabilitas atque humanitas maxima eſt in Principe virtus, inquit *Plin. in panegyr. Trajan.* Et *Franciſcus Patritius lib.* 8. de Regno *Tit.* 18. *pag.* 222. in eandem ſententiam inquit: Humanitatis comitas illa lepidiſſima, præ omnibus mortalibus, Regibus ac Principibus maximè convenit. Et *Joh. Jov. Pontanus lib. de Principe p.* 88. Nihil (*inquit*) tam alienum eſt à Principe, quam *aſperitas*, & ea, quæ *moroſitas* dicitur: Contra vero in omni vita maxime laudatur *comitas* gravitate temperata.

XXVII.

Quarto: Fuit CLEMENS *tum erga ſubditos, tum erga devictos.* Nam *Cyri* & *Ageſilai* tanta apud *Xenoph.* prædicatur clementia, ut in ſummo Imperio, non modo nihil ſævum & crudele facerent, ſed ne verbum quidem aſperius proferrent. Ita clemens fuit Cyrus erga *Aſtyagem* avum à ſe devictum. Quia ipſi nil niſi Regnum abſtulit, nepotemque in illum magis, quam victorem ſe geſſit, eumque maximæ genti Hircanorum præpoſuit. Quia ipſe reverti ad Medos noluit. Clemens fuit erga *Babylonios devictos.* Poſtquam enim Cyrus cum Dario Medo ſocero ſuo Regnum Babylonicum occupaverat, recte illud conſtituere ſategit, & non tam rei militaris, quam bene Rempubl. togatam regendi peritia clarus eſſe ſtuduit, ſicut ipſemet Cyrus apud *Xenophon. lib.* 9. *pad.* reſpondet Gobryæ. Καὶ μὲν δὴ ἐπιδεικνύναι τὰ ἔργα πολὺ ἥδιον φιλανθρωπίας, ἢ στρατηγίας. h. e. multo profecto mihi jucundius eſt humanitatis opera demonſtrare, quam rei militaris. Clemens denique fuit erga *Crœſum devictum.* Nam *Xenophon. lib.* 7. *Cyroped.* ſcribit, quod occupata Sardium urbe Cyrus juſſerit ad ſe Crœſum adduci. Ille vero conſpecto Cyro: Salve, inquit, ô *Domine.* Hunc enim titulum tibi fortuna dat, & mihi, ut te hoc nomine appellem. Cyrus humaniter reſpondet: Salve & tu, Crœſe: quia uterque homines ſumus. *Juſtinus.* Præterea Crœſo ad ſe adducto hac occaſione peperciſſe Cyrus ſcribitur. Cum enim rogo impoſitus, & jamjam comburendus, Solonem ter inclamaſſet: O *Solon, Solon, Solon!* Cyrus miratus, cur in extremo vitæ articulo hanc vocem ſonaret, Crœſum interrogari juſſit; qui reſpondit, ſe hoſpitem aliquando ſecum habuiſſe Solonem, qui dixerat ei: *Neminem hominum ante finem vitæ beatum judicandum eſſe: quia ſingulis ante mortem triſtia multa accidere poſſent.* Quod nunc deploraret, ſe antehac non intellexiſſe. Hoc audiens Cyrus ab incendio eum liberavit, & poſtea inter Conſiliarios & amicos primarios eum ſecum habuit.

Monitum.

Eximia hæc eſt virtus, quæ Principibus maximè debet eſſe commendata. Nam recte inquit *Salomon Proverb.* 20. 28. Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, ac clementia fulcit thronum ſuum. Romæ repertum marmor in foro Trajani his characteribus inſignitum: Potentiſſima dos in Principe liberalitas & clementia. Non enim quicquam eſt, quod eum melius commendet, quam clementia. Hujus rei pulcherrimus exſtat typus in *Rege apum.* Hic namque ſolus aculeum non habet, vel certe eo non utitur: exemplar hoc magnis Regibus ingens. *Plin. lib.* 11. *Natur. hiſt. c.* 17. *Senec. lib.* 1. *de clement. c.* 19.

XXVIII.

Quinto: Fuit LIBERALIS & BENEFICUS. Nam *lib.* 2. *apud Xenophontem* inquit: Quos volumus eſſe ſocios, venandi ſunt benefaciendo & benedicendo. Beneficentia namque vel maximè Regem ornat. Unde etiam Reges נדיבים *Διεργέται*, h. e. *Benefici* vocantur, quod propria ipſorum virtus debeat eſſe liberalitas. Talis namque *Διεργασία* & liberalitas ſubditorum animos Regi quam maxime conciliat. Unde *Titus Veſpaſianus Imp.* Deliciæ generis humani appellatus fuit. Tam affabilis enim & liberalis fuit,

fuit, ut nemini quicquam negaret; Cum id amici reprehenderent respondisse fertur: *Neminem à vultu Principis tristem discedere oportere. Platin.* in vita Cleti. Idem se diem perdidisse existimavit, quo nihil cuiquam præstitisset. *Aurel. Victor*, & ex eo *Guevara lib.* 3. *Horol. Princip. c.* 31.

XXIX.

Sexto: *Erga doctos & viros sapientes fuit* HUMANUS, *eorumque* PATRONUS. Cum enim capto Crœso Lydorum Rege, Sardes regiam civitatem militibus diripiendam traditurus esset, sua quadam deliberatione habita, sententiam ea de re à Crœso (quem propter doctrinam & sapientiam amabat) audiendam quoque existimavit. Crœsus vero post alios etiam rogatus sententiam, gravi Cyrum oratione ab hoc proposito suo dehortatus scribitur, monuitque ut urbem servaret. Ratio dissuadendi ab *Herodoto lib.* 1. adfertur talis: Quoniam urbs non amplius Crœsi esset, sed Cyri victoris: Nam jure belli omnia, quæ victus habuerit, transire ad victorem. *Xenophon* vero hanc rationem, qua Crœsus fuerit usus, addit: Si civitatem diripueris, artium quoque studia una corruere necesse est. Τὰς γὰρ τέχνας πηγὰς φασὶ τῶν καλῶν εἶναι. Artes enim fontes dicunt bonorum esse. Et in hac ratione Cyrum acquievisse.

XXX.

Septimo: Fuit *administrator Regni* SOLLICITUS. Cogitabat namque, non sibi datum esse Regnum, ut eo pro lubitu uteretur, vel abuteretur; sed se potius Regno datum, ut saluti & commodis ejus prospiceret. Unde *Xenophon lib.* 8. *paed.* dixisse eum scribit: Παραπλήσια ἔργα ποιμένος ἀγαθοῦ καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ, h. e. Consimilia sunt opera pastoris boni & Regis boni. Ut ergo bonus pastor omnes cogitationes suas ad salutem dirigit commissi sibi gregis, quem & regit & tuetur: Sic bonus Princeps omnes cogitationes suas, consiliaque omnia, ad procurandam subditorum salutem unice dirigit, quos exemplo pastoris & regere & tueri convenit.

XXXI.

Octavo: Fuit *valde* LABORIOSUS & DILIGENS *tum pacis, tum belli tempore.* Nam non dedit mandata incertis, ut negligens paterfamilias dicit, Ent aliquis ad aquam ferendam: ligna aliquis secato. Sed nominatim certis mandata dedit, & nominà meminit. *Xenoph.* Similiter post Medos, Bactrianos, Phryges, Lydos victos sibique subjectos, capta demum Babylone, cum finem bellorum adesse cerneret, suos amicos pulcherrima oratione dehortatus est, in hanc sententiam, *ut otium fugerent & semper ad arma promti essent*, sicuti *Xenophon* fuse hoc describit *lib.* 7. de pœdia Cyri. Confer *Philip. Camer. pag.* 11. *Hor. succis. c.* 32. *pag.* 135.

XXXII.

Nono: *Cyrus fuit* MODESTUS. Nam ut plurimum ita fieri videmus, ut successus felices reddant homines insolentiores. Etenim multo facilior est virtus patientia in rebus adversis, quam moderatio & æquabilitas in rebus secundis. Vide *Deuter.* 32. 15. Nam fortuna quem nimium fovet, stultum facit. Ita Poëtæ fingunt Perseum habuisse Gorgonem vel Clypeum, quo alios vertit in saxa: & prohibitum est ipsi, ne adspiceret suum clypeum, hoc est, non admiraretur suam potentiam & vires. Verum ipse hoc negligens, & in Gorgonem introspiciens, vertitur in saxum. Quo prudenter adumbrare voluerunt, homines rebus secundis infatuari, atque confidentes sibi ipsis, superbire atque insolescere. At non eo Cyrus ingenio fuit. Nam *lib.* 8. παιδείας *apud Xenophont.* in ultima oratione ait: Se nunquam ex victoriis factum esse elatiorem, nunquam se effuse lætatum esse. Res secundæ, *inquit*, reddiderunt me timidiorem, & metus me non passus est unquam fieri insolentiorem, aut nunquam effuse lætari. [οὐκ ἐπὶ τοῖς ἔρροις ἐκφερόμενος.]

XXXIV.

Decimo: *Erga bene meritos* GRATUS fuit. Licet enim Cyrus se Cambysis Persæ & Mandanes filiæ Astyagis Regis Medorum filium esse resciviset; suam tamen altricem Mithridatis Regii bubulci uxorem, cui nomen Spaco vel Cyno erat, in tanto honore semper habuit, ut perpetuo in ore ejus esset Cyno. *Herod. lib.* 1.

II. Acta Polemica.

XXXV.

Cyrus quinque gessit potissimum *Bella*, quatuor ante Monarchiæ constitutionem: unum vero post Monarchiæ constitutionem.

BELLUM I. MEDICUM, *contra Astyagem gestum.*

XXXVI.

Primum Cyrus gessit bellum contra Astyagem avum suum. Postquam enim ille adolevisset, atque ab Harpago Astyagis Consiliario intimo de injuria avita certior factus esset, ultionem meditatus

est

eſt conſilio & ſuaſu Harpagi. qui Dux exercitus conſtitutus ab Aſtyage, totum exercitum Cyro per traditionem dedidit, Regis tyrannidem perfidia defectionis ulciſcens. Ubi autem hoc Harpagi facinus audivit Aſtyages, maximo undique contracto exercitu ipſemet contra Cyrum proficiſcitur, & repetito alacrius certamine manus cum eo conſerit. Vertuntur in fugam Perſæ. Matres & conjuges eorum, cum fugam cernerent, eos hortantur, ut pugnam reſtaurent & in prælium revertantur. Cunctantibus illis ac bellum detrectantibus, ſublata veſte, corporis pudenda oſtendunt, rogantque; num iterum in uterum maternum confugere velint. Tum illi pudore perciti, in prœlium tanto impetu revertuntur, ut jam victi victores evaderent, & ſic fugatis cæſiſque Medis, captoque Aſtyage, Regnum invadunt Perſæ. Plura de hoc bello vide in Dynaſtia Regum Medorum Monarchiæ I. in Hiſtoria Aſtyagis §. 8.

REGULA.

Pudor in re bellica ſæpe res perditas reſtauravit, & proſtratos exercitus ad victoriam erexit. Franſc. Patrit. lib. 6. de Regno Tit. 20. pag. 402. 403.

Elegans exemplum habemus in hoc *primo Cyri bello cum Aſtyage avo geſto.* Nam Perſis jam in fugam à Medis conjecti erant, & tamen à mulieribus confuſi & pudore perciti, in prælium tanto impetu reverſi ſunt, ut jam victi victores evaderent. Et ſic Cyrus fugato pulſoque Aſtyage beneficio feminarum Rex Medorum factus eſt. Non tamen Darium vel Cyaxarem avunculum ſuum Aſtyagis filium regno pellere voluit, ne omnium contra ſe Medorum odia vireſque concitaret, ſed retento ſibi Perſidis Regno, quod jam occupaverat, Mediæ Regnum avunculo pacifice dimiſit, ea conditione, ut illo mortuo, Regnum illud ad ipſum Cyrum tranſiret. Poſt multos vero annos Darius Rex Medorum, adjuncto ſibi ſocio atque adjutore Cyro Perſarum Rege, & ſororis ſuæ filio, Chaldæos cum debellaſſet, unicam filiam eidem Cyro dedit uxorem, eundemque certiorem reddidit de reſtitutione Regni Medorum poſt obitum ſuum. Nam tunc denuo ipſum ejuſdem Regni hæredem ac ſucceſſorem inſtituit.

BELLUM II. *fuit* LYDIUM, *contra* CROESUM *Lydorum Regem geſtum.*

XXXVII.

Acta belli Lydii ſunt triplicia. Vel enim contigerunt:

I. *Ante pugnam.*

Ubi notanda ſunt duo.

I. *Conſilium Cræſi*; idque geminum:

Proprium. Sic Crœſus fretus ſua tum opulentia, tum potentia, bellum Cyro intulit: tum quod augeſcentem quotidie ejus potentiam haberet ſuſpectam, tum ut Aſtyagem affinem ulciſceretur, eumque rurſus in libertatem vendicaret, ut *Herodotus* ſcribit: vel, ut Aſſyriis, cum quibus fœdus iniverat, opem ferret; uti *Xenophon.* ſtatuit.

Alienum; Idque fuit vel

ſalutare. Quod ei dedit *Lydus* quidam nomine Sandanis, qui eum à bello dehortatus eſt, hac ratione uſus: Adverſus tales paras expeditionem, qui è corio veſtem gerunt, non quibus volunt, cibis veſcuntur, ſed quos habent, utpote regionem aſperam incolentes; Adhæc potu non vini utuntur, ſed aquæ, non ficos ad comedendum, nec aliud quicquam boni habentes. Quibus cum nihil ſit, quid eripies, cum viceris? Sin victus fueris, quot bona amittes? Nam ubi illi guſtaverint noſtra bona, abigi non poterunt. Equidem habeo Diis gratias, quod non induxerunt in animum Perſæ, ut Lydos invaderent. Huc referri poteſt epiſtola Anacharſis Scythæ. Quæ ita habet: Anacharſis Hannoni ſalutem. Mihi amictui eſt *Scythicum tegmen:* calceamentum ſolorum callum: cubile, terra: pulpamentum, fames: lacte, caſeo, carne veſcor. Quare ut ad quietum me licet venias. Munera autem iſta, quibus es delectatus, vel civibus tuis, vel Diis immortalibus dona. *Cicero lib. 5. Tuſcul. quæſt. pag. 132. editione Frobeniana.*

exitiale. Quod fuit *Oraculi Delphici*, hoc de eventu belli à Crœſo conſulti, ambiguum hoc reſponſum:

Cræſus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.

Verum Crœſus, ſalutari Sandanis conſilio repudiato, hoc deceptus acceptavit, atque inſano temerioque auſu Cyro bellum intulit.

II. *Pro-*

11. *Prodigium.* Cum Crœſus auxilia copiarum exſpectans, in urbem Sardium ſe recepiſſet; accidit hoc prodigium, ut ſuburbana omnia colubris implerentur, quos equi prodeuntes ex paſcuis relictis devorabant. Hoc augures interpretati ſunt, futurum, ut indigenæ ab advena hoſte opprimerentur. Nam COLUBRUM terræ filium eſſe, & indigenas ſignificare: EQUO verò præfigurari externum hoſtem, qui ſubacturus eſſet Lydos.

II. *In pugna.*

Commiſſa { *extra urbem.* Sic notanda { Equitatus Crœſi copia. *Cyri ſtrategema.* } } Commiſſo in campo prœlio, cum Crœſus equitatu maxime valeret, Cyrus hoc ſtrategemate uſus eſt. Naturalis eſt ἀντιπάθεια inter camelos & equos, ita ut hi illos naturaliter reformident. Ideoque Cyrus camelos oppoſuit equis, qui conſpectis & olfactis camelis, retro ſe averterunt. Ita turbata acie, Crœſus in fugam converſus, Sardium muris ſe incluſit.

Commiſſa ad & intra urbem. At Cyrus Crœſum cum exercitu perſequens, dona promiſit illi, qui primus murum conſcendiſſet. Adfuit *Mardus* quidam nomine, qui ea in parte arcis, ubi nemo ad excubandum erat collocatus, propterea quod illinc urbem capi poſſe haud ſuſpicio erat, conſcendit murum primus, quem ſequuti ſunt alii Perſæ, urbemque ceperunt 14 obſidionis die.

Factum hoc ipſum anno { ab Orbe condito 3425. / ab regno Crœſi 14. / ante nativitatem Chriſti 546. }

III. *Poſt pugnam.*

1. *Crœſi mirabilis conſervatio* {
1. *à militis adorientis gladio.* Mirum eſt quod *Herodotus* in Clio narrat de Crœſi filio, cui ATYS nomen erat. Hic cum in multam uſque ætatem loqui nihil potuiſſet, jamque pro muto atque elingui haberetur, poſtquam vidit, capta urbe, patrem gladio ſtricto ab hoſte invadi, diducere os in ſummo angore cœpit, & ingenti nixu impetuque ſpiritus linguæ nodum rupit, alta voce exclamans: *Miles, parce; Rex eſt.* Mox & hoſtis gladium retraxit, & adoleſcens poſtea pleno ſermone per omnem vitam uſus eſt.
2. *Ab ignis incendio.* Poſtea Crœſus compedibus vinctus pyræ ingenti Cyri juſſu impoſitus, & jamjam comburendus, alta miſerabilique voce ter clamavit: *O Solon, Solon, Solon!* Interrogatus à Cyro, quidnam vellet? reſpondit: Se jam recordari ſapientiſſimi Solonis moniti, ne quis ſe beatum ante finem vitæ prædicaret. Hac voce commonefactus Cyrus, ſe quoque mortalem & fortunæ ludibriis obnoxium cogitavit. Ideoque Crœſum ſtatim à rogo liberatum in amici numero locoque habuit. *Herodotus lib.* 1.
}

2. *Urbis Sardium conſervatio.* Urbs Sardium capta à Cyro intercеſſione Crœſi à direptione ſervata eſt. Dixit namque Crœſus ad Cyrum: Si diripueris urbem, artes quoque, quas fontes bonorum eſſe ajunt, corrumpentur. Vide ſupra §. 29.

3. *Lydorum enervatio.* Lydi, cum Cyrus abiiſſet, ſequenti anno rebellant: ſed ſub jugum redacti à præfecto Cyri, armis ſpoliantur, & conſilio Crœſi Muſicam diſcere, & ludicras artes exercere jubentur, ut mollicie effeminati militiam horrerent, & paci ſtuderent. *Juſtinus lib.* 1

USUS.

AXIOMA I.

Κύκλος τὰ ἀνθρώπινα. *Circulus ſunt res hominum.*

Quo adagio rerum humanarum notatur inconſtantia. Quoniam res humanæ à fortuna (providentia divina) circumaguntur, & velut in orbem recurrunt. Poëta eleganter hoc expreſſit:

Circulus ſunt res hominum recurrens:
Fors ROTAM *verſat, verſat omne Fatum:*
Sic bonis miſcet mala, nempe rerum
Omnium ſic magna viciſſitudo eſt.

Pingitur *Fortuna rotæ* inſiſtere, ut varii & multiformes hujus prodigii vultus exprimantur; quod variis mutationum vicibus obnoxium, inſtar rotæ indeſinenter in orbem convertitur, miſcens infima ſummis, ſumma imis:

Præcipitem movet illa ROTAM, *motuſque laborum*
Nulla quies claudit, nec ſiſtunt otia motum:
Hos premit, hos revolat; hos dejicit, erigit illos:
Cogit & in varios homines deſcendere caſus.

Exemplum habemus in *Cræſo*, Lydorum Rege ditiſſi

ditissimo & potentissimo; de quo *Prov. Crœso ditior.* Vide *Erasmum in Adagiis.*

At hic meritò inter exempla inconstantiæ fortunæ recensetur. Quare, ô mortales, nihil desperemus, nulli rei fidamus, cùm videamus tot varietates in tam volubili orbe circumagi.

Ita SESOSTRIS *Rex Ægypti* felicissimus & potentissimus, plurimas nationes servituti subegit: unde curru ex auro & lapidibus pretiosis constructo vehi solitus est, qui à quatuor Regibus à se devictis trahebatur. Cumque unus ex Regibus sæpe respiciens, *rotam*, quæ volvebatur, accuratè contemplaretur, percontatus est Sesostris; Cur ita retrospiceret? respondit: Se, cùm *rotam* sursum deorsumque volvi cernat, vitæ humanæ & fortunæ inconstantiam considerare, in qua perpetuò summa ad imum devolvuntur, ima ad summum evehuntur: suam se quoque sortem perpendere, quod Rex, qui modò potentissimus fuerit, nunc instar pecudis, quadrigas agitare cogatur. His auditis, atque animo secum paullo altiùs communem omnium hominum sortem perpendens, Sesostris, Reges à servitute liberatos, honore deinceps plurimo affecit. Ita quoque *Cyrus* humanæ sortis fragilitatem ob oculos sibi ponens, Crœsum Regem captivum, pyræque impositum ab eadem liberavit, & βασιλικῶς tractavit. Unde Crœsus Consiliarius Cyri factus, & proprio malo edoctus, (nam dixit: Mea παθήματα sunt mihi μαθήματα) Cyro, in Scythiam cum exercitu ituro, hoc bellum dissuasit, dicens: Si tu vel ipse immortalis esses, vel immortalem exercitum duceres, nihil opus esset meo consilio tibi: sed si agnoscis te hominem esse, & hominibus imperare, cogita, humanarum rerum orbem quendam seu circulum esse, qui rotatus, semper eosdem fortunatos esse non sinit.

AXIOMA II.

Πρὸ τελευτῆς μὴ μακάριζε μηδένα.

Ante mortem ne prædices beatum quenquam.

Cum hoc adagio sacro *Ethnicorum* quoque *Adagia* examussim congruunt. *Euripides* Andromachæ v. 100.

Nemo beatus appellandus est priùs,
Quàm videris, quo fine postremum diem
Transegerit, vitâque demigraverit.

Stobæus serm. 105.

Mortalium nemo beatum judicet
Quenquam, priusquam viderit bene mortuum.
Nam mortuum laudare quàm tutissimum est.

Horum Carminum summam *Ovidius* his versibus complexus est *lib.* 3. *Metam. v.* 135.

—— Ultima semper
Exspectanda dies homini est: dicique beatus
Ante obitum nemo, supremaque funera, debet.

Verùm hæc Ethnicorum emblemata (quæ omnia huc tendunt, ut doceant, neminem non exspectato fine, tantùm ex primis initiis, aut medio vitæ cursu, de sua vel aliorum felicitate nimis præcipitanter judicare debere) procul dubio omnia ex historia Crœsi petita sunt: cui divitias suas opesque ambitiosiùs ostentanti Solon hanc vitæ regulam præscribebat. At Rex ille, opum atque honorum fulgore excæcatus, eam tum quidem insolenter spernebat. Ideoque tandem à Cyro victus, jamque rogo impositus, ejus veritatem suo propemodum exemplo comprobasset, nisi ter inclamato Solonis nomine, totoque colloquio repetito, Cyrum victorem ad misericordiam flexisset, ejusque clementiâ servatus fuisset; uti ex dictis constat. Quamobrem prudens est admonitio *Pauli Æmyli.* (apud *Livium lib.* 5. *decad.* 5.) In secundis rebus, *inquit*, nihil in quenquam superbè aut violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cùm quid vesper ferat, incertum sit. Is demum vir erit, cujus animum nec prospera flatu efferent, nec adversa infringent.

AXIOMA III.

Bella temeraria non sunt felicia.

Exemplum habemus in Crœso Rege Lydorum potentissimo. Hic cùm in florentissimo Regno suo otii impatiens esset, & bellum Cyro Regi Persarum absque ulla legitima causa, sed tantùm prosperitate rerum & luxu superbus, inferre vellet, ob eamque causam Legatos ad Delphicum Oraculum dissimulato habitu, & unde venissent, misisset, ita respondisse Pythiam Cedrenus refert:

Est mensura maris, numerus mihi notus arenæ;
Elinguis animi sensa & cognosco tacentis;
Sed mihi Rex Crœsus, cupiuntque illudere Lydi.

Tum demum exposita vera causa legationis, ita respondit Oraculum:

Crœsus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim.

Ita Crœsus Oraculi ambiguitate delusus, magnam pervertit opum vim, non alienarum, sed propriarum.

Beatus sanè fuisset Crœsus, si Oraculum, cujus Xenophon & Cicero etiam meminit, observasset:

Σεαυτὸν γινώσκων εὐδαίμων, Κροῖσε, περάσεις.

Crœse, beatus eris, benè si te noveris ipse.

Idem *Cedrenus* tradit, Danielem ex Jesaiæ vaticinio

nio Cyro indicaſſe, eum victorem fore; quod & in Suidæ Hiſtoriis legimus: cùmque hoc accidiſſet, Cyrum ideò Judæos ex captivitate Babylonica domum dimiſiſſe.

XXXVIII.

BELLUM III. *Cyri, fuit* IONICUM.

In bello quod Cyrus contra Ionas geſſit, tria conſideranda. 1. *Ortus.* 2. *Progreſſus.* 3. *Egreſſus.*

1. *Ortus.*

1. *Ionum atque Æolum ad Cyrum legatio.* Iones atque Æoles, ubi audiverunt, Lydos citra negotium à Perſis victos, Legatos Sardeis miſerunt ad Cyrum, ultrò poſtulantes, ut iiſdem conditionibus eos admitteret, quibus Crœſi ſubditos in gratiam recepiſſet. *Herodotus lib.* 1.

2. *Parabolica Cyri reſponſio.* Verùm Cyrus ei nimis ſerò pacem petentibus hoc apologo reſpondit: Tibicen quidam ubi piſces in mari conſpexiſſet, canere tibiâ cœpit, ratus nimirum, eos ad ſuavitatem cantus in terram progreſſuros: at ſpe ſua fruſtratus, miſſo in mare verriculo, ingentem piſcium multitudinem comprehendit, atque in terram traxit. Cumque palpitantes videret in ſicco, dixit ad piſces: Παύεσθέ μοι ὀρχούμενοι, ἐπεὶ σὺν, ἡνίκα αὐλέουν ὑμῖν, ἠθέλητε οὐδαμῶν ὀρχέεσθαι. h. e. *Temperate nunc mihi quaſo à ſaltationibus. Siquidem, me tibiâ canente, vobis ſaltare non libuit.* Quibus verbis ſignificabat: Se ſupplices eorum preces parum curare, quandoquidem paullo antea ipſius amicitiam, tam benignè oblatam, inſolenter aſpernati fuiſſent; at nunc demum, cùm ipſis res ex ſententia haud ſuccederent, ad ſecunda Cyri juſſa parati eſſent. Atque hoc Cyrus reſponſo, irâ commotus, Legatos dimiſit.

II. *Progreſſus.* Bellum hoc Cyrus per Duces ſuos, præſertim per Harpagum, geſſit; quem ad ſubigendos Ionas miſit, qui omnium primos Phocæenſes aggreſſus vicit atque profligavit.

III. *Egreſſus.* Bellum iſtud tantâ acerbitate geſtum eſt, ut plurimæ urbes in Ionia deletæ fuerint; Phocæenſes patriâ ſponte deſertâ in Corſicam coloniam deduxerint; quidam Rhegium in Italiam, aut in Galliam profecti ſint, ibique ad Rhodanum urbem condiderint nomine Maſſiliam, quò etiam linguam Ionicam & diſciplinas humaniores importarunt, ibique longo tempore retinuerunt.

NOTA I.

[Nomen *Maſſilia* dicitur ab ἁλία, h. e. nave piſcatoria, & μάσσω, h. e. alligare vel quærere: quod propter commoditatem portus eum locum navigantes elegerint.]

NOTA II.

[Cum Apologo illo piſcatoris, à Cyro Legatis Ionum propoſito, congruit illud pulcherrimum Chriſti Servatoris noſtri *adagium. Matth.* 11. *verſ.* 17. *Tibia cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lugubria cecinimus vobis, & non planxiſtis.* Quo perſtringitur à Chriſto invincibilis Judæorum duricies & pertinacia, quòd neque Johannis B. doctrinâ & vitâ ſeveriore, neque Chriſti humanitate & doctrinâ ſuaviore permoveri potuerint, ut Chriſtum ejuſque Evangelium reciperent, ſed in altero ſuavitatem, in altero verò morum gravitatem deſiderarent. Accommodari etiam adagium illud generaliter poteſt ad eos, qui neque verbis amaris, neque amicis, ad vitæ emendationem flecti aut permoveri poſſunt. *Germani* ita efferunt: Man ſinge jhnen/ oder man pfeiffe jhnen/ ſo hüpfe doch bey jhnen alles nichts.]

AXIOMA.

Πόρνους & μοιχοὺς κρίνει ὁ Θεός. *Scortatores & adulteros judicat Deus. Hebr. cap.* 13. *v.* 4. Quoſdam judicat Deus ἀμέσως, & *immediatè*; uti judicavit Sodomam & Gomorrham, incolaſque earum, pluendo cœlitùs ſuper ipſos ignem & ſulphur. *Gen.* 19. Antediluvianos judicavit immittendo illis aquas diluvii, iiſque illos ſubmergendo. *Gen.* 7. Quoſdam verò judicat ἐμμέσως, *mediatè*, h. e. per Magiſtratus, vel alios homines. Ita propter ſtupra 12 Principes in Iſraël ſuſpenſi ſunt, & interfecti 24000 homines. *Num.* 15. *v.* 4, 9. Ita quoque Cyrus Rex Perſarum vagas gentis Ionicæ libidines punivit maximarum urbium deletione. Auguſtus punit Antonium & Cleopatram. Hæc exempla iræ divinæ ſunt notanda, atque ad emendationem vitæ accommodanda.

XXXIX.

BELLUM IV. Cyri fuit BABYLONICUM vel ASSYRIACUM, *contra Belſazarem Regem Babyloniorum geſtum.*

I. ORTUS. h. e. A QUIBUS *hoc bellum ſit geſtum.* De eo tenendum, quòd ſit geſtum à Dario atque Cyro, illo Medorum, hoc verò Perſarum Rege; ſicut dicitur *Dan.* 5. 28. in ſcriptura prodigioſa: *Pharſin*, h. e. ſicut Daniel explicat, Diviſum eſt regnum tuum, (ſc. à Deo) & traditum *Medis & Perſis.* Similiter *Jeſai. cap.* 13. *v.* 17. inquit Deus.

Deus. Ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, &c. Et *Jerem.* 51. *v.* 11. Suſcitavit Dominus (tanquam cauſa principalis) ſpiritum Regum Medorum (tanquam adminiſtrorum ſuorum,) & contra Babylonem mens ejus eſt, ut perdat eam; quoniam ultio Domini eſt ultio templi ſui. *Jeſai.* 44. *v.* 27, 28. inquit Deus de *Cyro* Rege Perſarum. Ego dico profundo (h. e. Euphrati) exſiccator; flumina tua, ô Babylon, arefaciam. Qui dico Cyro, Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam facies. Et *Ieſai.* 45. *verſ.* 1. Hæc dicit Dominus *Cyro* uncto meo, cujus apprehendi dexteram, &c. Et aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur: Ego anteibo & glorioſos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.

II. PROGRESSUS continet *modum belligerandi.* De quo notandum, quòd bellum hoc Babylonicum ſit geſtum à Cyro *Arte* & *Marte.*

ARTE. Cum enim Cyrus (uti *Xenoph. lib.* 7. & *Herodotus lib.* 1. ſcribunt) animadvertiſſet, aut nullomodo, aut non niſi longiſſimo tempore Babylonem expugnari & capi poſſe, tandem converſus ad *ſtrategemata*, hoc uſus eſt conſilio. Prope Babylonem, quo ſcil. loco Euphrates urbem ingreditur, multas fecit latas & altas foſſas, ignorantibus Babyloniis ejus conſilium & propoſitum: Quo facto, laxavit obſidionem, diſceſſum ſimulavit, ut hoc credentes Babylonios, ob idque in defenſionem urbis remiſſos ac negligentes, poſtea faciliùs opprimeret. Eo autem die, quo Babylonii, omnis periculi ſecuriſſimi, ludis & conviviis intentiſſimi erant, Cyrus in foſſas illas derivavit Euphraten, in tantum exinanito ejus alveo, ut à militibus commodè tranſmeari poſſet. Itaque urbem ingreſſis, facillimum fuit, & civitatem capere, & Babylonios vino ſomnoque ſepultos & incautos, inopinatoque hoſtium ingreſſu conſternatos ſuperare.

MARTE. Quia Cyrus per alveum Euphratis exinanitum, exercitum introduxit in urbem; qui armatâ manu eam occuparunt, & obvios quoſvis trucidarunt: in quo exercitu duo fuerunt Principes ex Regno Babylonico, nempe Gadata & Gabryas, qui primi urbem ingreſſi arcem ceperunt, Regemque Belſazarem in palatio acinace dimicantem vindictæ cupidi interfecerunt. *Xenophon. lib.* 7. *Cyropæd.* Nam Belſazar Gadatam caſtraverat per ignominiam. *Xenoph. lib.* 5. *Cyropæd. pag.* 85. Gobryæ verò filium in venatione ex invidia interfecerat, propterea quòd ab eo arte ſagittandi vinceretur. *Xenophon. lib.* 4. *Cyropæd. pag.* 77.

III. EGRESSUS. Nam Belſazar ab hoſtibus ſuis trucidatus, inſtar ſurculi abominabilis, veſtimenti ſanguinolenti, atque cadaveris putridi abjectus, atque ſepulturæ honore privatus fuit: ſicut *Ieſaiæ* 14. *verſ.* 18, 19, 20. prædixerat. Vide *Monarch.* I. *Hiſtor. Belſaz.* §. 19. *Babylonii* verò urbe captâ ſervituti ſunt ſubjecti, ſicut *Xenophon. lib.* 7. *Cyropæd.* hiſce verbis deſcribit: Cyrus Babyloniis demandavit, ut arma traderent, terram colerent, tributaque perſolverent, atque his obſequerentur, quibus ſinguli eorum dati eſſent: quibus etiam mandavit, ut Perſas atque Medos tanquam Dominos ſuos ſalutarent. Quin etiam conſtituit Cyrus Babylone præſidiariorum ſatis, utque mercedem illis darent, imperavit Babyloniis, quippe quos vellet maximè imbelles & effeminatos reddere, quo & humillimi maximè ſubjecti eſſent.

XL.

Hoc bello confecto, Cyrus initium Monarchiæ II. nempe Perſicæ conſtituit. Quoniam ſummam Imperii Babylonici arcem cepit anno Mundi 3434. qui propterea ANNUS Cyri PRIMUS conſtitutæ ſcil. Monarchiæ appellatur, & ex hoc tempore Cyrus annos 7 regnavit.

Metaſthenes ſcribit, Darium Medum ſimul cum Cyro regnaſſe annos duos poſt interfectum Belſazarem. Quod autem Daniel Propheta *cap.* 5. *v.* 22. tantùm Darii mentionem facit, eumque Belſazari in Regno ſucceſſiſſe ait, in eo, inquit *Hieronymus*, ſervatum eſſe 1. *Ordinem ætatis.* Darius namque erat annorum 62. ut ipſe Daniel ait *cap.* 5. *verſ.* 22. 2. *Rationem propinquitatis.* Quia Darius erat avunculus & ſocer Cyri. 3. *Gradum dignitatis.* Quia ipſe Deus in codice ſacro per *Medos* præcipuè deſtrui Regnum Babylonicum voluit, juxta vaticinia *Jeſai. c.* 13. *v.* 17. Ecce ego (inquit Deus) ſuſcitabo ſuper eos (Chaldæos) Medos. Et *Jerem.* 51. *v.* 11. Suſcitavit Dominus ſpiritum Regum Medorum, & contra Babylonem mens ejus eſt, ut perdat eam. Et *Daniel.* 5. *v.* 28. dicit Daniel ad Regem Belſazarem: Diviſum eſt Regnum tuum, & datum MEDIS & PERSIS. Hic *Medi* primo loco ponuntur. Cyrum verò non excludi à Daniele, inde manifeſtum eſt, quòd primo hoc Monarchiæ anno, ipſe Cyrus ſeſe Dominum omnium regnorum terræ divinitùs conſtitutum publico in decreto affirmat. 2 *Paral.* 36. *v.* 23. *Eſdr.* 1, *v.* 2.

AXIOMA I.

Quando Deus prepotens ille mundi Rector Heroas excitat, quos ad ſummum Imperii faſtigium extollere, per eoſque res magnas atque humano generi & Eccleſiæ ſalutares perficere decrevit, eos præ aliis

aliis, donis divinis & admirandis, heroica indole, excellenti ſapientia & prudentia ornat, atque ſingulari virtute, robore & felicitate rerum gerendarum armat, ut nihil eorum impetum impedire aut remorari poſſit. Unde in ſacro codice Principes appellantur אלהים, h. e. ſupra alios elati, vel capita aliorum: אלהים, h. e. *Dii.* tùm *ratione tituli*: quia à Deo ſunt vocati & ſanctificati. *Joham. 10. v. 34.* h. e. à communi hominum ſorte ſegregati. quia Dei perſonam quoad eminentiam atque excellentiam repræſentant. tùm *ratione exercitii.* quia ſunt Dei vicarii, tùm in Eccleſia, cujus ſunt nutritii, *Jeſai. cap. 49.* tùm in Politia, cujus ſunt Gubernatores atque adminiſtratores. *Rom. cap. 13. v. 4.* Rex David, *Pſalm. 127. v. 5.* comparat eos *ſagittis* validâ ſagittantis manu contortis, ſquæ omnia proſternunt, quæ petunt.

Tales Heroës fuerunt David, Jehu, Alexander Magnus, Julius Cæſar, Auguſtus atque Cyrus Major; de quo jam agimus. Hunc namque Deus non tantùm ad evertendum Monarchiam Babylonicam & conſtituendum Monarchiam Perſicam, ad liberandos Iſraëlitas ex captivitate, vocavit atque ſanctificavit, ſed etiam per Prophetas ſuos nomen ejus 210 annis ante, quam conceptus aut in lucem editus eſt, nominavit: uti ex *Jeſaiæ. 44. v. 28. cap. 45. v. 1, 2.* videre eſt.

Et ipſe Cyrus elapſis 70 hebdomadibus, publicè propoſito edicto fatetur: Omnia regna terræ ſibi dediſſe Jehovam, Dominum cœli, & ipſum præcepiſſe ſibi, ut ædificaret ei domum in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa. *2 Paral. 36.* Unde Cyrus congruis à Deo ipſo inſignitus fuit titulis. Vocatur namque משיח CHRISTUS ſeu UNCTUS DOMINI. *Jeſai. cap. 45. verſ. 1.* non quidem *ceremonialiter*, quòd oleo ſacro ad Regiam dignitatem, pro more ſolenni in V. T. recepto, juxta exemplum Regum Iſraëliticorum inauguratus fuerit: ſed *realiter*; Quia à Deo ipſo ſanctificatus, & ad officium Regium ſegregatus, atque peculiaribus donis ornatus & armatus erat. Item dicitur רעי PASTOR DEI. *Jeſai. 44. v. 27.* inquit Deus ad Cyrum: *Tu paſtor meus es*, & voluntatem meam perficies. Sicut enim bonus paſtor omnes cogitationes ſuas dirigit ad ſalutem ſibi commiſſi gregis, quem & regit & tuetur: Ita etiam Cyrus omnes cogitationes ſuas, omniaque ſua conſilia ad procurandam ſubditorum ſuorum ſalutem unicè direxit; uti ex Xenophonte, Herodoto, Strabone, aliiſque Hiſtoricis videre eſt. Et ſicut boni paſtoris eſt, tondere pecus, non deglubere; juxta Symbolum Tyberii Imperatoris: ita quoque Cyrus à Perſis ſuis tributa non exegit.

AXIOMA II.

Multùm refert, ut Imperator milites ſuos norit, eoſque nomine etiam ſuo appellare ſciat.

Xenophon ſcriptor Græcus *lib. 5. Cyropædias* ſcribit de *Cyro* Perſarum Rege, cùm ille Babylona verſus contenderet, & nominatim ſuis Ducibus peragenda præciperet, primùm quidem Chryſanthæ, tùm Artabazo, deinde Ardamyæ, mox Embanti, pòſt Artuchæ, Thamoradæ, Damatæ, Natadæ, Hieroſambatæ, Tigrani, Alceunæ, & aliis: ſubjungit Hiſtoricus: Ex hinc ſecedebant ſinguli in ſua tabernacula, interque ſecedendum conferebant inter ſe, quanta memoria Cyrus eſſet, qui tot nominatim inſtruxiſſet, ſinguliſque appellatis præcepiſſet agenda. At Cyrus in hoc ſtudioſe verſabatur negotio, quippe cui *abſurdum* videretur, opificem mechanicum noſſe ſingula artis ſuæ inſtrumenta: & Medicum quoque ſua, ſicut remedia: Imperatorem autem exercitus ita fatuum eſſe, ut neſciat nomina ſubditorum Ducum, quibus ei opus eſt inſtrumentorum loco uti, &, quando anticipare quid velit, & quando cavere, quando excitare ad virtutem, aut terrere nititur. Putabat & *honorificum* eſſe *militibus*, ſi à ſuo Imperatore nominibus ſuis compellarentur. Itaque ea compellatione honoratiores reddebat. Credebat inſuper, eos milites, qui à Principe cognoſcerentur, magis operam daturos, ut memorabili aliquo fortique facto ſe commendarent ampliùs, quàm ut deformi aliquo turpique facto gratiâ & favore exciderent. *Stultum* porrò cenſebat, cùm vellet aliquid geri, ita imperare, quemadmodum inepti quidam heri domi ſuæ ſolent jubere: *Eat aliquis ad aquam: Findat aliquis ligna.* Nam ſi ita imperetur, omnes ejus ſervi videbuntur ſeſe adſpicere; neminem autem, quod juſſum eſſet, facere: atque omnes quidem in cauſa eſſe neglecti mandati, neminem tamen, ea cauſa pudere vel metuere, quia culpa ſit omnium. His Cyrus de cauſis nominatim cuique quod volebat, imperabat.

XLI.

Bellum V. Cyri fuit Scythicum, ſive contra Maſſagetas geſtum.

[*Maſſagetæ* fuerunt ſtirps Gothorum; ſicut nomen indicat, quod à *Getis* compoſitum eſt, & *Mes.* Fuerunt autem *Mes* & *Gether* poſteri Sem: uti Geneſis teſtatur. Ab illis Getas eſſe conſentaneum eſt. Et vicini in illa regione fuerunt Meſſagetæ, Suevi & Alani *Philip. Melanchthon. in Chron. pag. 106.*]

Circa hoc Bellum *Acta* triplicia ſunt notanda. 1. Quæ *ante bellum.* 2. Quæ *in* ipſo *bello.* 3. Quæ *poſt bellum* contigerunt.

1. *Ante*

I. *Ante bellum.*

1. *Cræsi dissuadentis consilium.* Cræsus Cyri Consiliarius prudenter hoc bellum dissuadet, & talibus eum verbis alloquitur: Si tu vel ipse immortalis esses, vel immortalem exercitum duceres, nihil opus esset meo consilio tibi: sed si agnoscis, te hominem esse, & hominibus imperare, cogita, rerum humanarum orbem quendam seu circulum esse, qui rotatus semper eosdem fortunatos esse non sinit. *Herodotus.*

2. *Cyri pertinax propositum.* At Cyrus fortunæ blandientis fulgore excæcatus, pertinax in sententia persistens ad salutaria Cræsi consulentis verba aures occlusas gerit. Similiter Tomyris Scytharum Regina Caduceatorem mittit: Si utique pace frui non velit, alterum è duobus eligat: Aut trajiciat flumen securus, & secum pugnet; aut eam in regionem suam admittat, idem se facturam. Placuit Cyro admittere Reginam cum exercitu. Sed dissuasit iterum Cræsus: Si, ô Cyre, inquit, hostes in terram nostram volumus recipere, id tibi periculum erit, ne fugatus omne amittas Imperium. Victor autem, tamen non multum vinces. Ergo mihi placet, trajectis copiis procedere.

II. *In bello.*

1. *Pugna Cyri felix cum Spargabise Tomyris filio.* Cyrus hoc Cræsi consilio admisso, cum exercitu progressus fluvium Araxin trajecit. Cum aliquantisper in Scythiam processisset, castra metatus est. Postero die castra, quæ locaverat, deseruit, mensis omnibus instructis vino optimo & epulis copiosis, quasi rebus suis diffidens in fugam se daturus esset. Tomyris Regina hoc cognito, filium suum Spargabisen cum tertia copiarum parte mittit ad persequendum eum. Sed adolescens rei militaris ignarus, cum ventum esset ad castra, omissis hostibus, insuetos barbaros vino se onerare patitur. Cognitis his, Cyrus reversus per noctem multo vino ciboque obrutos somnoque sepultos opprimit Scythas omnes, & Reginæ filium captivum ducit.

2. *Pugna Cyri infelix cum Tomyri Regina.* Amisso tanto exercitu, & filio capto, Regina Caduceatorem remisit ad Cyrum, qui diceret: Inexplebilis cruore Cyre, ne propterea exultes, quod veneno filium meum vicisti, dolo, non prælio superior. Abi, reddito mihi filium, fer impune, quod tertiam Massagetarum partem profligasti: quæ nisi feceris, per solem juro, insatiabilem te cruore satiabo. Quæ verba cum Cyrus pro nihilo haberet, Tomyris hostes, recenti victoria exultantes, pari insidiarum fraude circumvenit, quippe simulata diffidentia propter vulnus acceptum refugiens, Cyrum in angustias viarum suo militi notas pertraxit, ibi compositis in montibus insidiis, ducenta Persarum millia cum ipso Rege trucidavit, ita ut tantæ cladis ne nuncius quidem supereſſet. Filium tamen non recepit Tomyris, quia jussu Cyri à vinculis solutus & manuum compos factus, ipse sibi manus injecerat violentas. *Herodotus lib.* 1. *Justinus lib.* 1. *Nauclerus Generat.* 53.

III. *Post bellum.*

Justinus scribit, quod *Tomyris* caput Cyri amputatum in utrem sanguine humano repletum conjici mandaverit, addito hoc sarcasmo: *Satia te sanguine, quem sitivisti, cujusque insatiabilis semper fuisti.*

USUS.

In viris magnis est mixtura virtutum & vitiorum. Scitum est Platonis dictum: *Αἱ μεγάλαι φύσεις μεγάλας ἐκφέρουσι τὰς κακίας.* h. e. Heroicæ naturæ ut magnis virtutibus inclarescunt: ita non levioribus vitiis sunt obnoxiæ. Et sicut in Ægypto optima simul nascuntur remedia ac nocentissima venena: ita & magna bona, & magna mala à magnis illis viris impendent. Et *Bucholtz. in Chronolog. pag.* 326. Constat, in magnis & sanctis viris, jam senescentibus, nonnunquam simul sapientiam senescere ac decrescere, & virtutum vigorem deflorescere.

Exemplum illustre habemus in *Cyro*, qui in limine vitæ factus est 1. *πολυπράγμων καὶ φιλάζων*, h. e. *Curiosus & ambitiosus.* 2. *ἰδιογνώμων*, h. e. *pertinax & obstinatus.* 3. *ἄφρων*, h. e. *imprudens.* 4. *φιλάρχων*, h. e. *dominandi cupidus.*

1. *Cyrus* fuit *πολυπράγμων καὶ φιλάζων*, h. e. *curiosus atque ambitiosus.*

Nam *πολυπραγμοσύνη* est vitium magnis ingeniis valde familiare: quod non tantum est infelix & Reipubl. pernicioſum; sed punitur etiam divinitus in ipsis authoribus. Exempla hoc docent. Quanta enim virtutum seges fuit in *Samsone*, *Davide*, *Josia*, *Osia*, *Alexandro Magno*? Hi tamen & terros lapsus habuerunt, & in horribiles calamitates inciderunt. Hæc spectacula nos admonent de nostra infirmitate & de modestia, ne extra metas vocationis & officii nostri ruamus. Humana enim consilia, & humani conatus extra vocationem suscepti, plerumque infelices esse solent. Et subitæ illæ eversiones florentis fortunæ atque potentiæ superborum, qui movent bella non necessaria, manifesta sunt testimonia providentiæ atque justitiæ divinæ.

Ita *Crœſus* fiducia opulentiæ atque potentiæ ſuæ bellum infert Cyro gerenti juſtum bellum adverſus Tyrannum Babylonicum, qui Gobryæ filium occiderat, & in alios crudelitatem exercuerat. Similiter *Cyrus* cum plurima feliciter geſſiſſet bella, eaque maxima, cum Aſtyage Medorum Rege avo ſuo, cum Ioniis, cum Crœſo Lydorum Rege opulentiſſimo & potentiſſimo, & cum Belſazare Rege Babyloniorum ultimo, tandem elatus fortunæ blandientis favore, nimiumque ſibi confidens, bellum intulit Maſſagetis, in eoque interfectus eſt. Quare omnes moniti ſint, ut in officio ſuo tractent non ἀλλότρια, ſed οἰκεῖα, h. e. non aliena, ſed propria. Qui enim vocationis ſuæ limites tranſgrediuntur, felices non ſunt.

II. *Fuit* Γ' ΔΙΟΓΝΩΜΩΝ, h. e. *pertinax & obſtinatus.*

Quia *prudens Crœſi conſilium admittere noluit.* Recte namque Crœſus dixit: Mea παθήματα ſunt mihi μαθήματα. Quæ enim nocent, illa docent: *Polybius* hac de re memorabilem vitæ regulam nobis præſcripſit, quæ talis eſt: Duæ, inquit, univerſis mortalibus propoſitæ ſunt ad proficiendum rationes, per PROPRIOS caſus: aut per ALIENOS. *Evidentior* quidem illa, quæ per propria ducit infortunia; at *tutior* illa, quæ per aliena. Itaque viam priorem ſponte ſua nemo unquam debet ingredi: magnis enim ejuſmodi correctio laboribus conſtat & periculis: poſterior ſemper nobis capienda, per quam ſine ulla noxa, id quod melius cernere unicuique licet. Hæc Polybii ore loquitur prudentia. Quod ſi hoc Cyrus obſervaſſet, tum in periculum vitæ & famæ haud incidiſſet. Quare omnes moniti ſint, ut aliorum παθήματα ipſis ſint μαθήματα. Aliorum nocumenta ſint nobis documenta. Unde pulchè *Terentius* ait: Scitum eſt, ex aliis periculum facere, tibi quod ex uſu ſiet. *Caſſiodorus lib.* 5. *Epiſt.* 44. in eandem ſententiam inquit: Inſtructus animus redditur in futuris, ſi præteritorum commovetur exemplis.

Deinde ſuperiores diſcant inferiorum conſilia non ſpernere, exemplo Chriſti Servatoris noſtri, qui ſæpe cum diſcipulis ſuis conſultavit, quamvis nullius conſilio indigeret. Ita quoque viri magni atque prudentes non ſint ἰδιογνώμονες. Sæpe enim cœleſtis Spiritus ad humilitatis cuſtodiam parvulis revelat, quæ nonnunquam majoribus abſcondit. Sic Deus per *Jethronem* hominem gentilem, idolorumque cultorem, *Moſen* ſanctiſſimum virum, qui cum Deo à facie ad faciem loquebatur, edocuit. *Exod.* 18. *verſ.* 16, 18. cujus ille conſilium, quamvis Deum haberet rerum gerendarum Magiſtrum atque Doctorem, non eſt aſpernatus. Eodem humilitatis Spiritu *D. Auguſtinus* ait: Ego ſenex & Epiſcopus paratus ſum vel à puero doceri. Hinc etiam *D. Hieronymus* ait: Nolo uti proprio judicio, peſſimo conſultore. Ita etiam de Moſe dicitur *Exod.* 18. *v.* 24. quod conſilio Jethronis ſoceri ſui in omnibus obtemperarit. Similiter *Naamanus*, Dux Regis Syriæ, conſilium ſervorum ſuorum, ſuadentium ei, ut in Jordane juxta mandatum Prophetæ Eliſæi ſe ablueret, haud gravatim admittebat. Quo facto à lepra, morbo aliis incurabili, liberatus eſt; uti legitur 2 *Reg.* 5. *v.* 13, 14.

III. *Fuit* Α'ΦΡΩΝ, h. e. *imprudens.*

Licet enim *Cyrus* alias prudentiſſimus & militaris ſcientiæ laude clariſſimus fuerit; attamen in fine vitæ contra Scythas valde imprudenter egit; tum *ante bellum*, quod nempe prudens Crœſi bellum diſſuadentis conſilium velut amens nihil curarit; tum *in ipſo bello*, quod nempe ex ignorantia Coſmographiæ, à Tomyride Scytharum Regina, fugam ſimulante, in anguſtias locorum pertractus; ubi ipſe, una cum toto exercitu è ducentis millibus Perſarum conſtante, trucidatus eſt, adeo ut ne tantæ quidem cladis nuncius ſuperfuerit; ſicut *Herodotus* ſcribit. Quod ſi autem Cyrus locorum peritiam habuiſſet, fluvium Araxin neutiquam tranſmiſiſſet, neque divortiorum anguſtiis per errorem exercitum ſuum circumduci permiſiſſet, cum aditus omnes occupare potuiſſet, & effugia ſcientibus loca ſatis tuta paterent. Vide *Franciſcum Patrit. lib.* 3. de Regno *Tit.* 14. *p.* 213. Ita *Xerxes*, IV *Rex Perſarum*, ſi Geographiæ notitiam habuiſſet, in anguſtias Thermopylarum haud penetraſſet, ibique cum Leonide Spartanorum Rege, qui tantum 300 milites ſecum habebat, temerariè dimicaſſet, amiſſis ex exercitu ſuo 20000 militibus: uti *Herodotus* & *Juſtinus* ſcribunt.

Unde *Daniel.* 7. *v.* 4, 5. per URSUM adumbratur. Sicut enim Urſus infirmo eſt viſu, & vitiis ophthalmiæ obnoxius, ſæpiuſque hebetatur: ita quoque Cyrus in limine vitæ infirmo fuit judicio; ipſiuſque prudentiæ oculus valde eſt hebetatus; uti ex dictis patet. Pulchrè *Comineus cap.* 94. ait: Princeps facile evertitur, qui nullo niſi ſuo ipſius conſilio utitur: *M. Antoninus Imp. Philoſophus* dictus, ſæpiſſime hoc verbum uſurpavit: Æquius eſt, ut ego tot taliumque virorum conſilium ſequar, quam tot taleſque amici meam unius voluntatem. *Bodin. lib.* 4. *de Republ. cap.* 4. Meminerit Princeps, quod conſilium ſit res ſacra, ἱερὸν ἡ βυλὴ, quodque res ſit conſiliis ſecura fidelibus, ſicut ait *Bapt. Mantuanus.*

IV. *Fuit*

IV. *Fuit* ΦΙΛΑΡΧΩΝ, h. e. *dominandi cupidus.*

Nam Cyrus, teſte Herodoto, inſatiabili cupiditate dominandi, omneſque gentes imperio ſuo ſubjiciendi flagrabat. Cum quo conſentit *Juſtinus lib.* 1. narrans: Tomyrim Scytharum Reginam, quam Cyrus bello petierat, interfecto Cyro, una cum ducentis millibus Perſarum, juſſiſſe caput ejus amputari, & conjici in utrem ſanguine humano repletum, cum hac exprobratione crudelitatis: *Bibe ſanguinem, quem ſitiviſti, & cujus inſatiabilis ſemper fuiſti.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

XLII.

Acta Cyri Eccleſiaſtica ſunt duo: 1. *Cyri ad Deum converſio.* 11. *Judæorum è captivitate Babylonica emiſſio, ſive captivitatis Babylonica ſolutio.*

XLIII.

1. Cyri ad Deum converſio.

Fuerunt quidem Perſæ Ethnicis ſuperſtitionibus dediti. Nam Solem, Lunam, Venerem, Ignem, Tellurem, Ventos & Aquam coluerunt, quibus nec ſtatuas, nec aras erigebant, ſed ſacrificabant loco in excelſo. *Strabo lib.* 15. *Geograph.* ubi Perſarum ritus ſacros & mores prolixè deſcribit. At Cyrus veræ religioni addictus fuit. Nam à Propheta Daniele in vera Dei veri & omnipotentis agnitione informatus, & membrum veræ Eccleſiæ, atque hæres vitæ æternæ factus eſt. Unde etiam agnoſcit & confitetur, quod Deus ſit Dominus cœli, Deus Iſraël, & Deus, qui Jeroſolymis habitet. 2 *Paral.* 30. 23. *Eſdræ* 1. 2, 3. De hac Cyri converſione, deque vera ejus religione, inſignis locus *Theodoreti ſerm.* 1. *de fide*, eſt notandus. Cyrus, inquit, Cambyſis pater, cum Daniele familiariter uteretur, ab eodem Theologiæ myſteria familiariter edoctus eſt. Idemque cum Lydos bello everſos in deditionem accepiſſet, ſubditis procul dubio impertiit, quæ ipſe prius à Daniele perceperat. Idem & de Eſaiæ vaticinio *Cyrillus* annotavit, id Cyrum legiſſe, & impendio delectatum eo animo fuiſſe, ut divinæ gloriæ præconium in ſuis urbibus & regionibus promulgarit, confeſſuſque palam fuerit, illum ſolum eſſe Deum, univerſorumque Dominum, qui à Judæis coleretur. Similiter *Philip. Melanchth. in Chron. p.* 208. ita ſcribit: Etſi magnum decus eſt, quod Deus Cyrum ad Imperii faſtigium vocavit, & prudentia, juſtitia, fortitudine aliiſque virtutibus, & felicitate in rebus gerendis inſtruxit: tamen hoc longe majus bonum fuit, quod pectus ejus ad agnitionem & invocationem veri Dei & Meſſiæ flexit, & ejus imperium voluit eſſe ſalutare Eccleſiæ. Hæc ſunt ſumma bona Gubernatoris: Quia Politiæ debent eſſe hoſpitia Eccleſiæ, & Miniſterium Evangelii, atque diſciplinam tueri, juxta dictum: Reges erunt nutritores tui. *Jeſai.* 49. Et *Pſalm.* 24. inquit: Aperite portas Principes veſtras: aperiamini portæ mundi. *Hac Philip. Melanchthon.*

XLIV.

11. Captivitatis Babylonicæ ſolutio.

Circa quam ſolutionem captivitatis Babylonicæ quatuor ſunt notanda. 1. *Publica Edicti Regis Cyri promulgatio.* 2. *Edicti regii exſecutio.* 3. *Templi fundatio.* 4. *Tyrannica Edicti Regii abrogatio.*

XLV.

1. *Publica Edicti Regis Cyri promulgatio.*

Cyrus Rex Perſarum poſtquam cognovit ex lectione libri, qui Jeſaiæ Prophetias continet, 210 annis ante ipſius ætatem conſcriptas, *Joſeph. l.* 11. *Antiqu. cap.* 1. *p.* 281. item ex lectione Prophetæ *Jeremiæ* 29. 10. (cujus fit mentio *Eſdr.* 1. 1.) Deum promiſſionem dediſſe de reditu Judæorum è captivitate Babylonica poſt 70 annos futuro, correptus illico cupidine exſequendi ea, quæ ſcripta legerat, edictum regium publice promulgavit, convocatiſque Judæis liberam in patriam revertendi poteſtatem conceſſit, urbemque & templum reſtaurare juſſit, collatis ad ſtructuram templi ſumtibus magnificis.

Verba Edicti Regii ita ſonant Eſdræ cap. 1. *verſ.* 2, 3, 4.

Sic ait Cyrus, Rex Perſarum: Omnia Regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & Ipſe præcepit mihi (nempe *Jeſaiæ* 44. *v. ult.*) ut ædificarem ei domum in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa. Quis eſt in vobis de univerſo populo ejus? Sit Deus illius cum ipſo! Aſcendat in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa, & ædificet domum Domini Dei Iſraël: Ipſe eſt Deus, qui eſt in Jeruſalem. Et omnes, qui reliqui ſunt in cunctis locis ubicunque habitant, adjuvent eum viri de loco ſuo, argento & auro, & ſubſtantia & pecoribus, excepto quod voluntarie offerunt templo Dei, quod eſt in Jeruſalem.

Ex hujus Edicti regii promulgatione effulget *Cyri erga Judæos*, eorumque religionem, tum *benevolentia*, tum *beneficentia.*

Benevolentiam ſuam oſtendit 1. *verbis.* 2. *literis.*

teris. Quia edictum ſuum primo per vivam vocem, deinde per ſcriptum publicum promulgavit; ſicut dicitur *Eſdræ* 1. 1. idque factum eſt *primo anno Cyri.* (ſc. Regni ejus in Babylonia. Nam in Perſia jam 21 annos regnaverat.)

Beneficentiam ſuam oſtendit *factis.* Quia 1. Populo Judaico poteſtatem in patriam redeundi conceſſit. 1 *Eſdr.* 1. 3. 2. Templum ſive domum Dei ædificare illis juſſit. 3. Præfectis atque omnibus ſubditis ſuis præcepit, ut Judæos auro, argento, divitiis, jumentis, aliiſque rebus juvarent. 1 *Eſdr.* 1. *v.* 5, 6. atque ipſe ſumtus magnificos ad ſtructuram templi conceſſit. 4. Vaſa aurea & argentea, à Nabuchdonoſore Jeroſolymis aſportata, Judæis reſtituit, quorum numerus fuit 5500. *Eſdr.* 1. 10.

XLVI.

II. *Edicti Regii exſecutio*, ſive, *populi Judaici è captivitate Babylonica migratio.*

Judæi, conceſſa ſibi poteſtate in patriam redeundi & templum inſtaurandi, cum jam, quæ itineri neceſſaria erant, præparaſſent, lætis animis iter ingrediuntur numero quadragies bis mille trecenti ſexaginta, exceptis ſervis & ancillis, ſepties mille & trecentis triginta ſeptem, 1 *Eſdr.* 2. 64, 65. & oppida ſua quæque tribus recuperavit. In Judæam veniunt ſexto menſe; & die primo ſeptimi menſis inſtaurant juge ſacrificium. 1 *Eſdr.* 3. 1. Reliqui in Babylonia poſſeſſiones certas retinere maluerunt, quam, relictis his, incertas in Judæa quærere.

XLVII.

III. *Templi fundatio.*

Anno ſecundo, menſe ſecundo reditûs ex captivitate Babylonica fundamenta templi ſecundi jecerunt. 1 *Eſdr.* 3. 8. quæ illi, qui prius templum non viderant, ingenti cum exultatione; qui viderant, cum lacrymis aſpexerunt. 1 *Eſdr.* 3. 12. propterea quod initia hujus ædificii non viderentur reſpondere prioris templi majeſtati.

XLVIII.

IV. *Tyrannica Edicti Cyri per Cambyſen abrogatio.*

Verum Judæi cum toti in opere eſſent, coacti ſunt ab incepto deſiſtere. Nam *Cambyſes*, qui, Cyro patre contra Maſſagetas bellum gerente, domi regnabat, (ita miſcentur anni Cyri & Cambyſis) inductus calumniis Principum Judæis vicinorum, inchoatam templi ædificationem prohibuit. *Epiſtola accuſationis* exſtat 1 *Eſdr.* 4. 7. *uſque ad v.* 17. *Joſeph. lib.* 11. *Antiquit. Judaic. c.* 2. *Epiſtola Regis Cambyſis reſponſoria* exſtat 1 *Eſdr. c.* 4. à *v.* 17. uſque ad *v.* 24. Tunc ergo intermiſſum eſt opus domus Domini in Jeruſalem, uſque in annum ſecundum regni Darii (ſc. Hyſtaſpis) Regis Perſarum. 1 *Eſdr.* 4. 24. per annos fere novem. Nam Cambyſes cum per ſexennium & quinque menſes regnaſſet, ſubacta interim Ægypto, revertens ab ea expeditione apud Damaſcum eſt mortuus. Sublatis deinde Magis, qui poſt ejus obitum regnum per ſeptem menſes occupaverant, ſeptem illæ Perſarum familiæ Hyſtaſpis filium Darium communibus ſuffragiis Regem declaraverunt; uti ſcribit *Joſephus l.* 11. *Antiqu. Judaic. c.* 3. *p.* 282.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

XLIX.

CIrca mortem Cyri duo ſunt notanda. 1. *Mortis tempus.* 2. *Mortis genus.*

L.

I. MORTIS TEMPUS. Cyrus deceſſit anno ætatis LXX. Monarchiæ VII. completo: (quomodo etiam Alexander M. Monarchiam tertiam VII annos obtinuit:) Regni vero univerſi XXX. Quod Regni tempus *Cicero lib.* 1. *de divination. p.* 183. editione Frobeniana, à Magis ipſi prædictum ſcribit. Nam cum dormienti ei ſol ad pedes viſus eſſet, ter eum fruſtra manibus appetivit, cum ſe convolvens ſol elaberetur & abiret. Dixerunt ergo Magi, ex triplici apparitione ſolis, XXX annos Cyrum regnaturum eſſe, portendi.

LI.

II. MORTIS GENUS. De mortis genere non eadem eſt apud Scriptores narratio.

Primo: *Quidam genus mortis ejus tragicum ſive violentum* fuiſſe tradunt; ut Herodotus & Juſtinus, qui narrant, quod Cyrus in bello Scythico occubuerit, & Tomyris cadaveri ejus inter occiſorum ſtragem reperto caput præciderit, idque in utrem ſanguine humano repletum miſerit, mortuoque inſultans dixerit: *Tu quidem filium meum dolo perdidiſti: Ego vero cruore te ſatiabo. Vel* (ut Juſtinus habet) *Satia te ſanguine, quem ſitiviſti, cujuſque inſatiabilis ſemper fuiſti.* Cum his conſentit *Philoſtratus* in Heroicis, qui Cyrum rogantem in Lesbo caput Orphei, quod ibi Oracula dabat, hoc de vitæ ſuæ exitu reſponſum accepiſſe ſcribit: Κῦρε, σὶ ἐμοὶ καὶ σύ, h. Cyre, mea & tua ſunt ſimilia. h. e.

Ut

Ut ego Orpheus olim perii discerptus à mulieribus Thracensibus: ita te perdet femina, nempe Tomyris Scytharum Regina.

NOTA.

Simili mortis genere *M. Crassus Romanus* periit. Historia sic habet. Marcus Crassus auro Parthico avarè inhiabat. Quamobrem omni conatu illi populo bellum infert, magnaque contentione gerit. Sed parùm profecit. Etenim trucidatus miserè periit, & posteà detruncato capiti aurum liquefactum infunditur, cum hac exprobratione avaritiæ: *Aurum sitiisti, Crasse; aurum bibe. Luc. Flor. lib. 3. c. 11. Sext. Ruf. in Epitom.* Hanc auri sacram sitim Crassi *Bernhardus* de contemtu mundi hisce versibus depingit:

Dum lucra Parthica, dum petis hostica munera, Crasse,
Vis, sitis, inspicis, heu! tibi deficis, as bibis assus.
Hæc sitis ebriæ pungit, inebriat, excruciatque.

LII.

Deinde: Quidam docent, *genus mortis* ejus fuisse *placidum*. Ita *Xenophon* ipsum placida morte domi suæ defunctum tradit, cùm salutaria liberis suis præcepta dedisset, de immortalitate animæ, deque præmiis piorum & pœnis malorum piè disseruisset. *Oratio ejus* προαγώνιος, quâ Cyrus Rex morti jam proximus filios suos ad mutuum amorem & concordiam exhortatus est, à *Xenoph. l. 8. Cyropædiæ* hisce verbis describitur: Qui ab uno semine nati sunt, & ab una matre educati, quique etiam in eadem domo creverunt, eandemque matrem atque eundem patrem appellantes, quomodo non etiam inter se amantissimi & familiarissimi & conjunctissimi fuerint? Non ergo quæ Dii fratribus ad mutuam benevolentiam & familiaritatem contulerunt, ea vos unquam vana facere velitis, sed super his alia ædificantes amicitiæ opera, insuperabilem facietis amicitiam vestram. Qui enim fratris sollicitus est, simul etiam se ipsum curat. *Hæc ille.*

LIII.

SEPULCRUM. *Strabo l. 15. & Arrianus lib. 6. citant Aristobulum* Alexandri M. Ducem bellicum, qui Cyri sepulcrum apud Passargadas in hortis Regiis se vidisse tradat. Fuisse autem turrim non adeò magnam, arborum densitate occultam, à parte inferiore solidam, à superiore tabulatum habentem, & ædiculam, perangusto aditu vix mediocris hominis capaci. In ædicula auream urnam positam, inque ea corpus Cyri conditum fuisse, additis plurimis ornamentis Regiis ex auro gemmisque præparatis, armis etiam, quibus ipse Cyrus uti solitus. Domunculam quoque adjectam in eorum usum, qui sepulcrum custodirent: Filiis post mortem parentum in id munus succedentibus, ovem unam, frumentique tritici & vini certum modum singulis diebus, equum unum singulis mensibus, in sacrificium à Cyri successoribus dari solitum. Sepulcri titulum literis Persicis annotatum in hanc sententiam: *O homo, Cyrus ego sum Cambysæ filius, qui Persis imperium paravi; & Asiæ Rex fui. Itaque ne mihi hoc monumentum invideas rogo.*

Strabo ex Onesicrato refert, turrim X tabulata habuisse, & in supremo Cyrum jacuisse, addita hac Græca inscriptione:

Ἔνθα δ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος βασιλεὺς βασιλέων.

Cyrus, ego Rex Regum olim, conditus hic sum.

Præterea iidem Authores ex Aristobulo recitant, Alexandrum M. quoque interjecto tempore Cyri sepulcrum invisisse; verùm omnia ferè ablata reperisse, neque corpori ipsius Cyri parsum. Nam repulso urnæ operculo ipsius corpus ejectum, & urnæ aurum derasum. Alexandrum rei indignitate permotum, Magos sepulchri custodes comprehensos in quæstionem dari jussisse, ut sepulcri violatores indicarent. Verùm illos neque de se, neque de alio quoquam confessos, esse neque repertum ullum, qui Magos ejus sceleris admissi convinceret. Quapropter Alexandrum liberatis Magis Aristobulo negotium dedisse exornandi denuo sepulcri, qui reliquias corporis, quæ adhuc supererant, in urnam stragula veste velatam collectas reconderit, urnam refectam operculo rursus texerit, ornamenta pristinis paria reposuerit, & portam ædiculæ, ita ne quid ejus vestigium exstaret, regio signo impresso, lapide & calce struxerit. Ejusdem sepulcri quoque meminêre *Plutarchus*, *Curtius*, *Plinius*, *Solinus* & *Zonaras*.

1. USUS POLITICUS.

Vita Cyri fuit instar Tragœdiæ. Quia exordium vitæ ejus fuit triste & miserum: medium intervallum fuit lætum: exodium verò tragicum.

1. EXORDIUM vitæ ejus fuit *triste* & *miserum*. Quia ab Astyage Medorum Rege, avo materno, morti destinatus exponitur, & in sylvam vastissimam abjicitur, à pastoris uxore Spaco lactatur, & in casa pastorali educatur, agnitus ab avo ex Media in Persiam extruditur. *Herodotus lib. 1. Justin. lib. 1.*

2. MEDIUM vitæ ejus fuit *lætum*. Quia fortuna quæ hactenus obnubilata fuerat, serenior illi affulsit, eumque tanta benevolentia complexa est, ut ad summum totius orbis Imperium eum evexerit, omnesque ejus conatus placidissimo exceperit itinere, & quocunque se verteret, planè materno sit prosequuta affectu; ita ut nulla gens, quam modò appeteret, aut nullum regnum sive Imperium, quod inva-

invaderet, contra eum subsistere potuerit. Medorum regnum avo Astyagi ereptum Persis tradidit: Ionas, Cares, Lycios vicit; Crœsum Lydorum Regem sapientissimum, potentissimum & opulentissimum, cum universo regno ejus, sibi subjecit. Belsatarem ultimum Babyloniorum Monarcham felici successu & regno & vitâ exuit. Captâ Babylone Monarchiam Persicam constituit: Deum verum Israëlis per ministerium Danielis Prophetæ, quo familiarissimè utebatur, agnovit, eumque religiosè coluit, & veram religionem magno cum zelo promovit; uti ex *Esdr. c.* 1. & 2. videre est.

III. EXORDIUM vitæ ejus fuit *tragicum* & *luctuosum*. Nam tandem rursus à fortuna desertus, Tomyri Scytharum Reginæ imperandi libidine accensus, bellum non necessarium intulit, frustra dehortante Crœso, olim Lydorum Rege, nunc verò Cyri Consiliario. Nam à Regina fugam simulante, ad angustias viarum suo militi notas, positis post tergum insidiis, elicitus Cyrus, unà cum toto exercitu ad internecionem deletus est; ita ut de ducentis Persarum millibus ne nuncius quidem stragis superstes manserit: Cyri caput amputatum Tomyris Regina in utrem sanguine humano repletum conjici jubet, cum hac crudelitatis exprobratione: *Sanguinem sitiisti, Cyre; sanguinem bibe.* Et hic fuit exitus tanti Monarchæ luctuosus. Ipse viros Reges & Regna vicerat; at tandem à femina tanto cum exercitu prostratus atque ad internecionem deletus, perpetuum ludibrii & lubricæ fortunæ exemplum toti mundo reliquit.

II. Usus Mysticus.

Cyrus egregius Christi typus fuit. Idque triplici respectu. 1. Respectu NOMINIS. Nam Κῦρος in lingua Persarum significat *Solem*; uti *Plutarchus* in Alexandro tradit, ad Ebræo חרס *Cheres*, quæ vox solem significat. Ideo autem ab Ebræis חרס sol appellatur, quia splendidum de se fulgorem emittit. *Syrac.* 43. 5. Ita etiam Christus *Malach.* 4. 2. appellatur *sol justitiæ*, ratione officii sui, quod est lucere, splendere, illuminare. Nam ipse est lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Joh.* 1. 9. Unde etiam Christus *Oriens ex alto*, *Luc.* 1. 78. & *Lux magna* appellatur, quæ lucet illis, qui sedent in tenebris & in umbra mortis. *Jesaiæ* 9. *Luc.* 1. 78, 79. in cujus fulgore etiam gentes, Reges atque Principes ambulant. *Jesaiæ* 60. 3.

2. Ratione UNCTIONIS. Quia Cyrus dicitur משיח, *Christus*; vel *Unctus Domini*. *Esaiæ c.* 45. *v.* 1. *non propter externam unctionem*, quasi oleo sacro, pro more Regum V. T. unctus sit; sed *propter divinam vocationem*, cujus major habenda est ratio, quàm externæ unctionis. Cyrus ergò erat משיח h. e. Christus Domini, quia erat Rex magnus instar Regum V. T. oleo sacro unctorum. Ita etiam Christus vocatur משיח *Dan.* 9. 26. Et in Novo T. Μεσσίας. h. e. Χριστὸς, *Joh.* 2. 25. *Joh.* 1. *v.* 42. & dicitur unctus oleo lætitiæ ultra consortes suos. *Psalm.* 45. 8. *Oleum* autem illud *lætitiæ* duplex est. 1. ὁ λόγος, ex sententia D. *Athanasii*; vel *ipsa Deitas* Θεὸς λόγος, quâ Christus secundùm humanitatem per & propter personalem unionem, quando Verbum caro factum, unctus est. Clariùs: quando caro Christi in ὑπόστασιν Θεὸς λόγος per personalem unionem assumta est, uncta fuisse dicitur. Idem docet *Damascenus lib.* 3. *de Orthod. fid. c.* 3. Ipse Christus se ipsum ungit: ungens quidem ut Deus SUA DEITATE corpus: unctus verò, ut homo. Quibus verbis insinuat, quod oleum lætitiæ sit æterna Deitas Θεὸς λόγος, quâ ipse secundùm humanitatem unctus est. 2. *Oleum lætitiæ*, quo Christus unctus, est *Spiritus sanctus*, *ejusque divina* χαρίσματα sive *dona*, quibus ipse in ipso conceptionis momento in utero matris unctus est. Quia hâc Christi unctione toti mundo ineffabile gaudium est partum. *Jesaiæ* 61. 1. *Luc.* 4. 18. *Actor.* 10. *vers.* 38.

3. Ratione LIBERATIONIS aut REDEMTIONIS. Sicut enim Cyrus populum Judaicum è captivitate Babylonica liberavit vel redemit, *Esdr. c.* 1. ita quoque Christus nos homines è captivitate satanæ, peccati, & mortis, redemit per sanguinem suum, & Deo patri reconciliavit, atque emisit nos sanguine Testamenti sui è fovea, in qua non erat aqua. *Zach.* 9. 11.

CAMBYSES.

MONARCHA II.

CAPUT I.

DE ORTV.

I.

1. APPELLATIO. *Cambyses* tria habuit nomina. 1. Dictus est *Cambyses*. 2. *Ahasverus*. 3. *Artaxerxes*, vel *Artachsasta*.

1. *Cambyses*. Græcè Καμβύσης appellatur in Historiis profanis: in sacro verò Codice hæc vox nunquam legitur.

Vox

Vox *Cambyſis* accipitur
- 1. Περσμαλχῶς, pro fluvio Hyrcaniæ, qui ortum habet in montibus Caucaſiis, ſeptentrionem verſus per Iberos & Albanos defluens. *Plin. l. 6. cap. 13.*
- 2. Περσονικῶς.
  1. *Cambyſes* I. fuit mediocris dignitatis Perſa, cui Aſtyages Rex Medorum Mandanen filiam ſuam in matrimonium collocavit, ex quo natus eſt Cyrus.
  2. *Cambyſes* II. fuit Rex Medorum & Perſarum, Cyri filius, & Cambyſis I. nepos. De quo h. l. agitur.

II. *Achaſverus.* Ubi notandum, quòd vox Achaſveri in ſacris uſurpetur, non tanquam nomen *proprium*, ſed *appellativum.* Nam *Achaſverus* אחשורוש apud Ebræos & Perſas per excellentiam ſignificat magnum caput, vel magnum Principem. *Pagninus in lib.* de interpretatione nominum Ebraicorum docet, pro ASSVERUS ſcribendum & pronunciandum eſſe ACHASCHVERUS ab אחש Achaſch, h. e. Princeps, & רוש Roſch, caput: ſicut Turcæ Imperatorem ſuum vocant *Magnum Dominum.* Et *ſingulari obſervatione dignum* eſt quòd *tres Reges in ſacro Codice Achaſveri appellentur. Primus* eſt *Aſtyages*, Rex Medorum, Darii Medi pater. *Dan. 9. 1. Secundus* eſt *Cambyſes*, ſecundus Rex Perſarum, Cyri filius, qui ædificationem templi prohibuit. *Eſdr. 4. 6. Tertius* eſt *maritus Eſther*, qui dominatus eſt ſuper 127 provincias, & in Suſis Perſiæ metropoli Regiam ſuam habuit: Quem quidam Hiſtorici Darium Hyſtaſpis, quidam verò Xerxen fuiſſe affirmant. Sed veriſſima ſententia eſt, quòd fuerit Artaxerxes Longimanus, quintus Rex Perſarum. De quo agitur *Eſther. 1. 1.*

Unde patet, quod erret *Melchior Canus Jeſuita lib. 11. de Locis Theologic. c. 3.* qui ſtatuit, nomen *Achaſveri* eſſe nomen proprium. Non enim proprium, ſed appellativum eſt; quo Ebræi appellare ſolebant exteros & magnos Principes, præſertim verò præpotentes Medorum & Perſarum Reges. Nam non aliis hoc nomen Scriptura aſſignat.

III. ARTAXERXES, vel ARTACHSASTA. Hebr. ארתחשסתא. *Eſdr. 4. 6, 7, 8.* Græcè Ἀρταξάδα. Item Ἀρταξέρξης. *Apocryph. Eſther 11. v. 2. c. 16. v. 1.* Lumen fervor lætitiæ, ein hitziges Freuden-Liecht. Item: maledictio, ſilentium. Fuitque nomen tùm *appellativum*, tùm *proprium.*

1. *Nomen appellativum* eſt (uti Lyrano in *Eſdr. c. 4.* & Metaſtheni Perſæ placet) Regum Perſarum: ſicut *Pharao* Regum Ægyptiorum, & *Cæſar* atque *Auguſtus* Imperatorum Romanorum. Et ſic etiam *Cambyſes* in generali ſignificatu *Artaxerxes* in S. codice appellatur. Nam proprium ejus nomen fuit Cambyſes.

2. *Nomen proprium* eſt, quando quinto & ſeptimo Perſarum Regi tribuitur; quorum ille *Artaxerxes Longimanus*, hic verò *Artaxerxes Mnemon* appellatus eſt.

II.

II. GENERATIO. *Pater* Cambyſis fuit *Cyrus*, aliàs *Major* dictus, primus Rex Perſarum: *mater* ejus fuit *Caſſandane*, quæ ab Achæmenidis patre Pharnaſpe oriunda, Cyro duos filios, nempe Cambyſen & Smerdin; & tres filias, nempe Atoſſam, Meroën, & Artyſtonam, genuit.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

1. *ACTA OECONOMICA.*

III.

I. EDUCATIO. Educabantur quidem filii Regum apud Perſas ſumma cura atque induſtria. Nam, ut *Socrates* apud Platonem in Alcibiade refert, puerum annos XIV natum ſuſcipiebant regii Pædagogi, viri è Perſis electi quatuor, quorum. 1. erat ſapientiſſimus. 2. Juſtiſſimus. 3. Temperantiſſimus. 4. Fortiſſimus.

Primus docebat puerum res ſacras, ad Deorum cultum pertinentes, & inſtituta regia.

Secundus docebat eum veritatem loqui per univerſam vitam.

Tertius, ut voluptatis imperium excuteret, & liber eſſe maturè aſſueſceret, adeoque priùs ſibi quàm aliis imperare diſceret.

Poſtremus impavidum intrepidumque reddebat puerum, eò quod timor animi ſervilis eſſet indicium.

Verùm (ut ex *Platonis lib. 3. de Legibus* manifeſtum eſt) Cyrus iſtum modum cum filiis ſuis non obſervavit, quin potiùs eos educandos tradidit mulieribus: quæ prohibuerunt, ne quis illis, veluti ſatis ſuperque beatis, ulla in re adverſaretur; & coëgerunt, ut laudarent omnes, quicquid illi dicerent aut agerent. Et addit *Plato*: Valde in eo peccaſſe Cyrum, quòd molliter filios inter feminas educaſſet, qui grandiores facti, & ab aſſentatoribus corrupti, cùm ipſorum auribus plerique ſervi-

ſent,

rent, mortuo parente, vitæ periculum alter alteri crearit.

IV.

II. DEGENER fuit Cambyſes. Nam Cyro tanto patre natus, cujus fuit excellens pietas, ſapientia atque virtus, qui imperium ſucceſſibus planè divinis pepererat & conſtituerat; tamen prava educatione corruptus, à paterna virtute defecit, atque induit mores, non ſolùm genere & nomine regio indignos, ſed etiam tales, ut à manifeſtis diaboli furoribus non diſſimiles videantur.

REGULA OECONOMICA.

Educatio mala multa magnaque ſecum adfert incommoda. Nam educatio mollis nervos mentis & corporis frangit; uti ait *Quintilianus lib. 1. Inſtit. c. 3.* Ingenium namque non decenter educatum non ſecus ac ferrum, rubigine ignorantiæ & vitiorum obductum, paulatim conſumitur & corrumpitur, & tandem ad interitum properat. Sicut enim nulla ferè arbor eſt, quæ non ſterileſcat & tortuoſa fiat, ſi cultura deſit: ita nullum eſt tam felix ingenium, quod non degeneret citra rectam educationem; uti venuſtè ait *Plutarch. de educat.* puerorum. Hinc fit, quòd *Heroum filii ſint noxæ. Ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα κήκιστα.* h.e. Sæpe fit, ut nati in heroica familia ex parentibus, quorum excellens fuit virtus, prorſus degenerent, & feris ipſis tetriores efficiantur.

Exempla habemus in *Cambyſe.* Item in *filio Ciceronis. M. Cicero* unicus Ciceronis filius initiò magnam de ſe exſpectationem concitavit omnibus: ſed turpiter eam evertit & fefellit, defuncto patre Cicerone: & nulla in parte fuit ſimilis patri, niſi feſtivitate jocandi. *Plinius* de eo refert *lib. 14. c. 22.* quòd ita fuerit bibulus, ut unò hauſtu potuerit evacuare duos congios. Idem refert, hunc Ciceronem temulentum M. Agrippæ viro graviſſimo & fortiſſimo, qui vicit pugnâ navali filios Pompeii, impegiſſe cyathum. Dictus fuit *κυπελλομάχος*, cui Glaſſtürmer. Semel tamen geſſit conſulatum cum Cæſare Auguſto, non ſuo, ſed parentis merito.

Unde patet, verum eſſe, quod *Diogenes* dicere ſolitus eſt: Fons & radix eſt omnis honeſtatis, ſi quis ſortiatur bonam educationem. Nam fundamentum Reipubl. conſiſtit in bona & felici puerorum educatione. Et verè *Plutarchus* ſcriptum reliquit *in lib. de educat. pueror. Omnia felicitatis humanæ momenta in bona & felici puerorum educatione & inſtitutione conſiſtunt.*

III. CONJUGIUM Cambyſis fuit *affectatum & fucatum.* Nam ipſe Amaſis Ægypti Regis filiam petiit; ſed ab eo mire eluſus eſt. Circa hoc conjugium notanda ſunt tria: 1. *Ortus.* 2. *Progreſſus.* 3. *Egreſſus.*

1. ORTUS. Cambyſes, miſſo in Ægyptum Legato, ab Amaſi Ægypti Rege filiam petiit in uxorem, idque conſilio cujuſdam Medici Ægyptii fecit, qui Amaſi infenſus erat, propterea quòd Amaſis Cyro, Medicum Ocularium petenti, ſe ſolum ex omnibus Ægypti Medicis ab uxore & liberis abſtractum in Perſas amandaſſet. Hac de cauſa Medicus ille inſtitit ſuadere Cambyſi, ut ab Amaſi filiam peteret: quo ille, aut mœrore afficeretur, data filia; aut non data, Cambyſi invidus redderetur.

2. PROGRESSUS. Amaſis verò filiam Cambyſi, neque dare, neque etiam abnuere audebat. Quoniam intelligebat, Cambyſem eam habiturum non uxoris, ſed pellicis loco: Et præterea Perſarum potentiam formidabat. Ideoque ita ſibi faciendum ſtatuit. Erat Apryis prioris Regis filia unica, domi relicta, nomine Nitetis, grandis atque ſpecioſa. Hanc Amaſis, veſtitu pariter & auro exornatam, pro ſua ad Cambyſem mittit, eumque hac ratione eluſit.

3. EGRESSUS. Cum autem quodam tempore Cambyſes eam Regis Amaſis filiam ſalutando appellaſſet: tum ipſa ad hæc reſpondens ait: Rem, ô Rex, ignoras, ab Amaſi eluſus, qui me ornatu comtam pro ſua transmiſit; cum revera Apryis ſim filia; quem ille Dominum ſuum, cum Ægyptiis rebellans, interemit. Quo facto Cambyſes graviter commotus, ſuffundente frigidam Ægyptio, bellum adverſus Amaſim inſtruxit.

REGULA.

Conjugium potentiori Principi à minori denegatum, ſæpe magnis occaſionem bellis præbuit. Exemplum habemus in hiſtoriâ Cambyſis & Amaſis modò allegatâ.

VI.

IV. INCESTUS. Cambyſes inceſtum cum ſororibus ſuis commiſit. Quem Herodotus in Thalia ita deſcribit: Cùm Rex Cambyſes illicito germanæ ſororis ſuæ (cui nomen ATOSSA erat) amore captus, uxorem eam ducere cuperet, nec uſitatum hoc prius eſſet apud Perſas, accerſitos judices Regios percontatus eſt; Num quæ lex eſſet, quæ cum ſorore nuptias contrahere permitteret. Illi metu Tyranni reſponderunt: *Nullam ſe invenire legem, quæ fratri cum ſorore nuptias contrahere permitteret: ſed aliam ſe reperiiſſe legem, quâ liceat Regi Perſarum facere quidquid libeat.* Ita neque legem abrogarunt metu Tyranni; & ne legem tuentes ipſi perirent, alienam invenerunt, adjutricem ejus, qui ſororem in matrimonium ducere vellet. Qua-

re

re Cambyſes hoc accepto reſponſo, ſororem ſuam Atoſſam uxorem duxit. Sed hac ſola non contentus, alteram quoque juniorem, nomine *Meroën*, nuptiis, vel potius fornicatione (D. *Paulus* 1 *Cor.* 5. *v.* 1. loquitur) ſibi junxit. Verum ex juſto Dei judicio prolem ex neutra ſuſcepit. Hanc vero, quæ ipſum comitata erat in Ægyptum, crudeliter interemit. *Herodot. lib.* 3.

Regula Oeconomica.

Appetitus venereus tantas interdum ſibi vires, diabolo & natura libidinoſa inſtigante, ſumit, ut neque ſanguinis aut cognationis, neque ſexus diſcrimen habere ullum permittat. Johan. Jovian. Pontan. lib. 1. *de Obedient. pag.* 8.

1. Quidam in Eccleſia Corinthiorum propriam duxerat novercam in uxorem. Quod graviter reprehendit D. *Paulus*, 1 *Corinth.* 5. 1.

OEdipus Thebanus patrem ſuum *Laium* interfecit, & *ex matre uxore*, Jocaſta, tres liberos procreavit. Hinc enatum monſtroſum illud problema:

Quid tam inextricabile?
Avi gener, patriſque rivalis ſui,
Frater duorum liberûm, & fratrum parens:
Vno avia partu liberos peperit viro,
Ac ſibi nepotes. Monſtra quis talia explicet?
Seneca Tragœd. Thebais.

Triſtis certe hiſtoria & hunc finem habuit, ut ipſe in furorem actus, oculos ſibi ipſi eruerit, atque regno pulſus ſit.

——— Seculi, ait, crimen, vagor,
Odium Deorum, juris exitium ſacri,
Qua luce primum ſpiritus hauſi rudes
Jam morte dignus.

Tandem vagus exulque fulmine ictus abſorbetur hiatu terræ. Omnis enim anima, quæ fecerit iſtas abominationes, peribit de ſuo populo; inquit ipſe Deus. *Levit.* 18. 29.

2. *Papa Alexander* VI. Lucretiam filiam ſuam duxit in uxorem. De qua exſtat hoc epigramma:

Conditur hoc tumulo Lucretia nomine; ſed re
Thais: Alexandri filia, ſponſa, nurus.

3. *Julia, Imperatoris Severi vidua*, privigno ſuo Antonio Baſſiano *Caracalle* nupſit, & quidem invitans eum. Cum enim quaſi per negligentiam coram eo nudaſſet ſinum, & ille diceret: *Vellem, ſi liceret*: Illa contra ait: *Si libet, licet.* An neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere? Publice ergo eam duxit, & uxoris loco habuit. Quare & poſtea eam Alexandrini *Focaſtam*, & ipſum nominarunt *OEdipum*. Sed hujus joci magnas pœnas dederunt. Trucidavit enim Caracalla in urbe Alexandria multa millia civium.

4. *Cambyſes* duas ſorores, nempe, Atoſſam & Meroën, in uxores duxit. Et in Bibliis *Ammonem* filium Davidis, propriam ſororem Thamarem ſtupraſſe legimus. 2 *Sam.* 13. 11.

5. Omnia autem libidinum vagarum atque confuſionum illicitarum ſcelera longe ſuperat *Sodomia*, quando relicto naturali uſu, vel maſculi cum maſculis, aut feminæ cum feminis libidinem exercent: quæ gentibus uſitatiſſima fuit; uti exemplum Sodomitarum oſtendit. *Geneſ.* 19. 5. Hanc graviſſime D. Paulus repreſſendit, *Rom.* 1. 27. ubi confert talem libidinem incendio, quo animus corrumpitur & excæcatur. 1 *Cor.* 6. 9. vocantur ἀρσενοκοῖται maſculorum concubitores. Hanc Sodomiam *Pontifices Romani* tantum abeſt, ut eam damnent, ut etiam eandem permittant. Unde *Johannes della Caſa*, Archiepiſcopus Beneventanus, Papalis Cameræ Decanus, anno 1550. Venetiis librum de laudibus Sodomiæ compoſuit, edidit, multiſque legendum miſit, in quo horrendum Sodomiæ flagitium, artem ſcripſit eſſe ſingularem & opus bonum, imo opus divinum, ſeque hoc propria experientia compertum habere, & non alia magis Venere delectari; quemadmodum annotarunt *Sleidan. lib.* 21. & *Carolus Molinæus in Orat. Tubingæ* habita anno 1554. Imo etiam quidam Pontifices Romani, ſanctiſſimi ſcilicet patres illi, hoc immani ſcelere non parum delectantur. *Sixtus* IV. licentiam dedit & privilegium toti proſapiæ Cardinalis Lucii, Sodomiam menſibus æſtivis exercendi. Et *Paulus* II. inter nocturnas impuritates Sodomiticas à diabolo trucidatus eſt. Unde quidam Franciſcanus Monachus Ingolſtadii non immerito dixit: *Romanizare eſt Sodomizare.*

VII.

v. Ebrietas. Cambyſes (uti Hiſtorici tradunt) ebrietati deditus fuit. O illaudabilis Principum conſuetudo! Contra Salomon Rex ſapientiſſimus *Proverb.* 31. *v.* 4. monet: Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum. Quia nullum ſecretum, ubi regnat ebrietas. Divinum eſt monitum venerandi patris *D. Auguſtini*, quod exſtat in *lib.* quem ſcripſit de Ebrietate: Illud ante omnia, inquit, rogo, & per tremendum diem judicii adjuro, ut, quotieſcunque vobis invicem convivia exhibetis, illam fœdam conſuetudinem, per quam grandi menſura, ſine menſura, tres heminas aut volentes, aut inviti, ſolent bibere, tanquam venenum diaboli de veſtris conviviis reſpuatis: Quia iſta infelix conſuetudo adhuc de paganorum obſervatione tranſit. *Hæc ille.* Apud Paganos autem hæc illaudabilis vigebat conſuetudo: Hæ πίσι, ἐ πίσι.

Aut bibe, aut abi. Sauff/ oder entlauff. Vide *Plin. lib.* 14. *c.* 22. *Seneca Epiſtolam ad Lucil.* 84. *lib.* 12. *C. Rhodigin. lib.* 4. *c.* 26.

VIII.

VI. CÆDES. *Cambyſes varias truculentaſque cades perpetravit.* Nam I. IN SMERDEM FRATREM ſuum livore & cæde ſæviit. Primo namque, cum ille ſolus arcum ex Æthiopia miſſum ad duos digitos intenderet, Cambyſes invidia commotus, eum ex Ægypto in Perſas remiſit. Deinde, cum per quietem vidiſſet fratrem in ſolio regio ſedentem cœlum vertice contingere, metuens ne occuparet imperium, committere parricidium haud dubitavit, delecto ad crudele hoc miniſterium Mago Prexaſpe, qui Smerdin è Suſa venatum duxit, & clam occidit, vel, ut alii volunt, in mari rubro ſubmerſit.

II. SOROREM ſuam, eandemque UXOREM crudeliſſimè interemit. Cum enim (ut *Herodotus* ex Græcis ſcriptoribus refert) Cambyſes duos catulos, unum leonis, alterum canis inter ſe committeret, Catellus vero à leone ſuperaretur; iis alter catellus hujus frater, abrupto loro intervenit, eumque, oppreſſo leone, liberavit. Hæc Regina Cambyſis ſoror & uxor, quæ ſpectaculo illi interat, videns, lacrymas effudit. Rogata cauſam, cum reſpondiſſet; Se, viſo catello fratri ſuppetias ferente, ideo fleviſſe. Quia memoria Smerdis in mentem ſibi venerit, cujus ſciret neminem ultorem fore. Quo reſponſo Cambyſes graviter excandeſcens, eam gravidam interemit.

III. Cum PREXASPES aliquando ejus reprehendiſſet temulentiam, dixit: Se oſtenſurum eſſe, ſibi mentem etiam inter pocula integram eſſe, ac juſſit in convivium adduci filium Prexaſpis: quem collocatum ad limen, juſſit puerum ſiniſtram manum capiti imponere; & arcum intendit, atque ad cor adoleſcentis ſagittam direxit. Quod cum vulneraſſet icto pectore, hærens in corde ſpiculum patri monſtrat, eumque ridens interrogat: Satiſne certam manum haberet? Et addidit: Tu vero mihi dicito, quemnam ex omnibus hominibus jam noris tam certo emittere ſagittas? Pater ſibi metuens, artem laudat, dicens: Here, ego ne Deum quidem arbitror tam probè jaculari.

REGULA.

Cades plerumque ſequuntur inceſtum & ebrietatem.

I. *Exempla de Inceſtu.*

1. *Cambyſes* inceſtum commiſit cum duabus ſororibus ſuis, nempe Atoſſa & Meroë, & hanc poſtea interfecit.

2. *Caligula Imp.* cum tribus ſororibus in inceſtu vixit, tandem anno ætatis 28, & 4 Imperii, à propriis ſpiculatoribus triginta vulneribus confoſſus interiit.

3. *Claudius Imp.* fratris filiam Agrippinam uxorem duxit, ſed infelici ſucceſſu. Nam tandem ab Agrippina veneno ſublatus eſt, ut Nero filius ejus rerum potiretur, & mox Britannicus legitimus Claudii filius, ne patris aliquando Imperium pro jure ſuo repeteret, à Nerone interfectus eſt. Hi nempe inceſtûs illegitimique amoris & conjugii eventus fuere! Vide *Anti-Machiavell. lib* 1. *p.* 87.

II. *Exempla de Ebrietate.*

1. *Alexander M.* Clitum ebrius interfecit, à quo ſervatus in pugna ad Granicum fuerat, cum Spithridates Dux Perſi us galeam ei decuſſiſſet.

2. *Cambyſes* Prexaſpen conſiliarium ſuum, ob fidelem temulentiæ reprehenſionem, magno replevit mœrore, quando eo nomine filium ejus ſagitta tranſverberavit.

3. Ita *Domitius Neronis pater*, omni parte vitæ deteſtabilis, documentum furoris etiam hac in re edidit, occiſo liberto ſuo honeſto viro, quod potare, quantum jubebatur, recuſaret. *Suetonius in vita Neronis.*

II. *ACTA POLITICA.*

IX.

Acta Politica Cambyſis fuerunt duplicia. 1. *Togata.* 2. *Bellica.*

Acta Togata.

X.

Acta Togata concernunt vel *Imperii occupationem*, vel *ejus adminiſtrationem.*

XI.

1. *Imperii occupatio.* Cyrus jam ſenex cum exercitum extra Regnum adverſus Scythas duceret, filio Cambyſi regium nomen tribuit, & vivens adhuc Perſicæ Monarchiæ Regem eum eſſe juſſit. Cum autem parens naturæ debitum ſolviſſet, ordinariè ei in imperio velut hæres legitimus ſucceſſit.

XII.

2. *Imperii adminiſtratio* continet *Acta* duplicia. 1. *Mala.* 2. *Bona.*

XIII.

Acta mala. Cambyſis plurima ex animo ejus pluri-

plurimis vitiis atque flagitiis infecto, velut ex fonte venenato, promanarunt. Potius enim monstrum hominis, quam homo dicendus fuit.

XIV.

1. Fuit in eo *Φιλοτιμία*, *ambitio detestanda*. Nam ut solus fortissimus haberetur, fratrem suum Smerdin, qui arcum Æthiopicum, ipso Rege ejusque comitibus ad duos digitos validius attraxerat, sola roboris æmulatione interfici jussit. Ademit (inquit *Sabellicus lib. 9. cap. 7.*) ea vis fratri vitam, Cambysi regnum, & vitam regno cariorem. O igitur homo, fuge illicitos honores. Nam illicita acquisitio honorum est plena laboris: possessio est plena timoris: amissio denique est plena doloris: sicut omnium temporum historiæ ostendunt.

XV.

II. *Φιλοργία*, *Iracundia furiosa*. Cum enim Cambyses Amasis Ægypti Regis filiam in matrimonium petiisset; Amasis autem veritus, ne ea potitus, non uxoris loco, sed in concubinarum numero retineret, aliam pro filia ei simillimam misit. Quam rem Cambyses cum cognovisset, vehementi ira exarsit, atque cum ingenti in Ægyptum exercitu descendit. Ubi cum defunctum Amasim inveniſſet, filium ejus Psammenitum regno dejecit, ipsius quoque Amasis corpus sepulcro eruit, & tanquam viveret, verberibus cædi, acutisque ferramentis totum pungi, ac deinde in foro comburi fecit. Neque enim animadvertit, plus in se ipsum iracundiæ flammas telaque, quam in mortuum Amasim sævire: Quod ea iracundiæ vis ac natura est, ut semper authorem torquere incipiat. *Campofulg. lib. 9. cap. 3.*

XVI.

III. *Φιλαρχία* sive *Cupiditas regnandi execranda*: Quæ semper magnorum scelerum causa fuit. Pulchrè *Ovidius*: *Regia res scelus est.* h. e. In magnis familiis nihil parvi accidere solet, sed omnia in utramque partem magna sunt. Unde Pompeius Magnus semper in ore habuit hoc symbolum: Semper ego cupio præcellere & esse supremus. Cæsar vero dixit, se malle in obscuro oppido primas ferre, quam Romæ secundas. Ita refert Justinus, Cambysen Cyri filium, postquam vidisset per quietem fratrem suum Smerdin regnaturum, somnio exterritum jussisse illum occidi.

XVII.

IV. *Μισαλήθεια*, h. e. *Odium veritatis*. In aulis namque exulat veritas & monendi libertas. Ita Cambyses, cum nimium esset vino deditus, Prexaspes ex carissimis ejus unus, fretus familiaritate regia, illum admonuit, ut parcius & moderatius vino uteretur, quod Regi turpe foret, in quem omnes conjectos haberent oculos, ebrietate agi. Hac libera & fideli admonitione adeo Cambyses exarsit, ut non modo non abstinuerit, sed, liberalius capacioribusque quam alias scyphis cum bibisset, adduci sibi jusserit, ab ipso monente amico, filium: in quem Rex arcum intendens, ipsius filii cor sagitta transfixit. Vide, inquit, an Regis ebrii certa sit manus & oculus.

At miseria ingens, imo furor exsecrandus est Magnatum, si veritatem audire nolint. Prudenter itaque & graviter *Gordianus Imp.* ad Misitheum socerum suum scribit: Miserum esse Imperatorem, apud quem vera reticentur, qui cum ipse publicè ambulare non possit, necesse est, ut audiat vel audita, vel à plurimis roborata confirmet. *Julius Capitolinus* in vita Gordianorum. Rectè quoque hoc ipsum intellexit *Dux quidam Noricus*, in cujus laudem sempiternam *Georgius Sabinus* Poëta elegantissimus tale concinnavit epigramma:

Sæpe rudes inter mutata veste colonos
Noricus agricola Dux faciebat opus.
Nunc pascebat oves, nunc gramina falce secabat,
Vomere proscindens nunc subigebat humum.
Et simul illato de se sermone rogabat
Plurima, nempe quibus moribus ipse foret?
Justas an exigeret pœnas à fontibus altor?
Debita conferret præmia numne bonis!
Quærenti verò causam cur Regibus ortus
Princeps, agricolam se simularet, ait:
Me juvat è rudibus cognoscere vera colonis.
Servit adulatrix auribus aula meis.

Unde *Ludovicus* IX *Rex Galliæ* aliquando dixisse fertur, se in Regno suo, potissimum in aula propria, omnibus rebus abundare, una excepta. Quam verò innueret rem, dum quæreret unus ex familiaribus ejus aulicis: VERITATEM esse, respondit. Ideireo pia atque prudens fuit admonitio *Ludovici* Regis Galliæ, qui *sanctus* appellatur, ad filium in Regno successorem, quæ inter alias multas recensetur à *Tilio lib. 2.* de rebus Galliæ, talis videlicet; ITA TE GERITO, UT CONFESSARII NECESSARIIQUE ET FAMILIARES TUI POSSINT TE LIBERE ADMONERE MALI, QUOD FECERIS, ET DOCERE FACTA TUA. Siquidem natura humana in his rebus, quæ ad voluptatem pertinent, ad id sæpius inclinatur, quod sibi detrimento esse solet, atque id unum profuturum putat, quod ipsa cupit perficere:

ficere: hinc que revera in fraudem inducta, neque quod conducat, ſolertia proſpicere, neque periculis admonita, vel modeſtiam animi diſcere, vel ad id, quod decet redire, poteſt.

XVIII.

v. *Crudelitas tyrannica.* Nam Cambyſes velut Tyrannus crudeliter ſæviit & in vivos, & in mortuos.

Primo: IN VIVOS. 1. *Duodecim Perſas* viros virtute & autoritate conſpicuos, ob nullum crimen temerè interfici juſſit.

2. *Cræſum* Conſiliarium ſuum, commiſſo hoc facinore eum fideliter admonentem, ut cæde innocentum abſtineret, ne Perſæ ab eo deficerent, telo confixurus erat, niſi in pedes ſe conjiciens, fugâ ſalutem ſibi quæſiviſſet. Miniſtros deinde, qui capere Cræſum atque occidere juſſi fuerant, ſed vivum eum occultaverant ſpe præmii, quando Rex pœnitentia ductus eum requireret, Interfecit. Cum enim haud multo poſt deſideraſſet Cræſum, & Miniſtri eum adhuc ſuperſtitem eſſe affirmaſſent; Gaudere ſe quidem, inquit, Cræſo ſuperſtite, ſed ipſis ob mandatum neglectum mortem illaturum. Quod & fecit.

3. *Smerdin fratrem* ſuum tum ex livore atque invidia, tum ex nimia φιλαρχίᾳ, h. e. regnandi cupiditate, nefarie interfici juſſit. Vide §. 8. & 16.

4. *Sororem ſuam* eandemque uxorem prægnantem, nomine *Meroën*, ob ſolas lacrymas & querelas, de nece fratris Smerdis effuſas, immani & nefario auſu occidit. Vide §. 8.

5. *Succeſſorem* divinitus ſibi deſignatum tollere voluit, ſed non potuit. Nam admonitus in ſomniis, quod Smerdis ei ſucceſſurus eſſet, putans ſe fatum eluſurum, mandavit Prexaſpi fratrem ſuum Smerdin è medio tolli; tamen non evitavit, quod Deus decreverat, juxta vulgatum Politicorum Axioma: *Fatalia non ſunt alia.* Nam alius, Magi filius Smerdin ſe dicens, ei ſucceſſit, & per rebellionem Regnum ſibi acquiſivit. Idem accidit ab avo ejus *Aſtyage.* Hic namque metuens è filia ſua Mandane ſucceſſorem in Regno ſuo naſciturum, juxta ſomnium ſibi revelatum, Cyrum ex ea natum filium interficere voluit, ſed non potuit. Vide *Pet. Gregor. Tholoſan. lib.* 21. *de Republ. c.* 3. *p.* 1285.

AXIOMA.

Tyranni quando unum interfecerunt hominem poſtea plures interficere conantur. Sicut pulchrè canit *Lucanus*:

——— *Nullus ſemel ore receptus*
Pollutas patitur ſanguis manſueſcere fauces.

Nam, Τύραννός ἐστι ζῶον σαρκοφάγον. *Plutarchus.* Cum quo *Plato* conſentit: *Homines, ſemel guſtata carne humana, fiunt lupi.*

Exempla.

1. *Tiberius* in omni ſævitiæ genere ita volutatus eſt, ut nullus à pœna hominum dies ceſſaverit, ne religioſus quidem ac ſacer: nullum non crimen fuerit pro capitali receptum. *Johan. Iov. Pontanus lib. de immanit. pag.* 317, 318.

2. *Herodes Magnus* 1. Synedrium Jeroſolymitanum, quod conſtabat è 72 viris nobiliſſimis, qui tanquam ordinarii Judices ex familia Davidis in domum magni conſilii eligi ſolebant, è medio ſuſtulit. Vide *Chemn. lib.* 1. *Harm. cap.* 13. *pag.* 262. 2. Publico edicto bimulos infantes Bethlehemiticos & vicinos, quippe *teneriores* erant ætatis, numero 144000 (uti quidam ex *Apoc.* 7. *verſ.* 4. colligunt) trucidari mandavit. 3. Amicos Regis Antiochi ſecundi XLV ſtrangulat. 4. Scholaſticos XL. cum Præceptoribus ſuis, qui auream aquilam de templo deturbarant, vivos cremavit. 5. Majore furore accenſus in propria viſcera ſæviit, conjugem ſuam Mariamnem interfecit. 6. Socrum Alexandram interemit. 7. Proprium filium ſuum ex uxore de tribu Juda prognatum, internecioni tradidit; ſicut Philo teſtatur. Unde Auguſtus Cæſar, poſtquam hoc nefarium facinus cognoviſſet, teſte *Macrobio lib.* 2. *Satur.* dixit: *Melius eſt Herodis porcum eſſe quam filium.* Quòd ſimulata ſuperſtitione porcos non ſoleret mactare. 8. Filios, apud ſe affectati regni inſimulatos ab uno ex filiis Antipatro, curavit omnes ſtrangulari. 9. Antipatrum filium, cujus calumniis reliqui interfecti fuerant, inſidiantem ejus regno, in carcerem conjecit, eumque ſtrangulari juſſit. 10. Ariſtobulo affini, Mariamnes fratri, ademit ſacerdotium & vitam. 11. Sororis ſuæ Salomæ maritum de tribu Juda & filium, quem ipſi uxor ex eadem tribu pepererat, ut Philo ſcribit, obtruncavit. Vide *Joſephum lib. de bello Iudaico.* Unde Judæi de hoc Herode conqueruntur, quod plura mala ab eo ſint paſſi, quam ab ulla beſtia ipſis infligi potuiſſent. *Joſeph. lib.* 17. *Antiquit. Iudaic. cap.* 17.

3. *Cambyſes* cum in urbe Memphi magnam Ægyptiorum multitudinem interfeciſſet, cœpit poſtea promiſcue ſine ullo diſcrimine in quoſvis ſævire. Nam 1. Fratrem ſuum Smerdin ex ſuſpitione affectati Regni per Prexaſpem nefarie trucidari mandavit. 2. Sororem ſuam minorem nomine Meroën, quam uxorem duxerat, eamque prægnantem, ob pauca verba de nece Smerdis fratris liberius prolata, ipſemet crudeliter trucidavit. 3. Prexaſpis filium

lium ſagittâ tranſverberavit. 4. Perſas XII. viros primarios uno tempore ob nullum crimen è medio ſuſtulit. 5. Crœſum eum monentem ſagittâ tranſfigere voluit, niſi fugâ elapſus fuiſſet. Imò alios innumerabiles interfecit. Vide *Herodot. lib.* 3.

XIX.

Deinde: IN MORTUOS quoque ſæviit. Nam Cambyſes urbem Saim ingreſſus, Amaſis Ægypti Regis corpus ſepulcro eruit, & tanquam viveret, verberibus cædi, acutiſque ferramentis totum pungi, ac deinde in foro comburi juſſit. *Herodotus lib.* 3. *Campofulg. lib.* 9. *cap.* 3. Sed expeditiones ejus, quæ ſequutæ ſunt contra Æthiopes, Macrobios & Ammonios, infeliciter ſucceſſerunt. *Herodot. ibidem.*

XX.

VI. *Malos conſiliarios habuit.* Nam omnes ei adulati ſunt. Cùm enim Cambyſes aliquando Senatum Perſarum interrogaverat, qualis videretur ipſis ad Cyrum patrem collatus? Omnes Perſarum Principes ampliſſimis eum laudibus ornarunt, imò etiam patri prætulerunt. Quoniam & omnia illius haberet, & Ægyptum Regno Perſarum adjeciſſet. Tandem & Crœſus ſententiam juſſus dicere, reprehendit aliorum orationes, inquiens: Nondum mihi æqualis videris Cyro patri tuo. Nondum enim talem regno genuiſti filium, qualem Cyrus reliquit. Qua ſententia, Herodotus, Cambyſen non modò nihil offenſum, ſed etiam apprimè delectatum, refert. Præterea cùm Cambyſes conſiliarios ſuos interrogaret: Num quæ lex eſſet, quæ cum ſorore nuptias contrahere permitteret? Illi metu Tyranni reſponderunt: Nullam ſe invenire legem, quæ fratri cum ſorore nuptias contrahere permitteret: ſed aliam ſe reperiiſſe legem, qua liceat Regi Perſarum facere quicquid libeat. Verùm debuiſſent Conſiliari iſti obſervaſſe regulam *D. Pauli, Rom.* 3. *verſ.* 8. Non ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona.

AXIOMA I.

Conſiliarii non ſint adulatores, ſed veritatis aſſertores. Illi namque Conſiliarii, qui Principibus ſuis adulantur, pulvillos conſuunt ſub cubito manus eorum; uti *Ezechiel Propheta c.* 13. *v.* 18. loquitur. Quod adagium quadrat in eos, qui cum ſimulatione quadam libertatis aliorum vitia ſic reprehendunt, ut iis figuratè adulentur. Quam titillantem, levem atque enervem admonitionem *Plutarchus in lib. de diſcrimin. adulat. & amici fol.* 32. PULVINARIUM MULIEBRIUM non abſimilem eſſe ait. Hæc enim licet capitibus videantur obniti & contra tendere, cedunt tamen obſecundantque, ſicut *fucata illa libertas*, quæ tumorem habet inanem, imaginarium & fallacem, aſſurgit intumeſcitque, ut contracta ſubſidenſque excipiat eum, qui in ipſam ſe demittit.

Exemplum hujus rei habetur apud *Plutarchum*, qui in loco citato *pag.* 37. ita ſcribit: *Tiberio Cæſare* curiam aliquando ingreſſo exſurgens adulatorum unus, ipſos, ait; qui liberi eſſent, dicere oportere liberè, nec quicquam diſſimulare vel ſupprimere, quod in rem foret. Cum ita excitaſſet omnes, facto ei ſilentio, ſuſpenſoque Tiberio; Audi Cæſar, inquit, in quo te culpemus cuncti, nec promere apertè quiſquam audet. *Negligis temet ipſum, perditum ut corpus, curis teque & laboribus pro nobis conficis perpetuò, neque nocte vel die laxamentum ſumis.* Hujuſmodi multa cum ille declamaret: Caſſium Severum memorant Oratorem dixiſſe: Αὕτη τυραννὶς παῤῥησία τ' ἀνθρωπον ἀπόλλυσι. h. e. Hæc libertas hominem perimet.

Meliùs autem fecit *Priſcus Helvidius*. Ad quem cùm *Veſpaſianus Imperator* miſiſſet, ne in Senatum veniret: Penes te, inquit, eſt, ne me Senatorem patiaris. Quamdiu autem me loco non moves, eſt in curiam mihi veniendum. Age, at ingreſſus taceto, inquit. Ne me roga, & tacebo. At eſt mihi rogandum. Et mihi dicendum, quod rectum putavero. Verùm ſi dixeris, occidam te. Quando ego tibi dixi me immortalem eſſe? Tu tuum facies; Ego meum. Tuum eſt occidere; meum eſt, mori non trementem.

XXI.

AXIOMA II.

Licet autem talibus ac tantis vitiis & flagitiis pollutus viveret Cambyſes, tamen ſumma patris Cyri virtus ei profuit, cumque ab odio & invidiâ populorum ac Principum vindicavit; cujus imago ac oris dignitas in hominum animis ac mentibus tam altè hæſerat, ut etiam grati eſſent, qui naſum aquilinum, qualis Cyro fuiſſe dicitur, haberent. Ita *liberis propter parentes bene eſt.* Et: *Patris virtus liberos commendat.* Si enim quis virtutibus clarus exſtiterit, quaſi fax in altiſſimo loco poſita, ſuo lumine ac ſplendore omnia complet: nec tantùm vivens ac ſpirans laudibus cumulatur; verùm etiam mortuus ſuaviſſimos ſuæ virtutis odores liberis ac poſteritati relinquit; Cui, etiamſi ſceleratè vixerit, patriæ virtutis gratiâ, indulgetur. *Bodinus lib.* 4. *de Republ. cap.* 1. *pag.* 592. Ita M. *Cicero* unicus M. Tullii Ciceronis filius, ſed degener & peſſimus (qui uno hauſtu

hauſtu duos congios evacuare potuit: unde *Bicongius* dictus, uti *Plin. lib.* 14. *cap.* 22. de eo refert: item κυπελλομάχων) ſemel Conſulatum geſſit cum Auguſto Cæſare, *non ſuo, ſed parentis merito.*

XXII.

AXIOMA III.

Etiam mali Principes viros magna doctrina & inſigni virtutis ac ſapientiæ opinione apud ſe habere geſtiunt, eoſque ſibi interdum commendatos eſſe patiuntur, non ut horum conſiliis obtemperent, ſed ut, quod agunt ex animo ſuo & perperam, illud ex horum conſiliis apud ignaram plebem agere videantur. Exempla. 1. *Herodes Antipas* Johannem metuebat, ſciens eum virum juſtum & ſanctum, καὶ συνετήρει αὐτὸν, conſervabat eum, ne ſcilicet ab Herodiade per inſidias interficeretur) auditoque eo multa faciebat, & ἡδέως, h. e. libenter, cum gaudio, & ſingulari delectatione eum (concionantem) audiebat. *Marc.* 6. *v.* 20. At, ubi maximè conveniebat, non tantùm non audit, ſed etiam necem ei infert. Ita *Cambyſes* ſecum habebat Cræſum conſiliarium virum fortiſſimum, ſed ejus conſilio parùm obtemperabat. Cùm enim Cambyſes 12 Perſarum proceres interfeciſſet, Cræſus eum hiſce verbis admonuit: Rex, noli cuncta ætati & iræ indulgere, & te cohibe, & compeſce te ipſum. Conducit tibi, te providum eſſe; & ſapientis eſt, proſpicere. Tu verò ob nullius momenti cauſam interficis viros, populares tuos, interficis etiam pueros. Qualia ſi multa facias, conſidera, ne abs te deficiant Perſæ. Etenim parens tuus Cyrus ſingulari ſtudio mihi mandavit, ut, ubicunque opus eſſet, ſubjicerem tibi, quæ in tuam rem profutura viderentur.

Verùm tantum abfuit, ut Cambyſes ei patentes aures præbuerit, ut etiam arcu arrepto ſagitta eum tranſverberaſſet, niſi fuga ſalutem quæſiviſſet.

XXIII.

11. *Unum Juſtitiæ exemplum.* Inter tot autem tantaque Cambyſis vitia atque flagitia, unum de ipſo recitat Juſtitiæ exemplum *Herodotus*, & hoc ipſum tamen magna cum ſeveritate conjunctum. Nam *Siſamnem* Præſidem, qui pecunia corruptus, injuſtam ſententiam tulerat, interfecit, & detractam toti corpori pellem tribunali inſtravit; & poſtea filium ejus *Otanem* in eam ſedem collocavit, atque juſſit eum, intuentem patris exuvias, rectè judicare, ne ſimili ſupplicio afficeretur. *Herodot. lib.* 5. *Valer. Max. lib.* 6. *cap.* 3.

AXIOMA.

Tyranni non ſunt contenti vulgaribus ſupplicii, ſed nova excogitant ſupplicium genera, quaſi non ſatis ſit hominem ſemel mori. Exemplum huc referunt quidam Politici de *Cambyſe*. Item de *Pariſatide*, Cyri junioris & Artaxerxis Mnemonis matre, quæ crudeliſſima femina Mithridatem Perſicum adoleſcentem in convivio gloriantem, ſe Cyrum manu ſua concidiſſe, ſcaphiſmo necari juſſit. De qua hiſtoria in vita Artaxerxis Mnemonis pluribus dicturi ſumus.

Ε'ΠΙ'ΚΡΙΣΙΣ, ſive *Monitum Politicum.*

Princeps interdum pœnam exaſperare juſte poteſt, imò debet. Nam publica ſæpenumerò neceſſitas exigit, ut Princeps veluti Medicus deſperatis malis, medicinam extremam adhibere cogatur, niſi totam velit Rempubl. peſſum ire. Nam ubi vi injuſtitia multis impunè abit, & ſuccedit, tum planè ipſa virtus evaneſcit. *Stobæus Sermon.* 72. Et mutandorum morum initium magis eſſe ſolet ignoſcentia, quàm ultio. *Plutarchus de cohibend. iracund.* Unde ipſe Deus juſſit Principes pœnas irrogare tranſgreſſoribus legum. Nam *Deuter.* 17. *verſ.* 7. & *cap.* 19. *v.* 20. inquit: Auferes malum è medio tui, & NON PARCET OCULUS TUUS: animam pro anima, dentem pro dente, oculum pro oculo, *&c.* Ita *Gideon* Suchotenſes & Phanuëlitas, qui ipſum procaciter irriſerant, ſpinis tribuliſque contrivit. *Judic. c.* 8. *v.* 16. *Darius* I. Rex Medorum Conſiliarios ſuos, qui Danielem innocentem calumniis oneraverant, unà cum uxoribus & liberis in ſpeluncam leonum præcipitari juſſit. *Daniel,* 6. *Johannes Dubravius* Epiſcopus Olmucenſis *in hiſtor. Bohem.* inſigne narrat exemplum juſtitiæ de CAROLO IV. Imperatore, hiſce verbis: Pro tribunali Carolo ſedente, Sacerdos quiſpiam utroque oculo à viro quodam nobili patrono ſuo privatus, propterea quod illum erroris in religione arguiſſet, injuriam querebatur ſuam. Non ibat inficias Zachora, (id nobili huic cognomen erat) ſed peranimi impetum, quem tunc in poteſtate non habuiſſet, facinus admiſſum excuſabat, offerebatque pecuniam pro ſatisfactione arbitrio judicum æſtimandam. Interpellavit dicentem Carolus, atque hanc tulit ſententiam: Non poſſe in hoc caſu ſatisfactionem abſque talione ſibi conſtare, quando cæco in integrum reſtitui oculi nequeant: Sed oportere Zachoram pariter atque ſacerdotem perdere oculos ſuos, neque enim aliter jus eſſe æquabile. Ad *Ludovicum* XII. *Galliæ Regem* accedebat,

bat, qui perpetrati homicidii veniam flagitaret. Rex facti enormitatem perpendens, & quod jam tertium id ſceleris perpetraſſet; Tu-ne, inquit, veniam flagitare homicidii jam tertii? Et ecce joculator qui forte aderat; Quid, Domine, tertii? Imò primi duntaxat. Nam ſecundum & tertium tua ſunt. Quia, ſi tu primum non condonaſſes, hic reliqua non perpetraſſet. *Iſta Regum vitioſa eſt indulgentia, & maxima peccandi illecebra eſt impunitatis ſpes.*

Præſertim autem Reges atque Principes injuſtos judices & δωροφάγους, qui non niſi pecunia interveniente jus dicunt miſeris ſubditis, graviter vindicent. Peſtes ſunt hujuſmodi homines Regnorum & Urbium. Olim *Mulctores Reipubl.* vocabantur, quod populum pecuniâ emulgerent. Rectè! Patet hoc ipſum ex colloquio corrupti Judicis cum ſuo corruptore:

Heus aperi. *Tu quis?* Tuus eſt. *Quid quæris?* Ut intrem.

Fers aliquid? Non. *Eſto foris.* Ferò. *Quid?* Satis. *Intra.*

Quid fers? Ova. *Quid ille?* Capos. *Quid tertius?* Agnum.

Nemo magis? Sunt qui adducunt. *Quid?* Cum bove porcum.

Vos laudo: Tamen hi forſan plus juris habebunt.

Dic quare? Ova, capos, ſus, bos, malè perdit & agnum.

Et ſic bilanx in eam vergit partem, in qua majus eſt pondus. Hoſce *injuſtos judices Heſiodus lib.* 1. ἀκὲς ἰργ. κ᾽ ἰμερ. vocat χειροδίκας. h. e. jus in manibus gerentes. Tales homines neque Deum timent, neque homines reverentur; ſicut de injuſto judice Chriſtus ait, *Luc.* 17. 2. Illis *jus* eſt *vis*, & ſic ex *juſtitia* per metatheſin literarum fit *viſtitia*, juxta verſum illum *Palingenii* optimum:

Cui VIS *eſt*, JUS *non metuit*: JUS *obruitur* VI.

Notandum hic venit elegans.

PROBLEMA;

Dic mihi, quid, quæſo, toto jam regnat in orbe?

Dic tribus hoc verbis, literuliſque tribus.

Et ad id

RESPONSIO:

Non verbis tribus, aſt unâ reſpondeo voce;
JUS, *vel, tranſpoſitis,* VIS, *malè literulis.*
JUS *&* VIS, *apicis parvo diſcrimine diſtant.*
JUS *non mundus habet*, VIM *quia ſemper habet.*

Talis injuſtus judex & δωροφάγος erat *Felix Præſes Romanus*, coram quo Paulus Apoſtolus accuſabatur à Judæis. Sed ille Pauli cauſam judicare nolebat. Quia, inquit *Lucas Actor.* 24. *v.* 26. ſperabat fore, ut pecunia daretur à Paulo, ut ſolveret ipſum; propter quod & frequenter accerſens cum, loquebatur cum Paulo. Sed quia pecuniam ille Felix infelix à Paulo non accipiebat, per biennium eum in vinculis detinebat, vinctumque ſucceſſori ſuo Feſto relinquebat. *Actor.* 24. 27. qui juſtior ipſo erat, uti ex *Actor.* 25. *v.* 16. patet. Talis δωροφάγος erat *Demoſthenes*, ſummus ille Orator, qui muneribus corruptus adverſario ſuo non contradicebat in foro, ſimulans ſe anginam pati. At verè & falſè reſpondebat *Demades*, ipſum pati *argentanginam. Gell. lib.* 11. *cap.* 9. *Plutarch. in Demoſth.* Neque vel hodie *crumenimulga* hæc natio argentanginæ & rapacitatis morbo laborans exſtincta eſt, ſed integras ſæpe populatur regiones & urbes. At hæc natio adultera & Deo & hominibus piis eſt exoſa. Non ita *Moſes* ex ore Dei ad Judices à ſe conſtitutos ait, *Deut.* 1. 16. Judicate juſtitiam ſive juſtè inter virum & inter fratrem ejus, & inter peregrinum ejus. Et *cap.* 16. *v.* 18. Judices pones in omnibus portis tuis, qui judicent populum judicio juſtitiæ, ſive juſto. *v.* 19. Non facies declinare judicium, non accipies perſonam, NEC MUNERA. Quia munera excæcant oculos ſapientum, & ſubvertunt verba juſtorum. *v.* 20. צדק צדק JUSTITIAM JUSTITIAM ſequeris. *Jerem.* 21. *verſ.* 12. Judicate manè judicium. *cap.* 22. *v.* 3. Facite judicium & juſtitiam. *Proverb.* 17. *v.* 23. MUNERA de ſinu IMPIUS accipit, ut pervertat ſemitas judicii. Apud *Caſſiodorum lib.* 1. *Epiſt.* 12. *Theodoricus Veronenſis* Italiæ Rex Judicem ſuum ſic inſtruit: Eſto innocentiæ templum, temperantiæ ſacrarium, ara juſtitiæ, abſit à judiciariis mentibus aliquid profanum.

Ægyptiorum Reges jurejurando adſtringebant judices, ſe injuſtè non judicaturos, quamvis Rex ipſe requirat & præcipiat. Idcirco tantum abeſt ut Cambyſes in hoc puncto ſit vituperandus, ut etiam ſit valdè laudandus, quòd Siſamni injuſto & δωροφάγῳ judici pellem detraxit, & filium ejus Othanem in eam ſedem collocavit, eumque juſſit patris exuvias intuentem rectè judicare, ne ſimili ſupplicio afficeretur. *Ariſtoteles in Ethic. Nicomach.* docet, quòd Cambyſes fecerit *juſtum*, tam ſeverè Siſamnem puniendo, ſed non fecerit *juſtè*. Quia non egerit ex habitu, ac proinde ob hac factum ſolum juſtus appellandus non ſit. Quia ſicut una hirundo non facit ver, uti in proverbio dicitur: ita una actio habitum non parit. *Theologi* dicunt, quod bona

bona opera non ex nominibus, ſed ex adverbiis ſint judicanda. h. e. non illa ſemper bona ſunt dicenda, quæ in ſe videntur bona, ſed illa quæ fiunt *benè*, h. e. ſecundùm regulam atque normam in verbo Dei præſcriptam. Nam opera electitia à Spiritu S. reprobantur. Memorabile quoque juſtitiæ exemplum hîc ſubjiciam, quod *Archiepiſcopus Colonienſis* anno Chriſti 1055. poſt ſe reliquit: Hic enim cum comperiſſet, Judices falſam ſententiam in cauſa feminæ pauperis tuliſſe, his omnibus erui oculos juſſit, excepto uno, qui compater ipſius erat: Hunc enim uno duntaxat oculo privavit, ut altero adjutus domum deducere excæcatos poſſet. Utque hujus rei memoria diuturnior eſſet, ſupra domos excæcatorum capita figulina cum effoſſis oculis collocanda curavit, ut terrori eſſent prætereuntibus. *Dreſſer. Millen. VI. part. 11. pag. 78, 79.*

Quatuor enim ſunt *fines pœnarum*, quos Princeps in puniendo ſpectare debet. 1. Eſt *νουθεσία*, h. e. *Correctio*, ut nempe eum quem punit, corrigat, ut in poſterum cautiùs agat. 2. *Τιμωρία*, ut læſæ parti ſatisfaciat. 3. *Ἡσυχία*, h. e. publica tranquillitas, ut alii ſublatis malis ſecuriores vivant. Et 4. *Παράδειγμα*, ut alii exemplum inde capientes à maleficiis abſterreantur. Quem finem poſtremum cum Cambyſes obſervaverit, quis illum propterea vituperabit? Utinam etiam noſtro ſeculo aliquis exſurgeret Cambyſes, qui Mulctoribus illis Reipubl. argentanginæ morbo laborantibus, h. e. *λυροφύγοις* iſtis & munerum captatoribus judiciorumque corruptoribus, pellem detraheret, ut ipſorum ſucceſſores perpetuum aliquod ſeveritatis indicium atque judicium oculis ſuis contemplarentur! *Nicephorus lib. 17. hiſtor. c. ultim.* ſcribit: Judicum furacium crura frangi ſolita. Utinam mos ille etiamnum vigeret, & poſtliminiò in Reſpubl. atque civitates introduceretur! Sic meliùs juſtitia floreret, & cauſæ pauperum & afflictorum citiùs atque feliciùs dijudicarentur! *Ariſtoteles lib. 5. Politic. cap. 3.* tale Principibus monitum præſcribit: Meliùs conſultum omnino eſt Reipublicæ, ſi Principes aut populus ſuis Magiſtratibus ex publico ſalarium conſtituant ſufficiens, ex quo commodè vivere & lucrari poſſint, & abſtinere à ſubditorum loculis, ſi gratis ita merentibus concedant dignis poteſtates & adminiſtrationes: Sic enim fiet, ut lites citiùs & ſine ſpe aliqua lucri dirimantur.

II. *ACTA POLEMCA.*

XXIV.

Cambyſes *quatuor bella* geſſit. 1. Contra *Ægyptios.* 2. Contra *Carthaginenſes.* 3. Contra *Ammonios.* 4. Contra *Æthiopes.*

BELLUM I. *contra Ægyptios.*

XXV.

Primum bellum ſuſcepit Cambyſes contra Amaſin. Circa hoc tria notanda. 1. *Ortus.* 2. *Progreſſus.* 3. *Egreſſus.*

1. *Ortus* continet belli occaſionem, de qua in c. 2. §. 5. copioſè diximus. Res tota huc redit. Deluſum ab Amaſi ſe putabat, quod pro propria filia, quam Cambyſes ab illo in uxorem per legatos ſibi petierat, Apryis anteceſſoris filiam ſubmiſiſſet. Ideoque expeditionem contra illum magnis viribus urget.

2. *Progreſſus.* Neque morte Amaſis (Nam antequam Cambyſes in Ægyptum perveniſſet, mortuus ille erat.) quicquam placatus, expeditionem contra Pſammenitum filium continuandam ſuſcipit, quem victum ad Peluſium deditione capit, habitumque humaniter Regno quoque præfectum relicturus fuerat, niſi eam benignitatem perfidiâ rurſus in ſe clauſiſſet; uti poſtea dicemus. Cambyſes ut Pſammeniti capti animum experiretur, eum in ſuburbanis collocavit: Hoc facto filiam illius veſtitu ſervili circumdatam cum hydria emiſit, & cum ea ſimiliter indutas alias, quas delegerat primorum virorum filias virgines. Quæ ubi ad patres pervenerunt cum ejulatu ploratuque, cæteri quidem patres, conſpectis filiabus tam malè acceptis, viciſſim vociferati ſunt atque fleverunt. Pſammenitus autem cùm id prævidiſſet ac cognoviſſet, humi vultum demiſit, prætergreſſis puellis aquam ferentibus. Secundo loco Cambyſes ante oculos Pſammeniti miſit filium ejus cum duobus millibus Ægyptiorum æqualis ætatis, vinctas fune cervices & frenata ora habentibus: ducebantur autem ad mortem ob Mitylenæos à Memphitis interfectos. Ita enim cenſuerant Regis Judices, pro ſingulis ſuorum interfectis denos primorum Ægyptiorum interficiendos. Pſammenitus prætereuntes intuens, & filium animadvertens duci ad mortem, aliis Ægyptiis, qui circumſedebant, complorantibus atque indignè ferentibus, ipſe idem, quod erga filiam, fecit. His quoque prætergreſſis accidit, ut quidam compotatorum ejus jam natu grandior priſtinis bonis delapſus, ac nihil habens, niſi quæ inops mendicabat, obiret exercitum, nec non Pſammenitum alioſque Ægyptios in ſuburbanis conſidentes. Quem ut conſpexit Pſammenitus, erumpente ingenti fletu compellans nomine amicum, caput ſuum cæſebat. Quæ admiratus Cambyſes, miſſo nuncio Pſammenitum ſic percontatus eſt:

Pſam-

Pſammenite, herus te Cambyſes interrogat, quam ob rem tu, qui viſa filia indigne affecta, viſo filio ad mortem eunte, neque ejulaſti neque fleviſti, pauperem tanti feceris, tibi, ut ab aliis audivi, non propinquum? Cui Pſammenitus his verbis reſpondit: Fili Cyri; domeſtica mala erant majora, quam ut poſſem ea deflere. At amici lamentatio digna lacrymis fuit, qui è multis ac fortunatis opibus ad inopiam recidit in extremo limine ſenectutis. Cambyſi his renunciatis, Crœſus dicitur illacrymaſſe, itemque qui aderant Perſæ, ipſique adeo Cambyſi miſerationem attuliſſe, ut protinus juſſerit filium ex his, qui morti addicti eſſent, liberari: verum filium, qui abierunt, non jam ſuperſtitem invenerunt, ſed primo loco truncatum.

3. *Egreſſus.* Cambyſes poſtquam animum Pſammeniti exploraſſet, miſericordia erga eum motus Ægyptum ei redditurus erat, ut eam tanquam Præfectus Regius gubernaret. Verum poſtquam à Cambyſe convictus eſt, quod Ægyptios ad rebellionem ſollicitaſſet, denuo captus, epoto taurino cruore, exſpiravit.

BELLUM II & III, *contra Carthaginenſes & Ammonios.*

XXVI.

Secundum & tertium bellum Cambyſes *contra Carthaginenſes & Ammonios geſſit*, ſed irrito ſucceſſu. Quoniam Phœnices bellum contra Carthaginenſes confœderatos gerere recuſabant: Quos invitos Cambyſes cogere noluit,

Deinde partem exercitus contra Ammonios miſit, qui inter prandendum arenarum molibus obruti, nec poſtea amplius viſi ſunt.

BELLUM IV, *contra Æthiopes.*

XXVII.

Circa hoc bellum Æthiopum tria ſunt conſideranda: 1. *Ortus.* 2. *Progreſſus.* 3. *Egreſſus.*

I. ORTUS. In Ortu notanda eſt *Cambyſis ad Regem Æthiopum legatio. Herodotus lib.* 3 ſcribit, quod Cambyſes, antequam exercitum contra Æthiopes, qui Africam ad Auſtrale mare incolunt, & Macrobii appellantur, educeret, callido conſilio ſpeculatores ſub ſpecie legationis præmiſerit, iiſque dona magnifica, quæ Regi Æthiopum offerrent, tradiderit, nempe amiculum purpureum, aureum torquem tortilem, & armillas, unguentum pretioſum, & cadum vini Phœnicii.

II. PROGRESSUS. In Progreſſu duo veniunt obſervanda:

Primo: Legatorum Cambyſis propoſitio. Legati cum in Æthiopiam veniſſent, Regem hiſce verbis compellarunt: Cambyſes Perſarum Rex cupiens amicus tibi fieri atque hoſpes, nos miſit, jubens ut in colloquium tuum veniremus, tibique hæc dona offerremus, quorum ipſe uſu maxime delectatur.

Deinde: *Regis Æthiopis reſponſio.* Hæc triplex erat.

1. Ἐρωτηματική, h. e. *Interrogatoria.* Nam primo ſumto amiculo interrogavit, quidnam eſſet, & quomodo confectum. Quumque Legati de purpura, ejuſque tinctura, edocuiſſent; Doloſos, reſpondit, homines doloſa expetere veſtimenta. Exponentibus deinceps Legatis de monili tortili & armillis, ejuſque ornatu & pretio: Rex riſit, atque ratus, vincula eſſe, vincula robuſtiora apud ſe eſſe dixit, multoſque captivos aureis compedibus maniciſque nexos oſtendit. De unguento eadem ſenſit, quæ de veſtimento purpureo. Verum ubi ad vinum perveniret, ejuſque conficiendi rationem audiret, majorem in modum delectatus eſt ejus potu.

2. Ἐπιπληκτική, h. e. *Objurgatoria.* Cum enim animadverteret, eos ad explorandum Regnum ſuum veniſſe, graviter invectus in Cambyſen, in hæc verba prorupit: Non juſtus vir ille eſt: Alioquin enim non affectaret regionem alienam, ſed ſuâ contentus, non redigeret in ſervitutem homines, à quibus nihil laceſſitus eſt.

3. Αἰνιγματική, ſive *Symbolica.* Tandem tradidit illis arcum, hæc verba addens: Quando Perſæ tantæ magnitudinis arcus tam facilè tendent, quam facile hunc à me tendi videtis, tum Cambyſes copiis ſupra modum magnis inſtructus Æthiopibus Macrobiis bellum inferat. Interim Diis gratias agat, qui non in animum inducunt Æthiopibus, ut præter ſuam aliam velint ſibi comparare regionem.

III. EGRESSUS. Poſtquam autem Cambyſes hoc Regiæ Æthiopiæ reſponſum ab exploratoribus cognovit, ſtatim ira accenſus, & quaſi furore perculſus, continuo in expeditionem contra Æthiopes ruit. Sed magna afficitur clade, quod iter ingreſſus eſſet non præparato commeatu; quo deficiente, jumenta primum mactarunt, poſt herbis victitarunt: iis etiam in ſabulo deficientibus, decimum ſorte lectum devorarunt. Et ita coactus eſt, nullo viſo hoſte, in Ægyptum redire.

USUS.

AXIOMA I.

Τῶν ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα. *Hoſtium atque Tyrannorum dona non ſunt dona.* Sicut enim pueri aſtragalis; ita etiam Tyranni fœderibus ludunt. vel, ut

D. Paulus Rom. 1. v. 31. loquitur, ſunt ἀσύνθετοι, h. e. pactorum haud tenaces, ſive fœdifragi: ipſorumque verba ſunt non verba, & dona non dona. *Exempla* habemus 1. *in Saule* Rege Iſraël, qui Davidi, ob ſingularem populi caritatem atque favorem ſibi formidabili, Merob filiam ſuam majorem natu deſpondebat, & tamen alteri poſtea eam tradebat, contra fidem pacti, 1 *Sam. 18. verſ. 17.* Poſtea Micholis conjugio illectum hoſtium furori proditorie objicere cogitavit, poſtquam reſcivit eam ardenter diligere Davidem. *Ibid. verſ. 20, 21.* 2. *In Cambyſe*, qui Æthiopum Regi magnifica ſub ſpecie amicitiæ per exploratores miſit munera. Unde etiam Rex Æthiopum Legatos Cambyſis graviter objurgavit, quod ſimularent, ſe miſſos quaſi Cambyſes amicitiam atque hoſpitium ſuum expeteret, cum ſciret, eos ad explorandum Regnum ſuum veniſſe.

AXIOMA II.

Multæ expeditiones defectu annonæ irritæ ſiunt, & magni exercitus ſolvuntur.

Exemplum habemus in expeditione *Cambyſis* contra Æthiopes inſtituta, in qua milites nihil invenientes quod ederent, & ad ſabulum pervenientes, ubi etiam nullæ herbæ victui commodæ, ad decimationem exercitus perventum eſt, h. e. ſortiti ex ſe ipſis decimum quemque comedebant: donec Cambyſes veritus mutuam militum ſuarum depaſtionem, cœpta adverſus Æthiopes expeditione intermiſſa, retroceſſit, Thebaſque pervenit, multis de militibus ſuis amiſſis. Vide *Petr. Gregor. Tholoſan. lib. 11. de Republ. cap. 3. pag. 663.*

AXIOMA III.

Conſilia calida raro ſunt felicia. Nam præcipitantia rectis conſiliis eſt inimica, & prudentiæ adverſa. Præcipitantia parit errores, quos magnæ pœnæ, magnæ calamitates comitantur. In cunctatione multa ſunt bona, quæ etſi non prima fronte apparent, tamen progreſſu temporis percipiuntur. Unde recte *Salluſtius* ait: Antequam incipias, conſulto, ubi autem conſulueris, mature facto opus eſt. Et *Livius lib. 5. Decad. 4.* prudenter ſcribit: Calida conſilia initio læta, tractatu dura, exitu triſtia eſſe ſolent. *Tacit. lib. 18.* Omnes qui magnarum rerum conſilia ſuſcipiunt, æſtimare debent, An, quod inchoatur, Reipubl. utile, ipſis glorioſum, aut promtum effectu, aut certe non arduum ſit. *Thucydides lib. 3.* Duæ res maxime obſtant bonis conſiliis, nempe *ira & feſtinatio.* Nam impedit ira animum, ne poſſit cernere verum. Feſtinatio vero cæca eſt & præceps. Quia præcipitis conſilii comes pœnitentia. Unde *Auguſtus Imperator* hoc ſymbolo uſus eſt: Σπεῦδε βραδέως. h. e. *Feſtina lente.* Quo inſinuare voluit, ſat celeriter fieri, quicquid ſat bene ſit. Si enim vim & ſententiam hujus ſymboli æſtimes, quam hæc tam conciſa vocum brevitas in ſe complectitur, quam ſecunda, quam gravis, quam ſalutaris, quam ad omnem vitæ rationem patens; profecto facile diſceſſeris in hanc ſententiam, ut non aliud dictum ullum perinde arbitreris dignum, quod omnibus foribus inſcribatur. *Germani* pulchrè enunciant: Eil mit weil. Eh wiegs / dau wags. Conſule *Macrobium lib. 6. & Gell. lib. 10. cap. 11. Eraſmum in Chiliad.* Omnes hoc ſymbolum uſurpent: *Conſilium ante factum. Mantuanus Eclog. 2.*

Sed poſt jacturam quis non ſapit? utile non eſt
Conſilium poſt facta dari, quod oportuit ante.
Conſilium poſt facta, imber poſt tempora frugum.

Ovid. de Ponto lib. 11.

Nunc quid naufragio, quid prodeſt dicere, facto,
Qua mea debuerit currere cymba via?

Quod ſi hæc Cambyſes obſervaſſet, neque velut mentis inops continuo in expeditionem contra Æthiopes cum exercitu exiviſſet, ſed prius omnia ſibi comparaſſet, quæ apparatus rei militaris exigebat, & rei frumentariæ & pecuariæ, (ſicut in more poſitum erat apud Perſas, uti *Xenoph. lib. 4. Cyropædiæ* tradit) tum retro ſuæ temeritatis pœnam luens redire coactus haud fuiſſet, multis de exercitu amiſſis. De hac expeditione ejus in Æthiopiam *Lucanus lib. 10.* ita cecinit:

——Veſanus in Ortus
Cambyſes longi populus pervenit ad avi,
Defectuſque epulis, & paſtus cade ſuorum,
Ignotote, Nile, redit, &c.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

XXVIII.

1. BONA. Cambyſen aliquam veri Dei notitiam habuiſſe, inde colligitur, quod gentilium idola non modo illuſit ac violavit, ſed etiam deſtruxit. Cum enim Ægyptii in urbe Memphi, Deo ſuo quem Apim nominant, feſtum celebrarent, Cambyſes eorum ſuperſtitione offenſus, adduci ad ſe Apim juſſit. Quem cum VITULUM eſſe conſpexiſſet, educto gladio femur ejus ſauciavit, & ſublato cachinno ad ſacerdotes dixit: *O capita nequam, hujuſmodi Dii exiſtunt, ſanguine atque carne præditi, & ferrum ſentientes?* Dignus nimirum Ægyptiis hic Deus. Nos certe ludibrio habuiſſe, vos non juvabit. Hæc loquutus, imperavit his, quorum munus erat, ut ſacerdotes flagris cæderent.

Ægy-

Ægyptios autem, deprehenſos in feſto Apis feriantes, promiſcue occiderent. Ita feſtum ſolutum eſt, ſacerdotes mulctati; Apis, ſauciatus femur, in templo jacens extabuit. *Juſtin. lib. 1. Herodotus lib. 3.* Qui quidem hoc Cambyſis factum vituperant, ſed ipſi in judicio ſuo errant. Nam carnalis homo carnaliter: ſpiritualis vero ſpiritualiter judicat. Ita cæci iſti homines in tenebris ambulantes putarunt, ſimulacra eſſe Deos, quæ tamen Dii non ſunt. Vide *Rom. 1. 23. 1 Cor. 2. 14. c. 8. v. 1. & ſeqq.*

XXIX.

2. MALA. Licet Cyrus primo Monarchiæ anno, poſt captam Babylonem, lætiſſimum de ſolutione captivitatis Babylonicæ, & dimiſſione Judæorum in patriam, deque reſtauratione templi & Politiæ Judaicæ, promulgaſſet decretum: tamen poſtea filius Cambyſes ædificationem templi, quoad vixit, impedivit. Quia enim bellum Ægyptiis illaturus erat, ſuggerebant ei aulici, Judæorum hoſtes infenſiſſimi: ſi Judæis poteſtas templum & urbem reſtaurandi concederetur, fore ut à Cambyſe deficientes ſe cum Ægyptiis conjungerent. Ita conſiliis novis atque malis diabolus impedivit Eccleſiæ reſtaurationem, & doctrinæ cœleſtis propagationem. Fuerunt itaque in luctu pii, præſertim poſtquam Cyrus interfectus eſſet. Vide *Eſdræ cap. 4. & Joſeph. lib. 11. Antiquit. Judaic. cap. 1. 2. & 3.*

AXIOMA.

Semper in Eccleſia cernitur viciſſitudo lucis atque crucis, quæ ſunt admiranda Dei excelſi opera. Namque ſunt mala mixta bonis, ſunt bona mixta malis. Sicut enim roſa ſpinis eſt circumdata: Ita Deus res lætas, præſertim Eccleſiæ, temperat acerbitate quadam & amaritudine: idque facit paterno conſilio, ne pendeat ſpes noſtra à rebus humanis, ſed nitatur ſolo Deo. Quare pii in rebus ſecundis non debent eſſe tumidi, neque in adverſis timidi.

Exemplum.

Cyrus primus Rex Perſarum inſignis erat *Evergetes Eccleſiæ*, qui in primo anno Monarchiæ captivitatem Babylonicam ſolvit, poteſtatem populo Judaico in patriam redeundi, & templum reparandi conceſſit, vaſa templi reſtituit, omnibus provinciis ſubditiſque ſuis imperavit, ut Judæis viatoribus viaticum omniaque neceſſaria ſubminiſtrarent. Verum Cyro in bello Scythico interfecto, *Cambyſes* filius ejus degener, tyrannicum erga Judæos affectum induit, & ſtructuram templi, quoad vixit, ſuaſu aulicorum Judæis infeſtorum impedivit, uſque ad ſecundum annum Darii Hyſtaſpis, qui decretum Cyri renovavit; & templum, ſub ipſo reædificari cœptum, anno ejus ſexto eſt abſolutum & conſummatum. *Eſdræ 6. 15.* *Elegans* eſt hæc *imago Eccleſiæ*, in qua oculariter videmus, quæ, quales & quantæ ſint conſolationum atque tentationum vices. Nihil Eccleſiæ poterat accidere optatius edictò Cyri de reditu in patriam, de reſtauratione politiæ ac templi: ſed multa impedimenta intervenerunt, quæ hunc melleum guſtum quaſi aceto infuſo corruperunt. Tandem vero ex hiſce adverſitatibus liberata eſt Eccleſia; uti plenius in hiſtoria Darii Hyſtaſpis & Artaxerxis Longimani dicturi ſumus.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

XXX.

TAndem Cambyſes cum adverſus Smerdin, ſe abſente in Perſide rebellantem, exercitum ducere vellet, inſilienti in equum vagina gladius excidit, femurque ejus letaliter ſauciavit, ex quo vulnere non multo poſt Ecbatanis in oppido quodam Syriæ periit, cum fratris cædem, quem ex falſa ſomnii interpretatione, & vana ſuſpicione, immaniter mandaverat trucidari, deploraſſet, ac Perſas ad eripiendum Magis regnum gravi hac oratione monuiſſet: *Per Regios Deos vos obteſtor, ne perſocordiam admittatis, ut Imperium rurſus redeat ad Medos: ſed vi ereptum vi recuperetis.* Hæc vobis facientibus & tellus fructum proferat, uxoreſque & pecora pariant, in omne tempus libertate fruentibus: ſecus facientibus contraria his, quæ dixi, imprecor; Et præterea unicuique Perſarum, cum finem, qualis mihi contigit. *Herodotus lib. 3. Juſtinus lib. 1.*

XXXI.

De numero annorum Regni Cambyſis inter Chronologos non convenit.

1. *Joſephus lib. 11. Antiqu. Judaic. c. 3. pag. mihi 282.*	ſtatuit, cum regnaſſe annos	6.
2. *Phil. Melanch. Chronolog. lib. 2. pag. mihi 118.*		7, & 5 menſes.
3. *Bucholtz. in Indice Chronologic. pag. 31.*		8.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

Anni Cambysis supputantur *in sensu*
- *conjuncto*, h. e. prout conjunguntur cum patris Regno. Sic regnavit annos 8. Quia annum cum patre regnavit. Alii addunt menses Magorum 7, & sic etiam 8 anni proveniunt.
- *disjuncto*. Sic regnavit annos 7, & 5 menses. Quæ est communis Chronologorum sententia.

Et talia exempla in sacro codice de Regibus Juda & Israël reperiuntur, quorum anni regiminis modo in sensu conjuncto, modo in sensu disjuncto accipiuntur.

XXXII.

Cambyses sine regia prole moritur. Et sic Cyri familia in ipso extinguitur.

Usus.

Axioma I.

In multis familiis hoc accidit, ut secundus, tertius, aut quartus fuerit ultimus.

Exempla.

1. *Davidis* potentia floret cum Salomone filio: Quo mortuo fit laceratio Regni, amissis 10 tribubus: quæ peculiare Regnum condiderunt in Samaria, quod Regnum Israël dictum est. Ab eo tempore Reges Juda & Israël in sacro codice distinguuntur.

11. *Cyri* Regnum post Cambysen filium transfertur in hæredem alium, non ortum à Cyro, nempe in Darium Hystaspis. Nam duæ tantum fuerunt familiæ Regum Persidis à Cyro primo Persarum Rege usque ad Darium Codomannum. In hoc namque & cum hoc ἀξιώματα Regni Persici extinctum est; uti ex hoc schemate patet.

Regum Persidis.

Prima familia.	*Secunda familia.*
I. *Cyrus.*	III. *Darius Hystaspis.*
II. *Cambyses.*	IV. *Xerxes.*
	V. *Artaxerxes Longimanus.*
	VI. *Darius Nothus.*
	VII. *Artaxerxes Mnemon.*
	VIII. *Artaxerxes Ochus.*
	IX. *Arsames.*
	X. *Darius Codomannus.*

Vide *Præcognita cap.* 5. §. 23.

111. *Amasis Rex Ægypti* Apryæ per seditionem Regnum eripuit, illudque tantum ad Psammenitum filium transtulit. Hic cum sex menses regnasset, captus est à Cambyse Rege Persarum, & aliquanto post interfectus, quonium Ægyptios ad rebellionem sollicitasset, Ægypti regno à Persis occupato.

IV. *Vespasianus Imperator* Titum filium successorem habuit: quo mortuo ἀξιώματα Imperii Romani à familia Vespasiani in alios translatum est.

V. Post *M. Antonium Imper.* successit *Commodus*: cum quo majestas imperii defecit.

VI. Similiter de *Ottone* I. Imperatore Romano usurpari potest versiculus ille vulgatus:

Αὐτὸς κ᾽ παῖδες, κ᾽ παῖδες σοῦ ἐκ παῖδες.
Ipse, & ex te nati, & nulli deinde nepotes.

Vel:

Tu, natique tui, sed non stirps ulla nepotum.

Versus est propemodum universalis: Nepotes tui vel non regnabunt amplius, vel non pari virtute, felicitate & successibus.

Axioma II.

Tyrannorum exitus tragicus esse solet.

Nam regula justitiæ divinæ est, quod atrocia delicta ordinariè puniantur atrocibus pœnis, etiam in hac vita. Unde etiam Poëta *Juvenalis* ait:

Ad Generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt Reges, &c.

Ita Cambyses Tyrannus iste immanis tragicum exitum habuit.

Nota.

Ex Tyrannis tres tantum nominari possunt, quorum mors placida fuit.

1. *Dionysius Major.* Sed tamen postea filius ejus Dionysius Minor debita à patre contracta persolvit. Hic namque à Dione Principe Syracusano in exilium pulsus, ad tantam redactus est inopiam, ut in urbe Corintho ludum literarium aperuerit. Ita namque de justitia divina vox Decalogi concionatur: Deus visitat iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem.

2. *Sylla* cum crudelissimè regnasset, placide mortuus est.

3. *Tiberius Imp.* sub quo Christus passus est. Ejus quoque mors placida fuit.

Plura de hoc Axiomate vide *Monarch.* I. *in vita Belsazaris cap.* 3. §. 26.

Axioma III.

Per quæ quis peccat, per eadem punitur.

Sapient. 11. *v.* 17. ita *Psalm.* 37. *v.* 9. dicitur: Male-

Malefici funditus delebuntur. *v.* 14, 15. GLADIUM evaginaverunt impii, intenderunt arcum ſuum, ut proſternant pauperem & inopem, & trucident rectos corde. GLADIUS eorum intrabit in corda eorum, & arcus eorum infringetur. Exempla illuſtria habemus in omnibus Tyrannis.

1. SAUL ſæpe in furore ſuo *gladium* evaginaverat adverſus Davidem innocentem, ſed tandem in cor ipſius atque viſcera intravit, quando proprio *gladio* ſe ipſum confodit. 1 *Sam.* 31. 4.

2. SENNACHERIB Rex Aſſyriorum Ezechiæ pientiſſimo Regi Juda, & toti populo Judaico horrenda quæque minabatur, GLADIUM ſuum adverſus eos evaginabat & arcum ſuum intendebat, ut inopes ad reſiſtendum proſterneret, & trucidaret rectos corde; ſed *gladius* intrabat in cor ejus, cum à propriis filiis ſuis Adramelech & Saraſſar in templo Niſroch interfectus eſt. 2 *Reg.* 19. 36, 37. *Jeſai.* 37. 36.

3. Similiter CAMBYSES gladium ſuum ſtrinxit adverſus innocentes & rectos corde; ſed tandem proprio gladio vulneratus, miſerè interiit. Eſtque ipſius pœna teſtimonium regulæ: Omnis, qui gladium acceperit, gladio peribit. *Matth.* 26. 52. Ac talibus exemplis pœnarum Deus cæteros homines de providentia & de ſuo judicio commonefacit.

AXIOMA IV.

Homicidæ non ſunt diu ſuperſtites.

Pſalm. 55. 25. Viri ſanguinum & doloſi non diu dimidiabunt dies ſuos, h. e. non diu vivent, non ſuperſtites erunt. Nam illi quidem longa ſibi præſcribunt tempora, quemadmodum dives ille apud *Lucam.* 12. 19. qui dicebat: Anima mea, habes multa bona *in plurimos annos.* Sic agunt, ſic vivunt, quaſi diu victuri. Unde magnam turrim conſiliorum humanorum ædificant, h. e. veram religionem verumque Dei cultum impediunt, novaque quotidie conſilia Eccleſiam perſequendi & veros Dei cultores è medio tollendi excogitant: ſed antequam illa magna, velut æterna, perficiant, antequam ſupprimant veritatis confeſſores, eoſque Evangelio ſpolient, ipſi in mediis conatibus fide vacui auferentur: in die (ut ait Chriſtus *Matth.* 24. 50, 51.) quâ non ſperant, & horâ quâ ignorant: tunc *dividet* eos Dominus, (h. e. animam & corpus eorum dividet per mortem, & in morte eos occidet) & ponet partem eorum cum hypocritis, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Idem illuſtrari poteſt parabolâ quinque virginum ſtultarum, & ad adventum ſponſi ſui imparatarum. *Matth.* 25. 8, 11.

Matth. 26. 52. Qui gladium ſumit, (h. e. qui abſque vocatione & illegitimè illum uſurpat) ille gladio peribit.

Apoc. 13. 10. Qui gladio occiderit, illum gladio occidi oportet.

Nam vox ſanguinum hominum interfectorum de terra clamat ad Dominum vindictam, neque ceſſat donec exaudiatur. *Gen.* 4. 10.

Apoc. 6. 10. *Pſalm.* 9. 13. Dominus requirens ſanguinem plorum, recordatus eſt, non oblitus eſt clamorem pauperum.

Hæc dicta ſunt maximè illuſtria, ideoque diligenter ſunt notanda.

Exempla.

1. *Cambyſes* erat vir ſanguinum atque doloſus. Nam 1. motus falſa ſuſpicione, *Smerdin* fratrem ſuum nefario atque immani auſu trucidari juſſit. 2. Sororem ſuam, eandemque uxorem Meroën, crudeliſſimè interemit. 3. Filium Prexaſpis, eum propter temulentiam reprehendentis, ſagittâ transfixum interfecit. 4. Duodecim Perſas, viros Nobiles, uno tempore è medio ſuſtulit. Verùm Cambyſes talis cùm eſſet, aliquanto poſt divinitus punitus eſt. Cùm enim in equum adſcenderet, decidens ex vagina gladius ferit ei femur. Ex quo vulnere paucos poſt dies mortuus eſt, cùm regnaſſet annos 7, menſes 5.

2. Ex *C. Julii Cæſaris interfectoribus* nullus triennium ſupervixit. Et memorabile eſt, quod *Valerius Max. lib.* 8. *c.* 6. narrat, quòd omnes interfectores Cæſaris violenta morte, & iiſdem gladiis, quibus cædem perpetraverant, ipſimet perierint.

3. Machiavellus de *Cæſare Borgia* (quem *Jovius* ſanguinario ingenio immanique ſævitia veteres tyrannos æquaſſe cenſeri poſſe, & viroſo ſanguine exſecrabilique ſemine progenitum ſcribit) memoriæ tradit. Hic enim fretus patris ſui authoritate & potentia (is fuit *Alexander* VI. Pontifex Romanus) quum imperium totius Italiæ animo ſuo concepiſſet, & ſpe ſua veluti devoraſſet, eamque ob cauſam Principes & nobiles omnes, quos ſibi impedimento futuros rebatur, vel vi & dolo è medio ſuſtuliſſet, vel hoc facere decreviſſet, tandem deceptus ſua ſpe, veneno, quod aliis præparaverat, per imprudentiam hauſto, in lectulo periculoſe decumbens, & ſicut æſtimabatur (is enim tunc vigore juventutis, & medicamentis, ſuperavit vim veneni) morti proximus, dixit: *Se adverſus omnia pericula, quæcunque ſibi evenire poſſent, multo ante remedia quæſiſſe, præterquam adverſus mortem: quippe nunquam cogitaſſe, ſe tam citò moriturum*: Immemor ſane

ſane doctrinæ Democratis, qui, ſicut à Porphyrio citatur, dicere ſolitus fuit: *Imprudenter & impiè vivere, non tam eſſe malè vivere, quàm diu mori.*

DE INTERREGNO MAGORUM, ejuſque Ortu, Progreſſu, & Egreſſu.

CAPUT I.

DE ORTV.

Sive REGNI OCCUPATIONE.

I.

CAmbyſes in Ægyptum profecturus, pro more Orientalium, quia filium ex ſe natum non habebat, Patizithen, unum ex Magis, Regni Curatorem conſtituerat. Dum autem Cambyſes infelicem in Æthiopas expeditionem ſuſceperat, & in Ægypto & in Syria variis rebus impeditus morabatur, Patizithes cognitâ Smerdis filii Cyri nece, quæ occultabatur, pauciſque Perſarum nota erat, inito cum reliquis Magis fœdere, fratrem ſuum Smerdin (quem *Juſtinus* Oropaſten vocat) ei cognominem oriſque ac corporis lineamentis perſimilem ſubſtituit, atque in ſolium Regium collocat, quaſi Smerdis Cyri filius eſſet, miſſis in omnes regiones atque provincias Caduceatoribus, qui edicerent omnibus ſubditis atque militibus, ut deinceps non Cambyſi, ſed Smerdi Cyri filio obedirent. Quod Magorum decretum à Proceribus Perſarum approbatum fuit. Quia immanis illa Cambyſis tyrannis exoſa illis erat.

II.

Cambyſes autem, qui eo tempore *Ecbatanis* in *Syria* morabatur, hoc cognito, iratus Prexaſpi exprobravit, quod Smerdin fratrem ſuum, juxta mandatum Regis, haud interfeciſſet. Prexaſpes verò ſe manu ſuâ eum interfeciſſe juramento confirmabat. Statim hæc animum ejus cogitatio ſubiit, eſſe Pſeudo-Smerdin, nempe Magum Patizithæ fratrem, qui Regium ſolium occupaſſet. Quare Smerdis fratris ſui mortem amaris lacrymis deflevit; ſeque ſomnio, in quo Smerdin in ſolio Regio ſedentem viderat, deluſum agnovit.

III.

Cumque adverſus Pſeudo-Smerdin exercitum ducere vellet, ſubitò inſilienti in equum vaginâ gladius excidit, fœmurque ejus letaliter vulneravit, ex quo vulnere non multo poſt Ecbatanis in oppido quodam Syriæ extinctus eſt. Cambyſi olim in Oraculo dictum, ipſum Ecbatanis moriturum. Ambiguitas erat in verbis Oraculi: Putabat namque Cambyſes, ſe Ecbatanis in Media moriturum. At quia letaliter ſe vulneratum vidit, & finem vitæ inſtare animadvertit, tum demum agnovit, Ecbatana Syriæ ab Oraculo intellecta, ac proinde in hæc prorupit verba: *Hoc in loco Cambyſes Cyri filius morietur.* Quo dicto ad Perſas aſtantes ſe convertit, eoſque gravi oratione ad eripiendum Magis regnum commonuit. Vide *Hiſtor. Cambyſis in c.* 3. §. xxx. Tandem gravi multorum magnorumque ſcelerum conſcientiâ oppreſſus inter ingentes animi corporiſque cruciatus è vita decedit, ac Perſidarum ſtirpem maſculam interitu ſuo finit. Regnavit annos 7, menſes 5. Quibus ſi addatur Magorum imperium, h. e. menſes 7, proveniunt anni octo. *Herodotus, Plato, Polyanus, Zonaras, Seneca, Oroſius.*

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

H. e. *De Regni confirmatione & adminiſtratione.*

IV.

Pſeudo-Smerdis, ut novum Regnum, quod non Marte, ſed fraude invaſerat, confiſus nempe nominis atque corporis ſimilitudine, arte firmaret, triplici medio uſus eſt.

V.

I. *Liberalitatis erga ſubditos declaratione.* Nam per totum illud tempus, quo Regno præfuit, omne genus liberalitatis in ſubditos munificentiæque exhibuit. Nam miſſis ad ſingulas, quibus imperabat, nationes edictis, immunitatem tributorum, ac onerum militiæ remiſſionem in triennium tribuit. Hac ratione plurimorum ſibi favorem conciliavit, illudque obtinuit, ut pauciſſimi eſſent, qui Smerdin Cyri filium regnare non crederent.

Nam quod Cambyſes Ecbatanis moriturus dixerat, ſuo juſſu atque Prexaſpis miniſterio Smerdin è medio ſublatum, id ex invidia dictum, atque hanc ob cauſam effictum ab eo putabant, ut Smerdin Perſis redderet ſuſpectum & infenſum.

VI.

II. *Prexaſpis inficiatione.* Hanc ſubditorum opinionem confirmabat ſermo Prexaſpis. Is namque poſt tragicum Cambyſis exitum, ut tutus, tum à Magis, tum à populo eſſet, Smerdin Cyri filium à ſe interfectum conſtanter pernegabat.

VII.

III. *Magorum occultatione.* Denique hæc res eò

eo occultior erat, quod apud Persas persona Regis sub specie Majestatis occultabatur, & nemini facile, nisi domesticis, aditus ad eum patebat. Hac itaque ratione Magus Cyri filius falsò creditus septem menses securus regnavit, donec mirabiliter patefactus fuit.

Caput III.

De Magophonia, sive de Magorum *interfectione.*

VIII.

Circa μαγοφονίαν notanda tria sunt. 1. Τὰ προηγούμενα, h. e. *antecedentia.* 2. Τὰ πραχθέντα, h. e. *interfectio ipsa.* 3. Τὰ ἐπιγενόμενα, h. e. *consequentia.*

1. Τὰ προηγούμενα, h. e. *Antecedentia.*

IX.

1. Τὰ προηγούμενα, sive Antecedentia sunt tria. 1. Phædimæ pellicis Regiæ proditio. 2. Procerum conspiratio. 3. Publica Prexaspis confessio.

X.

Primò: Phadimæ proditio. Tandem Pseudo-Smerdis, Cyri filium, & Cambysis fratrem se mentientis, fraus hunc in modum detecta & vindicata fuit. Erat Persa quidam, Ottanes dictus, Pharnaspis filius, vir nobilis & sagaciſſimus. Hic cùm observasset novum Regem nunquam ex arce progredi, neque Procerum Persarum quempiam in conspectum suum vocare, & præterea Cambysis confessionem de cæde fratris secum reputasset, dubitare cœpit. Misit itaque nuncium ad filiam suam Phædimam, (cujus, ut & aliarum Cambysis uxorum, contubernio Magus utebatur) & ex ea clam quæsivit; Quo cum homine cubare soleret, Cyrine filio Smerdi, an Mago ejus nominis? Respondente illa, se ignorare, misit alium, petentem, ut ex Atossa Cambysis sorore hoc ipsum cognosceret. Ad hæc illa, compellandæ ejus copiam sibi haud dari, respondit, quoniam concubinæ Regis separatim recludantur. Requisita tertium, utinter dormiendum de auriculis concubini inquireret; quoniam noverat, Smerdi Mago utramque aurem propter delicta resectam esse: paruit parenti filia. Cumque ordo ad concubitum eam vocaret, concubini somno sepulti contrectare voluit aures. Quas cum nullas reperisset, statim altero die patri renunciari jussit.

XI.

2. *Procerum Persicorum conspiratio.* Ottanes per filiam certior factus, sine auribus esse Regem, rem omnem indicabat Aspatinæ & Gobryæ Persarum Proceribus, & ad fidem sibi servandam accommodatissimis. Qui & ipsi sua sponte rem ita se habere suspicati constituebant, ut singuli sibi singulos in societatem deligerent è Persis, quibus maximè confiderent. Adjungebat ergo sibi Ottanes Intaphernem, Gobryas Megabyzum, Aspatines Hydarnem. Hi cùm sex essent, accedebat etiam Darius Hystaspis filius, qui cognitâ Smerdis Cyri filii nece, deditâ operâ venerat eò, ut Magum de Regno deturbatum trucidaret. Hoc ergo in societatem assumto, memores mandati Cambysis, ex continenti, ne, dato in pœnitentiam spatio, res per quenquam narraretur, occultato sub veste ferro, ad Regiam pergebant.

XII.

3. *Publica Prexaspis confessio.* Præterea etiam ante hanc Magophoniam, Prexaspen amplissimis promissionibus conduxerant Magi, ut, conscensâ prælta turri, convocatis eum in locum Persis, annunciaret, Smerdin Cyri filium Imperii clavum tenere: Quia hoc ipsum non solùm pauci noverant, sed etiam ipse negare, Smerdin à se interfectum, solebat.

At Prexaspes, qui hoc se facturum Magis simulate promiserat, simulac turrim ascendisset, & circumfusam undique Persarum multitudinem videret: Ecce palàm coram omnibus, non obstante splendidâ Magorum promissione enunciat, se Smerdin Cyri filium à Cambyse coactum trucidasse, & Magum esse, qui regnet: ac ne quod periculum propterea subiret, illicò de turri præcipitem sese dedit. Hujus itaque confessione, veluti etiam augurio accipitrum, quorum septem paria insectabantur duo vulturum paria, magis confirmati, obvios quosque, si qui impedire cuperent, trucidant, atque ad Magos fratres penetrant.

II. Τὰ πραχθέντα. h. e. *Magorum interfectio.*

XIII.

Magis autem, quid fieret, animadvertentibus, nec animus in auxilium sui deerat. Siquidem arreptis armis alter Aspatinis fœmur percutiebat; alter verò Intaphernem oculo privabat. Verùm oppressi à pluribus vim sustinere haud poterant. Ideoque unus eorum fugâ salutem quærebat, quem Gobryas statim insequens complectebatur. Darius verò cunctabundus

ctabundus ſtabat, hærenſque metuebat, ne Gobryam pro Mago transfoderet, quia res obſcuro loco gerebatur. Quod animadvertens Gobryas, patriæ liberandæ amore accenſus, per utrumque corpus ferrum adigi jubebat. At Deo dirigente ictum, Gobrya incolumi, Magus interfectus eſt.

III. ΤΑ ΠΑΡΕΠΟΜΕΝΑ, h. e. *Conſequentia.*

XIV.

1. *Magorum decollatio.* Septemviri iſti Magicidæ Magis occiſis capita amputabant; eaque Perſis oſtendentes, rem geſtam exponebant. Qui cognito Magorum dolo, eductis gladiis, ut quemque repperiebant, Magum trucidabant, & niſi noctis interventu cohibiti fuiſſent, neminem Magorum in vivis reliquiſſent. Hac itaque ratione Magis regnum, quod dolo occupaverant, vi rurſus ademtum fuit.

XV.

11. *Feſti Magophoniæ inſtitutio atque annua celebratio.* In hujus autem rei memoriam Perſæ diem iſtum maximè ſolennem obſervabant, & feſtum in eo celebrabant annuum, quod Μαγοφονίαν, h. e. Magorum cædem vocabant. Quo die nulli Magorum fas erat prodire in lucem, ſed cunctiſe intra domum continebant. *Herodot. lib. 3. Juſtin. lib. 1.*

XVI.

111. *Principum de forma Gubernationis deliberatio.* Magis è medio ſublatis, de forma gubernationis deliberatio inſtituitur à Principibus, an videlicet velint retinere Monarchiam; an verò, eâ abolitâ, introducere aliam, vel Democratiam, vel Ariſtocratiam.

XVII.

1. *Ottanes* filius Siſamnis primus ſententiam dixit. *Propoſitio* ejus fuit: *Monarchiam eſſe abroganda'am, & Democratiam conſtituendam*: Quia Monarchia facilè convertatur in Tyrannidem; & Monarchæ magnitudine potentiæ, etiam boni naturâ, reddantur aut deteriores, aut aſperiores. Tales namque, plerumque, peccare, aut ὕβρει, aut φθόνῳ.

NOTA.

[*Ottanes ex affectu ſententiam dixiſſe videtur.* Nam experientiâ edoctus noverat, quomodo Rex Cambyſes patrem ſuum Siſamnem crudelius tractaſſet. Ideoque odio Cambyſis Monarchæ loquutus eſt contra Monarchiam ipſam, & ſic confudit Regem atque Tyrannum: aut conſideravit Regem ut tyrannum, cùm tamen vitium perſonæ à ſtatu ipſo accuratè ſit diſtinguendum: Tyrannus vult eſſe legibus ſolutus: At Rex ſive Princeps bonus fatetur, legibus ſe teneri. Quæ vox eſt *Theodoſii* I. 4. *Codic. de ll.* Conſer orationem Dei dehortatoriam ad Iſraëlitas, Regem importunè poſtulantes, dictam 1 *Sam.* 8. *v.* 10. 11.]

XVIII.

2. *Megabyzus ſecundo loco dixit ſententiam. Propoſiti* ejus fuit: *Non inſtituendam eſſe Democratiam, ſed Ariſtocratiam.* Refutavit vulgi tyrannidem, quam oſtendit multo minùs tolerabilem eſſe tyrannide unius, nimirum, quia vulgus ſit ſine ſapientia, non regatur judicio, ſed feratur veſano impetu, & in præceps ruat, incitatus ab iis, ex quorum nutu pendet, non ſecus ac torrentes incitantur, cùm hybernis nivibus augentur. Suadet ergò, inſtituendam eſſe Ariſtocratiam, h. e. Gubernationem Optimatibus Regni commendandam eſſe. Et concludit hac memorabili γνώμῃ: *Optimorum virorum optima eſſe conſilia.*

[Conſer *Pſal.* 73. *v.* 10. ubi Natura vulgi plenitudine aquarum accumulatâ deſcribitur.]

XIX.

3. *Darius* ultimus ſententiam dixit. *Propoſitio* ejus fuit: *Non introducendam Democratiam aut Ariſtocratiam, ſed retinendam Monarchiam.* Rationes ejus hæ ſunt: 1. Quia Democratia facilè degeneret in Ἀναρχίαν. Jam verò majus malum eſt ἀναρχία, quàm tyrannis; uti *Sophocles* in Antigone inquit. 2. Quia Ariſtocratia facile degeneret in Ὀλιγαρχίαν, quæ eſt paucorum gubernatio, magis ſerviens utilitati privatæ, quàm publicæ. Concludit ergo, rectius eſſe, patrias leges non aboleri, quæ Regium ſtatum confirment, in quo per Cyrum ingentibus beneficiis affecta fuerit univerſa Perſia. Et hæc Darii ſententia à quatuor reliquis Principibus eſt approbatâ, & decretum ut Rex crearetur.

USUS.

AXIOMA I.

Qui novas res vult moliri, illum apprimè audacem eſſe oportet. Audacia namque in tali caſu primum ſibi vendicat locum, h. e. inconſulta temeritas; quæ ſolatur ſe leviſſimo Numine fortunâ, incumbitque arundini.

Huc pertinent veterum emblemata, nempe Virgilii:

Audentes fortuna juvat, timidoſque repellit.

Et Ennii: *Fortibus eſt fortuna viris data.*

Ovidii 2. Faſtorum:

—— *Audentes forſque Deuſque juvat.*

Exem-

Exempla.

1. Talis audacia fuit in SMERDI Mago. (Justinus *Mergidem* appellat.) qui tot Proceribus tam diu imposuit, auribus etiam præcisis mutilus, Persarumque Regno menses præfuit septem.

2. Talis quoque audacia fuit in BORGIA *Cæsare*, qui animum suum emblemate prodebat, quod erat: *I Cæsar, i nullo.*

Quod Poëta ita reddidit:

Borgia Cæsar eram, factis & nomine Cæsar.
Aut nihil, aut aliquid, dixit: utrumque fuit.

AXIOMA II.

Liberalitas & beneficentia Principum erga subditos magnum eis amorem atque favorem conciliat; præsertim, si quando recens imperium capessunt, nova eis non imponant onera, & vetera debita atque tributa illis remittant. Unde etiam Reges נדיבים εὐεργέται, h. e. *Benefici* passim sacro Codice appellantur. *Psal.* 47. *vers.* 9. *Job.* 12. *vers.* 21. *Psal.* 107. *v.* 40. *Luc.* 22. *v.* 25. quod propria ipsorum virtus debeat esse liberalitas. Talis namque εὐεργεσία & liberalitas subditorum animos Regi quam maxime conciliat.

Exempla.

1. CYRUS, Rex Persarum, primus nullum à Persis exegit tributum: Ideo PATER ab eis appellatus fuit: quod omni ratione de subditis bene mereri studeret. Unde *lib.* 2. *apud. Xenoph.* inquit: Quos volumus esse socios, venandi sunt benefaciendo & benedicendo.

II. ALEXANDER MAGNUS, cum quidam eum admoneret, ut majora subditis vectigalia atque onera imponeret, sapienter respondit: Καὶ κηπωρὸν μισῶ, τὸν ἐκ ῥίζων ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα. h. e. Et olitorem odi, qui radicitus olera exscindit.

III. Hoc quoque observavit PSEUDO-SMERDIS ille, de quo jam agimus. Hic enim per totum illud, quo regnavit, tempus, omne genus liberalitatis munificentiæque in subditos exercuit. Quoniam missis ad singulas, quibus imperabat, nationes, edictis, immunitatem tributorum, atque onerum militiæ vacationem in triennium tribuit. Quo facto omnium subditorum amorem atque favorem mirifice sibi, solis Persis exceptis, conciliavit. *Herodotus lib.* 3.

Pulchra vide *in Histor. Nabuchd.* §. 25. & *in Histor. Cyri* §. 28.

AXIOMA III.

Feminæ sunt lene tormentum.

Sapientes docent, vinum esse tormentum lene; uti patet ex *Horatio*, qui *Od.* 21. *lib.* 3. vini amphoram ita alloquitur.

Tu lene tormentum *ingenio admoves*
Plerumque duro: tu sapientium
Curas, & arcanum jocoso
Consilium retegis Lyæo.

Et hoc tormento uti, ait idem, (in Arte ad Pisones) Reges:

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus.

Hinc Critici Liberum Patrem ex eo *Liberum* dictum voluere, quod bibentes liberi oris faciat. Et *ebrietas* (notante *Pausania* in Corinthiacis) olim γέγραπται ἐξ ὑαλίνης φιάλης πίνουσα, h. e. picta est ex poculo vitreo bibens; quod ut vitrum, sic & animi ebriorum perspicui esse videantur.

Eadem quoque in feminas quadrant, quæ & ipsæ blandis extorquent verbis, quicquid imo latet in pectore. Unde non minus ab hisce quam à vino cavendum, neque illis secreta revelanda. Et hac de causa *Micheas Propheta cap.* 7. *v.* 5. graviter monet, quando inquit: *Ab ea, quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui.* Et pulcherrimi sunt versus *Antiphanis ap. Stobæum Serm.* 14.

Τί φῄς; λαθεῖν ζητῶν τι, πρὸς γυναῖκα
Ἐρεῖς τὸ πρᾶγμα; καὶ τί τοῦτο διαφέρει,
Ἢ πεῖσι τοῖς κήρυξιν ἐν ἀγορᾷ φράσαι;

Hoc est,

Quid ais? latere cum velis negotium,
Quid feminæ narras? Quid istuc interest,
Quam si omnibus in foro dicas præconibus?

Exempla.

1. Si hoc observasset SIMSON, & ab ea, quæ dormiebat in sinu suo, claustra oris sui custodivisset, secreta Delilæ non reserando; in tantas non fuisset redactus angustias, ut & libertatem, neque oculos & vitam misere amisisset: uti ex *Judic.* 16. *v.* 16, 20. patet.

2. Si hoc observasset FULVIUS, garrulitate conjugis suæ ad desperationem adactus, mortem sibi ipsi non conscivisset. *Plutarch. de Garrulit. fol.* 337.

3. M. CATO quamvis meliori fortuna usus, se tamen per omnem vitam trium maxime pœnitere dixit: *Unum*, quod mulieri arcanum credidisset: *Alterum*, quod navigasset, quo ire poterat pedibus: *Tertium*, quod unum diem mansisset intestatus.

4. PSEUDO-SMERDIS *Magus*, ſi feminis abſtinere potuiſſet, rectius rebus ſuis conſulturus utique fuiſſet. Hæc namque res mortem ei acceleravit.

PARÆNESIS.

Quare viri, in publico verſantes officio, à leni hoc tormento, h. e. à blanditiis femineis fibricaveant, niſi ad eundem periclitari modum velint. Nam femina id tantum tacere poteſt, quod neſcit; ſicut pulcrè ait *Porcius Latro* apud *Senecam*. Rectè hoc ipſum obſervavit *Papyrius*, quod ea, quæ in Senatu conſultabantur, matri quærenti aperire noluerit. Ideoque puer etiamnum prætexta à Senatu Romano donatus eſt. *Macrob. lib.* 1. *Saturnal. c.* 6. *Gell. lib.* 1. *c.* 23.

AXIOMA IV.

Nullum ſimulatum eſt diuturnum. Quia quod ſimulatum eſt, perpetuo latere non poteſt; aliquando erumpat oportet; quod ubi factum fuerit, ſemel & ſimul evaneſcet omnis ille magnificus gloriæ fumus, atque etiam in fabulam vertetur.

Ubi notandum, quod *ſimulatio* ſit duplex. 1. *Animorum.* 2. *Corporum, vel Perſonarum.*

1. De ſimulatione animorum.

Pulchrè *Petronius Arbiter Saty.* p. 32. in amicos fucatos & perfidos luſit hoc epigrammate:

Nomen amicitiæ, ſi, quatenus expedit, hæret,
Calculus in tabula mobile ducit opus.
Cum fortuna manet, vultum ſervatis, amici:
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.
Rex agit in ſcena mimum: Pater ille vocetur;
Filius hic; nomen divitis ille tenet:
Mox ubi ridendas incluſit pagina partes,
Vera redit facies, diſſimulata perit.

Exempla.

1. *Tiberius Imp.* ſecus ac cæteri hominum, quicquid expetebat, id ſe odiſſe ſimulabat; & quicquid oderat, expetere præ ſe ferebat: omnia agebat in adverſum, pectore & lingua uſquequaque diſſentientibus: atque ut *Tacitus* refert; Nullam, ut rebatur, ex virtutibus ſuis magis, quam diſſimulationem diligebat. *Tacit. lib.* 4. *Annal.*

2. *Nathan Chytræus* in Faſtis, menſe Junio, *Juliani Imp. Apoſtatæ* ſimulationem hypocriticam taxat hiſce verſibus:

——— Nulla diu ſimulatio durat.
Agnina ſub pelle latens vulpecula tandem
Proditur indiciis propriis.

II. De ſimulatione corporum, ſive Perſonarum.

Sæpe inventi ſunt homines, qui per dolum, Principum aliarumque perſonarum illuſtrium nomen uſurparunt, proque iis ſe venditarunt: ſed tandem ſucceſſu infelici.

EXEMPLA.

Exempla de tali ſimulatione perſonarumque ſuppoſitione occurrunt varia, quæ ordinis ergo ad quatuor referri Monarchias poſſunt.

I. *Exemplum primæ Monarchiæ.*

SEMIRAMIS, Monarcha IV, non cum laude, ſed cum fraude, non candide, ſed callide ad Regnum pervenit. Nam refert *Juſtinus lib.* 1, eam ſexum mentitam virilem, pro Nini filio ſeſe venditaſſe, atque ita puerum creditam ſucceſſionis titulo imperium ſuſcepiſſe.

II. *Exemplum ſecundæ Monarchiæ.*

Poſtquam Cambyſes Cyri filius, Rex Perſarum, fratrem ſuum *Smerdin* (quem alii *Mergidem* vocant) interfici juſſiſſet, veritus ne ſibi ſuccederet, & Cambyſe etiam divino judicio mortuo, Magus quidam nomine *Patazithes fratrem ſuum*, & nomine & corporis ſimilitudine fere per omnia ſimilem Smerdi necato, pro Smerde Cyri filio & Cambyſis fratre ſubjicit; iſque receptus tanquam verus Smerdis, regno potitus eſt, & Rex à populo ſalutatus. Verum ſeptimo (octavo) menſe poſtea quiſnam eſſet, detectus, obtruncatus eſt. *Herodot. lib.* 3. *Juſtinus Gregor. Tholoſan. lib.* 7. *de Republ. cap.* 18. *cap.* 498.

III. *Exemplum tertiæ Monarchiæ.*

Scribit *Juſtinus lib.* 35, in odium *Demetrii Soteris* dicti, qui uſurpaverat regnum, *Antiochenſes*, qui primi defecerant, adjuvantibus & Ptolemæo Rege Ægypti, & Attalo Rege Aſiæ, & Ariarethe Rege Cappadociæ, bello à Demetrio laceſſitis, ſubornaſſe *Prompalum* quendam, ſortis extremæ juvenem, qui regnum velut paternum armis repeteret; & ne quid contumeliæ deeſſet, nomen ei Alexandri indidiſſe, & genitum ab Antiocho rege dictum. Et Alexandrum admirabili varietate rerum, priſtinarum ſordium oblitum, totius ferme Orientis viribus ſuccinctum, bellum Demetrio intuliſſe, viciſſe, & regno ſpoliaſſe & vita. Verum paulo poſt, cum Alexander inter greges ſcortorum

per

per defidiam & luxuriam abuteretur poteſtate, oblitus ſuæ fortunæ, cum in regia, auxiliantibus Cretenſibus, ſecurum ſe vivere putaret, à Demetrii filio pubere facto, nomine quoque Demetrio, adjuvantibus rurſum Antiochenſibus, prælio invaditur, & non minori impetu fortunæ deſertus, quàm elatus, interfectus eſt, & victus prælio: ſicque pœnas dedit Demetrio, quem occiderat, & Antiocho, cujus mentitus erat originem. *Tholoſanus 7. de Repub. cap.* 18. *pag.* 499.

IV. *Exempla quarta Monarchiæ.*

I. Tempore Augusti Imperatoris exſtitit quidam *Pſeudo-Alexander*; de quo *Joſephus lib.* 17. *Antiquit. Judaic. cap.* 14. & *lib.* 2. *de Bello Judaico cap.* 5. talem Hiſtoriam recitat: Quidam juvenis, natione Judæus, apud quendam libertinum Romanorum in Sidoniorum oppido educatus, illum ſe formæ ſimilitudine, quem Herodes necaverat, Alexandrum eſſe mentitus, fallendi ſpe Romam venit. Hujus autem facinoris habebat ſocium quendam gentilem ſuum, omnes regni actus optime ſcientem: à quo inſtructus affirmabat, eorum ſe miſericordia, qui ſui atque Ariſtobuli occidendi cauſa miſſi fuerant, ſimilibus corporibus ſubditis, morti eſſe ſubreptos. Denique his multos jam Judæos fefellerat in Creta degentes: ac liberaliter illic acceptus, Melumque inde tranſmiſſus, ibique ampliore quæſtu cumulatus, etiam hoſpites ſuos magna veriſimilitudine Romam ſecum navigare pellexerat: poſtremo delatus Dicæarchiam, multiſque muneribus à Judæis ejus loci donatus, quaſi rex à paternis amicis deducebatur. Ad hoc enim fidei proceſſerat formæ ſimilitudo, ut qui Alexandrum illum viderant, planeque noverant, hunc eum eſſe jurarent. Igitur etiam omnes Romæ Judæi, viſendi ejus ſtudio circumfuſi properabant; & infinita multitudo per vicorum anguſtias, quocunque ferebatur, conveniebant. Tanta namque multos dementia ceperat, ut illum ſella portarent, ac regale obſequium propriis ei ſumtibus exhiberent. Sed Cæſar Alexandri vultum optime ſciens, (accuſatus enim apud eum fuerat ab Herode) etſi prius quam videret hominem, fallaciam ſimilitudinis adverterat, hilariori tamen animi ſpei nonnihil indulgendum putavit: & Celadum quendam, qui Alexandrum bene cognoſceret, miſit, ut ad ſe adoleſcentem deduceret. Qui illo conſpecto, ſtatim perſonæ differentiam conjectura deprehendit. Maxime vero, ubi corporis ejus duritiem, & ſervilem formam conſideravit, intellexit omne commentum. Valde autem commotus eſt dictorum ejus audacia. De Ariſtobulo enim percontantibus, ſalvum quidem illum eſſe commemorabat: conſulto vero non adeſſe, quia apud Cyprum degeret cavendo inſidias: minus enim ſe circumveniri poſſe diſjunctos. Itaque ab aliis ei ſeparato vitam dixit à Cæſare præmium fore: ſi tantæ fraudis prodidiſſet autorem. Id autem ſe facturum ille pollicitus, ad Cæſarem ſequitur: & Judæum indicat, qui formæ ſuæ ſimilitudine abuſus eſſet ad quæſtum. Tanta enim dona ex civitatibus eum ſingulis abſtuliſſe docuit; quanta vivus Alexander non accepiſſet. Riſit his Cæſar: & falſum quidem Alexandrum propter habitudinem corporis, remigum numero inſeruit, ſuaſorem vero ejus interfici juſſit. Melus autem ſumtuum detrimentum pro amentiæ pretio ſatis eſſe judicavit.

II. *Suetonius* ſcribit, ſe adoleſcentem poſt 20 annos (à morte Neronis) *ſervum* vidiſſe, quem *Tacitus lib.* 18. *pag.* 587. ex Ponto fuiſſe ſcribit, cythara & cantu peritum, oris lineamentis Neroni ſimillimum, qui ſe *Neronem* eſſe jactabat. Is à Parthis acceptus, ſed à Calphurnio Aſprenate poſtea occiſus. *Cuſpinianus in vita Neronis pag.* 26. *Suetonii* verba, quibus concludit Neronis vitam, ſunt hæc: Cum poſt 20 annos adoleſcente me, exſtitiſſet conditionis incertæ, qui ſe Neronem eſſe jactaret, tam favorabile nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus & vix redditus ſit, tandem tamen ab Othone ſupplicio affectus; uti refert Xiphilinus ex Dione in Othone.

III. Imperante Vitellio, alter quaſi *Urbius*, (de quo *Ovid. lib.* 15. *Metamorph.*) exſtitit in Illyrico ſervus nomine Geta, qui ſe Scribonianum Camerinum finxit, Servatorem Romanum, quem Nero occiderat.

IV. Anno 1547, non longe ab Hercynia ſylva inventus eſt, in quadam ruinoſa & deſerta arce, vir corpore inculto atque horrido, qui affirmavit, ſe eſſe Imperatorem Fridericum II, dixitque ſe reformaturum Imperii ſtatum. *Sabin. lib.* 15. *Metamorph. Ovid.*

V. Anno 1601. inſignis quidam impoſtor, cum ſeſe Sebastianum *Portugalliæ Regem* eſſe dicebat, ac anno 1578 à copiis Abdelmeleci Regis Feſſani in Aphrica die 4 Auguſt. fuſus fuerat; ad triremes condemnatus eſt. Tanto autem artificio *Sebaſtianum* fingebat, ut multi Portugallenſes eum ipſum eſſe crederent. *Bucholtz. in Chronolog. pag.* 765.

DARIUS HYSTASPIS,
MONARCHA III.

CAPUT I.
DE ORTV.

I.

1. APPELLATIO. *Primo*: DARIUS dictus fuit tertius Monarcha Perſarum. Ebr. דריוש victor ſeu dominator abundans. Ein reicher Herr/oder Sieges-Furſt. *Ubi notandum, quod quatuor in Monarchia* II *vixerint Reges hoc nomine inſigniti. Primus* fuit DARIUS MEDUS, qui à Beroſo & Ptolemæo in Canone *Nabonnedus Medus*, à Metaſthene *Nabonidochus* appellatur, filius Aſtyagis Medorum Regis, qui impio Belſazari Babyloniorum Regi ſucceſſit, idem primus Monarchiæ II Monarcha factus in Dynaſtia Medorum. *Daniel.* 5. *v.* 31. *&* 9. *v.* 1. *Secundus* fuit DARIUS HYSTASPIS, III Rex Perſarum; de quo jam agimus. *Tertius* fuit DARIUS NOTHUS, VI Rex Perſarum. *Quartus* fuit DARIUS CODOMANNUS, X & ultimus Rex Perſarum, qui ab Alexandro M. in prælio victus & vitam & regnum amiſit, *Diodor. Sicul. lib.* 17.

II.

Deinde dictus fuit ACHASCHVERUS, vel, ut alii efferunt, *Ahaſverus*, vel *Aſverus*. Ebraicè אחשורוש. Hoc fuit commune nomen, quo Ebræi exteros magnoſque Principes nominare ſolebant, præſertim vero præpotentes Medorum & Perſarum Reges, qui per excellentiam *Achaſveri* dicebantur, ab אח *Achaſch* Princeps, & ראש *Roſch*, caput, q. d. magnum caput, vel magnus Princeps. *Ubi ſingulari obſervatione dignum eſt, quod tres in Codice ſacro reperiantur Reges, qui Achaſveri dicuntur. Primus* eſt *Aſtyages*, Rex Medorum, pater Darii Medi. *Daniel.* 9. *verſ.* 1. *Alter* eſt *Cambyſes*, ſecundus Rex Perſarum, Cyri filius, qui ædificationem templi prohibuit. *Eſdr. cap.* 4. *v.* 6. *Tertius* eſt *Darius Hyſtaſpis*, maritus Atoſſæ. Alias dicitur ARTAXERXES, vel ARTHASASTA. Quod uſitatum & commune omnibus Regibus Perſicis nomen fuit.

III.

II. GENERATIO. Darius natione Perſa fuit, filius Hyſtaſpidis Perſarum Præfecti, à Cyro genere paterno oriundi. *Herodot. l.* 7. *Juſtin. lib.* 1. Primos ætatis annos non in otio, ſed in negotio tranſegit. Nam ſtrenue militavit in caſtris tum Martis, tum Artis. Unde non tantum in deſertum Oratorem evaſit, ſed & dignus habitus eſt, quo Cyrus pro pharetrophoro uteretur. Imo id conſequutus eſt, ut egregii parentis filius haud deterior vocaretur. *Herodotus lib.* 3.

AXIOMA POLITICUM.

Multi homines ex gradu infimo aſcendunt in gradum ſupremum, & perveniunt ex ſtatu miſeria in ſtatum gloriæ. Vel (uti *Ælianus de var. hiſtor. lib.* 12. loquitur.) *Multi ex obſcuris clari nobileſque evaſerunt.*

Exempla.

I. *In prima Monarchia.* 1. SEMIRAMIS, quæ tanti nominis Regina fuit, ut virtutibus heroicis rebuſque geſtis omnes Reges Aſſyriorum anteiret, expoſita fuit infans, (uti *Diodor. Sicul.* ſcribit.) & ab avibus educata, quæ alis eam foventes enutrierunt lacte coagulato, è proximis paſtorum mappalibus rapto. Paſtores tandem repertam Præſidi Regio donarunt: qui liberis carens, filiæ loco eam ſuſcepit, & ab avibus altricibus, lingua Aſſyriorum, Semiramidem appellavit, & poſtea eam in uxorem duxit: cui Ninus eam eripuit, & matrimonio ſibi junxit. Nino autem mortuo, illa ſexum mentita virilem, pro Ninya filio ſe venditavit, atque ita vir credita ſucceſſione imperium ſuſcepit. *Juſtinus lib.* 1. 11. PHUL-BELOCHUS & ARBACES præfecti fuerunt Sardanapali, effeminati illius Aſſyriorum Regis, ſed eo devicto ad Regium ſolium pervenerunt.

II. *In ſecunda Monarchia.* 1 CYRUS *primus Rex Perſarum*, natus è filia Aſtyagis, à crudeliſſimo avo exponitur; à Deo autem mirabiliter ſervatur, & ad Regni Chaldaici & Babylonici faſtigium provehitur: uti ſcribit *Herodotus lib.* 1. 2. *Darius Hyſtaſpis* Cyri pharetrophorus exſtitit, & mirabili modo ad Regnum pervenit. 3. *Darius Codomannus* ultimus Rex Perſarum, qui ab Alexandro M. prælio ſuperatus, ſerva natus fuit.

III. *In tertia Monarchia.* 1. Defuncto Alexandro M. *quatuor* ejus *Duces* Monarchiam Alexandri inter ſe diviſerunt. *Antipater* factus eſt Rex Macedoniæ, *Antigonus* Aſiæ, *Seleucus Nicanor* Syriæ, & *Ptolemæus Lagi* Rex Ægypti. 11. Sub Alexandro M. memorabilis contigit hiſtoria de *Abdolonymo*, quam *Curtius lib.* 4. deſcribit: nos eam dignam judicamus, quæ hic adſcribatur. Cum Alexander M. ad Sidona veniſſet, urbem vetuſtate famaque conditorum inclytam: & in ea regnaret *Strato*, Darii opibus adjutus: ſed quia deditionem magis popularium ſuaſu, quam ſua ſponte fecerat,

rat, regno viſus indignus: Hephæſtioni permiſſum eſt, ut quem eo faſtigio dignisſimum arbitraretur, Sidonis conſtitueret Regem. Erant Hephæſtioni hoſpites clari inter ſuos juvenes, qui, facta ipſis poteſtate regnandi, negaverunt quenquam patrio more in id faſtigium recipi, niſi Regiâ ſtirpe ortum. Admiratus Hephæſtion magnitudinem animi, ſpernentis, quod alii per ignes ferrumque peterent: Vos quidem macti virtute, inquit, eſtote, qui primi intellexiſtis, quanto majus eſſet, regnum faſtidire, quàm accipere. Cæterùm date aliquem Regiæ ſtirpis, qui meminerit, à vobis acceptum habere ſe regnum. Atque illi, quum multos imminere tantæ ſpei cernerent, ſingulis amicorum Alexandri ob nimiam Regni cupiditatem adulantes, ſtatuunt, neminem eſſe potiorem, quàm Abdolonymum quendam, longâ quidem cognatione ſtirpi Regiæ annexum, ſed ob inopiam ſuburbanum hortum exiguâ colentem ſtipe. CAUSA EI PAUPERTATIS, SICUT PLERISQUE, PROBITAS ERAT, intentuſque operi diurno, ſtrepitum armorum, qui totam Aſiam concuſſerat, non exaudiebat. Subitò deinde, de quibus antè dictum eſt, cum Regiæ veſtis inſignibus, hortum intrant, quem forte, ſteriles herbas eligens, Abdolonymus repurgabat. Tunc Rege eo ſalutato, alter ex his; *Habitus*, inquit, *hic, quem cernis in meis manibus, cum iſto ſqualore permutandus tibi eſt: ablue corpus, illuvie aterniſque ſordibus ſqualidum: cape Regis animum, & in eam fortunam, quâ dignus es, iſtam continentiam perfer*: Et *quum in Regali ſolio reſidebis, vitæ neciſque omnium Civium dominus, cave oblivi ſcaris hujus ſtatus, in quo accipis regnum: imò hercule propter quem.* Somno ſimilis res Abdolonymo videbatur; Interdum, ſatiſne ſani eſſent, qui tam protervè ſibi illuderent, percunctabatur. Sed ut cunctanti ſqualor ablutus eſt, & injecta veſtis purpura, auroque diſtincta, & fides à jurantibus facta: ſerò jam Rex, iiſdem comitantibus, in regiam pervenit. Fama, ut ſolet, ſtrenuè totâ urbe diſcurrit; aliorum ſtudium, aliorum indignatio eminebat. Ditiſſimus quiſque humilitatem inopiamque ejus apud amicos Alexandri criminabatur: admitti eum Rex protinus juſſit, diuque contemplatus; *Corpus*, inquit, *habitus fama generis non repugnat; ſed libet ſcire, inopiam quâ patientiâ tuleris. Tum ille, Utinam*, inquit, *eodem animo regnum pati poſſim.* HÆ MANUS SUFFECERE DESIDERIO MEO: NIHIL HABENTI NIHIL DEFUIT. Magnæ indolis ſpecimen ex hoc ſermone Abdolonymi cepit Alexander. Itaque non Stratonis modo regiam ſupellectilem attribui ei juſſit, ſed pleraque etiam ex Perſica præda; Regionem quoque urbi appoſitam ditioni ejus adjecit. *Hucuſque Curtius.*

IV. *In quarta Monarchia* I. *Aurelianus Imperator* fuit filius hominis obſcuri in Pannonia; videlicet, *editui*: & tamen favore Dei evectus eſt ad faſtigium Romani Imperii. II. PUPIENI MAXIMI, quem ſenatus publico conſenſu in Auguſtum evexit, pater fuit faber ferrarius. III. MAXIMINI AUGUSTI patria vicus fuit Thraciæ planè ignobilis, pater Gothus, mater Alana, quorum nomina vix etiam fuêre memoriæ prodita. Vide *Johan. Jovian. Pontanum lib.* 1. *de Fortuna, pag.* 267.

Similiter *in ſacris literis* pulchra occurrunt exempla Principum atque Regum, qui ex ſorte & ſtatu infimo in ſtatum ſublimem à Deo evecti ſunt. 1. JOSEPHUS *Patriarcha* ex infimo miſeriæ gradu ad ſummum honoris faſtigium conſcendit. Nam cùm ipſe 17 annorum adoleſcens eſſet, à fratribus ſuis Iſmaëlitis venditus eſt, à quibus in Ægyptum abductus & 20 argenteis venditus eſt Potiphari, aulæ Magiſtro Regis Pharaonis. *Gen.* 37. 2, 25, 37. Poſtea verò à Domino ſuo innocens in carcerem ſqualidum eſt conjectus. *Geneſ.* 39. 20. At ex carcere illo ſqualido (in quo per triennium ferè miſere detentus fuit) ad ſummum honoris faſtigium evectus, *Abrech*, hoc eſt, Dominus terræ factus eſt. *Gen.* 41. 43. Joſephus 13 annos in ſervitute ac carcere conſumſit, antequam ad honores evectus eſt. Nam venditus eſt anno ætatis 17. *Gen.* 37. 2. Evectus eſt ad honores anno ætatis 30. *Gen.* 41. 46. Unde 13 annos fuit humilis, antequam factus eſt ſublimis.

2. SAMGAR ex bubulco Dux populi factus eſt. *Judic.* 3. 31.

3. GEDEON pauper fuit, & ex torculari ad principatum vocatus eſt ab Angelo Jehovæ, von der Tennen oder Dreſch-ſcheuren. *Judic.* 6. 11. Unde ipſemet ad Angelum inquit, *v.* 15. O Domine mi: in quo ſalvum faciam Iſraëlem? Ecce pater meus pauper eſt in Manaſſeh: Et ego *minimus* in domo patris mei.

4. SAUL filius Kis, primus Rex Iſraël, minimus è tribu Benjamin, aſinas patris ſui quærens ampliſſimum Regnum invenit. 1 *Sam.* 9. 3, 21. 1 *Sam.* 10. 1. *Nazianzenus* elegantiſſimè ait; in *Orat. funeb. in Baſil.* Saul aſinas paternas inveſtigans, regno potitus, acceſſorium ipſo inſtituto negotio majus nactus.

5. DAVID, filius Jeſſe natu minimus, ex paſtore ovium & cantore Rex factus eſt. Davidi pro pedo & plectro corona & ſceptrum offertur ab eo, qui de pulvere erigit pauperem, & collocat eum

cum

cum principibus populi ſui, ut idem canit *Pſalm.* 113. 6, 7.

Ille ego qui quondam caula, poſt arbiter aula:
Proque pedo vili regia ſceptra gero.

Unde ipſe David ait *Pſalm.* 4. 4. Deus mirabiliter ducit ſanctum ſuum.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

IV.

IN *progreſſu* tria ſunt notanda. 1. *Acta Politica.* 2. *Acta OEconomica.* 3. *Acta Eccleſiaſtica.*

V.

1. ACTA POLITICA.

Acta Politica Darii Hyſtaſpis ſunt duplicia. 1. *Togata.* 2. *Bellica.*

VI.

ACTA TOGATA.

Acta Togata concernunt. 1. *Monarchiæ occupationem.* 2. *Monarchiæ gubernationem.*

VII.

1. MONARCHIÆ OCCUPATIO. Darius Hyſtaſpis mirabili modo & ratione ad Regnum pervenit, nempe per hinnitum equi, anno M. 3450. Ante C. N. 521. Circa hanc autem Regni occupationem tria ſunt notanda. 1. Τὰ προηγούμενα. 2. Τὰ πραχθέντα. 3. Τὰ παρεπόμενα.

VIII.

I. ΤΑ᾽ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

Τὰ προηγούμενα vel *Antecedentia* ſunt duplicia. 1. *Remota.* 2. *Propinqua.*

1. *Antecedens remotum* fuit *ſomnium Cyri de Dario Hyſtaſpis.* Cyrus namque in expeditione contra Maſſagetas occupatus, in ſomno ſibi videre viſus eſt maximum natu filiorum Hyſtaſpis ex Agamenidum familia, habentem in humeris *alas*, quarum altera Aſiam, altera Europam obumbraret. Ideoque Hyſtaſpem de hac viſione monitum, redire in Perſiam juſſerat, & filium, quem Regno ſuo inſidiari metuebat, cuſtodiæ mandari, ut ad cauſam dicendam ex bello revertenti ſiſteretur. Erravit autem Cyrus de inſidiis Darii, qui tum adoleſcens annum ætatis 20 agens, nihil tale cogitabat, ſed quod Regnum ad eum perventurum eſſet, hoc præſagio adumbratum fuit; ſicut eventus comprobavit.

11. *Antecedens propinquum* fuit *ſeptemvirorum Magicidarum deliberatio.* Hi poſt Regnum recuperatum de optima Gubernationis forma poſthac in Regno Perſarum inſtituenda deliberarunt. *Otanes* pugnavit pro Democratia. *Megabyzus* pro Ariſtocratia, & denique *Darius Hyſtaſpis* pro Monarchia. Quæ poſtrema, Darii nempe ſententia, à quatuor reliquis Principibus approbata eſt. Decretum itaque fuit, ut Rex, & quidem ex conjuratis, aliquis crearetur. Quia verò virtute & nobilitate ita pares erant, ut difficilem ex his electionem faceret æqualitas, placuit divino judicio arbitrioque rem committere. Pacti inter ſe ſunt, ut conſtituto die omnes ante Regiam primo mane equos ſuos deducerent; & cujus equus ante ſolis ortum primus hinnitum edidiſſet, is Rex eſſet. Nam & *ſolem* unum Deum eſſe Perſæ credebant, & *equos* eidem Deo conſecratos colebant.

IX.

II. ΤΑ᾽ ΠΡΑΧΘΈΝΤΑ.

Cecidit autem *ſors ſuper Darium Hyſtaſpis filium*, auxilio vel arte *OEbaris* ſui equiſonis, qui ante conſtitutam diem noctu unam equarum, quam equus Darii maximè adamabat, in locum deſignatum adduxit, ibique alligavit; tùm equum Darii eò adductum, equæ admovebat & admittebat, ratus ex voluptate veneris & deſiderio equæ futurum, quod evenit. Poſtero die, ubi dies illuxit, ex pacto omnes Principes adfuerunt, equis inſidentes. Et cùm ad locum pervenirent, ubi equa ſuperiore nocte fuerat alligata, ibi Darii equus, cognito loco, ex deſiderio feminæ hinnitum ſtatim edidit. Acceſſit etiam ſignum cœleſte. Nam protinus fulgur ſereno cœlo emicuit, & tonitru auditum fuit. Quo Darii electio è cœlo confirmata eſt.

X.

III. ΤΑ᾽ ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ.

Principes autem reliqui, hinnitum equi & tonitru cœleſte audientes, fulgurque videntes, illud velut divinum auſpicium agnoverunt, ſtatimque ex equis deſilientes Darium ut Regem adorarunt. Populus quoque univerſus judicium Principum ſequutus, eundem ut Regem ſuum coluit. Nam mos Perſarum fuit, ut Reges ſuos adorarent. Quem adorandi cultum Cyro, primo Perſarum Regi, primùm delatum ſcribit *Arrianus*, proximum Diis immortalibus honorem decretum. Addit *Juſtinus lib.* 1. quòd Darius in principio Regni ſui filiam Cyri Regis, regalibus nuptiis regnum firmaturus, in matrimo-

trimonium receperit, ut non tam in extraneum translatum, quàm in familiam Cyri reversum videretur.

USUS.

AXIOMA I.

Modus Regna acquirendi est duplex: Ordinarius, & Extraordinarius.

MODUS ORDINARIUS est, quando per media consueta atque solennia Rex constituitur. Quod fit vel *per successionem*, quâ Rex Antecessori suo quasi hæreditario jure succedit; ut Salomoni successit filius Roboam. 1 *Reg. c.* 11. *v.* 43. Roboamo successit filius Abiam in Regno Juda. 1 *Reg.* 14. *v.* 31. Abiæ successit Asa. 1 *Reg.* 15. *v.* 8. Asæ successit Josaphat. *v.* 14. *&c. Vel per electionem*; ut quando Rex aliquis eligitur per vota vel suffragia. Quæ sunt vel planè libera in quamcunque personam: vel sunt ad certum quendam ordinem, ac certas quasdam personas legibus restricta. Sic *Deut. c.* 17. *v.* 15. Deus ipse electionem Regis certa quadam lege sancita ad populum Israëliticum determinat. *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* Sic in aurea Bulla *Carolus IV. Imperator* Romanus sancivit, ne ad Imperii Romani fastigium alius evehatur, quàm is, qui se ex Germano sanguine satum docere possit. Quam constitutionem urget Elector Moguntinus apud *Sleidanum lib.* 1. in historia anni 1519.

MODUS EXTRAORDINARIUS est, quando regnum acquiritur *per sortem*, aliudve *medium fortuitum*, aut *rarum*. Idque vel *per hinnitum equorum*, quomodo *Darius Hystaspis* Rex Persarum tertius electus est; uti describit *Herodotus* in Thalia. vel *per cursum*; quomodo electus fuit *Gordius Rex Phrygiæ*, qui ad Jovis templum se conferens, à Phrygibus ex Oraculi responso in Regem electus est: ut refert *Justinus lib.* 11. vel *per cursum equorum*; quomodo electus fuit *Lescus*, Princeps Poloniæ: ut scribit *Herbott. in Chron. Polon. lib.* 1. *c.* 8. vel *per primam solis contemplationem*; quâ ratione *Tyriorum Servi* Regem constituerunt; sicut *Justinus lib.* 18. describit. Vide *Systema meum Polit. lib.* 3. *sect.* 5. *p.* 308. Multi quoque *per astum* atque *jocum* pervenerunt ad Regnum. Exempla habemus in Pseudo-Smerdi. Item in *Semiramide*, in *Lesco*, in *Regilliano*, *&c.* Quæ vide in Historia Semiramidis §. 12. *p.* 36.

AXIOMA II.

Persæ Reges suos maximo affecerunt honore. Hinc Regibus Persicis, ut divina quædam Majestas iis inesse vulgò crederetur, singulari cum pompa & solennitate, Ignis sacer, argenteis altaribus comitantibus, atque accinentibus carmen patrium Magis, præferebatur; eosque adorabant. In quam sententiam apud *Plutarch. Artabanus* ad Themistoclem eleganter disserit, hanc adorationis ceremoniam inde confirmatam, quod Dei omnia conservantis effigies Rex haberetur. Verba ejus hæc sunt; Ἡ μὲν δὲ πολλῶν νόμων, καὶ καλῶν ὄντων κάλλιστος οὗτός ἐστι, τιμᾶν βασιλέα, καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα θεοῦ πάντα σώζοντος. h. e. Nobis (Persis) ex legibus multis & honestis, honestissima illa est, honorare (adorare) Regem, & venerari *imaginem Dei* omnia conservantis. Hoc observabant sex illi Persarum Principes, qui cùm audirent & viderent hinnitum equi Darii, tonitruque atque fulgur cœlo sereno exsistere, è vestistigio ex equis desilientes eum ut Regem adorarunt. Plura vide *in Proleg. c.* 7 §. 32.

AXIOMA III.

In tota vita humana modestiæ summa ratio est habenda; inprimis autem viris in magna authoritate constitutis. Quia quanto superiores sumus, tanto submissius nos geramus, uti *Cicero* eloquentiæ Romanæ parens in Officiis docet. Et hac humilitate, cum gratitudine conjunctâ, Deus summus ille mundi judex ad majora beneficia conferenda provocatur. Unde modestiæ fama, nec à summis mortalium aspernenda est. *Tacitus.* Est enim omnis virtutis promtuarium. *Menand.* Princeps enim quilibet non minùs *hominem se*, quàm hominibus præesse cogitabit, seque ab illa lege & conditione, omnibus indictâ mortalibus, non esse exemtum. agnovit hoc ipsum *Cyrus* primus Rex Persarum, cùm Crœso Regi Lydorum captivo ad se ducto, & his verbis eum alloquenti: SALVE DOMINE. (Hunc enim titulum tibi ut tribuam, fortuna concessit) responderet: *Salve & Tu.* VTERQUE ENIM HOMINES SUMUS. *Justinus.* agnovit hoc *Philippus Rex Macedoniæ*, qui puero cuidam in mandatis dedit: ut singulis diebus sibi acclamaret: Φίλιππε, μέμνησο ἄνθρωπόν σε εἶναι. *O Philippe, momento te hominem esse.* Ita *Darius Hystaspis* Rex Persarum, postquam per hinnitum equi ad regiam dignitatem pervenisset, ut perpetuam hujus rei memoriam circumferret, annulum in digito gestavit, qui in sigillo sculptum habuit equum, δι' ὃν χρηματίσαντα ἐβασίλευσεν, h. e. per quem hinnitum edentem Rex factus fuit; uti notat Thucydidis Scholiastes. Vide *Dn. Johan. Kirchman.* in elegantissimo libello *de Annul. c.* 13. *p.* 105. Memorabile quoque modestiæ exemplum habemus in *Willigiso*, *Ottonis III. Imperatoris Præceptore.* Hic ordi-

ordinis Septemviralis inſtituendi author fuit anno Chriſti 997. Et ipſe quidem primus fuiſſe perhibetur ex Diœceſi Moguntina Septemvir. Verùm ut ſuæ conditionis (quia natus erat patre rhedario, ex pago Saxoniæ Schöningen) memor eſſet, ROTAM, multis in locis depictam, ſibi velut imaginem *humilitatis atque modeſtiæ* probandæ propoſuit, cum hac inſcriptione: *Willigiſe, Willigiſe recole, unde veneris; & prioris fortunæ tuæ memor, quis nunc ſis, conſidera.* Unde etiamnum Archiepiſcopatûs inſigne, ROTA, perduravit. *Bruſchius* de Epiſcopatibus. *Dreſſer. P. II. Millen. VI.*

Quare audiant Principes monitum *Cabaris* ad Beſſum apud *Curtium lib. 7. c. 4. Magnum onus ſuſtines capite Regium inſigne. Hoc aut moderatè perferendum eſt, aut, quod abominor, in te ruet.*

XI.

II. MONARCHIÆ GUBERNATIO. Circa hanc notanda ſunt *Acta* duplicia. 1. *Togata.* 2. *Bellica.* E quibus tùm virtutes, tùm vitia ejus elucent.

XII.

I. ACTA DARII TOGATA.

1. REGNI MAGNITUDO ATQUE DISTRIBUTIO. Darius ad Regni dignitatem evectus, nonnullos Africæ & Europæ, univerſos verò Aſiæ populos ſibi ſubjectos habuit, præter *Arabes*, quos nec Cyrus, nec Cambyſes ſubegerat. Cum iſtis Darius amicitiæ atque hoſpitii fœdus pepigit, propterea quod tranſitum Cambyſi in Ægyptum præbuerant. *Herodot. lib. 3. p. 224. Edit. Henric. Steph.* Univerſum verò regnum ſuum, quod ab extremis Indorum finibus ad Helleſpontum patebat, in provincias XX diſtribuit, & Præſides ſingulis præfecit, quos Perſæ *Satrapas*, & provincias ab his *Satrapias* nominarunt.

XIII.

2. TRIBUTORUM EXACTIO. Darius regno ita diviſo, ſingulis deinde provinciis annua imperavit tributa, eaque non levia. Nam ex ſola Aſia ſingulis annis accepit talentorum Euboicorum quatuordecim millia CCCCCLX, h. e. ſedecim milliones & tres tonnas auri: vel, quod idem eſt, CLXIII. tonnas auri, cum ſepties mille & ducentis florenis. *Herodotus in Euterpe p. 227. Bodin. lib. 6. de Republ. cap. 2. p. 1011.* ex Herodoto in Euterpe commemorat, quòd hic Darius primus omnium tributa, *nec rerum ſpecies.* (ut *Martianus* loquitur) ſed nummos, Quæſtoribus ad id creatis, imperarit. Quomodo etiam Rex Æthiopum (qui NEGUS appellatur, quique majorum noſtrorum præter quinquaginta provincias, quæ ejus Imperii finibus continentur, etiam Indiæ Orientalis ampliſſima Regna tamdiu tenuit, quoad legionibus Tartarorum fractus, de India decedere cogeretur) ſpecies pro vectigalibus accipere etiamnum conſuevit. *Franciſcus Alvareſius in Hiſtoria Æthiopica.*

AXIOMA I.

Principes avari ſe ipſos infamant, nimiiſque exactionibus ſubditorum animos à ſe abalienant.

EXEMPLA.

1. *Darius Hyſtaſpis* malè audivit in principio regni ſui, quod à ſubditis tributa exigeret, cùm antea Perſæ Regibus ſuis munera tantùm obtuliſſent. Hinc Darium vocarunt Inſtitorem, Cambyſem Dominum, Cyrum verò Patrem. Quoniam Darius res omnes quæſtui habebat: Cambyſes aſper erat & moroſus: Cyrus verò mitis & omni ratione bene de illis mereri ſtudebat.

2. A *Roboamo* Salomonis filio Rege Juda decem tribus Iſraël defecerunt, cùm ſubditis ſuis τὴν σύνταξιν, h. e. onerum publicorum levationem atque tributorum relaxationem petentibus, gratificari nollet, ſed plura eis imponeret. 1 *Reg. c. 12.* Et *Joſeph, lib. 9. Antiq. Judaic. c. 15.*

3. *Tiberius* III. *Imper. Romanorum*, qui milvum maximum dono ſibi oblatum venundari juſſit, milvo rapacior fuit.

4. *Caligula* IV. *Romanorum Imperator*, ejus veſtigium inſequutus, dono oblatos piſces majores bis vel ter in foro vendidit.

5. *Nero* VI. *Imperator* nunquam cuiquam officium delegavit, niſi hæc adjiceret: *Scis, quibus mihi eſt opus?* Cujus proprium & illud; *Hoc agamus, ne quis quid habeat.* Vox prædone, quàm Principe dignior. *Suetonius & Dionyſius.*

6. *Mauritius Imper.* LXXXII. Cappadox genere, & ſucceſſor in Imperio Tiberii ſoceri, primùm ob avaritiam deſertus à militibus, à Phoca Centurione limitis Scythici captus & ſecuri percuſſus eſt. *Volaterranus lib. 23.*

7. *Phocas Imperat.* LXXXIII, eo non melior ob eundem avaritiæ morbum, contumeliis affectus, poſtquam 13 annos regnaſſet, è medio ſublatus eſt. Nam tributa avariſſime à ſubditis exigebat, moreque Perſico cum aulicis ſuis ſecreta tractabat. *Cuſpinian. Volaterran. l. 23.* Ita nullum

tam

tam atrox crimen est, quod non committant homines lucri avidissimi.

AXIOMA II.

Dona sæpe degenerant in debita.

EXEMPLA.

1. Initio *Reges Persarum* nihil à subditis exigere, nihil excutere consueverant: sed ea tantum capere, quæ sponte donarentur. Darius vero Hystaspis, qui hinnitu equi regnum adeptus est, primus omnium tributa, nec rerum species, ut *Marcianus* loquitur, sed nummos, Quæstoribus ad id creatis, imperavit. *Herodotus in Euterpe.*

2. Ita *veteres Romani* aurum coronarium moderate, nec nisi parta de hostibus victoria, gratificanti animo accipiebant. Posteri quasi ordinarium tributum exegerunt: tametsi *oblationes* appellarent. Postea vero aurum coronarium à decurionibus civitatum & à Judæorum collegiis quasi tributum ordinarium exigi cœpit. *l. penult. de Judæis. C. l. 4. de auro coronario. C. Theodosii.*

XIV.

3. TRIBUTORUM MODERATIO. Darius tamen postea tributa moderatus est, cum videret, hoc medio subditorum à se animos abalienari. Nam accersitos provinciarum Præfectos interrogavit, cum aliis de rebus, tum etiam, an gravia essent populo tributa: cum illi respondissent, esse mediocria, jussit ut singuli dimidiam tantum pertem exigerent. Qua benevolentia subditorum animos mirifice sibi conciliavit, ut merito ab omnibus amaretur. *Plutarchus* in Regum & Imperatorum apophthegmatis.

AXIOMA.

Magnam novo principi conciliat subditorum benevolentiam onerum publicorum & tributorum relaxatio.

EXEMPLA.

1. Hoc axioma initio non intelligens *Darius Hystaspis*, postea malo suo edoctus observare illud est coactus.

2. Prudentior eo fuit *Cyrus Rex Persarum* primus, qui tributum nullum à Persis exegit. Ideo *Pater* ab eis appellatus fuit.

3. Similiter prudentia & humanitate plenum fuit *Alexandri M.* responsum. Quum enim quidam admoneret, longe plus vectigalium auferri posse, respondit: Καὶ κηπωρὸν μισῶ, τὰ ἐκ ῥιζῶν ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα. Et olitorem, inquit, odi, qui radicitus olera exscindit. *Maximus Tyrius 13 serm. philosophico.* Cui illud convenit responsum à Tiberio datum: Boni pastoris esse pecus tondere, non deglubere. *Sueton. in Tib. cap. 13.*

4. *Alexander Imperator* apud *Herodianum in matre Mammæa* subditorum expilationem reprehendit, & graviter succensebat, quod esset pecuniæ avidior, & opum cumulandarum studiosior. Et sane provinciæ in perpetuum redduntur desertæ, miseri homines & efferati, ne dicam desperati, exhaustis facultatibus per nimias exactiones. Quod his verbis describit *Cicero lib. 5. ad Atticum Epist. 16.* Maxima exspectatione in provinciam nos venisse scito, *&c.* audimus, nihil aliud nisi imperata ἐπικεφάλια solvi posse, possessiones omnium venditas, civitatum gemitus, ploratus, monstra quædam non hominis, sed feræ nescio cujus immanis.

XV.

4. JUSTITIÆ ADMINISTRATIO. Darius in justitiæ administratione nullum personarum habuit respectum. Nam

Primo: *Intaphernem*, unum de septem Magicidis, cui inoportuno tempore ad Regem ingressuro, janitoribus aditum haud permittentibus, aures naresque præciderat, quòd rebellionem moliri videbatur, communicato cum reliquis quinque Principibus consilio, capitis damnavit, & propinquos ejus seditionis conscios rapi ad necem jussit. Qui omnes interfecti meritam conjurationis pœnam luerunt, duobus exceptis, qui hac ratione liberati sunt. Accedebat uxor Intaphernis quotidie ad Regias fores, plorabat & lamentabatur. Darius ergo misericordia motus liberum ipsi relinquebat eligere ex vinctis, quem vellet. Deligebat ex omnibus captivis fratrem, & rogata causam, cur id fecisset, respondebat: *Maritus mihi alius, si Deus voluerit, atque alii liberi, si hos amisero, esse possunt: Alius autem frater, parentibus meis jam vita defunctis, nulla ratione potest esse.* Hoc responso delectatus Darius, non fratrem modo, sed etiam filium natu maximum ei restitui, cæteros vero interfici jussit. *Herodotus l. 3. pag. 235, 236. Edit. Henric. Steph.*

Secundo: *Oroëten* Persam, Præfectum Ioniæ, Cariæ & vicinarum regionum, qui sub interitum Cambysis, Polycratem Samiorum Regem, per insidias ad se evocatum, ceperat, eumque cruci affixerat, juxta somnium filiæ, quæ somniaverat, parentem suum lavari à Jove & ungi à sole, præterea multos alios, ut Mitrobatem Dascylii Præfectum, ejusque filium Cranapem, spectatos in Persia viros, etiam Legatos Darii, interfecerat, mirabili strategemate trucidandum curavit.

Tertio: *Ariandem* quoque Ægypti Prætorem, cum ob inſolentiam, tum ob rebellionis crimen, ſupplicio affecit. Nam Darius pretioſiſſimam ex auro purgatiſſimo monetam percuſſit: quod æmulatus Ariandes ſimilem ex argento fecit, ſed magno ſuo malo, quia hoc ipſum cauſa necis ejus exſtitit. *Herodotus lib.* 4.

XVI.

v. LIBERALITAS. Darius erga omnes bene de ſe meritos liberaliſſimus fuit.

1. *Erga Democedem Medicum Græcum.* Cum enim aliquando in venatione ab equo deſiliens pedem vehementer luxaſſet, tantiſque cum doloribus conflictaretur, ut ſeptem diebus ſomnum non videret, ſanitati vero poſtea reſtitutus fuiſſet à *Democede* Medico Crotoniata, variis ipſum affecit, beneficiis. Nam 1. Ipſum è carcere liberavit, in quem ab Oroëte, poſt Polycratis cædem, conjectus erat, cum reliquis à Samo captivis. 2. Loco ferrearum compedum duobus aurearum paribus donavit. 3. Ita eum ditavit, ut Democedes omnibus rebus abundarit. At Democedes beneficiorum immemor, paullo poſt ingratus in Darium exſtitit. Nam in Græciam reverti cupidus, Atoſſam Darii uxorem, cujus deterrimum ulcus in mammilla ſanaverat, callide ſubornavit, ut Regi perſuaderet Græciam bello petere, quo ſibi adducerentur mancipia, feminæ Athenienſes, & Lacedæmoniæ. Darius uxori morem gerens, duas triremes inſtruxit, & onerariam, omnis generis bonis repletam, Democedi tradidit, adjunctis 15 viris Perſarum ſpectatiſſimis, qui Græciam colluſtrarent. At Democedes in patriam reverſus, contra fidem datam capta occaſione aufugit, & exploratores turpiter deſeruit, qui, cum non haberent Ducem, re infecta domum redeunt. *Herodotus lib.* 1.

11. *Erga Siloſontem* Æacis filium, & Polycratis Samiorum Regis ab Oroëte interfecti fratrem, gratus exſtitit. Hic enim olim Dario, cum adhuc privatus eſſet, & ſatellitem Cambyſis in Ægypto ageret, qua amictus erat, tunicam rubram donaverat: Idcirco poſtquam auditione accepit, Darium Regem Perſarum factum, Suſa ſe contulit, & in veſtibulo Regiæ ſedens ait: Se eum eſſe, qui de Rege ſit bene meritus. Hoc Darius ex relatione janitoris cognoſcens, hominem introduci juſſit, interrogavitque, quo facto beneficus in Regem exſtitiſſet. Illo amiculi rubri mentionem faciente, Darius, O, inquit, virorum generoſiſſime: Tunc ille es, qui mihi nullam potentiam habenti, donaſti ea, quamvis parva, tamen perinde grata, acſi nunc aliquid magni acciperem? Qua de re immenſo te auro argentoque remunerabor, ut nunquam te pœniteat liberalem in Darium Hyſtaſpis exſtitiſſe. Cui Siloſon: Mihi, inquit, Rex, neque aurum neque argentum dederis, ſed patriam meam Samum, quam poſt necem fratris mei, ab Oroëte interfecti. Mæandrius ſervus noſter occupavit. Darius auxilia ei promiſit, quibus Siloſon adjutus Mæandrium ejecit, & Samum recuperavit. *Herodot. lib.* 3. *Edit. Henrici Steph. pag.* 245, 246.

XVII.

VI. MAGNANIMITAS. Nam inſidias ſibi ſtructas non metuit. Cum enim cognoviſſet, ſibi in venatione, à nonnullis Perſis magnæ authoritatis, inſidias ſtructum iri, non correptus metu eſt, ſed juſſit eos arma ſumere, & equos, atque deinceps mandavit, ut proferrent & intenderent arma, torvumque aſpiciens eos: *Quid igitur?* inquit. *Non exſequimini id cujus gratia veniſtis? At illi cum intrepidum Regis vultum aſpicerent, non ſolum impetum remiſerunt; verum etiam uſque adeo terrore perculſi ſunt, ut haſtas abjicerent, Darium adorarent, ejuſque arbitrio prorſus ſe dederent.* Ælianus *in fine lib.* 5.

AXIOMA I.

Deus Magnatum in præſentiſſimis vitæ periculis eſt cuſtos atque protector.

Nam experientia teſtatur, quod Aſſaſſini (ita namque ſicarii, qui cædem aliquam, aut alioquin atrox facinus vel mercede conducti, vel ſpe præmii ὐκ προαιρέσεως perpetrant, in Gallica & Italica lingua vocantur) quando Magnates interficere conati ſunt, ſæpe ἐπ' αὐτῷ φόρῳ, h. e. in ipſo ſcelerati facinoris conatu, ex malæ conſcientiæ metu perturbati, puſillanimes, ſtupidi atque vecordes facti ſint. Contra vero illi, qui in viis ſuis ambulant, quique ſe ſuoſque Dominos defendunt, fiducia bonæ conſcientiæ atque cauſæ, animum præſentem habuerunt, viribuſque adverſus hoſtes ſuos extraordinariis non raro à Deo donati ſunt.

Exempla.

1. *Exemplum* habemus in *Dario Hyſtaſpis*, de quo modo diximus.

2. Memorabile quoque exemplum habemus in *Andrea Hunderiorto*, qui conductus erat ab *Alexandro* Comitis Gauriæ, Præfecti Regii fratre, ut *Jacobum* VI *Regem Scotiæ* interficeret. Hic namque, cum Alexandrum, Comitis fratrem, ſtricto pugione Regi necem minari videret, ita timore atque tremore correptus & perculſus eſt, ut condemnu-

demnato, quam deputato ad tale facinus perpetrandum, ſimilior videri poſſet. Quæ res occaſionem præbuit, ut pauci familiares, non tam armis, quam præſenti animo inſtructi, bonaque conſcientia freti, vincerent, & illa exigua interpoſita mora, Rex incolumis conſervaretur. Accidit hoc Perthi anno cIↃ IↃc, 5 Auguſti.

AXIOMA II.

Sæpe oculi vultuſque Magnatum in periculis magnis conſtitutionem peculiarem ἐνέργειαν, h. e. vim atque efficaciam habent:

Ita ut ſicarii ad opprimendos ex inſidiis eos conducti, Majeſtate oculorum vultuſque eorum, divina accedente providentia, obſtupefacti, in ipſo facinore perpetrando terreantur & reprimantur.

Exempla.

I. Habemus in *Dario Hyſtaſpis*; de quo in §. 17. diximus.

II. In *Auguſto Imperatore*; de quo *Suetonius* ſcribit, quod in magno periculo mirabiliter à Deo conſervatus ſit, quando ait: eum vultu, vel in ſermone, vel tacitum adeo tranquillo ſerenoque fuiſſe, ut quidam è primoribus Galliarum confeſſus ſit inter ſuos, eo ſe inhibitum ac remollitum, quo minus eum, ut deſtinarat, in tranſitu Alpium, per ſimulationem colloquii, propius admiſſus in præcipitium propelleret. Has vel ſimiles inſidias ſubiiſſe Octavium Auguſtum, teſtatur etiam *Valer. Max.* ubi exclamatione vehementi utitur contra eum, qui Auguſtum interficere voluerat.

III. *Attilas* oculorum ſcintillis hoſtes terrere potuit. *Nicolaus Olaus in Attila cap.* 13. ita de eo ſcribit: Aquileienſes, qui, ſubito eruptione ex occulto cuniculo facta, Attilam paucis comitatum invaſerant, (quem tamen non noverant) poſtea faſſi ſunt, ſe nulla re magis perterrefactos fuiſſe, quam quod in ejus oculis ſcintillas veluti igneas, cum pugnans eos fremebundus aſpiceret, micantes conſpexerint.

IV. Cum *Maximilianus* I *Imperator* à Brugenſibus captivus detineretur, & indignis modis tractaretur; In hac rerum adverſitate, inquit *Heuterus Delfius*, ſolitudine & ſummo vitæ periculo nunquam tamen ab animi magnitudine diſceſſit, nec quicquam ſe indignum fecit, nec locutus eſt. Horrebant ejus vultum hoſtes infeſtiſſimi, reverebatur præſentem populus ſeditioſus, eaque de cauſa hoſtes arctiſſime concluſum, ad populi conſpectum raro admittebant. Emergebat enim ex ejus vultu ac oculis majeſtas magno Principe digna, rebellium conſcientiam non fictè commovens ac concutiens. Inerat gravitas debitam authoritatem vel refractariis extorquens. Univerſa adeo corporis lineamenta Imperatoriam Regalemque dignitatem referebant: habitus, inceſſus decens, motus temperatus, verba pondus habentia, affectus hominum quolibet trahebant.

V. De *Agrippa poſthumi* cæde legimus apud *Cornelium Tacitum lib. 1. annal.* Quem ignarum inermemque, quamvis firmatus animo, Centurio ægre confecit. Ibi *Annibal Scotus* hæc pauca verba, multa in ſe complectantia, perpendit. Etſi, inquit, Agrippa erat valido corpore, & ideo obniti potuiſſet, & difficultatem Centurioni præbere ad ſe interficiendum: tamen alia ratio præter hanc Centurionem retinebat, majeſtas nempe, quæ in vultu Principis elucet, quæ quoſcunque feroces & ſanguinarios deterret, & ab inferenda ipſis morte removet.

VI. Simile legitur (pergit Scotus) avorum noſtrorum memoria, de *Alphonſo Eſtenſi* I. Duce Ferrarienſi, quem cum ſæpe in manu ſua conjurati habuiſſent, & potuiſſent eum occidere; tamen, ut poſtea confitebantur, majeſtate vultus ejus exterriti, nec manus, nec cor validum retinebant: idque uſque eo proceſſit, donec ipſi ab Hippolyto Eſtenſi fratre Ducis proditi, tandem facinoris concepti & non patrati pœnas luerunt.

XVIII.

VII. MONUMENTA. Darius, ut æternam nominis ſui memoriam poſt ſe relinqueret, varia monumenta exſtrui fecit.

Primò: *Simulachrum* è lapide factum ſtatuit hominis equo inſidentis, cum hac inſcriptione: DARIUS HYSTASPIS, TUM EQUI VIRTUTE (cujus nomen legebatur) TUM OEBARIS EQUISONIS, PERSARUM REGNUM ADEPTUS. *Herodotus lib. 7.*

Deinde ex auro purgatiſſimo pretioſiſſimam *monetam* percuſſit, quod æmulatus *Ariandes* ſimilem ex argento fecit, ſed cùm maxima Regis offenſione. *Herodotus lib. 4.*

Tertio: Cum adverſus Scythas exercitum duceret, in Thracia ad fontes Theari fluvii *columnam* erexit hiſce literis inſcriptam: THEARI AMNIS CAPITA OPTIMAM AQUAM, ATQUE PULCHERRIMAM CUNCTORUM AMNIUM PRÆBENT: ET AD EA PERVENIT exercitum ducens adverſus Scythas, VIR OPTIMUS ATQUE PULCHERRIMUS CUNCTORUM HOMINUM DARIUS HYSTASPIS FILIUS, PERSARUMQUE CUNCTÆQUE CONTINENTIS REX.

XIX.

VIII. CRUDELITAS. Darius crudeliſſimus erat, teſte *Valerio Maximo lib. 9. cap. 2.* Horrendum de eo atque crudele facinus recitat *Herodotus lib. 4. pag. 285, 286. Edit. Henric. Steph.* & *Sen. de Ira lib. 9. cap. 16.* quod nempe Oebazi nobilis Perſæ & ſenio jam confecti liberos tres ſine ulla cauſa interemit, & trucidatos in conſpectum patris projecerit. Quia pater petiverat, ut Darius tres filios ejus in expeditione adverſus Scythas ſecum ducturus, unicum ſaltem ſenectutis ſuæ ſolatium domi relinqueret.

XX.

IX. AVARITIA. Qua inſtigatus ſepulcrum Semiramidis nefario auſu violavit. Nam *Stobæus* & *Plutarch. in Apoph.* narrant, quod Semiramis Regina Babylonis ſupra portas urbis celeberrimas in loco edito atque conſpicuo ſepulcrum ſibi conſtruxerit, atque his verbis inſcripſerit: SI CUI REGUM BABYLONIS POST ME FUTURORUM FUERIT PECUNIÆ PENURIA, APERTO SEPULCRO SUMAT, QUANTUMCUNQUE LIBUERIT, PECUNIÆ DUNTAXAT INDIGENS: ALIOQUI NON APERIAT: NON ENIM IN REM EJUS FUERIT. Hoc ſepulcrum tamdiu fuit immotum, dum regnum pervenit ad Darium. Is indignum eſſe ratus, ſe neque uti quippiam his portis, (ideo autem non utebatur, quod ſupra caput ipſius tranſeuntis mortuus ſitus eſſet) neque ſumere pecunias repoſitas, & eas quidem ipſum provocantes, reſeravit monumentum: in quo non quidem pecunias invenit, ſed literas ita dicentes: NISI PECUNIÆ ESSES INEXPLEBILIS, ET TURPIS LUCRI CUPIDUS: DEFUNCTORUM SEPULCRA NON APERUISSES. Unde patet, quod primus ſepulcrorum apertor fuerit DARIUS.

XXI.

II. ACTA DARII POLEMICA.

PRIMUM BELLUM PRO SILOSONTE SUSCEPTUM.

Prima arma ſumſit Darius pro Siloſonte, ut eum in patrium regnum reduceret. Miſit itaque Otanem unum de conjuratis cum exercitu, & in mandatis dedit, ut expulſo ſucceſſore illegitimo Siloſontem regno reſtitueret, nec quenquam Samiorum occideret aut caperet, ſed Inſulam immunem malorum eidem traderet. Otanes ergo mandatis regiis ſatisfacturus, aſſumto exercitu & Siloſonte, in Samum profectus eſt. Quo ubi pervenit, Mæandrius (hoc enim erat nomen ſervo) Sami Rex diſceſſerum ſe ex Inſula ſponte promiſit, & Samii Perſis ſe dediderunt. Approbante hæc Otane, atque initio fœdere, eminentiſſimi quique Perſarum poſitis ſellis è regione arcis ſedebant, regnum Siloſonti tradituri. Erat vero frater Mæandrio germanus, nomine Charilæus, qui ob delicta in ſubterraneo loco erat alligatus. Is cum audiſſet quæ agebantur, colloquium fratris expetebat. Quo impetrato, timiditatem ipſi exprobrabat: Et, ſi tu, inquit, Perſas reformidas, præbe mihi auxiliares tuos, & ego iſtos ob ſuum huc adventum ulciſcar. Mæandrius ſermonem fratris admiſit, & traditis illi copiis, ipſe per cuniculum, quem foderat, ex arce ferentem ad mare, clam ex inſula ſeceſſit, Charilæus autem armatis cunctis auxiliariis, pateſactiſque portis, in Perſas, qui è regione arcis ſedebant, impetum fecit, nihil tale exſpectantes, & omnia pacata exiſtimantes. Quod dum fit, cæteræ Perſarum copiæ accedunt: à quibus depulſi auxiliarii in arcem ſe receperunt. Otanes Dux exercitûs, ut acceptam Perſarum cladem vindicaret, contra mandatum Darii juſſit, ut quemcunque Samium adipiſcerentur, occiderent, viros pariter & pueros, Samumque diriperent. Quam direptam & viris deſolatam poſtea Siloſonti tradidit, ac interjecto tempore coloniis eo deductis populo rurſus frequentem fecit. *Herodotus lib. 3.*

XXII.

SECUNDUM BELLUM BABYLONICUM, IN QUO BABYLON A DARIO EXPUGNATA EST.

Circa hoc bellum *Acta* triplicia ſunt notanda: quæ contigerunt:

I. *Ante obſidionem.* Dirum facinus Babyloniorum, quod nempe omnes mulieres, duabus tantum, quas ſibi quiſque è domeſticis elegit, exceptis, ſtrangularint.

II. *In obſidione.*
1. Cachinnus ſive contemtus Babyloniorum. Deridebant Perſas irrito conatu Babylonem obſidentes.
2. Monſtrum ſive partus prodigioſus mularum.
3. Zopyri ſtrategema cruentum atque fides in Darium.

III. *Poſt obſidionem & expugnationem.*
1. Murorum atque portarum Babylonis demolitio.
2. Ter millenorum Procerum Babylonicorum ſuſpenſio.
3. Mulierum quinquaginta millium in Babylonem ſubmiſſio.

Secun-

Secundum bellum fecit Darius *Babyloniis*. Hi enim, quo tempore Perſarum res ob Magi rebellionem erant turbatiſſimæ, defectionem cogitare cœperant, atque rebus omnibus ad obſidionem ferendam neceſſariis ſe inſtruxerant. Præparati hoc modo à Dario Rege defecerunt. Et ut diuturniorem tolerare obſidionem poſſent, matres urbe expulerunt; duabus tantùm feminis, quas ſibi quiſque è domeſticis elegit, relictis: cæteras in unum contractas ſtrangularunt: ne rem frumentariam ipſorum illæ abſumerent. Darius ergo contractis copiis omnibus adverſus eos contendit, & Babylonem obſedit: tametſi per integros 19 menſes varia machinamenta & inſidias, tum alias, tùm illas, quibus eandem Cyrus expugnaverat, expertus, nihil effecit. Babylonii ergo obſidionem deridebant, & probra Dario ingerebant; ita ut unus ex illis diceret: Tunc Perſas urbem capturos, cum pepererint mulæ, credens, id nunquam futurum. At vigeſimo obſidionis menſe accidit, ut Zopyri, qui filius erat Megabyzi, unius de ſeptem Magorum interfectoribus, mula pareret. Zopyrus ergo recordatus verborum Babylonii, & tempus expugnationis adeſſe ratus, domi ſe verberibus lacerari toto corpore juſſit, naſum & labia & aures præcidi, atque ita regi inopinanti ſe obtulit, cauſam facti & rei agendæ modum Dario exponens. Poſt transfugæ titulo ad Babylonios profectus, & oſtenſo corpore laniato, de crudelitate Regis conqueſtus, juſſit eos ex amicis exemplum capere, quid hoſtibus cavendum ſit: petiitque, ut commune bellum recentiore irâ gerere ſe paterentur. Nota nobilitas viri pariter & virtus Babyloniis erat; nec de fide timebant, cujus veluti pignora, vulnera corporis, & injuriæ notas habebat. Receperunt ergò illum, & Ducem conſtituerunt: qui primùm accepta parva manu ſemel atque iterum, cedentibus conſultò Perſis, ſecunda prœlia fecit. Ad poſtremum verò univerſum Babyloniorum exercitum ſibi creditum Dario prodidit, urbemque ipſam in poteſtatem ejus redegit. Quâ potitus iterum Darius, muros ejus deſtruxit, ac portas ejus demolitus eſt. Procerumque in urbe 3000 patibulo affixit, data cæteris venia urbem incolendi, qui, cùm uxoribus carerent, ob cauſam ſuperius expoſitam, Darius vicinis undique populis negocium dedit, ut feminas Babylonem mitterent, unde nova ſoboles ſuccreſceret. Zopyrum verò tanto in honore habuit, ut omnibus cum Perſis præferret, excepto Cyro, cui nullus unquam Perſarum ſe dignum ut compararetur, exiſtimavit: & crebro diceret; ſe potiùs optaturum, Zopyrum nihil eſſe cladis paſſum, quam 20 Babylones, præter illam quam haberet, acquirere. *Herodotus lib. 3. Juſtinus lib. 1.*

Usus.

Axioma I.

Hoſtis contemtus eſt pernicioſus & exitioſus.

Hinc Philipp. Cominæus *in comment. de rebus geſtis Ludovici & Carol. lib. 2. p. 70.* prudenter ſcribit: Qui in bellis meticuloſè aliquid faciunt & pavidè, meliùs ferè ſuis rebus proſpiciunt & ſæpiùs vincunt, quàm illi, qui faſtuoſè & ſuperbè progrediuntur. Quo in loco (inquit) in mentem mihi venit proverbium quoddam *Ludovici Regis*, qui dicere conſuevit: *Dedecus & detrimentum eſſe comites ac veluti pediſſequas ſuperbiæ.*

Exempla.

I. *Babylonii* erant faſtuoſi atque ſuperbi, in mœnibus ſuis ac propugnaculis, quæ inexpugnabilia eſſe putabant, nimium confidentes: Ideoque Darium urbem obſidione cingentem ridebant, ſed magno cum dedecore & detrimento ſuo; uti ex dictis patet.

II. *Tigranes Armeniæ Rex*, qui ſe Regem Regum inſcribi non iniquo animo ferebat, infirmior viſus eſt, cùm vix auditu perferre poſſet, Romanos in ſe exercitum mittere. Proinde primum nuncium, qui adventum Luculli ei nunciavit, ſecuri percuti juſſit. Qua re effectum eſt, ut cæteri omnes propriæ ſaluti conſuluerint, & properantem hoſtem miro ſilentio tranſire permiſerint. Aderant Regi aſſentatores, qui hoſtium paucitatem ſe contemnere ſimulabant: Regemque illuc inſaniæ compulerunt, ut, cùm exercitum inimicum cerneret, per ludibrium diceret: Hi ſi legati veniunt, permulti quidem ſunt: ſin verò hoſtes, perquam pauci. Romani autem re ipſa docuerunt, peritam paucitatem longè pluris faciendam eſſe, quàm imperitam multarum gentium colluvionem. *Franciſcus Patritius lib. 5. de Regno Tit. p. 7. 311.*

Plutarchus ſcribit, quòd centum millia peditum in eo prœlio ex hoſtibus perierint, cùm Romanorum tantùm quinque caderent. Paullo poſt, inquit Dio, Lucullus Tigrani quandam urbem cum ſpoliis ampliſſimis, quæ decem millia talentorum ſuperarent, cepit, & Tigranem iterum magno prœlio vicit. *Dio lib. 35.*

III. *Pompeius* contra Cæſarem maximum paraverat exercitum: cui non modò par viribus eſſe videbatur, verùm longè præſtantior: & jam ſecurus animo quieſcebat, adeoque ad eos, qui formidandam Cæſaris potentiam monebant, ſecuriſtodandam Cæſaris potentiam monebant, ſecuriſtore, dicebat, & mihi hanc curam dimittite. Nam

cum

cum primùm terram Italam pede pulſavero: ſcatebunt undique equeſtres pedeſtre que in Cæſarem copiæ. Unde non diu poſt, cùm ſpes eum (ut adſolet) fefelliſſet: & miteranda clade apud Pharſalum profligato exercitu profugiſſet; multi per ludibrium dicebant: Inſtauret exercitum nunc Pompeius, & accipiat alias, quas pulſata pede terra Itala ad eum mittat copias. *Franciſc. Patrit. lib. 7. p. 467.* Quare moniti ſint omnes mortales, ne arcibus aut munitionibus ſuis, quantumvis validiſſimis, atque firmiſſimis, confidant, hoſtemque, licet infirmum, præ ſe contemnant. Vide plura in Monarchiæ I. *hiſtoria de Belſazare* §. 25. p. 122.

AXIOMA II.

Regibus nihil utilius eſt ſapientibus & fidelibus conſiliariis atque amicis.

Prudentes namque & fideles conſiliarii atque amici magnum ſunt κειμήλιον. Unde *Polybius* ab Euripide ſapienter dictum ſcribit:

Σοφὸν ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χεῖρας νικᾷ.

hoc eſt.

Conſilium magnam vincere militum manum.

Cum quo congruit venuſtiſſimum *Mich. Verin.* epigramma:

Nil tam difficile eſt, quod non perſuadeat, & non
Efficiat docti lingua diſerta viri.
Accipiti eloquium longè penetrantius enſe;
Hoc rabiem motam ſedat, & arma movet.

Exempla.

1. *Cyrus primus Rex Perſarum* probè hoc intellexit, qui Cambyſen filium ſuum moriturus prudenter admonuit. Cambyſe, inquit, quod & te non latet, non eſt aureum hoc ſceptrum quod regnum ſervet, ſed amici multi ſceptrum ſunt veriſſimum, maximeque ſecurum. Verùm ne putes, homines naſci naturâ fidos. Omnibus enim iidem fidi apparerent, quemadmodum alia quæ naturâ gignuntur, omnibus apparent eadem. Sed fidos oportet unuſquiſque faciat, quorum comparatio nullo modo fit vi, ſed beneficentia potius. Itaque ſi aliquos regni cuſtodes tentes efficere, nunquam aliunde priùs incipe quam ab eo, qui eodem loco natus ſit.

2. *Darius Hyſtaſpis* fertur hoc dictum ſæpenumerò uſurpaſſe; Magis ſe optare Zopyrum nihil eſſe cladis paſſum, quam viginti ſibi Babylones, ultra illam, quam haberet, acquiri. *Herodotus lib. 3. p. 254.* Item cùm aliquando malum punicum manu teneret, dixit: *Se non optare majorem theſaurum ullum, quàm ut tot haberet Megabyzos, quot eſſent τὰς ῥοιᾶς κόκκοι*, h. e. *in malo punico grana.* Megabyzus namque Zopyri filius erat, avo tuo Megabyzo Magicidæ ὁμώνυμος. Confer *Herodotus lib. 4. p. 306.*

3. *Conſtantius Chlorus Conſtantini M. pater* ſapientes, proſque homines veritatem Dei firmo animo ſemper profeſſos, ſtipatores ſuos ipſiuſque Regni cuſtodes conſtituit, inquiens: Id genus homines in præcipuis maximeque neceſſariis amicis & familiaribus numerandos eſſe, multoque pluris quàm æraria ingenti theſauro referta meritò æſtimandos. *Euſebius de vita Conſtant. lib. 1. cap. 11.*

AXIOMA III.

Reges atque Principes benefici erga fideles Miniſtros eſſe debent; cumque iis clementer & liberaliter agant, quibus dona ingenii obtigêre variora.

Unde Principes נדיבים *Διηγάται*, h. e. Benefici appellantur, *Pſal. 47. Luc. 22.* quòd propria eorum virtus debeat eſſe liberalitas, ſicut *Diocletianus Imp.* eam propriam Principum dotem appellare ſolitus eſt. *Pompon. Letus in Dioclesian. Plutarch. in lib. de doctrina Princip. ad Trajan. Rempublicam* eleganter & venuſtè CORPORI comparat. Verba ejus hæc ſunt: *Caput* omnium (inquit) eſt princeps, penes quem Imperii ſumma eſt. *Oculi* quibus videmus, ſunt viri boni in Republica, quorum ductum ſequimur. *Aures* quæ audiunt, quæ dicimus, ſunt ſubditi, qui imperata faciunt. *Lingua* qua loquimur, ſunt eruditione præſtantes viri, ex quibus leges & diſciplinas audimus. *Capilli* de capite penduli ſunt injuria affecti, qui opem Regis implorant. *Manus & Brachia* ſunt Equites & Nobiles, qui hoſtem reprimunt *Pedes* qui omnia ſuſtinent, ſunt agricolæ, qui victum omnibus ordinibus ſubminiſtrant. *Oſſa dura*, quæ fragilem carnem fulciunt, ſunt viri ſapientes, qui onus Reipubl. ſuſtinent. *Corda* quæ palam non videmus, ſunt familiares intimi, qui in arcano conſilium dant Senatui. Denique *Collum*, quo corpus capiti cohæret, eſt amor Regis & Regni, ex quibus conſtat civitas.

Exempla.

1. *Cyrus*, cùm quidam ad eum miſiſſet ornamenta multa, ea diſtribuit amicis: interrogatus autem, cur ſibi nihil reliquiſſet? Quia, inquit, corpus meum his omnibus ornari non poteſt: amicos autem his ipſis ornatos intuens, maximum mihi hos ornatum aptatum eſſe putabo. *Max. ſerm. de Amicis.*

11. *Da-*

11. *Darius Hyſtaſpis* gratus valde atque beneficus fuit erga Zopyrum. Nam gratitudinem ſuam declaravit, tum verbis, tum factis.

Verbis declaravit eam, loquens tum de patre, tum de filio. De *Zopyro patre* dixit: Optare ſe potiùs habere unum Zopyrum, quàm viginti Babylones. *Herodot. lib.* 3. *pag.* 254. Similiter *de Megabyzo filio ejus*, cùm aliquando malum punicum aperiret, & à fratre Artabano interrogatus eſſet, cujus rei tantam multitudinem ſibi optaret, reſpondit: *Se tot ſibi optare Megabyzos, quot grana ſint illius pomi. Herodotus lib.* 4. *p.* 306. Nullus namque theſaurus Regibus utilior, quàm fideles amici.

Factis. Quia patrem Zopyrum egregiè remuneratus eſt, cùm dando quotannis, quæ apud Perſas ſunt honorificentiſſima, atque alia permulta; tum traditâ Babylone immuni, quoad viveret, in peculiarem portionem. *Herodot. lib.* 4. *p.* 254.

Similiter filium ejus Megabyzum Ducem exercitus conſtituit in Ægypto adverſus Athenienſes & ſocios. *Herodot. lib.* 3. *p.* 254.

111. *Alexander M.* patrimonium omne ſuum, quod in Macedonia Europaque habebat, amicis diviſit, ſibi Aſiam ſufficere affirmans. *Juſtin. lib.* 11.

Idem Alexander Magnus inter amicos, quos habebat, præcipuos ac potentiſſimos omnium maximè videbatur honorare Craterum, ſed omnium maximè diligere Hephæſtionem. Craterus enim, inquit, amat Regem: Hephæſtion amat Alexandrum. Id Græcè jucundius dicitur, φιλοβασιλεὺς & φιλαλέξανδρος. Sentiens, Craterum in his, quæ ad Regiam dignitatem attinebant, præſtare fidelem amicum: Hephæſtionem privato quodam affectu diligere Alexandrum. Pariter itaque, licet diſſimiliter amantibus, diverſa ratione perſolvit præmium. Craterum ornavit dignitate: Hephæſtionem ad intimam admiſit familiaritatem. *Plutarchus in Apoph. Regum.*

1v. *Julius Cæſar* militum erga ſe amorem & fidelitatem incomparabiliter comparavit, auxit & retinuit, primùm immenſa largitione & honoribus oſtendens, non ad privatum luxum ſe opes parare ex hoſtibus: ſed communia virtutis præmia apùd ſe ſervanda deponi: hactenus autem ſe diteſcere, quatenus in bene meritos profunderet milites.

v. *Alexander Severus* deſcriptum habebat, quid cui præſtitiſſet, qui nihil aut minimum petiiſſent, eos appellabat, dicens: Quid eſt, cur nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete, ne privatus de me queraris. Agnoſcebat, Principem debere rectè ſuo fungentibus officio: nec æquum judicabat, ut probè ſuo defunctus officio privatus egeret. *Ælius Lampridius.*

XXIII.

TERTIUM BELLUM, *ſuit* SCYTHICUM.

Tertiam expeditionem Darius fecit in Scythiam Europæam, Valachiam, Moldaviam & Poloniam. A. M. 3463. Quia Mediam ingreſſi erant hoſtiliter, & Rex eorum *Lanthinus* filiam dare in matrimonium Dario noluerat. Diſſuaſit bellum *Artabanus* Darii frater, commemoratâ Scytharum inopiâ: Quæ belli certamen anceps redditura, & præmia victoriæ nulla, damnum verò manifeſtum allatura eſſet. Verùm ſpreto ejus conſilio in propoſito ſuo pertinax permanſit, & exercitum (qui conſtabat ferè ex octingentis millibus virorum) ex urbe Suſis eduxit. Sub initium autem expeditionis eum Deobazes quidam Perſa, cui tres filii erant, omnes in militiam euntes, obſecrabat, ut unum ſibi ex illis relinqueret. Cui Darius, tanquam amico & modeſta obſecranti, reſpondit, ſe omnes ejus liberos relicturum. Eo reſponſo Deobazes magnopere lætabatur, ſperans, liberos ſuos miſſionem habere militiæ. At ille præpoſitos filiis Deobazi juſſit, ut omnes eos interimerent. Ita filii Deobazi obtruncati, illic ſunt relicti. In itinere Thraces in deditionem accepit, & Getas reſiſtentes in ſervitutem redegit. Poſt conſtructis in Boſphoro Thracico & Iſtro pontibus, cuſtodes reliquit Ionas, ex Cois Mitylenæorum præfecti conſilio, ut tutus ſibi reditus è Scythia pateret: ac lorum iiſdem tradidit, quod 60 habebat nodos; juſſitque ſingulis diebus unum ſolvere, & ſi nodis omnibus ſolutis ipſe reverſus non eſſet, in patriam redire. His ita conſtitutis, cum exercitu in Scythiam progreditur.

Scythæ Darii potentiam metuentes, à finitimis, Tauris nempe, Agathyrſis, Neuris, Androphagis, Melanchlænis, Gelonis, Budinis & Sauromatis auxilium petierunt: quod promiſerunt tres poſteriores: cæteri verò denegarunt, hac de cauſa, quòd injuriam Perſis, à quibus nullam eſſent paſſi, priores inferre nollent. Scythæ his auditis, nullam ſibi pugnam recta & ex aperto conferendam cum Dario ſtatuerunt, eo quòd ad ſocietatem vicini reliqui non acceſſiſſent. Diviſerunt itaque exercitum in duas partes. Una fontes & puteos obſtruxit, & gramen è terra evulſit; & deinde recta fugit ad flumen Tanaim, ut Darium è Scythia diſcedentem invaderet ac perſequeretur. Altera verò conſpecto Perſarum exercitu fugam ſimulavit, eumque inſequentem ſeduxit in ſolitudines, inde in

agros eorum, qui ſocietatem belli recuſarant. Hac ratione Darius diu multumque hinc inde vagatus, tandem ad *Indathyrſum* Regem Scytharum nuncio miſſo inquit: *Homo tu, quid aſſidue fugam facis? cum liceat tibi horum facere alterutrum. Si tibi videris idoneus ad reſiſtendum rebus meis, ſiſte curſum, ac perſtans mecum fac prælium: ſin agnoſcis te imparem, ſic quoque ſiſte curſum, & HERO TUO munera offerens terram atque aquam, in colloquium veni.* Cui Scytharum Rex ita reſpondit: *Sic res meæ habent, ô Perſa, ut neque ullum mortalium ego metuens ante fugerim, neque nunc fugiam te, neque quicquam faciam diverſum nunc, atque in pace facere conſueveram. Quod autem non protinus tecum ineo prælium, hujus rei te certiorem faciam: Nobis neque oppida ſunt, neque agri culti, quorum vel amittendorum, vel vaſtandorum metu properemus vobiſcum conferre pugnam. Ad quam ſi opus eſt continuo devenire, ſunt paterna ſepulcra: Quæ vos ubi nacti fueritis, agedum tentate labefactare: & tunc intelligetis, pugnaturi vobiſcum ſimus pro ſepulcris, necne. Prius autem, niſi nos ratio traxerit, tecum prælium non conferemus. Hactenus, quod ad pacem pertinet, dictum ſit. Quod autem ad cætera: Ego ſolos mihi HEROS arbitror Jovem progenitorem meum; & ſolium Scytharum regium: Tibi autem pro terra & aqua, quæ dono poſcis, mittam, quæ decet ad te venire. Pro eo quod HERUM te meum eſſe dixiſti, jubeo te flere.* His auditis, Darius non amplius ſibi vagandum exiſtimavit; ſed adverſus eos, qui rem frumentariam ſibi eripiebant, copias miſit. Facto itaque velitari prælio, Scytharum equitatus Perſarum equites in fugam vertit, ſed repulſus fuit ab horum peditatu. Cum vero Scythæ crebriores incurſiones, præſertim noctu, facerent, hoc uſus ſtrategemate Darius eos repulit. Aſinos enim adverſus illos duxit, qui rudendo equos illorum perturbabant. Equi enim exauditâ aſinorum voce conſternati avertebantur, ſtupefacti inſolentia tum vocis, quam prius nunquam audiſſent, tum formæ, quam nunquam conſpexiſſent: ſiquidem in Scythica terra neque aſinus, neque mulus gignitur.

Poſt hæc cum reges Scytharum animadvertiſſent, Darium inopia commeatus laborare; miſerunt ad eum munera: AVEM, MUREM, RANAM, & QUINQUE SAGITTAS. De horum ſignificatione Perſæ cum conſultarent, *Darii ſententia erat*: Scythas ſe ipſos ei donare, & terram atque aquam. Quia *Mus* terra gignatur, & eodem quo homines fructu victitet: *Rana* autem in aquis naſcatur: *Avis* vero ſit equo ſimilis: *Sagitta* vero miſſæ potentiam traditam denotare videantur. At Gobryas, unus de ſeptem, qui Magos ſuſtulerant, ſignificari muneribus hoc conjecit: *O Perſa, niſi evecti ut* AVES *ſubvoletis in cœlum, aut ut* MURES *ſubeatis terram, aut ut* RANÆ *inſiliatis in paludes, non remeabitis unde veniſtis, ſed his* SAGITTIS *conficiemini.*

Dum Perſæ ita de munerum interpretatione conſultant, illa exercitus Scythici pars, quæ ad Tanaïm flumen fugerat ad Ionas, qui pontem Iſtro injectum cuſtodiebant, venit, & hortata eſt, ut relicto ponte diſcederent; ſiquidem dies 60 jam adeſſent. Quod cum Iones facturos ſe recepiſſent, raptim retro abiit. Altera Scytharum cohors cum peditatu & equitatu in acie inſtructa ſtetit adverſus Darium, tanquam mox conflictura. Sed cum LEPUS in medium proſiliiſſet, acie perturbata, quiſque illum inſequebatur. Darius ſciſcitabatur, unde hoſtium tumultus exiſteret: & cum audiviſſet, illos leporem inſectari, & ſimul donorum Scythicorum interpretatio à Gobrya facta ei in mentem veniret, in hæc verba prorupit: *Hi viri magno contemtui nos habere videntur.* Communicato itaque cum Gobrya conſilio, exercitum è Scythia reducere decrevit, idque ut Scythis non animadvertentibus fieret, aſinos in caſtris reliquit, cum imbelli multitudine, cui perſuaſit, ſe cum flore copiarum Scythas aggreſſurum: juſſitque eam caſtra interim tueri. Deinde noctu ſeceſſit & quam celerrime potuit ad Iſtrum contendit. Aſini, quia conſueta multitudine erant deſtituti, quam maxime rudebant. Quibus auditis, Scythæ Perſas adeſſe credebant. Verum ubi illuxit: cum milites in caſtris relicti, aufugiſſe Darium viderent, ſupplices facti Scythis rem omnem narrarunt. Quibus illi auditis, contracto univerſo exercitu, Perſas recta ad Iſtrum via perſequuntur. Quas etſi non offenderunt, anteverterunt tamen, & multo citius ad Iſtrum pervenerunt; utpote quibus viarum compendia erant nota. Ibi cum offendiſſent Ionas exſpectantes adhuc Darium, blandis partim verbis denuo eos, partim minis ad defectionem & pontis demolitionem ſollicitarunt. Plerique Iones locum poſtulationi dediſſent, veriti Scytharum potentiam; niſi Hiſtiæus Mileti Tyrannus id impediviſſet. Is enim Dario, fidem ut ſervarent, author fuit; atque ut tuto id facere liceret, hoc ſtrategemate uſus fuit. Cum partem pontis ab ulteriori ripa diſſolviſſet, perſuaſit Scythis ut remearent, Darium inveſtigarent, & inventum dignis modis tractarent. Paruerunt Scythæ, & ad inquirendos Perſas reverterunt; verum in eos non inciderunt. Dum autem aberant, Hiſtiæus ab incepto deſtitit; & cum adventaret Darius ad exercitum trajiciendum, navibus admotis pontem iterum complevit.

plevit. Ita Darius è Scythia trepide refugit, amiſſis nonaginta millibus hominum, quæ jactura, ut *Juſtinus* habet, abundante multitudine, inter damna numerata non eſt. Scythæ ob hoc facinus Ionas peſſimos & ignaviſſimos omnium hominum judicant, coſque mancipia Dominos amantia eſſe aiunt, & inſectatione digniſſimos. *Herodot.* lib. 4. *Juſt.* lib. 2. Darius vero *Coëm* Mitylenæorum Præfectum, cujus conſilio ponti trans Iſtrum cuſtodes reliquerat, & *Hiſtiæum*, cujus induſtria idem pons ſervatus erat, ad ſe accerſivit Sardeis, & gratitudinis ergo huic poteſtatem fecit urbis in Thracia condendæ, illum vero Mitylenes Tyrannum conſtituit. *Herodot.* lib. 4.

AXIOMA I.

Quale eſt bellorum initium: talis quoque exitus eſſe ſolet.

Juxta Græcorum adagium: Κακῆς ἀρχῆς κακὸς πέλας. h. e. Mali principii malus exitus. Quia exitus principio reſpondere ſolet. In quam ſententiam *Nicephorus Gregoras* in Hiſtor. Roman. lib. 6. vemuſte & eleganter ait: Exercitus, quem injuria & audacia antecedit, plerumque clades & interitus comitatur, & prius quam hoſtes irruant, ipſi ſua timiditate evertuntur, ipſique ſibi hoſtes ſunt, divina vindicta eum exitum decernente, quem facta illorum meruerunt. Neque enim probabile erat, rem bene geſturos eſſe eos, qui lacrymas & exſecrationes pro viatico ſecum attuliſſent.

Exemplum memorabile habemus h. l. *in Dario*, III Perſarum Rege, qui Deobazo, petenti unicum filium è tribus in militiam euntibus ſibi relinqui, omnes tres interfici juſſit. De quo ſupra §. XXIII. Verum hanc barbaricam immanitatem non ſolum turpis fuga ex Scythia, ſed etiam clades Marathonia ſecuta eſt.

AXIOMA II.

Lepus infauſtum eſt & mali ominis animal.

Vel: *Leporum incurſus ſæpe ominoſus & fatalis fuit, ludibria ſua diabolo ſub forma hujus animalis exercente.*

Unde *Pierius Valerianus* recitat verſum veterem Senarium, qui antiquitatem hujus opinionis ocet:

Φανεὶς ὁ λαγὼς, δυσχερῆς ποιεῖ πρίους.

Id eſt,

Inauſpicatum dat iter oblatus lepus.

Exempla.

Vere autem hoc veteres cenſuiſſe, exemplis aliquot perſpicuum faciam.

1. *Sigebertus Gemblacenſis* in Chronico tale exemplum recitat. Cum Romam obſideret *Arnolphus Imperator*, qui Berengario auxilium ferebat, excitus è latebris clamore tumultuque militum lepus urbem verſus curſum arripuit. Hunc milites toto temere agmine concito inſequi cum cœpiſſent, curſuque & clamoribus acrius deterrerent, Romani, qui pro propugnaculis ſtabant, Urbem eo impetu peti veriti, cui ſe longe impares propter defendentium inopiam arbitrabantur, pari conſenſu deſertis mœnibus, ad terram ſe ſubmiſere. Milites occaſione freti, ſellis equorum & veterinorum ad mœnia in cumulum aggeſtis, per eas nullo reluctante, in mœnia evaſere, Leoninamque urbem (primaria nunc eſt hæc urbis regio) nullo negotio ceperunt.

2. *Jacobus Mayerus Annal. Flandr.* lib. 12. ſcribit: Paulo ante prælium inter *Gandenſes* & *Brugenſes*, hi protriſti acceperunt omine, quod leporem ibi ſorte per medias ſtationes ſuas tranſcurrentem cernerent. Expalluit, inquit Mayerus, *Ratgerus* Dux Brugenſium, vultuſque nullam retinuit conſtantiam. Paulo poſt itaque licet numero ſuperiores, magna clade à Gandenſibus victi ſunt.

3. Simile exemplum narrat *Crantzius* lib. 8. c. 33. Saxoniæ: Cum, inquit, *Holſatiæ Comites* in Stormaria & *Johannes in Wagria* Præſidentes antiquam de terra Dithmarſiæ quæſtionem renovarent, Dithmarſi ad Epiſcopum Bremenſem confugere, auxilium contra Comites petentes. Qui precibus eorum locum dans militem conſcripſit: contra eum viciſſim Comites eduxere ſuas copias: terram hoſtilem ingreſſi, qui in primo incedebant agmine, leporem videre per viam tranſverſo itinere currentem, ſublatoque venatico clamore beſtiolam exagitarunt. qui in poſtremo erant agmine, ab hoſtium incurſu clamorem excitatum interpretati, fugam primi ineunt: jamque hoſtes erant in conſpectu, turbatumque invadebant cuneum. Mixtus inde timor pudorque pugnavere, & à poſtremis orta fuga venit ad medios, donec plurimis cæſis & captis totum agmen, leviſſima de cauſa orto initio, pedibus & fuga ſalutem quæreret.

AXIOMA III.

Ante victoriam non eſt triumphandum.

Nam hoc eſt ſuperbiæ ſignum. Superbia autem præcedit ruinam. Huc pertinent adagia parallela: Πρὸ τῆς νίκης τὸ ἐγκώμιον ᾄδειν. *Ante victoriam encomium canis.* Vide *Eraſm.* in Adag. Chil. 1. Cent. VIII. p. 247. *Plato* in Theæteto fol. 77. Græc. Ἀλεκτρυόνος ἄλλους δίκην περὶ νικητήρια ᾄδειν. Inſtar Galli degeneris ante victoriam canit. Hic namque mos vo-

ueris eſt, cantu victorem ſe teſtari. Et facetum eſt *Ludovici* XII, Galliarum Regis, apophthegma: Ne, viſis templorum pinnis, iter te exſequutum dicas. *Chytr.* in Ludovici XII facete dictis p. 178.

Exempla.

I. Talis inſolentia fuit *Darii Hyſtaſpis*, qui armatis octingentis hominum millibus Scythiam ingreſſus valde inſolenter ſeſe geſſit. Sed quam de Scythis ſperabat victoriam, eam de illo Scythæ reportarunt. Cum enim Darius *terram* & *aquam* (quæ ſubjectionis ſymbola erant) ab Indathyrſo Scytharum Rege offerri ſibi poſtularet: Generoſus Scytharum Rex hæc per Caduceatorem ei miſit munera, nempe, AVEM, MUREM, RANAM & QUINQUE SAGITTAS. Quæ munera quid ſibi vellent, Perſis dubitantibus, Gobryas, unus è ſeptem Magicidis, hoc ſignificare dona conjectabat: O Perſæ, niſi evecti ut AVES ſubvoletis in cœlum, aut ut MURES ſubeatis terram, aut ut RANÆ inſiliatis in paludes, non remeabitis unde veniſtis, his confecti SAGITTIS. Darius itaque generoſam Scytharum fortitudinem metuens amiſſis nonaginta millibus hominum trepide refugit. Hæc præclara Scytharum fuit victoria, qua ſine prælio triumpharunt.

II. *Darius Codomanus*, Perſarum Rex ultimus, ab Alexandro adhuc juvene bello ſe laceſſi iracunde ferens, munera ei miſit *virgam*, *pilam* & *maſſam auri*. Innuens *virga*, eum puerum eſſe ferocientem, cujus temeritas virgis coërcenda ſit: *Pila* vero, ejus ætati convenientius eſſe pila ludere, quam arma tractare: *Auro*, opes ei nequaquam ſufficere ad bellum contra potentiſſimum Perſarum Regem gerendum. *Alexander* munera ea grato ſuſcipiebat animo, Datio hunc ad modum reſpondens: *Virgam* accipio à te mihi traditam, ut te & populum tuum puniam mihique ſubjiciam. *Pila* vero globum imperii tui denotat: pilam ergo dum tranſmittis, ſimul regnum mihi tuum tradis, quod vi armorum ſub meam poteſtatem redigam. *Maſſam* quoque *auri* ut optimi ominis munus amplector. Nam Dominum omnium tuarum divitiarum me fore confido, quarum partem ultro mihi obtuliſti. Nec ſpes hæc Alexandrum fefellit, qui devicto Dario totius Aſiæ & Orientis Imperium obtinuit.

III. *Conradi Imperatoris frater* Saxones debellaturus ex animi impotentia & faſtu inſolentibus admodum verbis uſus fertur. Nam cum jam Eresburgum uſque copias duxiſſet, *nihil gravius*, inquit, *ſe vereri, quam ne Saxones prælio ſecum congredi non auſint, ſibique deſint, cum quibus manus conſerat.* Quæ verba vix effatus fuerat, cum Saxones ultro obviam ei procedunt, tantaque ſtrage Francorum exercitum concidunt, ut per jocum irridentes hoſtium temeritatem Saxones dixerint, nec inferorum barathrum tot excipiendis hoſtibus ſufficere. Sic re ipſa didicit inſolens ille Francorum Ductor ante victoriam triumphandum non eſſe. *Albert. Crantz. lib.* 3.

IV. *Hugo Pariſiorum Comes*, cum in Gallia capto Regi Ludovico regnum Franciæ conaretur eripere, & inſolenter minaretur Germaniæ, Otto primus ejus nominis Imperator magno è Saxonia conſcripto exercitu, ad liberandum affinem Ludovicum, in Galliam tetendit. Quod ubi cognovit Hugo, Legatis ad Imperatorem miſſis, Saxonum ei mollitiem exprobrat, ſe vel terna eorum jacula inſolenter glorians unico hauſtu abſorpturum. Quare ſatius eſſe ait, ut ſuis rebus conſulens in ſuo Imperio quieſcat: talibus enim tantiſque ſe inſtructum copiis ei occurſurum, quantas ipſe nunquam vidiſſet. Imperator riſu excipiens Hugonis vanitatem, renunciari ei jubet; Tantam ſibi ſtramineorum pileorum eſſe copiam, quantam Hugo nunquam vidiſſet, eoſque omnes in Galliam adducere decretum eſſe. Moris enim tum erat in Saxonia, ut pileis ex ſtramine contextis adverſus æſtum ſolis æſtivali tempore tecti incederent. Juſſit itaque omnibus ſuis militibus, ut ejus generis pileos galeis imponerent, rectaque adverſus Hugonem pergerent. Quorum impetum ille minime exſpectans, protinus Ludovicum liberavit, inſolentiam ſuam deteſtari coactus.

V. *Sub eodem Imperatore Ottone Hungari*, copiis quantis antea nunquam per Bavariam in Germaniam irruperunt populabundi: fretique immenſa multitudine, inſolenter admodum, *Aut cœlum*, inquiunt, *cadens nos obruet, aut terra dehiſcens nos abſorbebit, alioqui nemo hoſtium nos multitudine ſuperabit.* Contra hos Imperator Otto ſubito coëgit exercitum, ex Bavaris, Suevis, Saxonibus, Francis & Bohemis, cumque illis congreſſus ad Lycum amnem, non procul ab Auguſta, totum exercitum ad internecionem cecidit, perpaucis captis; inter quos ſcribuntur fuiſſe tres Reguli, quos Henricus Bavarus ſuſpendio necavit.

VI. *Sixtus* V. *Pontif. Rom.* Anno 1558. Eliſabetham Angliæ Reginam anathematis fulmine percuſſit, regio titulo & omni authoritate exuit, omnes ejus ſubditos à juramento & obedientia abſolvit, & Regnum Angliæ donavit Regi Hiſpaniæ PHILIPPO II. Hic claſſem totum ferme triennium apparavit, navium militarium grandium 150, militibus veteranis ex Hiſpania, Italia, & aliunde collectis, 20000 nautis, 10000 tormentis, 2650 tonnis pyrii pulve-

pulveris, globis, & annona, ad ſex menſes inſtructiſſimam: in navibus erant altaria, celebrabantur Miſſæ, aderat magna multitudo monachorum, qui convertere debebant Anglos ad fidem Pontificiam. In maxima navi picta erat imago D. Virginis Mariæ, additis hiſce verbis: *Vindica cauſam Filii tui. Hieronymus Vida ἐπινίκιον* ante victoriam canens, acclamabat:

Tu, qua Romanas voluiſti ſpernere leges,
Hiſpano diſcas ſubdere colla jugo.

Claſſis Hiſpanica die 28 menſis Maii ex portu Ulyſſbonenſi ſolvit, & Angliam petiit. Verum ab Anglis, Carolo Howardo Thalaſſiarcha Anglico, & Franciſco Dráco inferiore Amiralio, Ducibus, die 1, 2, 3, 4. & ſequentibus uſque ad 8 Auguſti, creberrimis incurſionibus & conflictibus labefactata, pugna navali vincitur & profligatur: Exercitu Hiſpanorum numeroſiſſimo fuſo & fugato, triremibus multis captis, diſſipatis aut merſis, plurimis belli Ducibus captis, & præda ingenti in Reginæ poteſtatem redacta. Regina autem Angliæ hoc cognito, ſuæ claſſis navi primæ inſcribi juſſit hoc Epigramma contrarium:

Tu, qui divinas voluiſti ſpernere leges,
Fœmineo diſces ſubdere colla colo.

XXIV.

QUARTUM BELLUM *fuit* IONIUM.

Hujus belli cauſa fuit perfidia Hiſtiæi Mileſii, qui Ariſtagoræ Mileti præfecto, quo familiariter utebatur, jam ſponte ad defectionem, propter rem male geſtam, inclinanti, belli Perſis movendi conſilia ſuppeditavit. Erat autem Dario jam ante Hiſtiæus rerum novarum ſuſpectus, idque Megabyzi inſtinctu. Quippe cum Hiſtiæus urbem in Thracia permiſſu Regis conderet, monuit Regem Megabyzus, id inſtitutum periculi plenum eſſe, quod urbem commodo ad claſſem ſtruendam loco conderet, quæ tum pecunia, tum remige ſtudiiſque Græcorum pariter ac Barbarorum floreret. Quare ut hæc ejus conſilia impediret Darius, Hiſtiæum in aulam vocavit, prætextu quod amicitia ejus & conſiliis carere non poſſet; *Omnium enim poſſeſſionum pretioſiſſimam eſſe amicum fide & prudentia præſtantem.* Non ignorabat Hiſtiæus animum erga ſe Regis ſubdolum, & cum invitus in aula hæreret, Ariſtagoram clam ad bellum movendum impulit. Quoniam vero ea res ſumme occultanda erat, ne Perſis innoteſceret, hoc ſtrategemate uſus eſt. Fidiſſimo ſervorum capillos capitis radi juſſit; deinde literas quas voluit, inuſſit: & cum rurſum creviſſent capilli, eum ad Ariſtagoram miſit, addito hoc tantum mandato; ut juberet ſibi ab Ariſtagora radi capillos, & caput inſpici.

Cum igitur Ariſtagoras intellexiſſet Hiſtiæi conſilium, ſeditionem apertam molitus, Ionas ad loci defectionem ſollicitavit, ſimulque auxilia à Spartanis & Athenienſibus petiit. Et hi quidem paulo ante Piſiſtratidarum tyrannide liberati, quos reducere Darius conabatur, viginti naves ad belli Ionici ſocietatem Ariſtagoræ miſerunt. Atque hoc omnium inter Græcos & Barbaros malorum initium fuiſſe, Herodotus cenſet. Lacedæmonii nulla tulerunt auxilia, cujus cauſa fuit Cleomenis Regis filiola; quæ cum videret ingentia illa munera quæ Ariſtagoras offerret, inclamavit: *Pater, hoſpes te corrumpet niſi abis.* Quo velut omine motus Cleomenes, illum ex Sparta diſcedere re infecta coëgit. Ita bellum Ionium cœpit: & captæ primo impetu atque etiam exuſtæ Sardes, tanto Darii dolore, ut arcum poſcens, ſagittam in cœlum excuſſerit, his verbis additis: *O Jupiter, contingat mihi ut Athenienſes ulciſcar.* Simul etiam miniſtro cuidam præcepit, ut appoſita cœna ſemper ſibi diceret; *Here, memento Athenienſium.* Nam Iones facile ſe ulturum ſperabat. Neque vero diu copiis Perſarum par fuit Ariſtagoras: Quippe Darius, receptis, quæ defecerant, urbibus inſuliſque, cum in Thraciam pepulit; ubi à Barbaris cum exercitu deletus, ſeditionis pœnas dedit. Nondum innotuerat Dario Hiſtiæi perfidia; qui ſimulabat omnium Ariſtagoræ conſiliorum ſe ignariſſimum; ſancte inſuper promittens, omnia, quæ defecerant, ſe in integrum reſtituturum, maximamque inſularum Sardiniam tributariam redditurum. Hac fraude & ſimulatione deceptus Darius, optima quæque ſibi de Hiſtiæo pollicebatur, eumque in Ioniam miſit, ut dictis ſuis fidem faceret. Cumque veniſſet Sardes, graviter ab Artapherne Darii fratre, & maritimæ oræ præfectis, objurgatus eſt his verbis: *Hunc calceum tu Hiſtiæ conſuiſti, Ariſtagoras autem induit.* Quapropter cum ſe ſuſpectum cognoviſſet, prima nocte fugam ad mare arripuit, ac Dux belli Ionii contra Darium factus eſt.

Erant autem hujus conſpirationis etiam multi Perſarum participes; ad quos ab Hiſtiæo ſcriptas literas Artaphernes intercepit, ac, tota re cognita, ſupplicium de iis ſumſit. Neque vero proſpera in bello fortuna Hiſtiæus fuit uſus, ſed, cum multa infeliciter tentaſſet, tandem prælio ſuperatus, vivus in Perſarum poteſtatem venit; & Sardes perductus cruci ibidem ſuffixus eſt; caput vero ſale conditum, & Suſas ad Darium delatum eſt; qui id, elotum & obvolutum, ſepeliri juſſit.

AXIOMA.

Qui ſe temere ſeditionibus immiſcet, miſerum fere exitum habet.

Hoc eſt quod Salomo dicit Prov. XXIV. Cum *ſeditioſis ne miſcearis, quia ſubito veniet eorum exitium.* Quicum conſentit illud Heſiodi: *Malum conſilium conſulteri peſſimum.* Claudianus:

Quam bene diſpoſitum eſt terris, ut dignus iniqui
Fructus conſilii primis authoribus inſtet!

Gloriabatur Ludovicus Sfortia, omnes ſe Reges & Principes committere inter ſe poſſe, & iterum pacare. Sed ea verſutia male ipſi ceſſit, cum vitam in perpetuo carcere tranſiret, proditus à ſuis hoſti infenſiſſimo Ludovico XII Regi Galliæ. Eundem exitum habuit Comes Sancti Pauli; de quo videatur Cominæus. Et recens exemplum in Carolo Lotharingiæ Duce habemus.

XXV.

QUINTUM BELLUM *fuit contra* ATHENIENSES.

Hujus belli triplex erat cauſa. Primo enim Hippias Piſiſtrati filius, exul, continuis precibus reductionem ſui Athenas à Dario flagitabat. Deinde, recens ab Athenienſibus accepta injuria, ſomnum Dario eripiebat, neque conquieſcere poterat, antequam ultionem de ipſis ſumſiſſet. Et tandem ambitio maximum telum erat, ut hoc prætextu belli contra Athenienſes Græciam ſubigeret. Igitur, maximis copiis conflatis, tam pedeſtribus, quam maritimis, Mardonium, Gobryæ filium, adhuc adoleſcentem, qui recens Darii filiam uxorem acceperat, belli contra Athenienſes Ducem nuncupavit, eique Hippiam comitem dedit, cui Græciæ ſtatus perſpectus cognituſque erat.

Initia hujus belli, æque ac progreſſus, infelicia fuerunt. Nam tempeſtate ad Athon montem, dum cum Perſica claſſis circumnavigat, trecentæ naves & viginti hominum millia perierunt. Hoc primum vulnus. Deinde aliud damnum accepit à Thracum nocturna invaſione; qui ingentem cædem fecerunt, ita ut ipſe Mardonius vulneraretur. Quare, illa tantum Thracia ſubacta, cum parte Macedoniæ, ubi ſunt montes metallorum feraces, copias in Aſiam reduxit.

Altero anno miſſi à Dario per univerſam Græciam legati, qui terram & aquam peterent. Quod ſignum ſpontaneæ deditionis erat. Multi, non in continenti modo, verum etiam inſulis, populi deditionem fecerunt. Inter quos etiam Æginetæ. Male id Athenienſes habuit. Qui propterea Æginetas apud Spartanos accuſarunt, quod putarent, eos hoſtili animo deditionem feciſſe, ut cum Perſis contra Athenas militarent. Quare Reges Lacedæmoniorum Æginam ad officium reduxerunt, obſidibus acceptis; quos Athenienſibus dediderunt, ut eo metu Æginetas à Perſarum partibus abſtraherent. Duces hujus belli erant Dathis Medus, & Artaphernes, Darii frater. His in mandatis datum, ut Athenas atque Eretriam diriperent, captivoſque Suſas adducerent. Hi cum ſexcentis triremibus in Græciam contenderunt, atque, Eretria capta, templis ejus ſpoliatis & incenſis, hominibus abductis, in Atticam navigarunt, ac, ejus magna parte vaſtata, ſperabant, deditionem facturos Athenienſes.

Jamque Marathonem altero ab urbe lapide penetraverat, Duce Hippia, Perſarum exercitus, cum Athenienſes, rerum ſuarum trepidi, legatum ad Spartanos cum hac petitione miſerunt; *Orant vos Athenienſes, ô Lacedæmonii, ut ſibi opem ferâtis, nec civitatem inter Græcos vetuſtiſſimam contemnatis in diſcrimen barbaricæ ſervitutis adductam. Etenim Eretria directa eſt, & inſigni civitate Græcia imbecillior reddita.* Igitur decreta fuerunt à Spartanis auxilia. Sed, quo minus ea ſtatim mitterentur, religio quatridui obſtabat. Erat enim dies nonus inſtantis menſis, quo negabant ſibi progredi licere ante plenilunium.

Interea conſultatum in caſtris Athenienſium de prælio. Sententiæ inter Duces ancipites erant. Quidam rem diſcrimini nolebant committere, quod tanta ſuorum paucitas ingentem Perſarum multitudinem ſuſtinere non poſſet. Alii ad pugnandum hortabantur. Ex quibus præcipuus Miltiades. Cujus ſententiæ cum Callimachus Polemarchus acceſſiſſet, Athenienſes inſtructi decem civium millibus & mille Platæenſibus auxiliariis, in campos Marathonios ad prælium egreſſi ſunt, non exſpectato Spartanorum auxilio. Plus enim præſidii Miltiades in celeritate, quam in ſociis eſſe, exiſtimabat.

Perſæ, quanquam ingentem exercitum haberent, tamen Hippias, malo omine territus, infauſtum fore prælium præſagiebat. Quippe tuſſi è ſternutatione vehementi dens ipſi excuſſus, & in arenam prolapſus, quantumvis diligenter quæſitus, reperiri non potuit.

Unde, ſuſpirans Hippias, ad adſtantes, *Hæc* inquiebat, *terra nondum eſt noſtra, nec eam poterimus nobis ſubjectam reddere.* Agnovit igitur, falſam eſſe ſomnii ſui interpretationem, quo pridie ſibi viſus fuerat cum matre concumbere: unde ipſe conjiciebat, ſe Athenas reverſurum, ac, recuperato domi-

dominatu, ſenem domi ſuæ obiturum eſſe. Fuit autem in Athenienſibus ſumma alacritas. Qui, citato curſu, ante jactum ſagittarum, in hoſtes invaſerunt. Pugnatum ab iis tanta virtute, ut hinc viros, inde pecudes, putares. Victi Perſæ ad naves fugerunt; ex quibus multæ captæ, plures ſubmerſæ ſunt. In hoc prælio eminuit Themiſtoclis adhuc adoleſcentis indoles, & Cynegyri militis Attici incomparabilis virtus. Hic, poſt innumeras cædes, cum fugientes hoſtes ad naves egiſſet, onuſtam navim dextra tenuit, nec priùs dimiſit, quam manum amitteret. Tum quoque, amputata dextra, navim ſiniſtra apprehendit: quam & ipſam cum amiſiſſet, ad poſtremum morſu navim detinuit. Tanta in eo virtus fuit, ut non tot cædibus fatigatus, non ambabus manibus amiſſis victus, ad poſtremum mutilus, & veluti rabida fera, dentibus dimicaverit. Eo in prælio etiam Hippias jam octogenarius cecidit, ut Cicero & Juſtinus ſcribunt. Suidas vero, fugiſſe in Lemnum, & ibi inter magnos cruciatus amiſſo viſu, ſuptiſque oculorum venis, extinctum ſcribit.

Lacedæmonii, prælio jam finito, demum advenere, tanta profecti celeritate, ut intra triduum, quam ex Sparta diſceſſiſſent, in Atticam venerint: viſiſque cæſis Medorum, quorum etiam nomen hactenus formidabile fuerat, & laudatis ob fortitudinem Athenienſibus, domum redierunt.

Miltiades poſtea, re in inſula Paro infeliciter geſta, accuſatus, & quinquaginta talentis mulctatus, & femore putreſcente deceſſit, nihilque ipſi merita erga patriam profuerunt.

AXIOMA.

Copiæ navales plus interdum damni à tempeſtatibus, quam hoſte, accipiunt.

Maximas claſſes non hoſtilis manus, ſed oceanus & ventorum rabies deſtruxit. Sic Græci Troja capta reduces tempeſtatibus plerique perierunt. Sic Xerxis copiæ pleræque mari hauſtæ. Et ſuperiori ſeculo idem infortunium Carolus V. in Africa, Philippus II. circa Britanniam, ſenſit. Unde, quam dubia & anceps ſit potentia navalis, colligitur. Batavorum claſſem, ante biennium, cum jam hoſtes in conſpectu haberet, atrox ad Hitlandiam tempeſtas disjecit.

XXVI.

II. *ACTA OECONOMICA.*

PRIMO: CONIUGIORUM RATIO. Darius ſeptem conjuges habuit. Quarum primam duxit adhuc privatus: ſex verò reliquas Rex factus.

1. Uxor erat Gobryæ filia ἀνώνυμος, quam adhuc privatus uxorem duxit.

2. Erat ATOSSA, Cyri Magni filia, quæ antea per vim coacta *Cambyſi* fratri, & hoc demortuo, *Smerdi* Mago nupſerat, denique à *Dario* Rege in thalamum aſſumta eſt. Hæc cùm ob patris memoriam in ſumma populi veneratione eſſet, & maritum tota poſſideret, ipſum *Democedis* Crotoniatæ artibus ad oppugnandam Græciam impulit, & Xerxi filio authoritate ſua Regium conciliavit. *Herodotus* lib. 3, p. 224. *Ælianus. Suidas.*

3. ARTYSTONA tertia Cyri filia, quæ ſola fraterni matrimonii expers manens, Dario nupſit, qui tanto eam amore complexus eſt, ut imaginem ejus ex auro ſolido tunica talari effingi curarit. *Herodotus* lib. 7. pag. 465.

4. PARMYS Cyri ex filio Smerdi neptis ab eo in uxorem ducta fuit. *Herodot.* lib. 3. p. 224. Haſce tres ex Cyri domo conjuges duxit Darius Rex factus, ut Regalibus nuptiis Regnum firmaret: idque non tam in extraneum tranſlatum, quàm in familiam Cyri reverſum videretur.

5. Φαιδίμη, PHÆDIMA Ottanis filia, quæ Magum prodiderat. Quia decretum jam antefactum erat, ut Rex futurus è conjuratorum familia uxorem duceret. *Herodotus* l. 3. p. 214. & lib. 7. *Juſtin.* lib. 1.

6. Φραταγούνη, PHRATAGUNA Atarnis Darii fratris filia. Hanc Atarnes Dario fratri nuptum dedit, omnemque inſuper domum atque facultates ei tradidit: quia unica filia erat. *Herodotus* lib. 7. p. 521.

7. PANTAPTE antea in matrimonio Smerdis Magi fuit: hoc verò cæſo, in Darii torum ſuccedere jubetur. *Hieronymus* in cap. 11. Danielis.

DUBIUM.

Q. An hic Darius Hyſtaſpis fuerit maritus Eſther?

Quidam Chronologi & Hiſtorici crediderunt, hunc Darium Hyſtaſpis fuiſſe maritum Eſther: hiſce rationibus inducti.

1. *Ex Regia ſede*, quòd nempe in Suſis habitaverit. Quod idem de marito Eſther dicitur *Eſther* 1. *v.* 1, 2. Sedit Ahaſverus in ſolio Regni ſui, quod erat Suſis in urbe Regia.

2. *Ex magno erga Judæos favore.* Darius Hyſtaſpis magno Judæos favore proſequutus eſt: ut i patet ex *Eſdr.* 6, 6, 7, 8, &c.

3. *Ex*

3. *Ex uxorum denominatione.* Darius Hyſtaſpis duas habuit uxores, Atoſſam ſcil. & Artyſtonam. *Herodotus lib.* 3. Quarum illam *Vaſthin*: hanc verò Eſtherem fuiſſe putant. *Philip. Melanch.* Chron. lib. 2. p. 124. *Neander* in Synopſi Hiſtor. pag. 15. *Camerar.* Hor. ſucciſ. P. I. pag. 389. ubi ſcribit, quòd Regina Eſther, etiam *Ediſſa*, *Atoſſa*, *Ariſtona* & *Hadaſſa* appelletur.

Refutatio.

1. Verùm hæc ſententia admitti non poteſt: Quia cum magna ἀκριβείᾳ eſt conjuncta. Quod Darius Hyſtaſpis in Suſis habitaverit, nihil probat. Quia Suſa fuit communis omnium Regum Perſicorum, qui Cyro ſucceſſerunt, ſedes. *Strabo lib.* 15.

II. Darius Hyſtaſpis à *ſecundo anno* Regni ſui magno Judæos favore proſequutus eſt, ut conſtat ex *Eſdr.* 6. *v.* 6. At Ahaſverus maritus Eſther, non niſi ab *anno* Regni ſui *duodecimo*, Judæis favere cœpit: uti patet ex *Eſther.* 3. 7.

III. Prædictæ Darii uxores *Atoſſa* & *Artyſtona* fuerunt Cyri Regis Perſarum filiæ. E. nulla earum potuit eſſe Eſther. Quia Eſther fuit Judæa.

Syllogiſmus talis eſto.

Eſther fuit Judæa.

Artyſtona non fuit Judæa. Quia fuit Perſica mulier Cyri Regis Perſarum filia, & Arſamis atque Gobryæ mater. *Herodotus lib.* 7. *pag.* 465.

E. Artyſtona non fuit Eſther.

Præterea ſeptem Principes Regni tempore Darii Hyſtaſpis fuerunt Otanes, Intaphernes, (qui propter ſeditionem occiſus) Gobryas, Megabyzus, Aſpatines, Hydarnes, *&c.* At tempore Ahaſveri ſeptem Regni principes fuerunt Charſena, Sethar, Admata, Tharſis, Meres, Marſena & Menuchan. *Eſther.* 1.

XXVII.

SECUNDO: LIBERORUM GENERATIO. Ex hiſce conjugibus antea enumeratis Darius 14 liberos procreavit.

1. EX GOBRYÆ FILIA tres liberos ſuſcepit: Artabazanem, Ariabignem & Artozoſtren. *Herod. lib.* 7. *p.* 435. ARTABAZANES Darii primogenitus ob ætatem ad Regni ſucceſſionem aſpirat, Dario in Græciam expeditionem ſuſcepturo, qua in re Xerxem fratrem ex Atoſſa genitum habuit adverſarium: ſed concedere huic juſſus, quòd patre adhuc privato, Xerxes verò ex patre Rege & Atoſſa Regis filia natus eſſet, in arbitrio Judicum libenter acquievit. *Herodotus lib.* 7. *pag.* 435. *Juſtinus.*

ARIABIGNES in bello Xerxiano Ionicam claſſem & Cariam rexit: Idque munus cùm adminiſtraret graviter, & in pugna ad Salaminem inter primos dimicaret, in acie occubuit. *Herodotus lib.* 8. *p.* 559.

ARTOZOSTRE Mardonio ſobrino in matrimonium collocata fuit. *Herodotus.*

II. EX ATOSSA prima Cyri filia quatuor liberi ei ſunt geniti: Xerxes, Achæmenes, Maſiſtes & Hyſtaſpes.

XERXES primogenitus fratri Artabazani in Regni ſucceſſione præfertur, cum, hortatu Demarati Spartani, patre Rege genitum ſe contenderet, & plurimum juvaretur Atoſſæ matris authoritate, quod Regnum tenet annis 21.

ACHÆMENES Ægypto præficitur à Xerxe, quem cum auxiliis conſectatus in Græciam, & inter claſſis Duces lectus, opponit ſe *Demarato* Spartano, & urgendam mari fortunam improvidè ſuadet. Inde enim cùm, Regis everſis rebus, fugâ in Ægyptum rediiſſet, opprellus gentis defectione, ab *Inaro* Libyo trucidatur. *Herodotus lib.* 7. *p.* 438.

MASISTES à Xerxe Bactrianorum præfectus conſtitutus, interque Duces belli Græci primarios legitur. *Herodotus lib.* 7. *p.* 467. Unde cum Rege, poſt infelicem ad Salaminem pugnam, Sardes regreſſus, & conſoceri honore auctus, de uxore dimittenda (quam initio Xerxes amare cœperat, ſed poſtea amorem in filiam tranſtulerat) iniquè interpellatur, & Xerxis ducere filiam jubetur. Quod cum utrumque denegaret, & uxorem ſuam, juſſu Ameſtris Reginæ, conjugis Xerxis, horribiliter mutilatam & excarnificatam videret, in Bactriam provinciam fugere contendit, eam ad defectionem ſollicitaturus. Verum à copiis Regiis inſequentibus in fuga correptus, cumque omnibus liberis miſerè trucidatus eſt. *Herodotus lib.* 9. *pag.* 630, 631, 632.

HYSTASPES in bello Xerxiano Bactrianorum & Sacarum (h. e. Scytharum Amyrgiorum, quos Perſæ ita appellabant,) Dux erat. *Herodotus lib.* 7. *pag.* 463, 464.

III. EX ARTYSTONA, tertia Cyri filia, duos filios habuit, Arſamem & Gobryam.

ARSAMES in bello Xerxiano Æthiopibus, qui ſunt trans Ægyptum, atque Arabibus præerat. *Herodotus lib.* 7. *p.* 465.

GOBRYAS in eodem bello Marian lynorum & Libyum & Syrorum Dux fuit. *Herodotus ibid.*

IV. EX PARMY Smerdis filia & Cyri nepte natus eſt *Ariomardus.*

ARIOMARDUS in bello Xerxiano Moſchorum & Tibarenorum Dux fuit. *Herodotus lib.* 7. *pag.* 466.

V. Ex

v. Ex PHRATAGUNA Atarnis filia nati Dario ſunt duo filii, nempe ABROCOMES & HYPERANTHES: Qui Xerxen in Græciam ſequuti, ambo ad Thermopylas occubuerunt, cum Leonidæ occiſi cadaver auferre conati, audaciùs in hoſtes provecti eſſent. *Herodotus lib. 7. pag.* 521.

VI. Ex PHÆDIMA Otanis filiâ geniti ſunt Arſamenes & Anutis.

ARSAMENES Utinorum & Mucorum Dux fuit. *Herodotus lib. 7. pag.* 464.

ANUTIS fuit in matrimonio Bagazi, mulierum totius Aſiæ, ut formâ præſtantiſſima, ita animo & moribus incontinentiſſima. *Athenæus lib.* 13. *c.* 32.

XXVIII.

TERTIO: LIBERORUM EDUCATIO. *Plato lib. 7. de Legibus*, Darium laudat, ſed culpat eum ob molliorem filii Xerxis educationem. Quâ in parte etiam Cyrus Rex Perſarum primus graviter peccavit; uti ex Hiſtoria *Cyri* §. 20. patet.

XXIX.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Darius illuſtria pietatis in Deum verum edidit ſpecimina. Nam

1. Adhuc privatus votum fecerat Deo de omnibus vaſis ſacris antea à Nabuchdonoſore Babylonem aſportatis in templum Hieroſolymitanum remittendis, deque ipſa urbe reædificanda, ſi regnum adipiſceretur. *Joſeph. lib.* 11. *Antiq. Judaic. cap.* 4. *pag. mihi* 283.

2. Regnum adeptus renovavit Cyri decretum de exſtruenda domo Domini & ipſa urbe reparanda. Sumtus quoque largiſſimos ex ærario ſuo ad templi ſtructuram ſuppeditari juſſit, ut opus eo melius promoveretur: ſacerdotibus ſacra peracturis, quicquid opus eſſet, præberi de ſuo curavit, ut Deum pro vita Regis & filiorum ejus deprecarentur. Hæc ejus ſtatuta quicunque mutaturus eſſet, iſti non modò ſuſpendium conſtituit, & omnium bonorum proſcriptionem, ſed Deum etiam ipſe precatus, ut diſſiparet omnia Regna, omnemque populum, qui ædificationem templi Hieroſolymitani impedire conaretur. 1 *Eſdr. c.* 6. 3 *Eſdræ c.* 4.

CONTROVERSIA CHRONOLOGICA.

De ædificatione templi Hieroſolymitani ſecundi, nempe ſub quo Rege Perſarum, & quoto ejus anno illa permiſſa, diu intermiſſa, & poſtea repetita, & tandem conſummata fuerit, magna inter Theologos & Chronologos viget controverſia. Nos autem, ut tota hæc controverſia, quæ non tantùm utilis, ſed etiam ad multa ſcripturæ loca dextrè intelligenda ſummè eſt neceſſaria, eo meliùs expediatur, quatuor Propoſitionibus ſententiam veram proponemus, & ſimul antitheſin adjungemus, eamque refutabimus.

PROPOSITIO I.

De Templi Jeroſolymitani ſecundi fundatione.

Apud omnes in confeſſo eſt, ſecundo Cyri primi Perſarum Regis anno, templi Jeroſolymitani ſecundi fundamenta jacta eſſe. Ipſe namque in PRIMO ANNO Regni ſui ſive Monarchiæ, *Edictum* de domo Dei in Jeroſolymis ædificanda promulgavit; uti patet ex *Eſdr.* 1. *v.* 2. ubi verba Edicti talia exſtant. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus cœli, & ipſe præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa. Confer. *Eſd.* 6. *v.* 13.

Exſecutio autem hujus *Edicti* facta *ſecundo anno* Cyri. h. e. SECUNDO ANNO Cyri fundamenta templi jacta ſunt: uti ex *Eſdr. c.* 3. *v.* 10, 12. patet, ubi dicitur, quòd *Zorobabel* filius Salathiel & Dux populi & *Jeſus* Pontifex opus ædificationis templi ſtrenuè urſerint, interque jubilationes ſimul ac fletus fundamenta ejus poſuerint.

DUBIUM.

At *Eſdræ* 5. *v.* 2. expreſſe legitur, quod SECUNDO ANNO DARII cœperint ædificare templum Domini in Jeruſalem. Similiter ex *Aggæi* 1. & 2. *capp.* hoc ipſum non obſcurè colligitur. *Aggæi* 1. *v.* 1. 2. dicitur: *In anno ſecundo Darii Regis* factum eſt verbum Domini ad Zorobabel Ducem Juda, & ad Jeſum ſacerdotem magnum, dicens: Populus iſte dicit: Nondum venit tempus Domus Domini ædificandæ? *verſ.* 7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras, aſcendite in montem, portate ligna, & *ædificate domum. v.* 14. Et ſuſcitavit (Deus) ſpiritum Zorobabel Ducis Juda & Jeſu ſacerdotis magni, & ſpiritum reliquorum de omni populo, & venerunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei ſui. Confer *Aggæi* 2. *v.* 1. & 4. Et *v.* 19. expreſſe inquit Deus: Ponite obſecro corda veſtra, ab hodierno die, qua FUNDAMENTA JACTA SUNT TEMPLI DOMINI. Si ergo *ſecundo anno Darii* fundamenta templi ſecundi jacta ſunt: quomodo dici poteſt, illa ſecundo anno Cyri jacta eſſe?

RESPONSIO.

Fundamenta templi

Interioris, in quo ſancta, & ſancta ſanctorum erant, anno ſecundo Cyri jacta ſunt: ſicut *Eſdras cap.* 3. *v.* 10. 12. affirmat, uti *Beda* explicat. Et hiſce fundamentis jactis, Sacerdotes & Levitæ, in ornatu ſuo poſiti, cum tubis & organis laudaverunt Dominum. *Eſdr. c.* 3. *v.* 8. 10, 11.

Exterioris, in quo erant atrium, porticus & gazophylacium, ſive exedræ, jacta ſunt anno ſecundo Darii Hyſtaſpis, die vigeſimo quarto menſis noni: ſicut *Aggæus* commemorat.

Quare quando *Eſdræ c.* 5. *v.* 2. dicitur: *Templum ſecundo anno Darii* ÆDIFICARI COEPISSE, intelligenda ſunt illa verba, *non in ſenſu abſoluto*, ſed *limitato*, h. e. non de inchoatione templi ſimpliciter & abſolutè, (uti patet ex *Eſdr. c.* 3. *v.* 10, 12.) ſed tantùm ejus, quod ſuppoſitis fundamentis ſuperſtructum & ſuperimpoſitum fuit, quod proprie nominatur templum, & hoc cœpiſſe ædificari anno ſecundo Darii Hyſtaſpis, nemo inficias ire poterit. Vide *Eſdræ* 4. *v.* 24.

USUS ELENCTICUS.

1. Hinc patet error *Janſenii*, qui ſuper *c.* 2. *Johan.* ſcribit, *fundationem templi ſecundi primo anno Cyri* factam eſſe; idque probare conatur ex *Eſdræ c.* 6. *v.* 3. Verùm *diſtinguendum* eſt inter *decretum Cyri* & *Exſecutionem decreti*. Cyrus primo anno decretum fecit, ut domus Dei exſtrueretur, ſicut expreſſe verba Eſdræ ſonant; *Eſdræ* 1. *v.* 1. & *Eſdræ* 6. *v.* 3. ſed ſecundo demum Cyri anno exſecutio decreti facta, h. e. fundamenta templi jacta ſunt, uti ex *Eſdr c.* 3. *v.* 8, 10. patet. II. Errant illi, qui, ut demonſtrare queant, templum hoc ſecundum 46 annis ædificatum eſſe, (ſicut Judæi ad Chriſtum *Johan.* 2. *v.* 21. aiunt,) ſupputationem à primo anno Cyri inchoant hoc modo:

Cyrus regnavit annis —— 31.
Cambyſes filius ejus annis 9.
Magi duo menſibus —— 7. Qui novem annis Cambyſis annumerantur.

Hi anni ſimul efficiunt annos 40. Adde 6. Darii. (Nam ſexto ejus anno ædificium abſolutum fuit.) ecce anni 46, de quibus Judæi loquuntur. Vide *Druſium lib.* 4. Præteritor. Novi Teſtamenti in *cap.* 2. *Iohan. pag.* 150. Confer *D. Chemnit. lib.* 2. *Harmon. cap.* 27. *pag.* 123.

Verùm fundatio templi facta eſt anno ſecundo Regni Cyri. non ſimpliciter, h. e. quo, Aſtyage victo, Rex factus eſt; ſed limitate, nempe Monarchiæ ejus, quo dicere potuit, Deum omnia Regna terræ dediſſe ſibi. *Eſdr.* 1. *v.* 2. Quod devicto Aſtyage dicere haud potuit.

PROPOSITIO II.

De ſtructuræ Templi intermiſſione.

De intermiſſione ſtructuræ templi ita ſcribitur *Eſdr.* 4. *v.* 4. *Factum eſt igitur, ut populus terræ* (intelliguntur Samaritani) *impedirent manus populi Judæ, & turbaret eos in ædificando.* v. 5. *Et conducebant mercede contra eos conſiliarios, ut deſtruerent conſilium eorum* OMNIBUS DIEBUS CYRI *Regis Perſarum*: ET USQUE AD REGNUM DARII *Regis Perſarum.* v. 6. IN REGNO AHASVEROS *in principio Regni ejus ſcripſerunt accuſationem adverſus habitatores Judæ & Jeruſalem.* v. 7. Et in diebus ארתחשסתא ARTACHSASTA (quidam reddunt *Artaxerxis*) ſcripſit Beſelam Mithridates, & Tabeel & reliqui, qui erant in conſilio eorum (nempe Epiſtolam accuſatoriam) ad Arthaſaſtam (vel Artaxerxem) Regem Perſarum.

Ut autem hæc verba rectè intelligantur, duæ Quæſtiones ſunt notandæ: 1. *Sub quibus Regibus.* 2. *Quamdiu ſtructura* templi impedita fuerit.

QUÆSTIO I.

Sub quibus Regibus ſtructura Templi Impedita fuerit?

Eſdras *quatuor Reges* enumerat, ſub quibus ſtructura templi impedita fuit.

I. SUB CYRO. Nam dicit *Eſdras*, quod Samaritani conſilium Judæorum deſtruxerint *omnibus diebus Cyri Regis Perſarum.* Quod non ita intelligendum, quaſi Cyrus initiò quidem dimiſerit Judæos, ſed poſtea accuſationibus hoſtium Judæorum motus continuationem ædificii templi non promoverit. Falſum. Nam ſuſpenſio fabricæ templi non Cyro, ſed Conſiliariis ejus pecunia corruptis à Samaritanis Judæorum hoſtibus in textu expreſſis verbis adſcribitur.

II. SUB ACHASVERO; per quem intelligitur *Cambyſes* II. Rex Perſarum. Hic namque, dum Cyrus domo abeſt, variis bellis implicitus, Gubernator inſtitutus fuit, & poſtea patri trucidato ſucceſſit, qui inſtigatus ab hoſtibus Judæorum ſtructuram templi prohibuit.

III. SUB ARTHASASTA. Per hunc quidam intelligunt *fratrem Cambyſis Tanyoxarſen*, quem Cyrus conſtituerat Regem Bactrianorum, Parthorum

thorum & Carmaniæ, uti ſcribit Cteſias Cnidus, apud Photium in Bibliotheca *pag.* 54. cuique Cambyſes ipſe ab obitu Cyri patris ſui in Ægyptum deſcendens gubernationem totius Regni commiſit. Poteſt etiam intelligi *Pſeudo-Smerdis Magus*, qui ſeptem menſes ſub nomine veri Smerdis filii Cyri in Monarchia Perſarum regnavit. Ad hoſce ſimiliter Samaritani literas accuſatrices miſerunt, tantumque effecerunt, ut ſtructura templi Judæis prohibita fuerit. Ubi notandum eſt, quod nomina *Achaſverus* & *Arthaſaſta*, h. l. non ſint nomina propria, ſed appellativa. Nam nomina Regibus mutata fuerunt, quando Imperii adminiſtrationem ſuſceperunt, ſicut etiam Joſephus Scaliger notat & probat. Quare Cambyſes privato & proprio nomine dictus fuit Cambyſes avo ſuo paterno ὁμώνυμος: At publico & regio nomine *Ahaſverus* dictus fuit. Similiter Smerdis, ſive verus ſive falſus, privato & proprio nomine Smerdis: at Regio & publico *Arthaſaſta* appellatus fuit.

IV. SUB DARIO. Nam inquit *Eſdras c.* 4. *verſ.* 5. Quod doloſi Conſiliarii in aula Cyri, dum ipſe multis magniſque bellis implicitus eſſet, conſilium Judæorum impediverint *omnibus diebus* CYRI, *& uſque ad Regnum* DARII *Regis Perſarum.* Ubi non intelligendus eſt *Darius Medus*, (Hic namque ante biennium fere mortuus erat, uti conſtat ex edicti Cyri promulgatione, in quo dicit: Deum cœli dediſſe ſibi OMNIA REGNA TERRÆ, h. e. ſe eſſe Monarcham ſive omnium Regnorum terræ Dominum. Ergo jam tunc deceſſerat Darius Medus, qui paulo ante regnabat ſuper Medos, Babylonios & Aſſyrios, & eidem ſucceſſerat Cyrus: Alioquin ipſe ſe non potuiſſet appellare Monarcham, h. e. omnium Regnorum terræ Dominum.) ſed *Darius Hyſtaſpis* III Rex Perſarum, ad cujus annum ſecundum uſque hoſtes Judæorum ſtructuram templi impediverunt.

NOTA.

[In *v.* 6. in *vulgata verſione* Latina ſphalma verſionis commiſſum eſt, quando dicitur: *In diebus Ahaſchveros, (ipſe eſt Artaxerxes) in principio Regni ejus ſcripſerunt.* Hæc parentheſis: *Ipſe eſt Artaxerxes*: in fonte non exſtat. Quare dicendum, quod AHASVERUS & ARTHASASTA non unus, ſed duo diſtincti ſint Reges. Nam in *v.* 6. dicitur: *In diebus Ahaſveros* ſcripſerunt accuſationem. In *v.* 7. additur: *Et in diebus Artaxerxis* ſcripſit Beſalam, *&c.* Quæ particula & copula ET oſtendit, duos diſtinctos Reges introduci. Quare non ſub tribus, ſed ſub quatuor Perſarum Regibus fabrica templi eſt impedita; uti ex dictis patet.]

ERROR.

Quare errant *Joſephus Scaliger lib.* 6. *de Emendat. Tempor. Tremellius & Franciſcus Junius*, *Sethus Calviſius in præfat. Chronolog. pag.* 152. qui tradunt, templi ſtructuram ſub *quinque* Regibus Perſicis impeditam eſſe; videlicet 1. Sub *Cyro. Eſdr.* 4. 4. 2. Sub *Cambyſe*, qui quidem expreſſe ab Eſdra non nominetur, ſed tamen phraſi ET USQUE AD Regnum Darii comprehendatur. 3. Sub *Dario Hyſtaſpis. ibid. verſ.* 4. 4. Sub *Ahaſvero*, h. e. Xerxe marito Eſther. *verſ.* 6. 5. Sub *Arthaſaſta*, h. e. Artaxerxe Longimano. ibid. *verſ.* 7. Verum hæc prædictorum Authorum opinio eſt erronea; uti ex dictis patet, & ex dicendis in Propoſitione III clarius patebit.

QUÆSTIO II.

Quamdiu ſtructura Templi impedita fuerit?

Circa hanc Quæſtionem ſimiliter authores antea nominati graviter impingunt. Nam ſtatuunt, ſtructuram templi ſub quinque Regibus Perſicis, annis nempe 106, impeditam fuiſſe.

Sub Cyro, anno uno.		
Sub Cambyſe & Magis	annis	8.
Sub Dario Hyſtaſpis		36.
Sub Ahaſvero vel Xerxe		21.
Sub Arthaſaſta vel Artaxerxe Longimano.		40.

Qui in ſummam ſubducti faciunt annos 106, Verum & hujus Quæſtionis falſitas in Propoſitione III ad oculum demonſtrabitur.

Contra autem *Theologi* pariter & *Chronologi*, tum *antiquiores* tum *recentiores*, unanimi conſenſu docent, ſtructuræ templi intermiſſionem vel 14 vel 10 annis tantum duraſſe. Quod ita oſtenditur.

1. Sub *Cyro*, ſecundum	*alios*,	quinque annis non completis.
	alios,	tantum ſex menſibus.
2. Sub *Cambyſe* & *Magis*	annis	8.
3. Sub *Dario Hyſtaſpe*		2. incompletis.
Qui conjuncti faciunt annos		10.

DUBIUM.

Q. Quare Deus inſtaurationem templi ſecundi (per Cyrum promovendam, & plus quam 200 annis ante à Spiritu S. prædictam per *Ieſaiam Prophetam cap.* 44. *v.* 28.) nunc finitis 70 hebdomadibus tamen non impleat, ſed complementum ejus per 10 aut 14 annos uſque ad annum ſecundum Regni Darii impediri patiatur.

Reſp. Tres hujus rei cauſæ dari poſſunt.

1. Eſt *malitia diaboli*, qui Eccleſiæ Dei ſummo cona-

conatu ſeſe opponit, ejuſque ſalutem, permittente Deo, miris modis impedire ſatagit, ut hac ratione gloria Dei illuſtretur, & fides, obedientia & patientia piorum probetur, & auro illuſtrior inveniatur. 1 *Petr.* 1. Huc digitum intendit *Daniel Propheta cap.* 10. *v.* 13. ubi narrat, quod Angelus Gabriel anno Cyri Regis Perſarum tertio ſibi apparuerit & narrarit, quod Princeps Perſarum, h. e. aulicus quidam Dæmon, Cambyſis animum immanibus odiis adverſus Judæos impleverit, ita ut plenariam populi reductionem, ſuſpenderit, & templi ædificationem impediverit. Hæc autem pugna inter bonum & malum Angelum duravit 21 dies, donec ille à Michaële Archangelo adjutus adverſus hunc prævaluit, & apud Monarcham Perſicum palmam obtinuit.

Similiter legimus *Zach.* 3. *v.* 1. quod Prophetæ Zachariæ in viſione oſtenſus ſit *Jeſus* Pontifex M. poſt egreſſum è captivitate Babylonica ſtans, velut in judicio coram Angelo Domini, h. e. filio Dei, cui Pater omne judicium dedit, *Johan.* 5. à cujus dextris ſteterit Satan ut adverſaretur ei, h. e. eum accuſaret, quod propter peccata indignus eſſet, qui Sacerdotio fungeretur, & templum ædificaret.

11. *Peccata populi.* Nam populus Judaicus ſubipſa templi ſtructura graviter peccavit; uti ex *Hagg. cap.* 1. patet, ubi *v.* 1. narratur, quod verbis Prophetæ fidem habere noluerit. Et *v.* 10. dicitur, quod Judæi majorem curam conatumque ædibus propriis exſtruendis, quam templo Domini ædificando impenderint, ideoque ira Dei ſuper illos manſerit, uti ex *verſ.* 3, 4, 5, 6. colligitur. *Confer. Pſalm.* 81. *v.* 13, 14.

111. *Antiquus mos Dei.* Deus namque finit Eccleſiam in tales ac tantas redigi anguſtias, ut omnibus de ea actum eſſe videatur, ſed tandem hanc moram auxilii gloria illuſtriori compenſat. Deus namque ſanctos ſuos mirabiliter ducit. *Pſalm.* 4. *verſ.* 3. Ipſe in infernum ducit, & ex eo reducit. 1 *Sam.* 2. Ipſe oſtendit piis tribulationes magnas, multas & malas, & converſus vivificat illos, & de abyſſis terræ iterum reducit eos. *Pſal.* 71. *v.* 20, 21. Exemplum h. l. habemus in populo Judaico. Huic initio Cyrus libertatem in patriam migrandi, & templum Domini ædificandi poteſtatem conceſſerat. *Eſdr.* 1, *verſ.* 2. Rurſus eam Cambyſes impediebat. *Eſdr.* 4. Poſtea rurſus Darium Hyſtaſpis & Artaxerxem Longimanum excitabat, qui edictis ſumtibuſque ſuis ſtructuram templi juvabant, uſquedum compleretur. Hoc ſane magnificentius erat, quam ſi Cyrus ſolus omnia præſtitiſſet. Hi mores atque moræ Dei ſunt diſcendæ, auxiliumque Dei patienter exſpectandum. Pulchrum epigramma *Alardi mei ex aureo lib.* 3. *Epigramm.* §. 27. huc referri poteſt:

Cœlitus auxilium rebus qui poſcis in arctis,
Diſce Dei mores ferre, moraſque pati.
Nempe Dei mos eſt, primum merſare profundo,
Ex imo merſum poſt revocare ſalo.
Et mora nota Dei eſt: quod non mala protinus aufert,
Quando placet nobis, ſed ſibi quando placet.

PROPOSITIO III.

De Templi ſecundi repetitione ſive continuatione.

De hac propoſitione ſimiliter diſtinctæ Theologorum & Chronologorum ſunt ſententiæ,

1. *Severus Sulpitius lib.* 2. *Hiſtor. Sacræ.* Item, *Tremellius & Junius in Bibliis. Joſeph. Scalig. lib.* 6. *de emendation. Tempor. Sethus Calviſius in præfat. Chronol. ſuæ. pag.* 152. contendunt, templi ſecundi ſtructuram ſub Dario Notho VI, Perſarum Rege, repetitam eſſe.

2. Nos vero præſtantiſſimorum Eccleſiæ Doctorum atque Chronologorum, tum veterum tum recentiorum, ſententiam amplectimur, qui ſtructuram templi anno ſecundo Darii Hyſtaſpis repetitam atque continuatam eſſe affirmant. Quam ſententiam ſequentibus argumentis confirmamus.

1. *Ab Eſdræ teſtimonio.* Nam *Eſdr.* 4. *v.* 4, 5, 6, 7. ita legimus: *Factum eſt igitur, ut populus terræ* (h. e. gens Samaritana) *impediret manus populi Judæ, & turbaret eos in ædificando. Et conducebant mercede contra eos conſiliarios, ut deſtruerent conſilium eorum* OMNIBUS DIEBUS CYRI *Regis Perſarum.* IN REGNO ACHASVEROS *in principio Regni ejus ſcripſerunt accuſationem adverſus habitatores Judæ & Jeruſalem. Et in diebus* אחשתרש ARTACHSASTA (quidam reddunt Artaxerxis) *ſcripſit Beſelam, Mithridates & Tabeel, & reliqui, qui erant in conſilio eorum* (nempe epiſtolam accuſatoriam) *ad Arthaſaſtam* (vel Artaxerxem) *Regem Perſarum.* Cum hiſce verbis conjungatur. *verſ.* 24. *Tunc intermiſſum eſt opus domus Domini in Jeruſalem, & non fiebat* USQUE AD ANNUM SECUNDUM REGNI DARII, *Regis Perſarum.* In hiſce verbis intermiſſio ſtructuræ templi deſcribitur dupliciter. 1. *Generaliter* deſcribitur in *verſ.* 5. tum ratione *termini* A QUO, tum ratione *termini* AD QUEM. h. e. quando inceperit, & quamdiu duraverit, nempe in diebus Cyri Regis. Cum enim Cyrus multis magniſque bellis occupatus domo abeſſet, interea quidam in aula ejus perfidi Conſiliarii ædificationem

nem templi doloſè impediverunt, & hoc impedimentum duravit, uſque ad Regnum Darii, ſcilicet Hyſtaſpis III. Perſarum Regis. 2. *Specialiter* deſcribitur in *verſ.* 6, 7. *A quibus Regibus* ſtructura ſit impedita, nempe ab AHASVEROS, hoc eſt, Cambyſe, & ARTHASASTA, h. e. Cambyſis fratre, nempe Smerdi, vel etiam Pſeudo-Smerdi, qui ſub veri Smerdis jam occiſi nomine ſeptem menſes in Perſia regnavit. Deinde in *v.* 12. *Formula Epiſtolæ accuſatoriæ* deſcribitur hiſce verbis: *Notum ſit Regi, quia Judæi, qui aſcenderunt à te, ad nos venerunt, in Jeruſalem rebellem & peſſimam, quam ædificant, exſtruentes muros ejus, & parietes componentes. v.* 13. *Nunc igitur notum ſit Regi, quia ſi civitas illa ædificata fuerit, & muri ejus inſtaurati, tributum & vectigal, & annuos reditus non dabunt, & uſque ad Reges hæc noxa perveniet. v.* 14. *Quandoquidem igitur templum deſtruximus, neque contemtum Regis aſpicere nos decet; ideirco miſimus & nuncupavimus Regi, v.* 15, *ut inquiras in libris hiſtoriarum patrum tuorum, & invenies ſcriptum in commentariis: & ſcies, quoniam urbs illa, urbs rebellis & nocens regibus & provinciis, & rebellionem fecerunt in ea: quamobrem & civitas ipſa deſtructa eſt.* Unde patet, quod de adventu nupero, & in diebus Regis facto loquantur. *Tertio* in *v.* 17, 18, 19, 20, 21, 22. continetur *reſcriptum Regis*, cujus ſumma hæc eſt, ut nempe ædificationem urbis inceptam ſerio illis inhibeant. *Quarto v.* 23. exprimitur *exſecutio mandati vel reſcripti Regii*, quod nempe Beelteem & Samſai ſcriba ſtatim Jeroſolymam abierint ad Judæos, eoſque in brachio & robore prohibuerint. *Quinto* in *v.* 24. ſubjungitur *Eventus*, quod nempe opus domus Domini in Jeruſalem intermiſſum ſit uſque ad annum ſecundum Regis Darii. In anno autem ſecundo Regis Darii ædificatio per annos 10 aut circiter interrupta, rurſus eſt inchoata & continuata. Quia ſtatim in *cap.* 5. ejuſdem *libri v.* 1. legitur, quod Aggæus & Zacharias Prophetæ prophetarint ad Judæos, qui erant in Juda & Jeruſalem: & ad prophetiam eorum tunc ſurrexerint Zorobabel filius Salathiel, & Joſue filius Joſedec, & cœperint ædificare templum Dei in Jeruſalem, & cum eis Prophetæ Dei adjuvantes eos. Cumque Thathanai Dux Perſicus in terra Chanaan, ad Regem Darium id perſcriberet, & in archivis inquiri peteret, an verum ſit, quod Cyrus Judæis templi reſtaurationem permiſerit. *Eſdræ* 5. 3, 5, 6, 7. igitur Rex Darius reperto in Cancellaria Cyri decreto, ſeveriſſimè mandat Thathanai Duci ſuo, ut Judæis non tantum templi ædificationem permittat, ſed etiam omnibus rebus neceſſariis juvet: imo ſuſpendium illis, qui templi ædificationem impedire velint, minatur. *Edictum Regium exſtat Eſdræ c.* 6. *v.* 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. ejuſque verba ita ſonant: *Nunc ergo, Thathanai Dux regionis, quæ eſt trans flumen, Stharbuzanai, & conſiliarii veſtri Apharſachæi, qui eſtis trans flumen, procul recedite ab illis. Et dimittite fieri templum Dei illud à Duce Judæorum, & à ſenioribus eorum, ut domum Dei illam ædificent in loco ſuo. Sed & à me præceptum eſt, quid oporteat fieri à presbyteris Judæorum illis, ut ædificetur domus Dei, ſcilicet ut de arca Regis, id eſt, de tributis, quæ dantur de regione trans flumen, ſtudioſe ſumtus dentur viris illis, ne impediatur opus. Quod ſi neceſſe fuerit, & vitulos, & agnos, & hœdos in holocauſtum Deo cœli, frumentum, ſal, vinum & oleum, ſecundum ritum ſacerdotum, qui ſunt in Jeruſalem; detur eis per ſingulos dies; ne ſit in aliquo querimonia. Et offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vita Regis & filiorum ejus. A me ergo poſitum eſt decretum: Ut omnis homo qui hanc mutaverit juſſionem, tollatur lignum de domo ipſius, & erigatur, & configatur in eo; domus autem ejus publicetur. Deus autem, qui habitare fecit nomen ſuum ibi, diſſipet omnia regna, & populum, qui extenderit manum ſuam, ut repugnet, & diſſipet domum Dei illam, quæ eſt in Jeruſalem. Ego Darius ſtatui decretum, quod ſtudioſe impleri volo.* Et *verſ.* 13, 14. deſcribitur exſecutio decreti Regii hiſce verbis: *Igitur Thathanai Dux regionis trans flumen, & Stharbuzanai, & conſiliarii ejus, ſecundum quod præceperat Darius Rex, ſic diligenter exſecuti ſunt. Seniores autem Judæorum ædificabant, & proſperabantur juxta prophetiam Haggai Prophetæ, & Zachariæ filii Iddo, & ædificaverunt & conſtruxerunt*, &c.

Hinc tale argumentum exſtruitur.

Talis intelligitur Darius Rex Perſarum, per quem templi ſecundi ædificatio eſt repetita, cujus tempore Haggæus & Zacharias Prophetæ prophetarunt, & Zorobabel Dux & Jeſus Pontifex populo Iſraëli præfuerunt: uti patet ex *Eſdr.* 4. 24. & *c.* 5. *v.* 1, 2.

Jam vero Haggæus & Zacharias non tempore Darii Nothi, ſed tempore Darii Hyſtaſpis prophetarunt: quia non diu poſt egreſſum populi ex captivitate Babylonica prophetarunt, & Zorobabel Dux atque Jeſus Pontifex populum è captivitate Babylonica eduxerunt.

E. Darius ille Rex Perſarum, per quem templi II. ædificatio eſt repetita, non eſt Darius Nothus, ſed Darius Hyſtaſpis.

11. *Ab Haggai Prophetæ calculo. Hagg. cap.* 1. *v.* 1. In anno ſecundo Darii Regis, in menſe ſexto, in die una menſis, factum eſt verbum Domini in manu Haggæi Prophetæ, ad Zorobabel filium Salathiel ducem Juda, & ad Jeſum, filium Joſedec, ſacerdo-

cerdotem magnum, &c. v. 7. Hæc dicit Dominus exercituum: *Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras. v. 8. aſcendite in montem, portate ligna, & ædificate domum: & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus. v. 12. Et audivit Zorobabel filius Salathiel, & Jeſus filius Joſedec ſacerdos magnus, & omnes reliquiæ populi, vocem Domini Dei ſui, & verba Haggæi Prophetæ, ſicut miſit eum Dominus Deus eorum ad eos: & timuit populus à facie Domini. v. 13. Et dixit Haggæus Legatus Domini, de legatione Domini populo dicens: Ego vocatus ſum, dicit Dominus. v. 14. Et ſuſcitavit Dominus ſpiritum Zorobabel filii Salathiel, ducis Juda, & ſpiritum Jeſu filii Joſedec ſacerdotis magni, & ſpiritum reliquorum de omni populo: & ingreſſi ſunt & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei ſui.*

Memoria & obſervatione dignum eſt, quod Judæi ſola exhortatione Prophetarum Haggæi & Zachariæ templi ædificationem aggreſſi ſunt, abſque conſenſu Darii Regis Perſarum, ſecure interim exſpectantes Regiam inchoati operis confirmationem. Quare fidem ſuam in promiſſiones divinas, quas ex Prophetis acceperant, egregie declararunt.

III. *Ab amorum iræ Dei ſuper populum Iſraël complemento.* Zacharias Propheta ſcribit *cap.* 1. *v.* 1, 12. ſe in ANNO SECUNDO in MENSE OCTAVO in viſione audiviſſe Angelum Domini dicentem: *Domine exercituum, uſquequo non miſereberis Jeruſalem & urbium Juda, quibus iratus es?* IS JAM SEPTUAGESIMUS ANNUS EST? In hiſce verbis velut indice digito terminus iræ divinæ ſuper populum Iſraël & ſuper Jeruſalem notatur, quando annus ſeptuageſimus deſolationis templi & urbis nominatur, iſque in anno ſecundo Darii (nempe Hyſtaſpis) completus eſſe dicitur: ſicut rectè *D. Hieronymus in Prologo ſuper Haggæum* ſcribit: SECUNDO ANNO DARII Regis Perſarum, FILII HYSTASPIS, ſeptuageſimum annum deſolationis templi fuiſſe completum, quem Jeremias vaticinatus eſt, Zacharias quoque Propheta teſtis. Qui cum viſionis ſuæ titulum in ſecundo anno ejuſdem Regis propoſuiſſet, adjecit, dicens: Domine exercituum, uſquequo non miſereberis Jeruſalem & urbium Juda, quibus iratus es? Iſte ſeptuageſimus annus eſt. Conſentit *Clemens Alexandrinus lib.* 1. *Stromat.* Et *Euſebius lib.* 8. *demonſtrationis Evangelicæ.* Hic certe Zachariæ locus eſt longe clariſſimus, ideoque diligenter contra Scaligerianos notandus eſt. Neque eſt quod quidam Interpp. locum Zachariæ adductum ita exponant, dicentes: Verba Zachariæ eſſe interrogativa, non enunciativa. Ideoque ſenſum Angeli ibidem loquentis hunc eſſe: Uſquequo Domine non miſereberis Jeruſalem & urbium Juda; quibus iratus es? Forſitan nondum advenit annus ſeptuageſimus? Quaſi ſubjungere voluerit: Ille enim jamdudum expletus eſt. Verum hic eſt ſenſus *Nome iſte jam ſeptuageſimus annus eſt?* q. d. Utique jam promiſſum miſerendi tempus advenit. Deinde idem Propheta *cap.* 7. *v.* 5. acta ſub anno prædicti Darii quarto commorans, eorundem quoque 70 annorum tanquam proxime præteritorum meminit, dicens: Cum jejunaretis & plangeretis in quinto & ſeptimo menſe, PER HOS SEPTUAGINTA ANNOS, nunquid jejunium jejunaſtis mihi?

IV. *Ab unanimi omnium Doctorum calculo.* Quod ſub Dario Hyſtaſpis templi Jeroſolymitani ædificatio repetita ſit, omnes authores unanimi conſenſu docent. Ex Ebræis *Joſephus l.* 11. *Antiqu. Judaic. cap.* 4. *pag.* 283. Ex Chriſtianis omnes tam Græci quam Latini, tam veteres, quam recentiores, paucis exceptis. Jam vero in hoc genere doctrinæ concors omnium ſententia inſtar firmiſſimæ rationis apud intelligentes rerum æſtimatores eſſe debet.

V. *A multorum abſurdorum cumulo.* Sententia Scaligeri & eorum, qui illum ſequuntur, multis abſurditatibus ſcatet. Nam ſi Scaligeri ſententia, & eorum, qui illum ſequuntur, in lance veritatis ponenda eſſet, 1. Valde monſtroſus PONTIFICUM catalogus nobis exhiberetur. Nam poſt captivitatem Babylonicam in Monarchia II, tempore Regum Perſicorum, ſex Pontifices ſive ſummi ſacerdotes fuerunt, qui enumerantur *Nehem.* 12. 10. nempe *Jeſus, Jojakim, Eljaſib, Jojada, Jonathan & Iaddus.* Jam vero Jeſus fuit Pontifex in captivitate Babylonica. E. ad minimum fuit 30 annos natus. Quia Sacerdotes ante 30 annum ad Sacerdotium non promovebantur, juxta Dei ordinationem, *Num.* 4. 3. Et præterea ipſe in captivitate Babylonica genuit filios. Quia *Eſdræ* 3. 9. legitur, quod Joſua & filii ejus ſteterint quaſi vir unus, ut inſtarent ſuper eos, qui facerent opus in templo Dei. E. Si ille ſummus Sacerdos fuit ſub Dario Notho, vixit ſub ſex Regibus Perſicis, Cyro, Cambyſe, Dario Hyſtaſpis, Xerxe, Artaxerxe Longimano, & Dario Notho; atque ita ſummo Sacerdotio ipſe ſolus functus eſſet 144 annis, & ſupra modum iſtius ſeculi μακρόβιος ſive longævus fuiſſet. Reliqui vero quinque Pontifices ſub quinque Regibus breviſſimi ævi, & ſummo Sacerdotio, centum & tribus annis ſequentibus, uſque ad Alexandrum Magnum, functi fuiſſent: Quod valde inconveniens videtur. Contra autem longe concinnior eſt ſupputatio Pontificum, quam noſtri Docto-

Doctores exhibent; nempe quòd ſummo Sacerdotio functus ſit 1. *Jeſus* filius Joſedech ſub Cyro, Cambyſe & Dario. 2. Filius ejus *Jojakim. Nehem.* 12. 10. vel *Joſabad*, *Eſdr.* 8. 33. ſub Xerxe & Artaxerxe anno ejus ſeptimo. *Joſephus lib.* 11. *Antiqu. c.* 3. 3. *Eljaſib*, nepos Jeſu, anno Artaxerxis vigeſimo. *Nehem.* 3. 1. 4. *Jojada* vel *Judas* pronepos ejus ſub finem Artaxerxis & ſub Dario Notho. 5. *Jonathan* vel *Johannes*, qui Jeſum fratrem ſuum in templo interfecit ſub Dario Notho & Artaxerxe Mnemone. *Joſeph. l.* 11. *Antiqu. Judaic. cap.* 7. 6. *Jaddus* vel *Ieddoa*, *Nehem.* 12. 10. ſub Arſame & Dario Codomanno. *Ioſeph. lib.* 11. *Antiqu. Jud. c.* 8.

2. Si templum II. anno ſecundo Darii Nothi eſt reparatum, ſequitur quòd quidam Judæorum fuerint, qui 196 annos vixerint. *Ratio* hæc eſt: Quia *Haggai* 2. 4. dicitur, quòd quidam Judæi ex captivitate Babylonica reduces ſplendorem & Majeſtatem templi priſtini à Salomone exſtructi in juventute ſua viderint. Jam vero fuerint iſti ſaltem 10 annorum, cùm in captivitatem Babylonicam abducerentur, & vixerint in exſilio annos LXX, uſque ad annum ſecundum Darii Hyſtaſpis. Addantur hiſce 35 anni Darii Hyſtaſpis reſidui, 20 Xerxis, 40 Artax. Longimani, & unus Darii Nothi. Et emergit hinc ſumma 196 annorum, quos non pauci Judæi ex captivitate Babylonica reduces, ex Scaligeri & aſſeclarum ejus ſententia, aſſequuti ſunt. At conſequens eſt falſum. Nam ad tantum ætatis gradum nullus hominum iſtius ſeculi perveniſſe legitur. E. etiam antecedens falſum erit.

3. Si templum Jeroſolymitanum anno Darii Nothi ſecundo rurſum ædificari cœptum eſt, ſequeretur quod Judæi ex captivitate reduces templo 112 vel 115 annis caruerint. At conſequens eſt abſurdum, & vaticiniis Prophetarum Jeſaiæ, Jeremiæ, Ezechielis & Zachariæ parum congruum. Unicum tantum locum ex *Zachariæ cap.* 2. conſiderandum proponam. Cum enim Angelus Domini ad Deum dixiſſet *v.* 12. *Domine exercituum, uſquequò tu non miſereberis Ieruſalem & urbium Iuda, quibus jam ſeptuaginta annos iratus es?* Ibi Deus *v.* 16. ita reſpondet: *Revertar ad Ieruſalem in miſericordiis*: DOMUS MEA ÆDIFICABITUR IN EA, dicit Dominus exercituum. Unde patet, quòd Deus ſeptuaginta annos deſolationi templi & urbis præfixerit, quo elapſo templum reædificandum erat.

Ergo antecedens quoque falſum erit, nempe templum anno ſecundo Darii Nothi reædificari cœptum eſſe.

PROPOSITIO IV.

De templi ſecundi perfectione atque conſummatione.

Templum ſecundum anno ſexto Darii Hyſtaſpis eſt abſolutum & conſummatum. Probatur hæc propoſitio ex *Eſdr.* 6. 15. Et compleverunt *domum iſtam* (h. e. templum anno ſecundo Darii denuo ædificari cœptum) uſque ad diem tertium menſis Adar, qui eſt ANNUS VI. DARII REGIS. Et fecerunt filii Iſraël Sacerdotes & Levitæ, & reliqui filiorum tranſmigrationis, dedicationem domus Dei in gaudio. Quod factum anno M. 3456. Quem numerum ſi quis memoriæ infigere velit, hoſce numeros ordine ſe ſubſequentes obſervet, nempe, 3, 4, 5, 6.

DUBIUM I.

De Regibus Perſicis, quorum mandato atque auſpicio hoc templum ſecundum ædificatum eſt.

Scaliger ex *Eſdra* 4. & 7. *capp.* oſtendere conatur, anno ſecundo Darii non Hyſtaſpis ſed Nothi templum ſecundum reædificatum eſſe. Nam *cap.* 4. *v.* 5. dicitur: Irritum factum eſſe decretum de inſtauratione templi omnibus diebus Cyri, & USQUE AD REGNUM DARII (Hyſtaſpis.) ubi particula ET USQUE accipitur incluſivè, ſicut ſæpè alias accipitur. *v.* 6. ſequitur Ahaſveros. *v.* 7. ſequitur Arthaſaſta ſeu Artaxerxes. *v.* 24. ſequitur Darius, cujus anno ſecundo templum exſtructum. *cap.* 7. *v.* 2. ſequitur alius Artaxerxes à quo miſſus fuit Eſdras. Habes hic 1. Cyrum. 2. Darium. 3. Ahaſverum. 4. Arthaſaſtam. 5. Darium. 6. Arthaſaſtam alium, ordine collocatos. Jam confer cum Hiſtoriis, & ubinam reperies Darium inter duos Artaxerxes, niſi Darium Nothum?

Reſp. In hoc argumento Scaliger ſe, quod pueri (ut aiunt) in faba, reperiſſe putat. Sed quod venia tanti viri dixerim, magna illud ἀκρασίᾳ laborat, uti firmiſſimis argumentis in Propoſitione II. demonſtratum eſt. Nam 1. Si ordo Regum Perſicorum verus & genuinus obſervatus eſt ab Eſdra, quare quæſo nullam Cambyſis mentionem facit? 2. Quænam obſecro eſt conſequentiæ ratio? Darius hic ponitur inter duos Artaxerxes: E. intelligitur Darius Nothus. Quia non niſi Darius Nothus inter duos Artaxerxes ponitur. Nam ſi decies Darii nomen expreſſiſſet Eſdras, ergone hinc concludendum foret, decem eſſe Darios? 3. Non fuit hic Eſdræ ſco-

ſcopus, ſeriem Regum Perſicorum ordine deſcribere, ſed facta eorum narrare, quinam eorum templi ſtructuram vel impediverint, vel promoverint. Unde pro re nata de illis loquitur. In *cap.* 4. *v.* 5. generaliter deſcribit, ſub quibus Regibus ſtructura templi ſit impedita, nempe ſub Cyro bellis implicato, illudque impedimentum duravit uſque ad Darium Hyſtaſpis, quis verò eam impediverit, non exprimit. In *v.* 6. *&* 7. intermiſſio templi in ſpecie exprimitur, à quibus Regibus facta ſit, nempe ab Ahaſvero & Arthaſaſta, per quos Cambyſes ejuſque frater Smerdis, aut etiam Pſeudo-Smerdis intelliguntur. Et illa intermiſſio ſtructuræ duravit uſque ad annum ſecundum Darii, nempe Hyſtaſpis, cujus in *v.* 5. mentionem fecit. Non enim alius Darius in *v.* 5. & alius in *v.* 24. intelligendus eſt, ſed unus idemque. Quia ſunt eadem verba, quæ abſque monſtroſa divulſione ad diverſa applicari ſubjecta nequeunt: ſicut in Propoſitione II. evidenter & ocularitèr demonſtravimus.

DUBIUM II.

Eſdræ 6. 14, 15. dicitur, Iſraëlitæ ædificaverunt & conſtruxerunt, jubente Deo Iſraël, & jubente CYRO, & DARIO & ARTAXERXE Regibus Perſarum, & compleverunt domum iſtam, uſque ad diem tertium menſis *Adar*, qui eſt annus ſextus Regis DARII. Hic ſanè Darius poſt Artaxerxem ponitur. E. non poteſt intelligi Darius Hyſtaſpis Rex Perſarum tertius; hic namque Artaxerxis Longimani avus fuit: ſed Darius Nothus, ſextus Rex Perſarum. Si ergo tres Reges Perſici ſtructuram templi promoverunt; quomodo hoc ipſum ſoli Dario Hyſtaſpis tribui poteſt? Nam particula copulativa ET hoſce tres Reges conjungit.

RESPONSIO.

Eſdras in uno generali aphoriſmo, totius ſtructuræ opus comprehendere voluit, nempe, quod poſt captivitatem Babylonicam, elapſis 70 annis, & *templum*, & *urbs* Jeroſolyma, juxta Prophetarum vaticinia, reædificata ſint, nempe ſub *Cyro*, *Dario*, & *Artaxerxe*. Ubi per ARTAXERXEM non intelligendus eſt *Cambyſes*, qui medius eſt inter Cyrum & Darium Hyſtaſpis, quique omnibus diebus ſuis ſtructuram templi impedivit, uti antea in Propoſitione II. ex *Eſdræ* 4. 5. demonſtratum eſt: neque etiam fuit *Xerxes*; uti falſo putat *Joſephus lib.* 11. *Antiqu. c.* 5. eundem fuiſſe cum illo Artaxerxe, qui (ut *Eſdræ c.* 7. & *Nehem.* 1. & 2. dicitur) miſit in Judæam, primò Eſdram ſcribam, cum magna exulum Judæorum multitudine, deinde etiam Nehemiam, ad reficiendos muros Jeroſolymæ. Nam Xerxes & Artaxerxes differunt tanquam pater & filius, ideoque confundendi non ſunt, uti facit Joſephus. Ille 21, hic vero 40 annis regnavit: uti ſcribunt *Diodor. Siculus lib.* 11. *Euſebius in Chron. Sulpitius hiſtor. ſacr. lib.* 2. *Beda in lib. de ſex ætatib. mundi*, & *Herodot. lib.* 7. Sed per *Artaxerxen* illum intelligendus eſt *Artaxerxes Longimanus*, V. Rex Perſarum, qui quoque ſtructuræ opus mirificè promovit. Nam verè hoc templum ſub prædicto *Dario Hyſtaſpis* fuit abſolutum, quantum ſpectat *ad partes* pro cultu Dei ibidem exhibendo neceſſarias. Veruntamen poſtea ſub *Artaxerxe Longimano* multa eidem templo addita fuerunt, tum ad majorem ejus ornatum, tùm ad ipſius munimentum. Circumdatum namque fuit muris. Et hoc inſinuare voluit Eſdras verbis illis, [*jubente Cyro*, & *Dario*, & *Artaxerxe Regibus Perſarum.*] Nam Eſdras librum ſuum (licet de rebus duntaxat Jeroſolymis ſub Dario Hyſtaſpis filio actis, agere videatur) poſt templum muris ab Artaxerxe Longimano munitum, & urbem conditam, conſcripſit: Quia in ſequentibus *Eſdræ* 7. & 8. captibus, & *Nehem.* 2. (quem librum ipſe quoque ſcripſit) ordine commemorat, quomodo urbs Jeroſolyma reparata, legibus munita, & populo repleta ſit. Quod ut melius intelligatur, notandum eſt, quòd *quatuor Edicta Regum Perſicorum* in libris Eſdræ & Nehemiæ reperiantur, nempe, Cyri, Darii, & Artaxerxis Longimani.

PRIMUM EDICTUM eſt CYRI primi Perſarum Regis, quod primo anno Monarchiæ ſuæ promulgavit, quo captivitatem ſolvit, & Judæis in patriam redeundi poteſtatem conceſſit. *Eſdræ* 1. *v.* 2, 3.

SECUNDUM EDICTUM eſt DARII HYSTASPIS, III. Perſarum Regis, de ſtructura templi continuanda & perficienda. *Eſdræ* 6. *v.* 6, 7.

TERTIUM EDICTUM eſt ARTAXERXIS LONGIMANI, V. Perſarum Regis, quo ipſe anno Regni ſui ſeptimo Eſdram ſcribam privilegiis ampliſſimis inſtructum cum magno populi comitatu in patriam dimiſit, urbemque ſanctam inhabitari, cultum Dei inſtaurari, legem doceri, & judicia atque Rempubl. conſtitui juſſit. *Eſdræ* 7. *v.* 11, 12, 13, 14.

QUARTUM EDICTUM eſt etiam ARTAXERXIS LONGIMANI, quo Nehemiam literis Regiis inſtructum in Judæam miſit, ut urbem Jeroſolymam viſitaret, eamque reficeret, & muros ejus repararet. *Nehemiæ* 2. 1.

Ad hæc quatuor trium Perſicorum Regum, nempe Cyri, Darii & Artaxerxis Longimani, Edicta

Eſdras

Eſdras ſcriba digitum intendit, quando in genere oſtendit, quorum auſpicio atque beneficio Templum & urbs Jeroſolyma ſint ædificata, ut in illo cultus divinus peragi, hæc vero ab hominibus inhabitari, ſicut antea, poſſit.

DUBIUM III.

De tempore, quo Templum II. abſolutum eſt, Eſdras cap. 6. verſ. 15. dicit: Iſraëlitas domum Domini compleviſſe *anno ſexto* Darii Regis Perſarum, die tertio menſis *Adar*, qui erat anni ſacri menſis duodecimus. Contra autem *Joſephus lib. 11. Antiq. Judaic. c. 4.* ſcribit: Templum ſecundum *anno nono* Darii abſolutum eſſe. Quomodo hæc inter ſe conſentiunt?

RESPONSIO.

Templum ſecundum completum eſt *anno Darii.*

Sexto. intellige *μερικῶς, partialiter*, h. e. quoad partem ejus interiorem & nobiliorem, in qua erant Sancta & Sancta ſanctorum: in quod Templum nulli præter Sacerdotes fas erat ingredi. Et de hoc Templo loquitur Eſdras.

Nono, *ὁλικῶς, totaliter*, h. e. quoad partem ejus exteriorem, quæ continebat atrium, gazophylacium, & Laicis etiam pervia erat. Quæ nomine *Templi* etiam nonnunquam appellatur, ut patet ex *Johan. 8. v. 20.* ubi dicitur: Hæc loquutus eſt Jeſus in *Gazophylacio*: & erat quotidie docens in Templo. Et *Luc. 2. v. 27.* legitur de Anna filia Phanuel, quod non diſceſſerit de TEMPLO. Et hæc pars, ac proinde tota Templi ſtructura, ante nonum Darii annum non eſt abſoluta; ſicut *Joſephus* ait. Quam ſententiam etiam approbat *Euſebius lib. 8.* de demonſtratione Evangelica c. 2. circa medium. Et *D. Hieronymus* ſup. c. 9. Daniel.

Unde patet errare *Theophylactum*, qui ſuper c. 2. Joannis ſcribit, ædificationem Templi duraſſe uſque ad Artaxerxem, propter infeſtationem vicinorum hoſtium, Judæos ab ædificatione retardantium. Tantam enim fuiſſe illorum vexationem, ut cogerentur Judæi una manu opus facere, & altera tenere arma. Errat, inquam, Theophylactus tum *πραγματικῶς*, tum *χρονικῶς*, h. e. in re ipſa, & in tempore. Nam confundit ædificationem templi cum ædificatione urbis Jeroſolymæ, Duce Nehemia facta: Et tempora Darii Hyſtaſpis miſcet cum temporibus Artaxerxis Longimani, præſertim cum à ſecundo anno Cyri, quo fundamenta Templi jacta ſunt, uſque ad 20 annum Artaxerxis Longimani anni fere 100. effluxerunt.

QUÆSTIO.

Quæritur quot annis ſtructura Templi ſit completa ſive conſummata?

Ad hanc quæſtionem quidam reſpondent, eam 20, alii eam 22 annis abſolutam. Nos breviter ita reſpondemus.

Structura Templi completa eſt anno 22 … 20 — Si intelligitur ſupputatio

inclusiva, h. e. ſi utrique adventus termini *à quo*, & *ad quem*, & ſimul termini intermedii, h. e. anni impedimenti, computentur. Totidem namque ab anno adventus Judæorum in Jeruſalem, qui pariter fuit ſecundus Monarchiæ Cyri, in quo jacta ſunt Templi fundamenta, uſque ad prædictum Darii nonum, inveniuntur.

exclusiva, h. e. ſi utrique adventus termini, *à quo*, & *ad quem*, ſequeſtrentur.

DUBIUM.

Si templum ſecundum 20 vel 22 annis abſolutum eſt, uti ex Chronologia conſtat. Nam ab anno Cyri Monarchæ II. uſque ad annum Darii Hyſtaſpis anni 20 vel 22 interceſſerunt. Quomodo igitur intelligendum eſt, quod Judæi ad Chriſtum dicunt *Joh. 2. v. 20.* Templum hoc ſecundum annis quadraginta ſex exſtructum eſſe?

RESPONSIO.

In hoc dubio ſolvendo multi Theologi & Chronologi anxie ſeſe torquent.

1. *Johannes Piſcator* in N. T. ſuper c. 2. *Johan.* ita ſentit: Iſti anni ita videntur ſupputandi, ut initium fiat à primo anno Regni Artaxerxis. Teſtatur enim Eſdras c. 4. in diebus Artaxerxis (Longimani) impeditum eſſe opus domus Dei, & manſiſſe impeditum uſque ad annum ſecundum Regni Darii (videlicet Nothi) Regis Perſidis. v. 7 & 24. Deinde idem teſtatur c. 5. (ſicut & Haggæus c. 1.) anno ſecundo Darii Zorobabelem opus diu intermiſſum reſumſiſſe. Denique c. 6. v. 15. teſtatur, Templum abſolutum eſſe anno Darii ſexto. Hinc jam colliguntur iſti anni 46 ad hunc modum:

Artaxerxes Longimanus regnavit annis 40.
Templum ſub initium regni Artaxerxis inchoatum, abſolutum eſt anno ſucceſſoris Regis Darii 6.

Summa anni 46.

Verum inepta hæc eſt Piſcatoris ſupputatio Chronologica. Nam ſi ſtructura Templi eſt impedita in diebus Artaxerxis (nempe Longimani, ut ipſe putat) & manſit impedita uſque ad annum ſecundum Regni Darii (Nothi:) Quomodo quæſo anni Artaxerxis Longimani in ſupputationem venire poſſunt? Nam non entis nulla ſunt accidentia. Si igitur in diebus ejus ſtructura Templi non eſt promota, ſed impedita; utique dici non poteſt, quod 40 anni ſub Regno ejus ædificando ſint conſumti. Niſi quis abſurde velit dicere: A ſtructura templi ceſſare, & ædificare, eſſe ſynonyma.

11. *Baronius Cardinalis* in Annalibus ſuis ſub anno Chriſti 31 dicit, hanc Judæorum reſponſionem de annis 46, non eſſe referendam ad durationem fabricæ Templi ſub Regibus Perſarum ædificati, ſed ejus, quod tunc Judæi præ oculis habebant, quodque Herodes, vetere à fundamentis ſublato, ædificari curaverat. Nam ſi dictum, inquit, Redemtoris [Solvite Templum hoc, &c.] intellexerunt Judæi de Templo illo, quod erat eis ante oculos poſitum, quis dubitet, de eodem quoque illos reſpondiſſe? alioquin impertinens & inepta nimis videri potuiſſet illorum reſponſio. Eadem quoque eſt *Franciſci Ribera* ſententia, qui ſuper cap. 2. Haggæi ſcribit, Herodem planè novum idque tertium Templum exædificaſſe.

Reſp. 1. Verum *Jeſuita Pererius lib.* 13. *in Daniel. p.* 795. hiſce Jeſuitis contradicit. Nam, inquit, verba illa Judæorum, quod Templum Jeroſolymitanum 46 annis ædificatum eſt, non poſſunt intelligi de tertia Templi ædificatione ſub Herode Rege facta. Quoniam ea intra decennium eſt abſoluta teſte *Joſepho lib.* 15. *Antiqu. Judaic.*

2. Oppono hiſce Jeſuitis hunc ſyllogiſmum prorſus invictum. Si Templum II. à Zorobabele poſt captivitatem Babylonicam ædificatum, & ad quod Meſſias venturus erat, *Templum noviſſimum*, h. e. ultimum, ex Dei ordinatione eſſe debuit, utique *tertium Templum* eſſe non potuit. Si enim Templum III. ab Herode, ut illi aiunt, ædificatum fuit, illud ſecundum non fuit noviſſimum: aut, ſi fuit noviſſimum, ſponte ſua figmentum Jeſuitarum de tertio Herodis Templo cadit.

Sed verum eſt prius: uti patet ex *Hagg.* 2. *v.* 7, 8. ubi ipſe Deus ita loquens à Propheta introducitur. Adhuc modicum eſt, & ego commovebo cœlum & terram, & mare, & aridam. Et movebo omnes Gentes. ET VENIET DESIDERATUS CUNCTIS *Gentibus*, & *implebo* DOMUM ISTAM *gloria.* v. 10. Magna erit gloria DOMUS ISTIUS NOVISSIMÆ, plus quam PRIMÆ, dicit Dominus exercituum.

Ergo etiam poſterius verum erit.

3. Diſtinguimus inter πρῶτον ἄλλον & ἄλλως, h. e. inter Templum ALIUD & ALIO MODO FORMATUM. Herodes anno 18 Regni ſui (h. e. annis 14. ante Chriſtum natum, juxta Euſebium) hanc ſecundam Zorobabelis domum non deſtruxit, aliamque ratione ſubſtantiæ diverſam ædificavit, (uti Jeſuitæ prædicti volunt) ſed tantum illam maximis ſumtibus exornavit, multiſque inſuper additis ædificiis per totos octo annos adauxit. Quare verba *Joſephi lib.* 15. *Antiqu.* non intelligenda ſunt de totali & plane nova Templi ædificatione, ſed tantum de ejus βιβλαίοις ἢ αὐξήσει. h. e. de amplificatione & majori ejus exornatione, uti ex αὐτοψίᾳ Græci textus patet. Idem confirmatur *Hegeſippi Judæi* teſtimonio, qui nude tantum ædificationem Herodis recitat. *lib.* 1. *c.* 35. Herodes ut ſe gratum cœleſtibus in ſe ſupra modum fluentibus beneficiis demonſtraret, templum ornavit: omnem illum circa templum loci ambitum circumvallavit muro, geminatiſque ſpatiis incluſit immenſo ædificandi ſumtu & exquiſito decore. Indicio erant magnæ circa ſacrarium porticus, quas exſtruxit ex fundamentis: nec minor tuendi, quam ornandi intentio: Siquidem caſtrum Aquilonem verſus communivit, quod appellavit Antoniam. Et ne ſingula perſequar, haud ullum facile præteriit locum vetuſtarum urbium, quem non revocaret labentem, aut additis, quæ deeſſe videbantur, ædificiis ornaret. Hinc etiam *Rupert. Tuitienſis* in hanc ſententiam ductus eſt, quod licet Herodes parietes mutaverit, & ſpectandos pro ſua gloria magnos congeſſerit lapides, non tamen depoſitum vel mutatum fuiſſe Altare. *Sic illi.*

111. *Quidam Theologi* verba Judæorum ita explicant, quod anno Cyri ſecundo fundamenta Templi ſint jacta. Jam vero Cyrus regnavit 30 annis. Cambyſes 8. Et Templum anno ſexto Darii Hyſtaſpis non quoad partes interiores, ſed quoad partes exteriores, anno nono Darii eſt abſolutum. Hi numeri conjuncti, inquiunt, præciſe faciunt annos 46.

Reſp. Iſti Theologi & Chronologi, qui ita ſentiunt, graviter in calculo ſuo aberrant. Nam longe alia eſt ratio ſupputationis annorum Cyri apud Eſdram, atque eſt apud profanos Hiſtoricos. Eſdras à primo anno Regis Cyri, non Perſici ſed Babylonici, auſpicatur ſolutionem captivitatis. Ideoque Cyrus 30 quidem annis præfuit Regno Perſico, ſed

non

non Babylonico. Huic autem præfuit vel 7, (ut quidam volunt) vel 3 annis. E. Si Templum II eſt fundatum ſecundo anno Cyri, ut patet ex *Eſdr. c.* 3. Utique Cyro in hac ſupputatione non plures quam 5 vel 2 anni aſſignari poſſunt.

E. Calculus plane non congruit, neque 46 anni, quos Judæi jactant, demonſtrari poſſunt.

IV. Nos cum *Lyrano* aliiſque *Theologis* ſtatuimus, quod verba Judæorum ſint accipienda κατὰ δόξαν, h. e. ſecundum *perverſam eorum opinionem*, *non* κατ' ἀλήθειαν, h. e. *ſecundum rei veritatem*. Nam ſi anni pauſantes, h. e. quibus ſtructura Templi interrupta eſt, omittuntur, 46 anni ædificationis Templi nequaquam monſtrari queunt. Quare Judæi pro grandiloquentia ſua omnia in immenſum extollentes, jactanter, ſed falſo dicebant *Joh.* 2. *Templum* 46 annis exſtructum eſſe. Evangeliſta autem verba eorum allegat non ἐγκωμιαστῶς, ſed ἱστορικῶς, h. e. non approbative, ſed recitative. Nam non omnia quæ in S. Codice referuntur, oportet continuo *in ſe* & *per ſe* eſſe vera & ſacra, niſi quatenus ab authoribus à Spiritu S. inſpiratis narrantur ſive referuntur. Quoniam etiam mendacia & falſa teſtimonia in Hiſtoria Sacra in ſe veriſſima referuntur. Ita *Pſal.* 14. *v.* 1. legitur: Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus. Hic quod inſipiens dicit (nempe, *non eſſe Deum*) eſt falſum; ſed quod hoc in corde ſuo dicat, hoc eſt verum: ſicut Spiritu veraci David vates hoc prodidit. Ita *Johan.* 8. *verſ.* 48. *Judæi impii* ad Chriſtum dicunt: Nonne bene dicimus nos, quod tu Samaritanus es, & dæmonium habes? Chriſtum Samaritanum eſſe & dæmonium habere, diabolica Judæorum eſt calumnia. Interim veriſſima eſt narratio, eam referentis Evangeliſtæ.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

XXVIII.

ALtero à defectione Ægyptiorum anno, cum Darius, Xerxe filio Rege declarato, & rebus omnibus apparatis, exire in expeditionem vellet, ſupremum diem obiit 36 annis Regni completis, A. M. 3486. ante C. N. 485. haud compos voti, ut Ægyptios & Athenienſes ulciſceretur. *Herodot. lib.* 7.

XXIX.

Epitaphium. Strabo, & Athenæus, ſcribit, ſepulcro Darii inſcriptum fuiſſe, quod bonus venator & potator egregius fuerit, χαίρων ἐν ἀφέτοις, οἶνον πολλὸν πίνειν ἰδρώοντα, καὶ τὰτ' φίλειν καλῶς. Tametſi, eodem authore, non liceret Perſarum Regi eſſe ebrio, quam uno die, cum ſoli, quem illi Deorum credebant eſſe ſummum maximumque, ſacrificabant; quomodo id à Juſtino relatum eſt.

XERXES,

MONARCHA IV.

CAPUT I.

DE ORTV.

I.

I. GENERATIO. Xerxes fuit filius Darii Hyſtaſpis, III Perſarum Regis, ex Atoſſa, Cyri filia, genitus, poſtquam ad Regnum eſt promotus; uti patet ex ratione, quam Xerxes attulit, cum contentio ipſi cum fratre Artobazane eſſet; nempe ideo ſibi deberi Regnum, quia ex Dario patre Rege, & non privato, ut Artobazanes, natus eſſet, ut poſtea dicemus §. 13. *Herodotus lib.* 1. *p.* 84. *lib.* 6. *p.* 417. *Cteſias* in Perſicis.

II.

II. APPELLATIO. XERXES, Ξέρξης idem ſignificat quod Martium, bellicoſum hominem: Quem Græci vocant Ἄρειον, ab Ἄρης, h. e. *Mars. Herodotus lib.* 6. *p.* 417. ita ſcribit: Sane in Græca lingua æquipollent hæc tria nomina, *Darius*, *Xerxes*, & *Artaxerxes*. Δαρεῖος, ἰρξείης. Ξέρξης, ἀρηϊος. Ἀρτοξέρξης, μέγας ἀρηϊος. h. e. Darius idem eſt quod Ἐρξείης, id eſt, coërcitor. *Xerxes* idem quod ἀρηϊος, id eſt, bellator: ad verbum. *Martius*. *Artaxerxes* idem quod μέγας ἀρηϊος, h. e. magnus bellator.

NOTA.

Hoc nomen Darius Hyſtaſpis, filiolo recens ſibi nato, dubio procul impoſuit, ut adultiori facto ſtimulus eſſet ad virtutem. Significat enim Xerxes (ut dictum eſt) hominem Martium vel bellicoſum: At ille ætate provectus nominis ſui parum memor, tantum abfuit, ut imperterritus & fortis miles fuerit, ut etiam primus in fuga, poſtremus in prælio ſemper eſſet, in periculis timidus, ſicubi metus abeſſet, inflatus. *Juſtinus lib.* 2.

III.

III. GENEALOGIA Xerxis patet ex verbis ejus, quæ ad Artabanum patruum ſuum, bellum contra Græcos diſſuadentem, ira percitus proferebat. Verba ejus hæc ſunt: Ego etiam ſine te, quæ dixi, conficiam. Neque enim fuerim Darii filius (qui fuit Hyſtaſpis, qui fuit *Arſamnis*, qui fuit *Ariamnis*, qui fuit *Deiſpei*, qui fuit *Cyri*, qui fuit *Cambyſis*, qui fuit *Achæmenidis* filius) niſi Athenienſes ultus fuero. *Herodot. lib.* 7. *pag.* 443.

Unde Reges Perſarum communi nomine *Achæmenida* dicuntur.

IV.

IV. FORMA. Magna formæ Xerxis erat dignitas. Nam in toto exercitu, quem contra Græcos ducebat, cum tot virorum millia eſſent, nemo erat, qui aut ſpecie, aut magnitudine corporis cum ipſo poſſet contendere, tanquam dignior, qui illud imperium obtineret. *Herodotus* lib. 7. p. 508.

AXIOMA.

Politici tradunt, quod forma Principis auguſta eſſe debeat. Rationes haſce addunt. 1. Quia auguſtam perſonam auguſtam decet formam. Nam forma inſignis, quæ eximium Dei donum eſt, Principibus plurimum decoris & admirationis addit. Quod enim pulcrum eſt, amicum eſt. *Plato* in Lyſide. Et ſine vi, quicquid vult, facile impetrat. Unde Carneades egregiam Principis formam appellat ἀδορυφόρητον βασιλείαν, h. e. Regnum abſque ſatellitio. *Theophraſtus* tacitam deceptionem vocat, aut ſilentem fraudem, quod abſque verbis perſuadeat. *Diogenes Laërtius.* 2. Quia forma indicium mentis cujuſque eſſe ſolet. Nam (ut Virgil. ait lib. 5. Æneidos)

Gratior eſt pulcro veniens è corpore virtus.

Et Paris apud *Ovid.* in Epiſt. ad Helenam de ſe ipſo fatetur:

Forma vigorque animi, quamvis de plebe videbar,
Indicium tecta nobilitatis erant.

Et hac de cauſa *Spartani* Regem ſuum Archidamum mulctaſſe feruntur, quod propter divitias uxorem puſillam duxiſſet, ex qua non βασιλέας, ſed βασιλίδια, h. e. non Reges, ſed Regulos procreaturus eſſet. *Plutarchus* de educatione liberorum.

Verum hoc axioma interdum fallit. Sæpe namque fit, ut in eburneo corpore plumbeus habitet animus. Sic *Xerxes* erat corpore formoſiſſimus, & tamen animo turpiſſimus: uti ex dicendis patebit. *Saul* primus Rex Iſraël erat dignitate corporis homo eminentiſſimus & ſpecioſiſſimus inter omnes filios Iſraël, 1 *Sam. 9. v.* 2. & tamen erat homo impius & improbus. *Nero* forma erat eleganti, & tamen homo peſſimus. *Commodus Imp.* omnium ſuæ ætatis erat formoſiſſimus, & tamen ſceleſtiſſimus. *Herodian.* lib. 1. in fin. Quid ergo juvat corporis decor, ſi animus eſt deformis? Hinc pulcre ait *Iſocrates*: Si pulcrum tibi corpus eſt & anima mala, bonam navim habes & malum gubernatorem, vel, (ut alius inquit) Hoſpitium pulcrum hoſpes deformis dedecorat. Contra autem ſæpe in deformi corpore anima excellens habitat. Sic *Philopœmen* Achæorum Dux Therſiti cuidam, quam Principi ſimilior, multis tamen animi virtutibus ornatus repente inclaruit. Similiter *Socrates*, Apollinis Oraculo ſapientiſſimus judicatus, turpis formæ fuit. Unde quidam Socratem intuens dixit: O excellens anima, quam deforme hoſpitium es nacta. Nam, ut graviter inquit *Seneca* Epiſt. 67. Virtus nullo eget honeſtamento, ipſa magnum ſui decus eſt, & corpus ſuum conſecrat. Poteſt ex caſa magnus exire, poteſt ex humili deformique corpuſculo formoſus animus & magnus. Non deformitate corporis fœdatur animus, ſed pulchritudine animi corpus ornatur. Etenim

Dat probitas ſpeciem, ſed non ſpecies probitatem.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

1. ACTA OECONOMICA.

V.

1. CONIUGIUM. Uxor Xerxis fuit *Ameſtris*, Otanis patrui ipſius filia. *Herodotus* lib. 7. p. 463. Græce dicitur Ἀμέστρις *Ameſtris*. Idem p. 477. A Cteſia in Perſicis vocatur Ἀμύτρις, Amiſtris, eamque Onophæ filiam fuiſſe ſcribit.

USUS.

Hinc patet, quod hæc *Ameſtris vel Amiſtris, non fuerit Eſther*, ſicut quidam Hiſtorici putant, conjunx Ahaſueri: de qua in libro Eſther agitur.

Nam Ameſtris fuit Otanis filia, & origine mulier Perſica.

At Eſther non fuit Otanis filia, & origine mulier Perſica, quin potius origine mulier Judaica fuit.

E. Eſther non fuit Ameſtris.

2. Ameſtris, Xerxis conjunx, fuit ethnica mulier. Nam *Herodot.* lib. 7. p. 477. ſcribit, quod Ameſtris provectæ ætatis, bis ſeptem illuſtrium Perſarum liberos defoderit, ad referendam pro ſe gratiam Deo, qui ſub terra eſſe creditur. Nam (addit) Perſicum (h. e. Ethnicum) eſt defodere viventes.

Atqui Eſther non fuit ethnica mulier, ſed pia & religioſa; uti ex toto libro Eſther conſtat.

Ergo Eſther non fuit Ameſtris.

3. Ameſtris mulier crudeliſſima fuit: uti patet ex laniena uxoris Maſiſthis, de qua poſtea in §. 8. dicemus.

Atqui Eſther non fuit crudelis, ſed pia, proba, omnibuſque virtutibus exornata.

E. Eſther non fuit Ameſtris.

VI.

VI.

II. LIBERI. Xerxes ex Ameſtri, quatuor ſuſcepit liberos: tres maſculos, nempe Darium, Artaxerxem & Hyſtaſpem; & unam femellam, nempe Dariæam.

DARIUS honoratur à patre *Artaynta*, Maſiſthis filia. Qua ſcelere patris inceſtata, & matre Artayntæ truculentia Ameſtris trucidata, poſt ab *Artabano* cædis ejus apud Artaxerxem per calumniam accuſatur, & innocentiam ſuam fruſtra probare aggreſſus, de vita tollitur. *Herodotus*, *Diodorus*, *Juſtinus*.

ARTAXERXES cognomento μακρόχειρ, h.e. *Longimanus*, Xerxi parenti ſuo fraudulenta Artabani opera in Regno ſucceſſit, & Darium fratrem neci imprudens tradit: ac vix ipſemet inſidiatori ereptus, ſeu vi, ſeu aſtu circumventum cum liberis & tota domo jugulat.

HYSTASPES Maſiſthi in Bactrianæ præfectura ſurrogatur, eaque occaſione Artabani crudelitatem declinat. *Diodorus Siculus*.

DARIÆA nupſit Hierameni cuidam, & filios ex eo procreat Autobiſacem & Mitræum. Qui Cyrum juniorem Sardes ſequuti, arrogantia ejus nefaria, quod ſcilicet occurrentes ei, manus intra manicam non contraxiſſent, (fieri autem hoc Regi tantum ſolebat) de vita tolluntur: Ac tametſi parentes mœſtiſſimi evocari parricidam à Dario curaſſent, tamen hoc interea vita defuncto, is ſupplicium effugit. *Xenophon*.

VII.

III. INCESTUS. *Herodot.* in Calliope (lib. 9.) p. 630, 631. inceſtum Xerxis hiſce verbis deſcribit: Fratris ſui Maſiſthis uxorem amare cœpit Xerxes, qua cum potiri non poſſet, in omnes occaſiones explendæ libidinis intentus, filio Dario, mulieris ejus & Maſiſthis filiam in matrimonium dedit, exiſtimans, ſi hoc feciſſet, commodius ſe illa potiturum; verum permutatis amoris vicibus juvenculæ hujus nurus ſuæ amore exarſit, eaque ex aſſidua familiaritate potitus, vitare non potuit, quin res patefieret. Nam Ameſtris uxor Xerxis, amiculum, quod ipſa texuerat, ſpectatu dignum viro donaverat; Quod cum Artaynta (id enim nomen erat filiæ Maſiſthis) dari ſibi poſtulaſſet, (nam Xerxes ultro eam juſſerat à ſe petere, quæ fieri ſibi optaret in remunerationem obſequii, & juramento ſe ei obſtrinxerat, omnia, quæ peteret, impetraturam) dono hoc illa ſupra modum læta, eo geſtando geſtiebat.

VIII.

IV. CÆDES & PARRICIDIA. Ameſtris autem ubi Artayntam habere amiculum reſcivit, in matrem ejus exitium machinata, quam rei hujus autorem eſſe credebat, obſervata temporis oportunitate, qua Xerxes regalem cœnam inſtruere quotannis, Perſisque ſtrenas donare ſolebat, in memoriam ejus diei, quo Rex creatus eſſet, petiit à Xerxe, ut ſe Maſiſthis uxore donaret: quod etſi indignum factu ille putabat, precibus tamen ejus victus, & inſtituto, quo nefas erat, regia cœna propoſita, orantem non exorare, invitus tandem annuit. Accerſitum poſtea Maſiſthen, cum, ut uxorem volens dimitteret, fruſtra perſuadere conatus fuiſſet, quantumvis filiam ſuam in matrimonium offerret, ad extremum minis territ iratus, cum diceret; ita ejus res deinceps comparatas fore, ut neque ipſe jam ei filiam ſuam nuptum daturus, neque ille conſuetudine uxoris ſuæ diutius fruiturus ſit, ut diſcat accipere oblata. Interea Ameſtris, accitis ſatellitibus Xerxis, uxorem Maſiſthæ excruciat, mammillas præcidit, & canibus objicit: præcidit & nares, aures & labia, linguam, atque ita excarnificatam mutilatamque domum remittit. Quam contumeliam uxori ſuæ illatam cum vidiſſet Maſiſthes, inito cum liberis conſilio, quia & ſibi ipſi mali aliquid metuebat, ad Bactrianos fugere, eoſque ad defectionem incitare cogitabat, utpote quorum Præfectus diu fuiſſet, & à quibus diligi ſe ſciebat. Sed Xerxes miſſis adverſus eum copiis, & ipſum & liberos, & quoſcunque habebat ſecum in itinere, trucidavit.

AXIOMA.

Libidines inceſtuoſas ſequi ſolent cædes atque parricidia. Exemplum h. l. habemus in Xerxe. Hic namque poſt reditum in Aſiam Maſiſthis fratris ſui conjugem amare cœpit. Deinde cum Artayntam fratris ſui filiam filio ſuo Dario dediſſet, & hujus juvenculæ amore exarſit. Poſt hanc inceſtam conſuetudinem variæ cædes atque parricidia, nempe, fratris, conjugis ejus atque liberorum & ſociorum ſequuta ſunt. Plura exempla vide in Hiſtor. Camb. c. 2. §. 6 & 8.

IX.

V. VOLUPTAS. Nam *voluptas Xerxis ſummum bonum fuit.* Hinc *Plutarchus* in Apophtheg. ſcribit, quod Xerxes bellum moverit ob caricas Atticas. Et licet ipſi nihil eorum omnium, quæ mens humana voluptatibus dedita excogitare poteſt, defuerit unquam; tamen de eo ſcribunt *Va-*

ler. Max. lib. 9. c. 11. & Cicero Tuſculan. Queſtion. lib. 5. quod præmium publico edicto novæ voluptatis repertori conſtituerit. Itaque, iſto Rege,

Vivite luriones, comedones, vivite ventres.

Ita quoque *Alexander M.* (ſicut *Plutarch.* in Alexand. M. ſcribit) certamina potatoria inſtituit. Nam Promachum hominem bibaciſſimum, in vini certamine victorem, talenti corona donavit, tribus tantum poſtea ſuperſtitem diebus: ipſe Rex ad duas choas ſeu duodecim ſextarios bibendo proceſſit: Cæteri cuncti, unus & quadraginta, effuſis viſceribus, propemodum ſpectante Rege, crepuerunt, & potando ſpiritum eructarunt. O indignum tanto Rege ſpectaculum!

PARÆNESIS.

At omnes mortales, adeoque Reges & Principes, voluptatem fœdam fugiant. Nam *voluptates* 1. *Deo ſunt exoſæ.* 2. *Doloſæ.* 3. *Oneroſæ.* 4. *Exitioſæ.*

1. *Voluptates ſunt Deo ſumme* EXOSÆ. Quia Deus caſta eſt & ſobria mens, ideoque belluinam iſtam & immanem hominum, in voluptatibus viventium, ingluviem, extremo odio proſequitur, illiſque Bacchi mancipiis pœnas tum temporales, tum æternas comminatur. *Jeſaiæ* 5. *v.* 11. Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & (potandum) uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis. *v.* 12. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia & vinum in conviviis veſtris; & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum ejus conſideratis. *v.* 14. Propterea dilatavit animam ſuam infernus, & aperuit os ſuum, abſque ullo termino. *v.* 22. Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. *v.* 24. Idcirco ſicut devorat ſtipulam lingua ignis, & ſicut paleas flamma abſumit: Sic radix eorum quaſi putredo erit, & germen eorum, ut pulvis adſcendet. 1 *Joh.* 2. 15, 16, 17. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo. Quoniam omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ; quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt. Et mundus tranſit, & concupiſcentia ejus.

Quare cum voluptas à Deo non ſit, à diabolo originem habeat neceſſe eſt, ac proinde ſedulo fugienda eſt.

2. *Voluptates ſunt* DOLOSÆ. *Quia non ſunt meræ, ſed dolore mixtæ.* Nam tota vita humana eſt nihil aliud, quam γλυκύπικρον, h. e. *dulce-amarum.* Et illud quod videtur jucundiſſimum, eſt felle mixtum, videlicet *amor. Plautus in Ciſtell. Act.* 1. inquit: *Amor* eſt *amaror* & melle & felle fœcundiſſimus, guſtu dat dulce, amarum ad ſatietatem uſque aggerit. *Lucret. lib.* 4.

——— *Medio de fonte leporum*
Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat.

H. e. ineſt voluptati quiddam

Quod dulcem curis miſcet amaritiem.

Deinde etiam *voluptates ſunt doloſæ: quia non ſunt veræ, ſed falſæ.* Licet enim filiis hujus ſeculi arrideant, ingenſque gaudium promittant; tamen veri ſpecie eos decipiunt, & dulciſſimo fiſtularum cantu, Sirenum more, amatoribus ſuis inſidiantur, eoſque incautos caſſibus ſuis illaqueant, & tandem in exitium præcipitant. Omnia præterita, quæ nobis jucundiſſima fuerunt, cum recordamur eorum, ſunt nobis conſpecta quaſi in ſomno. Una namque litera inter mundi lætitiam & luctum diſtinguit, cum dico: *Luſum, Luxum, Luctum.* Unde merito dicere poſſumus cum Salomone ex Eccleſiaſte *c.* 1. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Et Poëta recte ait: Egimus noctem inter falſa gaudia.

3. *Voluptates ſunt* ONEROSÆ. Nam onerant & gravant hominem tum quoad animam, tum quoad corpus. Namque (*Horatius.*)

——— *corpus onuſtum*
Heſternis vitiis animum quoque prægravat ipſum,
Atque affligit humi divinæ particulam auræ.

Unde Chriſtus omnes Chriſtianos à voluptatibus graviſſime dehortatur, quando inquit, Luc. 21. *Cavete vobis, ne quando graventur corda veſtra crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ.* Magna eſt emphaſis in voce GRAVANTUR, qua Chriſtus inſinuat, quod corda noſtra, h. e. mens & animus, onerentur ac deprimantur, ne ad diligentem rerum cœleſtium contemplationem aut conſiderationem attolli poſſint. Quemadmodum enim viatori non expedit, ut nimio cibo potuque ſeſe oneret, niſi à comitibus deſeri & urbe excludi velit. Ita quoque vita Chriſtianorum inſtar peregrinationis eſt, quæ ad cœleſtem Hieroſolymam tendit. Quare voluptatibus terrenis nos non oneremus, ne patria cœleſti excludamur. 1 *Petr.* 5. 8.

4. *Denique voluptates ſunt* EXITIOSÆ. Quantopere enim Deus averſetur belluinam iſtam & Cyclopicam hominum voluptatibus deditorum inſaniam, pœnis diluvii toti mundo oſtendit. Cum enim prima illa ſecula voluptatibus corrumperentur, nec ductui Spiritus Jehovæ obtemperarent, fractiſque continentiæ repagulis, ederent biberentque, contraherent & nuptum darent filii Dei filiis hominum, tam ſevere in eos animadvertit ultio divina, ut totum genus humanum aquis diluvii ſubmergeret, eoque modo inexplebilem eorum ſitim

expleret

expleret reſtingueretque : inſuper & triſtiſſimam vocem ederet : *Pœnitet me feciſſe hominem. Gen. 6. v. 6.* Quanto minus præſentis ſeculi belluinam & intolerabilem ingluviem relinquet inultam, cùm non edendo & bibendo, contrahendo & nuptum dando, ſed dira ingluvie, crapula quotidiana, fraude doloſa & vagis libidinibus, omnem humanitatem homines exuerint, omnes verecundiæ fines tranſilierint, omnemque patrum menſuram jamdudum ſupergreſſi ſint.

II. *ACTA ECCLESIASTICA.*

X.

Joſephus lib. 11. Antiq. Judaic. c. 5. religionis nomine Xerxem magnopere commendat, ac ut paterni regni, ita etiam pietatis hæredem fuiſſe ſcribit; multaque recenſet ejus beneficia uberrimè in populum Judaicum collata. Verùm Chronologiæ ratio apertè indicat, ea, quæ Xerxi tribuit Joſephus, ad Artaxerxis Longimani tempora pertinere. Et *Eſdras* peculiariter ſcribens de illis Perſarum Regibus, qui regiis edictis atque privilegiis ædificationem templi & urbis populo Judaico conceſſerunt, aliaque beneficia præſtiterunt, Xerxis inter illos nullam facit mentionem, utpote qui Græcorum in bello plurimum occupatus, non anxiè curavit res Judaicas: Itaque non in Xerxem, ſed in Artaxerxem illa pietatis laus redundabit.

XI.

Xerxes verò, quantum conſtat ex Herodoto,

1. *Gentilium idolomania fuit infectus.* Nam currum habuit Jovi ſacrum, quem nemo mortalium inſcendere audebat. Profecturus in bellum contra Græcos non modò ſortilegia admiſit ſuperſtitionis plena, ſed ipſe etiam non Dei præpotentis, ſed impotentium Perſidis tutelarium Deorum opem imploravit, auream phialam Soli libavit, votaque concepit, ne quid ſibi adverſi contingeret, prius quam deſiſteret Europam ſubigere, & ad illius terminos perveniſſet. *Herodot. lib. 7. pag.* 460. Ad fluvium *Strymonem* (qui ex Æmo monte profluens Thraciam à Macedonia diſterminat) Magi ejus mactatis equis candidis litaverunt, & novem pueros defoderunt vivos Deo, quem ſub terra eſſe credebant. *Herod. lib. 7.*

XII.

11. *Fuit ſacrilegus.* Nam ita de eo ſcribit *Herodotus lib.* 1. *pag.* 83, 84. Erat in hoc templo (Babylonis) etiamdum illo tempore ſtatua duodecim cubitorum è ſolido auro: quanquam ego eam non viderim, ſed ea referam, quæ à Chaldæis referuntur. Hanc ſtatuam Darius Hyſtaſpis filius inſidioſe captans, non auſus tamen fuit deripere; ſed eam poſtea Xerxes Darii filius abſtulit, ſacrificio, qui prohibuerat ſtatuam loco dimovendam, interemto.

Similiter poſt pugnam ad Thermopylas & Artemiſium milites miſit ad *Delphicum templum* ſpoliandum: qui tamen omnes repentina & incredibili vi imbrium, & procellis ventorum obruti ſunt, creberrimis cum tonitru fulminibus veluti ex æthere irato erumpentibus, quibus à Parnaſſo etiam vertices duo abſciſſi, magno cum fragore devoluti ſunt, & in exercitum præcipitati, acervatim Perſas interemerunt. Huic cladi qui ſuperfuerunt, fuga ſe inde quàm celerrimè proripuerunt, & ad ſuos reverſi, præter alia, quæ in Delphis tum conſpecta fuerunt prodigia, vidiſſe ſe retulerunt duos armatos, humana natura auguſtiores, qui ſibi inſtarent, & fugientes inſequerentur.

III. *ACTA POLITICA.*

I. ACTA IRENICA.

XIII.

1. *Imperii occupatio.* Xerxes ad imperium pervenit authoritate & judicio patris Darii, ut *Herodotus* habet lib. 7. vel ut *Juſtinus l.* 2. patrui Artaphernis. Cum enim inter ipſum & Artabazanem fratrem de ſucceſſionis jure diſſenſio eſſet orta, res ad patrem ſive patruum fuit delata, qui cauſam utriuſque cognoſceret & ſententiam ferret. Artabazanes omnis paternæ ſobolis natu maximus ætatis privilegium urgebat, eo quod apud omnes gentes inſtitutum, ut in naſcendi ordine primus obtineat principatum. Xerxes contra, ex Demarati Regis Spartani tunc in perſide exulantis conſilio, non ordinem ſed naſcendi felicitatem urgebat, & ſe ex Dario jam Rege, Perſarumque imperium obtinente, primum dicebat procreatum. Fratrem itaque ſuum, qui ante quidem genitus eſſet à patre, ſed privato, ideo privatum patrimonium, quod eo tempore Darius habuiſſet, ſibi vendicare poſſe, non regnum, quod ad ſe veluti primum ex Rege prognatum pertineat. Cognita utriuſque cauſa arbiter Xerxem præpoſuit, eique regnum adjudicavit. Hac itaque ratione Xerxes regnum adeptus fuit.

Notanda autem in hac de regno contentione, ſumma fratrum modeſtia eſt, ubi nec victor exſultavit, nec victus indoluit, ſed ipſo litis tempore invicem munera miſerunt, & jucunda quoque inter ſe, non credula ſolùm, convivia habuerunt. Tanto moderatius tum fratres regna maxima inter

ſe

ſe dividebant, quanto nunc exigua patrimonia partiuntur. *Juſtinus lib. 2. Herod. lib. 7.*

XIV.

11. *Monumenti Beli apertio. Ælianus lib. 13. c. 3. ex Herodoti lib. 3.* ſcribit, quòd Belus vita functus in urna vitrea in oleo collocatus fuerit. Adjacebat urnæ columella, in qua ſcriptum continebatur, eum, qui ſepulcrum aperuiſſet, neque repleviſſet urnam, (non enim plena fuit urna, ſed vacuum à ſummis labris ferè palmæ ſpatium habuit) peſſimè habiturum. Quo lecto, Xerxes expavit, & oleum celerrimè juſſit infundi; Non tamen impletum. Qui iterum infundi juſſit, ſed ne ſic quidem incrementum cœpit, donec fruſtratus omni labore infundendi ceſſaret, clauſoque monumento, ſumma cum mœſtitia diſcederet. Neque verò falſum eum habuerunt, quorum prænuncia fuerat columna. Nam quinquaginta myriadum exercitu adverſus Græcos conſcripto, magnam cladem accepit, reverſuſque turpiſſima morte vitam finivit, & noctu in ſtratis ab Artabano Regiorum ſtipatorum Principe trucidatus eſt.

AXIOMA.

Mortuorum ſepulcra non ſunt violanda.

1. *Ex nominis ſepulcrorum qualitate.* Quia mortui in ſepulcris veluti in cubilibus ſuis quieſcunt. Sepulcra namque Græcis dicuntur κοιμητήρια. h. e. *dormitoria.* Item: *Conclavia, cubicula. Jeſai. 26. v. 19.* Quare in hac tranquillitate non ſunt turbandi.

2. *Ex ſanctitate.* Monumenta vel ſepulcra ſunt ſancta. Ideoque non ſunt violanda.

3. *Ex juris civilis authoritate.* Jus civile ſepulcrorum violatoribus infamiam irrogat. *l. 1. ff. de ſepulcr. violator.* Quia dolum punit *l. 3. eodem.* cujus propria pœna dedecus eſt. Interdum etiam ii, qui cadavera ſpoliant, vel corpora oſſaque extrahunt, ſeveriùs, quandoque etiam capite puniuntur. *l. 3. §. adverſus. 7. l. fin. eodem. l. 4. Cod. eod.* Sub poſterioribus Impp. ſepulcris purè & illibatè conſervandis, ac à vi & injuria prohibendis, proprius conſtitutus fuit Magiſtratus, quem Comitem Privatarum dicebant, ut clarè oſtendit formula ejus apud *Caſſiodorum* in Variis: quæ concepta eſt in hæc verba: Defunctorum quin etiam quietem ſacram æquabilia jura tuæ conſcientiæ commiſerant, ne quis veſtita marmoribus ſepulcra nudaret, ne quis columnarum decorem irreligioſa temeritate violare præſumeret, ne quis cineres alienos aut longinquitate temporis, aut voraci flamma conſumtos, ſcelerata perſcrutatione detegeret; ne corpus, quod ſemel reliquerat moleſtias mundanas, humanas iterum pateretur inſidias: nam etſi cadavera furta non ſentiunt, tamen ab omni pietate alienus eſſe dignoſcitur, qui aliquid mortuis abrogaſſe monſtretur. Vides ergo tibi mandatum eſſe ſecuritatem mortuorum. Hactenus Caſſiodorus.

4. *Ex exemplorum gravitate.* Exempla teſtantur, omnes τυμβωρύχους ſivè ſepulcrorum violatores. h. e. qui ſepulcra aperuerunt ex curioſitate quadam, nullo etiam interveniente dolo, vel infelices poſtea exſtitiſſe, vel ſubito magnoque terrore correptos fuiſſe. Etenim curioſitas conjuncta cum avaritia aut ſuperſtitione cognoſcendi res futuras, nunquam impunè ceſſit, ſive Gentes, ſive Chriſtiani iidem fuerint.

Exempla.

1. *Darius Hyſtaſpis* ſepulcrum Semiramidis (vel juxta alios Nitocris) non ſatis feliciter aperuit. *Herodot. lib. 1.* Vide Hiſtoriam Darii Hyſtaſp. §. 20.

11. *Xerxes* effoſſo Beli monumento, cùm in columna ſcripta legeret hæc verba, eum qui ſepulcrum aperuiſſet, neque urnam repleviſſet, peſſimè habiturum, magno horrore correptus, oleum quidem ſtatim infundi juſſit, ſed replere eam non potuit; quin potius clauſo monumento mœſtus inde receſſit, & poſtea infelix exſtitit.

111. ALEXANDER MAGNUS Cyri ſepulcrum ingreſſus inſcriptionem legit, eamque ſibi explicari curavit. Dicitur autem hæc fuiſſe: QUISQUIS ADES MORTALIUM, AUT UNDECUNQUE VENIS. VENTURUM ENIM TE SCIO. CYRUS EGO SUM, QUI REGNUM PERSICUM CONSTITUI. NE IGITUR MIHI INVIDEAS TANTILLUM TELLURIS, QUO CORPUS MEUM TEGITUR. NOLI ME IRRIDERE. Hæc facta ſunt non multo ante obitum Alexandri; ut Hiſtorici tradunt.

IV. OTTO III. Imp. ſepulcrum Caroli M. Aquiſgrani effregit anno Chriſti 1001, cupidus oſſa ejus videndi. Crucem auream, quam de collo ſuſpenſam geſtaverat, & partem veſtimentorum, nondum corruptam, apud ſe retinuit, reliqua omnia reponi ſuo loco mandavit. Carolus ipſe in ſomniis apparuiſſe ſcribitur vultu vindicis, mortem ei ſubitaneam comminantis: Quoniam vita defunctum inquietare non dubitaſſet. Et eventus ſequutus eſt. Nam Otto Imp. anno ſtatim ſequenti ætatis ſuæ 28. Imperii 17 mortuus eſt.

V. CAROLUS V. Imper. Spiræ in Cryptam ingreſſus, in qua aliquot Impp. cadavera aſſervantur,

tur, videre voluit; inter quæ etiam *Rudolphi I.* Habſpurgenſis erat, qui primus in domum Auſtriacam ἀξίωμα & decus Imperii intulit. Verùm inde reverſus obſtupuiſſe dicitur, & mandaſſe, ne cuiquam deinceps monumenta illa aperirentur. Et hoc malo proprio edoctus, cautior factus eſt. Nam cum anno C. 1547. Victor Witebergam urbem ingrederetur, & quæ inibi publica eſſent ædificia, luſtraret avidè, urgebant eum duæ Eumenides infernales Ferdinandus Albanus & Epiſcopus Atrebatenſis, ut Lutheri ſepulcrum dirui, demortuique cadaver publicè cremari vellet jubere. Quorum petitionem gravi & ad ſeveritatem ea Majeſtate dignam compoſito vultu accepit, atque his verbis eam ſibi diſplicuiſſe teſtatus eſt; Nihil mihi ultra cum Luthero: alium ille jam habet judicem, cujus juriſdictionem invadere noſtrum non eſt, neque mihi cum mortuis bellum eſſe ſciatis, ſed cum ſuperſtitibus & in nos armatis. Cumque animadvertiſſet, Hiſpanos ſuos cum Albano & Atrebatenſi ſentire, ſevere atque vitæ etiam capitiſque periculo ſanxit, inviolatum Lutheri ſepulcrum ut eſſet.

Similiter Otto Friſingenſis ſcribit, mortuo Rudolpho Imperatore contra Henricum IV. electo, ſepultum eum Merſeburgi fuiſſe pompa prorſus regia. Eo loci forte venit etiam Henricus Imperator, viditque ſepulcrum Adverſarii ſplendidum, & fortuna, quam præ ſe Rudolphus tulerat, ſatis dignum. Tum ſuſurronum aliquis ex gente paraſitica ſpe gratiæ captandæ Imperatori in aurem; Ecquid tu fers Domine æmulum iſtum tuum, qui Rex nunquam fuit, regali honore ſepultum jacere? Cui Cæſar: *Jaceat ille, & eo quidem modo quo voluit jacere: me verò ſplendor iſte tantum abeſt ut offendat, ut optem & cupiam omnes meos hoſtes etiam ſplendidius ſepultos jacere.*

VI. Sepulcra mortuorum violare, defunctoſque inquietare, Pontifices Romani haud reformidant. Nam BONIFACIUS IX, qui *quartum jubileum* anno 1400. celebravit, in concilio Conſtantienſi anno C. 1414. Wicleſi doctrinam damnavit, & tandem 1428 cadaver ejus anno ab ejuſdem morte 41 exhumari & publicè cremari juſſit. Quid, quod etiam Papæ vivi in Papam mortuum ſævierint? Nam ſcribit Platina (*in Romano*) quod STEPHANUS & SERGIUS judicarint FORMOSUM hæreticum eſſe, omneſque ab eo ordinatos reordinandos eſſe ſtatuerint, & cadaver ejus è ſepulcro effoſſum habitu Pontificali ſpoliarint & ſepulturæ ſeculari mandarint.

Hi ſane τυμβωρύχοι imitantur hyænam, quæ inquiſitione corporum ſepultorum buſta eruit. *Solin. Polyhiſt. c.* 40. At quieſcere ſinant illi turbones piè defunctos, qui ſemel in ſepulcris ſuis velut cubilibus ſunt reconditi, immunes ab improborum aſſultibus, curioſorumque hominum vanitate.

II. ACTA POLEMICA.

I. BELLUM ÆGYPTIUM.

XV.

Xerxes altero à morte Darii anno, primam expeditionem fecit adverſus Ægyptios, qui rebellaverant: Quos ſubactos, & in arctiorem, quam ſub Dario fuerant, ſervitutem redactos tradidit gubernandos Achæmeni fratri ſuo Darii filio, quem Præſidem Ægypti, interjecto deinde tempore, interemit Inarus Pſammetichi filius, vir Libys. *Herodotus in Polymnia* (*lib.* 7.) *pag.* 438.

II. BELLUM GRÆCUM.

XVI.

Circa hoc Bellum acta notanda veniunt triplicia quæ contigerunt 1. *ante Bellum.* 2. *in Bello.* 3. *poſt Bellum.*

I. ACTA, quæ ANTE BELLUM contigerunt.

XVII.

Ante Bellum acta triplicia ſunt notanda. 1. *Mardonii inſtigatio.* 2. *Xerxis conſultatio.* 3. *Belli præparatio.*

XVIII.

1. *Mardonii inſtigatio.* Etſi Xerxes ab initio nequaquam erat animatus ad bellum hoc Græciæ inferendum: *Mardonius* tamen conſobrinus ejus Gobryæ & ſororis Darii filius, aliique Græcorum hoſtes, id efficiebant, ut omnem curam & cogitationem eo conferret. Primo namque Mardonius injurias Dario ab Athenienſibus illatas graviter ulciſcendas monebat, ut poſthac abſtinerent alii à bello Perſis inferendo. Et Europam aſſerebat dignam, quam Xerxes ſibi ſubjectam poſſideret, obſoli fertilitatem & bonitatem. Hæc ſuggerebat Mardonius, ut juvenis ac novarum rerum cupidus, imperiique Græciæ pro Rege adminiſtrandi.

Accedebant deinde nuncii Regum è Theſſalia, (Reges illi *Alevadæ* vocabantur) qui eum non modo adverſus Græciam invocabant, ſed omne obſequium quoque promittebant. Aderant etiam *Piſiſtratidæ*; (Piſiſtrati enim ſoboles ab Athenienſibus ejecta in Perſidem confugerat) qui cum idem

urgebant, tum ſortilegum quendam Athenienſem nomine *Onomacritum* ſecum habebant, de belli eventu ſortes mittentem. Is ſi quæ ſortes cladem Xerxi nunciabant, earum nullam recitabat, ſolis iſtis, quæ felicitatem pollicebantur, indicatis. Quæ cum ita fierent, Xerxes ad bellum hoc facile inducebatur, veluti quem interna etiam vindictæ cupiditas movebat, dominandique libido, *Herodotus lib. 7. pag. 436, 437.*

XIX.

11. *Xerxis conſultatio de bello contra Græcos ſuſcipiendo.* XERXES recuperata Ægypto, productus adverſus Athenas exercitum, præſtantiſſimos quoſque Perſarum in concilium vocat, atque hanc ad conſultandum eis quæſtionem proponebat. *An bellum Græciæ inferendum ſit, nec ne?*

Ipſe belli ſuſcipiendi cauſas in medium tres proferebat, quod 1. Darius pater id facere deſtinaverit, niſi morte impeditus fuiſſet. 2. Ulciſcendi ſint Græci, qui & parentem ſuum & ſubditos multis magniſque damnis ac injuriis affecerint. 3. Expeditio hæc inſignem Perſis laudem ſit allatura, & Perſici Imperii potentiam auctura. *Herodot. lib. 7. pag. 438, 439.*

Hanc Xerxis orationem MARDONIUS, *egregium aſſentatoris aulici exemplum*, collaudabat, ejuſque inſtitutum his præterea argumentis urgebat. 1. Rem fore indignam Perſis, qui potentiæ dilatandæ gratia nationes plurimas, quæ nihil eos læſerunt, in provincias redegerunt, ſi Græcis parcerent, qui primi injuriam intulerunt. 2. Victoriam facilem futuram, eo quod Græci nec copiis inſtructi ſint, nec divitiis polleant, nec viribus valeant, nec fortes ſint in præliis, ſed rei militaris maxime imperiti. Contra vero Perſarum Rex omnis generis copiis ſit inſtructiſſimus, quæ ob crebras exercitationes fortiſſimæ ſint, ac rei militaris peritiſſimæ. *Herodotus lib. 7. pag. 439, 440.*

Quæ cum dixiſſet Mardonius, Perſæ reliqui ſilebant, nec contrariam proferre ſententiam audebant. Solus inter eos ARTABANUS, Darii Hyſtaſpis frater, Xerxis patruus, vir prudens & circumſpectus, rupto ſilentio bellum primo graviſſima oratione dehortabatur; deinde Mardonium graviter reprehendebat, qui Regem ſtulte & ſuperbe inflammaret ad bellum, non publicum ob commodum, ſed privatum emolumentum. Sperabat enim Mardonius Græciam ſibi adminiſtrandam à Xerxe traditum iri. *Herodotus lib. 7. pag. 441, 442.*

Xerxes, audita Artabani oratione, ira pereitus atque graviter in eum invectus, etiam invito ipſo expeditionem contra Græcos ſe facturum dicebat. Siquidem. 1. Majorum iſtud virtus ac dignitas requirat. 2. Neceſſitas poſtulet, cum non ſint Græci quieturi, etiamſi ipſe quieſcat. 3. Injuriis jam multis Perſas affecerint. 4. Honeſtum ſit laceſſitos injuriis pœnas ſumere à laceſſentibus. 5. Sint jam ante illi à ſervis majorum ſuorum ſuperati. *Herodotus lib. 7. p. 443.*

Poſtea vero cum domum reverſus Artabani ſententiam ſecum perpenderet, eum pœnitere cœpit immodeſtiæ in virum ſenem & patruum ſuum, atque conſilium de bello immutabat.

Et quanquam in ſomnis viſus erat ſibi videre quendam corpore ingenti & ſpecioſo, qui diceret; Revocaſtine ſententiam, Perſa, de inferendo Græciæ bello? Si non revocaveris eam, bene facis. Quare perge ire eam viam, quam interdiu ire deſtinaviſti. Tamen altero die in conſeſſu Perſarum ſententiam expeditionis ſumendæ revocabat. At in ſequenti nocte ſpectrum denuo ſe offerens dicebat: Fili Darii, videris expeditionem apud Perſas revocaſſe, verbis meis pro nihilo habitis. Hoc igitur nunc bene intellige: niſi extemplo inis expeditionem, hoc tibi ex ea re continget, quemadmodum brevi magnus & amplus effectus es, ita brevi rurſus humilis eris. Hoc viſo perterrefactus Xerxes Artabano rem omnem exponebat, eique author erat, ut ſumto Regis ornatu in ſolio Regio conſideret, & deinde in cubili Regis ſomnum caperet, ſi forte & ipſi ſpectrum ſeſe offerret; quod Artabanus licet invitus faciebat. Cum vero induta ſibi Xerxis veſte in cubili recubuiſſet, idem ſpectrum dormientem adibat, &, Tu ne, inquit, ille es, qui feſtinantem ire in Græciam Xerxem diſtines, tanquam ejus curator? tu neque in futurum neque in præſens conſideras, qui diſſuades id, quod fatale eſt contingere. Quid autem Xerxem pati neceſſe ſit, niſi dicto audiens fuerit, ei ipſi demonſtratum eſt. His dictis videbatur accedere propius, tanquam oculos Artabano ferramentis candentibus eruturus. Qua de re vehementer exclamans Artabanus exſiliebat, & viſionem in ſomno Xerxi proferebat, eique expeditionis maturandæ author erat, atque una cum ipſo, ubi dies exſtitit, Perſas ad bellum cohortabatur. *Herodotus lib. 7. pag. 445, 446, 447.*

Quo audito, Perſæ, etſi ad obtemperandum promti erant: alacriores tamen & animoſiores reddebantur ex ſequenti Xerxis viſione, ejuſque interpretatione. Nam viſus erat ſibi Xerxes in ſomno coronatus eſſe oleagino ſurculo, cujus oleæ ramis univerſa tellus occuparetur, & mox corona capiti circumdata evaneſcere. Quod cum Magi dicerent ad univerſam pertinere terram, portendereque, omnes homines Xerxi ſervituros, ſine mora Perſæ,

qui

qui in concilio fuerant, ad ſuam quisque præfecturam digreſſi, omni ſtudio ad juſſa Regis exſequenda ſe præparabant. *Herodotus lib. 7. pag. 447.*

XX.

III. *Belli præparatio.* Poſtquam igitur bellum adverſus Græcos in Perſarum conſilio erat decretum, Xerxes per integrum quadriennium res ad illud neceſſarias præparabat.

Exercitum ex omni Aſia & plurimis Europæ locis colligebat, novæ ac inauditæ multitudinis, ita ut Græcia omnis illum vix caperet, & non immerito proditum ſit, quod ille (exercitus) flumina ſiccaverit, aërem velis & pontum navibus impleverit. Unde vir quidam Helleſpontius eodem vitio, Jovem cum univerſo hominum cœtu adventare putans, dixit; O Jupiter, quidnam tu ſub ſpecie viri Perſæ, & accepto Xerxis pro Jovis nomine, Græciam è ſedibus ſuis exigere vis, omnes homines ducens, cum illud etiam citra hos tibi facere liceret. *Herodotus lib. 7. pag. 461.*

Verum in tanto agmine multi fuerunt homines, pauci autem viri, multi ſervi erant mali, è quibus nulla utilitas; de quo ipſe Xerxes, cum Artemiſiam Halicarnaſſi reginam ſtrenue pugnantem videret, pronunciabat; Viri exſtiterunt feminæ, & feminæ viri. *Herodotus lib. 7. & 8.*

Commeatum pro exercitu Ægyptios & Phœnices comportare juſſit, ne homines aut jumenta abſumerentur, prudentior hac in parte Cambyſe, qui ſuſcepta in Æthiopiam expeditione, ob victus inopiam decimum quemque in exercitu mactare & re infecta domum redire coactus fuerit.

Athon etiam montem, quem circumvectis Darii copiis, duce Mardonio, trecentas naves & hominum circiter viginti millia amiſerat, perfodi, præpoſito Bubare Megabyzi filio, mandavit, ut tranſitus exercitui ſuo liber à periculis pateret. Similiter *Iſthmum* montem perfodit, eumque cum aliquot urbibus à continenti terra abſcidit, & inſulam fecit. Præterea etiam Helleſpontum, anguſtum inter Aſiam & Europam mare, pontibus conjungi juſſit. *Herodotus lib. 7. pag. 448.*

USUS.

In Uſu tres perſonæ h. l. veniunt conſiderandæ, à quibus ſalutares doctrinæ deſumi poſſunt. 1. *Rex.* 2. *Mardonius.* 3. *Artabanus.*

AXIOMA I.

Bella non neceſſaria non ſunt felicia.

Bella autem non neceſſaria voco illa, quæ non propter defenſionem vel bonorum amiſſorum recuperationem, *&c.* ſed vel ex ambitione ſtolida, vel propriarum virium fiducia, vel augendæ potentiæ cauſa, ſuſcipiuntur. Hæc enim, quæ talia ſunt, felicia non ſunt, ſed tragicos exitus habent. Quia Deus diſſipat gentes, quæ bella volunt. *Pſalm. 68. verſ. 31.*

Exempla.

I. *Semiramis* bellum intulit Indorum Regi Staurobati, nulla alia de cauſa, quam ut Regnum amplificaret, & nomen immortale ſibi pararet de devictis Indorum populis, qui habebantur eo tempore pro bellicoſiſſimis. Sed Regina ipſa in prælio vulneratur, totuſque ipſius exercitus in fœdam fugam vertitur. *Diodor. Sicul. lib. 2. rer. antiq. c. 5.*

II. *Cræſus* cum in florentiſſimo regno ſuo otii impatiens eſſet, & bellum Cyro Regi Perſarum, abſque ulla legitima cauſa, ſed tantum proſperitate rerum & luxu ſuperbus inferre vellet, ob eamque cauſam Legatos ad Delphicum Oraculum diſſimulato habitu, & unde veniſſent, miſiſſet, ita reſpondiſſe illi Pythiam Cedrenus refert:

Eſt menſura maris, numerus mihi notus arena,
Elinguis animi ſenſa & cognoſco tacentis,
Sed mihi Rex Cræſus, cupiuntque illudere Lydi.

Tum demum expoſita vera cauſa legationis, ita reſpondit Oraculum:

Cræſus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim. Ita Cræſus Oraculi ambiguitate deluſus, magnam pervertit opum vim, non alienarum, ſed propriarum.

III. *Cyrus* Maſſagetis bellum ex πολυπραγμοσύνη inferens, ingenti prælio victus, & in acie interfectus eſt: ac poſtea cadaveri, ut *Herodotus* ſcribit, caput præciſum eſt, & in utrem plenum ſanguine conjectum. Vide *Hiſtor. Cyri* §. 41.

IV. *Xerxes* cupidus gloriæ & inſtructus exercitu, cum haberet incitatorem Mardonium, bellum Græcis intulit. Sed belli non neceſſarii hic fuit exitus: ut Xerxes poſt pugnam Salaminiam parvo navigio fugiens, redierit in Aſiam: Ubi propter inceſtas libidines & crudelitatem ab Artabano patruo interfectus eſt.

PARÆNESIS.

Quare videant Reges & Principes, aliique Mavortii Heroës, ut belligeraturi juſtam belli cauſam habeant. Nam juſta cauſa velut Promotorium Bonæ Spei eſt, quod illos ducat in triumphales illas terras. Nam occulta quadam internaque vi,

Frangit & attollit vires in milite cauſa:
Quæ niſi juſta ſubeſt, exuit arma pudor.

Recte *Bernh. de nova militia.* Si, inquit, bona

fuerit cauſa pugnantis, pugnæ exitus non malus eſſe poteſt: ſicut nec bonus judicabitur finis, ſi cauſa non bona & intentio non recta præceſſit.

Axioma II.

Sæpe homines in vita humana propter incertas ſpes aut metus præſentia corrumpunt, & cæca cupiditate incenſi difficilia aggrediuntur, juxta illud vulgatum: *Μάταιοι μόναις λογίζονται ἀφ' ἐπιθυμίας.* Vani vana ſollicitè cogitant propter concupiſcentias ſuas.

Exempla.

1. *Xerxes* bellum movit Græcis ob caricas Atticas. Nam ita ſcribit *Plutarchus Apophtheg. p.* 323. Xerxi Perſarum Regi aliquando prandenti, cum caricæ Atticæ pulcherrimæ & gratiſſimi ſaporis appoſitæ eſſent; ſuper menſa per Deos jurans immortales, & majorum ſuorum teſtatus cineres, negavit, venales ſeſe, qui illas ediſſet, niſi ſubjugata regione, comeſturum. Quod autem verbo juravit Xerxes, id re præſtitit, mox ad ſubigendam Græciam omnem, tantum ut caricis illius expleretur, profectus: atque ita bellum non ſolum ut Princeps levis, ſed etiam ut homo guloſus & vitioſus, movit.

Huc pertinet, quod *Cicero de finib. bonor. & malor.* ſcribit: Si Xerxes mel ſe afferre ex Hymetto voluiſſe diceret, certe ſine cauſa videretur tantus conatus.

11. *Galli* ob vinum Italicum Italiam ſubigere voluerunt. Nam *Livius lib.* 5. ſcribit: Illos guſtato Italiæ vino mox acceptis armis ad ſubigendam illam profectos eſſe, cum aliam nullam haberent vel parvam vel magnam faciendi belli cauſam; Atque ita Galli pro vino Italico ſanguinem mutarunt proprium.

111. *Antigonus* Rex Macedoniæ propter ſomnium bellum intulit Mithridati. Nam ita ſcribit de eo *Plutarch. apophtheg. p.* 336. Antigonus Rex cum quadam nocte ſecundum quietem vidiſſet Mithridatem Regem falcem manu tenentem, qua (agricolæ vel) meſſoris inſtar univerſam meteret (& truncaret) Italiam; adeo timere cœpit Mithridatem, ut eum quoquo modo interficere ſtatueret. Ita Rex ſtolidus ſomnio credens vaniſſimo ad arma totum concitavit orbem.

1v. *Longobardi* bellum moverunt Italiæ ob fertilitatem ſoli. Nam (ut *Paulus Diaconus lib.* 8. ſcribit) audierant Longobardi in Pannonia degentes, Italiam pomis dulcibus, carne ſucci plena, vino odorato, puleris feminis, piſcium varietate abundare, & rara frigora, temperatoſque calores habere. Quo nuncio accepto, rerum illarum cupiditate inflammati arma, Italiam occupaturi, ſumſerunt. Itaque Longobardi, non ut hoſtes ulciſcerentur, ſed uberiorem vitiorum ac deliciarum materiam haberent, in Italiam venerunt.

Parænesis.

Multi etiamnum homines habent ſomnium de *aureo piſce*, de quo ſcribit *Theocritus in Idyllio*: Quendam piſcatorem ſomniaſſe, quod ceperit piſcem aureum, & juramento ſeſe obligaſſe, quod nollet deinceps exercere piſcatoriam. Mane cum ſomno ſolutus eſſet, re ipſa comperit, ſe non minus eſſe pauperem, quam antea, ac diu diſputat de abſolutione juramenti, quod fecerat in ſomno dormiens: tandem vero neceſſitas abſolvit eum, & coëgit exercere prius artificium. Ita quoque videant illi, qui aureum illum piſcem ſomniant, ne cum miſero illo piſcatore pariter decipiantur.

Ita etiam Xerxes ob vanam ſpem movit bellum contra Græciam. Nam *Artabano*, expeditionem illam diſſuadenti, ita reſpondet: Tu bono animo ſis, & in patriam reverſus Rempubl. adminiſtra: donec Europa domita (eſt aureus piſcis) victores in curru triumphali (ſcil. in cymba piſcatoria) redeamus. Ita & *Demaratum* interrogavit: Quid tu de meis copiis terreſtribus & navalibus exiſtimas? An putas fore, ut Græci impreſſionem mei exercitûs ſuſtineant? Ego certe mihi perſuaſum habeo, idque exploratum omnino duco, (ὁ aureum piſcem) univerſas Gentes, quæ ſunt in Europa, ſi unum in locum congregarentur, non poſſe impetum mearum copiarum perferre & ſuſtinere.

Idem exemplum Xerxis multi etiamnum homines æmulantur. Sed merito nos exclamamus cum *Lucretio*:

O miſeras hominum mentes! ὁ pectora cæca!
Qualibus in tenebris, vitæ quantiſque periclis
Degitur hoc ævi, quodcunque eſt!

Germani venuſtum habent proverbium, quo hujuſmodi hominum inquietorum ingenium & eventus fruſtraneus pulchrè deſcribitur;

Ich hab mancherley Getand /
Der Gold ſucht' / vnd Kupfer fand.

Regulam D. Pauli auream omnes Chriſtiani perpetuo ob oculos ſibi ponant, quæ exſtat 1 *Tim.* 6. *verſ.* 6.

Ἔστι δὲ πορισμὸς μέγας ἡ εὐσέβεια μετ' αὐταρκείας,
Eſt quæſtus magnus pietas cum animo ſorte ſua contento.

Piorum eſt *φρονεῖν τὸ παρὸν εὖ ἄριστον*, h. e. ſapere in præſentia & recte curare præſentia. Quo nomine Pindarus Hieronem laudavit: Magna ſane hæc eſt ſapien-

ſapientia; *Non vana ſpe*, aut *ſtulto metu præſentem ſtatum corrumperi.*

AXIOMA III.

Iuvenum conſiliariorum, præſertim arrogantium, conſilia plerumque ſunt perniciosa.

Quia juvenes ſunt feroculi ob caſuum humanorum imperitiam, ac ſubito incaleſcunt; & non niſi accepto damno ſapiunt, edocti experientia ſtultorum magiſtra. Cautius dimicant veterani milites, de quibus vere canit Poëta:

Vulneribus didicit miles habere metum.

Venuſtum eſt ſimile *Eraſmi Roterodami*: Sicut novella vitis copioſius gignit vinum: Ita plura loquuntur juvenes; ſed utiliora ſenes. *Cicero lib. de ſenect.* inquit: Uſu conſtat, quod maximæ Reſpubl. per adoleſcentulos labefactatæ ſint, à ſenibus autem ſuſtentatæ & reſtitutæ. Unde *Xenophon* venuſtiſſimè inquit: Sicut novitii cytharœdi multas cytharas corrumpunt: Ita juvenes Gubernatores Rempubl. evertunt. Juvenes ſæpe ſunt *Phaëthontes*, h. e. imperiti, audaces, ſuperbi, πολυπράγμονες, qui vocati ad gubernationem, omnia ad cerebri ſui dictamen volunt reformare, novas leges ferre, omniaque vetera inſtituta mutare, & majora viribus affectare, ſed hoc ambitioſo conatu pervertunt omnia, cœlumque terræ miſcent. *Lutherus* ait: *Phaëton iſt ein junger Rabt / der will kurtz-um elf Nägel treffen / da nur neun auff dem Platze ſtehen.* Verum hæc de junioribus Conſiliariis ita ſunt intelligenda, niſi virtus & eruditio ſuppleant defectum ætatis. Indignum enim eſt, eum honoris nondum tempeſtivum videri, qui jam virtuti maturus eſt. *Valerius Maximus lib.* 3.

Exempla.

1. *Conſiliarii Roboami* erant juvenes, & juvenilia atque ferocia Roboamo Regi ſubminiſtrabant conſilia. Nam 1 *Reg.* 12. *verſ.* 11. legimus, cum populus Iſraëliticus, poſt mortem Salomonis, Roboamo filio ejus ſupplicaret, ut jugum à patre aggravatum ipſe levaret; Roboamus ex conſilio juvenum Conſiliariorum ita eis reſpondet: *Minimus meus digitus groſſior erit dorſo patris mei. Et nunc pater meus poſuit ſuper vos jugum grave: Ego autem addam ſuper jugum veſtrum. Pater meus cecidit vos flagellis: ἐγὼ δὲ παιδεύσω ὑμᾶς ἐν σκορπίοις. Ego cædam vos in ſcorpionibus.* Q. d. *Roboamus*, ſe de oneribus publicis adeo nihil remiſſurum, ut indies illa augere, & in refractarios plagis atrociſſimis animadvertere velit, quarum ſingulæ ipſis mortiferæ eſſe debeant. Ita explicat *Joſephus lib.* 1. *Antiq. Judaic. cap.* 3. Sed exitus hujus conſilii triſtis fuit Nam hoc moroſo reſponſo populum à ſe abalienavit, ut decem tribus Iſraël ab ipſo deficerent.

11. *Mardonius* Xerxis Conſiliarius, vir juvenis (ſicut *Herodotus lib.* 7. *pag.* 436. loquitur) ac novarum rerum cupidus, imperiique Græciæ pro Rege adminiſtrandi, Regem ſuum fiducia immenſæ potentiæ ſuæ elatum ad movendum Græcis bellum non neceſſarium movit. Sed exitus conſilii illius tragicus fuit. Nam Xerxes poſt pugnam ad Salaminem in parva cymba aufugiens cum dedecore in Aſiam rediit. Mardonium vero vir Spartanus interfecit.

AXIOMA IV.

Senum conſilia Reipubl: ſunt ſalutaria.

Nam ipſe Deus mandavit in V. T. ſenatum Seniorum inſtituendum eſſe, quando inquit *Num.* 11. *v.* 16. Cogite, inquit, mihi 70 SENIORES, h. e. qui cæteris ſapientia & prudentia præſtent. Senes namque per longam experientiam conſultandi ſibi acquiſiverunt ſcientiam. *Job.* 12. *verſ.* 12. In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia. *Job.* 32. *verſ.* 7. Annorum multitudo docet ſapientiam. Sapientia namque eſt *honor ſenectutis.* Unde vulgatum eſt Proverbium: Plus valet umbra ſenis, quam gladius juvenis, *Lycoſth. Apophth.* Quemadmodum enim novella vitis copioſius gignit vinum: Ita plura loquuntur juvenes, ſed utiliora ſenes. Senes namque ſapientia atque prudentia ſua Reſpubl. gubernant, & labefactatas erigunt ac reſtituunt. *Nazianzenus* laudat legem nauticam, qua nemo admittitur ad gubernacula navis, niſi diu prius ſederit ad remos: Idem debet fieri in Republica. Et quemadmodum qui in navi clavum tenet, quamvis non moveatur loco, nec remiget, nec vela aut rudentes aptet, nec anchoram jaciat, nec alia miniſteria obeat; plus tamen quam cæteri, ad navis gubernationem confert: Ita in Republ. recte inſtituta ſenex in cathedra ſedens, plus conſilio ad ejus defenſionem & conſervationem, quam miles fortis atque armatus, confert.

Exempla.

1. *Conſiliariorum* ROBOAMI *ſeniorum* conſilium prudens erat, ut ſubditis ſuis εἰσαγώγειαν, h. e. onerum publicorum levationem atque tributorum relaxationem petentibus gratificaretur, & clementiam erga eos ſuam declararet: Cui conſilio ſi paruiſſet, utique 10 tribus Iſraël ab eo non defeciſſent. 1 *Regum* 12. Noverant namque experientia edocti, quod magnam novo Principi conciliet ſubditorum benevolentiam onerum publicorum

rum & tributorum relaxatio. Vide *Hiſtoriam Darii Hyſtaſp.* §. 14. *p.* 225.

II. ARTABANUS *Xerxis Conſiliarius* cautus & circumſpectus Regi ſuo prudens dedit conſilium, bellum contra Græcos diſſuadendo, & contra Mardonium juvenem Conſiliarium juveniliter ex rerum imperitia exſultantem objurgavit. Orationem ejus *Herodotus l.* 7. hiſce verbis deſcribit: *Noli*, inquit, *ô Rex, res Perſicas ſine ulla neceſſitate in tantum diſcrimen adducere: ſed re tota diligentius conſiderata, ſtatue, quod regno tuo maxime conducat. Bene enim conſultare comperio maximum eſſe lucrum. Nam etſi bona quoque conſilia interdum à fortuna ſuperantur: ſicut ars navium gubernandarum nonnunquam vi tempeſtatum vincitur: tamen conſcientia recti conſilii, inſtar anei muri eſt. Contra vero ſi conſilium injuſtum ſit, etiamſi fortunam obſequentem ſibi aliquis habeat; turpitudo tamen conſilii conſcientiam vellicat. Praterea vides, prægrandia animalia & celſa ædificia, magnaſque arbores fulminum telo frequenter peti. Solet enim Deus omnia ſublimia mutilare. Sic igitur & exercitus maximi ſæpe à parvis copiis diſſipantur ac profligantur, cum pavores divini eis incutiuntur. Neminem enim alium Deus, niſi ſe ipſum ſinit magnifice de ſe ſentire. Denique & feſtinatio omnis properando errores parit, qui magnas calamitates afferunt. In cunctando autem ingentia bona inſunt, quæ etſi non ſtatim appareant, tamen ſuo tempore comperiuntur bona eſſe.* Hactenus Artabanus.

Huic conſilio prudentiſſimo ſi morigeras Xerxes præbuiſſet aures, in diſcrimen vitæ, & fortunarum, non veniſſet.

AXIOMA V.

Solent plerumque Reges atque Principes juniores parentum ſuorum conſiliarios negligere, eoſque iis anteferre, cum quibus ipſi adoleverunt.

EXEMPLA.

I. REHABEAM degener ille & ſtultus Salomonis filius, conſilio ſeniorum ſpreto, ſequitur temerarium juniorum, quibus à juventute conſueverat, conſilium, magno cum ſuo & totius Regni damno. 1 *Reg.* 12. 10, 14.

2. Cum *Xerxes*, IV. Rex Perſarum, in publico Principum Perſicorum conventu, de bello Græcis inferendo conſultaret, præcipuæ in eo fuerunt ſententiæ, Mardonii juvenis, atque Artabani ſenis & patrui Xerxis: ille bellum ſuadet, hic vero diſſuadet. Sed vincit ſententia Mardonii juvenis: uti ex dictis patet.

PARÆNESIS.

Quare moniti ſint Reges & Principes, ut quando gubernacula Regni amplius tractare nequeunt, ſed filiis ſuis eadem committere decreverunt: eos graviter admoneant, ne neglectis ſenioribus Conſiliariis, juvenibus adhæreſcant. Gemino exemplo hoc declarabo.

PRIMUM eſt de *Ludovico* XI *Galliarum Rege*. Hic filio ſuo Carolo hoc conſilii dedit: ne quid mutaret in adminiſtratione Regni; & antiquos amicos, familiares & miniſtros, retineret: Se enim re ipſa expertum, in quot quantaque diſcrimina vel unica hac de cauſa veniſſet, quod excellenti probataque virtute viros ab aula pepuliſſet: exorto haud multo poſt Principum bello, quod commune bonum vocabant, & conſpiratione multifaria.

ALTERUM eſt de *Philippo Hiſpaniarum Rege*, Caroli V Imperatoris filio. Hic cum annum ætatis jam ageret ſeptuageſimum, pacis & quietis indigus, ideoque appetens & cum Gallo pacem facere, & Philippo filio, qui nunc Hiſpanis imperat, gubernationem committere, ſe regnorum tot moleſtiis & pondere exonerare voluit. Super hoc autem pacis deſiderio experiri voluit, quid Conſiliarii ſentirent, advocato in conſilium etiam filio, & filia Infante, illo in bellum prono & tantum non ruente. Conſiliarii dicere ſententias juſſi, plures, quod Principi juveni placere animadverterant, comprobare, laudare animi magnitudinem, & bellum regno glorioſum docere. At *Chriſtophorus Mora* veritatis rationem ducens, multis iiſque accuratis rationibus pacem regno neceſſariam oſtendebat, utque quibus poſſet honeſtiſſimis rationibus iniretur, graviter hortabatur. Hæc Moræ oratio mirum in modum Principis adoleſcentis animum offendit, qui cum videri mallet minus prudens, quam minus animoſus, ipſo vultu ſatis oſtendit, quam averſaretur eos, qui pacem ſuaderent. Dimiſſo itaque Senatu duris & acerbis verbis in Moram invectus, quod eam rem nimis ardenter promovere & obtinere laboraſſet, quam ipſe extreme odiſſet & averſatus eſſet, edixit homini, ut continuo è conſpectu diſcederet, & impoſterum ab omni ſe præſentia ſua abſtineret. Chriſtophorus Regem patrem adit, & de Principis ira adverſum ſe & mandato conqueritur, obiter & adſpergens, miſerrimas & periculoſas Principum eſſe conditiones, apud quos vera & utilia diſſimulare ac ſupprimere neceſſum ſit, & Conſiliariorum, quibus libertas & ſtudium boni publici odium pariat & Principis iram. Rex ei nullum aliud verbum reſpondit, quam:

Obtem-

Obtempera. Quæ prudentia communi longe excellentior. Mandatum enim filii comprobat, quamvis injuſtum, ne authoritatem ejus judicio ſuo in contemtum daret, ne inde populus exiſtimationem, quam de ſucceſſore ſuo conceperat, diminueret. Chriſtophorus demiſſo capite recedit, triſtis quidem ob gratiæ Regiæ jacturam, firmus tamen & erectus conſcientia rectæ voluntatis. At mox Rex Principem ad ſe vocat, monetque graviter, quàm non rectè faciat, veteres ſuos miniſtros tam leviter, ſe vivente & præſente, penè nullam aliam ob cauſam, quàm quod conſilia ad ejus imaginationes nollent confirmare, gratia ſua abdicando. Rem eſſe mali ominis de Regno ejus, dum præter, quod authoritatis ſuæ nodos diſſolveret, eam viam inſtitiſſet, in qua etiam prudentiſſimi Principes aberrarint, & eos facti poſtea pœnituerit. Et quamvis mandatum Chriſtophoro Moræ datum, ut injuſtum & impetuoſum ſibi vehementer diſplicuerit, revocare tamen noluiſſe, ne iñobedientiæ exemplo authoritatem faceret; velle tamen, ut in continenti hominem ad ſe revocaret, & in priſtinum gratiæ ac favoris locum integre reſtitueret; cogitaretque, conſiliarios Principis debere eſſe liberos, ſententias liberas, veritatem liberam; peſſimos contra eſſe & cenſeri debere, qui conſilia ſua ad ejus, cui danda ſunt, voluntatem magis quàm utilitatem accommodant. Ita Princeps à patre edoctus prudentior factus, & Chriſtophorus confeſtim in gratiam receptus, memorabili ad omnem poſteritatem exemplo, quod nec ſatis deprædicare poteſt *Petrus Matthæus Hiſtoricus Gallus. Hiſtoric. Navar. lib.* 1. *c.* 7. & 8.

Axioma VI.

Sæpe ſalutaria conſilia Principibus non ſunt grata.

Quia malunt ſententias audire gratas, quàm veras. Verùm hoc præſagium eſt ruinæ eorum certiſſimum. Hoc namque ſignum eſt irati Numinis ſanam illis mentem auferentis, ſicut *Lycurgus* in Oratione ſua contra Leocratem pulcherrimè ait:

- *Iratus ad pœnam ſi quos trahit Deus,*
  Auferre mentem talibus primum ſolet,
  Caliginemque offundit, ut ruant ſuas
  Furenter in clades, ſibi quas noxiis
  Accerſierunt ultro conſiliis mali.

Livius lib. 36. in eandem ſententiam pulcherrimè ſcribit: Sæpe audivi, eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat, quod in rem ſit: ſecundum eum, qui bene monenti obediat: qui verò neque ipſe conſulere, neque alteri parere ſciat, eum extremi eſſe ingenii. Nobis quia prima animi ingeniique ſors negata eſt; ſecundam & mediam teneamus, & dum imperare diſcimus, parere prudenti, in animum inducamus. Cum quo conſentit *Heſiodus*:

Οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτῷ πάντα νοήσῃ
Φρασσάμενος, ἠδ' ὀπίσσω ἐς τέλος ἥτις ἀμείνων.
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ὃς δέ κε μήθ' αὐτὸς νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούων
Ἐν θυμῷ βάλληται, ὁ δ' αὖτ' ἀχρήιος ἀνήρ.

Philippus Melanchthon hunc locum hiſce verſibus Latinis expreſſit:

Qui nullo monitore poteſt facienda videre,
Quæque decet, quæque eventus in fine ſecundos
Sunt tandem paritura, ſuis obtemperat ipſe
Conſiliis, mores vera ratione gubernans;
Anteit hic alios virtute & laudibus omnes.
Sunt alii minùs ingenio plerique ſagaces,
Qui parere tamen curant meliora monenti;
Laudandos inter rectè numerantur & iſti.
Sed qui nec ſapit, ipſe nec audit recta monentes,
Nec patitur frenos, nec legum vincula curat,
Sed pronus ſequitur, quo traxit cæca libido;
Hic malus & odio dignus ducatur, & idem
Accerſet pœnas ſibi tandem & triſtia damna.

Axioma VII.

Salutare eſt Principibus, ſi libenter audiant veritatem.

Vulgatum eſt in mundo: Magnates veritatem audire non amant. Et: Aulæ non ferunt liberas monitiones, multo minus reprehenſiones. At non eò ingeniò ſint Reges & Principes. Libertatem loquendi concedant Dei Miniſtris atque Conſiliariis ſuis, nec ament aulæ verba illa byſſina, uti *Plutarchus in Apophth.* inquit. Contra autem, Aſſentatores velut diram peſtem oderint atque fugiant. Quia Regum opes ſæpius aſſentatio, quàm hoſtis evertit. *Curt. lib.* 8. Nam mihi ſanè (inquit idem *lib.* 3.) illius ſalus deſperata eſt, cujus aures ita formatæ ſunt, ut aſpera quæ utilia, & nihil niſi jucundum & læſurum accipiant. Et, juxta Symbolum *Gordiani* junioris Imp. miſer eſt Imperator, apud quem vera reticentur. *Capitolin. in Gordian. Jun.*

Exemplum.

Exemplum memorabile habemus in Xerxe. Hic enim bellum Græciæ indicturus, verum dici ſibi noluit; uti ex *Juſtini lib.* 2. & *Valerio Max. lib.* 9. *cap.* 5. patet. Adhibitis enim Aſiæ Principibus: Ne *viderer* (inquit) *meo tantummodo*

usus consilio, vos contraxit. Caterum mementote parendum magis vobis, quam suadendum. Hoc est, os in curia elingui claudere, & sensus animorum metu ligare. Unde contra Artabanum veram sententiam libere proferentem & bellum contra Græcos dissuadentem vehementer ira exarsit, & asperioribus in illum verbis invectus est. Vide §. XIX.

De hisce osoribus veritatis *Plinius junior* in *Panegyr.* ita conqueritur: Terror, inquit, & metus, & misera illa ex periculis facta prudentia monebat, ut à Republ. oculos, aures, animos averteremus. Obsepta servitute ora erant, & frenata continuis malis lingua: tales eramus, quales jubebamur. Irritum est, vanum est, imo noxium est, adversus stimulum calcitrare velle. *Hac ille.* Neque tamen ego author hic sim, ut in omnibus assentiare Principi, multo minus ut ficto fucatoque sermone probes, quod animus tibi dictat, publicè perniciosum esse. Hoc est enim cum fortuna potius & sensu Principis loqui, quam cum ejus commodis & salute. Frustra consilium peti testare, ubi decretum antecesserit. Vide *Tacitum lib. 1. Histor. c. 15.*

AXIOMA VIII.

Consiliarii Principum non sint Placentini.

Hoc est, adulatores, qui injustis Principum suorum cupiditatibus adulentur. Hi namque sedulo faciunt, quod *Martialis* præcipit:

Nempe cocus Domini debet habere gulam.

Item observent diligenter apophthegma *Parysatidis*, quæ mater fuit Artaxerxis & Cyri junioris. Illa enim jubebat τὸν βασιλεῖ μέλλοντα μετὰ παῤῥησίας διαλέγεσθαι, βυσσίνοις χρῆσθαι ῥήμασιν. hoc est: *eum, qui Regem admoniturus esset, uti debere byssinis verbis. Plutarchus Apophth. Imp. Æsopus* eandem sententiam propriis verbis eleganti paronomasia sic exprimit: Τοῖς βασιλεῦσι δεῖ ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἥδιστα ὁμιλεῖν. h. e. Cum Regibus conversandum esse vel quam paucissime, vel quam jucundissimè. In hosce quadrat adagium illud Christi Servatoris nostri *Matth.* 11. 8. quod nempe sint

Ἄνθρωποι ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένοι.

hoc est,

Homines mollibus vestimentis induti.

Quo molli vestimento mollis & effeminatus eorum arguitur animus, quod videlicet Principes suos, à veritatis aut justitiæ tramite aberrantes, aut planè non arguant, aut si eos redarguant, quàm mollissimis & paucissimis verbis eos moneant.

Exempla.

1. Talis Placentinus erat *Harpagus.* Qui, cum Astyages Rex Medorum unicum ejus filium annos XIII. natum mactasset, & ad vescendum illius carne assa pariter & elixa eum invitasset, & cœna peracta, caput, brachia & crura mactati pueri afferri jussisset, eumque interrogaret, Nunquid factum hoc ipsi placeret? adulatoriè respondit: *Mihi placet quicquid Rex facit.* Vide *Monarch.* I. *in vita Astyagis* IX. *Medorum Regis.* §. VII.

2. Talis erat *Stratocles*, qui ad *Demetrium* Regem dicebat: *Quicquid Rex Demetrius jubet, illud & erga Deum sanctum, & erga homines justum. Plutarchus in vita Demetrii.*

3. Talis Placentinus in aula Alexandri Magni erat *Anaxarchus* Philosophus, qui dixit: Πᾶν τὸ πραχθὲν ὑπὸ τοῦ κρατοῦντος, θεμετόν ἐστι καὶ δίκαιον. h. e. Omne quod à Rege suscipitur, concessum & justum est.

4. Talis quoque Placentinus erat *Mardonius* Dux & Consiliarius Xerxis: quia ex animo fucato Regi suo contra conscientiam blandiebatur, uti ex §. 19. patet.

At tales Placentini dira aularum pestis sunt, quia ipsi molles mollia vestimenta gerunt, ut Christus ait, & juxta mandatum Parysatidis, byssinis ad Reges & Principes utuntur verbis, vel ut *Ezechiel Propheta c. 13. v. 18.* ait: consuunt pulvillos sub cubitu manus Principum suorum, idque magno tum suo, tum Principum suorum malo; uti exemplum Mardonii luculenter ostendit. Hanc ob causam *Plato* à Dionysio Rege Siciliæ ad cœnam vocatus *vestem purpuream* recusabat, commemoratis versibus Tragici:

Οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδυναι στολὴν,
Ἄῤῥην πεφυκὼς, καὶ γένους ἐξ ἄῤῥενος.
Effeminata veste non possum tegi,
Cum sim vir, & natus virili stemmate.

Vide *Diogen. Laërt. lib. 2. & Suid. Confer Historiam Cambysis* II. *Persarum Regis* §. XX. *Axioma* I.

AXIOMA IX.

Consiliarii Principis sint Veronenses, h. e. *candide & liberè veritatem dicant, animique sui sensa proferant.*

Nam detestandi sunt Consiliarii illi, qui veri copiam non faciunt, sed suspensa, & quo ducantur, inclinatura respondent. *Tacitus lib. 11. Annal.* Tales sunt ἀμφοτερίζοντες. h. e. homines versatiles, alter-

alterplices atque bilingues, qui nec annuunt, nec abnuunt, ſed pro eventu rerum intorquent, quæ conſuluere. Qualis erat apud *Tacitum lib. 1. Annal. c. 12. Aſinius Gallus.* Is enim, cùm *Tiberius* ſimulate partem ſibi Reipubl. mandari petiiſſet: *Interrogo*, inquit, *Cæſar, quam partem Reipubl. tibi mandari velis?* Mox cum offenſionem conjectaſſet, non ſe ideo interrogaſſe, ait, ut divideret, quæ ſeparari nequirent; ſed ut ſua confeſſione argueretur unum eſſe Reipubl. corpus atque unius animo regendum. At hujuſmodi δίψυχοι ἄνδρες, h. e. bilingues viri, ſunt deteſtandi, & contra illos uſurpanda eſt aurea *Bodini* regula, quam habet *lib. 4. de Republ. cap. 1.* Ab iis, *qui artes ſimulandi ac diſſimulandi didicerunt, nihil verum, nihil ſanctum, nihil rectum ſperare debemus; ſed omnia ficta, vana, veteratoria, verſuta.*

Contra autem Conſiliarius pius atque bonus conſilia ſua unice ad Dei gloriam & Reipubl. ſalutem dirigat, & veram ſententiam in rebus dubiis candide & aperte proferat. Nam

Si cor & os, ſi mens ac os, ſi oratio concors
Et ratio eſt, ecquæ ſuavior harmonia eſt?

Exempla.

1. Talis Veronenſis erat *Papinianus ICtus.* Cum enim *Antoninus Baſſianus Caracalla* Imperator initio gubernationis ſuæ Getam fratrem interfeciſſet, & ipſo facto probaret dictum Euripidis in Phœniſſis: *Si jus violandum eſt, regnandi cauſa violandum eſt: in cæteris pietatem colas*: (nam pater ipſius Severus Imp. laudatiſſimus in teſtamento decreverat, ut Geta frater Antonini Caracallæ collega eſſet:) eo impudentiæ proceſſit hic Tyrannus, ut non dubitarit poſtulare à viro juſtiſſimo Papiniano Juriſconſulto, & Præfecto urbis Romæ, ut excuſaret hanc cædem aliquo juris prætextu & ſpecie. Ad hoc poſtulatum tyrannicum atque injuſtum reſpondit ut vir gravis & juſtus *Papinianus*: *Non tam facile eſt excuſare parricidium, quam facere.* Propter quam vocem liberam interfectus eſt.

2. Talis Veronenſis erat *Artabanus.* Hic namque aperte & nulla circuitione verborum uſus, Regi ſuo veritatem dicebat, bellum diſſuadebat, non obſcurè Regis arrogantiam reprehendebat, dicens: Solet Deus omnia ſublimia mutilare. Sæpe maximi exercitus à parvis copiis diſſipantur ac profligantur, cum pavores divini eis incutiuntur. Neminem enim alium Deus niſi ſeipſum ſinit magnificè de ſe ſentire. Similiter Mardonium Regi adulantem & Græcos calumniantem in publico Principum concilio graviter objurgabat: ſicut in *Axiom.* IV. plenius hac de re diximus.

Axioma X.

Somnia, niſi ſint θεόπεμπτα, plerumque fallunt: eaque obſervare, & vanum & impium eſt.

Gaudet namque diabolus, qui & latro & mendax eſt, hominum animos in terrores conjicere, & per ſomnia eis immiſſa, ſeditiones, bella, homicidia, aliaque inter mortales ſcelera excitare, vanaque ſpe lactatos per ſomnia ambigua in magnas calamitates conjicere.

Exempla.

1. *Cambyſes* cum in Ægypto moraretur, hanc vidit in ſomnis viſionem. Nuncius quidam è Perſia veniens ei nunciare eſt viſus, Smerdin in regio ſedentem ſolio, vertice cœlum tangere. Ob id Cambyſes ſibi metuens, ne, ſe necato, à fratre occuparetur imperium, mittit ad illum interimendum in Perſas Prexaſpen.

2. *Darius Codomannus*, ultimus Rex Perſarum, ſomnio deceptus eſt. Nam ante congreſſum cum Alexandro ſomniarat, videre ſe exercitum Macedonicum ardentem incedere per Aſiam, & Babylonem venire, ibique Alexandrum indutum veſte Perſica templum ingredi, & ſtatim evaneſcere. Arbitrabatur ergo Darius, Macedonum exercitui ſignificari per flammas exitium, & Alexandrum Perſicè veſtitum venturum in poteſtatem Perſicam. Sed *flamma* arguebant celeritatem victoriæ: *Alexandri veſtitus*, potiturum ipſum regno Perſico, portendebat.

3. *Pompeius M.* ut poſtremum cum Cæſare prœlium committeret, ſomnio eſt motus: ſedenti enim ſibi in theatro plauſum dari à toto populo ſomniarat, quo victoriam annui putabat: ſed errabat in interpretatione. Plauſus enim non victoriam, ſed incitationes ſignificabat Lentuli, Domitii, Labieni, qui poſtridie ad pugnandum eum ſpe victoriæ incendebant.

4. *Amilcar* Dux Carthaginenſium, cum obſideret Syracuſas, inter ſomniandum vocem exaudiſſe credidit, nunciantem, futurum, ut proxima die in ea urbe cœnaret. Lætus igitur perinde, ac divinitus promiſſa victoria, exercitum pugnæ comparabat: in quo inter Siculos & Pœnos orta diſſenſione, caſtris ejus Syracuſani ſubita irruptione oppreſſis, ipſum intra mœnia ſua vinctum pertraxerunt. Itaque magis ſpe quam ſomnio deceptus, cœnavit Syracuſis captivus, non, ut animo præſumſerat, victor.

5. Ira *Xerxes* cum de bello Græcis inferendo agitaret conſilia, Artabanus expeditionem illam ſum-

ſummopere diſſuaſit, cui licet Rex graviter ſuccenſuerat, per noctem tamen rem altius animo perpendens, comperit, ſibi prorſus non opus eſſe inferre Græciæ bellum, immutataque rurſus ſententia, cum obdormiſſet, viſus eſt ei aditare quidam corpore ingenti & ſpecioſo, qui ob revocatam ſententiam ipſum objurgaret, & niſi bellum id ſuſciperet, gravia interminaretur. Quod ſomnium cum & altera nocte Regi oblatum eſſet, Artabano juſſit, ut ipſe regio inſidens ſolio, veſte regia indueretur, & in lecto Regis noctu cubaret, num eadem ſibi imago apparitura eſſet, probaturus. Qui cum juſſa Xerxis exſequeretur, & in ejus lecto recubuiſſet, idem ſpectrum dormientem adiens graviter reprehendit, quod Xerxem feſtinantem ire in Græciam ſuis conſiliis diſtineret, ſimulque ei viſus eſt propius accedere, tanquam candentibus ferramentis Artabano oculos eruturus. Qua de re vehementer exclamans Artabanus exiliit, bellum, quod modo diſſuaſerat, jam omnibus modis maturari ſuadens. Hoc ſomnio Diabolus, ſanguinis ſitiens, Xerxem ad bellum impulit, in quo multæ Perſarum myriades trucidatæ ſunt. Xerxes deinde expeditionem iniens, viſus eſt ſibi ſureculo oleagino coronatus eſſe, cujus oleæ ramis univerſa tellus occuparetur, & mox corona capiti circumdata evaneſcere. Quo ſomnio Xerxi totius terræ dominium promitti conjectarunt Magi. Fuiſſe autem hanc Cacodæmonis illuſionem, exitus oſtendit.

PARENESIS.

Quare hujuſmodi ſomniis non eſt tribuenda fides. Nam ipſe Deus inquit *Deut.* 18. *v.* 10. Non invenietur in te, qui obſervet ſomnia. Et *Ierem.* 23. 28. Propheta, qui ſomnium habet, narret ſomnium: & qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum vere: Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? *Ierem.* 29. *v.* 8. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſraël: Non vos ſeducant Prophetæ veſtri, qui ſunt in medio veſtrûm, & divini veſtri, & ne attendatis ad SOMNIA VESTRA, quæ ſomniatis. Quanquam enim conjecturæ, quibus explicantur, ſæpe ad veritatem dirigunt, tamen crebrius fallunt. Nam multa ſomnia ſunt prorſus falſa: Multa ſunt ambigua & æquivoca, quæ in diverſum ſenſum torqueri poſſunt, uti erat ſomnium Amilcaris. Ideoque interpretationes eorum ſæpe magis ingenia declarant interpretum, quàm naturæ vim & conſenſum. Multa enim in hoc genere magis ſcite conjecta de eventis, quam vere ſignificata. Qualis eſt conjectura de ſomnio Alexandri ad Tyrum. Nam vidit ille *Satyrum* in caſtris applaudentem & jocabundum, ſed cum eum vellet capere, retiliebat, & fruſtrabatur eum: tandem cum diu eluſiſſet eum, exoratus in manus ejus venit. Sequenti die cum vates conſuluiſſet, reſponderunt, eum haud dubie obſeſſa urbe potiturum. Nam *Satyrus* vult dicere, *Sa Tyros*, h. e. Tua (eſt urbs) Tyrus.

AXIOMA XI.

Spectris non eſt credendum. Quia ſunt incerta. Prov. 23. v. 7.

De ſpectris diverſæ Authorum circumferuntur ſententiæ. Quidam enim boni, quidam vero mali omnis ea eſſe dicunt.

Nos in explicatione hujus axiomatis duas quæſtiones probe notandas eſſe ſtatuimus. 1. *An ſint ſpectra.* 2. *Quid ſint ſpectra.*

DE QUÆSTIONE I.

An ſint ſpectra?

Primo QUOD ſpectra ſint, patet tum ex Scripturis, tum ex Hiſtoriis.

1. EX SCRIPTURIS. Nam *Sapient.* 17, *v.* 4. legitur, quod Ægyptii, quando Deus populum ſuum Iſraëliticum educebat ex Ægypto, ſpectris ſint exagitati. Similiter. 1 *Sam.* 28. *v.* 14, 15. legitur, quod Pythoniſſa in Endor excitarit *Samuelem fictitium*, atque ita Saulis oculis ſpectrum diabolicum objecerit. De ſpectris Babylonis agit *Jeſaias c.* 31. *v.* 8, 9. &c. *cap.* 34. *v.* 14. Similiter 2. *Macc.* 3. *v.* 25, 26. Heliodoro equus quidam, terribilem inſeſſorem habens, apparet, qui ipſum duobus prioribus calcibus proſtravit. Apparuerunt ſimul duo juvenes, virtute decori, Heliodorum circumſtantes, & ex utraque parte multis illum plagis ſine intermiſſione demulcentes. Et 2 *Macc. c.* 10. *v.* 23. Judæ Maccabæo apparent viri quinque frenis aureis decori, qui ipſum circumſeptum incolumem conſervabant. Similiter in N. Teſtamento ſpectrorum fit mentio. Nam *Matth. c.* 14. *v.* 26. & *Marc.* 6. *v.* 46. legitur, quod diſcipuli Chriſti, videntes, Chriſtum quarta noctis vigilia ſuper mare ambulare, & ad ſe venire, turbati ſint, putantes, ſe φάντασμα, h. e. ſpectrum, videre, & præ timore exclamarint: *Spectrum eſt.*

2. EX HISTORIIS, iiſque tum *Eccleſiaſticis*, tum *profanis*, patet, ſpectra eſſe.

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſpectra eſſe docent. 1 *Juliano Apoſtatæ*, dum forte in adyta quædam oraculi cauſſa deſcendiſſet, ſpectra horribilia ex improviſo, non ſine terrore & metu ſummo objecta eſſe refert *Sozomenus hiſtor. Eccleſ. l.* 5. *c.* 2. 11. *Spectrum mulieris*, magnitudine inuſitatum, aſpectu hor-

horrendum, in ſublimi per civitatis plateas diſcurrens, & flagello horriſono aërem verberans, *Antiochiæ* noctu viſum, poſtquam ſuccedente die ſeditio, qua Imperatoris & Imperatricis ſtatuæ dejectæ, exorta eſt, refert idem *Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 7. c. 23.* III. *De balneis infeſtis* ſcribit Gregorius Nyſſenus de vita Gregorii Neocæſarienſis, ſpectra ingreſſis balneum damni plurimum attuliſſe, adeo ut nemo, qui balnea noctu intraſſet, mane exiret vivus, præter Gregorii Neocæſarienſis diaconum. IV. *Auguſt. lib. 22. de C. D cap. 8.* meminit ſpectri cujuſdam, quod *ædes Heſperii* viri tribunitii infeſtabat, & animalia atque domeſticos graviter vexabat.

Hiſtoria profana quoque ſpectra eſſe docent. I. *Julius Cæſar* cum exercitu ex Galliis rediens, ad fluvium Rubiconem ſpectrum animadvertit formæ virilis, inſolitæ tamen magnitudinis, fiſtula canens, cujus auſpicio flumen hiſce verbis trajecit: Eamus, quo Deorum oſtenta & hoſtium iniquitas nos vocat; jacta eſt alea. *Sueton. in Cæſar.* II. *M. Brutus* exercitum ex Aſia traducturus, noctis conticinio ſpectrum dirum & prodigioſum, immanis & horrendi corporis, ad ſe ingrediens & in ſilentio ſibi aſſiſtens videt. Brutus animoſe ex eo quæſivit: *Quiſnam aut hominum aut Deorum es?* Cui occulto murmure reſpondet ſpectrum: Tuus ſum, Brute, malus genius; in Philippicis me videbis. Cui, nihil perculſus Brutus: *Videbo*, inquit. Et rei eventus hoc confirmavit. *Plutarchus in Bruto.* Similiter *Athenodoro* Tharſenſi Stoico Athenis ſpectrum apparuit. *Plin. lib. 7. Epiſtolar. ad Suram.* Item *Dion. Syracuſan. Plutarchus in Dion.* Plura exempla qui deſiderat, legat *Wolffium Tom. I. memorabil. lection. ex Sigebert. Aventin. Annal. Bojoar. lib. 5. Artunum ſectione 1. hiſtor. Mediolan. Cardan. de rer. variet. lib. 16. cap. 93. Ludovic. Lavater. part. 1. de ſpectris cap. 16. Johan. Wierum de præſtigiis Damon. lib. 1. cap. 14. & cap. 15.* Item *Philip. Camerar. Horis ſucc. cent. 1. cap. 70. & 72.* Denique *Petrum Thyræum Ieſuitam. Part. 1. de Loc. infeſtis cap. 1.*

De Quæstione II.

Quid ſint?

Sententia falſa.

Scholaſtici atque *Monachi* opinantur, animas poſt mortem ſic oberrare, adeoque φαντάσματα illa ſive ſpectra nihil aliud eſſe quam umbras defunctorum. Hæc ſententia à Pontificiis communiter eſt recepta, & in Concilio Conſtantienſi comprobata.

Refutatio.

Si umbræ hominum defunctorum, hominibus in terra viventibus apparerent; aut hæc apparitio fieret fruſtra, aut ob aliquem finem. *Non fruſtra* fieret: Quia nemo ſapiens aliquid fruſtra facit. *Neque fieret ob aliquem finem*, h. e. voluntatis divinæ revelationem. Nam hæc Pontificiorum opinio eſt 1. Ἄγραφος. 2. Ἀπάγραφος. 3. Ἀθεόλογος.

I. Eſt ἄγραφος. Nam nullibi vel in Vet. vel in Novi Teſtamenti codice legimus, quod Deus unquam per defunctos cum viventibus egerit, aut per eoſdem voluntatem ſuam Eccleſiæ revelarit. Vide *Num. 12. v. 6, 7.* Neque ullum exemplum probatum afferri poteſt. Meritò igitur hic dicimus; Sicut JCtus erubeſcit loqui ſine lege: ita Theologus erubeſcat loqui ſine ſacro Codice.

II. Eſt ἀπάγραφος. Nam Deus expreſſe prohibuit, ne mortuos conſulamus. *Deut. 18. v. 10, 11.* inquit *per Moſen*: Ne invenitor in te, qui utatur incantatione, aut requirat Pythonem, aut *conſulat mortuos.* Nam abominatio Jehovæ, quiſquis facit iſta. Per *Jeſai. 8. verſ. 19, 20.* inquit: Cum edicunt vobis: Conſulite Pythones & Ariolos, qui pipiunt & muſſitant; nonne populus Deum ſuum conſulturus eſt? *Pro viventibus mortuos conſultat?* Ad legem & teſtimonium: ſi non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. In Novo Teſtamento Chriſtus, diviti epuloni, inſtitutionem fratrum ſuorum per mortuos urgenti; reſpondebat: Habent *Moſen* & *Prophetas*; audiant illos: Quos ſi non audierint, neque fidem habebunt cuipiam, *qui ex mortuis reſurgat. Luc. cap. 16. v. 17, 18. & ſeqq.* Unde patet, quod inſtitutiones per ſpectra & apparitiones Deo ſint exoſæ, & verbo Dei extreme contrariæ.

III. Eſt ἀθεόλογος καὶ ἄλογος. Nam ſi ſpectra ſunt Umbræ defunctorum; erunt aut *animæ* ipſorum, aut *corpora.*

Primo ANIMÆ *non ſunt.* Nam ſi animæ eſſent; eſſent vel piorum, vel impiorum animæ. At neutrum verum eſt. *Non ſunt animæ piorum.* Quia hæ ſunt in manu Dei. *Pſal. 31. verſ. 6. Luc. 23. v. 43. Iohan. 10. v. 27, 28.* in Paradiſo. *Luc. 23 v. 43.* in pace. *Geneſ. 15. v. 15. Ieſai. 57. verſ. 2. Luc. 2. verſ. 29.* in faſciculo viventium. *1 Sam. 25. v. 29.* Exemplo latronis in cruce. *Luc. 23.* & Lazari. *Luc. 16. verſ. 22.* Neque ſunt *animæ impiorum.* Hæ namque viventes in infernum deſcendunt. *Pſal. 55. verſ. 16.* Unde in hanc vitam non revertuntur. *Pſal. 78. v. 39. Exemplo divitis Epulonis. Luc. 16. v. 22.* Et ſane illæ redire nolunt, ſi maxime poſſent: hæ redire non poſſunt, ſi maxime vellent.

Deinde CORPORA *non ſunt*. Nam ſi corpora eſſent; aut piorum, aut damnatorum corpora eſſent. Sed neutrum eſt verum. *Non piorum*. Ea namque in cubilibus ſuis requieſcunt, *Jeſai. 26. v. 20.* à laboribus ſuis. *Apoc. 14. verſ. 13. Non damnatorum*. Nam hæc in domum ſuam non revertuntur. *Job. cap. 7. v. 10.* Uterque autem homo, h. e. pius & impius, ibit in domum æternitatis ſuæ בית עולמו, h. e. in ſepulcrum. *Eccleſiaſtæ cap. 12. v. 5.* quod domus æternitatis dicitur. Quia omnibus mortuis in ſepulcro manendum uſque ad noviſſimum diem. Quomodo igitur corpora eorum in terra oberrare poſſunt?

Sententia vera, quid nempe ſpectra ſint?

Auguſtinus reſpondet, Spiritus ſive Angelos eſſe vel bonos, vel malos. Quando pia & honeſta piis proponunt ad ſalutem & conſolationem piorum, tum ſunt ſpiritus ſive angeli boni. Quando vero impia, inhoneſta & ſuperſtitioſa proponunt, tum ſpiritus ſive angeli mali ſunt. E quibus, cujus ſpiritus filii ſint, tanquam ex cauda vulpes, ex ungue leo, & ex vultu Æthiops, à quovis agnoſci poſſunt.

DUBIUM.

At videtur inſolitum eſſe Angelos bonos *ſpectra* appellare. Spectrum namque res mali eſt ominis, & terrificum quid: Id quod de Angelis bonis dici non poteſt.

Reſpond. In ſacro codice res dupliciter conſiderantur. Κατὰ τὸ φαίνεσθαι, καὶ λέγεσθαι. h. e. *ſecundum apparentiam*, & *nuncupationem*. Sic illæ res, quæ inſolito more ac modo hominibus ſeſe offerunt, φάσματα vel φαντάσματα. h. e. ſpectra eſſe videntur; & ita interdum appellantur, ſed tamen revera non ſunt. Sic Apoſtoli, cum viderent Chriſtum inſolito more ſuper mare ambulantem, putabant, illum φάντασμα ſive ſpectrum eſſe. *Matth. 4. v. 26.* Verum errabant: Nam dicit textus; quod PRÆ TIMORE exclamaverint, *Spectrum eſt*. Ita etiam poſt reſurrectionem, cum Chriſtus glorioſo ſuo corpore, inſolito more & derepente, in medio eorum ſtaret, illi perterrefacti putabant, ſe *ſpiritum*, h. e. ſpectrum videre. *Luc. 24. v. 37.* Verum ſimiliter errabant. Chriſtus enim ſpectrum eſſe videbatur, & ita ab illis nominabatur; ſed non erat.

2. Κατὰ τὸ εἶναι, h. e. *ſecundum eſſe, ſive ſecundum rei veritatem*. Sic ſpectra nihil aliud ſunt quam ipſe diabolus: vel ſunt varia ludibria & præſtigiæ ſatanæ, quibus ipſe videntes ludificat, variiſque modis eos affligit & vexat. Nam diabolus nunquam potuit fraudes & præſtigias ſuas tam artificioſe tegere, quin earum indicia quædam animadverti potuerint. Plerumque enim exegit aliquot Miſſas, ut cultum Maoſim ſtabiliret. Paſſus eſt ſe adjurari & exorcizari, ut ſuperſtitiones confirmaret. Solent enim in Papatu certis verbis ac ceremoniis ſpectra adjurare, & hac orationis formula uti: *Domine Jeſu Chriſte, omnium ſecretorum cognitor, qui ſemper tuis fidelibus & parvulis revelare ſalubria & utilia conſueviſti, quippe ex hoc loco Spiritum quendam ſe oſtendere permiſiſti: humiliter obſecramus benigniſſimam tuam miſericordiam, per paſſionem tuam & pretioſiſſimi ſanguinis tui pro peccatis noſtris effuſionem, ut digneris præcipere huic Spiritui, ut ſine terrore ac læſione noſtra & omnium hominum ſe revelet, ſignificans famulis tuis, nobis vel aliis peccatoribus, quis ſit & cur venerit, quidque petat; ut ex hoc, honorari volens, & ipſe conſolationem percipiat, & fideles quoque inde ſubleventur, in nomine Patris ✝ & Filii ✝ & Spiritus ſancti ✝ Amen. Petrus Mamorius* narrat, circa annum 1458 in Gallia Conſollenti ad Viennam fluvium in Capellani cujuſdam ædibus diabolum, qui ſe animam defunctæ cujuſdam eſſe dicebat, gemitibus, clamoribus & querimoniis omnia compleviſſe; monentem, habendas eſſe preces, peregrinationeſque obeundas; & res veras plurimas revelantem. Sed dicente ei quodam: *Si vis tibi haberi fidem, die; Miſerere mei, Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam*, &c, reſpondiſſe, *hoc à ſe fieri non poſſe*. Tunc ludificantibus ipſum iis, qui adſtabant, fremebundum aufugiſſe.

AXIOMA XII.

Exercitus non tam quantitate, quam qualitate & virtute, æſtimandus eſt.

Rationes hæ ſunt.

1. *Ex manu militari*. Nam in bello manu opus eſt, h. e. virtute militari; ſicut recte & pulcre ait *Syneſius Epiſt. 78.* Χειρῶν δεῖ τῷ πολέμῳ, καὶ οὐκ ὀνομάτων πολλῶν. h. e. In bello opus eſt manibus multis, non nominibus multis. Neque enim ibi nobilitas pugnat aut numerus, ſed nobilitas & virtus. Sicut etiam apud *Henricum Huntidonenſem* (*hiſtoriar. lib. 8. pag. 388.*) docuit *Radulphus* Orcadum Epiſcopus, cujus hæc fuere ad milites in acie verba: *Non tam numerus multorum, quam virtus paucorum bellum conficit.*

11. *Ex diſciplina militari*. Diſciplina militaris pene tota conſiſtit, ſicut & felicitas, in *militum obedientia*. Quodnam enim bellum feliciter ſuſcipi & geri, quod prælium iniri, quæ victoria obtineri poſſet,

poſſet, niſi milites Imperatoris aut Ducis imperium ſequerentur? Quomodo Silius de magno Duce ait:

——— *Cunctoſque ciebat*
Nomine.

Item illud *Maronis*:

——— *Urget præſentia Turni.*

Exemplo ſuo hoc ipſum oſtendit *Scipio*, qui, in Italia cuidam percunctanti, qua re fretus claſſem in Africam tranſmittere vellet, trecentos ei viros armatos oſtendit, exercentes ſe, & in vicinia *turrim* excelſam mari imminentem, addiditque: ut diſcas, qua re fretus hoc ſuſcipiam: Ecce nullus horum eſt, qui non conſcenſa hac turri ſe præcipitem in mare daturus ſit, ſimul atque ego juſſero: Obedientiâ videlicet militum ſuorum, omnia ſibi obvia pollicitus. At tanto diverſarum nationum confluxu, quis militari diſciplinæ aut obedientiæ locus eſſe poſſit, uti uno ore ſapientes docent?

III. *Ex exercitûs conſervatione faciliori & traductione commodiori.* Exercitus namque numeroſiſſimus contractu retentuque difficilis eſt. Unde enim commeatus alendo? facilitas traducendo? Eleganter in hanc rem *Vegetius lib. 1. cap. 3.* ſcribit, cujus hæc ſunt verba: Pluribus caſibus ſubjacet multitudo amplior. In itineribus pro moleſua ſemper eſt tardior, in locis aſperis vel fluminibus tranſeundis propter impedimentorum moras ſæpe decipitur. Præterea ingenti labore numeroſis animalibus equiſque pabula colliguntur, rei quoque frumentariæ difficultas, quæ in omni expeditione vitanda eſt, cito majores fatigat exercitus. Unde concludit: Veteres qui remedia difficultatum experimentis didicerant, non tam numeroſos, quam eruditos armis exercitus habere voluiſſe.

I. Exempla Sacra.

I. *Abraham*, poſtquam audivit quatuor Reges Gentium Lotum patruelem ſuum captivum abduxiſſe, armavit 318 domi ſuæ natos & educatos ſervos, iiſque potentiſſimos eorum exercitus vicit, quos uſque ad Dan hoſtiliter inſequutus, in fugam conjecit, prædamque, quam rapuerant, vi illis eripuit. *Geneſ. 14. v. 14. Joſeph. lib. 1. Antiquit. cap. 11.*

II. *Gedeon* Dux Iſraëlitarum 300 ſtipatus militibus, qui vacuas hydrias ardenteſque faces manibus gerebant, cætera inermes erant, innumerabiles hoſtium phalanges aggreſſus eſt, eaſque fudit. Hoſtium Midianitarum erant 135000 bene armati: Gedeonis vero tantum trecenti, iique inermes milites. Per hos pauculos tamen Iſraëlem redimere Jehovæ placuit. Mirum vero, ſingulis Gedeonis militibus oppoſitos fuiſſe 450 Midianitas. Vide *Judic. c. 7. v. 16.* Jehovæ nimirum perinde eſt, ſive paucis ſive multis juvet. *1 Sam. 14. v. 6.*

III. *Jonathan* Saulis filius ſolus cum armigero ſuo per ſcopulos arrepens copias Philiſtinorum, quæ tantum non arenæ æquabant numerum, aggreditur, & eo quidem ſucceſſu, ut viginti viros in acie ſterneret, & reliqui omnes in effuſiſſimam conjicerentur fugam, adeo ut ipſa tellus ſub pedibus hoſtium palantium tremeret. *1 Samuel. 14. verſ. 13, 14, 15.*

IV. *Aſſa*, III *Rex Juda*, cum Serah Rex Æthiopum expeditionem contra eum ſuſciperet, & decies centena millia militum & currus trecentos in caſtris ſuis haberet, oratione ſua ſe ad Deum convertebat, dicens: Domine, non eſt apud te ulla diſtantia, utrum per paucos, an vero per plures auxilieris: Adjuva nos Domine Deus noſter: In te enim & in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noſter tu es; non prævaleat contra te homo. Qua oratione finita, immenſam hanc hoſtium multitudinem (nam maximus hic eſt exercitus, cujus in ſacro codice fit mentio) animoſe aggreſſus, eam uſque ad internecionem proſtravit. *2 Paral. 14. v. 9, 11, 13.*

II. Exempla Profana.

I. *Xerxes* immenſum exercitum è Perſia duxit in Græciam, ſed ille primum à trecentis Lacedæmoniis ad Thermopylas eſt luxatus. Nam viginti millia militum ex eo ceciderunt.) Deinde à Themiſtocle in pugna Salaminia fractus, & tandem à Pauſania ad Platæas prorſus profligatus atque deletus eſt.

II. *Alexandri M.* parvus erat exercitus, quo univerſum orbem ſubjugare aggreſſus eſt. Numerus enim copiarum, quas in Aſiam tranſmiſit ad debellandum Orientem, (uti *Plutarchus* ex optimis authoribus confirmat) nondum quadraginta millia militum habuit, nec in ſtipendium amplius ſeptuaginta talenta, nec niſi ad triginta dies commeatus tulit: Tanta apparatus exiguitate, incertum eſt, inquit *Juſtinus*, utrum ſit admirabilius, Alexandrum viciſſe orbem, an vincere aggreſſum eſſe. Tanta namque ejus in præliis felicitas fuit, ut tribus præliis victor, uno ad Granicum flumen, altero ad Iſſum, tertio ad Arbela, imperium Aſiæ rapuerit: cum tantæ eſſent hoſtium copiæ, ut Darius decies centena millia militum haberet; ideoque jactaret, ſe pro uno milite Alexandri, denos in ſuo exercitu habere.

III. *Lucullus* contra Tigranem vix vigeſimam ejus copiarum partem ducens, occidit centum millia peditum; cum Romanorum tantum centum vul-

vulnerati & quinque occiſi eſſent. *Plutarchus. Dio lib.* 35, anno M. 3903.

IV. *Pompeius M.* nocturno prælio Mithridatem in Armenia minori vicit, ejus caſtra diripuit, & 40 millia ex ipſius exercitu cecidit, non viginti milites è ſuis deſiderans *Dio. Eutropius.* anno mundi 3906.

Ex quibus exemplis patet, victoriam non in multitudine militum, ſed in bellatorum alacritate (loquimur h. l. de cauſa ſecunda, prima non excluſa) conſiſtere, & virtutem nulli numero ſuccumbere. Unde Artabanus gravi oratione ad Xerxem de magno exercitu glorianti differebat, eique bellum contra Græcos diſſuadere volebat, dicens: *Vides, pragrandia animalia & celſa ædificia, magnaſque arbores fulminum telo frequenter peti: Solet enim Deus omnia ſublimia mutilare: Sic igitur & exercitus maximi ſæpe à parvis copiis diſſipantur ac profligantur, cum pavores divini eis incutiuntur. Neminem enim alium Deus niſi ſe ipſum ſinit magnifice de ſe ſentire.*

Quod probe conſiderans *Carolus* V. *Imperator* ille prudentiſſimus, in commentariis ſuis filio relictis, *Philippo* nempe II Hiſpano, certum etiam exercitûs numerum præſcribit, qui nec difficilis contractu, nec contentu laborioſus futurus eſſet; nec majori cum numero uti volebat.

AXIOMA XIII.

De exercitu quoque judicandum eſt ex Ducis qualitate.

Qualis enim Dux eſt, tales quoque ſunt milites. Si Dux eſt timidus, totus velut exanimari ſolet exercitus. Si vero eſt magnanimus, ejus fortitudine exercitus quoque ad res magno animo gerenda exſuſcitatur. Dux namque fortis animum incredibilem militibus addit, vireſque duplicat, juxta illud *Maronis*:

——— *Urget præſentia Turni*

Exempla.

1. *Xerxes* ingentem quidem habuit exercitum, ſed tantæ huic multitudini Ducem defuiſſe, *Juſtinus* recte ait: Nam ſi Regem ſpectes, divitias, non Ducem, laudes; quarum tanta copia in Regno ejus fuit, ut, cum flumina multitudine conſumerentur, opes tamen Regiæ ſupereſſent. Ipſe autem primus in fuga, poſtremus in prælio ſemper viſus eſt. In periculis timidus, ſic, ubi metus abeſſet, inflatus. Denique ante experimentum belli, fiducia virium, velut Naturæ ipſius Dominus, & montes in planum deducebat, & convexa vallium æquabat, & quædam maria pontibus ſternebat, quædam ad navigationis commodum per compendium ducebat. Cujus introitus in Græciam, quam terribilis, tam turpis ac fœdus diſceſſus fuit. Hæc *Juſtinus.*

2. *Alexander M.* magnanimus fuit. Ideoque eo præſente tanta ejus militum fiducia fuit, ut armatos hoſtes, vel inermes ipſi adoriri non dubitarent, certamque animo victoriam præſumerent. Tanta quoque fuit *Alexandri* felicitas, ut nullo unquam cum hoſte congreſſus ſit, quin eum devicerit; nullam civitatem obſederit, quin eam expugnaverit; nullam gentem adierit, quin eam calcaverit: ſicut *Juſtinus* ſcribit.

Unde *Chabrias* dicere ſolitus eſt: Malle ſe exercitum CERVORUM duce LEONE, quam exercitum LEONUM duce CERVO.

II. ACTA quæ IN BELLO contigerunt.

XXI.

Acta in Bello contigerunt gemina. 1. *Ipſa expeditio.* 2. *Pugnarum deſcriptio.*

I. EXPEDITIO.

XVII.

Xerxes, omnibus ad bellum neceſſariis magno cum molimine præparatis, copiis, quas habebat, in unum coactis, iter Sardes verſus ingrediebatur. Hic enim edictum erat, ut cunctæ cogerentur copiæ, quæ per continentem erant cum ipſo ituræ. Poſtquam autem Sardes advenit, per hyemem ibi commoratus, principio Caduceatores dimiſit in Græciam, petitum Aquam & Terram, edictumque ut cœnas Regi inſtruerent ad omnes Civitates: Lacedæmonem vero & Athenas neminem miſit, propterea quod Legati, quos antea Darius ad hoc ipſum eo miſerat, alii in barathrum, alii in puteum dejecti erant, juſſi per ſarcaſmum, ut Terram & Aquam illinc ferrent ad Regem. Deinde cognito, quod Pons Helleſponto inſtratus adorta tempeſtate corruptus & diſſolutus eſſet, vehementer ipſe indignabatur Helleſponto, eique trecenta verbera infligi, in ejuſque pelagus par compedum injici, Architectis vero capita præcidi juſſit, aliumque pontem ex navibus ſeptingentis inter ſe junctis, fieri curavit.

XXIII.

Cum autem tranſmiſſo flumine Haly Phrygiam peragraſſent, venerunt Celænas: in qua urbe reſidens Pythius Atyos filius, vir Lydus, & ditiſſimus, magnificentiſſimo hoſpitio tum ipſum Xerxem, tum omnem ejus exercitum excepit, eique omnem ſuam pecu-

pecuniam dono offerebat, nempe argenti duo millia talentorum, auri vero quadragies centena millia nummûm (vel ſtaterum) Daricorum, ſeptem millibus minus. Verùm Xerxes hanc pecuniam non accepit, verùm eam potius Pythio auxit. *Herodotus lib. 7. p. 450.* Poſtea vero Pythius hac Xerxis erga ſe benevolentia fretus, ex quinque filiis (qui cum Xerxe in militiam ibant) unius, ſaltem natu maximi, vacationem petebat. Qua petitione Xerxes indignatus: *Tune*, inquit, *homo improbe, cum ego ipſe in expeditionem eam, filioſque meos & fratres & domeſticos ac amicos ducam, auſus es filii tui mentionem facere, qui meus es ſervus, quem oportebat cum omni familia & uxore me comitari?* Probè nunc diſcito hoc, ANIMUM IN HOMINUM AURIBUS HABITARE. Qui benè audit, ejus corpus voluptate perfunditur; qui vero male, is exacerbatur. Mox vero Pythii filium in duas partes diſciſſum, medium ab utroque viæ latere poni, & illac tranſire exercitum juſſit. Quod fuit haud dubie omen cladis ſequuturæ, quæ tanta erat futura, ut Xerxes victus fugatuſque medius inter ſuorum cadavera tandem incederet. *Herodotus lib. 7. pag. 454, 455.* Nam quale eſt bellorum principium, talis quoque exitus eſſe ſolet. Vide plura de hoc *Axiomate in Hiſtor. Darii.*

XXIV.

Cùm autem Xerxes ex urbe Sardium, ubi hybernaverat, egrederetur; Ecce ingens prodigium, futuræ cladis præſagium, contigit. Nam ſol in cœlo ſedem relinquens, apparere deſiit, cum nullæ nubes eſſent, ſed ſereniſſimus aër, & pro die nox exſtitit. Xerxi autem Magos percontanti, quid hoc portentum ſibi vellet, illi falſo reſponderunt, ſignificare Græcis Civitatum defectionem, quod dicerent, ſolem Græcorum, lunam verò ipſorum eſſe Præſidem. *Herodotus lib. 7. p. 453, 454.* Nam revera cladem, quam Xerxes poſtea in Græcia accepit, ſignificabat.

XXV.

Xerxes hoc reſponſo Magorum audito majorem in modum lætatus ire pergebat. Cumque Abydum veniret, omnem exercitum recenſere juſſit, hoc modo. Decem millia hominum numeravit, iiſque arctè ſtantibus cancellos & ſepem circumduxit: hiſce exeuntibus alios incluſit, atque itidem alios, atque compendium fecit odioſæ numerationis. Fuerunt autem peditum vicies ter centena millia, & præterea decem & ſeptem millia: Equitum vero octoginta millia. Et de hoc immenſo Xerxis exercitu *Daniel Propheta cap. 11. verſ. 2.* vaticinatus eſt hiſce verbis: *Ecce adhuc tres Reges ſtabunt in Perſide, & quartus ditabitur opibus nimiis ſuper omnes: & cum invaluerit divitiis ſuis, concitabit omnes adverſum regnum Græciæ.*

XXVI.

Quem exercitum Xerxi cupido inceſſit omnem oculis ſubjiciendi. Ideoque in prætorio quodam, quod ei Abydeni è candido lapide in tumulo propter dignitate exſtruxerant, reſidens, omnes copias proſpiciebat, ſeque beatum eſſe jactabat; ſed poſthæc lacrymas fundebat. Cujus rei cauſam quærenti Artabano reſpondit: *Reputantem me, quàm brevis ſit omnis vita humana, ſubiit horum miſeratio: Quorum cum tot ſint, nemo ad centeſimum annum ſupererit.* Ad hæc ARTABANUS: *Multa ſunt alia*, inquit, *quàm vita humana brevitas, quæ miſerabiliora morte ipſa vivendo patimur. Nemo enim omnium hominum ita felix unquam exſtitit, cui non crebro, nedum ſemel, animo ſubeat moriendi voluntas potiùs quam vivendi. Nam & morbi varii & calamitates plurimæ vitam perturbant, efficiuntque, ut cùm brevis ſit, tamen perlonga videatur, & mors optatiſſimum ſit perfugium vitæ arumnoſæ.*

Xerxes abrupto hoc veluti triſti colloquio ad jucundos ſermones cohortatus Artabanum; Apertè, inquit, dicito, niſi tam evidens inſomnii viſio tibi fuiſſet oblata, perſtareſne adhuc in prima ſententia, qua bellum diſſuadebas contra Græcos? Cui Artabanus: Viſio, Rex, quæ in ſomnis objecta eſt, ad votum ſuccedat amborum; ego tamen adhuc metuo, & adeo metu perculſus ſum, ut non ſim apud me, dum video, omnium maxime duo tibi eſſe hoſtilia, nempe Mare & Terram. *Mare* quidem ideo, quod nullus reperiri portus poterit, qui tempeſtate coorta capiat tuam hanc claſſem, ad eamque tutandam ſuſcipiat. Portus igitur cum deſit oportunus: cogita, homines in arbitrio fortuitorum eſſe, non fortuita in arbitrio hominum. *Terra* verò, quod etiamſi nemo tibi reſiſtat, alere tamen diu tantam multitudinem non poſſit, unde, commeatibus abſumtis, horrenda fames ſecutura eſt.

Contra *Xerxes* in rei conſultatione inquit, *fortuiti caſus non ſemper ad calculos ſunt vocandi; ſed cum periculoſatius eſt tentare aliquid, quam omnia metuentem ignavo otio langnere.* Nam iis, qui facere quid volunt, conſuevit plerumque ſuccedere emolumentum; raro autem iis, qui penſant omnia, & quos facere piget. *Magna negocia magnis cum periculis ſuſcipi volunt.* Ad extremum Artabanus: Quandoquidem, inquit, Rex, non finis ullam rem formi-

formidari, ſaltem Ionas contra majores ſuos ducere noli, cum ſine illorum auxilio ſuperare hoſtem facile poſſis: atque hoc dictum vetus in mente habe; *Non ſtatim ab initio exitum omnem manifeſtum eſſe.*

Xerxes credere ſe reſpondit Ionibus ob fidem Dario ſervatam, monuitque Artabanum, ut depoſito metu in Perſidem reverteretur, domumque regiam ſe abſente curaret. *Herodotus lib. 7. pag. 456, 457, 458, 459.*

XXVII.

Dimiſſo Artabano Xerxes convocavit Perſas, eoſque ad bellum alacriter capeſſendum pro concione hortatus eſt. Deinde Helleſpontum per dies ſeptem totidemque noctes cum omnibus copiis transgreſſus, Doriſcum, quæ Thraciæ urbs eſt littoralis, contendit, ibique denuo totum luſtravit exercitum. Quo facto elata fiducia potentiæ ſuæ, *Demaratum exulem Spartanum* hac compellavit oratione: Nunquid putas Græcos impreſſionem mei exercitûs ſuſtinere poſſe? Ego namque perſuaſum mihi habeo, gentes ad Occidentem univerſas pares haud fore armis noſtris. Cui *Demaratus*; Verane Rex audire mavis, an jucunda? Cum Rex elegiſſet vera; Dicam igitur, inquit, quod nemo negare poteſt. Græcis paupertas una cum libertate inſita & quaſi innata eſt: Virtus vero acquiſita ſtudio ſapientiæ & obedientiæ erga leges. Ac ut de Lacedæmoniis tantum dicam, hi certo obviam tibi venturi ſunt ad pugnandum, etiamſi Græci reliqui omnes tecum ſentirent. Neque tu de numero eorum quæras, quot illi ſint, qui hoc facere poſſint. Nam ſi vel mille eorum in exercitu fuerint, tecum pugnabunt. Hæc cum audiſſet Xerxes, cachinno ſublato, inquit: *Tune putas mille viros cum tanto meo exercitu congreſſuros?* An tu, qui rex eorum fuiſti, cum decem aut viginti Perſis manum conferre audes? Sunt vero è meis ſatellitibus, qui cum ternis Græcis pariter dimicare facile auſuri ſint, quorum tu inexpertus multa blateras. Ego vero, inquit Demaratus, intelligebam, Rex, ab initio, me vera dicentem, non jucundum tibi futurum, ſed tu tamen me coëgiſti dicere, quæ ſunt veriſſima. Ego neque cum decem promittam me poſſe dimicare, neque cum duobus, ac ne ſingulari quidem certamine volens certaverim: verum ſi neceſſitas poſtulaverit, libentiſſimè cum uno quolibet iſtorum omnium dimicarim, qui ſe ſingulos aiunt idoneos ad certandum cum ternis Græcorum. Ac Lacedæmonii pugnando cum ſingulis non ſunt illi quidem cæteris viris deteriores, ac conferti cunctorum virorum ſunt excellentiſſimi, quippe quibus præeſt Domina Lex, quæ cogit idem ſemper, vetans ex acie fugere quantamvis hominum multitudinem, ſed jubens ut ordinem non deſerentes aut vincant, aut occumbant. Hæc loquens ſi blaterare tibi videor, poſthæc volo in cæteris ſilentium agere. Xerxes ad riſum converſus hominem comiter dimiſit, & contra hoſtes ire perrexit.

XXVIII.

Græci de apparatu Xerxis bellico certiores facti, partim per occultam Demarati Regis Spartani apud Xerxem exulantis ſcripturam, partim per ipſius Xerxis Caduceatorem, terram & aquam (velut ſubjectionis ſymbola) petentem, de auxiliis in univerſa Græcia ſibi circumſpiciunt. Quamvis autem quidam Græcorum, privatæ ſaluti conſulentes, pacem cum Xerxe facerent, eique per Legatos terram & aquam mitterent, tamen monitu Athenienſium, qui Xerxis inſtitutum probè intelligebant, ad defendendam patriam contra communem hoſtem erigebantur. Neque enim Athenienſes à conſtanti hoc propoſito triſti Apollinis oraculo de muris ligneis eis dato, quo urbis excidium prædixit, deterriti ſunt. Quin potius conſilio Themiſtoclis, ut contra Perſas certaturi, navali prœlio ſeſe inſtruerent, perſuaſi ſunt. Ideoque cogebant unum in locum, è ſingulis, quæ per Græciam melius ſentiebant, civitatibus, viros delectos, deque hoſte excipiendo cum illis conſultabant. Viri iſti in conventu congregati *Proviſores Græciæ* appellati fuerunt, & ante omnia decreverunt, ut miſſas facerent privatas inimicitias atque hoſtilitates mutuas.

USUS.

Circa expeditionem hanc Xerxis multa memorabilia veniunt obſervanda. Proponitur namque nobis.

PRIMO IN XERXE,

1. *Exemplum deteſtandæ* SUPERBIÆ.

Quam oſtendit *corde, ore, & opere.*

Primò CORDE. Quia in viribus ſuis exercituque ſuo, quem collegerat, immenſo, inque apparatu bellico, quo inſtructus erat, nimium confidebat. Unde rectè Eccleſia canit:

Xerxes verließ ſich auf ſein Heer:
Darum ward er geſchlagen ſehr.

Secundò ORE. Nam poſt luſtrationem exercitus ſui in Thracia Demaratum exulem Spartanum hac compellavit oratione: *Nunquid putas Græcos impreſſionem mei exercitûs ſuſtinere poſſe? Ego namque*

que perſuaſum mihi habeo, gentes ad Occidentem univerſas pares haud fore armis noſtris.

Tertio, OPERE. Quia ingens ejus gloria fuit, ſed major faſtus, dum humanæ conditionis oblitus, ſupra Deos & homines, adeoque ſupra omnes creaturas efferebatur: nam voluit eſſe Dominus terræ atque maris. Quia montem Atho atque Iſthmum perfodit, & Helleſpontum contabulavit; quæ fuerunt ſupra hominis vires ſtupenda opera. Nam Deus omnia condidit in pondere, numero & menſura. *Sapient.* 11. *v.* 21. Deus montes certo libramine fundavit atque fixit. *Prov.* 8. *v.* 25. Montes aſcendunt & valles deſcendunt in locum, quem Deus fundavit eis. *Pſalm.* 104, *verſ.* 8. Deus aquis terminum poſuit, quem non transgredientur. *Ibid. verſ.* 9. *Jerem.* 5. *v.* 22. *Job.* 38. *v.* 10, 11.

Juſtinus vanos hoſce Xerxis conatus ridet, quando ſcribit: Xerxes ante experimentum belli, fiducia virium velut naturæ ipſius Dominus, & montem in planum deducebat, & convexa vallium æquabat, & quædam maria pontibus ſternebat, quædam ad navigationis commodum per compendium ducebat. Cujus introitus in Græciam quam terribilis, tam turpis ac fœdus diſceſſus fuit. Hæc *Juſtinus*. Et commune eſt *Adagium*: *Iſthmum perfodere.* Quod uſurpatur de laboribus & conatibus ingentibus viresque humanas excedentibus, ſed vanis atque irritis. Quia repugnante Deo & natura ſuſcipiuntur. Vide *Eraſm. Adag.*

PARÆNESIS.

Quare caveant ſibi Reges & Principes, ne majora viribus ſuis opera aggrediantur, inque Dei ſolius imperium ſeſe ingerant. Nam Domini eſt terra & omnis plenitudo ejus, orbis terrarum & qui habitant in eo. *Pſalm.* 24. *v.* 1. Imitentur memorabile CANUTI *Danorum & Anglorum Regis* potentiſſimi exemplum, quod ex Henrico Huntidonenſi *Guilhelmus Cambdenus* adfert in *Britannia.* Repreſſit is adulatorem quendam, qui omnia ad Regis vultum & nutum converti adſerebat hoc modo: Sedile ſuum in littore maris ſtatui juſſit, cum adſcenderet: Adſcendenti mari dixit: Tu meæ ditionis es, & terra in qua ſedeo, mea eſt, nec fuit qui impune meo reſiſteret imperio. Impero igitur tibi, ne in terram meam adſcendas, nec veſtes nec membra dominatoris tui madefacias. Mare vero de more conſcendens, pedes Regis ſine reverentia madefecit. Ille igitur reſiliens: Sciant, inquit, omnes habitantes orbem, vanam & frivolam eſſe Regum potentiam, nec Regis quempiam nomine dignum, præter eum, cujus nutui cœlum, terra, mare legibus obediunt æternis. Nec unquam poſtea coronam capiti impoſuit.

Qua de cauſa ARTABANUS in Concilio Principum Perſicorum Xerxem ad modeſtiam graviter adhortatur; ne fiducia virium & potentiæ ſuæ inſoleſcat, ne propter regni amplitudinem & exercituum magnitudinem efferatur & ſuperbiat, alioſque præ ſe contemnat, ſed memor ſit inconſtantiæ rerum humanarum & vindictæ divinæ. Deum namque ſuperbis adverſari, eoſque punire ac dejicere, juxta illud: Φιλεῖ ὁ Θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν. Solet Deus ſuperba omnia punire. Vide *ſupra* §. 19.

II. *Exemplum extremæ* DEMENTIÆ.

Xerxes uti inter omnes orbis Reges atque Principes ob potentiam famoſiſſimus fuit: ita & ridiculæ ſuæ ſtultitiæ atque extremæ dementiæ palmam poſt ſe omnibus præripuit. De quo *Herodotus in Polymnia* (*lib.* 7. *pag.* 452.) ita ſcribit: Xerxes cùm intellexiſſet Helleſpontum ex Aſia in Europam conjungi, indignè ferens, juſſit trecenta Helleſponto verbera infligi, & in ejus pelagus par compedum demitti. Audivi etiam miſiſſe, qui ſtigmata Helleſponto inurerent, dicentes hæc barbara ac veſana verba: O aqua amara, Dominus hanc tibi irrogat pœnam, quod eum læſiſti, qui de te nihil male meritus erat. Te tamen Rex Xerxes velis noliſve transmittet, meritoque nemo hominum tibi ſacrificat, ut doloſo pariter & amaro flumini.

III. *Exemplum furioſæ* IRACUNDIÆ.

Nam Xerxi non ſatis fuit furorem & rabiem exercere IN HOMINES, (uti exemplum Pythii benefactoris ejus oſtendit) ſed etiam adverſus mundi ELEMENTA furere contendit, iiſque, uti etiam montibus, ventis, fluminibus, non ſecus iraſcebatur atque hominibus, atque ab illis obſequium & reverentiam exigebat, quin ſoli ipſi tenebras eſt minitatus. Nam cum trajectum ex Abydo ad ulteriorem ripam, qui erat ſeptem ſtadiorum, pontibus junxiſſet, ingenſque exorta tempeſtas ea omnia dirupiſſet: indignatus, tanquam ſenſus aquis ineſſet, trecenta Helleſponto verbera velut colaphos infligi, & ſtigmata inuri, adeoque par compedum in pelagus mitti juſſit. Deinde cum mons Athos longo tractu in mare procurrens claſſem ejus afflixiſſet, à continente eum abſcindere, omnibus copiis, ſub verberibus in effodiendo occupatis, aggreſſus eſt. *Herodotus lib.* 7.

IV. *Exemplum* CRUDELITATIS *barbaricæ.*

Cum enim PYTHIUS BITHYNICUS

Xerxem ipſum omnemque ejus exercitum, nempe viciès ter centena millia peditum, & præterea decem & ſeptem millia, equitum vero octoginta millia hoſpitio excepiſſet, & xeniis magnificis ornaſſet, frumentum inſuper quinque mentium Regi & toti exercitui, & ſtipendium ſtipulatus, nempe, argenti talenta duo millia, auri verò myriadas quadringentas ſtaterum Daricorum, id eſt, quadringenties centena millia coronatorum, ſive quadringentas tonnas auri: quam Pythii liberalitatem & magnificentiam Xerxes miratus, viciſſim ei ſuam offert gratiam & ſtudium. Sumta itaque fiducia, Pythius hiſce verbis Regem alloquitur: Domine, inquit, quinque mihi ſunt filii, quos omnes contigit in militiam tecum ire adverſus Græciam. Horum uni tu, quæſo, Rex miſertus mei, qui huc proceſſi ætatis, indulge militiæ vacationem, ei qui natu eſt maximus, ut & mei ipſius & cenſus curam gerat: quatuor tecum una ducas. Ita confectis, quæ in animo habes, rurſus revertaris. Qua petitione Pythii exaſperatus Xerxes, non tantum cum graviter increpavit, ſed etiam ſubito imperavit his, quibus delegatum erat hæc exſequi, ut maximum natu filiorum Pythii diſcinderent medium, ejuſque diſciſſi dimidium ad dexteram viæ, dimidium ad ſiniſtram diſponerent, & illac tranſiret exercitus. Hoc illi ubi ſunt exſequuti, illac exercitus pertranſivit. *Herodotus lib. 7.*

O magnam inhumanitatem! O fœdam beneficiorum oblivionem, & planè barbaricam crudelitatem!

Secundo in Themiſtocle habemus exemplum magnæ atque admirandæ prudentiæ:

Nam ipſe conſilium dedit Græcis, ut miſſas facerent privatas inimicitias & hoſtilitates mutuas, & ſyncretiſmo inter ſe inito, de patria defendenda unice cogitarent. Nam Axioma eſt Politicum religioſe obſervandum. Quando commune imminet bellum, tum privatæ ſimultates, odia & contentiones ſunt ſeponendæ & conciliandæ. Quod quæ non obſervat Reſpublica, peſſum ibit. Quoniam concordia res parvæ creſcunt, diſcordia vero res magnæ dilabuntur. Et omne Regnum adverſus ſe ipſum diviſum deſolatur, & domus ſuper domum cadit: inquit Chriſtus Servator noſter. *Luc. 11. v. 17.*

Deinde quoque Oraculum Delphicum Athenienſibus datum de *Muris ligneis*, in quibus vincere debebant, ſolus recte & dextre interpretatus eſt Themiſtocles. Cum enim ſub adventum Xerxis, territis Græciæ urbibus, Apollo conſultus ab Athenienſibus, quonam modo ſaluti propriæ ac filiorum proviſerent: reſpondet ἀμφίλογος & verſutiloquus Apollo, h. e. diabolus, hiſce verſibus:

Juppiter è ligno muris tritonida donat,
Qui ſoli invicti tibi ſint natiſque ſaluti.

Inſinuare hoc reſponſo volebat diabolus: illos *in muris ligneis* victoriam à Perſis reportaturos. Sed quid per MUROS LIGNEOS intelligeretur, non omnium mens eadem erat. Alii namque ſic interpretati ſunt, ut muris lapideis deſtructis ædificarentur eorum loco lignei. Alii, ut muri veteres circumdarentur ſepe. At omnium optime Themiſtocles illud enarravit, conſulens, ut urbe relicta, & impoſitis uxoribus & liberis in naves, alacriter pugnarent, hoſtique occurrerent. Valebant namque Athenienſes claſſe: qui, ſi periculi impendentis metu, & triſti prædictione Oraculi de excidio urbis territi, dediciſſent ſe Xerxi, tota haud dubie Græcia in Perſarum poteſtatem tunc redacta fuiſſet. Ideoque non immerito Herodotus Athenienſes *Gracia Servatores* tum fuiſſe judicat. Similiter Themiſtoclem omnium Græcorum ſapientiſſimum appellat in Urania. (*lib. 8. pag. 568.*) Nec non *Thucydides*, qui poſtea vixit, hoc elogio Themiſtoclem ornavit. Tanta ingenii præſtantia in eo fuit, ut etiam non præmonitus præſentes res, & quas antea non proviſiſſet, breviſſima deliberatione rectiſſime æſtimaret, futura autem longiſſime certiſſimeque proſpiceret; quæ in manibus habebat, graviter ageret: Interea verò & obſcura donec deprehendiſſet, non acquieſcebat. In rerum delectu, quid facere, quid omittere oporteret, maxime prævidebat, neque hunc quiſquam ſubito conſilio in rebus neceſſariis vicit.

AXIOMA.

Unus vir prudens toti Regno & Regioni conſilio ſuo prodeſſe poteſt.

Ubi enim non eſt conſilium, populus corruet: ſalus autem, ubi conſilium. *Prov. 11. 24.* Conſilio gerendum eſt bellum. Et erit ſalus, ubi multa conſilia ſunt. *Prov. 24. v. 6.* Et quidem majores res conſilio & ratione quam manu geruntur, juxta illud *Ovidii lib. 13. Metamorph.*

Pectora ſunt potiora manu; vigor omnis in illis.

Sicut etiam *Polybius* ab Euripide dictum ſapienter ſcribit:

Σοφὸν βούλευμα τὰς πολὺς χεῖρας νικᾷ.
Conſilium unum ſapiens magnam vincit militum manum.

Hinc viri, prudentes OCULI Reipublicæ appellan-

pellantur. Quia consilio suo Rempubl. labascentem fulciunt & sustentant. Ductum namque eorum omnia Reipubl. membra sequuntur, sicut h.l. exemplum in Themistocle habemus. Similiter de *Fabio* Romano dicitur à Poëta:

Unus homo nobis cunctando restituit rem.

Contra autem vires sine consilio parum prosunt. Nam

Ut consilii expers mole ruit sua.

Unde Ulysses apud Poëtam ridet Ajacis stoliditatem, his verbis:

Tu vires sine mente geris, mihi cura futuri est.

Tertio in Agesilao Themistoclis fratre habemus exemplum admirandæ Magnanimitatis.

Nam Agathyrsis *lib.* 4. *rerum Persicarum*, ut à Stobæo refertur, eum ob fortitudinem animumque invictum valde commendat. Cum enim Xerxes cum quingentis myriadibus bellum Græcis denunciasset, Athenienses confusi exploratorem miserunt Agesilaum Themistoclis fratrem, quamvis Neocles pater ejus per somnum vidisset filium utramque manum amisisse. Is cum venisset ad turbam Barbarorum habitu Persico, Mardonium unum è satellitibus interemit, existimans, Xerxem esse. Comprehensus igitur à satellitibus, ad Regem vinctus perductus est. Quumque is immolaturus esset bovem super aram Solis, dextram injecit manum, & sine gemitu pertulit angustiam illam tormentorum. Obstupentibus autem cunctis, è vinculis solitus est. Verum eo dicente: Τοιοῦτοι πάντες ἐσμὲν Ἀθηναῖοι. Εἰ δ' ἀπιστεῖς, καὶ τὴν ἀριστερὰν ἐπιθήσω. h. e. Tales sumus omnes Athenienses: sin fidem non habes, etiam sinistram immittam. Metu concussus Xerxes, custodiæ mandari Agesilaum imperavit.

2. Simile exstat exemplum apud *Livium* de Mutio Scævola: Eum, quum animo interficiendi Regem Porsenam Româ in castra Hetrusca venisset, & errore quodam alium occidisset, sibi ipsi mulctam indixisse, adusta videlicet manu dextra. Qua patientia doloris & constantia Regem ita consternavit, uti non solum ab obsidione urbis discederet, sed pacem quoque cum Romanis sanciret.

Quarto in Demarato Spartanorum Rege exule habemus exemplum fidelitatis erga Patriam.

Hic namque, olim Rex Spartanorum, nunc apud Xerxem exulans, amicior patriæ post fugam, quam Regi post beneficia: ne inopinato bello opprimeretur, mature eos de consilio Xerxis certiores fecit, hoc usus strategemate. Sumtis duarum tabellarum pugillaribus, ceram illinc erasit, deinde in ligno consilium Xerxis exaravit, & ceram erasam iterum induxit, ne aut scriptura sine tegmine indicium daret, aut recens cera dolum proderet apud viarum custodes. Servo postea fido Lacedæmonem eas dedit perferendas. Quibus perlatis Lacedæmone res diu quæstioni fuit, quod neque scriptum aliquod viderent, nec frustra missas suspicarentur, tantoque rem majorem, quanto occultior, putarunt. Hærentibus in conjectura viris, Uxor Regis Leonidæ, filia Cleomenis, *Gorgo*, consilium scribentis invenit. Erasa ergo cera belli consilia Lacedæmonii cognoverunt, eademque reliquis Græcis significarunt, & conventu indicto, syncretismum inter sese fecerunt, & fide interposita, in communi patriæ periculo, fortiter eam contra Xerxis violentiam defendere decreverunt.

II. PUGNARUM DESCRIPTIO.

XXIX.

Tres pugnæ inter Xerxem & Græcos sunt commissæ. 1. *Terrestris ad Thermopylas.* 2. *Navalis ad Artemisium.* 3. *Navalis ad Salaminem.* De quibus ordine agemus.

PUGNA I. AD THERMOPYLAS.

XXX.

Circa pugnam ad Thermopylas tria sunt notanda. 1. *Ortus.* 2. *Progressus.* 3. *Egressus.*

XXXI.

1. ORTUS. *Græcorum præsidium in Thermopylis collocatum.* Græci, qui ad defensionem patriæ inter se consenserant, loca angusta munienda esse statuerunt, tum in terra, tum in mari. Nam sicut classem miserunt ad angusta loca Artemisio (quod Eubœæ est promontorium) vicina: Ita quoque *Thermopylas* quæ montium sunt angustiæ, calidis aquis scatentes, præsidio muniendas, ejusque loci aditum custodiendum judicarunt, ne Xerxes cum pedestribus copiis suis in Græciam penetraret. Disposita autem eo in loco erant quatuor millia militum Græcorum, quorum Dux erat *Leonides* Rex Spartanorum ex genere Heraclidarum, vir magnanimus atque fortissimus, qui & Spartanos trecentos, quibus maxime confidebat, sibi adjunxerat. Quos ita oratione sua firmaverat, ut initio statim animo parati ad moriendum pro patria essent. Nam postquam pervenit intra Thermopylas, ad milites suos ait: *In propinquo ferunt esse barbarum. Quare non est tempus terendum. Jam enim aut vincendi bar-*

barbari, aut nobis eſt moriendum. Dicenti, Cum tam multis conflicturus, Leonida, paucos ſub ſignis adduxiſti: *Si multitudine*, ait, *me cenſetis fretum eſſe, ne univerſa quidem Græcia ſatis ſit: ſin virtute, & hic numerus ſufficit.* *Plutarch. in Apophtheg.* *Frontinus* hoc addit: *Leonides* cum à multis terreretur, ne cum Perſis negotium ei eſſet: Fore enim ut illi ſagittarum multitudine nubem facerent: *Belle*, inquit, *& probe. Sic enim in umbra pugnabimus, neque ſol æſtu ſuo nobis moleſtus erit.*

[1. *Thermopylæ* ab anguſtia & calidis aquis nomen habent. Nam Thermæ aquas calidas notant: & πύλαι, *Pylæ*, Græco nomine dicuntur, quas Latini portas vel januas vocant. Unde & pro anguſtis montium faucibus accipiuntur. *Cicer. Attic. lib. 5.* Itaque confeſtim iter in Ciliciam fecit per Tauri pylas. Tales etiam montium anguſtiæ in Græcia erant. Sicut enim Italiam *Apenninus*: ita Græciam mediam dirimit mons, qui à Leucade incipiens, atque inde in orum flexus in Ægeum uſque mare protenditur, cui monti ab anguſtis faucibus, quæ calidis aquis ſcatent, *Thermopylarum* nomen eſt. Haſce montium anguſtias adverſus Xerxem tuebatur Leonidas. Ita in Ægypto ad mare rubrum erat locus anguſtiarum nomine celebris, qui dicebatur *Pihachiroth*, h. e. os cavernarum vel ſpeluncarum nomine celebris. Germanicè Clarmund. Fuerunt duo montes ad mare rubrum, qui erant inſtar oris aperti & hiantis, & inter eos vallis ſita erat; & in his ipſis cavernarum inter montes concluſarum faucibus Iſraëlitæ caſtra metari ex Dei mandato debebant. *Exod. 14 v 1, 2.* Quæ caſtrorum metatio valde periculoſa erat. Nam ex utroque latere erant montes, inter quos concluſi erant. Ante eos erat mare rubrum: Poſt eos Pharao cum ingenti exercitu. Et è regione erat *Baal Zephon* idoli templum.]

XXXII.

2. PROGRESSUS. Pugna inter Græcos & Perſas commiſſa eſt gemina.

XXXIII.

Primo: Velitaris. Nam Xerxes cum per dies aliquot Leonidæ deditionem aut fugam exſpectaſſet, ira percitus fortiſſimos quoſvis è militibus ſuis ſelegit, quos adverſus Leonidem miſit, continuato in triduum prælio, verum conatu irrito. Nam Spartani loci gaudebant oportunitate, & præterea virtute, animi magnitudine, & ſcutorum, quibus tela ingruentia repellebant, Perſis ſuperiores erant, & adverſus eos ἀνδρικῶς, h. e. maſculè atque fiducialiter ſeſe gerebant. Perſæ autem non catervatim eos aggredi ob loci anguſtias poterant, neque ſinguli ſingulos, etiam à Ducibus ſuis verberibus cæſi, audebant. Ita palam fiebat, Xerxem in exercitu ſuo multos homines, ſed paucos viros habere, Spartanorum reſpectu.

XXXIV.

Secundo: Aperta. Tandem EPIALTES quidam Trachinius proditor, ſpe muneris accipiendi, Xerxi promiſit, ſe militibus ejus occultum tramitem per montes eundi oſtenſurum, quo Spartani circumveniri ac pelli poſſint, ſi πρόσω τε ὀπίσω, h. e. ante & retro eos oppugnarent. Ubi autem Leonides proditionem hanc cognovit, veniam ſociis dedit abeundi. Cives vero ſuos 300 Spartanos & paucos Theſpienſes & Thebanos ſecum retinuit. Cum quibus noctu in caſtra hoſtium nil tale opinantium effuſus eſt, ingentemque in iis ſtragem edidit. Non enim ſibi exſpectandum putavit, ut ab hoſtibus circumveniretur; ſed quia nox occaſionem daret, ſecuris atque lætis ſuperveniendum putavit. *Diodorus Siculus* ita ſcribit: Spartani noctu conſtipato agmine in caſtra Perſarum, præcedente Leonida, feruntur; Barbari, re inopinata ac repentina perculſi, ex tabernaculis paſſim tumultuantes ſe propripiunt, rati, eos, qui cum Epialte Trachinio miſſi fuerant, periiſſe omnes, & univerſas Græcorum copias adeſſe, intraque ſtationem caſtrorum irruiſſe. Magna ergo cædes Perſarum à militibus ubique edebatur, atque à ſuis plerique propter rei ignorantiam necabantur pro hoſtibus, tumultu per univerſa caſtra excitato, in quo & nox rerum proſpectum prohibebat, & error tumultum augebat. In prætorio ſuo fruſtra quæſitus à Spartanis fuit Xerxes, qui ad initium tumultûs inde proſiluerat, & ex periculo ad loca tutiora ſe receperat. Alioqui nullo obſtante, ab illis interemtus fuiſſet. Barbari vero in ſumma rerum trepidatione, dum quiſque ſibi timeret, alter alterum, utcunque ſibi obſtantem, cædebant, cum neque tempus, neque locus daretur diſcernendi quid eſſet, nec qui, aut quo ordine ſe reciperent, cujuſve juſſu, quo Duce conſererent, ad quæ ſigna confugerent, nec ad quæ nomina vocarentur, nec omnino, pavore omnia perturbante, mentem colligere aut ſiſtere poſſent.

XXXV.

3. EGRESSUS, Exorto ſolis lumine, & patefacto rerum proſpectu, cum Perſæ cernerent, Græcos admodum raros, contemta, ut erat præter ſpem, paucitate conſiſtere, nec tamen contra audentem hoſtem tendere audent, virtute & audacia eorum deterriti, ſed lateribus circumglobati, & undique à tergo procul adorientes, configunt jaculis & ſagittis univerſos. In exercitu vero Xerxiano 20000 virorum fortiſſimorum occubuerunt. *Herodotus pag. 536.* addit: Xerxem eos, qui in exercitu ſuo occiſi erant, depreſſa foſſa ſepeliiſſe, circiter mille cadaveribus relictis, humumque eam foliis conſtraviſſe, ſimulatione ridicula, ne multitudo interfectorum cerneretur ab exercitu claſſiario, quem per Præconem ad ſpectanda Spartanorum cadavera his

his verbis evocaverat: Rex Xerxes dat veniam, cuicunque libet, relictis ordinibus ire visum, quemadmodum pugnetur cum amentibus hominibus, qui se superaturos sperarunt copias Xerxis.

Usus

Hæc *Spartanorum* pugna insignem nobis usum præbet, si consideremus eorum *virtutes*, quæ immensum de se fulgorem sparserunt, *ante pugnam*, *in pugna*, & *post pugnam*.

I. Ante pugnam.

1. Caritas *Spartanorum erga patriam laudanda.* Quamvis enim Leonides, & trecenti cum eo cives Spartani, scirent ex Oraculo simul & Megistæ vatis prædictionibus, sibi ad Thermopylas ad internecionem cum omnibus suis pereundum, aut certe Spartam evertendam, patriæ incolumitati, suæque æternæ gloriæ consulentes, & pro defensione Græciæ strenue pugnantes, gloriosum finem sortiti sunt, ac perpetuam sibi gloriam & nomen clarissimum reliquerunt. *Herodot. lib. 7. Ælianus lib. 13.*

Hæc sane est laudanda eorum erga patriam caritas, quod vitam salutemque privatam patriæ saluti postposuerunt.

II. Magnanimitas *stupenda*, tum *Spartanorum*, tum *Leonida Ducis eorum. Spartani* namque, quibus militiæ terrestris cura à Græcis demandata erat, cum, Legatis missis, socios confœderatos evocarent ad animandos eos confirmandosque, nihil se formidare affirmarunt. *Non enim Xerxem Deum esse, qui bellum Græciæ inferret, sed hominem. Nec mortalium quempiam aut esse aut fore, qui, ex quo natus est, mali exsors, seu nulli malo obnoxius sit: & ut quisque maximus est, ita ei contingere maxima mala.* Cum igitur mortalis sit, qui bellum inferat, ei quoque præter opinionem multa accidere posse. Similiter stupenda fuit *Leonidæ* Ducis Spartanorum magnanimitas. Cum enim à quibusdam terreretur (sicut *Frontinus* scribit) ne cum Persis illi negotium esset: fore enim, ut illi sagittarum multitudine nubem facerent, cordate respondit: *Belle & probe: Sic enim in umbra pugnabimus, neque sol æstu suo nobis molestus erit.* Similiter cum paulo ante pugnam, ascensu hostium in montem cognito, Phocenses alioque socios dimitteret, heroice illos hisce verbis affatus est: *Ego cum Spartanis meis hic manebo: Quia haud ex dignitate facturi essemus, si stationem nostram deseremus. Decet namque nos, ut Græciæ Principes, præstantius aliquid & difficilius cæteris aggressos fortiter occumbere.*

Regula.

Magna est virtus in Duce belli, si noverit hostiles minas argute eludere, & in contrarium vertere.

Uti 1. hic exemplum in *Leonida* habemus.

2. *Aulus Torquatus*, cui aliquam urbem oppugnanti cum diceretur, juventutem in ea studiose jaculis exerceri; ingeniose respondit: Recte se habet; Sic enim capta urbe pluris eam vendam.

3. *Theodoricus Gothorum Rex* Romam oppugnans, cum à quibusdam moneretur, ne se temerario periculo committeret: Romam enim ita militibus stipatam esse, ut pluribus admittendis non sit locus, argute respondit: Tanto mihi promtius eos vincere. Nam & fœnum quo densius, eo demessu facilius.

III. Eloquentia *admiranda.* Quam graphica enim & emphatica fuit illa Leonidæ ad milites suos, cum in Thermopylis essent, oratio? *In propinquo ferunt esse Barbarum. Quare non est tempus terendum. Jam enim aut vincendi Barbari, aut nobis est moriendum.* Dicenti, Cum tam multis conflicturus, Leonida, paucos sub signis adduxisti: *Si multitudine*, ait, *me censetis fretum esse, ne universa quidem Græcia satis sit: sin virtute, & hic numerus sufficit. Plutarchus in Apophtheg.*

Hac oratione Leonides militum suorum animos ita confortavit, ut jam ante pugnam animo parati essent ad moriendum pro patria: utrictiam eventus ostendit.

Regula.

Magna est vis eloquentiæ, qua in animis auditorum tam altos relinquit aculeos, ut eos flectat, quo velit.

Etenim:

Nil tam difficile est, quod non persuadeat, & non
Efficiat docti lingua diserta viri.
Ancipiti eloquium longè penetrantius ense;
Hoc rabiem motam sedat, & arma movet.

Hinc *Cicero lib. 1. de arte Rhetor.* Eloquentia multæ urbes sunt constitutæ, plurima bella restincta, fortissimæ societates, sanctissimæ amicitiæ comparatæ.

II. In pugna cernitur.

1. *Leonidæ Ducis prudentia.* Cum enim ille de ascensu hostium in montes certior factus, prudenter judicavit non exspectandum sibi, ut ab hostibus circumveniretur; sed quia nox occasionem daret, lætis & securis superveniendum. Nusquam enim

victores honeſtius, quam in caſtris hoſtilibus, perituros. *Diodorus Siculus*, *Juſtinus*.

2. *Leonida & militum ejus fortitudo heroica.* Cum enim Leonides milites ſuos animaſſet, conſtipato agmine ipſe præcedens, in caſtra hoſtium effuſus, ingentem ſtragem edidit, & ad 20000 Perſarum trucidatis, ipſe quoque cum ſuis cæſus glorioſa morte occubuit.

III. POST PUGNAM viret atque viget

Sempiterna nominis eorum gloria. Hanc namque Leonides ejuſque milites ante pugnam intenderunt. Licet enim ſcirent ex Oraculo, ad Thermopylas ſibi omnibus pereundum, aut certe Spartam evertendam; tamen ſalutem patriæ præferentes ſuæ, decreverunt pulcram pro patria mortem oppetere. Nec ſane ſpes eos fefellit. Nam hanc pugnam ad Thermopylas omnes ætates admiratæ ſunt, quod nempe tam exiguus numerus tam ingentem in caſtris Xerxis ſtragem ediderit, & 20000 Perſarum virorum fortiſſimorum trucidaverit. Licet enim cadaver Leonidæ inter mortuos repertum, in crucem ſublatum ſit: tamen ſequenti tempore Spartanis hoc Epitaphium poſitum fuit ad poſteros:

Dic, hoſpes, Sparta: Nos te hic vidiſſe jacentes,
Dum patria ſanctis legibus obſequimur.

Quia autem in hoc Epitaphio ſit mentio ſanctarum patriæ legum, placet hic ſubjungere *Juramentum*, quod ephebi apud Athenienſes & Spartanos præſtare ſolebant: ſicut *Stobæus* ſcribit *ſerm.* 141. *de Republ.* NON IGNOMINIA AFFICIAM ARMA SACRA, NEQUE DESERAM MEUM ASTITEM, QUO CUM JUNCTUS FUERO. DIMICABO PRO SACRIS ET PROFANIS, SIVE SOLUS, SIVE CUM MULTIS. PATRIAM NON RELINQUAM IN DETERIORI STATU, SED AMPLIORI MELIORIQUE QUAM ACCEPERIM. SEMPER MAGISTRATUI PRÆFECTO PRUDENTER OBEDIAM, ET LEGIBUS CONSTITUTIS PAREBO, ATQUE ALIIS QUIBUSCUNQUE PLEBIS CONSENSU DECRETIS. QUOD SI QUIS LEGES VEL IRRITAS FACERE, VEL EIS NON OBTEMPERARE VELIT, NON CONCEDAM, SED ULCISCAR TAM SOLUS, QUAM CUM PLURIBUS. SACRA QUOQUE PATRIA COLAM. HORUM DII MIHI TESTES CONSCII SUNTO.

PUGNA II. AD ARTEMISIUM.

XXXVI.

Artemiſium, ad quod ſecunda pugna, nempe navalis, inter Græcos & Perſas commiſſa, eſt promontorium Eubœæ, ut *Demoſth.* pro Cteſiphonte docet, non procul à Thermopylis ſitum. Sic dictum à templo Artemidis, hoc eſt, Dianæ. Nam Ἄρτεμις eſt Diana vel Luna, q. ἀειρομένη, h.e. aërem ſecans, ut quidam volunt: quod integros faciat partus. *Strabo lib.* 14.

Circa hanc autem pugnam tria ſunt notanda. 1. *Quæ facta ſunt ante pugnam.* 2. *In ipſa pugna.* 3. *Poſt pugnam.*

I. ANTE PUGNAM.

XXXVII.

Græci maturo conſilio claſſem ſuam ad loca anguſta Artemiſio vicina mittendam eſſe judicarunt, & totius claſſis directorium (ut vocant) cum conſenſu Athenienſium Spartanis demandarunt, qui *Eurybiadem* conſtituerunt Imperatorem. Naves autem eorum præter biremes fuerunt 271. Similiter Xerxiana claſſis, quæ ad extremam Magneſiæ oram, per adverſas tempeſtates, quæ triduo durarunt, ingentem cladem experta, in eundem portum appulit. Initio enim ſumma navium Perſicarum erat trium millium; ſed naufragio perierunt 500. Ubi autem Perſæ paucas Græcorum naves ſtationem ibi habere viderunt, concludere eas atque intercipere conati ſunt. Idcirco ducentas ex ſuis ſelectas ad circumeundam Eubœam dimiſerunt, quæ Græcos à tergo invaderent, iiſque fugiendi occaſionem adimerent: reliqua claſſis ex adverſo ingruere volebat. Hoc Perſarum conſilium ubi cognoverunt Græci ex urinatore quodam transfuga, conſilium Themiſtoclis ſequuti, naves hoſtiles ex oppoſito ſtantes aggredi decreverunt, ante adventum claſſis, quæ Eubœam circumnavigabat. *Herod. lib.* 8. *p.* 532.

II. IN PUGNA.

XXXVIII.

Pugna hæc navalis ad Artemiſium triduum duravit.

Primo die Græci inſtructa claſſe Perſicas naves adorti ſunt, ſicut decretum erat. Xerxiani Duces militeſque initio contemſerunt eos, ſed majus opinione ſua certamen ſunt experti. Nam fortiter pugnando Græci tamdiu reſtiterunt, donec interventu noctis prælium fuit diremtum, victoria in neutram partem inclinante. Ubi nox ingruit, atrox tempeſtas ſævire cœpit: unde magnam cladem

iterum

iterum paſſæ ſunt Perſarum naves, atque ea claſſis, quæ circumnavigare Eubœam voluit, tota periit.

Altero die, cum quietem agerent Xerxiani, iterum Græci, quibus in auxilium venerant 53 naves ex Attica, nuncium adferentes, Perſas, qui Eubœam circumire volebant, cunctos interiiſſe, ſub crepuſculum hoſtem invaſerunt, corruptiſque aliquot navibus, in portum ſe receperunt.

Tertio die Perſarum Duces, indigne ferentes à tantula ſe claſſe vexari, tum etiam è Xerxe rei male geſtæ ſupplicium metuentes, non amplius ſibi exſpectandum cenſuerunt, ut Græci priores pugnam capeſſerent. Idcirco circa meridiem naves inſtructas eduxerunt. At Græci ex adverſo navigantes fortiter ac animoſe pugnarunt. Quo in conflictu multæ Græcorum naves interierunt, multi etiam viri; ſed multo plures Perſarum & naves & viri. Accepto utrinque damno, & nocte ingruente, ad portus quiſque ſuos redierunt.

III. Post Pugnam.

XXXIX.

Græci poſt pugnam, cum curſores nunciaſſent, Leonidam cæſum ad Thermopylas, aditumque terreſtrem Perſis jam patefactum, relicto Artemiſio ad interiora Græciæ loca confugerunt, atque tandem rogatu Athenienſium ſubſtiterunt in Salamine inſula maris Euboici è regione Athenarum ſita: unde Athenienſes hac claſſe adjuti urbem relinquunt, & imbellem turbam liberorum & uxores in alias urbes, maximè tamen in Salaminem, tranſportant. Atque ita Oraculum Delphicum de *Muris ligneis* aliqua ex parte eſt impletum. *Herodotus lib.* 8. ſcribit, quod *Themiſtocles* Dux Athenienſium ab Artemiſio poſt pugnam ſolvens, ſtrategema quoddam poſt ſe reliquerit, quo Ionum & Carum naves à Xerxe abalienavit. Nam in iſto loco, quo illi poſt pugnam ultimam applicaturi erant, literas inſculpi curavit, hiſce verbis: *Viri Iones, haud juſte facitis militantes contra patres & conditores, nuper etiam vindices veſtros. A nobis ergo ſtate, aut è medio vos ſubducite, & Cares, ut idem faciant, obſecrate. Quod ſi neutrum horum facere poteſtis, ſaltem dum pugna conſeretur, ite ceſſim, inhibete remos, & diſcedite.* Hæc Themiſtocles ancipiti conſilio ſcripſit, (ut *Herodotus* ait) ut ſi literæ Xerxem laterent, impetraret ab Ionibus & Caribus, quod vellet; ſin ad Regem deferrentur, ſuſpectos eos redderet, quo poſtea tanquam infidi navalibus à prœliis removerentur. Sunt enim ab hoſtium exercitu optimi & maximè ſtrenui eorum ſocii, quocunque id fieri poteſt modo, abducendi.

Usus.

In hac pugna *triplex* nobis *Exemplum* proponitur diligenter notandum

1. *Græcorum prudentia*, quod *primo* loca anguſtiora ad pugnam elegerint, tum in terra, tum in mari, in quibus Perſæ neque copiis ſuis terreſtribus ampliſſimis uti; neque claſſem ſuam totam explicare poſſent. *Deinde* quod conſilium Themiſtoclis ſequuti hoſtem ultro adorti ſint. Statuebat namque Themiſtocles, (uti *Diodorus Siculus* ſcribit) in re maritima utiliſſimum eſſe, non operiri hoſtem, ſed obviam prodire cum inſtructa claſſe, & utroque impetu ferri. Sic namque collectis viribus & ordine compoſito navigantibus omnia maris conſilia patere, ſubſidiaque præſto eſſe; contra vero hoſtem ex aliis atque aliis partibus diverſo tempore in altum evocatum, ſparſis viribus, in acie per tumultum incompoſita vagantem, nihil firmum aut conſtans habere poſſe. Cui prudenti Themiſtoclis conſilio etiam eventus felix reſpondit. *Tertio* ſingularis quoque Themiſtoclis prudentia fuit, quod ex Artemiſio diſcedens per ſtrategema quoddam ingenioſiſſimum Iones & Cares à Xerxe abalienavit, uti in §. 39. diximus. Quod magnum Græcis ad victoriam à Perſis ad Salaminem reportatam momentum attuliſſe narrat Juſtinus.

2. *Athenienſium modeſtia*, quod etiam ab ipſo Herodoto celebratur. Cum enim illi viderent; quod Græcorum Duces ſummam Imperii navalis poteſtatem eis inviderent, de jure ſuo ceſſerunt, atque Spartanis hanc poteſtatem conceſſerunt. Putabant namque, ſalutem patriæ periclitaturam, ſi de ἐξοχῇ & prærogativa intempeſtivè contenderent. Quoniam ſeditio illa inteſtina tanto pernicioſior eſt bello, quod communiter geritur, quanto bellum deterius eſt pace.

Parænesis.

Ita quoque omnes pii de jure ſuo cedant potius, quam ut publicam tranquillitatem turbent. Exemplum elegans habemus h. l. in Athenienſibus. Item in ſacro Codice exſtat exemplum de *Abrahamo* & *Loto*. Hi namque cum in terra Canaan in uno loco pariter habitare ob multitudinem pecorum non poſſent, dixit Abraham ad Lotum: *Ne ſit, quæſo, contentio inter me & te, & inter paſtores meos & tuos. Quia viri fratres ſumus. Si ieris ad ſiniſtram, dextram ego tenebo. Et ſi ad dextram ieris, ſiniſtram ego tenebo. Geneſ.* 13. 8, 9.

3. *Divina juſtitia*. Nam juſto Dei judicio ex claſſe Xerxiana naves plurimæ, viri innumerabiles, & vis pecuniarum immenſa, per tempeſtates adver-

adverſas, quæ triduo durarunt, ad extremam Magneſiæ oram (quæ Macedoniæ regio eſt Theſſaliæ annexa) perierunt. Nam Xerxes in exercitu ſuo confidebat, ideoque Deus ſuperbiam ejus confundere coram toto mundo voluit. Quod etiam ipſi ethnici Scriptores agnovere, nempe, *Herodotus* & *Diodorus Siculus*, qui à Deo hoc factum eſſe ſcribunt, ut, multitudine Barbaricarum navium ad pauciorem numerum redacta, claſſis Græcorum tolerare facilius bellum maritimum poſſet.

III. Pugna navalis ad Salaminem.

XL.

Circa hanc pugnam ſimiliter tria ſunt notanda. 1. *Quæ ante pugnam.* 2. *Quæ in pugna.* 3. *Quæ poſt pugnam* contigerunt.

I. Ante pugnam.

XLI.

1. *Xerxis conſultatio.* Pugna navali ad Artemiſium infeliciter geſta Xerxes poſtea ad claſſem deſcendit, cum ducibus ſuis de pugna navali inſtauranda deliberans, cui ipſe intereſſe cogitabat. Nam apud Eubœam culpa ſuorum male pugnatum eſſe putabat. *Demaratus* Rex Spartanorum exul ab eo conſultus, ſuadebat ei, ut trecentas naves cum militibus in inſulam Cytheram mitteret, quæ oræ Lacedæmoniæ adjacebat. Ex qua Inſula Claſſiarii milites Lacedæmonios territarent, ut bello domeſtico occupati, neque Xerxianis eſſent infeſti, neque reliquæ Græciæ, quam pedeſtres copiæ interim occuparent, opem ferre poſſent, ſubacta autem Græcia Lacedæmonii per ſe invalidi redderentur. Verum hoc ſalutare Demarati conſilium Achæmenes Xerxis frater, Præfectus claſſis ſuſpectum reddebat. Similiter *Artemiſia* Halicarnaſſi Regina, quæ ſponte ſua cum navibus aliquot Xerxem in bellum ſequuta erat, prorſus pugnam navalem diſſuadebat. Quoniam metuendum foret, ne copiæ nauticæ, re male geſta, pedeſtribus exitio eſſent futuræ. Verum Xerxes cuncta ſibi prona ceſſura putans, hoc Reginæ conſilium, quamvis laudaret, non tamen ſequebatur. Deus namque iratus eum ob ſuperbiam ad pœnam trahere decreverat.

XLII.

2. *Græcorum contentio.* Græci ad Salaminem, cùm certiores facti eſſent, Iſthmum à Cleombroto, Leonidæ Spartanorum Regis fratre, non muniri, ſolliciti de Peloponneſo, ne terreſtres copiæ, quæ jam Athenas ceperant, in eam irruerent, cum ſine præſidio eſſet, ad Iſthmum claſſem deducere volunt. Themiſtocles, videns hoc modo Græciæ vires diſpergi, & ad nihilum redigi, vehementer id diſſuadet. Cum nihil obtineret, ſtrategemate eos detinet, & ad pugnam cogit. Nam ex concilio publico clam egreſſus, liberorum ſuorum Pædagogum, per proditionis ſpeciem, ad Xerxem ire jubet, eique renunciare, Græcos metu perculſos, omnes naves ex Salamine in Iſthmum traducturos.

II. In pugna.

XLIII.

Xerxes hoc modo à Themiſtocle ad pugnam provocatus, occaſionem rei præclarè gerendæ oblatam ſibi ratus, naves ſuas magna celeritate circa claſſem Græcorum noctu circumduxit. Quo cognito Græci vel invitiad pugnam in Salamine, neceſſitate hoc poſtulante, ſe pararunt. In hac autem pugna claſſis Xerxiana à Græcis eſt expugnata. Nam Græci, Ducibus Themiſtocle & Ariſtide, ſervato ordine ac loco ſuo pugnabant. Perſæ vero & inordinate & inconſulto agebant. Xerxes loco quodam præeminenti, in regione Salaminis delecto, ſeſe collocaverat, veluti in ſpecula, unde omnis conflictus ſpectari poterat. Verum maximo cum dolore & mœrore cladem ſuorum vidit. Nam 200 è ſuis navibus expugnatæ atque diſſipatæ ſunt, & multæ præter eas cum militibus integræ captæ ſunt, cum è Græcorum claſſe tantum 40 naves deſideratæ ſint, uti *Diodorus Siculus* ſcribit.

III. Poſt pugnam.

XLIV.

Xerxes hac clade adeo perculſus atque conſternatus eſt, ut de victoria deſperans fugam meditatus ſit. Non enim (inquit *Herodotus*) opinor remanſurum cum fuiſſe, ſi vel cuncti cunctæque id ei ſuaſiſſent, adeo perterritus erat. Idem *Mardonius* (qui pro ſe ipſo anxius erat, quoniam author belli fuerat) conſilium quod ipſe volvebat in animo, dedit, ut nempe in Perſiam rediret; ſe omnia tentaturum, ut Græciam in poteſtatem ejus redigeret. Hoc conſilio delectatus Xerxes; & relicta potiſſima parte exercitûs ſub Mardonio, cum ſexaginta millibus militum, qui fere fame ac peſte, priuſquam ad Helleſpontum redirent, conficiebantur, Græcia excedit. Themiſtocles novo ſtrategemate uſus, per Pædagogum liberorum ſuorum Xerxi denunciat, ut fugam maturaret: Græcos conſtituiſſe pontem ad Helleſpontum diſſolvere. Quo audito Xerxes fugam

gam accèleravit, & ad Helleſpontum intra 45 dies pervenit, ſed pons, cum eo deveniſſet, tempeſtatibus hybernis ſolutus erat. Ideoque in ſcapha piſcatoria trajicere coactus fuit. *Herodot. lib.* 8. *p.* 570.

XLV.

Herodotus quoque *lib.* 8. *p.* 271. addit: Xerxem, dum curſum à Strymonia ora navigio teneret, ingenti vento fuiſſe exceptum, & eam ob cauſam vehementius tempeſtate vexatum, quod navis referta vectoribus erat. Nam ſuper contabulationes frequentes erant Perſæ, qui cum Xerxe ferebantur. Ibi metu perculſum Regem, cum clamore interrogaſſe Gubernatorem: Num qua ſalus eis eſſet? Et cum ille reſpondiſſet: Here, nulla admodum eſt, niſi aliqui ex his vectoribus abeant. Tum Xerxen iſta loquutum eſſe: *Viri Perſæ, nunc aliquis veſtrûm declaret, ſe curam habere Regis. In vobis enim videtur ſita eſſe ſalus mea.* Hæc ubi dixiſſet, illos, eo adorato, deſiliiſſe in mare, atque ita levata navi, Xerxem incolumem in Aſiam perveniſſe. Ubi cum in terram egreſſus eſt, Gubernatorem, quòd Regis vitam ſervaſſet, aurea corona donaſſe: quod autem multos Perſarum perdidiſſet, decollaſſe.

Acta Mardonii in Græcia post fugam Xerxis.

XLVI.

1. *Gemina Mardonii ad Athenienſes Legatio & Athenarum expugnatio.* Mardonius, qui poſt fugam Xerxis, apud Theſſaliam in hybernis ſe continuerat, primò vere, Alexandrum Macedoniæ Regem Amyntæ filium, utpote affinitate Perſis junctum (Bubares namque Perſa ſororem ejus Gygæam in conjugio habuerat) ad Athenienſes mittit, ut ſocietate eos ſibi jungeret. Verum tanta fuit animorum magnitudo, ut non ſint admiſſæ ullæ fœderis conditiones. Quin potius expreſſis verbis reſponderunt Legato Mardonii Athenienſes; quoad ſol conſuetum ſuum iter teneret, ſocietatem ſe cum Xerxe haud inituros. Quare Mardonius Athenas iterum capit, decimo menſe, poſtquam à Xerxe captæ fuerant, & cremat. Inde rurſus ad Athenienſes, qui in Salamine commorabantur, Legatum miſit *Murichidem*, qui propoſitionem ſuam in Senatu expoſuit. Quo facto Senator quidam Athenienſis, quem Herodotus Lycidam, Cicero vero Cyrſilum appellat, cum ſuaſor eſſet accipiendi conditiones, cæteri cives Athenienſes lapidibus eum obruerunt, propterea quod conſilium utile magis, quam honeſtum dediſſet. Similiter uxorem & liberos ejus uxores Atticæ lapidârunt. Tantus fuit ardor animorum in defenſione patriæ, quia barbaros ſciebant, abolitis legibus & diſciplinâ, Græciæ crudeliter imperaturos eſſe, & conjuges, filios, filias & facultates erepturos, quibus vellent, juxta vulgatum illud:

Victores victis cupiunt obtrudere leges,
Mores, conſuetudines, linguam.

His malis ſervitutis mortem anteponendam eſſe ſtatuerunt.

II. Pugna Platæensis.

XLVII.

Mardonius numeroſiſſimum exercitum, nempe trecenta millia militum ducens, ardore confligendi cum Græcis incenſus, ſpreto Artabazi conſilio, caſtra ſua Græcorum caſtris opponebat. Verum à Græcis, qui in exercitu ſuo tantum centum & decem millia militum habebant, magno ad Platæas prœlio victus eſt. Mardonium vir Spartanus interfecit, lapide in caput ejus conjecto: Cumque eo ducenta & ſeptuaginta hominum millia ceciderunt, totuſque Perſarum exercitus fugatus & diſſipatus eſt. Magna hæc victoria fuit. De qua *Herodotus* ita inquit: Potitus eſt Pauſanias victoriâ, omnium quas novimus, ſpecioſiſſimâ. Nam ex triginta myriadibus (exceptis quatuor, cum quibus Artabazus, victis Perſis, Helleſpontum verſus aufugit) ne tria quidem millia hominum cædi ſuperfuerunt, cum è Spartanis tantum unus & triginta, Tegæatarum ſedecim, Athenienſium vero duo & quinquaginta deſiderati ſint. Hic fuit exitus ejus viri, qui præcipuus belli hujus adverſus Græcos ſuſcipiendi hortator fuerat.

Acta poſt pugnam.

XLVIII.

1. *Colloquium Lamponis & Pauſaniæ Ducis.* Erat apud Platæas in exercitu Æginetarum è primoribus *Lampon* Pythei filius, qui Pauſaniam adiens, nefandiſſima uſus eſt oratione, dicens: Fili Cleombroti, rem tu mirificam & magnitudine & fulgore geſſiſti, cui Dii tribuerunt, ut liberata Græcia, omnes quos novimus Græcos gloria ſupergrediaris. Quod ſupereſt in hac re, agas ita, ut & tu majore fama celebreris, & aliquis Barbarorum poſthac caveat nefanda facinora perpetrare in Græcos. Etenim Leonidæ apud Thermopylas interemti, reciſo capite, Mardonius ac Xerxes truncum in crucem ſuſtulerunt: quibus ſi vicem reddes, laudem nanciſceris, primum ab omnibus Spartiatis, ſecundo loco

co ab univerſis Græcis, ſiquidem ſuffixo Mardonio, Leonidam patruum tuum fueris ultus.

Hæc Lampon, gratiam ſe initurum ratus, apud Pauſaniam dicebat. Cui reſpondens Pauſanias: Tuam, inquit, hoſpes Ægineta, benevolentiam atque providentiam amplector: tamen ab æquitate judicandi deerras. Nam & me & patriam, quos in altum extuliſti ob hæc geſta, ad nihilum redigis, quum ſuades mihi ſævire in mortuum, aiſque me auditurum melius, ſi iſtud fecero, quod Barbaros decet potius facere, quam Græcos, quodque in illis exprobramus. Quare ego neque Æginetis, neque iis, quibus iſta probantur, aſſentior: Contentuſque ſum Spartiatis placere, ut honeſte agam, honeſteque dicam. Leonidæ autem, cui me jubes parentare, affirmo, & ipſi & cæteris, qui apud Thermopylas occubuerunt, magnifice eſſe parentatum, innumerabilibus horum funeribus. Tu verò poſthac ad iſtud conſulendum ne me adieris: quod tibi impune eſſe, loco beneficii ponas. Hoc quum ille audiiſſet, abiit. *Herodot. Calliope* (*lib. 9.*)

XLIX.

2. *Spolia magna in Mardonii caſtris.* Poſt pugnam Pauſanias edicto propoſito, ne quis de præda quid tangeret, juſſit ſervos omnem comportare pecuniam. Illi per caſtra diſperſi, inveniunt tentoria auro & argento referta, crateras etiam aureos, phialaſque & alia vaſa potoria, nec non ſaccos plauſtris impoſitos, interlucentibus intus incluſis & auro & argento lebetibus: atque ut rem in pauca conferam, omnia caſtra regali opulentia plena erant. Xerxes namque è Græcia fugiens, omnem apparatum ſuum ex auro argentoque & peripetaſmatis Mardonio reliquerat. Quem apparatum cum Pauſanias vidiſſet, juſſit piſtores & coquos cœnam ſibi, ut Mardonio conſueverant, inſtruere: ſimul etiam per jocum miniſtris ſuis edixit, ut Laconicam inſtruerent cœnam. Quod cum factum eſſet, Græcorum Duces accerſivit, & oſtenſo utriuſque cœnæ apparatu; *Viri Graci*, inquit, *hæc ego vos de cauſa convocavi, quod volebam vobis amentiam Medorum Ducis oſtendere, qui cum talem vitam duceret, ad nos ſubigendos venit, qui tam miſere victitamus. Herodot. Calliop.* (*lib. 9.*)

USUS.

AXIOMA I.

Omnia humana ſunt vana. h. e. incerta, fallacia & inſtabilia. Unde Rex ſapientiſſimus Salomon *Eccleſiaſt. 1. v. 2.* rectè ait: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, Et David *Pſal. 62. v. 10.* Profectò filii hominum ſunt vanitas, filii viri ſunt mendacium: ſi ponderentur in ſtatera, ipſi ſimul ipſa vanitate ſunt leviores.

Hæc *μίσωσις* totius humani generis eſt valde elegans & vehemens ad dejiciendum faſtum. Nam ſi homines ponerentur in una lance bilancis; vanitas vero in altera lance: tum homines aſcenderent, vanitas verò deſcenderet, hoc eſt, homines ipſa vanitate vaniores & levitate leviores deprehenderentur. Etenim omnia illa quæ ſplendida & magnifica videntur, ſunt vanitas, ſicut Salomon ait *Eccleſiaſtæ 1. v. 2.* Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Nam *corpus* noſtrum eſt imbecille & *forma* fragilis, *valetudo* incerta, *vita* breviſſima & fugaciſſima. (*Pſal. 90. Jacob. 4. Joſai. 40.*) *Honor* vanus eſt: quia aut ſimulatus aut non diuturnus eſt. *Voluptas* inſincera. *ſapientia* hominis exigua, *virtus* languida eſt; denique *affectus* turbulentus.

Licet itaque ob mobilitatem & vanitatem omnium mundanarum & fluxarum rerum exclamare:

O vanitatum vanitas!
Terrena cuncta perfida,
Mundana cuncta ſordida,
O vanitatum vanitas!

O vanitatum vanitas!
Terrena cuncta noxia,
Mundana cuncta peſſima,
O vanitatum vanitas!

O vanitatum vanitas!
O miſera terrena omnia!
O umbra mundana omnia!
O vanitatum vanitas!

Unde prudentiſſimè dictum eſt à *veteribus*: Fortunam, cum blanditur, tunc vel maximè metuendam. Parcius obſequenti fortunæ potius fidendum eſſe, quam uſquequaque faventi. Tranſmutat enim incertos honores, nunc mihi, nunc illi benigna. Nulli præſtat velox fortuna fidem, inquit *Horatius. Janſonius lib. 5. Mercurii Gallo-Belgici pag. 447.* Et *Johannes Sarisberienſis* Epiſcopus graphicè ait: Noverca virtutis, inquit, proſperitas, beatulis ſuis ſic applaudit, ut noceat: & infelici ſucceſſu ſic in via fortunatis obſequitur, ut in fine perniciem operetur: convivis ſuis ab initio propinans dulcia, cum inebriati fuerint, letale virus miſcet: & ſi quid deterius eſt, quo ſpecie ſui clareſcit amplius, eo ſtupentibus oculis denſiorem infundit caliginem.

Exempla.

1. ALCIBIADES, inſignis ille Dux Athenienſium, hujus rei evidentiſſimum in ſe ipſo præbet nobis exemplum. De ejus varia & mirabili fortu-

na

na Plutarchus luculenter & copiosè scribit. *Valer. Maximus* paucis comprehendit, cum dicit: Duas fortunas hunc hominem inter se quasi partitas esse: Alteram, quæ ei nobilitatem eximiam, abundantes divitias, formam præstantissimam, favorem civium propensum, summa Imperia, præcipuas potentiæ vires, & flagrantissimum ingenium assignaret: Alteram, quæ damnationem, exilium, venditionem bonorum, inopiam, odium patriæ, violentam, denique mortem infligeret: nec aut hæc, aut illa universa: sed varia, perplexa, freto atque æstui simillima.

2. POMPEIUS ille MAGNUS, tot victoriis & triumphis insignis, tandem jussu Ptolemæi, ad quem in extrema rerum desperatione confugerat, interfectus est.

3. Cum JUSTINIANUS Cæsar GILIMERREM Vandalorum regem vinctum catenis una cum uxore & regia familia in triumpho duceret: ille in conspectum Imperatoris ductus, pleno ore risit. Cum itaque eum ingenti dolore perculsum mentemque captum esse putarent, ferunt illum dixisse: *Se videre fortunæ humanæ vicissitudines, ut qui modo Rex fuisset, jam serviret.*

4. BELISARIUS Romanis Præfectus copiis, cum Vandalos delevisset, de Parthis triumphasset, urbem non semel à Barbaris liberasset, post multas victorias, Justiniano mandante exoculatus, à quibusdam dicitur victum in via à transeuntibus emendicasse.

5. XERXES, qui in Græciam duxerat exercitum innumerabilem, post pugnam ad Salaminem parva cymba fugiens rediit in Asiam. Erat ea res, inquit *Justinus*, spectaculo digna, & ad existimanem rerum humanarum sortis varietate miranda, in exiguo navigio latentem videre, quem paulo ante vix æquor omne capiebat: carentem etiam servorum ministerio, cujus exercitus antea, propter multitudinem, terræ graves erant. Exemplum hoc est humanæ infirmitatis, quod tantus exercitus tam brevi tempore, nempe intra biennium, à Græcia pulsus & fugatus est.

PARÆNESIS.

Quare falluntur vehementer & certa cum sua pernicie cuncti, qui in rebus ullis mundanis, sive mundum ipsum supra & infra, sive se ipsos, foris & intus, sive quæcunque in mundo geruntur, spectant, invenire se posse sperant firmum quidpiam, in cujus adeptione merito conquiescant. Nam ego contra iterum atque iterum affirmo, nihil esse mundanum in mundo, quod non sit inconstans, fluxum, evanidum, vanissima denique vanitas: Ex quo illud consequitur, vanissima esse omnium illorum studia, qui à rebus tam vanis stabile quidpiam, nedum perenne, exspectant.

AXIOMA II.

Fidelium subditorum officium est, vitam suam pro Rege aut Principe suo periculis objicere. Nam Princeps est ראש CAPUT regionis. *Numer.* 1. *v.* 16. *cap.* 17. *v.* 2. *Num.* 14. *v.* 4. dicunt Israëlitæ, Dabimus *Caput*, LXX. ἀρχηγὸν, constituemus Principem, & revertemur in Ægyptum. *Judic.* 11. *v.* 7. dicunt Israëlitæ ad Jephtham: Eris nobis לראש in caput, LXX. εἰς ἄρχοντα in Principem. Ut autem ex capite motus & sensus per organa convenientia in membra corporis influunt: Ita à Magistratu varia omnino beneficia ad subditos promanant. Quare subditi Magistratum suum non deserant, neque in potestatem hostium tradant; sed operam dent, ut ipse in tuto maneat, pro ipso vigilent, & armis pugnent. Quando enim caput cadit, omnia membra cadunt; & quando caput est occisum, tum de subditis actum est. Similiter Princeps est PATER PATRIÆ, uti vocatur *Josephus* Prorex Ægypti. *Genes.* 41. *v.* 43. & *cap.* 45. *v.* 8. Et Jobus vocatur *Pater pauperum. Job.* 29. 16. Quare sicut filii amant parentes, colsque honorant usque ad ultimum spiritum juxta quartum Decalogi præceptum: *Exod.* 20. Ita quoque subditi Magistratum suum ament, honorent, proque eo vitam exponere eventuum discrimini debent.

Exempla.

1. ISRAELITÆ, cum Rex David in prælium contra Absolonem filium egredi cum illis vellet, noluerunt illi hoc permittere, ne in discrimen vitæ veniret, dicentes: *Non exibis.* Nam si nos fugerimus, non apponent ad nos animum: si dimidia pars nostri cecidit, non curabunt. Quia tu *unus solus pro decem millibus computaris.* Quare melius est, ut sis nobis ex urbe præsidio. In quorum consilio David acquievit, dicens: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. 2 *Sam.* 18. *v.* 2, 3, 4.

11. 2 *Sam.* 21. *v.* 16, 17. legimus, quod, cum Jesbi-Benob, qui erat è numero Gigantum, Davidem gladio percutere niteretur, statim ABISAI filius Sarviæ opem ei tulerit, & percussum Philistæum interfecerit. & addit textus: Tunc juraverunt viri David: Jam non amplius egredieris nobiscum in prælium, ne exstinguas lucernam Israël, h. e. ut non exponas te periculo mortis, atque interficiaris, cum detrimento Israëlitarum, quibus præluces consiliis & actionibus tuis. Hic habemus memorabile fidelium subditorum exemplum. Nam *Abisaius* vitam suam pro Davide Rege suo præsenti

mortis periculo objecit. Similiter omnes Iſraëlitæ operam dederunt, ut Rex ſuus in tuto maneret.

III. In *feudis Ligiis* egregium factum PETRI Comitis Sabaudiæ, qui feudum ab Ottone IV. Imperat. petiturus, ante eum apparuit in duplici habitu. Latus enim dextrum ejus veſtibus inauratis egregie fuit ornatum; ſiniſtrum vero armis lucidiſſimis ferreis munitum. Imperator, quid ſibi diſtinctus & inuſitatus mos veſtiendi vellet, ab eo ſciſcitatur: Comes reſpondit; aurum ſe geſtare in dextra parte ad honorandum majeſtatem Imperatoriam; in ſiniſtra vero ſe eſſe armatum, ut contra malevolos & obtrectatores ejus uſque ad extremum ſpiritum pugnaret.

IV. In PERSIS: qui ad navem, qua Xerxes vehebatur, levandam, volentes, in mare deſiliunt, ut ſaluti Regis conſulatur. Vide *ſupra* §. XLV.

AXIOMA III.

Malum conſilium conſultori peſſimum.

Sapient. II. v. 17. Διὰ ὃν τις ἁμαρτάνει, διὰ τοῦτο καὶ κολάζεται.

Per quod quis peccat, per idem punitur & ipſe.

Heſiodus in lib. cui titulus, Ἔργα καὶ ἡμέραι.

Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Conſultum male, conſultori peſſima res eſt.

Seneca: In Magiſtrum ſcelera redierunt ſua. Claudianus:

Quam bene diſpoſitum terris: ut dignus iniqui
Fructus conſilii primis autoribus inſtet,
Sic opifex tauri, tormentorumque repertor,
Qui funeſta novo fabricaverat æra dolori,
Primus inexpertum, Siculo regnante Tyranno,
Senſit opus: docuitque ſuum mugire juvencum.

EXEMPLA.

1. Mali CONSILIARII REHABEAM, adulantes injuſtis cupiditatibus Domini, occaſionem præbent non modo diſtractioni duodecim tribuum: ſed etiam novis idolis, & perpetuis bellis civilibus.

2. MARDONIUS Xerxem, cupidum gloriæ, & elatum fiducia humanæ potentiæ, incitavit ad movendum bellum non neceſſarium. Sed hoc conſilium exitu triſte fuit. Nam Xerxes poſt pugnam ad Salaminem in parva cymba fugit. Mardonium vir Spartanus interfecit, conjecto lapide in caput ejus. Hic fuit exitus ejus viri, qui præcipuè hortator fuerat ejus belli. *Philipp. Melanchth. l. 2. Chron. pag.* 129. Et hæc digna talionis pœna fuit. Nam Mardonius ore ſuo peccaverat, nunc igitur ore ſuo peccatum luere cogitur.

AXIOMA IV.

In mortuos non eſt ſæviendum.

1. *Non verbis*, hoc eſt, *ne verbum aſperius contra eos proferatur*, juxta proverbium: De mortuis & abſentibus non niſi bonum. Hinc etiam graviter dixit *M. Aurelius Imp.* Turpe eſt Principi vivo pati, ut ſe præſente, ulli mortuo Principi maledicatur.

Et *Chilonis* Lacedæmonii præceptum laudatur: Defunctum non maledictis afficias, ſed beatum prædices. Putabant namque viri prudentes, nihil ingenuo viro indignius, quam eos inceſſere linguâ, qui reſpondere non poſſent: ſiquidem tam turpe hoc habetur, quam cum larvis vel umbris luctari.

2. *Non factis*, hoc eſt, *contumelioſe corpora eorum non tractentur.* Pie namque & recte *Caſſiodorus* inquit: Claudantur odia cum ſepultis. Et de Jure civili in mortuos nulla datur actio aut ſententia. Verba legis ita ſonant, *l. 3. C. Si reus vel accuſator mortuus fu.* Si is, quem homicidii, ſeu cujuſvis criminis poſtulaſti reum, vita functus eſt, fruſtra ob pœnam deſertæ accuſationis conveniris, cum morte ejus crimen cum pœna ſit extinctum, ac per hoc ademta eſt tibi neceſſitas accuſationis; ſicut *Ferdinandus Vaſquius, Illuſtribus Controverſ. l. 3. c. 96. n. 7. & ſeqq.* pluribus explicat & illuſtrat. Unde regulariter prohibitum eſt, ne ſententia in mortuum feratur; ſicut hoc *Franciſcus Marcus Deciſion. 777. tom. I. Novel.* pluribus confirmat. Similiter olim impium cenſebatur, Viſo cadavere inſepulto, non injeciſſe pulverem. Quod in Antigone indicat *Sophocles.* Et Athenis *Buzyges* eos eſt exſecratus, qui inhumatum cadaver neglectui habuiſſent. Ad quod reſpicit *Horatius* hiſce verſibus:

Quanquam feſtinas, non eſt mora longa, licebit,
Injecto ter pulvere curras, &c.

Similiter apud Ebræos cautum lege erat, ne inſepultum hoſtem relinquerent, uti *Barthol. Chaſſanæus in catalogo Gloriæ Mundi parte* II. *conſiderat.* ſcribit.

EXEMPLA.

REX ALPHONSUS hoc obſervavit. Cum enim Puteolos obſideret, atque animi laxandi cauſa in littore exſpaciaretur, forte reperit ibi Genuenſis militis cadaver, è triremi hoſtium à mari ejectum. Quo viſo mox equo deſilit, iiſque omnibus, qui prope aderant, deſilire juſſis negotium dat, ut terram effodiant, aliis ut nudum corpus obvelent: Ipſe vero crucem ligneam ſua manu fabricatam humati ipſius capiti affixit: ſicut *Antonius Panormitanus* memoriæ tradit.

2. PYRRHUS gentilis Rex Epirotarum, ut *Eutropius*

tropius refert, quam favendum ſit ſepulturæ, licet paganus foret, oſtendit; qui cum mille octoginta ex Romanis in bello captos teneret, ſummo honore tractavit, multoſque defunctos, licet hoſtes, honorifice ſepelivit.

3. CÆSAR caput *Pompeii* hoſtis ſui ſepeliri mandavit. *Valer. Max. lib. 5. de humanit. c. 16.*

4. ALEXANDER M. *Darii Codomanni* interfecti corpus matri Tumburtini ſepeliendum tradidit. *Valerius Maximus ibidem.*

5. Similiter HANNIBAL hoſtis ſui corpus ſepelivit, uti *ibid. Valer. Maxim.* refert.

6. PAUSANIAS Dux Spartanus Lamponem Æginetam, qui eum hortabatur, ut in Mardonium & nobiliores Perſas mortuos ſæviret, graviter objurgavit hiſce verbis: Barbaros id potius facere decet, quam Græcos. Neque ego iis, quibus iſta probantur, aſſentior. Sed contentus ſum Spartanis meis placere honeſta dicendo & faciendo.

Contra autem *crudeles ſunt, qui in corpora mortuorum quantumvis hoſtium ſæviunt.* Quod *Chryſoſt.* (*in Viatice itineris extremi*) venuſto ſimili declarat: Ut corvi, inquit, vultures, lupi, vulpes & alia fœda animalia cadaveribus delectantur: Ita invidi & hypocritæ inſectatione mortuorum. Iidem inſtar Caïni pavidi ſunt, à ſtrepitu folii contremiſcunt: Et etiamſi vultu & voce aliud ſimulent, & horrendum in modum in alios debacchentur, tamen meticuloſi, omnes amicos & hoſtes, domeſticos & ſervos, conſcios & ignaros ſuſpectos habent. Quare non ſunt contemnenda cadavera mortuorum, præſertim piorum, in quibus domicilium habuit Spiritus ſanctus, & mens immortalis ipſa, & ad imaginem Dei condita.

Exempla.

1. CAMBYSES urbem Saim ingreſſus Amaſis Ægypti Regis corpus ſepulchro eruit: & tanquam viveret, verberibus cædi, acutiſque ferramentis totum pungi ac deinde in foro comburi juſſit. *Herodotus lib. 3. Campoſulgoſ. lib. 9. cap. 3.* Sed expeditiones ejus, quæ ſequutæ ſunt contra Æthiopes, Macrobios & Ammonios, infeliciter ſucceſſerunt. *Herodotus ibidem.*

II. ANTONIUS Ciceronis occiſi caput & manum, quæ Philippicas ſcripſerat, amputari juſſit, & ad ſe adferri, magnoque gaudio ſpectavit allata, ac cachinnos ſuſtulit. Satur inde ejus ſpectaculi in foro poni pro roſtris caput dextramque juſſit, ut publicum omnibus ſpectaculum præberet. Quaſi vero mortuum contumelia afficeret, & non potius, ſe fortuna per libidinem abuti, & contaminare potentiam, oſtenderet. *Plutarchus in vita Antonii.*

III. FULVIA *uxor Antonii* nece Ciceronis adeo lætata eſt, ut linguam exemtam ex interfecti capite aciculis confixerit. *Dio.*

IV. De SOPHIA, *Juſtini* II. *Imperatoris* Conſtantinopolitani *conjuge*, ſcribit *Evagrius l. 5. cap. 2.* quod cum Imperator Juſtinus Juſtinum cognatum ſuum decollari ex mera ſuſpicione mandaſſet, illa decollati caput videns, in terram projectum pedibus conculcarit.

V. HERODIAS inceſtuoſa illa mulier, neptis Herodis Magni, nupta fuit primùm Philippo patruo. Sed poſtea ab Herode Antipa Philippi fratre abducta, inceſta ejus conſuetudine uſa eſt: quod ſcelus cum reprehenderet in publica concione *Johannes Baptiſta*, fraude & violentia Herodiadis interfectus eſt. Cujus decollati caput Herodiadis filia diſco excepit, & oſtentavit tum matri tum convivis, ſicut *Matth. cap. 14. v. 11.* & *Marc. 6. v. 28.* commemorant, *Nicephorus l. 1. c. 19.* totam hanc hiſtoriam copioſe deſcripſit hiſce verbis: Caput Johannis, inquit, etiamnum cruoretabido & pulvere reſperſum, lanicique impoſitum in convivium, omni luxuriæ genere diffluens, inferri jubet: Spectaculum convivis quidem ipſis inamœnum & triſte, matri vero puellæ gratum & jucundum. Admodum enim optaverat, quæſiveratque caput id, quod eam, quas concupiverat, rebus, ex ſententia & libidine ſua, uti inhibebat, ita reſectum ſpectare, & linguam, zelo & æmulatione ſancta velut cote acutiorem redditam, poſtremo mutam deſpicere. Supplicium vero tantæ crudelitatis non diu dilatum fuit. Nam (ut porro ibidem ſcribit Nicephorus) ipſa Herodias, Johannis reprehenſionem quodammodo etiam poſt capitis reſectionem verita, conjungereque id rurſus reliquo corpori timens, apud ſe, remotis arbitris, in abſtruſiore regiæ loco ſepeliendum duxit: truncum autem abjicere quopiam juſſit. Eum porro ſolum diſcipuli ejus furtim ſublatum, cum ſolenni veneratione in celebri quodam ſepeliere loco. Furibunda ſed enim & adultera (inquit porro) inceſtaque adeo illa, quæ quidem Herodis habebatur, revera autem Philippi erat conjux, vita longius acta, quum prius filiam & ſaltatricem acerbo fato ſublatam vidiſſet, deinde ipſa quoque deceſſit: futuri ſeculi judicio, & ſupplicio reſervata, meras ibi quam citiſſime divinæ iræ feces, intolerabiliſque indignationis Domini calicem hauſtura. Filiæ autem ejus (dignus enim eſt, qui memoriæ mandetur) talis fuit obitus. Eundum ei quopiam brumali tempore erat, & fluvius trajiciendus: Qui cum glacie conſtrictus, coagmentatuſque eſſet, pedes eum tranſibat. Glacie autem rupta (idque non ſine Dei numine) demergi-

tur illa ſtatim capite tenus: & inferioris corporis partibus laſciviens, molliuſque ſeſe movens ſaltat, non in terris, ſed in undis, caput vero ſceleſtum frigore & glacie concretum, deinde etiam convulneratum, & à reliquo corpore, non ferro, ſed glaciei cruſtis reſectum, in glacie ipſa ſaltationem letalem exhibet, ſpectaculoque eo omnibus præbito, in memoriam ea, quæ fecerat, ſpectantibus revocat. Confer *Suidam* in voce Ἡρωδιάς.

AXIOMA II.

Virtus in imperiis ſuas habet periodos.

Quia omnis homo eſt mendax, inquit David *Pſalm.* 116. 11. hoc eſt, vanus, varius, mutabilis & variabilis, uti etiam *Pſalm.* 62. 9. ait: Vanitas filii hominum, & mendacium filii magnatum, in ſtatera appenſi, ipſa vanitate vaniores ſunt. Sicut autem ipſa hominis natura, cor, & voluntas, non eſt ſtabilis, ſed mutabilis: Ita quoque ipſæ virtutes in naturis hominum, etiam heroicis, non ſemper ſunt diuturnæ & ſtabiles, ſed ſæpe in vitia horribilia degenerant.

[MENDACIUM ſæpe uſurpatur pro re nihili, cui nihil ſubeſt ſolidi. Ita mendax homo pro homine nihili & vano ſumitur. *Prov.* 31. Mendacium eſt gratia, h. e. formæ venuſtas. *Jerem.* 15. Fons mendax, h. e. qui fallit ſpem. *Jeſaiæ* 28. Poſuimus mendacium ſpem noſtram.]

Exempla.

Exemplum hujus axiomatis elegans habemus *in Pauſania* Spartanorum Rege. Hic enim initio Dux

I. *Erat erga patriam fidelis.* Quia multa præclare geſſit domi foriſque pro patriæ libertate defendenda.

II. *Erat in prælio fortis*, uti prælium Platæenſe devicto Mardonio oſtendit. *Herodotus* hoc ei elogium tribuit: Potitus eſt Pauſanias victoria; quas novimus, ſpecioſiſſima.

III. *Erat in victu temperans*: uti patet ex cœna Perſica & Laconica, quam victo Mardonio ſimul apparari juſſit. Quod cum factum eſſet, Græcorum Duces accerſivit, & oſtenſo utriuſque cœnæ apparatu, hiſce eos verbis allocutus eſt: *Viri Graci, hac ego vos de cauſa convocavi, quod volebam vobis amentiam Medorum Ducis oſtendere, quod cum talem vitam duceret, ad nos ſubigendos venit, qui tam miſere victitamus.*

IV. *Erat in victoria modeſtus, & erga victos humanus.* Quia cum quidam Æginetа nomine *Lampo* eum moneret, ut capita Perſicorum Ducum cruci affigeret, ſicut Perſæ caput Leonidæ Regis Spartani ſimili contumelia affecerant, reſpondit: ſe mortuos nulla contumelia affecturum. Vide §. XLVIII.

Verum idem *Pauſanias* devicto à Græcis Byzantio plane immutatus eſt, & virtutes ejus in vitia atque flagitia horribilia degenerarunt. Quia

I. *Factus eſt ambitioſus & infidelis erga patriam.* Nam regnum totius Græciæ affectans, per occultos nuncios & variis artibus fœdera cum Xerxe Ducibuſque Perſicis fecerat, hac conditione, ut filia Xerxis uxor ſibi deſponderetur, utque ipſe Perſicis auxiliis adjutus Rex Græciæ fieret, eamque Perſico imperio ſubjiceret.

II. *Factus eſt laſcivus.* Nam Plutarchus ſcribit, quod virginem quandam nobilem, præcipui civis Byzantii filiam, nomine *Cleonicen* rapuerit, eamque in ſubita conſternatione noctu gladio interfecerit. Quod cum fecit, ſubinde ei in ſomnis irata apparuit, pœnamque denuncians eum hoc verſu compellavit:

Στεῖχ' ἴτης ἄξιον· μέλλεις χρηὼ ἀνδράσιν ὕβρις.

Hoc eſt,

Pœna luenda tibi eſt; affert injuria cladem.

III. *Factus eſt intemperans & voluptuoſus.* Nam cum, ſpreta menſa Laconica & frugalitate patria, luxu Perſico delectaretur, faſtuque tyrannico multa inſolenter ageret, à tabellario quodam verſuto literæ ejus ad Xerxen ſunt proditæ Ephoris. Qui eum ex Byzantio revocatum prehendere & in carcerem ducere volebant. Ipſe in templum Minervæ aufugit, ibi, cum Ephori ipſum arte techniſque tabellarii crimen fatentem audiſſent, incluſus fame periit. Et mater ejus *Aleithea*, cum muro fores obſtruerentur, primum lapidem in limine locavit; atque ita Pauſanias turpi morte magnam belli gloriam maculavit. Ante obitum autem in templo hinc inde curſitans, hanc lamentabilem ſæpe vocem ingeminavit: *O Simonides, ô Simonides!* Interrogatus autem à vigilibus, templo admotis; Ecqua cauſa hujus ejulatus eſſet? curque toties Simonidem nominaret? reſpondit: ſe poſt pugnam Platæenſem, cum gloria rerum geſtarum efferretur, & Simonidem Philoſophum, qui ea ætate inter ſapientes facile Princeps erat, cum ironia quadam interrogaret in convivio, ut inſignem aliquam ſibi regulam præſcriberet, juxta quam vitam moreſque ſuos componeret, talem accepiſſe: *Memento, Pauſania, hominem te eſſe.* Qua regula eum à ſuperbia avocare, & ſimul de incertitudine fortunæ omniumque rerum humanarum admonere voluerit, quod nunc nimis ſero intelligat.

Simile exemplum habemus in *Themiſtocle*, omnium Græcorum, juxta Herodotum, ſapientiſſimo. Hic, ob timorem potentiæ, teſtularum ſuffragio

gio ejectus patria, quam ſervaverat, mox Lacedæmoniorum invidia, & cruentis accuſationibus exagitatus, ad Moloſſorum Regem Admetum, & ab eo in Perſiam profugit. Ibi calliditate atque magnitudine ſingulari apud Xerxen ejuſque filium gratiam adeptus, Magneſiæ domicilium, ac ne bellum ingratæ patriæ inferret, epoto ſanguine taurino morte voluntaria occubuit. *Thucyd. l.* 1.

PARÆNESIS.

Hic exitus Pauſaniæ atque Themiſtoclis fuit eo triſtior, quod oſtendit, tantam eſſe imbecillitatem naturæ hominum, ut non ſolum fortuna ſit inſtabilis; ſed virtus etiam, quæ durabilior & firmior eſſe debebat, in præſtantibus viris atque heroicis naturis ſæpe exſtinguatur. Quare agnoſcamus naturæ infirmitatem, & virtutum omniumque donorum noſtrorum mutabilitatem; & petamus à Deo, ut Spiritus ejus bonus nos in viam rectam ducere velit. *Pſalm.* 143. 11. Nam non eſt hominis via ejus, neque viri dirigere greſſus ſuos. *Jerem.* 10. Sit hoc Symbolum noſtrum quotidianum:

Duce me, *nec ſine* me *per* me, *Deus optime, duci:*
Me *duce nam pereo*; te *Duce, ſalvus ero.*

AXIOMA VI.

Victoria in bellis eſt à Deo.

Deus namque Duces belli militeſque ad prælíandum inſtruit, eoſque veram prudentiam militarem docet; ſicut David Rex ille victorioſus ait *Pſalm.* 144. 1. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Deus militibus vires animumque addit; uti rurſus David inquit, *Pſalm.* 18. 34. Deus præcinxit me virtute. *v.* 36. Ipſe docet manus meas ad prœlium & brachia mea, ut arcum æneum confringam. Deus tegit ſcuto ſalutis ſuæ caput militum in die belli. *Pſalm.* 140. 7.

Contra autem hoſtibus panicum terrorem incutit, eiſque ſpiritum aufert; uti dicitur *Pſalm.* 76. 6. Spoliati ſunt potentes corde, obdormierunt ſomnum ſuum, & non invenerunt omnes viri robur in manibus ſuis. *v.* 7. Ab increpatione tua, Deus Jacob, ſopitus eſt currus & equus. *v.* 8. Tu terribilis es: & quis conſiſtet coram te in ira tua? *v.* 9. De cœlo auditum feciſti judicium, terra tremuit & ſiluit. *v.* 13. Deus aufert ſpiritum Principibus, terribilis eſt Regibus terræ. Et *Pſalm.* 34. 16, 17. Similiter Rex *Salomon*, *Prov.* 21. 31. inquit: Equi ad prœlium præparantur; ſed victoria eſt à Domino.

Exemplum.

Exemplum habemus in hiſtoria præſenti. Nam copiæ Xerxis pene innumerabiles primum à 300 Lacedæmoniis ad Thermopylas luxatæ, deinde à Themiſtocle in pugna Salaminea fractæ, tandem vero à Pauſania ad Platæas prorſus deſtructæ & deletæ ſunt.

PARÆNESIS.

Quare moniti ſint Reges & Principes, ut bellum contra hoſtes ſuos geſturi, non confidant in multitudine aut robore exercitûs ſui, ſed in Domino: ab eoque victoriam petant & exſpectent, dicentes cum Davide ex *Pſalm.* 20. 6, 7, 8. Nunc cognovi, quod Dominus ſalvabit unctum ſuum, exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo: dextera ejus ſalvat potenter. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem nominis Domini Dei noſtri recordabimur. Illi incurvati ſunt, & ceciderunt: nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.

AXIOMA VII.

Luxus milites effeminatos reddit.

EXEMPLA.

1. *Exemplum* habemus *in exercitu Xerxis*, qui luxui & voluptatibus deditus erat; uti ex ſpoliis magnificis vereque regalibus in Mardonii caſtris repertis patet. Unde non injuria Pauſanias, Ducibus ſuis cœnam Perſicam & Laconicam monſtrans, Ducum Perſicorum dementiam riſit, quod talem vitam ducentes ad Græcos ſubigendos venerant, qui tam miſeè victitarent. (Vide §. 49.)

2. Simile exemplum luxûs habetur *in Carolo Burgundiæ Duce, ejuſque exercitu*, qui ad *Granſonium* ab Helvetiis magno prœlio victus eſt. De illo *Comineus lib.* 7. *Commentar.* ita ſcribit: Fugiente illo, victores ingentem prædam fecerunt: Verum quantas conſecuti eſſent opes, ignorabant. Tabernaculum, inquit, quoddam illius longe pulcherrimum & exquiſitiſſimum partitum fuit ab eis in multa fruſta. Patinas argenteas nonnulli, quum ſtanneas eſſe putarent, viliſſimo precio vendebant. Adamantem ipſius toto orbe celeberrimum, cui erant appenſi aliquot uniones, quidam, ubi reperiſſet, in pyxidem repoſuit; mox ſub currum abjecit: paulo poſt reverſus ſuſtulit, & ſacrificulo cuidam verdidit aureo nummo. Is deinde à ſui oppidi magiſtratu, cui miſerat, accepit aureos duos. Breviter, quicquid eximium habuit ille, in eorum manus totum pervenit; eaque primum occaſione, quæ

fix

ſit vis auri, cœperunt cognoſcere. Hæc gemma precioſiſſima, cum deinde a mangonibus gemmarum ejus præſtantia cognoſceretur, & propter immenſum precium diu nullum emtorem inveniret, tandem ad Turcas allata, & eorum Imperatori vendita eſſe dicitur; qui eam, uti conſtans fama eſt, in ornatum diadematis ſui tanquam peculiare monile tranſtulit: in eoque hodierno die in magnis feſtivitatibus oſtentatur. Idem *Comineus* ſcribit, ſe vidiſſe torquem ejuſdem Caroli, illo ad Nanceium cruento prœlio interfecto, valde precioſum & eleganter fabrefactum, quem collo geſtare & honorifice circumferre ſolitus fuerat, Mediolani, ubi duobus aureis venditus fuit. Tantam autem fuiſſe ante illud tempus tenuitatem & frugalitatem Helvetiorum, legimus ibidem, ut, qui ad Carolum Ducem Burgundiæ de pace miſſi Legati, & deprecatores fuerant, (quod tamen mirum videtur) confeſſi ſint, tantam eſſe ipſorum inopiam, ut calcaria & equorum frena per ipſius exercitum pluris deberent æſtimari, quam omnis ea pecunia, quæ ex ipſorum agris cogi poſſet.

Contra autem, *ubi milites opes & voluptates ſpernunt, ibi virtuti bellicæ ſtudent.*

Exempla.

1. De *Exercitu Alexandri Magni* Charidemus apud Q. Curtium ita ait: Ubi miles contemtor opum & divitiarum tantum virtuti ſuæ fidens bella gereret, & adhuc diſciplina, paupertate magiſtra, ſtaret, fatigatis humus cubile eſſet; cibus, quem occuparant, ſatiaret; tempora ſomni arctiora quam noctis eſſent; nihil tunc impervium conſpiciebatur.

2. De *Exercitu Græcorum* Tritantechines Artabani filius ad Mardonium præſente Xerxe inquit apud Herodotum: Papæ, Mardoni, in quos viros induxiſti nos ad pugnandum, qui non pecuniarum certamen agitent, ſed virtutis!

CAPUT III.
DE EGRESSV.

L.

EXitus Xerxis tragicus fuit. Nam poſt bellum in Aſiam reverſus amoribus operam dedit, inceſtam cum fratris ſui Maſiſthæ uxore, ejuſque filia nomine Artaynta, libidinem exercendo. Qua occaſione factum eſt, ut Ameſtris uxor Xerxis ex vindicta privata Maſiſthæ uxorem, Xerxes vero ipſum Maſiſthen fratrem ſuum trucidarit. De quo *c.* 2. §. 8. pluribus egimus.

Poſt hæc parricidia Xerxes, qui terror antea erat gentium, bello in Græcia infeliciter geſto, etiam ſuis contemtui eſſe cœpit, ab Artabano patruo ſuo, adjuvante *Mithridate* Regis cubiculario, trucidatus eſt, A. M. 3507. ante C. N. 464. cum 21 annis imperium varia fortuna geſſiſſet; addituſque funeri natu maximus Darius, cui parricidium ſceleratus interfector imputaverat. *Juſtinus lib.* 3. *Diodorus Siculus lib.* XI.

USUS.

Hinc patet, quomodo Deus, juſtus ille mundi Judex, horribilia Xerxis vitia atque flagitia horribiliter puniverit.

1. *Inceſtas libidines:* juxta ſeveriſſima Dei mandata, *Levit.* 18. 29. Omnis anima, quæ fecerit abominationes iſtas, (ſcilicet quas Deus in iſto capite prohibuit) exſcindetur de medio populi ſui. item *v.* 28. Terra evomet tales habitatores ſuos. *Levit.* 20. 10. Qui adulterium committit cum uxore alterius, moriatur uterque. Item *v.* 21. Qui acceperit uxorem fratris ſui, abominanda res eſt. 2 *Sam.* 12. 9. Nathan nomine Dei ad Regem Davidem adulterum inquit: Feciſti malum in conſpectu meo, eo quod deſpexeris me, & tuleris uxorem Uriæ, ut eſſet uxor tua: Ideo non recedet gladius de domo tua in ſempiternum.

2. *Homicidia atque parricidia.* Quoniam in Græciam cum exercitu profecturus, *Pythii* filium primogenitum crudeliter abſque ulla cauſa in duas partes diſciſſum medium ab utroque viæ latere poni, & illac tranſire exercitum juſſit; ut in §. 23. diximus. Et ſimiliter *Maſiſthen* fratrem ſuum, quoniam ab uxore ad mandatum Xerxis divortium facere nollet, crudeliter interfici juſſit. Nam mandatum Dei eſt: Qui gladium acceperit (nempe ex privata vindictæ cupiditate,) gladio peribit. *Gen.* 9. *v.* 6. *Matth.* 26. 52. *Apoc.* 13. 10.

3. *Superbiam immanem.* Tanta namque Xerxis ſuperbia fuit, ut vel ipſis montibus, mari atque Diis, ad ſubjugandam Græciam cum exercitu proficiſcens, minitaretur: quod vel ipſa elementa ſibi loco cedere & aperiri debere crederet. Verum Deus, qui ſuperbis reſiſtit, & arrogantium perpetuus hoſtis eſt & adverſarius, ita omnem ejus potentiam fregit, ut nihil præclarius illa confecerit, quam ejuſdem fugam, dedecus & perniciem. *Plutarchus in lib. de Iracundia.*

PARÆNESIS.

Quare quiſquis es:

Deſine grande loqui; frangit Deus omne ſuperbum.

Magna

Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur:
Disce supercilium deponere, disce cavere
Ante pedes foveam, quisquis sublime minaris.

I. Observatio Historica.

Hic Herodotus desinit, qui novem libris complexus est historiam quatuor Regum Persicorum, atque 237 annorum, ab anno 3256 (id est, à morte Candaulis) usque ad pugnam ad Mycalen & fugam Xerxis. Estque hic annus à morte Mosis 1000. Unde patet, quam multis annis Historia Mosaica Herodoti scriptis sit antiquior. Nam ab exitu ex Ægypto (quando Moses libros suos scribere aggressus est) ad Herodoti principium numerantur anni 803. Vide *Historias nostr. Patriarch. in Præfat.* Vixit Herodotus, dulcissima illa τῆς Ἰάδος μοῦσα, annos 52. Vetustissimus est omnium solutæ orationis scriptorum, qui hodie exstant, scrinium originum Græcarum & Barbararum, author in magno precio habendus. Ejus orationis tanta est suavitas, ut vulgo dicerent, ipsas Musas ejus Orationem finxisse, Musarumque ore Herodotum loquutum fuisse: quomodo id Cicero cum Quintiliano scriptum reliquerunt. Idcirco cum Herodotus Athenis in Panathenæis historiam suam publice prælegisset, & corona donatus esset, flens eum admiratus est *Thucydides* adhuc juvenis, qui reliquam Historiæ partem pertexit, usque ad bellum Peloponnesiacum.

II. Observatio Physica.

Post pugnam Platæensem comportatis, elapso aliquo tempore, ossibus mortuorum carne nudatis, inventum est CAPUT NULLAM SUTURAM HABENS, sed ex uno osse solidum. MAXILLA item habens DENTES, etsi distinctos, tamen EX UNO OSSE universos, tam molares, quam cæteros. *Herodotus.*

Artaxerxes Longimanus. Monarcha V.

Caput I.

DE ORTV.

I.

1. ORIGO. *Artaxerxes Longimanus* Xerxis filius fuit. Tres namque filios Xerxes habebat, nempe; Darium, Artaxerxem & Hystaspem.

II.

II. APPELLATIO. Hic Rex dictus fuit *Artaxerxes*, cognomento *Longimanus*.

III.

ARTAXERXES vel ARTACHSASTA. Ebr. ארתחששתא *Esdr.* 4. *v.* 6, 7, 8. Græce Ἀρθασασθά. Item: Ἀρταξέρξης. Apocryph. *Esther. c.* 11. *v.* 2. & *c.* 16. *v.* 1. vel Ἀρτοξέρξης. Idem est atque, lumen vel fervor lætitiæ, ein hitziges Freudenliecht.

Herodotus lib. 6. *p.* 417. statuit, quod Artaxerxes idem sit quod *magnus bellator*. Verba ejus hæc sunt: Sane in Græca lingua pollent hæc tria nomina: Darius, Xerxes, & Artaxerxes. Δαρεῖος, Ἐρξείης. Ξέρξης, Ἀρήϊος. Ἀρτοξέρξης, μέγας Ἀρήϊος. h. e. Darius, idem quod Ἐρξείης, id est, Coërcitor. Xerxes, idem quod Ἀρήϊος, id est, Bellator; ad verbum, Martius. ARTAXERXES, idem quod μέγας Ἀρήϊος, id est, magnus Bellator.

IV.

Nomen *Artaxerxes* dupliciter usurpatur. Est namque nomen tum *appellativum*, tum *proprium*.

1. *Nomen appellativum* est (uti Lyrano in *Esdr. c.* 4. & Metastheni Persæ placet) Regum Persarum, sicut *Pharao* Regum Ægyptiorum, & *Cæsar* atque *Augustus* Imperatorum Romanorum. Et in hoc generali significatu *Cambyses* vocatur Artaxerxes. Item *Smerdis* Cambysis frater, vel etiam *Pseudo-Smerdis*, ut quidam volunt, *Esdr.* 4. *v.* 6. vocatur *Arthasasta*. Quod nomen idem est atque Artaxerxes. Nam nomina Regibus mutata fuerunt, quando Imperii administrationem susceperunt: sicut etiam *Josephus Scaliger* notat & probat. Ita *Cambyses* privato & proprio nomine dictus fuit CAMBYSES, avo suo paterno ὁμώνυμος. At publico & regio nomine dictus fuit *Achasverus*. Similiter *Smerdis*, sive verus sive falsus, privato & proprio nomine SMERDIS: at Regio & publico ARTHASASTA appellatus fuit. *Esdr.* 4. *v.* 7. Et *Plutarchus* in Artaxerxe illustre exemplum recenset de *Artaxerxe Mnemone*. Hic nomine proprio dictus est ARSICAS, postea vero μετονομασθεὶς, TRANSNOMINATUS est ARTAXERXES.

2. *Nomen proprium est*, quando V. & VII. Persarum Regi tribuitur: quorum ille Artaxerxes Longimanus; hic vero Artaxerxes Mnemon appellatus est.

V.

Hic autem *Artaxerxes* cognomento LONGIMANUS

MANUS, Græcè Μακρόχειρ, Germanicè Langhand / appellatus fuit; idque duplici reſpectu.

I. PHYSICE, *à naturali longitudine manus*: vel *utriuſque*; Quia ſecundum *Stratonem lib.* 15. adeo longis erat brachiis, ut ſtans rectuſque manibus genua contingeret: vel *alterutrius*; Quia ſecundum *Plutarchum* in vita Artaxerxis, alteram manum nempe dextram haberet longiorem. Hoc excepto, pulcherrimus omnium mortalium ſui temporis exiſtimatus eſt.

2. ETHICE *à liberalitate.* Quia liberaliſſimus erat, adeo ut *Phil. Melanchth. in Chron. lib. 2. p.* 134. ſcribat; Deus Artaxerxis animum ita flexerat ad tuendos & juvandos Judæos, ut non videatur unquam in genere humano alius Monarcha erga Eccleſiam munificentior eſſe. Ideoque cum longitudo manus dextræ ei vitio verteretur, ipſe contra in bonum omen regiamque virtutem hoc ipſum convertebat, dicens: *Sibi tanquam optimo Principi naturam conceſſiſſe, ut manum dextram haberet ad largiendum ampliſſimam atque longiſſimam: alteram vero nempe ſiniſtram ad accipiendum & detrahendum breviſſimam & contractam.* Plutarchus in Artaxerxe. Quippe & Rege dignius, & beatius eſt dare, quam accipere, *Act.* 20. *v.* 35. juxta commune proverbium: Beneficium addere eſt longe magis regale, quam auferre. Hic feſtivus Artaxerxis Longimani ſermo congruit cum aureolo illo Chriſti aphoriſmo *Matth. 6. v. 3.* Μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου, τί ποιεῖ ἡ δεξιά σου. h. e. Neſciat SINISTRA tua, quid faciat DEXTRA tua. Unde patet, quod *dextra* proprie ſit organum donationis: *ſiniſtra* vero, acceptionis.

VI.

Hic Artaxerxes in libro Eſther alio nomine dictus אחשורוש ACHASCHVEROS. h. e. Princeps hæreditatis. *Eſther* 1. *v.* 1. De quo nomine plura vide in Hiſtoria Darii Medi.

AXIOMA POLITICUM.

Regum propria virtus eſt beneficentia & liberalitas. Unde etiam Εὐεργέται. Latine *Evergetæ* dicuntur ab ipſo Chriſto. *Luc.* 22. *v.* 25. & Ebraice נדיבים. h. e. Principes munifici. *Job.* 12. *verſ.* 21. *Pſal.* 47. *v.* 9. *Pſal.* 107. *v.* 40. à rad. נדב, quæ ſignificat, ſponte & libere largitus eſt, fuit beneficus aut munificus.

Exempla.

1. TITUS VESPASIANUS, XI. Imperator Romanus, ob benevolentiam & beneficentiam erga ſubditos ſuos *Amor & delicia humani generis* appellatus. Hic recordatus quodam die in cœna, nihil à ſe eo die cuiquam præſtitum, memorabilem hanc omnique laude dignam vocem edidit: *Hunc quidem diem, ô amici, perdidimus.*

II. De PETRO VIII. Portugalliæ Rege, Alphonſi IV. filio, *Duardus Nonius* (*in libello de vera Regum Portugall. Geneal. T.* II. *Hiſt. p.* 1262.) ſcriptum reliquit, eum frequenter monuiſſe cubiculariosſuos, ut cingulum ſibi laxarent, ne corpore preſſo aut conſtricto NON POSSET MANUM EXTENDERE, ad benefaciendum videlicet aliis.

III. FRANCISCO I. Galliæ regi laudi datum eſt, quod, ut *Franciſcus* STIGMATA IN MANIBUS: ita quoque ille PERTUSAS haberet MANUS, quæ nihil retinerent, ſed effunderent & ad alios deferrent.

Epigramma Ovveni ex loco Act. 20.

Accipere humanum eſt; inopi donare, Deorum:
Nunquam tam paucos credo fuiſſe Deos.

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VII.

1. CONJUGES. Artaxerxes Longimanus duas Conjuges habuit.

UNA dicta fuit VASTHI ושתי *potatrix*, quæ prior Artaxerxis Conjunx fuit, ſed ob ſuperbiam & inobedientiam repudiata. Quoniam ad convivium à Rege vocata venire detrectavit. *Eſther.* 1. *v.* 19. & *c.* 2. *v.* 1.

ALTERA dicta ESTHER אסתר, h. e abſcondita, fuit paupercula & captiva puella Judaica ex tribu Benjaminis, filia Abihailis. Hæc utroque parente orbata à patruo Mardochæo educatur: poſtea inter captivas puellas Babylone electa fit uxor Artaxerxis Longimani, in ejuſque thalamum tranſit. *Eſther* 2. *v.* 7. Alio nomine dicta fuit HADASSA הדסה. h. e. myrtina. *Eſther* 2. *v.* 7. Nam *Eſther* 1. *v.* 3, 4. legimus, quod Rex Ahaſverus grande convivium fecerit cunctis Principibus, Miniſtris & Præfectis provinciæ, ut oſtenderet divitias gloriæ Regni ſui, & magnitudinem atque Majeſtatem potentiæ ſuæ, nempe, 180 diebus. Finito hoc convivio, juſſit áliud inſtitui, ad quod invitavit omnem populum, qui inventus eſt in Suſan à maximo uſque ad minimum; & juſſit illud convivium in horto Regio per 7 dies continuari; quibus incredibili magnificentia cibum potumque in vaſis atque poculis

aureis

aures præbuit. Septimo autem die cum Rex hilarior eſſet, ſeptem eunuchis ſuis, qui in conſpectu ejus miniſtrabant, præcepit, ut Reginam Vaſthi introducerent coram Rege, poſito ſuper caput ejus diademate, ut oſtenderet cunctis populis & Principibus pulchritudinem ejus: erat enim pulchra valde. Verum Regina Vaſthi erat faſtuoſa, atque ad Regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, venire recuſabat. Quamobrem Rex vehementer indignatus, & magno furore incenſus, eam juxta conſilium 7 Principum ſuorum repudiavit, & in locum ejus Eſtherem virginem Ebræam elegit, eamque Reginam Regni conſtituit. *Eſther.* 1. 5, 10. & *cap.* 2. *v.* 7. Quæ morum elegantia & formæ venuſtate mariti ſui animum ita ſibi devinxit, ut ardenti eam amore complecteretur, eique nihil denegare poſſet. Ipſa columen & decus totius populi Iſraëlitici fuit. Cum enim Hamanus Agagithes, odio Mardochæi flagrans, totam gentem Judaicam è medio tollere cogitabat, tanquam abominabilem, illa eam, Deo gubernante, liberavit: ut poſtea dicemus.

VIII.

11. LIBERI ejus quatuor fuerunt: tres maſculi, nempe Xerxes II, Sogdianus, & Darius Nothus; & una femella, nomine Paryſatis. Sed ex qua conjuge illi ſint prognati, ab Hiſtoriarum Scriptoribus non expreſſe memoratur.

IX.

1. XERXES II, vel JUNIOR, à patris obitu regnum ſuſcepit. Quod dum voluptatum ſtudio negligit, vel fratris inſidiis vel ebrietate immodica exſtinguitur. *Cteſias, Diodorus Siculus, Sulpitius Severus, Jornandes.* Hic regnavit annum unum, juxta *Diod. Sicul. l.* 12. vel duos menſes, juxta *Cteſiam.*

X.

2. SOGDIANUS (aliis dicitur *Secundianus*, aliis *Ogdianus*, Severo Sulpitio *Sucdianus*, aliis denique *Iſogaus*) Xerxis fratris ſui interitu ad Regnum pervenit, quod crudeliter ille adminiſtravit. Nam *Bogoraſum* eunuchum primarium cæde injuſta ſuſtulit, & Dario fratri inſidias ſtruxit. Unde cum ſibi odium omnium infeſtiſſimum, illi vero benevolentiam firmiorem paraſſet, bello ab eo gravi petitur, & prætextu pacificationis circumventus & captivus detentus, ſuffocatus in cineres conjicitur. Nam id Perſici ſupplicii genus fuit.

Regnavit menſes { 1, 6, 8 } juxta quoſdam.
7 ſecundum { Nicephorum, & Sulpitium Severum.

XI.

3. DARIUS NOTHUS Regem fratrem, in poteſtatem redactum, & vita & Regno ſpoliavit, eique in regno ſucceſſit, quemadmodum poſtea in hiſtoria ejus plenius dicturi ſumus.

XII.

4. PARYSATIS fuit filia Artaxerxis Longimani, quæ fratri ſuo Dario Notho inceſto connubio jungitur: uti in vita Darii Nothi exponemus.

XIII.

5. ACHÆMENIDEM fratrem ſuum honorifice habuit Artaxerxes, eumque Ægyptii belli Ducem conſtituit; qui prælio cum hoſtibus congreſſus, in acie occubuit. *Cteſias.*

II. *ACTA POLITICA.*

1. IRENICA.

XIV.

1. *Regni occupatio.* Artaxerxes fraudulenta Artabani opera ad Regnum pervenit, poſtquam Darium natu majorem fratrem imprudens neci dediſſet. Res ita ſeſe habet: ARTABANUS, Præfectus Prætorii in Perſia, Regem Xerxem è Græcia turpi fuga redeuntem, domique ſecure regnantem, aſtu circumvenit, eumque opera Mithridatis eunuchi in cubiculum noctu admiſſus, decumbentem ac dormientem ſeptem filiis robuſtiſſimis ſtipatus obtruncavit. Quo facinore perpetrato, non minori aſtu ad ARTAXERXEM natu minorem properat, eique nunciat, patrem a Dario fratre regno & vita privatum: Suadet, Regnum ut præoccupet, fratris parricidii ſcelus parricidio ulciſcatur: regios ſtipatores ad ferendum auxilium pollicetur. Juvenis hoc tam triſti nuncio territus & perturbatus, ubi videt carniſſimi patris in proprio ſanguine provolutum cadaver, fidem dictis adhibet, furore corripitur, fratrem petit, dormientem inventum, quaſi ſomnum fingeret, interficit. Interfecto autem Dario, *Artabanus* in ſocietatem Regni aſſumitur ab *Artaxerxe* per ſeptem fere menſes.

XV.

2. *Regni confirmatio.* Artaxerxes Regnum ſuum confirmavit nece tum Artabani, tum ſeptem filiorum ejus. Cum enim Artabanus (uti *Diodorus Siculus* narrat) etiam Artaxerxi, cujus conſors regni erat, inſidias ſtrueret, eumque ſtricto gladio vulneraſſet, ſed non letaliter, ab Artaxerxe poſtea cum omnibus filiis trucidatus eſt. *Juſtinus* rem

paulo aliter narrat: Cum Artaxerxem, inquit, ſceleri ſuo ſupereſſe Artabanus videret, metueretque de Regno certamina Principum: aſſumit in ſocietatem conſilii Baccabaſſum, qui præſenti ſtatu contentus, rem prodit Artaxerxi, ut pater ejus occiſus ſit, ut frater falſa parricidii ſuſpicione oppreſſus, ut denique ipſi parentur inſidiæ. His cognitis Artaxerxes veritus numerum filiorum Artabani, in poſterum diem paratum eſſe exercitum armatumque jubet, recogniturus & numerum militum & in armis induſtriam ſingulorum. Itaque cum inter cæteros & ipſe Artabanus armatus aſſiſteret, Rex ſimulat ſe breviorem loricam habere; jubet Artabanum ſecum commutare. Exuentem ſe & nudatum gladio trajecit: tum & filios ejus corripi jubet, atque ita egregius adoleſcens, & cædem patris & necem fratris, & ſe ab inſidiis Artabani vindicavit.

XVI.

3. *Regni adminiſtratio.* Artaxerxes ab inſidiis Artabani liberatus, omnia, quæ ad Regni ſtatum pertinere, reique ſuæ conducere exiſtimavit, rite compoſuit, remotis Satrapis, quorum animum fidemque in ſe ſuſpectam habebat, aliiſque ſubſtitutis ex amicis, conſtitutis item vectigalibus, commeatu cæteriſque rebus, ad exercitum inſtruendum neceſſariis. Quibus omnibus diligentiſſime commodiſſimeque paratis, magnam apud Perſas gratiam atque authoritatem inivit.

XVII.

Hic Rex multis præclaris virtutibus ornatus fuit. Quales erant.

1. HUMANITAS, quam luculentiſſime erga Themiſtoclem declaravit. Hic enim per Spartanos apud Athenienſes proditionis cum Pauſania initæ accuſatus, oſtraciſmo ab illis ad annos quinque Athenis pulſus erat. Ideoque ad ADMETUM Moloſſorum Regem in Epirum confugit, eique ſupplex factus eſt, eo ritu, qui apud Moloſſos ſacroſanctus habebatur, & fere ſolus repulſæ ſecurus. Filium enim Regis puerum amplexus, ad Veſtæ aram ſe projecit. Inde etiam à Spartanis comminatione belli inferendi pulſus, ad ARTAXERXEM deducitur curru clauſo, tanquam pellex Regis. Mos enim erat Perſis, ſi pellicem Regi adducerent, ne quis eam aſpiceret. Cum autem ad Regem perveniſſet, eumque more Perſico, tanquam Dei omnia conſervantis effigiem adoraſſet & honoraſſet, (uti *Plutarchus in Themiſtocle* ſcribit) à nobilibus Perſis, propter tot Perſas occiſos, ad mortem poſcitur. Sed humanitate & prudentia Regis præſentiſſimo mortis periculo ſubtractus eſt. Nam impetrato à Rege annuo ad diſcendam linguam Perſicam ſpatio, ſe defendit, & abſolutus in ſummo apud Regem honore habitus eſt, adeo ut Rex apud amicos ſe ipſum beatum prædicans, tanquam maximo ſibi fortunæ beneficio oblato, precatus eſt Deos, ut ſemper eum animum hoſtibus darent, quo optimos ſuorum ejicerent. Noctu etiam in medio ſomno præ lætitia ter exclamavit: *Habeo Themiſtoclem Athenienſem.*

XVIII.

II. LIBERALITAS. Artaxerxes prudentia Themiſtoclis perſpecta, prolixo eum hoſpitio excepit, uxorem ei dedit, & familiam copioſam, & præterea trium urbium opulentiſſimarum imperio donavit: nempe *Magneſiæ* propter copiam frumenti in panem: *Myuntis* propter piſcium abundantiam in opſonium, & *Lympſaci* in vinum. *Diodorus Siculus lib.* 11. Unde etiam poſteriores Reges poſtea in conſuetudinem traxerunt, ut, cum à Græco homine aliquid peterent, ei per literas pollicerentur, majorem apud ſe Themiſtocle futurum.

Similiter hinc Artaxerxis liberalitas effulget. Nam Xerxes pater Regis antea 200 talenta precium ei promiſerat, qui Themiſtoclem ad ſe adduceret. Ideoque cum Themiſtocles ad Artaxerxem veniens coram eo in genua procumberet, humaniter eum ſalutavit: *Tu*, inquit, *jam tibi ipſi* 200 *talenta meruiſti. Par enim eſt, quia veniſti ipſe, id præmium, quod alteri, qui te adduceret, promiſſum fuit, accipias.* Ideoque Themiſtocles domum ad ſuos reſcripſit: *Periiſſemus, amici, niſi periiſſemus. Optanda nimirum eſt jactura, qua lucro majore penſatur.*

Similiter *Satibarzani* cubiculario injuſtum aliquid à ſe petenti, cum intelligeret hoc fieri impetrandorum trigeſies c I ↄ Dareicorum gratia, eam pecuniam à Quæſtore juſſu ſuo allatam tradidit, inquiens: Accipe, Satibarzana; hoc enim largitus, nihilo pauperior fuero: iſtuc vero ſi feciſſem, eſſem injuſtior. *Plutarch. Apophthegm. pag.* 324.

NOTA.

Simile exemplum habemus in Auguſto Imperatore. Hic decies ſeſtertium edicto promiſerat iis, qui Coracotam latronum in Hiſpania Ducem ad ſe deduceret. Coracotas re intellecta, ſe ipſum Auguſto ſponte obtulit, & præmium ex edicto poposcit. Verum Auguſtus hunc hominem comprehenſum non necavit, ſed & veniam & pactum præmium dari juſſit, ne aut mercede promiſſa vitam eripuiſſe, aut publicam ſecuritatem violaſſe videretur adverſus eum, qui ſponte ſe ipſum judicio ſiſterat. Quotuſquiſque eſt, qui hoſtem ſuum nactus indemnem dimittat? Vid. Monarchiam IV.

XIX.

XIX.

III. CLEMENTIA erga reos, atque LENITAS. *Plutarch. in Apophthog. pag.* 324. ita de eo ſcribit: Artaxerxes primus inſtituit, ut, cum Principes viri ſupplicio afficerentur, non corpora, ſed veſtes, quibus ſe exuiſſent, flagellarentur, & non crines capitis evellerentur, ſed tiara deponeretur. *Marcellinus l.* 30. idem confirmat, quando ait, eum ſuppliciorum varietate lenitate genuina ita caſtigare ſolitum, ut tiaras ad vicem capitum quibuſdam noxiis amputarit, & ne ſecaret aures, more regio pro delictis, ex galeris fila pendentia præciderit.

XX.

IV. SEVERITAS erga *ſceleratos*. Cum enim Artaxerxes Hamanis Agagithæ ſuperbi atque doloſi perfidiam & machinationes cruentas cognoviſſet, juſta eum animadverſione punivit. Cum enim Eſther Regina pientiſſima Artaxerxem maritum ſuum, præmiſſis piis ad Deum precibus, liberrime adiret, & Deus Artaxerxis animum ita dirigeret, ut Eſtheri ſceptrum aureum pro more Perſico porrigeret, eum cum Hamane ad convivium invitavit, in quo Regi, occaſione data, rem omnem aperuit, & eo rem deduxit, ut Rex ſententiam de crudeli & horribili Judæorum laniena retractaret, & Hamani perfidiam ſeveriſſimè vindicaret. Nam Hamanem in crucem agi mandavit, omnibus bonis ac poſſeſſionibus exuit. Dignitate Hamanis Mardochæus, bonis vero omnibus Eſther potitur. Nam *Eſther.* 8. *verſ.* 8. legimus, quod Ahaſverus conceſſerit Mardochæo poteſtatem mittendi literas regio annulo obſignatas ad omnes populos imperio ſuo ſubjectos, ut Edictum de exſtirpandis Judæis, quod Haman à Rege impetraverat, abrogaretur. Erat vero harum literarum, quæ Regis Perſarum annulo obſignatæ erant, tanta authoritas, ut iis nemo contradicere auderet. Cum enim Rex Mardochæo mandaſſet, ut literas ſuo nomine ſcriptas, etiam annulo ſuo obſignaret, mox addit ad firmandam authoritatem literarum, quibus Regium ſigillum impreſſum: *Ὅσα γὰρ γράφεται ὑπὸ βασιλέως ἐπιτάξαντος, καὶ σφραγισθῇ τῷ δακτυλίῳ μου, οὐκ ἔστιν αὐτοῖς ἀνταπιδοῦναι.* h. e. Quæcunque ſcribuntur Rege præcipiente, & obſignata fuerint annulo meo, non licet illis contradicere. *Eſther.* 8. *verſ.* 8. Ita Deus juſtus mundi judex calumniam Hamani graviter vindicavit. Nam in foveam, quam Judæis innocentibus paraverat, ipſemet incidit; juxta aphoriſmum Davidis aureolum: In operibus manuum ſuarum illaqueatus eſt impius. *Pſalm.* 9. *v.* 16, 17. Quoniam Mardochæus, impetratis poſtea à Rege Aheſvero literis, eo die, qui Judæorum internecioni deſtinatus fuerat, per Judæos, 75000. Ethnicos vim parantes interfecit. *Eſther.* 9.

XXI.

VITIUM. *Artaxerxes vitio* NIMIÆ CREDULITATIS *laboravit*: uti ex hiſtoria Eſther. patet. Nam *Eſther. c.* 3. legimus, quod, cum Mardochæus Judæus Hamani Agagithæ (qui inter Proceres regni Perſici primus erat, & velut alter Regis pater, ſed faſtu & immani ſuperbia intolerabilis) aſſurgendi & adorandi honorem, ex patrio inſtituto, negaret, quem tamen omnes tum Perſæ, tum exteri ad Regis mandatum ei exhibebant, Haman tanta ira exarſit erga Mardochæum, ut non tantum Mardochæum, ſed etiam totam gentem Judaicam cogitaret è medio tollere, tanquam abominabilem. Idcirco literas ſanguinarias de omnibus Judæis in toto Regno exſtirpandis à Rege flagitat & impetrat. Rex ei tanquam viro primario & minime ſuſpecto aſſentitur, & decretum annulo Regio obſignatum per totum regnum divulgari mandat.

AXIOMA.

Nimia credulitas Regum & Principum eſt pernicies. Experientia namque teſtatur, quod Reges & Principes, quando temere credunt, ſæpe in magna pericula incurrant, imo in exitium ruant. *Gregor. Tholoſan. lib.* 22. *de Republ. c.* 11. *p.* 1409.

Exempla.

I. Rex DAVID Sibæ calumniatori nimis facile credidit, ideoque graviſſime eſt deceptus, dum Mephiboſetho bona & poſſeſſiones injuſte ademptas Sibæ adjudicavit. 2 *Sam.* 16. *v.* 13.

II. Similiter Rex ACHASVERUS cruentis Hamanis doloſi machinationibus nimis facile credidit. Inſtinctu namque illius ambitioſiſſimi atque inſolentiſſimi hominis omnes Judæi, una cum uxoribus & liberis, in toto Ahaſveri Regno, centum videlicet & ſeptem provinciis, degentes, quorum fuit innumerabilis multitudo, uno die (is erat tertius decimus menſis 12 Adar, qui ſorte peculiari ad hanc cædem delectus fuit) juſſu Regis, doloſis & ſubreptitiis Hamanis perſuaſionibus decepti, prætextu religionis & rebellionis, crudeliter interfecti, & bona eorum direpta fuiſſent, niſi Deus Reginam Eſther excitaſſet, eaque detectis falſis Hamanis delationibus, animum Regis, machinationibus doloſis & cruentis in authorem omneſque illi adhærentes verſis, ad ſaniora conſilia pietate & prudentia ſua flexiſſet, & hac ratione gentem

ſuam ab exitio imminenti conſervaſſet. *Eſther cap.* 8, & 9.

PARÆNESIS.

Quare moniti ſint Principes omneſque Magnates, ne delatoribus aures temere præbeant, iiſque facile credant. Qui enim facile credit, facile decipitur, ſecundum illud tritum ſermone vulgi proverbium. Hinc *Apollonius Thyaneus* rogitus à Rege Babylonis, quonam pacto tranquille tutoque regnare poſſet, ſimpliciter reſpondit; *Si multos honoraveris, paucis vero crediderit. Gregor. Tholoſ. lib.* 22. *de Republ. cap.* 11. *pag.* 1414.

Semper ob oculos ſibi ponant Emblema Epicharmi: *Μίμνειν ἀπιστῶν: Memento diffidere.* Namque

Res mihi fracta fide: Res diffidendo retenta.

Probe hoc ipſum conſiderabat ALEXANDER M. qui, quando delatores alios delationibus apud ipſum involvebant, alteram aurem obturare ſolitus eſt, dicens: *Se alteram aurem reo vel accuſato reſervare.*

Similiter Elector Saxoniæ MAURITIUS, nunquam ſolitus eſt calumniatorum delationes accipere, niſi ipſi ſponderent, ſe affuturos eſſe coram, quando accuſatos ea de re alloquuturus eſſet. Nec ſane melius refutari peſſimi delatores poſſunt, quam hoc modo, ſi jubeantur ea coram dicere in faciem præſentibus, quæ de abſentibus retulerunt, vel potius detulerunt. Quod ſi fieret, multi viri boni præter meritum tot tantiſque malis atque periculis haud involverentur.

Epigramma Oweni.

Qui cuivis quidvis credit, male creditur illi.
Quod credis mihi plus, hoc tibi credo minus.

Plura hac de re vide *in Hiſtoria Patriarch. in Iſaaco* §. XXII.

II. POLEMICA.

XXII.

ÆGYPTII cum audirent tantas in Regno Perſarum eſſe turbas ob necem tum Xerxis, tum Darii filii majoris, occaſionem rebellandi ſibi ſumunt, Præfectis Perſicis ejectis, & INARUM Pſammetichi filium Regem creant, qui ab Athenienſibus ſuppetias petit, & claſſem trecentarum navium impetrat. *Diodorus Siculus lib.* 11. Idcirco ARTAXERXES ad recuperandam Ægyptum animum adjicit, atque ACHÆMENEM patruum ſuum cum inſtructiſſimo trecentorum millium exercitu, ut *Diodorus Siculus* ſcribit, in Ægyptum mittit, ſed conflictu habito, ipſe virtute Athenienſium ſuperatur, ſeque Memphiticis tueri muris cogitur. Hac clade audita Artaxerxes novos Duces, nempe, *Artabazum & Megabyzum*, qui milites ſuos exercitatione ad laborem & fortitudinem duraverant, ſubmittit. Qui in Ægyptum profecti, ſtatim obſidionem ſolvunt, & averſo fluvio naves Athenienſium in ſicco deſtituunt. Quæ, ne uſui eſſent Perſis, ab ipſis Claſſiariis cremantur. *Inarus* per proditionem captus in crucem agitur. Ægyptii ſeſe dedunt, atque ſub priſtini Imperii jugum redire compelluntur. Athenienſibus ad pugnam paratis datur venia, illiſque pax offertur, ut ſalvis ſuis rebus diſcedant. Qui per Aſiam profecti Cyrenem veniunt, & inde in Græciam redeunt. *Diodorus Siculus l.* 11. *Thucydid. lib.* 11. *Cteſias Cnidius l.* 17.

AXIOMA.

Cum hoſtibus deſperatis non eſt pugnandum. Nam deſperatio aliquando timidos admiranda fortitudine atque robore induit. Quia neceſſitas omni arte eſt efficacior, quæ non modo uſitata præſidia, ſed etiam nova & inaudita adhibet. Et *Diodorus Siculus* ait: Neceſſitas naturam inſtituit, quæ temporibus parens, ſe ad id, quo uſui eſſe videtur, accommodat. Hinc *Guiccard. in Hypomneſib. Part.* 2. *pag.* 25. graphice inquit: *Hoſti abire volenti iter minime intercludendum: ſed potius, ut eſt in communi proverbio, argenteum ei pontem faciendum eſſe exiſtimant: alioqui verendum eſſe, ne in deſperationem converſa neceſſitas, viam ſibi cum multo ſanguine eorum, qui ſe parum prudenter opponerent, aperiret.* Nam juxta illud Virgilii:

Una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

EXEMPLUM.

Artabazus & Megabyzus Duces Artaxerxis, qui miſſierant contra Ægyptios, qui defecerant ab Artaxerxe, noluerunt pugnare cum Athenienſibus, quorum claſſem inutilem reddiderant: cum vidiſſent eos deſertos eſſe ab Ægyptiis, & in ſummo rerum diſcrimine verſari. Addit ibi *Diodorus Siculus*: Imperatores Artabazus & Megabyzus, conſpecta omnium incredibili audacia, veriti, ne cum obſtinatis, jam ſalute abjecta, ad mortem pugnando viris, multa nequicquam ſuorum millia amitterent, fœdus cum Athenienſibus certa conditione ineunt: permiſſumque, ut abſque periculo incolumes Ægypto excedant. Vide *Diodorum lib.* 11. *Bibliotheca pag.* 264.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

XXIII.

1. *Eſdræ Scribæ in Judæam miſſio.* Artaxerxes anno

anno Regni ſui ſeptimo Eſdram Sacerdotem & ſcribam Legis Dei, edicto regio & privilegiis ampliſſimis inſtructum, cum magno populi comitatu in Judæam dimiſit, urbemque ſanctam inhabitari, cultum Dei inſtaurari, Legem Dei doceri, & judicia atque Rempublicam rurſus inſtaurari juſſit.

Edictum Regis Artaxerxis Eſdræ datum, exſtat Eſdr. cap. 7. à verſ. 12. uſque ad finem; ejuſque hæc ſunt verba:

v. 12. Artaxerxes Rex Regum Eſdræ Sacerdoti, Scribæ Legis Dei cœli doctiſſimo, ſalutem. v. 13. A me decretum eſt, ut, cuicunque placuerit in regno meo de populo Iſraël, & de Sacerdotibus ejus, & de Levitis ire in Jeruſalem, tecum vadat. v. 14. A facie enim Regis, & ſeptem conſiliariorum ejus miſſus es, ut viſites Judæam & Jeruſalem in lege Dei tui, quæ eſt in manu tua. v. 15. Et ut feras argentum & aurum, quod Rex & Conſiliarii ejus ſponte obtulerunt Deo Iſraël, cujus in Jeruſalem tabernaculum eſt. v. 16. Et omne argentum & aurum, quodcunque inveneris in univerſa provincia Babylonis, & quod populus offerre ſponte voluerit, & de Sacerdotibus, qui ſponte obtulerint domui Dei ſui, quæ eſt in Jeruſalem. v. 17. Libere accipe, & ſtudioſe eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, & ſacrificia, & libamina eorum, & offer ea ſuper altare templi Dei veſtri, quod eſt in Jeruſalem. v. 18. Sed & ſi quid tibi & fratribus tuis placuerit de reliquo argento & auro, ut faciatis, juxta voluntatem Dei veſtri facite. v. 19. Vaſa quoque, quæ dantur tibi in miniſterium domus Dei tui, trade in conſpectu Dei in Jeruſalem. v. 20. Sed & cætera, quibus opus fuerit in domum Dei tui, quantumcunque neceſſe eſt, ut expendas, dabis de theſauro & de fiſco Regis, & à me. v. 21. Ego Artaxerxes Rex ſtatui, atque decrevi omnibus cuſtodibus arcæ publicæ, qui ſunt trans flumen, ut quodcunque petierit à vobis Eſdras Sacerdos ſcriba Legis Dei cœli, abſque mora detis. v. 22. Uſque ad argenti talenta centum, & uſque ad frumenti coros centum, & uſque ad batos olei centum; ſal vero abſque menſura. v. 23. Omne quod ad ritum Dei cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cœli, ne forte iraſcatur contra Regnum Regis & filiorum ejus. v. 24. Vobis quoque notum facimus de univerſis Sacerdotibus & Levitis, & cantoribus, & janitoribus, Nethinæis & miniſtris domus Dei hujus, ut veſtigal & tributum & annuas penſiones non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos. v. 25. Tu autem Eſdra ſecundum ſapientiam Dei tui, quæ eſt in manu tua, conſtitue Judices & præſides, ut judicent omni populo, qui eſt trans flumen; his videlicet, qui noverunt Legem Dei tui: ſed & imperitos docete liberè. v. 26. Et omnis qui non fecerit legem Dei tui & legem Regis diligenter, judicium erit de eo, ſive in mortem, ſive in exilium, ſive in condemnationem ſubſtantiæ ejus, vel certe in carcerem. v. 27. Benedictus Dominus Deus Patrum noſtrorum, qui dedit hoc in corde Regis, ut glorificaret domum Domini, quæ eſt in Jeruſalem. v. 28. Et in me inclinavit miſericordiam ſuam coram Rege & Conſiliariis ejus, & univerſis principibus Regis potentibus: & ego confortatus manu Domini Dei mei, quæ erat ſuper me, congregavi de Iſraël Principes, qui aſcenderent mecum.

In hoc Edicto Artaxerxis regio tres regiæ virtutes ejus conſpiciendæ nobis exhibentur.

Admiranda Regis

1. *Gratia, quam oſtendit in populi Iſraëlitici dimiſſione.* Nam gratioſe conceſſit, ut quicunque vellent in univerſo Imperio Perſico reverti in patriam Judæam, reverterentur liberrimi. Ita namque *Eſdræ cap. 7. verſ. 13.* loquitur Artaxerxes in decreto ſuo. A me decretum eſt, ut CUICUNQUE PLACUERIT in regno meo de populo Iſraël, & de Sacerdotibus ejus, & de Levitis ire in Jeruſalem, tecum vadat. *verſ. 14.* Quia à facie REGIS & SEPTEM CONSILIARIORUM ejus mitteris, ut viſites Judæam & Jeruſalem in Lege Dei tui, quæ eſt in manu tua. Et *verſ. 6. præced.* inquit Eſdras, quod Rex ei dederit OMNEM PETITIONEM SUAM *ſecundum manum Domini Dei ſuper ſe.* Hæc utique magna tanti Regis erat gratia, quod Eſdræ amatori & inſtauratori Jeroſolymæ nullam petitionem denegaverit.

Ubi notandum, quod *Dimiſſio populi Iſraëlitici* è captivitate Babylonica ſit duplex.

Prior facta eſt à *Cyro*, anno M. 3434. anno 1. Cyri Monarchæ. Tunc Judæi in patriam redeunt, Ducibus Zorobabele & Joſua ſummo Sacerdote. *Eſdræ cap. 1.*

Poſterior facta eſt ab *Artaxerxe Longimano*, anno M. 3514. anno Regni ejus 7. Et hic Judæorum è Babylone reditus eſt anno 80 inchoatus.

Admi-

Admiranda *Regis*

2. *Liberalitas & Munificentia*, eaque
- *Immediata.* Quia Rex & ſeptem Regni Satrapæ ingentem vim auri & argenti ſponte obtulerunt, ad templi inſtaurationem, & Sacrificiorum, rituumque ſacrorum celebrationem. *Eſdr.* 7. 15, 18. Et vaſa templi aurea & argentea Eſdræ reſtituerunt. *ibid. v.* 19.
- *Mediata.* Quia præterea theſaurariis ſuis, qui erant trans flumen, mandavit, ut Eſdræ largirentur quicquid poſtularet. *ibid. v.* 21.

3. *Clementia*, quam oſtendit erga
1. *Sacerdotes, omneſque miniſtros Eccleſiaſticos*, quibus conceſſit *immunitatem* à tributis & vectigalibus, & cultum divinum reſtaurandi poteſtatem. *Eſdræ* 7. 24.
2. *Totam Rempublicam Judaicam*, cui conceſſit *αὐτονομίαν*, h. e. propriam Juriſdictionem, tum in rebus Eccleſiaſticis, tum in Politicis. Quæ conſiſtebat
   1. In Judicum & Magiſtratuum conſtitutione. *v.* 25.
   2. In cauſarum cognitione. *v.* 25. Ut judices populum gubernarent, ſecundum legem tum Dei, tum Regis. *v.* 26.
   3. In exequutione, ut de omnibus tranſgreſſoribus legis tum Dei, tum Regis, judicium ferrent, ſive in mortem, ſive in exſilium, ſive in confiſcationem bonorum, ſive in carcerem. *ibid. v.* 27.

Unde patet, quod recte ſcribat *Philipp. Mel. in Chron. lib.* 2. *p.* 134. Deus Artaxerxis animum ita flexerat ad tuendos & juvandos Judæos, ut non videatur unquam in genere humano alius Monarcha erga Eccleſiam munificentior eſſe.

Usus.

Artaxerxes h. l. tanquam *Typus optimi atque liberalis Regis* nobis proponitur, qui Judæos è Babylone migrare volentes gratioſe dimiſit, omnia vaſa templi aurea & argentea eis reſtituit, Sacerdotibus omnibuſque Dei miniſtris immunitatem à tributis atque vectigalibus dedit & *αὐτονομίαν* eis conceſſit, uti verba decreti *Eſdræ* 7. 23, 24. ſonant: *Omne quod ad ritum Dei cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cœli, ne forte iraſcatur contra Regnum Regis & filiorum ejus. Vobis quoque notum facimus de univerſis Sacerdotibus & Levitis & Cantoribus, & janitoribus, Nathinæis & Miniſtris domus Dei hujus, ut vectigal & tributum & annuas penſiones non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos.*

Simile reverentiæ ac benignitatis exemplum erga Sacerdotes *in Rege Pharaone* habemus. Cum enim univerſa Ægyptus extrema laboraſſet fame, comparandique frumenti gratia cogerentur Ægyptii vendere poſſeſſiones ſuas, & ſe Regis addicere ſervitio: ſoli omnium Sacerdotes, à neceſſitate vendendi terras, quibus donati à Regibus fuerant, ſolvendique tributi, fuere immunes: quin etiam in ſumma omnium inopia, fameque, alimentis è publico ſibi datis abundabant.

Huc pertinet *elegans dictum Theodoreti* in Tractatu *quæſt.* 106. *in Geneſin*, his verbis: *Sola terra Sacerdotum Ægypti à præſtando tributo quinta partis frugum immunis relicta eſt: uſque adeo venerabantur homines impii eos, qui non erant dii: at vero Sacerdotes Dei viventis non gaudent hac immunitate.*

XXIV.

Acta Esdræ.

1. ACTA HODOEPORICA ſive ITINERARIA. Eſdras Scriba ab Artaxerxe Rege Edicto regio & privilegiis ampliſſimis inſtructus anno ſeptimo Artaxerxis die primo menſis primi cœpit aſcendere de Babylone, *Eſdræ* 7. 8. & plurimam turbam congregavit prope Babylonem ad fluvium, qui decurrit ad Ahava, *Eſdræ* 8. *v.* 15. & in regione Caſpia, quæ etiam ſita eſt in Chaldæa, non procul à Babylone, *ibid. v.* 17. & juxta fluvium Ahava jejunium proclamavit, atque cùm omni, quem ſecum habebat, populo, viam à Deo rectam petiit. *ibid. v.* 21. Et tandem XII. die menſis primi à flumine Ahava movit, profectus Jeroſolymam 170 milliaribus. *ibid. v.* 31. Venit autem Jeroſolymam primo die menſis quinti. *Eſdræ* 7. *verſ.* 8.

Factum hoc eſt anno
- A condito mundo 3514.
- A priori reditu Judæorum ex Babel 80 inchoato.
- Artaxerxis Longimani regis 7. *Eſdræ* 7. *verſ.* 8.
- Ante aſcenſum Nehemiæ 13. *Nehem.* 2. *verſ.* 1.
- Ante nativitatem Chriſti 457.

XXV.

XXV.

II. ACTA JEROSOLYMITANA.

1. *Eſdras* ingentem theſaurum ſecum adduxit Jeroſolymam, quem Rex & Principes voluntarie in uſum templi obtulerant, nempe Kikarim vel talenta 650, h. e. 7 tonnas auri & 80000 florenos, & vaſa argentea 100 Kikarim, h. e. 1200000 ducatos Hungaricos, & crateres aureos 20, qui habebant drachmas mille, h. e. 1000 ducatos Hungaricos.

Summa eſt 21 tonnæ auri & 100 ducati Hungarici. *Eſdræ* 8. *v.* 26, 27.

XXVI.

2. Eſdras, tanquam verus viſitator, publicum Miniſterium inſtituit, verum Dei cultum reſtituit, & juriſdictionem tum Eccleſiaſticam tum Politicam conſtituit. *Eſdræ cap.* 8. *v.* 35, 36. *Eſdræ* 9. *v.* 1. *Eſdræ* 10. *v.* 1.

XXVII.

3. Quia Judæi duxerant uxores alienigenas, quæ diverſæ religionis erant, contra expreſſum Dei mandatum *Deut.* 7, *v.* 3. ita ut etiam manus Principum & Magiſtratuum in hac trangreſſione eſſent, Eſdras divortium inter eos inſtituit, & ethnicas mulieres à viris ſeparavit. *Eſdr.* 9. *verſ.* 2. *Eſdræ cap.* 10. *v.* 2, 17, 44.

XXVIII.

4. Eſdras tempore Nehemiæ, 13 anno poſt, populo univerſo Jeroſolymis in Scenopegiis congregato, in platea, quæ eſt ante portam aquarum, librum legis, in præſentia Nehemiæ pincernæ, omniumque principum, in primo die menſis ſeptimi prælegit, de mane uſque ad meridiem. Eſdras ſtetit in turri lignea, quam ad hunc uſum fecerat: Et omnis populus viri pariter & mulieres illum legentem audiverunt. *Nehem.* 8. *v.* 1, 2, 3, 4.

XXIX.

11. *Nehemia pincernæ in urbem Jeruſalem miſſio.* *Nehemias* נחמיה Græce Νεεμίας, h. e. Solatium Domini, fuit filius Hechaliæ vel Hachaliæ (*Nehem. cap.* 1. *v.* 1.) ex tribu Juda oriundus, ſicut *Cedrenus* ex quodam Chronologo, narrat. *Cognomento* dictus fuit התרשתא *Ha-Tirſchata*, vel *Tirſchata*, ut reddit *Arias Mont. in Bibliis*. *Eſdræ cap.* 2. *v.* 63. *Nehem.* 7. *v.* 65, 70. *Nehem.* 8. *v.* 9. *Nehem.* 10. *verſ.* 1. h. e. Contemplans annum vel tempus. h. e. Chronologus, vel ſupputator temporis. *R. Abenezra* dicit in Chaldæa lingua eſſe nomen dignitatis. *Tremellius* interpretatur Commiſſarium ſeu Legatum Regis. *Munſterus* reddit Pincernam. Quæ ſententia eſt optima. Nam ratione officii ipſe Pincerna Regis Artaxerxis erat, uti conſtat ex *Nehem.* 2. *verſ.* 1. Hic fuit tertius, qui populum Judaicum per gentiles provincias diſperſum in patriam ſedem reduxit. Hujus *Commiſſio* tripliciter conſideratur. 1. ratione *Ortus*. 2. ratione *Progreſſus*. 3. ratione *Egreſſus*.

XXX.

1. *Ratione* ORTUS. Hic Nehemias (qui Pincerna Regis Artaxerxis Longimani & in ſumma gratia & authoritate apud eum erat) poſtquam in arce Suſan (ubi Rex in æſtivis erat) ab Hanani Juda afflictum populi ſui urbiſque adhuc poſt reditum Zorobabelis & Eſdræ in ruinæ cineribus jacentis ſtatum cognovit, eundem deploravit. *Nehem. cap.* 1. *verſ.* 1, 2, 4. atque à Rege ſuo literas regias ſumtuſque impetrat ad opus ædificationis urbis abſolvendum. Quibus inſtructus Suſis Jeroſolymam profectus eſt 230 milliaribus.

Factum hoc eſt anno

3527	ab Orbe condito.
	poſt conſummationem templi *Eſdr.* 6. *v.* 15.
15	poſt migrationem Eſdræ ex Babel. *Eſdr.* 8. *v.* 31.
20	Regni Artaxerxis Longimani in menſe Niſan, h. e. in Martio. *Nehem.* 2. *v.* 1.
444	ante Chriſti nativitatem.

XXXI.

11. *Ratione* PROGRESSUS. Acta Nehemiæ in ædificatione urbis Jeroſolymæ ſunt ſequentia.

1. Poſtquam Jeroſolymam venit, noctu luſtravit murum urbis Jeroſolymæ & portas ejus igni conſumtas. *Nehem.* 2. *v.* 13.

2. Populum afflictum mœſtumque ad ædificandum excitavit hiſce verbis: Vos noſtis afflictionem in qua ſumus, quia Jeruſalem deſerta eſt, & portæ ejus conſumtæ ſunt igni: venite & ædificemus muros Jeruſalem, & non ſimus ultra opprobrium. *Nehem.* 2. *v.* 17.

3. Judæi hac Nehemiæ oratione animati ſtrenue opus aggrediuntur, & manus eorum in bono ſunt confortatæ. *Nehem.* 2. *v.* 18.

4. Catalogus ædificantium recenſetur *cap.* 3. obſervatione dignum eſt, quod de Thecoitanis dicitur *verſ.* 5. Optimates eorum non ſuppoſuerunt colla ſuo in opere אדניהם Domini ſui (ut vertit. Arias

Arias Montanus,) h. e. Dei ſui vel Dominorum ſuorum, (ut vertunt alii) Dei Elohim, qui in perſonis trinus eſt.

ADAGIUM.

Optimates non ſupponunt colla in opere Dominorum ſuorum. Nehem. 3. 5.

Metaphora eſt deſumta à bobus qui collo jugum trahunt. In oneribus publicis proportio Geometrica eſt obſervanda, ut nempe ditiores, quo plures atque majores ei ſunt opes, eo majora onera ſuſtineant. Quam proportionem vetuſtiſſimi Romanorum ſuo quoque calculo approbarunt, ut liquet ex oratione Servi Tullii Regis, apud *Dionyſ. Halicarnaſſ. l. 4. Ant. Romanorum.* Δίκαιόν τι ἐ συμφέρον τῷ κοινῷ τὸ αὐτὸ ἐγγύημα, τοὺς μὲν πολλὰ κεκτημένους πολλὰ εἰσφέρειν, τοὺς ἢ ὀλίγα ἔχοντας, ὀλίγα. Juſtum exiſtimo & Reipublicæ utile, ut qui multum poſſident, multum conferant: parum vero, qui ſunt in re tenui. Atqui plerumque ita fieri ſolet, ut ditiores colla jugo ſubducant, atque ii, qui minus habent, exactionibus & laboribus tanto durius premantur; id quod *Theocoitanis* quoque in murorum Hieroſolymæ urbis inſtauratione eveniſſe dicitur. *Nehem.* 3. *v.* 3. De qua iniqua portione hoc *epigramma* obſervandum:

Quinio nil tribuit, nil dexter ſenio confert,
Cum petit ære graves publica cura manus.
Pauperior miſero eſt damnoſa canicula Codro:
Binio contiguus, non habet unde ferat.
Ternio ſtrenuior, junctuſque quaternio, ſoli
Collatis opibus corporibuſque juvant.

Germani pulcris rhythmis ita efferunt, uti Lutherus ad locum Nehemiæ in margine annotavit:

Daus Eß hat nichts;
Sechs Chuck gibt nichts:
Quater Drey
Helfen frey.

3. Ædificatio in anguſtia temporis eſt continuata: ſicut *Daniel Propheta cap. 9. v.* 25. loquitur. Nam etſi hoſtes Judæorum initio hoc Judæorum propoſitum ſarcaſmo exceperunt: (Nam Sanaballat Præfectus dixit: Quid Judæi faciunt imbelles? Num ſacrificabunt, & complebunt in die? Nunquid vivificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combuſti ſunt? Et Tobias Ammonites proximus ejus dixit: *Ædificent! ſi aſcenderit vulpes, diſrumpet murum eorum lapideum. Nehem.* 4. *verſ.* 1, 2, 3.) Tamen poſtea cum audirent, quod ſtructura murorum Jeruſalem procederet, & interrupta concludi cœpiſſent, vehementer indignati congregatiſunt, fœdus iniverunt, atque opus cœptum armata manu impedire voluerunt. *Nehem. cap.* 4. *v.* 7, 8.

At Nehemias hoc nuncio accepto
Oravit. *Nehem.* 4. *v.* 9.

Cuſtodes die ac nocte contra hoſtes locavit. *verſ.* 9.

Ipſe cum fratribus & ſtipatoribus ſuis vigilavit. *verſ.* 23.

Populum animavit, ut in cœpto opere alacriter pergerent, neque in iſta temporum anguſtia animis frangerentur. *verſ.* 14.

Populum armavit. *verſ.* 17.

Hoc modo omnis cura & opera dies & noctes poſita eſt in ædificatione: & qui laborarunt, una manu ædificarunt, altera vero gladium ad repellendum hoſtem tenuerunt, cum humana diligentia divinum auxilium conjungentes,

6. *Murus* urbis completus eſt 25 die menſis Elul QUINQUAGINTA DUOBUS DIEBUS. Quo facto omnes populi Judaici hoſtes in circuitu timuerunt, & intra ſemetipſos valde concideruntſ, propterea quod ſcirent à Domino factum eſſe opus hoc. *Nehem.* 6. *v.* 15, 16.

7. *Muro* abſoluto valdæ inſtituuntur, & cuſtodes portis applicantur. *Eſdr.* 7. *v.* 1, 3,

XXXII.

III. Ratione EGRESSUS. Poſtquam Nehemias urbem, plateas, murumque ædificavit, ad conſtituendam Eccleſiam, Politiam & Oeconomiam animum adjicit.

XXXIII.

PRIMO: ECCLESIAM *conſtituit.* Ubi ſequentia Acta ſunt notanda.

1. Liber legis in panegyri totius populi Iſraëlitici ab Eſdra Sacerdote & ſcriba, atque à Levitis per vices prælegitur & explicatur. *Nehem.* 8. *v.* 1, 2, 3, 4, 5, 8, 9.

2. Feſtum Tabernaculorum per annos aliquot à reditu populi ex captivitate Babylonica intermiſſum reſtauratur & celebratur. *Nehem.* 8. *verſ.* 14, 15, 16, 17.

3. Jejunium publicum proclamatur & inſtituitur. *Nehem.* 9. *v.* 1.

4. Publica peccatorum ὁμολογία & Confeſſio inſtituitur. *Nehem.* 9. *v.* 2.

5. Nehemias fœdus religioſum inter Deum & populum inſtituit. Seque & populum juramento Deo obſtrinxit, quod ambulare velint in lege Domini, quam dederat in manu Moſis ſervi ſui, ut cuſto-

cuſtodirent & facerent univerſa mandata Domini Dei ſui, & judicia ejus & ceremonias ejus, &c. Confer *Nehem. 9. verſ.* 38. Et nomina ſignatorum hujus fœderis enumerantur. *Nehem.* 10. *v.* 1, 29.

XXXIV.

DEINDE: OECONOMIAM *conſtituit*. Nam inter capita fœderis etiam hoc continetur, quod nolint filias ſuas dare populo terræ, neque filias eorum accipere filiis ſuis. *Nehem.* 10. *verſ.* 30. Sicut Deus *Dent.* 7. *v.* 3. Iſraëlitis præceperat, ne ſcilicet illi occaſione talium matrimoniorum in idololatriam & ethnicam impietatem prolaberentur. Quod Dei præceptum Iſraëlitæ poſt reditum ex captivitate Babylonica parum obſervaverant: uti conſtat ex *Eſdræ cap.* 9. *v.* 1, 2. Et ibidem narratur, quod etiam *manus ipſorum Principum & Antiſtitum prima fuerit in prævaricatione iſta*, h. e. quod non ſolum plebeii peccatum iſtud commiſerint, ſed etiam ipſi Principes, & quidem omnium primi. Quamobrem *Eſdræ ibid. verſ.* 12. hoc illis præceptum ex ore Dei repetit, hiſce verbis: *Nunc ergo filias veſtras ne detis filiis eorum, & filias eorum ne accipiatis filiis veſtris: & non quæratis pacem illorum & bonum eorum uſque in ſeculum: ut confortemini & comedatis bona terræ, & hæredes habeatis filios veſtros uſque in ſeculum.* Ad hoc etiam præceptum ſervandum Nehemias denuo omnes Iſraëlitas juramento obſtringit. *Nehem.* 10. 3.

2. Etiam uſuras, quas ditiores Judæi à fratribus ſuis tenuioribus tempore magnæ famis cum oppreſſione eorum ſumebant, abrogavit: uti ex *Nehem.* 5. 1, 2, 7. conſtat.

XXXV.

TERTIO: POLITIAM *conſtituit*: ubi notanda ſunt duo.

1. *Habitationum per ſortes diſtributio.* Illi, qui reduces ex Babylone in inſtaurata urbe Jeruſalem habitare debebant, ſorte eliguntur. Recenſentur autem triplices perſonæ. 1. Politici. 2. Sacerdotes. 3. Levitæ. *Primo*; *Perſona Politica* eliguntur tum ex tribu Juda: *Nehem.* 9. *v.* 4, 5, 6. eorumque numerus indicatur *verſ.* 6. nempe quod fuerint quadringenti ſexaginta octo viri fortes, qui in Jeruſalem habitaverint: tum ex tribu Benjaminis: *v.* 7. 8, 9. eorumque numerus indicatur *verſ.* 8. nempe quod fuerint nongenti viginti octo. *Secundo*: *Sacerdotes* recenſentur à *verſ.* 10. uſque ad 15, eorumque numerus indicatur *v.* 12, 13, 14. *Tertio*: *Levitæ* recenſentur à *verſ.* 15. uſque ad 25. Numerus vero eorum indicatur *verſ.* 18. & 19. Reliqui vero Sacerdotes & Levitæ ex Iſrael, qui ſorte non deſignati, in univerſis civitatibus Juda habitabant unuſquiſque in poſſeſſione ſua.

XXXVI.

2. *Muri dedicatio.* *Nehem.* 12. deſcribitur, quomodo *murus* urbis Jeroſolymæ à Nehemia Duce & Eſdra Sacerdote magna cum ſolennitate & pompa ſit dedicatus. Circa quam dedicationem muri urbis Jeroſolymæ tria veniunt conſideranda: 1. *Ortus.* 2. *Progreſſus.* 3. *Egreſſus.*

XXXVII.

In ORTU facta eſt *portarum & muri mundatio* à Sacerdotibus & Levitis mundatis. *Nehem. cap.* 12. *verſ.* 30. Etſi enim non conſpecta fuit lepra in muris urbis, tamen ruinæ illæ fuerunt profanatæ quodammodo per gentes, quæ civitatem olim deſtruxerant, omnique ſcelerum atque abominationum genere contaminaverant. Deinde urbs Jeroſolyma erat ſancta. *Pſal.* 87. 1. *Matth.* 4. 5. Ergo etiam muri ejus ſancti eſſe, h. e. ab uſu communi & vulgari ſegregati, ſacris uſibus adaptari debuerunt. Nam *dedicatio* eſt ſolennis actio, certis ceremoniis conſtans, qua res aliqua à communi & vulgari uſu ſegregata, ſacris uſibus adaptatur. Ebræi vocant חנכה, Græci ἐγκαίνια. Latini dedicationem. Germani Einweihung.

XXXVIII.

In PROGRESSU notanda *dedicantium proceſſio*. quæ deſcribitur dupliciter: 1. προσωπικῶς, h. e. à perſona dedicantium. 2. τοπικῶς, ratione locorum, nempe, *Ex quo*, *Per quem*, & *Ad quem dedicantes* proceſſerint.

XXXIX.

DEDICANTES in duplicem ordinem à Nehemia diſtincti fuerunt, qui ſuper murum dedicandum proceſſerant.

PRIMUS ORDO hic fuit. 1. inceſſit prior Chorus magnus laudantium, qui erant Levitæ. *v.* 31. filii Cantorum, uti vocantur *v.* 28, Quia à Cantoribus nati & Cantorum officio ipſi præfecti erant.

2. Poſt eos ivit dimidia pars *Principum Juda. v.* 32, 33, 34.

3. Eos ſequebantur quidam ex Sacerdotibus. *v.* 35, 36. Quorum Dux erat Eſdras ſcriba. *v.* 36.

XL.

LOCA Proceſſionis tria erant. 1. Proceſſerunt à dextra parte muri uſque ad portam ſterquiliniorum. *verſ.* 31. 2. A porta ſterquiliniorum uſque ad

portam fontis. *verſ.* 37. 3. A porta fontis uſque ad portam aquarum ad Orientem. *v. eodem.*

XLI.

SECUNDUS ORDO Dedicantium hic fuit.

1. Inceſſit SECUNDUS CHORUS gratias referentium (Levitarum) qui ibat ex adverſo.

2. Poſt hunc ordinem ivit *Nehem. v.* 38.

3. Sequebatur dimidia pars populi. *ibidem.*

XLII.

LOCA Proceſſionis ſimiliter erant tria. 1. Proceſſit hic ordo ex adverſo à ſuperiori parte turris furnorum uſque ad murum latum. *verſ.* 38. 2. A parte, quæ eſt ſupra portam veterem, & ſupra portam piſcium, turrimque Hananeelis & turrim Meah uſque ad portam gregis (ovis) *v.* 39. 3. A porta gregis uſque ad portam cuſtodiæ ſive carceris. *ibid.*

XLIII.

In EGRESSU deſcribitur Dedicantium Proceſſio IN TEMPLUM, circa quam duo notanda. 1. *Ordo.* 2. *Actio.*

Primo ORDO talis erat. In domo *Dei ſtabant duo chori laudantium* (Dominum, & dicentium gratiarum actionem) & Nehemias, & dimidia pars Magiſtratus cum eo. *verſ.* 40. Et Sacerdotes Eliakim, Maaſia, Miamin, Michea, Eliohenai, Hanania, *&c. verſ.* 40, 41.

XLIV.

Secundo ACTIO in templo inſtituebatur gemina.

1. *Muſica.* Nam Levitæ & Sacerdotes exercebant muſicam tum vocalem: quia clare cantabant eorumque Præpoſitus יזרחיה *Jetzraia*, *v.* 42. Tum inſtrumentalem. Quia gratias Deo agebant in cymbalis, nablis & cytharis, *verſ.* 27. & Sacerdotes quidam in tubis. *v.* 41, 42.

2. *Sacrificia.* Poſtea victimas magnas זבחים גדולים immolaverunt, cum gaudio magno, ſed & uxores & liberi & tota populi multitudo gaviſa eſt. Et audita eſt lætitia Jeruſalem procul. *v.* 43.

ABROGATIO ABUSUUM QUI IN ABSENTIA *Nehemiæ in Rempubl. Iudæorum irrepſerant.*

XLV.

Poſtquam Nehemias Dux fuerat in terra Juda ab anno 20 uſque ad 32 Artaxerxis Longimani Regis, per annos XII. *Nehem. cap.* 5. *verſ.* 14. turſus profectus eſt in Suſan 230 milliaribus, ibique Regem VISITAVIT, atque abuſus omnes, qui in abſentia ſua in Rempubl. Judæorum irrepſerant, magno zelo abrogavit, atque ita Eccleſiam & Rempubl. reformavit. In qua REFORMATIONE hæc ſeptem ſequentia ſunt notanda.

XLVI.

1. *Alienigenarum à communione populi Judaici ſeparatio.* Cum Nehemias ſecunda vice Jeroſolymam reverſus, librum Legis Moſaicæ populo prælegi juberet, ejuſque lectionem populus audiret, inventa eſt Lex, *Deut.* 23. 3. qua *alienigenæ*, & in ſpecie *Ammonitæ* & *Moabitæ* à communione Eccleſiæ Iſraëliticæ excludebantur. Verba Legis hæc ſunt: *Ammonites & Moabites non intrabunt Eccleſiam Domini in æternum.* hoc eſt, ad publicas in Eccleſia Iſraëlitica functiones obeundas non admittentur, etiamſi religionem Judaicam amplexi fuerint. Hanc Legem ubi audirent, omnem alienigenam ab Iſraël ſeparaverunt. *Nehem.* 13. *verſ.* 3. Quamvis enim hæc ſeparatio dura videbatur, & ſine gravi offenſione fieri non poterat, tamen hac non obſtante, Nehemias & populus normam Legis divinæ ſequentes voluntatem Dei impleverunt.

XLVII.

II. *Cubiculi Levitici in templo profanati reformatio. Eliaſib* ſummus Sacerdos affinitate ſibi junxerat Tobiam præfectum ethnicum, eique fecerat in templo cubiculum magnum (nempe ex pluribus aliquot contiguis, parietes intergerinos eximendo) quod ei inhabitandum conceſſerat. Cubiculum hoc antea erat ſacrum, h. e. ſacris uſibus deſtinatum. Levitæ namque prius in eo reponebant munera & thus, & vaſa ſacra, decimas frumenti, vini & olei, & partes Levitarum, cantorum & janitorum & oblationes Sacerdotum. *Nehem.* 13. *v.* 5. Hoc autem Tobias, connivente & adjuvante Eliaſib ſummo Sacerdote, in profanos uſus converterat, inque eo utenſilia ſua domeſtica repoſuerat. Hoc ubi cognovit Nehemias, vehementer ei diſplicuit, utenſilia Tobiæ inde ejecit, illud mundavit, & vaſa ſacra in illud reponi demandavit. *Nehem.* 13. *v.* 7, 8, 9.

XLVIII.

III. *Portionum Levitis debitarum reſtitutio.* In abſentia Nehemiæ populus quoque Iſraëliticus avaritia inductus, portiones Levitis ex Lege debitas non dedit. Qua occaſione illi impulſi in agros diſceſſerunt. Nehemias autem hæc cognita Antiſti-

tes

tes objurgavit, & Levitas in ſtatione ſua reſtituit, & populum ad dandas decimas illis ex lege debitas adegit. *Nehem.* 13. 10, 11, 12, 13.

XLIX.

IV. *Curatorum conſtitutio.* Præterea Nehemias quatuor fidos proventibus Levitarum præfecit curatores, qui portiones & decimas à populo exigerent, & Levitis juſto tempore traderent. *Nehem.* 13. 13.

PARÆNESIS.

Hinc diſcant omnes Eccleſiarum & Scholarum Antiſtites, ut Miniſtris Dei juſto tempore ſalarium ſuum perſolvant; ut illi, vigilantes pro animabus hominum, officium ſuum faciant cum gaudio, & non cum gemitu, *Hebr.* 13. 17. & ſic in ſtudio ſuo remiſſiores fiant, imo plane diſcedendi occaſionem inde ſumant: ut h. l. exemplum Levitarum oſtendit.

L.

V. *Profanationis Sabbathi abolitio.* Judæi in abſentia Nehemiæ variis modis Sabbathum profanaverant: 1. Torcularium calcatione. *v.* 15. 2. Onerum invectione. *v. eod.* 3. Victualium emtione. *v.* 16. Hunc autem abuſum Nehemias magno cum zelo abrogavit. Primo interdictione. *v.* 15, 21. Nam conteſtatus eſt Nehemias (hoc eſt, Deum teſtem invocavit) ſe talem profanationem in poſterum non paſſurum. Deinde: Cum inſpectoribus objurgatione. *v.* 17, 18. Tertio, portarum occluſione. *v.* 19. Quarto, Miniſtrorum ad portas conſtitutione. *v.* 20.

PARÆNESIS.

Ita quoque Magiſtratus pii dent operam, ne Sabbathum, quod in cultu divino eſt conſumendum, profanetur, omneſque occaſiones illud profanandi auferant; ne videlicet convivia nuptialia aut genethliaca in eo celebrentur, ſcholæ athleticæ aut nundinæ anniverſariæ inſtituantur, quin & profanatores ejus graviſſimis pœnis afficiant. Huc pertinet ſerium Dei mandatum, quod exſtat *Jerem.* 17. 24, 25, 26, 27. Si audieritis me, dicit Dominus, ut non inferatis onera per portas civitatis hujus in die Sabbathi, & ſi ſanctificaveritis diem Sabbathi, ne faciatis in eo omne opus, ingredientur per portas civitatis hujus Reges & Principes, ſedentes ſuper ſolium David, & aſcendentes in curribus & equis, ipſi & Principes eorum, viri Juda, & habitatores Jeruſalem: & habitabitur Civitas hæc in ſempiternum. Et venient de civitatibus Juda, & de circuitu Jeruſalem, & de terra Benjamin, & de campeſtribus, & de montanis, & ab Auſtro, portantes holocauſtum, & victimam, & ſacrificium, & thus, & inferent oblationem in domum Domini. Si autem non audieritis me, ut ſanctificetis diem Sabbathi, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Jeruſalem in die Sabbathi: ſuccendam ignem in portis ejus, & devorabit domos Jeruſalem, & non exſtinguetur.

LI.

VI. *Uxorum ethnicarum à viris Judaicis ſeparatio.* Poſtquam Nehemias cognovit, quoſdam Judæos ethnicas mulieres, nempe Azotidas, Ammonitidas & Moabitidas matrimonii vinculo ſibi copulaſſe, eorumque liberos Aſdodice & non Judaice loquentes audiret, graviter commotus eſt, cum Judæis iſtis contendit, eis maledixit, (h. e. ex juſto zelo eis mala imprecatus eſt) quoſdam eorum percuſſit, & quibuſdam crines evulſit: & juramento eos obſtrinxit, ne darent filias ſuas filiis eorum, neque acciperent de filiabus eorum filiis ſuis; & ab omnibus alienigenis eos mundavit. *Neh.* 13. *v.* 23, 24, 25, 26, 27. Nam Deus graviter in lege ſua prohibuerant, ne Iſraëlitæ commercio Ammonitarum & Moabitarum, tanquam populorum impiorum, uterentur, neque cum filiis eorum matrimonia contraherent. Idque eam ob cauſam, ne Iſraëlitæ per talia conjugia ad ethnicam impietatem pertraherentur.

LII.

VII. *Miniſterii ſacri conſtitutio.* Denique Nehemias ordines Sacerdotum & Levitarum conſtituit, unumquemque in ordine ſuo. *Nehem.* 13. *verſ.* 30.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

LIII.

EX actis Eccleſiaſticis in capite II enumeratis conſtat, Artaxerxem Longimanum magnum Eccleſiæ fuiſſe Patronum, qui Eſdram & Nehemiam in Judæam miſit, ut ille Dei cultum, hic vero urbem & Politiam conſtitueret: quodque in toto genere humano Monarcha erga Eccleſiam Dei munificentior alius non fuerit, ut vere *Philippus Melanchthon lib.* 2. *Chron. pag.* 134. de ipſo ſcribit. Cum autem 40 annos regnaſſet, mortuus eſt. *Diodorus Siculus.* A. M. 3547. ante C. N. 424.

Usus Mysticus.

In hac hiſtoria 6 veniunt conſideranda. 1. *Artaxerxes*, ſive *Ahaſverus*. 2. *Vaſthi*. 3. *Eſther*. 4. *Mardochæus*. 5. *Haman*. 6. *Sceptrum Ahaſveri*.

I. ARTAXERXES, ſive ACHASVERUS.

Artaxerxes Longimanus ſive *Ahaſverus eſt typus Dei Patris cœleſtis.*

1. *Ratione dominationis.* Nam ſicut [illegible] *Achaſverus* ſignificat *Magnum caput* aut *Regem*, ipſeque 127 provinciis dominabatur: *Eſther* 1. 1. Ita quoque Deus Pater eſt Rex magnus, qui poteſtatem habet in cœlo & in terra. Nam Domini eſt terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & qui habitant in eo. *Pſalm.* 24. 1. Ipſe inquit: Meus eſt orbis & plenitudo ejus. *Pſalm.* 50. 12.

2. *Ratione liberalis largitionis.* Sicut Achaſverus LONGIMANUS dicebatur & erat; quia liberaliter omnibus largiebatur: ita quoque Deus Pater habet manum ad benefaciendum omnibus hominibus longiſſimam & ampliſſimam. Unde Moſi, num Deus 600000 hominum carne cibare poſſet in deſerto, dubitanti, Deus reſpondebat: Num MANUS Domini CONTRACTA eſt? *Num.* 11. *v.* 22. Et *Jeſai.* 59. 1. inquit: Ecce non eſt ABBREVIATA MANUS Domini, ut ſalvare nequeat, h. e. ad benefaciendum, & ſalvandum, non habet manum contractam aut decurtatam, ſed longiſſimam atque ampliſſimam. Et *Pſalm.* 145. 15, 16. inquit David: Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illis in tempore opportuno. Aperis tu MANUM TUAM, & imples omne animal benedictione.

3. *Ratione habitationis.* Sicut Achaſverus habitabat in palatio Regio, cui nomen erat *Suſan*, quæ vox notat lilium vel roſam amœnam: ita quoque Deus Pater habitat in cœlo, quod eſt inſtar roſæ amœnæ amœnum atque jucundum. Nam ipſe implet lætitia vultum ſuum, & ſunt delectationes in dextera ejus in æternum. *Pſalm.* 16. 11.

II. VASTHI *Regina prior eſt typus mundi.*

1. *Ratione* ORTUS. Nam ſicut Vaſthi ab Ahaſvero Rege ad ſummum dignitatis & eminentiæ gradum eſt evecta, & Regina nuncupata: ita quoque impii & filii hujus ſeculi plerumque ad gubernacula rerum ſedent, & dignitate, authoritate, opibuſque abundant, & omnia ad votum nutumque eorum fluunt. Unde David *Pſalm.* 17. 14. de illis inquit: quod ſint viri hujus ſeculi, quod portio eorum ſit in hac vita, & Deus theſauris ſuis ventrem eorum impleat. Et *Pſalm.* 73. 12. ait: Ecce ipſi impii & abundantes in ſeculo poſſederunt divitias.

2. *Ratione* PROGRESSUS. Sicut enim Vaſthi valde voluptuoſa & faſtuoſa erat, inque ſplendore atque voluptate vivebat; (ſecundum nomen ſuum; Vaſthi enim potatricem ſignificat) quæ ad Regem per ſeptem eunuchos eam vocantes venire detrectabat: *Eſther.* 1. 12. Ita quoque mundus immundus ὅλος ἐν πονηρῷ κεῖται, h. e. totus in malo jacet. 1 *Joh.* 5. 19. Omne quod eſt in mundo, eſt concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & faſtus vitæ. 1 *Joh.* 2. 16. Ideoque impii Deum Regem cœleſtem ejuſque verbum ſpernunt atque contemnunt. Nam circumdat eos ſuperbia: operti ſunt violentia tanquam veſte, prominet præ pinguedine oculus eorum, gradiuntur ſecundum cogitationes cordis ſui, deridet, & malitiam de excelſo loquuntur. Ponunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſit in terra, ſicut graphice eos depingit Aſaphus. *Pſalm.* 73. 6, 7, 8, 9.

Orbis hic nihil eſt aliud, quam publica ſcelerum officina, in qua vel Lycurgus ad malitiam commoveri poſſe videatur.

Pulchre *Ovvenus* in Epigrammatis:

In mundo nil conſtat, in orbem vertitur Orbis,
Quid mirum? Recti quod ſit in Orbe nihil?

3. *Ratione* EGRESSUS. Sicut Regina Vaſthi ob faſtum atque ſuperbiam ſuam, quod Regis ſui mandatum contemſit, repudiata & de ſolio deturbata eſt: *Eſther* 1. 19. Ita quoque omnes impii & filii hujus ſeculi ob faſtum atque ſuperbiam ex regno Dei ejiciuntur, juxta illud Adagium: Omnis qui ſe extollit, humiliabitur, non ſolum in hoc, ſed etiam in futuro ſeculo. *Luc.* 14. 11. *& cap.* 18. *v.* 14. Et oſtium vitæ æternæ eſt Chriſtus. *Joh.* 10. *v.* 7. Chriſtus autem eſt humilis. *Matth.* 11. 29. Ergo qui per oſtium hoc in vitam æternam ingredi cupit, illum humiliare ſe oportet. In quam ſententiam pulchre *D. Auguſtinus Tractat.* 45. *in Johan.* inquit: *Humilis eſt janua Chriſtus Dominus: qui intrat per hanc januam, oportet humiliet ſe, ut ſano capite poſſit intrare. Qui autem ſe non humiliat, ſed extollit, per maceriam vult aſcendere. Qui autem per maceriam aſcendit, ideo exaltatur, ut cadat.* Exemplum habemus in lucifero, de quo dicitur in Epiſtola Judæ, *v.* 6. quod principatum ſuum non ſervaverit, & domicilium ſuum reliquerit.

III. ESTHER *Regina posterior est typus Ecclesiæ.*

1. *Ratione* ORTUS, h. e. *Orbitatis.* Sicut Esther erat puella paupercula, & utroque parente orbata: *Esther* 2. 7. Ita quoque Ecclesia in hoc mundo est vidua, h. e. patre atque matre, id est, summis amicis atque patronis in hoc mundo potentibus atque faventibus est viduata: sicut David conqueritur, *Psalm.* 27. 10. Pater & mater dereliquerunt me. Unde Ecclesia dicitur *vidua*, *Jesai.* 54. 4. *mulier derelicta & mœsta. ibid. v.* 11. Et pii, viduæ atque orphani. *Psalm.* 68. *v.* 5. Similiter Discipuli Christi orphani dicuntur. *Joh.* 14. *vers.* 17.

11. *Ratione* PROGRESSUS, idque triplici respectu.

Primo: Respectu PIETATIS, CASTITATIS & VENUSTATIS. Sicut Esther pia, casta, atque formosa erat: (Nam Esther idem significat atque עלמה *Alama*, h. e. abscondita. Quia pie & caste vivebat, atque ab omni pravo consortio sese segregabat & abscondebat. *Esther* 2. 7.) Ita quoque Ecclesia pietati & castitati studet, à mundi consortio se abscondit, & soli Christo sponso suo adhæret, juxta illud *Psalm.* 73. 28. Mihi adhærere Deo bonum est.

Secundo: Respectu PROTECTIONIS. Sicut Esther, licet pupilla quidem esset, & utroque parente orbata, tamen tutorem habebat Mardochæum, sub cujus patrocinio vivebat: *Esther* 2. *v.* 7. Ita etiam Ecclesia in hoc mundo licet vidua sit atque virgo derelicta, mœsta atque afflicta, tamen Christum sponsum habet, sub cujus umbra in pace requiescit; sicut ipse ait ad discipulos suos: *Johan.* 17. 33. In me pacem habetis, in mundo afflictionem habebitis; sed bono animo sitis, ego vici mundum. Et David *Psalm.* 27. 10. ait: pater meus & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem προσελάβετό με, assumsit me. Ipse namque est orphano adjutor. *Psalm.* 10. *vers.* 14, 18. Ipse est pater orphanorum, & Judex viduarum. *Psalm.* 68. 5.

Tertio: *Ratione* EXORNATIONIS. Sicut Mardochæus Estherem, quam adoptaverat in filiam, vestiebat atque exornabat: *Esther* 2. 7. Ita quoque Christus Ecclesiam suam, velut Estherem filiam suam dilectam, induit vestimentis salutis atque justitiæ. *Jesai. c.* 61. Hinc David *Psalm.* 45. *v.* 10. tanquam spirituali Epithalamio de Ecclesiæ ornatu magnifice alloquitur Christum sponsum hisce verbis: Filiæ Regum in preciositatibus tuis: Adstat Regina à dextris tuis in vestitu de aurato. Et *Apoc.* 12. 1. Ecclesiæ dicitur mulier amicta sole, h. e. Christo, qui est sol justitiæ. *Malach. c.* 4. Quia Christum in Baptismo velut vestem nuptialem per fidem induit. *Gal.* 3. 27.

111. *Ratione* EGRESSUS. Sicut Esther à Mardochæo tutore & velut patre suo tandem in Regiam introducta, & ab Achasvero corona Regni donata & Regina facta est: *Esther* 2. 17. Ita etiam Ecclesia tandem in cœlestem Susan, h. e. in cœlum à Christo sponso suo introducetur, & corona vitæ coronabitur. Hinc Ecclesia dicitur REGINA. *Psalm.* 45. 10. Et FILIA REGIS, *v.* 14. Omnis gloria filiæ Regis ab intus: vestimentum ejus fimbriis aureis. *v.* 15. Acu pictis vestibus adducetur Regi: Virgines post eam, amicæ ejus, adducentur tibi. *v.* 16. Adducentur in lætitia, & exsultatione ingredientur in palatium Regis.

IV. MARDOCHÆUS *est typus Christi.*

1. *Ratione* ORIGINIS. Sicut Mardochæus fuit filius *Jair*, *Esther* 2. 5. quæ vox significat *Dei lumen*: Ita quoque Christus Jesus secundum Deitatem est filius Dei viventis, Lux vera. *Joh.* 1. ἀπαύγασμα δόξης, h. e. *Splendor gloriæ. Hebr.* 1. *v.* 3. Δόξα est lux copiosa. 2 *Cor.* 3. 7. Et *Exod.* 34. *v.* 30. ἀφὶ δόξης vultus Mosis legitur. Et *Luc.* 2. *v.* 9. dicitur: Δόξα Domini circumfulsit Pastores. Ἀπαύγασμα vero est refulgentia ex illa luce. Quia ἀπαύγασμα significat fulgorem vel splendorem. Et *Sapient.* 7. 25. dicitur ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου, splendor æternæ lucis, Similiter in Symbolo Niceno dicitur: *lumen de lumine.* Credimus in Jesum Christum, *&c.* Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.

11. *Ratione* EXINANITIONIS. Mardochæus significat amarum, contritum vel myrrham contritam. Habuit ille nomen & omen, juxta illud vulgatum:

Conveniunt rebus nomina sæpe suis.

Nam revera Mardochæus fuit Mardochæus, h. e. amaritudine plenus atque contritus, quando cognovit, Regem Ahasverum instinctu Hamanis literas sanguinarias sigillo regio obsignatas per totum regnum promulgasse, de omnibus Judæis in toto regno interficiendis. Tunc enim ipse & Esther, omnesque Judæi & virgines atque ancillæ Estheris, tribus diebus & noctibus non comedebant, sed in sacco & cinere lugebant. *Esther.* 4. 16. Ita etiam Christus cœlestis ille Mardochæus fuit איש מכאובות *vir dolorum, Jesaiæ* 53. 3. Ipse in *ara terrea*, h. e. in horto cœpit λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, h. e. ingenti affici dolore atque mœstitudine, *Matth.* 27. 37.

Hæc-

γενέσθαι ὡσεὶ ἐν ἀγωνίᾳ, h. e. tali correptus eſt dolore, ut ſudor ejus velut θρόμβοι αἵματος, h. e. grumi ſanguinis in terram decurrerent, *Luc.* 22. 44. & ipſe præ mœrore atque dolore clamaret: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. *Matth.* 27. 38. Ipſe in *ara lapidea*, h. e. in prætorio à Pilato & miniſtris ejus deriſui corona ſpinea coronatus, pallio purpureo indutus, per ludibrium cum genu flexione Rex ſalutatus, conſputus & bacillis graviter percuſſus eſt. *Marc.* 14. 65. Ipſe denique *in ara lignea*, h. e. in cruce longe plurima & maxime horribilia paſſus eſt, manus pedeſque ejus ferreis clavis truci affixi, latus lanceâ tranſfixum, omniaque membra maximo cum dolore in cruce ſunt extenſa. Unde ipſe Chriſtus in *Pſalm.* 22. 15, 16, 17. conqueritur: Sicut aqua effuſus ſum, & diſſipata ſunt omnia oſſa mea. Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei. Exaruit tanquam teſta virtus mea: lingua mea adhæſit faucibus meis: in pulvere mortis me collocas. Verum ſic voluit Deus Pater Chriſtum Filium ſuum CONTERERE propter peccata noſtra, eumque vulnerare, ut nos pacem haberemus. *Jeſaiæ cap.* 53. *v.* 4, 5, 10.

III. *Ratione* EXALTATIONIS. Sicut denique Mardochæi luctus triduanus in lætitiam, & ipſius miſeria in gloriam eſt mutatus: Nam Deus Ahaſveri Regis animum pro admirabili ſua providentia direxit, ut gentem Judaicam proſcriptam & damnatam liberaret, & Hamanem perfidum cruci affigendum mandaret. *Eſther.* 7. 10. Ita etiam Chriſtus tertia die à mortuis reſurrexit, ſummo cum tripudio omnium piorum, & gloria & honore ab Ahaſvero cœleſti coronatus. *Pſalm.* 8. 5. *Hebr.* 2. 9. & cœleſti luce velut veſte amictus in cœlos adſcendit, & ad dextram Dei collocatus, σύνθρονος Deo Patri factus, cum eo regnat in æquali majeſtate & gloria, & omnes pii atque electi cum eo feſtum *Purim* celebrabunt, h. e. in delectatione & lætitia regnabunt in omnem æternitatem.

V. HAMAN *eſt typus diaboli.*

I. *Ratione* ORTUS. Sicut enim Haman in aula Ahaſveri fuit valde honoratus, & ſuper omnes Principes exaltatus, fuit in toto Regno Abrech, hoc eſt, Pater patriæ & Prorex: *Eſther.* 3. 1. Ita quoque diabolus initio Angelus bonus atque formoſus à Deo creatus fuit, perfecta ſapientia, veritate atque bonitate fulgens. Habuit namque τὸν ἴδιον τῆς ἀρχῆς καὶ τὸ ἴδιον οἰκητήριον, h. e. ſuum principatum & proprium domicilium. *Epiſtola Judæ verſ.* 6.

II. *Ratione* PROGRESSUS. Sicut enim Haman fuit valde faſtuoſus atque ſuperbus, atque ab omnibus regni incolis, uti etiam à Mardochæo, adorari voluit: *Eſther.* 3. 2, 3. Ita quoque diabolus eſt ſpiritus ſuperbiæ, qui ab ipſo Dei Filio in monte excelſo, in quo omnia Regna mundi & gloriam eorum ipſi monſtravit, adorari voluit. *Matth.* 4. 9. Et ſicut Haman Mardochæo omnibuſque Judæis inſidiatus eſt, atque ſanguinarium à Rege Ahaſvero decretum per fraudulentiam extorſit de omnibus Judæis in toto Regno exſcindendis: *Eſther.* 4. 8, 13. (Quod cum nomine ipſius congruebat. Nam Haman idem eſt atque tumultuator vel conturbator.) Ita quoque diabolus ſerpens ille antiquus inſidiatus eſt calcaneo Chriſti omniumque Chriſtianorum, & cruentam cum illis gerit pugnam, quæ uſque ad finem mundi durabit. *Apocal.* 12. 7, 12, 15. Et velut leo rugiens noctes dieſque obambulat, quærens omnes pios devorare. 1 *Petr.* 5.

III. *Ratione* EGRESSUS. Sicut Haman tandem confuſus, & in patibulo, quod Mardochæo paraverat, ipſe funibus ligatus & ſuſpenſus periit: *Eſther.* 7. 3. Ita quoque diabolus, poſtquam Chriſtum, in calcaneo vulneratum, in crucem proditore Juda Iſchariothe *Joh.* 13. adegit, ipſe deſtructus periit, juxta dictum *Hebr.* 2. 14. Chriſtus per mortem ſuam τὸν κράτος, h. e. deſtruxit eum, qui mortis habebat imperium, h. e. diabolum. Et catenis noctis detractus in tartarum in judicium magni diei reſervatur. 2 *Petr.* 2. 4. Epiſtola *Judæ v.* 4. Interim dum infernalis ille Haman ad nos deſcendens, iram magnam habet, hoc eſt, horribiliter hiſce in terris ante finem mundi graſſatur, oportet Eſthejem, h. e. ſanctam Chriſti Eccleſiam diligenter orare: tum cœleſtis Ahaſverus, h. e. Deus pater, ſceptrum ei aureum porriget: eâque in gratiam receptâ, non ſecundum merita ejus, ſed ſecundum gratiam & miſericordiam ſuam, cum illa aget. *Pſalm.* 103.

VI. SCEPTRUM *Ahaſveri eſt typus Evangelii.*

Sicut enim ſceptrum Regis Ahaſveri aureum fuit ſignum atque medium gratiæ regiæ: Nam ſtatutum hoc erat in regno Ahaſveri, apud omnes Regnicolas pervulgatum, ut ſi vel vir, vel mulier, non vocatus à Rege interius atrium Regis intraret, juxta ſtatutum interficeretur: cui vero Rex aureum ſceptrum porrigeret, ille in vita conſervaretur: *Eſther.* 4. 11. Ita etiam Evangelium eſt SCEPTRUM POTENTIÆ DIVINÆ, *Pſalm.* 110. 2. quod Dominus emiſit è Sion in totum orbem terrarum.

Nam

Nam hoc eſt vivum atque efficax potentiæ divinæ non tantum ſignum, ſed etiam organum, per quod Chriſtus cum omnibus ſuis beneficiis ad nos venit, & manſionem apud nos facit. *Joh.* 14. 13. Per hoc venit ad nos cum regno ſuo gratiæ, illudque in cordibus credentium adminiſtrat. Nam Evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. *Rom.* 1. *v.* 16. h. e. potens Dei organum ſalvandi credentes. Præterea Sceptrum Ahaſveri aureum, erat ſignum atque medium gratiæ & clementiæ regiæ, non *quovis modo*, ſed *certo modo*, h. e. *in uſu ſuo legitimo* conſideratum. (Nam Sceptrum illud etſi ex auro fabrefactum erat, tamen per ſe & abſque uſu, nempe vel ciſtæ incluſum, vel menſæ impoſitum, nemini vel millies intranti gratiæ regiæ ſignum erat, & nemini vitæ ſalutem afferebat, ſed quando in USU SUO LEGITIMO erat, h. e. quando Regis manu apprehenſum intranti *porrigebatur*, & *ab intrantis manu tangebatur*, tum intranti ſignum atque medium clementiæ erat, ne à ſatellitibus Regiis interficeretur. *Eſther.* 4. 11. *Exemplum* illuſtre habemus in *Regina Eſther*. Hæc die tertio poſt luctum veſtibus regalibus induta, in atrio domus Regiæ interiori ſtabat contra baſilicam Regis: Et Rex in ſolio Regio in domo ſua Regia verſus oſtium ſedebat: Cumque vidiſſet Reginam Eſtherem in atrio ſtantem, invenit gratiam in oculis ejus, & EXTENDIT AD EAM SCEPTRUM, quod MANU tenebat AUREUM. Quæ accedens TETIGIT ſummitatem SCEPTRI ejus. Dixitque ad eam Rex: *Quid vis, Eſther Regina? Quæ eſt petitio tua?* Etiamſi dimidiam Regni partem petieris, dabitur tibi. *Eſther.* 5. 1, 2, 3.) Ita etiam Evangelium eſt organum ſalutis atque vitæ æternæ, non quatenus ſyllabis & literis conſignatum in charta aut volumine continetur, aut voce humana recitatur *extra proprium, verum & legitimum uſum ſuum*. Etſi enim Evangelium idcirco literis conſignatum eſt, ut ex iis tanquam ex penu, ſuo tempore ad ſuum uſum depromatur; tamen *per ſe extra ſuum officium*, nec eſt triſte, nec jucundum, nec occidit, nec vivificat: ſed quando Evangelium eſt IN USU SUO PROPRIO, VERO, atque LEGITIMO ET ORDINARIO, ad quem divinitus eſt inſtitutum, h. e. quando à Miniſtro Eccleſiæ annunciatur, & à credentibus recipitur, & manu fidei tangitur, tum demùm eſt organum ſalutis. Nam *Evangelium & Scriptura non proſunt ex opere operato, ſed neceſſum eſt ut fide miſceantur auditoribus*. Hinc *D. Paulus Rom.* 1. 16. ait, quod Evangelium ſit potentia Dei, h. e. potens Dei organum ad *ſalutem omni credenti*. Non dicit nude & crude, quod Evangelium ſit *potentia Dei* ad ſalutem; ſed addit: OMNI CREDENTI. Et contra de Iſraëlitis inquit Apoſtolus; *Hebr.* 4. 2. quod auditus ſermonis illis non profuerit, μὴ συγκεκερασμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασιν, h. e. quod non eſſet CUM FIDE MIXTUS, aut CUM FIDE CONJUNCTUS, iis, qui audierant. Unde patet quod Evangelium ſit δύναμις τοῦ Θεοῦ σωτηρίας, h. e. *potentia Dei ad ſalvandum*, non quando conſideratur IN SENSU ABSOLUTO, h. e. in ſe & per ſe ABSQUE USU, neque etiam IN USU ALIENO & ILLEGITIMO, ſed in USU PROPRIO, VERO & LEGITIMO, ad quem à Deo eſt deſtinatum.

ANTITHESIS.

Hinc patet, ſuperſtitioſum & juſta reprehenſione dignum eſſe, quod homines in Papatu primum caput *Johannis* Evangeliſtæ minutiſſimis literarum apicibus deſcribant, atque è collo ſuſpenſum geſtent: eique mirificam quandam vim & virtutem alexicacam dæmones fugandi & morbos ſanandi tribuant: Sicut hac de re ſcribit *Salmeron tom.* 4. *commentar. pag.* 614. Conſuetudo eſt, inquit, Chriſtianis, geſtare appenſum è collo Evangelium, aut alias res ſacras ſive reliquias. Nec error eſt, ſi ex reverentia Sanctorum deferantur, cum ſpe, quod forte Deus miſerebitur. Hinc legimus in *B. Cæciliæ* laude, Codicem Evangelicum ſemper eam in ſinu geſtaſſe, & *Conſtatinum* Imperatorem Chriſti clavum diademate circumtuliſſe.

Verum hic ſuperſtitioſus Papiſtarum ritus cum fine Evangelii revelati pugnat. Etenim Deus ter *Opt. Max.* non eo fine verbum ſuum nobis revelavit, ut ad morbos corporales pellendos characteribus ejus utamur, ſive potius abutamur: ſed ut ex eo ad vitam æternam atque animarum ſalutem inſtruamur. *Rom.* 1. 10.

MONARCHA VI.
DARIUS NOTHUS.

CAPUT I.
DE ORTU.

I.

1. *Generatio & Appellatio.* DARIUS cognomento NOTHUS, fuit VI. Rex Perſarum, filius Artaxerxis Longimani; ſed non ex legitimo matrimonio, verum è Coſmartidine Babylonia pellice ſuſceptus. Unde NOTHI cognomentum accepit.

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

I. ACTA OECONOMICA.

II.

2. UXOR ejus fuit PARYSATIS. De hac duplex eſt Hiſtoricorum ſententia.

I. *Philippus Melanchthon l. 2. p. 137.* & *Sleidanus* putant eam fuiſſe ſororem Artaxerxis Longimani: ac proinde Darium Nothum ejus fuiſſe ſororium.

II. *Plutarchus* vero in Artaxerxe ſcribit, eam fuiſſe filiam Artaxerxis Longim. & fratri ſuo inceſto connubio junctam. Quem inceſtum Deus in poſteritate horribiliter punivit.

III.

Hæc *Paryſatis* mirabilis plane atque crudelis femina fuit. Nam STATIRAM conjugem Artaxerxis Mnemonis filii ſui (quam *Plutarch. in Artax. p. 1012. γυναῖκα καλὴν καὶ ἀγαθὴν*, h. e. feminam elegantem & probam vocat) quamque Artaxerxes ardenti amore complectebatur, variis modis oppugnatam, toxico necavit: & CARINAtque MITHRIDATEM, qui Cyri filium in bello interfecerant, & MESABATEN, eunuchum, qui caput ei occiſo atque dextram amputaverat, inaudito ſuppliciorum genere excarnificavit; uti in *Hiſtor. Artaxerx. Mnemon.* §. 28, 29, 30. plenius dicturi ſumus.

IV.

Apophthegma Paryſatidis hoc fuit. Jubebat illa *τὸν Βασιλεῖ μέλλοντα μὴ παῤῥησίας ἀφαιρεῖσθαι ζυσσίνοις χρῆσθαι ῥήμασι*. h. e. *Eum qui Regem admonituru eſſet, byſſinis uti verbis. Plutarch. Apophthegm. Imperat. pag. 324.* ÆSOPUS eandem ſententiam propriis verbis eleganti Paronomaſia ſic exprimit: *τοῖς Βασιλεῦσι δεῖ ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἡδίστα, ὁμιλεῖν.* hoc eſt, *Regibus converſandum eſſe, vel quam pauciſſime, vel quam jucundiſſime. Plutarch. in vita Solonis.*

V.

II. Quidam Hiſtorici tradunt, hunc Darium habuiſſe etiam vel conjugem, vel concubinam formoſiſſimam, quam adeo ardenter dilexit, ut mortuam in vitam revocari eam optaverit. Hiſtoria hæc reperitur in *Epiſtola Juliani Apoſtatæ* ad Amerium, quæ in volumine Epiſtolarum Græcarum extat, & ad hunc Darium referri ſolet, verba hæc ſunt. Cum Democritus Aderita Philoſophus aliquando è peregrinatione ſua longinqua tandem etiam accederet ad *Darium* tum dolentem obitum conjugis ſive concubinæ cujuſdam ſuæ formoſiſſimæ, ut ad conſolandum Regem aliquid diceret, promiſit redditurum vita defunctam, ſi neceſſaria ad illam ſibi rem ſuppeditaret. Rex lætatus, cum petere juberet, quæ vellet, juſſit ſibi dari tria nomina aliquorum hominum, qui per omnem vitam ſine luctu & adverſa fortuna vixiſſent, quæ inſcriberet monumento conjugis. Id vero cum ſe præſtare non poſſe affirmaret, reſpondet *Democritus*, inſipienter itaque facere, cum ipſe fortunam poſtularet ſingularem, & communem omnibus recuſaret.

PARÆNESIS.

Stultum *Darii* votum fuit, quod concubinam ſuam denatam in vitam revocari à *Democrito* Philoſopho petiit. Nam communis omnium hominum ſors eſt MORI, juxta illud: Statutum eſt hominibus ut ſemel moriantur. *Hebr. 9. 27.* Deus namque redigit homines in nihilum, h. e. in cinerem, *Pſalm. 90. 3.* juxta Dei ſententiam in Paradiſo promulgatam. *Geneſ. 3. 17.* Quocunque die comederis de arbore vetita, morte morieris, h. e. mortalis eris; & ſingulis diebus mortem exſpectabis. *Theodoret.* Quare nemo communem hominum ſortem recuſare & propriam deſiderare debet; ſicut *Democritus* Darium recte monuit. Et *Terentius* Gentilis graphice ait: Homo ſum, humani à me nihil alienum puto.

VI.

III. LIBERI. Darius ex Paryſatide quaternos ſuſcepit liberos, nempe, *Arſicam*, (qui poſtea Artaxerxes tranſnominatus, & cognomento Mnemon dictus eſt) *Cyrum*, (qui à Cyro majore Cyrus appellatus eſt) *Oſtanem*, & *Oxathrem*.

II. ACTA POLITICA.

VII.

I. REGNI OCCUPATIO. Poſtquam pater Darii Nothi Artaxerxes Longimanus diem ſuum obiiſſet, XERXES II. Regnum ſuſcepit, ſed eum, crapulam edormientem, frater ejus SOGDIANUS interfecit, poſtquam unum annum regnaſſet, uti *Diodorus Siculus* ſcribit, & fratri interfecto in Regno ſucceſſit. Sed & ipſi dolo atque parricidio quæſitum imperium paucos dies ſtetit, cum multa ageret tyrannice, Bagoraſum præcipui nominis eunuchum cæde injuſta tolleret, & DARIO fratri occul-

occultis insidiis exitium minaretur. Nam Darius sub patre Artaxerxe Longimano Hyrcanorum Satrapiam regebat, quam à Xerxe retinere permissus, à Sogdiano insidiose evocabatur. Quod periculum ille mature olfaciens, jussa illius detrectat, arma contra Regem capit, & adjutus promto omnium studio, Regem dolo in potestatem redactum regno & vita spoliat. Nam juxta morem Persicum, eum in cineres dejici mandavit, postquam sex aut septem menses regnasset. *Diodorus Siculus lib.* 12. *Pausan. Ctesias Cnidius lib.* 18. *Eusebius*, *Cedrenus.* Ita Darius, suis copiis Principumque auxiliis fultus, ad Regnum perducitur, aliena magis voluntate, quam sua, atque regium DARII nomen assumsit. Nam antea OCHUS dictus fuit.

Factum hoc est anno { 3548 ab orbe condito. / 9 Belli Peloponnesiaci. / 423 ante Christi nativitatem.

VIII.

II. REGNI ADMINITRATIO. Nova defectione Ægyptum amisit. Medos & Persas tertio rebellare ausos gemina expeditione compescuit, urbes, quas majores ejus per Asiam possederant, universas recepit. Invitavit ad se magnis propositis muneribus POLYDAMANTEM. De cujus incredibili robore *Suidas* in voce Πολυδάμας, & *Pausanias lib.* 6. scribunt, quod tantarum virium fuerit, ut currum, incitante equos auriga, detinere posset. Periit obrutus spelunceæ ruina, quam labascentem se solum manibus sustinere crediderat. *Pausanias in Eliacis* 2. Darius etiam edoctus de Cyri filii in Autobisacem & Mitræum sævitia, cum eo nomine domum revocatum puniturus esset, ante adventum ejus è vita decessit. *Thucydides*, *Diodorus Siculus*, *Justinus. Xenophon.* Moriturus Arsicam tanquam Primogenitum Regni successorem constituit, licet mater Parysatis Cyrum juniorem ad regnum promovere niteretur; verum non adduxit eum tamen in sententiam suam, sed ætate prior est Rex designatus, & ARTAXERXES TRANSNOMINATUS. Cyrus vero Ioniæ atque Lydiæ Dux constitutus est. *Plutarch. Artaxerx.* Verum Cyrus, sorte sua haud contentus, fratri Regi bellum intulit, in eoque victus & occisus; sicut postea in historia Artaxerxis Mnemonis plenius dicturi sumus.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

IX.

Sulpitius Severus lib. 2. *Historia sacra*, *Joseph. Scalig. l.* 6. *de emendatione tempor. cap. de hebdomadib. Danielis*, & *Seth. Calvis. in Prefatione Chronolog. sua pag.* 152. putant, hunc Darium esse illum, cujus fit mentio *Esdr. cap.* 6. & *Zachar. cap.* 1. & 7. Et *Aggei cap.* 1. & 2. Quibus in locis habetur, quod fabrica templi secundi anno regni ejus secundo sit repetita, & anno Regni ejus sexto absoluta. Verum opinio eorum in accuratiori examine subsistere non potest; uti in Historia Darii Hystaspis §. XXVII. firmissimis rationibus demonstratum est.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

X.

Darius Nothus regnavit annos { 8 / 60 / 19 } juxta { *Clementem.* / *Philostratum lib.* 1. *de vita Appollonii.* / *Thucydidem*, *Diodorum Sicul. Eusebium*, *Bedam*, *Scaliger. in cap. de excessu Artaxerxis Longimani*, & *initio Darii Nothi.*

Quæ sententia postrema omnium est verissima. Sic incidit mors ejus in A. M. 3567. ante C. N. 404.

MONARCHA VII.
ARTAXERXES MNEMON.

CAPUT I.

DE ORTV.

I.

I. GENERATIO. ARTAXERXES MNEMON fuit Artaxerxis I. cognomento Longimani ex filia nepos, Darii Nothi filius. Nam Darii & Parysatidis filii quatuor fuere. Maximus stirpis *Artaxerxes*, ab hoc *Cyrus*, minores his, *Ostanes* & *Oxathres.* Mater ejus Parysatis supra modum crudelis & mirabilis femina fuit; ut postea dicemus.

II.

II. APPELLATIO. Primo *Nomen* ejus *proprium* fuit ARSICAS, quamvis *Darsem* ferat nuncupatum *Dinon. Plutarchus Artaxerxe tom.* 1. *pag.* 1012.

Deinde *cognomen* ejus fuit ARTAXERXES MNEMON. Ἀρταξέρξης Μνήμων. ARTAXERXES ob excelsam avi virtutem: & MNEMON vel MEMOR, ob excellentem memoriam dictus est. Huc elegans locus referri potest ex *Plutarcho*

in Artax. p. 1012. ubi ſcribit, quod hic *Arſicas* à patre ſuo Dario Rex deſignatus, ἢ Ἀρταξέρξης μετονομασθείς, h. e. ARTAXERXES TRANSNOMINATUS ſit.

USUS.

Hic locus Plutarchi diligenter eſt notandus, & *Joſepho Scaligero* ejuſque aſtipulatoribus opponendus, qui ſtatuunt, quod nomen *Artaxerxes* tantum ſit nomen proprium, & nunquam appellativum: ut evincere queant, *Eſdr.* 4. *v.* 6. & 7. per *Achaſverum* Xerxem, & per *Artaxerxem*, intelligendum eſſe *Artaxerxem Longimanum*; cum tamen ibi ſint nomina appellativa, & per *Achaſverum* Cambyſes, per *Artaxerxen* vero Cambyſis frater Smerdis, juxta alios Pſeudo-Smerdis Magus intelligendus ſit. Nam diſerte *Plutarchus* author ille graviſſimus in citato loco hunc VII. Perſarum Monarcham proprio nomine *Arſicam*, cognomine vero *Artaxerxem* appellat, quando dicit, quod ad Regnum evectus, ARTAXERXES μετονομασθείς, h. e. TRANSNOMINATUS ſit.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

1. *ACTA OECONOMICA.*

III.

1. Πολυγαμία. *Artaxerxes Mnemon* plurimas tum *uxores*, tum *concubinas* habuit.

IV.

UXORES habuit tres: { 1. *Statiram.* 2. *Atoſſam* 3. *Ameſtrin* } *filias ſuas.*

V.

Primo, STATIRA à ſocru ſua Paryſatide veneno interfecta eſt. Occaſio hujus rei hæc fuit. *Paryſatis* Cyrum filium juniorem majori, quam Artaxerxem, amore eſt complexa: Ideoque nihil magis in votis habuit, quam ut ille, hoc neglecto, ad Regnum promoveretur, & in inſidiis fratris Regi ſtructis deprehenſum, ideoque extremo ſupplicio deſtinatum, intercеſſione ſua, illum conſervavit: cumque Cyrus adverſus fratrem, diſſimulato belli apparatu, novas res moliretur, illa conſtanter eum adverſus omnes delationes defendit, donec tandem res in nervum erumperet, & per Tiſſaphernem Ducem occulta Cyri conſilia Artaxerxi innoteſcerent; ibi magna inter Paryſatidem & Statiram orta eſt contentio. *Statira* (ut fert mos femineus) omnem hujus bellici tumultus cauſam Paryſatidi imputavit: Paryſatis contra ſe defendit ferociter. Qua ex re graviſſima accenſa indignatione, vitæ ejus inſidias ſtruxit. Cum enim amicitia redintegrata rurſus convenire atque una cœnare cœpiſſent: magna tamen cum cautione iiſdem cibis, iiſdemque ciborum miniſtris utebantur. Naſcitur autem apud Perſas avicula, cui nomen Rhyntaces, quæ omni caret excremento, habetque inteſtina omnia adipe referta. Ideoque etiam vento & rore ali creditur. Hanc, *Cteſias* ait, cultello, quem altero latere illeverat toxico, diſſecuiſſe Paryſatidem, atque infeciſſe alteram partem veneno, partem puram & ſinceram ſibi retinuiſſe, illam vero quæ veneno infecta erat, Statiræ porrexiſſe. Hinc mortua eſt Statira inter maximos cruciatus & convulſiones corporis, & cum ipſa inſidias olfecit, tum etiam in Rege ſuſpicionem materni ſceleris excitavit, dirum & implacabile matris ingenium non ignorante. *Plutarchus Artax. pag.* 1020, 1021. Simili fere modo paucos ante annos Sixtus V. Pontifex Rom. periiſſe fertur.

VI.

Secundo, erga ATOSSAM quoque filiam ſuam amore inceſto exarſit; quem mater ejus Paryſatis callida illa femina, quæ omnes ſuas actiones ad nutum arbitriumque Regis componebat, magis magiſque accendit, & ut in proverbio dicitur, oleum igni addidit. Poſtquam enim illa ex indubiis ſignis animadvertit, Artaxerxem filiam ſuam perdite amare, & tamen amorem hunc occultare: quia contra patrias Leges erat, filiam uxorem ducere, illa formam moreſque ejus crebro apud Regem collaudavit, eumque inſtigavit, ut eam in uxorem duceret, legibus & inſtitutis Græcorum valere juſſis. Quoniam Rex Perſarum tanquam viva Lex honeſti inhoneſtique norma à Deo datus ſit. *Plutarch. Artax. p.* 1023.

VII.

Tertio, AMESTRIS (vel *Amaſtris*) initio TIRIBAZO deſponſata, ſed eo ob mores inſanos abdicato, nefario conjugio patri jungebatur.

ERROR.

Errant igitur illi qui ſtatuunt, quod hic Artaxerxes Mnemon fuerit maritus Eſther. Nam *Plutarchus* in Artaxerxe, in quo Artaxerxis Mnemonis vitam diligenter deſcripſit, narrat, Artaxerxem hunc tres conjuges habuiſſe, nempe Statiram, Atoſſam & Ameſtrin. Sed nulla harum eſſe poteſt vel Vaſthi, vel Eſther, quæ uxores Ahaſveri fuerunt, cujus in libro Eſther fit mentio. Nam

1. VA-

1. VASTHI ab Ahaſvero repudiata fuit. *Eſther cap.* 1. *v.* 19. STATIRA autem repudiata non fuit, ſed à matre ejus Paryſatide veneno neeata, dum adhuc Regina eſſet; & quidem cum ingenti Regis dolore. Similiter ATOSSA nunquam repudiata fuit, ſed cum Artaxerxe uſque ad mortem ejus vixit. Idem quoque de AMESTRI dici non poteſt.

2. ESTHER Regina Ebræa erat genere, & ab Ahaſvero ſive Artaxerxe anno ſeptimo Regni ejus in thalamum regium aſſumta. *Eſther c.* 2. *verſ.* 17.

At neque ATOSSA, neque AMESTRIS Ebrææ, ſed Perſicæ feminæ, & quidem ipſius Artaxerxis filiæ erant. STATIRA vero non anno ſeptimo Regni Artaxerxis matrimonio eſt juncta, ſed antequam regnare inciperet Artaxerxes, ab eo ducta fuerat. *Plutarch. in Artax.*

Unde patet, Artaxerxen Mnemonem non eſſe maritum Eſther. Plura vide *in Hiſtoria Hyſtaſp.* §. 24.

VIII.

CONCUBINAS Artaxerxes habuit 360; uti *Plutarchus in Artax. pag.* 1025. ſcribit. Sed inter haſce omnes ASPASIA forma & prudentia eminebat, ideoque ſola nomine ſuo exprimitur. Hæc antea Cyri junioris concubina fuit; ſed eo interemto, in torum Artaxerxis tranſiit, &, ut poſtea dicemus, infelici forma ſua regiam domum graviter afflixit. Vide *Plutarchum Artaxerx. pag.* 1025. *Elianum lib.* 12. *cap.* 1.

IX.

11. Πολυτεκνία. Artaxerxes plurimos habuit liberos.

- *Maſculi*
  - *Legitimi* erant tres; uti Plutarchus in Artax. ſcribit.
    1. DARIUS. Hic quia primogenitus erat, à patre Artaxerxe 50 ætatis ſuæ anno honoratur, & cidarin rectam (erat hoc inſigne regium) geſtare permittitur. Verum libidine ſua & dignitatem regiam & vitam ſimul amiſit: uti in §. 10. dicemus.
    2. ARIASPES tum ob alias virtutes, tum ob ſimplicitatem, benignitatem atque humanitatem, ſingulari apud populum gratia polluit. Idcirco poſt Darii fratris cædem tacito omnium conſenſu Regno deſtinatus, ab OCHO fraude opprimitur. *Plutarch. Artaxer.*
    3. OCHUS fuit inter fratres (legitimos) natu minimus. Hic contra fratres Regnum ambit: utque illud conſequeretur, fratres duos, nempe Ariaſpen legitimum, dolo, & Arſamen illegitimum parricidio è medio ſuſtulit. *Plutarch. Artax.*
  - *Illegitimi* fuerunt plurimi. *Juſtinus lib.* 10. ſcribit, eum ex concubinis 115 filios ſuſcepiſſe. Inter illos erat ARSAMES, qui à patre poſt ARIASPIS interitum ſtudio apertiore diligebatur, & tantam apud eum fidem eſt meritus, ut arcana ipſi crederentur atque communicarentur. Qua de cauſa ab OCHO in odium vocatus, per *Harpatem* Tiribazi filium, ab illo ſubmiſſum, occiditur. *Plutarchus in Artaxer. Diodorus Siculus.*
- *Fœmellæ* erant potiſſimum quinque.
  - I. ATOSSA erat Artaxerxis filia, & poſtea uxor. Namlicet OCHO fratri deſponſata eſſent, tamen poſtea magno cum flagitio *patri* nubit; & tamen nihilominus inceſta Ochi conſuetudine fruitur, eumque ad regnum ambiendum inflammat. *Plutarch. Artax.*
  - II. AMESTRIS fuit patris filia & poſtea uxor. Nam pater eam initio TIRIBAZO deſponſavit: verum eo ob mores inſanos abdicato (*Plutarchus enim in Artax.* eum vocat ὑπόκωφον καὶ παράφορον, h. e. hominem levem & non ſatis rationis compotem) inceſtuoſo patri connubio jungitur. *Plutarch. Artax.*
  - III. SISYGAMBIS Arſami fratri nupſerat. Quo ab Ocho fratre trucidato, deinceps in luctu vixit. Mater hæc Darii Codomanni fuit. Capta eſt ad Iſſum ab Alexandro M. cum filia Statira, Ocho nepote & nepotibus duabus, ſed honorifice ab Alexand. M. eſt habita.
  - IV. RHODAGUNE à patre in matrimonium elocatur copiarum terreſtrium Perſicarum Duci ORONTI, qui cum *Tiribazum* claſſis Perſicæ Præfectum inique accuſaret, à Rege ob falſam accuſationem extrema ignominia

A

A minia affectus; Tiribazus vero maximis honoribus affectus est. Unde ab illo ad Cyrum juniorem, bellum contra fratrem Artaxerxem tum temporis molientem transfugit, cui antea hostis fuerat. Huic Orontes (quippe qui bellicis rebus inter Persas clarus erat) pollicebatur, si mille equites sibi Cyrus tradidisset, se turmas equitum regiorum, quæ igni omnia, qua transiturus erat Cyrus, exurebant, aut insidiis circumventas necaturum, aut ex iis quam plurimos vivos ad Cyrum perducturum, prohibiturumque ne reliqua incendant, aut Regi, quæ de Cyri copiis explorata haberent, renunciare possint. Id cum apud Cyrum obtinuisset Orontes, ad Regem epistolam scripsit, in ipsius amicitiam se iterum insinuans. Sed eam epistolam nuncius ad Cyrum attulit, qui Orontem comprehensum in judicium vocavit, ubi suffragiis Ducum capitis damnatus est. Hinc Orontes hoc postea apophthegmate usus est: Regum & Principum amici, sunt similes Arithmeticorum digitis. Nam ut hi computando, nunc myriada, nunc monada: ita & qui Regibus se insinuant, modo pollent plurimum & observantur: mox vero (qui fortunæ mos est, quæ homines velut pilas habet) in imum demersi, ludibrio sunt omnibus.

V. APAME connubio juncta est PHARNABAZO classis Persicæ Præfecto, quem Orontes apud Regem calumniis involvit: ut modo diximus. *Plutarchus.*

X.

III. Κακοπαιδία. Quod Artaxerxes liberos habuit plane degeneres. Nam 1. *ergà patrem* fuerunt *extreme ingrati.* Artaxerxes enim ætate jam provectus, cum animadverteret filios suos de Regno apud amicos & proceres disceptare, ideirco ut huic malo remedium inveniret, Darium filiorum natu maximum Regem pronunciavit, utque cidarin se vivo gestaret, concessit. *Plutarchus in Artaxerxe.*

Verum Darius, post nova paternæ pietatis exempla, interficiendi patris consilium cepit, & quod detestandum, in societatem facinoris assumtos 50 fratres fecit parricidas. *Justin. lib.* 10.

2. Fuerunt *libidinosi.* Nam mos erat Persis, ut Rex creatus ab eo, qui Regem eum constituisset, munus aliquod peteret, idque, si fieri posset, omnino acciperet. Quare *Darius* à patre Artaxerxe Rex designatus, non contentus Regno, etiam Aspasiam, patris pellicem, quam ipse præ omnibus concubinis ardenter amabat, quod & pulchra & sapiens, possebat. Artaxerxes pro indulgentia sua in liberos, primo facturum se dixerat, mox pœnitentia ductus, ut honeste negaret, quod temere promiserat, Dianæ sacerdotio eam præfecit, quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperabatur: atque hoc modo libidinosus pater filii cupidinem eluit. *Plutarch. Artax. Justin. lib.* 10. Similiter *Ochus*, inter filios Artaxerxis natu minimus Atossæ novercæ atque sorori suæ spem matrimonii fecit, si ipsius ope ad Regnum promoveretur. *Plutarch. Artax.*

3. Fuerunt *insidiosi* atque *dolosi.* Nam *Darius* à patre se derisum ludibrioque habitum existimans, instigatione Tiribazi, qui (ut *Plutarch. Artaxerx. p.* 1025. loquitur) ἐδόκει ἄπιστος εἶναι καὶ ἀνήμερος καὶ πανοῦργος, ἀλλ' ἀνώμαλος καὶ πικρόφορος, h. e. qui alias non erat moribus solidus, sed temporalis, & vecors, conjuratione cum 50 fratribus facta insidias patri paravit. Similiter *Ochus* occiso patre Dario, Ariaspis & Arsamis fratrum vitæ insidias struens homo dolosus ac sanguinarius, crudelitate sua adversus Arsamen, versutia contra Ariaspen usus est. *Plutarch. ibid.* Atque ita regiam cognatorum cæde & strage Principum replet, nulla non sanguinis, non sexus, non ætatis misericordia permotus, scilicet ne innocentior fratribus parricidis haberetur. *Justinus lib.* 10.

XI.

IV. Τυραννία. Artaxerxes compertis tot filiorum contra se insidiis, Darium cum liberis adductum judicandum Consiliariis regis dedit. Darius omnium suffragiis damnatus, à lictoribus in carcerem abductus est. Carnifex vero accitus manu tenens novaculam, qua damnatorum capita abscindi solent, ut Darium vidit, perterritus recessit, ad fores respiciens, ὡς οὐ δυνησόμενος οὐδὲ πλησίον παρίσχειν χεῖρας βασιλίσσῃ, h. e. quasi non posset neque sustineret manu sua Regem occidere. Foris autem judicibus minaciter, ut mandata exsequeretur, jubentibus, reversus intro altera manu comam apprehendit, altera cervicem depressam novacula abscidit. *Plutarch. Artax. p.* 1026. Conjuges quoque omnium cum liberis, ne quod vestigium tanti sceleris exstaret, interfectæ. *Justinus lib.* 10.

XII.

V. Φιλομήτωρ καὶ φιλάδελφος fuit. Nam mensæ Regis præter matrem ejus & conjugem nemo erat consors: quarum hæc infra, mater supra illum recum-

cumbebat. Quinetiam fratribus ſuis, Oſtaci & Oxabi, natu minoribus, menſam participavit. *Plutarch. Artaxerx. pag.* 1013.

USUS.

AXIOMA I.

Nimia illa indulgentia, qua Reges vivi atque incolumes filiis regnum permittunt, ut illos regnantes videant, ſæpenumero obeſt. Nam ejuſmodi indulgentia parentibus plerumque diſcrimini eſſe ſolet: & cauſam nonnunquam parricidio præbuit.

Exemplum.

Exemplum habemus in *Dario*, qui à patre Artaxerxe vivo Rex factus, interficiendi patris conſilium cepit. Sed facta conjuratione, dum patri inſidias parat, deprehenſus cum ſociis, parricidii pœnas Deo paternæ pietatis ac majeſtatis ultori perſolvit.

AXIOMA II.

Spurii, ex adulteriis aut furtivo coitu prognati, plerumque ſunt mali, inquieti & turbulenti, & exitus eorum plerumque tragicus eſſe ſolet. Sapient. 3. v. 17, 18, 19. Filii adulterorum in conſummatione erunt: & ab iniquo toro ſemen exterminabitur. Et ſiquidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & ſine honore erit noviſſima ſenectus illorum. Et ſi celerius defuncti fuerint, non habebunt ſpem, nec in die agnitionis conſolationem. Nationes enim iniquæ diræ ſunt conſummationis.

Exemplum.

In Dario Artaxerxis Mnemonis filio, ejuſque fratribus, exemplum memorabile habemus.

Darius à patre adhuc vivente Rex erat deſignatus, & cidaris apertæ geſtamen ei à patre permiſſum: ſed, ob denegatam Aſpaſiam patris concubinam formoſiſſimam, conſilium de interficiendo patre agitavit. Et quod deteſtandum, in ſocietatem tanti facinoris 50 fratres ſpurios aſſumſit. Et quod omnem admirationem excedit, nemo ex illis omnibus inventus eſt, quem aut paterna majeſtas, aut veneratio ſenis, aut indulgentia patris, à tanta immanitate revocaret.

AXIOMA III.

Deus vagas libidines graviter punire ſolet, aut in proprio corpore, aut in poſteritate.

Exemplum utriuſque membri habemus in hac Hiſtoria. Verum de eo in hiſtoria Ochi Perſarum Regis, pluribus dicturi ſumus.

II. *ACTA POLITICA.*

I. IRENICA *ſive* TOGATA.

XIII.

1. *Regni occupatio.* Darius Nothus moriturus Artaxerxem filium ſuum primogenitum Regni ſucceſſorem conſtituit, licet mater Paryſatis Cyrum juniorem ad regnum promovere niteretur. *Plutarch. in Artax. pag.* 1012. hac de contentione ita ſcribit: Mater magis exoſculabatur atque ad Regnum promovere conabatur Cyrum. Unde ubi patre jam ægro accitus eſt, profectus eſt ad aulam à mari, maximaſpe fretus, matrem effeciſſe ut ſucceſſor Regni declararetur. Etenim ratione nitebatur Paryſatis ſpecioſa, qua Xerxes I olim uſus fuerat, ſuggerente Demarato, Arſicam, (hoc enim nomen Artaxerxis proprium erat) ſe privato, regnanti Cyrum Dario peperiſſe. Non adduxit eum tamen in ſententiam ſuam, ſed ætate prior eſt deſignatus Rex, & ARTAXERXES *μετονομασθεὶς* TRANSNOMINATUS: Cyrus vero Lydiæ Satrapa, & oræ maritimæ Dux.

XIV.

2. *Inauguratio.* Artaxerxes Rex mox ſub Darii patris exceſſum Paſargadas perrexit, ut ſacris Regiis inauguraretur à ſacerdotibus Perſicis in delubro Deæ bellatricis, quæ Minerva eſt. Eo ingreſſum, qui inauguratur, ſtolam ſuam oportet ponere, & induere eam, quam *Cyrus* priſcus prius, quam Regno potiretur, geſſit: & ficorum maſſam comedere, tum terebinthinum vorare, & calicem haurire lactis acidi. Hæc cum acturus Artaxerxes eſſet, aditeum Tiſſaphernes, Sacerdotem quendam adducens, qui in pueritia *ἐπιστήμης τε καὶ νομιζομένης ἀγωγῆς*, h. e. Magiſter patriæ inſtitutionis Cyri fuerat. Hic detulit, deliberatum Cyro eſſe in templo inſidiis circumvenire Regem, atque cum veſtem exueret, adoriri & obtruncare. Cyrus juſſu Artaxerxis comprehenſus, catenis aureis ligatus & morti adjudicatus eſt. Sed moriturum jam Paryſatis mater ulnis complexa, ac capillo ſuo circumjiciens colliganſque illius collum cum ſuo, multis lamentis & obſecrationibus obtinuit ei veniam, effecitque ut remitteretur ad mare. *Plutarch. Artax. pag.* 1012.

XV.

3. *Imperii adminiſtratio.* Hic Arſicas, qui Rex factus Artaxerxes eſt *tranſnominatus*, uti Plutarchus ait, initio mire ſectari Artaxerxis ſibi cognominis viſus eſt moderationem, blandiorem aditum

aditu ſe præbendo, atque in largiendis pro merito honoribus beneficiiſque effuſum, omni ſuppliciorum exactioni detrahendo contumeliam, exſultandoque in accipienda gratia, non ſecus ſi daret, quàm ſi acciperet, in dando hilarem & benignum ſe exhibendo: Cui nihil unquam tam puſillum aut contemtum oblatum eſt, quod non ſummo cum gaudio & clementia Rege digna acciperet. *Plutarch. Artax. pag.* 1013.

AXIOMA.

In magnis viris magna ſæpe eſſe ſolet mixtura virtutum & vitiorum. A magnis enim ingeniis ut magnæ virtutes: ita quoque vitia magna proficiſcuntur, ſicut ait Plato, citante Plutarcho in vita Demetrii. Sicut enim in Ægypto optima naſcuntur remedia & nocentiſſima venena: ita, inquit idem Plato, in heroicis Viris cum magnis virtutibus conjuncta ſunt magna vitia. Idem quoque de Artaxerxe Mnemone, ejuſque fratre Cyro juniore, cum quo de Imperii ſumma cruento prœlio decertavit, jure merito dici poteſt.

I. ARTAXERXIS VIRTUTES.

XVI.

I. COMITAS. Cum Omiſus quidam *malum punicum* miræ magnitudinis ad eum attuliſſet: Per Mithram, inquit, hic vir urbi parvæ præfectus videtur eam brevi tempore magnam effecturus.

[*Mithra* à Perſis dicitur Sol: Unde Mithriaca ſacra Solis.]

II. GRATITUDO & LIBERALITAS. Alio rurſus tempore aliis alia offerentibus in via, cum colonus quidam, qui nihil aliud tum in promtu habebat, quod Regi offerret, ad fluvium accurrens, aquam inde manibus hauſtam ipſi attuliſſet, delectatus eo facto Rex pateram auream, & mille Daricos homini dono miſit.

[Unus *Daricus* valet duobus Ungaricis, h. e. tribus taleris, juxta *Philippum Melanchthonem.*]

III. MANSUETUDO & LENITAS. *Euclidi Lacedæmonio πολλὰ παῤῥησιαζομένῳ* (uti *Plutarchus* ait) h. e. multa licentius & inſolentius in ipſum dicenti, Tribunum militum dicere juſſit: ὅτι σοὶ μὲν ἔξεστιν εἰπεῖν ἃ βούλει βασιλεῖ βαλόντι, ἐμοὶ δὲ λέγειν καὶ ποιεῖν. Tibi quidem de Rege loqui quæ velis: Regi autem dicere & facere, quæ vult, licet.

IV. FACILITAS. Cum ei in venatione Tiribazus quidam candyn ruptum eſſe oſtendiſſet, ſibique lacerum hunc donari poſtulaſſet: Dono tibi eum, inquit Rex; geſtare autem prohibeo. Erat autem Tiribazus homo non malus, ſed τὰ πολλὰ μὲν οὐ πανοῦργος, levis nonnihil, & non ſatis compos rationis. Itaque cum dictum illud Regis non obſervaret, ſed ſtatim candy indutus, etiam aurea ornamenta, qualia mulieres geſtare ſolent, ſibi appenderet, indignantibus omnibus, quia contra mores Perſarum hoc fiebat, Artaxerxes ridens: Concedo tibi, Tiribaze, inquit, & aureum mundum, ut mulieroſo; & candyn, ut inſano.

V. HUMANITAS & AFFABILITAS. *Plutarchus in Apophth. pag.* 324. ita de eo ſcribit: Artaxerxes non tantum compellantibus liberaliſſime vacabat, ſed & uxorem ſuam jubebat pilenti aulæa dimovere, ut poſſet aliis, qui vellent, compellari in via. Et rurſus in *Artaxerxe pag.* 1013. addit hæc verba: Hoc ſpectaculum gratiſſimum præbebat Perſis uxoris ejus Statiræ currus, qui velis diſtractis ſemper progrediebatur, feminiſque popularibus ſalutandi eam & adeundi faciebat copiam. Hinc regnum ejus favorabile ad multitudinem fuit.

VI. CLEMENTIA. Quia omni ſuppliciorum exſecutioni contumeliam detraxit, (ut Plutarchi verbis utar) ſeu moderationem in omnibus ſuppliciis obſervavit. Sicut enim Artaxerxes Longimanus primus inſtituit, ut, cum Principes viri ſupplicio afficerentur, non corpora, ſed veſtes, quibus ſe exuiſſent, flagellarentur, & non crines capitis evellerentur, ſed tiara deponeretur: *Plutarchus Apophthegm. pag.* 324. Ita quoque hoc ipſum Artaxerxes Mnemon obſervavit. Sicut enim Artaxerxis Longimani nomen aſſumſerat: ita quoque ejus virtutes exprimere ſtudebat.

Exemplum ſingularis ejus Clementiæ erga Paryſatidem matrem ſingulare exſtat apud *Plutarch. in Artaxerxe.* Hæc graviſſima commiſerat ſcelera & flagitia; ac proinde extremo digna ſupplicio fuiſſet. Nam Statiram conjugem ejus Regiam, quam *Plutarchus in Artaxerxe. p.* 1012. γυναῖκα καλὴν καὶ ἀγαθὴν, h. e. formoſam, elegantem & probam vocat, quamque Artaxerxes intime diligebat, variis modis oppugnatam toxico necavit. Caryn & Mithridatem, qui Cyrum in bello interfecerant, inaudito ſuppliciorum genere excarnificavit: uti poſtea dicemus. Nec tamen alia ob tam immania ſcelera & flagitia ab Artaxerxe filio pœna mulctatur, quam quod Babylonem dimiſſa fuit, cum hac interminatione, nunquam ipſo vivente hanc à ſe adeundam. Neque etiam hæc Regis ira diuturna fuit. Nam aliquanto poſt in aulam revocata plenum velut dominium obtinuit, nefandum Regis erga Atoſſam filiam amorem confirmavit, regemque, quo voluit, flectere potuit. *Plutarchus, Xenophon.*

VII. Ju-

VII. JUSTITIA. Tiribazus per Orontem accuſatus, judicium ſibi fieri rogans, calumniis refutatis, concordi judicum ſententia ab omni culpa criminis liber dimiſſus eſt. Rex, vocatis ad ſe judicibus, ſingulos interrogavit, quo quiſque juſtitiæ titulo reum abſolviſſet. Ibi primus, quod vidiſſet, ajebat, crimina ei intenta dubia: benefacta vero ejus nota omnibus eſſe. Alter reſpondebat: Etſi quædam, quorum inſimulatus fuiſſet, crimina vera eſſent; benefactorum tamen ejus multitudine peccatum id vinci. Tertius dicebat, quod non benefacta ejus quidem hoc in loco reſpexerit, pro quibus honorem multiplicem à Rege conſecutus ille eſſet: ſed quod criminibus illis ſeorſim inſpectis, non videretur accuſatus illis obnoxius eſſe. Rex laudavit judices, & Tiribazum maximis honoribus decoravit.

VIII. JUSTA SEVERITAS. Artaxerxes, cognita Tiribazi innocentia & Orontis calumnia, extrema eum ignominia affecit. *Diodorus Siculus* ſcribit, quod Artaxerxes judices quoſdam ob injuſtam quam tulerant ſententiam comprehenſos, cute vivis detracta, graviſſima pœna affecerit. Iis vero cutibus circum ſubſellia expanſis, judices alii inſidentes eis, ſententias dicebant: recens ſemper ante oculos exemplum ſupplicii eorum habentes, qui injuſte judicaſſent.

VITIA.

XVII.

Verum Artaxerxes haſce inſignes regiaſque virtutes libidinibus deformavit, & magnas calamitates tum ſibi tum Regno accerſivit.

1. INCESTUS. Cum filia Atoſſa inceſtam conſuetudinem habuit: eamque ita ardenter amavit, ut pro illius ſalute obtinenda Junoni votum fecerit, ſe ſpatium ſedecim ſtadiorum (id eſt dimidium milliare Germanicum. Octo ſtadia faciunt milliare Italicum. Et triginta duo ſtadia efficiunt integrum milliare Germanicum: teſte Plutarcho in vita Gracchorum) quod erat inter regiam & Junonis templum, auro completurum eſſe.

2. LIBIDO & TEMERITAS. Aſpaſiam concubinam Cyri, poſt mortem fratris ad ſe tranſtulit. Cumque eam filio Dario tradidiſſet, paulo poſt mutato conſilio traditam repetivit. Qua ex re tragicæ calamitates ortæ ſunt. Etenim filius, detecta conjuratione adverſus patrem, una cum ſociis conjurationis ſupplicio affectus eſt.

3. OBSCOENA SEVERITAS. Quod nempe Arbacem quendam Medum, qui in conflictu ad Cyrum transfugerat, mox ipſo peremto, ad regios ſe receparat, ita puniverit, ut cogeret eum nudum, humeris impoſitum equitantis modo per integrum diem, ſcortum circumferre. O obſcœnum facinus, tanto Rege indignum! *Plutarch. Artaxerx. pag.* 1018.

II. CYRI JUNIORIS VIRTUTES.

XVIII.

Xenophon in lib. 1. Ἀναβάσεως Cyro egregias virtutes tribuit. Quæ ſunt ſequentes:

1. *Fides & integritas in ſervandis pactis.* Juniori Cyri eximium & ſingularem tribuit amorem veritatis: quæ jure merito appellatur fundamentum aliarum virtutum. Nam Cyrus optima fide ſervavit fœdera & pacta: nec unquam in eo mendacii veſtigium animadverſum & notatum eſt. Itaque civitates & Reſpublicæ, ſe libenter ipſius tutelæ commiſerunt, cum exploratum haberent, nihil ab eo fieri contra veritatem.

2. *Juſtitia diſtributiva.* 1. *Erga bonos & fideles Miniſtros*, quos ampliſſimis honoribus & opibus auxit. Præ cæteris autem militari virtute præſtantibus maximum honorem habebat: Quos alacriter periculis belli ſe objicere ſentiebat, iis ampliſſima præmia ac munera deferebat. Quamobrem nunquam deerant, qui ultro ſe periculis offerrent, modo id Cyrum reſciturum putarent. 2. *Erga malos & ſceleratos*, in quos ſeveriſſime animadvertebat. Ideoque in toto ejus imperio quietis omnibus ac pacatis tutiſſima erant itinera.

3. *Gratitudo erga bene meritos.* Nam ſemper in ore hoc votum habuit: Utinam tamdiu ſuperſtes ſim! donec benefacta amicorum cumulatiſſime compenſare poſſim.

4. *Benevolentia & beneficentia erga amicos.* Sicuti enim amicitiam aliorum neceſſariam ſibi eſſe ducebat, ut rerum gerendarum ſocios haberet & adjutores: ſic viciſſim amicis, ubi eorum tempora poſtulabant, opitulando gratiam referendam eſſe putabat. Dona autem, quæ unus omnium plurima accipiebat, omnia inter amicos pro cujuſque vitæ & temporum conditione dividebat: quin & ornamenta, quæ ſibi vel ad belli uſum vel elegantiam veſtitûs mittebantur, elargiebatur. De quo hoc ejus dictum celebre eſt: Non poſſe ſuum unius corpus omnibus iis ornare, amicos vero egregie ornatos, præclarum ſe ornatum ſibi putare. Sæpe vini, quod eſſet optimum & præſtantiſſimum, nactus, ſemiplenos cantharos ad ſuos mittebat, quod ſe neſcire diceret, quando eo melius nanciſci poſſet. Ita autem nunciari illis jubebat: Tibi hoc Cyrus mit-

mittit, teque ut illi hodie cum eis bibas, quos maximè diligis, rogat. Semesos etiam anseres & panes dimidiatos, & alia hujus generis mittebat, addito hoc nuncio: Cyrus tibi ista impertitur, quod ipsi jucundissima fuerint.

Xenophon laudat Cyrum, quod LAGENAS SEMIPLENAS miserit; ut significet, de eo mississe, quo ipse fruebatur & delectabatur, & nihil ei sine amicis suave esse.

VITIA.

XIX.

Ingenii vehementia, ambitio & regnandi cupido. Licet enim Darius major natu à patre jamjam morituro Rex in testamento constitutus esset, (uti *Justinus lib.* 5. §. 11. scribit) tamen contra patris testamentum regnum affectavit: & Artaxerxem in ipsa ad regalem dignitatem inauguratione opprimere decrevit. Qua de causa ad mortem condemnatus, sed matris intercessione in vita conservatus; uti in §. XIV. diximus. Verum ne sic quidem quiescere potuit: imo acquiescere noluit in provincia florentissima, h. e. minori Asia, quæ fuit quondam hortus amœnissimus; sed ardens cupiditate Regni, denuo seditionem excitans, fratrem bello aggressus est: (de quo in §. 21, 23. plenius dicturi sumus.) in quo etiam misere periit. Ex quibus exemplis videmus, nullam in homine virtutem ex omni parte perfectam, sed magnam in eodem mixturam virtutum atque vitiorum esse.

II. ACTA POLEMICA.

XX.

Præcipuum Artaxerxis bellum fuit, quod cum fratre suo Cyro gessit, in quo de summa rerum decertatum est. Circa quod tria veniunt notanda. 1. *Qua ante bellum.* 2. *Qua in bello.* 3. *Qua post bellum contigerunt.*

I. ACTA ANTE BELLUM.

XXI.

1. *Apparatus bellici dissimulatio.* Cyrus ad bellum contra fratrem gerendum magno molimine sese præparavit, auxilia undique contraxit, omnemque quanto potuit studio, apparatum dissimulavit, ut Regem inopinatum adoriretur. Lacedæmonii memores se Athenienſi bello enixe ab eo adjutos suppetias decernunt: *Clearchus* Byzantio ob tyrannidem pulsus stipendiariorum XIII. millia: Tamos Ægyptius classem adduxit: *Proxenus* Thebanus (Bœotius) cum maximo militum numero ad eum venit. Hujus comes erat *Xenophon* Atheniensis, qui ἀνάβασιν sive expeditionem ejus in Asiam superiorem descripsit. Epyanaxa Syennensis Cilicum Regis uxor ingentem pecuniæ vim ei præbebat, unde stipendium quatuor mensium militibus persolvit. Habebat Cyrus in exercitu suo 20 currus falcatos, & in exercitu suo centum & duodecim millia hominum è Persis & Græcis contractorum. Visusque est Cyrus dignas imperio opes animosque habere, præsertim cùm humanitate, liberalitate, justitia, comitate, animi magnitudine, atque bellica fortitudine apud omnes inclaruerat: Quibus artibus effecit, ut plurimi caput suum periculis ipsius causa objectarent. Vide *Xenophon. de expedition. Cyri lib.* 1. *Diodor. Sicul. lib.* 14. *Justin. lib.* 5. §. 11.

11. *Celerrima Cyri expeditio.* Cyrus ubi omnia in paratu habebat, cum copiis universis Sardibus primum movit, easque magna cum festinatione per Lydiam, Phrygiam, Lycaoniam, Cappadociam, Ciliciam, Syriam, Babyloniam, ad Medorum usque fines perduxit. Cyrus namque plurimum spei in celeritate positum habens, omnino persuasum sibi habebat, quanto magis properasset, tanto imparatiorem se Regem offensurum: Quo vero plus temporis in itinere consumturus esset, eo copiis fore regium exercitum instructiorem. Noverat namque, Regis imperium finium magnitudine atque hominum numero plurimum pollere: Sed propter locorum intercapedinem atque copias dispersas celeritate superari posse.

XXII.

Similiter ARTAXERXES postquam occulta Cyri consilia per Tissaphernem ei innotuerunt, & ipse omnia ad bellum necessaria comparare cœpit. In exercitu ejus erant duodecies centena millia militum, & currus falcati ducenti. Similiter *Abrocomas*, qui defensurus putabatur Ciliciæ & Syriæ portas, & aditu Cyrum prohibiturus, cum Cyrum cognovisset Ciliciam jam tenere, deserta Phœnice cum 30 myriadibus, h. e. trecentis millibus hominum, quos in armis habebat, aliquot post pugnam diebus ad Regem venit.

II. ACTA IN BELLO.

XXIII.

1. *Aciei ordinatio. Xenophon lib.* 1. Ἀνάβασεως scribit, quod Cyrus in prima acie nudo capite steterit, audacter hostem exspectans: *Clearchus* vero Dux Cyri, dextrum cornu ad fluminis ripam constitue-

ſtituerit. Qui locus valde incommodus fuit. Quia longiſſime à Cyro ejuſque exercitu remotus, ſalutem ex eo Duci ſuo commode præbere potuit; ſicut Plutarchus in Artaxerxe ſcribit. Contra autem *Artaxerxes* ordinate exercitum ſuum inſtructum, ipſe in media acie conſtitutus, lento in hoſtem gradu ducebat, & ante phalangem ſuam falcatorum currium robuſtiſſimum quemque aciei Græcorum oppoſuerat, ut nempe vi eorum, Græcos ordines, antequam manus conſererent, diſſiparet. *Plutarchus in Artaxerxe.*

XXIV.

2. *Conflictûs ratio.* Cyrus cum globo militum ſuorum exercitum Regis magno impetu invadit, ordines regios ſtatim perrumpit, ſex millia in fugam vertit, Ducem eorum Argeſen manu ſua occidit. Cum autem Regem vidit, continere ſe amplius non potuit, ſed jaculo in Regem emiſſo, per thoracem pectus ejus vulneravit, ita ut ad duorum digitorum altitudinem telum adigeretur: Quo vulnere Rex accepto, è pugnæ loco (qui Cunaxa fuit 500 ſtadiis à Babylone diſtans) ſeceſſit, inque tumulo paucis cum ſtipatoribus quievit. Cyrus ordines ſuos deſerens, equo medios inter hoſtes fertur, dumque interficiendi fratris laudem, pugnæque ſuo Marte diſceptandæ ferventius quam prudentius affectabat, bis vulneratur, ſemel à juvene quodam Perſa, Mithridate nomine, qui jaculo tempus ejus juxta oculum tranſverberat: poſtea à Caunio quodam, qui Cyrum, ignarus qui eſſet, jaculo à tergo ferit. Vulnerata poplitis vena prolapſus Cyrus tempus ſimul ſaucium ad ſaxum allidit, unde animam exhalavit. *Plutarchus in Alex. & Xenoph. lib.* 1. ἀνάβασεως Cyri. Ita Princeps ille inſignis (quem Xenophon unum poſt Cyrum Magnum affirmat ad regnandum atque imperandum maxime factum eſſe) miſere interiit; & dum alienum regnum affectavit, proprias ditiones vitamque amiſit: magis laudandus, ſi eam non fraternis odiis, ſed patriæ ſaluti impendiſſet.

III. Acta post Bellum.

XXV.

1. *Bona*: nempe quod Artaxerxes *gratitudinem* ſuam erga Caunum quendam declararit. Cum enim in prælio à Cyro fratre ſuo vulneratus, vulneris ſqualore & ſitis ardore tantum non exanimatus fuiſſet, Satibarzanes eunuchus in hominem quendam ex Cauniis (hoc eſt, è Cauno oppido in Caria ſito oriundum) incidit, qui ſordido in utriculo aquam putridam & vitioſam habebat ad octo heminas. Eam aquam eunuchus ad Regem adfert, cumque is bibiſſet, quæſivit ex eo: Anne magnam ei nauſeam potus hic moviſſet? reſpondit Rex per Deos jurans, nec vinum unquam jucundius ſe potaſſe, nec aquam vel leviſſimam & limpidiſſimam. Cum autem Caunium iſtum, qui utriculum dederat, finito prælio reperit, eum ex obſcuro & paupere honoratum & divitem reddidit. *Plutarchus in Artaxerxe, pag.* 1017.

XXVI.

11. *Mala Acta* poſt bellum ſunt triplicia.

Primo: *Severitas Artaxerxis obſcœna*, quod nempe *Arbacen* quendam Medum, qui in conflictu ad Cyrum transfugerat, mox ipſo peremto, ad regios ſe receperat, ita puniverit, ut cogeret eum nudum, humeris impoſitum equitantis modo, per integrum diem, ſcortum circumferre. O obſcœnum facinus tanto Rege indignum! *Plutarch. Artaxerx. pag.* 1018.

XXVII.

Secundo: *Faſtuoſa Artaxerxis arrogantia.* Voluit videri Artaxerxes manu ſua Cyrum fratrem interfeciſſe. Ideoque miſſis ad Mithridatem muneribus, præcepit eis, qui dona ferebant, referre: Hiſce te præmiis Rex ornat, quod equeſtrem Cyri pileum inventum retuleris. Verum Mithridates cum offenſione tacitus abiit.

Similiter Cari, à quo in poplite Cyrus vulneratus occubuit, præmium flagitanti, nunciare, quos miſit cum dono, injunxit: Hoc donum tibi Rex, quod ſecundus felicem nuncium ei attuleris, mandavit dari. *Plutarch. in Artax. pag.* 1018.

XXVIII.

Tertio: *Crudelitas Paryſatidis barbarica.* Nam duos iſtos, à quibus Cyrus occiſus, & unum à quo mutilatus erat, novo & inaudito ſupplicii um genere afficiendos curavit.

XXIX.

1. *Caris* ille, cum præmium illi à Rege offerretur, dedignatus eſt illud accipere; ſed fremuit teſtans Deos, clamitanſque: Cyrum à nullo alio, quam ſe peremtum, eaque gloria immerito ſe privari. Quibus relatis, tanta ira exarſit Rex, ut cervicem homini abſcindi imperaret. Aſſiſtens autem mater Regis: Tu vero noli permittere, inquit, Carem hunc nefarium tam levi defungi pœna; ſed mercedem à me recipiet, temeraria lingua dignam ſua. Permittente ei Rege, juſſit Carnificibus Paryſatis, ut abriperent hominem, ac per dies decem excruciarent, inde oculis effoſſis in aures æs fer-

vens infunderent, donec exspiraret. *Plutarch. Artaxerx. pag.* 1018.

XXX.

2. Similiter MITHRIDATI non multo post eadem incogitantia exitio fuit: uti *Plutarch. Artaxerx. p.* 1018, 1019. describit. Invitatus ad cœnam, cui & Regis, & matris ejus eunuchi intererant, accessit ad convivium veste & auro, quæ acceperat à Rege, comtus. Inter epulandum ille, qui inter Parysatidis eunuchos poterat apud illam plurimum, hisce eum verbis affatur: Ut elegantem hanc tibi vestem, Mithridate, Rex donavit! elegantes etiam torques & armillas, jam preciosum acinacem, quibus beatum te & omnibus reddidit suspiciendum. Temulentus tum Mithridates, linguæ suæ jam impos, inquit: Quæ hæc sunt, Sparamixe? Nonne majora ego & præclariora, quo die conflictum est, sum meritus à Rege? Cui arridens Sparamixes: Quænam, inquit, illa sunt? Ibi Mithridates, præsentibus arbitris, hæc insolentia verba protulit: *Hac manu Cyrus occisus est: Tempus enim Cyri telo attigi atque trajeci, eumque stravi, & est ex eo vulnere ille mortuus.* Sermonem eum eunuchus ad Parysatidem, illa ad Regem defert, qui vehementi ira exarsit, quasi redargueretur, pulcherrimumque & jucundissimum amitteret victoriæ decus. Ideoque necari Mithridatem scaphis, instigante Parysatide, jussit. Est vero illud supplicii genus (quod σκαφισμὸς appellatur) tale: Scaphas duas inter se congruentes accipiunt: in alteram supinum eum, qui pœnæ destinatus est, locant; inde inducunt alteram, & coaptant ita, ut manus, pedes cum capite exserantur: reliquum corpus inclusum sit, tum cibum necando præbent, quem si rejiciat, compellunt eum oculos fodicando sumere. A cibo mel & lac confusum ei ad potum infundunt; tum ad solem obvertunt assidue oculos ejus, ut incubantium examine muscarum tota facies integatur. Cum autem intus à se rejiciat, quæ homines qui edunt & bibunt, necesse habent rejicere, tineæ & lumbrici ex tabe & putredine excrementorum proveniunt, à quibus in viscera penetrantibus, corpus corroditur & absumitur. Postquam constat expirasse hominem, ablata scapha superiori corrosam cernunt carnem, & vermium hujuscemodi examina mordicus visceribus affixorum, eaque adedentium. Ad hunc modum Mithridates excarnificatus, septendecim dierum spatio contabescens, tandem interiit.

XXXI.

3. *Mesabata eunuchi Regis immane supplicium.* Plutarchus in Artaxerxe hisce illud verbis describit. Supererat Parysatidi Cyri necem vindicanti adhuc quem peteret, ille qui caput & manum Cyri præciderat, eunuchus Regis Mesabates. Hic cum ansam puniendi sui Reginæ in manus daret nullam, Parysatis hanc technam in caput ejus commenta est. Erat illa ingeniosa sua sponte mulier, & alea ludendi artifex: quare ante bellum crebro cum Rege ludebat alea, & post bellum restituta in gratiam, eam familiaritatem non declinabat Regis, ut & cum eo luderet, atque amorum conscia administraque in iis ac adjutrix esset, ac plane minimam ejus fruendi & cum eo consuetudinem habendi Statiræ faciebat proprium, cum supra omnes illi infesta, tum plurimum ipsa affectans apud regem posse. Igitur cum captasset aliquando languentem otio Artaxerxem, provocavit eum ad lusum in mille Daricos, ad vincere jactum ei permisit, repræsentavitque argentum; simulans autem dolere ac pungi se victam, petivit, ut de integro aleam jacerent de eunucho. Gessit ei morem ille pacti, ut quinos uterque reciperet fidissimos ex reliquis, quem victor legisset, ut daret victus: hac lege luserunt. Cum intenta esset atque in ludum Parysatis incubuisset, cecidissetque præterea feliciter illi alea, vicit, & ex pacto Mesabatem sumit; & priusquam, quid ageretur, Rex odoraretur, tradidit eum carnificibus, vivumque præcepit excoriari, corpusque transversum in tres sustolli cruces, & pellem seorsim palo suffigi. His actis & intellectis, cum Rex accensus in eam stomacharetur, illa cum risu cavillata: Hominem jucundum, inquit, & egregium, qui senis improbi & eunuchi quidem excandescis gratia. Ego mille alea perditis Daricis, taceo & acquiesco. Ita Rex impositum sibi esse dolens, cum factum mutare nequiret, silentio transmisit.

USUS.

AXIOMA I.

Principes sæpe noverunt arcana Rerumpublicarum externa, non interna: h. e. quæ geruntur foris, noverunt; & quæ geruntur domi ignorant.

Exempla.

1. Exemplum talis ignorantiæ habemus in ARTAXERXE MNEMONE. Reges Persarum Consiliarios suos splendidissimo nomine ὀφθαλμοὺς καὶ ὦτα. h. e. OCULOS & AURES suas appellabant. Qua de re elegans locus apud Suidam notandus venit: Ὀφθαλμὸς βασιλέως, inquit, ἀντὶ τοῦ μέγα δυνάμενος παρὰ βασιλεῖ. οὕτω δὲ ἐκάλουν τοὺς Σατράπας δι' ὧν πάντα ὁ βασιλεὺς ἐπισκοπεῖ· ὡς καὶ βασιλέων ὦτα

ἀκοὰς ἀκουστὰς, ὃ δὲ ἀκοὰς ἐκάλουν τοὺς ἐπιτηδείους ἐπὶ τοῦτο πεμπομένους. Quæ verba Apuleius interpretatus videtur, cum ita ait: Inter Perſas aures regiæ & Imperatoris oculi quidam vocabantur, per quæ officiorum genera Rex ille ab hominibus Deus eſſe credebatur, cum omnia, quæ ubique gererentur, tanquam ubique præſens, alienis & oculis & auribus cognoſceret.

Similiter *Dion Chryſoſt. Orat.* 58. ſcribit; quod Reges Perſici vulgares homines emiſerint in omnes terras, quos appellabant *Regis aures*, eoſque omnia auſcultare jubebant. Et alius quidam erat REGIS OCULUS dictus, de quo idem *Dion Orat.* 3. *de Regno.* Talia, inquam, erant Regum Perſicorum *miniſteria*, per quæ omnia, quæ ubivis locorum gerebantur, cognoſcere poterant; Et tamen Artaxerxem apparatus Cyri bellicus latuit, & niſi per Tiſſaphernem Ducem arcana Cyri conſilia ei fuiſſent prodita, plane imparatum cum Cyrus adortus fuiſſet. Cum enim Tiſſaphernes animadverteret, apparatum Cyri bellicum majorem eſſe, quam ut adverſus Piſidas comparari videretur, cum 500 equitum comitatu ad Regem quam potuit, maximis itineribus contendit: qui re ex Tiſſaphernе cognita, & ipſe omnia ad bellum neceſſaria comparare cœpit.

2. Simile exemplum habemus de CAROLO V. Imperatore. Hic namque omnium fere, quæ uſque gererentur ab aliis Principibus, aut conſors, aut conſcius fuit. At eam conjurationem, quam *Mauritius & Albertus* Brandeburgicus familiares ac domeſtici Cæſaris ſuſceperant, quamque ad exitum perduxerunt, anno C. 1552, ne ſuſpicatus quidem eſt. Nam Mauritius Elector diſſimulanter agebat: uti *Sleidan. lib.* 24. *pag.* 460. ſcribit. Confer *Bodin. lib.* 4. *cap.* 7. *pag.* 736. ubi plura exempla adducit.

AXIOMA II.

Conſilia Principum, præſertim autem arduа & bellica, ſunt occultanda. Nam Conſilium dicitur à *ſilendo*, quod conſilia Principum ſilentii velo tegi debeant, ſicut *Tob.* 12. 7. Angelus ad Tobiam inquit: Arcana Regum & Principum occultari, ſed opera Dei excelſi celebrari & manifeſtari debent. Unde *Pet. Gregor. Tholoſ. lib.* 24. *de Republ. c.* 8. *n.* 1, talepræceptum exſtruit: Concluſionem ſibi relinquet Princeps, eamque vel inſciis omnibus, vel paucis Conſiliariis conſciis exequatur, ut tanto occultior retineri poſſit: Alludens ad illud *Vegetii lib.* 3. *Fieri quod debeat, cum multis tracta; quod facturus ſis, cum pauciſſimis, vel tecum.* Et pulchre ait *Valerius Maxim. lib.* 2. *c.* 2. Silentium optimum cutiſſimumque rerum adminiſtrandarum eſt vinculum. Nam prudenter inquit *Vegetius*: Nulla ſunt meliora conſilia, quam quæ ignoraverit adverſarius, antequam fierent.

Exempla.

1. CYRUS JUNIOR apparatum bellicum adverſus fratrem ſuum Artaxerxem Mnemonem omni ſtudio diſſimulavit; ſicut in §. 21. diximus. Huc pertinet, quod *Curtius lib.* 4. circa *fin. de* Conſiliariis Regum Perſicorum ſcriptum reliquit: Perſarum arcana Regum mira celant fide, non metus, non ſpes elicit vocem, qua prodantur occulta: vetus diſciplina Regum, ſilentium vitæ periculo ſanxerat. Nec magnam rem ſuſtineri poſſe credunt ab eo, cui tacere grave ſit. Idem ſcribit *Ammianus lib.* 21.

11. ALEXANDER MAGNUS cum aliquando epiſtolam ab Olympiade matre ad ſe miſſam legeret, & Hephæſtio, qui tum forte aſſidebat, ſimpliciter una eam percurreret; non prohibuit, ſed annulum ori ejus impoſuit, ſilentium philoſophica fide amice obſignans. Conſilii namque anima eſt ſilentium. *Plutarchus in vita Alexandri.*

111. *Mauritius Elector* Saxoniæ omnia diſſimulanter agebat, quando Carolo V. Imperat. cum Alberto Brandeburgico illaturus bellum eſſet, ad liberandum ſocerum ſuum Philippum Haſſiæ Landgravium. Unde hoc Emblema frequenter in ore habebat: *Si meum induſium conſilii mei conſcium eſſe ſcirem, utique repente de corpore detractum comburerem.* Quod Emblema à Petro Arragonio (cui *Mariana lib.* 3. *de Inſtit. Princip. c.* 15.) vel à Metello Macedonio (cui Dio Caſſius illud tribuit) mutuatus eſt.

1v. *In Hiſtoria Boruſſorum* quoque elegans reperitur exemplum. Hi namque cum Crucigerorum jugum conjunctis viribus excutere vellent, conſiliorum tractationem omnem & concluſionem paucis quibuſdam juratis perſonis commiſerunt: atque ita rem omnem arcanam valde habuerunt & feliciter geſſerunt. Vide *Caſparum Schutzium in Chronico Boruſſiæ.*

v. Similiter BELGÆ, homines ſapientiſſimi, etiamſi habeant Democraticam hodie regiminis formam, cum Ariſtocratica mixtam; in ſuis conſiliis tamen, cum ventum eſt ad ardua conſilia, reliquis excluſis, pauciſſimos deligunt, quos ad iſta conſilia adhibent: ut annotat *Meteranus lib.* 13. *de Republica cap.* 12.

AXIOMA III.

Celeritas in Duce ſumma laus eſt. Nam recte inquit

quit *Xenophon. lib. 6.* Ἑλληνικῶν: Πολλάκις τὸ τάχος μᾶλλον τῆς βίας διαπράττεται τὰ δέοντα. h. e. Sæpe res necessariæ celeritate magis, quam vi efficiuntur. Qui enim in bellis prius instructus & paratus prodit, magnas hosti commoditates eripit, inque metum ingentem conjicit. Unde pulchre *Lucanus:*

Tolle moras; semper nocuit differre paratis.

Non autem h. l. intelligimus præcipitem festinationem, sed consultam celeritatem; Illa consilium præcedit, hæc sequitur. Ideoque illa est cæca & vituperanda; hæc vero oculata & laudanda. De qua *Salustius* prudenter ait: Antequam incipias, consulto; ubi autem consulueris, mature facto opus. Nam

Fronte capillata est, posthac occasio calva.

Exempla.

I. Tale celeritatis exemplum habemus in CYRO MINORE, qui in expeditione contra fratrem suum celerrime cum exercitu progrediebatur: de quo in §. 21. dictum est.

II. ALEXANDER M. cuidam percunctanti, quomodo tot & tantas res tam brevi temporis spacio confecisset, respondit: Μηδὲν ἀναβαλλόμενος. h. e. Nihil procrastinans. Quod *Lucanus* hoc versu reddidit:

Nil actum credens, si quid superesset agendum.

III. JULIUS CÆSAR ea facinora quæ periculo obnoxia sunt, & magna, gerenda esse dicebat: at de his non consultandum, eo quod ad hæc perficienda plurimum habeat momenti celeritas.

IDEM cum Pharnacem primo congressu vicisset, in triumpho trium verborum prætulit Titulum: Ἦλθον, εἶδον, ἐνίκησα. h. e. *Veni, vidi, vici:* non acta belli significantem, ut cæteri, sed celeriter confecti notam. Hæ namque voces eo ipso, quod similiter desinunt celeritati indicandæ haud parum congruunt. *Plutarchus in Cæsare.*

AXIOMA IV.

Audacia & Pertinacia à Duce belli summo abesse debent.

1. *Audacia* sive *Temeritas*, hoc est, Dux summus ipse, juxta monitum Politicorum, prælio interesse non debet, sed aliquo intervallo locorum sese à prælio separare. In milite enim sors unius: in Imperatore vero sors universorum continetur. Sicut enim sol cum maxime tollitur in altum, arduus ad polum septentrionalem, tum minimum movetur: ita quo major est potestas, hoc magis coërcenda est animi temeritas. *Plutarchus in Moralibus.*

2. *Pertinacia.* Quia qui nullis se dimoveri rationibus à proposito suo semel intra se concepto patitur, ille in præsentissimum incurrat periculum necesse est.

Exemplum.

Ita audax & pertinax in proposito suo erat Cyrus, Dux belli alioqui peritissimus. Nam suadebant ei Duces, ne prælium ipse ingrederetur, sed in extrema acie in subsidiis consisteret. Ipse nihilominus in principiis consistens nudo capite, pugnam exspectabat; sicut & alios Persas aiunt nudis capitibus pugnam inire. *Xenoph. lib. 1.* ἀναβάσεως *Plutarchus in Artax.* scribit, quum *Clearchus* Dux eum monuerit, ut se post aciem Macedonicam contineret, neque in discrimen pugnæ daret, respondisse: *Clearche*, quid ais? *Tu regnum appetentem, regno indignum me gerere jubes.* Sed eventus infelix fuit. Cum enim Cyrus temere medios inter hostes se conjiceret, eum hostibus implicatum, & iræ indulgentem equus procul provexit, jam tenebris ingruentibus ignotum hostibus, & ab amicis quæsitum. Ita victoria elatus, ac ferocia plenus, per medios hostes ferebatur, vociferans: *Cedite, viles homines.* Sed ecce præter opinionem à Mithridate Persa juvene jaculo per tempus transverberatus, ex equo devolvitur. Et mox Caris quidam eum ignotum jaculo à tergo petiit. Quo vulnere collapsus, saxoque allisus, misere interiit.

Epigramma in temerarios.

In præceps rapitur, frustra quoque tendit habenas
Auriga, effræni quem vehit oris equus.
Haud facile huic credas, ratio quem nulla gubernat,
Et temere proprio ducitur arbitrio.

AXIOMA V.

Bella temeraria non sunt felicia.

Exemplum.

Exemplum h. l. habemus in *Cyro juniore.* Hic sine justa causa bellum movit adversus fratrem & Regem. Etsi enim multæ ac præclaræ in eo virtutes fuerunt, & robusto instructus exercitu fuit; tamen justo Dei judicio victus in pugna misere occubuit, & inter exempla referendus est, de quibus Regulæ concionantur: Quia gladium acceperit, gladio peribit. *Matth. 26.* Et qui potestati resistunt, punientur. *Rom. 13.*

PARÆNESIS.

Quare nemo moveat bella civilia. Deus namque vult, ut Magistratus legitimos veneremur, pacem publicam non turbemus, sed, quantum in nobis

bis eſt, eam cuſtodiamus; non inflati appetamus gradus ſublimiores ſine vocatione, ſed amemus humilia: nec impellamur ad injuſtos conatus cupiditate dominationis aut rei alienæ. *Μέγα γὰρ ἐφόδιον εἰς πολιτείαν ἡ αὐτάρκεια.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

XXXII.

Sethus Calviſ. Chron. p. 114. ſcribit: Eſdram anno ſeptimo Regni Artaxerxis Mnemonis Jeroſolymam profectum. Et *pag.* 122. addit: Nehemiam anno 20 ejuſdem è Perſia miſſum Jeroſolymam, urbi condendæ incubuiſſe, atque muros & vicos civitatis intra annos 13 perfeciſſe. Verum confundit *Calviſius* Artaxerxem Longimanum cum Artaxerxe Mnemone; quæque ſub ejus imperio geſta ſunt, ad hujus regnum transfert. De quo vide Hiſtoriam Artaxerxis Longimani.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

XXXIII.

CUm Darius ob denegatam Aſpaſiam vitæ patris inſidias ſtrueret, vitam una cum regno amiſit. Detectis enim inſidiis, juſtas parricidii pœnas dedit. Vitæ hic finis fuit Dario: at nondum finis malorum Artaxerxi. Tres filii reliqui novas de Regno movent turbas: inde novæ conſpirationes, novæque factiones emergunt. Ariaſpes enim minis ac terroribus Ochi ad venenum hauriendum adactus. Arſames vero juſſu Ochi interfectus. Pater infelix, allato ei de Arſamis interitu nuncio, in ingentem luctum atque mœrorem conjectus, quo etiam extinctus eſt anno ætatis 93. juxta *Plutarchum.*

XXXIV.

De annis Regni ejus variæ Scriptorum ſunt ſententiæ. *Plutarchus* in vita ipſius tribuit ei annos Regni 62. Sed ei in hoc ab omnibus fere Hiſtoricis contradicitur. Alii dicunt, ipſum regnaſſe annis 55: alii, 49; alii, 43, & attigiſſe 44. Sed veriſſima eſt ſententia Euſebii in Chronicis, & Bedæ de ſex ætatibus mundi, & aliorum fide digniſſimorum Hiſtoricorum, qui ſtatuunt, anno Regni ſui quadrageſimo tertio circiter eum obiiſſe. Mortuus eſt A. M. 3610. ante C. N. 361. qui eſt annus 43. regni ejus.

XXXV.

Hic Rex inſignem manſuetudinis, comitatis & clementiæ laudem aſſequutus eſt: quam ſummopere poſt obitum auxit, celebrioremque reddidit filius ejus Ochus, qui eidem in Regno ſucceſſit. Patris enim virtutes omni vitiorum ſcelere adæquavit. Nam ſævitia, immanitate, perfidia, libidineque Tyrannos quoſque teterrimos ſuperavit, veramque ſententiam Dionyſiodori Trœzenii eſſe docuit, qui ait: *Quis patrem laudavit, niſi improbus filius?* Quaſi laudem optimi parentis longe magis homines celebrent, cum turpem ac degenerem filium vituperant. *Franciſc. Patrit. lib.* 1. *de Regn. Tit.* 7. *p.* 36.

MONARCHA VIII.

OCHUS, vel ARTAXERXES OCHUS.

CAPUT I.

DE ORTV.

I.

OCHUS, VIII. Rex Perſarum, qui poſtea nomen ARTAXERXIS regium aſſumſit, fuit filius Artaxerxis Mnemonis & Statiræ (ut putatur) natu minimus, ſed ingenio ardenti & vehementi præditus: uti *Plutarchus* de eo ſcribit in Artaxerxe. Fuit degener filius. Quia patris virtutes omni vitiorum ſcelere adæquavit. Nam ſævitia, immanitate, perfidia, libidineque Tyrannos vel truculentiſſimos ſuperavit.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

II.

Conjugium Ochi plane ignoratur. *Curtius lib.* 3. narrat, Conjugem ejus Damaſci à Parmenione captam eſſe. ATOSSA ſoror ei deſponſata fuit, ſed poſtea nefario illâ connubio patri jungitur: cum qua tamen Ochus, clam patre, rem habuiſſe dicitur. *Plutarch. in Artaxerx.*

III.

Liberi ejus tres tantum nominantur, nempe: *Arſames, Biſthanes, & Paryſatis.*

1. ARSAMES à Bagoa Regicida ob ætatem conſervatur, & patri in Regno ſucceſſor conſtituitur.

2. BISTHANES in fidem Alexandri Magni ſe contulit, eique fugam Da. ii Codomanni ex Ecbatanis nunciat. *Arianus lib.* 3.

3. PA-

3. PARYSATIS ab Alexandro M. in thalamum assumitur, nuptiis regio luxu Susis celebratis. *Arrianus lib. 7.*

II. *ACTA POLITICA.*

IV.

1. *Regni occupatio.* Ochus ad Regnum pervenit, partim per *fraudulentiam*, partim per *violentiam.* Nam licet ipse inter fratres natu minimus esset; tamen, quia ardenti & vehementi erat ingenio, contra fratres regnum ambit: idque ut consequeretur facilius, cum aulicorum quorundam, tum inprimis ATOSSÆ novercæ & fororis studia conciliavit, eamque stupro ad conjugium & Regni consortium pellexit. Verum pater, quo spem præcideret Ocho, Darium natum annos quinquaginta Regem designavit, eique cidarim rectam, velut Regiæ dignitatis insigne, gestare permisit. Hoc conatu Ochus Darii inauguratione frustratus, post trucidato illo à patre, cum uxore & liberis, in novas spes ab Atossa erigitur. Verum metuebat adhuc, post Darii interitum, fratres, ARIASPEN legitimum qui unus supererat, & de nothis ARSAMEN. ARIASPES propter simplicitatem, humanitatem & benignitatem singulari apud Persas gratia floruit. ARSAMES vero prudentior erat, & à patre maxime diligebatur, quod Ochus non ignorabat. Quare utriusque vitæ insidias struens, contra *Ariaspen* fraudulentia usus, contra *Arsamen* vero *violentia* grassatus est. Nam sceleratus ille homo, amicos atque eunchos regios precio conductos ad *Ariaspen* submisit, qui quotidie minas & sermones terribiles afferrent: nempe, decrevisse Regem, crudelem ei turpemque mortem inferre. Cumque quotidie hæc velut arcana ei sub silentii fide aperirent, eo tandem pavoris & anxietatis hominem alias simplicem timidumque adduxerunt, ut letali veneno apparato & hausto mortem sibi conscíverit. *Plutarch. in Artax.* Cum autem videret Ochus, ARSAMEN, post Ariaspis interitum, studio apertiore à patre diligi, apud quem tantam etiam fidem invenit, ut omnia ipsi arcana crederet atque communicaret, non cunctandum sibi ratus, Harpate Tiribazi filio submisso eum è medio sustulit. Quo nuncio pater senio jam confectus audito, statim mœrore exstinctus est. Atque hoc modo & medio Ochus aditum ad Regnum sibi paravit, qui timens parem conjurationem, Regiam cognatorum cæde & strage Principum replet, non sanguinis, non sexus, non ætatis misericordia permotus; quasi data opera id ageret, ne innocentior fratribus parricidis haberetur. *Justinus lib.* 10. Post hæc pro Rege vi se gerens, fratres superstites 80 uno die obtruncavit. *Curtius lib.* 10. *p. mihi* 436 scribit, quod octoginta fratres Sysigambis (quæ soror Ochi erat, ex pellice nata) eodem die trucidarit, adjeceritque stragi tot filiorum patrem.

V.

11. *Regni administratio.* Hic Ochus variis vitiis atque flagitiis inquinatus fuit.

Primo fuit *immanis* TYRANNUS. Nam (ut modo dictum est) statim in Regni ingressu cæde & strage Principum Regiam replevit, ὡ μόνῃ τῇ μιαιφονίᾳ πάντας ὑπερβαλόμενος, h. e. crudelitate ac parricidiis omnes superans. Et similiter *Curtius lib.* 10. *pag.* 436. eum Regum sævissimum vocat.

VI.

Secundo fuit valde IRACUNDUS. Nam cum *Mentor* Rhodius per Thessalionem Ocho operam suam offerret, promittens se Sidonem in potestatem ejus redacturum. Rex Thessalionem ista narrantem audiens, miris modis exhilaratus respondit: Si *Mentor* ea, quæ obtulit, perfecerit, magnis à me muneribus afficietur. Cum autem Thessalio, injunctum sibi esse à Mentore diceret, ut DEXTRAM REGIS fidei causa reciperet: Rex, velut dicto suo fides non haberetur, commotus, Thessalionem apparitoribus, ut capite plecteretur, addixit. Ille vero ad supplicium deducendus, cum Regi dixisset: *Facies tu quidem, quod tibi libuerit: Mentor vero, cui illa omnia, quæ promisi, perficere in promtu est, nihil prorsus promissorum efficiet, quod fidem dare detrectaveris.* Rex admonitionem illam animo secum volvens, revocatis apparitoribus, Thessalioni dimisso DEXTERAM PORREXIT. Quæ res apud Persas pro firmissima fide habetur, juxta commune Adagium: En dextra fidesque. Similiter 500 Sidonios primores civitatis ramis oleæ prætensis ei supplicantes, ex iræ impotentia confodi mandavit.

VII.

Tertio fuit admodum AVARUS: uti *Plutarch. de Virtutibus Mulier. pag. mihi* 423. eleganti historia demonstrat. Cyrus I. Rex Persarum, cum Persas ab Astyage Rege & Medis abalienasset, prælio victus est. Persis autem fuga se ad urbem recipientibus, cum parum abesset, quin simul hostes irruerent, occurrerunt ante urbem mulieres, vestibusque sursum ab inferioribus partibus attractis, dixerunt; Quo fugitis, omnium hominum pessimi? non quidem fuga hac penetrare potestis, unde existis.

stis. Hoc spectaculum, atque hæc vox pudorem incussit Persis; seque ipsos culpantes conversi sunt, & instaurata pugna hostes fuderunt. Inde lex posita est à Cyro, ut quoties Rex urbem (sc. Persepolin) intrat, singulis mulieribus aureus detur. Ochum ferunt, alioquin etiam pravum hominem & Regum avarissimum, semper circumivisse urbem, neque ingredi unquam voluisse: Itaque tenacitate ista sua mulieres dono defraudasse, & voluntarium quasi exilium sibi indixisse; (ut *Plutarch. in Alex.* scribit) Alexander vero bis intravit, & gravidis duplum dedit.

VIII.

Quartò fuit ARROGANS & GLORIABUNDUS. Quamvis enim Regnum crudelissime administrasset, nihilominus tamen gloriari solebat; *Ego regnum meum retinui*: δίκαια πράττων στρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους καὶ Θεοὺς, h. e. justa faciens coram omnibus hominibus atque Diis. *Athenæus lib.* 12.

II. *ACTA POLEMICA.*

IX.

Darius Ochus, quia ingenio acri ac vehementi præditus ac natura inquietus erat, fortitudinis militaris laudem affectabat, regna atque provincias, quæ ab ipso defecerant, nempe, Phœniciam, Ægyptum & Cyprum, bello aggressus, sub pristinum imperii jugum redire jussit.

BELLUM I. *contra Cadusios.*

X.

Ochus tot parricidiis commissis, atque ita velut purificato regno, bellum CADUSIIS infert. In eo adversus provocatorem hostium CODOMANNUS, cum omnium favore processit, hoste cæso, victoriam suis pariter, & prope amissam gloriam restituit. Ob hoc decorum facinus idem Codomannus Armeniis præficitur. Interjecto deinde tempore, post mortem Ochi Regis, ob memoriam pristinæ virtutis, Rex à populo constituitur: DARII nomine, ne quid Regiæ Majestati deesset, honoratus. *Justinus lib.* 10.

BELLUM II. *contra Phœnices & Sidonios.*

XI.

I. *ORTVS.*

In Ortu tria sunt notanda.

1. *Tennis Regis Sidonis præparatio.* TENNES Rex Sidonis MENTOREM Rhodium unà cum Græcis militibus mercenariis ab Ægyptiis ad se accersiverat, ut opera ejus in tuenda civitate atque regno uteretur.
2. *Mentoris desperatio, & cum Tenne Rege conspiratio.* Mentor cum audisset, Ochum ingentem exercitum ex Persia contra Sidonios ducere, existimans Sidonios impares certamini futuros, saluti suæ privatæ consulere cupiens, consilia de prodenda Sidone agitat, & Thessalionem amicum sibi maxime fidum ad Ochum transmittit, eique, si in gratiam recipiatur, Sidonios se proditurum promittit, & postea Tennem Regem in societatem proditionis recepit.
3. *Sidoniorum* 500 *supplicatio, eorumque trucidatio.* Cum hæc ita agitantur, ipsi Sidonii pœnitentes facti 500 civitatis primores ad Ochum mittunt, ramos olearum, insigne supplicantium de pace, manibus gerentes. Verum Ochus impotentem in animo iram fovens, omnes quotquot supplices venerant, jaculis configi jussit.

II. *PROGRESSVS.*

Hisce extra urbem peractis, Tennes Rex postea ad mercenarios Ægyptiorum milites accedens, persuasit illis, ut se & Regem intra mœnia reciperent. Quod & factum est: atque ita Sidon proditione capta, in Ochi potestatem rediit

III. *EGRESSVS.*

1. *Tennis interfectio.* Ochus cum urbem proditione Tennis cepisset, ejusque opera non amplius indigeret, interfici eum jussit. Ita Tennes, justo Dei judicio, accepit præmium proditore subditorum suorum atque patriæ dignum.

2. *Urbis conflagratio.* Sidonii proditos sese videntes, cum uxoribus suis & liberis intra ædes inclusos admotis flammis cremarunt, flammisque perire, quam Persis se dedere, maluerunt. In qua conflagratione Urbis quadraginta ferme millia hominum perierunt.

3. *Loci ex incendio vastati venditio.* Ochus urbe tota cum civibus consumta, locum ex incendio vasta-

vaſtatum, multis talentis vendidit. Quoniam propter immenſam civium opulentiam ingens auri & argenti vis per ignem conflata atque inventa eſt.

4. *Totius regionis occupatio.* Reliquæ civitates Phœniciæ, audita hac Sidonis clade, terrore ita perculſæ ſunt, ut Ocho ultro ſeſe dederint, & mulctam ſolverint. Vide *Diodorum Siculum lib. 16.*

Hæc clades urbis Sidonis prædicta fuit ab *Joſaia.* 23.4. Et *Ezech.* 28. 21. eique ob ſuperbiam contigit. Quare hinc aliæ capiant urbes exemplum, & diſcant, ſibi quid ex uſu ſiet.

BELLUM III. *contra Cyprum.*

XII.

Parem ſucceſſum in *Cypro* experitur. Nam Protagoras Rex Salaminis ultro ſeſe dedidit, poſtquam Evagoras, quem ille miſerat ad Salaminem expugnandam, inde diſceſſerat.

BELLUM IV. *contra Ægyptum.*

XIII.

1. ORTUS. Ochus Rex Perſarum in Ægyptum moturus, nova prius à Græcis auxilia acquiſiverat: *Thebani* mille milites gravis armaturæ mittunt; *Achivi* vero tria millia. *Diodorus Siculus l. 16.* NECTANEBUS vero Rex Ægypti omnes aditus præſidiis muniverat.

II. PROGRESSUS. Verum Nectanebus cum antea ducibus Græcis bellum feliciſſime geſſiſſet, jam remotis Græcis, ipſe bellum adminiſtrat, ſed valde imperite. Idcirco Ochus ingenti animo bellum urgens, capto Peluſio, Ægyptum intrat, exercituque ſuo in tria agmina diviſo urbes primarias terret, inque ſuam poteſtatem, *Mentoris* atque *Bagoæ* induſtria, redigit. *Nectanebus* deſperatis rebus, & collectis ſuis theſauris, in Æthiopiam profugit. *Diodorus Siculus ibidem.*

III. EGRESSUS. Ochus omni Ægypto ſubacta, urbium præcipuarum mœnia diruit. Templa diripit & incendit, gentis religionem ridet, & mactato Api, eoque in cœna abſumto, *Aſinum* in contumeliam Serapidis coli jubet: Commentaria etiam Ægyptiorum aufert, quæ poſtea grandi pecunia redimuntur. Deinde Græcos auxiliares magnis muneribus donat. Imprimis autem *Mentorem* maximis muneribus afficit, ſummiſque honoribus ornat, & Aſiæ maritimæ præficit. Qui cum *Bagoa* amicitiam inierat hoc bello, & poſtea cum eo omnia Regni munia præter nomen Regium in poteſtate habuit. *Diodorus Siculus lib. 16.*

BELLUM V. *contra Aſiæ rebelles.*

XIV.

Ochus Mentori (quem Aſiæ maritimæ præfecerat) bellum contra rebelles demandavit. Hic HERMIAM Acarnenſium Tyrannum, cui ad colloquium privatum invitato promiſerat, ſe Ocho perſuaſurum, ut defectionis ei culpam remitteret, ſed eum nimis credulum, aſtu cepit, & literas, annulo ejus obſignatas, in nomine ejus ad civitates miſit, ut ſeſe Ocho dederent: ſe namque pacificationem cum eo iniviſſe. Subditi literis hiſce fidem habentes, & pace gaudentes, ſtatim arces & urbes Mentori tradiderunt.

Atque ita Mentor pacem in univerſo Regno conſtituit, adeo ut nullus deinceps per Aſiam Ocho ſeſe opponere auderet. Qua de cauſa Ochus eum in ſummo honore habuit. *Diodorus Siculus lib. 16.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

XV.

Ochus infenſiſſimus hoſtis Judæorum erat. Nam confecto bello Ægyptiaco, omnes Judæos, qui olim ad Vaphrem Ægypti Regem transfugerant, cum Nebucadnezar Judæam vaſtaverat, Ægypto expellit, & in Hircaniam & Mediam, uſque ad mare Caſpium deportat. Unde illi Judæi vocati ſunt *filii deportationis Media. Euſebius.*

XVI.

BAGOSES quoque illius Dux belli Judæos graviter afflixit, & templum Jeroſolymitanum profanavit. Occaſio hæc fuit. Erant duo fratres Sacerdotes *Johannes* (qui *Nehem.* 12. 11. vocatur *Jonathan*) & Joſua vel Jeſus. Johannes ſummus Pontifex erat. At *Bagoſes* Joſuæ, quod amicus ejus eſſet, pontificatum ſe ei daturum eſt pollicitus. Hac ſpe fretus Joſua, cum liberius in templo cum fratre altercaretur, tantam bilem movit fratri, ut ab eo per iram interficeretur. Quæ quidem impietas fuit longe maxima. Nam nullum tale impietatis exemplum (ut *Joſephus* ait) exſtat, vel apud Græcos, vel apud Barbaros. Neque Deus ſane diſſimulavit; ſed & populus hac de cauſa libertatem amiſit, & templum pollutum eſt à Perſis. Nam Bagoſes Dux cognito, quod Pontifex fratrem germanum & amicum ſuum in templo interfeciſſet, venit Jeroſolymam exercitu barbarico inſtructus, & ingreſſus eſt templum ſpolia inde ablaturus. Cui cum diceret *Johannes*, impie illum facere: reſpondit Dux Perſicus: *Illum vero magis impie feciſſe, qui in tem-*

templo fratrem occidiſſet. His dictis vi illud diripuit, & ſpolia inde avexit: Annuos etiam reditus templo eripuit, à Cyro, Dario & Artaxerxe Longimano donatos, eoſque rurſus fiſco regio addixit: imo etiam populo Judæorum tributa indixit, quæ per ſeptennium durarunt. Occupavit quoque eorum præfecturam, (quæ Χαλδαϊκὴ ab *Euſebio* vocatur) multaque oppida delevit. Vide *Joſephum l.* 11. *Antiquit. Judaic. cap.* 7.

AXIOMA

Semper in Eccleſia cernitur viciſſitudo lucis atque crucis. Nam Deus, ſummus ille mundi Judex, ſemper res ſecundas Eccleſiæ adverſitate quadam atque amaritudine temperat.

Exemplum.

Exemplum habemus in populo Judaico. Nam 1. Evergetes ejus inſignis erat CYRUS primus Rex Perſarum, qui in primo anno Monarchiæ captivitatem Babylonicam ſolvebat, poteſtatem in patriam redeundi, templumque reparandi ei concedebat, vaſa templi reſtituebat, & omnibus ſuis provinciis ſubditiſque imperabat, ut Judæis in patriam ituris viaticum, omniaque neceſſaria ſubminiſtrarent. *Eſdr.* 1. 2, 3.

II. CAMBYSES filius Cyri degener, patre in bello Maſſagetico occiſo, tyrannicum erga Judæos affectum induit, & ſtructuram templi, quoad vixit, ſuaſu aulicorum Judæis infeſtorum, impedivit, uſque ad annum ſecundum Darii Hyſtaſpis. *Eſdræ* 4. *v.* 4, 5, 6.

III. DARIUS HYSTASPIS, ſecundum decretum de ſtructura templi continuanda & abſolvenda promulgavit, ſumtus regios ad illam contulit, & ſub pœna ſuſpendii edixit, ne quis Judæos in ædificationis opere impediret. *Eſdræ* 6. 6, 7. *& ſeqq.* Ita ſtructura templi ſecundo anno regni ejus rurſus inchoata anno ſexto eſt abſoluta. *Eſdræ* 6. 15.

IV. ARTAXERXES LONGIMANUS, tertium edictum anno Regni ſui ſeptimo promulgavit, quo ipſe Eſdram ſacerdotem & ſcribam privilegiis ampliſſimis inſtructum cum magno populi comitatu in patriam dimiſit, urbemque ſanctam inhabitari, cultum Dei inſtaurari, atque Rempubl. Judaicam conſtitui juſſit. *Eſdræ* 7. 12. *& ſeqq. uſque ad finem.* Et hæc Eccleſiæ tranquillitas atque halcyonia durarunt uſque ad Ochum.

V. OCHUS denuo immanem erga Judæos exercuit tyrannidem, templum eorum per Bagoſen profanavit, reditus annuos à Cyro, Dario, Artaxerxe Longimano conceſſos eripuit, & Judæos ſibi tributarios fecit. Quæ calamitates durarunt uſque ad *Alexandrum Magnum*, qui animo infeſto Jeroſolymam veniens à *Jaddo* Pontifice in habitu ſacerdotali ei obviam eunte placatus eſt. *Joſephus lib.* 11. *Antiquit. Judaic. c.* 8. ſcribit, Alexandro oblatum fuiſſe Jeroſolymis Danielis Prophetæ volumen, atque iſtum locum captivis octavi, *v.* 5, 6. demonſtratum, ubi ARIETEM ab HIRCO, h. e. Regem Perſarum à Rege Græcorum, devictum ac profligatum iri Daniel prædixerat. Quare Alexander Magnus ingenti lætitia affectus, Jaddum & cæteros Sacerdotes, per quos vaticinium hoc cognovit, ampliſſimis donavit muneribus, ipſi civitati pacem conceſſit, & αὐτονομίαν, h. e. ut ſuis uteretur legibus; & tributa ad ſeptem annos remiſit: uti *Sabellicus l.* 7. *c.* 1. ſcribit.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

XVII.

TAndem Ochus ob ingenium truculentum & ſanguinarium ſubditis inviſus à Bagoſe vel Bagoa (uti alii eum nominant) eunucho atque militum Præfecto per Medicum quendam, data potione medicata, interfectus eſt. A. M. 3633. ante C. N. 338. *Ælianus lib* 6. variæ Hiſtoriæ ſcribit, Ochum à Bagoa, qui gente Ægyptius erat, in *Apis Deaſtri* vindictam, necatum. Idem *Sulpitius Severus lib.* 2. *Hiſtor. ſacra* tradit. Et addit *Ælianus*, Bagoam cadaver Ochi felibus objeciſſe, & oſſa ejus in gladiatorum manubria convertiſſe: Τὸ φοβερὸν αὐτῶ Αἰγυπτιακὸν ἄλλο τι τῶν.

Regnavit annos { 26 / 24 / 23 } juxta { *Euſeb. in Chron. & Bedam de ſex ætatibus mundi.* / *Sulpitius Severum.* / *Tertullianum.* }

MONARCHA IX.

ARSES, vel ARSAMES.

I. *ORTVS.*

I.

ARSES vel ARSAMES, aliis *Oarſes*, aliis *Narſes*, aliis *Argus*, aliis *Arxes* dicitur: fuit filius Ochi, tyranni, hominiſque inceſtuoſi.

DE PROGRESSVS.

II.

Hunc Bagoas, ob ætatem nondum parricidæ formidabilem, in vita conſervavit, & poſtea patri ſuc-

ſucceſſorem dedit, fratribus ejus omnibus è medio ſublatis, ut Rex ſolus relictus obſequentior ſibi eſſet.

III. EGRESSVS.

III.

Cum autem, cognitis Bagoæ ſceleribus atque parricidiis, pœnas de eo ſumturus eſſet, ab homine aſtuto & ſanguinario præoccupatur, & cum omni prole exſtinguitur.

Regnavit annos { 1 4 3 } juxta { *Tertullianum.* / *Niceph. Euſeb. & Bedam.* / *Diodor. Siculum, & Sulpit. Severum, quæ ſententia veriſſima.* }

Ita domo regia in ſolitudinem redacta, cum nullus eſſet ex Cyri familia, cui regnum per ſucceſſionem deberetur, *Bagoas* (qui, uti *Diodor. Sicul.* ſcribit, tantæ authoritatis in Perſide erat, ut, quos vellet, Reges Perſis conſtitueret vel auferret) unum ex amicis delegit, cui Darii nomen erat; eique faſces Regni tradidit.

AXIOMA.

Peccata parentum, præſertim autem vagæ libidines, à Deo puniuntur, vel in proprio corpore, vel in ſemine, h. e. poſteritate. Nam Deus juſtus mundi Judex nullum flagitium relinquit impunitum. Hinc vox Decalogi de divina juſtitia concionatur, *Exod.* 20. 5. quod Deus viſitet iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Et hæc eſt cauſa, quod impiorum parentum poſteritas infelix exiſtat.

Exempla.

1. RUBEN, Jacobi Patriarchæ filius, qui inceſta conſuetudine novercæ impie ac nefarie ſeſe polluit, toti poſteritati accerſivit pœnas, quæ voce patris, velut oraculo ei denunciatæ ſunt: *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas. Quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum ejus. Gen.* 49. 2.

II. DARIUS NOTHUS, VI. Rex Perſarum, erat inceſtuoſus, ejuſque inceſtam libidinem Deus in tertia generatione punivit. Nam 1. *Darius Nothus* ipſe ſpurius (ideo enim dicitur Nothus) propriam ſororem, nempe Paryſatidem, Artaxerxis Longimani filiam, duxerat in uxorem, & inceſto hoc conjugio natus eſt Artaxerxes Mnemon. 2. *Artaxerxes Mnemon*, & ipſe inceſtuoſus & parricida erat. Nam duas filias in uxores duxit, nempe Atoſſam & Ameſtrin. Darium filium cum 50 fratribus interfecit. Et ex eo genitus eſt Ochus. 3. OCHUS quoque erat parricida. Quia duos fratres, nempe Ariaſpen & Arſamen interfecit; illum fraudulentia, hunc violentia. Et ſimiliter inceſtuoſus erat. Nam Atoſſæ ſorori & novercæ, vivente adhuc patre, fidem matrimonii dedit: imo inceſta cum ea conſuetudine, clam patre, uſus eſt. *Plutarch. in Artax.* IV. ARSAMES Ochi filius crudeli morte eſt interemtus. Ita tragicus exitus filiorum Darii Nothi, inceſtis libidinibus polluti, oſtendit, vagas libidines à Deo ſanctiſſimo graviter puniri, tum in patre peccante, tum in tota ejus poſteritate. Nam Cyri poſteritas, juxta Ælianum & Juſtinum in Arſame deſiit. Memorabile hoc eſt vagæ libidinis punitæ exemplum.

MONARCHA X.
DARIUS CODOMANNUS.

CAPUT I.
DE ORTV.

I.

1. NOMEN. ejus fuit Nomen CODOMANNUS: uti *Juſtinus lib.* 10. ſcribit. Poſtea ad Regnum vocatus DARII nomine, ne quid Regiæ Majeſtati deeſſet, honoratus, ut idem ſtatuit, non ſecus atque *Artaxerxes Mnemon* adhuc privatus, poſtea vero à patre Dario Notho ſucceſſor Regni conſtitutus, ARTAXERXES tranſnominatus fuit. *Plutarch. in Artax.* Unde patet, quod nomina DARII & ARTAXERXIS, non ſemper apud Perſas nomina propria, ſed etiam appellativa fuerint: Non ſecus atque à C. Julio Cæſare, & ab Auguſto, omnes eorum ſucceſſores *Cæſares* & *Auguſti* appellantur.

II.

II. PARENTES. De parentibus ejus magna eſt inter Hiſtoricos controverſia.

PRIMO: Quidam (ut *Strabo lib.* 16, *Ælianus* & *Juſtinus lib.* 10.) eum è regia familia oriundum eſſe negant. *Ælianus* ſcribit, eum è ſerva genitum eſſe.

SECUNDO: Quidam (ut *Diodorus Siculus lib.* 17. *Plutarchus*, *Euſebius*, *Cedrenus*) ſtatuunt, eum è Regia familia fuiſſe oriundum. *Diodorus*, eum fuiſſe *Ochi* ex fratre nepotem. Unde eum vocat DARIUM ARSAMI, quod filius fuerit ARSAMI, qui frater erat Regis Ochi. MATER ex prædictorum authorum ſententia fuit SISYGAMBIS, quam ſeptem liberorum matrem nuncupat *Curtius lib.* 12. Verum ex hiſce tantum quatuor nominibus exprimuntur: Codomannus ſeu Darius, Statira, Pharnaces & Oxatres. Idem ſcribit *Theodoretus* in Orationibus ſuper *Daniel. c.* 8. duas

Regum

Regum Perſidis familias recenſens, penes quas hoc imperium fuerit à Cyro uſque ad Alex. Magnum. *Prior* familia fuit CYRI, qui hoc imperium fundavit. Sed ea mox in filio ejus Cambyſe exſtincta eſt. *Poſterior familia fuit domus Darii Hyſtaſpis.* Hic è familia Principum Perſicorum oriundus, communibus eorum ſuffragiis Rex iterum legitimus creatur, ut ait *Zonaras*; inque ſucceſſoribus ejus Imperium uſque ad Darium Codomannum, in quo & cum quo exſtinctum, permanſit. Hæc *Theodoretus*. Vide *ſupra in Præcog. cap.* 5.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. ACTA OECONOMICA.

III.

1. CONJUNX Darii erat germana ejus ſoror STATIRA, quam matrimonio ſibi junxit, cum ea inceſtorum fœditas jam plane in conſuetudinem veniſſet: uti *Arrianus*, *Oroſius*, & *Gellius* ſcribunt. Hæc Darium ad bellum contra Alexandrum comitata, & poſt prælium ad Iſſum capta, à clemente victore βασιλικῶς tractatur, retinens Reginæ nomen & cultum; atque exſtincta aliquanto poſt partûs doloribus, etiam hoſti lacrymas excutit, & apparatu Regio ſepulturæ traditur. *Diodorus Siculus*. *Plutarchus*, *Arrianus*, *Curtius*, *Juſtinus*, *Suidas*, *Oroſius*. Huic adduntur CONCUBINÆ plurimæ. *Curtius* 300. alibi 360. *Athenæus lib.* 13. *cap.* 2. 350. ſcribit eum habuiſſe: quarum & nomina, & liberi ignorantur.

IV.

II. LIBERI è *Statira* editi creduntur quinque: unus maſculus, & quatuor fœmellæ; nempe Ochus, Statira, Drypetis, Statipna, & una ἀνώνυμος. OCHUS patrem adhuc infans, h. e. ſexto ætatis anno, ad bellum contra Alexandrum ſequitur. Sed captus in prælio ad Iſſum, ab Alexandro conſervatur, eique indole generoſa ſe commendat, & fruſtra pro obſide retineri juſſus, Suſis cum avia & ſororibus deponitur, & diſciplina atque lingua Græca eruditur. *Curtius*.

V.

STATIRA ſimiliter cum matre, avia, filio OCHO, & duabus filiabus jam nubilibus ab Alexandro capta, in ejus poteſtatem pervenit, & Suſis cum iiſdem Græcam addiſcere linguam jubetur, & conjugio Alexandri honorata, hoc defuncto interficitur à *Rhoxane*, & cadaver in puteum projicitur. *Juſtinus*, *Curtius*, & *Diodorus Siculus*.

VI.

DRYPETIS ab Alexandro Hephæſtioni φιλαλεξάνδρῳ matrimonio jungitur. Quo mortuo, cum vidua deinde vixiſſet, & ſororem Statiram ad *Rhoxanen* comitata eſſet, fraude ejus ſimul indignis modis trucidatur. *Plutarchus*.

VII.

STATIPNA à Dario Codomanno offertur Alexand. Magno inter conditiones pacis, & dotis nomine promittuntur regiones inter Helleſpontum & Halym. *Curtius*.

VIII.

FILIA ἀνώνυμος.

IX.

III. DIVITIÆ atque DELICIÆ. Darius ingentibus præditus fuit divitiis, & in ſummis vixit delitiis. Nam lectus ejus hoc modo concinnatus erat. *Ad caput* cubilis Regii conclave erat pentaclinum, h. e. ea magnitudine, quæ quinque lectos caperet, in quo perpetuo aſſervabantur auri talenta 5000. Et hoc CERVICAL REGIUM appellabatur. *Ad pedes* aliud erat conclave triclinum, in quo recondebantur argenti talenta 3000; idque dicebatur REGIS SCABELLUM, vel SCAMNUM SUPPEDANEUM. *In ipſo* autem *cubiculo*, ſupra lectum ſtabat AUREA VITIS gemmata, racemos habens penſiles ex lapillis pretioſiſſimis compoſitos, ſicut *Amyntas* de manſionibus regiis ſcribit. Nec procul ab ea erat CRATER AUREUS Theodori Samii opificio nobilis, cujus valor erant 5000 auri talentûm. *Athenæus in Dipnoſoph. lib.* 12. *Cæl. Rhodigin. in Antiq. Amyntas de manſion. Regiis.* O admirandas Regum Perſicorum divitias! O & deteſtandas eorum delicias!

II. ACTA POLITICA.

I. IRENICA.

X.

I. IMPERII OCCUPATIO. Cum Ochus, VIII Rex Perſarum, Caduſiis bellum inferret, in eo adverſus Provocatorem hoſtium *Codomannus*, cum omnium favore proceſſiſſet, hoſte cæſo, victoriam ſuis pariter & prope amiſſam gloriam reſtituit. Ob hoc decorum facinus idem Codomannus præficitur Armeniis. Interjecto deinde tempore, poſt mortem Ochi Regis, ob memoriam priſtinæ virtutis, Rex à populo conſtituitur, A. M. 3635. DARII nomine, ne quid Regiæ Majeſtati deeſſet, honoratus. *Juſtinus lib.* 10.

XI.

II. IMPERII ADMINISTRATIO. Circa hanc notanda ſunt duo. 1. *Virtutes.* 2. *Vitia.*

I. VIRTUTES.

XIII.

1. PRUDENTIA. Darius Bagoæ opera ad regnum evectus, paulo poſt conſuetis ejus inſidiis petitus prudenter eum prævenit. Nam comiter ad ſe Bagoam invitavit, atque ei poculum in ſe paratum porrigens, illud ebibere coëgit, & venenum doloſum in viſcera convertit inſidiatoris, ſuamque & anteceſſorum injuriam in Regicida ultus eſt. *Diodorus Siculus lib.* 17.

USUS.

Inſigne hoc eſt exemplum hominis doloſi in operibus manuum ſuarum comprehenſi. *Pſalm.* 9. *v.* 17. Nam pulchre inquit Salomon *Prov.* 26. 27. Fodiens foveam incidet in eam, & volvens ſaxum in ipſum impinget. Et *Sapient.* 11. *v.* 17. Δι' ὧν τις ἁμαρτάνει, δι' αὐτῶν πολάζεται. Per quod quis peccat, per idem punitur & ipſe. *Prov.* 5. *v.* 21, 22. Reſpicit Dominus viam hominis, & omnes greſſus ejus conſiderat. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Et David *Pſal.* 7. *v.* 14, 15. Foveam fodit, & effodit eam, & incidit in foveam quam fecit. Convertetur labor ejus in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet. *Syrac.* 27, 28. Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput ejus cadet, & plaga doloſa doloſi dividet vulnera. Et *Lucretius lib.* 5. in eandem ſententiam ait:

Circumretit enim vis & injuria quemque:
Atque unde exorta eſt, ad eum plerumque revertit.

Caſſiodorus pulchre: Jus exigit, ſagittas fraudis redire in doloſum verticem ſagittantis.

Quare omnes pii ſint moniti, ne inſidias proximo ſuo ſtruant. Nam virum ſanguinum & doli abominatur Dominus. *Pſalm.* 5. 6. Et abominabile eſt Domino cor pravum, ſed beneplacitum in iis, qui ſimpliciter ambulant. *Prov.* 11. 20.

XIII.

II. MUNIFICENTIA. Sidon civitas quatuor milliaribus Tyro diſtans, ab Ocho per proditionem capta in ejus poteſtatem devenit. Sidonii autem proditos ſeſe videntes, in deſperationem converſi, ſe ipſos cum uxoribus atque liberis intra ædes incluſos admotis flammis cremarunt: flammiſque perire, quam Perſis ſe dedere maluerunt. In qua urbis conflagratione 40 ferme millia hominum perierunt, & omnia ædificia in favillas cinereſque abierunt. Hanc autem urbem Darius Codomannus reædificari juſſit, inque ea *Stratonem* Regem conſtituit. Quem Alexander M. victa Sidone, regno indignum judicavit: quia urbis deditionem fecerat, magis civium voluntate impulſus, quam ſua ſponte.

XIV.

III. FORTITUDO. Cum enim Darius Ocho contra Caduſios militaret, provocatorem barbarum, inſolentius toti exercitui inſultantem, nemine progredi auſo, ſolus ille periculo ſe objiciens, duello confecit. Qua victoria ſibi fortitudine laudem, & omnibus Perſis gloriam peperit. *Juſtin. lib.* 10.

XV.

IV. MANSUETUDO. Ingenio miti ac ſimplici fuit, quod vel ex legatione ejus ſecunda ad Alexandrum Magn. miſſa poſt prælium ad Iſſum infeliciter geſtum patet. Nam pacificationem cum Alexandro inire voluit, filiam ei *Statipnam* inter conditiones pacis obtulit, dotis nomine regiones ei inter Helleſpontum & Halym promiſit. *Curtius.* Quamvis hoc addendum, eum calamitate edoctum modeſtiorem ſe geſſiſſe, juxta vulgatum illud Proverbium: Παθήματα μαθήματα. h. e. Nocumenta ſunt documenta.

II. VITIA.

XVI.

1. LUXUS atque INTEMPERANTIA. De luxu, deliciis atque intemperantia ejus mira narrant Hiſtorici. *De cervicali* ejus *regio, ſcamno ſuppedaneo, & cratere aureo*, in §. 9. ante diximus: In caſtris omnis generis habebat coquos, cupedinarios, fartores, artifices, magiſtroique gulæ, & unguentarios, ne quid ad corporis voluptatem omnino deeſſet. Solebant Perſarum Reges (ut *Cicer. Verrin.* 5. ſcribit) plures uxores habere: his autem uxoribus civitates attribuere, ut hæc mulieri redimiculum præberet, illa hunc vel illum ornatum.

AXIOMA.

Luxus atque delicia ſunt ipſis delicatis perniciosa. Nam vix ullum Regnum diu ſtetit, quod ebriosorum conſilio geſtum eſt; vix ullum concidit, quod non ebrioſi everterint; vix ullum non floruit, quod à ſobriis & temperantibus hominibus adminiſtraretur. Veriſſima namque eſt admonitio *Procopii*: Homines, qui temere cuiquam rei idcirco incum-

cumbunt, ut vitam deinceps per delicias ducant, haudquaquam hactenus quiverunt animos sistere, sed majora quædam opperiuntur, ac bene sperando continenter & tamdiu procedunt, quoad usque tandem ea priventur felicitate, quam consecuti antea fuerint.

Exempla.

1. BELSAZAR ultimus Rex Babyloniorum convivia cum proceribus atque optimatibus suis magnifice agitans, cumque illis pocula immensa evacuans, Babylonem, quam & ipse & Principes ipsius inexpugnabilem credebant, à Dario atque Cyro captam una cum regno & vita perdidit. *Daniel.* 5. De qua in Historia Belsazaris dictum est.

2. Simile exemplum habemus in DARIO ultimo Persarum Rege, qui etiam voluptate atque deliciis regnum suum perdidit. Nam, ut dixi, omnis generis gulæ & voluptatis ministros in castris suis habuit. Unde Alexander Magnus ejus devicti tentorium ingressus, visisque voluptatum apparatibus magnificentissimis, exclamavit: *Quid? Num hoc est regnare? Plutarchus.* Et *Cicero Tusculan. Quæstion. lib.* 5. scribit, quod Darius, cum in fuga aquam turbidam & cadaveribus inquinatam bibisset, negaverit, unquam bibisse se jucundius: *Nunquam videlicet sitiens biberat.*

XVII.

II. SUPERBIA ejus effulget. 1. *Ex titulis ambitiosis.* Nam REGEM REGUM & CONSANGUINEUM DEORUM se vocabat, & Alexandrum Magnum FAMULUM SUUM. *lib.* 2. *supplement. ad Curtium.* 2. *Ex factis fastuosis.* Nam jubebat Satrapis suis, ut insanientem illum Philippi adolescentulum (sic enim Alexandrum per contemtum appellabat) verberibus puerilibus graviter cæsum, indutumque post veste purpurea, sibi vinctum traderent. Similiter per contemtum munera ei mittebat, nempe VIRGAM, PILAM & MASSAM AURI: Innuens VIRGA; eum puerum esse forocientem, cujus temeritas virgis coërcenda sit: PILA vero; ejus ætati convenientius esse pila ludere, quam arma tractare: AURO; opes ei nequaquam sufficere ad bellum contra potentissimum Persarum Regem gerendum. Verum sensit tandem, quantum superbia ipsi nocuerit, exutus vita & regno ab eo, quem contemserat.

XVIII.

III. *Audacia* & PERTINACIA, quod pugnaturus cum Alexandro M. salutaria spreverit consilia. Cum enim Alexander M. exercitu instructus in Asiam transiret contra Persas: *Mnemon Rhodius*, Græcorum, qui Persis militabant, Dux, suadebat ne dimicaretur, sed ut agri vastarentur; atque ita hostes privarentur commeatu, ne progredi possent: simul etiam bellum à Persis totis viribus in Macedoniam transferretur. Hoc consilium fuisset optimum: sed fatale fuit, Persicum exscindi Regnum. Ideo Darius non obtemperabat, sed cæterorum præferebat Ducum consilium, qui suadebant, ut dimicaretur. *Diodor. lib.* 17. *Bibliothec.*

Similiter Darius CHARIDEMUM Athenienſem, virtute & omnibus artibus Imperatoriis præstantem, qui eum monuerat, ne temere Imperium suum in discrimen adduceret, seque ipsum ducem obtulerat ad bellum conficiendum: propterea ei iratus, quod Persis ignaviam & timiditatem exprobrasset, interfici jusserat, exclamantem cum ad supplicium traheretur: *Brevi Regem pœnitentiæ affectum iri, atque amissione Regni injuriæ sibi factæ pœnas daturum*: uti scribit *Diodor. Siculus lib.* 17. *Curtius* de EUDEMO Athenienſi simile aliquid refert. Qui interrogatus à Dario, Satisne videretur ei instructus ad hostem obterendum; cum suæ sortis (exul enim erat) & regiæ superbiæ oblitus extenuasset apparatus Persicos, & Macedonicam phalangem extulisset: ad capitale supplicium abstrahi jussus est. Ille vero ne tunc quidem libertatis suæ in dicendo oblitus: *Habeo*, inquit, *paratum mortis meæ ultorem: Tu vero licentia Regni immutatus, documentum eris posteris, Homines, cum se fortuna permiserunt, etiam Naturam dedisce.* Hæc vociferantem, quibus erat imperatum, jugulant. Sera deinde pœnitentia subiit Regem, ac vera dixisse confessus, cum sepeliri jussit. Tertio instante *prælio* ad *Issum*, consilium AMYNTÆ temere à Dario spretum est. Nam Darius castris suis in Alexandrum contendens, locum elegerat Assyriæ campum planum, omnique ex parte patentem, qui & magnitudini exercitus maxime opportunus, & ad equitatum ducendum valde commodus visus fuerat. Ab hoc loco ne recederet; diligenter eum AMYNTAS ex Macedonia profugus rogabat. Cui cum responderet Darius: *Metuere se, ne Alexander fuga mature facta sibi elaberetur*: *Nihil* (inquit ille) *hac metu opus est, ubicunque Darium esse audiverit.* Sed Amyntæ consilio spreto, Darius castra in Ciliciam movit. De quo mirabile est hoc Ariani dictum: Fortassis Deus illum eo loci adduxit, ubi nec equitatus magno usui ei esse posset, nec infinita hominum pariter & jaculorum multitudo. Imo vero ubi nec ipsam quidem exercitus sui magnificentiam ostendere poterat.

AXIO-

AXIOMA.

Quando Deus Reges & Principes punire decrevit, prius sanam illis mentem auferre solet. Cæcitas namque mentis maxima est pœna, juxta illud *Homeri*:

Hunc Deus ut pereat, privabit lumine mentis.

Cum quo congruunt versus in Oratione *Lycurgi* contra *Leocratem*:

Iratus ad pœnam si quos trahit,
Auferre mentem talibus primum solet,
Caliginemque offundit, ut ruant suas
Furenter in clades, sibi quas noxiis
Accersierunt ultro consiliis mali.

Exempla.

1. XERXI, IV. *Persarum Regi*, Artabanus patruus ejus gravi & prolixa oratione expeditionem in Græciam dissuadebat; sed frustra: Ipse namque potius Mardonii juvenis arrogantis & ambitiosi consilium sequutus, suisque viribus confisus, expeditionem illam suscipiebat. Verum successu infelici. Nam multa militum suorum millia à Græcis cæsa amisit, adeoque ipse trepidus turpi fuga è Græcia in Persiam rediit: uti *Herodotus lib.* 7. describit.

2. Simile exemplum h. l. habemus in DARIO CODOMANNO. Plura vide in Historia Xerxis.

XIX.

IV. LEVITAS IN VESTITU. Nam Darius in principio Regni vaginam acinacis Persici jussit mutari in eam formam, qua Græci utebantur; protinusque Chaldæi interpretati, Imperium Persicum ad eos transiturum, quorum arma esset imitatus. *Gregoras.*

AXIOMA.

Mutatio vestitus usitati plerumque adfert mutationem animi & vitæ, & tandem etiam status publici. Qui enim vestes patrias mutant, una quoque mores patrios exuunt, & aliarum gentium, quarum vestitum imitantur, mores induunt; sicut *Poëta* recte ait:

Affectus patrios patria cum veste relinquunt.

Et *Ecclesiasticus cap.* 19. *v.* 27. inquit: *Amictus risus & incessus, produnt hominis ingenium.* Unde signum est impendentis mali, aut mutationis status publici, quando regio aliqua vel urbs, patriis vestibus mutatis, exoticas assumit.

Exempla.

1. JUDÆIS mirum in modum Chaldæorum vestitus ac habitus arridebat. Nam *Ezechiel. c.* 23. *v.* 15. scribit, quod Judæi in urbe Jerosolyma more *Babyloniorum* atque *Chaldæorum* TIARAS TINCTAS, bunte Kogeln/ in capite suo gestarint, atque super eos in concupiscentia oculorum suorum insaniverint: In Ebræo textu habetur סרוחן טבולים *Seruche tebulim*, h. e. *excessus tiararum tinctarum*, i. e. variis coloribus infectarum. Nam Babylonii gestabant in capitibus suis tiaras coloratas, & in longitudine atque latitudine excedentes, qualia capitis gestamina hodie Turcæ habent. Ita *Exod. cap.* 26. *v.* 12. *Extensio excedens* in cortinis tabernaculi, vocatur סרח. Et *Amos.* 6. *v.* 4. extensiones vel excessus super grabbatis eorum vocantur סרוחים überfluß an Betten/ à rad. סרח redundavit, excessit, tum in longitudine, tum in latitudine luxuriavit. Nam in luxuria est excessus & redundantia. *Lutherus* locum *Ezechielis cap.* 23. pulchrè reddidit: Bunte Kogel auff ihren Köpfen. Et in notis margin. addit: Kogel heisset Ebreisch Seruch; wie Mose *Exod.* 26. *v.* 12. das übrige an den Teppichen nennet. Vnd ist ein Kogel/ wie vorzeitem die Magistri vnd Studenten Kogeln trugen / da viel vnnützes Tuch umb den Kopf her hing. Das wahren rechte Babylonische Seruchim/oder Chaldeische Kogeln. Hæc *Luth.* Unde videre est, qualem Judæi excessum in gestamine tiararum Babylonicarum commiserint. Neque sane hoc illi impune tulerunt. Nam *Sophoniæ c.* 1. *v.* 8. Deus Judæis per Prophetam hisce verbis comminatur: Et erit in die hostiæ Domini, *visitabo super Principes, & super filios Regis*, & super omnes, QUI INDUTI SUNT VESTE PEREGRINA. Idem Deus comminatur *Ezechielis c.* 23. *v.* 22, 23, 27. Ego, inquit Jehovah, suscitabo omnes amatores tuos contra te, nempe filios Babel & omnes Chaldæos, & venient super te armis, curribus, *&c.* nasum tuum & aures tuas præcident, ipsi filios tuos & filias tuas capient, & DENUDABUNT TE VESTIMENTIS TUIS, *& tollent vasa gloriæ tuæ.*

Impleta est hæc Dei comminatio in Zedekia ultimo Rege Judæ, ejusque filiis, & civibus Jerosolymitanis, qui à Nabuchdonosore in captivitatem Babylonicam abducti sunt. 2 *Reg.* 25. 1, 2, 7. *& seqq.*

II. DARIUS ultimus Rex Persarum VAGINAM ACINACIS PERSICAM mutari jussit in eam formam, qua GRÆCI utebantur. Quod statim Chaldæi inter præsagia transferendi Imperii Persarum, à Dario ad Græcos, quorum arma esset imitatus, recensebant *Gregoras.*

III. A-

III. ALEXANDER M. regno Darii potitus, ſimiliter fertur PURPUREUM DIADEMA, diſtinctum ALBO, quale DARIUS habuerat, capiti circumdediſſe, veſtemque Perſicam ſumſiſſe: & quamvis ille ſe ſpolia Perſarum geſtare diceret, tamen vere mores cum illis induiſſe, & ſuperbiam habitûs animi inſolentiam ſecutam fuiſſe, manifeſtum fuit: Unde & milites & amici tantum in eum odii conceperunt, ut illi eum relinquerent, iſti veneno mortem moliti fuerint. *Curtius lib. 6. de geſtis Alexandri pag. 224. Athenæus lib. 12. cap. 18.*

IV. GERMANI quoque noſtri veſtitum ſubinde variant, ut nunc Gallos, nunc Italos, nunc Hiſpanos, imò ipſos etiam Turcas nonnunquam æmulentur. Qua de re ſequentem audi narrationem. Demandabat quidem *Turcicus Imperator* egregio pictori, ut omnium populorum habitus & veſtimenta artificioſe exprimeret. Obſequitur ille, & juſſus paret, quantum conſequi induſtria poteſt, ac cuique genti ſua attribuit veſtimenta. Ad extremum hominem nudum appingebat, cui aliquot ulnas panni humero dependentes attribuit. Rogatus vero, quis iſte eſſet, & quid hoc facto ſibi vellet? Reſpondit, Germanum hunc eſſe, cui perpetuam veſtimenti formam aſſignare non poſſit; ut qui ſubinde veſtimenta variet, & novis formis delectetur. *Manlius in Locis Commun.* Ita certe res ſeſe habet. Olim magna Germanorum in veſtitu, uti etiam multis aliis in rebus fuit gravitas; nunc vero gravis eorum in veſtitu varietas, imo vero multis in locis inſignis levitas eſt: adeo ut nos Germani Germaniam in ipſa Germania requiramus, & vix inveniamus. Nam noſtri, proh dolor, Germani, una cum veſte, mores quoque & animum Germanum exuunt; & aliarum, quarum habitus veſteſque æmulantur, gentium mores moros induunt, juxta illud Poëtæ:

Affectus patrios patria cum veſte relinquunt.

Quare viri ſapientes ſæpe ominati ſunt, verendum eſſe, ne aliquando exteri veniant repetitum ſuos colores & habitus, & furtivis nudata cornicula coloribus, omnibus riſum moveat; uti *Horatius lib. 1. Epiſt. 3.* ſcribit. Ah, quod metuerunt, nunc illis, proh dolor! evenit. Deus oculis gratiæ patriam noſtram dilectiſſimam reſpiciat!

V. De POLONORUM veſtitu *Clemens Janitius* idem ſcribit:

Aut Turcæ turba iſta favet; quia gaudet amictu
Illius: aut omen res habet iſta malum.

PARENESIS.

At omnes nationes atque gentes ſint monitæ, ne veſtes patrias temere leviterque mutent. Iſta namque temeraria veſtium mutatio.

I. Eſt VITIOSA, ſchändlich. Quia eſt contra τὸ πρέπον, conſuetum ſemelque receptum habitum toties mutare. Eſt namque inſignis levitatis ſignum. Quia cum veſte patria patrii mores atque virtutes exuuntur. Pulchre *Bernhardus* inquit: Quid de HABITU dicam? in quo jam non *calor*, ſed *color* requiritur, magiſque cultui veſtium, quam virtuti inſiſtitur. *Idem* ait: Vanum *Cor*, vanitatis notitiam ingerit corpori. Exterior enim ſuperfluitas (adde, & novitas) interioris vanitatis indicium eſt. Mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tantum curaretur corporis cultus, niſi prius neglecta fuiſſet mens virtutibus. Quare recte de hiſce novatoribus dici poteſt:

In veſtimentis non eſt ſapientia mentis.

Cum quo congruit pulchellum *Ovveni* de veſtibus epigramma:

Antiquata viget novitas, renovata vetuſtas
Naſcitur, & Veteres nunc novitate placent.

II. Eſt IGNOMINIOSA, ſchimpflich. Quia illi homines, qui exoticarum veſtium adeo ſunt avidi, magnam ignominiæ maculam apud alias nationes ſibi inurunt. Nonne enim probroſum nationi fuit Germanicæ, quod pictor, juſſus ab Imperatore Turcico, ut omnium nationum habitus ac veſtimenta artificioſe exprimeret, & ipſe cuique nationi ſua veſtimenta attribuiſſet, ad extremum HOMINEM NUDUM pinxerit, cui aliquot ulnas panni humero dependentes adjecerit, & rogatus cauſam, Imperatori reſponderit: *Germanum hunc eſſe, cui perpetuam veſtimenti formam aſſignare non poſſit, ut qui ſubinde veſtimenta variet, & novis formis delectetur?*

Adagium eſt ſapientum: Αἶσυπὸς ὄρνις. h. e. *Afra avis.* Hoc non inepte quadrat in hominem peregrino habitu notabilem. Singulari obſervatione dignum eſt, quod in *lingua ſancta* VESTIS dicatur בגד. Quæ vox notat duo: 1. *Perfidiam. Jeſai. 24. 16. Jerem. 12. v. 1. 2. Veſtem. Levit. 13, 47. Levit. 7. v. 27. 2 Reg. 9, 13.* Quo inſinuatur, quod veſtis ſit perfidiæ Protoplaſtarum noſtrorum erga Deum nota. At ejuſdem perfidiæ rei ſunt etiam illi, qui temere novos affectant habitus, iiſque ſuperbiunt & ſuperbiendi materiam aliis præbent.

Probe hoc ipſum intellexit AUGUSTUS Imperator, qui, cum pro concione multos videret palliatos, indignabundus: *En*, inquit, *Romanos rerum dominos, gentemque togatam!* Adeo ſtudebat priſcos reducere mores, ut habitum quoque veſtitumque doluerit immutatum. *Eraſmus lib. 4. Apophthegmatum.*

III. Est EXITIOSA, ſchädlich. Quia Deus hujuſmodi veſtium novatoribus pœnas tum temporales tum æternas minatur; uti tum comminatio divina; *Ezech.* 23. *verſ.* 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30. & *Sophoniæ* 1. *v.* 7, 8, 9. tum judiciorum Dei exempla, quæ antea ſunt enumerata, clariſſime oſtendunt. In hanc ſententiam *Gregor. in Homil.* eleganter inquit: Sunt nonnulli, qui cultum ſubtilium precioſarumque veſtium non putant eſſe peccatum. Quod videlicet ſi culpa non eſſet, nequaquam ſermo Dei tam luculenter exprimeret, quod *dives, qui torquebatur* apud inferos, BYSSO & PURPURA indutus fuiſſet.

Quare qui novo & alieno indui gaudet veſtimento, non habet melius, quam *novum & peregrinum veſtimentum Jeſu Chriſti*, quem in Baptiſmo induit, in eo gaudeat, eoque triumphet. *Gal.* 3. *v.* 27. *Rom.* 13. *v.* 14. Sicut *D. Hieronymus* loquitur.

II. ACTA POLEMICA.

XX.

Tria Darius Codomannus *bella* cum Alexandro M. Rege Macedoniæ, & Duce totius Græciæ, unanimi Græcorum conſenſu & ſuffragiis conſtituto, geſſit. 1. *Ad Granicum.* 2. *Ad Iſſum.* 3. *Ad Gaugamela.* Primum per Duces: ſecundum vero & tertium per ſe ipſum geſſit.

PRÆLIUM I. ad GRANICUM.

XXI.

I. ACTA ANTE PUGNAM.

1. *Ducum Perſicorum conſultatio, & ſaniorum conſiliorum aſpernatio.* Cum Duces Perſici de ratione belli gerendi in Concilio (ut vocant) bellico conſultarent, MEMNON Rhodius ſuadebat, non hoſtem intra Regni viſcera admittendum, ſed totam belli molem in Macedoniam transferendam eſſe. Verum ſaluberrimo ejus conſilio locus tum relictus haud fuit.

2. *Superbiſſima Darii Legatio.* Darius in valido ſuo confiſus exercitu (quippe qui conſtabat centum millibus peditum & decem millibus equitum, cum Alexander tantum triginta duo millia peditum, & quinque millia fere equitum haberet) ſuperbiſſimo & glorioſiſſimo titulo ſe *Regem Regum, ac conſanguineum Deorum; Alexandrum vero famulum ſuum* appellans, mandatum Ducibus ſuis dederat, ut inſanientem iſtum Philippi adoleſcentulum (ſic enim Alexandrum per contemtum nominabat) verberibus puerilibus graviter cæſum, ac veſte purpurea poſtea indutum ſibi vinctum traderent. Hoc ſane erat magna cum inſolentia triumphum canere ante victoriam.

II. ACTA IN PUGNA.

XXII.

Memnon cæterique Duces Perſici, omni quo inſtructi erant exercitu in Phrygiam contendentes, prope Granicum fluvium caſtra ponunt, & ſperantes ſe mandato & exſpectationi Regis ſui ſatisfacturos, Alexandrum, dum magno animo Granicum flumen tranſit, invadunt. Cruentum committitur prœlium. Alexander ipſe fortiſſime dimicat, *Mithridatem* Darii generum, ejuſque fratrem *Roſacem*, alioſque præſtantiſſimos Perſarum Duces, manu ſua proſtravit, quanquam non ſine periculo. Nam cum *Spithridates* ſecuri alterum ei ictum intentaret, *Clitus* equo accurrens, eum inhibuit, ſecuri in humerum ejus impacta, brachiumque ejus diſcindens. Tandem Perſæ in fugam ſunt conjecti. Scribunt Hiſtorici, peditum 20000, equitum 2000 & quingentos in prælio occubuiſſe, captos ad 20000: De exercitu vero Alexandri paucos deſideratos fuiſſe. *Diodorus Sicul. Plutarchus, Arrianus.*

III. ACTA POST PUGNAM.

XXIII.

Statim poſt hanc victoriam magna rerum mutatio facta eſt. Nam Alexander SARDES urbem Regiam cum ingentibus theſauris occupavit. MILETUM acerrime oppugnatam deditione cepit. HALICARNASSUM urbem maximam magnis operibus & ultimo diſcrimine ſuorum, cum triarii tandem inſignem operam præſtitiſſent, expugnavit, captamque ſolo adæquavit. Inde totam Phrygiam & littoralem Aſiam ad Ciliciam uſque ſibi ſubjecit. *Diodor. lib.* 17. Totam quoque Cariam ſubactam ADÆ Reginæ, quæ mandato Darii à Duce quodam Perſico inde pulſa erat, reſtituit, eique gubernandam ſubjecit.

PRÆLIUM II. ad ISSUM.

XXIV.

I. ANTE PRÆLIUM.

1. *Darii conſultatio.* Darius, mortuo Memnone, egregio bellatore (qui hoc re ipſa agebat, ut totum bellum ex Aſia in Macedoniam transferretur) conſultans de bello, cum idoneum Ducem non inveniret Alexandro opponendum, ipſe proficiſci in bellum conſtituit. Quare conſcribit exercitum quater centenorum millium peditum & centum millium equitum, qui Babylonem conveniant, ut inde

contra

contra Alexandrum caſtra moveat. *Diodorus Siculus lib.* 17.

2. *Saniorum conſiliorum aſpernatio.* Nam *primo* Darius *Charidemum* Athenienſem, artibus Imperatoriis præſtantem, quia utilia quidem, ſed Perſis haud grata ſuadebat, ferociter occidit: de quo §. XVIII. dixi. *Deinde* conſilium *Amyntæ* Macedonis, ſuadentis ut locum pugnæ ſatis amplum & opportunum eligeret, in quo ingentem equitum atque peditum commode explicare poſſet exercitum, ne aſtu hoſtis circumveniretur. Verum Darius ex faſtuoſa ſuperbia, quæ homines excæcat, exercitum ſuum ex ſpatioſiſſimo Aſſyriæ, quem elegerat, campo, fruſtra diſſuadente Amynta, in anguſtias locorum deducebat; ſperans ſe Alexandrum, quem fugæ ſibi elapſurum metuebat, in iſtis anguſtiis ita concluſurum, ut exitum, quo elaberetur, non inveniret. *Arrianus, Curtius, Diodorus Siculus.*

XXV.

II. In Prælio.

1. *Alexandri prudentia & fortitudo.* Cum autem Alexander Magnus immenſas illas hoſtium copias in anguſtias montium deductas videret, qui ſibi ad explicandam phalangem commodus, hoſtium vero copiis ob multitudinem ingentem incommodus eſſet, hanc Dei providentiam agnovit, (ſicut Arrianus ſcribit) Deumque pro ſe pugnare dixit: ideoque cum divino auxilio humanam prudentiam conjungens, non modo cavebat, ne ab hoſtium multitudine cingeretur, ſed etiam cornu dextro ſiniſtrum eorum præteriens, ex obliquo in oppoſitos ſibi hoſtes irruebat, eoſque in prima acie conſiſtens fortiterque pugnans in fugam conjecit. Darius, ubi exercitum ſuum diſſipatum vidit, & ipſe fugam capeſſens equæ celeritate, quam deſiderium relicti pulli in beſtia auxit, inſequentes evaſit; ſicut *Ælianus* ſcribit. In fuga autem gravi correptus ſiti, cum aquam turbidam & cadaveribus inquinatam bibiſſet, negavit, unquam ſe bibiſſe jucundius. Nunquam videlicet ſitiens biberat. *Cicero lib.* 5. *Tuſculan. Queſt.* Simile exemplum de Artaxerxe Mnemone Plutarchus in Artaxerx. & Maximus Tyrius ſerm. 35. narrat. Ita impletum eſt in eis Adagium *Prov.* 27. *v.* 7. *Anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumit.*

XXVI.

III. Post Prælium.

1. *Caſorum multitudo.* E Perſis multi Duces bellicoſiſſimi & centum triginta millia militum ceciderunt: Cum ex parte Alexandri tantum peditum triginta duo, equitum centum & quinquaginta deſiderarentur, & 504 ſauciati eſſent. *Arrianus, Plutarchus, Curtius* addit hoc epiphonema: *Tanto impendio ingens victoria ſtetit!*

2. *Captorum multitudo.* Capta quoque in tentorio Darii, mater ejus Siſygambis, uxor Statira, filius Ochus ſexennis, & binæ filiæ jam nubiles, cum univerſa familia. Et ſcribit *Plutarchus*, quod Alexander devicti Darii tentorium ingreſſus, viſiſque voluptatum apparatibus magnificentiſſimis, ad comites ſuos dixerit: *Quid? Num hoc eſt regnare?*

3. *Alexandri Magni clementia atque continentia.* Alexander cum uxorem & matrem Darii totumque gynæcéum in luctu videret, eas humaniter ſalutavit, βασιλικῶς tractavit, nullaque contumelia affici permiſit. Cum uxorem Darii Statiram, quæ omnium feminarum formoſiſſima erat, & reliquas captivas forma & ſtatura eximias, videret, per jocum dixit: Εἰσὶν ἀλγηδόνες ὀμμάτων αἱ Περσίδες. Perſicæ mulieres ſunt oculorum dolores. Formæ autem earum ſpectaculo continentiæ ſuæ pulchritudinem opponens, tanquam exanimes imagines prætermiſit. Quod Perſicus nuncius narrans Dario, hiſce eum verbis ornavit: *Alexandrum & in præliis acerrimum, & in victoria clementem eſſe.* Δεινὸν μαχόμενον, χρηστὸν ἢ κρατοῦντα. *Diodorus Siculus, & Curtius.* Clementiam quoque admirandam erga Mortuos declaravit Alexander. Nam ſepelire quos vellent Perſarum ei permiſit, veſtibus ad hoc & ornatu de præda conceſſit.

Prælium III. ad Gaugamela.

XXVII.

Poſtremum hoc prælium inter Darium & Alexandrum non apud Arbela (ut quidam Hiſtorici tradunt) ſed apud Gaugamela factum eſt. Quæ vox Perſarum lingua *domum Cameli* notat: atque inde nomen hoc habere fertur, quod Rex quidam antiquis temporibus camelo curſorio (quem dromedarium vocant) ex hoſtibus ſervatus, eam ibi collocaverit, pagoſque & reditus certos ad curam ejus deſtinaverit. Cum enim Darius cruento prælio ad Iſſum ab Alexandro victus, fugatuſque eſſet, literas in Syriam (ubi tunc Alexander ex Ægypto reverſus commorabatur) miſit, quibus ipſi & regnum ampliſſimum, & filiam *Statipnam* cum infinitis theſauris offerebat. Gratior enim debet eſſe Principibus pax honeſta, quam victoria

ctoria cruenta. Verum Alexander hanc conditionem rejecit, niſi Darius ſupplex regni arbitrium Victori permitteret, ſeque inferiorem profiteretur: cum ſicut mundus neque duos ſoles; ita neque duo ſumma regna ſalvo terrarum ſtatu habere poſſit. *Diodorus Siculus lib.* 17. Idcirco Darius, fruſtra pacificatione & captivorum redemtione tentata, nova etiam (qua ad delenda inter Principes odia vetera nihil accommodatius judicatur) affinitate repudiata, tertio, & quidem copiarum ſuperiorum duplicato numero, bellum inſtaurat, (habuit enim ad octingenta millia peditum, & ducenta millia equitum,) prœliumque cum Alexandro ad Gaugamela in campo aperto cruentum init: Sed ab eo tandem vincitur, atque in Bactra fugatur. *Diodorus Siculus* ſcribit, in pugna illa Perſarum peditum atque equitum plures nonaginta millibus cecidiſſe: è Macedonibus vero circiter 500 tantum deſideratos eſſe.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

XXVIII.

1. *Exitus Darii tragicus.* Darius ab Alexandro M. cum exercitu fuſus fugatuſque, per loca arduа atque aſpera in Bactra vel Ecbatanam Mediæ Regiam celerrime contendit. Quem Alexander non minori celeritate inſequitur. BESSUS, ubi Alexandrum adventurum cognovit, cum *Nabuzarne* militum Præfecto conſpirans, Darium aureis compedibus vinctum in cuſtodia tenuerunt: mox è cuſtodia eductum, & ſordido vehiculo pellibus undique tecto ac clauſo impoſitum huc illuc raptarunt; cumque aliquamdiu eum traxiſſent, ad extremum equum conſcendere negantem nefario ſcelere trucidarunt, A. M. 3641. ante C. N. 330. poſtquam vixiſſet annos 50, & regnaſſet 6. *Diodorus Siculus, Strabo, Plutarchus, Arrianus, Juſtinus, Curtius.*

USUS.

Hinc videmus, quam graviter Deus, juſtus ille mundi Judex, qui humilia reſpicit, *Pſal.* 113. 6. & ſuperbis reſiſtit, 1 *Petr.* 5. *v.* 5. ſuperbiam hujus Darii puniverit, eumque extremo ſervorum ſuorum, quos juratiſſimos ſibi & devinctiſſimos eſſe putabat, ludibrio expoſuerit, ut, qui tanti *caput* ſuum recumbere, & *pedes* ſubniti voluerit, tanti etiam manibus pedibuſque vinciretur. Sic fert humana conditio, ut, cum faſtigium ſuum longe ſupergreſſa ſit, concidat. Quod utinam Reges & Principes ſatis animadverterent, animadverſumque meminiſſent. Pulchre & vere *Ovidius* inquit:

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo:
Et ſubito caſu, quæ valuere, ruunt.

Exemplum habemus in Dario, ultimo Perſarum Rege, qui modo ſummus in orbe Monarcha erat, mox à ſervis atque amicis ſuis, quos putabat fideliſſimos, captus, catenis aureis vinctus, ſordido vehiculo impoſitus, huc illuc raptatus eſt. Atque ita uno die Monarchia à Perſis ad Græcos tranſlata. Horribile eſt hoc exemplum, quod monet nos *de judicio Dei*, qui Regna mundi propter multa magnaque ſcelera hominum horribiliter mutat. Dicamus ergo cum Rege Davide ex *Pſalm.* 119. *v.* 120. *Horruit à timore tui caro mea*: A JUDICIIS enim TUIS METUI.

XXIX.

11. *Oratio Darii* ἐπιτάφιος. Darius jamjam moriturus à *Polyſtrato* Macedone agnoſcitur, eique poſtrema verba loquutus eſt: Alexandro igitur hæc perferri jubet: *Se nullis in eum meritorum officiis maximorum illi debitorem. Agere tamen ei maximas gratias pro beneficiis in matrem, conjugem, liberoſque ſuos impenſis. Iis enim & vitam & priſtini ſtatus reverentiam ac dignitatem conceſſam: ſibi autem à cognatis atque amicis, quibus & regna & vitam dederit, illa omnia erepta eſſe.* Precari ſe, ut illi victori terrarum omnium imperium contingat; *ultionem ſceleris erga ſe perpetrati non ſolum ſua, ſed exempli omniumque Regum cauſa non negligere, illi cum decorum tum utile futurum.* Jamque deficiens aquam poposcit; quam allatam poſtquam bibit, Polyſtrato qui eam tulerat; Quiſquis es mortalium, inquit, hoc mihi extremum univerſæ calamitatis genus accidit, ut pro tanto in me beneficio dignas tibi grates referre nequeam; ſed referat Alexander: Alexandro vero Dii, pro ejus ſumma in meos humanitate ac clementia; cui hoc fidei regiæ unicum DEXTERÆ pignus pro me dabis. Hæc dicentem, accepta Polyſtrati manu, lingua cum vita deſtituit.

XXX.

111. *Beſſi ſupplicium.* Cum Darius tam crudeliter, & horribiliter à Ducibus ſuis multis vulneribus confoſſus exſpiraſſet, Alexander citato curſu poſtera die ſupervenit; ſed eum vivum non invenit. Audiens vero eum à ſuis amicis trucidatum, ad inquirendos eos exercitum ſubmiſit. *Beſſus* à *Speramene* vinctus catena, ad Alexandrum adductus eſt, qui Regem ſuum non ſolum prodiderat, ſed etiam interfecerat. Quem viſum Alexander vehementer

menter exeandeſcens, hiſce verbis alloquutus eſt: *Cujus fera rabies occupavit animum tuum, cum Regem de te optime meritum prius vincire, deinde occidere ſuſtinuiſti?* Quibus dictis, Alexander eum dilacerari fecit directis arboribus duabus in unum deflexis, quarum utrique corporis partem alligavit: Inde laxatæ ambæ, atque impetu in altum relatæ, partem utraque ſuam retinuere.

XXXI.

IV. *Darii ſepultura.* Alexander, qui incredibili celeritate Darium inſequutus fuerat, jam defuncto ſupervenit. Ubi autem corpus mortui vidit, lacrymas effudit, demtaque ſibi chlamyde illud contexit, & regio ornatum cultu Suſas ad matrem Siſygambem miſit. Quæ eum regio more ſepelivit. *Diodor. Sicul. l.* 17.

XXXII.

V. FINIS MONARCHIÆ II. Ita Monarchia II. in & cum Dario CODOMANNO ultimo Perſarum Rege exſtincta eſt. Præfigurata eſt *παραλληλία* hæc in viſione *Daniel. cap.* 8. *verſ.* 7. & 11. ubi legitur, quod ARIES BICORNIS ſit proſtratus ab HIRCO CAPRARUM, quodque nemo arietem liberare potuerit. Ubi per ARIETEM BICORNEM intelligitur Darius Codomannus, ultimus Rex Medorum & Perſarum: Per HIRCUM vero CAPRARUM Rex Græcorum, hoc eſt, Alexander Magnus; interprete ipſo Angelo *Dan.* 8. 20, 21. Alexander namque Magnus Darium ultimum devicit, & arietis duo cornua comminuit, hoc eſt, Regnum Medorum & Perſarum per duo illa cornua adumbratum evertit. Et nemo potuit arietem è manu hirci liberare, hoc eſt, nemo Darium à poteſtate Alexandri Magni liberare potuit. Et licet Darius ingentem pecuniæ ſummam partemque regni dimidiam Alexandro Magno offerret, tamen nihil obtinere potuit. Quia Alexander Magnus ſolus mundi Dominus ſalutari voluit.

Duravit hæc Monarchia, ſi ſupputationem exacte inſtituamus juxta annos, quibus ſinguli Regum Perſicorum regnarunt, 206 annis. Nam

Darius Medus	regnavit annos	2.	
1. *Cyrus*		30.	quidem, ſed tantum 5, vel juxta alios 7 annis, ut Monarcha, regnavit.
2. *Cambyſes*		8.	quibus 7 menſes Magorum incluſi ſunt.
3. *Darius Hyſtaſpis*		36.	
4. *Xerxes*		21.	quibus 7 menſes Artabani includuntur.
5. *Artaxerxes Longimanus*		40.	quibus duo menſes Xerxis II. ſunt incluſi.
6. *Darius Nothus*		19.	quibus 7 menſes Sogdiani ſunt incluſi.
7. *Artaxerxes Mnemon*		40.	
8. *Ochus*		23.	
9. *Arſes*, vel *Arſames*		4.	
10. *Darius Codomannus*		6.	

Summa durationis Monarchiæ II. ſunt 206.

SOLI DEO GLORIA.

DE MONARCHIA TERTIA,

Quæ eſt

GRÆCORUM,

LIBER III.

TRACTATIO GENERALIS.

PRÆCOGNITA.

IN *Præcognitis* hujus Monarchiæ notanda ſunt *quatuor capita*. 1. *Monarchiæ* III. *Appellatio*. 2. *Typica præfiguratio*. 3. *Generalis ejus delineatio*. 4. *Monarcharum catalogus, vel enumeratio*.

CAPUT I.

1. De Monarchiæ III. Appellatione.

Hæc MONARCHIA TERTIA vocatur *Monarchia* GRÆCORUM, vel MACEDONUM: non quod caput ejus, ſive Monarcha ſemper è Græcia, vel Macedonia fuerit; ſed à primo ejus conditore ita vocatur, nempe Alexandro M. qui natione fuit Græcus, & quidem Macedo: quo mortuo ſucceſſores ejus Monarchiam hanc inter ſe diviſerunt, qui pariter Græci fuerunt, & Græcam linguam, uti ſolent Monarchæ, in regnis ſuis conſervarunt.

CAPUT II.

2. De Typica Monarchiæ tertiæ præfiguratione, ejuſque explicatione.

Hæc Monarchia in *triplici viſione* præfigurata eſt.

In *Prima* VISIONE, quæ extat *Daniel.* 2. *v.* 32, 39. præfiguratur per *Ventrem aneum*, & *Fœmora anea*.

In *Secunda* VISIONE, quæ extat *Daniel.* 7. *v.* 6. præfiguratur per *pardum alatum* & *quadricipitem*.

In *Tertia* VISIONE, quæ extat *Daniel.* 8. *v.* 8. præfiguratur per *hircum caprarum quadricornem*.

1. *Explicatio primæ viſionis.*

De MONARCHIA III. viſio prima extat *Daniel.* 2. 32. quæ talis eſt: *Hujus ſtatuæ caput ex auro optimo erat; Pectus autem & brachia de argento: porro venter & fœmora ex ære.* Poſtea *v.* 39. ſubjungitur *interpretatio* Danielis Prophetæ, quæ talis eſt: *Poſt te conſurget regnum aliud minus te, argenteum* (intellige regnum *Medorum* & *Perſarum*) *& regnum tertium aliud aneum*, (intellige *Monarchiam* vel regnum *Græcorum*) *quod imperabit univerſæ terræ*.

In hac viſione *tria* ſunt notanda.

Primo, MONARCHIA III. comparatur *ventri*: idque *tribus de cauſis*.

1. *Propter* ORDINEM & SUCCESSIONEM. Sicut enim venter ſubjacet pectori & brachiis: Ita quoque tertia Monarchia, ſive Regnum Alexandri M. proxime ſucceſſit regno Perſarum, quod comparatur pectori & brachiis argenteis. *Dan.* 2. 32.

2. *Propter* ATTRACTIONEM & DISPERSIONEM. Sicut enim venter omnem cibum ad ſe trahit, & tamen diu eum in ſe non retinet, ſed ſtatim ad alia membra tranſmittit & diſpergit: Ita quoque Alexander M. plurima regna ſubegit, ſuoque imperio ſubjecit; diu tamen ea non poſſedit, ſed moriens Ducibus ſuis illa diviſit, iiſque poſſidenda reliquit.

3. *Propter* INTEMPERANTIAM & FOEDAM EBRIETATEM. *Venter* eſt typus hominum intemperantium, & ebrioſorum; ſicut Paulus inquit *Phil.* 3. 19. quod ipſorum Deus venter ſit. Ita Alexander Magnus helluationibus & commeſſatio-

fationibus deditus erat, ſæpe totas noctes potando conſumebat, imo noctibus quoque dies jungebat, in exercitu potationum certamina inſtituebat, amplo cæteros vincenti conſtituto præmio. *Curt. l.* 5. de eo ſcribit, quod ingentia animi bona & illam indolem, qua omnes reges anteceſſit, intolerabili vini cupiditate fœdaverit. *Athen. lib.* 10. *cap.* 11. ita de eo ſcribit: Cum Alexander Protheæ bibaciſſimo Macedoni poculum ingens, quod bicongium capiebat, propinans exhauſiſſet, Protheas illud accepit, ac viciſſim idem Alexandro propinavit; qui rurſus illud ebibit, ſed perferre non potuit. Nam mox poculo è manibus elapſo, in pulvinar reclinatus acmorbo correptus, decubuit, atque interiit αὐτοφόνος, h. e. ſui ipſius homicida factus.

Secundo, comparatur hæc MONARCHIA III. FOEMORIBUS, *v.* 23. quibus ſignificatur laſcivia & Veneris intemperantia, non tam Alexandri, quam ſucceſſorum ejus Ptolemæorum, in regno Ægypti Regum, quibus ſolenne erat ſorores ſuas in uxores ducere. Nam Alexander Magnus, licet ebrioſus fuerit, non tamen adeo laſcivus & luxurioſus fuit. Quia ebrioſi ſicut vino ſopiunt ſenſus: ita quoque ſemen prolificum diluunt & diſſipant, atque oroxin ad Venerem ſopiunt hebetantque.

Tertio, MONARCHIA III. comparatur ÆRI, ſive VENTRI ÆNEO, & FOEMORIBUS ÆNEIS: idque propter *tres rationes* ſequentes.

1. *Propter* HEROICAM ALEXANDRI M. FORTITUDINEM. Sicut enim æs eſt firmum & durum, & aptius ad arma inde conficienda, quam argentum: Ita quoque Alexander M. Perſis fuit bellicoſior, quia fuit Mavortius heros, non niſi Martem & arma ſpirans: ipſe enim inter tubarum clangorem, & armorum æneorum ſtrepitum, & fragorem ſemper verſabatur, iiſque tanquam Muſica jucundiſſima delectabatur. *Joſephus lib.* 11. *Antiquit. Judaic.* de eo ſcribit; quod ipſe, cum militum 30000 duntaxat haberet, auſus fuerit acie congredi cum Dario Codomanno, qui exercitum haberet multorum centenorum millium, ita ut crederet non ipſe tantum Darius, ſed etiam omnes Aſiam inhabitantes, Macedones ad conflictum belli cum Perſis, propter multitudinem, non venturos.

2. *Propter* NOMINIS CELEBRITATEM. Sicut enim æs, quod valde vocale & ſonorum, ſonum edit magnum & clarum, eumque longe lateque diffundit: ita quoque magna fuit fama & gloria rerum geſtarum Alexandri M. quæ ſubito toto orbe inſonuit, omniumque Regum & Principum famam & gloriam longiſſime ſuperavit, adeoque præcelluit, ut certatim ſe ei ſubjicerent, aut fœdus cum eo inirent. Fuit igitur Alexander æs ſonans, & cymbalum toto orbe tinniens. *Curtius* de eo ſcribit Tantus nominis ejus terror univerſum orbem invaſerat, ut cunctæ gentes velut jam deſtinato ſibi Regi adularentur. *Juſtin.* addit, tantam fuiſſe Alexandri felicitatem nominiſque celebritatem, ut nullo unquam cum hoſte congreſſus ſit, quin eum vicerit; nullam civitatem obſederit, quin eam expugnaverit; nullam gentem adierit, quin eam calcaverit: denique præſente Alexandro tantam fuiſſe militum ejus fiduciam, ut armatos hoſtes vel inermes ipſi adoriri non dubitarent, ſemperque certam animo præſumerent victoriam. Unde Lyſippus ſtatuarius, ut amplitudinem imperii Alexandri adumbraret, finxit ex ære Alexandrum ſupina facie cœlum ſuſpicientem, ſubjectis hiſce verſibus:

Æreus in cœlum ſuſpectans, fare, quid ajat,
Juppiter. Aſſervi terram mihi, tu aſſere cœlum.

3. *Propter* FELICITATEM & VICTORIARUM CELEBRITATEM. Sicut enim clangor tubam derepente pervadit: Ita Alexander brevi tempore, nempe duodecim annorum ſpatio, orbem terrarum ſibi ſubjecit. Nam anno ætatis vigeſimo regnare cœpit, & anno trigeſimo ſecundo, quo mortuus eſt, omnia ſubegit. Quam ob cauſam Appelles Alexandrum pinxit fulminiferum: & quidem tam ad vivum, ut vulgo diceretur, duos eſſe Alexandros; unum Philippi filium, nullis viribus ſuperabilem; alterum opus Appellis, nulla arte imitabilem. Fuit tanta ejus in præliis felicitas, ut tribus præliis victor, uno ad Granicum amnem, altero ad Iſſum Ciliciæ, tertio ad Arbela, ut tradunt multi, vel ſecundum *Strabonem* & *Plutarchum*, ad Gaugamela, imperium Aſiæ rapuerit, cum tantæ eſſent hoſtium copiæ, ut Darius 1000000 militum haberet; ideoque jactaret, ſe pro uno milite Alexandri denos in ſuo exercitu habere.

II. *Explicatio ſecundæ Viſionis.*

Dan. 7. 6. Extat ſecunda Viſio Danielis Prophetæ, quæ talis eſt: *Poſt hæc adſpiciebam: & ecce, alia* (beſtia) *quaſi pardus; & alas habebat, quaſi avis, quatuor ſuper ſe: & quatuor capita erant in beſtia: & poteſtas data eſt ei.*

In hac viſione notanda veniunt *quatuor*. 1. Quare Alexander M. comparetur *pardo*. 2. *Pardo alato*. 3. *Pardo quadricipiti*. 4. Quid ſignificent verba illa: *Poteſtas data eſt ei.*

1. *De nominis Etymologia.*

Pardus Ebraice dicitur נמר, Chaldaice נמרא, Arabice נמר; inplurali נמרים, Chaldaice נמרין, Arabice נמור, Græce πάρδος, ὁ παρδάλις, ἡ παρδάλεις. *Apocal.* 13. *verſ.* 2. Καὶ τὸ θηρίον ὃ εἶδον, ἦν ὅμοιον παρ-

παρδάλει. *Et beſtia quam vidi, erat ſimilis pardali.* Latine dicitur pardus, pardalis, panther. Panthera eſt animal maculoſum, ſive variis maculis reſperſum: unde etiam nomen habet. Nam dicitur panthera à πᾶν omne, & θήρ fera; quod omnium fere ferarum coloribus diſtinguatur, & ſplendeat: quia nulla beſtia nominari poteſt, cujus colorem non aliqua ſui parte repræſentet. Quidam Latine *variam* appellarunt. *Oppian. l. 3. de venat. v. 463.* αἰολόμιτον, *Ovid. l. 3. Metam. v. 666. pictam* cognominavit Hinc apud Plautum, pantherinum genus hominum accipitur pro vario, & *Plin. lib. 13. cap. 15.* menſæ pantherinæ ſunt, quæ in vertice criſpæ, vel intorto venarum diſcurſu variegatæ ſunt.

2. *Definitio.*

Pardus eſt animal ferum & aſtutum, in Aſia & Africa familiare, in Europa peregrinum, pellem habens brevibus quibuſdam macularum oculis variegatam: mas vocatur pardus, & panther; femina frequenter panthera & pardalis appellatur.

NOTA.

Solinus Polyhiſtor c. 21. putat, *pardum & pantheram*, duas & diſtinctas animalium ſpecies eſſe. At contrarium ſtatuit *Ariſtoteles*, *Dioſcorides*, *Gaza*, & alii, qui dicunt, eandem eſſe ſpeciem, idemque animal: quæ ſententia vera eſt.

Primo, comparatur *Alexander M. pardo*, ob *ſeptem* potiſſimum *cauſas.*

1. *Propter quantitatem.* Sicut enim pardus eſt fera quantitate exigua: non enim leonem, vel elephantem, ſed canem venaticum adæquat: ita quoque Alexandri regnum admodum tenue habebat initium. Nam tenuis erat apparatus, & parvus exercitus, quo orbem ſubjugare aggreſſus eſt. Siquidem numerus copiarum quas ad debellandum Orientem in Aſiam tranſmiſit, non ad 40000 militum ſe extendebat; commeatum, non niſi ad 30 dies ſufficientem ſecum tulit, & in ſtipendium militum 70 talenta ſecum habuit; uti *Plutarchus* refert: Tanta apparatûs exiguitate incertum eſt, inquit *Juſtinus*, utrum ſit mirabilius, Alexandrum viciſſe orbem, an vincere aggreſſum eſſe.

2. *Propter odoris ſuavitatem.* Sicut pardus ſuaviſſimum ex toto corpore ſpirat odorem; uti *Ariſtot. l. 8. Hiſtor. anim. c. 6. Plin. l. 8. c. 17.* tradunt: Ita quoque ex Alexandri M. corpore jucundiſſimus odor emanavit; quia temperamento humido & igneo præditus erat: uti *Plutarchus in vita Alexandri* tradit. Gignitur enim odoris ſuavitas, juxta Theophraſti opinionem, concoctis à calore humoribus. Unde aridi & fervidi tractus terrarum odorum ſunt feraciſſimi. Deinde, ſicut pardus fragrantia corporis animalia ad ſe attrahit: Ita quoque Alexander M. multo plures virtutis opinione, & famæ nominiſque magnitudine, quam armis, ſubegit.

3. *Propter aſtutiam & calliditatem. Ariſtoteles lib. 8. Hiſtor. Animal. c. 6.* & *Plinius l. 8. c. 17.* de pardo ſcribunt, quod naturæ ſagacitate & prudentia polleat. Nam frondibus arborum ſe occultat, & odorem jucundiſſimum emittit, quo dorcades, capras, hinnulos, ſimias, aliaſque beſtias ad ſe attrahat, arripiat atque laceret. *Ælian. l. 5. c. 40.* Hac de cauſa de rege Nabuchdonoſore dicitur *Ferem. 5. v. 6.* quod ſit *pardus vigilans* ſuper civitates Judæorum, h. e. quod obſervet civitates eorum, dum eas arcte obſidet, & excubat, ut nemo ex iis egredi poſſit, quin protinus ab eo capiatur. Ita etiam Alexander M. ſagacitate ſua atque conſiliis, vel ſapientiſſimos ſenes vicit.

4. *Propter celeritatem.* Sicut pardus eſt animal velociſſimum & celerrimum; uti dicitur *Hab. 1. v. 8.* Velociores (leviores) pardis equi ejus (nempe regis Chaldæorum:) nam pardus eſt rapidiſſimus ſaltu, quo plus quam curſu valet: quare quando in venationibus canes antevertere nequit, & in eo eſt, ut capiatur, tum ſaltu in arborem volat, unde mox in canes porro excurrentes inſilit, coſque unguibus comprehenſos proſcindit: Ita quoque in Alexandro M. incredibilis fuit animi vigor & celeritas ingenii, quod etiam de *Julio Cæſare lib. 7.* ſcribit *Plinius*, velut quodam igne volueris. Unde exiguo temporis ſpatio, nempe 13 fere annorum, orbis notiora ſibi ſubegit. Interroganti igitur cuidam, unde tantas res tam brevi temporis ſpatio tam feliciter confeciſſet, reſpondit hoc apophthegmate: Μηδὲν ἀναβαλόμενος. hoc eſt, Quia nihil ſum procraſtinatus.

5. *Propter ferociam & crudelitatem.* Sicut pardus eſt animal ferociſſimum & crudeliſſimum: nam quando occaſio illi offertur, ſummo cum impetu ruit in oculos hominum; ſicut Baſilius annotat: Ita quoque Alexander M. fuit ferociſſimus. Quia perpetuus periculorum, & mortis in eo erat contemtus. *Plutarchus* de eo ſcribit; Superabat fortunam audaciâ, & vires virtute, nihilque cenſebat audentibus inexpugnabile, vel munitum eſſe animoſis. Cum quo conſentit *Juſtinus*, ita ſcribens: Periculoſiſſima quæque aggrediebatur, & ubi confertiſſimos hoſtes acerrime pugnare conſpexiſſet, eo ſe ſemper ingerebat, periculaque ſua, non militum, eſſe volebat.

6. *Propter macularum varietatem.* Sicut pardus

dus eſt animal maculoſum, ſeu varias maculas habens: unde etiam phantera appellatur, quod nempe omnium animalium colores aliqua ſui parte referat: unde adagium exſtat *Jeremiæ* 13. 23. Num mutare poteſt pardus varietates ſuas? Ita quoque in Alexandro M. inſignis magnarum virtutum atque vitiorum mixtura fuit.

7. *Propter vinolentiæ fœditatem.* Sicut pardus vino & venere delectatur; & non vi capitur, ſed vino ebrius opprimitur: Quando enim venatores hanc pardi naturam ſcientes, eum capere volunt, obſervatis ejus latebris, collocant ibi cymbia vino repleta: ſtatim pardi vini odore ex antris eliciuntur, & cum ad cymbia veniunt, avidiſſime vinum bibunt, eoque hauſto diſcurrunt, una ludunt, & præcipites in venerem proſiliunt: deinde ebrii & coitu fatigati ſopiuntur, atque ita ſopiti capiuntur à venatore: Ita etiam Alexander Magnus, qui nullis laboribus, nullis periculis ceſſit, non manu hoſtium, ſed vino oppreſſus interiit. De quo venuſti verſiculi *Philippi Melanchthon.* notandi ſunt:

Aſpice Pellæum pardum, quo pulchrior alter
Non fuit in toto, quem vicerat, orbe; nec unquam
Res ſimiles geſſit quiſquam brevioribus annis.
Confectos ætate ſenes, bellique labore,
Conſiliis vicit cunctos, in flore juventæ.
Ergo illi nocuere nihil, nec tela, nec hoſtes;
Sed fœda ebrietas & deſidioſa voluptas.

Secundo, comparatur PARDO ALATO. *Evant*, inquit *Daniel*, *quatuor alæ quaſi volucris in dorſo ipſius. Hæſce quatuor pardi alas* diverſimode interpretantur docti.

1. *Quidam* intelligunt *victoriarum celeritatem*, quod nempe ipſe duodecim fere annis totam Aſiam magnamque Africæ & Europæ partem ſubegerit.

2. *Quidam* intelligunt *animi magnitudinem, vigorem & ingenium*, quaſi igni volucre. Quod etiam J. Cæſari tribuit *Plinius l. 7. c. 25.* Et *Plutarchus* in Cæſare ita ſcribit: Julius Cæſar amicis ſic ſcripſit, cum primo congreſſu Pharnacem viciſſet: Veni, vidi, vici. Quæ voces eo ipſo quod ſimiliter deſinunt, celeritati indicandæ haud parum congruunt. Idem & de Alexandro Magno dicendum.

3. *Per quatuor Alas* intelligi poſſunt *quatuor Satrapæ, vel Duces Alexandri, una cum exercitibus ſuis*, quorum opera & adminiculo tot regiones atque regna ſubjugavit. Sicut enim brachia per metaphoram denotant Duces belli, *Dan.* 11. 22, 31. ita quoque alæ. Nam ſicut alæ ad latus avium poſitæ ſunt, & latius extendi poſſunt: Ita quoque alæ per metaphoram notant latera, & diſpoſitos integri exercitûs ordines. *Jeſai.* 8. 1. Erit *extenſio alarum ejus implens latitudinem terræ tuæ, ô Immanuel.* In hiſce verbis Sennacherib vocatur aquila: Alæ ejus ſunt copiæ militares; hæ impleverunt terram Emanuelis, hoc eſt, Judæam. *Ezech.* 17. 3. Nabuchdonoſor vocatur aquila grandis magnarum alarum, h. e. multos ſub ſe habens populos & numeroſos exercitus, quos ille ſecum traxerat. Hæ enim ſunt alæ militares; *Dan.* 9. 27. Per alam abominationis deſolantem, legiones exercitûs Romani deſolationem urbi Jeroſolymæ inferentes, & ob idololatriam abominabiles, intelliguntur. Ita *Dan.* 7. 4. leoni Babylonico alæ aquilinæ tribuuntur: de quo vide *Monarchiam noſtram l. in Præcognitis §. 5, 6.*

4. *Per quatuor haſce Alas* intelligunt *alii abominandam Alexandri ambitionem*, & *inſanam divinitatis affectationem.* Non enim illi ſat erat terrarum orbi dominari, niſi etiam in cœlum volare contenderet, divinos honores concupiſcens, ſibique arrogans, quia pro filio Jovis Hammonis haberi, & ut Deus adorari volebat.

Tertio comparatur PARDO QUADRICIPITI. *Per* QUATUOR CAPITA pardi intelliguntur quatuor Dynaſtiæ vel regna principalia, in quæ Monarchia tertia, Alexandro ipſo defuncto, à quatuor Ducibus ejus eſt diviſa. Nam 1. Philippus Aridæus Macedoniam, 2. Antigonus Aſiam, 3. Seleucus Syriam, 4. Ptolemæus Lagi Ægyptum occupavit.

Quartò additur: *Et poteſtas data eſt ei* (beſtiæ.) Quibus verbis *imperium Alexandri dupliciter* deſcribitur.

1. *Materialiter*, quod videlicet Monarchiæ Macedonicæ tanta fuerit potentia, quæ toti terrarum orbi vel ſolo nomine formidabilis fuit.

2. *Originaliter*, quod videlicet tantum Alexandri imperium, non ipſius prudentiæ aut fortitudini, ſed divinæ providentiæ adſcribendum ſit. Per Deum enim Reges regnant. *Prov.* 8. & *Dan.* 2. *v.* 21. Et ipſe manus bellatorum præliari docet. *Pſalm.* 144. 1. Atque hoc etiam ipſe Alexander M. confeſſus eſt. Cum enim ipſe Jeroſolymam veniſſet, atque vidiſſet Jaddum Judæorum Pontificem, qui pontificali habitu ornatuque decoratus extra urbem ei proceſſerat, protinus ad illius pedes ſe abjecit, eumque adoravit. Deinde interrogatus à Parmenione: Cur præter morem ei Pontifici tantum honorem exhibuiſſet, reſpondit: Non hunc hominem adoravi; ſed Deum in illo, cujus Sacerdotii principatu fungitur, quia in eodem habitu &

ornatu, in ſomno mihi viſus eſt, cum in Dio urbe Macedoniæ adhuc verſarer; cumque animo meo de bello adverſus Perſas ſuſcipiendo agitarem, idem mihi certam victoriæ ſpem oſtendit: exinde arbitror, divino auxilio me directum Darium viciſſe, atque potentiam Perſarum ſuperaſſe.

III. *Viſionis explicatio.*

Exſtat *hæc viſio Daniel.* 8. 5. Verba hæc ſunt: *Ecce hircus caprarum veniebat ab Occidente ſuper faciem totius terræ, & non tangebat terram. Porro hircus habebat cornu inſigne, inter oculos ſuos. v. 6. Et venit uſque ad arietem illum cornutum, quem videram ſtantem ante fluvium, & cucurrit ad eum cum ira fortitudinis ſuæ. v. 7. Cumque appropinquaſſet prope arietem, efferatus eſt in eum, & percuſſit arietem, & fregit duo cornua ejus; & non poterat aries reſiſtere ei: cumque eum proſtraviſſet in terram, conculcavit eum; & nemo poterat liberare arietem de manu ejus. v. 8. Hircus autem caprarum magnus factus eſt nimis: cumque creviſſet, fractum eſt cornu magnum, & orta ſunt quatuor cornua conſpicua pro illo per quatuor ventos cæli.* v. 21. extat explicatio Danielis. *Porro, hircus caprarum Rex Græcorum eſt, & cornu grande, quod erat inter oculos ejus, ipſe erat Rex primus. v. 22. Quod autem fracto illo, ſurrexerunt quatuor pro illo, quatuor regna de gente ejus conſurgent, ſed non in fortitudine ejus.*

In *hac viſione* Monarchia tertia deſcribitur *dupliciter. 1. A titulo gemino: Generali & Speciali. 2. Ab Exercitio.*

I. TITULUS GENERALIS *eſt, quod dicitur Alexander M.* HIRCUS CAPRARUM.

Per hunc *hircum caprarum* intelligitur *Rex Græcorum*; ſicut Angelus explicat *v.* 21. Inprimis autem Alexander Magnus, idque ob octo rationes ſequentes.

1. *Ob juvenilem ætatem.* Quia ſicut hircus caprarum phrati Ebræa eſt hircus adhuc lactens in caprarum grege: Nam Ebræis ſolenne eſt, animalia juvenilia exprimere per genitivum matris: Ita Alexander M. adhuc erat juvenis cum regnare cœpit, nempe 20 annorum.

2. *Ob virium imbecillitatem.* Sicut hircus caprarum, qui adhuc ſequitur & fugit matrem ſuam, viribus longè inferior eſt ariete; Ita etiam regnum Græcorum, ſive Macedonum Dario bellum inferentium, & opibus & copiis Perſis longe inferius fuit. Nam Alexander M. Dux Græcorum adverſus Perſas declaratus, & Helleſpontum ex Europa in Aſiam trajiciens, prælium que ad Granicum flumen cum Dario Codomanno committens, peditum 30000 duntaxat, equitum 5000 ſecum duxit, qui exercitus cum Darii exercitu comparandus nullo modo erat; uti *Arian. lib. 1. Hiſt. de expeditione Alexandri M. p.* 12. ſcribit.

3. *Ob ſagacitatem.* Sic Alexander M. dicitur hircus caprarum, h. e. Dux vel Princeps Græcorum: hircus enim ducem vel gubernatorem populi ſignificat. *Zach.* 10. *v.* 3. Et ſic recte Alexander HIRCUS. Græci autem CAPRÆ appellantur, ob animi mobilitatem, ſagacitatem & ingenii acumen. Nam ſcribit *Plin. lib.* 8. *c.* 50. quod capræ ſagacioris ſint ingenii, acutioris viſus, & ad motum agiliores, quam oves: & hiſce dotibus Græci Perſas longiſſime ſuperarunt.

4. *Ob* CELERITATEM. Sicut hirci ad motum ſunt agiles: *Plin. l.* 8. *c.* 50. unde hircus dicitur עתיר vel עתיד à velocitate & celeritate, à radice עתד volavit, maturavit; à qua radice etiam deſcendit vox עתד avis circumvolitans, quæ in aëre circumgyratur: Ita etiam Alexander M. in rebus bellicis & in victoriis conſequendis fuit celerrimus. Unde etiam PARDO ALATO comparatur. *Dan. c.* 7. *v.* 6.

5. *Ob* FORTITUDINEM. Sicut hircus grandeſcens fortior eſt ariete: Quomodo enim aries comparari poteſt cum hirco, qui barba & villis hirſutis, longis cornibus armatus, capite erectus, fronte torvus, & oculis acer eſt? Ita quoque Alexander M. Dario Codomanno Rege Perſarum fortior fuit, eumque vicit.

6. *Ob* PUGNAM, *ſive* CORNUTATIONEM. Sicut hirci cum arietibus pugnare ſive cornutare ſolent: Ita quoque hircus, h. e. Rex Græciæ, ſive Alexander M., cum ariete Perſico, h. e. Dario Codomanno, qui per arietem adumbratur, *Dan.* 8. 4. pugnavit, eumque vicit. *v.* 7.

7. *Ob* PRÆMII DONATIONEM. Sicut Olympiade 47. A. M. 4610. certantibus in agone τραγῳδοῖς, h. e. HIRCUS in præmio dabatur; uti *Euſeb. in Chronic.* ſcribit: Ita quoque Alexander M. cum Dario Codomanno ultimo Perſarum rege certans, eumque vincens, HIRCI nomen & omen velut victoriæ præmium adeptus eſt: idque juxta Danielis præfigurationem.

8. *Ob* VITAM BREVIOREM. Hircus vitæ eſt brevioris. Nam ante ſextum ætatis annum conſeneſcit: quia ex ingenti libidine vires corporis debilitat, & prorſus exhaurit; uti *Columella* docet: quo ipſo brevis vita, atque breve regnum

gnum Alexandri M. denotatur. Nam ipse anno vigesimo ætatis regnare cœpit, & anno ætatis trigesimo tertio mortuus est.

TITULUS SPECIALIS.

CORNU, קרן.

1. Per hoc *Cornu* adumbratus est *Alexander M.* Sicut enim hircus robur suum præcipuum & maximum in cornibus habet, quibus in obvios incurrit, eosque ferit; juxta illud Poëtæ:

——— *Cornu ferit ille, caveto:*

Ita quoque maximum & præcipuum regni robur, est in Rege ejusque præsentia. Exemplum Alexandri hoc ostendit. Nam scribit Justinus, tantam fuisse Alexandri felicitatem, ut nullo unquam cum hoste congressus sit, quin eum devicerit; nullamque civitatem obsederit, quin eam expugnarit; nullam gentem adierit, quin eam calcaverit: denique præsente Alexandro, tantam fuisse militum ejus fiduciam, ut armatos hostes vel inermes ipsi adoriri non dubitarent, semperque certam animo victoriam præsumerent.

II. *Daniel hoc Cornu* διττῶς describit. 1. *Ab adjuncto.* 2. *à subjecto.*

1. *Ab* ADJUNCTO. Sic vocat illud *vers.* 21. *Cornu* MAGNUM vel GRANDE הקרן הגדולה. Et *v.* 5. vocat illud קרן חזות CORNU VISIONIS. Ein ansehnlichs Horn. Revera enim Alexander rerum gestarum magnitudine præ cæteris regibus conspicuus fuit. Unde etiam *Magni* cognomen accepit; sicut hoc loco à Daniele prædictum est: quia post eum plura, sed minora cornua, h. e. Reges Græcorum regnarunt; sicut *Dan. v.* 8. inquit.

2. *A* SUBJECTO. Quando ibidem dicit, *quod cornu illud inter oculos hirci fuerit.* Per hoc quidam præfiguratos fuisse aiunt prudentes Alexandri Magni Duces. Sed melius est, si dicamus, quod per *cornu inter oculos* intelligatur Alexandri Magni potentia cum admiranda prudentia conjuncta atque temperata. Sicut enim animalia unicornia cornu habent inter oculos, quo eorum vis atque potentia, quam inter animalia habent, celebratur, *Num.* 23. *v.* 26. Deus dicitur Israëli esse, ut robur unicornis, *Psalm.* 92. 10. Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum, h. e. potens & fortis ero: Confer *Job.* 39. 12, 13, 14, 15. ubi robur & fortitudo monocerotis vel unicornis describitur: Ita Alexandri Magni potentia atque fortitudo inter omnes Reges terræ eminuit. Δευτέρως tamen, & secundario, per cornu inter oculos hirci intelligi possunt sapientes & sagaces Alexandri Duces, Parmenio, Clitus, & Philotas. Nam sæpe Alexander cum impetu ruebat; hi autem Duces sagaces, atque prudentes, impetum ejus prudentia sua moderabantur. Nam à Clito in prælio ad Granicum, cum de vita periclitaretur, conservatus est.

II. *Ab* EXERCITIO, h. e. *Rebus gestis* HIRCUS *describitur tripliciter.*

1. Ratione *Ortus.* 2. *Progressus.* 3. *Egressus.*

1. *Ratione* ORTUS describitur à Daniele crescens ejus status. Circa hunc Ortum hirci *tria* sunt notanda:

I. *Hirci adventus.* Qui describitur

ratione
- 1. *Termini*
  - 1. *A* QUO. Sic *hircus caprarum veniebat ab Occidente, vers.* 5. h. e. ex Macedonia, quæ occidentalis est respectu Persiæ & Asiæ, quas sibi subjecit.
  - 2. *Ad* QUEM. *v.* 5. *Veniebat super faciem* (superficiem) *totius terræ*, hoc est, totam Asiam occupabat, adeoque totam illam terram, in qua tum Daniel erat, cum hæc visio ipsi offerretur.
- 2. *Modi. vers.* 5. *Nequaquam attingebat terram.* Quibus verbis incredibilis Alexandri in bellis conficiendis & victoriis consequendis celeritas designatur: Ita namque ille victoriis volabat, non secus ac fulmen cito penetrat ab ortu ad occasum. Unde *Dan.* 7. 6. *Pardo alato* comparatur. Et *Curtius l.* 5. scribit: Nullam virtutem Regis istius magis, quam celeritatem, laudaverim.

II. *Hirci cum ariete conflictus. v.* 6. *Venit autem ad illum usque* ARIETEM BICORNEM, (h. e. Regem Persarum) quem videram stantem ante fluvium, & incurrit in illum in furore roboris sui, [בחמת בחו] h. e. in robore ira accenso *v.* 7. Cum igitur viderem illum pervenientem ad arietem istum, exacerbavit se contra illum arietem. Quibus verbis insinuatur, quod hircus (h. e. Alexander M.) impetu in arietem facto (h. e. in Darium Codomannum) eum prostraverit, h. e. occiderit.

III. *Conflictus eventus* est victoria. De qua *v.* 7. Daniel ait: *Et fregit ambo cornua illius, & non erat virtus in ariete ad consistendum coram eo; & dejecit eum in terram, & conculcavit illum: nec erat qui eriperet arietem illum è manu ipsius:* hoc est, duo regna, quæ notantur per DUO CORNUA, in suam potestatem redegit Alexander, postquam Codoman-

domannum ultimum Perſarum Regem devicit; id quod factum eſt in tertio prælio ad Arbelam inter Alexandrum & Darium commiſſo, in quo Darius & vitæ & regno utroque (nempe Medorum & Perſarum) privatus eſt.

2. *Ratione* PROGRESSUS, in quo *florens hirci ſtatus* deſcribitur. *v.* 8. Et *hircus caprarum magnus factus eſt admodum.* Quibus verbis Regni Græcorum ſtatus florens deſcribitur: quia devicto & interfecto Dario, Græcorum potentia Duce Alexandro M. mirum in modum crevit: quoniam regnum Medorum & Perſarum in ſuam poteſtatem redegit; unde Alexander poſtea à rerum geſtarum gloria *Magnus* appellatus eſt, quod cognomen Spiritus S. myſtice per Danielem hoc loco prænunciavit.

3. *Ratione* EGRESSUS, in quo *decreſcens hirci ſtatus* venit notandus. Ubi *duo* ſunt conſideranda.

1. *De ipſo Alexandro Magno v.* 8. *Cum roboratus eſſet, fractum eſt cornu illud magnum.* Quibus verbis inſinuatur, quod Alexander M. in flore ætatis, cum 32 annos & 8 menſes vixiſſet, atque 12 annos & 8 menſes regnaſſet, præter ſuam & omnium hominum opinionem, violenta morte occubuerit (quod notatur per CORNU FRACTUM) in urbe Babylone, non quidem in prælio, ſed ex ardenti febri, quam ingurgitatione nimii vini ſibi attraxerat; ut vult *Athenæus*; & plerique hiſtorici: vel veneno, ut tradit *Juſtin. lib.* 12. anno 1 *Olymp.* 114. & ſcribunt *Curtius*, *Joſephus*, & alii.

2. *De ſucceſſoribus Alexandri M. v.* 8. Et *enata ſunt* (adſcenderunt) *quatuor* (cornua) *loco ejus, verſus quatuor ventos cœli.* Quibus verbis ſignificatur, quod Alexandro è vivis ſublato, ſequuta ſit regni iſtius diſtractio in quatuor regna, juxta quatuor mundi plagas, nempe juxta occidentem, aquilonem, orientem & meridiem.

Juxta	*Occidentem*	regnavit	*Philippus Aridæus* Macedoniam & Græciam.
	Aquilonem		*Antigonus* Aſiam minorem.
	Orientem		*Seleucus Nicanor* Syriam & Babyloniam.
	Meridiem		*Ptolemæus Lagi* Ægyptum.

Obſervatio.

Singulari obſervatione digniſſimum eſt, quod Alexandro M. Hieroſolymam venienti, Gaza expugnata, oblatum fuerit à Jaddo Pontifice volumen Danielis Prophetæ, atque hic locus *c.* 8. *v.* 5, 21, 22. demonſtratus, in quo arietem ab hirco h. e. Regem Perſarum à Rege Græcorum devictum ac profligatum iri Daniel prædixerat, & ipſe Angelus Domini explicaverat. Quem locum intelligendum de ſe poſtquam cognovit, Alexander in templo Jeroſolymitano immolavit Deo ex Pontificis præſcripto, & populo Judaico magna privilegia, & immunitates conceſſit; ſicut *Flav. Joſephus lib.* 11. *Antiqu. Jud. cap.* 8. ſcribit.

CAPUT III.

De generali Monarchiæ III. delineatione.

MOnarchia *tertia tres* ſunt *gradus.* 1. *Ortus.* 2. *Progreſſus.* 3. *Egreſſus.*

ORTUS hujus Monarchiæ cœpit in Alexandro M. Hic enim, victo ad Arbelam Dario, ultimo Perſarum rege, Monarchiam tertiam exorſus eſt. A. M. 3642. ante C. N. 329. Unde Alexander M. emphatice per CORNU MAGNUM vel GRANDE in fronte hirci adumbratur. *Dan.* 8. 21. Ubi Daniel ita ait: *Hircus caprarum Rex Græcorum eſt*; & *Cornu grande* quod erat inter oculos ejus, ipſe eſt Rex primus.

PROGRESSUS. In *progreſſu* hujus Monarchiæ *duo* veniunt notanda.

1. *Dilatatio.* Alexander M. admodum felici ſucceſſu hanc Monarchiam fundavit & dilatavit. Nam duodecim ferme annorum ſpatio univerſum terrarum orbem in poteſtatem ſuam incredibili celeritate redegit, adeo ut *Juſtinus* ſcribat *lib.* 12. incertum eſſe, utrum admirabilius ſit, Alexandrum viciſſe orbem, an vincere aggreſſum eſſe. Ita namque totum terrarum orbem Alexandri fama impleverat, ut cunctæ gentes ei velut deſtinato ſibi Regi adulatæ ſint. Unde *Dan.* 7. 6. *Pardo alato*, & *c.* 8. *v.* 5. *Hirco caprarum terram non attingenti*, h. e. volanti, comparatur.

2. *Mutatio.* Monarchia tertia diſtinguitur in *integram* & *diviſam. Integra* fuit tempore Alexandri M. qui victo Dario Codomanno regnum Medorum & Perſarum ad ſe tranſtulit, & cum regno Græcorum conjunxit, atque Dominus mundi factus integram Monarchiam tertiam ſolus adminiſtravit.

Diviſa autem eſt poſt mortem Alexandri Magni in quatuor Dynaſtias ſive Regna, nempe in Regnum Macedonicum, Aſiaticum, Syriacum & Ægyptiacum: quæ tamen regna ſimul juncta non habuerunt regni prioris majeſtatem, prout Angelus ipſe explicat. *Dan.* 8. 22.

EGRES-

EGRESSUS. Circa Egreſſum hujus Monarchiæ tenendum, quod juxta diſtincta 4 regna, in quæ Monarchia hæc tertia eſt diviſa, *quadruplex ejus interitus* ſit ſtatuendus. Romani enim quatuor hæc regna, in quæ Monarchia III eſt diviſa, progreſſu temporis in ſuam poteſtatem redegerunt. 1. *Aſiam minorem*, victo Antiocho Magno per L. Scipionem Proconſulem, qui ſe ab hac victoria Aſiaticum appellari voluit. *Juſtin. lib.* 31. *Livius lib.* 37. 2. *Macedoniam*. victo Perſeo, annis 156. à morte Alexandri M. 3. *Syriam*, victo Tigrane à Pompejo, anno 260 circiter à morte Alexandri M. *Juſtinus, Plutarchus, Livius*. 4. *Ægyptum* imperio Romano adjecit Auguſtus Imp. victis Cleopatra & Antonio, eamque in formam Provinciæ redegit; *Plutarch. in Anton.* annis 294 poſt mortem Alexandri Magni. *Ptolem. lib.* 3. *cap.* 8.

Duravit hæc Monarchia præciſe 300 annos. Nam à morte Alexandri ſunt anni 294. ad mortem Cleopatræ (*Ptolem.* teſte,) quibus ſi addantur ſex anni regni Alexandri à morte Darii, juxta *Arrianum* & *Diodorum Siculum*, emergit inde ſumma 300 annorum. Quæ ſententia juxta annorum ſupputationem eſt veriſſima.

CAPUT IV.

De Catalogo Monarcharum in Monarchia tertia.

I. IN MONARCHIA INTEGRA.

Regnavit Alexander Magnus, ann. 6. Initium Monarchiæ III, A. M. 3642.

II. IN MONARCHIA DIVISA.

Poſt obitum Alexandri M. tertia Monarchia in *quatuor regna* eſt diviſa. Nempe in regnum 1. *Macedonicum*. 2. *Aſiaticum*. 3. *Syriacum*. 4. *Ægyptiacum*. Unde *quadruplices* exſtiterunt Reges: 1. *Macedonia*. 2. *Aſia*. 3. *Syria*. 4. *Ægypti*.

1. *Regis Macedoniæ.*

A. M.

3648 1. *Aridæus* frater Alexandri M. tutores ſive adminiſtratores habuit, 1. Perdiccam. 2. Eo occiſo, Antipatrum. Regno præfuit annos 7, vel juxta alios, 6 cum dimidio.

3655 2. *Caſſander* Antipatri filius poſt varios tumultus innumeroſque caſus obiit poſt Aridæi mortem anno 19.

3674 3. *Philippus* Caſſandri filius regnavit annum unum.

3675 4. *Antipater* (aliis Antigonus) & *Alexander* ambo Caſſandri filii, diviſo imperio, mutuis bellis ſe conficientes, vita & regno exuuntur: regnarunt annos tres.

5. *Demetrius Poliorcetes*. Antigoni Regis Aſiæ filius, ex Aſia pulſus, regnavit annos ſex vel octo. 3677

6. *Pyrrhus* Rex Epiri, ejecto Demetrio, una cum Lyſimacho Dynaſta Thraciæ regnavit menſes 7. 3683

7. *Lyſimachus* Dynaſta Thraciæ, annos 5. 3684

8. *Ptolemæus Ceraunus*, filius Ptolemæi Lagi, primi Ægyptiorum Regis, frater Ptolemæi Philadelphi, Lyſimacho à Seleuco rege Aſiæ occiſo, rurſus Seleucum occidit, & Macedoniam invaſit. Regnavit 9 menſes. 3689

9. *Meleager* regnavit menſes duos, 3690

10. *Antipater* regnavit dies 45. 3691

11. *Soſthenes* regnavit annos 2. 3691

12. *Antigonus Gonatas*, Demetrii Poliorcetæ filius, annos 36 regnavit. 3692

13. *Demetrius* II, filius Antigoni, annos 10, 3728

14. *Antigonus* III, cognomento *Doſon*, tutor Philippi regnavit annos 13 vel 15. 3738

15. *Philippus* Demetrii II filius, vincitur à Romanis: regnavit annos 42. 3751

16. *Perſeus* ultimus Rex Macedoniæ, poſt multa facinora à *Paulo Æmylio* Conſule Romano victus, perpetuo carceri mancipatur A. M. 3803. Cujus filius operas Senatui Romano cum aliis ſcribis locavit. Ita Regnum Macedonicum pervenit in poteſtatem Romanorum. Qui debellato Perſeo Macedoniam libertate donarunt: deinde ob rebellionem Duce Pſeudo-Philippo in provinciæ formam redegerunt. 3792

II. *Reges Aſiæ Minoris.*

1. *Antigonus* Philippi Regis Macedoniæ nothus, Alexandro Magno in regno Aſiatico ſucceſſit, regnavit annos 11. 3661

2. *Demetrius* Antigoni filius, univerſam fere Græciam in poteſtatem ſuam redegerat; poſtea à Seleuco Nicanore Syriæ rege genero ſuo victus, cum regnaſſet an. 13. & cum jam ultra duos annos carceri incluſus fuiſſet, mortuus eſt. Et ſic regnum Aſiæ in poteſtatem Seleucidarum pervenit, cumque regno Syriæ conjunctum fuit, A. M. 3683. 3672

III. *Reges Syriæ.*

1. *Seleucus Nicanor*, *Daniel.* 11. *v.* 5. regnavit annos 30. 3662

2. *Antiochus* I, dictus *Soter*, Seleuci filius, annos 19. 3692

3713 3. *Antiochus* II *cognomento Theos. Daniel.* 11. *v.* 6. regnavit annos 15.

3728 4. *Seleucus Callinicus*, Thei filius. *Daniel.* 11. *v.* 7. regnavit annos 20.

3748 5. *Seleucus Cerauuus*, Callinici filius. *Daniel.* 11. *v.* 10. regnavit annos 3.

3751 6. *Antiochus Magnus*, Cerauni frater. *Daniel.* 11. *verſ.* 10, 11. regnavit annos 36 cum dimidio.

3787 7. *Seleucus Philopator*, vel *Soter*, Antiochi Magni filius. *Daniel.* 11. *v.* 20. regnavit annos 12.

3799 8. *Antiochus Epiphanes*, alias *Epimanes*; Seleuci frater. *Daniel.* 11. *v.* 21. annos 12.

3811 9. *Antiochus Eupator*, Antiochi Epiphanis filius, regnavit annos 2.

3813 10. *Demetrius Soter* annos 11.

3824 11. *Alexander Bala* vel *Veles*, regnavit annos 6.

3830 12. *Demetrius Nicanor*, Demetrii filius, annos 5.

3835 13. *Antiochus Entheus*, annos 2.

3837 14. *Tryphon*, (1 *Macc.* 11. *v.* 54.) regnavit annos 3.

3840 15. *Antiochus Sidetes*, alias *Soter*, Demetrii Nicanoris frater, (1 *Macc.* 15. *v.* 1.) regnavit annos 10.

3850 16. *Demetrius* II *Nicanor redux*, regnavit annos 3.

3853 17. *Alexander Zebenna* Syrus, regnavit annos 2.

3855 18. *Antiochus Grypus*, Demetrii filius, annos 29.

3872 19. *Antiochus Cyzicenus*, *Seleucus* V, & *Antiochus Euſebes*, item *Philippus* & *Demetrius*, inteſtina bella gerunt, regnarunt annos 8.

3890 20. *Tygranes* Rex Armeniæ exuitur regno à Romanis, & Syria in provinciam redigitur, regnavit annos 18.

IV. *Reges Ægypti.*

3648 1. *Ptolemæus Lagi* (filius, Dux) Alexandri Magni cui in regno Ægyptiaco ſucceſſit, tyrannice populum Dei afflixit. *Daniel.* 11. *v.* 5. regnavit annos 40.

3687 2. *Ptolemæus Philadelphus*, (ita dictus, quod ſororem ſuam Arſinoën in uxorem duxiſſet) *Dan.* 11. *v.* 6. annos regnavit 38.

3726 3. *Ptolemæus Evergetes* Seleucum Callinicum Syriæ regem vicit, quiſororem, Ptolemæi novercam, una cum filio interfecerat. *Dan.* 11. *v.* 6, 7, 8, 9. regnavit annos 26.

3751 4. *Ptolemæus Philopator*, (κατ' ἀντίφρασιν ita dictus) quia patrem, matrem atque fratrem interfecit, regnumque cum ſanguine auſpicatus eſt. *Daniel.* 11. *v.* 11. annos regnavit 17.

3768 5. *Ptolemæus Epiphanes* quinquennis patri ſuccedit. *Daniel.* 11. *v.* 17. regnavit annos 24.

3792 6. *Ptolemæus Philometor* Epiphanis filius per antiphraſin ſic dictus, quoniam matri inviſiſſimus fuit. *Daniel. cap.* 11. *v.* 25. 1 *Maccab.* 10. & 11. regnavit annos 35.

3827 7. *Ptolemæus Phyſcon*, ſic dictus à ſagina ventris ad inſtar farciminis turpiter inflati; alias Evergetes II per antiphraſin dictus fuit; quia fuit homo crudeliſſimus ob tyrannidem regno pulſus, in Cyprum fugit: ibique repudiatæ conjugis filium occidit, eumque truncatis capite, manibus, & pedibus, matri inter epulas miſit in feſtivitate diei natalis, regnavit annos 29.

3856 8. *Ptolemæus Lathurus*, vel *Lamyrus*, homo crudelis, interfecit multa Judæorum millia, & coëgit captivos veſci occiſorum carnibus. *Joſeph.* regnavit annos 16.

3672 9. *Ptolemæus Alexander*, frater Lathuri ejecti à Cleopatra matre, regnavit cum matre annos 10.

3882 10. *Ptolemæus Lathurus* iterum redux, pulſo ab Ægyptiis Alexandro, regnavit annos 8.

3890 11. *Ptolemæus Auletes*, ſic dictus, quod in habitu regio publice cum tibicinibus certaret, anno 26 à ſubditis regno pulſus, à Pompeio M. conſule per Aulum Gabinium in regnum reducitur, alias Dionyſius appellatur à *Diod.* regnavit annos 31.

3921 12. *Ptolemæus Dionyſius* junior, patri in regno ſucceſſit, puer vix 13 annorum, ſororem ſuam Cleopatram in regni & thalami ſocietatem aſſumſit, cumque ea regnavit annos 4.

3925 13. *Cleopatra* filia Ptolemæi Auletæ, Antonio amaſio ab Auguſto victo, per aſpides quos in theca reconditos gerebat, mortem ſibi conſcivit: atque ita Ægypti regnum in Provinciam eſt redactum, & cum ea pariter exſtincta ſtirps Lagidarum, & Monarchia III Græcorum, regnavit annos 18.

TRA-

TRACTATIO SPECIALIS.

MONARCHA I.

ALEXANDER MAGNUS.

CAPUT I.

DE ORTV.

I. APPELLATIO.

A *Lexander*, Græce Ἀλέξανδρος idem eſt atque adjutor vel opitulator, Germanice Helf-reich: Cognomento dictus eſt *Magnus*, à rerum geſtarum gloria; quod cognomen ei divinitus eſt impoſitum, atque à *Daniele* Propheta *c.* 8. *v.* 8. prædictum, ubi legitur: quod *Hircus caprarum* (per quem Alexander M. præfiguratur) MAGNUS *factus ſit nimis: cumque creviſſet, fractum ſit Cornu* MAGNUM. Quibus verbis violenta Alexandri mors inſinuatur. Ubi notandum, quod XII. Principes variarum gentium ſuper omnes alios inſignes ac memorabiles fuerint: apud Aſſyrios, celebrantur *Ninus* atque *Semiramis*; apud Ebræos, *David* & *Salomon*; apud Chaldæos, *Nabuchdonoſor*: apud Perſas, *Cyrus*; apud Græcos, *Alexander M.* apud Romanos, *C. Julius Cæſar*, & *Auguſtus*; apud Chriſtianos, *Conſtantinus M. Theodoſius M.* & *Carolus M.*

Alexander M. præterea clarus & nobilis fuit teſtimonio divinæ ſcripturæ. Nam multis annis ante à *Daniele cap.* 7. *v.* 6. imagine *Pardi alati*, & *c.* 8. *v.* 5. 21. imagine *hirci volantis* depingitur. Similiter à *Jerem.* 49. *v.* 19. & *cap.* 50. *v.* 44. *Juvenis divinitus armatus* vocatur.

II. GENERATIO.

Natus eſt Alexander M. ex duabus præcipuis in Græcia familiis. *Pater* erat *Philippus* Macedonum Rex, ex Hercule ortus: *Mater* erat *Olympias*, Neoptolemi regis Moloſſorum filia, ex Æacidarum gente.

NOTA.

Fabuloſa antiquitas credidit, *Alexandrum à Jove Ammonio genitum* eſſe, qui ſub ſpecie draconis aut ſerpentis conſuetudinem cum Olympiade habuerit: & ipſe Alexander gloriari non erubuit, ſe Jovis Ammonis filium eſſe; unde ipſius *inſignia* fuere *anguis*, infantem vix natum & adhuc madentem ſanguine ore evomens, ſicut in veteribus numiſmatis ejus ſigillum reperitur; quo ſe Jove natum per ambages oſtendebat. Unde cum Alexander aliquando ad matrem ita ſcripſiſſet: Rex Alexander Jovis Ammonis filius Olympiadi matri ſalutem dicit: Illa feſtiviſſime ita reſcripſit; Amabo, quieſcas, ne deferas me neque criminare adverſus Junonem: magnum profus illa malum mihi dabit, cum tu me literis tuis pellicem illi eſſe confiteris. *Gyrald. lib.* 15. *Hiſtor. Deorum. Varro in fragm.* Idem etiam tradunt hiſtorici de *Scipione Africano*, *Oppius lib.* 7. *Livius l.* 6. *de bello Punico*, & *Gellius* & *Suet. lib.* 1. *c.* 8. *De Auguſto Imperatore*, quod ex ſerpentibus ſint geniti. Verum quis ſatanæ ludibria in hiſce non animadvertat?

III. DIES NATALIS.

Alexander M. natus eſt anno 1. Olymp. 106. die 6. menſis ἑκατομβαιῶνος, h. e. ſi ad Calendarium Julianum reſpicias, die 6. Auguſti. Quo die *triplicis felicitatis nuncius* Philippo patri allatus fuit. 1. Quod Parmenio præfectus ejus Illyricos viciſſet. 2. Quod in Olympico certamine victor declaratus fuiſſet. 3. Quod uxor Olympias filium peperiſſet. Quibus auditis, ſublatis in cœlum manibus, dixiſſe fertur: O Dii, mediocre aliquod infortunium tot tantiſque hiſce meis felicitatibus apponatis, oro! *Jacob. Sadolet.* Vates affirmarunt, infantem, in cujus nativitate tergemina occurrerat victoria, fore invictum. *Plutarchus.* Eo ipſo die *templum Dianæ* apud Epheſios ab Heroſtrato incenſum conflagravit. Ubi Magi per urbem quaſi lymphati diſcurrentes, magnum eo die incendium alicubi Aſiæ natum eſſe, vociferati ſunt. *Plutarch. in Alexandr. Pauſan. Solin. cap.* 49. *Cicer. lib.* 1. *de Divinat.* Item *lib.* 2. *de natura Deor. pag.* 156. *Edition. Frobenian.* ita: Concinne, ut multa, *Timæus*. Qui cum in hiſtoria dixiſſet, qua nocte natus Alexander eſſet, eadem Dianæ Epheſiæ templum conflagraſſe, adjunxit, minime id eſſe mirandum, quum Diana in partu Olympiadis adeſſe voluit, abfuiſſe domo. *Hegeſias* vero *Magneſius* ita enunciavit: Merito arſiſſe templum Dianæ, dum illa in Alexandri enixu obſtetricando fuerit diſtricta.

IV. PATRIA.

Patria Alexandri M. triplex in monumentis, tum ſacris tum profanis, deſignatur.

1. *Communis* vel *generalis* fuit *Græcia*: nam *Daniel.* 8. *verſ.* 20. Alexander M. vocatur מלך יון Rex Javan, h. e. Græcorum. Prædicit ibi Daniel, quod Perſarum Monarchia per *Regem Græcia*, qui Alexander M. fuit, vaſtari debeat. Similiter *Dan. cap.* 11. *v.* 2. regnum Græcorum expreſſe vocatur regnum. Sic autem regnum Græcorum vocatur à Javan, quarto Japheti filio, *Geneſ. cap.* 10. *v.* 2, 4. quem apud Græcos Ionem vel Janum vocabant; inde etiam Græci ipſi בני היונים filii Ionum vel Græcorum appellantur. *Joël. verſ.* 6.

2. *Spe-*

2. *Specialis*, fuit *Macedonia*. Nam 1. *Macc.* c. 1. *verſ.* 1. expreſſe dicitur, quod Alexander M. fuerit Macedo, qui venerit à terra Chittim. *Verba ita ſonant*: Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου (υἱὸς) ὁ Μακεδὼν ἐξῆλθεν ἐκ γῆς Χιτίμ. Alexander (filius) Philippi Macedo, exivit è terra Chittim, & percuſſit Darium regem Perſarum & Medorum, & regnavit pro eo primus in Græcia. Jam vero ex omnibus hiſtoriis notum eſt, quod Alexander M. è Macedonia venerit, cum Darium Perſarum regem oppugnaret. Similiter *Jeſaias* 23. *verſ.* 1. ita ſcribit: Onus Tyri. Ululate, naves maris: quoniam vaſtata eſt à domo à veniendo, (h. e. quoniam vaſtata eſt, ut nulla domus ſit reliqua) nec ſit qui veniat (ſcil. ad eam:) de terra Chittim revelatum eſt eis, h. e. è Macedonia prodituri ſunt Tyri vaſtatores.

Dicitur autem *Macedonia* כתים CHITTIM vel CETIM, Græce Χιτίμ; Et ſimiliter *Macedones* incolæ iſtius regionis, dicuntur CHITTIM à Chittim tertio filio Javan, vel Ionis, nepote Japheti. *Geneſ.* 6, 10. *v.* 4. 1 *Paral.* 1. *v.* 7.

NOTA.

Per *Chittim* etiam *Romani* vel *Itali* intelliguntur, qui ſimiliter à *Chittim* filio Javan, nepote Japheti, originem habent. Nam *Suidas* ſcribit, quod Latinus Telephi filius Chittim primus in Italiam adduxerit. Ita accipitur *Daniel.* 11. 30. ubi dicitur, quod triremes ex Chittim contra Antiochum Epiphanem venturæ ſint. Ubi Romani intelliguntur. Nam Popilius Romanorum legatus Antiochum Epiphanem ad pacem, cum Ægypti rege ineundam, cogebat.

3. *Singularis* fuit civitas PELLA in Macedonia ſita, in qua Philippus rex & filius ejus Alexander nati ſunt. Unde ambo dicuntur *Pellæi* à *Lucano* & *Juvenali*. Qui de Alexandro M. ita inquit:

Unus Pellæo juveni non ſufficit orbis.

Item *Philippus Melanchthon* tale epigramma de eo concinnavit:

Aſpice Pellæum pardum, quo pulchrior alter
Non fuit in pulchro quem vicerat, orbe; nec unquam
Res ſimiles geſſit quiſquam brevioribus annis.

V. PROSOPOGRAPHIA.

Color Alexandri candidus fuit, rubro tamen ſuffuſus, præcipue in pectore & vultu: Complexio ejus fervida fuit, & indoles ignea. Ex hoc igneo corporis temperamento, non tantum illi animus ſimilis, ſed etiam ſuavis odoris fragrantia, quam ex pectore, ore, cute, totoque corpore efflabat. Nam ex non adulterato naturæ calore tum alia bona & utilia permulta, tum ſuaviſſimus odor gignitur. Quæ quidem res vel hac ratione probari poteſt, quod caſiæ, thura, cinnamomum, aliaque aromata odorifera, non niſi in Arabia aliiſque locis calidiſſimis generentur; ubi æſtu ſolis ita percoquuntur, ut igneſcant & igneos halitus exſpirent. Hinc etiam corpus Alexandri ſeptimo à morte die nulla tabe, nullo livore corruptum, ſed integrum & vivido vultu repertum eſt; teſte *Curtio*: & ob hanc miram odoris ſuavitatem Alexander M. *pardo* comparatur, *Daniel* 7. *verſ.* 6. Vide Prætognita in explicatione Viſionis 2.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

VI.

1. ACTA PUERILIA ATQUE JUVENILIA.

ALexander annos natus 15, à patre Philippo in diſciplinam *Ariſtotelis* traditus, ab eoque per quinquennium in literis & doctrinis Rege dignis inſtitutus eſt. Apud hunc præceptorem Philoſophiæ ſtudia proſequutus eſt, adeo ut dixerit, ſe malle optimarum rerum ſcientia quam potentia antecellere. Didicit ab Ariſtotele *Ethicam*, *Politicam*, & *ſecretiores ſcientias*; quas ἀκροαματικὰς, & ἐποπτικὰς, ab auditione & inſpectione philoſophi nominabant, & paucis impertiebantur. Unde cum Ariſtoteles libros iis de rebus edidiſſet, in Epiſtola eum objurgavit Alexander hiſce verbis: Quod ἀκροαματικὰς edidiſti diſputationes, non recte abs te factum eſt. Qua enim in re aliis præſtabimus, ſi quibus diſciplinis inſtituti ſumus, jam omnibus ex communes fuerint? Ego ſane mallem optimarum rerum peritia, quam potentia excellere. Ariſtoteles ſe excuſans reſpondit: Ita editas eſſe diſputationes illas, ac ſi non editæ eſſent. Nam etſi palam exſtent; obſcuritatis tamen plurimum illa habere, ac difficulter ſine voce præceptoris percipi poſſe.

In Medicina quoque non tantum Theoretica, ſed etiam Practica diligenter ſe exercuit, & amicis ægrotantibus medicinam fecit, & curandi victuſque rationes quaſdam præſcripſit.

Leonides quoque pædagogus ei à patre fuit adjunctus. Hic cum diſcipulum videret in puericia valde largiter thura aris ingerentem, monuit eum, ut tum demum, cum thuriferas regiones ſubegiſſet, illo modo ſupplicaret. Cujus rei memor Alexander, Arabia jam potitus, miſit ei navem thure onuſtam, exhortans eum, ut in Deos parcus eſſe deſineret. *Plinius lib.* 12. *cap.* 14.

11. *Ingenium* ejus tale erat, quod cogi omnino nollet; facile autem ad officium traheretur rationibus, & ſermone ad perſuadendum apto. De quibus

quibus ingeniis aureum illud *Quintiliani* dictum obſervandum eſt: Mihi detur ille puer, quem laus excitet, quem gloria juvet, qui victus fleat. Hic erit alendus ambitu, hunc honor excitabit, hunc objurgatio mordebit, in hoc deſidiam nunquam verebor.

3. *Gratitudo erga Præceptorem.* Alexander præceptorem ſuum *Ariſtotelem* non minus quam patrem dilexit. Unde interrogatus à quodam, quemnam plus diligeret, patremne, an vero Ariſtotelem? reſpondit ille, Ariſtotelem, & addit hanc rationem: Quoniam à patre accepi, ut viverem; à præceptore vero accepi, ut bene viverem. Et ipſe Philippus pater Ariſtotelem in ſummo pretio habuit. Unde ei in hæc verba ſcripſit: Gratias ago Diis, non tam quod mihi natus eſt filius, quam quod eum naſci contigit temporibus vitæ tuæ. Spero enim, ut à te edoctus, dignus exiſtat & nobis, & tanto regno. Inſuper etiam præmia doctrinæ præclara & digna ei dedit. Nam Stagiram patriam ejus, antea à ſe dirutam, inſtauravit; & cives, qui diffugiſſent, vel ſervirent, reſtituit.

4. *Documenta ingenii illuſtria.* Documenta ingenii atque induſtriæ illuſtria Alexander in juventute edidit. Cum *Equum Bucephalum* ferocem adeo, ut aulicorum nemo aſcendere eum auderet, ſic moderatus eſt, ut facili eo ad equitandum uteretur.

Hiſtoria ita ſe habet:

Equus Bucephalus Philippo regi 13 talentis venalis adductus fuerat (h. e. 7800 coronatis;) ſed cum Rege inſpiciente, neque ſeſſorem, neque vocem cujuſquam admitteret, ſed in omnes inſurgeret; ac propterea pro effero & inutili haberetur: Alexander, qui aderat: Qualem, inquit, iſti equum rejiciendum putant, quem præ mollitie & imperitia tractare nequeunt? Philippus, cum initio diſſimulaſſet, ſæpe idem repetenti, & indignanti: Tune, ait, ſenioribus obloqueris? quaſi rectius aliquid iis noveris, aut equum melius tractare poſſis? Equidem, reſpondit Alexander, commodius, quam hi faciunt, equum hunc tractaverim. Sin vero minus, inquit pater, quas tuæ temeritatis pœnas perſolves? Pretium equi, ait, profecto pendam. Riſu adhæc oborto, & mox pecunia definita, accedens ad equum habena comprehenſum, adverſus ſolem obvertit. Animadvertit enim, ideo domari equum ab aliis non poſſe, quod umbræ motu, quæ oculis obverſabatur, conſterneretur: Deinde cum paululum eum palpaſſet, manuque inducta leniter demulſiſſet, ſenſim abjecta chlamyde, ſe in eum extulit, ac tuto inſedit; & progreſſus initio leni paſſu, in curſum poſtea concitavit. Quæ res ſollicitudinem injecit ſpectantibus: ſed poſtquam audacter & cum gaudio, equo retro acto, rediit, omnium acclamatione ſublata: Pater hoc ſpectaculo ita permotus eſt, ut lacrymis præ lætitia effuſis, caput deſcendentis ab equo filii oſculatus ſit, dicens: ὦ fili, aliud regnum tibi par quære. Macedonia enim te non capit.

NOTA.

Bucephalus duplicem habet *Etymologiam.*

1. *Quando accipitur propriè*; ſic derivatur à βοῦς, bos, & κεφαλὴ, caput: quod nempe capite bovis præditus fuerit, ut vult *Gellius lib. 5. cap. 2.* Sic dicimus κυνοκέφαλος, capite canis præditus.

2. *Quando accipitur metaphoricè*, tum ſignificat caput valde magnum, ſicut bos habet. Sic de capitone dicimus: Ille habet caput bovis, vel bovinum, h. e. juſto majus. Nam particula, βοῦ, quando nominibus jungitur, eſt αὐξητικὸν, h. e. intenſiva: Ita equus Alexandri bucephalus appellatur à capitis magnitudine; quod nempe caput tam magnum atque bos habuerit.

Bucephalus quando accipitur
- *Propriè*, ſic equus Alexandri ita dicitur, quod *caput bovis* habuerit.
- *Figuratè*, ſic dicitur,
  1. *Ob capitis magnitudinem*; nempe quod habuerit caput quaſi bovis, h. e. caput magnum.
  2. *Ob viſionem*; quod aſpectu torvo eſſet.
  3. *Ob imaginem*; quoniam imaginem, vel inſigne tauri capitis armo impreſſi gerebat.

Hic autem *Equus Bucephalus in deliciis Alexandri fuit*, non ob capitis magni monſtroſitatem, ſed ob fidelitatem. Quia licet nudus conſcendendum ſe equiſoni ſuo morigerum præberet, tamen quando in dorſo ſuo regiis phaleris, atque bullis ornatus erat, inſidere nullum alium patiebatur: Alexandrum verò, cùm vellet aſcendere, ſponte ſuâ genua ſubmittens excipiebat. Credebatur ſentire, quem veheret, ſicut *Curtius lib. 6.* ſcribit.

Bucephalus quoque Alexandro fidelis in præliis fuit. Nam *Gellius* de eo ſcribit *lib 5. cap. 2.* quod, licet vulneribus altis in cervice atque in latere perfoſſus, tamen è mediis hoſtibus Alexandrum vivaciſſimo curſu retulerit; atque ubi eum extra tela extulerat, illicò conciderit & exſpiraverit. Et ob hanc fidelitatem Alexander Bucephalo mortuo *ſepulcrum* fieri curavit, tumulumque erexit, atque in ejus demortui memoriam *Bucephalam Indiæ urbem* condidit, ſic dictam ab equo Bucephalo, qui ibi cecidit in prœlio, quo vicit Porum Indiæ regem. *Plinius lib. 6. cap. 20. Strabo lib. 15.*

USUS.

Prov. 20. verſ. 11. Salomon rex tale ponit Adagium: *Ex ſtudiis ſuis cognoſcitur puer, ſi munda & recta ſint opera ejus.* h. e. Ex verbis atque factis puerorum, velut ex indubitatis argumentis, indoles eorum vel bona, vel mala perſpicitur; h. e. an generoſi, an vero degeneres ſint futuri; aut ad quam artem naturali inclinatione ferantur, aut quodnam vitæ genus olim præ cæteris ſint amplexuri.

Exempla.

Exempla elegantiſſima habemus in Alexandro M. 1. Nam Philippus hoc de filio ſuo Bucephali domitore præſagiebat, ipſum regno Macedonico nequaquam fore contentum, ſed aliud majus ſibi acquiſiturum. *Plutarch. in Alexandr.*

II. *Idem Alexander* modo ex ephebis excedens, Babylonem auſus eſt atque Suſa ſperare, atque adeo imperium orbis terræ ſibi ſpondere, 30000 peditum; & 4000 equitum fretus. *Plutarchus.*

III. Inſuper *Alexander* puer etiamnum cum vidiſſet, quam feliciter parens bella gereret, nequaquam gaudebat, ſed ad pueros æquales dicebat: Pater nihil mihi relicturus eſt. Illis contra dicentibus; Imo illa omnia, quæ bello jam ſubegit. Quid profuerit, (inquit Alexander:) ſi multa hæreditario jure poſſideo, ego autem nihil habeam, quod agam, & militem patri ſimilem me eſſe oſtendam? Vides indolem in puero ad imperium plane pronam! *Plutarchus in Apophthegmatis.*

IV. *Eidem Alexandro* ad bellum pergenti ſuadebat *Ariſtoteles* præceptor, exſpectandam eſſe perfectam ætatem, & tunc bella gerenda eſſe. At vereor, inquit ille, ne, dum perfectam ætatem exſpecto, audacem & ferventem perdam juventutem. Ideoque ille uſus fuit hoc Symbolo: Μηδὲν ἀναβαλλόμενος, h. e. nihil procraſtinans. Nam omnia negotia conficiuntur aſſiduitate. Unde ipſe annis 12 totum fere orbem terrarum domuit.

5. TEMPERANTIA. In puerili ætate temperantiæ ſtudioſus fuit Alexander. Cum enim *Ada Cariæ regina*, amoris cauſa, multum quotidie ciborum & placentarum, & ad extremum quos præſtantiſſimos coquos & piſtores habebat, ei mitteret. Nihil ſe iſtis indigere, dicit Alexander: meliores enim ſibi coquos à Leonida pædagogo additos, ad prandium nempe, nocturnam deambulationem; ad cœnam autem, frugale prandium.

II. ACTA VIRILIA.

1. *ACTA OECONOMICA.*

VII.

Uxores Alexander duxit *quatuor*. 1. STATIRAM, Darii Codomanni filiam. 2. BARSINEN, ex qua filius *Hercules* ei eſt natus. 3. PARYSATIDA. 4. ROXANEN, ex qua ſuſcepit filium, cui nomen *Alexandri* erat.

Concubinas præterea habuit 365. juxta *Diodorum Siculum.*

Conjugium Alexandri cum Roxane, ejuſque occaſionem, ita deſcribunt Arrian. lib. 4. & Curt. lib. 8.

Cum Alexander bellum gereret in India, & in regionem perveniſſet, cui præerat Oxyartes nobilis Satrapa, qui Alexandro ſponte ſe ſubjecit, ſplendido convivio ab hoc exceptus eſt: in quod multæ virgines nobiles introductæ, & in his filia ipſius, Roxane nomine, quam poſt Darii uxorem omnium Aſiaticarum mulierum pulcherrimam fuiſſe, qui Alexandro militabant, judicarunt. Hac viſa, Alexander ejus amore captus, nihilominus contumeliam, utpote captivæ, inferre noluit; matrimonio autem, patris Oxyartæ conſenſu, dedignatus non eſt, & medio cupiditatis ardore patrio more panem (hoc enim apud Macedones erat ſanctiſſimum ſanciendi conjugii pignus) quem diviſum gladio uterque libabat; Credo, (inquit *Curtius*) eos, qui gentis mores condiderunt, parco & parabili victu oſtendere voluiſſe jungentibus opes, quantulo contenti eſſe deberent. Hoc modo Rex Aſiæ & Europæ, introductam in ludos convivales matrimonio ſibi adjunxit captivam, ex ea geniturus, qui victoribus imperarent. Pudebat amicos conjugis, ex captivis ſuper vinum & panem in convivio electæ; ſed poſt Clyti cædem, libertate ſublata, vultu, qui maxime ſervit, taciti aſſentiebantur.

VIII.

Inter amicos, quos habebat præcipuos, & potentiſſimos, Alexander omnium maxime videbatur honorare *Craterum*; ſed omnium maxime diligere *Hephæſtionem*. *Craterus* enim (inquit Alexander) amat regem; *Hephæſtion* autem amat Alexandrum. Id Græce jucundius dicitur, φιλοβασιλεὺς & φιλαλέξανδρος: ſentiens, Craterum in his, quæ ad regiam dignitatem pertinebant, præſtare fidelem amicum: Hephæſtionem vero privato quodam affectu diligere Alexandrum. Pariter itaque, licet diſſimiliter amantibus, diverſa ratione perſolvit præmium: Craterum ornavit dignitate, Hephæſtionem ad intimam admiſit familiaritatem. *Plutarchus in Apophthegmatis.* Vide *Monarch.* 11.

Nam Alexander M. cum aliquando epiſtolam à matre Olympiade miſſam arcanam legeret, & Hephæſtion, qui forſan aſſidebat, eam una percurreret; non prohibuit, ſed annulum digito detractum ori ejus impoſuit: hac ratione ſilentium ei imperans, ne, quas ipſi monſtraret literas, aliis vulgaret. *Plutarchus in Alexandr.*

IX.

AXIOMA I.

Magnatum arcana noſſe, periculoſum eſt.

Philippides poëta comicus Lyſimacho cumprimis carus fuit atque familiaris. Cui cùm Lyſimachus offerret liberalitatem ſuam, diceretque: Quid vis tibi impertiar mearum rerum? Quodcunque voles, inquit, modo ne arcani quicquam. Significans, eſſe periculoſum noſſe Magnatum arcana; quorum ſi quid effutias, actum eſt de capite.

AXIOMA II.

Arcana Regum ſunt occultanda.

Angelus ad *Tobiam* inquit, *cap.* 12. *verſ.* 8. *Arcana regum occultare bonum eſt.* Magnum hoc profecto eſt, arcanum Principis habere in ſcrinio pectoris repoſitum; verum verborum, quam rerum potior nobis debet eſſe cuſtodia; ſicut pulchre inquit *Lucian. in epigrammate*, quod exſtat *lib.* 3. *Antilog. Tit.* 51.

Arcanis dictis linguam obſignare memento:
Dictorum non majus depoſitum eſt opibus.

Nam *fides* ſanctiſſimum eſt humani generis bonum, quod nulla neceſſitate ad fallendum cogitur, nulloque præmio corrumpitur. *Sirach. c.* 10. *v.* 10, 11. inquit: Si quid audiſti, hoc abditum ſit, & tecum ſepeliatur; & habebis conſcientiam quietam. Neque enim ideo tibi venter diſrumpetur. Stultus autem non aliter erumpit, atque maturus fœtus. Memoria æterna dignum eſt, quod *Q. Curt. l.* 4. *Hiſtor.* ſcriptum reliquit: *Perſas* regum arcana incredibili fide celare; non metum, non ſpem elicere vocem, qua occulta prodantur: Quia veteres Reges diſciplinam ſilentii, vitæ periculo ſanxerunt, & linguam gravius caſtigarunt, quam ullum probrum. Hinc *Conſilium* dicitur à ſilendo; ſicut notat *Hippolytus de Collibus pag.* 271. ex *Feſto*. Silentium enim optimum tutiſſimumque rerum adminiſtrandarum eſt vinculum. *Valerius Maximus lib.* 2. *cap.* 2. Et *Conſiliarius* יועץ venit à Chaldaica voce סוד ſecretum, myſterium. Unde *Conſiliarius* vi vocis recte dicitur *vir ſecreti*. Hinc *Theodoricus apud Caſſiod. Senario Comiti* ſcribens *lib.* 4. *cap.* 3. pingere videtur optimum Conſiliarium: Arcana noſtra morum probitate claudebas, multorum conſcius; nec tamen, cum plura noſſes datis, collegis gratia, ſuperioribus humilitate, non placuiſti. *Eraſmus lib.* 8. *Apophthegm.* ſcribit; Quod quidam vir magnus, cum ei à quodam graveolentia oris exprobraretur, admodum facetè reſponderit: Multa in ore meo occulta computruerunt. Significans, ſe arcanorum eſſe tenaciſſimum. Solent enim res in occulto congeſtæ computreſcere.

II. *ACTA POLEMICA.*

X.

Acta Polemica Alexandri M. ſecundum ſeriem annorum, tum Regni, tum Monarchiæ ipſius, ordinate perſequemur. Annos autem duodecim regnavit; quorum ſex Regno, ſex vero Monarchiæ conſtituendæ aſſignantur.

XI.

ANNUS I. REGNI.

I. Alexander M. anno ætatis vigeſimo, patri *Philippo*, à *Pauſania* nobili Macedone interfecto, ſucceſſit. Occaſio necis Philippi hæc erat. Cum Philippus nuptias inſtitueret Alexandro Epirotarum Regi, atque Duces Græciæ convivio magnificentiſſimo exciperet, ſecurus omnium rerum, à Pauſania nobili Macedone, cujus injurias vindicare noluerat, trucidatur.

II. Alexander autem ſtatim in regni initio, *parenti defuncto* ſplendidas exequias fecit, in quibus parricidas ad tumulum parentis occidi juſſit.

III. *Regnum* accepit poſt obitum patris *turbidum*, & periculis undique circumſeptum. Nam *Athenienſes* conſpirabant cum *Attalo* in Aſia, de Alexandro evertendo. Similiter etiam *Barbara gentes* Macedonibus ſubjectæ, jugum excutere volebant. Unde cum Macedones non mediocris metus cepiſſet, eorumque animos oratione ſua ita erexiſſet Alexander, ut metum omnem illis adimeret, atque in ſpem ſui omnes pelliceret, immunitatem omnium rerum, præter militiæ vacationem, illis conceſſit. Quo facto tantum ſibi apud eos amorem conciliavit, ut omnes dicerent, Nomen ſolum Regis immutatum eſſe, non virtutem. *Q. Curtius lib.* 2. *pag.* 9.

IV. Præterea Alexander conſilio ſe non deſerebat, ſed prudenter res ſuas inſtituebat. Nam *Theſſalos* ante omnia ſibi devinciebat, & *Senatum Amphictyonum*, à quibus dux Græcorum conſtituebatur. *Athenienſes*, ſicut primi defecerant, ita quoque primi pœnitere incipiebant, & legatos ad Alexandrum mittebant, pacem petentes. Idem faciebant *Thebani*: quibus omnibus benigne ipſe reſpondebat, & Senatum Græcorum Corinthum convocabat; ubi communibus eorum ſuffragiis *Dux Græcorum* contra *Perſas* declarabatur, & confirmabatur. Poſtea *Attalum*, Cleopatræ, quæ Philippo patri nupſerat, fratrem, æmulumſ uum, (cujus au-

thoritate nixi Græci defecerant) ex insidiis in Asia per Hecatæum & Parmenionem opprimi curavit. *Diodorus Siculus lib. 17.*

v. Sedatis in Græcia motibus, Alexander arma in *Thraciam* convertit, atque *Thraces*, quos *Autonomos* vocabant, h. e. nullius imperium ac leges agnoscentes, sibi subjecit. Postea *Pæoniam Illyricumque* subegit, & *Sirmum Triballorum regem* vicit, atque cæteros Danubii accolas, quos Arrianus *Quados*, *Marcomannos* & *Jazygas* nominat. Cum *Germanis* quoque pacem fecit: quos cum grandi corpore & excelso animo esse videret, quæsivit ex illis: Quidnam in rebus humanis præ cæteris extimescerent? existimans, nominis sui magnitudinem ante omnia ipsis formidolosam videri. Illi, hoc se inprimis timere, responderunt; Ne forte cœlum aliquando in se rueret. Hoc superbo responso nihil motus Alexander, tantum adjecit: Germanos superbos esse, eosque domum misit.

vi. Cum bellum gereret Alexander in *Pæonia*, & *defectione Græcorum*, inprimis autem *Thebanorum* in Bœotia, nuncium accepit. Quare res, ut potuit, composuit, & Thebanis bellum maxima celeritate intulit, urbemque eorum obsidione cinxit. Ante oppugnationem tamen spatium pœnitentiæ Thebanis concessit: Verum cum illi in rebellione perseverarent, & ad societatem armorum hortarentur omnes, qui vel libertatis amore vel odio tyranni, arderent; Alexander acriter urbem oppugnavit, & tandem expugnavit. Cæsi sunt 6000 Thebani, & capti 30000. In expugnatione urbis, parci jussit Pindari vatis familiæ, ejusque domui, in Musarum honorem. Postea Thebas antiquissimam Tyriorum coloniam, juxta consilium Græcorum, diruit, & solo æquavit; captivorum 30000 sub hasta vendidit, & agros sibi datos victoribus assignavit: Quo facto magnum cæteris civitatibus terrorem incussit. Athenienses in summis angustiis erant constituti. Nam contra Regis edictum portas civitatis exulum refugiis aperuerant. Ideoque Alexander legatos misit Athenas, ut Oratores atque Duces, quorum fiducia toties rebellarent, sibi traderent, sub belli comminatione: Athenienses *Demadem Oratorem* ad Alexandrum mittunt; qui eloquentia sua veniam illis impetravit, & urbem Regi reconciliavit. *Diodorus Siculus lib. 17. Arrian. l. 4. Plutarchus in Alexandr.*

ANNUS II REGNI.

XII.

In quo BELLUM PRIMUM ALEXANDRI *cum Memnone*, *Darii Codomanni Duce*, gestum est *ad Granicum*.

ACTA ANTE PUGNAM.

I. *Alexandri M. consultatio.* Alexander rebus in Græcia confectis, motibusque sedatis, de expeditione in Asiam suscipienda deliberationem cum amicis instituit. *Consilium Parmenionis* & *Antipatri* erat, ut conjuge ducta, & liberis ex ea susceptis, de successore, si quid humanitus ei accideret, prius regno prospiceret. At ille, quia Dux Græcorum constitutus erat, posthabito eorum consilio, expeditionem illam bellicam differre noluit. Quia Symbolum ejus erat: Μηδὲν ἀναβαλλόμενος.

II. *Æmulorum regni trucidatio.* Ad bellum Persicum profecturus, omnes novercæ suæ cognatos, quos Philippus pater in excelsiorem dignitatis gradum evectos imperiis præfecerat, è medio sustulit; sed nec suis cognatis, qui regno apti videbantur, pepercit, ne quam, procul se absente, in Macedonia seditionis materiam relinqueret.

III. *Patrimonii distributio.* Postea Alexander patrimonium suum pene omne inter amicos divisit; uni pagum, alteri agrum, huic vici istius, illi portus hujus reditus tribuens. Tum *Perdiccas*, Tibi vero, ô Rex, quid reservas? Alexander, spem sibi retinere solam, respondit.

IV. *Exercitûs præparatio.* In exercitu ejus, quem ex Europa in Asiam duxit, erant 32000 pedites, & 5000 equites. Hac tam parva manu, utrum sit admirabilius, quod Alexander universum terrarum orbem vicerit, an vero aggredi ausus sit, incertum est; & quidem juvenis annum agens 20; quæ ætas cum per se soleat esse consilii, prudentiæ, experientiæ, authoritatis, patientiæ, constantiæ, castitatis & Majestatis expers, tantis rebus gerendis immatura & infirma esse videbatur. Narrat *Suetonius*, *Julium Cæsarem*, Gadibus cum in templo Herculis simulachrum Alexandri M. aspexisset, quasi ignaviæ suæ pertæsum ingemuisse, quod ea ætate Alexander orbem subegerat, qua ipse ætate nihil tum memorabile gessisset.

V. *Belli denunciatio.* Postquam Alexander in Asiam cum exercitu trajecerat, epistolam ad *Darium Codomannum* misit; in qua ipsi bellum denunciavit, & simul belli causam allegavit. *Epistola* extat apud *Arrian. lib. 2.* cujus epistolæ tale est initium: *Majores vestri Macedoniam reliquamque Græciam ingressi damnis nos affecerunt, cum ipsi nulla prius à nobis accepissent: Ego Græcorum Imperator creatus, Persarum injuriam vindicare volens, in Asiam trajeci à vobis lacessitus.*

VI. *Darii insolentia, & gloriatio.* Darius in magno suo confisus exercitu (quippe qui constabat è 100000 peditum, & 10000 equitum; cum Alexander

der tantum 32000 peditum, & 5000 fere equitum haberet) ſuperbiſſimo & glorioſiſſimo titulo, ſe Regem Regum, & conſanguineum Deorum, Alexandrum vero famulum ſuum appellans, legationes ad Duces ſuos miſit, iiſque demandavit, ut inſanientem illum Philippi adoleſcentulum (ſic enim Alexandrum per contemtum appellabat) verberibus puerilibus graviter cæſum, ac veſte purpurea poſtea indutum, ſibi vinctum traderent. At vana hæc fuit inſolentia: quia ſtulte triumphum cecinit ante victoriam.

ACTA IN PUGNA.

Memnon Rhodius, caterique Duces Perſici, omni, quo inſtructi erant, exercitu in Phrygiam contendentes, prope *Granicum flumen* caſtra ſua ponunt. Alexandrum, dum magno animo Granicum flumen tranſit, invadunt, cruentum committitur prælium; Alexander ipſe fortiſſime dimicat, & præſtantiſſimos Perſarum Duces ſua manu occidit; quamquam non ſine periculo. Nam *Spithrobatem*, *Darii generum*, qui jamjam ſcutum ejus perfregerat, occidit: accurrit frater jacentis *Roſaces*, & vulnus infligit Alexandro; ſed repetiturus ictum à *Clito* truncatur: tandem Perſæ in fugam conjecti ſunt. Scribunt *Hiſtorici Diodorus Siculus l. 17. Plutarch. & Arrian.* peditum 20000, equitum 2500 in prælio occubuiſſe, captos ad 20000. De exercitu vero Alexandri paucos deſideratos fuiſſe.

ACTA POST PUGNAM.

Statim poſt hanc victoriam magna rerum mutatio facta eſt. Nam Alexander *Sardes* urbem regiam cum ingentibus theſauris occupavit; *Miletum* acerrime oppugnatam deditione accepit, *Halicarnaſſum* urbem maximam magnis moliminibus, & ultimo diſcrimine ſuorum, cum triarii tandem inſignem operam præſtitiſſent, expugnavit, captamque ſolo adæquavit. Inde totam *Phrygiam* & *littoralem Aſiam* ad *Ciliciam* uſque ſibi ſubjecit. *Diodorus Siculus lib. 17.* totam quoque *Cariam* ſubactam Adæ reginæ, quæ mandato Darii à Duce quodam Perſico inde pulſa erat, reſtituit, eique gubernandam ſubjecit.

ANNUS III. REGNI.

XIII.

In quo BELLUM SECUNDUM ejus AD ISSUM geſtum eſt.

ACTA ANTE PUGNAM.

1. *Darii conſultatio.* Darius, mortuo Memnone inſigni bellatore, (qui hoc unice agebat, ut totum bellum ex Aſia in Macedoniam transferretur) conſultans de bello, cum idoneum Ducem non inveniret Alexandro opponendum, ipſe in bellum proficiſci conſtituit. Quare conſcribit exercitum 400000 peditum, & 100000 equitum, qui Babylonem conveniant, ut inde contra Alexandrum caſtra moveat. *Diodorus Siculus lib. 17.*

2. *Saniorum conſiliorum aſpernatio.* Darius bellum à ſe ſuſceptum magis pro imperio, quam prudenti ex conſilio geſſit. Nam 1. *Charidemum Athenienſem* virtute & omnibus artibus imperatoriis præſtantem, qui eum monuerat, ne temere imperium ſuum in diſcrimen adduceret, ſeque ipſum Ducem obtulerat ad bellum conficiendum, propterea ei iratus, quod Perſis ignaviam & timiditatem exprobraſſet, interfici juſſit, exclamantem, cum ad ſupplicium traheretur: Brevi Regem pœnitentia affectum iri, atqui amiſſione regni injuriæ ſibi factæ pœnas daturum; ſicut *Diodorus Siculus lib. 17.* ſcribit. 2. *Similiter Amyntæ Macedonis profugi* conſilium ſalutare ei datum temere ſprevit. Nam Darius caſtris ſuis in Alexandrum contendens, locum elegerat Aſſyriæ campum, planum, omnique ex parte patentem, qui & magnitudini exercitûs maxime opportunus, & ad equitatum ducendum valde commodus fuerat viſus, ab hoc loco ne recederet, diligenter eum Amyntas rogabat, ne aſtu hoſtis circumveniretur. Cui cum reſponderet Darius: Metuere ſe, ne Alexander fuga mature facta ſibi elaberetur: ad id Amyntas: Nihil, inquit, hoc metu opus eſt; ſed obviam ibit Alexander, ubicumque Darium eſſe cognoverit. Sed Darius, ſpreto hoc ſalutari Amyntæ conſilio, exercitum ſuum in Ciliciam duxit, ubi miræ viarum anguſtiæ erant. *Diodorus Siculus & Curtius.* De quo Darii inſtituto *Arrianus* ita inquit; Fortaſſe Deus illum eo loci deduxit, ubi nec equitatus magno uſui ei eſſe poſſet, nec infinita hominum pariter & jaculorum multitudo, imo vero ubi nec ipſam exercitus ſibi magnificentiam oſtendere poterat.

ACTA IN PUGNA.

1. *Alexandri M. prudentia, & heroica fortitudo.* Cum enim ille ingentes hoſtium copias in anguſtias montium deductas videret, qui locus ſibi ad explicandam phalangem commodus, hoſtium vero copiis ob multitudinem ingentem incommodus eſſet; hanc Dei providentiam agnovit (inquit *Arrianus*) Deumque pro ſe pugnare dixit. Ideoque cum divino auxilio humanam prudentiam conjungens, non modo cavebat, ne ab hoſtium multitudine circumgeretur: ſed etiam cornu dextero ſiniſtrum eorum præteriens, ex obliquo in oppoſito ſibi hoſtes

hoſtes irruebat, eoſque in prima acie conſiſtens fortiterque pugnans in fugam conjecit. Darius ubi exercitum ſuum diſſipatum vidit, & ipſe fugam capeſſens, equæ celeritate, quam deſiderium relicti pulli in beſtia auxit, inſequentes evaſit: ſicut *Arrianus* ſcribit. In pugna autem gravi correptus ſiti, cum aquam turbidam & cadaveribus inquinatam bibiſſet, negabat unquam ſe bibiſſe jucundius, nunquam videlicet ſitiens biberat; uti *Cicero l.* 5. *Tuſcul. Quæſt.* addit. Ita impletum eſt in eo Adagium Salomonis, quod exſtat *Prov.* 27. 7. Anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumit.

II. *Cæſorum multitudo.* E Perſis multi duces bellicoſiſſimi, & 130000 militum ceciderunt; cum ex parte Alexandri tantum pedites 32, equitum vero 150 deſiderarentur, 504 ſauciati eſſent: ſi vera *Arrian.* & *Plutarch.* ſcribunt. *Curtius* addit hoc epiphonema; *Tantulo impendio ingens victoria ſtetit!*

III. *Captorum multitudo.* Capta quoque eſt in tentorio Darii mater *Siſigambis*, uxor *Statira*, filius *Ochus ſexennis*, & binæ filiæ jam nubiles, cum univerſa familia: & ſcribit *Plutarchus*, quod Alexander devicti Darii tentorium ingreſſus, viſiſque voluptatum apparatibus magnificentiſſimis, ad comites ſuos dixerit: *Quid? num hoc eſt regnare?*

ACTA POST PUGNAM.

Alexandri clementia & continentia. Alexander cum uxorem & matrem Darii, totumque gynæcéum in luctu videret, eas humaniter ſalutavit, βασιλικῶς tractavit, nullaque contumelia affici permiſit. Nam iis ad genua ſua provolutis metum mortis demſit, & regium cultum reddidit, virginibus haud ſordidius patris dignitate matrimonium pollicitus: Orientem enim fortunam moderate tulit & prudenter Alexander, ſed ad ultimum ejus magnitudinem non crevit: uti pulchre *Plutarchus in Alexand.* inquit.

Cum uxorem Darii Statiram, quæ omnium feminarum formoſiſſima erat, & reliquas captivas forma & ſtatura eximias videret, per jocum dixit: Εἰσὶν ἀλγηδόνες αἱ Περσίδες. *Perſica mulieres ſunt oculorum dolores.* Formæ autem earum ſpectaculo continentiæ ſuæ pulchritudinem opponens, tanquam exanimes imagines prætermiſit: Quod Perſicus nuncius narrans Dario; hiſce eum verbis ornavit, Alexandrum & in præliis acerrimum, & in victoria clementem eſſe. Δεινὸν μεχάνορα, χρηστὸν δὲ κρατήσαντα. *Diodorus Siculus*, *Curtius.*

Clementiam quoque admirandam erga mortuos declaravit Alexander. Nam ſepeliri, quos vellent Perſarum, iis permiſit, veſtibus ad hoc & ornatu de præda conceſſis.

ANNI IV REGNI.

XIV.

I. Anno 4 regni ſui Alexander *in Syriam* profectus eſt, ubi multos Orientis Reges obvios habuit: quorum alios in clientelam ſuſcepit; aliis regnum abſtulit, in locum eorum novis regibus ſubſtitutis.

II. *Sidonem urbem* occupavit, & *Abdolominum* regiæ quidem ſtirpis hominem, ſed hortulanum, regem Sidonis per Hephæſtionem conſtituit; cui repentina ſortis mutatio ſomno ſimilis viſa eſt. Quam hiſtoriam integram vide in *Monarchia* II, *in Hiſtor. Darii Hyſtaſp.* §. 3.

III. *Darius Codomannus* literas miſit per legatos ad Alexandrum, in quibus λύτρα ei progynæcéo captivo obtulit. Quibus Alexander non leviter offenſus eſt. Siquidem Darius in iis titulum Regis ſibi tribuit, Alexandro non item. Idcirco contrarias literas ei miſit Alexander, in quibus ſe *Regem* & *Aſiæ Dominum* appellat, & non Darium: eique indicit, ut ad ſe tanquam Aſiæ Dominum ipſemet veniat; quod ſi facturus ſit, promittit, ſe matrem, uxorem, liberos, & quicquid præterea petierit, donaturum. *Curtius l.* 4. *Arrianus l.* 2.

IV. *Cyprus inſula* legatos de deditione ad Alexandrum mittit: idem & aliæ urbes faciunt.

V. Poſtea Alexander *Tyrum urbem*, quæ impetum ejus morabatur, expugnavit: ubi triplicia acta veniunt notanda.

I. *Tyri obſidio.* Alexandro Tyrum profiſcenti Tyrii legatos obviam ei miſerunt, gratulationis cauſa; eique auream coronam obtulerunt, quam Alexander benigne accepit: Denunciavit autem illis, velle ſe urbem intrare, ad vota Herculi Tyrio reddenda. At Tyrii eum intra urbem recipere nolebant, freti ſocietate Carthaginis & potentia Darii. Qua de cauſa ſic indignatus eſt, ut excidium urbi minaretur; eamque ſtatim exercitu cinxit.

II. *Tyri oppugnatio.* Urbs Tyrus mœnibus altis ircuitu munitiſſima erat, & freto rapidiſſimo à continenti diremta: Alexander eam ex inſula magno molimine peninſulam fecit, eamque continenti junxit, & è mole in freto excitata machinis bellicis pulſabat. Nec minus ſegniter Tyrii ſeſe defendebant. Inter varia autem inſtrumenta in urbe ad hoſtem arcendum, & urbem defendendam facta, etiam arena ignita & fervens parata fuit, atque in hoſtes effuſa; quæ inter thoraces & tunicas penetrans nulla vi excuti poterat, & quicquid attingeret, perurebat. Cum autem hanc ob rem ſollicitus eſſet Alexander, quod hæc diuturna obſidio illi quaſi à curſu victoriæ deſtinatæ contra Orientem, velut remo-

remoram injiceret; visus est ei Satyrus in quiete eminus alludere, deinde volenti eum capere fuga elabi, tandem tamen in manus ejus venire. Aristander verò ejus vates ab ipso interrogatus, quid portenderet, dixit ridens, nomenque Satyri dividens, Σὰ Τύρ⊙, h. e. tua erit Tyrus. Quod etiam evenit. *Plutarchus.*

3. *Tyri expugnatio.* Tandem Tyrus expugnata est ab Alexandro, postquam obsidio 7 menses durasset. Trucidati sunt 6000 armati, & 2000 juvenes in litore Tyrio crucibus affixi. *Curtius.*

NOTA.

1. *Tyrus* Ebraice צר, vel צור fuit metropolis Phœniciæ, super rupe vel petra exstructa; inde etiam sic dicta fuit. Nam צר vel צור significat petram. Olim insula erat 700 passibus à continenti sejuncta, sed ab Alexandro M. comportatis aggeribus continenti adjuncta. Ejus eversionem *Jesaiæ Propheta* multo ante prædixit. Nam c. 23 v. 1. & *seqq.* nominatim vaticinatur, è terra Chittim, h. e. è Macedonia, eversorem Tyri venturum; qui fuit Alexander M. Fuit urbs munitissima, unde *Psalm.* 45 13. (ubi in textu Ebræo dicitur בת צור filia Tyri) *Targum* ita explicat: Habitatores arcis munitissimæ. Coluit Herculem, qui in S. Codice Tyriorum Deus appellatur. 2 *Macc.* 4. 18, 19. cum celebraretur quinquennale certamen Tyri, cui rex aderat, misit Jason iste sceleſtus spectatores, tanquam Antiocheni è Jerosolymis essent, portantes argenti drachmas 300 ad sacrificium Herculis. Hinc patet, quod impius Jason (Pontifex Jerosolymitanus) sacrificium valde sumtuosum in honorem Herculis, quem Tyrii ex gentili impietate pro Deo colebant, offerri voluit.

2. *Tyrus bis est vastata.* A Nabuchdonosore Rege Babyloniorum. *Ezech.* 26. 7. 2 Ab Alexandro Magno. *Jesaiæ* 23. *vers.* 1, 2.

VI. Cum Alexander Tyrum occuparet, quidam Satrapa genere Cutæus, nomine Sanballetes; cui Darius Samariam gubernandam tradiderat, nacta temporis opportunitate, à Domino suo defecit, & assumptis de provincia 8000 virorum, strenuam ipsi operam in oppugnatione Tyri navavit, eidemque totam Samariam tradidit, ac postea licentiam ab eo obtinuit templi condendi in monte Garizim, qui imminet Samariæ, ut generum suum Manassen, quem *Nehemias* è Republica Judæorum ejecerat, Pontificem faceret. *Nehem.* 13. 28, 30. *Josephus l.* 11. *Antiqu. Judaic. c.* 8. *causam* hujus facti refert: idem *Josephus ibid. c.* 7. Quoniam Manasses frater Jaddi Pontificis summi, duxerat *Nicaso* filiam Sanballeti uxorem; ideoque privatus erat Sacerdotio, quia uxorem alienigenam, quam contra legem patriam duxerat, dimittere nollet. Quare auxilio soceri templum in monte Garizim Hierosolymitano simile obtinet, in quo Samaritani Deum colere cœperunt, implacabili Judæorum odio, qui id contra leges patrias in gentis suæ dedecus fieri, rectissime contendebant. Ubi notandum, quod iste mons Garizim sit iste, quem suppresso nomine indicavit mulier illa Samaritana, *Joh.* 4. 20, 21. dicens: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt: & vos dicitis, Quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Cui *Christus* respondens dixit: *Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrem.* Ex quibus verbis manifeste apparet, post ædificatum templum in monte Garizim, ortam esse deinceps perpetuam de adorationis loco contentionem, inter Judæos & Samaritanos: illis asserentibus, esse templum Hierosolymitanum; his contra affirmantibus, esse templum in Garizim postea excitatum. Quæ contentio postea perpetuo mansit; uti ex allegato *Joh.* 4. capite patet.

VII. Expugnata Tyro, *Gazam* petit Alexander. Ibi acceptis duobus vulneribus, multoque sanguine dato, victor tandem factus est, postquam duos menses in ejus oppugnatione consumsisset. *Diodorus Sicul. l.* 17. *Curtius l.* 4. Senatus Græcorum cum Corinthi in Isthmiorum ludis convenisset, 15 legatos ad Alexandrum destinavit, qui ipsi victoriam gratularentur, & aurea corona donarent: inveneruntque eum in castris ad Gazam. *Diodorus Siculus.*

VIII. A Gaza infesto animo Jerosolymam tendit Alexander; sed potentia divini Numinis cor ipsius subito mutabatur, viso Jaddo summo Pontifice; quem humanissime salutat, atque Hierosolymam pacatus ingreditur, & in templo Deo Israëlis sacrificia offert: sicut postea in *cap.* 5. de actis Ecclesiasticis plenius dicemus.

IX. *Secunda Darii legatio ad Alexandrum.* Cum Alexander adhuc in Tyri obsidione occupatus esset, Darius denuo legatos suos ad Alexandrum misit, referentes, dominum suum 10000 talentorum ei daturum, si matrem, uxorem & liberos dimitteret: præterea si filiam suam uxorem duceret, se dotis nomine ei offerre quicquid terrarum inter Euphratem & Hellespontum jacet. Cum autem hæc legatio in Senatu bellico proponeretur, tum Parmenio ad Alexandrum dixit: Ego quidem si Alexander essem, conditionem acciperem, & finem bello imponerem, atque periculis: Contra autem respondit Alexander: Et ego ita facturus essem, si Parmenio essem. Quia vero Alexander sum, ego mea persona dignum dabo responsum; quod tale fuit: Se neque pecuniis egere: neque partem loco totius ditionis accipere velle. Nam omnem & pecuniam, & regionem, suam esse. Darii filiam in uxorem se ducturum, si vellet, & quidem dicturum citra voluntatem Darii. Si Alexandri humanitatem experiri vellet, ad se veniret. Hoc responso cognito, Darius de compositione belli desperans, rursus se ad bellum paravit.

AN-

ANNUS V. REGNI. XX.

1. Alexander *in Ægyptum* cum omnibus copiis intravit; ubi ſummo deſiderio ab Ægyptiis receptus, omneſque urbes ſine certamine occupavit: Quoniam *Marzazes Perſa*, qui Ægypti Satrapa à Dario conſtitutus erat, ſponte ſe ei cum tota regione ſubjecit. Nam Ægyptii ſuperbia & injuriis Perſarum graviter exacerbati erant, quoniam Perſæ nonnulla ex idolis ſuis everterant: in ſpecie autem *Artaxerxes Ochus*, qui eoſdem Ægyptios denuò ſubjugaverat, eorumque ſacra, & præcipuum inter ipſorum Deos Apim, contemtui habuerat, quod factum anno mundi 3621.

2. *Alexander* in Ægypto *Alexandriam urbem*, loco opportuno verſibus Homeri (ut *Plutarchus* habet) oſtenſo, *condidit*. Circa ejus ædificationem tria ſunt notanda. 1. *Ortus*. Cum Alexander hanc urbem in vicinia inſulæ Phari conderet, ejuſque muris deſignandis farina adſperſa eſſet, omnis generis aves à flumine & lacu inſtar denſæ nubis locum eum occuparunt, atque ita farinam depaſtæ ſunt; ut ne tantillum quidem relinquerent. 2. *Progreſſus*. Alexandrum autem eo augurio perturbatum vates confirmarunt, dicentes: Urbem locupletiſſimam, & omnis generis hominum alumnam futuram eſſe. 3. *Eventus*. Sicut autem vates prædixerunt, ita evenit. Nam Alexandria progreſſu temporis facta eſt urbs longe celeberrima, tum ratione *Quantitatis*, quia fuit urbs ampliſſima, & 30 ſtadiorum longa: habitantium quoque in ea multitudo longe ſuperabat degentium in aliis urbibus numerum. *Diodor. Sicul.* ſcribit: Meo, inquit, tempore dictum eſt nobis ab iis, qui deſcriptionem habitatorum faciunt, Alexandriæ eſſe capitum liberorum plus 300000; Regemque Ægypti capere ex vectigalibus ultra 6000 talentorum. Tum ratione *Qualitatis*. Sic Alexandria erat ſpecie longe pulcherrima, in loco opportuno ſita, & copia omnium victui humano neceſſariorum abundabat.

3. *Tertia legatio Darii ad Alexandrum miſſa*. Ex Ægypto Alexander in Syriam rediit: cumque in caſtris ejus *Statira conjunx Darii* ex colliſione partus abjecti deceſſiſſet, ejus mortem illacrymatus Alexander: omnique honore juxta morem Perſarum funus proſequutus eſt. Quod cum Dario in itinere nunciatum eſſet ab eunucho; hac incredibili Alexandri *συμπαθεία* & clementia permotus, Darius tertias ei literas miſit: in quibus illi gratias egit, quod nihil in ſuos hoſtile feciſſet; & denuo majorem regni partem, & filiam in uxorem, & pro reliquis captivis 30000 talentorum obtulit.

Reſponſio Alexandri, Darii legatis data. Nunciate, inquit Alexander, Dario, gratiarum actionem apud hoſtem ſupervacaneam eſſe; & me, quæ fecerim, continenter & liberaliter, non amicitiæ ejus tribuiſſe, ſed naturæ meæ; nec adverſus talamitates, ſed adverſus hoſtium vires contendere. Deinde addit Alexander: Concederem ipſe pacem, ſi ſecundus, non par mihi vellet haberi. Quoniam ut cœlum duos ſoles: ſic orbis terrarum duo ſumma imperia pati non poſſit. *Diodor. Sicul. l. 17. Curtius lib. 4.*

4. *Tertium prælium cum Dario geſtum ad Gaugamela*.

1. ORTUS. Darius poſtquam audivit admirandam Alexandri Magni clementiam, quam erga uxorem ſuam demortuam declaraverat, tertio pacem ab eo petiit, & optimas pacis conditiones ei obtulit: quas tamen Alexander repudiavit. Ideoque Darius, deſperata tranſactione, tertio, & quidem duplicato copiarum numero, bellum inſtauravit.

2. PROGRESSUS. Quem *Curtius* ita deſcribit *lib. 4.* Alexander aciem prudentiſſimè ordinavit, eamque verſatilem: ut qui primi ſtarent, ne circumirentur, & verti tamen atque in frontem circumagi poſſent: Itaque prima, non magis quàm latera; non latera munitiora fuerunt, quam terga. *Juſtin. lib. 11.* ait: Macedones in ferrum cum contemtu toties à ſe victi hoſtis ruunt: contra Perſæ mori quam vinci præoptant. Inter pugnandum (uti *Curtius* & *Plutarchus* ſcribunt) caſtra Alexandri direpta fuere: Quam jacturam à Parmenione nunciatam magno conſilio contemſit. Cum in ipſa acie ſummum rei diſcrimen videret; nam audito Parmenionis nuncio, actum eſſe de impedimentis, niſi celeriter à fronte auxilium poſterioribus ſubmitteretur, generoſa hæc verba protulit: Sanis conſiliis excidit Parmenio, oblitus inter tumultum, quod victores hoſtium quoque bonis ſint potituri: victis non de facultatibus aut mancipiis, ſed honeſte ac fortiter pugnando de morte obeunda cogitandum fore. Ita anceps victoria ſtetit, donec aurigâ Darii confoſſo, fugiendi initium ab iis, qui Regem periiſſe putabant, ortum eſt: ſic enim, nudato Darii latere, ipſe fugam capeſſit.

3. EGRESSUS. *Diodor. Sicul.* ſcribit, in pugna illa Perſarum peditum atque equitum plures nonaginta millibus cecidiſſe; è Macedonibus verò circiter 500 tantum deſideratos fuiſſe. *Arrhianus* verò ſcribit, è Perſis circiter trecenta millia cæſa, multoque majorem numerum captorum quam cæſorum fuiſſe: At à partibus Alexandri 100 ad ſummum

mum capita, in eo prælio deſiderata. Vix ullo prælio tantum humani ſanguinis fuſum eſt.

Locus pugnæ. Facta eſt hæc pugna non apud *Arbelam* (ut quidam Hiſtorici volunt;) ſed apud *Gaugamela* ad Lycum flumen ſita, quæ vox Perſarum lingua domum cameli deſignat: atque inde nomen hoc habere fertur, quod rex quidam antiquis temporibus camelo curſorio (quem dromedarium vocant) ex hoſtibus ſervatus, eam ibi collocaverit, pagoſque & reditus certos ad curam ejus deſtinaverit.

ANNI VI REGNI.

XVI.

I. *Theſaurorum Darii occupatio.*

Darius victus ad Gaugamela, ad ſuperiores regni Perſici provincias profugit, exercitum reparaturus; ſicut *Diodor. Sicul.* ſcribit: interea Alexander omnes theſauros ejus regios occupavit.

1. *Arbelam* intravit; ubi Darii theſauros, armorumque apparatum & commeatum abundantiſſimum invenit.

2. *Arbelâ Babylonem* profectus eſt; ubi univerſa incolarum multitudo portis effuſa, cum ſacerdotibus & principibus civitatis Alexandro obviam ivit, munera certatim ei offerentes, urbemque & arcem cum omnibus theſauris tradentes. *Diodor. Sicul.* & *Curtius lib.* 5.

3. *Babylone* recta profectus eſt *Suſas*: (quæ ſunt metropolis Perſidis in Suſia, quæ Perſidis eſt pars, à Suſo fluvio ſic dictæ, conditæ à Tithone, Memnonis patre:) eam quoque urbem deditione accepit, cum ingentibus Darii theſauris, & apparatu regio. *Diodor. Sicul.* tradit, inveniſſe ibi Alexandrum in theſauris regiis auri & argenti non ſignati plus quadraginta millibus talentorum, quæ à multis temporibus intacta ad magni alicujus & inopinati periculi ſubſidium Reges ſervarant: præter hæc & novem millia talentorum auri ſub Darica forma excuſi fuiſſe ait.

4. *Perſepolin* poſtea metropolin Perſarum occupavit, eamque militibus diripiendam dedit, arce excepta; quam tamen poſtea ebrius & comeſſabundus, perſuaſus à Thaide meretrice Attica, cremavit. In arce theſauri aſſervabantur inde uſque à Cyro congeſti: *Diodor. Sicul.* talentorum 120000 ibi reperiſſe Alexandrum, ſcribit. *Plutarchus* ex aliorum narrationibus refert, tantum, quantum Suſis, repertum fuiſſe pecuniæ, & opes reliquas 10000 bigis mulorum & 5000 camelis exportatas eſſe.

II. *Exitus Darii tragicus.*

Darius ab Alexandro cum exercitu fuſus fugatuſque, per loca ardua atque aſpera in Bactra vel Ecbatanam Mediæ regiam celerrime contendit; quem Alexander non minori celeritate inſequitur. Beſſus, ubi Alexandrum adventurum cognovit, cum Nabarzane militum Darii præfecto conſpirans, aliique ſcelerati, Darium aureis compedibus vinctum in cuſtodia tenuerunt; mox è cuſtodia eductum, & ſordido vehiculo, pellibus undique tecto ac clauſo impoſitum, huc illuc raptarunt: cumque aliquandiu cum traxiſſent, ad extremum equum conſcendere negantem, nefario ſcelere multis vulneribus confoſſum in ſolitudine reliquerunt; poſtquam vixiſſet annos 50, & regnaſſet annos 6. *Diodorus Siculus, Strabo, Plutarchus, Arrianus, Juſtin. Curtius.*

Adhuc ſpirantem *Polyſtratus* Macedo forte fortuna reperit, cui poſtrema verba ad Alexandrum perferenda commiſit: *Se nullis in eum meritorum officiis maximorum illi debitorem mori; agere tamen ei maximas gratias pro beneficiis in matrem, conjugem, liberoſque ſuos impenſis: iis enim & vitam, & priſtini ſtatus reverentiam ac dignitatem conceſſam; ſibi vero à cognatis & amicis, quibus & regna & vitam dederit, illa omnia erepta eſſe: precari ſe, ut illi victori terrarum omnium imperium contingat: ultionem ſceleris erga ſe perpetrati non ſolum ſua, ſed exempli omniumque regum cauſa non negligere, illi cum decorum, tum utile futurum.* Jamque deficiens aquam poposcit: quam allatam poſtquam bibit, Polyſtrato, qui eam tulerat: *Quiſquis es mortalium*, inquit, *hoc mihi extremum univerſæ calamitatis genus accidit, ut pro tanto in me beneficio dignas tibi grates referre nequeam; ſed referat Alexander! Alexandro vero Dii pro ſumma ejus in meos humanitate ac clementia; cui hoc fidei regiæ dextra pignus pro me dabis.* Hæc dicentem, accepta Polyſtrati manu, vita deſtituit.

III. *Darii ſepultura.*

Alexander, qui incredibili celeritate Darium inſequutus fuerat, jam defuncto ſupervenit: viſo autem ejus corpore, tam indignam eo faſtigio mortem lacrymis proſequutus eſt; demtaque ſibi chlamyde illud texit, & regio ornatum cultu Suſas ad matrem Siſygambem miſit; quæ eum majorum ſuorum tumulo illatum regio more ſepelivit. *Diodorus Siculus lib.* 17.

IV. *Beſſi ſupplicium.*

Audiens autem Alexander, Darium à Ducibus

& amicis ſuis tam neſarie trucidatum, ad inquirendos eos exercitum ſubmiſit. Spitamenes Beſſum inventum vinculis innectit, atque ita catena ligatum ad Alexandrum perducit. Quem viſum Alexander vehementer excandeſcens, hiſce verbis alloquutus eſt: *Cujus fera rabies occupavit animum tuum, cum Regem de te optime meritum prius vincire, deinde occidere ſuſtinuiſti?* Quibus dictis Alexander eum dilacerari juſſit, directis arboribus duabus in unum deflexis, quarum utrique corporis partem alligavit; unde laxatæ ambæ, atque impetu in altum relatæ, partem utraque ſuam retinuere.

ANNUS I. MONARCHIÆ, ET VII. REGNI ALEXANDRI.

1. Alexander M. exſtincto Dario, & una cum illo Monarchia II. quæ Medorum & Perſarum fuit, exſtincta, Monarchiam *tertiam* (quæ Græcorum vel Macedonum appellatur) inchoavit; ſicut legimus 1 *Maccab.* 1. 1. Alexander (filius) Philippi, rex Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egreſſus de terra Chittim, percuſſit Darium regem Perſarum & Medorum. Hæc verba non intelligenda ſunt in *ſenſu abſoluto*, quaſi ante Alexandrum M. nullus Rex in Græcia regnaverit: quia plures ante eum in Græcia, & ſpecialiter in Macedonia Reges extiterunt; uti ex hiſtoriis profanis, inprimis autem ex *Euſebio in Chronic.* manifeſtiſſimum eſt: ſed *in ſenſu limitato*, quia Alexander primus rex in Græcia fuit, nempe catholicus, ſive Monarcha Græcorum. Ipſe enim Alexander, exſtincta Perſarum Monarchia, axioma hoc Monarchicum ad Græcos tranſtulit. Locum parallelum de *Cyro primo Perſarum Rege* habemus in 1 *Eſdr.* 1. 1. ubi dicitur: *In anno primo Cyri* Regis Perſarum (ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ) ſuſcitavit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum, *&c.* Hic *primus annus Cyri non* accipitur *abſolute*, quo Aſtyagem avum ſuum vicit; ſed quo dicere potuit, Deum omnia regna terræ dediſſe ſibi: uti verba edicti regii Cyri ſonant *v.* 2. idque, devicto nondum Aſtyage, dicere non potuit.

Præfigurata autem eſt inſignis hæc victoria, quam Alexander M. de Dario reportavit, ante 220 annos, & præmonſtrata Danieli Prophetæ in viſione HIRCI CAPRARUM, qui adverſus ARIETEM prævaluit. Nam *Danielis* 8. 7, 11. legitur, quod *aries bicornis* proſtratus ſit ab *hirco caprarum*. Ubi per *arietem bicornem* intelligitur Rex Medorum & Perſarum ultimus, h. e. Darius Codomannus: per *hircum* vero *caprarum* intelligitur Rex Græcorum, h. e. Alexander M. interprete Angelo ipſo. *Daniel.* 8. 20, 21. Alexander enim M. tanquam *hircus caprarum* Darium tanquam *arietem bicornem* vicit, ejuſque *duo cornua comminuit*, h. e. regnum Medorum & Perſarum per duo illa cornua adumbratum evertit: & *nemo* (inquit porro Daniel) *potuit arietem è manu hirci liberare*, h. e. nemo Darium è poteſtate Alexandri eripere potuit. Licet enim Darius ingentem pecuniæ ſummam partemque regni dimidiam Alexandro offerret, tamen nihil obtinere potuit: quia Alexander M. ſolus mundi dominus eſſe voluit.

2. Poſt mortem Darii Alexander *in Hyrcaniam* movit, ejuſque regionis urbes omnes occupavit, uſque ad mare Caſpium, quod alii Hyrcanum vocant; ubi cum Thaleſtri Amazonum Regina, ex Rege Alexandro liberos quæſitura, 13 dies conſumſit. *Curtius lib. 6. Juſtinus lib.* 12.

3. Alexander, devicto Dario, ejuſque regno potitus, veſtes mutavit, & cum illis mores ſuos priſtinos. Nam *Curtius lib. 6. Athenæus lib.* 12. *c.* 18. ſcribunt, Alexandrum diadema purpureum diſtinctum albo, quale Darius habebat, capiti circumdediſſe, veſtemque Perſicam ſumſiſſe: Et quamvis ille ſe ſpolia Perſarum geſtare diceret, tamen vere mores cum illis Perſicos induiſſe, & ſuperbiam habitus animi inſolentiam ſequutam eſſe, manifeſtum eſt. Unde & milites & amici tantum in eum odium conceperunt, ut illi eum relinquerent, hi vero contra eum conſpirarent: cujus conſpirationis conſcius quoque fuit *Philotas*, filius Parmenionis, qui ob id ſuſpectus factus, in vincula raptus, & tormentis ſubjectus, cum patre *Parmenione* (quem Alexander prius Mediæ præfecerat, & fidei ejus non imperium modo, ſed & theſauros in Ecbatanis commiſerat; in quibus talentorum centum & octoginta millia aſſervabantur: uti *Diodor. Siculus* ſcribit) trucidatur. *Diodorus Siculus*, & *Curtius.*

AXIOMA.

Mutatio veſtitus uſitati plerumque adfert mutationem animi & vitæ, & tandem etiam ſtatus publici.

EXEMPLA.

1. Habemus hoc loco *in Alexandro Magno*: uti ex dictis patet.

2. Similiter *in Dario Codomanno*, ultimo Perſarum Rege. Hic namque vaginam acinacis Perſicam mutari juſſit in eam formam, qua Græci utebantur; quod ſtatim Chaldæi inter præſagia imperii Perſici transferendi à Dario ad Græcos, quorum arma eſſet imitatus, recenſebant. *Gregoras.*

AN-

ANNUS VIII REGNI, ET II MONARCHIÆ ALEXANDRI.

1. Septemtrionalium quarundam regionum ſubactio.

Anno 8 Regni & 2 Monarchiæ Alexander regiones quaſdam ſeptemtrionales nivibus aſſiſque cœli injuriis horridas, & eas etiam, quæ ad Caucaſi montis radices jacebant, ſubegit. Mox in *Bactrianam* contendit: ubi Barbaros quoſdam, Ducis ſui nece perterritos, in deditionem recepit. Hac regione devicta, & Artabazo tradita, Alexander deſerta Suſitanorum intravit, nocturno tempore exercitum ducens; qui interdiu aquarum penuria & ſiti miſerabiliter conficiebatur. Regi ex iis, qui locum caſtris capiendis præceſſerant, duo occurrerunt utribus aquam geſtantes, ut filiis ſuis, quos in eodem agmine eſſe, & ægre pati ſitim non ignorabant, occurrerent. Sed cum forte in Alexandrum incidiſſent, alter ex iis utre reſoluto, vas, quod ſimul ferebat, ſubito implevit, porrigens Regi. Hic percunctatus, quibus aquam portarent: reſpondebant illi; Se filiis ſuis afferre. Rex hæc audiens, poculum, ſicut oblatum erat, illis reddidit, dicens: *Nec ſolus bibere volo; nec tam exiguum poculum omnibus dividere poſſum: vos currite; & liberis veſtris, quod propter illos attuliſtis, date. Curtius.*

USUS.

Laudabile eſt hoc Alexandri factum, tum propter *tolerantiam*, tum propter inſigne boni Imperatoris *exemplum*: Quia ſuo exemplo reliquos milites ob ærumnarum æqualitatem, labores facilius ferre docuit.

Simile exemplum refert *Curtius lib. 7.* de *Alexandro* in India iter faciente. Cum enim exercitus per arenas, ſolis ardore flagrantes, iter faceret: Alexander, ipſe ſiti preſſus, ægre quidem atque difficulter, pedes tamen agmen ducebat, ut reliqui milites, ob æqualitatem ærumnarum, labores facilius ferrent. Interea nonnulli levioris armaturæ milites, ab exercitu digreſſi, exiguum quendam fontem neque purum illum invenerunt; collectaque inde aqua confeſtim ad Alexandrum accurrerunt, velut magnum aliquod bonum Regi afferentes. Ad quem cum veniſſent propius, aquam galeæ infuſam Regi obtulerunt: Rex, ubi galeam in manum accepit, circumſpiciens, quos circa ſe haberet Equites, demiſſo capite, & fixis in potum oculis, laudatis iis qui attulerant, aquam protinus in conſpectu omnium in terram profudit, dicens: *Si ſolus bibero, hoſce mœror inſtigabit.* Quo facto militum animi ita confirmati fuere, perinde ac ſi illius aquæ ab Alexandro effuſæ potu totus exercitus refocillatus fuiſſet.

Simile exemplum habemus in *Rudolpho I. Habſburgenſi* Imperatore, qui cum in bello, quod contra Ottocarum Bohemiæ regem geſſit, ſiti laboraret cum toto exercitu, ferunt ruſtico (qui meſſoribus potum ferebat) ablatam hydriam cereviſia plenam, atque Imperatori oblatam. Quam cum ille vidiſſet; *Reddite*, inquit, *homini vaſculum ſuum. Nam ego exercitui, non mihi ſitiebam.* Sicque ſua abſtinentia partim exercitum eo potu refocillavit, partim ad ſitis patientiam invitavit ſuo exemplo. *Æneas Sylv. lib. 3. commun. de rebus geſtis Alphonſi.* Vide *Monarch.* IV.

2. Petræ in Sogdiana regione expugnatio.

In Sogdiana regione erat petra, quæ inexpugnabilis videbatur. Nam 30 ſtadia erat alta, unoque tantum anguſto pervia aditu; in medio autem altitudinis ſpatio ſpecus erat, in quo fontes plurimi manabant, aquarum copiam barbaris ſuppeditantes. Præerat ei petræ *Arimazes Sogdianus* cum 30000 armatorum, alimentis ante congeſtis, quæ tantæ multitudini vel per biennium ſupperterent. Ad hanc rupem accedens Alexander, eos ad colloquium evocabat; ac ſi ſe dederent, facultatem libere in domos ſuas redeundi illis concedebat. Arimazes rupis Præfectus ejuſque milites Alexandrum falſe irridebant, rogantes: *An Alexander volare poſſet, & alatos milites haberet?* Quia ab aliis hominibus ſibi nihil metuerent. Ad hæc Alexander: *Faciam*, inquit, *proxima nocte, ut credatis Macedones meos volare.* Itaque 300 juvenes fortiſſimos ingentibus promiſſis excitatos, per prærupta ſaxa & invia à tergo in rupis verticem clam conſcendere fecit. Quibus viſis barbari, ne æſtimata quidem ob terrorem paucitate, deditionem fecere. Arimazes & reliqui Duces ſub ipſis petræ radicibus ſuſpendio periere.

Ita impletum eſt emblema Alexandri, quod uſurpare ſolitus eſt: *Nihil tam alte natura conſtituit, quo virtus eniti non poſſit (vel non aſcendat.) Curtius lib. 7. Arrianus lib. 8.*

3. Cliti interfectio.

Clitus erat is, qui Alexandrum, ad Granicum flumen nudo capite dimicantem, clypeo ſuo texerat, & Roſacis dextram capiti Regis imminentem gladio amputaverat, veteranus Philippi miles, multiſque rebus in bello præclare geſtis clarus: ſoror ejus erat *Hellanice*, quæ Alexandrum educaverat; ideo-

que haud ſecus quam mater ab Alexandro diligebatur. Quare *Maracandam* (Sogdianorum ea metropolis erat) cum imperio dimittendus, ut homo fidiſſimus infidæ genti præeſſet, ſolemni convivio excipitur. Cum mero incaluiſſet, Clitus fiducia amicitiæ audentior, *Philippum* Alexandri patrem impenſius laudabat, atque honorificam *Parmenionis* (quem Alexander interfecerat) aliorumque militum veteranorum mentionem infert. Quibus dictis Rex vehementer offenſus, qui dolorem tamen preſſit, contentus juſſiſſe ut convivio excederet, cunctantem ſurgere, qui proxime ei accubuerant, injectis manibus jurgantes, monenteſque, abducere conabantur. Clitus cum abſtraheretur, ad vinolentiam ira quoque adjecta, alta voce clamabat; Suo pectore tergum illius defenſum, nunc, poſtquam meriti tanti tempus præteriit, etiam memoriam inviſam eſſe: tandem Jovis Hammonis (cujus ſe filium Alexander aſſereret) oraculum illudens, *Veriora ſe quam Regis patrem* (Jovem Hammonem intelligebat) *dicere affirmabat.* Qua linguæ ferocientis intemperantia adeo exarduit Alexander, ut rapta è manibus armigeri lancea illico eum transfigeret. Poſtridie vero diſcuſſa ſilentio noctis ebrietate, facinoris magnitudinem ſera æſtimatione contemplatus Alexander, deteſtabile carnificis miniſterium ſua manu occupatum, quæ vino imputari poterant, nefanda cæde ultum, Servatorem ſui occiſum muliebriter lamentabatur; & ægre eſt prohibitus, quin è corpore jacentis haſtam in ſua rediget viſcera. Ita triduum incluſus latuit, nec prodire ad milites auſus, donec Macedones Clitum jure occiſum decrevere. *Plut. in Alexandr. Curt. l. 8. Juſtin. l. 12. Arrian. l. 4.*

4. Calliſthenis Philoſophi tragicus exitus.

Cum Alexander Jovis Hammonis filius ſe perhiberi, ſibique divinos honores deferri vellet, Calliſthenes philoſophus, Ariſtotelis conſobrinus, homo valde moroſus, moribuſque aulicis minime aptus, ſerio illud recuſavit, atque Regem ob arrogantiam graviter objurgavit; ſed magno ſuo malo. Nam ſub ſpecie inſidiarum, in quas Hermolaus aliique nobiles corporis Alexandri ſtipatores conjuraverant, cujus tamen ille particeps non erat, magno cum cruciatu necatus eſt. Nam Alexander naſum illi, aures, oculos, & labia præcidi juſſit, perque exercitum duci, & hunc verſum proclamari:

Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.
Odi ſapientem, qui ſibi ipſi non ſapit.

Plutarchus in Alexandro, Curtius, Arrianus lib. 4.

Monitum Politicum.

Hinc quicunque in aula verſari cupiunt, ad mores aulicorum, quantum ſalva pietate & honeſtate fieri poteſt, ſeſe accommodare diſcant. Nam

Quiſquis in ambigua ſe non accommodat aula
Omnibus ingeniis, non habet ingenium.

ANNUS IX REGNI, ET III MONARCHIÆ.

1. Alexandri erga militem frigore correptum humanitas.

Anno IX regni Alexander in *Indiam Orientalem* profectus eſt; quod iter ſub finem anni octavi decretum eſt. Ibi milites ex improviſo frigore correpti ægre corpus à pernicie defenderunt. Forte gregariorum quiſpiam in Alexandri tentorium irruit, vix ad arma ſe ſuſtentans, nec oculis, nec auribus competens: cum Rex ipſe, quamquam tunc maxime admoto igne artus refovebat, in ſede collocat ſua. Ille recepto calore vitali, ut locum atque Regem vidit, trepidus ſurgit. Quem intuens Alexander: *Ecquid intelligis*, inquit, *quanto meliore ſorte quam Perſa ſub rege vivatis? Illic enim in ſella regis conſediſſe capitale foret; tibi ſaluti fuit. Curtius lib. 8.*

2. Mophis Regis deditio.

Cum Alexander ad *Indum* fluvium perveniſſet, naves conſtructas, & fluvium ponte junctum invenit; ſed Taxiles, qui cum eo fœdus pepegerat, defunctus erat: Ejus autem filius Mophis cum Alexandro fœdus & amicitiam renovat, & juſſus exercitum cum elephantis adducit; quod gratiſſimum Alexandro accidit, & eum à parente ſuo Taxilem appellat, regnumque ejus auget. *Diodorus Siculus.*

3. Certamen Alexandri & Taxilis de mutua benevolentia.

Taxiles (ut *Plutarchus in Alexandr. & Curtius lib. 8.* ſcribunt) occurrens Alexandro, ſic illum alloquutus eſt: *Provoco te*, (inquit) *non ad pugnam, neque ad bellum, ſed aliud certaminis genus: ſi inferior es, à nobis accipe beneficium; ſi ſuperior, nobis benefacito.* Cui Alexander: *Atqui*, inquit, *ob hoc ipſum inter nos certandum eſt, uter benefaciendo ſuperet alterum.* Et humaniſſime complexus illum, non modo non ſpoliavit ditione, ſed auxit etiam.

AXIOMA.

Natura heroica heroicis aliorum tum dictis, tum factis, ad virtutem inflammantur.

EXEMPLA.

1. *Demoſthenes* dolere ſe ajebat, ſi quando opificum antelucana victus eſſet induſtria. *Cicero lib. 4. Tuſcul. Quæſt. Verba Ciceronis hæc ſunt*: Cui non ſunt auditæ Demoſthenis vigiliæ? qui dolere ſe ajebat, ſi quando opificum antelucana victus eſſet induſtria.

2. *Themiſtocles* nocte ambulabat in publico, quod ſomnium capere non poſſet. Quærentibuſque reſpondebat: Miltiadis trophæis ſe è ſomno excitari.

3. Ita *Alexandro M.* cum *Taxiles Rex Indorum*, maxima bella gerenti, omneſque ſibi populos ſubjicienti, regnum ſuum per legatos, ſi opibus egeret, libenter obtuliſſet; ſin opibus abundaret, Alexandri opes ſe non recuſaturum diceret: Tum Alexander, qui nec victor poterat, nec victus acquieſcere, cum armis non liceret, virtute dimicavit. *Non mihi*, inquit, *Taxiles hanc laudis palmam præripiet, ut magnificentia me & urbanitate ſuperare videatur; ſed luctandum nobis eſt. Itaque illum ego regni alterius amplitudine ac pecuniarum vi cumulatiſſime augeo.* Vide *Bodinum l. 4. de Republ. c. 5.*

4. Belli cum Poro Indorum Rege geſti deſcriptio.

Alexander, cum exercitum in Taxilis regno refeciſſet, contra *Porum* Indorum Regem potentiſſimum expeditionem ſuſcipit, qui in ulteriori Hydaſpis ripa regnabat, & corporis animique magnitudine inſignis erat. Hic ingentem collegerat exercitum, peditum fere 30000, currus 300, & elephantos eximio corporum robore 85, & Alexandro ſeſe opponebat. Commiſſo prælio, Porus è maximo elephante pugnans, plurimos telis conficiebat; ipſe quoque Bucephalus Alexandri equus proſternitur: At viciſſim omnium expoſitus ictibus, cum ad poſtremum non ferret vulnerum multitudinem, è beſtia delapſus, captus atque ad Alexandrum eſt deductus; qui obviam ei ivit, eumque prior compellans interrogavit: Quid tibi à me fieri cupis? Cui Porus: Ut me, inquit, βασιλικῶς tractes. Alexander delectatus ea oratione, dixit: Hoc tibi mea cauſa continget; Tu, quod tua cauſa gratum ſit poſtula. *Omnia*, inquit, *in voce βασιλικῶς continentur.* Quo reſponſo lætior Alexander, regnum Poro reſtituit, & veteri amplius adjecit: atque ita eum, velut generoſæ mentis hominem, regiè tractavit, eoque in poſterum tanquam fido amico ad omnia uſus eſt. *Diodorus Sicul. l. 17. Plutarchus in Alexand.*

Curtius refert, quod Porus, cum victus & captus in conſpectum regis prodiiſſet, & quæſitus ab eo eſſet: Quid ipſe victorem de ſe ſtatuere debere cenſeret? reſpondit: *Quod hic dies tibi ſuadet, quo expertus es, quam caduca felicitas humana ſit.* Plus monendo profecit, quam ſi precatus fuiſſet. Nam Alexander imperterritam animi ejus magnitudinem admirans, eum in numerum amicorum recepit, & ampliori regno donavit.

5. Urbium in India ædificatio.

Ad flumen Hydaſpin duas urbes condidit Alexander: unam vocavit *Nicæam*, à victoriis adverſus Indos partis; alteram vero *Bucephaliam*, in equi ſui Bucephali memoriam, qui eodem in loco vulneratus interiit. *Plutarchus in Alexandr. Arrianus lib. 5.*

6. Alexandri de ulteriori in Indiam progreſſu deliberatio.

Tandem Alexander, cum ad fluvium Indiæ maximum Gangem veniſſet, advocat milites, eoſque gravi oratione ad tranſeundum fluvium invitat. Verum exercitus flens ab eo poſtulabat, ut finem bellis imponeret; quoniam expeditio illa cum maxima difficultate atque ominoſo diſcrimine videretur eſſe conjuncta: Quare coactus fuit victoriis metam ponere. Erexit igitur, in perpetuum victoriarum ſuarum monumentum, 12 aras ex quadrato ſaxo; & caſtra ſolito magnificentiora fieri juſſit, quorum molitionibus & hoſtis terreretur, & poſteris admiratio ſui relinqueretur. Quo facto poſtea ad Aceſionem fluvium reverſus eſt.

7. Periculum vitæ Alexandri apud Mallos.

Cum Alexander apud Mallos (qui ſunt populi in India) in oppugnatione urbis ſolus in murum adſcendiſſet, ipſe præcipiti ſaltu in ipſam urbem ſeſe immiſit; ubi ab hoſtibus cinctus in ſummo vitæ diſcrimine fuit, atque ægre à ſuis ſervatus eſt. *Curtius lib. 9. Plutarchus in Alexandro. Diodor. Siculus lib. 17. Arrianus lib. 6. Juſtinus lib. 12.*

8. Calani Philoſophi conflagratio.

Cum Alexander Suſas veniſſet, Calanus inſignis Indorum gymnoſophiſta, qui Alexandrum ex India ſequutus, ſe vivum cremari petit. Poſtquam enim 73 annos abſque morbo vixiſſet, dolore alvi in Perſia correptus; finem vitæ ſuæ adeſſe ſta-

ſtatuit. Ideoque ne longo morbo perpetua vitæ felicitas contaminaretur, neve multis medicorum pharmacis excruciandus foret, Alexandrum rogavit, ut ſibi pyram conſtrui, & cum eam conſcendiſſet, eam incendi juberet. Rex hominem ab horrendo incepto poſſe deterrere ſperans, diſſuadere cœpit. Sed cum eum fixum & immutabilem in ſententia permanere, nec in vivis retineri poſſe videret, pyram juxta Calani voluntatem exſtrui & incendi permiſit. *Diodor. Sicul. lib.* 17. *Curt. lib.* 10.

ANNUS X REGNI, ET IV MONARCHIÆ.

1. *Alexander* in urbe *Suſa* exercitum ſuum recenſet, & corporis ſui cuſtodes 1000 ex Macedonibus & Perſis ſimul elegit, & multa Perſarum millia in exercitu Macedonico miſcet, eo quod nihilominus Perſis, quam Macedoni cuivis fidendum cenſeret; deinde ut hac ratione retuſa Macedonum audacia exercitum in poſterum obſequentiorem redderet.

2. Inde Suſis abiens *Ecbatanam* in Media ſitam proficiſcitur, ubi multum temporis recreationi exercitus tribuit, ibi ludos gymnicos & ſcenicos inſtituit. Inter hos dum continenter inſerviretur potationibus, Hephæſtion in morbum incidit è crapula, atque è vita excedit. Quem caſum Alexander adeo graviter tulit, ut Medicum, quem Glauciam nominat *Arrianus*, in crucem tolli juſſerit, quod negligentius morbum curaſſe putaretur: cadaver Perdiccæ tradidit, ut Babylonem deferri curaret, ampliſſimo funere mortuum amicum ſepelire cogitans, in quod plus quam 12000 talentorum impenſa ſunt. *Curtius*, *Arrianus*, *Diodorus Siculus lib.* 17.

USUS I.

Alexander M. ingentem erga *Hephaſtionem* declaravit amorem ſuum, quod ſuper mortem ejus tam graviter luxerit, ut arma, aurum, argentum, & veſtem Perſicam pretioſam in rogum injecerit, ſeipſum & fortiſſimos quoſque raſerit, atque pinnacula urbibus demſerit: uti ex *Æliano* & aliis narrat *Zonaras*.

USUS II.

Gentes olim mortuos ſuos magna pompa ſepeliebant. Unde funus atque ſepulchrum ſupremum honorem vocabant; uti videre eſt apud *Virgil. lib.* 11. *Æneid.* *Ammianus* quoque *Marcellinus* ſepulturam vocavit honoris ſupremitatem. In *Æthiopia* monumenta ditioribus ex auro fiebant; uti ex *Herodot. lib.* 3. & *Diodoro Siculo lib.* 3: *cap.* 5. patet. *Apud Ægyptios* quoque major ſepulchrorum quam domorum cura erat. Ratio hæc erat, quia putabant defunctorum domos ſempiternas, vivorum autem domicilia eſſe velut vitæ momento tranſeuntis diverſoria. Ita quoque Alexander in ſepulturam Hephæſtionis plus quam 12000 talentorum impendit, & ad oraculum Jovis Hammonis miſit, conſulturus de Hephæſtione inter divos referendo: per omnes fines regni Perſici IGNEM SACRUM, quem colebant, quique exſtingui non ſolebat, niſi Rex defunctus eſſet, eo die, quo exequias ducturus erat, exſtingui juſſit: variis ſpectaculis præterea exequias ornavit, ipſe primus cæſis victimis ad 10000 omnis generis Hephæſtioni ſacrificavit, & multitudinem ſplendido convivio excepit. *Diodorus Siculus.*

3. Alexander *Coſſæorum gentem* in *Media* bellicoſiſſimam, quæ nunquam vel Medis, vel Perſis ſubjecta fuerat, expugnat, ſibique ſubjicit.

ANNUS XI REGNI, ET V MONARCHIÆ.

Anno XI. Alexander ex *Media* diſcedens, *Babylonem* verſus caſtra movit; parvis tamen itineribus & interdum etiam quieſcens, ut hac ratione exercitus reficeretur. Cum autem in vicinia Babylonis eſſet, Chaldæorum Aſtrologi ei occurrerunt, ſerio ſuadentes, ne urbem ingrederetur: quoniam mortis ei periculum immineret. Amicorum igitur multis in urbem miſſis, ipſe aliquamdiu ſubſtitit, & caſtra metatus ducentis ſtadiis à Babylone, & non ſine magna omnium admiratione ingreſſum in urbem differebat. At frequentes ad eum veniebant Græci, præſertim Anaxagoræ philoſophi diſcipuli, qui ei perſuadebant, Chaldæorum Aſtrologiam & prædictiones vanas eſſe nec metuendas. Quare ſpretis Chaldæorum præſagiis, Babylonem cum exercitu ingreditur. Ubi humaniſſime excipitur à civibus & legatis, qui ex toto fere terrarum orbe ibi confluxerant: univerſum enim orbem terrarum nomini ejus terror invaſerat, & multæ gentes velut deſtinato ſibi Regi adulabantur.

ANNUS XII REGNI, ET VI MONARCHIÆ.

1. Alexander M. anno regni ſui XII, & Monarchiæ VI, Legatos, qui toto fere terrarum orbe venerant, eique coronas & munera ampliſſima attulerant, ordine audivit. 1. Qui ſacrorum cauſa. 2. Qui gratulatum. 3. Qui jura poſtulatum. 4. Qui alios accuſatum veniſſent. Tum primum Alexander ſibi ipſi & his, qui cum eo erant, univerſæ terræ & maris

maris noti dominus viſus eſt; ipſe vero omnes in univerſum, ut benigna ac liberali reſponſione, quantum pro re nata fieri poſſet, accepta, læti ac bene erga ſe affecti dimitterentur ſummopere ſtuduit.

2. Poſt hæc Alexander, quando videbatur potentiæ & felicitatis humanæ ſummum attigiſſe faſtigium, ad remiſſionem animi vitamque lætiorem ſe convertit. Ecce per aliquot ſigna mortem ſibi imminere non inaniter ſuſpicari cœpit; quæ maximam animi perturbationem ei attulerunt, adeo ut Aſtrologorum prædictiones ſecum inciperet expendere & magni facere. Ad triſtes haſce cogitationes obruendas conviviis indulget. Ubi tandem febrim contraxit. *Diodorus Siculus*, *Juſtinus*, *Curtius*. Alii dicunt, quod à *Medico Theſſalo* convivio exceptus ſit, in quo veneno propinato morbum contraxerit, quo etiam exſtinctus ſit: de quo in capite ultimo plenius dicturi ſumus.

III. *ACTA POLITICA.*

Quæ continent ſpeculum virtutum.

1. Eruditio, ejuſque erga literas & literatos amor atque favor.

1. *Ariſtotelem* quinquennium habuit Magiſtrum Alexander, ad quem poſtea ſcribens: Ego, ait, optimarum rerum ſcientia malo, quam potentia, aliis antecellere. *Bruſon. lib. 3. cap. 35.* Vide *cap. 2. §. 7.*

2. *Iliadem Homeri* in ſummo pretio habuit, adeo ut eam ad verbum edidicerit, ſemperque dormiens eam cum pugione cervicali ſuppoſuerit; Unde eam rei militaris viaticum nominavit. Si quando in colloquiis aut conviviis incidiſſet de carminibus Homeri concertatio, aliis alia præferentibus, ipſe hunc verſum unice præferebat, qui eſt de Agamemnone ſcriptus Iliad. γ.

Ἀμφότερον βασιλῆα, ἀγαθὸν, κρατερόν τε αἰχμητήν.

Dux bonus, atque idem validus pugnator in armis.

Dicebat quoque, ſe malle Homeri Therſiten eſſe, quam Chœrili Achillem. Erat enim Chœrilus Alexandri poëta non ſatis felix: cum quo ita pactus fuerat Alexander, ut pro quolibet bono verſu acciperet Philippæum aureum, pro malo colaphum.

Cum ad illum delatum eſſet ſcriniolum, quo nihil in gaza Darii pretioſius pulchriuſque repertum eſt; & quæreretur, in quem uſum deſtinandum eſſet; aliis aliud ſuadentibus, dixit Alexander: *Huic optimè ſervandus dabitur Homerus.* Sentiens, nullum eſſe theſaurum illo pretioſiorem. Ita viſum eſt juveni, qui ſe totum ad exemplum Achillis componebat. *Plutarchus in Alexandro.*

3. *Pindarum* poëtam Lyricum tanti fecit, ut cum Thebas vaſtaret, Pindari ædibus inſcripſerit, ut *Dion* teſtatur: Πινδάρου μνησθῆναι τὰ οἰκήματα. h. e. *Pindari poëtæ tectum ne cremate.*

4. *Diogenem Sinopenſem*, *Cynicum* ex impudentia dictum, veneratus eſt. Cum enim Alexander Corinthi Imperator Græciæ declaratus eſſet, illum ad ſe accerſivit, ſed repulſam tulit. Reſpondit enim mordax ille Philoſophus: Nihil ſe Alexandro indigere, ſi quid ſui indigeret, ad ſe veniret. Quo Alexander conſpecto, cognitaque ejus rerum humanarum deriſione, dixiſſe fertur: Ego niſi Alexander eſſem, Diogenes eſſe vellem. *Plutarchus in Alexandro. Cicer. lib. 5. Tuſcul. Quæſt.*

5. *Calanus Gymnoſophiſta Indus* hoc imperii ſui ſpeculum ei ob oculos poſuit. Scribit enim *Plutarchus in vita Alexandri*, *Taxilem*, Indiæ Regem, Calano inter Gymnoſophiſtas celeberrimo perſuaſiſſe, ut Alexandrum conveniret, eumque erudito aliquo philoſophemate oblectaret. Paruit Calanus, & ad Alexandrum introductus corium ſiccum & retorridum in ſolum projecit, ejuſque extrema viciſſim calcavit, quod uno loco preſſum, cæteris extulit ſe: Idem circulans undique, & pedibus calcans, in qualibet parte evenire oſtendit: Cum autem medium calcaret, omnes in circuitu partes quieverunt. Quo ſymbolo monere voluit Alexandrum, ne in regni extremitatibus ſe contineret, ſed in umbilico, h. e. in medio regni conſiſteret, tanquam in metropoli: ſic enim eum circumjacentia facilius in officio retenturum.

6. Alexander *Anaximenis Philoſophi* diſciplina vehementer eſt delectatus; & ſolertiſſimo ille & verſutiſſimo reſponſo Alexandrum delufit, eoque patriam ſuam Lampſacum ſervavit periclitantem. Res ita ſeſe habet: Fuit aliquando Alexander quam maxima injuria laceſſitus à Lampſacenis concivibus Anaximenis. Quarum urbem illam expugnavit, eamque quam primum evertere funditus decrevit. Anaximenes autem legatione ad eum miſſus obviam ei proceſſit. Quem ubi venientem ad ſe videt, primo tanquam præceptorem ſuum primum, & præterea eloquentia ſuſpectum, Rex alta voce clamat, ſancte jurans; ſe nihil facturum, quod ille peteret: Tum ille ſimiliter alta voce reſpondit: *Rogo te.* inquit, *ô Rex, ut Lampſacum diruas.* Alexander ingenii verſutia delectatus, Græcæ hoſpitalitatis memor, urbi pepercit, & æquas pacis conditiones propoſuit. *Pauſan. lib. 6. Eraſmus lib. 6. Apophthegmatum.*

7. Simili modo à *Cratete Philoſopho* deceptus eſt,

eſt, de quo *Eraſmus in Apophthegm.* ita ſcribit: Cratetis excelſum animum miror, & ſuſpicio: qui quærenti Alexandro: *An patriam ſuam vellet reſtitui?* Quid opus? reſpondit: Alius, cum Alexander mortuus fuerit, iterum fortaſſe eam diruet.

8. *Plutarchus* deſcribit illuſtrem Alexandri M. diſſertationem, quam cum 10 Gymnoſophiſtis bello captis in India inſtituit. Propoſuit hiſce Alexander quæſtiones 10 obſcuras, necem denuncians ei, qui male reſpondiſſet, judiciumque uni eorum, qui natu maximus erat, committens.

Primus interrogatus: Plures vivos, an mortuos putaret? Vivos, reſpondit: Mortuos enim non amplius eſſe.

Secundus: Terra an mare grandiores aleret beſtias? Terra, inquit: quia ejus portio eſt mare.

Tertius: Quod animal callidiſſimum eſſet? Illud, ait, quod hactenus ab homine non eſt cognitum.

Quartus: Quare Sabbam ad rebellionem contra ſe incitaſſet? (nam hujus deficiendi autores fuere Gymnoſophiſtæ.) Ut, inquit, bene viveret, aut male periret. ἢ καλῶς ζῆν, ἢ κακῶς ἀποθανεῖν.

Quintus: An putaret, diem, an vero noctem eſſe priorem? Dies, inquit, uno die prior fuit. Rege reſponſionem mirante, adjecit: Implicatarum quæſtionum neceſſe eſt ut implicatæ eſſent reſponſiones.

Sextus: Qua ratione quis efficere poſſet, ut maxime diligeretur? Si potentiſſimus ille, ait, nec formidabilis ſit.

Septimus: Quomodo quis ex homine fieri poſſit Deus? Si quid fecerit, ait, quod homo facere non poſſit.

Octavus: An vita an vero mors ſit robuſtior? Vita, inquit, quæ tam multa tolerat mala.

Nonus: Quouſque hominum vivere deceat? Quouſque, ait, cenſeat, ſatius eſſe vivere, quam mori.

Tandem Alexander ad *Judicem* converſus, qui *decimus* erat, pronunciare eum juſſit ſententiam. Cumque is unum alio ſegnius reſpondiſſe pronunciaret: Ergo tu, inquit, primus moriere, qui ita decernis. Minimè vero, ô Rex, ait ille; ſi modo tibi conſtas, qui primo loco eum te interfecturum dixiſti, qui peſſime reſpondiſſet. Quare Alexander eos muneribus honoratos dimiſit. Hæc *Plutarchus.*

AXIOMA I.

Magnum decus & ornamentum eſt Principum, & perſonarum illuſtrium, ſi literis & artibus liberalibus ſint imbuti.

Sicut enim poma in patera argentea ſunt conſpectiora: Ita Principes literati ſunt conſpectiores, & multo illuſtriores. Etenim virtus & eruditio tam bene conveniunt cum nobilitate, & illuſtri dignitate, quam bene gemma auro includitur, & roſæ liliis intexuntur. *Æneas Sylvius* pulchre dixit: Plebeiis argenti, Nobilibus auri, Principibus gemmarum loco literas eſſe debere. Et *Judic.* 5. *v.* 14. dicitur: De Zabulo Duces in calamo ſcribæ. Luther. Von Zabulon ſeind Regirer geworden durch die Schreibfeder. Ejuſdem Lutheri apophthegma fuit. Die Schreib-feder muß Käiſerinn bleiben.

Exempla.

1. Huc ſine dubio reſpexit *Juſtinianus Imperat.* quando Inſtitutiones Juris ita orditur: Imperatoriam Majeſtatem non ſolum armis, ſed etiam legibus armatam eſſe oportet, ut utrumque tempus, & bellorum, & pacis, recte gubernare poſſit; & princeps Romanus non ſolum in hoſtilibus prœliis victor exiſtat, ſed etiam per legitimos tramites calumniantium calamitates expellat. Hiſce enim duobus nititur orbis, nempe ut à literis adjuventur arma, & ab armis literæ ſuſtineantur.

11. Idem ſibi vult *Imago C. Julii Cæſaris* in Symbolis *Paradini.* Inſiſtit ea mundi globo, atque altera quidem manu gladium, altera vero librum tenet, cum hac inſcriptione: EX UTROQUE CÆSAR. Quæ enim Cæſar interdiu armatus gerebat, ea noctu togatus puriſſimo dicendi genere conſcribebat. Huc pertinet pulchellum illud epigramma:

Fert fluvium tranans ſua commentaria Cæſar:
Nec, ſua ne pereant, ipſe perire timet.

111. *Mithridates* Ponti atque Bythiniæ Rex inclytus, qui à Cneo Pompeio bello eſt victus, 22 gentium, quas ſub ditione ſua habebat, linguas percalluit, earumque gentium omnium viris haud unquam per interpretem loquutus eſt; ſed unicuique in ſua lingua, & ſermone, non minus ſcite, quam ſi ejus gentis eſſet, reſpondit. *Aulus Gellius l.* 17. *c.* 17.

IV. *Baſilius Imperator* ad Leonem filium egregium ſcripſit monitum politicum. *c.* 56. Per hiſtorias veteres ire ne recuſa. Ibi enim reperies ſine labore, quæ alii collegerunt cum labore: atque illinc hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia, vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea con-

converſiones, mundi hujus inſtabilitatem, & impiorum præcipites caſus; & ut verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia: quorum illa fugies, ne in juſtitiæ divinæ manus incidas; hæc amplecteris, ut præmiis, quæ ea comitantur, potiaris.

v. *Fridericus* II. *Imp.* fuit dictus πολύγλωττος, & lectioni fuit deditiſſimus; Is dexterè judicavit, non regi recte poſſe populum abſque doctrinæ & virtutis adjumentis, quæ ex libris doctorum hominum haberi poſſunt certiſſima.

VI. *Alphonſus* Rex ſapientiſſimus, percunctantibus, utri rei ſe debere plus fateretur, libriſne, an armis? *Ex libris*, inquit, *& arma, & armorum jura didici.* Hac voce profeſſus eſt, ſe libris accepta ferre omnia, prudentiſſimus & potentiſſimus heros, qui fuit Rex, Regis filius, Regis nepos, & Regis frater. Ita animadvertit fructum bonarum artium, & facilè colligere potuit, quam infinita mala ex illarum jactura oriantur. *Æneas Sylvius in vita Alphonſi.*

VII. *Robertus* Rex *Sicilie*: Sic eſt, ait, vita hominum; ſic ſunt judicia & ſtudia, & voluntates variæ. At ego volo dulciores & multo cariores mihi literas eſſe, quam regnum: & ſi alterutro carendum ſit, æquanimius me diademate, quam literis, carituram. *Petrarcha lib.* 1. *Memorabilium.*

AXIOMA II.

Contra autem Principes illiterati ſæpenumero non laudem, ſed labem ſibi acquiſiverunt.

EXEMPLA.

Ludovicus XI. *Rex Gallie* noluit filium ſuum *Carolum* VIII eruditi literis, ne, dum literarum ſectaretur otia, regni negligeret negotia: Deinde etiam, ne hiſtoriarum cognitione timidus redderetur, aliorum magis exempla intuens, quam ſuo genio obſequens. *Onuphrius.* Et hoc votum regis fuit omen. Siquidem filius ipſius Carolus (ſicut prodidit *Æmylius lib.* 10.) hæc tantum quinque verba, ex monito patris, latina ſcivit: *Qui neſcit diſſimulare, neſcit imperare*: Haud dignum tanto & parente, & filio, tum factum, tum verbum. Magis probanda vox eſt *Uladiſlai* Bohemiæ, & Ungariæ Regis, qua dixit: *Non videri ſibi homines, qui literas ignorarent. Æneas Sylvius lib* 3.

2. In *hiſtoria Concilii Conſtantienſis* memorabilis legitur hiſtoria de *Sigiſmundo Imp.* qui alias magnus literatorum fautor fuit. Hic cum Conſtantiæ in cœtu illius temporis doctiſſimorum virorum verba faceret, de Reip. convulſione, & *horrendos ſchiſmos* nominaret, & ob id deriſus à *Cardinale Placentino* fuiſſet: Reſpondit ei quidem Imperator: Sibi non placere Placentinum, quamvis aliis placeat, qui arbitretur, Imperatorem ſervire præceptis Priſciani debere; quem, ſi legibus politicis ſolutus ſit, grammaticis certe teneri non oporteat. Feſtive quidem hoc ipſum Imperator dixit; ſed quanto ſatius fuiſſet, aliquanto pluſculum operæ ab illo grammaticis tributum fuiſſe, ne ridicula hac eluſione erratum elevare coactus fuiſſet.

3. Facetum quoque exemplum habemus in *Chriſtophoro Cardinale Eboracenſi*, viro ut indocto, ita ambitioſo. Hic cum, *Reginaldo Polo Cardinale*, & *Thoma Moro Anglia Cancellario* præſentibus, aliquando verſum Homeri laudare vellet, quem memoria ſibi excidiſſe diceret: Ibi Thomas Morus, ad Reginaldum converſus: Οὐδὲν πρὸς ἴπθον, inquit, *Nihil ad rhombum.* Tum Eboracenſis: Ipſiſſimus eſt, ait; verum mihi exciderat.

AXIOMA III.

Principes aliique viri illuſtres literatos ament, eoſque in pretio habeant.

Nam nullum illuſtrius eſt Principum inſigne, nulla canorior tuba, ad laudes ipſorum ubique celebrandas, quam amor ingenioſorum & doctorum virorum.

Exempla.

1. Tempore *Alexandri M.* nullus fuit Philoſophus, Poëta, Orator, Mathematicus, Architectus, Pictor, Sculptor, aut alius artifex præclarus, quem ille non videret, alloqueretur, honoraret, & ditaret: atque adeo nonnullis ſtatuas publicè curabat erigi, quo declararet publicè, quanti eruditionem & virtutem faceret, & aliorum animos ad imitandum accenderet.

2. *Ptolemæus Philadelphi*, Rex Ægypti, incredibilem pecuniæ vim in conquirendis undique libris & hominibus eruditis impendit, & quam multis muneribus LXX Seniores, qui Biblia Ebræa in Græcum ſermonem ad ipſius poſtulata tranſtulerunt, nec non Pontificem Jeroſolymitanum, affecit. *Joſephus lib.* 12. *Antiq. Judaic. c.* 2. *Clem. Alexandr. lib.* 1. *Strom. Euſebius lib.* 5. *c.* 8.

3. *Carolus Magnus Imper.* tantopere doctorum converſatione delectatus eſt, ut nunquam ſine aliqua lectione cœnatus dicatur: idque ideo fecit, ne minorem animo, quam ventre delectationem perciperet. *Sturcius de vita Caroli M.*

4. *Franciſcus* I, *Rex Gallie* magna cum laude idem fecit: quò nemo ſuo ſeculo artes liberales omnes vehementius amavit, aut liberalius proſe-

quutus eſt: prandens ac cœnans loquebatur de literis; ſicut ſcribit *Sleidanus lib. 19.*

5. *Theodoſius M. Imper. Arſenium* præceptorem filiorum ſuorum admonuit, ne quem ex ſublimitate eorum conciperet metum, ſed illis potius ut miniſtris ſuis uteretur; quod tamen Arſenius non fecit, ſed inſigni modeſtia erga eos ſemper uſus eſt. Et cum repente aliquando Theodoſius ad eos veniſſet, & pueros quidem cum ſplendore magnifico conſidentes, Arſenium autem inter docendum adſtantem reperiſſet: Imperator indignatus, filios ſuos ſtare, Arſenium autem ſedere juſſit: atque hæc vere imperialia verba æternaque memoria digniſſima adjecit: Si tales ſe præbituri eſſent, ut mores vitamque ſuam ad diſciplinam & leges componerent, propenſum & illum fore, ut illis imperium in manus traderet, ad civium & ſubditorum commodum & utilitatem: ſin minus; conducibilius illis eſſe dixit, ut ſic privati vitam exigerent, quam doctrina nulla cum periculo imperarent.

6. *Albertus Crantzius in Annal. Dan.* pulcherrimum adducit exemplum de Proceribus regni Daniæ, ex quo inſignis eorum erga literarum ſtudia effulſit amor. Cum *Frotho* III, *Daniæ Rex* XXV, multarum gentium Domitor, & invictiſſimus ſeptentrionis Monarcha, qui circa nativitatem Chriſti vixit, mortuus eſſet, Proceres regni, qui ſummo amore & honore ob virtutem meritaque inſignia eum proſequebantur, & nihil magis in votis habebant, quam ut æternitati eum conſecrarent, ſucceſſionem ei decreverunt, qui carmine eum à ſe conſcripto optime celebraret. Ex omnibus unus, nomine *Hiarnus*, mediocris quidem fortunæ, ſingularis autem ingenii homo, demortui Regis ſepulcrum, grandi ſaxo inſcripto epitaphio ſequenti, ornavit:

Frothonem Dani, quem longum vivere vellent,
Per ſua defunctum rura tulere diu;
Principis hoc ſummi tumulatum cæſpite corpus
Æthere ſub liquido nuda recondit humus.

Et ob hoc epitaphium, ſuffragiis Procerum atque populi, diadema regni promeruit. Plura de amore Magnatum erga literatos vide *Monarchiam noſtram* I, *in vita Nabuchidonoſoris* II. *pag.* 90.

AXIOMA IV.

Nihil magis obfuſcat & obſcurat Principum & Magnatum gloriam, nihilque magis eorum nominis memoriam exſtinguit & ſepelit, imo eos odioſos poſteris ſeculis reddit, quam contemtus virorum doctorum.

EXEMPLA.

1. *Eutropius* in hiſtoria ſcribit de LICINIO *Romanorum Imperatore*, quod ob inſcitiam vix nomen ſuum decretis ſubſcribere potuerit, quodque literas & literatos virus & peſtem publicam appellarit, ipſe peſtis & abominatio orbis.

11. *Ludovicus* XI, *Rex Gallia*, tantus literatorum & artium liberalium contemtor fuit, ut filium ſuum Carolum VIII. literis erudiri noluerit; ne, dum literarum ſectaretur otia, regni negligeret negotia. *Onuphrius.*

Verum iſti homines graviter errant. Sicut enim vitis, tametſi eſt arbor omnium nobiliſſima; tamen arundinum, vallorum, arborumve infrugiferarum eget ſuſtentaculis: Ita Magnates eruditorum, alias deſpectorum, opera.

Quod probe intelligens *Philippus Rex Macedoniæ, Alexandro* filio ſuo autor fuit, ne poëtas alioſve rerum præſtantium ſcriptores offenderet, qui de unoquoque libere quod vellent, commemorarent, facileque maculam inurerent. Nam *genus irritabile vatum eſt.* Multi certe, ne quid aſpere de ſe ſcriberetur, formidarunt, neve in aliorum ſtylum impingerent, & infames poſteritati traderentur.

II. Clementia.

Inſignis in Alexandro erga victos *Clementia* fuit, & in omnes etiam hoſtes *Fides.*

Exempla.

1. *Alexander Darii uxorem, matrem, & filias* adeo benigne & magnifice habuit, ut Darius moriens ei gratias egerit, ſibique de tali ſucceſſore gratulatus ſit. Unam ejus filiam nomine *Statiram* ipſe uxorem duxit: *alteram* vero *Hephæſtioni* intimo ſuo amico nuptui dedit. Quocirca Alexandro mortuo, omnes ejus mortem æque ac parentis deploraverunt, ipſaque Darii mater inedia ſe interemit. *Curtius lib.* 10. deſcribit ingentia lamenta matris, uxoris, & filiarum Darii, & hæc verba ſubjungit: Magnum profecto indulgentiæ in eam Alexandri documentum, quæ, cum ſuſtinuiſſet poſt Darium vivere, Alexandro eſſe ſuperſtes erubuit.

11. *Uxor Darii capta*, cum Hephæſtionem, putans Alexandrum, quaſi Regem ſalutaſſet, & cognito errore, erubeſceret; Alexander eam animans: *Non erraſti*, ait, *Nam & hic Alexander eſt.*

111. *Maceus* Darii præfectus olim, & pro eo pugnans, contra Alexandrum, victo Dario, ampliore ab eo præfectura auctus: *Rex*, ait, *olim unus erat Darius; nunc tu multos feciſti Alexandros.*

1V. Qua humanitate & clementia uſus fuerit erga *Taxilem* & *Porum* Indorum Reges, in anno IX. regni Alexandri dictum fuit.

III. Caſtitas & Continentia.

De Alexandri Caſtitate & Continentia *Plutarchus* ita ſcribit: Temperare ſibi magis regium ducebat, quam hoſtes vincere: ſpecioſiſſimas Darii filias, nec conjugem, attigit, nec mulierem, ante nuptias cognovit excepta *Barſena*, Memnonis Rhodii defuncti conjuge. De cæteris Perſarum feminis pulchris joco dicebat: Quam magni oculorum dolores ſunt Perſides! Ad æmulationem vero formæ illarum oſtentans, ſe victorem concupiſcentiæ, ſicut inanimatas ſignorum imagines tranſmittebat eas: Audiens quaſdam à ſuis vitiatas, ſcripſit Parmenioni, ut eos tanquam belluas natas ad corruptelas hominum puniret, & interficeret. *Ego enim*, ait, *non ſolum non vidi Darii uxorem, aut videre cogitavi; ſed nec verba facientes de ejus decore ſuſtinui audire.* Hæc ſane caſtitas ejus admiranda fuit. Cum quidam Alexandrum hortaretur, ut Darii filias, & uxorem, forma inſigni præditas, ſpectaret, reſpondit: *Turpe eſt viros vincentes, à mulieribus vinci.*

IV. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. BONA.

Alexander M. *miniſterium veneratus eſt*, & beneficia plurima in populum Dei contulit.

Joſephus lib. 11. Antiq. Judaic. cap. ult. ita ſcribit: Alexander capta urbe Gaza, mox duxit exercitum victorem hoſtili animo in Judæam. Quia Judæi noluerant ei mittere copias auxiliares, rogati ab Alexandro. Cauſa recuſationis hæc erat: *Quia* (inquiebant) *nos, Dario vivente, cui juravimus, alium Dominum non agnoſcimus.* Verum *Jaddus* ſummus Pontifex monitus à Deo per ſomnium, cum cœtu Sacerdotum & ſeniorum obviam proceſſit Alexandro, ornatus habitu Sacerdotali. Quo conſpecto, Alexander de equo deſiliens, ſummum Sacerdotem reverenter ſalutat, ac pacem ei promittit. Interrogatus, cur tantum honorem haberet Pontifici, reſpondit: *Ego ante hanc expeditionem Aſiaticam in Macedonia vidi imaginem in ſomno, ſimilem huic Pontifici, ſimili habitu ornatam, qua mihi victoriam & ſucceſſum promiſit.* Poſtea in urbem ingreſſus cum exercitu, non modo hoſtile nihil fecit, ſed etiam peracto ſacrificio, templum magnificis donariis ornavit, tributa ab *Ocho* tyranno impoſita remiſit, & diſcedens libertatem patriæ legis tenendæ, & ſeptimi anni, quo agri non conſerebantur, immunitatem Judæis conceſſit.

AXIOMA.

Deus corda Regum habet in manu ſua, eaque pro nutu ſuo dirigit ad ſuam gloriam, & piorum ſalutem.

Prov. 21. v. 1. Sicut rivi aquarum; ſic cor Regis in manu Domini: quocunque volet, inclinabit illud. *Prov. 17. v. 7.* Cum placuerint Deo viæ hominis, etiam inimicos ejus convertet ad pacem.

Quemadmodum enim Deus torrentes deducit, quo ipſi libuerit, quos ſæpe nulla vis humana avertere poteſt: Ita etiam animos Regum & Principum habet in poteſtate, ut eos vel ad iram, vel ad clementiam, vel quorſum velit, inclinare poſſit.

Jeſaiæ 8. v. 9, 10. Claſſicum canite, populi, & vincimini; & audite univerſæ procul terræ; Accingamini, & conteramini; accingite vos, & conteramini; inite conſilium, & diſſipabitur; loquimini verbum, & non fiet.

Autor continuationis diſcurſus Gallici pag. 7. pulcherrime ſcribit. Solet Deus hominum adeoque Magnatum conſiliis illudendo, ea in contrarium plane finem, præter omnium hominum exſpectationem, convertere. Feſtinat Gnomon debilibus fretus libramentis ad horam & momenta ſua; quæ, ſi digito movere horologii magiſtro viſum eſt, in alteram circuli extremitatem inclinatur.

Exempla.

1. *Laban* perſequebatur Jacobum iratus & furens; ſed Deus illum per ſomnum compeſcuit, eique demandavit, ne Jacobo ullam vim inferret. *Geneſ. 31. v. 24.*

2. *Eſau*, cum in Jacobum ſemper fuiſſet hoſtili animo, tandem ita cor ejus à Deo immutatum eſt, ut ei obviam occurreret, inque amplexus ejus rueret, præque gaudio fleret. *Geneſ. 33. v. 4.*

3. *Aha ſverus*, *Rex Perſarum* potentiſſimus, calumniis Hamani circumventus, cum decreviſſet Judæos perdere, mitigato animo, cognita veritate à pia conjuge Eſther, evulgatum decretum regium, alioquin inviolabile juſſit reſcindi & irritum eſſe. *Eſther. 8. v. 8, 13.*

4. *Nabuchdonoſor*, *Rex Babyloniorum*, antea erat lupus, h. e. veræ religionis contemtor, & piorum atrox perſequutor; ſed poſtea factus eſt ovis, h. e. veræ religionis defenſor. *Dan. 3. v. 96.*

5. *Miniſtri Pontificum* ad Chriſtum capiendum ablegati, non modo re infecta domum redibant; ſed & Phariſæis ipſius in dicendo majeſtatem ſummopere laudabant & prædicabant. *Joh. 7. v. 46.*

6. *Saulus* è lupo in ovem converſus, Evangelii

doctrinam, quam olim oppugnaverat, magno ſtudio propagabat. *Actor.* 9. *v.* 15. *Galat.* 1. *v.* 23. de quo *Prudentius in Enchirid.* V. & N. T. pulcherrimè ſcribit:

Hic lupus *ante rapax, veſtitur vellere molli:*
Saulus *qui fuerat, ſit ademto lumine* Paulus;
Mox recipit viſum, ſit Apoſtolus, *ac populorum*
Doctor, & ore potens corvos mutare columbis.

Similiter *Dn. Guilhelmus Alardus*; *amicus meus ſingularis & intimus*, *in Triariis lib.* 1. pulchrè ita ſcribit:

Qui lupus *ante Dei* Saulus *vaſtabit ovile*,
Nunc Paulus *contra ſervat ovile* lupos.

II. MALA.

Licet Alexander Hieroſolymis pepercerit, Jaddum ſummum Pontificem honorarit, Judæis ſeptimi anni tributa remiſerit; tamen acerbiſſimum & grave ejus fuit regnum Eccleſiæ, cujus dignitatem & ſanctitatem turpiſſime labefecit, & unitatem ſcidit, dum Saneballati Samariæ Satrapæ, novi templi in monte Garizim ædificandi poteſtatem conceſſit, in quo *Manaſſes* deſertor Judaicæ religionis, frater Jaddi ſummi Pontificis Hieroſolymitani, pontifex fuit conſtitutus. Qua re non tantum Eccleſiam Judaicam afflixit, ſed etiam potentiam Judæorum diviſit, ne eadem concordia gens conjuncta rebellaret: uti narrat *Joſephus lib.* 11. *Antiq. Judaic. cap.* 8.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

CIrca *mortem* Alexandri notanda veniunt tria: 1. Τὰ προηγούμενα. 2. Παρεπόμενα. 3. Παρεπόμενα.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

Antecedentia mortis Alexandri ſunt duo: 1. *Prædictiones.* 2. *Præſagia.*

1. Prædictiones.

1. *Calani Philoſophi Indi*, qui Alexandro finem vitæ prædixerat; ſicut teſtatur *Cicero*. Cum enim conſcenderet in rogum ardentem, & Alexander eum interrogaret: Si quid vellet, ut diceret: Optime, inquit; propediem te videbo. Paucis poſt diebus mortem obiit Alexander.

2. *Chaldæorum*, qui Alexandrum urbem Babylonem ingredi volentem monuerunt per Nearchum, ne Babylonem ingrederetur. Inde enim hoc tempore periculum vitæ ei portendi.

2. Præſagia.

Præſagia mortis Alexandri fuere quadruplicia.

1. ECCLESIASTICA. 1. *Ignis ſacri in totâ Aſiâ extinctio.* Alexander enim Hephæſtioni exequias celebraturus omnibus Aſiæ gentibus imperavit, ut ignem, qui Perſis ſacer erat, exſtinguerent, donec funus eſſet abſolutum. Hoc præſagium mortis Alexandri erat. Nam apud Perſas tantummodo in Regis obitu hoc fieri ſolebat. Ideoque ſubditi juſſionem regiam in omen traxerunt; quaſi futura Regi mors hoc omine portenderetur. 2. *Hepatis hoſtiæ ſine fibris inventio.* Nam *Apollodorus* Babylonis præfectus de ipſo exta conſuluit: de quo cum Aruſpex ipſe interrogatus ab Alexandro, factum non negaſſet; cognovit Alexander, hepar hoſtiæ abſque fibris inventum eſſe.

2. PHYSIOLOGICA. 2. *Corvorum concertatio.* Cum Alexander ad muros Babylonis perveniſſet, corvorum examen vidit, certantium & ſe mutuo cædentium, quorum aliqui juxta ipſum ſunt dilapſi. 2. *Leonis ab aſino occiſio.* Non parum terruit Alexandrum & hoc prodigium, quod leonum, qui alebantur, grandiſſimum & ſpecioſiſſimum aſinus aggreſſus calce impacta occidit.

3. POLITICUM. *Arrianus lib.* 7. ſcribit: Quod, cum Alexander paulo ante obitum in paludibus non procul à Babylone, in quibus multa Aſſyriorum regum ſepulchra exſtructa erant, navigaret, ingens ventus obortus ſit: qui regium capitis ornamentum & diadema ei alligatum abripuit: atque illud quidem, utpote gravius, in aquam procidit; iſtud vero vento abreptum, arundini cuidam ex iis, quæ monumentis regum adnatæ erant, inhæſit, quod nauta quidam inde avulſum, non manu geſtavit, ne natans madefaceret, ſed capiti impoſitum attulit. Hic diligentiæ ſuæ præmium ab Alexandro talentum accepit, ſed capite deinde plecti juſſus eſt, Chaldæis monentibus, caput illud quod diadema regium geſtaſſet, ſalvum relinqui non debere. Quod à ſapientibus futuri caſus prodigium habitum eſt.

NOTA.

Diadema Alexandri duplex fuit.

Primum fuit *Macedonicum*, quod ante Darium devictum geſtavit. De hoc *Juſtinus lib.* 11. ita ſcribit: Lyſimachum deſiliens equo Alexander haſtæ cuſpide ita in fronte vulneravit, ut ſanguis prius claudi non poſſet, quam diadema ſibi demtum Rex, alligandi vulneris cauſâ, capiti ejus imponeret. Quod auſpicium primum Regalis Majeſtatis Lyſimacho fuit.

Alterum erat *Perſicum* diadema, nempe purpureum diſtinctum albo, quale Darius habuerat. Hoc Alexander relictis patriis moribus diſciplinisque capiti circumdedit; ſicut *Q. Curtius*

tius lib 6. de geſtis Alexandri ſcribit. At hoc à vento abreptum futuri caſus prodigium fuit; ut antea dictum.

4. OECONOMICUM. *Plutarchus in Alexand.* ſcribit: Quod, cum Alexander ungendi cauſa veſtibus ſe nudaſſet, & pila luderet, adoleſcentes, qui una ludebant, cum jam veſtes eſſent recipiendæ, hominem, qui captivus è carcere elapſus in regiam venerat, invenerunt ſedentem in ſolio veſtibus Alexandri & diademate regio indutum. Is interrogatus: Quiſnam eſſet? aliquamdiu nullam vocem edidit: tandem cum ad ſe rediiſſet, dixit; Hoc ſibi mandatum à Serapi: quod ubi audivit Alexander, iſtum hominem juſſu vatum è medio ſuſtulit, ut ſi quid adverſi eo oſtento portenderetur, in ſe reciperet.

II. TÀ ΠΡΑΧΘΈΝΤΑ.

Mors ipſa.

I. MORTIS GENUS.

De genere mortis Alexandri diverſæ exſtant Hiſtoricorum ſententiæ.

1. *Quidam* (*Curtius*, *Diodorus Siculus*, *Juſtinus l.* 12.) ſentiunt, ipſum *veneno* periiſſe, cujus mentionem nemo auſus fuerit facere, propter Antipatri, qui venenum ſubminiſtraſſe credebatur, potentiam.

2. Contra *Plutarchus* hoc refutat, affirmatque, ſeſe diarium morbi Alexandri legiſſe, in quo, quomodo ſe ſingulis diebus in paroxyſmo febrili habuerit, perſcriptum fuit. Et addit *Plutarchus*, quod decimo morbi die perierit, die vigeſimo ſecundi Dæſii: qui nobis fere eſt dies 18 Aprilis, cum vixiſſet annos 32, menſes 8; ut habet *Arrianus*: & regnaſſet annos 12, menſes 7, ut habet *Diodorus Siculus*; paulo antequam ſecundus annus Olympiadis 114 inciperet.

USUS.

Hinc intelligimus quomodo intelligenda ſint verba *Danielis* 8. 8. *Hircus caprarum factus eſt magnus nimis: cumque creviſſet, fractum eſt cornu magnum.* Nam quando CORNU FRACTUM dicitur, mors Alexandri violenta intelligitur: quia ipſe in flore ætatis, cum vixiſſet annos 32, & menſes 8, & eſſet robuſtiſſimo corpore, & validiſſimis animi viribus, præter ſuam omniumque hominum opinionem, quaſi violentiſſimo quodam telo percuſſus interiit: idque vel crapula, ut vult *Athenæus*; vel veneno, ut volunt alii, nempe *Curtius*, *Diodorus Siculus*, & *Juſtin.*

DUBIUM I.

CHRONOLOGICUM *de annis vitæ Alexandri.*

Controverſia de annis vitæ Alexandri, apud Chronologos, alioſque viros doctos, & patres ſanctos, occurrit.

1. *Euſebius in Chron.* & *Cicero Philipp.* 5. ſcribunt, Alexandrum vixiſſe annos 33.

2. *Arrianus* ſcribit, Alexandrum vixiſſe annos 32, & menſes 8.

3. *Hieronymus* ſuper *caput* 11 *Danielis* ſcribit, eum veneno periiſſe anno ætatis 32.

Reſp. *Diſting.* inter *ſupputationem definitam* & *indefinitam.*

Arriani ſupputatio eſt *definita*, qua anni vitæ Alexandri præciſe & plene deſcribuntur. Nam veriſſima eſt Arriani Hiſtorici accuratiſſimi ſententia, quod Alexander vixerit annos 32, & menſes 8.

At *ſupputatio Euſebii* (cum quo ſentit *Cicero*) & *Hieronymi* eſt *indefinita*: quia non expreſſe deſignant, utrum annos completos, an vero incompletos intelligant. Quare dicimus, quod Euſebius & Cicero intelligant annos ſemiplenos, h. e. non plenos & ſolidos. Quia juxta accuratam Arriani deſcriptionem anni XXXII. menſem octavum non exceſſit. At contra Hieronymus, qui ſcribit Alexandrum periiſſe anno ætatis 32, intelligit annum 32 plenum, & ſolidum, & 33 omittit ut imperfectum.

ΠΌΡΙΣΜΑ.

Hinc patet, errare *Juſtinum*, qui ſcribit, Alexandrum 34 annos natum obiiſſe: ſimiliter errat *Rupertus Juſtinum* ſequutus, qui *lib.* 9. *de victoria verbi Dei cap.* 14. ſtatuit, Alexandrum natum annos 33, ſuperque menſem unum è rebus humanis exceſſiſſe.

DUBIUM II.

CHRONOLOGICUM *de annis regni Alexandri.*

Similiter Chronologi & ſcriptores Eccleſiaſtici de annis regni Alexandri inter ſe diſcordant.

1. In *lib.* 1. *Macc.* 1. 8. ſcribitur, quod Alexander 12 annos regnarit.

2. *Alii hiſtorici* ſcribunt, quod annos 12 regnarit, & aliquot menſes, qui ſecundum *Euſebium* ſex, ſecundum *Diodor. Siculum* 7, & ſecundum *Arrianum* vero 8 fuerunt.

3. *Titus Livius in lib.* 45. ſcribit, Alexandrum 13 annos regnaſſe.

Resp. 1. In libro Maccabæorum regno Alexandri 12 anni assignantur: ubi anni pleni & solidi intelliguntur, suppressis, qui superfuere, mensibus.

2. *Livius*, quando 13 annos regno Alexandri tribuit, synecdochicè loquitur, nempe partem anni 13 pro anno numerans.

3. Omnium autem verissima est sententia *Arriani*, qui diligentissimus Historiæ Alexandri M. scriptor fuit, tribuentis regno Alexandri 12 annos cum 8 mensibus.

ΠΟΡΙΣΜΑ.

Hinc patet, errasse *patres* quosdam & *Historicos*, qui in annis regni Alexandri designandis peccarunt, vel in defectu, vel in excessu.

1. *Tertullianus* erravit, qui in libro contra Judæos scribit, Alexandrum regnasse 12 annos.

2. *Strabo lib.* 15. & *A. Gell. lib.* 17. *c.* 21. errant, tribuentes regno Alexandri 11 annos.

3. *Justinus lib.* 12. errat, quod Alexandrum 14 annos regnasse scribit.

4. *Clemens Alexandrinus in lib.* 1. *Strom.* regnum Alexandri usque ad annum 18 extendit: Sed falso.

2. *Oratio* ΠΡΟΑΓΩΝΙΟΣ.

Justinus lib. 12. mortem & orationem σφαγώνιον ipsius ita describit: In comessatione accepto poculo, media potione repente veluti telo confixus ingemuit, quarto die indubitatam mortem sentiens, agnoscere se fatum domus Majorum suorum ait: Nam pleroſque Æacidarum intra 30 annum defunctos. Tumultuantes deinde milites, insidiis periisse regem suspicantes, sedavit: osculandamque dextram suam flentibus porrexit. Cum lacrymarentur omnes, ipse non sine lacrymis tantum, verum etiam sine ullo tristioris mentis argumento fuit, ut quosdam impatientius dolentes consolaretur, quibusdam mandata ad parentes eorum dedit, adeo sicut in hostem, ita & in morte invictus animus fuit. Dimissis militibus, amicos circumstantes percunctabatur, videanturne similem sibi reperturi Regem? Tacentibus cunctis, tum ipse, ne hoc neſciat, ita illud scire vaticinatiquę se ac pene videre oculis dixit: *Quantis cadibus mortuo sibi stet parentatura Macedonia.* Ad extremum Hammonis templo condi jubet corpus suum. Cum deficere eum amici viderent, quærunt: quem imperii faciat hæredem? Respondit: τὸν κράτιστον, *dignissimum.* Hac voce, velut classicum inter amicos cecinisset, aut malum discordiæ misisset, ita omnes in æmulationem consurgunt. Sexta die præclusa voce exemtum annulum digito Perdiccæ tradidit.

III. ΤΑ ΠΑΡΕΠΟΜΕΝΑ.

1. Sepultura.

Circa quam duo sunt notanda.

1. *Tempus. Diodor. Sicul. l.* 18. scribit, quod Aridæus Alexandri frater biennium fere consumserit in adornandis exequiis Alexandri M. Cum autem OLYMPIAS, Alexandri mater, defuncto filio, audivisset, eum tam longo tempore sepulchro carere; graviter ingemiscens atque acerbissime plorans, exclamavit: *O fili, cum inter cœlites locari volueris, & id perficere summo studio conatus sis, nunc neque illorum quidem, quorum omnibus mortalibus æquale & par jus est, particeps fieri potes terræ sepulturæque?* Et sic simul infortunium suum luxit, simul etiam fastum & immanem filii superbiam taxavit; sicut *Ælian. l.* 13. *c.* 30. scribit.

2. *Locus. De loco* sepulturæ Alexandri variant Historici. 1. *Pausanias in Atticis* (sic inscribitur primus historiæ ejus liber) refert, quod Ptolemæus Lagi rex Ægypti, Alexandri cadaver, quod Ægas portabatur, acceptum Macedonico ritu Memphi condiderit. 2. *Diodor. Sicul. lib.* 18. tradit, quod, cum Aridæus biennium fere consumsisset in adornandis exequiis Alexandri M., tandem corpus ejus cum magna pompa in Ægyptum transtulerit, ubi cum magno apparatu acceptum à Ptolemæo, qui ædificato sacello illud Alexandriæ deponendum & conservandum censuerat, donec ad Hammonem, data occasione commoda, deferri posset.

Conciliatio.

Cum Alexander in urbe Babylone mortuus esset, cadaver illius à Ptolemæo Duce ejus Memphi primo repositum, paucos post vero annos ex urbe Memphi Alexandriam in aureo curru translatum est.

2. Epitaphium.

Statuæ ejus adscriptus est hic versiculus:

Γᾶν ὑπ' ἐμοὶ πέπταμαι. Ζεὺς δὲ Ὄλυμπον ἔχει.
Terram mihi subjicio: Jupiter vero cœlum habet.

NOTA.

Lysippus quo amplitudinem imperii Alexandri exprimeret, vivente adhuc Alexandro, finxit eum ex ære, cœlum supina facie suspicientem, subjectis hisce versiculis:

Æreus in cœlum spectans, fare, quid ais?
Juppiter: asserui terram mihi; tu asseres cœlum.

Quo invento Lysippi adeo delectatus est Alexander, ut se fingi ab alio, quam ab uno Lysippo, publico edicto vetuerit.

AXIO-

AXIOMA I.

In multis familiis hoc accidit, ut tertius aut quartus hæres fuerit ultimus.

EXEMPLA.

1. *Davidis* regis potentia floret cum Salomone: quo mortuo, regni fit dilaceratio, amissis 10 tribubus, quæ peculiare regnum condiderunt in Samaria. 1 *Reg. c.* 12.

2. *Cyri potentia* post Cambysen filium transfertur in alium hæredem; non ortum à Cyro, nempe Darium Hystaspem.

3. *Philippi Macedonis*, quem Macedonici regni vindicem, instauratorem, atque amplificatorem, fore Sibyllina oracula, multo antequam nasceretur, monuerant.

Ὑμῖν κοιρανέων ἀγαθὸν καὶ πῆμα Φίλιππος.

Commoda nunc pariet regnans, nunc damna Philippus.

Hujus, inquam, inchoata felicitas cum Alexandro filio completur, & desinit; quo mortuo dividitur regnum ejus inter duces Alexandri.

PARÆNESIS.

Quare vanæ & inanes sunt curæ parentum, qui unice id satagunt, ut liberis amplum relinquant patrimonium; sicut non tantum exempla quotidiana privatorum hominum, sed etiam historiæ summorum Regum testantur.

Exempla.

1. Immensæ erant opes & divitiæ *Darii Codomanni*, Regis Persarum; verum illæ non ad posteros ejus, sed ad Alexandrum Magnum & Macedones translatæ sunt.

2. Similiter de *regno Alexandri M. Daniel Propheta c.* 11. *v.* 4. vaticinatur. *Et cum steterit, conteretur regnum ejus, & dividetur in quatuor ventos, sed* NON IN POSTEROS EJUS, *neque secundam potentiam ipsius qua dominatus est: quia evelletur regnum ejus, &* ALIIS PRÆTER ILLOS (legitimos hæredes) *erit. Sensus est*: Corruet Alexandri Monarchia, ejusque partes diripientur ab iis, ad quos nullo hæreditario jure spectabant. Quia quatuor Alexandri Magni Duces, ipso defuncto, diviserunt inter se Monarchiam, & constituerunt inter se quatuor distincta regna. Nam *Antipater* Græciam & Macedoniam, *Antigonus* Asiam, *Seleucus* Syriam, & *Ptolemæus* Ægyptum occupavit. Sed tamen hi Reges simul juncti, non regnarunt secundum potentiam illius (Alexandri) qua dominatus est; ut *c.* 11. *v.* 4. *Daniel* ait, hoc est, non habuerunt prioris regni majestatem; prout Angelus explicat *Daniel.* 8, 22.

AXIOMA II.

Ecclesiastæ 1. 2. *Vanitas vanitatum*, (dicit Ecclesiastes) *& omnia vanitas.*

Vox Ebræa הבל *Vanum*, vel *Vanitas*, notat illud, quod fragile est, caducum, fluxum, mutabile, & perpetuis casibus obnoxium. Sensus est: Extrema vanitas omnium hominum mentes occupavit. Nam illa mundana, quibus homines multum tribuunt, & in quibus spem suam ponunt vana, incerta, & mutabilia sunt; ut: opes, honores, dignitates, forma, robur corporis, aliaque bona terrena. Quare omnes illi mortales turpiter falluntur, quod in rebus illis mundanis sive mundum ipsum supra & infra, sive se ipsos foris & intus, sive quæcunque in mundo geruntur, spectes, invenire se posse sperant firmum quippiam, in cujus adeptione secure acquiescant: quoniam omne mundanum est vanum; sicut *Jesaias* ait *cap.* 40. *v.* 6. Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri. Ideoque omnia mundana intuentes merito exclamare licet:

O vanitatum vanitas!
Terrena cuncta perfida,
Mundana cuncta sordida,
O vanitatum vanitas!
O vanitatum vanitas!
Terrena cuncta noxia,
Mundana cuncta pessima,
O vanitatum vanitas!
O vanitatum vanitas!
O misera terrena omnia,
O umbra mundana omnia,
O vanitatum vanitas!

Exempla.

1. *Gilimer Rex Vandalorum* à *Bellisario* victus, & in monte conclusus, petiit sibi ab amico mitti cytharam, & panem unum, & spongiam: significans, se ad eam redactum fortunam, ut optet integrum panem videre & gustare, quod diu jam nullum coctum vidisset panem; Spongiam sibi necessariam esse ad abstergendas lacrymas; cytharam vero, ut præsentem calamitatem flebilibus numeris leniret & demulceret. Tandem inopia victus se dedidit Bellisario, qui illum Constantinopolin vinctum catenis, una cum uxore & regia familia in triumphum abduxit. Qui cum Imperatorem sublimi solio sedentem conspicatus, ac demum se ipsum

in quod fatum pervenisset, consideravit, pleno ore risit, addito hoc Salomonis adagio: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Interrogatus, cur rideret? dixisse fertur: Se ridere fortunæ humanæ vicissitudines, ut qui modo Rex fuisset, jam serviret. *Procopius in Vandalia.*

2. Similiter in *Alexandro M. speculum miseriæ & mundi fallaciæ habemus.* Nam ab iis, quos ipse aluerat & exercerat, tota familia Alexandri post mortem illius funditus delera est. *Cassander* enim Antipatri filius, qui adolescens apud Alexandrum educatus erat, interfecit *Olympiadem* Alexandri matrem: deinde Roxanen & *filium ejus Alexandrum*, & alterum filium *Herculem* 14 annorum, ex Barsine natum. Hanc gratiam alumnus Principi bene de se merito reddidit. *Pausan. in Bœot. de Cassandro. Justinus lib. 15.*

Elegans epigramma *Ovveni*:

Deflerat mores, si viveret Heraclitus,
Nostraque rideret tempora Democritus;
Quanquam ad ridendum curas & inania mundi
Splenis Democritus non satis unus habet;
Ad casus hominum lacrymarum rore rigandos,
Heraclite, oculi non satis ambo tui.

MONARCHIA DIVISA.

Monarchia tertia divisa *dupliciter* consideratur; 1. *In genere.* 2. *In specie.*

IN GENERE.

Divisio Monarchiæ Tertiæ in genere *quadrupliciter* consideratur: 1. *Originaliter.* 2. *Materialiter.* 3. *Formaliter.* 4. *Finaliter.*

I. ORIGINALITER.

Sic divisio Monarchiæ tertiæ consideratur ratione *causæ efficientis*; ejusque tum *primæ*, tum *secundæ.*

Causa prima & *summa* divisionis hujus Monarchiæ fuit *Deus.* Ipse enim mutat tempora & oportunitates: ipse removet Reges, & stabilit Reges. *Daniel.* 2. 21. h.e. Deus regnis constituit certa atque definita tempora, quam diu durare debeant; eademque oportuno tempore, quando ipsi visum fuerit, iterum transfert: Deus præfinit statuta tempora & terminos habitationis hominum. *Act.* 17. 26. Quare nullus Rex aut nulla gens existimet, hæreditario jure terram sibi esse traditam, cum nutu Dei supremi Gubernatoris mundi facile excuti possit: Quia Deus est judex, qui hunc humiliat, hunc autem extollit. *Psalm.* 75. 7.

Exempla.

1. De *Belsazare* ultimo Babyloniorum Rege legimus *Daniel.* 5. 25, 26, 27, 28. quod manu prodigiosa è pariete aulæ ejus regiæ prodeunte, hæc verba scripta sint: *Mene, Mene, Tekel, Phares.* Explicatio Danielis hæc est; *Mene* (h. e. numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud) *Thekel* (appensus es in statera, & inventus es levis, h. e minus habens) *Phares.* (divisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis.) Quibus verbis significatum est, quod omnibus regnis terræ certa periodus divinitus sit constituta, quam transcendere haud possunt: Hac enim exacta, perit Regum authoritas; qua amissa, fit mutatio regnorum.

2. *Similiter divisio regni Alexandri non casu, sed fato*, h. e. *divinitus contigit.* (sicut prædictum est *Daniel.* 8. 8. *Hircus caprarum* (h. e. Alexander) *Magnus est factus admodum; & cum roboratus esset, fractum est cornu illud magnum*, (h. e. Alexander M. violenta morte periit) *& enata sunt* (adscenderunt) *quatuor cornua loco illius, juxta quatuor ventos cœli.* (h. e. regnum ejus in quatuor regna divisum.) Et *Daniel.* 11. 4. vaticinatur de regno Alexandri hoc modo: *Et cum stiterit, conteretur regnum ejus, & dividetur in quatuor ventos, sed non in posteros ejus, neque secundum potentiam ejus qua dominatus est; quia dividetur regnum ejus, & aliis præter illos* (legitimos hæredes) *erit.* Ex quibus vaticiniis constat, quod Deus supremus mundi judex regnum Alexandri diviserit, aliisque dederit.

De causa secunda divisionis regni Alexandri disceptatur inter scriptores sacros & profanos, quisnam regni ejus divisor fuerit, anne Alexander ipse adhuc vivus, an vero successores post mortem ejus regnum inter se diviserint.

1. *Macc.* 1. 6, 7. legitur, quod *Alexander* ipse adhuc vivus regnum diviserit. Nam ita sonant verba: *Postea Alexander decidens in lectum, cum agnosceret se in morte esse, accersivit pueros* (h. e. administros) *suos glorioſos, qui una cum ipso erant educati à pueritia, & divisit illis regnum suum, cum adhuc viveret.*

At contrarium scribunt *Historici profani*; ut *Justinus, Curtius, Diodorus Siculus, Arrianus*: atque confirmant, hanc fuisse causam tantæ æmulationis, tantæ discordiæ, & tam atrocium bellorum, quæ inter Principes Alexandri gesta sunt, quod nemine ab Alexandro imperii hærede nominato, omnes in ejus cupiditatem exarserint: quoniam omnes æquales haberi, neque superiorem agnoscere ex commilitonibus vellent. Nam ita scribit *Justi-*

nus

nus lib. 12. Cum deficere Alexandrum amici ejus viderent, quæſiverunt, quem imperii faceret hæredem; quibus reſpondit, τὸ κράτιστον, digniſſimum. Hac voce, velut bellicum inter amicos cecinisſet, aut pomum Eridos miſiſſet, ita omnes in æmulationem conſurgebant, & ambitione vulgi tacitum favorem militum quærebant.

Conciliatio.

I. *Rabanus* locum ex 1 *Macc.* 1. 6. ita explicat: Alexander, cum adhuc viveret, regnum ſuum pueris glorioſis *diviſit*, hoc eſt, dividendum reliquit.

II. *Franciſcus Junius* ſuper 1 *Macc.* 1. ita explicat: Alexander cum adhuc viveret, adminiſtris ſuis glorioſis regnum ſuum diviſit, h. e. adminiſtrationem regni. Nam alioqui duos habebat hæredes filios, Alexandrum & Herculem, ex Roxane & Barſine uxoribus natos.

III. *Juſtinus lib.* 12. ſcribit: Sexta die Alexander præcluſa voce detractum digito annulum Perdiccæ tradidit; quæ res gliſcentem amicorum ejus diſſentionem ſedavit. Nam etſi non VOCE nuncupatus hæres, INDICIO tamen electus eſſe videbatur. *Curtius addit lib.* 10. quod in Concilio Ducum Alexandri, ad deliberandum de ſucceſſore ejus coacto, quidam nomine Ariſtonus dixerit: Videri ſibi manifeſto indicio declaraſſe Alexandrum, quem vellet poſt mortem ſuam imperio ſuo præeſſe, nempe cui ipſe annulum ſuum tradidiſſet. Quocirca videri ſibi ſummam imperii ſui ad Perdiccam deferri oportere. Et ſubjungit Curtius, non dubitaviſſe cæteros, quin vera ille dixiſſet: Simulabant tamen, non æquo animo ferentes, quemquam ſibi ſuorum commilitonum præponi. *Verba Curtii hæc ſunt*: Ariſtonus orſus eſt dicere: Alexandrum conſultum, cui relinqueret regnum, voluiſſe, optimum deligi: judicatum ab ipſo optimum Perdiccam, cui annulum tradidiſſet: nec enim unum eum adſediſſe morienti, ſed circumferentem oculos ex turba amicorum delegiſſe cui traderet: placere igitur ſummam imperii ad Perdiccam deferri: nec dubitavere, quin vera cenſeret. Itaque univerſi in medium procedere Perdiccam, & regis annulum tollere jubebant. Hæc Curtius. Quare Perdiccas tanta ſibi ab Alexandro poteſtate data, provincias, quæ ſub imperio ejus erant, Principibus atque Ducibus diviſit, ſimul ut removeret æmulos, & munus imperii beneficii ſui faceret; uti *Juſtinus lib.* 13. ſcribit.

IV. Quare *deciſiva noſtra ſententia* hæc eſt; *Diſtinguendum* eſſe ſtatuimus inter *diviſionem regni immediatam* & *mediatam*. Alexander regnum ſuum inter Duces ſuos non diviſit ἀμέσως & immeditate: verum Perdiccam Proregem conſtituit, annulo ei tradito, inque eum omnem poteſtatem contulit. Nam *tribus modis voluntatem noſtram declarare poſſumus.* 1. Ῥητικῶς, *per expreſſa verba.* 2. Γραμματικῶς, *per ſcripturam.* 3. Συμβολικῶς, *per ſymbola externa.* Hoc poſtremo modo Alexander declaravit, ſe Perdiccam Proregem conſtituiſſe: quoniam annulum digito exemtum ei tradidit. Quare recte dicitur, Alexandrum regnum ſuum inter Duces diviſiſſe, licet non ἀμέσως, tamen ἐμμέσως, quia dando Perdiccæ annulum ſuum, hoc velut ſigno ſignificavit, quicquid ab ipſo fieret, tanquam ſua poteſtate & authoritate, voluntateque factum oportere. Jam quia conſtat, Perdiccam regnum Alexandri poſt mortem ejus inter Duces diviſiſſe tanquam Proregem, recte dicitur, ipſum quoque Alexandrum ἐμμέσως regnum inter Duces diviſiſſe.

II. MATERIALITER.

Quæſtio hic ſeſe offert: *In quotnam regna Monarchia* III *poſt Alexandrum ſit diviſa.*

Divortia ſententiarum hic ſeſe offerunt.

Daniel 8. 8. inquit, quod *Monarchia tertia in quatuor regna ſit diviſa.* Nam ita ſonant verba Danielis; *Hircus caprarum* (Alexander) *magnus factus eſt admodum; ſed cum roboratus eſſet, fractum eſt cornu illud magnum, & aſcenderunt conſpicua* CORNUA QUATUOR, *in quatuor ventos. v.* 21. *Hircus autem ille villoſus eſt Rex Græciæ. Cornu autem magnum interjectum oculis ejus eſt rex primus. v.* 22. *atque hoc fracto, conſurgunt* QUATUOR *pro illo*, QUATUOR REGNA *ex ſua gente aſſurrectura, ſed non in robore illius.* Idem confirmatur *Dan.* 11. 4.

Contra autem *Hiſtorici profani* tradunt, regnum Alexandri poſt mortem ejus *in* 10 *provincias diviſum eſſe.*

Babylone, inquiunt, poſt defunctum Alexandrum, conſilia inſtituuntur, de adminiſtrando regno; & tandem concluditur; ut PHILIPPO ARIDÆO fratri Alexandri, cui tamen ſana mens non conſtabat, tutor adderetur PERDICCAS, & reliquis Ducibus provinciæ regni adminiſtrandæ darentur. PTOLEMÆO LAGI datur Ægyptus, PYTHONI Media, EUMENI Paphlagonia, Cappadocia & vicinæ, ANTIGONO Lycia, Pamphylia, Phrygia major, CASSANDRO Caria, MELEAGRO Lydia, LEONNATO Phrygia ad Helleſpontum, LYSIMACHO Thracia, ANTIPATRO Macedonia, & aliæ regiones ad Caucaſum aliis.

Conciliatio.

Hæ ſententiæ *diverſæ* ſunt, non *adverſæ*. Nam ita conciliari poſſunt, *diſtinguendo* inter *regna majora* & *minora*. Licet inter tantos Ducum ſive Succeſſorum Alexandri inter ſe decertantium tumultus, alia parva regna orta ſint; tamen cultiſſimam generis humani partem *quatuor regna majora* complexa ſunt, nempe Macedonia, Aſia Minor, Syria, & Ægyptus; *Macedoniam* ſive *Græciam* Antipater, *Aſiam Minorem* Antigonus, *Syriam* Seleucus, & *Ægyptum* Ptolemæus occupavit. Quamvis autem variæ vices & in hiſce regnis fuerint, tamen Ptolemæus Lagi ejuſque poſteri Ægyptum tenuerunt uſque ad Cajum Julium Cæſarem; Seleucus Nicanor ejuſque poſteri, Syriam; Antigonus initio Minorem Aſiam tenuit, & Antipater Macedoniam; poſtea deleta Antipatri poſteritate, Macedoniam tenuerunt poſteri Antigoni, donec Romani, Rege Perſeo capto, eam occupaverunt.

Breviter: Licet plures quàm decem ab Hiſtoricis nominentur, qui regnum Alexandri ſibi arrogarunt; tamen quatuor illi antea nominati, nempe Antipater, Antigonus, Seleucus, & Ptolemæus, quaſi Principes erant, ſcilicet quibus cæteri omnes adhærebant. Cum enim inter illos quatuor de imperio æmulatio & dimicatio orta eſt, cæteri ad unum ex hiſce quatuor ſe adjunxerunt.

DUBIUM.

At dicat aliquis: Quomodo quatuor illa regna unam Monarchiam conſtituebant?

Reſp. *Hæc quatuor regna* non κεχωρισμένως, h. e. *diviſim*, ſed κεκραμένως, h. e. *conjunctim* conſiderata, una quaſi Monarchia fuerunt: Non ſecus ac mortuo rege omnes Proceres regni conjunctim repræſentant Regem, adeo ut ſi pars ditionis ab extero avellatur; illa non præfecto uni, ſed toti regno decedat. Ita Romani etiam erepta Aſia, occupata Macedonia, Græcia & Syria, Monarchiam quidem Græcorum diminuerunt; ſed tamen illam totaliter deleviſſe, proprie dici non potuerunt, antequam ultimam ejus partem, nempe Ægyptum, ſubegerunt. Ita *Daniel.* 7. 6. dicitur: *quod in tertia beſtia*: nempe *pardo*, *quatuor capita* (per quæ quatuor regna adumbrantur) *fuerint*: Hæc quatuor capita, licet in ſe diſtincta fuerint, nihilominus tamen in una beſtia quatuor capita fuerunt: ita etiam hæc 4 diſtincta modo nominata regna, conjunctim ſumta, unam quaſi Monarchiam conſtituerunt.

III. FORMALITER.

Diviſio Monarchiæ tertiæ in quatuor Regna *non* fuit *pacata*, *ſed violenta*, quæ facta eſt poſt mortem Alexandri, non ſtatim, ſed paulatim. Hinc *Daniel.* 8. 8. dicitur, *quod cornu magno fracto*, h. e. Alexandro mortuo, *quatuor cornua conſpicua adſcenderint*, h. e. quatuor Regna paulatim emerſerint. Nam Duces Alexandri de ſumma rerum inter ſe dimicarunt, donec tandem reliquis omnibus crudeliter occiſis, res eo perducta fuit, ut quatuor rerum potirentur.

IV. FINALITER.

Deus Monarchiam hanc tertiam diviſit, ut Alexandri M. ſuperbiam puniret, qui altos gerebat ſpiritus, eaque perſuaſione imbutus erat, quaſi ſua ſapientia & virtute tantum imperium ſibi acquiſiviſſet. Unde *Daniel.* 11. 3. de eo inquit: *Illum facturum quæcunque voluerit*. Cum enim Alexander antea modeſtus fuiſſet, & conſiliis monitiſque amicorum locum reliquiſſet, tandem eo inſolentiæ atque dementiæ proceſſit, ut Jovis Hammonis filium ſe prædicarit, proque Deo coli voluerit, helluationibus, iræ, aliiſque affectibus nimium indulſerit, fideles amicos crudeliter trucidarit, & omnia denique licere ſibi perſuaſum habuerit: quæ inſolentia eum paullo poſt evertit, & diviſionis regni cauſa fuit.

IN SPECIE.

DYNASTIA PRIMA

Regum Macedoniæ.

I. ARIDÆUS.

I.

BAbylone poſt defunctum Alexandrum Principes de conſtituendo regno conſilia ineunt, & tandem concludunt, ut Philippo Aridæo fratri Alexandri Magni, qui è Philinna ſaltatrice Lariſſæa Philippo natus, cui tamen mens ſana non erat, adminiſtratio Regni committeretur, eique *Perdiccas tutor* adderetur. Ideoque Aridæus, procurante Perdicca & Leonnata, in regiam perducitur, & Rex ſalutatur.

II. *Ari-*

II.

Aridæus cum biennium fere conſumſiſſet in exequiis Alexandri M. adornandis, tandem cadaver ejus cum magnapompa in Ægyptum tranſtulit curru aureo; ubi cum magno apparatu acceptum à Ptolemæo; qui ædificato ſacello, illud Alexandriæ deponendum cenſuit, donec ad Hammonis templum data occaſione commoda deferri poſſet. *Diodorus Siculus lib.* 18.

III.

Aridæus 4 *Tutores* vel Adminiſtratores Regni habuit. 1. *Perdiccam*, qui clade accepta in Ægypto, à proprio exercitu in tentorio trucidatus eſt. *Diodor. Sicul. lib.* 18. 2. *Pithon* conſilio Ptolemæi Lagi in locum Perdiccæ ſubſtitutus fuit. Sed hic tandem ex impatientia curatura ſe abdicavit. 3. *Antipater* curator regni eligitur. 4. *Polyſperchon* ab Antipatro morituro Adminiſtrator regni conſtituitur.

IV.

Tandem *Aridæus* à Perdiccæ cæde reverſus in Macedoniam, atque Olympiadem, quæ Alexandri filiis regnum id reſtituere conabatur, excluſurus, perfidioſe à ſuis eſt deſertus: atque Olympiadi matri Alexandri traditus, hujuſque juſſu occiſus. Quam hiſtoriam *Diodorus Siculus lib.* 19. hiſce verbis deſcribit: Olympias mater Alexandri cum nepote ex Roxane in Macedoniam tranſit, ubi à ſubditis libentiſſime ſuſcipitur. Cum igitur res ſuas ſibi ſtabiliviſſe viſaeſſet, Aridæum, cum annos 6 & menſes 6 regnaſſet, captum & in vinculis crudeliter tractatum, jaculis per Cretenſes conficit, & *Euridicen* uxorem ejus mori jubet: illa cum maritum obligaſſet, de laqueo ſe ſuſpendit, dira imprecans Olympiadi.

PERDICCAS.

Primus Aridæi Adminiſtrator.

I.

Quoniam in *Aridæo* fratre Alexandri, rege conſtituto, mentis erat error; idcirco Perdiccas ei tutor eſt additus. Hic anno M. 3649. Cappadociæ Regulum, qui ab Alexandro nondum ſubjugatus erat, prælio vincit, captum in crucem agit, regnumque ejus EUMENI regendum tradit; inde quaſdam urbes expugnatas crudeliſſime exſcindit: ad Iſaurorum vero urbem cum veniſſet, cives, qui impares ſibi videbantur bello, ſuas conjuges & liberos ipſi interficiunt, & exſtructo rogo cremant, hoſteſque tam diu ſuſtinent, tandem ipſi ſe in flammas præcipitant. *Diodorus Siculus lib.* 18.

II.

Perdiccas regni Adminiſtrator conſtitutus anno M. 3649. ſperavit, ſe regno univerſo potiturum, ideoque illud dolo affectavit, & Cleopatram Alexandri M. ſororem in uxorem ſibi dari popoſcit: In quod conjugium Olympias mater conſentit. Utque voti ſui compos fieret, ambivit etiam filiam Antipatri, qui Macedoniæ Gubernator à reliquis Ducibus conſtitutus erat; ut ſub hac ſpecie amicitiæ Antipatrum è medio tolleret. Cum autem hæc palam fierent, utraque ſponſa excidit. *Diodor. Sicul. l.* 18.

III.

Hinc Perdiccas, Ptolemæo Lagi Ægyptum erepturus, eo exercitum traduxit, ſed infelici ſucceſſu. Ptolemæus enim ab omnibus ſubditis propter juſtitiam & liberalitatem maxime colebatur, & omnia loca regni præſidiis impoſitis valde muniverat: ideoque Perdiccas re infecta diſcedere cogebatur. Verum cum exercitum per Nilum imperite traduceret, magna clade affectus eſt. Nam cum dimidia pars exercitus traducta eſſet, arena tranſeundo mota dilabitur, & alveum longe profundiorem facit, quam ut altera pars priorem ſequi poſſet: quapropter prior pars regredi cogitur, ubi in tranſitu 2000 militum, vel in flumine, vel ab elephantis protriti interierunt. Exercitus hac clade magnopere exacerbatus, Perdiccam in tentorio ſuo trucidat, poſtquam tres annos imperaſſet. *Diodorus Siculus lib.* 18. Ita Perdiccas, qui primus inter Duces Alexandri bellum movit, primus interfectus eſt.

PITHON.

Secundus Aridæi Adminiſtrator.

Ptolemæus tanta victoria potitus, exercitui Perdiccæ autor eſt, ut loco Perdiccæ Pithoni & Aridæo ſummum imperium deferant; quod & factum eſt, & ab iiſdem *Eumenes* (quem Perdiccas fœdere ſibi junxerat) hoſtis regni declaratur, & diris devovetur. *Diodorus Siculus lib.* 18.

Cum autem Pithon & Aridæus ex Ægypto in Syriam rediiſſent, Eurydice uxor Aridæi contra maritum & Pithonem multa in exercitu agit: quibus Pithon permotus curatura ſe abdicat, & Antipatrum curatorem regni eligit. *Diodorus Siculus ibid.*

ANTIPATER.

Tertius Aridæi Adminiſtrator.

I.

ANTIPATER in diſtributione provinciarum à Perdicca facta, Gubernator Macedoniæ conſtitutus erat. Idcirco Athenienſes cum cognoviſſent, Alexan-

Alexandrum M. diem ſuum obiiſſe, principatum Græciæ affectant, & bellum contra Antipatrum parant, ſocios ex Græcia accipiunt Ætolos & Theſſalos, & paucos alios ope Demoſthenis, qui, quod patriæ utilem operam navaret, Athenas ex exilio revocatus eſt.

Antipater non ſatis firmus à copiis *Craterum* (cui filiam dederat, nomine *Phila*m, præſtantem & generoſam feminam) è Cilicia evocat, cum ſuis militibus; ſed priuſquam veniret, congreditur cum Athenienſibus, & vincitur, & Lamiam profugit: ubi omnia, quæ ad obſeſſionem tolerandam neceſſaria videbantur, procuravit. *Leoſthenes* Dux Athenienſium, cum vi urbem expugnare non poſſet, exſtructo muro eam commeatu intercludere conatur; ſed in fodienda foſſa ab erumpentibus hoſtibus vulneratur, & paucos poſt dies moritur. *Diodorus Siculus lib.* 18.

CRATERUS tandem Antipatro auxilio venit cum magno exercitu, & ambo cum Athenienſibus in Cranone congreſſi vincunt Athenienſes; victi de conditionibus pacis cum Antipatro agunt; quas Antipater eatenus admittit, ſi ſingulæ civitates Græciæ, quæ cum Athenienſibus faciebant, legatos ſuos mitterent: nominatim autem petivit dedi ſibi *Hyperidem* & *Demoſthenem* Oratores; qui mature ex urbe ſe ſubduxerunt, & in diverſa loca dilapſi ſunt.

HYPERIDES in Æginam fugit, ibique captus & ad Antipatrum miſſus eſt, cui lingua prius exciſa eſt, & poſtea trucidatus. Similiter *Demoſthenes*, pacem hanc ſuo ſanguine ſancitum iri videns, fugit. Quæſitus autem ab Antipatro, per *Archiam* principem inquiſitorum (qui φυγαδοθήρας, h. e. fugitivorum indagator nominatus fuit) & inventus in quadam inſula ſedens in fano Neptuni ſupplex, juſſus eſt fano egredi: verum ipſe ſumto libello, ac ſi ſcripturus eſſet, calamum ſcriptorium ori admovit, venenum ex eo hauſit, & obvoluto capite exſpiravit. Ei mortuo populus Athenienſis ſtatuam æream poſuit, decreto ſimul facto, ut, qui ex ſtirpe ejus natu eſſet maximus, in Prytaneo aleretur: baſi etiam ſtatuæ ejus epigramma hoc adſcriptum eſt:

Si tibi vis, animo Demoſthenis æqua, fuiſſet;
Non Macedum ferres Græcia victa jugum.

II.

Interea PITHON, qui in locum Perdiccæ à militibus ſuis in Ægypto occiſi ſubſtitutus erat, ut Aridæi tutor eſſet, curatura ſe abdicat; & ANTIPATRUM Curatorem regni eligit; qui cupide hanc provinciam ſuſcipit, & Satrapias regni denuo Ducibus, quibus voluit, conſenſu tamen Macedonum diſtribuit, & ANTIGONUM Gubernatorem Aſiæ declarat: cui etiam adjungit CASSANDRUM filium, ne Antigonus novi quid moliretur. *Diodorus Siculus lib.* 18.

III.

Non diu poſt Athenienſes legatos mittunt ad Antipatrum, petuntque, ut urbs ſua libera illis reddatur, & præſidium ex Munychia deducatur. Legatus fuit *Demades orator* cum filio & multis aliis. Cum autem in Macedoniam venirent, Antipater adverſa valetudine laborabat, & Caſſander ſummam rerum obtinebat. Hic literas Demadis reperit ſcriptas ad Antigonum, quibus eum accerſebat ad defenſionem Græciæ, pendentis tum à veteri & putrido filo. (ſic enim Antipatrum notabat.) Itaque Caſſander, ut eum conſpexit, ſtatim capi & trucidari eum juſſit. Addita eſt autem crudelitas ſupplicio, quod filius Demadis in complexu patris interfectus, ejuſque ſanguine conſperſus fuerit; deinde ipſum quoque contumelioſe, prius ingratitudine & proditione exprobrata, trucidari juſſit. Ita profectione ſponte ſuſcepta in Macedoniam velut fato tractus eſt Demades ad exitium, cum paullo ante ſcripſiſſet decretum de pellendo Demoſthene.

AXIOMA.

Arcana literis non committenda.

Licet enim nobile & omni commendatione dignum donum Dei ſint literæ, quibus abſentibus etiam & longe diſſitis animi noſtri ſenſa perinde ac ſi præſentes eſſent, communicare poſſumus: tamen ſecreta literis communicare, quæ periculum nobis creare poſſunt, valde intutum eſt: ideoque ſtudioſe cavendum, juxta vulgatum illud;

Littera ſcripta manet, volat irrevocabile verbum.

Exempla.

1. Habemus in *Demade Oratore* Græco, qui, quia arcana literis crediderat, vitam perdidit.

2. Longe memorabile & pulcherrimum habemus in Hiſtoria *Bohemica* de *Johanne Smirzizio*. Hic erat vir genere illuſtris, & ſcripſerat literas ad Ladiſlaum Bohemiæ Regem hiſce verbis: Venturum te quamprimum in regnum tuum probo, ſi modo veneris imperaturus, non vero pariturus: inermem, impotentemque intrare non laudo, niſi bicipitem mater te pepererit, ut ex duobus capitibus unum Viennæ apud amicos dimittas, alterum.

rum Bohemorum dubiæ credas fidei. Vale. Epiſtola hæc *Comiti Ciliæ* reddita eſt, qui, cognito tenore, *Georgio Podebrachio* remiſit. Ille accerſito Procerum conſilio, inter quos Johannes iſte non in poſtremis erat, literarum ſenſum ſuppreſſo ſcribentis nomine recitat, quid mereatur ſcriptor, percunctatur. Dignum morte primi judicant, nec Johannes, ſuo loco ſententiam dicere juſſus, adverſari audet, proditorem & ipſe patriæ ſummo ſupplicio afficiendum cenſet; profertur mox epiſtola ejus manu perſcripta, & impreſſum annuli ſigillum recognoſcitur: damnatus exinde ore ſuo comprehenditur; tempus duarum horarum datur, quo, ſi velit, & animæ ſaluti, & domeſticis rebus conſulat. Nec diutius vitæ dimiſſus, gladio percutitur, & eloquens magis quam cautus, dum vitæ ſtudet alienæ, ſuam amittit.

POLYSPERCHON,

Quartus Aridæi Adminiſtrator.

Antipater moriturus adminiſtratorem regi ſive tutorem Aridæi conſtituit *Polyſperchontem*: cui adjungit *filium Caſſandrum*, qui partes ſecundas teneat.

II. CASSANDER.

ORTVS.

CASSANDER filius fuit Antipatri, tertii Tutoris Aridæi regis.

PROGRESSVS.

Cum autem Antipater jam ſenex & extremo morbo laborans, tutorem regis & gubernatorem regni conſtituiſſet Polyſperchontem, qui fere natu maximus erat eorum, qui cum Alexandro M. militaverant, & à Macedonibus in honore habebatur, eique filium Caſſandrum adhuc juvenem adjunxiſſet, qui partes ſecundas teneret: Caſſander, conſtitutione patris non approbata, cum indignum judicaret ut in regno ſuccederet is, qui nulla ei cognatione junctus eſſet, rus cum amicis profectus, in multos dies venationem inſtituit, eoſque magnis promiſſis ſibi devinxit; clam etiam legatos ad Ptolemæum in Ægypto regnantem miſit, de amicitiis paterna renovanda, deque belli ſocietate ſecum ineunda; & tandem fugam ad Antigonum in Aſiam molitur.

POLYSPERCHON, ut ſe muniat, *Olympiadem*, cum Alexandro filiolo ex Roxane, quæ in Epirum metu Antipatri profugerat, in Macedoniam revocat. *Diodorus Siculus lib.* 18. In quam reverſa à ſubditis libentiſſime ſuſcipitur, & cum res ſuas ſibi ſtabiliviſſe viſa eſt, *Aridæum*, cum ſex annos, & ſex menſes regnaſſet, captum & in vinculis crudeliter tractatum jaculis per Cretenſes confici, & *Euridicen* uxorem ejus mori jubet. Illa cum maritum obligaſſet, de laqueo ſe ſuſpendit, dira imprecans Olympiadi. *Caſſander* de crudelitate Olympiadis certior factus, in Macedoniam cum exercitu irruit; quem fugiens Olympias cum ſuis, Pydnæ ſe incluſit. Caſſander cum hyeme Pydnam oppugnare non poſſet, obſidionem continuat, & commeatu intercludit. Unde ingruente fame ingenti, Olympias Caſſandro ſe dedere coacta eſt; qui eam ſatellitum miniſterio trucidavit, deinde *Roxanen* & *filium* ejus *Alexandrum*. *Pauſanias in Bœoticis de Caſſandro. Juſtinus lib.* 15.

Polyſperchon, ut Caſſandro malefaceret, HERCULEM Alexandri M. filium ex Barſine, qui Pergami educatus fuerat, adoleſcentem annorum vel 14, vel juxta alios 17, ſibi aſſumit, & regnum Macedonicum ipſi tradere conatur. Verum Caſſander ſe ei opponit, caſtraque caſtris vicina facit; metuens tamen ſibi à favore Macedonum in Alexandri progeniem, per legatos Polyſperchontem edocet, quantæ ex hoc novo rege turbæ orituræ ſint, ipſique prorſus inutiles; perſuadetque homini, ut Herculem illum interficeret. *Diodor. Siculus l.* 20. Quo facto, Caſſander *Theſſalonicen*, Olympiadis filiam, & Alexandri M. ſororem, uxorem duxit, ut dignus videretur qui Macedoniæ regnum haberet: *Diodorus Siculus lib.* 19. Ex qua ipſe tres filios ſuſcepit, nempe *Philippum*, *Antipatrum*, & *Alexandrum*, qui mortuo parenti in regna ſucceſſerunt.

Bellum ſecundum Caſſandri contra Antigonum.

Caſſander, etſi initio fœdere junctus fuit Antigono in bello contra Polyſperchontem & Eumenem geſto; tamen cum, inſtinctu *Seleuci*, deſerto Antigono, fœdus cum *Ptolemæo* rege Ægypti, *Seleuco* rege Syriæ & *Lyſimacho* Maced. Rege iniret atque ab Antigono per legatos poſtularet, ut Cappadociam & Lyciam in Aſia ſibi traderet, hoſtes ei factus eſt Antigonus, & ut honeſta ſpecie bellum ei inferre poſſet, accuſavit eum apud exercitum, quod interfeciſſet Olympiadem, conjuges, & filios Alexandri. Quare Antigoni duces in Græcia & Peloponneſo plurimas urbes occupant, adeo ut & Athenienſes de libertate ad Antigonum mitteret: interea omnia præſidia Caſſandri, quæ potuerunt, expelluntur. *Diodorus Siculus lib.* 19.

EGRESSVS.

Tandem Caſſander hydrope & phthiriaſi, vermibus è toto corpore erumpentibus exſtinctus eſt, poſtquam 18 vel 19 annos in Macedonia regnaſſet. *Juſtinus lib. 16. Euſebius.* Unum tantum laude dignum fecit Caſſander, quod urbem Thebas, quam Alexander M. ante 20 annos deleverat, reſtaurave-rit, & Thebanis reditum conceſſerit.

USUS.

Ex hac Caſſandri hiſtoria juſtum Dei judicium effulget. Nam Caſſander, ipſe tyrannus & regicida; tragica morte occubuit; & majores adhuc pœnæ poſteros oppreſſerunt. Nam lex talionis eſt, ut per quod quis peccat, per idem quoque puniatur. *Sapient. 11. v. 17.*

III. PHILIPPUS.

Poſtquam Caſſander poſt patrem Antipatrum annis 19. Macedoniam obtinuiſſet, ſuccedit ei filius *Philippus*, qui tabidi corporis lue interiit, cum regnaſſet annuo fere ſpatio. *Plutarchus.*

IV. ANTIPATER & ALEXANDER.

I.

Cum Philippus Caſſandri filius mortuus eſſet, ſuccedunt ei reliqui fratres bini, *Antipater* & *Alexander*. Qui Macedoniam inter ſe dividunt. *Plutarchus.*

II.

Theſſalonica, vidua Alexandri, in diviſione regni inter filios propenſior fuerat in Alexandrum filium natu minorem; ideo *Antipater* natu major, matrem ſolam nactus, per ſummum ſcelus occidit, etiam per ubera materna mortem deprecantem. *Juſtinus lib. 16.*

III.

Alexander Antipatri frater, ut parricidium hoc ulciſceretur, Pyrrhum Epirotarum regem, qui nuper in regnum ex Ægypto dimiſſus fuerat, (teſte Vellejo Paterculo) in auxilium vocat; qui pro auxilii lati mercede magnam Macedoniæ partem occupat, ita ut Alexandro jam metuendus videretur. Quapropter ut hunc iterum è Macedonia ejiciat, Demetrium Poliorcetem Antigoni filium evocat: qui ſtatim exercitum colligit. *Plutarchus.*

IV.

Demetrius Poliorcetes, exercitu collecto, tandem Alexandro Macedoniæ Regi, parricidium in Antipatro fratre ſuo ulciſci volenti, auxilio venit, eo fine, ut & Antipatrum, & Pyrrhum è Macedonia ejiciat. Antipater viribus inferior ad Lyſimachum ſocerum confugit; qui potentiam Demetrii veritus, ſuaſit genero, ut cum fratre Alexandro in gratiam rediret. Idem perſentiſcit Demetrius. Cum autem hinc ſimultas oriretur, Demetrius, ob inſidias ſibi paratas, Alexandrum in convivio trucidavit: poſtea cædem apud Macedones excuſavit; atque exaggeravit tyrannidem Antipatri, Caſſandri, & filiorum; effecitque, ut Rex Macedoniæ appellaretur. Lyſimachus etiam, cum à Thracibus bello peteretur, ne ſimul cum Demetrio propter generum pugnare cogeretur, Antipatrum generum occidit, atque ita Demetrius univerſo regno Macedoniæ potitur. Quod obtinet annis 7, uti *Plutarchus* habet, cum filii Caſſandri illud ultra tres annos obtinuiſſent. Atque ita Caſſandri familia pœnas dedit ſcelerum, in Alexandrum M. atque ejus poſteros ac familiam admiſſorum. *Juſtinus.*

AXIOMA I.

Dominandi libido eo homines impellit, ut omni humanitate exuta in ſe mutuo ſæviant, & neque parentes liberis, neque liberi parentibus parcant.

EXEMPLA.

1. De Parentibus.

1. *Athalia* Judææ regina, Jorami conjunx, poſt mortem mariti, cum audiſſet *Ochaziam* filium à Jehu interfectum, omnem regium ſanguinem delere conſtituit, utque ſola regnaret, omnes nepotes ſuos crudelis femina, ex mera ambitione & regnandi cupiditate furens, ſuſtulit, vixque *Joas* ex filio nepos, Joſabedæ amitæ ſervatus pietate, ſuperſtes manſit; & parum abfuit, quin tota Davidis familia interiiſſet. Vide 2 *Reg.* 11.

2. *Herodes M.* alias Aſcalonita dictus, cum ex variis conjugibus multos ſuſcepiſſet filios, perpetuo metuens regno ſuo, multa tyrannide acquiſito, immani ſævitia omnes filios mactavit, non parcens etiam dilectiſſimæ conjugi Mariamni: *Joſephus lib. 15. Antiq. Judaic. c. 1, 5, 12. lib. 16. c. 6, 7, 8.* ita ut Auguſtus Imperator aliquando dixiſſe perhibeatur: malle ſe Herodis ſuem eſſe, quam filium: ſues enim mactare Judæis non licebat.

2. De Liberis.

Abſolon, Davidis filius, quibus ille non artibus regno paterno eſt inſidiatus? quanta immanitate venerandum ſenem, ſanctiſſimum patrem, regno expu-

expulit? nec expuliſſe ſatis erat, niſi etiam vitæ parentis inſidias ſtrueret. 2 *Sam.* 15. & 16.

2. *Adonias* alter filius, videns patrem ætate exacta ſummo ſenio confectum, & viribus deficientibus infirmum, conſilia de regno adipiſcendo cum *Joab Polemarcho* & *Abjathare* Sacerdote ſummo miſcere cœpit, quorum opera coronam ſibi ipſi, contra voluntatem & decretum patris, quo Salomon rex declaratus fuit, impoſuit. Quæ res finem vitæ Joabo attulit, & Abjatharem ab officio deturbavit. 1 *Reg.* 1.

3. *Antipater Caſſandri filius* ex ambitione horribile parricidii exemplum edidit, dum in propriam matrem crudeliſſime, ob meram ſuſpicionem, quod in regni conſtitutione; mortuo Caſſandro, ad minorem natu filium Alexandrum viſa eſſet inclinare, ſæviit. Nec liberare illam à mortis periculo potuere, tot ſanctiſſimæ obteſtationes, tot evidentes criminis purgationes, tot amici clamores, miſerabiles ejulatus, & largiter effuſæ per genas lacrymæ, nec moverunt Tyranno miſerrimæ matris oſtenſa ubera, nec detectus uterus, qui eum geſtaverat, & in lucem produxerat, ad miſerationem omnibus commotis; ſolus filius quavis bellua, & ipſo Phalaride crudelior, immotus conſtitit in propoſito; nec ſuſpirio quidem edito ullo, à matre ſupplicium poposcit, nec quievit donec innocentiſſima & miſerabilis mater crudeliſſime coram ipſius oculis interficeretur. Adeo hic tantus dominandi furor ipſi naturæ vim inferre non dubitavit, dummodo ſuis cupiditatibus ſatisfaceret.

AXIOMA II.

Potentiores invitati ab imbecillioribus ad belli ſocietatem, plerumque eos tandem oppreſſerunt. Vel: Defenſores plerunque ſunt devoratores.

Elegans epigramma CAROLI SIGONII:

Accipitrem milvi pulſatum bella columbæ
Accipiunt Regem; Rex magis hoſte nocet.
Incipiunt de Rege queri, quia ſanius eſſet
Milvi bella pati, quam ſine Marte mori.

EXEMPLA.

1. *Achas, Rex impius Juda*, fœdere cum Tiglatphilaſſare Rege Aſſyriorum inito, illum in Syriam attrahit; qui interfecto Syriorum rege Rezin, Damaſcum occupavit, Syrios in Cyrenem colonos tranſtulit, plurimos è regno Iſraël in captivitatem in Niniven metropolin abduxit; & poſtea ipſum regem, à quo invitatus erat, Achas oppugnavit, ſibique vectigalem reddidit: & filius ejus Salmanaſſar totum regnum Iſraël deſtruxit; quo deſtructo, etiam populus Judaicus in captivitatem Babylonicam abductus eſt; quod tum à Merodach-Baladan, tum à Nabuchdonoſore, diſtinctis vicibus, factum in S. Codice legimus. Hiſce autem irruptionibus Achas ἀφορμὴν ſive occaſionem præbuit, qui primo Aſſyrios in auxilium vocavit. 2 *Reg.* 16.

2. *Pyrrhus, Rex Epirotarum*, ab Alexandro Macedoniæ Rege, contra fratrem Antipatrum in auxilium vocatus, venit quidem cum magno exercitu; ſed pro auxilii lati mercede, magnam Macedoniæ partem occupavit, ita ut poſtea Alexandro metuendus videretur.

3. *Demetrius Poliorcetes* ab eodem Alexandro in Macedoniam evocatus, tandem ipſi ſit formidabilis, ideoque Alexander inſidias ei ſtruens, ab ipſo in convivio trucidatur, & Demetrius regnum Macedoniæ occupat.

AXIOMA III.

Deus Parricidas graviter punire ſolet.

EXEMPLUM.

Exemplum memorabile habemus in *Caſſandro*, ejuſque *familia*. Nam primo ipſe Caſſander, qui adoleſcens apud Alexandrum M. educatus fuerat, interfecit Olympiadem Alexandri M. matrem, deinde Roxanen & filium ejus Alexandrum, & alterum filium Herculem 14, vel juxta alios, 17 annorum, ex Barſine natum. Hanc gratiam alumnus Principi bene merito reddidit. *Pauſan. in Bœotic. de Caſſandro Juſtinus lib.* 15. Sed Deus juſto ſuo judicio hoc parricidium in Caſſandro graviter punivit. Nam ipſe in tota vita infelix extitit. Et tandem tragica morte, nempe hydrope & phthiriaſi, vermibus è toto corpore erumpentibus, exſtinctus eſt. Deinde Deus quoque iniquitatem ejus in familia ejus viſitavit. Nam 1. Antipater matrem ſuam Theſſalonicam ob meram ſuſpicionem occidit innocentem. 2. Hunc Antipatrum rurſus occidit Lyſimachus ſocer ejus, ne ejus cauſa cum Demetrio belligerare cogeretur. 3. Fratrem ejus Alexandrum interfecit Demetrius Poliorcetes, cujus vitæ inſidias ipſe ſtruxerat; qui etiam regnum ejus, in quod ab ipſo Alexandro evocatus erat, occupavit. Hæc omnia congruunt ad Regulas: Per quod quis peccat, per idem punitur & idem. *Sapient.* 11. 17. Et: Qui gladium acceperit, gladio peribit. *Matth.* 26. 52. Quæ ſerium Dei timorem in cordibus noſtris excitare debent.

V. DEMETRIUS. POLIORCETES.

I. ORTVS.

Demetrius fuit *Antigoni Regis Aſia minoris filius*, ſocer Seleuci Nicanoris Regis Syriæ, cui filiam ſuam Stratonicen in uxorem dederat.

Dictus eſt, Πολιορκητὴς, Latine *Poliorcetes*, h. e. urbium expugnator, ob inſignem in oppugnandis urbibus virtutem. *Vitruvius lib.* 10. *cap.* 23. ita de eo ſcribit: Hic *Demetrius* propter animi pertinaciam (nimirum in obſidendis & oppugnandis urbibus *Poliorcetes* eſt appellatus. *Plinius* expugnatorem reddidit *lib.* 7. *cap.* 38 *Verba ejus hæc ſunt*: Rhodum non incendit Rex Demetrius, *Expugnator* denominatus, ne tabulam Protogenis cremaret, à parte ea muri locatam.

AXIOMA.

Tituli Regum, & tyrannorum, potius à vi & potentia quam à virtute deſumti ſunt. Plutarchus in Ariſt. fol. 287.

EXEMPLA *talia addit.*

Poliorceta ab expugnatis urbibus, ut Demetrius Antigoni filius: *Ceraunni* à fulmine, ut Ptolemæus: *Nicatores* à vincendo, ut alius Ptolemæus: nonnulli etiam *aquilæ*, ut Pyrrhus, & *accipitres* dici maluerunt: Ariſtides *Juſti* cognomentum maxime regium & diviniſſimum nactus eſt,

II. PROGRESSVS.

1. *Demetrius* ab Alexandro, Caſſandri filio, contra Pyrrhum Epirotarum Regem in Macedoniam evocatur; qui ingenti exercitu collecto ei ſubſidio venit; ſed cum animadverteret, ab Alexandro inſidias ſibi ſtrui, eum in convivio trucidavit, totumque Macedoniæ regnum occupavit.

2. *Pyrrhus* autem, ubi audivit Demetrium periculoſe decumbere, ſubito in Macedoniam irrumpit, eamque fere totam occupat, & uſque ad Edeſſam progreditur; ejicitur tamen rurſus à Demetrio, viribus quidem corporis infirmo, ab exercitu tamen bene inſtructo; nihilominus tamen ſibi metuens à Pyrrho Demetrius, cum alias res novas moliretur, pacem cum eo facit. *Plutarchus in Pyrrho.*

3. Cum autem *Demetrius* conſilia agitaret de paterno Aſiæ regno recuperando (quo privatus à Seleuco Lyſimacho & Ptolemæo erat) & ingentem exercitum conſcripſiſſet, prælicti Duces Seleucus, Lyſimachus, & Ptolemæus Pyrrho perſuadent, ut, relicto, quod nuper cum Demetrio percuſſerat, fœdere, ſocietatem jungeret. Idcirco Pyrrhus una cum Lyſimacho Macedoniam denuo occupat, poſtquam Demetrius eam 7 annos poſſederat; uxor Demetrii, ne iterum maritum privatum videret, veneno vitam claudit. *Plutarchus in Demetrio.*

III. EGRESSVS.

Demetrius tandem & à Seleuco genero, bello petitur, perſuaſo à ſuis, ut Demetrium Aſia pelleret, qui alias nunquam quieſceret. Demetrius fortiter ſe defendit, & aliquot prœliis ſuperior fuit. Sed cum morbo contracto per 40 dies decumberet, omnis fere exercitus ejus ad Seleucum tranſit, ideoque Seleuco genero ſe dedit: à quo in peninſula Syriæ concluſus fuit: ubi cum tribus annis detineretur, magna cum Seleuci infamia, tandem animi mœrore exſtinctus eſt, annos natus 54, cum regnum tenuiſſet annis fere ſex. *Plutarchus.*

VI. PYRRHUS.

I. ORTVS.

PYRRHUS, Græce Πύρρος, flavus ſive rufus; fuit Rex Epirotarum, materno genere ab *Achille*, paterno ab *Hercule* oriundus; *Trogo authore lib.* 17. Hic Pyrrhus cognomento *Aquila*, ſicut Antiochus Rex Syriæ, cognomento Hieracis, vel Accipitris, delectatus eſt; ſicut *Plutarchus in libro de Solertia animi pag.* 60. ſcribit.

II. PROGRESSVS.

PRIMUM BELLUM PYRRHI.

Primum bellum geſſit contra *Demetrium Poliorcetem*, V. Macedoniæ regem. *Occaſio belli* hæc fuit. Cum Demetrius Poliorcetes quieſcere non poſſet, & omnia ubique turbaret, & Ætolis bellum inferret: Hi, quoniam Demetrio viribus impares erant, Pyrrhum Epiri regem in auxilium vocabant. Hic ſtatim auxilia adduxit. Demetrius, ut eum impediret, adverſus eum movet; ſed via deceptus, in Epirum quidem venit; ibique omnia vaſtat; ſed Pyrrhus interim in Ætolia Ducem ejus & copias vincit, & 5000 hominum capit, idque efficit ſua fere ſolius induſtria. Unde ingentem apud Macedones favorem conſequutus eſt. *Plutarchus in Demetrio.*

Deinde in Macedoniam progreſſus, fere totam occupat: & licet fœdus inter utrumque ſancitum eſſet, tamen illud conſilio Lyſimachi ruptum eſt, atque ita Pyrrhus Macedoniam armatus iterum invaſit. Demetrius exercitum contra eum eductu-

rus,

rus, posita purpura, privatus clam ex castris aufugere cogitur; quia milites contra eum, ob superbiam sibi exosum, seditionem excitarant. Ita Pyrrhus una cum Lysimacho Macedoniam occupat, & 7 mensibus in Macedonia regnat. Nam à Lysimacho statim ejectus in Epirum redit. *Plutarchus in Demetrio.*

SECUNDUM BELLUM PYRRHI.

Secundum bellum gessit Pyrrhus *contra Romanos*, cum quibus *ter* prælio congressus est.

Primum Prælium gessit cum Consule Levino.

Pyrrhus gemina legatione sollicitatus à Tarentinis, Lucanis & Appulis, præmittit Cyneam Oratorem & Milonem ducem in Italiam, cum 20 elephantis & magno exercitu. *Plutarchus.* Eo anno Italia primum vidit elephantos; eosque, quod in Lucania primum visi essent, *boves Lucanos* appellavit *Plinius lib. 8. cap. 6.*

Consul Romanus nomine *Levinus*, exercitum educit contra Pyrrhum, pugnaturus cum eo, priusquam ipsius socii Lucani, & Brutii convenissent. Pyrrhus impatiens moræ, prælium non recusat. Acerrimo igitur impetu concurrunt: in ipso prælio Pyrrhus equo dejectus vestitum, ne cognosceretur, mutare cogitur; qua tamen re fecit, ut fere vinceretur. Elephantos igitur in primam aciem inducit, quibus Romani terrentur ac turbantur, turbatis Thessalos equites immittit, atque Romanos fugat. Ceciderunt Romanorum 7000; ex Pyrrhi parte 4000, castra præterea Romanorum capta sunt, & persequutus victoriam Pyrrhus prope Romam castra movit; Romani nihil territi hac clade exercitum reparant. *Plutarchus.*

Secundum Prælium gessit cum C. Fabricio Luscino, & Q. Æmylio Papo ad Asculum.

Circa hoc secundum prælium *tria* sunt notanda.

1. *Acta ante Prælium.*

1. *Pyrrhi ad Romanos legatio, & Romanorum consultatio.* Pyrrhus apparatu Romanorum ad bellum territus, Cyneam legatum cum muneribus mittit de pace constituenda, in hasce conditiones: ut captivos absque pretio recipiant, & insuper auxilia à se ad subigendam Italiam accipiant, tantummodo Tarentinis ignoscerent. Cum Senatus fere universus ad hanc pacem inclinaret, *Appius Claudius cæcus* in senatum portatus eam dissuasit, ut ignominiosam; adhortatusque est, ut qui, se adolescente, Alexandrum M. si in Italiam venisset, non formidassent, ne succumberent Alexandri Satrapæ, (scilicet Pyrrho) & obtinuit, ut legato responderetur, de pace cum Pyrrho agi non posse quamdiu in Italia esset, se, quoad in armis esset, bellum gesturos. *Plutarchus.*

Cicero in Catone refert, quod *Appius Claudius* in oratione sua dehortatoria hosce Ennii versiculos usurparit:

Quo vobis mentes, recta quæ stare solebant
Antehac, dementi sese flexere ruina?

2. *Romanorum ad Pyrrhum legatio.* Fabricius legatus ad Pyrrhum mittitur, pro redimendis captivis: cujus virtutem Pyrrhus admiratus, ipsi omnes captivos Romanos donat, hac tamen conditione: si pax non convenisset, ut salutatis amicis, & Saturnalibus celebratis, ad se in captivitatem redirent, ita omnes post Saturnalia redierunt. *Plutarchus.*

3. *Proditio.* Cum Consules Romani castra sua contra Pyrrhum munirent, ibi è Pyrrhi exercitu profuga quidam affert epistolam ad Consulem Fabricium, à Medico Pyrrhi, in qua promittit Consulibus, si sibi honos haberetur, se Pyrrhum veneno necaturum. Fabricio hoc indignum facinus visum: epistolam & nuncium Pyrrho remisit, monuitque ut sibi ab hujusmodi insidiis caveat, ut sit, quem vera virtute vincere possit. Pyrrhus virtute Romanorum motus, omnes captivos gratis ipsis remittit. Senatus, ne videatur beneficium à Pyrrho accepisse, totidem captivos ex Samnitibus & Lucanis remittit, de pace abnuit, donec ex Italia decedat. *Plutarchus Cicero lib. 3. Offic.* scribit: quod Fabricius profugam reducendum curaverit ad Pyrrhum, additis literis, Videret quales milites socio ve haberet, sed Romanos non consuesse veneno potius quam virtute vincere, proinde ab iis non timeret. Quod factum ejus à Senatu laudatum est.

2. *Acta in Prælio.*

Pyrrhus cum videret, altero prælio cum hostibus certandum esse, ad *Asculum* proficiscitur. Ubi Romanos obvios habuit, & prælium in noctem usque continuatum est, & incerta victoria discessum. Elephantorum enim terror exoleverat, & C. Minutius unius proboscide abscissa mori posse belluas ostenderat: victoria tamen magis ad Pyrrhum visa est inclinare, cum Romanorum 6000 cecidissent, ex parte Pyrrhi vero 3505.

3. *Acta poſt prælium.*

Licet Pyrrhus victoriam hanc obtinuiſſet, tamen dixit, ſibi funditus pereundum eſſe, ſi adhuc uno prælio Romanos vinceret. *Plutarchus, Florus.*

Tertium prælium.

In tertio & ultimo prælio Pyrrhus à Romanis victus, & Italia pulſus eſt, à Curio Conſule Romano.

AXIOMA.

Diaboli proprium eſt, æquivocationibus ludere.

Elegans exemplum habemus in *Rege Pyrrho.* Hic enim cum rex fortiſſimus eſſet, & cum gloria rerum geſtarum animus creſceret, ipſe imperium orbis affectare cœpit: Cumque Romanos potentes videret, Apollinem Delphicum conſuluit, qui ambigue reſpondens dixit:

Aio, te Æacida Romanos vincere poſſe.

Quo ambiguo reſponſo Pyrrhus deluſus, putavit, ſe Romanos victurum; ſed tandem ab illis victus eſt, *Plutarchus in Pyrrho.*

TERTIUM BELLUM PYRRHI.

Tertium bellum geſtum cum Antigono Gonata.

Pyrrhus à Romanis victus, ad Antigonum, Demetrii filium Macedoniæ Regem, legatos miſit, ſupplementum militum amiſſorum petiturus; quo auxilium negante, Pyrrhus ex Italia in Macedoniam profectus, Antigonum magno prælio vicit, & tota Macedonia expulit. Antigonus cum paucis equitibus Theſſalonicam fugit, & exercitum ex Gallis reparat; ſed à Ptolemæo Pyrrhi filio iterum victus, cum 7 comitibus fugiens, ulterius non regni recuperandi ſpem, ſed ſalutis latebras quærit. *Plutarchus, Juſtinus.*

III. EGRESSUS.

Pyrrhus, qui propter auxilia Gallorum, templa & loca ſacra, ſicubi in præſidiis erant, ſpoliantium, in odio apud Macedonas erat, à Cleonymo Spartanorum Rege incitatur, ut Spartam invaderet, & *Peloponneſum* ſibi ſubjiceret. Pyrrhus hac occaſione lætus, in *Spartanos* movit: ubi cum plurimi cives in Creta abeſſent, à feminis repellitur: & poſtero die cum cives rediiſſent, robuſtiſſimam exercitus partem cum filio Ptolemæo amittit. Inde igitur repulſus *Argos* petit: ubi in ipſa urbe ſaxo de muris à femina jactato Heros fortiſſimus occiſus eſt. Atque ita Antigonus regnum Macedoniæ recipit, & filium Pyrrhi captum, humaniterque habitum in Epiroticum regnum remittit. *Plutarchus, Juſtinus.*

USUS.

Hiſtoria Pyrrhi exhibet *ſpeculum*, tum *virtutum*, tum *vitiorum.* Quæ ſunt:

1. Prudentia.

Pyrrhus Rex prudentiſſimus fuit. Nam ipſe toſ bellis peractis, & rebus præclare geſtis, aliquando Athenas venit, ubi benigno civium hoſpitio exceptus eſt. Poſtquam autem urbem illam tunc opulentiſſimam, & diſciplinarum omnium matrem luſtraſſet, in arcem Palladis deductus eſt, ſacraque magna cum veneratione fecit, & arcem, arte & naturâ munitiſſimam, magna cum admiratione contemplatus eſt. Deinde cum diſcederet, inque forum veniſſet, Principibus civitatis, qui eum comitabantur, gratias peringentes egit pro fide magna, quam de ſe habere oſtenderent: deinde eos monuit, ut in poſterum nulli Regum poteſtatem facerent amplius arcem ingrediendi, ne oportunitatem præſidii nactus quiſpiam invaderet. Gratum conſilium fuit Athenienſibus, ut qui liquido cognoſcerent, *periculoſum admodum eſſe fortibus viris arcis aditum præbere; & deinceps majori diligentia portas aſſervarunt.* Vide *Franciſcum Patricium lib. 8. de Republ. Titul. 9. pag. 357.*

2. Humanitas erga doctos & literatos.

REGULA.

Quicunque heroico & generoſo præditi ſunt animo, illi literas & viros doctos non faſtidiunt, quin potius in pretio habent, amant & venerantur. Franciſcus Patricius lib. 1. de Republ. Tit. 5. p. 27.

Exemplum habemus in *Pyrrho*, qui *Cyneam* Theſſalum, virum dicendo gravem ac ſuavem, ut Demoſthenis auditorem plane cognoſcas, magno in honore habuit, & eo oratore ad plures civitates uſus eſt, qui eas adeo ad Pyrrhi voluntatem pellexit, ut veram eſſe Euripidis ſententiam oſtenderet, qui ait: *Omnia confecit oratio, quæ etiam hoſtile ferrum efficere nequiret.* Atque ipſe Pyrrhus dicere ſolebat: Plures à Cyneæ oratione urbes, quam à ſe armis expugnatas eſſe.

3. Manſuetudo.

Pyrrhus iram ſuam domare potuit. Nam cum *milites Tarentini* inter cœnandum, multa liberius in Pyrrhum dixiſſent, res ſtatim ad eum delata eſt. Acciti ſunt juvenes, ac periclitabantur omnes, cum

factum

factum nec negari posset, nec defendi. Tum unus illorum celerioris ingenii, Imo, inquit, Rex, & ista diximus, & longe acerbiora dicturi fueramus, nisi nos lagena defeciſſet; linguæ petulantiam in temulentiam rejiciens. Itaque mox ira Principis in risum versa, dimissi sunt. Pulchrum hoc est mansuetudinis exemplum. *Erasmus lib. 6. Apophthegmatum.*

4. Fortitudo.

Pyrrhum aliquoties singulari certamine fortem, & magnum suum animum demonstrasse legimus. In primis vero vulneratus in prælio cum Mamertinis, hostem magna corporis statura, à quo fuerat provocatus, prostravit. Generosus enim Rex hanc provocationem tam ægre tulit, ut cruore adhuc respersus, dolore simul ac ira percitus, truci ac terribili aspectu in aciem redierit, gigantemque repente adortus, adeo vehementi ictu ejus caput percusserit, ut usque ad infimas partes ferro adacto frusta fissi corporis hinc inde ad terram decíderent.

REGULA.

Provocator plerumque à provocato vincitur. Exemplum habemus hoc loco.

5. Regnandi libido.

Qualis & quanta libido regnandi in Pyrrho fuerit, ex colloquio ejus cum Cynea patet. Ita namque Regem Pyrrhum expeditionis in Italiam avidissimum affatus est Cyneas. Occupata Italia, Rex, quid agemus? Vicina, inquit Pyrrhus, Sicilia est, dives insula & populosa, & captu facilis. Quid tum inde, inquit Cyneas? Trajiciemus, inquit Pyrrhus, in Africam, & Carthaginem, quæ tunc erit ad nutum. Verum (inquit Cyneas) ubi rerum potiti erimus, quid tum? Ridens Pyrrhus: In alto otio, inquit, vivemus, bone vir; compotabimus quotidie, & mutuis sermonibus inter nos oblectabimus. Ecquid vero nunc obstat, inquit Cyneas, quominus inter nos compotemus, atque otium inter nos traducamus: cum jam teneamus hæc, & citra negotium ad manus sint, quæ per sanguinem, per multus sudores, per discrimina petituri sumus, multasque calamitates allaturi aliis, & accepturi? *Johannes Spinæus de Tranq. animi p. 16.*

VII. LYSIMACHUS.

I. ORTUS.

Lysimachus, Græce Λυσίμαχος, *Agathoclis filius*, VII Rex Macedoniæ. Hic illustri quidem Macedoniæ loco natus, virtute illustrior fuit.

II. PROGRESSUS.

I. Acta Ethica.

Ab Alexandro M. Lysimachus inter custodes corporis assumtus, in Indiam cum comitatus, amore literarum ac Philosophiæ ardebat, adeo ut Callisthenem Philosophum tunc ab Alexandro afflictum, atque in vinculis habitum, de virtute disserentem sæpius audiverit, poculumque ei ac remedium miseriæ optanti propinaverit. Quod ægre ferens Alexander Lysimachum ferocissimo leoni objeciſſe dicitur. Sed ille viribus fretus rem posteris mirandum fecit, manum amiculo involutam, in os leonis inferens, arrepta lingua feram exanimavit: Quo facto, vehementius postea ab Alexandro M. dilectus, & apud eum in honore maximo fuit. *Trogus lib. 15.*

II. Acta Oeconomica.

Lysimachus Ptolemæi Ægypti regis filias, unam sibi, & alteram filio suo Agathocli, connubio junxit, ut se in regno magis confirmaret.

III. Acta Politica, & Polemica.

Post mortem Alexandri Lysimachus Thraciæ præfectus est constitutus, cui 40 annos præfuit. Ingens in eo libido regnandi fuit. Nam una cum Pyrrho Macedoniam invasit & occupavit, ejecto Demetrio Poliorcete. Sed cum Pyrrhus 7 mensibus in Macedonia regnasset, à Lysimacho, qui sibi à Demetrio jam capto nihil amplius metuebat, Macedonia ejicitur. *Plutarchus.* Similiter ex insatiabili cupiditate regnandi, Seleuco Nicanori Regi Syriæ bellum intulit, in quo etiam vitam perdidit.

III. EGRESSUS.

Lysimachus, amissis antea, variis casibus, XV liberis in bello, quod Seleuco regi Syriæ intulerat, fortiter pugnans cecidit, & postremus ruinæ domus suæ cumulus accessit. Et hæc ultima fuit pugna successorum Alexandri, in qua occisus est Lysimachus anno ætatis 74, à morte Alexandri 42, cum Macedoniam sub potestate habuisset annis quinque.

AXIOMA.

Omnis potestas summa impatiens est consortis, nec facile inter duos ejusdem Reipublicæ Reges convenit.

Seneca:

Nec regna ferre socium, nec tædæ queunt.

Lucanus lib. 1:

Nulla fides regni ſociis; omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.

EXEMPLA.

1. *Julius Cæſar Bibulum collegam ſuum* in conſulatu prorſus repudiavit. Unus ex eo tempore omnia in Repub. & ad nutum adminiſtravit, ut nonnulli urbanorum, cum quid per jocum teſtandi gratia ſignarent, Non Cæſare & Bibulo, ſed Julio & Cæſare Coſſ. actum ſcriberent; bis eundem præponentes nomine, atque cognomine; utque vulgo mox ferrentur hi verſus:

Non Bibulo quicquam nuper, ſed Cæſare factum:
Nam Bibulo fieri Conſule nil memini.

Suetonius in Cæſare.

2. *Poſt mortem Julii Cæſaris*, partiti ſunt regnum *Auguſtus Lepidus* & *Antonius*: Sed cum collegæ conarentur Auguſtum excutere, ipſe, reliquis devictis & interfectis, ſolus regnum obtinuit. Dion, de Triumviratu Auguſti, Lepidi, & Antonii: Difficile erat tres aut duos viros, æquali dignitate ſublimes, cum bello tantas res adepti eſſent, concordiam ſervare.

3. Contra *Demetrium Poliorcetem* Macedoniæ regem adjuvit *Pyrrhum* in occupanda Macedonia Lyſimachus. Hi duo ſunt poſtea partiti regnum Macedoniæ, ſed non fuit diuturna amicitia inter Lyſimachum & Pyrrhum. Nam cum Pyrrhus 7 menſibus in Macedonia regnaſſet, à Lyſimacho ſtatim ejectus, in Epirum rediit.

VIII. PTOLEM. CERAUNUS.

I. ORTUS.

Ptolemæus Ceraunus (h. e. fulminator, bellicoſus) fuit *filius Ptolemæi Lagi* I. Ægyptiorum regis primogenitus, ex *Euridice* natus, *frater* Ptolemæi Philadelphi: cognomento dictus *Ceraunus*, à fulmine.

AXIOMA.

Tituli Regum & Tyrannorum potius à vi & potentia, quam à virtute deſumti ſunt.

Ita *Poliorcetæ* ab expugnatis urbibus, uti Demetrius Antigoni filius; *Ceraunus* à fulmine, ut Ptolemæus; *Nicatores* à vincendo: nonnulli etiam *aquilæ*, ut *Pyrrhus*, & *accipitres*, dici maluerunt, ut *Antiochus Hierax*. *Ariſtides Juſti* cognomentum maximè regium & diviniſſimum nactus eſt. *Plutarchus in Ariſt. pag.* 287.

II. PROGRESSUS.

I. Acta Politica.

Hic Ptolemæus Ceraunus regnum Macedoniæ per vim occupavit. *Occaſio* hæc fuit. Quia hic Ptolemæus à patre ſuo Ptolemæo Lagi in ſucceſſione præteritus erat. Nam pater ipſius, contra jus gentium, Ptolemæum Philadelphum, filiorum minimum ex Berenice natum, ei tanquam primogenito, Ex Euridice nato, in ſucceſſione regni præpoſuerat. Ideoque ipſe Babylonem ad Seleucum Nicanorem confugit, eumque contra Lyſimachum imperatoria virtute juvit. Lyſimacho interfecto, Seleucum ſolum de cohorte Alexandri ſuperſtitem, 77 annos agentem; menſe 7 poſt caſum Lyſimachi crudeliter interfecit, atque regnum Macedoniæ occupavit. *Juſtin. lib.* 16.

II. Acta Oeconomica.

Hic Ptolemæus ut regnum ſuum ſtabiliret, *Arſinoën* ſororem ſuam, Lyſimachi viduam, in uxorem duxit, eique coronam regiam impoſuit; ſed paullo poſt omnes liberos ejus ex Lyſimacho ei natos, ne regnum Macedonicum aliquando repeterent, trucidavit: ipſam vero in Samothraciam relegavit. *Juſtinus.*

III. EGRESSUS.

Tandem hic Ptolemæus juſtas impietatis ſuæ pœnas perſolvit. Nam cum 9 fere menſibus regno præfuiſſet, Belgius Dux Galatarum in Macedoniam cum exercitu irrupit, Ceraunum prælio ſuperatum capite truncari, illudque lanceæ affixum pro ludibrio in exercitu circumgeſtari mandavit; cadaver vero feris & alitibus objectum eſt. *Juſtinus lib.* 24.

USUS.

Non omnia ſomnia eſſe vana & inania, hinc videmus. Nam amici hujus Ptolemæi Cerauni, poſt Seleucum ab ipſo nefarie trucidatum, in ſomnio viderunt ipſum rapi in judicium, vulturibus lupiſque judicantibus, & cauſa cognita carnes ejus paſſim diſtribuentibus. Hujus ſomnii veritatem exitus comprobavit. Nam non multo poſt à Galatis interfectus, inter cadavera cætera vulturibus ac lupis præda factus eſt.

IX. MELEAGER.
X. ANTIPATER.
XI. SOSTHENES.

Seleuco Cerauno ſucceſſerunt MELEAGER, & ANTIPATER, anno Mundi 3690. quorum ille 60,

le 60, hic vero 45 dies regnavit. *Euſebius.* Nam uterque à Gallis occiſus eſt.

Cum autem Macedones ob cædem Cerauni deſperarent, SOSTHENES unus è principibus, coacto exercitu, Gallos pellit, & fere per annum regnat. Id ægre ferens BRENNUS Dux Gallorum, cum inſtructo exercitu Macedoniam ingreditur, victoque *Soſthene* urbes & agros deprædatur. Poſtea templum Apollinis Delphicum ſpoliare conabatur, affirmans: *Deos locupletes nullis opibus indigere, ſed largiri oportere.* Verum & à Delphis eorumque ſociis armis vincuntur Galli, & à cœlo fulminibus & ingenti tempeſtate, terræque motu ſternuntur & obruuntur. Dux BRENNUS in obſidione illa ſauciatus eſt; cumque dolorem vulnerum ferre non poſſet, pugione vitam finiit. Cæteri ad unum omnes à Dardanis cæſi ſunt, anno M. 3691.

XII. ANTIGONUS II GONATAS.

I. ORTUS.

Antigonus II, cognomento *Gonatas* dictus, fuit filius Demetrii Poliorcetæ ex Phile Antipatri filia natus, & nepos Antigoni I Regis Aſiæ.

II. PROGRESSUS.

Hic *Antigonus* vehementer afflictus fuit à Pyrrho Epirotarum Rege, ex Italia reduce. Quo à femina ſaxo trucidato, univerſum Macedoniæ regnum recuperat; & non tantum Athenas deditione accipit, ſed & Gallos à Delphica clade ſuperſtites, Macedoniam infeſtantes, repellit. Anno M. 3692. Ab hoc tempore regnum Macedoniæ permanſit penes poſteritatem ejus, uſque ad Perſea ultimum Regem, captum à Romanis. *Euſebius. Juſtinus l.* 25. Contra autem Antigonus Aſiæ regno excidit, illudque ad Seleucidas jure belli tranſiit.

III. EGRESSUS.

Mortuus eſt Antigonus, poſtquam regnaſſet annos 36, juxta alios 40. (& viviſſet annos 80.)

USUS.

Rex hic fuit optimus & laudatiſſimus, cujus commendatur

1. Pietas in patrem.

Cum enim pater ipſius *Demetrius* à *Seleuco* captus eum per literas monuiſſet, ne, ſi quid ipſe à Seleuco coactus ſcripto mandaret, obtemperandum aut urbibus decedendum ſibi putaret, ipſe ultro ad Seleucum ſcripſit, ſe ei toto regno cedere, obſidemque ſe pro patre, ut hic dimittatur, offerre. *Plutarchus, Apophth. pag.* 337.

Pietatem hujus *Antigoni* erga patrem *Campo-fulg.* ita deſcribit. Cum prœlio captus à Seleuco Syriæ rege Demetrius Aſiæ atque Macedoniæ Rex eſſet, Antigonus filius quietus regni poſſeſſor, regiam purpuram lugubri veſte mutavit, atque inter continuas lacrymas legatum ad vicinos Reges miſit, ut pro patris liberatione operam dare vellent, ipſe quoque ad Seleucum miſit, qui regnum, ſe quoque ipſum obſidem polliceretur, ſi carcere patrem liberaret. Qui, poſtquam patrem reſcivit mortuum eſſe, ingentem claſſem inſtruxit, ut ad accipiendum defuncti corpus proficiſceretur. Cum autem navigans patris corpus obvium habuiſſet, à Seleuco in Macedoniam remiſſum, tanto apparatu lacrymiſque illud excepit, ut omnes in admirationem commiſerationemque ſimul converteret. Stabat Antigonus in puppi magnæ quinqueremis, ejus apparatus gratia ædificatæ, atra veſte indutus, mortuum patrem lacrymans, cujus in aurea urna conditi, inter vexilla ipſe continuus ſpectator erat. Illic cantu, aliiſque Muſicis modis, defuncti Regis virtus inſigniaque facinora decantabantur: Canentium autem voces, ad pietatem lamentabileſque modos compoſitæ. Remiges quoque remorum pulſum, eo ordine ad dolorem exprimendum, temperabant, ut Corintho claſſe appropinquante, ipſa quoque ſaxa ad lacrymas moverentur.

2. Fortitudo.

Navali prœlio cum Ptolemæi legatis congreſſurus, dicente Gubernatore, multo plures eſſe hoſtium naves: Me vero ipſum, inquit, præſentem, quam multis comparas? *Plutarchus in Apophth. pag.* 337.

3. Amor erga literatos.

Mortuo *Zenone Cittienſi*, quem omnium maximè Philoſophorum in pretio habuit, dicebat: *Theatrum ſuarum actionum periiſſe. Plutarch. Apophth. pag.* 337.

XIII. DEMETRIUS II.

I. ORTUS.

Demetrius II. fuit filius *Antigoni Gonatæ*, nepos Demetrii Poliorcetæ.

II. PROGRESSUS.

Cum Antigonus pater ejus ex Græcia in Macedoniam veniret, ut Alexandrum Pyrrhi filium,

qui regnum Macedonicum populabatur, ejiceret, & à militibus deſereretur, qui ad Alexandrum tranſibant, atque ita regnum & exercitum amitteret & fugeret: Ibi Demetrius filius ejus admodum puer, exercitum reparat, regnum recuperat, & Alexandrum non modo fugat, ſed etiam ex Epiro ejicit. *Juſtinus.*

III. EGRESSVS.

Cum regnaſſet x annos, moritur: reliquit poſt ſe filium *Philippum*, cui tutor datus eſt *Antigonus tertius, cognomento Doſon.*

XIV. ANTIGONUS III *cognomento* DOSON.

I. ORTVS.

Demetrius II Rex Macedoniæ, poſtquam annos x regnaſſet, fato functus eſt, eodem fere tempore, quo Romani in Illyrium proficiſcerentur: reliquit poſt ſe filium parvulum *Philippum*, cui tutor datus eſt Antigonus III cognomento *Doſon*, qui ducta in uxorem vidua Demetrii, Regem ſe declarari curavit. *Polybius.*

Doſon cognomento dictus eſt, idque *vel in bonam partem*; quod videlicet fuerit Euergetes, h. e. beneficus & valde munificus rex: uti vult *Dreſſerus Miſcell.* 4. *pag.* 346; *vel in malam partem*, quod videlicet multa promitteret & pauca præſtaret. Uti vult *D. Helvicus in Chron.* & *Plutarch. in Æmylio.*

II. PROGRESSVS.

I. ACTA TOGATA.

In adminiſtratione regni ita ſe geſſit, ut omnibus ſui poſt obitum reliquerit deſiderium. Etenim multarum virtutum pulcherrimarum exemplar fuit. Namque

1. *Juſtitiæ maxime fuit deditus.* Etenim ſcribebat civitatibus, ſi quid contrarium legibus per epiſtolam mandaturus eſſet, ne parerent, ſed ipſum ignoratione lapſum cenſerent. *Plutarchus Apophthegm. pag.* 338.

Plane ſicut poſtea *Trajanus Imperator* gladium præfecto prætorii tradidiſſe legitur, hiſce additis verbis: Si bonus fuero, eo pro me; ſin malus, contra me utitor. *Xiphilinus in Epitome Dionis.*

2. *Caſtus fuit.* Nam cum Dianæ Antiſtitam vidiſſet excellenter formoſam, ſtatim Epheſo cum ſuis diſceſſit, ne invitus inceſtum perpetraret. *Plutarchus Apophth. p.* 338.

II. ACTA BELLICA.

1. Cum *Cleomene* Spartanorum Rege congreſſus, acerrimo cum prælio vicit; in quo prælio Euclides frater Cleomenis cecidit, & ex ſex millibus Spartanorum vix ducenti ſuperfuerunt, & ipſe Cleomenes fuga ſalutem quærere coactus eſt. Antigonus moderate victoria uſus eſt; Spartanis libertatem reſtituit, à direptione milites prohibuit, veniamque his, qui ſuperfuerant, dedit; præfatus, ſe bellum cum Cleomene Rege, non cum Spartanis habuiſſe. *Plutarchus, Polybius.*

2. Antigonus cum audiviſſet Macedoniam à barbaris vaſtari, ex Peloponneſo eo properat, etſi tenuiſſimæ valetudinis eſſet, & phthiſi laboraret, & ingenti prœlio decertat, atque Illyrios prædones vincit & opprimit.

III. EGRESSVS.

Cum autem in prælio voce contentiore uteretur, multum ſanguinis ob venam ruptam evomuit, & paucis diebus poſt exſpiravit heros fortiſſimus, pace toti Græciæ reſtituta, poſtquam regno ut tutor annis fere 13 vel 15 præfuiſſet. *Plutarchus, Polybius.*

XV. PHILIPPUS.

I. ORTVS.

Philippus erat Demetrii II, Regis Macedoniæ XIII, filius.

II. PROGRESSVS.

1. Regni occupatio.

Quia hic Philippus adhuc parvulus erat, ideo pater moriturus eum Antigoni Doſonis fidei commiſit, qui ducta in uxorem Demetrii vidua, titulum regis aſſumſit. Mortuo autem Antigono tutore, eodemque vitrico, Philippus 13 annorum puer regnum ſuſcepit. *Plutarchus, Polybius.*

II. Regni adminiſtratio.

1. Toto regni tempore multa crudelitatis atque libidinis exempla edidit, *Plutarchus in Arat.* ita de eo ſcribit: Philippus Rex Macedoniæ (ſcil. penultimus) erat adoleſcens elegans, manſuetus, inſignem humilitatem & clementiam præ ſe ferens: cum adoleviſſet, ex adoleſcente eleganti & rege manſueto factus eſt homo turpiſſimus & tyrannus ſæviſſimus: quanquam non erat mutatio naturæ, ſed in licentia demonſtratio nequitiæ, occultatæ antea metu. *Hæc Plutarchus.* Quo pertinent Axiomata Politicorum: Magiſtratus virum arguit. Item: Honores mutant mores; Et pulchre inquit *Antimachiavellus, lib.* 1. *p.* 43. Multos videas in pri-

privata fortuna felices & comites erga humillimum quemque: mox ubi ad honores adſcendere, eo ſuperbiæ venire, ut vix etiam familiari uſu notos agnoſcant.

2. *Urbem Chiorum* oppugnavit, ſed virtute mulierum repulſus: de quo *Plutarchus l. 2. de virtute Mulier p.* 422. ita ſcribit: Philippus Demetrii filius urbem Chiorum oppugnans ſuperbum ac barbaricum edictum propoſuerat: quo ſervos ad defectionem ad ſe invitabat, pollicens eis Dominarum conjugia & libertatem: Mulieres vero atroci & effera correptæ ira una cum ſervis ipſis quoque una indignantibus & auxilium ferentibus cum impetu in muros evaſerunt, lapideſque & tela congerentes ac pugnantes, exhortantes & animantes, ipſæque etiam uſque ad extremum hoſtem profligantes, & telis impetentes, Philippum repulerunt, cum quidem ad hunc nullus omnino ſervorum tranſiviſſet.

3. Cum *opidum Abydum* diuturno tempore oppugnaret, obſeſſi fortiter ei reſiſtebant: ubi vero animadvertebant ſe viribus impares eſſe, omnia ſua pretioſa in navibus in mare demergunt, ſe ipſos cum uxoribus & liberis interficiunt, & Philippus ita vacua urbe potitur. *Livius.*

4. Philippus quoque *Romanorum ſocias urbes in Epiro* oppugnat, & exſcindere conatur, quæ auxilia fortia accipiunt. Cum igitur *Apolloniam* obſideret, Romani ejus caſtra nocturno prœlio invadunt: ipſe vix ſeminudus fugit; inde cum navibus effugere non poſſet, naves ſuas ipſe cremat, & in Macedoniam ſpoliatus & inermis redit. *Livius.*

5. Anno ſequenti iterum in *Peloponneſum* veniens Philippus, cum multa ageret, quæ nec Arato ſeniori (qui erat prætor in Achaia) nec Arato juniori probabantur; ipſe tamen ſeniorem Aratum magis metueret; veneno eum tollere jubet. *Plutarchus, Polybius.*

6. Poſt aliquot annos *in ludis Nemeais Arato juniori* ſubducit uxorem, nomine Polycratiam, quam ſpe nuptiarum regiarum in Macedoniam aſportat, & Arato curat venenum præberi; quo mente motus eſt: ipſe paullo poſt ad Elim à Romanis vincitur, ubi in magno periculo fuit, ne caperetur. Poſtea vero pacem cum illis fecit: nihilominus tamen poſtea, contra fœdus initum, vaſtat fines urbium Romanis ſocietate junctarum, mittitque Sopatrum purpuratum ex ſuis cum quatuor millibus militum Carthaginienſibus præſidio. Hæc cum conqueſti ſocii eſſent, legati in Græciam mittuntur, ad inſpiciendas res ſociorum. *Livius.*

7. Tandem cum Philippus, turbulenti ingenii homo quiſcere non poſſet, ſed omnem Græciam turbaret, omniaque cædibus impleret; Romani bellum ei decernunt, & legiones cum T. Flaminio Conſule in Macedoniam mittunt, à quo Philippus victus pacem petiit, omnibuſque Græciæ civitatibus amiſſis, ſolam Macedoniam & nomen regium retinuit. Et ſic Græciæ civitatibus pax & libertas reſtituta eſt. *Livius.*

8. Denique Philippus duos habebat filios, Demetrium, modeſtum adoleſcentem, & Perſea nothum. Cum autem Perſeus animadverteret, Demetrium in majori gratia eſſe apud patrem, infenſus ei factus; eum apud patrem fictis literis ſuſpectum reddidit, quaſi ipſe regnum affectaret: Ideoque à patre irato Demetrius inſons juſſus eſt interfici. *Livius.*

III. EGRESSVS.

Verum pater, paullo poſt innocentia ejus cognita, tantum animo dolorem concepit, ut morbo ex animi ægritudine contracto miſere periret; Græciæ turbator, regni Macedonici everſor, & ſuæ ſtirpis exſtinctor. *Livius lib. 10. Decad.* IV. Regnavit annos 42.

Usus I.

Nomen Philippi apud Macedonia reges fatale fuit. Nam *Philippus primus* Rex Macedoniæ, pater Alexandri Magni, regnum Macedonicum inſtauravit: *Philippus penultimus* Perſei pater, illud ad ruinam inclinavit: uti patet ex verſibus Sibyllæ, quæ extant in *Achaicis Pauſaniæ*, quos *Philippus Melanchthon* ita vertit:

In Macedum populis clariſſima regna tenebunt,
Archiva de ſtirpe, bonum damnumque, PHILIPPI.
Horum qui prior eſt, gentes urbeſque domabit,
Sed Veteris regni perdet decus omne Secundus,
A populis victus, quos mittent veſper & ortus.

Usus II.

Præcipuum Regum & Principum munus eſt, ut judicia legitima inſtituant, & populum recte judicent. Quod ut fiat, *tria* obſervare debent.

1. *In* ORTU, *utramque partem audiant*: idque juxta Dei mandatum. *Deuter.* 1. 16. Præcepi judicibus veſtris, dicens: *Audite illos*, & quos juſtum eſt *judicate. v.* 17. ſicut parvum, ita magnum audietis.

2. *In* PROGRESSU; *Cauſas ad ſe delatas examinent, & veritatem diligenter inveſtigent. Deut.* 17. 4. Quod renunciatum tibi fuerit atque audieris, diligenter inquires, anne res illa vera & certa ſit. *Job.* 29. 16. Cauſam quam non noveram, diligentiſſime inveſtigabam.

3. *In*

3. *In* EGRESSU: *sententiam latam exequantur.* Exequutio namque est finis sententiæ latæ. Idcirco enim sententia pronunciatur, & promulgatur: ut nempe bonis cedat in bonum, & malis in malum. *Rom.* 13. 3, 4. Et hoc scriptura vocat judicium & justitiam facere. Ita Rex David laudatur, quod fecerit judicium & justitiam omni populo. 2 *Sam.* 8. 15.

Contra autem Philippus Rex Macedoniæ regio suo munere recte functus non est, difficilis & morosus in audiendis subditorum suorum querelis fuit. Quod ipsum mulier quædam ei recte objecit. Monebat namque vere, dignitatem imperandi & regiam deponere debere: eaque indignos, qui nollent munus præcipuum, ob quod instituti sunt, exsequi. *Petr. Gregor. Tholosan. lib. 6. de Republ. c. 6. pag.* 320, 321, & 322.

USUS III.

In aulis Regum & Principum plerumque duum generum homines reperiuntur.

Priores sunt ADULATORES, qui naturas, ingenia & mores Dominorum suorum observantes, ad nutum eorum se accommodant. Si illi aiunt, hi quoque aiunt; si negant illi, negant quoque hi. *Posteriores* vero sunt VERONENSES, qui sunt veritatis & honestatis amantes, suisque Dominis moderata & tuta suggerunt consilia.

Exemplum.

Ita in aula *Philippi Regis Macedoniæ* diversi ingenii & indolis Consiliarii erant, nempe DEMETRIUS & ARATUS.

DEMETRIUS norat artem assentandi Domino, Is cum intelligeret Regem adspirare ad Imperium orbis terrarum, impulit eum, ut occuparet Græciam & Italiam. Intulit itaque bellum Atheniensibus. Hi contra Philippum attrahunt Romanos, qui metuentes audaciam & potentiam Philippi, cum antea eum odissent, cum ob fœdus cum Hannibale & Carthaginensibus, tum quod compererant eum meditari bellum inferre Italiæ: succurrunt Atheniensibus, & victo Philippo Macedoniam occupant.

Alter in aula Philippi ARATUS Sicyonius erat, qui reprehendebat libidines & sævitiam Philippi, quod solebat in conviviis hospitibus præbere venena, dixitque ad Philippum: *Regi* FIDE & BENEVOLENTIA *nihil esse firmius, nihil tutius.* Hunc sustulit Philippus veneno. Ex eo cum Aratus decumberet, & moriturus vomeret atrum sanguinem, dixit ad amicos: Ταῦτα ἐστὶν ἐπίχειρα τυραννικῆς φιλίας. h. e. Hæc sunt præmia tyrannicæ amicitiæ.

XVI. PERSEUS.

I. ORTVS.

PERSEUS erat filius naturalis PHILIPPI II, penultimi Macedoniæ Regis.

II. PROGRESSVS.

1. Regni occupatio.

Fraude ad regnum pervenit. Nam infensus virtuti fratris sui Demetrii, ex legitimo conjugio natu minoris, quem verebatur, se posthabito regni fore hæredem, confictis criminibus eum apud patrem Philippum Macedonum regem accusat parricidii & affectati regni. Pater fidem habens mendaciis, dolo insontem filium interfici curat. Apud Didam enim Pæoniæ præfectum, qui à Perseo instructus, amicum se Demetrii simulabat, ad cœnam vocatus, venenum in ea datum haurit, poculo epoto, extemplo sensit, & mox coortis doloribus, relicto convivio, cum in cubiculum recepisset sese, crudelitatem patris conquerens, parricidium fratris, ac Didæ scelus incusans, torquebatur. Intromissi deinde Thyrsis quidam, Stuberæus & Berreus Alexander, injectis tapetibus in caput faucesque, spiritum intercluserunt. Ita innocens adolescens, cum in eo ne simplici quidem genere mortis contenti inimici fuissent, interficitur. *Livius lib.* 10. *Dec.* 4.

AXIOMA I.

Spurii ex adulteriis, aut damnato coitu prognati, plerumque sunt mali, inquieti, & turbulenti.

EXEMPLA.

1. *Ismaël* ex ancilla natus persequebatur filium legitimum Isaacum, Saræ liberæ filium. Unde Deus Abrahamo mandavit: Ejice ancillam, & filium ejus. *Gen.* 21. 10, 12.

2. *Abimelechus* filius spurius Gedeonis (qui cognomento Jerubaal dictus est) 70 fratres filios patris legitimos, ut regnaret solus, super unam petram trucidavit, excepto Jotham natu minimo. *Judic.* 9.

AXIO-

AXIOMA II.

Simultates inter fratres & conſanguineos ſunt omnium graviſſimæ, adeoque immanes.

Nullum quidem ad tuendum imperium concordia fratrum fortius vinculum, quod natura ipſa connexuit; & tamen videmus illud ſæpiſſime ſæva libidine regnandi rumpi; & ad mutuam perniciem belluina prorſus ferocia fratres in ſe ipſos inſurgere, divina prorſus & humana omnia violare jura, & contaminare ſacra, quam regnandi cupiditatibus cedere.

Exempla.

1. *Cainus* odii & invidiæ ſtimulis agitatus Abelem fratrem ſuum occidit. *Gen.* 4.

2. *Eſavus* ob præreptam ſibi benedictionem tanto erga fratrem ſuum Jacobum flagravit odio, ut de eo interficiendo conſilia iniret. *Gen.* 27.

3. *Joſephum*, quod patri eſſet reliquis carior, tam immani odio proſequebantur *fratres*, ut clam eum in foveam præcipitarent, deinde ex fovea extractum Iſmaëlitis venderent. *Gen.* 37.

4. *Joramus* filius Joſaphati primogenitus loco patris regnabat, cumque regnum ſuum confirmaſſet, ſex fratres ſuos uterinos, & non paucos de Principibus populi Juda gladio interfecit, inſtigante Athalia conjuge, Achabi filia. 2 *Paral.* 21. *v.* 2, 3, 4.

II. Regni adminiſtratio.

1. *Perſeus* regnum, quod ſcelere acquiſiverat, ſcelerate quoque variis vitiis coopertus adminiſtravit. Cum enim familiarum illuſtrium & inſontium cæde delectaretur, & ambitione atque elatione animi turgidus omnes contemneret, accedente avaritia quoque, ex eo ſtatim mutatus, crudelis, & præceps in omnes, nec ei ſanum, nec prudens poſtea quicquam fuit. Et cum antea conſilio & ratione multum valuiſſet, & audaciſſimus in pugnis fuiſſet, ſubito & præter exſpectationem ad timiditatem & ſtultitiam ſe convertit, & levis & mutabilis repente, atque ineptus adverſus omnes eſſe cœpit, fortuna eum relinquere incipiente, h. e. (ut nos Theologice & Chriſtiane interpretamur,) illo Deum iratum & vindicem ſcelerum habente, ut multos videre eſt, mutatione progrediente, ſolito imprudentiores factos; ſicut *Plutarchus*, *Livius*, & *Suidas* in hiſtoriis ſuis tradiderunt.

11. *Perſeus* contra Romanos bellum apparans, cum Græcarum civitatum ſollicitatis animis, inprimis Achæorum gentis conciliandæ ſibi viam quæreret, literas ad Achæos ſcripſit. Illis recitatis; & pleriſque benigne & moderate ſcriptas eſſe cenſentibus: CALLICRATES, ex eis, qui in eo verti ſalutem gentis crederent, ſi cum Romanis inviolatum fœdus ſervaretur: Parva, (inquit) aut mediocris res, Achæi, quibuſdam videtur agi: Ego maxime graviſſimam omnium, non agique tantum arbitror, ſed quodammodo actam eſſe. Quis enim non videt, viam regiæ ſocietatis quæri, qua Romanorum fœdus, quo omnia noſtra continentur, violetur? De regia igitur ſocietate ineunda, ne cogitandum quidem aut tractandum eſſe judico: Quandoquidem non modo fidem inviolatam tueri oportet, ſed etiam ab omni ſuſpicione remotam. Hiſce & multis aliis rationibus *Callicrates* Romanæ ſocietatis, & publicæ fidei cauſam agens, impedivit quominus de *Perſei* amicitia accipienda decretum fieret; Et pervicit, ut Achæi Romanam ſocietatem unam tum in terris, vel viribus, vel fide ſtabilem, foventes, nelegatos quidem aut nuncios Regis admitterent, per quos aliquorum ex ipſis animi ſollicitarentur, ne ea res fidem ſuam Romanis ſuſpectam redderet. Huic conſilio ſuffragatur præclarum hoc *M. Antonini Cæſaris* elogium: ***Nihil gravius & calamitoſius eſſe, quam fidem nullam in hominibus eſſe; eamque violari ab amico, ſine qua nulla amicitia, nulla virtus tuta eſſe poſſit.*** *Antimachiavellus pag.* 609, 610.

111. Senatus Romanus huic *Perſeo* regnum initio confirmavit, cum legatos Romam mitteret, per quos regni confirmationem petiit: Sed cum Romanis ſe opponeret, illi Conſulem P. *Æmylium* Ducem belli creant, qui Macedones vicit, & Perſea cum filiis, *Alexandro* & *Philippo*, in pugna ad Pidnam captum, Romam ad triumphum duxit.

Hac pugna regnum Macedoniæ tranſlatum eſt ad Romanos, quam præceſſit eclipſis lunæ, ea nocte, quæ anteceſſit diem quartum Septembris. *Livius.*

NOTA.

Hujus victoriæ mentio quoque fit 1 *Macc.* 8. 1. & 4. Audiens vero Judas Dux Romanorum, ut ſuperaverant PHILIPPUM (Regem Macedoniæ XV,) & PERSEUM Macedonum Regem (XVI,) &, qui extulerant ſe in ipſos, ut eos contriviſſent bello, & ſuperaſſent eos: *v.* 17. miſit Legatos Romam ad conſtituendam cum ipſis amicitiam & ſocietatem.

IV.

Perſeus victus à *Paullo Æmylio*, cum vivus veniſſet in manus Conſulis, ſupplex ad genua ejus provolutus, tantas edidit animi abjecti ſignificationes, ut Conſul iratus eum repulerit. Nam *Perſeus* antea

antea aliquot prœliis Romanos exercitus vicerat, & victoriis insolenter usus fuerat.

AXIOMA I.

Mutationem fortunæ sequitur plerunque animi mutatio, & mentis perturbatio, error in consiliis, & in corde trepidatio.

Exemplum elegans habemus in *Perseo*. Hic in rebus secundis erat inflatus, in rebus vero adversis trepidus & perturbatus. Unde *P. Æmylius* Consul, eo devicto, suos hisce emphaticis verbis alloquebatur: *Exemplum insigne cernitis mutationis rerum humanarum. Vobis hæc præcipue dico, juvenes. Ideo in rebus secundis nihil in quenquam superbe ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cum quid vesper ferat, incertum sit. Livius.*

NOTA.

Hæc verba *P. Æmylii* congruunt cum *Adagio* illo, quod exstat apud *Sirac.* 18. 30 Ἀπὸ πρωΐθεν ἕως ἑσπέρας μεταβάλλει καιρός. A mane usque ad vesperam immutabitur tempus. Es kan vor Abend wol andere werden / weder es am morgen war. Item *Prov.* 27. 1. Ne glorieris de die crastino; quia nescis, quid paritura sit dies (præsens). Pertinet huc quoque gnome Liviana, quæ talis est; Quid quæque nox aut dies ferat, incertum est, punctoque sæpe temporis maxima rerum momenta vertuntur. Huic affinis est *versus* venustissimus *Ferdinandi I. Imperatoris*:

Accidit in puncto, quod non speratur in anno.

Et contra:

Perditur in puncto, quod non reparatur in anno.

AXIOMA II.

Heroici atque insignes belli Duces plerumque gloriam & celebre nomen pluris fecerunt quam opes, spolia, & prædas hostiles.

EXEMPLA.

1. Cum PERSEUS Rex captus coram *P. Æmylio* in faciem concideret, manibusque genua Æmylii tangeret, voceſque & deprecationes homine ingenuo indignas proferret, eas ne audire quidem dignatus Æmylius, tristi cum vultu in hæc verba compellavit: Quid, ô miser, hæc agis, quibus crimine tuarum calamitatum fortunam liberas, & ostendis, non immerito hæc tibi accidisse, teque non præsenti, sed priori conditione indignum fuisse? Quid victoriæ meæ laudem imminuis, demonstrans, te non alti animi virum, neque dignum fuisse, quem Romani adversarium suum haberent? Virtus profecto hominis adversa patientis, etiam apud hostes magnam sui verecundiam excitat: timiditatem, etiamsi fortunata sit, Romani inhonestam censent. *Plutarchus in vita P. Æmylii.*

11. Ita quoque *Tamerlanes* Scytharum Princeps, gloriam magis quam spolia sectatus est, ut in oratione ejus, ad captum *Bajazetem* Turcarum Tyrannum habita, constat. Ita enim captivum suum, muliebriter adversam fortunam deplorantem, inter alia compellat. Valeat aurum, valeant universa spolia, magnæ divitiæ tuæ undecunque collectæ, quando abest gloria, quam equidem exspectabam. Hæc oratio adjuncta Manuelis Imperatoris præceptis ad Johannem filium ante aliquot annos opera *Leonclavii* edita est.

111. Sic aiunt, *Themistoclem*, cum aliquando post victoriam ad mare visendi cadavera gratia accessisset, ac torques armillasque passim disjectas videret, ipsum quidem præteriisse, sed amico, qui sequebatur, dixisse: *Collige tu tibi. Nam tu Themistocles non es.*

V.

Captus, ab omnibus desertus. Quia nulla fides unquam miseros elegit amicos; dicebat Photinus. Illud expertus est Perseus. Cum enim ipse esset captus, Rhodii palam edixerunt, ne quid à quoquam civium in gratiam *Persei* Regis, quicum societate & amicitia conjunctissimi fuerant, diceretur fieretve, subjecta capitali pœna. Idem Anglo contigit.

VI.

P. Æmylius de *Perseo*, victo Romæ triumphum per triduum egit. Eum triumphum ita describit *Plutarchus*, ut & inde triumphandi ratio peti possit, & nihil apud ullum authorem veterem de triumphis simile legatur. Ductus est ante currum Rex *Perseus* una cum duobus filiis suis. *Plutarchus.*

III. EGRESSVS.

Post triumphum *Perseus* perpetuo carceri mancipatus est, in quo etiam miserabiliter periit. Cum autem Albæ in custodia decessisset, Senatus Romanus Quæstorem misit, qui eum publico funere efferret, ne reliquias regias jacere inhonoratas pateretur. *Valer. Maximus lib. 5. c. 1.*

Filius *vero ejus* Scriba *populi Romani factus est.*

Regnavit annos 11, & regnum Macedoniæ cum eo est finitum à morte Alexandri M. 156.

USUS.

Fortunæ instabiles sunt vices, & repentinæ commutationes. Ælianus de varia Hist. l. 4.

Hinc

Hinc veteres pictores, ſapienter, ut inſtabilitatem fortunæ oſtenderent, eam in PILA ſedentem pingebant, non Deam aliquam, quæ nuſquam eſt, ſignificantes, ſed mutationem conditionis humanæ, & varios rerum eventus. *Franciſcus Patric. lib. 1. de Regno, Tit. 12. pag. 55.*

DYNASTIA SECUNDA.

De Regibus Aſiæ Minoris, ſive Aquilonis.

ANTIGONUS, & DEMETRIUS POLIORCETES.

I. ORTUS.

ANtigonus fuit filius nothus *Philippi regis Macedoniæ*, ac inter Duces virtute antecelluit, ſicut rerum geſtarum ejus magnitudo oſtendit, ipſe etiam in edictis patrem nominavit Philippum.

Demetrius fuit hujus Antigoni filius. Vide *Dynaſtiam primam.*

II. PROGRESSUS.

I.

Antigonus initio in concilio Principum Dux Lyciæ, Pamphyliæ & Phrygiæ majoris conſtituitur. Nam Babylone poſt defunctum Alexandrum conſilia inſtituuntur de adminiſtrando regno, in quo tandem concluditur, ut *Philippo Aridæo* fratri Alexandri M., cui tamen ſana mens non conſtabat, tutor adderetur *Perdiccas*, & reliquis Ducibus provinciæ regni adminiſtrandæ darentur; *Ptolemæo Lagi* datur Ægyptus, *Pithoni* Media, *Eumeni* Paphlagonia, Cappadocia & vicinæ, *Caſſandro* Caria, *Meleagro* Lydia, *Leonnato* Phrygia ad Helleſpontum, *Lyſimacho* Thracia, *Antipatro* Macedonia, & aliæ regiones ad Caucaſum aliis.

II.

Antigonus cum Antipatro, Cratero, & Ptolemæo Lagi fœdus iniit, contra Perdiccam ad Monarchiam aſſpirantem. Quo in Ægypto à militibus ſuis obtruncato, & Antipatro mortuo, Aſiam Minorem occupavit. *Diodorus Siculus* 18.

III.

Deinde in Syriam profectus, Babylonem Seleuco eripuit, tantumque ei terrorem incuſſit, ut ipſe deſerto regno, ad Ptolemæum Lagi in Ægyptum confugeret. Antigonus, cum monitus eſſet à Chaldæis, futurum ut à Seleuco interficeretur, & Seleucus totam Aſiam occuparet, mittit qui eum ex fuga retraherent. Sed ipſe jam ad Ptolemæum pervenerat, qui perſuaſit ut bellum contra Antigonum ſuſciperet. *Diodorus Siculus lib. 19.*

Ptolemæus igitur *Seleuci* patrocinium ſuſcipiens bellum Antigono intulit. Antigonus, cum in pluribus regni partibus oppugnaretur, filium Demetrium tantum 22 annos natum exercitui præfecit, & in Syria contra Ptolemæum relinquit: ubi vero in Ciliciam movet, ibi fere nivibus obruitur.

Demetrius parat ſe ad confligendum, ſed imperite, cum ex altera parte eſſent Duces veterani Seleucus & Ptolemæus, & milites ſimiliter veterani: ipſe vero eſſet juvenis belli non ſatis peritus, vincitur. Ergo Demetrius & caſtra amittit, cui tamen Ptolemæus ſuppellectilem amiſſam remittit, & Seleucum ad occupandam Babylonem dimittit. Seleucus cum prope Babylonem veniſſet, etſi pauciſſimis equitibus comitatus eſſet, tamen recipitur, quia olim per quadriennium ipſis humaniſſime præfuiſſet; Ptolemæus cum totam fere Syriam occupaſſet, Demetrium plane pellere conatur, ſed hic, cum aperta vi non poſſet, noctu ejus exercitum obruit, & cladem ante annum acceptum regerit: qua de re pater Antigonus certior factus, exercitum fortiſſimum adducit: cui Ptolemæus impar Joppen, Samariam & Gazam deſtruit, & in Ægyptum redit. Quo facto Antigonus totam Syriam recipit, Ptolemæus vero exercitum in Ciliciam mittit; cui Antigonus opponit filium Demetrium, qui multa feliciter gerit, & Duces Ptolemæi ex Cilicia ejicit. *Diodorus Siculus lib. 20.*

Tandem etiam in Cypro prælio navali cum ipſo Ptolemæo congreſſus, ipſum vincit, inque Ægyptum ire compellit. *Antigonus* de hac victoria navali certior factus, diadema ſibi ſumit, & Regem ſe atque filium appellat: Quod etiam facit *Ptolemæus* in Ægypto, ne de poſſeſſione regni deſperaſſe videretur. Horum exemplum ſequuntur etiam *Seleucus*, *Lyſimachus*, & *Caſſander*. *Diodorus Siculus ibid.*

III. EGRESSUS.

Poſthæc *Lyſimachus*, *Seleucus*, *Ptolemæus*, & *Caſſander*, adunatis viribus *Antigonum* & *Demetrium* bello petunt. Qui haud territi copias ſuas contra conjuratos educunt. Demetrius in dextro cornu regibus oppoſitus, hoſtes quidem egregie vincit, ſed nimium inſequendo victos, ab acie excluditur, cum Seleucus elephantos oppoſuiſſet. Pater vero Antigonus jam octogenarius ab hoſtibus circumdatur:

& multis jaculis saucius occiditur. Demetrius itaque assumta parte exercitus, quinque millibus peditum, & quatuor millibus equitum, ex Asia in Cyprum aufugit. Atque ita *Demetrius Asia* exuitur, & Regnum Asiæ ad Seleucidas jure belli tranſiit, & cum Syria conjunctum fuit. De Demetrii historia plura vide *Dynast.* 1. §. 5.

USUS.

Antigoni virtutes.

I. *Constantia & Animi fortitudo.* De qua *Plutarchus in Moralibus* ita scribit *pag.* 246. Antigonus Rex, audita morte filii sui Alcionei, qui in prœlio cecidisset, constanti animo in nuncios calamitatis intuens, paululumque vocem moratus, & vultu ad mœstitiam composito: ô Alcioneu, inquit, citius opinione nostra occubuisti, adeo secure in hostes irruens, & neque tuæ saluti, neque nostrarum admonitionum curam habens. Addit *Plutarchus*, hosce quidem viros (nempe Antigonum & alios, quos ibi numerat,) nemo non admiratur ob animi magnitudinem, atque prædicat; imitari autem facta eorum, ob imbecillitatem male instituti animi, non possunt.

II. *Modestia.* Cum Hermodotus eum in poëmate SOLIS FILIUM appellasset: Diversum, inquit, novit, qui matulam mihi affert. *Plutarch. Moral. p.* 335.

III. *Justitia.* Dicente quodam, omnia honesta & justa esse Regibus, subjecit Antigonus: Omnino Barbarorum quidem Regibus, nobis sola honesta pro honestis, sola justa pro justis, sunt habenda.

Causam in judicio habebat Marsyas frater, petebatque, ut de ea domi cognosceretur: Sed Antigonus, si culpa, inquit, vacamus, disceptetur in foro & cunctis auscultantibus. *Plutarchus ibid. p.* 336.

IV. *Patientia.* Hyeme aliquando castra loco necessariarum rerum copia destituto posuerat, necessitate jubente. Ibi cum milites, nescientes in propinquo esse, maledicerent ipsi, tentorium baculo dimovens, infortunium, ait, habebitis, nisi longiùs hinc digressi me conviciis proscindatis. *Plutarch. ibid.*

V. *Urbanitas.* Aristodemo uni de amicis, sed qui coqui filius esse credebatur, consulenti, ut sumtuum minus faceret, munificentiamque contraheret: Tui, inquit, Aristomede, sermones cinctum culinarium redolent. *Plutarchus ibid.*

VI. *Sapientia.* Antigonus filio subditis violentius utenti: *An ignoras*, inquit, *ô fili, Regnum nostrum haud* fere aliud esse, quam splendidam servitutem? *Ælian. l.* 2. *variarum Hist.*

REGULA.

Recte *Cicero* inquit: Qui se metui volent, à quibus metuuntur, eosdem etiam ipsi metuant necesse est. Quare neque exercitus, neque Thesauri, præsidia regni sunt: verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio & fide parantur, ut est in commonefactione morientis Micipsæ. Vide *Salustium.*

DYNASTIA TERTIA.

De Regibus ÆGYPTI, vel Austri, qui LAGIDÆ sunt dicti.

I. PTOLEMÆUS LAGI.

I. ORTUS.

I. PATER ipsius fuit LAGUS Macedo.

2. MATER ejus fuit ARSINOE, Philippi Regis Macedoniæ concubina, quam ipse in uxorem duxit, atque ex ea hunc Ptolemæum suscepit.

III. NOMEN. Dictus fuit PTOLEMÆUS, cognomento LAGI, (scilicet filius.) *Ptolemæus*, Πτολεμαῖος, h. e. bellicosus, à πτόλεμος vel πόλεμος, bellum. Et πτολεμίειν, vel πτολεμεῖν, bellare significat, vel תלמי *Tholmai*, porca, Erd-scholle. תלם porca, est terra inter duos sulcos elata. Fuit commune nomen Regum Ægyptiorum. Nam omnes reliqui Ægypti Reges ab eo dicti sunt PTOLEMÆI, & LAGIDÆ.

REGULA.

Apud multas nationes antiquitus usitatum fuit, ut subditi Reges suos ex proprio vel Regis, vel Principis alicujus insigni, vel rei amabilis & desiderabilis nomine vocarent, quod posteà in successores propter singularem aliquam præstantiam aut memoriam propagabatur.

VEL ITA:

Olim apud multas nationes in usu fuit, ut à primo Rege reliqui successores denominarentur.

I. EXEMPLA BIBLICA.

I. *Ægyptii* olim Reges suos communi cognomine PHARAONES appellabant, propter dignitatem atque officii sui eminentiam. Nam פרה veteri Ægyptiorum lingua Regem notat, teste *Josepho l.* 8. *Antiqu. Judaic. c.* 6. Hoc cognomen Ægyptiorum

rum Reges longo tempore geſſerunt: uti videre eſt ex *Gen. c. 12. v. 15, 16, 17. cap. 37. v. 26. cap. 39. verſ. 1. c. 41. v. 1. c. 42. v. 15. c. 44. v. 18. cap. 45. verſ. 2, 8, 17, 21. c. 46. v. 5. c. 47. v. 1, c. 50. v. 4, 6, 7. Exod. 1. v. 11, 19, 22. cap. 2. v. 5. c. 3. v. 9. 1 Sam. 2. v. 27. c. 6. v. 6. Pſal. 135. 9. 136. v. 15. Jeſai. 19. v. 11.*

Poſt mortem Alexandri primus Rex fuit PTOLEMÆUS LAGI. Ab hoc, cum Rex laudabilis eſſet, omnes Ægypti Reges, nempe XI ſucceſſores ejus Ptolemæi, item à cognomine ejus LAGIDÆ appellati, & nomen Pharaonis evanuit. Hujus nominis *Ptolemæi* fit mentio 1 *Maccab. 1. verſ. 19. cap. 3. v. 38. cap. 10. v. 51, 55, 57. c. 11. verſ. 22, 24. cap. 12. verſ. 45. cap. 13, verſ. 12. 2 Maccab. 13. v. 25.*

Hodierno die, poſtquam Arabes Ægyptum ſubegerunt, Turcarum Reges *Ottomanni*; ab *Ottomanno* I vocantur, & iidem à dominio vel poteſtate etiam *Sultani* appellantur.

II. *Perſæ* Reges ſuos nominarunt AHASVEROS. Quo nomine *tres* Reges Perſarum inſigniti leguntur. *Primus* eſt *Aſtyages*, Rex Medorum, pater Darii Medi. *Daniel. 9. v. 1. Alter* eſt *Cambyſes*, II Rex Perſarum, Cyri filius, qui ædificationem templi prohibuit. *Eſdr. 4. 6. Tertius* eſt *maritus Eſther*, qui fuit *Artaxerxes Longimanus* V Rex Perſarum. *Eſdr. 1. v. 1.* Ita *Darii* Medi pater proprio nomine ASTYAGES, & cognomine *Achaſverus*, vel *Cyaxares* eſt dictus. Nam *Cyaxares* idem eſt quod *Ahaſverus*, & magnum Principem ſignificat. Vide plura de hiſce nominibus in Monarchia noſtra ſecunda, *in Hiſtor. Darii Medi cap. 1. §. 1. & 5.*

Item appellabant Reges ſuos *Artaxerxes*, & *Artachſaſta Eſdr. 7. verſ. 1. 12. Nehem. 2. v. 1. cap. 5. v. 14. cap. 13. v. 6. Diodorus Siculus lib. 15.* Vide *Monarchiam* II. *in Hiſt. Artaxerx. Longimani Monarchæ* V. §. 4.

III. *Reges Syriæ* vocabantur ANTIOCHI. *1 Maccab. 1. v. 11. cap. 2. verſ. 15. c. 3. v. 27, 33. cap. 6. v. 1. cap. 7. v. 2. cap. 8. v. 6.*

IV. *Reges Tyri* vocabantur חירם HIRAM. *2 Sam. 5. 11. 1 Reg. 5. 1. 1 Paral. 15. 1.*

V. *Amalekitarum* Reges dicebantur אגג. *Numer. 24. 7. 1 Sam. 15. 8.*

VI. *Philiſtæorum* Reges dicebantur ABIMELECH. *Geneſ. 20. verſ. 2. cap. 21, 22. cap. 26. verſ. 1.* Quod nomen etiam Gentium Regibus familiare fuit, ſicut *Philippus Beroaldus in principio Comment. Suetonii Tranquilli* ſcribit. Reges Gentium alienigenarum, inquit, vocantur Abimelech. *P. Gregor. Tholoſ. lib. 6. de Republ. cap. 14, 16.* Origo autem hujus nominis *gemina* conſtitui poteſt.

1. Προσωπική, ita ut dicatur à Rege aliquo excellenti atque eximio tranſlatum, inque poſteros Reges propagatum eſſe.

2. Περιγραπτική, h. e. à re ipſa. אבימלך *Abimelech* enim idem eſt atque pater Rex, ac proinde propter vocis gratioſitatem & amabilitatem commune Regum Gentium alienigenarum nomen eſt factum. Ebræi enim vocem patrem אב, Chaldæi & Syri אבי, Arabice אב, Eb, ab effectu & propenſione in filios, à rad. אבה voluit, declaravit, propenſo animo fuit, delectatus fuit, deducunt.

NOTA.

Quod autem ABIMELECH nudum Regum Philiſtæorum cognomen fuerit, inde probari poteſt. Quia ille Rex Philiſtæorum, qui tempore Davidis regnabat, nomine proprio vocabatur אכיש ACHIS, coram quo David inſaniam ſimulabat *1 Sam. 21. verſ. 10.* & cognomine vocabatur *Abimelech. Pſal. 34. v. 1.*

2. EXEMPLA PROFANA.

1. *Athenienſium Reges* vocabantur à *Cecrope*, primo Rege, CECROPIDÆ; & poſtea ab *Erechtæo* Rege ſexto, ERECHTEIDÆ.

2. *Corinthiorum Reges* olim à *Cypſelo*, qui Bacchidas è Corintho expulerat, & maximis beneficiis ſubditos ſuos affecerat, CYPSELIDÆ vocabantur. *Herodotus, Strabo.*

3. *Epirotarum* atque *Moloſſorum* Reges, à *Pyrrho*, PYRRHIDÆ nominabantur. *Plutarchus in vita Pyrrhi.*

4. *Indorum* Reges ſinguli dicebantur TAXILES, ſicut *Curtius lib. 8. de rebus geſtis Alexandri Magni* ſcribit.

5. *Reginæ in Meroë* olim *Candaces* dicebantur, à prima ejus nominis regina. *Plinius lib. 6. c. 29.*

6. *Romani Impp.* à Cajo Julio Cæſare appellabantur *Cæſares*, & Imperatores, & ab Octaviano Auguſto, *Auguſti*, Σεβαστοί, h. e. honore ſanctiſſimi & dignitimi. Germani vocant: Mehrer des Reichs.

7. *Danorum Reges* olim vocabantur *Skyoldungi*, à celeberrimo Rege Daniæ Skyoldo, Regis Lotheri filio; ſicut *Albertus Crantzius lib. 1. cap. 5.* & *Saxo Gramm. in principio Hiſtor. Danica* teſtantur.

II. PROGRESSUS.

1. ACTA POLITICA.

I.

Hic Ptolemæus initio gregarius miles fuit: ſed ob fidem Philippo præſtitam, ab Alexandro M. inter cuſtodes corporis regios receptus eſt.

REGULA.

Multi ex ſtatu humili in ſublimem exaltati ſunt à Deo.

Sicut *David* inquit *Pſalm.* 113. *v.* 5. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat? humilia reſpicit in cœlo & in terra. *verſ.* 6. Erigens de pulvere inopem, & de ſtercore pauperem. *v.* 7. ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi ſui. *Pſalm.* 75. *verſ.* 7. Deus judex eſt, qui hunc humiliat & hunc exaltat. *Ezech.* 17. *verſ.* 24. inquit Jehova: Scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum ſublime, & exaltavi lignum humile, & ſiccavi lignum viride, & frondere feci lignum aridum: Ego Dominus loquutus ſum, & feci.

Exempla.

1. *Joſephus Patriarcha* ex infimo miſeriæ gradu ad ſummum honoris faſtigium conſcendit. Nam cum ipſe 17 annorum adoleſcens eſſet, à fratribus ſuis, Iſmaëlitis venditus eſt, à quibus in Ægyptum abductus & 20 argenteis venditus eſt. *Gen.* 37. 28.

2. *Saul* filius Kis, primus Rex Iſraël, minimus è tribu Benjamin, aſinas patris ſui quærens ampliſſimum Regnum invenit. 1 *Sam.* 9. *v.* 3, 21. 1 *Samuel.* 10. *v.* 1. *Nazianzenus* elegantiſſime ait; *in Orat. funebr. in Baſil.* Saul aſinos paternos inveſtigans, regno potitus, acceſſorium ipſo inſtituto negotio majus nactus.

3. DAVID *filius* Jeſſe natu minimus, ex Paſtore ovium, & cantore, Rex factus eſt. Davidi pro pedo & plectro corona, & ſceptrum offertur ab eo, qui de pulvere erigit pauperem, & collocat eum cum Principibus populi ſui, ut idem canit *Pſal.* 113. *verſ.* 6, 7.

Ille ego qui quondam caulæ, *poſt arbiter* aulæ:
Proque pedo *vili regia* ſceptra *gero.*

Unde ipſe David ait *Pſalm.* 4. *v.* 4. DEUS mirabiliter ducit ſanctum ſuum.

PARENESIS.

Hic autem quilibet cogitet, qui à Deo in ſtatum ſublimiorem exaltatus eſt, ut in univerſa vita ſua modeſte ſeſe gerat, & cogitet cum Joſepho: Ego ſum SUB DEO. *Geneſ.* 50. *v.* 19. Pulchrum *Epigramma Auſonii*:

Fortunam reverenter habe, quicunque repente
Dives ab exili progrediere loco.

II.

Ptolemæus, cum apud Brachmannos venenata ſagitta letaliter vulneratus eſſet. Regis curam in ſe converterat, qui & prælio & ſollicitudine fatigatus, cum illi aſſideret, lectum, in quo ille acquieſceret, inferri juſſit: in quem ut ſe recipit, protinus altior inſequutus eſt ſomnus. Ibi vidit Alexander Magnus Rex Macedoniæ dormiens, quaſi draco herbam quandam ore teneret, & ejus virtutem, naturam atque locum, ubi naſceretur, doceret. Poſtea ſurrexit, herbam repertam contrivit, ac vulneri impoſuit, dedit etiam potionem inde medicatam, per quam valetudini cum ſubito reſtituit. *Diodorus Siculus, Juſtinus, Curtius.*

III.

In prima regni diviſione Ptolemæus, regni Ægypti gubernator conſtitutus eſt. Nam ita ſcribunt Hiſtorici. Babylone, poſt defunctum Alexandrum, conſilia inſtituunt de adminiſtrando regno: & tandem concluditur, ut Philippo Aridæo fratri Alexandri, cui tamen ſana mens non conſtabat, tutor adderetur Perdiccas, & reliquis Ducibus Provinciæ regni adminiſtrandæ darentur. Ptolemæo Lagi datur Ægyptus, Pithoni Media, Eumeni Paphlagonia, Cappadocia, & vicinæ: Antigono Lycia, Pamphylia, Phrygia major: Caſſandro Caria, Meleagro Lydia, Leonnato Phrygia ad Helleſpontum, Lyſimacho Thracia, Antipatro Macedonia, & aliæ regiones ad Caucaſum aliis. Vide *Dynaſtiam.* 2. *Hiſtor. Antigon.* §. 2.

II. ACTA BELLICA.

Ptolemæus Lagi *quatuor bella* geſſit.

Bellum I, contra Perdiccam.

Perdiccas I Aridæi adminiſtrator, ſive tutor Monarchiam affectans, bellum contra Ptolemæum parat. Quod ubi Ptolemæus cognovit, ſe bello à Perdicca petitum iri, ipſe quoque omnia ad bellum præparat, & fœdere ſibi Antipatrum atque Antigonum jungit. *Diodorus Siculus lib.* 18. Perdiccas exercitum ſuum in Ægyptum traducit, Ptolemæo Lagi regnum erepturus, ſed infelici ſucceſſu. Vide *Hiſtoriam Perdiccæ* §. 3.

Bellum II, contra Syriam & Phœniciam.

Ptolemæus bello liberatus, cum videret, Syriam & Phœniciam commode regno ſuo adjungi poſſe, dum omnia omnibus licent, per Nicanorem Ducem pellit Laomedontem præfectum, & Syriæ atque Phœniciæ urbes breviſſimo tempore ſibi ſubjicit. *Diodorus Siculus lib.* 18.

Bel-

Bellum III, contra Antigonum & Demetrium.

De hoc bello vide *Hiſtor. Antigoni* I, *Regis Aſiæ Minoris*, §. 3.

Bellum IV, contra Palæſtinam.

Poſt hæc Ptolemæus Palæſtinam ſibi ſubjicit: inter cætera etiam Jeroſolymam, ſimulans ſe die Sabbatho ſacrificaturum, occupavit, atque Judæos acerbe tractavit, & inclementer: qua de re Agatarchides apud Joſephum ait; Judæi dum propter ſuperſtitionem die Sabbathi gravantur arma capere, gravem Dominum receperunt: multum tamen poſtea Ptolemæus Judæis benefecit, plurimos in Ægyptum tranſtulit, eoſque pari jure cum aliis vivere paſſus eſt. *Joſephus.*

III. ACTA OECONOMICA.

Conjugium. Ptolemæus Lagi duas habuit uxores.

Prior fuit *Eurydice*, ex qua natus *Ptolemæus Ceraunus*, Ptolemæi primogenitus.

Poſterior fuit *Berenice*, ex qua natus eſt *Ptolemæus Philadelphus*, qui filiorum Ptolemæi minimus, patri in regno ſucceſſit, excluſis filiis ex Eurydice natis, idque contra jus gentium: Habuit quoque filias duas, quarum unam Lyſimacho, alteram vero filio ejus Agathocli connubio junxit. *Plutarchus.*

III. EGRESSVS.

A. M. 3687. Ptolemæus Lagi moritur, poſtquam regnaſſet annos 40.

USUS.

Laus hujus Regis. 1. Fuit *valde humanus.* Nam hic Ptolemæus apud amicos frequentiſſime & cœnabat, & dormiebat: quod ſi aliquando cœnam præberet, rebus illorum utebatur. Accerſebat enim ſcyphos, ſtrata & menſas, ipſe præter neceſſaria poſſidebat nihil: quin alios locupletes facere regale magis eſſe dicebat, quam locupletari.

2. *Egregie doctus fuit.* Quia ipſe poſt obitum Alexandri M. ejuſdem res geſtas deſcripſit, ſicut Arrianus ſcriptor Græcus, in initio hiſtoriarum ſuarum de expeditione Alexandri M. commemorat: ibidemque fatetur, quod ex prædicto Ptolemæo & quodam Ariſtobulo, tanquam ſcriptoribus veridicis & fide dignis, hiſtoriam ſuam deſumſerit, quippe qui una cum Alexandro M. militaverant, & ſocii expeditionum ejus fuerant.

NOTA I.

Licet Monarchia Alexandri M. poſt obitum ejus in quatuor regna ſit diviſa, nempe in regnum 1. Aſiæ Minoris, 2. Macedoniæ. 3. Ægypti. 4. Syriæ: tamen de duobus tantum Regibus in *cap.* 11. *Daniel* vaticinatur, nempe de regno *Lagidarum* & *Seleucidarum*: Quia hæc duo regna Judææ erant vicina, & in medio eorum ſita eſt Judæa, verſus Auſtrum habens Ægyptum, & verſus Aquilonem Syriam. Quia igitur Judæa inter Ægyptum, & Syriam in medio ſita, duriter quaſſata eſt ab utriuſque regibus, nempe Ægypti & Syriæ; perinde ac Iſthmus inter duo maria interjacens utriuſque maris fluctibus utrimque tunditur, ſicut D. Hieronymus ait: Idcirco Daniel de iſtorum duorum regnorum ſucceſſoribus loquitur, atque per REGEM AUSTRI, Rex Ægypti: per REGEM vero AQUILONIS Rex Syriæ intelligitur. Quæ obſervatio plurimum facit ad intelligentiam *cap.* 11. *Danielis*, Ubi breviter prædicuntur prælia & alia multa, quæ poſterioribus temporibus inter Reges Ægypti & Syriæ, atque populum Dei contigerunt, quorum quædam in libris Maccabæorum fuſius deſcripta exſtant.

NOTA II.

Daniel. cap. 11. Vaticinatur de *ſex Regibus Ægypti*, & de *octo Regibus Syriæ.*

1. REGES ÆGYPTI hi ſunt:

1. *Ptolemæus Lagi filius*, cogn. Soter. De illo agit *Daniel. cap.* 11. *v.* 5. 2. *Ptolemæus Philadelphus. v.* 5. 3. *Ptolemæus Evergetes. v* 7. 4. *Ptolemæus Philopator. verſ.* 10. 5. *Ptolemæus Epiphanes. verſ.* 13. 6. *Ptolemæus Philometor. verſ.* 22.

2. REGES SYRIÆ.

1. *Seleucus Nicanor*, vel Nicator. 2. *Antiochus Soter.* 3. *Antiochus Theos.* De hoc agit *Daniel cap.* 11. *verſ.* 5. 4. *Seleucus Callinicus. v.* 7. 5. *Seleucus Ceraunus, v.* 10. 6. *Antiochus M. verſ.* 10. 7. *Seleucus Philopator. v.* 20. 8. *Antiochus Epiphanes. verſ.* 21.

NOTA III.

Bella inter Lagidas & Seleucidas geſta, *ſeptem* narrantur a Daniele.

1. Inter Ptolemæum Lagi, & Seleucum Nicanorem. *v.* 5.
2. Inter Ptolemæum Philadelphum, & Antiochum Theon. *v.* 6.
3. Inter Ptolemæum Evergetem, & Seleucum Callinicum. *v.* 7, 8, & 9.
4. Inter Ptolemæum Evergetem, & Antiochum Magnum. *v.* 10.
5. Inter Ptolemæum Philopatorem, & Antiochum Magnum. *v.* 11, 12, 13, 14, 15, 16.
6. Inter Ptolemæum Epiphanem, & Antiochum Magnum. *v.* 17, 18, 19. Hic inſeritur Seleuci Philopatoris interitus. *v.* 20.
7. Bellum, idque aliquoties renovatum, inter Ptolemæum Philometorem, & Antiochum Epiphanem. *v.* 21 ſeqq.

NOTA IV.

De hoc Ptolemæo Lagi, *Daniel. cap.* 11. *v.* 5. primum vaticinium edit, hiſce verbis:

Et confortabitur REX AUSTRI, (& potens evadet Rex Auſtri.) Per *Regem Auſtri* intelligitur *Ptolemæus Lagi*, primus Rex Ægypti, poſt obitum Alexandri M. Hic fuit Rex ſapientiſſimus, doctiſſimus & fortiſſimus, (uti Pausanias in Atticis

Atticis narrat) tantæque potentiæ, ut Pyrrhum Epirotarum regem expulsum restituerit in regnum, Cyprumque obtinuerit & Phœnicen, ac victo Demetrio filio Antigoni, Seleuco (Nicanori) Regi Syriæ, partem regni sui ablatam reddiderit, Cariam quoque & multas insulas, regiones, & urbes obtinuerit, quam ob causam cognom. SOTER, h. e. Servator appellatus est, sed *Josephus lib. 12. Antiquit. cap. 1.* scribit, eum præter meritum ita fuisse cognominatum, eo quod Hierosolymorum urbem Sabbatho per dolum occupaverit, & magnam Judæorum multitudinem in Ægyptum abduxerit. Sed postea agnita ipsorum in observanda jurisjurandi fide constantia, multos ex ipsis sacramento devinctos in præsidiis suis posuit, & jure civitatis apud Alexandriam pari cum Macedonibus jure donavit. Qua ejus benevolentia moti plures alii ex Judæis ultro in Ægyptum commigrarunt.

Et talis fuit *status Ecclesiæ Dei* sub Ptolemæo Lagi Sotere, primo Ægypti rege, post obitum Alexandri M.

II. PTOLEM. PHILADELPHUS.

I. ORTVS.

1. *Appellatio.* Ptolemæus dictus est à Ptolemæo Lagi, primo Ægypti Rege. Nam ab hoc omnes Ægypti Reges, qui XI fuerunt, PTOLEMÆI nominati sunt, discrimine inter eos faciente cognomine. Cognomento *Philadelphus* est dictus, quod sororem suam Arsinoën uxorem duxerit.

2. *Generatio.* *Pater* ejus fuit *Ptolemæus Lagi* qui cognomento Soter dictus est: *Mater* ejus fuit *Berenice*, secunda Ptolemæi Lagi conjux.

II. PROGRESSVS.

I. ACTA OECONOMICA.

1. Educatio,

Ptolemæi primus præceptor erat *Straton Lampsacenus*, à quo cum salutaria sapientiæ monita hausisset, summopere virorum doctorum conversatione delectatus est, & huic informatori suo gratitudinis ergo 80 talenta donavit. *Diogen. Laërt. l. 5.* Secundus ejus præceptor fuit *Philetas Cous*, Elcographus ex Insula Coo oriundus, qui fuisse fertur corpusculo adeo tenui, ut necessum fuerit ei ex plumbo pondus pedum plantis adjicere, ne violentia ventorum deturbaretur. De quo Politianus ita scribit:

Nec Cous ad hæc non sacra Philetas,
Quanquam est ager, adest, quanquam vestigia lento
Fulta gravat plumbo.

II. Conjugium.

Conjugium ejus fuit incestuosum. Siquidem *Arsinoën* sororem suam in uxorem duxit. Quod factum cum Sotades aculeato dicterio perstringeret, inquiens: Οὐχ εἰς ὀπὴν πτυκτὴν τὸν κέντρον βάλῃς. h. e. ne in sanctam rimam trudas aculeum. Ptolemæus excandescens illico mandavit eum in vincula conjici, & postea in mare submergi, ut *Athenæus* & *Plutarchus* scribunt.

AXIOMA.

Hinc videmus, quod apud gentes nonnullas leges quædam promulgatæ fuerint plane impiæ & illicitæ, h. e. quæ legibus tum divinis, tum legi naturæ fuerint contrariæ: Qualis fuit lex illa de incestuosis fratrum & sororum conjunctionibus, quæ viguit apud Ægyptios, Athenienses & Persas. Vide *Systema nostrum Politic. pag. 354.*

III. Liberi.

Filius quem ex Arsinoë sorore & conjuge suscepit, dictus est *Ptolemæus Evergetes*, regni successor.

Filia fuit *Berenice*, vel *Bernice*, quæ à patre elocata est Antiocho Theo III Regi Syriæ. *Dan. 11. vers. 6.* Verum de hac in historia Antiochi Thei fusius dicemus.

II. ACTA POLITICA.

I. TOGATA.

1. *Regni occupatio.* Parens ejus Ptolemæus Lagi eum, neglecto filio primogenito. *Ptolemæo Ceraunno*, biennio ante obitum regni consortem accepit. Natus namque fuit ex *Berenice*, & filiorum Ptolemæi minimus, atque filii ejus ex Eurydice excludebantur, quod vehementer dissuaserat Demetrius Phalereus, cujus consilii hasce pœnas dedit Demetrius, ut in locum quendam relegaretur, ubi paulo post aspidis morsu periit. *Diogenes Laërtius.*

2. *Regni administratio.* 1. Fuit rex *doctissimus atque sapientissimus*, qui magna liberalitate studia literarum coluit, atque summopere doctorum virorum conversatione delectatus est. Unde factum, ut ex omni Græcia viri eruditi Alexandriam confluerent, inter quos enituere *Aratus*, *Apollonius*, *Theocritus*, *Lycophron*, *Nicander*, *Philicus*, *Homerus Junior*, omnes poëtæ, qui, quod numero 7 essent, *Pleiades* dicti sunt: fuerunt & alii ibidem viri celebres, ut *Conon*, *Hipparchus*, *Mathematici*, quorum opera liberales artes Alexandriæ excitatæ sunt. Hic Πτολεμαῖος, à Lycophrone propter poësin regi charo, per anagrammatismum dictus est ἀπὸ μέλιτος, à melle, melleus: suasu quoque Demetrii Phalerei (uti Plutarchus refert) commentarios de regno sibi paravit, eoque evolvit diligenter.

AXIOMA.

Principes qui natura ad studia apti sunt, eadem dili-

diligenter excolant, præſertim autem doctrina præſtantiſſimorum Politicorum imbuendi ſunt, qui libri ſine affectu docent, quæ ſequenda, quæ fugienda: uti vere cenſuit nunquam ſatis laudatus Rex *Alphonſus Arragonius*. Dicebat enim, meliores vivis mortuos conſiliarios eſſe, libros intelligens, qui neque metu aut pudore, non gratia aut odio, aliove affectu moti, veritatem ſibi nude ſimpliciterque declararent. Quod ipſum veterum quoque monitum fuit. *Marcus* enim *Varro* Cneo Pompejo Conſuli primum deſignato commentarium rogatus dedit, quem Iſagogicum appellavit, de officio Senatus habendi, ut autor eſt *Gellius lib.* 14. *cap.* 7. Ita quoque *Demetrius Phalereus* Ptolemæum Philadelphum admonuit, ut demortuorum ſapientum libros ſibi compararet, quod, quæ aliquando conſiliarii neque libere admonere, metu pœnæ, vellent, aut etiam ſine periculo aliquo non auderent, de illis in libris eorum abunde & libere ſcriptum eſſet.

II. Fuit *Rex pacificus*. Nam Pyrrhi regis Epirotarum cladibus cognitis, Legatos Romam miſit cum muneribus, & amicitiam cum illis pepigit. *Eutropius, Zonaras, Epitome Livii.*

III. Hic *Ptolemæus* cum aliquando podagra infeſtaretur, & præterea regni negotiis alias obrutus eſſet, proſpiciens in prato otiantes, & ſine ulla cura ludentes Ægyptios, & in arena projectos, in hunc modum exclamavit: Ὦ πάλαι ἐγὼ, τὸ μηδὲ τούτων εἷς γενόμενος! *O miſerum me, qui non unus horum de numero factus ſum!* Quo dicto innuere voluit, privatorum hominum vitam eſſe optimam & quietiſſimam.

IV. *Ptolemæus* Philadelphus tandem perfecit foſſam à Nilo uſque ad mare rubrum; quod fruſtra olim conati fuerant Pharao Necho, & Darius Rex Perſarum. A. M. 3703.

V. Licet hic Ptolemæus Rex laudatiſſimus fuerit, non tamen nævis ſuis caruit. Nam fuit ἰδιογνώμων, & veritatem audire non amavit. Cum enim Arſinoën ſororem ſuam duxiſſet uxorem, Sotades fretus familiaritate regis dixiſſe fertur: Οὐχ εἰς ὀπὸν βυθὸν κέντρον ὠθεῖς! Ne in ſanctum foramen trudas aculeum. Hanc monendi παῤῥησίαν Rex adeo indigne tulit, ut plane immemor familiaritatis priſtinæ, Sotadem carceri mancipaverit, & poſtea in mare ſubmergi juſſerit.

AXIOMA.

Παῤῥησία loquendi & libertas monendi, ab aulis exulat.

Exemplum hoc loco habemus in Ptolemæo Philadelpho, cujus juſſu Sotades ob liberam vocem miſere periit. Ideirco pia & prudens fuit admonitio *Ludovici, Regis Galliæ*, qui cognomento *Sanctus* dictus fuit, ad filium ſucceſſorem in regno, quæ inter alias multas recenſetur à Tilio *lib.* 2. *de rebus Gallia*, talis videlicet. Ita te gerito, ut Confeſſionarii neceſſariique & familiares tui poſſint te libere admonere mali, quod feceris, & docere facta tua. Siquidem natura humana in hiſce rebus, quæ ad voluptatem pertinent, ad id ſæpius inclinatur, quod ſibi detrimento eſſe ſolet, atque id unum profuturum putat, quod ipſa cupit perficere, hincque revera in fraudem inducta, neque quid conducat, ſolertia proſpicere, neque periculis admonita vel modeſtiam animi diſcere, vel ad id, quod decet, redire poteſt.

II. ACTA BELLICA.

Hic Ptolemæus longum & difficile bellum geſſit, cum Antiocho Theo Syriæ Rege, ſed tandem reconciliantur affinitate contracta, cum Antiochus Berenicen Ptolemæi filiam, uxorem duceret. *Juſtinus.* De hoc fœdere vaticinatur *Daniel. cap.* 11. *v.* 6.

III. ACTA ECCLESIASTICA. ET ACADEMICA.

I. Hic Ptolemæus amore ſtudiorum incenſus, Alexandriæ Bibliothecam per univerſum terrarum orbem celebratiſſimam inſtituit, in qua, ut *Aventinus* teſtatur *libro* 1. librorum circiter ſeptingenta millia aſſervabantur. Nec Græcos congeſſiſſe libros ſatis arbitratus, à Chaldæis quoque, Aſſyriis, Perſis, Romanis, aliiſque gentibus libros petivit, eoſque Græce converſos in bibliotheca reponi juſſit: ut ex *Cedreno* conſtat.

II. Idem rex cum cognoviſſet ex Demetrio Phalereo, quem literarum laudibus illuſtrem bibliothecæ præfecerat, exſtare apud Judæos volumina Prophetarum, in quibus de Deo, de mundi opificio, aliaque reconditæ ſapientiæ monumenta continerentur, ſcripſit ad Eleazarum ſummum Pontificem, ut illa tranſmitteret: qui lectis literis regiis, libros biblicos aureis characteribus deſcriptos ad regem miſit. Qui cum à Pontifice exemplar Bibliorum impetraſſet, & characteres Ebraicos & rationem legendi ignoraret, ad illum hunc in modum reſcribebat: Θησαυρῷ χειρομάξω, ᾧ πηγὴς ἐσφραγισμένης, ἢ ὠφέλεια ἐκ ἀμφοτέρους, ὅπω ᾗ ἡ παρ' ὑμῶν ἀπόκλεισις τῆ Βασιλέως ἐκ ἐθισις. ἐμὲν γὰρ μὴ δυναμένων ἀναγνῶναι τὰ γράμματα τύπων, εἰς ἐδὲν ὄφελον ὑμῖν γενόμενα. Theſauri abſconditi & fontis obſignati quæ eſt utilitas in utriſque? ſic etiam librorum

rum à vobis ad nos miſſorum doctrina, vel argumentum ſe habet. Cum enim horum literas legere non poſſimus, nulla erit nobis inde utilitas. *Epiphan. de menſuris & ponderibus. fol.* 536.

III. Quare Ptolemæus interprétes ſibi mitti rogavit, qui ex Ebræo in Græcum ſermonem libros illos ſacros converterent. Miſſi igitur ex Judæa 72. Ebræas & Græcas literas accurate docti. Hi Scripturam ſacram in Pharo inſula Græce interpretati ſunt, Olympiade 127, anno Philadelphi regis 16. Atque hæc eſt interpretatio quam 70 Interpretum à numero, ſcilicet eorum, qui operam dederunt, dicimus: etſi 72 præfuiſſe veriſimile. Ex ſingulis enim tribubus, ut Joſephus & alii tradunt, 6 delecti fuerunt. Tribus autem erant 12: 72 ita fuiſſe oportet. Unde Tertullianus & alii veterum 72 laudant: Sed dicentium compendio 70 cenſentur.

IV. *De authoritate hujus verſionis. Juſtinus Martyr in Orat. Exhortatoria ad gentes*, & hunc ſequutus *Irenæus lib.* 3. *adverſ. Hæreſ. c.* 25. *p.* 116. magno conatu authoritatem hujus verſionis quærentes ingenti eam miraculo prodiiſſe narrant. Quoniam, ſingulos in ſingulis cellulis incluſos, & à ſingulis totum Codicem Sacrum, tum quoad eadem verba, tum quoad eandem ſententiam, redditum non ſine miraculo, ſcribunt.

Ε' ΠΙ' ΚΡΙΣΙΣ.

1. Ædicularum ſive cellularum iſtarum diſtinctarum, in quibus LXX verſionem ſuam contexerint, nec Ariſtæus, nec Joſephus meminerunt.

2. Authores iſti, qui diſtinctas illas cellulas excogitarunt, inter ſe non conveniunt. *Juſtinus* & *Irenæus*, ſingulos in ſingulis cellulis à Rege incluſos fuiſſe narrant. Sed *Epiphanius in libro de menſura & ponder.* ſcribit, binos ac binos in ſingulis cellulis incluſos fuiſſe.

3. *Hieronymus in Pentateucho* aperte rejicit hanc narratiunculam, ita ſcribens: Neſcio quis primus autor 70 cellulas Alexandriæ mendacio ſuo exſtruxerit, quibus diviſi eadem ſcriptitarent, cum Ariſtæus ejuſdem Ptolemæi ἀπογραφὴν, nec multa poſt ſecula Joſephus ullam cellularum mentionem faciant, ſed in una baſilica congregatos contuliſſe ſcribant, non prophetaſſe. Idem confirmat *Philo lib.* 2. *de vita Moſis Tertull. in Apologet. c.* 9. *Chryſoſt. Homil.* 5. *in Matth.* & *Euſebius lib.* 8. *præparat. Evang. cap.* 1.

V. *Liberalitas Ptolemæi Philadelphi.* Ptolemæus Philadelphus, poſtquam Biblia Ebræa in Græcum ſermonem tranſlata eſſent, egregie munificum erga Judæorum gentem ſeſe præſtitit. Nam centum millia ſervorum Judaicæ gentis pecunia ſua à dominis redemit, & libertate donavit, eoque nomine erogavit auri talenta CCCIX, h. e. 1760co; ad victimas autem & ſacra facienda 100 talenta, phialas aureas 20, argenteos crateras 35, & menſam auream ingentis pretii, & artificioſiſſimo opere conſtructam, Judæis magnifice largitus eſt. Denique poſtquam LXX regiis muneribus auctos in patriam remiſiſſet, Eleazarem Pontificem inter alia rogavit ſuis literis, ut, ſi quis ex hiſce viris vellet ad ipſum redire, hoc permitteret: Quoniam conſuetudinem cum doctis plurimi faceret, inque ejuſmodi uſus divitias ſuas libenter inſumeret.

VI. *Georgius Cedrenus in Ptolemæo Philadelpho*, de tranſlatione Bibliorum Ebræorum, ita ſcribit: Ebraicorum, inquit, librorum tranſlatio 72 diebus abſoluta eſt. Rex pulchritudine Scripturæ ſacræ ſtupefactus, Proceribus præſentibus, ex Demetrio Phaleræo quæſivit: Quidnam eſſet cauſæ, quod ſacrarum literarum, quarum tanta ſit dignitas, nemo hiſtoricorum aut poëtarum mentionem fecerit? Reſpondit Demetrius: Neminem eas auſum fuiſſe attingere: Quando *Theopompus* eas aggreſſus, mente captus fuerit, ac per inſomnium monitus, id ſibi accidiſſe, quod curioſe res ſacras inquirere conatus fuiſſet: Et *Theodectes* tragœdiarum ſcriptor, in quadam fabula ſacrorum librorum facta mentione, excæcatus fuerit: Uterque autem horum ab incepto deſiſtens, Deum placaverit, & ſanitati ſit reſtitutus.

III. EGRESSVS.

A. M. 3725. Ptol. Philadelphus in Ægypto moritur, cum regnaſſet annos 38 ſolus; quia biennio regnavit cum patre.

Hujus Ptolemæi Philadelphi meminit *Daniel. cap.* 11. *v.* 6.

III. PTOL. EVERGETES.

I. ORTVS.

1. *Appellatio.* Ptolemæus hic fuit tertius Rex Ægypti: cognomento dictus *Evergetes*, à maximis ſuis in ſubditos meritis.

2. *Generatio. Pater* ipſius fuit *Ptol. Philadelphus*: *mater* vero *Arſinoë*, quæ Ptolemæi Philadelphi ſoror & uxor fuit. Ex hiſce parentibus Ptolemæus Evergetes natus eſt.

II. PROGRESSVS.

1. ACTA POLITICA.

1. *Regni occupatio.* Mortuo patre Ptolemæo Philadelpho, jure hæreditario ei in regno ſucceſſit A. M. 3726.

II. Re

II. *Regni administratio.* Laude dignus fuit Rex, uti cognomen ejus oſtendit. Omnes enim ſucceſſores ejus à luxu corrupti ſunt, ſicut *Strabo* ſcribit: Ἅπαντες οἱ μετὰ τὸν τρίτον Πτολεμαῖον, ὑπὸ τρυφῆς διεφθαρμένοι, χεῖρον ἐπολιτεύσαντο. h. e. Omnes poſt Ptolemæum tertium à luxu corrupti pejus Rempubl. adminiſtrarunt.

II. ACTA BELLICA.

Bellum geſſit cum *Seleuco Callinico* Rege Syriæ quarto. Occaſio belli hæc fuit. Ptolemæus Philadelphus pater ejus elocaverat filiam ſuam Berenicen Antiocho Theo III Regi Syriæ: Verum illa inſtinctu Laodices, prioris Antiochi Thei conjugis, à Seleuco Callinico privigno è medio eſt ſublata. Ejus cædem Ptolemæus Evergetes ulturus, Syriam cum exercitu ingreſſus eſt, & victo Callinico multa oppida diripuit, abductiſque in regnum ſpoliis, quæ Cambyſes olim Ægyptiis eripuerat, rediit. Ob quod beneficium à ſubditis *Evergetes* dictus eſt. *Juſtinus lib. 27. Eutropius.*

NOTA.

Anno 38 regni Ptolemæi Evergetæ, Siracides in Ægyptum venit; uti in præfatione Siracidis dicitur.

Dubium Chronologicum.

Ptolemæus Evergetes tantum 25 annos regnavit, juxta communem hiſtoricorum ſententiam, vel 26 annos juxta Chronicon Euſebii. Quomodo igitur 38 anno ejus Siracides in Ægyptum venire potuit?

RESPONSIO.

1. *Calviſ. in Chron. p. 191.* ita reſpondet: Quidam annos illos 38 intelligunt de annis Ptolemæi Philadelphi. Nam de Evergetis annis accipi non poſſunt, cum is regnaverit annos tantum 25.

2. *Franciſcus Junius in Bibliis* ita reſpondet: Aut hic locus corruptus dicendus eſt, aut ex eo corrigendum eſt Euſebii Chronicon, ubi Evergetes ſcribitur annos 26 tantum regnum Ægypti obtinuiſſe; quod poſterius malim.

III. EGRESSVS.

Mortuus eſt Ptolemæus Evergetes à filio ſuo Ptolemæo Philopatore veneno ſublatus. Anno M. 3751. poſtquam regnaſſet annos 25, vel, juxta alios, 26.

NOTA.

Hujus Ptolemæi Evergetis *Daniel. cap. 11, verſ. 7.* memionem facit.

IV. PTOL. PHILOPATOR.

I. ORTVS.

1. *Generatio. Pater* ejus fuit *Ptolemæus Evergetes*, IV Rex Ægypti. *Mater* ejus fuit *Cleopatra*, frater *Magas*: reliqui ἀνώνυμοι.

2. *Appellatio.* Dictus eſt *Philopator* per ironiam vel antiphraſin. Quia patrem ſuum Ptolemæum Evergetem veneno ſuſtulit, matrem Cleopatram, & germanum fratrem ſuum *Magam*, una cum aliis fratribus, diſſuadente Soſibio, trucidavit. O ingratum hominem! illis, à quibus vitam hauſit, vitam abſtulit, indignus, qui lucem aſpiceret. Namque

Naſcitur indigne, per quem denaſcitur alter.

II. PROGRESSVS.

I. ACTA POLITICA.

1. REGNI OCCUPATIO. A cæde patris, matris, atque fratris regnum auſpicatus eſt. Unde quale fuit regni ejus principium, talis quoque progreſſus & egreſſus fuit. Recte namque in illum quadrat vulgatum illud dicterium: Intravit ut vulpes, regnavit ut lupus, & exivit ut canis.

2. REGNI ADMINISTRATIO. 1. *Fuit inceſtuoſus.* Nam Arſinoën vel Euridicen (uti Juſtinus eam nominat) ſororem ſuam duxit uxorem, cumque ea in inceſtu vixit. 2. *Voluptuoſus atque otioſus* fuit. Nam ventri fuit deditus, ideoque à ſuis contemtus eſt.

AXIOMA,

Quando Princeps bellicoſo Principi ſuccedit, ipſe iners, libidinoſus, & ebrioſus, ille tum à ſubditis ſuis, tum ab exteris facile contemnitur, & periculis variis exponitur.

Exemplum habemus in hoc *Ptolemæo Philopatore*, qui interfecto patre, matre, & fratribus, Ægypti imperium ſuſcepit, ratus nullum amplius domi timorem, ob prædictum facinus, foriſque fortunam omnia feliciſſime ſibi præparaſſe, velut rebus omnibus feliciſſime ſibi ſuccedentibus, luxuriæ ſe tradidit, regiſque morem omnis ſequuta eſt regio. Quamobrem nulla inter ſuos authoritas ejus erat, nec illis ſolum, ſed & reliquis, qui Ægypti res, & qui exteras quoque obibant, contemtibilem ſe præbuit. *Polybius lib. 5. pag. 440.*

II. ACTA BELLICA.

Bellum geſſit Ptolemæus Philopator cum *Antiocho M.* VI Rege Syriæ, eumque vicit. De quo

bello *Polybius lib.* 5. ita scribit: Antiochus & Ptolemæus Reges exercitus ingentes in Syria contrahunt, ut prælio decertent. Ptolemæus habuit exercitum septuaginta quinque millium & elephantos 73. Antiochus vero habuit septuaginta octo millia militum, & elephantos 102. Pugnaverunt acriter: & cornu quidem, cui Antiochus præfuit, vicit: alterum vero & media acies victa est. Ceciderunt ad 10000 & amplius, & Ptolemæus totam Cœlesyriam recepit, & Antiocho pacem petenti dedit. *Hæc Polybius.*

Ptolemæus deinde tanta victoria parta, hostias Deo & εὐχαριστήρια Jerosolymis immolare vult, & introire in sanctum sanctorum, omniaque oculis perlustrare: sed prohibetur à Pontifice Maximo. Inde inexpugnabili odio adversus Judæos exardescit, & edictum proponit de Judæis è Palæstina in Ægyptum in vinculis deducendis, spatio 40 dierum, quo tempore multa millia Judæorum cum liberis traducta sunt, ut à 500 elephantis largiore vino incalescentibus conculcarentur. Cum autem elephanti præter naturam ab hac immanitate abhorrerent, Rex etiam pœnitentia ductus, Judæos salvos dimisit.

III. EGRESSVS.

Ptolemæus tanta victoria de Antiocho M. reportata elatus, voluptati & crudelitati se mancipavit, & *uxorem* suam Euridicen occidit, propter scortum *Agathocleam*, cui imperium reliquit. Verum illa à populo tumultuante occiditur: ipse vero voluptatibus exhaustus, mortuus est anno regni 17, non sine veneni suspicione. A. M. 3768.

NOTA.

Hujus Ptolemæi Philopatoris *Daniel cap.* 11. *v.* 11. mentionem facit.

V. PTOL. EPIPHANES.

CAPVT I. ORTVS.

Ptolemæus Epiphanes V Rex Ægypti fuit filius Ptolemæi Philopatoris, ex Arsinoë vel Euridice (uti Justinus eam nominat) sorore & uxore genitus.

CAPVT II. PROGRESSVS.

I.

Statim sub ingressum regni, Agathoclea scortum, propter quam pater uxorem suam Euridicen occiderat, eique sceptrum regni commiserat, à populo tumultuante trucidata est, ipseque adhuc quinquennis regnare cœpit.

II.

Cum autem Antiochus M. audiret Ptol. Philopatorem mortuum, & filium ejus Ptolemæum Epiphanem adhuc minorennem esse, ipse cum Philippo Rege Macedoniæ fœdus inivit, ut conjunctis viribus cum Ptolemæo Epiphane pugnarent, sub hac conditione, ut proximas civitates regno suo singuli de regno ejus sibi jungerent. Cum autem Proceres regni Ægypti audivissent, Antiochum ad recuperandas urbes, quas in Syria & Judæa, tempore Ptolemæi Philopatoris amiserat, exercitum ingentem comparasse, obviam ei miserunt SCOPAM Ducem cum instructissimis copiis. Verum hic ad fontes Jordanis ab ipso cæsus & fugatus est, & Sidon, quo confugerat, obsessam, ipseque tandem *Scopas*, cum liberari non posset, se dedidit, & salvus dimissus est. Idem Antiochus annuentibus Judæis, præsidium Ptolemæi ex arce Sionis, cum illam multo tempore oppugnasset, expulit, & Syriam, Ciliciam, & Lyciam, recepit. *Josephus, Livius, Eusebius.*

Cum autem hasce provincias & regiones Antiochus, in potestatem suam redegisset, etiam de occupanda Ægypto consilia iniit, atque Ptolemæo Epiphani adhuc adolescenti bellum intulit. Verum cum à Romanis, quibus Ptolemæus Epiphanes à patre morituro commendatus fuerat, jussus esset ab Ægypto abstinere: contra ipsos quidem Romanos bellum ingens movit, sed tandem ab illis multis magnisque præliis superatus, pacem petere ab illis coactus est, tradita illis florentissima regni parte, ab Ionia usque ad Taurum montem. Cum autem videret Antiochus, se Ægyptum sibi subjicere non posse violentia, propositum suum persequi conatus est fraudulentia. Nam filiam suam Cleopatram, formosissimam juvenculam, ei uxorem locavit, addita dotis loco tota Cœlesyria & Judæa, eamque dolis instruxit, ut maritum è medio tolleret. Sed & hic conatus irritus fuit. Nam Cleopatra, relicto patris consilio, marito suo adhæsit, eumque magno amore complexa est.

III.

Conjugium.

Ptolemæus Epiphanes in matrimonium duxit *Cleopatram*, Antiochi M. filiam, uti modo dictum est: ex qua duo ei filii fuerunt nati, nempe *Ptolemæus, Philometor*, & *Ptolemæus Physcon.*

CAPVT III. EGRESSVS.

Ptolemæus Epiphanes, cum 24 annos in Ægypto regnasset, mortuus est, *Ptolemæus in Canone.* A. M. 3792.

NOTA.

De hoc Ptolemæo Epiphane vaticinatur *Daniel.* 11. *vers.* 13, 14, 15.

VI. PTOL.

VI. PTOL. PHILOMETOR.

I. ORTVS.

Hic Ptolemæus Philometor *filius* fuit *Ptolemæi Epiphanis* V *Regis Ægypti*, cui mortuo in regno ſucceſſit. MATER ejus fuit *Cleopatra* cogn. *Major*, Antiochi M. Regis Syriæ filia. *Dan.* 11. 17. *Frater* ejus fuit *Ptolemæus Phyſcon*, qui ei mortuo in regno ſucceſſit. Dictus eſt hic Ptolemæus cognomento PHILOMETOR. Quia matrem ſuam in uxorem duxit.

I. Acta OEconomica.

II. PROGRESSVS.

Hic Ptolemæus *matrem ſuam Cleopatram* uxorem duxit, ex qua ſuſcepit *filiam Cleopatram*: illa *Major*, hæc vero *Minor* Cleopatra eſt appellata.

I. Acta Politica.

I.

In initio regni ſui Comitia inſtituebat, ad quæ Antiochus Epiphanes avunculus ejus legatum ſuum Apollonium mittebat, ſperans ſe tanquam tutorem à Ptolemæo Philometore juniore conſtitutum iri. 2 *Macc.* 4. 21. Quod cum Ptolemæus recuſaret facere, adeo excanduit Antiochus Epiphanes, ut magno cum exercitu Ægyptum ingreſſus, plurimas Ptolemæi urbes occuparet. 1 *Macc.* 1. 18, 19. 2 *Macc.* 5. 11. *Polybius* & *Livius.*

II.

Anno 14 poſt mortem Antiochi Epiphanis, qui erat regni ejus 31, *Alexandro Balæ*, *Regi Syriæ* XI, filiam ſuam *Cleopatram* uxorem dedit. Nuptiæ in urbe Ptolemaide ſunt celebratæ, ad quas etiam *Jonathan* ſummus ſacerdos ab Alexandro invitatur; qui utrique Regi ſplendida munera offert. Ideoque contra invidos & accuſatores regia authoritate defenditur. 1 *Macc.* 10. *verſ.* 54, 55, 56, 57, 58, 59. Poſtea Ptolemæus Philometor ad generum ſuum Alexandrum in Syriam profectus, experitur generi ſui inſidias. Quapropter ipſi iratus filiam Cleopatram adimit, & advocat *Demetrium Nicanorem* Demetrii filium, eique Cleopatram elocat. 1 *Macc.* 11. 9, 10, 11. & intravit Ptolemæus Antiochiam, & impoſuit duo diademata capiti ſuo, Ægypti & Aſiæ. Deinde prælio congreſſus cum Alexandro genero ſuo, eum vicit & fugavit: qui in Arabiam fugiens à Zabdiele Arabe occiſus eſt. 1 *Macc.* 11. *v.* 15, 16, 17.

III. EGRESSVS.

Ptolemæus Philometor in prælio, quo Alexandrum generum profligavit & fugavit, equo excuſſus, ab hoſtibus adeo vulneratus eſt, ut toto triduo nihil loqueretur; & tandem inter curandum exſpiravit, cum annos 35 regnaſſet. Ante obitum caput Alexandri hoſtis ipſi allatum, quo non mediocriter gaviſus eſt. *Ptolemæus in Canon.* Confer 1 *Macc.* 11. 18.

VII. PTOL. PHYSCON vel EVERGETES II.

I. ORTVS.

1. *Generatio. Pater* hujus Ptolemæi fuit *Ptolemæus Epiphanes*, V Rex Ægypti: *mater* ejus fuit *Cleopatra*, Antiochi Magni Regis Syriæ filia. *Daniel.* 11. 7. *Frater* ejus erat *Ptolemæus Philometor*, VI Rex Ægypti, cui mortuo in regno ſucceſſit.

2. *Appellatio.* Dictus fuit cognomento: 1. *Phyſcon*, à deformitate corporis, ſive à ſagina ventris ad inſtar farciminis. 2. *Evergetes* II. dictus per antiphraſin: quia minime fuit beneficus, ſed homo maleficus & crudeliſſimus.

II. PROGRESSVS.

I. Acta OEconomica.

Homo impurus & inceſtuoſus fuit. Nam ſororem ſuam Cleopatram (quæ antea *Alexandri Balæ* XI Regis Syriæ, & poſtea *Demetrii Nicanoris* XII Syriæ regis conjunx fuerat) uxorem duxit, cumque ea inceſtum commiſit. Poſtea ea repudiata, privignam, prius à ſe ſtupratam, in thalamum aſſumpſit, cumque ea pariter inceſtum commiſit; uti *Juſtinus* ſcribit.

II. Acta Politica.

Omnibus inviſus metu inſidiarum in exilium profectus eſt. Cum vero intelligeret repudiatæ uxori ſuæ regnum à populo deferri, filium *Memphitem* (quem ex eadem ſuſceperat) occidi juſſit. Tandem interfecti caput manus & pedes amputatos, & ciſtæ incluſos, matri epulanti pro munere natalitio offerri juſſit, eique bellum denunciavit. *Juſtinus Epitom. Livii.*

Tandem Ptolemæus, reconciliata gratia, cum Cleopatra ſorore & uxore in regnum rediit. *Joſephus.*

III. EGRESSVS.

Poſtquam regnaſſet annos 29 mortuus eſt.

Anno
- 3856 ab Orbe condito.
- 637 ab urbe Roma condita.
- 29 Regni ſui.
- 20 Imperii Johannis Hircani apud Judæos.
- 20 Poſt mortem Simonis Maccabæi.
- 114 ante Chriſtum natum.

VIII. IX. X. PTOL. LATHURUS. ALEXANDER. LATHURUS redux.

I. ORTVS.

Ptolemæus Phyſcon, alias *Evergetes* II dictus ex Cleopatra minore, nepte ſua, fratris & Cleopatræ Ptolemæi Philometoris ſororis & uxoris filia, duos filios ſuſcepit, nempe *Ptolemæum Lathurum*, & *Ptolemæum Alexandrum*.

NOTA.

Ortus hic plane portentoſus fuit. Nam *pater* horum duorum fratrum, Ptolemæus Phyſcon homo impurus & corpore & mente deformis fuit. *Mater* eorum fuit patris privigna, nempe Cleopatræ, Ptolemæi Phyſconis ſororis atque uxoris filia. Ex hac abominanda commixtione hi duo filii prognati, patris atque matris ingenium plane referebant, juxta vulgata illa adagia: Κακὸς κόρακος κακὸν ὠόν. Mali corvi malum ovum. Item: Pullus qualis erit, quem fert commixtio talis?

II. PROGRESSVS.

I.

Ptolemæus Lathurus tanquam primogenitus patri ſuo Phyſconi in regno ſucceſſit. *Occaſio* mirabilis fuit. Ptolemæus Phyſcon moriturus in teſtamento ſuo mandaverat, Cleopatram ſororem & conjugem ſibi ſuccedere, hac conditione, ut alterum ex filiis, quem vellet, in regni ſocietatem aſſumeret. Mater cum pronior eſſet in minorem filium Ptolemæum Alexandrum, alterum filium tanquam primogenitum, nempe Ptolemæum Lathurum, Regem creare cogitur à ſubditis. Quod facit illa, cum filius Ptolemæus Lathurus uxorem & ſororem ſuam Cleopatram ex voluntate matris repudiaſſet, & minorem ſororem SELENEM uxorem duxiſſet. *Ptolemæus in Canone*, *Juſtinus lib.* 39.

II.

Cleopatra Ptolemæi Phyſconis vidua, & in regno ſucceſſor, cum graviter ſocio regni, filio ſuo Ptolemæo Lathuro, infenſa eſſet, populum in eum concitat, & regno ejicit, abducta ab eo ſorore & uxore *Selene*: ex qua tamen binos filios habebat, & inſuper eandem Selenen mittit ad GRYPUM hoſtem Ptolemæi, ut fieret ipſius conjunx. Ptolemæus vero in Cyprum fugit, ubi à matre quidem oppugnatur: non tamen expugnatur. *Juſtinus.*

III.

Cum Alexander Jannæus Rex Judææ urbem Ptolemaidem exercitu cinxiſſet, & cives nullibi auxilium invenirent, evocant Ptolemæum Lathurum ex Cypro: qui, licet cives ſe Alexandro dediſſent, nihilominus in Palæſtinam movet: ab eo dum ſibi metuit Alexander Judæorum Rex, evocat matrem Ptolemæi *Cleopatram*, & interim ſimulat amicitiam cum Ptolemæo: qui, cum totam rem tandem ex ſuis cognoviſſet, Alexandrum perſequitur, & ad Jordanem cum eo decertat prœlio, vincitque, & ad triginta Judæorum millia occidit, & victoriam crudeliſſime exercuit.

AXIOMA

Immanitas in victoria non habet diuturnos ſucceſſus.

Quia vindicta etiam à Principe victore crudelius facta, ſeveriſſime à Deo puniri ſolet.

Exemplum evidens habemus in Ptolemæo Lathuro. Cum enim hic poſt victoriam partam de Judæis, & eorum rege *Alexandro Jannæo*, longe lateque excurriſſet, in Judæorum vicos ſe recepit. Quos ubi refertos vidit mulieribus atque pueris, mandavit militibus, ut promiſcue jugulatos, & in fruſta conciſos, in lebetes ferventes conjicerent, ut, qui effugerant è prœlio, hoſtem crederent humanis veſci carnibus, & eo major terror incuteretur reliquis. *Joſephus lib.* 13. *c.* 21. Alii Hiſtorici ſcribunt, quod carnibus elixis & coctis veſci Judæos coëgerit. Sed Judæi à Ptolemæi matre auxilia contra eum petiverunt, quæ miſit exercitum eo celerius, ut filium à regno arceret. Cum igitur fruſtra tentaret reditum Ptolemæus, nec tueri occupatas in Phœnicia urbes poſſet: rurſus in Cyprum fugere eſt coactus.

IV.

Cum autem Ptolemæus Lathurus inſtinctu matris, feminæ aſtutiſſimæ & crudeliſſimæ, è regno Ægypti ejectus, in Cypro exularet: frater ejus PTOLEMÆUS ALEXANDER (quem mater antea regni ſocium, fratre majori præterito, elegerat,) ei in regno ſucceſſit. Verum & ille matris crudelitatem metuens, ſponte ſe regno abdicavit, & cum inſidias ſibi ab illa ſtrui comperiſſet, eas præ-

occu-

occupans, matrem captam occidit, atque ita crudelis hæc femina dignum vitâ exitum ſortita eſt.

III. EGRESSVS.

1. *Ptolemæus Alexander*, parricidio hoc commiſſo, ab Ægyptiis è regno pulſus, in inſula Coo privatus vitam finivit. Regnavit annos 10.

2. *Ptolemæus* vero *Lathurus*, trucidata matre, & fratre Alexandro in exilium ejecto, ex inſula Cypro, in qua hactenus exulaverat, in regnum revocatus, 8 annis ei præfuit, cum ante exilium 16 annos illud cum matre gubernaſſet.

XI. PTOL. AULETES.

I. ORTVS.

1. *Generatio.* Ptolem. Auletes fuit *Ptolemæi Lathuri*, VIII Regis Ægypti, è Selene ſorore filius.

2. *Appellatio. Auletes* cognomento dictus eſt; quia majeſtatis ſuæ immemor, in habitu regio cum tibicinibus publice in regia certavit: Alias *Dionyſius* à Diodoro Siculo appellatur. Regnare cœpit anno M. 3890.

II. PROGRESSVS.

1. Regni occupatio.

Ptolemæus Auletes Ptolemæo Lathuro patri ſuo, qui è regno ejectus & poſtea reſtitutus fuit, demortuo in regno ſucceſſit.

II. Regni adminiſtratio.

1. *Subditorum expilatio.* Hic Rex largitionibus profuſiſſimis Romanorum amicitiam & ſocietatem ſibi comparavit. Ut enim ſocius & amicus Populi Romani appellaretur, Cæſari dedit ſex talentorum millia, h. e. fere quinquageſies quater aureorum centena millia; ideoque ſubditos exactionibus crebris expilavit. *Appianus.*

2. *E regno ejectio.* Cum enim Ægyptum pecuniis ſpoliaſſet, & Romanis, quod Cyprum occupaſſent, ſe opponere nollet, in odium populi venit, & regno pellitur.

3. *In regnum reſtitutio.* Ptolemæus regno pulſus Romam profugit, reſtitutionem ſui petens: cum vero Romani de reſtituendo illo agerent, carmen Sibyllinum invenitur, quo Romani prohibentur exercitum in Ægyptum mittere. Diu igitur Ptolemæus Romæ hæſit, & tandem de reditu deſperans Epheſum abiit, anno M. 3915. *Dionyſius lib.* 39. ubi à Pompeio Magno literas impetravit ad Gabinium Syriæ præfectum, quibus ipſi mandatum fuit, ut Regem exulem reſtitueret: qui Gabinius ipſum etiam juſſu Pompeii in regnum reſtituit: ſed hujus Ptolemæi filius Pompeium poſt ſeptennium interfici curavit: ut in ſequenti Hiſtoria dicemus.

4. *Ptolemæi reſtituti ingratitudo.* Ptolemæus Auletes recuperato opera Gabinii regno, Berenicen filiam, quæ ipſo abſente regina erat ſalutata, occidit, & locupletiſſimum quemque vita & bonis privavit.

III. EGRESSVS.

Regnavit hic Ptolemæus Auletes in Ægypto annos 30, juxta alios annos 31.

XII. PT. DIONYSIUS JUNIOR.

I. ORTVS.

PTOLEMÆUS *Dionyſius Junior* fuit filius Ptolemæi Auletæ, XI Regis Ægypti: *Soror* ejus erat *Cleopatra* ultima Ægypti Regina.

II. PROGRESSVS.

I. Regni occupatio.

Succeſſit hic Ptolemæus Dionyſius Junior patri Ptolemæo Auletæ in regno, & ſororem ſuam Cleopatram in ſocietatem & thalami & regni aſſumſit, juſſu & authoritate C. Julii Cæſaris. Hic namque cum Alexandriam atque adeo univerſam Ægyptum ſibi ſubjecerat, Cleopatræ regnum conceſſit, & minorem Ptolemæum illi matrimonio junxit; Arſinoën vero minorem filiam regno eduxit, & Romam miſit.

II. Regni adminiſtratio.

Hic Ptolemæus Dionyſius junior fuit perfidus, & erga benefactorem ſuum ingratus. Quia ipſe cum ſorore ſua Cleopatra Pompeium M. à fuga Pharſalicæ cladis ſupplicem ad ſe in Ægyptum venientem occidi jubet, à quo pater ipſius Ptolemæus Auletes regno fuerat reſtitutus. *Hiſteria* ita ſeſe habet:

In bello civili inter Julium Cæſarem & Pompeium, quo totius fere orbis terrarum vires concutiebantur, victus ad Pharſalum Pompeius in Ægyptum ad Ptolemæum Auletæ filium (cujus patrem expulſum regno & exulantem ſenatui commendaverat, regnumque ei ſumma cum fide reſtituerat) ſupplex confugit, ſibi futurum eſſe fidum ibi hoſpitium, & poſſe novos ibi exercitus colligi, perſuaſum habens. Ubi, quia *Ptolemæus* adoleſcens regebatur conſiliis alienis, deliberarunt *Pothinus* eunuchus & præceptor adoleſcentis regis, *Theodotus*

dotus Chius orator & *Achillas*, qui præerat exercitui, an recipiendus eſſet Pompeius, addens hoc dicterium: Νεκρὸς ὁ δάκνει. Mortuus non mordet. Et apud *Lucanum Photinus* inquit:

Nulla fides unquam miſeros elegit amicos:
Tu cole felices, miſeros fuge. Nam exeat aula,
Qui vult eſſe pius.

Et Pompeium accuſat, qui, cum Senatus Romanus velit Ægyptum quietam eſſe, ipſe eo bellum transferat. Miſſi ſunt ergo ad Pompeium interficiendum *Achillas* & *Septimius* Tribunus militum, qui olim fuerat centurio in exercitu Pompeii. Hic Romana lingua primum alloquitur Pompeium, deinde Græca Achillas, jubent eum ex ſua nave, in qua cum conjuge & liberis vehebatur, egredi in navem regiam, cum liberto Philippo. Sed exiens recitat *Sophoclis* verſus:

Ὅστις δὲ πρὸς τύραννον ἐμπορεύεται,
Κεἰνου ἐπίδοξος καὶ ἁλώσιμος μόλη.

Agnoſcit deinde Septimium, & alloquitur. Cumque legeret orationem Græcam qua Ptolemæum alloquuturus erat, Septimius à tergo eum gladio transfodere cœpit: deinde labentem foderunt Achillas & alii. Ipſe in tam triſti exitu nullam deformitatem oſtendit, ſed gemitum edens, caput involvit veſti, qua indutus erat: poſtea transfoſſo & necato præcidit Septimius caput. Hic fuit exitus Pompeii; qui res magnas, patriæ utiles, ante bellum civile geſſit, & uſque ad id tempus felix & valde carus omnibus gentibus fuerat. In hoc extremo actu perfidioſe necatus eſt, à filio ejus Regis, quem ipſe in regnum reſtituerat. Truncus vero Pompeii marcidis ſcaphæ piſcatoriæ reliquiis in littore à Philippo liberto ſuo funerabatur, erecta pala cum hac inſcriptione: *Hic ſitus eſt Pompeius M.*

Ovid. *lib.* 3. de Ponto.

Quid fuerat Magno majus? Tamen ille rogavit
Submiſſa fugiens voce clientis opem;
Cuique viro totus terrarum paruit orbis,
Indignus effectus omnibus ipſe magis.

En inſigne perfidiæ & ingratitudinis in Ptolemæo, & ſimiliter fortunæ lubricæ & inconſtantis in Pompeio M. exemplum!

III. EGRESSVS.

Exitus hujus Ptolemæi *tragicus* fuit. Nam Deus ſtatim interfectores Pompeii punivit. Cum enim Julius Cæſar menſe Octobri veniſſet in Ægyptum, & ipſi quoque inſidias ſtruerent *Achillas & Photinus*: qui, ut videtur, hanc gloriam auferre voluerunt, quod duos ſummos Duces Romanos ſuſtuliſſent, juſſit eos interfici. *Ptolemæus* ipſe fugiens, obrutus fluctibus in mari periit; cum Cæſar exercitum Ægyptium ad Alexandriam profligaſſet. *Theodotum* poſt aliquot annos Brutus, cum poſt interfectum Cæſarem Sardes occupaſſet, cruci affixit. *Plutarchus in vita Pomp. & Julii. Paul. Oroſ. hiſt. Melanchth. Chron. lib.* 2.

Regnavit hic Ptolemæus cum ſorore Cleopatra quatuor annos: obiit A. M. 3925.

AXIOMA I.

Reges & Principes, aurem præbentes malis conſiliariis, exitium ſibi ipſis accerſunt.

Exemplum habemus in Ptolemæo Dionyſio Juniore, qui infelix rex permiſſæ proditionis pœnas dedit, in primo adoleſcentiæ flore, dum nimis obtemperat peſſimorum aulicorum ſuorum conſiliis.

AXIOMA II.

Magna ſæpe eſt Conſiliariorum perfidia, qui ſuadent Principibus ſuis, non ea, quæ pia, honeſta, & ſalutaria ſunt, ſed quæ Principum cupiditatibus arridere ſciunt. Eſtque hæc fere ſumma quorundam ſapientia, uno Martialis verſiculo comprehenſa.

Nempe equus Domini debet habere gulam:

Obſervare, quo Principis affectus & voluntas propendeat, atque ad ſcopum illum omnia conſilia atque actiones ſuas dirigere.

Exempla.

I. *Jonadab.* יונדב, h. e. Domini ſpontaneus, filius Simeæ, fratris Davidis, cum Amnon filius Davidis primogenitus ex Achinoë uxore, amore incenſus furioſo, ſororem Thamar ex alia matre perdite deperiret, ei hoc conſilium dat, ut morbum ſimularet, atque ejuſdem lenocinio puellam ad ſe allectam violenter comprimeret. Quod conſilium, etſi prima ſpecie blandiebatur ſtultis Amnonis affectibus, tamen exitu erat triſtiſſimum. 2 *Sam.* 13. *verſ.* 3.

II. Cum *Cambyſes*, I I. *Rex Perſarum*, ex conſiliariis ſuis quæreret: Anne liceret ſororem in uxorem ducere? illi reſponderunt: Regi licere quicquid velit.

III. *Mardonius Xerxem* I V. Regem Perſarum, cupidum gloriæ & elatum fiducia magnæ ſuæ potentiæ, incitavit ad movendum bellum non neceſſarium. Sed hoc conſilium exitu triſte fuit. Nam Xerxes poſt pugnam ad Salaminem, in parva cymba è

ba è Græcia fugere coactus eſt: Mardonium vir Spartanus interfecit, conjecto lapide in os ejus. Hic fuit exitus ejus viri, qui præcipuus ejus belli hortator fuerat.

IV. Mali conſiliarii *Rehaboami*, adulantes injuſtis Domini ſui cupiditatibus, occaſionem præbent, non modo diſtractioni 12 tribuum, ſed etiam novis idolis & perpetuis bellis civilibus. 1. *Reg. cap.* 12.

V. Ita *Photinus* Ptolemæo Regi Ægyptio deliberanti, num Pompeius recipiendus eſſet nec ne, hiſce verbis conſilium dat:

Nulla fides unquam miſeros elegit amicos.

Verum hæc perfidia eſt peccatum cum 8 Decalogi præcepto pugnans, quam Deus graviter punire ſolet.

XIII. CLEOPATRA.

I. ORTVS.

Cleopatra, Κλεοπάτρα, h. e. gloria patris vel patriæ, fuit *filia Ptolem. Auletæ*, XI Regis Ægypti: ſoror Ptolemæi Dionyſii Junioris.

II. PROGRESSVS.

1. Acta OEconomica.

I. *Conjugium.* Fuit fratri ſuo *Dionyſio* juniori connubio juncta. C. Julius Cæſar enim, Alexandria, atque adeo univerſa Ægypto ſubacta, Cleopatræ regnum conceſſit, & Juniorem Ptolemæum illi matrimonio junxit: *Arſinoen* vero minorem filiam regno eduxit & Romam miſit.

II. *Cleopatra* fuit *ſpeculum multorum magnorumque vitiorum.* Namque fuit

PRIMO *Valde libidinoſa.* Quia blandiloquentia ſua & morum ſuavitate facile quoſvis in ſui amorem pertrahere potuit: & inter hoſce *Antonium* inſana libidine eo adduxit, ut repudiata Octavia Octaviani Auguſti ſorore, ſe in matrimonium duceret.

AXIOMA I.

Amor plerunque ad ea homines flagitia compellit, quæ aut turpia ſunt, aut dignitatem minuunt.

EXEMPLA.

M. Antonius nimium amoribus indulſit, & animi corporiſque virtutes effœminavit, & adeo inſanæ mentis in Cleopatram exſtitit, ut *Octaviam* uxorem, Octaviani Auguſti ſororem, quæ eum mira benevolentia complectebatur, neglexerit: cum illa Romæ palam exclamaret: turpe admodum eſſe duos Romanos Imperatores bello concurrere, alterum amoris gratia, alterum, quod ſororis pellicem ferre non poſſet.

AXIOMA.

Nulla eſt tanta vis ingenii, quæ non frangi ac debilitari blanditiis voluptatis poſſit.

Item: *Voluptas optimam indolem perimit, virtutem animi corporiſque frangit, atque enervat, ingenium hebefacit, conſilium eripit, & honeſta omnia obſcuriora reddit.* Franc. Patrit. libr. 4. de Regno Tit. 13.

EXEMPLA.

I. Magna & admiranda ſapientia & virtus *Davidis* fuit. Sed tamen hic tantus vir voluptati adeo indulſit, ut & conjugem ſanctiſſimi viri raperet, & maritum interfici curaret, 2. *Sam.* 11. *v.* 2, 3, 4, & 14.

II. *Hercules* hoſtes immanes vicerat, atque trucidaverat, monſtra domaverat, urbes expugnaverat, & incredibilia peregerat: ſed ab imbelli fœmina, nempe *Omphale*, ita fractus & enervatus fuit, ut exutus pelle Leonis, quam ſemper hactenus geſtaverat, ancillarem veſtem induere, interque puellarum examina colum tenere, fila ducere, penſumque quotidie annumerare non erubeſceret, atque ita omnibus oſtenderet ſe in mulierem eſſe mutatum.

III. *M. Antonius*, Dux cetera magnus & felix, maſculum ſpiritum frangere ſuſtinuit in mulierculæ complexu. Nam ſimul ac amore Cleopatræ correptus, ſtatim ita eſt corruptus, ut nihil laude poſtea nec ſe ipſo, nec Principe Romano dignum, præſtiterit; ſed ab eo tempore virtutes ejus decreſcebant, & vitia in eo accreſcebant, nempe imprudentia & negligentia. Ejus animus in ipſo moriebatur (ait *Plutarchus*) ut in corpore amicæ viveret. Nihil noctes dieſque animo ejus obverſabatur præter Dominam, quæ mentem ejus captivam detinebat, ut ne per horam quidem liber de negotiis cogitare poſſet, ita totus Veneri vacabat, in extremam ſuam perniciem.

Unde VENUS non abs re VERTICORDIA appellatur:

Nam Venus armatum vincere nuda poteſt.

Unde pulchre *Ovid. l. 2. de arte amandi* ait:

Mars pater inſano Veneris turbatus amore,
De duce terribili factus amator erat.

Etenim mulier impudica

Cum vultu pungit, cum verbis dulciter ungit,
Affectu fingit, complexu pectora ſtringit.
Si res procedit, vah! animam cum corpore perdit.

Unde quidam artifex Venerem dormientem finxit hac addita inſcriptione:

Cave viator excites ſomno Deam;
Sua adaperiens tua namque claudet lumina.

SECUNDO. *Fuit ſuperba & pompoſa.* Hujus ſuperbiæ vivum exemplum fuit *pompoſa ejus navigatio*; de qua hiſtorici ita ſcribunt:

Cleopatra Antonium aditura, Venus Bacchum, eburneam cymbam conſcendit, magno ingenio atque arte elaboratam, cujus puppis ex auro, vela è purpura argenteam propellebant aquam, remi & ipſi argentei, qui ad tibiarum fidiumque harmoniam attemperate agebantur, ipſa ſub conchyliato placidiſſime recumbebat canopeo, eo ornatu, quo pingebatur Venus: Aderant hinc atque hinc pueri, cum Amorum imagine, atque ætate congruentes, qui ſubtiliſſimo ventulum flabello mitio ordine faciebant: ancillæ porro forma egregia Neeridum habitu & Charitum, ad auratos rudentes & gubernacula ſedebant: ſuaves interea ſpiritus vel efflabantur ex odoribus incenſis, vel afflabantur è floribus. Fiebat ex omni parte concurſus hominum, tam admirabilem rem oculis ſuis haurire cupientium. Sed mollities iſta tandem male ceſſit. Noſtri delicatuli & voluptuarii ſimiles luſus interdum ludunt; ſed non vident, quid ſerus veſper tandem afferre poſſit. Quin imo Cleopatra adeo faſtuoſa fuit, ut omnes in toto orbe Reginas magnifico veſtium apparatu & ornamento ſuperaret, eoque faſtu proceſſit, ut unionibus ex aure dependentibus uteretur binis, quorum ſinguli centies ſeſtertium, h. e. ducentenis quinquaginta millibus aureorum æſtimati fuerunt. Vix fidem capit ſummæ magnitudo, ſed vero tamen ſimilis fit conſideranti, in luxu etiam gloriam quæri, neque ullam licitationem ſatis grandem illi eſſe, cujus opes modo carent, quique hoc magis emendum accenditur, quo majoris æſtimatur quod eſt emturus. Nihil igitur mirum, quod *C. Plinius lib.* 12. de margaritis ſcribens, & ſimul in ſui ſeculi mores invehens, Minima, inquit, quaque computatione millies centena millia ſeſtertium annis omnibus India, & Seres, peninſulaque illa, imperio noſtro adimunt, &c.

TERTIO. *Voluptuoſa & luxurioſa fuit.* Nam duos illos pretioſiſſimos, de quibus modo diximus uniones (qui à *Plinio l. 9. c.* 35. ſingulare & unicum naturæ opus, maximique per omne ævum dicti fuere) tanti non fecit, ut hiſce ſervatis, ab Antonio marito vinci ſe paſſa fuiſſet. Cum enim ille exquiſitiſſimis quotidie ſaginaretur epulis, exiſtimaretque, quicquid aut terra, aut mare, aut cœlum ipſum produceret, ſuæ tantum ingluviei natum: illa ſuperare virum luxuria cupiens, ſponſione facta, centies ſeſtertium una cœna ſe ſolam conſumturam jactavit; poſtera die parata cœna ſatis pollucibili, ſed tamen quotidiana, ea minime ſe victum Antonius profeſſus eſt. At arridens illa corollarium id eſſe tantum dixit, & poſtulata phiala cum aceto acriore, demtum ex aure feſtinanter alterum unionem merſit, liquefactum aceti aſperitate, & in tabem reſolutum, ut eſt natura præſtantiſſimorum unionum, abſorpſit: injecta alteri manu, ut & illum detractum abſorberet, niſi L. Plancus tam honeſti certaminis arbiter, victum Antonium tempeſtive pronunciaſſet. At victa paulo poſt & capta tantæ quæſtionis victrice Regina à Romanis, alterum unionem ſibi per vim detractum vidit, quem tantæ aiunt magnitudinis fuiſſe, ut diſſectus in Pantheo Romæ utramque Veneris Deæ aurem exornarit. *Plutarchus in Antonio.*

II. Acta Politica.

1. *Cleopatra fratri ſuo Ptolemæo Dionyſio* matrimonio juncta, ſtatim quoque ab eo in regni ſocietatem aſſumta eſt, cumque eo regnavit 4 annos. At eo ſublato, ſola rerum potita eſt.

2. Poſtquam Cleopatra *Antonium* inſana ſua libidine eo adduxit, ut repudiata Octavia ſe in matrimonium duceret, Antonius hoſtis ab Auguſto declaratus, difficili bello implicatur, navali pugna ad Actium Epiri promontorium vincitur, & omni ſpe recuperandi imperii dejicitur.

III. EGRESSVS.

1. *Antonius* ab Auguſto victus in Ægyptum fugit: Verum, cum ſe obſeſſum, & ab omnibus ſociis deſertum videret, manus violentas ſibi ipſi intulit: A. M. 3942.

2. Similiter *Cleopatra*, metuens, ne in triumphum abduceretur Romam, morſu admotæ aſpidis mortem ſibi quoque conſcivit, & ab ignominioſa captivitate vindicavit, poſtquam in Ægypto regnaſſet annos 22, 18 ſola, quatuor cum fratre.

Atque ſic defecit ſtirps Lagidarum, atque regnum Ægypti in formam provinciæ redactum eſt. Vide Monarchiam IV.

DYNASTIA QUARTA,

Quæ eſt Regum Syriæ.

1. SELEUCUS NICANOR.

I. ORTUS.

1. HIc *Seleucus, I Rex Syriæ, filius* fuit *Antiochi* Macedonis & Laodices: cognomento dictus fuit *Nicanor*; vel, ut alii volunt, *Nicator*, à cæſo Nicatore; vel potius à multis & illuſtribus victoriis, quas habuit. Ita *Appianus in Syriaco.*

NOTA.

Glorioſus hic eſt titulus, qui potius à vi & potentia, quam virtute deſumtus eſt. Vide *Dynaſt.* 2. Hiſt. de Demetrio Poliorcete, Rege Macedoniæ IV.

II. NOTA SELEUCI GENITIVA, fuit ANCHORA NAUTICA, quam multi Scriptores ei tribuunt. *Auſonius in urbibus de Antiochia:*

—— *Illa Seleucum*
Nuncupat, ingenuum cujus fuit Anchora *ſignum:*
Qualis inuſta ſolet generis nota certa; per omnem
Nam ſobolis ſedem nativa cucurrit imago.

Ubi *Scaliger* inquit: INGENUUM SIGNUM recte interpretemur *σημεῖον σύμφυτον.* Sicut Ariſtoteles in Arte Poëtica appellat. *Cauſa* ejus ſigni à *Juſtino lib.* 15. affertur: Seleuci, inquit, mater *Laodice*, cum nupta eſſet Antiocho, claro inter Philippi Duces viro, viſa eſt ſibi per quietem ex concubitu Apollinis concepiſſe, gravidamque factam, munus concubitus à DEO *annulum* accepiſſe, in cujus gemma *anchora* ſculpta eſſet, juſſa donum filio, quem peperiſſet, dare. Admirabilem fecit hunc viſum & *annulus*, qui poſtera die ejuſdem ſculpturæ in lecto repertus eſt. Figura etiam *Anchoræ* in nato deinceps puero, cui *Seleuco* nomen, apparuit. Quamobrem Laodice annulum Seleuco, eunti cum Alexandro M. ad Perſicam militiam, edocto de origine ſua, dedit. Originis ejus argumentum etiam in poſteris manſit. Siquidem filii, nepoteſque ejus, *Anchoram* in fœmore, veluti notam generis naturalem, habuere. Vide eadem apud *Appianum in Syriaca hiſtoria.*

AXIOMA.

Hiſtorici ſcribunt, quod quædam perſonæ habuerint notas genitivas.

EXEMPLA.

1. *Heliodorus l.* 10. ſcribit de *Charicles Hydaſpis Regis Æthiopia filia*, quam cum contra gentis indolem candidiſſimam pulcherrimamque peperat, ex aſpectu crebro pulcherrimæ imaginis in cubiculo ſuſpenſæ, ſollicita mater ne in ſuſpicionem adulterii veniret, ad amicos eam miſit. Quæ poſt multa exilia tandem reverſa, agnita fuit ex nota genitiva majorum in brachio, quæ erat *orbiculus niger forma lapidis Hebeni.*

2. De *Auguſto Imp. Suetonius l.* 2. *c.* 80. ita ſcribit: Corpore traditur maculoſo, diſperſis per pectus atque alvum genitivis notis, in modum & ordinem ac numerum ſtellarum cœleſtis Urſæ.

3. De *Johanne Frederico*, *Electore Saxoniæ*, ſcribunt hiſtorici, quod recens nato congenita fuerit imago igneæ, ſive flammas de ſe ſpargentis crucis: Quæ nota illi vitæ curſum præfiguravit. Alii ita ſcribunt: Johannes Fredericus, Elector Saxoniæ, Johannis filius, in lucem editus anno Chriſti 1503, 30 Junii, futuri ſui fati omen ex alvo materna ſecum attulit. Nam naſcenti viſa eſt in dorſo CRUX *aureo colore fulgens.* Quam ubi conſpexit à matronis aulicis accerſitus Sacerdos, vir pius & admodum ſenex; pro omine hoc arripiens: *Hic puer*, inquit, *crucem geſtabit toti orbi conſpicuam, cujus indicium tam manifeſtum in ipſius ortu ſeſe exerit. Exemplum* hoc eſt memorabile, & dignum, quod ad poſteritatis memoriam tranſmittatur, cum eventus præſagium hoc manifeſte declararit & comprobarit.

II. PROGRESSUS.

1. ACTA OECONOMICA.

Seleucus Nicanor *duas* habuit *uxores.*

Prior, dicta fuit *Apame*, ex qua filium genuit Antiochum Soterem, regni hæredem & ſucceſſorem.

Poſterior uxor ejus dicta fuit *Stratonice*, Demetrii I. cognomento Poliorcete Regis Aſiæ II. filia. Cum enim Seleucus videret Lyſimachum Ptolemæi Regis Ægypti filias, alteram ſibi, alteram filio Agathocli, connubio junxiſſe, & ſibi metueret à Lyſimacho; ut ſeſe etiam confirmaret, petit ſibi Demetrii filiam Stratonicen uxorem, ut ſibi hac affinitate Demetrium adjungeret, & plures liberos etiam ſibi gigneret, quibus regnum abunde ſufficere videbatur, cum unicum tantum filium Antiochum haberet. Demetrius voto Seleuci locum relinquens, filiam ſuam Seleuco adduxit; & cum à portubus arceretur à Pliſtarcho, fratre Caſſandri, vi ſibi

vi ſibi aditum patefecit. *Plutarchus*. Poſtea hic Seleucus filio ſuo Antiocho Stratonicen uxorem dedit, cum ex amore ejus Antiochus graviſſime ægrotaret, quod ex Eraſiſtrati Medici induſtria cognoverat. *Plutarchus in Demetrio*. Tandem Demetrium ſocerum ſuum bello cepit, eumque in cuſtodia uſque ad mortem detinuit.

II. *ACTA POLITICA.*

I. TOGATA.

I. Anno Mundi 3661, fœdus initum eſt inter ſucceſſores Alexandri M. *Caſſander* præficitur Europæ, *Lyſimachus* Thraciæ, *Ptolemæus* Ægypto, *Antigonus* Aſiæ, *Seleucus* Syriæ. *Diodorus Siculus*. Ab hujus anni autumno ordiuntur Chronologi *annos Seleucidarum*, ſive *æram Chaldæorum*, cujus annos *Ptolemæus* annotavit: Et ab hujus anni fine, aut ſequentis initio, *anni Græcorum* in libris Maccabæorum annotati numerantur. *Bucholzerus Chronolog.*

II. Seleucus *Iſthmum* (qui dirimit Euxinum & Caſpium mare) perfodere aggreſſus, ſed non perfecit, à Ptolemæo Cerauno interfectus. Eodem modo nonnulli reges Ægypti immenſis foſſis ductis longitudinis 4 dierum navigationis, latitudinis, ut per eam duæ ſimul poſſent agi triremes, in quibus fodiendis ſub Rege Neco centum viginti millia Ægyptiorum, *teſte Herodoto lib.* 2. perierunt. Unde proverbium ortum eſt, *Iſthmum perfodere*. quod uſurpatur de conatibus & laboribus ingentibus, ſed vanis & irritis.

AXIOMA.

Derivationes fluminum raro feliciter ſucceſſerunt.

Nam non vult Deus, tentari, vel moveri à nobis majora viribus, & impoſſibilia, aut non neceſſaria. Deus enim mari & fluminibus terminos ſuos ſtatuit, quos tranſgredi homines non poſſunt, & in illis manendum conſiſtendumque illis eſt, quam diu illi placuerit, ſicut Rex David ait *Pſalm.* 103. *v.* 9. Et *Jerem.* 5. *v.* 23. ipſe Deus inquit: A me non timebit populus, qui pono terminos maris arenam? Quare cum Gnidii appendicem Cariæ contra Harpagum demoliri conabantur, ad 500 paſſus duntaxat, ſtatim ictos ſcopulos in fodientium oculos reſiliiſſe. Qua de cauſa Oraculum Apollinis Delphicum conſultum reſpondit: Γ'σθμὸν μὲν πυργοῦτε μὴτ' ὀρύσσετε, h. e. Iſthmum nec muro cingite, nec fodite. Quia ſi Deus inſulam eo loco eſſe voluiſſet, condidiſſet.

Ruffin. Hiſtor. Eccleſ. l. 2. *c.* 30. elegantem hiſtoriam recenſet de inundatione Nili, quæ deſtructo templo Serapis, cujus Ethnici iram verebantur, contigit. Moris enim erat in Ægypto, ut menſura adſcendentis Nili fluminis ad templum Serapis, in quo Alexandriæ colebatur, deferretur, velut ad incrementi aquarum & inundationis authorem. Subverſo autem ejus ſimulacro igni conſumto omnes ſimul negabant, Serapin, injuriæ memorem, aquas ultra affluentia ſolita largiturum. Sed ut oſtendat Deus, non Serapin, qui multo poſterior Nilo, ſed ſe eſſe, qui aquas fluminis temporibus ſuis juberet creſcere, tanta ex eo & deinceps fuit inundatio, quantam fuiſſe prius nulla ætas meminerat. Et ideo ulna ipſa, h. e. aquæ menſura, quam πῆχυν vocant, ad aquarum Dominum in Eccleſia cœpta deferri. Hæc geſta ubi religioſo Imperatori *Theodoſio* nunciata ſunt, extentis ad cœlum palmis, cum ingenti fertur exultatione dixiſſe: Gratias tibi Chriſte ago, quod abſque urbis iſtius magnæ pernicie tam vetuſtus error exſtinctus eſt.

III. Hic Seleucus Nicanor quatuor inſignes *urbes* in Syria condidit. 1. *Antiochiam*, quam à patre ſuo Antiocho appellavit. 2. *Seleuciam*, quam de ſuo nomine nominavit. 3. *Apameam*, ab uxore ſua Apame. 4. *Laodiceam*, à matre ſua Laodice nominatam; uti *Strabo* ſcribit.

Antiochia autem Græce Ἀντιόχεια, h. e. pro vehiculo, an ſtatt des Wagens / vel ultrix, eine Rächerin / fuit metropolis totius Syriæ, 70 milliaribus diſtans Hieroſolymis: à *Marcellino* vocatur apex totius Orientis, l. 22. Olim dicta fuit 1. *Hemath*, ab Hamathia, filio Canaan. 2. *Riblath* nominata eſt, cum in poteſtatem Babyloniorum veniſſet. 3. *Antiochia* dicta eſt à Seleuco, qui eam nominavit à patre ſuo Antiocho. 4. *Theophilis* dicta eſt à Juſtiniano Imperat. qui eam terræ motu graviter concuſſam & labefactatam reparavit an. Chr. 528.

In hac urbe Antiochia Paulus & Barnabas per integrum annum Evangelium prædicarunt, & plurimos homines doctrinam Evangelii amplectentes ad Chriſtum converterunt. *Act.* 11. *verſ.* 22. Hic Diſcipuli Chriſti primum CHRISTIANI appellati ſunt. *Act.* 11. *v.* 26. In hac civitate Apoſtoli concilium inſtituerunt, & quæſtionem illam controverſam deciderunt: Anne circumciſio ad ſalutem ſit neceſſaria? *Act.* 15. *v.* 1. In hac urbe Paulus & Barnabas inter ſe diſceptarunt, ut alter ab altero ſejungeretur. *Act.* 15. *v.* 39. In hac urbe Paulus Petro palam reſtitit, eumque ob converſationem ſimulatam reprehendit. *Galat.* 2. *v.* 11.

Et hæc Antiochia dicitur *Antiochia Syriæ*, Ἀντιόχεια τῆς Συρίας, h. e. ut diſtinguatur ab *Antiochia Piſidiæ*, quæ Metropolis in regione Piſidia in minori

Aſia

Asia sita fuit, distans 150 milliaribus ab urbe Hierosolyma. In hac urbe Apostolus Paulus Evangelium de Christo prædicavit, multosque homines ad Christum convertit. *Act.* 13. *vers.* 14. In hac urbe quoque obstinati & perversi Judæi persecutionem adversus Paulum & Barnabam instituerunt, eosque è finibus suis ejecerunt. *Actor.* 13. *v.* 50. 2 *Tim.* 3. *v.* 11. Hodie Antakie ab incolis vocatur.

II. Acta Bellica.

I. Bellum.

Seleucus Nicanor post obitum Alexandri M. Satrapiam Babylonis atque Syriæ accepit, quam postea metu Antigoni I. Asiæ regis deseruit, cum ille redituum rationes ab ipso poscceret. *Diodorus Siculus l.* 19. Sed copiis à *Ptolemæo Lagi* instructus, opemque *Cassandro* & *Lysimacho* ferentibus, Antigonum vicit, occidit, ac Babylone recepta Asiam Minorem, & Indiam omnem in potestatem suam redegit, Socerum suum Demetrium I Asiæ regem, regnum Asiæ repetentem, & res novas molientem, profligavit, eumque in peninsula Syriæ & Asiæ minoris in custodia usque ad mortem detinuit. Cum enim per triennium captivus detentus esset, mœrore animi exstinctus est. *Plutarchus.* Quo capto, regnum Syriæ & Asiæ minoris 30 annos, non sine justitiæ laude gubernavit.

II. Bellum.

Deinde bellum gessit cum *Lysimacho*; in quo Lysimachus interfectus est, anno ætatis 74.

III. Bellum.

Denique bellum gessit cum Ptolemæo Cerauno, Ptolemæi Lagi filio, & fratre Ptolemæi Philadelphi; in quo ipse victus occubuit.

III. EGRESSVS.

Seleucus Nicanor occisus est à Ptolemæo Cerauno. Hic enim pulsus ex Ægypto à fratre Philadelpho, sequutus fuerat Seleucum contra Lysimachum. Sed 7 mense post, quam Seleucus Lysimachum interfecerat, ille ex insidiis Seleucum annum ætatis 77 agentem interfecit, & Macedoniam occupavit. Quam ut retinere posset, cum fratre Philadelpho in gratiam redit. *Justinus.* Regnavit annos 32. secundum *Eusebium:* juxta communem vero sententiam 30. *Appianus* scribit. illum regnasse annos 42.

Axioma.

Cupiditas regnandi multis exitiosa fuit.

Exemplum habemus in *Seleuco Nicanore*, in quo tanta regnandi libido fuit, ut exstinctis tot belli Ducibus, anno ætatis 77, Monarchiam speraret. Sed exitus tragicus fuit. Tales quoque exitus præcipuorum Ducum post Alexandrum fuerunt, nempe Perdiccæ, Crateri, Eumenis, Antigoni, filiorum Cassandri, Demetrii, & Lysimachi, quibus omnibus cupiditas regnandi exitio fuit. Quare hæc regula omnibus regibus & principibus diligenter observanda est. Unusquisque intra metas suæ vocationis maneat, neque bella non necessaria moveat. Nam hæc exempla ostendunt, injustam dominandi libidinem placidos exitus non habere.

II. ANTIOCHUS I. SOTER.

I. ORTVS.

Antiochus, quem Græca adulatio *Soterem* cognominavit, fuit *filius Seleuci Nicanoris*, primi Regis Syriæ. *Mater* ejus fuit *Apame*, ex qua Seleucus hunc filium genuit regni haredem.

II. PROGRESSVS.

III. ACTA OECONOMICA.

Uxor ejus fuit *Noverca Stratonice*, Demetrii I Poliorcetæ Regis Asiæ minoris filia, ex qua natus est ei *Antiochus* II, cognomento *Theos* dictus.

Axioma.

Amoris affectus non modo animum ægritudine perturbat, verum etiam corpus ægrotatione nonnunquam afficit. Franc. Patrit. l. 4. de Regno.

Exemplum.

Hic observanda venit admiranda quædam *Seleuci Regis Syriæ* in filium indulgentia, quæ talis fuit. Mortua Antiochi matre Apame, Seleucus Stratonicen, Demetrii Macedonum regis filiam, virginem ætate integra & forma conspicua, duxit, cum ipse jam senior esset. Hanc cum quotidie cerneret adolescens filius, miro amore ardebat, sed pudore cohibitus, rem tacito silentio premebat, atque ut in amore dici solet,

Quoque magis tegitur: tanto magis æstuat ignis.

Cum nemini secretum suum credit, nec ratione aliqua cupiditatem hanc à pectore amoliri potest, in graves febres subitamque ægrotationem incidit,

cidit, nec ullis remediis curari poterat; ſed indies gravius ſe habebat, perque inediam mori deſtinaverat, potius quam morbi cauſam palam faceret. Eraſiſtratus Medicus pereximius, Ariſtotelis ex filia nepos, qui ejus curationi præerat, cum ſubitam acceſſionem remiſſionemve febrium fieri cerneret, ex acceſſu diſceſſuque Stratonices, quæ crebro ad illum viſendum viro comitata accedebat, animadvertit juvenem amore novercæ contabeſcere, non tamen audebat rem adeo indignam, ac tanti periculi, ſic temere regi aperire, ſed ipſum pauliſper abductum flens hortatur, ut forti animo perferat, ſi quid filio accideret, quando ille deſiderio rei ardeat, qua cum potiri nequeat, prorſus deficiat. Tum Seleucus miſerabiliter mœrens adjurat: *Nihil tam arduum eſſe, quod pro filii adoleſcentis ſalute agere detrectet.* Ibi Medicus: Fruſtra, inquit, niteris: Amor namque uxoris meæ hunc perimit, quam ad eum divertere neutiquam vivus patiar. Tum pater flens atque ejulans, cum Medico nullis pollicitationibus perſuadere poſſet, ut ejus uxor filio morigeraretur, exclamat: Utinam Stratonicen meam cariſſimam adamaret! Enimvero, ait Eraſiſtratus, rem tenes: Iſtud quidem eſt, quod huc uſque tacui, ne iram tuam in me provocarem: nunc autem quando tu ipſe dixiſti, non eſt amplius diſſimulandum. Tu pater ſimul & medicus eſſe, filiumque, ſi libet, moribundum ſanare poteris. Itaque Seleucus Antiocho dilectam conjugem abdicavit, eique deſpondit; & ſic ſaluti atque incolumitati redditus eſt, qui nullis aliis remediis curari poterat. Nuptiæ Stratonices & Antiochi, ingenti apparatu, & celebri conventu principum atque populorum, celebratæ ſunt, omneſque admirabantur, regem tam propere delicias connubii ſui filio abdicaſſe, & illam ex regina regis nurum fieri æquo animo pertuliſſe. Eraſiſtratus vero Medicus ob miram hanc ſolertiam donatus eſt ſexaginta millibus aureorum. *Plutarchus*, *Appian. Franc. Patrit.* in loco allegato. *Valerius Max. l. 5. c. 7. Alex. ab Alex. l. genial. c. 24.* addunt, quod Seleucus Stratonicen uxorem, à nefario iſto concubitu cum privigno abhorrentem, doceri juſſerit: *Honeſta & juſta eſſe, quæ Regi placeant, & regno utilia eſſe videantur.*

DUBIUM.

D. Paulus 1 Cor. 5. v. 1. inquit: *Omnino auditur inter vos ſtuprum, & ejuſmodi ſtuprum, quod nec inter gentes nominatur, ut quis uxorem patris*, h. e. *novercam*, *habeat.* At quomodo hoc genus inceſtus Apoſtolus dicit inter gentes non nominari? cum tamen Hiſtorici profani contrarium teſtentur, quod multis exemplis probari poteſt. Nam 1. *Antiochus Soter*, inceſto Stratonices novercæ amore ardens, patre aſſentiente, ſolennibus eam nuptiis uxorem duxit; uti modo dictum eſt. 11. *Antoninus Baſſianus Caracalla*, Imp. Romanus, Juliam novercam in uxorem duxit. *Aurel. Victor*, in *Anton. Car.* 111. *OEdipus*, & *Ægyſthus*, proprias matres duxerunt.

Reſp. 1. *Diſt.* inter *Ethnicos ſaniores* & *inſanos.* Apoſtolus loquitur *de Ethnicis ſanioribus* & *honeſtioribus*, qui tales commixtiones improbarunt; non *de inſanis*, qui talia ſcelera non raro commiſerunt: ſicut ipſe *Rom.* 1. gentibus longe fœdiores commixtiones objicit.

2. *Diſting.* inter *rem*, & *rei approbationem.* Apoſtolus non tam *de re*, quam *de rei approbatione* loquitur; nempe quod hujuſmodi fœdæ & illicitæ commixtiones ipſis etiam gentibus honeſtioribus fuerint deteſtabiles & abominabiles, & horrenda portenta, quippe quæ ipſum naturæ pudorem belluina libidine tollant, & delinquentibus pœnas decreverint.

Hinc *Seneca* Tragœdi Thebaïs hoc problema inextricabile proponit.

——— *Avi gener, patriſque rivalis ſui,*
Frater ſuorum liberum, & fratrum parens:
Uno avia partu liberos peperit viro,
Ac ſibi nepotes. Monſtra quis tanta explicet?

Hoc monſtroſum problema natum eſt ex hiſtoria OEdipi Thebani, qui patrem ſuum Laïum interfecit, & ex matre, uxore Jocaſta, tres filios procreavit; uti ex *Sophocle*, *Euripide*, & *Statio* notum eſt. Triſtis hæc eſt hiſtoria, tragicumque finem habuit, nempe ut ipſe in furorem actus oculos ſibi eruerit, & regno pulſus ſit:

——— *Seculi*, ait, *crimen vagor*
Odium Deorum, juris exitium ſacri,
Quæ luce primum ſpiritus hauſi rudes,
Jam morte dignus.

Tandem vagus exulque fulmine ictus, abſorbetur hiatu terræ, juxta legem divinam *Levit.* 18. Omnis anima, quæ fecerit iſtas abominationes, peribit de populo ſuo.

Phœnix apud Homerum conqueritur, ſe maledictum eſſe, eo quod cum concubina patris rem habuiſſet, *Iliad.* 9. viſu quoque privatus fuit à patre Amyntore, teſte *Ovidio* in *Ibin.*

Similiter *Antiochus Soter* mori maluit, quam inceſtum ſuum aperire, ut eſt apud *Valer. Maximum lib.* 5. & inedia perire voluit, niſi per Eraſiſtratum Medicum amor ejus illicitus patri Seleuco Nicanori innotuiſſet.

II. *ACTA POLITICA.*

Antiochus à patre Seleuco Nicanore in regni conſortium aſſumtus fuit, quo à Ptolemæo Ceraunno interfecto, Syriam & Aſiam minorem ſolus obtinuit. Mortem patris ulturus, adverſus Ptolemæum Ceraunum bellum ſuſcepit. Quod, placatus, in Antigonum Gonatam poſtea convertit.

III. *EGRESSVS.*

Cum regnaſſet Antiochus Soter annos 19, juxta Euſebium, vel juxta alios 20, mortuus eſt A. M. 3713.

III. ANTIOCHUS II. THEOS.

I. *ORTVS.*

Antiochus Theos, *filius* fuit *Antiochi Soteris* II Regis Syriæ. *Mater* ejus fuit *Stratonice*, Demetrii I Regis Aſiæ minoris filia, & noverca Antiochi Thei, ex qua Antiochus Soter hunc filium ſuſcepit. Hic Antiochus cognominatus eſt à Mileſiis *Theos*, h. e. Deus, eo quod Limarchum eorum tyrannum ſuſtuliſſet; uti *Appianus* ſcribit.

II. *PROGRESSVS.*

1. *ACTA OECONOMICA.*

Antiochus Theos duas uxores habuit.

Prior fuit *Laodice*, ex qua *duos filios* ſuſcepit, nempe *Seleucum Callinicum*, & *Antiochum*, cui cognomen fuit *Hierax*.

Poſterior fuit *Berenice*, Ptolemæi Philadelphi II Regis Ægypti filia, quæ inſtinctu Laodices à Seleuco Callinico una cum parvulo filio interfecta eſt.

II. *ACTA POLITICA.*

Difficile bellum *Antiochus Theos* multis annis geſſit cum *Ptolemæo Philadelpho* II Ægypti Rege, eumque totis Aſiæ atque Orientis viribus oppugnavit. De quo *Dan.* 11. *verſ.* 5. *Et de principibus ejus prævalebit ſuper eum, & dominabitur ditione: multa enim dominatio ejus.* v. 6. *& poſt finem annorum fœderabuntur, filiaque Regis Auſtri veniet ad Regem Aquilonis, ad faciendam æquis conditionibus pacem, & non obtinebit fortitudinem brachii, nec ſtabit ſemen ejus, & tradetur ipſa, & qui adduxerunt eam, & qui natus ejus fuerit, & qui confortabunt eam temporibus illis.*

Senſus horum verborum hic eſt:

Et de principibus ejus (h. e. Regis fortis, i. e. *Alexandri M.* de quo v. 3, 4. egit) ſcil. *Antiochus Theos prævalebit ſuper eum*, (ſcil. Regem Auſtri, h. e. *Ptolemæum Philadelphum*) quia diuturna contra illum bella geſſit. Cauſa autem belli hæc fuit, quod nempe Antiochus Theos, à genero ſuo Maga, qui erat frater Ptolemæi Philadelphi, ad illud ſollicitatus fuerit. Hic enim Magas duxerat filiam Antiochi Thei, & oderat fratrem ſuum Ptolemæum Philadelphum, contraque eum Antiochum concitavit, uti *Pauſanias in Atticis* ſcribit. Ptolemæus autem Philadelphus videns, ſe inferiorem Antiocho, fœdus cum eo iniit, eique filiam ſuam Berenicen uxorem dedit, cum maxima dote. Et hoc eſt quod Angelus inquit: *Filia Regis Auſtri* (h. e. Berenice filia Philadelphi) *veniet* (nuptum nempe tradita) *ad Regem Aquilonis.* (h. e. ad Antiochum Theum Regem Syriæ.) Habebat hic Antiochus antea uxorem nomine *Laodicen*, & ex ea ſuſceperat duos filios, nempe *Seleucum Callinicum*, & *Antiochum Hieracem*, h. e. *Accipitrem*, ſic dictum ob velocitatem. Eam, ducta Berenice, repudiavit, & concubinæ tantum loco habuit. Sed eandem poſt aliquod temporis intervallum, amore victus, cum liberis in regiam dignitatem reducit. Illa vero metuens flexibilem viri animum, & præcavere volens, ne iterum Berenicen ſibi præponeret, maritum ſuum per miniſtros veneno ſuſtulit, Berenicen autem una cum filio, qui natus erat ex *Antiocho*, Principibus occidendum tradidit, filiumque ſuum majorem *Seleucum Callinicum* parentis loco Regem conſtituit. De hoc eventu hujus connubii tragico ita *Angelus* addit: *Et non obtinebit robur brachium*, h. e. non diu apud *Antiochum Theum* in gratia permanebit Berenice. Quæ venuſta metaphora BRACHIUM appellatur. Nam ſicut brachio aliquid firmatur vel continetur: ita ipſa *Berenice* pacem firmare & continere debuit, in gratiam patris ſui Philadelphi. *Sed non ſtabit ipſe, & brachium ejus*, h. e. ipſe Ptolemæus Philadelphus non diu ſuperſtes erit, & filia ejus Berenice, quæ vice brachii ipſi eſſe debebat. *Et tradetur ipſa, & deducentes eam, & natus ex ea, & qui confirmaverit eam iſtis temporibus.* h. e. Berenice à Seleuco Callinico privigno, qui, inſtinctu matris Laodices, obſidione cinget urbem, in qua Berenice cum infantulo ſuo erit, atque ipſa ei dedita interficietur, una cum filio & conſiliariis, qui confortaverant eam, h. e. conſilio eam juverant. Hæc ita eveniſſe ſcribit *Appianus Alexandrinus libro de Bellis Syriacis. Juſt. l.* 27. Atque hoc fuit initium multorum magnorumque bellorum, inter Reges Syriæ & Ægypti geſtorum; ſicut *Daniel c.* 11. vaticinatur.

III. *EGRESSVS.*

Antiochus Theos à *Laodice* priori ſua conjuge, quam

quam repudiaverat, veneno exſtinctus eſt, & *Berenice* altera ejus conjunx, una cum filio, à Seleuco Callinico interfecta eſt.

Regnavit Antiochus annos 15. juxta Euſebium A. M. 3728.

IV. SELEUCUS CALLINICUS.

I. ORTUS.

Seleucus Callinicus, IV Rex Syriæ, fuit *filius Antiochi Thei* & *Laodices*, quæ, ducta Berenice Ptol. Regis Ægypti filia, à marito eſt repudiata. *Frater* ejus fuit *Antiochus Hierax*, h. e. Accipiter, ob velocitatem ita dictus.

II. PROGRESSUS.

Seleucus Callinicus, poſtquam *pater* ejus *Antiochus Theos* ab uxore veneno exſtinctus erat, Regnum occupavit, atque in initio regni Berenicen novercam, filiam Ptol. Philadelphi & Ptol. Euergetis, III Ægypti Regis ſororem, inſtinctu matris Laodices, contra fidem datam interfecit. Quo immani parricidio atque ſcelere ingens malum & ſibi & regno attraxit, ſemperque poſtea infelix exſtitit. Nam Ptolemæus Euergetes matricidas illos, nempe Seleucum Callinicum & Antiochum Hieracem, bello petiit, eoſque è regno expulit. De quo *Daniel c. 11. v. 7, 8, 9.* ita vaticinatur. *v. 7.* Et exſiſtet è ſurculo radicum ſcapus ejus, & veniet cum exercitu, & veniet ad munitiones Regis Aquilonis, & aget contra eas, & prævalebit. *v. 8.* Atque etiam Deos illorum cum Principibus illorum, cum inſtrumentis (vel vaſis) deſiderii ipſorum, auro & argento in captivitatem abducet in Ægyptum, & ipſe annis (ſcil. multis) ſtabit præ Rege Aquilonis. *v. 9.* Et veniet in regnum Rex Auſtri, & revertetur ad terram ſuam. In hiſce verbis Angelus vaticinatur de PTOLEMÆO EUERGETE, quod Seleuco Callinico Regi Syriæ bellum illaturus ſit, propterea quod Berenicen ſororem ſuam cum filio ejus interfeciſſet. Deſcribit autem *Ptolemæum Euergetem dupliciter.*

1. *A Titulo*, quando inquit, *Et exſiſtet è ſurculo radicum ſcapus ejus.* Hic Ptol. Euergetes ab Angelo vocatur *ſcapus è ſurculo radicum ejus*, (vel plantatio de germine radicum ejus.) Quia fuit validus atque potens pes trunci è ſtirpe illarum radicum, è quibus Berenice proceſſit. Quoniam fuit filius Ptolemæi Philadelphi, & germanus Berenices frater.

2. *Ab Exercitio* illum deſcribit Angelus, *v. 7, 8, 9. Veniet cum exercitu.* h. e. ille Ptolemæus Euergetes injuriam, ſorori ſuæ Berenice à Seleuco Callinico, ejuſque fratre Antiocho Hierace illatam, graviter vindicabit. Quia ille magno conſcripto exercitu ingredietur provinciam Regis Aquilonis, h. e. Syriam, cui tum præerat Seleucus Callinicus, cum matre ſua Laodice, eamque oppugnabit, & validiſſimas quaſque urbes occupabit, adeo ut Syriam, Ciliciam, & partes ſuperiores trans Euphratem, capturus, & univerſam prope Aſiam in poteſtatem ſuam redacturus ſit. Sed cum audiet ſeditionem in regno Ægypti moveri, diripiens regnum Syriæ, ex eo vaſa pretioſa, aurea & argentea, & theſauros maximos nempe 40000 talentorum auferet, & ſimulacra Deorum ad 2500, inter quæ erant & illa, quæ Cambyſes, cum caperet Ægyptum, in Perſiam aſportarat. Et ita Ptolemæus Euergetes multis annis Syriam obtinebit, & ſtabit præ Rege Aquilonis, h. e. valentior ipſo erit. &, ut dixi, multis ſpoliis in terram ſuam revertetur.

Hæc ita eveniſſe hiſtorici profani teſtantur, nempe *Appianus l. de Bellis Syriac. & Polyb. l. 5.* Et teſtatur *Joſephus l. 2. contra Appionem*, quod Ptol. Euergetes, poſt occupatam Syriam, non Diis Ægyptiorum pro victoriis ſolemnitates gratificas immolaverit; ſed veniens Hieroſolymam Deo Iſraëlis multas hoſtias obtulerit, digniſſimaque victoriæ ornamenta dicaverit.

III. EGRESSUS.

Tandem Seleucus Callinicus & Antiochus Hierax, fratres, ipſi inter ſe bello congrediuntur in mutuum exitium: Nam Antiochus Hierax victus, ad Ptol. Euergetem Ægypti regem, hoſtem ſuum potius, quam ad fratrem, conferre ſe voluit. Sed ſpe ſua fruſtratus eſt. Nam ab eo arctiſſimæ cuſtodiæ traditus eſt. *Juſtinus.* A. M. 3739. Cum per novennium fere in captivitate detentus fuiſſet, opera cujuſdam meretricis adjutus, deceptis cuſtodibus elabitur, ſed fugiens à latronibus quibuſdam interficitur. A. M. 3748. SELEUCUS iiſdem fere diebus de equo præcipitatus moritur. Ita fratres, qui ſimul de Regno decertarant, neuter recte poſſederat, ſimul mortem oppetunt.

Oraculum ſignificavit *Seleuco*, quam diu poſteri ejus regnaturi eſſent: Αὐτὸς καὶ παῖδες, καὶ παῖδες παίδων ἐπὶ παῖδας:

Ipſe, & te nati, & nulli deinde nepotes.

vel:

Tu, natique tui, ſed non ſtirps ulla nepotum.

Qui verſus memoria dignus eſt. Quia in multis familiis hoc accidit, ut tertius aut quartus hæres fuerit ultimus. Ita *Conſtantius*, *Conſtantinus* & *Conſtans*, filii: poſtea alieni ſucceſſerunt.

V. SE-

V. SELEUCUS CERAUNUS.

I. ORTVS.

Seleucus Ceraunus, V Rex Syriæ, fuit *filius Seleuci Callinici*, IV Regis Syriæ, qui novercam ſuam Laodicen, filiam Ptol. Philadelphi, & ſororem Ptol. Euergetis, Ægypti Regum, nefarie occiderat. CERAUNUS dictus eſt, h. e. *fulmineus*, quod audaci & veloci ingenio præditus, videretur eſſe quaſi fulmen. Frater ejus fuit *Antiochus* cognomento *Magnus*.

II. PROGRESSVS.

Hic Seleucus Ceraunus, cum pater ipſius Seleucus Callinicus de equo præcipitatus & mortuus eſſet, ei ſtatim in regno ſucceſſit.

III. EGRESSVS.

Cum Attalus, Rex Pergami, Aſiam univerſam occuparet, Seleucus Ceraunus exercitum comparat contra eum, & Taurum montem cum Achæo cognato tranſcendit contra Attalum, ubi *Seleucus* dolo Gallorum occiditur: Achæus vero hoſce parricidas trucidari jubet, & fratrem Seleuci *Antiochum* Regem creat, qui regnat annis 36, cum Seleucus vix 3 annis regno præfuiſſet. *Polybius.*

NOTA.

Galli alias dicti fuere Galatæ, quos fuiſſe multitudinem collectam ex Teutonum gente, & ex vicinia, quæ nunc *Gallia* vocatur, lingua oſtendit. Et conſtat, uno nomine vetuſtatem nuncupaſſe utramque gentem, *Galatas* & *Celtas* citra & ultra Rhenum, uſque ad Danubium. Et verbum Γαλάτης ſignificat peregrinatorem. Inde eſt Germanicum nomen Walen. *Philippus Melanchth. Chron. libro 2. pag. 200.*

VI. ANTIOCHUS III, *cognomento* MAGNUS.

I. ORTVS.

1. *Generatio.* *Pater* Antiochi M. fuit *Seleucus Callinicus*, IV Rex Syriæ. *Mater* ejus fuit *Laodice*, quæ à patre, ducta *Berenice*, Ptolem. Philadelphi Regis filia, repudiata eſt. Ex hac Laodice conjuge *Seleucus Callinicus* duos filios ſuſcepit; nempe Seleucum Ceraunum, & Antiochum M.

2. *Appellatio.* Hic *Antiochus* cognomento *Magnus* dictus eſt, à rerum geſtarum magnitudine; ſicut ob eandem cauſam Alexander M. Conſtantinus M. Theodoſius M. Carolus M. ita appellati ſunt.

II. PROGRESSVS.

I. Acta OEconomica.

Antiocho M. tres filii fuere, nempe *Seleucus Philopator*, *Antiochus Epiphanes*, & *Demetrius*.

II. Acta Politica.

1. *Regni occupatio.* Antiochus M. fratri ſuo Seleuco Cerauno, dolo Gallorum interfecto, ſucceſſit, ab *Achæo* cognato ſurrogatus.

2. *Regni adminiſtratio.*

I. ACTA BELLICA.

De bellis ejus vaticinatur *Daniel* Propheta *cap.* 11. *verſ.* 10. his verbis; *Et filii ejus miſcebunt bellum, & congregabunt multitudinem copiarum magnarum. Et veniet ſubito, & inundabit, & tranſibit.*

Seleucus Callinicus IV Rex Syriæ, poſt cladem à Ptolemæo Euergete III Ægypti Rege acceptam, variis infortuniis expoſitus, tandem vita & regno privatus eſt, cum regnaſſet tres annos: uti in hiſtoria ejus diximus. Hic duos poſt ſe reliquit filios, nempe *Seleucum Ceraunum*, & *Antiochum M. ille* major, *hic* minor natu fuit.

De hiſce autem filiis ejus vaticinatur Daniel in *verſ.* 10. διττῶς. 1. *In ſenſu conjuncto* de *ambobus* ſimul. 2. *In ſenſu disjuncto* de *Antiocho Magno* ſeorſim.

1. *In ſenſu conjuncto, de utroque ſimul vaticinatur*: *Et filii ejus miſcebunt bellum, & congregabunt multitudinem copiarum magnarum.* Senſus eſt: Filii Seleuci Callinici, nempe *Seleucus Ceraunus*, & *Antiochus M.* bellum concitabunt, ingentemque exercitum congregabunt adverſus *Ptolemæum Philopatorem*, Ptolemæi Euergetæ filium IV Ægypti Regem, ad recuperandas urbes, quas Ptolemæus Euergetes patri ſuo Seleuco Callinico per vim ereptas, eaſque per Duces ſuos gubernabat.

2. *In ſenſu disjuncto, de ſolo Antiocho M. vaticinatur v.* 10. Antea Angelus de utroque Seleuci Callinici filio πληθυντικῶς, ſive in numero plurali dixerat: Et *filii ejus miſcebunt bellum, & congregabunt multitudinem copiarum multarum*: Sed mox mutata oratione μονάδικῶς, ſive in numero ſingulari de uno tantum loquitur, dicens: *Et veniet ſubito, & inundabit, & tranſibit.* Quibus verbis Angelus diſtincte loquitur de belli ortu & progreſſu. Hi duo fratres Seleucus Ceraunus & Antiochus M. conjunctim hoc bellum contra Ptolemæum Philopatorem concitaverant; ſed quia ſub ortum ejus Seleucus Ceraunus major natu, Ni-

canoris & Apaturii Ducum ſuorum perfidia veneno exſtinctus erat, poſt exactum regni annum ſecundum, ut *Appianus Alexandrinus in libro de bellis Syriacis* refert. Ibi vero exercitus, qui erat in Syria, Antiochum fratrem ejus natu minorem, cognomento Magnum, ex Babylone ad regnum vocavit, qui regno & opibus inſtructus, bellum adverſus Ptolemæum Philopatorem inchoatum continuavit.

BELLA ANTIOCHI MAGNI.

Antiochus M. varia bella geſſit, quæ à *Daniele* deſcribuntur. *Quædam* geſſit *contra regnum Ægypti, quædam contra tranſmarinas regiones.*

1. *Contra regnum AEgypti.*

Bella contra Ægypti regnum geſſit diſtincta, quædam contra Ptolemæum Philopatorem; quædam vero contra filium ejus Ptolemæum Epiphanem.

Bella tria geſſit contra Ptolemæum Philopatorem.

BELLUM I.

De illo ita vaticinatur Daniel in *v.* 10. *Et veniet ſubito, & inundabit, & tranſibit.* Ptolemæus Philopator Rex Ægypti (uti *Polybius lib.* 5. de eo ſcribit) libidini & otio deditus fuit, variiſque ſceleribus contaminatus, eoque nomine omnibus bonis inviſus erat: Ideoque Antiochus M. ipſo nil tale formidante, cum exercitu ingenti ſubito veniet, & velut diluvio inundante cum violentia magna, plurimas in Syria urbes occupabit. De complemento hujus vaticinii teſtantur *Polyb. lib.* 5. *Appian. Alexandr.* de bell. Syriac. quod Antiochus M. ſubita irruptione Seleuciam, mox Tyrum & Ptolemaïdem, aliaſque Syriæ urbes occupaverit, & per provinciam graſſatus, civitates partim vi, partim perſuaſionibus, in poteſtatem ſuam redegerit, donec Ptolemæus Legatos ad Antiochum M. miſiſſet, qui ingruente hyeme exercitum in hyberna reducit, & induciæ in quatuor menſes fiunt.

BELLUM II.

Daniel 11. in fine *v.* 10. de illo ita ſcribit: *Et revertetur & miſcebit bellum, uſque ad munitionem ejus.* Quibus verbis Daniel inſinuat, quod Antiochus M. doloſe cum Ptolemæo Philopatore acturus ſit. Licet enim Legatis *Ptolemæi* inducias concedet, & exercitum in hyberna deducet: tamen Legatis Ægyptiis de pace confirmanda redeuntibus, Syriam illis non tradet, dicens: Regnum Syriæ non ad Ptolemæum, ſed ad ſe hæreditario jure pertinere. Ideoque infecta pace Legati diſcedent. Quamobrem vere appetente revertetur, & in Cœleſyria loca reſidua occupare conabitur, & terreſtribus navalibuſque copiis cum *Nicolao* Duce Ptolemæi Philopatoris confliget, & victoria potitus Syriam occupabit, & uſque ad urbem Raphiam, quæ eſt in foribus Ægypti, penetrabit. *Eventum* hujus belli deſcribit *Polybius lib.* 5.

BELLUM III.

De hoc bello *Daniel cap.* 11. ita vaticinatur *v.* 11. *Et exacerbabitur Rex Auſtri, & prodibit, & pugnabit contra illum, contra Regem Aquilonis: & opponet multitudinem magnam*, (Antiochus Magnus) *& tradetur multitudo illa* (Antiochi M.) *in manum ipſius* (Ptolemæi Philopatoris.) *v.* 12. *& capiet illam multitudinem, & elevabitur cor ejus, & dejiciet myriadas, & non corroborabitur.*

Circa *hoc bellum notanda* ſunt *tria.*

1. ORTUS, ſive *Apparatus.* Ptolemæus Philopator Rex Auſtri, h. e. Ægypti, bis victus ab Antiocho M. tandem exacerbatus, contra regem Aquilonis, h. e. Syriæ, nempe Antiochum M. egredietur, ingentemque exercitum præſertim è Græcia colliget.

11. PROGRESSUS, ſive *pugna.* Ptolemæus Philopator caſtra ſua ponet prope Raphiam, quæ in finibus Syriæ ultima urbs erat verſus Ægyptum: Eo etiam Antiochus cum exercitu veniet, poſt dies paucos, manus conſerent diu, dubio ancipitique Marte, tandem Antiochus victus ſuccubuit, & per deſerta fugiens pene captus erat. De hac victoria Angelus ita vaticinatur: *& tradetur multitudo illa*, (h. e. exercitus Antiochi M.) *in manum ejus*, (Ptolemæi Philopatoris) *& capiet illam multitudinem*, h. e. victoria potietur.

Idem narratur 3. *Maccab.* in initio, quod nempe commiſſo acri prælio, cum fortius pugnaretur ab Antiocho, ARSINOE *Ptolemæi Philopatoris* ſoror, copias obambulans, cum lacrymis obſecrabat milites, ut ſibi opem fortiter & audacter pugnando ferrent, binas auri minas ſe ſingulis, ſi vincerent, daturam promittens: Itaque milites, reſumtis animis, Antiochi copias ceciderunt, multoſque ex iis ceperunt. Deſiderati ſunt ex militibus *Antiochi* ultra decem millia peditum, Equites plus quam trecenti: Vivi circiter 4000 in poteſtatem hoſtium pervenerunt. Elephantorum tres in ipſo prælio, duo poſt ex vulneribus perierunt, complures eorum vivi capti. Ptolemæus Raphia & reliquis civitatibus repente potitus eſt, univerſis populis inter ſe certantibus, ut in dedendo ſe Regi vicinum prævenirent. *Polybius lib.* 5. *Strabo lib.* 16. *Geograph.*

111. E-

III. EGRESSUS, ſive *Acta poſt victoriam.*

1. *Inter Ptolemæum Philopatorem & Antiochum Magnum pacificatio.* Cum enim Antiochus M. Antiochiam veniſſet, Legatos pacis cauſa ad Ptolemæum Philopatorem miſit. qui felici & inſperato victoriarum ſucceſſu lætus, & vitæ deſidia, qua ſemper uſus fuerat, allectus, fœdus cum eo iniit, hac conditione, ut tota Syria cederet, eamque ſibi traderet. *Polybius lib.* 5.

2. *Ptolemæi Philopatoris elatio.* De hac Angelus inquit: *Elevabitur cor ejus, & dejiciet myriadas.* h. e. poſt victoriam elatus, aliquot millia ſanctorum de populo Judaico occiſurus eſt. Hoc eventu completum eſt. Cum enim templum profanare, & ſanctum ſanctorum ingredi vellet; Pontifex vero maximus hoc ipſi concedere nollet, ipſe ira excandeſcens, multa Judæorum millia elephantis in ſpectaculis objecit, ut contererentur. Vide *Hiſtor. Ptolemæi Philopatoris* IV *Regis Ægypti.* Porro, quomodo hic Ptolemæus populum Dei oppreſſerit, teſtatur *Simeon* ſummus Sacerdos *lib.* 3. *Maccabæorum.*

3. *Vitæ diſſolutio.* Ptolemæus Philopator, facta cum Antiocho pace, uxorem ſuam eamdemque ſororem Eurydicen nefarie occidit, Agathocleæ ſcorto adhæſit, regiique nominis & majeſtatis oblitus, noctes in ſtupris, & dies in conviviis conſumſit. Agathocles pſaltriæ illius & meretricis Agathocleæ frater, Regis concubinus, ut eum *Hieronymus* nominat, lateri ipſius junctus, Alexandriam regebat: tribunatus, præfecturas & ducatus mulieres ordinabant, nec quiſquam in Regno ſuo minus, quam Rex ipſe poterat. *Juſtinus.* Et hæc nefanda ejus libido, multorum magnorumque malorum cauſa fuit; uti porro audiemus.

Similiter tria Bella geſſit contra PTOLEMÆUM EPIPHANEM.

BELLUM I.

De hoc bello *Daniel cap.* 11. ita vaticinatur:

Verſ. 13. Et revertetur Rex Aquilonis, & congregabit multitudinem majorem priore: Nam exacto tempore aliquot annorum veniet ſubito cum exercitu magno, & cum opulentia magna.

Verſ. 14. Et temporibus illis multi ſtabunt contra Regem Auſtri, & filii [פריצים] populi tui tollentur ad ſtabiliendam viſionem, & corruent.

[פריצים proprie ſignificat fractores, ruptores, diſſipatores: Metaph. factioſos, prævaricatores. Quia Remp. factionibus ſuis frangunt, rumpunt & diſſipant.]

Circa hoc bellum notanda ſunt *tria*: 1. ORTUS. II. PROGRESSUS. III. EGRESSUS.

I. ORTUS.

In *Ortu* notanda eſt *Belli occaſio*, eaque *gemina.*

1. REMOTA: fuit *ignavia*, & *diſſolutiſſima Ptolemæi Philopatoris vita.* Cum enim Antiochus Magnus videret ignaviam & luxuriam Ptolemæi Philopatoris, exercitum multo majorem priore congregavit, ut denuo belli aleam adverſus Ægyptum experiretur.

II. PROPINQUA: fuit *mors Ptolemæi Philopatoris inopinata*, & *ſucceſſio Ptolemæi Epiphanis contemta.* De hac *Angelus* ita inquit: *Exacto tempore aliquot annorum*, h. e. revoluto annorum tempore, cum Ptolemæus Philopator jam defunctus eſſet, ſicut Hieronymus expreſſe ſcribit, Antiochus morte ejus cognita, putavit ſibi optimam occaſionem oblatam, Ptolemæum Epiphanem, quippe qui puer adhuc quinquennis erat, ac proinde ad res gerendas ineptus, nec Ducibus belli exercitatis inſtructus, oppugnandi. Inſuper etiam ſtatus regni Ægypti & ſubditarum provinciarum plane conturbatus erat. Nam Agathocles Ptolemæi Epiphanis tutor, & regni gubernator, adeo diſſolutus in vita & ſuperbus erat, ut ſubjectæ prius Ægypto provinciæ rebellarent, ipſaque adeo Ægyptus ſeditionibus vexaretur. Cum autem Antiochus hunc perturbatiſſimum regni ſtatum animadverteret, ad bellum ei inferendum animum adjecit.

II. PROGRESSUS.

1. *Antiochi M. ad bellum præparatio.* Quare Antiochus rebus in Ægypto ſic ſtantibus, exercitum priore multo majorem collegit.

11. *Confœderatio.* Fœdere quoque ſibi jungit Philippum Macedonum Regem, ut adunatis viribus contra Ptolemæum Epiphanem & Agathoclem ejus tutorem dimicarent, cum hac conditione, ut regnum Ægypti inter ſe dividerent. Et hoc eſt, quod Angelus ſubjungit: *Multi conſurgent adverſus regem Auſtri*, h. e. Ægypti, i. e. Ptolemæum Epiphanem adhuc puerum. *Juſtinus lib.* 30. & 31. qui etiam addit; Alexandrinos miſiſſe legatos Romam, ut pupilli pueri, nempe Ptolemæi Epiphanis tutelam ſuſciperent. Quod & fecerunt Romani, unde ingens bellum inter Romanos & Antiochum Magnum exortum eſt: ſicut poſtea dicemus.

III. *Judæorum quorundam factioſorum aſſociatio.* De qua Angelus *v.* 14. inquit: *Et filii prævaricatorum populi tui attollentur ad ſtabiliendam factionem, & corruent.* Quia enim Judæa in medio erat ſita, nempe inter Syriam & Ægyptum, hinc futurum eſſe ait Angelus, ut Judæi in contraria ſtudia ſcin-

dantur, aliis Ptolemæo Epiphani, aliis Antiocho M. ſe adjungentibus.

Per FILIOS autem PRÆVARICATORUM POPULI Daniel in ſpecie intelligit illos apoſtatas & prævaricatores legis Dei, qui Oniam ſacerdotem Simonis filium ſequuti ſunt in Ægyptum. Quam hiſtoriam *Joſephus lib.* 13. *Ant. Judaic. c.* 6. *& lib.* 7. *belli Judaici cap.* 30. deſcribit, quod nempe Onias ſacerdos Simonis filius, Jeroſolymis fugatus, Antiocho M. cum Judæis bellum gerente, Alexandriam ad Ptolemæum Epiphanem profectus ſit, ingenti cum Judæorum multitudine, eique promiſerit, ſe totam gentem Judæorum ei ſociaturum contra Antiochum, cum quo ille tunc bellum gerebat, ſi votis ſuis locum relinqueret. Cum autem Rex ea, quæ fieri poſſent, ſe facturum annuiſſet, Onias rogavit, ut permitteret templum Jeroſolymitano, quod Antiochus vaſtaverat, ſimile, in Ægypto ædificari, ut Deum more patrio colerent. Ita & Antiochum magis odioſum Judæis, qui templum Jeroſolymitanum vaſtaſſet, ipſique eos benevolentiores fore, & quamplurimos religionis ſtudio ad eum confluxuros. Et, ne deeſſet prætextus impio facinori, Onias impoſtor ille aſſerebat, ſe hoc pacto implere *Jeſaiæ* Prophetæ vaticinium, ſcribentis *cap.* 19. *verſ.* 19. *Et erit altare Jehova in media terra Ægypti, & titulus Jehova in terminis ejus.* Qua calliditate & dolo Regi Ptolemæo perſuaſit, ut locum illi in tractu Heliopolitano, 180 ſtadiis à Memphi diſtante, erigendo templo concederet, & reditus inſuper annuos multumque etiam auri & argenti largiretur, ut ſacerdotibus eſſet copia ad cultum Dei rite peragendum. Quare Onias impoſtor ille templum ibi exſtruxit, contra expreſſum Dei mandatum *Deut.* 12. *verſ.* 5. quo ſevere prohibuerat, ne *Templum & Altare alibi exſtrueretur, niſi in loco quem elegerat.* Unde Angelus illos *filios prævaricatorum populi Danielis*, h. e. apoſtatas & legis divinæ tranſgreſſores vocat. Præterea etiam Angelus inſignem Oniæ iſtius audaciam & impudentiam perſtringit, quando ſubjungit: *Extollentur ut impleant viſionem*, h. e. fanatico ſpiritu in ſuperbiam extollentur, ut ſcelerato ſuo inſtituto non erubeſcant accommodare vaticinium *Jeſaiæ cap.* 19. *v.* 19. ædificando templum Heliopoli in Ægypto, quod ſua habeat ſacrificia & ſacerdotes, æque ac Jeroſolymitanum, idque ut impleretur vaticinium Jeſaiæ, ſecundum *pravam ſuam intelligentiam.* Nam Jeſaiæ vaticinium non intelligendum eſt *σωματικῶς*, de templo quodam externo & materiali; ſed *πνευματικῶς*, h. e. de amplitudine regni Chriſti, deque converſione Ægyptiorum tempore Meſſiæ in N. T. futura. Quia enim Ægyptus idololatriæ ſemper addicta fuiſſet, ideo Jeſaias diſerte vaticinatur religionem Chriſtianam etiam in Ægypto propagandam. Nam *ſolenne eſt Prophetis in V. T. de Regno Meſſiæ loqui verbis & phraſibus in cultus V. T. uſurpari ſolitis.* Ita etiam per *Altare Jehova*, cultum Dei ſincerum, Chriſto exhibito in Ægypto erigendum. Quaſi dicat: Etiam in Ægypto, abolita idololatria, quæ ibi regnaverat, Regnum Chriſti erigendum eſſe.

Oniæ autem templum Heliopoli exſtructum permanſit uſque ad Imperium Veſpaſiani Imperatoris, qui rebellantibus Judæis adverſus Romanos, illud dirui funditusque deleri juſſit.

III. EGRESSUS.

EGRESSUS hujus Belli *geminam* Antiochi continet *victoriam.*

VICTORIA I.

1. *Urbium oppugnatio. verſ.* 15. *Et veniet Rex Aquilonis, & diffundet miſſilia catapultaria.* h. e. Antiochus obſidebit urbes in Syria, Phœnicia, locisque finitimis, in quibus Ptolemæus Epiphanes ſua habebat præſidia: ſicut inprimis de Sidone narrat *Joſephus lib.* 12. *Antiq. Judaic.*

NOTA.

Vulgata verſio Latina habet: Fundet vel comportabit aggerem. *Luth.* Wird ſchütte machen/ h. e. cumulum egeſtæ terræ comportabit. Verum nomen Ebraicum סללה proprie ſignificat catapultam ſive balliſtam tormentariam, h. e. inſtrumentum bellicum, quo olim ſaxa vel lapides intra urbem vel arcem obſeſſam jaciebantur, inventum à Phœnicibus, uti Pliniusſcribit: & dictum balliſta, ἀπὸ τῦ βάλλειν, h. e. à jaciendo. Hoc autem loco metonymice accipitur, & ſignificat ſaxa vel miſſilia catapultis ejaculata: quo ſenſu etiam uſurpatur 2 *Reg.* 19. *v.* 32.

2. *Urbium munitiſſimarum expugnatio. v.* 15. *Et capiet civitatem munitionum.* Hic CIVITAS MUNITIONUM non unam aliquam civitatem, ſed per Ebraiſmum, collective ſignificat quaſvis in Syria & vicinia civitates munitas, quæ huc uſque in poteſtate Ptolemæi Epiphanis fuerant: illas vero Antiochus expugnabit, ſibique ſubjiciet.

3. *Felicitiſſimi ſucceſſus notatio.* Nam addit *Angelus*: v. 15. *Et brachia Auſtri non conſiſtent, nec delecti milites ejus; & non erit eis robur ad reſiſtendum.* v. 16. *Et faciet, aggreſſus eum pro voluntate ſua, & nullus conſiſtet coram eo.* Per BRACHIA AUSTRI per metonymiam elegantem Duces fortiſſimi Regis Ægypti intelliguntur: Sicut etiam *Ezech.* 30. *verſ.* 22, 24, 25. per *Brachia Pharaonis & Nebucadnezaris*, intelliguntur Duces

eorum

eorum atque milites. Sicut enim brachia in corpore humano virtute & robore ſuo hominem defendunt: Ita quoque belli Duces Regem muniunt. Quare Angelus hiſce verbis prædicit, Antiochum M. omnia ex animi ſententia geſturum, neque Ptolemæi Epiphanis Duces coram eo poſſe conſiſtere. Nam ipſe SCOPAM Ducem, quem Ptolemæus contra eum inſtructiſſimis copiis miſerat, fugavit, atque cecidit, nemoque ei reſiſtere potuit.

VICTORIA II.

Verſ. 16. *Etiam ſtabit in terra decoris* (inclyta,) *& conſirmatio* (erit) *in manu ejus.*

In hiſce verbis deſcribitur victoria II, quam Antiochus M. victis Ptolemæi Epiphanis Ducibus in Judæa obtinuit. Vocat autem *Judæam terram decoris*, *Aquila* vocat terram τῆς δόξης, Ebr. צבי *Luth.* Das wehrte land.

1. *Myſtice*, ob verum Dei cultum & religionem, atque habitationem Dei inter Iſraëlitas gratioſam & vere glorioſam. *Deuter.* 4.

2. *Phyſice* & *Politice*, quia erat terra fertiliſſima & amœniſſima, & omnium terrarum in toto orbe glorioſiſſima, fluens melle & lacte, *Num.* 13. *v.* 28. omnibuſque arboribus preciotiſſimis abundans, *Deuter. c.* 8. *v.* 7, 8. *cap.* 11. *v.* 10, 11, 12.

Hanc quoque Antiochus M. Ptolemæo Epiphani eripiet & occupabit. *Eventum* deſcribit *Joſephus lib.* 12. *Antiq. Jud. c.* 3. quod nempe Judæi Antiochum M. devicta Syria & Phœnicia ſponte receperint intra mœnia ſua, & exercitum ejus atque elephantos liberaliter aluerint, & obſidenti *Antiocho* contra eos, qui in arce Jeroſolymorum relicti fuerant cuſtodes, alacriter auxilium præſtiterint. Unde *Antiochus* eos ſummis muneribus atque beneficiis affecit. Confer *Polybium lib.* 11.

III. EGRESSVS.

De EGRESSU ejus ita vaticinatur *Angelus*: *Daniel.* 11. *v.* 19. *Et convertet faciem ad munitiones terræ ſuæ, & impinget, & cadet, & non invenietur.* Cum enim *Antiochus M.* à L. Scipione Aſiatico victus, in Syriam ſe recipiet ad munitiones ſuas, in quibus ſe abdet jam imbellis & profligatus, & poſtquam pudendam ſibi cum Romanis pacem inierit, tandem corruet, & tragica morte exſtinguetur, acſi nunquam fuiſſet.

Eventum Strabo lib. 16. confirmat. Cum enim Antiochus M. vel propter inopiam, (ad quam Romani ipſum redegerant, impoſito magno tributo per duodecim annos ſolvendo) vel propter inſatiabilem avaritiam, *Belis* templum, ut *Strabo*, vel Jovis Dodonæi, ut *Juſtinus* ſcribit, ſpoliare conatus eſſet, Barbari ad defenſionem templi concurrentes eum cum toto exercitu interfecerunt, *Juſt. lib.* 32. poſtquam regnaſſet annos 36, uti *Euſebius* in Chronicis ſcribit, vel annos 37, juxta *Appianum* & *Sulpit.* ſubaudi, inchoatos. Reliquit poſt ſe duos filios, Seleucum Philopatorem & Antiochum Epiphanem juxta *Appianum in libro de bellis Syriacis* circa finem.

VII. SELEUCUS IV. PHILOPATOR.

I. ORTVS.

Seleucus, Σέλευκος, h. e. *commotus*, *conquaſſatus*; fuit VII Rex Syriæ, *filius Antiochi M.* primogenitus. *Cognomento* dictus eſt *Philopator*, quod à patre valde diligeretur. Vocatus etiam SOTER; ut tradit *Joſephus lib.* 12. *Antiq. Jud. c.* 4. *ſub finem.*

II. PROGRESSVS.

1. Regni occupatio.

De hac Angelus *verſ.* 20. ita vaticinatur: *Poſtea ſtabit in ſtatione ejus quidam in decore regio*, hoc eſt, ſuccedet in regno Antiocho M. Rex alius è ſtirpe ejus prognatus. Nam qui ex eadem ſtirpe ortus in regnum ſuccedit, ille in eodem ſcapo dicitur ſtare, quaſi ex arboris ejuſdem pede efflorueſſet. In Ebræo eſt vox על־כן ſuper baſi vel in loco, aut ſtatione. Nam vox כן proprie ſignificat baſin, cui aliquid imponitur aut inſiſtit. Metaphorice ſignificat locum, ſedem, ſtationem, aut officium; ut *Gen.* 40. *verſ.* 13. Et Pharao reſtituet te ſuper locum tuum. Targ. in officium tuum. LXX. ἀρχιοινοχοείαν, in principatum pincernatus tui. Ita quoque in hoc capite *Dan.* 11. *v.* 7. accipitur. Quare per hæc verba intelligitur Seleucus Philopator, qui primus Antiochi M. fuit filius, eique in regno ſucceſſit.

II. Regni adminiſtratio.

Hic *Seleucus Philopator*, licet loco patris, nempe Antiochi M. ſit ſtaturus, & regios honores adepturus; tamen moribus regalibus minime præditus erit. Ideoque Angelus illum periphraſtice appellat TRADUCTOREM EXACTORIS, quando inquit: *Stabit in ſtatione ejus tranſductor exactoris in decore regio. v.* 20.

In hiſce verbis Seleucus Philopator ab Angelo deſcribitur ἀπὸ 1. *A titulo*, quod Rex futurus ſive in decore regio fulſurus ſit.

2. *Ab exercitio*, quod futurus ſit מס *Exactor.* Luth. Der wird in Königlichen ehren ſitzen / wie ein

ein Scherge. Vocat illum *exactorem* vel *traductorem exactoris*, 1. *In genere*, propter infamem illius avaritiam, qua totum regnum ſuum immaniter ſit infeſtaturus. Quia nihil Rege dignum geſſit, ſed exactionibus & expilationibus miſeros ſubditos exhauſit.

2. *In ſpecie*, propter ablegationem Heliodori Quæſtoris in urbem Jeroſolymam, ad auferendam è gazophylacio pecuniam. Licet enim initio bene erga Judæos videretur affectus; quia omnes ſumtus & impenſas ad templum & ſacrificia neceſſarias de ſuo ærario ſuppeditavit; uti patet ex 2 *Macc.* 3. *v.* 3. Tamen poſtea à Simone proditore templi præfecto perſuaſus, gazophylacium Jeroſolymitanum theſauris abundare, eo impulſus eſt, ut *Heliodorum* Quæſtorem ſuum ad rapiendos templi theſauros Jeroſolymam cum poteſtate ablegaret. Quæ res peſſime ceſſit, tum *Quæſtori*, tum ipſi *Regi*. Cum enim Heliodorus in urbem ſacram agmine ſtipatus militari veniret, ut theſauros templi in gazophylacio depoſitos auferret, à Deo (qui habet ἐνδικον ὄμμα, uti *Homerus* ait, h. e. vindicem oculum) mirabili terretur ſpectro. Viſus enim eſt Eques armatus prioribus in eum pedibus inſilire, juxta quem bini ſatellites robuſti, & veſte ſplendida fulgentes, cum verberibus continuis ad terram ſtraverunt, ut lectica è templo efferretur ſemianimis. Hunc Quæſtorem *Onias* ſummus Sacerdos cognomento *Pius* precibus ſuis ſervavit, ne qua doli aut fraudis ſuſpicio Regi oboriretur. Monitus ab iiſdem Juvenibus eſt *Heliodorus*, qui illum verberibus mulctarant, ut gloriam Dei paſſim prædicaret: quod ille votis nuncupatis fecit, & quæ ſibi contigerant, hoſtibus Regis eſt imprecatus. Vide 2 *Macc. cap.* 3.

Quod autem ille SELEUCUS *Heliodori* Dominus, ſit hic ipſe, de quo nunc agimus, clariſſime patet ex 2 *Macc.* 4. *v.* 7. ubi dicitur *Antiochus Epiphanes* ei in regno ſucceſſiſſe.

III. EGRESSVS.

EGRESSUS ſive exitus hujus *Seleuci fuit tragicus*: De quo Angelus inquit: *At diebus paucis frangetur, quamvis neque ira, neque bello.* h. e. paucis diebus poſtquam ille Heliodorum Quæſtorem Jeroſolymam transmiſerit, ut templum theſauris ſuis velut ſacrilegus ſpoliaret, interibit, non apertis odiis vel procerum, vel ſubditorum, neque aperto Marte, ſed veneno ex inſidiis ei ab Heliodoro propinato, in gratiam *Antiochi Epiphanis*. Hoc autem factum eſt brevi, poſtquam *Seleucus* templum Jeroſolymitanum ſpoliare conatus eſſet: uti perſpicuum eſt ex 2 *Macc.* 4. *v.* 7. anno regni 12.

VIII. ANTIOCHUS EPIPHANES.

I. ORTVS.

1. *Generatio. Antiochus Epiphanes* VIII Rex Syriæ, *Antiochi M.* filius, & Seleuci Philopatoris frater fuit, cui etiam, ex inſidiis per Heliodorum Quæſtorem interfecto, in regno ſucceſſit.

2. *Appellatio.* Dictus fuit hic *Antiochus*,

Primo, *Epiphanes*, h. e. glorioſus vel illuſtris. Quia enim ipſe deſpectus futurus eſſet, neque jure regnum Syriæ ad ipſum perventurum, ſed ille dolo & fraudibus illud occupaturus eſſet; ſicut Daniel vaticinatus erat, *cap.* 11. *verſ.* 31. Ergo, ut hanc maculam elueret, glorioſum nomen aſſumpſit, ſeque EPIPHANEM appellavit. Verum illuſtris & nobilis ille fuit, non in *bonum*, h. e. *virtutibus*; ſed in *malum*, h. e. *vitiis*.

Secundo, Ἐπιμανὴς, EPIMANES. Ita *Polybius*, & ex eo *Athenæus* refert, quod à Græcis pro *Epiphane*, *Epimanes*, h. e. pro glorioſo, *furioſus* dictus ſit. Interdum namque in conviviis geſtatus eſt ut funus: & non tantum cum popularibus in converſationem deſcendit, ſed etiam cum peregrinis & tenuioris fortunæ hominibus bibit, imo cum ſcurris & mimis certavit. Talis fuit, qui Deo bellum inferre, & Eccleſiam ejus delere voluit. Unde recte *Epimanes*, h. e. furioſus dictus eſt.

Tertio, Ῥίζα ἁμαρτωλὸς, *Radix peccatrix*. Luth. Ein ſchädliche böſe wurtzel. 1 *Macc.* 1. *v.* 11. Quia qualis eſt pater, talis quoque eſt filius; juxta vulgatum illud: Κακῆ κόρακος κακὸν ὠόν. *Mantuanus* inquit de bonis filiis:

In ſobolem tranſire ſolet cum ſemine virtus.

Ita nos contra de malis filiis dicere poſſumus:

In ſobolem tranſire ſolet cum ſemine virus.

Germani hoc proverbio utuntur: Der apfel fält nicht weit vom ſtamme.

Exemplum habemus in Antiocho Epiphane: Sicut enim pater ejus erat ſacrilegus & Tyrannus, qui templum Beli ſpoliavit, & tyrannidem erga ſubditos ſuos exercuit: Ita quoque hic Antiochus peſſimus ſacrilegus fuit, qui templum Dei altiſſimi ſpoliavit, & immanem tyrannidem contra populum Dei exercuit.

Quarto, CORNU PARVULUM: קרן מצירה. Ein klein horn. *Dan.* 8. *v.* 9. Quia minor natu filius Antiochi Magni erat, qui cum Hannibale contra Romanos pugnans, ſed victus fugatuſque pacem cum Romanis iniit, obſidemque Romanis miſit filium hunc Antiochum Epiphanem, qui poſtea mortuo Seleuco Philopatore fratre natu majore, qui patri in regno ſucceſſerat, Roma fugiens, ejecto fratris filio *Demetrio*, per vim regnum Syriæ invaſit,

ſit, ſicut 1 *Macc. c.* 1. ſcribitur. Cum igitur non fuerit legitimus regni ſucceſſor, merito appellatur MODICUS, aut CORNU MODICUM ſive PARVULUM: ſicut eandem ob cauſam vocatur DESPECTUS *Dan.* 11. *v.* 21. ſicut poſtea dicemus.

II. PROGRESSUS.

1. Regni occupatio.

De Regni occupatione Angelus ita vaticinatur *v.* 21. *Et ſtabit in ſtatu ejus deſpectus* (contemtus,) *& non imponent ei decorem regium: Sed veniet in tranquillitate, & capeſſet regnum blanditiis.*

NOTA I.

IN TRANQUILLITATE. Vulgata verſio Latina legit: Veniet CLAM. Verum hæc verſio eſt *falſa*. idque διπλῶς.

1. *Grammatice.* Nam hæc vox בשלוה non ſignificat *clam* vel ſecreto; ſed in tranquillitate vel quiete: uti reddit *Arias Montanus*.

2. *Hiſtorice.* Quia hiſtoriæ teſtantur, quod Antiochus Epiphanes Roma in Syriam venerit, non clam, ſed palam; nempe à fratre Seleuco Philopatore revocatus & liberatus, miſſo ejus loco Romam obſide filio *Demetrio*: uti *Appianus Alexandrinus* ſcribit.

NOTA II.

Capeſſet regnum BLANDITIIS. Hic verſio Latina legit: In FRAUDULENTIA. Sed nomen Ebraicum חלקלקות ſignificat, blanditias, verborum blandimenta, aut verba blanda, adulatoria, butyrata, aut lubrica, inſtar butyri. Germani vocant, Geſchmierte wort. Radix eſt חלק, quæ ſignificat inter alia lenire, blandiri. *Pſalm.* 55. *v.* 22. Blanditiis diduxerunt os ſuum inſtar butyri. Geminantur ab Angelo in hac voce literæ ſecunda & tertia radicales, ad geſtum blandientium & adulantium inſinuandum.

Explicatio.

Circa hanc autem Regni occupationem *tria* veniunt notanda. 1. *Antiochi Epiphanis in Regno ſucceſſio.* 2. *Jus ſucceſſionis in regno.* 3. *Succeſſionis modus & ratio.*

1. *Antiochi in Regno ſucceſſio.*

De hac Angelus inquit: *Et ſtabit in ſtatu* (loco) *ejus.* h. e. *Antiochus Epiphanes*, qui ex eodem ſcapo vel radice, ex qua *Seleucus Philopator* prognatus erit, eidem, per venenum ſublato ab Heliodoro, in Regno ſuccedet. Nam Antiochus Epiphanes & Seleucus Philopator erant fratres ex eodem patre, nempe *Antiocho M.* prognati.

2. *Jus ſucceſſionis in Regno.*

De hoc Angelus ita inquit: *Deſpectus, & non imponent ei decorem regium.* Hiſce verbis inſinuat Angelus, quod Antiochus Epiphanes fratri ſuo Ptolemæo Philopatori in Regno quidem ſucceſſurus ſit, ſed non de jure: idque ob *duas cauſas.*

1. *Ob perſonæ & morum vilitatem.* Unde eum vocat נבזה DESPECTUM vel CONTEMTUM. Sic autem vocatur Antiochus, *triplici reſpectu.* 1. *Phyſice.* Quia pravi & maligni ingenii homo erat: utpote à tyranno & maligno patre propagatus. Unde ῥίζα ἁμαρτωλὸς, Radix peccatrix, ein böſe ſchädliche wurtzel / appellatur. 1 *Macc. c.* 1. *v.* 11. 2. *Ethice.* Quia non tantum natura, ſed etiam educatione & conſuetudine prava, pravus, malignus & crudelis erat. Licet enim à Syris adulatoribus dictus ſit *Epiphanes*, quod alienis Regnum uſurpantibus, ipſe avitæ ditionis aſſertor ſuis illuxiſſet, uti *Appianus in Syriacis* loquitur: Tamen propter perverſos mores atque facta, à Polybio aliiſque EPIMANES, h. e. *furioſus* eſt appellatus. 3. *Politice.* Quia pater *Antiochus Magnus* eum ad Regnum ineptum judicavit. Unde cum Romanis perpetuum obſidem dedit. Et præterea fratrem natu majorem, nempe *Seleucum Philopatorem*, qui regno præerat, habebat, & fratris filium *Demetrium*, ad quem, patre mortuo, jure hæreditario Regnum pertinebat. Ideoque nihil minus exſpectabatur, quam ut hic vilis deſpectuſque homo, ſuperſtitibus *Seleuco Philopatore* fratre ejus natu majore, ejuſque filio *Demetrio*, ad regni gubernacula evehendus eſſet.

2. *Ob vocationis ad Regnum nullitatem.* Quia (inquit Angelus) non imponent ei הוד מלכות decorem (gloriam) regni. h. e. ſtatus Regni Syriæ eum unanimi conſenſu & ſuffragio ad Regnum haud vocabunt, & velut Regem legitimum coronabunt. *Quaſi dicat Angelus:* Antiochus Epiphanes, non exſpectatis Ordinum Regni populique ſuffragiis, ipſemet Regiam dignitatem ſibi rapiet.

3. *Succeſſionis modus & ratio.*

Veniet (inquit Angelus) *in tranquillitate, & rapiet Regnum blanditiis.* h. e. ipſe Regnum non ingredietur, ut *boſtis truculentus*, ferro & armis proceres atque ſubditos Regni coacturus, niſi ſuſciperetur, ſed tanquam *amicus* & *tutor*, ſimulans ſe velle tutorem pupilli nepotis ſui *Demetrii* agere, donec ille majorennis fieret; ſed poſtea Regnum occupavit, excluſo legitimo hærede *Demetrio*, qui erat ei ex fratre nepos: Atque hinc, inter poſteros hujus Demetrii & Antiochi Epiphanis, perpetua fuerunt bella pro regno, per ducentos annos, alioalium viciſſim obtruncante, & pro eo regnante. Et hoc eſt, quod Angelus de eo inquit: *Veniet in tranquillitate, & Regnum rapiet blanditiis.* Nam

licet

licet ipſe fratri ſuo Seleuco Philopatori necem procuraſſet per Heliodorum Quæſtorem; tamen ei non fidebat: Quia, ſicut ipſe fratri ſuo Seleuco fidus non fuerat: Ita quoque eum ſibi fidum futurum non cenſebat. Idcirco apud *Attalum* & *Eumenem* Reges, *Heliodorum* tanquam regni affectatorem accuſabat. Quamobrem *Attalus* & *Eumenes*, expulſo Heliodoro, tanquam Regni affectatore, *Antiochum* hunc *Epiphanem* in regni poſſeſſionem deduxerunt, ut hoc beneficio eum devinctum ſibi redderent. Jam enim ob quaſdam offenſiunculas etiam hi Romanos ſuſpectos habebant; uti *Appianus in Syriacis* ſcribit.

II. Regni adminiſtratio.

Sicut de Bonifacio VIII Papa dicitur: *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, exivit ut canis.* Ita quoque idem de Antiocho Epiphane dici poteſt. Sicut enim ille Regnum occupavit fraudulenter, ita quoque in eo ſeſe geſſit violenter. Nam non tantum ſuo regno contentus, ſed etiam Ægypti Regnum nepoti ſuo ex ſorore, nempe *Ptolemæo Philometori*, eripere voluit. Angelus enim vaticinatur de tribus Bellis, quæ contra Ægypti regem ejuſque regnum geſſit.

BELLUM I.

De hoc *Angelus* agit v. 22. *Et brachia inundationis inundabuntur à conſpectu ejus, atque frangentur, atque etiam Dux fœderis.* verſ. 23. *Et poſt conſociationem cum illo committet dolum, adſcendetque & roborabitur cum parva gente.* v. 24. *In tranquillitate etiam opima loca provinciæ ingredietur, & faciet, quod non fecerunt patres ejus, nec patres patrum ejus: prædam ſpoliumque & facultates illis diſperget, & contra munitiones inſtituet cogitationes ſuas, & hoc uſque ad tempus*, &c.

Hoc bellum deſcribitur tripliciter: 1. Ratione ORTUS. 2. Ratione PROGRESSUS. 3. Ratione EGRESSUS.

I. ORTUS.

In ORTU Antiochus Epiphanes egit VIOLENTER. De quo *Angelus* inquit v. 22. *Et brachia inundationis*, &c. Quaſi dicat: Multi magni & præpotentes Duces opponent ſe illi, ſed nihil proficient. Conterentur enim ab ipſo. Per *brachia inundantia* intelligit Angelus magnas Regis Ægypti copias, quibus antea magnum robur exercebat, iiſque tanquam aquis inundantibus Syriam inundare ſolebat: Verum hæc ab Antiocho Epiphane opprimentur repentinis copiis, & velut majore flumine obruentur. Qui interitus emphatica Metaphora in verbo *frangendi* inſinuatur. Hæc ita contigiſſe *eventus* docuit. Nam *Joſephus lib.* 12. *Antiq. Judaic. cap.* 4. & 5. & *Appianus in Syriacis* ſcribunt, quod mortuo Ptolemæo Epiphane Ægypti Rege, Antiochus Epiphanes regnum Ægypti concupiverit, ideoque ingenti cum exercitu Ægyptum ingreſſus ad Peluſium uſque penetraverit. Quoniam autem Ptolemæus Philometor, qui patri in regno ſucceſſerat, adhuc parvulus erat, EULÆUS, & LENÆUS, duo Proceres & Duces potentiſſimi, qui prius copiis ſuis in Syriam ſoliti ſunt exundare, tunc quoque Regnum Ægypti adminiſtrabant. Hi maximis copiis Antiocho Epiphani obviam proceſſerunt; ſed victi ſunt ad Peluſium ab eo, ipſorumque copiæ velut diluvio obrutæ perierunt. Et ſic vires Ægypti fractæ ſunt.

Addit quoque Angelus: ATQUE FRANGETUR DUX FOEDERIS, h. e. occidetur juſſu Antiochi Epiphanis. Quiſnam autem Dux vel Anteceſſor ille fœderis fuerit, *diverſæ ſunt ſententiæ.*

1. *Hieronymus* & *alii* per Ducem fœderis intelligunt *Ptol. Philometorem*, Ægypti Regem. Verum hæc ſententia ſtare non poteſt. Nam talis hoc loco Dux fœderis intelligitur, qui occiſus eſt. Atqui *Ptol. Philometor* in hoc bello occiſus non eſt.

2. *Alii* dicunt, quod per *Ducem fœderis* intelligatur *Tryphon*, unus ex proceribus Ægypti, Dux primarius, qui una cum reliquis Proceribus perſuaſit Antiocho, ut fœdus faceret cum Rege Ptolemæo Philometore adhuc puero, ſuſcipiendo tutelam ejus; ac proinde in Ægyptum deinceps veniret, tanquam amicus conſanguineus, & tutor, cum parvo comitatu. Ex hoc fœdere Antiochus tutelam pupilli ſuſcepit, qua ut pro libidine abuteretur, atque regnum Ægypti Ptolemæo Philometori, quia adhuc puer erat, eo facilius adimere atque ad ſe transferre poſſet, *Tryphonem*, qui anteceſſor illius fœderis fuerat, interfici curavit.

II. PROGRESSUS.

In PROGRESSU Antiochus Epiphanes egit FRAUDULENTER. De quo Angelus ita inquit: *Et poſt conſociationem faciet dolum.* Præpoſitio ים hic idem ſignificat atque POST, ſicut etiam ſæpe præpoſitio *à* apud Latinos. *Senſus eſt:* Antiochus Epiphanes poſt victoriam, ſub fucatæ amicitiæ, nempe tutelæ ineundæ ſpecie, in Ægyptum veniet, omniaque fraudulenter aget, ut Ægyptum in ſuam poteſtatem redigat.

1. *In locorum opimorum occupatione.* Nam *Appianus in Syriacis* teſtatur, quod Antiochus Epiphanes paucis quidem comitatus in Ægyptum venerit,

nerit, ſed ſtrenuis, animoſis, ipſique addictiſſimis: quos paſſim in præſidiis collocavit, atque ſic opima & pacata, adeoque ſecura Regni Ægypti loca occupavit: ipſe interim reſidens in urbe Memphi, tanquam Regni Metropoli, in loco opportuno, nempe regni meditullio ſita ad Ægyptios cohibendos.

2. *In locorum occupatorum conſervatione.* Antiochus Epiphanes ut loca occupata, & præſidiis, è ſuo comitatu ſelectis, firmata retinere poſſet, omnes rapinas acquiſitas in Syria, Phœnicia & Ægypto, opeſque male partas Ducibus militibuſque ſuis diſperſit, h. e. largiter & profuſe diſtribuit. Vide 1 *Macc.* 3. *v.* 30. Atque hac calliditate & fraudulentia ſua omnes patres patrum ſuorum ſuperavit.

3. *In propugnaculorum Ægypti occupandorum cogitatione.* Nam inquit Angelus: *Contra munitiones inſtituet cogitationes ſuas.* h. e. Etiam multorum in Ægypto Procerum animos largitionibus corrumpet, ſibique devinciet, quorum opera & conſilio adjutus cogitabit, quo pacto Ægypti propugnacula, urbeſque munitiſſimas, quæ nondum ipſi deditæ fuerant, occupare, inque ſuam poteſtatem redigere poſſit.

III. EGRESSVS.

De hoc Angelus inquit, *verſ.* 24. *Et hoc uſque ad tempus.*

1. Hæc verba *Maldonatus* refert ad præcedentia, eumque iis conjungit, hoc ſenſu: Antiochus Epiphanes cogitationes & conſilia ſua animo premet, quoad tempus opportunum advenerit. Tunc enim aperto Marte regnum Ægypti invadet; ſicut Daniel in ſequentibus explicat.

II. Sed commodius hæc verba ad *Egreſſum* referuntur, quod Antiochus Epiphanes non diu Ægyptum tenuerit, ſed tantum ad tempus. Nam Rege *Ptolemæo Philometore* paululum adultiore facto, Ægyptii Antiochi Epiphanis præſidia Ægypto expulerunt.

BELLUM II
Antiochi Epiphanis contra AEgyptum.

De hoc *Angelus vaticinatur verſ.* 25, 26, 27, 28.

I. ORTUS; in quo notandus eſt *Antiochi Epiphanis ad bellum apparatus.* v. 25. *Poſtea excitabit vires ſuas & cor ſuum contra Regem Auſtri copiis magnis.* Senſus eſt: Poſtquam Ptolemæus Philometor Rex Ægypti adultior factus regnum adierit, & præſidia Antiochi Epiphanis expulerit: Antiochus Epiphanes excitabit vires ſuas, & cor ſuum contra Regem Auſtri copiis magnis. h. e. animo irritato omnes vires ſuas experietur, & ingentem exercitum adverſus Regem Ægypti conſcribet. Cum enim videret, ſe fraudibus atque dolis id obtinere non poſſe, quod ſperaverat, idcirco aperto bello rem aggredietur. Bellum hoc deſcribitur 1 *Macc. cap.* 1. *v.* 19.

II. PROGRESSUS. In quo occurrit *Apparatus Ptolemæi Philometoris Ægypti regis contrarius.* v. 25. *Et Rex Auſtri miſcebit ſe bello cum exercitu magno & valido admodum.* h. e. Ptolemæus Philometor Rex Ægypti jam majorennis, & ſceptra regni ſui gerens, injuria ac violentia Antiochi Epiphanis provocatus, exercitum æque grandem ſuis ſumtibus comparabit, eumque Antiocho Epiphani opponet.

III. EGRESSUS, ſive *Eventus triplex*, quem Angelus prædixit.

1. *Infelix Ptolemæi Philometoris pugna, & Antiochi Epiphanis victoria*; de qua Angelus inquit: *Sed non conſiſtet Rex Auſtri.* h. e. Ptol. Philometor Rex Ægypti victoriam amittet, & Antiochus Epiphanes ſuperior erit. Cauſa infelicis ſucceſſus Regis Ægypti, & victoriæ Regis Syriæ, erit perfidia Conſiliariorum Ptolemæi. Quia (inquit Angelus *v.* 25, 26.) *cogitabunt contra eum cogitationes; & comedentes portionem cibi ejus, frangent eum: & exercitus illius* (Antiochi Epiphanis) *exundabit, & concident conſoſſi multi.* h. e. illi ipſi, qui ſtipendia à Rege Ægypti accipient, & ex ejuſdem menſa cibum capient, exercitum Regis ac Domini ſui prodent: exercitus autem Antiochi Epiphanis inſtar diluvii ſeſe diffundet, & copias Regis Ægypti ſubvertet.

II. *Pax inter utrumque Regem ſancita, ſed fucata & lubrica.* De qua Angelus ita vaticinatur: *Et ambobus Regibus animus malefaciendi erit, & in eadem menſa mendacium loquentur. ſed non ſuccedet: quia adhuc terminus erit ad conſtitutum tempus.* h. e. Ptolemæus Philometor clade accepta, ſuaſu Conſiliariorum ſuorum pacem ab Antiocho Epiphane petet, & impetrabit; ſed pax illa ſimulata & fucata utrinque erit. Nam uterque de alterius exitio cogitabit. Et licet Ptolemæus Philometor Antiochum hoſpitio & convivio accipiet, magniſque muneribus donabit: tamen animis erunt disjunctiſſimis, & capitali odio flagrantiſſimis. Verum Deus neutri concedet, ut alterum è medio tollat: *Quia adhuc finis in aliud tempus.* h. e. quia nondum venit tempus fini utriuſque Regis & regni à Deo præſtitutum. Quin potius conſtituto tempore diſſolvetur, & paulo poſt in cruentum bellum commutabitur.

III. *Antiochi in terram ſuam reverſio magna*

cum opulentia. v. 28. De quo eventu Angelus ita vaticinatur: *Et revertetur in terram ſuam cum opulentia magna.* h. e. Antiochus Epiphanes, inita pace cum Ptolemæo Philometore ſimulata & doloſa, in Syriam revertetur magnis cum divitiis, partim ex ſpoliis Ægypti, partim ex Ptolemæi Regis donatione contractis.

BELLUM III.

Antiochi Epiphanis contra AEgyptum.

Hoc bellum ab Angelo deſcribitur *triplicitèr.*

1. Χρονικῶς, ratione TEMPORIS. De quo ait *v.* 29. *Statuto tempore revertetur.* h. e. Antiochus Epiphanes, cum putabit commodam oblatam ſibi eſſe occaſionem opprimendi Ptolemæum Philometorem, iterum invadet Ægyptum. Quod quidem poſt biennium, cum jam Ptolemæus Philometor cum Ptolemæo Phyſcone fratre reconciliatus eſſet, factum eſt.

2. Τροπικῶς, *ratione* MODI; de quo inquit Angelus *verſ.* 29. *Revertetur & invadet Ægyptum.* Hiſtorici docent, Antiochum Epiphanem Ægyptum ter intraſſe. Cum enim prima & ſecunda vice fraus omnino ex voto ei non ſucceſſiſſet, tertio reverſus magnis copiis Alexandriæ Ptol. Philometorem obſedit.

3. Ἐκβατικῶς, *ratione* EVENTUS; de quo iterum Angelus *v.* 29. *Sed non erit ut prius, & ut poſterius.* (vel: ſed non fiet, ut prima vice & ut altera.) h. e. Antiochus Epiphanes non obtinebit victoriam contra Ptolem. Philometorem, nec ſubjugabit Ægyptum, ſicut ei contigerat in expeditione prima, de qua *verſ.* 24. neque ut in ſecunda, de qua *verſ.* 25, 26. Additur ratio ab Angelo *v.* 30. *Nam venient contra eum naves Chittæa, unde dolore afficietur.* h. e. Romanorum legati vecti navibus ex Cilicia, vel ex Macedonia, venient contra Antiochum Epiphanem, eique in nomine Senatus Romani mandabunt, ut Ægypto abſtineat. Quod completum eſſe Hiſtorici teſtantur. Nam ita ſcribit *Velleius Paterculus lib.* 1. *Hiſt. Rom.* Cum Antiochus Epiphanes Ptolemæum puerum Alexandriæ obſideret, miſſus eſt ad eum Legatus M. POPILIUS LÆNAS, qui juberet cœpto deſiſtere. Hic mandatum Senatus Romani ei expoſuit, & Regem deliberaturum ſe dicentem circumſcripſit virgula, juſſit prius reſponſum reddere, quam egrederetur circumſcripto arenæ circulo. *Plutarch. Apophtheg. pag.* 364. ita rem deſcribit: *M. Popilius* à Senatu literas Antiocho attulit, quæ eum ex Ægypto jubebant exercitum abducere, neque Regnum pupillorum Ptolemæi vita defuncti ſibi vindicare. Accedens per caſtra, eminus ab Antiocho comiter ſalutatus; At ille non reddita ſalute epiſtolam tradidit; qua lecta, cum deliberatione habita reſponſurum ſe Rex diceret, palmite Popilius Regem circumſcripſit, dicens: Hic ergo ſtans, delibera & reſponde. Omnibus magnanimitate hominis perculſis, cum Antiochus profiteretur ſe ex ſententia Romanorum acturum, ita demum Regem ſalutavit amplexuſque eſt *Popilius. Hæc Plutarchus.*

Joſephus lib. 12. *Ant. Jud. cap.* 6. ita ſcribit: *M. Popilius Lænas* Legatus Romanorum navibus appulſus Alexandriam, Antiochum virga circumſcribens circulo in arena, illi dixit: Senatus populuſque Romanus præcipiunt, ut Ægypto recedas, nec pugnes in Ptolemæos: & iſto in loco reſpondeas, quid conſilii geras, an pacem, an bellum cupias. Quibus ille perterritus ait: Si hoc placet Romanis, diſcedendum eſt. Itaque ſtatim exercitum movit, atque ex Ægypto diſceſſit. Exemplum pulcherrimum hoc loco habemus, quam verum ſit Emblema illud Senecæ: *Omne ſub Regno graviore regnum eſt.*

III. EGRESSVS.

Antiochus ex Ægypto rediens, re male geſta, minatus eſt ſe urbem (Jeroſolymam) facturum commune totius gentis ſepulcrum; ſed in itinere curru excuſſus, morbo fœdiſſimo affligitur, vermibus tanto fœtore è putrefacti corpore erumpentibus, ut nemo ſervorum eum ferre poſſet. Simulatam agens pœnitentiam, multa Judæis incredibilia promittit, & tanto cruciatu animi atque corporis conſumitur, ut nihil cogitari atque dici poſſit ærumnoſius. Extra patriam in agro moritur, & Antiochiam defertur. Regnavit annos 12. *Vide* 2 *Maccab.* 9. *v.* 5.

IX. ANTIOCHUS EUPATOR.

I. ORTVS.

Antiochus Eupator Ἀντίοχος Εὐπάτωρ (Bonus Pater) fuit *Antiochi Epiphanis*, tyranni & ſacrilegi iſtius filius.

II. PROGRESSVS.

1. REGNI OCCUPATIO.

Antiochus Eupator, mortuo patre *Antiocho Epiphane*, opera *Lyſiæ* tutoris & educatoris ſui, ad Regnum pervenit. Nam ita ſcribitur 1 *Macc.* 6. *v.* 17. Et cognoſcens *Lyſias* mortuum eſſe *Antiochum Epiphanem*, conſtituit Antiochum filium ejus, qui regnaret pro eo: quem educavit adoleſcentem, & impoſuit ei nomen EUPATORIS.

II. RE-

II. REGNI ADMINISTRATIO.

BELLUM I. contra Judæos geſtum.

Antiochus Eupator regno accepto, bellum Judæis infert, tantis viribus, quantis antehac nemo Regum Syriæ fecerat. Nam numerus exercitus ejus erat 100000 peditum, & 20000 equitum, & elephanti XXXII docti ad prælium. Cum hoc exercitu profectus eſt per Idumæam, & obſidione cinxit Bethſuram. 1 *Maccab.* 6. *verſ.* 30, 31. eamque occupavit, & in ea præſidium collocavit. *verſ.* 53. Similiter Jeroſolymam obſidione cinxit, quam tamen conſilio *Lyſiæ* Ducis ſui ſolvit, & Judæis pacis conditiones propoſuit, quas ipſi cupide accipiunt, & Regem intra mœnia intromittunt. At Rex, qui juramentum fecerat Judæis, cum urbem ingreſſus munitionem montis Zion videret, juramento perfide violato, ne rebellio timenda eſſet, mœnia arcis dirui juſſit. *verſ.* 51, 58, 60, 61, 62. Paulo poſt bellum reparat, ingentemque exercitum in Judæam ſecum adduxit. 2 *Maccab.* 13. *verſ.* 12. At Judas Maccabæus cum militibus ſuis illi obviam proceſſit, eoſque hortatus eſt, ut fortiter dimicarent, & uſque ad mortem pro legibus, templo, civitate, patria, & civibus ſtarent. Circa Modin exercitum conſtituit. Deinde data militibus teſſera, vel Symbolo militari; DEI VICTORIA, *Luth.* gab jhnen dieſe wort zur loſung: Gott gibt ſieg, noctu invaſit caſtra Regis, & interfecit viros 4000, & maximum Elephantorum, cum his qui ſuperpoſiti fuerant, ſummoque metu & perturbatione caſtra hoſtium repleverunt, & rebus proſpere geſtis diſceſſerunt. *verſ.* 14, 15, 16. Cumque Antiochus Eupator caſtra ſua ad Bethſuram munitum Judæorum propugnaculum admoveret, in fugam vertebatur, impingebat & minuebatur. *verſ.* 19. Victus autem ad pacem renovandam compulſus eſt. *verſ.* 22. Atque *Judæam Maccabæum*, Ducem & Principem fecit à Ptolemaïde uſque ad Gerrenos. *verſ.* 24.

Antiochus Eupator, cum ex Lyſia Duce ſuo cognoviſſet, *Menelaum* apoſtatam omnium turbarum & totius belli authorem eſſe, eum ſecum abduxit Beream in Syriam, ibique eum interfecit, quum jam decennio Sacerdotio functus fuerat, 2 *Macc.* 13. *v.* 4.

BELLUM II. contra Philippum Tutorem Regni ſeditioſum.

Cum Philippus Regni adminiſtrator (cui *Antiochus Epiphanes* æger filium cum diademate annulo commendaverat) Antiocho Eupatore in Judæa bellum gerente, per ſeditionem Regnum occupare conaretur, Eupator facta cum Judæis pace, feſtinanter è Judæa profectus Antiochiam occupavit, & Philippum fugavit: qui in Ægyptum fugiens vita ſpoliatus eſt. 1 *Macc.* 6. *v.* 33.

III. EGRESSVS.

Denique Antiochus Eupator à *Demetrio Sotere* agnato ſuo captus, vita regnoque privatus eſt, anno Regni ſecundo. 2 *Macc.* 14. *v.* 1, 2.

X. DEMETRIUS I. SOTER.

I. ORTVS.

Demetrius I. *Soter*, Δημήτριος, h. e. populi cor vel terror, des Volcks Hertz oder ſchrecken / X Rex Syriæ, *Seleuci Philopatoris* VII Regis Syriæ filius, Antiochi Epiphanis VIII Regis Syriæ patruelis.

II. PROGRESSVS.

I. ACTA OECONOMICA.

Hic *Demetrius* I. *Soter duos habet filios. Prior* fuit *Demetrius* II, Rex Syriæ XII, qui Alexandrum Balam, XI Syriæ Regem, parricidam è regno ejecit, illudque occupavit. *Poſterior* fuit *Antiochus* V *Sidetes*, Rex Syriæ XV.

II. ACTA POLITICA.

I. REGNI OCCUPATIO.

Occupavit hic Demetrius regnum Syriæ.

1. *Partim per aſtutiam.* Quia à patre *Seleuco Philopatore*, loco *Antiochi Epiphanis* Romam obſes miſſus fuit: quo mortuo, cum à Romanis non dimitteretur, conſilio uſus Polybii Hiſtorici exulis, ſed libere agentis, ſpecie venationis ab urbe profectus è cuſtodia Romana elabitur, Tripolin occupat, & favore ſecundo exceptus, exercitum ad occupandum Regnum undique colligit. *Polybius. Joſephus.*

2. *Partim per violentiam.* Quia hic *Demetrius Seleuci* filius anno 151. (regni nimirum Syriaci) exiit ab urbe Roma. Et factum eſt, ut ingreſſus eſt domum regni patrum ſuorum, (h. e. Antiochiam regni metropolin, & ſedem regiam) comprehendit exercitus *Antiochum* (Eupatora) & *Lyſiam* Tutorem & Regis Ducem, ut adducerent eos ad eum (Regem *Demetrium.*) Et res ei innotuit, & ait: Nolite mihi oſtendere faciem illorum. Et occidit eos exercitus. 1 *Maccab.* 7. *verſ.* 1, 2, 3, 4. Quare Demetrius I, Antiocho Eupatore & Lyſia interfectis, Regnum occupavit.

Anno { 3813 Ab orbe condito. | 3 Regni Antiochi Eupatoris. | 588 A condita urbe Roma. | 157 Ante Chriſtum natum.

II. REGNI ADMINISTRATIO.

I. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Alcimum, transfugam ex Iſraël & proditorem, ſummum Sacerdotem Hieroſolymis conſtituit per Bacchidem. 1 *Macc.* 7. *verſ.* 5, 9. Hic Alcimus fuit homo impiiſſimus, fax & tuba omnis mali in populo Iſraël: Accuſat *Judam Maccabæum*, quod à lege divina nollet recedere, & diſperderet amicos Regis. Qua accuſatione *Demetrius* impulſus, Bacchidem cum exercitu in Judæam miſit, & poſtea *Nicanorem*. 1 *Macc.* 7. *v.* 5, 8. & *cap.* 4. *v.* 26. Præterea *Alcimus* manus ſuas rapina, furtis & cædibus polluit, murum atrii templi interioris demolitur. 1 *Maccab.* 9. *v.* 54. Tandem manu Dei juſti judicis percuſſus, morbo ferali mutus jacuit, & cruciatus intolerabiles ſenſit. Animam perfidam ac fœdam exhalavit, anno Sacerdotii ſui 4. Urbs ſine Sacerdote fuit annos 7; uti *Hegeſippus* ſcribit. Vide 1 *Macc.* 9. *v.* 55, 56.

II. *ACTA POLEMICA.*

Demetrius Soter, inſtinctu *Alcimi* transfugæ & proditoris, *bellum contra Judæos* geſſit.

I. Per Bacchidem.

Quem cum ingenti exercitu in Judæam miſit; eique *Alcimum*, quem Bacchides ſummum Sacerdotem Jeroſolymis conſtituerat, tanquam comitem adjunxit. Magnam tyrannidem in Judæa exercuit; Judæos multos, verbis ipſius doloſis fidem habentes, crudeliter mactavit, inque puteum magnum præcipitavit; & amicos *Judæ Maccabæi* inquiſitos ſuppliciis exquiſitis affecit. 1 *Maccab.* 7. *verſ.* 9, 19. Et poſtea regione *Alcimo* commiſſa, ad *Demetrium* Regem rediit. *v.* 20.

II. Per Nicanorem.

Cum *Alcimus* apoſtata & proditor videret, Judam comiteſque ejus prævalere, & ſe non poſſe ſuſtinere eos; reverſus ad Regem Demetrium, multis criminibus accuſavit eos. Quapropter Demetrius Nicanorem, unum nobilium ſuorum Principum Judæis infenſiſſimum, miſit, dans ei in mandatis, ut totam Gentem Judæorum exſtirparet. 1 *Macc.* 7. *v.* 26. Nicanor ut mandato Regis ſatisfaceret, *induebat*

1. *Pellem vulpinam*, h. e. *fraudulenter* agebat. Nam venit Jeruſalem, & miſit ad *Judam Maccabæum*, & fratres ejus, doloſe verbis pacis dicens: Non ſit pugna inter me & vos; veniam cum viris paucis, ut videam facies veſtras cum pace. Quare congreſſi ſunt, & alter alterum pacifice ſalutavit. Sed hoſtes erant parati, ut abriperent Judam. Quæ Nicanoris fraudulentia *Judæ Maccabæo* innotuit. *v.* 27, 28, 29, 30.

2. *Pellem leoninam.* Cum enim fraudulentia ejus diutius celari non poſſet, violenter agere cœpit. Nam proceſſit obviam Judæ in pugnam, juxta Cepharſalma, (pagum in agro Samaritano) ſed pugnam amiſit. Ceciderunt enim de exercitu Nicanoris quaſi 5000 viri, & fugerunt in civitatem David. *v.* 31, 32. Admiſſus in urbem, extenſo brachio contra templum Domini juravit, in ira dicens: Niſi traditus fuerit Judas, & exercitus ejus in manus meas, continuo cum regreſſus fuero in pace, ſuccendam Domum iſtam. *v.* 33. 35. 2 *Maccab.* 14. *verſ.* 33.

Quam blaſphemus autem Nicanor fuerit, ex 2 *Macc.* 15. *v.* 3, 4, 5. patet. Ubi hæc verba leguntur: Interrogavit ille ſceleratiſſimus: An eſſet in cœlo princeps, qui præcepiſſet Sabbatum celebrari. Quibus reſpondentibus: Dominum viventem eum Principem eſſe in cœlo, qui juſſerit diem ſeptimum celebrari: *Ego vero*, inquit, *alter ſum Princeps in terra, qui præcipio ſumi arma, & Regis mandata impleri*, &c. Tandem prœlio cum Juda commiſſo, 35000 de exercitu ejus cadunt, ipſe inter cadavera exanimis invenitur; cui & lingua præſecta eſt, & caput, humeri, brachium, & dextra amputata, & publice ſuſpenſa ſunt. Factum hoc eſt die 13 menſis Adar, h. e. Martii. Is dies poſtea in populo Judaico ſolennis fuit, in memoriam hujus victoriæ. 1 *Macc.* 7. *v.* 42, 43, 46. 2 *Maccab.* 15. *verſ.* 27, 28, 30, 32, 33, 35, 37. *Joſephus l.* 12. *Antiqu. Judaic.*

III. Rurſus per Bacchidem & Alcimum.

Cum enim Demetrius Rex cognoviſſet, cæſum à *Juda Maccabæo* eſſe Nicanorem, *ſecundo* miſit *Bacchidem* & *Alcimum* in Judæam, cum ſelectiſſimo exercitu. Cum Juda Maccabæo congreditur: in quo conflictu Judas fortiter pugnans occubuit. 1 *Macc.* 9. *v.* 1. 18. Cui *Jonathas* frater ſubſtituitur, qui in die Sabbati mille viros de exercitu Bacchidis cecidit. *v.* 19. *Alcimus* proditor muros domus ſanctæ interioris dirui juſſit. *v.* 50. ſed percuſſus à Deo paralyſi interiit. *v.* 55. Mortuo autem *Alcimo*, à quo inſtigabatur Bacchides, ad Demetrium in Syriam rediit, & ſiluit terra Juda annis duobus. *v.* 57. Poſtea rurſus ab apoſtatis Judæis evo-

evocatur, qui perdendi Jonathæ ſpem ipſi fecerant. Quem cum neque capere ſecurum, neque expugnare armatum poſſet, authores ejus conſilii jugulat. *v.* 68, 69. Tandem fœdus cum *Jonatha* facit, captivos reſtituit, neque ſe in Judæam reverſurum juramento pollicetur. *v.* 70, 71.

III. EGRESSVS.

Ab Alexandro, Antiochi Epiphanis filio, (h. e. nepote) Regnum Syriæ ſibi vindicante, impugnatus Rex *Demetrius*, ſocietatem cum *Jonatha* inire voluit, eumque promiſſis & largitionibus pene infinitis ſollicitavit: Sed Judæi memores ejus ſævitiæ, & infidelitatis, cum hoſte ipſius Alexandro ſe conjungunt, qui *Demetrium* victum, & regno & vita ſpoliavit. 1 *Maccab.* 10. *v.* 26, 49, 50.

Interiit anno { 3824 ab orbe condito. / 605 ab ædificata urbe Roma. / 11 Regni ſui in Syria. / 146 ante Chriſti nativitatem.

XI. ALEXANDER I. BALA, ſeu VELES: Aliis ALEXANDER EPIPHANES, vel NOBILIS.

I. ORTVS.

Alexander Bala, fuit *filius Antiochi Epiphanis*; uti vocatur 1 *Maccab.* 10. *v.* 1. Alii dicunt, quod infimæ ſortis homo fuerit, & pro filio Antiochi ſe venditarit.

II. PROGRESSVS.

1. ACTA OECONOMICA.

Alexander Bala Ptolem. Philometoris VI Regis Ægypti filiam *Cleopatram* in uxorem duxit. Nuptiæ in urbe Ptolemaïde ſunt celebratæ, ad quas etiam *Jonathan* ſummus Sacerdos ab Alexandro invitatur; qui utrique Regi ſplendida offert munera. Ideoque contra invidos & accuſatores regia autoritate defenditur. 1 *Maccab.* 10. *verſ.* 54. ad 60.

II. ACTA POLITICA.

1. Hic Alexander exiguis copiis inſtructus, & à vicinis Regibus adjutus, Ptolemaïdem urbem proditione militum Demetrii occupat. Demetrius vero, audito hoc nuncio, exercitum ſtatim colligit: & cum metueret, ne *Jonathas* Dux Judæorum ad Alexandrum propter injurias illatas deficeret, amicitiam ipſi offert, & obſides Judæorum in arce Sidonis detentos parentibus remittit. Quare Jonathas Jeroſolymam profectus, obſides recipit, Jeroſolymis habitare incipit, & muros urbis inſtaurat. *Joſephus l.* 13. *Antiq. Judaic. c.* 3. 1 *Macc.* 10. *v.* 1, 2, 3. 9.

2. Alexander Rex, ut *Jonathanem* ab amicitia Demetrii avertat, plura & longe majora Jonathæ concedit: Inſuper purpuram, coronam auream, & ſtolam ſacerdotalem ipſi mittit, ipſumque Pontificem ſummum in populo *Judaico* facit. Jonathas veſtem Pontificalem induit, anno Græcorum 160, ſeptimo menſe, in feſto Scenopegias, die 3 Octobris, feria ſeptima, quatuor annis (ut *Joſephus* habet) poſt mortem *Judæ Maccabæi*. Itaque *Demetrius*, ob injurias populo Judaico illatas, & auxiliis & armorum ſocietate excidit, & diſſidentibus Regibus Syriæ Politia Judæorum aliquo modo reſtituta fuit. 1 *Maccab.* 10. *v.* 15, 18, 20.

Cum autem Rex Alexander magnum exercitum collegiſſet, caſtra metatus eſt ex adverſo *Demetrii*, & commiſerunt prælium duo iſti Reges, & fugit exercitus *Demetrii*, & perſecutus eſt eum Alexander, cum prævaluiſſet ei. 1 *Maccab.* 10. *verſ.* 48, 49, 50.

III. EGRESSVS.

Tandem Ptol. Philometor Rex Ægypti, Alexandri ſocer, conſilia fraudulenta init, quibus regnum *Alexandri* obtineret, illudque ſuo regno adjiceret. 1 *Maccab.* 11. *verſ.* 1, 8. Idcirco filiam ſuam Cleopatram abeo abductam Demetrio, Demetrii I filio, deſpondet, ſicut legitur 1 *Maccab.* 11. *v.* 9, 10. Mittit (Ptolemæus Philometor) ad Demetrium, dicens: Veni, componamus inter nos pactum: & dabo tibi filiam meam (Cleopatram) quam habet Alexander; & regnabis in regno patris tui. Pœnitet enim me, quod dederim illi filiam meam. Quæſivit enim me occidere.

Speciosus quidem hic, ſed falſus prætextus erat, quo Ptolemæus generum ſuum regno ſpoliare volebat. Poſtea Ptolemæus ingreſſus Antiochiam, impoſuit duo diademata capiti ſuo, Ægypti & Aſiæ. Rumore tali percepto, Alexander è Cilicia properat; victuſque prælio, & in Arabiam fugiens, à Zabdiele hoſpite Arabe caput ejus tollitur, & Ptolemæo mittitur. 1 *Maccab.* 11. *v.* 10. ad 17. inclusive.

XII. DEMETRIUS II. NICANOR.

I. ORTVS.

Demetrius II *Nicanor*, fuit Demetrii I, cognomento *Soteris*, X Regis Syriæ filius. Demetrius enim *duos* habuit *filios*. *Prior* erat Demetrius II, Rex Syriæ XII, qui Alexandrum Balam XI Syriæ Regem è regno ejecit: Et hic eſt Demetrius

ille, de quo hoc loco agimus. *Posterior* erat Antiochus V. Sidetes, Rex Syriæ XV; de quo postea agemus.

II. PROGRESSVS.

1. REGNI OCCUPATIO.

Cum Ptolem. Philometor VI Rex Ægypti, libidine dominandi impulsus, ex Ægypto in Syriam proficiscerctur ad Alexandrum XI Syriæ regem, generum suum, ut ei regnum eriperet, sub hoc prætextu, quasi vitæ ejus insidias struxisset: Filiam suam *Cleopatram* ei ademit, eamque Demetrio II in uxorem dedit, cumque eo fœdus pepigit. 1 *Maccab.* 11. *v.* 8, 9. Postea cum eo prælio congressus, eum victum è Regno ejecit: atque ita Demetrius II Alexandro Balæ in regno successit. 1 *Maccab.* 11. *v.* 19.

Anno { 3830 ab orbe condito. / 611 à condita urbe Roma. / 6 Regni Alexandri in Syria. / 140 ante nativitatem Christi.

II. REGNI ADMINISTRATIO.

1. *Demetrius* Jonathan Judæorum Ducem, quibus potuit muneribus honorat & ornat, eumque inter amicos intimos numerat, præsidia sua Hierosolymis educit, summum Pontificatus honorem eidem confirmat, adversariis ejus aures non præbet, dat ei Judæam cum tribus Toparchiis, Samaria, Joppe, & Galilæa; sub tributo tamen trecentorum talentorum. 1 *Maccab.* 11. *vers.* 26, 27, 28, 41.

11. Cum Demetrius propter gravia & enormia scelera in odio omnium esset, *Diodorus* cognomento *Tryphon*, qui olim Dux militiæ apud Alexandrum Balam XI Syriæ regem fuerat, Antiochum Alexandri filium in regnum reducere, excusso Demetrio, conatur. Nam milites & cives Antiocheni seditione concitata Demetrium regem in arce obsident; sed unius Jonathæ beneficio, quod ipsi 3000 Judæorum misit, conservatur. Interficiuntur enim à Judæis 120000 civium; Antiochia incenditur, & spoliatur. 1 *Maccab.* 11. *v.* 39, 44, 46, 48. Verum *Demetrius* maximorum beneficiorum immemor, ictum cum Jonatha fœdus nefarie violat, atque Judæos variis afficit incommodis. 1 *Maccab.* 11. *v.* 52, 53.

III. EGRESSVS.

Posthæc reversus est *Tryphon*, & *Antiochus* cum eo, puer adolescens; & regnavit, atque diadema sibi imposuit. Et congregati sunt ad eum omnes exercitus, quos dispersérat Demetrius, (quoniam exercitum ex incolis conscriptum dimiserat, eaque re maximum sibi odium conflaverat) & pugnaverunt contra eum, & fugatus est è regno. 1 *Maccab.* 11. *v.* 54, 55. Demetrius è regno pulsus, in Macedoniam ad auxilia contrahenda profectus est, ut Tryphoni bellum inferret. Verum ab Arsace rege Medorum & Persarum captus in custodiam traditus est. 1 *Maccab.* 14. *v.* 1, 2, 3. Postea vero dimissus in Hyrcaniam relegatus est: sicut *Orosius* & *Justinus lib.* 36. scribunt. Regnavit annos V.

OBSERVATIO.

ARSACES est cognomentum Regum Parthorum, qui in Media & Persia regnarunt: uti patet ex *Justino*, qui (ex *Trogo l.* 41.) ita scribit: ARSACES (Rex Parthorum) quæsito simul constitutoque Regno, non minus memorabilis Parthis, quam Persis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus, matura senectute decessit. Cujus memoriæ hunc honorem Parthi tribuerunt, ut omnes exinde reges suos ARSACIS nomine nuncupent.

Quare per ARSACEN, cujus 1 *Maccab.* 14. *vers.* 2. fit mentio, *Mithridates* Rex Parthorum post *Arsacen* VI intelligitur, qui prædictum Regem cepit, & postea dimisit: uti *Orosius* & *Justinus* scribunt.

XIII. ANTIOCHUS ENTHEUS.

I. ORTVS.

Antiochus Entheus, quasi divinus, Rex Syriæ XIII, fuit Alexandri Balæ XI Regis Syriæ filius, è Cleopatra, Ptol. Philometoris Ægypti Regis filia, genitus.

II. PROGRESSVS.

1.

Hic Antiochus in aula Regis Arabiæ educatus, ad recuperandam sedem paternam à Tryphone animatur, capta Antiochia & elephantis regis, opera *Diodoti Tryphonis* Tutoris sui, ex Arabia in Syriæ regnum, Demetrio fugato, reducitur, Tryphone potestatem exercente. 1 *Maccab.* 11. *v.* 54, 55.

11.

Cum *Jonatha* & *Simone* amicitiam coluit, eosque maximis beneficiis sibi devinxit: sicut legimus 1 *Macc.* 11. *v.* 57. Scripsit Antiochus adolescens *Jonathæ*, dicens: Stabilio tibi Sacerdotium, & constituo te super quatuor civitates, ut sis de amicis Regis. *v.* 58. *Et misit illi vasa aurea in ministerium; & dedit ei potestatem bibendi ex aureis, & purpu-*

ram

ram induendi, & habendi fibulam auream. v. 59. SIMONEM *quoque fratrem ejus constituit Ducem à tractu Tyri usque ad terminos Ægypti.*

III. EGRESSVS.

Anno regni secundo, ætatis decimo, à Tryphone Tutore & Duce suo per scelus interficitur, corruptis Medicis: qui, adolescentem dolore calculi consumi, ad populum mentiti, dum secant illum, occiderunt.

XIV. TRYPHON.

I. ORTVS.

Tryphon, Τρύφων, delicatus, verzärtelt/ fuit extraneus, nempe Apamiensis, natus in Casiano castello; uti *Strabo* scribit. Alio nomine dictus fuit DIODOTUS. Olim Dux militiæ apud *Alexandrum Balam* XI Syriæ Regem fuit: Postea vero Rex Syriæ XIV factus est.

II. PROGRESSVS.

1. REGNI OCCUPATIO.

Hic Tryphon Antiochum Entheum, cujus tutor & gubernator erat, ex *Arabia* in regnum reduxit, & Demetrium II, cognomento *Nicanorem*, regno exuit. Quo facto, Antiochus Entheus, adhuc puer, diadema regni in urbe Antiochia sibi imposuit. 1 *Maccab.* 11. *v.* 54, 55. Verum Tryphon libidine dominandi flagrans, deque Antiocho pupillo suo interficiendo consilia agitans, metuit *Jonatham* Judæorum Ducem, ne ille cædem Regis ulciscatur. Ejus enim opera in Demetrio profligando, antea usus fuerat feliciter. 1 *Maccab.* 12. Ideoque ipsi insidias struxit, & tandem eum in urbe Ptolemaïde cepit: & omnes, qui cum ipso intraverant, gladio interfecit. *v.* 48. Et postea collecto exercitu ex urbe contra Judæos proficiscitur, ut eos sub jugum reducat; & Jonathanem victum secum ducit. 1 *Maccab.* 13. *v.* 12. Sed SIMON, qui electus erat Dux Judæorum, ipsi commeatum intercludit: ideoque ubique impeditus, simulat, se Jonathan dimissurum, si trecenta sibi talenta argenti, & filii Jonathæ obsides darentur. Sed Tryphon, acceptis obsidibus & pecunia, & patrem & filios è medio tolli jussit; quos *Simon* postea in Modin sepelivit. 1 *Maccab.* 13. *v.* 19, 23, 25.

Quo scelere commisso, postea etiam Antiochum pupillum per medicos, quos pecunia corruperat, è medio sustulit. Hi namque ad populum mentiebantur, puerum dolore calculi graviter laborare atque consumi. Ideoque cum quarto anno secantes occidunt, postquam Tryphon tutelam ejus suscepisset. *Josephus l.* 13. *c.* 12. Inde persuasis militibus, Tryphon diadema regni sibi imponit, illudque per triennium gerit.

II. REGNI ADMINISTRATIO.

Tryphon regia dignitate ornatus, magnam in subditos atque milites crudelitatem exercuit, semper sui similis, blanda loquens, scelerata perpetrans, nulli fidus, nisi suæ utilitatis gratia. Idcirco subditi atque milites ad *Cleopatram* Demetrii II Nicanoris, XII Regis Syriæ, uxorem deficiunt; & fratrem Demetrii *Antiochum Sidetem* in auxilium vocant: *Cleopatra* Antiocho & connubium & regnum offert: Non abnuit Antiochus, & milites contra Tryphonem conscribit. *Josephus lib.* 13. *Antiq. cap.* 12.

Postea à SIMONE Duce populi Judaici adjutus, Tryphonem acie victum, & è Syria ejectum in Castro Doræ munitissimo obsidione cinxit.

III. EGRESSVS.

Tandem Tryphon in castro Doræ obsessus, rebus desperatis aufugit, & Apameam venit: ubi urbe vi expugnata captus & interfectus est, postquam triennium ad regni gubernacula sederat. 1 *Maccabæor.* 15. *Josephus lib.* 13. *Antiq. Judaic. cap.* 12.

XV. ANTIOCHUS VII.
SIDETES PIUS, vel SOTER.

I. ORTVS.

1. *Generatio.* Antiochus VII, Rex Syriæ XV; fuit *Demetrii* I *Soteris* filius: *Demetrii* II, cognomento *Nicanoris*, apud Parthos captivi frater.

2. *Appellatio.* Hic Antiochus à Syris SIDETES, à Græcis SOTER, à Judæis PIUS cognominatus est. Quia, cum urbem Jerosolymam obsidione cinxisset, & pacem cum *Johanne Hyrcano* fecisset, propter tabernaculorum festum, ad eum misit *Sidetes* taurum eximium, & pulchre ornatum, ut Deo Israëlis offerretur: inde PIUS est à Judæis appellatus; ut postea plenius dicemus.

II. PROGRESSVS.

1. Regni occupatio.

Cum Tryphon, Antiocho Entheo pupillo Syriæ Rege XIII nefarie occiso, Rex declaratus, in milites suos crudeliter sæviret; illi, mores ejus pertæsi, defecerunt ad Cleopatram, Demetrii II Nicanoris uxorem, quæ se cum liberis Seleuciæ incluserat. Hæc cum sibi metueret à Tryphone, ad Antiochum

Antiochum Soterem Demetrii fratrem, qui tunc obtinebat, nec ab ulla civitate recipiebatur, misit, ut auxilia sibi ferret, ipsi conjugium & regnum offerens. Quam conditionem Antiochus accepit, & magnam militum vim cogens, Tryphonem acie vicit, & regnum quod per fraudulentiam occupaverat, & per violentiam hactenus possederat, recepit. 1 *Macc. c.* 15. *Joseph. lib.* 13. *Antiq. cap.* 15.

II. Regni administratio.

I.

Antiochus Sidetes in Regni administratione homo perfidus & fœdifragus fuit. Cum enim Tryphoni bellum inferret, Legatos ad *Simonem* Pontificem Magnum mittebat; eique & populo Judaico privilegia omnia & immunitates, quas à prioribus Regibus acceperant, confirmabat, & augebat; potestatem quoque proprium numisma in Regione sua cudendi concedebat. Quibus blanditiis *Simonem* in suas partes pertraxit, qui ei selecta auxilia misit. Postea vero cum Tryphonem vicisset, eumque è Syria ejecisset, Rex fortuna ebrius, auxilia *Simonis* reposcit, & rupto fœdere omnia per *Athenobium* Legatum impudenter repetit, quæ concesserat; urbes etiam Joppen, Gazam, & arcem Sionis sibi tradi jubet, & insuper mille talenta. 1 *Maccab. cap.* 15. *v.* 1, 2, 3, 4, 5, 11, 25, 26, 27, 30, 32.

Judæis autem imperium detrectantibus, per *Cendebæum* Ducem suum misso exercitu bellum intulit. Hic Cedron castrum ædificat & munit, & Gazenses vastat. 1 *Maccab.* 15. *v.* 38, 39, 40, 41.

At *Johannes Hyrcanus*, & *Judas* filius *Simonis* senioris, cum *Cendebæo* prælio congrediuntur, eum vincunt, atque è regione sua profligant, & castrum Cedron diruunt. 1 *Maccabæor. 16. vers.* 1, 2, 4, 8, 9, 10.

II.

Antiochus Rex, ut Judæos sub jugum redigeret, anno M. 3840. magno cum exercitu Jerosolymam obsidet. Hyrcanus vero, cum esset annus Sabbaticus, atque adeo non abundaret commeatu, imbellem turbam ex urbe ejicit. Sed Antiochus eandem circa murum urbis concludit, nec in agros evagari, aut alio discedere patitur: Quapropter, ne fame perirent, in urbem recipiuntur. Cum *Scenopegias* festum adveniret, petit *Hyrcanus* inducias ab hoste, ad celebrandum illud festum: quas Antiochus non solum concedit; sed etiam tauros auratis cornibus, poculaque aurea atque argentea omni genere aromatum referta, in templum offerenda misit. Johannes Hyrcanus ejusmodi pietate delectatus, & de tam pio Rege optime sperans, missis ad eum legatis pacem cum eo fecit, in hasce conditiones, ut Hyrcanus 500 talenta solveret, & auxiliares copias Antiocho, si bellum gereret, adduceret. Hyrcanus aperto sepulcro Regis Davidis, tria millia talentorum invenit; solvit, quod debuit; & Regem Antiochum liberalissime tractavit. *Joseph. l.* 13. *cap.* 16.

III. EGRESSVS.

De exitu hujus Regis *Appianus* sub finem libri *de Bellis Syriacis* ita scribit:

Antiochus capti Demetrii frater, postquam Rhodi de captivitate fratris, & quid sequutum sit, didicit, in patriam reversus, Tryphonem magno labore victum interfecit. Moxque contra Phraatem (Parthorum Regem) cum exercitu profectus, fratrem repetens. Ille suis rebus metuens, remisit Demetrium. Antiochus nihilominus cum Parthis congressus prælio, & victus, sibi manus violentas intulit, anno regni 10. *Hæc Appianus.*

XVI. DEMETRIUS II NICANOR Redux.

I. ORTVS.

Hic Demetrius II, Demetrii I filius, & Antiochi Sidetis frater, fuit antea Rex Syriæ XII. Sed regno pulsus, à Græcis contra Arsacem, h. e. Mithridatem Parthorum Regem, qui tum Medis atque Persis imperabat, accersitus est, eumque aliquoties vicit. Sed tandem astu captus, honorifice habitus est, & nuptiis filiæ Mithridatis, cui nomen RODUGUNE erat, honoratus; sicut *Appianus in libro de bellis Syriacis* scribit.

II. PROGRESSVS.

Postea cum Antiochus Sidetes Parthorum regnum infeliciter invasérat, dimissus in Syriam rediit, auxiliis & copiis Parthorum instructus, regnum amissum recepit. *Josephus lib.* 13. *Antiqu. c.* 16. Anno autem à reditu in regnum suum quarto, odia Syrorum adeo adversus eum creverunt, ut coacti sint Legatos mittere ad *Ptolemæum Physconem*, vel *Euergetem* II, Regem VII Ægypti, ut aliquem è Seleuci genere daret iis, quem possent sibi Regem constituere. Cumque is misisset *Alexandrum Zebennam* vel *Zebinam*, is pro Rege à Syris receptus est, & commisso prælio adversus Demetrium, à suis derelictum, facile eum vicit fugavitque.

III. EGRESSVS.

Demetrius è pugna fugiens ad urbem Ptolemaïdem,

maïdem, cum undique circumſtantibus malis premeretur, ab omnibus deſeritur; ab uxore etiam Cleopatra, quæ prius uxor ejus fuerat, & liberis, qui portas ipſi claudunt. *Juſtinus.* Cum autem Demetrius nuſquam locum inveniret, ubi conſiſteret, Tyrum fugit in Templum, loci religione ſe defenſurus; ſed ab inimicis extractus inde, ac miſere diuque vexatus, tandem interficitur, anno regni 3. *Joſeph. lib.* 13. *Antiqu. cap.* 17.

Quanquam *Appianus ſub finem libri de bellis Syriacis* ſcribat, eundem Demetrium ab ipſa Cleopatra fuiſſe necatum, quæ inſidias (inquit) ei molita eſt, propter æmulationem poſterioris nuptæ, nempe RODOGUNES, Parthorum Regis filiæ.

XVII. ALEXANDER II. ZEBENNA vel ZEBINA.

I. ORTVS.

Alexander Zebenna vel *Zebina*, XVII Rex Syriæ, fuit homo extraneus, nempe Ægyptius, Protarchi negotiatoris filius.

II. PROGRESSVS.

Hunc Alexandrum Zebennam Ptolemæus Phyſcon Demetrio II Regi Syriæ XVI oppoſuit, Regemque conſtituit: quaſi eſſet Antiochi Sidetis filius. Is cum videretur ex animo flere, cum oſſa Antiochi ex Parthia in Syriam afferrentur, magnam authoritatem ſibi conciliavit.

A *Ptolemæo* ingentibus copiis inſtructus, Demetrium prælio victum è regno ejecit, eique ſucceſſit. *Juſtinus.*

Cum autem Alexander fortuna ebrius, & ſucceſſu rerum tumens, etiam Ptolemæum Regem Ægypti ſperneret, à quo regnum habebat, à Ptolemæo oppugnatur, qui *Antiocho Grypo* magna auxilia contra Alexandrum miſit; qui pugnans cum Alexandro, eum vicit, & Antiochiam fugavit. *Juſtin. lib.* 39.

III. EGRESSVS.

Alexander inops pecunia, ut haberet unde militibus ſtipendia ſolveret, aureum Jovis ſimulacrum è templo evelli jubet. Quapropter urbe ejicitur, & deſertus à militibus, à latronibus capitur, & Grypo traditus interficitur, anno regni 2. *Juſtinus lib.* 39.

XVIII. ANTIOCHUS GRYPUS.

I. ORTVS.

1. *Appellatio.* Antiochus VIII, Rex Syriæ XVIII, cognomento Γρῦπος, latine GRYPHUS, aliis GRYPUS. Sic dictus à naſi magnitudine; uti *Juſtinus l.* 39. ſcribit.

Nam *Grypus* ſine aſpiratione, dicitur, qui naſum habet aduncum; fortaſſis à Gryphorum ſimilitudine, quos Græci Γρῦφας vocant. Feruntur enim Gryphes roſtrum habere incurvatum, in morem Aquilæ.

2. *Generatio. Pater* ejus fuit Demetrius II Nicanor, XII & XVI Rex Syriæ. MATER ejus fuit *Cleopatra*, Ptolemæi Philometoris VI Regis Ægypti filia. Hæc Cleopatra à patre ſuo initio elocata fuit Alexandro Balæ, XI Regi Syriæ; poſtea eidem rurſus erepta, & Demetrio II Nicanori matrimonio juncta fuit.

NOTA.

Hæc Cleopatra ambitioſa & tyrannica fœmina fuit. Crudelitatem enim immanem exercuit.

I. *Erga Demetrium maritum*; quem poſt cladem ab *Alexandro* Zebenna acceptam, & ad ſe in urbem Ptolemaïdem fugientem, porta excluſit, juxta *Juſtinum*; vel, eum necavit, juxta *Appianum*: uti antea in hiſtoria *Demetrii* II Regis Syriæ XVI diximus.

II. *Erga Seleucum filium*: qui poſt obitum patris Demetrii diadema ſumſit. Sed hunc Cleopatra mater, ſagitta ſua manu emiſſa, confixit. *Appianus. Juſtinus* addit cauſam. Quoniam (inquit) ſine matris authoritate diadema ſumſiſſet.

III. *Erga Gryphum* filium, quem veneno interficere voluit: uti poſtea dicemus.

II. PROGRESSVS.

I. Acta OEconomica.

Conjux ejus fuit *Tryphæna*, Ptolemæi Phyſconis vel Euergetis II Ægypti Regis *filia*: quam ei elocavit, eumque copiis inſtruxit, ut Alexandrum Zebennam è regno pelleret.

Filii ei ex Tryphæna geniti fuere 4: nempe, *Seleucus, Philippus, Antiochus*, & *Demetrius*.

II. Acta Politica.

I.

Rex Syriæ à matre *Cleopatra* conſtituitur, eatenus, ut nomen Regis penes filium; jus autem omnis imperii penes matrem eſſet. *Juſtinus lib.* 39.

Grypus autem recuperato patrio regno, externiſque periculis liberatus, matris inſidias vix evaſit. Hæc enim, cum cupiditate dominationis, prodito marito *Demetrio*, & altero filio (Seleuco) interfecto, hujus quoque victoria inferiorem dignitatem ſuam factam doleret, venienti ab exercitatione veneni poculum obtulit. Sed Grypus prædictis ſibi jam ante inſidiis, veluti pietate cum matre certaret, bibere eam jubet, abnuenti inſtat. Poſtremo prolato indice, eam arguit, ſolam deferi-

ſionem ſceleris ſupereſſe affirmat, ſi bibat, quod filio obtulit. Sic victa Regina, ſcelere in ſe verſo, veneno, quod alii paraverat, exſtinguitur. *Juſtinus ibidem.*

II.

Primo bellum geſſit cum *Alexandro Zebenna*, quem, à Ptolemæi Phyſcone Ægypti Rege adjutus, & copiis inſtructus, vicit & fugavit; ſicut in hiſtoria Alexandri *Zebennæ* §. 2. diximus.

Deinde bella geſſit cum *Antiocho Cyziceno*, fratre ſuo uterino, qui Cleopatram, Ptolemæi Phyſconis Ægypti Regis demortui viduam, in uxorem duxit; à qua egregio exercitu inſtructus, cum fratre Grypo prælio congreditur, & vincitur. Victor Grypus Antiochiam, ubi uxor Cyziceni erat, obſidet, & capit una cum Cleopatra; quæ adducta ad Tryphænam Grypi conjugem, atrociſſime interficitur in templo, quo confugerat; Grypo multum repugnante. *Juſtinus.*

Antiochus Cyzicenus, collecto & reparato exercitu, cum Grypo iterum pugnat, & vincit; uxoremque ejus Tryphænam, quæ uxorem Cyziceni interfecerat, capit, & ſupplicio ejus viciſſim ſuæ uxori parentat. *Juſtinus.*

III. EGRESSUS.

Tandem *Antiochus Grypus* Heracleonis inſidiis trucidatur, anno ætatis 45, regni vero 29.

XIX. ANTIOCHUS CYZICENUS.

I. ORTUS.

Antiochi Cyziceni *pater* fuit *Antiochus* VI *Sidetes*, Rex Syriæ XV. *Mater* fuit *Cleopatra* Ptolemæi Philometoris, VI Regis Ægypti filia. *Frater* ejus uterinus fuit *Antiochus Grypus*, XVIII Rex Syriæ.

II. PROGRESSUS.

I. Acta OEconomica.

Antiocho Cyziceno nubit *Cleopatra*, Ptolemæi Phyſconis VII Regis Ægypti demortui vidua; eique, ne indotata in conjugium veniret, exercitum Ptolemæi in Cypro ſollicitatum velut dotalem adducit. *Juſtinus.*

II. Acta Polemica.

Hoc tempore regnum Syriæ bellis inteſtinis per octo annos miſere concuſſum & labefactatum eſt. Quod ut melius intelligatur, *Genealogia* hæc notanda eſt.

Grypus. *Antioch. Cyzicenus*, fratres uterini.

Seleucus V.
Antiochus.
Philippus.
Demetrius.

Antiochus Euſebes.

BELLUM I.

Bellum primum geſſit *Antiochus Cyzicenus* cum fratre ſuo Antiocho Grypo, ſed vincitur. Deinde mox collecto & reparato exercitu, cum Grypo iterum pugnat, & vincit.

BELLUM II.

Inter Antiochum Cyzicenum & Seleucum V.

Antiochus Cyzicenus, occiſo ab Heracleone Grypo, filium ejus nomine *Seleucum* V bello aggreſſus eſt; ſed infelici ſucceſſu. Nam prælio captus trucidatuſque, pœnas ambitionis ſuæ luit. Cui ſucceſſit filius ejus *Antiochus* cognomento *Euſebes*, uti *Joſephus* tradit.

BELLUM III.

Inter Antiochum Euſebea, & Seleucum V.

Antiochus Euſebes, Antiochi Cyziceni filius, mortem patris vindicaturus, *Seleucum* patruelem ſuum, primum Grypi filium bello invadit, & uno prælio victum è tota Syria expulit. Illa fuga delatus in Ciliciam, & receptus à Mopſeatis, cum tributa exigeret, ab iiſdem cum regia & amicis vivus crematus eſt. *Joſephus lib. 13. cap. 21.*

BELLUM IV.

Inter Antiochum II *Grypi filium & Antiochum Euſebea, Cyziceni filium.*

Antiochus II *Grypi filius*, & Seleuci V frater, fratris necem ulturus, *Antiochum Euſebea*, *Cyziceni filium*, bello invadit; ſed victus, & vitam & exercitum ſimul amittit. Poſt quem *Philippus* tertius Antiochi Grypi filius, aſſumpto diademate, in parte Syriæ regnat. *Joſephus.*

BELLUM V.

Inter Demetrium Eucerum & Philippum fratres, Antiochi Grypi filios.

Demetrius IV, Antiochi Grypi filius, à *Ptolemæo Lathuro* Ægypti Rege ad Damaſcum Rex conſtituitur: ſed cum arma contra Philippum fratrem ſuum ſumeret, Philippus, impar viribus, Parthorum Regem Mithridatem in auxilium vocavit; qui *Demetrium* in caſtris obſidet, & fame, ſiti, atque miſſilibus

libus adeo urget, ut ſe dederet *Mithridati*, à quo cuſtodiæ mancipatus eſt. *Philippus* ab hoſte liberatus regno Syriæ per biennium præfuit; quo exacto, à Gabinio captus eſt. *Joſephus lib.* 13.

III. EGRESSVS.

Tandem Antiochus Cyzicenus à SELEUCO V, Antiochi Grypi filio, quem bello aggreſſus eſt, captus & trucidatus eſt, poſtquam circiter 18 annos regnaſſet. *Euſebius.*

XV. TIGRANES.

I. ORTVS.

Tigranes Rex Armeniæ Majoris fuit. Sed cum regnum Syriæ mutuis fratrum Seleucidarum odiis, inteſtinis diſſidiis atque bellis diu quaſſatum eſſet, populus ad externa auxilia confugiens, hunc Tigranem inſtructum, præter domeſticas vires, & Parthica ſocietate, & Mithridatis affinitate, accerſivit. Is Syriam & Phœnicem vi occupavit, atque ad Regni gubernacula 18 annos ſedit. *Livius.*

II. PROGRESSVS.

BELLUM I. *cum Lucullo.*

Cum Mithridates Rex Ponti, ſocer Tigranis Romanis magnam cladem intuliſſet, totamque Aſiam occupaſſet, & 80000 civium Romanorum in Aſia occidiſſet, à Senatu Romano contra eum miſſus eſt Lucullus cum exercitu, qui Mithridatem in Pontum perſequutus, eum Romanis legionibus patefecit, qui antea populo Romano ex omni aditu clauſus fuerat, & ubique adverſus Mithridatem feliciter pugnavit, occiſis 60000 hoſtium. Inde *Mithridates* ad Tigranem in Armeniam confugit. Tigranes ſocerum magno timore perculſum humaniter excepit. Interim Lucullus hoſtem perſequens, immenſas Regis utriuſque copias aliquot præliis concidit.

Plutarchus Apophth. pag. 364. de hoc bello ita ſcribit: Lucullus in Armenia cum decem gravis armaturæ militum millibus, & mille equitibus, contra Tigranem contendebat, inſtructum 71 millium exercitu: idque pridie Nonis Octobris, qua die Cimbri ante copias Cæpionis deleverant. Dicente tunc quodam, iſtam diem abominari Romanos & formidare: Pugnemus ergo, inquit, hodie ſtrenue, ut diem quoque ex nefaſta & triſti feſtam lætamque Romanis reddamus. Cumque à Cataphractis maxime ſibi metuerent milites, bono eos animo eſſe juſſit. Plus enim in ſpoliandis iis fore laboris, quam in vincendo. Primus ad tumulum aggreſſus, cum motum videret barbarorum, exclamavit: Vicimus, ô commilitones! Nulloque ſubſiſtente perſequens hoſtem; quinque duntaxat amiſſis, ultra 10000 hoſtium interemit.

BELLUM II. *In quo victus eſt à Pompeio.*

Deinde Pompeius à Senatu Romano miſſus eſt contra Mithridatem & Tigranem. Cum autem in Aſiam veniſſet, perſequitur Mithridatem fugientem, ipſumque nocturno prælio victum, iterum coëgit ad Tigranem generum confugere; ſed ab illo non recipitur, quod filius *Tigranis* ad Parthos confugiſſet, & Patri bellum faceret: Sed pater filium prælio vicit. Pater in anguſtiis conſtitutus, & metuens poteſtatem Romanorum, dedit ſe Pompeio. Quem cum in caſtris ſuis ſupplicem, humique proſtratum vidiſſet Pompeius, manu porrecta erexit, regiumque diadema, quod ille de capite ſuo abjecerat, rurſus capiti ejus impoſuit, eum in gratiam recepit, regnumque Armeniæ ei reſtituit. Filius vero Tigranis, quod nullo modo patri reconciliari vellet, à Pompeio in vincula conjicitur, & in hybernis conſervatur. *Diod. Juſtin. lib.* 40. *Appianus de bellis Syriacis.*

III. EGRESSVS.

Tigrani devicto Pompeius regnum Armeniæ reſtituit, æque pulchrum eſſe judicans, & vincere Reges, & facere: uti *Valer. Maxim.* ſcribit. Regnum vero Syriæ ei ademit, quod hactenus annis 18 tenuerat. Et hoc modo Syria in poteſtatem Romanorum pervenit, & à Pompeio in formam provinciæ redacta eſt.

SOLI DEO GLORIA.

DE MONARCHIA QUARTA, *Quæ eſt* ROMANORUM, *LIBER IV.*

TRACTATIO GENERALIS.

PRÆCOGNITA.

IN præcognitis notanda ſunt *quatuor*. 1. Monarchiæ quartæ *appellatio*. 2. Typica ejus *præfiguratio*. 3. Generalis Monarchiæ quartæ *delineatio*. 4. Monarcharum quartæ Monarchiæ *catalogus* ſive *enumeratio*.

PRIMO:

MONARCHIÆ QUARTÆ Appellatio.

Hæc Monarchia quarta *duplici* inſignitur nomine.

1. Vocatur *Monarchia Romana*, ab urbe *Roma*, vel à primis Imperatoribus Romanis, qui everſa Monarchia tertia (quæ Græcorum ſive Macedonum fuit) ſummum hoc imperii ἀξίωμα in urbe Roma primo erexerunt, omneſque in orbe gentes ſubjugarunt, ſibique ſubjecerunt: unde urbs Roma dicta eſt caput Mundi, & Romani appellati ſunt Orbis Domini; ſicut vere Martialis canit:

Terrarum Dea, gentiumque Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

Et Propertius:

Omnia Romanæ cedant miracula terræ;
Natura hic poſuit, quicquid ubique fuit.

Item *Ovidius* lib. 2. Faſtorum:

Gentibus eſt aliis tellus data limite certo,
Romana ſpatium eſt Urbis & Orbis idem.

In eandem ſententiam *Plutarchus* ſcribit: Romanum Imperium velut anchora fuit fluctuanti mundo. Et *Livius lib.* 1. Nulla, ait, unquam Reſpubl. nec major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit.

Similiter in diviſione Imperii, quum Conſtantinus M. Imperator ſedem imperii Conſtantinopolin transferret anno Mundi 4276, anno Chriſti 306, ut aliud imperium Orientis, aliud Occidentis eſſet, tum nihilominus manſit Monarchia Romana: Quia Conſtantinopolis *Byzantium* olim dicta, NOVA ROMA appellari cœpit.

2. Vocatur hæc Monarchia *Romano-Germanica*; quod nomen accepit tempore Caroli M. Imperatoris, qui expulſis Longobardis ex Italia, primus author fuit ſummæ dignitatis Germaniæ collatæ, primuſque Monarchiæ Romanæ ἀξίωμα Germanis attulit: Unde merito ipſius memoria apud nos Germanos ſancta eſſe debet. Quia non ſine ratione ſacra eſt magnarum virtutum memoria; uti recte inquit *Seneca lib.* 4. *de benef. cap.* 30.

SECUNDO:

MONARCHIÆ QUARTÆ Præfiguratio.

Monarchia quarta in *duabus viſionibus* apud Danielem præfigurata eſt. In PRIMA viſione comparatur Tibiis ferreis, cujus pedes ex parte ſunt *ferrei*, ex parte *fictiles*. *Dan.* 2. *verſ.* 33.

In SECUNDA viſione adumbratur per *Beſtiam ἀνώνυμον*, monſtroſam, terrificam, adſpectu horrendam, atque ferociſſimam, quæ dentibus ſuis longe lateque ſit graſſatura. *Dan.* 7. *v.* 7.

EXPLICATIO PRIORIS VISIONIS.

In priori viſione, quæ Nabuchdonoſori in ſomnio offertur, & *Dan.* 2. deſcribitur, duo veniunt conſideranda.

SOMNIUM REGIS NABUCHDONOSORIS, quod deſcribitur hiſce verbis:

V. 33. Tibiæ autem FERREÆ (ſcil. ſtatuæ, quam

quam tu Nabuchdonoſor in ſomnio vidiſti, inquit Daniel ad Regem) pedum pars quædam erat ferrea, quædam autem fictilis.

V. 34. Videbas ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus; & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.

V. 35. Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, & redacta quaſi in paleas de area æſtiva, quæ rapta ſunt vento, nulluſque locus inventus eſt eis: Lapis autem qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram.

Interpretatio ſomnii DANIELIS *à verſ.* 40. *ad* 46.

V. 40. Et regnum quartum erit fortitudinis ratione, velut ferrum: & ſicut ferrum conterit, ſic conteret & comminuet omnia hæc. *v.* 41. Porro, quia vidiſti pedum & digitorum partem teſteam figuli, & partem ferream: regnum diviſum erit; & tamen de plantatione ferri erit in eo, ſecundum quod vidiſti ferrum miſtum teſtæ ex luto. *v.* 42. Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles: circa finem, regnum illud erit ex parte validum, & ex parte fragile. *verſ.* 43. Quod autem vidiſti ferrum miſtum teſtæ ex luto, commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhærebunt ſibi: ſicuti ferrum miſceri non poteſt teſtæ. *v.* 44. In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit DEUS cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet univerſa regna hæc: & ipſum ſtabit in æternum. *v.* 45. Propterea vidiſti, quod de monte abſciſſus eſt lapis, ſine manibus, & comminuit teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum. DEUS magnus oſtendit Regi, quæ ventura ſunt poſtea: & vere hoc eſt ſomnium, & fidelis interpretatio ejus, *&c.*

Vberior explicatio.

In hac viſione Nabuchdonoſoris *duo* præfigurantur *regna*, nempe *Terreſtre* & *Cæleſte*.

I.

De Regno terreſtri.

Per *Regnum* terreſtre intelligitur *Monarchia* quarta, quæ deſcribitur *verſ.* 33, 34, 35. in qua viſione quarta Monarchia præfiguratur *ſextuplici*ter.

1. Per TIBIAS. Idque quadruplici de cauſa.

Primo: Propter *ſituationem* vel *ordinem*. Quia ſicut tibiæ ſunt pars corporis humani infima atque ultima; ita quoque Romana Monarchia eſt inter Monarchias ultima & poſtrema, & uſque ad finem mundi durabit.

Secundo: Propter *actionem*. Sicut homo tibiis ingreditur & currit: ita quoque Romani Imperatores prœliis atque victoriis pene univerſum Orbem terrarum peragrarunt: Nam progreſſu temporis ita formidabiles omnibus gentibus terræ eſſe cœperunt, ut ortum & occaſum Imperii ſui terminos poſuerint, totiuſque orbis terrarum Domini exſtiterint; Unde pulchre *Petron. Arbiter* in Satyra inquit:

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terra, qua ſidus currit utrumque.

Tertio: Propter *robur* & *fortitudinem*. ſicut tibiis omne corporis pondus fulcitur & ſuſtinetur, eæque omnia membra corporis inferiora portant; unde emphatice vocantur in linguâ Sancta איש החיל viri virtutis vel roboris, h. e. robuſti, Luth. Die ſtarken: *Eccleſiaſtæ* 12. *v.* 3. Ita quoque Romani Imperatores tanta potentia, animique robore divinitus inſtructi fuerunt, ut omnia regna priora dominatione ſua complexi ſint, ſufficienteſque fuerint ad tantam imperii molem ſuſtinendam & ſuſtentandam.

Quarto: Propter *conſtitutionis rationem*. Sicut in tibiis multum eſt oſſis & carnis; in oſſe durities & firmitudo, in carne teneritudo & mollitudo: ita quoque in Romanis Imperatoribus magnum fuit robur atque fortitudo ad eos, qui ipſis repugnabant, debellandos & ſubigendos; ſimiliter magna in eis fuit clementia & fides erga populos ſibi ſubjectos: Quam ob cauſam *Virgilius lib.* 6. *Æneidos* Romanos magnifice commendat hiſce verſibus:

Tu regere imperio populos, Romane, memento,
Hæ tibi erunt artes, paciſque imponere morem,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Confer elegantem locum 1 *Maccab.* 8. *à verſ.* 1. *ad* 17.

2. Per TIBIAS DUAS.

Per *tibias duas* adumbrata eſt diviſio Quartæ Monarchiæ: Nam initio Monarchia hæc erat integra, poſtea erat diviſa in imperium Orientale & Occidentale. In illo erant Imperatores Orientis, qui Conſtantinopoli; in hoc erant Imperatores Occidentis, qui Romæ regnabant.

3. Per TIBIAS FERREAS.

Per has tibias ferreas notatur triplex Monarchiæ quartæ ſtatus ſecundum tres Ferri proprietates.

1. Ra-

1. Ratione *Ortus* notatur Romanæ Monarchiæ conſtitutio, atque amplitudo. Sicut enim ferrum omnia metalla robore ſuperat, eaque frangit & comminuit; ita etiam Romana Monarchia omnia prædicta regna vicit, ſibique ſubjugavit: ſicut *Dan.* 2. *v.* 40. prædictum eſt. Unde Romanum Imperium à Pompeio vocatum eſt παμβασιλεία, h. e. catholicum ſive univerſale regnum, verſiculis aureo Victoriæ ſimulacro inſcriptis, quum cœlitus illud tactum eſſet, dejectis alis: Natal. Com. in Mytholog. & in lib. 4. Epigrammatum Græcorum à Johan. Brudæo Turonenſi illuſtratorum; editione Baſileenſi, anno Chriſti 1549. pag. 487. ubi ita legitur:

Ἐς ἄγαλμα Νίκης ἄπτερος ἡ Ῥώμη, ἧς τὰ πτερὰ κεφαλὴ καὶ φλὶξ ἦν, Πομπηΐου.

Ῥώμη παμβασιλεία, πὶν κλέος ἦπτ' ἀλάτας.
Νίκη γάρ οἱ φυγεῖν ἄπτερος ἠδύνατας.

2. Ratione *Progreſſus* adumbratur conſtitutionis Monarchiæ quartæ *modus* atque *ratio*. Sicut enim ferrum eſt durum, quod duritie ſua omnia reliqua metalla vincit; ita quoque durus fuit hujus Imperii *Ortus* atque *Progreſſus*: Quia cum ſanguine cœpit, & ſanguine ſtabilitum fuit; adeo ut merito de eo dici poſſit:

Sanguine fundatum eſt hoc regnum; ſanguine cœpit;
Sanguine ſuccrevit; ſanguine finis erit.

Nam *Romulus* primus Rex Romanorum regnum ſuum Avi Numitoris, murosipſos Remi fratris, templum Soceri ſanguine dedicavit; uti *Oroſius* loquitur *lib.* 2. *cap.* 4. Ipſe quoque *C. Julius Cæſar* Monarchiæ IV. fundator & primus Imperator quinquagies bis conſerta manu cum hoſtibus conflixit: Quibus in prœliis circiter 1100000 periiſſe ſcribuntur. Similiter *Henricus Quartus Imperator* ſexagies bis aperto Marte cum hoſtibus dimicavit. Quibus in prœliis innumerabiles homines ferro exſtincti ſunt, atque ita multo ſanguine hæc Monarchia ſtabilita eſt.

3. Ratione *Egreſſus* notatur per *tibias ferreas* & *pedes ferreos* Monarchiæ quartæ duratio. Sicut enim ferrum omnia metalla duritie & duratione ſuperat; Ita quoque Monarchia quarta reliqua regna ſuperiora omnia fortitudine & duratione ſuperat: Quia à nulla vi humana, quantacunque etiam eadem fuerit, ſubigi poterit, ſed uſque ad finem Mundi durabit. Sicut enim Meſſias ſub initium hujus Monarchiæ, nempe Auguſto imperante, in hunc mundum natus venit; *Luc. c.* 2. *v.* 1. qui adventus fuit primus ſive incarnationis; ita quoque in fine hujus Monarchiæ in nubibus cœli veniet ad judicandum vivos & mortuos; qui adventus ultimus ſive glorificationis futurus erit; ſicut *Daniel* Propheta vaticinatus eſt *cap.* 2. *v.* 35, 45. *& cap.* 7. *v.* 9, 10.

Hinc olim *veteres Romani ferreos annulos* in manibus geſtarunt, & juxta conſtitutionem Aureæ bullæ *tit.* 4. Imperatoribus *ferrea corona* in coronatione imponi ſolet Aquiſgrani, ut ferrei regni à Daniele prædicti nomen decuſque retineatur.

Obſervatio.

Imperator recens electus ex more antiquo triplici corona inſigniri ſolet. 1. *Ferream* coronam *Aquiſgrani* ipſi imponit Elector Colonienſis: Aur. bulla *tit.* 4. ad adumbrandam ferream contra rebelles potentiam & ſeveritatem; deinde Trevirenſis Elector unctionem peragit. *Philip. Melanchth. in Orat. de coronat. Caroli* V.

2. *Argenteam* coronam ei *Mediolani* imponit Epiſcopus Mediolanenſis, qua ſerenitas & ſplendor Cæſareæ Majeſtatis & præeminentiæ præ omnibus Regibus terræ adumbratur: Nam Imperatores Romani orbis Domini, juxta Danielis vaticinium, ſalutantur.

3. Olim Romæ *Auream* coronam *Pontifex* Romanus ei impoſuit; quæ monitorium erat, mores Cæſaris electi *auro* conformes eſſe debere: idque,

Primo: propter *Præſtantiam*. Sicut enim aurum omnium metallorum eſt nobiliſſimum; ita quoque Imperator Romanus inter omnes Reges & Principes mundi maxime refulget, tanquam ſanctiſſimus & nobiliſſimus, ut & Chriſtianiſſimus.

Secundo: propter *Conſtantiam*. Sicut enim aurum in igne poſitum non fit deterius, ſed nitidius: ita quoque Imperatorum fides & verba non debent eſſe aquea (h. e. fluxa & mutabilia,) ſed *aurea* & *argentea*, (h. e. conſtantia & immutabilia.) Exemplum habemus memorabile in *Carolo* V. Imperatore: Hic quum à quibuſdam Pontificiis flabellis ac furiis Wormatienſibus inſtigaretur, ut ne fidem Luthero datam ſervaret, propterea quod ſecundum decretum Concilii Conſtantienſis hæretico non ſit ſervanda fides, animoſe reſpondit; Fidem rerum promiſſarum, etiamſi toto mundo exſulet, apud Imperatorem conſiſtere oportere. *Wilhelm. Zenocar. in vita Caroli* V.

4. De *tibiis ferreis* dicitur, quod PEDES habuerit ex parte FERREOS, ex parte TERREOS.

Hiſce verbis ſignificare vult Daniel Propheta, quod Romanum Imperium primo *Ferreum*, deinde

de *Terreum* ſit futurum: Quo notatur Romani Imperii *Mutatio*, ſive diverſa ſors & conditio, quod modo *ferreum*, h. e. robuſtum, modo *terreum* ſive *luteum*, h. e. contritum atque infirmum ſit futurum; uti ipſe *Daniel cap. 2. v. 42.* interpretatur. Et hoc ipſum *eventus* oſtendit. Nam *Romana Monarchia* erat *ferrea tempore Auguſti Imperatoris*, qui plurimas provincias ſibi ſubjecit, decretumque promulgavit, ut πᾶσα οἰκουμένη, h. e. totus orbis cenſeretur. *Luc. 2. 1.* Unde *Auguſtus* dicitur ab augendo, & omnes Imperatores ab eo *Auguſti* ſunt dicti: Alzeit Mehrer des Reichs. At *terrea* fuit *ſub Auguſtulo*, qui vocabulo diminutivo per contemtum ſic dictus eſt. Quia ſub eo robur Italiæ exſtinctum, & Occidens ab Imperio Romano avulſus eſt. Nam contra eum Odoacer Rex Herulorum arma ſumſit, eoque depoſito, finem Imperio Occidentali impoſuit; ſicut *Philipp. Melanchth. lib. 3. Chron.* ſcribit.

Similiter FERREA fuit *Monarchia quarta* ſub *Conſtantino M. Imperatore*, qui Orientis imperium reſtauravit, ſedemque Imperii Conſtantinopolin tranſtulit, quam *novam Romam* vocavit: At TERREA fuit ſub *Conſtantino Palæologo*, ultimo Græcorum Imperatore, quando urbs Conſtantinopolis à Mahomete Turcarum Imperatore anno Chriſti 1453 fuit capta, & finis Orientis Imperio impoſitus. Unde patet, quod etiam Conſtantini nomen fatale fuerit, juxta adagium; *Conſtantinus imperans ἀεὶ ἐπὶ πῆμα* fuit. *Philippus Melanchthon lib. 5. Chronic.*

Ita etiam FERREA fuit *Romana Monarchia* ſub *Carolo M.* qui multas provincias ab Imperio Romano avulſas recuperavit, & Imperium Occidentis reſtauravit, atque ad Germanos tranſtulit: At *ſub Carolo Craſſo terrea* fuit; Quia ipſe anno Chriſti 887, à Proceribus Imperii depoſitus, ad tantam egeſtatem redactus fertur, ut neceſſariis etiam alimentis deſtitueretur; ſicut *Rhegino Abbas* ſcribit: atque ita ſtirps Carolina in eo defecit.

Præſertim autem hoc noſtro ſeculo hæc Monarchia vere eſt *terrea*, id eſt, fragilis & infirma; uti ex hoc venuſto Epigrammate Ænigmatico, quod de Romano Imperio Baro *Lobkowitzius* concinnavit, patet:

Fulmine quæ nunquam fertur percuſſa volucris,
Caſibus ut variis, Sturne Poëta, patet!
Perdidit hæc alas *dudum*, caudamque, pedeſque:
Conceſſit Latio Pontificique caput.
VISCERA *nunc ejus vereor ne* LILIA *turbent.*
Altivola flos hic perniciosus avi eſt.

5. *Pedes* hujus ſtatuæ habent decem DIGITOS; qui ex parte ſunt *ferrei*, & ex parte *terrei*.

Hiſce *decem digitis* notatur quartam Monarchiam noviſſime in *decem Regna* diviſum iri; Sicut eadem decem regna *Dan. 7. v. 34.* per *decem cornua* ejus beſtiæ, quæ imaginem gerebat Romani Imperii, præfigurata eſt: quia per *fiſſionem pedum* in *decem digitos*, ſicut etiam *Dan. 7.* per *decem cornua* denotatur diviſio provinciarum Romani Imperii in totidem regna; videlicet Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, Britanniam, Sarmatiam, Pannoniam, Aſiam, Græciam ſive Macedoniam, & Ægyptum: Quia prædictæ provinciæ ab obedientia Romani Imperii ſe ſubduxerunt, ſibique proprios Reges conſtituerunt; ſicut in explicatione viſionis ſequentis plenius dicturi ſumus.

6. *Plantarium ferri manebit in eo*, v. 41. Luth. Des Eiſens Pflantze wird darin bleiben. Hæc verba διπλῶς intelligi poſſunt.

1. De *regni hujus tranſlatione*. Tum hic *ſenſus* eſt; Licet hoc Regnum quartum diviſum futurum ſit, & velut planta ad aliam gentem transferatur, tamen plantarium ferri in eo manebit; h. e. non aliud & novum erit regnum, ſed idem, nempe Romanum Imperium erit & manebit: Sic quando *Carolus M.* Imperator hoc ἀξίωμα Imperii à Græcis ad Germanos tranſtulit, tum Romanum imperium non eſſe deſiit, ſed manſit.

2. *De invicta regni hujus firmitate & robore.* Licet hoc regnum noviſſimis temporibus futurum ſit diviſum, *v. 41.* & ex ferro lutoque conflatum, h. e. ad ſummam infirmitatem redigendum, tamen plantarium ferri in eo manſurum eſt, h. e. radix & fundamentum hujus regni ita firmum & ſolidum erit futurum, ut nullus Regum terrenorum ante diem noviſſimum illud evellere & exſtirpare penitus poſſit. Quare turpiter errant Judæi, qui hoc regnum diviſum (de quo *Daniel v. 41.* loquitur) intelligunt de quinto Regno, nempe Turcarum, quaſi hoc regnum in Romanum & Turcicum ſit diviſum: Abſit! Nam 1. Daniel Propheta hoc loco de quatuor tantum regnis vaticinatur. 2. Quartum hoc regnum ferro mixto teſtæ ex luto comparat, *v. 41.* 3. De eodem ait *v. 41. Regnum diviſum erit*: Quibus verbis inſinuat, quod non aliud, ſed idem regnum ſit futurum; ſed in ſe diviſum. 4. De eodem *verſ. 42.* vaticinatur; Regnum *ex parte ferreum*, h. e. firmum, & *ex parte* erit *terreum*, h. e. infirmum & contritum: Quibus verbis non geminum regnum, ſed geminam unius regni, nempe Romani, faciem vel formam adumbrat; nempe *ferream* atque *luteam*, h. e. *robuſtam* atque infirmam: Quare abſurdum eſt, quod

Judæi

Judæi hoc regnum diviſum intelligant de Imperio Romano atque Turcico. Turca enim non eſt membrum Romani Imperii, ſed ejus juratus, æternus atque irreconciliabilis hoſtis; uti ex *literis Amurathis* III, Turcici Imperatoris, ad Rudolphum II. Imperatorem Romanum, anno 1593 miſſis, patet: Amurathes III. hujus nominis, potentiſſimus, invictiſſimus Imperator Conſtantinopolitanus, Thraciæ, Illyrici, Græciæ, Terræ Sanctæ, Aſiæ majoris & minoris, Aſſyriæ, Armeniæ, utriuſque Arabiæ, Syriæ, Ægypti, Sarmatiæ, utriuſque Turciæ, ſuperioris & inferioris, Palæſtinæ, Mauritaniæ, Tuneti Dominator, & Princeps totius orbis, omniumque Regnorum magni maris, Oceani, & Rex Mechæ & Algieræ, poſſeſſor ſepulcri Chriſti omnium Chriſtianorum Dei, in medio centro Hieroſolymis, Dominus in Europa, Aſia, Africa, America, omniumque inſularum totius magni maris, cujus potentia formidabilis omnibus, vaſtator & in æternum irreconciliabilis univerſi Chriſtianiſmi hoſtis, omniumque qui ſe Chriſtianos jactitant, *Filius Omnipotentis Dei*, qui juſſit, & mentem illuminavit ad oppugnandum Chriſtianos. Hactenus verba Epiſtolæ Amurathis. Et licet Turcicus Tyrannus Imperium Romanum conetur ſubigere, ſibique ſubjicere; attamen conatus ejus vanus & fruſtraneus erit. Quod in hoc venuſto Epigrammate ænigmatico adumbratum eſt, quod ita ſonat:

Lumine LUNA *notho credis te poſſe volucrum*
Ladere REGINAM, *quæ gerit arma Jovi:*
Falleris, hæc oculis radiati lumina Solis
Suſtinet, haud curans lumen in axe nothum.

Hic *Luna* Turcarum; *Aquila* Romani imperii inſigne intelligitur, quod nunquam vinci poteſt: Unde nos merito Imperatorem noſtrum *Auguſtum* & *Invictiſſimum* appellamus.

USUS.

Hinc patet, quod per *quartum Regnum* apud Danielem *Romana Monarchia* tit intelligenda; quod tribus argumentis demonſtramus.

1. Ex *ordine* & *connexione*, ex qua evidenter patet, quod, quum poſt obitum Alexandri Magni tertium Regnum, videlicet Monarchia Græcorum in quatuor partes diviſa eſſet, uti *Dan. c. 8. v. 8. & 22.* vaticinatus eſt; nullum aliud regnum ſucceſſerit, quod univerſa in poteſtatem ſuam redegerit, quam Imperium Romanum.

2. *A regni quarti deſcriptione*: Omnia, quæ à Daniele *cap.* 2. de tibiis duabus ferreis, habentibus pedes, atque decem digitos ex parte ferreos & ex parte luteos, dicuntur, in nullum ſub Sole regnum ita per omnia quadrant, ut in Romanum Imperium.

3. *A Chriſti nativitate & regni Spiritualis erectione*: Chriſtus naſci debuit tempore iſtorum regnorum, uti *Daniel* inquit *v.* 44. Jam vero Chriſtus natus eſt ſub Romana Monarchia, tempore Imperatoris Auguſti; uti *Lucas* Evangeliſta teſtatur *cap. 2. v. 1.* Ergo quartum iſtud regnum, ſub quo Chriſtus natus eſt, eſt quarta Monarchia.

Quod ut melius intelligatur, notandum eſt, quod *Daniel Propheta cap. 2. v. 33, 34.* deſcribat ſomnium Nabuchdonoſoris, quod viderit in ſomno ingentem coloſſum ſive ſtatuam quadrimembrem & quadriformem, cujus *caput* fuerit aureum, *pectus* & *duo brachia* argentea; *venter* & *fœmora* ærea: denique *tibiæ* ferreæ fuerunt, cujus *pedes* partim erant ferrei, partim fictiles.

Per hanc ſtatuam quadrimembrem quatuor Monarchiæ denotantur, juxta ipſius Danielis interpretationem *v.* 39, 40. Per *caput aureum* regnum ſive Monarchia Babyloniorum & Aſſyriorum: per *pectus argenteum* & *duo brachia argentea* Monarchia Medorum & Perſarum: per *ventrem æneum* & *fœmora enea* Monarchia Græcorum; denique per *tibias ferreas*, cujus *pedes partim ferrei*, *partim fictiles* erant, *Monarchia* quarta Romanorum præfiguratur.

II.

De regno Chriſti Spirituali.

Tempore autem hujus Monarchiæ quartæ Meſſias naſciturus erat, atque Spirituale regnum erecturus: uti patet ex ſomnio Nabuchdonoſoris; quod deſcribitur v. 34, 35. hiſce verbis: *Videbas ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos.* v. 35. *Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, & redacta ſunt quaſi in paleas de area æſtiva, quæ rapta ſunt de vento, nulluſque locus inventus eſt eis; lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus valde, & implevit univerſam terram.* Tum ex *interpretatione ſomnii Danielis*, quæ exſtat v. 44, 45. *In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur. Comminuet autem & conſumet omnia regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum: Propterea vidiſti, quod de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & comminuit teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum.*

Ex-

Explicatio verborum Danielis.

In hiſce verbis loquitur Daniel 1. de *Chriſto*. 2. De *Chriſti* regno, eoque tum *gratiæ*, tum *gloriæ*.

Primo: *Lapis* eſt *Chriſtus*, qui lapis & petra ſalutis noſtræ appellatur *Jeſai.* 28. *v.* 16. *Pſalm.* 118. 22. Hic locus allegatur *Matth.* 21. 42. *Zach.* 3. 9.

Secundo: Lapis hic *non de cælo decidit*, ſed *de monte abſciſſus* eſt, quo humanæ naturæ Chriſti veritas inſinuatur: Quia de monte abſciſſus eſt, h. e. è populo Judaico, qui inſtar montis à Deo exaltatus erat, *Deut.* 4. 7. oriundus, & ex ipſorum ſanguine prognatus eſt.

Tertio: *Lapis* hic *de monte* dicitur *abſciſſus*: Quia adventus Meſſiæ in carnem à Deo per Prophetas in V. T. promiſſus, diu fuit retardatus; at in plenitudine temporis (*Galat.* 4.) ſubito & præter omnium hominum exſpectationem eſt impletus; non ſecus ac ſi lapis ingens ſubito ex alto monte decideret.

Quarto: *Lapis* hic dicitur de *monte abſciſſus ſine manibus*, (ſc. hominum.) Quo notatur nativitas Chriſti mirabiliter ſingularis, & ſingulariter mirabilis: Quia non natus eſt vulgari modo. ſed abſque virili ſemine, non ex voluntate viri, ſed ex voluntate Dei; ut loquitur *Irenæus lib.* 3. *cap.* 28. ex Maria virgine, quæ ſine opera virili Chriſtum peperit.

Quinto: *Lapis percuſſit ſtatuam in pedibus. Dan.* 2. *v.* 34. Hic diligenter notandum eſt, quod Daniel dicit, Lapis percuſſit ſtatuam, *non in capite*, neque in pectore, neque *in ventre*. ſed *in pedibus*: quo ipſo adumbratum eſt, quod Chriſtus non ſub prima, neque ſub ſecunda, neque ſub tertia, ſed ſub quarta Monarchia, nempe Romanorum, naſci deberet: Cui vaticinio etiam *eventus* reſpondit: Quia Chriſtus natus eſt ſub imperio Auguſti, quæ πάσαν τὴν οἰκουμένην imperavit. *Luc.* 2. *v.* 1.

Sexto: *Lapis*, qui percuſſerat ſtatuam, *factus eſt mons magnus valde*, & *replevit univerſam terram. v.* 35. Significatur, quod Chriſtus Dominus totius Mundi factus ſit, cui Deus hæreditatem dedit gentes univerſas, *Pſalm.* 2. quique ſceptro verbi ſui in toto mundo regnaturus, inque medio inimicorum dominaturus, *Pſalm.* 110. *v.* 2. & omnes gentes in toto orbe ad regnum ſuum congregaturus ſit per Euangelii prædicationem, (quæ eſt ſceptrum regni Chriſti.) *Pſalm.* 110. *v.* 2. *Pſalm.* 72. *v.* 8, 11. *Zach.* 9. 10. *Jeſai.* 11. 9. *Marc.* 16. 20.

Septimo: *Lapis* hic *initio* fuit *parvus*; *poſtea* vero *factus eſt magnus*, *qui totum orbem implevit*. Notatur *duplex regni ſtatus*, *humiliationis* & *exaltationis*: Nam ſicut prius cadebat hic lapis deorſum, antequam aſſurgeret, & totum mundum impleret; ita quoque Chriſtus prius eſt humiliatus, & poſtea exaltatus & glorificatus. *Phil.* 2. *v.* 6.

Octavo: *De hoc lapide* inquit Daniel v. 44. *Comminuet & conſumet univerſa regna hæc.*

Quæ verba non intelligenda ſunt σαρκικῶς, ſicut *Megethius Marcioniſta* ea intellexit: nempe quod Chriſtus venturus omnia mundi regna quoad temporalem dominationem comminuturus & conſumturus ſive abolituru ſit: quod quia nondum factum ſit, quippe omnia mundi regna adhuc ſtent ſalva & inconcuſſa, concluſit inde, Meſſiam nondum in carnem veniſſe; uti recenſet *Anaſtaſius* in Quæſtionibus ſuis in ſacram Script. tom. 6. ſuæ Bibliothecæ ex Dialog. Origen. cum Megethio Marcioniſta habito.

Refutatio.

Verum hæc opinio eſt fanatica & carnalis, quia ſtatuit ille cum obſtinatis Judæis *regnum Chriſti* eſſe *mundanum vel terrenum*: quum tamen ipſe Chriſtus illud de hoc mundo eſſe neget, *Johan.* 18. quia *ſpirituale & cæleſte* eſt; ſicut *Daniel c.* 2. *v.* 44. illud *regnum cæli* appellat.

Verum intelligenda ſunt verba Danielis de *duplici* Chriſti *adventu*, nempe *primo* & *ſecundo*.

In *primo adventu*, quum Chriſtus regnum gratiæ hiſce in terris erexit, tunc omnia regna terræ comminuit & conſumſit, ſicut hoc loco Daniel Propheta ait. Et alia luculenta Scripturæ S. loca idem teſtantur: Nam *Pſalm.* 2. 9. Deus Pater de Chriſto filio ſuo Rege Zionis inquit: *Reges eos in virga ferrea*, (ſceptro ferreo) *& tanquam vas figuli confringes eos*: Ubi inſuper Regibus & judicantibus terram David minatur, ut huic Domino in timore ſerviant, eumque oſculentur, ne pereant in via. *Pſalm.* 68. 22. Deus confringet capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantium in delictis ſuis. *v.* 24. Propterea intingetur pes tuus in ſanguine; lingua canum tuorum de inimicis linget. *Pſalm.* 110. *v.* 5, 6. Dominus à dextris tuis *conteret in die iræ ſuæ Reges*: judicabit in nationibus, *implebit cadaveribus*; *conteret caput ſuper terras multas. Jeſai.* 60. *v.* 12. vaticinatur Propheta de Chriſto ejuſque regno: *Gens & regnum, quod non ſervierit tibi, peribit*; *& gentes vaſtando vaſtabuntur. & Zach.* 12. 3. ſimiliter inquit de Chriſto Rege: *Lapidem oneris ponam cunctis gentibus*: *omnes, qui levabunt eum, conciſione lacerabuntur*: *In die illa percutiam omnem equum in ſtuporem, & aſcenſorem ejus in amentiam.* Jeſai. 8. v. 13, 14. *Dominum exercituum ſanctificate, & erit vobis in ſanctificationem*;

nem ; in lapidem autem offenſionis , & in petram ſcandali duabus domibus Iſraël , in laqueum & ruinam habitantibus Jeruſalem. In hiſce vaticiniis omnibus & ſingulis manifeſte dicitur, quod Meſſias omnia regna mundi ſit invaſurus , conſumturus, & everſurus.

DUBIUM.

At quomodo hoc intelligendum eſt ?

Tertullianus in lib. ult. contra Judæos , & *Theodoretus in Dan. cap.* 2. ſcribunt , Chriſtum in fine mundi , vel in extremo judicii die omnia regna mundi deſtructurum.

RESPONSIO.

Hæc quidem reſponſio prædictorum Patrum *ſuo modo eſt vera* , ſed *non ſufficiens eſt*. Nam ſecundum Danielis mentem Chriſtus etiam in primo adventu ſuo omnia regna mundi contriturus erat : Quod tamen non intelligendum σαρκικῶς , *ſive carnaliter* , de temporali & externo iſtorum regnorum aut Regum dominio , quod obtinent in ſuos ſubditos , quaſi eos coronis , ſceptris, & faſcibus ſit ſpoliaturus , ſicut *Judæi* ſomniant ; ſed μυστικῶς, h. e. *de myſtico & ſpirituali dominio* , quo Reges Gentiles per Idololatriam nefandam , Diabolo inſtigante, tam animabus , quam corporibus hominum imperabant , eoſque Diabolo tenebrarum Principi mancipabant ; Quæ tyrannis plane immanis erat, ſub qua , duro ſervitutis jugo , omnes gentes premebantur. At hoc jugum humeri Meſſias in mundum veniens confregit, (uti *Jeſaias cap.* 9. *v.* 4. inquit) h. e. Ethnicam religionem & Idololatriam verbo Evangelii evertit , & ab hoc duriſſimo ſervitutis jugo omnes homines liberavit, eoſque in ſuum regnum aſſeruit.

Licet enim Chriſtus etiam in V. T. tempore trium Monarchiarum præcedentium Idololatriam gentilem oppugaverit , tamen eam funditus non expugnavit. Quare de evidentiori Idololatriæ gentilis everſione hoc loco Daniel vaticinatur , quæ ad ipſum Meſſiæ exhibiti adventum reſervata fuit ; ex quo velut infallibili κριτηρίῳ Judæi & Gentes agnoſcere debebant Meſſiam in carnem veniſſe, quando nempe ocularitèr vident , gentilem Idololatriam exſtirpari , & præcipue oracula Diabolica deficere ; idque juxta clariſſima Prophetarum vaticinia , quæ exſtant *Zach.* 13. *v.* 2. Et *erit in die illa , dicit Dominus exercituum , diſpergam nomina Idolorum de terra , & non memorabuntur ultra : & pſeudo-prophetas , & ſpiritum immundum auferam de terra.* Pſalm. 97. *v.* 7. *Confundantur omnes , qui colunt ſculptilia , & qui gloriantur in Elilim : Adorate eum omnes Angeli ejus. audivit & lætata eſt Zion.*

Horum vaticiniorum complementa.

Hæc autem Prophetarum vaticinia , nato Chriſto impleta ſunt , Idololatria gentium abolita eſt, & oracula in toto terrarum orbe defecerunt ; cultores Idolorum confuſi ſunt , & Satanæ regnum deſtructum eſt : Patet hoc ipſum ex hiſtoriis. 1. Nam ſcribit *Oroſius* , Romanos , quum quæſiviſſent ex oraculo , quamdiu templum pacis eſſet duraturum, hoc reſponſi tuliſſe ; *Uſque dum virgo pareret.* 2. Et *Romulum* , quum ſtatuam ſuam erigeret, dixiſſe, illam ſtaturam eſſe , donec Virgo pareret : quaſi dicat, uſque in æternum : Illud enim nunquam futurum putabant. At in ea nocte , qua Chriſtus natus eſt, templum illud pacis Idololatricum corruit in urbe Roma, & inter rudera inventi ſunt hi verſus :

Virginitas , partus , diſcordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

3. *Nicephorus l.* 1. *c.* 17. ſcribit; Quod Auguſtus Imp. Apollinem Delphicum conſuluerit, quis in Imperio Romano ſibi ſucceſſurus eſſet ? Apollo , parva interpoſita mora , hiſce verſibus Græcis hunc in modum reſpondit, ſicut *Suidas* ſcribit :

Ἑβραῖόν με παῖδα θεὸν αὐτὸν ἡγεμονεύοντα,
Τοῦδε δόμου θεσπέσιον, καὶ αἶψα κεύθεσιν ἰκέσθαι.
Λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμετέρων σύ.

hoc eſt.

Me puer Ebræus , Divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet , triſtemque redire ſub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus diſcedito noſtris.

Quibus verſibus Apollo rationem reddidit , cur oracula defeciſſent ; nempe, quod Chriſtus Dominus, & contritor capitis ſerpentini , natus in orbe eſſet : Idcirco Auguſtus Aram maximam in Capitolio exſtruxit cum tali inſcriptione : *Ara primogeniti Dei.*

4. *Suetonius in Auguſto p.* 45. ſcribit : Auguſtum quodam tempore in ſpectaculo publico conſediſſe , ubi inter alia hæc verba fuerint prolata : *O Dominum æquum & bonum* ! Ubi omnium aſſeſſorum oculi in Auguſtum fuere converſi , quia omnes hæc verba de eo intellexerunt. Verum Auguſtus ſequenti die edictum promulgavit , ne quis amplius Dominum ſe vocaret. Quo vel inſcius inſinuare voluit , Divina providentia cor ejus dirigente , ſe non dignum eſſe auguſto illo *Domini æqui & boni titulo* : Quoniam adſit major Dominus , videlicet Jeſus Chriſtus Dei & Mariæ Filius , Rex Regum , & Dominus dominantium , qui ſolus ſit Dominus æquus & bonus , & à quo omnes Reges terræ , tanquam vaſalli, regna ſua accipiunt.

5. *Ju-*

5. *Julianus Apoſtata oraculum Apollinis*, quod nato Chriſto, ſicut & reliqua, obmutuerat, reſtaurare decreverat; ad hanc rem peragendam, Orbaſio, Medico ac Quæſtore ſuo, Delphos miſſo: qui cum eo perveniſſet, & opus inchoaſſet, tale oraculum à Dæmone accepit; uti refert Cedrenus:

Corruit artifici vario certima labore
Conſtructa; hoc Regi redeuntes dicite veſtro.
Nec caſa, nec Phœbi reddens oracula laurus,
Ulla ſuper; nulla veniunt à fonte loquela.
Exſtincti laticeſque profunda ſilentia ſervant.

Huc etiam ſpectant verſus, quos citat Porphyrius libro περὶ ἐυλογίας φιλοσόφου.

Οἰ οἵμοι τρίποδες τάχα χάσκετι. οἴχετ' Ἀπόλλων,
Οἴχετ', ἐπὶ φλεγέει με βιάζεται ἠέρίον φῶς.

hoc eſt.

Heu heu tripodes, lugete; periit Apollo,
Periit, quoniam ardens mihi vim infert cæleſte lumen.

Huc quoque pertinet hiſtoria valde memorabilis de ruina templi Delphici facta tempore Juliani Imperatoris. Hoc Ethnicis præcipuum erat, ſed divinitus, non hominum manibus deletum eſt terræ motu & fulminibus, quum Julianus legatos eo miſiſſet, interrogaturus de eventu belli Perſici. Sæpe antea direptum & aliquoties deletum eſt templum Delphicum, ſed rurſus ædificatum eſt: At poſt hanc everſionem divinitus factam Juliani tempore, nunquam deinde reſtauratum eſt.

Unde patet, quomodo Chriſtus regna hujus mundi in *primo* adventu ſuo deſtruxerit, & comminuerit, nempe non Politice, quoad externam & corporalem dominationem; ſed myſtice, quoad vanam gentium religionem, Idololatriam atque ſuperſtitionem, quam ille abolevit non ferro, ſed verbo. Lapis ille myſticus adhuc confringit omnes Reges & regna, videlicet, quæ huic regno Chriſti ſe opponunt, neque hoſpitium ei præbent: Quia Chriſtus non tantum eſt petra refrigerii, ſed etiam lapis offenſionis, & rupes alliſionis, quo confringuntur cadentes, & irretiti capiuntur, quicunque offendunt in ipſum. *Jeſaiæ* 8. *v.* 14.

In *ſecundo* vero adventu; ſive in extremo judicio, Chriſtus omnia regna mundi comminuet, & conſumet conſummate & finaliter, quando electos in regnum gloriæ ſuæ introducet, quod ſancti de manu ejus ſuſcipient. *Daniel* 7. *v.* 27. tunc enim καταργήσει πᾶσαν ἀρχὴν, καὶ πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν, h. e. evacuabit omnem principatum, & omnem poteſtatem & virtutem. 1 *Cor.* 15. 24. h. e. omnia imperia mundana; quia tunc conterentur pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, fientque tanquam quiſquiliæ de areis æſtatis, quas elevat ventus, & nullus locus invenietur eis. *Daniel.* 2. *verſ.* 44.

USUS.

Ex illis, quæ hactenus dicta ſunt, infallibiliter patet, quod regnum quartum, de quo Daniel loquitur, ſit quarta Monarchia. Nam cum exordio Romani imperii regnum Chriſti gratiæ cœpit: Quia Deus in diebus regnorum iſtorum (h. e. inchoata Monarchia Romana) regnum cœli (h. e. regnum Meſſiæ) ſuſcitavit. *Dan.* 2. *v.* 44. Hinc initium prædicationis Johannis Baptiſtæ & Chriſti fuit; Pœnitentiam agite, *appropinquavit enim regnum cœlorum. Matth.* 3. *v.* 2. *c.* 4. *v.* 17. & cum ejuſdem Romani Imperii exodio per glorioſum Chriſti judicis adventum ad judicium, regnum Chriſti gloriæ inchoabitur. Quæ prædictio in nullum aliud in terris regnum, quam in Romanam Monarchiam quadrat, ſicut omnes pii & cordati homines agnoſcunt. Nam de utroque Chriſti adventu atque regno tum gratiæ, tum gloriæ Daniel conjunctim vaticinatur. Nam hoc (nempe regnum gloriæ) in æternum ſtabit, *Dan.* 2. *v.* 44. Quia nullum finem habebit, ſicut *Angelus Gabriel* inquit *Luc.* 1. *v.* 33. Conf. *Pſalm.* 45. *v.* 7. *Dan.* 7. *verſ.* 14.

OBSERVATIO.

Et huic ſententiæ noſtræ ipſe *Johannes Calvinus* ſuper caput ſecundum Danielis, pag. 21. ſubſcribit, cujus hæc ſunt verba: Hoc ὅρος ſtatuæ extra controverſiam, *quicunque præditi ſunt ſano judicio, & candide cupiunt mentem Prophetæ exponere*, intelligunt de quatuor Monarchiis. & pag. 22. addit: Interea verum eſt, quod dixi, nempe Interpretes, qui & mediocri judicio pollent & candore, ad unum omnes hunc locum exponere de Monarchia Babylonica, Perſica, Græca & Romana, & Daniel ipſe poſtea ſuis verbis ſatis oſtendit. *Hæc Calvinus.*

Quod Johan. Calvini teſtimonium contra *Joh. Piſcatorem*, qui in commentario ſuo ſuper *Daniel. cap.* 2. *p.* 17. contrarium ſtatuit, diligenter notandum eſt.

EXPLICATIO POSTERIORIS VISIONIS.

Daniel. 7. *verſ.* 7, 8. Quarta Monarchia *Beſtia magna, horrenda, monſtroſa & robuſta* imagine depingitur, quæ dentibus ſuis ferreis longe lateque ſit graſſatura, & unguibus æneis prædam ſit conſervatura.

In hoc capite Danielis ſeptimo *tria* veniunt notanda.

1. *Danielis viſio.* Hæc deſcribitur hiſce verbis.

v. 7. Poſt hæc aſpiciebam in viſione noctis, & ecce, beſtia quarta, terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis; dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans: Diſſimilis autem erat cæteris beſtiis, quæ fuerant ante eam, & habebat cornua decem. *v.* 8. Conſiderabam cornua, & ecce, cornu aliud parvulum ortum eſt de medio eorum, & tria de cornibus primis evulſa ſunt à facie ejus, & ecce, oculi quaſi hominis erant in cornu iſto, & os loquens ingentia.

2. *Anxium Danielis deſiderium* & *petitio*: Quæ tribus verſibus deſcribitur. *v.* 19. Tunc libenter veritatem ſciviſſem de beſtia quarta, quæ erat diſſimilis omnibus, & terribilis nimis: dentes ferrei & ungues æneі erant: comedebat & comminuebat, & reliqua pedibus conculcabat. *v.* 20. Et de decem cornibus, quæ habebat in capite, & de alio, quod ortum fuerat, ante quod ecciderant tria cornua, & de cornu illo, quod habebat oculos, & os loquens grandia, & majus erat cæteris. *v.* 21. Aſpiciebam, & ecce, cornu illud faciebat bellum adverſus pios, & prævalebat eis, donec venit Antiquus dierum, & judicium dedit ſanctis Excelſi, & tempus venit, & regnum obtinuerunt ſancti.

3. *Angeli interpretatio*, quæ exſtat *v.* 23, *ſeqq. ad* 27. *v.* 23. Et ſic ait (ſc. Angelus:) Beſtia quarta regnum quartum erit in terra, quod diverſum erit ab omnibus illis regnis: conſumet enim totam terram, conteretque eam, & comminuet. *v.* 24. Et cornua decem ex illo regno, decem Reges exſurgent, poſt quos exſurget poſtremus, qui erit diverſus à prioribus, & tres Reges deprimet. *v.* 25. Et verba adverſus Excelſum loquetur, ac ſanctos excelſorum deteret, adeo ut cogitet ſe mutaturum tempora & jus, tradanturque per manum ejus uſque ad tempus & tempora, & dimidium temporis. *v.* 26. Sed judicium conſidebit, & dominatus ejus auferetur profligando & perdendo uſque in finem. *verſ.* 27. Regnum autem, dominatuſque & amplitudo regnorum ſub toto cœlo dabitur populo ſanctorum excelſorum; cujus regnum, regnum erit perpetuum, & omnes dominatores ei ſervient, & auſcultabunt.

1. *Sententia vera*, ejuſque καθολικὴ, ſive *explicatio*.

1. *Appellationis & figuræ nullitas*: Beſtia quarta, quam Daniel vidit, eſt ἀνώνυμος καὶ ἄμορφος, h. e. nullum ei nomen, neque ullam beſtiæ certam figuram aut ſpeciem ei aſſignat: Siquidem (ut Theodoretus inquit) hæc Monarchia non ex una, ſed ex pluribus nationibus conflata eſt, imperiique illud ἀξίωμα, ſive decus ad homines diſpari conditione ex diverſiſſimis nationibus ortos, admirabili conditione atque viciſſitudine tranſlatum eſt.

2. *Dentium atque unguium qualitas*: Huic quartæ beſtiæ à Daniele tribuuntur dentes *ferrei*, quia omnia regna Monarchiæ tertiæ confregit & quaſi devoravit: Ungues æneі, quia regna ſemel ſubacta mordicus apprehendit, adeoque tenaciter tenuit, ut nemo illa ex unguibus ejus æneis eripere potuerit.

3. *Cornuum quantitas*: Huic quartæ beſtiæ decem cornua tribuuntur à *Daniele v.* 7 & 20. per quæ juxta ſtylum Spiritus S. decem intelliguntur regna præcipua, quæ Romanum Imperium, dum in flore fuit, comprehendit. Regna autem illa fuerunt ſequentia: *Italia*, *Gallia*, *Germania*, *Hiſpania*, *Britannia*, *Sarmatia*, *Pannonia*, *Aſia*, *Gracia*, ſive *Macedonia*, & *Ægyptus*.

4. *Cornu parvuli* inter decem cornua ſuppullulantis *natura* & *proprietas*: *v.* 8 & 20: Per hoc cornu parvulum intelligitur regnum Turcicum ſive Mahometicum, uti ex ejus deſcriptione patet. Nam deſcribitur a Daniele *tripliciter*. 1. Ab *Ortu*. 2. A *Progreſſu*. 3. Ab *Egreſſu*.

1. ORTVS.

Ratione *Ortus* huic cornui parvulo *duo* tribuuntur. 1. *Appellatio*. 2. *Origo*.

Appellatio.

Quod cornu inter *decem cornua* ſuppullulavit, vocatur זעיר parvulum *Dan.* 7. 8. Qua appellatione inſinuatur, tum Mahometis, tum regni Turcici primæva ſors & conditio, nempe quod initia regni Turcici admodum fuerint exigua: Siquidem Mahometes initio fuit infimæ originis atque conditionis homo: Natus fuit Patre Abdalla, & Matre Emena, A. C. 560, die 23 Aprilis. Adoleſcens ſervivit apud Abdimoneplem divitem mercatorem ex poſteritate Iſmaël, filii Abrahæ & Agar: deinde gregarius miles fuit, & ſub Heraclio Imperatore meruit: Sed poſtea, quum Heraclius Imperator Arabibus Scenitis, qui apud ipſum militaverant, ſtipendia diutius ſolvere recuſabat, hos ſibi adjunxit, & initia regni Turcici poſuit A. C. 622.

Origo.

Circa *originem* cornu parvuli notanda ſunt 1. *Modus*. 2. *Tempus*.

Quod *originis modum* hujus cornu parvuli attinet, uſurpatur de illo apud *Dan. v.* 8 & 20. verbum סלקה. quod de ortu beſtiarum è mari etiam uſurpatur *verſ.* 3. Quatuor beſtiæ magnæ aſcendebant è mari, diverſæ inter ſe: ex quo colligitur, quod cornu il-

nu illud parvulum non è beſtia quarta, ſed immediate è mari oriturum ſit, h. e. quod ille, qui per cornu parvulum denotatur, non per ſucceſſionem, ſed per novam aſcenſionem ad regnum perventurus ſit. id quod de Mahomete verum; uti ex dictis patet.

Quod vero *tempus originis* attinet, aperte ortus hujus cornu parvuli refertur ad tempus quartæ beſtiæ. *v.* 8. Quod ſimiliter de Mahomete verum eſt, qui tempore Heraclii Imperatoris Romani, anno Chriſti 622. initia regni Turcici poſuit.

II. PROGRESSVS.

In progreſſu notanda ſunt *acta* cornu parvuli. 1. *Politica.* 2. *Eccleſiaſtica.*

1. *Politica.*

De cornu parvulo dicitur, quod tria cornua è decem cornibus beſtiæ ſit evulſurum, *verſ.* 8. h. e. tres Reges humiliaturum; uti explicatur ab Angelo, *verſ.* 24. Hoc ſimiliter quadrat in Regnum Turcicum: Nam Mahometes Dux militum factus annuo ſpatio non tantum urbe Mecha, quæ ipſius erat patria, ſed etiam potiſſima Arabiæ parte bello potitus eſt, neque ſucceſſores ejus quieverunt, donec tria iſta inſignia cornua, videlicet Ægyptum, (cui Africa annectitur) Aſiam, & Græciam in totum detruncavit: Unde Daniel Prophetа de hoc corniculo ſubjungit, *v.* 20. quod in principio fuerit parvum, ſed poſtea cæteris majus factum ſit. Et *verſ.* 8. oculos quaſi hominis eidem tribuit: Quo inſinuat, quod Mahometes ejuſque ſucceſſores valde oculati futuri ſint in regni acquiſitione, providique & vigilantes in regni acquiſiti amplificatione, & pariter callidi in regni adminiſtratione. Denique *verſ.* 21. dicit, quod cornu illud parvulum, bellum adverſus ſanctos ſit facturum, iiſque prævaliturum, & *verſ.* 25. quod ſanctos altiſſimi ſit contriturum: Quod quam verum ſit, ipſa experientia teſtis eſt: Nam Turcæ inde uſque ab initio regni ſui bellum cum Chriſtianis geſſerunt, coſque magnis præliis vicerunt; uti ex hiſtoriis patet, & hoc ipſum cum nomine Mahomet congruit, quod idem eſt atque ira vel indignatio, ein grimm/ ein rechte furia Diabolica; uti *Chytræus* in Onomaſtico pag. 259. ſcribit.

11. *Eccleſiaſtica.*

Primo: Cornu huic parvulo tribuitur *Os loquens grandia*, *v.* 8. & vox ſermonum grandium, *v.* 11. Quo notantur horrendæ Mahometis blaſphemiæ, ſicut explicat Angelus, *verſ.* 25. Quod ſermones contra Altiſſimum ſit loquuturus, (nempe blaſphemos) uti ex Alcorano, qui velut blaſphemiarum eſt oceanus, patet. Ut enim facilius in officio contineret ſubditos Mahomet, quum animadverteſſet ex Diſputatione de religione maximas in imperiis oriri diſſenſiones, Alcoranum condidit opera Sergii Monachi Ariani adjutus, in quo ex tribus corruptis fecit unum corruptiſſimum: quia ex Judaiſmo, Chriſtianiſmo & Gentiliſmo in unum chaos conflatis unam religionem conferruminavit: Nam in Alcorano ſuo Azoara ſecunda ſcribit Turcicus Imperator Mahometes; Sciendum generaliter, quoniam omnis recte vivens, Judæus ſive Chriſtianus, ſeu lege ſua relicta, in aliam tendens, omnis ſcilicet Deum adorans, bonique geſtor, indubitanter amorem divinum aſſequetur.

Huc referatur Epiſtola Amurathis III, Imperatoris Turcici, anno 1592, ad Rudolphum II Imperatorem Romanum miſſa, quam in explicatione viſionis prioris allegavimus.

Secundo: De hoc cornu parvulo Daniel inquit *v.* 25. Cogitabit mutare TEMPORA & LEGES. At hæc Turcæ competunt, qui tempora mutavit in Algiæras, & legem in Alcoranum: Quia Turcæ neque Sabbatum Judæorum, neque diem Dominicam Chriſtianorum obſervant, ſed diem Veneris ejus loco venerantur in odium Chriſti Salvatoris, qui eo die pro ſalute mundi crucifixus eſt. Similiter Algiæra, ſive computo ſuo, tempora Politica mutat: ſupputat enim tempora non à Chriſti nativitate, (ſicut nos Chriſtiani facimus) ſed ab illo tempore, quo ille cum manipulo Arabum ex urbe Mecha aufugit, ſeque eorum caput conſtituit: quod factum eſt anno C. 622; ſicut Bucholtzerus in Indice Chronologico ſtatuit. Inſuper etiam Turcicus Mahometes legem Dei (quæ legem & Euangelium complectitur) abjecit, & מות Jehovæ mutavit in סוה, quæ vox metaphor. ſignificat ritum, ſed radix ejus proprie ſignificat ſpinam: & revera ſpinæ ſunt in Alcorano, quem Mahometes opera Sergii Monachi Neſtoriani contexuit, in eoque SS. Trinitatem, Chriſti divinitatem, aliaque ſumma religionis Chriſtianæ capita inſtinctu Diaboli abnegavit: Lex Mahometis Arab. dicitur אלקוראן, Lat. Alcoran, ſecundum alios correctio, quia in eo V. & N. T. corrigere & tolerabilius reddere voluit. Titulus Alcorani eſt אלקוראן à rad. פרק diviſit, diſſipavit: Quia hoc fœtido libro ſuo Judaicam & Chriſtianam religionem, vel potius V. & N. T. dividere & diſſipare voluit. Diviſa eſt lex Mahometis in Azoara vel capitula 72: ex quibus unum tantum ducit ad Paradiſum, reliqua omnia ad ignem inferni ducunt, uti ſcribit *Johan. Majerius* de different. ſchiſmatum.

NOTA.

Quando dicitur, quod Mahometes mutaverit tempora, recte intelligendum eſt Nam tempora *tripliciter* conſiderantur. 1. *Phyſice:* Sic Deus cœli luminaria, nempe Solem & Lunam ordinavit in tempora, *Gen.* 1. 14. ut curſu motuque ſuo diſtincta anni tempora, dies, menſes & annos efficiat; & ſic tempora nullius hominis arbitrio ſubjacent, ab eoque mutari poſſunt; ſed hic temporum ordo atque diſtributio invariabilis a Deo conſervatur uſque ad finem Mundi juxta promiſſionem ipſius Jehovæ, *Geneſ.* 8. *v.* 22.

2. *Eccleſiaſtice.* Sic tempora ſunt feſta ſolemnia atque ſtata, quæ ab ipſo Deo ſunt ordinata, ut Sabbatum, dies Dominicus; vel ab Eccleſia ordinis & diſciplinæ cauſa ſunt inſtituta.

3. *Politice.* Sic tempora ſunt certæ Epochæ aut periodi Politicæ, regiminis ergo inſtitutæ. Quando igitur dicitur, quod Turcicus Mahometes tempora mutet, intelligendum hoc eſt de temporibus, non Phyſice, ſed Eccleſiaſtice & Politice intellectis.

Tertio: Daniel durationem Dominii ejus inſinuat his verbis, *v.* 25. Tradentur in manum ejus uſque ad *tempus*, & *tempora*, & *dimidium temporis*. Qua verborum formula indicatur longa quidem tyrannidis Turcicæ duratio, ſed tamen certa & ab ipſo Deo ſupremo mundi Domino definita, ejuſque ſolius cognitioni reſervata, ut videlicet Chriſtiani, qui tyrannide Turcica preſſi jacent, certam ex hiſce verbis conſolationem haurire poſſint, certas ei & terminorum & temporum metas eſſe à Deo præſcriptas.

III. EGRESSVS. ſive *Interitus.*

Cornu parvulum (h. e. Turcicum imperium) una cum beſtia, (h. e. Romano imperio) uſque ad extremum judicium durabit. *verſ.* 11. Tunc vero immediate & corpus beſtiæ & cornu parvulum, atque adeo omne Imperium terrenum in ipſo extremo judicio à Chriſto Judice immediate delebitur, & totaliter abrogabitur. *v* 12. Et poſt interitum illorum nullum amplius erit tempus, ſed ſuccedet ei regnum ſanctorum æternum. *verſ.* 27. Quæ nota non ad Antiochi, ejuſque regni interitum applicari poteſt, ſicut quidam inepte ſcribunt; Quia illud regnum jam pridem interiit, & Monarchia Romanorum eidem ſucceſſit. Quare neceſſario de regno Turcico intelligenda eſt, quod etiamnum durat, & ad finem uſque Mundi durabit. Et hæc eſt conſtans orthodoxorum Theologorum & ſaniorum Politicorum atque Hiſtoricorum ſententia, quod per quartam beſtiam quarta Monarchia, per decem cornua decem ejus regna, quæ, dum in flore fuit, comprehendit; & per cornu parvum regnum Turcicum intelligendum ſit.

Ἀντίθεσις, ſive *Sententia falſa.*

Adverſarii veritatis contrarium ſtatuunt, & quidem 1. Per *beſtiam quartam* non intelligunt *Romanum* Imperium; ſed contendunt, per eam intelligendum *Regnum Seleucidarum* in Aſia, ſive ſucceſſores Alexandri M. Cujus opinionis perverſæ & monſtroſæ primus author fuit ἀντίθεος ille Porphyrius, Chriſtianæ religionis hoſtis, & contemtor virulentiſſimus; quem Hieronymus & Theodoretus graviter refutarunt.

Ejus ſententiam poſtea renovarunt Brugthonus, Amandus Polanus in Daniel. p. 550, 558. Joh. Piſcator in Daniel. p. 64. aliique. Similiter Johan. Bodinus in Method. Hiſtor. qui per quatuor beſtias intelligit Medos, Perſas, Græcos, & Parthos, quatenus Babylonem ſubegerunt.

2. Per *decem cornua* intelligunt *decem* Reges in Aſiatico Seleucidarum regno. *Polanus in Dan. p.* 591. & *Joh. Piſcator in Dan.* eos hoc ordine recenſent. Primus fuit Seleucus Nicanor; ſecundus Antiochus Soter; tertius Antiochus Theos; quartus Seleucus Callinicus; quintus Ptolemæus Euergetes; ſextus Seleucus Ceraunus, filius Seleuci Callinici; ſeptimus Antiochus Magnus, frater Seleuci Cerauni; octavus Ptolem. Philopator Lagida; nonus Seleucus Philopator; decimus Antiochus Epiphanes, frater Seleuci Philopatoris.

3. Per *cornu parvulum*, Polan. in Dan. p. 592. & Piſcator in Danielem pag. 64. intelligunt Antiochum Epiphanem: Quem vocant cornu parvulum ſeu poſtremum. Quia ipſe fuerit ultimus inter decem illos Reges, qui *Dan.* 7. per decem cornua ſignificantur.

Becanus Jeſuita in lib. de AntiChriſto p. 171. fingit per *Cornu parvulum* intelligendum eſſe AntiChriſtum, qui venturus ſit poſt decem illos Reges, qui Romanum Imperium inter ſe divident, & conſequenter poſt Imperii Romani everſionem. Et hic eſt ille alius, (inquit Becanus) qui juxta Danielis vaticinium *cap.* 7. *verſ.* 20. ex decem illis proditurus erat: Quod futurum eſſe ſcribit Bellarmin. tribus annis cum dimidio ante finem mundi: Unde invaluit opinio in Papatu, AntiChriſtum non niſi tres annos cum dimidio regnaturum eſſe, qui tunc interficietur à Judæis, & tunc poſt dies 45 adveniet Chriſtus ad judicium; ſicut *Bellarm.* ſcribit *lib.* 3. *de Rom. Pont. cap.* 17. idque colligunt ex *Daniel. cap.* 7. *verſ.* 25. Tradentur in manu ejus uſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis; per quæ verba tres annos cum dimidio intelligunt Papiſtæ.

Α' ΝΑΣΚΕΥΗ', ſive *Refutatio.*

Theodoretus ſuper Danielem ſcribit, ſe non poſſe ſatis mirari, quod ſcriptores nonnulli per quartam beſtiam Græcorum Monarchiam præfigurari ſtatuant: quod nos ex ore Theodoreti repetimus, & hiſce veritatis perduellibus (uti D. Athanaſius loquitur) *ſequentia* argumenta opponimus.

SECTIO I.

DE BESTIA QUARTA.

Quod per eam non ſucceſſores Alexandri M. intelligendi ſint, ſed quarta Monarchia.

1. *A beſtiarum diſtinctione, & diſtincta earundem præfiguratione.* Daniel de quatuor beſtiis *tria* enunciat. 1. Quatuor beſtiæ à Daniele viſæ ſunt quatuor regna, (ſcil. magna & catholica, h. e. quatuor Monarchiæ) uti ipſe Angelus inquit *Daniel. 7. v. 17.* 2. Hæ quatuor beſtiæ inter ſe erant diverſæ & diſtinctæ, ſicut ibidem dicitur *v.* 3. Quatuor beſtiæ magnæ aſcendebant è mari, diverſæ inter ſe. 3. In ſpecie de beſtia quarta dicitur *v.* 7, 12, 19, 23. quod fuerit diſſimilis reliquis beſtiis.

Hinc *talia* argumenta exſtruimus.

1. Arg. Quot beſtiæ in viſione ſunt viſæ, tot per illas adumbrata ſunt regna: Quia quælibet beſtia peculiare regnum ſive Monarchiam adumbrat:

Jam vero quatuor beſtiæ ſunt à Daniele in viſione viſæ.

Ergo quatuor regna ſive Monarchiæ per illas ſunt figuratæ. Concluſio hæc eſt ipſius Angeli, *Daniel. 7. v. 17.*

2. Arg. Quæcunque beſtiæ ſunt diverſæ inter ſe, & diſtinctæ, illæ à nobis ſunt diſtiguendæ, non vero confundendæ.

Jam vero per beſtiam tertiam, nempe Pardum, præfiguratur Monarchia Græcorum: uti patet ex collatione cum *cap.* 8. ubi *v.* 21. hircus caprarum diſerte vocatur Rex Græcorum.

Ergo Monarchia tertia per beſtiam quartam ἀνώνυμον καὶ ἄμορφον adumbrata non eſt.

II. *A regni quarti* (per beſtiam quartam præfigurati) *duratione.*

Quod regnum uſque ad finem Mundi eſt duraturum, illud de Monarchia Græcorum intelligi neque poteſt, neque debet: Quia Monarchia Græcorum ſive regnum tertium tantum trecentos annos duravit, & ante primum Chriſti in carnem adventum abolitum eſt. Et ſimiliter regnum in Aſia Seleucidarum. Quia Tigranes ultimus Rex Syriæ à Romanis regno exutus, & Syria in provinciam redacta eſt anno M. 3908.

Jam vero regnum quartum ad finem mundi durabit, uti patet ex beſtiæ quartæ deſcriptione Judicii extremi deſcriptioni immediate ſubjuncta *Daniel. 7. v. 9, 10, 13.* inprimis autem ex *v.* 21, 22. ubi dicitur, quod cornu illud parvulum prævaluerit adverſus ſanctos, donec venit Antiquus dierum & judicium ſedet.

Ergo regnum quartum de Monarchia tertia ſive de regno Seleucidarum intelligi non poteſt; ſed per illud Monarchia quarta, quæ eſt Romanorum, intelligenda eſt.

SECTIO II.

DE DECEM CORNIBUS.

Per DECEM CORNUA Beſtiæ quartæ prædicti authores intelligunt ſucceſſores Alexandri M. ſive decem Reges in regno Aſiatico Seleucidarum. quorum primus fuerit Seleucus, ſecundus Antiochus Soter, *&c.*

Refutatio.

1. *Decem cornua* beſtiæ quartæ tributa non poſſunt de regno Seleucidarum intelligi, aut de ſucceſſoribus Alexandri M. Quia decem hæc cornua in beſtia quarta fuerunt ſimul, non ſucceſſive. Atqui in regno Seleucidarum decem regna ſimul oſtendi nequeunt; imo neque decem Reges, qui ſucceſſive regnum obtinuerint, quorum ultimus Antiochus Epiphanes fuerit, uti prædictæ opinionis authores tradunt. ſed verus Regum Syriæ poſt Alexandrum M. ordo hic eſt: 1. fuit *Seleucus Nicanor.* 2. *Antiochus Soter.* 3. *Antiochus Theos.* 4. *Seleucus Callinicus.* 5. *Seleucus Ceraunus.* 6. *Antiochus Magnus.* 7. *Seleucus Philopator.* 8. *Antiochus Epiphanes.* Quod ſi autem Antiochus Epiphanes octavus Rex in regno Seleucidarum fuit, quomodo decimus dici poteſt?

Quod autem *Porphyrius*, ejuſque ſectatores de diverſis Macedoniæ, Aſiæ, Syriæ & Ægypti Regnis unum duntaxat Regum ordinem contexunt, (uti loquitur B. Hieronymus) craſſiſſimus error eſt ex ἀνισταρχίᾳ ortus.

2. *Beſtia quarta* fuit *decicornis. Dan. 7. v. 20.* per quam talis intelligitur Monarchia, quæ decem regna comprehendebat.

At hoc de Monarchia tertia Græcorum, vel de regno Seleucidarum dici non poteſt.

Ergo per beſtiam quartam decicornem Monarchia tertia Græcorum, vel regnum Seleucidarum intelligi non poteſt. Minor m probo.

Dan. 7. v. 6. Monarchia Græcorum tertia præfiguratur per PARDUM QUADRICIPITEM: Ubi non poteſt intelligi ipſa Alexandri M. perſona, ſcili-

ſcilicet excluſive: Quia *Danielis* 8. *v.* 21, 22. eadem Monarchia tertia adumbratur per *Hircum caprarum*, cui tribuitur cornu grande (nempe unum.) per quod cornu grande unum, ipſo Angelo interprete, intelligitur Alexander M. Rex Græcorum, & cornu illo fracto (h. e. Alexandro M. exſtincto) ſurrexerunt pro eo 4 cornua. h. e. Diviſum eſt regnum Alexandri M. in quatuor regna principalia, ſive quatuor Reges Regnum Alexandri Magni inter ſe diviſerunt: Nam Ptolemæus Ægyptum, Seleucus Syriam, Antigonus Aſiam, Antipater Græciam occupavit. Ergo per 10 cornua quartæ beſtiæ Monarchia Græcorum aut regnum Seleucidarum, ſive Alexandri M. ſucceſſores intelligi non poſſunt. Nam ſi decem cornua beſtiæ quartæ intelligenda ſunt de Monarchia tertia, aut intelligenda ſunt de Monarchia integra aut diviſa: ſed neutrum locum habere poteſt. Nam Monarchia integra, qualis erat adhuc vivente Alexandro M. fuit unicornis, h. e. unum tantum habebat Regem, nempe Alexandrum, *Daniel* 8. *verſ.* 21. Monarchia vero tertia diviſa ſurrexerunt 4 cornua, h. e. Monarchia illa in 4 Regna principalia eſt diviſa, *Dan. cap.* 8. *v.* 22. Quomodo igitur Monarchiam Græcorum vel ſucceſſores Alexandri M. per decem cornua præfiguratos eſſe dici poteſt?

3. Quod autem per *beſtiam quartam* decicornem Monarchia quarta ſit intelligenda, ex *Apocal.* 13. & 17. clariſſime patet. Nam *Apoc.* 13. *v.* 1, 2. Johannes ita ſcribit: *Et vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem & cornua decem, & ſuper cornua ejus decem diademata, & ſuper capita ejus nomen blaſphemiæ: Et beſtia, quam vidi, ſimilis erat Pardo; & pedes ejus ſicut pedes Urſi, & os ejus ſicut os Leonis: & dedit illi Draco virtutem ſuam, & ſedem ſuam, & poteſtatem magnam.*

In hiſce verbis deſcribitur Imperium Romano-Papale.

1. Ab *appellatione*: Nam vocatur Θηρίον, BESTIA. Per hanc Beſtiam fere omnes interpretes intelligunt Romanum Imperium, præſertim vetus illud, quale ſub Ethnicis Imperatoribus fuit. At nos ſtatuimus hac beſtia neque Imperium Romanum abſolute, ſive vetus ſive novum intelligas, neque abſolute Papatum Romanum, ſed conjunctim Imperium Papale-Cæſareum & Cæſareo-Papale repræſentari, quale Romanus Pontifex multis jam ſeculis exercet. Hic autem AntiChriſtus διμόρφος, bicorpor & biformis, utraque beſtia, tum marina, *v.* 1. tum terreſtri, *v.* 2. effigiatus, nemo eſt alius, niſi Pontifex Romanus, Monarchiæ Romanæ exuviis & prætenſo Chriſti vicariatu palliatus, gladioque Pauli & clave Petri, h. e. utraque poteſtate armatus; temporali quidem conſtituendi & deponendi Imperatores, Reges & Principes; ſpirituali vero jura dandi ſuperis, inferis, terrenis.

2. *Ab* ORTU: *Hæc beſtia aſcendit è mari, Apocal. cap.* 13. *verſ.* 1. h. e. ex multitudine variarum gentium & populorum, non ſecus ac plurima flumina in unum mare confluunt. Quia Romanum Imperium vel potius Cæſareo-Papatus ex variis populis & gentibus conſtat. Ita quoque apud Danielem *cap.* 7. *v.* 3. quarta beſtia deſcribitur, quod è mari aſcenderit.

3. *A Capitibus.* Beſtia hæc habet 7 capita. *Apocal.* 13. *v.* 1. Quæ ſunt ſeptem Montes. *Apoc.* 17. *verſ.* 9. quibus mulier inſidet, ſicut Johannes ibid. *cap.* 17. *verſ.* 9. explicat. Hi autem *ſeptem Montes tripliciter* intelliguntur. I. Τοπικῶς, h. e. de ſeptem montibus, proprie ſic dictis: Tot enim montibus urbs Roma, à qua denominatur Romanum Imperium, ante Gothicas & Vandalicas vaſtationes ambitu ſuo complexa eſt, qui fuerunt Palatinus, Capitolinus, Aventinus, Cælius, Æſquilinus, Viminalis & Quirinalis. Unde Virgilius:

——— *Roma*
Quæ una ſibi ſeptem muro circumdedit arces.

Et Propertius:

Septem urbs alta jugis, toti quæ præſidet orbi.

II. Βασιλικῶς: Sic figurate ſeptem Montes notant 7 Reges, uti ipſe Johannes Theologus inquit, *v.* 9. Septem capita 7 montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet, & 7 Reges ſunt. Mons enim in ſacro codice ſæpe notat Reges vel Regna; ſeptem autem Reges, à quibus Roma gubernata fuit, ſequentes ſunt: 1. Romulus. 2. Numa. 3. Tullus Hoſtilius. 4. Ancus Martius. 5. Tarquinius Priſcus. 6. Servius Tullius. 7. L. Tarquinius ſuperbus.

III. Κυβερνητικῶς. Sic 7 capita accipiuntur de 7 gubernationis formis. Nam 1. fuerunt Conſules. 2. Reges. 3. Decemviri. 4. Tribuni plebis. 5. Dictatores. 6. Cæſares Romani extranei. 7. Forma eſt Imperium Romano-pontificale.

IV. *A Decem cornibus*, quæ decem cornua ſunt decem Romani Imperii *provinciæ*, quæ poſtea in potentiſſima diviſæ ſunt regna, ita ut ſingula ſingulos Reges habuerint. nempe 1. Aſia. 2. Græcia. 3. Ægyptus cum Africa. 4. Italia. 5. Germania. 6. Gallia. 7. Hiſpania. 8. Anglia; ſub qua comprehenſa ſunt Dania, Norwegia, Scotia, Suecia. 9. Sarmatia, ſub qua intelliguntur Polonia, Bohemia, Muſcovia. 10. Pannonia cum Illyrico. Hæc eadem Imperii Majeſtas etiam per decem *diademata* ſignificatur. Et ſuper capita ejus (beſtiæ) nomen blaſphemiæ. *Apoc.* 13. *v.* 1. Nam Romanum Imperium vetus olim horribilem idolomaniam exercuit, & poſtea

poſtea regno Chriſti adverſatum eſt, maxime autem Regnum Romano-Papale.

V. *A Figura & ſpecie.* Nam *v.* 2. Apoſtolus inquit, quod beſtia illa ſimilis fuerit Pardo, & pedes ejus ſicut pedes Urſi, & os ejus ſicut os Leonis: Apud *Dan. 7. v. 6.* Monarchia Græcorum Pardo comparatur: Perſarum Urſo, *verſ.* 5. & Babyloniorum Leoni alas aquilinas habenti, *verſ.* 4. At deſcriptio Johannis Theol. innuit, in Romano Imperio omnia fuiſſe conjuncta, quæ in reliquis tribus ſingula fuerunt in ſingulis. Nam Leoninam regni Babylonici animoſitatem & fortitudinem: Perſarum, quorum inſigne erat Urſus, truculentiam: & Alexandri M. qui præfiguratur per Pardum, celeritatem, & in rebus gerendis felicitatem adumbrat.

Quod autem *Beſtia* hæc *decicornis* & πολύμορφος, ſive multiformis, non regnum Seleucidarum in Aſia; ſed Romanam Monarchiam apud Johannem adumbret, diſerte explicatur ab Angelo *Apocal.* 17. nempe quod Meretrix illa magna ſedens ſuper aquas multas, *v.* 1. h. e. ſuper populos multos, *v.* 15. & ſuper beſtiam coccineam, *v.* 3. ſit Civitas magna, habens Imperium ſuper reges terræ. Jam vero tempore Johannis Apoſtoli, quando ſcribebat hæc, nulla alia urbs in toto terrarum Orbe Imperium in Reges terræ habuit, quam urbs Roma, quartæ Monarchiæ metropolis: Ergo infallibiliter inde concluditur, quod beſtia illa, cui Meretrix magna inſidet, ſit Romanum Imperium.

VI. *A colore coccineo* deſcribit *Johannes cap.* 17. *v.* 3. beſtiam illam terribilem, ore ſuo omnia devorantem, & pedibus omnia conculcantem: ſicut Daniel ait *cap.* 7. *v.* 3. per quem coccineum colorem notantur ſanguinolentæ perſecutiones, quas tum ab Imperatoribus Romanis adhuc Ethnicis, tum à Romano AntiChriſto Eccleſia Dei ſuſtinuit; ſicut Johannes explicat, quod nempe 10 Reges Romani Imperii cum Agno pugnarint, *Apocal. c.* 17. *v.* 12, 14. & quod ipſi non minus quam Meretrix magna, quam geſtant, & à qua gubernantur & inſtigantur, ebrii ſint ſanguine ſanctorum & ſanguine Martyrum Jeſu. *v.* 6. Et hinc ſingulari Dei providentia factum eſt, ut Pontifices Romani eorumque Cardinales in hodiernum uſque diem geſtarint veſtes coccineas, ut impleretur in illis quod de AntiChriſto Romano prædictum eſt *Apoc.* 17. *v.* 4. Mulier (vel Meretrix magna, ut vocatur *v.* 1.) circumdata erat purpura & coccino. Et Rabbini Romanum imperium vocant מלכות אדום h. e. regnum Edom, cujus caput רומא. Quod non ita intelligendum, ſicuti illi impie & perverſe docent; quaſi Romani & Chriſtiani ab Edom ſint propagati, verum ad Regnum Romano-Papale accommodandum eſt. Quoniam Babylon magna & Meretrix magna ebria eſt, & rubet ſanguine ſanctorum & Martyrum Jeſu. *Apocal.* 17. *v.* 6. & *Thren.* 4. *verſ.* 21. בת אדום filia Edom in Thargum explicatur רומא רשיעא h. e. Roma impia.

SECTIO III.

DE CORNU PARVULO.

De *Cornu parvulo* duæ circumferuntur erroneæ opiniones. 1. Quod ſit Antiochus Epiphanes. 2. Quod AntiChriſtus circa finem mundi ſit venturus.

Refutatio.

1. Quod per *Cornu parvulum Antiochus Epiphanes* non ſit intelligendus. Ut autem hæc refutatio ſit clarior & evidentior, accurate diſtinguendum eſt inter cornu parvulum, cujus ſit mentio in

cap. { 7. *v.* 8, 20. / 8. *verſ.* 9. }

Non de illo, ſed de hoc, eſt quæſtio. Nam concedimus libenter, quod Antiochus Epiphanes vocetur Cornu parvulum, *c.* 8. *v.* 9. idque ob *duplicem rationem.*

Primo propter originem. Quia Antiochus Epiphanes minor natu fuit filius Antiochi M. qui cum Hannibale contra Romanos dimicans, ſed victus fuſuſque, pacem cum Romanis iniit, obſidemque Romanis miſit filium, hunc Antiochum Epiphanem, qui paullo poſt, mortuo fratre Seleuco Philopatore, qui patri in regno ſucceſſerat, Roma fugiens, ejecto fratris filio Demetrio, per vim Regnum Syriæ invaſit. quod contigit poſt mortem Alexandri M. anno 150. *lib.* 1. *Macc. cap.* 1. *verſ.* 11. Quum igitur non fuerit legitimus regni ſucceſſor, ideo merito appellatus eſt *Modicus vel parvulus*, קרן מצעירה *Dan. cap.* 8. *v.* 9.

Secundo propter æſtimationem. Quia in nullo numero aut reſpectu fuit. Unde *Dan.* 11. *v.* 21. deſpectus nominatur. Item ἐπιμανὴς, h. e. furioſus. Nam ita Polybius & ex eo Athenæus refert, quod à Græcis pro Epiphane (quod nomen ipſe ſibi impoſuit, ut maculam eluret, quod nempe dolo & fraudibus regnum Syriæ occupaſſet) dictus eſt ἐπιμανὴς, h. e. pro glorioſo furioſus. Et revera furioſus ille fuit: interdum namque in convivio geſtatus ut funus, & non tantum cum popularibus in converſationem deſcendit, ſed etiam cum peregrinis & tenuioris fortunæ hominibus bibit, imo cum ſcurris & mimis certavit. Unde etiam 1 *Maccab. cap.* 1. *v.* 11. alio nomine vocatur ῥίζα ἁμαρτωλὸς, h. e. radix peccatrix. *Luther.* Ein ſchädliche böſe wurtzel.

At per cornu parvulum, de quo Daniel loquitur *c. 7. v.* 8, 20. Turcicus Tyrannus eſt intelligendus, uti antea demonſtravimus; & non Antiochus Epiphanes, uti Polanus, Piſcator, Brugthonus aliique volunt. Quod nos *tripliciter* probamus:

I. *Ab* ORTU. Nam *ortus* cornu parvuli (cujus *Dan.* 7. fit mentio) refertur ad tempus quartæ beſtiæ, h. e. Monarchiæ Romanæ. *Dan. 7. v.* 8. At Antiochus Epiphanes non prodiit ex quarta beſtia, h. e. Romana Monarchia, nam ante ejus initium dudum exſtinctus fuit: verum ex tertia beſtia, ſicut *Dan.* 8. *v.* 21. dicitur: quod Alexander M. ſit cornu magnum, qui ibidem vocatur Rex Græcorum: quo fracto, quatuor cornua inde ſurrexerunt, per quæ intelliguntur quatuor Alexandri M. ſucceſſores: ex quibus quatuor cornibus unum fuit Seleucus Nicanor, ex quo deſcendit Antiochus Epiphanes. Ergo ſi Antiochus Epiphanes ortum habet ex tertia beſtia, utique origo ejus ex quarta beſtia deducenda haud erit.

II. *A* PROGRESSU. De cornu parvulo Daniel vaticinatur, quod ex 10 cornibus Beſtiæ quartæ tria cornua avulſurum, *Dan. c.* 7. *v.* 8. hoc eſt, 3 Reges humiliaturum ſit. *ibid. v.* 24.

At hoc ipſum de Antiocho Epiphane dici non poteſt: Quia qui non eſt, ille agere non poteſt. Non entis enim nulla eſt efficacia. Atqui Antiochus Epiphanes tunc non amplius fuit. Quia dudum ante Monarchiam quartam exſtinctus erat. Quomodo igitur tria cornua ex quarta Monarchia evellere poterat?

Exceptio.

Dicunt opinionis hujus erroneæ patroni,

1. Quod Antiochus Epiphanes tria cornua è decem cornibus avulſerit, h. e. tres Reges humiliaverit; quos Polanus in Dan. p. 593. & Piſcator in Dan. p. 66. nominant Ptolemæum Philopatora, Antiochum M. patrem, cui ille necem procuraverit, & Seleucum Philopatora, fratrem Epiphanis majorem.

Verum *Reſp.* 1. Quod neque decem cornua in ſucceſſoribus Alexandri M. neque tria cornua ſive regna ex illis ab Antiocho Epiphane dejecta vel ſubacta monſtrari poſſint: ſicut antea dictum eſt. Deinde quod dicunt Antiochum Epiphanem patrem ſuum Antiochum M. interfeciſſe, craſſus eſt error ex ἀνιστορησίᾳ ortus. Nam Antiochus M. non à filio, ſed à ſeditioſa plebe fuit trucidatus; ſicut ſcribit *Strabo Geograph. lib. 16.* & *Juſtinus lib.* 32. Quum enim Antiochus M. à Romanis victus, magnum tributum Romanis pendere cogeretur: & propter inopiam, ad quam Romani ipſum redegerant, impoſito magno tributo per 12 annos ſolvendo, vel propter inſatiabilem avaritiam, Beli templum, ut Strabo, vel Jovis Dodonæi, ut Juſtinus ſcribit, ſpoliare conatus eſſet: Barbari ad defenſionem templi concurrentes eum cum toto exercitu interfecerunt.

2. Brugthonus intelligit per tria cornua ab Antiocho Epiphane decuſſa, 1. *Seleucum Philopatora.* 2. *Filium* ejus *Demetrium.* 3. *Philometorem* Ægypti Regem.

Sed neque hæc ſententia ſtare poteſt. Quia 1. non congruit cum Danielis vaticinio: Conſtat enim ex *cap. 7. v.* 8. tres iſtos Reges, quos ille fingit ab Antiocho Epiphane ſublatos, ante ipſum imperare debuiſſe, atque etiam imperaſſe. At duo horum, nempe Seleucus Philopator & Demetrius, poſt illum regnarunt: Philometor etiam cum eo, & ante eum; uti ex Chronologia conſtat. Ergo neque Seleucus Philopator, neque Demetrius, neque Philometor ab Epiphane dejectus eſt. 2. Hæc ſententia prorſus eſt ἀπροσδιόνυσος: Nam ſermo hic eſt de corniculo parvo, quod pertinet ad quartam beſtiam: de quo *Dan. c.* 7. agit. At Polanus, Piſcator & Brugthonus loquuntur de corniculo parvo & tribus cornibus ad tertiam beſtiam pertinentibus, de quibus *Dan.* 8. *v.* 9. loquitur, quod περιλοιπος eſt.

III. *Ab* EGRESSU. Egreſſus corniculi parvi (de quo *Daniel. cap.* 7. agit) deſcribitur χρονικῶς, hoc eſt à tempore, quando perierit, nempe circa extremum judicium. *Daniel.* 7. 11. At hoc non poteſt accommodari ad Regnum Antiochi aut Seleucidarum; Nam hoc ante plures quam 1710 annos ſunditus deletum eſt, cum nempe Tigranes ultimus Rex Syriæ duobus prœliis à Romanis ſuperatus, Pompeio ſe dedidit, atque ita ſublata Regia poteſtate, Syria Romani Imp. provincia facta eſt, quum duraſſet 260. annos. Quare per corniculum parvum Antiochus Epiphanes intelligi non poteſt. Nam Antiochus Epiphanes quum expeditionem contra Ptolemæum Philometorem feciſſet, & Alexandriam obſideret; Romani *Popilium Lenatem* cum claſſe è Cilicia contra eum miſerunt, qui mandatum Senatus Romani ei expoſuit, eumque ex Ægypto exercitum educere juſſit: cui mandato ille parere coactus eſt. Nam Popilius Legatus Romanorum navibus appulſus Alexandriam, Antiochum virga circumſcribens circulo in arena facto, illi dixit: S. P. Q. R. præcipiunt, ut Ægypto recedas, nec pugnes in Ptolemæos, & iſto in loco reſpondeas, quid conſilii geras? an pacem, an bellum cupias? Quibus ille verbis perterritus ait: Si hoc placet Romanis, diſcedendum eſt. Itaque ſtatim exercitum movit, atque ex Ægypto diſceſſit. *Joſeph.* 12. *Antiq. cap.* 6. Ex Ægypto autem rediens Antiochus

re

re male gesta, in via mortuus est, sicut scribitur. 2 *Macc.* 9. *v.* 5. Nam minatus erat in itinere se urbem Jerosolymam facturum commune totius gentis sepulcrum, sed in itinere curru excussus morbo fœdissimo à DEO afflictus est, vermibus tanto fœtore è putrefacti corpore erumpentibus, ut nemo servorum eum ferre potuerit. Quare extra patriam in agro moritur, & Antiochiam defertur: quod factum est anno mundi 3811, anno 159 ante Christum natum. Vide. 2 *Macc.* 9. *v.* 5.

11. Neque per CORNU PARVULUM *AntiChristus* intelligi potest, sicut *Becanus Jesuita lib. de AntiChristo pag.* 771. statuit, quod AntiChristus venturus sit post 10. illos Reges, qui Romanum Imperium inter se dividunt, & consequenter post Romani Imperii excisionem, & hic est (inquit Becanus) ille alius, qui juxta Dan. vaticinium *c.*7.*v.*20. ex 10 illis proditurus erat. Hæc Becanus.

Verum nos respondemus, quod Jesuita Becanus toto cœlo erret: quod hoc invicto Syllogismo demonstramus. Ille alius venire debuit, adhuc stantibus decem illis cornibus, h. e. Regnis, ut tria cornua de bestia quarta, h. e. de quarta Monarchia rapere posset. Etenim quarta Monarchia decem sua cornua, h. e. regna adhuc habebat, quando cornu parvulum tria cornua dejecit. Si enim eadem non habuisset, quomodo ille alius eadem dejicere potuisset? Quia quod non est aut exsistit, everti non potest. At ubinam jam sunt decem illa regna, quæ AntiChristus ille Utopicus, quem fingit Becanus, à Romano imperio rapere poterit?

Quare *concludimus*, vaticinium illud Danielis non demum implendum in AntiChristo, sed dudum impletum esse in Mahomete Turcico.

Exceptio.

At dicit Becanus, ex *cap.* 17. *Apocal.* patere per cornu parvulum AntiChristum intelligendum esse, quippe quæ explicet Danielem.

Resp. Aliter Daniel, aliter vero Johannes Apostolus Imperium Romanum considerat: Ille sub Tyrannide Mahometis, qui tria cornua anteriora; hic vero sub Tyrannide AntiChristi, non Utopici, qualem Papistæ fingunt, sed Romani, qui 7 reliqua posteriora cornua, h. e. septem Regna, partim fraudulentia, partim violentia rapuit & ad se pertraxit, quorum tamen quædam postea AntiChristum odisse cœperunt, & ab eo deficientes, eundem persequuti sunt, sicut Johannes insinuat. *cap.* 17. *Apocal. v.* 16. Verum quod Becanus somniat, Romanum Imperium ante diem novissimum ita in decem Reges dividendum esse, ut nullus eorum nomen & Majestatem Romani Imperii usurpaturus sit, verum non est: Sicut enim digitus non est tibia, sed tamen pars tibiæ seu pedis: ita quoque Rex ille Romanum quidem Imperium non erit, Romanus tamen Imperator erit & vocabitur.

III. MONARCHIÆ QUARTÆ

ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ sive *delineatio.*

Monarchiæ IV tres sunt gradus.

- I. ORTUS vel *Constitutio.* Sic fundata est à *C. Julio Cæsare*, primo Romanorum Imperatore.
- II. PROGRESSUS.
  - 1. *Imperii Romani dilatatio.* Romani Imperatores imperium suum per omnes terrarum partes dilatarunt.
  - 2. *Mutatio.* Sic quatuor ejus sunt periodi.
    - I. A *Caio Julio Cæsare* usque ad Constantinum M.
    - II. A *Constantino M.* usque ad Justinianum M.
    - III. A *Justiniano M.* usque ad Carolum M.
  - 3. *Duratio.* Hæc Monarchia etiamnum durat, & usque ad finem mundi durabit.
    - IV. A *Carolo Magno* Imperium Occidentale est restauratum, & in Germania etiamnum durat. Et hæc quarta Periodus Germanorum in septem *Dynastias* subdividitur.
      - I. Est FRANCORUM, & præcipue *Carolidarum.*
      - II. SAXONUM.
      - III. Rursus FRANCORUM.
      - IV. SUEVORUM.
      - V. *Diversarum nationum & familiarum.*
      - VI. AUSTRIACORUM & *aliorum.*
      - VII. AUSTRIACORUM solorum.
- III. EGRESSUS, vel Interitus. Hæc Monarchia non à potentia humana, sed sola divina in novissimo die abolebitur.
- IV. MONARCHARUM CATALOGUS sive *enumeratio*, *temporisque* quamdiu quilibet Imperarit, *annotatio.*

Numerus primus annos, secundus menses, tertius dies regiminis denotat.

PERIODUS I. eſt Impp. Ethnicorum à C. Julio Cæſare uſque ad Conſtantinum Magnum.

		An.	Menſ.	Dies.
1 Julius Cæſar.		3	6	
2 Octavianus Cæſar, qui & AUGUSTUS appellatus.		56		
3 Cl. Tiberius Nero.		22	7	5
4 Cajus Caligula.		3	10	9
5 Cl. Tiberius Druſus.		13	8	20
6 Cl. Domitius Nero.		13	7	28
7 Sergius Galba.			7	
8 Salvius Otto.			4	
9 Aulus Vitellius.			8	
10 Flavius Veſpaſianus.		10		
11 Titus Veſpaſianus.		2	2	20
12 Fl. Domitianus.		15		
13 Nerva Coccius.		1	4	9
14 Ulpius Trajanus.		19	6	15
15 Ælius Hadrianus.		20	10	29
16 Antoninus Pius.		23	6	
17 M. Aurelius Antoninus Philoſophus.		19		
18 Aurelius Commodus.		13		
19 P. Ælius Pertinax.			2	25
20 Didius Julianus.			2	6
21 Septimius Severus.		17	7	3
22 Antoninus Baſſianus Caracalla.		6	2	5
23 Opilius Macrinus.		1	2	
24 Heliogabalus.		3	9	4
25 Aurelius Alexander Severus.	imperavit	13		9
26 Maximinus Thrax, ejuſque filius.		3		
27 Gordiani II pater & filius.		1	6	
28 Pupienus & Balbinus.		2		
29 Gordianus III.		6		
30 Philippus Arabs, cum filio.		7		
31 Decius cum filio.		2		
32 C. Vibius Trebonian. Gallus cum filiis Voluſ. & Æmyl.		2		
33 P. Licinius Valerianus.		4		
34 P. Licinius Gallienus.		15		
35 Claudius, cum frater Quintillo.		1	9	18
36 Valerius Aurelianus.		5	5	
37 M. Claudius Tacitus, ejuſque frater Florianus.			6	
			3	
38 M. Aurelius Probus.		6	4	
39 M. Aurel. Carus, cum filiis { Numeriano & Carino.				
40 & 41 Valerius Diocletianus, &		2		
Maximianus Herculeus.		18		
42 Conſtantius Chlorus, &		15		
Galerius Maximinus.		18		
Hic collegas ſibi adſcivit { Severum. Maximium, & Licinium.		2		
		7		
		15		
Maxentius vero ſemet ipſum Auguſtum appellavit.		6		

PERIODUS II. est Impp. Christianorum à Constantino M. usque ad Justinianum.

			An.	Mens.	Dies
43	Costantinus Magnus.	imperavit	30	9	27
44	Constantinus II.		3		
	Constans, &		13		
	Constantius, fratres.		24	6	
45	Julianus Apostata.		1	7	
46	Jovianus.			7	22
47	Valentinianus I. &		11	8	22
	Valens, fratres ac Collegæ.		14	4	9
48	Gratianus, &		16		6
	Valentinianus II, fratres & Collegæ.		17		
49	Theodosius I. Magnus.		17		
50	Arcadius, &		13		
	Honorius, fratres & Collegæ.		28	6	
51	Theodosius II.		42	2	28
52	Valentinianus III.		30		

Post Valentiniani obitum decem illegitimi Imperatores sive tyranni in Occidente regnarunt.

		An.	Mens.	Dies.
I.	Maximus.		2	6
II.	Avitus.		10	15
III.	Majoranus.	4	4	
IV.	Severus.	3	10	
V.	Anthemius.	5	3	
VI.	Olybrius.		3	23
VII.	Glycerius.	1	3	21
VIII.	Julius Nepos.	1	2	20
IX.	Orestes.	1		
X.	Augustulus.		9	21

Hic Augustulus Imperio Occidentali finem imposuit. Nam post eum Occidens Imp. Romanos non habuit annis totis 324. mens. 4. usque ad Carolum Magnum.

				An.	Mens.	Dies.
53	Martianus.	in Oriente	I.	6	6	10
54	Leo Magnus.		II.	17		
55	Zeno.		III.	17		
56	Anastasius Dicorus.		IV.	27	3	
57	Justinus I. Thrax.		V.	9	23	

PERIODUS III. à Justiniano, usque ad Carolum Magnum.

				An.	Mens.	Dies.
58	Justinianus M.	in Oriente	VI.	38	7	13
59	Justinus II.		VII.	10	10	20
60	Tiberius II.		VII.	6	10	8
61	Mauritius Cappadox.		IX.	20		
62	Phocas.		X.	8		
63	Heraclius.		XI.	30	10	
64	Constantinus III.		XII.		4	
65	Heracleonas.		XIII.		6	
66	Constans II.		XIV.	27		
67	Constantinus IV. Pogonatus		XV.	17		

				An.	Menſ.	Dies.
68 Juſtinianus II.	Imperator in Oriente	XVI.	imperavit	16		
69 Leontius.		XVII.		3		
70 Tiberius III. Abſimarus.		XVIII.		7		
71 Philippicus Bardanes.		XIX.		1	6	
72 Artemius, vel Anaſtaſius III.		XX.		1	3	
73 Theodoſius III.		XXI.		1		
74 Leo III. Iſaurus.		XXII.		24	2	
75 Conſtantinus Copronymus.		XVIII.		34	2	
76 Leo IV.		XXIV.		5	6	
77 Conſtantius VI. cum Matre Irene.		XXV.		17		
				27		

Cæteros Imperatores Græcos, uſque ad Conſtantinum Palæologum ultimum Orientis Imperatorem, (ſub quo imperium Conſtantinopolitanum, A. C. 1453. Friderico III. in Occidente imperante, in Turcarum poteſtatem pervenit) quia eorum hiſtoriæ non adeo memorabiles ſunt, relinquemus, & Germanorum in Occidente imperium à *Carolo Magno*, Irene imperii gubernacula tenente, rurſus inſtauratum, perſequemur.

PERIODUS IV. Imperatorum Germanorum in Occidente à CAROLO MAGNO, uſque ad noſtra tempora.

DYNASTIA I. FRANCORUM.

			An.	Menſ.	Dies.
I.	Carolus Magnus.	imperavit	13	1	
II.	Ludovicus I. Pius.		26	5	
III.	Lotharius I.		15		
IV.	Ludovicus II.		19	10	
V.	Carolus II. Calvus.		2		
VI.	Ludovicus III. Balbus.		1	6	5
VII.	Carolus III. Craſſus.		8	7	
VIII.	Arnulphus.		12		
IX.	Ludovicus IV.		12		
X.	Conradus I. Dux Franconiæ.		7		

DYNASTIA II. SAXONUM.

			An.	Menſ.	Dies.
XI.	Henricus I. Auceps.	imperavit	17		
XII.	Otto I. Magnus.		37		
XIII.	Otto II.		10	7	
XIV.	Otto III.		19		
XV.	Henricus II. cognomento Sanctus, item Claudus.		23	5	

DYNASTIA III. FRANCORUM & SAXONUM.

			An.	Menſ.	Dies.
XVI.	Conradus II. Saliquus.	imperavit	14	10	22
XVII.	Henricus III. Niger.		17	7	
XVIII.	Henricus IV.		50		
XIX.	Henricus V.		19		
XX.	Lotharius II. Saxo.		13		

DYNASTIA IV. SUEVORUM & BRUNSVICENSIUM.

			An.	Menſ.	Dies.
XXI.	Conradus III.	imperavit	14	3	7.
XXII.	Fridericus I. Barbaroſſa.		38		
XXIII.	Henricus VI.		7		
XXIV.	Philippus.		10		
XXV.	Otto IV.		4		
XXVI.	Fridericus II.		38		

DYNASTIA V. *Diverſarum nationum & familiarum.*

			An.	Menſ.	Dies.
XXVII.	Conradus IV.	imperavit	3	5	10
XXVIII.	Wilhelmus Comes Hollandiæ.		9		
XXIX.	Richardus.				
XXX.	Alphonſus.				

Hi duo A. C. 1257. diſſidentibus inter ſe Germanorum Principum ſententiis Imperatores electi ſunt, neuter præter inane nomen imperii obtinuit quidquam; ſiquidem res imperii non adeo curarunt, nec ab omnibus pro Imperatoribus agniti fuerunt. Hinc etiam plerique Hiſtorici eos à numero Impp. excludunt, & à morte Wilhelmi uſque ad *Rudolphi* electionem interregni tempus annis 17. definiunt.

DYNASTIA VI. AUSTRIACORUM, *& aliorum.*

			An.	Menſ.	Dies.
XXXI.	Rudolphus I. Habsburgius.	imperavit	17	9	16
XXXII.	Adolphus Naſſovius.		6	6	
XXXIII.	Albertus I. Auſtriacus.		10		
XXXIV.	Henricus VII. Luzelburgius.		4	8	
XXXV.	Ludovicus IV. Bavarus.		32	11	24

Huic oppoſitus eſt Fridericus Auſtriacus, Alberti Imperatoris filius.

			An.	Menſ.	Dies
XXXVI.	Carolus IV.	imperavit	32		
XXXVII.	Wenceſlaus.		22		
XXXVIII.	Rupertus Palatinus.		9	9	
XXXIX.	Jodocus Marchio Moraviæ.			6	
XL.	Sigiſmundus.		27		

DYNASTIA VII. AUSTRIACORUM *ſolorum.*

			An.	Menſ.	Dies.
XLI.	Albertus II.	imperavit	1	8	27.
XLII	Fridericus III.		53	4	
XLIII.	Maximilianus I.		25	5	
XLIV.	Carolus V.		38	7	
XLV.	Ferdinandus I.		6	4	7
XLVI.	Maximilianus II.		12	3	
XLVII.	Rudolphus II.		36	3	

TRACTATIO SPECIALIS.

PERIODUS I. à C. JULIO CÆSARE, uſque ad CONSTANTINUM MAGNUM.

I. IMPERATOR, C. JULIUS CÆSAR.

CAPUT I.

DE ORTU.

I. Generatio.

1 PATER ejus fuit C. JULIUS CÆSAR, vir Prætorius ſummæque poteſtatis. Nam Conſul Romæ cum Antonio & Dux belli contra Iberos, hoc eſt Hiſpanos fuit, & tandem Prætor factus, Piſis ſubitanea morte exſtinctus eſt, cum calceos induere & ligare vellet, quo tempore filius 16 ætatis annum ageret, anno V. C. 670. *Plinius lib. 7. cap. 52.*

II. MATER ejus AURELIA fuit dicta, C. Aurelii Cottæ filia, nobilis mulier Romana: ex familia *Aureliorum*, quorum ſumma apud Romanos erat dignitas, uti Feſtus teſtatur; apud quam C. Julius Cæſar puer educatus eſt. Deceſſit illa in Gallia, cum Julius Cæſar in ea bellum gereret.

GENEALOGIA.

C. Julius Cæſar Prætorius.

- C. Julius Cæſar, Romanorum Imperator primus.
- Julia Soror, nupta Accio Balbo.
  - ACCIA, nupta C. Octavio Prætori. A. V. C. 693.
    - LIVIA. Cui ex priore Marito Tib. Claudio Nerone
    - CÆSAR OCTAVIANUS AUGUSTUS, à Julio Cæſare adoptatus, cujus anno imperii 42 natus eſt Chriſtus. *Luc. 2.*
      - TIBERIUS CL. NERO, Auguſti privignus, & in Imperio ſucceſſor. Cujus anno 19. Chriſtus crucifixus eſt.
      - DRUSUS in Germania mortuus.
        - GERMANICUS Cæſar.
          - C. CALIGULA Imperator.
          - AGRIPPINA, nupta Cn. Domitio.
            - NERO Imperator.
        - CLAUDIUS Imp. *Act. 11. v. 20.*

Natus eſt C. Julius Cæſar A. M. 3872. poſt natum Ciceronem ſeptennio, C. Mario VI. & L. Valerio Flacco Coſſ. die 12 Julii; qui menſis poſt ejus mortem lege Antonia JULIUS ea de cauſa eſt dictus. *Macrob. l. 1. Saturn. c. 12.*

II. Appellatio.

I. PRÆNOMEN eſt CAIUS, Græce Γάϊος, ſcil. à terra, quaſi Gaïus. Alii ſentiunt, quod à parentum gaudio ſit ſumtum. Apud priſcos autem pro Domino ponebatur, ſicut & Gaïa, γαῖα, pro Domina; teſte *Plutarcho*.

II. NOMEN eſt JULIUS. Juliorum autem nomen ab Iulo Aſcanio, Æneæ filio tractum putatur. Sicut oſtendit *Virg. lib. 1. Æn.* cum ait:

Naſcetur pulchra Trojanus origine Cæſar,
Imperium Oceano, famam qui terminat aſtris,
Julius à magno demiſſum nomen Iulo.

Iulus, Ἴουλος, prima notione eſt idem quod ὅλος, integer, incolumis & ſanus: deinde figurate ſignificat criſpum. A Iulus fit denominativum Julianus, a, um; unde Juliani milites à Suetonio appellantur veterani milites, quorum opera uſus eſt Julius Cæſar: Item faſti Juliani à J. Cæſare confecti: ſimiliter vectigalia Juliana à Julio impoſita & exacta. apud Cic. 3. Antonium.

III. Cognomen eſt CÆSAR, quæ vox eſt Latina; unde Græcorum Καῖσαρ, & Syrorum ܩܝܣܪ. *Plinius lib. 7. Hiſt. nat. cap. 9.*

Variæ hujus Nominis dantur notationes à criticis.

1. Qui-

1. Quidam putant, quod à cæſarie dictus ſit; quia cum cæſarie natus ſit, ſicut Feſtus inquit, h. e. cum criſpo & pulchro capillitio: ſicut Γαλῶς etiam Græcis criſpum ſignificat. ſed hoc incertum.

2. Quidam opinantur, quod Cæſar appellatus fuerit ab oculis cæſiis, h. e. glaucis. Sed hoc pariter incertum, imo falſum: quia Suetonius de eo ſcribit, quod oculis nigris præditus fuerit.

3. Quidam ſtatuunt, illum Cæſarem eſſe cognominatum à cæſo matris utero, quia natus fuerit cæſo matris utero, *Cedrenus*, *Suidas*, & alii. Sed hoc falſum eſt. 1. Quoniam mater ipſius vixit, cum ille ad ſummos dignitatum gradus evectus eſſet, ut ex dicendis patebit. Nam cum Pontifex maximus eo die creatus eſt, matrem, eum ad oſtium haud ſine lacrymis proſequentem oſculatus, dixit: Hodie mater Pontificem maximum filium habebis, aut exulem. 11. Mater ejus ex hac vita diſceſſit, cum ille bellum in Gallia gereret, uti antea diximus.

4. Quidam cenſent illum dictum Cæſarem à cæſo elephanto, qui lingua Punica Cæſar appellatur; ſicut Carolus Sigonius & Spartianus referunt.

5. Verum nos ſtatuimus, quod nomen hoc Cæſaris non ſit caſuale, quod ei à fortuito caſu vel effectu impoſitum, ita ut hac ratione ipſe familiæ ſuæ cognominis originem publicarit, cum in nummis ſignari fecerit elephantum; ſed eſt nomen familiæ, quia pater ejus vir Prætorius C. Julius Cæſar dictus fuit, qui Piſis repentina morte occubuit. Nam ita *Suetonius* de Cæſarum familia ſcribit: Fuit, inquit, in gente Julia ex Cæſarum familia, quo cognomine primum uſum tradunt ſextum Julium Cæſarem, qui anno belli Punici ſecundi undecimo, M. Claudio Marcello, & Quinto Criſpino Coss. (anno urb. cond. 545.) Siciliam provinciam prætor obtinuit, ab hoc in univerſam familiam cognomen defluxiſſe.

III. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ, *ſive* CONSTITUTIO.

Cæſar fuit non tantum corporis, ſed etiam ingenii animique donis admirandis ornatus. *Suetonius in vita Julii Cæſaris* ſcribit, eum fuiſſe excelſa ſtatura, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetiſque oculis, valetudine proſpera, niſi quod tempore extremo repente animo linqui, atque etiam per ſomnium exterreri ſolebat. Comitiali etiam morbo bis inter res gerendas correptus eſt: circa corporis curam moroſior fuit, ut non ſolum tonderetur diligenter ac raderetur, ſed velleretur etiam, ut quidam exprobrarunt. Etiam cultu notabilem ferunt: uſum enim ferunt lato clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter, quam ſuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura: unde emanaſſe Scyllæ dictum conſtat, optimates ſæpe admonentis, ut male præcinctum puerum caverent. Hæc *Suetonius*. Ubi notandum eſt, quod corporis habitus in Cæſare miris animæ facultatibus utcunque reſponderint, non tamen omni ex parte. Nam tam altos ſpiritus ferre impotens, & ſub ingenti illo pondere æſtuans, deliquia, terrores & lapſus patitur.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. ACTA ACADEMICA.

1. *Informatio.*

JUlius Cæſar, poſtquam in pueritia ſub matris cura educatus eſſet, traditus in diſciplinam Galli cujuſdam, viri literatiſſimi, qui dictus fuit M. Antonius Gnipho; à quo in omni diſciplinarum genere ſtudioſe & diligenter informatus eſt, adeo ut nulli literatorum cederet, ſed etiam clariſſimis viris palmam præriperet.

REGULA POLITICA.

Olim Græcorum atque Latinorum principes ſub optimis & clariſſimis præceptoribus inſtituti fuerunt. Jov. Pontanus l. 5. de Obedient. pag. 45. Nam Reſpubl. literis & armis regitur & conſervatur.

Exempla.

1. *Alexander M.* regum omnium ingenioſiſſimus, non modo primas literas, ſed univerſam etiam philoſophiam atque medicinam à præceptoribus ſuis didicit. Tanti enim ille bonarum artium & diſciplinarum ſtudium fecit, ut aperte pronunciare auſus ſit: *Se malle doctrina anteire alios, quam opibus & dignitate.* Bruſon. l. 3. c. 35.

2. *C. Julius Cæſar* ejuſdem indolis & ingenii fuit: Hinc Julium Syllanum pronepotem Auguſti, quia illiteratus, ſegnis, ingenioque minime acuto eſſet, *Pecudem auream* appellavit. *Cornelius Tacitus Annal. l.* 13.

Et in *Claudii Paradini* ſymbolis Heroicis conſpicitur imago viri globo inſiſtentis, atque dextra quidem manu gladium, ſiniſtra vero librum tenentis, cum hac inſcriptione, EX UTROQUE CÆSAR: Qua ſignificatur, his duobus, nempe LITERIS & ARMIS, Julium Cæſarem recto corporis ſtatu ſemper rebus gerendis ſtrenue invigilantem, Dominum toties orbis factum, & hiſce duobus mediis optimos & ſaluberrimos gubernatores educari. Hinc legimus *Deuter.* 17. *v.* 18. & 2 *Reg.* 11. *v.* 12. 2 *Par.* 23. *v.* 11. in more poſitum fuiſſe apud

Iſraëlitas, ut quando novus Rex ad officium inauguraretur, ei una cum inſignibus regni etiam *liber Legis* traderetur: ut hoc ritu commonefieret, potentiam ſibi concreditam pietate & ſapientia (quæ doctrina acquiritur) moderandam eſſe.

PARÆNESIS.

Hoc præceptum noſtri ſeculi Principes imitentur, & filios ſuos optimis Magiſtris erudiendos tradant, ut illos efficiant oratores verborum, actoreſque rerum; ſicut Phœnix apud *Homerum* inquit:

—— Comes atque Magiſter
Sum datus, ut præcepta tibi, rerumque bonarum
Verborumque darem; rebuſque ut fortia agendis
Eſſes, & verbis poſſes Orator haberi.

Contra autem Princeps illiteratus eſt nihil aliud, quam aſinus coronatus, ſicut Alphonſus, Rex Neapolitanus, ejus nominis I. dixit. *P. Gregor. Tholoſ. l. 10. de Republ. c. 6. p. 644.*

II. *Inſignis eruditio.*

1. Julius Cæſar fuit *Orator eloquentiſſimus*. Suetonius ita de eo ſcribit: Eloquentia Cæſar aut æquavit præſtantiſſimorum gloriam, aut exceſſit: Certe Cicero ad Brutum Oratores enumerans, negat ſe videre, cui Cæſar debeat cedere; aitque eum elegantem, ſplendidam quoque, ac etiam magnificam ac generoſam quodammodo rationem dicendi tenere. Et ad Cornelium Nepotem de eodem ita ſcripſit: Quid? Oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? quis ſententiis aut acutior, aut crebrior? quis verbis aut ornatior, aut elegantior?

Reliquit etiam Cæſar rerum ſuarum geſtarum commentarios Gallici civiliſque belli Pompeiani; de quibus *Cicero* in eodem libro ſic refert: Commentarios ſcripſit valde quidem probandos; nudi ſunt, recti & venuſti, omni ornatu orationis, tanquam veſte detracta: ſed dum voluit alios habere paratam, unde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam, ineptis gratum fortaſſe fecit, qui illa volunt calamiſtris inurere; ſanos quidem homines à ſcribendo deterruit. De iiſdem commentariis Hirtius ita prædicat; Adeo probantur omnium judicio, ut prærepta, non prædita facultas Scriptoribus videatur: cujus tamen rei major eſt noſtra, quam reliquorum admiratio: cæteri enim quam bene atque emendate, nos etiam quam facile atque celeriter eas perſcripſerit, ſcimus.

2. Fuit *inſignis Mathematicus*; Et huic ſtudio diligenter ille incubuit, ſicut *Lucanus* de eo ſcribit:

—— Media inter prælia ſemper
Stellarum, cælique plagis ſuperiſque vacare
Solebat.

Unde in anno ordinando, inque tempore recte diſtribuendo magnam curam adhibuit atque induſtriam: Nam ratio anni uſque ad Julium Cæſarem in tota Europa vaga fuit & incerta: & ille converſus ad ordinandum Reipubl. ſtatum, faſtos correxit, jam pridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam ita turbatos, ut neque meſſium feriæ æſtate, neque vindemiarum autumno competerent; annumque ad curſum Solis accommodavit, ut 365 dierum eſſet, & intercalario menſe ſublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur. vide *Suetonium* in Jul. Cæſare §. 40. & hi faſti dicuntur faſti Juliani, & anni Juliani.

At Pontifex Romanus Gregorius XIII, ut ſe AntiChriſtum probaret juxta vaticinium *Danielis cap. 11. v. 31. & 36.* Calendarium Julianum corrigere auſus fuit anno 1582, tempore Rudolphi II. Imperatoris; At ſi à doctrina & moribus incepiſſet, feciſſet rectius; ſed iſtic altiſſimum ſilentium, de quo venuſte Poëta ait:

Jam diu Ephemerides correxit Papa, nefandam
Doctrinam & vitam ut corrigat, ecquis erit?

3. Fuit in *literis ſcribendis ſolertiſſimus*. Nam ſcripturam ænigmaticam invenit, ſicut *Suetonius* in ipſius vita ſcribit: In Epiſtolis, ſi qua occultius proferenda erant, per notas ſcripſit, id eſt, ſic ſtructo literarum ordine, ut nullum verbum effici poſſet, quæ ſi quis inveſtigare ac perſequi vellet, quartam Elementorum literam, id eſt, D pro A, & perinde reliquas, commutabat.

4. *Divina quoque memoria atque ingenio præditus fuit.* Nam ſimul legere, dictare & audire ſolebat, legere ſimul & ſcribere, audire & dictare: Epiſtolas de rebus maximis quaternas pariter dictabat aliis, ipſe manu ſua quintam ſcribens; At ſi calamum eximeres, ſeptem ſimul dictabat.

II. *ACTA OECONOMICA.*

1. *Conjugia.*

Julius Cæſar 4 *uxores* in matrimonio habuit.

1. Erat *Coſſutia* ex familia Equeſtri oriunda, quæ admodum dives Juveni prætextato, nempe annum 16. agenti, deſponſata fuerat: verum hanc poſt mortem Patris à ſe dimiſit.

2. *Cornelia* erat: Dimiſſa enim Coſſutia Corneliam Cinnæ, quater Conſulis filiam uxorem duxit, ex eaque filiam Juliam ſuſcepit: mortuam autem, uti etiam Juliam amitam, ex more pro roſtris laudavit, ut hac ratione apud populum pietatis laudem captaret. *Suetonius* in vita Cæſ. §. 6.

3. *Pompeia* erat Q. Pompeii filia, quam uxo-

rem

rem duxit, quum Prætor in Hiſpaniam proficiſceretur: Sed hanc repudiavit, quod ſiniſtra fama laboraret, quaſi cum Clodio in templo *Bonæ Deæ* rem habuiſſet. Cæterum quum Clodius hoc nomine reus perageretur, Cæſar citatus teſtis nihil mali de ea dixit: At quum accuſator diceret: cur igitur cum ea feciſti divortium? Quoniam oportet, inquit Cæſar, meos tam ſuſpicione, quam crimine carere. *Suetonius* in vit. Cæſ. §. 74. *Plutarchus* in Cæſ. §. 3. Præter argutiam reſponſi, laudari poteſt civilitas, quod repudiatæ conjugis famæ pepercit; inquit *Plutarch.* in Apophth.

4. *Calpurnia*, L. Piſonis in Conſulatu ſibi ſucceſſuri filia. *Suetonius* in Cæſare §. 25. Hæc maritum ſuum ardentiſſime dilexit, eumque dehortata, ne curiam fatali die aſcenderet: Quoniam in ſomnio viderat eum interfectum iri.

II. *Filia.*

Filia ei fuit unica, nempe *Julia*, quam ex Cornelia, ſecunda conjuge, ſuſcepit: Hanc Cn. Pompeio collocavit, repudiato Sponſo priore Cepione, cujus vel præcipua opera paulo ante Bibulum Collegam ſuum impugnaverat: verum Julia Pompeii Conjunx filiolam enixa moritur, infante pauciſſimis diebus matri ſuperſtite: Hac morte diſſoluta eſt Julii & Pompeii conjunctio: Cæſar tamen quoquo modo Pompeii affinitatem ſibi retinendam ratus, Octaviam ſororis ſuæ neptem C. Marcello deſponſatam Pompeio obtulit, Pompeii viciſſim filiam, quæ Fauſto Sýllæ deſtinata erat, ſibi dari poſtulans. *Golz.*

III. *Converſatio domeſtica.*

Cæſar in domeſtica converſatione ſuavis & hoſpitalis fuit, & præter cæteros Imperatores jura hoſpitalitatis ſervavit, non modo in rebus maximis, ſed etiam in minimis; ut patet ex diſſimulatione ſolœciſmi, quem Valerius Leo hoſpes ejus in præparandis aſparagis commiſerat; Cœnabat aliquando Mediolani Cæſar, invitatus ab hoſpite Valerio Leone, quia aſparagos appoſuerat, illoſque non oleo, ſed unguento perfuderat, Cæſar tamen diſſimulando, ne hoſpitem perturbaret, nihilominus comedebat: Sodales vero reliqui indignantes illos reſpuebant, hoſpitemque increpabant, & gravibus objurgabant verbis: Tum Cæſar inquit: Abſtineat, qui non probat: Ruſticus eſt enim, qui hanc ruſticitatem perferre nequit. Quibus verbis docuit, levia amicorum hoſpitumque peccata ferenda, & non culpanda eſſe. *Plutarchus* in Cæſare §. 5.

Aliquando Cæſar compulſus in itinere per tempeſtatem in hominis pauperis caſam divertit. Ubi nihil extra unum cubiculum reperit, quod capere vix poſſet unum, dixit amicis: Ampla loca Principibus concedenda, neceſſaria debiliſſimis: atque Oppium illic juſſit capere quietem, cum cæteris ipſe in protecto januæ cubuit.

IV. *Diſciplina domeſtica.*

Julius Cæſar diſciplinam domeſticam in parvis ac majoribus rebus diligenter, adeoque ſevere rexit, ut Piſtorem alium, quam ſibi, panem ſubjicientem convivis, compedibus vinxerit: Similiter libertum, ſibi gratiſſimum, ob adulteratam Equitis Romani uxorem, quamvis nullo accuſante, capitali pœna affecit. *Suetonius* in ejus vita.

NOTA.

Hoc exemplum Julii Cæſaris diligenter eſt notandum: Nam inde patet, quod adulterium pro enormi & deteſtando ſcelere habuerit: Contra autem Alexander III. Papa Romanus, ut ſe AntiChriſtum eſſe oſtenderet, in jure Canonico cap. At ſi Clerici. Extra de judiciis, reſcripſit Solertinano Archiepiſcopo de adulteriis & aliis criminibus, quæ minora ſunt, poſſe Epiſcopum cum Clericis poſt peractam pœnitentiam diſpenſare. Hæc verba Papæ. Ex quibus patet, quod Pontifex Romanus habeat adulteria pro levibus criminibus: Sed aliud Spiritus S. in codice S. de eo fert judicium, nempe, quod adulterium non tantum morte puniri debeat, (*Levit.* 20. *v.* 10. Si quis mœchatus fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum uxore proximi ſui, morte moriantur & mœchus, & adultera. Similiter *Deut.* 22. *v.* 22. talis exſtat lex: Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id eſt, adulter & adultera, & auferes malum de Iſraël) ſed etiam adulterium excludit hominem è regno cœlorum. 1 *Cor.* 6. *v.* 9, 10. Ne erretis, neque ſcortatores, neque adulteri, neque fures, neque rapaces, regni Dei hæreditatem accipient. *Conf. Gal.* 5. 21.

III. *ACTA POLITICA.*

1. *Præſagia futuræ ejus dignitatis & gloriæ.*

2. *Somnium de terra.* Suetonius in vita ejus ſcribit, quod Julius Cæſar, quum in Hiſpania Prætoris officio fungeretur, & apud Alexandri M. ſtatuam diu ingemuiſſet, quod ea ætate adhuc nihil inſigne edidiſſet, qua Alexander Imperium orbis adeptus erat, ſomniaverit nocte ſequente, ſe ſtuprum matri intuliſſe: Quo ſomnio, velut fœdo, ipſe vehementer confundebatur: At conjectores eum ad ampliſſimam ſpem incitaverunt, Imperium orbis terrarum portendi interpretantes; Quoniam mater, quam ſibi ſubjectam vidiſſet, non alia eſſet, quam terra, quæ cunctorum viventium ſit mater. *Conf. Franc. Petrarch. lib.* 4. *rer. memorab.*

NOTA.

Qui reipſa Reipubl. Romanæ Matri ſuæ vim illaturus erat, non ſine arcana quadam vi, horrendo quodam, & futuri mali prodromo ſomnio prius turbatus eſt.

AXIOMA.

Somnia, niſi ſint ἐνύπνια, plerumque fallunt, eaque obſervare impium & vanum eſt: Gaudet namque Diabolus, qui & mendax & latro eſt, *Joh.* 8. hominum animos in terrores conjicere, & per ſomnia eis immiſſa ſeditiones, bella, homicidia aliaque ſcelera inter mortales excitare, vanaque ſpe lactatos per ſomnia ambigua in magnas calamitates conjicere. Hinc Deus *Deut.* 18. 10. tale dat mandatum: Non inveniatur in te, qui obſervet ſomnia. & *Jeremiæ* 28. *v.* 28. Propheta, qui ſomnium narrat, narret ſomnium: & qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum vere. Quid paleis ad triticum? dicit Dominus: *Jerem.* 29. *v.* 8. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſraël: Non vos ſeducant Prophetæ veſtri, qui ſunt in medio veſtrûm, & divini veſtri; & ne attendatis ad ſomnia veſtra, quæ vos ſomniatis.

Exempla.

1. De *Nabuchdonoſore.* Hujus ſomnium erat ἐνύπνιον, nempe de ſtatua magna, quæ quatuor Monarchias repræſentabat. *Daniel.* 2. *v.* 46, 47, 48.

2. De *Xerxe*, quarto Perſarum Rege. Hujus ſomnium erat Diabolicum. vide Monarch. ſecund. in Hiſtor. Xerxis.

3. *Equi prodigioſi forma.* Julius Cæſar habebat equum inſignem, pedibus prope humanis, & in modum digitorum ungulis fiſſis, quem natum apud ſe magna cura aluit: Quoniam aruſpices palam de eo pronunciaſſent, illum Dominum orbis futurum, qui hoc equo uti poſſet; Non autem admiſit ſeſſorem ullum præter Julium Cæſarem, qui primus eum aſcendit, ideoque ſpem de dominio orbis animo concepit: & hoc peculiare fuit donum J. Cæſari, uti & Alexandro M. collatum.

II. *Officia dignitatum & honorum à Iulio Cæſare adminiſtrata.*

Julius Cæſar per Dei gratiam, & facta ſua heroica ad ſummos dignitatum atque honorum gradus aſcendit. Factus namque

1. *Tribunus Militum.* Nam ita *Plutarchus* ſcribit: Primum favoris erga ſe populi cepit documentum, quum Tribunus Militum, (h.e. qui poteſtatem in caſtris habebat) competitore C. Popilio, prior eſt renunciatus.

II. *Quæſtor* in Hiſpania. Quæſtorum autem officium primum belli cauſa inventum eſt: Mittebantur enim à Romanis Quæſtores cum Conſulibus & Prætoribus in militiam, aut provincias ad adminiſtrandam rem pecuniariam, & prædam, ac manubias in rationes publicas referendas. Hujuſmodi Quæſtores hodie Theſaurarii Bellici, Pfenning-meiſter appellantur.

III. *Prætor provincialis in Hiſpania* ulteriori, ubi quum jure dicendo conventus circumiret, Gadeſque veniſſet, viſa apud Herculis templum Alexandri M. imagine, ingemuit; ibi etiam nocte ſequenti ſomnium habuit de Matre, cui ſtuprum intuliſſet: *Sueton. in vita Cæſaris.* Dictus eſt autem *Prætor*, ut Livius innuit, à præeſſendo, vel, ut Varro vult, à præeundo, quaſi præitor, quod præiret jure & exercitu: *Cicero lib.* 3. *de ll. Imperator Juſtinian. Nov.* 24. Ejus dignitas *Prætura* dicitur; Omnis autem Prætorum poteſtas, quæ modo eſſet in judiciis, his tribus verbis, authore Feſto, notabatur: DO, DICO, ADDICO. Primum dandi, judicis ſignificabat poteſtatem. *l.* 1. *de juriſd.* Secundum juris dicendi & ſententiæ ferendæ. Tertium judicati faciendi, maturandæque executionis. Dicere enim proprie ad dictionem ſententiæ refertur. Addicere eſt idem dicere & approbare, priorem ſententiam exequendo: vel Magiſtratus authoritate ſolenniter appropriare & mancipare: *l. à D. Pio* 15. in principio de re judicata: *Weſemb. in Paratitl. pag.* 56.

IV. *Ædilis.* Nam urbem Romam præclaris ædificiis ornavit & auxit: Ædiles enim dicti ſunt ἀπὸ τῶν οἰκημάτων, quod ædes ſacras & privatas procurarent, teſte *Varron. lib.* 4. de ling. Latin. *Cic. l.* 3. *de ll. ex L. XII. tab.* Sunto Ædiles curatores urbis, annonæ, ludorumque ſolennium, illiſque ad honoris amplioris gradum is primus aſcenſus eſto. Erant & alii Ædiles, qui frumento & annonæ præerant, à Cæſare primum creati, & à Cerere Cereales appellati, ut ſcribit *Pomponius*: His cura ponderum, ne qua fraus fieret, & menſurarum commiſſa erat.

V. *Pontifex Maximus.* Pontifex autem erat ſacer Magiſtratus à Ponte ſic dictus, juxta *Varron. lib.* 4. Quia ab iis pons ſublicius eſt factus, in quo ſacra ſolennia faciebant. Vel juxta Q. Scævolam, Pontifex dictus eſt à poſſe & facere: quia Pontifices poteſtatem habebant de religione ſtatuendi. Duplices autem erant Pontifices: Majores & Minores; inter quos ſummus, Pontifex Maximus eſt dictus, quod maximarum rerum, quæ ad ſacra & religionem pertinebant, judex eſſet, & vindex contumaciæ privatorum & Magiſtratuum. Numa primus Pontificem inſtituit, atque omnia ſacra attribuit.

Livius

Livius lib. 3. ab urb. cond. Hoc officium Cæſar ſummo ſtudio & ardore ambivit, adeo ut, quum mane ad comitia deſcenderet, Matri eum oſculanti prædixerit; Domum ſe, non, niſi Pontificem, reverſurum. *Suetonius* in vita Cæſar. Similiter *Plutarchus* in vita Cæſaris refert, quod die inſtante Matrem eum ad oſtium domus haud ſine lacrymis proſequentem oſculatus dixerit; Hodie, Mater, aut Pontificem Maximum filium, aut exulem videbis.

VI. *Dictator*, Græc. Δικτάτωρ, vel δυνάστης, Magiſter populi: *Cicero l. 3. de Finib.* Germ. Stattmeiſter. Dictator autem apud Romanos erat, cui periculoſiſſimo Reipublicæ tempore ſumma poteſtas permittebatur, quam Dictaturam appellabant. Erat extraordinarius Magiſtratus, habens jus animadvertendi in cujuſque civis caput, nec ab eo provocandi jus erat; nec alio pacto creari ſolebat, quam quum vis aliqua major repente oborta ingentem urbi Romanæ cladem minitari videretur. Dictus eſt autem *Dictator* à dictando, idque tum paſſive, quod à Conſule diceretur, cujus dicto audientes omnes eſſent; tum active à dictando jure, quod ille jus diceret, ſive quod ipſe à Conſule dictus, deinde Magiſtrum Equitum, & reliquos Magiſtratus diceret. *Livius lib. 9. ab urb. cond. Cicero lib. 3. de Finibus.*

Hoc dictaturæ officium Cæſar quinquies geſſit. 1. *Dictatura* ejus fuit anno M. 3923: Hanc geſſit 11. diebus: Hinc ad Monarchiam Auguſti & bellorum civilium finem annis 20.

2. *Dictaturam* geſſit A. M. 3925, ſed anno ſuperiori ei decretam.

3. Geſſit A. M. 3926. ab V. C. 707. à deleta Carthagine 100.

4. Geſſit & Conſulatum 4. A. M. 3927.

5. Julii Cæſaris dictatura, eaque perpetua, & Conſulatus quintus fuit A. M. 3928.

VII. *Conſul.* Græc. ὑπατος, vel ὕπατος. Cæſar Conſulatum quinquies geſſit.

1. *Conſulatus* ejus fuit A. Æt. 41. A. M. 3913: Hinc ad mortem Julii quindecim anni: in hoc Conſulatu legem Agrariam tulit; qua à Decemviris agri diviſi, addito etiam Campano agro, qui trium liberorum & plurium patribus divideretur. In ultimo Conſulatu exarſit bellum civile inter ipſum & Pompeium.

Erat autem Conſulatus (uti Plutarchus ſcribit) ſummum apud Romanos dignitatis faſtigium, poſt exactos Reges, à Junio Bruto primum introductus A. V. 244. Dicti ſunt Conſules à conſulendo, ſive quod Reipubl. conſulerent, vel quod à civibus conſulerentur. *Cicero in Piſon. Feneſtell. de Rom. Magiſtr.*

VIII. *Imperator* dictus eſt à pugna Pharſalica, & morte Pompeii, A. M. 3924. Æt. 52. Regnavit annos 3 & menſes 6. Primus Imp. Romanus fuit, à quo omnes ejus ſucceſſores Imperatores dicti ſunt in hodiernum uſque diem.

3. *Officiorum Politicorum adminiſtratio.*

1. *Faſtorum correctio.* Julius Cæſar ad tantos dignitatum atque honorum gradus evectus ad ordinandum Reipubl. ſtatum ſe convertit, faſtoſque correxit: De quo diximus in Actis Academicis.

2. *Magiſtratuum ordinatio.* Deinde Cæſar Magiſtratus ordinavit, Senatum ſupplevit, patricios allegit, Prætorum, Ædilium, Quæſtorum, Minorum etiam Magiſtratuum numerum ampliavit: nudatos opere centorio aut ſententia Judicum de ambitu condemnatos reſtituit: Comitia cum populo partitus eſt, ut exceptis Conſulatus competitoribus, de cæteris numero Candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciarentur: pro parte altera, quos ipſe dediſſet: & edebat per libellos, circum tribus miſſos, ſcriptura brevi: *Cæſar Dictator illi tribui: commendo vobis illum & illum, ut veſtro ſuffragio ſuam dignitatem teneant.*

3. *Legum ſanctio.* Leges ſalutares; quæ corporis Politici ſunt anima, & vincula ſocietatis humanæ firmiſſima, ſanxit, ſicut *Sueton. in vita Jul. Cæſar.* ſcribit: Octoginta civium millibus in tranſmarinas colonias diſtributis, ut exhauſtæ quoque urbis frequentia ſuppeteret, ſanxit: neque civis major annis 20, minorve decem, qui ſacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abeſſet, neu quis Senatoris filius, niſi contubernalis aut comes Magiſtratus, peregre proficiſceretur: neve hi, qui pecuariam facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum inter paſtores haberent: omnes Medicinam Romæ profeſſos, & liberalium artium Doctores, quo libentius & ipſi urbem incolerent, & cæteri quoque appeterent, civitate donavit.

4. *Judicii & juſtitiæ adminiſtratio.* Cæſar jus populo ſollicite ac ſeveriſſime dixit: repetundarum convictos etiam ordine Senatorio movit: diremit nuptias Prætorii viri, qui egreſſam à marito poſt biduum ſtatim duxerat, quamvis ſine probri ſuſpicione: peregrinarum mercium portoria inſtituit, lecticarum uſum, item conchyliatæ veſtis, & Margaritarum, niſi certis perſonis & ætatibus, perque certos dies ademit: legem præcipue ſumtuariam exercuit, diſpoſitis circa macellum cuſtodibus, qui opſonia contra vetitum retinerent, de-

portarentque ad ſe, ſubmiſſis nonnunquam lictoribus, & militibus, qui ſi quæ cuſtodes fefelliſſent, jam appoſita è triclinio auferrent.

AXIOMA.

Virtutem & laudabilia facta ſequitur honor.

Exemplum clariſſimum habemus in C. Julio Cæſare: Quia enim ille laudabiliter Romanum Imperium adminiſtravit, magnam ſibi authoritatem comparavit, & honorem conciliavit.

1. In *Romana urbe*: Nam *Dion lib.* 49. ſcribit; Cæſarem poſt epulum triumphale cum inſigni hoc honore, veſteque triumphali veſpere domum rediiſſe, cui etiam ædes publicas ex decreto Senatus conceſſas addit.

2. In *toto terrarum orbe*: Nam ſapientes in univerſo orbe tale de eo judicium ferunt, quod ille omnium Romanorum Imperatorum clariſſimus fuerit, quodque ille unus ex omnibus Romanis exſtiterit, qui Alexandro Macedoni non ſolum conferri, ſed jure etiam præponi poſſit.

IV. *ACTA POLEMICA.*

C. Julius Cæſar heroicus bellator fuit, qui quinquagies bis conſerta manu cum hoſtibus conflixit, quibus in prœliis circiter undecies centena & nonaginta duo millia hominum periiſſe ſcribuntur.

Novem autem bella Cæſar S. P. Q. R. nomine geſſit.

1. Fuit *bellum Gallicum*, quod anno M. 3914. inchoatum, & A. M. 3922. terminatum eſt, quibus novem annis in Gallia 300. vel, ut alii tradunt, 400 populos ſubegit, oppida 80 per vim cepit, prœlio tricies dimicavit, Galliam denique totam, nempe Togatam, Comatam, & Braccatam, Romanis ſubjectam in provinciæ formam redegit. Hoc bellum ipſe Cæſar eadem manu, qua geſſit, deſcripſit, ſingulis commentariorum libris ſingulorum annorum res geſtas complexus. *Plutarchus in Cæſare.*

2. *Helveticum.* Helvetii, incenſis oppidis, pagiſque ſuis, trecenta millia militum in Romanorum provincias educebant, eaſque vaſtabant; Sed Cæſar magno eos prœlio vicit, & reſiduos coëgit Helvetiam repetere, quam reliquerant. De hoc bello vide *Plutarchum in Cæſare.*

3. *Britannicum.* Julius Cæſar anno M. 3917. primus Romanorum in Britanniam trajecit, Romanis antehac incognitam & inacceſſam: Cæſar autem Britannis ſubactis obſides imperavit, & vectigal, quod populo Romano ſingulis annis penderent, conſtituit. *Golz.*

4. *Germanicum.* Cæſar A. M. 3917. primus mortalium ponte facto cum exercitu in Germaniam movens, Rhenum transgreditur. De hac bellica Julii Cæſaris expeditione Plutarchus in Cæſare §. 7. ita ſcribit: Cæſar revera gloriæ cupidus, atque ut primus mortalium Rhenum traduceret, amnem ponte junxit latiſſimum, qui eo in tractu laxiſſime diffundit ſe, aſperque eſt, & torrens, truncique & materia, quæ devehebat, concutiebat atque convellebat pontis fulcimenta: Verum hæc trabibus ingentibus projectis ac medio flumine defixis, excipiens, irruentemque in pontem undarum impetum leniens, quod excederet omnem fidem, oſtendit ſpectaculum, diebus decem pontem abſolutum. Tranſmiſſo exercitu, quum occurrere ſuſtineret nemo, ſed etiam recepiſſent ſe præſtantiſſimi Germanorum Suevi in convalles altas & ſylveſtres, fœdatis hoſtium agris, fidiſque ſociis populi Romani confirmatis, poſtquam duodeviginti dies in Germania egiſſet, in Galliam eſt regreſſus. *Golz.* Pons hic ad Rhenum ab ipſo Julio Cæſare *libr.* 4. *comment. de bello Gall.* deſcriptus eſt. Pugna ejus cum Arioviſto Germanorum Rege deſcribitur à Plutarcho §. 6.

5. *Bellum* cum *Pompeio ad Pharſalum* geſtum: Hoc bellum civile inter Julium Cæſarem & Pompeium incepit A. M. 3923.

Circa illud notanda veniunt *tria.*

1. *ORTUS.*

ORTUS ſive occaſio hujus belli fuit,

1. Ex *parte Julii Cæſaris*, ejus fortuna & potentia, quæ Pompeio erat ſudes in oculis, quia ipſe novem annis Gallos, & poſtea etiam Helvetios & Britannos ſubegerat, & Germanos graviter afflixerat; Hinc potentia valde creſcebat, & authoritas atque fama ejus apud omnes glorioſa erat.

2. Ex *parte Pompeii* erat odium, invidia, atque inſolentia: Nam ex mirabili rerum ſucceſſu, & creſcente indies potentia Cæſaris, exarſit odium, invidia & æmulatio Pompeii M. mortua præſertim uxore ejus Julia, Cæſaris filia, in puerperio: Itaque ad reprimendum Cæſarem omnes conatus ſuos paravit: ad honores evehens, quoſcunque ei infenſos maxime æſtimavit; unde patet, quod vera hujus belli cauſa fuerit contentio de primatu & regnandi libido, ſicut Dion recte inquit.

3. *Ex parte Senatus Romani* fuit Senatus-conſultum anno M. 3923. 7. Januar. perſcriptum; Darent operam Conſules, ne quid Reſpubl. detrimenti caperet. Quo armati ſunt Coſſ. & Pompeius adverſus

verſus Julium Cæſarem. Fuit hoc claſſicum belli civilis. Senatus-conſultum autem tale fieri non ſolebat, niſi in maximis Reipubl. periculis, ſumma id flagitante neceſſitate. *Appianus.*

II. PROGRESSVS.

1. *Pompeii ex urbe fuga.* Pompeius cognito Cæſaris adventu, cum Optimatibus ex urbe in Græciam profugit: Cæſar vero Romam ingreſſus, paci, quæ nihil habitura eſſet inſidiarum, unice conſuluit; quæ cum ab adverſariis repudiaretur, armavit ſe adverſus eos.

2. *Ipſa pugna.* Pompeius Dyrrachium tenebat. Eodem ergo veniebat etiam Cæſar: inde in Theſſaliam ventum eſt, ubi in campis Pharſalicis inter Pharſalum ipſum & Enipeum flumen Julius Cæſar Pompeium ingenti prœlio vicit & profligavit A.M. 3924 circa diem 20 Julii: Ceciderunt in hac pugna Pharſalica ex Pompeiano exercitu circiter 15000, capta præterea fuerunt 24000: Signa militaria 180 & 9 Aquilæ ad Cæſarem relatæ. Cæſar vero è ſuis 200, nec amplius deſideravit, & præter hos centuriones 30, uti ipſe Cæſar ſcribit: Julius autem Cæſar inſtructus exercitu militum veteranorum vicit Pompeium, qui exercitum ex gentibus Aſiaticis collectum habebat, quem victum eſſe refert etiam Plutarchus. De quo notandum eſt hoc axioma Politicum: Semper virtus Europæa formidabilior erat Aſiatica: Ideo Aſiatici non temere irritarunt Europæos, ſed potentiam eorum formidarunt.

III. EGRESSVS.

1. *Cæſaris moderatio admiranda.* Cæſar victoria potitus pepercit omnibus, qui pacem petebant, exclamans altâ voce: *Miles, parce civibus.*

2. *Pompeii in Ægyptum fuga, & mors tragica.* Pompeius autem victus cum conjuge Cornelia & Sexto filio fugit in Ægyptum, ad Ptolemæum Auletæ filium, (cujus patrem regno expulſum atque exulantem in regnum reſtituerat) ſperans ſe tutum apud eum hoſpitium reperturum: ſed ſpes eum fruſtrata eſt. Nam ex navi ſua in Regiam navem transiturus, in conſpectu Corneliæ conjugis, & Sexti filii, transfoſſus eſt ab Achilla & L. Septimio Regis Ptolemæi familiaribus, ne bellum in Ægyptum attraheretur: caput ejus amputatum eſt, & in Ægyptum deportatum: cadaver autem in litore, ubi occiſus fuit, abjectiſſime ſepultum, pene in conſpectu Jeroſolymæ, quam paucos ante annos occupaverat, & diſſuadente ſummo Pontifice Sanctum Sanctorum ingreſſus fuerat. A.M. 3924. Æt. vero 58. *Flor. Plutarch. in vit. Pompeii.*

3. *Cæſaris lacrymatio.* Quum poſtea amputatum Pompeii caput Cæſari Alexandriæ offerretur, illacrymavit, lamentatuſque eſt, eum, civem generumque ſuum nominans, & commemorans, quot quantiſque in rebus mutuas quondam operas ſibi præſtitiſſent. Quod quanquam ſimulato factum, & lacrymas Cæſaris Crocodili lacrymas fuiſſe contendat *Dion l.* 42. atque riſum meruiſſe affirmet: tamen Plutarchus ita commemorat, ut ad laudem Cæſaris omnino referat, ſicut & Appianus, qui Cæſarem omnes Pompeii interfectores morte mulctaſſe ſcribit; Photinum nempe & Achillam; & caput Pompeii in ſuburbio honorifice ſepeliiſſe, & fanum Nemeſis, h. e. Deæ vindicantis injuſta facientes, eo in loco exſtruxiſſe.

4. *Cæſaris glorificatio.* Allato Romam nuncio de pugna Pharſalica, cædiſque Pompeianæ fama confirmata, Pompeii, & Syllæ imagines, quæ pro roſtris ſtabant, disjectæ ſunt: Cæſarique inter ſummos honores cum annua Dictatura, tribunitia & Dictatoria poteſtas in perpetuum decreta eſt. *Golz.*

USUS.

Cauſa infelicitatis Pompeii erat *tergemina.*

1. *Hoſtis contemtus & nimia inſolentia, atque in ſe confidentia.* Habebat Pompeius longe majores copias, quam Cæſar, nempe legiones 30, quum Cæſaris legiones eſſent vix 5 aut 6. Ideoque ſecurus erat, inque valido exercitu ſuo confidebat: & quum quidam eum monerent, Cæſaris potentiam formidandam eſſe, ridenti ore dixit; Securi eſtote, & hanc mihi curam committite: Nam ſimul ac ſolum Italiæ pedibus pulſavero, ſcatebunt undique equeſtres, pedeſtreſque copiæ in Cæſarem. At quam fallax hæc propriarum fiducia virium fuerit, comprobavit eventus. Quid enim hoc aliud erat, quam *ἰαμβεῖον ἀεὶ λέγειν* canere? Unde non multo poſt, quum miſeranda clade apud Pharſalum profligato exercitu aufugiſſet, multi per ludibrium dicebant: Inſtauret exercitum nunc Pompeius, & accipiat alias, quas pulſata pede terra Itala ad eum mittat copias. *Franciſc. Patric. lib. 7. de regn. titul.* 10. *p.* 467.

11. *Impietas deteſtanda.* Succeſſu felici in hoc bello caruit Pompeius, quia S. templum Jeroſolymitanum violavit: Licet enim nihil inde abſtulerit, tamen contemto ſummi Sacerdotis monito, Sanctum Sanctorum ingreſſus eſt; quod minime ei licuit.

111. *Superbia abominanda.* Nam ſemper in ore habuerat illud Homericum:

Αἶψα μέγ' ἐλθόντι, καὶ ἐπ' οἴκου ἔμμεναι ἄλλον.

Qua-

Quare diminui Pompeium, creſcere vero Julium neceſſe erat.

PARÆNESIS.

Hoc moniti exemplo, omnes homines ſuperbiam, tanquam peſtem & vitium diabolicum fugiant: Nam quicquid eſt donorum Dei in homine, ſi ſuperbia accedit, tanquam in fœdiſſimum cœnum demergitur, juxta venuſtos verticulos:

Si tibi copia, ſi ſapientia, formaque detur,
Sola ſuperbia deſtruit omnia, ſi comitetur.

6. *Bellum Ægyptiacum* ſive *Alexandrinum.* Poſt pugnam Pharſalicam Cæſar in Ægyptum profectus A. M. 3925. ubi cædis inſidiæ collocatæ ſunt illi ab Achilla Regis Capitaneo, qui in pugna periit. Cæſar vero, Alexandria atque adeo univerſa Ægypto ſibi ſubacta, adjutus ab Antipatro Cleopatræ regnum tradidit, illique Ptolemæum Minorem matrimonio junxit; Arſinoën vero minorem ſororem regno eduxit, & Romam miſit. Atque ita bellum Alexandrinum confectum, in quo Ptolemæus, qui Pompeium interfici juſſerat, cum fuga ſibi ſalutem quæreret, in Nilo periit. Inde Cæſar in Syriam abiit, arque Antipatrum Herodis M. Patrem tutorem Judææ conſtituit anno M. 3925. *Suetonius.*

7. *Bellum Ponticum.* In Pontum progreſſus anno eodem Pharnacem Ponti Regem vicit, quarta, poſtquam in conſpectum veniſſent, hora. De qua celerrima victoria Cæſar amicis ſcripſit, hiſce verbis: Ἦλθον, εἶδον, ἐνίκησα. Veni, vidi, vici: qui fuit etiam triumphi titulus. Ferunt item, Cæſarem profligato ſtatim Pharnace exclamaſſe; ὁ τε beatum, Pompei, qui cum talibus bello Mithridatico decertans, Magni cognomen accepiſti! *Suetonius in Cæſare.*

8. BELLUM AFRICANUM contra *Pompeianos.* Anno M. 3926. Julius Cæſar bellum Africanum contra Pompeianos, nempe P. Scipionem, Catonem & Regem JUBAM ſuſcepit. Rex Juba in conflictu occubuit: Scipionis exercitus fugatus eſt, ipſeque navi fracta periit. Cato vero Uticenſis manus ſibi ipſi violentas intulit, lecto prius Platonis libro de immortalitate animæ, ne vultum victoris adſpicere cogeretur. Cæſar autem intellecta morte Catonis, plurimum indoluiſſe fertur, exclamans: Ego tibi Cato mortem invideo, qui mihi gloriam ſalutis tuæ invideris.

AXIOMA.

Magna pars Imperatorii muneris in eo ſita eſt, ut omnia adverſa prudenter eludere, & in contrarium vertere ſciat.

Exemplum memorabile habemus in Julio Cæſare, qui, cum in Africam navigaret hyeme, Adrumetum petiturus, navi egrediens forte in terram cecidit: Quem ut milites conſpexerunt cadentem, & pronum quidem, animis etiam ipſi conciderunt. Cæſar autem nec hæſitavit quidem, ſed porrecta ſtatim manu, quaſi de induſtria cecidiſſet, terram apprehendit; deinde eam oſculatus: *Teneo te*, inquit, *Africa. Dion.* §. 44. Hoc ipſum magnanimitati ejus attribuit Sueton. in vita ejus cap. 39. Ne religione quidem ulla (inquit) à quoquam incepto abſterritus unquam vel retardatus eſt. Cum immolanti aufugiſſet hoſtia, profectionem adverſus Scipionem & Jubam non diſtulit: Prolapſus etiam in egreſſu navis, verſo ad melius omine, *Teneo te*, inquit, *Africa.*

9. *Bellum Hiſpanicum.* His peractis, Conſul quartum deſignatus Julius Cæſar in Hiſpaniam cum exercitu profectus eſt contra Pompeii filios Sextum & Cneium: quorum ille major, hic minor natu erat. Qui licet juvenes etiamnum, immenſum tamen numero coëgerant exercitum, animoſque oſtendebant ei imperando pares. Unde in periculum extremum adductus eſt Cæſar. Magnus conflictus ad urbem *Mundam* commiſſus, in quo inclinatam aciem ſuam Cæſar, & ægre reſiſtentem cernens, clamavit per medios diſcurrens armatos & ordines. Ecquid eos puderet, quod pueris ſe proditum irent. Hoſtibus tandem acri contentione pulſis, triginta millia ex ipſis oppreſſit, & ex ſuis mille deſideravit fortiſſimos quoſque. Revertens à pugna dixit ad amicos: Sæpe ſe pro victoria, in præſentia vero pro vita primum dimicaſſe. Hanc victoriam obtinuit Saturnalibus, quibus Pompeius M. quoque ad bellum profectus dicitur, ſpatio annorum quatuor interjecto: ex Pompeii liberis minor eſt elapſus, majoris vero paucis poſt diebus Didius caput attulit. Hoc Cæſar bellum geſſit noviſſimum. *Plutarchus in Cæſare.*

Portenta antecedentia.

Prœlium hoc Mundenſe plurima adverſa portenta, quæ haud dubiam alteri partium perniciem portendere credebantur, præceſſere. Inter quæ præ cæteris obſervatione dignum eſt, quod Aquilæ in Pompeianarum legionum ſignis, fulminibus aureis, quibus inſiſtebant, projectis, motiſque

que alis à Pompeio ad Cæſarem avolantes, certiſſimum Pompeianis exitium denunciare videri poterant: Quo loco prœlium commiſſum eſt, ſtatim poſt victoriam palmam enatam eſſe ferunt.

Triumphi.

Cæſar poſt tot præclaras ab hoſtibus reportatas victorias, *quinquies* Romæ *triumphavit*, menſe Julio (qui tunc Quintilis vocabatur) anno Mundi 3926; uti *Sueton. in vita Jul. Cæſaris* ſcribit.

Primus triumphus, iſque excellentiſſimus fuit de Gallis, Helvetiis & Germanis actus, cujus apparatus ex citro potiſſimum conſtitit, inter cujus fercula fuit Rhenus, Rhodanus, Oceanique captivi, ex auro ſimulacrum, interque captivos ductus Vercingetorix Rex Germanorum, qui poſt triumphum necatus eſt: Hoc triumphi die Julius Cæſar Velabrum prætervehens pene curru excuſſus eſt, axe diffracto, adſcenditque in Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque ſiniſtra lychnuchos geſtantibus.

Secundus triumphus fuit *Alexandrinus*, ex Ægypto de Rege Ptolemæo, apparatuſque ejus erat teſtudineus, in hoc Nilus & Pharus ardens, inter captivos Arſinoë Cleopatræ ſoror traducta eſt.

Tertius Ponticus de Rege Pharnace acantho ſpectabilis: in cujus pompæ ferculis fuit Pharnacis imago, & hic titulus trium verborum prælatus: Ἦλθον, εἶδον, ἐνίκησα. Veni, vidi, vici. non acta belli ſignificans, ſicut cæteri, ſed celeriter confectum notans.

Quartus fuit *Africanus* de Rege JUBA ebore inſignis: Quo triumpho inter captivos ductus Jubæ Regis filius patri cognominis.

Quintus fuit *Hiſpanicus* de Pompeii M. filiis in Hiſpania devictis: Apparatus de argento raſili fuit; quem de hoc bello noviſſimo duxit. Triumphus ſupra modum fuit Romanis acerbus, quia non de alienigenis Ducibus, vel oppreſſis Regibus barbaris habebatur, ſed de viri Romani ſumma calamitate afflicti liberis & familia ſimul oppreſſis, quorum calamitatibus inſultare, atque ob has exſultare Patriæ fœdum habebatur; ſicut *Plutarchus in Cæſare* §. 15. ſcribit: Viri namque prudentes ſtatuunt victoriam de civibus reportatam ſilentio obrui, non triumpho decorari debere: Quæ enim gloria parricidiis conjuncta eſſe poſſit?

Honor Cæſari habitus omnibus bellis confectis.

Tandem Julius Cæſar ob omnia bella civilia confecta, & ſingularem in cives clementiam, *Liberator*, *Pater patriæ*, & *Dictator perpetuus* appellatus eſt; primuſque *Imperatoris* nomen accepit A. M. 3924. Quo anno etiam Cæſar Teſtamentum ſuum condidit, atque Veſtalibus ſervandum tradidit.

V. *ACTA ETHICA.*

De actis ejus Ethicis *duplex* obſervandus venit *catalogus*. 1. *Virtutum*. 2. *Vitiorum*. Magna namque mixtura virtutum & vitiorum in magnis viris eſſe ſolet; juxta axioma Politicum.

I. Catalogus virtutum.

Multæ ſane eæque præclaræ fuere ac plane heroicæ Virtutes in C. Julio Cæſare.

1. *Fortitudo* ſive *Magnanimitas*. Julius Cæſar ſemper & ubique in periculis animum intrepidum habuit: Facinora, quæ & periculo obnoxia ſunt, & magna, gerenda eſſe dicebat; de his non conſultandum; quod ad hæc perficienda plurimum momenti habeat celeritas, expenſio vero periculi revocet hominum audaciam. *Plutarchus*.

Exempla.

1. *Apud Pharmacuſam* inſulam, quum ex Bithynia à Rege Nicomede diſcederet, in pelago à piratis captus eſt; qui magnis jam claſſibus, multiſque navigiis mare infeſtum habebant: Hos Cæſar poſtulantes pro ipſius redemptione 20 talenta, deriſit quaſi ignaros, quem tenerent, ipſe 50 daturum ſe pollicitus eſt: Inde comitibus ſuis ad aliam urbem expediendæ pecuniæ gratia dimiſſis, inter immaniſſimos homines Cilicas cum uno amico, & duobus ſervis relictus, adeo eos deſpexit, ut, quoties quieſcebat, miſſo aliquo, indiceret iis ſilentium: Dies duo de quadraginta, quaſi non cuſtodiretur, ſed ſtiparetur ab eis, una ludebat, & ſe exercebat: jam carmina & orationes ſcribebat, eaque in circulo eorum pronunciabat: ſi qui non admirarentur ea, hos palam inertes appellabat & barbaros, frequenter per jocum ſuſpenſurum ſe eos minabatur: placebat id illis, ſimplicitati ejus & ætati hanc linguæ libertatem adſcribentes. *Plutarchus in Cæſare* §. 1. Numeratis autem 50 talentis expoſitus in littore non diſtulit, quin è veſtigio claſſe deducta perſequeretur abeuntes, ac redactos in poteſtatem ſupplicio, quod illis ſæpe minatus inter jocum fuerat, afficeret. *Suetonius in Cæſare* §. 3.

2. In *bello Alexandrino* ab hoſtibus cinctus, armatus de ponte in ſubjectum mare deſiliit, ac 200 paſſibus ad proximam navem adnavit, læva manu ſublata, quæ libellos habuit, ne madefacti corrumperentur, mordicus dextra paludamentum

tum trahens, ne ſpolio potiretur hoſtis. *Suetonius in Cæſare.*

3. *Inclinatam* aciem ſolus ſæpe reſtituit, obſiſtens fugientibus, retinenſque ſingulos, & contortis faucibus convertit in hoſtem. *Suetonius in Cæſare.*

In prœlio quodam Martiæ legionis Aquiliferum jam ad fugam converſum, faucibus apprehenſum in contrariam retraxit partem, dextraque ad hoſtes porrecta: Quorſum, inquit, tu abis? Illic ſunt, cum quibus dimicamus. At manibus quidem unum militem correxit; voce autem tam acri legionum trepidationem diſcuſſit, vincique paratas vincere docuit. *Eraſmus lib.* 4. *Apophthegmatum.*

11. *Prudentia.* In obeundis expeditionibus dubium, cautior fuerit, an prudentior. Exercitum neque per inſidioſa itinera duxit unquam, niſi perſpeculatus locorum ſitus, neque in Britanniam transvexit, niſi ante per ſe portus & navigationem & acceſſum ad Inſulam exploraſſet. *Suetonius in Cæſare.* Quum Pompeius relicta Roma perfugiſſet ad mare, Metellus ærarii præfectus Cæſari illinc pecunias tollere volenti obſtitit, ne peccaret contra leges. Cui Cæſar prudenter reſpondit, dicens: *Non idem armorum ac legum tempus eſt; Abſcede igitur, ac poſtea, quam facta pace arma depoſuerimus, tunc ſi videbitur, plebis patronum age. Eraſm. lib.* 4. *Apophth.* At quum Metellus ærarium clauderet, Cæſar illi mortem minatus eſt. Ea res, quum Metellum reddidiſſet attonitum; Hoc, inquit, ô Adoleſcens, dictu mihi difficilius fuit, quam factu. Quibus verbis inſinuare voluit, ſe vel nutu poſſe, quem vellet, occidere, quum ſecum duceret armatos exercitus. *Plutarchus in Apophth.*

111. *Clementia.* Nihil magis ornat Principem, quam Clementia & Manſuetudo. Planetæ, inquit Plutarchus, eo tardius moventur, quo ſunt in ſublimiori ſphæra: ita quanto major Principum authoritas, tanto magis affectibus ſuis moderari, eoſque temperare debent. Hinc Salomon recte inquit *Proverb.* 20. *v.* 28. Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & in clementia fulcit thronum ſuum. *Exemplum* illuſtre habemus in *Julio Cæſare:* Hic tanta clementia erga hoſtes & rebelles uſus eſt, ut Marius non ſemel dixerit; Cæſar, qui apud te audent dicere, magnanimitatem tuam ignorant; qui non audent, humanitatem & clementiam. *Bruſon. lib.* 3. *cap.* 13. Plutarchus de eo ſcribit, quod hoſtibus ſuis multis ſalutem dederit, nonnullis honores quoque & Magiſtratus, velut Bruto & Caſſio, quorum uterque Prætor erat.

1v. *Celeritas.* Quia enim noverat maximum belli momentum in celeritate eſſe ſitum, idcirco abſque ulla cunctatione negotia ſua celerrime conficiebat: Quare quum ipſe in bello civili Pharnacem Ponti Regem in primo congreſſu viciſſet, Laconica brevitate ad ſuos ſcripſit: Veni, vidi, vici. *Plutarchus in Apophth.* Unde Cæſar interrogatus, quomodo res tot tantaſque tam brevi temporis ſpatio perficere potuiſſet, cum Alexandro M. reſpondit: Μηδὲν ἀναβαλόμενος: Nihil cunctando. Quod *Lucanus* hoc verſu reddidit:

Nil actum credens ſi quid ſupereſſet agendum.

Celeritas enim in Duce ſumma laus eſt. De qua pulchre Sallustius inquit: Poſtquam conſulueris, mature facto opus eſt. Ego non laudo cæcam & inconſideratam feſtinationem; ſed laudo celeritatem, poſtquam de re ſatis diu multumque deliberatum eſt.

v. *Felicitas.* Ea ſane comes fere conſilii & rationis eſt, ſed tamen paulo benignius quibuſdam attributa eſt à Deo: Ille enim unus ejus author eſt, eamque præſtare à ſe ipſo nemo poteſt. Huc pertinent adagia: Θεοῦ δῶρόν ἐστι εὐτυχεῖν βροτούς. Felicitas eſt donum à ſummo Deo. Item; Victoria de cœlo eſt. ſicut David inquit *Pſ.* 144. Deus docet manus meas ad prœlium, & digitos meos ad bellum. Confer *Pſal.* 18. 34. *ſeqq. Pſal.* 147. 7. Sunt enim quidam ἐκ πανσελήνου γεγενημένοι, h. e. quarta luna nati, qui nulla felicitate gaudent. *Euſtath. in* 11 *Iliad.* Contra alii ſunt, quibus etiam venti tempeſtateſque obſecundant. *Cicero pro lege Manil.* Nam de *Theodoſio M. Imperatore* Poëta inquit:

O felix nimium, cui militat Pontus & Æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Simile exemplum habemus in *Julio* & *Pompeio*; Quum enim commiſſa pugna Pompeius viciſſet, & victoriam non perſequeretur, ſed ſe potius reciperet ad exercitum: Tunc Cæſar; Hodie, inquit, penes hoſtes erat victoria. At non habent Ducem, qui victoria ſciat uti. *Plutarchus in Apophth.* Et ſane ita ſe res habet; Pompeius ante bellum civile res magnas, patriæque utiles geſſit, & uſque ad id tempus felix fuit: poſtea in extremo actu miſerrimus fuit, ut *Cicero l.* 7. *Epiſt. ad Attic* ſcribit; Cneius autem noſter (ô rem miſeram & incredibilem!) ut totus jacet; non animus eſt, non conſilium, non copiæ, non diligentia. Mittam illa, fugam ab urbe turpiſſimam, timidiſſimas in oppidis conciones, ignorationem non ſolum adverſarii, ſed etiam ſuarum copiarum.

Quum pugna Pharſalica inter Cæſarem & Pompeium jam parata eſſet, omniaque equorum atque hominum ſtrepitu fremerent, vidit Julius Cæſar C. Craſtinum decem alarum ductorem caſtra ingredientem. Quem nomine compellans, Quid de pugnæ eventu ſperaret, rogavit: At ille dexteram præ-

prætendens ait: Vinces, Cæſar; & me aut vivum, aut certe mortuum laudabis. Quorum utrumque verum exſtitit: Nam & vicit Cæſar, & Craſtinum, qui fortiſſime pugnando occubuerat, pro concione laudavit. *Franc. Patric. lib. 7. de Regn. tit. 9. pag.* 471. Similiter *Antonius*, quamvis felicior eſſet Imperator, quam *Octavianus Auguſtus*, & haberet exercitus majores, tamen inclinata acie fugit in Ægyptum, & quum ab irato victore vitam impetrare non poſſet, mortem ſibi ipſi conſcivit.

VI. *Authoritas.* Nam vehementer pertinet ad bella adminiſtranda, quid hoſtes, quid ſocii de Imperatoribus exiſtiment, inquit *Cicero pro lege Manil.* Hæc autem authoritas non noſtra comparatur induſtria, ſed eſt eximium & ſingulare Dei donum, cujus Majeſtatis impreſſio etiam inter fortunæ varietates inſidet perſonis, velut ſignaculum & character poteſtatis, & velut radius a Dei Majeſtate inditus; ſicut Rex David inquit *Pſalm.* 30. *v.* 7. Domine, in benevolentia tua ſtabiliviſti montem meum. Princeps enim, qui ipſe intereſt prœlio, ſi magnanimus eſt ac ſtrenuus, militibus animum incredibilem addit, vireſque duplicat. *Bodin. lib.* 5. *de Republ. c.* 5. *pag.* 894. Et Ducis invicti præſens animus eſt inſtar exercituum multorum. Ita Julii Cæſaris tanta fuit authoritas, ut etiam fugientes exercitus ſiſtere potuerit, ſicut antea diximus. Mirum dictu & auditu eſt, quod exercitum ſuum ad Cordubam contra Pompeium Juniorem, perterrefactum jam, & de fuga magis, quam de pugna meditantem, authoritate ſua reſtituerit, quum milites omnes audiviſſent Cæſarem exclamantem; *Hic dies aut mihi finis vitæ erit, aut militiæ veſtræ ultimus.* Quibus dictis clypeum Oppii militis arripuit, ſoluſque hoſtes invaſit, locoque pepulit ac diſturbavit, & 200 circiter tela in ſe miſſa partim audacter evitavit, partim ſcuto excepit: Quo pudore accenſi ac perciti milites tanto impetu in hoſtem irruebant, ut Pompeium cum univerſo exercitu in fugam compulerint, Duceſque ejus, capta Corduba, in quam confugerant, magna ex parte cæſi ſint, & eorum capita ad Cæſarem perlata; Ipſe autem Pompeius inter dumos ac vepres latitans deprehenſus, cæſuſque eſt, caput quoque ejus ad Cæſarem perlatum, quod quidem honorifice ſepeliri juſſit. *Franciſcus Patricius 6. de regn. titul.* 10. *pag.* 462.

VII. *Liberalitas. Axioma Politicum* eſt: Liberalitate & beneficentia retinentur & amplificantur Imperia: Nam ſolum preciosa eſt pecunia, quando uſu largiendi deſinit poſſideri. *Boeth. lib. de conſol. Philoſ.* Probe hoc obſervavit Julius Cæſar, qui dicere ſolitus eſt; Se vel inprimis diteſcere, cum bene merentes aliquo munere proſequeretur. Neque hoc tantum dixit, ſed etiam fecit. Nam militum erga ſe amorem & fidelitatem incredibiliter comparavit, auxit & retinuit: primum immenſa largitione & honoribus oſtendens, non ad privatum luxum opes ſe parare ex hoſtibus, ſed communia virtutis præmia apud ſe ſervanda deponi; hactenus enim ſe diteſcere, quatenus in bene meritos profunderet milites: deinde, quod nullum non periculum ultro ſubiret, neque laboribus fatiſceret in ullis.

Franciſc. Patr. lib. 2. *de Regn. tit.* 13. *p.* 124. de eo ſcribit; Quod nonnunquam militibus ſuis pecuniam nec numerari, nec expendi voluerit, ſed ut quiſque acciperet, quantum vellet, dixerit; ut fecit in direptione publica ærarii, in quo pecuniam tot victoriis congeſtam, & ex tot manubiis prædiſque coactam militibus ſuis, & univerſo exercitui, (remoto Metello) permiſit. *Plutarchus in Cæſare* ita ſcribit: Julius Cæſar omnibus Rempubl. tractantibus opulentiam propinavit Gallicam affatim hauriendam: Pompeius quum mitteret repetitum milites, quos ei ad bellum Gallicum commodaverat, eos Cæſar donatos millenis nummis remiſit.

VIII. *Sobrietas.* Nam ita de eo ſcribit *Suetonius*: Vini eum parciſſimum fuiſſe, ne inimici quidem negaverunt. Verbum M. Catonis eſt: Unum ex omnibus Cæſarem ad evertendam Rempubl. ſobrium acceſſiſſe.

IX. Παῤῥησία, ſive loquendi libertas. Cæſar valde παῤῥησιαστὴς fuit. Nam L. Sylla ſedente pro tribunali, quia Prætor eſſet, atque Cæſari adhuc privato diceret iratus, Se officio ſuo uſurum: reſpondit Cæſar: Recte tu appellas officium, quod pecunia tua comparaſti. Neque enim Magiſtratus Majeſtate deterritus eſt, quin ei, qua arte Magiſtratum eſſet aſſequutus, coram exprobraret. *Plutarchus.*

X. *Urbanitas.* de qua *Bruſon. lib.* 4. *cap.* 31. ita ſcribit: Teſtius Penatius in dicendo mentum intorquebat: In hunc Cæſar ita jocatus eſt: Dic, ſi quid velis, ait, quum nucem perfregeris. Notavit Cæſar incompoſitos orantis mores, ac geſticulationes parum decoras: Nam qui habet in ore nucem duram, in rumpendo mentum ſolet intorquere.

Similiter de Curtio Oratore ſcribit *Cicero de clar. Orat.* Quod, quando orationem habuit, toto corpore ab uno in alterum latus vacillarit, non ſecus ac ſi in lintre ſtetiſſet. Hunc quum Cæſar aliquando perorantem vidit & audivit, hunc feſtivum de eo jocum protulit, dicens: Quis loqueretur è lintre?

XI. *Modeſtia.* Axioma Ethicum eſt: Quo quis generoſior, eo modeſtior. Ita etiam Julius Cæſar, initio modeſtiſſimus habitus eſt. Cujus rei hoc erit argumentum: Denunciavit per præconem Pompeius, ſe pro hoſtibus habiturum illos, qui ei in bello defuiſſent. At Cæſar medios omnes & neutrius partis ſuorum ſibi numero futuros pronunciavit, nec legem illam Solonis ſequutus eſt, qui capitis animadverſione puniendum illum ſtatuit, qui in civili ſeditione partis alterutrius non exſtitiſſet: Quin etiam Roma egrediens Pompeius in Senatu dixit, eodem ſe loco habiturum eos Senatores, qui Romæ remanſiſſent, quo eos habebat, qui in caſtris Cæſaris militarent: At Cæſaris poſtulatio longe æquior erat modeſtiorque ſemper, quam Pompeii: Se enim S. P. Q. R. jubente, poſiturum arma pollicebatur, ſi idem faceret Pompeius: Quod quum ille facere negaret, reſpondit Cæſar; Iniquum admodum eſſe, alteri vires omnes amovere, alteri vero confirmare atque augere, ut, dum alterum tyrannidis inſimularent, alterum ad tyrannidem inſtruerent: & poſt pugnam Pharſalicam, omnibus adverſarum partium, qui ſe victori permiſerunt, ignovit. *Franc. Patric. l. 6. de regn. tit. 9. pag. 399.*

XII. *Gratitudo.* Axioma Politicum eſt: Οἱ ἀγαθοὶ κἂν τὰ μικρῶν εὐδοκοῦσι χάριτι. Boni pro parvis etiam ſunt grati. Exemplum elegans habemus in Jul. Cæſare, de quo *Jovian. Pontan. lib. de Liberal. p. 113. & 116.* ita ſcribit; Julius Cæſar aliquando militibus ſuis agros dederat: Venit quidam accuſans militem: quod teneret agrum, qui non debuiſſet venire in diſtributionem. Julius Cæſar reſpondit Actori; Veram habes cauſam. Militi vero: Cede ei. Miles ait, Meminiſti, Imperator, in pugna quadam te excedere ex pugna, & reſidere ſub arbore? Memini, inquit Cæſar. Ad hæc Miles: Meminiſti me militem tibi in galea aquam adferre? Memini. Tune es ille? Ego ſum, inquit. Imo non es; Quia ille erat integer ſalvis oculis. Recte, inquit miles; in prœlio alterum oculum amiſi. Ibi Julius Cæſar mox numeravit colono pretium pro prædio, quanti erat, ut miles illud retineret.

XIII. *Æquanimitas atque erga amicos facilitas.* Julius amicos tanta ſemper facilitate indulgentiaque tractavit, ut C. Oppio comitanti ſe per ſylveſtre iter, correptoque ſubita valetudine in diverſorio, quod unum erat, loco ceſſerit, ac ipſe humi & ſub dio cubuerit. *Suetonius in Cæſare.* Ita non iniquo animo tulit Julius Cæſar cum in collegium Poëtarum acceſſiſſet, quod ei Accius Poëta non aſſurrexit: noverat enim illum non contemtu Majeſtatis id egiſſe, ſed fiducia quadam ſui ipſius qua putabat ſe in Poëtarum ſtudiis antecellere, *Franc. Patr. l. 7. de regn. tit. 9. pag. 463.* Talis quoque æquanimitas fuit in Alexandro M. Rege Macedonum. Nam in illum magna aliquando fiducia uſus eſt Apelles pictor. Cum enim ille ſæpius in officinam ejus veniret, plerumque de picturis inepta quædam dicebat, & imperite judicabat; cui Artifex ſilentium comiter indicebat; rideri enim eum à pueris aiebat, qui colores tererent. Ferebat ea Alexander bono animo: Tantum authoritatis ac juris huic pictori tribuebat. *Franciſc. Patricius ibid.*

II. Catalogus vitiorum.

Uti autem larga virtutum, ita quoque vitiorum ſeges in illo tam feraci excelſi animi agro exſtitit.

I. *Ambitio.* Julius Cæſar & Pompeius valde ambitioſi fuerunt. Pompeii ſymbolum fuit: Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπατείχειν ἐμμεναι ἄλλων: *Semper ego cupio præcellere, & eſſe ſupremus.* Cæſar vero dixit: Se malle in obſcuro oppido primum eſſe, quàm Romæ ſecundum. Verba *Dionis* de Julio Cæſare & Pompeio hæc ſunt: Multæ commemorantur occaſiones belli civilis inter Cæſarem & Pompeium; ſed veriſſima cauſa fuit Principatus cupiditas & amor dominandi. Nam Pompeius etſi initio ornavit & provexit Cæſarem; tamen poſtea cœpit invidere ipſius felicitati & ſplendori: & primum quidem clam conatus eſt eum opprimere, tandem vero apertum bellum eidem intulit: Cæſar vero, quum non poſſet ferre dejectionem de gradu, ſed cuperet aliis ſuperior eſſe, relicta Gallia, Romam properavit, ut Pompeium imparatum opprimeret. *Cicero libr. 3. Offic.* de Julio Cæſare ſcribit, eum ſemper in ore habuiſſe verſus *Euripidis* in Phœniſſis:

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν· τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Quos *Euripidis* verſus ipſe Latine ſic vertit:

Nam ſi violandum eſt jus, imperii gratia
Violandum eſt; aliis rebus pietatem colas.

Syllæ de Julio Cæſare adhuc puero præſagium fuit tale; Multos ei Marios ineſſe: Quum enim de eo necando deliberaret, & oſtenderent nonnulli, nihil eſſe cauſæ, cur tantulum puerum trucidaret; Nihil mentis habere eos dixit, ſi non ei puero multos viderent Marios ineſſe.

AXIOMA.

Ambitio omnia ſibi arrogat.

Exemplum valde memorabile habemus in Julio Cæſare: Nam renunciatus ille Conſul, cum Calpurnio Bibulo, ſtatim legem Agrariam promul-

mulgavit, & adverſantem collegam armis foro expulit; ac poſtero die in Senatu conqueſtum, nec quoquam reperto, qui ſuper tali conſternatione referre aut cenſere aliquid auderet, in eam coëgit deſperationem, ut toto Conſulatus tempore domo ſe contineret, & quoad poteſtate abiret, domo abditus nihil aliud, quam per edicta obnunciaret. Unus ex eo tempore omnia in Republ. & ad arbitrium adminiſtravit, ut nonnulli urbanorum, quum quid per jocum teſtandi gratia ſignarent, non Cæſare & Bibulo, ſed Julio Cæſare Coſ. actum ſcriberent, eundem bis præponentes, nomine atque cognomine, adeo ut vulgo circumferrentur hi verſiculi:

Non Bibulo quicquam nuper, ſed Cæſare factum eſt.
Nam Bibulo fieri Conſule nil memini.

11. *Regnandi libido.* Quum Julius Cæſar ex Gallia provincia adverſus Pompeium tenderet, Rubicone amne tranſmiſſo (quem nemo armata manu tranſire audebat, niſi hoſtis Imperii Romani publicus renunciari vellet) dixit; Omnis jacta ſit alea. Significans ſe de ſumma rei velle periclitari: is enim fluvius Galliam ab Italia dirimit: *Plutarchus in Apophthegmatis.*

111. *Superbia.* Cæſar initio modeſtus erat, ſed ad dignitates ſummas evectus, ſuperbus eſt factus, juxta adagium illud vulgatum: Honores mutant mores, ſed raro in meliores. Nam non modo in Conſulatu, ſed etiam in Dictatura Senatus conſilio nunquam utebatur; ac ne Senatui quidem univerſo (conſtabat enim mille circiter Senatoribus) ad ſe venienti aſſurgebat: Nimis arroganter & ſuperbe quidem, non quod Cæſar natura aut moribus ita ſuperbus fuerit; ſed quum aſſurgere Senatui vellet, à Cornelio Balbo adulatore, conſiliorumque omnium participe, quo minus id faceret, prohibitus eſt.

1v. *Nimia ſui ipſius confidentia.* Axioma Politicum eſt: In heroicis perſonis magna eſt ut plurimum ſui ipſius confidentia.

Exemplo eſt Julius Cæſar: Quum enim ille nocte intempeſta ignoto habitu ſeſe audacius, quam prudentius, Anioni flumini commiſiſſet, ut in Italiam trajiceret, tandem nautæ ob naufragii periculum timido, imo jam deſperanti, quis eſſet, aperiebat, ejuſque obſtupefacti dextra apprehenſa dicebat: Perge audacter, nec quicquam time: Καίσαρα φέρεις, καὶ τὴν Καίσαρος τύχην συμπλέουσαν. Cæſarem vehis, & ejus fortunam navigationis comitem. *Plutarchus in Cæſare.* Cogitare autem debuiſſet Cæſar, fortunam eſſe inſtar rotæ; Sicut enim rota eſt volubilis, & in orbem agitur, in qua ſumma cito fiunt ima, & ima ſumma; ita ſemper cogitanda eſt fortunæ inſtabilitas, quæ alias excelſa humiliat, alias humilia exaltat; ſicut Seſoſtris, Rex Ægyptiorum dicebat. *Philippus Melanchthon lib. 3. Chronicorum*, & hæc eſt Fortunæ rota, das Glückrad. Cæſar omnes credere volebat, Fortunam ſecum navigare, per campos imitari, ſibi aſſiſtere in bellis, & periculis, nuſquam non adeſſe; Verum nos ex ſacro codice rectius inſtituti & imbuti novimus, ſive adverſa, ſive proſpera accidant, divinæ providentiæ illud tribuendum eſſe; uti ex hoc Epigrammate venuſtiſſimo patet:

Si vitam inſpicias hominum, ſi denique mores;
Artem, vim, fraudem cuncta putes agere.
Si propius ſpectes, Fortuna eſt arbitra rerum.
Neſcia, quam dicas, & tamen eſſe vides.
At penitus ſi introſpicias, atque ultima primis
Connectas, tantum eſt Rector in orbe Deus.

v. *Securitas nimia.* Axioma Politicum eſt: Securitas & in ſuſpectos inquirendi negligentia multos Principes perdidit. *P. Greg. Tholoſanus l. 22. de Republ. cap. 21.*

Exempla.

1. *Julio Cæſari* ita accidit, ut die, qua necatus eſt, libellum inſidiarum indicem, ab Oppio quodam porrectum, libellis cæteris, quos ſiniſtra manu tenebat, quaſi mox lecturus commiſcuerit, nec legerit. *Suetonius in Cæſare.*

2. *Nicephorus Phocas*, Imperator Orientis, ut ait Zonaras, conjuratione Theophaniæ, & Johannis Zimiſcis, in lecto dormiens cæſus eſt, ſua culpa, quod libellum ſibi traditum, in quo conjuratorum nomina ſcripta erant, & ut ſequentem noctem caveret, non legiſſet.

3. *Dion* periit, quanquam ſuſpicaretur inſidias ſibi ſtrui à Calippo; ſed veritus eſt nimium confidenter obſervare amicum & hoſpitem. *Plutarchus.*

4. *Antipater* Caſſandri filius, vocato ad cœnam Demetrio, illoque viciſſim ſequenti die vocato, veritus ei diffidere, à cœna necatus eſt.

v1. *Ἀκαιρία*, h. e. *Non accurata temporis obſervantia.* Julius Cæſar, qui quanquam ad omnia ſumma natus videbatur, tamen in hoc turpiter, & ſuo exitio lapſus eſt: Quod Principatum armis quæſitum & occupatum, ne monitus quidem armis retinere vellet: Qui magnus ſolœciſmus Politicus fuit. Verba *Velleii Paterculi lib. 3.* hæc ſunt: Laudandum experientia conſilium eſt Hirtii & Panſæ, qui ſemper prædixerant Cæſari, ut principatum armis quæſitum armis retineret. ille dictitans: Mori ſe, quam timeri malle, dum clementiam, quam præſtiterat, expectat, incautus ab ingratis trucidatus eſt.

Idem Julius Cæſar, quum undique viderentur imminere inſidiæ, atque admoneretur, ut ſibi caveret, & ſtipatoribus ſe cingeret, non ſuſtinuit, ſed reſpondit hoc Symbolo, quo ſemper uſus eſt; Satius eſt inſidias ſubire ſemel, quam ſemper cavere; ſignificans, eum non vivere, qui in perpetuo mortis metu viveret: Mortem enim ſemper metuere, non ſemel eſt, ſed ſemper mori. *Eraſmus lib. 4. Apophthegm.* & *Plutarchus in Cæſare.* Cuſtodes enim malam conſcientiam minime cuſtodiunt. Hinc frequenter in ore habuit: Miſerrimam comitem ſenectutis eſſe priſtinæ crudelitatis memoriam.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

I. Conjuratorum conſpiratio.

Subſcripſere quidam L. Bruti ſtatuæ, utinam viveres. Item ipſius Cæſaris ſtatuæ: Brutus quia Reges ejecit, Conſul primus factus eſt; Hic quia Conſules ejecit, Rex poſtremo factus eſt. Inſcriptiones hæ admodum fuere loquaces, ni mens Julio Cæſari læva fuiſſet.

Conſpirarunt autem in eum amplius ſexaginta. Principeſque conjurationis fuere, M. Brutus, C. Trebonius, Caſſius, & Decius Brutus, quibus fere omnibus Cæſar vitam ex gratia donaverat, eoſque ad ſummos dignitatum & honorum gradus evexerat. Hi primum cunctati, an illum in campo per comitia tribus ad ſuffragia vocantem partibus diviſis è ponte dejicerent, atque exceptum trucidarent; an in ſacra via, vel in aditu theatri adorirentur, poſtquam Senatus Idibus Martiis in Pompeii curiam edictus eſt, facile tempus & locum prætulerunt.

II. Variorum prodigiorum oblatio.

1. *Galea* Julii Cæſaris *ardens.* Ante pugnam Pharſalicam Julius Cæſar circumivit in caſtris inſpecturus excubias: ibi ardere viſa eſt galea ejus; quæ flamma ardens aliquandiu ſuper galeam eſt conſpecta: Quæ ſingulare fuit ſignum novi & inuſitati alicujus ſeventus. *Philippus Melanchthon in locis Manlii p.* 48.

2. *Exundatio Padi.* Inter alia prodigia, quæ mortem Julii Cæſaris anteceſſerunt, recitatur etiam exundatio Padi:

Proluit inſano contorquens vertice ſylvas
Fluviorum Rex Eridanus: campoſa per omnes
Cum ſtabulis armenta tulit. Virg.

Ita etiam mortem Nicolai III, Pontificis Romani, præceſſit exundatio Tyberis, quæ tanta fuit, ut aram in ſano Mariæ rotundæ quatuor calceos ſupergrederetur. Quod ſtatim aliqui præſagium eſſe Pontificis paulo poſt morituri exiſtimarunt. Factum id anno C. 1281.

3. *Inuſitata victimæ oblatio.* Paucis diebus ante cædem ejus, quum victimam offerret, cor in extis victimæ inventum non eſt. Quod pro tetro oſtento habitum eſt: neque enim naturaliter animal ſine corde conſiſtere poteſt.

4. *Spurinæ auguris prædictio.* Spurina augur eum præmonuit, ut Idib. Mart. grave periculum caveret. Qui dies cum illuxiſſet, progrediens ad Senatum Cæſar, aruſpicem ſalutavit, ac ludens dixit: Atqui Idus Martiæ venerunt. Cui Aruſpex ſubmiſſe reſpondit; Venerunt, ſed non præterierunt. Et Cæſar eo ipſo die interfectus eſt. *Plutarchus in Cæſare* §. 17. *Suetonius in Cæſare* §. 81.

Elegans & memorabilis hiſtoria parallela.

Cyriacus Spangenberg. in Chronolog. p. 76. hanc memorabilem hiſtoriam recenſet. Frater Sebaldus, ſenex Monachus & peritiſſimus Aſtronomus fuit, qui vixit circa annum Chriſti 1012. Hic Comitem Everhardum à Querfurt fideliter monuit, ut diem 13 Maii obſervaret, eoque die ſibi caveret: Quia ex conſtellationibus Planetarum cognoverit, eo die lethale malum ei imminere. Quod præſagium prædictus Comes (quia eo die cum Sponſa ſua Principiſſa nuptias celebrare, eumque in lætitia tranſigere putabat) ſuperbe contemnebat, & phantaſticum eſſe putabat. Quum autem Comes cum miniſtris ſuis in Aurifabri officina ſtaret, & forte Monachum prætereuntem videret, eum ad ſe vocat, dicens: Domine Frater, dies 13 Maii jam adeſt, cujus tu mentionem feciſti. Monachus reſpondet: Imo, Generoſe Dn. Comes, dies quidem advenit, ſed non præteriit: Fieri poteſt, ut ante veſperam, antequam cubitum eas, tragicus caſus tibi eveniat, de quo nemo mortalium cogitarat: Verumtamen, inquit, Deus omnia mala avertere, & aſtrorum cœli præſagia mutare poteſt. Sed quid fit? Circa veſperam, quum Sponſa Principiſſa Sponſo ſuo adduceretur, ecce, Comes ille medio in convivio, quum omnes hilares eſſent, ab alio quodam Comite à Stollenberg & Altenhauſen / qui ipſi conjugium hoc invidebat, in menſa inter ipſa pocula miſerrime trucidatus eſt.

5. *Avis regalioli ab aliis avibus dilaniatio. Suetonius in Cæſare* §. 81. ſcribit, quod pridie ante Idus Martias avis regaliolus cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ ſe inferens, à volucribus varii generis ex proximo nemore provenientibus circumdatus, ibique diſcerptus ſit.

6. *Cal-*

6. Calpurnia uxoris ſomnium. Calpurnia uxor Julii Cæſaris ſomnium habuit, collabi faſtigium domus, maritumque in gremio ſuo confodi: ac ſubito cubiculi fores patuerunt. *Plutarchus* & *Suetonius in Cæſare* §. 81.

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Quum autem Cæſar non tantum Spurinæ auguris monita, ſed etiam uxoris Calpurniæ lacrymas ac obteſtationes floccipenderet, & Idibus Martii curiam ingrederetur, à conjuratis interfectus eſt anno Mundi 3928. ante C. N. 43. ab Urbe condita 709. ætatis vero ſuæ anno 56. qui annus vocatur *climacter heroicus*. *Suetonius in Cæſare* cædem ejus ita deſcribit §. 82. Aſſidentem conſpirati ſpecie officii circumſteterunt: Illico Cimber Tullius qui primas partes ſuſceperat, quaſi aliquid rogaturus propius acceſſit, renuentique & geſtu in aliud tempus differenti ab utroque humero togam apprehendit. Deinde clamantem, iſta quidem vis eſt: alter Caſſius adverſum vulnerat paulo infra jugulum: Cæſar Caſſii brachium arreptum graphio trajecit, conatuſque proſilire alio vulnere tardatus eſt; utque animadvertit, undique ſe ſtrictis pugionibus peti, toga caput involvit, ſimul ſiniſtra manu ſinum ad ima crura deduxit, quo honeſtius caderet, etiam inferiore corporis parte velata: atque ita tribus & viginti vulneribus confoſſus eſt, uno tantum ad primum ictum gemitu ſine voce edito. Quidam etiam tradiderunt, M. Bruto, cum irruenti dixiſſe: Καὶ σὺ, τέκνον; *Et tu, Fili mi?* Exanimis, diffugientibus cunctis, aliquandiu jacuit, donec lecticæ impoſitum, dependente brachio, tres ſervuli domum retulerunt.

USUS.

1. *Ingratitudo* Bruti deteſtanda. Julius Cæſar poſt pugnam Pharſalicam jubet parci Bruto, illumque poſtea ad ſe perductum clementer ſervat, data illi venia, quod à partibus Pompeii contra ſe ſtetiſſet. Hic poſtea cum Caſſio & Decio conſpirat contra Cæſarem, eumque in curia Romana interficit. *Plutarchus* & *Suetonius in Cæſare*. Unde Cæſar adhuc vivens non ſine cauſa de Bruto dixit: Se magis metuere occultationem inſidioſam Bruti, quam ferociam Antonii. Nam

Sæpe tacens odii ſemina vultus habet.

Item:

Suſpicione caret non criminis ille frequenter,
Demiſſo vultu qui ſedet, atque tacet.

Unde in exequiis funebribus inter ludos cantata ſunt quædam, ad commiſerationem & invidiam cædis ejus accommodata ex *Pacuvio*.

11. *Mors Cæſaris repentina*, quæ ei fere contigit ex animi ſententia. Nam quondam, quum apud *Xenophontem* legiſſet, Cyrum ultima valetudine mandaſſe quædam de funere ſuo; aſpernatus tam lentum mortis genus, ſubitam ſibi celeremque optabat: & pridie quam occideretur, in ſermone nato ſuper cœnam apud M. Lepidum, Quiſnam eſſet finis vitæ commodiſſimus? repentinum inopinatumque prætulerat. *Suetonius in Cæſare* §. 86. Unde *Symbolum* ejus fuit: *Satius, inſidias ſubire ſemel, quam metuere ſemper.*

111. *Juſtitia divina* in morte Julii Cæſaris eſt conſpicua. Nam occidit Cæſar diverſis in prœliis, uti ipſe gloriatus eſt, undecies centena & nonaginta duo millia hominum; ita ut in hanc rationem non veniat ſtrages civilium bellorum. At mira, imo dira hæc gloriatio fuit. Unde *Plinius lib. 7. cap. 25.* recte & prudenter inquit: Hæccine aliquis in laudibus ponat, tantam injuriam generis humani? Similiter & Florus inquit *lib. 4. cap. 2.* Julius Cæſar venit in curiam, Parthicam expeditionem meditans. Ibi in curuli ſedentem eum Senatus invaſit, tribuſque & viginti vulneribus ad terram datus eſt. Et addit hoc memorabile Epiphonema: *Sic ille, qui terrarum orbem, & hoſtili & civili cruore impleverat, tandem ipſe ſanguine ſuo curiam Romanam implevit & inundavit!*

1v. *Fortuna eſt vitrea*, ejuſque commutatio eſt repentina: Exemplum evidens & illuſtre habemus in C. Julio Cæſare, qui putabat ſe ita regnaturum, authoritate munitum, ut nemo poſſet ei nocere; & tamen interfectus eſt à Bruto & Caſſio, quorum victor & conſervator erat: ideoque hoc Axioma diligenter tenendum eſt; Nemo eſt per omnia felix. Huc pertinent Tragicæ litteræ Amaſis Regis Ægypti ad Polycratem Samiorum Tyrannum. *Verba Epiſtolæ ſunt*: Amaſis Polycrati ita inquit; Mihi quidem feliciter agi cum viro amico meo & hoſpite, audire voluptati eſt, tamen tuæ magnæ proſperitates mihi non placent, qui intelligo, quam invidum numen ſit. Quod ad me attinet, malim tum meas ipſius, tum eorum, qui mihi curæ ſunt, res nunc proſpere cedere, nunc contra & per varias fortunæ vices ævum traducere, quam ut omnibus meis optatis fortuna reſpondeat. Nullius enim unquam mentionem audivi, qui ubique ſucceſſus ex animi ſententia habuerit, & tandem male finiens, non funditus ſit everſus. *Herodotus libro 3. Hiſtor.* Recte igitur dicitur: Κύκλος τὰ ἀνθρώπινα, Circulus ſunt res hominum. Quo adagio rerum humanarum notatur inconſtantia: Quoniam res humanæ à fortuna (nos Chriſtiani dicimus, à providentia divina) circumaguntur, &

velut

velut in orbem recurrunt. Vide Monarchiam II de Cyro.

v. *Miſera quorundam Imperatorum* Romanorum *ſors* fuit, atque *conditio*: Nam à C. Julio Cæſare, uſque ad Carolum M. numerantur Imperatores 42, ex quibus vix decem ſunt, quos filius, aut frater, aut uxor, aut amicus, aut inimicus, ferro, veneno, laqueove non exſtinxerit. Quatuor vero ſibi mortem conſciverunt, quod mortis genus fœdiſſimum Tacitus, Canones vero informe appellant. Vide *Phil. Camer. Hor. ſucciſiv. cap.* 45. *pag.* 205.

Sic etiam *Jovius* in Scotia teſtatur, quinquaginta duos Scotiæ Reges aut bellica vi, aut procerum inſidiis crudeliter interemtos eſſe.

III. TA' ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ.
h. e. *quæ eadem Iulii Cæſaris ſunt ſecuta.*

1. *Teſtamenti Cæſaris apertio.* Poſt cædem Julii, poſtulante L. Piſone ſocero, teſtamentum ejus noviſſimum aperitur, & in ædibus Antonii recitatur, in quo tres ille hæredes inſtituit; Octavianum Auguſtum ex dodrante, & L. Pinarium & L. Pedium ex quadrante, reliquos in ima cera; Octavium etiam in nomen, familiamque adoptavit. *Suetonius in Cæſ.* §. 83.

2. *Funeris celebratio.* Funus quoque ei ampliſſimum, proſequentibus eum univerſo fere Senatu, Magiſtratibus, frequentique cum civium tum militum etiam armatorum ad corporis cuſtodiam multitudine factum eſt, A. M. 3928. *Suetonius in Cæſare* §. 48.

3. *Nova menſis Quintilis appellatio.* Hoc animo quoque Quintilis appellatus eſt Julius, in honorem Julii Cæſaris, quod hoc menſe natus eſſet ante annos 56. *Cenſorinus cap.* 18. *Macrob. Satur. cap.* 12.

4. *Percuſſorum Julii Cæſaris exitus tragicus.* De hoc *Suetonius in Cæſ. p.* 89. ita ſcribit: Percuſſorum fere neque triennio quiſquam amplius vixit, neque ſua morte defunctus eſt: damnati omnes, alius alio caſu periit, pars naufragio, pars prœlio, nonnulli ſemet eodem pugione, quo Cæſarem violaverant, interemerunt. Hæc *Suetonius*. Et *Plutarchus in Cæſare* §. 18. ſcribit: Percuſſores C. Julii Cæſaris plerique omnes ſibi ipſis manus violentas intulere. Et quidem Caſſius eodem ſe pugione, quo Cæſarem percuſſerat, transfixit. Brutus, cum noctu ſolus in conclavi moraretur, apparuit ei prægrandis viri horrenda imago. Cumque interrogaret Brutus, Quis eſſet? quidve ſibi vellet? reſpondit: Tuus ſum, inquit, Brute, malus genius; in Philippis me videbis. Ad quæ Brutus animo præſenti, videbo ergo. Et ſimul imago iſta evanuit. In prœlio deinde adverſus Auguſtum & Antonium ad Philippos geſto, victis fugatiſque ſuis copiis, ſuo ipſo gladio incubuit. Idem Gordiani Imperatoris interfectoribus eveniſſe Cordus ſcribit: Quicunque enim illum gladio appetiverunt, quorum novem fuiſſe dicuntur, poſtea interemtis Philippicis ſua manu, ſuiſque gladiis, & quidem iiſdem, quibus illum interfecerant, periiſſe dicuntur. Et hæc juſta fuit talionis pœna.

II. IMPERATOR OCTAVIANUS CÆSAR Augustus.

CAPUT I.

DE ORTV.

1. *Generatio.*

Pater Auguſti fuit *Octavius*, qui Romæ vir equeſtris, & Senatorii ordinis fuit: *Avus* municipalibus magiſteriis contentus, abundante patrimonio, tranquilliſſime ſenuit. *Proavus* ſecundo bello Punico ſtipendia in Sicilia tribunus militum fecit, Æmylio Pappo Imperatore. *Suetonius in Auguſto* §. 2. Qui addit, quod M. Antonius libertinum ei patrem exprobrarit reſtionem, è pago Thurino, avum argentarium. Sed hæc ibidem refutat.

Mater ejus fuit *Accia Julia*, filia Juliæ, ſororis C. Julii Cæſaris, ex ſorore nepos.

C. Julius Cæſar.

C. Julius Cæſar Dictator, & poſtea Imperator.	— Julia nupta Actio Balbo.
Octavius.	— Actia.
Octavia, ſoror Auguſti.	— Octavianus Cæſar Auguſtus.

Natus eſt Auguſtus, M. Tullio Cicerone, & Antonio Coſſ. 9 Calend. Octobr. paulo ante Solis ortum. *Suetonius in Auguſto* §. 5. Cum puer jam natus eſſet (uti *Dion Nicæus in Auguſto* ſcribit §. 1.) Nigidius Figulus Senator & Aſtronomus ſtatim ei ſummum filii Imperium ex aſtris prædixit: Nam noverat is ſupra omnes homines ſuæ ætatis totius cœli ordinem & curſum, tenebat ſtellarum vim atque differentiam, quid ipſæ per ſe aut cum aliis conjunctæ poſſint & efficiant. Is igitur, ut vidit Octavium, propter partum uxoris ſerius in curiam venientem, ſtatim exclamavit: Nobis, Octavi, Dominum genuiſti. Deinde ea re percuſſum Octavium, atque idcirco puerulum necare volentem prohibuit. Nam hoc modo (inquit) moriatur filius tuus, fieri certo

certe nullo modo potest. Natus est autem Augustus horoscopante Capricorno.

AXIOMA.

Omnis habens Capricornum in horoscopo ascendentem, facit mutationem in Romano Imperio. Dicitur enim esse fatale signum in mutationibus Imperiorum. *Philippus Melanchthon in locis Manlii pag. 416.*

Exempla.

I. *Augustus Imperator* habuit Capricornum ascendentem in horoscopo, & sane ille insignem in Romano Imperio mutationem fecit. Quia illud à C. Julio Cæsare inchoatum confirmavit, inque stabili sede collocavit; uti ex ipsius historia patebit; & hac de causa Augustus Capricornum in aurea moneta incudi fecit.

II. Similiter *Vespasianus* & *Carolus* V, Imperatores, habuerunt Capricornum in horoscopo ascendentem.

III. Eodem sidere *Carolum Borbonium*, & *Cosmum Medicen* natos *Cardanus* scripsit. Et hi omnes ad maxima Imperia, Regna, Ducatus, & opulentas hæreditates pervenerunt, multaque & gravissima bella felici exitu gesserunt. Hinc *Basilius* Mathematicus prædixit Cosmo Medici Florentiæ Duci, quum adhuc privatus esset, & de eo nihil cogitaret, ingentis opulentiæ hæreditatem ipsi portendi, quod in ipso geniturae horoscopo Capricorni felix astrum mirabili conspirantium siderum aspectu irradiatum esset. Vide *Henricum Ranzovium in l. de prad. Astrol. p. 192.*

II. *Appellatio.*

I. *Nomen* ejus fuit *Octavius*, uti eum *Dion* appellat in Augusto §. 1. vel *Octavianus*, à Patre Octavio sic dictus.

III. *Cognomen* habuit geminum. Nam dictus est

1. CESAR. Quod nomen accepit à Julio Cæsare Imperatore, à quo adoptatus erat: Ita enim scribit *Dion in Augusto* §. 1. C. Octavius Velitris oppido Volscorum natus, pupillus ab Octavio Patre relictus est, apud Matrem, & Fratrem ejus L. Philippum. Cumque adolevisset, à Cæsare non discedebat: Cæsar enim quod nullos liberos suscepisset, quodque jam in eo magnam spem positam haberet, valde eum diligebat, ejusque curam habebat, quippe quem nominis sui & pecuniæ hæredem ac Imperii successorem relicturus erat.

2. AUGUSTUS dictus est anno Imperii 16. *Munatii Planci* sententia, novo & ampliore cognomine, quod loca quæque religiosa, & in quibus augurato quid consecrabatur, augusta dicerentur, ab augurio, h. e. ab avium gestu, gustuve; sicut *Ennius* docet, scribens:

Augusto augurio, postquam inclyta condita Roma est.

Suetonius in Augusto §. 7. *Alii* vero statuunt, quod AUGUSTUS dicatur ab augendo; sicut angustus ab angendo, propter felicitatem in rebus gerendis. Quia bella civilia felici successu composuerit, utiles in Republ. Romana leges promulgaverit, fines Imperii Romani dilataverit, plurimaque regna & provincias Imperio Romano subjecerit, illudque à C. Julio Cæsare inchoatum fundaverit, itque stabili sede collocaverit.

REGULA.

Cognomina sæpe ipsis nominibus sunt usitatiora.

EXEMPLA.

I. Exemplum habemus in SEMO, *Noa filio*; cujus proprium nomen fuit Semus; cognomen vero ab officio ipsi impositum fuit *Melchisedech*. Sub hoc cognomine, quod Regem justitiæ notat, ipse velut Christi typus in codice sacro describitur, & ἀπάτωρ, ἠ ἀμήτωρ, item, ἀγενεαλόγητος appellatur. *Hebr. 7. v. 3.* Similiter Christus Sacerdos æternus appellatur secundum ordinem Melchisedech *Psalm. 110. v. 5.* Vide *Hist. meam Patriarch. p. 152, 153, 154.*

Ita etiam Cæsar Octavianus *Augustus* appellatus est anno Imperii 16. Quod 56 annos feliciter administravit. *Suetonius, Dion, Eutropius.* Omnes autem Imperatores, à primo Imperatore C. Julio Cæsare, appellantur *Cæsares*, Græce Καίσαρες. Ut *Joh. 19. v. 15.* Judæi Christum ad crucem deposcentes clamant: Non habemus Regem, nisi *Cæsarem.* Et Christus ipse *Matth. 22. v. 21.* jubet censum, qui est Cæsaris, dari Cæsari; qui tum temporis erat *Cl. Tiberius Nero*, Cæsaris Augusti privignus. Ita *Actor. 25. v. 10.* Paulus inquit; Ad tribunal Cæsaris sto, ubi me oportet judicari. *Confer v. 11, 12, 21.* Ita ab *Augusto* secundo Imperatore Romano omnes successores ejus in hodiernum usque diem vocantur *Augusti*, ab officio, quod nempe Imperii Romani pomœria extendere, finesque ejus augere debeant; sicut etiam in lingua nostra vernacula appellantur, Alzeit mehrer des Reichs. In lingua Græca dicuntur Σεβαστοί, *Actor. 25. v. 21, 25.* In quibus locis *Domitius Nero*, sextus Imperator Roman. intelligitur. Dicuntur autem Σεβαστοί à σέβομαι, vel σεβάζομαι, h. e. veneror; quod

nempe Impp. ſint venerandi, vel honore ſive veneratione digni.

USUS.

Hæ appellationes de multis neceſſariis & utilibus rebus monere debent, tum *ipſos Imperatores*, tum *ipſorum ſubditos*.

I. *Reſpectu Imperatorum*, triplex harum appellationum eſt uſus.

I. *Uſus Didacticus*; ut nempe Imperatores nudis titulis haud ſuperbiant, rebus omnibus, quæ hiſce appellationibus inſinuantur, deſtituti; ſed ut intelligant, quid ſui muneris ſit & officii, nempe ut reipſa ſint *Auguſti*, Allezeit mehrer des Reichs/ h. e. ut imperium non minuant, ſed augeant.

II. *Uſus Paræneticus*, ut videlicet caveant ſibi ab injuria populis ſub-regimine ſuo poſitis inferenda, cogitantes, Magiſtratus propter ſubditos eſſe conſtitutos, ut illorum ſaluti ſerviant, (ſicut D. Paulus inquit *Rom.* 13. *v.* 4. Magiſtratus Θεοῦ διάκονός ἐστι σοι, Dei miniſter eſt tibi in bonum, ſcilicet naturale, morale, & ſpirituale.) non autem ſubditos propter Magiſtratum eſſe, ut ejus libidini ſint expoſiti.

III. *Uſus Paracleticus*: ut nempe Imperatores in mole negotiorum, adverſitatum, & periculorum honorificis hiſce appellationibus ſeſe conſolentur & erigant, & animo moderato atque tranquillo moleſtias Imperii tolerent & ſuſtineant.

2. *Reſpectu Subditorum.* Harum appellationum *Uſus* eſt *Didacticus*, & *Paræneticus*, ut nempe eo promtiores ſint ad obedientiam Magiſtratui ſummo præſtandam, quo in ſublimiorem dignitatis gradum à Deo ſupremo Mundi Domino illum evectum eſſe audiunt, ſicut iterum monet D. Paulus *Rom.* 13. *v.* 1, 2, 3, 4, 5. Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit. Quapropter oportet eſſe ſubditos non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.

PROSOPOGRAPHIA.

Auguſtus inſignem habebat *Conſtitutionem* tum ratione *corporis*, tum ratione *animi*.

I. *Ratione corporis* valde *formoſus* erat; ſicut *Suetonius in Auguſto* §. 79. & 80. graphice corpus ejus ſecundum omnia membra, nempe vultum, oculos, dentes, capillum, ſupercilia, aures, naſum, colorem & maculas, ſive notas genitivas deſcribit: Forma, inquit, fuit eximia, & per omnes ætatis gradus venuſtiſſima: Vultu erat vel in ſermone, vel tacitus adeo tranquillo, ſerenoque, ut quidam è primoribus Galliarum confeſſus ſit inter ſuos, eo ſe inhibitum ac remollitum, quo minus (ut deſtinarat) in tranſitu Alpium per ſimulationem colloquii propius admiſſus eum in præcipitium propelleret. Oculos habuit claros ac nitidos, quibus etiam exiſtimari volebat ineſſe quiddam divini vigoris; gaudebatque, ſi quis ſibi acrius intuenti quaſi ad fulgorem Solis vultum ſubmitteret, ſed in ſenecta ſiniſtro minus vidit. Dentes raros & exiguos, & ſcabros, capillum leviter inflexum & ſubflavum, ſupercilia conjuncta, mediocres aures, naſum & os à ſummo eminentiorem, & ab imo deductiorem, colorem inter aquilum candidumque, ſtaturamque brevem, ſed quæ commoditate & æquitate membrorum occuleretur: corpore traditur maculoſo, diſperſis per pectus atque alvum genitivis notis, in modum & ordinem ac numerum ſtellarum cœleſtis Urſæ.

NOTA.

De notis genitivis pulchra invenies exempla in Hiſtoria Seleuci Nicanoris, I Syriæ Regis.

II. *Ratione animi* erat quoque Auguſtus *formoſus*: Nam ingenii vim incredibilem, judiciique acrimoniam in eo fulgor oculorum oſtendebat, quorum aciem velut ſiderum vibrantem intentius eum intuentes vix ferre poterant. Quod enim *Dion Germanicum* Auguſti nepotem laudaturus ſcribit: Καίσαρι fuiſſe τὸ σῶμα, ἄξιον ᾧ τὴν ψυχὴν παιδείᾳ τε ἄμα, καὶ μάλιν ἀφιπτόντως, πραότητί τε, καὶ σεμνότητος ὅσης, h. e. corporis forma & animi bonis, doctrina & robore, clementia & modeſtia præſtantiſſimum fuiſſe: Illud nos quoque de Auguſto Imperatore jure merito dicere poſſumus.

AXIOMA.

Politici dicunt: Εἶδος ἄξιον τυραννίδος, h. e. *Facies decora imperio eſt digna.* Item, *Auguſtam perſonam auguſta decet forma.* Quia Principi multum decoris & admirationis addit. Nam, quod pulchrum eſt, amicum eſt, ait *Plato* in Lyſide. Quicquid vult, facile impetrat. Unde *Carneades* egregiam formam vocat ἀδιαφόρου βασιλείαν, h. e. regnum ſine ſatellitio. Nam indicium mentis cujuſque ſolet eſſe forma, adeo ut plurimis barbaris hominibus, in corporum majeſtate veneratio ſit, qui magnorum facinorum non alios capaces putant, quam quos natura eximia donavit ſpecie: uti *Curtius inquit lib. 6.*

Exempla.

I. De *Alexandro M.* Macedonum Rege, *Solinus Polyhiſtor. cap.* 14. ſcribit; eum fuiſſe forma ſupra hominem auguſtiore, cervice celſa, lætis oculis, & illuſtribus malis, ad gratiam rubeſcentibus, & re-

& reliquis corporis lineamentis non ſine majeſtate quadam decorum.

II. Ita quoque auguſta forma Auguſtus Imperator præditus & divinitus ornatus erat, quæ in apta membrorum figura cum decenti coloris ſuavitate conſiſtebat, uti ex dictis patet: Hæc namque eximium Dei donum eſt, ſicut *Cicero lib. 4. Tuſcul. Quæſt.* recte inquit.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. ACTA OECONOMICA.

AUguſtus Imperator *quatuor conjuges* habuit.

PRIMA fuit P. SERVILII ISAURICI FILIA, quam ſibi quidem deſpondit, ſed eam uxorem haud duxit; vel juxta aliorum opinionem, eam quidem duxit, ſed diu ſecum non retinuit.

SECUNDA erat CLAUDIA, vel CLODIA, *P. Clodii & Fulviæ filia*, atque Antonii privigna. Quia enim Octavianus Auguſtus Antonio reconciliatus erat, amicitiam illam novam, ne facile rumperetur, confirmare volebat, ideoque ſororem ſuam *Octaviam* ipſe Antonio dedit, & rurſus *Claudiam* ejus privignam ſibi deſpondit, ſed propter inſolentiam Fulviæ Socrus, quæ ſemper Antonium maritum ſuum conſiliis ſuis adverſus Auguſtum concitabat, eam adhuc virginem repudiavit. *Dion in Auguſto* §. 5. *Sueton.* §. 62.

TERTIA erat SCRIBONIA, quam poſtea, pertæſus morum perverſitatem ejus, repudiavit, eo ipſe die, quum ſibi *Filiam Juliam* peperiſſet. *Suetonius in Auguſt.* §. 62.

QUARTA, LIVIA DRUSILLA: quæ antea fuerat uxor Tiberii Neronis, & Mater Tiberii & Druſi. Hanc Tiberius Nero quaſi pater, non maritus eſſet, Cæſari Auguſto uxorem dedit. *Dion in Auguſto* §. 7. Qui anno Mundi 3934 nuptias cum ea celebravit. Vixit cum marito annos 51, ſupervixit marito annis 15, mortua anno Mundi 4000, ætat. 86. *Tacit.* Ex qua nihil liberorum ſuſcepit, quum maxime cuperet. *Suetonius in Auguſto* §. 63.

LAUS LIVIÆ.

I. *Livia* erat *caſta*. Nam cum aliquando nudos homines, qui ſibi facti erant obviam, quique eam ob turpitudinem damnabantur, vidiſſet, dixiſſe fertur; *Eos matronis quidem honeſtis & continentibus nihil à ſtatuis differre; Cor enim hominis pudicum rerum impudicarum adſpectu nequaquam malis cogitationibus tangitur. Dion in Tiber.*

II. Livia marito ſuo fuit *morigera*. Nam interrogata: Quanam ratione Auguſti animum adeo ſibi devinxiſſet? reſpondit; *Exquiſita pudicitia, omnia ejus mandata libenter exequendo, nullas ejus res ſcrutando, & quædam ejus vitia non perſequendo, ſed diſſimulando.*

III. Livia ſuper ſexus muliebris conditionem *prudentiſſima* erat fœmina. Cum enim Auguſtus, bellis civilibus per annos 12 geſtis, multorum in ſe odia concitaſſet, incertuſque eſſet animi, utrum eos occideret, quorum morte non magis ſecurum ſe eſſe intelligebat, an eos vivere ſineret, à quibus periculum ſibi immineret, in tantam dubitationem venit, ut dies noctesque angeretur. Itaque Livia uxor ejus proba & ſapiens fœmina conſilium ei dedit, ut inimicos beneficiis & liberalitate vinceret. Ei paruit Auguſtus, & initio facto à Cn. Cornelio Cinna, qui Pompeii M. ex filia nepos erat, eum Conſulem deſignavit, cæterorumque, quos ſuſpectos habebat, lenitate & beneficentia animos adeo molliit, ut ex inimicis amiciſſimos faceret. Orationem Liviæ, quæ ponderibus eſt prægnantiſſima, vide apud *Dion. in Aug. p.* 17.

II. LIBERI.

FILIA ejus erat JULIA, quam ex *Scribonia* tertia conjuge ſua ſuſcepit: Cujus notanda ſunt tum Conjugia, tum Vitia.

1. Conjugia ejus.

Auguſtus Juliam filiam ſuam primum *Marcello*, Octaviæ Sororis ſuæ filio, tantummodo pueritiam egreſſo; deinde, ut is obiit, *M. Agrippæ* nuptui dedit: Hunc Auguſtus urbis (Romæ) præfectum creavit. Qui, ut haberet ſatis authoritatis, juſſus eſt conjugem ſuam repudiare, & Juliam Auguſti filiam ducere: etſi prior conjux eſſet Octaviæ filia, nomine Marcella. *Tertio*, hoc defuncto, *Tiberium privignum* & in Imperio ſucceſſorem ſuum elegit, coëgitque prægnantem uxorem, & ex qua jam pater erat, dimittere, & Juliam filiam uxorem ducere.

Vitia ejus.

Julia hæc Auguſti filia fuit degener, plurimiſque vitiis cooperta. Nam

I. Fuit SUPERBA. Unde patri exoſa erat, & cum à quodam Conſiliario ob nimiam veſtitus licentiam admoneretur, ut ſe ad paternæ frugalitatis exemplar componeret, ſuperbe illa & inſolenter reſpondebat: *Pater meus obliviſcitur ſe Cæſarem Romanum eſſe; at ego memini, me Cæſaris eſſe filiam. Macrob. lib. 2. Saturnal. cap.* 5.

II. LEVIS IN CONVERSATIONE. De qua ita scribit *Suetonius*; In spectaculo gladiatorum converterant in se populi oculos LIVIA & JULIA, comitatus dissimilitudine: Liviam cingebant viri graves; Juliam juvenes luxuriosi comitabantur. Pater itaque Augustus Juliam admonuit scripto, videret, quantum inter duas Principes fœminas interesset. Illa rescripsit: *Et hi mecum senes fient*. Hoc commode interpretando, lepide; incommode, procaciter dictum videtur.

III. ADULTERA. Cum enim ageret annum 38, uti *Macrobius* refert, eo lasciviæ progressa est, ut in ipso foro & rostris nocturnas compotationes ageret, & nihil quod facere, aut pati turpiter posset, omitteret. Ideo, Augusto consentiente, in Pandatariam Insulam relegatur; cui voluntaria comes facta est Scribonia mater. Julius Antonius, & alii, pœnas dederunt, quod Augusti filiam, & Tiberii Neronis conjugem, violassent: Aliqui sunt relegati: *Phœbe* liberta, quæ adjutrix scelerum fuerat, mortem sibi conscivit. *Dion in Augusto*. Julia post quinquennium, ut *Suetonius* habet, ex insula in continentem defertur, consentiente Augusto, qui à populo Romano ad hoc urgebatur.

III. Privigni.

Privigni Augusti fuerunt:

I. TIBERIUS. Hunc filium *Livia* suscepit ex *Tiberio Nerone*, antequam Augusto nupsit, A. M. 3930. postea vero ab Augusto est adoptatus, eique in Imperio successit.

II. CL. DRUSUS, qui ex Livia natus est in ædibus Augusti, mense tertio à nuptiis: Quia Livia, cum ab Augusto in thalamum assumeretur, gravida jam erat in mensem sextum. Unde natum est Romæ hoc proverbium; Τοῖς εὐτυχοῦσι τρίμηνα παιδία. h. e. Fortunatis etiam trimestres nascuntur liberi. Hic *Drusus* bellum gerens in Germania collapsus equo crus fregit: ex qua fractura 30 die mortuus est, agens annum 30, cum magna ex parte Germaniam domuisset.

Hujus Cl. Drusi filii fuerunt duo: GERMANICUS, & CLAUDIUS, qui postea quintus Imperator Romanus factus est.

IV. Nepotes & Neptes.

I. NEPOTES Augusti ex *Agrippa* & *Julia* tres fuerunt. 1. *Caius*. 2. *Lucius Cæsar*. Hosce duos nepotes Augustus adoptavit, quoniam multi essent, qui vitæ ejus insidiarentur. *Dion* 3. *Agrippa* posthumus: Cum enim Agrippa pater in bello contra Pannonios mortuus esset, Augustus eum Agrippam nominavit, sed tandem propter improbos mores ab Augusto abdicatur, & in Planasiam Insulam relegatur. *Dion*.

NEPTIS erat *Julia* II, ex Agrippa & Julia prima nata. Sed & hæc degener fuit. Ideoque adulterii convicta damnatur, & in Insulam Trimerum haud procul ab Apulis litoribus relegatur ab Augusto: ubi 20 annis exsilium toleravit, sustentata ope Liviæ, quæ privignos suos per occultum evertebat, & misericordiam erga afflictos palam ostentabat. *Tacitus lib. 4. Annal. cap. 7.*

AXIOMA.

Ἡρώων τέκνα πήματα. *Heroum filii noxæ.*

Hoc axioma adeo verum est, ut *Ælius Spartianus* usu edoctus confirmaverit, neminem prope magnorum virorum optimum & utilem reliquisse filium. Aut enim sine liberis viri illi interierunt; aut tales habuerunt, ut melius fuerit, è rebus humanis sine posteritate eos decessisse.

Exemplum illustre habemus in *Augusto Cæsare*, qui in Agrippa nepote, & in utraque Julia, filia, & nepte, infelix fuit; Nam Agrippam nihilo tractabiliorem, imo indies amentiorem, in Insulam transportavit, sepsitque insuper custodia militum, cavit etiam Senatus-consulto, ut eodem loco in perpetuum contineretur; atque ad omnem & ejus & Juliarum mentionem ingemiscens, proclamare etiam solebat; Εἴθ' ὄφελόν τ' ἄγαμός τ' ἔμεναι, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι! O utinam aut cælebs mansissem, aut prole carerem! Nec aliter eas appellare solitus est, quam tres vomicas, aut tria carcinomata sua.

III. VITA EJUS OECONOMICA.

1. *Frugalis in victu erat Augustus*. Nam cœnam tribus ferculis, aut cum abundantissime, senis præbebat, ut non nimio sumtu, ita summa comitate. *Suetonius* §. 74. Et de eodem §. 76. ita scribit; Cibi minimi erat atque vulgaris fere; Secundarium panem, & pisciculos minutos, & caseum bubulum manu pressum, & ficus virides biferas maxime appetebat. Vescebatur & ante cœnam quocunque tempore & loco, quo stomachus desiderasset. Et §. 77. Vini erat parcissimus, *&c.*

AXIOMA.

Magna virtus est frugalitas, & maxime in Principibus viris laudanda, quorum victum frugalem esse convenit, non luxuriantem, aut aliunde adscitum.

Præterquam enim quod frugalitas sanitatis est conser-

conſervatrix, authoritatis etiam plus illa apud ſubditos conciliat, quam comeſſatio aſſidua.

Exempla.

1. *In Alexandro M.* qui, quoniam luxu Perſico diffluebat, favorem ſuorum imminutum vidit. *Curtius lib. 5. & 7.*

11. *Scythæ* ſuſtulerunt Scylen Regem ſuum, quod Græca exerceret Bacchanalia. *Herodotus lib. 4.*

111. *Pauſanias* in gubernatione ſua ſuſpectum maxime ſe fecit, quod Perſico uſus eſt vivendi more. *Plutarchus.*

2. *Moderatus in veſtitu & cultu erat.* Nam ita de eo ſcribit *Suetonius* §. 73. Veſte non temere alia, quam domeſtica uſus eſt, ab uxore & ſorore & filia nepotibuſque confecta; togis neque reſtrictis, neque fuſis; clavo nec anguſto, nec lato; calceamentis altiuſculis, ut procerior, quam erat, videretur: Et ibidem *Suetonius* ſcribit; Auguſtus, quantum potuit, indumentorum luxuriam odio habuit: cujus dictum erat vulgatiſſimum: *Veſtitus inſignis ac mollis ſuperbiæ vexillum eſt, niduſque luxuriæ.*

AXIOMA.

Amabiliores ſunt Principes, ſi utantur veſtitu modico & decoro, non nimio, non peregrino.

Nam recte dixit *Julianus* Imperator apud *Marcellin. lib. 25.* Turpe eſt ſapienti, cum animum habeat, laudes captare ex corpore. Et *Ariſtoteles* in Præf. ad *Alexandrum M.* graviter cenſet; Multo pulchrius magiſque regium, animum præferre cultum & compoſitum, quam corporis veſtem. Cui admonitioni *Alexandrum* obtemperaſſe tradit *Ælianus lib. 8.* variarum hiſtoriarum. Contra autem, qui in veſtitu, corporiſque cultu fuerunt inſolentes & nimii, fuerunt illaudati.

Exemplum habemus in *Dario Codomanno* ultimo Perſarum Rege, qui vaginam acinacis Perſicam mutari juſſit in eam formam, qua Græci utebantur; Quod ſtatim Chaldæi inter præſagia transferendi Perſarum Imperii à Dario ad Græcos, quorum arma eſſet imitatus, recenſebant. *Gregorius Tholoſan.* Vide plura in Monarchia noſtra II. in vita *Darii Codomanni*, §. 19.

II. ACTA ACADEMICA, vel *Literarum Studia.*

1. *Auguſtus* (uti *Dion* ſcribit §. 1.) in omni genere dicendi Græce & Latine exercebatur, militiæ labores perferebat, perdiſcebat omnia, quæ ad Rempubl. quæve ad regnum pertinerent; fuitque, cum Cæſar necaretur, in Apollonia, ad ſinum maris Ionii. *Suetonius* §. 84. Auguſtus eloquentiam (inquit) ſtudiaque liberalia ab ætate prima & cupide & laborioſiſſime exercuit, & (§. 89.) in evolvendis utriuſque linguæ authoribus nihil æque ſectabatur, quam præcepta & exempla, publice vel privatim ſalubria.

11. *Præceptor* ejus fuit *Athenodorus Philoſophus Stoicus*, qui eum in omni diſciplinarum genere diligenter informavit. Cum autem præ ſenectute aulicos labores amplius ferre non poſſet, veniam redeundi in patriam ab Auguſto petiit, in qua pacate reliquum vitæ tempus traduceret. Imperator, ut prius quædam ſibi præcepta relinqueret, petiit, quæ utiliſſima & perneceſſaria crederet ad rectam Imperii gubernationem. Quem *Athenodorus*, cum eum ad iram natura procliviorem videret, hoc præcepto inſtruxit: Cum ira Cæſar te ceperit, nihil prius dicas aut facias, quam ipſa 24 Elementa literarum Græcarum tecum ipſe percurreris, & memoria recenſueris, ut ita conciliatio illa, quæ momentoſa eſt, mente alio traducta, parvi temporis interjectu langueſcat. indicans, inter *virtutes* quæ maxime Principem deceant, eſſe moderationem & clementiam, ad quam Principes ab informatoribus ſuis prius rationibus & præceptis ſunt informandi. Nam pulchre & eleganter inquit *Plutarchus*: Ut equis non in ipſo curſu frenum injicimus, ſed ante curſum: Sic qui propenſi ſunt ad iram, aut libidinem, ante rationibus ac monitis frenandi ſunt, prius quam in periculum ventum ſit.

111. *Auguſtus doctus fuit.* Nam XIII. libros de vita ſua conſcripſit, ſicut *Suidas* refert. Scripſit quoque hæredibus ſuis monita Politica, ad eorum uſum atque cautelam. De quibus *Xiphilinus* ita refert; In *prima* Rationarii parte ſcripta erant, quæ ad funus pertinebant: *Secunda* continebat res omnes ab eo geſtas, quas in columnis æneis ad ſepulcrum ſuum collocatis inſculpi juſſit: In *tertia* erant ea, quæ ad milites, quæve ad reditus ſumtuſque publicos, & ad eam pecuniam ac theſauros, cæteraque ejuſdem generis ſpectabant, quibus principatum, quem habebat, tueretur: In *extrema*, præcepta dabat Tiberio, & Reipubl. præſertim, ne multis libertatem darent, quo minus urbem cujuſque generis multitudine implerent, utque paucos civitate donarent, quo plurimum differrent ab his, quos in poteſtate haberent. monebat, ut Rempubl. committerent iis qui uſu & experientia rerum plurimum poſſent; nec eam ſinerent uſlo tempore ex unius voluntate pendere, ne forte is in.

regni cupiditatem veniret, aut ne adversa ab eo passa Respubl. periclitaretur.

4. *Doctorum* quoque *Virorum conversatione usus fuit*. Nam eleganter inquit *Seneca*; Ut, qui in Sole ambulant, quanquam aliud agunt, colorari tamen eos necesse est; ita qui prudentum consuetudine delectatur, eaque utitur, non potest non etiam prudentia imbui. Hinc legimus, quod *Philippus Macedo* & *Epaminondas* Lysiam Tarentinum, *Alexander* Aristotelem, *Ptolemæus Philadelphi* Demetrium Phalereum, *Scipio Africanus* Polybium, Panætiumque, perpetuos sibi habuerint comites. Augustus quoque Imperator quanti literatos fecerit, unum illud dictum satis declarare potest, quo indicavit; *Principum gloriam, Poëtarum versibus & ore inniti. Pontanus lib. 5. de Obed. p. 44.*

Idem Augustus potitus victoria contra Antonium & Cleopatram, Alexandrinis civibus omnino ignovit, tum propter alias causas, tum propter Arium Alexandrinum civem, cujus opera fuisset usus in Philosophia: *Petr. Gregor. Tholos. lib. 18. de Republ. p. 1215.* Imo Augustum Cæsarem nullo hominum genere magis, quam literatorum & eruditorum delectatum fuisse scribunt historici. Ideoque assidui ejus comites fuere Mecœnas, Virgilius, Horatius, aliique. Cum aliquando ad ipsum Mecœnas ingrederetur, eumque inter Horatium & Virgilium considere medium conspiceret, interrogasse Cæsarem ferunt, Ecquid ageret? Cui Augustus festive admodum respondit jocans. Hic sedeo inter lacrymas & suspiria; vel, Hic lacrymas inter sedet & suspiria Cæsar. Per lacrymas innuere volebat Horatii oculorum lippitudinem, assiduo rubore perfusam; per suspiria vero Virgilii melancholiam. Lusit Imperator Augustus vere Augustus, & non obscure professus est, quibus inprimis delectaretur, nullos esse nisi doctos.

5. *Monita* quoque *amicorum patienter audivit*.

1. *Monitum Mecœnatis* ad Augustum *de familiaribus & Ministris*, exstat apud *Dionem* hisce verbis §. 52. Familiarium tuorum nulli nimiam indulge potentiam, ne in aliquam te reprehensionem conjiciant. Nam quæcunque vel recte, vel secus egerint, omnia tibi imputabuntur, talemque te omnes judicabunt, qualia eis facta exercere permiseris, inprimis autem potentibus omnibus injuriam alios afficiendi facultatem adimes, ut si nihil etiam delinquant, tamen nec ideo quasi possint, in culpam & reprehensionem veniant.

11. *Monitum Mecœnatis de rigore pœnarum mitigando*. Mecœnas, multum admonitionibus suis poterat apud Augustum. Nam cum aliquando Augustus multos esset ad mortem damnaturus, nec Mecœnas propter circumstantium coronam ad ipsum perrumpere posset, inscripsit schedulæ hæc verba; *Surge tandem, carnifex!* eamque in sinum Augusti projecit: Qua libertate Mecœnatis tantum abfuit, ut Augustus offensus sit, ut etiam statim surrexerit, eosque, quos interfecturus erat, dimiserit. *Dion §. 16.*

6. *Augustus affectationem in stylo odit*. Elegans exemplum de Mecœnate. Mecœnas vir alias laudatus in stylo lasciviebat verbis affectatis, compositioni insolenti frequenter indulgens: *Augustus* contra verbum insolens, quasi scopulum, fugiendum esse censebat. Ad alios itaque scribens, stylo simplici consuevit uti. Mecœnati vero, quem familiariter amabat, scribens, Mecœnatem imitari solebat, adeo ut in quadam Epistola multa liberius, ac dissolutius jocatus, hanc adjecerit clausulam; Vale, mel gentium, ebur ex Hetruria, laser Aretinum, adamas Supernas, Tyberinum margaritum, Cilneorum Smaragde, Jaspis Figulorum, Berylle Porsennæ, Carbunculum habens, ἵνα συντέμνω πάντα, μάλαγμα mœcharum. Sic irrisit parum viriles amici in scribendo delicias: quas ejusdem concinnis jocis exagitare consuevit, voces ac sententias ineptas, fœtores appellare solitus. Sermonem Augustus amabat purum & elegantem, qui sententiam quam apertissime declararet. *Erasmus lib. 4. Apophth.*

AXIOMA.

Omnis in dicendo & scribendo novitatis affectatio est indicium levitatis.

Ita Thucydides in *Orat.* quadam Atheniensium levitatem taxat: dicens; Vos Athenienses semper estis servi novarum rerum, & contemtores usitatarum: At prudentes viri tales non sint, neque in studiis suis, neque in ratione dicendi & scribendi; Non utantur verbis obsoletis, sed usitatis & consuetis. Græcorum est adagium; Communissima via est tutissima via: Ita etiam ratio loquendi & scribendi doctis usitatissima est tutissima. Unde *Lucianus* laudat genus dicendi εὐπέριστον, h. e. paratu facile, non affectatum, non horridum, non durum, vel asperum. Et pulchre ait *Ovidius*; Sermonis publica forma placet: Similiter *Gell. lib. 1. cap. 10.* prudenter monet; vivendum moribus præteritis, & utendum verbis præsentibus: Contra autem qui verbis non consuetis, sed obscuris & obsoletis utuntur, illi se ipsos produnt, quod miri ingenii sint homines.

Exem-

Exempla.

1. *Orator quidam*, uti Cicero refert, proferebat, *Supputa tilica*. Hic adverſarius quaſi attonitus verbi novitate & obſcuritate: Supputa, inquit, quid ſit, ô Judices, ſcio: Tilica vero neſcio: Ex eo autem inſidiæ metuendæ.

2. *Titinius Poëta* apud Nonium ita ait:

Sapientiâ guberſam navem torquet, non valentiâ; Coquus magnum ahenum, quando fervit, paula conſutat aqua.

Hic Guber, antique poſitum eſt pro gubernator; & ſam, pro ſuam.

3. Ita olim quidam ad Præfectum urbis verba facturus, cum dicere vellet: Quendam tenui vivere victu, furfureum rodere panem, vinumque fœtidum potare, ſic proloquutus fertur: Eques Romanus apludam edit, & floces bibit: Quæ verba cunctorum animos ad riſum provocarunt. *Gell. lib.* 11. *cap.* 7. Legerat ille apud Plautum *apludam* veteres ruſticos furfur dixiſſe: item *floces* audierat priſca voce ſignificare vini fæcem ex *Cæcilio*.

4. Quidam *antiquus Poëta* verbis antiquatis ita ineptit:

Præſul ut ambirunt, ſic Vulgu redandruit ipſum. h. e. *Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.*

5. *Eraſmus Roterodamus*, cum aliquando audiviſſet docentem Baptiſtam Pium, cujus oratio monſtroſa & inuſitatis verbis referta, interrogatus ab amico; Quid ſentiret? reſpondit: Longe vicit meam opinionem. Quinam? ſubjecit ille: Quia antea (reſpondit Eraſmus) ineptum judicavi; nunc prorſus inſanum eſſe comperio. *Jacob. Pontan. in Attic. bell.*

6. Referunt quidam, *Donellum* inſignem illum J. C. & quondam in Academia Altorfina Juris Profeſſorem, cuidam obſoleta verba luxurioſe apud ipſum proferenti, hunc in modum, ut ejus factum retunderet, regeſſiſſe; *Rere tumet, te fari ſcio, ſed fabare neſcio.*

7. Quidam uſurpant verba ſeſquipedalia & plauſtralia. Talis verborum ſeſquipedalium affectator erat *Hermetes*, in quem talis exſtat jocus:

Gaudet honorificabilitudinitatibus Hermes,
Conſuetudinibus, ſollicitudinibus.

Ita apud *Plautum* in Curculio; Militis nomen eſt: Therapontigonoplatagidorias. Quo ſe trapezita ait ſæpe quatuor totas expleviſſe ceras, dum ſcribit in ſuis rationibus.

Verum nos de hiſce omnibus novatoribus & verborum plauſtralium atque ſeſquipedalium affectatoribus merito uſurpamus illud Horatii; *Admiſſi, quaſo, riſum teneatis amici.*

7. *Symbolum Auguſti.*

Symbolum Auguſti fuit: Σπεῦδε βραδέως. Feſtina lente. Quibus duobus verbis contrariis Auguſtus ſignificare voluit, in rebus agendis neque nimium eſſe feſtinandum, neque nimium cunctandum, ſed medium obſervandum. *Macrob. lib.* 6. *Gell. lib.* 10. *c.* 11. Quod Adagium, ſi vim & ſententiam ejus ſpectes, conciſa vocum brevitate univerſalem rerum gerendarum regulam proponit, & ad omnem vitæ rationem ſeſe extendit, dignumque eſt, quod omnibus foribus inſcribatur. Quod Symbolum etiam Tito Veſpaſiano Imperatori placuit, uti ex antiquiſſimo ejus nummo apparet, in quo Emblema eſt. *Anchora cum Delphino*, quo ipſe quoque Cæſar Auguſtus uſus eſt.

Nam *nimia feſtinatio eſt novercа*:

1. *Conſiliorum.* Duo namque (*inquit Thucydides lib.* 3. *Hiſtor.*) advertiſſima ſunt rectæ menti prudentique conſilio, nempe *Feſtinatio* & *Ira*: Δύο γὰρ ἀναπόπαλα τῇ βουλίᾳ, πάχος τε καὶ ὀργή. Nam impedit ira animum ne poſſit cernere verum: inquit *Horat.*

Feſtinatio vero cæca & præceps eſt: Ad pœnitendum properat cito qui judicat: item; Præcipitis conſilii comes eſt pœnitentia. Cum quo conſentit illud Saluſtii: Priuſquam incipias, conſulto opus eſt; ubi conſulueris, mature facto opus eſt. item:

Conſilio adde moram, præceps ſententia fallit.

Germani pulchre efferunt: Eil mit weil / ehe wig's dan wag'e. Hoc ſymbolum *D. Nicolaus Reuſnerus* in Symbolis Imperatorum hiſce verſiculis exprimit:

Nec nil, nec nimium, medium tenuere beati.
Feſtina lente, ſat cito ſi bene ſat.
Nicht zu wenig / und nicht zu viel;
Mittel-maß iſt das beſte ziel:
Wan etwas nur gemacht wird gut /
Schnell gnug dan ſolches kommen thut.

Carolus V. Imperator hoc Apophthegmate uſus eſt: ſicuti Zenocarus in vita ejus refert: Quemadmodum *Saturnus*, qui ex ſeptem Planetis altiſſimum inſedit culmen, tardiſſime circumducitur: ita Monarchas Auſtriacos, qui ſumma apud mortalium genus functione utuntur, quam minime præcipites eſſe oportet.

2. Τῶν μυπικῶν ἐπινοιῶν, h. e. *eruditarum cogitationum*: quando nempe in conſeſſu eruditorum virorum dubiæ aut difficiles quæſtiones proponuntur, ad quas ex tempore reſpondendum eſt. Quod vidit Ariſtides apud *Philoſtratum lib.* 2. *de vita Sophiſt.* qui juſſus à Marco Imperatore dicere de quæſtione ſive materia, quam propoſiturus eſſet ſubi-

ſubito, &, ut loqui conſuevimus, ex tempore in hunc modum reſpondit: Hodie propone, & eras audies. Non enim ex iis ſumus qui vomunt Orationes, ſed ex iis, qui cum cura meditantur. *Apuleius* pulchram rationem invenit; Nulla res eadem, inquit, eſſe poteſt feſtinata ſimul, & examinata, nec eſſe quicquam omnium, quod habeat & laudem diligentiæ, & gratiam celeritatis.

3. *Nimia feſtinatio* ſæpe eſt *corruptio multarum operationum.* Quando enim quis præcipitanter aliquid vult agere, ſæpe totam operationem corrumpit. Huc pertinet venuſtum exemplum de quodam auriga. Quidam aurigæ petenti: An ea veſpera in urbem pervenire poſſet? prudenter reſpondit; Si feſtines, excluderis: ſi lento paſſu incedas, facile hac veſpera urbem ingredieris. Auriga indignabundus, & ſe irriſum putans, currum concitato impetu agere cœpit: At rota fracta impeditus urbe excluditur. Quare lenti ſunt amandi: Lenti, inquam, qui cum Plauto: Quicquid eſt incoctum, non expromunt; bene coctum duunt.

VIII. *Auguſtus in dicendo & ſcribendo Laconica brevitate uſus eſt.* Nam in Sicilia pro Theodoro Arium præfectum inſtituerat. Cum autem Cæſari quidam libellum porrexiſſet, in quo ſcriptum erat: Calvus Theodorus Tharſenſis fur eſt: Quid tibi videtur? Lecto eo Auguſtus, nihil aliud ſubſcripſit, quam unicum hoc verbum, Videtur. *Plutarchus in Apophthegmatibus.*

III. ACTA POLITICA.

I. TOGATA.

PRIMO. *Præſagiorum futuri Imperii claritas.* Auguſtus ſtudiorum cauſa, cum Cæſar Avunculus ejus necaretur, in Apollonia erat, ad ſinum maris Ionii. Nam eo Cæſar eum præmiſerat, quod bellum contra Parthos pararet. Verum de morte Cæſaris accepto nuncio, ubi ſe ab eo hæredem factum intellexit, nihil cunctandum ratus, ſtatim Romam rediit, anno ætatis 19. Cæſaris nomen aſſumſit, ac res hæreditarias adminiſtrare cœpit: Atque ita Octavius antea vocatus, tunc Cæſar, poſt Auguſtus, ad magnas res gerendas animum applicat, eaſque fortius adminiſtrat, atque diligentius, quam omnes viri, prudentius, quam ſenes omnes. *Dion in Auguſt.* §. 1. Nam, quod mirandum, agens annum ætatis 19. pervenit ex ſchola ad regnum, à literarum ſtudiis ad bella, à Muſis ad Imperium. Dum autem urbem ingreſſus eſt, viſus eſt *Sol* arcum lucidum inſtar Iridis ſuper eum effingere, uti *Dion* ſcribit: Viſi quoque ſunt *tres Soles*, qui paulatim in unum coierunt: ſicut *Euſebius* refert. Quæ prodigia explicari poſſunt διτῶς.

1. *Politice.* Sic erant præſagia de futuro Auguſti Imperio, quod ipſe Dominus orbis futurus eſſet. Nam *Velleius Paterculus* inquit: Arcus quidam *Solem* circumdedit, velut coronam capiti Octavii imponens: Deinde per *tres Soles*, qui paulatim in unum coierunt, adumbrati ſunt tres Romanæ Reipub. Gubernatores, nempe Octavianus Auguſtus, Antonius, & Lepidus, qui poſt obitum Julii Cæſaris Romanum Imperium adminiſtrarunt. Sed ſicut paulatim tres illi Soles in unum coierunt; ita præfiguratum eſt, duorum iſtorum, nempe Antonii & Lepidi, Imperium ablatum, & ad unum Auguſtum devolutum iri: Quod etiam eventus comprobavit. *Faſc. Temp. pag.* 33.

11. *Myſtice.* Per CIRCULUM, qui circa horam tertiam, liquido & puro Cœlo, orbem SOLIS repente ambiit, (ſicut *Oroſius lib. 6. cap.* 18. refert) multo ante Chriſti nativitatem adumbratum fuit, tempore Auguſti Imperatoris venturum, qui ipſum Solem, Mundumque totum feciſſet & regeret: Deinde per, TRES SOLES paulatim in unum coëuntes, adumbratum fuit, quod tres in Deitate ſint perſonæ, quæ tamen ſint unus verus DEUS, ſicut ex Sacro codice conſtat, & quod puer naſciturus in conſortium S.S. Trinitatis ſit recipiendus: Quia Chriſtus θεάνθρωπος eſt ſecunda Trinitatis Perſona.

SECUNDO. *Officiorum publicorum dignitas.*

1. *Conſulatus.* Cum Antonius ab Auguſto ad Mutinam victus eſſet, A. M. 3929. quadringentos milites Auguſtus Romam ad Senatum miſit, per quos Conſulatum petiit. Quem cum ei negaret Senatus, Corn. Centurio Princeps legationis, rejecto Sagulo, manu gladium, quem gerebat, attigit, & incuria dixit; *Niſi vos* P. C. *Cæſarem Conſulem facietis, hic eſt facturus.* Huic *Cicero* reſpondit: *Si ita*, inquit, *Conſulatum petitis, eum habebit. Sueton. Dion in Auguſt.* §. 2. Et hunc primum Conſulatum iniit Auguſtus, pridie ſui natalis, exeunte anno 20: quod nemini antea contigit. In univerſum autem Auguſtus decies ter Conſul erat; ſicut *Sueton. in Auguſt.* §. 26. ſcribit. Ultimus Conſulatus Auguſti, quem geſſit anno M. 3970. felix fuit, qui incidit in conceptionem & nativitatem Chriſti, à qua capiunt initium narrationes Sacræ N.T. libris expoſitæ.

2. *Triumviratus.* Octavianus Conſul deſignatus, pace cum Antonio Lepidoque facta, in Inſula quadam prope Bononiam convenerunt, ibique Imperium Romanum tanquam hæreditatem paternam inter ſe diviſerunt, & conſtituerunt, ut *Triumviri* eſſent Reipubl. conſtituendæ cum ſummo Imperio in quinquennium. In qua diviſione Antonio Aſia; Lepi-

Lepido Africa; & Octaviano Europa eſt tributa. In illo conventu tabula proſcriptionis facta eſt, qua ſinguli hoſtes ſuos perſecuti ſunt: Antonius Ciceronem, conſentiente Auguſto, quanquam invito, è medio ſuſtulit: Antonius percuſſori Ciceronis Popilio Centurioni (quem in cauſa capitis olim defenderat Cicero, & in vita conſervaverat) pro navata opera dedit decies ſeſtertium, h.e. 25000 Coronatorum: Poſtea Auguſtus & Antonius Cæſaris interfectores Brutum & Caſſium perſecuti ſunt, eoſque in campis Philippicis Theſſaliæ vicerunt; Qui deſperatione fracti ſe ipſos jugularunt, iiſdem gladiis, quibus Julium Cæſarem confoderant.

III. *Duumviratus.* Fugato, fuſoque Sexto Pompeio, comperit Auguſtus, M. Lepidum unum ex Triumviris occulta pacta cum Pompeio feciſſe: quare Lepido bellum intulit: Qui victus, atque ab exercitu ſuo derelictus, abrogato Triumviratus honore, ſupplex ab Auguſto vitam impetravit, relegatuſque in perpetuum. Inde Auguſtus & Antonius, excluſo Lepido, Imperium inter ſe partiti ſunt, ut ille Occidentem, hic vero Orientem occuparet. A.M. 3936.

IV. *Monarchia.* Tandem Antonius à *Fulvia* ſuperbiſſima uxore inſtigatus, adverſus Auguſtum denuo ſurrexit: Qui ab Auguſto in pugna Actiaca navali prœlio fuſus, fugatuſque ſe ipſum confodit. Poſt quam pugnam Monarchia ad Auguſtum translata eſt, quam ille 44 annos ſolus adminiſtravit. Hactenus enim cum Antonio imperaverat 12 annos.

AXIOMA I.

Omnis poteſtas ſumma impatiens eſt conſortis, nec facile inter duos ejuſdem Reipubl. Reges convenit.

Nam pulchre inquit *Seneca*: Nec regna ferre ſocium, nec tædæ queunt.

Exempla.

1. *Julius Cæſar Bibulum* Collegam ſuum in Conſulatu prorſus repudiavit, ſicut in *Hiſtoria Jul. Cæſ.* diximus.

2. Poſt mortem Julii Cæſ. partiti ſunt Imperium *Auguſtus, Lepidus* & *Antonius*: Sed cum Collegæ conarentur Auguſtum excutere, ipſe, reliquis devictis & partim interfectis, partim relegatis, ſolus Imperium obtinuit. *Dion* de Triumviratu Auguſti, Antonii, & Lepidi ita ſcribit: Difficile erat tres aut duos viros æquali dignitate ſublimes, cum bello tantas res adepti eſſent, concordiam ſervare.

AXIOMA II.

Optimus ſtatus Regnorum & Rerumpubl. & minime mutationibus obnoxius, eſt Monarchia temperata Ariſtocratia.

Huc pertinet illud *Homeri Iliad. γ.*

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.

Haud bonum multorum dominatio, unus Dominus eſto, unus Rex. Quem verſum Auguſtus Cæſar venuſte correxit hunc in modum:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκαισαρίη.
Non eſt bona multitudo Cæſarum.
Noxia res plures Domini; Rex unicus eſto.
Multos imperitare malum eſt; Rex unicus eſto.
Non bene turba regit populum; Rex unicus eſto.

V. *Tribunitia poteſtas perpetua.* Hanc accepit Auguſtus A.M. 3949. ab U.C. 730. ætat. 40. 27. Junii. *Sueton. in Auguſt.* §. 28. Hoc ſummi faſtigii vocabulum Auguſtus reperit, ne Regis aut dictatoris nomen aſſumeret, & tamen aliqua appellatione Imperia cætera præemineret. *Tacitus.*

TERTIO. *Actorum in Imperio publicorum Qualitas.* Cum Auguſtus Imperator bellis civilibus per 12 annos geſtis, finem impoſuiſſet, & totum fere orbem terrarum pacaſſe videretur, ita ut templum Jani clauſiſſet, conſilia Mecœnatis ſequutus, animum ad Rempubl. bene conſtituendam, legibuſque formandam adjecit; Sicut ipſe in quodam edicto his verbis teſtatus eſt; *Ita mihi ſalvam ac ſoſpitem Rempublic. ſiſtere in ſede ſua liceat, atque ejus rei fructum percipere, quem peto, ut optimi ſtatus author dicar; & moriens ut mecum feram ſpem, manſura in veſtigio ſuo fundamenta Reipubl. quæ jecero.* Fecitque ipſe ſe compotem voti, annixus omni modo, ne quem novi ſtatus pœniteret.

AXIOMA.

Poſt bellatores DEUS *pacificos & togatos Principes excitare ſolet, qui ornamenta pacis recte ordinent, & nervos gubernationis confirment.*

EXEMPLA.

1. DAVID fuit bellator, qui debellatis & domitis vicinis gentibus inſignem ſucceſſoribus potentiam comparavit; Ei SALOMON ſucceſſit, qui fuit Princeps pacis, & ea procuravit in regno ſuo, quæ ad pacem pertinebant.

II. De *C. Jul. Cæsare & Augusto. Julius Cæsar* insignis erat bellator, qui variis prœliis cum hostibus pugnaverat: At ipsi successit *Augustus* pacificus, qui ornamenta pacis recte ordinavit, & nervos Imperii confirmavit.

I. ACTA JUDICIALIA.

Quod *Acta Judicialia* Augusti Imperatoris attinet, notandum est, quod officium Magistratus sit triplex: 1. νομοθετικὸν, 2. δικαστικὸν, 3. κολαστικὸν. h. e. legislatorium, judicatorium, & vindicatorium.

PRIMO, ACTA Νομοθετικὰ, vel LEGISLATORIA.

1. *Augustus leges iniquas Roma sustulit.* Cum enim multa bellis atque seditionibus civilibus, & maxime *Lepido* & *Antonio* dominantibus, contra jus & leges constituta essent, ea omnia uno edicto sustulit, cum terminum earum legum Consulatum suum sextum statuisset.

II. *Leges sanctas, justas & aquas, inque jure naturæ, gentium & civili atque recta ratione fundatas, & ad Rempubl. Romanam, h. e. ad salutem civium, publicam & privatam accommodatas, tulit.*

In *specie* 1. *Legem* tulit de *adulteris capitali supplicio afficiendis.* Romani adulteras fœminas, quamvis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant. *Augustin. lib. 3. de C. D. cap. 5.* In quem locum annotat *Lud. Vives:* Ante Cæsarem Augustum nihil legibus in adulteros fuisse cautum; ipsum vero primum eos capitali supplicio afficiendos decrevisse. Et hoc ipsum praxi ostendit: Nam Proculum, libertum sibi carissimum, propter adulterium capitali supplicio affecit. *Suetonius in Augusto.*

2. *Leges vestiarias tulit.* Nam cum Augustus aliquando videret, Romanos peregrino vestitu delectari, sentiens quantum ea in re mali esset, cives longa oratione objurgavit, & ad togæ usum revocavit; illum *Virgilii* versum citans:

Romanos rerum Dominos gentemque togatam.

Ita Augustus Cæsar habitum, vestitumque pristinum reducere statuit, negotiumque dedit Ædilibus, ne quem posthac paterentur in foro circoque, nisi positis lacernis, togatumque, consistere. *Petr. Greg. Tholos. lib. 4. de Republ. cap. 11.* Edixit quoque Augustus, ne quisquam nisi Senator, quique in Magistratu esset, purpuram gestaret, quam jam vulgo gestari videbat. Ita *Julius Cæsar* conchyliatæ vestis & margaritarum, nisi certis personis & ætatibus, perque certos dies, usum ademit. Idem *Gregor. Tholos.*

III. *Nullas leges sine consensu populi ferre voluit.* Nam licet Augustum Senatus legum vinculis decreto liberasset, si quas tamen leges condebat, non suo unius consilio, sed populi consensu scribebat. Præterea consultabat de multis rebus cum Consulibus & Optimatibus, & cum sibi semestria consilia sortiri instituisset, cum iis de negotiis ad frequentem Senatum referendis ante tractabat: Habebat eo in consilio quindecim Senatores, mox etiam XX sorte ductos, sed inter cæteros eminebant doctrina & usu rerum insignes, Trebatius J. C. & Agrippa ipsius gener, Doctorumque præsidium Mecœnas. Ita regnum Augustus salubri temperamento cum Republ. miscebat.

IV. *Venalitatem Magistratuum prohibuit.* Nam pulchre inquit *Cicero*, eloquentiæ Romanæ parens; Nullum vitium est terrius, quam avaritia, præsertim in Principibus, & Rempubl. gubernantibus. Habere enim quæstui Rempubl. non modo turpe est, sed etiam sceleratum & nefarium. Tale etiam fuit consilium Jethronis Mosi datum *Exod. 18. v. 21.* Provide de omni plebe viros strenuos & timentes Deum, in quibus est veritas, & qui oderunt avaritiam. Unde patet, quod summus Magistratus non pecuniam, sed virtutes in Magistratibus inferioribus spectare debeat. Nam declinantis Imperii manifestum notatur signum à *Vopisco* in *Aureliano*: quod sub eo officia annalia esse cœperint, neque data fuerint hominibus sed divitiis.

V. *Calendarium emendavit.* Nam illud vitiosa Pontificum intercalatione depravatum erat, ideoque illud emendare studuit, & 12 annos proximos qui absque intercalatione inserti erant, exemit: Sextilem etiam mensem Augustum ex Senatus consulto nominavit. *Macrobius lib. 1. cap. 23.* Quia enim Augustus primum Consulatum in Sextili mense iniit, tres triumphos eodem mense egit, & Ægyptus hoc mense in potestatem Romanorum redacta est, atque ita Augustus felicissimus extitit. Ideo placuit Senatui, ut hic mensis Augustus appellaretur. Unde Æra singulorum annorum ab Augusto constituta est.

NOTA I.

Vox Æ R Æ tripliciter accipitur.

1. *Botanice* pro herba triticum enecante, quæ apud nos Lolium dicitur, ut inquiunt *Dioscorides*, & *Plinius lib. 18. cap. 17.*

2. *Numismatice.* Sic æra est numeri nota in Moneta, qua ejus pretium designabatur. *Lucil.* Hæc est ratio perversa, æra numeri subducta improbe.

3. *Astrologice.* Sic Astrologi temporis initium, à quo supputationes incipiunt, Æram vocant. *Calius Rhodigin. lib. 10. cap. 2.*

NO-

NOTA II.

Æra ſingulorum annorum conſtituta eſt ab Auguſto Imperatore, quando primum cenſum exegit, ac Romanum orbem deſcripſit. Dicta eſt autem ÆRA ex eo, quod omnis orbis Æs reddere profeſſus eſt Reipubl. Romanæ. ſicut inquit *Iſidorus lib. 5. cap. 36.*

Geneſius Sepelveda ita ſcribit: Veteres, inquit, initio Scripturas claudentes, tempus ad hunc modum aſcribebant: Acta fuerunt hæc, exempli gratia, Cordubæ Calend. Maii, Annus erat Auguſti Cæſaris 150. Deinde brevitatis cauſa ſic verba ad annum pertinentia ſignabant:

A. ÆR. A. CÆS.

Initia duntaxat verborum punctis diſtincta: pro totis verbis notantes, veruſtiſſimo properantium librariorum more: poſtea librariorum tabellionumque temeritate & inſcitia, abiatis punctis, ſcribi cœpit; ÆRA CÆS. Quo errore latius ſerpente, quævis annorum ab aliquo velut capite deducta ratio, primum ab Hiſpanis, inde à cæteris Aſtrologis, Æra vocari cœpit: *Hæc ille.*

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

Nos ita ſtatuimus. A. ER. A. non eſt una vox, ſed plures. è quibus male combinatis & confuſis, unum fecerunt Hiſpani vocabulum. Siquidem Hiſpanorum fuit conſuetudo annos ab Auguſto Cæſare, Jubi Cæſaris ſucceſſore, repetendi: e. g. Acta hæc ſunt primo Calend. Januar. Annus erat Auguſti quintus. Deinde vero brevitatis gratia principia duntaxat verborum ſcribebant, ſed punctis juncta, hunc in modum: A. ER. A. V. Annus erat Auguſti quintus. Verum poſteriorum inſcitia & ſocordia factum eſt, ut omiſſis punctis eædem literæ, velut in unum verbum, cujus prima litera eſſet Æ, ſcriberent confuſe ÆRA.

NOTA III.

Æra alias dicitur *Epocha*, Græcis ἐποχή, ab ἐπέχω, quod inhibeo ſignificat, quaſi inhibitio & retentio, per quam, quod continuo eſt in fluxu, retinetur & figitur, ut inde reliqua menſurentur. Talis autem *Epocha* eſt *duplex.*

1. *Aſtrologica*, quæ eſt in cœleſtium motuum conſideratione.

2. *Chronologica*, vel *Hiſtorica*, quæ eſt illuſtris & certus terminus, unde annos, menſes & dies in antecedentia & conſequentia numeramus.

Et hæc *Epocha* ſive *Æra* rurſus duplex eſt; *Eccleſiaſtica* & *Politica.*

1. *Epocha*, ſive *Æra Eccleſiaſtica*, in hiſtoriis ſacris & Eccleſiaſticis obſervatur. e. g. *Epocha*, ſive Æra *mundi conditi.* Epocha ſive Æra diluvii. Epocha ſive Æra nativitatis Chriſti.

2. *Epocha* ſive *Æra Politica* in rebus profanis, h. e. commerciis & negotiis civilibus obſervatur. e. g. eſt Epocha Olympiadum, Epocha urbis conditæ (ſc. Romæ.)

Æra Chronologica rurſus triplex eſt. 1. *Chriſtiana.* 2. *Turcica.* 3. *Perſica.*

1. *Æra Chriſtiana* à Calend. Januar. initium ſumit, ubi novus annus incipit.

2. *Æra Turcica*, ſive *Arabica*, dicitur HEGIRA. Hæc incepit A. C. 622. die 16 Julii. Conſtat annis lunaribus. Utuntur ea Alcoranus, Annales Turcici & Saraceni, Epiſtolæ Turcicæ.

3. *Æra Perſica*, dicitur *Jezdagird.* Hæc cœpit A. C. 632. die 16 Junii. Conſtat ſimiliter annis lunaribus. Meminit ejus Alfraganus, Alcoranus, Arabes, aliique.

SECUNDO, ACTA Διαγραφὴ, ſive JUDICATORIA.

1. *Auguſtus Imperator jus* dixit aſſidue, & ſæpe in noctem nonnunquam. Si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans, & non modo diligentia, ſed & lenitate ſumma. *Dion in Auguſto.*

11. *Auguſtus omnia negotia Reipubl. cum Senatu communicavit*, atque ita Monarchiam cum Republ. communicando, ſibi peperit Imperium perpetuum. Poſtulabat, ultro ſibi dari ſingulis annis à Senatu XX electos Senatores, qui ſibi a conſiliis eſſent. Præclarum & prudens Auguſti factum hoc fuit. Nam Princeps, inconſulto Senatu, nihil bene gerit. Hinc optimum quemque Principem Conſiliariis ſtipatum fuiſſe legimus: Nam vix unquam reperire licuit Rempubl. aut regnum ſine conſilio florens. *Petr. Gregor. Tholoſ. de Republ. lib. 23. cap. 4.*

111. *Publicam civitatis utilitatem & ſalutem privatæ antepoſuit.* Nam Liviæ uxori pro quodam Gallo petenti civitatem, Auguſtus negavit, immunitatem obtulit, dicens: *Se facilius paſſurum fiſco ſuo detrahi, quam honorem civitatis vulgari*: nimirum Reipubl. dignitatem anteferens privato commodo.

IV. *Perſonas impiorum non reſpexit, ſed facta eorum impia improbavit & damnavit.* Nam, cum audiviſſet, inter pueros, quos in Judæa *Herodes* Rex Judæorum infra bimatum juſſiſſet interfici, filium quoque ejus una occiſum, iratus in hæc verba erupit: *Melius eſt Herodis porcum eſſe, quam filium. Macrobius lib. 3.*

V. *Perſonas innocentes conſervavit & liberavit.* Elegans hujus rei *exemplum* habemus in *Servo Pollionis* vitrum cryſtallinum confringente. Cum enim Auguſtus apud Pollionem cœnaret, & vitrum cryſtallinum confregiſſet, illico Domini juſſu murænarum pabulo damnatus in vivarium perlatus eſt. Qui cum ducentium manus effugiſſet, ſe Auguſti pedibus provolvit, id unum petens, ut alio mortis genere periret. Auguſtus ut mortis genus cauſamque intellexit, ſolvi ſervum juſſit, omniaque Pollionis vitra cryſtallina virgula perfregit, vivariaque evertit. Nam dixit, ſe Pollioni cauſam adimere velle, ne in animi perturbationem incideret, aut in poſterum ob ejuſmodi cauſam ſervum aliquem

quem tam crudeliter perderet, qui cujuſcunque generis eſſet, in hoc ipſo, quod homo erat, pluris quam omnia, quæ terrarum orbis haberet vaſa, faciendus erat.

USUS.

Pulchrum *Juſtitiæ* exemplum h. l. habemus in Auguſto. Quo commode referri poteſt locus ex *Pſal.* 82. *v.* 3, 4. Judicate egeno & pupillo, oppreſſum & pauperem juſtificate: Eripite pauperem, & egenum de manu impii liberate.

TERTIO, ACTA Κολακικὰ, ſive VINDICATORIA.

Auguſtus velut juſtus Princeps ſuum cuique tribuit, bonis præmia, & malis multam impoſuit, pœnaſque inflixit.

Exempla.

1. A. M. 3929. in Græciam profectus *Lacedæmonios* reditibus auxit, quod Liviam olim in exilio humaniter recepiſſent; contra Athenienſes mulctavit, & quod Antonium nimium eſſent amplexi, ipſis Æginam & Erythræam eripuit. *Dion in Auguſto.*

II. Cum *Vedius Pollio* mortem obiiſſet, qui habuerat murænas, quæ humana carne veſci didiciſſent, quibus & mancipia morti addicta objiciebat. Is Auguſto multa legavit, ſed hic ædes Pollionis funditus evertit, ne monumentum illius ſævitiæ exſtaret. *Dion in Auguſto* §. 15.

III. *Auguſtus non ſemper ἀκριβοδίκαιον exercuit; ſed ſæpe* etiam *ἐπιείκειαν* adhibuit, & clementiam erga delinquentes uſurpavit.

Exempla.

1. DOMESTICUM. Cum Auguſtus 40 annos eſſet natus, profectus eſt in Gallias, ibi ei nunciarunt, L. Cinnam, nobilem Romanum, nepotemque Pompeii M. cui antea etiam incolumitatem largitus fuerat, ipſius vitæ inſidiari: Simili modo indicarunt, quando & quomodo eum invadere vellet, (ſcilicet inter ſacrificandum) quare ipſum quidam exilio damnarunt. At interim dum Auguſtus varias ſententias audivit, ingreſſa eſt uxor ejus *Livia*, eum hiſce verbis admonens: Fac, ὦ Auguſte, quod & Medici ſolent, qui, ubi uſitata remedia non poſſunt adhibere, tentant contraria: ſeveritate adhuc nihil profeciſti, ignoſce: Cinna deprehenſus, vitæ tuæ non poteſt nocere, famæ prodeſſe poteſt. Itaque Auguſtus protinus Cinnam juſſit vocari ad colloquium, venienti etiam alteram cathedram poni juſſit, ac ita loqui incepit: Unicum hoc te oro, ne inter loquendum me interpelles, verum ad finem audias: Ego iterum te audiam. Quo impetrato, omnia beneficia Cinnæ exhibita ordine narravit. Quod eum in caſtris hoſtium non necaverat, totumque patrimonium ei viciſſim reddiderat, & præterea in ſummum ſacerdotem ordinaverat. Quare interrogavit, quid tibi feci, ut me è medio tollere velles? Obſtupeſcente Cinna Imperator concionem ſuam monitoriam ita finivit: *Vitam tibi, Cinna, iterum do, prius hoſti, nunc ut inſidiatori ac parricidæ: Ex hodierno die incipiat inter nos amicitia; contendamus deinceps, utrum ego meliori fide vitam tibi dederim, an tu mihi debeas?* Obtulit ei inſuper Conſulatum. Qua re id conſecutus Auguſtus eſt, ut non modo habuerit poſtea Cinnam fideliſſimum, ſed & hæres unicus ab eo ſit nuncupatus. Hæc *oratio* exſtat apud *Senec. lib.* 1. *de Clement.*

2. EXOTICUM. De Caracotta latronum Principe, erga quem Auguſtus etiam clementiam exercuit. Nam Auguſtus decies ſeſtertium promiſerat iis edicto, qui Caracottam latronum in Hiſpania Ducem ad ſe deduceret. Caracottas, re int ellecta, ſe ipſum ſponte Auguſto obtulit, ac præmium ex edicto popoſcit: Auguſtus & veniam illi, & pactum præmium dari juſſit, ne aut mercede promiſſa vitam eripuiſſe, aut publicam ſecuritatem violaſſe videretur adverſus eum, qui ſponte ſe ipſum judicio ſtiterat, tametſi jure damnare ac ſupplicio afficere latronem potuiſſet. His illecebris prædonum Duces ad ſanitatem perducere laudabile eſt, ne extrema deſperatione coacti, in Rerump. ſtatus invadant, ſed potius latronum copias ipſimet evertant. Hinc *Bodinus lib.* 1. *de Republ. c.* 1. §. 2, 3. recte monet, quando inquit: Prædonum, qui vocati vel invocati in jus veniunt, & Magiſtratuum Imperia ſponte ſubeunt, rationem in judiciis haberi æquum eſt, cum eo ipſo jam deſierint eſſe prædones.

OBSERVATIO.

Auguſtus Cæſar incredibili prudentia Rempubl. Romanam gubernabat, frequentia inſtituebat judicia, atque damnatorum pœnas initio graviter ac modeſte, atque interdum acrius ferebat, quam qui plectebantur: (uti *Seneca* ait *lib. de Ira*) quia tamen in judiciis adeo frequens erat, ut ſæpiſſime damnare neceſſum haberet, ſeverior fiebat. Itaque cum Mecœnas familiaris ac domeſticus illum pro tribunali quamplurimos variis ſuppliciis addicere animadverteret, & iracundia quadam flagitioſorum multitudine permoveri, nec tamen ob judicii

dicii frequentiam illum convenire poſſet, ad eum ſcripſit hæc verba. Tandem aliquando ſurge, carnifex. Deinde quaſi aliud ſcriptum eſſet, ſchedam ei in ſinum conjecit. Ibi Auguſtus, nemine capitis condemnato, ſurrexit; & ut iram liberius exſultantem cohiberet, judicium ſolvit. *Dion in Auguſto* §. 16. *Conf. Senec. lib. de Ira.*

II. ACTA MILITARIA.

Circa Acta militaria veniunt conſideranda *diſpoſitio militum præſidiaria*, & *militaris diſciplina*. Cum ad Actium promontorium copiis omnibus & opibus imperii maximis pugnatum eſſet, Auguſtus adepta victoria 40. legiones in provincias Imperii, ac potiſſimum in fines potentiſſimarum gentium diſperſit, ut aſſidue militari diſciplina ab urbe removeret. Qua diſciplina tandem ſtetit Imperium Romanum quoad Conſtantinus Pontificum oratione perſuaſus, legiones illas ac robur Imperii plane ſuſtuliſſet. Mox enim ſublata militari diſciplina barbaræ gentes provincias omnes Romanorum populari ac vaſtare cœperunt. Vide *Bodin. l. 5. de Republ. p.* 881. Unde patet quod milites illi præſidiarii, quos conſtituit Auguſtus, firmamentum Imperii Romani fuerint.

III. ACTA PECUNIARIA. ſive ÆRARIUM MILITARE.

Auguſtus, cum ei magna pecunia opus eſſet ad alendos tot exercitus, ærarium militare inſtituit, cujus adminiſtrationem mandavit tribus Prætoribus; utque ſufficeret, vigeſimam partem hæreditatum & bonorum juſſit in hoc ærarium inferri. *Dion in Auguſto.* §. 18.

Hæc autem penſio vigeſima multis erat moleſtiſſima, & videbatur motura ſeditionem: nec tamen commodiorem rationem inire poterat Auguſtus. Ideo Senatum jubet hac de re deliberare: Interim dimittit, qui deſcriberent omnium Senatorum prædia & bona; hinc ſibi moleſtiorem penſionem metuentes, vigeſimam approbant. *Dion ibidem.*

AXIOMA.

Pecunia eſt nervus belli.

Sicut enim ſine nervis homines ambulare poſſe, Medici negant: *Petronius in Satyr.* Ita quoque Politici negant, ſine pecunia bellum geri poſſe: Quare prudenter fecit Auguſtus, quod ærarium militare inſtituerit, ut tot exercitus conſervari poſſent. Ob defectum namque nummorum ſæpius arma de manibus excutiuntur, aut frigide tractantur, inquit *Imperator Juſtinianus in Novell.* 8. *cap.* 10. §. 2.

IV. ACTA FRUMENTARIA.

Annonam Auguſtus diligenter curavit. Nam cum ingens fames Romæ exorta eſſet, Auguſtus eam frumento dato, & frugalitate indicta ſublevavit: Præterea gladiatores & ſervos venales expelli juſſit ab urbe ultra 94000. paſſuum: Auguſtuſque & ceteri magnam famulorum ſuorum partem dimiſerunt. *Dion* §. 18.

V. OPERA MECHANICA, ſive ÆDIFICIA.

Auguſtus, quoniam noverat duas eſſe omnium Rerumpubl. peſtes antiquiſſimas, nempe *inopiam* & *inertiam*; ideo parta pace, ut populum in officio contineret, locupletiſſimos quoſque ad ædium conſtruendarum æmulationem invitabat, eoſque opibus & honoribus cumulabat, qui urbem ædificiorum magnificentia exornarent: ipſe publica ædificia, nempe ædes ſacras aut vetuſtate collapſas, aut incendio abſumtas refecit: *Pantheon* templum ædificavit, ita dictum, quod forma convexa faſtigiatum cœli ſimilitudinem referret, quod templum etiamnum Romæ exſtat, & *Maria rotunda* appellatur. De novo quoque ædificavit *templum Quirini*, idque columnis 76. exornavit. Hoc præſagium fuit, ut ipſe etiam annos 76. victurus eſſet: Ideoque columnæ pro omine vitæ Auguſti poſtea habitæ ſunt. *Dion in Auguſto.* §. 15.

Imo urbem Romam neque pro majeſtate Imperii exornatam, & inundationibus, incendiiſque obnoxiam excoluit adeo, ut jure ſit gloriatus; *Romam*, quam acceperiſſet lateritiam, relinquere ſe marmoream. *Suetonius in Auguſto* §. 29. *Eraſmus in Apophthegm. lib.* 4.

VI. MONETA.

I. Auguſtus in numiſmatis CAPRICORNUM excudi juſſit, quia in ſigno Capricorni natus erat, ut in cap. 1. diximus: Quo ſignificare voluit, ſecundam Fortunam ſummamque felicitatem ſuam, qua ſemper uſus eſt: *Pier. Valer. lib.* 45. *pag.* 445.

II. Idem Auguſtus, devicta Ægypto, *auream Monetam* cudi curavit, in qua expreſſa fuit imago Crocodili catena ferrea palmæ alligati, cum hac inſcriptione: *Colligavit nemo.* indicans, neminem Ægyptum ſubjugare potuiſſe, quod à ſe ſolo factum ſit. Et verius hoc ipſum de Chriſto noſtro cœleſti Auguſto dici poteſt: Ipſe enim eſt victrix illa palma; ipſe Ægyptum, h. e. Mundum, carcerem

tenebrarum paſſione ſua vicit, & Crocodilum infernalem Principem Mundi victum catenis tenebrarum ligavit, *Luc.* 11. & Giganti prædam eripuit, *Jeſai.* 49. quod ante ipſum nemo præſtare potuit.

VII. ANNULI SIGNATORII FIGURA.

In diplomatibus, libelliſque & Epiſtolis ſignandis, initio *Sphinge* loco ſigilli uſus eſt; ſicut *Suetonius in Auguſto* §. 50. refert: Verum cum Auguſtus dicteriis laceſſeretur (teſte *Plinio*) propter difficultatem ænigmatum, quibus ejus Sphinx interdum erat inſtructa, nato inde proverbio: Mirum non eſſe, ſi renata Sphinx adferret ænigmata: poſtea repudiavit, & ut Alexander M. confirmato Imperio, ſua genuina imagine, *Dioſcoridis* manu ſculpta, uſus eſt; teſte *Suetonio*.

NOTA.

Duplex uſus Annulorum apud Romanos potiſſimum fuit.

I. *Annuli* erant ſignum *autoritatis & poteſtatis*. Sic *Dion* ſcribit in Auguſto, Mecœnatem & Agrippam in tanto honore ab Auguſto habitos, ut quaſcunque ille literas ad Senatum vel alios mitteret, ipſi perlegerent, & iis, quæ vellent, immutatis, annulo, quem hoc fine ab ipſo acceperant, obſignarent: Sicut poſtea *Mutianus* nomine Imperatoris Veſpaſiani edicta formabat, eaque Sigillo, quod Imperator ei hunc in uſum conceſſerat, pro arbitrio obſignabat. *Xiphilin. in Veſpaſ.* Ita quoque in V. T. legimus, quod *Pharao* Rex Ægypti annulum ſignatorium de manu ſua detractum Joſepho dederit: idque fuit ſignum ſummæ poteſtatis, ut nomine Regis decreta regni formata obſignaret. *Gen.* 41. *v.* 42.

II. *Annuli* erant *ſignum honoris & dignitatis*. Quia apud Romanos ordo Equeſtris à plebe annulorum inſigni diſtinguebatur. Hoc namque jus annulorum ſolis ingenuis concedi ſolebat à Magiſtratibus & ante tempora Auguſti. Hic primus eodem honore inſigniviſſe legitur *Menam* & *Antonium Muſam* libertos: *Menam* quidem ob id, quod Sext. Pompeio relicto, ad Auguſtum cum claſſe & exercitu confugiſſet. *Dion in Auguſto* §. 48. *Verba ejus hæc ſunt.* Cæſar *Menam* libentiſſime accepit, neque dedidit Pompeio poſtulanti, & magno inſuper in honore habuit, annuliſque aureis decoravit, & in equeſtrem ordinem aſſcripſit. *Antonium Muſam* vero, quod ejus opera ex ancipiti morbo convaluiſſet. *Dion in Auguſto* §. 53. *Zonaras lib.* 11.

ACTA SAGATA.

Octavianus Auguſtus quinque *bella civilia*, & *duo bella* externa geſſit. *Suetonius in Auguſto.*

PRIMO BELLA CIVILIA.

I. BELLUM MUTINENSE.

1. ORTUS. Auguſtus, cognita Jul. Cæſ. Avunculi ſui cæde, Apollonia, ubi literis & militaribus diſciplinis operam dabat, ſubito Romam rediit, ut necem Avunculi ſui vindicaret, actaque tueretur. *Suetonius in Auguſto* §. 10. Statim autem, poſtquam à *Calpurnia* Cæſaris uxore cognovit, cum pecuniam & acta Cæſaris in domum Antonii tranſtuliſſe, adiit M. Antonium tunc temporis Conſulem, atque pecuniam ab eo repetiit, utque ſibi adverſus Avunculi percuſſores adeſſet, amice petivit. Verum Antonius ſuperbe & contumelioſe eum repulit. Cujus injuriæ atque contumeliæ impatiens animus Auguſti generoſus, arma ipſe contra *Antonium* paravit, ſibique veteranos milites adjunxit, quibus acceſſerunt etiam tres aliæ legiones: Antonius autem relicta Macedonia, quam decreto Senatus regendam acceperat, in Galliam tendit cum exercitu, atque Decium Brutum in Gallia Proconſulem in urbe Mutina obſedit: Quibus cognitis, Senatus Octavianum Proprætorem conſtituit, eique *Hircium* atque *Panſam* Conſules adjunxit, ut nomine & authoritate Senatus bellum contra Antonium gereret. Et hæc fuit belli hujus occaſio.

2. PROGRESSUS. In hoc bello *Hircius* in acie, *Panſa* vero paucis diebus, itidem ex vulnere mortuus eſt: Auguſtus vero prælio reſtaurato, & Antonio fugato, ſolus victores exercitus occupavit. *Suetonius in Aug.* §. 11.

3. EGRESSUS. Hoc bello confecto, Octavianus, Antonius & Lepidus tanquam Triumviri Rempubl. Roman. velut patrimonium inter ſe diviſerunt. In qua diviſione Antonio Aſia; Lepido Africa; Auguſto Europa eſt tributa.

II. BELLUM PHILIPPENSE.

Deinde Auguſtus & M. Antonius ingenti cum exercitu in Macedoniam contra Brutum & Caſſium proficiſcuntur, ubi ad urbem Philippos (unde hoc bellum Philippenſe dicitur) acerrimo prælio pugnatum eſt. Tandem in eas anguſtias redacti ſunt Caſſius & Brutus, ut ille αὐτόχειρ factus, hic vero à Stratone fugæ comite confoſſus ſit. Et quod notandum, iiſdem illi gladiis, quibus Cæſarem confoderant, jugulati interierunt. Hoc bello finito, Auguſtus in Italiam rediit, Antonius vero in Aſiam.

III. BELLUM PERUSINUM.

Inter Auguſtum & L. Antonium, M. Antonii fratrem.

1. ORTUS. Occaſionem huic bello dedit agrorum diviſio, de qua contentio inter Auguſtum & L. Antonium orta eſt. Nam Auguſtus ſecundum pactum, quod cum M. Antonio finito bello Philippenſi fecerat, omnibus ſuis, Antoniique militibus, agros dividere volebat, ut eorum ſibi animos benevolentia obſtringeret. At contra L. Antonius & *Fulvia*, M. Antonii coniux, martiali ingenio prædita,

dita, partem militibus ſuis competentem aſſignare volebant: Et hæc diſcordia tandem in apertum bellum erupit.

2. PROGRESSUS. Fulvia inventrix hujus belli omni militari atque Imperatorio munere functa, Prænestе oppidum occupavit: Auguſtus vero L. Antonium, quaſi ad bellum aliquod ex S. C. urbe proficiſcentem, atque in Galliam contendentem, in itinere intercepit, ac Peruſiæ in Hetruria concluſit, diuque obſedit: Tandem fame ad deditionem coëgit, veniamque petenti dedit: Atque ita ſine ſanguine bellum hoc confectum eſt A. U. C. 713.

3. EGRESSUS. Hoc bello confecto, M. Antonius à Fulvia uxore ſua, inquieti turbulentique ingenii fœmina inſtigatus, Auguſto amicitiam renunciavit. At mortua Fulvia, armis utrinque poſitis in gratiam redierunt, utque pax firmior eſſet, Auguſtus Octaviam ſororem ſuam Antonio in uxorem dedit, atque belli ſocietatem contra Sext. Pompeium iniverunt.

IV. BELLUM SICULUM.

Geſtum inter Auguſtum & Sextum Pompeium.

1. ORTUS. Bello huic occaſionem dedit Sext. Pompeius, Pompeii M. *filius*, quia undique proſcriptos à Triumviris & fugitivos ad ſe receperat, omniaque maria latrociniis infeſta reddiderat, atque annonæ ſubvectiones impediverat, unde urbs per annos aliquot fame preſſa fuit: Et licet Auguſtus & Antonius juxta S. C. pacem cum eo feciſſent; tamen ille pace fracta, denuo latrociniis commercia impedivit. Quare Auguſtus bellum contra eum ſuſcipere eſt coactus.

2. PROGRESSUS. Agrippa Dux Auguſti Pompeium duobus prœliis navalibus vincit: eumque ex Sicilia pellit. *Dion.*

3. EGRESSUS. Pompeius ab Agrippa victus ex Sicilia fugit, ut Lesbi hybernaret. Ubi cum audiviſſet Antonium adverſa fortuna in Parthia uſum eſſe, ſpem concipit, ſe ejus Imperium facile ad ſe tranſlaturum, atque ad ſocietatem & auxilia varios Reges ſollicitare cœpit. Verum à M. Titio Antonii Legato captus, juſſu Antonii occiſus eſt anno ætatis 40. U. C. 718. Fugato occiſoque Pompeio, comperit Auguſtus M. Lepidum occulta cum Pompeio pacta feciſſe. Victus itaque Lepidus & Auguſto ſupplex factus, vix vitam impetrat, & Triumviratu ſe abdicare cogitur.

V. BELLUM ACTIACUM.

Inter Auguſtum & M. Antonium Duumviros.

1. ORTUS. Antonius, inſano Cleopatræ amore correptus, Octaviæ uxori ſuæ, & Auguſti ſorori, ſine cauſa libellum repudii dat, eamque ſibi cum muneribus in Aſia occurrentem Romam remittit, & in Ægyptum reverſus, poſtquam Armeniam fraude doliſque occupaſſet, Cleopatram Reginam Reginarum appellat, ejuſque liberis Cyprum, item Syriam omnem cis Euphratem, Africam item & Armeniam largitus eſt, poſtulavitque hæc Romæ rata haberi, cumque Medorum Rege ſocietatem armorum jungit contra Auguſtum. Hæc cum Romæ in Senatu publice proponerentur ab Auguſto, & teſtamenti Antoniani tabulæ (quæ apud Veſtales aſſervabantur) recitarentur, in quibus Cæſarionem vere Cæſaris ex Cleopatra filium teſtabatur, & filiis ſuis ex Cleopatra natis ingentia munera legabat, ſeque in Ægypto cum Cleopatra ſepeliri jubebat. Senatus Romanus hiſce rebus vehementer offenſus, bellum contra eum decrevit, eumque hoſtem declaravit. Apparatur igitur magno conatu bellum; Cæſar totum Occidentem contra Antonium: & Antonius cum Cleopatra totum Orientem contra Auguſtum armavit. Nam Auguſtum adjuvant Italia, Gallia, Hiſpania, Illyricum, Africa, Sardinia, Sicilia, & Inſulæ his vicinæ: Contra vero adſunt Antonio, Aſia, Thracia, Græcia, Macedonia, Ægyptus, Cyrenaica, & Reges inſulæque propinquæ. *Dion.*

2. PROGRESSUS. Auguſtus primo vere, aſſumtis ſecum Senatoribus præcipuis, cum exercitu trajicit in Græciam: Ei occurrit Antonius & Cleopatra ad Actium Epiri promontorium. (unde etiam hoc bellum *Actiacum*, vel pugna *Actiaca* dicitur.) Cum dubio Marte ad aliquot horas pugnaſſent, Cleopatra ancipitis prœlii exitus exſpectatione & ſollicitudine victa, prior cum 60 velociſſimis navibus in Ægyptum fugit. Antonius ſuos fugientes conſpicatus, cum victos crederet, & ipſe fugientem uxorem, relicto exercitu, fugiens ſequitur. Auguſtus relictam claſſem, cum propter magnitudinem navium eam expugnare non poſſet, igne cremavit, hoſtium caſtra cepit & diripuit, & exercitum cum navibus miſit, qui fugientes perſequerentur: Ipſe vero Romam rediit ad res ordinandas, ne qui motus in urbe exorirentur.

3. EGRESSUS. Poſt annum in Ægyptum reverſus, ambos Alexandriæ obſidet, & cum Auguſtus prœliis terra marique ſuperior eſſet, Antonius ab omnibus deſertus, in ſumma rerum deſperatione,

ne, ubi apud Cæſarem iratum gratiam invenire non potuit, falſo rumore Cleopatræ occiſæ perculſus αὐτόχειρ periit, in urbe Alexandria, anno ætatis 56. *Dion* plenius hæc deſcribit, hiſce verbis; Cleopatra primum, quaſi mortis conſciſcendæ cauſa in monumentum inſiliit; quod verum putans Antonius, ſibi ipſi vim intulit, & in ſinu Cleopatræ mori voluit. Quod Cleopatra ad Auguſtum nunciavit, ſeque & Regnum dedidit Auguſto, & cum metueret ſuperbiſſima fœmina, ne in triumpho duceretur, aſpidis morſu periit, anno ætat. 39. Regni 22. & regio funere cum Antonio juſſu Cæſaris Auguſti ibidem ſepelitur. Poſt mortem Antonii & Cleopatræ Auguſtus totam Ægyptum occupavit, inque provinciam redegit, & Romanis tributariam fecit, eique *Cornelium Gallum* præfecit A. M. 3942. Atque hic eſt finis Regni Ægyptiaci: quod à morte Alexandri duravit annis 294. uti *Ptolemæus* annotavit.

ΠΑΡΕΠΟΜΕΝΑ.

I. *Tributi Impoſitio.*

1. Auguſtus Ægyptiis devictis tributum impoſuit 200000. modiorum frumenti, h. e. quater decies fere centena millia modiorum Lipſienſium: Modius autem Lipſienſis pendit 200. libras, quibus, ſi ſingulis diebus, ſingulis hominibus detur libra panis, ſuſtentari potuerunt annuo ſpatio Romæ, plus quam 700000 hominum. *Aurelius Victor.*

II. *Triumphi.*

Auguſtus quintum Conſul, bellis civilibus finitis, triumphos egit: Nam anno 34. Imperii victor Romam rediit, & menſe Sextili triduo triumphum egit cum maximo omnium civium applauſu & lætitia. *Macrob.*

Primo die triumphavit de Pannoniis, Dalmatis & Gallis.

Secundo die triumphum navalem egit de Antonio ad Actium cæſo, quem Actiacum vocavit triumphum.

Tertio die triumphum egit de Ægypto, qui omnium ſplendidiſſimus fuit, in quo Reginæ Cleopatræ imago ad vivum expreſſa, cujus ſiniſtro brachio aſpis mordicus affixa hærebat, perlata eſt. *Plutarchus.*

Ante currum vero inter cæteros captivos duxit Cleopatræ liberos gemellos Alexandrum, cui Solis: & Cleopatram, cui Lunæ nomen inditum erat.

De hoc triplici triumpho *Virgilius lib. 8. Æneidos* ita canit:

At Cæſar triplici invectus Romana triumpho
Mœnia, Diis Italis votum immortale ſacrabat.

Pictum quoque *Crocodilum* catena aurea palmæ alligatum in hoc triumpho circumtulit, cum hac inſcriptione; Ante me colligavit nemo. Spiritualiter hoc ipſum ad Chriſtum, qui ſub Auguſto natus eſt, accommodari poteſt: Hic enim ſolus Diabolum, Crocodilum ſive ſerpentem infernalem vicit, & è tenebrarum regno nos liberavit, deque eo in aſcenſione in cœlos glorioſum triumphum duxit; ſicut D. Paulus inquit, *Coloſſ. 2. v. 15.* Chriſtus exſpolians principatus ac poteſtates, ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ, oſtentavit palam, θριαμβεύσας αὐτὸς, hoc eſt, triumphans de illis per ſe ipſum, *v. 17.* Et nos ſimul ſecum vivificavit, condonans nobis omnia delicta.

III. *Agon Actiacus.*

Agon Actiacus inſtitutus eſt ab Auguſto, qui quinto quoque anno, quemadmodum Olympiades, celebraretur: iſque non tantum in uſu fuit tempore *Dionis*, ut ipſe affirmat; ſed etiam poſterioribus ſeculis circa annum Chriſti 438. ſicut *Sigebertus* ſcribit.

IV. *Templum Iani clauſit.*

Auguſtus quoque, cum nullibi bella amplius reſtarent civilia, templum Jani clauſit, quod ab urbe condita tertio tunc clauſum eſt.

V. *Encomia Auguſti.*

Octavianus conſervata Republ. à S. P. Q. R. Pater patriæ; ex ſententia etiam Munatii Planci, *Auguſtus* appellatus eſt anno ætatis 36. *Velleius Paterculus* ita ſcribit: Cum Auguſto redeunte, finita ſunt bella civilia, ſepulta externa, revocata pax, reſtituta vis legibus, authoritas judiciis, ſenatuique Majeſtas: rediit cultus agris, ſacris honos, ſecuritas hominibus, certa cuique ſuarum rerum poſſeſſio. *Hæc Velleius.* Ita poſt victoriam Actiacam, imperium Romanum ad unum Cæſarem Auguſtum eſt tranſlatum; Verum ea fuit modeſtia Auguſti, ut Imperium S. P. Q. R. ſuffragiis ad ſe delatum deponere voluerit. Quod cum per S. P. Q. R. minus liceret, Regium nomen repudiavit, & tribunitiam poteſtatem accepit: atque ut Prætorianos milites aleret, ad tuendum corpus ſuum duplex illis ſtipendium dedit.

II. BELLA EXTERNA.

Auguſtus *duo bella externa* geſſit.

1. *Dalmaticum* adhuc adoleſcens, in quo vulnera accepit: una acie dextrum genu lapide ictus;

altera

altera autem & crus, & utrumque brachium, ruina pontis conſauciatus. *Suetonius in Auguſto* §. 20.

2. *Cantabricum* geſſit, Antonio devicto. Cantabri vero fortiſſimæ gentes in Hiſpania difficultate locorum ſe tuebantur, & Auguſtum ita fatigabant, ut in difficilem morbum incideret, qui nihilominus tamen belli adminiſtrationem C. Antiſtio mandabat, qui brevi tempore eos ſubegit: Auguſtus vero ſanitati reſtitutus, Auguſtam urbem in Hiſpania condidit, quam Emeritam vocavit, quod milites emeriti in eam ſcripti eſſent; & ſpectacula in caſtris exhibuit. *Dion in Auguſto.*

III.

Reliqua bella externa, nempe *Pannonicum*, *Dalmaticum*, *Illyricum* & *Germanicum* per Druſum, Tiberium, Germanicum & Quintil. Varum geſſit, & hoſce populos Rom. Imperio ſubjecit. Alias item nationes malè quietas ad obſequium redegit. Nec ulli genti ſine juſtis & neceſſariis cauſis bellum intulit; uti *Suetonius in Auguſto* §. 21. ſcribit. Unde bella ejus magna ex parte felicia fuerunt. Verum ingentem cladem, eamque in ſola Germania (uti *Suetonius* §. 23. refert) per Quintil. Varum accepit. Quæ clades illata eſt ab Arminio Cheruſcorum Principe. Ille annum ætatis 26. tunc agens uſus ſegnitie & ſocordia Vari, in conſilii ſui de Germania liberanda occaſionem, Romanos in Teutoburgenſem ſaltum ex inſidiis protractos, ibique paludibus & ſylvis impeditos oppreſſit; Varum autem vulneratum, deſperatis rebus, mortem ſibi conſciſcere coëgit: legiones Romanorum tres obtruncatæ ſunt: ſigna & aquilæ duæ à Germanis ablatæ, quas (uti *Cuſpinianus* ſcribit) adhuc hodie poſſident Germani: neque enim unquam Imperatoribus Romanis redditæ ſunt, quod Parthi fecerunt, ſed ſemper in hunc uſque diem ſervatæ. Quæ clades Auguſtum adeo conſternatum reddit, ut per continuos aliquot menſes barba, capilloque ſubmiſſo, caput interdum foribus allideret, vociferans; *Quintili Vare, legiones redde*; diemque cladis quotannis mœſtum habuit & lugubrem. *Suetonius in Auguſto* §. 24.

ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ.

Cum hoc modo Imperium ſtabiliviſſet Auguſtus, provincias imperii ita diſtribuit, ut pacatiores Senatui populoque daret, quo Proconſules mitterent; reliquas vero, quæ rebellaturæ videbantur, ſibi ſumeret: atque ita adminiſtrationem provinciarum cum S. P. Q. R. communicavit: Nam S. P. Q. R. Africam, Numidiam, Aſiam, Græciam, Epirum, Dalmatiam, Macedoniam, Siciliam, Cretam cum Cyrene, Bithyniam, Pontum, Sardiniam & Beticam, quæ pacatiores erant, tradidit; ſibi vero ſumſit reliquam Hiſpaniam, Tarraconenſem & Luſitaniam, & Galliam omnem, Narbonenſem, Lugdunenſem, Aquitanicam, Celticam & Germanicam, Cœlen-Syriam, Phœnicen, Ciliciam, Cyprum & Ægyptum: Poſt autem Cyprum & Galliam Narbonenſem populo dedit, ab eo vero Dalmatiam accepit. Quæ permutatio in aliis etiam gentibus poſtea facta eſt. Qua arte factum, ut omnes milites Auguſtus ad ſe perduceret, & totum Senatum exarmaret.

V. ACTA ETHICA.

1. VIRTUTES.

Auguſtus Imperator multis magniſque virtutibus a DEO exornatus fuit.

1. *Αὐτάρκεια.* Auguſtus bella non neceſſaria non movit, ſed rebus ſuis contentus fuit. Nam vox ejus Heroica fuit: Jactantis ingenii eſſe, ob triumphalis pompæ ſuperbiam & lauream corollam civium vitas ac ſecuritatem periclitari. *Cuſpinianus in vita Auguſt. pag.* 8. Contra autem M. Antonius Duumvir φιλαρχίᾳ erat. Nam Auguſtus & Antonius Duumviri totum Romanum Imperium inter ſe diviſerant: ita, ut Antonius teneret Orientales provincias ab Euphrate, uſque ad Helleſpontum; Auguſtus vero præeſſet reliquis provinciis occidentalibus in Europa: Etſi autem non tantum poterat, ſed etiam debebat contentus eſſe Antonius hac florentiſſima Imperii Romani parte; tamen ex φιλαρχίᾳ impulſus, movit bellum non neceſſarium, imo injuſtum contra fœdera, contra pacta, contra juramenta, adverſus Auguſtum: Qualis autem fuit cauſa belli, & quale initium, talis etiam fuit exitus & finis; uti ex pugna Actiaca conſtat. Hinc Auguſtus prudenter admonebat Romanos, ut Rempubl. committerent iis, qui uſu & experientia rerum plurimum poſſent, nec eam ſinerent ullo tempore pendere ex cujuſquam voluntate, ne forte is in regni cupiditatem veniret, aut mortuo eo Reſpubl. periclitaretur. *Dion in Auguſto.*

Idem conſulebat præterea, ut contenti rebus præſentibus augere & dilatare Imperium nollent; Quod futurum eſſet, ut id tuerentur difficilius, immineretque periculum, ne ea, quæ jam parta eſſent, amitterentur. *Dion in Auguſto.*

Idem deriſit Alexandrum Magnum, qui ad ſodales ſuos frequenter dictitabat; *Nihil ſibi à Philippo patre relinqui, quod ageret.* Nec quidem immerito deriſit adoleſcentis ſtultitiam, qui non contentus erat regionibus à patre ſubactis, ſed ipſe quoque bello ſibi plures parare ſtudebat; ignorans præcipuam curam eo referendam eſſe, ut

non multa poſſideamus, ſed ut jam parta tueamur. Nam

Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri.

Plutarchus in Apophthegmatis Rom.

II. *Beneficentia & liberalitas.* Auguſtus liberalitatem omnibus ordinibus per occaſionem frequenter exhibuit, ſicut *Suetonius* de eo ſcribit. Liberalitas ejus erga *Antonium Muſam*, cum ejus beneficio à morte reſtitutus eſſet, magna fuit. Nam *Antonius Muſa* cum frigidis quibuſdam potionibus & lavationibus curavit, ac ſervavit incolumem. Quamobrem Cæſar magnam ei pecuniam dedit, conceſſitque jus aureorum annulorum: (erat enim libertus) nec ſolum ei, ſed etiam cæteris omnibus, qui eandem artem profiterentur, vel eſſent in poſterum profeſſuri. *Dion in Auguſto.* §. 13.

Talis quoque liberalitas fuit Octaviæ ſororis Auguſti erga Virgilium. Cum enim Marcellus filius Octaviæ, quem Auguſtus ſibi adoptaverat, in Bajano anno ætatis 19. moreretur, *Virgilius verſus in fine lib. 6. Æneid.* in laudem ejus conſcripſit, pro quibus (teſte Servio) ab Octavia Marcelli matre accepit 210. HS. hoc eſt, ut Hoſtus ſupputat, 6562. Joachimicos.

III. MAGNIFICENTIA. Auguſtus Cæſar, cum urbem Romam multis modis & ornaſſet, & communiſſet, atque etiam in poſterum, quantum in ipſo fuit, tutam reddidiſſet, non ſine cauſa glorians dicere ſolebat: *Romam lateritiam accepi, marmoream relinquo.* Nihil Principe magnificentius, quam ſi ditionem quam accepit, reddat ſtatu meliorem. *Suetonius in vita* ejus. *Pont. cap. 32. de Magnificent. Eraſm. Roterodam. lib. 4. Apophthegmatum.*

IV. SAPIENTIA. Auguſtus in *dictis* ac *factis* ſapiens fuit.

I. *Dicta.*

1. *De Alexandro M.* Nam Auguſtus, audiens, quod Alexander natus annos 32, poſtquam pleraſque mundi regiones peragrarat, dubitaſſet, quid in reliquum vitæ tempus eſſet facturus, demirabatur, ſi Alexander non judicaſſet majus opus, bene gubernare partum imperium, quam amplam ditionem comparaſſe. Recte notavit inexplebilem Alexandri ambitionem, qui nullam aliam functionem Rege dignam exiſtimaſſet, quam proferre ditionis terminos; cum multo tum pulchrius, tum difficilius ſit regnum, quod contigit; rectis legibus ſanctiſque moribus exornare, quam armis regno regnum addere. *Plutarch. in Apophtheg.*

2. *De Rhymitacle Thracum Rege proditore.* Auguſtus Cæſar, cum in convivio Rhymitacles Thracum Rex, qui ab Antonio ad Auguſtum deſciverat, inſolentius jactaret ſua erga Cæſarem merita, ac ſine fine approbans belli ſocietatem, moleſtus eſſet: Cæſar, diſſimulata illius petulantia, alteri cuidam Regum propinans dixit: *Proditionem amo, proditores non laudo.* Significans, his, qui proditione profuerunt, nihil deberi gratiæ. Licet enim officium quod præſtant, pro tempore gratum ſit, ipſi tamen habentur pro malis & fœdifragis. *Plutarch. in Apophth.*

Sapienter diſtinxit Auguſtus inter proditiones & proditores; nempe illas quidem amandas, ſed hoſce non laudandos, verum odio dignos eſſe, juxta Politicorum axiomata: Proditoribus tantiſper honor deberur, dum requiritur opera eorum: at mox rebus perfectis, plerumque ne illi ipſi quidem his parcunt, qui illos corruperunt. Item: Proditores omnibus odio ſunt: imo & his, quibus proſunt, abominabiles & deteſtabiles eſſe videntur. *Franciſ. Patric. lib. 8. de regn. tit. 10. v. 566.*

3. Sapiens fuit reſponſum Auguſti, Antonio, eum ad duellum provocanti, datum. Si (inquit) Antonius perire velit, habet ſat multos necis modos. Ita olim *Antigonus* Rex Macedoniæ prudenter, & magnanime reſpondit Pyrrho Epiri Regi, per caduceatorem eum ad ſingulare certamen provocanti, ut eo ſecum de regno decerneret, reſpondit; Ductum ſuum non armorum magis, quam temporum eſſe: Pyrrho, ſi vitæ pœniteret, multas ad interitum patere vias. Sic & *Fabius Maximus* Cunctator provocatus ab Hannibale ad duellum, reſpondit: Se pugnam initurum, cum ſibi, non hoſti, commodum videretur: Se pugnæ tempus dare, non ab hoſte accipere. Idem reſpondeant, qui hodie à ſtultis duellatoribus ad duellum provocantur, hoſce imitentur: Hi enim fuerunt prudentes, generoſi, magnanimi, & rerum Domini, qui hoc ſuo prudenti reſponſo hoſtem fregerunt, & ſupplantarunt.

II. *Facta.*

1. Auguſtus omnia agebat cunctanter & cum judicio, nihil præcipitanter. Unde tale Symbolum uſurpavit: Σπεῦδε βραδέως. De quo antea.

II. *Sapienter* judicabat *ritus & veſtitus antiquos non facile immutandos.* Nam

1. Cum Auguſtus pro concione multos videret palliatos indignabundus; En, inquit, Romanos rerum Dominos, gentemque togatam! adeo ſtudebat priſcos renovare mores, ut habitum quoque veſtitumque doluerit immutatum. *Eraſmus lib. 4. Apophth.*

2. Au-

2. *Auguſtus purpuram Tyriam* emturus, de obſcuritate querebatur. Cumque venditor diceret: Erige altius, & ſuſpice: Ergone, inquit, ut me populus Romanus dicat bene cultum, in ſolario ambulaturus ſum? *Macrob. lib. 3. cap. Saturn.*

3. Idem Auguſtus, quantum potuit, *indumentorum luxuriam* odio habuit, cujus dictum erat vulgatiſſimum: Veſtitus inſignis ac mollis ſuperbiæ vexillum eſt, niduſque luxuriæ. *Suetonius in Auguſto.*

V. DILIGENTIA. Auguſtus Cæſar otioſos ferre non potuit. Quia ipſe diligens in rebus curandis fuit: Idcirco Inſulam quandam, Capreis vicinam, in quam è comitatu Cæſaris ſecedere ſolebant, qui cuperent otiari, ſolitus eſt ἀπραγόπολιν appellare, h. e. otioſorum civitatem, à deſidia ſecedentium illuc è comitatu ſuo: ἀπραγία enim ſonat negotiorum vacuitatem. *Suetonius in Auguſto §. 98.*

VI. JUSTITIA *erga domeſticos ſuos.* Auguſtus Cæſar filios ſuos nunquam populo commendavit, niſi cum hac exceptione; Si meruerunt honorem: non authoritati, ſed meritis tribui volens. *Eraſm. lib. 4. Apoph. ex Suetonio.*

VII. CRUDELITATIS FUGA. Auguſtus Cæſar audiens, inter pueros, quos in Judæa Herodes crudeliſſimus Judæorum Rex, interfici mandaverat, filium quoque ejus interfectum, dixiſſe fertur: Se malle ſuem quàm filium Herodis eſſe. Inter Judæos enim cum verſaretur, à ſuilla carne prohibita abſtinebat juxta legem. *Macrob. lib. 2. Saturn. cap. 4.* Idem cœnabat apud *Atedium* ſive *Vedium* Pollionem; ibi fregerat quidam è ſervulis vas cryſtallinum, qui illico juſſus eſt ab Atedio rapi & muræni objici. Puer ad Cæſaris pedes confugit, nihil aliud petiturus, quam ut aliter periret. Auguſtus motus novitate crudelitatis, & puerum dimitti, & cryſtallina vaſa omnia ante ſe frangi juſſit, & compleri piſcinam, amicum autem graviter increpaverat; E convivio, inquiens, rapi homines imperas, & novi generis pœna lacerari? Si calix tuus fractus eſt, viſcera humana diſtrahentur? Tantum ne tibi placebis, ut aliquem tibi duci jubeas, ubi Cæſar eſt? *Sueton. in Auguſto, & Senec. lib. 3. de Ira.*

VIII. CLEMENTIA. 1. *Erga Parricidam.* Lex erat, ut qui patrem occidiſſet, culeo inſueretur: nec hæc pœna ſumebatur niſi de confeſſo. Ab hujus pœnæ atrocitate Cæſar ut liberaret manifeſti parricidii reum, ſic interrogavit eum. *Certè patrem tuum non occidiſti?* Anſam porrigens inficiandi. Tanta erat Principis in judicando lenitas & clementia.

2. *Erga militem importunum,* In villa quidam inquietas noctes agebat Auguſtus, interrumpente ſomnos ipſius noctua cantu: Miles aucupii peritus curavit apprehendendam noctuam, ſpeque ingentis præmii ad Auguſtum pertulit. Laudato Imperator mille nummûm dari juſſit. Ille autem auſus eſt dicere: Malo vivat, avemque dimiſit. Quis non miretur hanc contumaciam impune ceſſiſſe militi? *Suetonius in Auguſto.*

3. *Erga Æmylium Ælianum.* Hic cum accuſatus eſſet, quod male loqueretur de Cæſare: Auguſtus reſpondit nihil aliud, quam; Si male loquitur; ſciat me quoque linguam habere; Plura enim loquar de eo viciſſim. Mira Auguſti Clementia, qui maledicum pro ſuo jure immaniter tractare potuiſſet. *Eraſm. lib. 4. Apoſth.*

4. *Erga Viatorem tranſeuntem.* Cum quidam Auguſto tranſeunti diceret; Tyranne! Converſus, inquit Auguſtus: Si eſſem, tu non diceres.

IX. MANSUETUDO & PATIENTIA. 1. *Timagenes Hiſtoricus* multa convitia in Auguſtum, ejuſque domum voce & ſcriptis effutiverat: Deinde apud Aſinium Pollionem diverterat, ubi de Imperatore Auguſto Hiſtorias conſcriptas in ignem conjecerat: In urbe Roma Cæſar hominem maledicum tulit patienter, & duntaxat Pollioni dixerat: θηριοτροφεῖς, h. e. feram vel beſtiam alis. Paranti Pollioni excuſationem obſtitit; Fruere, inquit, mi Pollio, fruere. Et cum *Pollio* diceret; Si jubes, Cæſar, ſtatim illi domo mea interdicam. Hoc me, inquit Auguſtus, putas facturum, cum vos in gratiam reduxerim? Hinc videmus, quid potentiſſimus Monarcha fecerit, & quanta animi moderatione ſit uſus. *Seneca 3. de Ira. 23.*

2. Cum Auguſtus *Cleopatram* Ægypti Reginam inviſeret, exigeretque ab illa rationes, Seleucus, unus ex procuratoribus ipſius indicavit, aliquid ſubtractum ab ipſa. Illa in Procuratorem inſiliit, & arrepto hominis crine crebris ictibus pulſavit os. Hæc cum Auguſtus ridens conatus eſſet inhibere: Illa, Annon, inquit, permoleſtum eſt, ὦ Cæſar? cum tu me digneris inviſere, ſervos meos heram incuſare, quod nonnihil muliebrium ornamentorum ſubtraxerim, non mihi quidem, ſed Octaviæ & Liviæ munuſcula dem? Hoc commento perſuaſit Cæſari, ſed de vita cogitare, cum mori decreviſſet. *Plutarchus in Antonio.*

3. *Auguſtus maledicta non curavit.* Nam Tiberio genero ſuo ad eum deferenti multa convitia, quibus impeteretur, & ad ultionem hortanti, nonnihil commotus, ſed leniter, reſpondit; Satis eſſe maledicis ſupplicii, quod nihil aliud poſſint, quam maledicere: Cæterum in civitate

libera, linguam mentemque liberas esse oportere. *Suetonius.*

X. MODESTIA. Augustus legem tulerat de adulteris, quomodo judicandi essent de hoc crimine delati, & quomodo puniendi convicti: Paulo post iræ impatientia irruit in adolescentem delatum, quod cum Julia Augusti filia commercium habuisset, eumque manibus verberavit: At, cum adolescens exclamasset; *Legem tulisti, ô Cæsar*; adeo facti pœnituit Cæsarem, ut eo die recusaret cœnam capere. Crimen per se grave erat, tum admissum in Cæsaris filiam. Quis Princeps dolori suo temperaret? Aut quis ibi legum judiciorumque moras expectaret? At tantus Princeps adeo sibi displicuit, ut à se ipso pœnas sumeret, quod legi, quam aliis prodiderat, non per omnia paruisset. *Plutarchus in Apophthegmatibus.*

XI. HUMANITAS. 1. *Exemplum de supplicante.* Augustus timeri noluit: Ideoque cuidam, qui libellum supplicem nunc trepide porrigeret, nunc manum retraheret; *Quid*, inquit Augustus, *an putas te assem dare elephanto?* Solent enim pueri mimicos nummos elephanto porrigere, quos ille non sine spectatorum admiratione proboscide sua sic corripit, ut pueri manum non lædat; Sic videmus pueros etiam in ursorum rictus manum inferere sine ullo metu: Ita molestum erat optimo Principi, quod timeretur. *Erasmus lib. 4. Apophth.*

2. *De corvis salutatoribus.* Pendente inter Augustum Cæsarem & M. Antonium fortuna, cujus belli neque mediocres casus erant, neque vulgaria præmia victoriæ, ingensque apud omnes gentes finis exspectatio: Pauper quidam Romæ in cunctos sibi providens eventus igenioſè quid tale commentus est; Omni diligentia duos corvos enutrivit, effecitque, ut dicacibus verbis alter Augustum, alter Antonium salutaret. Idem Augusto tandem victori in patriam revertenti salutatorem suum manu proferens occurrit, qui inter crocitandum hæc verba fundebat; *Ave, Cæsar, Victor, Imperator.* Delectatus hac salutatione Augustus 2000. nummorum loquacem comparavit voluerem. Verum cœpit hujus socius, vel potius æmulus, ex tempore consilium. Socio enim ditato invidens Cæsarem adiit, obtinuitque ut corvum alterum afferri juberet: jussus illum attulit, qui hostem salutare didicerat hisce verbis; *Ave, Imperator Antotoni!* Non amplius motus est Cæsar, quam ut avis precium præciperet cum delatore partiri.

3. *De Psittaco.* Augustus salutatus similiter à Psittaco, & hunc emi jussit: Idem miratus in *picâ*, & hanc mercatus est. Hoc exemplum tenuem quendam sutorem movit, ut *corvum* institueret ad hujusmodi salutationem: Qui cum impendio exhauriretur, subinde ad avem non respondentem dicere solebat: *Opera & impensa periit.* Tandem pervicit assiduitate, ut corvus sonaret dictatam salutationem. Ille, cum Augustum prætereuntem salutasset, Cæsar, Satis, inquit, ejusmodi salutatorum habeo. Tum corvus memor & illorum verborum, quæ toties audierat, subtexuit: *Opera & impensa periit.* Ad hoc arridens Augustus, jussit emi, quanti nullum adhuc emerat. *Macrob. 2. Saturnal. cap. 4.*

XII. AMICITIA. Amicos suos valde dilexit.

Exempla.

1. *Augustus Cæsar*, cum Alexandriam vi cepisset, civibus omnibus & civitati se parcere dixit, propter *Arrium* civem Alexandrinum, & olim sibi summa familiaritate conjunctum. Raræ profecto clementiæ fuit Cæsar, ut propter unicum amicum eam civitatem diripere noluerit, quæ tamdiu pertinacissime rebellarat. *Plutarchus in Apophth.*

2. *Agrippam dilexit pra reliquis*, tantisque eum honoribus affecit, ut dixerit aliquando Mecœnas ad Augustum: Tantis honoribus auxisti *Agrippam*, ô Cæsar: ut eum aut generum tuum esse, aut interire sit necesse. Dedit ei filiam Juliam in uxorem.

3. *Mecænas*, qui fuit Tuscus Eques clarissimus, & apud Augustum potentissimus, eique familiarissimus, cujus monita Augustus clementer admisit, eumque ob mores & stylum delicatum *Malacinum* vocabat, atque frequenter ut κατόζηλον agitabat. *Teste Suetonio.*

XIII. GRATITUDO. *Miles* quidam veteranus, cum vocatus in jus periclitaretur, adiit in publico Cæsarem Augustum, rogans ut sibi vellet adesse: Cæsar è comitatu suo selectum illico dedit, eique litigatorem commendavit. Hic miles vociferans; At non ego, Cæsar, periclitante te Actiaco bello, vicarium quæsivi, sed pro te ipse pugnavi: simulque detexit cicatrices. Erubuit Cæsar, atque ipse descendit in advocationem, veritus ne non modo superbus, verum etiam ingratus videretur. *Erasmus lib. 4. Apophthegmatum ex Suetonio.*

XIV. CIVILITAS. *Augustus Imperator*, cum nulli fere ad convivium invitanti suum denegaret officium, exceptus à quodam cœna perparca, ac pene quotidiana: cum à convivatore dimitteretur, hoc illi tantum insusurravit: *Non putabam me tibi tam familiarem esse.* Alius tam jejunum apparatum contumeliam fuisset interpretatus, ille civili-

civiliter etiam pudori consuluit: invitatoris familiaritati tribuens, idque in aurem, ne cæteri putarent, exprobratam parsimoniam. *Plutarchus in Apophth.*

XV. URBANITAS. Augustus valde urbanus æque facetus fuit.

Exempla.

1. *De fuga. Augustus Cæsar* militem saxo in expeditione percussum, ac notabili cicatrice in fronte deformem, nimium tamen sua gesta jactantem, sic leviter taxavit: At tu cum fugies posthac, nunquam post te respexeris. *Macrobius lib. 2. cap. 4. Saturn.*

2. *De Ajace Tragœdia. Scripserat Augustus Ajacem Tragœdiam*, eandemque, quod sibi displicuisset, deleverat. Postea vero cum *Lucius* gravis Tragœdiarum scriptor eum interrogaret: Quid ageret Ajax suus? respondit: In spongiam incubuit. *Macrobius lib. 2. cap. 4. Saturn.*

3. *De Galba gibboso.* Augustus Galbæ, cujus informe gibbo erat corpus, agenti apud se causam, & frequenter dicenti, *Corrige in me, si quid reprehendis*, respondit: Ego te *monere* quidem possum, *corrigere* non possum: ad gibbum alludens. *Macrobius.*

4. *De Adolescente moribus corruptissimis. Augustus Heremnium* adolescentem moribus corruptissimis vitiatum, castris excedere jussit; cumque ille dimissus ignominiam reditus sui apud Augustum deploraret his verbis: Quo ore redibo ad meos? quid dicam parentibus me incusantibus? Dic (inquit Cæsar) me tibi displicuisse. Et sic jocose docuit, qua ratione reditus sui ignominiam diluere posset. *Suetonius in Augusto.*

5. *De adolescente, Augustum similitudine oris referente.* Quemadmodum Augustus gaudebat jocis liberalibus in alios ludere; ita in se jactos aut retortos interdum liberius, patientissimè tulit. Adolescens quidam provincialis Romam venerat, oris similitudine tam mirifice referens Augustum, ut in se populi totius oculos converteret. *Cæsar* hoc audito, jussit ad se perduci; eumque contemplatus, hunc in modum percontatus est: Dic mihi, adolescens, fuit ne mater tua aliquando Romæ? negavit ille; ac sentiens jocum, retorsit adjiciens: Sed pater meus sæpe. Augustus ludens suspicionem intendebat ad matrem adolescentis, velut ab ipso stupratam. Adolescens protinus eam suspicionem retorsit in matrem Cæsaris, aut in sororem. Nam oris similitudo non magis arguebat illum esse Cæsaris filium, quam fratrem aut nepotem. *Suetonius.*

6. *De temeritate. Augustus Cæsar* eos, qui levem ob causam periculis se exponerent, similes esse ajebat aureo hamo piscantibus: qui plus damni amisso semel hamo acciperent, quàm multarum capturarum lucro posset reparari. *Fulgos. lib. 7. cap. 2.* Huc referri potest *elegans dictum Philonis*, Quæ absque ratione fiunt, inquit, omnia sunt turpia: Quæ vero cum ratione, decora. Item; Citra doctam contemplationem, nihil decore fieri potest. Scientia enim à bono consilio nascitur: At inconsulta temeritas malorum omnium scaturigo est. *Item; Meditatio* sera lucrum non habet, & in exitu rei inutilis est pœnitudo. *Ant. serm. de temerario consilio.*

7. *De Graculo. Graculus* quidam ita captare solitus est *Cæsarem Augustum*: Descendenti è palatio honorificum aliquod epigramma porrigebat. Id cum frustra sæpe feciisset, nec destitutum videret *Augustus*, epigramma bene Græcum sua manu descripsit, & Græculo ad se venienti obviam misit, veluti carmina carminibus pensaturus. Græcus acceptum legit, ac non solum voce: verum etiam nutu gestuque corporis laudavit carmen, miratusque est. Deinde cum accessisset ad sellam, qua *Cæsar* vehebatur, demissa in pauperem erumenam manu, paucos denarios protulit, Cæsarique obtulit his verbis: Οὐ κατὰ τύχην τὴν σὴν, Σεβαστέ. εἰ πλείω εἶχον, πλείω ἐδίδουν. Id est, Non juxta fortunam tuam, *Auguste*, si plus haberem, plus darem. Secuto omnium risu, dispensatorem Cæsar vocavit, & sestertium centum millia Græculo numerari jussit. Bene cessit Græculo palam exprobrata Principi parsimonia. *Suetonius in ejus vita.*

8. *De Pacinnio Lauro.* Cum Romæ ab Augusto Imperatore *Parcinnius Laurus* munus peteret, diceretque populari rumore sparsum, pecuniam haud parvam ipsi à Cæsare datam: Sed tu, inquit Cæsar, noli credere. Lepido joco significans, se non daturum. Alter exspectabat, futurum ut Cæsar ipsius pudori succurreret, ne si compertum esset rumorem esse vanum, ipse ludibrio haberetur. Cæsar aliud indicavit remedium: Sineret homines loqui quæ vellent, modo ne ipsi, quod erat falsum, persuaderent. *Macrobius lib. 2. Saturn.*

9. *De sepulcro.* Olim magna erat sepulcrorum religio, eaque pars agri, quæ sepulcro erat dicata, non proscindebatur aratro. *Vectius* itaque cum nihil hac religione deterritus patris monumentum exarasset, Augustus facete jocatus est. Hoc, inquiens, est vere patris monumentum colere. Rursus lusit ancipiti verbo. Gemina fuisset amphibologia, si pro monumento dixisset memoriam, quod

ab illo dictum arbitror. Siquidem eorum memoria nobis ſacroſancta dicitur, qua vita defunctos veneramur: & memorias, ad Græcorum imitationem, vocamus defunctorum monumenta. *Eraſmus l. 4. Apophth. ex Suetonio Tranquillo.*

XVI. AUTHORITAS. 1. *Auguſtus* in magna apud Romanos authoritate erat. Unde PATRIS PATRIÆ *cognomen* univerſi repentino maximoque conſenſu detulerunt ei. Prima plebs legatione Antium miſſa, dein quia non recipiebat, incunti Romæ ſpectacula frequens & laureata, mox in curia Senatus, neque decreto neque acclamatione, ſed per *Valerium Meſſalam* id mandantibus cunctis: Quod *bonum* (inquit) fauſtumque ſit tibi, domuique tuæ, Cæſar Auguſte, (ſic enim nos perpetuam felicitatem Reipubl. & læta huic precari exiſtimamus) Senatus te conſentiens, cum populo Romano, conſalutat patriæ patrem. Cui lacrymans *reſpondit Auguſtus* his verbis: (ipſa enim, ſicut Meſſalæ, poſui) Compos factus votorum meorum, patres conſcripti, quid habeo aliud DEOS immortales precari, quam ut hunc conſenſum veſtrum ad ultimum vitæ finem mihi perferre liceat? *Suetonius in Auguſto §. 58.*

2. *Auguſtus* indigne ferebat, aliquid de ſe componi niſi ſerio & à præſtantiſſimis: admonebatque prætores, ne paterentur nomen ſuum commiſſionibus mimorum aut hiſtrionum obſolefieri: Hac quidem in parte Alexandrum Magnum referens. Decet enim ubique Principis authoritatem ſartam tectam præſtare. *Eraſm. lib. 4. Apophth. ex Suet.*

3. *Auguſtus*, cum nobiles ac dignitate claros contra ſe tumultuantes vellet compeſcere, nec auſcultarent illi, ſed tumultuari pergerent: *Audite*, inquit, *juvenes, ſenem, quem juvenem ſenes audierunt.* Auguſtus enim adoleſcens ad Rempubl. admotus eſt, ſummaque fuit authoritate. Hac ſola voce illos coërcuit, nec aliud ſupplicium ob concitatum tumultum exegit. *Plutarchus in Rom. Apophthegmatis.*

II. VITIA.

Vulgo Politici dicunt: Magna eſt mixtura virtutum & vitiorum in heroicis naturis. Idem quoque de Auguſto Imperatore recte affirmatur.

I. Libido & laſcivia.

Libidinoſus fuit Auguſtus. Nam ita *Suetonius* de eo ſcribit §. 69. Adulteria cum exercuiſſe, ne amici quidem negant, excuſantes ſane, non libidine, ſed ratione commiſſa, quo facilius conſilia adverſariorum per cujuſque mulieres exquireret. *Hac ille.* Noverat namque, feminas lene tormentum eſſe, & idem quod vinum poſſe. Verum falſus in opinione ſua Auguſtus fuit. Semper enim obſervanda eſt Regula D. Pauli, *Rom. cap. 3. v. 8.* Non ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona.

Alii Hiſtorici de eo ſcribunt, eum in libidinem fuiſſe projectiſſimum, adeo, ut ſi venuſtam feminam conſpiceret, eam abſque mora ad ſe adduci imperaret, non habito reſpectu nobilitatis, pudicitiæ aut dignitatis alicujus. Hæc incontinentia libidinoſa *Auguſti* non latuit *Athenodorum*, qui ei familiariſſimus erat. Cum enim aliquando illuſtrem quandam feminam curru intecto, & ſuo ſigillo clauſo, ad ſe duci juſſiſſet; hocque tam uxori, quam marito acerbiſſimum eſſet, eos Athenodorus, cum forte adeſſet, & querelas utriuſque audiret, juſſit eſſe bono animo, ipſeque pro muliere, gladio ſecum aſſumto, clam currum ingreſſus (nullo enim vidente feminæ currum inſcendebant) & ita ad Auguſtum eſt adductus, quem uti conſueverat, propria manu vela vehiculi retegentem, repente gladio Athenodorus eſt adortus, his quidem verbis: DEINDE NON TIMES, NE ALIQUIS HOC PACTO TE TRUCIDET? Auguſtus licet inopinata re perterrefactus, tamen non ſolum hanc audaciam & libertatem monendi patienter tulit, ſed magis de cætero continentior, gratias admonitori retulit.

II. Ingratitudo.

Auguſtus erga Ciceronem ingratus fuit.

Cum enim à morte C. Cæſaris Rempublicam perturbaret *Antonius*, *C. Octavium Cæſaris propinquum*, viginti annorum adoleſcentem, miris laudibus Senatui Cicero commendabat, & ſuadere cœpit, ut non habita illius ætatis ratione *crearetur Conſul*, adductis ex veteri memoria multis exemplis, quamobrem id fieri poſſet: refutatis etiam iis, quæ metuenda videbantur, fidem ſuam obligare ſe profitebatur Senatui, ſemper illum tale fore civem, qualis tum eſſet, qualemque eum maxime velle & optare deberent. Sed poſt ab illo deſtitutus, in Antonii manus devenit, cujus juſſu interficitur: & quidem ab eo ipſo, quem patrocinio ſuo ſervarat in judicio.

III. Temeritas.

Temeritas non levis Auguſti fuit, quod ſepulcrum Alexandri M. Alexandriæ aperuit, corpus ejus videre voluit, viditque & contrectavit, ita ut ferant naſum illius ab eo paululum fractum eſſe. Sed cum Alexandrini imprimis cuperent ei corpora

Ptole-

Ptolemæorum oſtendere, ea non adſpexit; Cupivi enim, inquit, Regem, non mortuos videre.

CAPUT III.
DE EGRESSV.

I. Mortis ΠΡΟΗΓΟΎΜΕΝΑ.

Verba ΠΡΟΑΓΏΝΙΑ, *vel noviſſima.*

1. *Ad Liviam uxorem.* Ei hiſce verbis valedixit: Livia, noſtri conjugii memor, vive & vale.

11. *Ad amicos.* Cum ſub finem vitæ amicis convocatis expoſuiſſet, quæ neceſſaria eſſe videbantur, tandem; Vobis, inquit, urbem, quam lateritiam accepi, marmoream relinquo. *Dion in Auguſto* §. 20. Quæ ſunt verba filiorum hujus ſeculi ingenium ſpirantia.

Poſtremo, quaſi mercedem exactæ vitæ petiit ab iis, ut plauderent, quemadmodum ab hiſtrionibus fieri ſolet; eoque pacto conditionem humanæ vitæ riſit, inquiens: Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε. h. e. Date plauſum, omneſque cum gaudio ſtrepitate. *Dion ibid. Suetonius in Auguſto*, §. 99.

Alii verba ejus noviſſima ita referunt: Nonne ego meam perſonam ſatis ſplendide egiſſe videor in hac mundi fabula? Annuentibus dixit: Valete ergo, & plaudite. Quo inſinuare voluit, quod vita hominum in hac vita nihil aliud ſit, quam fabula. Sicut dicitur *Pſalm.* 90. 9. Conſumimus annos noſtros ſicut fabulam. In quam ſententiam pulchre ait Lipſius *Cent.* 7. *Epiſt.* 69. Ut in ſcena partes qui peregerit, perſonam veſtemque ponit, & libens domum abit: Sic noſter hic animus à temporario theatro in ætheream illam ſedem.

II. ΤᾺ ΠΡΑΧΘΈΝΤΑ.

Auguſtus A. M. 3985. A. C. 15. Nolæ in Campania ex alvi profluvio in oſculis Liviæ, in eodem cubiculo, in quo pater ejus vitam cum morte commutaverat, placida morte, juxta votum ſuum, quo ſæpe Euthanaſiam optavit, obiit, cum vixiſſet annos 76, ſicut templum Romæ de novo ædificatum 76 columnis exornavit.

De tempore, quamdiu Auguſtus imperarit, inter Scriptores non convenit. Nam quidam annos regiminis incipiunt ab interitu Julii Cæſaris, à cujus morte uſque ad obitum Auguſti ſunt anni 56. quidam eos incipiunt ab Antonii morte, quem vicit in pugna Actiaca, & faciunt annos 44. Hinc ſtatuunt initium Monarchiæ quartæ.

Secundum ſupputationem poſteriorem incidit annus nativitatis Chriſti in annum 28 vel 30 Auguſti. Secundum priorem vero in annum 42 Auguſti.

III. ΤᾺ ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ.

Sepultura ac funebris pompa mortem ejus ſubſecuta, hiſce verbis à *Dione* §. 20. deſcribitur.

Auguſti Corpus primarii ſingularum civitatum Nola viciſſim exportaverunt; cumque Roma non longe abeſſet, ipſum equites Romani de nocte in urbem intulerunt. Fuit poſtridie ejus diei Senatus, in quem cæteri venerunt equeſtri veſtitu, Magiſtratus Senatorio: niſi quod purpureas veſtes non habebant. Tiberio, Druſoque filio ejus toga pulla erat, qualis ſolet in concionem geſtari: Ab utroque thus eſt adhibitum in ſacrificio. Tibicinem intereſſe noluerunt. Sedebat quiſque fere in quibus locis antea conſueverat. Conſules ſedebant in ſubſelliis inferioribus; unus in iis, quæ Prætorum, alter in iis, quæ Tribunorum plebis ſunt. Poſthæc quidam Polybius Cæſarianus tabulas teſtamenti ejus recitavit, quod eas non deceret Senatorem legere: In eoque teſtamento Tiberius ex beſſe, Livia ex triente (ut nonnulli putant) hæredes ſcripti erant. Nam Auguſtus, ut eam augeret ſuis facultatibus, petiverat à Senatu, ut liceret ſibi tantundum ei etiam contra leges relinquere. Ab his hæredibus ſcriptis multa prædia magnamque pecuniam pleriſque hominibus propinquis ſuis & extraneis legavit, nec Senatoribus ſolum, ſed etiam Equitibus Regibuſque. Adhæc reliquit populo Romano aureorum millia quadraginta. Sed & militibus legata reliquit: Stipatoribus quidem ſuis viritim ad decem aureos: iis autem, qui erant in præſidiis urbis collocati, ſingulis ejus ſummæ dimidium: Cæteræ multitudini urbanæ tres aureos viritim dari juſſit.

ACTA ECCLESIASTICA,

HOC EST,

Quæ geſta ſunt, partim SUB Auguſto, partim AB Auguſto, præſertim in Judæa.

SUB *Auguſto Imperatore*, natus eſt JESUS CHRISTUS, DEI & Mariæ Filius, Servator noſter. Verum ut acta hæc Eccleſiaſtica eo melius intelligantur, diſpeſcemus ea in 3 Periodos. 1. Continet ea, quæ contigerunt ante Chriſti Nativitatem. 2. Continet ea, quæ contigerunt circa Nativitatem Chriſti. 3. Quæ contigerunt poſt Chriſti nativitatem.

PERIODUS I.

Continet Acta, quæ contigerunt *ante Chriſti Nativitatem.*

I. *Antipater* Herodis M. Pater (qui à C. J. Cæſar. Judææ præfectus erat ut Tutor, anno M. 3925. ante C. N. 45.) veneno necatur per Pincernam, pecunia corruptum à Malicho. Quod indignum facinus Herodis animum ita perculit, ut Jeroſolymam ingreſſus ſit cum militibus, inſtante feſto, & jejunante populo. Tandem arte Herodis per milites Caſſii Malichus occiſus eſt. *Joſephus.*

II. Anno M. 3930. Herodes & Phaſelus fratres ab Antonio creantur TETRARCHÆ Judææ. *Joſephus.* Ante C. N. anno 40.

III. A. M. 3932. ante C. N. 38. ANTIGONUS ASMONÆUS Ariſtobuli filius *Parthos* in Judæam introducit, qui Hieroſolymam ſpoliant, & Antigonum Regem faciunt, & Pontificem Maximum creant. Regnavit annos 3, & menſes 3. *Antigonus* vero, ne Hircanus ad Pontificatum ſpem recipiendi haberet, aures & nares ei præcidit. PHASELUS vero frater Herodis cum ſentiret, ſe ſupplicio deſtinatum, & catenis vinctus eſſet, caput parieti allidit, & exſpiravit. *Joſephus.*

HERODES *Magnus* Antiparri filius, Idumæus, qui alias *Aſcalonita* dictus, Antigono hoſte judicato, à Triumviris S. P. Q. R. Romæ Rex Judæorum creatur & coronatur. Primo regni die *Herodes* medius inter Auguſtum & Antonium è Capitolio deſcendens, apud Antonium convivatur. Regnavit annos 40. *Joſephus lib.* 14. *Antiquit. Judaic. cap.* 26, 27.

IV. A. M. 3933. ante C. N. 37. Herodes Galilæam recuperat; & hinc numerandi ſunt anni Herodis. Quia & in fine ſuperioris anni media hyeme coronatus eſt, & hoc anno primum Judæam regio titulo ingreſſus eſt.

V. A. M. 3935. ante C. N. 35. *Jeruſalem* tertio menſe, ipſa die jejuniorum, à Romanis C. Socio Proconſ. & Herode Rege Ducibus, vi expugnata eſt. Qua die olim etiam à *Pompeio* M. capta fuerat.

ANTIGONUS REX captus, mandante Antonio Antiochiæ ſecuri percutitur: Quod Judæi alias non viderentur toleraturi peregrinum Regem. Ultimus hic fuit ex Aſmonæis Regibus. Atque ita Principatus Aſmonæorum deſiit, poſt encænia Maccabæi annis 128. *Joſephus.*

Herodes alienigena, Judæis ſubactis, & Jeroſolyma metropoli capta, ſceptrum à Juda ablatum rapit, & regnat annis 37.

Ananelus etiam alienigena, ab Herode Babylone evocatus, Pontifex ſummus Judæorum creatur.

Atque ita ſceptrum à Juda ablatum eſt: quod Jacobus Patriarcha moriturus prædixerat, ante 1680 annos. *Geneſ.* 49.

VI. A. M. 3936. ARISTOBULUS Alexandri Pontificis à Pompeio Antiochiæ ſecuti percuſſi filius, frater Mariamnes conjugis Herodis, interceſſione matris Alexandræ, remoto Ananelo, ſummus Pontifex Judæorum ab Herode conſtituitur, etſi eſſet adoleſcens annorum 17. Verum cum is populo acceptiſſimus eſſet, cœpit Herodes ab eo ſibi metuere. Ideoque eum evocavit Hierichuntem ad convivium & ad luſus, ut animi cauſa in piſcinis nataret, & ita per eos, qui ſubornati fuerant, in aqua ſuffocatur. Præfuit pontificatui anno 1. *Joſephus lib.* 15. *cap.* 3.

VII. A. M. 3942. HIRCANUS ſummus Sacerdos ab Herode interficitur, quod ſuaſu filiæ Alexandræ, inquietiſſimæ mulieris, ad Arabes fugere conaretur. Anno ætatis 80, anno 24, poſtquam, mortuo parente, Pontifex factus eſſet. *Joſephus.*

HERODES Auguſtum venientem in Syriam magnifico apparatu excipit, eumque officioſe proſequitur. Herodi Auguſtus Regnum confirmat, adjectis ejus ditioni multis oppidis, & regni parte, quæ Cleopatræ fuerat. *Joſephus.* Hinc ad excidium Jeroſolymitanum numerantur anni 100.

VIII. A. M.

VIII. A. M. 3943. ante C. N. 27. victo Antonio in Ægypto, & à ſe ipſo interfecto, templum JANI clauſum eſt, ab urbe condita tertium, ab Auguſto primum. *Goltz.*

Herodes Mariammem, conjugem ſuam, à nuptiis 8 anno interficit.

IX. A. M. 3944. ante Chriſtum N. 26. Herodes JESUM Phabetis filium ex alienigenis II. ſummum Pontificem Judæorum in locum Ananiel conſtituit. *Joſephus.*

X. A. M. 3947. ante C. N. 23. TEMPLUM JANI, cum nullibi amplius bella reſtarent, quartum clauſum eſt ab U. C. ſecundum autem ab Auguſto. *Dion. Golzius.*

XI. A. M. 3948. ante C. N. 22. Herodes Jeſum Phabetis filium ſummum Pontificem ab officio removet, inque locum ejus SIMONEM Boëthi Alexandri filium III. Judæorum ex alienigenis ſummum Pontificem ſubſtituit: ejuſque filiam in locum Mariamnes conjugem ducit, eumque ea nuptias celebrat. *Joſephus lib. 15. cap. 12.*

XII. A. M. 3952. ante C. N. 18. Auguſtus Imperator in Syria agens, Herodem magnis honoribus denuo afficit, ejuſque regnum adjecta nova ditione ampliat. *Joſephus.* Hoc anno menſe 9. templi II. annus 500 completur.

XIII. A. M. 3953. ante C. N. 17. ab Herode templum Jeroſolymitanum, ante 500 annos à Zorobabele Duce poſt egreſſum ex captivitate Babylonica exſtructum, ſplendide renovatum eſt. Ipſe namque ruinoſas templi partes renovare aggreſſus eſt, & additis porticibus ſimilibuſque ædificiis templum exornavit, regni ſui anno 18, ante C. N. 17. *Joſephus.*

XIV. A. M. 3955. ante C. N. 15. B. Virgo MARIA, ex tribu Juda oriunda, D. N. J. Chriſti Filii Dei Mater, vel concepta vel nata creditur, patre Joakimo, (qui alias Eli vel Eliakim dicitur.) *Luc.* 3. 23. & matre Anna. *Nicephorus. Onuphrius.*

XV. A. M. 3962. ante C. N. 8. Dedicatum eſt templum ab Herode renovatum, conſumtis in ejus inſtauratione annis 8. *Joſephus.* Et hic incipit *Hebdomas Danielis* LXV, h. e. 449. annis hebdomadum.

XVI. A. M. 3968. ante C. N. 2. Cajus Cæſar Auguſti ex ſorore nepos Judæam prætervectus Jeroſolymis Deo Judæorum ſacrificia offerre noluit. Quo nomine ab Auguſto laudatus eſt, quaſi peregrinarum religionum contemtor. *Suetonius.*

XVII. A. M. 3969. ante C. N. 1. Angelus Gabriel à Deo miſſus ad ZACHARIAM Sacerdotem, vicem ſuam in templo Jeroſolymitano obeuntem, & odores incendentem, eique Joh. B. nativitatem ex Eliſabetha ſterili annunciat. *Luc. cap. 1.*

JOHANNES BAPT. conceptus eſt 24 Septemb. (ut credit Eccleſia) menſe ſexto, antequam MARIA Virgo Joſepho deſponſatur.

XVIII. Anno M. 3970. ante C. N. 1. menſe ſexto à conceptione Johannis B. *Angelus Gabriel* tanquam Legatus cœleſtis mittitur ad M. Virginem, quæ tunc erat in oppido Nazareth, & annunciat ei *conceptionem Meſſiæ*; eique injungit, ut puerulo nato nomen JESU imponat. *Luc.* 1. 31. Statim legatione hac obita (finita) JESUS C. Dominus N. in utero B. M. Virginis, S. S. obrumbrante, & operante, admirandamque illam conceptionem perficiente, conceptus eſt 25. Martii. *Luc.* 1. *verſ.* 35.

2. MARIA nuncio Angelico excitata, paulo poſt magna cum feſtinatione in montana abit, ad cognatam ſuam Eliſabetham, matrem Joh. B. de divino & admirando hoc opere eam edoctura. Cumque Eliſabeth audiret ſalutationem Mariæ, exſiliit fœtus in utero ejus, & Joh. Baptiſta (ut Auguſtinus ait) Chriſtum motu ſalutavit, quem voce non potuit. Maria repleta Spiritu ſancto, canit in domo Zachariæ ſanctiſſimum illud Canticum ſuum: MAGNIFICAT ANIMA MEA DOMINUM. *Luc.* 1. 57. Ejus rei typum elegantiſſimum vide *Exod.* 15. ubi *Maria*, ſive *Miriam*, *ſoror Moſis*, *primum Canticum Veteris Teſtamenti*, inchoat in choro feminarum pſallentium, & Deo gratias agentium pro liberatione ex Ægypto.

3. JOHANNES BAPTISTA *naſcitur* ex matre ſterili & effæta Eliſabeth. *Luc.* 1. 63, 64. Eccleſia feſtum natalis Baptiſtæ celebrat die 24 Junii, circa ſolſtitium æſtivum.

4. *Zachariæ muto redditur ſermo*, cum in tabella exprimeret ſcripto nomen Johannis filii ſui. Hic ſanctus ſenex, canit Canticum in Novo Teſtamento ſecundum: *Benedictus Dominus Deus Iſraël. Luc.* 1. 68.

5. *Joſephus* Mariæ maritus monetur divinitus, ne Mariam gravidam repudiet. *Matth.* 1. 20.

6. Κυρήνιος, CYRENIUS (uti *Lucas eum vocat c.* 2. *v.* 2. *Joſephus* & *Tacitus* cum vocant P. Sulpitium Quirinum) Rector cum Proconſulari poteſtate ab Auguſto conſtitutus, cenſum in Judæa primum agebat (Lucas Evangeliſta vocat ἀπογραφὴν πρώτην deſcriptionem primam, *c.* 2. *v.* 2.) cum Jeſus Chriſtus Dei Filius, ex Maria Virgine in Bethlehem Juda verus homo natus eſt 25 Decemb. Hoc anno autem menſe Septembri impletus annus 41 Imperii Auguſti, & inchoatus 42. *Golzius.*

7. Auguſtus Romæ templum Marti ultori dedicavit ludis magnificentiſſimis. *Velleius Paterc.*

h. e. gratias egit Marti, pro tot victoriis, eumque invocavit, ut deinceps quoque filiis ſuis felicem daret ſucceſſum.

8. *Oracula* omnia paulo ante Chriſti nativitatem deſiiſſe, Cicero atque alii obſervarunt. Et memorabile eſt *Delphici Damonis* ad Auguſtum, facto ſemel ac iterum ex hecatombe ſacrificio, de ſucceſſore in imperio quærentem, reſponſum verbis Græcis hoc ſenſu:

Me puer Ebræus, divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub Orcum:
Aris ergo dehinc tacitus diſcedito noſtris.

Edito eo oraculo miratus *Auguſtus*, poſtquam in urbem rediiſſet, aram maximam in Capitolio exſtruxiſſe traditur cum hac inſcriptione, ARA PRIMOGENITI DEI. *Golzius.* Vide *Niceph. lib.* 1. *c.* 17. *Ab hoc anno* Auguſtus omnibus ſuis Conſulatibus finem impoſuit, & ab illo honore deinceps abſtinuit, nec *Dominum* ſe appellari permiſit. *Oroſ.*

9. *Moneta argentea.* Cudi etiam curavit *monetam* argenteam, quæ ab uno latere caput Auguſti laureatum exhibet, cum inſcriptione, AUGUSTUS DIVI F. Ab adverſo, Imperatorem ſubſellio inſidentem, cui alia figura porrigit infantem faſciis involutum. *Adolph. Occo in Numiſmat. p.* 41.

PERIODUS II.

DE CHRISTI NATIVITATE.

JESUS CHRISTUS, æternus Dei Filius à Deo Patre ab æterno genitus VERUS DEUS, ex Maria Virgine in Bethlehem Juda VERUS HOMO natus eſt A.M. 3970. Hunc Chriſti natalem Eccleſia 25 Decemb. circa ſolſtitium hyemale celebrat.

Hiſtoria Nativitatis Chriſti deſcripta eſt à *Luca cap.* 2. Circa quam hiſtoriam duo ſunt notanda. 1. *Nativitatis Chriſti deſcriptio.* 2. *Nativitatis Chriſti patefactio.*

1. DE NATIVITATIS CHRISTI DESCRIPTIONE.

Deſcriptio Nativitatis Chriſti quadruplex eſt:

1. *Caput* erat *aureum.*
2. *Pectus* & duo *brachia argentea.*
3. *Venter* & *femora aerea.*
4. *Tibia ferrea*, & *pedes* { *ex parte ferrei.* / *ex parte lutei.*

Addit *Daniel. v.* 34, & 35. quod tempore iſtorum Regnorum, h. e. tempore quartæ Monarchiæ, LAPIS à monte ſine manibus ſit abſcindendus, qui PEDES ſtatuæ (vel Coloſſi) percuſſurus ſit.

1. *Per lapidem* intelligit Chriſtum. *Pſalm.* 118.

1. Χρονολογικὴ. 2. Τοπογραφικὴ. 3. Γενεαλογικὴ. 4. Γενεθλιακὴ.

I. Χρονολογία, ſive Tempus Adventus Meſſiæ deſcribitur.

A *Luc.* 2. 1. mentione AUGUSTI Imperatoris, qui A. M. 3970. Anno ante Chriſtum 1. per Κυρίνιον, *Cyrenium*, (quem Tacitus *P. Sulpitium Quirinum* vocat) cenſum primum in Judæa inſtituit. *Luc.* 2. 2.

A *Matth.* 2. 1. fit mentio HERODIS Regis; qui A. M. 3935. ante C.N. 36. Antigonum ultimum ex Aſmonæis Regibus interfecit: & urbem Jeroſolymam expugnavit, atque ſceptrum à Juda abſtulit, & 37 annos regnavit. Anno quoque Regni penultimo Sanhedrin, h. e. Conſiſtorium, quod ex 72 Judicibus conſtabat, interfecit.

Hi *Evangeliſta* digitum intendunt ad duo V. T. Vaticinia.

PRIMUM erat *Jacobi Patriarchæ*, cujus fit mentio *Gen.* 49. 10. Non auferetur Sceptrum de Juda, neque (Mechokek) Legiſlator de pedibus ejus, donec veniat Siloh.

In hoc vaticinio duo continentur.

1. *Gemina dignitas, ejuſque ratio.*

1. *Dignitas Regia*, quæ notatur voce שבט SCEPTRI.

2. *Dignitas judicialis*, quæ notatur voce מחקק LEGISLATORIS: per quem ſignificatur *Conſiſtorium* Eccleſiaſticum, penes quod erat poteſtas, 1. Leges ferendi. 2. Judicandi, vel ſententias ferendi. 3. Sententias latas exſequendi.

11. *Gemina dignitatis duratio.* Utraque poteſtas durare debebat uſque ad Adventum Siloh. h. e. *Meſſiæ.*

SECUNDUM erat *Vaticinium Danielis Prophetæ*, qui *c.* 2. *v.* 32, 33. deſcribit viſionem Nabuchodonoſoris Regis, qui in ſomnio vidit *ingentem Coloſſum*, cujus

Monarchia notatur:
1. Quæ fuit *Babyloniorum* & *Aſſyriorum.*
2. Quæ fuit *Medorum* & *Perſarum.*
3. Quæ fuit *Græcorum.*
4. Quæ *Romanorum.*

2. Vaticinatur de eo, quod *ſine manibus à monte ſit abſcindendus*, h. e. quod ſine opera virili, è populo Judaico ſit oriundus, & ex Maria matre ἀνυμφεύτῳ naſciturus.

3. Vaticinatur, quod PEDES ſtatuæ ſit percuſſurus.

furus. Non dicit, quod percuſſurus ſit ſtatuæ CAPUT, vel PECTUS, vel VENTREM; ſed PEDES. Quo ipſo inſinuat: quod naſciturus ſit Meſſias tempore Monarchiæ, non primæ, neque ſecundæ, neque tertiæ, ſed quartæ, h. e. Romanæ, h. e. tempore Auguſt Imp. Sicut diſerte Lucas ait, & ſupra in Prolegomenis demonſtravimus.

Complementum horum vaticiniorum oſtenditur.

1. A *Luca c.* 2. qui mentionem facit AUGUSTI Imperatoris Ethnici, qui per Cyrenium Syriæ Præſidem, primum in Judæa cenſum inſtituit. Qui cenſus, vel exactio, manifeſtiſſimum ſervitutis Judaicæ ſignum fuit. Sicut *Joſephus Hiſtoricus Judaicus* ſcribit.

2. A *Matthæo*; qui *c.* 2. mentionem facit HERODIS, Judæorum Regis. Hic erat alienigena, nempe Idumæus, & ab Antonio Duumviro Rex Judææ conſtitutus, & ab Auguſto Monarcha, ſive Imperatore, in regno confirmatus erat: Qui *Synedrium* eo ipſo anno quo Chriſtus natus eſt, è medio ſuſtulit; uti Philo Judæus ſcribit.

I. USUS ELENCTICUS, *contra Judæos.*

Hinc patet, quod promiſſus mundi Meſſias dudum venerit, neque alius exſpectandus ſit, ſicut Judæi contendunt: & quod JESUS CHRISTUS Nazarenus ſit verus ille Judæis promiſſus Meſſias.

Syllogiſmus.

Meſſias venire, h. e. in mundum naſci debuit, ablato ſceptro à Juda,

Atque Jeſus Chriſtus venit, h. e. in mundum natus eſt, ablato ſceptro à Juda.

Ergo JESUS C. *eſt verus mundi Meſſias.*

Propoſitio eſt ἀξίωμα. *Aſſumtio* probatur ex dictis. Quia Chriſtus natus eſt tempore

1. Auguſti Cæſaris. *Luc.* 2. 1.

2. Herodis alienigenæ Regis. *Matth.* 2. 1. Quo tempore ſceptrum à Juda ablatum erat.

II. USUS DIDACTICUS.

Chriſtus convenienter ſub Auguſto Imp. natus eſt: Si conſideremus Auguſti.

1. APPELLATIONEM. Auguſtus dicitur ab augendo. Ein Mehrer des Reichs. Quia Imperium Romanum valde auxit & amplificavit; uti ex Hiſtoria ejus conſtat. Ita quoque Chriſtus vere eſt *Auguſtus.* Quia ipſe eſt vir *Zemach*, h. e. *Germen*, ſub quo omnia debebant creſcere. *Zach.* 6. 12. h. e. ſub quo Regnum ejus ſpirituale, h. e. Eccleſia, incrementa ſumere debebat. Cum quo conſentit *Jeſaias*, qui *c.* 9 *v.* 7. de ipſo vaticinatur: לרבה המשרה MULTIPLICABITUR Imperium ejus. Quod factum eſt per vocationem gentium ad Regnum Chriſti. Nam ante Chriſti adventum ordinaria Regni Chriſti vel Eccleſiæ ſedes erat in Judæa: At poſt Chriſti adventum ſedes ejus eſt in univerſo orbe. Vide *Pſalm.* 76. 1, 2. *Pſalm.* 72. 8, 9, 10. *Pſalm.* 147. 19, 20. *Pſalm.* 19. 3, 4. *Rom.* 10. 18. *Joh.* 10. 16.

2. DOMINATIONEM. Quæ ratione

1. *Quantitatis* erat OEcumenica. Quia ille mandatum promulgavit, ut πᾶσα ἡ οἰκουμένη h. e. totus orbis, cenſeretur. Quæ tamen verba ſynecdochice ſunt intelligenda, videlicet de provinciis Romano Imperio ſubjectis. Nam nullus Monarcha terrenus abſolute œcumenicus mundi Dominus fuit. Quia omnes Monarchiæ fatales terminos ſuos habuerunt. *Vide Colleg. meum I. Antiph. p.* 27. At Chriſtus eſt abſolute œcumenicus Rex & mundi Dominus. *Pſalm.* 72. 8. *Zach.* 9. 10. Unde dicitur Rex Regum & Dominus Dominantium. *Apoc.* 19.

2. *Qualitatis.* Dominatio Auguſti fuit pacifica. Quia tempore imperii ejus templum JANI bis fuit clauſum, quod tempore belli ſemper erat apertum. At Chriſtus verus Auguſtus vere eſt Scharſalom *Princeps pacis*, *Jeſaiæ* 9. 7. Quia pacem ille acquiſivit nobis. 1. Supra nos, cum Deo. 2. Infra nos, adverſus diabolos. 3. Intra nos, in conſcientia noſtra. 4. Circa nos, adverſus mundum omneſque mundi perſecutiones.

3. *Durationis.* Auguſti Imperium diu manſit. Quia 56 annos regnavit: quod de nullo Imperatorum Romanorum dici poteſt. At Chriſti Regnum diu durabit. Quia in æternum permanebit, & finem non habebit. *Luc.* 1. 33.

II. TOΠOΓΡΑΦΙ'Α. LOCUS NATIVITATIS CHRISTI *eſt triplex.*

1. LOCUS GENERALIS eſt Judæa, ſive Terra Juda. *Michæa* 5. 2. *Matth.* 2. 1. *Luc.* 2 4. Quæ ideo ſpeciali appellatione vocatur Terra Immanuëlis. *Jeſai.* 8. 8. Et Chriſtus vocatur Rex Judæorum. Quem titulum Pilatus in cruce Chriſti poſuit. *Joh.* 19. 19.

2. LOCUS SPECIALIS fuit *Bethlehem.* Bethlehem autem fuit duplex.

1. In *tribu Zabulon. Joſua* 19. Hæc non intelligenda eſt hoc loco.

2. *In tribu Juda.* Hæc fuit *Patria Meſſiæ*, & hoc loco intelligitur. Alias dicitur,

1. *Bethlehem Ephrata. Mich.* 5. 1. *Matth.* 2. *v.* 6. Item *Gen.* 35. 19. Ubi legitur, quod Rachel, uxor Jacobi Patriarchæ, ibi ſit mortua & ſepulta. Ephrata dicitur ab inſigni fertilitate, quod regio circa Bethlehem fuerit valde fructifera. Vide *Num.* 13. 24. de botro ingenti, quem duo viri in pertica portarunt. Et ſic dicitur Βηθλεὲμ τῆς Ζαβουλών, ad differentiam alterius Bethlehem, quæ ſita fuit in tribu Zabulon.

II. *Bethlehem Juda. Matth.* 2. 1. Item Bethlehem terra Juda. *Matth.* 2. 6.

III. *Civitas David. Luc.* 2. *v.* 4. Quia David Chriſti typus ibi natus & educatus fuit. Unde etiam Bethlehemita appellatur. 1 *Sam.* c. 16. & 17. *v.* 2. 2 *Sam.* 5. 7.

USUS DIDACTICUS.

Quæſtio I.

Qua occaſione Chriſtus natus ſit in Bethlehem?

Reſp. Factum hoc eſt admiranda Dei providentia. Idque reſpectu.

1. *Imperatoris Auguſti*, qui nihil tale cogitans nativitatem Chriſti exactione ſua promovit, eique cunas in Bethlehem paravit.

2. Reſpectu *Joſephi & Mariæ*, qui obedientiam edicto ſummi ſui Magiſtratus præſtantes, Bethlehemum venerunt, cum tempus pariendi Mariæ inſtaret, quod etiam præter ipſorum mentem & intentionem factum eſt.

3. Reſpectu *Chriſti*, qui Nazarethæ conceptus, Bethlehemi juxta Dei ordinationem naſci debuit. Ideoque à Maria matre illuc deportatus fuit, ut in plenitudine temporis, Bethlehemi, Deo ſic diſponente, naſceretur.

Quæſtio II.

Quare Chriſtus in Bethlehem naſci debuit?

Reſp. Factum hoc eſt:

1. Propter expreſſum Michææ Prophetæ vaticinium. *Mich.* 5. 2.

II. Propter triplex myſterium.

1. Propter *typicum geminum*, quoniam in Bethlehem natus erat { 1. *Benjamin. Geneſ.* 35. *v.* 16, 17, 18, 19. 2. *David* Rex 1 *Sam.* 16. *v.* 1, 2. } Qui typi Chriſti erant.

2. Propter *Chriſti officium.* Nam Bethlehem idem ſignificat atque domum panis, à בית domus, & לחם panis. Quo ipſo notatur Chriſti officium, quod ipſe ſit verus vitæ panis. *Joh.* 6. Idque

1. Propter alimentationem.

II. Propter efficaciæ & virtutis omnigenæ plenitudinem.

III. Propter quotidianam fruitionem.

3. Propter *Chriſti Regnum*, quod nativitate Chriſti in Bethlehem præfiguratum fuit. Nam Bethlehem eſt typus elegans Regni Chriſti, idque

1. Quoad Nativitatem.

II. Quoad fertilitatem, omniumque bonorum ubertatem.

USUS CONTRA JUDÆOS ELENCTICUS.

Meſſias naſci debuit in Bethlehem, civitate Judææ. *Mich.* 5. 2.

At Chriſtus noſter ante 1648. annos in Bethlehem civitate Judææ natus eſt. *Matth.* 2. 4, 5, 6.

Ergo Chriſtus noſter eſt verus Meſſias, Patribus in V. T. promiſſus, & nobis in N. T. miſſus.

III. LOCUS SINGULARIS eſt *Stabulum*, inque eo vile præſepium. Quod Chriſtus in ſtabulo natus eſt, eo ipſo inſinuatur.

1. *Noſtra miſeria*, quod videlicet nos propter peccata Protoplaſtorum è Paradiſo ejecti, in locum ſimus jumentorum rejecti, iiſdem aſſimilati. *Pſalm.* 49. 21.

2. Chriſti naſcentis gratia, quod videlicet pro nobis ſervi formam aſſumere, noſtrique cauſa in ſtabulo naſci dignatus ſit, ut ad curiam cœleſtem, è qua extruſi propter peccata eramus, nativitate ſua nos reduceret.

III. Γενεαλογία, h. e. *ex quibus* MAJORIBUS, FAMILIA & DOMO CHRISTUS NATUS SIT.

DEUS ab origine mundi ortum Meſſiæ diſtinctis vicibus, atque gradibus (πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *Hebr.* 1. 1.) revelavit, ſed ſemper clarius atque clarius.

1. *Semen mulieris* promiſit, contriturum caput ſerpentis. *Geneſ.* 3. Quæ promiſſio quoad ſonum verborum eſt generaliſſima, ad totum genus humanum ſeſe extendens.

2. *Semen Abrahæ* promiſit, idque tribus vicibus. *Geneſ.* 12. 3. *Geneſ.* 18. 18. *Geneſ.* 22. 18. A. M. 2024.

3. *Semen Iſaaco* promiſit, ſemel. *Geneſ.* 26. 4. A. M. 2129.

4. *Semen Jacobo P.* promiſit, idque etiam ſemel. *Gen.* 28. 14. A. M. 2185.

5. Promiſſionem hanc de Meſſia ad *Tribum Judæ* alligavit. *Gen.* 49. 10. A. M. 2225.

6. Eam ad certam *Familiam* atque *Domum*, nempe

nempe Davidis, restrinxit. 2 *Sam.* 7. *v.* 12. A. M. 2902.

7. Mater Messiæ in specie manifestatur, quod debeat esse הָעַלְמָה haAlma, VIRGO *Jesai.* 7. circa A. M. 3180.

8. Mater Messiæ proprio nomine vocatur MARIA: additur, quod sit Virgo viro, h. e. Josepho desponsata. *Matth.* 1. *v.* 18. *Luc.* 1.

IV. GENESIS SIVE NATIVITAS CHRISTI.

Nativitas Christi consideratur quadrupliciter.

1. ORIGINALITER, h. e. EX QUIBUS PARENTIBUS Christus secundum humanitatem sit natus. Ad quam quæstionem respondemus: Quod Christus secundum humanitatem sit ἀπάτωρ, h. e. sine patre; sicut secundum deitatem est ἀμήτωρ, h. e. sine matre: uti dicitur *Hebr.* 7. 3. MATER autem Christi secundum humanitatem est Maria Virgo ἀειπαρθένος. *Jesai.* 7. *vers.* 14. *Matth.* 1. *v.* 22, 23.

2. MATERIALITER, h. e. QUIS sit natus? Resp. FILIUS DEI. *Galat.* 4. 4. Et *Luc.* 2. *v.* 11. Angelus ad pastores inquit: Natus est vobis hodie SERVATOR, qui est CHRISTUS DOMINUS in Civitate David.

3. FORMALITER, hoc est, quomodo Christus sit natus? Resp. De hac quæstione duplex Theologorum orthodoxorum occurrit sententia, nempe communis & specialis.

I. Sententia *communis* est, quod Nativitas Christi non fuerit naturalis, sed supernaturalis & miraculosa, ita ut Christus non ex aperto sed clauso utero sit in lucem editus.

II. Sententia *specialis* est clarissimi Domini *D. Chemnitii in Harm. lib.* 1. *p.* 181. & aliorum Theologorum *August. Confess.* qui statuunt, Nativitatem Christi non fuisse supernaturalem, sed naturalem. Quia *Lucas* simpliciter utatur vulgaribus & usitatis vocabulis, *c.* 2. *v.* 6, 7. [*Impleti sunt dies, ut Maria pareret*, & *peperit* FILIUM *suum primogenitum.*] Et videtur hoc ideo fecisse, ut ostenderet, non quærenda esse præter Scripturæ testimonia extraordinaria miracula in nativitate Christi: sed quæ naturali ratione post conceptum fœtum in utero materno sequi, quæ in partu fieri, & partum comitari solent, cogitanda esse etiam de hac nativitate, sicut & *Hieronymus* contra Helvidium sentit, & ante ipsum scripsit *Tertull.* de carne Christi.

Similiter & Spiritus Sanctus in V. T. usurpat voces atque phrases de communi & naturali partu loquentes, quæ etiam ad Christum in N. T. accommodantur.

Exod. 13. *v.* 2. Sanctifica mihi omne Primogenitum, QUOD APERIT VULVAM in filiis Israël. *Num.* 8. *v.* 16. Primogenita QUÆ APERIUNT VULVAM in Israël. Hoc vaticinium ad Christum in N. T. accommodatur, cum in Festo Purificationis Domino in templo Jerosolymitano præsentaretur. *Luc.* 2. *v.* 22, 23. Postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum Legem Mosis, tulerunt eum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in Lege Domini: Quia OMNE Masculinum διανοῖγον, APERIENS VULVAM, sanctum Domino vocabitur.

Et in hac sententia est ipse *Lutherus*, qui in Postilla Ecclesiast. super Euangelium de *Circumcisione Christi. p.* 115. ita scribit: Also hat er jhres Weibischen Leibes vnd Fleisches gebraucht zur natürlichen Gebuhrt / aber nicht zur natürlichen Empfängniß.

4. FINALITER. Finis Nativitatis Christi est, ut nos ipsius Nativitate renasceremur. h. e. Ideo Filius Dei factus est Filius Hominis, ut nos in ipso fieremus filii Dei.

PERIODUS III.

Continet τὰ παρεπόμενα NATIVITATIS CHRISTI, h. e. Acta, quæ post Christi Nativitatem contigerunt.

NATIVITAS Christi multis miraculis est commendata, quod sit ipsius FILII Dei nativitas. Nam patefacta est

1. Per ANGELOS { Per unum, cujus / Per omnes, quorum } describitur { concio *Luc.* 2. *à v.* 8. *usque ad* 13. / cantio *Luc.* 2. *v.* 13, 14.

2. Per HOMINES,

I. Judæos { 1. Per Pastores Bethlehemiticos. *Luc.* 2. *v.* 15. / 2. Per Simeonem & Hannam. *Luc.* 2. *v.* 25, 36.

II. Magos Orientales. *Matth.* 2. *v.* 1.

3. Per *Stellam novam & miraculosam*, quæ Magis in oriente apparuit, & ad incunabula Christi deduxit. *Matth.* 2. *v.* 2. Sicut enim Deus posteros Semi per columnam ignis deduxit in regionem

nem gentilium, videlicet in terram Canaan. *Exodi* 13. *v.* 21. Ita in principio N. Teſtamenti poſteros Japheti, gentilium primitias, Magos ſcil. per ſtellam deduxit in regionem Iſraëlitarum.

Huc pertinet memorabile *Noæ* de gentium vocatione vaticinium, quod exſtat *Geneſ.* 9. *verſ.* 27. Verba hæc ſunt: *Perſuadeat Deus Japheto, & habitet in tabernaculis Sem.* Hiſce verbis vaticinatur Noah, quod *Eccleſia* non ſolum ex *Semitis*, (h. e. Judæis) ſed etiam ex *Japhitis* (h. e. Gentibus) ſit colligenda. Quia *Japhita* (h. e. Gentes) ad gremium Eccleſiæ conſtantis ex *Semitis* (h. e. Judæis) aggregandæ erant. Nam *Semis*, h. e. *poſteri Sem*, qui erant Iſraëlitæ ſive Judæi, erant *naturales rami. Rom.* 11. *verſ.* 18. Quia ſalus eſt ex Judæis. *Johan.* 4. *v.* 22, *Japhet* vero, h. e. *poſteri Japhet*, qui erant Gentes, erant *rami inſiticii. Rom.* 11. *v.* 18. Quare quando Noha dicit: *Japhetum habitaturum in tabernaculis Sem*, tum de *Gentium vocatione* loquitur, quod videlicet Japhitæ, h. e. Gentes, Evangelium Chriſti ſint audituræ, & agnituræ Chriſtum Servatorem, qui è *Sem* naſciturus erat. Impletum eſt hoc Nohæ de vocatione Gentium ad Chriſti regnum vaticinium, ejuſque factum eſt initium in feria Epiphaniorum, in qua Magi novæ ſtellæ ductu ad præſepe Chriſti venerunt.

IV. Poſt nativitatem Chriſti Oracula Gentium in toto orbe terrarum defecerunt & conticuerunt: idque juxta clariſſima Prophetarum vaticinia, quæ exſtant. *Zachar.* 13. *v.* 2. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, diſpergam nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur ultra, & Pſeudoprophetas & Spiritum immundum auferam de terra. *Pſal.* 97. *verſ.* 7. Confundantur omnes, qui colunt ſculptilia, & qui gloriantur in Elilim: adorate eum omnes Angeli ejus; audivit & lætata eſt Zion.

Hæc autem Prophetarum vaticinia, nato Chriſto, impleta ſunt: Idololatria gentium abolita eſt, & oracula in toto terrarum orbe defecerunt; cultores idolorum confuſi ſunt, & ſatanæ regnum deſtructum eſt. Patet hoc ipſum ex hiſtoriis: Nam ſcribit *Oroſius*, Romanos, cum quæſiviſſent ex oraculo, quamdiu templum pacis eſſet duraturum, hoc reſponſi tuliſſe; *Uſque dum virgo pareret*: Et *Romulum*, cum ſtatuam ſuam erigeret; dixiſſe, illam ſalvam fore, donec *Virgo pareret*: quaſi dicat, uſque in æternum: Illud enim nunquam futurum putabant. At in ea nocte, qua Chriſtus natus eſt, Templum illud Pacis Idololatricum corruit in urbe Roma, & inter rudera inventi ſunt hi verſus:

Virginitas, partus, diſcordes tempore longo;
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Vide plura in *Præcognitis hujus Monarch. in explicatione vaticinii primi Danielis.*

CHRONOLOGIA N. T.

Æra annorum in N. T. ſecundum ſupputationem Eccleſiæ à circumciſione Chriſti exordium ſumit.

Annus *à Chriſto nato* primus.

I. *Circumciſio Chriſti.* Chriſtus 8. die poſt nativitatem circumciſus eſt, Calend. Januarii. *Luc.* 2.

II. *Magorum adventus ex Oriente.* Magi ex Oriente venientes Chriſtum natum adorant, & muneribus oblatis, nempe auro, thure & myrrha, honorant. *Matth.* 2.

III. *Feſtum purificationis.* Maria, elapſo puerperii tempore, à circumciſione Chriſti die 33, (à nativitate 40.) die 2 Februarii in templo Hieroſolymitano filiolum ſuum ſiſtit Domino. *Simeon* grandævus vir ſanctus lætiſſimo amplexu excipit Chriſtum infantem, eumque intuens oculis, divino lumine ac numine plenus, de ipſius beneficiis vaticinatur. Idem facit *Hanna* Prophetiſſa. *Luc.* 2. Feſtum hoc celebratur in Eccleſia 2. Februarii.

IV. *Fuga Chriſti in Ægyptum.* Joſeph Chriſti nutritius ac tutor, monitus ab Angelo in ſomnis, cum infante Chriſto, & Matre ejus, ſecedit in Ægyptum, ut infantem gladio Herodis præſentique neci ſubtrahat. *Matth.* 2. Alii ad ſequentem annum referunt. *Exulavit* in Ægypto, ut veteres ſenſerunt, circiter triennium vel quinquennium.

V. *Infanticidium Herodis.* Herodes *Aſcalonita*, alias Herodes *Magnus* dictus, inaudito crudelitatis exemplo, trucidari juſſit infantes Bethlemiticos, & unum infantem Chriſtum quærens in multos rabioſiſſime ſæviit. Nam *Matth.* 2. 16. legitur: INTERFECIT OMNES PUEROS, qui erant in Bethlehem & in omnibus finibus Bethlemiticis, quotquot eſſent *bimuli* & *minores*, juxta tempus quod exactè cognoverat ex Magis. Quidam exprimunt numerum interfectorum; occiſos enim ajunt 144000. ex *Apocal.* 14. *v.* 3.

VI. *Herodes in morbum graviſſimum incidit.* Rumor autem increbeſcit, morbum Herodis eſſe letalem, ideo duo Profeſſores adhortantur ſuos diſcipulos, ne ſinant templum profanari imaginibus, quas porticibus affixerat Herodes, atque ut *Aquilam auream* illam magni ponderis dejiciant. Sed in ipſo facto deprehenſi, una cum præceptoribus ſuis Hierichuntem abducuntur, & vivi cremam-

mantur die 9 Januarii, feria ſexta, cum ſequenti nocte incideret eclipſis lunæ. *Joſephus.*

VII. *Mors Herodis.* Herodis morbus ingraveſcit, ideo defertur ad Jordanem in thermas, quæ ipſi tamen ſalubres non fuerunt: ideo Hierichuntem redit: ubi ex toto regno omnes, qui vel authoritate vel opibus excellerent, ſeveriſſimo mandato ſub capitis pœnâ evocat, & poſt mortem ſuam occidi jubet, ut ſubditi etiam nolentes lugerent. Inde occidit *filium Antipatrum*, & poſt quinque dies moritur circa tempus Paſchatis, anno ætatis ferè 70, poſtquam morbis ſæviſſimis excarnificatus eſſet. Et conſentaneum eſt eum horrendo iſti infanticidio Bethlehemitico non diu fuiſſe ſuperſtitem, agitantibus & inquietantibus illum ultricibus furiis, & divina Nemeſi ad ſupplicia juſtiſſima tyrannum rapiente. Immodica enim ſævitia, enormis furor, & extrema rabies, raro eſt diuturna & durabilis.

VIII. *Auguſtus Imperator regnum Herodis in Tetrarchias diviſit*, illudque filiis ejus diſtribuit, ita ut Herodes Antipas & Philippus ſingulas reciperent, Archelaus vero binas, qui patri ſuo in Judæa ſucceſſit, & regnavit annos 9, juxta *Joſephum*; juxta alios 6. vel 7.

IX. Poſt defunctum Herodem, Archelao regnante, Joſeph cum Maria & infantulo ex Ægypto in Palæſtinam redeunt, & oraculo moniti, ſedem rerum ſuarum figunt Nazarethæ in Galilæa. *Matth.* 2.

X. ARCHELAUS filius Herodis à Judæis & Samaritanis, tyrannidem ejus non ferentibus, accuſatur apud Auguſtum, & trans Alpes Viennam in Galliam relegatur, & SULPITIUS QUIRINUS cenſum agit in Judæa ſecundum, Archelai (ob tyrannidem circa hæc tempora relegati) bona vendita fiſco Romani Imperii infert, Judæam provinciæ Syriæ attribuit, & Procuratorem accipit. *Joſephus lib.* 18. *cap. ultimo.*

XI. Fratre Archelai, ANTIPAS & PHILIPPUS, quod in provinciis ſuis manerent, urbes in honorem Auguſti condunt, Cæſaream Philippi, & Bethſaidem, quæ JULIAS appellata fuit. Recuperavit tamen vetus nomen, juſſu fortaſſis Auguſti, qui *Juliam* filiam averſabatur. *Joſephus lib.* 18. *cap. ultimo.*

ANNUS A CHRISTO NATO XII.

Chriſtus anno ætatis 12, in Feſto Paſchatis, in templo Jeroſolymitano. Doctores cum omnium hominum admiratione docuit, illuſtriſſimumque divinæ ſuæ ſapientiæ ſpecimen edidit. *Luc.* 2.

III. IMPERATOR ROM.
CLAUDIUS TIBERIUS NERO.

CAPUT I.
DE ORTU.

I. *Generatio.*

I. PATER Tiberii fuit TIBERIUS NERO, qui C. Cæſaris Quæſtor in bello Alexandrino claſſis præfectus plurimum ad victoriam contulit. Quare & Pontifex in locum P. Scipionis ſubſtitutus, & ad deducendas in Galliam colonias miſſus eſt. *Suetonius in Tiberio* §. 4.

II. MATER ejus LIVIA DRUSILLA fuit, quæ, poſtquam enixa jam erat Tiberium filium, cum iterum gravida eſſet, Auguſto petenti eam ſibi in matrimonium concedi, conſenſu mariti nupſit, tertioque menſe poſt DRUSUM NERONEM, in domo Auguſti peperit. Hinc Proverbium Romæ vulgatum eſt:

Τοῖς δ' τυχοῦσι τρίμηνα παιδία,
Fortunatis etiam trimeſtres naſci liberos.

Non multo poſt pater Tiberii diem obiit, utroque liberorum ſuperſtite, Tiberio Druſoque Neronibus, qui Auguſti Imperatoris privigni dicti ſunt. *Suetonius in Tiberio.* §. 4.

Tiberium Auguſtus poſtea etiam interceſſione matris adoptavit, & hæredem Imperii conſtituit, eique filiam ſuam JULIAM uxorem dedit. Atque ita Tiberius Auguſti privignus, filius adoptivus atque gener fuit.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN. Dictus eſt CLAUDIUS TIBERIUS NERO. Quia ex familia *Claudia*, quæ etiam *Clodia* vocata, natus fuit. Ea à Sabinis originem traxit, & Romana facta eſt, non multo poſt urbem conditam. Inter cognomina hujus familiæ fuit nomen NERONIS, quo lingua Sabina fortis ſignificatur ac ſtrenuus. *Suetonius in Tiberio.* §. 1. & 2.

Quoniam autem Tiberius adhuc tiro in caſtris avidius bibebat vinum, militari joco pro Claudio Tiberio Nerone dictus eſt *Caldius Biberius Mero. Bruſon. lib.* 6. *Apophth.*

II. COGNOMEN. Tiberius dicitur. I. *Καίσαρ, Cæſar, Actor.* 25. *v.* 10. ubi Paulus Apoſtolus inquit; Ad tribunal Cæſaris ſto, ubi me oportet judicari. Et *verſ.* 21. Cæſarem appello. Et *v.* 21. inquit

inquit Festus: Jussi servari eum donec mitterem eum ad Cæsarem. 2. Σεβαστὸς, *Augustus*, *Actor.* 25. *v.* 21, 25. Quibus nominibus etiamnum Romani Imperat. utuntur. 3. Κύριος *Dominus*. *Actor.* 25. *v.* 26. Quod tamen nomen ipse Tiberius repudiavit; ut postea dicemus.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ, *sive* Personæ ejus descriptio.

1. H *Abitus animi.* Natura Tiberii fuit sæva, impura, & tamen hypocritica, ironica, & sævitiæ occultatrix. Non enim eorum, quæ appetebat, quicquam præ se ferebat, & eorum, quæ dicebat, nihil facere volebat: Sed cum verba voluntati suæ contraria faceret, quicquid appetebat, recusabat, & quicquid oderat, amplectebatur. *Suidas in Tiber. Aurelius Victor* hoc ipsum hisce verbis enarrat: Ingenio fuit insidiosus, simulans ea se velle, quæ nollet: His quasi in sensus, quibus consultum cupiebat, iis vero quos oderat, quasi benevolus apparens. Theodorus Godæus, Præceptor ejus, eum in Rhetoricis informavit, & naturam, ingeniumque ejus, primus sagaciter prospexit, atque similitudine aptissima expressit, subinde eum in objurgando appellans πηλὸν αἵματι πεφυραμένον, *lutum sanguine maceratum*. Quo insinuare voluit, quod, licet natura Tiberii humanitatem præ se ferret extrensecus, tamen crudelitate & sævitia referta sit intrinsecus. Quod etiam eventus comprobavit. Nam tandem Tiberius in Tyrannum degeneravit.

11. *Habitus corporis.* Corpore fuit amplo atque robusto, statura, quæ justam excederet. Latus ab humeris & pectore, cæteris quoque membris, usque ad imos pedes æqualis & congruens. Sinistra manu agiliore ac validiore, articulis ita firmis, ut recens & integrum malum digito terebraret: caput pueri, vel etiam adolescentis talitro vulneraret. Colore erat candido, capillo pone occipitium submissiore, in quo tamen crebri & subtiles tumores, cum prægrandibus oculis, & qui, quod mirum esset, noctu etiam & in tenebris viderent, sed ad breve tempus, & cum primum à somno patuissent, demum rursus hebescebant. Incedebat cervice rigida, & obstipa, adducto fere vultu, plerumque tacitus: nullo aut rarissimo etiam cum proximis sermone, eoque tardissimo: nec sine molli quadam digitorum gesticulatione. Quæ omnia ingrata atque arrogantiæ plena & animadvertit Augustus in eo, & excusare tentavit sæpe apud Senatum & populum, professus; *Natura vitia esse, non animi.* Valetudine prosperrima usus est, tempore quidem principatus pene toto, prope illæsa, quamvis à trigesimo ætatis anno arbitratu eam suo rexerit, sine adjumento consiliove Medicorum. Hæc *Suetonius in Tiber.* §. 68.

Similiter Tiberio in senectute quoque corporis habitus dedecori fuit: quippe illi prægracilis & incurva proceritas, nudus capillo vertex, ulcerosa facies, & plerumque medicaminibus interstincta. *Tacitus* 4. *Annal.* 9.

AXIOMA I.

Sicut forma decor ad conciliandos hominum animos plurimum momenti habet: Ita nihil est, quod facilius contemtui reddat homines obnoxios, quam deformitas.

Rationem reddit *Ecdorus* poëta Græcus apud *Stobæum sermone* 88. Cujus versus sic redditi:

Faciem aspectu deformem possidens,
Mores etiam ejusmodi habes.
Ex malo enim Natura malum producit,
Ut ex vipera rursum vipera nascitur.

AXIOMA II.

Quædam familiæ habent notas genitivas, quas Aristoteles in Arte poëtica vocat σημεῖα σύμφυτα.

EXEMPLA.

1. Habemus in TIBERIO Imp. qui noctu & in tenebris oculis suis videre potuit, uti modo dictum est. Dio ἀμβλυωπίαν nominat.

11. Ita *Julius Cæsar Scaliger. lib.* 1. *Histor. Animal.* de se scribit, quod oculos habuerit χαροπούς, h. e. quod de nocte experrectus videre potuerit per horam vel amplius objecta, non luce quidem clara, sed instar crepusculi, quod Græcis λυχνὸς dicitur. Idem *Josephus Scaliger* de parente & se ipso narrat in vita patris & confutatione fabulæ Burdonianæ.

II. ACTA TIBERII JUVENILIA.

Tiberius in artibus liberalibus à præceptore suo *Theodoro Godæo* similiter in lingua Græca & Latina, & præsertim in eloquentiæ studio diligenter informatus est, in quo ita profecit, ut novem annorum puer patrem Tiberium defunctum pro rostris laudarit. *Suetonius in Tiberio.*

In oratione latina secutus est *Corvinum Messalam,*

lam, quem ſenem adoleſcens obſervaverat. Sed affectatione & moroſitate nimia obſcurabat ſtylum. Compoſuit & carmen lyricum, cujus eſt titulus: *Conqueſtio de Julii Cæſaris morte.* Fecit etiam Græca poëmata, imitatus *Euphorionem*, & *Rhianum*, & *Parthenium*: Quibus poëtis admodum delectatus, ſcripta eorum & imagines publicis Bibliothecis inter veteres & præcipuos authores dedicavit: & ob hoc plerique eruditorum certatim ad eum multa de his ediderunt. *Suetonius in Tiberio*, §. 70.

III. ACTA OECONOMICA.

I. Uxores.

Uxores duas habuit. *Prior* fuit AGRIPPINA M. Agrippæ filia, neptis Pomponii Attici Equitis Romani, ad quem ſunt Ciceronis Epiſtolæ; cum qua conjunctiſſime vixit, & ex ea filium *Druſum* ſuſcepit. *Suetonius in Tiber.* §. 7.

Poſterior uxor fuit JULIA Auguſti filia: Hanc, dimiſſa Agrippina, invitus ducere eſt coactus, cujus mores improbavit, ut quam ſenſiſſet ſui quoque ſub priore marito appetentem. Sed Agrippinam & abegiſſe poſt divortium doluit, & ſemel omnino ex occurſu viſam, adeo contentis & tumentibus oculis proſequutus eſt, ut cuſtodita ſit, ne unquam in conſpectum ejus poſthac veniret. Cum *Julia* primo concorditer & amore mutuo vixit, ſed poſtea ortis inter eos diſſenſionibus factum eſt, ut perpetuo ſecubaret, intercepto communis filii pignore, qui Aquilejæ natus infans extinctus eſt.

II. Filii.

PRIMO, FILII ejus *naturales* fuerunt *duo*. Unus fuit TITUS DRUSUS, quem ex Agrippina ſuſcepit. Hic nulla re, quam vinolentia patrem repræſentavit, ebrioſus ut pater, & diu poſt, cum Imperator factus eſſet *Tiberius*, vel intemperantia & morbo conſumtus, vel, ut alii ſcribunt per Sejanum veneno ſublatus eſt. *Alter* filius *naturalis*, natus ei fuit ex *Livia*, qui Aquilejæ infans extinctus eſt.

SECUNDO, FILIUS ejus *adoptivus* fuit GERMANICUS; à Druſo fratre prognatus. Hunc enim adoptare coactus eſt, ſic ut adoptione facta, protinus *Auguſti Octaviani* nepos eſſet.

IV. ACTA POLITICA ET POLEMICA.

I. Acta Tiberii, antequam pervenit ad Imperium.

Tiberius ætate confirmata civiles honores petiit, quos & conſequutus eſt, nempe quæſturam, præturam, conſulatum, & tribunitiam poteſtatem. *Suetonius in Tiber.* §. 9. Illuſtrium quoque cauſarum patronus fuit. Pro Laodicenis, Thyatirenis, Chiis, terræmotu afflictis, opemque implorantibus, Senatum deprecatus eſt.

Vannium Cepionem, qui cum Varrone Muræna in Auguſtum conſpiraverat, reum Majeſtatis apud Judices fecit & condemnavit. *Suetonius in Tiberio* §. 8. Ad militiam ab Auguſto miſſus multa feliciter geſſit. Stipendia prima expeditione Cantabrica Tribunus militum fecit: deinde ducto ad Orientem exercitu, regnum Armeniæ Tigrani reſtituit, ac pro tribunali diadema impoſuit. Recepit & ſigna, quæ M. Crapo ademerant Parthi. Poſthæc Galliam Comatam anno fere rexit, & barbarorum incurſionibus, & Principum diſcordia inquietam. Poſtea Rheticum Vindelicumque bellum, tum Pannonicum & Germanicum geſſit: unde triumphales honores conſequutus eſt. *Suetonius in Tiber.* §. 9.

II. Imperii occupatio, ejuſque occaſio.

Poſtquam *Cajus* & *Lucius*, Auguſti ex Agrippa & Lucia filia nepotes, intra triennium defuncti eſſent, Auguſtus inſtinctu Liviæ uxoris *Tiberium* adoptavit cum Agrippa poſthumo. *Tiberius* autem Germanicum fratris ſui filium adoptare coactus eſt, ſic, ut protinus adoptione facta, Germanicus Auguſti nepos eſſet. *Suetonius in Tiberio*, §. 15.

Auguſto autem Nolæ in Campania mortuo, *Tiberius* ex itinere, quo ad bellum in Illyricum profecturus, & ex quo literis Liviæ matris revocatus erat, Romam reverſus, Senatum, jure Tribunitiæ poteſtatis, quam gerebat, convocavit: perlectoque Auguſti teſtamento, maximos gemitus & dolores ſimulavit, principatum tanquam ſervitutem oneroſam recuſans. Quod ſingulari aſtu fecit, ut, quid ſinguli dicerent, vel ſentirent, exploraret, ſicut *Aurelius Victor* ſcribit. *Suetonius* de hac ejus in recuſando imperio ſimulatione §. 24. ita ſcribit: Principatum diu recuſavit impudentiſſimo animo; Nunc adhortantes amicos increpans, ut ignaros, quanta bellua eſſet imperium;

nunc precantem Senatum, & procumbentem ſibi ad genua ambiguis reſponſis & callida cunctatione ſuſpendens, ut quidam patientiam rumperent, atque unus in tumultu proclamaret: *Aut agat, aut deſiſtat.* Alter coram exprobraret, *cæteros quod polliciti ſunt, tarde præſtare: Sed ipſum quod præſtet, tarde polliceri.* Tandem quaſi coactus, & querens miſeram & oneroſam injungi ſibi ſervitutem, recepit Imperium: nec tamen aliter, quam ut, depoſiturum ſe quandoque, ſpem faceret. Ipſius verba hæc ſunt: *Dum veniam ad id tempus, quo vobis æquum poſſit videri, dare vos aliquam ſenectuti meæ requiem. Suetonius in Tiberio §. 24.*

AXIOMA.

Simulatores & diſſimulatores peſſimi ingenii ſunt homines.

Nam turpe eſt aliud loqui, aliud ſentire, inquit *Seneca Epiſtola* 24. Similiter *Homer. Iliad.* graphice loquitur, quando ait,

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζῃ.
Odi illos ceu claustra Erebi, quicunque loquuntur
Ore aliud, tacitoque aliud sub pectore condunt.

Qui vero hoc vitio laborant, illi ἀκκίζειν dicuntur, h. e. diſſimulare ea, quæ maxime cupiunt. Inde Ἀκκισμὸς, Acciſmus dictus, qui eſt ficta diſſimulatio, cum ſcilicet, quæ maxime cupimus, nos velle diſſimulamus. De quo Olympiodorum vide. Ex talibus argutiis & ſutelis Tiberius totus erat compoſitus.

III. Imperii adminiſtratio.

Tiberius arte Imperium adeptus, initio bonus fuit Princeps, ſed poſtea malus eſt factus.

AXIOMA.

Magna eſt mixtura in magnis viris virtutum & vitiorum.

Nam ſcitum eſt *Platonis* dictum: *Αἱ μεγάλαι φύσεις μεγάλας ἐκφέρουσι κακίας.* h. e. Heroicæ naturæ ut magis virtutibus inclareſcunt, ita non levioribus vitiis ſunt obnoxiæ. Et ſicut in Ægypto naſcuntur optima ſimul remedia, ac nocentiſſima venena: Ita & magna bona, & magna mala Reipubl. à magnis iſtis viris impendent. Hinc recte *Lucanus* ait:

——— Plerumque mitiſſima ſors eſt
Regnorum ſub Rege novo.

Quia ſciunt omnes novum imperium inchoantibus utilem eſſe elementiæ famam. *Petr. Gregor. Tholoſan. lib. 8. de Republ. cap. 1. pag. 537.*

Quare non confidendum eſt lætis initiis Gubernatorum & Principum, cum pauci ſint manibus, pedibus & mente πεπερασμένοι. Et recte *Bodinus lib. 4. de Republ. cap. 1. pag. 591.* ait. Magnæ virtutes initio Principatus non poſſunt eſſe diuturnæ. Cujus ratio ea videri poteſt, quod qui principio tam clarus & illuſtris apparet, ſimulationem vultu tegat neceſſe eſt. Quo in genere Tiberius omnes ſuperavit. Sicut *Xiphilinus* de eo ſcribit. *Tiberius*, inquit homo magnis virtutibus præditus, coopertuſque ſceleribus, ac ambobus pariter uſus, quaſi tamen in alterutro ſe exercuiſſet. Similia exempla habemus id Saule, Joa, Amaſia, Oſia, aliiſque, qui initio boni & felices fuerunt Reges, ſed poſtea à ſe ipſis degenerarunt, uti in Hiſtoriis noſtris ſacris prolixius σὺν Θεῷ dicemus.

I. VIRTUTES TIBERII.

I. Humanitas.

Tiberius in initio Imperii humanus erga omnes erat, præcipue vero Senatum & Senatores omnes uſque ad ſubmiſſionem veneratus, humanitatis prope excedebat modum, libertatiſque ſpeciem quandam exhibebat, conſervatis Senatui ac Magiſtratibus dignitate priſtina ac poteſtate. Neque enim tam parvum quicquam, neque tam magnum publici privatique negotii fuit, de quo non ad patres conſcriptos referret: Quædam adverſus ſententiam ſuam decerni, ne queſtus quidem fuit.

II. Modeſtia & humilitas.

Singularis quoque *Modeſtia* & *Humilitas* initio in Tiberio fuit. Nam cuidam, à quo fuerat DOMINUS appellatus, denunciavit ne ſe amplius contumeliæ cauſa ita nominaret. Quanta modeſtia in tanto Principe? Nunc quidam nihil audire poſſunt, niſi ſacras Majeſtates, Gratioſas Celſitudines, & Reverendiſſimas Dominationes. *Eraſmus lib. 6. Apophthegmatum.*

III. Veracitas.

Veritatis quoque amans Tiberius fuit. Nam adulandi ſtudium (quod mendacii ſpecies eſt) in primarii Reipubl. Romanæ viris deteſtatus, & indigne ferens, quoties è Senatu egrediebatur, apud ſe exclamabat: O homines ad ſervitutem paratos! *Tacitus.*

IV. Eru-

IV. Frugalitas.

Macelli annonam Senatus arbitrio quotannis temperandam cenſuit. Et ut Parſimoniam publicam exemplo quoque juvaret, ſolennibus ipſe cœnis pridiana ſæpe ac ſemeſa opſonia appoſuit, dimidiumque aprum, affirmans: *Omnia eadem habere, quæ totum. Sueton. in Tib.* §. 34.

V. Liberalitas & Benevolentia.

Liberalis quoque & benevolus erga ſubditos fuit; Unde magnam eorum benevolentiam ſibi conciliavit. Nam narrat *Suetonius in ejus vita* §. 32, illum Præſidibus, onerandas tributo provincias ſuadentibus, ita reſcripſiſſe; Boni paſtoris eſt, tondere pecus, non deglubere. Quam merito laudatam, & ab omnibus approbatam ſententiam ſic extulit Dio: Κείρεσθαί μου τὰ πρόβατα, ἀλλὰ οὐκ ἀπδύεσθαι βούλομαι. h. e. Tonderi pecus meum volo, non ad vitam uſque radi. Imitatus hac in re Alexandrum Magn. qui Præfecto cuidam monenti eum, longe plus vectigalium à ſubditis auferri poſſe, ita reſpondit: Καὶ κοπρὸν μισῶ, ἢ ἐκ ῥίζων ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα. Olitorem odi, qui radicitus olera exſcindit. Præterea ſi quid alicui largiretur, id confeſtim ſe inſpiciente numerari juſſit, magna adhibita cura, ne idem ſibi, quod Auguſto, eveniret, cujus numerum per magnam partem diſpenſatores detrahere conſueverant.

VI. Prudentia.

Prudentia Tiberii effulget tum ex *Auguſti* Imperat. *verbis*. Nam de Tiberio dixit, ſe Romanis cum Imperii ſucceſſorem relicturum, qui nunquam eadem de re bis conſultaſſet. Quoniam Tiberius plurimum conſiliis præſentibus valuit. *Plutarch. in Apophth.* Tum ex ipſius *Tiberii legibus* atque inſtitutis politicis. Nam

I. Prudenter ſtatuit, non facile, nec celeriter præfecturas aut Magiſtratuum dignitates eſſe mutandas. Cum enim amici quererentur, illum poteſtates ac imperia feciſſe perpetua, repoſuit illud: Hirudines, & muſcas, multo ſanguine hauſto, quieſcere, & minus graves moleſtaſque eſſe: recentium vero morſus eſſe acerrimos. Sic novos Magiſtratus, quicquid ſanguinis eſt ac medullarum, aviditate ſumma haurire, ut veteri proverbio dicitur: *Non parcit populis Regnum breve. Nicephor. Hiſtor. Eccleſ. lib* 1. *cap.* 17. Sicut enim crebra victus mutatio in corporibus hominum à Medicis: ſic Magiſtratuum mutatio in Rebuſpubl. improbatur. Hinc *Bodinus lib.* 4. *de Republ. cap.* 4. *pag.* 680. pulchrè ſcribit: Præſtat magiſtratus eſſe perpetuos, quam annuos: Quia tam brevi ſpatio, id eſt, annuo, nihil rectè geri poteſt. Prius enim Imperium deponere neceſſe eſt quàm, quid gerendum ſit, intelligatur: aut rebus perceptis & planè cognitis, cum operi manus admovere cœperis, repente novus magiſtratus aderit, qui manum de tabula: tum huic alius, atque alius identidem ſubſtituetur, novi omnes. Ita Reſpublica magiſtratibus rerum gerendarum uſu peritis ſemper caritura eſt.

II. Prudentiæ quoque ſignum fuit, quod firmum fixumque ei fuerit, non omittere caput rerum Romam, unde in omnia regimen. Nam Sapiens eſt monitum Politicorum: Principem in umbilico Imperii conſiſtere debere; ſicut *Calanus* Philoſophus Indus Alexandro Magno ænigmatice, ſed valde venuſte inſinuavit. Nam ſcribit *Plutarchus in vita Alexand.* Taxilen uni inter Gymnoſophiſtas celebri Calano perſuaſiſſe, ut Alexandrum conveniret, eumque erudito aliquo philoſophemate oblectaret. Paruit *Calanus*, & ad Alexandrum introductus corium aridum in ſolum projecit, ejuſque extrema viciſſim calcavit. Quod dum ab ipſo fieret, aliæ ſemper atque aliæ partes attollebantur: cum autem medium calcaſſet, extremitates circumcirca quiete permanſere. Qua re monere voluit Alexandrum; ne in regni extremitatibus ſe contineret, ſed medium, adeoque caput Imperii premeret. Sic enim ipſum circumjacentia facilius in officio retenturum.

III. Leges quoque veſtiarias Romæ tulit, ne quis vir ſerica veſte uteretur; neque aurea vaſa, niſi ad rem ſacram, haberet: uti *Dion* ſcribit. Quibus legibus prudenter Republ. Romanæ conſuluit. Nam multis modis in veſtitu peccari ſolet, nempe precioſitate, ſuperfluitate, novitate, levitate, *&c.* Quare officium Principis eſt, huic etiam malo obviam ire. Nam luxum in veſtitu ſequitur paupertas. Sæpe enim ſubditi coguntur, ob impenſas in veſtitum ſuperfluum aut precioſum factas, immobilia vendere, furari, vel doloſe negotiari: id quod prudens Magiſtratus legibus veſtiariis antevertere debet; ſicut *Tiberius* fecit. Nam conviviorum & veſtium luxuria ægræ civitatis eſt indicium. *Seneca Epiſt.* 115. Vide *Petr. Gregor. Tholoſan. lib.* 4. *de Republ. cap.* 11. *pag.* 234.

IV. Sub Tiberio Senatuſconſultum factum eſt, executionem ſententiæ in facinoroſos latæ ad decem dies eſſe differendam, referente *Suetonio in Tiber.* §. 75. Unde patet, quod Pilatus (qui à Tiberio Præſes Judææ conſtitutus erat) contra leges Romanas peccarit, indulgens Judæis feſtinam ſupplicii Chriſti executionem. De duobus latro-

latronibus ſimul cum Chriſto crucifixis non commemorant Evangeliſtæ, quod tum demum mortis ſententia in eos fuerit pronunciata; procul dubio igitur ante dies aliquot crucis ſupplicium ipſis dictatum fuit: Sed Chriſtus Servator noſter ſine ulla mora interpoſita, poſt prolatam mortis ſententiam ex urbe ad ſuppliciī locum fuit eductus; uti patet ex *Johan.* 18. *verſ.* 14, 15, 16. *cap.* 19. *verſ.* 16, 17. *Matth. cap.* 27. *v.* 31. *Marc.* 15. *v.* 20.

VII. Patientia.

Injuriarum patiens fuit Tiberius. Cum enim conviciis & famoſis carminibus impeteretur, amicis ad ultionem eum hortantibus, reſpondit: In civitate libera linguam mentemque liberam eſſe debere. *Eraſmus lib.* 6. *Apophthegmatum.*

Cum dictis quorundam parum honeſtis adſperſus eſſet, & à Senatu admoneretur, ut maledicos puniret; Non tantum, inquit, otii habemus, ut implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si hanc feneſtram aperueritis, nihil aliud agi ſinetis: Omnium inimicitiæ hoc prætextu ad vos deferentur. *Suetonius Tiber.* §. 28. *Eraſm. lib.* 6. *Apophthegm.*

Diogenes Grammaticus Sabbatis Rhodi diſputare ſolitus, Tiberium ad ſe venientem, ut ipſum extra ordinem audiret, non admiſit, ſed per ſervulum ſuum in diem ſeptimum diſtulit. Is cum Romam veniſſet, & pro Cæſaris foribus aſtaret, cupiens illum ſalutare: Tiberius juſſit, ut poſt ſeptimum annum rediret. Nec alia pœna tantam Grammatici ſuperbiam ultus eſt. *Eraſmus ibidem.*

II. VITIA TIBERII.

Tandem Tiberius firmata potentia ingenium nudavit; & vitia diu diſſimulata proruperunt.

I. Ebrioſitas.

Tiberius utroque filio, nempe *Druſo* naturali, & *Germanico* adoptivo orbatus, Capreas in inſulam ſe contulit. Ibi Reipubl. curam plane abjecit, & dies noctesque epulando potandoque conſumſit. Unde ob nimiam vini aviditatem pro *Tiberio Claudio Nerone*, Biberius Caldius Mero à joculatoribus dictus eſt. Præmia quoque compotatoribus largitus eſt, Nam ignotiſſimum quæſturæ candidatum nobiliſſimis antepoſuit, ob epotam in convivio, propinante ſe, vini amphoram.

II. Libido & Voluptas.

Nam ſeceſſu Capreenſi portentoſæ libidinis exempla invexit. Unde propter laſciviam & libidines, per lepidam ad nomen Inſulæ alluſionem, vulgo *Caprineus* dictus eſt. Quo nomine Hircus vitulus appellatus eſt. Sexto Claudio libidinoſo & prodigo ſeni, olim ab Auguſto ignominia notato, & à ſe ante paucos dies apud Senatum objurgato, cœnam ea conditione condixit, ne quid ex conſuetudine immutaret aut demeret, utque nudis puellis miniſtrantibus cœnaretur; juxta vulgatum verſiculum:

Et Venus in vinis, ignis in igne furit.

Wie Feu'r vom Feuer gröſſer wird:
So Sauffen Vnzucht leicht gebiert/
Die Leut' in freche Geylheit führt;
Wie man's an dieſem Kaiſer ſpührt.

Auſonius tali epigrammate eum perſtrinxit:

Prænomen Tiberi nactus NERO, *prima juventæ*
Tempora laudato geſſit in imperio.
Fruſtra dehinc ſolo caprearum clauſus in antro,
Qua prodit vitiis, credit operta locis.

III. Levitas.

Nam 1. *Omnibus delatoribus, quæſtus cauſa, tantum tribuit*, ut nemini fidem abrogaret, ſive quid veri, ſive falſi referret.

11. *Adulatores amavit, eorumque titillantes laudes libenter audivit. Plutarch. de diſcrim. adulatoris & amici, fol.* 37. tale exemplum recenſet: Tiberio Cæſare curiam aliquando ingreſſo, exſurgens adulatorum unus: Ipſos, ait, qui liberi eſſent, dicere oportere libere, nec quicquam diſſimulare vel ſupprimere, quod in rem foret. Cum ita excitaſſet omnes, facto ei ſilentio, ſuſpenſoque Tiberio, Audi, Cæſar, inſit, in quo te culpemus cuncti, nec promere aperte quiſquam audet. Negligis temet ipſum, perditum is corpus, curiſque & laboribus pro nobis conficis perpetuo, neque nocte neque die laxamentum ſumis. Hujuſce multa cum ille declamaret: Caſſium Severum memorant Oratorem dixiſſe: *Αὕτη τῶν ἡ παῤῥησία τὸν ἄνθρωπον ἀπόλλυσι. Hæc libertas hominem perimet.*

IV. Tyrannis & crudelitas.

Tyrannorum nota, ex quibus agnoſci poſſunt, ſequentes ſunt.

1. *Tyranni ſuſpicaces ſunt.* Sic *Tiberius* multos interfecit: quia erat in eo natura ſuſpicax. *M. Æmilius Scaurus*, (ut narrat *Dion. in vita Tiberii* §. 13.) nullo ſcelere admiſſo, captus ob Tragœdiam, quam compoſuerat, in eundem quem ſcripſerat, caſum incidit. Atreus poëmati nomen erat, in eoque cohortabatur, ad exemplum *Euripidis*, eum, qui foret ſub imperio, ut Principis ſtultitiam ferret. Qua re cognita, *Tiberius* rem omnem ad ſe ſpectare arbi-

arbitratus, ſeque propter cædes factas intelligi Atrei nomine, dixit ſe *Scaurum Ajacem* facturum: id quod evenit. Nam ipſum eo deduxit, ut ſibi mortem afferre cogeretur: non tamen de hac re facta eſt accuſatio, ſed quod Livillæ ſtuprum intuliſſet. Multi enim ob hanc cauſam ſupplicio affecti ſunt.

II. *Tyranni omnes magnos & excellentes viros oderunt.* Qui enim non habet conſcientiam propriæ virtutis, invidet alienæ, & metuit inſidias ſine probabili ratione. *Franc. Patrit. l. 2. de regno p. 74. Anti-Machiavell. l. 3. p. 365.* Et recte *Saluſtius* in Catilina inquit: Tyrannis boni, quam mali, ſuſpectiores ſunt, ſemperque illis aliena virtus formidoloſa eſt. Talis erat *Tiberius* in Germanicum & Sejanum. Et hac de cauſa magnis viris ſemper obſervatum, ut rebus à ſe præclare geſtis nihil ipſi efferrentur, ſed omnia Principibus ſuis referiberent. Docet de *Germanico* Tacitus, qui Germanis devictis congeriem armorum ſtruxit, ſuperbo cum titulo: Debellatis inter Rhenum Albimque nationibus, exercitum *Tiberii Cæſaris* ea monumenta Marti & Jovi & Auguſto ſacraviſſe. De ſe nihil addidit, metu invidiæ.

III. *Tyranni liberas voces audire nolunt.* Nam in eo diſtinguuntur Principes boni atque tyranni. Boni Principes ſententiam licet liberam patienter audiunt, & neminem interrumpunt, ſicut *Plinius* pulchre ad Trajanum Imper. ait: Finem ſermonis ſuus cuique pudor, non tua ſuperbia, facit. At Tyranni contrarium faciunt. Ita *Meſſala Valerius* à Tiberio interrogatus: num ſe mandante ſuam ſententiam dixiſſet, reſpondit: Se ſponte dixiſſe: neque enim in iis, quæ ad Rempubl. pertinent, conſilio, niſi ſuo uſurum. *Hippolyt. à Collib. in Conſiliar. ſuo. p. 198.* Et hac de cauſa Tiberius matrem ſuam Liviam, libere eum nonnunquam monentem, nominabat *Ulyſſem* ſtolatum. Hinc recte *Demoſthenes* ait: Ὅτι τύραννος ἅπας ἐχθρὸς ἐλευθερίᾳ καὶ νόμοις ἁπανταχοῦ.

IV. *Tyranni ſunt ſanguinolenti, quoſvis homines ſine diſcrimine trucidantes, & nova ſupplicíorum genera excogitantes.*

Exemplum habemus in *Tiberio*, qui ſæviſſimus & ſanguinis humani ſitientiſſimus fuit. Nam ſæpe leve ob crimen homines morte multavit, & crebra poſtremis annis Tiberii erant ſupplicia: ut nullus à pœna hominum ceſſaret dies, nereligioſus quidem ac ſacer: animadverſum in quoſdam ineunte anno novo, accuſati damnatique multi cum uxoribus atque liberis ſuis: interdictum, ne capite damnatos propinqui lugerent. Nemini delatorum fides abrogata: omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum ſimpliciorumque verborum: quibuſdam cuſtodiæ traditis, non modo ſtudendi ſolatium ademtum, ſed etiam ſermonis & colloquii uſus. Diu verum ejus crudelitatis ſignum, ſcopulus prærultus in Caprearum inſula offenſus eſt, à quo præcipitari damnatos ſpectabat; quos nautæ ad id præparati remis fuſtibuſque exceptos occidebant. Semel quoque humanitatis ac bonorum morum terminos tranſgreſſus, uno die viginti damnatorum liberos occidit, in quibus aliquot forma inſignes fuerunt puellæ, quas antea à carnificibus inceſtari juſſit. Novum etiam tormenti excogitavit genus, cum arcte devincto quibuſdam genitali membro, ebrietatem ſuperadderet, ut per eum modum impedita urina, magno dolore diſcruciati tandem perirent: qua ſævitia feræ ſimilior, quam homini, factus, cum ne ſuo quidem generi parceret, *Tiberium Druſumque* Germanici, quem ipſe adoptarat, filios in carcere fame confecit, adeo ut *Druſus* inventus fuerit, culcitram præ fame nimia momordiſſe. *Campofulg. lib. 9. cap. 2. Dion* ſcribit, quod Tiberius, poſt mortem Auguſti, legatum populo Romano promiſſum ſolverit, motus, quod quidam defuncto in aurem inſuſurraverat, ut Auguſto nunciaret, ſua legata nondum eſſe diſtributa. Quem tamen Tiberius ſtatim interfecit, juſſitque, ut ipſe nuncium hoc ad Auguſtum perferret. Reliqua crudelitatis prorſus Tyrannicæ exempla, quis brevi oratione complectatur? Sæviit enim tam in ſuos, quam alienos, excogitatis fictiſque criminibus, etiam leviſſimis, eos ſubvertens.

AXIOMA.

Plutarchus: Τύραννος ἐπὶ ξώων σπένδεται. vel, ut *Plato* inquit: *Homines, ſemel guſtata carne humana, fiunt lupi.* Nam quando ſemel Tyranni ſanguine innocenti manus ſuas polluerunt, poſtea finem cædium non fecerunt; ſicut *Lucanus* pulchre ait:

Nullus ſemel ore receptus
Pollutas patitur ſanguis manſueſcere fauces.

Exemplum habemus in *Tiberio*: Unde hic verſus ignominioſus in eum ſcriptus eſt:

Faſtidit vinum, quia jam ſitit iſte cruorem:
Tam bibit hunc avide, quam bibit ante merum.

V. *Tyranni* Σκίμμωνι πολιτικὰ *legum in ſpeciem obſervatarum excogitant.*

Exempla.

I. Ita *Tiberius*, cum in Sejani familiam ſæviret, legeque cautum videret, aut potius, conſcientia turpitudinem detegente, non fas eſſe videret, virginem

ginem innocentem in carcere necare, filiam Sejani prius ſtuprari fecit à carnifice, & tandem necari, ſic turpitudini occurſum arbitratus. Nam ita ſcribit *Dion in Tiber.* Liberi Sejani ex Senatusconſulto necati ſunt: filia, quam pactus erat *Claudii* filio, conſtuprata prius à carnifice, tanquam impium foret virginem in carcere perire, poſtea occiſa eſt. *Sueto*nius ita ſcribit: Immaturæ puellæ, quia more patrio nefas eſſet virgines ſtrangulari, vitiatæ prius à carnifice deinde ſtrangulatæ.

2. Idem Tiberius, cum vetere Senatuſconſulto in caput domini ſervos interrogari, & per tormenta inquirere non liceret, Libonem autem è medio ſublatum omnino vellet: cum deeſſent condemnandi hominis argumenta, Callidus & novi juris repertor *Tiberius* (ita loquitur *Tacitus lib.* 2. §. 4.) mancipari ſingulos actori publico jubet; ut ſic ex hoc dominio in aliud tranſlati, quæſtionibus contra Libonem ſubjici poſſent. Nec ſemel contentus hunc ludum ludere, iteravit in ſervis *Silonis.* Verum & hic quanquam caviſſe ſatis viſus, vaniſſimum tamen ejus ὄφημα fuit. Dum enim morem majorum ſive vetus Senatusconſultum illæſum ſe præſtare arbitratur, impingit in jus gentium, quo dominum transferre in alium dominum fas neutiquam eſt. Non igitur novi juris repertor *Tiberius* fuit, ſed notæ veteriſque injuriæ.

VI. *Tyranni ſunt ſimulatores peſſimi.* Quia blandientes fallunt, h. e. aliud dicunt, aliud ſentiunt.

Ita *Tiberius*, quos ſumme oderat, illos impenſe ſe diligere ſimulabat, illiſque publice benefaciebat.

Exempla.

1. Ita *Tiberius* Libonem ornabat prætura, quem tacite oderat, convictibus etiam adhibebat, non vultu alienatus, non verbis commotior: adeo iram condiderat.

2. *Valer. Maximus l. 9. c. 11.* de *Lucio Ælio Sejano* ſcribit, illum *Tiberio Cæſari* prius familiaritate conjunctiſſimum, ſed poſtea ob ſuſpiciones inimicum factum. Hunc Principis amicitia illuſtrem fecerat, atque ad ſummos honores evexerat, adeo ut ejus natalis publice velut Cæſaris celebraretur, ſtatuæ omnis generis, atque etiam aureæ, paſſim ab omnibus ponerentur colerenturque, utque tandem apud Senatum, omnemque populum majore in authoritate, quam ipſe *Tiberius* eſſet. Itaque nimis exaltatum, jamque metuendum, aſtu & dolo ſubvertit. Spe etenim affinitatis atque tribunitiæ poteſtatis objecta, deceptum, nihilque ſiniſtri ſuſpicantem, ſubito aggreſſus, velut res novas adverſus Rempublicam atque ſe molientem, longa & criminoſa epiſtola è Capreis (ubi tunc hærebat *Tiberius*) ad Senatum ſcripta, infenſiſſime accuſavit. Sejanus mox ab omnibus deſertus, juſſu Senatus in carcerem raptus, cum omni ſtirpe & familia occiditur. Cadavera biduo publice ludibrio habita, demum in Tiberim projecta ſunt, & acerba inquiſitio contra ejus familiares & amicos inſtituta. Ipſius nomen non diu antea Conſulis, tanquam populi Romani hoſtis, è faſtis ac monumentis publicis eraſum, ſtatuæ paſſim dejectæ atque conflatæ, ac memoria decreta abolita eſt. Vide *Dion. in Tiberio* §. 11, 12. & *Corn. Tacitum lib.* 5. §. 2.

VII. *Tyranni invidia laborant.*

Exemplum pulchrum habemus in *Tiberio*, ſub quo inventum eſt vitri temperamentum, quo flexile fiebat, ut, licet in terram projiceretur, tamen non frangeretur; ſed tota ea officina à Tiberio extincta eſt, ne argenti & auri metalla vileſcerent. Male factum. Nam ars vitriaria eſt ars mirabilis, multiſque hominibus utilis: Ideoque non eſt damnanda, ut fecit *Tiberius*; ſed potius commendanda. Nam vitriarii candentem materiam è cinere liquefactam, éque fornacibus depromtam, ac ferreis fiſtulis adhærentem, uno vel altero flatu in calices, pateras, aut in quam velint, poculi formam, magnitudinemve, mira dexteritate confeſtim reducunt. Tale ἀναλημμα Ebersbachii Naſſoviorum apertum eſt; ad quod undecunque viſendi ſtudio multi ſe recipiunt, artemque eximie commendant.

VIII. *Tyranni malam conſcientiam habent.* Nam quamdiu vivunt, Furiæ diræque Ultrices impurum eorum animum, Deo hominibuſque infeſtum, ita excarnificant, ut neque vigiliis, neque quietibus ſedari poſſint; uti pulchre inquit *Anti-Machiavellus lib.* 3. *pag.* 560. *Exemplum* elegans habemus in *Tiberio* Imperatore. Nam ille non vidit tantum, ſed ſenſit quoque dolorem ſuum, eumque fatetur ſignificantiſſimis verbis apud *Tacitum lib.* 6. *Annal. c.* 6. Quid ſcribam vobis, P. C. aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore? Dii me Deæque pejus perdant, quam perire quotidie ſentio, ſi ſcio. Ad quæ ita commentatur Hiſtoricus: Adeo facinora atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant: Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientia firmare ſolitus eſt, ſi reccludantur Tyrannorum mentes, poſſe adſpici laniatus & ictus, quando, ut corpora verberibus, ita ſævitia, libidine, malis conſultis animus diſtrahitur. Quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris ſuaſque ipſe pœnas fateretur. Hinc recte *Seneca*: *Conſcientia*, inquit, *etiam*

in

in ſolitudine anxia & ſollicita eſt; imo neque vigiliis, neque quietibus ſedari poteſt. Hæc ille. Fugerat *Tiberius* in Campaniam, ſed circumferebat ubique tormentum ſuum: neque aliud agebat, quam correpti inter navigandum nauſea ſolent; ſi in lintrem è lembo, rurſumque inde in triremem conſcendant, nihil tamen efficiunt, *quia bilem & metum ſecum transferunt*: ut eleganter inquit *Plutarchus lib. de Tranquillitate Animi.*

V. ΕΠΙΧΑΙΡΕΚΑΚΙΑ.

Tiberius fuit ἐπιχαιρεκακία. Nam ita patriæ & commodis publicis infeſtus extitit, non ſuis tantum, ut Priamum felicem prædicarit, quod ſuperſtes omnium ſuorum extitiſſet. *Suetonius in Tiberio.* Et, verſum illum Tragici Poëtæ in ore habere ſolitum, *Dio* ſcribit:

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.
Me mortuo miſceatur igne terra.

Nero hanc vocem inhumanam monſtroſe corrigens: Imo (inquit) Ἐμοῦ ζῶντος, me adhuc vivo.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

1. *Mortis genus.* Tiberius iter inſtituit verſus Romam; ſed cum Appia via uſque ad ſeptimum lapidem jam proceſſiſſet, mutata ſubito ſententia retro abiit, proſpectis modo, nec aditis urbis mœnibus. Rediens in languorem incidit, quem tamen, uti & ægritudinem ſubſecutam, ſedulo diſſimulare ſtuduit, & Capreas, inſulam ſuam, repetere. Sed fruſtra. Nam licet morbum ſuſtentaret aliquandiu, Miſenum uſque devectus, nihilque ex ordine vitæ quotidiano prætermitteret, ne convivia quidem ac cæteras voluptates; tamen accedentibus ad morbum offenſis aliis, animam exuit in Campania, in villa Lucullana. Nonnulli exiſtimant, venenum ei à Caio (qui in imperio ſucceſſit) datum lentum atque tabificum. Alii in remiſſione fortuitæ febris cibum deſideranti negatum. Aliqui etiam ſcribunt, pulvinum ei injectum, cum extractum ſibi deficienti annulum mox ad ſe rediens requiſiviſſet. Senecæ hac de re apud Suetonium hæc ſunt verba: Tiberius intellecta defectione exemtum annulum quaſi aliqui traditurus, parumper tenuit, deinde rurſus digito aptavit, & compreſſa ſiniſtra manu jacuit diu immobilis, ſubitoque vocatis miniſtris, ac nemine reſpondente, conſurrexit, nec procul à lectulo deficientibus viribus concidit. *Suetonius in Tiberio* §. 73. Adjutum Caium nonnihil etiam Macronis opera creditum eſt: qui præfectus prætorianis militibus poſt Sejanum, adoleſcenti iſti ſe jam dabat, præſertim valetudine ſenis Imperatoris affecta & deſperata. Quod ipſum aliquando odoratus Tiberius, dixit, *Bene tu, qui ſole occidente relicto, ad Orientem te confers. Dion in Tiberio* §. 13.

11. *Tempus.* Obiit Tiberius A. C. 38, die 16 Martii, cum imperaſſet annos 22, menſes 7, dies 5, & vixiſſet an. 78. ante Chriſtum conceptum an. 39. & poſt eundem natum 39.

111. *Gaudium* populi ob *mortem Tiberii.* Populus morte ejus ita lætatus eſt, ut in Tiberim projicere ſeſe velle corpus clamore magno oſtenderit, quo Tiberis Tiberium abſumeret; nihilominus tamen corpus ejus à Miſeno Romam per milites deportatum, ibique publico funere crematum eſt; cum plerique Deos Manes oraſſent, ne mortuo ſedem ullam, niſi inter impios, darent. *Suetonius in Tiberio* §. 75.

ACTA ECCLESIASTICA,
ſub Imp. TIBERIO.

1. ANNO mundi 3999. Imperii vero Tiberii Cæſaris 15, JOHANNES Zachariæ Sacerdotis, (quem tradunt intra templum & altare occiſum eſſe à Phariſæis, propter confeſſionem de Meſſia concepto & exhibito) & Eliſabethæ filius, à Deo vocatus in ipſo feſto *clangoris Tubarum*, quod in diem 1. menſis ſeptimi juxta Calendarium Judaic. (ſicut ex *Levit.* 23. 24. patet) juxta Roman. vero vel in menſes Septembri vel Octobri incidebat, tanquam tuba præſentem Meſſiam renuncians, officii ſui ſancti munus auſpicatus eſt, & Evangelium voce contenta & plena docuit, & ad vitæ ſanctimoniam atque pœnitentiam omnium ordinum homines magno ſucceſſu excitavit: ac tanquam inchoator Novi Teſtamenti, novum ritum, nempe Sacramentum Baptiſmi, orſus eſt. Ex quo Baptiſtæ nomen accepit. Plurimi autem ad ipſum confluxerunt, & abluti aquis peccata ſua confeſſi ſunt. De vocatione Baptiſtæ, de initio, progreſſu, & ſucceſſu prædicationis, & baptiſmi ipſius uſque ad baptiſmum Chriſti, vide *Matth. c.* 3. *v.* 1, ad 13. *Marc. c.* 1. *v.* 1, uſque ad 9. *Luc. c.* 3. *v.* 1, ad 19.

NOTA.

Quia ſupra diximus, Johannem munus ſuum inchoaſſe in feſto Clangoris Tubarum, de eo notandum, quod fuerit ſolennitas ſacra primo die menſis ſeptimi celebranda, qua animi Iſraëlitarum ad feſtum Propitiationis inſtans clangore tubarum excitabantur. *Levit.* 23. *verſ.* 24. In menſe ſeptimo die primo erit vobis Sabbathum *memoria clangoris* convocatio ſancta. Ubi per MEMORIAM CLANGORIS intelligitur *Feſtum Tubarum*, in quo Tubis canitur ab ortu ſo-

lis

lis uſque ad occaſum. Hinc optima illorum eſt ſententia, qui ſtatuunt, præfiguratum fuiſſe per feſtum illud miniſterium Johannis Baptiſtæ, qui Chriſti præcurſor fuit, illique viam præparavit, *Luc.* 1. 76. & prædicatione pœnitentiæ vocem ſuam quaſi tubam exaltavit. *Jeſaiæ* 58. 1. Unde in feſto tubarum prædicare & baptizare incipiebat.

11. Anno mundi 4000. egit Chriſtus Dominus noſter annum ætatis ſuæ trigeſimum, & hoc anno profectus eſt Bethabaram ad Jordanem; ubi à Johanne Baptizatus, voce Patris inauguratus, & Spiritu S. unctus ad prædicandum miſſus eſt. *Luc.* 4. 18. ut inciperet facere & docere. *Act.* 1. 1. De baptiſmo Chriſti vide *Matth.* 3. à *v.* 13. ad 18. *Marc.* 1. *v.* 9. ad 12. *Luc.* 3. *v.* 21. & 22.

NOTA.

Tradunt quidam Eccleſiæ Doctores, Jeſum Chriſtum in Feſto *Expiationis* (quod 10. die menſis ſeptimi celebrabatur, *Levit.* 23. 24.) à Johanne eſſe baptizatum; idque conjectantur ex typo. Quemadmodum enim ſummus ſacerdos ſemel in anno (juxta mandatum Dei) in ſanctum ſanctorum ingrediebatur, die expiationis, ut ſe & ſanctuarium, totumque populum expiaret: Ita Chriſtus in feſto expiationis baptizatus eſt, ſummi Pontificis munere in natura aſſumpta publice fungi cœpit, introivit in ſanctum ſanctorum, offerens & obligans ſe æterno Patri ad peccatorum expiationem perficiendam, & eo ipſo die unicus iſte Agnus Dei, omnium hominum delicta SEMEL ſibi impoſita paſſus eſt, pro quibus etiam Patri æterno æquivalens λύτρον obedientia & morte ſua tandem perſolvit, æternamque redemptionem nobis acquiſivit. *Hebr.* 9. 12.

Pulchre item Chriſto recens baptizato congruit typus de HIRCO emiſſario, qui dictus fuit שעיר, (ab שעה caper, & שער abiit) LXX. Hircus ἀποπομπαῖος, (ab ἀπὸ ab, & πέμπω mitto, πομπὴ miſſio, miſſus) Latin *Hircus emiſſarius*, (cujus capiti ſummus Sacerdos per manuum impoſitionem peccata totius populi Iſraëlitici imponebat,) & peccata populi portabat, & poſtea in feſto *Expiationis* die 10. menſis Tiſri in deſertum abiegabatur. *Levit* 16. 21 Ita etiam Chriſtus Servator noſter, Antitypus hirci, à Johanne Baptizatus, ſtatim poſt baptiſmum in deſertum a Spiritu S. abductus eſt, ut omnibus innoteſceret eum eſſe Meſſiam mundi, & Agnum Dei immaculatum, *Joh.* 1. 29. qui per hircum in deſertum miſſum præfiguratus eſſet.

111. Chriſtus poſt baptiſmum geſſit ſuum officium palam & cum authoritate, totamque Judæam, Samariam & Galilæam peragravit, prædicans Evangelium de pœnitentia, remiſſione peccatorum, ac vita æterna: beneficiis afficiens ac ſanans omnes ſub diaboli poteſtatem redactos, aut morbo ſive languore quocunque vexatos. Verſatus eſt autem in his terris in miniſterio ſuo (à Baptiſmo ſcilicet uſque ad diem ſive Paſſionis, ſive Aſcenſionis) annos tres, cum dimidio fere. Et in primo anno totam illam terram, quæ Judæa dicitur, citra, & trans Jordanem, & à Samaria atque Galilæa diſtinguitur, peragravit, ac doctrina ſua & miraculis illuſtravit. Voluit enim venire εἰς τὰ ἴδια, *Joh.* 1. 11. ſed cum *ſui eum non reciperent*, abiit ſecundo anno miniſterii in Galilæam, *Joh.* 4. 3. ibique ſedem doctrinæ & miraculorum elegit. Cum vero Pontifices, Scribæ ac Phariſæi Hieroſolymitani ipſum etiam in Galilæa perſequerentur, tertio anno ſucceſſit εἰς μεθόρια, ad *confinia Tyri & Sidonis* urbium gentilitiarum. *Matth.* 15. 29. *Marc.* 7. 24. Poſtremo ſemeſtri inſtituit quaſi generalem quandam viſitationem per omnia loca, per Judæam, mediam Samariam, Galilæam & Peræam, in quibus hactenus per triennium docuerat, valedicturus ſuis auditoribus. Nos igitur curriculum Chriſti, quod in docendi munere confecit, ſecundum annos illos percurremus, Harmoniamque Evangeliſtarum, ſeu Methodum Evangelii de Chriſto, breviſſime delineabimus.

HISTORIÆ, *ſive* ACTA,

PRIMI ANNI MINISTERII CHRISTI.

1. Chriſtus mox à Baptiſmo à Spiritu in deſertum ductus, 40. diebus variis diaboli artibus eſt tentatus. *Matth.* 4. 1, ad 12. *Marc.* 1. 12, & 13. *Luc.* 4. 1, ad 14.

2. Johannes Baptiſta perhibet primum de Chriſto jam manifeſtato teſtimonium, interim dum in deſerto Chriſtus abeſſet. *Joh.* 1. 15, ad 19.

3. Legatio Synedrii Hieroſolymitani ad Johannem Baptiſtam, ejuſque reſponſio, qua ſecundum de Chriſto dedit teſtimonium. *Joh.* 1. 19, ad 29.

4. Chriſtus, diabolo virtute divina ſuperato, ad Jordanem revertitur, & Baptiſta tertium de Chriſto profert teſtimonium, quod eſt primum de Chriſto jam præſente. *Joh.* 1. 29, ad 35.

5. Baptiſta, primo die poſt reditum Chriſti ex deſerto, illum oſtendit populo: quod ejus eſt quartum teſtimonium de Chriſto manifeſtato, & ſecundum de Chriſto præſente. *Joh.* 1. 35, & 36.

6. Altero die à reditu Chriſti ex deſerto duo Diſcipuli Johannis ad Chriſtum ſe conferunt, & relicto Baptiſta illum ſequuntur. *Joh.* 1. 37, ad 41.

7. Simon Petrus per fratrem Andream primo ad Chriſtum adducitur, quod tertio die poſt reditum Chriſti ex deſerto, & altero die poſt Andreæ vocationem factum eſt. *Joh.* 1. 41, 42. & 43.

8. Philippus à Chriſto ad Apoſtoli munus vocatur, per quem etiam Nathanaël ad Chriſtum adductus: quod factum eſt pridie ejus diei, antequam Chriſtus à Jordane in Galilæam reverteretur. *Joh.* 1. 44. *uſque ad finem cap.*

9. Nuptiæ in Cana Galileæ celebratæ, & primum Chriſti miraculum in iis editum. *Johan.* 2. *v.* 1, ad 12.

10. Chri-

10. Chriſtus cum matre, fratribus & diſcipulis ex Cana Capernaum deſcendit. *Joh.* 2. *v.* 12.

11. Chriſtus, cum paucis diebus in civitate Capernaum commoratus fuiſſet, aſcendit Hieroſolymam ad feſtum PASCHATOS celebrandum. *Joh.* 2. *v.* 13. Et hoc eſt Paſcha primi anni miniſterii Chriſti, ad quod à baptiſmo ejus anni fere dimidium tempus eſt.

12. Chriſtus in feſto divino zelo commotus purgat templum, ementes & vendentes ex illo ejicit, editiſque ſignis multis inclareſcit. *Joh.* 2. *v.* 14. ad fin. *cap.* Finito autem feſto, cum Hieroſolymitanis ſe non crederet, relicta urbe ſeceſſit in tribum Benjamin, h. e. in illam partem Judææ, quæ à Jeruſalem verſus Samariam & Galilæam ad ſeptentrionem vergit; atque ibi permanſit uſque ad Pentecoſten. Quid vero faciendo & docendo ibi egerit, Johannes (ille enim ſolus acta primi anni miniſterii Chriſti commemorat) non deſcribit.

13. Chriſtus ad feſtum Pentecoſtes rurſus aſcendit Hieroſolymas, inſtituirque colloquium cum Nicodemo. *Joh.* 3. à *v.* 1. ad 22.

14. Poſt colloquium illud cum Nicodemo habitum, iterum relicta urbe profectus eſt in reliquam Judæam, in illam videlicet terræ partem, quæ ad tribum Juda pertinuit, ad auſtrum, Idumæam & Ægyptum verſus à Jeruſalem ſita, atque ibi docendo & baptizando verſatus eſt uſque ad Johannis (qui etiam interea in Ænon baptizabat) captivitatem. *Joh.* 3. *v.* 22 & 23.

ACTA SECUNDI ANNI MINISTERII CHRISTI.

1. Cum Chriſtus jam aliquot menſes in terra tribus ſeu ſortis Judæ peregiſſet, Baptiſtæ Diſcipuli cum Judæis diſputarunt pro ſuo Magiſtro contra Chriſtum, eaque occaſione Johannes concionem (quæ eſt ultima ante captivitatem ejus, & ab Evangeliſtis annotata) habuit, in qua quintum & ultimum de Chriſto ejuſque officio teſtimonium dedit. *Joh.* 3. à *v.* 25. ad 36.

2. Johannes, quod accuſarat Herodem Antipam inceſti, ab eodem in carcerem conjicitur Macherunte, circa menſ. Decembrem. *Matt.* 14. 3, 4 & 5. *Marc.* 6. 17. ad 21. *Luc.* 3. 19 & 20.

3. Chriſtus cum circiter quinque vel ſex menſes in Judæa commoratus, deque carcere Johannis & Phariſæorum perſecutione certior factus fuiſſet, deſcendit in Galilæam per Samariam, colloquiturque cum Samaritana muliere de vero Dei cultu, ac cives Sichar in ſui agnitionem perducit. *Matth.* 4. *verſ.* 12. *Marc.* 1. *verſ.* 14. *Joh.* 4. à *verſ.* 1. ad 43.

4. Poſt biduum oppido exiens in Galilæam venit, ibique ſanavit filium Reguli, quod fuit alterum miraculum à Chriſto in Cana Galilææ editum. *Joh.* 4. *v.* 43. ad 55.

5. Chriſtus publice in Synagogis Galilææ incipit docere. *Matth.* 4. *v.* 23. *Marc.* 1. 14 & 15. *Luc.* 4. 14 & 15.

6. Cum univerſam Galilæam peragraſſet, venit tandem in patriam Nazareth, ubi in Synagoga docuit ſe eſſe Meſſiam, ex *Jeſai.* 16. *v.* 16. ſed a civibus eſt ejectus. *Luc.* 4. à *v.* 16. uſque ad 31.

7. Chriſtus relinquens Nazareth, venit ſecunda vice Capernaum, transferens eo ſuam habitationem. *Matth.* 4. 13. additque Evangeliſta verſ. ſeq. quænam fuerint ſummaria capita concionum Chriſti in Galilæa.

8. Miraculoſa piſcium captura, & quatuor Apoſtolorum, Petri, Andreæ, Johannis & Jacobi vocatio. *Matth.* 4. 18. uſque ad 23. *Marc.* 1. 16. ad 20. *Luc.* 5. 1. ad 11.

9. Chriſtus docet in Synagoga Capernaitica de regno Dei, & ſpiritum immundum obmutescere juſſum expellit. *Marc.* 1. 21. ad 29. *Luc.* 4. 31. uſque ad 38.

10. Chriſtus ſanat ſocrum Petri febricitantem. *Matth.* 9. 8, 14 & 15. *Marc.* 1. 29, 30 & 31. *Luc.* 4. *v.* 38 & 39.

11. Ægroti varii die Sabbathi circa occaſum ſolis curantur. *Matth.* 8. 16, 17. *Marc.* 1. 32, 33. & 34. *Luc.* 4. 40 & 41.

12. Chriſtus altero poſt Sabbathum die ſecedit in deſertum locum, Petro aliiſque ſequentibus. Et turbis eum detinere volentibus reſpondit: Evangelizandum etiam aliis oppidis. *Marc.* 1. 35, ad 39. *Luc.* 4. 42, 43.

13. Totam Chriſtus peragrat Galilæam, in eorum Synagogis docendo, omnemque languorem ſanando. *Matt.* 4. 23, ad 26. *Marc.* 1. 39. *Luc.* 4. 44.

14. In fine hujus peregrinationis in aliqua civitatum ſanavit leproſum. *Marc.* 1. 40. uſque ad 46. *Luc.* 5. 12, ad 17.

15. Chriſtus poſt peregrinationem Galilææ ex deſerto redit Capernaum, ibique ſanat paralyticum. *Matt.* 9. 2, ad 9. *Marc.* 2. 1, ad 13. *Luc.* 5. 17, ad 27.

16. Egreditur ad ſtagnum, videnſque Matthæum, eum vocat à telonio. *Matt.* 9. 9. *Marc.* 2. 13 & 14. *Luc.* 5. 27, & 28.

17. Poſt hæc cum feſtum PASCHATOS (quod eſt ſecundum à baptiſmo Chriſti) immineret, Chriſtus iterum Hieroſolymam aſcendit, & hominem 38. annos morbo vexatum ad piſcinam Bethesdam ſanavit. *Joh.* 5. 1, ad 16.

18. Primam Chriſtus cum Judæis habet concertationem de Sabbatho, eaque occaſione longam concionem addit. *Joh.* 5. 16, ad 48.

19. Diſcipuli vellunt ſpicas Sabbatho δευτεροπρώτῳ, h. e. ſecundo primæ, ſeptima videlicet & ultima in feſto Paſchatos die: quos Chriſtus à Phariſæorum calumniis vindicat. *Matt.* 12. 1, ad 9. *Marc.* 2. 23, ad 29. *Luc.* 6. 1. uſque ad 6.

20. Chriſtus cum jam Hieroſolymis diſceſſiſſet, alio Sabbatho in Synagoga quadam Galilææ docet; curatque eum, cujus manus erat arefacta. *Matt.* 12. *v.* 9, uſque ad 14. *Marc.* 3. 1, uſque ad 6. *Luc.* 6. 6, uſque ad 11.

21. Phariſæi conſilium ineunt cum Herodianis de Chriſto è medio tollendo. *Matt.* 12. 14. *Marc.* 3. 6. *Luc.* 6. 11.

22. Chriſtus ob Herodianorum tyrannidem cum Diſcipulis ad mare Galilææ ſecedit, ibique docet è navi: Sequente autem turba multa, ingentia edit miracula. *Matt.* 12. 15, uſque ad 22. *Marc.* 6. 6, ad 13.

23. Poſthæc aſcendit in montem, orat: & duodecim Apoſtolos eligit & confirmat. *Matt.* 5. 1. *Marc.* 3. 13, uſque ad 20. *Luc.* 6. 12, ad 20.

24. Poſt electionem Apoſtolorum prolixam habuit concionem ad turbam congregatam & Apoſtolos, qua illos de officio inſtruit. Deſcribitur hæc concio à Matthæo tribus capitibus, videlicet 5, 6 & 7. Item à *Luc. cap.* 6. à *v.* 11. uſque ad fin. *cap.*

25. Poſt hanc concionem in monte habitam, de eo deſcendit, ſanavitque leproſum. *Matt.* 8. 1, uſque ad 5.

26 Intrans deinde Capernãum, ſervum Centurionis curat. *Matt.* 8. à *verſ.* 5, ad 14. *Luc.* 7. 1, ad 11.

27. Filium viduæ ad portam Naïm in vitam revocavit. *Luc.* 7. 11, ad 18.

28. Johannes Baptiſta duos è carcere ad Chriſtum Diſcipulos mittit. *Matt.* 11. 2, ad 7. *Luc.* 7. 18, uſque ad 24.

29. Concio Chriſti, & teſtimonium de Johanne poſt legatorum ab eo miſſorum diſceſſum. *Matt.* 11. 7, ad 25. *Luc.* 7. 24, ad 36.

30. Concludens concionem, gratias agit Patri ſuo cœleſti de patefacto Evangelio, vocatque ad ſe omnes laborantes. *Matt.* 11. à *v.* 25. uſque ad fin. *cap.*

31. Chriſtus invitatur à Phariſæo; apud quem cum pranderet, ungitur à Maria Magdalena, quam à peccatis abſolvit. *Luc.* 7. *v.* 36. uſque ad fin. *cap.*

32. Peragrat rurſus caſtella & civitates, prædicando regnum Dei; eumque comitantur 12. Apoſtoli, & quædam mulieres ei miniſtrantes. *Luc.* 8. *v.* 1, 2 & 3.

ACTA TERTII ANNI MINISTERII CHRISTI.

1. Chriſtus poſt peregrinationem illam cum Apoſtolis & quibuſdam mulieribus per civitates & caſtella ſuſceptam, reverſus Capernäum, dæmoniacum ibi verbo ſanat. Unde acris inter eum & Scribas oritur concertatio. *Matt.* 12. 22, ad 46. *Marc.* 3. 20, ad 31.

2. Veniunt mater & fratres Chriſti ipſum alloqui cupientes. *Matt.* 12. 46, ad fin. *cap.* *Marc.* 3, 31, ad 36. *Luc.* 8. 19, 20 & 21.

3. Domo ad mare egreditur, variaſque diſcipulis & populo congregato proponit parabolas. *Matt.* 13. 1, ad 36. *Marc.* 4. 1, ad 30. *Luc.* 8. à *v.* 4, ad 19.

4. Chriſtus à mari domum reverſus ad petitionem Diſcipulorum explicat parabolam de zizaniis, novaſque parabolas addit. *Matt.* 13. 36, ad 54. *Marc.* 4. 30, ad 35.

5. Chriſtus veſpere illius diei, quo habuit parabolicam concionem, inſtituit transfretationem in terram Gadarenorum, ubi ingenti ſuborta tempeſtate periclitatur dormiens, ſed mox increpat mare & ventos. *Matt.* 8. 23, ad 28. *Marc.* 4. 36, ad fin. *cap.* *Luc.* 8. 22, ad 26.

6. Chriſtus cum in terram Gadarenorum, ſive Gergeſenorum appuliſſet, duos dæmoniacos liberat, legionique dæmoniorum concedit ut in porcos intraret. *Matt.* 8. 28, ad 35. *Marc.* 5. 1, ad 21. *Luc.* 8. 26, ad 40.

7. Poſtquam Chriſtus è regione Gadarenorum in propriam civitatem eſſet reverſus, Jairi filiam in vitam revocat, & profluvio ſanguinis laborantem mulierem ſanat. *Matt.* 9. 18, ad 27. *Marc.* 5. à *v.* 21, ad 44. *Luc.* 8. 40, ad fin. *cap.*

8. Hiſce peractis, duobus cæcis viſum reſtituit, & dæmoniacum mutum ſanat. *Matt.* 9. *v.* 27, ad 35.

9. Chriſtus Capernãumo diſcedens (ſiquidem ibi ob invidiam Scribarum non licebat tuto diu hærere) ſecunda vice in patriam Nazaretham redit, àque ſympatriotis ſuis Nazarethanis contemnitur. *Matt.* 13. 54, ad 58. *Marc.* 6. 1, ad 6.

10. Poſtea Chriſtus viſitationem Eccleſiarum generalem in Galilæa inſtituit. *Matt.* 9. 35, ad 39. *Marc.* 6. 6.

11. Accerſit 12. Apoſtolos, mittit binos, ut Evangelium prædicent, ægrotoſque ſanent. Illi igitur egreſſi docent ac ſanant, quod etiam Chriſtus

ſtus illis abſentibus facit. *Matt.* 10. à *v.* 1. ad fin. & *c.* 11. à *v.* 1, ad 14. *Marc.* 6. 7, ad 14. *Luc.* 9. 1, ad 7.

12. Johannes Baptiſta juſſu Herodis in arce Macherunte obtruncatus, conſtanti pectore mortem oppetiit, cum annum & tres fere menſes in vinculis fuiſſet. *Matt.* 14. 6, ad 13. *Marc.* 6. 21, ad 30.

13. Herodis judicium & aulicorum ejus de Chriſto. *Matt.* 14. 1, 2. *Marc.* 6. 14, ad 17. *Luc.* 9. 7, ad 10.

14. Chriſtus audita Johannis morte diſcedit cum Apoſtolis in deſertum locum Bethſaïdæ, ibique duobus piſciculis & quinque panibus cibat 5000 homines. *Matt.* 14. 13, ad 24. *Marc.* 6. 30, ad 47. *Luc.* 9. 10, ad 18. *Joh.* 6. à *v.* 1, ad 16.

15. Diſcipuli navigantes periclitantur, & Chriſtus cum Petro ſuper mare ambulat. *Matt.* 14. 24, ad 37. *Marc.* 6. 47, ad finem *cap.* *Joh.* 6. 16, ad 22.

16. Poſtero die multi homines ad Chriſtum confluxerunt, ad quos in civitate Capernaum graviſſimam habuit concionem de quærendo pane cœleſti. Item de ſpirituali manducatione ſuæ carnis, & bibitione ſui ſanguinis. *Joh.* 6. 22, ad finem *cap.*

17. Hic incidit *tertium* PASCHA à baptiſmate Chriſti, cujus meminit *Johannes* 6. *v.* 4. In hoc Chriſtus Judæorum inſidias, qui ipſum quærebant interficere, metuens, in Galilæa verſatus eſt uſque ad feſtum Tabernaculorum. *Joh.* 7. 1. Circa hoc Paſcha incipit annus 490 hebdomadum 70 Danielis, qui finitur anno ſequenti circa tempus mortis & reſurrectionis Chriſti.

18. Scribæ & Phariſæi Hieroſolymis Chriſtum conveniunt, interrogantes, cur traditiones majorum ſinat Diſcipulos ſuos tranſgredi. Hos egregie confutat, illorumque traditiones damnat. *Matt.* 15. 1, ad 21. *Marc.* 7. 1, ad 24.

19. Egreſſus in fines Tyri & Sidonis, ſanat filiam mulieris Cananææ à ſpiritu malo exagitatam. *Matt.* 15. 21, ad 29. *Marc.* 7. 24, ad 30.

20. Poſthæc diſcedit ad mare Galilææ per medios fines Decapoleos, ibique ſanat multos cæcos, claudos & ægrotos; & inter hos potiſſimum ſurdum μογιλάλον. *Matt.* 15. 29, ad 32. *Marc.* 7. 31, ad 38.

21. Septem panibus pauciſque piſciculis Chriſtus ſaturat 4000 viros. *Matt.* 15. 32, ad 39. *Marc.* 8. 1, ad 10.

22. Chriſtus ſecedit in fines Magdalæ, diſputatque cum Phariſæis ſignum petentibus: addit etiam admonitionem de eorum fermento fugiendo. *Matt.* 15. 39. & *c.* 16. 1, ad 13. *Marc.* 8. 11, ad 22.

23. Cum è finibus Dalmanuthæ per mare Galilæum eſſet reverſus, extra Bethſaïdam cæco viſum reddit. *Marc.* 8. 22, ad 27.

24. Inde diſcedens in partes Cæſareæ Philippi, Diſcipulos ſuos de filio hominis quærit, & Petro confeſſionem nomine omnium Apoſtolorum edenti, claves regni cœlorum promittit; monetque ut unuſquiſque afflictiones ſuas patienter ferat in mundo. *Matt.* 16. 13, ad 21. *Marc.* 8. 27. ad 31. *Luc.* 9. 18, ad 22.

25. Diſcipulis ſuis de paſſione ſua concionatur. *Matt.* 16. 21. *Marc.* 8. 31. *Luc.* 9. 22.

26. Petrus offenditur admonitione Chriſti de paſſione & morte ſua; & cum illum dehortari vellet, graviter à Chriſto objurgatur, & prolixam de cruce concionem audire cogitur. *Matt.* 16. 22, ad 30. *Marc.* 8. 32, ad 40. *Luc.* 9. 23, ad 28.

27. Transfiguratur Chriſtus in monte Thabor, colloquiturque cum Elia & Moſe. *Matt.* 17. ad 9. *Marc.* 9. 1, ad 8. *Luc.* 9. 28, ad 37.

28. Sequenti die pôſt transfigurationem curat lunaticum, quem diſcipuli ejus liberare à dæmonio nequiverant. *Matt.* 17. 14, ad 22. *Marc.* 9. 14 ad 30. *Luc.* 9. 37, ad 44.

29. Inde proficiſcitur per Galilæam. *Marc.* 9. 30. ubi rurſus de paſſione ſua ſequenti anno ſubeunda diſcipulos admonet. *Matt.* 17. 22, 23. *Marc.* 9. 31, & 32. *Luc.* 9. 43, ad 46.

30. Venit Chriſtus Capernaum, ibique perſolvit didrachma. *Matt.* 17. *v.* 24. ad 27. *Marc.* 9. *verſ.* 33.

31. Primam Apoſtoli habent diſceptationem, quis maximus ſit eorum; quam cum ad Chriſtum detuliſſent, gravem ipſe concionem de vitando ſcandalo, de humilitate contra primatum, deque fratre corripiendo inſtituit. *Matt.* 18. 1, ad 21. *Marc.* 9. 33, ad 51. *Luc.* 9. 46, ad 51.

32. Chriſtus admonetur à cognatis, ut Hieroſolymam aſcendat ad feſtum Scenopegias. *Joh.* 7. 2, ad 10.

33. Chriſtus ad feſtum Scenopegias, ſive Tabernaculorum Hieroſolymam aſcendit, & in via denegatur ei hoſpitium à Samaritanis. *Luc.* 9. 51, ad 57. *Joh.* 7. 10.

34. Tres Chriſtum comitari volunt, quibus ſingulis aliquid defuit. *Luc.* 9. 57, ad 63.

OBSERVATIO.

Si Chriſtus ſtatuatur baptizatus in feſto Expiationis, (quod die 10 menſ. 7. juxta Judaic. Calendarium celebrabatur) quam ſententiam multi Eccleſiæ Scriptores amplectuntur, hæc profectio ejus Hieroſolymam ad feſtum Tabernaculorum (quod 15 die menſ. ſeptimi juxta mandatum Dei à Judæis erat celebrandum, *Levit.* 23. 33.) ſuſcepta, incidit in finem tertii anni Miniſterii ejus, & ita ſpa-

tium ſemeſtre ad paſſionem ejus ſupereſt, quod cum multorum Theologorum ſententia, qui annos tres cum dimidio, miniſterio Chriſti (quod & nos facimus) aſſignant; itemque cum vaticinio Danielis congruit, qui dimidium hebdomadis, h. e. tres annos & dimidium miniſterio Chriſti tribuit. Nam clare teſtatur, Meſſiam in medio hebdomadis ſeptuageſimæ (quarum quælibet ſeptem annos comprehendit) in publicum proditurum, novumque Teſtamentum, abrogato veteri, conditurum, & moriendo confirmaturum. Initium autem ſumſit ultima hebdomas Danielis à Baptiſmo Chriſti; & finita eſt cœnæ Dominicæ inſtitutione, atque Agni Dei mactatione, inque cruce oblatione.

ACTA QUARTI ANNI MINISTERII CHRISTI.

1. Chriſtus in medio feſto Scenopegias Hieroſolymis aſcendit in templum, Judæorumque incredulitatem taxat. *Ioh.* 7. *v.* 14, ad 37.

2. Die 8 feſti (qui fuit ultimus) Dominus concionatur de aqua vitæ, & multi credunt in illum. *Ioh.* 7. 37, ad 54.

3. Deſignat 70 Diſcipulos, emittit illos binos ut pari ratione cum Apoſtolis doceant pœnitentiam & remiſſionem peccatorum. *Luc.* 10. 1, ad 17.

4. Altero poſt feſtum die iterum venit in templum, ac docet univerſum populum, ubi adulteram ad ſe adductam abſolvit. *Joh.* 8. 1. ad 12.

5. Inde concionem habet de ſua perſona & officio, adeoque omnium hominum corruptione: quam excepit acris cum Judæis concertatio, ut illi lapides contra Jeſum tollerent, ipſeque occultus per medios ipſos tranſiens è templo excederet. *Joh.* 8. à *v.* 12, uſque ad finem *cap.*

6. Hiſtoria de ſanato cæco, & diſſertatio Chriſti cum Judæis hac occaſione mota. *Joh.* 9. 1, ad 39.

7. Aſſerit Dominus penes ſe eſſe juriſdictionem recipiendi in Eccleſiam, & ex ea excludendi. *Joh.* 9. *v.* 39. ad finem, & rurſus *cap.* 10. *v.* 1, ad 22.

8. Diſcipuli 70 ad Chriſtum reverſuntur: ipſe autem gaudio ſpirituali repletur, & Diſcipulorum beatitudinem prædicat. *Luc.* 10. 17, ad 25.

9. Diſputat deinde cum Legisperito, quem ad legem remittit, parabolaque de Samaritano, quis proximus noſter ſit, docet. *Luc.* 10. 25, ad 38.

10. Docet turbas in Bethabara. *Joh.* 10. 40, 41, & 42.

11. Bethabara egreſſus venit Bethaniam ad Martham & Mariam. *Luc.* 10, *v.* 38, ad finem *cap.*

12. Jeſus Diſcipulis ſuis præſcribit precum formulam, earumque docet efficaciam. *Luc.* 11. 1. ad 14.

13. Dæmonium mutum ejicit, Phariſæoſque, quod Dæmonia per Beelzebub ejiceret, calumniantes refutat & coërcet. *Luc.* 11. à *v.* 14, ad 37.

14. A Phariſæo ad convivium invitatus, Phariſæorum in eo externam ſanctimoniæ larvam corripit, & Legisperitos taxat. *Luc.* 11. *v.* 37, ad finem *cap.*

15. Poſtea confluente iterum ingenti hominum multitudine, eos ab hypocriſi Phariſaica dehortatur, & ad conſtantiam in veritate cœleſti adhortatur. *Luc. cap.* 12.

16. Exhortatur ad ſeriam pœnitentiam, exemplis Galilæorum à Pilato, & Judæorum, ruina turris, occiſorum: atque parabola de ficu ſterili. *Luc.* 13. 1, ad 10.

17. Mulierem 18 annos à dæmone obſeſſam curat, & factum illud contra Archiſynagogum defendit. *Luc.* 13. 10, ad 22.

18. Per civitates tranſiens docet, iterumque Hieroſolymam ad feſtum Encæniorum (quod ſub exitum Decembris celebrabatur) proficiſcitur. *Luc.* 13. *v.* 23.

19. Chriſtus cum Encænia celebrarentur, in templum aſcendit, ſeque Meſſiam promiſſum eſſe diſerte profitetur. *Joh.* 10. 22, ad 40.

20. Chriſtus relicta Hieroſolyma proficiſcitur trans Jordanem, in Peræam, ubi Johannes baptizarat. *Joh.* 10. 40, ad 43.

21. Docet, per anguſtam portam in regnum cœlorum eſſe ingrediendum. *Luc.* 13. *v.* 23, ad 31.

22. Herodes vult Chriſtum occidere, quod ei indicatur, attamen fugere non vult. *Luc.* 13. *v.* 31. ad finem *cap.*

23. Chriſtus hydropicum in domo Phariſæi, apud quem convivabatur, curat, & Phariſæorum ſuperbiam reprehendit. *Luc.* 14. *v.* 1, ad 15.

24. Parabolam proponit de cœna magna. *Luc.* 14. 15, ad 25.

25. Concionatur de ferenda cruce. Ibid. à *v.* 25. ad finem.

26. Tres parabolas Phariſæis explicat. 1. De ove perdita. 2. De drachma amiſſa. 3. De filio prodigo, quibus oſtendit gratiam Dei erga peccatores reſipiſcentes. *Luc. c.* 15.

27. Proponit aliam parabolam de iniquo diſpenſatore. *Luc.* 16. 1, ad 19.

28. Hiſtoria de divite & Lazaro. *Luc.* 16. *v.* 19. uſque ad finem *cap.*

29. Docet de offendiculo, longanimitate, fide, & officio fidelium. *Luc.* 17. 1, ad 11.

30. Leproſi 10 à Chriſto ſanantur, cum per Samariam in Galilæam proficiſceretur. Ibid. *v.* 11. ad 20.

31. Con-

31. Contionatur Chriſtus de adventu regni Dei, ad quem aſſiduis precibus opus eſſe docet parabola de iniquo Judice. *Luc.* 17. 20, ad 37. & *cap.* 18. à *v.* 1, ad 9.

32. Parabola explicatur de Phariſæo & publicano una in templum aſcendentibus, ut orarent. *Luc.* 18. 9, ad 15.

33. Venit Chriſtus in confinia Judææ per Peræam, ibique diſputat cum Phariſæis de divortiis. *Matth.* 19. *v.* 1, ad 13, *Marc.* 10. *v.* 1, ad 13.

34. Parvuli Chriſto offeruntur, quibus ipſe manus imponit & benedicit. *Matth.* 19. 13, ad 16. *Marc.* 10. 13, ad 17. *Luc.* 18. 15, ad 18.

35. Divitem Juvenem de vita æterna inquirentem triſtem à ſe dimittit. *Matth.* 19. 16, ad 27. *Marc.* 10. 17, ad 28. *Luc.* 18. 18, ad 28.

36. Petrus cupit ſcire præmium Apoſtolatus. *Matth.* 19. 27, ad 31. *Marc.* 10. 28, ad 32. *Luc.* 18. 28, ad 31.

37. Chriſtus parabolam de operariis in vineam vocatis explicat, quæ connectitur cum præcedenti colloquio cum Diſcipulis habito. *Matth.* 20. 1, ad 17.

38. Maria & Martha Chriſto nunciant, fratrem Lazarum ægrotare. *Joh.* 11. 1, ad 17.

39. Inde aſcendens Jeroſolymam iterum Apoſtolis prædicit paſſionem ſuam. *Matth.* 20. 17, ad 20. *Marc.* 10. 32, ad 35. *Luc.* 18. 31, ad 35.

40. Mater filiorum Zebedæi una cum filiis ſeſſionem ad dextram & ſiniſtram Chriſti petit. *Matth.* 20. 20, ad 29. *Marc.* 10. 35, ad 46.

41. Cæcum prope Hiericho Dominus ſanat. *Luc.* 18. 35, ad 44.

42. Zachæum publicanum in urbe Hierichō convertit. *Luc.* 19. 1, ad 11.

43. Proponit parabolam de 10 minis, inter 10 ſervos, ut iis interea negotiarentur, diſtributis. *Luc.* 19. 11, ad 29.

44. Egrediens Hiericho cæcis duobus viſum reſtituit. *Matth.* 20. 29, ad. 35. *Marc.* 10. 46, ad 53.

45. Chriſtus in profectione ſua Hieroſolymam verſus Bethaniæ ſubſtitit, ibique Lazarum reſuſcitavit. *Joh.* 11. à *v.* 17, ad 47.

46. Phariſæi de Chriſto, poſt reſuſcitatum ab eo Lazarum, occidendo conſultant. Ibid. à *v.* 46, ad 54.

47. Chriſtus de conſultatione Phariſæorum certior factus cum Diſcipulis ſuis in oppidum Ephraim ſe recipit, ibique per duos dies permanet. Ibid. à 54, ad 58.

48. Sex diebus ante Paſcha redit Bethaniam, ubi Maria ſoror Lazari reſuſcitati pedes ejus ungit. *Joh.* 12. à *v.* 1, uſque ad 4:

49. Sequenti die, qui erat Palmarum, ipſe Hieroſolymam pergit, in eoque itinere aſinæ inſidens urbem cum lacrymis ingreditur, & è templo ejicit ementes & vendentes. *Matt.* 21. à *v.* 1, ad 14. *Marc.* 11. 1, ad 11. *Luc.* 19. à *v.* 28, uſque ad 47. *Joh.* 12. *v.* 12, ad 19.

50. Veſperi cum 12 Apoſtolis Bethaniam redit, ibique pernoctat. *Matt.* 21. 17. *Marc.* 11. 11.

51. Poſtridie iterum urbem ingreſſus eſt, maledixit ficui, & numularios è templo ejecit. *Matt.* 21. 18 & 19. *Marc.* 11. *v.* 12, ad 18.

52. Veſperi rurſus urbe egreditur. *Marc.* 11. *v.* 19.

53. Mane in reditu ad urbem videns ficum arefactam concionatur de fidei efficacia. *Matt.* 21. *v.* 20, ad 23. *Marc.* 11. *v.* 20, ad 27.

54. Reverſus Jeroſolymam adverſarios confundit, quærentes, qua authoritate doceat. *Matt.* 21. 23, ad 28. *Marc.* 11. 27, uſque ad finem *cap.* *Luc.* 20. à *v.* 1, ad 9.

55. Phariſæis inobedientiam & crudelitatem objicit parabola de vinea & regiis nuptiis. *Matt.* 21. 28, ad fin. *cap.* & *c.* 22, à *v.* 1, ad 15. *Marc.* 12. 1, ad 13. *Luc.* 20. *v.* 9, ad 20.

56. Ad quæſtionem de cenſu nerveſe reſpondet. *Matt.* 22. *v.* 15, ad 23. *Marc.* 12. *v.* 13, ad 28. *Luc.* 20. *v.* 20, ad 27.

57. Diſputat Chriſtus cum Sadducæis de reſurrectione mortuorum. *Matt.* 21. 23, ad 34. *Marc.* 12. *v.* 18, ad 28. *Luc.* 20. 27, uſque ad 39.

58. Quæſtio de magno mandato legis. *Matt.* 22. *v.* 34, ad 41. *Marc.* 12. *v.* 28, ad 35.

59. Poſt hæc reponit Chriſtus Scribis quæſtionem de Chriſto filio pariter & Domino Davidis. *Matt.* 22. 41, ad fin. *cap.* *Marc.* 12. 35, ad 38. *Luc.* 20. 41, ad 45.

60. Chriſtus acerrimam contra Scribas & Phariſæos concionem inſtituit; in qua vitia ipſorum graviter taxat, pœnaſque graviſſimas illis denunciat. *Matt.* 23. ab initio uſque ad finem *cap.*

61. Viduæ pauperculæ donum in gazophylacium miſſum commendat. *Marc.* 12. *v.* 41, ad finem. *Luc.* 21. *v.* 1, ad 5.

62. Diſcipulis ſplendorem ædificii monſtrantibus, ejuſdem, totiuſque inſuper urbis Hieroſolymitanæ everſionem, ac ſigna eandem anteceſſura prædicit. *Matt.* 24. *v.* 1, ad 29. *Marc.* 13. à *v.* 1. ad 24. *Luc.* 21. à *v.* 5, ad 25.

63. Chriſtus de extremo Judicio & ſignis illud proxime præceſſuris diſſerit. *Matt.* 24. 29, ad 37. *Marc.* 13. 24, uſque ad 33. *Luc.* 21. *v.* 25, ad 34.

64. Regula à Chriſto præſcribitur, quomodo ad noviſſimum ſuum adventum pii ſe præparare de-

debeant. *Matt.* 24. 37, ad finem *cap. Marc.* 13. 33, ad finem. *Luc.* 21. 34, ad 37.

65. Parabola de decem virginibus Apoſtolis à Chriſto proponitur. *Matt.* 25. 1, ad 14.

66. Aliam parabolam Apoſtolis explicat de talentis inter ſervos patrisfamiliar, peregrè abeuntis, diſtributis. *Matt.* 25. 14, uſque ad 31.

67. Chriſtus ipſum noviſſimum ſui adventus & extremi Judicii actum, & proceſſum luculenter tradit. *Matt.* 25. 31, uſque ad fin. *cap.*

86. Hiſtoria brevis traditur à Luca, quid Chriſtus diebus duobus paſſionem antecedentibus egerit. *Luc.* 21. 37 & 38.

69. Chriſtus diſcipulis ſuis iterum prædicit paſſionem poſt biduum ſecuturam. *Matt.* 26. 1 & 2. *Marc.* 14. 1. *Luc.* 22. 1.

70. Pontifices, Scribæ & Phariſæi in domo Caïphæ conveniunt, deque Chriſto comprehendendo & interficiendo conſultant. *Matt.* 26. 3, ad 6, *Marc.* 14. 1 & 2. *Luc.* 22. 1.

71. Deſcriptio proditoriæ pactionis, quam Judas Iſcariotes cum Pontificibus, poſt illam conſultationem in domo ſummi ſacerdotis habitam, iniit. *Matt.* 26. 14, ad 17. *Marc.* 14. 10 & 11. *Luc.* 22. 3, ad 7.

72. Chriſtus die primo azymorum, die videlicet Jovis, 2 Aprilis, Petrum & Johannem Jeroſolymam ablegat, ut præpararent cœnam ultimam Paſchalem, quam, poſtquam & ipſe circa veſperam in urbem ſe contuliſſet, hora ſexta noctis cum diſcipulis celebravit. *Matt. cap.* 26. *verſ.* 17, ad 21. *Marc.* 14. *verſ.* 12, ad 18. *Luc.* 22. à *v.* 7, uſque ad 19.

73. Sacroſanctam N. Teſtam. COENAM inſtituit. *Matt.* 26. 26, uſque ad 30. *Marc.* 14. 22, ad 26. *Luc.* 22. 19, 20. Factum hora ſexta noctis.

74. Pedes Diſcipulorum Chriſtus lavat, proditoremque Judam certo ſigno notat. *Joh.* 13. à *v.* 1, ad 31.

75. Apoſtolos de primatu contendentes, quis major ſit in regno cœlorum, inſtruit. *Luc.* 22. 24, ad 31.

76. Ad mutuam caritatem ſuos diſcipulos hortatur. *Joh.* 13. 34, ad 36.

77. Petro lapſum abnegationis prænunciat. *Luc.* 21. 31, ad 35. *Joh.* 13. 36, 37 & 38.

78. Poſt hæc prolixam concionem ad diſcipulos habuit, in qua de officio ſuo diſſerit, & Apoſtolos conſolatur. Hanc Johannes trib. cap. videlicet 14. 15 & 16. deſcribit. Cap. 17. vero Chriſtus orationem totam prece ardentiſſima concludit, in qua Diſcipulos adeoque Eccleſiam Patri ſuo cœleſti commendat. Hæc facta ſunt hora noctis 8, cum hora ſexta Sacramentum corporis & ſanguinis ſui Chriſtus inſtituiſſet.

79. Dicto hymno Chriſtus hora 9. noctis ex urbe ad montem Oliveti egreditur, & ſcandalum Apoſtolorum, præſertim Petri, prædicit. *Matt.* 26. *v.* 30, ad 36. *Marc.* 14. 26, ad 32. *Luc.* 22. 39. *Joh.* 18. 1.

80. Chriſtus hora 10 noctis in horto orat, ſudatque ſanguinem, cum diſcipuli ejus interim dormitarent. *Matt.* 26. *verſ.* 36, ad 47. *Marc.* 14. *verſ.* 32, ad 43. *Luc.* 22. *verſ.* 40, ad 47. *Joh.* 1. 1 & 2.

81. Hora 11. Judas cum cohorte militari & ſervis Pontificum in hortum ad radicem montis Oliveti ſitum venit, & Chriſtum prodit, inque hoſtium manus tradit. *Matt.* 26. *v.* 47, ad 51. *Marc.* 14. *v.* 43, ad 47. *Luc.* 22. *v.* 47 & 48. *Joh.* 18. *v.* 3, ad 10.

82. Petrus gladio Chriſtum defendere parans Malcho Principis Sacerdotum ſervo amputat auriculam: cujus temeritatem Chriſtus corripit. *Matt.* 26. 51, ad 55. *Marc.* 14. 47. *Luc.* 22. 50 & 51. *Joh.* 18. 10 & 11.

83. Chriſtus nefarios & ſanguinarios hoſtium conatus acri concione perſtringit. *Matt. cap.* 26. *v.* 55 & 56. *Marc.* 14. 48 & 49. *Luc.* 22. 52 & 53.

84. Diſcipuli Chriſti fuga ſibi conſulunt, & Magiſtrum ſuum in medio hoſtium agmine ſolum relinquunt. *Matt.* 26. *verſ.* 56. *Marc.* 14. *verſ.* 50, 51 & 52.

85. Chriſtus comprehenſus vinctuſque deducitur ex monte Oliveti Jeroſolymam, & ſiſtitur primum Hannæ, deinde Caïphæ. *Matt.* 26. 57. *Marc.* 14. 53. *Luc.* 22. 54. *Joh.* 18. 12, ad 15. Factum hoc hora 12 noctis.

86. Petrus in atrium Pontificis ingreſſus occaſionem abnegandi Chriſtum præbet. *Matt.* 26. 58, 69 & 70. *Marc.* 14. 54, 66, 67 & 68. *Luc.* 22. 55, ad 58. *Joh.* 18. 15, ad 19.

87. Chriſtus in ædibus Caïphæ de diſcipulis & doctrina ſua examinatur, falſique teſtes contra eum producuntur. Interea Petrus ſecunda & tertia vice Chriſtum abnegat, lacrymaſque, pœnitentiæ indices, profudit. *Matt.* 26. 59, ad 67. & rurſus à 71, ad fin. cap. *Marc.* 14. 55, ad 65. & rurſus à 69. uſque ad fin. cap. *Luc.* 22. 58, ad 63. *Joh.* 18. 19, ad 28.

88. Cum Pontifices & Concilii Aſſeſſores in domo Caïphæ congregati Chriſtum mortis eſſe reum pronunciaſſent, illum variis injuriarum, contumeliarum & illuſionum generibus affecerunt, & hoc egerunt ab hora fere tertia noctis uſque ad ortum

tum ſolis. *Matth.* 26, 67, & 68. *Marc.* 14, 65. *Luc.* 22. 63, uſque ad 66.

89. Mane, hora dici quinta Chriſtus coram toto Synedrio iterum examinatus, aſſerit ſe eſſe filium Dei. Sic ergo denuo injuſte damnatus eſt. *Matth.* 27. 1. *Marc.* 15. 1. *Luc.* 22, 66, uſque ad finem *cap.*

90. Ex conſeſſu Synedrii hora dici ſexta captivus vinctuſque in prætorium ad Pilatum abducitur. *Matt.* 27. *v.* 2. *Marc.* 15. *v.* 1. *Luc.* 23. *v.* 1. *Joh.* 18. 28.

91. Judas, cum videret Chriſtum eſſe damnatum, atque ad Præſidem Romanum duci, ut mortis ſententia executioni daretur, deſperans ſe ipſum ſuſpendit. *Matt.* 27. 3, ad 11.

92. Chriſtus hora ſeptima apud Pilatum ſeditionis accuſatus, audituſque, innocens ab eodem pronuntiatur. *Matt.* 27. *v.* 11, ad 15. *Marc.* 15. *v.* 2, ad 6. *Luc.* 23. *v.* 2, ad 5. *Joh.* 18. à *v.* 28, uſque ad 39.

93. Hora dici octava Pilatus Chriſtum ad Herodem (qui propter Paſchatis feſtum eo tempore Jeroſolymis agebat) mittit, à quo cum egregie eſſet illuſus, ad Pilatum remittitur. *Luc.* 23. *v.* 5, ad 13.

94. Pilatus Chriſto ex aula Herodis ad tribunal ſuum reducto iterum publicum dat innocentiæ teſtimonium. *Luc.* 23. 13, ad 17.

95. Chriſtus latroni Barrabæ poſtponitur. *Matt.* 27. 15, ad 24. *Marc.* 15. 13, ad 15. *Luc.* 23. *v.* 13, ad 26. *Joh.* 18. *v.* 39 & 40. Et rurſus *cap.* 19. 1, ad 16.

96 Flagellatus condemnatur ad crucem, omnique contumeliarum genere à militibus afficitur. *Matt.* 27. 24, ad 31. *Marc.* 15. 15, ad 20. *Joh.* 19. *v.* 16.

97. Chriſtus, poſtquam eſſet flagellatus, ex urbe Jeroſolyma ad locum ſupplicii educitur. *Matt.* 27. 31, & 32. *Marc.* 15. 20, & 21. *Luc.* 23. 26, ad 33.

98. Chriſtus potatus aceto felleo, cum duobus latronibus hora undecima, die Veneris; in monte Calvariæ crucifigitur. *Matt.* 27. 33, 34, & 38. *Marc.* 15. 22, 23, 26, & 27. *Luc.* 23. 33. *Joh.* 19. *v.* 17, & 18.

99. Chriſtus pro hoſtibus orat, epigraphe cruci imponitur, ejuſque veſtimenta dividuntur. *Matt.* 27. 35, ad 38. *Marc.* 15. 24, & 25. *Luc.* 23. 34 & 38. *Joh.* 19. 19, ad 24.

100. Blaſphematur Chriſtus à populo, & latro cum eo ſimul crucifixus convertitur. *Matt.* 27. 39, ad 45. *Marc.* 15. 29, ad 33. *Luc.* 23. 35, 36, 37, 39, ad 44.

101. Matrem ſuam Mariam Johanni commendat. *Joh.* 19. 25, ad 28.

102. Hora ſexta à meridie (hoc eſt prima) oriuntur tenebræ ſuper univerſam Judæam. *Matt.* 37. 45, & 46. *Marc.* 15. 33. *Luc.* 23. 44, & 45.

103. Hora nona (id eſt, tertia à meridie) Chriſtus, cum jam per tres horas in cruce pependiſſet, triſtem cum clamore magno querelam edidit, &, quem Patri prius commendaverat, Spiritum placide emiſit. *Matt.* 27. 46, ad 51. *Marc.* 15. *v.* 34, ad 38. *Luc.* 23. 46. *Joh.* 19. 28, 29 & 30.

104. Miracula mortem Chriſti maxima ſunt ſecuta. *Matt.* 27. 51, ad 54. *Marc.* 15. 38.

105. Centurio, & qui cum eo Jeſum cuſtodiebant, convertuntur. *Matt.* 27. 54. *Marc.* 15. 39. *Luc.* 23. 47, & 48.

106. Omnes cognati & amici Jeſu è longinquo adſtant, videntes quæ contingebant. *Matt.* 27. 55, 56. *Marc.* 15. 39, 40. *Luc.* 23. 49.

107. Latronum cum Chriſto crucifixorum crura franguntur, & CHRISTI latus lancea perfoditur. *Joh.* 19. 31, ad 38.

108. Circa veſperam hora à meridie quarta Chriſtus honorifice ſepelitur, quam hiſtoriam cum circumſtantiis Evangeliſtæ omnes exacte deſcribunt. *Matt.* 27. 57, ad 62. *Marc.* 15. 42. ad finem *cap.* *Luc.* 23. 50, ad 54. *Joh.* 19. à *v.* 38, ad finem *cap.*

109. Pontifices & Phariſæi, proximo à ſepultura die, impetrata à Pilato cuſtodia militari, ſepulcrum muniunt & obſignant. *Matth.* 27. 62, uſque ad finem *cap.*

ACTA à RESURRECTIONE CHRISTI, *uſque ad glorioſiſſimam ejus in cœlos* ASCENSIONEM.

1. Cum mulieres, quæ Chriſtum ex Galilæa ſecutæ erant, ad ſepulcrum excurriſſent, Angelus lapidem ſepulcralem revolvit, terræmotu exorto, in quo Salvator noſter (cum tribus fere horis die Paraſceves ante occaſum ſolis eſſet ſepultus, ac Sabbato integro in ſepulcro quieviſſet) die Solis, quam Evangeliſtæ vocant *primam Sabbatorum*, circa ſolis ortum ex morte reſurrexit. *Matt.* 28. 1, ad 5. *Marc.* 16. 1 & 2. *Luc.* 24. 1. *Joh.* 20. 1.

2. Hiſtoria de prima manifeſtatione reſurrectionis Chriſti, facta mulieribus per ſepulcrum vacuum & Angelorum duorum teſtimonium. *Marc.* 16. 3 & 4. *Luc.* 24. 2, ad 12. *Joh.* 20. 1 & 2.

3. Petrus & Johannes poſt nuncium à Maria Magdalena allatum excurrunt ad ſepulcrum, illud-

illudque inveniunt vacuum, admirantes quid factum fuerat. *Luc.* 24. 12. *Joh.* 20. à *v.* 2, ad 11.

4. Chriſtus, eadem, qua ſurrexit, die, quinque diſtinctis vicibus ſe ipſum manifeſtavit, & redivivum exhibuit.

I. Soli Mariæ Magdalenæ in horto ſepulcri. *Marc.* 16. 9, 10, & 11. *Joh.* 20. 11, ad 19.

II. Mulieribus à ſepulcro reverſis, Angelo ſimul reſurrectionem confirmante. *Matth.* 28. 5. ad 11. *Marc.* 16. 5, uſque ad 9.

Poſt hanc manifeſtationem Chriſti factam mulieribus, quidam milites ſepulcri cuſtodes, nuncium ad Pontifices afferunt de reſurrectione Chriſti. *Matth.* 28. 11, ad 16.

III. Apparuit Simoni Petro in ipſo meridie. *Luc.* 24. 33, & 34. 1 *Cor.* 15. 5.

IV. Poſt meridiem ſeſe manifeſtavit duobus ex 70. Diſcipulis in Emaus euntibus. *Marc.* 16. 12, & 13. *Luc.* 24. 13, ad 36.

V. Circa profundam noctem Diſcipulis una omnibus (excepto Thoma) Jeroſolymis congregatis apparuit. *Marc.* 16. 14. *Luc.* 24. 36, uſque ad 49. *Joh.* 20. 19, ad 24.

5. Chriſtus octavo à reſurrectione die clauſis foribus apparuit Diſcipulis Thoma præſente, *Joh.* 20. 24, ad 32.

6. Inde ſe oſtendit ſeptem Diſcipulis ad mare Tiberiados in Galilæa. Hanc autem manifeſtationem miraculis compluribus, ſe vere reſurrexiſſe, perque reſurrectionem in cœleſtem gloriam intraſſe, confirmavit, & ſingulare cum Petro colloquium inſtituit. *Joh.* 21. 21. uſque ad finem *cap.*

7. Chriſtus octiduo fere ante aſcenſionem Diſcipulis in monte quodam Galilææ apparuit, iiſque mandatum de prædicando Evangelio in toto terrarum orbe promulgavit. *Matth.* 28. 16, ad 21. *Marc.* 16. 15, ad 19. Hæc autem manifeſtatio omnium fuit glorioſiſſima, quippe quam Chriſtus ante paſſionem ipſe Diſcipulis promiſerat, *Matth.* 26. 3. *Marc.* 14. 28. per Angelum confirmaverat, *Matth.* 28. 7. *Marc.* 16. 7. apparens mulieribus repetiverat, *Matth.* 28. 10. & ex condicto tempore & loco prius determinaverat. Factaque eſt coram fratribus pluſquam quingentis ſimul. 1 *Cor.* 15. 16.

8. Apparuit Jacobo. 1 *Cor.* 15. 17.

9. Quadrageſimo à reſurrectione die Chriſtus congregatis Diſcipulis omnibus Jeroſolymæ, de multis rebus neceſſariis eos inſtruxit, deinde ex urbe in montem Oliveti eduxit, illiſque ſpectantibus in cœlum aſcendit. *Marc.* 16. *v.* 19, 20. *Luc.* 24. 49, ad finem. *Actor.* 1. 15.

ACTA *poſt* ASCENSIONEM CHRISTI, *adhuc* TIBERIO *imperante.*

I. Cum Chriſtus glorioſo triumpho in cœlum aſcendiſſet, Apoſtoli è monte Olivarum Hieroſolymam regreſſi ſunt, promiſſionem Spiritus S. expectantes. Mandaverat enim iis Dominus, ut ſederent in civitate Hieruſalem, donec induerentur virtute ex alto, & promiſſum Patris acciperent. *Actor.* 1. 4. Reverſi autem in locum proditoris Judæ elegerunt Matthiam, qui cum Apoſtolis converſatus fuerat inde à baptiſmo Johannis uſque ad diem aſſumptionis Chriſti. *Act.* 1. 12. uſque ad finem *cap.*

II. Quinquageſimo à reſurrectione, ab Aſcenſione vero ſua 10 die, Chriſtus miſſo cœlitus Spiritu S. ſuos Diſcipulos, una in domo Hieroſolymis PRIMA novi Teſtamenti PENTECOSTE congregatos, virtute ex alto induit, emiſitque ut verbum de ſalute per Chriſtum omnibus parta orbi terrarum univerſo prædicarent. *Actor.* 1. *v.* 1, 2, 3. Eſt itaque verbum Dei & ſpirituale regnum, adeoque Eccleſia credentium, ſeu populus Chriſtianorum, jam non ſolum in Judaico regno, ſed in univerſo orbe, ubi ab Apoſtolis prædicatur Evangelium, & quo ſcripta ipſorum deferuntur. Pro maximis autem hiſce beneficiis Domino Chriſto Servatori noſtro & vero Deo, laus, gloria, ac gratiarum actio debetur in ſempiternum.

III. Apoſtoli & Diſcipuli Chriſti Spiritu S. donis jam inſtructi, è veſtigio variis linguis, ſtupente omni multitudine populi, magnifica Dei opera enunciare cœperunt, Hieroſolymis primum, velut principali Eccleſiæ ſede, Judæis & aliis peregrinis populis, qui eo confluxerant, aperte, libere, ingenue, conſtanterque Chriſtum crucifixum & reſuſcitatum verum Dei & Mariæ filium prædicantes, Deo ipſo cooperante. Itaque prima Petri Apoſtoli ad populum Hieroſolymis habita concione quaſi ter mille homines; *Act.* 2. *verſ.* 41. ſecunda vero circiter 5000, *Act.* 4. *verſ.* 4. converſi & baptizati ſunt: Hi in religione vera conſtantes permanſerunt, cœna Domini uſi ſunt, eorumque numerus quotidie auctus eſt; cujus teſtes & auditores fuere, non modo cives Hieroſolymitani, ſed etiam Hieroſolymis habitantes Judæi, viri religioſi ex omni natione earum, quæ ſub cœlo ſunt, Parthi & Medi, &c. *Act.* 2. *verſ.* 9, 10, & 11. qui Apoſtolos ſua quiſque lingua, in qua natus erat, audiebant loquentes magnalia Dei. Licet autem Sacerdotes atque Magiſtratus, tanto concurſu populi ad conciones & miracula Apoſtolorum offenſi, minas acerbas jactarent, pericula intenderent, & formidines graves opponerent; ipſi tamen

tamen Apostoli hæc omnia tanquam inania terriculamenta contemnebant, intentataque pericula carceris, verberum & mortis, propter veritatis confessionem sustinere minime recusabant. Erat tum perquam læta facies, & optanda Ecclesiæ conditio. Nam Apostoli gratiam omnis populi, qui veritatis professionem amplexi fuerant, quorumque cor unum, & anima una erat, obtinebant; imo vero, quo nihil beatius, ipsius immortalis Dei favorem, & benignitatem paternam ipsa re deprehendebant. Ipsi etiam in officio assidui erant, viam salutis docendo, preces recitando, Deum laudando, aliisque sanctis operibus vacando. Unde indies credentium cœtus multiplicabatur, discipulorum numerus augebatur, magnaque etiam Sacerdotum turba fidem in Christum suscipiebat, nihil territi, quod Petrus ac Johannes in carcerem conderentur, virgisque cæderentur, *Act.* 5. Stephanus vero etiam lapidibus obrueretur, *Act.* 7. Qui στεφάνῳ, corona martyrii, A. C. 35. coronatus est, ac ita Protomartyr Novi Testamenti fuit. (intellige post Christi in cœlos ascensionem. Nam absolute loquendo Johannes Baptista Protomartyr in Novo Testamento fuit.) Fortunatus, lib. 1, pulchrum epigramma de Stephano concinnavit.

Pertulit hic martyr pro Christo orientis in axe,
Ecce sub occasu templa beatus habet.
Fundatus virtute Dei, & morte triumphans,
Excepit lapides, cui Petra Christus erat.
Gens Judæa, ferox Stephanum quem perdere credis,
Etsi carne, tamen nescit honore mori.
Ille tenet palmam meritis, tu crimine pœnam:
Possidet ille polos, tu magis ima petis.

IV. Post occisum à Judæis Stephanum virum sanctissimum: atque post Evangelii prædicationem non ad Samaritanos modo, sed etiam ad Æthiopes Philippi Apostoli ministerio propagatam, Saulus (qui deinde Paulus dictus est) Tarsi in Cilicia natus, Hierosolymis à Gamaliele institutus, cujus studium in tuenda lege Mosaica & professione Judaicorum rituum satis jam ante perspectum erat, Hierosolymis Damascum, itinere 40. milliarium Germanicorum profectus est: idque eo animo, ut in vincula compingeret, ac Hierosolymam pertraheret, quotquot deprehenderet Christi doctrinam amplexos. Sed præter spem & opinionem suam, adeoque omnium exspectationem ab ipso Christo, cujus nominis memoriam obruere, & oblivione sempiterna delere in animo habebat, in viam veritatis ductus, summusque Ecclesiæ Doctor factus est A. C. 35. anno Tiberii 19. Commoratus aliquot diebus in urbe Damasco, ubi ab Anania quodam discipulo Christi baptizatus, cum ardenti zelo doctrinam Christi, quam ante impugnarat, propugnaret, Judæi hostes Evangelii acerrimi ei insidias struxerunt. Itaque in Arabiam excurrit, ac Evangelium per triennium ibi docuit. *Gal.* 1. Quibus exactis A. C. 38. ineunte Damascum redit, &, ut elaberetur è manibus Judæorum, in sporta per murum dimissus est. *Act.* 9. Hinc Hierosolymam venit, & apud Petrum Apostolum dies 15 permansit. Cum vero nec ibi tutus esset, admonitus in ecstasi, à fratribus Cæsaream deductus est, indeque Tarsum iter suscepit. *Act.* 9. Post hæc alia atque alia loca visitavit, Evangeliique propagationem magnopere adjuvit; sicut ipse scribit, se à Hierosolymis usque ad Illyricum omnia loca Evangelio Christi replevisse, quod à reliquis Apostolis eodem ardore & diligentia factum est. Sed huic Historiæ, quia jam ad annum Christi 38 (quo ineunte Tiberius, ut supra dictum, vitam cum morte commutavit) pervenimus, finis imponendus, deque ceteris insequentium Imperatorum historia, si quæ sunt notatu digna, dicendum erit.

IV. IMPERATOR ROM.
CAIUS CALIGULA.

CAPUT I.
DE ORTV.

I. *Generatio.*

I. PATER Caligulæ fuit *Germanicus*, Consul Romanus, Nepos Drusi fratris Tiberii Imperatoris.

II. MATER fuit *Agrippina*, quæ filia fuit Agrippæ & Juliæ filiæ Augusti, unde nomen est Colonia Agrippina ad Rhenum.

AXIOMA.

Ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα. Heroum filii noxæ.

EXEMPLA.

I. Augustus Imperator solitus est dicere: suos liberos sibi esse carcinomata. *Suetonius in Augusto.* Et de illis usus est hoc versu:

O utinam aut cælebs mansissem, aut prole carerem.

II. Ita CALIGULA fuit parentis optimi pessimus filius, & plane monstrum hominis. Ad eum propter virtutem patris devenit Imperium: Sed postea adeo à paternis virtutibus degeneravit, ac talis bestia factus est, ut voluerit esse DEUS, & statuam suam Romæ in templo juxta Jovem Capitolinum collocaverit, tanquam Jovi aliquid

quid ſuſurrantem in aurem, cui ſacerdotes ſacrificia offerre juſſit. *Philip. in Loc. Man. pag.* 633.

II. GENEALOGIA CALIGULÆ.

LIVIA Auguſti Conjux.

Tiberius. — *Druſus.* — Uxor Antonia filia M. Antonii ex Octavia ſorore Auguſti.

Germanicus. Claudius Imp.

Caligula.

II. *Appellatio.*

Prænomen hujus Imperatoris fuit CAIUS.

Cognomen CALIGULA, ſic dictus à caligis, quas margaritis refertas primus portavit: Vel potius à caliga militari, qua frequenter in exercitu utebatur ad conciliandos ſibi militum animos. Id enim militibus gratiſſimum fore credebat, ſi Imperatorem veſtibus nihil à gregario milite differre viderent. *Auſonius.*

Caius cognomen cui caſtra dederunt.

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

I. EDUCATIO.

Caligula uti in caſtris genitus, ita in contubernio legionum educatus fuit, & ab iiſdem CALIGULÆ nomen accepit, ob rationem modo allatam. Unde hi verſus de eo vulgati ſtatim ſub initium imperii ejus:

In caſtris genitus, patriis nutritus in armis,
Iam deſignati Principis omen erat.

AUSONIUS.

Poſt hunc caſtrenſis Caligæ cognomine Cæſar
Succeſſit, ſævo ſævior ingenio.
Cædibus inceſtiſque dehinc maculoſus, & omni
Crimine pollutum qui ſuperavit avum.

Manſit quoque in caſtris tamdiu, quoad pater *Germanicus* ſuperſtes fuit. Patre vero in Syriaca expeditione mortuo, Romam venit, ubi primum in *matris*; deinde ea relegata à Tiberio, in Liviæ Auguſtæ proaviæ ſuæ contubernio verſatus eſt: Quam defunctam, prætextatus etiam tum pro Roſtris laudavit, tranſiitque ad ANTONIAM aviam, quæ Druſi conjux fuerat. Inde 20. ætatis anno, Capreas accitus à Tiberio avo, tanti in eum fuit obſequii, ut dictum ſit: Nec ſervum meliorem ullum, nec deteriorem Dominum fuiſſe. *Suetonius in Tiberio*, §. 10.

II. PROSOPOGRAPHIA.

1. *Indoles animi.* Natura ejus probroſa atque ſæva fuit, quam ne tunc quidem inhibere poterat, quin & animadverſionibus pœniſque ad ſupplicium datorum cupidiſſime intereſſet, & ganeas atque adulteria capillamento velatus, & veſte longa, noctibus ambiret, ac ſcenicas ſaltandi canendique artes ſtudioſiſſime appeteret, facile id ſane *Tiberio* patiente, ſi per has manſuefieri poſſet ferum ejus ingenium. Quod ſagaciſſimus ſenex ita prorſus perſpexerat, ut aliquoties prædiceret exitio ſuo omniumque Caium vivere, & ſe natricem (ſerpentis id genus) populo Romano, & *Phaëthontem* orbi terrarum educare. *Suetonius in Caligula*, §. 11.

NOTA.

Caligulam pulchre ſagaciſſimus *Tiberius* depingit, ſed non refingit.

11. *Conſtitutio corporis. Statura* fuit eminenti, pallido colore, corpore enormi, gracilitate maxima cervicis & crurum, & oculis & temporibus concavis, fronte lata & torva, capillo raro ac circa verticem nullo, hirſutus cetera. Quare tranſeunte eo, proſpicere ex ſuperiori parte, aut omnino quacunque de cauſa *capram* nominare, criminoſum & exitiale habebatur. Vultum vero natura horridum ac tetrum, etiam ex induſtria efferabat, componens ad ſpeculum in omnem terrorem ac formidinem. *Valetudo* ei neque corporis, neque animi conſtitit. Puer comitiali morbo vexatus, in adoleſcentia ita patiens laborum erat, ut tamen nonnunquam ſubita defectione ingredi, ſtare, colligere ſemet, ac ſufferre vix poſſet. Mentis valetudinem & ipſe ſenſerat, ac ſubinde de receſſu deque purgando cerebro cogitavit. Creditur potionatus à *Caſonia* uxore amatorio quidem medicamento, ſed quod in furorem verterit. Incitabatur inſomnio maxime; neque enim plus quam tribus nocturnis horis quieſcebat, ac ne his quidem placida quiete, ſed pavida miris rerum imaginibus, ut qui inter ceteras, pelagi quandam ſpeciem colloquentem ſecum videre viſus ſit. Ideoque magna parte noctis, vigiliæ cubandique tædio, nunc toro reſidens, nunc per longiſſimas porticus vagus, invocare identidem atque exſpectare lucem conſueverat. *Suetonius*, §. 50.

III. ACTA OECONOMICA.

I. Conjugia.

Uxores *quatuor* habuit.

1. Fuit *Iunia Claudilla* M. Syllani nobiliſſimi viri

viri filia, quæ in partu mortua est. *Suetonius in Caligula*, §. 12.

II. LIVIA HORESTILLA. Hæc C. Pisoni desponsata erat, verum eam ipse uxorem duxit. Sed exiguo elapso tempore eam repudiabat, & post biennium eam relegabat, quod priori suo marito associare se vellet.

III. LOLLIA PAULINA. Hanc marito suo Memmio Regulo eripuit, illumque coëgit eam sibi despondere, ne eam, quæ desponsata non esset, contra jus fasque duceret. O monstrosum σκέμμα πολιτικόν! Verum paulo post eam repudiabat, & cum comminatione mortis ei mandabat, ne ad priorem maritum rediret, aliive nuberet. *Dion in Caligula*, §. 3.

IV. CÆSONIA. Hanc neque forma insigni, neque ætate integra, matremque jam ex alio viro trium filiarum, sed luxuriæ & lasciviæ perditæ, & ardentius & constantius, quam ullam aliam feminam amavit. Ab hac ei philtrum propinatum fuisse ferunt, quod eum in furorem verterit. Itaque mentis valetudini tribuuntur diversissima in eo vitia, nempe summa confidentia, & contra nimius metus. Eam, quocunque proficisceretur, secum ducebat, sæpe armis indutam simul equitare jussit, sæpe etiam militibus nudam ostendebat. Hæc una cum ipso periit, gladio à centurione confossa, & filia *Iulia Drusilla* parieti illisa, ut moreretur.

II. Adulteria.

Adulteriis fuit inquinatissimus. Nam mulierem jam desponsatam viro eripuit, & complures alias nuptas, jamque cum maritis habitantes abduxit, easque tamen odio postea habuit. Haud ulla illustriori femina abstinuit. *Dion in Calig.* §. 1.

III. Ἀστοργία.

Impius fuit plus quam dici possit in *aviam* & *sorores*. Nam & illam, à qua fuerat aliquando increpatus, eo deduxit, ut sibi mortem voluntariam afferret, & duas sorores, quibus stuprum intulerat, quasi adulteras & insidiarum adversus se conscias, in Insulam relegavit. Tertia, quam ipsam quoque, adhuc prætextatus, contaminaverat, obierat antea. *Dion in Caligula*, §. 1.

Socerum suum *Syllanum* nobilissimum virum, molestum ei propter virtutem & affinitatem, ad mortem sibi consciscendam, ludibriis & contumeliis suis adegit, quem in tanto honore Tiberius Imperator habuerat, ut nollet ab eo provocari. Quod si esset provocatum, rursus ei cognitionem earundem rerum dabat.

IV. ACTA POLITICA.

I. IMPERII OCCUPATIO.

Caligula beneficio *Tiberii* successionem obtinuit, hæres ab eo cum nepote ex filio Druso in duobus testamentis nuncupatus. Quod ideo fecit, quo memoriam scelerum suorum majoribus Caii sceleribus obrueret, utque maxima & nobilissima pars Senatus post suam mortem necaretur.

II. IMPERII ADMINISTRATIO.

I. *Virtutes.*

I. *In initio Imperii* bonus & laudatus fuit Imperator, magnamque de se spem Imperii bene gubernandi præbuit. *Senatui* & *Magistratibus* jurisdictionem liberam concessit, & cum Senatu imperium se communicaturum dicebat, imo se filium atque alumnum Senatus nominavit. Tributorum quoque & censuum rationem sub Tiberio corruptam correxit, provinciasque præsidiis instruxit.

II. *Erga populum benignus fuit.* Legata omnia *Tiberii* & *Liviæ*, quasi de suo omnibus persolvens, liberalitatis famam sibi paravit. Imo universæ plebi urbanæ gratus & acceptus fuit, propter patris memoriam. Militibus vero & provincialibus, quod infantem plerique cognovissent, adeo acceptus fuit, ut nunc PIUS, nunc *Castrorum filius*, nunc *Pater exercituum*, nunc *Optimus* Cæsar vocaretur. *Cuspinianus in vita Caligulæ.*

III. *Studiorum* quoque *Patronus fuit.* Nam in urbe *Lugdunensi* certamen Latinæ Græcæque facundiæ instituit. Quo certamine ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorundem & laudes componere coactos. Eos autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguaque delere jussos, nisi ferulis verberari, aut flumine proximo mergi maluissent. *Suetonius in vita Caligulæ*, §. 20. Huc spectasse videtur Juvenalis, cum de Rhetore loquitur ad aram Lugdunensem dicturo.

II. *Vitia.*

Postea vero hic Caligula *degeneravit*, & plane monstrum Principis factus, in omni vitiorum atque flagitiorum genere instar porci se volutavit.

I. Luxuria.

Caligula luxu prodigioso utens, ut calidis frigidisque unguentis lavaretur, pretiosas margaritas aceto liquefactas sorberet, conviviis ex auro panes & opsonia apponeret, subinde dicens: *Aut frugi hominem esse oportere, aut Cæsarem. Erasmus l. 6. Apophth.*

Apophth. è Sueton. Qualis etiam *Muleaſſes Rex Tuneti* fuit, qui, licet exul eſſet, nihilominus ad pavonis unius, quo veſcebatur, condimenta impendit aureos nummos centum. *Jovius.*

In quos recte quadrant verſus *Lucani*:

——— ô prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,
Et quæſitorum terra pelagoque ciborum
Ambitioſa fames, & lauta gloria menſæ.

II. Prodigalitas nefanda.

Nepotinis ſumtibus omnium prodigorum ingenia ſuperavit. Nam nummos non mediocris ſummæ è faſtigio Baſilicæ Juliæ per aliquot dies ſparſit in plebem. Fabricavit & de cedris liburnicas, gemmaris puppibus, verſicoloribus velis, magna thermarum & porticuum & tricliniorum laxitate, magnaque etiam vitium & pomiferarum arborum varietate, quibus diſcumbens de die inter choros ac ſymphonias, litora Campaniæ peragraret. In exſtructionibus prætoriorum atque villarum, omni ratione poſthabita, nihil tam efficere concupiſcebat, quam quod poſſe effici negaretur. Denique tantæ prodigalitatis fuit, ut immenſas illas opes à Tiberio congeſtas, nempe vicies ac ſepties millies ſeſtertium, h. e. ultra centum milliones, non toto vertente anno (ut Suetonii verbis utar) abſumſerit. *Suetonius in Caligula* §. 37.

III. Avaritia & rapina.

Poſt immenſas profuſiones ad avaritiam & rapinas converſus eſt. Nam vectigalia nova atque inaudita primum per publicanos, deinde, quia lucrum exuberabat, per centuriones tribunoſque prætorianos exercuit, nullo rerum aut hominum genere omiſſo, cui non tributi aliquid imponeret. In ipſo Palatio feminarum mariumque lupanar condidit, ut ex eo meretricium quæſtum faceret; circumque forum & baſilicas miſit nomenclatores, ad invitandos ad libidinem juvenes ſeneſque. Præbita eſt inſuper adventantibus pecunia fœnebris, appoſitique, qui nomina palam ſubnotarent, quaſi adjuvantium Cæſaris reditus. Coacta ex eo vectigali ingenti auri copia, ita oblectatus fuiſſe ſcribitur, ut in ea nudum ſe provolveret, aurique aviditatem expleret. Proeduliis, quæ tota urbe vendebantur, certum vectigal exegit. Pro litibus atque judiciis ubicunque conceptis quadrageſimam partem ſummæ, de qua litigaretur, nec ſine pœna, ſi quis compoſuiſſe vel donaſſe negotium convinceretur. Ex gerulorum diutnis quæſtibus partem octavam: Ex capturis proſtitutarum, quantum quæque uno concubitu mereret: nec non & matrimonia obnoxia fuere. Teſtatores, ut ipſum hæredem ſcriberent, cogebat; quos poſtea, ſi ſupervixiſſent, veneno tollebat. Ridendos ducens, quod condito teſtamento ſuperviverent. Ac ne ex luſu quidem aleæ compendium ſpernens, plus mendacio ac perjurio lucrabatur. Et quondam proximo colluſori, demandata vice ſua, progreſſus in atrium domus, cum prætereuntes duos Equites Romanos locupletes ſine mora corripi, confiſcarique juſſiſſet, exultans rediit, glorianſque nunquam ſe proſperiore alea uſum. *Suetonius in Caligula* §. 40, & 41. O ingentem inexplebilemque avaritiam, quæ in tanto imperio, tantum Principem excœcatum in eam vilitatem abjectionemque deduxiſti, ut neque dedecus ſuum, neque imperii ignominiam agnoſceret, cum ſe veneficum atque lenonem præſtaret, quod nemo, ne obſcuro loco quidem ortus, quamvis inopia preſſus, vix quin erubeſceret, in occulto agere poſſet.

IV. Superbia & inſolentia.

In eam Caligula illapſus eſt inſolentiam, ut velut Deus adorari vellet. Qua de cauſa Deorum veſtimenta induebat, in quibus nunc bellicoſam virginem, nunc mulierem repræſentabat. In ſacrificiis Deorum ornatu induebatur, in plateis ſerico & triumphali veſtitu incedebat. *Xiphilinus.*

Alexander ab Alexand. l. 2. 19. ſcribit: *C. Caligula* cum Cæſar ſalutaretur, prius ſe adorari juſſit capite velato ut Deum. Et ideo imagines ſuas per totum Romanum Imperium mittebat, ut in templa & fana idolorum referrentur, alioque honore afficerentur. Imo in ſanctiſſimum templum Jeroſolymitanum imaginem ſuam per Petronium inferri voluit, ſed irrito conatu: Judæi namque obſtinate reſtiterunt, neque eam recipere voluerunt; uti poſtea plenius dicemus. *Joſephus lib. 18. Antiqu. Judaic. c. 4, & 10.*

V. Dementia.

1. Cum forte Gallus quidam Caligulam pro excelſo tribunali ſub ſpecie Jovis jus dantem videret, eoque viſo effuſe rideret: & cum Imperator id animadvertiſſet, vocatum ad ſe interrogavit, cur riſiſſet? Reſpondit ſatis confidenter: Magnam ſibi dementiam ejus viſam, ideoque riſum continere non potuiſſe. Sed ei, quod furor eſſet, & riſus, & liberum atque aculeatum reſponſum, ſine damno aut periculo fuit.

Adeo, ſubjungit Dio, *Principes hujuſmodi æquiore animo ferre ſolent plebeios homines, à quibus propter vilitatem nullus motus, liberius loquentes, quam*

quam viros magnos & dignitate præditos. Dion in Caligula §. 6.

II. *Equo* ſuo *Incitato* honores habuit. Nam ita ſcribit *Dion §. 3. Unum* ex equis ſuis, quem *Incitatum* nominabat, invitabat ad cœnam, ita ut ei hordeum ex auro apponeret, funderetque vinum in poculis aureis, ac per ſalutem ejus & fortunam juraret, ſeque eum Conſulem facturum polliceretur: Id quod feciſſet omnino, ſi viviſſet diutius. Eidem quoque, præter equile marmoreum & præſepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monile è gemmis, domum etiam & familiam, & ſupellectilem dedit, quo lautius nomine ejus invitati acciperentur. Hic vere de Caligula dici poteſt: *Brutorum animantium collega eſt, qui belluinam vitam agit. Dion in Caligula §. 3.*

III. *Caſoniam* uxorem & *Claudium*, alioſque locupletiſſimos homines ſacerdotes creavit: Cujus rei cauſa exegit à ſingulis aureorum centum millia. Cumque ſe ipſum ſacerdotem feciſſet; *equum collegam* in ſacerdotio deſignavit, eique ſingulis diebus aves teneræ & pretioſæ ſacrificabantur. *Dion in Caligula pag. 6.*

IV. *Seneca lib. 1. de ira c. ult.* de eo ſcribit; C. Caligula iratus cœlo; quod obſtreperet Pantomimis, quos imitabatur ſtudioſius, quam ſpectabat, quodque comeſſatio ſua fulminibus terreretur, ad pugnam vocavit *Jovem*, & quidem ſine miſſione *Homericum* iſtum verſum exclamans:

Ἢ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγώ σε.

id eſt,

Aut tu me tolle, aut ego te.

Dio & *Suetonius* in ejus vita. Idem Caligula non contentus gemina hac ſtultitia, qua primum putavit ſibi à *Jove* noceri non poſſe, deinde ſe Jovi nocere non poſſe, ipſe quoque porro ſe *Jovem* eſſe finxit. Ideo libidines quoque *Jovis* æmulatus eſt. Nam & primum ſorores ſuas vitiavit ad exemplum *Jovis*, qui *Junonem* ſororem in juſtæ uxoris loco habuit. Furtivis deinde libidinibus etiam indulſit, *Jovem*, cum virtutibus non poſſet, vitiis æmulatus. Adeo videlicet verum eſt, quod *Juvenalis* ait *Satyr. 4.*

——— *Nihil eſt, quod credere de ſe*
Non poſſit, ſi conlubeat, Dis æqua poteſtas.

VI. Impudentia.

Caligula dicebat, ſe nihil magis in ſua natura probare, quam ἀδιαιτησίαν, h. e. inverecundiam. Pudor enim ut multis ad honeſtas actiones obſtat, ita nonnunquam improbæ mentis homines à turpibus revocat. *Eraſmus lib. 6. Apophth.* Nam, quod verecundum, hoc natura eſt optimum. Vox inverecundo ſit digna Cæſare.

VII. Tyrannis & crudelitas inaudita.

Quoſdam ex Senatoribus cum clam interemiſſet, citare nihilominus ut vivos perſeveravit, paucos poſt dies voluntaria morte periiſſe mentitus. Multos honeſti ordinis deformatos prius ſtigmatum notis, ad metalla & munitiones viarum, aut ad beſtias condemnavit, aut beſtiarum more quadrupedes cavea coërcuit, aut medios ſerra diſſecuit. Parentes ſuppliciis filiorum intereſſe cogebat, quorum uni valetudinem excuſanti lecticam miſit: alterum rogantem an oculos claudere liceret, ipſum quoque mactari juſſit. Imo tantæ crudelitatis erat, ut non tantum ſupplicia hominum cupidiſſime ſpectaret, ſed etiam reos crebris & minutis ictibus lacerari juberet, ſubinde carnificem interpellans: ITA FERI, UT SE MORI SENTIANT. Ita in Synopſi *Hiſtor. Caroli IX. Galliæ Regis* non immerito ipſe reprehenditur; Quod in natali filiæ ſuæ, quam ex Iſabella Auſtriaca *Maximiliani II. Imp.* filia tulit, tam avidus fuerit ſpectandorum ſupplicorum, ut ſub occaſum ſolis faces accendi juſſerit circa furcam, ut morientium ora certius cognoſceret. Ferina certe rabies eſt, ſanguine & vulneribus gaudere: uti inquit *Seneca l. 1. de Clement. c. 24.* Qui hominem quemvis ob merita in conſpectu ſuo jugulari pro voluptate computat, æque ſuam polluit conſcientiam, quam ſi homicidii, quod fit occulte, ſpectator & particeps fiat.

Punito per nominis errorem alio, quam quem deſtinaverat, ipſum quoque paria meruiſſe, dixit. Nonnunquam horreis præclufis populo Romano famem indixit. Atrocia ejus Symbola atque Emblemata erant: *Oderint, dum metuant.* Item: *Optare ſe, ut populus Romanus unam tantùm cervicem haberet, quo ictu uno omnes conficerentur. Dion in Calig. §. 3.* Vox Carnifice quam Imperatore dignior. *Xiphil. in Calig.* Idem, *Antonia* aviæ pro ſua authoritate monenti, ut quædam ſecus ageret: *Memento*, ait, *mihi omnia in omnes licere.* Talia portenta Principum titulo tum pertulit mundus, quæ non commemorarem, niſi ut ex his Principibus prodigioſæ feritatis horror incutiatur. *Eraſmus ex Suetonio.*

VIII. Impietas exſecranda.

AXIOMA.

Tyrannidis faſtigium eſt impietas, cum omni ſcelerum genere conjuncta.

Exemplum habemus in Caligula.

1. Ille namque *Heros* à multis, & *Deus* à quibuſdam

buſdam vocatus maxime efferri cœpit. Cupiebat enim antea ſe humana conditione ſuperiorem videri, cum Luna coiiſſe, & à Victoria coronatum eſſe. *Jovem* enim ſe eſſe fingere, dicereque ob eam cauſam ſe cum pleriſque mulieribus, ſed præſertim cum ſororibus rem habere. Fiebat ſæpenumero *Juno*, *Diana*, *Venus*, ac præter mutationem nominum veſtes capiebat Diis proprias & accommodatas. *Dion in Caligula. §. 6.*

11. *Cum Luna coitus.* Cum *C. Caligula* aliquando ſe cum Luna coire diceret, interrogaretque *Lucium Vitellium*, an Deam videret coëuntem ſecum: Obſtupefactus tremenſque cœpit deorſum inſpicere, locutuſque pauca: *Licet*, inquit, *domine, vobis Diis tantummodo vos inter vos videre. Dion ibidem.*

111. *Imitatio tonitruum & fulminum.* Factus eſt denique Idolum ridiculum. Nam tonabat machinis quibuſdam & fulgurabat: ac quoties fulmen de cœlo caderet, ipſe contra jaciebat lapidem, dicebatque in ſingulis jactibus illud *Homer.* ἢ μ' ἀνάιε, ἢ ἐγώ σε. *Aut tu me interficias, aut ego te.*

IX. Mala conſcientia.

Caligula noctu excitabatur inſomniis: nec ulla nocte ultra tres horas quieſcebat, ac ne his quidem placida quiete, ſed pavida; ſemper, & miris quibuſdam imaginibus vexabatur. Idem ad minima tonitrua & fulgura, connivere & caput obvolvere, ad majora vero proripere ſe à ſtrato, ſubque lectum condere ſolebat. *Suetonius. §. 51.* Conſcientia enim anteactæ vitæ ſemper eum torquebat, vixque ſinebat eum paululum quippiam oculos in ſomnum inclinare. *Franciſ. Patrit. l. 5. de Reg. Tit. 8. p. 133.*

v. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. *Caligula* ſtatuam ſuam in templo Jeroſolymitano collocari juſſit. *Euſebius l. 2. Hiſt. c. 6.* de eo commemorat, quod templum Jeroſolymitanum ſibi adoptaverit, inque proprium templum tranſmutaverit, ut Jovi illuſtri novo Caio nuncuparetur. Unde quidam colligunt, quod per βδέλυγμα ἐρημώσεως, h. e. per *Abominationem deſolationis*, cujus Chriſtus mentionem facit *Matth. 24. v. 15.* hæc Caligulæ ſtatua intelligatur. Reſp. Verum error hic eſt, qui ex ἀνισοχρονία oritur. Quamvis enim Caligula divinos honores affectaverit: aſſimulacra, quæ adorarentur, inſtituerit: nihil tamen obtinuit, ſed partim *Petronii Præſidis* in Syria, cui executio commiſſa erat, prudentia, partim Ariſtobuli apud *Petronium*, & Agrippæ apud Caligulam interceſſione illud impeditum fuit. *Joſephus l. 18. Antiqu. c. 11.* de Judæis commemorat, quod audientes *Petronium Præſidem* Roma à *Caio Imp.* mitti, ut ejus ſtatuam in templo poneret, eidem nondum regionem ingreſſo apud Ptolemaidem primum, mox etiam apud Tiberiadem occurrerint, ſuppliciter rogantes; Ne ſe ad eam neceſſitatem adigeret, neve ſacratam urbem vetitis imaginibus polluëret. Cumque is objiceret: An igitur bellum geretis cum Imperatore? *Nequaquam*, dicebant, *pugnabimus; ſed moriemur citius, quam à legibus Dei diſcedamus*, ſimulque procumbentes nudatis jugulis paratos ſe dicebant ad excipiendos gladios. Qua conſtantia apud Petronium obtinuerunt, ut ad Imperatorem ſcriberet, & abrogationem decreti, interveniente Agrippæ interceſſione, obtineret. *Euſebius* quidem *lib. 2. Hiſtor. cap. 6. de Caligula* commemorat, quod templum Hieroſolymitanum ſibi ipſi adoptaverit, ut Jovi illuſtri novo Caio nuncuparetur: ſed de conatu potius quam eventu illud accipiendum eſſe, relatio *Joſephi* oſtendit; cum qua exacte congruunt, quæ habet *Philo in libr. de legatione ad Caium. p. 658.*

11. *Herodem* II. *Antipam relegavit.* Qui cum exercitibus ſuis Chriſtum tempore paſſionis ſpreverat, illuſerat, atque indutum veſte alba ad Pilatum remiſerat, ſicut *Lucas* ſcribit *cap. 23. v. ult.* Quem contemtum, irriſionem & ſubſannationem Chriſti Herodes non tulit inultam, ſed contemnens Chriſtum, contemtus eſt etiam tandem juxta effatum divinum *1 Sam. 2. v. 30. Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, vilipendentur.* Cum enim non eſſet contentus dignitate Tetrarchæ, ſed Romam magno apparatu profectus dignitatem Regiam à Caio Cæſare peteret, pro ſummo honore ſummam reportavit ignominiam. Accuſatus enim coram Cæſare propter crimina graviſſima, cumprimis vero ob defectionem ab Imperio Romano, privatus eſt ſua Tetrarchia, ac cum ſua Herodiade in perpetuum exilium *Lugdunum* relegatus, dignas inceſtus, crudelitatis ac illuſionis Chriſti pœnas dedit. Nam ibi tandem ægritudine animi conſumtus periit. Teſte *Joſepho l. 18. Antiqu. Iudaic. cap. 9. lib. 2. de bello Iudaico c. 8. Euſeb. lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. c. 4. Niceph. l. 2. Hiſtor. Eccleſiaſt. 9.* Factum id anno Chriſti 39. h. e. quinquennio poſt illuſionem Chriſti.

111. *Iudæorum gentem graviter afflixit.* Sicut *Euſebius lib. 2. Hiſtor. Eccl. cap. 5.* ſcribit; ubi addit: Judæos hoc modo divinam vindictam propter facinus in Chriſtum deſignatum, expertos eſſe. Cum enim Pilatus Chriſtum innocentem militibus flagellandum traditurus, manus ablueret coram populo, dicens: *Innocens ſum à ſanguine hujus juſti,*

ſti, vos videritis: reſpondens univerſus populus dixit, *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Matth.* 27. *v.* 24, 25. Quo clamore Judæi totam omnino poſteritatem ſuam, uſque ad finem mundi victuram, ad pœnas pro Chriſti ſanguine innocenter effuſo luendas oppignorant. Sed magno ſuo malo & ipſi, & poſteri eorum experti ſunt, quam inconſulte ſeſe ad pœnas pro hoc ſcelere luendas obſtrinxerint. Quin imo uſque in præſentem diem hæc imprecatio ſuper Judæos perſeverat, & ſanguis Chriſti non auferetur ab eis: ſicut. D. *Hieron.* ſcribit.

CAPUT III.

DE EGRESSU.

CIrca exitum vitæ Caligulæ tria ſunt notanda. 1. Τὰ Προηγούμενα. 2. Τὰ Πραχθέντα. 3. Τὰ Παρεπόμενα.

I. ΤΑ' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

1. *Tyrannicum Caligulæ propoſitum.* Caligula propoſuerat ſibi paucis ante mortem menſibus *Antium*, & deinde *Alexandriam* commigrare; interemto prius utriuſque ordinis electiſſimo quoque. Nam poſt obitum ejus duo libelli in ſecretis ejus reperti ſunt, quorum unus GLADIUS, alter PUGIO titulo vocabatur, in quibus nomina morti deſtinatorum continebantur.

Inventa eſt & arca ingens variis venenis repleta, quibus poſtea à *Claudio Imp.* demerſis maria infecta reddita, non ſine piſcium exitio, quos ejectos æſtus in proxima litora ejecit. *Cuſpinianus in vita Calig.* §. 18, 19.

11. *Prodigium mortem ejus antegreſſum.* Inter prodigia, quæ mortem ejus præceſſerunt, fuit hoc *ſomnium*, quo pridie quam periret, ſomniavit: Conſiſtere ſe in cœlo juxta ſolium Jovis, impulſumque ab eo dextri pedis pollice, & in terram præcipitatum.

II. ΤΑ' ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Cum inſaniret Caligula omnibus in rebus, *Caſſius Chærea* & *Cornelius Sabinus* militum prætorianorum Tribuni contra eum conjuraverunt, fuereque multi conſcii hujus conjurationis; in quorum numero fuit *Calliſtus* & *Eparchus*: ſed illi percuſſores fuerunt. Erat Chærea vir antiquæ virtutis morumque, qui Caio certis de cauſis infenſus erat, quod *Caius eum* (etſi fortiſſimum virum) *mulierem vocabat*, eique quoties ad ſe veniret, ſignum dabat Cupidinis aut Veneris, aut aliud ejuſmodi. *Caligula* dies feſtos agebat in palatio, & ſpectaculum edebat; cumque ipſe comederet, & epulum aliis daret, *Pomponius ſecundus* Conſul ad pedes ejus cibum capiebat, eoſque frequenter oſculabatur. Poſt ubi *Caius* ſaltare & tragœdias agere voluit, *Chærea* nihil cunctandum ratus, ut eum animadvertit exeuntem è theatro, inſpiciendorum puerorum cauſa, quos ex Græcia atque Ionia nobiliſſimos acciverat, ad canticum de ſuis laudibus canendum, concluſum in parvum & anguſtum locum interfecit: quo facto nemo eorum, qui aderant præſentes, manus ab illo abſtinuit, ſed mortuum confecerunt vulneribus: nonnulli etiam carnem ejus deguſtaverunt. Imperavit annos 3, menſes 10, dies 9. *Dion in Caligula*, §. 7.

Periit & uxor *Cæſonia*, gladio à Centurione confoſſa, & filia parieti illiſa. *Dion in Caligula*, §. 59.

AXIOMA.

Animus irritatus contumeliis, difficulter frænare iram & vindictæ cupiditatem poteſt.

Nam contumelia eſt plus quam injuria, vel eſt ſupremus injuriæ gradus. Eſt namque non *ſimplex*, ſed *ſtomachoſa injuria*; uti *Carolus Borbonius* eam appellavit. *Cic.* 3. *Verrin.* Habet quendam aculeum contumelia, quem pati prudentes ac viri boni difficillime poſſunt. Quare homines contumeliis magis, quam ulla alia re offenduntur. Quia convicia videntur proficiſci ex odio & malitia nimia. Contra violentas injurias vi & armis conceditur defenſio etiam hoſtibus. Pulchre inquit *Iſidorus*: *Sagittas contumelia, clypeus patientiæ frangit.* Cum quo congruit *Hugo*, ita ſcribens: Lingua dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, occidit mentiendo, ligat, & ligari non poteſt, labitur ut anguilla, penetrat ut ſagitta.

Certe, inquit alius, non tanto dolori eſt deſperatæ malitiæ homini immitis caſtigatio, quanto, viro cordato & verecundo, pudori eſt unicum verbum aſperius. Nam nullus dolor eſt major, quam is, qui contumeliæ mucrone vulnerat pectus, animumque hominis ingenuum.

Exemplum habemus in *Caſſio Chærea* viro fortiſſimo, qui, poſtquam à Caligula contumelioſe tractaretur, quæſivit occaſionem occidendi eum, nec quievit prius, quàm Caligulam interfeciſſet.

Simile exemplum habemus in *Carolo Borbonio*, qui (ſicut *Ferronus* refert) plerumque in ore habuit *Aquitani* cujuſdam ſcitum reſponſum. Is rogatus à *Carolo VIII.* Rege Galliæ: Quo tandem præmio impelli poſſet, ut fidem ſibi tot magnis rebus perſpectam falleret: *Non tuo*, inquit, *regno, non orbis imperio adduci poſſim; non omnium theſauris: Contumelia tamen & ſtomachoſa injuria poſſim.*

III. ΤΑ'

III. ΤΑ' ΠΑΡΕΠΟΜΕΝΑ.

Interfecto Caligula & cæde ejus vulgata, non ſtatim creditum eſt: Cum ſuſpicio eſſet, ab ipſo *Caligula* famam cædis ſimulatam & emiſſam, ut eo pacto erga ſe hominum mentes deprehenderet. Sed cum Prætorianæ cohortes tumultuarentur, ac quærerent: *Quis Caium occidiſſet?* hac eas ratione ſedavit *Valerius Aſiaticus* vir conſularis, quod in locum unde conſpici poſſet, progreſſus exclamavit: *Utinam ego eum interfeciſſem!* Qua voce territi milites, turbarum finem fecerunt. *Dion in Caligula* §. 7.

Vixit annos viginti novem, imperavit annis tribus, menſibus novem, diebus octo & viginti. Et ita re ipſa magnoque ſuo malo ſe hominem, non Deum eſſe, expertus eſt. *Dion* ibidem.

V. IMPERATOR ROM. CL. TIBERIUS DRUSUS.

CAPUT I.

DE ORTU.

1. *Generatio.*

1. PATER Claudii fuit DRUSUS Major, Auguſti ex Livia privignus, & Tiberii Imp. frater, qui ante Chriſtum natum anno 7. in Germania equo collapſus crus fregit, ex qua fractura tricesimo die mortuus eſt, anno ætatis 30. cum magna ex parte Germaniam domuiſſet. Funus ejus Romam uſque deductum eſt, portantibus id primum militibus, poſt primoribus urbium. Ex hoc *Claudius* Lugduni Calend. Aug. anno Mundi 3940. ante C. N. 30. natus eſt. *Suetonius in Claudio* §. 1, 2.

II. MATER fuit ANTONIA MINOR, ex qua Druſus complures liberos tulit, tres tantum reliquit, *Germanicum, Claudium & Livillam. Suetonius in Claudio* §. 1.

AVIA fuit LIVIA Auguſta. Frater ejus fuit *Germanicus*, & ipſe *Caligula* patruus.

GENEALOGIA CLAUDII.

Livia, Auguſti conjux.

Tiberius Imperator. — Druſus. —— uxor Antonia major filia M. Octavia ——— hujus frater Auguſtus Imperat.

Druſus junior. — Antonia minor.

Tiberius junior. — Germanicus. — Claudius Imperat. — Livilla ſoror. — Claudius.

Caius Caligula.

II. *Appellatio.*

Dictus fuit hic Imperator *Tiberius Claudius Druſus. Suetonius* §. 2. Mater Antonia eum nomine Patris DRUSUM, & nomine Patrui, nempe Tiberii Imperatoris, *Tiberium Claudium* nominari voluit.

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

I. Προσωπογραφία, & ACTA JUVENILIA.

1. *Statura corporis* atque *forma.*

AUthoritas dignitaſque formæ non defuit vel ſtanti, vel ſedenti, ac præcipue quieſcenti. Nam & prolixo nec exili corpore erat, & ſpecie canitieque pulchra, opimis cervicibus. Ceterum & ingredientem deſtituebant poplites minus firmi, & remiſſe quid vel ſerio agentem multa dehoneſtabant. Riſus indecens, ira turpior ſpumante rictu, humentibus naribus, plectra linguæ titubantia, caputque tum ſemper, tum in quantulocumque actu vel maxime tremulum.

Fuit valetudinarius. Nam per omnem pueritiæ & adoleſcentiæ tempus variis & tenacibus morbis conflictatus eſt, adeo ut animo ſimul & corpore hebetato, ne progreſſa quidem ætate ulli publico privatoque muneri habilis exiſtimaretur. Mater *Antonia* portentum eum hominis dictitabat, nec abſolutum à natura, ſed tantum inchoatum: ac ſi quem ſocordiæ argueret, ſtultiorem aiebat filio ſuo Claudio. *Avia Auguſta Livia* pro deſpectiſſimo ſemper habuit. Non affari niſi rariſſime: Non monere, niſi acerbo & brevi ſcripto, aut per internuncios, ſolita. *Soror Livilla*, cum audiiſſet aliquando imperaturum, tam iniquam & tam indignam ſortem populi Romani palam deteſtata eſt. Sed & avunculus major *Auguſtus* valde de eo dubitavit, num honores gerere poſſet, nec ne: meruitque ne materia præberetur hominibus deridendi & illum & familiam, ſi ad illos adhiberetur, qui & corpore & animo male affectus eſſe videretur.

II. *Indoles animi.*

Ingenio erat phantaſtico, ſed tamen ſtudiis apto. Nam in literis tum Græcis, tum Latinis, egregie inſtitutus fuit à *Livio* Præceptore ſuo, adeo ut vir factus, græcè latineque doctiſſimus eſſet. Libros enim 40. Hiſtoriarum, hortante *Tito Livio*, conſcripſit. Totum *Homerum* memoria tenebat, ut in uſu rerum ſæpe verſus ejus recitaret. *Volaterran. l.* 23.

NOTA.

NOTA.

Obſervatione digniſſimum eſt, quod quidam homines admiranda memoria præditi fuerint.

I. *Eſdras* Sacerdos univerſas Ebræorum doctrinas habuit in memoria. *Joſephus l.* 11. *c.* 5. *Antiq. Judaicarum.*

II. *Cyrus Rex*, qui immenſos ductavit exercitus, omnibus militibus nomen reddidit. Sic *L. Scipio*, quod æque mirum videri poſſit, populo Romano.

III. *Mithridates*, *Ponti* atque *Bithyniæ Rex* inclytus, qui à *Cn. Pompeio* bello ſuperatus eſt, duarum & viginti gentium, quas ſub ditione habuit, linguas percalluit: earumque omnium gentium viris haud unquam per interpretem locutus eſt, ſed ut quemque ab eo appellari uſus fuit, perinde lingua & oratione ipſius non minus ſcite, quam ſi gentilis ejus eſſet, locutus eſt. *Gellius lib.* 17. *c.* 17. *Plinius lib.* 25. *c.* 2.

IV. *Cæſar Dictator* ſcribere & legere uno tempore, dictare & audire ſolebat: epiſtolas magni ponderis quaternas pariter dictabat; aut, ſi non aliud ageret, ſeptenas. *Plinius.*

V. *Claudius Imperator.* De quo jam dictum eſt.

VI. *Ælius Adrianus* Imp. tanta fuit memoria, ut locos, negotia, milites abſentes quoque nominibus ſuis recenſeret.

VII. *Cyneas Pyrrhi Regis Legatus*, poſtridie quam Romam venerat, Senatum & Equeſtrem ordinem proprio nomine ſalutavit.

VIII. *Themiſtocles* tanta fuit memoria, ut Simonidi artem memoriæ pollicenti dixerit, ſe malle artem oblivionis: quod etiam meminiſſet, quæ nollet; obliviſci non poſſet, quæ vellet. *Author Cic. l.* 2. *de Orat.*

IX. *Saluſtius* totum Demoſthenem memoria tenuit. *Cicero.*

X. *Avicenna* totam Ariſtotelis Metaphyſicam memoria complexus eſt. *Cicero.*

XI. *Hortenſius* tam excellentis memoriæ fuit, ut, quæ ſecum commentatus eſſet, ea ſine ſcripto verbis iiſdem redderet. *Cicero.*

XII. *Cicero* de ſe ſcribit. Nihil unquam audivi, quod non in memoria mea penitus inſederit.

XIII. *Seneca* de ſe affirmat ſimiliter, in *Proœm. ad lib. Contr.* ſe una lectione magiſtri ſui duo millia vocabulorum memoriæ commendaſſe: quæ lectione finita eo ordine, quo dicta erant, & retrogrado memoriter recitavit; ducentos quoque verſus, ab ultimo incipiens.

XIV. *Studioſus* quidam *Patavinus juris* 3000. vocum audita, mox & eodem & inverſo ordine reddere potuit, ut *M. Muretus* ſcribit.

XV. *Charmidas* quidam in Græcia quæcunque perlegiſſet volumina, ea memoriter legentis modo repræſentavit. *Plin. l.* 7. *c.* 24.

XVI. *Clemens* tanta valuit memoria, ut quicquid legendo ſemel evolviſſet: memoriæ firmiter infixum haberet.

XVII. *Cœnis concubina Flavii Veſpaſiani* excellenti quoque memoria fuit prædita. Cum enim *Antonia* hera ejus, *Claudii* mater, ad *Tiberium* per eam nonnihil de Sejano ſcripſerat, atque juſſerat, ut illud, ne quis forte deprehenderet, ſtatim deleretur: *Fruſtra*, inquit, *Domina*, *juſſiſti*; Hæc enim atque cetera omnia, quæ mihi imperas, ita ſemper in memoria habeo, ut ex ea deleri non poſſint. Ideo etiam *Veſpaſianus* ejus conſuetudine valde delectabatur. *Dion in Veſpaſiano* §. 4. Plura exempla *Drexelius* in Aurifodina part. I. *c.* 2. pag. 6. & ſeqq. recenſet.

DUBIUM.

Quæſt. Quomodo *Claudius* bono ingenio præditus, dici potuerit *μωρὸς*, ſtultus vel phantaſticus; ſicut mater Antonia portentum hominis eum appellavit, & ſi quem ſocordiæ argueret, ſtultiorem aiebat filio ſuo. Nam qui eſt ſtultus, quomodo ille poteſt dici ingenioſus & ad ſtudia literarum aptus? Videtur enim eſſe contradictio in adjecto.

Reſp. Diſtinguendum inter *ingenium* & *judicium*. Multi ſunt *ingenioſi*, h. e. bono ingenio prædiri, h. e. pollent docilitate & memoria, ut facile aliquid poſſint apprehendere & memoria comprehendere. Sed non ſunt judicioſi, h. e. de rebus inventis, & memoria comprehenſis, accuratum judicium ferre non poſſunt. Elegans *exemplum* habemus in *coquo* ſemifatuo *Maximiliani I. Imp.* in cujus vita hiſtoriam de coquo illo benevolus lector inveniet. Eadem quoque recitatur in hiſtoria noſtra Patriarcharum.

II. ACTA VIRILIA.

I. OECONOMICA.

Circa acta ejus Oeconomica tria ſunt conſideranda. 1. *Conjuges* quas duxit 2. *Liberos* quos genuit. 3. *Generos* quos elegit.

I. Conjuges.

Claudius ſex Conjuges habuit.

I. Fuit *Æmylia Lepida* Auguſti proneptis. Hanc quod parentes ejus Auguſtum offenderant, virginem adhuc repudiavit. *Suetonius in Claudio* §. 26.

II. *Livia Medullina.* Hanc ipſo die, qui nuptiis erat deſtinatus, ex valetudine amiſit. *Suet. ibid.*

III. *Plautia Herculanilla* patre triumphali nata. Sed cum hac divortium fecit, ob libidinum probra & homicidii ſuſpicionem. *Suetonius ibidem.*

IV. *Ælia Petina* patre Conſulari nata. Sed etiam cum hac divortium fecit ex levibus offenſis. *Suetonius ibidem.*

V. *Valeria Meſſalina*, quæ libidinoſa & intemperans fuit femina, quæque temeritate & intemperantia omnes feminas ſuæ ætatis ſuperavit. Hæc ceteras quoque mulieres coëgit luxurioſe & intemperanter vivere, effecitque, ut multæ in palatio viris ſuis præſentibus ac videntibus cum adulteris coirent: earumque viros ipſa diligere, ac honoribus & dignitatibus augere; ceteros, qui id non paterentur, odio habere, ac modis omnibus perdere ſolita eſt. *Dion in Claudio* §. 4.

Meſſalina vero, amore Mneſteris ſaltatoris capta, cum ei perſuadere non poſſet, ut ſecum coiret, petivit a *Claudio* viro ſuo, ut illum ſibi obſequi juberet, tanquam ipſi in quibuſdam aliis rebus opera ejus neceſſaria foret. Is, poſtquam ei Claudius præcepit, ut omnia quæ Meſſalina imperaret, libenter faceret, cum illa rem habuit, tanquam id ſibi quoque imperatum fuiſſet. Id enim Meſſalina ſæpe in multis aliis fecit. Nam quaſi Claudio conſcio ſineneteque ei petulanter vivere, mœchabatur. Tandem eo inſolentiæ proceſſit Meſſalina, ut vivo Claudio, abſente tamen, ad Oſtiam, publice nuberet SILIO, cumque eo nuptias celebraret. *Dion hanc Tragœdiam deſcribit* §. 6. Meſſalina nupſit CAIO SILIO: harumque nuptiarum convivium magnificum & ſumtuoſum fecit, eique regiam domum donavit, in qua congeſſit omnes Claudii theſauros pretioſiſſimos: eumque ad extremum Conſulem deſignavit.

Interficitur tandem Mneſter, & Meſſalina jugulatur. De his *Dion* §. 6. ita ſcribit. Narciſſus *Claudio*, cum ſolus eſſet, per pellices ipſius omnia, quæ gererentur, ſignificavit. Quibus cognitis rebus, *Claudius* in urbem ſubito reverſus, magnum numerum hominum, ſed inprimis Mneſterem occidit: poſt, ipſam quoque *Meſſalinam* jugulavit.

VI. *Agrippina*. Tandem Claudius Agrippinam fratris ſui Germanici filiam, *Domitii Neronis* matrem, uxorem duxit: Et ne videretur propinquitate ſanguinis inceſtum committere, eam in rem Senatus-conſultum poſtulavit, ut impoſterum nuptiæ inter patruos fratrumque filias juſtæ ſtatuerentur. Verumtamen *Tacitus* refert, non niſi unum repertum eſſe, qui talis matrimonii cupidus fuiſſet. *Suetonius* duos fuiſſe ſcribit. Sed hoc Senatus-conſultum poſtea à Nerva Imperatore eſt abrogatum, qui ſevere talia matrimonia prohibuit. Neque id immerito. Nam cum manifeſta lege divina pugnant, quæ exſtat *Lev.* 18. 12. Turpitudinem ſororis patris tui non diſcooperies, quia propinqua eſt patris tui. Ex quibus verbis nos per analogiam ſive conſequentiam ſic concludimus:

Sicut amita non poteſt nubere nepōti ex fratre; ita ſimiliter neque patruus poteſt ducere fratris filiam.

Sed verum eſt prius:

Ergo & poſterius.

Tacitus l. 12. *Annal.* ſcribit: *Agrippina* ſalutatur Auguſta: quæ, ut potentiam ſuam exteris etiam oſtenderet, COLONIAM in Ubios, ubi nata erat, veteranorum militum deduci jubet, quæ AGRIPPINA appellata eſt.

NOTA.

Agrippinæ notanda eſt ſumma tum *felicitas*, tum *infelicitas*.

I. *Felicitas*, ob ortum felicem, atque dignitatem ſingularem. De qua *Fulgoſ. l.* 8. *c.* 16. ita ſcribit: Agrippinæ Auguſtæ inter feminas Romanas, quæ ante eam fuerunt, uni contigit: ut Romani Principis uxor, ſoror, mater ac filia haberetur. *Germanici* enim filia fuit, quem Tiberius ſucceſſorem Imperii adoptaverat: *Claudium* Auguſtum *virum* habuit: *Caligula ſoror* erat? denique *Neronem* peperit.

II. *Infelicitas* ob vitam flagitioſam atque turpem. 1. Quia inceſtum cum Claudio Imp patruo ſuo commiſit; uti antea dictum eſt. 2. Quia maritum ſuum *Claudium* boleto necavit; uti in cap. 3. dicemus.

II. Liberi.

Liberos ex tribus uxoribus tulit.

I. Ex *Plautia Herculanilla tertia* uxore *Druſum* & *Claudium*. Druſum *Pompeiis* impuberem amiſit, piro per luſum in ſublime jactato & hiatu oris excepto ſtrangulatum, cui & ante paucos dies filiam Sejani deſpondiſſet.

II. Ex *Petina quarta* uxore ſuſcepit *Antoniam*, quam Cn. Pompeio Magno, & deinde Fauſto Syllæ nobiliſſimis juvenibus, collocavit. *Suetonius* §. 27.

III. Ex *Valeria Meſſalina quinta* uxore ſuſcepit *Octaviam* & *Germanicum*, quem mox BRITANNICUM cognominavit. OCTAVIAM Neroni privigno ſuo collocavit. *Suetonius ibidem.*

BRITANNICUM vigeſimo imperii die, inque ſecundo conſulatu natum ſibi, parvulum etiam tum & militibus pro concione manibus ſuis geſtans, & plebi per ſpectacula gremio aut ante ſe retinens, aſſidue commendabat, fauſtiſque ominibus eum acclamantium turba proſequebatur.

III. Ge-

III. Generi.

Generi ejus tres fuerunt. 1. *Nero* privignus, cui *Octaviam* in uxorem dedit. 2. *Cn. Pompeius M.* 3. *Fauſtus Sylla*: illi primo & huic deinde filiam ſuam *Antoniam* deſponſavit: è Generis *Neronem* adoptavit: Pompeium & Syllanum non recuſavit modo, ſed & interemit. *Suetonius* §. 27.

Tacit. lib. 12. *Annal.* ſcribit: NERO filius Agrippinæ adoptatur à Claudio, Pallantis & Agrippinæ conſilio, eique virilis toga datur, & Princeps juventutis appellatur, & *Britannico* filio Claudii longe præponitur.

AXIOMA.

Σκίμμα πολιτικὸν Tyrannorum eſt, quod miram quandam legum ſimulent obſervantiam.

Exemplum habemus in Claudio Imperatore geminum.

1. Cum ipſe Agrippinam fratris ſui *Germanici* filiam duceret conjugem, ne videretur propinquitate ſanguinitatis inceſtum committere, per Senatuſconſultum hoc matrimonium confirmari petiit. *Dion* §. 6. *Cornelius Tacitus lib.* 12. *Annal.*

11. Cum Agrippinæ impulſu NERONEM, ejus filium primum, adoptaſſet, poſtea generum ſibi etiam legiſſet, ne videretur contra leges ſororem fratri jungere, filiam prius emancipavit, & alteri adoptandam tradidit.

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

CLAUDIUS anno ætatis 50 imperium adeptus eſt mirabili caſu. Nam Caio Caligula ſublato, *Conſules* præſidiis collocatis in omnibus urbis partibus libertatem communem aſſerturi, Senatum non in curiam, ſed in Capitolium vocarunt.

Sed dum *alii* populo Rempublicam reſtituendam, *alii* unum Principem habendum contendunt, atque hi rurſus principatum deferunt alii aliis; conſumtum eſt re infecta, quod reliquum fuit illius diei una cum nocte ſequenti.

Interea *milites* aliquot prædandi cauſa Palatium ingreſſi, *Claudium* (qui, quod cum Caio fuerat, tumultum timens, in obſcuro quodam angulo ſe occultaverat) inveniunt; ac initio quidem, alium quam erat, eſſe, ſecumque habere aliquid, unde prædam nanciſcerentur, arbitrati, foras extrahunt, extractum atque ad genua ipſis præ metu procidentem, *Imperatorem* ſalutant, atque in caſtra perducunt, mœſtum ac trepidum, miſerante obvia turba, quaſi ad pœnam raperetur inſons.

Milites recepto intra vallum omnes imperium deferunt, quod ſtirpe Imperatoria ortus, & vir bonus habitus eſſet. Quos ille armatos pro concione in nomen ſuum jurare paſſus eſt, promiſitque ſingulis quina dena HS. Primus Cæſarum fidem militis etiam præmio pignoratus. *Suetonius in Claudio* §. 10.

Conſules (cum aliquamdiu miſſis Tribunis plebis ei edixiſſent, ne principatum capeſſeret, ſed ſub populi & Senatus, ac legum poteſtate eſſet) poſtquam à ſuis quoque militibus deferi ſe viderunt, (utpote, qui cum aliis hoc contendebant, ne ab aliis Imperatorem acciperent, ſed omnibus darent) ipſi Conſules quoque aſſenſi ſunt, eique omnia quæ ad principatum ejus ſpectare videbantur, decreverunt.

Sic igitur Imperium adeptus eſt Tiberius Claudius Nero, Druſi filius, Liviæ Auguſtæ nepos, frater Germanici, patruus Caligulæ, qui ipſum haud dubio antea necaſſet, niſi eum contemſiſſet ob ſocordiam, quam partim natura, partim ſimulatione præ ſe ferebat.

II. *Imperii adminiſtratio.*

1. ACTA CLAUDII BONA.

Claudius initio bonus Princeps fuit, ſed poſtea degeneravit.

1. Acta Caligulæ paulatim abolevit. Nam penſiones à Caio Caligula inſtitutas, & reliqua ejus acta, quæ reprehenſionem merebantur, antiquabat; non quidem ſimul, ſed ſenſim per occaſiones. In exilium ab eo immerito miſſos, atque inter eos etiam ſorores ejus, *Agrippinam* & *Juliam* reduxit, ac bona eis reſtituit. Cum in carcere permulti eſſent, dimiſſis iis, qui propter Majeſtatis crimen, aut aliud id genus in eum conjecti eſſent, exempla ſtatuit in ſontes, diligentiſſima inquiſitione habita, ne vel noxii propter circumventos calumniis abſolverentur, vel hi propter illos perirent. Nimias delicias, quæ fuerant Caii temporibus, ſuſtulit: latis legibus quæ ad eam rem ſpectare viderentur. Cauponas enim, in quibus compotare ſolebant, evertit: vetuitque ne caro cocta, aut aqua calida uſquam venderetur: atque in eos, qui non obtemperarent, animadvertit. *Dion in Claudio* §. 2.

11. Parricidas Caligulæ trucidavit, nempe *Caſſium Chæream* & *Lupum*, dicens: Rem mali exempli eſſe, Principem ſuum occidere. Quibus acceſſit voluntate ſua *Sabinus*, qui ipſis morte con-

jungi voluit. *Dion* §. 2. *Suetonius in Claudio* §. 11. *Joſephus l.* 19. *Antiq. Judaic. c.* 3.

III. Quando privatum cum injuria vel contumelia læſiſſent, (quod multi fecerant, hominem nullius precii exiſtimantes, atque *Tiberii* ac Caligulæ gratiam captantes) eorum neminem, evicto crimine, ultus eſt.

IV. In initio ſtatim imperii de ſe, idque non ficte aut ſimulate, edixit: Ne quis ipſum adoraret, eive ſacrificaret. Nimios honores recuſavit, & prænomine Imperatoris abſtiſuit. *Suetonius* §. 12. Statuarum & imaginum modum præſcripſit. Imaginem ſui unam modo argenteam, ſtatuaſque duas ex ære & lapide, initio ſibi decretas admiſit.

V. In re pecuniaria ab omni ſordida exactione abſtinebat, modeſtiamque & temperantiam populi Romani plurimi faciebat.

VI. Judicia frequenter inſtituit. Nam jus, & cum Conſul eſſet, & extra eum honorem, laborioſiſſime dixit. Nec ſemper præſcriptam legum duritiem, ſed multarum lenitatem ex æquo & bono, perinde ut afficeretur, moderatus eſt.

VII. Leges atque civiles ordinationes laudabiles tulit.

1. *Legem tulit*, ne Senatori ultra ſeptimum ab urbe lapidem, injuſſu Imperatoris, abeſſe liceret. *Suidas.*

2. *Viatores in officio continuit.* Nam ne per Italiæ oppida niſi aut pedibus, aut ſella, aut lectica tranſirent, edicto monuit.

3. *Incendiis cavit.* Puteolis enim & Hoſtiæ ſingulas cohortes ad arcendos incendiorum caſus collocavit.

4. *Peregrinorum audaciam repreſſit.* Peregrinæ conditionis homines vetuit uſurpare Romana nomina, ſed duntaxat gentilitia: civitatem Romanam uſurpantes in campo Eſquilino ſecuri percuſſit.

5. *Populos ordinavit.* Nam provincias Achaiam & Macedoniam, quas Tiberius ad curam ſuam tranſtulerat, Senatui reddidit. Lyciis, ob exitiabiles inter ſe diſcordias, libertatem ademit: Rhodiis ob pœnitentiam veterum delictorum reddidit. Ilienſibus, quaſi Romanæ gentis autoribus, tributa in perpetuum remiſit. *Suetonius in Claudio* §. 25.

VIII. *Aſinius Pollio*, homo exiguæ ſtaturæ & deformis, dives tamen, Claudio inſidiatus fuerat, & tentaverat muneribus Prætorianos; ideo etſi ſupplicium meritus fuerat, tamen tantum relegatus eſt. *Dio.*

IX. Ingratos, de quibus patroni querebantur, in ſervitutem revocavit, & cum multi ſervos ſuos ægrotantes prorſus negligerent, atque ædibus expellerent, etiam, quicunque ex iis tanitatem recepiſſent, eos liberos eſſe juſſit. *Suetonius* §. 25.

X. Urbis & annonæ curam ſollicite ſemper egit. Cumque fames ingens aliquando exorta eſſet, non modo ad præſens tempus copiæ alimentorum, ſed in perpetuum etiam proſpexit. Occaſionem commemorat *Suetonius in Claud.* §. 18. *talem*:

Cum arctior annona Romæ ob aſſiduas ſterilitates eſſet, detentus quondam *Claudius* medio foro à turba, conviciiſque ac ſimul fragminibus panis ita inſtratus, ut ægre, nec niſi poſtico, evadere in palatium valuerit; nihil non ex eo cogitavit ad invehendos etiam in tempore hiberno commeatus. Nam & negotiatoribus certa lucra propoſuit, ſuſcepto in ſe damno, ſi cui quid per tempeſtates accidiſſet, & naves mercaturæ cauſa fabricantibus magna commoda.

XI. *Opera publica, eaque magnificentiſſima exſtruxit.* Nam nulla re poſteritati magis, quam operum publicorum incredibili magnificentia, commendatus eſt.

1. *Portum Hoſtienſem* exſtruxit ad frumentum in urbem Romam importandum. Quia antea naves hieme appellere ad Tiberis oſtia non poterant. Hunc contra conſilium architectorum ædificavit. Cum enim hi interrogati; Quantos ſumtus ea res poſtularet? reſponderunt, tam magnos, ut nollet eum portum facere: ſperabant enim eum, cognita ſumtus magnitudine, ſi prædixiſſent, à propoſito deterreri. Sed is nihilominus ſibi faciendum putavit, induxitque in animum rem dignam gloria atque magnificentia populi Romani. Primum quod loco non parvo perfoſſo in continenti, jactiſque circum undique fundamentis, eo mare intromiſit. Deinde in ipſo mari factis utrinque magnis aggeribus, ac multo mari concluſo, in eo inſulam fecit, atque in ea turrim ædificavit, ex qua lumen navigantibus nocturno tempore præberetur. Is *locus*, ut eſt, ita patria lingua *Portus* appellatur.

2. *Fucini lacum derivavit.* Nam ut *Suetonius ſcribit* §. 20. *Fucinum* aggreſſus eſt, non minus compendii ſpe quam gloriæ, cum quidam privato ſumtu emiſſuros ſe repromitterent, ſi ſibi ficcati agri concederentur. Per tria autem paſſuum millia, partim effoſſo monte, partim exciſo, canalem abſolvit ægre, & poſt undecim annos, quamvis continuis xxx hominum millibus ſine intermiſſione operantibus.

3. *Aquæ ductus* à Claudio Caligula inchoatos ipſe conſummavit. *Plinius lib.* 36. *c.* 15. cenſet nihil admiratione dignius viſum in toto orbe terrarum,

rarum, quam insignes & magnificos illos *aquæductus*. Quippe à lapide quadragesimo, longo cursu ad eam excelsitatem summa arte levati, ut in omnes urbis montes, abundanti copia aquæ influxerint, omnibusque privatis & publicis balneis, piscinis, domibus, curipis, hortis, suburbanis etiam & villis suffecerint: insigni arte ad hanc rem exstructis arcubus, summo labore perfossis montibus, adæquatis convallibus. Erogata in hoc opus sestertia quingenta quinquaginta quinque, seu ut *Budæus* legit, sestertium quingenties quinquagies quinquies. Quæ conficiunt in nostra moneta fere 14 tonnas auri.

II. ACTA CLAUDII MALA.

I. Mutabilitas in Judiciis.

In Judiciis mira animi varietate fuit: modo circumspectus & sagax, modo inconsultus & præceps, nonnunquam frivolus amentique similis. Unde patet mixtura virtutum & vitiorum ejus.

Nam cernebatur in eo;

1. *Prudentia.* Feminam non agnoscentem filium suum, dubia utrinque argumentorum fide, ad confessionem compulit, indicto matrimonio juvenis. *Suetonius* §. 15.

Similiter cum cuidam notam appositam, deprecantibus familiaribus, ademisset; *Litura tamen* (inquit) *exstat*. Quibus verbis prudenter monere voluit, etiam remissa culpa manere tamen infamiæ prioris vestigium. Alludens ad scripturam, quæ licet spongia deleatur, aut graphio radatur, relinquitur tamen lituræ vestigium. *Suetonius* §. 16. *Erasmus lib. 6. Apophth.*

11. *Justitia.* Proclamante quodam præcidendas falsario manus, carnificem statim acciri cum machæra, mensaque lanionia, flagitavit.

111. *Injustitia.* Politici tale Axioma habent. *Injustitia summa est, reos intactos dimittere.*

Exempla habemus in Claudio.

1. Nam is recognitione Equitum juvenem plenum probri, sed quem pater probatissimum sibi affirmabat, sine ignominia dimisit, habere dicens, censorem suum.

2. Alium corruptelis adulteriisque famosum, nihil amplius quam monuit, ut aut parcius ætatulæ indulgeret, aut certe cautius, addiditque: *Quare enim ego scio quam amicam habeas? Suetonius ibidem.*

IV. *Vesana iracundia.* 1. *Claudius* iratus aliquando Judæo Gallico oratori causam apud se agenti, jussit eum projici in Tiberim, à quo tum, cum jus redderet, non longe aberat. Hæc in re *Domitius Afer*, qui omnes patronos causarum suæ ætatis superabat, perbelle jocatus est. Nam cum is, qui erat à Judæo destitutus, opem ab eo peteret, ita respondit: *Quis tibi nuncivit melius quam illum natare? Dion in Claud.* §. 6.

2. *Suetonius in Claud.* §. 15. stultissimæ ejus iracundiæ tale adfert exemplum: Equitem Rom. obscœnitatis in feminas reum, sed falso, & ab imponentibus inimicis confecto crimine, satis constat (cum scorta meritoria citari adversus se & audiri pro testimonio videret) graphium & libellos quos tenebat in manu, ita cum magna stultitiæ & sævitiæ exprobratione jecisse in faciem ejus, ut genam non leviter perstrinxerit.

V. *Animi stupor & vecordia.* De quodam negotio ita ex tabella pronunciasse creditur, secundum eos se sentire, qui vera proposuissent. *Suetonius in Claud.* §. 15.

VI. *Unde contemtus secutus est.* Propter hæc enim & similia usque adeo eviluit, ut passim ac propalam contemtui esset. Nam *Causidici* patientia ejus soliti abuti, ut descendentem è tribunali non solum voce revocarent, sed & lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenso retinerent. Ac ne cui hæc mira sint, *litigatori Græculo* vox in altercatione excidit, καὶ σὺ γέρων εἶ, καὶ μωρός. i. e. *Et tu senex, & tu stultus es.*

II. Γυναικοκρατούμενος, h. e. usque ad furorem *uxorius* fuit.

Nam à *Messalina uxore* ejus ac libertis vendebantur & jus civitatis, & officia regendorum & procurationum, & præfecturarum. Quin & reliquarum rerum omnium institura abeis exercebatur, ut venalia omnia magno jam precio essent, & *Claudius* ipse coactus fuerit in campum Martium populo congregato pro tribunali rerum precia indicare.

Similiter *C. Appium Syllanum* (cui matrem Messalinæ conjugio junxerat, quemque inter amicissimos & propinquissimos aliquando habuit) subito interfecit, quod *Messalinam*, concubitu ejus (erat enim extremæ libidinis ac impudicitiæ femina) recusato, ac per eam Narcissum libertum Principis offendisset. Is vero *Narcissus* cum neque verum neque probabile crimen objicere Syllano posset, finxit in somniis vidisse se Claudium manu ejus occisum, idque ei adhuc in lecto cubanti tremebundus narravit. Excepitque sermonem Messalina, & verbis exaggeravit. Ita insomnium Appio Syllano mortem attulit.

III. In deligendis Consiliariis & domesticis infelix fuit.

Nam libertorum præcipue suspexit *Posidem spadonem*, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit. Nec minus *Felicem*, quem cohortibus & alis, provinciæque Judææ præposuit, trium Reginarum maritum. Et *Harpocram*, cui lectica per urbem vehendi, spectaculaque publice edendi, jus tribuit. Ac super hos *Polybium* à studiis, qui sæpe inter duos Coss. ambuabat. Sed ante omnes *Narcissum* ab epistolis, & *Pallantem* à rationibus: quos decreto quoque Senatus non præmiis modo ingentibus, sed & quæstoriis prætoriisque ornamentis ornari libenter passus est: tantum præterea acquirere & rapere, ut querente eo quondam de fisci exiguitate, non absurde sit dictum; *Abundaturum, si à duobus libertis in consortium reciperetur. Sueton. in Claud.* §. 28. Quin etiam in alienorum libertorum scelera graviter animadvertens *Claudius*, ita suis indulgebat, ut quidam *Pantomimus* in theatro vulgatum illud proferret: Ἀφόρητός ἐστιν εὐτυχῶν μαστιγίας, h. e. Tolerari nequit beatus verbero: universusque populus in Polybium ejus libertum, qui & inter Consules medius incedere solebat, intueretur; ac Polybius clamaret, dictum esse ab eodem Poëta:

Βασιλεῖς ἐγένοντο οἱ πρὶν ὄντες αἰπόλοι.

hoc est,

Reges quoque exstitere de caprariis.

Et ab hisce libertis tandem dementatus & eversus est *Claudius*. Cum enim Bithymi, eo jus dicente, multis clamoribus *Junium Cilonem* propter δωροφαγίαν accusarent, qui præfectus ipsis fuerat, & *Claudius*, præ turba non intelligens, quid vellent, interrogaret assistentes: quidnam dicerent Bithymi? Narcissus mentitus, respondit, Agere eos gratias Junio. Id ipse credens, subjecit: Præsit ergo adhuc eis biennium. Adeo ludibrio Principem Narcissus habebat.

Ausonius de iis, quæ libertorum atque uxorum causa commisit, hoc elegans *tetrastichon* fecit:

Claudius irrisæ privato in tempore vitæ,
In regno specimen prodidit ingenii.
Libertina ferens nuptarumque improba facta,
Non faciendo nocens, sed patiendo fuit.

IV. Luxuria.

I. Convivia agitavit & ampla, & assidua, ac fere patentissimis locis, ut plerumque sexcenti simul discumberent. Convivatus & super emissarium Fucini lacus, ac pene submersus, cum emissa impetu aqua redundasset. Adhibebat omni cœnæ & liberos suos, cum pueris puellisque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur.

II. *Convivæ*, qui pridie calicem aureum surripuisse existimabatur, revocato in diem posterum, calicem fictilem apposuit. Hic fuit *Titus Junius*, qui apud Claudium Cæsarem cœnans, furtim poculum aureum sustulerat. Re cognita, Cæsar eum postridie ad cœnam iterum vocavit: mandavitque famulis, ut nullum ei aureum, sed tantum figlina pocula apponerent. Atque hoc quidem ob moderationem animi Cæsaris comicam, risu magis quam ira dignum videri potest. *Plutarchus Galb.* §. 3.

III. *Cibi, vinique quocunque tempore & loco appetentissimus fuit.* Nec temere unquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens, & ut statim supino ac per somnum hianti pruna in os inderentur, ad exonerandum stomachum. Somni brevissimi erat. Nam ante mediam noctem plerumque vigilabat, ut tamen interdiu nonnunquam in jure dicendo obdormisceret, vixque ab Advocatis de industria vocem augentibus excitaretur. *Suetonius* §. 33.

IV. Dicitur edictum meditatus, quo veniam daret efflatum crepitumque ventris in convivio emittendi, cum periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperisset. Hinc Epigramma:

Edicto vetuit, crepitus ructusque teneri
Claudius. *ô Medici Principis Imperium!*

Ridiculum hoc edictum fuit, & *Claudio* conveniens. Nam nobis

Non est urbanus, cui retro sibilat anus.

Huc pertinet pulchrum *Jul. Cæs. Scal.* Ænigma:

Ima à sede ruens cognatus fulminis alti,
Summani videor rite venire manu.
Vicini fugiunt, quatiuntur tecta cachinnis;
Ast si mutus ero, jurgia sæpe cio.

V. Libido nefanda.

Libidinis quoque in feminas profusissimæ fuit. *Suetonius* §. 33. Neque id mirum: quia Bacchum & Cererem Venus comitatur.

VI. Ludendi voluptas.

Aleam studiosissime lusit; de cujus arte librum quoque composuit, & typis describendum curavit. Solitus etiam in gestatorio ludere, ita essedo alveoque adaptatis, ne lusus confunderetur. *Suetonius ibidem.*

VII. Cru-

VII. Crudelitas ac Sanguinolentia.

Natura quoque ſævus atque ſanguinarius exſtitit. Gladiatoriis ludis nimis addictus fuit. In iis vero beſtiæ pauciſſimæ peribant: homines multi, vel inter ſe pugnando, vel à feris occiſi. Numerus eorum, qui ita in publico peribant, tantus fuit, ut Auguſti ſtatuam eo in loco poſitam transferri alio juſſerit, ne vel ſemper inſpiceret cædes, vel ſemper velata eſſet. Quo facto ritum meruit, quod iis ſe exſaturaret ſpectaculis, quæ æneam omnique ſenſu deſtitutam ſtatuam videre nollet. Inprimis vero delectabatur, ſi inter prandium, medio munere gladiatorio, cæſos homines intueretur. Quamquam leonem, homines vorare edoctum, ideoque multitudini apprime placentem, occidiſſet, quaſi non conveniret oculis Romanis tale ſpectaculum.

VIII. Timiditas & Diffidentia.

Crudelitatis comites ſunt *Timiditas* & *Diffidentia*. Exemplum habemus in Claudio. Hic namque primis imperii diebus, quanquam jactator civilitatis, convivia inire auſus non eſt, niſi ut ſpiculatores cum lanceis circumſtarent, militeſque vice miniſtrorum fungerentur: neque ægrum quenquam viſitavit, niſi explorato prius cubiculo, culcitriſque & ſtragulis prætentatis & excuſſis. Reliquo autem tempore ſalutatoribus ſcrutatores ſemper appoſuit, & quidem omnibus, & acerbiſſimos. Motu civili cum cum Camillus, non dubitans etiam citra bellum poſſe terreri, contumelioſas & minaci epiſtola cedere Imperio juberet, vitamque otioſam in privata re agere: dubitavit, adhibitis Principibus viris, an obtemperaret. *Sueton.* §. 35.

Cum etiam ex Mathematicis didiciſſet Claudius Imper. eclipſin ſolis die 1. Auguſti futuram, qui ſibi eſſet natalis; & vereretur, ne populus eclipſi motus, male quid de ſe ominaretur; hanc ſolis defectionem in publico programmate propoſuit, docuitque eam naturalibus cauſis accidere, atque ita prædici poſſe. *Dion* §. 60.

III. ACTA BELLICA.

1. Contra Claudium Camillus Scribonianus intra Dalmatias Imperator creatus eſt; ſed à militibus deſertus, ideo ſe ipſum interfecit. Claudius militibus iis præmia diſtribuit, & ita conjuratio illa evanuit. *Dion ibidem.*

11. *Bellum Britannicum.* Aulum Plancium Senatorem virum clariſſimum in Britanniam ducere exercitum juſſit, qui poſtea Claudium ipſum accerſivit, juſſus id facere, ſi quid violentius eveniret. Imperator victoria potitus Britannis arma ademit; Plancioque eos regendos, reliquoſque ſubigendos mandavit: generis ſuis & Pompeio & Syllano cum nuncio victoriæ præmiſſis. Inde & ipſi & filio, Britannici cognomen, & triumphus, & ludi annui, & arcus trophæa ferentes, aliique honores à Senatu decreti. Romam deinde rediit, triumphavitque maximo apparatu. Ad cujus ſpectaculum commeare in urbem non ſolum Præſidibus provinciarum permiſit, verum etiam exulibus quibuſdam, atque inter hoſtilia ſpolia navalem coronam faſtigio palatinæ domus juxta civicam fixit, trajecti & quaſi domiti Oceani inſigne. Currum ejus Meſſalina uxor carpento ſecuta eſt. Craſſus Frugi equo phalerato vectus, & veſte palmata indutus fuit. *Suetonius* §. 17; *Dion* §. 4.

IV. ACTA ECCLESIASTICA,
Quæ ſub Claudio in Judæa, & alibi in Eccleſia, contigerunt.

I. De Apoſtolis, *aliiſque* Sanctis.

1. *Jacobus Major*, filius Zebedæi, frater Johannis Evangeliſtæ, ab Herode interfectus, martyrii coronam ſortitus eſt. *Euſebius.*

NOTA.

Herodes	*Magnus*	occidit	*Infantes* in Bethlehem *Matt. cap. 2.*
	Antipas		*Johannem Baptiſt. Matt. 14. 10.*
	Agrippa Major nepos Herodis *M.*		*Jacobum Majorem. Actor. c. 12.*

11. Anno Chriſti 44. *Petrus Apoſtolus* ab Herode in carcerem conjicitur, & ab Angelo Domini ex eodem liberatur. *Actor.* 12.

111. *Marcus Evangeliſta*, interpres Petri Apoſtoli, Chriſtum annunciat Alexandriæ & in Ægypto. *Euſebius*, A. C. 44.

1v. *Paulus* & *Barnabas* anno C. 44, & 45. commorantur Iconii, poſtquam ex Antiochia Piſidiæ erant ejecti. *Actor.* 14.

v. *Paulus Lyſtris lapidatur*, & pro mortuo effertur, ſed ad ſe redit. Poſtridie autem cum Barnaba diſcedit, & Derben proficiſcitur. *Actor. cap.* 14.

vi. *Paulus* & *Barnabas*, cum *Derbæ* docuiſſent, reverſi ſunt Lyſtram, & Iconium, & Antiochiam Piſidiæ. Denuo confirmant animos diſcipulorum, exhortanturque eos, ut perſeverent in fide; creantque Presbyteros per ſingulas Eccleſias. *Actor.* 14.

vii. Syn-

VII. Synodus Apoſtolorum Hieroſolymis celebratur, A. C. 49. Vide *Actor. cap.* 15. *Aſſeſſores hujus Synodi fuerunt*:

1. *Jacobus*, frater Domini, (h. e. *Jacobus Minor*) *Simon Petrus* & *Johannes*. Adſcendit quoque *Paulus* Jeroſolymam ad Concilium; & cum eo *Barnabas* & *Titus*, cum jam quatuordecim anni à converſione ejus præteriiſſent.

2. *Capita tractationis.* Nazaræi in Antiochena Eccleſia contendebant, non ſufficere ſolam fidem ad ſalutem: ſed legem, circumciſionem & bona opera eſſe neceſſaria ad ſalutem. Apoſtoli & Seniores convenerunt, & collectis ſuffragiis confirmarunt articulum juſtificationis, *Salvari nos per gratiam Jeſu Chriſti.*

3. Paulo poſt hanc Synodum, Petrus à Paulo reprehenditur Antiochiæ. *Gal.* 2.

VIII. *Beata virgo* MARIA, domini noſtri Jeſu Chriſti mater, ex hac vita migravit, A. C. 48. *Euſebius.* Explevit illa dimidium ætatis Saræ, quæ vixit an. 127.

IX. *Lucas Evangeliſta* circa hoc tempus Evangelium ſuum ſcripſiſſe dicitur, quinto decimo anno poſt adſcenſionem Chriſti. *Euſeb. l.* 3. *Hiſtor. Eccleſ. c.* 4. Vixit ante conceptum Chriſtum 15. poſt ejus reſurrectionem totidem, cum Chriſto 33. in univerſum 63. annos.

X. PHILIPPUS *Apoſtolus*, apud Hierapolin Aſiæ civitatem, dum Evangelium populo nunciaret, cruci affixus lapidibus opprimitur. *Euſebius*, A. C. 53.

XI. *Barnabas* cum *Marco* navigat in Cyprum: Paulus vero cum Sila perambulat Syriam & Ciliciam, veniuntque Derben & Lyſtram, & aſſumunt Timotheum comitem reſiduæ viſitationis, A. C. 49.

XII. PAULUS & SILAS anno C. 50. cum non invenirent occaſionem annunciandi Evangelium in Phrygia, Galatia, Bithynia, jubentur proficiſci in Macedoniam, & Philippis apud *Liviam* divertunt; ſed paulo poſt comprehenſi virgis cæduntur, ideo Theſſalonicam ſe recipiunt: ſed & hinc ejiciuntur. Conferunt ergo ſe *Athenas*, ubi Paulus inſcriptionem *altaris* invenit, quæ fuit hujuſmodi; DIIS ASIÆ, EUROPÆ & LIBYÆ, DIIS IGNOTIS & PEREGRINIS. Hinc ſumta occaſione, cum videretur novos DEOS annunciare, dicit ſe DEUM illum ignotum, cui altare inſcripſiſſent, prædicare. Athenis ſcripſit *Paulus* utramque epiſtolam ad Theſſalonicenſes. *Actor. cap.* 17. inde diſcedit Corinthum circa autumnum, ubi commoratur ſeſquiannuo ſpacio. *Actor.* 18.

XIII. *Paulus venit Corinthum* A. C. 52. *Act.* 18

XIV. *Paulus* cum annum & ſex menſes Corinthi fuiſſet, verno tempore, aſſumtis Aquila & Priſcilla, navigat in Aſiam, & Aquilam & Priſcillam relinquit Epheſi, & properat in Syriam, venitque Jeroſolymam: ubi cum aliquantulum fuiſſet commoratus, inde in *Galatiam* & *Phrygiam* revertitur, confirmatque diſcipulos. In hac profectione & *Laodiceam* venit, ubi ſcripſit EPISTOLAM primam ad Timotheum. Interea temporis abſente Paulo venit Epheſum Apollo, vir diſertus, qui inſtitutus in Chriſtiana religione proficiſcitur Epheſum. *Act.* 18.

XV. *Paulus* A. C. 53. peragratis ſuperioribus provinciis redit *Epheſum*, ibi reperit duodecim viros, baptiſmate JOHANNIS baptizatos, iis impoſuit manus, ut dona Spiritus Sancti acciperent, de quibus nihil inaudierant. *Act.* 19. *v.* 1, 2, &c. Non multo poſt cum beſtiis Paulo depugnandum fuit. 1 *Corinth.* 15. *v.* 32.

XVI. Paulus A. C. 55. Jeroſolymam venit circa Pentecoſten, ibique ligatur. *Actor.* 21. à converſione ejus anno 21, qui eſt 13 *Claudii.*

II. De Regibus.

I. *Herodes Agrippa* Rex de *Claudio* in adſequendo imperio bene meritus, augetur ab ipſo provinciis, Jeroſolymitana & Samaritana: quod olim ad hoc regnum pertinuiſſent; atque ita Judæi tributum iterum, non Romanis, ſed ſuo Regi, pependerunt. Additur præterea Agrippæ principatus Lyſaniæ, atque ita amplius regnum conſecutus eſt, quam olim Herodes Aſcalonita habuit. Unde patet gratitudo Claudii erga Herodem Agrippam. *Agrippa*, cum Jeroſolymam veniſſet, catenam, quam à Caligula dono acceperat, dedicat in templo, ut eſſet ſignum benignitatis divinæ, qua etiam infimi ad ſummos honores provehuntur. *Joſeph. lib.* 19. *cap.* 4.

II. *Herodes Agrippa Major*, cum Cæſareæ ludos exhibuiſſet, & divinos honores, qui ſibi à populo offerebantur, non recuſaſſet, ab Angelo Domini percutitur, *Act.* 12. & quinto die poſt moritur, anno ætatis 54. regni 7. *Joſephus lib.* 19. *c. ultimo.*

III. HERODES *Rex Chalcidis* regnum Agrippæ Majoris defuncti adminiſtrat quinquennium. *Joſephus.*

Herodes Rex Chalcidis impetrat à *Claudio Imper.* A. C. 46. jus eligendorum ſummorum Pontificum, & poteſtatem in templum ſanctumque ærarium: obtinetque hæc omnia, ita ut etiam poſteris ejus idem jus manſerit uſque ad belli Judaici exitum. *Joſephus lib.* 20. *cap.* 1.

IV. HE-

IV. HERODES Rex Chalcidis A. C. 49. moritur, 8 Claudii, cujus regnum *Claudius* dat Agrippæ juniori.

III. De Præsidibus.

I. *Pilatus* fit αὐτόχειρ, h. e. manu sua se interficit (ut scribunt Romani Historici) Anno 1 *Claudii*. Alii referunt ad annum 3. *Caligulæ*. Periit anno 7 à morte Christi, quem ipse morti adjudicaverat, anno præfecturæ suæ 7. Cassiodorus etiam refert interitum Pilati ad annum 3 Caligulæ.

II. *Agrippa Claudium* succedere primum voluit filium Agrippæ adolescentulum, sed postea cogitans illum imparem esse tanto regno, iterum Judæam in provinciam redigit, & Syriæ attribuit, mittitque eo procuratorem *Cuspium Fadum*, qui purgans Judæam latrociniis, stolam pontificiam poscit sibi custodiendam in arce Antonii.

Anno Christi 46. sub *Cuspio Fado* Theudas quidam præstigiator persuadet multitudini, ut assumtis suis facultatibus se sequerentur ad *Jordanem* fluvium, se eos per fluvium sicco pede deducturum. Sed *Fadus* immittit iis turmam equitum, multos occidit, Theudam capit, & ejus caput Jerosolymam affert. *Josephus lib.* 20. *c.* 2.

III. *Alexander Tiberius* procurator *Cuspio Fado* in Judæa succedit A. C. 47. Sub hoc fames in Judæa & in toto fere terrarum orbe ingens prædicta ab Agabo. *Act.* 11. 28. Quo tempore Regina Adiabenorum Helena, coëmpta ex Ægypto annona, famem Judææ sublevavit. Hæc abdicato cultu idolorum legem rituſque Mosaicos amplexa erat. In Græcia tum modius frumenti (ut *Eusebius* habet) emtus fuit duodecim drachmis, esset modius Lipsiensis 28 floren. *Josephus lib.* 20. *c.* 3. *Eusebius lib.* 2. *histor. c.* 11.

IV. CUMANUS TIBERIUS ALEXANDRO in Judæa succedit. Sub hoc seditione exorta perierunt 30 millia Judæorum. *Euseb. Joseph.* 20. *cap.* 3.

Cumanus ob provinciam male administratam Romæ damnatur à *Claudio*, & exilio mulctatur. *Tacitus.*

V. Sublato *Cumano*, *Felix* solus Judææ præest, cum antea (teste *Tacito*) partem Judææ *Cumanus*, partem FELIX, apud quem postea causam dixit Paulus, tenuisset. Et Paulus hoc nomine se felicem prædicat: quod causam dicturus esset apud FELICEM, cui diu versato in ea provincia notæ essent res Judaicæ. *Actor.* 24. 10. Cum autem Jerosolymis male Respubl. à FELICE administraretur, Jonathan summus Pontifex ipsum sedulo officii admonet, cujus ille pertæsus, sicarios Pontifici immisit, qui mixti famulitio Jonathæ Pontificem ita interemerunt, ut autor cædis plane ignoraretur: qua impunitate allecti multos postea clam occiderunt, etiam in ipso templo. *Josephus lib.* 20. *cap.* 6.

IV. De Pontificibus.

I. *Theophilus.* Hunc Agrippa Major pontificatu movit anno C. 41.

II. *Simon Cantharæ.* Hunc idem *Herodes Agrippa* in locum Theophili ab officio remoti substituit, & Judæis Jerosolymitanis immunitates omnium rerum concessit. *Josephus lib.* 19. *cap.* 5. A. C. 42.

III. MATTHIAS. Rex Agrippa *Simonem Cantharam* pontificatu movet, & eligit Jonathan filium Anani, qui & olim Pontifex fuerat: sed is excusans ætatem petit pontificatum fratri suo *Matthiæ* tribuit, & obtinet. *Josephus lib.* 19. *c.* 5, & 6. A. C. 42.

IV. *Elionæus Cithæi filius.* Agrippa iterum removet Matthiam pontificatu, & substituit *Elionæum Cithæi* filium. Anno C. 43. *Josephus lib.* 19. *cap.* 7.

V. *Josephus Camydæ filius.* Hunc *Herodes* Rex Chalcidis frater Agrippæ Pontificem elegit. A. C. 45. *Josephus lib.* 20. *c.* 1.

VI. *Ananias.* Herodes Rex Chalcidis Jerosolymam venit, & Josephum Camydæ filium removet pontificatu A. C. 48. eligitque *Ananiam*, quem Paulus *Actor.* 23. 2. vocat *parietem dealbatum*, qui tamen tum temporis iterum remotus erat à pontificatu. *Josephus lib.* 20. *c.* 3.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

I. *Prodigia.* Mortem Claudii hæc prodigia denunciare videbantur. Nam COMETA longo tempore visus est: pluitque sanguine, fulmen de cœlo in signa Prætorianorum militum cecidit: templumque Jovis Victoris sua sponte apertum est: denique ex singulis ordinibus Magistratuum singuli mortui sunt. *Dion Nicæus in Claud.* §. 7.

II. *Claudii vox temulenta.* Claudius aliquando temulentus talem vocem protulit, *Fatale sibi esse, ut conjugum flagitia ferret, deinde puniret.* Quæ vox ingentem terrorem injecit Agrippinæ, adeo ut de ipso enecando cogitaret. *Cornel. Tacitus*, §. 14.

III. *Claudii Britannicum ſucceſſorem ſibi ſubſtituturi cura.* *Claudius* iratus propter ea, quæ ab Agrippina fiebant, quæque jam ad ipſum perferebantur: requirebat *Britannicum*, quem illa ſæpenumero de induſtria in conſpectum patris propterea venire nolebat, quod Neroni filio ſuo, quem ex Domitio priore marito habebat, imperium parare conaretur. Quam rem *Claudius* cum perferre non poſſet, parabat ejus potentiam minuere, & filium imperii ſui ſucceſſorem deſignare. Quo cognito, Agrippina metuens, ejus conſilium pervertere ſtatuit. *Dion.* §. 7.

II. ΤΑ' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Agrippina *Claudium*, Britannico regnum tribuere volentem, neglecto filio ſuo Domitio Nerone, necavit boleto. *Dio in Claud.* §. 7. ita hanc tragœdiam deſcribit: *Locuſtam* mulierem veneficam, eamque celeberrimam Agrippina accerſiri, ac per eam venenum, cui remedium adhiberi non poterat, in boleto parari juſſit. Quo facto, Agrippina cœpit ex cæteris boletis comedere: illum vero, in quo venenum erat, maximum atque pulcherrimum, ut *Claudius* comederet, perfecit. Ita ille ex inſidiis captus, ex convivio, quaſi vinò confectus, exportatus eſt: id quod antea crebro factum fuerat. Noctu autem, poſtquam obmutuiſſet, atque obſurduiſſet, mortuus eſt 13. Octobris, A. C. 55. Vixit Annos 63, regnavit annos 13, & menſes 8, dies 20.

III. ΤΑ' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

I. *Luctus Agrippinæ, & Neronis ſimulatus.* Agrippina & Nero *Claudium* ſe lugere ſimulabant, quem necaverant: atque in cœlum efferebant eum, quem in convivio ex inſidiis ſuſtulerant.

II. *Lucii Gallionis liber evulgatus.* Similiter *Lucius Julius Gallio*, frater Senecæ, (qui & librum ſcripſit in *Claudii* mortem, quem ἀποκολοκύντωσιν, quaſi immortalitatem quandam eſu boleti partam, nominavit) cum multa facete & urbane, tum hoc breviſſime dixiſſe fertur: *Claudium nunc in cœlum attractum eſſe.* Cum eſſet conſuetudo, necatos in carcere, trahi à carnificibus in forum magnis quibuſdam uncis, deinde in flumen projici.

III. *Neronis ſermo ſarcaſticus.* Ipſe quoque Nero dictum protulit, quod non indignum memoria videtur. Is dicebat *boletos cibum Deorum eſſe*, quod *Claudius* boleto in numerum Deorum relatus fuiſſet. *Dion.* §. 7. &c.

VI. IMPERATOR ROM. DOMITIUS NERO.

CAPUT I.

DE ORTU.

I. *Generatio.*

1: PATER *Claudii Domitii Neronis* fuit *Cn. Domitius Ænobarbus*, vir omni vitiorum genere deteſtabilis. Fuit namque crudelis homicida, homo perfidus & inceſtuoſus; quippe cum ſorore ſua LEPIDA ſub exceſſu Tiberii inceſtum commiſit, ſed mutatione temporum evaſit. *Suetonius in Ner.* §. 5. De quo merito dici poſſet, quod de *Atavo Neronis Cn. Domitio* dixit *Licinius Craſſus* orator: Non eſſe mirandum, quod *æneam* barbam haberet, cui OS eſſet *ferreum*, & COR *plumbeum*. *Suetonius in Ner.* §. 2.

GENEALOGIA Neronis Auguſti ex conjuge

SCRIBONIA. Filia nata fuit	LIVIA. Privigni fuerunt	
I. *Julia.* Hæc nupta fuit M. Agrippæ.	Drusus in Germania mortuus.	Tiberius Nero, & Auguſti in Imperio ſucceſſor.
II. Agrippina Major, quæ nupta fuit Germanico.	Germanicus. Hujus ex Agrippina Majore filius fuit CALIGULA Imperator.	Claudius Imp. ab hoc adoptatus fuit NERO VI. Rom. Imperator, filius Agrippinæ Minoris.
III. Agrippina Minor, quæ fuit uxor Cn. Domitii Ænobarbi.		
IV. NERO.		

II. *Appellatio.*

NERO, juxta nomen patris dictus eſt *Domitius*. Verum cum Claudius Imperator matrem ejus Agrippinam uxorem duxiſſet, conſilio ejus & Pallantis, Neronem adoptavit, eumque CLAUDIUM NERONEM, h. e. fortem & generoſum appel-

appellavit, eique annos 17 nato filiam ſuam OCTAVIAM uxorem dedit.

Regula.

Multi habent *nomen*, ſed non *omen*. Exemplum habemus in hoc *Imper.* Nam ille à Claudio Imperatore adoptatus NERO eſt dictus, h. e. virtuoſus & fortis. NERO enim (teſte *Gellio l. 12. c. 21.*) verbum Sabinum eſt, quo ſignificatur virtus & fortitudo. Itaque ex Claudiis, quos à Sabinis oriundos accepimus, qui erat egregia ac præſtanti fortitudine, NERO appellatus eſt. *Sabini* autem id nomen à Græcis accepiſſe videntur, qui vincula & firmamenta membrorum νέρες dicunt: Latini *nervos*. Verum hic *Claudius Domitius Nero*, non generoſus in bonum, ſed malum fuit. Nam omnium, quos terra unquam tulit, tyrannorum crudeliſſimus fuit, à quo tyrannos omnes crudeliter Imperium exercentes, NERONES appellamus. Quam ejus nequitiam & petulantiam *Domitius pater* ex ſuis & Agrippinæ moribus prædixit: Nullo (inquit) fieri modo poteſt, ut ex me & illa vir bonus naſcatur, ſicut *Dio in Neron.* refert §. 1. Vel (ut *Suetonius in vita ejus* §. 6. narrat) Præſagio fuit *Domitii patris* vox, inter congratulationes amicorum negantis, quicquam ex ſe & Agrippina, niſi deteſtabile & malo publico, naſci potuiſſe.

Similiter NERO *diem natalem formidoloſum* habuit. Nam cum natus eſſet prima luce, antequam ſol ortus eſſe videretur, radii circa eum fulſerunt. Qua ex re, tum etiam animadverſo ſtellarum curſu, qui tum erat, atque earum conjuctione, quidam Aſtrologus duo ſimul prædixit, eum regnaturum eſſe, & matrem necaturum. Quod cum Agrippina intelleriſſet, demens ſubito exclamare cœpit: *Me vero occidat, dummodo regnet.* Mira ſane & dira hæc fuit prædictio, quam ambitio mulieris impotentiſſimæ calcat audacter; at non impune.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

1. *Neronis Proſopographia, ejuſque educatio.*

NERO ſtatura corporis pene erat juſta, corpore maculoſo ac fœdo, vultu pulchro magis quam venuſto, capillo ſubflavo, oculis cæſiis & hebetioribus, cervice obeſa, ventre projecto, gracillimis cruribus, & denique valetudine firma. Nam licet gulæ ventrique maxime deditus eſſet, tamen per annos Imperii 14, tantum ter ægritudine correptus fuit, atque ita, ut neque vino, nec conſuetudine reliqua abſtineret.

Trimulus patrem amiſit, cujus ex parte tertia hæres, ne hanc quidem integram accepit, correptis per cohæredem Caium univerſis bonis: ſubinde matre etiam relegata, pene inops atque egens apud *amitam Lepidam* nutritus eſt, ſub duobus *pædagogis*, ſaltatore atque tonſore. Verum *Claudio* Imperium adepto, non ſolum paternas opes recuperavit, ſed & Criſpi Paſſieni vitrici ſui hæreditate ditatus eſt. *Suetonius in Nerone §. 6.*

Anno ætatis undecimo à *Claud. Imp.* adoptatus, & *Annæo Seneca*, atque *Aphranio Burrho* in diſciplinam traditus eſt, illo præceptis eloquentiæ & comitate morum honeſta, hoc vero militaribus curis, & ſeveritate morum, juvantibus invicem, quo lubricam Principis ætatem, ſi virtutem aſpernaretur, voluptatibus conceſſis, facilius retinerent.

Ingenio ſatis felici præditus fuit. Nam in prima ſtatim pueritia peritiam pingendi, cælandi & cantandi, non mediocrem habuit: Ad Poëſin pronus, libenter ac ſine labore carmina compoſuit. Ad Philoſophiæ quoque ſtudia animum appulit, atque diſciplinas liberales omnes fere puer attigit. A quibus tamen mater eum abſtraxit, monens, eas Principi parum prodeſſe.

AXIOMA

Studia Principum Philoſophica debent eſſe moderata & recte ordinata.

Nam accurate diſtinguendum eſt inter Philoſophiam *Theoreticam* & *Practicam*. Philoſophia *Practica* proprium Principis eſt ſtudium, præſertim autem *Politica* ei eſt diſcenda, quippe quæ in vitis Principum gubernandis, docendiſque iis, quæ ad uſum Reipubl. pertinent, maxime occupatur. At *Theoretica Philoſophia* ſtudia maxime illa ſubtilia, Principem quidem faciunt doctiorem, raro meliorem, ſæpe etiam improbiorem.

Quare hoc *Theoretica Philoſophiæ* ſtudium Princeps paucis delibare poteſt, amœnitatis cauſa. Et ita illud Neoptolemi Enniani Emblema intelligendum eſt: *Deguſtandum ex Philoſophia quippiam, non in eam ingurgitandum.* Idem apud Philoſtratum *Apollonius* quoque intellexit, cujus verba ponderibus ſunt prægnantia, Philoſophiæ ſtudium in Rege vel Principe ſi moderatum ſit, mirandam efficiet temperaturam: Sed nimia in eodem ſtudio occupatio odioſa & moleſta eſt, adeoque humilior, quam ut ſcenæ regali conveniat. Et hactenus Agrippina mater recte fecit, quod filium *Neronem* ab hiſce ſtudiis aliiſque quibus nimium deditus erat, abſtrahere voluerit. In *Mathematicis* tamen ſtudiis

Princeps maxime informandus eſt. Neceſſarium namque eſt, Principem regiones, populos, regna, provincias, tranſitus, portus, in animo deſcripta habere. Siderum quoque doctrina non leviter imbutum eſſe. Sicut *Lucanus* de *Julio Cæſare* ſcribit:

——— *Media inter prælia ſemper*
Stellarum, cælique plagis, ſuperiſque vacare ſolebat.

Symbolum ejus erat,

Artem quævis terra alit.

Nero ab Aſtrologis audiverat, fore ut imperio aliquando dejiceretur: hoc Græcum jambicum Dimetrum identidem uſurpaſſe legitur:

Τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφει.
Artem quævis tellus alit.

Putans, ſe tantum profeciſſe in arte canendi, ut etiam, ſi exigeretur, in quavis natione ob muſices peritiam poſſet haberi in pretio. Cumque imminentibus, qui illum inſequebantur, de ſalute deſperans, cogitaret ſibi vim adferre, ſubinde dicebat: *Quantus artifex pereo.* Meminerat fortaſſis *Nero*, idem uſu eveniſſe olim *Dionyſio* Tyranno: qui Syracuſis expulſus, poſtea Corinthi docuit; ut ſcribit *Cic. lib. Tuſc. Quæſt.* 3. Qui exul jam interrogatus, quem fructum percepiſſet ex Philoſophia: reſpondit, ut viciſſitudinem ſortis meæ æquo animo ferrem. Nam, ut Stoicis placet, Ὁ σοφὸς ἐν παντὶ περιφέρει τὴν οὐσίαν. id eſt, Sapiens in ſe ipſo circumfert bona ſua.

II. *ACTA OECONOMICA.*

I. Conjuges.

Conjuges tres Nero habuit.

1. Erat OCTAVIA *Claudii Imperatoris filia*, quam adoptatus à *Claudio*, uxorem duxit. Sed cito conſuetudinem ejus aſpernatus, corripientibus amicis ac dicentibus: *Dotem* igitur *ei*, h. e. Principatum *redde*: Sufficere illi debere, reſpondit, uxoria ornamenta. *Dion.* §. 10. hoc dictum *Burrho* Præfecto ejus tribuit, cujus ea παῤῥησία fuit, ut, cum aliquando à *Nerone* iiſdem de rebus iterum rogaretur, palam dixerit: *Neme, de quibus rebus ſemel dixero ſententiam, bis interroges.* Deinde eam ſæpius ſtrangulare voluit, & tandem ut ſterilem dimiſit. Sed improbante divortium populo, nec temperante ſibi à conviciis, etiam relegavit. Tandem ſub prætextu adulterii eam occidit.

II. POPPÆA SABINA, Quæſtorio patre nata, & Equiti Romano ante nupta. Hanc 12 poſt *Octavia* divortium die, cum antea concubinæ loco eam habuiſſet, in uxorem duxit. Hæc mulier *doloſa* & *faſtuoſa* erat. *Doloſa*, quia repudiata Octavia, mariti potens facta, ſubornavit quendam ex *Octavia* miniſtris, qui ei ſervilem amorem objiceret. Ancillis *Octaviæ* ad quæſtionem pertractis, quædam crueiatu victæ, falſis annuerunt, quædam Dominæ ſuæ ſanctitatem prædicarunt. Ex his una, *Pythias* nomine, inſtanti Tigellino in faciem reſpondit: mundior eſt, Tigelline, vulva Dominæ meæ, quam os tuum. *Dio in Nerone* §. 10.

Similiter ſupra modum *faſtuoſa* erat, quia ejus equorum, quibus uſa, pedes ſoleis aureis obducti erant. Hanc *Nero* unice dilexit, ſed tamen ipſam quoque ictu calcis occidit, quod eum ex aurigatione ſero domum reverſum, gravida & ægra durius inceſſerat.

III. STATILIA MESSALINA. Hæc Attici Veſtini Conſulis uxor erat. Verum eam per vim marito eripuit, eumque in ipſis nuptiis trucidavit.

II. Liberi.

Ex *Poppæa Sabina unicam* ſuſcepit *filiam*, *Claudiam Auguſtam*. Sed eam adhuc infantem amiſit.

III. Exceſſus in vita OEconomica.

Nero in ſtatu OEconomico peſſime ſeſe geſſit, variiſque vitiis atque flagitiis ſeſe contaminavit. Nam factus eſt.

I. ADULTER. Siquidem ſuper ingenuorum pædagogia & nuptarum concubinatus, Veſtali virgini *Rubria* vim intulit. *Suetonius in Nerone* §. 28.

NOTA.

Pædagogium Græce παιδαγώγιον. I. Accipitur in bonam partem, & notat locum in ædibus, in quo pueri ſervique commorantur, qui à Græcis παιδες vocantur. *Plin. lib. 7. Epiſt.* Puer in pædagogio miſtus plutibus dormiebat. II. *Alii* dicunt, quod vox *Pædagogium* accipiatur in malam partem, pro puerorum cœtu, qui in deliciis habebantur. Et ita accipi à *Suetonio* in præſenti loco. III. *Alii* dicunt, hanc ſententiam eſſe erroneam. Quoniam in caſtigationibus exemplaribus *Proagogia* legatur, non *Pædagogia*. Eſt autem προαγώγιον Græca dictio, quæ productionem vel proſtitutionem ſonat, ἀπὸ τῦ προαγωγεύειν, quod eſt producere vel proſtituere. Et hæc vox Proagogiæ in *hiſtor. Auguſt.* legitur *pag. mihi* 905. Deinde ACTEN *emtam ex Aſia in deliciis habuit.* Nam hujus amore ita captus erat, ut eam retulerit in familiam *Attali*, & *Octavia* uxore multo cariorem habuerit. Quod Agrippina mater ægre ferebat, quod propter *Acten* non amplius in eos, qui erant in palatio, imperium teneret. *Dion in Nerone* §. 2.

II. *Inceſtuoſus.* Nam ſcribit *Suetonius in Nerone* §. 28. Illum matris concubitum appetiiſſe, ſed ab obtrectatoribus ejus, ne ferox atque impotens mu-

mulier & hoc genere gratiæ prævaleret, deterritum nemo dubitavit, utique poſtquam meretricem, quam fama erat, Agrippinæ ſimillimam, inter concubinas recepit. Olim etiam quoties lectica cum matre veheretur, libidinatum inceſte, ac maculis veſtis præditum affirmant.

III. *Sodomita* vel ἀρσενοκοίτης fuit, h. e. pædico, vel maſculi concubitor, qui cum maſculis vel pueris concubuit. Nam *Suetonius in Nerone* §. 28. ſcribit: *Nero* puerum SPORUM, exſectis teſtibus etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus eſt, cum dote & flammeo per ſolenne nuptiarum celeberrimo officio, deductum ad ſe pro uxore habuit. Extatque cujuſdam non inſcitus jocus: *Bene agi patuiſſe cum rebus humanis, ſi Domitius pater talem habuiſſet uxorem.* Idem teſtatur *Dion in Neron.* §. 12.

Quin & DORYPHORO liberto, quem *Cornelius Tacitus* §. 5. & *Dio in Nerone* §. 12. Pythagoram vocant, ipſe denupſit, ſicut ipſi SPORUS. Et noviſſime quaſi genus luſus excogitavit, ut feræ pelle contectus cavea emitteretur, virorumque ac feminarum ad ſtipitem deligatorum inguina invaderet. *Suetonius in Nerone* §. 29.

NOTA.

Sodomia peccatum eſt atrociſſimum, cum maſculi cum maſculis concumbunt. Originem traxit à Sodomitis. *Geneſ.* 19. v. 5. Hoc peccatum olim apud gentes valde frequens fuit, uti ex Epiſtolis Pauli, quas ad gentes converſas ſcripſit, luculenter patet. *Rom.* 1. v. 24, 26, 27. 1 *Corinth.* 6. v. 9. 1 *Timoth.* 1. v. 10. Illudque Deus in lege ſua ſeveriſſime prohibuit. *Levit.* 18. v. 22, 23. *cap.* 20. *verſ.* 13. Et talis Sodomia etiamnum in Papatu permittitur.

IV. *Parricida* fuit. Nam licet necis Claudii, à quo adoptatus erat, non author, conſcius tamen fuit. Neque id diſſimulavit ipſe, ut qui boletos, in quo cibi genere venenum ille acceperat, quaſi Deorum cibum, poſtea proverbio Græco collaudare ſolitus ſit. Quem quidem & mortuum omnibus verborum rerumque contumeliis inſectatus eſt, modo ſtultitiæ, modo ſævitiæ arguens. Nam & morari eum inter homines deſiiſſe, producta prima ſyllaba, jocabatur, multaque decreta & conſtituta, ut inſipientis atque deliri pro irritis habuit. *Suetonius in Nerone* §. 33.

V. *Matricida* fuit. Nam matrem ſuam Agrippinam, dicta factaque ejus ſeverius corrigentem, invidia hac primo onerabat, quaſi ceſſurus imperio, & Rhodum abiturus eſſet. Mox & honore omni & poteſtate privavit, & contubernio atque palatio expulit. Minis vero & violentia ejus territus perdere ſtatuit. Et cum veneno ter tentaſſet, ſentiretque antidotis præmunitam, lacunaria, quæ noctu ſuper dormientem luxata machina decideren, paravit. Hoc conſilio per conſcios parum celato, ſolutilem navem, cujus vel naufragio, vel cameræ ruina periret, commentus eſt. Verum nando iſtud quoque periculum evaſit. Quod ubi *Nero* comperit, *Aniceto Centurioni* cædem matris demandat, qui aſſumtis ad juſſa promtiſſimis, villam in quam delata erat *Agrippina*, ſtatione circumdat, refractaque janua, cum percuſſoribus in cubiculum irruit, qui cum lectum circumſiſterent, illa diſtringenti ferrum Centurioni protendens uterum, *ventrem feri, exclamat, rogans miniſtrum, ut utero dirum enſem conderet, adjiciens: Hic, hic eſt fodiendus ferro, monſtrum qui tale tulit.* Poſt hanc vocem cum ſupremo mixtam gemitu, triſtem animam tandem poſt fera vulnera reddidit, *Cornelius Tacitus* §. 14. *Suetonius in Nero* §. 33. *Nero* poſtquam accepit eam eſſe mortuam non credidit: nimirum propter magnitudinem temerarii facinoris diffidebat. Itaque cupivit eam videre, & denudatam penitus conſpexit, tum vulnera ejus contemplatus, nefarium ſermonem habuit plus, quam cædes fuiſſet: *Neſciebam* (inquit) *me tam pulchram matrem habere. Dion in Nerone* §. 5. Cum autem ad urbem rediiſſet, & Agrippinæ defunctæ cauſa ſacrificia fierent, *ſol* obſcuratus eſt, teſte *Tacito*, *Xiphilino*, & *Plinio*, qui ait, Eclipſin factam pridie Calend. Maji, hora diei inter ſeptimam & octavam, & eandem viſam fuiſſe in Armenia à *Corbulone*, hora inter decimam & undecimam.

Dio in Nerone §. 6. & *Suetonius in Nerone* §. 45. ſcribunt: Quoſdam ad ſtatuam ejus, urbem, occiſa matre, reverſi, appoſuiſſe culeum, cum tabella cui inſcriptum erat: *Ego quid potui? Sed tu culeum meruiſti.* Quo ſignificare voluerunt, dignum eſſe *Neronem*, qui in culeum conjiceretur. *Culeus* enim apud Romanos erat pœna parricidarum. Hi namque vivi culeo, h. e. ſacco coriaceo inſuebantur: ſimul immiſſa vipera, ſimia, cane & gallo gallinaceo, atque ita in profluentem projiciebantur. De quo *M. Tullius Cicero pro Roſcio Amerino* ita ſcribit: Quanto majores noſtri ſapientius? Qui cum intelligerent nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando violaret audacia, ſupplicium in parricidas excogitarunt: ut, quos natura retinere in officio non potuiſſet, magnitudine pœnæ à maleficio ſummo arcerentur: hos in ſui voluerunt in culeum vivos, atque ita in flumen dejici. O ſingularem ſapientiam judicum! Nonne videntur hunc hominem ex rerum natura ſuſtuliſſe & eripuiſſe, cui repente cœlum, ſolem, aquam terramque ademerunt? Ut, qui cum necaſſet, unde ipſe natus eſſet, careret

his rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur. *Proverb.*

Culeo dignus: Aut: *Non uno culeo dignus.* Quadrat in hominem enormiter scelerosum, quem culeo dignum dicimus. Vide *Pandect. Adag. p. 362. Wesenb. Parat. p. 952.*

Domitiam quoque *amitam suam* veneno sustulit, ac bonis ejus, quæ Bajis & in mari Ravennati erant, ablatis, in iis magnifica trophæa statuit, quæ ad nostram ætatem vigent. *Dio in Nerone §. 6.*

Similiter *Crispinum privignum* ex Poppæa matre, impuberem adhuc, qui ferebatur Ducatus & imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit.

VI. *Fratricida* fuit. Nero metuens, ne mater Agrippina, quæ astutissima erat femina, *Britannicum* Claudii Imper. ex *Valeria Messalina* filium naturalem & legitimum, & Octaviæ fratrem, qui jure hæreditario patri in imperio succedere debuisset, ad imperium promoveret, cum veneno sustulit, annum cum ageret decimum quartum. Cujus corpus ut vidit propter venenum livore decoloratum esse, gypso oblinendum & postero die raptim *larvato funere* efferendum curavit. Cumque per forum funus efferretur, maximo imbri de cœlo omne gypsum, quod adhuc molle & tenerum erat, sublatum est: ut nefarium scelus non solum audiretur ab omnibus, sed etiam apertum ante omnium oculos poneretur. *Dio in Nerone §. 3.* De cujus morte *Seneca* Tragœdiam scripsit, cui nomen est OCTAVIA, in qua deplorat mortem Britannici.

NOTA.

Larvata funera apud antiquos dicta fuerunt, cum cadavera ipsa tuina ædium detrita, vel alio casu mutilata, propter deformitatem publice oculis exposita, efferri ad funus non potuerunt: Sed loco eorum vel larvæ quædam, quæ eorum faciem repræsentabant, vel plane involuta & vestibus tecta: Vide *Camer. Hor. Succis. lib. 1. cap. 96.* Ita *Plinius* scribit: *Scipionem Æmylianum* obvoluto capiteelatum, ne livor vel tumor in ore appareret. Alias cadavera inhonestissima veste efferri moris fuisse, quæ in vulgo civium & in tacito funere toga vulgata fuit: in Magistratibus toga prætexta, in Censoribus purpurea toga; sicut *Justus Lipsius* veterum Historicorum autoritate asserit.

IV. ACTA POLITICA.

I. *Imperii occupatio.*

Post mortem *Claudii Imper. Nero* auctibus *Agrippinæ* ad Imperium pervenit. Nam à *Claudio* adoptatus, *Octaviam* ejus filiam uxorem duxit, atque ita à militibus anno ætatis 17 ad Imperium evectus, quibus donativum promisit ad exemplum paternæ donationis. Merito de illo dici potest, quod de *Bonifacio* VIII, *Papa Romano*, dictum est. *Intravit ut vulpes*, (Nam Britannico legitimo & naturali filio, cui jure successio competebat, prælatus est.) *regnavit ut leo*, (Quia Tyrannus fuit, & plane tyrannice imperium administravit.) & *exivit ut canis*. (Quia tragica & ignominiosa perit morte, uti ex dicendis patebit.) *Dio in Nerone §. 1.*

II. *Imperii administratio.*

I. Bona.

Ab initio Imperii bene & laudabiliter sese gessit ad quinque annos. Unde proverbium ortum est: *Quinquennium Neronis.* Et *Trajanus Imper.* dicere solitus est: Cunctos Principes à primo Neronis quinquennio longissime abesse. Nam in eo fulserunt tales Virtutes.

1. *Reverentia erga matrem.* Agrippina enim principio administrabat omnia, quæ ad principatum spectabant: ambo una exibant foras: sæpenumero eadem lectica vehebantur: quanquam illa magna ex parte vehi, hic consequi solebat: illa respondebat Legatis, literasque ad populos & Principes & Reges mittebat. Quod cum diu factum esset, ferre graviter cœperunt *Seneca* & *Burrhus*, homines sapientissimi, & apud *Neronem* maximæ authoritatis. Horum alter prætorianis militibus præerat: alter Præceptor ejus erat. Itaque commodam occasionem nacti, huic rei finem imposuerunt. Cum enim Legati Armeniorum venissent, velletque Agrippina in tribunal, ex quo Nero cum eis colloquebatur, ascendere, eamque illi appropinquare viderent, adolescenti, ut ante descenderet, & ad matrem excipiendam procederet obviam, persuaserunt. Quo facto non sunt reversi, alia simulata causa, ne barbaris hanc labem ignominiamque Imperii parefacerent. Cumque perfecissent postea, ut ne deinceps permitteretur ei cura rerum publicarum, ipsi omnem potentiam consecuti sunt: quam quousque obtinere potuerunt, omnia sunt ab eis optime & justissime administrata.

2. *Humanitas erga Senatum*; apud quem professus est, se ex Augusti præscripto regnaturum. Senatui ei gratias agenti, respondere solebat: *Cum meruero.*

3. *Liberalitas erga Senatum & populum.* Liberalitatis populo Romano exhibendæ nullam occasionem omisit. Vectigalia graviora aut abolevit, aut minuit: Senatorum nobilissimo cuique, à re familiari destituto, annua salaria constituit, & urbem ædificiis novis splendidisque exornavit.

4. *In-*

IV. *Iuſtitia.* In ſententiis dicendis nihil temere fecit, leges utiliſſimas & æquiſſimas tulit, & quadrigariorum licentiam repreſſit.

V. *Clementia.* Cum ex more cujuſdam capitis damnati ſententiæ ſubſcribere deberet, dixit: *Utinam literas neſcirem!* Vox parſimoniam humani ſanguinis promittens, ſi ex animo prodiiſſet. Quæ vox *Senecam* movit, ut librum de *Neronis* clementia ſcripſerit: In quo inter alia *Neronem* ita alloquitur: Animadverſurus in latrones duos, *Burrhus* Præfectus tuus vir egregius, & tibi Principi notus, exigebat à te, ut ſcriberes, in quos & ex qua cauſa animadverti velles. Hoc ſæpe dilatum ut aliquando fieret, inſtabat. Invitus invito cum chartam protuliſſet, traderetque, exclamaſti: *Vellem ut literas neſcirem!* Nam non ignorabas, Clementiam primam eſſe virtutem ad benevolentiam bonamque famam apud omnes Principi conciliandam.

II. Mala.

Elapſo quinquennio, *Nero* paulatim degeneravit. Nam aucta potentia, otium ſectatus, Imperii negotia neglexit, & diſſolutiorem vitæ rationem amplexus, variis flagitiis ſe contaminavit. *Dio in Nerone* §. 2.

I. Ἀνομία & effrænis licentia.

Quodcunque enim incidebat ipſi in mentem, volebat; neque id putabat, pravum an rectum eſſet, quod petebat. Nam licentia eſt mater impudentiæ; uti *Plato de Legib. Dial.* 3. inquit. Hinc ſine rubore dicere ſolebat: *Neminem Principum ante ipſum ſciviſſe, quid ſibi liceret.* Sicut etiam quidam dixit: *Reges eſſe ſupra leges.* Germani pulchre efferunt:

Der Herr mag thun was jhm gelüſt't/
Au's Recht Er nicht gebunden iſt.

At male. Nam ſalutaris & pia eſt hæc *Evagrii* admonitio *Hiſtor. Eccleſ. lib.* 3. Imperatorem non ex eo, quod aliis imperat, ſpectari debere: Sed ex eo, quod ſe ipſum ita regere & moderari poſſit, ut nullum abſurdum voluptatis genus ſinat in animum irrepere, ſed ita invictum ſe ab intemperantia præſtet, ut vita ejus ſit tanquam imago virtutis, quam & imitentur ſubditi ejus, & ad virtutem erudiantur. Cum qua congruit venuſtus hic verſiculus:

Rex eſt, qui regnat: Cur non regit omnia ſolus?
Qui regit & regitur, rectius ille regit.

Et Ovidius 3. de Amore pulchre:

Cui peccare licet, peccat minus: ipſa poteſtas
Semina nequitiæ languidiora facit.

Sed *Nero* contrarium fecit, ideoque licentia indies deterior factus eſt; Nam *licentia* ubi eſt, ibi nimirum quiſque propriam vitæ ſuæ formam conſtituit, prout cuique placuerit: ſicut *Plato de Republ. Dial.* 8. *præclare ait.*

II. *Quotidiana cum aulicis adulatoribus converſatio.*

Hanc autem effrænam ejus licentiam atque libidinem cum nemo auderet increpare, itaque cœpit ille omnia contemnere, præſertim cum crebro à familiaribus ſuis audiret: Tu hæc pateris? Tu hos times? ignoras te Cæſarem eſſe? Teque in illos poteſtatem habere, non illos in te? *Dio in Nerone* §. 2.

III. *Crebra Comeſſatio & turpiſſima Libido.*

Epulas è medio die in mediam noctem protrahebat, refotus ſæpe calidis piſcinis, ac tempore æſtivo niveis. Cœnitabatque nonnunquam & in publico, inter ſcortorum totius urbis ambubajarumque miniſteria. *Suetonius in Nerone* §. 27. *Dio in Nerone* §. 10. ſcribit, quod *Nero* in Amphitheatro aliquando *ſumtuoſum convivium* inſtituerit, cujus notandus

I. ORTUS. Convivii hujus Præfectus erat *Tigellinus*: Apparatus cœnæ erat magnificus: magna vaſa vinaria lignea erant in aqua poſita, & in circuitu undique erant tabernæ & diverſoria ædificata. Ad hoc convivium invitati erant multi divites Senatores, aulici atque cives, eorumque uxores, feminæ nobiliſſimæ & pulcherrimæ, puellæ, liberæ, ancillæ atque ſcorta.

II. PROGRESSUS. *Nero* & *Tigellinus* cum convivis ſuis medium locum tenebant, & in tapetis purpureis, mollibus ſtragulis epulabantur, cæteri in ſuis tabernis lætitiam capiebant, & largiter potabant.

III. EGRESSUS. Appropinquante autem veſpera, *Nero* ſeveriſſime demandabat, ne ulla vel mulier, vel virgo, ulli quicquam denegaret. Multitudo congregata faciebat injuriam libidinoſe; poterat quiſque ea, quam cuperet, potiri; negare licebat nemini. Tum enim ſervus cum domina, præſente domino ſuo, & gladiator cum virgine nobili, inſpectante patre, rem habuerunt. Sequebantur inde graviſſimæ & turpiſſimæ altercationes, vulnera, tumultus, non ſolum ab iis, qui intus erant, ſed etiam iis, qui foris remanſerant. Quibus ex cauſis multi homines mortui, multæ mulieres ſuffocatæ, multæ raptæ ſunt.

Quæ-

Quæſtio hic moveri poteſt Philologica: *Quænam Ambubajæ fuerint?*

I. Quidam Critici olim ea opinione fuerunt imbuti, quod Ambubajæ dictæ ſint inde, quod circa Bajas verſarentur: Quæ erronea opinio etiam *Torrentio* placuit, eamque notis ſuis in *Suetonium* inſeruit.

II. *Porphyrius* Philoſophus Tyrius ſtatuit, quod Ambubajæ fuerint mulieres vagæ ac leves, quibus nomen ab ebrietate balbutientium verborum ſit inditum.

III. Vera ſententia hæc eſt: Ambubajæ fuerunt Syriæ mulieres, quæ Romæ in circo habitantes, duplici quæſtu ſe ſuſtentabant. Nam *primo* corporis ſui copiam vulgo faciebant, & *deinde* inſtrumenta Muſica, nempe citharas vel fiſtulas pulſare norant, quas è patria, cum Romam peterent, una ſecum attulerant. Hæc autem barbara inſtrumenta nomen nativum in urbe Roma retinuerunt, uti ex hiſce *Juvenalis* verſiculis patet:

Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana ſecum
Vexit, & ad circum juſſas proſtare puellas.

Quod ut melius intelligatur, notandum eſt, quod vox סבכא, vel סמבוכא ſit vox Chaldaica & Syriaca, quæ ſignificat fiſtulam ex novarum fruguni calamo confectam, Græce κάλαμος, cithara, inſtrumentum muſicum. Arabes veroloco dageſch literam ן proferunt, dicentes סנבוכא Anbub, inſtrumentum muſicum, fiſtula, tibia, hinc ענבובאי Ambubajæ, tibicines. Ita apud *Suetonium in Nerone* §. 27. legitur. Inter ſcortorum totius urbis, ambubajarumque miniſteria. Et apud *Horatium*:

Ambubajarumque collegia.

Et hæ tibicines in Syriaca lingua dictæ fuerunt Ambubajæ.

IV. *Muſica cantatio, & auguratio.*

Sæpe *Nero* in ſcenam publice prodiit, & habitu citharœdi indutus, per plures dies cantavit, jactans hoc proverbium Græcum inter familiares ſuos: *Occulta muſica nullum eſſe reſpectum. Dion in Ner.* §. 7. ſcribit: *Nero* quinquennale certamen, ſive, ut alibi vocatur, luſtrale inſtituit, quod quovis anno quinto exacto ageretur. Fuit autem *triplex*: *Muſicum*, *gymnicum* & *equeſtre*, (ut *Suetonius* habet) quod adpellavit *Neronia*. Judices certaminum elegit ex Senatu præſtantiſſimos. *Neronia* poſtmodum à *Gordiano* firmata ſunt, teſte *Capitolino*, anno æræ Chriſtianæ 240, actaque rum ſunt *Neronia* triceſima ſeptima. *Tacitus* §. 10. Cujus cauſa Gymnaſium ædificavit, &c.

Similiter cum *Tiridates Armeniorum Rex* à Corbulone Duce belli victus eſſet, flexis genibus, ſublatiſque in cœlum manibus *Neronem* venerabundus, DOMINUM ac DEUM ſuum appellavit. *Nero* illum Regem Armeniæ fecit. Quo facto, cum *Tiridates* ad pedes Neronis ſe abjeciſſet, ei *Nero* diadema impoſuit. *Dio in Nerone* §. 13. Sed ſtatim ſubjungit *Dio*: Poſt hæc *Nero* cithara publice cecinit, curruſque, praſina veſte indutus & galea aurigarum ornatus, agitavit. Quo viſo *Tiridates Neronem* reprobare & deteſtari cœpit.

V. *Nocturna graſſatio & debacchatio.*

Poſt hæc *Nero* publice incipiebat inſanire, noctu per totam urbem debacchabatur: mulieribus puerisque ſtuprum inferebat: ſpoliabatque eos, qui ſibi fierent obviam: percutiebat, vulnerabat, occidebat. Cumque hæc faceret, putabat, clam homines eſſe, propterea quod variis generibus veſtium & appoſitis comis uteretur: ſed ex comitatu factiſque facile agnoſcebatur. Nec enim eſt auſus quiſquam tot & tantas res ſecuro animo facere. Nam domi eſſe, nulli tutum erat, Nerone in domos atque officinas inſultante. Itaque *Julius Montanus Senator*, commotus uxoris cauſa, facto in *Neronem* impetu, ei multas plagas inflixit: ita ut per multos dies in conſpectum hominum non veniret. Quæ res *Montano* nullum damnum attulit: Cui *Nero* ne iratus quidem omnino fuiſſet, (etſi putabat ſe injuriam accepiſſe) niſi ipſe veniam per literas petiviſſet. Quibus literis lectis, *Nero* ita reſpondit: Non ergo percuſſor Neronis ſe ipſum vita jam ſpoliavit? *Dion in Nerone* §. 4.

VI. *Prodigalitas & profuſio.*

Nam divitiarum & pecuniæ non putabat alium uſum, quam profuſionem: *ſordidos* ac *parcos* nominans, quibus ratio impenſarum conſtaret: *lautos* & *magnificos*, qui abuterentur & perderent. Hinc ipſe ſine delectu & judicio publicæ utilitati ſacratas pecunias profudit, theſauroſque publicos exhauſit. *Dio* de eo ſcribit §. 2. quod prætoriano militi dari juſſerit aureorum centena millia; quumque *Agrippina*, ut ipſum intuentem ſummam tantæ pecuniæ pœniteret, uno in loco coacervaſſet, interrogavit, quantum eſſet numeratum; cognitaque ſumma, duplicari eam juſſit: *Non enim putavi*, inquit, *me tam exiguum munus dediſſe*. Unde patet, quod Nero modum neque largiendi neque abſumendi tenuerit. *Veſtem nullam bis induebat*. Et ædificando luxum oſtendebat. De quo *Sueton.* refert,

fert, quod domum ædificaverit urbi amplitudine non abſimilem, quam poſt incendium, quo conſumta erat, reſtitutam, auream appellavit. In cujus veſtibulo coloſſus 120. pedum ſtabat ipſius effigie: Porticus triplices milliarias habuit. In medio ſtagnum maris inſtar, ædificiis undique circumſeptum. Rura continuit cum arvis, vinetis, paſcuis, ſylvis, pecudibus, feris. In cæteris partibus cuncta auro lita, diſtincta gemmis unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis, verſatilibus, ut flores è fiſtulis, & unguenta deſuper ſpargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur. *Suetonius* §. 31.

AXIOMA.

Tyranni civium ſanguine ſua madefaciunt cæmenta.

Unde fere fit, ut ſuperbas Tyrannorum molitiones poſteri ob id tantum evertant, ne ullum tyrannidis in civitate veſtigium exſtare poſſit. *Domus aurea Neronis* urbem fere ambitu complectebatur: at conſequentium Imperatorum, qui in ea domo propter Neronis flagitioſam memoriam habitare vellet, inventus eſt nemo: ſed paulo momento collapſa eſt; quippe quæ innocentium civium ſanguine exſtructa fuiſſet. *Bod. de Republ. l. 6.*

VII. *Novorum vectigalium impoſitio & rapina.*

Theſauros, quos in thalamo regia habebat, ita exhauſit, ut ei ſtatim opus fuerit novis reditibus. Unde non tantum nova vectigalia populo impoſuit, ſed etiam locupletum opibus inhiavit, quas per vim & rapinam à multis abſtulit. *Dio in Nerone* §. 2. Nunquam cuiquam officium delegavit, quin hæc adjiceret: *Scis, quibus mihi opus eſt?* Et, *Hoc agamus, ne quis quid habeat.* Vox prædone quam Principe dignior. *Dio, Suetonius in Nerone.*

VIII. *Cædes & homicidia.*

Nero velut truculenta Beſtia in perniciem humani generis nata, in quoſvis, nullo neceſſitatis, familiaritatis aut amicitiæ habito reſpectu, etiam in inſontes, ſæviebat. Nam antea audivimus, quod Patrem *Claudium*, Matrem *Agrippinam*, *Domitiam* Amitam, & Fratrem *Britannicum* velut Parricida nefarie occiderit. Quibus parricidiis varia & multiplicia adjecit homicidia atque latrocinia.

I. *Thraſeas* & *Soranus*, qui nobilitate, opibus, ac omni genere virtutis primas partes tenebant, etſi culpam conjurationis non ſuſtinuerunt, tamen ſub hoc prætextu poſtea è medio ſunt ſublati. Præterea *Dio* addit: *Thraſeas* propterea moritur, quod raro, tanquam minime approbaret Senatus decreta, in Senatum venerat, & quod nunquam Neronem audiverat, dum cithara caneret, neque voci ejus ſacræ, ut reliqui omnes, ſacrificaverat, aut approbaverat quicquam ejus generis. *Dio in Nerone* §. 12.

II. *Aulum Plancum* juvenem quoque interemit, cum eum ante mortem per vim ſtupraſſet, & quaſi ille à matre dilectus & ad ſpem Imperii impulſus fuiſſet, additis hiſce verbis: *Eat nunc mater mea, & ſucceſſorem meum oſculetur.*

III. *Paridem* ſaltatorem inſignem interfici juſſit, quod cum doceri ab eo cuperet, diſcere ſaltare non potuiſſet. *Dio* §. 16.

IV. *Cinnam Tuſcum* mulctavit exilio, propterea, quod, cum is eſſet Præfectus Ægypti, ſe lavaſſet in balneo, quod *Neroni* venturo in Alexandriam paratum fuerat. *Dio in Ner.* §. 16.

V. *Corbulo*, accitus honorificentiſſime (quem virum *Nero* præter cætera *Patrem* & *beneficum* appellabat) poſtquam Cenchrea appulit, ab eodem occidi juſſus eſt, priuſquam in conſpectum ejus veniret. *Dio in Nerone* §. 16.

AXIOMA.

Aulica beatitudo mutabilis.

Exemplum habemus in *Corbulone* viro præſtantiſſimo. Hic cum Armeniam occupaſſet, & pro *Nerone* multas præclaras res geſſiſſet: quibus auxerat Imperium Romanum, eidemque oblatum fuiſſet à militibus imperium, ut *Neronem* dejiceret: Quod tamen accipere noluerat, ut in fide *Neronis* perſtaret: Sine cauſa poſt tantas res geſtas à *Nerone* interfectus eſt: neque dignum laboribus & fide ſua præmium à Tyranno accepit. Moriens, nihil aliud dixit, quam ἄξιος, *dignus*. Qua voce ſe reprehendit, & quod tantis occaſionibus oblatis à Nerone non defecerit, & quod inermis ad tyrannum acceſſiſſet. *Dio ibidem.*

VI. *Senecam præceptorem*, ut aut mortem ſibi ipſi conſciſceret, aut mortis genus mandatum ſubiret, juſſit; quamvis ſæpe juraſſet, periturum ſe potius, quam nociturum. Moriturus dixit *Seneca*: Hoc eſt unum, quod de vita non poſſumus queri, neminem tenet. Placet, vive; non placet, licet eo reverti, unde veniſti. Introitum ad vitam unum dedit Deus, exitus multos. Quibus dictis αὐτόχειρ factus (A. C. 66, 30. April.) & venas in brachiis & pedibus aperuit, ſed ita cruciatus etiam cicutam bibit, & tandem ſtagnum calidæ aquæ inivit. *Tacitus lib. 15. cap. 63.* Tale autem ſibi ipſi Epitaphium concinnavit:

Cura, labor, meritum, ſumti pro munere honores,
Ita alias poſthac ſollicitate animas.
Me Deus à vobis procul evocat: ilicet actis
Rebus terrenis, hoſpita terra, vale.
Corpus avara tamen ſolennibus accipe ſaxis,
Namque animam cœlo reddimus, oſſa tibi.

At melius *Socrates* docuit, nefas eſſe animam, injuſſu imperatoris Dei, è corporis præſidio decedere, Quibus verbis ἀνυποχωρησίαν improbavit.

VII. *Uxor Seneca* prohibita eſt mori, cum jam plurimum ſanguinis emiſiſſet. Ideoque per totam vitam poſtea pallida fuit.

VIII. *Burrho* alteri Præfecto *Nero* remedium ad fauces pollicitus, toxicum miſit: Quo extinctus eſt.

IX. *Lucanus Poëta* inciſione venæ juſſu Neronis interfectus eſt. De *Lucano* hoc exſtat carmen:

Corduba *me genuit*, *rapuit* Nero, *pralia dixi*
Quæ geſſere pares, *hinc ſocer*, *inde gener.*
Continuo nunquam direxi carmina greſſu,
Quæ tractim ſerpant: plus mihi comma placet.
Fulminis in morem quæ ſunt miranda citentur,
Hæc vero ſapiet dictio, *quæ feriet.*

X. *Aper Centurio*, qui contra illum conjuraverat, rogatus à Nerone cauſam conjurationis, aperte in os ei dixit: *Quoniam alio pacto tibi non poteram ſubvenire.* Alter vero conjuratorum *Flavius Tribunus* ſtipatorum militum ad Neronem dixit: *Dilexi te, & odi ſupra omnes homines. Dilexi* te, & fideliſſimus tibi fui, quod te ſperabam bonum Principem fore: Sed *odiſſe te cœpi*, poſtquam parricida matris & uxoris, auriga, hiſtrio, & incendiarius exſtitiſti. *Tacitus.* O horrendum homicidam atque latronem! Emblema *Neronis* erat: *Ferrum tuetur Principem.* Verum rectè ei *Seneca* reſpondit: *Sed melius fides.*

Similiter cum Aruſpices, viſis nonnullis portentis, reſpondiſſent, interitum *Neroni* denuntiari, eique conſilium dediſſent, ut in alios id periculum averteret: Qua ex re complures interfeciſſet ſubito, niſi ei *Seneca* ita dixiſſet: *Licet*, inquit, *quamplurimos occidas, tamen ſucceſſorem tuum non potes occidere.* Sicut *Dion* ſcribit §. 7. Cui Præceptoris ſui conſilio ſi paruiſſet *Nero*, ſempiternam nominis infamiam, mortemque temporalem ſibi haud attraxiſſet.

IX. *Incendia.*

Nero quoque incendiarius fuit. Nempe cum offenſus veterum ædificiorum deformitate & anguſtiis, ac flexuris vicorum, palam urbem incendit, miſſis hinc inde miniſtris diſcurſantibus, atque ignes injicientibus. Ea clade per ſex dies ſeptemque noctes ſævitum eſt. Ipſe interim è turri Mæcenatis incendium hoc proſpectans, lætuſque flammæ (ut aiebat) pulchritudine, ἅλωσιν Ilii, ſive excidium Trojæ decantabat in habitu ſuo ſcenico. Unde odium ejus diabolicum in patriam cognoſcitur, uti etiam ex deteſtabili ejus voto apparet. Nam Tiberius crebro jactare ſolebat: Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί. h. e. *Me mortuo miſceatur terra igni.* Imo, inquit *Nero*, Ἐμοῦ ζῶντος, h. e. *Me vero ſuperſtite.* uti etiam ipſo opere teſtatum fecit. Quamvis autem *Nero*, igne deleto urbem inſtauraret ad menſuram & compoſite, firmiorem etiam contra incendia & ſalubriorem: Tamen hiſce omnibus efficere non potuit, quin author incendii illius diceretur. Ideoque ei rumori abolendo, ſubdidit quoſdam reos, quos exquiſitiſſimis pœnis afficiebat, quos vulgus Chriſtianos appellat. Uti inquit *Tacitus lib.* 15. *Annal. c.* 44. *Dio in Nerone* §. 11.

X. *Magia.*

Magicis quoque *artibus Nero initiatus fuit*: Quam tamen univerſam falſam vanamque comperit, ſicut *Plinius lib.* 30. ſcribit. Exemplum memorabile recenſet *Franc. Petrarcha lib.* 4. *Memorab. Nero* conſulens oraculum Delphicum, reſponſum accipit, ut annum 73. caveret. Quod cum audiſſet, homini conſiderato tanta ſecuritas inceſſit, ut jam nihil metuens, & proſperitatem & ætatem integram ſibi ſponderet, quaſi ante prænunciatum tempus ab *Apolline* mori non poſſet, eoque vanitatis & inſolentiæ raptus eſt, ut preciotiſſimis quibuſdam rebus maritima tempeſtate perditis, affirmaret, eas ad ſe vel piſcium obſequio reverſuras. Talibus intumuerat erroribus, cum ſubito ab omnibus deſtitutus ad turpiſſimam compulſus eſt mortem, utique conſiliario dignus *Apollino.* Quamvis mendacii pater, ne quid mentitus videretur, conſuetis ambagibus atque arte providerit, quod ipſe *Nero* ſuprema illa nocte, audito clamore militari, *ſuum* execrante & *Galbæ nomen* celebrante, ſero licet, quiverit intelligere, & ad infelicitatis ſuæ cumulum authorem oraculi veridicum opinari. *Galba* enim *ſucceſſor tertium & ſeptuageſimum annum tunc agebat.*

XI. *Deteſtanda ſuperbia.*

Nero Imperator Romanorum Κύριος, h. e. DOMINUS, vocari primus voluit. Ab hoc enim titulo abhorruerunt *Auguſtus* & *Tiberius* Imperatores. Cum enim in theatro publico *Mimus Dominum æquum & bonum* vocaret *Auguſtum*, graviſſime averſatus eſt iſtum titulum, & ſequenti die ſeveriſſimo edicto prohibuit, ne quis vel è liberis vel è nepo-

ſepotibus *Dominum* ſe appellaret. *Suetonius in Auguſto*, §. 53. *Tiberius* quoque Auguſti ſucceſſor *Dominus* à quodam appellatus, denunciavit, ne ſe amplius contumeliæ cauſa ita appellaret. *Suetonius in Tiberio*, §. 27.

At NERO primus ab adulatoribus ſuis *Dominus* appellatus eſt, uti patet ex *Act. cap.* 25. *v.* 26. ubi *Feſtus* Præſes Judææ Neronem Κύριον DOMINUM appellavit. Similiter *Tiridates Rex Armeniorum Neronem* DOMINUM & DEUM ſuum, ſeque ejus Servum nominavit. Quod *Nero* approbavit, & addidit: *Ego te Regem Armeniæ facio, ut tu atque illi* (nempe pater & fratres) *ſimul intelligatis, in mea eſſe poteſtate Regna dare & adimere. Dion in Nerone* §. 13. Plane ſicut diabolus ad Chriſtum dicebat *Luc.* 4. *v.* 6. Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum. (nempe omnium regnorum orbis.) Quia mihi tradita ſunt, & cuicunque volo, do illam. Quæ diabolica eſt ſuperbia. Idem de Papa Romano judicium eſto:

Promittit Chriſto, nec habet dare munera damon.
Ridiculum eſt? Cœlum ſic dare Papa poteſt.

XII. *Mala conſcientia.*

Nero, occiſa matre Agrippina per *Anicetem*, nec ſceleris conſcientiam, quanquam & militum & Senatus populique gratulationibus confirmaretur, aut ſtatim, aut nunquam poſtea ferre potuit: ſæpe confeſſus, exagitari ſe materna ſpecie, verberibus furiarum, ac telis ardentibus. *Dion in Nerone.*

Suetonius ita ſcribit: Terrebatur *Nero* evidentibus portentis ſomniorum, & auſpiciorum, & ominum, tum veteribus tum novis, nunquam antea ſomniare ſolitus. Occiſa demum matre, vidit per quietem navem ſibi regenti extortum gubernaculum, trahique ſe ab *Octavia* uxore in arctiſſimas tenebras: & modo pennatarum formicarum multitudine oppleri, modo à ſimulacris gentium ad Pompeii theatrum dedicatarum circuiri arcerique progreſſu. *Suetonius in Nerone* §. 46.

AXIOMA.

Magna conſcientiæ ratio eſt habenda.

Nam *Cicero pro Milone* recte inquit:

I. Magna vis eſt conſcientiæ in utramque partem, ut neque metuant aliquid, qui nihil commiſerunt: & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui ſunt rei magnorum ſcelerum.

II. Nulla eſt in mundo immanior beſtia, quam mala conſcientia. Veriſſimum eſt quod *Seneca* dixit: Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. Quare? Quia infixa eſt nobis ejus rei averſatio, quam natura damnavit. Etſi enim dolor conſcientiæ aliquantiſper hebes eſt, juxta effatum Jehovæ, *Geneſ.* 4. *v.* 7. *Peccatum tuum quieſcet in foribus:* Tandem tamen in malis ſævire incipit: & accedit ſæpe ad naturalem dolorem perterrefactio, qua DEUS ipſe ceu fulmine opprimit ſontes.

III. Nihil magis pavidum eſt mala conſcientia: cujus judicium nemo hominum effugere poteſt. Quia perpetrata facinora morſu perpetuo non ſinunt requieſcere malos. Recte enim *Cicero*, quamvis Ethnicus, Sceleratos, inquit, homines agitant infectanturque Furiæ, non ardentibus tædis, ſicut in fabulis, ſed angore conſcientiæ, fraudiſque cruciatu.

Similiter *Ambroſ. lib.* 5. *epiſt.* 18. rectè inquit: Nullus major eſt dolor, quam is, qui peccati mucrone vulnerat conſcientiam: neque ullum gravius eſt onus, quam peccatorum ſarcina, & pondus flagitiorum. Exemplum habemus in *Nerone.*

ACTA POLEMICA.

I. Bellum in Britannia.

Augendi propagandique Imperii, tamen neque voluntate ulla, neque ſpe motus unquam; etiam ex Britannia exercitum deducere cogitavit: nec niſi verecundia, ne obtrectare parentis gloriæ videretur, deſtitit. Gravem ibi cladem accepit, duabus præcipuis urbibus ab hoſte captis ac direptis. Quæ tanto indignior fuit, quod à Duce fœmina, *Bunduica*, accepta eſt. Sævitum in victos, præſertim fœminas nobiles, crudeliter. Correcta tamen ea clades poſtea eſt à *Suetonio Paulino*, qui & Monam, vicinam Inſulam, cum exercitu ceperat. *Suetonius in Ner.* §. 18. & *Dio* §. 8.

NOTA.

Effœminati Tyranni aurem (ſi aurem habuiſſet) vellit mulier virilem animum geſtans, ut Romanis olim vitis pudorem incuteret mundi Judex.

II. Bellum Parthicum.

Contra *Parthos*, Armeniam invadentes, *Domitium Corbulonem* miſit: qui feliciter re geſta perfecit, ut *Tiridates Armeniæ Rex* Romæ ſe ſiſteret, *Neroni*, qui apud roſtra triumphantis habitu reſidens, inter ſigna atque vexilla militaria, *primo* ad genua illum admiſit, & dextra allevatum exoſculatus, *deinde* precanti, tiara deducta diadema impoſuit, verba ſupplicis interpretata prætorio viro multitudini pronunciante. Productum inde in Theatrum, ac rurſus ſupplicantem, dextro juxta ſe latere collocavit. Ipſe qui bellum nullum viderat,

Imperator propterea ſalutatus, Lauream capitolio conſecravit.

III. Bellum Judaicum.

Ceſſius Florus Judææ præſes, homo erat impurus, ac rapinis & crudelitate omnia exhauriebat: quare, ut Judæi de ipſo conqueri non poſſent apud Neronem, in id unice incubuit, ut eos ad rebellandum inſtigaret. quod ei ex voto ceſſit. Nero igitur magnum exercitum Duce Flavio Veſpaſiano contra rebellantes Judæos miſit: qui totam Judæam expugnavit, & Romanis præſidiis munivit. Plenius autem de hoc bello in hiſtoria Flav. Veſpaſiani Imp. dicturi ſumus.

IV. ACTA ECCLESIASTICA,

Quæ tum à Nerone *geſta ſunt*, *tum* ſub Nerone *contigerunt*.

1. NERO primus, adeoque acerrimus Chriſtianorum PERSECUTOR fuit. Nam ipſe primus inter Imperatores Romanos publicum per omnes Imperii provincias edictum promulgavit, de Chriſtianis è medio tollendis. cujus hæc verba fuerunt: *Quiſquis Chriſtianum ſe eſſe confitetur, is tanquam generis humani convictus hoſtis, ſine ulteriore ſui defenſione, capite plectatur. Hiſtor. Eccleſ. lib. 5. cap. 19.*

Hujus edicti occaſio hæc fuit. *Nero* clam juſſerat urbem incendi Romam, ut formam Trojani incendii ſpectaret, ſicut in *Act. Polit.* §. 9. diximus. Iſtud facinus ſummam ei invidiam apud populum Romanum conflavit. Quam cum nullis beneficiis eluere poſſet, in Chriſtianos quaſi incendiarios, crudeliſſime ſævire cœpit, culpa incendii urbis malitioſe in illos tranſlata, quod ipſe petulanter exercuerat. Neque tantum vita privati ſunt Chriſtiani, ſed pereuntibus etiam ludibria addita fuerunt, ut ferarum tergis contecti laniatu canum perirent, aut crucibus affixi, aut flammandi: atque ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur. *Tacitus lib. 15. Annal. cap. 44.*

Illa autem inflammatio fiebat hoc modo: Illi miſeri tæda, papyro, & cera ſuperveſtiebantur, inde ſtantibus ad palum gutturi uncus ſuffigebatur, ne motatione capitis picem effunderent, aut ignem declinarent. Poſtea in lamina ardente pix aut unguen in caput liquefiebat, ita ut toti arderent, nectuque luminis loco eſſent. Tantus autem Chriſtianorum numerus ita combuſtus eſt, ut rivi pinguedinis humanæ per arenam amphitheatri ſulcum facerent; ut Poëtæ teſtantur. Dicebantur hi comburendi *Cerei*, item *Sarmentarii*.

Unde recte D. Paulus Neronem LEONEM 2 *Tim.* 4. *v.* 17. appellat.

DUBIUM.

Perſecutio illa, quam Nero adverſus Chriſtianos inſtituit, communiter dicitur PRIMA. quod falſum eſſe videtur. Quia anno à Chriſto concepto primo, Herodes Aſcalonita infantes Bethlehemiticos inaudito crudelitatis exemplo trucidari juſſit. *Matt. c. 2.* Deinde Herodes Antipas A. C. 32. Johannem Baptiſtam, Prophetam maximum, nuptias ejus inceſtuoſas improbantem, in cuſtodia Macheruntica decollari juſſit. *Matth. 14. 6*, ad 13. *Marc. 6. v. 21*, ad 30.

Reſp. Prima Chriſtianorum perſecutio facta eſt non sub Nerone, (quia ante eum infantes Bethlehemitici & Johannes Bapt. martyrii corona coronati ſunt, uti ex dictis patet) ſed à Nerone, nempe quod attinet perſecutionem Chriſtianorum poſt Chriſti in cœlos adſcenſionem ab Imp. Romanis factam. Ipſe namque inter Imperatores primus fuit, qui publicis edictis Chriſtianos perſequi & affligi mandavit. Unde Tertullianus in Scorpiaco adverſus Gnoſticos ita ſcribit: Vitas Cæſarum legimus: Orientem fidem Romæ *Nero primus* cruentavit. Idemque Autor in Apologetico ad gentes: Conſulite commentarios veſtros: illic reperietis, *primum Neronem* in hanc ſectam, tum maxime Romæ orientem, Cæſariano gladio ſæviiſſe. Quæ ſententia non in ſenſu abſoluto, ſed limitato accipienda eſt: Sicut etiam vulgata Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum ſententia intelligenda eſt de Stephano Chriſti Diſcipulo, qui Protomartyr in N. T. vocatur, intellige hoc non abſolute, (quia ante eum Infantes Bethlehemitici & Johan. Bapt. martyres ſunt facti) ſed limitate, nempe poſt Chriſti in cœlos adſcenſionem.

Vulgo autem à morte Chriſti, ejuſque reſurrectione uſque ad Conſtantinum M. annis paulo minus trecentis decem inſignes perſecutiones numerantur, (licet multo plures ab hiſtoricis probatis referantur) ut ſcribit *Auguſtinus lib. 18. cap. 52. de civitate Dei.* Ordo decem illarum perſecutionum ſub Imp. Romanis factarum hic eſt.

Prima

Prima	facta est à	Nerone,	Imp. Roman.	6	circa Annum Christi 65
Secunda		Fl. Domitiano,		12	96
Tertia		Ulpio Trajano,		14	108
Quarta		Antonio Philosopho & Lucio Vero,		17	168
Quinta		Septimio Severo,		21	203
Sexta		Maximino Thrace,		26	237
Septima		Decio,		31	251
Octava		Valeriano,		33	258
Nona		Aureliano,		36	275
Decima		Diocletiano & Maximiniano,		40	303

II. Anno Christi 55. Paulus Apostolus Ephesi scripsit priorem Epistolam ad Corinthios. Ephesino autem tumultu compresso, (quem Demetrius aurifaber concitaverat) Philippos in Macedoniam venit, ubi epistolam alteram ad Corinthios scripsit. Philippis digressus Achaiam & Corinthum profectus est, & Epistolam ad Romanos misit. Post per Macedoniam longo itinere Miletum abiit, ubi Presbyteris Ephesinis valedixit, indeque Rhodum, Pataram, Tyrum, Ptolemaida, Cæsaream, & rursus Jerosolymam pervenit: ibi tumultu in templo excitato capitur à Judæis, & à Lysia captivus Cæsaream abducitur: ubi cum causam suam aliquoties apud Felicem & Festum dixisset, & periculum foret, ne capitalibus ejus hostibus Judæis traderetur, ad Neronem Imper. appellat, cum jam annis duobus Cæsareæ detentus fuisset. Cum autem captivus ad Imperatorem mitteretur, navi impositus, ineunte hyeme, naufragium fecit, sed salvus tamen cum omnibus simul navigantibus Romam pervenit anno C. 57, quo anno matrem suam Nero per Anicetum summo scelere sustulit. Romæ biennio in libera mansit custodia, quotidie disputans contra Judæos. Multas etiam è vinculis scripsit epistolas, ad Galatas, ad Ephesios, secundam ad Timotheum, ad Philippenses, Colossenses & Philemonem. Anno Christi 59. vocatus ad tribunal Imperatoris, ut causam diceret contra Judæos accusatores, valedixit omnibus suis amicis, ad supplicium mortemque paratus, sed præsidio Dei tectus atque munitus ex ore Leonis liberatus est. Post liberationem per totum decennium fere docuit Evangelium in Italia, Gallia, & Hispania. Finito hoc tam longo & pleno laborum & contentionum periculo iterum Romam retractus, à Nerone capite truncatus est A. C. 69. cum Evangelium prædicasset annos fere 34: quo temporis spatio curriculum amplius milliarium Germanicorum 2998 confecit. *Hieron. in Catal. Euseb. lib. 2. cap. 25.*

III. Petrum Apostolum quoque, eodem anno & die quo Paulus capitis damnatus est: jussu Neronis crucifixum esse, nonnulli veterum scriptorum sentiunt. De morte ejus D. Hieronymus sic ait: A Nerone affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus elevatis, asserens se indignum, quod sic crucifigeretur, sicut suus Dominus. *Eusebius lib. 2. Histor. Eccles. c. 15. Onuphr. & alii.* Sunt tamen, qui diversum statuant, affirmantes, eum nunquam Romam venisse, & Babylone in Ægypto (quæ hodie Alcairum vocatur) interiisse: alii tradunt, quod Jerosolymis à Rege Agrippa trucidatus sit; in qua opinione est etiam *Livius.*

IV. Anno C. 63. Jacobus Minor, Alphæi filius, natus ex sorore matris Domini nostri, martyrio etiam coronatus est. Rexit hic Ecclesiam Jerosolymitanam triginta annis, cumque multi concionibus ejus ad veram fidem in Christum converterentur, Scribæ & Pharisæi summo odio eum prosequuti sunt; nec quieverunt prius, quam vel dolo vel vi cum è medio sustulissent. Statuerunt itaque eum in templi pinnaculo, & negare Christum jusserunt. Sed ille constanti pectore de pinnaculo Christum professus est: Idcirco à furiosis Judæis è fastigio templi præcipitatus dicitur: cumque ex lapsu illo nondum animam exhalasset, tendens ad cœlum manus, dixit: Domine, ignosce eis; quod enim faciunt, nesciunt. Ita pro hostibus precantem insana turba lapidibus excepit, sed cum ne sic quidem moreretur, accurrit quispiam cum fullonis fuste, eumque in cerebrum illius impegit; ex quo mortuus est. Causa autem hæc fuit: Festus Judææ Procurator diem suum obierat, & nondum venerat Jerosolymam successor ejus Albinus: hac occasione ἀναρχίας accepta, Ananias summus sacerdos, qui & juvenis & Sadducæus erat, concilium convocat, & compellit Jacobum, ut Christum Filium Dei neget, contradicentem lapidibus obrui jussit; unde dicto modo necatus est. *Hieron. in Catal. Egesip. lib. 5.*

V. Quia martyrium Marci Evangelistæ etiam in

in Neronis imperium incidit, breviter addemus, quonam mortis genere pericrit. Cum ille in urbe Ægypti Alexandria libere Chriſtum profiteretur, & in idolorum cultores inveheretur, impetum in eum fecerunt illi, funibus pedes ejus conſtringentes, perque urbem crudelem in modum raptantes, ſaxis corpus alliſerunt, conſciderunteque, ut ſanguis abunde profluereț. Carceri deinde incluſerunt, mox è carcere extractum per urbis plateas immaniſſime raptarunt, donec ſpiritum Deo commendaret A.C. 64. *Nicephorus lib. 2. cap. 43. Euſeb. lib. 2. cap. 16. Hiſtor. Magd. Cent. 1. lib. 2. cap. 3. & 10.*

CAPUT III.

DE EGRESSU.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

1. *Prodigia & portenta.* Mortem Neronis prodigia & portenta ſequentia præceſſerunt. 1. Cometa Romæ apparuit ſex menſes, præter morem Cometarum, de quo vulgo judicium fuit, portendere eum mutationem principatus: ideo & hoc addiderunt, neminem rectius Neroni ſuccedere poſſe, quam Rubellium Plautum, cui nobilitas per matrem ex Julia familia. Is rumor Plauto huic exilium conciliavit, & cum familia in Aſiam ablegatus eſt. *Tacitus cap. 22.*

2. Fulmen cecidit ante menſam Neronis, & (teſte *Apollonio*) calicem ei excuſſit.

3. Terræ-motus quoque diverſis in locis aliquot urbes graviter afflixere, & fames Romam.

4. Ex monumento Auguſtali ſponte foribus patefactis exaudita vox eſt, nomine Neronem vocantis. *Suetonius in Nerone §. 46.*

II. *Somnia ominoſa.* Nulla nox Neroni ſub finem Imperii quieta fuit, variiſque ſomniis territus eſt, cum antea nunquam ſomniaſſet. Occiſa matre, vidit per quietem navem ſibi regenti extortum gubernaculum, trahique ſe ab uxore in arctiſſimas tenebras: ſicut etiam ſupra in cap. 2. diximus.

III. *Acclamatio ominoſa.* Cum ex oratione ejus, qua in Vindicem perorabat, recitaretur in Senatu, daturos pœnas ſceleratos, ac brevi dignum exitum facturos, conclamatum eſt ab univerſis: Tu facies, Auguſte. *Suetonius §. 46.*

IV. *Militum defectio, & Galbæ electio.* Erat Galliæ præſes vir juſtus & fortis *Julius Vindex*, qui, pertæſus tyrannidis, cum non toleranda eſſe Neronis ſcelera palam oſtenderet, præſertim, cum & Gallia novis expilationibus oneraretur, facile perſuaſit univerſæ Galliæ & ſuis exercitibus, ut à Neronе deficerent. Priuſquam autem rebellionem aperte præ ſe ferret, ſcripſit ad Sergium Galbam Hiſpaniæ Proconſulem, ut contra Neronem ad urbem Romam accederet, & orbem terrarum tanto tyranno liberaret, promiſitque ſe ſuos exercitus adjecturum eſſe. Galba minime cunctandum ratus; quod comperiſſet, Neronem de ſe interficiendo mandata ad procuratores in Hiſpaniam miſiſſe. A Julio Vindice igitur & ab exercitu Imperator ſalutatus eſt.

V. *Senatus decretum.* Interea Senatus Neronem hoſtem judicavit, conſtituitque ut ille nudus per publicum ductus, furca collo ejus inſerta, virgis uſque ad mortem cæderetur, atque ita è ſaxo præcipitaretur.

VI. *Neronis de Senatu occidendo, fugaque arripienda meditatio.* Nero audiens militum defectionem, omnem Senatum veneno è medio tollere, incenſaque urbe Alexandriam navigare in animo propoſuit, ut canendo ſe aleret, memor illius ſui vulgati: *Quæris terra alit artificem.* Sed deſperans de ſucceſſu, cum ſentiret ſe etiam à ſuis ſtipatoribus deſertum, Galbamque adventare, cum libertis fugit: In illa autem fuga terræ motus factus eſt. Terra item Neroni dehiſcere viſa, & ſpectra occurrerunt interfectorum ab eo.

II. TA' ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Tragicus Neronis exitus. Nero ita in fuga conſtitutus, cum equites ad eum interficiendum à Senatu miſſos prope eſſe audiviſſet; nec tamen, uti ingemuit, amicum, à quo defenderetur, nec inter libertos inimicum, à quo confoderetur, inveniret; ipſe furiarum tædis ardentibus agitatus, ferrum jugulo, tantus, ut dixit, artifex, admovit, ſeſeque (facto ſibi prius hoc epitaphio: Turpiter vixi, turpius moriar) jugulavit, adjuvante trepidantem manum impuro eunucho. Periit anno ætatis 32. Imperii anno 13. menſe 7. die 28. Hic exitus teſtimonium eſt Judicii divini, & congruit ad regulam: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Nam ille gladio Chriſtianos perſecutus fuerat, nunc gladio ipſe ſuo perit. Exſtincto Nerone, defecit Julii & Auguſti Cæſarum progenies, & imperii ſucceſſio ad alias familias eſt tranſlata.

III. TA' ΠΑΡΕΠΟΜΕΝΑ.

1. *Populi exhilaratio.* Ubi mors Neronis fuit pervulgata, tantum gaudium publice præbuit, ut plebs pileata tota urbe diſcurreret, redditam ſibi libertatem ſignificans. *Suetonius.*

II. *Succeſſorum Neronis miſera conditio.* Poſt interitum ejus multiplex laniena ſecuta eſt. Nam Gal-

Galbam transfodit Otto, qui ſuperatus à Vitellio, ſibi ipſi manus violentas intulit. Vitellius autem à Veſpaſiano captus, religatis poſt tergum manibus, & laqueo cervici injecto, in luto per plateas tractus, tandem occiſus, ejuſque cadaver à canibus laceratum eſt; ſicut ex dicendis patebit, *&c.*

VII. IMPERATOR ROM. SERGIUS GALBA.

CAPUT I. DE ORTV.

NAtus eſt SERGIUS GALBA ex nobili *Sulpitiorum* familia, tertio poſt Chriſti Nativitatem anno.

PATER ejus fuit GALBA SULPITIUS, conſulatu functus, quamquam brevi corpore atque etiam gibber, modicæque in dicendo facultatis cauſas induſtrie actitavit. *Sueton. in Galba §. 3.*

MATER fuit MUMMIA ACHAIA, neptis *Catuli*, proneptiſque *L. Mummii*, qui *Corinthum* excidit. *Suetonius ibidem.*

CAPUT II. DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ, atque NATURA.

G*Alba* valde deformis & monſtroſus fuit. Nam ſtatura juſta fuit, capite calvo, oculis cœruleis, adunco naſo, manibus pedibuſque articulari morbo diſtortiſſimis; ut neque calceum perpeti, neque libellos evolvere aut tenere omnino valeret. Excreverat etiam in dexteriore latere ejus caro, propendebatque adeo, ut ægre faſcia ſubſtringeretur.

ACTA JUVENTUTIS.

In prima ætate artes liberales diligenter excoluit, & ſtudium juris ſecutus eſt. Quoniam & Pater ejus, quanquam Conſularis, Cauſidicus fuerat, & cauſas induſtrie actitaverat.

II. ACTA OECONOMICA.

I. CONIUGIUM.

Uxorem habuit nomine LEPIDAM, ex qua duos filios ſuſcepit. Illa vero mortua in cælibatu manſit, neque ulla conditione adduci potuit, ut aliud matrimonium iniret. *Suetonius in Galba, §. 5.*

2. VITA OECONOMICA.

1. *Luxuria in Victu.*

Cibi plurimi fuiſſe traditur, quem etiam tempore hyberno ante lucem capere conſueverat: Inter cœnam vero uſque eo abundantem, ut congeſtas ſuper manus reliquias circumferri juberet, ſpargique ad pedes ſtantibus. *Suetonius in Galba, §. 22.*

2. *Libido.*

Libidinis in mares pronior, & eos nonniſi præduros exoletoſque, fuit. Ferebant in Hiſpania C. Icelum è veteribus concubinis, de Neronis exitu nunciantem, non modo arctiſſimis oſculis palam exceptum ab eo, ſed ut ſine mora velleretur, oratum, atque ſeductum. *Suetonius ibidem.*

III. ACTA POLITICA.

1. *Ante Imperium.*

1. *Honores & Officia.* Honores ante legitimum tempus iniit. PRÆTOR in ludis Floralibus, novum ſpectaculi genus, elephantos funambulos edidit. Deinde *Provincia Aquitanica* anno fere præfuit: mox *conſulatum* per ſex menſes ordinarium geſſit. A *Caio Caligula Imper. Gætulico* ſubſtitutus poſtridie quam ad legiones venit, ſolenni forte ſpectaculo plaudentes inhibuit, data teſſera, ut manus penulis continerent: ſtatim per caſtra jactatum eſt, *Diſce miles militare; Galba eſt, non Gætulicus.* Pari quoque ſeveritate in cæteris rebus diſciplinam rexit. Veteranum ac tironem militem opere aſſiduo corroboravit, matureque Barbaris, qui jam in *Galliam* uſque proruperant, coërcitis, præſenti quoque Caio talem & ſe, & exercitum approbavit, ut inter innumeras contractaſque ex omnibus provinciis copias, neque teſtimonium neque præmia ampliora ulli perciperent. Ipſe maxime inſignis, quod campeſtrem decurſionem ſcuto moderatus, etiam ad eſſedum Imperatoris per viginti paſſuum millia cucurrit. *Suetonius §. 6.*

Africam Proconſul biennio obtinuit, extra ſortem electus, ad ordinandam provinciam & inteſtina diſſenſione, & Barbarorum tumultu inquietam. Ordinavitque magna ſeveritatis & juſtitiæ cura, etiam in parvulis rebus. *Militi*, qui per expeditionem annona arctiſſima, reliquum cibariorum tritici modium, centum denariis vendidiſſe arguebatur, vetuit, ſimul atque indigere cibo cœpiſſet, à quoquam opem ferri, & is fame extabuit. *In jure dicendo* cum de proprietate jumenti quæreretur,

reretur, levibus utrinque argumentis & testibus, ideoque difficili conjectura veritatis, ita decrevit, ut ad lacum, ubi adaquari solebat, duceretur capite involuto, atque ibidem revelato, ejus esset, ad quem sponte se à potu recepisset. *Sueton. in Galba*, §. 7.

Ob res & tunc in *Africa*, & olim in *Germania* gestas, ornamenta triumphalia accepit & sacerdotium triplex, inter xv. viros, sodalesque *Titios*, item Augustales cooptatus; atque ex eo tempore prope ad Neronis medium principatum in secessu plurimum vixit, donec in opido *Fundis* moranti *Hispania Tarraconensis* oblata est. *Suetonius* §. 8. Quam per 8 annos varie & inæquabiliter rexit. *Primo* acer & vehemens, & coërcendis quidem delictis vel immodicus. Nam & nummulario non ex fide versanti pecunias, manus amputavit, mensæque ejus affixit: & tutorem, quod pupillum, cui substitutus hæres erat, veneno necasset, cruce affecit: implorantique leges, & civem Romanum se testificanti, quasi solatio & honore aliquo pœnam levaturus, mutari multoque præter cæteras altiorem & dealbatam statui crucem jussit. Paulatim in desidiam segnitiemque conversus est, ne quid materiæ præberet *Neroni*, & (ut dicere solebat) *quod nemo rationem otii sui reddere cogeretur. Suetonius in Galba* §. 9. *Cornel. Tacitus in Galba* §. 9. Segnitiem in Galba sapientiam nominatam esse ait, quod minus suspecti sint Principibus desidiosi & segnes.

II. *Futuri imperii præfiguratio.*

Varia apud Historicos exstant futuri Galbæ Imperii præsagia.

1. *Augustus Imperator* puero adhuc salutanti ipsum inter æquales, apprehensa buccula, dixit:

Καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν πάθα τρώξῃ. i. e.

Et tu fili aliquando Imperium nostrum gustabis. Suetonius §. 4.

2. *Tiberius Imperator*, cum comperisset eum imperaturum, verum in senecta: Vivat sane, (ait) quando id ad nos nihil pertinet. *Suetonius ibidem.*

3. *Avo* quoque, ejus fulgur procuranti, cum exta de manibus rapuisset aquila, & in frugiferam quercum contulisset, summum, sed serum imperium portendi familiæ, responsum est. Et ille irridens, *Sane*, inquit, *cum mula pepererit*. Nihil æque postea *Galbam* tentantem res novas confirmavit, quam mulæ partus: cæterisque ut obscœnum ostentum abhorrentibus, solus pro lætissimo accepit: memor sacrificii dictique avi sui. *Suetonius ibidem.*

4. Cum *Galba Hispaniam Tarraconensem* ingressus esset, novum futuræ dignitatis signum accepit. Accidit enim, ut, cum provinciam ingressus sacrificaret intra ædem publicam; puero è ministris acerram tenenti, capillus repente toto capite canesceret. Nec defuerunt, qui interpretarentur, significari rerum mutationem, successurumque juveni senem, h. e. ipsum, *Neroni. Sueton.* §. 8.

5. Nec multo post in *Cantabriæ lacum fulmen* decidit, repertæque sunt 12 secures, haud ambiguum futuri imperii signum. *Suetonius ibidem.*

II. *Imperii occupatio.*

Cum Nero (in quo progenies Cæsarum defecit) jam pridem omnibus ob scelera & flagitia invisus esset; *Galbæ* delatum est à *Julio Vindice*, Galliæ præfecto, Imperium. *Vindex* ille tanto *Neronis* odio flagrabat, ut, cum is maximam pecuniæ summam caput illius afferenti constituisset; ipse contra non dubitaret promittere caput suum, afferenti Neronis. Idem, licet *Virginium Rufum* Germaniæ Præsidem, & à Nerone jam ad opprimendum se missum, in suas partes traduxisset; tamen manus sibi infert, cum suos milites nempe 20000. Gallos concidi ob illius errorem videret. Rumor etiam erat, milites *Virginii Rufi* tanta victoria elatos in hoc consensisse, ut vel Ducem suum Imperatorem declararent, vel eo detrectante, rursus ad Neronem deficerent. Galba igitur in extremo metu constitutus, *Virginium Rufum* per literas hortatus est, ut sibi socium se adjungeret in libertate Romanis confirmanda. Ipse cum sociis *Cluniam* Hispaniæ opidum reversus, magis pœnitentia factorum, & desiderio pristini consuetique otii, quam rebus necessariis parandis, tempus traxit.

Sed supervenientibus ab urbe nunciis, ut occisum *Neronem* cunctosque in verba sua jurasse cognovit, deposita Legati, suscepit Cæsaris appellationem. Iterque ingressus paludatus ac dependente à cervicibus pugione ante pectus; nec prius usum togæ recuperavit, quam oppressis, qui novas res moliebantur, Præfecto prætorii *Nymphidio Sabino* Romæ, in Germania *Fonteio Capitone*, in Africa *Clodio Macro* legatis. *Suetonius in Galba*, §. 11.

Ita *Galba* primæ nobilitatis & authoritatis viro, ob peritiam rei militaris, & justitiæ studium, omnibus jam claris documentis perspectum, præsertim cum magnas copias haberet, Imperium offertur, non tantum à militibus, sed etiam à Senatu: Idque factum est anno ætatis ejus 73.

III. *Im-*

III. *Imperii Administratio.*

Galba majore tum favore, tum authoritate adeptus est, quam gessit imperium. Paulatim enim degeneravit, variisque sese vitiis mancipavit. Qualia fuerunt:

1. *Nimia libertis concessa licentia.* Nam trium regebatur arbitrio, quos una & intra palatium habitantes, nec unquam non adhærentes, *pædagogos* vulgo vocabant. Hi erant: *Junius* legatus ejus in Hispania, cupiditatis immensæ: *Cornelius Laco* ex assessore præfectus prætorii, arrogantia socordiaque intolerabilis: *Libertus Icelus*, paulo ante annulis aureis & *Martiani* cognomine ornatus, ac jam summi equestris gradus candidatus. His diverso vitiorum genere grassantibus, adeo se abutendum permisit & tradidit, ut vix sibi ipsi constaret, modo acerbior parciorque, modo remissior ac negligentior, quam conveniret Principi electo atque illius ætatis. *Suetonius in Galba*, §. 14.

AXIOMA POLITICUM.

Adulatores sunt Regum & Principum pernicies; quos illi improvide velut serpentes in sinu fovent.

Exemplum illustre habemus in nostro *Galba*, qui libertis suis omnia venalia habentibus se committens atque dedens, ob gesta illorum malo consilio, irritavit in se totius Reipubl. odium & offensionem, invidiamque militum & exercitus, & tandem trucidatus est. Nam usitatum est in Regnis & Rebuspubl. errata in gubernatione ab aliis commissa, ipsis Principibus asscribere & imputare, quos opinio est, multa corrigere & mutare posse, si ipsimet negotia cognoscerent, vel suo judicio, vel admoniti. Sicut recte *Philip. Melanchthon. in Chronic. lib. 4. p. 424.* scribit: *Nam mali Consiliarii Principes suos corrumpere solent.*

Quemadmodum *primum mobile* tanta incitatione fertur, ut etiam secunda mobilia, h. e. stellas fixas & planetas secum rapiat: *Ita Consiliariorum impetus sæpe abripiunt bonos & moderatos Principes: ut aliquid durius decernant.* Hinc *Cicero in Epist. quadam ad Marcell.* inquit. Multa victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito facienda sunt. Nulla igitur aula tam felix & tam bene constituta est, in qua non accidant talia σφάλματα.

11. *Injustitia.* Populo Romano deposcente supplicium *Halotti* & *Tigellini*, solos ex omnibus *Neronis* emissariis vel maleficentissimos, incolumes præstitit, atque insuper *Halotum* procuratione amplissima ornavit: Pro *Tigellino* etiam sævitiæ populum edicto increpuit. *Sueton. in Galba*, §. 15.

111. *Avaritia.* Galba invisus militibus propter avaritiam fuit. Nam cum donativum illis à Ducibus promissum, cum in ipsius absentis verba jurarent, ratum non haberet, & subinde jactaret: *Legere se militem, non emere consuevisse*: Itaque fremere omnes, & imperium hujus dedignari. Primi obsequium rumpere ausi superioris Germaniæ exercitus, qui & Prætorianos missa legatione in partes non difficillime traxerunt, præsertim quos *M. Salvius Otto* promissis magnificis corruperat. *Suetonius* §. 16.

Quod cum nunciatum est, despectui esse non tam senectam, quam orbitatem suam ratus, *Pisonem Frugi Licinianum*, (filio namque carebat) nobilem egregiumque juvenem, ac sibi jam olim probatissimum, repente è media salutantium turba apprehendit, filiumque appellens produxit in castra, ac pro concione adoptavit. Quo faciliorem occasionem *M. Salvio Ottoni* præbuit perficiendi conata intra sextum adoptionis diem. *Suetonius* §. 17. O frigidum & imbecillum adversus imminentia pericula consilium!

CAPUT III.

DE PROGRESSV.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

Omnium Galba. *Galba* vidit per quietem *Fortunam Thusculanam* torvo aspectu, in se iratam & quærentem fraudatam se dono destinato, minantemque se quoque erepturam, quod ei dedisset. Nam *Galba* monile margaritis gemmisque confertim, ad ornandam *Fortunam* suam *Thusculanam*, ex omni gaza secreverat. Illud postea quasi augustiore dignum loco, *Veneri* Capitolinæ dedicavit. Quo facto *Galba* exterritus, luce prima ad expiandum somnium præmissis, qui rem divinam appararent, Thusculum excurrit: sed nihil invenit præter tepidam in ara favillam, atratumque juxta senem in catino vitreo thus tenentem, & in calice fictili merum. *Suetonius* §. 18. Ita animus æger prodigiis turbatus semper oberrat, veris remediis neglectis.

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Postquam *Galba Pisonem*, tristi vultu imperium acceptantem, adoptaverat, *Ottonem* imperii affectatorem magis contra se incitavit, qui furore percitus cum Prætorianis conjuravit contra *Galbam*, qui falso rumore deceptus (quasi *Otto* in castris à militibus esset cæsus) è palatio in urbem descendens à conjuratis circumdatus, nemine (*Sempronio* Centurione excepto) repugnante, impetitur in le-

ctica, & repetitis ictibus interficitur ad lacum Curtii, menſe 7. Imperii. *Plutarchus in Galba*, §. 7, 8.

Noviſſima Galbæ verba.

Sunt qui tradant, ad primum tumultum proclamaſſe illum: *Quid agitis, commilitones? Ego veſter ſum, & vos mei*: donativum etiam pollicitum. Plures autem prodiderunt, obtuliſſe ultro jugulum: Et ut hoc agerent & ferirent, quando ita videretur, hortatum. Illud mirum admodum fuerit, neque præſentium quenquam opem Imperatori ferre conatum: & omnes qui accerſerentur, ſpreviſſe nuncium, excepta Germanicorum vexillatione. Hi ob recens meritum, quod ſe ægros & invalidos magnopere foviſſet, in auxilium advolavere, ſed ſerius, itinere devio, per ignorantiam locorum retardati.

III. ΤΑ᾽ ΠΑΡΗΠΌΜΕΝΑ.

Caput *Galbæ* à gregario milite eſt amputatum. Et quoniam illud capillo præ calvitie arripere non poterat, in gremium abdidit. Mox inſerto per os pollice, ad *Ottonem* detulit. Ille lixis calonibus donavit, qui haſta ſuffixum non ſine ludibrio circum caſtra portarunt, acclamantes identidem: Galba, cupide fruaris ætate tua! *Suetonius in Galba*, §. 20.

Galbæ Elogium.

Hunc exitum habuit *Galba*, vir neque generis nobilitate neque opum ſplendore cuiquam æqualium ſecundus, & qui, ſua ætate quinque Imperatoribus rerum potitis, omnium eorum, qui in Principatu, cum honore & gloria vixerat, & magis authoritate ſua quam potentia *Neronem* everterat: cumque ſocios ejus facinoris nemo Imperatoris titulo ſit dignatus, quanquam id ſibi ipſi arrogarent; *Galba* & vocatus eſt ad imperium, & oblatum Imperatoris titulum accepit. *Plutarchus* §. 8.

Sed major privato viſus, dum privatus fuit, & omnium conſenſu capax imperii, niſi imperaſſet, uti inquit *Cornelius Tacitus*.

Unde *Auſonius* ita de eo ſcribit:

Spem fruſtrare ſenex, privatus ſceptra mereri
Viſus es, imperio proditus inferior.
Fama tibi melior juveni: ſed juſtior ordo eſt,
Complacuiſſe dehinc, diſplicuiſſe prius.

VIII. IMPERATOR ROM.
M. SALVIUS OTTO.

CAPUT I.
DE ORTV.

I. MAJORES Ottonis fuerunt orti oppido Ferentino, familia vetere & honorata, atque ex Principibus Hetruriæ.

II. AVUS fuit *M. Sylvius Otto*, qui Senator eſt factus, nec prætoriæ gradum exceſſit.

III. PATER *L. Otto*, materno genere præclaro, multarum & magnarum propinquitatum, tam carus, tam ſimilis *Tiberio* Principi facie fuit, ut plerique ex eo procreatum crederent: urbanos honores, proconſulatum Africæ, & extraordinaria imperia ſeveriſſime adminiſtravit. Eum etiam Senatus rariſſimo honore proſecutus eſt: ſtatua ei in palatio poſita, poſtquam Equitis Romani fraudem detexerat, quem, prodentibus ſervis, necem *Claudio* parare compererat; & *Claudius* allectum inter patritios collaudans ampliſſimis verbis, hæc quoque adjecit; Vir, quo meliores liberos habere ne opto quidem.

IV. MATER fuit *Albia Terentia*, ſplendidiſſima femina, è qua natus eſt anno à Chriſto nato 34, 4 Calend. Maji. *Suetonius in Ottone.*

AXIOMA.

Atrium plenum fumoſis imaginibus, nobilem non facit.

Nemo enim vixit in noſtram gloriam; nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt: Animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione licet ſurgere ſupra fortunam. Exemplum habemus in Ottone.

II. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΊΑ.

Otto fuiſſe traditur modicæ ſtaturæ, & male pedatus, ſcauruſque. Munditiarum vero pene muliebrium: vulſo corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adoptato & annexo, ut nemo dignoſceret. Quin & faciem quotidie raſitare, ac pane madido linire conſuetum, idque inſtituiſſe à prima lanugine, ne barbatus unquam eſſet. *Suetonius* §. 12.

CAPUT II.
DE PROGRESSV.

1. *Acta ante Imperium.*

A prima adoleſcentia prodigus & procax fuit, adeo ut ſæpe flagris objurgaretur à patre. Ferebatur &

tur & vagari noctibus solitus, atque invalidum quemque obviorum vel potulentum corripere, ac distento sago impositum in sublime jactare. *Sueton.* §. 2. Summum inter amicos *Neronis* locum obtinuit, omniumque consiliorum & secretorum particeps fuit; idque ob congruentiam & morum similitudinem. Etiam in *Poppæa Sabina* rivalis fuit, quam *Otto* à marito abductam, nuptiarum spe ad se receperat, quamque Nero postea ad se rapuit, Quo facto, prætextu legationis, missus est à *Nerone* in Lusitaniam. Unde hoc distichon factum:

Cur Otho mentitus sit, quæritis? exul honore,
Uxoris mœchus cœperat esse suæ.

Provinciam autem istam administravit Quæstorius per 10 annos, moderatione atque abstinentia singulari. *Suetonius* §. 3.

II. *Imperii occupatio.*

Magna imperii cupiditate flagrabat. Nam spem futuri imperii conceperat ex prædictione *Seleuci Mathematici*, qui brevi eum regnaturum promiserat. Quare nullo officii aut ambitionis in quenquam genere omisso, militum animos affabilitate & beneficiis ita sibi devinciebat, ut palam omnes prædicarent, ipsum solum successione imperii dignum. *Suetonius* §. 4.

Speraverat autem fore ut adoptaretur à *Galba*, idque indies exspectabat: sed postquam, *Pisone* prælato, spe decidit, ad vim conversus est, instigante super animi dolorem etiam magnitudine æris alieni. Neque enim dissimulabat, nisi Principem se stare non posse, nihilque referre, ab hoste in acie, an foro sub creditoribus caderet. Quare corruptis pecunia militibus, *Galbæ* ob avaritiam infensis, in castra latus, nihil magis pro concione testatus est, quam id demum se habiturum, quod illi sibi reliquissent. Quare Galbam simulato amicitiæ officio salutatum venit, eumque ex improviso cum *Pisone*, quem adoptaverat Galba, nefarie trucidavit. *Suetonius* §. 6, 7.

AXIOMA.

Φιλαρχία semper fuit causa magnorum scelerum.

Quia nihil familiarius est ambitiosis ingeniis, quam de dignitate & imperio certare, quibusvis artibus & machinationibus.

EXEMPLA.

1. *Eteocles* fratrem suum Polynicen ad societatem regni admittere nolebat; ideoque eum interficiebat. *Euripides* in Phœnissis hunc ejus versum, quem semper in ore habebat, recitat:

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυράννιδος περὶ
Κάλλιστον ἀδικεῖν, τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Si jus violandum est, regnandi causa violandum est; aliis rebus pietatem colas. Quem versum etiam *Julius C.* frequenter in ore habuit: testibus *Suetonio* & *Cicerone lib.* 3. *Offic.*

II. Ita quoque *Galbam Otto* imperii cupiditate accensus, vita privavit, verum non impune tulit. Nam conscientiæ stimulis, quasi furiorum tædis ardentibus graviter exagitatus est, etiam portentis non obscuris territus, adeo ut pœniteret eum, scelere fraudeque trucidato *Galba*, viam sibi ad imperium aperuisse. *Suetonius* §. 7.

III. *Imperii administratio.*

I. ACTA TOGATA.

Otto in Senatu multa benigne populariterque locutus, Consulatus sibi destinati partem *Virginio Rufo* assignavit: honores eorum, quos Consules *Nero* & *Galba* designaverant, ratos habuit: Sacerdotiis eos, qui ætate aut gloria reliquis anteirent, ornavit. Quos sub *Nerone* in exilium pro *Galba* restituerat, iis omnia bona, quæcunque non divendita reperisset, reddidit. Quo factum est, ut civium primi & præstantissimi (qui prius eum exhorruerant, non hominem rati, sed pœnam quandam, aut impurum genium Reipubl. incidisse) in meliorem tum spem venerint, imperio lætum quasi vultum quendam ostendente. Interim Romanos universos nihil tanta affecit lætitia, quam sumtum de *Tigellino* supplicium. Nam vulgo indigne ferebant, eum solis adhuc aspectu frui, propter quem tot tantique viri, ejus conspectu essent privati. *Plutarch. in Othon.* §. 1.

II. ACTA BELLICA.

Sub idem tempus cum *Otto* à Manibus *Galbæ* turbatus esset: exercitus Germanici in verba Vitellii jurarunt. Quem sibi jungere aut placare studuit. Sed frustra. Ideoque milites suos adversus *Vitellium* duxit pugnam sitientes. Sic ergo bellum civile molitus, & quatuor præliis cum eo conflixit, & tribus quidem, sed mediocribus præliis ad *Alpes* & circa *Placentiam*, & ad ædem *Castoris* per Duces suos vicit, cum ipse quidem pugnæ non adesset. Novissimo autem maximo prælio apud *Bebriacum*, vicinum Cremonæ oppidulum, fraude superati sunt Duces ejus, cum spe colloquii facta, quasi ad conditiones pacis militibus eductis, ex improviso dimicaretur.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

Circa quem tria ſunt notanda. 1. Τὰ προηγούμενα. 2. Τὰ πραχθέντα. 3. Τὰ παρεπόμενα.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

Circa τὰ προηγούμενα notandum eſt *conſtans Ottonis moriendi propoſitum*. Cum enim videret imperium aut ſibi deponendum, aut magna civium ſuorum ſtrage tuendum eſſe, ſponte mori ſtatuit. Itaque amicis militibuſque hortantibus, ne tam cito de belli eventu deſperaret, negavit ſe imperium vitamque ſuam tanti facere, ut in periculum tales, tamque bene meritos conjicere, aut belli civilis occaſionem ullam præbere vellet, hoc Symbolo uſus: *Unus pro multis*. Senſus eſt: Melius & honeſtius eſt, unum pro multis, quam pro uno multos mori. Præclara ſane vox & magnifica Imperatoris, qui ſalutem ſuam poſteriorem ſalute communi duxerit.

ORATIO ejus προαγώνιος.

Sufficiunt, inquit, ea quæ facta ſunt: Odi enim bellum civile, licet vincam: earumque habeo populum Romanum, licet mecum diſſentiat. Vincat Vitellius, poſtquam ita viſum eſt Diis immortalibus: Sint incolumes milites ejus, quando id mihi perplacet. Multo enim melius eſt multoque juſtius, unum pro multis, quam pro uno multos interire. Ego quidem Mutius eſſe malim, aut Decius, aut Curtius, aut Regulus; quam Marius, quam Cinna, quam Sylla: ut ne reliquos numerando perſequar. Quamobrem nolite me cogere, ut efficiar unus ex iis, quos odi: nolite etiam invidere, ſi velim facta alicujus ex iis, quos laudo, æmulari. Vos ad victorem proficiſcimini, atque illum colite. Ego me ita liberabo, ut omnes homines intelligant, eum eſſe Imperatorem à vobis delectum, qui non vos pro ſe, ſed ſe pro vobis dedit. *Dion in Othone* §. 2. Vide etiam *Cornelium Tacit. in Othone* §. 12.

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Mortis genus. Talia locutus in pugionem erectum, & utraque manu ſuffultum incubuit, ſemelque tantum ad dolorem vulneris ingemuit. Ad gemitum morientis ingreſſi liberti, ſervique, & Plotius Firmus prætorii præfectus, unum vulnus invenere. Illico tota caſtra & urbem luctus pervaſit, militeſque cum clamore & lamentatione ad fores accurrerunt, graviſſimo dolore percuſſi, ſibique ipſi maledicentes, qui non cuſtodiviſſent Imperatorem; ac pro ipſis mori prohibuiſſent. *Corn. Tacit.* §. 12.

III. ΤΑ ΠΑΡΕΠΟΜΕΝΑ.

Funeris exequia. Compoſito cadavere, & exſtructo rogo, Prætorianæ cohortes corpus extulerunt cum laudibus & lacrymis, vulnus manuſque ejus exoſculantes. Reliquiis terræ mandatis, ſepulcrum neque mole, neque inſcriptione invidioſum exſtruxerunt. Obiit A. C. 69. anno ætatis 37. menſe Imperii quarto. *Suetonius* §. 11.

Diſtichon *Auſonii* de illo tale eſt:

Fine tamen laudandus erit, qui morte decora
Hoc ſolum fecit nobile, quod periit.

Dio ſcribit §. 2. *Ottonem*, cum turpiſſime vixiſſet, mortuum eſſe honeſtiſſime; & imperio, quod nequiſſime rapuerat, optime deceſſiſſe.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

Verum hoc *Dionis*, aliorumque Ethnicorum Hiſtoricorum judicium prorſus eſt erroneum, quod mortem ejus decoram & honeſtam appellant, non intelligentes, quod ἀυτοχειρία prorſus ſit illicita & deteſtanda.

I. Quia de jure divino eſt prohibita. Pugnat namque cum ſexto Decalogi præcepto: *Non occides. Exod.* 20. Quo non tantum alios, ſed etiam nos ipſos interficere prohibemur: cum caritas incipiat à ſe ipſa; neque ullus unquam propriam ſuam carnem oderit, ſed potius foveat & conſervet eam. *Epheſ.* 5. *v.* 29.

II. Quia hoc eſt *contra naturam*, quæ conſervationem ſui ipſius appetit, & mortem, quantum quidem fieri poteſt, averſatur.

III. Quia hoc eſt contra *caritatem proximi*, quæ publicam ſocietatem non imminuere, ſed augere jubet: ſi itaque te interficias, Rempubl. cive privas. *Ariſt.* 5. *Ethic.* 4.

IV. Quia penes hominem non eſt poteſtas vitæ & necis. Sed ſicut vita noſtra non noſtra opera, ſed divinitus nobis contingit; ita quoque non nobis, ſed ſoli Deo licitum eſt pro lubitu eandem tollere: ſicuti non licet abſque inſigni contumelia & injuria in Dominum, ſervum alterius interficere. *Thomas* 2. *ſecunda, quæſt.* 64. *art.* 5. Et præclare *Hieronymus* ait: Non recipit Dominus animas, quæ invito Domino ex corporibus exierunt.

V. Hinc etiam ſaniores Ethnici ſcelus hoc deteſtati ſunt. *Ariſtoteles* 8. *Ethic.* 7. fortitudinis laudem hujuſmodi hominibus denegat: eo quod non honeſtatis ergo, ſed ex impatientia ad vitandum majus aliquod malum, mortem ſibi conſciſcant. *Pythagorei* dicebant, homines in hoc mundo, tanquam in certa quadam ſtatione, ex qua ſine Imperato-

ris

toris juſſu diſcedere non auderent, conſtitutos. *Cicero in Catone Majori.*

VI. Hinc etiam politicis legibus homines ejuſmodi honeſta ſepultura non afficiuntur, neque etiam loco conſueto, & modo, ad quem omnes exhorreſcunt: quia videlicet non naturali & conſueto modo vivere deſierunt. Quod etiam olim Athenienſes factitarunt, qui hujuſmodi cadavera ex finibus ſuis exportarunt. Accurate tamen hoc loco diſtinguendum eſt inter eos, qui voluntarie & integra mente αὐτοφονίαν perpetrant, & eos, qui mente præoccupata delirio, melancholia, mania, vel etiam corporaliter à diabolo obſeſſi, Deo permittente, manus violentas ſibi inferunt; qui ſecundum regulam judicari nequeunt, ſed judicio divino committendi ſunt. *Danæus l. 2. Ethica Chriſtiana c. 13.*

IX. IMPERATOR ROM. AULUS VITELLIUS.

CAPUT I.

DE ORTV.

I. MAjores & pater ejus viri magni atque præclari fuerunt.

I. AVUS fuit *P. Vitellius*, Eques Romanus, & Auguſti Procurator. *Suetonius in Vitellio §. 2.*

II. PATER vero *L. Vitellius*, Præfectus Syriæ fuit, & cum *Claudio* Principe duos ordinarios conſultatus, Cenſuramque geſſit. Vicarius quoque imperii fuit abſente *Claudio* expeditione Britannica, vir innocens & induſtrius, ſed amore libertinæ perinfamis, cujus etiam ſalivis melle commiſtis, nec clam quidem, aut raro, ſed quotidie ac palam arterias & fauces pro remedio fovebat. Idem miri in adulando ingenii, primus *C. Cæſarem* adorari ut Deum inſtituit. *Claudium* uxoribus libertiſque addictum, ne qua non arte demereretur, pro maximo munere à Meſſalina petiit, ut ſibi pedes præberet excalceandos: detractumque ſocculum dextrum, inter togam tunicaſque geſtavit aſſidue, nonnunquam oſculabundus. Narciſſi quoque & Pallantis imagines aureas inter lares coluit. Hujus & illa vox eſt; *Sepe facias*: cum ſeculares ludos edenti *Claudio* gratularetur. Deceſſit paralyſi altera die quam correptus eſt, duobus filiis ſuperſtitibus, quos ex *Sextilia* probatiſſima nec ignobili femina editos, Conſules vidit: Et quidem eodem ambos totoque anno, cum majori minor in ſex menſes ſucceſſiſſet. Defunctum Senatus publico funere honoravit: item ſtatua pro roſtris, cum hac inſcriptione: PIETAS *immobilis erga Principem. Suetonius in Vitellio §. 2, & 3.*

III. MATER dicta fuit *Sextilia*, probatiſſima & nobiliſſima femina. *Suetonius §. 3.*

IV. *Vitellii Nativitas.* Ex hiſce parentibus *Aulus Vitellius* Imperator natus eſt octavo Calend. Octobris, vel, ut quidam, ſeptima Id. Septembris, anno 17 à Chriſto nato. *Genitura* ejus infauſta fuit. Nam eam à Mathematicis prædictam ita parentes exhorruerunt, ut *pater* magnopere ſemper contenderet, ne ei provincia vivo ſe committeretur: & *mater* miſſum ad legiones & appellatum Imperatorem præ dolore ſtatim lamentata ſit, quoniam è ſpecula prævidebant ingens illud damnum, quod imperio Romano illaturus eſſet. *Suetonius §. 3.*

II. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ.

Erat in *Vitellio* enormis proceritas, facieſque rubicunda plerumque ex vinolentia, venter obeſus, alterum fœmur ſubdebile, impulſu olim quadrigæ, cum auriganti *Caio* miniſtratorem exhiberet. *Suetonius in Vitellio §. 17.*

CAPUT II.

DE EGRESSV.

1. Vita privata.

PUeritiam primamque adoleſcentiam *Capreis* egit inter *Tiberiana* ſcorta, & ipſe perpetuo Spintriæ cognomine notatus, exiſtimatuſque corporis gratia initium & cauſa incrementorum patri fuiſſe. Sequenti quoque ætate omnibus probris contaminatus, præcipuum in aula locum tenuit. *Caio* per aurigandi, *Claudio* per aleæ ſtudium familiaris. Sed aliquanto *Neroni* acceptior, cum propter eadem hæc, tum peculiari merito, quod præſidens certamini *Neronis* cupientem inter citharœdos contendere, nec, quamvis flagitantibus cunctis, promittere audentem, ideoque egreſſum theatro, revocaverat: quaſi perſeverantis populi legatione ſuſcepta exorandum præbuerit. *Suetonius in Vitellio §. 3, & 4.*

II. *ACTA OECONOMICA.*

Duas uxores habuit.

PRIOR fuit PETRONIA, Conſularis viri filia, ex qua ſuſcepit *filium Petronium*, altero oculo captum. Hunc hæredem à matre ſub conditione inſtitutum, ſi de patris poteſtate exiſſet, manu emiſit, brevique (ut creditum eſt) interemit, inſimulatum inſuper parricidii, & quaſi paratum ad ſcelus venenum ex conſcientia hauſiſſet.

POSTERIOR uxor fuit GALERIA FUNDANA, prætorio patre nata. De hac quoque li-

beros utriuſque ſexus tulit, ſed marem tirubantia oris prope mutum & elinguem. *Suetonius* §. 6. Hæc *Vitellium* maritum ſuum ridere ſolebat, quod raro ornatu regali inveniretur. *Dio in Vitellio* §. 1.

III. *ACTA POLITICA.*

I. Dignitas & Officia.

Trium Principum, nempe *C. Caligulæ, Claudii & Neronis* indulgentia, non ſolum honoribus, verum & Sacerdotiis ampliſſimis auctus, proconſulatum Africæ, poſt hæc curam quoque operum publicorum adminiſtravit, & voluntate diſpari & exiſtimatione. In provincia ſingularem innocentiam præſtitit biennio continuato cum ſuccedenti fratri legatus ſubſtitutus eſſet. At in urbano officio dona atque ornamenta templorum ſurripuiſſe & commutaſſe quædam ferebatur: proque auro & argento ſtannum & orichalcum ſuppoſuiſſe. *Sueton.* §. 5.

A. *Galba* in inferiorem Germaniam contra omnium opinionem miſſus eſt, contemtu magis, quam gratia electus. Nam *Galba* nullos minus metuendos putabat, quàm qui de ſolo victu cogitarent, cùm largitas epularum minime cum ſapientia copuletur. Exituro viaticum defuit, tanta egeſtate rei familiaris, ut ex aure matris detractum unionem pignori dederit, ad itineris impenſas, & ut domum ſuam elocaret, uxore ac liberis in meritorium tabernaculum abditis: etiam vix abire permiſſus eſt *Suetonius* §. 7.

In caſtra ingreſſum exercitus, male erga *Galbam Imp.* animatus, pronuſque ad res novas, lubens lætuſque excepit, præſertim cum ſupra modum comem atque humanum erga omnes ſe præberet, & nihil cuiquam poſcenti negaret, atque etiam ultro ignominioſis notas, reis ſordes, damnatiſque ſupplicia, demeret. *Suetonius* §. 8.

AXIOMA.

Inopia obedientiores & manſuetiores redditum iri, ac quantumlibet gravia onera æquius facilinſque laturos, ſperandum non eſt.

Hoc ſentiebat *Galba*, cum relatum eſſet, *Vitellium* moliri res novas; diceretque nullos minus metuendos, quam qui de ſolo victu cogitarent. Itaque *Vitellium* gulæ & ventri deditum in ſumma rei familiaris egeſtate, nulli quicquam in ſe metuendum relinquere. Sed falſum id eſſe, ſuo tandem periculo expertus eſt, & docuit, hominem in rerum anguſtias redactum, nullum non lapidem movere, ut animo & accenſis longa egeſtate cupiditatibus ſatisfaciat. Quare probandum eſt Lycurgi judicium, qui pauperem & ſine laribus, longe magis in Republ. timendum eſſe dicebat, quam divitem & inſolentem. Et *Silius* Poëta ait:

Eſt deforme malum, & ſceleri proclivis egeſtas.

Similiter *Anti-Machiavellus l. 3. p. 806.* prudenter ſtatuit, quando inquit: Principi utilius eſt ad firmandas ſtatus ſui opes, ſubditos divites, quam inopes habere. Paupertas enim ad res novas moliendas impellit. *Exemplum* non tantum in *Vitellio*, ſed etiam in *Ottone* VIII. Imp. habemus, quem inopia ad imperium rapiendum inſtigavit. Neque enim diſſimulabat (inquit *Suetonius*) niſi Principem ſe ſtare non poſſe, nihilque referre, ab hoſte in acie, an in foro ſub creditoribus caderet.

II. Imperium.

I. *Imperii occupatio.*

Cum autem *Vitellius* exercitum, erga *Galbam Imp.* male affectum, largitionibus, comitate, ac nimia familiaritate ad ſuas partes pertraxiſſet: ecce menſe vixdum exacto, ſubito à militibus, cum cibi vinique plenus eſſet, è cubiculo raptus, ita ut erat in veſte domeſtica, Imperator eſt conſalutatus, perque celeberrimos vicos circumlatus, ſtrictum *Divi Julii* gladium tenens, detractum delubro Martis, atque in prima gratulatione porrectum ſibi à quodam. Non autem in prætorium rediit, quam flagrante triclinio ex camini incendio. Tunc quidem conſternatis, & quaſi omine adverſo anxiis omnibus, *Bono*, inquit, *animo eſtote, nobis alluxit:* nullo alio ſermone apud milites uſus. Conſentiente deinde etiam ſuperioris Germaniæ exercitu, qui prius à *Galba* ad Senatum defecerat, cognomen *Germanici* oblatum ab univerſis cupide recepit, *Auguſti* diſtulit, *Cæſaris* in perpetuum recuſavit. *Suetonius* §. 8.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. In Ortu bonus.

Initia imperii ejus fuerunt egregia. Nam virtutes in eo commendantur ſequentes:

1. *Juſtitia*, quam ſevere adminiſtravit, & ultionem de interfectoribus *Galbæ* ſumſit. Licet enim ipſe inimicus *Galbæ* fuiſſet: iniquum tamen arbitratus eſt, non modo ejuſmodi hominibus præmia dare; ſed ne perpeti quidem, ut viverent, cum Principem ſuum pretio conducti occidiſſent. Centum enim atque viginti, quorum libellos *Ottoni* datos invenerat, expoſcentium præmia ob editam in cæde *Galbæ* operam, conquiri & ſupplicio affici impe-

imperavit. Quo ipſo ſummi Principis ſpem oſtendit. *Suetonius* §. 10.

II. *Modeſtia.* Nam ſæpe mentionem faciebat veterum ſodalium, eoſque habebat in honore. Neque enim turpe aut ſe indignum putabat, ſi aliquem ex iis agnoſcere videretur, quod plerique faciunt, elati maximis & inſperatis honoribus; qui oderunt eos, à quibus ſe intelligunt humiles & abjectos ante cognitos fuiſſe. *Dion in Vitellio* §. 1.

AXIOMA.

Summa levitatis atque ingenii etiam puſilli eſt, pro ſecundo rerum ſucceſſu ſe ipſum extollere, quaſi fortunam in conſilio habuerit, certuſque ſit, eam nunquam in poſterum adverſam fore. Franc. Patrit. lib. 4. de Reg. Tit. 18. pag. 286.

Exemplum habemus in *Thoma Volſæo*, Regis Angliæ Sacellano. Hic lanii fuit filius, ingenio, prudentia, doctrina, & in rebus agendis induſtria excellens, ſummum gratiæ & authoritatis locum apud Regem jamdudum adeptus, Cardinalis & Epiſcopus Eboracenſis, & cedente ei *Guilielmo Warano*, Cancellarius regni à Rege creatus, A. C. 1515. Has excellentis ingenii & fortunæ dotes, inſolentia & ſuperbia fœda inquinabat. Itaque vetus quidam ipſius familiaris & condiſcipulus, renovare cum eo veterem amicitiam, eaque frui cupiens, cum ſuperbe ab ipſo, negante unquam ſibi eum notum fuiſſe, rejiceretur: diſcedens, *Miſeret me*, inquit, *iſtius Cardinalis*; qui nec ſe ipſum, nec veteres amicos amplius novit. *Chytræus in Chron. Saxon. l. 7. p. 213.* At non ita ſeſe geſſit *Vitellius*: uti ex dictis patet.

II. In progreſſu factus eſt malus, atque ad ingenium rediit.

CATALOGUS VITIORUM EJUS.

I. VANITAS: quam oſtendit in itinere verſus Romam. Namque itinere inchoato per medias Civitates ritu triumphantium vectus eſt, perque flumina delicatiſſimis navigiis, & variarum coronarum genere redimitis: inter profuſiſſimos opſoniorum apparatus, nulla familiæ aut militis diſciplina habita, rapinas & petulantiam omnium in jocum vertens. *Suetonius* §. 10.

II. CRUDELITAS. Nam *Ottone* mortuo, cum campos adiiſſet, in quibus pugnatum erat, abhorrentibus quibuſdam cadaverum tabem, hanc deteſtabilem emiſit vocem: *Optime olere occiſum hoſtem, ſed melius civem.* Nec eo ſecius ad lenienda odoris gravitatem plurimum meri propalam hauſit, paſſimque diviſit pari vanitate atque inſolentia. *Suetonius* §. 10.

Exempla crudelitatis alia.

Imperii magnam partem, nonniſi conſilio & arbitrio viliſſimi cujuſque hiſtrionum & aurigarum adminiſtravit, pronus ad cujuſque & quacunque de cauſa necem & ſupplicium.

I. *Nobiles* viros, condiſcipulos & æquales ſuos vario genere fraudis occidit, etiam unum, venenum manu ſua porrecta, in aquæ frigidæ potione, quam is affectus febre popoſcerat.

II. *Fœneratorum* aut publicanorum nulli, qui olim debitum ab illo, aut portorium in via flagitaſſent, pepercit.

III. *Ex hiſce quendam* in ipſa ſalutatione ſupplicio traditum, ſtatimque revocatum, cunctis clementiam laudantibus, coram interfici juſſit, dira & abominanda hæc verba addens: *Velle ſe paſcere oculos.*

IV. *Alterius pœnæ* duos filios adjecit, deprecari pro patre conatos.

V. *Equitem Romanum* proclamantem, cum raperetur ad pœnam: *Hæres meus es!* exhibere Teſtamenti tabulas coëgit. Utque legit, cohæredem ſibi libertum ejus adſcriptum, jugulari cum liberto imperavit.

VI. *Mathematicos* urbe expulit, infenſus iis, quod eum infeliciſſimis auſpiciis in lucem editum eſſe dixerant.

VII. *Sabinum* Veſpaſiani fratrem & reliquos *Flavianos* vi ſubita in Capitolium compulit, ſuccenſoque templo Jovis combuſſit.

VIII. Suſpectus quoque de morte matris fuit, quaſi ægræ cibum præberi prohibuiſſet, vaticinante *Catta* muliere, cui velut oraculo acquieſcebat, ita demum firmiter ac diutiſſime imperaturum, ſi ſuperſtes matri exſtitiſſet. Alii tradunt, ipſam tædio præſentium, & imminentium metu, venenum à filio impetraſſe, haud ſane difficulter.

Ex quibus crudelitatum exemplis cuivis patet, *Vitellium* non hominem, ſed monſtrum hominis fuiſſe. *Suetonius* §. 14, & 15.

III. ΕΠΙΧΑΙΡΕΚΑΚΙΑ.

Lapidem memoriæ *Ottonis* inſcriptum intuens; Dignum eo Mauſoléo, ait: pugionemque, quo is ſe occiderat, in Agrippenſem coloniam miſit *Martis* dedicandum. *Suetonius* §. 10.

IV. Pro-

IV. Prodigalitas, Luxuria & Crapula.

Vitellius valde prodigus fuit, & luxuriæ crapulæque deditus. *Dion in Vitellio* §. 1. de eo ſcribit: Fuit tempus Principatus *Vitellii* nihil aliud, quam *Ebrietas* & *Comeſſationes*. Cujus luxuriæ multa edidit exempla. Nam Epulas (uti *Suetonius* §. 12. narrat) trifariam ſemper diſpertiebat, in jentacula, prandia & cœnas, comeſſationeſque, facile omnibus ſufficiens vomitandi conſuetudine. Eodem quoque die aliud alii indicebat, nec cuiquam minus ſinguli apparatus quadringenis millibus nummûm conſtiterunt. Famoſiſſima ſuper cæteros fuit cœna ei data adventitia à fratre, in qua duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem millia avium appoſita traduntur. Hanc quoque ſuperavit ipſe dedicatione *Patinæ*, quam ob immenſam magnitudinem ἀσπίδα πολιάχου, h. e. *clypeum Minervæ* dictitabat. In hac ſcarorum jecinora, phaſianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, & muræna rum lactes commiſcuit. Hoſce cibos & eſculenta delicatiſſima à Caparthio uſque, fretoque Hiſpaniæ per navarchos ac triremes apportari curavit, adeo ut dictum de eo ſit: Si diutius vixiſſet, luxuriæ ſumtibus, & pretio menſarum, Romani Imperii opes eum abliguriturum fuiſſe.

Hæc autem monſtroſa *Vitellii* patina, non Minervæ clypeus, ſed gulæ infamia, barathrumque ciborum jure merito vocanda fuiſſet.

III. EGRESSVS.

Verum tandem *Vitellius* ſcelerum ſuorum graviſſimas dedit pœnas. Nam octavo Imperii menſe deſciverunt ab eo exercitus *Mœſiarum* atque *Pannoniæ*, ac pars in abſentis, pars in præſentis *Veſpaſiani* verba jurarunt. A quibus è latebris extractus, & religatis poſt terga manibus, injecto cervicibus laqueo, veſte diſciſſa, ſeminudus in forum pertractus eſt, inter magna rerum verborumque ludibria, per totum viæ ſacræ ſpatium reducta coma à capite, ceu noxii ſolent, atque etiam mento mucrone gladii ſubjecto, ut viſendam præberet faciem, neve ſubmitteret, quibuſdam ſtercore & cœno inceſſentibus, aliis incendiarium & patinarium vociferantibus. Tandem apud Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificatus atque confectus, & poſtea unco tractus eſt in Tiberim. Periit cum fratre & filio, anno ætatis 57, menſe 8. Imperii *Suetonius* §. 15, 16, 17.

X. IMPERATOR ROM. FLAVIUS VESPASIANUS.

CAPUT I.

DE ORTV.

FLAVIUS VESPASIANUS natus eſt ex familia Flavia, à flavedine capillorum ſic dicta, quæ tres continuos Romano Imperio Imperatores dedit, videlicet Flavium Veſpaſianum, Titum Veſpaſianum, & Domitianum.

PATER *Flavii Veſpaſiani* fuit *Sabinus Flavius*, qui in Aſia Publicanus fuit, cuique ſtatuæ à civitatibus ſunt poſitæ, ſub hoc titulo: Καλῶς πλωτίσαντι, h. e. *Probo Publicano*.

MATER ejus fuit *Veſpaſiana Polla*, filia Veſpaſii Pollionis, cujus complura monumenta extiterunt eo in loco, qui ad ſextum milliare à Nurſia Spoletum euntibus, in monte ſummo appellatur Veſpaſiæ; unde indicium ſumi poteſt familiæ ipſius ſplendoris ac vetuſtatis. *Suetonius in Veſpaſiano* §. 2.

AVIA ejus PATERNA, fuit TERTULLA; à qua educatus eſt in prædiis Coſanis. *Suetonius* §. 2.

VESPASIANUS natus eſt in *Samnio* ultra Reatem vico modico die 17. Novembris, quinquennio antequam Auguſtus Imp. moreretur, anno poſt Chriſtum natum nono.

OBSERVATIO.

VESPASIANUS habuit Capricornum in horoſcopo aſcendentem; uti etiam *Auguſtus* & *Carolus* V. Imperatores: De quo Axioma hoc notandum eſt:

OMNIS HABENS CAPRICORNUM IN HOROSCOPO ASCENDENTEM, FACIT MUTATIONEM IN IMPERIO ROMANO. Dicitur enim, hoc eſſe fatale ſignum in mutationibus Imperiorum: *Philippus Melanchthon in locis Manlii pag.* 416. Ita etiam Deus per hunc *Flavium Veſpaſianum* formam Imperii, quod Tyrannide trium Principum (ut loquitur Egnatius) incertum diu & ruinoſum erat, reſtituit & formavit.

NOTA.

Horoſcopus, Græce ὡροσκόπος, ὁ ἀπὸ τοῦ σκοπεῖν τὰς ὥρας h. e. à perſpectandis horis; ſignificat 1. Eam cœli partem, qua hora quælibet ab inferiori Hemiſphærio ſurgit ab Oriente: Aſtrologi noſtri temporis appellant aſcendens. Vide *Auguſt. l. 5. de civitate Dei.* 2. *Horoſcopus* ſignificat illud temporis momentum, quo quiſque naſcitur, quaſi horæ inſpectionem & notationem. *Perſius Satyr.* 6 Geminos

ubinos Horoscope *Vare* Producis genios. 3. *Horoscopus* est etiam Adjectivum, ut: Instrumentum & vasa horoscopa dicuntur, in quibus horæ dignoscuntur. *Plin. l. 2. c. 71.*

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. Προσωπογραφία & *Acta ejus Iuvenilia.*

FLavius *Vespasianus* statura fuit quadrata, compactis firmisque membris; vultu autem ingrato. Unde, cum quendam scurram, multa in alios effundentem dicteria, provocasset, ut & in se aliquid diceret: Dicam; inquit ille: CUM VENTREM EXONERARE DESIERIS: alludens ad formam Cæsaris, qui faciem habebat cacaturientis. Valetudine prosperrima usus est: quamvis ad ruendam eam nihil amplius quam fauces cæteraque membra sibimet ad numerum in sphæristerio defricaret, inediamque unius diei per singulos menses interponeret. *Suetonius* §. 20.

II. *ACTA OECONOMICA.*

UXOR ejus fuit FLAVIA DOMICILLA, Statilii Capellæ equitis Romani filia. *Suetonius* §. 3.

LIBEROS ex hac tres tulit, duos masculos; nempe *Titum Vespasianum*, & *Domitianum*; & unam femellam, nomine *Domitillam*. Uxori ac filiæ superstes fuit, & utramque, adhuc privatus, amisit. Post uxoris excessum, *Cænidem* Antoniæ libertam, & quondam sibi dilectam in contubernium revocavit, eamque habuit etiam Imperator pene justæ uxoris loco. *Suetonius* §. 3. Hæc femina singulari fide & excellenti memoria fuit prædita: Cum enim *Antonia* hera ejus, *Claudii mater*, ad Tiberium per eam nonnihil de Sejano scripserat, atque jusserat, ut illud, ne quis forte deprehenderet, statim deleretur; *Frustra*, inquit, *Domina*, *jussisti*: Hæc enim atque cætera omnia, quæ mihi imperas, ita semper in memoria habeo, ut ex ea deleri non possint. Ideo etiam *Vespasianus* ejus consuetudine valde delectabatur. *Dion. Nicæus in Vespas.* §. 4.

VITA DOMESTICA.

In *Flavii Vespasiani* vita domestica multæ, eæque præclaræ, virtutes fulserunt.

I. Sobrietas.

Vespasianus sobrie & frugaliter vixit; Unde Autor & Magister sobrietatis appellatus est.

II. Urbanitas.

Super cœnam & alias valde comis erat, facetiis etiam & jocis subinde ludens.

1. *Jocus cum Tito filio.* Cum *Titus* filius cum reprehenderet ob avaritiam, quod etiam urinæ vectigal aliarumque sordidarum rerum commentus esset; *Vespasianus* aureos ex eo vectigali acceptos ad nares ejus admovit, sciscitans: *Num odore offenderetur?* & illo negante; Atqui, *inquit*, ex lotio est. *Dion. Nicæus* §. 5.

2. *Jocus cum ministro aulico. Vespasianus* quendam è caris ministris, dispensationem cuidam fratri petentem, diu distulit; tandem ipsum candidatum ad se vocavit, exactaque pecunia, quantum is cum suffragatore suo pepigerat, sine mora ordinavit. Interpellanti mox ministro: ALIUM TIBI (inquit) QUÆRE FRATREM; HIC QUEM TUUM PUTAS, MEUS EST.

3. *Jocus in malum & procera statura hominem. Vespasianus* utebatur etiam versibus Græcis tempestive satis. Nam de quodam proceræ staturæ, improbiusque nato homine, hunc versum Græcum usurpabat:

Μακρὰ βιβὰς κραδάων ἐλιχρήνιον ἔγχος.

H. e. Longis passibus gradiens, vibrans longam ex se jaculantem hastam.

4. *Jocus in Cerylum libertum.* De hoc liberto, qui, dives admodum, ob subterfugiendum quandoque jus *Fisci*, *Ingenuum* se & *Lacheten*, mutato nomine, cœperat efferre, utebatur hoc versu Græco:

Ὦ Λάχης, Λάχης, ὅπου ἀπόθανες,
Αὖθις ἐξ ὑπαρχῆς ἱερὸς Κήρυλος.

H. e. O Laches, Lacher, ubi mortuus fueris, rursum de novo diceris *Cerylus*. *Suetonius in Vespasiano* §. 23.

III. Moderatio in Vestitu.

In vestitu habituque valde moderatus, fuit, ita ut à gregario milite haud facile dignosci posset. *Cuspinianus.*

IV. Patientia.

Patienter & modeste tulit libertatem.

1. AMICORUM. Exemplum valde memorabile habemus in *Helvidio Prisco*, cujus dicendi παῤῥησίαν merito miramur. Hic cum ad eum *Imperator Vespasianus* dixisset, ne Senatum amplius veniret, *Penes te*, respondit, *est, ne me Senatorem patiaris; quamdiu autem me loco non moves, est in Curiam mihi veniendum.* Age, at ingressus taceto, ait Imperat. *Ne me roga, & tacebo.* At est

mihi rogandum. *Et mihi dicendum, quod putavero rectum.* Verum si dixeris, occidam te. *Quando ego dixi, me immortalem esse? Tu tuum facies; ego meum. Tuum est, occidere; meum, mori non trementem.*

2. *Inimicorum.* Nam *Demetrium Cynicum* in itinere obvium sibi, & neque assurgere neque salutare se dignantem, hisce verbis leviter castigavit; *Tu quidem*, inquit, *nihil prætermittis, ut ego te interfici jubeam; ego tamen* CANEM LATRANTEM NON OCCIDO.

Similiter patienter ferebat amicorum motus; contumeliis eorum, ut erat facetissimus, dictis jocularibus respondens. Namque *Licinium Mucianum*, quo adjutore ad imperium pervenerat, fiducia meritorum insolentem, lepide flectebat, adhibito aliquo utrique familiari, id unum dicens: NOSTI, ME VIRUM ESSE. *Sext. Aurelius Victor.*

V. Justitia.

Non modo ipse ab injuria abstinuit, sed etiam filios suos ab injuria severe prohibuit. Apud *Philostratum* enim *Apollonius* ad *Vespasianum* ita inquit: Παῖδές εἰσι, Βασιλεῦ, δύο, καὶ γενναῖοι, ὥς φασιν. Ἄρχε τούτων μάλιστα. τὰ γὰρ ἐκείνοις ἁμαρτηθέντα σὲ δήπου διαβάλλει. h. e. filii duo tibi sunt, ô Rex, (Titus & Domitianus,) & hi quidem, uti aiunt, generosi; Quare ipsis potissimum impera. Nam si illi forte aliquid deliquerint, id tuæ culpæ imputabitur, & intempestivæ indulgentiæ. Vide *Philostr. lib. 5. c. 14.*

VI. Modestia.

Vespasianus ea erat modestia, ut omnes, non ut Imperator, sed ut privatus, memor veteris fortunæ; exciperet: sicut *Dion Nicæus in vita Vespasiani* §. 3. scribit.

AXIOMA.

Magnates hinc discant, *ne ad summos eminentiæ & potentiæ gradus evecti, veteris fortunæ suæ memoria apud eos aboleatur.*

Exempla Biblica.

1. *Josephus Patriarcha* in summo opulentiæ, eminentiæ atque potentiæ gradu constitutus: tamen pristini sui status atque miseriæ semper memor fuit. Nam ut miseriæ suæ semper recordaretur, filio suo *Manassis* nomen, ab oblivione imposuit, eumque MANASSEN vocavit, quasi oblivionis filium. Quia, inquit, DEUS fecit me oblivisci omnis laboris mei. Alterum vero filium vocavit EPHRAIM, ab augmentatione vel multiplicatione. Quia, inquit, DEUS fecit crescere me, in terra afflictionis meæ. Vide *Gen. 41. v. 51, 52.*

Similia exempla humilitatis habemus in *Jacobo Patriarcha. Gen. 32. 10.*

In *Rege Davide. 2 Sam. 7. 18.*

Et in *Maria Virgine. Luc. 1. 48.*

Exempla profana.

1. *De Agathocle Rege Siciliæ.* Hic figuli erat filius, & ad gubernacula regni evectus est; verum originis suæ memor, pateras aureas & luteas simul mensæ imponi jubebat.

Et miscebat opes pauperiemque simul.

De quo venustissimum Ausonii epigramma notandum est:

Fama est, fictilibus cœnasse Agathoclea *Regem,*
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.
Quæsitus causam, respondit; Rex ego qui sum,
Sicaniæ figulo sum genitore satus.

MORALE.

Fortunam reverenter habe, quicunque repente
Dives ab exili progrediere loco.

II. Habemus in *Willigiso Ottonis Tertii* Imperatoris *Præceptore.* Hic Ordinis septemviralis author instituendi fuit, A. Christi 997. Et ipse primus fuisse perhibetur in *Diœcesi Moguntina* septemvir. Verum ut suæ conditionis (quia natus erat patre rhedario ex pago Saxoniæ Schöningen) memor esset, ROTAM, multis in locis depictam, sibi velut imaginem *Humilitatis* atque *Modestiæ* probandæ proposuit, cum hac inscriptione: *Willigise, Willigise, recole, unde veneris; & prioris fortunæ tuæ memor, quis nunc sis, considera.* Unde etiamnum Archiepiscopatus Moguntinensis insigne ROTA perduravit. *Brusch. de Episcopatibus. Dresserus parte 2. millenario 6.*

III. In Annalibus *Magdeburgicis* elegans exstat exemplum de *Ludolpho* à Kroppenstett / qui pauperis rustici filius fuit, sed ad Archiepiscopatum Magdeburgensem doctrina & virtute pervenit. Quem cum mater annis & inopia oppressa adire vellet, vitæ mox finiendæ subsidia petitura jussum est aulicis, qui pannosam *Eancin* Principis, conspectui offerri parum decorum judicabant, habitu mutato, nobilique amictu ad Archiepiscopum indutam deduci. Qui tanquam ignotam repudiavit, matremque suam esse negavit; RUSTICAM EAM FUISSE, dicens, nec unquam tali habitu usam, nec per status conditionem aut rei inopiam uti potuisse: Educta igitur, & pannis suis reddita, postea ad Episcopum rursus ingressa est; qui

qui obviam ulnis amplexus, eamque matrem salutavit, & honestissime ad extremum usque halitum secum habuit.

USUS.

Hinc discant omnes turgidi & fastuosi homines, quid se deceat, qui, ubi paululum emersere ex luto, omnes infra se despiciunt; & non familiares & amicos veteres modo, sed & caritatis affectus, atque necessitudines suas aversantur. Quos tales *Seneca* suis, & vivis coloribus depingit, cum ait: PARENTES SUOS NON AMARE, IMPIETAS EST; NON AGNOSCERE, INSANIA. Nec minus scite & pulchre *August. inquit de decem plagis. Caninum est, parentes non agnoscere, &, quem ille vereatur aut revereatur, qui parentum nomen dediscit?* Paucis verbis omnia complexus est *Nazianzenus*, cum inquit:

Ῥεῖα κεν ἀρνήσατο Θεὸν μέγαν, ὃς γενετῆρα.

Nempe DEUM *facile abjuret, quicunque parentes*
Abnegat, unde hausit vitam animamque suam.

Et hi homines recte vocantur πατρόμισοι καὶ μητρόμισοι.

VII. Humanitas post balnea.

Flavius Vespasianus post balnea cœnavit, neque ullo tempore faciliorem aut indulgentiorem fuisse, scribunt Historici; Eaque momenta domestici ad aliquid petendum magnopere captabant.

AXIOMA.

Ὁ Καιρὸς, h. e. tempus oportunum, in Principum aulis, imo in omnibus negotiis, diligenter est observandum, secundum adagium: Γνῶθι καιρόν. h. e. Nosce tempus. Cum quo congruit Catonis versiculus:

Fronte capillata est, posthac occasio *calva.* Quare, qui apud Principes aliquid impetrare volunt, illud tempus captare debent, quo remissiores, hilariores indulgentioresque solent esse. Sciant namque, plus pollere tempestivitatem hanc ad successus petitionis, quam adipem leonis, aut sanguinem basilisci, cæteraque magicæ vanitatis promissa. Contra qui parum tempestive Principes adeunt, sæpessime repulsam patiuntur. Quibus illud Ovidii ingeri potest:

Non adiit apte; non legit idonea, credo,
Tempora.

Hoc probe callens *Horatius*, quantum opportunitas valeat, ita scribit:

——— *Nisi dextro tempore*, Flacci,
Verba per attentam non ibunt Cæsaris aurem.

Idem mittens *Augusto* librum, monet portatorem, ut tempestive eum adeat, ut videlicet si validus, si lætus esset, si denique posset. Nam pulchre inquit *Demosthenes* in *oratione ad Lept.* Parvæ occasiones magnarum rerum causæ existunt.

III. *ACTA POLITICA.*

I. Acta ante Imperium.

Antequam ad Imperium venit *Vespasianus*, multas & magnas res gessit.

In adolescentia.

1. *Urbanis honoribus* ornatus. 2. Ad provinciarum administrationem missus. 3. In *Creta* Quæstorem egit. 4. In *Thracia* tribunum militum. 5. In *Germaniam* legatus à Claudio Imperatore missus. 6. Inde in *Britanniam* transiens, tricies cum hoste conflixit; Duas validissimas gentes in deditionem redegit, unde triumphalia ornamenta, & duplex sacerdotium accepit; & Consulatum. 7. *Africam* sortitus integerrime administravit, nihilo opulentior inde reversus, ut, qui prope labefactata jam fide omnia prædia fratri obligarit, ac necessario ad Mangonicos quæstus dignitatis sustinendæ causa descenderit, propter quod & *Mulio* vulgo vocabatur.

Imperii occupatio.

Cum Judæi (permoti oraculo veteri; *In fatis esse, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur*) rebellarent, hoc oraculum ad se trahentes; *Vespasianus* à *Nerone* Imperatore cum exercitu ampliore ad motum istum comprimendum in Judæam missus est: Quoniam industria ejus cognita erat, ipseque ob generis & nominis humilitatem metuendus esse non videbatur. Cum autem strenue officio summi Ducis functus esset, post mortem *Neronis* & *Galbæ*, *Ottone* & *Vitellio* de Imperio decertantibus, Imperator electus est à suis militibus; eamque electionem copiarum vicinarum Duces, qui in *Ægypto* & *Mysia* erant, initio statim suaserunt, & postea sua authoritate confirmaverunt.

Prodigia futuri Imperii signa.

Vespasiano, longo tempore ante, Imperium multis prodigiis somniisque significatum est, & velut præfiguratum.

1. *Bos in agro*, in quo ipse magnam vitæ partem degebat, cœnanti astitit flexis genibus, ac cervice pedibus subjecta.

II. Rursus eo prandente, CANIS triclinio manum humanam intulit, & sub mensa posuit.

III. *Arbor cupressus eximia* in agro avito sine ulla vi tempestatis evulsa radicitus, atque prostrata, postero die per se stetit ac vigere perseveravit.

IV. Cum in *Achaia* esset, somniavit, initium sibi suisque felicitatis futurum, simulac DENS *Neroni* exemptus esset; quod sequenti die evenit: Nam progressus in atrium, medicus *dentem* illi ostendit, *Neroni* recenter exemtum.

V. Huc accedit *Josephi* Historici natione Judæi prædictio: Cum enim hic ex Judæorum captivis Nobilibus in vincula conjiceretur, ridens ad *Vespasianum* ait; Nunc quidem me vincies; sed post annum me solves, cum fueris Imperator factus. Unde patet, quod *Vespasianus* ad Principatum natus fuerit. *Dion Nicæus in Vespas.* §. 1. *Sueton.* §. 5.

II. Imperii administratio.

1. ACTA TOGATA.

I. VIRTUTES EJUS.

DEUS per *Vespasianum* restituit formam Imperii, ordinem Provinciarum, distinctionem exercituum, leges & judicia, cum sub tot portentis, *Caligula*, *Claudio Nerone*, & in laniena *Othonis* & *Vitellii* magnæ confusiones in toto Romano Imperio exstitissent. Nam *Vespasianus* per totum Imperii tempus nihil habuit antiquius, quam prope afflictam nutantemque Rempubl. primo stabilire, & deinde ornare. *Multæ autem virtutes ejus in Imperii administratione fulserunt.*

I. *Amor erga Remp.: Nam publicæ salutis valde studiosus fuit; uti patet*

I. *Ex judiciorum institutione.* Nam frequenter in Senatum veniebat, cumque patribus omnia communicabat, sæpe etiam jus in foro reddebat. Quod si forte de quibusdam rebus non posset cognoscere propter senectutem, aut si quid absens scripserat ad Senatum, ea filiis, ut in Senatu legerent, plurimum jubebat.

II. *Ex legum bonarum constitutione. Vespasianus* leges & constitutiones laude dignas constituit. Nam litibus finiendis, quæ majorem in modum excreverant, sorte elegit, per quos rapto bello restituerentur, & qui judicia centumviralia extra ordinem dijudicarent.

Similiter ad libidinem atque luxuriam, quæ invaluerat, coërcendam, author fuit Senatui sanciendæ legis, ut mulier quæ alieno servo se junxisset, ancillæ haberetur. *Sabellicus lib. 3. Ennead. c. 7.*

III. *Ex disciplina militaris correctione.* Nam milites Prætorianos, qui ad insignem licentiam audaciamque processerant, plurimis exauthoratis, ad disciplinam revocavit.

AXIOMA POLITICUM.

Omnis Respubl. ex tribus monosyllabis constat, quæ sunt, Lex, Rex, Grex: De quibus Nicolai Reusneri in Ænigmatis notandum est epigramma venustissimum;

Lex Regina, Magistratus Rex, Grexque popellus;
Si bene habent, tunc & publica res bene habet.
Lex ceu Rex mutus, Rex ceu Lex viva gubernat:
Grex Legi, & Regi paret utrique volens.

II. *Magnificentia.*

Vespasianus urbem Romam multis incendiis ac ruinis deformem reædificavit & reparavit, & in vacuis areis, si possessores nollent, cuique ædificare permisit. Similiter templum in Capitolio statim ædificare cœpit, primusque ruderibus purgandis manus admovit, ac suo collo quædam extulit, jussitque cæteris illustrissimis & clarissimis viris, ut idem facerent, quo minus cætera multitudo operam suam denegare posset.

III. *Prudentia.*

Prudenter statuit, quod summa ex operibus publicis ad universos & singulos utilitas promanaret. Quia publicis operibus egestati simul ac ignaviæ, (quæ duæ sunt omnium Rerumpublicarum pestes antiquissimæ) occurritur; Inertia è civitate expellitur, tenues sublevantur, otiosi exercentur, urbesque exornantur. Ideoque non modo Capitolium, sed urbis regiones duodecim incendio *Neronis* absumtas, civibus certatim manus operi admoventibus, paucis annis restituit. Et cum architectus aliquis grandes columnas exigua impensa in Capitolium perducturum se polliceretur, præmium obtulit, operamque remisit, dicens: Sineret se plebeculam pascere. Vide *Bodin. lib. 6. de Republ. cap. 2. pag. 1049.*

IV. *Misericordia & συμπάθεια erga reos & supplicio afficiendos.*

Vespasianus insontes non punivit, sed neque cæde cujusquam unquam lætatus fuit; quinimo justis etiam suppliciis illacrymavit & ingemuit; sicut *Suetonius in ejus vita scribit* §. 15. Similiter *Bias* inter judicandum lacrymas tenere non potuit. Interrogatus

rogatus de facto, respondit; Se quidem Legi, quæ esset regula justitiæ, dare suum calculum, sed humanitati dare τὸ συμπαθές, i. e. condolentiam. Pulchra quoque vox *Antonini Veri* Imper. fuit: Inhumanum plane esse humanis casibus & calamitatibus non ingemiscere: Innuens illum ab hominum natura esse alienissimum, qui aliorum miseriis non afficitur, ac instar lapidum in adversis amici rebus stat immotus. *Capitolinus.*

V. *Heroica virtus.*

Vespasianum heroico animo præditum fuisse, inde patet, quia omnem mollitiem abominatus est. Exemplum elegans habemus de adolescente unguentum redolente. Cum enim ei adolescens quidam grátias ageret pro impetrata præfectura, illeque unguento fragraret, eum *Vespasianus* & nutu contemsit, & graviter increpuit, dicens; Mallem allium oboluisses, mox & literas concessas revocavit. *Suetonius in Vespasiano.*

VI. *Caritas erga hostes.*

Vespasianus, *Vitellii* hostis sui filiam in matrimonio splendidissimo locavit, magnificeque dotatam mundo muliebri instruxit, offensarum minime memor. *Sextus Aurelius Victor.*

VII. *Amor erga literas & literatos.*

Literas atque artes liberales, uti etiam Literatos vehementer amavit. Nam

2. *Annales accuratos confici curavit*; & tabularum æneárum 3000, quæ conflagraverant, restituendarum curam suscepit, undique investigatis exemplaribus.

11. *Scrutator naturæ studiosissimus fuit.* Hinc cum fama ad eum perveniisset, mirabilem esse maris mortui naturam, nempe quod in eo tauri & cameli fluitarent, nihil in eo mergi posset: *Vespasianus* hoc ipsum experiri volens, maleficos nonnullos, manibus post terga revinctis, injecit: Quod cum factum esset, ipsi quoque natarunt, neque ulla vi opprimi potuerunt. Vide *Histor. nostram Patriarch. in historia Lothi*, *p.* 222.

111. *Astrologiæ studium ab eo est excultum.* Nam uti narrat. *Suetonius* §. 25, convenit inter omnes tam certum eum de sua suorumque genitura semper fuisse, ut post assiduas in se conjurationes ausus sit affirmare Senatui; *Aut filios sibi successuros, aut neminem.* Confer *Eutropium in Breviar. l. 6.*

1v. *Doctis ex fisco stipendia constituit, & poëtas artifices que præmiis affecit.*

VIII. *Beneficentia.*

Valde quoque beneficus fuit. Pulchrum exemplum habemus de *Metio Pompósiano.* Vespasianus admonitus ab amicis, ut caveret sibi à *Metio Pompósiano*: quoniam de hoc rumor increbuerat, fore ut aliquando regnaret, non solum sibi non metuit ab illo, sed & Consulem fecit: Id admirantibus amicis: Erit, inquit, olim memor tanti beneficii. *Erasmus lib. 8. Apophtheg. ex Sext. Aurel. Victore.* Vafrum & humanitatis plenum fuit hoc ejus consilium; Beneficiis enim certare, pulchrum est. *Erasmus lib. 5. Apophth.* Hinc *Gregorius Nyssenus* beneficentiam, κρηπίδα & fundamentum Principatuum & Imperiorum appellat. Et in eandem sententiam pulchre & venuste ait *Synesius*, quando inquit; Beneficentia una commune hominis & DEI opus est, quo solo DEUM homo æmulatur. Imitatio autem talis copulat & conglutinat quasi hominem æmulantem, & eum, quem æmulatur, DEUM.

IX. *Magnanimitas in tolerandis injuriis & calumniis.*

EXEMPLA.

1. De *Histrione Phœbo*, quem pro meritis Vespasianus ludibrio habuit. De quo *Dion Nicæus in Vesp.* §. 4. ita scribit: Cum Phœbus ad eum venisset purgandi sui causa, in eo quod Neronis temporibus in Græcia atque in Theatro, cum videret Imperatorem contra decorum facere, mœrore ipsum affeciisset; Vespasianus iratus, jussit eum abire; deinde roganti, quo ire deberet? respondit: *In malam crucem.* Itaque *Phœbo* defendenti se in hac causa non modo nullum damnum attulit, sed nec quid aliud quam hoc ipsum respondit. *Abi in malam crucem!*

11. *De Vologæso ambitioso Rege*, quem *Vespasianus* convenienter coërcuit. Nam hunc *Vologæsum*, qui ad eum scripserat his verbis: *Rex Regum Arsazes Flavio Vespasiano salutem.* Ne reprehendit quidem, sed eiisdem verbis non adscriptis imperatoriis nominibus respondit. *Dion Nicæus ibidem.*

111. *De Sylvio.* Hic cum in defensione divitis rei oblique mordens dixisset; Quid ad Cæsarem, si Hypparchus sestertium millies possidet? notans Vespasianum velut inhiantem rei facultatibus. Cæsar non modo non offensus, verum etiam dictum approbavit, quasi simpliciter prolatum. *Suetonius.*

X. *Iuſtitia & ſeveritas erga conſpirantes & rebelles.*

Licet Veſpaſianus fuerit Imp. optimus, mitis, benignus, comes, & denique vere ſalutaris Princeps; tamen hoſtes ei non defuerunt, tum externi, tum interni. Nam Civilis Batavus, aliique Germaniæ Galliæque & *Sarmatiæ* populi, arma contra eum ſumſerunt, *Cives* etiam inſidias ei ſtruxerunt.

1. *Julius Sabinus*, qui Cæſarem olim ſe eſſe dixerat: Atque cum ad arma veniſſet, victuſque eſſet, villam, in quam perfugerat, cremavit. Illic voluntaria morte cum interiiſſe vulgo crediderunt. Verum ille in monumentum ſe cum uxore abdiderat, vitamque ibi per novem annos traduxerat; poſtea agnitus & Romam adductus eſt, cumque eo occiſa eſt uxor ejus *Peponilla*, (vel *Epponina*, uti *Tacit.* eam vocat) ex qua in monumento duos filios genuerat. Hæc Imperatori Veſpaſiano filios ſuos propoſuit, & miſericordiæ captandæ cauſa ſalutem ſibi & marito ſupplicando orans dixit: *Ego, ô Cæſar, hos in monumento peperi aluique, ut plures tibi ſupplices eſſemus.* Qua oratione etſi ipſi & qui præterea aderant, lacrymas excuſſerit, tamen veniam ſperatam impetrare non potuit. *Dion* §. 5. *Tacit.* §. 15.

2. *Alienus* & *Marcellus* contra Veſpaſianum conſpiraruut, quos ſibi fideliſſimos eſſe arbitrabatur, ſummiſque auxerat honoribus, neque tamen ab iis interficitur, propterea quod patefacta conjuratione, ALIENUS in palatio ſtatim ut ſurrexit è convivio, juſſu TITI occiſus eſt, ne quid noctu moliretur; Jam enim magnum numerum militum comparaverat. *Marcellus* autem damnatus in Senatu, guttur ſibi novacula præſcidit. Ubi hanc γνώμην addit *Dion Nicæus* §. 6. Adeo (inquit) homines ingenio præditi, nullis beneficiis vincuntur quando iſti paravere inſidias ei, à quo tot beneficia acceperant.

XI. *Bona Conſcientia.*

Veſpaſianus, quia bonus & ſalutaris Princeps exſtitit, bonitati quoque conſcientiæ ſtuduit. Unde à Senatu *pater patriæ* ob paternum, quem erga ſubditos geſſit, affectum dictus fuit. Unde etiam neminem metuit. Nam *Dion Nicæus* §. 3. Ita de eo ſcribit: Portæ regiarum interdiu ſemper apertæ, ac omni cuſtodia deſtitutæ erant. *Hæc ille.* Quare Principes hoc adagium ob oculos ſibi ponant: *Ut ameris, amabilis eſto.* Diligi enim Princeps, niſi ipſe diligat, non poteſt; inquit *Plinius in Panegyric. Trajani. Benevolentia* namque populi tutiſſimum eſt Principis munimentum. Sicut *Eberhardus Dux Wyrtenbergicus*, cum alius Princeps de vini copia, alius de vi auri argentique maxima gloriaretur, beatum ſe hoc nomine prædicabat, quod tutus in gremio cujuſvis ſubditorum ſuorum dormire poſſet. Bonus Magiſtratus civibus eſt carus: Tyrannus vero omnibus exoſus. *Nam illo in publicum procedente, tanquam ad clarum & beneficum ſidus certatim advolant ſubditi: Hoc vero conſpecto, tanquam malum aliquod ſeu noxium animal è cubili proſiliret, omnes defugiunt.*

II. VITIUM.

Veſpaſianus etſi beneficus eſſet Princeps: tamen ob avaritiam ſolam culpatur. Nam vectigalibus & tributis etiam novis & gravibus provinciales afflixit, eaque in nonnullis provinciis duplicavit; Negociationes quoque velut privato pudendas propalam exercuit, coëmendo quædam tantum, ut pluris poſtea diſtraheret. Hinc vectigal è lotio exegit. Et officiariis pro ſpongiis utebatur. Nam procuratorum rapaciſſimum quemque ad ampliora officia ex induſtria ſolitus eſt promovere, quo locupletiores mox condemnaret. Quibus quidem vulgo pro ſpongiis dicebatur uti, quod quaſi & ſiccos madefaceret, & humentes exprimeret. *Sueton. in Veſpaſian.* §. 16. *Dion Nicæus* §. 5. tale exemplum avaritiæ recenſet. Cum legati nunciarent, quod aliqui homines ſtatuiſſent ei ponere ſtatuam ad aureorum decem millia: ille juſſit ut eam continuo ponerent, & cavam manum porrigens dixit: *Vos vero mihi argentum date.* Hoc enim ejus fundamentum eſt. Vel, ut *Suetonius* refert, Ecce, μίσα καπίδατε. Significans, ut eam pecuniam, quam in ſtatuam decreviſſent impendere mortuo, vivo darent in manum. Unde ſymbolum tale uſurpavit: *Lucri bonus eſt odor ex re qualibet.*

Verum hanc pecuniarum cupiditatem quidam naturæ ejus & ingenio tribuerunt. Ut, bubulcus quidem ſenex, qui negata ſibi gratuita libertate, qua Imperium adeptum ſuppliciter orabat, hoc lepido avaritiam ejus ſcommate carpebat, exclamans: *Vulpem pilum mutare, non mores.* Alii contra eum excuſarunt, & hanc pecuniæ cupiditatem magnæ ærarii filiſque inopiæ imputarunt, de qua initio ſtatim Principatus teſtificatus ipſe fuerat, & publice profeſſus, quadringenties millies opus ſibi eſſe, ut Reſpublica ſtare poſſet. Quod & veriſimilius videtur, teſte *Suetonio* §. 16. Quoniam tam magnam copiam non ad ſuas voluptates, ſed ad publicos uſus, qui neceſſarii erant, collegit, atque ſumtus publicos in publiciis ædificiis magnificentiſſimos ſemper fecit; ſicut *Dion* inquit §. 3. Et in omne hominum genus liberaliſſimus fuit; ſicut *Suetonius* refert §. 17.

Huc

Huc referri poteſt elegans epigramma *Auſonii* in honorem Veſpaſiani concinnatum:

Quærendi attentus, moderato commodus uſu
Auget; nec reprimit Veſpaſianus *opes.*
Olim qui dubiam, privato in tempore, famam
Par aliis Princeps tranſtulit in melius.

Germanice ita reddi poteſt:

Er war begierig eynzunämen/
Doch war auch fleiſſig auszugäben/
Nach Land's vnd Leute Nutz zu ſtreben;
Ob er geringer Ankunfft war/
Vermehrt ſein Lob doch immerdar/
Kam in die höchſte Ehren-Schar.

II. ACTA SACATA.

Veſpaſianus juſſu *Neronis Imperat.* antequam ad Imperium evectus eſt, *bellum Judaicum* geſſit. Circa quod notanda ſunt tria.

1. ORTUS, h. e. quomodo *Præſes* tum *Judææ*, tum *Syriæ*, contra Judæos, & qua occaſione bellum geſſerit.

2. PROGRESSUS, h. e. quomodo *Flavius Veſpaſianus* juſſu *Neronis* bellum illud continuaverit.

3. EGRESSUS, h. e. quomodo *Titus Veſpaſianus* filius bellum illud conſummaverit.

I. ORTUS.

ORTUS hujus belli fuit *Judæorum ſeditio atque rebellio*; Quæ facta eſt anno *Neronis* 12. anno poſt C. N. 67.

Seditionis & rebellionis occaſio fuit gemina. 1. Interpretationis oraculi falſitas. Pererebuerat in toto Oriente vetus Oraculum: *In fatis eſſe, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur.* Id Judæi ad ſe trahentes, rebellarunt.

II. Huc acceſſit immanis Geſſii Flori Præſidis in Judæa (qui Albino ſucceſſit) crudelitas & rapacitas. Nam ille, cum Jeroſolymis à populo conviciis proſciſſus fuiſſet, Jeroſolymam adſcendit cum militibus, & forum rerum venalium militibus prædæ dedit. Milites, accepta hac licentia, fere totam urbem ſpoliarunt, & præterea ſexcentos trucidarunt. *Joſephus.* Poſtea item *Florus* iterum Jeroſolymam proficiſcitur, & in Judæos crudeliter graſſatur. Intercedit quidem *Berenice*, ſoror Regis Agrippæ; ſed & ipſa ludibrio habetur. Accidit hoc ipſum die 16. Maji. Inde FLORUS milites *Cæſarea* accerſit in urbem: quibus obviam procedunt Judæi. Milites irrumpentes in turbam, cædunt quoſvis: unde multi occiſi ſunt, plures tamen ab ipſis Judæis in fuga in anguſtiis viarum contriti ſunt. FLORUS interim occupat *Antoniam* arcem, & inhiat theſauris templi. Judæi ne aditus ſit in templum, porticum evertunt: atque ita provocati, initium belli faciunt. AGRIPPA Rex metuens populo Judaico *Jeroſolymam* venit, & prolixa oratione pacem ſuadet, & perſuadet quibuſdam, ſed ſeditioſi prævalent, qui templum occupant, & reliquos, qui pacem malebant, in ſuperiori urbe oppugnant. *Joſeph. l. 2. de bello Judaic. c. 15. & 16.*

Poſtea ſeditioſi Jeroſolymis die 14. Auguſti *Agrippæ Regis* palatium cremant, & inde archivo, ubi cuſtodiebantur publicæ privatæ literæ, ignem inferunt, ut omnium debitorum ratio exſtingueretur. Die 15. Auguſti Judæi *Antoniam* arcem oppugnant, & *Menahemus* cum multis abit *Maſſadam*, ubi armarium erat *Regis Agrippæ*, & arma pro ſeptuaginta millibus hominum, uti *Joſephus* ſcribit; & id caſtellum expugnat; potituſque armiſmis, ſeditioſos inſtruit, & expugnata turri tandem obſeſſos adiit, ut de pace agerent: Quod accidit die 6 Septembris Sequenti die *Cæſarienſes* Judæos ſecum habitantes, trucidant 20000 hominum: qua clade efferati Judæi, Græcis in aliis urbibus paria reddunt, & multas urbes occupant, & homines trucidant. Græci contra in tota Syria metuentes ſibi à Judæis, & ne clade aliqua afficerentur, arma capiunt, & Judæos, qui in ſuis urbibus per totam Syriam habitabant, oppugnant, atque ita in ſingulis urbibus binæ erant acies, Judæorum & Græcorum, oppoſitæ, & infinita hominum millia trucidabantur, quorum numerus iniri non potuit, quoniam inſepulti projiciebantur. *Alexandriæ* in Ægypto in hac diſſenſione 50000 hominum occiſa fuerunt, ita ut tota Provincia Syriæ plena eſſet innumerabilium calamitatum. *Joſephus de bello Judaico lib. 2. cap. 17. & 19.*

III. *Ceſtii Galli Præſidis Syriæ cum exercitu contra Judæos profectio, ejuſque repreſſio.* Hic ut bello huic Judaico obviam iret, tandem proficiſcitur, *Jeroſolymam*, aſſumtis Regum auxiliis, eoque pervenit die primo ſcenopegiorum, qui inciderat in diem 23 Octobris. Cui Judæi, contemta feſtivitate, obviam occurrunt, & in Romanum exercitum irruunt, quingentos milites occidentes. Ideo *Ceſtius* firmatis caſtris triduo quieſcit uſque ad diem 27 Octobris: quo *Rex Agrippa* binos legatos ad Judæos de pace mittit, quorum alter ſtatim occiditur, alter vulneratus effugit. Ideo *Ceſtius* propius ad urbem acceſſit, præſertim cum comperiret, multos Judæos pacem malle quam bellum, atque ita diſcordia inter eos gliſceret; & triduo diſcordiarum eventum exſpectat. Quarto autem

tem die, qui erat 30. Octobris, urbem aggreditur, qua potitus eſſet, niſi *Geſſius Florus* author belli, fraude rem impediviſſet. Cum autem ab urbe diſcederet, relinquit in caſtris 400. milites, & omnes munitiones & machinas; & noctu diſcedit. Judæi contra dum orto die vident ſe ab his 400, qui plurimos ignes fecerant noctu, ad decipiendos Judæos, captos, omnes ad unum interficiunt, & CESTIUM inſequuntur ad *Antipatridem* uſque, ad tria milliaria fere Germanica, & Judæi reverſi pœana canunt, occiſos ſpoliant, & machinas Jeroſolymam adducunt. Perierunt Romanorum circiter 6000, & *Geſſius Florus* author belli ſimul exinctus eſt. CESTIUS hæc omnia perſcribit ad *Neronem*, & culpam omnem in FLORUM derivat. Judæi contra in templo Præfecturas diſtribuunt, & Duces rerum gerendarum conſtituunt; ubi *Joſephus Hiſtoricus* utramque Galilæam regendam accipit. *Joſephus lib. 2. de bello Judaic. cap. 23. & 24.*

II. PROGRESSVS *continet Veſpaſiani in Iudæam expeditionem, & belli Iudaici continuationem.*

NERO autem Imperator certior factus de clade *Ceſtii*, *Flavium Veſpaſianum* Ducem cum ſumma poteſtate in Judæam mittit ad debellandos Judæos. Ipſe primo vere per *Helleſpontum* terra profectus in Galilæam venit, & 1. *Gadaram* urbem capit. 2. *Jotapatam* urbem munitam obſidione cingit die 21 Maji. In ea urbe *Joſephus Hiſtoricus* erat Dux, qui urbem acriter defendebat. *Veſpaſianus* vero cum exercitus jam oppugnando defeſſi eſſent, firmata obſidione, cum parte exercitus prædatum in *Galilæam* abit. 3. *Japham* urbem die 25. exſcindit. 4. Ad *Samariam* urbem undecim Judæorum millia per *Cerialem* die 27. Junii trucidat. 5. Ad obſidendam *Jotapatam* redit, eamque capit die 47. obſidionis, die 1. menſe Julii: ſimul etiam captus eſt *Joſephus* hiſtoriæ Judaicæ ſcriptor à *Veſpaſiano*, & in vincula conjectus: Sed dum *Veſpaſiano* & *Tito* prædicit, eos Imperatores futuros, retinetur in vinculis integro biennio. *Joſephus de bello Judaico lib. 2. cap. 14. & in principio libri tertii.*

Poſtea *Veſpaſianus* Galilæam exercitu peragrat, & *Tarichæas* ad lacum Genezareth capit, ubi ex captivis 6000. elegit, quos ad *Neronem* miſit in Achaiam ad Iſthmum perfodiendum. Deinde *Gamalem* urbem, quæ erat Romanæ ſocietatis, ſed rebellaverat, poſt menſem die 23. Octobris capit. Poſtea *Giſcala* evertitur, atque ita tota Galilæa expugnata eſt. *Joſephus lib. 2. de bello Judaico cap. ultim.*

OBSERVATIO.

Anno 13. Neronis, & anno poſt C. N. 68. menſe Majo primum illata eſt in Judæam *Aquila Romana*, quæ eſt ſignum in vexillis Romanorum; de qua vaticinatus eſt *Moſes Deuter. 28. v. 49.* Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in ſimilitudinem *Aquilæ volantis*, cujus linguam intelligere non poſſis, &c. Ita in terra ſancta conſpectum eſt, βδέλυγμα ἐρημώσεως, h. e. abominatio deſolationis, h. e. deſolationem futuram portendens. Hinc ad excidium urbis & templi interceſſerunt anni tres cum dimidio: de quo tempore *Daniel Propheta cap. 9. 24.* & Chriſtus *Matth. 24. v. 15.* vaticinati erant.

Subactio Judææ.

Deinde *Flavius Veſpaſianus* totam Judæam occupavit, & præſidiis Romanis munivit: nihilque reſtabat niſi urbs Jeroſolyma expugnanda, & tria caſtella, Herodium, Maſſada & Macharon. *Joſephus lib. 15. de bello Judaic. cap. 12.*

III. EGRESSVS.

Flavius Veſpaſianus ab exercitu Imperator creatus A. C. 70. Romam rediit, atque *Tito* filio ſuo belli Judaici curam commendavit, eumque Ducem generalem conſtituit, qui urbem Jeroſolymam obſidione cinxit, eamque ſolo æquavit: uti in vita *Titi Veſpaſiani* plenius dicemus.

TRIUMPHUS.

Veſpaſianus, devicta Judæa, cum filio ſuo *Tito* triumphavit. *Veſpaſianus* autem pater die triumphi defatigatur tarditate & tædio pompæ: *Merito* ſe plecti dixit, qui triumphum quaſi aut debitum majoribus ſuis, aut ſibi ſperatum unquam tam inepte ſenex concupiviſſet.

Hic pulchra Quæſtio moveri poteſt. Quare *Honos* ſcribatur cum aſpiratione; *Onus* vero ſine aſpiratione?

Ratio lepida eſt & pulchra. Quia ad *honorem* omnes aſpirant & anhelant: Ad *onus* autem nullus aſpirat. Verum perperam & inverſo ordine illi faciunt, qui hoc faciunt. Nam *virtutis* & *honoris* templa olim Romæ fuere conjuncta, ut ad hunc, niſi per illam, nullus pateret aditus. *Auguſt. de civitate Dei lib. 5. cap. 12.* Huc pertinet venuſtus verſiculus:

Si quæratur honos, *non fugiatur* onus.

Eruditus

Fructus honos oneris, *fructus* honoris onus. Cum quo congruit venuſtum Germanorum proverbium;

Groſſe Würden /
Groſſe Bürden.

Et huc quoque ſapienter reſpexerunt veteres Romani, quod *Agenorium*, qui ad agendum excitaret: & *Stimulam*, quæ ad agendum ultro ſtimularet: & *Strenuam*, quæ faceret ſtrenuum, intra urbem tanquam Deos colerent, qui ſtatuerunt omnia laboribus vendenda eſſe. *Plutarchus in Marcell.*

CAPUT III.

DE EGRESSV.

I. Τὰ προηγούμενα *fuerunt mortis Veſpaſiani.*

I. Præſagia.

1. *Cometa diu in cœlo viſus.* De quo cum in morbo Veſpaſiani familiares ejus neſcio quid inter ſe colloquerentur, hoc audiens, ille: Deſinite nugari, inquit; Non enim mihi, ſed Parthenorum Regi mortem portendit; ille enim comatus eſt, ego calvus ſum. *Dion in Veſpaſian.* §. 6. Quo reſponſo pulchre alluſit ad figuram Cometæ, qui eſt ſtella crinita.

11. *Monumentum Auguſti ſua ſponte apertum eſt.* Quod oſtentum cum alii in ſiniſtram partem de morte ejus interpretarentur; ipſe in bonam partem interpretatus eſt, dicens: Illam ad Juliam Calvinam pertinere, quod ea eſſet de gente Auguſti. *Suetonius in Auguſto* §. 23.

II. Dicta ejus ante mortem.

1. *Colloquium cum Medicis.* Cum *Veſpaſianus* præter affectam graviter valetudinem uſu aquæ frigidæ creberrimo inteſtina vitiaſſet, nec eo minus muneribus imperatoriis ex conſuetudine fungeretur, ut etiam legationes audiret cubans, & eo nomine à Medicis increpararetur, reſpondit: *Imperatorem ſtantem mori oportere. Dion.* §. 6. *Sueton.* §. 24.

11. Poſteaquam autem credidit ſe moriturum; *Ego*, inquit, *Deus efficiar. Dion.* §. 12. *Sueton.* §. 23. Morientis Principis memorabile hoc Apopthegma fuit.

II. Τὰ πραχθέντα,
hoc eſt,

MORS IPSA.

Cum *Veſpaſianus* cubans legationes audiviſſet, ventris profluvio feſſus conſurgit ac nititur, & eo ipſo inter manus ſublevantium exſtinctus eſt, in villa propria circa *Sabinos*, Octavo Calend. Julii annum gerens ætatis 69 ſuperque menſem ac diem ſeptimum. *Suetonius* §. 24. Cum regnaſſet annos decem, ſex diebus exceptis. *Dion.* §. 6. Quod tempus ei per ſomnium oblatum, fuit adumbratum. Nam ita ſcribit *Sueton.* §. 25. Dicitur vidiſſe quondam per quietem *Stateram* in media parte veſtibuli palatinæ domus poſitam examine æquo: Cum in altera lance *Claudius* & *Nero* ſtarent, in altera *ipſe* ac *filii*. Nec res fefellit, quando totidem annis, parique temporis ſpatio utrique regnaverunt.

III. Τὰ παρεπόμενα.

Encomium ejus. Sextus Aurelius Victor tale de eo fert encomium: *Flavius Veſpaſianus* bonus fuit Imperator, quem ab *Auguſti* morte poſt annos 56. Romana Reſpubl. exſanguis ſævitia Tyrannorum, quaſi fato quodam, ne penitus rueret, aſſecuta eſt.

XI. IMPERATOR ROM.

TITUS VESPASIANUS.

CAPUT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

1. PATER *Titi Veſpaſiani* fuit *Flavius Veſpaſianus*, cujus vitam modo deſcripſimus: Et hujus filius primogenitus ille fuit.

11. MATER ejus fuit *Flavia Domicilla*, Equitis Romani filia. Ex hac natus eſt; antequam pater ejus ad imperatoriam dignitatem eveheretur.

111. *Tempus nativitatis.* Natus eſt 3 Calend. Januarii, h. e. 30. Decembris, anno poſt C. N. 43.

1v. *Locus nativitatis.* Natus eſt prope *Septizonium* in ſordidis ædibus, cubiculo vero perparvo & obſcuro. *Sueton. in Tit.* §. 2. Verum TITUS obſcuris natalibus virtute multa lucem ſolis jubare ſplendidiorem intulit.

NOTA.

Metopoſcopi mirum de eo præſagium.

Tempore nativitatis ejus Metopoſcopum à Narciſſo Claudii liberto adhibitum, ut Britannicum aſpiceret, conſtantiſſime affirmaſſe, Illum quidem nullo modo, cæterum Titum qui prope aderat, utique imperaturum. *Suetonius in Tit.* §. 2.

II. *Appellatio.*

TITUS dictus eſt ab AVO: *Veſpaſianus* vero à paterno cognomine. Propter juſtitiam & beneficen-

tiam nominatus est amor & deliciæ generis humani. Quia & in pace & in bello optimus Princeps fuit.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ, *Educatio &*

I. ACTA JUVENILIA.

IN *puero* statim animi corporisque dotes exsplenduerunt magis magisque, deinceps per ætatis gradus. Forma egregia, & cui non minus authoritatis inesset, quam gratiæ: Præcipuum robur, quanquam neque procera statura, & ventre paulo projectiore: memoria singularis, docilitas ad omnes fere tum belli tum pacis artes: armorum & equitandi peritissimus, Latinæ Græcæque linguæ vel in orando vel in fingendis poëmatibus promtus & facilis, ad extemporalitatem usque: sed ne Musicæ quidem rudis, ut qui cantaret & psalleret jucunde scienterque. Solitus quoque notis velocissime excipere, cum amanuensibus suis per ludum jocumque certabat: Imitaturque chirographa quæcunque vidisset. Unde sæpe solitus est dicere: Se maximum falsarium esse potuisse. *Sueton. in Tit. §. 3.*

Educatus est cum Britannico, (Claudii filio) ac paribus disciplinis, & apud eosdem Magistros institutus: Cui etiam statuam auream postea in palatio posuit, & alteram ex ebore equestrem, quæ *Circensi* pompa præferri solebat, dedicavit. *Suetonius §. 2.*

III. *Vitia juventutis.*

TITUS, antequam ad imperium pervenit, variis vitiis inquinatus fuit. Nam invidiam sibi ingensque odium contraxit, antequam ad imperium pervenit, cum suspectissimum quemque, submissis, qui per theatra ac castra ad pœnam deposcerent, quasi criminis convictum, oppressit.

II. ACTA VIRILIA.

I. *OECONOMICA.*

1. *Concubina* ejus erat *Beronice Regina*, soror *Agrippæ Regis*. Hæc cum fratre suo Romam venit. Ille prætoriis honoribus est auctus: Ipsa vero habitavit in palatio, cœpitque cum TITO consuetudinem habere. Verum eam in uxorem non duxit: sed à se dimisit, cum intelligeret, populum Romanum illud molestè ferre, quod cum ea consuetudinem haberet, & magni de iis rebus rumores perferrentur. *Dion in Flav. Vespasiano, §. 5.*

II. UXORES duas habuit.

1. Erat ARRICIDIA, Tertulli Equitis Romani atque Præfecti prætoriarum cohortium filia. Sed hæc ἄπαις & est mortua.

2. Erat MARTIA FURNILLA, generis nobilitate clara; cum qua, sublata filia, divortium fecit. *Suetonius in Tit. §. 4.*

II. VITA OECONOMICA.

Titus Vespasianus fuit temperans & frugalis. Nam convivia instituit, non profusa, sed jucunditatis plena; sicut *Suetonius* in ejus vita scribit.

AXIOMA.

Convivium maxime ornat comitas convivalis, h. e. si frons absit Stoica, & adsit vultus placidus, & sermones familiares: *Joh. Pont. de conviviis.* Ita Augustus Imperator major comitate quàm sumtu convivia instituit. Nam & tacentes provocabat, & ad hilaritatem invitabat. Quocirca non pauci in hoc peccant, qui tristitiam ac supercilium ferunt ad convivia. Rectius ille, qui alloquens sic convivas hortabatur:

Protinus ante meum, quicquid dolet, exue limen.
Nam
Hospitis in mensa vultum, non fercula pensa.
Dat bene, dat multum, qui dat cum munere vultum.

Item: *Hospes jucundus prandia grata facit.*
Et pulchre ait *Cicero lib. 13. Epist.* Omne genus liberalitatis non tantum re, sed etiam verbis, vultu denique exprimi debet. Sic *Ovidius* non abs re Philemone, hospites suos liberaliter & florido vultu accipiente, canit;

——— ——— *ante omnia vultus*
Accessere boni, nec iners pauperque voluntas.

Germani pulchro & venusto hoc ipsum exprimunt proverbio;

Traun ein freundliches Gesicht
Ist das süseste Gericht.

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Ante Imperium.*

Titus ante imperium invidiam sibi atque etiam odium contraxit: suspectissimum quemque, submissis qui per theatra & castra ad pœnam deposcerent, quasi criminis convictum, oppressit. Ita quibus *Aulum Cæcinnam* virum Consularem ad cœnam vocatum, ac vix dum triclinio egressum confodi jussit; propterea, quod chirographum ejus præparatæ apud milites conjurationis deprehendisset. Præter sævitiam suspecta quoque in eo luxuria erat, quod ad mediam noctem comessationes extenderet.

ferret, nec minus libido, propter *Spadonum* greges, & insignem Reginæ *Berenices* amorem, cui etiam nuptias pollicitus ferebatur. Sed cum intelligeret, populum Romanum id molestè ferre, eam repudiavit. Suspecta fuit & rapacitas ejus, adeo ut vulgus propalam alium Neronem eum & opinarentur, & vocarent.

II. *Electio ad Imperium.*

Titus ejusque frater *Domitianus* à Senatu Cæsares designantur: & capta Jerosolyma Imperatoris nomen *Titus* obtinuit. *Dion in Flavio Vespasiano* §. 1. & 2.

III. *Imperii administratio.*

Titus imperium bene & laudabiliter administravit.

I. ACTA TOGATA.

TITUS fuit vir omnium virtutum genere admirabilis, & omnibus favorabilis, adeo ut AMOR & DELICIÆ generis humani diceretur. *Eutropius in Brev. lib. 6. Suetonius in Tit.* §. 1. *Dion Nicæus* §. 1. tradit, *Titum* cum *Augusto* comparari posse in diversa ætate, huncque, si minus vixisset, nunquam à Romanis dilectum fuisse; neque illum, si plus. Nam Augustus in Principio crudelior fuit propter hostes & seditiones: postea longo tempore multis in populum Romanum beneficiis claruit. At *Titus* humane imperans, periit in robore gloriæ, fortassis non vacaturus culpa, si diutius vixisset: Quia fortuna majori quam virtute utebatur. Huc pertinet *Axioma Politicorum*: Plures, qui in juventute crudeliter & pessime imperarunt; postea cum ætate mores in melius mutarunt, defervescente juventutis ardore, & temeritate per experientiam temperata & emendata. Ut enim omnium rerum est satietas: sic etiam & voluptatum & crudelitatis. Nam tempus variatione sua non patitur eadem esse in uno statu, neque hominum quoque voluntates perpetuo pertinaces sunt. *Petr. Greg. Tholos. l.* 8. *de Republ. p.* 540.

Exemplum habemus in *Tito*, qui in juventute, cum adhuc privatus viveret, multis vitiis inquinatus fuit. Sed cessit ei hæc fama sinistra in bonum, conversaque est in maximas laudes; cum talem se susceptо imperio gessit, ut nullum in eo vitium tale repertum, sed contra virtutes summæ in eo essent.

OBSERVATIO.

Titus aliter se gessit in imperio. cum esset patris in imperio *socius*, & cum esset SOLUS. Nam ita *Dion* de eo scribit: *Titus* ex quo tempore Principatum SOLUS obtinuit, mores statim mutavit, nec cædes fecit, nec amoribus servivit, ut antea: Sed comis, quamvis insidiis peteretur; & continens. Ideo dixit aliquando ad amicum: Dissimile est, inquit, indigere opera alterius, & judicem esse, perinde ac postulare & dare.

AXIOMA.

Non eodem modo se gerunt ii, qui socii tantummodo regni sunt; & ii, qui SOLI regnum tenent: Propterea quod illi, neglecta Principatus gloria, immoderate ejus potestate abuntur, multaque ad invidiam & calumniam alterius faciunt. Qui autem intelligunt, omnia ex se pendere, magnopere existimationi student.

VIRTUTES.

I. Affabilitas.

Titus valde affabilis fuit. Unde admonitus ab amicis, quod plura pollicerctur interpellantibus, quam præstare posset; respondit: *Non oportet quemquam à Cæsaris colloquio tristem discedere.*

II. Beneficentia.

Titus valde *beneficus erga omnes fuit.* Nam inter cœnandum aliquo die recordatus, quod nulli quicquam præstitisset, memorandam illam vocem edidit: *Amici, diem perdidi.* Laudanda sane Principis beneficentia tam peculiaris, qui omne tempus se perdidisse putabat, quo amicis bene meritis suum non præstitisset officium. Hinc Symbolum tale usurpavit: *Princeps, orbis amor, bonus. Nicolaus Reusn.* ita reddidit:

Principis à facie ne quis discedat amicus
Tristior: Hæc laus est Principis una boni.

Et hoc Symbolum suum tam λόγῳ, h. e. verbo, quam ἔργῳ, h. e. opere ipso, Titus expressit. Nam neque negavit quicquam petentibus; & ut, quæ vellent, peterent, ultro adhortatus est: Et in rebus adversis Reipubl. ac calamitosis non modo Principis sollicitudinem, sed & parentis affectum unicum præstitit, nunc consulendo per edicta, nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas.

AXIOMA.

Magni semper ingenii & fortuna inter Ethnicos habitum, omnes potentia superare, & tamen omnibus benefacere, omnibusque favorabilem esse. Unde in *Codice Sacro* Reges dicuntur pastores. *Genes. 49. vers.* 45. *Jesai.* 44. *v.* 28. *Jerem.* 12. *v.* 15.

v. 15. Item vocantur εὐεργέται, h. e. *Benefici*, ab ipso Christo Servatore nostro: *Luc.* 22. *v.* 25. Et in lingua sancta Princeps nominatur נדיב, h. e. beneficus & liberalis. *Psal.* 47. *v.* 10. *Psal.* 113. *v.* 8. *Job.* 21. *v.* 28.

EXEMPLA.

I. *Biblica.*

Josephus in Ægypto in carcerem conjiciebatur, & homo ignobilis erat; sed è vinculis extractus, ecce stola regia repente est amictus, omniumque in aula favorem, non humana aliqua prudentia, sed cœlesti nutu & providentia, est consecutus: Fuit enim *Jehovah* cum ipso. *Gen.* 39. *v.* 21. Et postea ob beneficentiam erga populum dictus est אברך, h. e. Servator populi. *Genes.* 41. *v.* 43. Quoniam à Deo Regi Pharaoni in patrem datus sit, imo universo regno; sicut ipse *Joseph* de se affirmat. *Genes.* 45. *v.* 8. Quo respiciens B. Lutherus gravi consilio reddidit, das Landes Vater.

II. *Profana.*

I. *Ptolemæus* Rex Ægypti, qui Ptolemæo Philadelpho successit, à maximis suis in civitates suas meritis, appellatus fuit εὐεργέτης, *Beneficus.*

II. *Cyrus Rex Persarum* ob εὐεργεσίαν dictus est *Pater*; quia mitis erat, & omni ratione de subditis bene mereri studebat. Unde dicebat: Satius nihil est, quam bonam spem injicere hominibus; sicut *Xenophon* scribit.

III. *Augustus Imperator* ob defensionem patriæ atque beneficentiam erga cives Romanos appellabatur *Pater patriæ.*

IV. *Alexander Magnus* valde beneficus erga omnes erat: Unde hoc Symbolum usurpabat: *Regium esse, benefacere, & male audire.* Quo innuere voluit; liberalitatem aliquando etiam erga indignos exercendam esse. *Plutarch. Pontan. cap.* 30. *de Liberalitate.* Idem urbem dono dedit cuidam, qui se ipsum mensus tanti muneris invidiam refugiens dicebat: Illud non convenire fortunæ suæ. Non quæro, inquit Alexander, quid te accipere deceat, sed quid me dare. *Seneca in lib. de Benef. cap.* 6.

V. *De Hadriano Imper.* scribitur quoque, quod dixerit, sibi permolestum esse, si quem videret tristem.

NOTA.

Cavendum tamen est Principi, ne liberalitas degeneret in profusionem. Nam *non ita claudenda est respubl. ut eam benignitas aperire non possit; nec ita aperienda, ut omnibus patent.* Sicut graphice loquitur *Cicero lib.* 2. *de Officiis* Nam ærarium nimiis largitionibus exhaustum, expilationibus subditorum postea impleri consuevit. Quare cum duo sint liberalitatis fontes, nempe *Verum judicium, & honesta benevolentia*; teste *Valerio Maximo lib.* 4. *Memor. cap* 7. Ideo recto judicio & deliberato consilio largiri debet Princeps, ne scilicet cæco profusionis impetu regni opes dispergat, sed bene de Republica merentibus præmia juxta regulam justitiæ distribuat.

III. *Mansuetudo & clementia.*

Titus valde mansuetus & clemens fuit. Nam fratrem suum *Domitianum*, insidiari sibi non desinentem, non est ultus, sed eum hisce verbis admonuit: Quid opus est, te Imperium parricidio petere, quod me volente obventurum est, imo quod jam habes, imperii particeps? Nonnunquam etiam secreto lacrymis & precibus oravit, ut tandem mutuo animo erga se esse vellet. *Erasmus lib.* 8. *Apophth.*

Pulcherrima hæc est virtus Principibus viris digna. Nam ut eleganter inquit *Plutarch.* Planetæ eo tardius moventur, quo sunt in sublimiori sphæra: Ita quanto major est Principum authoritas, tanto magis suis affectibus moderari, eosque temperare debent. *Spinæus pag.* 136.

IV. *Innocentia & constantia.*

Titus Vespasianus audiens, suos antecessores in Imperio multis injuriis à subditis affectos: Nemo, inquit, me injuria afficere aut contumelia potest: Quia nihil ago, quod alios lædere possit. Quo dicto ostendere voluit, vitæ innocentiam esse certissimum corporis præsidium. *Xiphilin. in vita Vespas.* Ideo etiam calumniatores nihil curavit.

AXIOMA.

Qui bona conscientia præditus est, ille calumniatores aut vulgi sermones non curat, fretus integritate conscientiæ suæ. Nam bona conscientia est reminiscentia actionum, bene à nobis gestarum, & approbatio mentis nostræ recte judicantis, & de iisdem nobis testificantis. Huc pertinent monita Sapientum.

Cicero pulchre inquit: Alte spectare si voles, atque hanc æternam domum contueri, neque sermonibus vulgi dederis te, neque in præmiis humanis spem posueris rerum tuarum: suis te illecebris trahat oportet ipsa virtus ad verum decus. *Lipsius Cent.* 1. *Epist.* 77. graphice inquit: Mihi sententia de me, non nisi fertur apud me, nec quis sim, alium rogo: Interno isto judice si probus audiam, quid addent aut dement mihi hi sermones? Similiter *in lib. de Unic. relig.* pulchre inquit: Æquo animo audienda sunt imperitorum convicia, & adhonestia vadenti

denti contemnendus eſt iſte impetus. Et *Cato* pulchre inquit:

Si recte facias, ne cures verba malorum.
Arbitrii non eſt noſtri, quid quiſque loquatur.

Huc quoque pertinet elegans decaſtichon D. Conradi Rittershuſii Profeſſ. in Acad. Altorfina celeberrimi:

Neſcia mens fraudum, inculpataque vintegra vita,
Scommata nullius, nullius arma timet.
Omnia contemnit, ventis velut obvia rupes,
Mendaceſque ſonos unius aſſis habet.
At quibus interno improbitas præcordia punctu
Rodit, & infandum polluit ora ſcelus,
Perpetuus animi furiis agitantur, & omnes
Quæ ſuaſit ſcelerum ſarcina, ſcire putant.
Qui ſapis, ad vitam ſapias; gere conſcia recti
Pectora, nec ſtrepitu commoveare levi.

Deinde *Titus Veſpaſianus* inſidiatores nihil curavit. Nam cum deprehendiſſet eos, qui in ipſum conſpiraverant, deduxit illos in ſpectaculum, atque medius inter illos conſedit, ac petitis de induſtria Myrmillonum gladiis, velut exploraturus aciem, unum uni, & alterum alteri commiſit, tanquam provocans eos ad id, quod moliebantur. Verum his perculſis: Videtiſne (inquit) Principatum fato dari, fruſtraque tentari facinus, potiundi ſpe? *Eraſmus lib. 8. Apophth.*

Huc pertinent Axiomata: *Regna divinitus dantur.* Et fruſtra appetitur regnum contra Dei decretum.

V. *Iuſtitia.*

TITUS I. Neminem civium læſit, eique bona ſua eripuit, ſed ſemper alieno abſtinuit: & tamen nemini ante ſe magnificentia minor fuit.

II. Delatoribus graviter infenſus fuit, atque eos, qui propter prædam alios accuſabant, cæſos flagellis ac fuſtibus deportari juſſit.

VI. *Prudentia.*

Signum ſummæ prudentiæ fuit, quod bonos Conſiliarios elegerit. Nam ita de eo ſcribit *Sueto-nius*: Amicos elegit *Titus*, quibus etiam poſt eum Principes, ut & ſibi & Reipub. neceſſariis, acquieverunt. Quo nomine etiam *Claudianus Honorium* commendat:

Ut fortes in Marte viros animiſque parates:
Sic juſtos in pace legis. longumque tueris
Electos, crebris nec ſuccedentibus urges.

Vide *Hippol. à Collibus in Conſil. pag.* 239, & 240.

ACTA BELLICA.

Titus Veſpaſianus bellum, quod pater ipſius *Flavius Veſpaſianus* à *Geſſio Floro* Prælide Judææ inchoatum continuaverat, abſolvit & conſummavit. Nam cum *Flavius Veſpaſianus* ab exercitu Imperator electus eſſet, eum Generalem belli Ducem conſtituit: Qui anno Chriſti 73 Jeroſolymam obſedit & expugnavit.

Circa παναλίσιον autem ſive excidium urbis Hieroſolymæ notanda ſunt tria.

1. Τὰ σημεῖα. 2. Τὰ πρόδρομα. 3. Τὰ παρεπόμενα.

I. Τὰ σημεῖα ſunt prodigia ſive portenta, quæ expugnationem & παναλεθρίαν urbis Jeroſolymæ ſunt antegreſſa.

Prodigia autem illa erant quadruplicia.

1. *In Cælo.* Nam primo *ſtella* fulgida ſive *Cometa* in forma gladii per integrum annum ſupra urbem Jeruſalem ſtetit.

2. *Luna* Eclipſin per duodecim noctes continuas paſſa eſt.

II. *In Aëre.* Viſi quoque ſunt ante occaſum ſolis currus & quadrigæ in tota illa regione per aërem ferri, & phalanges armatæ in nubibus commiſceri.

III. *In templo.* 1. Lumen in Azymorum feſto, qui erat octavus menſis Aprilis, circa maximam templi aram tam clare fulſit, ut dies illuxiſſe putaretur. 2. Æenea templi Orientalis porta, cujus oſtia viginti ſimul viri maxima cum difficultate removebant, ferreis ſeris æneoque peſſulo concluſa, hora noctis ſexta ſponte patuit. 3. Bos cum ſacrificanda eſſet, agnum peperit. 4. Sacerdotes in feſto Pentecoſtes interius ingreſſi templum ſacrorum cauſa ſtrepitum primo atque ſonitum, deinde vocem audiverunt dicentem: Μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν. h. e. Migremus hinc.

IV. *In Vrbe.* Quadriennio ante bellum in feſto Tabernaculorum JESUS quidam *Anani* ruſtici filius, cum Jeroſolymam ad feſtum veniſſet, fanatico repente ſpiritu correptus, exclamare cœpit: Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis, vox ſupra Jeroſolymam & templum, vox ſuper ſponſos & ſponſas, vox ſuper omnem populum. Hæc vociferans noctu atque interdiu, circuibat urbem. Et quanquam ob voces mali ominis verberaretur, tamen eandem perpetuo cantilenam canebat. Adductus ad Romanum Prætidem, & flagris cæſus neque ſupplicavit, neque lacrymavit, ſed voce lugubriter inflexa ad ſingulas plagas clamabat:

VÆ, VÆ JEROSOLYMIS! donec Albinus Præſes, hominem abſolvit, inſanire ratus. Ille vero uſque ad bellum vociferebatur: *Væ, væ Jeroſolymis!* In feſtis autem præcipue, triſte illud augurium declamabat, idque fecit annos 7 & menſes 5, donec in obſidione in mœnibus obambulans, rurſus clamaret intenta voce: *Væ, væ urbi & populo.* Et poſtremo adjecit inſolens hoc verbum: *Væ etiam mihi!* Et ſubito hoſtili tormenti ictu ad vocem illam percuſſus concidit.

Hæc & ſimilia portenta & prodigia Judæos ad ſeriam pœnitentiam invitare debuiſſent: In quem finem etiam à Deo præmiſſa ſunt, & velut præcones pœnitentiæ extraordinarii exſtiterunt. Siquidem Deus neminem punit, niſi prius monuerit, terruerit & pericula denunciaverit; ſicut venuſte & eleganter ſcribit *Origines in l. contra Celſum. Joſephus lib. 2. Judaic. c. 12.* Hic quoque diligenter notandum eſt, quod Apoſtoli aliique Diſcipuli ſive Chriſtiani ante obſidionem urbis Jeroſolymæ divinitus ſint admoniti, ut ex urbe Jeroſolyma tranſugerent in oppidum trans Jordanem, nomine *Pellam*, in ditione Regis Agrippæ junioris ſitam, ubi conſervati ſunt.

II. Τὰ παρόντα, *h. e.* Obſeſſio, & expugnatio urbis Jeroſolymæ.

Circa obſeſſionem urbis Jeroſolymæ duo ſunt notanda:

1. *Obſidionis tempus.*
2. *Modus.*

1. TEMPUS, quod rurſus duplex eſt; nempe *terminus à quo*, & *terminus ad quem.*

1. TERMINUS À QUO. *Titus Veſpaſianus* anno 73 à Chriſto nato, anno 2 Imperii patris *Veſpaſiani*, belli Judaici vero 6, menſis Aprilis die 14, Jeroſolymam circa feſtum Paſchatos primum obſidione cingere cœpit. Quæ obſidio circa hoc azymorum feſtum procul dubio ſingulari Dei providentia facta eſt in graviorem atque atrociorem Judæorum pœnam. Nam ingens hominum multitudo Jeroſolymam confluxerat ex toto terrarum orbe, ita ut numerarent ter centenas hominum myriadas, h. e. circiter tricies centena hominum millia, quæ in urbe perinde ac in cuſtodia & carcere circumcluſa & obſeſſa fuit. Cogitabat namque Deus de ingenti incendio excitando; propterea ſtipulas etiam atque paleas undiquaque ex omnibus angulis coacervare voluit.

Quod autem tantam hominum multitudinem urbs Jeroſolyma capere poſſet, certum erat ex his, qui ſub *Ceſtio Gallo* fuerant nominati. Is enim tunc, vires civitatis ac florem Neroni ſignificare volens; contemnenti nationem, à Pontificibus periit, ut, ſi quò modò poſſent, multitudinem numerarent. Illi autem cum dies feſtus adeſſet, qui Paſcha vocatur, agnos Paſchales numerarunt, quorum inventi ſunt ducenta & quinquaginta ſex millia & quingenti. Ad unum autem agnum adhibebantur non pauciores quam decem, interdum & viginti. Si ſingulis agnis des 12 perſonas, habebis tricies centena millia hominum. Excipiuntur præterea impuri, qui ſequenti menſe Paſcha comederunt, quorum ingens fuit numerus. *Joſephus de bello Judaico.*

2. TERMINUS AD QUEM. Duravit hæc obſidio in menſem uſque quintum. *Joſephus l. 6. de bello Judaico.*

II. MODUS. Jeroſolyma à *Tito* undique muro eſt circumvallata, atque in modum coronæ undique cincta; plane ſicut Chriſtus Servator noſter Judæis prædixerat. *Luc. 19. 14.*

Titus murum exſtruxit, qui erat ſtadiorum 39, idque totum opus tridui ſpatio confectum eſt. Poſtea alios aggeres conſtruxit, quibus urbem undique circumdedit.

URBS autem *Jeroſolyma* erat urbs munitiſſima, quæ humana arte & Marte videbatur inexpugnabilis. Nam quatuor muris erat circumdata, & turribus 80 firmiſſimis communita, quibus confidentes Judæi Romanis glorioſe inſultabant, ſeque intra viginti annorum ſpatium ipſis non dedituros præſumebant: Quinimo arroganter & præſumtuoſe dicebant: Si vel pennas volatiles haberent, muros tamen ſuos ipſos non transvolaturos.

Oppugnatio & expugnatio urbis.

Circa quam duplex malum & miſeria eſt notanda. 1. Extra urbem. 2. Intra urbem.

I. *Mala & miſeria extra urbem.*

Jeroſolyma muro triplici à parte, qua adiri poterat, cincta erat. Quare de iis expugnandis *Titus* ſollicitus fuit, & dubio Marte ſæpe cum Judæis dimicavit. 1. *Murum primum* ſeptimo die Maji cepit, ſimulque eam urbis partem, quæ ultra templum, ſeptentrionem verſus, recens erat adjecta, & ideo *Neapolis* dicta.

II. *Deinde* die 16 Maji alterum murum occupavit, atque ſimul inferiorem urbis partem in colle humiliori ſitam, quam *Acra* vocabant.

III. Cum autem Judæi amiſſis duabus urbis partibus ad deditionem à Tito clementer invitati, omnes conditiones pacis reſpuerent: (Nam Titus immenſæ eorum calamitatis miſertus, miſit *Joſephum*

ſephum natione Judæum, qui pacem iis perſuaderet. Sed quod Judæi velut furioſi jaculis illum petebant, ut vix conſervaretur) idcirco tertium murum oppugnandum aggreſſus eſt, qui erat ad *Antoniam* arcem, ut magnificentiſſimam & ampliſſimam, ita & omnium in urbe munitiſſimam: Quam tandem vi cepit die 6 Julii.

IV. Expugnata arce Antonia *Titus* TEMPLUM expugnare aggreſſus eſt, & quamvis Judæi ad pacem petendam, ut templo parci poſſet, aliquoties provocati eſſent: illi tamen velut occæcati & dementati, legatos *Titi* conviciis atque telis repulerunt. Quare iracundia gregarii milites incenſi, ignem citra edictum *Titi* in templum conjiciunt, quod adeo repente ignem concepit, ut nulla ope humana deleri poſſet. Ita templum illud, in toto orbe celeberrimum, die 10 Auguſti incendio eſt conſumtum, & quidem eo ipſo fatali & menſe & die, quo ante annos 679 templum à Salomone exſtructum, à Nabuzaradan Regis Babylonii *Nabuchdonoſoris* Duce generali incenſum conflagravit. *Titus* tamen omnia vaſa & ornamenta, quæ in templo erant, curioſe contemplatus eſt. Quinto die poſt crematum templum ſacerdotes ſe dedunt, qui omnes interficiuntur. Nam dicebat Titus: *Templo cremato, ſacerdotum nullus poteſt eſſe uſus.*

V. *Urbs ſuperior*, quæ *civitas David* vocata eſt die 20 Auguſti à Tito oppugnari cæpta eſt, & die 7. Septembris in poteſtatem hoſtium venit.

II. *Mala, & miſeria intra urbem.*

Clemens Alexandrinus venuſte & eleganter inquit, quod DEUS interdum homines caſtiget 5, 6, vel 7. literis: Per quas intelligit tres illas grandes & epidemicas calamitates, (Land-plagen) quæ ſunt λιμὸς, λοιμὸς & πόλεμος, hoc eſt, *fames*, *peſtis* atque *bellum*. Hiſce etiam tribus cum calamitatibus conflictabantur Judæi. Etenim in urbe ſæviebant.

I. GLADIUS. Nam ante obſidionem ingens latronum colluvies in urbem Jeroſolymam confluxerat, quæ in tres cohortes diviſæ erant, quarum ſingulæ ſingulos Duces habebant, qui erant *Eleazarus*, *Johannes*, & *Simon*: Ille templum; Iſte inferiorem civitatis partem; Hic vero ſuperiorem urbem occupaverat, cum *Titus* urbem obſideret. Hi velut Cadmei fratres in mutua ſæviebant viſcera, & miſeram civitatem miſerandis cladibus immerſerunt, imo inter omnes civitatis ordines mera erat ἀπεξία atque diſcordia. Pontifices in ſacerdotes minores erant injurii, potentiores opprimebant inferiores. Hinc ortæ inteſtinæ civium factiones, è quibus cædes, bonorum direptiones & miſeriæ innumerabiles oriebantur, adeo ut duodecim millia nobilium, quod arcana civitatis Romanis prodere dicerentur, cæſa, illorumque bona latronibus diripienda ſint permiſſa.

II. FAMES. Nam tempore obſidionis immanis admodum fames in urbe invaluit. Cui occaſionem præbuerunt ſeditioſæ in urbe graſſantes factiones. Nam illæ ex mera qua invicem ardebant, invidia atque odio, 140. ædes frumentarias publicas igne accenſas in cineres redigebant, unde omni annona abſumta, incredibilis hominum numerus fame extinctus eſt, ita ut neceſſitas eos cogeret immundis animantibus aliiſque cibis inconvenientibus & non naturalibus veſci. Nam ne à cingulis quidem & calceamentis abſtinuerunt, & pelles ſcutis detractas, macerarunt & comederunt. Nonnullis etiam veteris fœni rejectamenta eſcæ fuerunt. Alii collectas quiſquilias parvi ponderis quatuor Atticis vendiderunt. Stercore columbino toſto pro ſale uſi ſunt, idque ingenti mercati ſunt precio; multi fœnum ore tenentes mortui conſidere; multi cloacas & cadaverum corpora perſcrutati eſcam quæſiverunt. Certabant inter ſe armis domeſtici, ſi quid eſculenti ad manus temere perveniſſet: filii ex ore parentum cibum rapiebant, nec frater fratrem, nec ſoror ſororem miſerabatur. Qua ingenti miſeria commoti multi ex urbe, dum adhuc duraret obſidio, in caſtra Romanorum confugerunt, ex quibus nonnulli aurum, quod habebant, deglutiebant, ne capti eo ſpoliarentur, idque, in caſtris cum excremento ejectum, colligebant: quo in uno deprehenſo, famaque in caſtris ſparſa, transfugas auro plenos venire, ideo miſerorum ventres diſſecabantur, & quidem una nocte 3000. & amplius Judæorum perierunt. Quod ne fieret, etſi *Titus* interdicebat, tamen ejus minæ parum aut nihil miſeris profuerunt. Cum enim in paucis nummi reperirentur, cæteros prædæ ſpes perdebat. Poſtea transfugarum nemo à Romanis amplius recipiebatur, ſed omnes repellebantur in urbem: Cum vero nollent regredi, *Titus* omnes crucibus affigi juſſit, ut cæteri in urbe manerent. Sed famis atrocitas & immanitas eos coëgit, ut ſponte ad hoc ſupplicium concurrerent, adeo ut ſpatium crucibus & cruces crucifigendis deeſſent: Tandem *Titus* manus juſſit transfugis abſcindi, eoſque ita in urbem redegit. Imo tanta in urbe famis erat immanitas, ut matres proprios liberos mactarent & comederent. *Joſephus lib. 7. de bello Judaico c. 21.* exemplum narrat dictu & auditu horrendum de Eleazari cujuſdam uxore genere nobili: quæ immani & intolerabili coacta fame, filium jugu-

larum & coctum comedere voluit, ſed à militibus aſſum odorantibus, ereptum è faucibus totum deglutire non potuit. Cum vero jugulo ejus jam jam cultrum applicatura eſſet, talia verba protulit: ſicut *Joſephus* ſcribit: *Infans, in bello, in fame & in ſeditione cui te ſervavero? Apud Romanos enim ſi vixeris, ſerviturus es. Fames autem prævenit ſervitutem. Eſto igitur cibus meus: in utero meo te ſepeliam, quem antea in utero meo geſtavi.* Quo facto immani audito, *Titus* elevatis ad cœlum manibus, referente *Egeſippo lib.* 5. *c.* 41. in hæc verba erupit: Ad bellum quidem venimus: ſed non cum hominibus dimicamus; adverſus omnem rabiem belluarum & ferarum pugnamus! Diligunt feræ fœtus ſuos, quos etiam in fame nutriunt; & quæ alienis corporibus paſcuntur, à conſimilium ferarum abſtinent cadaveribus. Hoc contra acerbitatem eſt, ut membra, quæ genuit mater, voraret. Mundus ego ab hoc contagio ſum; Tibi me abſolvo, quæcunque in cœlo poteſtas es: Scis, ſcis profecto, quia ex intimo affectu pacem illis frequenter obtuli, & quod non pudet dicere, victor rogavi: Parcere etiam ipſis, tantorum flagitiorum prodigiorumque authoribus, volui, parcere populo, & urbem ſervare. Sed quid facerem repugnantibus? Hactenus verba *Egeſippi.*

III. PESTIS. Hanc immanem famem horribilis inſecuta eſt peſtis. *Ananus Eleazari filius*, qui durante obſidione ad *Titum* confugerat, ſepultos eſſe in civitate affirmabat centena & quindecim millia atque octoginta. Egeſippus teſtatur, ſexies centena millia cadavera per obſidionis tempus extra urbem projecta eſſe, eorum vero, qui intra mœnia ſepulta fuerint, haud numerum fuiſſe. *Joſephus l.* 7. *de bello Judaico c.* 17. ſcribit, quod per totum tempus obſidionis undecies centena millia mortuorum ſint inventa. O miſeria ſuper omnem miſeriam! Unde *Titus Veſpaſianus* hæc audiens, ex magna cordis συμπαθείᾳ alta voce exclamavit: O DEUS, *tu vides, quod ego hæc non facio!* Et hæc immenſa miſeria uſque in quintum duravit menſem.

III. ΤΑ ΠΑΡΕΠΟΜΕΝΑ.

I. Judæorum captivatio.

Judæorum, qui toto bello comprehenſi ſunt, numerus fuit XC & VII M. *Joſephus l.* 7. *de bell. Jud. cap.* 17. Seditioſorum Dux *Johannes*, cum duobus millibus, in cloaca periit. *Simon* vero ſe ipſum dedidit, qui ad triumphum conſervatus eſt, & una cum eo, quicunque ex juventute, proceritate & forma corporis præſtantes erant. Reliqua turba erat duplex. Quidam enim eorum, qui annum exceſſiſſent 17, Alexandriam ad ferenda onera miſſi, numero 17000. Tria millia in theatrum producti, partim à beſtiis dilaniati, partim inter ſe commiſſi, trucidare alii alios coacti ſunt, cum *Titus Veſpaſianus* Cæſareæ natalem fratris ſui *Domitiani* celebraret. Reliqui viliſſimo precio venditi, & in omnes terras diſperſi ſunt. Qui vero intra annum 17. eſſent, ii vendebantur, & quidem precio adeo vili, ut 30 uno denario venales eſſent, quæ juſta erat talionis pœna. Sicut enim ipſi antea Dominum gloriæ 30. argenteis emerant, *Matth.* 27. 3. ſic 30. Judæi uno argenteo ſunt divenditi, atque ſic in univerſum terrarum orbem diſperſi, horrendum ſpectaculum in hodiernum uſque diem facti ſunt omni carni. Similiter cum Titus patris ſui diem natalem celebraret Berythi Syriæ oppido, aliquot Judæorum captivorum millia in ſpectaculis beſtiis dilanianda projecit.

NOTA.

Judæi reſpectu diſperſionis ſunt duplices. I. *Judæi antiqua diſperſionis* (ἡ ἀρχαία ἀλλογενὴς) dicuntur illi, qui in captivitate Aſſyriaca & Babylonica in omnes terras ſunt diſperſi. II. *Judæi* ἡ ὑστέρα ἀλλογενὴς, h. e. *poſterioris diſperſionis*, h. e. Judæi qui Jeroſolymis fuere ſuperſtites, perque omnes mundi plagas ſunt diviſi.

Hiſce Petrus Apoſtolus priorem ſuam epiſtolam; ſicut Ethnicis converſis poſteriorem, inſcripſit.

Verba Petri 1 *Epiſt. c.* 1. *v.* 1. ita ſonant: Petrus Apoſtolus Jeſu Chriſti ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς, h. e. electis advenis, ſparſim incolentibus Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam & Bithyniam. Hic Petrus Apoſtolus per *Advenas diſperſos non* intelligit *gentes*, (ſicut quidam putant decepti loco, qui exſtat *Johan.* 7. 35. Ubi Judæi inter ſe dicunt: Quo hic iturus eſt, quod nos non inveniemus eum? Num εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων, h. e. in diſperſionem gentium iturus eſt, & docturus gentes?) ſed *Judæi* ſunt intelligendi. Verba autem Apoſtoli Petri, 2 *Petr.* 1. 1. ita ſonant: *Simon Petrus* Servus & Apoſtolus Jeſu Chriſti, iis qui æque precioſam nobiſcum ſortiti ſunt fidem, per juſtitiam DEI noſtri & Servatoris Jeſu Chriſti. Unde patet, quod ſicut Petrus Apoſtolus priorem epiſtolam ſuam Judæis diſperſis, ita poſteriorem gentibus converſis, h. e. omnibus Chriſtianis, inſcripſerit.

II. Urbis Jeroſolymæ deſolatio.

Poſtea autem urbs Jeroſolyma à *Tito* eſt everſa & ſolo adæquata. *Joſephus lib.* 7. *de bello Judaico c.* 17. *Euſebius* ſcribit, quod terra ejus aratris diſſulcata, ne lapis ſuper lapidem relinqueretur, ſicut Chriſtus Servator illis prædixerat. *Luc.* 19. *v.* 44. Fuit autem Jeroſolyma mœnibus & fortiſſimorum virorum præſidiis ſic firmata atque munita, ut incredibile videretur eam expugnari poſſe. Ideirco poſt expugnationem ipſæ Titus ad amicos dixiſſe fertur; Σὺν Θεῷ ἐμαχεσάμεθα, ὦ ἄνδρες. h. e. Cum DEO expugnavimus, ô viri!

III. De-

III. Deſolationis duratio.

Hæc deſolatio urbis Jeroſolymæ in æternum eſt duratura; ſicut *Daniel Propheta c. 9. v. 27.* ante multa ſecula prædixit: Apud alas erunt abominationes deſolationis, & uſque ad conſummationem (ſeculi) cretum eſt, quod perſeverabit deſolatio. *Lutherus* reddidit: Und bei den Flügeln werden ſtehen Greuel der Verwüſtung; und iſt beſloſſen / daß bis ans End über die Verwüſtung trieffen wirdt. Hic per *abominationes deſolationis* non intelligenda eſt imago quædam Idololatrica, in templo apud alas Cherubinorum poſita, ſicut quidam explicant; ſed exercitus Romanus, ſicut ipſe Chriſtus explicat. *Luc.* 21. 20. Ubi inquit: Dum videritis circumdari ab exercitibus Jeroſolymam, tunc ſcitote, quod immineat deſolatio ejus.

Licet autem Judæi ſæpiſſime conati ſint contra DEI decretum templum & Politiam ſuam rurſus inſtaurare: tamen ſemper conatus eorum irriti fuerunt, atque ab incepto opere magna ſui clade & internecione deſiſtere coacti ſunt; ſicut temporibus *Juliani* Apoſtatæ & *Adriani Imperatoris* contigit, uti ſuo loco dicemus.

IV. Coronarum oblatio.

Cum Ægyptii in tranſitu Tito Veſpaſiano coronas triumphales offerrent, eas recuſavit, dicens: *Ego hoc non feci; ſed* DEO *irato, populum ſuum ob peccata caſtigare volenti, manus meas accommodavi.* Suidas.

V. Triumphatio.

Finito bello Judaico, & Jeroſolyma expugnata atque vaſtata, urbem Romam ingreſſi ſunt, & unum communem triumphum ob res geſtas egerunt, quamvis utrique Senatus proprium decreviſſet. *Joſephus de bello Judaico l. 7. c. 24.*

Circa hunc triumphum autem tres actus ſunt notandi.

Actus primus, *continet triumphi præparationem.*

I. *Veſpaſianus* pater atque *Titus* ejus filius, urbem Romam ingreſſi, prope Iſidis templum nocte quieſcebant, & cuncta turba militaris per turmas atque ordines progreſſa circa oſtia conſtituta erat.

II. *Veſpaſianus & Titus*, prima jam aurora incipiente, procedebant lauro coronati & purpurea veſte amicti, atque ad Octavianas ambulationes tranſibant.

III. Ibi *Senatus*, & Ducum proceres, & honorati Equites, eorum adventum præſtolabantur.

IV. *Tribunal* ante porticus factum erat, ſellæque eburneæ in eo præparatæ: Quo cum adſcendiſſent, conſederunt.

V. *Milites* inermes, veſtibus ſericis induti & laureati, eos excipiebant, eorumque Heroica facta deprædicabant.

VI. *Veſpaſianus* capite opertus, ſolennia vota celebravit: idemque *Titus* fecit.

VII. *Veſpaſianus* in commune omnes milites allocutus, illis pro opera fideliter navata gratias egit.

VIII. Eos ad prandium, quod his ex more ab Imperatore parari ſolebat, dimiſit.

IX. Ipſe vero cum filio Tito ad portam triumphalem redibat.

X. Ibi & cibum prius capiebant, & veſtibus triumphalibus induebantur: Uti etiam omnes duces veſtibus triumphalibus amicti ad triumphum ibant.

Actus ſecundus, *continet ipſam triumphi celebrationem.*

I. *Diis* ad portam triumphalem victimæ offerebantur.

II. *Senatores* atque cives ſpectacula varia, quæ enarrari haud poſſunt, in omnibus, quæ quiſque excogitaverat, vel artium factis vel divitiarum opibus, vel naturæ novitate, exhibebant.

III. *Totius belli* Judaici ἐκπαγλαφία & velut pictura ſpectatorum oculis exhibebatur. Erat enim cernere ibi vaſtari fortunatiſſimam terram, totas vero interfici acies hoſtium, & alios fugere, alios captivos duci, muroſque excellentes magnitudine machinis dirui, & caſtellorum exſcindi munimina, & populoſarum civitatum mœnia diſturbari, exercitumque intra muros infundi; cædiſque omnia loca plena, & eorum, qui manu reſiſtere non poterant, preces, ignemque templis immiſſum, ædiumque ſuper dominos poſt multam vaſtationem everſiones, atque amnis triſtitiam, defluentis non in arva culta, neque ad hominum vel pecorum potum, ſed per terram ex omni parte flagrantem. Hæc enim Judæi bello paſſi ſunt: Ars autem, & confectorum operum magnitudo, neſcientibus adhuc, facta tanquam præſentibus oſtendebant.

IV. *Captivi* Judæi ante ſpolia ducebantur, & eorum Dux SIMON GIORA laqueo circumdatus, per forum trahebatur, in eorum contumeliam; ſicut olim illi Chriſtum duxerant, atque contumelia affecerant.

V. SPOLIA *omnia* mirabilia & preciosa, quæ ceperant, portabantur.

VI. *Spolia in templo* Jeroſolymitanò reperta erant, *Menſa aurea* ponderis talenti magni, & *Candelabrum* ſimiliter auro factum, ſed opere commutato ab uſus noſtri conſuetudine. Nam media quidem columna baſi hærebat, tenues autem ab ea cannulæ producebantur formatæ ad ſimilitudinem fuſcinæ, ad ſummum, quæque in lychni ſpeciem fabricatæ. Erant autem numero ſeptem, & ſeptimi diei, qui apud Judæos eſt, indicantes honorem. Poſthæc portabatur Lex Judæorum (Torah) noviſſima ſpoliorum.

VII. *Plurimi* tranſibant Victoriæ ſimulacra portantes, omnia ex auro & ebore facta.

VIII. *Veſpaſianus* prior ibat; *Titus* deinde ſequebatur: *Domitianus* autem adequitabat, ipſe quoque ornatus pulchritudine, dignumque ſpectari exhibens equum.

IX. Ex utroque latere varia pulſabantur inſtrumenta muſica, exaudiebantur acclamationes & congratulationes, in quibus triumphatorum heroica facta decantabantur.

X. *Finis* pompæ erat Jovis Capitolini templum. Ibi conſtitere, donec nunciaretur *Simonem Giora* Judæorum Ducem occiſum eſſe, ſicut vetus mos patrius erat. Tunc rurſus jubilationes & ovationes editæ, hoſtiæ immolatæ, & triumphatores glorioſe in palatium deducti, epuliſque magnificis excepti ſunt.

Actus tertius, *continens res geſtas poſt triumphum.*

Denique poſt triumphum *Veſpaſianus* Paci templum ædificari decrevit: Quod mira celeritate, & quæ hominum cogitationem ſuperaret, effectum eſt. Magna enim divitiarum largitate uſus, inſuper perfectis id picturæ ac figmentorum operibus exornavit. Omnia namque in illud templum collecta ac depoſita ſunt, quorum viſendorum ſtudio per totum orbem vagabantur, quomodo aliud apud alios ſitum eſſet, videre cupientes. Similiter in templum illud repoſuit, quæ Judæorum fuerant inſtrumenta; legem vero eorum & penetralium vela purpurea in palatio aſſervari demandavit.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

CIrca egreſſum notanda ſunt tria: I. Τὰ προηγούμενα. II. Τὰ πραχθέντα. III. Τὰ παρεπόμενα.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

Oratio Titi προαχώνη.

Titus Sabinos petens, cum ſacrificanti hoſtia aufugiſſet, & tempeſtate ſerena tonuiſſet, ſubtriſtior ad primam ſtatim manſionem, febrim nactus; Cum inde lectica transferretur, ſuſpexiſſe dicitur, dimotis plagulis, Cœlum, multumque conqueſtus: *immerenti ſibi vitam eripi*: Neque enim exſtare ullum ſuum factum pœnitendum, excepto duntaxat uno. Id autem quale fuerit, nec ipſe prodidit, nec quiſquam conjectare potuit. *Suetonius.*

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Titus febri exſtinctus eſt in eadem, qua pater, villa, idibus Septemb. anno ætat. 42. cum imperaſſet biennium, & inſuper menſes duos, ac dies 20.

III. ΤΑ ΠΑΡΕΠΟΜΕΝΑ.

Luctus Senatûs. Cum mors ipſius innotuit, non ſecus ac in domeſtico luctu publice mœrentibus cunctis, Senatus noctu in curiam concurrens, cum ſub veſperam obitus ejus nunciatus eſſet, tantas ei mortuo egit gratias laudeſque, quantas ne vivo quidem unquam aut præſenti congeſſit.

XII. IMPERATOR ROM. FLAVIUS DOMITIANUS.

CAPUT I.

DE ORTV.

I. PATER Domitiani fuit *Flavius Veſpaſianus.*

II. MATER ejus fuit *Flavia Domicilla.* Ex hiſce parentibus *Domitianus* natus eſt 9. Calend. Novembr. Cum pater ipſius Conſul electus eſſet. *Suetonius in Domit.* §. 1. A. C. 52. *Cardanus* refert ad annum Chriſti 54.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ, & *Acta Iuventutis.*

I. RAtione *Corporis Domitianus* non erat deformis. Nam, ut *Suetonius de eo* §. 18. ſcribit, Statura fuit procera, vultu modeſto ruboriſque pleno, grandibus oculis, verum acie hebetiore, præterea pulcher ac decens, maxime in juventa, & quidem toto corpore, exceptis pedibus, quorum digitos reſtrictiores habebat: poſtea calvitio quoque deformis, & obeſitate ventris, & crurum graciliſa-

cilitate, quæ tamen ei valetudine longa remacruerant. Calvitio ita offendebatur, ut in contumeliam ſuam traheret, ſi cui alii joco vel jurgio objectaretur. Quamvis libello, quem de cura capillorum ad amicum edidit, etiam illum, & ſimul ſe conſolans, hæc verba inſeruerit: *Annon vides, quam ego quoque ſim pulcher & magnus?* Eadem tamen me manent capillorum fata, & forti animo fero comam in adoleſcentia ſeneſcentem.

II. *Mente ferox, & animo non tantum deformis, ſed & plane monſtroſus erat.* Nam ab optima patris indole plane degeneravit, & *Caligulæ* atque *Neroni*, quam *patri Veſpaſiano* & fatri *Tito* ſimilior fuit. Erat namque natura ferox & vafer, quem nec multis officiis imo nec lacrymis *Titus* clementiſſimus valuit demereri.

Verſus *Auſonii* de *Domitiani* ingenio memoria ſunt digniſſimi.

Hactenus edideras geminos (dominos,) *gens Flavia, juſtos.*
Cur, duo quæ dederant, tertius eripuit?
Vix tanti eſt habuiſſe illos: Quæ dona bonorum
Sunt brevia, æternum quæ nocuere dolent.

ACTA JUVENTUTIS.

I. *Artes liberales* in juventute neglexit, non nunquam tamen aut hiſtoriæ carminibuſve operam cognoſcendis ullam, aut ſtylo dedit. Præter commentarios & acta *Tiberii* Cæſaris nihil lectitabat. *Suetonius* §. 20.

II. *Rudis erat literarum*, & tamen utcunque facundus, quia elegantiæ ſermonis & dictis notabilibus ſtudebat. Nam aliquando dicebat: *Vellem tam formoſus eſſe, ut* Metius *ſibi videtur.* Et cujuſdam caput varietate capilli ſubrutilum & canum, *Perfuſam nivem mulſo vocavit. Suetonius* §. 20.

III. *Sagittandi ſtudio* præcipue tenebatur, eratque tam doctus ſagittarum, ut inter patentes digitos extentæ manus vel pueri vel viri procul poſiti jaculo transvolaret. *Suetonius* §. 19.

MONITUM.

Titi & *Domitiani* fratrum diſſimillimorum vita oppoſita Principes monet, ne de generis nobilitate, ſed de virtute glorientur. Non enim ſatis eſt, bonorum eſſe filium vel fratrem & conſanguineum, ſed te eſſe bonum convenit. Alias te *Domitiani* fatum manet, cujus pubertas & adoleſcentia probroſa, virilis ætas effera, vitæ exitus fuit tragicus, & memoria remanſit execrabilis. Hinc pulchre & eleganter inquit *Chryſoſtomus* in *Matthæum*: Quid prodeſt ei, qui habet ſordidos mores, generatio clara? Aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Ipſe enim ſe vacuum ab omnibus bonis oſtendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit *Cham*, quod fuerit *Noe* filius? Aut *Abſolomo*, quod fuerit *Davidis* filius? Nonne enim ille ſeparatus de medio filiorum, qui ſecundum carnem frater fuerit natus, ſecundum animam factus eſt ſervus? Nec familia ejus ſancta potuit defendere impios mores.

Elegans epigramma *Codri Urceol.* in jactabundos Nobiles.

Sis licet ingenuis clariſque parentibus ortus;
Eſſe tamen vel ſic beſtia magna potes.
Adde decus patriæ, & claros tibi ſume propinquos;
Eſſe tamen vel ſic beſtia magna potes.
Sint tibi divitiæ, ſit larga & munda ſupellex;
Eſſe tamen vel ſic beſtia magna potes.
Denique quicquid eris, niſi ſis prudentia tecum;
Magna quidem dico, beſtia ſemper eris.

Aliud pulchrum epigramma contra Nobiles virtute carentes.

Sint tibi Gallorum Rex & Regina parentes,
Et maneat virtus pectore nullo tuo:
Non tanti faciam te, quam tibi ruſtica mater
Si ſit, & ignotus ruſticus ipſe pater.

II. *ACTA OECONOMICA.*

I. UXOR ejus erat DOMITIA LONGINA, formoſiſſima femina, quam *Ælio Lamiæ* marito eripuit, eamque per biennium loco concubinæ ſecum habuit: poſtea maritum ejus clam interfici juſſit, eamque ſibi uxorem junxit. Unicum ex ea ſuſcepit filium in ſecundo Conſulatu ſuo; eamque Auguſtam ſalutavit, ſed paulo poſt eandem Paridis Hiſtrionis amore deperditam repudiavit, intraque breve tempus, impatiens diſſidii, quaſi flagitante populo, reduxit. *Suetonius* §. 1. & *Dion in Domitiano*, §. 1.

II. JULIAM *Titi* fratris *filiam* adhuc virginem ſibi in matrimonium oblatam, cum devinctus *Domitiæ* nuptiis eſſet, pertinaciſſime recuſavit. Sed non multo poſt alii collocatam viro, corrupit, & quidem *Tito* etiamnum vivente: Mox patre ac viro orbatam ardentiſſime palamque dilexit, ut etiam cauſa mortis extiterit, coactæ conceptum à ſe abigere. *Suetonius* §. 22. Quod facinus tyrannicum ejus prodit animum.

III. ACTA POLITICA.

I. Imperii occupatio.

1. CÆSAR *ſalutatus* honorem prætoræ urbanæ cum conſulari poteſtate ſuſcepit titulotenus Quam juriſdictionem ad Collegam proximum tranſtulit. *Suetonius* §. 1.

11. *Per fraudulentiam ad imperium pervenit.* Nam patre defuncto nunquam jactare dubitavit relictum ſe Principem Imperii, ſed fraudem teſtamento adhibitam. Neque ceſſavit ex eo inſidias ſtruere fratri clam palamque, quoad correptum gravi valetudine, priuſquam plane efflaret animam, pro mortuo deferri juſſit, defunctumque nullo præterquam conſecrationis honore dignatus, ſæpe etiam carpſit obliquis orationibus & edictis. *Suetonius* §. 2. *Titus* cum ſucceſſorem imperii deſignaverat: ſed ipſe vitæ ejus inſidiatus eſt, eumque veneno ſuſtulit: ſicut alii tradunt.

AXIOMA.

Φιλαρχία atque regnandi libido eſt multorum magnorumque ſcelerum fons & origo.

Hinc Eteocles apud *Euripidem* in Phœniſſis (quam vocem Julius Cæſar ſemper in ore habuiſſe ſcribitur:) Si violandum eſt jus, regnandi cauſa violandum eſt; in aliis rebus pietatem colas. Verſus *Eteoclis* tyranni, recuſantis admittere fratrem Polynicen ad ſocietatem regni, citat *Cicero lib.* 3. *Offic.* & *Suetonius in vita C. Jul. Cæſaris.*

II. Imperii adminiſtratio.

In principio Imperii *Domitianus* fuit bonus, ſicut pulchre quidam ait: *Domitiani* mitia fuerunt initia; ſed poſtea factus eſt malus & Tyrannus.

I. VIRTUTES.

1. JUSTITIA. Domitianus jus æquabiliter adminiſtravit. Nam in foro tribunali ambitioſas centumvirorum ſententias reſcidit. Nummarios judices cum ſuo quemque conſilio notavit. *Suetonius* §. 8.

11. PRUDENTIA. Omnes ἀπραξίας in Republica ſuſtulit. Nam 1. Tantam Magiſtratibus urbis, provinciarumque præſidibus coërcendis curam adhibuit, ut neque modeſtiores unquam, neque juſtiores exſtiterint. 2. Quæſtorium virum, quod geſticulandi ſaltandique ſtudio teneretur, Senatu movit. 3. Equitem Romanum, ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimiſſæ adulterii crimen intenderat, judicum albo erāſit. 4. Probroſis feminis lecticæ uſum ademit, juſque capiendi legata atque hæreditates. 5. Fiſcales calumnias magna calumniantium infamia atque pœna repreſſit: ferebaturque vox ejus; *Princeps, qui delatores non caſtigat, irritat.* 6. Famoſos libellos vulgo editos, quibus primores viri ac feminæ notabantur, abolevit non ſine authorum ignominia.

AXIOMA.

Sæpe Principes peccant nimia crudelitate.

Qui enim facile cuivis credit, ille facile decipitur. Hoc ipſum prudentes Rerumpubl. gubernatores diligenter obſervarunt, ne cuivis temere aures ſuas præberent.

Exempla.

1. *De Alexandro Magno.* Hic delatoribus fidem habere noluit, Medicum ſibi ſuum ſuſpectum reddere laborantibus. Acceperat enim literas à *Parmenione*, quibus ei denunciabatur, ne ſalutem ſuam Medico committeret, qui mille talentis à *Dario Codomanno*, & ſpe nuptiarum ſororis ejus, eſſet corruptus. Sed Alexander delationi huic fidem minime habens, epiſtolamque à Parmenione miſſam ſiniſtra manu tenens, accipit poculum, & haurit intrepide: Tum epiſtolam Medicum Philippum legere jubet. *Curtius lib.* 3. *pag.* 55, & 56.

11. *Mauritius Dux Saxoniæ* nunquam ſolitus eſt calumniatorum delationes accipere, niſi ipſi ſponderent, ſe affuturos coram, quando accuſatos ea de re allocuturus eſſet. Nec poſſunt etiam delatores refutari melius, quam hoc modo, ſi jubeantur ea coram dicere in faciem præſentibus, quæ de abſentibus deferunt. Nam multi, proh dolor! viri boni talibus delationibus prægravantur, quia ipſorum excuſationes non audiuntur. Aſſentiuntur autem plerumque Principes delatoribus, re nondum explorata. *Peucerus in Chronic.*

111. Idem obſervavit *Domitianus Imp.* Licet enim ille crudelis, ſimulator, ſuſpicax & inſidiator fuerit, ſummam tamen humani generis peſtem judicavit delatores, ſycophantas & obtrectatores; quos urbe ejecit. Idem cum homines mordaces ac maledicos haberet odio, ſemper tamen eos dicere ſolebat pejores eſſe, qui maledicis aures præberent, neque reprehenderent, quam ipſos maledicos.

7. *Caſtrationem marium* vetuit, iiſque, qui talem inſtituerent, gravem pœnam indixit.

III. Manſuetudo & clementia.

Domitianus manſuetus & clemens audire volebat. Nam quamvis immanis & ſanguinis ſitientiſſimus eſſet: Clementiam tamen tanquam neceſſarium Principis ornamentum laudibus efferre, & quoties in Senatu aliqua de re ſententiam diceret, clara ſemper virtutis hujus encomia orationi aſpergere conſueverat. Unde abſente adhuc patre, ut ab omni cæde abhorrere videretur, verſum *Virgilii* recitabat:

Impia quam caſis gens eſt epulata juvencis!

Et poſtea edictum promulgavit, ne boves immolarentur. Hic repetere nos oportet *emblema* antea recitatum, *Domitiani initia* quam fuerint *mitia*. Famam namque clementiæ dictis conſequi cupiebat, quam tamen factis evertebat.

IV. Magnificentia.

Nam *Domitianus* bibliothecas incendio abſumtas impenſiſſime reparare curavit, exemplaribus undique petitis, miſſiſque *Alexandriam*, qui deſcriberent emendarentque. Similiter ædificia collapſa aut incendio conſumta magnis ſumtibus reparavit, & ſpectacula, quibus Romani ſingulariter delectabantur, populo Romano exhibuit.

II. VITIA.

I. *Otium & levitas.*

Domitianus in initio principatus plane nihil egit, ſed illiberalibus exercitiis deditus fuit. Nam quotidie ſecretum ſibi horarium ſumere ſolebat, nec quicquam amplius quam muſcas captare, eaſque ſtylo præacuto configere. Unde cum quidam quæreret: Num quis eſſet apud Cæſarem? Fibius Criſpus lepidè reſpondit: *Ne muſca quidem. Suetonius* §. 3.

AXIOMA.

Principum ſtudia atque exercitia non debent eſſe illiberalia.

Nam non ſine cauſa *Domitianus* ab Hiſtoricis reprehenditur, quod voluptatem ex muſcarum cæde, quas accuminato concutiebat bacillo, quæreret. Nec minus incommode *Commodus* Imp. à Lampridio perſtringitur, quod artifex eſſet in his, quæ ſtationis Imperatoriæ non eſſent; nempe quod calices fingeret, ſaltaret, cantaret, ſibilaret, denique ſcurram & gladiatorem ſe perfectum oſtenderet. Neque laudem in Principe exercitia ea merentur, quæ ſanguinem proliciunt, ut ſi quis lanium agere velit, & pecudes mactare, quæ feri & crudelis animi documenta ſunt.

Similiter levitatis ſignum in *Domitiano* fuit, quod in Imperii progreſſu delatoribus & calumniatoribus crediderit. Nam dum rapinis intendit animum, ita aures delatoribus patefecit, ut nihil cuiquam tutum eſſet. Grande hoc vitium fuit. Nam calumniatores humani generis ſunt peſtis. Unde lingua ſycophantæ vocatur *lingua aſpidis*, *Pſalm.* 140. *v.* 4. Quia ſycophanta vel calumniator eadem opera tribus perſonis nocet. Nam 1. Conſcientiam atrociter fauciat. 2. Auditorem veritate privat. & 3. Delatum injuria afficit. Unde *Bernhardus* pulchre ait: Triplex lancea eſt detractoris lingua, quæ uno ictu tres confodit, dicentem, audientem, & eum in fama, de quo detrahit: *O venenata ſagitta, tres ſimul penetrans!* Ut vere ſapientum quidam dixerit: Detractor habet diabolum in lingua, auditor in aure, & conſentiens in corde. Et valde memorabile eſt carmen *Solonis*, quod exſtat apud *Laërtium lib.* 1.

Singulis probe obſervatis,
Vide, ne quis haſtam occultam
In corde habens, te blando vultu alloquatur,
Et lingua duplex ex atramento ſonet.

II. *Tyrannica crudelitas.*

1. *Domitianus* muſcas quotidie interficiens, crudelitatem ex quotidiano illo exercitio didicit. Etenim ſtolidus primo muſcas, deinde homines perſequitur. Similiter centenas varii generis feras ſæpe in *Albano* ſeceſſu conficientem ſpectavere plerique, atque etiam ex induſtria ita quorundam capita figentem, ut duobus ictibus quaſi cornua effringeret. *Suetonius in Domit.* §. 19. Nam venatores, qui venationibus perpetuo indulgent, plerumque ſanguinarii & crudeles evadunt. *Exemplum* habemus in *Nimrodo. Geneſ.* 10. *verſ.* 9. Et in noſtro *Domitiano.* Similia crudelitatis exempla in eodem habemus, qui Metium Pompoſianum, ob ϕόβον Imperatoriam, quam habere vulgo ferebatur, & quod depictum orbem terræ in membranis, concioneſque Regum ac Ducum è *Tito Livio*, circumferret, quodque ſervis nomina *Magonis* & *Hannibalis* indidiſſet, occidit, quem pater ejus Veſpaſianus occidere noluit.

11. *Dion* de eo ſcribit §. 67. quod neminem unquam vere & ex animo dilexerit, præter paucas mulieres: & quem ſe diligere ſimulabat, eum maxime interfectum cupiebat: ut idem *Dion* inquit.

III. *Hypocritica Calliditas.*

Nam crudelitati addebat hypocrisin & calliditatem: h. e. armatus erat crudeli calliditate, & callida crudelitate Nam securos hilaresque à se dimittebat, & spe gratiæ plenos, quos mox interfecturus erat, & quo contemtius hominum patientia uteretur, nunquam tristiorem sententiam sine præfatione clementiæ pronunciavit, ut non aliud jam certius atrocis exitus signum esset, quam Principis lenitas. Unde *Cornelius Tacitus* de eo ait: *Domitiani* natura præceps in ira, & quo obscurior, eo irrevocabilior. Erat namque simulator pessimus.

Hypocrisin quoque suam atque adeo stupendam dementiam hoc ipso ostendit, quod Senatoribus convocatis præbuerit cœnam sepulchralem, quam apparavit in plane atra domo, ubi sellæ erant nudæ. Hospites absque comitibus ingredi jubebantur, ad quamlibet columnam sepulchrum paratum cum lychno parvulo: inde ibant pueri, sed plane atri tanquam spectra, saltabantque: paulo post venit ipse Imperator, habebatque orationem de morte, ita ut miseri plane putarent sibi moriendum esse. Cum eos satis diu detinuisset, dimisit eos, sed additis peregrinis comitibus, paullo post sequuntur munera Imperatoris cum pueris jam bene lotis, qui donabantur simul Senatoribus. *Xiphil.*

IV. *Ambitio & superbia.*

I. *Domitianus* magnificos sibi arrogavit titulos, qui superbi hominis sunt characteres. Nam eo dementiæ processit, ut statim ad Imperium evectus omnes titulos in se receperit, seque Consulem in sequentes annos decem perpetuos fecerit, & Censorem perpetuum, per omnes vitæ annos. *Xiphilinus.*

II. *Pari arrogantia*, cum Procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, ita exorsus est. *Dominus & Deus noster sic fieri jubet.* Unde institutum posthac, ne scripto quidem ac sermone cujusquam aliter appellaretur. *Sueton.* §. 13. Unde *Martialis poeta lib.* 8. in fine inquit: Edictum Domini Dei nostri. Item *Statius lib.* 4. En hic est Deus; Hunc jubet beatis pro se Jupiter imperare terris.

III. *Principatum* adeptus etiam in Senatu jactare non dubitavit; se & patri & fratri Imperium dedisse, illos sibi redidisse.

IV. Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas & argenteas poni permisit, ac ponderis certi.

V. Post duos triumphos *Germanici* cognomine assumto, Septembrem mensem & Octobrem ex appellationibus suis *Germanicum* & *Domitianum* transnominavit, quod altero suscepisset Imperium, altero natus esset. *Suetonius* §. 13.

VI. Illud quoque superbiæ & crudelitatis signum est manifestum, quod Consiliarios suos audire noluerit. Nam mos hic superborum & Tyrannorum Principum fuit, qui, ut suarum crudelitatum ac libidinum authorem haberent Senatum, quæ fieri vellent, in Senatu proponi curabant: Id autem improbare capitale fuisset. Ista quidem vis est, non rogandi Senatum quæ velit, sed cogendi. Ex quo *Plinius Junior* in Panegyrico de Domitiano: Videmus, inquit, curiam elinguem, in qua dicere quod velles, periculosum, quod nolles, miserum esset: Quia unus solus censebat, quod omnes sequerentur. *Trajanum* vero cum in cæteris omnibus, tum in eo maxime laudat, quod eo rogante, sententias libere dicere liceret, vinceretque sententia, non prima, sed melior. *Bodinus lib.* 3. *de Republ.*

V. *Odium erga Artes liberales & Literatos.*

Domitianus insectatus est Philosophos atque Mathematicos, & plurimos interfecit, reliquos urbe & Italia exegit, deposuitque humanitatem, quam simulaverat; plurimosque alios sub diversis prætextibus, vel in exilium ejecit, vel trucidavit. *Nervam* quoque ut Imperio insidiantem pepulit: & *Apollonium Tyaneum*, ut *Nervæ* amicum, comprehensum totondit, & vinctum in judicium adduxit. Cum vero Philosophus illi non cederet, sed ejus acta ridere pergeret, verecundia motus eum dimisit. Qui quidem celebrem illum versum dixisse fertur:

Οὐ μὲν με κτανέεις, ἐπεὶ οὔ τοι μόρσιμός εἰμι.

id est:

Me non occides: nec enim hoc tibi fata dederunt.

Atque è vestigio evanuisse. *Suidas.*

Occasio hujus odii erga literatos fuere præsagia Chaldæorum, qui tragicum exitum ipsi prædixerunt, quibus ille valde commotus est. Cum enim Mathematicum quendam, nec inficiantem jactasse se quæ ex arte prævidisset, sciscitatus esset de exitu vitæ suæ, & affirmantem, fore, ut brevi laceraretur à canibus, interfici eum sine mora jussit. Sed ad refutandam artis vanitatem, sepeliri quoque eum accuratissime curavit. Quod cum fieret, evenit, ut repentina tempestate dejecto funere semiustum cadaver discerperent canes. *Dio* ait, jussisse *Domitianum*, ut vivus ille combureretur, sed admoto igni tantam imbris copiam subito defluxisse, ut rogus exstingueretur, in quo canes eum, cum vinctis à

tergo

tergo manibus reperissent, dilacerarunt. Hoc *Domitiano* cœnanti cum relatum est, vehementi erga literatos odio repletus est, metumque ferri in eo vehementer auxit.

Monitum.

Ita etiam nostra non tempora tantum, sed etiam judicia hominum bonis artibus, ac literatis iniqua sunt. Nam ut nunc res fluunt, *Domitiani* edicto opus haud erit. Bonæ artes enim in exilium ibunt sua sponte. Tempora enim instare videntur, quibus brevi, non dicam precium, sed vix vita erit bonis literis. Tenebræ & barbaries imminent, perque totius Europæ nostræ campos sese diffundent. At non ita Magnates literas & literatos tractent; sed erga eos εὐεργέται sint & liberales. Imitentur *Alexandrum Magnum*, qui quasi stipatus semper incessit doctissimis viris. Cujus erga Aristotelem pro descripta natura animalium, quam larga fuit munificentia? Donavit namque eum octingentis talentis, h. e. 800000 & 400 coronatis; ut viri docti rationem ineunt. *Plutarchus in vita Alexandri. Vellejus Paterc. lib. 1. Philip. Camer. in Hor. succis. Centur. 1. cap. 4. & Cent. 2. c. 55.* In hujus argumenti consideratione cum olim versaretur *Martialis* poëta, sic tandem exclamare non dubitavit, *lib.* 8, ad Flaccum:

Sint Mecænates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.

VI. *Rapacitas.*

Domitianus operum atque munerum impensis & stipendio exhaustus, quod militibus adjecerat, animum ad rapinas convertit, nihilque pensi habuit, quin bona vivorum & mortuorum, quolibet & accusatore & crimine, prædaretur.

VII. *Imprudentia.*

Anno Christi 84. cum ingens vini fuisset copia, parum vero frumenti, *Domitianus* putans nimio cultu vini agros negligi; edicit, ne quis in *Italia* novellet, aut vites propaget; ii autem qui extra *Italiam* sunt, per totum Romanum Imperium vineta ut succidant, & frumentum in iis conserant. Revocavit tamen postea hoc edictum, cum famosi minacesque libelli sæpius hac de re spargerentur. *Suetonius.* In quibus hi versus erant:

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ.

hoc est:

Etiamsi me roseris usque ad radicem; tamen tantum adhuc fructus feram, quantum libaminis loco infundi sufficiat Cæsari, cum mactabitur.

VIII. *Mala Conscientia.*

Mala conscientia fuit digna scelerum ac flagitiorum ejus pœna. Nam etiam Imperator pavidus semper atque anxius erat, minimis etiam suspicionibus præter modum commovebatur. Unde & porticuum, in quibus spatiari consueverat, parietes phengite lapide distinxit, è cujus splendore per imagines quidquid à tergo fieret, providebat. Nec nisi secreto atque solus plerasque custodias, receptis quidem in manu catenis, audiebat. *Suetonius* §. 14.

AXIOMA.

Tyranni omnia metuunt. Sicut pulchre dicitur *Psalm.* 53. *vers.* 6. *Ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* h. e. malum timoris causa. Nam Tyranni semper trepidant instar folii volantis, & fugiunt nemine persequente: sicut dicitur *Levit.* 26. *vers.* 36.

Exempla.

I. *Dyonisius* senior filio suo dicebat: Metum ac vim, item catervam juvenum stipantium, immensum barbarorum satellitium, adamantina Regum esse vincula. Risit eundem *Plato*, qui cum vidisset ipsum aliquando multis cinctum custodibus: Quod tantum malum, inquit, fecisti, ut à tam multis satellitibus necesse habeas custodiri: *Plutarch. in Dione.*

II. De *Ludovico* XI, *Galliarum Rege*, memorabile refert exemplum *Cominæus.* Hic Rex ipse spontaneis vinculis sese induit, inque majori metu versatus est, quam illi, quos aliquando captivos detinuerat. Ita enim sese in arce quadam (cum neque alio unico, neque genero, neque filiæ, neque ulli alii, totus suspicionibus & diffidentia obrutus, fideret) inclusit, & custodiis circumsepsit, ut, teste *Cominæo*, velut oculato teste, nullus arctiori custodia coërceri potuisset, quam ille se seipsum cohibuit. *Cominæus lib.* 4.

Unde venuste & eleganter scribit *Ælianus in histor. Animal.* Tyrannos *suibus* esse similes, quas si quis tetigerit, protinus inclamare incipiunt; mortem scilicet somniantes, cum nec vellera habeant, nec lac, nec aliud quicquam præter carnes: Sic tyranni omnia metuunt, scientes, quod sicuti sues, ita & ipsi omnem vitam debeant.

III. ACTA BELLICA.

Quatuor expeditiones partim sponte susceptas, partim necessario per Legatos gessit. *Unam* adversus *Dalmatas, alteram* adversus *Cattos*, h. e. *Hessos.*

De

De qua *Dion* ita ſcribit: Profectus in Germaniam, ne conſpectis quidem hoſtibus, rediit, atque triumpham egit. *Suetonius* §. 8. *Tertiam & quartam* expeditionem ſuſcepit adverſus *Dacos*, quorum Rex erat Decebalus, qui *Daciam* & vicinas regiones tenuit ad Iſtrum, ubi nunc eſt partim Tranſylvania, partim Walachia. Virtus *Decebali* hiſce verbis à *Dione* deſcribitur: Erat, inquit, *Decebalus* in cognoſcendis rebus hoſtium perſpicax, & in agendo ſolers, promtuſque ad invadendum & regrediendum, ſi res ita poſtulabat. Noverat enim optime inſidias facere, prælium committere, optime uti victoria, atque acceptam eladem ferre moderate. Tanta virtus cum fuerit *Decebali*, Romanos exercuit annos circiter 16. ac vix tandem à *Trajano Imperatore* victus eſt. Licet autem *Domitianus* adverſus eum expeditionem ſuſceperit, tamen ad hoſtes non acceſſit; ſed abdidit ſe in luſtra libidinum, multoſque amicos interfici juſſit. Cumque *Cajus* miſſus contra *Decebalum* cum legionibus trucidatus eſſet, *Domitianus*, cum *Decebalum* armis vincere non poſſet, annui tributi penſitatione pacem emit, rediitque triumphaturus, & paſſim trophæa victoriæ collocavit.

IV. ACTA ECCLESIASTICA.

Secunda Chriſtianorum perſecutio cœpit ſub *Domitiano*.

1. *Johannes Evangeliſta* A. C. 90. à Proconſule in Aſia vinctus, Romam miſſus eſt ad *Domitianum*, ibi in oleum igneum demerſus eſt; ex quo cum evaſiſſet ſalvus, in Patmum Inſulam relegatus eſt: uti ſcribunt *Tertullianus*, *Hieronymus*, & *Origenes*. Vide *Apocal.* 1. *v.* 9.

II. DOMICILLA *Imp. Domitiani* ex Sorore neptis, ab eunuchis ſuis *Nero* & *Achillæo*, qui à D. Petro quondam religionem Chriſtianam edocti fuerant, Chriſtianæ fidei doctrinam perceptam caſti pectoris incluſit penetralibus. Quæ cum *Aureliano Flavio*, *Clementis*, Domitiani fratris, filio, nubere recuſaret, (putans, ſe Chriſtianam cum gentili viro non bene cohabitare poſſe) in Pontiam Inſulam pro confeſſione nominis Chriſtiani deportata, longum ibi martyrium duxit; & tandem à *Luxurio Aureliani Imp.* fratre, ſub *Trajano Imp.* cum ſacrificare idolis nollet, una cum ſuis famulis, in urbe Tarracina, in cubiculo cremata eſt.

III. *Domitianus* in Judæos, eorumque occaſione in Chriſtianos, multiplicem crudelitatem exercuit. Nam *Cletum* & *Anacletum* Epiſcopos Romanos occidi juſſit, quibus ſucceſſit *Clemens*. Timotheus quoque, Oneſimus & Dionyſius Areopagita, martyrii corona coronati ſunt.

IV. *Tres virgines Veſtales*, ob ſtuprum damnatas, vivas defodi juſſit, & inceſtuoſos in foro virgis uſque ad necem cæsi mandavit: Addidit autem præterea duos viros, totidemque mulieres, alteros Græcos, alteros Gallos, eoſque in foro Boario vivos defodit. Fuerunt hi procul dubio Chriſtiani. Omnium enim incommodorum aut cladium hi putabantur cauſa. *Si Tiberis*, inquit Tertullianus, *aſcendit, ſi cœlum ſtetit, ſi terra mota eſt, ſi fames, ſi lues; ſtatim, Chriſtianos ad leonem, &c. clamatur.*

V. Cum Domitianus *Judæos* quoque ex regio Davidis genere conquiri ac interfici juſſiſſet, & ad eum nepotes Judæ Apoſtoli, homines tenues & ruſticani, adducti eſſent, non modo liberos eſſe dimiſit, & tanquam viles homines contempſit; ſed etiam perſecutionem publicis rurſus edictis ſuſtulit. *Egeſippus l.* 3. *cap.* 20.

VI. *Johannes Evangeliſta*, cum fere per quinquennium in Patmo fuiſſet, Apocalypſin ſuam ſcribit, circa finem imperii *Domitiani*; teſte *Euſebio*, & *Irenæo lib.* 5.

Viri Celebres in Republ. literaria.

Tempore *Domitiani Imper.* viri doctrina præſtantes & celebres fuerunt ſequentes: 1. Juvenalis. 2. Martialis. 3. Valerius Flaccus. 4. Silius Italicus, Poëtæ. 5. Epictetus Philoſophus, qui Senatuſconſulto cum cæteris urbe Italiaque pulſus Hierapolin conceſſit, vitamque diu ibi produxit. 6. Cornelius Tacitus Hiſtoricus. 7. Julius Solinus. 8. Quintilianus (quem Valla lumen Romanæ eloquentiæ vocat) ex Hiſpania venit, & primus Romæ ſcholam publicam aperuit, & ſalaria è fiſco accepit. 9. Apollonius Tyanæus Philoſophus inſignis. 10. Joſephus Antiquit. Judaic. ſcriptor, opus ſuum de antiquitate abſolvit A. C. 94. ut ipſe teſtatur in fine, anno 13. Principatus *Domitiani*, anno ætatis ſuæ 56, à captivitate Babylonica 709. ab excidio urbis Jeroſolymæ 24.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

I. *Multiplex interitus Domitiani.*

PRÆSAGIUM.

1. *Chaldæorum.* Chaldæi *Domitiano* adhuc adoleſcenti & genus & tempus interitus ejus prædixerant. Igitur tanto magis Tyrannorum ultor *metus* eum torquebat. Cum enim mortis tempus à Mathematicis ipſi prædictum inſtare putaret, porticus

ticus ſuas (in quibus deambulare ſolebat) phengitico marmore, uti etiam parietes ejus incruſtavit, ut ei lapides illius fulgore velut in ſpeculo, non minus eorum qui à tergo, quam qui à fronte ſe offerrent imagines, eodem tempore repræſentarentur. *Fulgoſ. lib. 9. cap.* 14. Verum iſta adverſus mortem ſolertia inanis fuit.

II. *Præſagium Procli.* A. C. 95. *Proclus* quidam in Germania prædixit annum & diem, qua *Domitianus* mori debebat. Is captus ad *Domitianum* mittitur, à quo in vincula compingitur, donec dies illa deſignata præteriiſſet. Sed *Domitianus* dicta die occiſus fuit.

III. *Dictum patris ejus facetum.* Pater ejus *Veſpaſianus* quoque *Domitianum* filium ſuum in cœna quadam à fungis abſtinentem palam irriſerat, ut ignarum ſortis ſuæ, quod non ferrum potius timeret. *Suetonius* §. 14.

IV. *Ipſius Domitiani Præſagium.* Præcedenti die eædem ſuam ominatus dixit, ſe metuere, ne luna in Aquario ſe cruentaret, circa horam quintam ſequentis diei. Sed ſequenti die ipſi de horis inquirenti ſexta pro quinta annunciata eſt, & paulo poſt occiſus eſt, adhuc ante meridiem. Factum hoc eſt die 18 Septembris; ut Scriptores unanimi conſenſus teſtantur.

II. *Omnium erga eum invidia ac odium.*

Tandem, cum *Domitianus* cunctis inviſus eſſet, omnes tum amici, tum liberti intimi contra eum conſpirarunt. Cujus conſpirationis ſocia quoque fuit conjux ejus *Domitia*. Cum enim illa reperiſſet catalogum interficiendorum ſcriptum in pagella, in quo & ipſius & multorum amicorum & libertorum nomina ſcripta erant: re deliberata cum illis, liberti *Domitianum* interfecerunt.

III. *Cornicis eloquium.*

Ante pauculos quam occideretur menſes, cornix in Capitolio elocuta eſt: Ἔσται πάντα καλῶς. h. e. *Bene cedent omnia.* Nec defuit, qui oſtentum ſic interpretaretur:

Nuper Tarpejo quæ ſedit culmine cornix,
Eſt bene, *non potuit dicere*: *dixit*, Erit.

Nam ſub Tyrannis nunquam bene eſt; verum ſpes eſt, bene futurum. Nec enim Tyranni diu ſubſiſtere poſſunt. Ipſum quoque *Domitianum* ferunt ſomniaſſe, beatiorem poſt ſe lætioremque portendi Reipubl. ſtatum. Sicut ſane brevi evenit abſtinentia & moderatione inſequentium Principum, uti ſcribit *Suetonius in Domitiano* §. 13.

II. ΤΑ' ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Occiſus eſt *Domitianus* in cubiculo inguina ſuſfoſſus à *Stephano* Auguſtæ procuratore, qui ſecretum ejus colloquium petens, brevemque gladiolum ſiniſtro brachio occultas, manum tanquam fractam multis faſciis laniſque per aliquot dies ad avertendam ſuſpicionem circumligaverat, eique libellum legendum tradiderat. Huic cum ſaucius repugnaret ac colluctaretur, ſeptem vulneribus à libertis cæteris accurrentibus trucidatus eſt. Periit 14. Calend. Octobris, anno ætatis 45, Imperii 15.

III. ΤΑ' ΠΑΡΗΠΟ'ΜΕΝΑ.

I. *Cadaveris exportatio.* Cadaver ejus populari ſandapila per veſpillones exportatum, more gladiatorum.

II. *Funeratio.* Cadaver exportatum *Phyllis* nutrix in ſuburbano ſuo prædio funeravit, & reliquias templo Flaviæ gentis clam intulit, cineribuſque *Juliæ* filiæ *Titi*, quam & ipſa educaverat, commiſcuit. *Suetonius* §. 17.

III. *Militum indignatio, & Senatus exhilaratio.* Mortem ejus graviſſime tulerunt milites, iiſque, quos authores cædis fuiſſe putarunt: unum genitalibus amputatis, & in os conjectis: alios duos uno ictu jugularunt. Contrà Senatus ejus morte adeo lætatus eſt, ut repleta certatim curia non ſibi temperaret, quin mortuum contumelioſiſſimo atque acerbiſſimo acclamationum genere lacerare, omniumque imaginum, titulorum & memoriæ ejus abolitionem decerneret. *Suetonius in Domitiano* §. 23.

NOTA.

Tyrannis occiſis, & libertate reſtituta, viri boni tripudiant, peſſimamque eorum memoriam obliteratam cupiunt.

IV. *Appollonii Thyanei exclamatio.* Admiratione dignum eſt, quod de *Appollonio Thyaneo*, Pythagorico Philoſopho & Mago inſigni, Scriptores prodiderunt. Erat, inquit, *Philoſtratus*, (apud Laërtium) *Appollonius* tunc Epheſi in Aſia, & in foro forte ad populum orationem habebat. Hic primum hæſitare & loqui remiſſius incipiebat, poſtea ſubito quaſi attonitus exclamavit; *Euge Stephane*, inquit, *percute Tyrannum*, *percute homicidam.* Et paulo poſt: *Bene eſt*, *percuſſiſti*, *vulneraſti*, *occidiſti.* Factum eſt hoc eodem die & hora, qua Domitianus occiſus eſt, &c.

XIII. IMPERATOR ROM.

NERVA COCCEJUS.

CAPUT I.

DE ORTV.

NERVA COCCEJUS in oppido Narniensi in Italia natus, ex nobili *Sabinorum* familia oriundus fuit, vir in militia clarus & illustris. *Sext. Aurelius Victor.*

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ.

1. *Nerva* spectabili forma præditus erat, sed senectute languenti stomacho imbecillior: attamen senectus corporisque languor virtutes animi non minuebant, sed potius splendidiores reddebant. *Dio in Nerva §. 2.*

II. *ACTA POLITICA.*

Circa acta Politica notanda sunt duo: 1. *Imperii occupatio.* 2. *Imperii administratio.*

I. *Imperii occupatio.*

Domitiano exitiali Tyranno *Nerva* successit, vir in privata vita moderatus, & in militia clarus atque strenuus, qui senex admodum, operam dante *Petronio secundo*, prætorii Præfecto, item *Parthenio*, interfectoribus *Domitiani*, Imperator factus est. *Eutropius in Brev. lib. 8.*

Invitus autem & coactus imperium suscepit: cumque illud suscepisset, mox rumore orto, vivere atque affore *Domitianum*, perinde trepidavit, ut colore mutato, verbis amissis, vix consisteret. Sed à *Parthenio* confirmatus recepta fiducia ad solenne delinimentum conversus est. Qui cum in curia à Senatu gratanter exceptus esset, solus ex omnibus *Arrius Antonius* vir acer, eique amicissimus, conditionem imperantium prudenter exprimens, amplexus cum, gratulari se ait, Senatui ac populo provinciisque, ipsi autem nequaquam, cui satius fuerit malos Principes semper illudere, quam tanti oneris vim sustinentem, non molestiis modo & periculis subjici, sed famæ etiam inimicorum pariter & amicorum, qui cum se mereri omnia præsumunt, si quicquam non extorserint, amici sunt ipsis quoque hostibus atrociores. *Sextus Aurelius Victor.*

AXIOMA.

Omnis honos est onus.

Hinc *Rex Alphonsus* amico ac familiari cuidam suadenti, ut tranquille & voluptuose, dum posset, vitam ageret, nec corpus tot tantisque periculis objectaret; respondisse fertur: Non temere à Romanis, illis quidem sapientioribus, *Honoris templo Virtutis templum* conjunctum esse, in quod nisi per *virtutis* templum introire nemini liceret. Quo insinuare voluerunt, ut mortales intelligerent, ad honoris fastigium non voluptatum via (quæ deliciis atque illecebris affluens esset) sed virtutis, & illa quidem aspera & salebrosa, enitendum esse. *Panormitanus in gestis Alph. lib. 1.* Similiter *Diocletianus* adhuc privatus dicere solebat: *Nihil difficilius esse, quam bene imperare.* Id *Flavius Vopiscus in Aureliano* tradit se audivisse a patre suo, additque causam: Colligunt se, inquit, quatuor aut quinque simul ad decipiendum Imperatorem, consilium capiunt, dicunt, quid probandum sit, Imperator, qui domi clausus est, vera non novit: cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur, facit Judices, quos fieri non oporteret: Amovet à Republ. quos debebat retinere, Ita bonus, cautus, & optimus venditur Imperator. At vulgus ad Imperatoris titulum satis esse putat nasci aut eligi: Nasci utcunque. Eligi emtis suffragiis, ac solennibus ceremoniis confirmari. *Vopiscus.*

II. *Imperii Administratio.*

Nerva etsi senectute & corporis langore correptus esset; tamen in eo animi virtutes excelluerunt, ipseque bene & laudabiliter imperium administravit. Nam sequentes ejus virtutes ab Historicis magnifice deprædicantur.

I. Modestia.

In initio imperii statuas aureas & argenteas sibi fieri vetuit, bonaque, quæcunque adhuc inventa sunt in palatio, restituit iis, quibus ea *Domitianus* per vim & injuriam ademerat. *Dion §. 2.*

II. Liberalitas, & in pauperes benignitas.

Civibus Romanis, qui in summa vivebant egestate, agrum dedit ad mille quingentas myriadas drachmarum, ejus agri emtione divisioneque quibusdam viris Senatorii ordinis impetrata.

III. Justitia.

1. *Justitiæ cultorem* quoque se ostendit statim; post-

postquam Domitiano occiso ad imperii successionem vocatus fuit. Nam servos omnes, quos contra Dominos suos conspirasse invenit, ceu ingratos perfidosque jussit occidi, ut exemplum omnibus illius ordinis constitueret, ne improbe contra eos conjurarent, quorum, servitutis jure, acerrimi propugnatores esse debebant.

II. *Juravit in Senatu*, nullum è Senatoribus suo jussu interfectum iri, idque jusjurandum facta etiam conjuratione contra se ratum fecit. *Dio* §. 2.

III. *In Republ.* nihil suo arbitrio unquam statuit, semper primarios viros consiliis suis adhibens. Multas leges sanxit, inter quas etiam hæc fuit: *Ne mares castrarentur.* Quam *Domitianus* quoque antè tulerat. Item: *Ne quis fratris vel sororis filiam uxoremve duceret. Dio* §. 2.

IV. *Dignos* potissimum ad honores evexit, nec beneficentia cuiquam bono defuit.

IV. Clementia & lenitas in Conjuratos.

I. *Virginium Rufum*, qui sæpe Imperator appellatus fuerat, collegam in Consulatu assumsit. *Dio* §. 2.

II. *Calpurnium Crassum* ex antiqua Crassorum familia, & alios nonnullos, qui contra eum conjuraverant, cum nondum rescirent patefactam esse conjurationem, in spectaculo juxta se collocavit, iisque gladios tradidit in manibus, ut (sicuti dicebat) an satis acuti essent, inspicerent, quemadmodum id fieri solet: Revera autem ideo hoc fecit, ut eis ostenderet, sibi nequaquam curæ, si vel in eodem loco statim interficeretur. *Dio* §. 3.

USUS.

1. Hinc videmus, quod bona conscientia sit murus aheneus, juxta illud Poëtæ:

——— Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

2. Mortis contemtus argumentum animi ab altiori sede venientis.

Exempla utriusque habemus hoc loco in *Nerva Imperatore.*

V. Æquitas & Civilitas.

Cum egeret pecunia, magnum numerum vestium, multaque vasa aurea & argentea, & reliquam supellectilem non modo de privatis suis, sed etiam de principalibus rebus, multa etiam prædia, multasque domos, atque in summa omnia, præter ea, quæ necessaria erant, vendidit. *Dio* §. 2.

VI. Morum integritas.

Nerva usque adeo bonus Princeps fuit, ut aliquando dicere autus sit: *Se nihil fecisse, quo minus posset, depositio Imperio, privatus into vivere.* Cum quo congruit *Symbolum* ejus, quod tale est:

Mens bona regnum possidet.

Quod desumsit ex Seneca in *Thyeste*:

Mens regnum bona possidet.
Rex est qui metuit nihil.
Hoc regnum sibi quisque dat.

Erasmus Michael in suis Cæsaribus ita reddidit:

Cæsaris hæc vox est Nervæ: *se Romula tali*
Sceptra quidem & fasces sustinuisse manu:
Vt nihil horresceat privatam ducere vitam,
Et nihil insidias pertimuisse velit.

Cum quo congruit vox præclara *Eberhardi* I. *Ducis Wyrtenbergici.* Cum enim, in Comitiis Wormatiensibus apud Vangiones habitis, singuli Principes singulas regionum suarum laudes deprædicarent, & unus de vini copia, alter vero de vi argenti maxima gloriaretur: *Eberhardus* hoc nomine se beatum prædicabat, quod tutus in gremio cujusvis subditorum vel inermis dormire posset. Pulchrum & venustum tanti Principis dictum! Namque Justitia & Beneficentia Principis, fidem atque benevolentiam parit multitudinis: benevolentia fidesque caritatem: caritas securitatem: securitas Imperii diuturnitatem. Quarum rerum omnium comes est immortalis gloria. Contra autem injustitia & sævitia gignit metum: metus odium: odium insidias: insidiæ interitum. Quas res perpetua comitatur infamia.

VII. Paterna Providentia.

Cum autem *Nerva* propter senectutem contemptui esset militibus, conscendit in Capitolium, & *Marcum Vlpium Trajanum* in filii locum adoptavit, hisce unus verbis: Quod felix faustumque sit Senatui, populoque Romano, mihique ipsi; *M. Ulpium Nervam Trajanum* Principem facio, eumque adopto, & Cæsarem appello. Postea Imperii insignia ei misit in Germaniam, quam ipse tanquam Proconsul tunc temporis obtinebat, eumque hoc versu *Homerico* ad Imperium cohortatus est:

Telis Phœbe tuis lacrymas ulciscere nostras.

Itaque Trajanus, quanquam Nervæ propinqui non deerant, tunc Cæsar ac postea Imperator factus est. Qua adoptione (ad quam accessit etiam Senatus consensus, optime de Romano Imperio promeritus est. Quoniam ille conjunctionem sanguinis postposuit publicæ utilitati. Neque etiam cum deterruit, quod Trojanus non esset Italus vel Italicus,

ſed Hiſpanus; quodque ante eum nemo alterius nationis Imperium Romanum obtinuiſſet: cenſebat enim virtutem cujuſque, non patriam, exiſtimati & ponderari oportere. *Dio in Nerva* §. 3.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. *Nerva Imper.* injuſte damnatos ſub *Domitiano* reſtituit, & ex exilio revocavit, vetuitque edicto, ne liceret in Chriſtianos ſævire, aut ſectæ Judaicæ quempiam inſimulare: & ſycophantas quoſdam occidi juſſit, A. C. 96.

11. *Johannes Evangeliſta* circa hunc annum ex Patmo ſuo Epheſum rediit, ubi poſt reditum annos quatuor vixit, & Eccleſias in Aſia gubernavit. Reditum ejus Deus illuſtri miraculo ornavit. Quia Druſiana, quæ efferebatur, cum Johannes urbem ingrederetur, per eum vitæ reſtituta eſt. *Euſebius, Nicephorus & Suidas.*

111. *Dionyſius Areopagita* eodem anno in Galliis prope Pariſios martyrio coronatur. *Trithemius.*

1v. *Johannes Evangeliſta* rogatur A. C. 97. ab Epiſcopis Aſiæ, ut Evangelium ſcribat, quo refutentur *Cerinthus*, aliique *Hæretici*. Et annuit quidem Johannes; voluit tamen ut jejunium propter hanc rem Eccleſiis indiceret, & pro felici ſucceſſu Deum deprecarentur. *Hieronymus in præfat. in Matth.*

CAPUT III.

DE EGRESSV.

NERVA non multo poſt adoptatum *Trajanum*, quoniam parum proſpera valetudine utebatur, ſtomachi dolore mortuus eſt, anno ætatis 66, Imperii anno 1, menſe 4, die 9. Corpus ejus Auguſto honore delatum, in ſepulchro Auguſti reconditum eſt. *Dion* §. 3. Eo die, quo interiit, ſolis defectio facta eſt. *Sext. Aurel. Victor.*

ELOGIUM.

Nerva Imper. fuit vir probus, juſtus & integer. *Apollonius Thyaneus* apud Philoſtratum ait: Se nunquam ridentem, nunquam ludentem eum vidiſſe.

Auſonius hoc epigramma de eo fecit:

Proximus exſtincto moderator ſceptra Tyranno
Nerva *ſenex, Princeps nomine, mente parens.*
Nulla viro ſoboles, imitatur adoptio prolem,
Quam legiſſe juvat, quam genuiſſe velit.

AXIOMA OECONOMICUM.

Annus 100 fatalis eſt Principum familiis.
Eo enim anno familiæ, deficientibus ſucceſſoribus, intereunt: aut dignitatem priſtinam à parentibus ortam amittunt.

Exempla.

Ita centeſimo anno ab eo tempore, quo Monarchia Romanorum ſub Auguſto Cæſare cœpit, imperium Romanum cœpit regi per extraneos Principes, & tranſlatum eſt illud Axioma & decus imperii primum ad Nervam, Trajanum, Hadrianum, Hiſpanos, alioſque. Vide plura exempla apud *Petrum Gregor. Tholoſ. lib. 21. de Republ. cap. 5.* N3.

XIV. IMPERATOR ROM.

M. ULPIUS TRAJANUS.

CAPUT I.

DE ORTV.

ULPIUS TRAJANUS natione *Hiſpanus* fuit, ex urbe Tudertina oriundus: *Ulpius* ab *avo* dictus: *Trajanus* à *Trajo* paterni generis authore, vel de nomine *Trajani* patris ſic appellatus. *Sextus Aurelius Victor.*

NOTA.

Primus hic ex peregrinis, h. e. extra Italiam natus, Imperator factus eſt. Hactenus enim Romæ vel in Italia nati: deinceps peregrini ad gubernacula imperii ſederunt. Adeo ut recte dictum ſit: *Romam virtute externorum creviſſe, ut inter Reges quoque Romanos Tarquinius Priſcus* olim peregrinus fuit. Et recte ſentiebat *Cocceius Nerva*, cum hunc Trajanum adoptaret; virtutem cujuſque, non patriam, exiſtimari & ponderari oportere. *Dio in Nerva* §. 3.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙ'Α.

Trajanus egregia forma præditus erat. Nam ita *Plinius in Panegyrico* de eo ſcribit: Jam proceritas corporis, jam honor capitis, & dignitas oris, longe lateque Principem oſtentant.

II. *ACTA OECONOMICA.*

1. *Vxor* ejus fuit POMPEJA PLOTINA, fœmina ſanctiſſima, (uti à *Plinio juniore* vocatur) h. e. modeſtiſſima atque optima. Quod vel inde patet. Nam cum poſt Trajani electionem primum in Capitolium iret, multique eſſent, qui Imperii felicitatem omnibus modis ei precarentur, adhuc in gradibus, unde ab omnibus conſpici & exaudiri poſſet, ad populum circumfuſum converſa: *Talis*, inquit, *hinc ingredior, qualem me exire cupio.* Quo dicto

dicto innuere voluit, ſe non minus in Imperio, quam cum extra Imperium eſſet, omnibus optime velle. Unde ſic ſe in Principatu geſſit, ut omnino juſta reprehenſione caruerit. *Xiphil. in vita Trajani.*

11. Sæpe etiam maritum hortata eſt, ne provincias à procuratoribus ſuis divexari pateretur. Cui ille obtemperans, graviter in improbos illos fiſci lienes invectus eſt. Nam ut, creſcente in corporibus humanis liene, reliqui artus contabeſcunt: ita fiſcum per ſimilitudinem vocabat *lienem*; quod turgente Principis fiſco, reliqua civitatis membra marceſcant & ægrotent. Unde *Plinius in Panegyrico* ad *Trajanum* præclare inquit: Quæ gloria tua eſt præcipua, ſæpe vincitur fiſcus: cujus mala cauſa nunquam eſt, niſi ſub bono Principe. Pulchrum hac de re exſtat emblema apud Alciatum, quod tale eſt:

Humani quod ſplen eſt corporis, in populire
Hoc Cæſar fiſcum dixerat eſſe ſuum.
Splene aucto reliqui tabeſcunt corporis artus:
Fiſco aucto arguitur civica pauperies.

Regula Vitæ.

Recte & venuſte *Cicero l.* 1. *Offic.* ſcribit: In rebus proſperis, & ad voluntatem noſtram fluentibus, ſuperbiam magnopere faſtidiamus, arrogantiamque fugiamus. Nam ut adverſas, ſic ſecundas res immoderate ferre, levitatis eſt. Præclara eſt æquabilitas in omni vita, & ſemper idem vultus, eademque frons.

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Nerva Imp. *Trajanum* adoptavit & Cæſarem creavit: quod Senatus Romanus approbavit, uti in *hiſtor. Nervæ* diximus. Decretum de adoptione, & inſignia Imperii, à *Nerva* & *Senatu* ad ſe miſſa, accepit in urbe *Colonia Agrippina*. Et tum agebat annum ætatis 42. Quo tempore vigor corporis & animi maxime floret, neque adoleſcentiæ impetu ſe efferens audacius, neque ſenili tarditate langueſcens.

Præſagium Imperii ejus.

Antequam Imperium adipiſceretur, per quietem ſomnium habuit: vidit virum jam grandem natu, veſte purpurea & corona ornatum, & ab eo in ſiniſtram partem juguli ſui, poſt in dextram, annulo ſignum imprimi. *Dio in vita Trajani* §. 1.

Omen felicis gubernationis.

Omen vero felicis gubernationis habitum fuit, quod cornix Imperium ejus adveniens, è faſtigio Capitolii denunciaverit, Atticis verbis clamans: *Ἐσται πάντα καλῶς. Omnia bene erunt. Sextus Aurelius in Trajano.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

Imperium ita adminiſtravit, ut eum omnibus Principibus merito præferri ſcribat *Eutropius*. Nam iſte *talem* (ut cum *Sext. Aurelio Victore* loquar) ſe Reipublicæ præbuit, *qualem* vix ægreque exprimere valuerunt ſummorum virorum miranda ingenia. Nam cum duo ſint, quæ ab egregiis Principibus exſpectentur, ſanctitas domi, & in armis fortitudo, & utrobique prudentia: Certe tantus in eo erat maximarum rerum modus, ut quaſi temperamentum quoddam virtutes miſcuiſſe viderentur Nam ſuam ſalutem ſibi inviſam affirmabat, ſi non eſſet cum ſalute Reipubl. conjuncta; uti *Plinius in Panegyrico* ait.

Hinc tale *Symbolum* uſurpavit:

Qualis Rex, talis Grex.

Cum quo congruit dictum *Syracidis c.* 10. *v.* 2. *Qualis eſt judex populi, tales ſunt miniſtri ejus: Et qualis eſt Rector civitatis, tales & habitantes in ea.* h. e. Subditi Magiſtratus ſui ingenium plerumque imitantur.

Quod *Symbolum Trajani intelligi* poteſt διπλῶς.

1. Γενικῶς, ſive in utramque partem. Nam fit plerumque, ut Princeps exemplo ſuo trahat ſubditos. Quorum non animis ſolum, ſed oculis etiam eum ſervire oportet. Nam Principis vita cenſura eſt, ſecundum *Plinium*. Et *Iſocrates* inquit *ad Nicoclem*: Totius civitatis mores ad exemplum Magiſtratuum conformantur. Similiter *Cicero libro* 1. *Famil. epiſt.* 9. inquit: Quales in Republ. Principes, tales ſolent eſſe reliqui cives. Et *Claudianus* pulchre canit:

——— *Totus componitur orbis*
Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.
Scilicet in vulgus manant exempla regentum.
Utque Ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.

11. Εἰδικῶς. Sic Symbolum illud uſurpari poteſt.

1. *De imitatione virtutum.* Sic Principes prudenti gubernatione non tantum proſunt Reipubl. ſed exemplo etiam ſuo mores civium emendant; ſicut *Seneca* in *Thyeſte act.* 2. *ſq.* 1. pulchre ait:

Rex velit honeſta; nemo non hæc eadem volet.

Cum quo congruit venuſtum *Ovveni* epigramma *ad Jacobum Angliæ Regem:*

O quanta exempli generoſo in Principe vis eſt!
Tu vitando vetas, tu faciendo jubes.
Princeps principium motus: Rex regula vitæ.
Circumfert cœlum ſidera; Rex populum.

2. *De contagio vitiorum.* Nam ita *Salomon, Proverb.* 29. 11. inquit: *Princeps qui audit verba mendacii, omnes miniſtros habet impios.* Nam ſi vitia concipiunt Principes, ea plerumque in civitatem infundunt: neque obſunt quod ſolum ipſimet corrumpuntur; ſed etiam quod corrumpunt, pluſque exemplo quam peccato nocent. Huc pertinet elegans dictum *Ciceronis lib.* 3. *de Legibus.* Non tantum mali eſt peccare Principes (quanquam hoc eſt magnum per ſe ipſum malum) quantum illud, quod permulti imitatores Principum exiſtunt. Nam licet videre, ſi velis replicare memoriam temporum, qualeſcunque ſummi civitatis viri fuerunt, talem civitatem fuiſſe: Quæcunque mutatio morum in Principibus exſtiterit, eandem in populo ſecuturam. Huc pertinet pulchrum *epigramma Ovveni*, cujus titulus eſt *Auliciſmus.*

Arriſit tibi Rex? ridebit & aſſecla magni
Regis: ut ad motum corporis umbra movet.
Perfricuit frontem Rex? Aulicus illico vultum
Contrahit, ut, cum ſol occidit, umbra fugit.

Virtutes Trajani ſpeciales.

I. *Juſtitia.*

Sextus Aurelius Victor ita de eo ſcribit: *Trajanus juſtitiæ ac juris* humani divinique, tam repertor novi, quam inveterati cuſtos fuit. *Hæc ille.* Unde tantum innocentiæ ſuæ fidebat, ut præfecto militum prætorianorum, *Sabuzano* nomine, cum eum creaverat, gladium, quo accingi eum oportebat, nudum porrigens dixerit: *Accipe gladium, quem pro me, ſi bene atque ratione imperavero, diſtringes: ſin minus, eo ad interitum meum utere.*

OBSERVATIO.

Uſus GLADII *duplex* eſt. 1. *Politicus*, vel *Judicialis.* Sic *gladius* eſt *inſigne juſtitiæ*: ſicut *D. Paulus* inquit *ad Rom.* 13. 4. *Magiſtratus* DEI *miniſter eſt*, tibi in bonum. Quod ſi feceris id quod malum eſt, time. Non enim fruſtra *gladium* geſtat. Unde patet, quod Gladius Magiſtratui à DEO conceſſus, ſit publica poteſtas & authoritas gladium ſtringendi ad bonorum defenſionem, & malorum coërcitionem. Hinc etiamnum uſitatum eſt, ut in publicis ſolennitatibus *Gladius evaginatus* Imperatori & Regibus præferatur: quod *ſymbolum* eſt *juſtitiæ*, ut terror ſontibus incutiatur, & inſontes ſciant, ſe ſub protectione ſummi Magiſtratus ab injuria & violentia ſceleratorum tutos eſſe.

Huc pertinet venuſtus & elegans *Dialogiſmus.*

Quæ DEA? Juſtitia. *At cur torvo lumine ſpectas?*
Neſcia ſum flecti, nec moveor precio.
Unde genus? Cœlo. *Qui te genuere parentes?*
Mi Modus eſt genitor, clara Fides genitrix.
Aurium aperta tibi cur altera, & altera clauſa eſt?
Una patet juſtis, altera ſurda malis.
Cur gladium tua dextra gerit, cur læva bilancem?
Ponderat hæc cauſas; percutit ille reos.
Cur ſola incedis? Quia copia rara bonorum eſt.
Hæc referunt paucos ſecula Fabricios.
Paupere cur cultu? Semper juſtiſſimus eſſe
Qui cupit, immenſas nemo parabit opes.

11. *Eſt Polemicus & militaris.* Sic *Gladius* eſt inſigne *fortitudinis heroicæ.* Et hoc reſpectu etiam Magiſtratui à Deo conceſſus eſt gladius pugnandi pro aris & focis, h. e. *pro religione & pace*, ut ſubditi ſint tuti adverſus publicam latronum Rempubl. infeſtantium violentiam. Ita *Gideon* ſextus judex in Iſraël, in prœlio contra Midianitas milites ſuos clamare juſſit; *Gladius Jehovæ, & Gideon. Luth.* Hie das Swert des Herren / und Gideons. *Judic* 7. 20.

Similiter *C. Julius Cæſar* in heroicis *Gabriel. Simeon.* Symbolis pingitur ſtans ſuper globum mundi, ſiniſtra tenens *librum*, & dextra *gladium*, cum hac inſcriptione: *Ex utroque Cæſar.* Qua pictura adumbratur, hiſce duobus, nempe *Literis* & *armis*, Cæſarem Imperium acquiſiviſſe, acquiſitumque conſervaſſe.

II. *Magna erga Senatum reverentia.*

Senatum in ſummo honore habuit, & ſine ejus conſilio nihil fecit: unde & à Senatu hic ei honos habitus eſt, ut *Princeps optimus* nominaretur. Et acclamari deinceps in Imperatorum ſequentium electionibus ſolitum fuit, *Auguſto felicior*, & *Trajano probior.*

III. *Humanitas.*

Trajanus erga omnes erat humaniſſimus. Nam ſupra modum laudanda eſt vox ejus graphica, qua amicis incuſantibus, quod parum memor Imperatoriæ Majeſtatis nimium eſſet omnibus expoſitus,

situs, respondit: *Talem præstabo me Imperatorem privatis, qualem optarem ipse privatus. Erasmus l. 8. Apophth.* Ita *Trajanus* milites in bellis saucios ipse curabat, & cum ligandis vulneribus fasciæ multis deessent, ne suæ quidem vesti pepercit, sed in laciniis conscissam illis divisit.

IV. *Comitas & affabilitas.*

Hæc virtus in admissione hominum & colloquio cum iisdem constitit. Laudabile vero semper Principibus, faciles interpellantibus aditus præbere, nec de occupationibus causari, ut olim Ausonius dicebat.

Quam virtutem unice amavit Trajanus, vere optimus, de quo Plinius: *Nulla apud eum in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora: audiuntur statim, dimittuntur statim.*

V. *Liberalitas.*

Erga *Doctos* adeo liberalis & munificus erat, ut *Juvenalis* de eo scripserit:

Et spes & ratio studiorum in Cæsare tantum:
Solus enim tristes hac tempestate Camœnas
Respexit.

Similiter *Plinius Junior* in *Paneg. Trajani* inquit: Quem honorem dicendi Magistris? quam dignitatem sapientiæ Doctoribus non habes? Ut sub te spiritum & sanguinem, & patriam receperint studia, quæ priorum temporum immanitas exilio puniebat.

Etiam in AMICOS liberalis erat, cum quibus, si vitæ conditione par esset, societatibus fruebatur. Sæpe nonnullorum ignorantium domos ingressus est, cum eis ad cœnam accumbens.

Romæ repertum marmor in foro Trajani his characteribus insignitum: *Potentissima dos in Principe liberalitas atque clementia. Marlor. in Topog. lib. 5. c. 52.*

VI. *Prudentia & modestia.*

Prudens & modestus fuit, quod libertatem sententias dicendi consiliariis suis concesserit. *Plinius Junior in Panegyr.* de *Domitiano* ita conqueritur. Videmus, inquit, curiam clinguem, in qua dicere quod velles, periculosum; quod nolles, miserum esset. Quia unus solus censebat, quod omnes sequerentur. *Trajanum* vero cum in cæteris omnibus, tum in eo maxime laudat, quod, eo rogante sententias, libere dicere liceret, vinceretque sententia non prima, sed melior. *Bodinus de Republ. lib. 3. pag. 392.*

VII. *Magnificentia.*

Trajanus incredibili magnificentia exstruebat publica ædificia, vias & porticus.

A. C. 114. Forum *Trajani* cum columna perfectum est; ut inscriptio indicat. Monumentum autem positum fuit, ut palam fieret, quantæ altitudinis mons & locus tantis operibus sit egestus.

A. C. 116. *Portum Anconæ* suis sumtibus instauravit, ut tutior esset navigantibus. Ideo hoc anno monumentum ipsi positum. *Onuphrius.*

VIII. *Constantia in servanda Amicitia.*

Trajanus amicos suos, & vivos, & defunctos benigne amplexus est. Licet enim *Sura* (qui fide & amicitia cum *Trajano* conjunctus fuit) sæpe apud eum ab invidis & inimicis accusatus esset: nihilominus tamen domum ejus etiam non vocatus ad cœnam venit, dimissaque custodia Medicum *Sura* primum omnium ad se vocavit, eique suos oculos tractandos & curandos permisit. Quo facto tonsorem ejusdem venire jussit, qui mentum Imperatoris rasit. Nam hæc vetus consuetudo civium Romanorum ac Principum fuit, & Ælius Hadrianus Trajani successor primus barbam nutrivit. Posthæc *Trajanus* cœnavit lotus, posteroque die amicis suis, qui *Sura* maledicere semper, eumque calumniari consueverant, respondit: *Si me Sura interficere voluisset, certe heri me interfeciisset.* Hunc *Suram* post mortem *Trajanus* affecit publica sepultura, eique statuam collocari jussit. *Dion in Trajano, §. 1.*

Similiter *Marcellum* adeo dilexit, ut ipsi imperium & provincias commendaret, si fatale quid sibi accidisset. *Spartianus.*

IV. *ACTA BELLICA.*

Trajanus quinque potissimum gessit bella.

Bellum I. contra Germanos.

Primum bellum gessit contra GERMANOS: quos cum repressisset, & Germaniam trans Rhenum in pristinum statum reduxisset; inde *Germanicus* dictus est.

Bellum II. contra Dacos.

Secundum bellum gessit contra DACOS. Cum quibus acerrimo confixit prælio. Quo plurimi quidem hostium cæsi & victi sunt; tamen etiam apud Romanos tantus vulneratorum numerus fuit, ut deessent lintea, quibus vulnera obligarentur.

Quare

Quare *Trajanus* ſuam ſupellectilem ad hanc rem diſtribuit. *Dion.* §. 2.

Trajanus inſequitur *Decebalum Dacorum Regem*, & ad Regiam ipſius tandem pervenit, ubi iterum victoria potitur. *Decebalus* ſtatim legatos ad eum mittit, qui pacem petant. Pax confecta, atque *Trajanus* Romam reverſus, de DACIS triumphavit. Unde *Dacicus* appellatus eſt. Quorum titulorum *Juvenalis Satyr.* 6. meminit:

Dacicus & ſcripto radiat Germanicus auro.

Cum autem *Decebalus* in *Dacia* multa contra fœdus faceret, & ſocios populi Romani deprædaretur; *Trajanus* ipſe contra eum proficiſcitur. Utque commodius bellum cum *Dacis* gerere poſſet, pontem ingentem in *Danubio* ingenti ſumtu ædificat, qui habuit pilas è lapide quadrato 20. Et ponte perfecto, in *Daciam* venit, hoſteſque magno prælio vincit. *Decebalus* cum regiam & omnem ſuam ditionem in poteſtatem Romanorum veniſſe videret: ne vivus caperetur, mortem ſibi ipſi conſcivit. *Trajanus* etiam theſauris *Decebali* potitus. in flumine Sargetia defoſſis; quos per captivos quoſdam ibi abſconderat, captivis iſtis poſtea interfectis. Inde pontis ædificati fornices abjicit, atque in Daciam colonias deducit. *Dion in Trajano* §. 4.

Bellum III. contra Armenios.

Trajanus Dacia in provinciam redacta, *tertium bellum* geſſit cum Rege ARMENIORUM, qui inſignia regni ac diadema regium à *Parthorum* Rege, quaſi illi ſubjectus, ſumſiſſet. Ingreſſo autem Armeniorum ac Parthorum fines, multi Satrapæ earum regionum cum muneribus ei occurrerunt. In quibus equus erat edoctus prioribus pedibus procidendo adorare, ac caput pedibus ſubmittere geſtu ſupplicantium. *Regi Armeniorum* regnum adenit, & *Armeniam* in provinciam redegit, limitemque Orientalis Imperii ab Euphrate ad Tigrim amnem protulit. Unde à Senatu Romano magnis honoribus affectus, atque *Optimus* cognominatus eſt. *Dion.* §. 6.

Bellum IV. fuit Parthicum.

Ex *Armenia Trajanus* contra *Parthos* profectus Euphratem fluvium ponte junxit, eumque, fruſtra reſiſtentibus Barbaris, trajecit, & Aſſyria devicta ad Babylonem uſque penetravit. Quam ob cauſam *Parthicus* à ſenatu appellatus eſt. *Dion.* §. 6.

Bellum V. fuit Judaicum.

Judæi A. C. 114. ſub *Trajano* jam ſene & in Aſſyria bellum gerente ſeditiones excitarunt. Nam in Cyrene Romanos & Græcos ſine diſcrimine obtruncarunt ad ducenta & viginti hominum millia, nec cæde contenti, humanis carnibus reliquos veſci coëgerunt, occiſorumque inteſtinis ſtillanti adhuc ſanguine cincti, pellibus vero eorundem obvoluti, multos à vertice ſerris diſſecuerunt medios, multos beſtiis laniandos objecerunt, alios digladiari inter ſe juſſerunt. In Cypro Duce *Artemione* circiter ducenta & quadraginta millia hominum trucidata. Et hujuſmodi cædes per univerſum fere terrarum orbem factæ ſunt. Contra hos autem ſeditioſos Judæos *Trajanus* complures miſit Duces cum exercitu, nempe *Marcium Turbonem*, *Lucium Quietum*, & alios, eoſque profligavit, innumerabilemque illorum multitudinem ferro necavit: Uti ſcribunt *Dio*, *Xiphil.* & *Nicephorus*.

Legem poſtea tulit, ut Judæo capitale eſſet, ſi in Cyprum veniſſet, ſive caſu, ſive vi, ſive errore eo deferretur.

Anno Chriſti 115. Judæi etiam in *Meſopotamia*, cum tumultuarentur, multis millibus cæſis domantur: ſic contra eoſdem in Ægyptum *Marcus Turbo* mittitur, qui infinitas Judæorum copias delet. *Xiphilinus*, & *Dion in Trajano*, §. 20.

Hic furor Judæorum eo magis mirandus eſt, quod recens adhuc erat memoria excidii Jeroſolymitani. Nam à ſecundo *Titi* anno ad Trajanum Imp. ſunt tantum anni 34.

III. ACTA ECCLESIASTICA.

I. Viri Eccleſiaſtici.

I. *Johannes Evangeliſta* anno Chriſti 99. *Evangelium* ſuum ſcripſit. *Hieron.* Et A. C. 100. Epheſi placide in Domino obdormiit, anno ætatis 89. vel 91. uti *Euſebius* ſcribit, & *Hieronymus*. Ita mors beata S. Johannis Evangeliſtæ primum Chriſti centenarium clauſit.

II. Succeſſit ipſi *Oneſimus* Pauli Diſcipulus in Epiſcopatu Epheſino; ut habet *Ignatius epiſt.* 14.

III. *Anacletus* A. C. 101. ſi vera *Baron.* ſcribit, Papa Romanus conſtituitur, die 3 Aprilis. Hic primus vetuiſſe dicitur, ne ſacerdotes vel reliqui ſacris initiati barbam aut comam nutrirent. *Polydorus Virgilius*.

II. Hæretici.

I. *Papias* Diſcipulus Johannis Evangeliſtæ Epiſcopus Hierapolitanus, vir magnæ authoritatis,

ſed

ſed ſectæ de millenario, ſive regno terreno piorum in terris per mille annos author. *Euſebius.*

II. *Lucianus* Sophiſta A. C. 104. blaſphemus ille concionator fuit primum *Antiochiæ*, poſt defecit ad gentiles, & tandem laceratus eſt à canibus: uti *Suidas* habet. Quanquam, ſi ſcripta ejus attendas, videtur 70 annis poſterior.

III. Martyres.

Trajanus Chriſtianos perſecutus eſt. Circa quam perſecutionem notanda ſunt quinque: 1. *Ordo.* 2. *Origo.* 3. *Perſecutionis deſcriptio.* 4. *Duratio*, & 5. *Mitigatio.*

I. ORDO.

Tertia hæc fuit Chriſtianorum perſecutio. *Prima* facta eſt ſub *Nerone*, quæ Romæ ab illo inſtituta eſt anno Chriſti 65. *Secunda* ſub *Domitiano*, A. C. 96. *Tertia* ſub *Trajano*, A. C. 108.

II. ORIGO.

Origo hujus perſecutionis fuit *duplex.*

I. FALSA PERSVASIO. Quia putavit *Trajanus*, ſe cultum præſtare DEO, ſi Chriſtianos perſequeretur: ſicut Chriſtus Salvator noſter prædixit. *Johan. c. 16. v. 2.* Nam unam in Imperio Romano religionem eſſe debere prætexens, Chriſtianos avitæ religionis hoſtes haud ferendos ſtatuit: uti etiam hodie Jeſuitæ hoſtes religionis veræ pernicioſe docent.

II. PRAVA CONSILII SVGGESTIO. Nam ſacerdotes Idololatrici ſubdole ei ſuggerebant, numerum Chriſtianorum indies magis magiſque creſcere, & niſi omni conatu ſtudioque opprimerentur, fore, ut tandem ſeditionem excitarent, ingenſque damnum Romano Imperio inferrent. *Egeſippus in hiſtor. Eccleſ. lib. 3. cap. 26.*

III. PERSECVTIONIS DESCRIPTIO.

Horrenda hæc ſub *Trajano* Imp. fuit Eccleſiæ perſecutio. Quia ubique locorum ſine ullo diſcrimine vel ſexus vel ætatis, omnes qui Chriſtum profitebantur, ad lanienam rapti & interfecti ſunt. Inter quos fuerunt,

1. *Simon Cananæus*, cognomento *Judas*, patre natus Cleopha, Joſephi fratre, matre *Maria*, quæ vocatur Cleophæ, frater Jacobi Epiſcopi, cognomento *Juſti*, diſſipatione facta Apoſtolorum, in Ægypto & Perſia Euangelium prædicavit. Poſt obitum Jacobi in Epiſcopatu illi ſucceſſit, functus Epiſcopi officio plus 40. annis. Vixit annos 20. ſupra 100. Multis ſuppliciis afflictus eſt per multos dies, & tandem cruci affixus, accuſatus, quod eſſet ex genere Davidis, & Chriſtianus. Vide *Hieronymum in Catalogo Martyr. Euſeb. l. 3. c. 32.*

II. IGNATIVS Johannis Euang. & Apoſtoli Diſcipulus, Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, anno *Trajani* ſecundo vinctus Romam mittitur: ibique cum fidem Chriſti abjurare nollet, Cæſariſque ſuperſtitionem reprehendere non deſineret, poſt varia tormenta, cum nihil de conſtanti decentique ſententia remitteret, leonibus immaniſſimis objectus; martyrio defunctus eſt. Adeo autem beſtiarum rugitum non exhorruit, ut eo audito exſultante voce & triumphante animo diceret: Frumentum Chriſti ſum, & dentibus beſtiarum molor, ut purus panis Chriſti reperiar. Fruar beſtiis mihi paratis, quas opto truculentiores mihi inveniri: eas & blanditiis demulcebo, ut crudelius me devorent: & illæ ſi nolint, ego vi eas adigam. Nunc incipio Diſcipulus Chriſti eſſe; Faceſſat à me rerum omnium ſive viſibilium ſive inviſibilium admiratio, ut Jeſum Chriſtum aſſequar. Omnia ſuppliciorum genera à Diabolo excogitata in me coacerventur, ut Jeſum Chriſtum duntaxat adipiſcar. *Euſebius lib. 5. c. 30. Nicephorus lib. 3. cap. 39.*

Idem. Id ſolum peto mihi, ut vires & intus & foris ſuppetant, ut non modo dicam, ſed & velim; ut non ſolum dicar Chriſtianus, ſed & inveniar. Chriſtianus cum odio habetur à mundo, diligitur à DEO. Melius mihi emori propter Chriſtum, quam imperare finibus terræ. Vita ſine Chriſto mors eſt. Meus amor crucifixus eſt. Non eſt in me incendium, quidpiam amans, ſed aqua viva, ſaliens in me, intus dicit mihi: *Veni ad Patrem. D. Lodovicus Rabus, lib. 11. Martyr. pag. 219.* ſcribit, quod *Ignatius*, à tortoribus valde excarnificatus, animoſus conſtanſque permanſerit, medioſque inter cruciatus nomen JESV ſemper invocaverit. Cum autem illi eum interrogarent: Quare hoc nomen Jeſu tam ſæpe nominaret, & quodnam inde levamen haberet? Læto hilarique vultu ille reſpondit: Nomen hoc cordi ſuo inſcriptum eſſe, ideoque nunquam ejus oblivi ſci poſſe. Recte dixit. Nam

Jeſu dulcis memoria Dat vera cordis gaudia.
Jeſu / der ſüſſe Name dein
Im Tod erquickt die Seele mein.

Cum autem mortuus eſſet, pectus ejus diſſecuerunt, cor ejus exemerunt, illudque aperuerunt, nomenque JESV aureis literis ei inſcriptum invenerunt. Quo viſo, multi ab idololatrica religione ad Chriſtum converſi ſunt.

III. *Martyrium quinque Virginum.* Trajanus Antiochiæ quinque Virgines fidem Chriſti palam profitentes combuſſit, & oſſibus earum ad

ſummum combuſtis, cineribuſque æri commixtis ahena quædam aliaq; vaſa inde confici curavit, eaque publico lavacro, quod ibi magnificentiſſime conſtruxerat, dicavit. Verum quicunque eo loturi ingrediebantur, ſimul atque calidas aquas attigiſſent, caligine ſimul & vertigine correpti, cum impetu inde procurrebant, & concidebant. Cauſa vero ejus mali cognita, *Trajanus*, ut alia ex ære puro vaſa pararentur, mandavit; Priora autem illa in fornacibus conflata, in quinque transformavit Statuas, eaſque virginum combuſtarum forma & habitu ante fores balnei collocavit. *Nicephorus lib.* 3. *c.* 23.

IV. *Phocas* in Ponto Eccleſias gubernans, cum Neptuno ſacrificare nollet, in ardentem caminum conjectus, deinde in ferventes aquas demerſus, ad Chriſtum relicta hac ærumnoſa vita commigravit.

IV. DVRATIO.

Hæc perſecutio Chriſtianorum ſub *Trajano* Anno Imperii ejus II incipiebat, & uſque in ſeptimum annum ſe extendebat.

V. MITIGATIO.

Mitigata tandem Imperatoris ſævitia eſt per PLINII II Epiſtolam A.C. 110 Hic enim cum Proconſul in Bithynia eſſet, & in Magiſtratu ſuo multos Chriſtianos interfeciſſet, multitudine & conſtantia eorum perterritus, epiſtolam ad *Trajanum* miſit, in qua deſcribit Chriſtianos, petitq; ſe inſtrui, quomodo contra eos agendum ſit, cum nemini noceant, ſcelera prohibeant, & ſuo Chriſto in cœtibus antelucanis tantum hymnos cantent. *Trajanus* reſcripſit: *Inquirendos Chriſtianos non eſſe, accuſatos & oblatos puniendos eſſe. Oroſius*, & *Euſebius l.* 3. Qui ſubjungit: Reſedit quidem fervor perſecutionis: hoſtibus tamen piorum magna oblata eſt nocendi occaſio. *Tertull in Apolog.* taxat edicti Imperatorii abſurditatem in hunc modum: Reſcripſit *Trajanus*, Chriſtianos inquirendos non eſſe, oblatos vero puniri debere. O ſententiam neceſſitate confuſam! Negat inquirendos innocentes, & mandat puniendos ut nocentes; parcit & ſævit, diſſimulat & animadvertit. Quid te ipſum cenſura circumvenis? Si damnas, cur non & inquiris? Si non inquiris, cur non & abſolvis? Latronibus veſtigandis per univerſas provincias militaris ſtatio ſortitur. In reos Majeſtatis & publicos hoſtes omnis homo miles eſt. Solum Chriſtianum inquiri non licet, offerri licet: Quaſi aliud actura eſſet inquiſitio, quam oblatio? Et ibidem ait: *In Chriſtianis nomen damnari & puniri; non crimen aut ſcelus: Solum nomen innocuum, hominibus innocuis, eſſe pro crimine propter quod plectantur.*

Similiter cum *Tiberianus* Syriæ Præſes A. C. 116. ad *Trajanum* retuliſſet, ſe non parem eſſe Chriſtianis occidendis, qui ultro ſupplicia appeterent, mandavit *Trajanus*, ut ab iis abſtineret.

IV. Viri in literis celebres.

1. *Trajanus* fuit re & uſu magis doctus, quam præceptione diligentiori, qualis in Oratoribus requiritur. Ita enim vim eruditionis callebat, atque ex ejus præſcripto agebat, ut nihil fuerit, in quo non optime inſtitutus videretur. Hinc quoque Bibliothecas Romæ exſtruxit, inter quas unam à Gentilicia appellatione ſua VLPIAM nominavit.

II. Tempore *Trajani* floruerunt, 1. *Plutarchus* Chæronenſis, qui Præceptor ejus, eique valde familiaris fuit. Hic librum edidit de Imperatoria inſtitutione, cum epiſtola, *Trajano* inſcripta, in qua gratulatur ei de modeſtia & optimis moribus.

2. *Lucius Florus*, qui Livii Epitomen edidit.

3. PLINIVS *Secundus*, qui fuit alterius Plinii ſcriptoris naturalis hiſtoriæ nepos ex ſorore; cujus hodie quoque Panegyricus ad *Trajanum* & epiſtolæ exſtant.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

TRajanus, cum contra Agarenos in Arabia infeliciter pugnaſſet, curarum magnitudine adverſa valetudine correptus, in Italiam proficiſci cogitavit. Sed cum in Ciliciam veniſſet, ſtupore primum membris reſolutis, initio apoplecticus, poſtea intercute repletus, apud Selinuntem Ciliciæ oppidum, quæ poſtea Trajanopolis dicta, repente exſtinctus eſt, anno ætatis 64, cum imperaſſet annos 19, menſes 6, dies 15. *Dion in Trajano*, §. 10.

Oſſa ejus in urna aurea collocata, Romamque delata, ſub columna fort *Trajani* Romæ recondita ſunt, cujus columnæ altitudo in 140. pedes erigitur. *Caſſiodorus.*

NOTA.

Trajanus primus apud Romanos ſepulcrum intra urbem conſtituiſſe dicitur ab *Eutropio lib.* 8.

QVE-

QVÆSTIO.

An Trajanus *Imperator per preces Gregorii Papæ Romani, ex inferno liberatus, in cœlum transierit?*

Ex sermone Johannis *Damasceni*, de defunctis. *Gregorius*, qui Dialogos à nostris dicitur, veteris Romæ Episcopus, vir (quod testantur omnes) sacrarum disciplinarum intelligentia celebris, cui etiam (ut ferunt) sacra facienti cœlestis angelus socium se addidit, simul sacrificans; cum per forum *Trajani* lapidibus stratum iter faceret, validas preces ad misericordem, animabusque propitium Dominum habuit, ut *Trajano* Regi peccata dimitterentur. Et confestim vox divinitus allata, audita est in hunc modum dicens: Preces tuas audivi, & veniam *Trajano* do: Tu vero deinceps pro impio hostiam mihi ne offeras. Testatur autem Oriens & Occidens totus miraculum hoc germanum & irrefutabile. Hactenus fabula. De qua anxie disputantem vide *Bellarminum lib. 2. de purgat. cap.* 8. ubi scribit: *Trajanum* non fuisse damnatum absolute ad inferos, sed solum punitum in inferno, secundum præsentia ejus demerita; & suspensam sententiam propter prævisas *B. Gregorii* preces: & præterea non immediate ex inferno ad cœlum transiisse, sed prius corpori unitum, & tunc baptizatum, pœnitentiam in hac vita egisse.

Verum nos breviter respondemus; quod tota hæc fabella

I. Sit ἄγραφος. Ideoque dicimus cum *D. Hieronymo:* Quicquid sine authoritate Scripturarum sacrarum effertur, illud eadem facilitate rejicitur, qua affertur.

II. Est ἀντίγραφος. Quia Christus Salvator noster inquit *Johan.* 3. *vers.* 18. Qui credit in Filium DEI, non condemnatur; qui vero non credit, jam condemnatus est. Jam vero ex inferno nulla est liberatio; sicut Abraham inquit ad divitem epulonem, *Luc.* 16. *vers.* 26. Inter nos & vos hiatus ingens firmatus est: ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque istinc huc transcendere.

III. Est παράλογος. Quia ipse *Bellarminus lib 2. de purgat. cap.* 8. eam refutat, & ita se ipsum intricat; ut non satis mirari possis hominis (si legas) cæcitatem.

XV. IMPERATOR ROM.

ÆLIVS ADRIANVS.

CAPVT I.

DE ORTV.

NAtus est *Ælius Adrianus* anno Christi 78. *Vespasiano* septies, & *Tito Vespasiano* quinquies COSS.

PATER ejus fuit ÆLIVS ADRIANVS, cognomento AFER, qui Adria Piceni oppido oriundus, inde nomen filio huic suo indidisse videtur. Fuit vir magnæ authoritatis & Senatorii ordinis, atque Imperatoris *Trajani* consobrinus.

MATER ejus dicta est DOMITIA PAVLINA à Gadibus oriunda. *Ælius Spartianus in Adriano* §. 1.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙ'Α,

& *Acta Juventutis.*

STatura fuit procerus, forma comtus, flexo ad pectinem capillo, promissa barba, (nam ipse primus Imperatorum fuit, qui barbam nutrivit) ut vulnera quæ in facie naturalia erant, tegeret, habitudine robusta. *Spartianus* §. 14.

Anno ætatis 10. patre orbatus, *Vlpium Trajanum* Prætorium tunc, consobrinum suum, & Cœlium Tacianum Equitem Romanum, tutores habuit. Imbutusque impensius Græcis studiis, ingenio ejus sic ad ea declinante, ut à nonnullis Græculus diceretur. Nam ita de eo *Dion* scribit: Φύσει δὲ φιλολόγος ἦν ἐν ἑκατέρᾳ τῇ γλώσσῃ, καί τινα πεζὰ καὶ ἐν ἔπεσι ποιήματα παντοδαπὰ κατέλειπε. h. e. Natura amans literarum utriusque linguæ, & multa scripta partim soluta oratione, partim carmine composita reliquit. Potuit uno tempore scribere, dictare, audire, & cum amicis colloqui.

Quintodecimo anno ad patriam rediit, ac statim militiam iniit, venandi usque ad reprehensionem studiosus. *Spartianus* §. 1.

II. *ACTA OECONOMICA.*

1. VXOR ejus erat SABINA, ex qua nullos liberos suscepit, & sæpe cum ea divortium facere constituit; idque triplicem ob causam. 1. Quia sterilis erat. 2. Quia morosa & onerosa erat. 3. Quia adulterii suspecta erat. Quoniam cum *Suetonio* Hi-

Hiſtorico & Senatore nimiam familiaritatem habebat, qui etiam eo nomine à gradu dignitatis depoſitus fuit.

II. Ἀφροδισίοις. Quia cum *Antinoo* formoſo juvene maſculam Venerem exercuit. Hic, dum in Nilo cum *Adriano* vectatur, nave excidit & ſuffocatur, & poſtea ab *Adriano* inter DEOS relatus eſt; cum eſſent, qui animam ejus in ſtellam mutatam ſe vidiſſe aſſeverarent. Urbem quoque in Ægypto ædificavit, quam ab ejus nomine *Antinoum* vocavit, ſtatuaſque ei erexit. Ob quem immoderatum erga *Antinoum* affectum irriſus fuit. *Dion* §. 5.

III. *ACTA POLITICA.*

I. Imperii occupatio.

Adrianus opera *Plotinæ uxoris Trajani* Cæſar nominatus eſt. *Dion in Adriano*, §. 1. Quare ex Syria provincia, ubi *Trajanus* in Italiam proficiſcens eum reliquerat, Romam contendit, ſecumque reliquias *Trajani* in urna aurea reconditas in curru triumphali vexit, ut optimus Imperator, ne poſt mortem quidem, triumphi amitteret dignitatem. *Spartianus* §. 3. Similiter cum ex peregrinatione Romam veniſſet, *Plotinæ Trajani* conjugi, vita functæ, cujus opera Imperium adeptus erat, ampliſſimos honores tribuit. Atratus enim per novem dies inceſſit, eique templum exſtruxit; & carmina de laudibus ejus fecit. *Dion in Adriano*, §. 5.

II. Imperii adminiſtratio.

I. ACTA TOGATA.

Bene & laudabiliter *Adrianus* Imperium adminiſtravit.

I. VIRTUTES.

I. *Amor & ſtudium erga Rempubl.*

Nam *Dion* de eo ſcribit, ipſum frequenter in Senatu dicere ſolitum: *Imperium ſe ita adminiſtraturum, ut ſciret, rem populi eſſe, non ſuam privatam.* Unde hoc Symbolum uſurpavit: *Non mihi, ſed populo.*

Quod cum colophone Legum XII. tabularum congruit: *Salus populi ſuprema lex eſto.* Nam omnes Principis actiones ad bonum publicum promovendum, non privatum, ſint directæ. *Lipſius l. 2. Polit. cap. 6.* Quod etiam *Seneca* præcipit in *lib. de Clementia, cap. 1.* Princeps, inquit, exiſtimat, non Rempubl. ſuam, ſed potius ſe eſſe Reipublicæ. Nam, ſecundum *Livium*, Reſpubl. incolumis ſervat res privatas. Nimirum hoc uno Rex potiſſimum differt à Tyranno, qui ſummum crimen putat, populum aut Rempubl. eſſe divitem: teſte *Iſocrat.* At Princeps & Rex bonus, *Non tam ſibi quam populo* conſulit, eorumque quibus præeſt, commodis utilitatique ſervit. In quam ſententiam etiam *Cicero* pulcherrime inquit: Si conſulis populo, remove te à ſuſpicione alicujus commodi tui. Fac fidem te nihil niſi populi utilitatem & fructum quærere.

II. *Reverentia erga Senatum.*

Nam cum libertum ſuum videret duos inter Senatores ambulantem, miſit, qui ei colaphum impingeret, diceretque: *Noli inter eos ambulare, quorum adhuc potes eſſe ſervus:* Simul Senatoriæ dignitati conſulens, & ſervi caſtigans inſolentiam, quam de Cæſare hero ſumſerat. *Dion.*

III. *Juſtitia.*

Juſtitiæ obſervantiſſimus fuit *Adrianus.* Nam cum in ſpectaculo populus clamore flagitaret, ut aurigam, qui placuerat, liberum eſſe juberet, per tabellam reſpondit: Iniquum eſſe quod peterent, & contra leges Juſtitiæ. Si enim ſervum alienum libertate donaret, fieret injuria Domino. *Dion. Spartian.*

Similiter Provinciis quibuſvis proſpiciebat, & de ſecuritate & utilitate in Præſides & Procuratores provinciarum ita ſtudioſe inquirebat, ut crederetur accuſatores emittere; In dijudicandis vero controverſiis adhibuit Juriſconſultos, *Julium Celſum, Salvium Julianum*, & *Neracium Priſcum. Spartianus.* Juſſit quoque Salvium Julianum in ſuo nomine edictum componere, quod Præſides obſervarent in omnibus provinciis, ut idem jus in toto Imperio Romano adminiſtraretur. *Euſebius.*

IV. *Clementia.*

Adrianus adeo contemſit inimicos, ut uni, quem habuerat capitalem, forte obvio dixerit: *Evaſiſti.* Nam Principibus in offenſis privatis debet eſſe ſatis, potuiſſe ulciſci. *Dion.* Idem *Adrianus* ſervum, qui in ſe armatus irruiſſet, condonata venia, curari juſſit, quod eſſet furioſus.

AXIOMA.

Fatui *ſunt implacabiles, vel non facile curantur.*

Quia ponderoſior eſt ira ſtulti, quam arena maris. At homines ſapientes facilius placantur. Nam 1. Cogitant, quanta ſit imbecillitas hominis, juxta illud Comici: Homo ſum, humani à me nihil alienum

num puto. 2. Sciunt, iram per ſe quiddam rabidum, & iræ non indulgendum, juxta illud: *Sapientes ſunt patientes.* Quare

Diſce pati, ſi vis ſapiens & ſanctus haberi.

Item:

Nobile vincendi genus eſt Patientia: vincit
Qui patitur: Si vis vincere, diſce pati.

V. *Magnificentia.*

Orbem Romanum circumivit, & multa paſſim opera magnifica exſtruxit. Alexandriam à Romanis ſubverſam publicis impenſis reſtauravit. Nicomediæ & Nicenæ urbis ædificiis plurimis terræmotu collapſis, ad inſtaurationes eorum, publicas impenſas largitus eſt. In Britannia murum per octingenta millia paſſuum primus duxit, qui Barbaros à Romanis diſcerneret. Cum Peluſium veniſſet, Pompeii ſepulcrum inſtauravit, hoc carmen adjiciens:

Oſſa viri magni tenui quam clauſa ſepulcro!

VI. *Erga pauperes Benignitas.*

Pueris ac puellis, quibus Trajanus alimenta ſtatuerat, incrementa dedit.

VII. *Affabilitas & Humanitas.*

Adrianus in colloquiis etiam humilimorum mire civilis & humanus erat, eoſque deteſtari ſolebat, qui hanc humilitatis voluptatem ipſi inviderent, hoc prætextu, quod dicerent: Principis Majeſtatem ubique ſervandam. *Eraſmus lib. 6. Apophthegm.*

Idem dicere conſueverat, ſibi moleſtum eſſe, ſi quem videret triſtem, cum tamen omnes Doctos quæſtiunculis vexaret, ſed vexatos donavit aliquo munere. Illum forte in foro tranſeuntem appellavit mulier quædam: *Audi me, Cæſar.* Verum is cum reſpondiſſet: *Non eſt mihi jam otium.* Illa altius clamavit: *Noli ergo imperare.* Ad hanc vocem reſtitit, & mulierem audivit. *Dion §. 3.*

Ita legimus de Frederico Urbini (eſt Italiæ oppidum in Umbria) Comite, eum tam comem fuiſſe, ut obvios quoſcunque compellaret, & pileum quaſi continuo manu teneret. Ab Octaviano Ubaldino neceſſario ſuo eam ob cauſam dicterio petitus, qui, ſi quando hominem valde negotioſum & feſtinantem conſpiceret, cum Comitis Friderici pileo occupatiorem eſſe dicebat. *C. Ens Epidorp. lib. 1.*

VIII. *Vrbanitas.*

Adrianus valde feſtivus & acerrimus in ſeriis jociſque erat, & ex tempore carmen carmini referre poterat. Ideoque cum *Florus* Poëta ei verſus exhibuiſſet, quibus ipſius peregrinationes atque laborum tolerantiam perſtringebat: (Imperator namque tempeſtates ita patienter tulit, ut inſtar Maſiniſſæ caput nunquam tegeret;) hos ſcilicet:

Ego nolo Cæſar *eſſe*,
Volutare per Sicambros,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Ei Cæſar reſpondit:

Ego nolo Florus *eſſe*,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Similiter *Adrianus* in balneo veteranum quempiam, ſervuli penuria, ſeſe marmoribus fricantem conſpicatus, eum & ſervulis aliquot & ſumtibus donavit. Quod reliqui veterani feliciter ceſſiſſe videntes, cœperunt & ipſi complures ſub oculis Imperatoris ſeſe marmoribus affricare, ut hoc modo Principis elicerent benignitatem. At ille evocatis ſenibus juſſit, ut alius alium viciſſim defricarent, atque ita pueris nihil opus fore. Is jocus poſtea in vulgi fabulam ceſſit. *Spartianus.*

II. VITIA.

I. Truculentia.

Quamprimum Adrianus adeptus eſſet imperium, ejus initia fuere cruenta. Nam ſtatim interfici juſſit viros præſtantiſſimos, nempe PALMAM, qui bis Conſul fuerat, CELSVM, NIGRINVM & alios; & ne propterea in odium veniret, non modo ſe purgare voluit, verum etiam negavit, interpoſito jurejurando, eos juſſu ſuo interfectos fuiſſe.

II. Ambitio.

Erat *gloriæ & honoris cupidiſſimus*, ob eamque cauſam cæteris vel minimis rebus operam dedit. Nam & ſtatuas fecit; & tabulas pinxit: Tum ea, quæ in pace belloque gerantur, quæque ad Regem privatumque pertineant, ſe profitebatur ſcire, multoſque propterea quod in aliqua arte aut facultate excellerent, oppreſſit, & è medio ſuſtulit: cupiens ſcilicet ipſe omnibus antecellere. *Dion §. 1.*

III. Invidia.

Adrianus valde *invidus* erat. Nam invidens gloriæ Trajani, tres provincias ab eo debellatas, & in poteſtatem Romanorum redactas, reliquit, & Præſides ex Aſſyria, Meſopotamia & Armenia revocavit, quod difficile eſſet eas tueri, & finem Imperii Romani voluit eſſe Euphratem. *Spartianus.*

Magnis quoque ingeniis non viventibus tantum, ſed etiam mortuis invidebat. *Homeri* gloriam extenuare conatus, *Antimachum* illius loco celebrare inſtituit. Cujus etiam nomen multi prius ignorabant. Sed & artifices, qui in arte ſua excellebant, perſecutus eſt; quorum multos depreſſit, multos occidit. *Apollodorum* inſignem architectum primum exilio mulctavit, deinde interfecit hac de cauſa. Ædificaverat *Adrianus* templum Veneris ad viam ſacram, ejuſque formam ad eum miſerat, ut oſtenderet, magna ædificia etiam abſque *Apollodoro* fieri poſſe; quæſiveratque, num quid taxaret in eo templo. *Apollodorus* magnos errores, in eo ædificio commiſſos, oſtendit, quos Imperator jam corrigere non poſſet: Igitur iratus eum interfici juſſit. *Xiphil. Confer Dionem in Adriano* §. 2.

IV. Magia.

Dion in Adriano §. 5. ſcribit: Illum divinationibus & magicis ſacris crebro uſum fuiſſe, atque ſolitum dicere; Se indigere anima, quæ ſponte occubuiſſet; atque *Antinoi* animam celebraſſe, quæ eſſet ejuſmodi.

II. ACTA SAGATA.

I. Milites.

Milites egregia diſciplina habuit, ita ut quæ ab eo inſtituta eſſent, vim legis apud poſteros haberent: quod ut facere poſſet, ipſe exemplum eis præbuit, duriterque vixit. Quapropter facillime bella ſedavit in toto orbe terrarum, cum nemini à militibus fieret injuria, & ſubditi liberaliter haberentur. *Xiphil.* Neque tantum rei militaris ſcientia valuit, ſed copias etiam & præſidia majora, quam ullus ante ipſum Imperator habuit, nempe peditum ducenta, equitum quadraginta millia, elephantos 30, currus 2000 ad prælium inſtructos, ac trecenta millia armorum in ſupplementum, naves porro 2000, & claſſem omnibus rebus ornatam, pecuniæ quoque vim magnam.

II. Bellum Judaicum.

TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

1. *Urbis Jeroſolymæ ædificatio, & à Gentibus inhabitatio. Adrianus Æliam Capitolinam urbem* in eodem loco, ubi Jeroſolyma quondam fuerat, A. C. 129. reparavit, deque ſuo nomine *Æliam* appellavit; & ubi templum Domini fuerat, templum Jovis Capitolini exſtruxit; idolis & abominationibus plurimis loca ſancta inquinavit; ſtatuam ſuam in ſancto ſanctorum collocavit, & in loco Sancti ſepulcri *Veneris* templum condidit. Tum in urbe etiam *Bethlehem*, eo ipſo in loco, ubi Chriſtus fuit natus, *Veneris* & *Adonidis* ædem fundavit, atque adeo urbem gentibus implevit.

11. *Judæorum ſeditio.* Judæi ægre ferebant gentes ſecum in eadem urbe habitare, & ſacrum locum ita à gentibus pollui, adeo ut niſi ipſe Imperator præſens, aut in vicinia fuiſſet, arma ſtatim corripuiſſent. Quare clandeſtina conſilia agitant de rebellione, & interim terram Judæam totam ſpecubus ſubterraneis atque cuniculis muniunt, ut quoties violarentur, liberos haberent ad fugam exitus, invicem quoque ſubter terram clanculum commeare poſſent. *Dux* eorum erat *Bencochab*, vel *Barcochab*. h. e. *Filius ſtellæ.* Nam idem eſt nomen: quia *Ben* & *Bar* filium ſignificat. Quo nomine alluſit ad vaticinium, *Num.* 27. *v.* 17. *Orietur ſtella ex Jacob.* Nam ut propter religionis ſpeciem eo plures concurrerent, eorumque audacia creſceret, ipſe ſibi *Meſſiæ* titulum tribuit. Hic annos aliquot in ipſa Judæa tenuit 50 caſtella, & 980 vicos, & munit oppidum *Bethoron*, ſitum in *Benjamin* & *Ephraim*, quod olim & *Salomon* munierat.

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ,

ſive BELLUM IPSUM.

Romani impetum Judæorum initio contemſere. Verum poſtquam univerſa provincia tumultuata eſt, & quæ ubique gentium erant, cum eis conſpiraverunt, tunc cognoverunt atque intellexerunt, quam grave & periculoſum bellum illud futurum eſſet. Nam ex arce *Bethoren* Judæi ſæpius irruptiones faciebant, & Romanos profligabant. Tunc ergo *Adrianus* minime cunctatus, præcipuos Romanorum *Duces* contra eos miſit. Quorum primus erat *Julius Severus*, præſtantiſſimus *Dux*, qui in Britannia ad coërcendos hoſtes tranſverſum murum duxerat: Hic evocatur; ſed multitudine & deſperatione Judæorum cognita, aperte cum ipſis congredi non auſus eſt, ſed eos interim commeatu excluſit. Deinde ipſe Imperator in Syriam rediit, & oppidum *Bethoron* obſedit annos 3, & 6 menſes. Ibi cum multi in prœliis interirent, & plures fame & peſte morerentur, tandem oppidum vi captum eſt, & interfectus eſt Dux ſeditionis *Bencochab*; Quem poſtea Judæi vocarunt *Barcozbab*, h. e. filium mendacii, quod falſo jactaſſet, ſe recuperatorem Judææ, & *Meſſiam* eſſe. Sicut Rabbi *Akiba*, qui A. C. 135. floruit, ſcribit. Hic *Akiba* à Romanis fidiculis excarnificatus obiit. *Thalmudiſtæ* ſcribunt, quod, cum *Barcochab* Pſeudo-Meſſiam inter cadavera quærerent, viderit ingentem ſerpentem circa occiſi collum hæſiſſe. Numerus interfectorum diverſis in prœliis fuerunt circiter quingenta octoginta mil-

millia hominum. In hoc bello potentia Judæorum, quanta reliqua fuit, fracta eſt. Eorum vero qui fame, morbo, ignique periere, infinita fuit multitudo. Nec tamen Romanis incruenta victoria fuit, quod cum deſperatis eſſet pugnandum. Arces vero & caſtra omnia deſtruxit *Adrianus*, cuncta oppida vaſtavit, & gente Judæorum tota ejecta, edictum propoſuit, ut ne aſpicere quidem ex loco editiore patrium ſolum ipſis in poſterum liceret, Vrbem autem gentibus, quibus Chriſtiani mixti fuerunt, incolendam dedit.

III. TA' ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ.

I. *Vrbs Jeroſolyma Ælia* eſt nominata: nam Adrianus finito bello Judaico, ut Judæos ab ingreſſu urbis Jeruſalem facilius arceret, mutata veteri appellatione, Jeroſolymam de ſuo nomine ÆLIAM nominavit.

II. *Statua Adriani* Equeſtris collocata eſt in loco, ubi antea erat Sanctum ſanctorum.

III. *Sues portæ ſunt inſculptæ.* Nam ut monumentum ſervitutis Judæorum exſtaret perpetuum, *ſuis* imaginem ex marmore factam portæ, qua Bethlehemum itur, imponi juſſit, ut intelligerent Judæi, ſe jam ſub poteſtatem Romanorum redactos, & Politiam Moſaicam cum templi & metropolis ſuæ ruina jam finitam eſſe.

IV. *Judæi ex urbe ſunt ejecti*, & gentibus urbs Jeroſolyma inhabitanda eſt conceſſa.

V. *Profanationis hujus duratio.* Hæc profanatio duravit ad annos 180, uſque ad tempora *Conſtantini Magni.*

VI. *Judæorum venundatio.* Innumerabilis præterea Judæorum, diverſæ ætatis, & utriuſque ſexus multitudo in mercatu *Terebinthi* venundata eſt, h. e. in tabernaculo *Abrahæ*, ubi arbor Terebinthus erat, & quotannis mercatus exercebatur; à quo Judæi poſtea plane abſtinuerunt. *Hieronymus.*

Incidit hæc Judæorum calamitas & alterum quaſi excidium præciſe in annum à Paſſione Chriſti, (quæ anno 34. ætatis ejus contigit) centeſimum; poſtquam ipſi authorem vitæ & exhibitum jam ad crucem poſtulantes, clamaverunt: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Matth.* 27. v. 25.

Poſtea tamen temporis impetrarunt Judæi ab Imperatoribus certo pretio, ut liceret ſibi ſemel in anno, die videlicet 10. *Auguſti*, Jeroſolymam ingredi, ac deflere caſum & ruinam Jeroſolymæ, templi & totius gentis: idque factum eſt aſtantibus militibus ad certam horam; &, ſi plus flere vellent, plus pecuniæ exigebant.

AXIOMA.

Speculum iræ divinæ nobis oſtenditur in hac Judæorum παιδείᾳ & ruina. Et ſic impletum eſt vaticinium *Danielis*, quo ille ante annos 670. interitum & perpetuam vaſtitatem urbis Jeroſolymæ prædixerat. Similiter impletum eſt Chriſti vaticinium *Luc.* 21. v. 24. Cadent acie gladii, & captivi ducentur in omnes gentes, & Jeruſalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora Gentium. Unde patet, quod verum ſit Axioma, *Quod Deus decrevit, ab hominibus mutari non poteſt.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. *A.* C. 121. cum *Antoninus*, qui poſt imperavit, ſuperioris anni Conſul fuiſſet, à Senatu in Aſiam in provinciam mittitur: ibi cum de Chriſtianis quæſtiones haberet, plurimi, qui religionem Chriſtianam profitebantur, tribunal ſimul adeunt, ſeque Chriſtianos eſſe profitentur, & ſi propterea mortem meriti ſint, ſe mortem oppetituros dicunt. *Antoninus* obſtupefactus eorum multitudine, paucos tantum juſſit ad ſupplicium ducere, & reliquis dixit: Si vellent mori, & præcipitia & reſtes ipſis in promptu eſſe, tribunal ne amplius adirent. *Spartianus.*

II. *A.* C. 126. perſecutio contra Chriſtianos in Aſia adeo invaleſcit, ut de iis non amplius exercerentur legitima judicia; ſed tantum clamore vulgi delati, tanquam magni criminis convicti, neci dabantur. *Euſebius.*

III. *Apologia* & interceſſio pro Chriſtianis eſt facta.

1. *A Quadrato*, qui erat Apoſtolorum Diſcipulus, & ab *Ariſtide* Philoſopho; qui ſcriptos libros pro Chriſtiana religione *Adriano Imp.* exhibuerunt. *Euſebius lib.* 4. *cap.* 3.

2. Hiſce temporibus *Serennius Granianus* Legatus, vir apprime nobilis, literas ad Imperatorem miſit, iniquiſſimum eſſe dicens, clamoribus vulgi innocentium Chriſtianorum ſanguinem comedi, & ſine ullo crimine, nominis tantum & ſectæ reos fieri. Quibus commotus Adrianus, *Minutio Fundano* Proconſuli Aſiæ reſcripſit, ſine objectu criminum, aut probatione, Chriſtianos non condemnandos: Cujus epiſtolæ ad noſtram uſque memoriam durat exemplum. *Euſebius lib.* 4.

Lampridius quoque in vita Alexandri Severi ſcribit: Adrianum Imp. voluiſſe Chriſto templum exſtruere, & juſſiſſe, ut in civitatibus templa ſine ſimulacris (nempe in Chriſtianorum uſum) ponerentur. Sed prohibitum eſt ab aliquibus, qui-

dixe-

dixerant, ſi id fieret, omnes Deorum templa deſerturos, & Chriſtianam religionem amplexuros.

Theologi.

1. Circa hæc tempora ab *Euſebio* recenſentur Epiſcopi Jeroſolymitani. Poſt *Juſtum Zaccheus*, *Tobias*, *Benjamin*, *Johannes*, *Matthias*, *Philippus*: Item *Seneca*, *Juſtus*, *Levi*, *Ephres*, *Joſes*, & tandem *Judas*; qui omnes, antequam *Ælia Capitolina* ædificaretur, ex circumciſione fuiſſe Jeroſolymis ſcribuntur. At vero cum Jeroſolyma à *Tito* everterentur, ſolo æquata fuerunt, & aratrum illis impreſſum eſt à *Muſonio Thyrrono* munitionum præfecto. Quod ſignum erat, nemini hominum permiſſum eſſe citra Imperatoris conſenſum vel caſam ibi ædificare. Quare urbs Jeroſolyma diruta jacuit tantiſper dum *Adrianus Imp.* Æliam ædificaret. Quare non immerito quæritur, cum ſucceſſio Epiſcoporum Jeroſolymitanorum habeatur, ubinam locorum ſedem Epiſcopalem illi habuerint? Ad hoc dubium reſpondet *Joſephus Scaliger in l. de emend. temp.* Eccleſiam Jeroſolymitanam in aliqua vicinia fuiſſe, ſicut hodie Epiſcopus *Antiochenus* longe ab Antiochia habitat, & ſimiliter Alexandriæ Epiſcopus ſedem ſuam habet Cayri, & tamen Epiſcopus Alexandrinus vocatur.

11. *Aquila*, qui Prophetas ex Ebræo ſermone vertit in Græcum, cujus *Hieronymus* ſæpius meminit, floret A. C. 130. *Euſebius.*

Hæretici.

Tempore Adriani hæreſes plurimæ in Eccleſia ortæ ſunt, ut *Carpocratis*, qui facultates omnes communes eſſe voluit. Item *Baſilidis* & *Marcionis*, qui duo principia ſtatuerunt coæterna, Bonum & Malum, & Stoicam neceſſitatem introduxerunt A. C. 118. *Gnoſtici* etiam tunc exorti ſunt. Et hæ Hæreſes infamiæ labem Eccleſiæ aſperſerunt, eam in diverſas opiniones diſtraxerunt, perſecutionibus occaſionem præbuerunt, atque ita plus Eccleſiæ, quam ipſæ perſecutiones, nocuerunt. *Euſebius.*

Vixit quoque tunc *Lucianus* Samoſatenſis, qui Gentilium Deos falſe deridebat & lacerabat, Chriſto quoque conviciabatur, nominans eum ἀνασκολοπισθέντα Σοφιστήν, h. e. de palo ſuſpenſum Sophiſtam. Chriſtianos vero ſic ſubſannabat. Perſuaſerunt ſibi, inquit, infelices Chriſtiani, ſe immortalitate fruituros, perpetuoque victuros eſſe. Ideo & mortem magno contemnunt animo, ac non pauci ſua ſponte ſemetipſos occidendos offerunt. Poſtquam vero ſemel à nobis deſciverunt, Græcorum Deos conſtanter abnegant.

Viri celebres in Republ. literaria.

1. *Euphrates Philoſophus* Stoicus, morbo & ſenio confectus, poteſtatem petiit ab *Adriano Imp.* cicutam bibendi, ne id ſibi poſt mortem ignominioſum eſſet; atque ita ſponte è vita abiit A. C. 118. *Xiphil.*

11. *Suetonius Hiſtoricus* A. C. 127. floruit, qui Magiſter epiſtolarum Adriani fuit, hoſtis Chriſtianorum acerrimus, qui illorum meminit in Nerone hiſce verbis: quod ſint genus hominum ſuperſtitionis novæ & maleficæ. Et Chriſtum Salvatorem noſtrum ſæpe vocat Chreſtum.

111. *Juſtinus Philoſophus*, poſtquam & Stoicos, & Peripateticos, & Pythagoræos, & Platonicos audiviſſet, ut cognoſceret doctrinam de Deo, cum nullibi certi quid inveniret, ad Chriſtianos ſe confert A. C. 128. uti ipſemet teſtatur in Dialogo. Præclare hic de Eccleſia Chriſti eſt meritus, & poſtea martyr factus ſub Antonino Pio; ſicut ſcribit *Euſebius lib. 4. cap.* 11, & 12.

Hic notandum eſt diligenter, quod multi hunc *Juſtinum* Philoſophum, propter nominis ſimilitudinem, confundant cum eo, qui Trogi Pompeii librorum epitomas confecit. Qui tamen poſtea vixit.

1v. *Jureconſulti*, quos in dijudicandis controverſiis Adrianus adhibuit, fuerunt ſequentes: 1. *Julius Celſus.* 2. *Neracius Priſcus.* 3. *Domitius Labeo*, & *Salvius Julianus. Spartianus.*

CAP. III.

DE EGRESSV.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

ADrianus, peragratis omnibus orbis partibus, capite nudo, & in ſummis plerumque imbribus atque frigoribus, in morbum incidit lethalem: cumque ſanguinem è naribus ſtillaret, & de vita periclitari videretur, de ſucceſſore eligendo ſollicitus fuit. Et quidem ſucceſſorem ſibi adoptavit *Lucium Ceonium Commodum Verum*, quem *Lucium Ælium Verum* appellavit, eique tribunitiam poteſtatem conceſſit, & Cæſarem eum creavit. Cum illum minus ſanum videret, ſæpiſſime dixit: In caducum parietem nos inclinavimus. A. C. 136. Poſtea mortuo *Ælio Vero* Cæſare, Adrianus A. C. 138. iterum Senatum convocavit, cui *Titum Aurelium Fulvium* commendavit, eumque ut ſucceſſorem ſibi adoptavit, & *Ælium Antoninum* appellavit: qui poſtea *Antoninus Pius* dictus eſt, ſed ea lege, ut ille ſibi duos adoptaret, *Annium Verum*, & *Marcum Antoninum.* Hi ſunt, qui poſtea duo

et duo pariter Augusti primi Rempubl. gubernaverunt. *Spart. in Adriano §. 13.*

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Magnus morbi cruciatus. Adrianus Imperator, cum magicis artibus aquam intercutem eduxisset, sed eadem iterum repleretur, & morbo aucto, remediisque adhibitis, indies deficeret, ingentem cruciatum sensit, morique decrevit. Sæpe autem venenum aut gladium sibi postulavit, sed frustra: cum nemo ea porrigere vellet. Ideo ex impatienti animo dixit: *Miserum se esse, quod mori cum cupiat, non possit.* Ideo tandem contemta diæta, cibo & potu usus minime idoneo, mortem sibi acceleravit. Moriturus hosce versus fecisse dicitur.

Animula, vagula, blandula,
Hospes comesque corporis,
Qua nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut soles, dabis jocos?

Spart. in Adriano §. 24.

Mortuus est A. C. 138. die 10. Iulii, cum vixisset annos 62, menses 5, & dies 19, & imperasset annos 20, mens. 10, & dies 29.

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

1. *Sepultura.* Cum Mausoleum Augusti plenum jam esset, ipse sibi tumulum paravit ex Pario lapide quadrata forma, quæ postea *Moles* Adriani appellata est, supra quam hodie arx Pontificia exstructa est.

II. *Senatus* propter cædes quorundam civium, quas partim in Imperii initio, partim in exitu sive paulo ante mortem fecerat, vix tandem ἀποθέωσιν ei decernere voluit, nisi *Antoninus Pius* successor ejus Magistratum exorasset. *Spartianus §. 14.*

XVI. IMPERATOR ROM.
ANTONINVS PIVS.

CAPVT I.
DE ORTV.

I. *Generatio.*

PATER ejus fuit AVRELIVS FVLVIVS, è Gallia Transalpina oriundus, qui Consul fuit, homo tristis & æger. AVUS, *Titus Aurelius Fulvius*, qui per honores diversos ad secundum Consulatum & præfecturam urbis pervenit.

MATER fuit ARRIA FADILLA.

Avus Maternus ARRIVS ANTONINVS, bis Consul, homo sanctus, & qui *Nervam* miseratus esset, quod imperare cœpisset.

Avia materna BOVINIA PROCILLA.

Natus est Antoninus A. C. 88, 13. Cal. Octob. sub *Domitiano* & *Cornelio Dolabella*, Coss. in villa Lanuvina. *Capitolinus §. 1.*

II. *Appellatio.*

1. NOMEN ejus fuit ANTONINVS. Quod nomen ei à Matre impositum fuit, juxta nomen Avi, qui dictus *Arrius Antoninus.*

II. COGNOMEN fuit PIVS. PIVS à Senatu cognominatus est; idque ob varias rationes; quæ dantur ab Historicis.

1. OECONOMICA est, quod Socerum, fessa jam ætate, manu, præsente Senatu, levaverit. Deinde quod, cum Adrianus, à quo adoptatus erat, se ipsum interficere vellet, ingenti custodia & diligentia effecerit, ne id posset in effectum producere.

2. POLITICA, quod magnam partem Senatus ab Adriano morti destinatam servaverit.

3. PHYSICA & ETHICA, quod natura fuerit clementissimus, & erga omnes beneficentissimus. Nam nihil temporibus suis asperum fecit, nisi quod communi errore Principum Christianis minus æquus fuerit, donec Iustini & aliorum Apologiis placaretur. *Capitolinus in Antonino Pio §. 1.*

NOTA.

Aurelius Victor, Eutropius, & Capitolinus §. 1. eum appellant *Aurelium Antoninum Fulvium Bovinium.*

1. *Aurelius Fulvius* dictus est à patre *Aurelio Fulvio*, viro Consulari.
2. *Antoninus* dictus est ab *Arrio Antonino*, Avo materno.
3. *Bovinius*, ab avia materna *Bovinia Procilla.*

CAPVT II.
DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙ'Α.

INsignes corporis atque animi dotes habuit, quas *Capitolin. §. 1.* ita describit: Puritiam egit Antoninus cum Avo paterno, mox cum materno, omnes suos religiose colens, atque adeo & consobrinorum & vitrici & multorum affinium hæreditate ditatus est. Fuit vir forma conspicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu, & placidus ingenio, singularis eloquentiæ, nitidæ literaturæ, præcipue sobrius, diligens agri cultor, mitis, largus, alieni abstinens, & omnia cum mensura & sine jactantia. In cunctis denique

laudabilis, & qui merito *Numæ Pompilio* ex bonorum ſententia comparatur.

II. ACTA OECONOMICA.

I. VXOR ejus erat *Fauſtina*, Annii Veri filia, quæ malæ famæ mulier erat. Nam ita de ea ſcribit *Capitol.* §. 1. De *Antonini* uxore multa dicta ſunt ob nimiam libertatem & vivendi facilitatem, quæ iſte cum animi dolore compreſſit. Vnde videmus, quod tot tantaque ejus bona atque dona incommodis conjugii turbata ſint. *Fauſtina* à Senatu *Auguſta*, permittente *Antonino*, appellata. *Capitolin* §. 2. Mortua eſt tertio Imperii ejus anno, atque à Senatu conſecrata; templum in honorem ejus exſtructum, & ſtatuæ aureæ & argenteæ ei ſunt poſitæ.

II. LIBERI. Quatuor liberos ex uxore ſua *Fauſtina* ſuſcepit, duos maſculos, & duas fœmellas: quarum *major Lamiæ Syllano*; & *minor M. Antonino Philoſopho* deſponſata eſt. *Capitolin.* §. 1.

III. *Vita Antonini privata.* Hanc *Capitolin.* §. 4. memorabilibus verbis deſcribit, quando inquit: Victus *Antonini Pii* talis fuit, ut eſſet opulentia ſine reprehenſione, parſimonia ſine ſordibus, & menſa ejus per proprios ſervos, proprios aucupes, piſcatores & venatores inſtrueretur. Similiter amictus vulgaris & domeſticus fuit, in quibus ab amicis viſus eſt. *Capitolinus* §. 3.

IV. *Adoptio.* Adoptavit ſibi de Adriani anteceſſoris ſententia *M. Antoninum* fratris uxoris ſuæ filium, & *L. Verum*, *Ælii Veri* filium; qui ab Adriano adoptatus, ante ipſum diem ſuum obierat. Et hi *Antonino Pio* ſucceſſere.

V. *Filii adoptivi informatio.* *Apollonius Chalcedonius* Philoſophus ab *Antonino Pio* Romam Chalcide evocatus, ut *M. Antoninum Aurelium* filium adoptivum in diſciplinis Philoſophicis informaret. Verum hic parum decore ſeſe geſſit, ideoque à ſapiente Principe ſalſe irriſus eſt. Nam cum *Antoninus Pius* in Tiberianam domum, in qua habitabat, eum vocaret, ut filium ei adoptivum in diſcipinam traderet, ille recuſare etiam & dicere auſus eſt: *Non Magiſter ad Diſcipulum debet venire, ſed Diſcipulus ad Magiſtrum* Iritit eum *Imp.* dicens: Facilius fuit *Apollonio* à Chalcide Romam venire, quam è domo ſua in palatium. *Capitolinus* §. 5.

III. ACTA POLITICA.

I. *Imperii occupatio.*

Antoninus Pius per ADOPTIONEM ad Imperium pervenit. Nam ab Adriano Imperatore XV, poſt *L. Commodi* (quem ipſe *Ælium Verum* appellarat) obitum, præter omnem ſpem eſt adoptatus, cum jam honores maximos geſſiſſet (erat enim quinquagenario major) & virtutem ipſi Imp. aliiſque approbaſſet. Hanc adoptionis cauſam ipſe *Adrianus* Principibus Senatus, quos domum ad ſe vocaverat, reddidit, qui in lecto decumbens ita ad Senatum inquit: Mihi quidem, cariſſimi viri, natura filium non dedit; vos vero lege dediſtis. Multum autem intereſt, naſcatur, an adoptetur filius: Propterea quod is qui naſcitur, talis eſt, qualem eum Dii immortales eſſe voluerunt: Eum vero, qui adoptatur, unuſquiſque ſibi deligit. Ex quo fit, ut ille ſæpe naſcatur mutilus & demens: Hic vero (quod certo judicio fit) integer & ſanæ mentis deligatur. Quamobrem ego antea *L. Commodum* unum ex omnibus delegeram, qualem ne naſci quidem optare mihi potui. Sed cum eum mortis fata peremerint, alterum pro illo vobis inveni: eumque vobis do, nobilem, mitem, manſuetum, prudentem, qui nihil temere propter juventutem, nihil propter ſenectutem negligenter poteſt facere: Vixit enim ſemper ſecundum leges, fuitque cum Imperio, moribus & inſtitutis patriæ, ut neque ea, quæ ad Imperatorem ſpectant, ignoret, neque iis omnibus male uti poſſit. Hunc dico *Aurelium Antoninum*, quem, etſi intelligo difficillime moleſtis negotiis implicari, abelleque longiſſime ab hac imperandi cupiditate, tamen non diffido, eum curam habiturum mei veſtrique, & Principatum invitum recepturum. Et ita *Antoninus* Imperator factus eſt. *Dion in Adriano* §. 8.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. ACTA TOGATA.

Neque vero Adrianum ſpes de Antonino concepta fefellit. Omnino enim Imperatorem ſe omni virtute præſtantem re ipſa probavit.

VIRTVTES.

1. Amor erga Rempublicam.

Procuratores modeſte ſuſcipere tributa juſſit: excedentibus modum, rationem factorum ſuorum reddere præcepit, nec unquam lætatus eſt lucro, quo provinciales oppreſſus eſt: imo tanta diligentia ſubjectos ſibi populos rexit, ut omnia & omnes, quaſi ſua eſſent, curaret. *Capitolin.* §. 1. Ac ne cui gravis eſſet, in ſuis prædiis fere ſemper vixit, expeditiones longinquas, & ad alienos abdicavit, dicens: *Gravem eſſe provincialibus comitatum Principis etiam nimis parci. Capitolin.* §. 4.

II. Pru-

II. Prudentia.

1. *Prudentia* ejus ex eo effulget, quod Rempubl. bene ordinavit. Nam viros bonos negotiis Reipub. præficiebat, iisque honores propter administrationis fidem atque industriam tribuebat. Dicere namque solebat: *Homines tales, quales esse velis, nullo modo effici posse: iis vero, qui sint, ad Reipubl. utilitatem esse utendum.*

2. Prudentiæ quoque argumentum erat, quod in judiciis ferendis consilia Jurisconsultorum admiserit, quales tunc erant *Ulpius, Marcellus, Volusius, Vindius, Verus, Salvius, Valens, Metianus & Julolenus*: nihilque egerit, de quo prius cum illis non conferret, hac Gnome sapiente usus: Æquius est, ut ego tot taliumque amicorum consilium sequar, quam ut tot talesque amici meam unius sequantur voluntatem. At contrarium fecit *Justinianus* II. Imp. qui cum 16 annorum esset, Imperium adeptus, propriis consiliis usus est, atque hac ratione maxima incommoda Romano Imperio attulit. *Cuspinianus.*

3. Erat etiam illud magnæ prudentiæ argumentum, quod viros justissimos ad Rempubl. administrandam quæreret: non libertos suos, aut amicos, Principis responsa aut jussa fingere, hoc est, fumum vendere, multorum exemplo, sineret, quin potius libertis suis severissime uteretur. Similiter etiam quod eosdem diutissime provinciis præsidere vellet, ita ut septenis, aut novenis annis, quosdam in iis detineret, præsertim bonos; neque tantum à se, sed etiam ab Adriano missos.

4. Salaria quoque multis, quos otiosos videbat, detraxit, dicens: *Nihil esse sordidius, imo crudelius, quam si Rempubl. ii arroderent, qui nihil in eam suo labore conferrent. Capitolinus* §. 4.

5. Ipse quoque, ne qua in re offenderet, vel sciens vel per imprudentiam, sedulo cavebat; quasi quam nemini negabat, sibi daturi veniam non essent.

III. Humanitas & Comitas.

Valde quoque humanus erat, & Imperatorium fastigium (ut *Capitolin.* ait) ad summam civilitatem deduxit. Senatui tantum detulit Imperator, quantum, cum privatus esset, deferri sibi ab alio Principe optavit. Eadem humanitate & comitate in reliquos cives usus est. Nam admisit ad se amicos etiam privatis & domesticis vestibus indutus. Quin etiam amicis suis in Imperio non aliter usus est, quam privatus. Eorum convivia & ipse frequentavit. Mirabile & memorabile exemplum habemus de *Omulo* Cum Imperator domum ejus invisens, miransque columnas porphyreticas, quæreret, unde eas haberet? ille vero tanquam homo parum continentis vel animi vel linguæ, respondit: *Cum in alienam domum veneris, & mutus & surdus esto.* Quam tamen ille insolitam hominis dicacitatem, uti alias, ita tunc quoque patienter tulit.

IV. Liberalitas.

Miranda hujus Imperatoris fuit liberalitas. Nam opes suas, quibus ante principatum abundabat, Reipub. impendit, & in amicos, in civitates socias ac fœderatas, in opera magnifica, inque homines tenuioris fortunæ aut afflictos contulit; ut, qui ante Imperium ditissimus fuerat, suas opes Imperator amiserit. Quo nomine reprehensus ab uxore, quod congiarium militibus & donativum populo de proprio, ut promiserat, daret, dixisse fertur: *Stulta, postquam ad Imperium transivimus, & illud quod habuimus ante, perdidimus.* Inprimis autem erga doctos liberalis fuit: Rhetoribus atque Philosophis per omnes provincias & honores & salaria detulit. Multis vero, quos otiosos videbat, salaria detraxit: uti antea diximus.

V. Candor.

Candorem amabat, & delatores detestabatur. Nam delatores, si non probarent ea quæ dixerant, capitali pœna affecit; si probarent, ablato præmio, dimisit infames. Quod idem quoque *Vespasianus* & *Titus* fecerunt, qui delatores adeo detestati fuerunt, & odio prosecuti, velut publico exitio destinator, ut flagellis cæsos, per amphitheatri arenam spectandos traducerent, ut pœnis coërciti à delationibus abstinerent.

VI. Justitia.

Adulteria quoque graviter punivit. Nam A. C. 159. legem de adulterio renovavit, Coss. *Plauto Quintillo & Statio Prisco*, quæ æque viris ac mulieribus castitatem tuendam præciperet, cum antea tantum de mulieribus ageret. *Cod. Theod.*

VII. Clementia.

Admiranda ejus clementia fuit, mitissimasque sententias tum dixit, tum secutus est. Solus omnium prope Principum, civili sanguine se non respersit. Gravissimas injurias etiam sibi factas populo condonavit. Quorundam machinationes improbas, ne investigari quidem est passus. Cum enim privatus honestissime semper vixisset, in principatu etiam se ipsum vicit: & quod rarum ac prope inauditum,

adeptus Imperium, melior ac commodior exstitit. Quin imo non tantum injurias verbales, sed etiam reales, h, e. furentis populi tela ac lapides aliquando æquo animo sustinuit; maluitque ratione placare, quam vi & armis seditionem compescere.

Sub hoc Imp. unicus tantum Senator Romæ proscriptus est ATTILIVS TITIANVS, Senatu puniente, quod reus affectatæ tyrannidis esset. Sic ejusdem criminis reus PRISCIANVS voluntaria morte periit. *Jul. Capitol.* CASSIVS vir Senatorius occisus, ipso non jubente, sed permittente; post etiam exstinctum doluit, dicens: *Voluisse se sine Senatorio sanguine Imperium transigere:* Mira clementia in affectatorem Imperii! *Idem.* Reprehensus aliquando, quod nonnullos accusatos absolveret, respondit: Principatum non à pœnis aut suppliciis, sed à mansuetudine potius auspicandum esse. *Dion & Xiphil. in vita Antonini.*

VIII. Pacis studium.

Antoninus Pius fuit Princeps εἰρηνικὸς h. e. valde pacificus. Nam in Imperio nemini asper aut molestus, sed erga omnes bonus, lenis & mansuetus fuit. Vnde Antoninus *Numæ Pompilio* propter vitæ sanctitatem & pacis studium, sicut Trajanus *Romulo* propter Imperii amplificationem & belli gloriam, comparatur. Nihil enim pulchrius est in tota ejus vita, quam perpetuum pacis studium. Unde quod Scipio olim Africanus dicere solitus fuit: *Malle se unum civem servare, quam mille hostes occidere.* hoc Symboli loco postea usurpavit *M. Antoninus Pius Imp.* Κάλλιον πολίτην ἕνα σώζειν. τῶν χιλίων τῶν πολεμίων ἀποκτεῖναι. *Erasmus. Latus in Cæsar. Ital.* tale de eo Epigramma concinnavit:

Symbolon ore gerit, magnus quod Scipio clarum
Romanæ solitus dicere sæpe fuit.
Vnum malle quidem bello servare colonum,
Quam sese hostiles perdere mille viros.

Quo *symbolo* insinuare voluit, pacem bello præferendam, & in ipso bello hanc oportere primam esse Ducis curam, ut quam minima civium jactura paretur victoria.

IX. Perseverantia.

Fuit vir vere τετράγωνος, h. e. quadratus, perpetuoque sibi similis. Quia virtutum decora usque ad finem vitæ conservavit, ut plane docuerit, neque jugi pace ac longo otio absoluta ingenia corrumpi, eoque demum fortunatas urbes fore, si regna sapientiæ sint. Ideoque provinciæ sub eo cunctæ floruerunt. Quia singulari diligentia subjectos sibi populos rexit.

II. ACTA BELLICA.

Antoninus Pius bella nulli populo aut Regi intulit triumphi cupidine, aut Imperii amplificandi studio. Tueri enim parta, quam subinde aliis atque aliis inhiare, & composita turbare latissime regnandi libidine, præoptabat. Tamen per Legatos suos plurima bella gessit, aut orientia restinxit. Nam & Britannos per *Lollium Vrbicum* Legatum suum vicit, muro cespititio submotis Barbaris ducto: & Mauros ad pacem postulandam coëgit: & Germanos & Dacos multasque gentes, atque Judæos rebellantes, contudit per Præsides, ac Legatos. In Achaia etiam atque Ægypto rebelliones repressit. Alanos, seditiones molientes, sæpe ad obsequium redegit. Ideoque cum propter virtutem summam, tum moderationem animi, tantum authoritate valuit, ut ea sola tantum Imperium per 23 annos gubernarit, adeo trementibus eum atque amantibus cunctis Regibus, nationibusque & populis, ut parentem seu Patronum magis, quam Dominum aut Imperatorem reputarent, omnesque uno ore, in morem cœlestium, propitium optantes, de controversiis inter se Judicem poscerent. Ad quem etiam Indi, Bactri, Hyrcani legatos misere; justitia tanti Imperatoris comperta, quam ornabat vultu sereno & pulchro, procerus membra, decenter validus.

III. ACTA ECCLESIASTICA.

I. *Viri in Ecclesia celebres.*

I. *Polycarpus*, sub ANICETO *Romano Pontifice*, qui nonnullos Apostolorum Magistros habuerat, Romam venit, plurimosque ad veram fidem convertit. Plura de eo in sequenti historia dicturi sumus: quia sub Antonino Philosopho martyrio coronatus est.

II. *Tertullianus* A. C. 139, cum omnes regiones universi orbis terrarum recensuisset, quo religio Christiana pervenisset, tandem concludit: Christi igitur nomen & regnum ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus colitur, ubique regnat, ubique adoratur. Idem testatur *Irenæus* & *Justinus*; qui narrant, etiam apud Scythas & Nomades Christi nomen prædicari.

III. *Egesippus Judæus* A. C. 159 ad Christum conversus est, qui libris quinque historiam Ecclesiæ Christi ad sua usque tempora complexus est.

IV. *Telesphorus Papa* A. C. 140. instituit cani in Ecclesiis: *Gloria in Excelsis* DEO. Sed nocte tantum Nativitatis Christi. Quam solennitatem ipse tradidit. *Sigebertus.*

V. *Ante-*

v. *Antoninus* prohibet, ne Sibyllinorum aut aliorum gentilium vatum carmina, nec etiam Ciceronis libri de divinatione & natura Deorum legerentur, quod viderentur contra gentilium DEOS ſtatuere: uti videre eſt ex apologia *Juſtini*, & *Arnobii* ſcripto ad gentiles.

II. *Martyres.*

Perſecutio Eccleſiæ ſub *Antonino Pio* A.C. 137. rurſus orta eſt. Martyres ſub eo facti ſunt:

I. *Felicitas*, Romana vidua, cum filiis ſeptem converſa, apud Imperatorem graviter accuſabatur ab Ethnicis, juſſu Cæſaris à Publio urbis Præfecto examinata: & cum nec matrem nec filios ſeorſim admonitos ad defectionem poterat abducere, eos carnificibus tradebat: & ſpectante matre, *Januarius* plumbatis occidebatur; *Felix* & *Philippus* fuſtibus ad necem cædebantur; *Sylvanus* præcipitio interimebatur; *Alexander*, *Vitalis*, & *Martialis* capite truncati: poſtremo mater ipſa capitali ſupplicio afficiebatur, quæ toties martyrium perpeſſa, quoties unum ex filiis occidi vidit. Nam fides Chriſtiana πρὸς φυσικὸς è natura humana non evellit. *Oſiander in Hiſtor. Eccleſ. cent. 2. lib. 2 c. 3.*

Hiſtoria parallela habetur *lib. 2. Macc. c. 7.* ubi ſimiliter mater cum ſeptem filiis ab Antiocho tyranno afficitur martyrio.

II. *Sixtus Papa*, cum fere ſediſſet annos 10, ob Chriſtianam religionem ſupplicio afficitur. A. C. 140.

III. *Teleſphorus* Papa, cum ſediſſet annos 11, & menſes 9, martyrio coronatur. A. C. 152.

Cum hi & plures alii propter Chriſtianam religionem è medio ſublati eſſent, tandem Antoninus Imper. A. C. 152. perſecutionem Chriſtianorum inhibuit, juſſitque ut Chriſtinaorum accuſatores ſupplicium ſubeant, niſi quid contra Romanum Imperium tentaſſe deprehendantur. Si vero poſthac (inquit in edicto) quiſquam negotium talibus, tanquam talibus, faceſſere perrexerit, is qui defertur, ab accuſatione ſit abſolutus & liber, etiamſi talis eſſe deprehendatur: delator vero pœnæ ſubjaceat. Cauſam hanc addit, quod ſuppliciis Chriſtiani deleri non poſſint, cum ipſi mortem vitæ præferant. *Juſtinus. Euſebius lib. 4.*

III. *Hæretici.*

I. CERDON, Magiſter Marcionis hæretici, qui Papa, Romam venit A. C. 141. *Euſebius.*

II. VALENTINUS, Ægyptius natione, quod Epiſcopatu excidiſſet, Hæreſiarcha eſſe incipit, A. C. 144. cujus multiplicia deliria exſtant apud *Tertull. Epiphan. Clementem*, & alios. Hic hæreticus qui hactenus docuerat in Ægypto, A. C. 152 Romam venit, ibique ultra 12 annos commoratur; ſed hæreſin ſuam tantum clanculum ſpargit.

IV. *Viri in artibus celebres.*

I. *Herodes Atticus*, vir Conſularis, hoc tempore floruit: Qui hominem quendam eruditionis ac virtutis perſuaſione mirifice ſibi placentem feſtiva quadam oratione vanitatis admonet. apud *Gellium l. 1. Noct. Attic. cap. 2.*

II. *Phlegon Trallianus*, Hadriani libertus, qui Olympiades Græcorum libris 16 deſcripſit, paulo ante annum Chriſti 141 definit.

III. *Pauſanias* A.C. 142. hiſtoriam ſuam ſcripſit paulo poſt *Adriani* tempora. Meminit enim belli Judaici confecti, in Atticis: Item in Corinthiacis meminit *Antonini.*

IV. *Maximus Tyrius* tunc quoque vixit, qui L. Verum Cæſarem Imperatoris filium adoptivum informaſſe ſcribitur. Ejus plurima & pulcherrima ſcripta hodieque magna doctiſſimorum hominum admiratione leguntur.

V. *Galenus*, celeberrimus ille poſt Hippocratem author medicinæ, hoc tempore floruit.

VI. *Apollonius*, Philoſophus Chalcedonius, A. C. 147. ab *Antonino Pio* Romam evocatur, ut *M. Aurelium* Cæſarem in Philoſophicis inſtitueret; ſub quo *Marcus* ita profecit, ut Philoſophus poſtea dictus ſit.

VII. *Meſomedes Lyricus* vixit A. C. 145. qui modos muſicos Citharœdis fecit, vel præcepta de modulis muſicis. Huic Antoninus ſalarium imminuit, dicens; Nihil eſſe ſordidius, imo crudelius, quam ſi ii Rempubl. arroderent, qui nihil in eam labore ſuo conferrent. Quibus verbis inſinuare voluit, artem ejus, voluptati potiſſimum comparatam, non æque neceſſariam Reipublicæ, ut cæteras, eſſe, quarum doctores in ſummo precio habuit.

VIII. *Salvius Julianus* Juris Conſultus, & Juſtinus Hiſtoricus, qui Trogi Pompeii libros in compendium redegit, hoc tempore vixerunt.

IX. CRESCENS, Philoſophus Cynicus, ſed homo valde impurus, hoc tempore floruit. Hic, cum *Juſtino* eſſet inimicus, effecit tandem ut poſtea martyrio coronaretur.

V. *Prodigia ſub Antonino.*

I. *Sub Antonino* natus eſt *biceps puer*, & uno mulieris partu quinque pueri editi ſunt.

II. Viſus eſt in Arabia jubatus *anguis*, major ſolitis, qui ſe à cauda medium comedit.

III. *Quatuor leones* ſponte ſua ſe capiendos in Arabia præbuiſſe, *Capitolin.* ſcribit.

IV. *Hordeum* in Mœſia in *culminibus* arborum natum eſt.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

1. *Adoptio.* Antoninus Pius Imper. de Adriani ſententia adoptavit ſibi *M. Aurelium Antoninum*, & *L. Commodum Verum*, filium Ælii Veri, qui ab Adriano adoptatus erat, ſed ante ipſum obierat; uti antea diximus. Qui etiam Antonino Pio in Imperio ſucceſſerunt.

II. *Morbus, ejuſque origo.* Incidit in morbum, cum ſenio confectus caſeum Alpinum in cœna avidius comediſſet, quem eadem nocte quidem rejecit nonnihil, ſed tamen febris ſecuta eſt.

III. *Oratio* ad *M. Antoninum & Tribunum.* Paulo antequam moriebatur, Rempubl. & filiam (cui patrimonium privatum reliquerat) *M. Antonino*, præſentibus Præfectis, commendavit, & dato Tribuno Æquanimitatis ſigno, atque ita converſus, quaſi dormiret, ſpiritum reddidit. *Xiphil. è Quadr.*

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Tertia die poſtquam in morbum incidiſſet, febri extinctus eſt apud Lorium villam, A. C. 161, 6 Martii, anno ætatis 74, menſe 6, die 26. cum imperaſſet annos XXIII, menſes 6.

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

I. *Sepultura.* Sepultus eſt in mole Adriani.

II. *Honores & Elogia.* A Senatu cum jucunditate DIVUS eſt appellatus, cunctis certatim adnitentibus, & pietatem ejus, clementiam, ingenium, ſanctimoniam laudantibus. Decreti etiam ſunt ei omnes honores, qui optimis Principibus ante delati erant. *Eutropius.*

XVII. IMPERATOR ROM. M. AVRELIVS ANTONINVS, cognomento PHILOSOPHVS; ET L. ANTONINVS VERVS, COLLEGÆ.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

1. PATER *M. Aurelii Antonini* fuit *geminus.*

I. NATVRALIS, ex quo genitus fuit, ANNIVS VERVS, frater Vxoris *Antonini Pii*, qui in Prætura deceſſit. *Capitolin.* §. 1.

2. LEGALIS fuit AVRELIVS ANTONINVS PIVS, à quo, volente Adriano Imperatore, adoptatus eſt.

II. MATER fuit DOMITIA CALVILLA vel CLAVILLA, *Calviſii Tulli* bis Conſulis FILIA. *Capitol. ibid.* CINNA in libris, quos de familiis Romanis edidit, ita ſcribit: Gens Clavilia magnotum in honore erat, quippe quæ ſe originem ducere gloriabatur à CAMILLO Ducum Romanorum celeberrimo juxta ac feliciſſimo, qui urbem Romam à Gallis captam obſeſſo ab iiſdem Capitolio liberavit. Ad hujus *Camilli* memoriam viri gente illa oriundi, *Camilli*, nominabantur: Itemque fœminæ ejuſdem familiæ *Claville* dicebantur in perpetuam memoriam filiæ *Camilli*, cui *Claville* nomen erat.

III. FRATER ejus fuit L. ÆLIVS (AVRELIVS) VERVS, qui itidem ex Adriani Imper. conſilio ab Antonino fuit adoptatus. Sic igitur duo iſti, *M. Aurelius Antoninus Philoſophus*, & L. VERVS *Divi* fratres in jure civili & in hiſtoriis nominantur; non quod natura fratres eſſent, ſed lege adoptionis.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN. M. AVRELIVS ANTONINVS, initio dictus fuit ANNIVS ANTONINVS, à patre ſuo *Annio Vero*; ſed adoptatus ab *Aurelio Antonino Pio*, pro *Annio*, AVRELIVS vocari cœpit.

II. COGNOMEN fuit PHILOSOPHVS, ſic dictus ob excellentem literarum & Philoſophiæ ſcientiam, quæ magnum illi adjumentum attulit ad felicem Imperii adminiſtrationem: ſicut *Dion* ſcribit.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA ACADEMICA.*

M. *Aurelius Antoninus* educatus eſt in Adriani gremio; qui illum VERISSIMVM nominabat, eique honorem ſexenni etiam publice detulit, & octavo ætatis anno in *Saliorum* collegium retulit.

Studia ejus Academica.

Dedit initio operam *Philoſophiæ*. Vſus eſt Magiſtris variis: quos recenſet *Capitolin.* §. 1. Inter quos

quos excelluerunt *Apollonius Chalcedonius* Stoicus Philoſophus, qui à *M. Antonino Pio* Chalcedone Romam evocatus, eum in Philoſophia diligenter informavit. Item *Fronto Cornelius*, *Eutychius* Proculus Siccenſis, & SEXTVS Cheronenſis Plutarchi nepos. Operam quoque *Iuri* navavit, audiens *L. Voluſium Metianum*: tantumque operis & laboris ſtudiis impendit, ut corpus infirmum redderet, atque in hoc ſolo pueritia ejus reprehenderetur. Nam eruditio & doctrina eſt paſtus ingenii, quod dum ſaginatur, corpus fit infirmum: & quod notandum, tantum in eo ſtudium Philoſophiæ fuit, ut adſcitus jam ad Imperatoriam dignitatem, attamen ad domum *Apollonii* diſcendi cauſa veniret. *Capitolin.* §. 1.

Studia equeſtria.

Amavit quoque pugillatum, luctamina, curſum, & aucupatum, pila luſit apprime, & venatus eſt, ſimiliter in pingendo ſe exercuit. Sed ab omnibus hiſce intentionibus ſtudium Philoſophiæ eum abduxit, ſeriumque & gravem reddidit. *Capitol.* §. 1.

Honor erga Præceptores.

Tantum honoris Magiſtris ſuis detulit, ut imagines eorum aureas in larario haberet, ac ſepulcra eorum aditu, hoſtiis, floribus, ſemper honoraret. Præcipue autem *Iulium Ruſticum* & reveritus eſt & ſectatus, qui domi militiæque pollebat, Stoicæ diſciplinæ peritiſſimum, cum quo omnia communicavit publica privataque conſilia. Cui etiam ante Præfectos prætorio ſemper oſculum dedit; quem & Conſulem iterum deſignavit, cui poſt obitum à Senatu ſtatuas poſtulavit. *Capitolinus* §. 1.

II. *ACTA OECONOMICA.*

1. VXOR ejus fuit FAVSTINA, *Antonini Imper.* FILIA, quam A. C. 147. uxorem duxit, eamque adulteriis infamem in radicibus montis Tauri ſubito amiſit morbo. *M. Antoninus* eam laudavit, diſſimulata ejus impudicitia. Monitus olim, ut repudiaret eam, ſi nollet occidere, dixiſſe fertur: *Si uxorem dimittimus, reddamus & dotem.* DOTIS nomine ſignans Imperium, quod ille à Socero adoptatus acceperat. Tantum ſane valet boni Principis vita, ſanctitas, tranquillitas, pietas, ut ejus famam nullius proximi decoloret invidia: ſicut pulchre ait *Capitolinus* §. 7.

II. FILIVS ejus fuit COMMODVS, poſtea factus Imperator, ſed ex adulterio natus. Hunc quidem optime educari & inſtitui curaverat, ſed ſpe ſua fruſtratus eſt. Nam (ut *Capitol. ſcribit* §. 7.) *Antoninus* felix fuiſſet, ſi filium non reliquiſſet.

AXIOMA ETHICVM.

Εὐπαιδία eſt ſingulare DEI donum, quæ conſiſtit in liberorum pietate, eorumque educatione honeſta. Nam degenerant ſæpe etiam ii, qui maxima parentum cura ad pietatem & probitatem inſtituuntur; juxta vulgatum Proverbium; Η'ρώων τέκνα πήμαζα. HEROVM FILII NOXÆ.

Exemplum habemus in COMMODO, *Antonini Philoſophi* filio. PATER *Antoninus* reliquit hominibus ingens ſui deſiderium, & poſteris virtutis ſuæ memoriam ſempiternam; Sed ejus fortunæ & felicitati hoc unum defuit, quod de filio, quem optime inſtitui curaverat, ſpe ſua fruſtratus ſit. Nam deinceps hiſtoria Romana ex aureo regno in ferreum delabitur: Tanta ſub *Commodo* accidit rerum Romanarum mutatio.

III. *ACTA POLITICA.*

I. Imperii occupatio.

M. Antoninus Philoſophus à *M. Antonino Pio* adoptatus, Imperium eſt adeptus. Statim autem in conſortem Imperii aſſumſit L. ÆLIVM VERVM: & tunc quidem primum Rom. Imperium duos Auguſtos ſimul pari poteſtate fulgentes habere cœpit. *Capitol.* Verum moribus diſſimiles illi fuere. Nam M. Antoninus Philoſophus laudatiſſimus Princeps, ſed L. Verus voluptatibus deditus fuit. Verum Marci virtus texit vitia Lucii, & moderatione & patientia Marci retenta eſt concordia: ſicut inter diſſimiles non poteſt retineri concordia, niſi alterius ſapientia & ſanet & ferat deteriorem.

II. Imperii adminiſtratio.

Aurelius Victor & *Eutropius* hiſce eum elogiis exornant: M. Aurelius Imp. is fuit, quem facilius tacitus admireris, quam laudes; cum nulla oratio viri hujus æquare virtutes poſſit. Nam cum à prima ætate conſtantem & quietam vitam ſibi delegiſſet, ſemper eodem vultu conſpectus fuit, neque propter lætitiam, neque propter metum mutato.

I. *ACTA TOGATA.*

Acta ejus *Togata* continent catalogum virtutum ejus, quæ ſequentes ſunt.

1. Bon-

I. *Boni publici ſtudium.*

M. Antoninus omnia ſua conſilia ſtudiaque ad Reipubl. utilitatem retulit. Fuit enim (teſte *Capitolino*) per omnia moderatiſſimus in hominibus à malo deterrendis, invitandis ad bona, remuneran-is copia, indulgentiaque liberandis; fecitque ex malis bonos, ex bonis optimos: Vnde ei honores divinos omnis ætas, omnis ſexus, omnis conditio ac dignitas dedit, & ſacrilegus judicatus eſt, qui ejus imaginem in ſua domo non habuiſſet.

1. *Publica pecunia* ſemper, quantum per honeſtatem potuit, pepercit, neque ipſa unquam eſt abuſus, quin potius, ut aliena, abſtinuit. Neque etiam in animum induxit, ut extra ordinem provincialibus aliquid imperaret. In foro Divi Trajani auctionem ornamentorum Imperialium fecit, venditditque aurea pocula, & cryſtallina, vaſa item regia, veſtem item uxoris ſericam & auream gemmaſque, quas multas in repoſitorio ſanctiore *Adriani* repererat, tantumque auri inde redactum eſt, ut reliquias belli *Marcomannici* ex ſententia perſecutus fuerit. Poſtea dedit poteſtatem emtoribus, ut, ſi quis vellet emta reddere, atque aurum recipere, ſciret licere, nec moleſtus ulli fuit, qui non reddidit emta. *Capitolinus in ejus vita.*

II. *Semper cum Optimatibus* non ſolum de bellicis, verum etiam de civilibus rebus, priuſquam aliquid ageret, conſultabat. Ac ſi forte inter deliberandum (uti interdum fit) diverſum aliquid ab illis ſentiret, (illi enim erant Scævola, Voluſius, Metianus, Vlpius Marcellus, aliique graves & magni Iuriſconſulti) tum dicebat; *Æquius eſt, ut ego tot & talium amicorum conſilium ſequar, quam ut tot & tales amici meam unius voluntatem ſequantur. Capitolinus in M. Antonino Philoſopho*, §. 8. Huic præclaro Antonini dicto ſuffragatur vulgatum Adagium: *Plus videre oculos, quam oculum.*

II. *Sapientia.*

Sapientiſſimus Imperator erat, qui ſagaci mentis oculo facile perſpicere poterat, quæcunque ad Reipublicæ ſalutem pertinebant. Vnde hoc Symbolum uſurpavit: *Conſulendum, & conſilio parendum.* Quamvis enim ipſe prudens Imperator eſſet, tamen neque in civilibus neque in bellicis rebus quicquam agere ſolitus eſt ſine conſilio Senatus: *Sentiens* nimirum, eum, qui de ſua unius ſententia omnia gerit, ſuperbum magis, quam ſapientem judicandum eſſe; ſicut recte & graviter dixit *Livius lib. 4. Decad. 5.* Et ut *Plautus* ait *in Milite*; *Nemo ſolus ſapit.* Cum quo conſentit illud, quod Creon apud Euripidem in Phœniſſ. inquit: Εἷς ἀνὴρ οὐ πάντ' ἰδεῖν. *Vnus vir non videt omnia.* Sibi placere vero infelix eſt inſania, uti *Sophocles* loquitur in *Antigono.* Hinc *M. Antoninus Philoſophus* ſemper in ore habuit *Platonis* ſententiam, Tum demum florere civitates, ſi aut Philoſophi imperarent, aut Imperatores philoſopharentur. *Capitolinus* §. 10.

AXIOMA.

Quamvis Princeps ipſemet Sapientia & Conſilio polleat; tamen ſibi caveat, ne opinio propriæ ſapientiæ ipſum adeo excantet, ut alienam aſpernetur. Nam recte inquit *Cominaus cap.* 44. Princeps facile evertitur, qui nullo, niſi ſui ipſius conſilio, utitur.

EPIGRAMMA.

Conſilio quicunque ſuo ſapit, haud ſapit ille:
Conſilio alterius qui ſapit, ille ſapit.

III. *Benignitas & liberalitas.*

Valde liberalis fuit, uti patet ex exemplis. Nam liberalitatem exercuit.

I. *Erga* ATHENIENSES. Cum enim Athenas veniſſet, magnos honores Athenienſibus tribuit, quorum in urbe omnes doctrinæ Miniſtros annua mercede conductos conſtituit, *ad omnium gentium utilitatem.*

II. *Erga Cives* ROMANOS. Nam Athenis Romam reverſus cives omnes viritim donavit aureis octenis; quantam ſummam nunquam acceperant ante. Præterea fiſco ærarioque ab annis plurimis debita civibus remiſit, & ſyngraphas de iis combuſſit. *Dion.*

III. *Erga* ALIOS, præſertim DIGNOS. Nam aliis civitatibus permultis ingentem pecuniam largitus eſt, afflictaſque reſtituit, ut Smyrnam terræ motu concuſſam. *Aurelius Victor* ſcribit: Data promiſcue eſt civitas Romana, multæ urbes conditæ, deductæ, repoſitæ, ornatæque, atque inprimis Pœnorum Carthago, quam ignis fœde conſumſerat, Aſiæque Epheſus, ac Bithyniæ Nicomedia terræ motu graviter concuſſa.

IV. *Clementia.*

Admiranda clementia fuit hic Imperator. Nam, cum AVIDIVS CASSIVS (quo Duce in bellis orientalibus uſus ante fuerat, & præter alia Bucolos, h. e. Boum Paſtores in Ægypto acerrimos & callidiſſimos Romanorum hoſtes, ipſorum quoque artibus

artibus uſus, repreſſerat) Tyrannidem invaſiſſet, impulſu *Fauſtinæ Auguſtæ*, quæ maritum apud hoſtem periiſſe credens, illi Imperium ſuaſque nuptias deſtinarat, CASSIUS, cum jam expeditionem in eum adornaret *Antoninus*, à centurione quodam & alio milite occiditur, cui Imperator parcere ſtatuerat, ſi in ordinem eum redegiſſet. Exſtat ejus apud *Dionem* admodum cordata oratio, animi clementis, & inprimis benigni index.

Similiter ſcripſit manſuetiſſimus hic Imperator ad *Fauſtinam* uxorem ſuam hiſce verbis: *Parcam* liberis *Caſſii*, & genero, & uxori: & ad Senatum ſcribam, ne aut proſcriptio gravior ſit, aut pœna crudelior: *Non enim quicquam eſt, quod Imperatorem Romanorum melius commendet gentibus, quam clementia. Hac Cæſarem* DIVM *fecit: Hac Auguſtum conſecravit.* Idque re ipſa præſtitit. Nam non tantum doluit *Caſſium* extinctum, dicens: Voluiſſe ſe ſine Senatorio ſanguine Imperium tranſigere. *Capitolinus* §. 9. *Caput Caſſii* interfecti allatum eſt ad ipſum; ſed ipſe non exſultavit interfectione *Caſſii*, ſed caput ejus humari juſſit. *Literas* apud *Caſſium* inventas aboleri jubebat, ne cogeretur invitus aliquem odiſſe. *Similiter amicis Caſſii* omnibus ignovit, etiam literis conſciorum crematis, ne manſuetudo ſua iis labefactaretur, ut invito extorqueretur. *Filii Caſſii* media parte amplius acceperunt paterni patrimonii, & auro atque argento adjuti, mulieres etiam ornamentis; ſicut *Capitolin. in M. Antonino* ſcribit §. 9. *Ad Senatum* ſcripſit *Antoninus:* Vtinam poſſem multos ex inferis excitare. Non enim unquam placet in Imperatore vindicta ſui doloris, quæ, etſi juſta fuerit, acrior tamen videtur. Vnde *Dion* de eo ita ſcribit: Erat *Marcus* durus erga hoſtes omnes, ſed affectu miſerationis ferebatur ad humanitatem. Nam dicere ſolebat; *Inhumanum plane eſſe, humanis caſibus & calamitatibus non ingemiſcere. Innuens* eos ab hominum natura alieniſſimos, qui aliorum miſeriis non afficiuntur, ac inſtar lapidum in adverſis amici rebus ſtant immoti. Huc pertinet *Symbolum* ejus;

----- Regni clementia cuſtos.

Ceu mundi, ſic eſt regni Clementia cuſtos:
Nec virtus major Principis eſſe poteſt.

Qui enim non tam metum ex crudelitate, quam amorem ex bonitate animis ſubditorum indiderunt; Hi maxime abſque periculo ad ſummum regni decus & faſtigium pervenerunt. Similiter *Appius* apud *Saluſtium:* Equidem (inquit) cuncta imperia crudelia magis acerba quam diuturna arbitror. Neque quenquam in multis metuendum eſſe, quin ad eum ex multis formido recidat. Vnde pulchre ait *Seneca in Octavia: Magnum timoris remedium Clementia.*

V. Diligentia.

Mirifica fuit hic Imperator diligentia, non belli tantum, ſed etiam pacis temporibus. Etenim ex quo Imperator appellatus eſt, horis omnibus Reipubl. actibus incubuit. Nam, inquit *Capitolinus* §. 4. Semper, cum potuit, Senatui interfuit, etiamſi nihil eſſet referendum, ſi *Romæ* fuit: *Si vero* aliquid referre voluit, etiam de Campania ipſe venit. *Comitiis præterea* etiam uſque ad noctem frequenter interfuit, neque unquam receſſit è curia, niſi Conſul dixiſſet: *Nihil vos moramur, P. C.* Quinetiam judiciariæ rei ſingularem diligentiam adhibuit, faſtis dies judicarios addidit, ita ut 230. dies annuos rebus agendis litibuſque diſceptandis conſtitueret.

VI. Patientia.

Crucem & Calamitatem patienti animo tulit: uti ὀφθαλμοφανῶς patet ex *Epiſtola* ejus ſcripta in acerbiſſimo luctu ſuper morte *Veriſſimi filii* unice dilecti, ad *Catulum Cenſorium: Mihi* quidem inquit, efficaciſſimum videtur, in calamitoſis vitæ caſibus, turbulentiſque fortunæ procellis eſſe remedium, ubi parum induſtria & longe minus vis prodeſt, ut doleamus tanquam homines, & diſſimulemus tanquam prudentes. Si *lingua* palam exprimerent ſinguli, quæcunque clam in corde ſentiunt: *Cælum*, credo, ſuſpiriis rumperent, *humumque* lacrymis inundarent. Quod ſi COR ſerio afflictum oculis liceret intueri corporeis, appareret me hercule *quantum unica ſanguinis gutta, quam intus ſudat, omnibus præponderet lacrymis, quas plorando foris effundit.* Nam maximi dolores corporis nulla ex parte cum minimo animi cruciatu comparandi ſunt. Omnibus quidem, quæ corpori poſſunt contingere, malis remedia excogitarunt homines. At ſi ærumnoſum COR loquatur, nemo audit; ſi lacrymetur, nemo videt; ſi queratur, nemo credit. Hactenus *M. Antoninus*. Hinc vox Ebræa עטף, quæ 1. *proprie* ſignificat tectum aut velatum veſte, vel quaſi veſte; uti *l.* 1. *Samuel.* 18. *v.* 28. legitur de fictitio *Samuele*, qui aſcendit amictus pallio. 2. *Metaphorice* ſignificat idem quod involutus, opertus, obtectus, & velut obrutus fuit, afflictionibus & miſeriis: ſicut quiſquam veſte ſeſe operit atque tegit. Nam qui in magnis doloribus & calamitatibus eſt conſtitutus, illius COR ſtupore quaſi contrahitur, obnubilatur, & magnitudine dolorum operitur, ne ſeſe exſerat,

aut conſpiciendum præbeat. Ita uſurpatur *Pſalm.* 61. 4. Dum obnubilatur (h. e. affligitur) COR *meum.*

VII. Veracitas.

M. Antoninus ab Adriano Imper. vocatus eſt *Veraciſſimus*, quod nullius unquam mendacii conſors, nunquam Veritatis expers fuerit deprehenſus; ſicut *Anton. Guev. in Horologio Principum cap.* 1. *pag.* 2. ſcribit.

VIII. Conſtantia & æquabilitas.

Æquabilis & conſtans in omnibus, nec ulla unquam in re mutatus fuit, in rebus ſecundis animo non efferebatur, neque in adverſis deprimebatur. Et vere vir bonus erat, nec quicquam ſimulatum habebat. *Dion.*

IX. Famæ ſtudium.

Erat quoque famæ ſuæ curioſiſſimus, & requirens ad verum, quid quiſque de ſe diceret, emendans, quæ bene reprehenſa viderentur. *Capitolinus* §. 8.

II. *ACTA SAGATA.*

Bella geſſit *quatuor.*

I. Bellum Parthicum.

M. Antoninus ſtatim ab initio *L. Verum* in ſocietatem imperii aſſumſit, data ei in uxorem LUCILLA filia, ut ſimul eſſet & gener & collega. Cum autem *L. Verus* voluptatibus abſtraheretur, & timore bellico corrigeretur, ſeque Imperatorem eſſe recordaretur, à *M. Antonino*, conſentiente Senatu, in bellum *Parthicum* miſſus, ne in urbe ante omnium oculos peccaret. Verum is voluptatibus enervatus, & luxuria deperditus, Antiochiæ ferme hæſit, venationibus indulgens; Duces tamen VERI contra *Vologeſum Parthum*, qui Romanis bellum fecerat, *Armeniam* invaſerat, legatum cum exercitu Romano trucidaverat, proſpere pugnarunt, hoſtesque domuerunt. *Seleucia* tum cum quadringentis hominum millibus capta eſt.

II. Bellum Britannicum, & III. Bellum Germanicum.

Eodem tempore movebatur bellum *Britannicum* & *Germanicum*. Nam Catti in *Germaniam* & *Retiam* irruperant. Adverſus Britannos *Calphurnius Agricola* miſſus eſt: contra CATTOS *Auſidius Victorinus*. Finito autem bello *Parthico*, uterque Imperator magno apparatu in hoſtes movit, eoſque profligavit. Vnde uterque Parthicus appellatus eſt. *Capitolinus* §. 3.

IV. Bellum Marcomannicum.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

1. DUCES fuerunt duo fratres Auguſti, qui ſimul decreto Senatus in bellum hoc profecti ſunt. *L. Verus* ad hoc bellum invitus ſe accinxit. Aquilejam tantum uſque profectus reverti in urbem voluit. Sed cum fratre in vehiculo ſedens, apoplexia correptus, periit anno Imperii undecimo. Poſt ejus igitur obitum *M. Antoninus* bellum hoc *Marcomannicum* ſolus geſſit. *Capitolinus* §. 5. *Cadaver* Romam à *Marco* deducitur, ubi in mole *Adriani* ſepelitur, cum tribunitia poteſtas nona nondum eſſet completa.

II. APPARATUS. *M. Antoninus* ad hoc bellum cum omne ærarium exhauſiſſet ſuum, neque in animum induceret, ut extra ordinem provincialibus aliquid imperaret, in foro *Divi Trajani* auctionem ornamentorum Imperialium fecit, (ſicuti ſupra, ubi de virtutibus ejus agitur, diximus) vendiditque aurea pocula, & cryſtallina, & myrrhina, vaſa etiam regia, & veſtem uxoriam ſericam & auratam, gemmaſque etiam, quas multas in repoſtorio ſanctiore *Adriani* repererat; & per duos quidem hæc venditio celebrata eſt, tantumque auri redactum, ut reliquias belli Marcomannici ex ſententia perſecutus, poſtea dederit poteſtatem emtoribus, ut, ſi quis vellet emta reddere, atque aurum recipere, ſciret licere. Nec moleſtus ulli fuit, qui vel non reddidit emta, vel reddidit. *Capitolinus* §. 6.

III. HOSTES fuerunt MARCOMANNI & QUADI, per quos intelliguntur *Moravi*, *Bohemi* & *Sileſii*. Nec vero dubium eſt, per *Marcomannos* prædictos populos intelligi: Quia *Ptolemæus* expreſſe inquit, fuiſſe Bohemiæ limites *Sudetes* montes, qui ſunt juga verſus Meridiem, *Vvitlandos* & Myſos, & è regione *Sylvam Gabretam*, h. e. altitudinem latam. Et ſub ea Sylva fuiſſe *Marcomannos*, ubi nunc *Moravis*. *Vicini Marcomannis* fuerunt *Quadi*: Videlicet Sileſiæ pars & regio inter *Vratiſlaviam*, *Cracoviam* & ad *Carpathum*. In hoc limite Imperii ſemper bella difficilia Romani geſſerunt. *Philippus Melanchthon lib.* 3. *Chron. pag.* 333.

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Hoc bellum media æſtate Marcus Imper. geſſit, & de Quadis atque Marcomannis inſignem victoriam reportavit, precibus Chriſtianorum adjutus.

Cum

Cum enim ejus exercitus diebus quinque aquæ penuria laboraſſet, & milites in anguſtiis montium *Germaniæ* à *Quadis* circumcluſi, ſiti propemodum conficerentur, Imperatorem anxium & conſternatum adiit Præfectus Præt. dictitans; Nihil eſſe, quod Chriſtiani precibus impetrare non poſſint à DEO: & eſſe in Legione duodecima cohortem militum, qui omnes Chriſtum colerent. Ea re cognita, *Antoninus* petiit ab eis, ut DEO ſuo ſupplicarent: quod cum illi, poſitis in terra genibus, & ad Chriſtum profuſis precibus feciſſent, ſubito pluvia largiſſima divinitus miſſa eſt, qua Romani aquam ore & ſcutis excipientes recreati ſunt: Cum contra Quados alioſque Germaniæ populos fulmina perſequerentur. De hac miraculoſa victoria elegantes verſus *Claudiani*, hominis à religione Chriſtiana abhorrentis, notandi ſunt, niſi quod id Chriſtianis acceptum non refert. *Verſus hi ſunt*:

Laus ibi nulla Ducum: *Nam flammeus imber in hoſtem*
Decidit. Hunc dorſo trepidum fumante ferebat
Ambuſtus ſonipes: Hic tabeſcente ſolutus
Subſedit galea, liquefactaque fulgure cuſpis
Canduit, & ſubitis fluxere vaporibus enſes:
Tunc contemta Polo mortalis neſcia teli
Pugna fuit, Chaldæa mago ſeu carmina ritu
Arma vere DEOS, *ſeu, quod reor, omne Tonantis*
Obſequium MARCI *mores potuere mereri.*

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

1. NOVA CHRISTIANÆ LEGIONIS APPELLATIO. Hac re obſtupefactus Imperator, Chriſtianos magnis affecit honoribus, & in perpetuam rei memoriam Legionem eam, in qua illi militabant, nominavit FULMINATRICEM, Græce κεραυνοβόλον. Sic Quadi Chriſtianorum beneficio à Romanis victi ſunt, & *M. Antoninus* Imperator ſeptimum appellatus eſt. Vide *Dion. Capitolinum*, *Tertullianum in Apologetico*, & *ad Scapulam*, *Euſebium lib.* 5. & *Oroſium.*

2. LITERÆ M. ANTONINI AD SENATUM. Exſtant etiam literæ M. Imp. quibus rem omnem Senatui Romano exponit, & Chriſtianorum precibus divinum illud beneficium acceptum referendum eſſe teſtatur: *Credibile eſt*, inquit, *Chriſtianos*, licet eos impios exiſtimemus, Deum pro munimento habere in pectore. Simul enim atque humi ſeſe abjecerunt & preces fuderunt ad ignotum mihi Deum, ſtatim è cœlo pluvia delapſa eſt, in nos quidem frigidiſſima, in noſtros vero hoſtes grando & fulmina: eorumque orationibus ac precibus ſtatim Deus præſto fuit, qui neque vinci, neque expugnari poteſt. Quamobrem concedamus talibus, ut ſint Chriſtiani, ne qua tela ejus generis contra nos petant & impetrent. Hæc *Antoninus.*

VSUS.

Hoc exemplum memoria digniſſimum eſt: Quia oſtendit, legitimam militiam Deo placere, & Deum propter Eccleſiam imperiis mundanis ſæpe benefacere: Sicut benefecit *Cyro*, *Conſtantino Magno*, *Theodoſio*, propter Eccleſiam, ut ſcriptum eſt: Si quis dederit potum aquæ frigidæ ex minimis meorum, habebit mercedem. *Matth.* 10. Sicut exemplum viduæ Sareptanæ oſtendit. Ac poſt hanc victoriam M. Antoninus decreta contra Chriſtianos abolevit.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. Martyres.

Quarta Eccleſiæ perſecutio in Aſia orta eſt ſub M. Antonino Philoſopho contra Chriſtianos, in qua martyrii coronâ coronati ſunt;

1. POLYCARPUS Johannis Euangeliſtæ Diſcipulus, Eccleſiæ Smyrnenſis Epiſcopus, anno ætatis 86. Venerat is, imperante adhuc Imperatore *M. Antonino Pio*, Romam, plurimoſque Hæreticorum Marcionis & Valentini perſuaſione deceptos ad veram fidem reduxerat. Eumque IRENÆUS in prima ætate ſua ſe vidiſſe ait admodum ſenem: & addit, quod audiverit à Polycarpo, quod Johannes Euangeliſta abiens lavari, quum vidiſſet intus Cerinthum, exſilierit de balneo non lotus, dicens: Quod timeat, ne balneum concidat, cum intus eſſet *Cerinthus* inimicus veritatis. Dictum factum. Nam vix Johannes Euangeliſta erat egreſſus, cum balneum corrueret, & Cerinthus cum ſociis miſere incoperiret. Ipſe etiam *Polycarpus* aliquando Marcioni occurrenti & dicenti, Cognoſce nos, reſpondit: Cognoſco te primogenitum Satanæ. Hæc *Irenæus lib.* 3. *cap.* 3. *Euſebius lib.* 4.

Tandem vero *Polycarpus* in perſecutione Aſiatica vivus igni crematus eſt A. C. 162. anno poſt mortem Johannis Euangeliſtæ 50. Quæ hiſtoria in Epiſtola Smyrnenſis Eccleſiæ apud *Euſebium lib.* 4. *cap.* 15. prolixe deſcribitur. Nos eam in tria membra digeremus. 1. In *Ortum.* 2. *Progreſſum.* & 3. in *Egreſſum.*

I. ORTVS.

Continet *Colloquium Proconſulis Aſiæ, & Polycarpi Martyris.*

Polycarpus cum eſſet vehiculo deturbatus, vox de cœlo audita eſt: FORTIS ESTO, Ô POLYCARPE, & VIRILITER AGE. Poſtea Proconſul ad Polycarpum ait: Habeto ætatis tuæ reverentiam, & parce ultimæ ſenectuti tuæ: jura fortunam Cæſaris, gerens de prioribus pœnitudinem, & conclama etiam Tu: TOLLE SACRILEGOS. Tunc Polycarpus torvo vultu populum aſpiciens, elevata ad Cœlum dextra, cum gemitu dixit: *Tolle ſacrilegos*, &c. Proconſul dixit: BESTIAS habeo paratas, quibus objicieris, niſi cito pœnitueris. At ille reſpondit: *Adhibeantur.* Nobis enim immobilis ſtat ſententia, nec poſſumus de bono ad malum per pœnitudinem commutari. Melius autem erat, ſi hi mutarentur ad bona, qui perſeverant in malis. Tunc PROCONSVL, Igne te, inquit, faciam conſumi, ſi tibi beſtiæ contemnendæ videntur, nec propoſiti recipis pœnitudinem. At ILLE: Ignem minaris, inquit, hunc qui ad momentum incenditur, & paulo poſt exſtinguitur, quia ignoras futuri judicii ignem æternum, qui ad perpetuas pœnas præparatus eſt impiorum. Sed quid moraris? Adhibe utrum voles. Hæc & multa alia dixit Polycarpus, ita ut reſponſionem & conſtantiam ejus Proconſul magno ſtupore miraretur.

II. PROGRESSVS.

Continet *Polycarpi fiduciam*, cum jamjam palo affigendus eſſet.

Cum autem expedita eſſent, quæ ad ignem pertinebant, eumque vellent rogo impoſitum clavis affigere, ait Polycarpus: Sinite me. Qui enim dedit mihi fiduciam ignis ſupplicium ferendi, Ille quoque dabit mihi cor, ut & ſine clavorum affixione flammas immobiliter perferam. Tunc illi, omiſſis clavis, vinculis uſi ſunt ſolis. Quibus poſt tergum manibus devinctis, velut erectus aries, & ex magno grege aſſumtus, acceptabile holocauſtum Deo omnipotenti oblatus eſt.

III. EGRESSVS.

Continet *Precationem* ejus in *ipſo martyrio* ab ipſo profuſam. quæ ita ſonat.

Deus dilecti & benedicti Filii tui Jeſu Chriſti Pater, per quem tui agnitionem ſuſcepimus: Deus Angelorum & virtutum & univerſæ Creaturæ, ac totius juſtorum generis, qui omnes coram Te vivunt: benedico Te, qui me in hanc diem atque in hanc horam perducere dignatus es, ut particeps exiſterem martyrum, & calicis Chriſti Tui in reſurrectionem vitæ æternæ, animæ ac ſpiritus mei, per incorruptionem Spiritus Sancti: in quibus ſuſcipiar in conſpectu tuo hodie, tanquam ſacrificium pingue & acceptabile. Sicut præparaſti & prælignaſti, ita & feciſti. Verus es Tu & ſine mendacio Deus: propterea & in omnibus laudo te, & benedico te, & glorifico te, per æternum Deum, & Pontificem Jeſum Chriſtum dilectum Filium tuum, per quem & cum quo Tibi cum Spiritu S. gloria, & nunc & in futura ſecula. *Amen.* Et cum *Amen* dixiſſet, oratione completa, carnifices ignem ſubjiciunt. Hactenus verba Epiſtolæ Eccleſiæ Smyrnenſium. Flamma vero jam admodum emicante, ignis, facta cameræ ſpecie, ad morem veli nautici vento repleti, ſupra corpus Martyris ſtabat, eratque illud in medio, non tanquam caro ardens, ſed tanquam aurum & argentum in camino ignitum. Unde & tanta boni odoris fragrantia ſentiebatur, quaſi vel thus, vel aliud quoddam pretioſum aroma ſpiraret. Tandem cum corpus illius ab igne non conſumeretur, ferro transfoſſum copioſo ſanguine manavit, ita ut ignis extingueretur.

II. JVSTINVS Philoſophus & Martyr A.C. 168. martyrum conſtantia & fortitudine ad Chriſtianiſmum adductus eſt, & pro Chriſti doctrina ſanguinem ſuum fudit. *Occaſio* hæc fuit. *Creſcentem* Philoſophum vita morumque æmulatione Cynicum coarguit: qui convictum ſe dolens, cum improbis quibuſdam, qui Magiſtratus gerebant, conſpiratione contra JVSTINVM facta, tormentis quamplurimis eum affecit, & poſtremo gladiis etiam confecit Pergami. *Euſebius lib. 4. cap. 8. & 10.*

III. BLANDINA, cum imperante M. Antonino Philoſopho Lugduni & Viennæ gravis perſecutionis procella Eccleſiam Chriſti infeſtaret, tanto animi robore & virtute imbuebatur, ut tortores, qui illam viciſſim omni ſuppliciorum genere à primo mane ad veſperam uſque afflixiſſent, prope labore defeſſi langueſcerent, ſeque tum ab illa victos, tum nihil amplius habere reliquum, quod ei irrogarent, faterentur: Tandem trabi lignæ ſublimis affixa, præda beſtiis incurſantibus objicitur. At cum nulla beſtia ejus carnem tangere vellet, a trabe mox abrepta in carcerem iterum truditur, & ad aliud certamen reſervatur, perque varia certaminum genera victrix facta coronam immortalitatis tandem aſſecuta eſt. Inter varia tormenta hæc ſibi ade exclamavit verba: CHRISTIANA

SVM.

EVM. Qua voce ita ſe recreavit, ut ad cruciatus conſtanter perferendos animus ejus ſubinde novis viribus divinoque robore augeretur.

IV. ATTALVS civis Romanus, Pergamenus genere, columen & firmamentum Gallicorum Chriſti fidelium, primum beſtiis objectus eſt, quæ mitiores ipſis hominibus à viri ſancti corpore abſtinent: poſt varia deinde tormenta, inter plurimam carnificum ſævitiam, & pœnis incutiendis feritatem, generoſa animi conſtantia ſuperarat: tandem prunis ſubjectus in ſella ferrea torretur, & æreas ſquamas candentes molliſſimis & tenerrimis Martyris hujus membris aſpergunt, & agglutinant carnifices. Cumque nidor adultæ carnis ad nares inſpectantis populi perferretur, magna voce exclamavit: ECCE HOC EST VORARE HOMINES, QUOD VOS FACITIS. Quid à nobis velut occultum inquiritis facinus, quod vos aperta luce committitis? His verbis exprobrans ipſis calumnias de cœnis Thyeſtis, quarum Chriſtiani ab adverſariis inſimulabantur. *Euſebius lib.* 3. *cap.* 4. *Nicephorus lib.* 4. *cap.* 17.

V. ANICETVS Epiſcopus Romanus Romæ interficitur anno Chriſti 173, cum ſediſſet annos 9 fere. Hic conſtituit, ne Clericus comam nutriret.

II. Viri celebres in Eccleſia.

I. THEOPHILVS Heroni apud Antiochenos in Epiſcopatu ſucceſſit, qui ſcripſit contra HERMOGENEM, & alios, quorum meminit *Euſebius* & *Hieronymus*. *Hermogenes* hic pictor primum fuit, poſtea Stoicus, & multa deliria protulit, interque alia dixit, corpus Chriſti in Sole eſſe repoſitum. Ex hac ſecta poſtea MANICHÆI orti ſunt; ſicut *Nyſſenus* teſtatur. *Euſebius*.

II. MELITO Aſianus, Sardienſis Epiſcopus, pro Chriſtiana religione apologiam ſcribit ad Marcum Imp. A. C. 170. *Euſebius*.

III. Eodem anno APOLLINARIS Aſianus & Hieropolitanus Epiſcopus claret, qui & ipſe Apologiam ſcripſit pro Chriſtianis. *Euſebius. Photius*.

IV. IRENÆVS, Eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopus & Polycarpi auditor, contra Hæreticos ſcripſit libros, qui exſtant. *Irenæi* etiam temporibus (qui vixit A. C. 178.) adhuc duraſſe donum ejiciendi dæmonia, & ſanandi multos, teſtatur ipſe *l.* 2. *adverſus hæreſes*. Nemo poteſt, inquit, numerum dicere gratiarum, quas per univerſum mundum Eccleſia à Deo accipiens, in nomine Jeſu Chriſti ſub Pontio Pilato crucifixi, per ſingulos dies in opitulationem gentium perficit, &c. Nec invocationibus Angelicis aliquid facit (Eccleſia) nec incantationibus, ſed pure & manifeſte orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit, &c. Si itaque & nunc nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti beneficia præſtat & curat, vere & firmiſſime omnes ubique credunt in eum.

V. A. C. 179. Cum *Judæus Catechumenus* cum comitibus ſuis iter faceret per Arabiam deſertam, & in morbum incideret graviſſimum, adeo ut animam exhalaturus videretur, petiit à comitibus, ut ſibi Sacramentum Baptiſmi impertirent. Cum igitur precibus ægroti moverentur, eumque baptizatum vellent, & tamen neque Sacerdos, neque aqua adeſſet; arena ter injecta ipſum baptizarunt: quem tamen poſtea, cum ex morbo reſtitutus eſt, Epiſcopus aqua ſacra ablutum voluit. *Nicephorus lib.* 3. *cap.* 37.

VI. ATHANAGORAS A. C. 165. librum apologeticum pro Chriſtiana religione Imperatoribus *M. Antonino Philoſopho*, & *L. Vero* obtulit. *Euſebius*.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

CIrca Egreſſum *M. Antonini Philoſophi* notanda ſunt tria: 1. Τὰ προηγούμενα. 2. Τὰ πραχθέντα. 3. Τὰ παρεπόμενα.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

Ad τὰ προηγούμενα pertinet Oratio ejus προτρεπτικὸς, quæ fuit gemina. 1. *Ad* MILITES. Nam ne ultimus quaſi actus à reliqua vita diſcreparet, æquiſſimo animo diſceſſit, rerum humanarum amore prorſus abjecto, & metu mortis vacuus. Qua ingruente, Commodum filium militibus commendavit, tribunoque militum, poſtulanti teſſeram, reſpondit: ABI AD ORIENTEM. EGO *enim jam* AD OCCASVM PERGO.

II. AD AMICOS TRISTES, ad quos jam vicina morte diciſſe ſcribitur: QVID ME FLETIS, ET NON MAGIS DE COMMVNI MORTE COGITATIS? Iidem tum diſceſſuri viderentur, ingemiſcens ait: *Si jam me dimittitis*, VALE *vobis dico*, *vos* PRÆCEDENS. Cum ab eo quæreretur, *cui Filium commendaret?* reſpondit: VOBIS, SI DIGNVS EVERIT, & DIIS IMMORTALIBVS.

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Cum *Commodum* filium ſuum ad ſe paulo ante obitum vocaſſet, brevique poſt dimiſiſſet, caput operuit, quaſi dormire volens: & ita exſpiravit 17 Martii, A. C. 180, imperii anno 19, ætatis LXI, cum ci-

bo & potu aliquandiu abſtinuiſſet. Sunt, qui eum à medicis, in gratiam Commodi filii, interemtum eſſe perhibent. *Eutropius Brev. lib.* 8. *Sextus Aurelius Victor. Capitolinus.*

III. ΤΑ' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

Incredibile dictu eſt, quantum ex obitu ejus dolorem ceperint omnes. *Cives*, milites, Senatores pariter eum lugebant, Fratrem, Patrem, Filium, prout enjuſque ætas ſinebat, appellantes. Cœlo receptum (quod de Romulo ægre fuerat creditum) omnes pariter conſenſerunt, in ejuſque honorem templa, columnæ, multaque alia, decreta atque excitata ſunt. *Capitolinus* ſcribit, tantum illius amorem Regii funeris die apparuiſſe, ut nemo cum plangendum cenſuerit, quod omnibus perſuaſum foret, à Diis eum terris commendatum, ad Deos rediiſſe. Et mox addit: Parum ſane fuit, quod illi honores divinos omnis ætas, omnis ſexus, omnis conditio ac dignitas dedit. Quinetiam ſacrilegus judicatus eſt, qui ejus imaginem in domo ſua non habuit, qui per fortunam vel potuit habere, vel debuit.

XVIII. IMPERATOR ROM. AVRELIVS COMMODVS.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

I. PATER ejus fuit *M. Aurelius Antoninus*, Philoſophus, ut putabatur.

II. MATER fuit *Fauſtina*, M. Antonini Pii Imp. filia, quæ adulteriis infamis fuit, eumque non ex legitimo concubitu, ſed ex adulterio genuit. Nam refert *Julius Capitolinus, in vita M. Antonini Philoſophi* §. 7. quod *Fauſtina*, cum aliquando gladiatores tranſire vidiſſet, unius ex his amore ſuccenſa; cumque longa ægritudine laboraret, viro de amore confeſſa eſt. Quod cum ad Chaldæos *Marcus* retuliſſet, illorum fuiſſe conſilium, ut occiſo gladiatore, ſanguine illius ſeſe *Fauſtina* ſublavaret, atque ita cum viro concumberet. Quod cum eſſet factum, ſolutum quidem amorem, natum vero *Commodum* gladiatorem eſſe, non Principem: qui mille prope pugnas publice populo inſpectante gladiatorias Imperator exhibuit. Quod quidem veriſimile ex eo habetur, quod tam ſancti Principis filius his moribus fuit, quibus nullus lanifta, nullus ſcenicus, nullus harenarius, nullus poſtremo ex omnium dedecorum ac ſcelerum colluvione concretus. Multi autem ferunt, *Commodum* omnino ex adulterio natum: ſiquidem *Fauſtinam* ſatis conſtat apud Cajetam conditiones ſibi & nauticas & gladiatorias elegiſſe: De qua cum diceretur *Antonino Marco*, ut repudiaret, ſi non occideret, dixiſſe fertur: Si uxorem dimittimus, reddamus & dotem. Dos autem quid habebatur, niſi Imperium? quod ille à ſocero adoptatus acceperat. Tantum ſane valet boni Principis vita, ſanctitas, tranquillitas, pietas, ut ejus famam nullius proximi decoloret invidia. *Julius Capitolinus* §. 7.

II. *Appellatio.*

COMMODVS dictus hic Imperator per antiphraſin, h. e. nomine, ſed non omine & re. Quia minime erat Commodus, quin potius cunctis incommodus. Erat namque

I. *Moroſus.* Cum enimà Patre in mortis agone conſtituto moneretur, ne Barbaros, valde jam attritos, permitteret vires recipere, moroſe reſpondit: *Ab incolumi, quamvis paulatim, negocia perfici poſſe: à mortuo vero nihil.* Similiter Conſiliarios, quos pater illi prudentiſſimos adjunxerat, velut alter Roboam, ſpernebat, eorumque monitis locum relinquere nolebat.

II. *Doloſus.* Quia multorum vitæ inſidias ſtruebat.

III. *Oneroſus.* Quia plane crudelis & ſanguinarius erat, adeo ut merito de hoc ſanguinario homine dici poſſit, cum à nullo alio, quam à gladiatore vel laniſta vitam hauſiſſe, juxta vulgatum illud:

Κακῆς κόρακος κακὸν ᾠόν.
Mali corvi malum ovum.

Unde *Auſonius* de *M. Antonino* inquit, eum prorſus felicem futurum fuiſſe, ſi hunc filium non genuiſſet.

Succeſſore ſuo moriens (ſed Principe pravo)
Hoc ſolo patria, quod genuit, nocuit.

III. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙ'Α.

Forma inſigni preditus erat. Nam ita de eo ſcribit *Herodianus in Commodo* §. 4. *Commodo* præter ætatis florem etiam formæ dignitas ſuffragabatur, congruens corporis modus, pulchra virilisque facies, tranquillæ faces oculis, atque micantes, flava & criſpa cæſaries, ut in ſole ambulanti velut igne quodam rutilaret, ſic ut euntem quidam ſcobe aurea putarent conſpergi: quidam etiam pro argumento divinitatis acciperent, ac radios eſſe illos circa verticem genitivos opinarentur. Ad hæc lanugo malis proſerpebat, caſque quaſi floribus convestiebat.

CA-

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ACTA OECONOMICA.

I. VXOR ejus dicta fuit *Criſpina*, Quintilii filia, quam Pater M. Antoninus ei uxorem dedit A. C. 178.

II. CONCVBINÆ ei fuere trecentæ, ex quibus MARCIA (quæ poſtea illi necem procuravit) erat præcipua, quam præ reliquis diligebat. Inter haſce concubinas, quas ex matronarum & meretricum delectu ad formæ ſpeciem elegerat, in palatio per convivia & latebras bacchantis in morem agebat, & omnis generis libidines exercebat.

III. LVCILLA ſoror ejus & *Marci* filia ab eo eſt occiſa. Cum enim *Commodus* Criſpinam uxorem duxiſſet, Lucilla ſoror domo exacta eſt, quæ propterea fratri infenſa, de eo trucidando conſilia inivit cum adoleſcente nobili *Quadrato*; Sed ſtultus, dum pugionem nudat, dicit: *Hunc tibi Senatus mittit*, nec facinus ſubito perpetrat. Ideo comprehenſus pœnas amentiæ dedit: Et hinc *Commodi* odium erga Senatum exortum eſt; quorum multos occidit. Soror quoque *Lucilla* occiſa eſt, quæſtionem exercente Perenne. *Herod. in Commodo §. 4.*

II. ACTA POLITICA.

I. Commodi electio.

Commodus A. C. 166. CÆSAR appellatus die 12 Octobris. *Julius Capitolinus.*

A. C. 176. *M. Antoninus* Commodum filium creavit AVGVSTVM, die Novembr. & ſequenti menſe Decembri cum eo triumphavit. *Dion.*

II. Imperii adminiſtratio.

1. ACTA TOGATA.

Commodus optimi Parentis peſſimus filius fuit, & plane degeneravit, adeo ut recte in illum quadret vulgatum illud adagium: Ἀνδρὸς ἡρώων τέκνα πήματα. Heroum filii noxæ. Nam omnia quæcunque pater ejus, laudatiſſimus ille Princeps, virtute ſua, & ſuperiores aliquot principes conſtituerant, non ita multo poſt conturbavit, peſſimis artibus, crudelitati, avaritiæ, ſuperbiæ, libidini, & id genus tyrannicis criminibus prorſus deditus.

CATALOGVS VITIORVM EIVS.

I. Ambitio & Superbia.

1. Commodi Superbia & ambitio apparet ex titulis ejus. Quando enim ad Senatum ſcribebat ultimis ſuis temporibus, hoc utebatur titulo: Imperator Cæſar Lucius, Ælius, Aurelius, Commodus, Antoninus, Auguſtus, Pius, Felix, Sarmaticus, Germanicus, Maximus, Britannicus, Pacator orbis terrarum invictus, Romanus, Hercules, Pontifex Maximus, Tribunitiæ poteſtatis, XVIII. Imperator, VIII. Conſul, VII. Pater patriæ, &c.

2. Menſium quoque nomina in Calendario immutavit, eoſque ex ſuis nominibus appellari juſſit, atque ita numerari; Amazonius, Invictus, Felix, Pius, Lucius, Ælius, Aurelius, Commodus, Auguſtus, Herculeus, Romanus, Exſuperans. *Dion.*

II. Veſania & Impudentia.

In *habitu & veſtimentis.* Tantæ namque veſaniæ & impudentiæ erat, ut muliebri veſte indutus publice in Senatu ſedens ſæpiſſime biberit. In ludis celebribus, quos Romæ per dies 14. edebat, *Herculem* ſe dicebat, leonina pelle involutus erat, manu dextra clavam gerebat, ſiniſtra cruentum gladium, omnibuſque erat terribilis. Inde cum lætitiæ ſe dediſſet, qui ſtultitiam ejus ridebant, occidebantur. *Caſſius* Hiſtoricus & Senator, foliis lauri de corona ſumtis ea comedit, ut motu oris facto, riſus diſſimularetur. *Dion. Herodian. §. 9.*

III. Scurrilitas, Levitas & Petulantia.

Nam *Lampridius* jure merito illum perſtringit, quod artifex eſſet in his, quæ ſtationis Imperatoriæ non eſſent, nempe quod calices fingeret, (vel frangeret; uti legendum putat *Caſaubonus*) ſaltaret, cantaret, ſibilaret, denique ſcurram & gladiatorem perfectum ſe oſtenderet. Et hac quidem gladiandi arte valde ſibi placebat, ac palmas, quas retulerat, numerabat. Pugnaſſe autem dicitur ſeptingenties tricies quinquies: & tantum palmarum gladiatoriarum retulſſe numerum, ut mille contingeret. Quam ejus intemperiem in cœlum ferebant adulatores, & fortitudinis titulum inſaniæ aptabant. Cordati vero homines dedecus hoc Imperii, & portentum principatus deteſtabantur. Talem ſe omni vita omnibus exhibuerat: idque conſtare voluerat poſteritati. Quicquid enim turpiter, quicquid impure, crudeliter, gladiatorie, lenonice faceret, Actis urbis indi voluit: ut *Lampridius* ſcribit, auctore *Mario Maximo*. Ea autem patrabat pene quotidie, ut hominum oculis atque animis inſultare non eſſet obſcurum. Præter reliquam enim petulantiam atque improbitatem, lavabat per diem ſepties atque

oculis-

octies, & in ipſis balneis edebat: veſte muliebri in theatro aut amphitheatro ſedens ſæpiſſime potabat. Et, ut pudorem omnem atque honeſtatem proculcaſſe ſcias, dicitur ſæpe pretioſiſſimis cibis humana ſtercora (ô ſcelus!) miſcuiſſe: nec abſtinuiſſe guſtu, aliis, ut putabat, irritis. *Cum ſcurris quoque hominibuſque leviſſimis converſabatur.* Nam ita *Herodianus in Commodo* §. 9. ſcribit: Scurræ, & qui turpiſſima quæque repræſentabant, quaſi addictum ſibi habebant: aurigando etiam beſtiiſque conficiendis ſupra modum exercebatur: ob quæ ſtudia adulatores eum fortitudinis gloria celebrabant. Quare illa minus decore tractabat, quam modeſto Principi conveniebat.

IV. Reipublicæ negligentia.

Ipſe omni Reipubl. cura abjecta, omnia per Conſiliarios ſuos fraudulentos atque adulatores peragebat. In ſubſcribendo ita negligens erat, ut libellis una forma multis ſubſcriberet: In epiſtolis autem plurimis, *Vale*, tantum ſcriberet. Unde per ipſius negligentiam, atque Conſiliariorum fraudulentiam, ingens in Rempublicam damnum exundabat.

AXIOMA.

Principes non uno Conſiliario omnia debent credere. Magni Principes plerumque habent unum vel alterum, cui omnia conſilia credunt, atque ad illorum nutum pleraque peragunt. Si illi ſunt boni, felicia ſunt Imperia; ſi autem mali ſunt, magnorum illi malorum cauſa exiſtunt. Quare Principes uni Conſiliario vel miniſtro non omnia debent credere, ne ſerpentem in ſinu foveant. Nam tandem Conſiliarius ille Principem, aut Princeps ipſum evertit.

Exempla.

Tales mali & perfidi Conſiliarii in aula Commodi erant diverſi.

I. PERENNIS. *Commodus* enim, cui parens Conſiliarios prudentiſſimos ex Senatoribus adjunxerat, parum admonitionibus eorum locum dabat; ſed voluptatibus deditus *Perenni*, quem Præfectum Prætorio fecerat, totum Imperium gubernandum tradebat. *Herodianus*. Hic poſtea contra ipſum *Commodum* conſpirabat, & hæ inſidiæ patefactæ ſunt in ipſis ludis Capitolinis ab homine ignoto: cui fides habita non eſt, ſed ſtatim igne cremabatur. Cum vero poſtea *Perennis* nummos cuderet, illi publicas inſidias patefecerunt, & *Perennis* cum filio interfectus eſt.

II. CLEANDER. De quo talis apud *Herodianum* §. 8. hiſtoria exſtat. Is erat quidam Phryx genere, ex ea nota hominum, qui publice per præconem veneunt. Hic cum in domum Imperatoriam ſervitio eſſet traditus: Et cum ipſo *Commodo* accreviſſet, eo ſcilicet honoris atque authoritatis eſt provectus, ut corporis cuſtodiam, & cubiculi curam, præterea militum præfecturam, ſolus obtineret. Cæterum divitiæ & luxus etiam illum ad Imperii ſpem inflabant. Quocirca grandi coacta pecunia, plurimum frumenti coëmit. Id autem occluſum habebat, ſperans, ſibi Romani populi atque exercitus voluntates adjuncturum: ſi prius rerum neceſſariarum penuria laborantes, magnis repente largitionibus demereretur. Idem gymnaſium maximum ædificaverat: publicatis etiam balneis: ut eo modo populum ineſcaret. At Romani infenſi jampridem, ac totius cauſam peſtilentiæ in eum conferentes, ſimul peroſi hominem divitiis inexplebilem, prius quidem confertim per theatra identidem traducebant: deinde agente in ſuburbanis *Commodo*, repente univerſi magnis clamoribus concurrerunt, *Cleandrum* ad necem depoſcentes. Recenſet deinde *Herodianus*, quomodo is ſe diu authoritate Imperatoris, inſcii ejus ſcelerum, armatis equitibus Principis, tutatus, & bellum cum populo in urbe, & militibus ſtationariis geſſerit: donec *Fadilla*, maxima ſoror *Commodi*, cum alioqui nemini ad Cæſarem, in alto ſeceſſu ſuburbano voluptatibus indulgenti, metu *Cleandri*, acceſſus pateret, inſidias & bellum civile fratri detexit. Qui, cognita perfidia Cleandri, ei caput amputari, contoque præfixum circumferri, voluptuoſum ſcilicet atque optatum populo ſpectaculum præbiturus, juſſit. Ita id malum ſedatum, atque utrinque dimicatio diremta.

V. Socordia.

Symbolum ejus fuit: *Pedetentim, paulatim.* Nam ad Patrem moriturum, cum ab eo res ſtrenue agendas contra hoſtes moneretur, dixit: Ab incolumi, quamvis paulatim, negotia perfici poſſunt; à mortuo nihil.

VI. Veſana iracundia.

Natus annos 12. cum lavaturus balneum tepidum inveniſſet, balneatorem in fornacem ardentem conjici juſſit.

VII. Crudelitas.

I. *In Patrem*, Marcum Imp., quem per medicos occidiſſe creditur. E vita enim diſceſſit, non morbo, quo laborabat; ſed peremtus à medicis, qui *Commodo* gratificabantur. *Dion* §. 8.

2. *Vxo-*

2. *Vxorem Criſpinam*, quam è medio ſuſtulit.

3. *Sororem Lucillam*, quam, procurante *Perenni*, trucidavit A. C. 184. *Herodianus.*

4. *Senatores.* *Quadratus* adoleſcens nobilis *Commodum* occiſurus nudato pugione, magna voce proclamavit: *Hunc tibi Senatus mittit.* Hinc prima maximaque odii cauſa adoleſcenti adverſus Senatum exſtitit; ut etiam *Servium Iulianum* & *Paternum* Senatores, à quibus facillimè Imperio excuti potuiſſet, cum magnis exercitibus præeſſent, occidi juſſerit. Ita animum verba illa fauciaverant, ut omnes hoſtium loco haberet, ſemperque ejus memoriæ vox illa irruentis in ſe juvenis inhæreret. Neque vero tantam hanc occaſionem *Perennis* omiſit, ſed ei perſuaſerat præcipuum quemque è medio tolleret, neque eminere quempiam pateretur: quorum ipſe in bona impetum faciens, facile omnium ejus ætatis hominum locupletiſſimus evaſit. *Herodianus* §. 4.

5. *Viros virtute & eruditione præſtantes*, & *Patri M. Antonino Imp familiares*, paucis exceptis, hic Tyrannus trucidari juſſit. Eorum in numero fuere inſignes *Quintilii duo*, & alterius filius *Sext. Condianus*, qui ſimulata morte effugere interitum & manus tyranni ſtuduit fruſtra. Fuit & *Cl. Pompeianus*, cui Lucilla ſoror Commodi nupta erat, homo gravis & innocens; & *Vlpius Marcellus*, qui Britannos domuit, vir eximius virtute & continentia.

6. *Miſeros & debiles.* Miſeros quoque nonnullos ac pedibus debiles, per ludibrium deformatos in ſpeciem gigantum, ſagittis ſuis configebat, aliis aures, aut nares amputabat, oculis privabat, pedes frangebat.

7. *Denique crudelis in quoſvis exſtitit.* Nam quendam morte mulctavit, quia *C. Caligulæ* vitam à *Suetonio* deſcriptam legiſſet. *Campoſulg. l. 9. c. 2.* Interdum quoque, ſi aliquem cerneret obeſo ventre atque adipe molli, medium uno ictu ſecari jubebat, ut viſcera ejus à ventre diſcurrentia videret, utpote qui ex eo voluptatem ingentem caperet, quod aliis permagnum incuſſiſſet horrorem. *Campoſulg. ibid.* Nec tantum in debiles quoſdam homines, quos per ludibrium trucidare & gladiatores mactare conſueverat, ſed etiam in feras ſæviit. Nam non modo cicures, ſed & leones aut urſos uno die centum, pantheras, tigrides, elephantos, equos fluviatiles, ſtruthos Mauruſias, jaculis ſuis celerrime ſcitiſſimeque conficere norat. His pugnis tandem ſerviles illas acclamationes promeritus eſt: *Dominus es, primus es, omnium feliciſſimus vincis, ab ævo vinces; Amazonie vinces! Dion.*

VIII. Libidines.

Libidines *Commodi* & flagitia honeſte nominari aut referri non poſſunt inhoneſtiſſima. Hac enim in parte Caligulas, Nerones, & quicquid eſt nequiſſimorum hominum ac perditiſſimorum, facile æquavit, imo ſuperavit. Nam *Lampridius* de eo ſcribit, quod trecentas concubinas, è matronis ac meretricibus delectas, trecentos item alios pueres exoletos è plebe æque ac nobilitate habuerit, ſtupra item ſororibus omnibus intulerit, templa libidinibus fœdarit, ut denique mulierculæ iſtæ in illius conſpectu violarentur, mandaverit.

IX. Mala conſcientia.

Cum autem tot tantaque ſcelera & flagitia perpetraſſet, iſta ſatis erant ad odium, quo ſe urgeri jure, eoque inſidiis obnoxium non ignorabat. Itaque, ut videtur, Dionyſii Syracuſani exemplo, comam & barbam ſibi ipſi adurebat, timore tonſoris. Nam nemini fidebat. *Herod. in Commodo* §. 9. Neque tamen interitum ſuum, juſto Dei judicio ei ob facinora decretum, effugere potuit; uti in *cap.* 3. dicemus.

II. *ACTA POLEMICA.*

Commodus poſt obitum Patris, bellum quod fere confectum erat, Regibus hoſtium addictus, remittit, & pace facta Romam redit, ac utrumque triumphat. *Xiphilinus.*

Bellum I. contra Britannos.

In *Britannia*, cum hoſtes murum eſſent transgreſſi, qui interceſſerant inter ipſos & Romanos, & Romanum exercitum clade affeciſſent. *Commodus Vlpium Marcellum* contra eos miſit, qui induſtria & ſedulitate milites plurimum exercuit, & inde *Britannos* ingenti damno affecit. *Dion.*

Bellum II. Parthicum.

Deinde bellum Parthicum *Commodus* per ſuos Duces confecit, & Mediam, Babylonem & Armeniam vindicavit. Vnde Armenicus, Parthicus & Medicus eſt appellatus. *Dreſſ. Mill. 5. pag. 298.* Inſuper etiam victi per Legatos ſunt Mauri, victi Daci, Pannonia quoque compoſita.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. *Pax Eccleſiæ data.* Status Eccleſiæ ſub *Commodo* tolerabilis, & ſævitia, quæ antea longe lateque graſſata fuerat, pauliſper conquievit. Nam motus forſan precibus *Marciæ concubinæ*, quæ Chriſtianis favebat, perſecutionem inhibuit. Quæ pax

Eccleſiæ à *Commodo* conceſſa, multos allexit ad Chriſtianam religionem amplectendam. *Euſebius hiſtor. Eccleſiaſt. l.* 5. *c.* 19. ſcribit; quod ſub Imperio *Commodi* lex lata ſit, quæ delatores Chriſtianorum non ſinebat vivere. Ubi refert, quod delator *Apollonii Martyris* fractis cruribus punitus ſit. Factum hoc A. C. 181.

II. *Lucius*, *Britannorum Rex*, legatos ad *Eleutherium* Papam Romam miſit, ut Epiſcopum in Britanniam ablegarat, à quo *Lucius* Rex in Chriſtiana religione inſtitutus eſt, & ipſius quoque ſubditi; vera etiam ibi religio conſervata eſt, uſque ad tempora *Diocletiani*. *Tertullianus* de Britannis ait: Quod Britannorum Romanis inacceſſa loca Chriſto ſint ſubdita. *Bed.* A. C 181.

III. VERSIONES Bibliorum binæ erant. *Prima* Septuaginta Interpretum, & *Secunda* Aquilæ: Acceſſit hiſce temporibus *Tertia* Theodotionis, qui hæreticus & diſcipulus *Tatiani* fuerat: Inde ſe Marcionitis adjunxerat, poſtea Judæis, ubi Ebræam linguam didicerat. Verſio tamen ejus propterea ſpreta non fuit. *Baronius.*

IV. *Pantænus* Philoſophus Chriſtianus, celebrem Chriſtianorum ſcholam Alexandriæ inſtituit, ex qua multarum Eccleſiarum Doctores prodierunt. Alexandria ad Indos proficiſcitur, Euangelium Chriſti annunciaturus. Hujus diſcipulus fuit *Clemens Alexandrinus*, cujus Opera nunc quoque extant. *Euſebius l.* 5.

V. *Origenes* Alexandriæ A. C. 186. naſcitur, anno Imperii *Commodi* 6.

VI. *Apollonius* vir eruditiſſimus & Philoſophus eximius, (à quibuſdam Senator urbis Romanæ habetur) cum de religione Chriſtiana accuſaretur, petiit, ut in Senatu poteſtas loquendi ſibi daretur. Quod impetravit. Cum autem legiſſet Senatui Apologiam elegantiſſimam, quam pro Chriſtianæ religionis veritate ſcripſerat, capite ob fidem Chriſtianam truncatus eſt. Exſequutor ſupplicii *Perennis* fuit *Commodi* Imp. Præfectus prætorio, qui rurſus ante venientem annum occiditur. Delator vero Apollonii juxta legem Romanam fractis cruribus mulctatus eſt. *Euſebius lib.* 5.

VII. *Serapion*, cujus ſcripta citat Euſebius, creatur Epiſcopus Antiochiæ. *Euſebius.*

VIII. *Eleutherus* præfuiſſe toto fere *Commodi* Imp. tempore Eccleſiæ Romanæ ſcribitur, & primus Epiſcoporum iſtius Eccleſiæ putatur morte non violentia deceſſiſſe.

IX. *Victor* ei ſucceſſit, qui præter alia, ſacris interdixit iis, qui injuria forte affecti, redire in gratiam nollent cum iis, à quibus læſi fuerant. *Victor* ſeveritatis intempeſtivæ, qui non conſentientibus in tempus Paſchale, quod diei Dominicæ plures adſtringebant, anathema dixit, revocante eum ab hac importunitate Irenæo, Lugdunenſi Epiſcopo, Polycrate autem pro Aſiaticis, decima quarta Luna Paſcha agentibus, dimicante. *Euſebius l.* 5. *Hiſtor. Eccleſiaſt. c.* 23, 24.

X. *Variæ Synodi* de Paſchatis die in provinciis coactæ ſunt, quibus Eccleſiarum iſtarum Epiſcopi præſederunt. Quod tamen omnium ferme conſenſu (Aſiaticis exceptis) in diem Dominicum eſt collatum. Hic merito dicendum eſt, dum Eccleſia vel tantillum quieſcit, ſervi ejus rixantur. *Euſebius l.* 5, *c.* 20, 21.

XI. *Thalmud Judæorum* conſcribitur A. C. 191. anno Commodi 11. *Seder Olam.*

Viri celebres in literatura.

I. *Dion Caſſius*, qui & Cocceius ſive Coccejanus, itemque Nicænus dicitur, à patria Nicæa Bithyniæ. Vixiſſe eum ſub hoc Imperatore in urbe Roma, & in numero Senatorum fuiſſe, cumque cæteris *Commodo* fœdam ſervitutem ſerviiſſe; Hiſtoriam vero, hujus præſertim ævi, divino quaſi juſſu ſcripſiſſe, ipſe locupletiſſimus eſt teſtis.

II. *Ariſtides* Adrianus, cujus multæ ſuperſunt hodie orationes.

III. *Julius Pollux*, cujus Onomaſticum Græcum multiplici eruditione refertum exſtat.

PRODIGIA.

Capitolium fulmine tactum eſt, facta inflammatione maxima. Bibliotheca nobiliſſima & vicinæ quoque ædes concrematæ ſunt A. C. 188. anno Imperii *Commodi* 8. *Lamprid. Herodianus.*

II. Anno Chriſti 192. anno *Commodi* 12. Incendium Romæ ortum eſt, quo *Pacis templum*, magnificentiſſimum in tota urbe, & ſplendidiſſimum opus, cum tabulis, quæ ad Imperium pertinebant, abſumtum eſt. Et latius vagante incendio, etiam *Templum Veſtæ* funditus eo tempore ita deletum, ut *Palladium* quoque, arcanum Imperii pignus, vulgo conſpiceretur, cum Virgines raptum id in palatium media ſacra via tranſportarent. Sæviit hoc incendium & in aliis partibus urbis, neque ulla aqua exſtingui poterat, etſi *Commodus* ipſe inſtaret militibus, cæterique ſuarum rerum ſatagerent, donec multo imbre ignis reſtingueretur. *Dion.*

III. PESTIS Romæ vehementiſſime graſſatur, mortui ſunt uno die ad duo millia. Fuerunt qui aeus veneno oblitas in alios conjicerent, id quod *Domitiani* temporibus etiam factum. *Dion.*

IV. Fa-

IV. FAMES Romanos afflixit, cum *Cleander Commodo* familiarissimus & præfectus prætorio frumentum coëmtum detineret. Qui propterea à *Commodo*, metuente sibi à tumultuante populo, occisus est. *Herodianus.*

V. *Prodigia varia* atque *portenta* in cœlo ac in terris his calamitatibus accedebant, quæ non præsentia tantum, sed & futura Imperii mala non obscure denunciare videbantur, maxime propter scelera Principis, vel potius nefarii tyranni.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

CVm Imperator *Commodus* habitu athletico, deducente gladiatorum agmine, non ex Imperatoriis ædibus, sed ex ipso gladiatorio ludo purpura Imperatoria amictus in conspectum populi Romani, idque celeberrimo die, nempe Calend. Januar. prodire & pugnare vellet, Principis & Reipubl. dignitate postposita, ab impudenti hoc facinore dehortari multis lacrimis *Marcia concubina vellet*, uti etiam *Lætus* exercituum præfectus, & *Electus* cubiculi custos multis precibus illi persuadere tentarent, ne quid indignum Principe conaretur: *Commodus* hisce iratus, eosque fideliter rectèque monentes ferre non poterat: Cum tamen eos ante ita complexus fuerat, ut in pugnis gladiatoriis victor per galeam eos oscularetur. Ideoque & *Marcia* & illorum & plurimorum Senatorum nomina in libello notaverat, quos illa nocte trucidaret. Verum is libellus mirifico casu, in manus *Marciæ* devenit, per eamque cæteris, quorum de capitibus agebatur, res omnis est indicata, structas sibi insidias prævenerunt, & in caput auctoris rejecerunt. *Herodianus in Commodo*, §. 11.

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

sive, *Mors ipsa.*

1. *Mors à Marcia Concubina affecta.* Illa enim redeunti ex balneis commixtum vino odoratissimo venenum in calice obtulit, quod ille, collecta siti lavando, temere ebibit; sed illud vomitu à se rejecit.

11. *Mors à Narcisso perfecta.* Nam multum cum evomuisset, veriti illi, ne veneno quoque omni ejecto colligeret sese, atque una omnes interfici mandaret; juveni cuidam, nomine *Narcisso*, strenuo ac robusto, persuaserunt, ut ad *Commodum* ingrederetur, eumque strangularet: magna præmia se daturos polliciti. Hic irrumpens illum & veneno & crapula languentem, constricto gutture interfecit. Hunc finem vitæ *Commodus* habuit, 13 annos post parentis obitum imperio administrato, ætatis suæ anno 31. Unus omnium ante Imperatorum nobilissimus, omniumque ejus ætatis hominum formosissimus.

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

h. e. *Contumelia mortem ejus insecuta.*

Nam cadaver unco trahi, & in Tiberim præcipitari, flagitavit Senatus populusque Romanus ingenti studio. Honores, quos indebitos sibi rapuerat, aut extorserat, eidem detrahi. Voces eorum è *Maximo Mario* historiarum conditore, cum aliæ, tum hæ memorabiles sunt, & inimicitiæ in eum indices: Hosti patriæ honores detrahantur: parricidæ honores detrahantur: parricida trahatur. Hostis patriæ, parricida, gladiator, in spoliario lanietur: hostis Deorum, carnifex Senatus: hostis Deorum, parricida Senatus. Hostis Deorum, hostis Senatus. Denique uncum ei efflagitare, quod sibi & Imperatori, & militibus prætorianis, cæteris item, adeoque toti Reipubl. inimicissimus fuisset, non destiterunt. Impuri gladiatoris memoria aboleatur. Gladiatorem in spoliario. Exaudi Cæsar. Carnifex unco trahatur. Carnifex Senatus more majorum unco trahatur. Sævior *Domitiano*, impurior *Nerone*, sic fecit, sic patiatur. Memoriæ innocentium serventur: honores innocentium restituas, *&c.* Vide *Lampridium in Commodo* §. 6.

XIX. IMPERATOR ROM.

P. ÆLIVS PERTINAX.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

P. *Ælius Pertinax* ex humili & obscuro genere natus est anno Christi 128. in Apennino, in vico Martis.

Pater ejus dictus fuit *Ælius Successus*, quem mercaturam fecisse; seu ut alii malunt, lateres coxisse, Historici tradunt. *Herodianus Capitolinus.*

Dion & *Egnatius* referunt, eum ex Africa oriundum fuisse è civitate *Alba Pompeia* dicta.

NOTA.

Apenninus per duplex *n*; vel *Apœninus* cum *œ* diphthongo, ut ſcribit *Servius*, quaſi Alpes Pœni, quod eas Hannibal primus ſuperavit: Mons eſt, qui Italiam mediam dividit, ſuscipitque à Genua, & ſupra Carnos incumbit. Ejus deſcriptionem vide apud *Lucanum lib.* 2.

II. *Appellatio.*

P. Ælius cognomento dictus eſt PERTINAX. Cujus cognominis ratio triplex dari poteſt.

I. Eſt OECONOMICA. Sic quidem affirmant, quod *Pertinax* ſit à pertinaci lignariæ negociationis continuatione ſic dictus.

II. ETHICA. Sic dictus eſt, quod immotam in omnibus propoſitis ac negociis ſuis conſtantiam ſervarit.

III. POLITICA. *Aurelius Victor* ſcribit, quod coactus repugnanſque Imperium ſuſceperit: indeque tale ſit cognomentum ſortitus.

III. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ.

CONSTITUTIO RATIONE

I. *Corporis.* Erat ſenex, cum ad Imperium perveniret, nempe ſexagenario major: perſona ejus erat gravis & civibus honorabilis, hoſtibus vero formidabilis: facie venuſtus, & corpore craſſus atque obeſus. *Capitolinus* §. 4. ita de eo ſcribit: *Pertinax* erat ſenex venerabilis, immiſſa barba, reflexo capillo, habitudine corporis pinguiore, ventre prominulo, ſtatura Imperatoria, eloquentia mediocri, & magis blandus quam benignus, nec unquam creditus ſimplex.

II. *Animi.* Sicut inſignibus corporis, ita quoque animi dotibus prædituſ erat. Ingenium alacre & judicium acutum habebat, ut exacte de quibuſvis objectis judicare poſſet: erat quoque doctrina cultus, linguaque promtus, & literarum armorumque peritus. Et cum verbis eſſet affabilis, re erat illiberalis ac prope ſordidus.

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

I. *ACTA OECONOMICA.*

UXor ejus dicta fuit *Flavia Titiana. Capitolin. in Pertinace.* §. 2. 4. ex qua filium & filiam ſuſcepit.

CONCUBINA ejus erat *Cornificia.* Cum enim uxor ejus fœdus conjugii violaret, & rem cum citharœdo haberet: Ille quoque hanc *Cornificiam* concubinæ loco eligebat, eamque ardenter diligebat.

Vita Oeconomica.

Frugalitas & Tenacitas. Nam. *Jul. Capitolinus* §. 4. ita de eo ſcribit: *Pertinax* prope ſordidus erat, adeo ut dimidiatas lactucas & carduos in privata vita convivis apponeret: & niſi quod miſſum eſſet edulium, quotquot eſſent amici, novem libras carnis per tres miſſus ponebat. Si autem plus aliquid miſſum eſſet, etiam in alium diem differebat, cum ſemper ad convivium multos vocaret. Imperator etiam, ſi ſine convivis eſſet, eadem conſuetudine cœnitabat. Amicis ſiquando de prandio mittere voluit, miſit offulas binas, aut omaſi partem, aliquando lumbos gallinaceos. Phaſianum nunquam privato convivio comedit, aut alicui miſit. Cum ſine amicis cœnaret, adhibebat uxorem ſuam & Valerianum, ut cum eodem, qui docuerat, fabulas literatas haberet.

Obſervatio.

Graviter hac in re peccavit Pertinax, inter Imperatorem & privatam perſonam non diſtinguens. Quid enim Auguſto indignius, quam ut, qui tam late imperet, animum tam anguſtum etiam in viliſſimis rebus habeat? Scribit tamen *Julius Capitolinus*, §. 3. Frugalitatem iſtam & Continentiam *Pertinacis* uſui magno Reipubl. fuiſſe. Cæteri enim etiam, ut fit, exemplum ejus imitabantur. Itaque vilitas annonæ ex omnium continentia nata eſt, Nam Imperatorium ſumtum, repudiatis non neceſſariis, ad ſoliti dimidium redegit. Atque hujuſmodi inſtitutis opes ſibi & ærario parare, quod *Commodi* largitionibus exhauſtum prorſus erat, quam non ſatis honeſtis rationibus quærere, maluit.

II. *ACTA POLITICA.*

I. Ante Imperium.

Ante Imperium multis functus eſt domi militiæque officiis ac honoribus, magnaque prædituſ fuit authoritate. Apud Ligures primum Profeſſor fuit Grammatices: in quo munere Sulpitio Apollinari Præceptori ſuo ſucceſſit. Sed cum haud magnam pecuniæ ſummam inde ſibi comparare poſſet, per Lollianum Avitum ducendi ordinis dignitatem petiit. Ita propter induſtriam militarem primo Conſul, poſtea Præfectus cohortis in Syria electus eſt. Inde in Myſia alam, & in Germania claſſem rexit, tandemque præfecturam urbis Romæ promeruit. *Aurelius Victor, Dion. Herodianus, Capitolinus.*

II. Im-

II. Imperii occupatio.

Invitus & coactus Imperium ſuſcepit, ut etiam inde cognomen *Pertinacis* nactus ſit, teſte *Aurelio Victore*. Patet hoc ipſum,

I. *Ex* ACTIS PRIVATIS. Cum enim *Letus* Præfectus atque *Electus*, qui *Commodum* interfecerant, nocte intempeſta paucis cum militibus ad eum venirent, ipſe initio perterritus & expaveſactus, putans, eos à *Commodo* ad ſe occidendum miſſos, pleno audaciæ vultu minimeque pallenti dixit: Jampridem hunc exitum vitæ ſingulis etiam noctibus ſperabam, qui ex omnibus paternis amicis unus adhuc eſſem reliquus. Itaque demirabar, quonam tamdiu rem differret *Commodus*. Proinde quid ſtatis, quin facitis imperata, meque à triſti aliquando ac perpetua formidine liberatis? At illi reſpondebant: Se adeſſe, ut Imperium illi offerrent. Quod initio ille plane recuſabat. Sed cum illi urgerent, tandem re omni intellecta illorum poteſtati ſe permiſit. *Herod. in Pertinace*, §. 1.

II. *Ex* ACTIS PUBLICIS. Poſtquam igitur illuxit, in curiam ſe contulit, neque ignem ſibi præferri, neque ulla Principatus inſignia paſſus attolli, donec Senatus ſententiam ſciſcitaretur. Sed 1. eum ſimul atque viderunt, lætis acclamationibus unanimiter exceperunt, Auguſtumque & Imperatorem conſalutarunt. 2. At ille recuſare inſtitit, tanquam rem invidioſam, nomen Imperii, & excuſare ſenectutem, veniamque orare, multos eſſe dictitans patritios viros, quibus magis Imperium conveniret. Simul *Glabrionem* manu comprehenſum protrahens, ſeſſitare Imperatoria ſella jubebat. Erat enim ille omnium Patritiorum nobiliſſimus, ad *Æneam*, *Veneris* & *Anchiſæ* filium, ſeriem generis referens, idemque iterum Conſul. Qui tamen ita tum locutus eſt: EQUIDEM egomet, quem tu omnium putas digniſſimum, cedo tibi Imperio atque una mecum Senatus omnis ſummam tibi poteſtatem decernimus. 3. Tandem igitur vix dubitabundus, univerſis impenſe rogantibus, ſellam Imperatoriam conſcendit, modeſta atque prudenti in Senatu oratione habita, quam deſcribit *Herodianus* §. 3.

III. Imperii adminiſtratio.

In Imperii adminiſtratione variæ ejus virtutes fulſerunt.

I. *Gravitas.*

I. IN VERBIS. Cum enim *Pertinax* omnium votis, ſuffragiis & acclamationibus Imperator appellatus eſſet, Senatui gratias egit, & præcipue *Electo* Præfecto Prætorii, quo authore ipſe ad Imperium pervenerat. Poſtquam autem *Leto* gratias egiſſet; *Falco* Conſul dixit: *Qualis Imperator es futurus?* & vitio ipſi dedit, quod *Letum & Marcillam, alioſque miniſtros Commodi ſcelerum, non tolleret.* Ille reſpondit: *Juvenis es, Conſul, nec parendi ſcis neceſſitatem. Paruerunt inviti Commodo; ſed ubi habuerunt facultatem, quid ſemper voluerint, oſtenderunt.* Atque ita Pertinax intempeſtivam Conſulis cenſuram graviori cenſura caſtigavit.

II. IN FACTIS. Nam prima die, poſtquam Imperator ſalutatus eſt, petenti *Symbolum* Tribuno militum dedit; MILITEMVS. Sentiens ille, populum Romanum ſervire fas non eſſe: quem Dii immortales (ut cum *Tullio* loquar) omnibus gentibus imperare voluerint, & cujus propria & quaſi peculiaris ſit libertas. Eamque ob cauſam nullum omnino caſum pro libertate ejus, & dignitate patriæ, Imperatori non ferendum eſſe: ac eum quidvis potius facere, & vel in bello emori oportere, quam ſervire, aut in ſervitute vivere. Mors enim, ut *Cicero* docet, ſervituti anteponenda eſt: qua nihil eſt fœdius aut miſerius: cum ad decus & libertatem nati ſimus, quam aut tenere, aut cum libertate mori debemus, ut eſt in *Philipp.* 3. Et ſimul exprobravit ſegnitiem temporum ſuperiorum. Militibus quoque edixit, ne cui ex populo contumeliam facerent; neve quem viatorem pulſarent: cuncta denique ad honeſtatem & moderationem reducere conabatur. *Julius Capitolinus*, §. 2.

II. *Modeſtia.*

Singularis modeſtiæ hic Imperator erat. Nam eadem die, qua ipſe Auguſtus appellatus, etiam *Flavia Titiana* uxor ejus Auguſta eſt ſalutata. *Capitolinus* §. 2. Similiter & filium ejus *Pertinacem* Senatus Cæſarem appellavit. Verum *Pertinax* nec uxoris Auguſtæ appellationem recepit, & de filio dixit: *Cum meruerit. Capitolinus* § 3. Quin adeo ſeſe æquabilem paremque cæteris præſtabat, ut filium quoque jam adoleſcentem in aulam palatinam nunquam adduxerit, ſed intra privatos parietes retinuerit, ſic ut in ludum quoque literarium ac gymnaſia de more iret, nihil privatis abſimilis, eruditeturque, & omnia perinde ut quivis è medio agitaret, neque ullam aut tyrannicam, aut omnino Imperatoriam pompam oſtentaret. *Herodianus* §. 4.

III. *Juſtitia.*

Vt Rempubl. firmaret, leges utiles ac neceſſarias tulit.

1. *Militibus* edixit, ne cui ex populo contumeliam facerent, neve quem viatorem pulſarent:

cuncta denique ad honesti cultum, modestiamque referebat. *Herodianus* §. 4.

II. *Imperatoris* possessionibus nomen suum inscribi prohibuit, non esse illas dictitans Imperantium proprias, sed communes Romanorum & publicas. *Herodianus ibid.*

III. *Vectigalia* quoque omnia, quæ ad contrahendas pecunias tyranni excogitaverant, in fluviorum ripis, in urbium pontibus, perque vias & itinera, penitus remisit, atque in antiquam libertatem revocavit, multaque item ad idem exemplum facturus videbatur. *Herodianus ibidem.*

IV. *De Testamentis.* Legem quoque tulit, ut testamenta priora non prius essent irrita, quam alia perfecta essent, neve ob hoc fiscus aliquando succederet. Ipseque professus est, nullius se aditurum hæreditatem, quæ aut adulatione alicujus delata esset, aut lite perplexa, ut legitimi hæredes & necessarii privarentur: addiditque Senatus-consulto hæc verba: *Sanctius, P. C., est, inopem Rempubl. obtinere, quam ad divitiarum cumulum per discriminum atque dedecorum vestigia pervenire. Jul. Capitolinus*, §. 3.

V. *De delatoribus.* Delatores victos graviter puniri jussit: & tamen mollius, quam superiores Imperatores, unicuique dignitati, si delationis crimen incurreret, pœnam statuens. *Herodianus* §. 4. *Julius Capitolin.* §. 3.

VI. *De Servis.* Eos, qui calumniis appetiti per servos fuerant, damnatis servis delatoribus, liberavit, in crucem sublatis talibus servis; aliquos etiam mortuos vindicavit. *Julius Capitolinus*, §. 3.

VII. *De Agris incultis.* Quicquid inculti soli vacabat, occupantibus *Pertinax Imp.* adjudicavit: decemque annorum immunitatem ac perpetuam libertatem agricolis concessit. *Cuspinianus.*

IV. *Comitas & mansuetudo.*

Civilem se salutantibus & interpellantibus semper exhibuit. Vtebatur, inquit *Dio*, nobis perquam familiariter, erat enim affabilis. Audiebat promte, si quis aliquid peteret, & clementer respondebat, quicquid videretur. *Herodianus ita de eo* §. 4. scribit: Ipse cum aut ingrederetur, aut jus diceret, comem scilicet & mansuetam indolem ostendebat: & cum *Marcum* inprimis referre videretur, seniores quidem admonitu delectabat, reliquos autem, à crudeli contumelioſaque tyrannide ad modestam vitam tranquillamque vindicatos, facile ad se amandum impulerat. Hæc præclara sane & maxime laudanda virtus in Pertinace fuit.

V. *Clementia.*

Cum *Falco* Consul Imperii affectati damnandus à Senatu esset, *Pertinax* ei pepercit, & à Senatu impunitatem ejus petiit, dicens: *Absit, ut, me tenente principatum, ullus Senator vel jure interfici jubeatur. Julius Capitolinus*, §. 3.

VI. *Liberalitas.*

Liberalitatem suam in ærarii tenuitate civibus & militibus non deesse passus est. Immo vero æquasse hac parte se illos Principes, qui ærarium amplissimum possidebant, ipse gloriatur. Et certe donativa atque congiaria, quæ *Commodus* promiserat, solvit. Annonæ consultissime providit. Præmia militantibus dari curavit.

VIII. *Authoritas.*

Civibus, præsertim honestioribus sociis, præterea & exercitibus, qui per provincias passim sparsi, mire cārus, ipsis denique hostibus venerabilis erat: Ita ut *Lætus* prætorio præfectus, barbaros quosdam, qui à *Commodo*, ut pacem servarent, magnam vim auri acceperant, jam domum redeuntes revocare non dubitarit, & repetita ab iis pecunia dicere: *Referte domum, Pertinacem Imperatorem esse.* Ejus enim virtutem magno suo malo cognoverant, cum in exercitu Marci militaret. Eandem virtutem civibus, quamdiu licuit, & prætorianis repræsentavit. *Dion.* Et *Herodianus* §. 4. ita scribit; Barbari, si qui aut frænos depulerant, aut seditiones moliebantur, metu virtutis, quam præstitisse cum superioribus bellis meminissent, justitiæque fide, cum neminem ab illo scirent ultro offendi, sed gratiam cuique pro meritis referri, vimque abesse, & crudelitatem, sponte se illi dediderunt. Legationes præterea undique confluebant, gratulatum Romano populo, quod Pertinacis Imperio gubernarentur.

CAP. III.

DE EGRESSV.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

I. *Militum Prætorianorum & aulicorum contra Pertinacem conspiratio.* Cum Pertinax & militum prætorianorum & aulicorum licentiam coërceret severioribus quasi frænis, in odium eorum incurrit. Qui facile cum *Lato* prætorii præfecto, homine avaritiæ insatiabilis & lubricæ fidei, in perniciem Imperatoris conjurarunt, & inter vina & epulas consilia inierunt *Pertinacem* è medio tollen-

lendi, gravem ipſis atque oneroſum, alterumque ejus loco imponendi rebus Romanis, indulgentem atque intemperantem, nihilque denique non licentiæ præbiturum. *Herodian. in Pertinace*, §. 5.

II. *Amicorum Admonitio. Pertinax Imper.* ab amicis admonitus, ut prætorianorum militum inſidias effugeret, qui jam conabantur Imperatorem de vita tollere: reſpondit; Se nequaquam male ſibi conſcium eſſe, ideoque non opus eſſe, ut contra Imperatoriam Majeſtatem, atque anteactam vitam, latebris aut fuga conſuleret vitæ ſuæ. *Herodianus* §. 5.

III. *Pertinacis conſtantia, σεμνὴ & oratio, & animoſa militum compellatio. Pertinax Imper.* cubiculo egreſſus, ac milites prætorianos in ſe irruere conſpicatus, ita ad eos verba fecit: *Me quidem, ô milites, ſi occiditis, neque ipſi rem magnam facitis, neque mihi ſane gravem, homini videlicet hujus ætatis & gloriæ. Siquidem humanæ vitæ finis certe eſt aliquis neceſſarius.* Non ignoravit Imperator, ſemel eſſe moriendum: & hic non referre, quo mortis genere ultimum vitæ diem claudamus. *Herodeanus* §. 5.

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Trucidatio. At conjurati orationem ejus vili pendentes, impetu in palatium facto, principem neque fugere neque occultare ſe volentem, oratione etiam gravi & conſpectu ſuo gladios eorum morantem, tandem obtruncarunt, cum imperaſſet menſ. 2. dies 25. *Tauſius* quidam, Tungrorum unus, facinus illud auſpicatus ſcribitur, & haſtam in pectus Pertinacis primus jeciſſe. Illum vero Jovem Vltorem precatum, toga caput operuiſſe, atque à cæteris confoſſum eſſe. *Julius Capitolinus* §. 4. Periit cum illo *Electus.* Is enim ſolus fugere non ſuſtinuit è numero aulicorum. Præſto potius ei fuit, & multos militum vulneravit, duos confodit: itaque opem Imperatori ſuo, quoad potuit, tulit. Quem hoc nomine maxime admirari ſe, perpetuoque bonum virum judicaſſe, *Dion* ſcribit.

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

1. *Contumelioſa tractatio. Parricida*, qui eum interfecerant, caput ejus, conto fixum, per urbem in caſtra pertulerunt. Reliquiæ ejus, recuperato capite, in ſepulchro avi uxoris locatæ ſunt, cum annos 67. & aliquot menſes vixiſſet, imperaſſet nondum tres integros menſes.

II. *Populi indignatio & acclamatio.* Populus mortem ejus indigniſſime tulit: quia videbat omnia antiquata per eum poſſe reſtitui. Ideoque ei mortuo ad vocis uſque defectum acclamavit; *Pertinace imperante ſecuri viximus, neminem timuimus. Patri pio, patri Senatus, patri omnium bonorum.*

III. *Senatus conturbatio.* Præcipue vero Senatus id indigne ferebat, communemque eam calamitatem exiſtimabat, deſiderans parentem optimum ac Principem indulgentiſſimum, rurſumque tyrannidem metuens, quam cordi eſſe militibus intelligebat, *&c.*

XX. IMPERATOR ROM.
DIDIVS IVLIANVS.

CAPVT I.
DE ORTV.

I. PATER fuit PETRONIVS DIDIVS SEVERUS.

II. MATER, *Clara Æmylia.*

III. AVUS PATERNVS, *Inſubris Mediolanenſis*: MATERNVS *ex Adrumetina Colonia.*

IV. PROAVUS fuit SALVIVS IVLIANVS, bis Conſul, præfectus urbi, & Iuris-conſultus, qui ſub Imperatore Adriano floruit, quique primus edictum, quod varie à Prætoribus promebatur, in ordinem redegit, adeoque edictum perpetuum compoſuit.

EDVCATIO.

Educatus eſt *Didius Julianus* apud *Domitiam Lucillam*, matrem *Marci* Imperatoris. *Ælius Spartianus*, §. 1.

CAPVT II.
DE PROGRESSV.

I. ACTA ACADEMICA.

VXOR ejus fuit MALLIA SCANTILLA mulier valde ἄμορφος & deformis. Ex qua ſuſcepit filiam nomine *Didiam Claram*, excellenti formæ venuſtate præditam: quam *Cornelio Repentino* deſpondit; eumque urbis præfectum in locum *Sulpiciani* fecit. *Ælius Spartianus*, §. 2.

II. ACTA OECONOMICA.

I. Ante Imperium.

Hic *Didius Julianus* ante Imperium ad varios dignitatum atque functionum gradus evectus eſt; uti *Ælius Spartianus* §. 1. ſcribit. Nam

1. Qua-

I. *Quæſtor* ante annum, quam legitima ætas ſinebat, deſignatus eſt.

II. *Ædilitatem* ſuffragio *Marci* conſecutus eſt.

III. *Prætor* ejuſdem ſuffragio fuit.

IV. *Dux*, legioni præfuit in *Germania* viceſimæ ſecundæ primigeniæ.

V. *Gubernator Dalmatiæ.* Nam *Dalmatiam* regendam accepit, eamque à confinibus hoſtibus vindicavit.

VI. *Germaniam* inferiorem & *Bithyniam* rexit.

VII. Fuit Romæ *Conſul* cum *Pertinace*, & in proconſulatu Africæ eidem ſucceſſit, & ſemper ab eo collega eſt & ſucceſſor appellatus: maxime eo die, cum, filiam ſuam *Iulianam* deſpondens affini ſuo, ad *Pertinacem* veniſſet, idque intimaſſet, dixiſſetque debita reverentia; *Quia collega & ſucceſſor meus eſt.*

II. Imperii occupatio.

Poſt *Pertinacis Imperatoris* cædem univerſa civitas Romana conturbata eſt, plebs univerſa ſtupebat, & Optimates in ſua prædia ab urbe ſeceſſerant. Ecce milites, conſtituto ſupra murum vocaliſſimo quoque, Imperium venale propoſuerunt, traditurosque ſe dicebant ei, qui plurimum pecuniæ polliceretur, tutoque in aulam cum armis deducturos. Hoc militum edictum huic *Iuliano* viro Conſulari, qui grandem habere pecuniam credebatur, veſpere ſupra cœnam nunciatur inter vinum atque epulas: quippe homo alioqui vitæ parum continentis habebatur. Perſuadent igitur uxor atque filia, & paraſitorum turba, ut relicta menſa acceleret, & quid agatur intelligat: ac ſubinde inter eundum adhortantur, occupet projectum Imperium, ſuperaturum largitione omnes competitores, qui tantum divitiarum poſſideat. Igitur ubi ad muros acceſſit, clamare occepit, ſe daturum quæ vellent, habere ſe magnas opes, multos auri theſauros atque argenti. Præterea militibus ſingulis plus multo argenti daturum, quam aut petere auderent, aut ſe accepturos exſpectaverant. Neque in dando moram futuram: Nam domi eam pecuniam adſervari. *Herodianus* §. 1.

Ita *Iulianus* à militibus, ingenti pecunia promiſſa, Imperator ſalutatus, è caſtris in forum atque Senatum deducitur, magno prætorianorum numero ſtipatus. Hi ſigna infeſta inferebant urbi, non ſecus quam ſi ad magnum aliquod facinus edendum educerentur. Etenim valde ei ſtudebant, & *Commodi* cognomen ei imponebant, gratioſum apud milites, Senatus minis iſtis ac vi militum perterritus, deeſſe novo huic Tyranno non audebat, ideoque illum in Imperio confirmabat. *Dio.*

SYMBOLVM EIVS FVIT:

In precio precium. Nam pecuniæ omnia obedire, & in precio precium eſſe dixit; quod qui in numerato non habet, in precio non eſt. Huc pertinet illud *Naſonis:*

Aurea nunc vere ſunt ſecula: plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.

Hanc pecuniæ tyrannidem pulchre admodum & eleganter deſcribit *Euripides* in Bellerophonte: ex quo hoſce verſus ita convertit *M. Cicero*, teſte *Seneca:*

Pecunia ingens generis humani bonum:
Cui non voluptas matris, aut blanda poteſt
Par eſſe prolis, non ſacer meritis parens.

Verum ſi recte conſiderare, & recte judicare volumus;

Non vi, non nummis, EMITVR VIRTVTE POTESTAS,
Et ſanctia melius longa tenaxque fide.

III. Imperii adminiſtratio.

I. *Iulianus* Imperium adeptus, deliciis continuo crapulæque ſe dedidit, Reipublicæ curam neglexit, vitamque molliſſimam luxuque circumfluentem traduxit.

II. *Spem militum* fefellit, neque fidem promiſſorum implere potuit. Siquidem nec opes erant domi, quantas jactabat, & publicum ærarium ſumtibus illis inſanis jampridem à *Commodo* fuit exhauſtum. Quare cum milites habebat infenſos, quia ſpe ſua fruſtrati erant; tum à populo, totius rei conſcio, facile contemnebatur. *Herodianus in Iuliano*, §. 2.

III. *Populum* muneribus corrumpere ſtuduit. Verum is omnia ejus promiſſa adſpernatus, parricidam tum & Imperii invaſorem appellavit. Etiam irritatus quorundam cæde, arma corripuit

IV. Populus *Peſcennii Nigri*, qui Syriam cum exercitu obtinebat, abſentis fidem imploravit, ut quamprimum adeſſet, ipſoſque à tantis contumeliis aſſereret.

V. Ipſe Imperator à militibus ſuis ſalutatus eſt. Sed cum ille intempeſtivum ageret otium, *Septimius Severus* genere *Afer*, vehemens homo negotiis gerendis, ac ferox, vitæque inſuetus duræ & aſperæ, ac laboribus facillime reſiſtens, promtus excogitandis, acer exequendis rebus, poſtquam Romanum principatum pendere ſublimem quatique direptui expolitum vidit, alterum quidem

quidem ut desidem, alterum ut parum efficacem, contemtui habuit. *Herodianus in Iuliano*, §. 4. & *Pescennium Nigrum*, è Pannonia cum exercitu advolans, prævenit, atque persuaso Albino, Britanniæ Præside, ut quiesceret, pollicitus ei dignitatem Cæsaream, celerrime in Italiam cum armatis contendit, adjunctisque sibi aliis, prætorianos & *Iulianum* prorsus conterruit.

VI. Senatus in templum Minervæ à Consule vocatus, *Severum* Imperatorem appellavit: *Pertinaci* divinos honores decrevit: *Iulianum*, abrogato ei Imperio, capitis damnavit.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. ΤΑ' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

I. MOrtis *præsagia*. Interitum ejus, & trium ducum illorum orientem potentiam, denunciasse visæ sunt *tres stellæ* circa Solem, Iuliano sacrificante, ab omnibus conspectæ.

II. *Visio Magica*. In *Iuliano* fuit hæc dementia, ut per Magos pleraque faceret, quibus putaret vel odium populi deliniri, vel militum arma compesci. Nam & quasdam non convenientes Romanis sacris hostias immolaverunt, & carmina profana incantaverunt, & ea quæ ad speculum dicunt fieri, in quo pueri præligatis oculis incantato vertice respicere dicuntur, *Iulianus* fecit. Tumque puer vidisse dicitur, & adventum *Severi*, & *Iuliani* decessionem. *Ælius Spartianus* §. 3. Atque ita *Iuliani* impietas, imminentis justi judicii præsagium fuit.

II. ΤΑ' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Iulianus acie prope Pontem Milvium devictus, cum in Palatium venisset, destitutus atque desertus ab omnibus, à milite quodam gregario inter fœdissimas complorationes obtruncatus est, cum imperasset dies 66. uti *Dion* habet.

VOX ΠΡΟΑΓΩ'ΝΙΟΣ.

Iulianus, postquam ei Imperium abrogatum, & capitis damnatus esset, interfectus est, nec quidquam percussoribus dixit; nisi: *Quid ego admisi? Quem occidi?* Et tamen nonnullos civium interfecerat, etiam pueros complures necaverat, magicarum divinationum gratia. *Marciam* item & *Lætum*, necis *Commodi* auctores.

III. ΤΑ' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

Corpus ejus à Severo uxori Manliæ Scantillæ ac filiæ ad sepulturam est redditum, inque proavi monumentum translatum; milliario quinto, via Lavicana.

EPITAPHIVM,

ab *Ausonio* ei erectum.

Dii bene, quod spoliis Didius *non gaudet opimis,*
Et cito perjuro præmia ademta seni.
Tuque, Severe *pater, titulum ne horresce novantis:*
Non rapuit Imperium vis tua, sed recipit.

XXI. IMPERATOR ROM.

SEPTIMIVS SEVERVS PERTINAX.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

I. PATER ejus MARCVS GETA, Eques Romanus fuit. *Spart.* §. 1.

II. MATE'R, FVLVIA PIA appellata est. *Spart.* §. 1.

III. *Natione Afer* fuit; Et non alius Imperator Romanorum præter ipsum fuisse legitur ex Africa oriundus. Itaque sic de eo *Ausonius*:

Punica origo illi, sed qui virtute probaret,
Non obstare locum, cum valet ingenium.

NOTA.

Hic primus & solus Africa oriundus, ad Imperii Romani fastigium ascendit, indulgente virtuti ejus divina Providentia, favente Senatu, populo Romano & militibus.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN ejus fuit: SEPTIMIVS SEVERVS.

II. *Cognomen Pertinacis* statim ab Imperii initio in honorem *Pertinacis*, qui fraude *Didii Iuliani* erat trucidatus à Senatu atque militibus, ei impositum est. *Iulius Capitolinus in Pertinace* §. 5. Et *Herodianus in Iuliano* §. 5.

Hoc autem cognomen revera fuit omen. Nam *Severus* hic revera pertinax fuit; idque διττᾶς.

1. *Ethice, ob naturam ingeniique indolem.* Quia vehemens homo negotiis gerendis, ac laboribus facillime resistens, & promtus excogitandis acerque exsequendis rebus fuit. *Herod. in Iuliano* §. 4.

2. *Politice.* Quia pertinax in Imperio recusando fuit, & tandem invitus illud suscepit. *Deinde* plerique hoc cognomen ad pertinaciam ejus in parricidis

cidis *Pertinacis* occiſi perſequendis accommodarunt, dicentes: *Eum Imperatorem eſſe vere Pertinacem, vere Severum.*

CAP. II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ.

Educatio &

ACTA IUVENILIA.

FRat corpore robuſtus, niſi quod ſenex podagra laboravit. Acies mentis fuit acerrima & validiſſima, facie pulcra & decora: crines habuit longos, vocem amabilem: generoſam indolem in prima pueritia protulit, & in vere (ut ajunt) autumnum. Nam literis latinis atque græcis imbutus fuit, in patria quoque Philoſophiæ & Aſtrologiæ operam navavit, anno 18. publice declamavit. Et nullum alium inter pueros ludum niſi ad judices exercuit: cum ipſe, prælatis faſcibus ac ſecuribus, ordine puerorum circumſtante, ſederet ac judicaret. Poſtea ſtudiorum cauſa Romam venit, latum clavum à Divo *Marco* petiit, & accepit, favente ſibi *Septimio Severo*, affine ſuo, bis jam Conſulari. *Spart.* §. 1. Educatus eſt à *M. Antonino* Philoſopho Imperatore, equeſtri loco.

II. *ACTA OECONOMICA.*

Vxores duas habuit.

PRIOR erat MARTIA, quam duxit tempore *Antonini Imp.* cum adhuc privatus eſſet, eique Imperator factus ſtatuas collocavit, ex qua filius ei natus eſt BASSIANVS.

POSTERIOR erat IVLIA. Mortua enim uxore *Martia*, cum aliam vellet ducere, genituras ſponſarum requirebat, ipſe quoque matheſeos peritiſſimus: & cum eſſet in Syria quædam, quæ id genituræ haberet, ut Regi jungeretur, eandem uxorem petiit, *Iuliam* ſcilicet: & accepit interventu amicorum: ex qua ſtatim pater factus eſt. *Ælius Spart.* §. 1. Suſcepit ex ea filium GETAM.

Hi fratres inter ſe primum puerilibus colluctationibus diſſidere cœperunt: deinde palam diſſenſiones præ ſe tulerunt, adulatoribus ac miniſtris ad gratiam multa ſuggerentibus. Itaque pater legendam eis miſit *Mitypſæ* orationem, quæ apud *Salluſtium* eſt, in qua dicitur: *Concordia res parvæ creſcunt; diſcordia magnæ dilabuntur. Baſſianum* autem Cæſarem fecit *Severus* adhuc ſuperſtes, eumque *Antoninum* appellavit, appoſito *Aurelii* nomine, ſive quod ſomniaverat, *Antoninum* ſibi ſucceſſurum, ſive quod *Severus* ipſe in Marci Antonini familiam tranſire voluerit. Marcum enim ex omnibus Imperatoribus tantum coluit, ut *Antonini* nomen omnibus deinceps Auguſtis aſſcribendum putarit.

Getam fratrem interficit poſtea *Baſſianus*: de quo in hiſtoria ejus poſtea dicemus.

Filias quoque *duas* ex *Iulia* ſuſcepit, quarum unam *Probo*, alteram *Aëtio* elocavit. Et cum Probo genero ſuo præfecturam urbis obtuliſſet, ille recuſavit, dixitque: *Minus ſibi videri, præfectum eſſe, quam Principis generum.* Vtrumque autem generum ſtatim Conſulem fecit, utrumque ditavit. *Ælius Spart.* §. 2.

Licet autem Iulia, ipſo adhuc vivo, adulterium exerceret, tamen ex nimio erga eam amore illud diſſimulavit, patienterque tulit. Poſt obitum vero ejus privigno ſuo Baſſiano Caracallæ nupſit; uti poſtea dicemus.

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Acta ante Imperium.*

Ante Imperium ad varios dignitatum atque honorum gradus evectus eſt: quos *Ælius Spart.* §. 1. ordine deſcribit.

I. *Quæſtor* fuit. Hanc quæſturam diligenter adminiſtravit.

II. Omnibus ſortibus natus, militari *quæſturam* ſorte *Beticam* accepit, atque inde Africam petiit, ut mortuo patre rem domeſticam componeret.

III. Dum in Africa eſt, pro Betica, *Sardinia* ei attributa eſt, quod Beticam Mauri populabantur.

IV. Acta quæſtura Sardinienſi, *legationem* Proconſulis *Africæ* accepit. In qua legatione cum eum quidam municipum ſuorum, LEPTITANVS nomine, præcedentibus faſcibus, ut antiquum contubernalem ipſe plebeius amplexus eſſet, fuſtibus eum ſub elogio ejuſdem præconis cecîdit, *Legatum P. R. homo plebeius temere amplecti noli.* Ex quo factum eſt, ut in vehiculo etiam legati ſederent, qui ante pedibus ambulabant. *Ælius Spartianus* §. 1.

V. *Tribunatum* plebis, *Marco Imperatore* decernente, promeruit, eumque ſeveriſſime exercitatiſſimeque egit.

VI. Lugdunenſem provinciam legatus accepit.

Varia futuri Imperii omina.

1. Cum rogatus ad cœnam Imperatoriam palliatus veniſſet, qui togatus venire debuerat, togam prændiariam ipſius Imperatoris accepit.

II. Se-

II. Sedit in ſella Imperatoria temere à miniſtro poſita, ignarus quod non liceret.

III. In hortis cum humi jacens epularetur cum filiis parca cœna, pomaque appoſita major filius, qui tunc quinquennis erat, cum colluſoribus puerulis manu largiore divideret, paterque illum reprehendens dixiſſet: *Parcius divide: non enim regias opes poſſides:* quinquennarius puer reſpondit; *Sed poſſidebo.*

IV. *Aſtrologi prædictio.* In quadam civitate Africana cum ſollicitus Mathematicum conſuluiſſet, poſitaque hora, ingentia vidiſſet Aſtrologus, dixit ei, *Tuam, non alienam pone genituram.* Cum autem Severus juraſſet ſuam eſſe, omnia ei dixit, quæ poſtea facta ſunt. *Ælius Spart. §. 1.*

II. *Imperii occupatio.*

I. A Germanicis legionibus, ubi auditum eſt *Commodum* occiſum, *Iulianum* autem cum odio cunctorum imperare, multis hortantibus repugnans Imperator eſt appellatus apud *Carnutum* Idibus Auguſtis. *Ælius Spart. §. 2.*

II. *Iulianus* interfectores miſit quoſdam, qui *Severum* occiderent. Verum *Severus*, evitatis eorum manibus, quos ad ſe interficiendum *Iuliano* miſerat, miſſis ad Prætorianos literis, ſignum vel deſerendi, vel occidendi *Iuliani* dedit: ſtatimque auditus eſt. Nam & *Iulianus* occiſus eſt in palatio, & *Severus* Romam invitatus: quod nulli unquam contigit. Nutu tantum Severus victor eſt factus, armatuſque Romam contendit, & honorifice à militibus & Senatu exceptus eſt, & Imperator appellatus. *Ælius Spart. ibidem.*

III. *Imperii adminiſtratio.*

I. TOGATA.

I. Imperii ſuſcepti rationem in curia reddidit: cauſatuſque eſt, quod ad ſe occidendum Iulianus notos ducum cædibus miſiſſet. *Ælius Spart. §. 2.*

II. *Pertinaci*, cujus ita ſtudioſus fuit, ut nomen ejus etiam ſibi ſumeret, ingenti apparatu funus fecit, ſeque neminem Senatorum unquam interfecturum jurejurando confirmavit: quod tamen non multo poſt neglexit. *Spart. ibidem.*

III. Necem Pertinacis ultus eſt. 1. *Milites*, qui Pertinacem interfecerant, exauctoratos expulit ex Imperio. 2. Interfecit & *Latum* Præfectum prætorio: qui autor fuerat necis *Commodi* & *Pertinacis.*

IV. Amicos Iuliani è medio ſuſtulit.

V. Rempubl. diligenter curavit. Nam rei frumentariæ, quam minimam repererat, ita conſuluit, ut excedens ipſe vita, ſeptem annorum canonem Pop. Rom. relinqueret. *Spart. §. 2.*

VI. *Populum* ac *milites* muneribus ac donis plurimis affecit, ſimulque adeo multa indulſit, quæ nunquam antea acceperant. Nam & frumenti ſummam prius adauxit, & aureis annulis uti, & domi habere mulierem permiſit; quæ prius militibus interdicta fuerant.

VII. *Plautianum* aulicum, quem in deliciis habuit, ſed ſuperbia elatum, nimiamque licentiam ſibi ſumentem, interfici mandavit. Hic *Plautianus* enim Afer ex tenui loco evectus eſt ad ſummam potentiam & maximas opes à Severo: adeoque carus ei fuit, ut filiam ejus dederit *Severus Baſſiano. Dion* de *Plautiano* ita ſcribit: Omnia concupiſcebat, omnia petebat, omnia accipiebat: nec gentem, nec urbem ullam relinquebat non ſpoliatam, ſed omnia & undecumque rapiebat. Refert præterea *Herodianus*, Plautianum præcipuæ authoritatis, poſt *Severum*, & filios ejus Cæſares, ſuperbia ita redditum trucem & horribilem, cum ſupremæ dignitatis inſignibus dum incederet, ut non modo non adiretur à quoquam, ſed etiam, qui fortuito occurrebant, ab eodem verterent oculos. Quin & antambulones aliquot, quacunque iter faceret, denunciabant, ne quis in proximo conſiſtere, neve illum contueri auderet, ſed averterent univerſi oculos, terramque deſpectarent. Cætera magis tetra omitto. Talis cum eſſet, non potuit diuturna ejus eſſe felicitas. Sed primum hoc furore punitus eſt, ut vitæ *Severi* & *Baſſiani* inſidias ſtrueret, quibus deprehenſis, *Plautianus* à *Severo* in Palatium vocatus, ibi interfectus eſt: & cadaver monſtratum *Iulia*, ut lætaretur, & *filia Plautiani*, ut dolore afficeretur. Hic fuit exitus hominis aulici, qui potentiæ ſuæ fiducia nimiam licentiam ſibi ſumſerat, oblitus hujus præcepti:

Fortunam reverenter habe, quicunque repente
Dives ab exili progrediere loco.

Monitum.

Omnes ſuperbi ſunt fatui, & omnes fatui ſunt ſuperbi. Si vis irritare fatuum, dicatur tantum aliquid contra ejus opinionem, quam habet de ſe. Quia naturales fatui habent opiniones, ſe eſſe tales, & tales. Iſta quando rejiciuntur, tum iraſcuntur. Cæterum experientia teſtatur, plerumque eos, qui ex opificum progenie & ſordida plebe (licet nonnulli, ſed raro, ex iis, multis virtutibus claruerunt) emerguut, atque ad dignitates altiores, vel ingenio ſuo, vel alia ſolertia aſcendunt, multo inſolentiores & propemodum intolerabiliores, magna cum jactura

ctura Reipubl. esse solere, quam qui nobili, veteri, & celebri stirpe geniti sunt, ita ut veterum ille recte dixerit: Bajuli impurant, & mali sunt superiores bonis: metuo, ne navem fluctus opprimat. Vnde rationem hanc reddit *Claudianus*:

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum:
Cuncta ferit, dum cuncta timet: desevit in omnes,
Vt se posse putet: nec bellua tetrior ulla est,
Quam servi rabies, in libera colla furentis.

VIII. *Mansuetus fuit.* Nam *Pollenti Sabini* mordax dicterium patienter tulit: Hic *Pollenius Sabinus*, qui erat homo omnium mordacissimus, cum audivisset, *Severum Imperatorem* adscriptum esse Marci familiæ: Gratulor tibi, inquit, Cæsar invictissime, quod patrem demum inveneris. Quamvis tu ea patrem non habuisset propter ignobilitatem & obscuritatem generis. *Xiphil. in vita Severi.*

IX. *Severus* filium suum *Antoninum Caracallam* socium Imperii fecit, & ipsi Tribunitiam potestatem concedit: cum ipse sextam iniret, ut inscriptiones ostendunt; & alterum filium *Getam* Cæsarem facit, atque in orientem proficiscitur. Anno Christi 198.

X. *Pantheum* vetustate corruptum *Severus cum filio* cum omni cultu restituit: ut inscriptio adhuc testatur.

XI. *Symbolum* ejus fuit: LABOREMVS. P. *Helvius Pertinax* Imperator, factus Militum Tribunus, Symbolum dedit: MILITEMVS. L. *Septimius Severus* ei postea Imperio succedens, dari jussit aliud: LABOREMVS. Illi placuit omen belli; huic pacis. Pacis enim gratia omne suscipitur bellum, ut in ea sine injuria cujusquam vivatur; qua sublata, nec leges, nec judicia esse possunt, nec ulla omnino commercia hominum, aut artificia exerceri.

Monitum.

Cum otium perniciosissima res sit, recte antidotum ejus, labor videlicet, commendatur. Quod *Plato* innuere voluit, ubi dicit: Virtutis ramos sudore ac labore produci. Hinc pulchrum & succinctum dictum, monens, otium fugiendum, & laborem sequendum, fluxit: SENIS JUVENTA, EGENS SENECTA. Quod tale epigramma, ex fabula cicadæ & formicæ, nescio cujus Poëtæ, peperit:

Stridore ingrato, campos dum rauca patentes
Cicada rantrix complet æstu fervido,
Hiberni memor alyoris formica reponit
Collecta grania, post quibus famem levet.
Ne ne confectum senio male vexet egestas,
Studa, labora, dum virens ætas sinit.

Heu quam res misera est, canos gestare capillos,
Patique dura turpiter jejunia!

Nemo autem facile ab honesto labore deterreri, eumque subterfugere; sed si cœptus est, in illo strenue pergere debet. Etsi enim omne principium in cunctis negotiis grave esse solet, tamen mox paulatim allevatio laboris, si paululum progressus fueris, (non secus ac si quis arduum montem ascensurus, licet anhelitus illi ob altitudinem & præcipitia interdum prope deficere videtur; superatis vero iis, ad fastigium pervenit; & inferiora despectans, voluptati potius quam oneri, ea tibi sunt) magno cum gaudio sentitur, donec ad finem perducatur. Hoc monere voluerunt veteres:

Incipe: dimidium facti est cœpisse. Supersit
Dimidium: rursum hoc incipe; & efficies.

II. *ACTA SAGATA.*

Fuit insignis & felix bellator. Nam *Aurelius Victor in Histor. Antiqu.* de eo scribit, quod fuerit bellicosissimus omnium Imperatorum, qui ante eum fuerunt, adeo ut in nullo congressu nisi Victor discesserit.

Quatuor autem potissimum Bella gessit.

I. *Bellum* gessit contra *Pescennium Nigrum.*

I. ORTVS. Cum *Didius Julianus* cunctis invisus esset, *Septimius Severus* a Senatu est electus, Romamque vocatus, splendidissima pompa Romam ingressus, & honorifice a Senatu exceptus est: cum prius literis ad Prætorianos missis effecisset, ut *Julianus* in palatio occideretur. Vltus est igitur necem *Pertinacis*, exauctoratis etiam militibus, qui eum interfecerant, & interfecto *Lætæ* præfecto Prætorio, qui author fuerat cædis *Commodi* & *Pertinacis*.

Eodem vero tempore à Syriacis legionibus Imperator appellatus erat *Pescennius Niger*, qui Ducis nomine Syriam & Ægyptum tenebat: & in Britannia *Clodius Albinus* Imperium affectabat.

II. PROGRESSVS. Severus Legibus Romæ ac judiciis rite constitutis ac firmatis, subito expeditionem contra *Pescennium* suscepit, tribus magnis præliis ipsum vicit. Primum ad Cyzicum Ducem Nigri vicit. Postea majori iterum victoria potitur ad Nicomediam, quæ Severum receperat. Tandem ad Issum, ubi & Alexander olim Darium Regem Persarum vicit. Niger victus fugit Antiochiam, ubi non receptus in suburbio necatus fuit. *Herodianus.*

III. EGRESSVS. Cum in exercitu *Pescennii* viginti millia trucidata essent, ipseque *Antiochiam*

fuga

Digitized by Google

fuga ſe recepiſſet, ibi interfectus, & caput, pilo infixum, circumlatum eſt.

Initio belli contra *Peſcennium* toto triennio obſedit *Severus* Byzantium, quod tanta pertinacia defenderunt Prætidiarii, ut ad humanas carnes perventum ſit. Byzantii cum multis machinis & tormentis bellicis inſtructi eſſent à *Priſco* quodam inſigni artifice, plurimum damni obſidentibus inferunt: urinatores præterea habebant, qui naves hoſtium reſtibus alligabant, quibus poſtea Byzantium trahebantur, quaſi ſponte naves Byzantium properarent. Facta tandem deditione, *Severus* muros demoliri juſſit, nec inſtaurata eſt urbs, niſi poſt annos centum & amplius triginta, cum *Conſtantinus Magnus*, Byzantii nomine abolito, à ſe illam denominavit Conſtantinopolin.

Civitatibus Syriæ & Ægypti, quæ partes Peſcennii foverant, iratior fuit Severus. Ingreſſus Alexandriam inſcriptionem reperit; ut narrat *Suidas*, *Domini Nigri eſt urbs*. Quod cum ægre ferret Severus, obviam ei proceſſit Alexandrinus populus vociferans: *Nevimus dixiſſe nos, Domini Nigri eſſe urbem: tu enim es Nigri Dominus.* Qua promta defenſione placatus iis ignovit. Huc referri poteſt elegans adagium ex *Proverb.* 23. *v.* 10. Verbum in tempore dictum, eſt tanquam aureum pomum in patera argentea.

II. *Bellum Parthicum & Arabicum.*

Severus bellum perſequitur in Oriente, adverſus *Parthos* & *Adjabenos*, coſque glorioſe vicit. Vnde propter inſignes victorias, Parthici, Arabici & Adjabenici nomen obtinet, & filium ſuum *Antoninum Caracallam* Calend. Junii Cæſarem facit. Anno Chriſti 196. *Dio.*

III. *Bellum contra Albinum.*

I. ORTVS. *Septimius Severus* cum eſſet in Pannonia, appellatur ab exercitu ſuo Auguſtus fere invitus, die 15 Maii, anno Chriſti 193. Is, cum etiam *Clodius Albinus*, qui Britanniam & Germaniam cum fortiſſimo exercitu obtinebat, Imperator à ſuo exercitu ſalutatus eſſet, ne & cum *Peſcennio Nigro* & *Albino* ſimul pugnare cogeretur, *Albino* perſuadet ut quieſcat, & dignitatem Cæſaream accipiat, inde Romam verſus movet. *Albinus* Cæſar à *Severo* diſſentire incipit, cum *Severus Albino* Cæſaream dignitatem non daret, & *Albinus* inſuper Auguſtus dici vellet. Ideo utrinque præparantur exercitus. *Dion.*

II. PROGRESSVS. *Subitanea contra Albinum expeditio.* *Severus* in Galliis ad Lugdunum cum *Albino* prælio concurrit, & primo die Dux ejus vincitur: altero die, cum ipſe in dextro cornu vinceret, dum fugientes hoſtes perſequitur, exercitus ejus in foveas fraude factas delabitur; & fortuna prælii fere converſa fuiſſet, niſi ipſe ſua manu milites in prælium reduxiſſet, & fugientes occidiſſet: Quin & *Severus* ipſe de equo decidit, ſic ut extinctus putaretur.

III. EGRESSVS. *Albini trucidatio.* Tandem vincit magna clade, in qua etiam *Albinus* occiſus, ejuſque caput abſciſſum & ad Severum allatum eſt, qui Romam id miſit, ut victorem ſe declararet: & ut exemplum illius neceſſarii caperent, qui ipſis patiendum foret, publice id patibulo affigi juſſit. Accidit prælium A. C. 198. die 19 Febr.

IV. *Bellum Britannicum.*

Poſtremo in *Britanniam* trajicit cum ſuis filiis corruptiſſimis moribus pridem viventibus, & in Imperii ſocietatem à patre adſcitis. Ibi *Severus* Britanniæ gentes infeſtas ſubegit, & ut ſecuritati provinciæ magis conſuleret, vallum per mediam inſulam à mari ad mare per 130 paſſuum millia duxit. Et fractis hoſtibus, poſt civilia arma, *Baſſianus* vitam ſenis ferro & veneno appetit. Et jam Auguſti nomen aſſumſerat, non contentus Cæſaris titulo, quem pater dederat. Itaque ut audaciam filii impiam comprimeret *Severus*, ægrum ſe, & è pedibus laborantem in tribunal deferri juſſit; filium ipſum, tribunos, centuriones, cohortes, à quibus is intempeſtive attollebatur, reorum more citari juſſit. Ibi illi metu ſupplicii (jam enim animadvertendum in eos erat) humi ſe abjicere, veniamque ſupplices orare. Quam ille dedit, caput ſuum tangens, edita voce memorabili: *Sentitiſne tandem, caput imperare, non pedes?*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. *Viri* in Eccleſia *celebres.*

1. *Tertullianus* Afer, patria Carthaginenſis, nobilitate inſignis, & varia doctrina inſtructiſſimus, ſcripſit de præſcriptione contra Hæreticos. A. C. 195. Qui hoc ſeculo fuerint Chriſtianorum ritus & mores, ſcribit *Tertullianus* adverſus gentes, *cap.* 39. Coimus, inquit, in cœtum & congregationem, ut ad Deum quaſi manu facta, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt. Oramus enim pro Impp. ac poteſtatibus, &c. Modicam unuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel quando velit, & ſi modo poſſit, apponit. Nemi nemo compellitur, ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt. Nam inde non aliis quam egenis alendis diſpenſatur. Cœna noſtra de nomine rationem ſuam oſten-

oſtendit: vocatur ἀγάπη, id eſt, dilectio. Quantiſcunque ſumtibus conſtet, lucrum eſt, pietatis nomine facere ſumtum. Siquidem inopes quoſque refrigerio iſto juvamus.

II. A. C. 194. viguit controverſia de Paſchate inter Eccleſiam Romanam & Aſianam, ob quam *Victor Rom. Pontifex* Epiſcupos Aſiæ excommunicare voluit. Ei per epiſtolas reſponderunt *Polycrates* Epiſcopus Epheſinus, & *Irenæus* Epiſcopus Lugdunenſis. Et hic quidem ſenſit, ob ceremoniarum rituumque diverſitatem, doctrinæ & fidei concordiam non rumpendam aut diſſolvendam. *Euſebius lib.* 5.

III. *Tertullianus*, A. C. 199. relicta vera religione, ad Montaniſtas deſciſcit. *Hieron.*

IV. A. C. 200. Verſionem Bibliorum edidit *Symmachus*, non de verbo ad verbum redditam, ſed ut ſententiæ ſententiis reſponderent. *Hieronymus.*

V. A. C. 209. *Minutius Felix*, qui ſcripſit dialogum hominis Chriſtiani & Iudæi, quem citat etiam *Hieronymus*, floret. Is dialogus hodie exſtat apud *Arnobium*, & ſeorſim editus eſt à *Iohanne Wowero.*

VI. ORIGENES, A. C. 203, ætatis ſuæ anno 18, Alexandriæ aperit ludum, multoſque inſtituit ad fortiter ſubeundum martyrium.

A. C. 206. *Origenes*, cum ſimplicius intelligeret verba Chriſti *Matth.* 19. de hominibus caſtratis, ſe ipſum eviravit. *Euſebius.*

VII. *Cyprianus*, teſte *Hieronymo* in Catalogo, tantum tribuit *Tertulliani* ſcriptis, ut poſcens codicem ſcriptorum ejus, plerumque ſolitus ſit dicere amanuenſi: *Da magiſtrum; Tertullianum* deſignans. A. C. 208.

II. *Perſecutio Eccleſiæ & Martyres.*

I. *Severus* cum in Orientem profectus eſſet, *Plautianum* reliquerat urbis Præfectum, hominem avariſſimum & crudelem, qui occaſione ſumta à milite quodam, Chriſtianam religionem liberius profitente, & militiam denegante, perſequitur Chriſtianos, & plurimos interficit. A. C 199.

II. *Speratus* A. C. 200. cum ſociis Carthagine à *Saturnino* proconſule propter religionem ſecuri percutitur: Proconſul vero, paucis diebus poſt, oculis privatur. *Tertullianus ad Scapulam cap.* 3.

III. *Victor* Papa ſupplicio à Præfecto urbis *Plautiano* ob religionem Chriſtianam afficitur. A. C. 201. die 28 Julii, cum ſediſſet annis novem, menſe uno, & diebus 28. Succedit *Zepherinus* die 8 Auguſti, ſeditque annis 18, & diebus octodecim. Hic ordinavit, ne in diſtributione Cœnæ Dominicæ adhiberentur vel lignea, vel vitrea vaſa, illa propter raritatem, qua vinum abſorbetur, hæc propter fragilitatem. Item ut omnes puberes uterentur ſacra Synaxi in Paſchate. *Onuphrius.*

IV. *Judæi Claudio* latrone duce ſeditionem moverant: eam *Severus* comprimit, prohibetque ſub gravi pœna, ne liceret cuiquam Judæum aut Chriſtianum fieri. Prohibuit præterea Circumciſionem, & atrociter perſequitur Chriſtianos, adeo ut pii putarent, eum eſſe Antichriſtum. *Euſebius lib.* 6. *cap.* 6.

Verba edicti de perſecutione fuerunt, ut præfecti provinciarum animadverterent in eos, qui coiiſſent illicitum collegium.

V. A. C. 203. *Severus* ex Syria in Ægyptum tranſit: Ibi ingentem multitudinem Chriſtianorum ſupplicio afficit, inter quos etiam fuit LEONIDAS, pater *Origenis*, quem filius ipſius *Origenes* adhuc puer per literas ad martyrium alacriter ſubeundum exhortatus eſt. Philippus etiam Præfectus Ægypti Chriſtianæ religioni addictus, à SEVERO ab officio removetur & occiditur. *Euſebius.*

VI. *Eodem anno multi* Diſcipulorum Origenis ad ſupplicium rapti ſunt, quemadmodum & Carthagine, aliiſque locis. Virgines etiam quædam Martyrii coronam acceperunt. Multi contra à Præſidibus liberum religionis cultum pecunia redemerunt.

VII. *Irenæus* quoque A. C. 203. Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, cum cruciatu occiditur, cum omnibus, qui ibi inveniebantur, Chriſtianis. *Euſebius.*

VIII. A. C. 205. NARCISSUS Epiſcopus Hieroſolymitanus, ob perſecutionis metum, circa hæc tempora in deſerto aliquot annis latet. Cui ſubſtituitur Dius, &c. *Euſebius.*

CAPUT III.

DE EGRESSU.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

I. *Oratio* προτρεπτικὸς ad filios, quos ad concordiam exhortatus eſt. *Severus Imp.* in graviſſimum morbum incidens, poſteaquam finem vitæ ſuæ inſtare animadvertit, ad ſe vocavit *Marcum Antoninum* & *Getam* filios: à quibus, quid vellet, percunctatus; Facite, inquit, ut conveniat inter vos: locupletate milites, cæteros omnes contemnite. Sciebat enim, filios regni cupidiſſimos poſt mortem de ſucceſſione diſceptaturos: & niſi militum animos pecunia flecterent, penitus interituros eſſe. *Dion.* & *Xiphil. in vita Severi.*

II. *Oratio de ſe ipſo.* Moriturus deplorans humanas miſerias dixit: Πάντα ἐγενόμην κ) οὐδέν ἐμοὶ λυσιτελεῖ, h. e. *Omnia fui, & nihil mihi profeſt.*

Sen-

Sentiens, ſeſe ex humili loco per literarum atque militiæ officia, plurimis gradibus, favore fortunæ, ad Imperii faſtigium fuiſſe perductum: Sed nihil feliciter ceſſiſſe, aut nulla in re ſibi placuiſſe. *Ælius Spart.* §. 6. Vltima ejus verba dicuntur hæc fuiſſe: *Turbatam Rempublicam ubique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo, ſenex & pedibus ager, firmum Imperium Antoninis meis relinquens, ſi boni erunt: imbecillum, ſi mali.*

III. *Mortis ejus prædictio. Severus Imp.* cum è Britannia rediret, non ſolum victor, ſed etiam in æternum pace fundata, Scurra quidam obviam factus, futura illi hunc in modum vaticinatus eſt: *Fuiſti Cæſar, totum viciſti, jam Deus eſto victor.* Cujus divinatio licet jocus eſſe videbatur, conſtat nihilominus tamen, Cæſarem paulo poſt periiſſe. *Eraſmus l. 6. Apophthegm. Ælius Spart.* §. 8.

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

1. *Mortis genus.* Narrat *Aurelius Victor*, *Severum* cum membrorum omnium, maxime pedum, dolorem pati non poſſet, veneni vice, quod ei denegabatur, cibum gravis ac plurimæ carnis avidius infarciſſe, quem cum conficere non poſſet, cruditate oppreſſum exſpiraſſe. *Ælius Spart.* §. 7. ſcribit, *Severum* moderatiſſime cum moreretur lætatum, quod duos *Antoninos* pari imperio Reipubl. relinqueret, exemplo *Pii*, qui *Verum* & *Marcum* Antoninos per adoptionem filios Reipubl. reliquit. Sed illum multum ſpes fefellit. Nam unum parricidium, alterum ſui mores Reipubl. inviſum reddiderunt: ſanctumque illud nomen in neutro diu bene manſit. Et neminem prope magnorum virorum optimum & utilem filium reliquiſſe, ſatis inde claret. Denique aut ſine liberis viri interierunt, aut tales habuerunt plerique, ut melius fuerit, de rebus humanis ſine poſteritate diſcedere.

II. *Mortis locus. Severus* diſceſſit *Eboraci* in Britannia, die 4 Febr. cum vixiſſet annos 65, menſes octo: imperaſſet annos 17, menſes ſeptem, dies tres. *Ælius Spartianus.*

III. ΤΑ ΠΑΡΕΠΟΜΕΝΑ.

Sepulcrum. Cineres ejus in vaſculum alabaſtri conjecti, ex *Eboraco* Romam in loculo aureo à filiis advecti, & Marci Antonini ſepulchro ſunt illati. *Ælius Spart.* §. 6.

ELOGIVM *ejus.*

De hoc Senatus ita judicavit, *illum aut naſci non debuiſſe, aut non mori*, quod & nimis crudelis & nimis utilis Reipubl. videretur. *Spartianus* §. 6.

XXII. IMPERATOR ROM. ANTONINVS BASSIANVS CARACALLA, & *frater ejus* GETA.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

PATER *Baſſiani Caracallæ*, fuit SEPTIMIVS SEVERVS. MATER fuit MARTIA, quam *Severus* duxit tempore Antonini Imp. cum adhuc privatus eſſet, eique Imperator factus ſtatuas locari juſſit.

II. *Appellatio.*

Dictus fuit BASSIANVS; poſtea appoſitum à Patre ANTONINI nomen, cujus grata apud Romanos erat memoria. *Spart.* §. 2.

Cognomen fuit CARACALLA; quod accepit ab indumenti genere ad talos uſque demiſſo, quod caracalla dictum fuit. Exiſtimatur fuiſſe veſtis diſciſſa, & rurſus conſuta: quæ forte omen fuit dilacerationis Imperii, & conſervationis reliquiarum, tanquam laciniarum conſutarum. Tali figura veſtis & ipſe uſus eſt, & ejus ſimiles militibus & populo donavit. *Rhod. l. 16. c. 10.* derivat à κάρα & calx, ut ſit Græco-latinum.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ.

ACTA IVVENTVTIS, & *Ætatis Virilis*, ante obitum Patris.

Caracalla erat puer maximæ ſpei. Nam ita de eo ſcribit *Ælius Spart.* §. 1. Hujus pueritia blanda, ingenioſa, parentibus affabilis, amicis parentum jucunda, populo accepta, grata Senatui, ipſi etiam ad amorem conciliandum ſalutaris fuit. Non ille in literis tardus, non in benevolentiis ſegnis, non tenax in largitate, non lentus in clementia, ſed ſub parentibus, viſus. Denique, ſi quando feris objectos damnatos vidit, flevit, aut oculos avertit: quod populo pluſquam amabile fuit. Septennis puer, cum colluſorem ſuum puerum ob Iudaicam religionem gravius verberatum audiſſet, neque patrem ſuum, neque patrem pueri, vel autores verberum, diu reſpexit.

1. *Sed pueritiam* egreſſus deſperatæ malitiæ homo,

mo factus eſt, ſeu patris monitis, ſeu calliditate ingenii, ſive, quod ſe Alexandro Magno Macedoni æquandum putabat, reſtrictior, gravior, vultu etiam truculentior factus, prorſus ut eum, quem puerum ſcirent, multi eſſe non crederent. Alexandrum Magnum ejuſque geſta ſemper in ore habuit. *Tiberium* & *Syllam* in conventu plerumque laudavit. Patre ſuperbior fuit: fratrem ob magnam ejus humilitatem deſpexit. *Spart. ibid.*

II. *Fraudulentia erga* ſocerum ſuum *Plautianum*. *Antoninus Caracalla*, ut aliquando à ſocero, ſuo præceptore auſteriore liberaretur: ſubſtituit quoſdam milites, qui dicerent, ſe miſſos à *Plautiano* ut *Severum* occiderent. Quapropter *Plautianus* ſtatim occiditur: ejus liberi, *Plautilla* uxor *Caracallæ*, & *Plautius* in inſulam Liparam relegantur, ubi poſt mortem *Severi* à *Caracalla* occiduntur; amici etiam quidam *Plautiani* ex Senatoribus occiſi ſunt. *Dio.*

III. *Caracalla* & *Geta* poſt mortem *Plautiani*, tanquam à Pædagogo liberati, turpiſſime vivunt, omnibus libidinibus ſe polluunt, gladiatores ſibi parant, & contrariis ſtudiis diſſidere incipiunt, adeo ut dum curru inter ſe certant, *Caracallæ* crus frangeret. *Dio.*

IV. *Fraudulentia erga fratrem Getam & Patrem. Caracalla* ſæpius ſibi propoſuit *Getam* fratrem occidere, non tamen auſus eſt patre vivente: ideo in parentem quoque odium concepit, & aliquando ipſum à tergo occidere conatus eſt, niſi deterritus eſſet ſatellitum clamore. Vidit pater nudum gladium, non tantum id facinus punivit, ſed paulatim mœrore animi contabuit, cum alias gravi valetudine tentaretur. *Dio.*

AXIOMA.

Caracalla optimi parentis degener filius fuit. Hinc verſus Auſonii:

Diſſimilis virtute patri, & multo magis illi,
Cujus adoptivo nomine te perhibes.
Fratris morte nocens, punitus fine cruento,
In riſu populi tu Caracalla *jaces.*

II. *ACTA OECONOMICA.*

Caracalla duas uxores habuit.

PRIOR fuit PLAUTILLA, *Plautiani* Conſulis filia. Cum hac nuptias celebravit anno Chriſti 203, cui pater tantum dedit, quantum Reginis quinquaginta ſatis fuiſſet: ditiſſimus enim erat *Plautianus*, ita ut de eo diceret populus, eum plus poſſidere quam tres viros, h. e. quam *Severus* cum duobus filiis. Spectacula inde edita per ſeptem dies, occiſæque ſeptingentæ feræ, certaverunt ſexaginta apri, & elephantes, & aliæ beſtiæ. *Dio.*

Plautianus urbis Præfectus generum ſuum *Caracallam* aſſuetum voluptatibus & Imperio arcte habet; *Caracalla* contra uxorem ſuam filiam *Plautiani* male tractat, & pertæſus ejus diſciplinæ, de eo trucidando cogitat. *Dion.*

POSTERIOR fuit novérca nomine IULIA; cujus filium occidit, eamque nefario inceſtu ſibi junxit; idque hac occaſione. Cum pulcherrima illa eſſet, & quaſi per negligentiam ſe maxima parte corporis nudaſſet; dixit *Baſſianus*, *Vellem, ſi liceret*: reſpondiſſe illa fertur: *Si libet, licet: An neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere?* Quo audito, publice eam duxit, & uxoris loco habuit. Ea mulieris vox *Caracallam* ad deteſtabile facinus pertraxit. *Ælius Spart.* §. 3.

USUS.

Conjugium inter privignum & Novercam, (quale fuit inter *Baſſianum* & *Iuliam*) eſt *contra*

1. *Ius divinum.* Nam *Levit.* 18. *v.* 8. Deus expreſſe inquit: Nuditatem uxoris patris tui non revelabis; eſt nuditas patris tui ipſa. *Per uxorem patris* intelligi etiam poſſet *germana mater.* (ſicut quidam accipiunt hanc periphraſin *v.* 11. Nuditatem filiæ uxoris patris tui, quæ genita eſt à patre tuo, non revelabis, quia ſoror tua ipſa: hoc eſt, germanam tuam ſororem, quæ & patris & matris reſpectu ſoror eſt tua, non duces in uxorem, cum *v.* 9. mentio fuerit facta ſororis agnatæ & uterinæ, h. e. quæ vel patris tantum, vel matris tantum reſpectu ſoror eſt) Sed cum *v.* 7. expreſſa prohibitio *germanæ matris* præceſſerit, ideo per *uxorem patris*, *v.* 8. rectius intelligitur noverca. (quo ſenſu etiam commode accipi poteſt *v.* 11. ut ſit repetitio prohibitionis *v.* 9. propoſitæ.) *Levit.* 20. 8. Vir qui concubuerit cum uxore patris ſui, nuditatem patris ſui revelavit: moriendo morientur ambo ipſi, ſanguines eorum ſuper eos. *Deut.* 22. 30. Non accipiat quiſquam uxorem patris ſui, neque revelet alam patris ſui. *Deut.* 27. 20. Maledictus qui coierit cum uxore patris ſui, quia diſcooperuit alam patris ſui.

II. *Ius naturæ.* Lex enim naturæ in omnium gentilium ſaniorum cordibus, quorum mens non eſt prorſus reproba, inſcripta eſt. *Rom. cap.* 2. *v.* 15. Opus legis ſcriptum in cordibus eorum. Sed prohibitio conjugii inter novercam & privignum omnium ſaniorum gentilium cordibus, quorum mens non eſt reproba, eſt inſcripta. Et ex hoc fundamento D. Paulus eum, qui novercam ſuam duxerat, non ſolum graviſſimi peccati reum facit, ſed

ſed etiam excommunicationi ſubjicit, ac ſatanæ tradit. 1 *Cor.* 5. *v.* 1 & 5.

III. *Jus gentium. Paulus JCtus lib. ult. de rit. nupt.* ita ſcribit: Jure gentium prohibitum eſt, ne quis ex gradu adſcendentium & deſcendentium uxorem ducat. Jam vero jus illud gentium eſt ipſum jus naturæ. Nam *Honorius* & *Theodoſius* Imper. reſcripſerunt; Naturæ fœdus non permittere concubitus cum matribus & filiabus. *leges eum qui. C. de Epiſcop. & Cleric. Plutarchus in lib. de fort. Alexand.* refert, *Alexandrum Magnum* docuiſſe Perſas, matres revereri, earumque nuptiis abſtinere. *Tiraquell. ex Agathio l. 2. de bello Goth.* docet, apud priſcos Perſas non fuiſſe matrimonia parentum & liberorum uſitata. Et *Plutarchus in vita Artaxerxis* memorat, ipſum filias uxores duxiſſe, contra leges Perſarum & Græcorum. *Virg. l. 1. Æneid.* apud inferos puniri dicit eum,

Qui thalamos natæ invadit, vetitoſque hymenæos.

Idcirco *Antoninus Caracalla*, qui novercam uxorem duxit, & NERO, qui matri ſtuprum intulit, non tantum infeliciſſime perierunt, verum etiam à populis odio habiti fuere, & *Naturæ monſtra* appellati. Similiter & Alexandrini *Baſſianum Oedipum*: *Juliam* vero Jocaſtam probroſe nominarunt. Quamvis hæc dicteria Alexandrini non impune tulerint. Nam *Baſſianus* Alexandriam profectus eſt, ſimulans quaſi legionem ex Alexandrinis lecturus eſſet: Verum ingentem eorum multitudinem inermem crudeliter trucidavit, adeo ut Nilus cruore tinctus ſtagnarit.

Monitum.

Hinc patet, quod impia vox fuerit *Juliæ*: *Si libet, licet*; *An neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere?* At contra *Antigonus Rex*, quodam dicente; Omnia Regibus honeſta juſtaque eſſe, præclare reſpondit: Sunt, per Jovem, inquit, barbarorum duntaxat Regibus; at nobis ea duntaxat honeſta ſunt, & ea tantum juſta, quæ juſta ſunt. Graviter repulit adulatricem vocem, volentis, Omnia licere Regibus. Non enim Rex eſt honeſti juſtique regula, ſed honeſti juſtique miniſter eſt. Atque utinam ſimiles voces non audiant Chriſtianorum aures; aut ſi audiant, ſimili ſeveritate rejiciant! Quid enim aliud dicunt, qui occinunt, Quod Principi placuit, legis vigorem habet? qui negant, Principem teneri legibus? qui tribuunt illi geminam poteſtatem, ordinatam & abſolutam, quarum altera poſſit, quod leges, pacta & fœdera poſtulant, altera quodcunque libuerit? *Eraſmus l. 4. Apophth. ex Plutarcho in Apophth.*

III. *ACTA POLITICA.*

I. Imperii occupatio.

1. *Pater Baſſianum* filium ſuum majorem appoſito Aurelii Antonini nomine Cæſarem appellavit. *Spartianus* §. 3.

II. *Socium Imperii* ipſum fecit, & tribunitiam poteſtatem conceſſit: cum ipſe ſextam iniret.

III. *Milites* eum Auguſtum crearunt. Cum enim pater *Severus* in Anglia pedibus æger bellum moraretur, milites id ægre ferentes, filium ejus *Baſſianum*, qui una erat, Auguſtum appellarunt. Sed pater ejus graviter eos increpavit: uti in Hiſtoria ejus diximus. *Ælius Spartianus* §. 6.

IV. *A patre* ipſe & frater *Geta* Auguſti conſtituti ſunt, qui pari poteſtate imperarunt. Nam *Ælius Spartianus* §. 7. *in Severo* ſcribit, *Septimium Severum* moderatiſſime cum morceretur lætatum, quod duos Antoninos pari Imperio Reipublicæ relinqueret. Nam pater *Severus Getam* Auguſtum proclamavit, cum exercitum in Britanniam præmitteret A. C. 208. eique tribunitiam poteſtatem conceſſit.

II. Imperii adminiſtratio.

I. *Crudelitas.*

1. *Baſſianus*, mortuo patre, cum tanta ſibi copia relicta eſſet, quantam nemo antea poſſederat, tum ampliori etiam exercitu, quam cui obſiſtere ulla vis poſſet, poteſtatem ſummam nactus, factus eſt crudelis, & in omnem ſævitiam converſus, adeo ut *Dio* ſcribat, viginti millia hominum ab eo trucidata eſſe.

Exempla.

1. Defuncto patre omnes occidit Medicos aulicos, quod noluiſſent accelerare mortem patris, cum ipſe citius parare necem patris juberet, ipſi vero parum obtemperaſſent.

II. Fratrem ſuum *Getam* interfecit. Circa quod parricidium tria ſunt notanda.

I. ΤΑ᾽ ΠΡΟΗΓΟΎΜΕΝΑ.

1. *Getæ vaticinium.* Baſſiano, tum joco, tum ſerio dicenti, omnes cum liberis occidendos: *Geta* puer dixit: Tu qui nulli pareis, potes etiam fratrem occidere. Id dictum tunc contemtum eſt; poſt cognitum eſt, fuiſſe vaticinium. Nam

Parricidium poſtea commiſit. *Ælius Spartianus in Geta*, §. 2.

11. *Perpetuum fratrum diſſidium.* Nam pari honore Imperium gerentes ex Britannia Romam cum patriis reliquiis venerunt; in itinere neque diverſoriis, neque menſa eadem utebantur, propter ſuſpiciones mutuas de veneno. Cumque Romam veniſſent, in regiam diſceſſerunt, partiti inter ſe domum, januiſque ſecretioribus obſtructis, publicis tantum atque atrienſibus promiſcue utentes. Quin & cuſtodes corporis ſeparatim ſibi delegerunt, vix unquam congredientes, niſi pauxillum duntaxat, ut in publico à multitudine ipſa conſpicerentur. *Herodianus in Anton. & Geta*, §. 1. Sed & mentes animique omnium Urbanorum, quicunque honore aliquo aut dignitate præſtarent, diverſi trahebantur, utroque ſeorſim literas clanculum miſſitante, magniſque pollicitationibus ſibi homines adjungente. Multi *Getam* ſectabantur, quod probus, moderatus, ac lenis, honeſtiora ſtudia tractaret, ac diſciplinarum viros celebres circum ſe frequenter haberet, placidus ac humanus in optimos quoſque: cum frater *Antoninus*, ferox ac crudelis, eſſet nimis terribilis, ac factis ſævus. *Mater* quidem diſcordantes inter ſe germanos in omnibus factis ſuis, & quidem leviſſimis in rebus, redigere in gratiam ſtudebat: ſed fruſtra. Quod cum multi amici paterni viderent, conſentientibus utriſque, & matre præſente, Imperium diviſerunt, ut *Europa* omnis *Baſſiano* cum meridionalibus cederet: *Aſia* vero, & quicquid ad orientem erat, *Getæ*.

II. ΤΑ᾽ ΠΡΑΧΘΈΝΤΑ.

Cum autem nihilominus indies odium ac diſcordiæ gliſcerent; (Nam ſive duces ac Magiſtratus aliqui eligerentur, uterque amico ſuo potiſſimum ſuffragabatur: ſive jus dicerent, ſemper diverſa ſentiebant, magno interdum illorum periculo, quorum res agebatur,) ideo tandem impatiens *Antoninus*, ac Imperii totius cupidine inſtigatus, *Getam* fratrem ſuum interficit. Ita enim de eo ſcribit *Herodianus* §. 2. *Baſſianus* in fratris cubiculum irrumpens, nihil cum tale exſpectantem, ſupra matris pectus, multo ſanguine undantem obtruncavit, cum ille quidem de collo matris pendens, clamaret: *Mater, opem fer mihi, interficior.* Ac mater non tantum ſanguine filii reſperſa eſt, ſed etiam vulnus in manu accepit; nec tamen dolere ei licuit, ſed lætari ac ridere coacta eſt.

III. ΤΑ᾽ ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ.

Poſt parricidium varia in eo apparent vitia.

1. *Inſignis ſophiſtica.* Nam parricidæ quærunt prætextus varios ſuæ immanitati. Quod & *Baſſianus* fecit: Perpetrato enim parricidio per palatium currens, magnum ſe periculum effugiſſe, ac vix evaſiſſe clamabat. Similiter ad caſtra veniens, inſidias fratris inimici hominis narravit, & quomodo effugiſſet, multa mentitus: Tum inſigni largitione pecuniæ & annonæ militum animos adſe traxit, ut unum ipſum Imperatorem declararent, *Getam* hoſtem appellarent. Hoc modo conciliatis ſibi militum voluntatibus, ſub veſte loricam habens, cum armatis militibus curiam ingreſſus, de fratris inſidiis queſtus eſt longa & obliqua oratione, qua omnia involvebat, vix ut intelligi poſſent.

11. *Simulatio hypocritica*, quod etiam mortem fratris defleverit. Nam mirum ſane omnibus videbatur, (inquit *Spartianus* §. 3.) quod mortem *Getæ* toties etiam ipſe defleret, quoties nominis ejus mentio fieret, quoties imago videretur in ſtatua. Similiter *Baſſianus* cum fratrem occidiſſet, ac vereretur tyrannicam ex parricidio notam, audiretque poſſe mitigari facinus, ſi *Divum* fratrem appellaret, dixiſſe fertur: *Sit divus, dum non ſit vivus.* Alluſit ad vocem patris. Nam *Severus* gnarus genituræ illius, cujus, ut plerique Afrorum, peritiſſimus fuit, dixiſſe fertur: Mirum mihi videtur, Juvenalis amantiſſime, *Geta* noſter *divus* futurus, cujus nihil Imperiale in genitura video. *Spartianus in Geta*, §. 1.

111. *Impudentia deteſtanda, & crudelitas tyrannica. Baſſianus Imperat.* magna laborabat invidia, quod fratrem occidendum curaſſet. Ideoque *Æmylio Papiniano* prætorii Præfecto, ob eximiam juris prudentiam ſummæ apud Romanos authoritatis, negotium dederat, ut excuſaret hanc cædem aliquo juris prætextu & ſpecie. Ad hoc poſtulatum tyrannicum, & injuſtum, & impudentiſſimum reſpondit, ut vir gravis & juſtus, *Papinianus: Non tam facile eſt excuſare parricidium, quam perpetrare.* Quamobrem & occidi juſſit Antoninus Papinianum, qui dignus erat Jureconſultus haberi; nimirum qui juſtitiæ & honeſtatis nomine, vitæ periculum maluit ſubire, quam factum inhoneſtum probare. Talis quoque *Helvii Pertinacis* πρόγονος fuit. Cum enim *Antoninus Caracalla* ambitione ſibi multa cognomina aſſereret, Germanici, Parthici, Arabici & Alemanici; *Helvius Pertinax* belle jocatus fertur: Adde etiam, ſi placet, *Geticus Maximus.* quod Getam fratrem occidiſſet. *Ælius Spartianus* §. 3. Poſtea quoque filium *Papiniani*, qui ante triduum Quæſtor opulentum munus ediderat, interimit. Iiſdem diebus occiſi

ciſi ſunt innumeri, qui fratris ejus partibus faverant. Occiſi etiam liberti, qui *Getæ* adminiſtraverant. Occiſique nonnulli etiam cœnantes, inter quos etiam *Sammonicus Serenus*, cujus libri plurimi ad doctrinam exſtant. *Helvium Pertinacem* Cos. ob hoc ſolum, quod filius eſſet Imperatoris, occidit. *Spartianus* §. 1.

Virgines Veſtales quatuor Caracalla occidi juſſit, ſed innocentes fere; quarum unam *Clodiam* ipſe ſtuprare conatus fuerat, ſed non potuit, vi venerea deſtitutus. *Dion.*

AXIOMA.

Libido regnandi eſt multorum magnorumque malorum cauſa.

Ambitioſæ naturæ, quæ aſſidue æſtuant flammis ambitionum, non poſſunt quieſcere: nec patiuntur eædem politias eſſe quietas aut Imperia: eo quod ambitio perpetuo adverſatur juſtitiæ: & turbat ordinem proportionis *Geometricæ*, non tribuens cuique ſuum locum. Nam ambitioſæ naturæ cum ſint regnandi cupidæ: quod clementia nequeunt, crudelitate obtinere conantur. Hinc *Plutarchus* in vita *Demetrii*: Sicut Geometræ poſtulant ſibi αἰτήματα: ita Tyrannorum αἴτημα eſt: Ut ponant, licere ſibi interficere fratres & amicos, ut ſoli regnent.

II. *Prodigalitas.*

Baſſianus Imper. cum eſſet timidus, & ſemper metueret, ne Imperio excideret: & hanc ob cauſam fratrem *Getam* tanquam æmulum tolleret: propterea ſtudia militum prætorianorum ſibi adjunxit, ſperans ſe facile Imperium contra æmulos defenſurum eſſe, ſi ab his amaretur & defenderetur. Eam ob cauſam maximis largitionibus eos placavit, quibus valde exhauſit ærarium publicum. Dixit etiam aliquando ad milites; ſicut hæc ejus oratio apud *Dionem* legitur: Jam mihi, commilitones, licet in vos maxima beneficia conferre. Ego enim ſum unus ex vobis, cupioque propter vos ſolos vivere: ut multa vobis largiar: Veſtri enim ſunt theſauri omnes.

III. *Timiditas.*

Tyrannica naturæ ſunt. 1. Regnandi cupidæ. 2. Suſpicaces. & 3. Timidæ, quia perpetuo & vitæ ſuæ & regno metuunt.

Tales quoque *Caracalla* & *Caligula* fuerunt, qui arcas variorum venenorum plenas ſecum circumferebant: tum ut alios, tum ut ſe ipſos veneno tollerent, ſi forte eſſet opus, ne in manus inimicorum vivi inciderent.

IV. *Ingratitudo.*

Nam *Cilonem* præceptorem ſuum, qui ipſum educaverat, à quo multa acceperat beneficia, quique Præfectus urbis patris temporibus fuerat, quem ſæpe patrem appellaverat, occidi juſſit. *Dion.*

V. *Rapacitas.*

Antoninus Caracalla cum direptis civium bonis atque omnibus exhauſtis ærariis, ſua crudelitate ingentem corraſiſſet pecuniam, eamque indifferenter nefariis hominibus diſtribueret: objurgatus à *Julia* matre, ut pecuniis aliqua ex parte parceret, atque prædæ optimæ partem in alium uſum ſibi reſervaret, ſtrictum gladium oſtentans matri, reſpondit: Læto ſis animo! quamdiu hunc habebimus, nulla nobis deerit pecunia. Oſtendens, nullam pecuniam apud ſubditos adeo reconditam eſſe, quam ſua crudelitate extorquere non poſſet. *Dion* & *Xiphilinus* in vita *Antonini Caracalla.*

Symbolum ejus huc pertinet, quod tale fuit: *Omnis in ferro ſalus.* Quo innuere voluit; Nihil in toto Imperio eſſe, quod armata manu rapere non poſſet.

Verum imago animi ſermo eſt; & qualis vir, talis oratio: inquit *Seneca.* Μῶρα γὰρ μωροῦ λέγει, Stultus ſtulta loquitur; ut eſt apud *Euripidem* in Bacchis. Vox hæc *Caracallæ* index fuit mentis tyrannicæ: cui omnis in ferro ſalus erat.

Præclare vero *Ageſilaus Spartanorum Rex* à quodam rogatus, cur Sparta eſſet ſine mœnibus, reſpondit: Cives armatos, & inter ſe conſentientes, ſatis eſſe ad urbis præſidium. Et *Antigonus Rex*, amicis ſuadentibus, ut ſi Athenas caperet, firmis eas & validis muniret præſidiis: Nullum (inquit) ſcio præſidium Imperii firmius, aut ſtabilius, quam civium benevolentiam. At omnium optime dixit Wenceſlaus Rex Bohemiæ, qui, cum totus ejus exercitus fuſus, & ipſe in bello captus, atque in carcerem conjectus eſſet, interrogatus: Quo animo eſſet? reſpondit: Nunquam meliori. Cum enim omnibus præſidiis humanis vallatus eſſem, vix de DEO cogitandi ſpatium dabatur; nunc illis omnibus exutus, DEUM ſolum cogito, & in eo ſpem omnem colloco, qui me, ſat ſcio, non deſeret, ſed invocantem exaudiet. *Æneas Sylvius in hiſtor. Bohemia.*

VI. *Perfidia.*

Caracalla Artabani Parthorum Regis filiam falſo uxorem petiit. Sicque Euphrate trajecto, magno-

que itinere facto, ad ipſam *Artabani* regiam appropinquabat: occurrit ei Rex in quadam ante urbem planitie, novum nuptum excepturus, generumque ſuum. Sed barbarorum magna multitudo, floribus indigenis coronati, atque induti veſtes auro diverſiſque coloribus varias, feſtum agitabant, ad tibiarum fiſtularumque & tympanorum ſonitus ſaltantes numeroſe. Sed ubi omnis multitudo confluxit, ac relictis equis pharetriſque & arcubus depoſitis, inter libamina & calices agitabant, collectique in unum barbarorum quamplurimi, temere inordinatique conſtiterant, nihil ſuſpectantes mali, ſed pro ſe quiſque ſtudentes videre novum nuptum: tum ſigno dato *Antoninus* militibus imperat, impetum cædemque in barbaros faciant; & ita ingens multitudo occiſa. *Herodianus in Antonino Caracalla*, §. 6.

Simile perfidiæ exemplum erga *Augarum Regem Oſroënorum oſtendit*. Huic enim, cum ad eum tanquam ad amicum veniſſet, fidem fregit, comprehenſumque in vincula conjecit, & Oſroënen Rege deſtitutam cepit. In eo licebat ei Macchiavelli doctrina ſcelus violare, & laudabile facinus eſſe contendere, quod cum utilitate conjunctum eſſet. Sed ei inſidiæ adverſus *Armenium* non pariter proceſſere. Cum enim Armeniorum Regem, à filiis diſſidentem, ad ſe per literas amice vocaſſet, quaſi concordiam inter eos reconciliaturus: iis quidem eodem modo, quo *Augaro*, uſus eſt: Sed Armenii, ſceleratam ejus perfidiam peroſi, arma capere, quam ad eum deficere maluerunt.

VII. *Subdola immanitas.*

Ejus immanitatis fuit *Baſſianus*, ut iis præcipue blandiretur, quos ad necem deſtinabat, ut ejus magis blandimentum timeretur, quam iracundia.

VIII. *Stoliditas.*

Cum *Baſſianus* in omnibus rebus imitator Alexandri eſſe vellet, ſcholas Ariſtotelicas Alexandriæ abolevit, & libros Ariſtotelis comburere conatus eſt, dicens: Ariſtotelem juviſſe conſilium mittendi venenum ad necandum Alexandrum.

IX. *Oblivio.*

Caracalla adeo in literis & Philoſophia profeceˊrat, ut inter doctos numeraretur, magnamque diei partem philoſopharetur. Verum ipſum poſtea tanta cepit oblivio doctrinæ, ac ſi literarum nomen nunquam audiviſſet. *Suidas.*

AXIOMA.

Bona animi non ſunt perennia.

EXEMPLA.

I. *Georgius Trapezuntius*, vir doctiſſimus, omnium Græcarum Latinarumque in ſenio oblitus eſt, acſi nunquam literis operam dediſſet. *Volater. l. 21. Antroph.*

II. Ætate Ciceronis *quidam Grammaticus* omnem artem ſuam oblivioni dederat, ita ut viginti quatuor Alphabeti literas recitare amplius non poſſet.

III. *Meſſala Corvinus* orator poſt ægritudinem, proprii nominis oblitus eſt, quamlibet alias ei ſenſus vigerent. *Plinius lib. 7. c. 24. & Sabinus lib. 10. c. 9.*

IV. *Quidam Athenis vir eruditiſſimus*, cum ictum lapidis capite excepiſſet, cetera omnia tenaciſſima memoria retinens; literarum adeo, quibus præcipue inſervierat, oblitus eſt. *Plin. lib. 7 cap. 24.*

V. *Quendam ex prælto* tecto lapſum, matris, affinium & propinquorum oblitum, ſcribit *Plinius ibidem.*

IV. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. *Mortuo Severo*, pax Chriſtianis iterum conceſſa fuit fere per annos triginta octo.

II. *Tertullianus* defendit Montaniſtas, & damnat nuptias ſecundas, anno 160 poſt ſcriptam à Paulo epiſtolam priorem ad Corinthios: ut ipſe teſtatur. Scribit etiam contra Pſychicos.

III. Agrippinus Epiſcopus Carthaginenſis concilium Epiſcoporum agit, & omnium rogata ſententia Canonem de iterando baptiſmate ſancit. *Cyp. epiſt. 71.*

Viri Celebres.

Tempore *Caracallæ* complures viguere Jureconſulti, plerique omnes Papiniani auditores, Tarruntius, Paternus, Macer, Terentius Clemens, Menander, Archadius, Ruffinus, Papyrius Fronto, Anthius, Maximus, Hermogenianus, Africanus, Florentinus, Tryphonius, Juſtus Calliſtratus, Venuleius, Celſus, Serenus Sammonicus, cujus libri plurimi exſtabant. Inter cœnantes interemtos refertur. *Oppianus Cilix* inſignis Poëta, mortuus eſt circa finem Imperii Caracallæ, annos fere natus triginta, cui dedicavit Halieutica, vivente *Severo*, circa tempus ludorum ſecularium, quos pater & filius ſimul exhibuerant. Cynegetica autem eidem *Caracallæ* dedi-

dedicavit, mortuo *Severo*, & pro utroque luculentum præmium accepit. *Sozomenus in præfat.*

CAPUT III.

DE EGRESSV.

I. ΤΑ᾽ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

1. *Necis occaſio.* Ipſe *Caracalla* ſui necandi occaſionem præbuit. Nam ſcripſit ad *Maternianum* quendam, cui rerum ſuarum omnium curam in urbe crediderat, & quem ſibi ex amicis omnibus fidiſſimum putabat, conſciumque omnium ſecretorum ſolum habuerat, magos undique optimos conquirat, atque evocatis manibus de fine ipſius vitæ conſulat, & an quiſquam Imperio inſidietur. At *Maternianus* navata Principi opera, ſive id revera manes ſignificaverant, ſive alioqui *Macrinum* perоſus, reſcribit *Antonino*, *Macrinum* eſſe qui inſidietur Imperio, eumque è medio tollendum. Hæ literæ per tabellarium cum reliquis obſignatæ *Caracallæ* ſunt oblatæ, quæ fatali quaſi ſocordia ipſi *Macrino* ab Imperatore aliis rebus tum intento ſunt traditæ, ut ipſe eas ſeorſim inſpiciat, ac ſi quid majoris momenti ſit, renunciet: ſin minus, ipſe de more ſuum, h. e. præfecti officium exequatur: quippe talia identidem injungere conſueverat; Ipſe deinde ad ſuum ſtudium perrexit. *Macrinus* ſeorſim omnibus epiſtolis ſolutis, etiam in eam incidit, quæ ipſi perniciem afferebat, quam ipſe ſubtraxit.

II. ΤΑ᾽ ΠΡΑΧΘΈΝΤΑ.

Cognito ille periculo, quod ipſi impendebat, prævenire voluit. Nam *Martialem Centurionem* unum è cuſtodibus corporis *Antonini* (quem ipſe magna contumelia affecerat) magnis promiſſis adduxit, ut vindictam in ſe ſuſciperet. Cumque *Caracalla* Parthis iterum bellum illaturus in medio itinere inter Carras & Edeſſam eſſet, à *Centurione Martiali*, dum ventris oneri levando intentus, ſubligaculâ deduxiſſet, pugione per averſum eſt trajectus, anno ætatis 43. cum imperaſſet poſt patrem annis 6. menſ. 2. dieb. 5. *Herodianus in Caracalla* §. 7.

Regula.

Literæ ab amicis ſcriptæ & nondum lectæ, aliis non ſunt temere committendæ; Sicut *Caracalla* magno ſuo malo fecit. At prudentius fecit *Alexander Magnus*, qui, cum aliquando epiſtolam à matre Olympiade miſſam arcanam legeret, & Hephæſtion, qui forſan aſſidebat, eam una percurreret, non prohibuit, ſed annulum digito detractum oris ejus impoſuit: hac ratione ſilentium ei imperans, ne, quas ipſi monſtraret literas, aliis vulgaret. *Plutarchus in Alexandro.*

III. ΤΑ᾽ ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ.

1. *Martialis*, occiſo *Caracalla*, ſtatim equum inſcendit, ac fuga evadere eſt conatus. Ceterum Germani equites, quibus & delectabatur *Antoninus*, & cuſtodibus corporis utebatur, *Martialem* conſecuti miſſilibus confodiunt. *Herodianus* §. 7.

II. *Macrinus* primus ſupra cadaver conqueri, ac lamentari per ſimulationem cœpit. Tandem igni tradito corpore, reliquias in urnam conjectas, matri eidemque uxori Juliæ ad ſepulturam remiſit, quæ tunc Antiochiæ morabatur in Syria.

III. Julia jacens ſuper urnam, mortem ſibi ipſi conſcivit. Hic tragicus inceſtæ conſuetudinis fuit exitus. Nam mater animi ægritudine obruta, ut miſera eſſe deſinat, æternæ miſeriæ porticum ingreſſa, filium ſubſequitur. *Herodianus in Caracalla*, §. 7.

Auſonius Caracallæ tale *Epitaphium* concinnavit:

Diſſimilis virtute patri, & multo magis illi,
Cujus adoptivo nomine te perhibes.
Fratris morte nocens, punitus ſine cruento,
In riſu populi tu Caracalla *jaces.*

GETA frater CARACALLÆ.

CAPUT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

I. PATER fuit *Septimius Severus.*

II. MATER fuit *Julia*, poſterior uxor *Severi*, ex qua *Geta* natus eſt, & Noverca *Baſſiani Caracallæ*, quam ipſe poſtea in uxorem duxit.

II. *Appellatio.*

I. Nomen fuit GETA, ſic dictus vel à patrui nomine, vel avi paterni. *Ælius Spartianus in Geta*, §. 1.

II. *Cognomen* fuit *Antoninus.* Hoc cognomine dictus eſt Geta, quod in animo habuit *Severus* pater, ut omnes deinceps Principes, quemadmodum *Auguſti*, ita etiam *Antonini* dicerentur: atque amore *Marci*, quem fuiſſe vel fratrem ſuum dicebat, & cujus Philoſophiam literarumque inſtitu-

ſtitutionem ſemper imitatus eſt. *Spartianus ibidem.*

Mortis omen matris joco & patris ſilentio ſubtriſti comprobatum. Nam ita ſcribit *Ælius Spartianus in Geta*, §. 1. Statim ut natus eſt *Geta*, nunciatum eſt, ovum gallinam in aula peperiſſe purpureum. Quod cum allatum *Baſſianus* frater ejus accepiſſet, & quaſi parvulus applosum ad terram fregiſſet, *Julia* dixiſſe fertur joco: *Maledicte parricida, fratrem tuum occidiſti.* Idque joco dictum, *Severus* altius quam quiſquam præſentium accepit: à circumſtantibus autem poſtea velut divinitus effuſum approbatum eſt. *Ælius Spartianus in Geta*, §. 2.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

1. FUit *adoleſcens* moribus aſperis, ſed non impiis, à natura decorus, guloſus, cupidus ciborum & vini varie conditi. Fuit in literis aſſequendis & tenax veterum ſcriptorum, paternarum etiam ſententiarum memor, fratri ſemper inviſus, matri amabilior quam frater, ſubbaibe tamen canorus. Veſtitus nitidi cupidiſſimus, ita ut patri doleret: ſi quid accepit à præſentibus, ad ſuum contulit cultum, neque quicquam cuiquam dedit. *Ælius Spartianus in Geta*, §. 2.

2. *Geta ingenium habuit feſtivum*, uti apparet,

1. *Ex quæſtionibus Grammaticis.* Nam familiare illi fuit has quæſtiones Grammaticis proponere, iiſque eos exercere, ut dicerent, ſingula animalia quomodo vocem emitterent: Agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minuriunt, urſi ſæviunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, aſini rudunt, tauri mugiunt; eaſque ex veteribus probarent.

11. *Ex conviviis ab eo inſtitutis.* Habebat etiam iſtam conſuetudinem, ut convivia & maxime prandia per ſingulas literas juberet ſcientibus ſervis apponi, velut in quo erat anſer, aprugna, anas: aliquando fatianus, farta, ficus: aliquando pullus, perdix, pavus, porcellus, piſcis, perna; & quæ in eam literam genera eduliorum caderent. Quare comis etiam habebatur in adoleſcentia. *Ælius Spartianus in Geta* §. 3.

3. *Cæſar appellatus.* Poſt Parthicum bellum cum *Severus* ingenti gloria floreret, Baſſiano participe Imperii appellato, Geta quoque Cæſaris & Antonini nomen accepit. *Spartianus ibidem.*

Cum autem *Severus* exercitum in *Britanniam* præmitteret, ipſe interim filio ſuo minori *Getæ* Tribunitiam poteſtatem conceſſit, & *Auguſtum* proclamavit. A. C. 208.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

1. INterfectus eſt à fratre *Caracalla*: uti in hiſtoria præcedenti diximus. Imperavit autem cum fratre annum 1, dies 22.

11. Funus Getæ accuratius fuiſſe dicitur, quam ejus, qui à fratre videretur occiſus. Illatuſque eſt majorum ſepulcro, h. e. *Severi*, quod eſt in Appia via euntibus ad portam dextram, ſpecie ſeptizonii exſtructum, quod ſibi ille vivus ornaverat. Occidere voluit & matrem Getæ, novercam ſuam, quod fratrem lugeret, & mulieres, quas poſt reditum de curia flentes reperit. *Ælius Spartianus in Geta* §. 3.

Symbolum ejus fuit: *Nulla fides regni.*
Nulla fides regni, nulla eſt communio ſancta,
Neſcit regnandi jus pietatis amor.

Quod & *Lucanus* confirmat his verbis:

Nulla fides regni ſociis; omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.

Quod ſane ita verum eſſe ſuo comprobavit exemplo *M. Antoninus Caracalla* Imp. qui ardens cupiditate regni intolerabili, *P. Septimium Getam* fratrem, ſocium atque conſortem Imperii, cum veneno tollere non poſſet, clam ferro trucidavit in cubiculo.

Huc & referri poſſunt verſus *Senecæ*:

Ubi non eſt pudor,
Nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides;
Inſtabile regnum eſt.

XXIII. IMPERATOR ROM.
OPILIUS MACRINUS,
& ejus filius
ANTONINUS DIADUMENUS.

CAPUT I.

DE ORTV.

ORtus Macrini vilis & ignobilis fuit. Fuit namque homo & libertinus ex *Mauritania* oriundus. Parentes ejus qui fuerint, propter generis obſcuritatem ignoratur.

CA-

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

UXOR fuit *Nonia Celſa*, (uti patet ex epiſtola Macrini ad uxorem, quæ exſtat apud *Ælium Lamp. in Antonino Diadumeno* §. 2. ex qua filium *Diadumenum* alioſque liberos ſuſcepit.

Filius iſte *Diadumenus* dictus eſt, vel ab avo materno, vel quod pro naturali pileo, diadema tenue, cum naſceretur, ſecum extulit; ſed ita forte, ut rumpi non poſſet, venis intercedentibus ſpecie ſagittarii. *Ælius Lamp. ibidem.*

NOTA.

Diadema, Διάδημα à Διαδέω, redimio, revincio, βασιλικὸν ἔνδυμα dicitur, h. e. *regium geſtamen*, ex faſcia, vel candida vel verſicolore, (ſicut id quoque *Rodig. lib. 24. cap. 6. lect. antiq. notat*) qua caput circumligabant Reges, uti & Reginæ, ex qua inſigne regium dignoſceretur. *Perſarum Regum diademata* peculiaria fuere, (uti *Arrianus lib. 7 de expedit. Alexand.* ſcribit) *Regem Alexandrum* paulo ante obitum, in paludibus, non procul à Babylone, in quibus multa Aſſyriorum Regum ſepulchra conſpiciebantur, navigaſſe, obortumque ingentem ventum, regium capitis ornamentum & diadema ei alligatum abripuiſſe, atque illud quidem, utpote gravius, in aquam procidiſſe: iſtud vero vento abreptum arundini cuidam ex iis, quæ monumentis Regum adnatæ erant, hæſiſſe.

ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ.

Pater Macrinus erat perſona deformis & corpore & mente. Erat namque horrendus idololatra, impudens, perfidus & ſanguinarius, unde *Mezentius* & *Macellinus* dictus eſt. *Julius Capitolinus in Macrino* §. 5.

Filius vero ejus DIADUMENUS juvenis erat formoſus. Unde etiam in circo, cum favor publicus in *Diadumenum* ſemper fuiſſet, acclamatum:

Egregio juveni pater haud Mezentius eſſet.

IV. *ACTA POLITICA.*

I. Ante Imperium.

Macrinus fuit homo novus terræ filius. Qui recte *Fortunæ pila* appellari poteſt, quia per varios fortunæ gradus ad ſublime Imperii faſtigium aſcendit. Nam ſub *Commodo* fuit vitæ ſordidæ, & proſtibulum appellatus, gladiator, venator, tabellioque. *Sub Severo* remotus ab officiis, etiam miſerrimus: & relegatus in Africam, ubi lectioni operam dedit, & declamavit, ut damnationis infamiam tegeret. *Sub Antonino* vero Advocatus fiſci factus, patrocinante ſibi Feſto liberto, inde præfectus prætorii, ablegato collega. *Antoninum Caracallam* Imperatorem ſuum dolo interimi curavit, & ſic Imperium invaſit. *Julius Capitolinus in Macrino* §. 2. Ubi verba *Aurelii Victoris* refert.

II. Imperii occupatio.

Per fraudulentiam & violentiam ad Imperium pervenit. Nam Dominum ſuum *Caracallam Imper.* occidit, & tanta aſtutia procuravit ei necem, ut non videretur ab eo conſilium cædis profectum. Interfecto autem *Caracalla*, cum milites propter nuncium allatum de adventu Artabani, Parthorum Regis, cum exercitu, qui injurias acceptas ultum videbatur, incerti eſſent, quid agerent: Macrinus à conſciis factionis Imperator delectus eſt. *Herodianus in Macrino* §. 1. *Senatus eum* Imperatorem odio *Antonini Baſſiani* libenter accepit, cum in Senatu omnibus una vox eſſet, quemvis magis quàm parricidam, quemvis magis quam inceſtuoſum, quemvis magis quam impurum, quemvis magis quam interfectorem Senatus & populi. *Julius Capitolinus in Macrino* §. 1.

Imperator factus & *Severum* ſe & *Pertinacem* voluit nuncupari, quæ duo illi aſperitatis nomina videbantur. Et cum illum Senatus Pium ac Felicem nuncupaſſet; *Felicis* nomen recepit, *Pii* habere noluit. Unde hoc pulchrum Epigramma in eum concinnatum eſt:

Hiſtrio jam ſenior factus, gravis, aſper, iniquus,
Impius, & felix ſic ſimul eſſe cupit.
Ut nolit pius eſſe, velit tamen eſſe beatus;
Quod natura negat, nec recipit ratio.
Nam pius & felix poterat dici atque videri,
Cui Imperium infelix eſt, erit ille ſibi.

Similiter filium *Diadumenum* conſortem Imperii fecit, eumque ANTONINUM appellari à militibus juſſit, ut ſuſpicio à Macrino interfecti *Antonini* militibus tolleretur. Alii vero tantum deſiderium nominis hujus fuiſſe dicunt, ut niſi populus & milites *Antonini* nomen audirent, Imperatorium non putarent.

Et cum *Macrinus* in concione ad milites filium ſuum *Diadumenum* appellaret *Antoninum*, à militibus acclamatum eſt: *Macrine* Imperator, Dii te ſervent! *Antonine Diadumene*, Dii te ſervent! *Antoninum* divum omnes rogamus, Jupiter optime maxime, *Macrino* & *Antonino* vitam largire. Tu ſcis, Jupiter, *Macrinus* vinci non poteſt: *Antoninum* habemus, omnia habemus. *Antoninum* Dii nobis dederunt patrem. *Antoninus* dignus Imperio. *Ælius Lampridius in Diadumeno*, §. 1.

Simi-

Similiter ipſe de hoc nomine *Antonini* in epiſtola ad conjugem valde gloriatur. Verba epiſtolæ hæc ſunt: Quid boni adepti ſumus, mea uxor, caret æſtimatione, & fortaſſe de Imperio me putas dicere. Non magnum iſtud, quod etiam indignis fortuna conceſſit. Antonini pater factus ſum. Antonini mater es facta. O nos beatos, ô fortunatam domum, præclaram laudem nunc demùm felicis Imperii. Dii faxint & bona Juno quam colis, ut & ille *Antonini* meritum effingat; & ego qui ſum pater *Antonini*, dignus omnibus videar!

III. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA SAGATA.*

Artabanus Parthorum Rex, ob acceptam ab *Antonino Caracalla* injuriam, maximis copiis Rom. fines ingreſſus eſt. Huic *Macrinus* occurrit, triduana pugna partim feliciter, partim infeliciter geſta: & *Antonini Caracallæ* morte nunciata, fœdus cum *Artabano* icit, pacemque ab eo pecunia emit. *Herodianus in Macrino* §. 2.

II. *ACTA TOGATA.*

I. Bona.

1. *In vita domeſtica* ſive privata erat partim temperans, partim intemperans. Nam ita de eo ſcribit *Julius Capitolinus* §. 5. Vini cibique erat avidiſſimus, nonnunquam uſque ad ebrietatem: ſed veſpertinis horis. Nam ſi prandiſſet vel privatim parciſſimus, in cœna effuſiſſimus. Probandum tamen, quod, cum vini cibique avidiſſimum ſe, præſertim in cœna agnoſceret, convivio ſuo literatos adhibuerit, ut loquens de ſtudiis liberalibus neceſſario abſtineret.

II. *Jus ſuum cuique reddidit.* Nam in jure non incallidus fuit, adeo ut ſtatuiſſet omnia reſcripta veterum Principum tollere, ut jure, non reſcriptis ageretur: nefas eſſe leges videri *Commodi* & *Caracallæ*, & hominum imperitorum voluntates, cum *Trajanus* nunquam libellis reſponderit, ne ad alias cauſas facta præferrentur, quæ ad gratiam compoſita viderentur. *Capitolinus ibidem.*

III. *In annonis* tribuendis *largiſſimus* fuit, in auro parciſſimus.

IV. *Diſciplinam ſeveram exercuit.* Nam ſervos, qui à dominis ſuis aufugerant, repertos ad gladium ludi deputabat. *Delatores* ſi non probarent, capite affecit; ſi probarent, delato pecuniæ præmio, infames dimiſit. *Capitolinus ibidem.*

Imo milites ſevera diſciplina continuit, aut pœna aeri à peccatis deterruit. Itaque cum quoſdam milites hoſpitis cujuſdam expugnaſſe pudicitiam conſtaret, duos boves miræ magnitudinis vivos ſubito aperire juſſit, atque his ſingulos milites inſeri, capitibus, ut inter ſe colloqui poſſent, exſertis. *Capitolinus* §. 5.

II. Mala.

1. *Crudelitas.* Quod ille facinoroſos punivit, nemo improbare poteſt. At vero, quod Mezentii ſupplicium retulit, quo ille vivos homines parietibus inclusit, & obſtruxit, aliiſque rebus ſævum & aſperum ingenium prodidit, nemo laudare poteſt. Unde etiam *Mezentius* dictus, juxta verſum:

Egregio juveni pater haud Mezentius eſſet.

Et *Macellinus*, quod macelli ſpecie domus ejus cruentaretur ſanguine vernularum. *Julius Capitolinus in Macrino.* §. 5.

II. *Luxuria & voluptuoſa vita.* Poſt bellum cum *Artabano Parthorum Rege* geſtum, ipſe Romam ſui cupidam ſtatim non petiit, vocante populo quotidie ſe, ac *Macrinum* vociferante; ſed Antiochiæ morabatur, barbam nutriens, & incedens quam ſolebat lentius, tardiſſimeque, & vix adeuntibus ſe reſpondens, adeoque interdum ſubmiſſa voce, ut ne exaudiri quidem poſſet.

III. *EGRESSVS.*

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

Odium militum, in quod incurrit, 1. *Ob infelicem cum Parthorum Rege pugnam.* Quod nempe aliquot prœliis cum eo congreſſus, parum proſpere pugnaſſet, quodque ab eo, aliiſque, pacem auro multo redimere coactus eſſet.

II. *Propter perfidiam*, quod militibus promiſſa præſtare non poſſet.

III. *Propter luxuriam*, quam Antiochiæ exercuit, ubi deliciis & luxui, & ludis hiſtrionum & ſaltatorum deditus in odium militum venit.

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Quia memoria *Baſſiani* grata fuit militibus, & filius *Baſſiani* dicebatur in Syria eſſe, qui poſtea nomen habuit *Heliogabali*, exercitus pecunia corruptus ab avia Heliogabali, ad eum defecit, & mox ſeditionem movit adverſus *Macrinum*, qui poſt infelicem pugnam fugit in Bithyniam, ubi in ſuburbio latitans à militibus interfectus eſt anno ætatis 54. Cumque patrem occidiſſent, quidam

Dia-

Diadumenum ſervare voluerunt: ſed extitit cubicularius, qui literas à *Diadumeno* ad patrem & matrem crudelitatis plenas ſcriptas coram militibus legit; quæ exſtant apud *Lamprid. in Diadumeno* §. 3, & 4. Atque ita *Diadumenum* quoque interfecerunt, poſtquam ſimul cum patre regnaſſet annum unum & menſes duos. Vnde videmus, quod literæ ſcriptæ Domino ſuo perniciem attulerint. Quod aliis ſit exemplo, ut ſibi caveant, neſecreta literis temere credant.

III. Τὰ ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ.

Contumelia mortem eorum conſecuta.

Milites ambos interfectos magna contumelia affecerunt, capitaque eorum pilo impoſita circumgeſtarunt. *Lampridius* §. 3. Et hic fuit exitus *Macrini*, cum non multo ante ſcripſiſſet ad Senatum Romanum, ſe nolle Imperium accipere, niſi volente Senatu. Quia multi Imperatores mallent interfici ſe, quam vivere non potiti hoc ſummo faſtigio honorum: quod & ipſi accidit.

EPITAPHIVM.

Auſonius hos ſequentes in *Macrinum* verſus concinnavit:

Principis hic cuſtos ſumtum pro Cæſare ferrum
Vertit in authorem cede Macrinus iners.
Mox cum prole ruit: gravibus pulſare querelis
Ceſſet perfidiam: Quæ patitur, meruit.

XXIV. IMPERATOR ROM. MARCVS ANTONINVS BASSIANVS, VARIVS HELIOGABALVS.

CAPVT I. DE ORTV.

I. *Generatio.*

PATER fuit BASSIANVS CARACALLA. *Mater*, I. Secundum quoſdam fuit, IVLIA uxor *Severi*, poſtea privigni ſui *Caracallæ*. Et ex ea ſuſcepit *Caracalla Heliogabalum*.

II. Secundum alios fuit *Soæmis*, vel *Somea*, concubina *Caracallæ*.

Si mater ſtatuitur prior, fuit ex inceſtu concubitu natus. Si poſterior, fuit ſpurius. Sicut eum nominat *Iulius Capitolinus in Macrino* §. 3.

AXIOMA.

Quales parentes, tales filii. Ex malis parentibus mali naſcuntur liberi. Quia arbor mala non poteſt bonos fructus ferre; uti Salvator noſter ait, *Matth.* 7. v. 18. juxta *illud adagium*, Κακῆ κόρακι κακὸν ὠόν. *Mali corvi malum ovum.* Huc quoque referri poſſunt verſus *Theognidis*.

Οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδον φύεται, οὐδ' ὑάκινθος.
id eſt,
Non etenim è ſcilla roſa naſcitur, aut hyacinthus,

Et dictum *Senecæ lib.* 13. *epiſt.* 87. Non naſcitur ex malo bonum, non magis quam ficus ex olea: ad ſemen nata reſpondent.

Cum quibus congruit *Adagium Biblicum*, quod exſtat *Ezech.* 16. v. 44. כאמה בתה.

Καθὼς ἡ μήτηρ, οὕτως ἡ θυγάτηρ.
Sicut mater, ita & filia ejus.

Liberi utriuſque ſexus parentum mores ut plurimum imitantur. Vnde vulgo de *ſobole maſcula* pronunciatur illud Græcum: Τὸ πατρὸς ἐστὶ τὸ παιδίον. Patris eſt filius. *De fœmellis* autem inquit *Chryſoſtomus*:

Scilicet exſpectas, ut tradat mater honeſtos
Atque alios mores nata, quam quos habet ipſa?

Et *Michael Verinus* ſequentibus verſibus exprimit:

Sæpe patris mores imitatur filius infans:
Qualis erat mater, filia talis erit.
Caſta refert caſtæ genitricis filia mores:
Laſciva nunquam filia caſta fuit.

Et canon Logicorum eſt: *Qualis cauſa, talis effectus.* Ex hoc Canone Domitius Imp. de filii ſui Neronis peſſima vita vaticinabatur veriſſime: Fieri nequit, ajebat, ut ex me & conjuge Agrippina vir bonus naſcatur. *Dion in Domit.* Idem de *Heliogabalo* dicendum.

II. *Appellatio.*

Varia habuit nomina. Nam dictus eſt MARCVS ANTONINVS BASSIANVS, VARIVS HELIOGABALVS.

I. *Marcus* dictus eſt à *Marco Antonino Baſſiano Caracallæ.*

II. *Antoninus.* Quoniam nomen *Antoninorum* Romanis venerabile fuit. Vnde cum nuncio Romam miſiſſet, ſeque *Antoninum* Baſſiani filium ſcripſiſſet, ingens ejus deſiderium factum eſt, & ipſe in Romano Imperio ultimus *Antoninorum* fuit. *Ælius Lampridius in Heliogabalo* §. 1.

III. *Baſſianus.* Quia *Baſſiani* Caracallæ *filius* credi voluit: Sicut etiam *Mæſa* Avia hunc *Baſſianum* filium eſſe *Antonini* dixit, quod paulatim omnibus militibus innotuit. *Iulius Capitolinus in Macrino* §. 4.

IV. *Varius.* Hoc nomen accepiſſe exiſtimatur, vel ab avia materna Mœſa, quæ alias dicta Varia. *Capitolinus ibidem.* Vel *Varii* nomen idcirco ei inditum

tum à condiſcipulis, quod vario ſemine, de meretrice utpote, conceptus videretur. *Ælius Lamprid. in Heliogab.* §. 1.

v. Nomen *Heliogabali* eſt ab Idolo, cujus filius fuit hic *Soæmidis* filius. Fuit autem nomen urbis in Phœnicia *Gebal*, clara artificum induſtria, qui dicti fuerunt גבלים GIBLIM, qui in ædificatione templi Salomonis lapides pretioſos artificioſe dolaverunt. *lib.* 1. *Reg.* §. 18. Inde nominatum eſt Idolum, *El Gebal*; id eſt, *Deus Gebal*. Poſtea Græci El mutarunt in ἥλιος. Fortaſſis partim Græca, partim Syriaca vox eſt, ἥλιος & Gabal, quod ſignificat terminum vel metam, quia Sol metas annorum facit. Et Heliogabalum Phœnices vocabant Solem. *Iulius Capitolinus in Macrino* §. 4.

NOTA.

Heliogabalus cum Syrus eſſet gente, de Syriaci Idoli nomine nomen accepit: Adorabant autem Syri, ſicut pleræque gentes Orientales, præcipue Solem. Hoc nomen mirifice variatum apud Græcos quoque, & Latinos Scriptores. Nam in Epitoma *Dionis* locis diverſis Ἑλιογάβαλος ſcribitur, & in excerptis Ἑλιαγάβαλος, apud *Herodianum* Ἑλαιογάβαλος, ſed plerique cæteri Græci Ἡλιογάβαλος, & Latini Heliogabalus, λὸν ἥλιον. Servius ad 7. Æn. *Gabalus* Romanus Solem ſe appellari voluit: nam *Heliogabalus* eſt dictus.

GENEALOGIA.

Sorores fuerunt:

I. IULIA, quæ nupta fuit
1. *Septimio Severo* Imperatori XXI.
2. *Baſſiano Caracallæ*, privigno, XXII. Imp.

II. *Mæſa*, ſive VARIA. Hujus filiæ fuerunt:

1. *Sæmis*, vel Soæmis, vel Somæa, concubina Baſſiani Caracallæ. | Ex hac natus eſt *Heliogabalus XXIV.* Imp.
II. *Mammæa* nupta Vario Marcello. | Vnde natus eſt *Alexander Severus XXV.* Imperator.

Vnde patet, quod *Heliogabalus* & *Alexander Severus* fuerint Conſobrini, diſſimillimi cognati.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ, & MORES.

HEliogabalus erat ſtatura ac pulchritudine conſpicuus, integer ævi, cunctorumque ejus ætatis adoleſcentium formoſiſſimus, quaſi alter Abſolon; ſed mente erat deformis atque ad omnia vitia & flagitia proclivis, ab ineunte ætate luxu, ſuperſtitione, peſſimis artibus à matre corruptus, cum qua etiam meritricio more vivebat, & aviæ auſpicio ſacerdos Idoli Syriaci (quod *El Gebal*, h. e. Deus Gebal vocabatur) eſt factus. Vnde etiam *Heliogabalus* eſt appellatus.

ACTA OECONOMICA.

Tres uxores duxit, & duplex divortium fecit. Nam ita de eo ſcribit *Herodianus* §. 3. Duxit I. VIRGINEM illuſtriſſimam Romanam fœminam, quam etiam *Auguſtam* appellavit, cumque ea paulo poſt divortium fecit, ademtiſque honoribus privatam vitam colere juſſit.

II. *Poſt illam* vero captum ſe amore ſimulans, (ut aliquid virile ſaltem facere videretur) VESTALEM ſacerdotem, quam ſacræ leges caſtam eſſe & Virginem manere perpetuo volunt, abreptam è templo pro uxore habuit. Ita mœſtum tanto flagitio & piaculo Senatum per epiſtolam conſolatus: humanum id eſſe peccatum, captum ſe illius puellæ amore: cæterum Sacerdoti congruere Sacerdotis nuptias, ob idque etiam auguſtiores futuras.

III. Sed illam quoque paulo poſt dimiſit, *tertia uxore ducta*, quæ referre ſuum genus ad *Commodum* dicebatur.

Tandem ſtupri cupiditatem, quam aſſequi naturæ defectu non poterat, in ſe convertens, muliebri nomine *Baſſianam* ſe *pro Baſſiano* appellari juſſit, urbe tota obſcœniſſimos inquirens, qui cum eo libidines exercerent.

III. ACTÆ

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Pervenit ad Imperium 1. *Per fraudulentiam*, quod Avia *Mæsa* ſive *Varia* dixerat, ipſum eſſe *Antonini Baſſiani* filium, quod paulatim omnibus militibus innotuit. *Julius Capitolinus in Macrino §. 4.*

II. *Per largitionem copioſam.* Nam *Mæſa* erat ditiſſima, quæ profuſas largitiones militibus dedit: atque ita legiones à *Macrino* ſunt abductæ. Suſcepta enim illa noctu in oppidum cum ſuis, nepos ejus *Antoninus* eſt appellatus, Imperii delatis inſignibus. *Capitolinus ibidem.*

III. *Per violentiam.* Cum *Macrinus* initio eum propter ætatem & vitæ genus contemneret, deinde auctum viribus opprimere non potuit. Quin ipſe, (uti dictum) acie victus, & è fuga retractus, cum filio interfectus eſt: *Heliogabalo* Imperium firmatum. Imperium ergo nactus, nuncios Romam miſit, ſimulque figuram nominis Heliogabali, cujus Sacerdotium gerebat, in tabula picta, denuncians, ſe ſanguine *Baſſiani* genitum eſſe, ſtatimque in Senatu Princeps eſt appellatus.

II. *Imperii adminiſtratio.*

Imperium male adminiſtravit. Nam 1. *Veteres Conſiliarios* abrogavit, & *novos inſtituit*, nempe flagitiorum ſuorum adminiſtros ac ſcelerum, eoſque maximis honoribus ornavit, opibus locupletavit, provinciis præfecit, urbanis ac militaribus officiis præpoſuit: ut Eutychianum libertinum hominem, & Hieroclem, & Aurelium Zoticum, turpiſſima libidinum mancipia.

USUS.

Hic *Zoticus* fuit elegans & venuſta aulici Sycophantæ pictura. Nam familiaritatis nomine abutens, omnia *Heliogabali* dicta & facta vendebat fumis, quam maxime divitias enormes ſperans, cum aliis minaretur, aliis polliceretur, omnes falleret; egredienſque ab illo ſingulos adiret, dicens; De te hoc locutus ſum, de te hoc audivi, de te hoc futurum eſt. Ut ſunt homines hujuſmodi, qui ſi admiſſi fuerint ad nimiam familiaritatem Principum, famam non ſolum malorum, ſed & bonorum Principum vendunt.

Præterea ſub Heliogabalo mulier primum in Senatum admiſſa eſt, nempe ejus mater, quam & ſententiam in Senatu admiſſam rogari juſſit, permiſitque eam habere Senatulum mulierum: unde & prodierunt Senatuſconſulta ridicula de legibus matronalibus, quæ quo veſtitu incederent, quæ cui cederet, quæ ad cujus oſculum veniret, quæ pilento, quæ equo ſaginario, quæ aſino veheretur, quæ carpento mulari, quæ ſella veheretur, & utrum pellicea, an oſſea, an eborata, an argentata, & quæ aurum vel gemmas in calceamentis haberent.

II. *Libidinoſus fuit.* Nam *Zotico* nupſit, & cum eo coiit, ut & pronubum haberet, clamaretque, *Concide, Magire.* Hic tantum ſub eo valuit, ut ab omnibus officiorum Principibus ſic haberetur, quaſi Domini maritus eſſet. Et eo tempore quo *Zoticus* ægrotabat, quærebat à Philoſophis & graviſſimis viris, an & ipſi in adoleſcentia perpeſſi eſſent, quæ ipſe pateretur, & quidem impudentiſſime: neque enim unquam pepercit infamibus, cum & digitis impudicitiam oſtentaret, nec ullus in conventu & audiente populo eſſet pudor. *Lampridius §. 4.*

III. *Luxurioſus* fuit tum *in Victu*, tum *in Amictu.*

1. *In Victu.* Nam nunquam minus centum HS. cœnavit, h. e. triginta argenti libris: nonnunquam tribus millibus cœnatus eſt: ſexcentorum ſtruthionum capita multis in cœnis exhibuit: ut convivæ cerebellis illorum veſcerentur. Ad mare cum diverſaretur, piſcem nunquam edit: cum à mari longius, omnia è mari. Quin etiam non convivas modo, verum etiam ruſticos in cœnaculum intromiſſos luporum ac murænarum lactibus pavit. Tenuit & hunc morem, ut quibuſdam in cœnis, ſolis phaſianis veſceretur: ex eaque avi ſola dapes omnes concinnari, ac miſſus univerſos è phaſianis eſſe vellet: alibi omnia ex eadem una pecude: nonnunquam à ſolis pomis: aut lacte aliquando ex mellitis omnia, adeo totum ſe in hanc unam rem converterat. Plura vide apud *Lampridium in Heliogab. §. 4.*

Valde ridicula & prodigioſa quoque convivia agitare conſuevit.

Nam ad balneum convocari juſſit octo hernioſos, ad convivium octo luſcos, octo calvos, octo podagricos, octo ſurdos, octo inſigniter nigros, & octo notabiliter obeſos, octo naſutos: alii legunt vaſatos, ſenſu obſcœno, eam corporis partem intelligentes, quam inter ſerias res nominari non oportet. Et ſic proverbium illud Græcorum, ἄπαντα ὀκτώ, (omnia octo) veluti exhibuit, iiſdem etiam mandavit; propoſito diligentiæ præmio, ut ad ſe deferrent millena pondo aranearum. Et collecta dicuntur decem millia pondo aranearum inter unius Romanæ urbis conſepta. Admirantibus id factum, reſpondebat: *Ex his collige magnitudinem urbis*

Roma. Idem aliquando decem millia tum murium ſoricumve, tum muſtelarum, colligenda curavit: ut *Platina* memorat. Paratitis quoque in ſecunda menſa ſæpe ceream cœnam, ſæpe ligneam, ſæpe eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam marmoream etiam vel lapideam exhibuit: ita ut omnia illis exhiberentur videnda de diverſa materia, quæ ipſe cœnabat, cum tantum biberent per ſingula fercula, & manus, quaſi comediſſent, lavarent. *Ælius Lampridius in Heliogab. §. 9.*

2. *In amictu*. Nam uſus eſt aurea tunica, & purpurea: uſus & de gemmis Perſica. Habuit & in calceamentis gemmas, & quidem ſcalptas: quod riſum omnibus movit, quaſi poſſent ſculpturæ nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærebant. Voluit uti & diademate gemmato, quia pulchrior fieret, & magis ad fœminarum vultum aptus: quo & uſus eſt domi. *Herod. in Heliogab. §. 1.*

Quin imo peregrinum veſtitum aſſumſit: quod cernens Mœſa, ac iniquo ferens animo, ſupplex illi perſuadere conabatur, ut Romanum aſſumeret cultum, ne urbem curiamque mox ingrediens, peregrino barbaroque habitu ſpectantium oculos perſtringeret, inſolentes ejuſmodi mundiciarum, ac reputantes, mulierculis quam viris eas congruentiores. *Idem.*

IV. *Superbus fuit*. Nam non Romanas tantum extinguere voluit religiones, ſed per orbem terræ hoc unum ſtudens, ut Heliogabalus Deus unus ubique coleretur. *Lampridius §. 3.* Nihil tamen indignius, quam quod Deum ſuum peregrinum, quem omnibus aliis anteponebat, humanis hoſtiis colere inſtituerit. Quod genus ſacrificii Græci ἀνθρωποσφαγίαν appellant, h. e. divinationem ex mactatorum hominum viſceribus. Et quidem lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris, per omnem Italiam, patrimis & matrimis, ut nempe major eſſet utrique parenti dolor. *Ælius Lampridius §. 3.* Similiter ſuperbiam ſuam in eo demonſtravit, quod Senatores vocaret *togata mancipia*.

V. *Crudelitas. Sabinum* Conſularem virum, ad quem libros *Vlpianus* ſcripſit, quod in urbe remaniſſet, vocato centurione mollioribus verbis, juſſit occidi. Sed centurio aure ſurdior imperari ſibi credidit, ut urbe pelleretur: itaque fecit. Sic vitium Centurionis *Sabino* ſaluti fuit. Removit & *Vlpianum* Juriſconſultum, ut bonum virum. Et *Silvinum* rhetorem, quem Magiſtrum Cæſaris fecerat. Et Silvinus quidem occiſus eſt; Vlpianus vero reſervatus. *Lampridius in Heliogab. §. 6.*

VI. *Mala conſcientia*. Cum enim *Heliogabalus* tot tantaque ſcelera atque flagitia commiſiſſet, ſemper anxius paviduſque fuit, & trepidantem conſcientiam habuit. Vnde ad mortem ſollicite ſe præparavit. Nam funes ſerico & cocco intortos paraverat: quibus ſi neceſſe eſſet, gulam ſibi frangeret. Semper etiam ad manus habebat gladios aureos: quibus ſe occideret, ſi aliqua vis urgeret. Neque profecto inter artes tyrannicas ulla ſolertior videtur, quam ut mature provideant Tyranni, ut mortem in poteſtate habeant, ſi quid immineat gravius. Sæpe enim illis ſupremum illud auxilium ereptum eſt, cum maxime eo egent: Sicut Neroni contigit, qui nec amicum nec inimicum habuit, cujus manu periret. *Anti-Machiavellus lib. 3. pag. 562, 563.*

Symbolum ejus fuit:

SVVM SIBI QVISQVE HÆRES OPTIMVS.

Cum *Heliogabalus* turpiſſimam ageret vitam, quaſi alter *Sardanapalus*, quidam ex familiaribus ejus immanem hanc deteſtatus luxuriam, ei objiciebat: An non metuat, ne ſibi aliquando egendum foret: *Quid* (inquit) *melius, quam ut ipſe mihi hæres ſim, & uxori meæ.* Quo inſinuare voluit, hominem ſibi vivere, & genio indulgere, & voluptati ſuæ obſequi debere, neque in craſtinum cogitare.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

Heliogabali inconſtantia & perfidia.

Conſobrinum ſuum *Alexianum*, qui tunc vocabatur *Alexander*, conſortem Imperii fecerat inſtinctu matris *Soæmidis* ejuſque ſororis *Mammææ*, quæ metuebant, ne oppreſſo ipſo, Imperium perveniret ad alienum. Sed poſtea eum facti pœnituit, eumque præmiſſis militibus occidi voluit. *Ælius Lampridius in Heliogab. §. 6.*

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Milites Prætoriani, qui *Alexandrum* amabant, eumq; defendebant, iracundia excandeſcentes, ipſum *Heliogabalum* in latrina, ad quam fugerat, trucidarunt: cumque non poſſet cloaca propter anguſtiam foraminis cadaver excipere, per pontem Æmylium annexo pondere ne fluitaret, in Tiberim cadaver ejus abjectum, ne unquam ſepeliri poſſet. Tractum eſt quoque per circi ſpatia, priuſquam in Tiberim præcipitaretur. *Ælius Lampridius ibidem.* Vixit annos 18. Imperavit annos 3. menſes 9. dies 4. Mater quoque ejus mulier flagitioſa atque tali filio digna, itemque libidinum miniſtri, qui à partibus Heliogabali ſteterant, ſimul à militibus è medio ſunt ſublati.

III. TA'

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

Ignominiosa nomina. Nomen *Antonini* ex publicis monumentis, Senatu jubente, erasum est: Et hic ultimus *Antoninorum* fuit. Contra autem appellatus est post mortem *Tiberinus* & *Tractitius*, & *impurus*: & solus omnium Principum tractus, & in cloacam missus, inque Tiberim præcipitatus. *Lampridius* §. 6. Et ita impletum est in eo quod dicitur *Psal. 9. v. 6, & 7. Nomen* eorum delevisti ad omnem æternitatem. Inimici defecerunt frameæ in perpetuum, & periit memoria eorum cum ipsis.

XXV. IMPERATOR ROM. AVRELIVS ALEXANDER SEVERVS.

CAPVT I.

DE ORTV.

1. *Generatio.*

I. PATER fuit VARIVS MARCELLVS, vir genere nobilissimus. *Lampridius in Severo* §. 1.

II. MATER fuit IVLIA MAMMÆA, matris *Heliogabali Imperatoris soror. ibidem.*

Hujus fœminæ 1. *Laus.* Fuit fœmina Christiana, & religionem Christianam valde promovit. Nam *Origenem* virum celeberrimum Romam vocavit, ut veram ibi religionem doceret ac promoveret.

2. *Vituperium.* Fuit valde avara, Ideoque filio suo magnum apud subditos odium excitavit. Nam simulavit, ideo se thesauros congerere, ut suppeditare *Alexandro* posset, quo is facile abundanterque suis largiretur militibus, & proprios tamen domi thesauros strueret. Ea res notam infamiæ Imperatori attulit, qui etiam illo invito & indignabundo, mulier avida bona quorundam per fraudem, atque hæreditates suppilabat.

III. *Locus nativitatis.* Natus est Alexander Severus in urbe *Arcena*, in Templo Alexandri M. ad quod religionis ergo peregrinationem parentes ejus susceperant. *Lampridius in Severo* §. 1.

VSVS.

Ex Genealogia *Heliogabali*, atque *Alexandri Severi*, (quam in historia ejus proposuimus) patet, quod Heliogabalus atque Alexander Severus consobrini fuerint. Nati igitur sunt ex eadem stirpe Princeps deterrimus, & Princeps optimus Imperio salutaris, & quidem admiranda Numinis dispositione, quæ hoc modo vices rerum humanarum temperat. Omnium bipedum nequissimo eruditus, moderatus & temperantissimus Princeps succedit.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN fuit AVRELIVS ALEXANDER.

Alexander dictus est. Quoniam in Templo *Alexandro M.* dicato genitus est; in quo eum Mater, quæ solennitatis festivæ causa cum marito eo venerat, enixa fuit. Quin etiam hic Mammæa *Alexander* eadem die natalem suum habuit, qua *Magnus ille Alexander* mortuus est. *Lampridius* §. 1.

COGNOMEN est SEVERVS. Sic dictus fuit,

1. *Polemice*, h. e. à militibus ei hoc nomen impositum est, ob singularem animi vigorem atque constantiam. Quoniam disciplinam militarem severe rexit, militumque petulantiam atque insolentiam compescuit, quod illi ingentem in præsentia reverentiam, magnamque apud posteros gloriam peperit, cum eo accessisset, ut de animi virtute nomen acciperet: Siquidem solus inventus est, qui tumultuantes legiones exauthoravit, inque milites delinquentes animadvertit. *Lampridius in Severo* §. 3.

2. *Politice.* Quia ex Senatu & Equestri ordine, & ex ministerio aulico, impuros, obscenos, infames, quos Heliogabalus provexerat, removit.

Pius quoque & *Sanctus* dictus est. Quia cunctis amabilis erat, & utilis Reipublicæ. *Lampridius* §. 1.

Nomina vero ANTONINI, & MAGNI, respuit: etiamsi à Senatu propter eximias virtutes offerrentur, & crebris acclamationibus in curia ita appellaretur, nihilominus tamen ille recusavit; inquiens: *Onerosa esse tam insignia nomina. Lampridius* §. 2.

Dominum se appellari vetuit. Epistolas ad se quasi ad privatum scribi jussit, servato tantum nomine Imperatoris. *Lampridius* §. 1.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙ'Α.

ACTA IVVENILIA.

I. ERat *forma* elegans, & venustate corporis decorus. Fuit & statura militaris, robur militis, valetudo ejus qui vim sui corporis sciret ac semper curaret. *Lampridius* § 1.

II. *Studia literaria.* In prima statim puericia

artibus bonis imbutus, ne unum quidem diem ſponte ſua tranſire paſſus eſt, quo ſe non in literis & militia exerceret. Nam in prima pueritia Præceptores habuit Valerium Cordum, & L. Veturium, & Aurelium Philippum libertum patris, qui vitam ejus poſtea deſcripſit. *Grammaticum* in patria Græcum Nebonem, Rhetorem Serapionem, Philoſophum Stilionem: Romæ Grammaticos, Scaurinum, Scauriui filium, Doctorem celeberrimum: Rhetores Julium Frontinum, & Bebium Macrinum, & Julium Granianum, cujus hodieque orationes declamatæ feruntur. *Lampridius in Severo* §. 1.

Poſtea in Imperio quoque literis incubuit. Nam facundiæ fuit magis Græcæ quam Latinæ, nec verſu invenuſtus. Et ad muſicam pronus, matheſeos peritus: & ita quidem ut ex ejus juſſu Mathematici publice propoſuerint Romæ, ac ſint profeſſi, ut docerent. Aruſpicinæ quoque peritiſſimus fuit. Ὀνειροκρίτης magnus, ut & Vaſcones & Hiſpanorum & Pannoniorum augures vicerit. Geometriam fecit, pinxit mire, cantavit nobiliter: ſed nunquam alio conſcio, niſi pueris ſuis teſtibus. Vitas Principum bonorum verſibus deſcripſit. Lyra, tibia, organo cecinit: tuba etiam, quod quidem Imperator nunquam oſtendit. *Lampridius* §. 6.

II. *ACTA OECONOMICA.*

Vxores habuit *duas*.

Prior erat *Martiani filia*, quam, cognita ejus contra ſe conſpiratione, repudiavit.

Poſterior erat *Memmia*, *Sulpitii* Conſularis viri filia, *Catuli* neptis. *Lampridius* §. 5.

Vita privata.

I. *Pietas erga Deum.* Diei auſpicium fuit religionis cura. Primum ſi facultas eſſet, h. e. ſi non cum uxore cubuiſſet, matutinis horis in Solario ſuo (in quo & divos Principes, ſed optimos electos & animas ſanctiores, in queis & Apollonium, & quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, Chriſtum, Abraham & Orpheum, & hujuſmodi Deos habebat, ac majorum effigies) rem divinam faciebat. *Lampridius* §. 7.

II. *Pietas erga Matrem.* In matrem *Mammeam* unice pius fuit, ita ut Romæ in palatio faceret diætas nominis *Mammææ*, quas imperitum vulgus hodie ad *Mammam* vocat. Et in Bajanum palarium cum ſtagno, quod *Mammæa* nomine hodie cenſetur. *Lampridius* §. 6.

III. *Studia.* Poſt actus publicos, ſeu bellicos ſeu civiles, lectioni Græcæ operam majorem dabat. De Republ. libros *Platonis* legens, Latina cum legeret, non aliis magis delectabatur, quam officiis Ciceronis, & libris de Republ. ſcriptis. Nonnunquam conferebat ſe ad Oratores & Poëtas, inter quos ſummi faciebat Serenum Sammonicum, quem ipſe noverat & dilexerat, & Horatium. Legit & vitam Alexandri, quam præcipue imitatus eſt: etſi in eo condemnabat ebrietatem & crudelitatem in amicos, quamvis utrumque defendatur à bonis Scriptoribus, quibus ſæpius ille credebat. *Lampridius* §. 7.

IV. *Exercitia Corporis.* Poſt lectionem operam palæſtræ, aut ſphæriſterio aut curſui, aut luctaminibus mollioribus dabat. Atque inde unctus lavabatur, ita ut caldariis vel nunquam vel raro, piſcina ſemper uteretur, in eaque una hora prope maneret: biberet etiam frigidam Claudiam jejunus ad unum prope ſextarium. *Lampridius ibidem.*

V. *In veſtitu continentia.* Gemmas de calceamentis & veſtibus tulit, quibus uſus fuerat *Heliogabalus*: veſte alba uſus eſt, nec aurata, pænulis, togiſque communibus. Veſtes ſericas ipſe raras habuit: holoſericas nunquam induit, ſubſericam nunquam donavit. Uſus eſt ipſe coccina ſæpe. In urbe tamen ſemper togatus fuit, & in Italiæ urbibus. Prætextam & pictam togam nunquam niſi Coſ. induit: & eam quidem, quam de Jovis templo ſumtam alii quoque accipiebant, aut Præf. aut Coſſ. Accepit prætextam etiam cum ſacra faceret, ſed loco Pont. Max. non Imperatoris. Boni linteaminis appetitior fuit, & quidem puri, dicens: *Si lintei idcirco ſunt, ut nihil aſperum habeant, quid opus eſt purpura?* In linea autem aurum mitti etiam dementiam judicabat, cum aſperitati adderetur rigor. Faſceis ſemper uſus eſt. Braccas albas ſemper habuit, non coccineas, ut prius ſolebant. Gemmarum quod fuit, vendidit, & aurum in ærarium contulit, dicens: Gemmas viris uſui non eſſe. *Lampridius* §. 10.

Similiter & uxori ſuæ continentiam in veſtitu præcepit, dicens: Matronas regias contentas eſſe debere uno reticulo, atque inauribus, & baccato monili, & corona, cum qua ſacrificium facerent, & unico pallio auro ſparſo, & cyclade, quæ ſex unciis auri plus non haberet. Prorſus cenſuram ſuis temporibus propriis moribus geſſit. Imitati ſunt eum magni viri, & uxorem ejus matronæ pernobiles. *Lampridius ibidem.*

Cum ab amicis reprehenderetur, quod immemor Majeſtatis Imperatoriæ, non pretioſo veſtitu, auro gemmiſque corpus etiam exornaret, reſpondit: Principatum ac Imperium in virtute eſſe, non in corporis decore.

VI. *Frugalitas in conviviis.* Convivium neque opimum neque nimis parcum, ſed nitoris ſummi fuit. Ita tamen, ut pura mantilia mitterentur. Ipſe cibo

cibo plurimo reficiebatur, vino neque parce, neque copiose, affatim tamen frigido semper puro usus est, æstate vino cum rosa condito. *Lampridius* §. 6.

VII. *Conversatio cum amicis.* Cum amicis tam familiariter vixit, ut communis esset ei sæpe consessus, iret & ad convivia eorum: aliquos autem haberet quotidianos, etiam non vocatos. Salutaretur vero quasi unus de Senatoribus, patente velo, admissionalibus remotis: aut solis iis, qui ministri ad fores fuerant: Cum antea salutare Principem non liceret, quod eos videre non poterat. *Lampridius* §. 1.

VIII. *Conversatio cum honestis.* Ad salutationem nonnisi honestos & bonæ famæ homines admittebat, jubebatque, (uti in sacris Eleusinis dicitur) ut nemo ingrederetur, nisi qui se innocentem nosceret.

A mulieribus famosis matrem suam salutari vetuit. *Lampridius* §. 6.

Fures inprimis vehementer oderat, per præconem edicere solitus, ut nemo salutaret Principem, qui se furem esse nosceret, ne aliquando detectus supplicio capitali obnoxius fieret. Sæpe dicere solebat: Solos fures de paupertate conqueri, dum scelera vitæ suæ tegere volunt. Sæpe etiam sententiam de furibus notam recitabat, quæ Græce sic effertur:

Ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δὸς, ἐφέξεις.

i. e. Qui multa rapuerit, & pauca suffragatoribus dederit, salvus erit.

IX. *Disciplina domestica.* Servos & ministros peccantes coram se cædi jussit. Ancillam suam, quæ adulterium cum servo suo fecerat, capite punivit. Multos servos è familia propria, qui peccaverant, legibus puniendos publicis iudiciis dedit.

III. *ACTA POLITICA.*

I. Imperii occupatio.

Post mortem *Heliogabali* à militibus Prætorianis Imperator appellatus est, & à Senatu confirmatus, uno die honores omnes accepit, nempe Augusti, ut & patris patriæ nomen & jus proconsulare, & tribunitiam potestatem, & jus quintæ relationis, qui aliis, nonnisi ex intervallo temporum attributi fuerant. Cujus rei hanc causam fuisse prodidit *Lampridius*, quod cito innotescere Senatus voluit, Alexandrum Imperio dignum judicatum esse, ne militum audacia alius forte deligeretur Imperator.

AXIOMA.

Fere semper crudelissimos Tyrannos excipiunt justissimi & moderatissimi Reges. Quorum enim exitus perhorrescunt, eorum facta imitari pudet: vel quod certis legibus & conditionibus Imperium accipiunt. *Bodinus lib. 4. de Republ. cap. 1. pag. 590.*

Ita *Heliogabalo*, naturæ portento, *Alexander Severus* virtute nemini secundus successit. Stulti enim & furiosi Principis interitus virtute conspicuum successorem cunctis venerabiliorem & exoptatiorem reddit.

II. Imperii administratio.

Optime Rempubl. administravit. In qua administratione fulsere egregiæ ejus virtutes.

I. *Sapientia.*

Sapienter Rempubl. reformavit & ordinavit, quia

I. *Iudices omnes* à republ. & à ministeriis atque muneribus, quos impurus ille Heliogabalus ex genere hominum turpissimo provexerat, removit. *Lampridius* §. 4.

II. *Senatum* & *Equestrem* ordinem reformavit.

III. *Tribus*, & eos qui militaribus nituntur prærogativis, purgavit.

IV. *Palatium* suum comitatumque omnem purgavit, abjectis ex aulico ministerio cunctis obscœnis & infamibus, nec quenquam passus est esse in Palatinis, nisi necessarium hominem. Iurejurando deinde constrinxit, ne quem asscriptum, h. e. vagantium haberet, ne annonis Rempubl. gravaret, dicens: Malum tutorem esse Imperatorem, qui ex visceribus provincialium homines non necessarios nec Reipubl. utiles pasceret. *Lampr.* §. 4.

V. *Eunuchos* de ministerio suo *abjecit*: & uxori ut servos servire jussit. Et cum *Heliogabalus* mancipium eunuchorum fuisset, ad certum numerum eos redegit: nec quicquam in palatio curare voluit nisi balnea fœminarum. Cum plerosque Eunuchos rationibus & procurationibus proposuisset *Heliogabalus*: hic illis & veteres sustulit dignitates. Idem tertium genus hominum eunuchos esse dicebat: nec videndum, nec in usu habendum à viris, sed vix à fœminis nobilibus. *Lampr.* §. 5.

VI. *In Magistratibus* & *Senatoribus creandis* cautus & circumspectus fuit. Nam Præfectum prætorio sibi ex Senatus authoritate constituit. Præfectum urbis à Senatu accepit, alterum Præfectum prætorio fecit: qui ne fieret, etiam fugerat, di-

cens:

cens: *Invitos, non ambientes, in Republica collocandos.* Senatorem nunquam ſine omnium Senatorum conſilio qui aderant, fecit. Senatores nonniſi ad ſummorum in palatio virorum ſuffragium fecit, dicens: Magnum virum eſſe oportere, qui faceret Senatorem. Idem libertinos nunquam in equeſtrem locum redegit, aſſerens: Seminarium Senatorum equeſtrem locum eſſe. *Lampridius* §. 4.

Non conceſſit officia eſſe venalia. Nam pulchre dixit: *Neceſſarium eſt, ut qui emit, vendat, nec ſine rubore puniri poteſt is, qui, quod emit, vendit.* Qui enim per largitionem officia adepti ſunt, dant operam, ut ita poteſtatem gerant, quo illam lacunam rei familiaris explere poſſunt: ut *Cicero 4. in Verrem* inquit. *Plura vide in Syſtem. meo Politico, pag. 363.*

VII. *Sapienter leges condidit.* Nam tanta æquitate fuit, ut nullas unquam ſanciret leges, nullam conſtitutionem ſacraret ſine viginti juris peritiſſimis, & doctiſſimis & ſapientiſſimis viris: nec in ulla re judicium ferret, quin prius iret per ſententias ſingulorum, & ſcriberetur, quid quiſque dixiſſet. Cum de Iure ac negotiis tractabat, ſolos adhibebat doctos & diſertos: Si de re militari, milites veteres & ſenes.

VIII. *In legibus exſequendis rigoroſus extitit.* Nam ſeveriſſimus Iudex contra facinoroſos fuit, præſertim contra fures, appellans eoſdem quotidianorum ſcelerum reos, ac damnans acerrime, ac ſolos hoſtes inimicoſque Reipubl. vocans. Eum Notarium, qui falſum cauſæ breviarium in conſilio Imperatorio retuliſſet, inciſis digitorum nervis, ita ut nunquam poſſet ſcribere, deportavit. Cum quidam ex honoratis, vitæ ſordidæ & aliquando furtorum reus, per ambitionem nimiam ad militiam adſpiraſſet, idcirco quod per Reges amicos ambierat, admiſſus ſtatim in furto præſentibus patronis detectus eſt: juſſuſque à regibus audiri, damnatus eſt re probata. Et cum quæreretur à Regibus, quid apud eos paterentur fures, illi reſponderunt, *Crucem.* Ad eorum reſponſum in crucem ſublatus eſt. *Lamprid.* §. 6.

IX. *Balnea ordinavit.* Nam ne quid populo incommodaretur, nocturna balnea, oleo pro luminibus præbito, conceſſit.

X. *Balnea mixta prohibuit.* Nam licet ſub *Heliogabali* Imperio Romæ balnea fuerint: tamen *Dion* Hiſtoricus refert, *Adrianum Imper.* viros à fœminis diſcretos lavari voluiſſe: quam legem *Severus Alexander* confirmavit. Hoc *Iuſtinus Imperator* imitatus eſt.

II. *Manſuetudo & humanitas.*

Tantæ *manſuetudinis* fuit, ut omnibus ſe blandum affabilemque præberet: Vt amicos non ſolum primi ac ſecundi loci, ſed etiam inferiores ægrotantes inviſeret: Vt ſibi ab omnibus, libere quæ ſentiebant, dici cuperet: Et cum dictum eſſet, audiret, & cum audiſſet, ita ut res poſcebat, emendaret atque corrigeret. Si minus bene factum eſſet aliquid, etiam ipſe convinceret, idque ſine faſtu, & ſine amaritudine animi conſenſum omnibus ſemper offerret. Dies denique nunquam tranſiit, quin aliquid manſuetum, civile, piumque faceret: ſed ita ut ærarium non everteret. Cum autem ei objicerent nimiam civilitatem & Mammæa mater, & uxor *Sulpitii*, viri conſularis filia, *Catuli* neptis, & ſæpe dicerent: *Molliorem tibi poteſtatem & contemtibiliorem Imperii feciſti:* ille reſpondit: *Sed ſecuriorem & diuturniorem. Lampridius* §. 5.

III. *Beneficentia.*

Cogitabat ſecum, & deſcriptum habebat, cui quid præſtitiſſet: & ſi quos ſciret vel nihil petiiſſe, vel non multum, unde ſumtus ſuos augerent, vocabat eos, & dicebat: *Quid, cur nihil petis? an me vis tibi fieri debitorem? Pete, ne privatus de me queraris.* Agnoſcebat, Principem debere recte ſuo fungentibus officio; nec æquum judicabat, ut probe ſuo defunctus officio privatus egeret. *Lampridius* §. 12.

IV. *Clementia.*

Imperium ejus ἀναίμακτον, h. e. incruentum dictum eſt. Licet enim juſta ſeveritas ei in milites, in Iudices improbos, denique in homines malos, & Reipubl. peſtes non defuerit; tamen nullum Senatorem occidit. Nam cum *Ovinius Camillus*, antiquæ familiæ Senator, rebellionem moliretur, & tyrannidem affectaret, hominis fraude intellecta, eum ad ſe vocari juſſit, & egit gratias, quod Reipubl. curam ſua ſponte ſuſcipere tentaret. Mox ad Senatum proceſſit, ac tanti ſceleris conſcientia trepidum, conſortem Imperii appellavit, in palatium recepit, ornamentis imperialibus & melioribus, quam utebatur ipſe, decoravit, profectioniſque comitem adhibuit. Cumque Imperator ipſe pedibus iter faceret, invitavit *Ovinium*, & equo ſedere juſſit: denique mori paratum dimiſit. *Lamprid.* §. 10.

V. Iuſtitia.

Iuſtitiam ſevere adminiſtrabat *Togatus*, & *Sagatus*.

I. TOGATVS, quando erat *in foro*. Nam ſi unquam furem vidiſſet Iudicem, paratum habebat digitum, ut illi oculum erueret: tanto odio proſequebatur Iudices, qui furtorum fama laboraſſent, ut ſi eos caſu aliquo videret, commotione animi choleram ſtomacho evomeret, toto vultu inardeſcente. *Lamprid.*

Ἀνθρωφαγίαν graviter punivit. Exemplum habemus inſigne in *Vetronio Thurino*, de quo *Lampridius* ita ſcribit: §. 8. Thurinus, inquit, quem familiarem habuerat Alexander, vel omnia fingendo ſic vendiderat, ut ejus quaſi ſtulti hominis, & quem ille in poteſtate haberet, & cui multa perſuaderet, infamaret Imperium: ſicque omnibus perſuaſerat, quod ad nutum ſuum omnia faceret. Denique hac illum arte deprehendit, ut quendam immitteret, qui à ſe quiddam publice peteret; ab illo autem Thurino occulte quaſi præſidium poſtularet, ut pro eo Alexandro ſecreto ſuggereret. Quod cum factum eſſet, & *Thurinus* ſuffragium promiſiſſet, fingens, ſe quædam Imperatori dixiſſe, cum nihil dixiſſet, ſed in eo pendere, ut adhuc impetraret, eventum vendens: cumque iterum juſſiſſet Alexander interpellari, & Thurinus, quaſi agens aliud, nutibus annuiſſet, neque tamen interim quidquam dixiſſet, impetratum autem eſſet, quod petebatur, *Thurinuſque* ab illo, qui meruerat, fumi venditor, ingentia præmia percepiſſet: accuſari eum Alexander juſſit, probanſque per teſtes omnibus, & quibus præſentibus, quid acceperat, & quibus audientibus, quid promiſiſſet, in foro tranſitorio ad ſtipitem illum ligari præcepit, & fumo appoſito, quem ex ſtipulis atque humidis lignis fieri jufſerat, necavit, præcone dicente: *Fumo punitur, qui vendidit fumum.* Ac ne in una tantum cauſa videretur crudelior fuiſſe, quærivit diligentiſſime, antequam eum damnaret: & invenit *Thurinum* ſæpe & in cauſſis ab utraque parte munera accepiſſe, cum eventus venderet, & ab omnibus, qui aut præpoſituras aut provincias acceperant.

II. SAGATVS. Quando erat in militia, ſevere diſciplinam militarem rexit. Nam ita de eo *Lampridius* ſcribit: §. 13. In expeditionibus ſi quis de via in alicujus poſſeſſionem deflexiſſet, pro qualitate loci, fuſtibus, aut virgis cædebatur, aut alioqui condemnabatur. Si dignitas perſonæ tales pœnas non recipiebat, graviſſimis contumeliis afficiebatur, cum diceret: *Vellesne hoc in tuo agro fieri, quod facis in alieno?* Clamabat ſæpius, quod à Chriſtianis audierat, idque per præconem, quoties aliquem emendabat, dici jubebat: *Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris.* Quid nunc dicemus de militibus Chriſtianis? Qui ſive quo eant, ſive redeant, furantur, rapiunt, conſtuprant, pulſant, abigunt pecora, pertuſis valis ſinunt effluere vinum. Quid multis? Crudelius tractant ſuos, quam hoſtes. Et hoc hodie, ſi Superis placet, appellatur jus militare, & ad hæc connivent Principes.

Cum etiam *Alexander Severus* quandam amiculam affectam injuriis à milite audiſſet, exauctoratum eum militia ſervum ei dedit, quod artifex carpentarius eſſet, ut eam paſceret.

Qui de eo fumum vendiderat, & à quodam militari centum aureos acceperat, in crucem tolli juſſit, per eam viam, qua eſſet ſervis ſuis ad ſuburbana Imperatoria iter frequentiſſimum.

VI. Modeſtia.

I. *In titulis magnificis non acceptandis.* *Alexander Severus* Imperator creatus, cum vix annos 16. natus eſſet, ob virtutes eximias, titulis magnificis à Senatu decoratus, nunquam in animum induxit, ut ſe *Magnum* & *Patrem patriæ* cognominari pateretur; Oportere enim, aiebat, ut res geſtæ maturiorque ætas ea nomina pararent. Præterea dixit; Diſplicet primum aliena adſumere, deinde gravari me veſtra benevolentia ſentio. Hæc enim inſignia nomina ſunt. *Et ſubjungit Hiſtoricus* Ælius Lampridius *ſuum judicium:* Multo clarior viſus eſt, alienis nominibus non receptis, quam ſi recepiſſet, atque ex eo conſtantiæ ac plenæ gravitatis famam obtinuit.

II. *In honoribus oblatis recuſandis.* Nam ipſe ſe adorari vetuit, cum jam cœpiſſet *Heliogabalus* adorari Regum more Perſarum. Præterea Epigramma, quod in laudem Peſcennii Nigri fuerat adſcriptum illius ſtatuæ ad vivum effictæ, cum Præfecti ſuaderent eradendum, *Severus* noluit, dicens: Si talis fuit, ſciant omnes qualem vicerimus: ſi talis non fuit, putent nos omnes talem viciſſe. *Ælius Lampridius*, §. 4.

III. *In Conſiliariis ſuis modeſte audiendis.* *Alexandro Severo* erat numeroſiſſimum Conſilium: In quo Iuris-conſulti non pauciores erant viginti: inter quos fuere Fabius Sabinus, Cato dictus ſui temporis, Domitius Vlpianus, Iulius Paulus: qui vertices legum dicti: Pomponius legum peritiſſimus: Alphenus Florentinus, Africanus, Martianus, aliique permulti Iuris Profeſſores, diſcipuli Papiniani: qui Iuris Aſylum dictus eſt. Sine quibus nec ullam legem ſancivit, nec de ulla re graviori ſtatuit, ſed ita, ut iretur per ſententias ſingulo-

tum, ac ſcriberetur quid quiſque dixiſſet: datoque ſpatio ad inquirendum & cogitandum, priuſquam dicerent, ne incogitati de rebus gravioribus dicere cogerentur.

AXIOMA.

Vix unquam reperire licuit Rempubl. aut Principatum florentem ſine conſilio. Petr. Gregor. Tholoſ. lib. 23. de Republ. cap. 4. pag. 1460.

Nam optimum quemque Principem Conſiliariis ſtipatum fuiſſe legimus. Raro, inquit *Velleius*, eminentes viros non magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam ſuam uſos invenies. Vulgare enim eſt, plus videre oculos quam oculum. Quod non de oculo corporis tantum debet intelligi, ſed de oculo mentis, qui vere eſt oculus humanæ converſationis, ut felicius ea contineatur, quo plures habuerit videntes & perſpicientes oculos, nempe Magiſtratus providos, æquos & juſtos, vigiles & ſollicitos. *Anchora unica non ita navim ſervat, ut plures demiſſa. Idem l. 4. cap. 5. p. 189.*

VII. *Magnificentia.*

In ædificiis & operibus publicis exſtruendis. Opera veterum Principum inſtauravit: ipſe nova multa conſtituit: in his thermas nominis ſui juxta eas quæ *Neroniana* fuerunt, aqua inducta; quæ *Alexandrina* nunc dicitur. *Nemus* thermis ſuis de privatis ædibus ſuis quas emerat, diruptis ædificus, fecit. *Alexandrinum* opus de duobus marmoribus, h. e. prophyretico & Lacedæmonio, primus inſtituit, palatio exornato hoc genere marmorandi. *Statuas coloſſeas* in urbe multas locavit, artificibus undique conquiſitis. Alexandri habitu nummos plurimos figuravit, & quidem electreos aliquantos, ſed plurimos tamen aureos. *Ælius Lampridius §. 6.*

VIII. *Humilitas.*

Alexander Severus curſore nunquam utebatur, niſi ſervo ſuo, dicens: Ingenuum currere, niſi in ſacro certamine, non debere. Coquos item, Piſcatores, Fullones & Balneatores non habuit, niſi ſervos ſuos: nolens quenquam ingenuum ſordidis miniſteriis dehoneſtare.

IX. *Fautor literarum ac literatorum fuit, eoſque muneribus ornavit.*

Vlpianum pro tutore habuit, primum repugnante matre, deinde gratias agente, quem ſæpe a militum ira objectu purpuræ ſtrenue defendit: atque ideo ſummus Imperator fuit, quod ejus conſiliis præcipue rempubl. rexit. *Lampridius §. 13.* Rhetoribus, Grammaticis, Medicis, auruſpicibus, Mathematicis, Mechanicis, Architectis ſalaria inſtituit, & auditoria decrevit, & diſcipulos cum annonis pauperum filios, modo ingenuos, dari juſſit. *Lampridius §. 11.* Inſigni Poëtæ *Oppiano* pro ſingulis verſibus florenum aureum dedit, unde ejus carmina *Aurea* ſunt dicta.

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Milites ſuos noverat.* Nam eos ſic ubique ſcivit, ut in cubiculo haberet breviarium, in quo & numerus, & tempora militantium deſcripta erant, ſemperque cum ſolus eſſet, & rationes eorum, & numerum, & dignitates, & ſtipendia recenſeret, ut eſſet ad omnia inſtructiſſimus. Denique cum inter militares aliquid ageretur, multorum exprimebat nomina. De promovendis etiam ſibi annotabat, & perlegebat cuncta pittacia, & ſic faciebat diebus pariter annotatis, & quis, & qualis eſſet, & quo inſinuante promotus. *Lampridius.*

II. *Salutis militum ſtudioſiſſimus fuit.* Nam (uti *Lampridius* ſcribit) dixit: Miles non timet, niſi veſtitus, calceatus, armatus & ſatur, & habens aliquid in zonula. Veriſſimum enim eſt, quod ad Vrſinum Platina ſcriptum reliquit, Romanam ſcilicet Rempubl. omnium florentiſſ. fuiſſe, cum cives paupertate gloriarentur. Siquidem eo tempore, teſte Petrarcha, omnium gentium fuere victores: tum vero vinci cœpere, dum divites facti ſunt. Ita ad adventum divitiarum ceſſere victoriæ, ac virtutes, ſimulque opum comites; deliciæ ac libidines ſubiere: ut non immerito ſcriptores quidam temporum illorum Romanæ paupertatis interitum queſti ſint. Eodem modo *Iuvenalis* conqueritur:

Nullum crimen abeſt facinuſque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit.

III. *Expeditionem contra Artaxerxem* Perſarum Regem ſuſcepit, quam tanta militaris diſciplinæ reverentia & cultu adminiſtravit, ut non milites, ſed Senatores ire viderentur. Ideoque victor etiam evaſit.

IV. *Expeditionem in Germaniam* infelix fecit. Nam in ea periit, uti in cap. 3. dicemus.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. *Mater ejus Mammea*, Mœſæ filia, mulier Chriſtiana fuit, quæ Origenem ob doctrinæ excellentiam tum celebrem accerſivit, & doctrinam religionis ab eo didicit.

II. *Iui-*

II. *Initio Imperii* ſub ab *Vlpiano ICto* perſuaſus Chriſtianis minime favit: unde factum, ut multi ob Chriſtianam religionem fuerint interfecti.

1. *Agrippitus* adoleſcens annorum 15, cum idolis ſacrificare nollet, apud *Praeneſte* comprehenſus, loris cæſus & pedibus ſuſpenſus; cum aquæ bullientis præ fervore ſuperfutione necari non poſſet, nec beſtiis ſubjectus vulnerari, ad extremum gladio percuſſus eſt. Inter hujus tormenta, civitatis Præſes, ex tribunali ſubito procidens exanimatus eſt. *Hiſtor. Magd. Cent. cap.* 12.

2. *Quiritius* Romanus Patricius, cum matre *Julia* aliiſque infinitis, Romæ ſanguinem pro Chriſto fudit. *Hiſt. Magdeb. cent.* 3. *cap.* 12.

3. *Martina virgo* Romana ob Chriſtianæ fidei profeſſionem horrendum in modum cruciata, & tandem gladio eſt percuſſa. *Hiſtor. Magdeb. ibidem.*

4. *Cecilia virgo*, quia Idolis ſacrificare nolebat, ob Chriſti profeſſionem, aquis ferventibus torquebatur, & tandem decollabatur. *Sabellicus.*

III. *Poſtea Chriſtianam religionem minime odit*; ſed Chriſti imaginem in larario habuit, & templum ei facere voluit, eumque inter DEOS recipere: Sed prohibitus eſt ab iis, qui conſulentes ſacra, repererant, omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eveniſſet, & templa reliqua fore deſerenda. *Lampridius* §. 11.

IV. *Delectatus* eſt Chriſtiana ſententia: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Quam ſententiam uſque adeo dilexit, ut & in palatio & in publicis operibus præſcribi juberet. *Lampridius* §. 13.

V. *Origenes* A. C. 230. Alexandriæ floruit, ubi *Clementi Alexandrino* præceptori ſuo in Cathedra Catechetica ſucceſſerat. Inter cæteros labores etiam ἑξαπλᾶ compoſuit, h. e. S. Bibliorum Volumen in ſex columnas diſtinctum:

Prima erat Ebræa, ſcripta Ebræis literis.

Secunda Ebræa, ſcripta Græcis literis.

Tertia, Græca interpretatio Septuaginta interpretum.

Quarta Aquilæ.

Quinta Symmachi.

Sexta Theodotionis.

Hoc modo voluit & linguam Ebræam conſervare, & conſideratis interpretationibus eligi maxime propriam. Hi libri in Jerichunte aſſervati ſunt, quorum ſimiles adhuc Hieronymi tempore reliquos fuiſſe apparet, quia ſæpe recitat illorum interpretum verba. Sumtus ſuppeditavit *Ambroſius* homo opulentus, quem Origenes hæreſeos convictum in veritatis viam revocaverat.

Viri celebres.

I. VLPIANVS conditor multarum legum, quæ in Pandectis continentur, interfectus eſt à Prætorianis militibus A. C. 226. *Euſebius, & alii.*

II. Floruit quoque tum temporis *Dion Caſſius*, patria Nicænus. Qui benevolentia ſingulari Alexandri uſus eſt, & Conſulatum ſecundum cum ipſo Imper. geſſit: præterquam, quod provinciis aliquot cum imperio præfuit. Hiſtoriam quidem ſui temporis divino, ut ipſe ſignificat, admonitu ſcripſit, etſi dein altius, adeoque ab urbe condita filum narrationis exorſus eſt. Quæ, ut & aliorum præſtantium ſcriptorum eximia opera, temporum injuria, (an hominum incuria, ſive improbitate?) magnam partem periere, non exigua rei literariæ, imo publicæ, fraude. Ejus hiſtoria A. C. 230 deſiit.

CAPVT III.

DE PROGRESSV.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

INter ſigna quæ mortem ejus præceſſerunt, fuit hoc quoque: Mulier fatidica in Gallia ex ſacerdotum familia, qui Druidæ nominabantur, proficiſcenti in Germaniam dixit: Vade, nec ſperes victoriam, nec confidas militi tuo.

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Altera expeditione in Germaniam ſuſcepta, cum milites aſperius regeret, venit in odium; & quidem matris *Mammææ* accuſata eſt avaritia, quæ dicebatur expilare provincias, & impedire liberalitatem filii erga milites. Erat autem barbarus *Thrax* inter Duces Maximinus, ad quem deferebatur Imperium. Huic ipſe magnum honorem, & officium illuſtre in exercitu mandarat. Sed ab eo oppreſſus eſt cum matre, & magno amicorum numero apud Moguntiam. Alexander matrem moriens accuſaſſe dicitur, tanquam odii militaris & calamitatis cauſam. Imperavit annis 13, diebus 9: vixit annis 29, menſibus 11, diebus 7.

III. ΤΑ ΠΑΡΕΠΟΜΕΝΑ.

Sic igitur periit Imperator laudatiſſimus, magno cum dolore univerſi Senatus ac populi Rom. Omnibus enim cariſſimus fuit propter eximias & prope inuſitatas virtutes, in illa præſertim ætate, (neque dum annum trigeſimum impleverat, cum occiſus eſt,) atque ab homine Syro, vix exſpectandas.

XXVI. IMPERATOR ROM.

MAXIMINVS THRAX,

ejuſque Filius

MAXIMINVS IVNIOR.

CAPVT I.

DE ORTV.

HIc de vico Thraciæ vicino, barbaro etiam patre & matre oriundus, quorum alter è Gothia, alter ex Alanis, genitus eſſe perhibetur. PATRI nomen MICEA; MATRI, ABABA fuiſſe dicitur. *Capitol.* §. 1.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ.

ACTA IVVENTVTIS.

M*Agnitudine corporis* fuit conſpicuus, robore giganteo præditus, forma virili decorus, ferus moribus, aſper, ſuperbus, contemtor. Corporis ſtaturam inde æſtimes, quod octo pedes (referente *Cordo*) excedebat digito: pollice ita vaſto, ut uxoris dextrocherio, h. e. armilla, pro annulo uteretur. Cui magnitudini reſpondebant vires. Tanta etiam velocitate pedum fuit, ut currentem equum curſu æquaret. In lucta adeo robuſtus erat, ut facile omnes vinceret: & pugno fortiſſimum quemque in pectore percuſſum proſternere poterat. Quinimo illa prope in vulgi ore ſunt poſita, quod hamaxas manibus attraheret, rhedam onuſtam ſolus moveret: equo ſi pugnum dediſſet, dentes ſolveret; ſi calcem, crura frangeret: lapides tophicios fricaret, arbores teneriores ſcinderet. Vnde alii Milonem Crotoniatem, alii Herculem, Antæum alii vocabant. Et Proverbium ortum: *Caliga Maximini.* Quod quadrat in homines robuſtos & immodicæ proceritatis. Atque ut ſtatura ac robore erat proſſus athletico, ita edacitate ac bibacitate facile eo in genere excellentiſſimum etiam vincebat. Bibiſſe ſæpe vini amphoram Capitolinam uno die conſtat: comediſſe libras carnis XL, aut etiam (ut *Capitolinus* ex *Cordo* refert) ſexaginta. Sudores ſæpe ſuos excipiebat & in calices mittebat, ita ut duos aut tres ſextarios oſtenderet.

II. *ACTA OECONOMICA.*

1. *Vxor* ejus eſt ἀνώνυμος, quia nomen ejus ab Hiſtoricis non exprimitur.

II. *Filium* habuit ſibi cognominem, & Imperii conſortem. Hic fuit

1. *Formoſus.* Nam ita de eo ſcribit *Julius Capitolinus* §. 1. Maximinus tantæ pulchritudinis fuit, ut paſſim amatus ſit à procacioribus fœminis.

2. *Procerus.* Nam proceritas ejus fere ad ſtaturam paternam perveniebat. In ipſo flore juventutis literis & Græcis & Latinis imbutus, ad primam diſciplinam.

3. *Superbus.* I. In *Congreſſibus.* Adoleſcens ſuperbiæ fuit inſolentiſſimæ, ita ut etiam cum pater ipſius, homo crudeliſſimus, pleriſque honoratis aſſurgeret, ille reſideret.

II. *In ſalutationibus* ſuperbiſſimus erat, & manum porrigebat: genua ſibi oſculari patiebatur, & nonnunquam etiam pedes: quod nunquam paſſus eſt ſenior *Maximinus*, qui dicebat: Dii prohibeant, ut quiſquam ingenuorum pedibus meis oſculum figat.

IV. *In veſtibus.* Veſtibus tam accuratus fuit, ut nulla mulier nitidior eſſet in mundo. Vſus & clypeo gemmato inaurato, & haſta inaurata. Fecit & ſpathas argenteas, ſimiliter aureas: omnino quicquid ejus pulchritudinem poſſet juvare. *Capitol. in Maximino Iuniore* §. 1.

4. *Delicatus.* Vitæ lætioris, vini pareciſſimus, cibi avidus, maxime ſylveſtris, ita ut nonniſi aprugnam, anates, grues & omnia captiva ederet. *Capitolinus ibidem.*

III. *ACTA POLITICA.*

I. ANTE IMPERIVM.

1. *Maximinus pater* in prima pueritia fuit Paſtor in Thracia.

2. Nonnunquam procer, qui latronibus inſidiaretur, & ſuos ab incurſionibus vindicaret. *Capitolinus* §. 1.

Tirocinia belli.

1. *Sub Septimio Severo* prima ſtipendia fecit. *Occaſio*, qua *Septimio Severo* innotuit, hæc fuit: Natali *Getæ* filii minoris, *Severus* militares dabat ludos, propoſitis præmiis argenteis, h. e. armillis, torquibus & balteolis. Hic adoleſcens & ſemibarbarus, & vix adhuc latinæ linguæ gnarus, prope Threciſca Imperatorem publice rogavit, ut ſibi daret licentiam contendendi cum iis qui jam non mediocri loco militarent. *Capitolin. ibidem.* Magnitudinem corporis *Severus* miratus, primum eum cum lixis compoſuit, ſed fortiſſimis quibuſque, nediſciplinam militarem corrumperet. Tunc *Maximinus* lixas uno ſudore devicit, XVI acceptis

præ-

præmiis minuſculis, non militaribus, juſſuſque militare. Poſtea volens *Severus* explorare, quantus in currendo eſſet, equum admiſit multis circuitionibus: & cum Imperator laboraſſet, neque ille accurrendo per multa ſpatia deſiiſſet, ait ei, *Quid vis, Threciſce? nunquid delectat luctari poſt curſum?* Tum, *Quantum libet*, inquit, *Imperator.* Poſt hoc ex equo *Severus* deſcendit, & recentiſſimos quoſque ac fortiſſimos milites ei comparari juſſit. Tum ille more ſolito VII fortiſſimos uno ſudore vicit, ſoluſque omnium à *Severo* poſt argentea præmia torque aureo donatus eſt, juſſuſque inter ſtipatores corporis ſui ſemper in aula conſiſtere. Hinc igitur factus conſpicuus, inter milites clarus, amari à Tribunis, à commilitonibus ſuſpici, impetrare ab Imperatore quod vellet, locis etiam militiæ à *Severo* adjutus cum eſſet adoleſcens. *Capitolinus* §. 1.

II. *Sub Antonino Caracalla* ordines duxit, centuriatus, & cæteras militares dignitates, ſæpe tractavit. *Ibidem.*

III. *Sub Macrino* (quod vehementer eum odiſſet) militiam deſeruit, & in Thracia in vico ubi genitus fuerat, poſſeſſiones comparavit, ſemperque cum *Gothis* commercia exercuit. *Ibidem.*

IV. *Sub Heliogabalo* ſimiliter à militia ceſſit. Nam ſub impuriſſimo Principe fortitudo bellica luget. Et quoniam hujus obſcœno dicto exceptus, & perpetua morum turpitudine offenſus, alieno prorſus ab eo fuit animo. *Capitolinus* §. 1.

V. *Sub Alexandro Severo.* Occiſo *Heliogabalo*, ubi *Maximinus* comperit *Alexandrum* Principem nominatum, Romam contendit. Quem *Alexander* miro cum gaudio, mira cum gratulatione ſuſcepit, ut in Senatu verba faceret talia: *Maximinus P. C. tribunus, cui ego latum clavum addidi, ad me confugit, qui ſub impura illa bellua militare non potuit: qui apud divum parentem meum Severum tantus fuit, quantum illum fama comperitis.* Statim denique illum Tribunum legionis quartæ ex tironibus, quam ipſe compoſuerat, dedit. Accepta igitur legione, ſtatim eam exercere cœpit. Sed cum eum quidam Tribuni reprehenderent, dicentes; *Quid tantum laboras, cum ejus loci jam ſis, ut Ducatum poſſis accipere?* dixiſſe fertur, *Ego vero quo major fuero, tanto plus laborabo.* Exercebat cum militibus ipſe luctam, quinos, ſenos & ſeptenos jam grandæyus ad terram proſternens. Denique invidentibus cunctis, cum quidam Tribunus, ſuperbior, magni corporis, virtutis notæ, atque ideo ferocior dixiſſet: *Non magnam rem facis, ſi Tribunus tuos milites vincis.* ille ait: *Viſne congrediamur?* Cumque adverſarius annuiſſet, venientem contra ſe palma in pectus percuſſum ſupinum rejecit, & continuo dixit, *Date alium, ſed Tribunum. Capitolinus* §. 2. Poſtea Alexander eum in ſuam perniciem omni exercitui præfecit. Denique totum ejus exercitum, qui ſub *Heliogabalo* magna ex parte torpuerat, ad ſuam militarem diſciplinam retraxit. *Capitolinus ibidem.*

II. ACTA IN IMPERIO.

I. *Imperii occupatio.*

Per ſeditionem & tyrannidem pervenit ad Imperium. Nam *Alexandrum Severum*, à quo ad tot dignitates erat evectus, interfici juſſit. Ipſo vero occiſo hic Maximinus, ſine decreto Senatus, Auguſtus ab exercitu appellatus eſt. Filium ſibi cognominem Imperii conſortem fecit. De quo in epiſtola quadam ſcripſit: *Ego cum propter affectum, quem pater filio debet, Maximinum meum Imperatorem appellari permiſi, tum etiam ut populus Rom. & Senatus ille antiquus juraret, ſe nunquam pulchriorem Imperatorem habuiſſe. Capitolinus* §. 3.

II. *Imperii adminiſtratio.*

Maximinus peſtis Reipubl. fuit. Quia immanem crudelitatem exercuit,

I. *In Dominum ſuum:* Quem, tanquam parricida ingratiſſimus, nefarie trucidavit.

II. *In miniſtros Domini ſui.* Quos ſimiliter omnes variis modis interfecit.

III. *In milites.* Cum enim videretur diſciplinam militarem regere velle, alios in crucem ſublatos, alios animalibus nuper occiſis incluſos, alios feris objectos, alios fuſtibus eliſos interemit: cujus exemplo civilia etiam corrigere voluit. Quod non convenit Principi, qui velit diligi. Erat enim ei perſuaſum, *niſi crudelitate, Imperium non teneri. Julius Capitolinus* §. 3.

IV. *In conſcios ignobilitatis ſuæ.* Nam ignobilitatis tegendæ cauſa omnes ſui generis conſcios interemit: nonnullos etiam amicos, qui ei ſæpe miſericordiæ ac pietatis cauſa pleraque donaverant. *Capitolinus ibidem.*

V. *In Senatores.* Romæ enim Senatores ab accuſatoribus, quos ſubornaverat delatos plurimos cito interfici juſſit etiam abſens. Propter hanc crudelitatem alii *Cyclopem*, alii *Buſiridem*, alii *Scironem*, nonnulli *Phalarim*, multi *Typhonem* vel *Gygem* eum vocarunt. *Capitolinus* § 3.

Scribit præterea *Capitolinus ibidem*, quod crudelius animal non fuerit in terris: omnia ſic in viribus ſuis ponens, quaſi non poſſet occidi. Denique cum immortalem ſe prope crederet, ob magni-

tudinem corporis ſui virtutiſque munus, quidam in theatro, illo præſente, dicitur verſus Græcos dixiſſe, quorum hæc erat Latina ſententia:

Et qui ab uno non poteſt occidi, à multis occiditur.
Elephas grandis eſt, & occiditur.
Leo fortis eſt, & occiditur.
Tigris fortis eſt, & occiditur.
Cave multos, ſi ſingulos non times.

Et hæc Imperatore ipſo præſente jam dicta ſunt. Sed cum *Maximinus* interrogaret amicos, quid minus ſcurra dixiſſet, dictum eſt ei, quod antiquos verſus cantaret contra homines aſperos ſcriptos; & ille, ut erat Thrax & barbarus, credidit.

AXIOMA.

Nemo confidat in fortitudine ſua.

Huc pertinent dicta Scripturæ *Jerem. 9. v. 23.* Sapiens non glorietur in ſapientia ſua: neque fortis in fortitudine ſua: neque dives in divitiis ſuis. Sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Item *Pſalm. 147. v. 10.* Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.

Exemplum habemus in *Maximino Imp.* hic in fortitudine ſua confiſus, tandem miſere periit. *Simile* exemplum *Valerius Maximus lib. 9. c. 12.* & *Gellius lib. 16. cap. 15.* de *Milone Crotoniate* referunt. Ille, cum iter faciens quercum in agro cuneis adactis fiſſam vidiſſet: fretus viribus, acceſſit ad eam, inſertiſque manibus divellere conatus eſt: quas arbor, excuſſis cuneis, in ſuam naturam revocata compreſſit, eumque, cum tot gymnicis palmis, lacerandum feris præbuit. Unde *Ovidius in Ibin verſ. 611.*

Vtque Milo robur diducere fiſſile tentes,
Nec poſſis captas inde referre manus.

III. ACTA BELLICA.

Bellum in Germania geſtum.

Ingreſſus *Germaniam Transrhenanam*, vicos per quadringenta millia ſoli hoſtilis incendit, greges abegit, militem divitem reduxit, plurimos interemit, cepit innumeros. Victa Germania, literas Romam ad Senatum & ad populum miſit, ſe dictante conſcriptas, quarum ſententia hæc fuit: *Non poſſumus tantum P. C. loqui, quantum fecimus. Per 400. millia Germanorum vicos incendimus, greges abduximus, captivos abſtraximus, armatos occidimus, in palude pugnavimus. Perveniſſemus ad ſylvas, niſi altitudo paludum nos tranſire non permiſiſſet.* Juſſit præterea *Tabulas* pingi, ita ut erat bellum ipſum geſtum, & ante curiam proponi; ut facta ejus pictura loqueretur. Exſtat oratio ejus ad Senatum miſſa, cujus hoc exemplum eſt: *Brevi tempore P. C. tot bella geſſi, quot nemo veterum. Tantum prædæ in Romanum ſolum attuli, quantum ſperari non potuit. Tantum captivorum adduxi, ut vix ſola Romana ſufficiant. Capitolinus in Maximino §. 4.*

IV. ACTA ECCLESIASTICA.

1. *Fuit Eccleſiæ perſecutor.* Maximinus ad Imperatoriam dignitatem evectus, atrociſſimam adverſus Chriſti Eccleſiam movit perſecutionem in Oriente. Cauſa in eos ſæviendi Maximino fuit, quod Alexander amaſſe atque in hónore habuiſſe eoſdem fuerat viſus. Tanto igitur pejus ille eos oderat, & crudelius lacerabat, ut & alios Alexandri amicos. Initium fecit à Paſtoribus & Miniſtris Chriſtianæ Eccleſiæ, ratus, his ductoribus & Doctoribus ſublatis, facile vulgus à Chriſto arceri poſſe. *Euſebius l. 6. c. 28.*

II. *Mandatum dedit, ut Præceptores* in ſcholis *Acta Pilati* prælegerent. *Hiſtoria* ita ſe habet: *Maximini Imperatoris* in perſequenda Eccleſia Miniſtri, Pilati & Servatoris noſtri rerum geſtarum tanquam commentarios quoſdam, omni blaſphemia & convicio contra Chriſtum refertos, confinxerunt, quos de ſententia Imperatoris in totum regnum mittunt, perque literas jubent, ut Ludimagiſtri pro aliis diſciplinis pueros in hiſce ſedulo exerceant, hoſque illis memoriæ mandandos tradant. Quibus ad hunc modum confectis, alius Dux exercitus apud Damaſcum Phœniciæ, mulierculas quaſdam infames, impuraſque è medio foro arripit, eaſque gravibus tormentis eo perpellit, ut aſſeveranter dicerent, cum, quod olim fuiſſent Chriſtianæ, tum quod nefandi ſceleris cum Chriſtianis conſciæ exſtitiſſent, & quod in ſuis ipſorum templis, quæ Græci Dominica vocant, res obſcœnas & libidinoſas geſſiſſent. Quarum voces in Commentarios relatas, Imperatori etiam oſtendendas curavit, cujus juſſu in ſingulis urbibus locisque hæc ſcripta divulgantur. Verum Dux iſte, non longo temporis intervallo interpoſito, ſibi ipſi manus graves inferens, debitum ſuæ improbitatis ſupplicium luit.

III. *Martyres*, qui in hac perſecutione Martyrii corona coronati ſunt.

1. *Ambroſius*, qui induſtria *Origenis* ab hæreſi Valentiana liberatus, & orthodoxæ religioni impenſe deditus, eundem *Origenem* haud mediocriter ad ſcribendum impulit. Nam & ſtudium ejus alacritate

critate ſua incitavit, & opibus ſuis laudabili, at raro exemplo adjuvit. Notarios enim (πλείονας) amplius ſeptem alunt, qui per vices dictantis verba exciperent: & totidem librarios, in iiſque puellas, ἐπὶ τὸ καλλιγραφεῖν ἐκπρεπῶς, i. e. eleganter ſcribere doctas, à quibus libri ejus deſcriberentur, quos tum plures & perutiles adornabat.

II. *Lucianus*, morbus, continentia & eruditione præcipuus, Antiochenus Presbyter, Nicomediæ in præſentia Imperatoris verbis juxta & factis Chriſtum profeſſus, fidei rationem reddidit. Quare arripi jubetur in carcerem, & ibi abſque tumultu populi necari. Anno *Maximini* ſecundo, à nato Chriſto 239. *Euſebius libro 9. cap. 6. Nicephorus lib. 7. cap. 16.*

III. *Gordius* ſub *Maximino* honeſte militans, propter veritatis Chriſtianæ confeſſionem combuſtus eſt. Inter graviſſimos cruciatus ſe ipſum ex Pſalmo 118. conſolatus: *Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo! Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos.* De hujus fide & conſtantia peculiarem ſermonem conſcripſit *Baſilius Magnus pag.* 365.

IV. *Protoctetus* Eccleſiæ Cæſarienſis Presbyter, in perſecutione graviſſima paſſus, nihilominus in confeſſione Chriſti conſtans permanſit. *Oſiand. in hiſtor. Eccleſ. Cent. 3. lib. 2. cap. 6. ex Euſebio & Hiſtor. Magd. citat.*

V. *Pamphilus*, patria *Laodicenus*, ibidem Presbyter, vir pius & religioſus, Bibliothecam magno ſtudio Cæſareæ conſtruxit. *Chytr. Onom.* Defendit *Origenem*, & falſo errores tantos ipſi aſſignari aſſerit. Tandem cum multas tribulationes, certamina & afflictiones eſſet perpeſſus, martyrii corona coronatus eſt. *Euſebius* hunc tanto amore eſt complexus, ut non tantum vitam ejus libro peculiari deſcriberet, verum etiam ejus nomine pro ſuo cognomine uteretur. Vide *Oſiand. hiſtor. Eccleſiaſt. Cent. 3. l. 2. c. 6. Euſebium lib. 7. c. 20.*

VI. *Dorothea*, virgo Alexandrina nobilis & dives, formæ & decoris gloria conſpicua, unde quidam mirum ac ſpecialem Dei figmentum eam eſſe putarunt, fuit quoque pia & honeſta. Hujus pulchritudinem poſtquam *Maximinus* cognoverat, ſpurcis voluptatibus erga eam æſtuare cœpit, ad eamque contemerandam animum ſuum intendit. Cum autem ob Religionem Chriſtianam ad ſupplicium raperetur, per occultos nuncios de ſtupro eam interpellavit. Reſpondit ipſa: *Æque nefas ſibi eſſe, templum corporis ſui, quod ſemel Deo conſecraſſet, idolorum cultu & libidinis contagione polluere; proinde ſe ad mortem eſſe paratam.* Ad quæ reſponſa cum ille, libidine accenſus, acrius incaleſceret, & vi agere ſtatueret, illa ex manibus ejus erupit, & facultatibus ſuis, domoque ac familia relicta, noctu clam cum paucis fidiſſimis famulis diſceſſit, Tyrannumque amentem atque vanum inluſum dereliquit. *Euſebius lib. 8. c. 18.*

CAP. III.

DE EGRESSV.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

I. *Odium Senatus, populi Romani, militumque* contra eum. Nam juſta in eum odia erant: cum delatores evocaret, accuſatores immitteret, crimina fingeret, innocentes occideret, damnaret omnes, quicunque in judicium veniſſent, ex ditiſſimis pauperrimos faceret, nec aliunde, niſi malo alieno pecuniam quæreret: deinde ſine delicto Conſulares viros, & Duces multos interimeret: neque quidquam ſibi ad extremam crudelitatem reliquum faceret. *Capitolinus* §. 5. Ideo Senatus alios Imperatores, nempe Gordianos duos, Auguſtos appellavit, qui fuerunt *Gordianus ſenex*, & *filius ejus Gordianus junior. Capitolinus* §. 6. Interfecti deinde omnes delatores, omnes accuſatores, omnes amici Maximini. Maximinus ipſe cum filio hoſtis appellatus: miſſæ ad omnes provincias literæ, ut communi ſaluti libertatique ſubvenirent. Tacitum id Senatus conſultum dicebatur, adjuratis qui aderant, ne quis eliminaret. Sed ſtatim omnia comperit *Maximinus*, *ut ſe habent hominum mentes, erubeſcentium ſæpe, non cognoſci per ſe ea quæ ſciunt, & humiles ſe putantium, niſi promiſſa prodant arcana.*

II. *Maximini iracundia. Maximinus*, his auditis vehementi ira incenſus, cum infeſto exercitu Romam contendit. Italiam vero ingreſſus, ſublatis per provinciales omnibus quæ victum præbere poſſent, fame cœpit laborare.

Aquileja portas ei clauſit. Ea civitas oppugnationem fortiter ſuſtinuit. Cumque nervi ad emittendas ſagittas deeſſent, funes de capillis mulierum fecit, unde poſtea victo & interemto Maximino, Romana civitas appellata eſt. *Capitolinus* §. 2.

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Maximinus, ſuſpicatus ignavia ſuorum bellum trahi, Duces ſuos interemit eo tempore, quo minime oportebat, militeſque jam ob famem murmurantes ex iratis iratiores reddidit. Itaque medio fere die cum à prælio ceſſarent Maximinus, & filius ejus, quieſcentes in tentorio occiduntur, conclaman-

clamantibus cunctis militari joco, *Ex peſſimo genere ne catulum quidem habendum. Capitolinus* §. 7.

Iuniorem Maximinum ſuperbia inprimis perdidit, qua ipſum patrem ſuperabat; uti ſupra dictum. Maximinus Pater anno ætatis 65, Imperii 3, Filius vero anno ætatis 22. periit.

III. ΤΑ' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

1. *Capita* eorum præfixa contis Aquilejenſibus demonſtrarunt. Poſtea Romam miſſa. *Capitolinus* §. 2.

II. *Statua* atque *imagines Maximini* in oppidis vicinis ſunt dejectæ, & ejus Præfectus prætor occiſus eſt cum amicis clarioribus. *ibidem.*

III. *Sepultura privati.* Nam cadavera illorum in profluentem miſſa, & capita eorum in campo Martio exultante populo ſunt exuſta. *Capitolinus in Maximino juniore* §. 2.

IV. *Prodigia mortem eorum antegreſſa.* Inter prodigia, quæ Maximini mortem antecеſſerunt, ſcribitur, canes duodecim circa tentorium ululaſſe, ac prima luce mortuos deprehenſos eſſe. Lupos item quingentos ſimul ingreſſos eſſe in urbem, in quam Maximinus ſe contulerat, utpote quæ deſerta à civibus, primum ei patuiſſet.

XXVII. IMPERATOR ROM.
GORDIANI duo, I, & II,
ſive PATER & FILIVS.

Tres fuerunt Gordiani: ſicut ex *Arriano* & *Dexippo* Græcis Scriptoribus docet *Capitolinus in Gordianis.* §. 1.

GORDIANVS I, *vel* SENIOR.

CAPVT I.
DE ORTV.

I. *Generatio.*

I. PATER ejus fuit *Metius Marullus.*

II. MATER fuit *Vlpia Gordiana.* Stemmata ejus fuere nobiliſſima. Nam originem paternam ex Gracchorum genere habuit, maternam ex *Trajani* Imp. patre, avo, proavo Coss., ſocero, proſocero, itemque alio proſocero, & duobus abſoceris Coss. Ipſe Cos. ditiſſimus ac potentiſſimus, Romæ Pompejanam domum poſſidens, in provinciis tantum terrarum habens, quantum nemo privatus. *Capitolinus* §. 1.

II. *Appellatio.*

Nomen ejus fuit *Gordianus* ſenior vel I. *Cognomento* dictus Antoninus. *Capitolinus in Gordianis* § 5.

CAPVT II.
DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙ'Α.

CORporis habitu ac ſpecie erat conſpicuus, & moribus probatis ita ornatus, ut nihil poſſis dicere, quod ille aut cupide, aut immodeſte, aut immoderate fecerit. Ex ſe aut ſuis natos nataſque mirifico amore & pietate complectebatur. Socerum ſuum *Annium Severum*, inſtar patris, colebat ac venerabatur. Studiis quoque diligenter incubuit, unde etiam ad magnam eruditionem pervenit: ſicuti ejus ſcripta teſtantur. Nam adoleſcens cum eſſet, poëmata ſcripſit, quæ omnia exſtant, & cuncta illa quæ *Cicero* ex Demetrio, Arato, aliiſque Latinis verſibus expreſſerat, ea ipſe quoque *Gordianus*, & plura etiam, eſt perſecutus: idque ideo, ut *Ciceronis* poëmata nimis antiqua viderentur. Scripſit præterea, ut *Virgilius* Æneidos, Statius Achilleidos, & multi alii Iliados; ita etiam ille Antoniniados, h.e. *Antoninum Pium*, & *Antoninum Marcum*, verſibus diſertiſſimis, libris 30, vitam illorum, & bella publice privatimque geſta, complexus. Poſtea vero ubi adolevit, in Athenæo controverſias declamavit, audientibus etiam Imperatoribus ſuis. *Capitolinus in Gordianis* §. 1.

II. *ACTA OECONOMICA.*

I. VXOR ejus fuit *Fabia Oreſtilla*, Antonini proneptis. *Capitolinus* §. 5.

II. LIBEROS habuit *tres*, duos filios, unum Conſularem, qui cum ipſo Auguſtus appellatus eſt: & *filiam* nomine *Metiam Fauſtinam*, quæ nupta eſt *Iunio Balbo* conſulari viro. *Capitolinus* §. 1.

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Ante Imperium.*

I. Ipſe *Conſulatum* geſſit cum *Alexandro Severo. Capitolinus* §. 1.

II. Poſt Conſulatum *Proconſul Africæ* factus, annitentibus cunctis, qui Alexandri Imperium etiam in Africa clarum per Proconſulis dignitatem haberi atque eſſe voluerunt. Tanta autem hujus Gordiani juſtitia & modeſtia fuit, ut Afri ingenti amo-

amore eum prosequerentur, quantum neminem ante Proconsulum. Etenim alii eum Scipionem, alii Catonem, alii Mutium, Rutilium ac Lælium alii dicere, & honorificentissimis acclamationibus nomen ejus celebrare.

II. *Electio ad Imperium.*

Cum Maximinus Imp. non modo cives ac Senatum, sed etiam milites à se abalienasset, propterea, quod ingentem crudelitatem exerceret; milites qui in Africa erant, *Gordianum* Proconsulem senem octogenarium accipere purpuram Imperatoriam vi & minis adegerunt. Et Senatus militum istorum studium paulo post suis sententiis comprobavit: ipsum cum filio Gordiano Augusti nomine decoravit: faustis insuper acclamationibus & incredibili affectu celebravit. Nam cum Præfectus legeret Gordianorum literas ad Senatum & ad se missas, tunc acclamavit Senatus: „Dii vobis gratias. Liberati ab hostibus sumus, si „penitus liberemur. Maximinum hostem omnes „judicamus. Maximinum cum filiis diis inferis „devovemus. Gordianos Augustos appellamus. Gor„dianos Principes agnoscimus. Imperatores de Se„natu dii conservent. Imperatores nobiles victores „videamus: Imperatores nostros Roma videat, &c. „*Capitolinus in Gordianis* §. 7.

Hic Gordianus non ita multo post tristi fato interiit: sicut in sequenti filii ejus historia dicturi sumus.

GORDIANVS II, *vel* IVNIOR.

I. ORTVS.

I. PATER ejus fuit supra dictus GORDIANVS senex, Proconsul Africæ. *Capitolinus* §. 5.

II. MATER dicta fuit *Fabia Orestilla*, Antonini proneptis. Primis natalis sui diebus *Antoninus* à Senatu est appellatus, deinde *Gordianus* vulgo haberi cœptus. *ibidem.*

II. PROGRESSVS.

I. Προσωπογραφία, *ingenium & mores.*

Gordianus forma conspicuus; memoriæ singularis; in studiis gravissimæ opinionis, & bonitatis insignis fuit, adeo ut semper in scholis, si quis puerorum verberaretur, ille lacrimas non teneret. Literatos homines in pretio habuit. Vini fuit appetentior, præsertim conditi: cibi parcus, ut intra punctum temporis vel prandium, vel cœnam finiret. In amores mulierum pronior, in hortos item, balnea, vestes sumtuosas, & id generis delicias, existimationem suam nonnihil affixit.

II. *Officia & dignitates.*

I. *Quæsturam* Heliogabalo autore promeruit, quæ idcirco, quod luxuriosa Imperator lascivia juvenis, non tamen luxuriosa neque infamis, prædicata est. *Capitolinus* §. 5.

II. *Præturam* urbanam Alexandro Severo autore tenuit, in qua tantus jurisdictionis gratia fuit, ut

III. *Consulatum* statim etiam mereretur.

IV. Cum patre Gordiano ab exercitu *Imperator* creatus, & à Senatu Augustus appellatus, literæque ad Proconsules, Præsides, Legatos, Duces, Tribunos, Magistratus, civitates & castella missæ sunt his verbis: S.P.Q.R. per Gordianos Prin„cipes ab illa tristissima bellua liberari cœptus, „salutem, quam nunc primum recipere cœpit, om„nibus ac singulis dicit. Diis faventibus Gordia„num Proconsulem, virum sanctissimum ac gra„vissimum, Senatorem & Principem meruimus, „Augustum appellavimus: nec solum illum, sed „etiam in subsidium Reipubl. filium ejus Gordia„num nobilem Iuvenem: vestrum est, consentire „ad salutem Reipubl. obtinendam, & ad illam be„luam *Maximinum*, atque illius amicos, ubicun„que fuerint, persequendos. A nobis etiam Maxi„minus cum filio suo hostis est judicatus. „

III. EGRESSVS.

I. Τὰ προηγούμενα.

Refert *Iulius Capitolinus in Gordianis* §. 5. quod Mathematicus quidam Gordianis hisce, seni & juveni, Imperium, genus mortis, & diem & loca, quibus essent perituri, cum à spe Imperii longe abessent, obstinata constantiæ veritate prædixerit; eaque Gordianus senior postea Imp. cum jam nihil timeret, narraverit.

II. Τὰ πραχθέντα.

Maximinus, ubi comperit Gordianos contra se Impp. esse electos, cum exercitu Romam iter intendit. Interim *Capelianus* Mauritaniæ præses, Maximino fidelis in Africam irruit, & Gordianum juniorem prælio vicit & trucidavit, qui adeo obrutus multitudine cæsorum, ut corpus ejus diu quæsitum non potuerit inveniri. Senior vero Gordianus, cum videret nihil virium in suo exercitu esse, ad eam desperationem est adactus, ut in cubiculo semet ipsum laqueo suspenderet. Imperarunt anno uno, mensibus sex. *Capitol. in Gord.* §. 4.

III. ΤΑ' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

Senatus Romian. cognita Gordianorum nece, Maximini naturalem & jam neceſſariam crudelitatem timens, iterum duos Imperatores Maximum Pupienum & Clodium Balbinum contra Maximinum elegit: partim ob egregiam omnium de virtute illorum opinionem, partim ob amorem Senatus ac bonorum in Gordianos. Refert *Capitolinus*, Gordianos duos à Senatu inter divos eſſe relatos.

XXVIII. IMPERATOR ROM.
MAXIMVS PVPIENVS, & CLODIVS BALBINVS.

CAPVT I.
DE ORTV.

MAXIMVS PVPIENVS virtutibus clarus, ſed genere fuit ignobilis. Nam pater ejus fuit faber ferrarius, ſive, ut alii volunt, rhedarius. *Capitolinus* §. 2.

CLODIVS BALBINVS è nobiliſſima & vetuſtiſſima familia oriundus fuit, à Balbo Cornelio Theophane originem ducens. *ibid.*

CAPVT II.
DE PROGRESSV.
ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙ'Α.

Ingenium & mores.

MAXIMVS vultu fuit & graviſſimus, & verecundus, ſtatura procerus, corporis qualitate laniſſimus, moribus aſpernabilis, attamen juſtus, neque unquam uſque ad exitum negotiorum vel inhumanus, vel inclemens. Rogatus ſemper ignovit; nec iratus eſt, niſi iraſci illum debuit. Fuit præfectus urbis, vir quidem genere ignobilis, ſed virtutibus clarus, & honoribus geſtis inſignis. *Capitolinus* §. 2.

Balbinus ſtatura æque fuit procerus, corporis qualitate conſpicuus, in voluptate nimius, quam quidem adjuvabat divitiarum abundantia. Nam fuit à majoribus dives, & ipſe multa hæreditatibus per ſe ipſe collegit. Eloquentia clarus, vini, cibi, rei Venereæ avidus, veſtitu cultus. Fuit Cos. itemque Rector infinitarum provinciarum. *Capitolinus ibidem.*

I. Electio ad Imperium.

Cum duo *Gordiani* Pater & Filius in bello contra *Maximinum* periiſſent; & quidem Filius *Gordianus Junior* à Capeliano Maximini Duce occiſus; pater vero laqueo vitam ſibi finiviſſet: Senatus duos alios Impp. adverſus *Maximinum* elegit, nempe *Maximum Pupienum* & *Clodium Balbinum*. Cum autem conſultatio illa difficilis & ſollicita eſſet, remedium à *Maximo Balbino* propoſitum eſt, duos Principes eligendos eſſe. Tum ſtatim *Veſtius Sabinus* ex familia Vlpiorum, rogato Conſule, ut ſibi dicere ac interfari liceret, ſic exorſus eſt: Scio P. C. hanc rebus novis ineſſe oportere conſtantiam, ut rapienda ſint conſilia, non quærenda: verbis quinetiam plurimis abſtinendum ſic atque ſententiis, ubi res perurgent. Cervices ſuas quiſque reſpiciat, uxorem ac liberos cogitet, avitas patriaſque fortunas, quibus omnibus imminet *Maximinus*, natura furioſus, truculentus, immanis, cauſa vero (ut illi videtur) ſatis juſta truculentior. Ille quadrato agmine, caſtris ubique poſitis, ad urbem tendit, vos ſedendo & conſultando diem teritis. Longa oratione opus non eſt: faciendus eſt Imperator; imo faciendi ſunt Principes: Vnus, qui res domeſticas, alter qui bellicas curet: unus, qui in urbe reſideat: alter, qui obviam cum exercitu latronibus pergat. Ego Principes dico; vos firmate, ſi placet: ſin minus, meliores oſtendite. *Maximum* dico atque *Balbinum*, quorum unus in re militari tantus eſt, ut nobilitatem generis ſplendore virtutis allexerit: alter ita clarus nobilitate eſt, ut & morum lenitate Reipubl. ſit neceſſarius, & vitæ ſanctimonia, quam à prima ætate in ſtudiis ſemper ac literis tenuit. Habetis ſententiam P. C. mihi fortaſſe periculoſiorem, quam vobis: ſed nec vobis ſatis tutam, ſi non aut alios, aut hos Principes feceritis. *Poſt hæc acclamatum eſt uno conſenſu:* Æquum eſt, juſtum eſt. Sententiæ Sabini omnes conſentimus. Tu igitur, *Maxime*, & *Balbine*, Auguſti, dii vos Principes fecerunt, dii vos conſervent! Vos Senatum à latronibus vindicate, vobis bellum contra latrones mandamus. Hoſtis publicus Maximinus cum filio pereat, hoſtem publicum vos perſequimini. Felices vos judicio Senatus: felicem Rempubl. veſtro Imperio. Quod vobis Senatus detulit, fortiter agite; quod vobis Senatus detulit, libenter accipite. His atque aliis acclamationibus *Imperatores* facti ſunt *Maximus* atque *Balbinus*.

II. *Imperii adminiſtratio.*

1. *Maximus*, ſuſceptis votis in Capitolio, ad bellum contra *Maximinum* miſſus eſt cum exercitu ingenti, prætorianis Romæ manentibus. Inter quos & populum tanta ſeditio orta eſt, ut ad bellum inteſtinum veniretur, urbis Romæ pars maxima incenderetur, templa fœdarentur, omnes plateæ cruore polluerentur; cum *Balbinus* homo ſenior ſeditionem & tumultum ſedare non poſſet, nili infantem *Gordianum* purpuratum ad populum longiſſimi hominis collo ſuperpoſitum produxiſſet. Quo viſo, populus & milites uſque adeo placati ſunt, ut amore illius in concordiam redirent. Neque unquam quiſquam in illa ætate ſic amatus eſt, merito avi & avunculi, ſeu patris, (ut quidam dicunt) qui pro populo Romano contra *Maximinum* in Africa vitam finierant. Tantum apud Romanos memoria bonarum rerum valet. Cum hæc Romæ gerentur *Maximus Pupienus* apud Ravennam bellum parabat ingenti apparatu, timens vehementiſſime *Maximinum:* de quo ſæpiſſime dicebat, ſe non contra hominem, ſed contra Cyclopem bellum gerere. Et *Maximinus* quidem apud Apuleiam ita victus eſt, ut à ſuis occideretur: caputque ejus & filii perlatum eſt Ravennam, quod à *Maximo* Romam tranſmiſſum eſt. *Capitolinus* §. 3.

11. *Occiſo Maximino, Maximo Pupieno* honores à Senatu delati. Nam miſſi ſunt ad eum legati Senatores xx, quorum nomina ſunt apud Cordum: (in his Conſulares 1 v. Prætorii v 1 11. Quæſtorii v 111.) cum coronis & Senatus conſulto, in quo ei ſtatuæ auratæ equeſtres decernebantur. Ex quo quidem *Balbinus* ad iram eſt commotus, dicens: *Maximum* minus quam eum laboraſſe, cum ipſe domi tanta bella compreſſiſſet, ille autem otioſus apud Ravennam reſediſſet. Ingredienti vero urbem *Maximo Balbinus* & *Gordianus*, & Senatus, populuſque Roman. obviam proceſſerunt: acclamationes primum publicæ fuerunt, quæ milites contingebant. Inde in Senatum itum eſt: ubi dictum: *Sapienter electi Principes ſic agunt; per imperitos electi Principes ſic pereunt:* Cum conſtaret, à militibus factum eſſe *Maximinum*, *Balbinum* autem & *Maximum* à Senatoribus. His auditis, milites gravius ſævire cœperunt in Senatum, præcipue qui ſibi triumphare de militibus videbatur. *Capitolinus* §. 4.

111. *Balbinus* cum *Maximo* urbem, cum magna moderatione, gaudente Senatu & populo Romano, regebant: Senatui plurimum deferebatur: Leges optimas condebant, moderate cauſas audiebant, res bellicas pulcherrime diſponebant. *Capitolinus ibidem.*

CAPUT III.

DE EGRESSV.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

1. *Odium militum.* Milites eos propterea oderant, quod authoritate Senatus ad Imperium evecti eſſent, cujus acclamationibus ſtatim ab initio factis, non parum irritati fuerant: *Sapienter electi Principes ſic agunt: per imperitos electi Principes ſic pereunt.*

11. *Occaſio necis erat ipſorum diſcordia.* Nam illa, & mutua invidia aut contemtus malum accelerabant: Cum nempe *Balbinus*, *Maximum* quaſi ignobilem; *Maximus*, *Balbinum* quaſi timidum & ignavum, contemneret. *Capitolinus* §. 4.

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

1. *Cædes.* Cum Milites *Balbinum* & *Maximum* inter ſe diſcordare viderant, ipſis occaſio data facile, diſcordes Imperatores poſſe interfici. Cum igitur multi & milites & aulici ludis ſcenicis eſſent occupati, & in Palatio ſoli Principes remanſiſſent, impetum in eos fecerunt, atque ambos, regalibus veſtibus nudatos, ex palatio per mediam civitatem ad caſtra raptare conati ſunt. Sed ubi compererunt Germanos ſupervenire ad illorum defenſionem, ambos occiderunt, relictos in medio itinere. *Capitolinus* § 4.

11. *Tempus Imperii. Maximus* & *Balbinus* anno uno imperarunt, cum *Maximinus* imperaſſet cum filio per triennium.

111. *Præſagium cædis.* Exitum illi ſibi ipſis jam inde ab initio ominari viſierant. Nam *Maximus*, cum & ſibi & *Balbino* judicio Senatus Imperium deferretur, *Balbino* dixiſſe fertur; (ut *Herodianus* dicit;) *Quid tu, Balbine, & ego, merebimur, cum hanc tam immanem belluam exitio dederimus?* Cumque *Balbinus* dixiſſet: *Senatus populique Romani, & orbis terrarum amorem ferventiſſimum.* Dixiſſe fertur *Maximus: Vereor ne militum odium ſentiamus, & mortem. Capitolinus* §. 5.

III. ΤΑ ΠΑΡΕΠΟΜΕΝΑ.

Elogium eorum. Hunc finem habuerunt boni Imperatores, indignum vita & moribus ſuis. Nam neque Maximo Pupieno fortius, neque Balbino benignius fuit quicquam. *Capitolinus* §. 5.

Verum bonis Imperatoribus indigna fuit ſanguinaria hæc Rom. Reſpublica.

XXIX. IMPERATOR ROM.

M. ANTONIVS GORDIANVS III.

CAPVT I.

DE ORTV.

1. AVut fuit *Gordianus I.* alias Senior dictus.

II. PATER fuit *Gordianus II.* alias Junior dictus. De quibus duobus Imperatoribus antea diximus.

Hi tres Gordiani omnes *Auguſti* appellati ſunt, duobus in Africa interemtis, in Perſidis finibus tertio. *Capitolinus* §. 5.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ.

FVit juvenis lætus, pulcher, amabilis, gratus omnibus, in vita jucundus, in literis nobilis, prorſus ut nihil præter ætatem deeſſet Imperio. Amatus eſt à populo & Senatu & militibus ante Philippi factionem, ita ut nemo Principum. *Capitolinus* §. 1.

NOTA.

Gordianum ſeniorem Auguſti vultum ſic repræſentaſſe (refert *Capitolinus* §. 5.) ut & vocem & mores, & ſtaturam ejuſdem oſtentare videretur. *Filium* vero Pompeio ſimillimum viſum, quamvis Pompeius obeſi corporis fuiſſe negetur. *Nepotem* autem Scipionis Aſiatici faciem retuliſſe. Quod pro ſui admiratione (inquit) tacendum eſſe non credidi.

II. *ACTA OECONOMICA.*

Gordianus adoleſcens, duxit uxorem *filiam Miſithei*, doctiſſimi viri, quam cauſa eloquentiæ dignum parentela ſua putavit, & Præfectum ſtatim fecit. *Capitolinus* §. 1.

III. *ACTA POLITICA.*

1. *Imperii occupatio.*

1. CÆSAR appellatus fuerat eodem tempore, quo *Maximini* adventantis metu, Senatus ex viginti viris, quos ad Rempubl. tuendam delegerat, *Maximum Pupienum*, & *Clodium Balbinum Auguſtos* dixit, ambos ex Conſulibus. Tunc populus & milites *Gordianum* parvulum, annos agentem (ut plerique aſſerunt) undecim; ut nonnulli, tredecim; ut *Cordus* dicit, ſedecim; petiverunt ut *Cæſar* appellaretur: raptuſque ad Senatum, atque inde in concione poſitus, indumento Imperatorio tectus, Cæſar appellatus. *Capitolin.* §. 1.

II. *Maximo* & *Balbino* furore militum interemtis, *Auguſtus* appellatus eſt à militibus & populo & Senatu omnibuſque gentibus, ingenti amore, ſtudio & gratia, cum hactenus Cæſar fuerat. *ibidem.*

Amabatur autem merito & avi & patris, qui ambo pro Senatu & pro populo Roman. contra Maximinum arma ſumſerant, & militari vel morte, vel neceſſitate perierant. *ibid.*

III. *Prodigia* non diu imperaturi *Gordiani* hæc fuerunt:

1. *Eclipſis* Solis tanta accidit, ut nox crederetur, neque ſine luminibus accenſis quidquam agi poſſet. *Capitolinus* §. 1.

2. *Terræ motus* imperante *Gordiano* tantus contigit, ut magnæ urbes corruerint, & ingens hominum multitudo ruinis oppreſſa ſit. *Capitolinus* §. 3.

II. *Imperii adminiſtratio.*

Prudenter & laudabiliter Imperium adminiſtravit conſilio & opera Miſithei ſoceri ſui. Nam licet & ipſe *Gordianus* pro ætate quidem ſaperet; tamen ſoceri conſiliis, viri præſtantiſſimi, non mediocriter adjutus. Status igitur Reipubl. bonus & optabilis tum exſtitit: quod improbis hominibus, qui Principis animos atque aures occupare perniciosis ſermonibus, ut fit, ſoliti hactenus fuerant, omnis aditus præcluſus ad Imperatorem eſſet: bonis contra amicitia ejus pateret: idque ſoceri conſilio effectum erat. Quam temporum felicitatem *Miſitheus* ipſe Imperatori per epiſtolam gratulatur: Cujus exemplum hoc eſt: Domino filio & Auguſto, *Miſitheus*, ſocer & Præfectus. Evaſiſſe nos gravem temporum maculam, qua per ſpadones & per illos, qui amici tibi videbantur, (erant autem vehementes inimici) omnia vendebantur, voluptati nobis eſt, & eo magis quo tibi gratior emendatio eſt: ut ſi qua vitia fuerant, tua non fuiſſe ſatis conſtet, mi fili venerabilis. Diis igitur gratias, quod, volente te ipſo, emendata reſpublica eſt. Delectat ſane, boni Principis eſſe ſocerum, & ejus qui omnia requirat & omnia velit ſcire, & qui pepulerit homines, per quos antea velut in auctione poſitus nundinatus eſt. Cui in reſpondens alia epiſtola, non diſſimulat, antea ſe quoque iſtorum artibus & calliditate in errorem impulſum, Magiſtratus & honores quibus non debuerit, mandaſſe. Et addit memoria omnium, maxime tamen Principum dignam vocem: Diis gratias, quod, te inſinuante, qui nihil vendis, didici ea, quæ incluſus ſcire non poteram. Mi pater, verum audias

audias velim: *Miſer eſt Imperator, apud quem vera reticentur.* Qui cum ipſe publice ambulare non poſſit, neceſſe eſt ut audiat, & vel audita, vel à plurimis roborata, confirmet. Hactenus verba epiſtolarum, quæ exſtant apud *Capitolinum* §. 2. Vnde patet, quod fidelia conſilia ſint nervi corporis politici.

III. *ACTA POLEMICA.*

1. *Sabiniani factio.* Contra Gordianum III, Venuſto & Sabino Coss. inita eſt factio in Africa. Verum is mox in ordinem coactus eſt per Mauritaniæ Præfidem; & qui ſceleris ſocios ſe præbuerant, Carthaginem venerunt, Ducem tradiderunt, & faſſi de errore ſuo, aut etiam culpa, veniam impetrarunt. *Capitolinus* §. 1.

II. *Bellum contra Perſas.*

1. ORTVS. Bellum hoc conſilio Miſithei ſoceri incepit, quippe quem ducta ejus filia Præfectum prætorii fecit.

2. PROGRESSVS. Bellum hoc feliciſſimo ſucceſſu Miſithei conſilio ad finem perduxit. Nam fecit iter in Mœſiam, atque in ipſo procinctu quicquid hoſtium in Thraciis fuit, delevit, fugavit, expulit, atque ſubmovit, & Perſis frequentibus præliis edomuit: Inde per Syriam venit Antiochiam, quæ à Perſis jam tenebatur. Illic frequentibus præliis pugnavit & vicit, *Sapore* Perſarum Rege ſubmoto. Et poſt Artaxerxem Antiochiam recepit: Carras & Nifibin, quæ omnia ſub Perſarum Imperio erant. Denique effectum eſt pugnante *Gordiano* & conſiliis Miſithei ſubnixo, ut Perſæ, qui jam Italiæ minitabantur, in regnum, pugnante Gordiano, redirent, totumque Orientem Reſpubl. Romana detineret. *Capitolinus* §. 3.

3. EGRESSVS. 1. *Epiſtola Euchariſtica* Gordiani ad Senatum miſſa, qua de rebus geſtis ſcribens, *Miſitheo* Præfecto ſuo & ſocero ingentes gratias agit: Vbi inter alia inquit: Valeat tantum *Miſitheus* Præfectus parens noſter, cujus ductu & diſpoſitione & hæc tranſegimus, & reliqua tranſigemus. Veſtrum eſt igitur ſupplicationes decernere, nos diis commendare, *Miſitheo* gratias agere. *Capitolinus* §. 3.

II. *Senatus candor.* His literis in Senatu lectis, quadrigæ Elephantorum *Gordiano* decretæ ſunt, utpote qui Perſis viciſſet, ut triumpho Perſico triumpharet. *Miſitheo* autem quadriga equorum & triumphalis currus & titulus hujuſmodi: *Miſitheo* eminenti viro, parenti Principum, præceptori, præfecto totius urbis, tutori Reipubl. S. P. Q. R. vicem reddidit. *Capitolinus ibidem.*

V S V S.

Hinc apparet grati & boni Principis effigies, & Senatus prudentia & candor.

IV. *Apparatus triumphi*, quem deſcribit *Capitolinus* §. 4.

CAP. III.

DE EGRESSV.

1. INteritus *Miſithei.* Periit fraudibus *Philippi.* Nam *Philippus* cum propter pleraque vehementer timuiſſe fertur, atque ob hoc per medicos inſidias ejus vitæ paraſſe, & quidem hoc genere: Cum effuſione alvi *Miſitheus* laboraret, atque à Medicis ſiſtendi ventris gratia poculum juberetur accipere, mutatis quæ fuerant, id fertur datum, quo magis ſolveretur: atque ita exanimatus eſt. *Capitolinus* §. 4.

II. *Interitus Gordiani.* Circa quem tria notanda ſunt:

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

1. *Philippi fraudulentia.* Nam naves frumentariæ primum artibus Philippi ſunt averſæ: deinde in ea loca deducti ſunt milites, in quibus annona haberi non poſſet. Hinc Gordiano infeſtos milites ſtatim reddidit, non intelligentes, artibus Philippi juvenem eſſe deceptum. *Capitolinus* §. 4.

II. *Philippi calumnia.* Addidit etiam Philippus, ut rumorem per milites ſpargeret, adoleſcentem eſſe Gordianum, Imperium non poſſe regere. *ibidem.*

III. *Principum corruptela.* Corrupit præterea etiam Principes Philippus, effectumque ut palam ad Imperium poſceretur. Imperium igitur Philippo mandatum eſt, juſſumque à militibus, ut quaſi tutor ejus Philippus cum eodem Gordiano pariter imperaret. *Capitolinus ibidem.*

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

1. *Controverſia inter eos oborta.* Suſcepto igitur Imperio, cum & Philippus ſe contra *Gordianum* ſuperbiſſime gereret, & hic improbitatem hominis ignobilis ferre non poſſet: apud Duces & milites *Gordianus* de eo conqueſtus eſt. Verum cum & milites rogaſſet, tum Duces aperte ambiiſſet, & ſe Philippi factione minorem haberi videret: ſaltem ut æquale inter eos Imperium eſſet, ſummopere precibus contendit, nec impetravit: Petiit dehinc, ut loco Cæſaris haberetur, neque id obtinuit. Sollicitavit etiam, ut Præfecti loco eſſet Philippo; ſed & hoc negatum eſt. Vltimæ preces

fuerunt, ut eum Philippus pro Duce haberet, & vivere pateretur. Ad quod Philippus quidem pene conſenſerat. *Capitolinus* §. 4.

II. *Gordiani trucidatio.* Verum cum ſecum ipſe cogitaret amorem populi Romani & Senatus erga Gordianum, & totius Africæ & Syriæ, cum & nobilis eſſet, & nepos ac filius Imperatorum, & bellis gravibus totam Rempubl. liberaſſet, metueretque fieri poſſe, ut factione militum aliquando Imperium Gordiano redderetur: cum recentes in Gordianum iræ militum famis cauſa vehementes eſſent, clamantem in conſpectum duci juſſit, ac ſpoliari & occidi: Quod cum primum dilatum eſſet, poſt, ut juſſerat, impletum eſt. *Capitolinus* §. 4.

III. Τὰ ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ.

I. *Ars Philippi Parricidæ nova.* Philippus, ne à crudelitate nanciſci Imperium videretur, Romam literas miſit, in quibus ſcripſit, Gordianum morbo periiſſe, ſeque à cunctis militibus electum. Nec defuit, ut Senatus de his rebus, quas non noverat, falleretur. Appellato igitur Philippo Principe, & Auguſto, Gordianum adoleſcentem inter DEOS retulit. *Capitolinus* §. 4.

II. *Calliditas ejus Arabica.* Philippus, cum interfeciſſet Gordianum, neque imagines ejus tolleret, neque ſtatuas deponeret, neque nomen abraderet, eum Divum ſemper appellans etiam apud ipſos milites, cum quibus factionem fecerat, ſerio animo & peregrina calliditate veneratus eſt *Capitolinus* §. 5.

III. *Juſta Numinis adverſus Gordiani interfectores vindicta.* Quod de Cæſare memoriæ traditum eſt, hoc etiam de Gordiano *Cordus* eveniſſe ſcribit. Nam omnes quicunque illum gladio appetiverunt, (qui novem fuiſſe dicuntur) poſtea interemtis Philippis, ſua manu ſuiſque gladiis, & iiſdem quibus illum percuſſerant, interiiſſe dicuntur. *Capitolinus ibidem.*

IV. *Gordiani ſepulchrum.* Milites Gordiano in finibus Perſidis ſepulcrum pararunt, Euphrati imminens, eique hunc titulum inſcripſerunt, Græcis, Latinis, Perſicis, Judaicis & Ægyptiacis literis, ut ab omnibus legeretur: DIVO GORDIANO, VICTORI PERSARVM, VICTORI GOTHORVM, VICTORI SARMATARVM, DEPVLSORI ROMANARVM SEDITIONVM, VICTORI GERMANORVM: SED NON VICTORI PHILIPPORVM. Quod ideo videbatur additum, quia in campis Philippicis *ab Alanis* tumultuario prælio victus abſceſſerat: ſimul etiam, quod à Philippis videbatur occiſus. Quem titulum evertiſſe *Licinius* dicitur, eo tempore, quo eſt nactus Imperium, cum ſe vellet videri à Philippis originem trahere. *Capitolinus* §. 5.

Attigit *Gordianus* annum ætatis XXII. Imperavit ſolus annis ſex. Vere de eo verſus uſurpari poſſunt, quos ſenex *Gordianus* de filio *Gordiano* recitaſſe fertur; ut habet *Julius Capitolinus* in *Gordianis*:

Oſtendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Eſſe ſinent: nimium vobis Romana propago
Viſa potens, Superi, propria hæc ſi dona fuiſſent.

Symbolum ejus fuit.

Miſerum eſſe Imperatorem apud quem vera reticentur. Qui cum ipſe publice ambulare non poſſit, neceſſe eſt ut audiat, vel audita, vel à plurimis roborata confirmet. Quod etiam ante eum Manlius Torquatus prudenter conſideravit. Is enim cum eſſet declaratus Conſul, oculorum valetudinem excuſavit, impudentem dicens & Gubernatorem & Imperatorem eſſe, qui cum alienis oculis ei omnia agenda ſint, poſtulet, ſibi aliorum capita ac fortunas committi. Huc *Horatius* ſpectaſſe videtur, cum inquit:

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quam qua ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & qua
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

Similiter & Antiochus, allata purpura & diademate: Age (*inquit*) ex quo hæc indui, heri primum vera ipſe de me audivi. Sentiens miſeriam in eo eſſe Regum ac Principum, ut raro admodum verum audiant & cognoſcant: adeoque male agi cum ea Republica, in qua plus valet obſequium aurium, quam Judicii veritas. Recte etiam Satyricus: Quid violentius aure Tyranni?

XXX. IMPERATOR ROM.
M. PHILIPPVS ARABS.

I. ORTVS.

I. *Generatio.*

M. *Julius Philippus*, Roſtris Arabiæ urbe obſcuris parentibus natus eſt: cujus fortunæ, humilitas generis non obfuit *Pomponius Lat. in Philipp.* §. 1.

II. PRO-

II. PROGRESSVS.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ.

Ingenium & mores.

Erat robusto corpore, calliditate Arabica instructus & speciosus. A teneris annis, relicto patrio solo, militare cœpit: nec difficile hoc puero fuit. Nam Arabes optimi sunt equites, & militiam Romanam noscere cœperunt, in Oriente res gerente Pompeio. *Ibidem.*

II. ACTA OECONOMICA.

I. VXOR ejus fuit *Severa Marcia Otacilla*, quæ Christiana fuit, & marito persuasit, ut Christianam religionem assumeret, & una cum filio Philippo à *Fabiano* Episcopo sacra baptismatis aqua ablueretur. Pomponius Lætus tale de eo fert judicium: Philippus homo Punica fraude deterior, qui, ut scelera tegeret, cultum Christiani nominis simulabat.

II. FILIVS ejus fuit *C. Iulius Saturninus Philippus.* Is traditur fuisse ἀγάλλασθαι, & ludis secularibus ridentem patrem severo vultu inspexisse, velut illum corrigeret.

III. ACTA POLITICA.

I. Ante Imperium.

I. *Strenuitate* viam sibi ad altiora aperuit. Nam ipse haud parum diligens per gradus promotionis adscendit. Primo Comes ordinis, deinde Dux, post præfectus prætorio. Tandem in Persida, post mortem Mitithei, exercitui à Gordiano est præfectus, & loco parentis juvenis eum habuit.

II. *Misitheo inclyto Duci* successit, qui dolo ipsius periit. De quo in *Gordiano* III. cap. 3. diximus.

II. Imperii occupatio.

Per fraudulentiam ad Imperium pervenit.

I. *Factus est socius* vel *Collega Gordiani.* Hunc in odium apud milites per calumniam vocavit, inopiam commeatus, quam ipse fraude sua induxerat, incuria Imperatoris invectam mentitus. Et ita factum est, ut Collega primum juveni illi daretur. Quod fastigium honoris & potentiæ cum illo non contentus obtinuisse, Gordianum inde dejecit.

II. *Solus regnavit.* Nam postquam *Gordianum* (frustra militum fidem implorantem, & vel secundum, vel inferiorem etiam dignitatis locum dari sibi in exercitu postulantem) vita expulisset, Imperii fasces corripuit, & non à militibus tantum, sed & Senatu, dolis circumvento, Augustus est appellatus.

III. Imperii administratio.

I. *Filium* suum C. Iulium Saturninum Philippum in itinere consortem Imperii fecit.

II. *Ludos seculares* Romæ celebravit, & scenicos ludos in Pompeii theatro tribus diebus totidemque noctibus pervigil populus spectavit, funalibus atque lychnis tenebras vincentibus: & cum multitudo solennibus ludis intenta esset, incendium aut ex luminaribus, aut ex ignibus coalitum, in curiam divagatum est. *Pomp. Lætus*, §. 2.

III. *Scytharum irruptio*, imperante Philippo, Scythæ, quos Misithei prudentia & virtus paulo ante cohibuerat, in provincias populi Rom. impressionem fecerunt, omniaque ferro & flamma late populati sunt; ne quid de provincialium injuriis ac direptionibus dicam. *Pomp. Lætus*, §. 2. Expeditioni huic propere præfectus est *Marinus* quidam, Dux limitis Sarmatici: qui ab exercitu Illyricorum Imperator est appellatus.

IV. *Contra illum mittitur Decius.* Philippus his cognitis *Decium*, virum artibus bellicis clarum, misit contra Scythas cum supplemento copiarum: qui cum ad exercitum perveniisset, concordi assensu ab exercitu Illyrico Imperator, renuens & repugnans, verum odio Philippi, est factus. Dux experientia rerum cautus, ne à Principe accusari posset, neve locum calumniis præberet, fidissimo nuncio literas ad Philippum dedit, quibus se excusabat, suppliciter exorans, ne turbato animo ferret, promittens, se redditurum, quos invitus cepisset, Imperii fasces. *Pomp. Lætus*, §. 2.

V. *Expeditio Philippi contra Decium.* Imperator iracundia præcipiti legiones conscriptas in Decium duxit, etiam debili tum per ætatem corpore, interitum Duci & exercitui minitatus. At illa tempestas in ipsius caput conversa est.

III. EGRESSVS.

Postquam Philippus ipse eductis copiis contra *Decium* profectus, à militibus Veronæ trucidatus est, capite medio supra ordines dentium præciso. Filius quoque, quem XII. tantum annos natum Romæ reliquerat, à Prætorianis necatus est. Ambo Philippi Imperium obtinuerunt annos quinque, juxta sextum Aurelium. Cassiodorus vero septem annos illos imperasse tradit.

Res Eccleſiæ.

Philippum primum ex Imperatoribus Romanis fidem Chriſto dediſſe, & opera Fabiani Epiſcopi cum filio & conjuge baptiſmate tinctum fuiſſe, plurimi affirmant. Cumque in vigiliis Paſchatos Eccleſiaſticæ multitudini jungi deſideraret, ab eo, qui tunc Eccleſiæ præerat, prius admiſſus non eſt, quam ſe iis, qui propter peccata in pœnitentiæ loco conſtituti erant, conjungeret. *Euſeb. l. 6. c. 33.*

Verum *Pomponius Lætus* contrarium affirmat, qui ita de eo ſcribit §. 2. Philippus Punica fraude deterior, qui, ut ſcelera tegeret, cultum Chriſtiani nominis ſimulabat. Imperante Philippo exorti ſunt quidam in Arabia, qui animas in hoc præſenti tempore una cum corporibus mori ac corrumpi, & in futura reſurrectione ſimul cum illis vitæ denuo reſtituendas dixerunt. Convocata igitur ob hanc cauſam haud mediocri Synodo, rurſus vocatus Origenes de quæſtione hac ita publice diſputavit, ut mentes eorum, qui antea ſeducti fuerant, ab errore averterentur.

XXXI. IMPERATOR ROM.

DECIVS PATER & FILIVS.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

Decius Bibali inferioris Pannoniæ urbe natus, claris parentibus. *Pompon. Lætus*, §. 1.

II. *Appellatio.*

Nomina habuit diverſa. Nam alii eum vocant,

I. *Meſſium Decium.*

II. *Decium Trajanum*, & dicunt, quod Trajani cognomen à Senatu ei ſit impoſitum. Quia Trajano Imper. glorioſiſſimo probitate & fortitudine ſimilis fuerit.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ,

& moribus.

FVit forma egregia præditus: ab ineunte ætate ſpem optimæ indolis præbuit: poſtea cum ætate virtutes in eo creverunt.

II. *ACTA OECONOMICA.*

VXOR ejus fuit *Triphonia*, ex qua filium ſuſcepit, qui etiam DECIVS eſt dictus, vel *Hetruſcus.*

III. *ACTA POLITICA.*

I. Imperii occupatio.

I. *Coactus Imperium ſuſcepit.* Nam cum à Philippo contra Marinum eſſet miſſus, milites Illyricani unanimi conſenſu eum Imperatorem fecerunt, & renuentem ac repugnantem, ſtrictis enſibus coëgerunt.

II. Poſtea à Senatu confirmatus, & Auguſtus appellatus eſt.

III. *Filium conſortem Imperii fecit.* Qui admirandam erga patrem reverentiam oſtendit; de qua ita ſcribit *Valerius Maxim. lib.* 4. Decius Imper. cum Decium filium ſuum Imperiali diademate proponeret inſigniri, renuit filius, dicens: Vereor, ne ſi fiam Imperator, dediſcam eſſe filius. Malo non eſſe Imperator, ſed humilis filius, quam Imperator & filius indevotus. Imperet pater meus; meum Imperium ſit, parere humiliter imperanti. Nam parentum affectum exuit, qui mole ſuperpoſita filium extinguit. Prius enim alendi & nutriendi ſunt pueri: & cum præceſſerint, quos præcedere debent, invite adſcendant.

II. Imperii adminiſtratio.

I. *ACTA TOGATA.*

Fuit optimus Imperator actibus & virtutibus, in bello & pace.

I. *Valde modeſtus fuit.*

Nam cum de Cenſore eligendo poteſtatem Senatui dediſſet, Valerianus abſens Cenſor lectus; ea cenſura probata, Decio patre ac filio Conſule, modeſtia Decii hoc paſſa eſt. Ipſi Imperatores enim poſtquam reſpublica unius nutu gubernari cœpta eſt, Cenſores erant. *Decius*, cujus vita ſanctiſſimis inſtitutis nunquam adverſata, cupiens nihil agere, niſi quantum Senatus juberet, cenſuram ampliſſimo ordini permiſit. Hujus Imperatoris vita, quæ & civilis & militaris fuit, multos habuiſſet laudatores, ſi à Chriſtianorum cruciatibus abſtinuiſſet. Nam jus quintæ relationis & proconſulare Imperium, unde Auguſti omnes proconſules dicti, nec non & jus tribunitiæ poteſtatis, quod Auguſtus primus ſibi perpetuo vindicaverat, arbitrio Senatus populique Romani permiſit, Patris patriæ cognomen accepit.

II. *Reipublicæ curam habuit.* Priuſquam enim ad urbem rediret, civiles in Gallia motus ſedavit: eumque ad liberandas Thracias profectus, Patribus Rempublicam commendavit.

III. *Elo-*

III. *Elogium ejus. Decius* Senatus judicio Trajano adæquatus, nomenque Optimi Principis meruit, quod & artibus omnibus ac virtutibus inſtructus, & placidus ac civilis domi, & in armis promtiſſimus eſſet. *Pomp. Latus*, §. 2.

II. ACTA BELLICA.

Bellum contra Scythas ſive *Gothos.*

I. ORTVS. 1. *Decii victoria in primis congreſſibus.* Cum Gothi navalibus & terreſtribus copiis omnia infeſtarent, Decius profectus eſt una cum filio ad liberandas Thracias, ubi victor in primis congreſſibus, hoſtes in anguſtias locorum, quæ in Dardaniis ſunt, compulit, & obſedit: expugnaſſetque fame, ni proditus à ſuis fuiſſet. *Pomp. Latus*, §. 1.

2. *Hoſtium Legatio.* Hoſtium Dux per Legatos petiit, ut Decius omni præda relicta, cum ſuis eum trans Iſtrum abire ſineret.

3. *Detii recuſatio.* Minime hoſtium petitioni locum dare voluit *Decius*, ſed avidus illos perdendi, qui toties fractis fœderibus irruperant, & qui provincias Romani Imperii quieſcere non ſinerent, & Trajano illuſerint.

II. PROGRESSVS. 1. *Treboniani Galli emiſſio.* Iam voti fere compos Decius, *Trebonianum Gallum* Ducem limitis Mœſiæ ad obſidendos aditus, ne fugerent, cum bona copiarum parte miſit.

2. *Treboniani Galli proditio. Gallus* Imperatoris conſilium barbaris patefaciens eos monuit, ut diviſo exercitu ſuo alios ſiſterent in inſidiis prope paludes, alii prælium moverent Decio, fugamque ſimularent verſus paludes: Barbari, nonnihil addentes conſilio Galli, rem peragunt.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

CVm in pugnam deſcenderent, *Decius* miratus eſt, quod, qui modo perculſi erant metu, jam arma poſcerent, ignarus proditionis, & victoriæ certus copias educit. Hoſtis ſtatim terga dedit. Inſequitur Decius. Cum ventum eſt ad inſidias, atrociſſima pugna ac cædes maximæ utrinque factæ ſunt. Quo in prœlio cum filiis Imperatoris fortiter quidem dimicaret, in prima acie interfectus eſt. Quod cum nunciarent patri milites, & pluribus verbis eum ſolari vellent, animoſe dixit: *Vnius militis ſibi videre exiguam jacturam.* Pater vero ut cædem filii ulciſceretur, vel, ut morte ſua finem dolori inveniret, quo, cum impigre decertaret, longius proveheretur: forte equo ſedens, ne in hoſtium manus aut vivus aut mortuus perveniret, equo incitato in paludem ſe intulit; in qua periiſſe putatur. Nam cadaver, quanquam ſumma cum diligentia quæſitum, nuſquam repertum eſt. Privicaci tamen animo ipſe ſibi interitum conciliaviſſe ſcribitur, cum hoſtes prorſus perditos vellet, neque ulla conditione diſcedere eos trans Iſtrum pateretur. *Pomponius Latus*, §. 2.

Decius quinquagenarius occubuit, Imperii biennio nondum finito. Aliqui tamen imperaſſe ſcribunt menſes triginta.

ACTA ECCLESIASTICA.

Horrendus perſecutor Chriſtianorum fuit. Nam ita *Cyprianus* contra *Demetrianum* habet: Chriſtiani ſub *Decio* domibus privabantur, patrimonio ſpoliabantur, catenis premebantur, carceribus includebantur, beſtiis objiciebantur, ignibus puniebantur. *Quibus tormentorum generibus* Euſebius *ex Dionyſio Alexandrino preterea addit:* Picem ferventem, lapidationem, calamos acutos in faciem & oculos impulſos, tractiones per ſtrata viarum, illiſiones ad lapides, verbera, flagellationes, exuſtiones, tranſverberationem viſcerum per ſudes, gladium, membrorum fractionem, è ſublimi præcipitationem.

Alii item Hiſtorici, equuleos, lacerationes per ungues ferreos, lampades ardentes lateribus admotas, ſuſpendia, & quavis morte graviora metalla.

MARTYRES ſub DECIO.

I. FABIANVS. Epiſcopus Romanus A. C. 251. primo in exilium ejectus in perſecutione Deciana, cui Philippus theſauros ſuos contulerat, occiſus eſt.

II. SIXTVS, Romanus Epiſcopus viceſimus quintus, ſub Decio martyrii coronam accepit.

III. LAVRENTIVS natione Hiſpanus, Diaconus & Theſaurarius Eccleſiæ Romanæ: cujus in craticula jacentis fidem, inter medias flammas elucentem, graphice depingit *Prudentius:* & graviſſimo elogio ornat *Ambroſius l. 1. Offic. c. 41. & lib 2. c. 28.*

Hiſtoria ejus breviter ſic habet: *Laurentius* videns *Sixtum* Epiſcopum ad mortis ſupplicium duci, flere cœpit, non paſſionem illius, ſed ſuam remanſionem. Ideo eum ſic ex mœrore allocutus eſt; Mi pater, quo abis ſine filio tuo? Quo Sacerdos ſine Diacono progredieris? Reſpondit *Sixtus:* Fili, non te relinquo; poſt triduum me ſequeris: aſſervaberis ad majus certamen ſubeundum: nos ſe-

niores in hoc facile certamen deſcendimus; Tibi autem juniori longe difficilius & victoria clarior parata eſt. Cuſtodi ergo interim theſauros Eccleſiæ in uſum pauperum.

Cum autem à *Laurentio* petitum eſſet, ut theſauros Eccleſiæ, ab Epiſcopo ſibi concreditos, Imperatori traderet, tridui ſpatium petit ad eos colligendos & diſponendos. Interea vero omnes mendicos, pauperes & ægrotos convocat: eoſque conſtituta hora poſt triduum Præfecto urbis & ſatellitibus oſtendit, addens: Hos Eccleſiæ theſauros eſſe: quibus ſi quid detur, hoc non perire, ſed cum ampliſſimo fœnore in cœlo reddi.

Hac oratione corvi hiantes deluſi & exacerbati, tradunt *Laurentium* carnificibus, qui eum ferreæ craticulæ, cui prunæ ardentes ſubſtratæ erant, imponunt. Ipſe autem in craticula jacens, ſumma cum alacritate animi gloriabatur, ſe non terreri, ſed ſuaviter refrigerari carbonibus illis. Et *poſtquam vapor* (ut Prudentii verbis utar) *diutius decoxit exuſtum latus, ultro è cataſta judicem compellat affatu brevi: Converte partem corporis, ſatis crematam jugiter. Et fac periculum, quid tuus Vulcanus ardens egerit. Præfectus* inverti jubet. Tunc ille, illuſo tyranno, inquit: *Coctum eſt, devora, & experimentum cade, ſit crudum, an aſſum ſuavius.* Cœlum ſuſpicit, *& congemiſcens obſecrat, miſeratus urbem Romulam.*

Poſt longam precationem *Laurentii*, *hic finis orandi fuit:* Et *finis idem vinculi carnalis erudit: volens vocem ſecutus Spiritus.*

IV. BABYLAS, Epiſcopus Antiochenus, cum filiis tribus juſſu Decii occiſus eſt.

V. ALEXANDER, Epiſcopus Ieroſolymitanus, vir veneranda canitie gravis, poſt datam confeſſionem de Chriſto, Cæſareæ, coram tribunali Præſidis Romani in vinculis obdormivit. *Euſebius lib. 6. cap.* 31.

VI. MARCELLINVS Romæ vir præſtans & eruditione excellens fuit, qui cum attentiore animo verſum *Virgilii*,

Iam nova progenies cœlo demittitur alto.

ſecum perpenderet, & altius ſenſum ejus rimaretur, de adventu & regno Chriſti tandem cogitare cœpit, per cœleſtem Regem mundum reformandum eſſe, & ætatem auream (ut vocant) inſtituendam, agnoſcens. Hic ſub *Decio*, capite humeris avulſo, in Martyrum collegium cooptatus eſt.

VII. IVLIANVS, podagræ doloribus oppreſſus, cum aliis duobus, qui eum geſtabant, ad Iudicem adducitur; quorum alter extemplo fidem denegat, alter nomine *Cronion* cognomento *Eunus*, & ſenex ipſe *Iulianus*, Dominum ingenue confitentur: qui per totam urbem camelis inſidentes deducti, & ita ſublimes verberibus cæſi, tandem immenſo quodam rogo, & ſupra modum exardeſcente, hominum multitudine undiquaque circumfuſa, comburuntur Alexandriæ, ſub Imperio *Decii*, anno Chriſti 253. *Euſebius libro 6. cap.* 34.

VIII. METRANVS, vir ætate confectus. Hunc Alexandrini correptum, impia verba contra DEVM loqui mandant, cujus corpus, propterea quod eorum voluntati repugnabat, fuſtibus cædunt, vultum oculoſque præacutis arundinibus pungunt, ipſumque extra urbem abductum lapidibus obruunt. *Euſebius lib. 4. c. 16.*

IX. ASCLEPIADES Epiſcopus Antiochiæ cum 40 Virginibus piis necatus eſt. *Vincent. l. 18. cap.* 52.

X. DIONYSIA, quanquam erat multorum liberorum parens, illos tamen Domino in amore minime prætulit, Alexandriæ ſub Decii tyrannide, poſt varia tormenta, capite obtruncato, mortem oppetiit. *Euſebius lib. 6. cap.* 34.

XI. QVINTA. Cum Antiochiæ ex impii cujuſdam vatis inſtinctu, imperante *Decio*, ad patriam & antiquam ſuperſtitionem defendendam magno impetu gentiles ferrentur, ad idolorum delubra deducta, & falſos ibi DEOS venerari juſſa eſt. Quæ cum talem cultum deteſtaretur, pedibus conſtrictis, per univerſæ urbis plateas, aſperis ſaxis conſtratas, eam raptabant: & ſimul ac corpus ejus ad ſaxa molaria alliſiſſent, & flagris pariter laceraſſent, ad ſuburbia tractam crebro ſaxorum conjectu trucidabant. *Euſebius l. 6. cap.* 34.

XII. APOLLONIA. Virgo id temporis cum primis admiranda & admodum provecta ætate, Alexandriæ ſub Decio comprehenditur, maxilliſque ejus crudeliter diverberatis, omnes dentes illi excutiuntur, atque rogo in ſuburbio exſtructo, minantur ei gentiles, niſi verba blaſphemiæ una cum ipſis palam eloqueretur, ſe eam vivam crematuros. Illa paululum temporis ad deliberandum precata, & dimiſſa eorum manibus, ſine mora inſiliit in rogum, ſicque flammarum incendio abſumta eſt, A. C. 253. *Euſebius ibidem.*

MONACHATVS ORIGO.

Imperante *Decio*, multi relictis domibus ſuis & facultatibus univerſis, in ſolitudinem metu graviſſimorum cruciatuum conceſſerunt: unde vitæ Monaſticæ origo. Cujus authores exſtitiſſe ſcribuntur PAVLVS THEBÆVS (qui primus Eremita factus) & *Antoninus* quidam, & ad *Conſtantini* uſque ævum ab illo tempore vitam ſolitariam

riam egiſſe. Multi in hac perſecutione religionem Chriſtianam abnegarunt, idque duplici modo. Quidam aperte Diis ſacrificarunt, hos nominaverunt Sacrificatos, vel Thurificatos, vel Idololatras. Quidam vero *Libellatici* dicebantur, qui abnegarant quidem religionem, ſed libellum à Præſidibus acceperant, ne publice cogerentur Diis ſacrificare. Quo in numero ponitur etiam perilluſtris iſto tempore Eccleſiæ Doctor ORIGENES.

Suidas de Origene, ut & *Niceph. lib. 5. c. 32.* commemorant, quod poſt varia pericula, è quibus ſub *Deciana* perſecutione evaſerat, ad aram adductus cum impuro Æthiope, illique optio data fuerit, ut vel ſacrificaret, vel corpus Æthiopi contaminandum exhiberet: illum autem maluiſſe ſacrificare: ob quam cauſam excommunicatione ab Eccleſia proſcriptus fuerit, præſertim etiam cum poſt illam abnegationem in abſurdas opiniones, Satana inſtigante, inciderit. Cum autem contumeliam excommunicationis ferre non poſſet, relicta Alexandria, in Judæam venit. Jeroſolymis autem juſſus concionari, conſcenſo ſuggeſtu hæc verba *Pſal. 50. v. 16.* recitavit: Peccatori vero dixit DEVS, ut quid tu, *&c.* ſtatimque libro complicato cum lacrymis & ejulatu ſedit, omnibus cum eo plorantibus.

XXXII. IMPERATOR ROM.

TREBONIANVS GALLVS,

ejuſque Filius VOLVSIANVS,

& ÆMYLIANVS.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

C. *Vibius Trebonianus Gallus*, Patricius, vel à Patriciorum familia oriundus fuit.

II. *Appellatio.*

Hic Imperator 1. vocatur *C. Vibius Trebonianus Gallus à Pomponio Læto, §. 1. Sextus Aurelius Vibium Gallum* cum vocat.

II. *Hiſtoricus* quidam eum vocat *Vibium Gallum Hoſtilianum*. Sed error. Nam diſtinctæ fuerunt perſonæ *Vibius Trebonianus Gallus*, & *Hoſtilianus*. Vt diſerte docet *Sext. Aurelius Victor.* Nam ita de eo ſcribit: *Vibius Gallus* cum *Voluſiano* filio imperaverunt annos duos. Horum temporibus *Hoſtilianus Perpenna* à Senatu Imperator creatus, nec multo poſt peſtilentia conſumtus eſt.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. Imperii occupatio.

PEr *fraudulentiam* ad Imperium pervenit. Nam *Decius* Imper. ipſum Ducem limitis Myſiæ conſtituerat, eique mandarat, ut aditus obſideret, ne Scythæ fugerent. Verum ille proditor factus, dum Imper. conſilium hoſtibus patefecit, cujus inſidiis *Decius* periit. De quo in ipſius hiſtoria cap. 3. diximus. March.

Ipſe igitur, Decio cum filio trucidato, à militibus Imperator appellatus eſt, & à Senatu confirmatus.

Poſtea Romam rediens *Filium* ſuum *Voluſianum* Imperii conſortem fecit.

NOTA.

Galli numiſmata doloſa. In numiſmatibus exprimi juſſit, VIRTVS AVGVSTORVM. de ſe ac filio; quaſi virtute, non dolo, principatum aſſecutus.

II. Imperii adminiſtratio.

1. *ACTA POLITICA.*

I. *Hypocriſis & immanitas.* Initio Imperii, *Decii* memoriam cum honore ac benevolentia uſurpabat, & alterum ex filiis ejus ſuperſtitem adoptabat: ſed progreſſu temporis veritus, ne, qui rerum novarum ſtudiis adſueti, regiarum in *Decio* virtutum memoriam aliquando ſuis cum amicis repetentes, ejus filio ſummam rerum traderent, mortem homini per inſidias parat, nec adoptionis ulla, nec honeſti ratione habita.

II. *Socordia.* Nihil laude dignum cum filio ſuo Voluſiano in Imperio geſſit.

II. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Hoſtis & perſecutor Chriſtianorum acerrimus fuit. Nam ita de eo *Euſebius lib. 7. c. 1.* ſcribit: At ne *Gallus* (inquit) malum Decii aut videre potuit, aut cavere: ſed in eundem lapidem offenſionis impegit. Cujus cum regnum floreret initio, & cuncta ei ex ſententia cederent, ſanctos viros, qui pro pace regni ejus, DEO ſummo ſupplicabant, perſecutus eſt, cum quibus & proſperitatem ſuam pariter fugavit & pacem.

Edicta Imperialia contra Chriſtianos promulgavit: quæ quocunque perveniſſent, horribilem peſtilentiam ſecum traxerunt.

Pœna divina.

1. *Caruit proſperitate.* Nam totum Romanum Imperium à Barbaris eſt vaſtatum: uti poſtea dicemus.

2. *Deus Rom. Imperium punivit peſte.* Nam ea ab Æthiopia oriens, conſumtis fere verſus Meridiem corporibus, per Orientem vagata eſt. Inde cæteras orbis partes invaſit, & ubique maximam hominum partem exhauſit, pleriſque locis inhabitatis relictis. Ea labes vix decimo, aut, ut alii ſcribunt, XV anno, ſævire deſiit. *Euſebius lib. 7. c. 1.*

III. ACTA BELLICA.

1. *Gallus Trebonianus* ignominioſum fœdus cum Scythis percuſſit, non ſine Romani nominis ignominia. Tunc primum populus Romanus Scythicæ ſervitutis jugum accepit. *Pomp. Latus in Gallo.* Tributum fuit aurearum drachmarum 200. *ibidem.*

11. *Fœderis ruptio.* Cum negligenter Imperium *Gallus* adminiſtraret, Scythæ ruperunt fœdus, & primum nationibus ſibi finitimis turbas dederunt: deinde paulatim progreſſi, ad ipſum uſque mare ſita rapinis exhauſerunt: adeo quidem, ut nulla Romanæ ditionis gens ab eis non vaſtata manſerit, ſed omnia prope oppida deſtituta mœnibus, & iiſdem munitorum magna pars capta fuere.

Scytharum exemplo, *alii* quoque *hoſtes* ſurrexerunt, armaque ceperunt. Jam in viſcera Syriæ penetrant Parthi, & Armenias, fugato Rege Tyridate, occupant, cujus liberi hoſtibus ſe dederunt.

Scythæ magna onuſti præda, in Dardanidos, velut regni ſedem redeunt. Attamen pretio non contenti, rurſus Italiæ minabantur. *Pomp. Latus in Gallo.*

CAPUT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

1. *Scytharum ab Æmyliano repreſſio.* Cum Scythæ quicquid occuparunt in Europa, ſecuri plane poſſiderent, & jam in Aſiam quoque transgreſſi eſſent, omniaque ad Cappadociam, & Peſinuntem & Epheſum uſque diripuiſſent, *Æmylianus* Legionum Pannoniæ Dux in illis locis eos aggreſſus eſt, & glorioſe devicit. *Zoſimus in Gallo, Voluſ. Æmyl.*

Æmyliani ortus, officium & fortitudo.

1. *Æmylianus* fuit *Libycus*, ex Mauritania oriundus: à pueritia cœpit ſtipendia mereri, & cum ætate ad alios atque alios honores ſubinde evectus eſt. *Pomp. Lat. in Æmyliano.*

2. *Æmylianus milites ſpe præmii ad pugnam accendit*, dum pro concione iis id pollicitus eſt, ſi hoſtes viciſſent, *ibidem.*

3. *Milites ſpe præmii* accenſi ad conſerendas cum barbaris manus, incitatiores facti ſunt, & caſtris educti, tanto impetu in hoſtes elati ſunt, ut non fugarint modo hoſtes, ſed magna ex parte ceciderint, illorumque regiones, prædis abactis, pene exhauſerint. Hinc Æmylianus præmia promiſſa militibus perſolvit. *Pompon. Latus in Æmyliano.*

4. *Militum gratitudo.* Poſtquam *Æmylianus* exercitui præmia perſolviſſet, ille, ut viciſſim ſe gratum præſtaret, Imperatorem eum ſalutavit. *ibidem.*

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Galli cum filio contra *Æmylianum profectio & occiſio.* Poſtquam *Gallus* comperiſſet *Æmylianum* à militibus Imperatorem eſſe appellatum, una cum filio adverſus eum profectus eſt. Milites, qui cum Gallo erant, amplitudine copiarum ipſum longe inferiorem eſſe videntes, ſimulque ad hominis ignaviam negligentiamque reſpicientes, eum cum filio necarunt, cum vixiſſet annos quatuor minus quinquaginta, Imperium vero cum filio duobus tantum annis obtinuiſſet.

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

1. *Æmylianus à Senatu confirmatus.* Nam *Gallo* ejuſque filio occiſo, ad Senatum ſcripſit, ſe Imperatorem electum eſſe, promiſitque ſe liberaturum Thracias, & Meſopotamiam, & Armenias recuperaturum, & depulſurum undique hoſtes nominis Romani.

2. *A militibus ſuis occiſus.* Priuſquam opus quod ſe effecturum dixerat *Æmylianus*, aggrederetur, milites, qui in Alpibus fuere, *Valerianum Imperatorem* fecerunt. Illi igitur, qui ſub *Æmyliano* erant, his cognitis, ne civili bello & cognatorum ſanguine ſe invicem inficerent, contemplantes præterea humilitatem generis Æmyliani, & nobilitatem *Valeriani*, ſimul & laudatiſſimos mores: ſublato *Æmyliano*, cum vixiſſet annos 40, & tres menſes imperaſſet, *Valeriano* ſe tradiderunt.

Illorum Symbola *fuere.*

1. *C. Vibii Trebonii Galli.* NEMO AMICVS IDEM, ET ADVLATOR.

Nemo poteſt Satanæ pariter ſervire, Deoque:
Sic & adulator nullus amicus erit.

11. C.

II. *C. Vibii Volusiani*, filii, Symbolum: SINE VANO PVBLICA FAMA.

III. *C. Julii Æmyliani*: NON GENS, ſed MENS.

Non genus aut genius: NON GENS, *ſi credere fas eſt,*
SED MENS *nobilitat nobilitata virum.*

XXXIII. IMPERATOR ROM.
P. LICINIVS VALERIANVS.

CAPVT I.
DE ORTV.

I. *Generatio.*

EX nobili Corneliorum familia Valerianus fuit oriundus. PATER ejus dictus eſt *Valerius Flaccus.*

II. *Appellatio.*

I. NOMEN. *Pomponius Lat. in Decio §. 1.* eum vocat *P. Cornelium Licinium Valerianum.*

II. COGNOMENTO, dictus eſt COLOBIVS.

CAPVT I.
DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXores habuit *duas.*

PRIOR eſt ἀνώνυμος. Ex hac ſuſcepit filium *Gallienum*, in Imperio ſucceſſorem.

POSTERIOR fuit MARIANA, ex ea ſuſcepit *P. Cornelium Licinium Valerianum Juniorem.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Ante Imperium.*

Valerianus ſub *Decio Cenſor* factus eſt. De cujus cenſura pulchra exſtat narratio apud *Trebell. Poll. §. 1.* Cum deliberatio inſtituta eſſet, cui cenſura deferri deberet, (nam id *Decius Imp.* in Senatus poteſtate poſuerat) primus Prætor edixit: *Quid vobis videtur P. C. de cenſore deligendo?* Atque cum, qui erat Senatus Princeps, rogaſſet, abſente *Valeriano:* (nam ille in procinctu ſuo cum *Decio* agebat) omnes una voce dixerunt, interrupto more dicendæ ſententiæ; *Valeriani* vita cenſura eſt. Ille de omnibus judicet, qui eſt omnibus melior. Ille de Senatu judicet, qui nullum habet crimen. Ille de vita ſententiam ferat noſtra, cui nihil poteſt objici. *Valerianus* in tota vita ſua cenſor fuit. Prudens Senator, modeſtus Senator, gravis Senator. Amicus bonorum, inimicus tyrannorum: hoſtis criminum, hoſtis vitiorum. Hunc cenſorem omnes accipimus, hunc imitari omnes volumus. Primus genere, nobilis ſanguine, emendatus vita, doctrina clarus, moribus ſingularis, exemplum antiquitatis.

Hoc S. C. ubi *Decius* accepit, in conventu ſummorum virorum, præſente etiam *Valeriano*, legi juſſit: *Felicem te*, inquit, *Valeriane*, Senatus ſententia, imo animis atque pectoribus: totius orbis humani ſuſcipe cenſuram, quam tibi detulit Romana reſp. quam ſolus mereris, judicaturus de moribus noſtris. Tu æſtimabis qui manere in curia debeant, tu equeſtrem ordinem in antiquum ſtatum rediges, tu cenſibus modum pones, tu vectigalia firmabis, divides ſtatum, reſpublicas recenſebis: Tibi legum ſcribendarum authoritas dabitur: tibi de ordinibus militum judicandum eſt: tu arma reſpicies: tu de noſtro palatio, tu de judicibus, tu de præfectis eminentiſſimis judicabis. Excepto denique Præfecto urbis Romæ, exceptis Coss. ordinariis, & ſacrorum rege, ac maxima virgine Veſtalium, (ſi tamen incorrupta manebit) de omnibus ſententias feres. Laborabunt autem & illi ut tibi placeant, de quibus non potes judicare. *Hæc Decius. Ad quæ Valerianus* reſpondit: Quæſo, ſanctiſſime Imperator, ne ad hanc neceſſitatem me alliges, ut ego judicem de populo, de militibus, de Senatu, de omni penitus orbe, judicibus, & tribunis ac Ducibus. Hæc ſunt, propter quæ Auguſtum nomen tenetis: apud vos cenſura reſedit: Non poteſt hoc implere privatus. Veniam igitur ejus honoris peto, cui vita impar eſt confidentia, cui tempora ſic repugnant, ut cenſuram hominum natura non quærat.

II. *Electio ad Imperium.*

Valerianus à militibus Imperator electus eſt, acta prope jam ætate. Annorum enim 70 erat, & vita ſuperiori omnibus probatus, magnoque in honore habitus fuerat. Itaque ad ſupremum illud honorum ac potentiæ faſtigium aſcendit, teſte *Pollione*, non (ut ſolet) tumultuario populi concurſu, non militum ſtrepitu; ſed jure meritorum, & quaſi ex totius orbis una ſententia. Hic filium *Valerianum* juniorem & filium *Gallienum* Imperii ſocios ſumſit.

Valerianus filius *junior* circa Mediolanum ſepultus eſt. *Trebell. Poll.*

III. *Acta in Imperio.*

I. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Initio Imperii non malus Imperator fuit, & innocentis vitæ, Chriſtianis amicus: Et quidem eos tanta clementia complectebatur, (tametſi ipſe Chriſtianus non eſſet) ut tota illius aula referta eſſet

Chriſtianis. Poſtea vero depravatus eſt, & à veritate dejectus per quendam doctorem peſſimum, magiſtrum, Principem Ægyptiorum Magorum, ut in Chriſtianos ſæviret. Eo quod intelligebat, Magicas incantationes & Satanicas præſtigias (quibus ipſe delectabatur) Chriſtianorum præſentia impediri, diſſipari atque confundi. Eo enim inſaniæ progreſſus Imper. ut abominanda ſacrificia perficerer, pueros mactaret, infelicium parentum liberos immolaret, nuper nata viſcera ſcrutaretur, & figmenta Dei, quaſi ex hiſce facinoribus fortunatus, dirimeret ac reſcinderet. *Euſebius lib. 7. c. 9. Eccleſ. Hiſtor.*

Martyres ſub *eo*.

I. MARINUS, vir militaris, Hieroſolymorum civis, honore & divitiis clarus: cum ſub Valeriano inter collegas ſuos ad honoris gradum altiorem eveheretur, quidam ex collegis obliqua agitatus invidia, non poſſe *Marinum* ſuperiorem adipiſci honorem, exclamat, eo quod eſſet Chriſtianus. Interrogatur ergo à judice *Marinus*, num ita ſe res haberet? Ille ita eſſe, & vere ſe eſſe Chriſtianum, clariſſima voce teſtatur. Tres igitur ei deliberandi horæ decernuntur à judice. Cumque à tribunalibus fuiſſet egreſſus, Theotecnus Epiſcopus Cæſarienſis, apprehenſa manu ejus, perducit eum ad ædem ſacram, ibique multis verbis in fide confirmans, & tandem gladium (quo militarem dignitatem deſignabat) ei oſtendens, & librum (Euangelium) rurſus offerens, utrum è duobus iſtis mallet, interrogat. Marinus vero promtiſſima fide cum manum ad Euangelium tetendiſſet; Obtine (inquit Theotecnus) quod elegiſti, ô fili, & contemnens præſentem vitam, æternam ſperato, confidens perge & ſuſcipe coronam, quam tibi Dominus præparavit. Regreſſus continuo ad tribunal evocatur per præconem: aderat enim tempus ſtatutum. Ille vero nec moras patitur, nec exſpectat interrogantem, ſed continuo ſibi & deliberatum aſſerit, & ex paternis legibus confirmatum, quod Deo obtemperare oporteat magis, quam hominibus. Quem judex illico capite puniendum pro tali reſponſione pronunciat. *Euſebius l. 7. cap. 12.*

II. *Cyprianus*, Epiſcopus Carthaginenſis, (in cujus ſcriptis ſingula prope verba ſpirant martyrium) capite truncatus, Martyrii coronam & gloriam obtinuit, A. C. 258.

III. Sub Imperio Valeriani & Gallieni 300 ſimul Carthagine, vitæ huic caducæ Chriſtum & veritatem præferentes, Martyrii gloriam conſecuti ſunt. Præfectus ſiquidem civitatis, haud procul à fornace calcaria, prunas & thus poni juſſit, & iis, quos Chriſtianæ fidei nomine ſuſpectos habebat, præcepit, ut vel in honorem Jovis prunis thus injicerent, vel in calcariam illam fornacem ſe præcipites darent. Ibi omnes ex ardenti pietatis zelo in fornacem ſe ipſos ultro & citra ullam moram conjecerunt, ubi ex calcis fumo & pulvere ſuffocati ſunt. *Henricus de Erfford. & Vincent.*

II. *ACTA POLITICA.*

Juſtitiæ amantiſſimus fuit. Nam ut juſtitia commutativa vigeret, confici juſſit modium ex orichalco, idque in foro Conſtantinopolitano ſuſpendi, ut juſta menſura in commerciis moderaretur: Quibuſdam etiam, qui falſa menſura uſi fuiſſent, manus abſcindi & publico palo affigi juſſit. *Suidas.*

III. *ACTA POLITICA.*

Poſtquam Chriſtianos perſequi cœpit, omnis ejus fortuna & felicitas evanuit. Nam undique in Imperio Romano ſeditiones & bella oriebantur.

I. *Germanorum in Italiam irruptio*, qui uſque ad Ravennam progredientes, omnia paſſim vaſtabant ferro flammiſque. *Sebaſt. Franc.*

II. *Vicarius* ejus *Claudius*, infenſiſſimus Chriſtianorum hoſtis & perſecutor, à Diabolo obſeſſus ita torquebatur, ut blaſphemam linguam ſibi ipſi mordendo truncaret, & tandem à Diabolo interficeretur. *Henricus de Erfford. lib. 6. cap. 27.*

III. *Perſarum irruptio*, contra quos ipſe Valerianus anno quarto Imperii in Orientem profectus, ubi proditione *Macriani* Ducis clade ingenti afficitur, ipſe poſtea ſive nimium credulus, ſive alias proditus, à Perſis captus eſt.

CAPUT III.

DE EGRESSU.

Valerianus dignum crudelitate ſua exitum habuit. Nam cum quadriennium imperaſſet, à Perſarum Rege *Sapore* victus & captus, apud Parthos miſerabili perpetuaque ſervitute conſenuit. Rex enim equum conſcenſurus, *Valeriani* cervice incurvata pro ſcabello uti ſolitus eſt, ita ut *Valerianus* Regem non manu, ſed dorſo attollere cogeretur, nec ullis precibus aut pretio in libertatem poſſet reſtitui: ſed tandem excoriatus & ſale conſperſus, miſerrime periit. *Agathias l. 4. de bell. Goth.*

Hic *Valerianus* humanæ fragilitatis & calamitatis ſpeculum fuit. Nam ut nullum Principem unquam majori favore orbis accepit, quam Valerianum: ſic nullus eo calamitoſior Romano Imperio præfuit.

XXXIV. IMPERATOR ROM.
P. LICINIVS GALLIENVS.

CAPVT I.
DE ORTV.

GALLIENVS Valeriani Imp. filius fuit, à quo cum conſenſu Senatus creatus eſt.

CAPVT II.
DE PROGRESSV.

I. ACTA IVVENTVTIS, *ejuſque educatio.*

1. BEne à patre educatus, & ſtudiis egregie excultus fuit. Fuit nempe oratione, poëmate atque omnibus artibus clarus. Hujus eſt illud epithalamium, quod inter centum poëtas præcipuum fuit. Nam cum fratrum ſuorum filios jungeret, & omnes Poëtæ Græci Latinique epithalamia dixiſſent, idque per dies plurimos, cum ille manus ſponſorum teneret, ut quidam dicunt, ita dixiſſe fertur:

Ite, ait, ô pueri, pariter ſudate medullis
Omnibus inter vos: non murmura veſtra columbæ,
Brachia non hedera, non vincunt oſcula concha.

AXIOMA.

Non decet eruditio Principem, quæ à juſtitiæ, gravitatis, fortitudinis & vigilantiæ ſtudio ſejuncta eſt. Quid enim turpius, quam ſi audias, bonus poëta, malus Princeps? Nam aliud in Imperatore quæritur, aliud in oratore vel poëta flagitatur.

II. *Fuit ingenioſiſſimus.*

EXEMPLA.

1. *Cum taurum* ingentem in arenam miſiſſet, exiiſſetque ad eum feriendum venator, neque perductum decies poſſet occidere, coronam venatori miſit, muſſitantibuſque cunctis, quid rei eſſet, quod homo ineptiſſimus coronaretur, ille per curionem dici juſſit, *Taurum toties non ferire difficile eſt. Trebell. Poll. in Gallieno §. 4.*

II. *Cum quidam* gemmas vitreas pro veris vendidiſſet ejus uxori, atque illa, re comperta, flagitaſſet vindictam, Cæſar juſſit hominem corripi, quaſi leoni objecturus. Deinde in caveam, dum populus exſpectat horribilem leonem, proſiliit capus. Cunctis rem tam ridiculam mirantibus, per curionem dici juſſit: *Impoſturam fecit, & paſſus eſt.* Eadem opera fefellit impoſtorem, & irriſit uxorem. *C. Rhodig. lib. 6. cap. 26.* putabat, ſatis eſſe, quod cum terrore, & terribilis mortis exſpectatione cruciaſſet. *Eraſmus in Apophth. pag. 492.*

II. *ACTA OECONOMICA.*

VXOR ejus fuit PIPA; uti à *Sexto Aurel. Victore*, vel PIPARA, uti à *Trebell. Pollione* vocatur. Hanc per pactionem, conceſſa parte ſuperioris Pannoniæ a patre Marcomannorum Rege, duxit. Ex qua ſuſcepit duos filios.

1. *Cornelium Valerianum*, quem Avus *Licinius Valerianus* Cæſarem fecit. *Sextus Aurelius Victor.*

2. *Gallienum Saloninum*, ſic dictum à patre & Avo. Nam fuit filius *Gallieni*: & nepos *Valeriani. Trebell. Poll. §. 1. Saloninus* dictus 1. vel *ab urbe Salonis*, quia in ea natus fuerat, vel 2. *à matre Salonina. Trebell. Poll. in Gallieno §. 1.* Hunc *Gallienum Saloninum* Pater in locum Cornelii filii ſui ſubrogavit. *Sextus Aurelius Victor.*

Hic in juventute *ludicum furtum commiſit.* Nam cum cingula ſua plerique militantium, qui ad convivium venerant, ponerent hora convivii, *Saloninus* puer, ſive Gallienus, his auratos conſtellatoſque baltheos rapuiſſe perhibetur. Et cum eſſet difficile in aula Palatina requirere quod periiſſet, ac taciti militares viri detrimenta pertuliſſent, poſtea rogati ad convivium cincti accubuerunt. Cumque ab his quæreretur, cur non ſolverent cingulum, reſpondiſſe dicuntur: *Saloninо deferimus.* Atque hinc tractum morem, ut deinceps cum Imperatore cincti diſcumberent. *Trebell. Poll. in Saloninо Gallieno §. 1.*

III. *ACTA POLITICA.*

I. Togata.

I. *Imperii occupatio.*

Pater ipſum Auguſtum fecit, & poſtea à Senatu eſt confirmatus; quod infauſtum fore, Tiberis inundatio, quæ tum accidit, ſignificavit. *Sext. Aurel. §. 1.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

Initio Imperium feliciter, mox commode, & ad ultimum pernicioſe geſſit. Nam juvenis in Gallia & Illyrico multa ſtrenue fecit, occiſo apud Murſiam *Ingenuo*, (qui purpuram ſumſerat) & *Trebelliano.* Diu placidus & quietus: mox in omnem laſciviam diſſolutus, tenendæ Reipubl. habenas probroſa ignavia & deſperatione relaxavit.

Vitia

Vitia ejus.

I. *Ingratitudo erga Parentem captivum deteſtanda.*

Cum SAPOR Rex Perſarum Valerianum captivum detineret, multi pro ipſo Principes intercesſere, ut eum libertati reſtituerent. His igitur atque ſimilibus Regem Perſarum argumentis hortati ſunt. Quia 1. vel fato, vel virtute gens Romana plurimum poſſit, videret, ne, quod ſenem Imperatorem cepiſſet, & id quidem fraude, male ſibi cederet poſterisque ſuis. Nam & *Gallos*, qui olim Romanos viciſſent, & urbem incendiſſent, *Aſros* quoque ſæpe à Romanis victoriam reportaſſe, nunc tamen Romanis ſervire: & *Mithridatem* Ponticum totam *Aſiam* tenuiſſe, & à Romanis tamen victum eſſe, quorum jam ſit *Aſia*. 2. Romanos item graviores tunc eſſe, quando vincuntur. 3. *Valeriano* eſſe etiam filium Imperatorem, & nepotem Cæſarem. 4. Eſſe præterea omnem orbem illum Romanum, qui totus contra *Saporem* inſurrecturus ſit. Vnum ergo ſenem cepiſti, & omnes gentes orbis terrarum infeſtiſſimas tibi feciſti.

Bellum igitur *Odenatus Rex Palmyrenorum* in vindictam *Valeriani* Perſis indixit. Nisibin & Carras ſtatim occupat, tradentibus ſeſe *Niſibenis* atque *Carrenis*, & increpantibus *Gallienum*. Nec defuit tamen reverentia *Odenati* erga *Gallienum*. Nam captos ſatrapas inſultandi prope gratia & oſtentandi ſui ad eum miſit. Qui cum Romam deducti eſſent, vincente *Odenato* triumphavit *Gallienus*, nulla mentione patris facta, tantum abfuit, ut quidquam pro patre auderet, ut etiam de captivitate ejus gaudere potius videretur. Vagabantur exercitus, murmurabant Duces, omnes in mœrore erant, quod Imperator Romanus in Perſide ſerviliter teneretur.

Vbi de Valeriano patre, quod mortuus eſſet, comperit: Id quod Philoſophorum optimus de filio amiſſo dixiſſe fertur: *Sciebam me genuiſſe mortalem.* Ille dixit: *Sciebam patrem meum mortalem eſſe.*

II. *Luxuria & miſeranda* Solertia *in* Victu & Amictu.

Gallienus natus abdomini & voluptatibus, dies & noctes vino ſtupriſque perdidit orbem terrarum. Ab iis qui circum eum erant requirebat: *Ecquid habemus in prandio? & qua voluptates parata ſunt? Et qualis cras erit cœna? quales Circenſes?* Sic confecto itinere, celebratiſque hecatombis, ad domum regiam rediit: conviviiſque & epulis depulſis, alios dies voluptatibus publicis deputabat. Tempore veris cubicula de roſis fecit: De pomis caſtella compoſuit: Uvas triennio ſervavit. Hyeme ſumma melones exhibuit. Muſtum, quemadmodum toto anno haberetur, docuit. Ficos viridis, & poma ex arboribus recentia, ſemper alienis mentibus præbuit. Mantilibus aureis ſemper ſtravit. Gemmata vaſa fecit, eademque aurea. Crinibus ſuis auri ſcobem aſperſit, radiatus ſæpe proceſſit. Cum chlamyde purpurea gemmatiſque fibulis, & aureis, Romæ viſus eſt, ubi ſemper togati Principes videbantur: purpuream tunicam aureatamque virilem, eandemque manicatam habuit. Gemmato baltheo uſus eſt, caligas gemmatas annexuit. *Trebell. Pollio* §. 3. & 6.

III. *Prodigalitas.*

Lavit die ſeptimo æſtate, vel ſexto: hyeme ſecundo vel tertio. Bibit ex aureis ſemper poculis, aſpernatus vitrum, dicens, nil eſſe eo communius. Semper vina variavit. Neque unquam in uno convivio ex uno vino duo pocula bibit. *Trebell. Pollio* §. 6.

IV. *Immanitas & crudelitas.*

Nimiæ in milites crudelitatis fuit. Nam & terna millia, & quaterna militum ſingulis diebus occidit. *ibidem.*

V. *Scurrilitas.*

Patet ex jocis intempeſtivis.

1. *De morte patris*, cum eum diem ſuum obiiſſe comperiſſet, dixit: *Sciebam patrem meum eſſe mortalem.*

2. *Cum Rex Perſarum*, quaſi captivus, per pompam duceretur, quidam ſcurræ miſcuerunt ſe Perſis, diligentiſſime ſcrutantes omnia, atque uniuſcujuſque vultum mira inhiatione rimantes. A quibus cum quæreretur quidnam agerent illa ſolertia; illi reſponderunt: *Patrem Principis quærimus.* Quod cum ad Gallienum perveniſſet, non pudore, non mœrore, non pietate commotus eſt, ſcurraſque juſſit vivos exuri. Quod populus factum triſtius, quam quiſquam æſtimat, tulit: Milites vero ita doluerunt, ut non multo poſt vicem rederent, *Trebell Pollio* §. 3. Ita ſcurra publicus à privatis ſcurris irriſus, quorum nugæ flebiles. Nec enim tutum tyranno illudere.

3. *Provinciarum defectionem*, quaſi leviſſimam rerum jacturam, joco ſolitus eludere. Cum enim nunciatum eſſet, Ægyptum deſciviſſe, *Quid? Sine lino Ægyptio eſſe non poſſumus?* Dum Aſiam vaſtatam comperiſſet: *Quid*, inquit, *ſine deliciis*

Aſiæ

Aſia eſſe non poſſumus? Perdita Gallia arriſit, dixitque: *Num ſine trabeatis ſagis tuta Reſpublica non eſt?* Peſſimi Principis voces, cui quidlibet potius eſt Republ. *Trebell. Pollio.*

Ah miſer Princeps in incendio Reip. ſcurriliter jocatur. At bonus Princeps eſt *συμπαθὴς*. Vnde SOLI comparatur. Nam *Solis* partes ſunt, illuſtrare radiis orbem: Principis vero virtus eſt, egenorum miſereri. Porro is clarior eſt Imperator, qui pius eſt. Ille namque cedit ſuccedenti nocti: hic autem rapacitati pravorum non concedit indulgere quicquam, ſed lumine veritatis iniquitatis occulta coarguit.

VI. Subita Audacia.

Erat in Gallieno ſubitæ virtutis audacia: nam aliquando injuriis graviter movebatur. Denique ad vindictam Byzantiorum proceſſit. Et cum non putaret recipi ſe poſſe muris, receptus alio die omnes milites inermes, armatorum corona circumdatos, interemit, fracto fœdere quod promiſerat. *Trebell. Pollio in Gallienis §. 3.*

VII. Ineptia.

Interfectis militibus apud Byzantium, quaſi magnum aliquid geſſiſſet, Romam curſu rapido convolavit: convocatiſque patribus, decennia celebravit, novo genere ludorum, nova ſpecie pomparum, exquiſito genere voluptatum, quas *Trebell. Pollio in Gallieno §. 3.* fuſius deſcribit. Vnde videmus, quod perſonati Principes larvis delectentur.

VIII. Ambitio & ſuperbia.

Statuam ſibi majorem coloſſo fieri præcepit Solis habitu, ſed ea imperfecta periit. *Trebell. Pollio §. 6.* Stulta hæc ambitio Gallieni fuit. Non enim ſtatuæ, ſed virtutes hominem nobilitant: & ridiculi ſunt, qui mortuis lapidibus ſibi famam & decus parare conantur.

IX. Socordia & neglecta Reip. cura.

Hinc ſub Gallieno luctuoſa Imperii facies fuit. Nam Terræ motus, & hiatus horrendi, diluvia, peſtilentia, bella tam interna quam externa, undique Romanum Imperium afflixerunt. Neque id mirum: Quia cœlum & terra ſub ignavorum Principum & ſeditioſorum ſubditorum pondere fatiſcunt, impioſque ad pœnas debitas pertrahunt. Nonne enim horrendum eſt, quod ſub Gallieni ignavi & luxurioſi Principis Imperio, non uno, ſed plurimis ac diverſis locis, 30 Trajani extiterint, qui ejus contemtu Imperium occuparunt? Quorum hic eſt Catalogus.

I. CYRIADES.
II. POSTHVMVS.
III. POSTHVMVS *junior.*
IV. LOLLIANVS.
V. VICTORINVS
VI. VICTORINVS *junior.*
VII. MARIVS.
VIII. INGENVVS.
IX. REGILLIANVS.
X. AVRELIVS.
XI. MACRIANVS.
XII. MACRIANVS *junior.*
XIII. QVIETVS.
XIV. ODENATVS.
XV. HERODES, *Odenati filius.*
XVI. MOENIVS.
XVII. BALISTA.
XVIII. VALENS.
XIX. PISO.
XX. ÆMYLIANVS.
XXI. SATVRNINVS.
XXII. TETRICVS *ſenior.*
XXIII. TETRICVS *junior.*
XXIV. TREBELLIANVS.
XXV. HERENNIANVS.
XXVI. TIMOLAVS.
XXVII. CELSVS.
XXVIII. ZENOBIA.
XXIX. VICTORINA.
XXX. CENSORINVS.

IV. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Gallienus initio imperii una cum Patre Valeriano Eccleſiam perſecutus eſt, uti patet ex ſexto hymno *Prudentii*, quo deſcribit *Fructuoſi* Epiſcopi martyrium, & inter cætera ſic canit:

Iuſſum eſt Cæſaris ore Gallieni,
Quod Princeps colit, ut colamus omnes.
Æternum colo Principem, dierum
Factorem, dominumque Gallieni.

Ipſe patris ſui calamitate motus, manifeſtoque Dei judicio territus, pacem Eccleſiæ reddidit: & edictis divulgatis perſecutionem relaxavit: quorum unum recitatur ab Euſebio his verbis: Imperator Cæſar P. Licinius Gallienus, Pius, Fortunatus, Auguſtus, Dionyſio, & Pinnæ, & Demetrio, ac reliquis Epiſcopis. Beneficentiam doni mei per univerſum mundum publicari mandavi; ut à locis, qui diſciplinæ gratia detinentur, diſcedant: & ob hanc cauſam etiam vos exemplo hujus reſcripti mei uti poteſtis; ne quiſquam negotium vobis faceſſat: & hoc, quod à vobis licite perfici poteſt, jam diu antea eſt à me conceſſum. Quapropter Aurelius

Cyrenius, qui maximo negotio præeſt, exemplar à me datum cuſtodit. Extat & alia quædam illius conſtitutio: quam ad alios Epiſcopos miſit, permittens eis loca ea recipere, quæ Cœmeteria vocantur.

CAPUT II.

DE EGRESSV.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

CVM *Claudius* ſucceſſor ejus videret, quod nullam Reipubl. curam haberet, omneſque fines à Barbaris vaſtari, ipſum hortatus eſt, ut tandem ſocordiam excuteret, & contra hoſtes proficiſceretur. *Pollio.*

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Gallienus à Claudio perſuaſus, ut contra hoſtes tandem moveret, in Gallias proficiſcitur. Vbi Macrianus & Heraclianus Duces contra eum è medio tollendum conſpirarunt, cum alias à Republica removeri non poſſet. Ideo factis inſidiis ipſum interficiunt cum fratre Valeriano & filio Gallieno apud Mediolanum, anno ætatis 50. Imperii 15. Cum patre regnavit annos 7. ſolus octo. *Sextus Aurelius Victor.*

III. ΤΑ ΠΑΡΕΠΟΜΕΝΑ.

Senatus interitum *Gallieni* graviter tulit, ideoque de parricidis vindictam ſumere voluit; ſed invito *Claudio*, tum quia vulgi in Gallienum odia extitere, id efficere non potuit. *Victor, Pollio.*

XXXV. IMPERATOR ROM.

CLAVDIVS, *& Frater ejus* QVINTILLVS.

CAPUT I.

DE ORTV.

CLAVDIVS è Dalmatis fuit oriundus. Plerique putant eum Gordiano ſatum, dum ille adoleſcens à muliere Matura inſtitueretur ad uxorem. *Sextus Aurelius Victor.*

Duos habuit *fratres*, QVINTILLVM & CRISPVM. *Claudio* nulli filii fuere. *Quintillus duos* reliquit. CRISPVS habuit filiam CLAVDIAM, ex ea & Eutropio, nobiliſſimo gentis Dardanæ viro, *Conſtantius* Cæſar eſt genitus. *Trebell. Pollio in Claudio §. 4.*

II. *Appellatio.*

Vocatur MARCVS AVRELIVS CLAVDIVS, uti eum *Pomp. Lætus* nominat.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ, & MORES.

CLAVDIVS inſignis morum gravitate, inſignis vita ſingulari, & unica caſtimonia, vini parcus, ad cibum promtus, ſtatura procerus, oculis ardentibus, lato & pleno vultu; digitis uſque adeo fortibus, ut ſæpe equis & mulis ictu pugni dentes excuſſerit. Fecerat hoc etiam adoleſcens in militia, cum ludicro Martiali in campo luctamen inter fortiſſimos quoſque monſtraret. Nam iratus ei, qui non balteum ſed genitalia ſibi contorſerat, omnes dentes uno pugno excuſſit. *Pollio §. 4.*

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Ante Imperium.*

Priuſquam ad Imperium perveniret, ingentia habuit Senatus judicia. Nam cum eſſet nunciatum illum cum *Macriano* fortiter contra gentes in Illyrico dimicaſſe, acclamavit Senatus: Claudi, Dux fortiſſime, habeas virtutibus tuis, devotioni tuæ. Claudio ſtatuam omnes dicamus. Claudium Conſulem omnes cupimus. Qui amat Rempubl. ſic agit. Antiqui milites ſic egerunt. Felicem te Claudi judicio Principum, felicem te virtutibus tuis: Conſulem te, te Præfectum. *Pollio §. 5.*

I. *Imperii occupatio.*

1. *Gallieni* morientis ſententia *Imperator* deſignatus eſt. *Sextus Aurelius Victor.*

2. *Milites*, quos fere contra ingenium perditæ res recta conſulere ſubigunt, ubi afflicta omnia perſpexere, avide approbarunt. *Sextus Aurelius Victor.*

3. *A Senatu* itidem confirmatus, qui ingenti eum honore decoravit: ſcilicet ut in curia clypeus ipſi aureus, item in Capitolio ſtatua aurea poneretur. *Eutropius Breviarii l. 9.*

Senatus acclamationes honorificæ in *Claudium.*

Cum nunciatum eſſet Claudium Imperatorem factum, hæc in illum dicta ſunt: Auguſte *Claudi*, Dii te nobis præſtent: (dictum ſexagies.) *Claudi* Auguſte, Principem te, aut qualis tu es, ſemper optavimus: (dictum quadragies.) *Claudi* Auguſte, te reſp. requirebat: (dictum quadragies.) *Claudi* Auguſte, tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus Senator, tu vere Princeps: (dictum octuagies.) *Claudi* Auguſte, tu nos ab Aureolo vindica: (dictum quinquies.) *Claudi* Auguſte, tu nos à Palmyrenis vindica: (dictum quinquies.) *Claudi* Auguſte, tu nos

à Zeno-

à Zenobia & à Victoria libera: (dictum ſepties.) *Claudi* Auguſte, *Tetricus* nihil fuit: (dictum ſepties.) *Trebell. Pollio in Claudio* §. 4.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

Fuit boni Principis decus. Nam ita de eo ſcribit *Trebell. Pollio* §. 1. Quid magnum viri ille domi foriſque non habuit? Amavit parentes. Quid mirum? Amavit & fratres. Jam poteſt dignum eſſe miraculo. Amavit propinquos: res noſtris temporibus comparanda miraculo. Invidit nulli, malos perſecutus eſt. Fures judices palam aperteque damnavit. Stultis, quaſi negligeret, indulſit. Leges optimas dedit. Talis in rep. fuit, ut ejus ſtirpem ad Imperium ſummi Principes eligerent, emendatior Senatus optaret. Ipſe ſi diutius in Imperio vixiſſet, Scipiones bonos & Camillos, omneſque illos veteres ſuis virtutibus, ſuis conſiliis, ſua prudentia reddidiſſet.

Frugalitatem amavit.

Nam *Cuſpin.* de eo ſcribit, ipſum in cibo ac potu adeo moderatum fuiſſe, ut omnibus admirationi fuerit.

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Deliberatio de ordine belli.* Illud etiam in *Claudio* memorabile, quod accepto Imperio, cum in Senatu variarent ſententiæ, utri prius bello occurreret, tyrannorum, an Gothorum? Gothos cenſuit prius aggrediendos, quod hi Reipublicæ hoſtes, Tyranni Principis eſſent. *Egnatius.*

II. *Aureolum* tyrannum, conflictu habito, à Reipublicæ gubernaculis depulit. *Aurelius Victor.*

III. *Bellum contra Scythas, & Sarmatas, Illyricum, Macedoniam*, & loca vicina vaſtantes ſuſcepit. Scythæ enim collectis auxiliis, aſſumtis Herulis, Peucis & Gothis, ſex millibus navibus, cum 320 millibus militum in Mœſiam veniunt. Claudius etſi deſtitueretur militibus (quod *Tetricus* obineret Gallias & Hiſpanias; ubi erant vires Imperii, & *Zenobia* in Oriente ſagittarios haberet:) tamen contra Scythas profectus eſt, & binis prœliis cum iis certavit, & in Mœſia & ad Marcianopolin: ubi etiam multi Gothi periere, tot fœminæ captæ ſunt; ut ſinguli milites vel ternas haberent captivas: nec regio in Romano Imperio fuit, quæ non haberet ſervum Gothum. *Trebell. Pollio.*

De eo bello ipſe ad Senatum ſcripſit, quæ epiſtola extat apud *Trebell. Pollionem* §. 3. P. C. militantes audite, quod verum eſt: Trecenta viginti millia Barbarorum in Romanum ſolum armati venerunt. Hæc ſi vicero, vos vicem reddite meritis: ſi non vicero, ſcitote, me poſt Gallienum velle pugnare. Et quia non ſcuto, non ſpathæ, non pila jam ſuperſunt, Republ. fatigata à plurimis, qui contemtu Gallieni Principis defecerunt.

Extat & *ibidem Epiſtola*, quam *Claudius*, Barbaris devictis, ad *Junium Brocchum* ſcripſit. Verba ita ſonant: Delevimus 320 millia Gothorum, duo millia navium merſimus. Tecta ſunt flumina ſcutis, ſpathis & lanceolis omnia littora operiuntur. Campi oſſibus latent tecti, nullum iter purum eſt, ingens carrago deſerta eſt. Tantum mulierum numerum cepimus, ut binas & ternas mulieres victor ſibi miles poſſit adjungere.

IV. *Bellum contra Alemannos Claudius*, exſtincto *Aureolo*, receptis legionibus adverſus aciem Alemannorum haud procul à lacu BENACO tantam multitudinem fudit, ut ægre pars dimidia ſuperfuerit. *Aurelius Victor.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Vincentius de eo ſcribit, quod acerbam contra Chriſtianos moverit perſecutionem. Nam 272 Chriſtianos extra muros Salatiæ educi, in amphitheatro includi, & à militibus transfodi curavit, Milites præterea 46, à Dionyſio Romano Epiſcopo baptizatos, capitibus plecti, & in eodem ſtatim loco terræ mandari præcepit. Item 121 propter Chriſtianæ fidei confeſſionem martyrio affecit. *Oſiand. Hiſtor. Eccleſ. cent.* 3. *l.* 3. *c.* 25.

CAP. III.

DE EGRESSV.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

Claudius priuſquam Syrmii decederet, convocatis Ducibus, Tribunis & præfectis, de eligendo poſt ipſum Imperatore, longa orationis ſerie Aurelianum probavit, eumque exercitus mox elegit. *Pompon. Lætus.*

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Mortuus eſt Claudius Syrmii in Pannonia ex morbo gravi & contagioſo. anno C. 270. cum imperaſſet annum unum & menſes novem. *Sextus Aurel. Victor.*

III. Τὰ ΠΑΡΕΠΟΜΕΝΑ.

Honor illi à Senatu habitus. Nam illi clypeus aureus poſt mortem totius Senatus judicio in Romana curia collocatus. Expreſſa thorace vultus ejus imago. Illi populus Romanus ſumtu ſuo in Capitolio ante Iovis optimi maximi templum ſtatuam auream decem pedum collocavit. Præterea totius orbis judicio illi in roſtris poſita eſt columna, cum palmata ſtatua ſuperfixa, librarum argenti mille quingentarum. *Pollio* §. 2.

ELOGIVM *ejus.*

Senatus populuſque Roman. illum, ante, in & poſt Imperium ſic dilexit, ut neque Trajanus, neque Antoninus, nec quiſquam alius Princeps ſic amatus ſit. *Idem* §. 5.

QVINTILLVS, *Frater ejus.*

Poſt obitum Claudii frater ejus QVINTILLVS, vir ſanctus, & virtute, moderatione, innocentia *Claudio* fratre non inferior, delatum ſibi omnium judicio ſuſcepit Imperium, non hæreditarium, ſed merito virtutum: Qui factus eſſet Imperator, etiamſi frater Claudii Principis non fuiſſet. *Trebell. Pollio.* §. 4.

Oraculi reſponſum de eo.

Cum frater *Claudius* in Apennino de *Quintillo* Oraculum conſuleret, reſponſum hujuſmodi accepit:

Oſtendent terris hunc tantum fata.

Auguſtum eum Senatus appellavit. Sed cum Aureliani viribus, quem milites Imperatorem fecerant, ſe imparem videret, qui ad urbem adventare nunciabatur, venas ſolvit, atque ita die 18 Imperii deceſſit. Alii, ut Pollio, Eutropius & Caſſiodorus, ſcribunt, quod ſe gravem & ſerium contra milites oſtendiſſet, ac verum Principem præ ſe ferret, eo mortis genere, quo Galba & Pertinax periere, interemtum eſſe.

Plura de eo non exſtant Nam ob brevitatem temporis, nihil dignum Imperio gerere potuit, *&c.*

XXXVI. IMPERATOR. ROM.
VALERIVS AVRELIANVS.

CAPVT I.
DE ORTV.

AVRELIANVS familia obſcuriore ortus. PATER enim ejus fuit *edituus* in Pannonia. *Strig. part.* 1. *Locor. pag.* 94. *Flav. Vopiſc.* vero ſcribit §. 2, eum Dacia ſive Mœſia oriundum, patre, Aurelii clariſſimi Senatoris colono inter Daciam & Macedoniam, genitum eſſe.

MATER ſacerdos fuit templi Solis in eo vico, ubi cum marito habitavit, divinationum aliquid habens, adeo ut propter prodigia & auſpicia, quæ filio puero multa contingebant, (quæ apud *Flavium Vopiſc.* §. 2. extant) Imperium ejus ominata fuerit: & aliquando cum marito jurgata, cum ejus & ſtultitiam increparet, & vilitatem, eruperit in hanc vocem: *En Imperatoris patrem.*

AXIOMA.

Multi ex obſcuris parentibus nati, ad ſummas dignitates atque honores evecti ſunt.

EXEMPLA habemus.

I. *In Aureliano* noſtro, cujus virtus ac fama toti orbi terrarum perſpecta fuit; & tamen ejus patria propter ignobilitatem adhuc in occulto manet, cum quidam in Sirmia, nonnulli in Mœſia, alii in Dacia, oriundum eſſe dicunt.

II. *In M. Iulio Licinio Imper.*, qui in Dacia progenitus patre admodum inope agricola: imo & is aliquo tempore patrem in aratione cultuque agrorum adjuvit.

III. *In Maximo Pupieno Imperatore*, qui fabri ferrarii, vel qui plauſtra conficiebat, filius fuiſſe perhibetur.

IV. *In Davide*, qui ex paſtore Rex factus.

V. *In P. Ælio Pertinace Imperatore*, qui patre libertino, atque eodem mercatore, natus eſt.

Non enim refert de magnis Principibus ſcire, ubi quiſque ſit genitus, ſed qualis in Republ. fuerit.

CAPVT II.
DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ, *& Natura.*

FVit decorus, & gratia viriliter ſpecioſus: ſtatura procerior, nervis validiſſimis, vini & cibi paulo cupidior, libidinis raræ, ſeveritatis immenſæ, diſciplinæ ſingularis, gladii exercendi cupidus. Ab ineunte ætate ingenio vivaciſſimus, viribus clarus: nullum unquam diem prætermiſit, quamvis feſtum, quamvis vacantem, quo non ſe pilo & ſagittis, cæteriſque armorum exercerct officiis, *Flav. Vopiſc. in Aurel.* §. 2.

II. *ACTA OECONOMICA.*

I. *Aurelianus* ſolam *filiam* reliquit. Et *Aurelianus* Proconſul Africæ ejus *nepos* fuit. *Flavius Vopiſcus*, §. 10.

II. *Exercitia quotidiana.* In porticu Miliarenſi, quam in hortis Saluſtii ornaverat, quotidie equos & ſe fatigavit, quamvis non fuerit bonæ valetudinis. *Flav. Vopiſc.* §. 12.

III. *In ſervorum ſuorum delictis* caſtigandis cumprimis ſeverus extitit, dum eos, quoties peccaſſent, coram ſe cædi jubebat. *Ibidem.*

IV. *Ancillam ſuam*, quæ adulterium cum ſervo ſuo fecerat, capite punivit. *Ibidem.*

V. *Modeſtia in habitu.* Veſtem holoſericam ipſe in veſtiario ſuo non habuit, nec alteri utendam dedit. Et cum ab eo uxor ſua peteret, ut unico pallio blatteo ſerico uteretur, ille reſpondit: *Abſit ut auro fila penſentur! Flavius Vopiſcus* §. 12.

VI. *Convivium* de aſſaturis maxime fuit. Vino rubro maxime delectatus eſt. Medicum ad ſe, cum ægrotaret, nunquam vocavit, ſed ipſe inedia ſe præcipue curavit. Rarus in voluptatibus fuit, ſed mimis admodum delectatus eſt: cumprimis *Phagone* quodam, qui tam capaci gula ac ventre fuit, ut uno die ante menſam ejus aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum comederet: biberet autem infundibulo appoſito plus orca.

NOTA.

Orca 1. *Varroni* vas vinarium teres eſt, quod Itali hodie Botitacio vocant. 2. *Plinius* vocat cadum ſalſamentarium, quod Itali Batile de tonina appellant.

Similiter Bonoſum Imper. Aurelianus frequentem in aula habuit, qui bibit, quantum hominum nemo. Huic *Aurelianus* Hunilam, nobili gente Gothicam mulierem, nulla alia de cauſa uxorem dedit, quam ut ejus indicio Gothorum omnia conſilia & arcana cognoſceret. De hoc *Aurelianus* dicere ſolitus: Non ut vivat natus eſt, ſed ut bibat. Si quando legati Barbarorum ad *Bonoſum* veniſſent, ipſis propinabat ut eos inebriaret, & ab his per vinum omnia cognoſceret, & extorqueret veritatem. Quantumlibet bibiſſet, ſemper ſecurus videbatur & ſobrius. Præterea tantum mingebat, quantum biberat, ſic ut ejus veſica nunquam gravaretur. Poſtea cum à *Probo* ſuperatus laqueo vitam clauſiſſet, emanavit jocus, Amphoram pendere, non hominem. *Flavius Vopiſcus.*

Certe ejuſmodi hominum (ſi modo homines, non amphoræ doliave pertuſa, nominandi ſunt) ſepulchris inſcribendum eſſet *Epitaphium cujuſdam paraſiti*, repertum Romæ extra portam Capenam, ubi olim ſepulturarum monumenta apud veteres Romanos poſita erant: quod eſt ejuſmodi:

HERVS HIC SITVS EST OFELLIVS
BVBALVS BIBVLVS, QVI DVM
VIXIT, AVT BIBIT AVT MINXIT.
ABI PRÆCEPS.

Non multum diſſimile eſt *Epitaphium Timocreontis*, ut à *Lylio Gyraldo* ex *Athanei lib.* 10. *refertur.*

Πολλὰ πιὼν καὶ πολλὰ φαγὼν, καὶ πολλὰ κακ' εἰπὼν
Ἀνδράσιν, κεῖμαι Τιμοκρέων Ῥόδιος.

id eſt:

Multa bibens, & multa vorans, mala multaque dicens
Ipſe viris, jaceo Timocreon Rhodius.

III. *ACTA POLITICA.*

I. ACTA ANTE IMPERIVM.

I. *Adulta ætate* per gradus ad dignitates militares evectus propter inſignem virtutem bellicam. Nam erumpentes *Sarmatas* in Illyrico cum trecentis præſidiariis ſolus attrivit. *Flavius Vopiſcus* §. 2. Refert *Theoclius*, Aurelianum manu ſua bello Sarmatico uno die 41 occidiſſe. Plurimis autem & diverſis diebus ultra nongentos quinquaginta.

Cum eſſent in exercitu duo Aureliani tribuni, hic, & alius, qui cum Valeriano captus eſt, huic ſignum exercitus appoſuerat: *Manu ad ferrum*: ut ſi forte quæreretur, quis *Aurelianus* aliquid vel feciſſet, vel geſſiſſet, ſuggereretur, *Aurelianus manu ad ferrum*; atque ſic cognoſceretur. *Flavius Vopiſcus ibidem.*

II. *Diſciplinam militarem ſevere exercuit.* Nam militem, qui adulterium cum hoſpitis uxore commiſerat, ita punivit, ut duarum arborum capita inflecteret, & ad pedes militis ligaret, atque arbores ipſas ſubito dimitteret, ut ſciſſus utrinque penderet. Hinc militibus ita timori fuit, ut ſub eo, poſteaquam ſemel cum ingenti ſeveritate caſtrenſia peccata correxit, nemo peccaverit. *Flav. Vopiſcus* §. 3.

Huic *Vopiſcus* hæc verba tribuit ex epiſtola quadam militari vere aurea, ad Vicarium ſuum ſcripta: *Si vis* Tribunus eſſe, imo ſi vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat. Uvam nullus auferat, ſegetem nemo deterat: oleum, ſal, lignum, nemo exigat: annona ſua contentus ſit. De præda hoſtis, non de lacrymis provincialium, habeat: arma terſa ſint: ferramenta Samiata, calceamenta fortia. Veſtis nova veſtem veterem excludat. Stipendium

in balteo, non in popina habeat: in hoſpitiis caſte ſe gerat: qui litem fecerit, vapulabit.

Hæc epiſtola noſtri ſeculi militarem confuſionem coram Deo & hominibus graviter perſtringit atque damnat.

II. ACTA IN IMPERIO.

I. Imperii occupatio.

Aurelianus virtutis via ad faſtigium Imperii aſcendit. Nam *Claudius* Imper. bellum contra Gothos ipſi potiſſimum credidit, in quo ſecundis præliis uſus Rempubl. in integrum reſtituit. Vnde *Claudius* ipſum ſucceſſorem Imperii elegit, & ipſe ſtatim conſenſu omnium legionum factus eſt Imperator. *Vopiſc.* §. 5.

Licet enim Senatus Claudii morte nunciata fratrem ejus Quintillum Auguſtum appellaverit; tamen ipſe non diu Imperium obtinuit, quia ſibi ipſi mortem conſcivit. *Aurelianus* igitur, *Quintillo* interfecto, ſolus Imperium obtinuit. *Vopiſcus* §. 5.

II. Imperii adminiſtratio.

I. *ACTA TOGATA.*

I. *Beneficentia in amicos.* Amicos ſuos honeſte ditavit, & modice, ut miſerias paupertatis effugerent, & divitiarum invidiam patrimonii moderatione vitarent. *Vopiſcus* §. 12.

II. *Privilegia conceſſa.* Dedit facultatem, ut aureis, qui vellent, vaſis uterentur, & poculis, & ut argenteas privati haberent carrucas, cum antea æ-rata & eborata vehicula fuiſſent. *Ibidem.*

III. *Iſte primus Imperator* fuit, qui diadema capiti innexuit: gemmiſque & aurata omni veſte, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videbatur, uſus eſt. *Sextus Aurelius Victor.*

IV. Fuit ſævus & ſanguinarius, & trux omni tempore, etiam filii ſororis interfector. *Idem.*

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum* contra *Suevos* & *Sarmatas* geſſit, eoſque glorioſiſſime vicit. *Vopiſc.* §. 5.

II. *Bellum* contra *Marcomannos.* Ab his per errorem cladem accepit Nam à fronte dum ipſe non curat occurrere, ſubito eruperunt hoſtes: dumque illos à dorſo perſequi parat, omnia circa Mediolanum graviter vaſtata ſunt. Poſtea tamen ipſi quoque *Marcomanni* victi ſunt. *Ibidem.*

Calliditas Marcomannorum bellicam fortitudinem Romanam pene evertit. *Aurelianus* enim cum vellet omnibus ſimul facta exercitus ſui conſtipatione concurrere, tanta apud Placentiam clades accepta eſt, ut Romanum pene ſolveretur Imperium. Et cauſa quidem hujus periculi perfidia & calliditas Barbarici fuit motus. Nam cum congredi aperto marte non poſſent, in ſylvas ſe denſiſſimas contulerunt, atque ita Romanos veſpera incumbente turbarunt. *Flavius Vopiſc.* §. 6.

III. *Bellum* contra *urbem Tyanam* in Cappadocia ſitam. Cum Tyanam veniſſet, eamque occluſam reperiſſet, iratus dixiſſe fertur: *Canem in hoc oppido non relinquam.* Tunc & militibus acrius incumbentibus ſpe prædæ, & Heraclammone quodam, timore ne inter cæteros occideretur, patriam ſuam prodente, civitas capta eſt. Sed *Aurelianus* duo ſtatim præcipua, quorum unum ſeveritatem oſtenderet, alterum lenitatem, ex Imperatoria mente monſtravit. Nam & Heraclammonem proditorem patriæ ſuæ ſapiens victor occidit: & cum milites juxta illud dictum, quo canem ſe relicturum apud Tyanæos negaret, everſionem urbis expoſcerent, reſpondit iis: *Canem*, inquit, *negavi in hac urbe me relicturum: canes omnes occidite.* Capta autem civitas eſt miro modo. Nam cum *Heraclammon* locum oſtendiſſet aggeris naturali ſpecie tumentem, qua poſſet *Aurelianus* occultus adſcendere, ille conſcendit, atque elata purpurea chlamyde, intus civibus, foris ſe militibus oſtendit, & ita civitas capta eſt, quaſi totus in muris Aureliani fuiſſet exercitus. *Flavius Vopiſc.* §. 6.

IV. *Occupatio Antiochiæ.* Recepta Tyana, Antiochiam, propoſita omnibus impunitate, brevi apud Daphnen certamine obtinuit: atque inde præceptis quantum probatur venerabilis viri Apollonii parens, humanior atque clementior fuit. *ibidem.*

V. *Bellum* contra *Zenobiam* Reginam. Contra *Zenobiam* & *Zabam* ſociam ejus apud Emeſſam magno certamine pugnavit. Cumque Aureliani equites fatigati jam pene diſcederent, ac terga darent, ſubito vi numinis, quod poſtea proditum, hortante quadam divina forma, perpelites etiam reſtituti ſunt. Fugata eſt *Zenobia* cum *Zaba*, & pleniſſime parta victoria. Recepto igitur Orientis ſtatu, *Emeſſam* victor *Aurelianus* ingreſſus eſt, ac ſtatim ad templum *Heliogabali* tetendit, quaſi communi officio vota ſoluturus. Verum illic eam formam numinis reperit, quam in bello ſibi faventem vidit. Quare & illic templa fundavit, donariis ingentibus poſitis: & Romæ Soli templum poſuit majore honorificentia conſecratum. Poſt hæc Palmyram iter flexit, ut, ea oppugnata, laborum terminus fieret. Sed in itinere à latronibus Syris ma-

male accepto frequenter exercitu, multa perpeſſus, & in obſidione uſque ad ictum ſagittæ periclitatus eſt. Denique fatigatus, ac pro malis feſſus, *literas ad Zenobiam* miſit, deditionem illius petens, vitam promittens. Quarum exemplum hoc eſt: Aurelianus *Imper. Roman. orbis, & receptor Orientis*, Zenobiæ *cæteriſque, quos ſocietas tenet bellica. Sponte facere debuiſtis id, quod meis literis nunc jubetur: deditionem præcipio impunitate vitæ propoſita, ita ut illic* Zenobia *cum tuis agas vitam, ubi te ex Senatus ampliſſimi ſententia collocavero. Gemmas, argentum, aurum, ſericum, equos, camelos in erarium Romanum inferas. Palmyrenis ſuum jus ſervabitur. Hac epiſtola* accepta, *Zenobia* ſuperbius inſolentiuſque reſcripſit, quam ejus fortuna poſcebat. Ejus quoque epiſtolæ exemplum extat apud *Vopiſcum* §. 7. Zenobia *Regina Orientis, Aureliano Auguſto. Nemo adhuc præter te quod poſcis, literis petiit. Virtute faciendum eſt, quicquid in rebus bellicis eſt gerendum. Deditionem meam petis, quaſi neſcias Cleopatram Reginam perire maluiſſe, quam in qualibet vivere dignitate. Nobis Perſarum auxilia non deſunt, quæ jam ſperamus: pro nobis ſunt Saraceni, pro nobis Armeni. Latrones Syri exercitum tuum Aureliane viderunt: quid igitur, ſi illa venerit manus, quæ undique ſperatur? Pones profecto ſupercilium, quo nunc mihi deditionem, quaſi omnifariam victor, imperas.* His acceptis literis, *Aurelianus* non erubuit, ſed iratus eſt: ſtatimque collecto exercitu ac Ducibus ſuis, undique *Palmyram* obſedit, neque quicquam vir fortis reliquit, quod aut imperfectum videretur, aut incuratum. Nam & auxilia, quæ à Perſis miſſa fuerant, intercepit: & alas Saracenicas Armeniaſque corrupit, atque ad ſe modo ferociter, modo ſubtiliter tranſtulit, denique poſt multa certamina mulierem potentiſſimam vicit. Victa igitur *Zenobia*, cum fugeret camelis, quos dromadas vocitant, atque ad Perſas iter tenderet, equitibus miſſis eſt capta, atque in Aureliani poteſtatem deducta. Victor itaque *Aurelianus*, totiuſque jam Orientis poſſeſſor, cum in vinculis *Zenobiam* teneret cum Perſis, Armenis, Saracenis, ſuperbior atque inſolentior egit ea, quæ ratio temporis poſtulabat. *Flavius Vopiſcus* §. 7.

VI. *Expeditio in Occidentem.* Pacato Oriente in Europam rediit victor, & *Carporum* copias afflixit: unde *Carpicus* dictus: Quod cognomen, cum deforme videretur, repudiavit. Interim *Palmyreni*, qui jam victi & contuſi fuerant, *Aureliano* rebus Europenſibus occupato, rebellarunt. Itaque eo reverſus, urbem captam penitus evertit ac delevit: atque prorſus crudeliter omnem ætatem ſexumque concidit, ita ut ipſum jam cædium, quæ patratæ fuerant, pœniteret aut pigeret. Securior deinceps in Europam rediit, atque illic omnes, qui vagabantur, hoſtes virtute ſua contudit.

Sed dum Aurelianus res per Europam Aſiamque omnem ingentes ageret, *Firmus* quidam exiit, qui ſibi Ægyptum ſine inſignibus Imperii, quaſi ut eſſet civitas libera, vindicavit. Ad quem continuo Aurelianus revertit, & Ægyptum ſtatim recepit.

Hac quoque expedita difficultate, Occidentem petiit, & *Tetricum* unum de triginta tyrannis, qui Gallias adhuc obtinebat, in poteſtatem ſuam redegit, non invitum, adeoque ſponte ad ipſum tranſeuntem, quod militum petulantiam & improbitatem ferre non poſſet. *Flavius Vopiſcus* §. 8.

VII. *Triumphus.* Princeps igitur totius orbis *Aurelianus*, pacatisper Occidentem Gallis, atque undique terris, Romam iter flexit, ibique de *Zenobia* & *Tetrico*, h. e. de Oriente & Occidente, triumphum egit. *Ibidem.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Aurelianus in initio Imperii tantum abeſt, ut iniquus is aut inimicus Chriſtianis fuerit, ut ſuam etiam, in poſtrema & frequentiſſima contra Paulum Samoſatenum Synodo Antiochiæ, auctoritatem interpoſuerit: & Samoſatenum, domo Epiſcopali cedere nolentem, exire compulerit. *Euſebius l. 7. c. 30.* Attamen cum natura barbarus & ſanguinarius eſſet, (ut *Eutropius* ſcribit) adeo ut nec à propria ſororis filii cæde abſtineret: alienus tandem à Chriſtianis factus, perſecutionem in eos movere propoſuit. *Euſebius & Platina.*

CAPUT III.

DE EGRESSU.

POſtquam *Aurelianus* Romæ triumphum egiſſet, rurſus ex urbe ad bellum Vindelicum diſceſſit, ubi Bojos, (quos nunc Bohemos nominamus) oram Vindelicam populantes, repulit. Inde ad Illyricum rediit, ac Perſis bellum rurſus indixit. *Sed cum eo* proficiſceretur, fraude notarii ſui *Mneſthei* periit: (cui *Aurelianus* necem minitatus fuerat) qui ad quoſdam militares viros, amicos ipſius, nomina pertulit annotata, falſo manum ejus imitatus, tanquam *Aurelianus* ipſos pararet occidere. Itaque ut præveniretur, ab iiſdem interfectus eſt in itineris medio, quod inter Conſtantinopolin & Heraclium eſt. *Eutrop. Brev. lib. 9.*

Boji

lib. 9. Sextus Aurel. Victor. Imperavit annis v. menſib. v. *Ibid.*

Illo interfecto, cum eſſet res prodita, & ſepulchrum ingens, & templum, detulerunt ii à quibus interemtus eſt. Mors quoque ejus inulta non fuit. Nam Mneſtheus ad ſtipitem affixus, & beſtiis objectus eſt.

Senatus mortem ejus graviter tulit; gravius tamen populus Rom. qui vulgo dicebat: *Aurelianum pedagogum eſſe Senatorum. Vopiſcus §. 9.*

XXXVII. IMPERATOR ROM.
M. CLAVDIVS TACITVS,
ejuſque Frater
FLORIANVS.

CAPVT I.
DE ORTV.

I. M. CLAVDIVS TACITVS fuit vir nobilis Romanus, qui Romæ Senatoris & poſtea Conſulis officio functus erat.

II. NOMEN. Alii vocant eum *P. Annium Tacitum.* Alii *M. Aurelium Tacitum.*

CAPVT II.
DE PROGRESSV.

I. ACTA OECONOMICA.

I. *Temperantia in victu.* Ipſe vitæ fuit parciſſimæ, ita ut ſextarium vini toto die nunquam potaverit, ſæpe intra heminam. Præ omnibus oleribus affatim miniſtratis, lactucis indulſit. Somnum enim ſe mercari illa ſumtus effuſione dicebat. Amariores cibos appetivit. Balneis raro uſus eſt, atque in ſenectute validior fuit. Panem niſi ſiccum nunquam comedit, eundemque ſale & aliis rebus conditum. Menſam ſuam nunquam niſi agreſtibus opimavit. Phaſianum, niſi ſuo & ſuorum natali, & diebus feſtiſſimis, non appoſuit. *Vopiſcus §. 4.*

II. *In veſtitu modeſtia.* Togis & tunicis iiſdem eſt uſus, quibus privatus. Vxorem gemmis uti non eſt paſſus. *Vopiſcus ibidem.*

II. ACTA LITERARIA.

I. *Legit ſenex* minutulas literas ad ſtuporem: nec unquam noctem intermiſit, qua non aliquid vel ſcriberet, vel legeret, præter poſterum Calendarum diem.

II. *Cornelium Tacitum* Hiſtoricum parentem ſuum non habuit, & de eo mandata dedit, ut quotannis exemplaria aliquoties deſcriberentur, quæ legi ab omnibus poſſet. Menſem Septembrem Tacitum appellari juſſit, propterea quod eo menſe & natus, & Imperator factus eſſet. *Flavius Vopiſcus §. 4.*

III. ACTA POLITICA.

1 Imperii occupatio.

Poſt necem *Aureliani* milites ad Senatum ſcripſere, poſtulantes, ut alium Reipublicæ Principem Patres eligerent. Neque enim eorum quenquam, qui *Aurelianum* occidiſſent, Imperatorem ſe paſſuros. Senatus, qui non ignorabat, Principes à ſe electos militibus non placere, rem ad milites retulit. Qui iterum ad Senatum; iſque itidem ad milites. Dumque id ſæpius fieret, non invido, non triſti, ſed grato religioſoque certamine inter Senatum, & exercitum, interregnum per ſex vel ſeptem menſes fuit, ſic ut Reſpubl. Imperatorem, dum bonus quærebatur, non haberet. *Egnatius.* Cum autem rumor emerſiſſet, *Claudium Tacitum* Imperatorem eſſe faciendum, diſceſſit ille Roma, atque in Campania duobus menſibus fuit. Sed inde deductus, illi Senatus conſulto interfuit, in quo unanimi omnium conſenſu Imperator deſignatus eſt, & omnis Senatus Tacito acclamavit: Tacite Auguſte, *Dii te ſervent. Te delegimus, te Principem facimus, tibi curam Reipubl. orbiſque mandamus. Suſcipe imperium Senatus authoritate: tui loci, tua vita, tua mentis eſt, quod mereris.* At ille ſenectutem ſuam excuſando: *Miror* P. C. *in hoſum Aureliani fortiſſimi Imperatoris vos ſenem velle Principem facere. An probaturos ſenem Imperatorem milites creditis? Videte ne Reipublica non eum, quem velitis, Principem detis: & mihi hoc ſolum obeſſe incipiat, quod unanimiter delegiſtis.* Poſt hæc acclamationes Senatus hæ fuere: *Et Trajanus ad Imperium ſenex venit: Et Adrianus ad Imperium ſenex venit; Et Antoninus ad Imperium ſenex venit, Et tu legiſti:* Incanaque menta Regis Romani, *Et quis melius quam ſenex imperat? Imperatorem te, non militem facimus: Tu jube, milites pugnent, Habes prudentiam, & bonum fratrem. Severus* dixit: *Caput imperare, non pèdes. Animum tuum, non corpus eligimus. Tacite Auguſte, Dii te ſervent!*

Omnium igitur acclamatione & à populo & ab exercitu libenter receptus eſt. *Vopiſcus §. 2. & 3.*

II. Imperii adminiſtratio.

I. *Leges veſtiarias tulit.* Nam holoſericam veſtem omnibus viris interdixit. *Vopiſcus §. 4.*

II. *Ther-*

II. *Thermas publicas ædificavit.* Domum ſuam deſtrui præcepit, & in eo loco thermas publicas fieri privato ſumtu juſſit. *Ibidem.*

III. *Thermas* omnes ante lucernam *claudi juſſit*, ne quid per noctem ſeditionis oriretur. *Ibidem.*

IV. *Senatum coluit.* Poſtquam Imperator eſſet electus, talem ad Senatum orationem habuit: *Mihi liceat P. C. ſic Imperium regere, ut à vobis me conſtet electum, ut ego cuncta ex veſtra facere ſententia & poteſtate decrevi. Veſtrum eſt igitur ea jubere atque ſancire, quæ digna vobis, digna modeſto exercitu, digna populo Romano eſſe videantur.* Vopiſcus §. 3.

V. *Interfectores Aureliani* è medio ſuſtulit. *Vopiſcus* §. 4.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

EXpeditionem adverſus Barbaros ingenti multitudine à Mæotide erumpentes ſuſcepit, in quâ ſexto menſe Imperii inſidiis militaribus interemtus eſt. *Flav. Vopiſcus*, §. 4. Aurelius Victor vero ſcribit, quod 200. die Imperii apud Tarſum febri extinctus ſit.

FLORIANVS.

Hic frater *Taciti* germanus fuit, qui poſt fratrem arripuit Imperium, non Senatus authoritate, ſed ſuo arbitrio, quaſi hæreditarium eſſet Imperium. Verum vix duobus menſibus Imperium tenuit, & occiſus eſt Tharſi à militibus, qui Probum imperare audierant. *Vopiſcus in Floriano*, §. 1.

S. Aurelius Victor vero & *Eutropius* ſcribunt, quod ſolutis ſibi venis ad *Probi* Imperantis nuncium obierit, *&c.*

XXXVIII. IMPERATOR ROM. M. AVRELIVS PROBVS.

CAPUT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

PROBVS oriundus fuit è Pannonia civitate Sirmienſi, nobiliore matre, quam patre, patrimonio moderato, affinitate non magna.

PATER ejus fuit DALMATIVS, vel, ut alii volunt, *Maximus*, qui initio Hortulanus, & poſtea Dux militum factus in Ægypto mortuus eſt. *Vopiſcus in Probo*, §. 2.

MATER ejus fuit CLAVDIA.

II. *Appellatio.*

PROBVS dictus fuit. Fuit autem *Probus & nomine & re:* quia probus, virtuoſus & ſalutaris Princeps fuit. Vnde *Valerianus Imper.* cum in epiſtola quadam ad *Mulvium Gallicanum* præfectum prætorio nominat *Probum* vere probum. Ejus verba hæc ſunt: Miraris fortaſſis, quod ego imberbem Tribunum fecerim, contra conſtitutum Divi *Adriani.* Sed non multum miraberis, ſi *Probum* cogitas adoleſcentem vere probum. Nunquam enim aliud mihi, cum eum cogito, nomen occurrit. Quod niſi nomen haberet, potuit habere cognomen, *&c. Vopiſcus in Probo*, §. 2.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA POLITICA.*

I. Ante Imperium.

PROBVS adhuc adoleſcens corporis moribus tam clarus eſt factus, ut *Valeriani* judicio tribunatum prope imberbis acciperet. *Vopiſcus* §. 2.

Res item magnas ante adeptum Imperium geſſit. Vnde à *Valeriano, Gallieno, Claudio, Aureliano, Tacitoque* Imper. maxime commendatus fuit. Cujus rei epiſtolæ ipſorum, quæ apud *Vopiſcum* extant, teſtes ſunt. His quoque militum amor, qui ingens erga Probum ſemper fuit, acceſſit, eoſque ipſe quoque cura, qua par erat, amplexus. Neque enim unquam ille paſſus eſt peccare militem. Si quid prædæ fuit, ita id diviſit, ut ſibi nihil præter tela & arma ſervaret. Quinetiam dum de prædato repertus eſſet equus non decorus, neque ingens, qui, quantum captivi loquebantur, centum ad diem milliaria currere diceretur, ita ut per dies 8. vel 10. continuaret, & omnes crederent *Probum* tale animal ſibimet ſervaturum, jam primum dixit: *Fugitivo militi potius, quam forti hic equus convenit.* Vopiſc. §. 3.

II. Imperii occupatio.

I. *A militibus electio.* Cum ad exercitus in Oriente nuncius veniſſet de *Taciti* obitu, animus fuit militibus prævenire Italicos exercitus, ne iterum Senatus Principem daret. Sed cum ſermo eſſet, quis fieri deberet, & manipulatim in campo Tribuni milites alloquerentur, dicentes: Requirendum eſſe Principem aliquem fortem, ſanctum, verecundum, clementem, probum: Idque per multos circulos, ut fieri aſſolet, diceretur: Quaſi divino nutu undique ab omnibus acclamatum eſt:

Probe Auguſte, Dii te ſervent! Deinde concurſus eſt factus, & ceſpititium Tribunal, appellatuſque Imperator. Ornatus etiam pallio purpureo, quod de ſtatua templi oblatum: Atque inde ad palatium deductus, invitus & ſæpe dicens: *Non enim & vobis expedit, milites: non mecum bene agitis. Ego enim vobis blandiri non poſſum.* Flavius Vopiſcus, §. 4.

11. *Senatus confirmatio.* Cum ab exercitu qui Tarſi erat, jam Imperator eſſet factus, poſt à Senatu fuit confirmatus. Nam ab omnibus acclamatum eſt: Probe Auguſte, Dii te ſervent! Olim dignus & fortis, & juſtus, bonus Ductor, bonus Imperator. Exemplum militiæ, exemplum imperii, Dii te ſervent! Aſſertor reipubl. felix imperes. Magiſter militiæ, felix imperes: te cum tuis Dii cuſtodiant. Et Senatus antea te delegit. Ætate Tacito poſterior, cæteris prior. Quod Imperium ſuſcepiſti, gratias agimus. Tuere nos, tuere rempubl. Bene tibi committimus, quos antea ſervaſti. Tu Francicus, tu Gothicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus, tu omnia: & prius fuiſti ſemper dignus imperio, dignus triumphis; felix agas, feliciter imperes. *Ibid.*

III. Imperii adminiſtratio.

Spei de ſe conceptæ egregiis factis reſpondit. Nam accepto hoc S. C. ſecundum orationem permiſit Patribus, ut ex magnorum judicum appellationibus ipſi cognoſcerent, Proconſules crearent, legatos Conſulibus & jus prætorium Præſidibus darent: leges, quas Probus ederet, Senatus conſultis propriis conſecrarent. Statim deinde, ſi qui de interfectoribus Aureliani ſuperfuerant, vario genere vindicavit. *Vopiſcus* §. 5.

11. *ACTA BELLICA.*

1. *Bellum contra Tyrannos.* Quorum fuere tres: 1. *Saturninus Gallus.* 2. *Proculus.* 3. *Bonoſus.*

1. *Contra Saturninum.* Hic è Gallis oriundus, ea virtute & rei militaris fuit ſcientia, ut *Aurelianus* Imper. limitis Orientalis ducatum ei crediderit, edicens ſerio, ne unquam Ægyptum videret. Hujus enim provinciæ ingenia mobilia non injuria ſuſpecta prudentiſſimus habebat Imperator. Et ſalutatus ibi primum *Saturninus* eſt *Auguſtus.* Quod nomen tunc quidem fugit, at non multo poſt ſumſit: etſi non ignorans, quantum periculi eo ipſo adiret. Cum enim eum animarent vel ad Imperium, qui induerant purpuram, in hæc verba diſſeruit; Neſcitis, amici, quid mali ſit imperare. Gladii & tela noſtris cervicibus impendent: imminent haſtæ undique, undique ſpicula; ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur: Non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro ſtudio. Adde, quod omnis ætas in Imperio reprehenditur. Senex eſt quiſpiam, inhabilis videtur: ſin minus, ineſt furor. Nam quod Imperatorem me cupitis, in neceſſitatem mortis me trahitis. Sed habeo ſolatium mortis, ſolus perire non potero. Hæc talis oratio non indigna erat Duce literato, & qui bonis diſciplinis, inprimis Rhetoricæ operam dederat: non modo Romæ, ſed & in Africa.

Fertur autem Probus & clementes ad eum ſæpe literas miſiſſe, & veniam eſſe pollicitum: ſed milites qui cum eo fuerant, non credidiſſe. Obſeſſus igitur prope Apaniam in caſtro quodam, ab iis, quos Probus miſerat, invito Probo, occiſus eſt. *Flavius Vopiſcus in Saturnino.*

2. *Contra Proculum.* Hic patria fuit Albingaunus, natus ad Alpes maritimas, latrociniis in adoleſcentia aſſuetus, & tribunus poſtea multis legionibus præfuit, & fortia facta edidit. In Galliis hortantibus Lugdunenſibus, qui ab *Aureliano* afflicti fuerant, ſibique à *Probo* metuebant, imperium aſſumſit. A *Probo* victus & fugatus, tandemque interemtus eſt, producentibus eum Francis, (quibus, ut ait *Vopiſcus*, familiare eſt, ridendo fidem frangere) ad quos confugerat. *Vopiſcus.*

3. *Contra Bonoſum.* Hic origine Britannus fuit, Galla tamen matre natus, filius Pædagogi literarii. Nihil ipſe literarum didicerat, & non tam militaribus ſtudiis, (etſi nec ea neglexerat) quam bibacitate nomen ſibi & laudem quæſitum iit. Potus enim cibique fuit capaciſſimus: de quo *Aurelianus* dixerat: *non eum natum eſſe, ut vivat, ſed ut bibat.* Legatos Barbarorum ita vino deponere potuit, ut omnia ſecreta illorum expiſcaretur. Is quoque Imperium ad Rhenum aſſumſit, ſed longo gravique certamine à *Probo* ſuperatus eſt. Itaque vitam laqueo finivit, & ob eam rem dictus eſt *amphora pendens. Vopiſcus.*

4. *Geſſit & alia maxima bella* feliciſſimo ſucceſſu. Nam Gallias à Germanis liberavit, civitatibus LX. nobiliſſimis receptis cum omni præda: hoſtium prope CD. millibus cæſis, reliquis vero ultra Nicrum fluvium & Albim ſubmotis. Denique virtute ſua & prudentia eo hoſtes redegit, ut novem eorum Reges ad pedes ipſius ſe abjicerent. Eadem virtute & felicitate deinde Rhætias, Illyricum, Thraciam, Iſauriam, Pamphyliam, & alias provincias, terrore hoſtilium incurſionum liberavit: Perſas ac Parthos fama nominis ſui ac rerum geſtarum terruit, &, ut pacem ſupplices peterent, adegit.

5. *Duel-*

5. *Duellum cum Aradione.* Contra hunc pugnavit, & ſingulari certamine in Africa proſtravit: & quia fortiſſimum ac pertinaciſſimum virum vicerat, ſepulchro ingenti honoravit, quod adhuc extat, tumulo uſque ad ducentos pedes terræ lato, per milites; quos otioſos eſſe nunquam eſt paſſus. *Vopiſc.* §. 3.

III. *ACTA TOGATA,*

ſive VIRTUTES.

1. *Fortitudo* ejus *bellica*, quæ effulget 1. *Ex dicto* de equo celeri illi oblato: *Fugitivo militi potius, quam forti, hic equus convenit.* 2. *Ex facto*, h. e. duello cum *Aradione:* de quibus antea diximus.

II. *Prudentia de latronibus.* Cum multa Barbarorum loca purgaſſet latrociniis, ubi perveniſſet ad *Iſauros*, dixit, ab illis locis facilius arceri latrocinia, quam tolli. Sentiens, eſſe dandam operam, ne latronibus illuc eſſet aditus, neve juvenes latrocinari diſcerent. Itaque loca omnia, quæ anguſtum haberent aditum, veteranis conceſſit: addens, ut eorum filii ab anno 18. ad militiam mitterentur, ne ante latrocinari diſcerent, quam militare. Hoc tum recte *Probus*, cum multum intereſſet inter militiam & latrocinium: nunc frivolum eſt. *Vopiſcus.*

III. *Opera egregia* in *Ægypto* per milites ſtruxit in plurimis civitatibus. *In Nilo* quoque cum multa fecit, ut vectigal frumentarium ſolus adjuverit; tum pontes, templa, porticus, baſilicas labore militum ſtruxit: ora fluminum multa patefecit, paludes pleraſque ſiccavit, atque in his ſegetes agroſque conſtituit. *Vopiſcus in Probo* §. 3.

IV. *Diligentia.* Non paſſus eſt, militem eſſe otioſum, ſed multa opera militari manu perfecit, dicens: Annonam gratuitam militem comedere non debere. *Vopiſcus.*

CAPUT III.

DE EGRESSU.

1. *Mortis antecedentia*, quæ ſunt

I. Αεχθέντα. 2. Παραχθέντα.

ΑΕχθέντα, h. e. dicta. 1. *Symbolum:* Nunquam militem otioſum eſſe paſſus eſt, dicens: *Annonam gratuitam militem comedere non debere.* Quod dictum à militibus gravate ex eo fuit auditum.

2. *Votum.* Dixit præterea: *Brevi milites neceſſarios non habebimus. Vopiſcus in Probo* §. 7. & 8. Quo ſignificabat, Barbaras nationes omnes Imperio Romano jam ſubjectas eſſe. Verum hiſce dictis inviſum militibus & gravem, vel potius intolerabilem ſe reddidit.

II. Παραχθέντα, h. e. *Patrii ſoli amplificandi ſtudium.* Cum Sirmium veniſſet, ac ſolum patrium fœcundari cuperet & dilatari, ad paludem quandam ſiccandam multa millia militum adhibuit.

II. *Mors ipſa.*

Cum milites multo labore onerarentur, illius pertæſi, aliqui tumultuantes, ſeditionem adverſus *Probum* moverunt, illumque, confugientem in turrim ferratam, (quam ſpeculæ cauſa editiſſimam exædificaverat) interfecerunt, anno Imperii ſui ſexto, menſe IV. *Aurelius Victor.*

III. *Conſequentia.*

Reliquus exercitus, dolens exſtinctum eſſe juſtum, fortem, felicem & utilem Imperatorem, ſepulchrum ei fecit hujuſmodi titulo marmori inciſo: HIC PROBVS IMPERATOR, ET VERE PROBVS SITVS EST: VICTOR OMNIVM GENTIVM BARBARARVM: VICTOR ETIAM TYRANNORVM.

XXXIX. IMPERATOR ROM.

M. AVRELIVS CARVS,

cum filiis

CARINO & NVMERIANO.

CAPUT I.

DE ORTU.

DE *Origine*, vel patria ejus, diverſæ ſunt Hiſtoricorum ſententiæ.

1. *Quidam dicunt*, quod natus fuerit *Narbonæ*, quæ civitas in *Illyrico* ſita fuerit. Verum hæc ſententia non poteſt conſiſtere. Quoniam civitas illa in Illyrico dicta fuit *Narbis*, Græce Ναρβίς, ut teſtatur *Stephanus.*

2. *Alii tradunt*, quod natus ſit *Narbonæ. Narbo* enim, Græce Ναρβών, olim ampliſſimum fuit *Galliæ Braccatæ* emporium; teſte *Strabone lib.* 4. Et in hac civitate natus, indeque *Narbonenſis* appellatus ſit.

3. *Alii ſcribunt*, quod fuerit *Romanus*: quoniam ipſe in Epiſtolis ſuis ſe Romanum profiteatur. Verum nos dicimus, quod Carus vocet ſe Romanum non natione, (quoniam non in Italia, ſed in Gallia

erat oriundus: unde etiam Narbonenſis dictus:) ſed habitatione. Quia jus civitatis in urbe Roma habuit, ibique ad varios dignitatum gradus evectus eſt.

Appellatio.

I. NOMEN. CARUS dictus fuit, non tantum nomine, ſed & re. Nam erga omnes amabilis & humanus fuit, & egregiis ſuis virtutibus omnium amorem ſibi conciliavit; uti patet ex epiſtola *Probi* Auguſti ad Senatum, quæ à *Vopiſco* ita recitatur: *Probus* Auguſtus Senatui ſuo ſalutem dicit; Felix eſſet noſtra Reſp. ſi qualis *Carus* eſt, aut plerique veſtrum, plures haberem in actibus collocatos. Quare *equeſtrem ſtatuam* viro morum veterum, ſi vobis placet, decernendam cenſeo, addito eo, ut publico ſumtu eidem *exædificetur domus*, marmoribus à me delatis. Decet enim nos talis integritatem remunerare viri.

II. COGNOMEN. Dictus fuit PERSICUS, quod cognomen præclara à Perſis reportata victoria meruit.

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ.

CARUS in juventute ſua valde formoſus fuit & ingenioſus, in ſenectute vero calvus factus eſt. In prima pueritia Romam venit, ibique artes liberales fideliter didicit: præterea etiam in palæſtra aliiſque exercitiis equeſtribus ſtudioſe ſe exercuit: virtutibus ſuis præſtantibus magnum apud omnes amorem & favorem meruit, juxta vulgatum illum verſiculum:

Nobilis eſt omnis, quem nobilitat ſua virtus.

II. *ACTA OECONOMICA.*

CARUS in conjugio *duos filios* genuit. Unus dictus fuit *Numerianus*, qui egregie fuit moratus, & paternis veſtigiis inſtitit: Alter dictus fuit CARINUS, qui plane degeneravit, & homo omnium contaminatiſſimus fuit. Unde etiam pater infeſto erga eum animo fuit, eumque ſæpius exhæredare voluit.

III. *ACTA POLITICA.*

I. Togata.

I. *Per civiles* & militares gradus Præfectus prætorio *à Probo* conſtitutus eſt. *Vopiſcus in Caro.*

II. *Occiſo Probo*, Imperator à militibus eſt electus. Nam in illo munere tantum ſibi apud eos amorem conciliavit, ut interfecto Probo, tanto Principe, ſolus digniſſimus Imperio videretur. *ibidem.* Senatus militarem ſuffragationem libenter comprobavit: quia videbat virtutem ejus nobilitate generis & eruditione eſſe ornatam.

III. *Beneficia à Probo* Imp. in ſe collata grata mente agnovit, dum ſtatim, initio Imperii, mortem ejus acerrime ultus eſt.

IV. *Filios ſuos* conſortes Imperii fecit, cumque iis biennium regnavit: *Carinum* Galliæ præfecit; *Numerianum* vero ſecum retinuit.

II. Acta Sagata.

I. *Bellum contra Sarmatas.* Sarmatæ, audita morte Probi, rurſus in Pannoniam & Thraciam irruptiones fecere; ſed CARUS primus omnium eos repreſſit, 16000 interfectis, & 20000 captis.

II. *Bellum contra Perſas.* Pacata vicinia, in Aſiam tranſivit cum filio *Numeriano*, & bellum Perſicum, quod *Probus* inceperat, continuavit: nullo ſibi occurrente Meſopotamiam obtinuit, & Cteſiphontem recepit: occupatiſque Perſis domeſtica ſeditione, victoriam ab eis referens, *Perſici* nomen meruit.

Huc pertinet memorabilis Hiſtoria de ARSACIDE, Perſarum Regis juvenis atque inſolentis, ad CARUM Imp. legatione, & hujus maſcula atque heroica reſponſione. Unde patet admiranda *Cari* magnanimitas, cum ſingulari humanitate conjuncta, & vere mirabilis modeſtia, ompem affectatam pompam tum in comitatu, tum in victu & amictu ſpernens. Hanc hiſtoriam *Juſtus Lipſius in notis ad lib. 2. Polit. cap. 15.* recenſet hiſce verbis: CARUS Imp. bellum inferebat Perſis, & jam ad Armeniorum limites pervenerat. Illic militem curare corpus, & cibum è ſuo commeatu capere juſſit, mox ex hoſtico (Parthorum agros oſtendebat) petendum. Dum id agunt, ecce hoſtium legatos, qui adveniunt. Atque illi opinabantur futurum primo, ut ad Proceres quoſdam aulicos deducerentur: deinde dierum aliquot intervallo ad Imperatorem. Atqui inciderant caſu in ipſum jam cœnantem. Circumſtabat frequens miles, ſed auro aut argento nihil cultus. Ipſe veſte punicea indutus, jacebat in herba. Cibus erat, vetus aliquod nigrum pulmentarium: & in eo fruſtula quædam ſalſæ ſuillæ carnis. Cum autem legatos vidiſſet, nihil turbatum aiunt, nec quidquam immutaſſe; ſed vocaſſe ad ſe ultro, & dixiſſe: Scirent quod ad ſe veniſſent. Nam Carum hunc ipſum eſſe. Iubere igitur ut renuncient juveni ſuo Regi: *Niſi reſipiſcat, futu-*

futurum ut intra unam Lunam omnis eorum ſylva, & omnis ager, magis nuda & levia ſint, quam Cari ipſum caput. Et ſimul cum dicto pileum ſuſtulit, & caput oſtendit, tam glabrum, quam galea ejus quæ adjacebat. Et ſiquidem appeterent, juſſit manum in ollam mittere. Sin minus, ſtatim abire, & extra Romana præſidia eſſe, tanquam legatione omni jam defunctos.

CAPVT. III.

DE EGRESSV.

CARVS, cum ad fatalem Imperii Romani terminum, nempe ad fluvium Tigridem perveniſſet, in morbum incidit, inque tentorio exſtinctus repertus eſt, cum ſimul vehementiſſimum tonitru caderet, quo multi exanimati ſunt: ideo ipſe etiam fulmine interiiſſe putatur. Imperavit annis 2.

EXEMPLA.

Omnia regna mundi fatales ſuos terminos agnoſcunt, ultra quos progredi feliciter non poſſunt. Prima enim *Aſſyriorum & Chaldæorum*, fatalem terminum habuit Helleſpontum, anguſtum illud fretum inter Aſiam & Europam prope Conſtantinopolin interjacens. Teſtatur hoc exemplum *Semiramidis*, de quo vide *Diodorum Siculum l. 2. de rerum antiqu. cap. 5.*

Secunda Monarchia Medorum & Perſarum, fatalem terminum habuit, non tantum Helleſpontum, cum prima Monarchia communem; ſed etiam verſus Septentrionem terminus illi fatalis fuit *Tanais* fluvius, & mons Caucaſus. Iſque eidem cum *Monarchia tertia Græcorum* communis fuit. Sic *Darius Hyſtaſpis & Xerxes* Helleſpontum cum exercitu transgreſſi, re infecta magniſque cladibus acceptis, intra fatales terminos revocati ſunt. Sicut teſtatur *Strigelius in Chron. p. 71. Cyrus* primæ Monarchiæ Perſicæ fundator, ad Colchidem à Tomyri Maſſagetarum Regina victus eſt. *Herodotus lib. 1. Darius Hyſtaſpis*, contra Scythas profectus, re infecta domum eſt reverſus. *Herodotus l. 1.* Et notandum eſt, quod nullus Rex in Septentrionem altius aſcenderit *Dario*, ſed tamen ultra Tanaim fluvium non eſt progreſſus. *Alexander Magnus*, non irritatis feris gentibus Septentrionis, portas Caſpias ferratis repagulis obſeratas clauſit, ut gentes Scythicas hoc pacto ab Aſiæ aditu arceret. *Plutarchus* in vita Alexandri. *Quarta* denique *Monarchia Romanorum* verſus Orientem fatalem terminum habuit *Euphratem*. Quandocumque enim Romani ultra Euphratem progreſſi ſunt, ſemper infelices fuerunt: ſicut teſtantur exempla *Cari*, *Trajani*, *Valeriani*, *Iuliani Apoſtatæ*, Imp. Romanorum; de quibus conſulantur *Philippus Melanchthon in Chron. lib. 3. p. 163. Cuſpinianus & Flav. Vopiſcus. Vnde patet*, omnia regna mundi & Imperia eſſe *periodica*, ſive finita. Solum Chriſti regnum autem eſſe *œcumenicum*, ſeu *infinitum*.

II. NVMERIANVS.

Hic CARI fuit filius, & propter nobilitatem, optimos mores, eruditionem & patris memoriam, à Senatu & exercitu dilectus, imperioque non indignus viſus eſt. Sed cum mortem parentis adeo deflere, ut oculos affligeret, lectica geſtatur, factione *Arrii Apri* ſoceri ſui, & præt. Præfecti, qui invadere Imperium conabatur, occiſus eſt. Licet autem per plurimos dies facinus occultaretur, tamen fœtore cadaveris in lectica relicti ſcelus proditum eſt. *Diocletianus* ſtatim Imperator eſt proclamatus, qui in concione juravit, ſe cædis *Numeriani* conſcium non eſſe. Ideo Aprum authorem cædis ſtatim occidit, atque ita expletum eſt Oraculi vaticinium, eum imperaturum, ſi Aprum occidiſſet.

III. CARINVS.

Hic major natu filiorum *Cari*, homo omnium contaminatiſſimus, & prorſus diſſimili ingenio fuit. Huic enim laſcivire, libidinari, in ſuos ſævire, & *Caligulam* quendam aut *Neronem* agere, vita erat. Itaque & *Carus*, ejus ſceleribus cognitis, exclamaſſe fertur: *Non eſt meus.* Cum *Carinus* audiiſſet; quid patri & fratri accidiſſet, & *Diocletianum* Imperatorem factum, accurrit in Italiam, & *Sabinum Iulianum*, qui Imperium ſumſerat, in campis Veronenſibus vincit. At nihilominus in tanto periculo multis libidinibus ſe polluit. Nam matrimonia aliorum nobilia adulteriis corripuit, novem uxores brevi tempore duxit, eaſdemque pleraſque prægnantes repudiavit. Poſtea contra Diocletianum in aciem progreſſus, multis prœliis cum eo conflixit. Sed ultima pugna commiſſa, ab exercitu ſuo deſertus, ad Murtiam profligatus, & à ſuo tribuno interfectus eſt, cujus dicebatur conjugem ſtupraſſe. *Flav. Vopiſcus.*

Res Eccleſiæ.

1. *Epiſcopi Romani.*

Horum temporibus vixiſſe in Eccleſia ſcribuntur *Eutychianus & Caius*, Epiſcopi Romani. Quorum *ille*, vir ſanctus, trecentos amplius martyres ſuis manibus ſepeliſſe dicitur: Hic ordines ſacros inſtituiſſe, ut Clerici quaſi per gradus ad majores di-

dignitates adſcenderent, fierentque oſtiarii primum, tum lectores, dein exorciſtæ, tum acoluthi, poſt Diaconi, hinc Presbyteri, poſtremo Epiſcopi.

II. *Martyres.*

BABYLAS Epiſcopus *Antiochenus*, cum *Numerianum* Imperatorem ad ſacra Chriſtianorum ſpectanda admittere noluerat, dicens: Non licere, eum, qui cruore & Idolorum ſacrificiis pollutus eſſet, in domum Dei tam præcipitanter ingredi, & divina myſteria contaminatis oculis ſpectare: vel (ut *Suidas* refert) non paſſurum ſe, ut Lupus ovile Domini ingrederetur: Ob hanc cauſam ad mortem eſt condemnatus. Erat autem ſenex octuagenarius, qui ſcipione utens ad locum ſupplicii pergebat: vinctus ferreis catenis. Cum autem ad locum ſupplicii veniret, læto ſpiritu ac voce dicebat ex *Ieſaiæ cap.* 8. *v.* 18. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus.* Poſtea *duo* à Carnifice petebat. 1. *Vt tres filii* ſui primo loco coram oculis ſuis occiderentur, ne poſt mortem ſuam forte à Gentibus perſuaſione inducti à Chriſtianiſmo abducerentur. 2. Cum, occiſis filiis, & ipſe martyrium jamjam ſubiturus eſſet, rogabat, ut catenas, quibus vinctus erat, ferreas una cum ſuo corpore ſepelirent, ut in hoc ornamento in extremo judicio coram tribunali Ieſu Chriſti apparere poſſet: Quo impetrato, ſe ipſum ex *Pſalmo* 116. *verſ.* 7, 8, 9. conſolatus eſt, dicens: *Revertere anima mea in requiem tuam: Quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu. Ambulabo coram Domino in terris vivorum.* Et poſtea animo vultuque imperterrito collum Carnifici feriendum præbuit: & ſanguine ſuo doctrinam de Chriſto crucifixo obſignavit. Statuit namque Martyr hic ſanctiſſimus, ſe per mortem, quam pro Chriſto patiebatur, in æternam quietem ingredi, & ab omnibus hujus vitæ miſeriis liberatum, juſtitiæ coronam accepturum à Chriſto juſto judice. 2 *Tim.* 4. *v.* 8. Docere igitur BABYLAS exemplo ſuo omnes ſanctos voluit, quomodo tres ex *Pſal.* 116. aureoli verſiculi citati ſint uſurpandi, quomodo & nos ſanguine noſtro veritatem Euangelii obſignare oporteat, nempe quod cum *Babyla* nos ipſos conſolari, & medio in mortis agone, aſſiſtente Spiritu ſancto Paracleto noſtro, nos animare debeamus. Quoniam ex miſeriarum valle omnibuſque periculis in portum vitæ æternæ, & in terram viventium ingrediemur, abi æternæ lætitiæ corona à Deo triuno coronabimur.

XL. ET XLI. IMPERATOR ROM. VALERIVS DIOCLETIANVS, & AVRELIVS MAXIMIANVS HERCVLEVS, *Collegæ.*

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

DIOCLETIANVS obſcuris parentibus ortus, in Dalmatia natus eſt.

PATER ejus ſecundum quoſdam Senatoris cujuſdam libertinus, ſecundum alios *Scribæ filius* fuiſſe traditur.

MATER ejus dicta fuit DIOCLEA.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN. Ante Imperium dictus fuit DIOCLES, à matre *Diocleæ*. Vbi vero orbis Romani potentiam accepit, Grajum nomen in Romanum morem convertit, & ſe DIOCLETIANVM appellavit.

II. COGNOMEN ejus fuit IOVIVS. Nam poſtquam ad Imperium pervenit, & Maximianum collegam aſſumſit, feliciſſima ſibi cognomina indidere. *Diocletianus Iovius, Maximianus Herculeus*, appellati ſunt: velut ille *Iovis*, hic *Herculis* hæres. *Pomponius Lætus* §. 1.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ,

Natura & mores.

CORpore fuit robuſtus & formoſus. Ab ineunte ætate artibus bellicis deditus, & induſtria ſua ad varios dignitatum gradus aſcendit. *Vopiſcus* vocat eum virum inſignem, callidum, amantem reip., amantem ſuorum, & ad omnia, quæcunque tempus requirebat, paratum: Conſilii ſemper alti, nonnunquam tamen effrontis, ſed prudentis: animia pervicacia motus inquieti pectoris comprimentis. *Eutropius lib.* 9. de eo ſcribit, quod fuerit callide moratus, ſagax, & admodum ſubtilis ingenio, & qui ſeveritatem ſuam aliena invidia vellet explere: diligentiſſimus tamen, & ſolertiſſimus Princeps. Quanquam faſtum inſolentiamque (de qua poſtea dicemus) omnes jure improbant.

II. *ACTA OECONOMICA.*

Habuit filiam nomine VALERIAM, quam matrimonio junxit *Galerio Maximino*, quem Cæsarem fecerat. Vxor vero ejus ignoratur.

III. *ACTA POLITICA.*

I. Togata.

I. *Futuri Imperii præsagium.*

Cum *Diocletianus* apud Tungros in Gallia moraretur quadam in caupona, in minoribus adhuc locis militans, & cum *Druide* quadam muliere rationem convictus sui quotidiani faceret, at illa diceret: *Diocletiane, nimium avarus, nimium parcus es:* loco non serio *Diocletianus* respondisse fertur; *Tunc ero largus, cum Imperator fuero.* Post quod verbum *Druis* dixisse fertur: *Diocletiane, jocari noli: nam Imperator eris, cum Aprum occideris.* Semper exinde *Diocletianus* in animo habuit Imperii cupiditatem; idque *Maximiano* conscio, cui hoc dictum à *Druide* ipse retulerat. Denique, ut erat solitus, risit & tacuit. Apros tamen in venationibus, ubi fuit facultas, manu sua semper occidit. Denique cum *Aurelianus* Imperium accepisset, cum *Probus*, cum *Tacitus*, cum ipse *Carus*, *Diocletianus* dixit: *Ego semper apros occido, sed alter semper utitur pulpamento.* Cum vero *Aprum* Imperio inhiantem confodisset, conversus ad milites dixit: *Tandem Aprum fatalem occidi. Flav. Vopiscus.* Præterea manu sua Apro percusso dixit: *Gloriare, Aper; Magni Æneæ dextera cadis.*

II. *Electio ad Imperium.*

Hisce factis, Imperator ab exercitu factus, magnoque honore à Senatu populoque Romæ exceptus est.

NOTA.

Druida, vel *Dryides*, 1. secundum *Plinium* appellati sunt à δρῦς quercus, quod quernis umbraculis delectarentur, vel, quod una cum quercubus & nasci, & mori crederentur. Et ab eadem voce dicti sunt *Druida*: Quia viſco, & hac arbore, in qua ille nascitur, nihil habebant sacratius. 11. *Casaubonus* vero hanc sententiam refutat, dum inquit: Non assentior *Plinio*, conjicienti, *Druidas* à voce Græca esse appellatos. Quin potius *Strabonis* prudentissimum consilium sequor, negantis, in appellationibus gentium Barbararum Græcas etymologias esse quærendas. Quare *Druidas* non magis voce Græca sic fuisse vocitatos censeo, quam reliquos ejusdem gentis & ætatis Sophos, Bardos dico & Vates, sive Eubages. Hæc *Casaubonus*. 111. *Gesnerus* & *Philippus Melanchth. Druida*, inquiunt, dicti à fide, quod eis tanquam Sacerdotibus & sapientibus *fides* à vulgo haberetur. Drau / drou / fides est Germanis. Inde fœminarum nomina: *Geriodruda*, *Ariodruda*.

III. *Imperii administratio.*

Sapienter Remp. gubernavit, ejusque sapientia patet 1. ex *Dictis*, 2. ex *Factis*.

1. *Ex dictis.* Sæpe dicere solitus est, nihil esse difficilius, quam bene imperare. Id *Flav. Vopiscus in Aureliano* tradit se audivisse à patre suo, & addit causam. Colligunt (inquit) se quatuor aut quinque, simul consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt, quid probandum sit. Imperator qui domi est, vera non novit; cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur: facit judices, quos fieri non oportebat: amovet à Republ. quos debebat retinere. Ita bonus, cautus, optimus venditur Imperator. At vulgus ad Imperatoris titulum satis esse putat nasci, aut eligi: nasci utcunque: eligi emtis suffragiis, ac solennibus ceremoniis confirmari.

Similiter Philosopho cuidam immunitatem petenti sapienter respondit: Petitio tua, inquiens, pugnat cum professione tua. Profiteris enim eam artem, quæ docet affectus vincere; & jam ostendis, te ab avaritia superari.

11. *Ex factis.* Quia Rempubl. sapienter ordinavit. Recte dicitur: Vir sapiens observat τὸν καιρὸν, h. e. temporis opportunitatem. Eandem quoque *Diocletianus* prudenter observavit. Nam cum periculosus esset Imperii Romani status propter hostes Imperium undique turbantes, de salutari Rempubl. tranquillandi remedio cogitavit, videlicet, ut Collegas sibi fideles adjungeret.

Quare 1. *Maximianum* anno C. 285. *Cæsarem* creavit. Cum vero plura bella orirentur A.C. 286. eundem *Augustum* proclamavit, eique tribunitiam potestatem concessit cum Consulatu in sequentem annum.

111. *Hi duo* Augusti *Diocletianus* & *Maximianus*, inter se concordantes, rursus *duos Cæsares*, quos sibi adjunxere, fecerunt: *Ille* quidem *Galerium Maximinum*; *hic Constantium Chlorum.* Conjugiis etiam fœdera confirmata sunt. *Diocletianus* filiam *Valeriam* in matrimonium collocavit *Maximino: Maximianus Herculeus* privignam *Theodoram Constantio Chloro.* Licet enim hi uxores jam haberent, eas tamen dimittere jussi sunt, ut ita prædictis *Augustis* non tantum adoptione, sed etiam affinitate jungerentur. *Constantius* dimisit *Helenam*, è qua filium jam *Constantinum* habebat, qui postea imperium solus obtinuit, & *Magni* cognomen accepit.

2. *Diocletianus* quoque initio clemens & modestus fuit. Tandem tamen, prospero secundarum rerum cursu, eo usque insolentiæ processit, ut morta-

mortalitatis oblitus, ſe tanquam Deum adorari voluerit, velut in ipſo eſſet cœleſtis majeſtas; ideo fratrem Solis & Lunæ ſe nuncupavit. Projicere ſe quoque homines humi venerabundos, atque oſculum pedibus figere pati cœpit: & gemmas calceis veſtibuſque inſeruit: cum ante ipſum omnes Imperatores conſulari tantum ſalutatione contenti fuiſſent, & ſolam Chlamydem purpuream privato habitui adjeciſſent. *Euſebius*, *Pomponius Lætus*. Poſtea hoc fere imitati ſunt Romani Epiſcopi: calceos ſuos gemmis & margaritis ornantes, coſque Monarchis aliiſque hominibus exoſculandos præbentes. *Euſeb.*

IV. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum contra Carinum.* Initio imperii exercitum reducens ex Aſia, vicit *Carinum* in Dalmatia, qui patri CARO ſuccedere conabatur. Vti in hiſtoria *Carini* diximus.

II. *Ægyptum*, quem *Achilleus* quidam pene totam ad rebellionem concitaverat, *recepit*: obſeſſa Alexandria 8. mentibus: magnam multitudinem trucidavit, & *Achilleum*, qui ſe nominaverat Imperatorem, beſtiis dilaniandum objecit.

III. *Bellum in Gallia.* Cum novi in Gallia tumultus ab hominibus orirentur, qui ſe Bagaudas vocabant, ut hodie ſunt die Banditen oder Coſſaken / qui Duces habebant *Amandum* & *Ælianum*. Contra eos Diocletianus *Maximianum* valido cum exercitu miſit: is eos celeriter oppreſſit ac delevit.

NOTA.

Bagauda apud Salvianum, Euſebium & alios, vel *Baccauda* ſunt factioſi, rebelles & latrones. *Bagauda* vel *Baccauda* ipſum eſt latrocinium, motus agreſtium, ſeditio, tumultus. *Eumenius* panegyrico de ſcholis inſtaurandis: *Latrocinio Bagaudica rebellionis obſeſſa.* Ejus generis ſunt, quos Poloni *Coſakos*, in deſerto Muſcoviæ vocant. Item *Bandolieri*, in montibus Pyrenæis: & *Martoloſſi*, in montanis Pannoniæ; ut ſcribit *Cunradus Rittershuſius lib. 5. in Salvianum.*

IV. *Bellum in Africa.* *Maximianus* exercitum in Africam tranſtulit, & Quinquagenarios, (alii Quinquegentianos vocant, qui erant milites quinquagenarii, & ſupra eum numerum annorum, ideoque agros ſibi dari voluerunt, eoque nomine Africam diripuerunt) prœliis fatigatos, ad loca aditu difficilia compulit, tandem tamen eos in prœlium coactos vicit, inque alia loca tranſtulit. *Eutropius. Victor.*

V. Denique per *Maximinum Galerium*, *Narſem Perſarum Regem vicit*, ideo poſt tot victorias maximus triumphus à Senatu ei decretus, & inclyta cognomina Principibus indita ſunt à devictis populis. Splendidum igitur triumphum *Diocletianus* & *Maximianus* Romæ egerunt, ducentes ſecum Regis Perſarum Narſis conjugem, ſorores ac liberos. Verum in ea fortuna adeo ſe ſuperbum præbuit *Diocletianus*, ut divinos honores Imperatoribus habendos præceperit, Regum Perſicorum more adorari voluerit, & pedes oſculandos cunctis abſque diſcrimine exhibuerit: de quo antea diximus.

V. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Diocletianus anno Imperii 19, inſtante Dominicæ Paſſionis feſto, *Nicomediæ*, ubi regia ſedes erat, edictum publicavit: quo præcipiebatur, ut templa atque oratoria Chriſtianorum everterentur, ſoloque æquarentur: libri Bibliorum ſacrorum cremarentur, & qui Magiſtratus, officii aut dignitatis alicujus honorem fuiſſent adepti, de gradu turpiter deponerentur: Privati vero, qui in profeſſione Chriſtianæ religionis perſtarent, libertate privarentur. *Euſebius lib. 8. c. 2.*

Occaſionem hoſtes fidei Chriſtianæ ad ſtimulandum *Diocletianum*, & ad hoc facinus nefarium perpetrandum, deſumſerunt ex conflagratione partis alicujus palatii regii Nicomedici, quam calamitatem in Chriſtianos contulerunt. Vnde Imperator, inæſtimabili furore ſuccenſus, juſſit omnes noſtros acervatim collectos, alios gladio obtruncari, alios ignibus comburi. *Euſebius l. 8. c. 6.*

PHILOSOPHI quoque hiſce temporibus flammæ perſecutionis oleum addiderunt, & contra religionem Chriſtianam diſputarunt. Nam Philoſophi fuerunt maximi Chriſtianorum perſecutores in Eccleſia primitiva. Rurſum ex medio inimicorum ſuorum Deus excitavit ARNOBIVM Rhetorem, qui conſtantia martyrum permotus, ad religionem Chriſtianam acceſſit, eamque contra reliquos Philoſophos defendit. Idem poſtea etiam fecit LACTANTIVS, *Arnobii* diſcipulus, ex Philoſopho Epiſcopus factus.

Sub Diocletiano martyrii coronam acceperunt:

I. *Anaſtaſia*, nobilis apud Romanos fœmina, à ſuo marito excarnificanda judici traditur, quæ, cum ſitum & ſqualorem carceris eſſet perpeſſa, cremata eſt. *Faſt. Eccleſiaſt.*

II. *Caſſianus*, Ludimoderator *Brixiæ* in Italia, in foro Cornelii, pueros in ſchola informavit. Cum idolis ſacrificare recuſaret; detractis veſtibus, & vinctis poſt tergum manibus, diſcipulis ſuis excruciandus traditus eſt. Hi ſtylis acutis, quibus litera

literas tabulis ceratis inſcribere ſolebant, cum pungunt. Vt autem quiſque puerorum infirmior fuit, ita dolores & cruciatus ei maxime auxit. Nam robuſtiores, qui ſtylis ad vitalia uſque viſcera penetrarunt, mortem citius promoverunt. *Petrus de Natal. lib. 7. Oſiand. H. E. Cent. 4. lib. 1. cap. 12.*

III. *Petrus* Sanctus, quidam aulicus *Diocletiani* cubicularius, nudus in ſublime ſublatus, toto corpore flagris cæſus laceratuſque eſt ad oſſium uſque nudationem: aceto poſtea ſale mixto in purulentis corporis partibus perfuſus, in craticula igne leni toſtus, in modum carnis veſcendæ, tandem læto ſpiritu exſpiravit. *Euſebius lib. 8. c. 6.*

IV. *Diodorus* Epiſcopus in ſpecu quodam, cum ſacram Synaxin celebraret, obſtructo aditu cum omnibus Chriſtianis periit. Ita etiam *Marinus* Senator.

Duravit hæc ſævitia circiter decennium, & numerari poteſt inter exempla diuturnæ crudelitatis præcipua, quæ Eccleſia ſenſit, qualem in Ægypto Pharaonis, & deinde Antiochi Epiphanis tempore experta eſt.

Edictum propoſitum, ſimile Antiochi edicto: ut omnes homines ubique ſacrificarent Diis Imperatorum: non ſacrificaturi afficerentur pœna: & ut templa & libri delerentur. Nulla magna urbs fuit, in qua non quotidie circiter centum ad ſupplicia rapti ſunt. Conſpectum eſt, beſtias parcere multis, qui eis objecti erant, & ne incitatæ quidem ſanctos Dei martyres attingere voluerunt, ſed circumiverunt ſæpius, eoſdem luſtraverunt, & tandem procul ab eorum corporibus abſcedentes in ſpectatores impios crudeliſſime ſævierunt. Ita oſtendit Deus, beſtias mitiores eſſe tyrannis. Referunt *Hiſtorici*, teſte *Oſiandro H. E. cent. 4. lib. 1. cap. 7.* in uno menſe Chriſtianorum virorum, mulierum, & puerorum 17000. cæſa fuiſſe.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

DIOCLETIANVS anno vigeſimo Principatus exacto, de Imperio deponendo cœpit conſilium, ejus cauſa fuit,

I. POLITICA, quia laborum & periculorum, quæ cum iſta fortuna ferme juncta, pertæſus: ſive quod magnis rebus geſtis vereretur, ne fortunam etiam adverſam experiretur.

II. ECCLESIASTICA, quod Chriſti nomen, uti ſperaverat, deleturum ſe deſperaret, poſteaquam ſingularem Chriſtianorum in morte conſtantiam perſpexiſſet. Poſtea quoque ipſe ejuſque collega amicis confeſſi ſunt, ſe id ex deſperatione feciſſe, quod Chriſtianos delere, eorumque Religionem extinguere non potuiſſent. *Nicephorus lib. 7. cap. 20.* Licet enim *Maximianus* initio *Diocletiani* conſilium approbare noluerit, tandem tamen *Diocletianus* in ſententiam ſuam collegam pertraxit. Ambo igitur una die, *Diocletianus Nicomediæ* in Bithynia, *Maximianus Mediolani* Imperii purpuram exuerunt, habitum privatorum receperunt, vitamque privatam agere cœperunt. *Maximianus* in Lucaniam, *Diocletianus* Salonas in patriam conceſſit. Cum à Maximiano poſt quadriennium admoneretur, ut Imperium una repeterent, contradixit: Se peſte (inquit) liberatum nolle amplius venena imbibere. Satis ſe pro Republ. elaboraſſe, & tempus appetiiſſe, ut ſibi vivat, & vixiſſe non poſſe teſtari, niſi poſtquam in patria ſua olera ſeviſſet. Et addit: Vtinam Salonæ viſere poſſes olera noſtris manibus ſata! profecto nunquam iſtud tentandum judicares.

NOTA.

Owenus lib. 2. Epigr. Regum Statum miſerrimum vemſto hoc Epigrammate pulchre depinxit:

Dum non vult alter, timet alter, dicere verum
Regibus, ô miſerum Regis in orbe ſtatum!

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Tandem *Diocletianus* metu Conſtantini, cum Maxentium Conſtantinus interfeciſſet, veneno hauſto ipſe mortem ſibi conſcivit. Cum vixiſſet annos 78, imperaſſet annos 20.

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

Diocletiano (cum novem annos poſt Imperium vixiſſet) contigit, quod nulli unquam, ut, cum privatus obiiſſet, inter Divos tamen relatus ſit. *Eutropius.*

II. VALERIVS MAXIMIANVS HERCVLEVS.

CAPVT I.

DE ORTV.

FVit genere Pannonius, apud Sirmium ortus, ſemiagreſtis quidem militia, tamen & ingenio bonus. *Sextus Aurelius Victor.*

Appellatio.

NOMEN ejus fuit *Valerius Maximianus: cognomine* dictus fuit *Herculeus*; quod à *Diocletiano* ipsi impositum est.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. ACTA OECONOMICA.

VXOR ejus fuit EVTROPIA. Ex qua suscepit *filium Maxentium*, qui postea Imperator factus; & *filiam* nomine *Fausiam*, quam *Constantio Chloro* in matrimonium elocavit.

II. ACTA POLITICA.

I. *Imperii occupatio.*

A *Diocletiano* est Cæsar creatus, postea vero Augustus ab eodem appellatus; uti in historia *Diocletiani* diximus.

II. *Imperii administratio.*

I. ACTA TOGATA.

Homo sævus & truculentus in omni vita fuit, ingeniique immanitatem vultus quoque torvitate prætulisse accepimus, inquit *Aurelius Victor*. Eundem non modo *Diocletiano* promte semper in tristioribus obsecutum, sed ultro, & suopte ingenio ita crudelem fuisse, ut ab illo mitigandus etiam, atque ad moderationem revocandus fuerit, illumque non injuria nominasses poëtæ verbis: Monstrum horrendum, informe, ingens! De quo item merito illud ejusdem ingeminares: Dii, talem terris avertite pestem! Vere enim ille pestis, clades, pernicies, furia, & quicquid in immanem dici tyrannum potest, exstitit.

Cum Imperium esset depositurus, *Constantium* Mediolani Augustum creavit; sicut *Diocletianus* Nicomediæ *Galerium*.

II. ACTA SAGATA.

Bella gessit 1. *In Gallia*, ubi Bagaudas oppressit.

II. *In Africa*, ubi Quinquagenarios in ordinem redegit, seditionemque illorum sic repressit, ut pacem illos vix tandem impetrare sineret. Vide *Histor. Diocletiani cap. in Acta Sagata*.

III. *Germani*, *Burgundiones* & *Alemanni* in Gallias irruperunt, omnia cæde, rapinis, vastationibus & incendiis miscuerunt; qui tamen paulo post, cum *Maximinus* eos intercludisset, & fame & peste conflictari cœperunt, quos hisce cladibus absumi *Maximianus* passus est. *Ammianus.*

IV. *Cum Germani* Rhenum glacie concretum transiissent, & Gallias vastare incepissent, *Maximianus* eos repulit, & paulo post ponte in Rheno facto, usque ad Danubii fontes Germaniam vastavit. *Marcell.*

III. ACTA ECCLESIASTICA.

Acerrimus Christianorum persecutor fuit; uti & *Diocletianus*, de quo antea. Ita namque *Orosius lib. 7. c. 25.* de iis scribit: *Diocletianus* in Oriente, *Maximianus* in Occidente vastari Ecclesias, affligi interficique Christianos, decimo post *Neronem* loco, præceperunt. Quæ persecutio omnibus fere anteactis diuturnior atque immanior fuit. Nam per decem annos incendiis Templorum, proscriptionibus innocentium, cædibus martyrum, incessabiliter acta est. Vt *Sulpitius Severus* de iisdem *l. 2. sacr. Histor.* scribit, *Diocletiano* & *Maximiano* imperantibus, acerbissima persecutio exorta, quæ per decem continuos annos plebem Dei depopulata est, qua tempestate omnis fere sacro martyrum cruore orbis infectus est; quippe certatim glorioſa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria glorioſis mortibus quærebantur, quam nunc episcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Nullis unquam bellis magis mundus exhaustus est, neque majori unquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus. Hæc ille.

Martyres.

I. *Susanna* virgo, quod nollet nubere Maximiano Imp., religionis causa carceri includitur A. C. 295. & sequenti anno gladio trucidatur cum multis aliis. *Baronius.*

II. MAVRICIVS, qui Legionis militum Thebanorum tribunus fuit, à *Maximiano* ad castra Cæsariana prope oppidum *Ottodurum* vocatus è Syria, ut per Deorum aras præsentes jurarent, velle se Christianos armis persequi: qui maluerunt omnes trucidari, quam contra Christianos pugnare. Hanc sententiam postquam *Maximianus* cognovit, ira percitus, decimum quemque ad supplicium capitis legit: hoc cum relicti non curarent, sed fortius animarentur, *Mauricius* eos ad constantiam piam adhortaretur, ipsique affirmarent, se pro defensione Reipubl., non contra Christianos arma suscepisse, & vitam sibi eripi potius passuros, quam Christum abnegaturos, iterum decimum quemque secuti percussit. Sed cum neque hac sævitia fracti essent; attonitus tandem in eos omnem exercitum suum misit, totamque istam legionem jugulari præcepit. *Osiand. Histor. Magd. cent. 4. c. 12. p. 830.*

III. *Cum*

III. *Cum Maximianus* nihil proficeret, non cæde (ut antea fecerat) in milites graſſatus eſt, ſed novo modo. Nam damnavit eos ad labores ſerviles, ad ædificandas thermas Romanas & Carthaginenſes. *Euſebius.*

CAP. III.

DE EGRESSV.

Maximianus, cum imperaſſet annos 18, ſuaſu *Diocletiani* Imperium depoſuit, ſed poſtea eum pœnituit, quod collegæ aſſenſerat: quare in urbem Romam ſe contulit, ſimulans ſe filio *Maxentio* ad gubernacula auxilio fore. Inde tumultus ortus, quod milites indignarentur, hæc ab illo tentari. Eum tumultum ſuppreſſit, cum diceret, ſe hoc figmento experiri voluiſſe, an milites Maxentium amarent. Inde profectus ad *Conſtantinum* generum ſuum in Gallias, cui clanculum inſidias ſtruxit. Sed res aperta eſt viro per *Fauſtam* uxorem. (ea enim mariti ſalutem tueri, quam patris ſcelus tegere maluit.) *Maximianum* igitur *Conſtantinus* perſequitur, captumque Maſſiliæ ſtrangulari jubet. Cadaver ejus Mediolani ſepultum eſt. *Aurelius Vict. Zoſimus.*

Symbolum ejus fuit.

MELIVS MORI, QVAM SIBI VIVERE.
Qui vivit ſibi ſolus, homo nequit eſſe beatus,
MALO MORI: *nam ſic* VIVERE NOLO MIHI.

XLII. IMPERATOR ROM.
CONSTANTIVS CHLORVS, & GALERIVS MAXIMINVS,
COLLEGÆ.

His adjunguntur:

SEVERVS.
MAXIMIMVS IVNIOR.
M. AVRELIVS MAXENTIVS.
C. VALERIVS LICINIVS.

Nam Galerius Maximinus *Severum* & *Maximinum* (qui & *Maximianus* vocatur) juniorem, ſororis ſuæ filios, collegas ſibi adſcivit, Severo è medio ſublato: in ejus locum rurſus elegit Licinium. Maxentius vero ſe ipſum Auguſtum appellavit.

I. CONSTANTIVS CHLORVS.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

I. PATER ejus fuit EVTROPIVS, Romanorum nobiliſſimus, qui genus ſuum ad Æneam retulit.

II. MATER fuit CLAVDIA, neptis Claudii Imper. ex fratre.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN fuit CONSTANTIVS.

2. COGNOMEN, CHLORVS, Græce Χλωρὸς, quod pallido colore præditus fuerit.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXores habuit *duas*,

I. Fuit HELENA, *Celi* Regis Angliæ filia, ex qua natus *Conſtantinus Magnus.*

II. Fuit THEODORA, *Maximiani* privigna. Ex qua nati ſunt: 1. *Annibalinus*, pater *Dalmatii.* 2. *Conſtantius*, pater Galli & *Iuliani Apoſtatæ.* 3. *Conſtantia*, uxor *Licinii.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. Imperii occupatio.

A *Maximiano Cæſare* eſt creatus, uti à Diocletiano Galerius. Antequam vero illi Imperio ſe abdicarent, Conſtantius & Galerius comprobante Senatu *Auguſti* appellati ſunt.

II. Imperii adminiſtratio.

I. *ACTA TOGATA.*

I. *Conſtantius Chlorus* & *Galerius Maximinus* Imperium diviſerunt: Ita ut *Conſtantius* Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, Africam; *Galerius* Illyricum, Græciam, Aſiam, Ægyptum obineret. *Ille* tamen, qua erat animi moderatione, Italiam etiam Africamque *Galerio* remiſit, reliquis contentus.

II. *Salutis publicæ ſtudioſus fuit.* Licet enim brevi temporis ſpatio Imperio præfuerit, virtutem tamen in eo civibus approbavit. Nam theſauros ſubditorum non quæſivit, ſed benevolentiam eorundem obtinere ſtuduit. Amicis ergo admonen-

tibus, quod in augendo fiſco videretur indiligentior, reſpondit: *Publicas opes rectius à privatis haberi, quam intra unum clauſtrum reſervari. Bonus Princeps, qui magis à ſuis diligitur quam timetur, habet quicquid cives poſſident.* Similiter elegans de illo Hiſtoria legitur apud *Euſebium l.* 1. circa quam quinque membra ſunt notanda.

1. *Diocletiani legatio.* Cum fama paſſim pervagatus hic ſermo de *Conſtantio* eſſet, quod propter clementiam & benignitatem in ſubditos, nullos ſibi theſauros reponeret: *Diocletianus*, qui adhuc ſummum Imperii gradum obtinebat, legatis ad eum miſſis, diſſolutam ejus in Republ. adminiſtranda negligentiam increpare, & paupertatem tanquam probrum objicere, & ad eam rem confirmandam, argumenti loco uſurpare, quod nihil prorſus pecuniæ haberet in theſauris reconditum.

2. *Conſtantii Chlori petitio.* Ipſe vero legatis, qui ab Auguſto venerant, aliquandiu detentis, ex omnibus populis ſuæ ditioni ſubjectis eos, qui maximis divitiarum copiis circumfluebant, in unum convocavit, pecunia ſibi opus eſſe dicens, & hoc tempus opportune oblatum, quo quemque propenſum ſtudium & benevolentiam erga Dominum ac Regem ſuum declarare par eſſet.

3. *Subditorum prompta oblatio.* Quo audito, ſubditi occaſionem hanc diu optatam benevolæ ſuæ in illum voluntatis ſignificandæ ſtatuentes, abjecta omni cunctatione, mature æraria ejus auro, argento, aliiſque opum & facultatum generibus complere, ſtudio quodam & ardore inter ſe contenderunt, quo alius alium in largiendo ſuperaret; idque læto & hilari vultu præſtiterunt.

4. *Theſaurorum oſtenſio.* Hac re confecta, *Conſtantius* legatos ab Auguſto miſſos theſauri ſui ſpectatores fecit, eoſque teſtes eſſe juſſit eorum, quæ oculis vidiſſent. Qui rem geſtam admirantes, ad *Diocletianum* redierunt.

5. *Theſaurorum reſtitutio. Conſtantius* poſt legatorum diſceſſum, pecuniæ illius Dominos denuo acceſſivit, eoſque obſequii ac ſingularis benevolentiæ cauſa humaniſſime tractatos, ſuis receptis omnibus facultatibus, domum redire juſſit.

III. *Liberalis fuit* 1. *Erga quoſvis.* Nam facilem & amabilem cunctis ſe præbuit, unde plurimum dilectus eſt.

2. *Erga doctos.* Nam apud Clivienſes Rhetore in publica ſchola exſtincto, *Eumenium* Profeſſioni oratoriæ præfecit, dato ſtipendio ſexcentis millibus nummum. *Nazian.*

IV. *Humilis fuit, & αὐτάρκειαν amavit.* Nam paucis natura fuit contentus; fictilibus in menſa, more Agathoclis Siculi, uſus eſt. Apparatum & vaſa argentea ab amicis conquiſivit, quando menſam exornare voluit. *Eutropius.*

II. *ACTA SAGATA.*

Bellum contra Alemannos geſſit. Cum enim *Alemanni* ſive *Germani* Rhenum glacie concretum noctu trajicerent, & Lingonas, ubi *Conſtantius* erat, invaderent; *Conſtantius* his obviam profectus prælio ſuperatus eſt, & ſaucius fugit ad Vindonis oppidum, contendens tanto diſcrimine, ut clauſis portis reſte in murum extraheretur: inde adventante exercitu, & receptis animis, erupit, & poſt quintam horam 6000 hoſtium domuit. *Eutropius.* Illo quoque tempore Spiram ad Rhenum condidiſſe ſcribitur, nomine à cohorte Imperatoria facto, ubi & matrem *Claudiam* ſepeliit.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. *Conſtantius*, quanquam ipſe Chriſtianus initio non eſſet, tamen illos odio proſecutus non eſt, neque ſuppliciis, ut Imperatores ſuperiores, & Imperii ſocii, eoſdem affecit; quin potius patrocinio eos texit. Poſtremo ſuperſtitionem Ethnicam Chriſtiana religione, & vera pietate, mutavit, ſancteque reliquam exegit vitam, cum familia univerſa. *Euſebius c.* 11. & 12.

II. *In explorandis animis aulicorum ſuorum ſingulari ſtrategemate uſus eſt.* Circa quod notanda ſunt tria. 1. *Ortus.* 2. *Progreſſus.* 3 *Egreſſus.*

I. ORTVS, continet *Conſtantii* commenti *propoſitionem.* Propoſuit edictum, voluntati ſuæ longe contrarium, quaſi nollet in aula ſua Chriſtianos ferre. Libera igitur eis optione data, hanc conditionem tulit, ut vel Diis Ethnicis immolando, integram haberent poteſtatem commorandi apud ipſum, & ſolitis honoribus perfruendi: vel ſin minus hoc exſequerentur, aditu ad ipſum prohiberentur, & conſuetudine ejus ac familiaritate, prorſuſque repellerentur ac rejicerentur.

II. PROGRESSVS, continet *Aulicorum ſegregationem.* Sincere igitur Chriſtum qui amplectebantur, ſpretis dignitatibus, à comitatu Imperatoris diſcedebant: qui è diverſo nomine-tenus Chriſtiani erant, ut priorem locum & gradum retinerent, à Chriſto defecerunt.

III. EGRESSVS, continet *ſententiæ pronunciationem. Conſtantius* patefacto commento, quod celaverat, *illos* DEI deſertores graviter objurgatos, tanquam ſervitio ſuo indignos, aula excedere juſſit, addens hanc vocem: *Si fidi non fuerunt Numini*, h. e. *Chriſto, quem colebant, neque mihi fidem præſtabunt, neque certam operam navabunt ad*

me,

me, meumque Imperium, tuendum. Cæteros, quorum constantiam in fide Christiana perspexerat, honoribus, præmiis ac beneficiis collatis sibi devinxit, inquiens: *Id genus homines in præcipuis maximeque necessariis amicis & familiaribus numerandos esse, multoque pluris, quam æraria ingenti thesauro referta, merito æstimandos.*

AXIOMA.

Qui DEO *non est fidelis, neque homini fidelis esse potest.*

Hoc Axiomate Constantius Chlorus usus est, uti ex historia citata videre est.

Idem quoque Rex *Theodoricus Afer Arianus* observavit, qui ministrum habuit *Orthodoxum*, quem mirifice dilexit. Hic gratum facere cupiens hero suo, simulavit se velle amplecti dogma Arii. Theodoricus vero levitate hominis offensus, in iracundia jussit eum interfici: Nunquam se posse, inquiens, fidelitatem sibi polliceri de eo, qui DEO infidelis esset.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. ΤΑ' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

C*Onstantii Oratio* προαγώνιος Cum esset moriturus, filio coronam imponens, ad eum & ad Senatum dixit: Nunc mihi mors vita ipsa dulcior est futura: nunc optatus adest obitus. Nam filium Imperatorem relinquo, qui Christianorum lacrymas absterget, & tyrannorum crudelitatem vindicabit.

AXIOMA.

Monita Principum προαγώνια *magnos relinquunt aculeos in animis, tum subditorum, tum liberorum.*

EXEMPLA.

I. MOSES moriturus dixit: Ego scio contentionem tuam, & cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me & ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis; quanto magis, cum mortuus fuero, *&c. Deuter. cap.* 31. *vers.* 27, 28, 29, 30.

II. JOSVA moriturus populum ad legem DEI fœdere astrinxit, & saxum ingens erexit, quod testis esset adversus eum, ne datam DEO fidem falleret. *Cap.* 24.

III. DAVID ex hac vita migraturus ad Salomonem filium & regni hæredem ait: Ego ingredior viam universæ terræ; confortare, & esto vir: & observa ut custodias mandata Domini DEI tui. 3 *Reg.* 2.

IV. THEODOSIVS Imper. in agone mortis constitutus vocavit filios *Arcadium* & *Honorium*, illisque nihil aliud mandavit, quam ut veram pietatem integram servarent, per quam eos asseveravit pacem habituros, & bella sopituros, victoriamque à DEO consecuturos esse. *Niceph. lib.* 13. *histor. cap.* 1.

II. ΤΑ' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Constantius Eboraci in Britannia morbo quodam correptus diem suum obiit, Imperii anno 15, ætatis 56. *Socrates, Nicephorus.*

III. ΤΑ' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

Ipso mortuo, filius Constantinus Magnus ei in Imperio successit.

II. GALERIVS MAXIMINVS.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

P*Arentibus* ignobilibus in Thracia Ripensi fuit oriundus.

II. *Appellatio.*

1. NOMEN ejus fuit GALERIVS MAXIMINVS.

2. COGNOMINE dictus fuit ARMENTARIVS, inde quia in juventute sua fuit Pastor.

CAPVT II.

DE EGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXOR ejus fuit VALERIA, Diocletiani Imper. filia. Hic namque cum Galerium Cæsarem creasset, præter adoptionem, etiam affinitate sibi jungere voluit, eique filiam suam in matrimonium locavit.

II. *ACTA POLITICA.*

I. Imperii occupatio.

Maximinus A. C. 291. creatus est Cæsar cum Constantio Chloro. Nam Diocletianus cum Maximianum collegam sibi adjunxisset, hi duo Augusti, cum per varia loca pullularent bella nova, &

& pluribus Ducibus fidelibus opus eſſet, inter ſe concordantes, alios duos Cæſares fecerunt: Ille *Galerium Maximinum*: hic Conſtantium Chlorum. Et poſtea antequam *Diocletianus* & *Maximianus* Imperio ſe abdicarent, comprobante Senatu, Auguſti appellati ſunt.

II. Imperii adminiſtratio.

I. *ACTA TOGATA*,

I. Cum ad Imperium perveniſſet, illud cum Conſtantio Chloro collega ſuo diviſit, ita ut *Conſtantius* Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, Africam; ipſe vero Illyricum, Græciam, Aſiam, Ægyptum obineret. Sed *Conſtantius* Africæ & Italiæ adminiſtrationem recuſavit, *Galerioque* remiſit; uti & ſupra dictum.

II. Galerius *Severum* & *Maximinum* juniorem è ſororibus nepotes Cæſares creavit, quorum *illum* Italiæ & Africæ præfecit; *hunc* Orienti. Ipſe vero obtinebat Illyricum. Exſtincto autem *Severo*, *Licinium* Collegam aſſumſit.

III. *Libidinoſus* homo fuit, multaque adulteria commiſit. *Euſebius lib. 8. cap. 17.*

IV. *Magiæ ita curioſiſſimus* fuit, ut nihil abſque Diabolorum, Augurum, Magorum, Sacrificorumque conſilio inceperit. *Euſeb. ibidem.*

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum geſſit contra Perſas.* Cum *Diocletianus* eſſet in Ægypto, ut res in Oriente turbatas ſedaret, Maximinum Galerium contra Narſem Perſarum Regem miſit, qui modo Armenias, modo Meſopotamiam acri bello quatiebat. Galerius itaque cum eo congreſſus eſt, & duobus prœliis eum fugavit. Inde animoſior factus, iterum non longe à Carris cum Perſis congreſſus, paullo inconſultius, quam antea, dum ſperat vincere, ſuperatur, amiſſoque fere toto exercitu, ipſe vix fuga evaſit. Itaque repulſus in Syriam rediit, atque inde ad Diocletianum, ad quem, cum ante occurſum ejus, in itinere, adverſi belli fama perveniſſet, coactus eſt *Galerius* (qui purpura, utpote Cæſar, indutus erat) mille paſſus ante carpentum irati Auguſti pedes currere inſtar gregarii militis. Nec auditus tamen. Tandem *Diocletianus* poſt minas, ex lectiſſimo ſupplemento exercitum reficere, & in Perſiam redire illum juſſit, ad ignominiam abolendam. *Galerius* igitur ex militibus Daciæ, Illyriæ ac Miſiæ, pugnaciſſimas robuſtiſſimaſque copias coëgit, & contra Perſas meliori auſpicio profectus, hoſtem invenit in Armenia majore. Ibi priuſquam manus conſereret ſtationes hoſtium ipſe gregarii militis habitu diligentiſſime exploravit, & noctu ex improviſo caſtra hoſtilia aggreſſus, atque felici victoria eſt uſus. *Perſas* namque devicit, caſtra eorum exuit, Regis quoque conjugem & liberos captivos deduxit. Pace igitur facta, quinque provincias recuperavit, & limitem Imperii Tigridem conſtituit, captivoſque Regi Perſarum remiſit. *Eutropius. Victor.*

II. *Bellum contra Maxentium.* *Maximinus* cum de morte *Severi* nuncium accepiſſet, Imperii conſortem legit Licinium. Eo in Illyriis relicto, Romam profectus eſt contra *Maxentium*, qui à Prætorianis Imperator erat electus. Sed cum in itinere cognoviſſet de futura militum defectione, ſi cum *Maxentio* conflixiſſet, in Illyriam rediit, & jam pœnitebat elegiſſe Licinium. Sed paullo poſt in morbum incidit, quo etiam interiit: uti poſtea dicemus.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Galerius Maximinus acerrimus Chriſtianorum perſecutor fuit, adeo ut igne, ferro, claviſque eos cruciaverit, immanibus beſtiis laniandos objecerit, in mare præcipitaverit, membris mulctaverit, varieque afflixerit. Per præfectum ſuum edictum publicum promulgavit, & ad majorem reverentiam, gladium, crucem, rotam & flagella in medio erexit, ut per intuitum ſtatim à Chriſto abducerentur. Mandati ſumma fuit: *Ne quis Chriſtum profiteretur.* Multi metu tormentorum perculſi defecerunt; multi quoque in ipſa tortura conſtantes manſerunt.

Martyres *ſub* Galerio Maximino.

I. GLYCERIVS Presbyter à *Galerio* cremari juſſus, cum antea crudeliſſime eſſet verberatus. Univerſum poſtea cœtum Chriſtianum in domo quadam congregatum *Galerius* combuſſit. *Euſebius.*

II. AGNES Virgo, *Dorothea*, & *Sophronia* martyrii coronam ſub hoc Imperatore acceperunt. *Baronius.*

III. ANDREAS, qui tribunus militum fuerat in Armenia, & propter religionem exautoratus, in Cilicia in monte Tauro comprehenſus (ubi ſecreto hactenus egerat) die Dominica occiſus eſt. *Euſebius.*

IV. PAMPHILVS, Cæſarienſis Eccleſiæ Presbyter, martyrio cum multis aliis coronatus eſt. Inſignis fuit Scriptor Eccleſiaſticus & laborioſus. Ejus nomen amoris ergo aſſumſit ſibi poſtea *Euſebius. Ibidem.*

V. PE-

v. PETRVS Alexandriæ Epiſcopus, capite amputato factus eſt martyr. Hic ARIVM, quod cum *Meletio* ſentiret, ſua Eccleſia ejecit; ſed poſt ipſius obitum ad Eccleſiam reverſus eſt. *Euſebius.*

VI. QVIRINVS Epiſcopus, manuali mola ad collum ligata, è ponte præcipitatus in flumen, diutiſſime ſupernatavit; & cum ſpectatoribus collocutus, ne ſuo ſupplicio à religione Chriſtiana deterrerentur, oravit DEVM ut mergeretur; idque vix obtinuit. *Euſebius.*

VII. GORDIVS Centurio, in duriſſima perſecutione, baltheo militari abjecto, ſponte in exilium abiit; reverſus autem, cum in urbe Cæſarea *Martis* feſtum celebraretur, & populus frequens ad certamina cognoſcenda in theatrum confluxiſſet, ipſe ſuperius adſcendit, & ingenti voce illud Pauli *Rom. c.* 10. *v.* 20. exclamavit: *Ecce inventus ſum ab iis, qui me non quærunt: His qui me non intelligebant, palam apparui.* Præſes iratus interrogat eum, unde & qua de cauſa huc veniſſet. reſpondit; *Reverſus ſum ut palam oſtenderem, me edicta tua omnino nihil curare, ſed Ieſum Chriſtum ſpem meam & præſidium profiteri*, &c. Irritatus *Præſes* jubet eum flagris, rota, equuleis, & omni tormentorum genere excruciari. His tamen non expugnatus eſt. *Præſes* iterum blanditiis, pollicitationibus, ut Chriſtum abnegaret, ſed fruſtra, tentavit. Damnavit ergo eum tandem ad rogum. Poſtquam autem ad ſupplicium duceretur, à populo & amicis, oſculis & verbis ad oralem tantum abnegationem rogatus, reſpondit: *Corde creditur ad juſtitiam, ore fit confeſſio ad ſalutem.* Tandem his & aliis dictis, vultu alacri & gaudente, non mutato colore, in ignis ſupplicium volens ſe dimiſit. *Oſiand. hiſtor. Eccleſ. cent. 4. lib. 1. cap. 22.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

CVm *Galerius* per annos quatuor fere Eccleſiam Chriſti graviter afflixiſſet, tandem ex ultione divina eum fœdiſſimus morbus invaſit, ulcere orto circa inguina, unde vermes enati: quo morbo in furorem quaſi actus, medicos multos (qui opem ferre non potuerunt, vel etiam metu ſæviſſimi hominis contingere locum affectum, & medicamenta admovere non fuerant auſi) trucidavit. Vterque etiam oculus putredine evulſus fuit, & carnes ejus oſſibus ſuis deciderunt. Agnoſcens itaque manum DEI, ob injuſtas Chriſtianorum neces ipſum punientis, gravis pœnitentia eum ſubiit, atque edictum ſuo & Conſtantini nomine edidit, ut Chriſtianis parceretur, ac templa conventuſque darentur; ſimul orans, ut ipſi pro Imperatoris ſalute preces & vota facerent. *Euſebius lib. 8. cap. ult* ubi verba edicti recitat.

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Cum medici cruciatibus ejus mederi non poſſent, vitæ tædio vim ſibi gladio intuliſſe, *Egnatius* ſcribit. Solus annos duos, cum Cæſaribus & Licinio Imperii conſorte ſedecim, Imperio præfuit.

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

Poſt mortem ejus multa in eum tam verbis quam ſcriptis convicia dicta ſunt, ſtatuæ ejus dejectæ, ſtercore & atramento ſutorio maculatæ. Memoria ejus exſtincta, progenieſque exſtirpata eſt. *Nicephor. lib. 7. cap. 39.*

III. SEVERVS.

SEverus, qui à *Galerio Maximino* avunculo ſuo Cæſar creatus, cum audiret *Maxentium* Romæ à prætorianis Auguſtum appellatum eſſe, collecto exercitu Romam tendit, *Maxentium* pulſurus: quem *Maxentius* prœlio vincit, & Roæ nnæ includit. *Maximianus* pater hoſce motus ſedaturus, ex Lucania Romam venit, & *Severo* perſuadet, ut ſalva fide Romam veniat: quod etiam fecit. Fraudibus igitur *Maximiani* circumventus, apud tres Tabernas Romæ extinctus eſt, laqueo gula fracta. Factum altero Imperii anno. *Zoſim. lib. 2.*

IV. MAXIMINVS IVNIOR.
(*alias etiam* Maximianus *vocatur.*)

I. ORTVS.

Galerii Maximini è ſorore nepos fuit.

II. PROGRESSVS.

1. Imperii occupatio.

A *Galerio Maximino* avunculo ſuo Cæſar creatus, & Orienti præfectus eſt. Cumque audiviſſet, *Licinium* quoque Auguſtum eſſe factum, ſe ipſum Auguſtum appellavit. *Zoſim.*

II. Imperii adminiſtratio.

1. ACTA ECCLESIASTICA.

Acerrimus Chriſtianorum perſecutor fuit: & ſi non truculentior, tamen non inferior Maximino avunculo ſuo. Licet enim avunculus ejus edictum divulgarit, ut Chriſtianis parceretur, & templa atque oratoria redderentur; tamen ipſe Chriſtianorum felicitatem perferre non potuit, ſed ſtatim

ſtatim ſexto poſt *Maximini* Galerii edicti promulgationem menſe Chriſtianos rurſus prohibuit conventus habere; indeque perſecutio rurſus exaſperata eſt. Edidit namque blaſphemum contra Chriſtianos edictum, in quo omnes calamitates, quæ impiis gentibus aliquot annis acciderant, Religioni Chriſtianæ fert acceptas: & hortatur Reſpublicas, ut Chriſtianos in exilium ejiciant. Vnde Prætides facultatibus Chriſtianos exuebant, ad mortem condemnabant, in carcere necabant, beſtiis objiciebant. Hæc perſecutio præcedenti fuit multo acerbior. *Euſebius lib. 9. c. 7. Oſiand. hiſtor. Eccleſ. cent. 4. lib. 1. cap. 27.*

Tandem gravibus doloribus exagitatus, edicto publico ſecuritatem & libertatem Chriſtianis reddidit. *Euſebius lib. 10, c. 3.*

II. *ACTA BELLICA.*

Bellum geſſit contra Licinium. Cum enim *Conſtantinus* & *Licinius* Mediolani de libertate religionis decretum ſanxiſſent, Maximinus quia ſe dignitate inter reliquos primum cenſeret, eorum edictis irritatus in Illyricum impetum fecit. *Licinius* contractis copiis primum clade quidem affectus eſt, poſt tamen Maximinum Thracia expulit: ubi *Maximinus* iterum copias collegit, ſed majore clade victus, abjectis inſignibus Imperii, in fugam ſe recepit.

III. *EGRESSVS.*

Maximinus à *Licinio* victus, ne vivus caperetur, ſe ipſum Tarſi ſtrangulavit, ut *Pomponius Lætus* refert.

Aurelius Victor vero & *Euſebius* ſcribunt, quod (poſtquam à *Licinio* victus) Tarſum in Cilicia ſe receperit, ibique acerbiſſimis corporis cruciatibus repente correptus ſit, & atrôci liqueſcentium membrorum ardore conſumtus, eo propemodum morbi mortiſque genere, quo *Galerius*, perierit, cum quadriennio Cæſar, triennio Auguſtus imperaſſet.

V. M. AVRELIVS MAXENTIVS.

I. *ORTVS.*

Maximiani Herculei filius fuit.

II. *PROGRESSVS.*

I. Imperii occupatio.

Maxentius, quod à patre in eligendis Cæſaribus præteritus eſſet, & invidens gloriæ Conſtantini, qui Auguſtus à patre creatus fuerat, adjuvantibus prætorianis militibus, & quibuſdam tribunis, quos promiſſis magnificis impleverat, Imperium invadit. *Zoſim.*

II. Imperii adminiſtratio.

I. *ACTA TOGATA, & ECCLESIASTICA.*

Patri ſuo *Maximiano Herculeo*, aſperitate morum, crudelitate & ſceleribus non diſſimilis, homo inſanus fuit, nullumque ſcelus intentatum reliquit: fuit namque,

I. MAGVS. Vnde *Pomponius Lætus* Magicis artibus, quam Imperio, aptiorem eum fuiſſe recte ſentit.

II. LIBIDINOSVS, & mulieribus ſtuprandis inſatiabilis. Cum enim nobiliſſimæ & caſtiſſimæ fœminæ *Sophroniæ* amore captus eſſet, ad eamque magiſtros libidinis, ut ad ſe eam ducerent, miſiſſet; maritus autem ipſius metu mortis eam abdûci vetare non poſſet: illa petit ſe ornandi tempus; & impetravit. Ingreſſa vero cubiculum, flens genibus oravit, tanquam pudicitiam DEO immolatura, pectuſque ac viſcera correpto mucrone transfodit. Illi vero cum torquerentur mora ad eam irrumpunt; compertoque quid acciditſet, rem, uti evenerat, ad Maxentium referunt. Quo exemplo non ſolum ipſe non deterritus, ſed magis ad libidinem accenſus fuit.

III. PERSECVTOR CHRISTIANORVM fuit. In ingreſſu Imperii, ut populi favorem obtineret, ſimulavit ſe Chriſtianam religionem amplecti, ideoque perſecutionem adverſus Chriſtianos inhibuit: interea vero de ipſorum interitu nocte dieque ſollicitus fuit. *Euſebius.*

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Patrem Maximianum*, qui de ipſo evertendo conſilia agitabat, Roma excluſit.

II. *Africa* qua à Præfecto Alexandro excluſus fuerat, potitus eſt. Alexandrum igitur captum cum multis aliis ſupplicio affecit. *Zoſim.*

III. Cum *Conſtantino Magno* multis prœliis conflixit; ſed victus eſt.

III. *EGRESSVS.*

Maxentius iterum cum *Conſtantino Magno* congreſſus, tandem prœlio victus ad pontem Milvium, ipſeque fugiens in Tiberim, rupto illo ipſo ponte quem in Conſtantini interitum fabricatus fuerat, cum magna multitudine merſus periit, corpuſque ejus vix repertum eſt. *Euſebius lib. 1. de vita Conſtant. c. 32. Pomp. Lætus.* Chriſtiani ideo dixerunt, interitum *Maxentii* ſimilem fuiſſe pœnæ *Pharaonis*. Et ita in eo impletum eſt illud *Prov. 26. v. 26.* Qui fodit foveam, incidet in eam: & qui volvit lapidem, revertetur ad eum.

Cum

Cum quo convenit illud *Sir.* 28. *v.* 1, 2. Qui projicit lapidem in altum, huic recidit in caput. Qui foveam fodit, IPSE cadit in illam. Qui damnum inferre vult aliis, hic ſæpe ipſe plectitur; neſciens, unde hoc eveniat.

VI. C. VALERIVS LICINIVS.

CAPVT I.

DE ORTV.

ORTVS ejus *ignobilis* fuit. Nam in Dacia parentibus agricolis natus eſt.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXOR ejus fuit CONSTANTIA, *Conſtantini Magni* ſoror. *Conſtantinus* enim cum potitus eſſet Occidentis Imperio, teneretque eam partem, in qua plurimum roboris erat, Italiam, Hiſpaniam, Africam, Galliam, Germaniam, & Britanniam: cum *Licinio*, tenente Illyricum, fœdus fecit, adque concordiam confirmandam, jus affinitatis adjunxit, Conſtantia ſorore ipſi deſponſata; nuptiæque ſequenti anno Mediolani celebratæ ſunt, & Chriſtianis liberum religionis exercitium permiſſum; idque utriuſque Imperatoris edicto firmatum eſt. *Victor. Codex.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. Imperii occupatio.

A *Galerio Maximino Auguſtus* appellatus eſt. *Victor.*

II. Imperii adminiſtratio.

1. *ACTA TOGATA.*

1. *Fuit* ἄμουσος, h. e. *contemtor literarum & literatorum.* Vix enim ob inſcitiam nomen ſuum decretis ſubſcribere potuit, quippe literas *virus & peſtem publicam* appellavit, ipſe peſtis & abominatio orbis. Vnde omnes Doctos Roma expulit, per derilionem & barbaram arrogantiam vocans eos *aulicos muros.*

AXIOMA I.

Magnum decus & ornamentum eſt Principum & Perſonarum illuſtrium, ſi literis & artibus liberalibus ſint imbuti.

Exempla invenies in Monarch. III. in hiſtoria Alexandri M. cap. 2. & Monarch. I.

AXIOMA II.

Contra autem Principes illiterati ſæpenumero non laudem, ſed labem, ſibi acquiſiverunt.

EXEMPLA.

1. *Ludovicus XI. Rex Galliæ*, noluit filium ſuum *Carolum VIII.* eruditi literis, ne, dum literarum ſectaretur otia, regni negligeret negotia: Deinde etiam, ne hiſtoriarum cognitione timidus redderetur, aliorum magis exempla intuens, quam ſuo genio obſequens. *Onuphrius.* Et hoc votum Regis fuit omen. Siquidem filius ipſius *Carolus* (ut *Æmylius l.* 10. habet) hæc tantum quinque verba, ex monito patris Latina ſcivit: *Qui neſcit diſſimulare, neſcit imperare.* Haud dignum tanto Parente & filio tum factum tum verbum. Magis probanda vox eſt *Vladiſlai*, Bohemiæ & Vngariæ Regis: *Non videri ſibi homines, qui literas ignorarent.* Æneas Sylvius lib. 3.

11. *Simile* exemplum habemus *in Licinio.*

Huc referri poteſt valde pathetica Eruditionis querela, quæ extat apud *Herm. Buſch*

Negligor à multis, curant mea ſemina pauci:
Quæ tolle, & nullus vivet in orbe Deus.
Res regit, ars eget, & populos ſors lubrica verſat:
Cedite virtutes, Rex ibi nunc, ubi res.
Scit modo rem dare fraus, pietas mendicat ubique:
Nunc emitur magno nil, niſi ſcire nihil.

II. *ACTA POLITICA.*

1 *Bellum* geſſit cum *Maximino*, quem glorioſe vicit. Vide *hiſtoriam Maximini.*

11. *Bellum* geſſit *cum Conſtantino Magno.* Circa quod notanda ſunt tria: 1. *Ortus.* 2. *Progreſſus.* 3. *Egreſſus.*

1. ORTVS vel OCCASIO fuit, 1. *Provinciarum Maximini demortui occupatio Licinius*, poſt victoriam de *Maximino* partam, omnes ejus regiones ſibi ſumit. *Conſtantinus* id iniquum eſſe dicit, & partitionem æquam petit. Cum hoc negaret *Licinius*, diſſidium inde ortum eſt.

2. CHRISTIANORVM PERSECVTIO. *Licinius* pactorum oblitus, perſecutionem in Chriſtianos molitus eſt. Conſtantinus igitur, per literas officii eum monens, ut à malitia deſiſteret, verum ei perſuadere non potuit. *Cedrenus.*

11. PROGRESSVS. Cum *Conſtantinus* videret, admonitionem ſuam nihil apud Licinium proficere, bello eum aggreſſus eſt, & *tribus prælis* vicit. *Zoſim.*

1. *Prælium* factum in *Pannonia*, ubi victus *Licinius* confugit in Macedoniam.

2. *In Thracia prope Adrianopolin.* Cum *Licinius* in Macedonia vires reparaſſet, magnaſque copias coëgiſſet, cum Conſtantino iterum in Thracia congreſſus eſt. Verum Conſtantinus eum vicit triginta militibus occiſis, & caſtris captis. Licinius ergo fugit, & ſe Byzantio inclusit: tandem autem, cum urgeretur, in Aſiam tranſiit.

3. *In Aſia non procul à Chalcedone.* *Licinius* in Aſia reparato exercitu, iterum cum *Conſtantino* ad ſacrum promontorium, 200 à Chalcedone ſtadiis, congreſſus, ſuccubuit: & cum antea haberet exercitum conſtantem è centum & triginta millium militibus, vix 30000 evaſerunt. *Cedrenus.*

III. EGRESSVS. *Licinius*, perditis omnibus, victori ſe permiſit. Scribunt quidam, ante deditionem uxorem *Conſtantiam* conceſſiſſe ad fratrem, eumque oraſſe pro mariti imperio: deinde pro titulo tantum: & non impertaſſe. Cum pro ſalute precaretur, flexiſſe animum fratris. Ita juſſum eſſe *Licinium*, ſine purpura & inſignibus, ad *Conſtantinum* venire: miſſumque eſſe Theſſalonicam, ut illic privatus cum uxore vitam degeret.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Perſecutor Chriſtianorum fuit acerrimus. Initio quidem Chriſtianis favere, arteſque liberales promovere viſus eſt, ſed peſſima diſſimulatione. Nam poſtea Ethniciſmum amplexus, religionemque Chriſtianam execratus eſt. Chriſtianos ex aula ſua ejecit, impiiſque edictis & ſuppliciis immaniſſimis omnem ſincerioris religionis cultum ex animis hominum exſtirpare conatus eſt.

Martyres ſub eo.

I. BASILIVS, *Amaſenus* Epiſcopus, vir Apoſtolicæ doctrinæ clariſſimus, ſtigmata martyrii in corpore ſuo geſſit, multiſque tormentis perpeſſis, tandem capitis ſupplicio affectus eſt. *Oſiander H. E. cent. 4. cap 34.*

II. PAVLVS, *Neocæſarienſis* Epiſcopus ambarum manuum uſu, Imperatoris hujus tyrannide, ferro ignito venis ac nervis peruſtis, orbatus eſt.

III. THEODORVS Dux exercitus, carus initio Imperatori, poſtea ab eodem cruci affixus, & ſubulis in meatibus ſecretioribus corporis excarnificatus, capite truncatus fuit. *Oſiand ex Nicephor. lib. 7. cap. 14.*

IV. *Quadraginta milites Chriſtiani.* Qui cum inter aulicos proceres magni eſſent nominis, veritatis confeſſionem favori & gratiæ Imperatoris præpoſuerunt. Sævientis igitur Tyranni furor nudatos omnes, & ſub brumam Sebaſtiæ ſtagno congelato frigore impoſitos necari juſſit. *Oſiander.*

CAP. III.
DE PROGRESSV.

CVM *Licinius* Theſſalonicæ privatus viveret, quod uxor ejus *Conſtantia* à fratre ſuo Conſtantino Magno precibus obtinuerat, quieſcere non potuit; ſed de recuperando Imperio conſilia egit, militeſque conſcripſit. *Conſtantinus*, his cognitis, eum occidi juſſit. *Licinius* itaque à militibus Theſſalonicæ interemtus eſt, cum vixiſſet annis 70, imperaſſet annis fere 15. *Victor.*

PERIODVS II. IMPERATORVM CHRISTIANORVM à CONSTANTINO M. uſque ad IVSTINIANVM M.

XLIII. IMPERATOR ROM.
CONSTANTINVS MAGNVS.

CAPVT I.
DE ORTV.

I. *Generatio.*

AVus ejus fuit EVTROPIVS, ex nobiliſſima familia Romana natus.

AVIA fuit CLAVDIA, filia Criſpi fratris *Claudii* Imperatoris.

PATER ejus fuit CONSTANTIVS CHLORVS, Imperator optimus & religioſiſſimus, qui orthodoxam religionem tandem ipſe amplexus eſt, & conſtanter defendit, inque fidem aulicorum ſuorum diligenter inquiſivit; ut in hiſtoria ejus diximus.

MATER ejus fuit HELENA, *Coli* Regis Angliæ filia, Heroïna longe religioſiſſima. *Euſebius* ſcribit, eam in viſione monitam, ut Ieroſolymam proficiſceretur, ibique locum Paſſionis & reſurrectionis Chriſti luſtraret. *Nicephorus lib. 8. Hiſtor. Eccleſ. cap. 30.* narrat, eam in Gethſemane Baſilicam exſtruxiſſe, in memoriam B. Mariæ Virginis, matris Salvatoris noſtri, ibidem ſepultæ, cujus ſepulcrum adhuc in ea monſtrari, *Bernhard Breidenbachius* commemorat. Similiter *Ruffinus l. 1. Hiſtor. Eccleſ. c. 8.* refert, HELENAM Crucem Chriſti, in qua ipſe pependerit, in terra occultatam inveniſſe, una cum clavis quibus cruci affixus fit, eoſque

ad

ad filium Conſtantinum portaſſe: ex quibus ille frænos compoſuerit, quibus in bello uteretur; ex aliis vero galeam belli uſibus aptam armaverit: Atque ad clavum Chriſti in freno Conſtantini accommodat D. Ambroſius in oratione de obitu Theodoſii allegorice dictum illud *Zachariæ c.* 14. *v.* 20. In die illa erit, quod ſuper frenum eſt equi, ſanctum Domino.

Ædificavit quoque *Helena* in urbe Bethlehem templum pretioſiſſimum ex marmore confectum, eo in loco, ubi Chriſtus ex Maria Virgine in hunc mundum natus eſt. *Euſebius.*

Denique Helenæ matris inſtinctu *Conſtantinus Magnus* templum Veneris fœdiſſimum, quod gentiles in contumeliam Chriſtianæ religionis ſuper ſepulcrum Chriſti exſtruxerant, demolitus eſt, & templum pretioſiſſimum in honorem Chriſti ibidem exſtruxit: ſicut *Theodoretus lib.* 1. *cap.* 26. & *Euſebius in vita Conſtantini lib.* 3. *cap.* 25. ſcribunt.

Mortua eſt *Helena* anno Chriſti 329, ætatis ſuæ 80, & Conſtantinopoli in templo Sanctorum Apoſtolorum honorifice ſepulta eſt. *Cedrenus. Petrus de Natal.*

GENEALOGIA CONSTANTINI MAGNI,

& POSTERORUM *ejus, hæc traditur.*

EUTROPIUS natus ex nobiliſſima familia Romana.

Hujus Uxor CLAUDIA, filia Criſpi fratris Claudii Imp.

Horum filius

CONSTANTIUS CHLORUS.

Cujus uxores fuerunt

HELENA Britannica. Ex qua natus

THEODORA, Maximiani Herculei privigna. Ex qua nati ſunt

CONSTANTINUS MAGNUS.	*Annibalianus*, pater Dalmatii.	*Conſtantius*, pater Galli & Iuliani Apoſtatæ.	*Conſtantia*, uxor Licinii.	*Minervina.* Ex qua natus Criſpus.	*Fauſta*, filia Maximini Galerii. Ejus liberi:

CONSTANTINUS. CONSTANS. CONSTANTIUS. CONSTANTIA, uxor Galli. HELENA, uxor Iuliani Apoſtatæ.

II. *Appellatio.*

Dictus eſt CONSTANTINUS cognomento MAGNUS, ob rerum geſtarum gloriam atque magnitudinem. Nam fuit Eccleſiæ pater, patronus & cuſtos pius, benignus, liberalis, placidus atque æquus: & politiæ caput, præſidium atque firmamentum. Hinc victo *Maxentio*, Senatus populuſque Romanus eum appellavit liberatorem & fundatorem quietis atque æternæ ſecuritatis. *Et diligenter* notandum eſt, quod ſolus *Conſtantinus* in toto populo Romano cum imperaret, cognomen *Magni* inducrit, quod antea tres inter tot Duces à rebus geſtis cognomen acceperunt, ut magni dicerentur, nempe *Alexander Macedo, Antiochus III*, & *Cn. Pompeius.*

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ, & ACTA IUVENILIA.

CONSTANTINUS M. inſigni forma juvenis erat, excellentibus corporis animique dotibus præditus, facie venuſtus, modeſtus atque probus, literis tum Græcis tum Latinis egregie excultus, quas Nicomediæ in civitate Bithyniæ didicerat. Exercitatus quoque in artibus equeſtribus, erat magnanimus, inque rebus gerendis ſtrenuus atque induſtrius. *Eutropius brev. lib.* 18.

In juventute ſua in aula *Diocletiani* Imp. & poſtea in exercitu ejus in Ægypto vixit. Tandem extremam juventutem egit ſub GALERIO MAXIMINO Imp. in Oriente, à quo adhuc adoleſ-

cens miſſus eſt cum exercitu contra *Sarmatas*, quos præter omnium opinionem fugavit & profligavit. *Ducem Sarmatarum* catena vinctum ad *Galerium* duxit. Qui ea victoria tamen minime eſt lætatus: quoniam perdere adoleſcentem quærebat, ut olim *Euriſtheus Herculem*. Eumque ob cauſam etiam hortatus eſt eum, ut cum leone in theatro pugnaret. *Conſtantinus* gloriæ avidus in certamen deſcendit, feramque glorioſiſſime vicit: Quo nomine ſpectatores miris eum laudibus efferebant. Subridens *Imperator*, majoribus eum periculis objicere cogitabat. *Conſtantinus* autem inſidiis ſe peti intelligens, cum fidiſſimis quibuſdam aufugit, & ad patrem ſuum *Conſtantium Chlorum* in Britanniam paulo ante mortem ejus rediit. Quo mortuo, regnum Galliarum & Hiſpaniarum teſtamento ſibi relictum accepit. *Pomponius Lætus.*

USUS.

Pulcre *P. Syrus* inquit:

Formoſa facies muta commendatio eſt.

Et *Latinus Pacatus in Panegyrico Theodoſii* inquit: Auguſtiſſima quæque ſpecies plurimum creditur trahere de cœlo. Et *Virgilius lib.* 5. *Æneidos:*

Gratior eſt pulcro veniens è corpore virtus.

Exemplum inſigne habemus in *Conſtantino M.* Unde Eumenius in Paneg. Conſtantini recte ſcribit hiſce verbis: Non fruſtra Doctiſſimi viri dicunt, naturam ipſam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis ac decore membrorum colligi poſſe, quantus illos cœleſtis Spiritus intrarit habitator.

II. *ACTA OECONOMICA.*

Conſtantinus M. duas uxores habuit.

PRIOR dicta eſt MINERVINA, ex qua ſuſcepit CRISPVM: quem vehementer dilexit, ob raras ejus virtutes, eumque Cæſaris titulo ornavit. *Zoſimus* §. 8.

Præceptor CRISPI fuit *Lactantius Firmianus*, vir diſertiſſimus, ſed adeo pauper, ut plerumque etiam rebus neceſſariis indiguerit. Hujus *Lactantii* Præceptor fuit ARNOBIVS Rhetor, qui cum adverſus Chriſtianos quædam ſcripſiſſet, poſtea reſipuit, & ad Chriſtum converſus eſt.

POSTERIOR uxor ejus fuit FAVSTA, *Maximiani Herculei* Imp. filia, ex qua ſuſcepit tres filios, nempe CONSTANTINVM II. CONSTANTEM & CONSTANTIVM. Et duas filias; CONSTANTIAM, & HELENAM.

Monita.

1. De CRISPO notandum, quod pater eum vehementer dilexerit, eumque una cum *Conſtantino* filio & *Licinio* juniore ſororis filio *Cæſares* deſignaverit. Verita autem *Fauſta*, (ſed revera infauſta) ne privignus *Criſpus* peritia & fortitudine ſua filio ſuo obeſſet, finxit illa, ſe ejus amore captam, ideoque eum ſæpius ad libidinem provocavit. Renuentem vero & deteſtantem inceſtum ad maritum detulit, quaſi pudicitiæ ſuæ vim inferre voluerit. Quare *Conſtantinus* pater iræ nimium indulgens, filium *Criſpum* Polæ in oppido Iſtriæ interfici juſſit, ſicut & factum eſt. Verum cum *Conſtantini* mater *Helena* tantam calamitatem ægro animo ferret, & intolerabilem ex cæde juvenis dolorem perciperet, atque veritatem facti & delationem falſam demonſtraret: Mox *Imperator* juſtitiæ ſtudioſiſſimus, ut matrem (quam maxime obſervabat) conſolaretur, malum majori malo ſanavit. Nam cum balneum accendi ſupra modum juſſiſſet, *Fauſtam* ei incluſit, quæ nimio vapore atque calore ſuffocata eſt; mortuaque inde extracta. *Zoſimus in Conſtantino* §. 8.

11. De *tribus filiis Conſtantini M.*, nempe *Conſtantino* juniore, *Conſtante* & *Conſtantio*, uſurpari poteſt vulgatum illud adagium: Η᾽ρώων τέκνα μήλα. h. e. *Heroum filii noxæ.*

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

CONSTANTINVS, mortuo patre, regnum Galliarum Hiſpaniarumque & Alpium Cottiarum teſtamento relictum accepit. Eum antea pater Cæſarem fecerat, cœleſti nuncio admonitus cum ægrotaret, ut primum Conſtantinum ſucceſſorem faceret, qui eſſet à Tyrannis Romanum Imperium liberaturus, & militibus Dei opem laturus. Similiter milites Prætoriani, cum Conſtantius Chlorus Imp. è vita migraſſet, neminem ex legitimis ipſius liberis idoneum regno judicabant; ſed Conſtantinum ad hoc aptum videntes, ſimulque ſpe magnificarum largitionum erecti, Imperatoris dignitatem ei tribuebant. *Zoſimus* §. 8.

AXIOMA.

Annus 100 Principibus familiis eſt fatalis. Illo enim familiæ deficientibus ſucceſſoribus intereunt: Aut dignitatem priſtinam a parentibus ortam amittunt.

Exemplum habemus in hac hiſtoria. Nam A. C. 306. Imperium Romanum ad Conſtantinum M. eſt tranſlatum.

Conſtantinus M. initio imperavit cum quatuor, nempe *Diocletiano*, *Maximiano*, *Maxentio*, & *Maximi-*

ximino. Hiſce autem quatuor Tyrannis exſtinctis, regnavit cum *Licinio*. *Conſtantinus* rexit *Occidentem*: *Licinius* vero *Orientem*, qui *Maximinum* deleverat: Tum pax fuit in Imperio Romano circiter quinquennium.

II. *Imperii adminiſtratio.*

Circa Imperii adminiſtrationem notanda ſunt acta ejus. 1. *Togata*, ubi occurrunt virtutes & vitia. 2. *Sagata.*

I. VIRTVTES.

I. Iuſtitia.

1. *Conſtantinus M. juſtitiæ ſtudioſiſſimus fuit.* Nam ſanctiſſima ejus conſtitutio de palatinis ſuis coërcendis relata eſt in Codicem Theodoſianum. Verba hæc ſunt: *Si quis*, inquit, *eſt, cujuſcunque loci, ordinis, dignitatis, qui ſe in quemcunque comitum, amicorum vel palatinorum meorum, aliquid veraciter & manifeſte probare poſſe confidit, quod non integre atque juſte geſſiſſe videatur, intrepidus & ſecurus accedat, interpellet me: ipſe audiam omnia, ipſe cognoſcam, & ſi fuerit comprobatum, ipſemet vindicabo: dicat ſecurus, & bene ſibi conſcius dicat. Si probaverit, ut dixi, ipſe me vindicabo de eo, qui me uſque ad hoc tempus ſimulata integritate deceperit. Illum autem, qui hoc prodiderit & comprobaverit, & dignitatibus & opibus augebo. Ita mihi ſumma divinitas ſemper propitia ſit, & me incolumem præſtet, ut cupio, feliciſſima & florente Republ.* Hactenus verba conſtitutionis.

Huc pertinet Axioma Politicum: Multum facit ad perpetuitatem Imperii, ſi non modo Princeps ipſe ab injuria abſtineat, ſed etiam ſuos ſevere ab injuria prohibeat.

11. *Laudanda* eſt quoque hujus Imp. *Lex* ſive *Conſtitutio*, quæ ſimiliter relata eſt in Codicem Theodoſianum, & directa eſt contra δυοδακίαν. *Non ſit*, inquit, *venale judicis velum, non infame licitationibus Secretarium, non viſio ipſa Præſidis cum pretio, &c.* lege 1. C. Theod. de Rect. Provinc.

II. Odium adulatorum.

Hoſtis adulatorum infenſiſſimus fuit. Nam eos peſtes & pernicies aularum: item tineas ſoriceſque palatii appellare ſolebat; uti *Aurelius Victor* ſcribit. Tales adulatores ſive aulico-politicos *Heliogabalus*, alias improbus Imperator, alligabat rotæ aquaticæ, vocans eos amicos Ixionicos. *Antoninus Pius* Imp. eos in exilium pellebat, dicens: Nihil eſſe crudelius, quam ſi Remp. ii arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrent. *Huc pertinet* elegans reſponſum *Bionis*. Ille enim interrogatus, quodnam eſſet animal omnium maxime noxium? Si de feris (inquit) percunctaris, *Tyrannus*: Si de mitibus, *Adulator. Laërtius lib. 1. cap. 6. Similiter* idem *Bion* eos qui auſcultarent adulatoribus, dicebat ſimiles eſſe amphoris, quæ auribus circumaguntur. *Eraſmus lib. 8. apophth. ex Plutarcho.*

III. Modeſtia.

Non ambitioſus, ſed modeſtus erat. Vnde Trajanum, Imp. alias laudatiſſimum, ſemper appellare ſolebat *Herbam parietinam*, propterea quod omnibus operibus ſuis, qua novis, qua innovatis, titulos aſcripſerit pompoſos; ſicut *Aurelius Victor* de eo ſcribit.

IV. Vigilantia & Reipubl. cura.

In adminiſtranda Republ. fuit valde ſollicitus, in conſervando milite admodum cautus, examinator meritorum ſcrupuloſus, atque Palatinas dignitates velut ex quodam tribuens perpendiculo. *Marcell. lib. 21.*

V. Clementia, *tum* Togata, *tum* Sagata.

Domi erga delinquentes crudelis non fuit: ſicut *Marcellinus* narrat. Nam cum ei Amphilochius quidam deferretur, ut perduellis & obſtinatus, quique indignus eſſet lucem ulterius intueri: Deſinite, ait, urgere hominem, ut exiſtimo, ſontem, ſed nondum aperte convictum: Et mementote, quod, ſi quid admiſit hujuſmodi, ſub obtutibus meis conſcientiæ ipſius ſententia punietur, quam latere non poterit.

AXIOMA.

Princeps non omnia delicta ultimo ſupplicio & morte vindicare debet.

Vt enim *Medico* multa funera: ita *Principi* multa ſupplicia & invidioſa ſunt, & periculoſa. Eſt enim anguſtianimi, ad quævis delicta carnifices ſtatim advocare, haſtam ubique & gladios in promtu habere; ungulas item & rotas, & alia talia. Quædam enim delicta contemnenda ſunt potius, præſertim ab infimæ ſortis aut conditionis hominibus deſignata, qui infra iram Principis eſſe debent & animadverſionem, vel levius puniendæ, aut condonanda quandoque prorſus Perſonis honoratioribus, eorumque voluntas officiis & humanitate immutanda. Generoſa in hanc rem eſt vox Flavii Veſpaſiani Imp. ad *Demetrium Cynicum*, qui cum non ſolum nec aſſurgeret ei, nec ſalutare eum dignaretur, non

quieſceret etiam contra ſtatum Imperii, & Perſonam Cæſaris loqui: *Tu quidem*, inquit Imperator, *nihil prætermittis, ut ego te interfici jubeam, ego tamen canem latrantem non occido:* uti ſcribunt *Suetonius* & *Dio*. Itaque divine prorſus, & ſupra ſexus ſui conditionem LIVIA olim ad AVGVSTVM dicebat: *Viden', ut Medici rariſſime ſectiones & ignes adhibeant, ne vitia corporis magis exaſperent: Pleraque lenibus corporis exercitiis, & mitibus medicamentis molliunt ac ſanant: Eandem rationem curandi animos tu ſequere. Audaces, inquietos ac ſiniſtri conſilii homines immedicabilique & continuæ malitiæ adſuetos, exſcindere te jubeo, ad exemplum earum corporis partium, quæ medicinam non patiuntur. Reliquos, qui propter ætatem, imperitiam, imprudentiam, aliove caſu quodam, ſive volentes, ſive inviti peccant, verbis caſtigare, minis corrigere, aliave tolerabili ratione te tractare velim.* Suetonius.

Tale quoque exemplum hoc loco in *Conſtantino M.* habemus.

Similiter in BELLO ſanguinarius non fuit. *Euſebius l. 2. de vita Conſtantini c. 13.* ita ſcribit: *Diligentem* adhibebat cautionem, ne inter dimicandum multorum fieret cædes, multumque ſanguinis effunderetur. Vnde non magis ſuorum, quam hoſtium ſaluti proſpexit: Quapropter ſuos, cum victoriam eſſent adepti, hortari ſolebat, ut captivorum miſererentur; & cum homines eſſent, naturæ humanæ nequaquam caperet eos oblivio. Atque ſi quando militum animos ferociores cerneret, auri munuſculo eos refrænabat, & præcipiebat, ut, qui aliquem ex hoſtium numero vivum cepiſſet, certa quadam auri ſumma remuneraretur. Hanc autem veluti illecebram ad hominum conſervationem *Imperatoris* excogitavit prudentia, adeo ut infiniti etiam ex ipſis Barbaris incolumes evaſerint, Imperatore vitam ipſorum redimente.

VI. Liberalitas & Beneficentia.

Si quos privatos dilexit Imperator, opibus honeſtavit, non dignitate prætoria aut Conſulari, ut Principes priores fecerant. *Cuſpinianus.*

Vnde *feuda hæreditaria* ab ipſo primum ſunt inſtituta. Nam ante ipſum ex veteri conſuetudine Tribunis, Præfectis, Comitibus & Ducibus, qui pro augendo Imperio conſenuerant, dabantur agri & villæ, ut neceſſaria eis ſuppeterent, quoad viverent. Verum Conſtantinus ſanxit primus, ut agri, villæ, oppida, quæ ad victum emeritorum contributa erant, ad hæredes tranſirent: unde milites ſibi magis obnoxios atque obſtrictos reddidit. *Pomponius Lætus.*

VII. Felicitas.

Conſtantinum M. non ſupplicantem Dæmonibus, ſed ipſum verum Deum colentem, tantis Deus implevit muneribus, quanta optare nullus auderet. *Auguſtinus lib. 5. de civitate Dei, cap. 25.*

VIII. Imperii Romani diviſio.

Conſtantinus A. C. 330. diſtribuit Romanum Imperium in duas partes: in Occidentem, & Orientem. OCCIDENTIS iterum duas partes fecit: GALLIAM & ITALIAM. GALLIA comprehendit ipſam Galliam, Hiſpaniam, Britanniam & Germaniam. Habuitque Gallia Provincias 17, Hiſpania 7, Britannia 5.

ITALIA comprehendit ipſam Italiam, Africam & partem Illyrici. Habuitque Italia Provincias XVII, Africa V, Pars Illyrici VI.

ORIENTIS iterum duas partes fecit, Aſiam ſcilicet & Thraciam. Thracia habuit Provincias duas, *Macedoniam* & *Daciam*. *Aſia* vero Aſiam ipſam, Ægyptum, Pontum. *Aſia* Provinciæ XXV, *Ponti* X fuere.

Hinc AQVILA Imperii Romani pingitur biceps. Quo pertinet venuſtum Epigramma:

Picta biceps Aquila, *hinc occaſum, hinc aſpicit ortum:*
Alter (ait) noſtri eſt Cæſaris, alter erit.

IX. Opera ejus, *atque* ædificia magnifica.

1. *Conſtantinus M.* urbem *Conſtantinopolin* ædificavit. Nam tradunt Hiſtorici, *Conſtantinum Magnum*, cum ſtatuiſſet Imperii ſedem ex urbe Roma in Orientem transferre, quo facilius Parthorum excurſiones compeſceret, *Byzantium* petiviſſe, eumque ſibi locum divinitus oſtenſum delegiſſe: Mox urbem ampliaſſe, nova mœnia erexiſſe, ſublimes excitaſſe turres, magnificentiſſimis operibus exornaſſe, tantumque illi decoris adjeciſſe, ut altera ROMA non immerito dici poſſet. Scriptores vetuſti, qui florentem viderunt, Deorum potius in terris habitaculum, quam *Impp.* putaverunt. Nam *Conſtantinus* eam valde munivit, & multis ornamentis exornavit. Pleraque autem ornamenta ex tota Aſia & Europa, & Africa, ad ejus dedicationem advecta ſunt. Vnde *D. Hieron.* dicere ſolitus eſt: *Conſtantinum* nudaſſe urbes, ut *Conſtantinopolin* ornaret. Vrbis nomen νέαν Ρώμην, h. e. NOVAM ROMAM vocavit; ſed vicit obſtinatio vulgi, ut à conditore CONSTANTINOPOLIS vocaretur.

11. *Con-*

II. *Conſtantinus* dedicavit Conſtantinopolin A. C. 330. ibique *Conſtantii* Cæſaris quinquennalia celebravit.

III. *Eodem anno templum Apoſtolorum* Conſtantinopoli ædificavit, & *templum* PACIS. Civibus etiam qui Conſtantinopoli habitare volebant, annonam dedit, unde urbs brevi temporis ſpatio in immenſum aucta eſt, ita ut magno ſpatio pomœria proferrentur. Diſtribuit autem civibus quotannis octuagies centena millia medimnorum frumenti, quæ ſunt ultra vicies quater centena millia modiotum Lipſienſium.

IV. *Conſtantinus* aliquot Nobiles viros Romæ excitavit, qui *Conſtantinopolin* commigrarent, illamque ædificarent. Nam miro ſtrategemate uſus eſt in *Byzantio* amplificando & exornando. Duodecim enim illis Romanis, quos contra *Perſarum Regem* cum exercitu miſit, annulos clam ademit. Quo fine autem hoc ab eo factum ſit, narrat *Codinus in libro de originibus Conſtantinopolis* à *Georgio Duſa* edito, cujus verba ſunt ponderibus prægnantia: *Conſtantinus M.* cum vellet civitatem *Byzantium* maxime à Romanis inhabitari, annulos cujuſque viri occulte accepit, ipſoſque (videlicet quatuor Magiſtros, *Adum*, *Protaſium*, *Scolyasbrum*, *Philoxenum*; & octo patricios, *Probum*, *Dominum*, *Darium*, *Maurum*, *Rhodanum*, *Saltionem*, *Modeſtum Præfectum*, *Eubulum*) cum magno exercitu contra *Sabarum* Perſarum Regem miſit, ubi in Perſia 16. menſes commorabantur. *Imperator* vero *Conſtantinus*, legatis Romam miſſis, uxores ipſorum, liberos, & familias *Byzantium* vocavit. Conſtituit etiam opifices, ut domos ipſorum, & loca ſingula, ubi & quomodo ſitæ eſſent, in orane maritima vel continente, ut formam ſtructuræ, & quales gradus eſſent tortuoſi, obſervarent. Aſſumtis ergo ſecum familiis vocatorum Byzantium redierunt, ibique ſingula ſimili modo condiderunt, in iiſque familias ipſorum habitare juſſerunt. Cum itaque *Romani* illi ex Perſia potiti victoria rediiſſent, & 365. centenaria allata recepiſſent, *Imperator* eos convivio excepit, illiſque dixit: VULTIS ABIRE ROMAM? tentans eos. Illi autem dixerunt, ſe ante duos menſes non reverſuros. *Imperator* vero dixit: *Veſperi dabo vobis ædes veſtras.* Iuſſerat enim *Euphrati* accubitori ſuo, qui & *Conſtantinum M.* Chriſtianum effecerat, ut unicuique ædes ſuas reſtitueret. Vt igitur viderunt portas, atria, gradus, menſuram & formam, altitudinem & proſpectum feneſtrarum Romanis ſimilem; putabant, ſe per ſomnium eſſe Romæ. Cum vero & familias ſuas invenirent, obſtupeſcebant, & cum interrogarent ſuas familias, & penitus intelligerent, crediderunt non eſſe phantaſiam, ſed prudentiam *Imperatoris*, quod invitos & nolentes degere hic juſſerit.

V. *Conſtantinus M. Drepanum* Bithyniæ civitatem reſtauravit, & in memoriam matris ſuæ HELENÆ, *Helenopolin* appellavit, A. C. 327. ſicut *D. Hieronymus* ſcribit.

X. Lex de Adulteris puniendis.

Conſtantinus quoque legem tulit, violatores conjugii gladio puniendos eſſe. Quæ conſtitutio congruit cum jure divino. Nam *Levit. cap.* 20. *v.* 20. & *Deut. cap.* 22. *v.* 22. Deus ita præcipit: *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetravit cum conjuge proximi ſui, morte moriantur & mœchus & adultera. Deut. c.* 22. *v.* 23. Si puellam virginem deſponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea, *v.* 24. educes utrumque extra portam civitatis illius: & moriantur. Confer *Ezech.* 16. *verſ.* 38. Vnde patet, quam graviter erret Alexander III. Pontifex Romanus, qui in jure Canonico cap. At ſi Clerici, extra de judiciis, reſcripſit Salertinano Archiepiſcopo de adulteriis & aliis criminibus, *qua ſunt minora*, poſſe Epiſcopum cum Clericis poſt peractam pœnitentiam diſpenſare. Verum hæc ſententia Pontificis juri divino, & conſtitutioni Conſtantini M. è diametro eſt contraria.

Symbolum ejus.

Symbolum ejus: IMMEDICABILE VULNVS ENSE RECIDENDVM.

Conſtantinus M., qui magnus fautor proborum, & ſtrenuus oſor improborum fuit, frequenter dicere ſolitus eſt: Pro utilitate Reip. Imperatorem non debere labores recuſare, neque cuiquam omnium, ac ne propriis quidem membris ſuis parcere, publicæ tranquillitatis conſervandæ cauſa: Quin imo *partem corporis reſcindere, ſi remedium non admittat, ſin contra, favere*; ſicut *Pomponius Lætus* ſcribit. Idcirco in animadvertendo plerumque uſurpaſſe perhibetur hunc *Ovidii* verſiculum:

Cuncta prius tentanda: Sed Immedicabile vulnus
Enſe recidendum: *ne pars ſincera trahatur.*

Quo inſinuare voluit, improborum genus illud peſtiferum atque impium ex hominum communitate exterminandum eſſe. Quemadmodum etiam Hippocrates deſperatis morbis vetat adhibere medicinam. Nam quemadmodum membra quædam amputantur, ſi & ipſa ſanguine & tanquam ſpiritu carere cœperint, & noceant reliquis: Ita iſta in hominis figura feritas & immanitas belluæ à communi

muni tanquam humanitate corporis ſegreganda eſt: uti præclare loquitur *Cicero lib.* 3. *Offic.*

II. VITIA.

Axioma.

Mixtura virtutum & vitiorum in Heroicis Perſonis eſſe ſolet.

Exemplum habemus evidens in *Conſtantino Magno.* Hic enim gravia habuit σφάλματα, eaque duplicia.

1. ECCLESIASTICA. Nam à Sorore ſua deceptus *Arium* in Concilio Nicæno damnatum revocavit, ipſiuſque dogma in Filium Dei blaſphemum Eccleſiis obtruſit; atque magnum *Athanaſium*, veritatis propugnaculum, in exilium ejecit. Qua re acuit & auxit rabiem Arianorum. Nam horribiles ſecutæ ſunt confuſiones poſt ipſius mortem, deſævientibus Arianis in Orthodoxos, juxta Axioma Politicorum: *Lapſus magnorum Principum trahunt ſecum magnam multorum ruinam.*

II. POLITICA. Nam cum devicto Licinio ſolus cum filiis ſuis Monarchiam obtineret, per inſolentiam mutatus, & crudelior factus eſt.

1. CRISPVM filium ſuum jam Cæſaris dignitate ornatum inſignemque juvenem indicta cauſa occidit, ob meram ſuſpicionem, quaſi cum FAVSTA noverca rem habuiſſet: Veritate autem comperta, ipſam Fauſtam uxorem ſuam in balneo ſupra modum calefacto ſuffocavit.

2. LICINIVM ſororis ſuæ filium, egregiæ indolis juvenem, ejuſdem Fauſtæ inſtinctu interfecit.

3. *Innumeros* trucidavit *amicos:* inter alia mandavit à ſuis deceptus ſupplicium eſſe ſumendum de quodam innocente, vel, ut alii volunt, de tribus militibus ſeu Capitaneis, qui per calumniam erant accuſati apud Conſtantinum. Verum *Nicolaus Epiſcopus* in oppido Myra accurrens repreſſit lictorem, ſtringentem gladium, ut caput eis amputaret. Poſtea ſcripſit *Imperatori*, illis fieri injuriam; & indicavit cauſas. Quod *Nicolai* factum Imperatori probatum fuit. *Philippus Melanchthon in Poſtilla.* Et cum in multis flagitiis graſſaretur, cum tamen multæ magnæque in eo virtutes eſſent, adeo, ut cum *Alexandro M.* conferri poſſet, ſicut *Euſebius* inquit, divinitus lepra percuſſus eſt, & ab *Euſebio* baptizatus ſanitati eſt reſtitutus: uti poſtea dicemus.

II. ACTA SAGATA.

I. Oratio Militaris.

Conſtantinus M. militibus ſuis peculiarem orationem præſcripſit, quam cum hoſte pugnaturi recitarunt. Quæ talis fuit: Deus clementiſſime: nos te ſolum noſtrum agnoſcimus Dominum, te ſolum colimus, tanquam protectorem noſtrum: A te ſolo petimus & exſpectamus victoriam; per te ſolum hoſtes noſtros vincimus: à te ſolo habemus omne bonum quodcunque habemus: à te ſolo expectamus omnia, quibus indigemus: Te adoramus & invocamus, ut Dominum noſtrum *Conſtantinum* ejuſque *filios* ſalvos & ſuperſtites conſerves, illoſque adverſus omnia mala protegas, iiſque victoriam clementer largiaris, propter Jeſum Chriſtum Filium tuum unigenitum, AMEN.

II. *Bella.*

Bella geſſit *Conſtantinus* potiſſimum *quinque.*

1. Contra *Maximianum*, ſocerum ſuum.

Cum *Maximianus* cognomento *Herculeus* an. C. 308. Imperium, quod cum *Diocletiano* collega ſuo Nicomediæ depoſuerat A C. 304, recipere conatus eſſet, eamque ob cauſam *Conſtantino* genero ſuo inſidias ſtruxiſſet, FAVSTA Maximiani filia, & *Conſtantini* conjunx, dolum detexit, & maritum adverſus parentis injurias tutata eſt. *Conſtantinus* igitur *Maximianum* captum Maſſiliæ ſtrangulari juſſit. *Euſebius.*

II. Contra *Maxentium*, Maximiani filium.

Conſtantinus contra *Maxentium* bellum geſſit anno C. 311. & 312. Circa quod tria ſunt notanda. 1. Τὰ προηγούμενα. II. Τὰ πραχθέντα. & III. Τὰ παρεπόμενα.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

1. *Multiplex Maxentii maleficium.* Maxentius Romanos tyrannico dominio per quatuor annos premebat, multos injuſte interficiebat, perque tum fraudulentiam tum violentiam uxores civium rapiebat, eaſque nefarie ſtuprabat. Exemplum memorabile habemus de *Sophronia* Romana, quæ ad mandatum *Maxentii* per ſtuprorum miniſtros vocata, ſibi ipſi manus violentas intulit: ſicut in vita Maxentii ſupra diximus.

II. *Senatus-conſultum.* Cum autem Tyrannus ille tam horribiliter Romæ graſſaretur, Senatus per li-

per literas *Conſtantinum M.* è Gallia accerſivit, ut Maxentii furores compeſceret.

III. *Cœleſte prodigium.* Conſtantino vero dubitante, an Romam duceret exercitum, & præterea anxius eſſet, quomodo ſine magna hominum ſtrage & ſanguinis effuſione Maxentium vinceret, DEVS illi dedit illuſtre victoriæ ſignum: Nam in ipſo meridie cœlo ſereno, multis ſimul aſtantibus & videntibus, cernit CRVCEM fulgentem cum expreſſis circa eam literis: Ἐν τούτῳ νίκα. i. e. IN HOC VINCE. Per ſomnum etiam Chriſtus ei apparens juſſit, ut crucis ſignum pro vexillo in prœliis uteretur.

II. ΤᾺ ΠΡΑΧΘΈΝΤΑ.



I. *Conflictus.* Signum *Conſtantinus* ex auro opere ſubitario confici curavit juxta ſpeciem quæ apparuiſſet, cum duabus literis Græcis XP, quæ nomen Chriſti exprimerent, illudque ſignum militaribus vexillis inſeruit, & maxime Labaro, quod inter ea primum, & ante Imperatorem geſtabatur. De quo venuſte & eleganter inquit Prudentius:

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat Labarum.

Poſtea ſtatim Romam cum exercitu properavit, atque copias *Maxentii* aliquot prœliis fudit.

II. *Maxentii interitus. Maxentius* prœlio cum Conſtantino congreſſus, cum videret equites ſuos victos, ne urbe excluderetur, per pontem Milvium in urbem redire maturavit. Sed rupto illo ponte, quem in interitum Conſtantini fabricatus fuerat, in Tiberi ſubmerſus eſt, juxta adagium, quod exſtat *Proverb. c. 26. v. 26.* & *Pſalm. 7. v. 14.* Foveam fodit, & incidit in foveam quam fecit. Atque ita *Conſtantinus* præclaram obtinuit victoriam, atque omni Italia atque Africa potitus eſt, anno Imperii ſui ſeptimo.

II ΤᾺ ΠΡΑΧΘΈΝΤΑ.

I. *Populi Romani exhilaratio.* Nunciata hac victoria in urbe, & viſo capite Maxentii, quod conto præfixum circumgeſtabatur, Romanis, quos dura tyrannide annis 4 vel 5 oppreſſos tenuerat, jucundum præbuit ſpectaculum.

II. *Læta Conſtantini victoris exceptio.* Similiter univerſa civitas Conſtantinum victorem in urbem ingenti lætitia & congratulatione accepit, imo lætiſſimis populi vocibus atque clamoribus repleta fuit. Adeo acceptius, præſtantiuſque Tyrannorum depulſoribus nihil eſt: inquit *Aurelius Victor.*

III. *Statuæ Mnemonicæ erectio.* Cum Conſtantinus urbem ingreſſus eſſet, ut tam admirandæ victoriæ gloriam non ſibi, ſed Chriſto acceptam ſe ferre teſtaretur, trophæi loco erigi media in urbe juſſit ſtatuam ſuam, quæ manu dextera crucis Chriſti ſignum teneret, ejuſque ſalutarem virtutem omnibus oſtentaret ac promulgaret, addita inſuper hac inſcriptione: *Hoc ſalutari ſigno, vero fortitudinis indicio, civitatem jugo ſervitutis liberavi, & Senatum populumque Romanum in libertatem vindicavi, ac priſtinæ dignitati ſplendoriquè reſtitui.*

IV. SENATVS GRATITVDO. Senatus etiam arcum ei cum hoc elogio dedicavit: Imper. *Fl. Conſtantino* S. P. Q. Romanus, quod inſtinctu divinitatis, mentis magnitudine, exercitu ſuo, tam de Tyranno, quam de omni ejus factione, uno tempore juſtis Rempublicam ultus eſt armis, Arcum triumphis inſignem dicavit, liberatori Vrbis, fundatori quietis. *Euſebius, Socrates & Sozomenus.*

V. PAX & QVIES ECCLESIÆ. Poſtea *Conſtantinus* omnibus populis atque gentibus ad Romanum Imperium pertinentibus, ſimiliter Eccleſiis DEI, opulenta ſubſidia ſuppeditavit. *Sigonius.*

III. *Bellum* contra *Licinium* Affinem ſuum.

Conſtantinus ſororem ſuam Conſtantiam Licinio in uxorem dederat, & Mediolanum progreſſi nuptias celebrarunt, ibique pactum iniverunt de libertate religionis concedenda, anno C. 313. At *Licinius* pactorum oblitus, perſecutionem adverſus Chriſtianos inſtituit, coſque ex aula ſua pellit, & Ethniciſimum amplectitur. Quem per literas officii monens *Conſtantinus*, ut à malitia deſiſteret, non perſuaſit. *Cedren.* Anno C. 320. *Licinius* adhuc atrocius perſequitur Chriſtianos, ſancitque, ne Epiſcopi amplius docerent, & ne mulieres cum viris precationis cauſa convenirent. Occidit etiam multos, interque alios BLASIVM, & 40 virgines, & aliquot Epiſcopos. Cum autem *Licinius* nihil remitteret de perſecutione Chriſtianorum, nec ulla ratione ab iis exagitandis avocari poſſet, magni utrinque exercitus contrahuntur, & magni fiunt apparatus: *Conſtantinus* contrahit copias Theſſalonicæ, *Licinius* in Thracia, anno C. 322. Tandem *Conſtantinus*, confecto exercitu 120000 peditum, & 10000 equitum, contra *Licinium*, qui habebat

125000 peditum, & 15000 equitum, tribus prœliis *Licinium* vicit, qui Imperio ſe abdicavit, & ſalute per uxorem *Conſtantiam* impetrata, Theſſalonicæ privatus vixit. Referunt Hiſtorici, quod in pugna *Conſtantini*, contra *Licinium* ad Hadrianopolin facta, duo Equites ſint viſi, qui Legiones hoſtium ceciderunt, quos Angelos fuiſſe dubium non eſt. Cum autem *Licinius* aliquanto poſt res novas moliretur, juſſu Conſtantini jugulatus eſt. *Eutropius. Victor.*

Anno C. 326. *Conſtantinus* Romam de *Licinio* tyranno triumphans inivit, ibique vicennalia celebravit.

Conſtantinus M., A. C. 315, cum provincias compoſuiſſet, CRISPVM & CONSTANTINVM filios Cæſares creavit, quibus junxit LICINIANVM, Licinii filium, nondum 20 menſes natum. *Zoſimus.* Sed id non ſatis felix futurum, defectu Solis iiſdem menſibus facto, ut *Aurelius Victor* ſcribit, patefactum eſt.

IV. *Bellum* contra *Sarmatas.*

Conſtantinus A. C. 316. contra Sarmatas profectus eſt, eorumque Regem *Rauſimodum* prælio vicit, qui occaſione uſus Iſtrum transgreſſus Pannonias crudeliſſime vaſtavit. *Conſtantinus* victos ſecutus, tandem etiam eos vicit, & Pannonia expulit.

Anno C. 321. *Conſtantinus* iterum bellum acre cum Sarmatis geſſit, & tandem, tranſmiſſo Iſtro, *Rauſimodum* Regem victum in fuga interfecit, victis pacem dedit, & Theſſalonicam reverſus eſt, ibique portum ædificari juſſit.

V. *Bellum* contra *Gothos.*

A. C. 332. *Gothi* regionem Sarmatarum ingreſſi, & remoto limite Iſtri præſidio, ſe in Thraciam & Mœſiam intulerant. Ideo *Conſtantinus* contra eos profectus victoriam ab illis reportavit, & trans Iſtrum removit, iiſque tandem pacem dedit, hac conditione, ut militum 40000, ſi quando opus eſſet, Imperatori traderent. *Sigon. Gothi* ut Imperatori militem præſtare poſſent, ſervos ſuos ad militiam inſtituunt, iiſque arma tradunt. Servi contra in dominos ſuos arma vertunt, eoſque ſedibus ſuis pellunt. Domini profugi ad Conſtantinum veniunt, ab eoque petunt locum habitationis, qui eos in provincias recepit, & quoſdam ſacramento militari adegit. Id cum poſtea alii Imperatores imitarentur, magnam calamitatem Imperio accerſiverunt. *Zoſimus.*

IV. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. *Conſtantinus* primus ex Imper. Chriſtianus factus, Chriſtumque amplexus eſt, atque Chriſtianos etiam Imperatores reliquit. *Sigon. lib. 4.*

Epiſtola ejus ad *Saporem* Perſarum Regem memorabilis apud *Euſebium lib. 4. cap. 19. de vita Conſtantini* extat, in qua inter alias pias monitiones hæc verba leguntur: DEVS puram ſolummodo mentem & animum omni labe vacantem ab hominibus flagitat; quibus ille virtutis & pietatis actiones ponderat. Quod etiam *Philippus Melanchth.* hoc diſtichо venuſtiſſimo expreſſit, ex quo patet, quales preces DEO ſint gratæ:

Caſta DEVS *mens eſt, caſta vult mente vocari,*
Et caſtas voluit pondus habere preces.

Cum quo congruit elegans Diſtichon *Gregorii Nazianzeni:*

Optimum opus manuum, has in cœlum tendere puras,
Atque pio caſtas fundere ab ore preces.

Sicut enim vaſa pice referta, ſi melle aut vino ea replere velimus, effundi ante & mundari oportet: Ita mentes & corda noſtra à ſtultis & futilibus hujus mundi deſideriis & tetris peccatorum ſordibus, quibus ea plena ſcatent, expurgari ante & munda reddi neceſſe eſt, ut ſapientiæ ac juſtitiæ & vitæ divinæ, ceu ipſius DEI capacia, reddantur. Et in eundem ſenſum Eccleſia canit: Auſer à nobis Domine cunctas iniquitates noſtras, ut poſſimus puris mentibus introire in ſancta Sanctorum.

11. *Conſtantinus M.* Perſonis Eccleſiaſticis magna privilegia conceſſit, tamen ab omnimoda juriſdictione ſecularis poteſtatis eas non exemit, ſed in ipſis etiam Epiſcoporum cauſis Iudicium exercuit, ac ſuæ in illis juriſdictionis ſatis evidens documentum dedit, quando ad Synodum *Nicenam* publico edicto ipſos convocavit. In Epiſtola ad Vicarium Africæ ſcribit: Scias, quod tam ſuper plebe quam *Clericis* his qui primi ſunt, ſum diligentiſſime quæſiturus, idque judicaturus, quod veriſſimum & religioſiſſimum eſſe manifeſtum eſt. Privilegia autem Perſonis Eccleſiaſticis conceſſa hæc ſunt: Prohibet illos novis collationibus obligari, concedit liberos eſſe ab hoſtibus excipiendis, removet ab ipſis indebitæ conventionis injuriam, & iniquæ exactionis improbitatem, extraordinariorum munerum neceſſitatem, parangariarum præſtationem, niſi habeant poſſeſſiones. *l. de his. C. de Epiſc. & Cler.* Sed de univerſa & omnimoda eorum exemtione nihil addit. Deinde *Ruffinus* ibidem, *lib. 10 hiſtor. cap. 2.* addit: Epiſcopos in illo Concilio ſua negotia ad Imperatorem detuliſſe, ipſum-

ipſumque à ſingulis frequenter fuiſſe interpellatum. Ergo controverſiarum ſuarum judicem ipſum agnoverunt. Quare falſum eſt, quod *Bellarminus* aliique Pontificii ſcribunt, non poſſe Clericos à judice ſeculari judicari, etiamſi leges civiles non ſervent.

III. *Conſtantinus M.* A.C. 313. *Maximo*, ſæviſſimo Orientis Tyranno & Chriſtianorum hoſte infenſiſſimo, è vivis ſublato, Chriſtianis templa paſſim vel inſtituit, vel inſtauravit, vel illa ex fundamentis nova erigi juſſit. *Euſebius l.* 10. *cap.* 3. *Encænia* ſive *Conſecrationes templorum* à Chriſtianis ingenti lætitia celebratas, graphice deſcribit hiſce verbis: Celebre ſpectaculum, inquit, & nobis omnibus ſpectabile ac deſideratum ante oculos proponebatur, dedicationum ſcilicet feſtivitates per urbes ſingulas, templorum nuper exædificatorum conſecrationes, frequentes Epiſcoporum in unum conventus, peregrinorum longe ab exteris regionibus accedentium concurſus, mutuæ populi in populum benevolentiæ, propterea quod membra corporis Chriſti in unam quaſi harmoniæ & concentus conſpirationem coibant: una erat ſacri ſpiritus virtus & potentia, quæ per univerſa Eccleſiæ membra permeavit. *Una* omnium mens & ſententia: una & conſentiens ex omnium ore laus divinitatis: accurata ſacrorum myſteriorum adminiſtratio: decori Eccleſiæ ritus, Pſalmorum cantu & hymnorum divinitus nobis traditorum recitationibus celebrati. Cujuſque item ætatis genus, cujuſque ſexus multitudo, ut maris & fœminæ, totis cogitationibus, viribus, læta mente, alacri animo, per preces & gratiarum actiones DEVM omnium bonorum authorem venerati ſunt. Singuli etiam Eccleſiarum præſides ſingulas orationes Panegyricas habuerunt: & ut cuique dicendi vis & facultas ſuppetebat, ſic quiſque eam celebritatem prædicavit.

IV. CONSTANTINVS M., ſex Tyrannis & hoſtibus Chriſtianorum crudeliſſimis exſtinctis, videlicet *Diocletiano*, *Maximiano*, *Galerio*, *Maxentio*, *Maximino* & *Licinio*, ſolus ſumma rerum potitus, ad religionem Chriſtianam inſtaurandam, ſtabiliendam & amplificandam, omnem curam, ſtudia ac laborem contulit, publico edicto Chriſtianis de libertate religionis cavit; piis Doctoribus ſtipendia conſtituit, atque adeo non tantum *Politiam*, ſed etiam *Eccleſiam* bene gubernavit ac protexit, publicum religionis exercitium ſuis ſubditis conceſſit. *Euſebius l.* 10. *cap.* 5. Et paullo poſt, pacem religionis conſtituit, ne quis alteri ob religionis diverſitatem moleſtus eſſet: qua effecit, ut non tantum Chriſtianis liberum maneret religionis exercitium, ſed etiam ut Ethnici hac manſuetudine ad veram religionem ſe converterent. Nam pulcherrime inquit *Theodoretus lib.* 1. *cap.* 6. Currebant aſſidue omnes nationes ad fidem Chriſti, & baptizabantur, patria ſimulacra atque idola confringentes: Quod idem *P. Diacon. lib.* 11. teſtatur.

Biblia ſuis ſumtibus ſæpius deſcribi, atque in exteras Nationes hinc inde mitti curavit, ut vera religio longe lateque propagaretur.

Novum Teſtamentum ſibi ſemper præferri mandavit: Quo inſinuare voluit, quod ipſe ex eo veram DEI atque Chriſti agnitionem hauſerit, inque ea conſtanter perſeverare, ſubditoſque ſuos protegere vellet. Unde de felici illius temporis ſtatu recte dici poteſt, quod tempore Conſtantini M. Imperatoris duo fuerint OCVLI Imperii Romani, videlicet LEX & RELIGIO; juxta Epigramma *Oweni* venuſtiſſimum:

LEX & RELLIGIO *junxerunt fœdera*: *pravas*
Hæc hominum mentes comprimit; *illa manus.*

V. *Conſtantinus M.* religioſiſſimus crucis ſupplicium, quo Chriſtus ſecundum morem Romanorum affectus eſt à Pontio Pilato, lege ſuſtulit; referente *Sozomeno lib.* 1. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 8. & *Hiſtor. Tripart. lib.* 1. *cap.* 9. ne ſalutare crucis ſignum ſubſerviret ad perniciem hominum, & pœnis vileſceret damnatorum.

VI. *Conſtantinus* primum Septimanæ diem, h.e. diem Solis, in locum Sabbathi Judaici publico cultus divini exercitio ab Apoſtolis deſtinatum, (quia Chriſtus eo die à mortuis reſurrexit: uti colligitur ex hiſtoriis Euangeliſtarum *Matth. cap.* 28. *v.* 1. *Marc.* 16. *v.* 1. Unde primus Septimanæ dies vocatur ἡμέρα κυριακὴ, h.e. *Dies Dominicus*, *Apocal. cap.* 1. *verſ.* 10.) peculiari poſtea conſtitutione confirmavit, Anno C. 321. referente *Euſebio lib.* 4. *de vita Conſtantini cap.* 18.

VII. *Conſtantinus M.* libros Sibyllinos in precio habuit, ex iiſque Judæos refutavit.

VIII. *Conſtantinus M.* plures religiones in Imperio tolerare noluit. Nam Idolorum templa clauſit, & ſolam religionem Chriſtianam vigere juſſit. Quæ tamen conſtitutio *Conſtantino* non ἁπλῶς (ſicut Pontificii contendunt) ſed κατά τι accipienda eſt. Nam 1. Accurate diſtinguendum eſt inter *Hæreticos*. Quidam enim ſunt hæreſiarchæ, h e. hæreſin propagantes: *Quidam* vero ſunt ſeducti, h.e. hæreſin amplectentes & ſectantes. 2. Accurate diſtinguendum eſt inter duplicem Reipublicæ ſtatum, nempe *liberum* & *preſſum*. Quod Hæreſiarchas ſive Doctores attinet, illi in libera Republ. plane non ſunt tolerandi, ſed abigendi & relegandi. *Cives* vero ſeductos & hæreſin amplectentes tole-

tolerare poſſunt Principes, ſi nempe tranquille & pacate vivant. Præſertim autem, ſi ſpes aliqua illorum converſionis futuræ nobis affulgeat; ſicut *Conſtantinus M.* prudenter obſervavit. Quod ſi vero ſtatus Reipubl. perturbatus eſt, ac *Hæretici* ſive hæreſiarchæ ſine ſanguinis effuſione removeri nequeunt, tunc tempori aliquid concedendum eſt, valeatque tum monitum *Taciti* prudentiſſimum: *Tu iterum atque iterum vide, annon connivere interdum melius ſit, quam intempeſtivis remediis delicta accendere.*

IX. *Conſtantinus M.* in hæreticos famoſos & peſtiferos uſque ad ſanguinem non ſæviit, ſed eos in exilium ejecit. Quod factum ejus minime eſt culpandum, ſed maxime probandum. Nam 1. Ad fidem nemo cogi poteſt ac debet. DEVS enim requirit populum voluntarium, & cultum ſpontaneum. *Pſalm.* 110. *v.* 3. Nec placent ipſi coacta ſervitia. *Levit.* 19. *verſ.* 5.

2. *Sævire in hæreticos* uſque ad ſanguinem, eſt hæreticum & antichriſtianum. Ergo Eccleſia Chriſtiana ab eo abſtinere debet. Antecedens probatur ex vulgato illo Auguſtini dicto, quod exſtat *lib.* 3. contra Creſconium Grammaticum *cap.* 50. Nullis bonis in Eccleſia Catholica placet, ſi uſque ad mortem in quenquam, licet hæreticum, ſæviatur. Similiter illud ipſum patet ex praxi hæreticorum. Nam in *Hiſtor. Tripart. lib.* 12. *cap.* 4. de *Neſtorio* hæretico narratur, quod, in prima ſua ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum inauguratione, palam ad Imperatorem dixerit: *Da mihi, ô Imperator, terram ab hæreticis liberam; & ego cœlum tibi reddam: Tu mihi hæreticos exſtirpa, & ego Perſis delendis tibi adero.*

X. *De Concilio Niceno, œcumenico* I.

Anno C. 325. *Conſtantinus M.* Concilium *Nicænum* Oecumenicum primum convocavit. Circa quod *triplicia* acta ſunt notanda.

1. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

Hoc eſt, *Antecedentia, quæ ante Concilium facta ſunt.*

1. OCCASIO, quæ fuit hæreſeos ab *Ario* diſſeminatio. Nam ARIVS Presbyter Alexandrinus blaſphemum hoc dogma ſpargere cœpit de Filio DEI, quo λόγον, ſive Filium DEI negabat eſſe ὁμοούσιον τῷ συναϊδιον Patri, h. e. ejuſdem eſſentiæ cum Patre, eique coæternum. *Contra* vero affirmabat, illum ſummam eſſe Creaturam ex nihilo conditam. Ideoque his verborum formis utebatur: Ἦν ποτὲ ὁ πατὴρ, ὅτε οὐκ ἦν λόγος, h. e. Erat Pater, cum nondum eſſet filius; Item, Ἐκ τῶν μὴ ὄντων, h. e. ex non exiſtentibus, ſive ex nihilo, Filius eſſe cœpit.

II. CONCILII NICENI à *Conſtantino Magno* CONVOCATIO. Ut autem hæc controverſia exorta componeretur, *Conſtantinus Magnus* præcipuos Eccleſiarum per omnem Aſiam, Africam, & Europam convocavit Epiſcopos. Nam ut *Euſebius lib.* 3. *de vita Conſtantini* ſcribit: Videre ibi erat *Syros, Cilices, Phœnices, Arabes, Paleſtinos, Thebanos, Libycos, Meſopotamios, Perſas, Scythas, Ponticos, Galatas, Pamphylios, Cappadoces, Aſianos, Phrygios, Thraces, Macedones, Achæos, Epirotas*, & *Hiſpanos.* Circa hanc autem convocationem duæ circumſtantiæ ſunt notandæ. 1. *Tempus.* 2. *Locus.*

1. Quod TEMPVS attinet, fuit hoc Concilium convocatum à *Conſtantino Magno* A. C. 325.

2. LOCVS hujus Concilii fuit *geminus, generalis* & *ſpecialis.*

Locus generalis fuit *Nicæa*, Aſiæ & Bithyniæ Metropolis, quam primus *Antigonus* Philippi filius condidit, & Antigoniam nominavit. Poſtea *Lyſimachus* à nomine uxoris Antipatri filiæ eam Nicæam appellavit. Et in hac urbe hoc Concilium Nicenum congregatum, & Symbolum in ea conſcriptum.

Locus ſpecialis fuit aula Conſtantini Imp. De quo ita ſcribit *Theodoretus lib.* 1. *cap.* 7. Cum jam univerſi convenîſſent, præparatus erat ab Imperatore locus amplus in Regia, inſtructus ſubſelliis & ſoliis, quæ Epiſcoporum numero ſufficere poſſent, atque ita debito ipſis honore habito juſſit eos introire, & conſultare de re propoſita. Ipſe quoque cum paucis poſtremo omnium ingreſſus eſt, & parvo in ſoliolo aſſedit. Euſebius quoque affirmat, conſeſſum iſtum in aula Imperatoria, non in aliquo templo habitum fuiſſe. *lib.* 3. *vita Conſtant. cap.* 10.

NOTA.

Symbolum Nicenum habuit nomen & omen. Nam ἀπὸ τῆς νίκης, h. e. à victoria nomen accepit, ut invictum ejus robur ipſo nomine inſinuaretur. Sicut etiam Symbolum Athanaſianum ab immortalitate nomen habet. Quemadmodum enim ipſe *Athanaſius* à Patribus PROPVGNACVLVM VERITATIS appellatus eſt: Ita quoque Symbolum ejus vere arx invicta veritatis fuit, cui, quamdiu Sol & Luna ſtabit, nihil ab interitu periculi erit. Ita etiam *Auguſtana Confeſſio* Auguſtum ab Auguſta Vindelicorum urbe nomen divina providentia accepit, ut AVGVSTANA appellata ſit. Quod nomen ei fuit omen. Voluit namque DEVS eo ipſo inſinuare, quod religio Lutherana, in Auguſtana Confeſſione comprehenſa, ſit vere auguſta, perque totum terrarum orbem admirabili incremento propagata; ſicut ipſe *Bellarminus* Jeſuita in

ola-

oratione in Gymnaſio Romano A. C. 1576. habita, quæ Tomo primo controverſiarum præfixa eſt, affirmat: *Quis enim* (inquit) *ignorat, peſtem Lutheranam* (intelligit Auguſtanam Confeſſionem) *in Saxonia paullo ante exortam mox Germaniam pene totam occupaſſe: inde ad Aquilonem, & Orientem profectam, Daniam, Norvegiam, Sueciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam abſumſiſſe: tum ad Occidentem, & Meridiem pari celeritate delatam, & Galliam, Angliam, Scotiam, florentiſſima quondam regna, brevi tempore populatam: ad extremum Alpes tranſcendiſſe, & in Italiam uſque penetraſſe?* Errant igitur Pontificii, qui ſcribunt, Concilium Nicenum à Sylveſtro Romano Epiſcopo convocatum eſſe, cum illud non Sylveſtri, ſed Julii tempore celebratum eſſe, ex *Athanaſii* apologiis clarum eſt: & clariſſimi ſcriptores, *Euſebius, Socrates, Theodoretus*, & alii, uno ore teſtantur, à Conſtantino Magno Imper. hanc Synodum eſſe convocatam.

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

h. e. *Acta in Concilio.*

I. PRÆSES hujus Concilii fuit *geminus.* 1. *Politicus.* 2. *Eccleſiaſticus.*

1. POLITICVS & ſummus fuit *Conſtantinus Magnus.*

2. ECCLESIASTICVS atque ſecundarius fuit *Euſtathius*, Epiſcopus magnæ Antiochiæ: quod apparet ex oratione ipſius, qua laudum floſculis coronam texuit regio capiti Conſtantini: ut loquitur *Theodoretus lib. 1. cap. 7.*

II. ASSESSORES. Congregati ſunt in hac Synodo Epiſcopi 318. ut ait *Ruffinus lib. 1. cap. 1.* & *Socrates lib. 1. cap. 8.* & *Theodoretus lib. 1. cap. 7.*

III. CAVSA IMPELLENS fuit Alexander Alexandriæ Epiſcopus, qui multis precibus à Conſtantino contendit, ut Synodum indiceret. *Epiphanius lib. 2. tom. 2. hær. 69.* Quod etiam de conſilio quorundam Epiſcoporum Conſtantinum feciſſe teſtatur *Ruffinus lib. 1. cap. 1.*

IV. MATERIA, ob quam hoc Concilium convocatum, & de qua re in hoc Concilio actum, fuit quadrigemina.

PRIMA CONTROVERSIA fuit inter *Alexandrum* Alexandriæ Epiſcopum & *Arium* Alexandriæ Presbyterum exorta de DIVINITATE FILII DEI, quam *ille* affirmavit, *hic* negavit. De qua *Socrates lib. 1. cap. 5. & 6.* ita ſcribit: Diſputaverat in conventu quodam *Alexander* exactius & accuratius de divina eſſentia, cujus unitatem in Trinitate eſſe dixerat: ubi continuo *Arius*, Dialecticus magis quam Theologus, arbitratus Epiſcopum ſuum *Sabellii* dogma, de tribus in unam eandemque redeuntibus perſonam, inducere, illis quæ ab Epiſcopo ſuo dicta erant, animo acerbo occurrit, afferens in medium argumentationem rationis humanæ magis, quam ſcientiæ aut fidei: Si *Pater*, inquit, *genuit Filium*, initium certe ſuæ eſſentiæ habebit Filius, ac conſtabit & ſequetur inde, fuiſſe aliquando tempus, in quo filius nondum exſtiterit. Ex hoc vero rurſus ſequetur, habere illum hypoſtaſin ex non exiſtentibus. Et hanc quidem diſputationem Arius, velut incendium ex ſcintilla natum, per univerſam Ægyptum, Libyam, Thebaida, & vicinas provincias divulgavit.

SECVNDA CONTROVERSIA fuit diverſitas in obſervatione diei Paſchatos, quam Imperator in unam conformem obſervationem reducere jamdudum ſerio cogitaverat: uti teſtantur Hiſtorici, & *Athanaſius* in epiſtola de Synodis Arimini & Seleuciæ.

TERTIA CONTROVERSIA fuit NOVATI & MILETII, qui docuerunt, eos, qui poſt Baptiſmum & juſtificationem lapſi fuiſſent, neque in gratiam apud DEVM, neque in communionem Eccleſiæ recipi poſſe, etſi veram pœnitentiam egerint.

QVARTA fuit, an Sacerdotibus maritis conſuetudo conjugalis ſit prohibenda.

V. FORMA ſive PROCESSVS.

I. SESSIO. Ingreſſus in iſtum Theologorum conventum *Imperator* non armatis militibus, ſed amicis, reverentiam Epiſcopis exhibuit, ornatus veſte ex auro contexta, & gemmis fulgente: nec prius conſedit, niſi ab Epiſcopis nutu id petentibus rogatus: & non in altiore ſede, ſed parvo in ſoliolo poſito aſſedit, ac Epiſcopus *Euſtathius* in dextro ordine primam ſedem occupavit.

II. ORATIO 1. *Euſtathii.* 2. *Imperatoris.*

1. *Euſtathius* Epiſcopus Antiochenus primum hymnum, quo DEO omnipotenti gratias egit, recitavit: poſtea ipſi Imperatori gratias egit, quod curam Eccleſiæ gereret, & legitimam veritatis inquiſitionem inſtitui curaret: denique & Epiſcopos hortatus eſt ad ſententias moderate dicendas.

2. *Imperator Conſtantinus* quoque oratione pia & clementi Epiſcopos ad concordiam, animorumque conjunctionem cohortatus eſt. In qua inter alia hæc ſententia verè aurea eminet: *Inteſtina*, inquit, ſeditio in Eccleſia DEI conflata, multo plus moleſtiarum, & acerbitatis, quam quodvis bellum pugnave, in ſe complectitur.

Et imprimis memorabilis eſt pii *Imperatoris* ſententia, quam annotavit *Theodoretus lib. 1. cap. 7.* è qua patet, ſolam ſacram ſcripturam in eo Concilio fuiſſe Judicem Arianæ controverſiæ. Sic autem *Theodoretus* ait: *Laudatiſſimus Imperator, Nihil, dixit, eſſe indignius, quam hoſtibus domitis,*

cum, qui rebellaret, inveniretur nemo, ipſos ſe mutuo impetere, & voluptatem ac riſum conciliare inimicis: præſertim in diſputationibus rerum divinarum, in quibus haberent ſanctiſſimi Spiritus doctrinam præſcriptam. Euangelici enim & Apoſtolici libri, nec non Antiquorum Prophetarum oracula, plane inſtruunt nos, inquit, *de ſenſu Numinis. Proinde hoſtili poſita diſcordia, ſumamus ex dictis divini Spiritus explicationes quæſtionum.*

III. CONTROVERSIARVM DECISIO.

I. *Controverſiæ de Deitate Filii Dei.*

1. *Confeſſionis Arii prælectio, laceratio, combuſtio* atque *damnatio.* Facta poteſtate utrique parti, quæ quiſque de fide haberet, dicendi atque reſpondendi, primum omnium recitatus eſt libellus *Euſebii* Nicomedienſis, (qui ſtrenuum *Arii* defenſorem ſe præbebat) qui Confeſſionem *Arii* continebat, plenam blaſphemiis in divinitatem Chriſti. *Theodoret. lib.* 1. *cap.* 8. Sed cum impiæ ejus ſcripti voces omnium, qui aderant, conſenſu, indigna Chriſtianorum auribus & oculis judicarentur, liber, poſtquam lectus fuerat, in medio omnium, cum confuſione authoris, diſcerptus eſt.

2. *Epiſcoporum concertatio.* Poſtquam ille liber blaſphemus eſſet diſcerptus, utriuſque partis acerrima contentio inſecuta eſt, *Arii* patrocinium ſuſcipiente *Euſebio Nicomediano*, Veritatem defendente *Alexandro* Alexandriæ Epiſcopo, & *Athanaſio*. *Conſtantinus* autem Imperator omnes clementer audivit, & ſuccurrendi utrique parti ſtudio (ſpe pacis & concordiæ conſtituendæ) placide alios, qui contentioſius diſputabant, conciliabat: alios bene differentes laudabat: ſermone alios manſueto flectebat: in toto negotio unum illud ſpectans, ut in conſenſum mutuum omnes, qui tum ibi aderant, reduceret; quod etiam factum eſt. Effecit namque ut unanimiter veram de divinitate Chriſti ſententiam tenerent. *Euſebius lib.* 3. *de vita Conſtantini. Socrates lib.* 1. *cap.* 8. *Theodoretus lib.* 1. *cap.* 7.

3. *Libellorum accuſatoriorum combuſtio.* Contigit in ea Synodo etiam hoc: Cum *Conſtantino* dati eſſent libelli accuſationum, quas privatim habebant inter ſe Epiſcopi, obſignatos omnes aſſervari juſſit, dicens: *Prius publicam cauſam agendam eſſe.* Sub exitum Synodi, inſpectantibus omnibus, in ignem conjecit, adhuc obſignatos, addens hæc verba: *Sacerdotum crimina non afferenda eſſe in publicum.* Vnde effulget pietas Conſtantini in vitiis Sacerdotum tegendis. *Socrates lib.* 1. *cap.* 8. *Sozomenus lib.* 1. *cap.* 17.

4. *Symboli Nicæni conſcriptio & ſubſcriptio.* Poſt longam diſputationem ſcriptum eſt Symbolum Nicenum, expreſſe inſerta voce ὁμοούσιος. Plurimum autem laboratum fuiſſe ab Epiſcopis in excogitandis vocabulis, quæ in explicanda Filii DEI divinitate uſurparentur, *Athanaſius* in epiſtola contra Arianos teſtatur; & ab ipſo tandem EVSEBIO Nicomedienſi Ariano fuiſſe vocabulum ὁμοούσιος forte fortuna ſuppeditatum; quo unico vocabulo totum Arianæ hæreſis nervum inciderunt. Quod vero ad *Symbolum Nicenum* attinet, id hodie multis in locis auctum eſt. Recitabo autem illud, quemadmodum primo conſcriptum & à trecentis & octodecim Epiſcopis approbatum eſt: ut teſtatur Athanaſius ad Jovianum, & ut exſtat apud *Socratem lib.* 1. *cap.* 8. his verbis: CREDIMVS *in unum* DEVM, *Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium Creatorem: & in unum Dominum* JESVM CHRISTVM, *filium* DEI: *natum ex patre, & unigenitum;* h. e. *ex ſubſtantia Patris:* DEVM *ex* DEO, *lumen de lumine*, DEVM *verum de* DEO *vero, genitum, non factum, &* CONSVBSTANTIALEM *Patri, per quem omnia: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem de cœlo deſcendit, &* HOMO FACTVS *eſt. Paſſus eſt, & reſurrexit tertia die, & aſcendit in cœlos, venturus inde ad judicandum vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum.*

Qui vero dicunt, quod erat aliquando tempus cum non eſſet antequam genitus erat; vel quod ex nihilo ortus ſit; vel quod ex altera eſſentia, quam ex Patris ſubſtantia genitus; vel quod Filius DEI creatus ſit, quodque converti & mutari poſſit: iſtis Catholica & Apoſtolica DEI Eccleſia anathema denunciat.

Huic Concilio Niceno, ſeu Decreto piorum Epiſcoporum, *Conſtantinus* Imper. ipſe ſubſcripſit, qui ad Epiſcopos dixit: *Se adfuiſſe eos unum ex ipſis, ſeque valde lætari, quod fuerit ipſorum comminiſter, donec omnium conveniens inquiſitio facta, & prolata in lucem veritate, concordia conſtituta ſit.*

Quod autem Synodus Nicena nihil diſerte de divinitate Spiritus Sancti pronunciavit, inde factum eſt, quia tunc nondum erant Pneumatomachi, h. e. nemo tum temporis divinitatem Spiritus Sancti in dubium vocabat, aut impugnabat: ut *Nazianzenus* & *Baſilius* referunt.

II. *Controverſia de Paſchatis celebratione.*

Altera cauſa in Concilio diſceptata, & tandem unanimi conſenſu comprobata fuit, ut *Paſcha* ab omnibus ubique Chriſtianis eodem die celebraretur. De qua re ita ſcribit Conſtantinus in Epiſtola ad Eccleſias apud *Socratem lib.* 1. *cap.* 6. & *Theodore-*

doretum l. 1. *c.* 10. Vt autem ſummatim (inquit) & breviter dicam: communiter omnium placuit judicio, ſanctiſſimum Paſchatis feſtum uno & eodem die eſſe celebrandum. Indecorum enim eſt, aliquam eſſe in tanta ſanctitate differentiam, & honeſtius, eidem adhærere ſententiæ. Hæc *Conſtantinus*. Dies vero celebrationi Paſchatis dicta fuit Dominica, proxime ſequens Plenilunium primi Menſis, ne videlicet Chriſtiani cum Iudæis Paſcha celebrarent. Fuere autem Synodi hæ rationes: Non debere Chriſtianos tempus celebrandi Paſchatis à Iudæis ſumere, aut ea in parte Iudæos imitari. Quia gens illa impia Chriſtum occiderit, atque à Deo objecta atque excæcata ſit, ita ut quandoque Iudæi uno anno bis Paſcha celebrent: & ne Iudæi gloriari poſſint quod Chriſtiani neceſſe habeant tempus Paſchatis ab ipſis diſcere.

III. *Controverſia Novati & Miletii.*

Similiter *Novati* & *Miletii* dogma de neganda lapſis pœnitentia in hac Synodo Nicæna damnatum & refutatum eſt. *Sozomenus. Socrates lib.* 1. *cap.* 7.

IV. *Controverſia de Conjugio Sacerdotum.*

Erant qui Sacerdotibus maritis conjugalem conſuetudinem prohiberi vellent. Sed contradixit ſenex *Paphnutius* Epiſcopus in Thebe Ægyptiaca, cui in confeſſione oculus olim effoſſus erat. Hic negavit conjugia diſſolvenda eſſe, & conſuetudinem conjugalem affirmavit eſſe caſtitatem. Hanc *Paphnutii* ſententiam Synodus approbavit. Verum de hac re nullam legem tulit, ſed eam in cujuſque arbitrio, non in neceſſitate poni voluit. De aliis autem rebus, ut ſibi rectum videbatur, leges, quibus Eccleſiæ ſtatus gubernaretur, conſcripſit, quas omnes aſſcribere nimis prolixum foret: poteſt autem Studioſus eas petere ex *Sozomeno l.* 1. *c.* 23. *Ruffino l.* 1. *c.* 6. *& hiſtor. Magdeb. cent.* 4. *c.* 9. *pag.* 659.

Philoſophi verſutiſſimi à Laico *converſio*, facta in Concilio Niceno.

Memorabilem hic ſubjungemus hiſtoriam de idiota cum *Sophiſta* diſputante. Supra diximus, quod in Concilio Niceno 318 Epiſcopi fuerint congregati: ſed præter hos plurimi etiam Presbyteri & Legati Epiſcoporum, qui propter ſenectam & morbos accedere non poterant: laici quoque multi, viri docti, & pii, præterea Philoſophorum dialecticorumque doctiſſimi adfuerunt. Erat inter hos Philoſophus quidam, ut ſibi videbatur, argutus. Is contra religionem Chriſtianam ex Philoſophicis principiis (in corona multorum hominum, ut fit) diſputabat cum aliquibus Epiſcopis, (extra Synodum) neque ab illis Epiſcopis compeſci poterat: quia, dum cum Philoſopho philoſophice diſputabant, ſemper ille cavillationes & rimas inveniebat, per quas elaberetur. Accedit igitur confeſſor Chriſti quidam, admodum ſenex & ſimplex, ex illuſtrium confeſſorum numero, qui tametſi dialecticarum & philoſophicarum argutiarum nihil tenebat: nihilominus tamen cum Philoſopho illo diſputare cœpit. At hæc res petulantibus, qui confeſſorem hominem ſimplicem eſſe cognoſcebant, riſum movebat quidem, at modeſtis injiciebat timorem, qui veriti ſunt, ne ſenex ille à Philoſopho vinceretur, & una cum ipſius perſona etiam ipſa Chriſtiana religio ludibrio exponeretur. Perrexit autem ſenex in ſuo inſtituto, & novo diſputandi genere ſophiſtam aggreſſus, ait ille: In nomine Ieſu Chriſti, audi Philoſophe quæ vera ſunt. Et mox ſummam Apoſtolici Symboli paraphraſtice & nervoſe recitavit, & Philoſopho dixit: Credis iſta, *Philoſophe?* Quibus obſtupefactus Philoſophus, reſpondit, *Credo.* & victum ſe ab illo ſene confeſſus eſt, & reliquos ſuæ profeſſionis homines hortatus eſt, ut & ipſi fidem Chriſtianam ſuſciperent. Interrogatus deinde converſus ille *Philoſophus*, cur non ab Epiſcopis convinci potuiſſet: reſpondit, Dum illi verbis (philoſophica argumenta intelligens) mecum egerunt, verba verbis oppoſui. Sed ex hujus ſenis ore egreſſa eſt virtus, cui ego reſiſtere non potui. *Socrates l.* 1. *cap.* 8. *Sozom. lib.* 1. *cap.* 18. *Hiſtor. Magd. cent.* 4. *cap.* 2.

III. Τὰ ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ,

h. e. *Acta poſt Concilium.*

1. Tranſactis omnibus rebus, propter quas Synodus ea fuerat convocata, Imperator *Conſtantinus* res bene ac feliciter geſtas ſibi gratulatus, Synodum univerſalem (quæ ultra triennium duravit) regali & feſtivo convivio excepit, ac muneribus ſingulos donavit. Digreſſuros jam, placida oratione ad concordiam conſervandam hortatus eſt; & in fine orationis petiit, ut pro ſe ſuoque Imperio Deum precarentur: & ita ſingulis ad ſua redeundi poteſtatem fecit. *Sozom. lib.* 1. *cap.* 25. *Euſebius in vita Conſtantini lib.* 3.

11. Decreto *Nicæno* (de divinitate Filii Dei) ſtabilito & publicato: *Conſtantinus* Imp. Epiſtolam ſcripſit ad Eccleſiam Alexandrinam, propterea quod ea præ aliis falſo *Arii* dogmate fuerat horribiliter perturbata & quaſſata. In ea epiſtola gratulatur Eccleſiæ

eleſiæ Dei, quod veritas vicerit, & concordia in religionis negotio reſtituta ſit. Et *Arii* dogma impium exſecratur; Eccleſiam autem Alexandrinam hortatur, ut Synodi Nicænæ decretum, abſque ulla cunctatione, obviis ulnis amplectatur. *Socrates l. 1. c. 9. Hiſt. Magd. cent. 4. cap. 9.*

Sed & aliam Epiſtolam Imperator *Conſtantinus* in publicum emiſit, Epiſcopis & populis inſcriptam. In ea *Arium* hæreticum graviter inſectatur: & Arianos merito Porphyrianos appellandos cenſet: propterea quod *Porphyrius* aliquando blaſphemos libellos contra religionem Chriſtianam ſcripſerat. Et ſeveriſſime mandat, ut omnia *Arii* ſcripta igni tradantur & deleantur, addita hac comminatione: Si quis ſcriptum ab *Ario* compoſitum celaſſe deprehenſus fuerit, nec confeſtim protulerit, ignique combuſſerit, eum morte puniendum. Confeſtim enim (inquit *Conſtantinus*) atque deprehenſus in hoc facinore fuerit, capitis ſupplicium ſubibit. *Ibidem.*

III. Imperator quoque *Conſtantinus* ſcripſit Epiſtolam bene longam (quæ hodie tota extat) ad Eccleſiam Nicomedienſem, in qua eorum Epiſcopum *Euſebium* hæreſeos, tyrannidis, ſeditionis & ſimilium malarum artium accuſat; eumque merito in exilium relegatum eſſe docet: & iis, qui de eo retinendo aliquid conaturi ſunt, graves pœnas comminatur. *Theodoretus l. 1. c. 19.*

IV. *Arius* & *Euſebius* cum jam in exſilio eſſent, in omnes partes ſuam confeſſionem mittunt, conanturque probare, ſe idem cum orthodoxis ſentire. Quapropter ab exilio revocantur: *Arius* quidem hac conditione, ne Alexandriam rediret; *Euſebius* contra privatim ab *Athanaſio* Epiſcopo Alexandrino petit, ut recipiatur *Arius*. Cum nihil impetraret, occaſione oblata CONSTANTIAM, Conſtantini ſororem, *Licinii* conjugem, in ſuas partes traducit, &, ut ſibi & Arianis faveat, efficit; cujus auxilio literas impetrat à *Conſtantino* cum minis ſcriptas ad *Athanaſium*, ut *Arium* recipiat: quod ſi nolit, ſe miſſurum, à quo Epiſcopatu moveatur & relegetur. *Athanaſius* tamen convenienti excuſatione iram Imperatoris mitigat, & *Arii* reditum impedit: inde *Euſebius* de dejiciendo *Athanaſio* conſilia agitat. Biennium fere poſt *Arius* & *Euſebius Athanaſio* crimen intentant apud *Conſtantinum*; primum, quod tributum inſtituiſſet in Ægypto; & deinde, quod pecuniam miſiſſet PHILUMENO cuidam, qui contra Imperatorem rebellabat. Sed cum in utraque re mentirentur, iterum in exilium pelluntur anno C. 329. Et ſimul THEOGNIS, Nicææ Epiſcopus. Anno vero C. 331. EUSEBIUS Nicomedienſis, & THEOGNIS, cum hactenus in exilio fuiſſent, pœnitentiam ſimulantes, offerunt libellum fidei ſuæ Epiſcopis, & recipiuntur in Eccleſiam. *Athanaſius*, *Baronius.*

V. A. C. 332. *Euſebius* reſtitutus novas inſidias ſtruit *Athanaſio*, & per Meletianos ipſum accuſat cædis *Arſenii*, cujus trucidati ſe habere manum Meletiani affirmabant. Ille *Arſenius* autem precio conductus interim latet: quem *Athanaſius* tamen inquiſitum multo labore tandem invenit. *Athanaſius.*

VI. A. C. 334. *Euſebius* iterum calumniatur *Athanaſium* apud *Conſtantinum*, & efficit, ut ab Epiſcopis Cæſareæ Palæſtinæ Concilium indiceretur, in quo *Athanaſius* diſceptaret de ſua cauſa. Verum Athanaſius comparere noluit, idque ſufficientibus cauſis probavit. *Athanaſius.*

VII. Cum *Athanaſius* ſeſe Imperatori purgaſſet, ei reconciliatur, novaſque calumnias factio Ariana contra *Athanaſium* excogitavit, atque ad Imperatoris aures detulit. *Imperator* igitur *Synodum* in Tyro, ad cognoſcendam cauſam *Athanaſii*, indicit; cui præſedit *Dionyſius* Comes cum militibus, qui Arianorum partes fovebat. *Athanaſius* comparet cum Epiſcopis Ægyptiis quadraginta ſeptem: judex fuit *Euſebius* Hiſtoricus cum complicibus Arianis. Accuſatores *Athanaſii* fuerunt *Meletiani.* Accuſationes fuerunt: *Prima*, quod hoſpitam ſtupraſſet: quam *Athanaſius* refutavit, cum oſtenderet, ſe ignotum eſſe hoſpitæ illi: Mulierecula enim introducta *Athanaſium* præſentem prorſus non agnovit, ſed ejus Diaconum (pro *Athanaſio*) de erepta pudicitia accuſavit. *Secunda*, quod Arſenium occidiſſet: quem præſentem vivum *Athanaſius* exhibuit. *Tertia*, quod *Macarius* Presbyter calicem fregiſſet: neque tamen id probari potuit. Ita confuti ſunt *Athanaſii* adverſarii. *Ariani* ne cauſa caderent, legatos mittunt in Ægyptum, inquiſitum de tota vita *Athanaſii.* Verum non ex Chriſtianis legatos eligunt, ſed ex Paganis. *Athanaſius* cum nihil æqui obtineret, à Synodo diſcedens ad Imperatorem proficiſcitur. *Euſebius* contra, quod *Athanaſius* finem Concilii non exſpectaſſet, eum condemnat, Epiſcopatu indignum judicat, & Meletianos in Eccleſiam recipit, & ne quis cum *Athanaſio* communicare velit, ad omnes Epiſcopos perſcribit. Quam Euſebii temeritatem Imperator *Conſtantinus* graviter moleſteque tulit, & Epiſtola ſatis dentata ad Synodum ſcripta reprehendit; ejuſque Synodi Arianos Theologos ad Prætorium ſuum, cauſam dicturos, evocavit.

Quibus *Imperatoris* literis perturbata Arianorum (præcipue Nicomedientis) factio, ad Imperatorem

rem Conſtantinopolim venit, & *Euſebius* Hiſtoricus præmittit orationem ſuam panegyricam, in tricennalibus de laudibus *Conſtantini* habitam, ut benevolentiam ſibi conciliaret: tandem omiſſis illis accuſationibus, quæ anno præcedenti (nempe A. C. 335.) Tyri propoſitæ fuerant, novam calumniam Imperatoris *Conſtantini* auribus inſtillat: quaſi *Athanaſius* minatus fuiſſet, impediturum ſe, ne frumentum, quod devehi ex Alexandria Conſtantinopolim conſueviſſet, poſthac mitteretur; idque probavit per Ægyptios quoſdam pecunia corruptos. Quæ calumnia tantum apud *Imperatorem* (cui tamen pietas & probitas *Athanaſii* antea ſatis perſpecta fuerat) valuit, ut *Athanaſio* indignatus in Galliam eum relegarit, omiſſo judicio, & inaudita cauſa. Itaque *Athanaſius* ad Trevirim civitatem (quæ tunc ad Galliam pertinebat, nunc vero Germaniæ urbs, & ſedes Archiepiſcopi & Electoris Trevirenſis eſt) exulatum abiit, ubi in exilio degit annos 2, cum 4 menſibus. Nihil tamen defuit ei in exilio, nec ipſi Epiſcopus ſurrogatus eſt, cum non ut exul dimitteretur, ſed ne aliorum Epiſcoporum inſidiis tolleretur. Interceſſerunt pro ejus reſtitutione crebris ſupplicationibus populus *Alexandrinus*, *Antonius Monachus*, & virgines caſtitatem profeſſæ; ſed reſtitutionem *Athanaſio*, vivo Imperatore *Conſtantino Magno*, nunquam impetrarunt. Decreviſſe tamen *Conſtantinum*, dum adhuc in vivis eſſet, revocare *Athanaſium*; ſed morte præventum, id negotii filio *Conſtantino* commiſiſſe, Scriptores Eccleſiaſtici tradunt: de quare in hiſtoria ſequenti dicemus. *Socrat. lib.* 1. *cap.* 37. *Theod. lib.* 1. *cap.* 26.

VIII. Cum *Athanaſius*, propugnaculum illud veritatis, in exilium ejectus eſſet, ad Eccleſiam Alexandrinam reverſus eſt ARIUS doloſiſſimus ille hæreticus, anno C. 336. cum jam triceſimus Imperatoris annus exactus eſſet. Cujus cauſa cum tumultus magnus excitaretur, quod ſuſpecta multis piis fides illius eſſet: Conſtantinopolim vocatus eſt ab *Imperatore*, ut Synodi Nicenæ decretis ſubſcriberet. Quod ille fecit quidem, ſed fraudulenter & doloſe. Dogma enim ſuum in charta quadam ſcripſit, ſcriptumque ſub ala occultavit, atque ita juravit, *ſic ſe credere atque ſentire, quemadmodum in charta ſcripſiſſet*: intelligens nempe non orthodoxam confeſſionem, ſed heterodoxam ſub ala occultatam. *Socrat. lib.* 1. *cap.* 38.

USUS.

Fraus iſta eſt homine Chriſtiano indigna prorſus, Deoque ſumme exoſa: uti patet ex *Pſal.* 5. *v.* 7. *Ieb. cap.* 15. *v.* 34. 1 *Petr.* 2. *v.* 1. Quare Salvator noſter graviter pronunciavit apud *Matth. cap.* 10. *v.* 32. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* Proinde occultatores ejuſmodi produnt ſemet ipſos, quod veri Chriſtiani minime ſint, neque fidem habeant veram: quippe quæ ſemper in externum confeſſionis actum erumpit, quemadmodum de ſe fatetur David, *Pſal.* 116. *v.* 10. *Credidi, propter quod locutus ſum.*

Cum *Arius* Archihæreticus iſte ad hunc modum fidem dediſſet. Imperator mandavit *Alexandro* Epiſcopo Conſtantinopolitano, ut *Arium* ad communionem iterum admitteret: quod ubi recuſavit Epiſcopus Alexander, minas jactavit *Euſebius*, & pericula intendit. Alexander vero *humanis præſidiis omnibus deſtitutus*, cum jam dies appropinquaret, quo recipiendus ad communionem erat *Arius*, tota nocte preces ardentes cum ſuis adhibet Deo, ut vel mori ſibi contingeret optans, antequam tale facinus in ſe admittat, vel divina ope aliqua ſublevaretur. Hic tantum effecerunt preces Epiſcopi, ut, cum mane ad conſeſſum publicum iturus eſſet cum factione ſua *Arius*, in itinere ad latrinam deflectere cogeretur, ob ſenſum torminum & angorem, quem in corpore & anima percipiebat. Mox in iſto loco fœdo inteſtina effudit. *Socrates l.* 1. *c.* 38. *Hiſtor. Magd. cent.* 4. *c.* 9.

OBSERVATIO.

Octo Concilia œcumenica poſt Chriſti nativitatem ſunt celebrata.

I. *Concilium* convocatum fuit A. C. 322. à *Conſtantino Magno* Nicæam, quod duravit triennium, & aliquanto diutius: de quo ſupra diximus.

II. Concilium à *Theodoſio Magno* convocatum fuit Conſtantinopolim contra Macedonium A. C. 385. *Nicephorus lib* 12. *cap.* 10. *Socrates lib.* 5. *cap.* 8. de quo Synodus ipſa ad Theodoſium: συνελθόντες εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν κατὰ τὸ γεγραμμένον τῆς σῆς διατάξεως.

III. Convocatum fuit à Theodoſio juniore Epheſum contra Neſtorium A. C. 433. *Evagr. lib.* 1. *cap.* 2. *Socrates lib.* 7. *cap.* 33. *Nicephorus lib.* 14. *cap.* 34.

IV. A *Martiano* Imp. convocatum fuit Chalcedonem adverſus Eutychen A. C. 458. *Evagr. l.* 1. *cap.* 3.

V. A *Juſtiniano* A. C. 552. Conſtantinopolim convocatum fuit.

VI. A *Conſtantino* Pogonato, h. e. Barbato, Byzantii inſtitutum fuit A. C. 681.

VII. Ab *Irene* Leonis IV. Imp. uxore habitum fuit Niceæ, cum ipſa cum Conſtantino adoleſcente adhuc Imperio præeſſet, A. C. 788.

VIII. Conſtantinopolim convocatum fuit ab Imperatore *Baſilio* A. C. 860.

CAPUT III.

DE EGRESSU.

I. ΤΟ' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΟΝ.

MOrtis *Conſtantini M.* nuncia fuit *Stella crinita*, quæ permultos ante dies clariſſime fulſit. *Sigon. lib.* 4.

II. ΤΑ' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

I. *Sapores* Rex Perſarum acerrimo Chriſtianos perſecutus eſt, quorum A. C. 326. ad 18000 interfecit. A.C. 336. Meſopotamiam vaſtaverat, & jam Nisibin obſidebat: igitur Conſtantinus Imperator A. C. 337. expeditionem ſuſcepit in Perſiam. At vero cum ad thermas Pythias perveniſſet, vehementi febri corripitur: morbo autem ingraveſcente, Nicomediam (quæ eſt urbs Bithyniæ à *Nicomede* Rege, qui eam condidit, appellata) tranſlatus eſt. Voluit autem *Conſtantinus* in *Iordane* fluvio baptizari, ideoque uſque ad finem vitæ Baptiſmum ſuum diſtulit; ſed morte præventus, ab *Euſebio* Nicomedienſi Epiſcopo *Ariano* baptizatus eſt. Quæ res Chriſtiani Principis fidem apud pleroſque in dubium vocavit. Sed non eſt veriſimile', cum Principem, qui per omnem vitam ſuam Ariani dogmatis hoſtis fuerat, in extremo vitæ ſpiritu ei dementiæ conſenſiſſe, quam ſummo ſtudio de ſuo Imperio prius eliminaverat.

II. Condidit & *Conſtantinus* Teſtamentum, quo filios ſuos tres pronunciavit Auguſtos: quibus addidit fratris Annibaliani filium Dalmatium, quem Cæſarem fecit, & mortuus eſt A. C. 337, die 22 Maii, cum vixiſſet annos 66, imperaſſet an. 30, menſ. 9, dies 27.

III. ΤΑ' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

I. *Cadaver Conſtantini* Conſtantinopolim delatum, & in baſilica Apoſtolorum honorifice terræ mandatum eſt.

II. *Conſtantinum* morti vicinum baptizatum eſſe (uti Hiſtorici Eccleſiaſtici teſtantur) certum videtur, cum filii ipſius idem imitati ſint: ut *Conſtantius* in agone fere baptizari voluerit, *Conſtantinus* & *Conſtans* interfecti ſint, priuſquam baptizarentur. *Baronius, & alii.*

III. Quo Imperium *Conſtantini* tam religioni, quam Imperio gentium conſtituendo fuit ſalutarius: eo mors ejus tam Eccleſiæ, quam Politiæ fuit luctuoſior. *Eccleſia* enim patrem, patronum, cuſtodem benignum, liberalem, placidum, æquum & pium amiſit. *Politia* vero præſidio, firmamento & denique capite ſuo orbata eſt. Ideirco luctus & ſqualor, planctus & mœror ingens ubique exortus eſt. Quin *milites* etiam ipſi flebilibus vocibus plurimis & diuturnis ſuum dolorem conteſtati ſunt. *Cives* per orbem vagi ac vix mentis compotes, quanto bono & ornamento privati eſſent, lacrymis & clamoribus oſtenderunt. *Reliqui* lamentis & querelis acerbiſſimum vulnus, quod Eccleſia & Reſpubl. illius morte acceperat, deploraruntur. Quid multis? Nullius humani ingenii flumen eſt tantum, ut conſequi magnitudinem mœſtitiæ; nullius dicendi poſtas tam late patet, ut lacrymis proferre queat, quas tanti Principis obitus expreſſit.

XLIV. IMPERATOR ROM.

CONSTANTINUS II,

ſive junior.

CONSTANS & CONSTANTIVS *fratres.*

FIlii *Conſtantini M.* ſucceſſerunt patri. Ac CONSTANTINUS quidem ex teſtamento patris Hiſpaniam, Galliam, Alpes & Britanniam: CONSTANS Italiam, Africam, Græciam & Illyricum: CONSTANTIVS minimus natu Thraciam, Aſiam, Ægyptum, & Orientem regendum ſuſcepit. DALMATIVS autem patruelis Conſtantini, quem una cum filiis ſucceſſorem fecerat, paulo poſt in militari tumultu, ſive jubente ſive connivente Conſtantio, occiſus eſt.

I. CONSTANTINUS.

Conſtantinus ex poſteriore conjuge *Conſtantini M.* nomine Fauſta natus eſt. Hic cum ſuperbior & inquietior eſſet cæteris, non contentus provinciis à patre traditis, poſthabita pietate erga parentem mortuum & fratres, confiſus opibus Gallicanis & equitibus Hiſpanis, & Alpino peditatu, contra fas & jus bellum fratri *Conſtanti* intulit, ut Imperio eum dejiceret: & primum invaſit propinquas regiones, & Aquilejam uſque pervenit. Cujus in agro obviam ei fiunt milites à fratre miſſi, qui conatum ejus repellerent. Et cum *Conſtantinus* longe viribus præſtaret, incautius congreditur: lapſuſque in inſidias, quibus exercitus circumventus, in medio cæſus eſt. Equus Principis vulnere ictus, ſeſſorem

ſorem Conſtantinum dejecit. Cum jaceret humi ſine purpura incognitus, multis ictibus confoſſus eſt anno ætatis XXV, Imperii triennio nondum finito. *Eutropius, Pomponius Lætus.*

Res Eccleſiæ.

Antea diximus, quod *Athanaſius*, dum falſo apud Imperatorem *Conſtantinum Magnum* deferretur, in Galliam ſit relegatus; *Conſtantinus* tamen illum revocare decreverit, ſed morte præventus, id negotii filio ſuo *Conſtantino* natu maximo commiſerit. *Conſtantinus* igitur junior, mortuo parente, regio diplomate ATHANASIVM Alexandriam ad Epiſcopatum recipiendum remiſit A. C. 338. in quo parentem excuſavit, prætendens, quod *Athanaſium* ad tempus in Gallias ablegaverit, ut ab hoſtium ſuorum inſidiis tutus eſſet. *Socrates lib. 2. c. 6. Theod. lib. 2. cap. 2. Sozom. lib. 3. cap. 2. Athanaſius.*

II. CONSTANS.

Cum *Conſtans* anno ætatis ſuæ viceſimo fratrem ſuum bello ſuperaſſet, ipſi ad ſuam partem omnes provinciæ, quas frater tenuerat, acceſſerunt; itaque ſolus imperium tenuit Occidentis. Fuit autem initio juſtus & ſtrenuus, ſed poſtea ſive debilitate naturæ, ſive amicis ſuadentibus, animum ad delicias flexit: ex quo in leves articulorum incidit ægritudines, quæ hominem reddiderunt difficilem, moroſum, auſterum. Vnde factus eſt ſubditis gravis, militibus vero (liberalitate neglecta) carus eſſe deſiit. Quare conſpiratio contra eum inter Centuriones exorta, & in urbe Germaniæ Auguſta Rhetica clandeſtinis conſciorum conſiliis factus eſt Imperator *Magnentius*, qui tunc beneficio Conſtantis præerat Rhetiæ. CONSTANS igitur cum ex Pannonia in Gallias abiiſſet, ac morbi moleſtias crebris venationibus ibi mitigare ſtuderet, ſæpe ad ſylvas divertebat, & ubique cum formoſis puſiunculis ludebat & bacchabatur, quorum tenera ætate fruebatur, vel potius abutebatur. MAGNENTIVS (quem *Conſtans* paulo ante in Illyria, in tumultu militari objecto paludamento texerat atque ſervaverat, cum milites eum occidere vellent) percuſſores miſit, qui ſervatori ſuo mortem inferrent. Hi *Conſtantem* ex venatione feſſum, in tentorio quieſcentem, nihilque tale cogitantem, trucidarunt. Alii ſcribunt, eum vigilantem (cum percuſſores adventare ſciret) in propinquum templum abiiſſe, inſignia Imperii depoſuiſſe; nihilominus tamen ibi ab altari abſtractum & cæſum fuiſſe, anno Imperii 13, ætatis 30. *Eutropius, Pomponius Lætus, Iohannes Baptiſta Egnatius.*

Res Eccleſiæ.

Supra diximus, quod CONSTANS initio ſtrenuum juſtumque Imperatorem egerit, ſed progreſſu temporis omni cura Imperii omiſſa, voluptatibus & fœdis libidinibus ſe dederit. Nihilominus tamen veram religionem amplexus eſt, eamque, ut & pios doctores, quantum potuit, zelo magno defendit. Cum *Athanaſius* à *Conſtantio* Imperatore iterum in exilium eſſet ejectus, ille apud *Conſtantem* Imperatorem de injuriis Arianorum graviter queſtus eſt. CONSTANS igitur fratri ſuo *Conſtantio* Imp. per literas ſignificavit, ſe validum contra illum exercitum eſſe educturum, niſi *Athanaſium* Eccleſiæ Alexandrinæ reſtitueret, & religionem Chriſtianam perſequi deſiſteret. *Tripart. lib. 4. cap. 7. Hiſtor. Magd. cont. 4. cap. 9. Athan. Apolog. 2. Cuſpinianus. Ruffin. lib. 1. cap. 19. Socrates lib. 2. cap. 22. Sozomen. lib. 3. cap. 17. & lib. 4. cap. 11.*

MAGNENTIVS.

Pſeudo-Imperator & Tyrannus.

Conſtante Imperatore (inſidiis *Magnentii*) occiſo, milites conjurati *Magnentium* Imperatorem ſalutarunt. Quæ cum Romæ nunciata eſſent, NEPOTIANVS *Conſtantini* ex ſorore nepos, qui ante annos 14. Conſul fuerat, Imperium arripuit. Sed *Heraclides* Senator factionis Magnentianæ fautor populum decepit, factaque proditione *Nepotianum* (ſimulans ſe cum illo loqui velle) obtruncavit. Caput pilo fixum per urbis itinera deportatum eſt. Sic *Nepotianus* dies 28 ſaltem Imperatoris nomen habuit. MAGNENTIVS igitur dolo Imperator factus, Conſtantis nomine literas ſub illius ſigno ſcripſit, qui vel cohortibus præerant, vel urbibus, eoſque ſtatim venire ad Imperatorem juſſit, quos omnes in itinere cædi juſſit, ut non eſſent qui motum facerent. *Conſtantius* tunc in Oriente adverſam fortunam in bello Perſico experiebatur. Itaque *Magnentius* ingenti exercitu Italiam petiit, & Mediolani aliquandiu commoratus, fratres ſuos DECENTIVM & DESIDERIVM Cæſares fecit, & cum exercitu ad Hiſpaniam occupandam, & ut Gallias tuerentur, dimiſit. Tota enim Italia & Africa jam erant MAGNENTII.

CONSTANTIVS in tanto Imperii diſcrimine copias undique collegit, imperium defenſurus, & GALLVM Patruelem Cæſarem fecit, eumque in Oriente reliquit; ipſe vero cum exercitu in Europam reverſus eſt, ut fratris cædem ulciſceretur. Sed ne Roma civili bello vexaretur, miſit ad *Magnentium*,

tium, concedens Galliam, ſi arma deponeret. Verum non parente *Magnentio*, ſeptuaginta millia hominum adverſus eum duxit. His cum exercitu triginta millium *Magnentius* occurrit, cum quo *Conſtantius* ad Murſam in Pannonia acerrime confligit. Etſi autem victor fuit *Conſtantius*, tamen in eo prælio vires Romanæ ita ceciderunt, ut peregrinæ gentes, quæ poſtea in Italiam & Galliam infuſæ ſunt, reprimi non potuerint. Cæſa ſunt enim in eo prælio ex duobus illis exercitibus contrariis ſupra 54000 præſtantiſſimorum militum. *Conſtantius* cum ex tumulo, in quem conſcenderat, planitiem totam cadaveribus repletam vidiſſet, ingemuit, & cæſos omnes ſepeliri; qui vero vulnerati non perierant, eos curari ac conſervari juſſit. MAGNENTIVS cum reliquiis cladis in Italiam fugit, ubi ad Ticinum *Conſtantii* Duces viciſſim fugavit; ſed cum à Romanis in urbem non admitteretur, in Galliam tranſcendit, ibique per fratres novum exercitum reparavit. Sed priuſquam dimicationis aleam iterum ſubiret, legatos Epiſcopos miſit ad *Conſtantium*: nihil provinciarum quærens, ſed ut Ducis titulo militare ſibi liceret: quibus nihil reſponſum eſt. Quod cum exercitus Tyranni accepiſſet, plerique milites adierunt ad victorem. Tyrannus vero intelligens ſibi dimicandum fore, exercitum novo milite ſupplevit, militque, dum milites cogeret, aſſuetum parricidam multis pollicitationibus Antiochiam, qui GALLVM (quem *Conſtantius* in Oriente reliquerat, ut imperium contra Perſas defenderet) confoderet; ut, illo cæſo, *Conſtantius*, relictis rebus Heſperiæ, cogeretur Orientem petere propter Perſas. Cum ficarius Antiochiam perveniſſet, in domum cujuſdam vetulæ divertit, vicinam fluvio Oronti, qui per eam urbem labitur. Hic à cœna communicavit rem cum paucis, quos ad ſe invitaverat, nihil metuens mulierem ætate confectam. Quæ clam ſe proripuit, & quod audierat, ad GALLVM retulit; qui ſtatim comprehendi omnes, atque, confeſſos in quæſtionibus, necari juſſit. MAGNENTIVS, quia tale conſilium irritum fuerat, rurſus Conſtantio ſe opponere ſtatuit: ſed magno prælio victus eſt: animo tamen minime lapſus prælium inſtauravit: ubi cum tertio vinceretur, Lugdunum aufugit, ibique vires adverſus *Conſtantium* reparare voluit; ſed cum ibidem à *Conſtantii* copiis obſeſſus eſſet, amicos quoſdam ſuos, quorum ei fides ſuſpecta fuit, occidit, & fratrem DESIDERIVM vulneravit. Inde ſibi manus intulit menſe Imperii 42. Hic finis fuit hominis perfidi, ingrati & ſeditioſi.

DECENTIVS frater ipſe etiam laqueo vitam finivit: ſed DESIDERIVS, ex vulnere revocatus, ad *Conſtantium* acceſſit, veniam impetravit & ab eo liberaliter exceptus eſt *Tripart. lib. 5. c. 4. Pompon. Let. Oroſ. Victor. Eutrop. Iohan. Baptiſt. Egnatius. Cuſpin. Zonar. Zoſim. Faſti Sic. Hiſtor. Magd. cent. 4. cap. 15.*

III. CONSTANTIVS.

CAPVT I.

DE ORTV.

1. PATER fuit *Conſtantinus Magnus.*
2. MATER fuit FAVSTA, poſterior uxor Conſtantini M. Ex hiſce parentibus natus eſt Conſtantius A. C. 316.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ, *& ſtatura.*

Statura fuit parva. Romam enim aliquando ingreſſus eſt cum triumpho, ubi cum arcus triumphales tranſiret, anſeris inſtar cervicem inclinavit: quapropter à quolibet deriſus eſt. Facundia laudem quæſivit, eamque cum aſſequi propter ingenii tarditatem non poſſet, aliis invidit. In bello ſtrenuus & fortis: In cibo & potu vero valde intemperans fuit.

II. *ACTA OECONOMICA.*

Vxores habuit complures, quas omnes valde amavit, (adulterium enim vitavit, ac ſumme odit) inprimis vero ſummo amore proſecutus eſt conjugem ſuam nomine EVSEBIAM, cujus inſtinctu IVLIANVM Imperii collegam fecit: Ipſa defuncta, aliam nomine FAVSTINAM matrimonio ſibi junxit, quæ in puerperio mortua eſt, & filiam peperit FAVSTINAM POSTHVMAM, quam GRATIANVS in uxorem duxit.

III. *ACTA POLITICA.*

1. *Imperii occupatio.*

Supra diximus, quod *Conſtantius* ex teſtamento patris Thraciam, Aſiam, Ægyptum & Orientem regendum acceperit. Sublatis vero *duobus fratribus* Imperii conſortibus, & MAGNENTIO Tyranno, ejuſque ſociis Imperium invadere tentantibus, oppreſſis, ſolus imperio potitus eſt.

II. *Imperii adminiſtratio.*

1. Acta Togata.

1. *Conſtantius* fuit homo impius, ingenii levis & inconſtantiſſimi, qui, quod amici, conſiliarii, & au-

& aulici ejus ipſi ſuadebant, faciebat, iiſque fidem habebat; unde ab iis deceptus & ſeductus eſt, juxta proverbium: *Qui facile credit, facile decipitur.* Patri enim cum ſuccederet, adhuc erat adoleſcens, agens annum ætatis decimum, qua in ætate facile ab aſſutis hypocritis deceptus eſt, & inprimis in ſummo precio habuit *Euſebium* eunuchum & cubicularium ſuum, cui in omnibus obtemperavit, ab eoque perſuaſus, amplexus eſt Arianos furores, cum tamen *Euſebium* Epiſcopum Nicomedienſem hujus Principis animum ad Arianos inflexiſſe, alii affirment. *Marcellinus.*

II. *Memorabile* eſt *Helpidii* factum, qui, imperante *Conſtantio*, prætor Romæ fuit, amans juſtitiæ. Huic *Conſtantius* aliquando mandatum dedit, ut innocentem torquendum curaret. Sed reſpondit HELPIDIVS animo magno: Rogo te, Imperator, ut munus à me in alium transferas. Propter hoc factum cariorem illum habuit Imperator.

III. LEONTIVS Epiſcopus in Myſia ad Iſtrum reprehendit Conſtantium in Synodo: quem tamen alii laudabant, quod poſtularet, quod à Synodo agi vellet: Miror te, Imperator, inquiens, cum ad alia negotia ordinatus ſis, alia tamen aggredi. Commonefactus hac voce, ex conſeſſu diſceſſit. Quæ humanitatis exempla in hoc Imperatore laudanda ſunt.

IV. CONSTANTIVS, cum Romæ triumphum ageret, interrogatus quid de Roma urbe ſplendidiſſima ſentiret? Vnum, inquit, mihi placet, quod didici, ibi quoque mori homines.

V. Tempore *Conſtantii* multi fuerunt voluptatum artifices. Nam ita *Marcellinus* de *Conſtantii* temporibus ſcribit: Paucæ (inquit) domus, ſtudiorum ſeriis cultibus antea celebratæ, nunc ludibriis ignaviæ torrentes exundant, perflabili ſono, vocali tinnitu fidium reſultantes. Denique pro Philoſopho cantor, & in locum Oratoris doctor artium ludicrarum accitur, & Bibliothecis, ſepulcrorum ritu, in perpetuum clauſis, organa fabricantur hydraulica & lyræ ad ſpeciem carpentorum ingentes, tibiæque & hiſtrionici geſtus inſtrumenta non levia.

VI. *Conſtantius ambitioſus fuit.* Ita enim de eo ſcribit *Ammianus Marcellinus:* Conſtantius, inquit, ſæpius laureatas literas ad Senatum miſit de victoriis ſuis, mentitus impudenter cum odioſa ſui jactatione, ſe inter primores in acie verſatum viciſſe, ſupplices gentium Reges erexiſſe, cum prælio nunquam interfuiſſet.

VII. Seleuciæ, in litore maris Syriaci ſitæ, inſignis *portus* à *Conſtantio* magnis Reip. ſumtibus inſtitutus eſt. *Cedrenus.*

VIII. CONSTANTIA urbs (Coſmiß) à *Conſtantio* Imp. ædificata A. C. 356.

IX. CONSTANTIVS, *Magnentio* Imperium arripiente, contra eum proficiſci coactus eſt. Quia vero tunc temporis bellum in Oriente contra Perſas gerebat, GALLVM (qui natus eſt in Maſſa Veternenſi, patre *Conſtantio*, fratre *Conſtantini Magni*, matre Galla, Rufini & Cerealis, qui Conſulares erant, ſorore) Cæſarem fecit A. C. 351, eique ſororem ſuam *Conſtantiam* in uxorem dedit, & in Oriente, ut Imperium contra Perſas defenderet, reliquit: ipſe vero in Europam reverſus, cum exercitu contra *Magnentium* profectus eſt. GALLVS igitur in Oriente relictus, abſente *Conſtantio*, ſtimulante uxore multa crudeliter & petulanter fecit: inter quæ hoc etiam admiſit. Vagabatur noctu cum ſatellitibus incognitus per lupanaria & tabernas, explorans quid de Cæſare ſentirent, notanſque ſingulos, qui oblocuti eſſent: poſt reperto aliquo figmento trucidabat. CONSTANTIVS, his cognitis, *Domitianum* præfectum prætorio ad *Gallum* miſit, qui perſuaderet ei venire ad Imperatorem. Quod cum parum proficeret, addidit præfectus ille mandata, & minas. Indignatus GALLVS, comprehendi hominem juſſit, & cuſtodiæ tradi. *Quæſtorem* etiam Montium, qui hoc facinus non probabat, in vincula conjecit, & uxore ſuadente (cujus impulſu etiam multos alios innocentes viros occidit) ambos per forum tractos, & verberatos, in fluvium projici mandavit. *Idem* accidit multis aliis, quicunque ab adulatoribus ut nocentes deferebantur. Cum igitur GALLVS indies ſuſpectior fieret, à *Conſtantio* Imp. blande evocatur una cum uxore Mediolanum, ut deliberarent de Imperio recte adminiſtrando. Sed *Conſtantia*, uxor *Galli* Cæſaris, ſoror *Conſtantii*, febri correpta in Bithynia moritur. GALLVS vero, cum Conſtantinopolin veniſſet, ludos edidit. Inde cum Iſtriam verſus adhuc in hyeme proficiſceretur, à præſidiariis *Conſtantii* prehenſus, & POLAM Iſtriæ deductus eſt: ubi cum rationem gubernationis & tyrannidis dare non poſſet, illi ut noxio, manibus poſt tergum revinctis, cervicem abſciderunt. Truncus in foro relictus eſt. Quod ubi *Conſtantius* Imp. audivit, adeo hoc facto intumuit, ut ſe *totius orbis Dominum* vocari vellet. Multos etiam ex aula *Galli* Conſiliarios adduci juſſit, quorum pleroſque Aquileiæ trucidavit. *Ammianus, Pomponius Lætus.*

Appendix, de ſeditione *Iudæorum.*

Cum *Iudæi* Diocæſariani animadverterent, omnia in Romano Imperio turbarum eſſe plena, armis arreptis noctu interficiunt milites præſidia-

rios, Palæſtinam perrumpunt, & Romani Imperii jugum à cervicibus ſuis excutere ſtudent. Itaque GALLUS Cæſar, qui tum Antiochiæ erat, miſſo exercitu, Iudæos opprimit, multis millibus eorum occiſis uſque ad innoxiam ætatem; & civitates eorum, Diocæſaream, (quæ & Sepphurim appellabatur) Tyberiadem & Dioſpolim, plurimaque alia oppida, partim igni tradit, partim diruit, & in priſtinam ſervitutem eos redigit. *Socrates lib. 2. cap. 33. Sozomen. lib. 4. c. 7. Cedrenus.*

I. Acta Sagata.

I. *Bella* geſſit *Conſtantius* cum *Magnentio* Tyranno, qui Imperium arripuit, quem glorioſe vicit: de quo ſupra in hiſtoria *Magnentii* prolixius diximus.

II. *Bella* geſſit cum SAPORE Perſarum Rege, & licet in bellis civilibus contra Tyrannos felix fuerit, tamen in bellis Perſicis adverſa fortuna uſus eſt. A Perſis enim multa & gravia perpeſſus, ſæpe captis oppidis, obſeſſis urbibus, cæſis exercitibus: & fere nullum ei contra *Saporem* proſperum prælium fuit. *Eutropius, Ammianus, Cedrenus.*

III. Cum QUADI & SARMATÆ tumultuarentur in Pannoniis, ad eos compeſcendos ipſe *Imperator* profectus eſt. Iſtrum tranſiit, regiones longe lateque vaſtavit, & totam gentem in deditionem accepit: unde *Sarmaticus* appellatus eſt.

IV. Exercitum quoque eduxit CONSTANTIUS contra *Alemannos*: ſed cum pacem peterent, fœdus cum iis inivit. Cum enim *Alemanni* Optimates ſuos miſiſſent, delictorum veniam & pacem petituros, Conſtantius Imp. ex tribunali oratione ad milites habita in hæc verba diſſeruit: Arduos veſtræ gloriæ gradus, quos fama per plagarum quoque accolas extremarum diffundit, excellenter accreſcentes, Alemannorum Reges & populi formidantes, per Oratores quos videtis, ſubmiſſis cervicibus conceſſionem præteritorum poſcunt & pacem: quam ut cunctator & cautus utilium monitor, ſi veſtra voluntas adeſt, tribui debere cenſeo, multa contemplans. *Primo* ut Martis ambigua declinentur: *dein* ut auxiliatores pro adverſariis aſciſcantur, quod pollicentur: *tum* autem ut increuenti mitigemus ferociæ flatus pernicioſos ſæpe provinciis: *poſtremo* id reputantes, quod non ille hoſtis vincitur ſolus, qui cadit in acie, pondere armorum oppreſſus & virium: ſed multo tutius etiam tuba tacente ſub jugum mittitur voluntarius, qui ſentit expertus, nec fortitudinem in rebelles, nec lenitatem in ſupplices animos deeſſe. In ſumma, tanquam arbitros vos, quid ſuadeatis, operior, ut *Princeps* tranquillus, temperanter adhibere modum allapſa felicitate decernens. Non enim inertiæ, ſed modeſtiæ humanitatique (mihi credite) hoc quod recte conſultum eſt, aſſignabitur. Mox ut dicta finierat, multitudo omnis, ad quæ Imperator voluit, promtior, laudato conſilio conſenſit in pacem, ea ratione maxime percita, quod norat, expeditionibus crebris fortunam ejus in malis tantum civilibus vigilaſſe: cum autem bella moverentur externa, accidiſſe plerumque luctuoſa. *Ammianus.*

V. Cum hoſtes undiquaque fines Romani Imperii invaderent, & CONSTANTIUS omnibus obviam ire non poſſet, Ducibuſque tantam rem committere non auderet, IULIANUM Galli fratrem accerſitum Romæ proclamavit Cæſarem A.C. 355, die 6 Novembris, cui ſororem Helenam in matrimonium dedit, ac contra Alemannos rebellantes, in Galliam dimiſit; qui ab eo ad Argentoratum memorabili prælio victi ſunt. Idem poſtea deſcendens ad Agrippinam Coloniam, recepit eam à Francis: quos Salios nominant, à flumine Sala dictos, ut Marcellinus habet. Hi Tungrorum ſedes, h. e. regionem Juliacenſem tunc tenebant. Poſtea & Francos Atuarios vicit, qui fuerunt ubi nunc Leodium eſt. De his autem in hiſtoria Iuliani rurſus mentionem faciemus.

Appendix de Pſeudo-Imperatoribus Vetrannione, Britannione & Sylvano.

I. VETRANNIO (vir probus & grandævus, cunctiſque amabilis diuturnitate & felicitate militiæ, morum veterum, ac jucundæ civilitatis: ſed liberalium artium prorſus expers fuit, adeo ut ne elementa quidem literarum, niſi grandævus acceperit) cui Pannonia tuenda data fuerat, Imperium ſibi ſumſit: idque perſcripſit ad *Conſtantium*, ſignificavitque ſe ipſi amicum futurum, & Imperium contra *Magnentium* defenſurum. Verum *Conſtantius* ſtrategemate eum ab Imperio dejecit. Cum enim contra *Magnentium* cum exercitu proficiſceretur, & in Pannoniam veniſſet, inducias fecit cum *Vetrannione*, ne cum duobus ſimul pugnaret: atque interim exercitum ejus ad ſe traduxit, ipſique purpuram detraxit, ac Pruſiam in Bithyniam miſit, ipſique ſumtus honeſtos præbuit; quam vitam etiam Vetrannio omni regno prætulit. *Socrates, Eutropius.*

II. BRITANNION ab exercitu Illyricano Murſæ Imperator appellatus eſt. Sed hic *Conſtantium* adiit, eique obvius factus in Thracia, ſupplex veniam petiit, & impetravit. *Conſtantius* eum ſenem Ducem amplexus eſt, ac patrem cum vocavit, cœnæque adhibuit. Poſtea in Bithyniam dimiſit,

miſit, juſſitque ut opida contribuerent ad ſenis victum: qui plures ſervos ſecum ducens, magna quiete illic vixit annis 6, ac poſt diem ſuum obiit. *Pomponius Lætus.*

III. SYLVANVS Dux præſtantiſſimus, Germanis Galliam vaſtantibus, in Galliam à *Conſtantio* miſſus A. C. 355. bene rem geſſit. Inde in invidiam vocatus, à quibus intimulatus de invadendo Imperio, *Sylvanus* qui innocens tum erat, cum noſſet *Conſtantii* in hujuſmodi crimine inexorabilem ſævitiam, ut ſe defenderet, revera ſumſit Imperium, contra quem miſit *Conſtantius* Ducem *Vrſicinum*, qui admiſſus perſuaſit militibus, ut *Sylvanum* occiderent, poſtquam in menſem alterum præfuiſſet. *Ammianus.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. CONSTANTIVS Ariana hæreſi infectus fuit, quæ eum impulit, ut perſecutionibus Eccleſiam DEI affligeret, & Arianis, ut idem facerent, permitteret. Cujus mali origo hæc fuit: *Conſtantinus* moriturus (ut ſupra diximus) à Presbytero Ariano baptizatus eſt, cui Teſtamentum ſuum tradidit, ut id *Conſtantio* filio (qui inter abſentes filios citius cæteris adeſſe poterat) redderet; quod & factum eſt. Ea res Presbytero illi Ariano favorem etiam apud Imperatorem Conſtantium peperit, eique liberum in aulam acceſſum fecit. Presbyter præcipuum Imperatoris eunuchum & cubicularium, cum reliquis eunuchis Ariano dogmate inficit: Hi Imperatoris conjugi Arianiſmum perſuadent: ſic virus illud etiam Imperatorem corripit. Oriuntur per totam aulam diſputationes de fide: colloquuntur de ea eunuchi cum mulieribus; quippe quæ in errores flexibiliores erant. Diſputant inter ſe & milites ac civitas tota. Denique per alias quoque provincias hoc malum graſſatur: hinc igitur perturbationum fiunt plena, per Orientem univerſum, omnia. Ita Arianiſmus de novo, quaſi incendium, quod ſemel reſtinctum videbatur, vires acquiſivit, & Orientales Eccleſias horribiliter vaſtavit. *Socrates lib. 2. cap. 2. & alii.*

Huc pertinet ſomnium Antonii, de quo ita *Sozomenus lib. 6. hiſtor. Eccleſ. cap. 5.* ſcribit: Traditum eſt, (inquit) ANTONIVM, priuſquam Ariani eſſent Eccleſiarum potiti gubernaculis, regnante *Conſtantio*, ſecundum quietem mulos altare inſultantes calcibus, & ſacram menſam evertentes vidiſſe, illicoque prædixiſſe, tumultum ex adulterinis permixtiſque doctrinis ortum, & rebellionem ex illis, qui alienam ab Eccleſia Catholica opinionem tenerent, excitatam, Eccleſiam DEI: poſtea occupaturam. *Euſeb. l. 4. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 15.*

II. *Adrianopolitani* cum Arianorum communionem pio zelo averſarentur, apud Imperatorem *Conſtantium* ab Arianis acerbiſſime accuſantur. *Conſtantius* (qui erat Arianorum mancipium) Adrianopolitanos Arianis adverſantes capite truncari mandavit. Cum igitur Arianis tanta licentia ab Imperatore daretur, ipſi in quoſcunque inciderunt, qui eorum hæreſin averſarentur, eos indignis modis flagris conſtringebant, multoſque è natali ſolo expellebant. *Athanaſius.*

III. *Ariani*, ut, quibuſcunque rationibus poſſent, ſimplicioribus fucum facerent, Imperatori *Conſtantio* perſuaſerunt, ut Synodus Niceæ Thraciæ convocaretur, ut deinde incauti putarent, hujus Synodi Decreta eſſe illius magni Concilii Niceni dogmata. Convocantur igitur Niceam Epiſcopi; & Occidentales, etiam inviti comparere coguntur. Conſcribunt Ariani formulam fidei novam a vera Nicena fide diſſentientem, & Synodum Nicenam unius literæ adjectione corrumpunt, pro ὁμοούσιον ponentes ὁμοιούσιον: id eſt, quod filius non eſſet unius cum patre ſubſtantiæ, ſed ſimilis ſubſtantiæ. Hoc dolo nebulones illi Arianiſmum occultarunt. Itaque hæc doloſa formula à pleriſque vel impoſtura deceptis, vel terrore adactis, ſubſcripta fuit. Qui enim ſubſcribere recuſabant, in ultima terrarum loca deportabantur. *Theodoretus lib. 2. cap. 21.*

Cum autem CONSTANTIVS prædictum Nicenam Synodum Nicomediam transferre conſtituiſſet, (fortaſſe ut plura Decreta ibi in favorem Arianorum conderentur) oppidum illud Nicomediæ terræ motu everſum, & igne conſumtum eſt. Narrat *Sozomenus*, *Arſarium* quendam ex relatione divina hanc cladem civibus prædixiſſe, eoſque ut pœnitentiam agerent, admonuiſſe; ſed irriſum fuiſſe. *Sozomenus lib. 4. cap. 16.*

IV. CONSTANTII juſſu Sirmii in Pannonia *Synodus* coacta tentavit inter Orthodoxos & Arianos conciliationem, propoſita certa CONCORDIÆ FORMVLA, in qua vox ὁμοούσιον omiſſa erat. Verum ea ex re majores diſſenſiones natæ ſunt, cum utraque pars ambiguam fidei formulam pro ſe interpretaretur. *Socrates lib. 2. Sozom. lib. 4.*

V. CONSTANTIVS Imperator, poſt omnes vias ſtabiliendi Arianiſmi per varia Concilia tentatas, tandem univerſos tam Arianos, quam Catholicos Epiſcopos, Occidentis quidem ARIMINI urbe Italiæ, Orientis vero SELEVCIÆ Iſauriæ oppido, A. C. 359. convocatos, non prius dimiſit, quam in præſcriptam Arianæ perfidiæ formulam conſenſiſſent. Inde factum, ut ſeptem integros de-

tenti

tenti menſes, ac moræ pertæſi, tandem alii precibus, alii minis expugnati, omnes ad unum Arianæ formulæ ſubſcriptione vocabulum ὁμοούσιος & ὁμοιούσιος damnaverint: præter unum HILARIVM, ex Gallia in Oriente tunc exulantem, qui quaſi granum tritici ſolus relictus, atque in Galliam reverſus Catholicam fidem reſtituit: Italiæ quoque Epiſcopos in viam revocavit, prout *Sulpitius Severus l. 2. Hiſtor. ſacr.* retulit: qui de Ariminenſi Synodo, qua Epiſcopi 400 convenerant, concludens: *Hoc* (inquit) *modo Concilium Ariminenſe dimiſſum bono initio, fœdo exitu eſt conſummatum.*

VI. Supra diximus, quod *Athanaſius* à *Conſtantino Magno* in Galliam ſit relegatus, verum ab ipſius filio natu maximo *Conſtantino* Imperatore reſtitutus A. C. 338. Sed *Ariani* (qui Alexandriæ erant) id indigniſſime ferentes, anno ſequenti *Athanaſium* apud *Lucium* Papam accuſant. *Athanaſius* per legatos ſe excuſat, promittitque ſe cauſam ſuam Romæ acturum. *Lucius* igitur Papa A. C. 344. in cauſa *Athanaſii* Romæ Synodum indicit, ubi *Athanaſius* tempeſtive ſe iſtit, Ariani contra venire detrectant. Interim dum exſpectat adverſarios ſuos, Romæ manet ſeſquiannum, ibique *Symbolum* ſuum conſcribit, & Synodo offert: quod tum repoſitum fuit in Archivis, nec publicatum, niſi, quantum ex hiſtoriis conjicere licet, poſt trecentos fere annos, ubi in Concilio Toletano quarto quædam ex eo tranſlata verba recenſentur. A. C. 341. *Athanaſius* à Concilio Romano abſolvitur, & Alexandriam ad Epiſcopatum remittitur. Verum Ariani, conjuratione facta, adverſus eum frequentes ſubinde ſeditiones movebant. Hanc occaſionem arripiens *Euſebius* Arianus Nicomedienſis Epiſcopus (bipedum nequiſſimus) *Athanaſium* apud Imperatorem *Conſtantium* (virum mobilem, levem & inconſtantem) accuſat, quod *Athanaſius* ſeditionum illarum cauſa eſſet, propterea, quod abſque conſenſu & decreto alicujus Concilii, authoritate ſua propria in ſedem ſuam rediiſſet. *Conſtantius* igitur Imperator eum iterum Alexandria expulit. Rurſus igitur exulat, & Romæ aliquantiſper delituit: deinde ad *Conſtantem* Imp. accedit, qui victor Occidentem tenebat: apud hunc tandem res eo deducitur, ut conſenſu fratrum *Conſtantis* & *Conſtantii* Synodus indicta ſit, quæ in Illyrico in urbe Sardica convenit anno fere Chriſti 347. Convenerunt in urbe Sardica Epiſcopi 347. inter quos præcipui fuere *Athanaſius*, *Oſius* Cordubenſis Epiſcopus ex Hiſpania, (quem epiſtola Synodi dicit grandem natu fuiſſe, συγγενικώτατον, & maxime dignum honore, propter perpetuam conſtantiam in Confeſſione veritatis, inter multas afflictiones) *Maximus* Ieroſolymitanus, *Paphnutius*, *Spiridion*, *Serapion*: qui omnes Niceno Concilio interfuerant. Hæc Synodus teſtata eſt, ſe amplecti Nicenum Symbolum, & damnat ab eo diſſentientes. Exſtat Synodi decretum apud *Theodoretum*, in quo hæc verba ſunt: Μηδὲ ποτε παλίωξε χωρὶς ἡμῶν. μήτε ἡμῖν χωρὶς πατρὸς μήτε ἀνόμοιος υἱὸς, μήτε ἄνισα δωρεαί.

Tanta autem fuit calamitas ejus ætatis, ut eodem tempore ἀνωνύμως in Thracia in urbe Philippopoli convenerit. Arianis enim, qui advenerant Sardicæ, in Concilium ut introirent, perſuaderi non potuit, quod nollent communicare cum *Athanaſio* & *Paulo* (de quo poſtea dicemus) ſedibus ſuis pulſis: ideo clanculum diſcedunt, & mira calliditate conſilium ineunt de corrumpendo Concilio Sardicenſi. Philippopoli igitur conveniunt, Concilium celebrant, Canones conficiunt, & vocabulum ὁμοούσιος anathemate feriunt, idque magna celeritate, & ad omnes Eccleſias nomine Sardicenſis Concilii ejus Canones tranſmittunt. Hinc factum, ut cum dubitaretur, quinam eſſent veri Sardicenſis Concilii Canones, utrique facti ſint ſuſpecti. Interim qui Sardicæ convenerant, harum rerum ignari, de Symbolo Niceno agunt, idque integrum ſervandum (ut ſupra dictum) decernunt.

Sed ut ad *Athanaſium* redeamus, *Conſtantius*, à fratre *Conſtante* coactus, eum Alexandriæ Eccleſiæ reſtituit anno C. 348, & alios exſules, quos Sardicenſe decretum abſolvetat. *Conſtantius* autem, mortuo fratre *Conſtante*, audacior factus, omnia, quæ prius Orthodoxis indulſerat, revocavit, & *Concilium* Mediolani indixit circa annum Chriſti 355. Convenerunt ex Oriente pauci, ex Occidente vero ad trecentos. Ipſe *Conſtantius*, qui ſe Dominum Orbis ferebat, Concilio præſedit cum militibus, ac *Athanaſium* accuſavit, perque milites vim adhibuit; nec paſſus eſt de fide agi, niſi *Athanaſius* damnaretur. Sed Orthodoxi ipſi vehementer reſtiterunt: ideo in exilium ejecti ſunt. *Liberium* Papa Romanus conſolatur exules: ideo ipſe etiam media nocte, ne tumultus fieret, abreptus Mediolanum deportatur, &, cum damnationi *Athanaſii* ſubſcribere nollet, in Thraciam in exilium ablegatur.

Anno C. 356. CONSTANTIVS Syrianum Ducem cum exercitu Alexandriam miſit, qui Athanaſium in Templo comprehenderent. Quare *Syrianus* Dux nocte quadam advenit inſtructus 5000 militibus armatis, & templum totum ita circumdederat, ut ne unus quidem inde evadere poſſe videretur. *Athanaſius* vero in cathedra ſua reſidens, juſſit Diaconum recitare *Pſalm.* 118. quo finito,

ut

ut abirent univerſi domum, mandavit. Circumdederat jam exercitus etiam ſacrarium, in quo erat *Athanaſius*. Adhortatus eſt ergo eum chorus, ut ſeſe ſubduceret. At ille noluit cedere, priuſquam omnes, qui aderant, incolumes evaſiſſent. Vt igitur diſcedere maturarent, rogavit. Cumque magna pars digreſſa eſſet, poſtremi de choro *Athanaſium* abduxerunt ſecum, atque ita, neque Duce, neque militibus animadvertentibus, ille elapſus eſt *Athanaſius in Apolog.* ita de ſe ſcribit: *Teſtor veritatem, per milites, quorum aliqui ſacrarium cingebant, alii per templum oberrabant, inoffenſe tranſivimus, Domino Duce & Protectore, nihilque illis ſentientibus elapſi ſumus.*

Athanaſius ita miro modo evaſit: cæteri vero Epiſcopi in tota Ægypto, Libya, & Pentapoli ſedibus ſuis ejecti, & Ariani ſubſtituti ſunt. Imperator autem *Conſtantius Athanaſium* toto orbe profugum nuſquam delitescere patiebatur, ad eumque inquirendum exploratores miſit, ampliſſimis pronunciatis præmiis, ſi quis vivum maxime, ſin id minus, caput ejus certe attuliſſet. Quapropter & in puteo aquam non habente, & in quo Solem nunquam adſpicere poterat, ſex continuis annis ipſum latuiſſe, *Ruffinus* & *Sozomenus* authores ſunt: donec ab ancilla, quam muneribus exploratores pellexerant, indicatus; ſed DEO mouente, latebras mutavit. Mortuo autem *Conſtantio*, ad Eccleſiam ſuam rediit. *Theodor. lib.* 3. *cap.* 8. *Euſebius hiſtor. Eccleſ. lib.* 10. *cap.* 24. *Nicephorus lib.* 9. *cap.* 34. & *lib.* 10. *cap.* 19. *Ruffinus lib.* 1. *cap.* 18, 19. *Sozomenus lib.* 4. *cap.* 20. *Baron. Hiſtor. Magdeb. cent.* 4. *cap.* 3. *Socrates lib.* 1. *Tripart. lib.* 4. *cap.* 2, 3, 4, 5.

Cum *Athanaſius* primum A. C. 336. in Gallias relegaretur, ipſi Epiſcopus non eſt ſurrogatus, cum non ut exul dimitteretur, ſed ne aliorum Epiſcoporum inſidiis tolleretur. A. C. 336. à *Conſtantino* Iuniore Eccleſiæ Alexandrinæ reſtitutus eſt. A. C. 341. Epiſcopatu iterum depoſitus eſt. In locum ejus juſſu Imperatoris *Conſtantii* obtruſus Alexandrinis *Gregorius* quidam, peregrinus & exterus homo, neque Alexandriæ baptizatus, neque plebi cognitus, neque à Presbyteris poſtulatus. Hunc Euſebiani Epiſcopum creârunt Antiochiæ triginta ſex ſuffragiis; atque inde deduxerunt Alexandriam non cum Presbyteris aut Diaconis civitatis, ſed cum militibus *Conſtantii*, iiſque ut plurimum Ethnicis. Hi irruerunt in Eccleſiam, in qua *Athanaſii* Auditores pii ad exercendum cultum divinum convenerant. Ibi ab immiſſo exercitu mactati ſunt alii, pedibus alii obtriti; multi in carcerem conjecti, multi in exſilium miſſi. Virgines (ſacræ) denudatæ: multi item ſpoliati: ſacra myſteria (i. e. ſacri calices & ſimilia) ab Ethnicis direpta & in terram abjecta ſunt. Sic igitur in ſedem Alexandrinam *Gregorius* collocatus eſt.

Epiſcopos per Ægyptum *Gregorius* alios virgis cædi, alios duriſſimis vinculis conſtringi: alios (inter quos *Sarapamnon* fuit, confeſſor olim ſub Ethnicorum Imperatorum perſecutionibus) in exſilium mitti curavit: quoſdam flagris cæſos uſque ad mortem ad metalla damnavit. POTAMEN, & ipſe olim confeſſor, qui altero oculorum in perſecutione orbatus fuerat, juſſu *Gregorii* plagis ita conciſus, ut pro mortuo ſit abjectus, tandem vero ſpiritu per fomenta recollecto, paullo poſt ex dolore & plagis mortuus eſt.

Alia impreſſio militum trium millium facta eſt in templum Chriſtianorum orthodoxorum ipſo die Paſchatis: in qua vim atrocem fœminæ & pueri paſſi: plurimi interfecti, virgines denudatæ, corporaque interfectorum ſepulturæ reddi negata, & canibus objecta ſunt. Anno Chriſti 348. *Athanaſius* ad Eccleſiam Alexandriam reverſus eſt; Priuſquam autem rediret, *Grogorius* Tyrannus intruſus ille Epiſcopus ab Auditoribus trucidatus eſt. *Sozomenus lib* 3. *cap.* 7. & *lib.* 4. *cap.* 4. *Athanaſius apol g.* 2. *Item in Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes. Hiſtor. Magdeb. cent.* 4. *cap.* 11.

A. C. 356. (uti ex præcedentibus patet) *Athanaſius* iterum ab Epiſcopatu ejectus eſt, ipſi ſurrogatus *Georgius* natione Cappadox. In hoc homine non fuit laudabile quicquam, nihilominus tamen *Conſtantius* Imperator eum magni faciebat: Itaque Epiſtola Imperatoris Alexandrinis fuit commendatus. Cum Alexandriam veniſſet, tyrannidem atrociſſimam & immenſam in orthodoxos exercuit, cum ſocio atque exſecutore ſuæ impietatis & crudelitatis, *Sebaſtiano* duce. Hic nebulo tandem juſtas tyrannidis pœnas dedit. Mortuo enim *Conſtantio*, Ethnici (quos etiam maxime exagitarat) eum vinculis conſtrictum in carcerem injecerunt, & poſtea trucidarunt. Sic malus & impius per malos & impios homines punitus eſt *Theodoretus l.* 2. *c.* 14. *Sozomenus l.* 4. *c.* 10. & 30. *Socrates l.* 3. *c.* 2. *Nazianzenus.*

VII. Præter *Athanaſium*, juſſu *Conſtantii*, multi Chriſtiani & orthodoxi Epiſcopi in exilium ejecti.

1. Cum *Euſebius* Epiſcopus Nicomedienſis mortuus eſſet anno C. 342. *Paulus* patria Theſſalonicenſis, (vir veræ pietatis amantiſſimus, & Nicenæ fidei aſſertor ſtrenuus, & periculorum contemtor: unde Arianorum rabiem in ſe concitavit) Epiſco-

piſcopus in ejus locum creatus eſt. Id indigne ferens Imperator, convocata Synodo, *Paulum* ab Epiſcopatu depoſuit: huic ſucceſſor datus eſt *Euſebius* Nicomedienſis Arianus, cujus ſupra in hiſtor. *Conſtantini Magni* mentionem fecimus. Hoc vero *Euſebio* (nebulone peſſimo) tandem defuncto, Orthodoxi *Paulum* in Eccleſiam reduxerunt. Quo cognito, *Conſtantius Hermogenem* prætorem cum copiis militaribus Conſtantinopolin miſit, ut *Paulum* Epiſcopatu dejiceret, & *Macedonium* (quem Ariani in Epiſcopum Conſtantinopolitanum ordinarunt) in ejus locum in Eccleſiam introduceret. Ob id tota civitas perturbata, & ſeditio orta eſt. *Hermogenes*, militari manu aſſumta, ædes *Pauli* circumdedit & incendit: ſubduxerat autem ſeſe ex ædibus: populus vero efferatus hoc facto, *Hermogenem* occidit. Imperator igitur *Conſtantius* iratus Conſtantinopolin properat, & non tantum *Paulum* Conſtantinopoli ejicit, ſed & urbem dimidio frumenti, quod civibus in ſingulos annos erogabatur, medimnis ſcilicet Atticis quadringentis mille, mulctavit.

Anno C. 343. *Paulus* Epiſcopus Romam profugit, ubi convocatis Epiſcopis decreto Iulii Papæ in Epiſcopatum Conſtantinopolitanum reducitur. Imperator mittit *Philippum* Prætidem, proximæ poſt ipſum (Imperatorem) authoritatis, ut illum rurſus urbe ejiceret, & Macedonium Epiſcopum conſtitueret. Philippus, metuens motum populi, *Paulum* humaniter invitat ad balneas, ſimulans ſe neceſſariis de rebus cum ipſo collocuturum. Venit *Paulus*: Edictum Imperatoris *Philippus* oſtendit, eumque clam per fores occultas educit, ac navi, ad id adornata, exulatum Theſſalonicam mittit. *Philippus* igitur Macedonium, Arianum Epiſcopum, militari manu in Eccleſiam inducit. Homouſiani (qui recte de Chriſti divinitate ſentiebant) prohibent ingreſſum, in locis anguſtioribus. Milites vero ſtrictis gladiis perrumpunt, protritis, cæſis & oppreſſis hominibus 3150.

A.C. 348. *Paulus*, cum *Conſtans* Imperator id impetraſſet a fratre, Conſtantinopolin rediit, & receptus eſt. Mortuo autem *Conſtante*, *Paulus*, Arianis acriter reſiſtens, ferro vinctus à *Conſtantio* Imperatore iterum in exilium relegatus eſt, & in Cucuſo Cappadociæ, circa deſerta montis Tauri, ab Euſebianis (Arianis) in arctiſſimo & obſcuriſſimo loco recluſus, ibique relictus eo propoſito, ut ibi fame moreretur. Cum autem Euſebiani poſt ſex dies ad eum ingreſſi adhuc ſpirantem inveniſſent, cum ſtrangularunt. Corpus ejus poſt aliquot annos, Imperatore Theodoſio mandante, honorifice Conſtantinopolin eſt tranſlatum. *Sozomenus lib. 3. cap. 3. & 4. & 7. Socrates lib. 2. cap. 12. Hiſtor. Magdeb. cent. 4. cap. 3. & cap. 10. & 11. Athanaſius.*

2. LUCIUS Epiſcopus Adrianopolitanus Nicenæ fidei aſſertor conſtantiſſimus a *Conſtantio* Imperatore in exilium ejectus Romam venit, & ab Epiſcopo Romano Iulio ad Eccleſiam ſuam remiſſus eſt. Sed non diu ea felicitas duravit. Cum enim Imperator *Conſtantius* (occiſo fratre Conſtante) ſolus rerum potiretur, Ariani, freti patrocinio *Conſtantii*, graviſſimam in Orthodoxos perſecutionem moverunt, in qua *Lucius* ab Arianis catenis vinctus, inque carcerem detruſus, vitam finivit. *Socrates l. 2. c. 15. & 26. Sozomenus l. 3. c. 8. 12. & 23. Item l. 4. c. 2.*

3. EUTROPIUS Adrianopolitanus Epiſcopus, fidei profeſſione ſincerus, Chriſti amantiſſimus, Euſebium *Arianum* Epiſcopum acerrime oppugnavit, & per Adrianopolim tranſeuntes hortatus eſt, ne *Euſebii* illius impietati aures præberent. Irritatus itaque Imperator *Conſtantius* hoc pii viri zelo, & exacerbata *Conſtantii* conjux, una cum factione Arianorum, hunc Chriſti confeſſorem in exilium expulerunt. *Theodor. lib. 2. cap. 16. Athanaſius.*

4. LIBERIUS Pontifex Romanus A.C. 355. à Conſtantio relegatus eſt (de quo ſupra diximus.) Hic, cum Sirmii in Pannonia juſſu Imperatoris Concilium celebraretur, & nova Confeſſio ab Arianis cuderetur, ei ſubſcripſit, & inſuper in damnationem *Athanaſii* conſenſit. (OSIUS etiam, jam centenario major, ſubſcripſit, ſed in damnationem *Athanaſii* conſentire noluit.) Inde Romam reverſus, ſed quod ſubſcripſiſſet, & cum Arianis communicaſſet, non receptus eſt. *Athanaſius* eum excuſat, quod magis coacte, quam voluntarie peccaverit, ſiquidem Epiſcopi ſubſcribere à *Conſtantio* coacti, additis cruciatibus & tormentis. *Hiſtor. Eccleſ. Ruffinus l. 1. cap. 21. & 22. Theodoretus lib. 2. cap. 15. 16. & 17. Nicephorus lib. 9. cap. 33. Athanaſius.*

5. HILARIUS celebris ſcriptor Eccleſiaſticus, Epiſcopus Pictavienſis, anno C. 355. & alii, juſſu *Conſtantii* in exilium ejecti ſunt. *Sulpitius.*

6. De OLYMPIO in Thracia, pio viro, & Arianis infeſto, *Conſtantius* publico edicto mandavit, ut interimeretur. *Theodoretus. Socrates.*

Sed & alii multi Epiſcopi in exilium ſunt ejecti, quorum nomina, brevitatis ſtudio, omittenda cenſui. Hic adjungam duo notatu digniſſima exempla perſeverantiæ in orthodoxa religione, de *Sylvano* & *Euſebio Samoſateno.*

1. SYL-

1. SYLVANVS, *Conſtantium* tyrannum ad fidei orthodoxæ defectionem eum hortantem, ſibi mortem etiam minitantem, audiens: Poteſtatem quidem habes, inquit, nos puniendi: nos autem Patrum ſtatuta non deſtruemus. *Theodor. lib.* 5. *Eccleſ. cap.* 24.

2. EVSEBIVS *Samoſatenus*, cum nollet *Conſtantio* Imper. mittere decretum Arianorum contra *Melitum* factum: Imperator minatus eſt, ſe abſciſſurum dextram ejus manum. Quo audito *Euſebius* ambas porrexit, inquiens: Decretum non dabo, clarum Arianæ peſtis indicium. *Theodoretus in Tripart. hiſtor. cap.* 49. *lib.* 3.

Prodigia.

1. Sub *Conſtantio* poſt Synodum Antiochenam, in qua Athanaſius condemnatus fuit, ſecutus eſt terræ motus paſſim in Oriente, maxime vero Antiochiæ, quæ integrum annum concuſſa fuit. Nec dubitarunt pii & intelligentes viri, DEVM eo terræ motu puniviſſe Arianam impietatem, in Oriente graſſantem. Etiam in Berytho, Phœniciæ civitate, terræ motu majorem ejus oppidi partem corruiſſe, ſcribit Eutropius: eaque calamitate multos gentiles ita perterrefactos, ut Eccleſiam ſeu templum Chriſtianorum ingrederentur, & ſponderent, ſe Chriſtianos fore, ſi liberarentur. *Sozomen. lib.* 3. *cap.* 6. *Eutropius lib.* 11. *Tripart. lib.* 4. *cap.* 10. *Socrates lib.* 2. *cap* 10.

2. Graſſantem in Oriente Arianiſmum DEVS crebris terræ motibus ultus eſt. Itaque Dyrrachium urbs Dalmatiæ A. C. 342. terræ motu periit. Neocæſarea in Ponto terræ motu ſubverſa eſt: excepta Eccleſia & Epiſcopo, cæteriſque qui ibidem reperti ſunt. Roma eodem anno periculoſe toto triduo tremuit, & quædam in Campania urbes everſæ. *Cedrenus. Eutrop. Hieron. Oroſius l.* 7.

3. A.C. 359. Monſtrum natum eſt Antiochiæ, infans ore gemino, cum dentibus binis & barba, quatuor oculis & duabus auriculis. *Ammianus.*

4. Circa tempus mortis *Conſtantii* ingens fuit terræ motus, quo bona pars Conſtantinopolitanæ urbis concidit. Sunt qui aſſerant, etiam plures Orientis urbes eo tempore terræ motu horribiliter concuſſas eſſe: neque mirum: terra enim Arianorum blaſphemias ferre non potuit. *Eutrop. Honor.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

SUpra diximus, quod *Julianus* à *Conſtantio* Imper. Cæſar creatus & contra Germanos in Gallias miſſus ſit. Is igitur cum Gallias à Germanis liberaſſet, à militibus ſuis Auguſtus appellatus eſt. *Julianus* autem (ut erat vafer & aſtutus) per literas excuſavit ſe *Conſtantio*, & rogavit, ut ſibi ea dignitas confirmaretur, promittens, ſe ipſi non aliter, quam antea, cum Cæſar eſſet, obtemperaturum. *Conſtantius* autem, ea excuſatione non contentus, cum *Juliano* expoſtulavit, illique ſeſe opponere ſibi propoſuit. Idcirco è bello Perſico, quo tum erat occupatus, Conſtantinopolin rediit, ubi ſe curavit baptizari ab *Euzoio* Ariano. Inde movens, cum Tarſum in Ciliciam veniſſet, febricula tentatus eſt: quam excuti poſſe laboris itinere putavit: ſed cum morbus ingraveſceret, ſub Tauri montis radicibus efflavit animam, A.C. 361, die 3 Novembris, ætatis 45, cum imperaſſet cum patre annos 12, ſolus vero annos 24, & menſes fere ſex. *Socrates lib.* 2. *cap. ult. Ammianus. Zonaras.*

In hiſtoria Eccleſiaſtica *cent.* 4. *cap.* 3. de ejus morte ſic legitur: Cum autem inter Cappadociam & Ciliciam Mopſocrenis, quod eſt ad Mopſi fontes, eſſet, præ ſollicitudine apoplexia correptus, vitam finivit.

Nec *Conſtantius* perfidiam & impietatem ſuam perpetuo impune tulit. *Primum* enim infeliciter ei res bellicæ, quas in Oriente gerebat, ceſſere. *Deinde* ſub exitum vitæ miſere conqueſtus (uti *Nicephorus* teſtatur) quod fidem innovaſſet: (inconſtantia enim ſua in religionis negotio plurimum damni Eccleſiis dedit: novemque formulas fidei diſſimiles, annis 24 quibus imperavit, conſcriptas comprobavit.) Quam rem inter mala, quæ regno ſuo indigne accidiſſent, enumerabat. *Tandem* etiam in eo pœnitentiæ genitu, ac querelis, triſti ac violento morbo vita exceſſit, *&c.*

XLV. IMPERATOR, JULIANUS APOSTATA.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

I. PATER fuit CONSTANTIVS, frater *Conſtantini Magni.*

II. MATER fuit BASILINNA, quæ cum Conſtantinopoli genuit una cum fratre GALLO, circa annum Chriſti fere 331.

II. *Appellatio.*

1. NOMEN. Dictus eſt JVLIANVS. *Nazianzenus* inquit, cum dictum fuiſſe *Idolianum*, quod Idolorum templa à *Conſtantino Magno* clauſa aperuiſſet, eaque Ethnicis reſtituiſſet.

II. COGNOMEN. Cognomento dictus fuit APOSTATA, in lingua Arabica vocatur משלח, h.e. *Apoſtata*, quod à fide Chriſtiana, quam antea profeſſus fuerat, deſcivit, & prolapſus eſt TOTVS de TOTO in TOTVM.

1. TOTVS; Quia ſciens atque volens defecit tota mente atque voluntate, non coacte, ſed ſponte; neque ex ignorantia aut infirmitate, ſed ex deſtinata malitia, a DEO & vera religione ſe avertit.

2. De TOTO. Quia totum corpus doctrinæ cœleſtis, adeoque totum fundamentum fidei Chriſtianæ ſciens volenſque deſeruit, & malitioſe impugnavit.

3. In TOTVM prolapſus. Quia adeo obſirmavit animum ſuum, ut DEVM, Chriſtum, Spiritum S., Legem & Euangelium, omniaque ſalutis media, ludibrio expoſuerit, nullaſque ſalutares admoniciones admiſerit, ſed in propoſito ſuo uſque ad extremum vitæ halitum perſeverare præſumſerit.

Unde patet, eum peccaſſe in Spiritum S. Vide *Syſt. noſtrum Theolog. pag.* 132. Quare recte *Nazianzenus* (ſcribens in *Julianum* apoſtatam) eum comparat chamæleonti: Sicut enim chamæleon, inquit, facile variatur, omneſque aſſumit colores præter candidum; ita & ille ex Chriſtiano factus eſt Ethnicus: ineratque ei humanitas, ſed inhumana; ſuadelaque ejus nil aliud erat, quam violentia, & immanitatis excuſatione probitas, ut videretur jure ad violentiam confugere, cum perſuadendo nil proficere poſſet.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙ'Α,

Natura & Mores.

NAzianzenus quam primum JVLIANVM adſpexit, conjecturam de ipſius moribus & ingenio ſumſit. Cujus hæc ſunt verba in oratione 2. contra Gentiles, quam de eo ſcripſit: quæ etiam à *Socrate lib.* 3. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 19. referuntur: Fecit me vatem geſtuum ipſius deformitas, & ingens admiratio: ſiquidem optimus vates eſt, qui ex conjecturis optime ratiocinatur. Nequaquam vero mihi hæc boni hominis ſigna videbantur: Colli crebræ converſiones, humeri alternis ſubſultantes, oculi torvi, vagabundi, & furibundum quiddam contuentes, pedes inſtabiles, crebræ geniculationes. Naſus contumeliam & contemtum ſpirans, figura vultus derſionem ſignificans, quoquo modo variabatur. Riſus crebri altum crepantes; nutus, renutus ſine ſermone: ſermo interruptus, non complens ſententiam: interrogationes crebræ, confuſaneæ & ſtultæ: reſponſiones inconcinnæ, coacervatæ, inter ſe diſſidentes, & ſine ordine. Quis ſingula deſcribat? Talem vidi ante facta, qualem poſtea facta ipſa oſtenderunt. Et ſi adeſſent, qui tunc mecum fuerunt, & eadem viderunt, teſtes eſſent hujus meæ narrationis, qui meminerunt etiam, me edidiſſe hanc vocem: Οἷον κακὸν ἡ Ῥωμαίων ἀρχὴ τρέφει! h. e. Quantum & quale malum Romanum alit Imperium!

Recte igitur in eum quadrat dictum illud Salomonis *Proverb.* 6. *v.* 12, 13, 14, 15. Homo *Belial*, (vetus verſio habet, homo apoſtata) vir iniquus, graditur ore perverſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia ſeminat: huic extemplo veniet perditio ſua, & ſubito conteretur, nec habebit medicinam.

II. ACTA JUVENILIA.

1. JVLIANVS traditus fuit in pueritia educandus & erudiendus EVSEBIO Nicomedienſi Epiſcopo, à quo in vera religione informatus; quam etiam promto ſpiritu amplexus ac profeſſus eſt. Cumque ingenio valeret, ac eloquentiæ laude clarus eſſet, cito *Lectoris* officium in Eccleſia Nicomedienſi ipſi fuit aſſignatum. Interea cum privatim LIBANIVM (qui Chriſtianorum acerrimus hoſtis erat, & tunc Nicomediæ rhetor) in religione conſuleret, eumque prælegentem audiret: item *Jamblichum*, *Maximum Byzantium*, & alios Philoſophos Ethnicos: ab his pravis Præceptoribus depravatus, eorumque blanditiis deceptus, à mente ſana & vera religione abductus, & Ethnica religione imbutus & infectus eſt. Clam igitur poſt lectionem ſacrorum librorum, Philoſophorum ſcripta legit. Athenas vero miſſus, ſolos Philoſophos audivit; Unde apud *Ammianum Marcellinum* Græcus literio vocatur, quod nimius circa Philoſophorum diſputationes fuerit. Idem refert, quod milites Julianum appellarint ſpecie ſapientiæ ſtolidum, einen gelehrten Fantaſten.

2. *Julianus* in juventute ſua quoque magicas artes à Maximo Philoſopho Ethnico, & res magicas exercente, didicit, & juxta Magorum præcepta divinationum cauſa hoſtias humanas mactare cœpit: ſicut poſtea dicemus.

3. *Julianus*, puer ſedecim annorum, nomen inter clericos profeſſus eſt. teſtibus *Nazianzeno. Sozomeno lib.* 5. *cap.* 4. *Theodor. lib.* 3. *cap.* 4. *Ruffino lib.* 1. *cap.* 32. *Pompon. Læto. Egnat. Eutrop. Hiſtor. Magdeb. cent.* 4. *cap.* 3.

III. *ACTA OECONOMICA.*

UXOR ejus fuit HELENA, *Conſtantini Magni* filia, quam ipſi *Conſtantius* Imperator, cum ab eo Cæſar crearetur, in matrimonio junxit. Hanc autem *Conſtantini* conjux *Euſebia* in odio habuit, propterea quod ſteriliſ eſſet. Poculum igitur toxicatum ei porrexit, & perſuaſit, ſi illo uteretur, ipſam gravidam & fœcundam redditum iri. Quod & factum eſt: eventus tamen fuit infelix. Nam quoties gravida facta, toties abortum peperit. Tandem cum maritus ejus *Julianus* contra *Conſtantium* exercitum educeret in Thraciam, ex anguſtia partus deceſſit: Cadaver ejus Romam tranſlatum, & in ſuburbio ad plateam Nomantanam dictam ſepultum eſt.

II. *ACTA POLITICA.*

I. Imperii occupatio, *ejuſdemque* adminiſtratio.

1. *Julianus*, fratre ſuo GALLO (qui à *Conſtantio* Cæſar creatus erat) propter tyrannidem occiſo, in ejus locum electus, & à *Conſtantio* Imper. CÆSAR creatus eſt, & initio Principatus ſpem boni Principis de ſe præbuit: Unde ſimilis exiſtimatus *Tito*, ut frater *Gallus* Domitiano: ſucceſſibus etiam bellorum comparatus *Trajano*, clementia *Antonino*, moderatione *M. Aurelio*, literarum ſtudio magnis Philoſophis: & quod mirabile dictu eſt, poſtquam ſolus imperavit, populi Romani hoſtes omnes intra terminos ſuos ſe continuerunt: Sed poſtea vitiis atque flagitiis fœdiſſimis multiplices gloriæ curſus obnubilavit. Fuit autem *Julianus* collega *Conſtantii* ſexennio. Quare ab eo res geſtas eo temporis ſpatio breviter pertexemus.

MEMBRUM I.

Continens Acta ejus, cum eſſet Cæſar & Imperii ſocius.

1. Anno C. 355. JULIANUS à CONSTANTIO Cæſar electus, & in Galliam cum exercitu Kalend. Decembris miſſus eſt.

2. A. C. 356. *Julianus* cum Viennæ Galliæ hybernaſſet, Auguſtodunum venit die 24 Junii. Inde Brotomagum Germanoſque pepulit, & Coloniam Agrippinam reſtituit. Hinc Treviros profectus apud Senonas hybernavit, ubi per triginta dies obſeſſus à Germanis, ſed fruſtra. *Ammianus.*

Hoc anno S. MARTINUS Sabarienſis militiam ſub *Juliano* deſeruit, dictitans, ſe militaturum DEO. *Sulpitius.*

2. A. C. 357. *Julianus* ex hybernis egreſſus, Rhemos pervenit: *Barbatio* vero legatus *Juliani* in Rauracos iter inſtituit, interim Germani Lugdunum vaſtarunt, quos *Julianus* redeuntes & interceptos egregie ultus eſt. Inde tres Tabernas in Alſatia à Germanis vaſtatas inſtauravit. Barbatio vero à Germanis victus, & quod male cum Juliano conveniret ad Conſtantium abiit.

Menſe Auguſto GERMANORUM Reges ſex ad tres Tabernas conſederunt, quorum præcipuus fuit *Chonodomarius*. Eos *Julianus* aggreſſus vicit, & *Chonodomarium* ex fuga retractum cepit, Romamque miſit, ubi tandem morbo, caro, conſumtus eſt. Ceciderunt ex hoſtibus 6000. præter eos qui in Rheno ſubmerſi ſunt. Romanorum ultra 200. Poſt victoriam *Julianus* Moguntiam ſe recepit, & Mœnum tranſgreſſus, viciniam vaſtavit, idque poſt æquinoctium. Ibi Germani pacem petiverunt, & inducias impetrarunt decem menſium. Interim *Julianus* quædam caſtella, quæ ad Moſam munita à Germanis erant, obſedit, media hyeme, & deditione accepit: reliquum exegit Pariſiis. *Ammianus.*

4. JULIANUS cum hyemem Pariſiis exegiſſet anno Chriſti 358. ante *Julium* adhuc menſem, cum exercitu ad Francos perrexit, qui *Salii* vocantur: ſed incidit in maximas difficultates, cum commeatuum ratio haberi non poſſet. Ponte igitur perfecto, cum Rhenum tranſiſſet, occurrit Regi Francorum; qui pacem petiit, & commeatum obtulit. *Id.*

5. A. C. 359. *Julianus* ne provincias tributo exhauriret operam dedit, horrea præparavit, & munivit contra Germanos civitates ſeptem, inter quas fuerunt NOVESIUM, BONNA, BINGIUM, &c. Inde ponte perfecto Rhenum tranſiit, contra hoſtes movit, eoſque in deditionem accepit. *Ammianus.*

6. A. C. 360. cum *Britanni* tumultuarentur, ad eos compeſcendos Julianus miſit *Lupicinum*: & *Urſicinus* Dux præſtantiſſimus calumniis oppreſſus, & à militia remotus eſt. *Idem.*

Hoc anno CONSTANTIUS expeditionem adornavit in Perſas, & propterea miſit in Gallias, & evocavit fortiſſimos Centuriones & milites, præcipue Germanos & Gallos, qui cum inviti trans Alpes in Orientem proficiſcerentur, mota ſeditione Julianum Auguſtum proclamarunt. JULIANUS autem hæc ad Conſtantium perſcripſit, ſibique ignoſci petivit. Verum *Conſtantius* ea excuſatione non contentus id ægerrime tulit, juſſitque ut intra poteſtatem Cæſaris ſe contineret. *Ammianus.*

JULIANUS interim in Francos movit, quos inve-

invenit valde ſecuros, quaſi nemo cum exercitu ad ſe in tanta viarum aſperitate accedere poſſet; ſed Julianus eos vicit, & ad Rauracos pervenit. *Idem.*

7. A. C. 361. *Conſtantinus* Imp. miſit præſidia in Africam contra Julianum, & Germanos inſtigavit, ut Juliano rebellarent, ne ex Gallia diſcedere auderet. *Julianus* contra, cum melius ſibi videretur, aperte inimicitias *Conſtantio* denunciare, quam ipſi amicum eſſe, mota ſemel re, ne, ſicut frater GALLVS, tolleretur, pacata primo vere Germania, exercitum in multas partes dividit, & diverſis viis in Illyricum & Thraciam tendit. In itinere ad diverſas civitates miſit literas, in quibus vituperavit *Conſtantium*, eoſque hortatus eſt, ut ſibi fideles eſſe velint: interim duæ legiones, memores fidei datæ *Conſtantio*, Aquileiam occuparunt, eamque contra Julianum defenderunt. *Julianus* igitur eam obſidendam ſtatuit, ſed obſeſſi magna cum clade obſidentium ſe fortiter defenderunt. *Conſtantius* cum audiiſſet, *Julianum* Italiam prætergreſſum, & jam appropinquare Thraciæ, copias contra eum ducere decrevit, ſed in itinere mortuus eſt; ſicut in hiſtoria ejus in cap. 3. diximus.

MEMBRVM II.

Continens Acta ejus, cum imperaret ſolus, aut ad Imperium adſpiraret.

JVLIANVS mortuo *Conſtantio* ſolus Imperium adminiſtravit annum unum, & menſes ſeptem.

1. JVLIANVS ſemper in animo ſecum verſans Imperium & Imperatoriam Majeſtatem, de ea re paſſim per Græciam occulte vates conſuluit. Quinquennalia edens, ambitioſo diademate uſus eſt, gemmarum fulgore diſtincto. Cum initio principatus coronam vilem geſtare conſueviſſet, ſe *Conſtantii* hoſtem aperte profiteri cœpit. *Sigonius lib. 6.*

2. In bellum contra Perſas profecturus, interminatus erat, ſe Galilæos (ita Chriſtianos nominabat) poſt victoriam de Perſis relatam funditus everſurum. Quibus verbis ſuperbiam ſuam declaravit, & ante victoriam triumphum cecinit. Potius enim conſiderare debuiſſet dictum illud Regis *Achabi*, qui ad *Benhadad* Regem Syriæ ipſi minitantem inquit: Non glorietur *accinctus* æque ut *diſcinctus*. 1 *Reg.* 20. *v.* 11. *Luth.* Der den harniſch anlegt / ſol ſich nicht rühmen / als der ihn hat abgeleget.

Senſus hujus adagii eſt: Qui arma induit pugnaturus, non ita glorietur, ac ſi victoria parta illa deponeret. Nam *Accinctus* eſt, qui arma induit, ad pugnam ſe comparaturus. Hic gloriari nondum poteſt, quia adhuc incertus eſt belli eventus. *Diſcinctus* eſt, qui parta victoria, ſalvus & incolumis ex pugna rediit. Hic gloriari poteſt, lætuſque prædam dividit.

Graphico igitur hoc adagio *Achabus* adverſarium ſuum *Benhadad*, jactabundum, modeſtiæ vult admonere, quod nemo ante victoriam triumphum debeat canere. Quia victoria ſit ἀμφίδοξον, h. e. dubia & anceps, quæ modo in hanc, modo in illam partem inclinet, (uti *Homerus* novo verbo Martem vocat, quod ſubinde partes mutet) vel, ut *Joabus* inquit per nuncium ad Regem David, 2 *Samuel.* 11. *v.* 25. Nunc hunc, nunc illum conſumit gladius. Unde idem Homerus diverſis in locis victoriam vocat *νίκλω ἐπαμοιβαίην*, h. e. victoriam alternam, h. e. alternatim, nunc his, nunc illis obtingentem. Et à veteribus *Bellum* vocatur *creperum*. Quia

Partem ad utramque volat dubiis victoria pennis.
Ovid.

vel

Ancipiti quoniam bello turbatur utrinque.

Etenim leviſſimus ſæpe atque inopinatus caſus ex victo victorem, & ex victore victum exercitum reddit: Et nunquam minus, quam in hoc eventus reſpondet. Incerta eſt fortuna pugnantium, priuſquam ad ſummum perveniatur. ſicut ex hiſtoria Achabi patet. Hoc autem *Achabi* adagium ſi *Julianus* obſervaſſet, non adeo criſtas erexiſſet, nec tam graviter à Deo punitus fuiſſet: ſicuti in cap. 3. dicemus.

3. *Simile inſolentiæ* exemplum eſt, quando JVLIANVS gloriatus fuit, Alexandri Magni *animam* in ſe ſucceſſione quadam immigraſſe. Hic merito exclamare poſſimus cum Salomone, ex Eccleſiaſte cap. 1. verſ. 2. *O vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

VSVS.

Hoc notare debebant *Pontificii*, qui fingunt, non interruptam Epiſcoporum & Pontificum Romanorum ſucceſſionem eſſe Eccleſiæ notam. Quibus recte reſpondet *Chriſtoph. Agric.* cum contra *Piſtorium* ſcribit p. 1. *Quoties ſucceſſionem appellas, toties ſeceſſionem te dicere, ſancte aſſevero.* Ac *Nicolaus Vignierius* in Apol. pro Venetis contra Papam huc accommodat, quod hodierni Pontifices Romani merito comparentur *Vibio Ruffo*, de quo *Xiphil* in vita Dionis refert, *quod in ſella Julii Cæſaris ſedens gloriatus fuerit, ſe propter illam ſellam eſſe Cæſarem.* Itemque JVLIANO Imperatori, *qui Alexandri Magni animam in ſe ſucceſſione quadam immigraſſe fingebat*, cum illi, eadem phrenetide laboran-

borantes, propter *Petri* cathedram Eccleſiæ Monarchas ſe eſſe glorientur, & *Petri* animam quaſi ſucceſſionis quodam jure in ſe habitare ſibi perſuaſerint.

Deinde dicimus, quod *ſucceſſio* ſit *duplex: una* quidem *locorum & perſonarum; altera doctrinæ. Illam* vocare poſſis *externam*, hanc vero *internam* Succeſſio locorum & perſonarum eſt accidens quoddam externum & mutabile, nec quicquam valet abſque doctrinæ ſucceſſione, doctrinæ autem ſucceſſio eſt veræ Eccleſiæ propria. *Perſonæ alia in aliorum locum ſubeuntes non faciunt ſucceſſorem, ſed perpetuus doctrinæ conſenſus, qui fidei vinculo poſteriores prioribus conjungit*, ut recte ſcribit *Gallaſius in Comment. lib. 3. Irenæi cap. 3.* At talis ſucceſſio doctrinæ in Papatu non eſt, ſicut alibi demonſtravimus.

QUÆSTIO.

Q. An milites *Iuliani Apoſtatæ* recte fecerint, quod in aciem contra Chriſtianos progredi ab Imperatore juſſi, arma depoſuerint.

Aff. Nam obedientia Magiſtratui à ſubditis debita, certos ac determinatos habet limites. Obediendum eſt Magiſtratui uſque ad aras. hoc eſt: In omnibus rebus ſubditi obedientiam Magiſtratui præſtare debent, quæ non pugnant contra Deum, conſcientiam & proximi caritatem. Quando autem quicquam præcipit, quod eſt contra Legem Dei, & naturæ, h. e. contra pietatem & honeſtatem, tum illi neutiquam obtemperandum eſt. Id quod probatur 1. *Expreſſis S. Scriptura dictis.* 2. *Exemplis.*

I. DICTA.

1. *Actor. 5. verſ. 29. Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.*

II. *Matth. 22. verſ. 21.* inquit Chriſtus: *Date quæ Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.* Vbi in priore membro diſerte exprimitur, quid Cæſari dandum ſit: videlicet quod eſt Cæſaris: ac poſterius membrum limitat prius, ita dandum eſt Cæſari, quod eſt Cæſaris, ut tamen quod Dei eſt, Deo relinquatur. Quod ſi ergo *Cæſar*, ea quæ Dei ſunt, ſibi arrogat, h. e. quando contra Deum vel pietatem, vel honeſtatem aliquid præcipit, non eſt ei parendum. Nam duplex eſt hominis obligatio: (uti ex verbis Chriſti patet) Altera eſt *ſuperior*, qua quilibet in ſua conſcientia Deo ſoli obſtrictus eſt, adeo ut ejus mandata & voluntatem omnium hominum mandatis præferre debeat: Altera vero eſt *inferior*, qua Magiſtratui & Parentibus homo devinctus eſt. quæ tamdiu rata eſt, quamdiu Mandata Dei & Magiſtratus conſentiunt: Si autem hi aliquid contra Dei mandata præcipiunt, tum negligendi ſunt. *Matth. 10. v. 27. Luc. 14. v. 26.*

II. EXEMPLA.

I. *Obſtetrices Ægyptiacæ* timebant Deum, & nolebant exſequi mandatum Regis Pharaonis, de infantibus Ebræorum in flumen projiciendis eis datum. *Exod. 1. v. 17.*

II. *Parentes Moſis* infantulum tribus menſibus, *Exod. 2. v. 2.* occultarunt, contra mandatum Regis. Id quod fidei tribuit Epiſt. ad *Hebr. c. 11. v. 23. Fide Moſes natus occultatus eſt menſibus tribus à parentibus ſuis, eo quod vidiſſent, elegantem infantem; & non timuerunt edictum Regis.* h. e. credebant, Deum & ipſos, & infantulum conſervaturum, ideoque una cum puero periclitari, quam in Deum & puerum peccare maluerunt.

III. *Satellites Saulis* impii Regis recte fecerunt, quod noluerint etiam juſſi à Rege extendere manus ſuas in Sacerdotes Domini innocentes. 1 *Samuel. 23. verſ. 17.*

IV. *Tres ſocii Danielis*, Sadrach, Meſach, & Abednego, ſtatuam Nabuchdonoſoris adorare nolebant. *Daniel. 3. v. 18.*

V. *Daniel Propheta* contra Regis Darii mandatum feneſtris apertis orat. *Daniel. 6. v. 10.*

VI. *Mulier Ebræa* una cum ſeptem liberis mori maluit, quam juſſu Antiochi contra legem Divinam carne ſuilla veſci. 2. *Macc. 7.*

VII. *Apoſtoli* cum à Concilio Ieroſolymitano in Chriſti nomine loqui ac docere prohibiti eſſent, cordate ei reſpondent: *Si juſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate.*

VIII. *Hermiſdas*, Perſa nobilis, qui cum à Rege Gororane juberetur negare Deum Chriſtianorum, reſpondit: Nec juſtum, nec utile, præcipis, Rex: Nam qui docetur, ut Deum omnium facile contemnat, ac neget, facillime quoque ſpernit Regem. *Hiſtor. Tripart. lib. 10. cap. 31.* Tandem decollatus eſt.

Referenda huc exempla omnium Martyrum, qui exquiſitiſſima ſupplicia maluerunt ſubire, quam à veritatis confeſſione diſcedere.

IX. Ita quoque *Milites Iuliani* recte fecerunt, quod, ab eo in aciem contra Chriſtianos progredi juſſi, arma depoſuerint. Hac de re Auguſtin. in enarr Pſalmi 124. ita ſcribit: *Julianus*, inquit, *exſtitit infidelis Imperator. Nonne exſtitit Apoſtata, iniquus idololatra? Milites Chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli. Vbi veniebatur ad* CAUSAM CHRISTI, *non agnoſcebant, niſi illum, qui in cœlo erat, quando volebat, ut idola colerent, ut [illegible] ſacri-*

rificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat: Producite aciem, ite contra illam gentem, ſtatim obtemperarunt. Diſtinguebant Dominum æternum à Domino temporali, & tamen ſubditi erant, propter Dominum æternum, etiam Domino temporali.

ACTA OECONOMICA.

Triplex IVLIANI in ſtatu Eccleſiaſtico fuit ſtatus ſive habitus. Quemadmodum enim *Bonifacio VIII*, Pontifici Romano, tale Epitaphium in honorem (ſcilicet) erectum eſt: Intravit ut VULPES, regnavit ut LEO, exivit ut CANIS: idem etiam epitaphium IVLIANO Apoſtatæ merito erigi poteſt. Nam I. Intravit ut VULPES, 1. *Chriſtianum ſe ſimulando.* 2. *Chriſtianis inſidiando.*

II. Regnavit ut *Leo*, 1. *Blaſphemias evomendo.* 2. *Chriſtianos perſequendo.*

III. Exivit ut CANIS, tragicum exitum ſortiendo. de quo in cap. 3. dicemus.

I. Intravit ut *Vulpes.*

1. CHRISTIANVM SE SIMVLANDO. Nam initio facilem ſe omnibus præbuit, & ut Chriſtianus videri ac haberi poſſet, (cum tamen jampridem occulte à vera religione deſciverat) in feſto Epiphaniæ Chriſtianorum templum ingreſſus eſt, & nomen Chriſti ſolenniter invocavit. Omnibus, qui à *Conſtantio* propter religionem ſinceram exilio mulctati fuerant, reditum ad ſuos conceſſit, & tam Arianos quam orthodoxos in ſedem ſuam reſtituit, eoſque convocatos concordiæ admonuit: *Audite me*, inquit, *quem audiverunt Alemanni & Franci.* Proſcriptis bona ſua reddidit, populo denunciari curavit, ne quem Chriſtianorum læderent, aut contumelia afficerent. Omnium inde benevolentiam ſibi conciliare ſtuduit, omneſque ſibi beneficiis devinxit. *Ammianus, Socrates, & alii.*

II. CHRISTIANIS INSIDIANDO. Ne autem IVLIANVS Tyrannus aut crudelis haberetur, aliam prorſus viam à ſuperioribus Imperatoribus in perſequenda Eccleſia tenuit. *Illi* non magis ſanguinem Chriſtianum miſerabantur, quam lanii pecudes. *Hic* vero, etiamſi illos malo animo & tyrannico æquaret; morbum tamen ficata manſuetudine ita diſſimulare ac tegere ſcivit, ut ab Hiſtoricis & Politicis hominibus in numero bonorum, & moderatorum Principum ſit poſitus. Vti teſtatur *Iohannes Spinæus p.* 137. Nam

1. *Gentilitiam religionem* propagaturus, externam Eccleſiæ Chriſtianæ formam infeliciter æmulari allaboravit. In quo autem IVLIANVS ſimia Chriſtianorum fuerit, clare indicat *Nazianzenus*, dum ait *Orat. 1. in Iul. tom. 1. edit. Pariſ. pag.* 101, 102. IVLIANVS quidem (inquit) ſcholas in omnibus civitatibus, & ſacraria ſubſelliaque, partim altiora, partim humiliora, exſtruere parabat: profanorum etiam dogmatum lectiones & explicationes inſtituere, tam quæ mores componerent, quam quæ in abſtruſiorum rerum tractatione verſarentur: tum precationum alternatim canendarum formam, ac ſupplicii in eos qui peccarent, pro delicti modo conſtituendi: imitationum item & perfectionis, atque omnia quæ noſtræ haud dubie diſciplinæ ſunt: diverſoria etiam & hoſpitales domos ædificare: monaſteria item & Virginum cœnobia inſtaurabat, quæ videlicet ille in noſtris rebus præſertim admiratus fuerat.

2. IVLIANVS Sacerdotibus ſuis paganis mandavit, ut ad ſpectacula procederent: ne in tabernis biberent: nec ullis artibus aut operibus turpibus vel impudentibus præeſſent. Hoc fuco ſperavit impiiſſimus apoſtata, ſe effecturum, ut Chriſtiani brevi tempore omnes gentiliſmum amplecterentur.

3. *Sed & alium* dolum excogitavit. Cum enim Imperatores Calendis Romanis ſolerent milites remunerare, & aurum illis diſtribuere: IVLIANVS curavit, juxta thronum, cui inſidebat, aram cum prunis, & in propinquo thus poni. Et qui *Imperatori* adſtabant, admonebant accedentes milites, ut aliquid thuris aræ imponerent. Id cum quidam feciſſent, nec intellexiſſent, hoc à Iuliano in honorem Deorum ſuorum inſtitutum fuiſſe, in convivio admoniti ſunt à ſodalibus, quod fruſtra Chriſtum invocarent, qui, adolendo thus, Servatorem ſuum abnegaſſent. Ibi milites illi Chriſtiani deplorabant ſua peccata, & ad Imperatorem procurrentes aurum acceptum abjiciebant: poſtulantes, ut aurum ſuum reciperet: ſe pro peccato ſuo, quod manu, non mente admiſiſſent, paratos eſſe propter Chriſtum mori. Indignatus *Imperator*, non quidem eos occidit, ne martyrii honorem conſequerentur: Sed tamen eos à militia excluſit, & palatio expulit. Fuit inter hos milites quidam nomine ROMANVS: hic cum Iuliano fraudem ſupra commemoratam graviter objeciſſet, ſententiam mortis accepit. Cum autem carnifex jam gladium exſeruiſſet, nuncius vero, ab Imperatore Iuliano miſſus, Carnificem inclamaret, ne feriret. ROMANVS iratus dixit: Scilicet *Romanus* dignus non fuit, qui Chriſti martyr diceretur. *Sozom. lib. 5. cap. 17. Theodoretus lib. 3. cap. 16. Hiſtor. Eccleſ.* A tormentis enim (uti ſupra diximus) & atrocioribus coactionibus aliquandiu abſtinuit propter ea: 1. Ne *Tyrannus*

nus aut *crudelis* haberetur. 2. Quod ex præcedentibus *Diocletiani* perſecutionibus didicerat, Chriſtianam religionem per martyria majorem ſplendorem & incrementa accepiſſe. Ratus ſe hac ratione paganiſmum facilius omnibus perſuaſurum. Vnde *Nazianzenus* ita de eo ſcribit: *Illud*, inquit, *in illo admodum pravum & malignum, quod cum nec aperte nos in ſervitutem pertrahere poſſet, nec tyrannice cogere præ pudore vellet, leonina pelli vulpinam, aut ſi mavis, Minois larvam prætendens, leniter vim adferebat.*

Et alio in loco inquit: *Iulianus ſuæ perſecutioni miſcuit perſuaſionem, ideoque ſuperioribus fuit nocentior & perniciosior, & ut Idolorum cultus ſuſciperetur, honoribus magis homines provocare, quam tormentis cogere ſtuduit, non tam Chriſtianorum corpora occidens, quam vaferrimis technis ex eorum cordibus Chriſtum evellere tentans.*

II Regnavit ut *Leo*.

1. BLASPHEMIAS EVOMENDO. Poſtea IVLIANVS ſe aperuit, ac hoſtem Chriſtianorum acerbiſſimum præſtitit, os in cœlum poſuit, & altiſſimo maledixit. *Pſal.* 73. Nam

1. In numiſmate Symbolum fecit: IOVEM, diadema ipſi imponentem; PALLADEM ipſi circumdantem chlamydem: MERCVRIVM, ipſi tribuentem ſceptrum. Quo Symbolo SS. Trinitatem cavillati voluit.

2. Eodem modo dedit operam, ut in publicis imaginibus juxta ipſum IVPITER depingeretur, velut è cœlo apparens, coronam & purpuram, quæ ſunt Imperii inſignia, ipſi præbens, MARS item & MERCVRIVS in eum intuentes, & tanquam obnutu oculorum teſtificantes, quod vir eſſet, tum in dicendi arte, tum in re militari ſpectatus. *Sozomenus l.* 5. *Hiſtor. Eccleſiaſt. c.* 16

3. CHRISTVM *blaſphemavit*, quando eum per contumeliam GALILÆVM & *Nazarenum* appellavit. *Theodoretus & Caſſiodorus in Tripart. hiſtoria.*

4. CHRISTVM *mendacii arguere voluit* Nam Iudæos accerſivit, ut ſuam politiam in odium Chriſtianorum inſtaurarent, eiſque defenſionem & immunitatem promiſit. Iudæi ergo confluxerunt, templumque Iudaicum Hieroſolymis ædificare cœperunt: Poſtquam autem fundamenta jacerent, magno & horribili terræ motu inter fulmina totum opus diſjectum eſt, & multa millia Iudæorum ruinis oppreſſa ſunt. Cum vero illi terræmotu & fulmine repulſi, de novo magno animorum ardore rurſus ædificationem aggrederentur, horrendi flammarum globi è fundamentis erumpentes, exuſtis aliquoties operariis, locum illum fecere inacceſſum. Acceſſerunt & alia prodigia, quibus Iudæi ab opere cœpto repulſi ſunt atque deterriti. *Ruffinus lib.* 1. *cap.* 28. *Socrates lib.* 3. *cap.* 22. *Theod. lib.* 3. *cap.* 20. *Sozomenus lib.* 5. *cap.* 22. *Zonar. Nicephorus, & alii.*

5. *Verba Decalogi cavillatus eſt.* Nam ex verbis Decalogi, quibus Deus vocatur *Zelotes*, ſic argumentatur apud *Cyrillum pag.* 107.

1. Homo *zelotes* & invidus reprehenſione dignus eſt. Quomodo igitur zelotypiâ Deo tribui poteſt?

11. Si Deus verus eſt *zelotes*, quomodo paſſus eſt in genere humano alios coli Deos? Nam ſi ipſo invito culti ſunt, non eſt omnipotens: Si volente, non eſt abominanda gentium ſuperſtitio.

Sed reſpondet *Cyrillus*, Deum quidem ab omni paſſione alienum & immutabilem eſſe, ſed æternam illam diſplicentiam & odium peccati appellari zelum, appellatione petita ab humano effectu, averſante antea dilectam cum indignatione: Ita hac voce notatur Dei amor erga ſuos, & odium adverſus peccatores. Etſi autem Deus odit Idololatriam, eandem tamen certo conſilio voluit toleravit, voluntate nimirum conſequente & judiciaria, vindicante hominum ſpontaneam à vero Deo ἀπατιαν, cæcitatem & amentiam, ut *Rom.* 1. *v* 24. Hinc *Paulus Act.* 14. *v.* 16. ait, Deum præteritis ætatibus dimiſiſſe omnes gentes ingredi vias ſuas: & *Act.* 17. *v.* 30. diſſimulaſſe tempora ignorantiæ, quia videlicet gentes fœdere deſponſationis cum Deo ante multa ſecula exciderant. Id Eccleſiæ Iudaicæ & Iſraëliticæ exemplo patet, quæ quia fœdere circumciſionis Deo erat obſtricta, quamprimum ad Idola deflexit, fame, bellis & ſervitute oppreſſa fuit: ut hiſtoria Iudicum & Regum teſtatur.

6. *Calumniatus eſt* CHRISTVM, legem talionis eum ſuſtuliſſe his verbis: *Ne quis reſiſtat malo. Matth.* 5. *v.* 39. & ita IVLIANVS Chriſtianam religionem tanquam ſeditioſam graviſſime accuſavit.

Verum reſpondeo, diſtinguendum eſſe inter vindictam *publicam* & *privatam*. Non reprehendit Chriſtus vindictam *publicam*, cujus exercitium Magiſtratui eſt conceſſum. *Rom.* 13. *v.* 4. Sed reprehendit opinionem Iudæorum, exiſtimantium, cuilibet *privato* conceſſam eſſe talionis irrogationem.

7. IVLIANVS Apoſtata hanc caritatis regulam *Matth.* 5. *v.* 44. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos*, &c. reprehendit, dicens, hoc dilectionis Præceptum tollere Magiſtratus officium, & evertere Politias.

Reſp. Falſum hoc eſt: Prohibet *Chriſtus*, ne injurias nobis illatas privato auſu & arbitrio vindicemus: nuſpiam vero prohibet, ne Magiſtratus auxilium & defenſionem contra eos, qui nos affligunt, imploremus; quinimo ipſe provocavit ad officium Magiſtratus, cum à male feriato ſervulo contra jus & leges cæderetur. *Ioh.* 18. *v.* 23.

1. IVLIANVS Apoſtata ex his verbis, *Ædificemus turrim, cujus caput pertingat ad Cœlum. Geneſ.* 11. *v.* 4. anſam arripuit Scripturam immaniter calumniandi. Eſto, inquit, quod omnes homines conveniant, linguaque & voce una utantur, omniemque terram in lateres & calcem coquant; quando uſque ad cœlum pertingent? Etiamſi fune ſubtilius producatur, ipſis filum ducentibus. Infert, non magis credendum eſſe Moſi hæc ſcribenti, quam *Homero* fabulanti de ALCIDIS, quod ſuperimpoſitis tribus montibus, Pelio, Oſſa & Olympo, Iovem è cœlo exturbare voluerint. Hanc igitur fabulam manifeſtam cum veram cenſeatis, inquit, & de Deo opinemini, quod territus ſit humanæ vocis unitate, ejuſque gratia illorum linguas confuderit, adhuc audetis vobis Dei ſcientiam arrogare?

Reſp. Ad hoc aliqui ſimpliciter dicunt, quod ſit vana & ambitioſa ſuperborum hominum hyperbole, quaſi dicerent, turrim ſe excitaturos, cujus altitudo oculis terminari nequeat. Sicut *Deut.* 1. *v.* 28. urbes Chananæorum ad cœlum uſque munitæ ſeu muratæ vocantur. CYRILLVS autem *l.* 4. *contra Iulian.* ita occurrit, ut dicat, audaces iſtos homines per cœlum aut ipſum firmamentum intelligere, & proinde conatum illorum eſſe & ſumme ſtultum & plane impoſſibilem; aut more Scripturæ *cœli* nomine nubes & ſublimitatem indicare, ſicut *Pſal.* 107. de nautis dicitur, quod concitata tempeſtate, fluctuum marinorum impetu adſcendant uſque ad cœlos, viciſſim deſcendant uſque in abyſſos. Quod autem Deus non formidaverit hominum vaniſſimos conatus, ex eo probat, quod ad eos deſcendit & obviam it temerariis: timentis eſt fugere; hoſti occurrere, nonniſi fortis animi.

9. IVLIANVS odio religionis Chriſtianæ juſſit conſcribi quendam librum, cujus titulus: ACTA PILATI. in quo horrenda ſcelera de Chriſto conficta continebantur. Hunc librum turpiſſimus apoſtata paſſim in Romano Imperio divulgari, quin & pueris in ſchola ediſcendum proponi curavit, ut Chriſti ac Chriſtianæ religionis odium omnibus inſtillaret. Meminit horum Actorum *Nicephorus l.* 1. *Hiſtor. Eccleſ. c.* 15. & ex temporis circumſtantia falſitatem eorum arguit. *Acta* illa (inquit) paſſionem & mortem Chriſti referunt in ſeptimum *Tiberii* annum, quo tempore, ut ex *Ioſepho* conſtat, *Pilatus* nondum Iudææ præfuit, ſed 12 *Tiberii* anno ei eſt præfectus. Hoc ergo prævidens Spiritus ſanctus per amanuenſes ſuos S. Euangeliſtas diligenter annotari voluit, quam diſerte *Pilatus* de Chriſti innocentia teſtificatus fuerit, & hoc ſuum teſtimonium aliquoties repetiverit, ut vaniſſima illa Iudæorum & gentilium mendacia, antequam eſſent nata, extinguerentur.

10. IVLIANVS cum ſcripta legiſſet, in quibus doctrina Chriſtiana defenderetur, reddidit ea, cum hac brevi inſcriptione: *Ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων.* h. e. *Legi, cognovi, condemnavi. Niceph. l.* 10. *cap.* 25. Cui mox reſponderunt illi: *Ἀνέγνως, ἀλλ' οὐκ ἔγνως, εἰ γὰρ ἔγνως, οὐκ ἂν κατέγνως. Legiſti, ſed non cognoviſti: ſi enim cognoviſſes, non damnaſſes. Sozomenus l.* 5. *c.* 8.

11. Cæſareæ Philippi ſtatuam Chriſti ab Hæmorrhouſa poſitam, ad quam herba pellendis omnibus morbis accommoda creſcebat, dejecit, & ſuam in eo loco poſuit; quæ fulmine paulo poſt dejecta eſt. *Cedrenus.*

12. *Oraculum Apollinis*, quod nato CHRISTO, ſicut & reliqua, ſublata poteſtate tenebrarum, virtute veræ lucis obmutuerat, inſtaurare decrevit, ad hanc rem peragendam *Orbaſio*, Medico ac Quæſtore ſuo, Delphos miſſo. Qui cum eo perveniſſet, & opus inchoaſſet, eum tale à Dæmone reſponſum accepiſſe, refert *Cedrenus* Græcus hiſtoriæ ſcriptor:

Corruit artifici vario Cortina labore
Conſtructa, hoc Regi redeuntes dicite veſtro:
Nec caſa, nec Phœbi reddens oracula laurus
Vlla ſuper, nulla veniunt à fonte loquelæ.
Exſtincti laticeſque profunda ſilentia ſervant.

Huc etiam ſpectant verſus, quos citat Porphyrius libro *περὶ ἀλογίων φιλοσοφίας*, tales videlicet:

Οἴ οἴ μοι, τρίποδες, σιναχίσατε, εἶπατ' Ἀπόλλων.
Οἶχετ', ἐπεὶ φλογέην με βιάζεται ἠέριον φῶς.
Va, va mihi, tripodes, lugete: periit Apollo;
Periit, quoniam ardens mihi vim infert cæleſte lumen.

AXIOMA ECCLESIASTICVM.

Idololatræ tandem confunduntur.

Hoc ipſum expertus eſt IVLIANVS Apoſtata, de quo *Ruffinus lib.* 1. *cap.* 33. ſcribit, quod quodam tempore Chriſtianos Antiochiæ *Daphnen* (eſt ingens lucus & opacus 40 ſtadiis diſtans ab Antiochia Syriæ, aquis fontanis irriguus, in cujus medio fanum eſt & aſylum *Apollinis*. Autor *Strabo l.* 15.) vocarit, ut inde aſportarent corpus Martyris BABYLÆ ibidem ſepulti, quoniam *Apollo* in

Daphne

Daphne reſponſa illi amplius haud dabat, prætendens, hoc fieri propter Martyrem *Babylam*, cujus corpus in vicinia ſepultum erat. Cum autem Chriſtiani catervatim Daphnen venirent, loculum *Babylæ* cum gaudio ſublatum inde aſportabant, inter eundum alta voce cantantes verba illa Davidis ex *Pſal.* 97. Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, & confidunt in ſimulacris ſuis.

Idem quoque *Nabuchdonoſori* accidit: ſicut ex *cap.* 3. *Danielis* patet.

II. CHRISTIANOS PERSEQVENDO. IVLIANVS Chriſtianos atrociter perſecutus, eorum cultum impedire ſummopere ſtuduit, illoſque ad paganiſmum amplectendum cogere conatus eſt. Nam

1. *Reditus Eccleſiis* eripuit, ne poſſent ali docentes & diſcentes, & virulentos jocos addidit: Se facere expeditiores ad regnum cœleſte ſpoliatos facultatibus, quia in ipſorum libris ſcriptum ſit: *Beati pauperes*, quia eorum eſt regnum Cœlorum. *Matth.* 5. *verſ.* 3.

2. *Chriſtianos* exactionibus & mulctis pecuniariis (eos qui Diis ſacrificare nolebant) duriter afflixit. Nacti hanc occaſionem provinciarum præſides, ipſi etiam, emolumenti ſui cauſa, longe gravioribus exactionibus Chriſtianos, quam ab Imperatore mandatum illis eſſet, exhauriebant: nec à capitalibus ſuppliciis interdum ſibi temperabant. Chriſtianis ſuper injuriis Præfectorum conquerentibus, IVLIANVS reſpondit: Veſtrum eſt, cum afflictamini, lætari. Hoc enim Chriſti veſtri præceptum eſt *Socrates lib.* 3. *c.* 14.

3. *Templa* Chriſtianorum deſtruxit, & quicquid pecuniarum & ſacrorum vaſorum inventum fuit, diripuit, & theſauris ſuis intulit. *Clericis* omnem immunitatem, honores & annonam, à *Conſtantino* ipſis deputatam, ademit, legeſque pro illis latas è medio tulit.

4. IVLIANVS divinum baptiſmum cruoribus abominandis eluit. Templum in fœni receptaculum & equorum ſtabulum convertere tentavit. *Zonar.* Dixit: Iam templum habent Chriſtiani: Sed ego ubi à Perſico bello rediero, medium ejus fœno reponendo, partes ab utroque latere ſtabulum equorum parabo, ut videam ubinam ſuam ſpem collocent; ſed ſagitta divinitus emiſſa occiſus eſt: ſicut poſtea dicemus. *Zonar. tom.* 3. *ann. fol.* 119.

5. Templa paganorum, ſub CONSTANTINI M. Imperio diruta ab illis, qui ea demoliti fuerant, reſtaurare, aut æſtimatam pecuniam pro illis ſolvere coëgit: Qui neutrum horum præſtare poſſent, graviter torquebantur: multi Clerici, Sacerdotes, aliique Chriſtiani carceribus includebantur. *Sozom. lib.* 5. *c.* 4.

6. Cœtus Eccleſiaſticos diſſipavit, Epiſcopis & aliis Eccleſiarum Doctoribus, & præcipuis eorum auditoribus in ultimas Imperii Romani terras extruſis. Sperabat enim Tyrannus, fore ut Chriſtiani, qui doctrina Euangelica & Sacramentis carerent, per diuturnam ceſſationem ad paganiſmum accederent. *Sozomenus lib.* 5. *cap.* 8, & 11.

7. Conſtituit, ne Chriſtiani militiam exercerent. Multitudinem Chriſtianorum omnem deſcribi, & tributum ab illis exigi præcepit. *Socrates, Sozomenus.*

8. IVLIANVS *Apoſtata*, quantus Philoſophiæ, in convincendis falſarum opinionum aſſertoribus, uſus ſit, bene noverat: ideoque quia videbat, Ethnicam idolomaniam à Chriſtianis eo potentius redargui, quo diligentius Philoſophiam excolerent, jubebat ipſorum ſcholas claudi, ne addiſcerent liberales artes, quo ita furori Ethnico minus ab iſtis reſiſti poſſet; *Propriis enim*, aiebat, *vulneramur pennis: ex noſtris armati conſcriptionibus contra nos bella movent.* referente *Ruffino lib.* 1. *cap.* 32.

Quod occaſionem præbuit *Apollinari* utrique, *patri & filio*, omni dicendi genere probe inſtructis, ut ſcholas aperirent: & *alter* pro Homeri poëmate heroicis verſibus *Moyſis* libros & veteres Ebræorum res uſque ad *Saulis* regnum componeret, & Tragœdias ad imitationem *Euripidis*, & argumenta Comica ad *Menandri* exemplum tractaret, Pindari etiam lyram attingeret: *alter* vero ſacra Euangelia, & *Pauli* Epiſtolas ad *Platonis* imitationem Dialogis includeret. *Socrates.*

9. IVLIANVS fontes omnes, quibus homines in Daphne & Antiochia utebantur, carnes item in macello, panes, fructus, olera, & quicquid quotidiana victus ratio exigit, Ethnicis ſuis luſtrationibus, & impiis ceremoniis inquinavit; putans (inſanus homo,) ſi Chriſtiani hiſce rebus uterentur, hoc ipſo probaturos ipſius Ethnicam impietatem. *Theod. lib.* 3. *cap.* 15.

10. Chriſtianos omnes aula ſua & militia expulit, eoſque honoribus ſpoliavit: inter quos fuerunt IOVIANVS, VALENTINIANVS, & VALENS, qui poſt ipſum imperarunt. *Diacon. Theod.*

11. *Omnes* ſceleratos & nequam homines fovit, illis immunitates dedit, & ſceleratis eorum contumeliis impunitates, conceſſitque poteſtatem illudendi Chriſtianis, quacunque petulantia fieri poſſet. Hos qui gnaviter hoc faciebant, honoribus domi militiæque ornabat. Vnde tandem eo dementiæ proceſſerunt, ut Sacerdotum Mulierumque virginitatem cuſtodientium, alvos miſerrimè diſſecarent, hordeo replerent, & extrema cum contume-

lia porcis objicerent. In Palæſtina, & nominatim in urbe *Aſcalone* & *Gaza*, Chriſtianos flagris concidebant, pronos & ſupinos trahebant, ad pavimenta illidebant, lapidibus & fuſtibus verberabant, aqua ferventi perfundebant, verubus transfigebant, capita eorum confringebant, donec cerebrum exſtillaret: poſtea in loca cadaverum abjiciebant, igneque ſuccenſo comburebant, reliquias quas ignis non abſumebat, inter oſſa Camelorum & Aſinorum miſcebant, nepro oſſibus humanis agnoſci poſſent. *Theod. lib.* 3. *cap.* 6. *Sozomenus lib.* 5. *c.* 9. & 15. *Hiſt. Magd. cent.* 4. *cap* 3.

Jam nomina quædam eorum, in quos tyrannidem exercuit, ſeu exerceri permiſit JULIANUS, recenſebimus.

I. BASILIUS, Ancyranæ Eccleſiæ Presbyter, perpetuus Arianorum hoſtis, circumeundo & exhortando Chriſtianos ad conſtantiam in vera religione, & ad odium Ethnicæ impietatis totus deditus, raptus ad ſupplicium, poſt multa tormenta fortiter tolerata, animam Chriſto reddidit. *Sozomenus lib.* 5. *cap.* 11.

II. Ex *Juliani Apoſtatæ* mandato in Meroë, quæ Phrygum eſt civitas, gentis ejus Præſes templum, quod diuturno ſqualore deformatum fuerat, aperuit, ibique divorum gentilium ſimulacra erexit. Quam rem iniquo ferentes animo *Macedonius*, *Theodulus* & *Tatianus*, noctu fanum ingreſſi, ſimulacra iſta comminuerunt. Et cum multi ejus rei ſuſpecti in judicium pertraherentur, ipſi ſe ipſos detulerunt. Atque ubi Diis ſacrificare, quod in compenſationem delicti facere jubebantur, nollent, Præfectus variis tormentis excruciatos craticulis ſubjecto igni tandem eos impoſuit. Quos cruciatus animo ſuſtinentes fortiſſimo, atrociſſimaſque pœnas irridentes beati Chriſti Martyres, ad Præfectum dixere: Si de carnibus aſſis, Amache, guſtare cupis, in alteram nos verte partem; ne tibi edenti, ſi ſemiaſſi ſimus, inſuavior fiat cibus. *Socrates lib.* 13. *c.* 15. *Sozomen. lib.* 5. *c.* 11. *Niceph. lib.* 10. *c.* 10.

III. Apud Arethuſios MARCUS ſenex, CONSTANTINO imperante, Idolorum quoddam templum everterat, eoque loco templum, quod Chriſtiani poſtea frequentarunt, ædificaverat. Ob id Arethuſii, animadverſa *Juliani* voluntate, *Marcum* comprehendunt, nudant, totumque verberibus lacerant: mox in cloacas fœtidas conjiciunt, inde retractum, pueris ſtylis compungendum proponunt: poſtremo in corbe collocatum, juſculoque & melle inunctum, ſuſpendunt ſub dio in graviſſimo æſtu, veſpis & apibus arrodendum. *Marcus* vero in his miſeriis & cruciatibus nullum dolorem prodidit: ſed impiis iſtis hominibus ex fide alacriter inſultans, tandem ab ipſis dimiſſus eſt. *Sozomenus lib.* 5. *cap.* 9. & 10. *Theod. Hiſtor. Magd. cent.* 4. *cap.* 3.

IV. CYRILLUS Heliopoli, quæ juxta Libanum ſita eſt, Diaconus, imperante *Conſtantino*, inflammatus ardore divino, multa ſimulacra, quæ adorarentur, in illis locis confregerat. Cujus facti memores, imperante *Juliano*, impii & abominabiles Idololatræ, non modo ipſum interemerunt, ſed etiam ventre diſſecto, guſtarunt jecur illius. Nec tamen hoc fugit omnia contemplantem oculum, dederuntque illi dignas facinore pœnas. Nam quotquot illius ſceleris participes fuere, primum dentes, qui ſimul exciderant univerſi, deinde & linguas amiſere, quæ ipſæ putredine & fluxibus conſumerentur. Poſtremo aſpectu etiam privati ſunt, ſuoque malo prædicarunt vim pietatis. *Theod. lib.* 3. *cap.* 7.

V. NESTOR Confeſſor comprehenſus, vinculis & flagris afflictus, extra portas ſemianimis abjectus eſt. *Sozom. Theod.*

VI. Cæſarienſium, qui templum *Fortunæ* deſtruxerant, alii occiſi, alii exilio damnati ſunt: eorum vero Epiſcopus EMPSYCHIUS occiſus eſt. *Sozomenus.*

VII. JULIANUS Apoſtata (uti ſupra diximus) impudenter adverſus verum Dei cultum arma ferens, & fontes ſceleratis victimis contaminabat, & quæ in foro exponebantur, panes, carnes, fructus & olera, & alia omnia eſculenta, eadem ſceleris macula inquinabat. Quæ cum viderent Chriſtiani, etſi non poterant non gemere, lamentari, & ſcelera illa impenſe deteſtari: tamen eiſdem veſcuntur, Legi Apoſtoli obſecuti: Quicquid in macello venditur, comedite, nihil dijudicantes propter conſcientiam. 1 *Cor.* 10. *v.* 25. At duo tamen viri re militari præſtantes, JUVENTIUS & MAXIMIANUS, ſcutati milites & ſatellites Imperatoris, in quodam convivio acerbius, & majore cum animorum ardore horrenda illa ſcelera deplorantes: Tradidiſti, inquiunt, nos Regi iniquo, qui te deſeruit ſupra omnes gentes terræ. Quæ verba unus ex convivarum numero indicavit Imperatori. *Ille* confeſtim optimos viros illos ad ſe adduci jubet: percunctatur, quid dixerint: Illi inſigni quodam zelo incitati: Nos, inquiunt, in vera educati religione, ô *Imperator*, & legibus, inprimis præclaris, quas *Conſtantinus* tulit, non poſſumus non graviter & acerbe jam lamentari; cum videamus omnia impio ſcelere referta, & tum eſculenta, tum poculenta nefandis & exſecrabilibus victimis contaminata, *&c.* Quæ cum audiviſſet impius atque ſceleſtus *Apoſtata*, graves & acerbas plagas illis impo-

poni jussit, atque sic hac vita privavit; imo vero iniquo & calamitoso illo tempore eripuit, & coronas victoriæ eis conciliavit. *Theodoretus lib.* 3. *cap.* 14. *Hieronymus.*

VIII. CHRISTINA sub JULIANO propter fidem in Christum multiplicem Idololatrarum sævitiam experta est. Suus ipsi pater non pepercit, sed eam tetro inclusit carceri, & ne ad supplicium producta suam fidem profiteri posset, novo crudelitatis modo linguam ei præcidit. Tandem sagittis confixa, Martyrii cursum absolvit. *August. super Psalm.* 120.

IX. Occisi sunt & alii clari viri, propter religionis Christianæ professionem, *Artemius* Dux Ægyptiorum militum, qui ideo capite truncatus est, quod sub Constantino plurima gentilium simulacra dejecisset. *Donatus* Grammaticus cum parente utroque occisus est: item alius *Donatus* Episcopus Aretiæ. *Hilarianus* Jerosolymorum Episcopus. *Priscus* Presbyter Romanus. *Priscillianus* Clericus. *Benedicta* fœmina. *Pigmenius* Presbyter. *Gordianus. Demetria* virgo. *Johannes* Presbyter. *Paulus* & *Johannes*, Constantiæ (filiæ Constantini) cubiculatii. *Theodoretus lib.* 3. *cap.* 18. *Ivo. Vincent. Regino. Hist. Magdeb. cent.* 4. *cap.* 3.

X. VALENTINIANUS Imperatorem *Julianum*, sub quo tribunus erat militum, in fanum Fortunæ comitatus, ab ædituo, aqua lustrali, pro ritu & superstitione Idololatricorum sacerdotum, aspersus est. Ibi non celavit pro pietate fervorem suum. Ædituo enim pugnum inflixit, quod pollutum se, non purgatum diceret, sinumque chlamydis protinus avulsum abjecit, pedibusque conculcavit. Quo conspecto sceleratissimus *Julianus* imperat in exilium eum deportari, in castellum quoddam situm in deserto, ubi vitam suam degeret. Sed is elapso anno uno, & paucis mensibus, mercedem tulit confessionis suæ Romanorum Imperium. *Ruffinus lib.* 2. *cap.* 2. *Theodoretus lib.* 3. *cap.* 16.

XI. Præcipue admiratione digna fuit nobilissima fœmina PUBLIA, quæ Antiochiæ erat magistra virginum castitatem profitentium. Assiduus erat is cœtus in laudando & celebrando DEO. Prætereunte autem *Juliano* Imperatore clara voce canere jussit illud *Psalmi* 115. *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum. Os habent, & non loquuntur; Oculos habent, & non vident*, &c. *Similes illis fiant, qui faciunt ea: & omnes, qui confidunt in iis.* Audiens hæc Imperator, indignatus mandavit, ne quid amplius, ipso prætereunte, accinerent. Sed PUBLIA ex fide contemnens Imperatoris mandatum, curavit, ut Imperatore prætereunte virgines altius canerent, & prioribus Psalmi versiculis adjungerent *Psalm.* 68. *vers.* 1. *Exsurgat* DEUS, *& dissipentur inimici ejus*, &c. Graviter id molesteque tulit Imperator, jussitque eam in palatium vocari, ibique satellitibus mandavit, ut honestissimæ Matronæ, & quidem jam senio venerandæ, crebras alapas impingerent. Illa hanc contumeliam summum honorem suum interpretata, domum rediit, & ut antea consueverat, sacras cantiones, quæ in JULIANI furorem & impietatem competere viderentur, cum cœtu suo frequenter cecinit. *Theodor. lib.* 3. *c.* 19. *Hist. Magdeb. cent.* 4. *cap.* 3.

XII. MARES Episcopus oculis ob senectutem orbatus, audiens JULIANUM in Sacello Solis sacrificare Diis gentilium, palam Imperatorem objurgavit. Ad quem conversus Imperator, cum dixisset, Abi tu potius ad *Galilæum* tuum (Christum intelligens) ac jube tibi aperire oculos, tum MARES respondit: DEO meo gratias pro cæcitate ago, qui ideo mihi visum ademit, ne te apostatam in DEUM blasphemum, & omni plane pietate nudatum, coram videre cogar. *Sozomen. Tripart. lib.* 6. *cap.* 6. Alii hoc dictum Equinario Episcopo (quem *Fulgosius lib.* 6. *c.* 2. Inarium appellat) asscribunt.

XIII. Inter cæteros Episcopos JULIANUS *Athanasium* quoque vehementer persecutus est, ad eumque comprehendendum *Comitem* cum exercitu misit. *Athanasius* vero *Nilo* navim ingressus est, & ad *Thebaidem* regionem confugere constituit. *Comes*, qui ad ipsum occidendum ab Imperatore missus, cognito ejus itinere, instanter eum insequi cœpit. Et cum forte applicuisset *Athanasii* navicula ad quendam locum, comperit à prætereuntibus post tergum esse percussorem suum, & jamjam nisi prospiceret, imminere. Conterriti omnes, qui simul aderant socii, hortabantur eum, ut navi relicta, in solitudinem aliquam se abderet. At ille magno animo navem, in qua vehebatur, converti jubebat, ut percussoribus suis obviam iret, inquiens: *Nolite, ô filii, turbari: eamus magis in occursum percussori nostro, ut cognoscat, longe majorem esse eum, qui nos defendit, quam qui persequitur.* Quid fit? Occurrentem atque prætereuntem navem *Athanasii* vident quidem percussores, sed nihil minus suspicantur, quam *Athanasium* in ea vehi. Ideoque nihil hostile moliuntur, sed quærunt tantum: Ecquid sciant, ubi *Athanasius* sit? Quibus respondent socii Athanasii: *Modo præteriit, nec longe abest.* Ita delusi hostes cursu celerrimo Athanasium insecuti sunt. Ipse vero Alexandriam reversus delituit ibi tantisper, dum JULIANUS exstinctus est.

Tandem poſt innumeros pro tuenda orthodoxa doctrina ſuſceptos labores placide in Chriſto Alexandriæ obdormivit A. C. 371, die 2 Maji, cum præfuiſſet Eccleſiæ Alexandrinæ annos 46. *Ruffinus hiſtor. Eccleſ. lib.* 10. *cap.* 34. *Socrates hiſtor. Magdeb. cent.* 4. *cap.* 3.

Exemplum memorabile de Ecebolio *Sophiſta.*

Ecebolius Sophiſta Conſtantinopolitanus levis homo in religionis negocio fuit, pro re nata varios colores induens. Nam dum Imperium tenerent Chriſtiani Imperatores, & ipſe acris exſtitit religionis Chriſtianæ aſſertor. Ethnicis vero Imperium tenentibus, ut JULIANO fœdiſſimo apoſtata, & ipſe ethnicus factus eſt, & gentilis. At ſublato JULIANO, rurſus Chriſtianus factus, ad fores templi pœnitentiam agens, ſeu potius fingens, pronus ſe in terram projecit, prætereunteſque acclamavit: Πατήσατέ με, τὸ ἄλας ἀναίσθητον. *Proculcate me ſalem fatuum. Socrates lib.* 3. *cap.* 13. *Nicephorus lib.* 10. *cap.* 23. Alluſit ad dictum Chriſti *Matth. cap.* 5. *v.* 13. Ἐὰν τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἁλισθήσεται; h.e. *Si ſal infatuatus fuerit, in quo ſalietur?* Confer *Marc.* 9. *v.* 50. & *Luc.* 14. *v.* 34.

Prodigia & Miracula.

1. Propter impietatem JULIANI Imperatoris, & propter Arianorum blaſphemias graviſſimi hinc inde terræmotus exſtiterunt, ædificia & domus paſſim ſubruentes, adeo ut tutum nuſquam eſſet, vel domi vel ſub æthere morari: in quibus *Nicomedia* die 2 Decembris A. C. 362. veſperi, & non mediocris pars Niceæ urbis collapſa eſt. Præterea ſiccitates immenſæ omnes terræ fructus perdiderunt. Quo factum eſt, ut homines, neceſſariorum ex terra fructuum inopia, carnibus animantium brutorum, Alexandriæ & in Ægypto, veſci coacti ſint. *Hieronymus. Sozomen. lib.* 6. *cap.* 2. *Chronic. Func. fol.* 109. *Theodor. lib.* 4. *cap.* 4. ſcribit, famem illam ingentem, ob impietatem Juliani, & frumentum, Eccleſiis à Conſtantino donatum, raptum, ſub *Joviniano* Imper. adhuc duraſſe.

2. DEUS *preterea* duobus illuſtribus miraculis eodem tempore adverſus Judæos & Ethnicos iram ſuam oſtendit. Diximus antea, quid Judæis acciderit, cum Jeroſolymæ, concedente *Juliano*, rurſus templum condere cœpiſſent. Terræmotu disjectæ ſunt moles, abſorpti multi homines, & pars operum & machinarum, homineſque fulminibus accenſi perierunt.

Eodem tempore in alia orbis terrarum parte *Delphicum* templum, quod Ethnicis præcipuum fuit, divinitus, non hominum manibus, deletum eſt terræmotu & fulminibus, cum JULIANUS legatos eo miſiſſet, interrogaturus de eventu belli Perſici. Sæpe antea direptum & aliquoties deletum eſt Delphicum templum, ſed rurſus exſtructum. At poſt hanc everſionem divinitus factam, nunquam deinde reſtauratum eſt. *Primi* narrantur *Phlegia*, qui fuerunt in Theſſalia *Faphita*, combuſſiſſe Delphicum templum. Deinde partes aliquas, *Xerxis* milites. Poſt hunc *Phocenſes* ipſi: deinde *Brenni* exercitus accendit. Toties & inſtauratum eſt. At poſt *Julianum* nulla facta eſt inſtauratio.

Horum duorum templorum, *Judaici* & *Delphici*, everſio divinitus facta eodem tempore, inſolentiam Judæorum & Ethnicorum valde repreſſit, & pios confirmavit. Hæc miracula in JULIANI hiſtoria conſiderare valde prodeſt.

3. Adhuc addam duorum adoleſcentum exempla, qui propter religionem Chriſtianam magnos cruciatus ſuſtinuerunt, & à DEO divinitus ſervati ſunt.

1. Apud Daphnen, ubi JULIANUS ſacrificare conſueverat, Sacerdotis Ethnici filius aufugerat Antiochiam ad Chriſtianam fœminam, à qua in vera pietate inſtitutus eſt. Occultatus eſt aliquandiu ibidem: tandem comprehenſus, à parente multis verberibus male mulctatus, candente etiam veru in pedibus & dorſo inflicto, cubiculo incluſus, ibique (haud dubie, ut à religione Chriſtiana deficeret, aut fame periret) relictus eſt. Sed eundem DEUS mirabiliter ex ea captivitate liberavit. *Theodoretus lib.* 3. *cap.* 14.

11. JULIANO apoſtata Eccleſiam vexante, *Salluſtius*, qui tum Præfecti Magiſtratum Antiochiæ gerebat, multos Chriſtianos poſtridie ejus diei, quo *Babylæ* Martyris oſſa, (de quo ſupra diximus) ex luco Daphnenſi in urbem Antiochenam transferentes, cecinerant ex *Pſalm.* 97. *v.* 7. *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, gloriantes in ſimulacris ſuis*, ex mandato *Imperatoris* comprehendit, & carceri includit, inter quos *Theodorum* juvenem ad ſtipitem tortorium ſuſpenſum à prima diei hora uſque ad decimam infandis affecit tormentis & ſuppliciis: neque à tormentis ceſſatum eſt, niſi cum eum non amplius vivere tortores putarent: nihilominus tamen inter tormenta invictus & divina virtute corroboratus, ſubinde *Pſal* 115. repetiit, nullumque doloris indicium præbens, ipſis tortoribus & judici horrorem incuſſit. Quam juvenis conſtantiam cum ſtupore admiratus *Salluſtius*, ubi ad *Imperatorem* venit, Niſi, inquit, Chriſtianos affligere deſtiterimus, ipſis quidem laudem & gloriam brevi parabimus, nos autem ridendos omni-

omnibus proponemus. Porro *Salluſtii* ſententia laudata; & captivi illi dimiſſi ſunt, & Theodorus poſt eam confeſſionem longo vixit tempore. *Socrat. lib. 3. cap. 19. Theodor.*

Ruffinus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptor memorat, ſe cum hoc *Theodoro* longo tempore poſt collocutum eſſe, & interrogaſſe: Annon, cum verberibus tormentiſque adflictaretur, maximum ſenſiſſet dolorem? Illum reſpondiſſe: Se initio aliquantum doloris ſenſiſſe; at poſtea ei adſtitiſſe adoleſcentulum (qui haud dubie fuit ſanctus Angelus) qui linteo molli & frigido faciem ſudore manantem continenter tergeret, & bono animo eſſe juberet: ac tempus illud torturæ jucundum magis, quam laboriosum, reddidiſſe. Et cum carnifices ab eo cruciando ceſſarent, ſe non voluptatem, ſed afflictionem ideo ſenſiſſe, quod is qui ejus levaſſet cruciatum, una diſceſſerat.

Hæc hiſtoria memoratu digniſſima eſt, ex qua conſolationem capere debemus, Dominum DEVM noſtrum iis, qui propter nominis ſui gloriam perſecutionem & tormenta patiuntur, ita ærumnas & dolores (alias intolerabiles) mitigare, ut perferre, atque in confeſſione vera perſeverare poſſint.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

SVpra diximus, quod *Iulianus* Imperator intraverit ut *Vulpes*, regnaverit ut *Leo*, exiverit ut *Canis*, h. e. *tragicum exitum ſortiendo*: de quo in hoc capite adhuc nobis dicendum eſt. Illud autem quo melius intelligi poſſit, in tres partes diſpeſcemus. 1. in τὰ προηγούμενα. 2. in τὰ πραχθέντα, & 3. in τὰ παρεπόμενα.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

1. IVLIANI *Oraculorum, de eventu belli, interrogatio.* IVLIANVS adverſus Perſas bellum moturus horrenda magico inſtituit, & oracula de eventu belli conſuluit. Inter alia ita de eo Hiſtorici ſcribunt: IVLIANVS apoſtata, cum carris iter in Perſas faceret, ſpeluncam quandam ſubiens, ibi ſceleſtis ſacris operatus eſt, iiſque peractis, paucis conſciis hujus rei adhibitis, fores ſeris occluſit, ac conſignavit, appoſita cuſtodia. Eo autem in illa expeditione interfecto, fores ejus ſpeluncæ paullo poſtà curioſis hominibus, qui noſcere cuperent, quid Imperator ibi tam ſerio cuſtodiri juſſiſſet, apertæ ſunt: in qua inventa eſt muliercula capillis ſuſpenſa, extenſis manibus; ex cujus jecinore immanis ille apoſtata, ventre diſſecto, victoriam ſcilicet de Perſis explorare voluerat. *Cedrenus. Godfridus Viterbienſis, & Vrſpergenſis.*

II. *Iuliani comminatio, & Athanaſii vatidica conſolatio. Iulianus* cum Oraculorum mendacibus reſponſis deceptus, ſomniaret victoriam, interminatus eſt, ſe Galilæos, poſt victoriam de Perſis relatam, funditus everſurum. Cum ergo multi rabiem ejus Eccleſis metuendam dicerent, *Athanaſius* populo mœſto & flenti, ſe circumſtanti, dixit: *Nolite, ô filii, conturbari; nubecula enim eſt, & cito pertranſibit.* Hoc dicto Athanaſius ſimul Chriſtianos conſolatus eſt, & *Iuliani* interitum, qui mox ſecutus eſt, prædixit, ſicut ex ſequentibus patebit.

III. *Libanii Sophiſtæ ſcomma ſarcaſticum.* Antiochiæ vir quidam pius adoleſcentibus doctrina inſtituendis operam dabat, à quo (*Iuliano* in Perſis agente) *Libanius Sophiſta*, & *Iuliani* in religione Ethnica Præceptor, quo noſtram religionem irrideret, ſciſcitatur: *Ecquid faceret fabri filius?* Qui divina completus gratia reſpondit: Hujus, inquit, univerſitatis opifex DEVS, quem tu per ludibrium Fabri filium nominas, *parat Iuliano loculum.* Nec multi dies præterierę, cum fama de Iuliani morte advolavit, ejuſque cadaver loculo reconditum ad ſepulturam allatum eſt. *Nicephorus.*

IV. *Didymi in ſomnis viſio, Didymus* Alexandrinus, (cujus liber de Spiritu ſancto in operibus Hieronymi adhuc exſtat) cum ob ſcelera *Iuliani*, animo admodum eſſet ſollicito ac mœſto, uti ſequente nocte nihil comederet, forte in ſolio aſſidens ſomno oppreſſus eſt, ac velut extra ſe poſitus videbatur ſibi videre equos albos in aëre curſare, & qui in eis vehebantur, eos ita prædicare: Nunciate Didymo: IVLIANVM *hac ipſa hora interfectum eſſe.* Quod etiam eventu fuit comprobatum. *Sozomenus hiſtor. Eccleſiaſtica lib. 6. cap. 2. Nicephorus.*

V. *Stellarum in firmamento cœli ſituatio.* Supra fidem eſſe videri poſſit, quod narrat *Zonar. tomo tertio:* Pridie quam periit *Iulianus*, (inquit) Ethnicus quidam ex ordine judicum Antiochiæ, juxta prætorium excubans, vidit congeriem ſtellarum, literas in hanc ſententiam exprimentem: *Hodie Iulianus in Perſia occiditur.* Notato tempore poſtea cognitum, eodem die fuiſſe interemtum.

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Iuliani adverſus Perſas expeditio, ejuſque tragicus & ſubitaneus interitus. (DEVS enim impios evertit nil tale cogitantes, idque ſubito & in momento. Nam in impiis DEVS interdum ſpeculum iræ ſuæ nobis ob oculos ponit, quando eorum medio

medio impietatis cursu repentina atque violenta morte opprimit.) *Iulianus* anno Christi 363. die 5 Martii cum exercitu 65000. Antiochia discessit, & adversus Persas profectus, initio habuit felices successus, & occiso magno hostium numero, urbem Persiæ primariam Ctesiphonta obsedit. Petenti pacem Regi Persarum, *Iulianus* dare pacem recusavit. Persæ vero commeatum intercluserunt, ideo in castris *Iuliani* magna fuit penuria, ejusque exercitus fame & siti pressus est. Tandem hostes accesserunt, & pugnatum est acriter die 11 Iunii. (uti duo Historici scriptores *Eutropius* & *Ammianus*, qui huic expeditioni interfuere, scribunt.) Iterum congressi sunt die 26 Iunii, ubi *Iulianus* hasta vel jaculo vulneratus est. (Nemo autem in hunc usque diem certi aliquid scire potest, an *Iulianus* à Persa aliquo, an vero à suo milite, an ab Angelo, vel Dæmone occisus sit: Multum enim Ecclesiastici Scriptores hac in parte discrepant.) Vulnere autem illo mox exstinctus anno ætatis 32, cum solus annum unum, & menses septem post *Constantii* mortem imperasset. *Sozom. lib. 6. cap. 2. Theodoretus lib. 3. cap. 25. Socrates lib. 3. cap. 21.*

Iulianus moriturus fertur manum sanguine suo impleviſſe, illumque in aërem projeciſſe, & Christum, debellatorem suum, rabiose allatrasse hoc scommate: *Vicisti, Galilæe.* (Galilæos enim per contumeliam Christianos nominabat, ipsumque Christum Galilæum) Ita simul & victoriam confessus est, & blasphemiam evomuit. *Theodoretus lib. 3. cap. 25. Cassiodorus in Tripart. lib. 6. cap. 47. & Nicephorus lib. 10. cap. 35.* qui & illud refert, *Iulianum* jam moriturum anima secedente à corpore, divinius quodammodo, quam pro hominum captu potuit, oculos intendisse, ita ut Christum viderit, & exclamasse: *Saturare, Nazarene.*

De Iuliani exitu præclare Nazianzenus: Vulnus ipsum accepisse tempestivum, (ait) totique mundo salutare: Et cum stolidus ille, omnia ex viscerious victimarum se cognoscere putaret, unum hoc vulnus propriis viscеribus infligendum ignorasse. *Histor. Magd. Cent. 4. cap. 2.*

Fuit ita *Athanasii* vaticinium de IVLIANO verum, qui cum Iuliani rabiem non diuturnam fore opinaretur, dixit: *Nubeculam esse, cito transituram.* Alluſit ad dictum Salomonis *Prov. 10 v. 15. Quasi tempestas transiens non erit impius.* TEMPESTAS enim,

1. Ratione ORTVS, magno cum fragore strepituque ingruit. vide *Esa. 28. vers. 2.* Ita quoque IVLIANVS ab bellum contra Persas profecturus minas spirabat, omnesque Christianos rediturus è medio tollere volebat.

11. Ratione PROGRESSVS, Tempestas ingens damnum facit, omnia tenebris involvit, Solemque oculis hominum eripit: Sic quoque IVLIANI tempore, cum ille παντολισθρίαν & interitum omnibus Christianis minitaretur, omnes terrore perculsi fere desperabant.

111. Ratione EGRESSVS. Tempestas subito transit, & post eam Sol exoritur. *Tob. 3. v. 22.* Ita quoque cum IVLIANVS subito præter omnium hominum exspectationem extingueretur, omnes Christiani lætantes tripudiabant.

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

1. *Sepultura.* Cadaver IVLIANI in suburbio Tarsensi terræ mandatum est, & nulli funus deduxerunt, niſi multitudo scurrarum, empæctarum, & nequissimorum hominum, qui in exsequiis saltantes tibiis gingrinis cecinerunt, eique apostasiam & nefanda facinora exprobrarunt, exclamantes: O maxime fatue! ubi nunc tua sunt vaticinia? Vicit Deus & Christus ejus. *Nazianzenus* in concione funebri. *Athanasius* & *Rabus* lib. 2 Matt. fol. 367. referunt, quod, cum eum humare voluerunt, terra ingenti motu sit concussa, quasi exsecrandum ejus cadaver, quod receptaculum multorum Dæmonum fuit, in se recipere nollet; Tandem illud ab igne, subito è terra exorto, consumtum est: quod præludium fuit ignis infernalis, quo in æternum torquendus esset.

Vnde patet, quod recte quadret in IVLIANVM dictum illud Psalmi 79. v. 12. *Redde vicinis nostris septuplum in* SINVM *eorum, improperium eorum quod exprobrarunt tibi Domine.* Hoc si IVLIANVS contideraſſet, non ita Christum & Christianos illuſiſſet, ideo illusio reddita in sinum ipsius. Quod in pulcherrimo hoc Emblemate ostenditur:

Cernis, ut is cœlum fœdo qui conspuit ore:
Non cœlum: imo suos conspuit ipse SINVS!
Et tu qui cœli Dominum contemnis, in illum
Non quot verba jacis, tot tibi probra vomis?

11. *Christianorum exhilaratio.* Supra diximus, quod IVLIANVS Galilæorum (h. e. Christianorum) vitam Diis suis voverit, si victor rediret. Verum DEVS impia consilia impii morte dissolvit. (ut loquitur Orosius) Antiocheni igitur nuncio mortis *Iuliani* audito, adeo exhilarati sunt, ut festum tripudium egerint, lætissima ista acclamatione per totam urbem intonante: *Maxime fatue, ubi sunt tua vaticinia?* Vicit DEVS & Christus ejus. *Hist Eccles.*

III. IVLIANI apoſtatæ avunculi, *Felicis* & *Elpidii* Ethnicorum tragicus exitus.

1. IVLIANVS, *Iuliani* Imperatoris avunculus, in Eccleſiam (vivo apoſtata) crudeliſſime ſæviit, Antiochiæ in templo Chriſtianorum adverſus ſacram menſam minxiſſe dicitur, atque *Euzoio* Epiſcopo eum prohibere conanti colaphum infregiſſe. Sed confeſtim in gravem morbum illapſus, viſceribus putredine exeſis, excrementis non amplius per meatus ſuos, ſed per os egredientibus, interiit. Addit *Sozomenus*, etiam carnem ejus putrefactam, in vermes converſam eſſe, qui in profundo abditi, vivam carnem tamdiu depaſti ſunt, donec eum interimerent. *Theodoretus lib.* 3. *cap.* 13. *Sozom. lib.* 5. *cap.* 8.

1. FELIX theſaurarius IVLIANI Imperatoris, cum Chriſtianus antea fuiſſet, in gratiam impii Imperatoris, ad impietatem Ethnicam defecerat. Hic in eodem Chriſtianorum Antiocheno templo vaſa ſacra conſpicatus, blaſphemo ore dixerat: En qualibus vaſis miniſtratur *Mariæ filio*! DEO igitur apoſtaſiæ & blaſphemiarum pœnas dedit. Sanguine enim dies noctesque ex ore emiſſo, infelicem animam efflavit, & æternæ morti traditus eſt. *Theodoretus* & *Sozom. ibid. Niceph. lib.* 10. *cap.* 29.

3. ELPIDIVS *Iuliani* Imperatoris *domus præfectus*, blaſphemus in Chriſtum: affectatæ tyrannidis ſuſpicione omnibus bonis exutus, & carceri incluſus, in ſitu ſqualoreque miſeranda morte interiit. *Niceph. l.* 10. *c.* 29. *Hiſtor. Magd. Cent.* 3. *cap.* 3.

XLVI. IMPERATOR ROM.

IOVIANVS vel IOVINIANVS, vel IUVIANVS.

CAPVT I.

DE ORTV.

1. PATER fuit VARRONIANVS, Pannonicus & vir præclarus, Comes ordinum, incola agri Singidunenſis in Pannonia, qui non procul abeſt ab *Vlpia Trajana*, quæ nunc *Corcna* nominatur. Hic Varronianus non ita dudum depoſito militiæ onere, tanquam emeritus, privatæ tranquillitati ſeſe dederat, & in avitos agros ſeceſſerat, ut agricolationi incumberet.

II. MATER ejus ignoratur.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ, & ACTA IUVENILIA.

IOVIANVS Imperator fuit formoſiſſimus, ſtatura procerus, membris robuſtus, lætus ingenio, & generoſo pectore præditus. In iuventute in vera religione diligenter informatus fuit, in qua uſque ad finem vitæ perſeveravit. Cum enim Chriſtiani, lege lata à Iuliano, militia exuerentur, ſymbolum militiæ, quam religionem Chriſtianam, deſerere maluit.

II. *ACTA OECONOMICA.*

VXOR ejus fuit CHARITA, filia *Lucilliani*, ex qua unum ſuſcepit filium, nomine VARRONIANVM, quem cum adhuc infans eſſet, Conſulem creavit. Infans hic (uti Ammianus refert) nullis blandimentis adduci potuit, ut curuli ſella veheretur.

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Acta ante Imperium.*

IOVIANVS antequam ad Imperium pervenit, militiam ſecutus eſt, variiſque militaribus officiis ſumma cum laude functus. Fuit & millenarius miles, cujus opera tunc IVLIANVS, neceſſitate exigente, uſus eſt: quia fortis & ſtrenuus fuit.

II. *Imperii occupatio.*

I. Acta ante electionem.

1. *Saluſtii electio*, ejuſque *excuſatio*. Poſt *Iuliani* Imperium, altero ſtatim die, qui fuit 5. Calend. Iulii, circumfuſis undique hoſtibus, collecti duces exercitus Rom. de Principe alio creando deliberarunt: ubi *Saluſtius* præfectus prætorio à militibus ad Imperium electus eſt, ſed is propter morbum & ſenectutem ſe excuſans, imperialem dignitatem ſuſcipere noluit.

2. *Militis cujuſdam oratio.* Poſtquam *Saluſtius* hoc modo ſe excuſaſſet, miles quidam honoratior aſſurgens: *Quid*, inquit, *hæc mora hoſtibus utilis, nobis exitioſa nunc prædeſt? Cum maturare, non certare ob Principem, hæc neceſſitas poſcat? Quod ſi hoc bellum Imperator aliquis abſens mandaſſet, quod ſæpe factum eſſe annales noſtri teſtantur, annon militem aliquem rapueretis, qui inſtantibus periculis occurreret, atque in commune conſuleret? Id*

& nunc agite, niſi & Meſopotamiam omnem & exercitum perdere mavultis.

2. Ipſa Electio.

I. IOVIANI *à militibus electio.* Tumultuantibus igitur paucis, Imperator tandem à multis electus eſt *Iovianus*, qui & *Iovinianus* & *Iuvianus* dicitur.

II. IOVIANI *exceptio.* Cum *Iovianus* ad Imperium capeſſendum à militibus raperetur, illud repudians exclamavit: *Se Chriſtianum eſſe, nec velle imperare exercitui Idola colenti, & Chriſtum repudianti. Eutrop. lib.* 11.

III. *Militum exclamatio.* Hæc cum dixiſſet *Iovianus*, milites omnes una voce confeſſi ſunt; Se quoque eſſe Chriſtianos, & Chriſti nomen venerari. Imperium igitur Iovianus capeſſivit. *Socrat. Soz. Theod. Cuſpin. in Coſſ.*

3. Acta poſt Electionem.

Militum lacrymatio. Anteſignanis IUVIANVM clamantibus Auguſtum: Qui in medio, quique poſtremi erant, opinati, *Julianum* medicamentis forte recreatum revixiſſe; ingenti lætitia affecti ſunt: Sed cum Imperator novus purpuratus per caſtra duceretur, primoribus comitantibus, in lacrymas effuſi ſunt omnes: Quod fuit auſpicium haud felix præſentis Imperii. Sed propter *Juliani* amorem mox in Iuvianum quoque conſenſerunt, quod à nominis illius ſimilitudine una tantum litera immutata eſſet.

III. *Imperii adminiſtratio.*

1. *ACTA TOGATA.*

IOVIANVS pius & religioſiſſimus Imperator, imperium (cui tantum octo menſ. præfuit) ſumma cum laude adminiſtravit, ſiquidem præclaris virtutibus præditus, & ut veram religionem propagaret unice ſollicitus fuit; de quo ſtatim dicemus. Commendatur inprimis hic Imperator, quod concordiæ ſtudioſiſſimus fuerit. Nam cum ſolicitaretur, ut reſponſum daret Macedonianis ſupplicantibus: Odi, reſpondit, omne contentionis genus: Concordiam autem unice amplector & amo. *Nicephor. Calliſt. lib.* 10. *cap.* 40. *Hiſt. Eccleſ.*

II. *ACTA BELLICA.*

Pacem fecit *cum Sapore Rege Perſarum.* Circa quam pacificationem tria ſunt notanda.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

Cauſa hujus pacificationis fuit *ingens neceſſitas.* IOVIANVS cum à militibus eſſet electus, in tentorium reductus, adhibitis Tribunis & Comitibus de immenſo periculo verba fecit. Nam & in caſtris Romanis tum fames erat & rerum omnium penuria, & hoſtis obitu *Juliani* elatus, agmen Romanorum à tergo urgebat.

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ,

h. e. *Ipſa pacificatio.*

IOVIANUS igitur, cum regredi non poſſet, Perſis inſtantibus, & objecto Tigride, pacem, quam SAPOR ipſe obtulit, accepit in annos triginta, & conceſſit eis quinque provincias Tranſtigridanas, quas *Galerius Maximianus* acceperat, & cum his *Syngaram* & *Niſibin*, clariſſimas urbes, & partem Meſopotamiæ, ſola Cteſiphonte ſervata. *Ruffin. lib.* 3. *cap.* 2.

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

1, *Hæc pacificatio cum ignominia fuit conjuncta.* Quia veteres Romani imperii fines valde ſunt imminuti. Cui calamitati atque jacturæ acceſſit major ignominia. Veritus eſt enim populus Romanus ARSACI Regi Armeniæ, amico & fido, auxilium contra Perſas ferre. Ex quo libertas armorum victricium tunc corruiſſe viſa, & pacem illam neceſſariam tunc corruiſſe viſa, & pacem illam neceſſariam quidem, ſed ignobilem ac turpiter factam eſſe judicatum eſt. Quod ante *Iovianum*, annis mille, centum & duobus de viginti fere, ex quo Romanum Imperium conditum erat, nunquam acciderat. Nam & legiones Romanæ ita apud Claudium per Ponrium Teleſinum, & in Hiſpania apud Numantiam: & in Numidia ſub jugum miſſæ ſunt, ut nihil tamen finium traderetur, & ut Romanis omnibus iſtis bellis conditio pacis, accepta ex neceſſitate, mutata poſtea fuerit: ſic enim & Samnitibus, & Numantinis, & Numidis confeſtim bella illata ſunt, neque pax rata fuit.

2. IOVIANI *à ſubditis exſibilatio. Iovianus* cum pacem (jactura multarum provinciarum) feciſſet, deriſus eſt, & cantionibus, & verſibus, & libellis exceptus famoſis. In quibus & hæc fuere: *Veniſti è bello; utinam ibi periiſſes.* Et, Δύσπαις, *forma præſtantiſſime.* Et reliqua quæ commemorat Suidas. Qui & anum quandam refert, cum pulchritudinem & proceritatem ejus conſpicata eſſet, exclamaſſe: *Quanta longitudo & profunditas, tanta eſt ſtultitia.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. *Magna* fuit hujus *Principis pietas.* Religionem enim Chriſtianam, quam ſemel amplexus erat, etiam ſub *Juliano* apoſtata conſtanter retinuit: maluitque militiam, ac quamcunque dignitatem amitte-

tere, quam contra religionem ſuam Imperatori, impia mandanti, obtemperare: Quin etiam prius imperium ſuſcipere noluit, quam omnes una voce proclamaſſent, ſe Chriſtianos eſſe.

Symbolum ejus:

SCOPVS VITÆ CHRISTVS.

Quo Symbolo IOVIANVS unum ſuæ vitæ SCOPVM Chriſtum prædicavit: quem propoſitum eſſe oporteat Reipublicæ gubernatori: quo intueri, & quo curſum ſuum dirigere debeat. Nam omnis Chriſti actio, noſtra eſt inſtitutio, quem imitari vivendo, tutiſſimum eſt; ſecundum Auguſtinum. Quippe, qui (ut *Bernhardus* loquitur) origo eſt omnium virtutum: ſiquidem & prudentia vera in Chriſti doctrina, & juſtitia in miſericordia, & temperantia in vita, & fortitudo in paſſione ejus conſpicitur.

II. IOVIANVS, *Athanaſium*, & alios Epiſcopos, qui à *Conſtantio* & *Juliano* in exilium pulſi fuerant, Eccleſiis ſuis reſtituit. Sed & *Valentinianum*, quem *Julianus* quod Chriſtianum ſe profeſſus eſſet, exilio mulctaverat, revocavit. *Socrates lib. 3. c. 22. Sozomenus, Egnatius.*

III. IVDÆIS, & gentibus, ne ſacra ſua palam exercerent, interdixit; & edicta, quæ *Julianus* pro gentilibus contra Chriſtianos publicaverat, abolevit. *Hiſtor. Magd. cent. 4. cap. 3.*

IV. Frumentum, quod *Conſtantinus Magnus* olim Eccleſiis diſtribui mandaverat, *Julianus* vero ademerat, Eccleſiis reddi, lata lege ſuper ea re procuravit. Quia vero tunc ingens fames non patiebatur totam conferri *Conſtantini* largitionem, trientem IOVIANVS tum præberi juſſit: totum pollicitus, cum fames ceſſaſſet. *Ibidem.*

V. IOVINIANVS Imp. ut fuit piiſſimus Princeps, ſolicitus, qua ratione & vera religio propagaretur, & Eccleſiis, per Arianam impietatem perturbatis, pax pia reſtitueretur, ab *Athanaſio* per literas petiit, ut de neceſſariis rebus circa religionem Synodus inſtitueretur. *Athanaſius* igitur Synodum Epiſcoporum ex Ægypto, Thebaide ex Libya convocavit, & cum illis decrevit, fidem *Nicænam*, ut Apoſtolicis dogmatis conſentaneam, ſervandam eſſe. Eaque de re Synodicam Epiſtolam *Athanaſius* ad Imperatorem miſit, vel, ut alii putant, ipſe Imperatori attulit: in qua Synodi Nicænæ decreta confirmantur, & Macedonii hæreſis (quæ Spiritus ſancti divinitatem impugnabat) damnatur. Literis iſtis lectis, Imperator ſententiam Synodi de religione confirmavit, ſeque in ea uſque ad extremum vitæ halitum perſeveraturum dixit. *Ibidem.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

MOrs IOVIANI aliquot prodigiis fuit ſignificata. Nam *Cometa* interdiu conſpectus eſt. Conflagravit locupletiſſima Bibliotheca Antiochena. Lana item magno agmine de cœlo pluit. *Chron. Phil. Faſc. temp. fol. 48.*

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

IOVIANVS, poſtquam pacem cum Rege Perſarum feciſſet, Conſtantinopolin cum exercitu properavit: apud oppidum Dadaſtana inter Galatiam & Bithyniam, læſus hyberno frigore, cum in cubiculum recens calce illitum veniſſet, & calefieri id ex prunis juſſiſſet, ſive odore noxio, ſive calefactione ac nimia, noctu ſuffocatus, mortuus inventus eſt A. C. 364, die 17 Februar. cum imperaſſet menſes 7, dies 22, vixiſſet annos 23, vel, ut alii volunt, 33: vel, ut quidam affirmant, 40. *Eutropius, Oroſius, Sozomenus l. 6. c. 6. Chron. Hedionis. Hiſtor. Magd. cent. 4. cap. 3.*

Hieronymus in Epitaph. Nepotiani ita de ejus morte ſcribit: IOVIANVS guſtatis tantum Imperialibus bonis, fœtore prunarum ſuffocatus interiit, oſtendens omnibus, quid ſit humana potentia.

Alii mortis repentinæ cauſam afferunt nimiam edacitatem, qua inter cœnandum eo die genio indulſiſſe ſcribunt. Ego vero calumniam hanc eſſe credo, ab hoſtibus religionis Chriſtianæ confictam.

AXIOMA.

Μακροβιότης, h. e. *vita longævitas*, ſecundum ordinarii judicii divini regulam, promittitur piis, *Exod. 20. verſ. 12. Deuter. 5. verſ. 16. Epheſ. 6. v. 3.* At contra βραχυβιότης, h. e. *vita brevitas*, ſecundum abſconditi judicii divini decretum etiam piiſſimis interdum, deque Eccleſia Chriſti & religione orthodoxa præclare meritis, divinitus conſtituta mirabili cum eventu fuiſſe legitur.

Exemplum hujus rei memorabile habemus in IOVINIANO Imper. qui poſt ſuſceptum imperium, non diutius quam ſeptem menſes, & aliquot dies, rerum gubernacula tractavit.

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

IOVINIANI cadaver Conſtantinopolin tranſlatum, ac ibi, cum luctu gemituque omnium Chriſtianorum, honorifice terræ mandatum eſt, quod

tam pium probumque Imperatorem tam cito amiſiſſent, qui Eccleſiam Chriſti ad piorum votum atque utilitatem reſtaurare potuiſſet.

XLVII. IMPERATOR,
VALENTINIANUS I, vel Magnus, ejuſque frater VALENS, collegæ.

I. VALENTINIANUS.

CAPUT I.

DE ORTU.

VALENTINIANUS oriundus fuit ex oppido Pannoniæ Cibala, quod non procul fuit à Tauruno, quod nunc eſt Belgradum. PATER ejus fuit GRATIANUS reſtiarius, cognomento dictus *funarius*, eo quod venalitium funem ei portanti quinque milites extorquere nequiverint. *P. Diacon. Appendix S. Aurelii Victoris.*

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ.

Valentinianus fuit vultu decens, ſolers ingenio, animo gravis, ſermone cultiſſimus: ad loquendum parcus, ſeverus, vehemens, infeſtus vitiis, maxime avaritiæ, cujus fuit acer punitor. Genera vetuſtiſſimorum meminiſſe ſolebat: nova arma meditari: fingere terra ſeu limo ſimulacra: prudenter uti locis & ſermonibus. *Ibidem.*

II. *ACTA OECONOMICA.*

1. Uxores.

VALENTINIANUS duas conjuges habuit ſimul.

Primo matrimonio ſibi junxit SEVERAM: deinde ea vivente, neque repudiata, alteram nomine JUSTINAM duxit: illectus ad hoc peccatum prioris uxoris ſtultitia, quæ marito Valentiniano *Juſtinam*, pulcritudinis eximiæ nomine commendaverat. Ac ne hoc delictum plurimos offenderet, legem *Valentinianus* tulit ac promulgavit, ut omnes qui vellent, impune bigamiam contraherent. Sed exemplum Imperatoris nemo imitatus eſt. *Socrates lib. 4. cap. 32. Nicephorus lib. VI. cap. 31.*

II. Liberi.

1. Ex priore uxore SEVERA, ei natus eſt GRATIANUS, qui Imperator factus.

2. Ex JUSTINA (quæ Arianæ hæreſi fuit addicta, ſed vivente marito *Valentiniano* I. non auſa fuit profiteri ſe eſſe Arianam. Illo vero defuncto, quia filius *Valentinianus* II. adoleſcens erat, palam id profeſſa eſt, orthodoxos perſequi cœpit, filiumque ad idem faciendum, ſicut poſtea dicemus, inſtigavit; ideo tandem in exilium eſt ejecta.) VALENTINIANUS unicum ſuſcepit filium *Valentinianum* II, qui poſtea Imperator factus eſt; & tres filias, JUSTAM, GRATAM, & GALLAM; quam in uxorem duxit Imper. *Theodoſius Magnus.*

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Ante Imperium.*

1. Sub Juliano apoſtata fuit Tribunus militum, à quo, quod orthodoxus erat, in ſolitudinem relegatus eſt. Hinc *Theodoretus lib. 3.* ita de eo ſcribit: Cum JULIANUS in fanum Fortunæ (inquit) choreas ducens ingrederetur, & æditui utrinque ad januas conſiſterent, ut introeuntes aqua luſtrali expiarent: *Valentinianus* tribunus Imperatorem præcedens, ubi videt aquæ guttam ſuæ lanæ aſperſam, pugno cædit ædituum, ſeque inde non expiatum, ſed turpi labe pollutum, ait. Quod factum *Julianus* conſpicatus, *Valentinianum* ad Caſtellum in ſolitudine ſitum relegavit, ibique vitam degere juſſit. At *Valentinianus* anno & paucis menſibus interjectis, imperium tanquam mercedem ſuæ pietatis & confeſſionis obtinuit, &, ut Oroſii verbis utar, retribuente Chriſto loco perſecutoris ſui accepit Imperium.

2. VALENTINIANUS, poſt mortem *Juliani*, ab Imp. *Joviano* ab exilio revocatus, & iterum Tribunus militum factus eſt.

II. *Electio ad Imperium.*

Statim poſt obitum JOVIANI Imperator declaratus eſt, ſed quia aberat, decem dierum interregnum fuit, & cum *Valentinianus* die 24 Februar. Conſtantinopolin adveniret, eo die Imperium adire noluit, quod tum annus biſſextilis eſſet, & diem intercalarem (quo Reſpubl. Rom. aliquoties jacturam paſſa eſt) infauſtum eſſe judicaret. Die igitur ſequenti, qui fuit 25 Februarii, omnium unanimi conſenſu cum acclamationibus & laudibus ſolitis Imperator electus, & Auguſtus nuncupatus eſt.

III. *Acta in Imperio.*

I. *ACTA TOGATA.*

Hic Imperator inſignibus virtutibus præditus fuit, vitiis tamen non prorſus caruit.

1. VIR-

I. VIRTUTES.

I. *Juſtiſſimus* fuit. Nam

1. In urbe Conſtantinopoli æneum modium collocavit, ne menſuræ diminui poſſent, & quibuſdam, qui diminuerant, præcidit manus; quas ibi ſuſpendit. *Suidas.*

2. In id quoque intentus fuit *Valentinianus*, ut theſauri juſte acciperentur, h. e. ne per injuriam fiſcus augeretur, aut per injuriam exhauriretur. *Idem.*

3. Cum *Bernica* vidua de quodam Præpoſito ſuo Rhodamo, qui eam injuriis affecerat, conqueſta eſſet, *Valentinianus* judicem ei dedit *Saluſtium*, præfectum prætorio. (qui vir tantæ integritatis fuit, referente Suida, ut poſtquam imperium *Valentinianus* ſuſcepiſſet, adire Imperatorem juberet, ſi quis injuria à ſe affectus eſſet. Verum nemo queſtus eſt.) Ab hoc condemnatus præpoſitus, cum judicium illius nihili faceret, ab Imperatore in Hippico crematus eſt, omnibus bonis ipſius viduæ aſſignatis. Exemplum illud fuit juſtæ ſeveritatis.

II. VALENTINIANUS *authoritatis* obſervantiſſimus fuit.

1. Conſtituit, ne quis veſtes auratas, præter Principem, & purpuram geſtaret. Quia etiam purpurea veſtis, cujus color rubicundus, ſanguinis imperium & necis inferendæ poteſtatem notavit.

2. Cum à *Valentiniano* Imperatore milites poſtularent, ut ſocium Imperii conſtitueret, hoc reſponſi ab eo tulerunt: Ut me privatum ad Imperialem dignitatem extolleretis, in veſtra erat poteſtate. At poſtquam me jam elegiſtis, quod petitis, in meo eſt arbitrio, non veſtro. Vobis tanquam ſubditis competit parere, mihi vero quæ facienda ſunt cogitare. *Sozomenus lib. 6. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 6. Nicephorus lib. 11. cap. 1.*

USUS.

Hinc refutari poſſunt *Bucherius lib. 1. de abdicat. Henrici III. cap. 10. Roſſæus de poteſtate Reipubl. lib. 1. c. 1. n. 6. in fin.* Et *Magdeburgenſes in diſcurſu de jure Magiſtratus in ſubjectos.* Qui ſubditos Magiſtratu ſuperiores eſſe contendunt, hiſce ſiculneis innixi præſidiis. Conſtituens eſt præſtantior conſtituto. Atqui ſubditi conſtituunt Regem, Rex ab illis conſtituitur. Ergo.

Reſp. Aliud eſt conſtituere aliquem infra ſe, aliud vero conſtituere aliquem ſupra ſe. Reſpectu priori conſtituens eſt ſuperior conſtituto, ſed non reſpectu poſteriori. Sic Principes, poſtquam alternatim Rempubl. adminiſtraverant, & poſtea Numæ lampada tradebant, illum ut ſuperiorem nolentes volentes agnoſcere cogebantur. *Liv. lib. 1. Halicarn. lib. 5.* Hoc accurata lance expendit Valentinianus Imperator uti ſupra diximus.

III. VALENTINIANUS *prudentiſſimus fuit*, præcipue in Magiſtratuum & collegarum electione.

1. Cum hoſtes Imperii exoriebantur complures, (Alemanni enim Gallias & Rhetias populabantur; Sarmatæ, & Quadi, Pannonias: Picti, & Saxones, & Scoti, Britannos: Mauri & aliæ gentes, Africam: Perſæ, Armeniam: Gothi, Thraciam) ac ita collega magnopere indigeret, fratrem ſuum VALENTEM, univerſorum ſententiis congruentibus, Imperii conſortem, & Auguſtum pronunciavit Calend. April. A. C. 364. & diademate ornavit, eodemque vehiculo ſecum, ut participem legitimæ poteſtatis, cum magno decore ex ſuburbano, ubi eum produxerat, Conſtantinopolim reduxit. *Ammianus.*

2. VALENTINIANUS, cum periculoſiſſimo morbo decumberet, adeo, ut multi de ejus ſalute deſperarent, & de novo Imperatore creando conſilia conferrent, ubi hoc comperit, filium ſuum GRATIANUM nondum puberem Auguſtum proclamavit, A. C. 367. die 24 Auguſti.

II. VITIA.

1. Non leve admiſit delictum Valentinianus, quod duas uxores ſimul in matrimonio habuerit, & legem publicaverit, *licere cuivis duas ſimul habere uxores.* Siquidem Princeps non poteſt diſpenſare contra leges divinas, quia eſt Miniſter Dei. *Rom 13. v. 4.* Non enim eſt ſupra, ſed infra illas, & ad obſervandas eas obligatus, ſicut dicitur *Joſua 1. v. 8. Non recedat volumen Legis hujus ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut cuſtodias & facias omnia, quæ ſcripta ſunt in eo.* E. non *contra*, ſed *juxta* Legem Dei Princeps agere debet. Jam vero Chriſtus tanquam verus Deus digamiam in N. T. prohibuit, *Matth. 19. verſ. 5. 6.* Erunt DUO in carnem unam. Si duo debent eſſe in carnem unam, juxta Chriſti mandatum: Ergo digamia ſimultanea, h. e. ut quis duas uxores ſimul habeat, in N. T. eſt prohibita.

11. Non leviter quoque peccavit in eo, *quod nimis credulus fuerit.* Nam ſi infidis ei hominibus, quibus ſe quaſi fidiſſimis & prudentiſſimis dederat, carere, aut probatis uti licuiſſet, perfecti Imperatoris laudem conſecutus fuiſſe putaretur.

111. Reprehenditur item in hoc Imperatore, quod *natura admodum* fuerit *iracundus*, ita quidem, ut cum Quadorum Legatos, nimium iniqua ab illo populo admiſſa excuſantes, audiret, præ iracundia ſubito concideret: ſicut in cap. 3. dicemus.

I. I. *ACTA SAGATA.*

I. Difficilia bella geſſit cum Saxonibus: (quorum in bellis Impp. primum hic ſit mentio, cum quibus & poſtea tanto cum periculo dimicatum eſt, ut *Sidonius Apollinaris* Epiſcopus Arelatenſis ſcribat: *Nullus hoſtis hoſte Saxone truculentior eſt: nec robore tantum & audacia, ſed etiam conſilio & arte vincit: Improviſus aggreditur, proviſus elabitur, &c.*) Vicit tamen Saxones Valentinianus infra Coloniam Agrippinam in Tungris. *Chron. Philipp. Cruſius.*

II. Repreſſi ſunt à *Valentiniano* & Alemanni, quorum ſedes tunc fuit, ubi nunc eſt Suevia. Contra eos ad Nicrum arces condidit, liiſque præſidia impoſuit. *Chron. Philipp. Ammianus.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. VALENTINIANVS pius & in vera religione conſtans Imperator fuit. Idcirco cum ſub *Juliano* apoſtata Chriſtianum ſe profiteretur, & Ethniciſmum amplecti nollet, ab eo in exilium ejectus eſt: ſicut ſupra diximus.

II. VALENTINIANVS orthodoxos promovit, & ſubditis ſuis liberum religionis exercitium conceſſit. Nam de eo ſcribit *Ammianus*, ipſum hoc moderamine Principatus inclaruiſſe, *quod inter religionum diverſitatem medius ſteterit, nec quenquam inquietaverit, nec interdictis minacibus ſubditorum cervices ad id, quod ipſe colebat, inclinarit, ſed has partes intemeratas reliquerit.*

III. *Electionem* AMBROSII *ad Epiſcopatum Mediolanenſem approbavit.* Cum *Auxentius* Epiſcopus Mediolanenſis vitam cum morte commutaſſet, & populus ad eligendum novum Epiſcopum convenifſet, orta diſcordia res fere ad certamen venit. AMBROSIVS cum Liguriam eo tempore gubernaret, & ad ſedandum tumultum ad templum accurriſſet, de concordia ita diſſeruit, ut communibus omnium ſuffragiis nemo alius quam ipſe Ambroſius, Catechumenus adhuc, necdum baptizatus, ad Epiſcopi functionem vocaretur. Verum cum Ambroſius dignitatem Epiſcopatus repudiaret, *Valentinianum* de re geſta fecerunt certiorem: qui electionem ejus approbavit, lætari ſe dicens, tantam eſſe in præſide corporumque cuſtode pietatem, ut Deus cenſuerit animas ei commendandas eſſe. Hoc itaque modo Ambroſius à faſcibus ad pedum Epiſcopale pervenit. *Socrates lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 25.* PROBVS præfectus prætorio cum Ambroſium in Liguriam mitteret, dixit; *Vade ac age, non ut judex, ſed ut Epiſcopus.* Quo apophthegmate non ſolum Ambroſium monuit, quanta religione Magiſtratus ei gerendus eſſet, verum etiam de futuro ejus Epiſcopatu vatidicam vocem edidit.

IV. VALENTINIANVS, πεῖραν ac Epiſcopi Eccleſiæ benigno animo ſe ſuſcepturum profeſſus, ut refert *Theod. lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 5. Eſt vobis* (ait ad Epiſcopos ad ſe accerſitos, cum eligendus eſſet Epiſcopus Mediolanenſis) utpote ſacris & divinis literis inſtitutis explorate cognitum, qualis debeat eſſe is, qui ſit ad Epiſcopatum gerendum delectus: & quod neceſſe ſit, gregem ſuum non doctrina ſolum, verum etiam præclara vivendi ratione moderari, & ſe cujuſque virtutis exemplar ei præbere, ſuæque diſciplinæ rectam vitæ & morum inſtitutionem teſtem habere. Quare hominem in fide ita inſtructum in ſede & gradu Epiſcopali jam collocate, uti & nos, à quibus hoc gubernatur imperium, ei vere & ex animo capita inclinemus, & illius reprehenſionem (nam cum ſimus homines, errore labi neceſſe eſt) velut medicinam animorum cupide amplexemur. *Et rurſus cap. 6. libertatem* AMBROSII *cupide amplexatus eſt.* Nam paucis poſt diebus, cum D. Ambroſius valde libere apud Imperatorem verba faceret, reſque nonnullas tanquam minus recte à Magiſtratibus adminiſtratas coargueret, reſpondit Imperator: Novi jampridem tuam in loquendo libertatem. Qua explorate cognita, non modo non tuæ in Epiſcopum ordinationi reſtiti, verum etiam ſuffragatus ſum. Quare ſicut divina præſcribit Lex, noſtrorum animorum erratis medicinam facito. Iſta ſunt ab Imperatore & dicta Mediolani, & factitata.

USUS.

Veritas in aulis exulat. Hoc ipſemet Ludovicus XI, Rex Galliæ profeſſus eſt. Illum enim dixiſſe aliquando Hiſtorici referunt, ſe in regno ſuo, & potiſſimum in aula propria, abundare omnibus rebus, una excepta. Quam vero innueret rem, dum quæreret unus ex familiaribus aulicis, *Veritatem* eſſe reſpondit. Quare prudens & pia ejus ad filium in regno ſucceſſorem fuit hæc admonitio: Ita te gerito, ut confeſſarii, neceſſariique & familiares poſſint te libere admonere mali, quod feceris, & docere facta tua. Siquidem natura humana in his rebus, quæ ad voluptatem pertinent, ad id ſæpius inclinatur, quod ſibi detrimento eſſe ſolet, atque id unum profuturum putat, quod ipſa cupit perficere: Hincque revera in fraudem inducta, neque quid conducat, ſolertia proſpicere, neque periculis admonita, vel moleſtiam animi diſcere, vel ad id quod decet, redire poteſt.

V. Idololatriam *Valentinianus* abrogavit. Nam inter cætera ejus mandata etiam hoc exſtat lege 7. de

de Paganis: Nemo cultus vel adorationis causa clausa Idolorum templa aperiat. Longe enim à nostris temporibus abesse debet, ut maledictis idolis antiquum honorem restituamus, eorumque postes templorum coronis ornemus.

VI. Noluit fratri suo *Valenti* συμμαχεῖν, eique adversus Gothos auxilium ferre. Quoniam, dixit, apostata factus est, & impia Arianorum dogmata amplexus. *Theodoretus lib.* 4. *cap.* 31. Præterea ei denunciari jussit: Non decere ei auxilium ferre, qui contra Deum, ejusque Filium, bella nefaria gereret, ne in malitia sua confirmaretur, sicut *Nicephorus* scribit *lib.* 11. *cap.* 48, & 49. *Sæpe* etiam fratri hortator fuit, ut & veritatem amplecteretur, & ne sævitiam in recte sentientes exerceret. *Philippus in Chron.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. ΤΑ' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

Oratio προαγώνιος. VALENTINIANVS moriturus una se tantum gloriari victoria dixit. Rogatus, qua? respondit: Inimicorum nequissimum devici, CARNEM MEAM.

II. ΤΑ' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Mors ejus considerari potest *tripliciter*.

I. *Physice*, h. e. *mortis genus*; de quo ita scribunt Historici: Intulerant Quadi bellum vicinis Pannoniis: sed territi *Valentiniani* adventu pacem petivere. Ibi cum legationi Quadorum (apud Brigionem oppidum, quod Brega Silesiæ esse existimatur) responderet, qui latrocinia excusabant; subita ira incensus, cum magna vocis contentione eos objurgaret, apoplexia interiit. *Pomponius Lætus, P. Diacon. Appendix S Aurelii Victor.*

II. *Chronologice*, h. e. quando mortuus sit. nempe A. C. 375. ætatis 55, Imperii anno 11, mense 8, die 22. *Socrat. Ammian.*

III. *Theologice.* Sine baptismo decessit. Hic Quæstio moveri potest, An sit salvatus, quia non fuit baptizatus.

Resp. De salute ejus nullo modo dubitandum. Nam pertinet huc regula Theologorum: *Non privatio, sed contemtus Sacramentorum damnat.* Et recte D. Ambrosius in Oratione funebri sic de eo scribit: *Respexit Deus ardens desiderium illius, quo Baptismum expetivit.* Quo etiam referenda est illa observatio, quod Christus, cum dixisset, *Marc.* 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*: in antithesi nequaquam dixerit: Qui vero non crediderit, *nec baptizatus fuerit*, damnabitur: innuens scilicet, Baptismum non esse absolutæ necessitatis, ut sine eo etiam in casu necessitatis nemo possit fieri salvus. *Bern. Epist.* 77. postquam multa ex Ambrosio & Augustino citasset; *Vide*, inquit, *ne forte ob hoc Salvator, cum diceret, qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, &c. caute & vigilanter non repetierit: Qui vero baptizatus non fuerit, sed tantum: Qui vero non crediderit, condemnabitur: nimirum innuens, solam interdum fidem sufficere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil.* Eodem sensu Lutherus tom. 2. Ienensi Lat. 787. monstrat, *Christi fidem in Sacramento adeo esse necessariam, ut etiam sine Sacramento servare possit: ideo noluit adjicere, Qui non crediderit & non baptizatus fuerit.*

III. ΤΑ' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

I. Cum *Valentinianus* vita excederet, nec *Valens*, nec *Gratianus*, collegæ ipsius, in vicinia fuere. Duces igitur *Valentinianum II*, puerum, qui propius aderat, sexto die Imperatorem proclamarunt: quod postea non improbarunt, nec *Gratianus*, nec *Valens*.

II. AMBROSIVS in Orat. de *Valentiniano I*, Imperatore Christianissimo, ita loquitur: *Valentinianus meus candidus & ruber, habens in se imaginem Christi.* Sicut de Christo sponso cœlesti legitur, *Cantic.* 5. *vers.* 10. quod sit *candidus & rubicundus. Candidus* ob integritatem & innocentiam: *Rubicundus* vero, per fidem in Christi sanguinem, qui Christi imaginem in se portat. Et porro inquit: *Ne injuriam putes; charactere enim Domini inscribuntur & servuli, & nomine Imperatoris signantur milites* Iam vero nos omnes sumus Christi servi, & milites spirituales, qui sub vexillo ejus militant. Sicut autem servi vexillum Domini, & milites signum sui Ducis gestant: ita quoque Christi character atque signum in nobis inveniri debet.

II. VALENS.

CAPVT I.

DE ORTV.

HIC VALENS fuit Imperatoris *Valentiniani* frater. Genealogiam igitur ejus vide in historia præcedenti.

CA-

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ACTA OECONOMICA.

1. VXOR ejus dicta fuit DOMITIA, vel DOMINICA, callida & aſtuta fœmina, & hæreſi Arianæ addicta. Quæ etiam marito blandimentis ſuis perſuaſit, ut à vera religione deficeret, & Arianiſmum amplecteretur.

AXIOMA.

Corruptiones in Religione à (malis) mulieribus plerunque ſunt profectæ. Vnde malæ mulieres à D. Hieronymo vocantur *janua Diaboli, via iniquitatis*, &c. *Hieronymus in Regul. Monach. de caſtitate, tom.* 4. *p.* 268.

Exemplum hoc loco habemus in VALENTE. plura vide in hiſtoria *Juſtiniani Magni.*

11. Vnicum ex hac uxore VALENS ſuſcepit filium nomine GALLVM. Hic ob peccata parentum in pueritia juſto Dei judicio per mortem abreptus eſt. De quo ita ſcribit *Socrates lib.* 4. *cap.* 21. *Filius* Valentis (inquit) qui tenera admodum ætate fuit, forte adeo graviter ægrotare cœpit, ut Medici de ejus vita penitus deſperarent. Cujus Mater *Dominica* Imperatrix retulit ad Imperatorem, ſe per quietem ab horrendis viſis valde divexatam fuiſſe, puerumque propter contumeliam, quam BASILIVS Epiſcopus fuiſſet ab eo perpeſſus, morbo afflictari. Quæ Imperator animo diligenter complectens, accerſit BASILIVM, & quo illius faceret periculum, ſic eum alloquitur: Si vera tua ſunt de fide dogmata, precare, ne filius meus moriatur. Tum *Baſilius*, Si, inquit, credes, Imperator, quemadmodum ego, & efficies, ut Eccleſia ad concordiam reducatur, vivet puer. Cui cum Imperator minime conſentiret, Idcirco, inquit, *Baſilius* de puero fiat voluntas Dei. BASILIVM, cum hæc dixiſſet, dimitti jubet. Puer ſtatim poſt exit è vita.

AXIOMA.

Deus peccata parentum etiam in liberis punit. Exod. 20. v. 5.

Exemplum hoc loco habemus in *Valente* Imperatore ejuſque filio *Gallo.*

II. ACTA POLITICA.

I. Imperii occupatio.

A fratre *Valentiniano I.* conſors Imperii factus eſt A. C. 364. Calend. Aprii. ſicut in hiſtoria præcedenti diximus. Ille *Valentinianus* Occidenti præfuit: *Valens* Orienti. Infelix autem fratrum diſſimilitudo fuit. Nam ille orthodoxorum fautor ac protector fuit: Hic vero Arianorum. Ideo de *Valente* ſic loquitur *Nazianzenus*: *Inſurrexit repente nebula grandine plena, & pernicies calamitoſa, quæ omnem Eccleſiam contrivit & diſcerpſit Chriſti cultor pariter, & Chriſti oſor. Qui poſt perſecutorem (Iulianum) perſecutor fuit, & poſt Apoſtatam non quidem apoſtata, ſed nihilo meliorem Chriſtianis ſe prabens.*

II. Imperii adminiſtratio.

I. ACTA TOGATA.

1. VALENS Imperium ut Tyrannus (de quo in Act. Eccleſ. plenius dicemus) adminiſtravit. Nam ſciſcitatus à necromantico, quis poſt ſe regnaturus eſſet? reſpondit Magus, fore illum cujus nominis primæ literæ eſſent THEOD. (indicabat Dæmon Theodoſium M. Imperatorem.) Quare *Valens* omnes qui Theodori, vel Theodoſii, vel Theoduli, vocabantur, occidi juſſit; ſed non potuit Theodoſium M. ſucceſſorem occidere. Interque alios Theodoſiolus vir nobilis Hiſpanus neci datus eſt. Hic fuit Dux præſtantiſſimus, & à Valentiniano miſſus ſeditionem in Africa ſedavit: *Firmum*, qui Regem ſe conſtituerat, vicit, atque ita, dum Africam & Mauritaniam iterum regno ſubjecit, bene de Imperio Rom. meritus eſt. Poſtquam autem reſcivit, *Valentem* Tyrannum de ſe occidendo conſilia iniviſſe, prius Carthagine baptiſmo accepto, glorioſa morte occumbens, percuſſori jugulum ultro præbuit. Cæteri igitur, novi periculi metu, nomina ſua mutarunt. *Socrates lib.* 4. *cap.* 19. *Sozomenus lib.* 16. *cap.* 35. *P. Diacon. lib.* 12. *Zonar. Tom.* 3.

11. Nullis liberalibus ſtudiis *Valentem* Imp. eruditum fuiſſe, fatetur *Ammianus Marcellinus l.* 13. juſſit tamen ut *Eutropius* res Romanas ab urbe condita uſque ad ſuam ætatem colligeret. Id non inelegantur præſtitit *Eutropius*, cujus etiamnum exſtat (ut appellatur) Breviarium. *Balduinus de Inſtitutione Hiſtor lib.* 1.

II. ACTA SAGATA.

I. Bellum contra Procopium.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

Procopii ſeditio.

PROCOPIVS cognatus IVLIANI, (quem Iulianus etiam voluerat ſucceſſorem) Imperium ſibi

ſibi ſumſit. Latuerat hic diu in Cappadocia, & extrema inopia coactus Chalcedone tandem amicos invenit, quibus fretus Conſtantinopolin properavit, & pellecta in ſocietatem ſuam multitudine, dum cognationem ſobolis Conſtantini jactitavit, regiam occupavit : & ut favorem obtineret multitudinis, *Conſtantii* filiam *poſthumam* cum matre Fauſtina ſecum duxit, quaſi pro iis defendendis bella gereret, & primum quidem exercitum contra ſe miſſum in ſuas partes pellexit, inde Helenopolin occupavit, Nicæam obſedit, & tandem tota Bithynia potitus eſt. *Ammianus.*

II. ΤΑ' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Valentis *cum* Procopio *conflictatio, ejuſque à proditoribus traditio.*

VALENS Imperator turbatus *Procopii* aſtu, quod & Conſtantinopoli potitus eſſet una cum regia, & deinde Scytharum 10000 accerſiviſſet, quibus tot regiones occupaſſet, in animo habuit ad conditiones pacis deſcendere, quod & feciſſet, niſi à Ducibus prohibitus fuiſſet. Ideo Nicomediam occupavit, & Chalcedonem obſedit, ſed probris exagitatus obſidionem ſolvit. Inde accepit nova auxilia è Germania; & prœlio cum *Procopio* congredieus militibus teſſeram dedit, autoribus Ducibus ſuis, *Auguſtus*, quam vocem ſubinde ingeminarent: Quo facto *Procopii* exercitus ſigna ad *Valentem* detulit, & Procopius in ſylvas fugit, ſed mox à proditoribus *Gomario* & *Agelone*, quos fidos ſibi eſſe putaverat, captus & vinctus Valenti eſt traditus. *Procopius* igitur ad arborum duarum non longe inter ſe diſtantium vertices adductos, pedibus alligatus, eiſdem mox ad naturalem ſtatum ſuum redire permiſſis, diſcerptus eſt. *Socrates lib.4. c.3. Sozomenus lib.6. cap.8. Nicephorus l.11. cap.4. Ammianus.*

III. ΤΑ' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

1. *Proditorum Procopii horrenda trucidatio.* VALENS utrumque *Procopii* proditorem Gomarium & Agelonem novo ſupplicii genere crudelem in modum ferris diſſectos interemit, ſpreto jurejurando, quo ſe illis benevolum ſemper fore receperat. *Ibidem.*

Hic notandum Axioma illud Politicum : *Proditionem quidem gratam eſſe Principibus, Proditores autem inviſos.*

II. *Urbis Chalcedonis à Valente Imp. devaſtatio. Valens Procopio* è medio ſublato Chalcedonem cepit, & muros ejus diruit, quod Procopii partibus adhæſiſſent, & ſe contumeliis affeciſſent. In lapidibus autem vaticinium inventum fuit hujuſmodi: *Hos lapides transferendos Conſtantinopolin, ad aquæ ductum edificandum.* idque paulo poſt factum eſt in aquæductibus Valentinianis. *Soc.*

II. *Bellum* contra *Gothos.*

1. Difficilia bella geſſit *Valens* cum Gothis, cum quibus ſæpe dubio Marte pugnatum eſt. Et licet contra eos *Valens Trajanum* Ducem præſtantiſſimum cum validiſſimo exercitu miſerit, tamen ille à Gothis victus & profligatus eſt. De quo ita ſcribunt *Theod.* & *Niceph. Valens*, ubi trajecto Boſphoro venit in Thraciam primum, quoniam bellum vehementer extimeſcebat, longo tempore Conſtantinopoli ipſe commoratus eſt : Trajanum ducem contra Barbaros miſit cum exercitu. Ac poſtquam *Trajanus* ab hoſtibus ſuperatus rediiſſet, ignaviam ei & timiditatem in convivio Imperator objecit. Ille autem ea dicendi libertate, quæ virum fortem & ſtrenuum decet : Non ego, inquit, ô Imperator, victus ſum; ſed tu ipſe ſponte tua victoriam à te ipſo rejicis, qui ita cum Deo belligeras, momentumque quod ab eo provenit, repellens, ad hoſtes potius tranſmittis. Deus enim ſemper vincit : & victoria illis favere ſolet, qui auſpicium ductumque ejus ſequuntur. Is nunc ab adverſariorum partibus ſtat, quod contra Deum aciem inſtruere non deſinis. *Theodoretus l.4. cap.29. Nicephorus l.11 cap.40.*

II. Deinde *Valens* ipſe contra Gothos expeditionem ſuſcepit, ſed infeliciter pugnavit : de quo in cap.3. plenius dicturi ſumus.

III. *Bellum* contra *Perſas.*

Cum *Sapores* Perſarum Rex Armeniam invaderet, *Valens* contra eum exercitum miſit : præcipit tamen Ducibus, ut magis defenderent, quam bellum inferrent. Igitur laceſſiti occaſionem captantes vicerunt, & ab utraque parte in hyberna redierunt. *Ammianus.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. *Valens* Imperator initio recte ſenſit de vera religionis doctrina, quod teſtatur edictum ab eo una cum Valentiniano fratre ad Epiſcopos diœceſeos Aſianæ, Phrygiæ, Cataphrygiæ, ac Pacatianæ, miſſum : Deinde vero cum contra Gothos, qui Thraciam depopulati fuerant, expeditionem eſſet moturus, prius baptizari voluit, quare perſuaſione conjugis, quæ Ariano veneno infecta erat, ab EVDOXIO Conſtantinopolitano Epiſcopo Ariano baptiſmum accepit : eique defenſionem Ariani dogmatis & diverſum ſentientium perſecutionem jurejuran-

do ſpopondit. Et mox, quod impie promiſerat, ſcelerate perfecit. Etſi autem à fratre *Valentiniano* piiſſimo Imperatore per literas objurgatus, atque ut à perſecutione deſiſteret, admonitus fuit: tamen non obtemperavit, ſed magis etiam contra Orthodoxos exaſperatus eſt. Nam

1. *Edictum* in Oriente promulgavit, ut omnes orthodoxi Epiſcopi Eccleſiis pellerentur. Vno igitur eodemque tempore in exſilium expulit Epiſcopos, Meletium Antiochia, *Euſebium* Samoſatis, *Pelagium* Laodicea, *Barſen* Edeſſa. Denique omnes Epiſcopos (excepto *Athanaſio* Alexandriæ, *Paulino* Antiochiæ, & *Epiphanio* Cypri Epiſcopo, quos in ſuis ſedibus reliquit) quotquot cum *Euzoio* Ariano Epiſcopo communicare nolebant, graviter afflixit: quorum aliquos variis ſuppliciis affecit, quoſdam pecuniis mulctavit, quoſdam flagris cecidit: multos in flumine Oronte, quod Antiochiam præterlabitur, ſubmerſit. In ſumma hoc egit acerrime, ut tota Religio Chriſtiana in Arianiſmum verteretur. *Socrates l.* 4. *c.* 1, 2. *Theod. l.* 4. *c.* 13. & 16. *Sozomenus l.* 6. *c.* 7. & 18.

2. Legem tulit, jubens, ut Monachorum multitudo per deſerta Ægypti habitans, ad militiam cogeretur; recuſantes vero per Tribunos & milites fuſtibus cædi & interfici mandavit. *Socrat. l.* 4. *c.* 32. *Theod. l.* 4. *c.* 26.

3. Tandem *Valens*, mortuo fratre, tanquam ruptis repagulis, prorſus Satanico furore in Chriſtianos & doctores pios graſſatus, & eo veſaniæ progreſſus eſt, ut odio orthodoxorum gentibus ac Iudæis, nec non Hæreticis omnibus, licentiam daret ſacra ſua celebrandi, & idololatricas vanitates à *Ioviano* deſtructas, reflorescere permitteret: Joviſque cultum, & Bacchi, ſacraque Cereris jam non in occulto, tanquam ſub pio aliquo Imperatore, celebrarentur, ſed per medias plateas bacchantes ubique curſitarent: cum illis ſolum inimicum ſe Princeps oſtenderet, qui doctrinam Apoſtolicam prædicarent.

4. Venerunt ad *Valentem* Imperatorem Eccleſiaſtici viri octoginta & unus Nicomediam: Hi libellum ſupplicem de injuriis illatis ab Arianis Imperatori offerunt. Imperator autem illo lecto, furore accenſus, Viros illos comprehendi & interfici mandat, idque clam *Modeſto* Præfecto injungit. Hic multitudinis ſeditionem metuens, manifeſte interficere eos noluit, ſed navem paravit, ſe eos in exilium miſſurum ſimulans. Id ſupplicii ipſi fortiter & animoſe accipiunt. Nautas autem in piſcatoria navicula pone ſequi juſſit, & navem ſuccendere. Hoc ubi factum, piiſſimi illi viri innocentes mediis in fluctibus perierunt. *Imperator* vero relicta Nicomedia Antiochiam venit, ibique aliquandiu commoratus, Homouſianos multos, variis modis excruciatos, neci dedit, pleroſque vero fluviis ſubmergi curavit. *Socrates l.* 4. *cap.* 16, 17. *Theod. l.* 4. *cap.* 18. 24. *Hiſtor. Magd. cent.* 4. *c.* 3.

5. Ab Antiochia Edeſſam (ſub prætextu viſendi ibi reliquias S. Thomæ Apoſtoli) profectus, cum cognoſceret, pleroſque Chriſtianos ibi ab Arianiſmo abhorrere, (nam illis *Valens* Eccleſia interdixerat: nihilominus tamen extra mœnia in campis convenire egere, Chriſtumque magno animo, ſpretis impiorum minis, docuerunt, & palam confeſſi ſunt) præſidem generalem *Modeſtum* Imperator contumelioſis adortus eſt verbis, eique alapam impegit, eo quod principiis non obſtitiſſet, & ab Arianis diſſentientes non urbe expuliſſet. Præfectus hac contumelia accepta, Imperatori morem gerere, ſed neminem occidere conſtituit. Clam igitur illis ſignificavit, uti caverent, ne poſtridie ejus diei ſolitum in locum precandi cauſa convenirent, ſedulo proſpiciens, ut vel pauci eorum, vel nemo in diſcrimen veniret: At Edeſſeni ſpretis penitus ejus minis, multo majore ſtudio quam antea, conſuetum locum compleverunt. Qua re nunciata, *Modeſtus* quid ageret omnino non habuit. Ac licet rerum præſentium ſtatus eum incertum animi reddidiſſet, tamen in campum ire perrexit. Interim mulier, filio manu ſecum tracto, & amiculo, contra quam ſexum muliebrem deceret, negligenter ſibi circumjecto, perinde quaſi ad rem feſtinans optatam, cohortem militum, quæ Præſidem anteibat, perrupit. Quod cum vidiſſet *Modeſtus*, eam ad ſe accerſit, cauſam feſtinationis interrogat. Tum illa, Uti, inquit, ocius ad campum, in quo populus Eccleſiæ Catholicæ coactus eſt, veniam. Tunc ſola, inquit *Modeſtus*, neſcia es, Præſidem actutum eo profecturum, & quos ibi offenderit, interfecturum? Imo vero, inquit, audivi, & propterea curſu celerrimo mihi opus eſt, ne poſt tempus veniam, & ita martyrio à Deo oblato deſtituar. At cur, quæſo, inquit præſes, puerum tecum ducis? Vt ille quoque, inquit, communis martyrii fiat particeps, parque præmium conſequatur. His auditis à muliere, & intellecta præſentia animorum omnium: renunciat ad Imperatorem VALENTEM, *Fruſtra*, inquit, *iſta cades patrabitur. Nam inſaniam ſolum decerpemus ex hoc facinore, nec extinguemus promptitudinem illorum.* Atque his verbis exſpectatorum malorum ſenſum à multitudine avertit: licet Presbyteri & Diaconi ad Prætorem raperentur, ut horum alterum fieret: ut vel ipſi admitterent Lupi ſocietatem, vel exigerentur urbe, mitterenturque in ultima quædam loca. *Sozomenus lib.* 4. *cap.* 18. *Socrates lib.*

lib.4. cap.18. Theodor. lib.4. cap.17. Hiſtor. Magd. ibidem.

6. VALENS Alexandriæ *Lucium* quendam Epiſcopum conſtituit Arianæ ſectæ addictum, qui inſtar lupi Eccleſiam vaſtavit, ſic graſſatus perſecutionibus, ut nec in gentilium perſecutionibus ſimile quidquam ſit factum. *Theod. lib.4. cap.15. Sozomenus lib.6. cap.5. Socrates lib.4. cap.21.*

7. VALENS *Gregorium Nazianzenum*, & *Baſilium* cognomento *Magnum* Epiſcopum Cæſareæ (qui Arianis, hæreſin ſuam blaſphemiaſque magno furore in Oriente diſſeminantibus, fortiter ſeſe oppoſuit, & conticeſcentibus aliis, ipſe vere ſolus orthodoxam fidem libere confeſſus, ut pro *Scintilla extincta propemodum fidei* per univerſum orientem habitus ſit: ſicut *Nazianz.* eum in *Epiſt. ad Baſil.* nominat: neque vel blandimentis, vel minis ab hoc propoſito deterreri potuit) ex Eccleſiis ſuis ejicere, & in exilium mittere cogitabat, ſed tantorum virorum reverentia fuit retractus. *Sozomen. lib.6. cap.7. & 18.* Inprimis vero *Baſilii* conſtantia, & heroica animi magnitudo admiratione digna eſt, qui verbis Pſalmi 24. v. 1. *Domini eſt terra & plenitudo ejus*, &c. contra VALENTIS Imper. minas ſe erexit, & Præfecto, horrenda quævis minanti, alacriter reſtitit. Recitat hiſtoriam *Theodoretus lib.4. hiſt. Eccleſ. cap.19.* Cum *Valens* Imperator pleroſque Epiſcopos, alioſque Eccleſiarum miniſtros, quoſdam blandiendo, præmiis ineſcando, precibus, perſuaſione; alios minis, bonorum proſcriptione, exiliis atque ſuppliciis ad Arianiſmum impuliſſet, & ſolum BASILIVM conſtantem ſupereſſe videret: *Demoſthenem* quendam hominem furibundum & audacem ad Baſilium cum atrocibus comminationibus miſit. Hunc contumeliis debacchantem *Baſilius* irriſit, inter alia ei dicens: Tuum eſt, de pulmentariis cogitare, & non divina dogmata decoquere. Miſſus poſt *Demoſthenem* eſt Præfectus, cui nomen MODESTVS: qui aſtutia primum *Baſilium* aggreſſus eſt, & exiſtimavit, pollicitationibus ac muneribus *Baſilium* ab orthodoxa ſententia in Arianorum impiam hæreſin pertrahi poſſe: Itaque accerſitum ad ſe *Baſilium* honorifice tractavit, placideque allocutus hortabatur, ut tempori cedere, neque tot Eccleſias adducere in diſcrimen vellet tenui exquiſitione dogmatis: promittebat & ab Imperatore illi amicitiam & multa beneficia: At *divus* ille *vir*, *adoleſcentulis congruere tales ſermones*, reſpondit. Nam hos & ſimiles inhiare ejuſmodi rebus: qui vero eſſent innutriti divinis literis, eos nullam ſyllabam illarum in diſcrimen venire pati poſſe, ſolereque, ſi res poſcat, nullum genus mortis pro illis ſubeundum recuſare. *Imperatoris* quidem amicitiam magni ſe pendere cum pietate; qua remota, pernicioſam eſſe. Non enim perſonarum dignitate, ſed fidei integritate, Chriſtianiſmum dignoſci: ut refert *Nazianzenus*. Ferebat hoc ægre Præfectus, aiebatque, eum deſipere. Tum *M. Baſilius*: Vtinam æterna hæc mea ſit deſipentia. Denunciato igitur exilio, jubet eum cogitare, quid agat, & poſtero die ſententiam ſuam explicare: Ibi *M. Baſilius* reſpondit: Eundem ſe illi poſtridie quoque reverſurum; videret modo, ne animum ipſe mutaret, & minas exſequi nollet. *Hæc Theodoretus.* GREGORIVS autem *Nazianz. orat.* 30. quæ eſt in laudem *Baſilii* inſcripta, hæc adjicit: Præfectus *Baſilio*: Quid? poteſtatem hanc meam & Imperatoris non pertimeſcis? Cur vero pertimeſcam? reſpondit *Baſilius*: Quid fiet, quid patiar? *Quid patieris?* intulit ille; *bonorum proſcriptionem*, *exilium*, *cruciatus*, *mortem*. Tum *Baſilius*: Si quid aliud habes, id nobis minitare. Horum enim, quæ adhuc commemoraſti, nihil nos attingit. Quoniam primum *bonorum proſcriptioni* obnoxius non ſum, quippe qui nihil habeam: niſi forte laceris & detritis hiſce pannis indiges, ac paucis libellis, in quibus mihi vita ſita eſt. Nec vero *exilium* ullum cognoſco, qui nullo loco circumſcriptus ſum, ac neque terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo, & eam omnem, in quam projectus fuero, pro mea duco: Imo univerſam terram DEI eſſe ſcio, cujus advena ego ſum & peregrinus. *Cruciatus* autem, quid in me poterunt, cum corpus prope nullum, & oſſa ſine carnibus circumferam? niſi forte primam plagam dixeris; hujus enim ſolius inferendæ poteſtatem habes: Quin nec *mortem* formido; quippe quæ beneficii loco mihi erit: citius enim me ad DEVM tranſmittet, cui vivo & munere meo fungor, maximaque ex parte obii, & ad quem jamdudum propero. Hæc *Nazianzenus*. Hæc cum à Præfecto MODESTO nunciarentur *Valenti* Imperatori, minas ſuas & vim contra *Baſilium* aliquantum remiſit. Non multo autem poſt iterum iratus *Valens*, in templum cum ſatellitio irruit, ut Baſilium inde abduceret. Cum autem videret, *Baſilium* nihil conſternatum, alacriter officium ſuum in templo adminiſtrare, nullam ei vim intulit, ſed pietatem & reverentiam ſimulavit. Cumque ad aram accederet, munera oblaturus ſubita vertigine correptus ac tremebundus totus collapſus fuiſſet, niſi à Diacono quodam apprehenſus & ſuſtentatus fuiſſet. In ſacrarium igitur illatus, amice cum *Baſilio* de religione contulit. Spes tunc magna erat, meliorem fore Imperatorem: Sed à Conſiliariis improbis ad impietatem priſtinam paullo poſt retractus, iterum *Baſilium* in

exilium mittere cogitavit. Sed miraculis deterritus eſt. Sella enim, qua vehebatur, diſſoluta eſt. Deinde cum literis relegationis *Baſilii* ſubſcribere vellet, penna fiſſa eſt. Aſſumit ſecundam, & ſimiliter tertiam; quibus idem contigit. Cum autem pertinax in ſubſcribendi propoſito perſeveraret, manus illico trepidare atque horrendum in modum tremere incepit. Quo facto *Valens* vehementer conturbatus, literas diſcerpſit & abjecit. Denique filius Imperatoris (de quo ſupra dictum) ſubito in morbum deſperatum incidit. Imperator *Baſilii* preces pro filii ſalute petens, audivit, Si ipſe Imperator veram fidem ſectaretur & Eccleſias uniret, ſe bonam ſpem de ſalute filii facere; ſin minus, aliud eventurum. Cum autem *Valens* non conſentiret; inſuper etiam Arianorum preces imploraret, & prædictum filium per Arianum Sacerdotem (quod *Baſilius* prohibuerat) baptizari curaſſet; filius mortuus eſt.

MODESTUS vero Præfectus precibus *Baſilii* ex gravi morbo ſanatus eſt, atque converſus.

Poſtea EUSEBIUS, Præfectus Ponti, *Baſilium* conficto crimine accuſavit, ad tribunal adduxit, minatuſque eſt, ſe inflictis verberibus hepar tandem ex mediis viſceribus illi extracturum. Cui *Baſilius:* Gratum quid mihi (inquit) profecto feceris, ſi hepar, quod omnia membra reddit infirma, extraxeris; (ut ex habitu corporis colligere poteris:) ita enim corpus omne meum à moleſtiis ſemel liberabis. Non auſus eſt autem *Euſebius* Præfectus in *Baſilium* aliter quam verbis minacibus ſævire; parum enim abfuit, quin vulgus Præfectum trucidaret, niſi *Baſilius* id prohibuiſſet. *Theod. Hiſtor. Eccleſ. l.* 4. *cap.* 17. & in *Hiſt. Tripart.* 7. *cap.* 35. *Socrat. lib.* 4. *cap.* 26. *Sozomen. lib.* 6. *cap.* 16. *Hiſtor. Magdeb. Cent.* 4. *cap.* 3.

Prodigia.

Imperante VALENTE, multis prodigiis ſignificata mala, quæ ex impietate & ſævitia *Valentii* orta ſunt. Nam

I. A. C. 365. die 21 Julii horrendæ fuerunt *tempeſtates*, quas ſecuti ſunt *terræ motus* vehementiſſimi, adeo ut orbis terrarum mutaretur. Alicubi enim, ubi antea pedibus conficiebatur iter, jam navigandum erat, & mare in quibuſdam locis digrediebatur, & campi exoriebantur. In inſula Creta tum decem urbes perierunt. *Socrat. lib.* 4. *cap.* 3. *Sozom. Oroſ.*

II. Eodem anno apud Atrebatas *lana* vera de nubibus pluviæ miſta defluxit. *P. Diacon.*

III. A. C. 367, die 2 Julii, Conſtantinopoli delapſa *grando* adeo magna fuit, ut manum globus unus impleret, & lapidibus ſimilis eſſet.

Ac ſcribit autor Faſciculi Temporum, grandinem eam tum homines, tum jumenta interfeciſſe, eamque per iram DEI demiſſam tum multi affirmarunt, eo quod Imperator *Valens* Eccleſiaſticos multos viros, ideo quod Eudoxio communicare nollent; (ut ſupra dictum) exiliis afflixiſſet.

IV. A. C. 368. ingens *terræmotus* in Aſia exortus; quo concidit Nicæa urbs Bithyniæ, quæ ſæpe antea terræ motibus horribiliter concuſſa fuerat, undecima menſis Octobris funditus eſt ſubverſa. Nec multo poſt *Germe* civitatis Helleſponti multæ partes alio terræmotu dejectæ & concuſſæ ſunt. Quibus tamen neque *Eudoxius* neque *Imperator* motus, perſequi à ſe diſſentientes deſtiterunt. *Socrat. lib.* 4. *c.* 10. *Hieron. in Chron. Faſt. Sic.*

V. Circa annum fere Chriſti 374 magna fuit ſiccitas Cæſareæ: Quam deinde fames ſecuta eſt, vivo *Baſilio*, qui divites graviſſimis orationibus hortatus eſt, ut tenuioribus facultatibus ſuis ſubvenirent. *Baſil. ſerm.* 3. *in divites.* & *Hieron. in Chron.*

VI. A. C. 375. *Fames* graviſſima in Phrygia regionem illam oppreſſit, ut incolæ ſedes ſuas mutare alioque confugere coacti fuerint. Cauſam plerique aſſignarunt crudelitati *Valentis*, qui octoginta Presbyteros (de quibus ſupra diximus) navi impoſitos comburi curaverat. *Socrates lib.* 4. *cap.* 16. *Cent.* 4. *cap.* 3.

CAPUT III.

DE EGRESSU.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

ISAACI *Monachi prædictio.* Ferunt, *Iſaacum* Monachum, è vicina ſolitudine egreſſum, ubi vidit *Valentem* cum exercitu egredi, contenta voce ei dixiſſe: Quo proficiſceris, ô Imperator, qui auxilio DEI, quem contra bellum geſſeris, prorſus deſtitutus es? Nam quoniam tu multorum linguas ad blaſphemias adverſus eum loquendas acuiſti, & pios laudibus eum celebrantes Eccleſiis exturbaſti, idcirco ille Barbaros adverſus te concitavit. Deſine igitur tu bellum contra eum facere, & ipſe bellum contra te commotum ſedabit. Redde gregibus optimos paſtores, & victoriam facile reportabis. Quodſi, his omnibus neglectis, bellum ſuſcipias, rerum eventu experiere, quam durum ſit tibi contra ſtimulos calcitrare. Nam neque ipſe reverteris, & exercitum præterea amittes. Cui admodum iratus Imperator; Revertar, inquit, & te interficiam, falſæque prædictionis pœnas abs te repetam.

petam. Tum ille minas neutiquam veritus, clara voce, *Eneca*, inquit, *ſi quid falſi me dixiſſe deprehenderis.* Verum vaticinio eventus reſpondit. *Socrates lib. 4. cap. 35. Sozom. lib. 6. cap. 37. Theod. lib. 4. cap. 31, 32.*

II. ΤΑ' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

VALENTIS *adverſus Gothos expeditio, ejuſque tragicus exitus. Valens* A. C. 378, die 30 Maji (ut Socrates habet) Conſtantinopolin venit. Ubi à plebe probris laceſſitus, quod Gothos in Thraciam recepiſſet. Cui iratus *Valens* urbe diſcedit die 11 Junii. Gothi ſibi metuentes, Epiſcopum de pace ad Valentem miſerunt; verum nihil impetrarunt, ſed vindictæ cupidus etiam Gratiani exercitum, qui prope aderat, exſpectare noluit, ſed die 9 Auguſti pugnavit: ubi, cum Gothi ex inſidiis equitatum viciſſent, pedites in anguſtias coëgerunt, eoſque trucidarunt, quanquam non ceciderunt multi. Præſtantiſſimi viri in hac clade deſiderati ſunt, & vix tertia pars exercitus effugit. *Valens* deſertus à ſuis armigeris, neminem habuit, à quo tueretur: ideo ſagitta vulneratus, in caſam quandam munitam deportatus eſt: qua obſeſſa, cum qui intus eſſent, valide ſe defenderent, tandem Gothi ignem injecerunt, ac Imperator in ea (hoſtibus ignorantibus, quis intus eſſet) crematus eſt. Qui ex incendio fugientes capti ſunt, hæc hoſtibus nunciarunt. Ita pœnas dedit injuſtæ ſævitiæ, quam adverſus orthodoxos exercuerat. DEUS enim tarditatem, pœnæ gravitate compenſat. Exſtinctus eſt *Valens* A. C. 378. ætatis 50. cum imperaſſet annos 14. menſ. 4. dies 9. *Socrat. lib. 4. cap. 38. Theod. lib. 4. cap. 36. Sozom. lib. 7. cap. 40.*

III. ΤΑ' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

Pœna talionis. Dignum conſideratione eſt in *Valente*; quod modus pœnæ cum modo delicti tandem congruat. Ipſe juſſerat 80 Presbyteros navibus impoſitos comburi. Rurſus igitur in caſa, in quam ſe occultaverat, combuſtus eſt, atque ita ad inferos (ex igne terreno in ignem infernalem) deſcendit. Et refert *Oroſius*, Gothos petiiſſe, ut mitterentur ipſis Epiſcopi, à quibus religionis Chriſtianæ doctrinam diſcerent, & *Valentem* eis miſiſſe Doctores Arianos: atque ita Gothos primæ fidei ſuæ rudimenta ab Arianis accepta in poſterum retinuiſſe. Juſto itaque DEI judicio *Valens* à Gothis crematus eſt, quorum ille animis peſtiferum erroris virus infuderat.

XLVIII. IMPERATOR,

GRATIANUS & VALENTINIANUS II. *ſive junior.*

Fratres & Collega.

I. GRATIANUS.

CAPUT I.

DE ORTU.

I. *Generatio.*

I. PATER fuit Imp. VALENTINIANUS PRIMUS.

II. MATER fuit SEVERA. Ex hiſce parentibus natus eſt in urbe *Syrmio:* ſicut in *Hiſt. Valentiniani I.* Imper. diximus.

II. *Appellatio.*

Dictus fuit GRATIANUS. Habuit nomen & omen. Re ipſa enim Gratianus fuit. 1. *Active*, quia erga omnes gratioſus & beneficus fuit. 2. *Paſſive*, quia apud omnes gratioſus, h.e. acceptus fuit. *Victor. P. Diacon. Egnat.*

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙ'Α, & ACTA IUVENILIA.

EGregiis corporis & animi dotibus ornatus fuit. Nam,

1. Forma egregia fuit præditus.

2. Literis ab ineunte ætate haud mediocriter inſtitutus fuit. Præceptorem habuit *Auſonium* Burdegalenſem; (cujus exſtant poëmata quædam, quem *Gratianus* tandem ad Conſularem dignitatem Romæ evexit.) à quo didicit carmen eleganter ſcribere, ornate loqui, explicare controverſias more Rhetorum.

3. Cibi, vini, ſomnique parciſſimus, & libidinis victor fuit. *Vict. P. Diacon. Pompon. Lat. Egnat.*

II. *ACTA OECONOMICA.*

UXOR ejus fuit CONSTANTIA POSTHUMA, *Conſtantini* II. filia, cujus Mater *Fauſtina* fuit. quæ *Poſthuma* dicta eſt, quia *Fauſtina* mater prægnans erat, cum *Conſtantinus* moreretur; & poſt mortem demum ejus nata eſt. Cum autem *Conſtantia* adoleviſſet, *Gratiano* eſt deſponſata, ſed nullos ex ea liberos ſuſcepit.

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

GRATIANVS à patre VALENTINIANO I. insignibus imperii ornatus est, cum nondum pubertatis annos egressus esset. Cum ergo tam pater, quam patruus mortem obiissent, *Gratianus* utrique successit.

II. *Imperii administratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

1. Hic *laudatissimus* Princeps Imperium bene administravit; & insignibus virtutibus præditus fuit. Nam,

1. *Pius & religiosissimus*, atque à prima adolescentia religioni orthodoxæ addictissimus fuit, in qua etiam usque ad extremum vitæ halitum constans permansit.

2. Valde *humanus & liberalis* fuit, adeo ut ægrotos ipsemet inviserit, illisque, quo ex morbo convalescerent, medicamenta attulerit: Pauperibus item & suis victum & amictum præbuerit.

II. GRATIANVS VALENTINIANVM II. fratrem consanguineum, quem exercitus puerum adhuc vix quadrimum Imperatorem salutaverat, ab imperii societate non repulit; sed omnia ei communia fecit, & imperium cum eo divisit, & ipsi cessit Gallia, Hispania, Germania & Britannia: *Valentiniano* vero Italia, Illyricum & Africa. *Zonaras.*

III. GRATIANVS cum animadvertisset, Thraciam Daciamque possidere Gothos, atque ab Hunnis & Alanis extremum Romano nomini periculum instare; accitum ab Hispania Theodosium, ingentis animi & pietatis virum, & propter fortitudinem ac res gestas celebrem, Magistrum militiæ fecit, eumque contra Barbaros cum exercitu misit: cumque feliciter eum bellum gessisse intellexisset, consortem Imperii fecit, concessa ipsi purpura, ac Orientis & Thraciæ imperio ei tradito.

IV. *Quemadmodum nemo sine vitiis*: Ita & hic Imperator suos habuit nævos. Nam,

1. Cum *Theodosium* consortem Imperii fecisset, ex Pannonia in Gallias reversus gubernationem Imperii neglexit, & ludis, venationi, & arti scite sagittandi totum sese dedidit. *S. Aurel. Vict.*

2. Exercitum Romanum neglexit, atque militibus Romanis Alanos, Barbaros (quorum vestitu utens interdum incedebat) prætulit, unde animos Romani exercitus à se abalienavit: sicut postea in cap. 3. dicemus.

II. *ACTA SAGATA.*

Gratianus Alemannos, qui se in Germaniam ingenti exercitu (Ammianus habet ultra quadraginta millia) infuderant, apud Argentariam oppidum Galliarum felici prælio, ita ut ex tanto exercitu vix quinque millia effugerint, vicit, confisus auxilio divino: cujus ope, parvo exercitu, & minimo suorum incommodo, prope innumerabilem hostium multitudinem profligavit. Commissum est hoc prælium apud Argentoratum (quam urbem & Argentariam scriptores nominant) A. C. 378. *Paul. Oros. lib. 7. c. 23. P. Diacon. Ammian. Marcell.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. *Gratianus* paternæ pietatis æmulus fuit, & pro pace & tranquillitate Ecclesiis reddenda sedulo laboravit. *Valenti* patruo hæresi Arianæ addicto contra Scythas opem petenti, negatis auxiliis respondit: *Non esse cum Dei hoste societatem belli coëundam. Zonaras.*

II. GRATIANVS *Valentis* patrui sui crudelitatem, quam in Confessores sinceræ doctrinæ exercuerat, palam damnavit, eosque doctores & Episcopos, qui à *Valente* in exilia pulsi erant, revocavit, compensatisque damnis singulos Ecclesiis suis restituit; Hæreticos vero ex agris & finibus Ecclesiæ exterminavit, & Orthodoxam religionem unice fovit ac propagavit. Cumque Ariani ex Oratoriis seu templis passim profligarentur, expulsi Ariani doctores seorsim conventus colligebant, & seditiosum vulgus adversus Orthodoxos concitabant. *Theod. lib. 5. cap. 2. Sozom. lib. 7. cap. 15. Ambros. lib. 5. Epist. epist. 26. Cent. 4. cap. 3. Socrat. lib. 5. cap. 2. Platina*, &c.

III. Extat Epistola *Gratiani* ad *Ambrosium* Mediolanensem Episcopum scripta, in qua profitetur, se amplecti Symbolum Nicænum. & in fine Epiphonema addit: *Agnoscere se, hanc suam confessionem non ita splendidam scriptam esse, ut magnitudo rei poscat; sed dicere se de* DEO, *quantum in hac infirmitate humana juxta scripta prophetica & apostolica possit, non tantum, quantum de magnitudine rerum divinarum se dicere posse optet. Philipp. in Chron.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

CVm GRATIANVS exercitum negligeret, & Alanos, quos ingenti auro ad se transtulerat, veteri

veteri ac Romano militi anteferret, adeoque barbarorum comitatu & prope amicitia caperetur, ut nonnunquam eodem habitu iter faceret, in odium apud Romanos milites venit. *Victor.*

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Cum MAXIMVS quidam Dux exercitus Romani, qui in Britannia tyrannidem arripuerat, Gallias ex improviso adoriretur, & *Gratianus* contra eundem pugnaturus esset, legiones ab eo defecerunt, à quibus exceptus *Maximus*, ejusmodi dolo Imperatorem circumvenit.

Andragathius Præfectus Classis, & socius Maximi lectica gestatus, occurrere *Gratiano* jussus est. Interim rumor est sparsus, adventare uxorem *Gratiani*, quæ Lugduni Galliæ maritum exspectaret. Hunc rumorem *Gratianus* verum esse ratus, neque insidias metuens, ad vehiculum ultro accurrit, ex quo *Andragathius* armatus prosiliens, *Gratianum* nihil tale timentem occidit A.C. 383. die 25 Augusti, cum vixisset annos 29. (secundum Marcellinum 34) imperasset annos 16, dies sex, cum patre *Valentiniano* annos 8, & paucos menses: Cum patruo *Valente* & *fratre Valentiniano* juniore annos tres: Cum *Theodosio* annos 4, & mens. fere septem. *Socrates lib. 5. cap. 11. S. Aurelius Victor. Crusius Part. fol. 167.*

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

Cadaver *Gratiani* interfecti, *Valentiniano*, sæpe id per legatos poscenti, reddere *Maximus* noluit, ne exuviarum conspectu dolor militibus renovaretur. Non tamen diu post Tyranni & parricidæ justas luerunt pœnas. Nam THEODOSIVS M. *Maximum* comprehensum interfici jussit, *Andragathius* vero se in mare præcipitem dedit. *Zonaras.*

II. VALENTINIANVS II.
sive junior.

CAPVT I.
DE ORTV.

I. PATER fuit VALENTINIANVS I.

II. MATER fuit JVSTINA. Hæc tota Ariano veneno fuit infecta, sed vivente marito, qui orthodoxus erat, non ausa fuerat profiteri, quod Ariano dogmati esset addicta. Ipso autem mortuo, quia filius adolescens erat, palam id professa, & Catholicos, quos potuit, sedibus suis ejecit. Nam

1. Inter cæteros orthodoxos Episcopos Ambrosium acerrime persecuta est, & filium, ut idem faceret, instigavit.

2. Hæc impia fœmina (consentiente filio *Valentiniano*) BENEVOLVM Legum Scriptorem vocavit, atque ut Legem contra Homousianos conscriberet, jussit: Sed ille recusavit, se impia verba posse proferre & contra DEVM loqui. Mox vero, ne inceptum reginæ frustrari videretur, celsior ei honor promissus, si impleret injuncta *Benevolus*, qui nobilior in fide esse, quam in honoribus cuperet: *Quid mihi*, ait, *pro impietatis mercede altiorem promittis gradum? Hunc ipsum quem habeo, tolle, tantum mihi conscientia fidei maneat illæsa.* Hæc dicens, ante pedes impia præcipientium cingulum (militare ornamentum insigne) sibi ipsi detractum abjecit. *Alios* igitur ad legis proscriptionem sollicitavit *Justina.* Legis hæc fuit sententia: Vt qui cum Ariminensi (Ariana) Synodo, iisque qui postea Constantinopoli congregati fuerant, sentirent, intrepide in Oratoriis convenirent, & in religionis *Arianæ* exercitio pergerent. Si qui vero detrectarent, supplicium mortis subirent. *Theod. l. 5. c. 13. Ruffin. l. 2. c. 16. Socrat. l. 5. c. 11.*

CAPVT II.
DE PROGRESSV.

I. *ACTA POLITICA.*

Imperii occupatio, ejusdemque administratio.

I. VALENTINIANVS *junior* statim post mortem patris *Valentiniani Primi* ab exercitu (cum *Gratianus* morti paternæ non adesset) quadrimus adhuc puer Imperator appellatus est anno C. 375. Qua de causa *Gratianus* peregre reversus, milites acriter insectatus est: Quosdam etiam authores fraternæ salutationis supplicio affecit, (uti *Zonaras* refert) quod se, qui Imperator esset, non consentiente, alium elegissent. Neque tamen recusavit, quo minus fratrem Imperii consortem haberet, eumque collegam ascivit, Imperium cum eo divisit: atque ille in Oriente, *Valentinianus* vero in Occidente imperavit.

II. VALENTINIANVS, quia quadrimus adhuc puer fuit, cum ad Imperii fastigia adscendit, nihil inprimis notatu dignissimum in Imperio gessit, nisi quod instinctu matris Arianis faverit, & Orthodoxos persecutus sit. Quare *Maximus*, qui Imperium arripuerat, ei per literas significavit, ut paternam fidem servaret, neque Ecclesiis molestus esset, alioqui se coactum iri, bello ipsum reprimere. *Valentinianus* vero adhuc adolescens, non au-

fus

ſus reſiſtere matri, ſibi tamen metuens à *Maximo*, *Ambroſium* rogavit, ut pacis ſequeſter fieret: Sed legatio hæc fruſtra fuit. *Maximus* enim placide quidem legatis reſpondit, & fœdus renovavit: ſed ut audiit, legatos Alpes tranſiiſſe, ſtatim cum exercitu inſecutus, inopinanti *Valentiniano* ſupervenit, qui aſſumta matre fugit claſſe Theſſalonicam, deinde in Orientem properavit ad *Theodoſium*. Quem cū per literas compellaſſet, de ope ſibi ferenda contra *Maximum* reſpondit is: *Haud mirum eſſe, ſi ſervus Dominum ſuum contemtui habeat, cum ipſe deſerta fide vera, atque matris illecebris pellectus, verum* DEVM *ac Dominum, & creatorem ſuum, contemtui habuerit.* Ut autem non defuturum ſe ei eſſe promiſerat, ſi veram fidem amplecteretur: Sic cum ille veniſſet ad illum, liberaliter eo excepto, & copiis ingentibus comparatis, relicta Conſtantinopoli Theſſalonicam cum *Valentiniano* venit: inde Mediolanum progreſſus eſt, ſuperatiſque Alpibus circa Aquileiam *Maximum* tyrannum cepit & occidi juſſit. Eo igitur interfecto, *Valentinianus* in Occidentis imperium reſtitutus eſt. Nam *Theodoſius* ei omnia, quæ *Maximus* obtinuerat, reddidit, monuitque ut relictis Arianis Orthodoxorum fidem ſequeretur, & à perſecutione illorum abſtineret. Cumque *Theodoſius* Conſtantinopolim reverteretur, *Valentinianus* ex Italia in Gallias ſe contulit. Eas poſt interitum *Maximi* circiter quinquennium rexit. *Soer. Sigon, Egnat. P. Diacon. Pompon. Latus.*

II. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Supra diximus, quod *Valentinianus* junior à matre Arianis favente corruptus, illorum dogma amplexus, & Orthodoxos perſecutus ſit. Nam,

I. In Italia Orthodoxos perſecutus eſt, & Arianos ſuis ſedibus reſtituit, capitali ſupplicio conſtituto, ſi quis hoc impedire vellet. *Socrates.*

II. VALENTINIANVS inſtinctu matris *D. Ambroſium* Mediolanenſem Epiſcopum Arianis hæreticis cedere, & irarum plenus collecta manu levis armaturæ templum (Baſilicam vocant) in quo tunc *Ambroſius* erat, obſedit, atque illum ſacris prodire foribus juſſit. Cui *Ambroſius*: Hoc (inquit) mea ſponte facturus non ſum, neque prodam lupis ſtabulum ovium mearum, nec tradam templum illis, qui in DEVM blaſphemi ſunt: Verum ſi me occidere decretum tibi eſt, hic intus enſem haſtamque in me defigito: talis enim perquam grata mors mihi futura. Cum autem miniſtri Imperatoris templi traditionem urgerent, dicentes: Imperatori licere omnia: Ipſius eſſe univerſa: Reſpondit *Ambroſius*; Noli te gravare, Imperator, ut putes, te in ea, quæ divina ſunt, Imperiale aliquod jus habere: Noli te extollere. Sed ſi vis diutius imperare, eſto DEO ſubditus. Scriptum eſt: Quæ DEI, DEO; quæ Cæſaris, Cæſari, &c. *Imperator* cum videret, ſe conſtantiam *Ambroſii* expugnare non poſſe, à propoſito ſuo tunc deſtitit *Theod. l. 5. cap. 12, 13. Sozom. l. 5. c. 11.* & *Ambroſius Epiſtola* 34. ipſe fatetur, *Valentinianum* tanto deinde in ſe incubuiſſe affectu, ut, quem antea perſequebatur, nunc diligeret: quem antea ut adverſarium repellebat, nunc ut parentem putaret.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

ARBOGASTES Francus à *Gratiano* Imp. Comitis locum in aula, propter inſignem belli peritiam, conſecutus, eundem retinuit etiam ſub *Valentiniano* invito, poteſtateque ita abuſus eſt, ut omnia ex ſuo arbitrio Imperatorem facere vellet: quod ſibi non ferendum *Valentinianus* aliquando gladium in ipſum ſtrinxit, ſed impeditus ab aliis eum poſt Comitatu amovere conatus eſt. *Arbogaſtes* ergo eum apud Viennam Galliæ ſtrangulari curavit, A. C. 392. die 15 Martii. *Epiphan. P. Diacon. Theodoſius.*

XLIX. IMPERATOR ROM. THEODOSIUS MAGNUS.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

THEODOSIVS MAGNVS natione fuit *Hiſpanus*, ex nobiliſſima & generoſiſſima proſapia ſatus, quæ originem duxit à Trajano.

1. PATER ejus fuit HONORIVS.
2. MATER fuit THERMANTIA.

II. *Appellatio.*

I. NOMINE dictus fuit THEODOSIVS.
II. COGNOMEN fuit MAGNVS, à rerum geſtarum magnitudine.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ,

Natura & Mores.

I. VULTU, moribus & ſucceſſu ſimilis fuit TRAJANO Principi: ſumma in eo clementia, in-

incredibilis in ſuos pietas: rei militaris ſagax, nec à literis alienus, ſimplicium ingeniorum admirator, portus tranquillus & murus Eccleſiæ, oculus Reipublicæ & præſidium fuit multo magis quam Achilles Græcorum, aut Hector Trojanorum: quippe quem ad extremum vitæ halitum nihil tam ſollicitum habuit, quam cogitatio & cura de Eccleſiæ & Reipublicæ ſalute atque incolumitate. Adeoque magis gaviſus eſt, (ut Auguſtinus ſcribit) ſe membrum Eccleſiæ eſſe, quam quod in terris regnaret. *Egnatius.*

II. *Educatio.* A puero in vera religione, pietate & bonis moribus informatus, & hoc ipſo Trajano felicior fuit.

II. *ACTA OECONOMICA.*

I. VXORES habuit *duas.*

PRIOR fuit PLACILLA, inſigni pietate & virtute fœmina Nam,

1. *Maritum ad pietatem, & ut originis ſuæ & conditionis memor eſſet, admonuit.* Cum videret maritum à pietatis veræque religionis ſtudio alienum magis eſſe, quam deceret, eum hiſce verbis admonuit: Ἀεί σε, ὦ ἄνερ, σοφιστὴ λογίζεσθαι, τί μὲν ἦσθα πάλαι, τί δὲ νῦν γέγονας νῦν. Semper tibi marite cogitandum eſt, quis olim fueris, & quis nunc ſis. Si enim perpetuam ejus rei obtinueris memoriam, non prorſus te ob accepta beneficia erga DEVM ingratum præſtabis: ſed ex præſcripto legum DEI, quod ab eo accepiſti, gubernabis Imperium; & ita eum, qui tibi, ut fideli miniſtro, commiſit, rite coles. *Niceph. Calliſt. l.* 2 *c.* 24.

2. *Valde liberalis erga pauperes fuit.* Nam ad ſublevandos eos, qui mutilata haberent corpora, nihil non diligentiæ & curæ adhibuit, nec ad eam rem ſervorum opera uſa eſt, ſed illa ipſa hoc fungi miniſterio voluit. Simili quoque ratione Eccleſiarum hoſpitia viſere, ægrotis in lecto decumbentibus curationem adhibere, tractare ollas, juſculum guſtare, patinam illis deferre, frangere panem, offas porrigere, eluere pocula, omnia denique alia munera obire; quæ ſervi & ancillæ exſequi ſolent. Atque illi, qui eam ab hoc genere miniſterii avocare ſtuderent, reſpondit: Aurum diſtribuere decere Imperatorem, ſe autem pro ipſo Imperio ei, qui id ipſum dederat, illam operam offerre debere. *Theodoretus lib.* 5. *cap.* 18.

3. *Maritum ſuum monuit*, ne cum *Hæreticis* rem haberet. Cum enim Eunomius Epiſcopus Arianus diſertiſſimus in gratiam *Theodoſii* ſe inſinuare vellet, metuebat *Placilla*, ne *Hæreticus* ille κακοσολοίαις ſuis, h. e. verborum lenociniis Imperatorem circumveniret, iptique venenum infunderet, crebro Imperatorem ab ipſius converſatione dehortari ſolebat. Nam illa verbo DEI & Symbolo *Nicæno* firmiſſime adhærebat. *Sozom. lib.* 7. *cap.* 6. Et hanc conjugem ſuam Theodoſius ardentiſſime dilexit, adeo ut poſt obitum ejus ſtatuas paſſim in honorem ejus erigi, inque urbibus collocari juſſerit.

II. POSTERIOR VXOR fuit GALLA, *Valentiniani* ſoror, pia fœmina. Precibus hujus Conjugis adductus eſt *Theodoſius*, ut *Maximum* tyrannum bello aggrederetur & puniret.

III. Liberi.

I. Ex priore *uxore Placilla* ſuſcepit duos filios, *Arcadium & Honoritum.*

1. *Informatio Filiorum, & exhortatio ad eos.* Theodoſius liberis ſuis virtutis Magiſtrum, qui eos literis & moribus bonis imbueret, præficere volens, *Arſenium* Diaconum Eccleſiæ Romanæ, eruditione & virtute celebrem, (ingenti numerata pecunia) conduxit, eique filios ſuos informandos tradidit; monens illum, ut cum iis, non ut cum Imperatoribus, ſed vulgaribus diſcipulis ageret: & ut plagas, ſicubi negligentes eſſent, & officium non facerent, adhiberet: eoſque prorſus pro filiis haberet. Cum autem Imperator aliquando de improviſo Arſenii ludum literarium ingreſſus, videret filios ſuos in ſellis collocatos, *Arſenium* vero ſtantem docere, graviter indignatus eſt, & præcepit ut Arſenius ſedens doceret, filii vero ſtantes auſcultarent: qua in re Arſenius Imperatori ſic volenti, paruit. *Zonaras. Niceph. l.* 12. *c.* 23. *Socrates l.* 4. *c.* 23.

2. *Ingratitudo Arcadii erga Arſenium.* Contigit aliquando, ut Arſenius Arcadio plagas, pro certo aliquo delicto, infligeret; ibi *Arcadius* iratus, Præceptori Arſenio inſidias vitæ ſtruit, atque de eo occidendo cogitat. Sed *Arſenius* conſilio ejus cognito, clam Regia egreſſus, ſtatim ſe in vitam ſolitariam contulit, ibique inſtar Angeli vixit. Etſi autem *Theodoſius* Imperator eum diligentiſſime paſſim quæri præceperit, tamen nuſquam inventus eſt. Tandem, cum Arcadius poſt parentis mortem Arſenium in deſerto Schetim ſancte vivere comperiſſet: miſit ad eum, qui ipſius nomine veniam delicti, & benedictionem ab *Arſenio* peterent. Tandem enim Diſcipuli, provectiore ætate, intelligunt, quid Præceptorum officium requirat: & quam ingrati, cum diſcipuli eſſent, fuerint. *Ibidem.*

II. Ex *poſteriore* uxore *Galla* unicam ſuſcepit *filiam*, quæ nominata PLACIDIA, & poſtea *Conſtantio* Imperatori nupta fuit.

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

GRATIANVS *ipſum Imperii conſortem elegit.* Nam cum Scythæ poſt cladem *Valentis* Imperatoris elati ſucceſſu rerum Thraciam finitimaque loca vaſtarent, & coerceri nullo modo poſſent, *Theodoſium* virum fortiſſimum & religioſiſſimum accerſit. Hunc igitur, Ducem delectum, ablegat contra Barbaros: qui prælio victor, magnam Scythicæ gentis multitudinem cædit, cæteris in fugam conjectis, qui vel à victoribus deprehenſi, vel à ſeſe invicem obtriti perierunt. Barbaris igitur illis fere omnibus interfectis, *Theodoſius* exercitu illic relicto, ipſe victoriæ nuncius ad *Gratianum* tum in Pannonia degentem contendit. Cum ergo Imperator veritatem cognoviſſet, deque internecione Barbarorum plane conſtaret, *Theodoſii* celeritatem admiratus eſt, & rem bene geſtam laudibus proſecutus. Iam quia *Valentis* etiam partem poſt illius interitum conſecutus, providebat, ſe tam immenſam tanti imperii molem ſuſtinere ſolum non poſſe: *Theodoſium* novæ Romæ Imperatorem appellat, *partim* ut ejus induſtriam remuneraretur: *partim* quod neminem ad imperii ſocietatem magis idoneum judicaret. Tradit igitur illi univerſum *Orientem* & *Thraciam*: *Occidentem* ſibi reſervavit. *Zonaras* §. 1.

II. *Imperii adminiſtratio.*

Optimus fuit Imperator bello & pace præſtantiſſimus, Eccleſiæ inſtaurandæ & Reipub. reparandæ natus: Orthodoxæ doctrinæ amantiſſimus: atque ſummis quibuſque Principibus comparandus.

I. *ACTA TOGATA.*

Acta ejus *Togata* continent catalogum Virtutum ejus, quæ ſequentes ſunt:

I. Sapientia.

Sapienter Rempubl. adminiſtravit, quia leges ei ſalutares tulit. Nam

I. Sanxit, ne nova lex ulla promulgaretur; niſi quæ ab omnibus antea tam proceribus Cæſarei palatii, quam à Patribus conſcriptis tractata eſſet: & tum univerſorum conſenſu, tum Imperatoria authoritate confirmata. Bene enim, inquit, cognoſcimus, quod cum veſtro conſilio fuerit ordinatum, id ad ſalutem noſtri Imperii & gloriam redundare.

II. *Leges de luxuriæ frenandæ tulit*, incepitque ab ipſa aula, quam inſtituit frugaliſſimam. Superiores vero Imperatores parum lautos ſe putabant, niſi hybernæ roſæ poculis innatarent, & æſtivam glaciem falerno refrigerando adhiberent, qui dapes non ſapore, ſed ſumtu æſtimabant, quicquid attulerat extremus Oriens, vel extra Imperium ſita Colchis, &c. *Sigon.*

III. ARCADIVM natu majorem filium A. C. 383. creavit Auguſtum, eique Orientis Imperium tradidit. *Zonaras.*

IV. *Theodoſius* cum iniret annum Imperii 15. filium ſuum minorem HONORIVM A. C. 393. appellavit Auguſtum, eique Occidentis Imperium tradidit. *Idem.*

II. Clementia.

Divus Ambroſius clementiam ejus magnopere commendat, cum in Oratione funebri ait: Si magnum eſt miſericordem aut fidelem quemcunque hominem invenire, quanto magis Imperatorem, quem poteſtas ad ulciſcendum impellat, ſed revocet tamen ab ultione miſeratio. Quid præſtantius fide Imperatoris, quem non extollat potentia, ſuperbia non erigat, ſed pietas inclinet? De quo *Salomon in Prov. c.* 19. 12. præclare ait: *Iniqui Regis irritatio ſimilis rugitui leonis. Sicut autem ros in herba, ſic & hilaritas ejus.* Quantum igitur eſt deponere terrorem potentiæ, præferre ſuavitatem gratiæ? Beneficium putabat ſe accepiſſe auguſtæ memoriæ *Theodoſius*, cum rogaretur ignoſcere. Et tunc propior erat veniæ, cum fuiſſet commotio major iracundiæ.

Hujus elegans hiſtoria à Zonara recitatur: Eo tempore, quo *Eugenius* bellum grave & periculoſum commovit, cœpit *Theodoſius* Imperator pecunia defici. Plus igitur exigere undique inſtituit, quam ante contributum fuerat. Eam ob rem *Antiocheni* (quibus tributa nova imponebantur) ita indignati ſunt, ut & verbis contumelioſis debacchantur in Imperatorem, & ſtatuas prioris ejus uxoris in foro ſitas revellerent, & in publicas vias traherent. Mox furore iracundiæ, tanquam tempeſtate, mitigato, pœnitere eos cœpit commiſſorum, & intelligere, in quod diſcrimen conjecta eſſet civitatis ſalus. Deplorare igitur temeritatem, & confiteri delictum, & cum lacrymis & ejulatu implorare Deum, ut leniret Imperatoris animum, & preces illas miſerabilibus modis decantare. *Flavianus* Epiſcopus in illo periculo non ſubtraxit opem civibus ſuis, & profectus ad Imperatorem, deprecando conatur illum placare. Cum vero parum ſe proficere ſentiret, & atrocem pœnam meditari Imperatorem animadverteret, neque interpellare amplius eum auderet, & angeretur reſpectu civitatis ſuæ, tale cepit conſilium. Solebant Symphoniaci pueri

pueri ad epulas Imperatoris aliquid accinere, ut ipſe exhilararetur. Impetravit igitur ab iis *Flavianus*, quorum curatio ea erat, ut pueros Antiochenarum ſupplicationum carmina decantare paterentur. Quæ audiens Imperator, tanta miſericordia affectus eſt, ut pateram, quam forte manibus tum tenebat, lacrymis profuſis rigaret.

III. Modeſtia.

D. Ambroſius legem *Imperatori Theodoſio*, quia iracundiæ permiſerat judicium, præſcripſit, ut cauſarum de cæde cognitiones ad 30 diem protraherentur. Quoniam, inquit, iracundiæ permiſiſti judicium, & non rectæ rationi, ſed animo irato obſecutus, ſententiam pronunciaſti: conſcribe legem, qua deinceps ſententiæ per iracundiam pronunciatæ, irritæ ſint & nullius momenti: Cognitioneſque cauſarum de cæde & publicatione bonorum ad triginta dies ſcriptis proditæ maneant, uti recta ratione de illis judicium des. Atque diebus illis confectis, qui decreta illa ſcripſerint, mandata tua tibi oſtendant. Ac tum quidem compreſſa iracundia, ratione ſola cauſam expendens inquires in decreta, & ita perſpicies, iniquane ſint, an æqua? Quod ſi iniqua deprehenderis, certum eſt, ea decreta ſcriptis mandata te dilaceraturum: ſin æqua, confirmaturum: ſicque manifeſto intellecturum, numero dierum interjectarum, nihil de authoritate decretorum recte ſancitorum detractum eſſe. *Theod. d. l. fol.* 588. *Sozomenus lib. 7. cap. 24. fol* 761.

Simile exemplum habuimus in AVGVSTO *Imp.* qui Athenedoro Philoſopho cauſationem ſenectutis flagitanti, ut ſibi liceret domum redire, conceſſit. At cum ille Cæſari dixiſſet: Vale, volens aliquod Philoſopho dignum monumentum dèponere, adjecit: *Auguſte, cum fueris iratus, ne quid dixeris feceriſve, priuſquam Græcarum literarum viginti quatuor nomina apud te recenſueris. Eraſm. lib.* 4. *Apophthegm. p.* 298.

Huc pertinet elegans *ſimile Plutarchi*: Ut equis non in ipſo curſu frenum injicimus, ſed ante curſum: Sic qui propenſi ſunt ad iram aut libidinem, ante rationibus ac monitis refrenandi ſunt, prius quam in periculum ventum ſit.

Pulchrum quoque *Modeſtiæ & Clementiæ* exemplum eſt, quod exſtat apud *Zonaram*: Interea dum imperator in Occidente verſatur, Judæi conciliato & annuente *Honorato* urbis Præfecto (nam Paganus erat) magnificam in foro ærario Synagogam exſtruunt. Sed urbana multitudo ea re irritata, Præfecto maledicit: illo maledicta negligente, ſynagogam igne injecto cremat. Præfectus rem ad Imperatorem perſcribit, qui eam audaciæ pœnam ſtatuit, ut ſumtus Synagogæ perſolverent, eamque Judæis inſtaurare liceret. Hoc magnus *Ambroſius* cognito, cum quodam Dominico feſto Imperator Mediolanenſem Eccleſiam ingrederetur, *ſic exorſus eſt: Cur, Imperator, eum, qui te ex privato Regem fecit, ſuo grege tibi commiſſo, qui caput tuum prius ſqualidum diademate exornavit, tu contumeliis afficis; eos, à quibus ille rejicitur, iis præferendo, a quibus colitur, vi etiam illata, ut in media urbe, in qua Chriſtus colitur, ſynagogam Chriſti interfectoribus ædificent? Ea reprehenſione* verecundatus Imperator: *Numquid*, inquit, *Epiſcope, in Republ. bene conſtituta plebi concedenda eſt quidvis temere & impudenter audendi licentia? At ne illud quidem*, inquit D. Ambroſius, *concedendum eſt, ut Judæi in medio Chriſtianæ urbis Synagogas habeant, & blaſphemis precibus piorum aures obtundant. Ne vero iſtud decreveris, ſanctiſſime Imperator.* His lenitus *Theodoſius*, Byzantiis remiſit mulctam, & Judæos intra urbem Regiam habere ſynagogam vetuit.

IV. Authoritas.

Cum *Theodoſius* fœdus cum Gothis iniiſſet, *Athalaricus* Rex Gothorum, qui *Fridigerno* ſucceſſerat, Conſtantinopolin ad Theodoſium venit, ab eoque benigne ſuſceptus eſt. Qui cum civitatis ædificia, & populi, quaſi ad feſtum diem exornati, frequentiam cerneret, ac per ſingula mente inhæreret, poſtea etiam regiam Imperatoris ingreſſus, cum ordinem gubernationis, Senatorum & Ducum & Principis pietatem, juſtitiam & modeſtiam conſideraſſet, agnoſcens à Deo hoc Imperium ordinatum eſſe, nec felices fore eos, qui evertere illud conarentur: *Sine dubio*, inquit, *Deus terrenus eſt Imperator, contra quem quicunque manus levare annixus fuerit, ipſe ſui ſanguinis reus erit.* Ille cum vita exceſſiſſet, ab Imperatore, exequias ejus præcedente, honorifica atque ſolenni ſepultura corpus ejus terræ eſt mandatum. Gothorum autem gentes, Rege ipſorum defuncto, allecti virtute & benignitate *Theodoſii*, in fidem ac verba ejus jurarunt, atque ex eo fœderati dicti ſunt.

V. Publicæ ſalutis ſtudium.

Publicam ſalutem magis quam privatam reſpexit: idque tum in vita, tum in morte.

1. *In vita*, uti patet ex oratione ejus ad Arſenium habita. Cum enim ei filios in diſciplinam tradidiſſet, ſempiterna memoria dignum, & vere imperiale illud verbum prolocutus eſt: *Si tales ſe præbituri eſſent, ut mores vitamque ſuam ad diſciplinam & leges Dei componerent, propenſum ſe fore, ut*

eis Imperium in manus tradat, ad civium & ſubditorum commodum & utilitatem accommodatum: ſin minus, conducibilius eſſe, ut ſic privati vitam agerent, quam doctrina nulla cum periculo imperarent. Nicephorus Calliſt. lib. 12. cap. 23.

2. *In morte*, qui magis de Eccleſiæ ſalute, quam de morte ſua ſollicitus fuit. Inde *D. Ambroſius* in oratione quadam funebri cum hiſce verbis commendat: *Dilexi* (inquit) *virum, qui cum corpore ſolveretur, magis de Eccleſiæ ſalute, quam de morte propria angebatur.*

Vitia ejus.

Mixtura virtutum & vitiorum in Heroicis naturis eſſe ſolet. Exemplum habemus in Theodoſio, qui licet multis iiſque præclaris virtutibus fuerit ornatus, nihilominus tamen quoque ſua vitia habuit. Nam

1. AVARVS fuit. Cum enim bellis frequentibus fiſco exhauſto tributa nova præter ſolitum impoſuiſſet civitatibus: Populus *Antiochenus* illud tributum novum indigne tulit. Et cum Exactores cerneret multa enormia perpetrare, & ex civibus quoſdam ſuſpendere: nonnullos crudeliter tractare: alioſque in carcerem conjicere: ſeditionem movit, atque Imperatoris, ejuſque Conjugis *Placillæ* ſtatuas dejecit, & cum ignominia per civitatem in luto traxit.

11. Ὀξύχολον, ſive *Iracundus* fuit. Nam ex ejus decreto, quod præcipitis iracundiæ impetu promulgatum fuerat, magna & miſerabili clade *Theſſalonicenſes* affecti ſunt. Rapuerat auriga gubernator Ludorum Circenſium adoleſcentem ad ſtuprum. Hunc aurigam Præfectus *Udericus* incluſerat carceri. Inſtante autem ſolenni equeſtri certamine, populus *Theſſalonicenſis* illum, velut ad eam concertationem neceſſarium, dimitti poſtulabat. Quod quoniam non impetrabat, in gravem ſeditionem efferbuit, ac tandem etiam præfectum ipſum interfecit. Qua re nunciata, *Imperator* præter modum excanduit, & certum eorum numerum, qui adfuerant, interfici præcepit. Ex quo civitas multis injuſtis cædibus impleta fuit: cæſis hominum ſeptem millibus. Siquidem peregrini, qui modo vel adnavigarant, vel de via advenerant, ex improviſo apprehendebantur, fiebantque miſerabiles clades. In quibus & hoc quoque: *Mercator* pro duobus filiis captis, offerens ſe ipſum mori pro illis contendebat, quo illi ſervari poſſent. Idque ut impetraret, precii loco, quicquid auri habebat, militibus offerebat. Hi vero hominis calamitoſi miſerti, preces ejus ea conditione admiſerunt, ut unum de filiis præ altero eligeret, pro quo moreretur; duos vero dimittere ſe abſque periculo non poſſe dixerunt: ne præfinitus occidendorum numerus imminueretur. Pater itaque utrumque lamentabundus, ac plorans intuitus, neutrius electionem facere ſuſtinuit, ſed in continua hæſitatione, donec interficerentur ambo, ſuſpenſus manſit, æquali utriuſque amore victus. *Diaconus.*

11. *ACTA SAGATA.*

1. *Bellum geſſit contra Maximum tyrannum*, qui Gratianum interfecerat, ſibique Gallias vindicabat. De hoc bello *Oroſius* & *P. Diaconus* ita ſcribunt: *Theodoſius* juſtis neceſſariiſque de cauſis ad bellum civile permotus, cum à duobus Auguſtis fratribus & ultionem *Gratiani* interfecti ſanguis exigeret, & reſtitutionem Valentiniani miſeria oraret, poſuit in Deo ſpem ſuam, ſeque adverſus Maximum tyrannum ſola fide major (nam longe minor erat univerſi apparatus bellici comparatione) protipuit. *Andragathius* Maximi Comes ſummam belli adminiſtrabat. Qui cum largiſſimis militum copiis aſtuto conſilio omnes Alpium & fluminum aditus communiſſet, dum navali expeditione incautum hoſtem prævenire & obruere parat, ineffabili judicio Dei ſponte eadem clauſtra, quæ obſtruxerat, deſeruit. Ita *Theodoſius*, nemine ſentiente, ne dicam, repugnante, vacuatas Alpes intravit, atque Aquileiam improviſo adveniens, magnum hoſtem & trucem *Maximum*, & ab immaniſſimis quoque Germanorum gentibus tributa ac ſtipendia ſolo terrore nominis exigentem, ſine dolo & controverſia clauſit, cepit & occidit: *Andragathius* Comes, cognita *Maximi* nece, præcipitem è navi in vicino fluvio ſemet ipſum projiciens, ſuffocatus eſt. *Theodoſius* itaque (Deo procurante) victoriam obtinuit, atque hoc formidoloſiſſimum bellum ſine ſanguine duorum morte confectum eſt.

11. *Bellum contra Eugenium & Arbogaſtum.* Hi, poſt *Valentiniani* 11. interitum, ingenti exercitu ex Romanis & Barbaris collecto, terribile bellum adverſus *Theodoſium* movent, & ne in Italiam irrumperet, undiquaque Alpes claudunt & obſident. *Theodoſius* vero Imperator omnem ſpem in Chriſtum collocans, in vexillis pingi literas curavit, ſignificantes nomen Chriſti. Juſſit & aureos cudi, in quibus vexillum ipſe tenebat, in quo erant eædem literæ, Χ Ρ Σ. *Adductis* igitur ex Thracia copiis, præter omnem ſpem potitur clauſtris, & ſe dimittit in campos, prope Aquileiam, & ſtatim pugnandi copiam facit. *Ubi pugnatum* ancipiti marte: veteres enim legiones æquo marte pugnabant, auxiliares autem copiæ *Gothorum* vincebantur, & eorum decem millia cadebant. Idco *Theodoſius*

ſius tota nocte precibus apud Deum pro victoria ſupplicans, & proſtratus in terra dixit: *Omnipotens Deus, tu noſti quia in nomine Chriſti filii tui ultionis juſtæ prælia ſuſcepi. Si ſævis in me, vindica: ſi vero cum cauſa probabili, & in te confiſus huc veni; porrige dexteram tuam, ne forte dicant Gentes: Ubi eſt Deus eorum?* Et ſtatim petitione fruſtratus non eſt. Nam matutino tempore aciem iterum inſtruit: ubi in ipſa pugna repente tempeſtas cœlo immiſſa opitulata eſt tanta ventorum mole à tergo ſuo in hoſtium oculos atque acies, ut non ſolum quæcunque in eos jaciebantur, concitatiſſime raperet, verum etiam tela ab hoſtibus emiſſa in eorum corpora retorqueret, ictuſque eorum fruſtrarentur. *Ideo fortiſſimæ* hoſtium cohortes Duce *Arbetione* ab *Eugenio* ad *Theodoſium* tranſeunt: ubi fide accepta jubentur *Eugenium*, qui in colle eventum prælii exſpectabat, vinctum adducere: quod & factum eſt. *Eugenius* igitur captus ante pedes *Theodoſii* proſtratus veniam petiit, ac circa pedes ejus à militibus capite truncatus eſt. *Arbogaſtus* vero fuga elapſus, cum cognoviſſet, quia vivere non poſſet, poſt biduum proprio gladio ſe peremit. *P. Diaconus in Theodoſ.* §. 14.

De hoc prælio *Poëta Claudianus*, quamvis à Chriſti nomine alienus, in ejus tamen laudibus dixit:

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Theodoſius Imperator religioſiſſimus fuit. Nam

1. *Idololatriam ſuſtulit, idolorumque templa funditus evertit.* Hoc nempe requirit officium Regum & Principum, ut nutricii ſint Eccleſiæ, impium cultum auferant; contra, veram religionem promoveant.

Tulit ipſe leges, quibus ſanxit, ut ſimulacrorum delubra, ubicunque locorum in Imperio ſuo invenirentur, ex ipſis fundamentis everterentur, & pretioſior ſimulacrorum materia in alimenta pauperum expenderetur.

Similiter Templum Serapis ſubvertit, ejuſque ſimulacrum igni combuſſit. Moris erat in Ægypto, ut menſura aſcendentis Nili fluminis ad templum *Serapis* (in quo colebatur Alexandriæ) deferretur, velut ad incrementi aquarum & inundationis authorem. Subverſo autem ejus ſimulacro, ignique conſumto, omnes ſimul negabant, Serapin injuriæ memorem aquas ultra affluentia ſolita largiturum. Sed ut oſtenderet Deus, non Serapin, qui multo Nilo erat poſterior, ſed ſe eſſe, qui aquas fluminis temporibus ſuis juberet excreſcere; tanta ex eo & deinceps fuit inundatio, quantam fuiſſe prius ætas nulla meminerat. Et ideo ulna ipſa, id eſt, aquæ menſura, quam πῆχυν vocant, ad aquarum DOMINVM in Eccleſia cœpta deferri. Hæc geſta ubi religioſo Principi *Theodoſio* nunciata ſunt, extentis ad cœlum manibus, cum ingenti fertur exultatione dixiſſe: *Gratias ago tibi*, CHRISTE, quod abſque urbis illius magnæ pernicie tam vetuſtus error extinctus eſt. *Ruffinus Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 30.*

11. *Baptizatus eſt ab Acholio.* Cum *Theodoſius* Theſſalonicæ in morbum incideret, baptizari ſe voluit ab Acholio Eccleſiæ ejus Epiſcopo, quem ad ſe vocatum interrogavit prius de doctrina, ne ab hæretico Epiſcopo baptizaretur. Is cum ſe Symbolum Nicænum amplecti profeſſus eſſet, *Theodoſium*, ab ineunte ætate recte inſtitutum Chriſtianis legibus, baptizavit. A. C. 380. *Ambroſ. lib. 7. epiſt. 59.*

111. *Edictum de vera religione ſanxit.* E morbo recreatus edicto ſanxit, ne quis catholicus haberetur, niſi ſecundum Apoſtolorum dogmata crederet unum eſſe Deum, tres vere diſtinctas divinitatis perſonas, ejuſdem eſſentiæ, majeſtatis, & potentiæ. Quod decretum *lib. 7. cap. 4. Sozomeni* attingitur in Codice integre recitatur, & ſic incipit: *Cunctos populos, quos clementia noſtra regit Imperium*, &c.

Eodem anno Ariani, cum 40 annis oratoria obtinuiſſent, urbe Conſtantinopoli ſunt egreſſi: Homouſiani vero viciſſim ingreſſi, Eccleſias receperunt. *Socrates, Marcellinus, Sozomenus.*

NOTA.

Hoc Anno (nempe A. C. 388.) *Jubilæus Mundi* 87. Moſis 37. Prædicationis Chriſti 7 fuit. Unde patet, quantis eventibus inſignis ſit hic *Jubilæus Mundi*: videlicet *Theodoſii baptiſmo*, ejuſdem conſulatu primo, & *Eccleſiæ Dei* triumpho de hæreticis victis, omnium clariſſimo.

IV. *Mirum conſilium de tollendis diſſidiis in Eccleſia.* Mirum & memoria hominum ſempiterna dignum eſt ejus Conſilium, quod de componendis Eccleſiæ diſſidiis & tollendis hæreſibus ſuſcepit. Advocavit Conſtantinopolin quarumcunque ſectarum Epiſcopos, & Nectarium Epiſcopum Conſtantinopolitanum conſuluit, quonam pacto ſanari Eccleſiæ vulnera, & coiri concordia poſſet? Cui reſpondit Nectarius, Eſſe virum diſertum ac rerum peritum, adeoque ſanctarum literarum & Philoſophiæ gnarum, *Siſinium*, qui cenſeat, diſputationibus non modo non uniri ſchiſmata, ſed augeri etiam contentiones atque hæreſes. Ideoque ſuaſit, omiſſis Dialecticis pugnis, proponendum eſſe Epiſcopis Sym-

bolum orthodoxæ Eccleſiæ, quærendumque utrum illud probent nec ne. Quod ſi probent, bene eſſe: ſin rejiciant, abſque diſputatione vel monendos eſſe, ut in viam veritatis redeant, vel rejiciendos eſſe penitus. Hoc cum feciſſet, confuſi multi ab errore deſtiterunt, & orthodoxis ſeſe adjunxerunt.

Socrates diſerte inquit *lib.* 5. *cap.* 10. Τότε οἱ παρ' ἑκάστοις δοκοῦντες τὰς λέξεις ἀκριβοῦντες, τὶ ἴδιον δόγμα ἐγράφοντο. id eſt, Eo tempore, quicunque in vocibus exiliter ad calculum revocandis acuti volebant videri, peculiare dogma ſcribebant. De *Theodoſio* autem addit, cum ſingulorum dogmata collegiſſet, precatum eſſe attente: συνεχῶς αὐτὸν τὸν περὶ ἀληθείας ἐπιλογὴν. Ut à Deo juvaretur in veritatis collectione atque propagatione.

V. *Judæi Synagogam exſtruunt*, verum Ambroſii monitu diruitur, mandante Theodoſio; de quo ſupra dictum eſt.

VI. *Valentiniano Theodoſius* reddit omnia, quæ *Maximus* obtinuerat, monetque ut relictis Arianis orthodoxam fidem ſequatur, & à perſecutione Orthodoxorum abſtineat. *Sigon.*

VII. *Epiſcopos orthodoxos vocavit.* De quo *Sozomenus lib.* 7. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 7. refert quod Imperator *Theodoſius* GREGORIVM, ob vitam & doctrinam admiratus, dignum cenſuerit Præſulatu Conſtantinopolitano, h. e. quod ipſum Epiſcopis in Concilio ibidem congregatis nominaverit: ſed cum Gregorius hoc munus averſaretur, electus fuit NECTARIVS: quæ electio qualiter facta fuerit, cognoſci poteſt ex *Theodoreto*, qui *lib.* 5. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 9. recitat epiſtolam Synodicam Epiſcoporum in Concilio II. generali Conſtantinopol. congregatorum ad Damaſum & Epiſcopos Romæ congregatos, in qua inter cætera ſic loquuntur: Conſtantinopolitanæ recenti, ut ſic loquamur, Eccleſiæ Reverendiſſimum & Dei amantiſſimum *Nectarium* Epiſcopum præpoſuimus in generali noſtro Concilio, & præſente amantiſſimo Dei Imperatore *Theodoſio*, cum omnium Clericorum ac totius civitatis approbatione. Ne autem exiſtimetur Imperatorem fuiſſe præſentem tanquam κωφὸν πρόσωπον & ſine ullo per judicium ſuffragio, notetur, quod *Sozomenus lib* 7. *Hiſtor. cap.* 8. memoret, Imperatorem juſſiſſe, ut Sacerdotes nomina eorum, quos ad ordinationem dignos judicarent, chartæ inſcriberent, ac ſibi ex omnibus illis unius electionem reſervarent: quod cum ab Epiſcopis eſſet factum, Imperatorem elegiſſe *Nectarium* in Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum.

VIII. *Theodoſius gloriatus eſt de Chriſtianiſmo ſuo.* De quo *Auguſtinus* ſcribit: *Theodoſium* dicere ſuiſſe ſolitum: magis ſe gaudere, quod membrum Eccleſiæ Dei eſſet, quam quod in terris regnaret. Extra Eccleſiam enim (ut idem *Auguſtinus* teſtatur) non eſt ſalus. Nec ulla major eſt in terris dignitas, quam Chriſtianorum, qui ſervi Dei appellantur, quoniam in ornatu ſancto Dominum adorant, *Pſal.* 96. *v.* 9. eique ſacrificant. *Pſal.* 110. *verſ.* 3.

IX. *Liberalis fuit in Eccleſiæ miniſtros.* De nimia enim liberalitate in miniſtros verbi & pauperes cum moneretur, reſpondit: *Nunquam defuturam ſiſco regio pecuniam, quamdiu Eccleſiarum Doctores & homines egeni ex eo ſuſtentarentur.*

X. *Cum Theodoſius* bello finito Conſtantinopolin rediiſſet, Arianos templo primario ejecit, eoſque in ſuburbium removit, & templum *Nazianzeno* tradidit. Ariani contra *Sicarium* mittunt, qui Nazianzenum trucidet: is vero pœnitens facti, veniam petit & impetrat. *Nazianzenus.*

XI. A. C. 381. CONCILIVM *œcumenicum ſecundum*, juſſu Theodoſii, Conſtantinopoli celebratur à 150 Epiſcopis, contra Macedonianos πνευματομάχους, h. e. negantes Spiritum ſanctum eſſe Deum.

Symbolum quoque Nicænum repetitum, confirmatum, & verborum quorundam adjectione declaratum atque illuſtratum eſt. *Socrates* 5.

XII. *Per* 8. *menſes Theodoſius ab Ambroſio excommunicatus eſt.* Ubi 1. notanda *Occaſio.* 2. Theodoſii excommunicatio, ejuſdemque obſequutio. & 3. Publica abſolutio, & in Eccleſiam receptio.

1. *Occaſio. Theodoſius*, cum Theſſalonicæ ſeditio quædam orta eſſet, juſſit promiſcue ſæviri in vulgus. Miſit igitur eo militum cohortes, à quibus trium horarum ſpatio ad ſeptem millia hominum trucidata ſunt; uti ſupra dictum.

II. *Eam ob cauſam* ab *Ambroſio* excluditur octo menſium ſpatio. Nam *Ambroſius* hujuſmodi clades gemitibus plenam audiens, cum *Theodoſius* Mediolanum veniſſet, & ſolenniter in ſacrum vóluiſſet intrare templum, occurrit foris ad januas, & ingredientem his ſermonibus à ſacri liminis ingreſſu prohibuit, dicens: *Neſcis, Imperator*, perpetratæ necis quanta ſit magnitudo, neque poſt cauſam tanti furoris mens tua molem præſumtionis agnoſcit? Sed forte recognitionem peccati prohibet poteſtas Imperii; Decet tamen ut vincat hic ratio poteſtatem. Scienda quippe natura eſt, ejuſque mortalitas atque reſolutio, & pulvis progenitorum, ex quo facti, & in quem redigendi ſumus: & non, flore purpureo confidentem, infirmitates operti corporis ignorare. Coæqualium hominum es Imperator & Conſervorum. Unus enim omnium Dominus,

minus, Rex & Creator. Quibus igitur oculis aſpicies illius templum, qui eſt omnium Dominus? Quibus pedibus ſanctum illud ſolum calcabis? Qui, quæſo, manus, injuſta cæde & ſanguine reſperſas, extendere audes, & eiſdem ſacroſanctum Domini corpus accipere? Aut quomodo venerandum ejus ſanguinem ori admovebis, qui, furore iræ jubente, tantum ſanguinis tam inique effudiſti? Recede igitur, recede, ne ſecundo peccato priorem nequitiam augere contendas. Sed capeſſe vinculum, quo, ut ligeris, Dominus omnium cœlitus ſententiam dat. Quod quidem vinculum vim habet, & morbum animi depellendi, & te ad ſanitatem reſtituendi.

Huic orationi Imperator obediens (nam divinis educatus eloquiis accurate norat, tum quæ eſſent Sacerdotum officia, tum quæ Regum propria) cum gemitu & lacrymis ad palatium ſuum revertitur. Et ipſe ſic pœnitentiam egit, ut populus pro illo orans magis fleret videndo Imperatorem proſtratum, quam timeret peccando iratum; ut Auguſtinus loquitur. Nam cum excommunicatus eſſet, largum lacrymarum fontem ex oculis effudit: cumque ex eo quæreretur, quare tam lamentabiliter fleret, reſpondiſſe fertur: *Et templum & cœlum clauſum mihi eſt.* Recte dixit, cœlum ſibi clauſum eſſe: quamdiu excommunicatus viveret. Nam ipſe Chriſtus *Matth.* 18. *v.* 18. inquit: Quæcunque ligaveritis ſuper terram, ligata erunt in cœlo.

III. *Publica abſolutio, & in Eccleſiam receptio.* Theodoſius, elapſis ab excommunicatione octo menſibus, cum inſtaret dies feſtus Natalitiorum Chriſti, receptus eſt ab Ambroſio in Eccleſiam, pronunciata ei abſolutione publica poſt actam pœnitentiam. Eodem ſubmonente, Imperator tulit legem (quam propria manu literis confirmavit) qua cognitiones cauſarum de cæde, & pœnæ capitales, ab Imperatore injunctæ, in diem tricesimum differri jubebantur. Sic igitur ſacratiſſimus Imperator ingredi limina præſumens, non ſtans Domino ſupplicavit, neque flexit genua: ſed pronus in pavimento jacens, Davidicam proclamavit vocem: *Adhæſit pavimento anima mea, vivifica me ſecundum verbum tuum.* Manibus barbam, capilloſque evellens, frontem percutiens, & pavimento lacrymarum guttas adſpergens, veniam ut impetraret poſcebat. *Hanc* hiſtoriam recitans *Theodoretus l.* 5. hoc Epiphonemate claudit: *Tali, tantaque virtute, & Ambroſius & Imperator erant illuſtres. Nam utrumque ego admiror: illius quidem libertatem; hujus vero obedientiam: Itemque ferventis flammas illius, & hujus fidei puritatem.* Confer *P. Diaconum in Theodoſ.* §. 7, 8, 9, & 10.

Monitum Theologicum.

Heus, *Theodoſi*, adeſto, ut non modo Principes Chriſtianos, verum etiam de fæce vulgi homunciones, tot ſceleribus pollutos, tecum loqui & ſerio pœnitere doceas: Vel exemplo iſto, coram Deo & Angelis ejus ſceleratiſſimis Chriſtianis, qui hodie terrarum & cœli propudium apparent, cordis duritiem exprobra, & horrendos denuncia exitus.

Viri in Eccleſia celebres.

I. ACHOLIVS Epiſcopus Theſſalonicenſis, qui *Theodoſium* baptizavit, hoc tempore floruit.

II. BASILIVS Magnus A. C. 381. mortuus eſt; de quo in præcedenti hiſtoria etiam dictum eſt.

III. AMBROSIVS Epiſcopus, dum templum Mediolanenſe Arianis tradere recuſat, periculis objicitur, *Iuſtina Valentiniani* junioris matre, & *Ariana* labe infecta, exitium ei moliente. Qua de revide *Ambroſium l.* 5. *Epiſt.* 33, & 34.

IV. AVGVSTINVS A. C. 388. in Paſchate ab *Ambroſio* baptizatus eſt, cum eſſet 34 annorum, poſtea revertitur Romam, & hac æſtate Romæ commoratur, ut ineunte vere in Africam naviget, & ſcribit librum de moribus Eccleſiæ Catholicæ, & alterum de moribus Eccleſiæ Catholicæ, & alterum de moribus Manichæorum. *Auguſtinus* Anno Chriſti 391. *factus eſt Presbyter* in Eccleſia Hipponenſi, cui præfuit annos 40, ætatis circiter 37.

V. GREGORIVS NAZIANZENVS A. C. 389. moritur.

VI. DIDYMVS *Alexandrinus* vixit A. C. 392. Admiratione dignum eſt, quod de illo *D. Hieronymus* refert, cum à parva ætate oculis captum artes liberales præclare didiciſſe, & commentarios ſcripſiſſe in Pſalmos & Euangelia, &c. Et anno Chriſti 392. jam exceſſiſſe annum ætatis 83. Exſtat ejus liber de Spiritu S. quem *Hieronymus* in Latinum vertit.

VII. JOHANNEM Monachum *Theodoſius* Imperator A. C. 393, apud Thebaidem ob futurorum ſcientiam celebrem, & cujus prædictioni de *Maximo* opprimendo eventus reſponderat, de eventu belli adverſus *Eugenium* conſulit: cui ille victoriam pollicetur, ut ſcriptum reliquerunt plerique Scriptores Eccleſiaſtici.

VIII. AMPHILOCHIVS Iconii Epiſcopus, à Theodoſio vocatus, Concilio Conſtantinopoli celebrato interfuit A. C. 394. *Hic* ab Imperatore *Theodoſio* poſtulavit, ut Ariani in Dei filium maledici ex urbibus ejicerentur, aut ſaltem con-

VER-

ventus agitare prohiberentur. Imperator petitionem eam, quod durior inhumaniorque ſibi eſſe videretur, non comprobavit. Cum itaque recta oratione nihil ſe proficere poſſe perſpiceret Epiſcopus: Obliqua oratione Imperatorem flectere conatus eſt. Paucis igitur diebus interjectis, rurſus in aulam Imperatoris venit, & cum Imperatorem ſubmiſſe & ſuppliciter ſalutaſſet: Filium ejus Arcadium, qui nuper ad Imperium electus fuerat, inhonoratum reliquit, & veluti cum puero colloquens, manuque caput ejus demulcens: *Salve & tu, fili*, inquit. Imperator, quod ſenem *Amphilochium* rudiori animo eſſe, & ruſtice agere exiſtimaret, quomodo filium ſalutare deberet, docuit. Atque ille, ſufficere illi talem honorem, dixit. Imperator ira petitus, &, veluti filius injuria affectus eſſet, graviter commotus, cum convicio Epiſcopum abduci juſſit. Ille quamvis protruderetur, converſus paulum, conſiliumque occultatum animo proferens: Tu, inquit, cum homo ſis, tui filii neglectum iniquo fers animo. At quomodo putas Deum omnipotentem ferre contemtum Filii ſui, Salvatoris noſtri, quem Ariana impietas inducit? *Delectatus* hoc dicto Imperator Epiſcopum revocat, veniam precatur, ejuſque artificium admiratus, decreto Arianorum conventus ſuſtulit. *Zonaras* §. 5. *Nicephorus l. 12. c. 9. Sozomenus l. 7. c. 6.*

IX. IOANNES CHRYSOSTOMVS, patria Antiochenus, ordinatur Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ anno Chriſti 398. Hic Antiochenæ Eccleſiæ Presbyter adhuc, eas orationes ſcripſit, quæ Statuarum titulum præ ſe ferunt. *Zonaras* §. 4.

X. GREGORIVS *Nazianzenus*, Epiſcopus rerum divinarum peritiſſimus, qui pridem orthodoxos clam in S. Anaſtaſiæ æde ob hæreticorum impudentiam & audaciam docuerat: Poſt apertas orthodoxis à *Theodoſio* Eccleſias, palam filium ejuſdem cum Patre naturæ, & Spiritum ſanctum cum utroque adorandum & glorificandum prædicavit. Nam *Macedonius*, qui exiguo tempore Patriarcha Conſtantinopolitanus fuit, non ferebat, ut Spiritus vel Deus nominaretur, vel pari cum Patre Filioque potentia, eademque natura præditus diceretur. Quamobrem juſſu Theodoſii II. *Concilium œcumenicum* eſt indictum, cui 150. Epiſcopi interfuerunt, qui Spiritum ſanctum & Deum eſſe ſtatuerunt, & Patri Filioque potentia parem; *Macedonii* ejuſque ſectatorum blaſphemiam in *Spiritum S.* damnarunt, & Eccleſia Catholica ejeceruut, in Symbolum Nicænum inſerta clauſula illa, quæ incipit (ET IN SPIRITVM SANCTVM) uſque ad finem. *Zonaras* §. 4.

XI. PAVLINVS relicto vitæ ſplendore, & erogatis bonis ſuis in pauperes, fit Chriſtianus A. C. 384. & in agro *Nolano* ſeneſcit.

XII. Eodem anno SEVERVS SVLPITIVS illuſtri genere prognatus, Chriſtianam religionem profitetur in Galliis; ſequens veſtigia Martini Epiſcopi Turonenſis. *Sulp.*

XIII. HIERONYMVS A. C. 395. ſacra Biblia ex Ebræo vertit latine, & ſua verſione antiquat eam, quæ ex 70. Interpretibus verſa in uſu erat. *Sigeb.* Antiqua autem illa verſio ex 70. retenta fuit poſtea in Pſalmis, neglecta verſione Hieronymi.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. MORBVS. Poſt victoriam ab Eugenio reportatam *Ambroſium* accerſivit Aquilejam, & inde cum eo Mediolanum acceſſit, ubi aſſumto *Honorio* triumphat A. C. 394. & paucis diebus poſt intercutis morbo laborare cœpit.

II. TESTAMENTVM. Ingraveſcente morbo, duobus filiis teſtamentum condidit: ARCADIO Orientem, HONORIO Occidentem regendum tradidit, & illi *Ruſinum*, huic *Stilichonem* tutorem adjunxit.

III. *Oratio* ΘΕΟΔΟΣΙΟΥ. Theodoſius moriturus vocavit filios *Arcadium & Honorium*, eoſque ardenti affectu ſerio cohortatus eſt, per ſalutem ipſorum & Reipubl. obteſtans, ut ſua veſtigia inſequentes hoc ſibi unice curæ eſſe vellent, quo fidei & pietatis doctrina pura & incorrupta conſervaretur, & ad poſteros propagaretur: In eo conatu nullis laboribus ac ſumtibus parcerent. Nam in hoc uno ſummam felicitatis eſſe poſitam; hacque ratione unica, nec ulla alia recte firmari pacem, confici bella, erigi trophæa, & parari victorias. *Theodor. lib. 5. cap. 25.* & alii.

Parentes ante mortem liberos ſuos ad pietatem & virtutem exhortentur, iiſque benedicant.

EXEMPLA.

I. Biblica.

I. ISAACVS moriturus filiis ſuis, nempe JACOBO & ESAV, benedictionem non tantum optat, ſed etiam donat. Quæ benedictio *Gen.* 26. deſcripta exſtat.

II. JACOB moriturus 12. filios ſuos benedicit: quæ benedictio continetur in *c. Gen. 49. à v. 1.*

uſque

usque ad v. 28. In illis namque ordine 12 filios suos *Jacobus* benedixit, illisque prædixit, qualis cujusque tribus sors futura sit.

III. DAVID moriturus ad *Salomonem* filium suum, & regni hæredem ait: Ego ingredior viam universæ terræ, confortare & esto vir, & observa ut custodias mandata Domini Dei tui. 3 *Reg.* 2.

IV. TOBIAS in hora mortis suæ vocavit ad se *Tobiam* filium suum, & septem juvenes nepotes suos, dixitque eis: Audite filii mei patrem vestrum: Servite Domino in veritate: & inquirite, ut faciatis, quæ placita sunt illi: & filiis vestris mandate, ut faciant justitias & eleemosynas, ut sint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute sua. *Tob.* 14. *v.* 5, 10 & 11. Plura exempla invenies in histor. Constantii Chlori Imp. patris Constantini M.

II. Profana.

1. *Scilurus* Scytha *octoginta liberos* masculos habens, cum esset moriturus, fasciculum jaculorum singulis porrexit, jussitque rumpere. Id cum singuli recusassent, eo quod videretur impossibile, ipse singula jacula eximit, atque ita facile confregit omnia, filios admonens his verbis: Si concordes eritis, validi invictique manebitis; contra si dissidiis & seditionibus distrahemini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles. Non potuit Scytha magis Scythice rem ob oculos ponere. Fratrum scilicet inter se concordiam quovis muro firmius esse munimentum. *Plutarchus in Apophtheg. Stob. serm.* 82.

II. SEVERUS Imp. moriturus ad se vocavit *M. Antoninum* & *Getam* filios, à quibus quid vellet percunctatus: Facite, inquit, ut conveniat inter vos, locupletate milites, cæteros omnes contemnite. Sciebat enim, filios regni cupidissimos post mortem de successione disceptaturos: & nisi pecunia militum animos flecterent, penitus interituros esse. *Dion.*

II. TA' ΠΡΑΧΘΈΝΤΑ.

Theodosius, A.C. 395, hydropisi mortuus est *Mediolani*, cum vixisset annos 50, imperasset annos 17. *Victor. P. Diaconus.*

III. TA' ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ.

Corpus ejus eodem anno Constantinopolin translatum, ibique magnifice sepultum est. *Zos. P. Diaconus.*

Postremus hic Imperator Orientis & Occidentis Imperium solus tenuit. Et mors ejus vere fuit fatalis ad ruinam & interitum Imperii Occidentalis: ut secum abstulisse pacem & quietem Ecclesiæ & Reipub. pene omnem videatur. Statim enim ab ejus obitu *Italia* magno motu labefactata, nec multo post in hostium ditionem potestatemque redacta est, ut ex sequentibus patebit.

L. IMPERATOR ROM.
ARCADIUS & HONORIUS Collegæ.

I. ARCADIUS.

I. ORTUS.

I. PATER ejus fuit THEODOSIUS MAGNUS.

II. MATER fuit PLACILLA.

II. PROGRESSUS.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΊΑ.

Natura & Mores.

Formosus fuit, & ingenio solerti præditus, inque vera religione ab *Arsenio* diligenter informatus, cui, cum ab illo plagas accepisset, insidias struxit: de quo in historia Theodosii M. plenius *in c.* 2. diximus.

II. ACTA OECONOMICA.

I. UXOR ejus fuit EUDOXIA, ambitiosa & superba mulier, & πολυπράγμων, quæ negotiis Imperii sese immiscebat. Ideoque à Johanne Chrysostomo reprehendebatur. Qui ipsius instinctu bis in exilium ejectus est.

II. LIBERI. Ex uxore Eudoxia suscepit unicum filium, nempe THEODOSIUM II, qui postea Imperator factus, & tres filias *Flaccillam*, *Martianam*, & *Pulcheriam*: quæ virginitatem perpetuo servavit, summa bonitate, integritate & sanctitate; religionis observantissima cultrix. *Pomp. Lætus.*

III. ACTA POLITICA.

I. *Imperii occupatio.*

A patre suo *Theodosio M.* adhuc vivente *consors imperii* electus est anno 5. Imperii ejus. *Post mortem* vero ejus *Imperator Orientis* (ut & frater ejus Occidentis) ex testamento Patris factus est. Ipse vero moriens, quia nondum per ætatem Imperio maturi esse videbantur, testamento Imperii tutores ordinavit, qui liberorum ætatem adultam supplentes, regni curam gererent, Rufinum Arcadio, Honorio Stiliconem adjungens. *Victor.*

II. *Imperii administratio.*

1. *ACTA TOGATA.*

Consiliarios suos *Arcadius* & *Honorius* in summo honore habuerunt, eorumque dignitatem defenderunt. Nam legem tulerunt: *Quisquis* scelestam inierit factionem, aut factionis ipsius susceperit sacramentum, vel dederit: de nece etiam Virorum illustrium, qui consiliis & consistorio nostro intersunt: Senatorum etiam (nam ipsi pars corporis nostri sunt) cogitaverit: (eadem enim severitate voluntatem sceleris, qua effectum, puniri jura voluerunt:) *Majestatis reus esto.*

Verum Tutores & Consiliarii perfidi fuerunt, & potestate sibi concessa abusi sunt. Nam,

1. RUFINUS, homo improbus, à quo *Arcadius* totus pendebat, clam missis muneribus Gothos sibi conciliavit, Regique *Alarico*, ut arma caperet contra *Arcadium*, persuasit. Hunc enim metu isto perterritum impellere moliebatur, ut collegam se adsciscceret, atque Imperatorem se nominaret, ut pulchre ait *Claudianus*:

——— apprehensa veste morantem
Increpat Arcadium, *scandat sublime tribunal,*
Participem sceptri socium declaret honoris.

Verum *Stilico* cum exercitu transit in Græciam, ut *Alaricum* (qui à *Rufino* clam erat evocatus, qui eam vastet: quod libentissime fecit, & urbes quasdam exscindebat, præter Thebas & Athenas) pellat: sed fraude *Rufini Stilico* accipit mandatum ab *Arcadio* Imp. ut omisso hoste exercitum statim Constantinopolin mittat: qua de re iratus, ipse quidem in Italiam regreditur, sed *Gaina* Duci mandat, ut fraudem *Rufini* ulciscatur, & eum trucidet; quod & factum est, cum *Arcadius* exercitui obviam iret, ubi *Rufinus* à militibus occisus est. *Caput* ejus cuspidi affixum, ad portam urbis Constantinopolis collocatum est, ut spectantibus ludibrio esset. Dextra etiam contumeliæ causa per urbem circumlata, additis his verbis: Date stipem viro inexplebilis avaritiæ. De quo similiter *Claudianus l.* 1. *in Rufinum.*

Dextera quin etiam ludo concessa vagatur
Æra petens, pœnasque animi persolvit avari
Terribili lucro, vivosque imitata retentus
Cogitur adductis digitos inflectere nervis.

Usus.

Status piorum in hac vita est instar *Comœdiæ*: Impiorum vero instar *Tragediæ*. h. e. Pii in vitæ progressu cruce & calamitate premuntur, sed in vitæ egressu ab eadem liberantur & exhilarantur: Contra autem impii in vita sua summa felicitate atque gloria fruuntur, sed tandem in exitu vitæ horribiliter à DEO puniuntur. Unde fit ut non tantum pii in Ecclesia, sed etiam gentes extra Ecclesiam hac mirabili planeque inæquabili piorum & impiorum sorte scandalizentur. Quia Crucis mysterium, quod rationi humanæ est absconditum, non intelligunt. De quo pulcherrimi versus *Claudiani lib.* 1. *in Rufin.* sunt notandi:

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.
Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi,
Præscriptosque maris fines, annique meatus,
Et lucis noctisque vices: tunc omnia rebar
Consilio firmata DEI, *qui lege moveri*
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phœben alieno jusserit igne
Compleri, solemque suo: porrexerit undis
Littora: tellurem medio libraverit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Adspicerem, latosque diu florere nocentes,
Vexarique pios: rursus labefacta cadebat
Religio, caussaque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ currere semina motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte, regi: quæ Numina sensu
Ambiguo vel nulla putas, vel nescia nostri.
Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Absolvitque DEOS. *jam non ad culmina rerum*
Injustos crevisse queror: tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant.

II. EUTROPIUS. Hujus quidem summa apud *Arcadium* potentia fuit, & primus ex eunuchis dignitatem Consularem ab Imperatore obtinuit: sed *Rufino*, cui successit, nihilo melior fuit. Nam vendidit Magistratus: provincias, quibus vellet, eripuit: honoratissimos quosque calumniatus est, eosque in exilium egit. *Stiliconem* etiam in Occidente hostem Imperii publice declarari jussit: insuper GILDONEM Comitem in Africa ad suas partes traduxit, & ut Africam occuparet, eamque tanquam jussu *Arcadii* obtineret, decrevit. *Et hic notandum*, ipsum sedulo operam dedisse, ut lex ab Imperatoribus promulgaretur, ne quisquam ad Ecclesias, tanquam ad asylum, profugeret: Sed ut hi, qui eo profugerant, inde abriperentur. Qua lege confestim ille ipse pœnas dedit. Nam cum illius fallacia deprehensa, quod Imperatori perfidus esset, imperiumque affectaret, Imperator ipsum è medio tollere sibi proposuit. Quod cum *Eutropius* animadverteret, ad Ecclesiam, ubi securus

turus esse putabat, confugit. Verum secundum legem latam ex templo extractus est, illique caput præscindi *Arcadius* jussit. *Socrates Histor. Eccles. lib. 6. cap. 5.*

AXIOMA.

Pernicioſa conſilia plerumque in authores redundant, à quibus profecta ſunt.

EXEMPLA I. BIBLICA.

I. HAMAN patefactis calumniis, quibus impetraverat edictum de tota gente Judæorum delenda, pœnas meritas debitasque persolvit. Nam de ea ipsa furca, quam Mardochæo erexerat, ipse suspensus est. *Esther. 7.*

II. ACHITOPHEL, etsi consilium ejus callide excogitatum erat in perniciem Davidis, tamen divinitus impeditum est, & in caput autoris redundavit. *2. Sam. 17.*

II. PROFANA.

1. LYCURGUS legem scripsit, ne mulieres in festo mysteriorum curru veherentur; quæ vero id feciſſet, mulctam lueret, quam ipse idoneam putans constituerat. Prima vero ipsius uxor adversus hanc legem deliquit, atque damnata pœnam subivit. *Ælian. lib. 13.*

2. ZALEUCUS Locris occidentalibus leges dedit, ut adultero bini oculi effoderentur. Filio Zaleuco paulo post in adulterio deprehenso, ne authoritas legum imminueretur, curat filio unum, sibi alterum erui oculum.

3. CHARONDAS Tyrius prohibuerat in Senatum inferre telum seu gladium. Cum aliquando properaret in curiam, & oblitus fuisset deponere gladium, propterea que suam ipsius legem violasse diceretur, se ipsum suo gladio transfodit.

4. *Exemplum* habemus in EUTROPIO, de quo jam dictum.

III. GAINA (ab aliis vocatur CAIANUS) haud diu post Gothorum auxilio fretus, *Arcadium* ex Imperio excussurus bellum civile contra eum movit: *Thraciam* & loca vicina igni ferroque vastat: Constantinopolin quoque astu occupare conatur, sed divinitus servata est. Nam cum *Gaina* Regiam noctu incendere conaretur, & domum incustoditam Præsidis esse constaret, conspectus est exercitus Angelorum in muris, qui milites *Gainæ* depulit: ideo ad Hellespontum properat, cum hostis ab Imperatore declaratus esset. Contra eum mittitur ab Arcadio *Fravita*, qui Præfectus maris erat, qui *Gainæ* copias, dum transire conantur, vincit, demergit, & victor ad Imperatorem redit. Gaina victus trans Istrum cum suis properat: ubi HULDES Hunnorum Princeps, ut *Arcadio* rem gratam faceret, sæpius prælio cum *Gaina* congreditur, eum vincit tandem, & obtruncat, caputque ejus Constantinopolin mittit, ubi pilo suffixum fuit. *Zosimus.*

IV. GILDO Africam suo dominio subjicit, impeditque ne frumenta Romam mitterentur. Propter hanc perfidiam reprehensus à fratre *Maecezel* (ab aliis scriptoribus vocatur *Masceltzer* vel *Mazesceles*) se Ducem contra eum offert. *Gildo* cum hæc comperisset, fratris liberos jugulat, & scelus scelere cumulat. Sed *Maecezel* cædem filiorum ulturus, ex Italia copias contra eum adduxit, cumque dies ac noctes aliquot precibus ac vigiliis consumsisset, cum quinque millibus septuaginta millia militum, DEI nutu, sine prælio in deditionem accepit. Nam cum ad eos, qui primo occurrerant, pia verba pacis jactaret, signiferum quendam insolenter obsistentem gladio percussit in brachio, eumque manu debilem ipso coëgit vulnere inclinare vexillum. Quo viso, auxiliarii *Gildonis* Barbari terga illico dederunt. *Gildo* & ipse arrepta navi fugit, sed vento in Africam repellitur; ubi capitur & strangulatur, & urbs Roma statim difficultate annonæ sublevata est.

Verum *Maecezel* elatus rerum secundarum insolentia, & tumens, posthabito sanctorum consortio, cum quibus antea DEO militans vicerat, etiam Ecclesiam DEI temerare ausus est, atque ex ea quosdam non dubitavit extrahere. Secuta mox pœna sacrilegum est. Nam iisdem superstitibus atque insultantibus, quos ab Ecclesia ad pœnam protraxerat, post aliquantum solus ipse punitus est. Probavitque in se uno, ad utrumque semper divinum vigilare judicium, quando, & cum speravit, adjutus est, & cum contemsisset, occisus est. *P. Diacon. in Arcad. & Honor. §. 3.*

Alii Historici vero referunt, quod, cum Africam armis receptam ad se trahere conatus esset, à militibus, qui imperii ejus pertæsi, obtruncatus sit.

II. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. PIETAS. Constantinopoli *Arcadius* precaturus templum ingressus erat. Successerat autem ad proximam domum promiscui generis immensa hominum turba, ut propius Imperatorem contuerentur. Vixdum Imperatore digresso, domus ea maxima templo cohærens, in qua fuerat hominum multitudo, subito corruit, cum ingenti admiratione & stupore populi. Sequebatur autem exclamatio, ob orationem pii Principis ruinam imminentem

nentem ſuſpenſam, tantamque multitudinem fuiſſe liberatam. *P. Diaconus.*

II. *Inſtinctu uxoris Eudoxiæ* CHRYSOSTOMUM *bis in exilium ejecit. Eudoxia* inimica fuit *Chryſoſtomo* ejus faſtum taxanti, nec quievit priuſquam eum Epiſcopatu dejiceret, atque in exilium pelleret, marito ad hoc facinus perſuaſo. Mandato ergo *Arcadii* Eccleſia Conſtantinopolitana pellitur A. C. 402: Sed cum populus tumultuaretur, & *Chryſoſtomum* deſideraret, revocatus, inque ſolium ſuum reſtitutus eſt. *Socrates.* Verum cum in *Eudoxiam* Auguſtam linguam exacuens pro concione quædam dixiſſet liberius, mandato *Arcadii* iterum in exilium abdicatur A. C. 404. Statua namque argentea *Eudoxiæ* Imperatrici non longe à templo Sophiæ Conſtantinopoli collocata, quum inde eccleſiaſticæ ceremoniæ, quando ludi populares ibi celebrarentur, impeditæ ſunt: *Chryſoſtomus* publice hujuſmodi ludos vituperat. Quod in ſui contumeliam *Eudoxia* arripiens, alios Epiſcopos conſilio *Theophili* convocat, qui *Chryſoſtomum* ejiciant. Quare *Chryſoſtomus* efferveſcens, ſuam concionem ita inchoat: *Herodias* denuo commovetur, inſanit: ſaltare pergit, denuo caput *Johannis* in diſco accipere quærit. *Secundo* menſe poſt, quo *Chryſoſtomus* in exilium pulſus, (quod paulo ante Paſcha factum) *templum Sophiæ* incenſum fuit, & aliqua pars urbis cum curia deflagravit. Inuſitatæ quoque magnitudinis *grando* Conſtantinopoli decidit, & *Eudoxia* in partu miſerabiliter exſtincta eſt menſe tertio poſt Chryſoſtomi damnationem.

III. *Joannes Chryſoſtomus* cum exulaſſet annos 3, menſes 5, ad *Chriſtum* migrat A. C. 407. 14 Septembr. cum vixiſſet annos 52, & Epiſcopatum Conſtantinopolitanum tenuiſſet annos 5. menſ. ferme 6. *Nicephor. lib.* 13. *cap.* 34. *Socrat. Zonaras.*

CAPUT III.

DE EGRESSU.

Arcadius A. C. 408. mortuus eſt, cum vixiſſet ann. 31, regnaſſet cum patre ann. 13, poſt ejus obitum ann. 13, menſ. 3, dieb. 15. relicto filio *Theodoſio*, quem, cum ſe mori cerneret, videns filium parvulum eſſe, (fuit enim octo annorum) conſideranſque ne à quodam inſidiis appeteretur, Imperatorem appellavit, & ei Curatorem per teſtamentum fore ſtatuit Hiſdigerden Perſarum Regem. *Onuphr. Socrat. P. Diacon. in Arcad. & Honor.* §. 4.

II. HONORIUS.

CAPUT I.

DE ORTU.

I. PATER ejus fuit THEODOSIUS M.

II. MATER fuit PLACILLA. Ex hiſce parentibus natus eſt A. C. 384, die 9 Septembris.

III. SOROREM habuit PLACIDIAM, ex poſteriore *Theodoſii M.* uxore *Galla* natam. Hæc *Adulpho* ab *Alarico Rege Gothorum* propinquo ejus eſt deſponſata, atque in matrimonium locata. Multum ea Romano imperio profuit. Nam cum *Adulphus* (alii habent *Ataulfus*) ad urbem Romam funditus evertendam cum exercitu eſſet regreſſus, *Placidiæ* interceſſione ſervata eſt, quæ mariti animum blandimentis ſuis à propoſito avertit. Cum vero *Adulphus* dolo militum periiſſet, vidua eſt relicta. *Honorius* vero frater cum *Conſtantium* patricium adverſus *Conſtantinum* Tyrannum cum exercitu mitteret, ei ſpem fecit conjugii cum *Placidia* ſorore, & Imperii, ſi Tyrannum eſſet oppreſſurus. Oppreſſo ergo Conſtantino Tyranno, belloque finito, *Honorius Conſtantio Placidiam* dedit uxorem, illumque Imperii conſortem fecit. Genuit autem ex ea *Valentinianum* III, & filiam *Honoriam.*

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

I. ACTA OECONOMICA.

I. UXORES habuit *duas*, ambas *Stiliconis* Vicarii ſui filias. PRIOR dicta eſt MARIA, quæ repentina morte obiit, antequam in domum Imperatoris deducta fuit. POSTERIOR dicta eſt THERMANTIA, quam *Stilico* pater luctu finito ei deſponſavit; Sed etiam repentina morte exſtincta eſt, antequam *Honorio* copularetur. Unde nullam poſt ſe ſobolem reliquit. Nam ſorores ambæ (ut dictum) quas duxerat, antequam nuptiis & concubitu ejus potirentur, morte præreptæ fuerunt.

II. ACTA POLITICA.

1. *Imperii occupatio.*

A. C 343. *à patre Theodoſio Auguſtus* appellatus eſt. Pater vero cum eſſet moriturus, quia nondum fuit ætas matura Imperio, *Stiliconem* ei adjunxit tutorem, & poſtea ex teſtamento patris Occidentis Imperator factus eſt. Vide *hiſtoriam Arcadii cap.* 2. *Act. Polit.*

II. *Im-*

II. *Imperii administratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

I. *Gladiatoria* certamina Romæ prohibuit, hac occasione, quod monachum *Telmatium* populus, qui cædes hasce ex indignatione abominabatur, lapidibus obruerent. *Sig.*

II. *Bonos Consiliarios elegit.* Quo nomine eum laudat *Claudianus*:

Ut fortes in Marte viros animisque paratos,
Sic justos in pace legis: longumque tueris
Electos: crebris nec succedentibus urges.

III. *Ignavus & negligens fuit in gubernatione*; adeo ut literis, quas suo nomine scribi jusserat, non lectis prius subscribere soleret. A qua consuetudine parum laudabili avocatura cum soror *Placidia*, literis scribi jubebat, in quibus Imperator affirmaret, se nuptui dare sororem cuidam ex infimæ sortis famulis. Quibus cum manu sua Imperator subscripsisset: *soror* assumtis secum literis istis Imperatorem accessit, supplexque coram eo in genua provoluta, de injuria & contumelia, qua ab ipso afficeretur, dum infelices adeo sibi pararentur nuptiæ, conquesta est. Mox Imperatori, vanas eas querelas esse contendenti, literas manu ipsius subscriptas obtulit. Ubi cum manum suam ille agnosceret, pravam & parum tutam esse consuetudinem suam intellexit, & deinceps ea abstinuit.

IV. *Ingratus fuit erga sororem* ejusque liberos. Placidia, post mariti Constantii obitum, (qui immatura morte sublatus est) cum liberis, ob suspicionem invitatorum hostium, jussu Honorii pulsa. A *Theodosio* vero II, *Arcadii* filio, honorifice libenterque suscepta est.

II. *ACTA SAGATA.*

I. RADAGAISUS *Rex Gothorum*, 200000 militum in Italiam duxit; in Venetam regionem, Æmyliam & in Hetruriam transiit. Stilico se hosti nullibi objicit, quod eæ regiones essent patentioribus campis, in quibus parvis suis copiis ab immensa illa multitudine timebat. *Radagaisus* vero divinitus conterritus. Nam cum *Florentiam* jam obsidione premeret, Fesulani montis jugo urgente undique timore concluditur, agminaque, quibus angusta dudum videbatur Italia, latenti spe in unum ac parvum verticem truduntur. Ubi cum fame & siti conficerentur, *Stilico* ipsum aggreditur, & salvis suis omnibus ad centum millia hominum trucidat. Rex *Radagaisus* solus spem fugæ arripiens in fuga captus à Romanis in vincula conjicitur, ac paulisper retentus vita privatur. *Tanta* vero multitudo captivorum Gothorum fuisse fertur, ut vilissimarum pecudum modo singulis aureis passim greges hominum venderentur. *Zosim. P. Diaconus. §. 5. Orosius.*

II. ALARICUS non diu post, qui antea apud *Theodosium* ductor exercitus contra *Eugenium* fuerat, Italiam ingressus est: cum ab Honorio sedes, in quibus suo cum exercitu consistere posset, expeteret, *Honorius* deliberato consilio Gallias concessit. Qui dum ad Gallias pergens ob recuperationem jumentorum apud Pollentiam resedisset, Stilico in perniciem Reip. Gothos pertentatos, dum eos insidiis aggredi cuperet, belli summam *Sauli Pagano* Duci commisit. Qui ipso die Paschatis *Gothos* nihil tale suspicantes adoritur: qui perturbati, atque initio propter diei sacri religionem cedentes, demum arma corripiunt, more solito se cohortantes, victoremque virtute potiori prosternunt. Hinc in rabiem furoris excitati, cœptum iter deserentes *Romam* contendunt, cuncta, per quæ ierant, igne ferroque vastantes. *Urbs biennio* circumsessa, capta est Kalendis Aprilis, anno 18 Honorii, anno U. C. 1164. A. C. 410. eamque Gothi devastant, plurima *miraculorum* ejus incendunt, multosque Senatorii ordinis diversis subdidere suppliciis: *Dato* tamen prius præcepto, ut si qui in sancta loca, præcipue in sanctorum Apostolorum basilicas Petri & Pauli, confugissent, his nulla vis inferretur: Deinde ut milites sola præda contenti, à cæde & sanguine abstinerent ac sibi temperarent; quod summa fide servatum est. *Gothi* tamen imperium Romanum deridentes, Imperatorem fecerunt quendam nomine ATTALUM, quem una die tanquam Imperatorem fecerunt procedere, altera vero servi schemate ministrare. Die tertia instante Gothi sponte discedunt ab urbe. Deinde per Campaniam, Lucaniam, Brutiamque, simili strage bacchantes, Rhegium pervenerunt, in Siciliam transfretare cupientes. Quo cum transmeare ascensis navibus vellent, perpessi naufragium, plures suorum ibi amisere. Inter hæc *Alaricus* dum deliberaret quid ageret, apud Consentiam subita morte defunctus est. Gothi Basentium amnem de alveo suo captivorum labore derivantes, *Alaricum* in medio alveo cum multis opibus sepeliunt, amnemque meatui proprio reddentes, ne quis locum scire posset, captivos, qui interfuerant, interficiunt. Regem deinceps ATAULFUM *Alarici* affinem Gothi constituentes, Romam redeunt: Si quid residuum fuit, more locustarum eradunt, auferentes exinde *Placidiam Honorii* sororem, quam sibi Ataulfus apud Forum Cornelii conjugio sociavit. Eam divino judicio velut obsidem ac pignus Roma huic barbaro Regi tradidit. Nam illius juncta con-

jugio, multum Reip. profuit & commodavit: uti in *cap.* 1. ſupra diximus. Et cognitu non indignum eſt, quod cum nuntiatum *Honorio*, Romam perditam; credidit ille de catello, vel, ut alii narrant, de amiſſa ave vel gallina ſua, quam cum in deliciis haberet, Romæ appellationem ei indiderat: admiratuſque vehementer, tam ſubito periiſſe eum, qui cum paulo ante feſtiviſſime luſerat. *Egnatius. Oroſius. P. Diaconus* §. 6 & 7. *Agath.*

III. *Stilico* Honorii ſocer filio *Eucherio* regnum quærit. Is cum tutor conſtitutus eſſet imperii occidentis à *Theodoſio Magno*, immemor beneficiorum à Theodoſio in ſe collatorum, immemor etiam affinitatis cum *Honorio*, regnum filio affectans, ingentia Reipub. mala intulit. Nam quia *Vandalorum* perfidæ & doloſæ gentis genere editus, Suevos, Alanos, Burgundos & populares ſuos Vandalos, magna ſpe prædæ ad Gallias hoſtiliter invadendas occulte ſollicitavit, ſperans fore, ut aut Honorius bello occumberet, aut filius in regni conſortium veniret. Poſtea *Gothos* ex inſidiis opprimens, reliquiis ipſorum occaſionem præbuit, ut Romam regrederentur, eamque obſidione cingerent: ut jam antea dictum eſt. Tandem ubi Imperatori *Honorio* exercituique Romano hæc tam ingentia damna patefacta ſunt, juſſu Honorii interfectus eſt. Ejus quoque filius *Eucherius*, primum fuga elapſus, poſtea obtruncatus traditur. *Oroſius. P. Diaconus* §. 8.

IV. CONSTANTINUM quoque Tyrannum, *ejuſque filium*, ut & ATTALUM Romani ſanguinis haud ignobilem virum, (qui à Gothis Imperator fuerat factus) inque Africa tyrannidem arripere conantem, *Honorius* per *Conſtantium* ſocerum ſuum vicit.

V. Cum *Heraclianus* Africæ Comes (qui *Honorii* partes antea fortiter geſſerat, verum ſuperbia elatus ab eo deſciſcit) cum immenſa ſatis incredibilique claſſe navium Romam contenderet, & littora Italiæ crudeliſſime vaſtaret, à MARINO Duce *Honorii* victus eſt, & amiſſo exercitu, arrepta navi ſolus Carthaginem rediit, ubi à militibus occiſus eſt. *Oroſ.*

Hunc *Heraclianum* tria millia navium & ſeptingentas habuiſſe dicitur. Quem numerum nec apud *Xerxem* quidem præclarum Perſarum Regem, & *Alexandrum Magnum*, vel quenquam alium Regem fuiſſe, hiſtoriæ tradunt. *P. Diaconus* §. 9.

VI. VALLIA *Rex Gothorum* pacem init cum *Honorio*. Nam cum ipſe in Africam eſſet trajecturus, à Ducibus *Honorii* impeditur, atque ideo neceſſario fœdus firmiſſimum cum *Honorio* pepigit, & accepit partem Hiſpaniæ cum conditione de debellandis Vandalis. *Iſiodorus. P. Diaconus* §. 10.

Honorius devictis *Gothis* Romæ triumphat, & *Attalum*, qui à *Conſtantio* victus, ipſique miſſus, poſt peractum triumphum, in quo manibus poſt tergum devinctis ante currum ductus erat, manu dextera truncat, vitæque relictum *Liparam* relegat. *Proſp. Jordan. Sigon.*

CAPUT III.

DE EGRESSU.

HOnorius cum annos triginta duos cum patre, 13 cum fratre, & 15 cum fratris filio Theodoſio imperaſſet, febri correptus eſt: ad quam hydrops acceſſit, ex quo mortuus Romæ A. C. 423, ætat. 44. nullis relictis hæredibus. Corpus ejus juxta beati Petri Apoſtoli in mauſoleo ſepultum eſt. *P. Diaconus* §. 11. *Chron. Hedion.*

ACTA ECCLESIASTICA.

1. Viri ſub *Arcadio* & *Honorio* in Eccleſia celebres.

I. AUGUSTINUS Hippone ordinatur Epiſcopus A. C. 395. agebat tum annum 41. Antecceſſor ejus *Valerius* adhuc erat in vivis, atque ita duo Epiſcopi erant unius Eccleſiæ. *Auguſt. Proſp.*

II. S. MARTINUM Epiſcopum Turonenſem, A. C. 379. ex hac vita migraſſe ætat. 81. ſcribunt Gregorius Turonenſis, Marianus contractus, Sigebertus. Sed alii habent annum obitus 395. alii 399. alii 404.

III. D. AMBROSIUS moritur A. C. 398. Moriturus ad circumſtantes ſacerdotes dixit: Non ſic vixi, ut me pudeat inter vos vivere: nec mori timeo, quia bonum habemus Dominum.

IV. SULPITIUS SEVERUS Epiſcopus Bituricenſis ad annum Chriſti 400 Chronicon ſuum perduxit: qui quantus vir fuerit, ſcripta ejus teſtantur. De *Sulpitio* refert *Gennadius*, eum à Pelagianis deceptum, & culpam agnoſcentem, ſilentium uſque ad mortem tenuiſſe.

V. EPIPHANIUS Epiſcopus Salaminæ, Conſtantinopoli in Cyprum rediens, moritur in itinere. A. C. 402. *Socrat. 6. Trip.* 10.

VI. CYRILLUS in Epiſcopatu Alexandrino ſuccedit Theophilo Alexandrino defuncto.

VII. GAUDENTIUS & JOVIUS Comites Honorii Imperatoris falſorum Deorum templa in urbe Carthagine everterunt, & ſimulacra fregerunt. *Auguſt.*

VIII. D. HIERONYMUS de Eccleſia DEI ſcriptis

ſcriptis ſuis bene meritus, Palæſtinæ apud Bethlehem A. C. 420. ad Chriſtum migravit. *P. Diaconus* §. 10.

II. Viri in Repub. Literaria celebres.

I. CLAUDIANUS Poëta vixit temporibus Arcadii & Honorii, qui illorum temporum res geſtas eleganter & accurate deſcripſit.

II. RUFFINI & SEXTI AURELII VICTORIS Chronica hoc ſeculo deſinunt, quorum ille res Eccleſiaſticas deſcripſit: Hic vero vitas Imperatorum, facto initio ab anno primo Monarchiæ Auguſti, victo ad Actium Antonio: quæ narrationes continent 424. annorum hiſtoriam.

III. PRUDENTIUS Poëta, anno Chriſti 404, edidit libros Cathemerinon: quia in præfatione ait, ſe iſta ſcribere agentem annum ætatis 57.

IV. PROCOPIUS Cæſarienſis à morte Arcadii belli Perſici & Vandalici hiſtoriam orditur.

V. OROSII Presbyteri Hiſpani *Chronicon*, quod ille juſſu D. Auguſtini ſcripſit, fere A. C. 416. finitur.

LI. IMPERATOR ROM.
THEODOSIUS II.

CAPUT I.
DE ORTU.

I. PATER ejus fuit ARCADIUS Imperator *Theodoſii M.* filius.

II. MATER fuit EUDOXIA. Ex hiſce parentibus natus eſt THEODOSIUS II. A. C. 401. die 10 Aprilis. *Socrat. 6.*

CAPUT II.
DE PROGRESSV.

*I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ.
Natura & Mores.

FUit *formoſus*, venuſta facie præditus, membriſque decorus: Conſtantinopoli *Pulcheria* ſororis & *Antemii* tutoris conſilio & opera in ſtudiis & artibus liberalibus diligenter informatus eſt, inque iis inſignes progreſſus fecit. Nam ſacras literas ſine codice recitavit, loquentibus Epiſcopis reſponſum ex divina lectione dedit, & cum in aliis Mathematicis libris verſatus, tum Aſtronomiæ non ignarus, inque Philoſophia præclare edoctus fuit, quam quidem ita didicerat, ut non tam verbo eam profiteretur, ſicut Philoſophi in ſcholis de ea diſſerentes, ſed ut re & opere eam exſequeretur. Fuit præterea equitandi & ſagittandi peritia excellens, pingendo fingendoque dexter. *Zonaras. P. Diaconus.*

I. *ACTA OECONOMICA.*

I. Uxor ejus fuit EUDOCIA, quam ipſe *Pulcheria* ſororis conſilio, cum ex ephebis eſſet egreſſus, in uxorem duxit: Fuit autem *Eudocia* forma excellenti prædita, & omni doctrinæ genere perpolita, atque in eloquentiæ ſtudiis exercitata, quæ & *Heroico* carmine poëmata multa conſcripſit de victoria *Arcadii*, deque victoriis mariti. *Ομηροκέντρα* (ſive Centones *Homeri*) ab ipſa dicuntur congeſta.

Antea autem dicta fuit ATHENAIS. Quam cum pater LEONTIUS Philoſophus Athenienſis ſplendidam fortunam ex arte cognoviſſet conſecuturam: teſtamento ſuas opes duobus filiis reliquerat, *Valerio & Geneſio*, filiæ tantum centum aureis legatis, hac adjecta clauſula, quod fortuna ejus ſuffectura ei eſſet. Fratres igitur patrimonio ſibi vendicato, Athenaidem, legitimam ſuam poſtulantem & injuriæ teſtamentum accuſantem, paternis ædibus expulerunt. Quæ à matertera ſuſcepta, & Conſtantinopolin perducta, cauſa expoſita Pulcheriæ ſupplicant. Quæ cum puellam formoſiſſimam, & integra ætate eſſe vidiſſet, rogat, An adhuc viri expers eſſet? Eo cognito, *ſacra Baptiſmatis* aqua per Atticum Epiſcopum Conſtantinopolitanum ablutam, Chriſtianam fecit, & priſtino nomine mutato in *Eudociam*, fratri Theodoſio deſpondet, diademate ornat, & Auguſtam appellat. *Zonar.* §. 4.

LIBERI. Genuit ex *hac Theodoſius II.* unicam filiam, nomine EUDOXIAM, quam *Valentinianus III.* Imperator ſibi matrimonio junxit. *P. Diaconus* §. 18.

III. *ACTA POLITICA.*

1. *Imperii occupatio.*

A patre ſuo *Arcadio* adhuc in cunis vagiens Auguſtus appellatus eſt, qui moriturus eum teſtamento hæredem Imperii ſcripſit, & tutorem ei adjunxit, non fratrem *Honorium*, ſed *Isdigerdem* Regem Perſarum, cum quo fœdus inierat. Hac occaſione religio Chriſtiana in Perſia propagata eſt. *Isdigerdes* fidem Arcadii minime adſpernatus, & pacem cum Romanis toto vitæ ſuæ tempore coluit, & ſtatim à morte *Arcadii* Antiochum eunuchis cæteris in aula ſua honoratiorem Conſtantinopolin miſit, atque per eum literis tranſmiſſis Magiſtratus monuit,

nuit, ut Imperatori ſuo parerent, minatus ultionem, ſi qui ſecus facturi eſſent. Sed *Anthemius* Theodoſio tutor datus eſt, cujus ſapientia Imperii publica negotia feliciter gubernata ſunt. *Zonar.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

A. C. 408. initium Imperii ejus fuit, quo anno pater ipſius mortuus eſt. Verum quia tum puer erat octennis, Imperium loco ejus aliquandiu virtute & ſapientia adminiſtravit Pulcheria virgo.

I. *ACTA TOGATA.*

I. Virtutes.

I. SAPIENTIA. Cum in Oriente imperaret, audita *Honorii* patrui morte, Valentiniano Conſtantii & Placidiæ filio Imperii inſignia dedit. *Sextus Aurel. Victor.*

II. PIETAS. Religioſiſſimus Imperator fuit. Nam,

1. *Inſtituit aulam* ſuam veluti ſcholam, in qua ad pietatem ſe ſuoſque exercuit, habens ordine diſtributa tempora lectionum & pſalmorum.

2. *Inter exercitia* pietatis celebratur, quod ſtudio Chriſtianitatis corpus orationibus & jejuniis macerarit, & mane cum uxore & ſororibus precationes dicere & pſalmos canere ſolitus ſit.

3. *Sacrorum* librorum eorundemque interpretum congerendorum adeo fuit ſtudioſus, ut ea laude Ptolemæo Philadelpho inferior non eſſet. Noctu eis legendis operam navavit, lucerna ſponte ſua, machina quadam movente, ſibique ipſi oleum infundente, comparata, ne quis miniſtrorum ejus in laboribus ejuſmodi moleſtiam quampiam ſubiret. *Niceph. l.* 14. *c.* 3. *Theodoretus l.* 5. *c.* 36. *Socrates lib.* 3. *cap.* 22.

4. *Uxorem* EUDOCIAM Hieroſolymam miſit gratificos hymnos DEO oblaturam. Quæ plurima dona Eccleſiis contulit, & poſtquam operam rebus divinis dediſſet, domum reverſa eſt. *P. Diaconus.* §. 18.

III. CLEMENTIA & MANSUETUDO. Adeo manſuetus & clemens fuit, ut omnes etiam, qui vere ſacerdotes ſunt, manſuetudine ſua ſuperarit, iram, triſtitiam, libidinemque devicerit, nullaque vindicta animum exſaturaverit, etiam laceſſitus. Cum igitur à quodam familiarium interrogaretur, cur nullum ſe lædentium morti ſubjiceret? *Utinam mihi*, inquit, *eſſet poſſibile ad vitam mortuos revocare.* Paucos igitur morte condemnavit: Et ſi quos ſupplicio dignos adjudicavit, mox conſilium mutavit, priuſquam ad ſupplicium ducerentur, revocans id inſigni quadam clementia. Cum ipſe aliquando in amphitheatro ſpectator ſederet, & populus damnatos efflagitans clamaret; Crudeli beſtiæ artifex objectus pugnet: compeſcuit Imperator immitem turbæ vocem, dicens: Neſcitis, quod nos conſuevimus clementer ſpectare. innuens: Ubicunque adeſt Princeps, illic oportere omnia mitius geri. *Eraſmus lib.* 8. *apophthegmatum.*

II. Vitia.

I. SOCORDIA. Valde negligens fuit in quibuſcunque literis, quæ ei offerebantur, ſubſcribendis, antequam eas aut legiſſet aut expendiſſet. Quod ne faceret, utque ſententiam literarum conſideraret, à Pulcheria ſorore admonitus, affirmabat, à nemine ſtrui ſibi fraudem, & ſcire ſe, quid literæ continerent. Quare illa ad ſocordiam fratris corrigendam hujuſmodi commento uſa eſt. Nomine illius ſyngrapham componit, qua ſibi *Eudocia* Auguſta in ſervitutem traderetur; eaque Imperatori, ceu aliud quiddam eſſet, oblata, efficit, ut ſubſcriberet. Quod cum ſigillo mox confirmaſſet, *Pulcheria* Eudociam ab illo accerſitam abire non ſinit, quæſitaque retentionis cauſa, profert literas, quas ille non lectas ſubſcriptione confirmaſſet; itaque convincit, cum ſubſcribere plurimis, quæ neque norit, neque etiam fortaſſe fieri velit, ſimulque acriter eum reprehendit, & ut deinceps in re tanti momenti cautior eſſet, graviter ac amice monuit. *Zonaras* §. 8. *Suidas. Nicephorus l.* 4. *c.* 13. *Socrates lib.* 7. *cap.* 22.

AXIOMA.

Non temere quibuslibet literis non lectis annulus imprimendus eſt.

Magnum enim levitatis & ſupinæ negligentiæ indicium eſt, præſertim in Principe viro, tabulas vel diplomata non lecta nec expenſa annulo obſignare, vel annulum ſignatorium cuivis temere committere? Quod *Cicero* Qu. Fratri ſtudioſe cavendum monet in elegantiſſima illa & plane aurea, quam ad ipſum Aſiæ minoris *Rectorem ſcripſit*, epiſtola; his verbis: *Sit annulus tuus non ut vas aliquod, ſed tanquam ipſe tu: non miniſter alienæ voluntatis, ſed teſtis tuæ.* Hoc enim ſentit *Cicero*, quemadmodum *Turnebus lib.* 27. *cap.* 1. *Adverſar.* interpretatur, ne paſſim ſinat annulum ſuum à quovis, ut domeſtica vaſa, tractari, vulgoque & temere ſine delectu quidvis obſignari: ſed eo ſolus utatur, alius non abutatur, ſoluſque, quod jus faſque ſit, annulo ſignet. Vas igitur eſt, ut ſi Græce σκεῦος dicerres.

res. Vaſorum autem in domeſtica familia uſus eſt communis.

II. INGRATITVDO & IMPRVDENTIA. Quæ inde patet, quod ſororem ſuam ex aula removerit. Gryſaphius Eunuchus, qui plurimum apud Imperatorem poterat, aſcita Eudocia adjutrice, facilitati Principis illudens, perſuadet, ut Pulcheria ab adminiſtratione rerum amoveatur. Ea igitur aula expulſa, vitam privatam agit, & in Hebdomo quietam. Eadem ſimplicitate in fraudem ſeſe allici paſſus eſt à Gryſaphio Eunucho, ut Eutychianos tueretur. At Imperator vix tandem ad ſanam mentem reverſus, conſiderata Pulcheriæ delatione: juſta indignatione commotus contra Eunuchum, eum relegat, opibus ejus confiſcatis, (quem Pulcheria paulo poſt interfici juſſit) & ſororem petita venia revocat. *Zonaras* §. 8. *Cedrenus*, *Marcellinus*.

III. SVSPICIO atque IRACVNDIA *contra uxorem*. Incurrit *Eudocia* in odium Imperatoris tali de cauſa. *Pomum* inuſitata magnitudine ſibi oblatum Imperator, admiratus, uxori miſit. Id illa *Paulino* dedit viro erudito, eaque de cauſa ſibi familiari. Is rei ignarus, illud Imperatori offert, ut rem miram. Quo ille agnito & occultato, uxorem rogat, ubi ſit malum ipſi miſſum. *Illa* verita, ne id ſuſpicaretur maritus quod jam ſuſpicabatur, ſe comediſſe reſpondet. Verum illo acrius urgente, jurejurando affirmat, ſe jam comediſſe. Tum ira percitus *Imperator*, pomum profert. Sic illa in manifeſto mendacio deprehenſa, ſuſpicio mariti confirmatur, *Paulinus* inſons occiditur. *Eudocia* cum ſe inviſam eſſe cerneret, facultatem abeundi Hieroſolymam petit. Quo cum magnis opibus profecta, & templa ædificavit, & pauperibus atque ejus loci monaſteriis multa dedit. Inde, poſt mariti obitum, eodem rediit, ibique mortua eſt. *Zonaras* § 8.

IV. INVIDIA. *Theodoſius*, mœnia translaturus, & urbem Conſtantinopolin amplificaturus, munus id *Cyro* præfecto mandat: qui magno ſtudio & celeritate Cherſæum murum, à mari ad mare pertingentem, intra dies ſexaginta abſolvit. Vrbana igitur multitudo, & opere delectata, Præfectique celeritatem admirata, publice exclamat: *Conſtantinus* condidit, *Cyrus* renovavit. Quamobrem *Cyrus* inviſus & ſuſpectus Imperatori, vel invitus tondetur ut Clericus. *Idem* §. 6.

II. *ACTA SAGATA.*

Geſſit *Theodoſius II* bella, ſed per *Duces*. Ipſe verò ſi quando bella moverentur, ſecundum Davidis exemplum ad Deum confugiebat, ſciens eum præliorum auctorem, & hoſtes oratione ſuperabat. Nam

I. JOANNES, qui inter Scribas Imperatoris primum locum obtinuit, cum proſperum fortunæ curſum moderate ferre non poſſet, Imperium arripit. *Adverſus* quem mittit *Theodoſius* Ducem ARDABVRIVM, qui in bello Perſico res magnas geſſerat. Ille cum Salonas veniſſet, inde tranſmittit in Aquileiam; ſed vento adverſo flante, *Tyrannus* apud Ravennam illum aggreſſus incluſit, illoque comprehenſo ſpem novam obtinendi imperii concepit. His auditis, THEODOSIVS anxio & ſollicito animo fuit, ne quid mali *Ardaburius* à Tyranno perpeteretur: ASPAREM *Ardaburii* filium quoque cum exercitu adverſus tyrannum mittit. *Aſpar* cum infinitas Barbarorum copias ad auxilia tyranno ferenda acceſſiſſe certior factus eſſet, incertus animi erat, quid ageret. Preces itaque pii Imperatoris illo tempore plurimum momenti habuerunt. Nam Angelus Dei, in habitu & forma paſtoris, Ducem itineris Aſpari ſe præbuit: & per ſtagnum, Ravennæ adjacens (in ea namque civitate Tyrannus commoratus, Ducem *Ardaburium* tenuit) copias ejus deduxit, qua via nemo unquam iter feciſſe commemoratur. ASPAR itaque copiis per ſtagnum, cujus aqua divina ope penitus exhauſta fuit, traductis, portas civitatis, quas apertas offendit, ingreſſus, Tyrannum opprimit, Ardaburiumque liberat. Ravennam crudeliter depopulatur, eo quod illius cives maxime Tyrannicæ parti faviſſent: *Caſtinum* magiſtrum militum damnat exilio, cujus factione arripuiſſe *Johannes* tyrannidem credebatur. *Imperator* vero ſanctiſſimus ſuam erga Deum pietatem declaravit: Relictis enim oblectamentis, quibus tum intentus erat, protinus ad Eccleſiam Dei profectus, pro victoria divinitus parta Deo gratias egit, & univerſo cœtui, ut idem faceret, auctor fuit. *Socrates lib 7. c. 23. P. Diaconus* §. 12.

II. BELLVM *contra* BARBAROS. Poſt necem Tyranni *Johannis*, Barbari, quos ille ad auxilium ſibi contra Romanos ferendum acceſſiverat, in fines Romani Imperii incurſionem facere conſtituerunt: Quo audito Imperator, uti ſolebat, iſtarum rerum curam Deo commendavit: atque precibus ſe totum dedens brevi quod in optatis erat, eſt conſecutus. Primum illorum Dux, nomine RVGAS, fulminis ictu interiit. Deinde peſtis ſubſecuta, maximam partem hominum, qui ei parebant, è medio ſuſtulit: ignis etiam de cœlo delapſus, complures eorum, qui ſupererant, abſumſit. Eo tempore *Proclus* Epiſcopus prophetiam ex *Ezechiel. cap.* 38. *v.* 21, 22, 23. petitam in Eccleſia docuit, eamque præclare ad ſalutem jam tum Romanis à Deo datam, non ſine maxima omnium commendatione,

accommodavit. *Socrat. H. E. lib. 7. cap. 41, & 42. Verba textus hæc ſunt:* Et convocabo adverſus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus: gladius uniuſcujuſque in fratrem ſuum dirigetur. Et judicabo eum peſte, & ſanguine & imbre vehementi, & lapidibus immenſis: ignem & ſulphur pluam ſuper eum, & ſuper exercitum ejus, & ſuper populos multos, qui ſunt cum eo: Et magnificabor, & ſanctificabor: & notus ero in oculis multarum gentium, & ſcient quia ego Dominus.

II I. GENSERICVS *Rex Vandalorum*, Carthagine in Africa ſub prætextu pacis potitus, Siciliam cum claſſe aggreditur, eamque graviter vaſtat. *Theod ſius* igitur bellum contra *Genſericum* & *Vandalos* movet, per Duces ſuos *Ariobindam* & *Anaxillam*. Verum illi longis cunctationibus negocium differentes, Siciliæ magis oneri, quam Africæ præſidio fuere. Interea ATTILA & BLEDA fratres Hunnorum Reges, tranſmiſſo Iſtro immenſas Hunnorum copias in Imperii Romani fines traducunt. *Theod ſius* igitur Hunnorum adventu territus, exercitum Romanum ad Orientalium Provinciarum defenſionem ex Sicilia revocat, & ne gemino bello implicaretur, fœdus cum *Vandalis* init. Verum quia Hunni Thracias & Illyricum ſæva depopulatione vaſtare, omniaque caſtella & civitates in ſervitutem redigere pergebant, & pene Byzantio imminebant, *Theodoſius* cogitur legationem Attilæ Hunnorum Regi mittere, & ſex millia librarum ei pro receſſu præbens, mille librarum annuum tributum perſolvere pollicetur. *Procopius, Marcell. Sigon. P. Diacon.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. Per baptiſmum interdum homines corporaliter ſanati ſunt. Quod eſt Symbolum ſpiritualis mundationis atque ſanationis. Elegans hiſtoria contigit tempore *Theodoſii I I.* Imp. *Socrates lib. 7. c. 4. Hiſtor.* refert, *Indæum* quendam paralyticum, & multis annis lecto affixum, omnibus medicamentis & Judæorum precibus ad ſanitatem illi reſtituendam nihil conferentibus, cum tandem vera fiducia ad baptiſmum Chriſtianorum, velut ad remedium efficaciſſimum, confugiſſet, poſtquam ab Attico Epiſcopo Conſtantinopolitano de fide in Chriſtum recte inſtitutus eſſet, una cum lecto ad baptiſmum deportatum: quem cum ſincera fide ab Attico recepiſſet, ſubito à morbo liberatum ac longi temporis ſanitate divinitus donatum fuiſſe; atque hoc ipſius exemplo multos ex gentibus ad uſum, amorem & admirationem Baptiſmi invitatos, & Chriſto lucrifactos eſſe.

Similiter *Vincentius lib. 23. c. 76.* narrat; quod leproſus quidam ab Arnulpho baptizatus, ſtatim inter baptizandum cœperit ſanari, & aliam induere carnem.

Similiter *Socrates lib. 5. Hiſtor. cap. 6.* ſcribit: *Theodoſium* morbo correptum, poſteaquam ab Epiſcopo Theſſalonicenſi baptizatus fuiſſet, melius habuiſſe.

II. NESTORIVS cum triennium pontificatui præfuiſſet, docuit, B. Virginem Mariam non eſſe dicendam θεοτόκον, h. e. Deiparam: ſed χριστότοκον, h. e. Chriſtiparam. Chriſtum vero hominem tantum eſſe aſſerebat: in eoque Dei filium, ut in Prophetа quodam, habitaſſe nugabatur: eumque dividens, affirmabat, Dei Verbum non aſſumſiſſe carnem è caſto ſanguine matris Dei, ſed alium eſſe Filium & Verbum Dei, alium Chriſtum, qui filius eſſet adoptivus, & gratia Deus factus.

SYNODVS igitur EPHESINA œcumenica tertia Epiſcoporum amplius 200, authoritate & mandato *Theodoſii II.* Imp. A. C. 431. convocata eſt. Hujus Concilii Rector fuit CYRILLVS Epiſcopus Alexandrinus, cujus divina ſcripta apud orthodoxos in ſumma veneratione merito habentur. Hic ubi fidem ſuam expoſuiſſet: *Non alium eſſe Filium, qui à Patre ante ſecula natus eſt, & qui ex Maria virgine natus eſt* Neſtorius ſurgens: *Ego*, inquit, *bimeſtrem aliquem & trimeſtrem Deum nunquam confitebor.* Poſthac ergo non veniam ad vos. Cum ergo ſæpe vocatus comparere nollet, lectis ejus ſcriptis, legitima Concilii ſententia condemnatus eſt. *Cedren. Euagr. Zonaras* §. 5.

Non multo ante mortem *Theodoſii* mota eſt etiam ab *Eutyche Archimandrita*, ſive Abbate Conſtantinopolitano, controverſia, qua naturarum in Chriſto, proprietatumque Eſſentialium, diſtinctionem impugnabat. Docebat enim, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum duas naturas poſt incarnationem non retinuiſſe, ſed ambas in unam naturam contemperatas & permixtas eſſe: & quemadmodum NESTORIVS ex duabus naturis duas in Chriſto perſonas aſſeverabat; ita Eutyches, argumentando procedens ab una perſona ad unam naturam. *Euagr. Contract. Nicephorus, Marianus, Zonaras.*

Indicta eſt igitur A.C. 449 SYNODVS EPHESINA II; infelix, latrociniis infamis, & propterea appellata λῃστρικὴ, id eſt, prædatoria: ſive latrunculorum concurſus: quia opera Chryſaphii Eunuchi, qui Eutycheti patrocinabatur, milites armati introducti, & Epiſcopi vi coacti fuerunt, ut ſubſcriberent. Nam DIOSCVRVS Alexandrinus Epiſcopus, inſtar indomiti aſini exiliens, *Flavianum* Epiſcopum Conſtantinopolitanum recte ſentien-

tientem calcibus impetiit, & pugnis maxillas ejus tundere non prius deſtitit, quam Concilio expuliſſet, qui quidem poſt triduum ex plagis illis mortuus eſt. Ipſum tamen EVTYCHIS DOGMA, à mala ortum radice, non potuit diu florere vel ὑπνοῦν: ſed biennium, mortuo Theodoſio, redditaque Epiſcopis linguæ libertate, in Concilio Chalcedonenſi defloruit & emarcuit.

III. THEODOSIVS *privilegia templorum ampliavit.* Servi fugitivi confugerant ad templum Conſtantinopolitanum ob crudelitatem heri ſui: Hi cum à Clericis admonerentur, ut paululum ab altari ſecederent, ne impedimento eſſent ſacris ceremoniis, duos Clericos trucidant, quaſi ab Aſylo detruderentur, & deinde ſibi iptis manus inferunt: ita profanatum fuit templum. Quapropter Theodoſius privilegia templorum amplianda cenſuit, ipſaque inviolabilia ſanxit in toto ſui ambitu, ab altari uſque ad fores ultimas, & arma iptis inferri prohibuit. *Theod.*

IV. *Burgundiones facti ſunt Chriſtiani*, A.C. 428. Cum Burgundiones trans Rhenum habitantes ab Hunnis crebro infeſtarentur, animo expendentes quam firmum præſidium Romanorum Deus afferat iis, qui eum colunt, omnes communi conſenſu ad credendum in Chriſtum ſe contulerunt, atque ad civitatem quandam Galliæ profecti, poſtulant ab Epiſcopo, ut Chriſtianorum baptiſmo donentur. Cumque poſt ſeptem Chriſtianæ inſtitutionis & indicti jejunii dies baptizati eſſent, illi animo fidenti Hunnos aggreſſi cum numero pauci eſſent, nempe 3000, vicerunt ac fuderunt decem millia Hunnorum. Ex eo tempore gens Burgundionum religionem Chriſtianam ardenti ſtudio coluit. *Socrates 7. Trip. 12.*

V. D. AVGVSTINVS, cum GENSERICVS Hipponem obſideret, menſe 3 obſidionis, ne urbis ſuæ ruinam cerneret, in illa ipſa urbe, cujus erat Epiſcopus, ſeptuaginta & ſex vitæ annis expletis, ex quibus 40 in clericatu ſeu Epiſcopatu tranſegerat, pia & placida morte ſopitur. *P. Diaconus.*

II. Viri in Eccleſia celebres.

I. PALLADIVS ad Scotos in Chriſtum credentes à Cœleſtino Pontifice Romano primus mittitur Epiſcopus. A.C. 430. *Beda Hiſtor. Anglicæ cap. 13. Proſper.*

II. EVAGRIVS Scholaſticus Epiphanenſis Chronicon ſuum Eccleſiaſticum ab hoc tempore orditur, quo *Neſtorius* Eccleſiam erroribus & ſeditionibus replevit. Complexus eſt Euagrius narrationes annorum 164. uſque ad 594 CHRISTI.

III. CYRILLVS Epiſcopus Alexandrinus, qui *Neſtorii* blaſphemiam refutavit, cum ſediſſet annis 32. moritur A. C. 444.

IV. VINCENTIVS Lyrinenſis librum ſcripſit pro Catholicæ fidei antiquitate, adverſus profanas hæreticorum innovationes. A.C. 434. Anno 3, poſt Synodum Epheſinam.

V. MAXIMVS Taurinenſis Epiſcopus, cujus homiliæ ab Alcuino collectæ paſſim leguntur, tempore Theodoſii II. vixit.

VI. MARVTHAS Epiſcopus legatione fungens apud Perſas, filium Regis à dæmonio liberat. Unde pax Chriſtianis apud Perſas conceſſa. A. C. 438. *Sigeb.*

VII. EVDOCIA Auguſta habebat Presbyterum SEVERVM & JOHANNEM Diaconum, qui ſibi erant à concionibus. Saturninus Comes à Theodoſio miſſus ambos trucidat. Cauſa à Marcellino non additur. EVDOCIA irata protinus Saturninum occidit. *Marcellinus.*

VIII. Imperante Theodoſio II. in Eccleſia quoque clari fuerunt SEDVLIVS Scotus, PHILIPPVS Presbyter, JVNILIVS Epiſcopus, & PROSPER Aquitanicus, quorum omnium ſcripta ad nos pervenerunt.

III. Hæretici.

I. NESTORIVS Antiochia accerſitus factus eſt Epiſcopus Conſtantinopolitanus A.C. 428. Fuit homo ſuperbus & arrogans: *Tu mihi*, dixit publice pro concione ad *Imperatorem*, *in profligandis hæreticis ſubveni, & ego tibi in vincendis Perſis auxilium feram.* Hunc propterea πυροφόρον (Gallice *boute feu*) appellarunt. Hic *Neſtorius* multa turbavit in Eccleſia, donec tandem excitaret illam turbam contra Communicationem Idiomatum: propter quam in Concilio, quod Theodoſius Epheſi edixerat, damnatus eſt: uti ſupra dictum.

Scribitur autem, quod miſerrimam fortunam in exilio expertus ſit. Et quidam dicunt, hiatu terræ ipſum abſorptum eſſe. *Euagrius* vero teſtatur, linguam iptius ante mortem vermibus eroſam.

II. ANASTASIVS presbyter, qui cum *Neſtorio* Conſtantinopolim venerat, Is pro concione aliquoties dixerat, *Mariam* non eſſe appellandam θεοτόκον, id eſt, *Deiparam*: ſed genitricem hominis: Quod poſtea defendendum ſibi ſuſcepit *Neſtorius*, & libros de ea re ſcripſit, eoſque Monachi in Ægyptum detulerunt. *Cyrillus* contra ea de re publicam Epiſtolam ſcripſit, monuitque, libros illos caute eſſe legendos. Scripſit etiam ad Neſtorium, eumque de tota re rectius edocuit, & admonuit, ne Eccleſiam turbare velit. Verum cum ab impietate non deſiſteret, cauſamque ſuam defenderet, in per-

petuum exilium relegatus eſt. Et *Theodoſius* edictum publicavit, ut libri Neſtorii comburerentur. Et ut *Conſtantinus* olim Arianos juſſerat vocari Porphyrianos peculiari nomine: Ita *Theodoſius* juſſit Neſtorianos vocari Simonizcos. *Sigonius, Socrates, Euagrius.*

III. MANICHÆI Romæ cum clanculum ſuum errorem propagaſſent hactenus, deteguntur, & libri eorum comburuntur A. C. 443. *Baronius.*

IV. Accidit & hoc ſub *Theodoſio* II, quod de *Moyſe* Cretenſi narrant Hiſtorici. In Creta Inſula, ubi plurimi Judæi habitabant, Judæus quidam ſeductor finxit eſſe ſe Moſen, qui olim Iſraelitas per mare rubrum deduxerit: eoque nomine ſe cœlo demiſſum eſſe dixit, ut Judæos per mare reduceret in patriam. Circuibat itaque toto anno unamquamque illius Inſulæ civitatem, ſuadebatque Judæis ut crederent, monens ut omnes pecunias & poſſeſſiones relinquerent, per ſiccum mare deducti ad repromiſſionis gaudia pervenirent. At illi hac ſpe capti, omne opus proprium negligebant, contemnentes etiam poſſeſſiones ſuas, & dimittentes eas quibuſcunque perſonis. Cumque veniſſet dies, quam deſignaverat Judæus ſeductor ille, eo præcedente ſequebantur omnes cum conjugibus & liberis. Deduxitque eos ad quandam rupem declivius incumbentem, juſſitque ut comarum ſchemate ſemet ipſos involverent. Hoc ergo faciebant priores: & cum venirent ad rupes, repente moriebantur, tam dilacerati acutis rupibus, quam in aqua necati. *Plures* tamen periiſſent, niſi nautæ & piſcatores Chriſtiani vicini ſervaſſent quoſdam, & cæteros deſilire prohibuiſſent. Cumque voluiſſent illum ſeductorem perimere, comprehendere nequiverunt: repente namque diſparuit, deditque ſuſpicionem quod olim fuerit dæmon erroneus, humano ſchemate circumamictus. Ea occaſione multi tunc Cretenſium Judæorum ad Chriſtianam fidem converſi ſunt. *Socrates, P. Diaconus in Theodoſio* II, §. 16.

IV. Prodigia.

I. A. C. 446. Septem dormientes, qui ad ducentos fere annos in quadam ſpelunca obruti jacuerant, reviviſcunt. Tempore enim *Decii*, metu horrendæ ſævitiæ, quæ in Chriſtianos exercebatur, ex urbe Epheſo in montem cavum ſeceſſerunt, ibique ſomno oppreſſi ſunt A. C. 251. Quod cum cognoviſſet Cæſar, edicto acerbo juſſit cavernas montis occludi, ut fame illi contabeſcerent. Hinc dormiviſſe dicuntur annos amplius 196, ſcilicet ad Theodoſii junioris imperium uſque. Cumque experrecti eſſent & eſurirent, ad panem emendum unus ex illis Epheſum mittitur, qui quod nummos Decianos antiquos haberet, ſuſpectus fuit de theſauro invento: ſed re tota comperta, *Theodoſius* etiam eo profectus eſt, & hoſce ſeptem juvenes paulo poſt defunctos in eadem ſpelunca honeſte ſepeliri mandavit. *Sigonius, Cedrenus, Nicephorus.*

II. A. C. 443. *Saviſſima hyems* fuit, & tanta vis nivium cecidit, ut vix ſex menſium ſpatio reſolutæ fuerint: unde ingens & hominum & pecudum multitudo interiit.

III. A. C. 446, ingens *Conſtantinopoli terræ motus* factus, quo murus cum 57 turribus corruit: pervaſit hic totum terrarum orbem, & ſex menſes duravit. Byzantii autem in maximum conjecti metum, à ruinis ædificiorum ſibi timentes, muros reliquerunt: & extra urbem in loco qui Campus dicitur morati ſunt, una cum Imperatore *Theodoſio* & *Proclo* Epiſcopo Conſtantinopolitano continuis precibus incumbentes, Deumque ut propitius eis eſſet, & ab imminenti calamitate orbem liberaret, obteſtantes. Et cum aliquando motu eo graſſante, terra veluti fluctuans concuteretur, & homines per metum eam ex fundamentis ipſis exſtirpatum iri verentur, & omnes Litaniis & ſupplicationibus dediti collacrymarent, ex profundo intimoque animo miſericordiam divinam implorarent: tum miraculum præter opinionem omnium, quod ſenſum & mentem omnem excedat, ſubſecutum eſt. Subito namque è medio, inſpectantibus omnibus, divina quadam vi puer in aërem ſublimis ad cœlum uſque tractus & ſublatus, ita ut jam non appareret, divinam vocem, qua Angelis *Deum* laudibus ferre mos eſt, audivit: eaque voce percepta, rurſum priore per aërem via reverſus deſcendit: & Epiſcopo *Proclo*, ipſique *Imperatori*, & multitudini ſupplicationibus hymniſque *Deum* celebranti, ab Angelis canentibus ſe verba hæc audiſſe renunciavit: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miſerere noſtri.* Quæ ubi *Proclus* intellexit, ſtatim ad eum modum populum pſallere juſſit: & terræ motus ſtatim etiam conſtitit, omninoque conquievit. Imperator vero *Theodoſius*, & inter fœminas omnium digna *Pulcheria*, tanto miraculo perculſi, conſtitutione Imperiali confeſtim, ut per orbem omnem divinus hymnus iſte concineretur, decreverunt. *Puer* verborum miniſterium exſecutus, paulo poſt exſpiravit. *Nicephorus lib.* 14. *cap.* 46. *P. Diaconus* §. 18.

IV. A. C. 450. (quo anno *Theodoſius* mortuus eſt) iterum ingens Conſtantinopoli *terræ motus* factus tribus diebus, ut nemo ſe amplius tectis credere auderet. *Faſti Siculi.*

IV. *ACTA ACADEMICA.*

I. Vetuſtiſſima BONONIENSIVM ACADEMIA à *Theodoſio* juniore Imp fundata & conſtituta eſt die 9 Maii A. C. 423. Qui eandem privilegiis ampliſſimis, quorum capita adhuc publice deſcripta in auditoriis leguntur, donavit.

II. *Conſtantinopoli* quoque ACADEMIAM inſtituit, & confirmavit die 27 Februarii A. C. 425, quæ haberet Oratores tres, Grammaticos denos in Latina & Græca lingua, Sophiſtas quinque, Philoſophum unum, Juris Doctores duos. *Cod.*

III. THEODOSIVS Juriſconſultis ſuis, eruditione, fide ac prudentia præſtantibus, negocium dedit, ut omnes Principum conſtitutiones à Conſtantino uſque, inutilibus prætermiſſis, in unum Corpus redigerent, ut ſententiæ in controverſiis ex iis dicerentur. Id opus A. C. 435, die 25 Febr. Conſtantinopoli editum, & CODEX THEODOSIANVS appellatum eſt.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

CUm *Theodoſius* venatione ſe exerceret, equo delapſus, afflictus, inque lectica domum relatus, & paulo poſt Conſtantinopoli mortuus eſt. A. C. 450, ætatis 50, (ut habet *Theodorus*, Lector & alii) cum poſt patrem Orientis Imperio præfuiſſet an. 42, menſ. 2, dies 28. Sepultus eſt in ſepulcro Theodoſii I, & patris Arcadii.

LII. IMPERATOR,
VALENTINIANUS III.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. PATER ejus fuit CONSTANTIVS Patritius Romanus, quem Honorius miſit adverſum Conſtantinum Tyrannum, illo vero oppreſſo, ei ſororem dedit uxorem, illumque Imperii conſortem fecit: ſed cum vix ſemeſtre imperaſſet, mœrore confectus, quod à Theodoſio in ſocietatem Imperii non reciperetur, obiit. *Proſper.*

II. MATER fuit PLACIDIA, ex poſteriore Theodoſii Magni uxore GALLA nata.

III. SORORE M habuit HONORIAM. Hæc libidine inflammata, eunuchum legatum ad *Attilam* Hunnorum Regem miſit, conjugium & regnum ei offerens. Miſit igitur *Attila* legatos ad *Valentinianum*, qui ſuaſionibus minas adjicientes *Honoriam* petebant; ſed priuſquam legati Roma reverterentur, *Attila* (qui alioquin etiam more gentis plures habebat conjuges) puellæ cujuſdam eximiæ inter ſuos nobilitatis amore captus (cui *Hildico* nomen fuit) nuptias cum ea celebravit, in quibus cum vino & Veneri nimium indulſiſſet, jamque ſupinus obdormiviſſet, ferociter ſtertens, nocte ea exſtinctus eſt, ſanguine copioſo per os atque per nares erumpente. *Honoria* igitur cum ſpe ſua fruſtraretur, aliis ſe ſubſternit: inde gravida facta, Conſtantinopolin mittitur. *Sigonius*, *Marcell.*

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙ'Α,
NATVRA, *atque* EDVCATIO.

VALENTINIANUS corpore, membris & facie egregia atque ſpectabilis fuit perſona; ſed animi dotibus, quæ ad Imperium requirebantur, caruit. Quia pater immatura morte obierat, & mater educationem neglexerat, adeo ut otio atque voluptati deditus, omnis generis vitia atque flagitia perpetraret. Unde Occidentale Imperium ſub eo, & cum eo ruinam eſt paſſum. Ipſe namque poſtremus Imperatorum in Occidente uſque ad Carolum Magnum fuit.

II. *ACTA OECONOMICA.*

I. UXOR ejus fuit EVDOXIA, Theodoſii II filia. Hæc namque bimula ipſi, cum puer eſſet ſex annorum, deſponſata eſt. A. C. 424. Tandem igitur *Valentinianus* uxorem ducturus, ad ſponſam ſibi olim promiſſam Conſtantinopolin proficiſcitur, & EVDOXIAM II, promiſſam ſibi, matrimonio jungit, cumque ea Theſſalonicæ nuptias celebrat A. C. 437. *Marcell. Faſti Siculi.*

II. LIBERI. *Filias* ex ea ſuſcepit duas, PLACIDIAM II, & EVDOXIAM III, quæ poſt obitum patris in ingentem miſeriam conjectæ ſunt. Nam una cum Matre omnibuſque theſauris à Genſerico Vandalorum Rege (quem tamen magnis muneribus, ut ſub ejus tutela viveret, ab eoque defenderetur, Romam evocaverat) captivæ ſunt abductæ. *Eugrius lib 2. cap. 7.*

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Valentinianus puer ſex annorum Cæſar creatus eſt à Theodoſio II. Cum vero feliciter rem gereret, acclamatione totius Italiæ Auguſtus ab Auguſto Theodoſio appellatus eſt A. C. 425. *Marcell. Sig.*

II. *Imperii administratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

Adhuc matre vivente mediocriter se continuit; ipsa vero defuncta in omnis generis scelera projectus fuit. Nam in eo vitia reprehenduntur sequentia.

I. Crudelitas.

I. Valentinianus Aëtium virum bellicosissimum & Ducem suum fidelissimum, qui Attilam in campis Catalaunicis fugarat, eique terror fuerat, interfecit. Occasio autem hæc fuit: Maximus (qui postea Valentiniano occiso Imperium rapuit) uxorem habebat formosissimam, cujus pudicitiæ Valentinianus insano amore incensus, vim intulit. Quod nefarium facinus cum vindicare Maximus cuperet, ante omnia de Aëtio è medio tollendo, quem unum suis conatibus obstare intelligebat, consilium suscepit. Multis igitur muneribus apud aulicos effecit, ut calumniarentur Aëtium apud Imperatorem, quasi Imperium arrepturus esset, omnemque rerum gestarum gloriam in se transmoveret. Imperator ficto crimini fidem habens, interrogavit familiarem quendam; Nunquid putaret, Aëtii mortem Reipubl. profuturam? Cui ille respondit: Hoc ipse videris, Imperator: Ego sat scio, si Aëtium occideris, tibi ipsi manum dexteram esse præcisurum. Nihilominus Aëtium ex Gallia Romam accersitum, & nil tale vel meritum, vel metuentem, sua manu occidit Valentinianus, & insana cupiditate & crudelitate sibi & toti Imperio cladem attraxit. Nam & ipse instinctu Maximi, à quodam satellite Aëtii interfectus est, atque ita simul cum ipso Occidentis Imperium corruit, & Respublica salutis suæ dexteram amisit. *Procop. in Vandal. Diacon.*

II. *Marcellinus lib* 29. de crudelitate ejus ita scribit: Illud tamen (inquit) nec præteriri est æquum, nec sileri, quod, cum duas haberet ursas sævas, hominum ambestrices, Micam auream & Innocentiam, cura agebat enixa, ut earum caveas prope cubiculum suum locaret, custodesque adderet fidos, &c. Innocentiam denique post multas, quas ejus laniatu cadaverum viderat sepulturas, ut bene meritam, in sylvas abire dimisit innoxiam.

II. Effusa libido.

Petronii Maximi Senatoris & Patricii Romani uxorem, quam perdite deperibat, ad se pellectam per vim stupravit, teste *Procopio in lib.* 1. *de bello Vandal.* Erat *Maximo* (inquit) uxor ut formosissima, ita pudicissima: qua *Valentinianus* amore captus cum potiri cuperet, resque admodum ardua foret, rem iniquam excogitavit. Maximum jussit ad se in palatium venire, quo cum tesseris ludens auro certo proposito, annulum ejus victor nactus est. Hunc clam ad uxorem misit, viri nomine, ut quam primum, signo perspecto, in palatium salutatum Eudoxiam Imperatricem veniret. Illa subito apparet: quam certi Ministri, quibus res nota ac mandata erat, protinus in aula excipientes, longe in gynæceum duxerunt, ubi *Valentinianus* occurrens, vim ei intulit. Illa posthæc mœsta domum regressa calamitatem fatumque suum deflere, virumque magnopere detestari cœpit, ut qui occasionem huic rei nimia temeritate sua, annuli sigillique sui datione, præbuisset.

II. *ACTA SAGATA.*

Bella gessit cum *Attila Hunnorum Rege*, quem primum per *Aëtium* Ducem vicit, postea vero fœdus cum eo iniit.

Historia συνοπτικῶς; ita comprehendi potest: Attila Hunnorum Rex, immanissimus Tyrannus, (qui se Regem Hunnorum, Gothorum, Danorum, metum orbis scripsit, Deique flagellum semet ipsum appellare sollitus) è Pannonia, (cum prius fratrem suum Germanum Blebam occidisset, ejusque regnum rapuisset) cum quingentis (juxta Iornandem vero & Sigebert. cum septingentis) millibus hominum, Macedoniam, Mysiam & Achaiam, utrasque etiam Thracias, immanissima rabie devastavit: & ad occidentale imperium demoliendum animum intendit. Ut autem Romanos à Gothis, qui tum in Italia habitabant, sejungeret & distraheret, simulabat se amicum esse *Gothis*, & cum *Romanis* prælium commissurum: *interim* eadem barbarica astutia *Romanorum* etiam amicitiam appetens, pollicebatur, se adversus eorum hostes *Gothos* arma moturum. Idcirco ad *Valentinianum* Imperatorem legatos mittit, rogatum ut patiatur, qui invadat *Gothos*, infidos Romanorum socios, quos publicæ omnium gentium pacis perturbatricem delere constituisset: nihil sibi cum Romanis esse negotii, & viros eos fortes & bonos credere, quibus cum, si vellent, vires & consilia sua communicare, atque fœdus & amicitiam inire cuperet. Sperans, separatim se utrosque collisurum, faciliusque deleturum. Verum *Valentinianum Attila* doli minime latuerunt: omnes igitur *Galliæ* Reges, *Theodoricum* Gothorum, *Gundericum* Burgundionum, *Merovicum* Francorum, & *Sangibanum* Alanorum Regem sollicitat de fœdere, cum omnium salus agatur, & Aëtium patricium Romanum, non minus civilium, quam

quam bellorum peritiſſimum, totius belli Ducem conſtituit. *Theodoricus* lætus nuncio accepto, cum immenſa Weſtgothorum multitudine in campos Catalaunicos, qui ſunt in Gallia, ſimul cum duobus filiis natu majoribus Thoriſmundo & Theodorico deſcendit. Eo venit & Aëtius cum Romanis militibus, & auxiliaribus *Francis*, *Saxonibus*, Burgundionibus, Armoricis, Britonibus, aliiſque Germanicis & Celticis nationibus. *Attila* Hunnos, Sarmatas, Scythas, Suevos, Gepidas, Quados, Heruloſ, ductabat cum pluribus Regulis. Nunquam duos majores exercitus inter ſeſe oppoſitos fuiſſe ſcribitur. *Commiſſa* eſt pugna in campis Catalaunicis atrociſſima ab hora nona diei, tota nocte, uſque ad ſequentem diem, tantumque ſanguinis fuſum eſt, ut parvus aquæ rivulus, ſubito immodicus torrens effectus, cadavera peremtorum ſecum traheret. In eo prælio namque ex altero exercitu *Theodoricus* Gothorum Rex, ex altera parte vero totus exercitus peremtus eſt. Ceciderunt ad centum & octoginta millia ex utraque acie, præter nonaginta millia *Gepidarum* & *Francorum*, qui mutuis vulneribus ceciderunt. *Attila* cum ſe ſuperatum eſſe videret, de vita ſua deſperans, ex equitatoriis ſellis ingentem pyram conſtruxit; eo conſilio, ut, ſi coarctaretur, ſeſe ſuppoſito igne cremaret, ne Rex tantarum gentium in poteſtatem hoſtium deveniret. Et deletus fuiſſet *Attila*, niſi Aëtius, ſtulto plane conſilio, *Thoriſmundo* cædem patris *Theodorici* ulciſci cupienti conſuluiſſet, expedire, ut paternum regnum defenderet, potius quam hoſtem perſequeretur.

Attila vero magno illo metu liberatus, in Pannoniam rediit, exercitu maximo reparato rurſus Italiam invaſit, Aquileiam obſedit; idque per triennium. Cumque ipſius milites famem diutius tolerare non poſſent, & de ſolvenda obſidione cogitarent: Ecce *Attila*, videns ciconias fœtus ſuos ex urbe obſeſſa portare ex nido in agrum, acclamat ſuis militibus: *Adſpicite*, inquit aves jam futurorum præſcias, relinquere civitatem perituram. Statimque novo animi impetu adhibitis machinis tormentiſque urbem capit, diripit: cives partim trucidat, partim captivos abducit, & civitatem incendio conſumit: Poſtea immaniſſimus hoſtis multas urbes in deditionem accipit, diripit; quaſdam incendit & ſolo æquat. Cumque tandem ad urbem Romam, cui minime parcendum putavit, properaret, *Valentinianus* legatum Pontificem *Leonem* ad eum, ut urbi parceret, miſit. Qui poſtquam ad Regem *Attilam* acceſſit, oratione ſua cuncta quæ petiit, obtinuit, atque non ſolum urbis Romæ, ſed & totius Italiæ ſalutem reportavit. Nam *Attila* ab illo perſuaſus, ſtatim exercitum ex Italia in Pannoniam reduxit. *Iornandes. Sigebertus*, *P. Diaconus.*

AXIOMA.

Deus vehementes hoſtium impetus ſæpe frangit, eorum cor & voluntatem invertit, ut ex hoſtibus fiant amici.

I. LABAN & ESAV, volente DEO, ponunt ferocia corda adverſus Jacob. *Geneſ.* 31. *verſ.* 24. *Gen.* 33. *v.* 4.

II. NABVCHDONOSOR antea erat lupus, h. e. atrox veræ religionis contemtor, atque Miniſtrorum DEI perſecutor; Poſtea vero factus eſt ovis, hoc eſt, veræ religionis amator, atque piorum defenſor. *Dan.* 3. *v.* 14.

III. AHASVERVS *Rex Perſarum* totam Judæorum gentem in omnibus ditionibus atque provinciis ſuis Regio edicto deleri mandaverat: Sed DEO cor ejus immutante, hoſtes Judæorum in univerſo Regno deleti ſunt. *Eſther* 8. *verſ.* 2, 8, 10, *&c.*

IV. DARIVS *Rex Perſarum* Danielem Prophetam calumniis Aulicorum ſuorum circumventus, in ſpeluncam leonum abjici præcipiebat; poſtea vero eum gemitu lachrymiſque compellabat, eumque cum gaudio ingenti ex eadem extrahi mandabat. *Dan.* 6. *v.* 16.

II. PROFANA.

2. ATTILA, cum ingentem in Italia exerceret tyrannidem, & Romam properaret, obviam ei progreditur LEO Pontifex Romanus, omniaque quæcunque vellet, ab eo impetravit. Interrogatus, quare omnibus *Leonis* votis atque petitionibus annuiſſet, reſpondit: Se non à Leone, ſed ab alio viro ætate grandævo & majeſtate conſpicuo, veſtibus ſacerdotalibus induto, & gladium ſtrictum in manu tenente, ſibi metuiſſe. Hic autem vir grandævus gladium ſtrictum dextra tenens, ipſe DEI Filius fuit, qui dixit: *Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos.* Ioh. 14. v. 18.

II. ALEXANDER M., capta Tyro, bellum inferre Iudæis decreverat, atque animo infeſto Heroſolymam magno cum exercitu venerat; ſed conſpecto ſummo ſacerdote Iaddo, ex equo deſiliens, ſupplex illi honorem habuit: nec pacem duntaxat benigne Iudæis conceſſit, ſed etiam tributa remiſit, cumque Regiis muneribus Templum ornaſſet, exercitum victorem ſine maleficio per Iudæam in Aſſyriam traduxit. *Ioſeph. lib.* 11. *de Antiq. Iudaic. cap.* 8.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. *Pallii uſum Epiſcopis conceſſit.* Nam ita de eo ſcribit Cuſpinianus. Valentinianus, inquit, frequenter verſabatur Ravennæ, & urbem iterum exſtruens adornabat egregie, ipſamque Principem conſtituebat 14 civitatum, & poteſtatem faciebat illius Epiſcopo utendi tunica quam pallium vocant, quæ tunc temporis tantummodo Cæſaribus geſtari conſueverat, & ex hoc ſurrexit lis illa inter Epiſcopos Ravennates & Romanes: hi enim illis pares eſſe volebant. Hinc conſtat, unde pallia ſint orta; quis primus illis fuerit uſus, eorundemque uſum conceſſerit, & quod Papa multo poſt demum tempore pallii geſtandi licentiam impetraverit. Vt enim Pontifices Romani alia Regalia, & quæ tantum Majeſtate Cæſarea digna ſunt, ſibi adſciſcunt: ſic & iſtud pallium ſibi vendicarunt.

11. *Valentinianus* conſtituit, ne Clerici cauſas dijudicent, & ut ne Clerici forum politicum declinent, niſi quis ſponte ad Eccleſiaſticum Magiſtratum provocet, ne etiam Curiales fiant Monachi.

Prodigia.

Sub *Valentiniano* hoſtes occidentale Imperium undiquaque invaſerunt, illudque crudeliter devaſtarunt: cujus ruinam & vaſtationem multa in cœlo terriſque præceſſerunt prodigia. Terræ motus aſſidui contigerunt: cometæ viſi ſunt, eclipſes Lunæ conſpectæ ſunt: cœlum arſit, intermixtis per igneum ruborem clarioribus lineis, in ſtellarum figuras formatis, cujus flammæ ad Occidentem vergentes apparuerunt: Vrſorum, cervorum ac ſimilium ferarum beſtiarum acceſſus ad frequentes hominum cœtus conſpectus eſt.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

CVm Valentinianus uxoti *Maximi* vim intuliſſet, ille ut ulciſceretur injuriam uxori ſuæ illatam, Aëtii à Valentiniano nefarie trucidati ſatellites conduxit, qui Valentinianum occiderunt anno Chriſti 455. ætat. 36. Imperii anno 30. è quibus annos 25 cum Theodoſio II, cum Marciano vero 5 regnavit. Mortem ejus occaſus Imperii in occidente ſecutus eſt. Nam Roma primo à Tyrannis, poſtea ab ipſis Barbaris agitata eſt, Franci Galliam, Scoti, Picti, & poſt eos Saxones Britanniam, Hunni Europam, Vandali Africam, alii alias provincias occuparunt ac vaſtarunt, donec nomen & majeſtas Imperii in Occidente concidit.

APPENDIX IMPERATORVM illegitimorum atque TYRANNORVM, qui poſt obitum VALENTINIANI III. in Occidente regnarunt.

I. MAXIMVS.

I. *ORTVS.*

FVit *Patricius Romanus*, ex illius *Maximi* familia, quem Tyrannide occupata *Theodoſius M.* debellarat.

II. *PROGRESSVS.*

1. *Imperii occupatio.*

Occiſo *Valentiniano*, ſtatim palatium cum ſatellitibus ingreſſus eſt, & Imperium nemine obſtante arripuit.

II. *Imperii adminiſtratio.*

Imperii adminiſtratio fuit Tyrannica. Nam occupato Imperio, ſtatim Eudoxiam *Valentiniani* uxorem vi compreſſam turpibus nuptiis ſibi copulavit.

III. *EGRESSVS.*

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

Occaſio exitus tragici fuit Garrulitas. Nam Eudoxiæ novæ conjugi impudenter aperuit, *Valentinianum* ſua opera eſſe occiſum. Illa igitur vindictæ cupida, occulte nuncios cum muneribus ad *Genſericum* Vandalorum Regem mittit, qui orent, ut eædem *Valentiniani* ex fœdere nuper inito ulciſceretur, & ſe urbemque Romam Maximi tyrannide liberaret.

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Genſericus precibus *Eudoxiæ* annuens, armata cum claſſe & copiis magnis Romam de improviſo venit. Cives igitur pavore correpti ex urbe in loca tutiora profugiunt: in qua trepidatione *Maximus* tyrannus fugam capeſſens, à Romanis primum lapidibus petitus, deinde dilaniatus & membratim diſſectus, in Tiberim abjicitur die 77 poſt, quam tyrannidem arripuerat.

III. ΤΑ ΠΑΡΕΠΟΜΕΝΑ.

Genſericus tertio inde die Romam præſidio vacuam, nullo adverſante ingreſſus, à *Leone* quidem Epiſcopo & *Eudoxia* flexus, ne urbem incendat, eam tamen totam per quatuordecim dies diripuit: & non ſolum privatas civium domos ſpoliavit, ſed etiam ſacra-

sacratum ædium donaria auro gemmisque ornata, nonnulla etiam aurea vasa è templo Hierosolymitano à *Tito* allata rapuit, eaque una cum Eudoxia & duabus ejus filiabus *Placidia II.* & *Eudoxia III*, multisque millibus captivorum in Africam secum asportavit, & *Eudoxiam III. Valentiniani* filiam natu majori filio suo *Honorico* uxorem dedit, *Placidiam III.* postea Constantinopolim misit, ut nuberet *Olybrio*, ex Romana clade profugo, cui desponsita fuerat: *Eudoxiam* vero Valentiniani viduam sibi retinuit. *Procop. Zonaras.*

II. AVITUS.

I. ORTVS.

Imperii occupatio.

Avitus magister militum à *Maximo* erat creatus, &, ut Galliæ consuleret, jussus. Hic eo tempore, quo *Maximus* occisus, apud Theodoricum Gothorum Regem legationem obibat, & decernitur Imperator, si ipse Imperium resumere velit; quod maxime suadet Rex Theodoricus, & milites promta voluntate ipsum Imperatorem coronant A. C. 455. die 10 Julii, die 28 post occisum *Maximum. Sidon. Marcianus* Imperator, etiamsi de auxilio ferendo à Patriciis Romanis invocaretur, & ut Imperatorem novum crearet, tamen vel ætatis vel insitæ ingenio tarditatis causa nihil molitus est. *Sigonius.*

II. PROGRESSVS.

Imperii administratio.

Imprudenter fecit Avitus, quod, cum ex Gallia (ubi à Theodorico & militibus Imperator creatus erat) in Italiam rediret, Gothicum auxilium à se dimiserit.

III. EGRESSVS.

Cum Avitus ob Maximum & dignitatem Imperatoriam à Marciano Imper. & populo in odio haberetur, *Ricimer* Suevus militiæ magister eum jussu *Marciani* Imp. Roma pepulit, comprehensumque coëgit imperio se abdicare: ne igitur contemtus viveret, Placentiæ Episcopus factus est, cum tantum decem menses & 15 dies Imperator in Occidente fuisset. Verum cum senatus non contentus hac degradatione, mortis pœnam illi irrogaret, in Gallias fugit, ubi mœrore animi mortuus est. *Sidon. Cassiod.*

Interregnum.

Secutum est interregnum, ita ut nemo Imperator esset Romæ mensibus decem, & 15 diebus. *Sidon.*

III. MAJORANUS.

I. ORTVS.

Imperii occupatio.

Leo I. cum militiæ magistrum creavit, eumque ad Imperium occidentale occupandum misit. Cum igitur Majoranus in Italiam venisset, prope Ravennam Imperator creatus est, A. C. 457.

II. PROGRESSVS.

Imperii administratio.

I. ACTA TOGATA.

I. Cum *Sidonius Poëta* Majorano Panegyricum carmen scripsisset, coronatus, & statua ipsi in honorem posita est.

II. Cum videret *Majoranus*, monumenta publica & saxa ad reædificandam Romam in privatos usus converti, edixit, ne amplius monumenta veterum diruerentur.

II. ACTA SAGATA.

Fortis bellator fuit. Nam,

I. Cum *Genserico* Campaniam popularetur, ipsi insidias struxit *Majoranus*, & Vandalos atque Afros victos Italia cedere coëgit. *Sigonius.*

II. Classe comparata in Africam trajecit, & Mauritaniam recepit: ubi cum in morbum incidisset, Vandali classem ejus afflixerunt; & re infecta in Italiam rediit. Interim Theodoricus Gothorum Rex à *Genserico* persuasus, fit Romanorum hostis, & fines Romanos populatur. Ad Rhodanum usque pervenit in Gallias populando, & Lugdunum oppidum capit. *Sigonius.*

III. MAJORANVS A.C. 460, hyeme in Galliam cum exercitu profectus, Gothos ex oppidis, quæ occupaverant, ejicit, & data pace provinciam perlustrat. *Idem.*

IV. MAJORANVS ex Galliis in Hispaniam venit, ut inde parata classe Vandalos adoriretur, sed proditione suorum & consilio hoc Vandalis detecto, classe à Vandalis spoliatur, & ipse in Italiam revertitur. *Isid.*

III. EGRESSVS.

Majoranus Alanos Gallia expellere conatur, Alani contra, dum Italia sine præsidio est, versus Italiam movent, quapropter Magistrum militiæ RICIMERVM, natione Gothum, cum exercitu

advocat, & cum Alanis opponit. At hic Imperatorem comprehenſum die 2 Auguſti A. C. 461. Imperio removet, & die 7 Auguſti trucidat, cum imperaſſet annos quatuor, & menſes quatuor. Secutum eſt *Interregnum* II. quod 111 menſes & x11 dies duravit. *Sigonius.*

IV. SEVERUS.

Huic ſucceſſit *Severus*, qui A. C. 461. in Occidente Imperator factus & Auguſtus ſalutatus eſt. Hujus auſpiciis *Ricimer* Alanos, in Italiam qui tranſierant, delevit, & *Biorgorem* Regem eorum occidit. Verum hic *Severus* cum annos tres & menſes decem imperaſſet, veneno (ut putatur) *Ricimeris* fraude peremptus eſt. Senatus Romanus, cum tot hoſtes eſſent Imperii, petit à LEONE, ut mittat Imperatorem, ſi videatur: ſed in hac conſultatione & hunc & ſequentem annum conſumit. Secutum igitur INTERREGNUM III. anni 1. & menſ. prope octo. Interim *Ricimer* militiæ Dux, magna armatus potentia, Rempubl. adminiſtravit. *Cedr. Caſſ. Onuphr.* Tanta fuit fortunæ in Occidente viciſſitudo, ut quatuor Impp. Occidentales decennii ſpatio poſt captam Romam interierint. *Maximus*, *Avitus*, *Majoranus* & *Severus.*

V. ANTHEMIUS.

Ricimer Dux, ex cujus nutu Occidentale Imperium pendebat, cum *Leone* Imper. ita tranſigit, ut mittat, qui Imperator eſſet Occidentis, qui filiam ſuam ſibi deſpondeat, ut ipſe ſocer fieret Imperatoris, illumque in poteſtate haberet. Mittitur igitur *Anthemius*, qui coronatur Imperator A. C. 467. die 12 Aprilis, & cum filia *Ricimeris* nuptias celebrat. Verum *Ricimer* cum ſibi ſatis potentiæ habere videretur, nec alterius opibus indigere, noluit alieno Imperio ſubeſſe. Inſidias igitur ſtruit genero: Quæ cum patefactæ eſſent, Mediolanum fugit, & bellum Imperatori minitatur: ſed pax conciliatur per *Epiphanium* Epiſcopum Ticinenſem, virum doctum & pium. *Ricimer* nondum quieſcere potuit, ſed ſequenti anno, quo cum *Anthemio* erat reconciliatus, bello eum proſecutus eſt, Romam obſedit, & generum ſuum captum occidit anno Imperii 5, menſ. 3. Roma tunc tertio, poſtquam ab Alarico & Genſerico capta & direpta fuerat, ſpoliata eſt.

RICIMER tamen hoc ſcelere perpetrato non diu lætatus eſt. Nam die 34 poſt generi cædem, morbo repentino correptus, extinctus eſt.

VI. ANICIUS OLYBRIUS.

Anthemio in Imperio ſucceſſit *Olybrius*, qui uxorem habuit *Placidiam* II. Valentinianı Imperatoris filiam. Hic vix deguſtato Imperio mortuus eſt: nam tantum menſes 3, & dies 23 imperavit. Secutum eſt *Interregnum* per 1 v menſes.

VII. GLYCERIUS.

Poſt Severum invito Senatu à militibus factus eſt Imperator *Glycerius* A. C. 473. Interea vero eidem dignitati deſtinatus erat à *Leone Iulius Nepos*; qui ſequente anno cum claſſe in Italiam venit, & Glycerium omni auxilio deſtitutum Imperio depoſuit, cum in eo annum unum, menſes tres & dies 21. tranſegiſſet: illumque Epiſcopum Salonæ in Dalmatia fecit.

VIII. JVLIVS NEPOS.

Hic, pulſo Glycerio, Imperium in Occidente invaſit A. C. 774. Quia vero hoſtes in Gallias irruptiones faciebant, NEPOS Imp ut laboranti Galliæ ſubveniret, ORESTEM genere Gothum, Magiſtrum militiæ facit, qui inſtructus exercitu fidem fefellit, & incautum Imp. Ravennæ, cum annum unum, menſ. 2. dieſque 21 regnaſſet, dejecit A. C. 475. Poſtea A. C. 480 ex inſidiis à ſuis comitibus occiſus eſt. *Vetus Chronicon.*

IX. ORESTES.

Oreſtes, cum *Nepotem* Imp. Imperio dejeciſſet, Imperium arripuit, illudque filio ſuo *Momillo* adhuc puero tradidit, & cum Genſerico Vandalorum Rege in Italia atque aliis pacem firmavit A. C. 475. Amici vero *Nepotis* Imp. ut mortem ejus ulciſcerentur in *Oreſte*, legatos ad *Odoacrem* Herulorum Regem mittunt, ut veniat, & pœnas de Oreſte ſumat: id libenter fecit *Odoacer*, quia Romanorum divitiis ipſe pauperrimus inhiabat. Expeditione igitur ſuſcepta A. C. 476, vere novo Danubium tranſgreſſus cum magno exercitu, ex Gepidis, Herulis, Rugiis, & Thuringis conflato, in Italiam Veronam primum pervenit, & Oreſtem perſecutus: qui adverſus formidoloſiſſimam multitudinem nihil ſe prævalere conſpiciens, maxime cum eum jam quidam ſuorum deſeruiſſent, metu trepidus, intra *Ticinum* ſe munitionis fiducia concluſit. Mox adveniens cum exercitu *Odoacer* urbem Ticinum obſidet, & tandem capit: vaſtantur omnia rapinis, ſævit ubique gladius, divina quoque privataque ædificia ignis abſumit. *Odoacer*, qui expugnata urbe Rex Italiæ proclamatus eſt, *Oreſtem* captum Placentiam adduci juſſit; ubi ſpectante exercitu eum interfecit. A. C. 476, die 28 Auguſti.

X. AVGVSTVLVS.

I. ORTVS.

Fuit ORESTIS patricii Imperat. filius, & dictus

dus *Momillus Auguſtulus*. Nomen Auguſti autem inter Imperatores eſt fatale. *Auguſtus* ab augendo eſt primitivum: quia imperium auxit. *Auguſtulus* eſt diminutivum: quia imperium revera diminuit.

AXIOMA.

Quando eſt finis regni, tunc ultima & prima nomina plerumque congruunt.

Vel, Regna ſæpe in iis deficiunt, à quorum nominibus incipiunt.

EXEMPLA.

I. Sub DARIO filio Aſtyagis, regnum Perſarum cœperat & creverat: ſub *Dario* ultimo corruit ac deſiit.

II. *Regnum Macedonum Philippus* pater Alexandri Magni inſtauravit: *Philippus* ultimus Perſei pater ad ruinam inclinavit.

III. CONSTANTINUS MAGNUS Conſtantinopolin condidit: & *Conſtantinus Palæologus* ultimus amiſit.

IV. Sub AUGUSTO Imperatore & Monarcha Italia floruit. Sub AUGUSTULO robur Italiæ exſtinctum eſſe, Hiſtorici tradunt.

II. *PROGRESSUS.*

Imperii occupatio, ejuſdemque adminiſtratio.

Cum adhuc puer eſſet, à patre ſuo Oreſte Imperator creatus eſt A. C. 475. Verum cum cerneret, univerſam Italiam Odoacris viribus ſubigi, inopinabili metu perterritus, ſponte miſerabilis, purpuram abjiciens, cum vix XI menſibus Rempub. obtinuiſſet, imperialem majeſtatem depoſuit.

III. *EGRESSUS.*

ODOACER, capta urbe Ticino, Ravennam profectus eſt: quam cum paucos dies obſediſſet, in poteſtatem accepit. Tandem Romam proficiſcens, eam quoque ſibi ſubjugavit, & *Auguſtulum*, qui ſe abdicaverat, in quodam Campaniæ caſtello exulare, privatumque vivere juſſit. Atque ita Romanorum Imperium in Occidente, quod poſt victum Pompeium, incipiendo à Julio Cæſare, annos 552 ſteterat, deſiit, barbaris & peregrinis Italiam firma poſſeſſione tenentibus.

INTERREGNUM hoc, quo Occidens Impp. Romanos non habuit, duravit annis 324, menſibus 4, uſque ad CAROLUM MAGNUM Romæ coronatum anno Chriſti 800 completo.

ODOACER ad conſtituendum regnum animum adjiciens, ſibi Gothos adjungit, & tertiam partem agrorum ipſis in Italia attribuit, quod & Oreſtes ipſis promiſerat. Conſulum dignitatem, ad contundendam eorum ſuperbiam, aufert, & ſedem regni conſtituit Ravennæ. Primus ille Italiæ Rex (Regem enim Italiæ ſe appellari voluit, illuſtri titulo Imperatoris rejecto & repudiato) in Occidente regnavit ann. 16, menſ. 5, diebus 3. *Onuphr.*

SEQUENTES IMPERATORES regnarunt tantum in Oriente uſque ad CAROLUM MAGNUM.

LIII. IMPERATOR, MARTIANUS.

CAPUT I.

DE ORTU.

EX Thracia *Martianus* fuit oriundus, humili genere natus.

PATER ejus fuit vir militaris, qui variis officiis militaribus functus, ad ſummos dignitatum gradus pervenit. Unde *Evagrius lib. 2. Martianum militaris viri filium* appellat.

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

I. *ACTA OECONOMICA.*

UXOR ejus fuit PULCHERIA. Ex qua nullos ſuſcepit liberos: quia ipſa hoc pacto eum ad conjugium invitavit, ut juramento confirmaret, ſe virginitatem ipſius intactam eſſe conſervaturum.

II. *ACTA POLITICA.*

1. *Ante Imperium.*

Prima ſtipendia in Lydia meruit, & poſtea militiam ſecutus eſt: in qua cum res præclaras gereret, varia officia, quibus ſumma cum laude functus, eſt aſſecutus.

Futuri Imperii præſagia.

Cum aliquando, cum ſua legione adhuc gregarius miles in expeditionem profectus, & in Lycia ægrotans à commilitonibus relictus, duorum fratrum *Julii* & *Tatiani* hoſpitio uſus eſſet, recuperata valetudine, cum hoſpitibus venatum exiit: Languidiores facti, ex ardore Solis procumbunt humi

requiescendi causa, & obdormiscunt circa meridiem. *Tatianus* prior à somno excitatus, aquilam videt expansis alis umbram facientem *Martiano*, & solis ardorem prohibentem. Ille fratrem, ut hoc prodigium videret, excitavit: rem inusitatam ambo admirati, uterque *Martiano* id nunciantes, regnum ei portendi pronunciarunt: & abeuntem viatico ducentorum argenteorum prosecuti sunt, petentes, ut sui, imperio potitus, meminisset.

Hoc idem prodigium postea ei accidit. Cum enim adhuc miles privatus contra Vandalos militaret, & in bello captus in Vandalorum castris quiesceret, Rex captivos videre cupiens, Aquilam supra caput Martini vidit Itaque liberum eum abire jussit, & insuper oravit, si ipsi Imperium daretur, ut eum Vandalis pacem faceret. *Pompon. Læt. Zonaras* §. 1.

II. *Imperii occupatio.*

A *Pulcheria*, Arcadii Imper. filia, *Theodosii* II. sorore, (antequam eam sibi matrimonio junxit) ad Imperium promotus hoc modo: *Theodosii* II. Imp. mortem celavit, quamdiu potuit. Interim nondum sepulto Theodosio, Imperium *Martiano*, quem virum bonum & Imperio aptum esse videbat, obtulit, idque his conditionibus: Si juramento confirmet, quod ipsius vitæ, potestati, ac maxime pudicitiæ minime insidiari, sed hæc omnia salva & integra conservare velit. Postquam *Martianus* Pulcheriæ hæc sub juramento confirmasset, eum Imperatorem salutavit, accersitis Patriarcha & Senatu illud consentientibus, & capiti ejus diadema imposuit.

III. *Imperii administratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

I. Erga subditos benignus, justitiæ & pacis studiosissimus fuit. Nam sæpe dicere solitus est, seu *Symboli* loco usurpavit: *Dum in pace vivere licet, non decere Imperatorem arma sumere.* Quod *Goltzius* ita reddit:

Quamdiu pacate vivere licet,
Non est Principi decorum arma sumere.

Et *D. Reusnerus* his versibus comprehendit:

Pace frui, quando fas est, fas Marte carere:
Nam pacem quærit Rex quoque Marte bonus.

II. In eo quoque laudanda est *Constantia in promissis.* Antea enim diximus, quod Vandalorum Rex ipsum, cum à se dimitteret, oraverit, ut pacem cum Vandalis faceret, si ad imperium perveniret: quod *Martianus* se facturum promisit. Accepto igitur imperio, cum Vandalis fœdus pacemque fecit, illamque inviolatam servavit.

III. GRATITUDO. Hospites quoque & benefactores suos veteres remunerandos censuit. Quare *Tatianum* ejusque fratrem ad se venire jussit: *Illum* Constantinopolitanæ Præfectum constituit; *Huic* vero Illyricæ provinciam tradidit.

II. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. *Pius & religiosissimus Imperator fuit.* Cumque Ecclesiæ Christi novo atque blasphemo Eutychis dogmate plurimum turbarentur, huic malo optimus Princeps occurrendum censuit, priusquam per longiorem moram malum invalescens, ingentem ruinam Ecclesiæ attraheret. Quare universalem illam & maxime celebrem Synodum Chalcedone Bithyniæ, quæ nominatur CONCILIVM OECVMENICVM IV, congregari curavit A.C. 451, die 8 Octobr. cui 630. Episcopi interfuerunt. Ipse quoque *Martianus*, quo, inventa veritate, dissidia tollerentur, huic Synodo interfuit, & in prima sessione sanctam Synodum sic allocutus est: *Cum primum per electionem in regnum de secreto* DEI *provecti sumus, inter tantas publicas utilitates nullum magis nos constrinxit negotium, quam rectam & veram fidem Christianorum, qua sancta & veneranda consistit, indubitatam omnibus declarare.* Et tandem post longa certamina *Martianus* perfecit, ut decretum plurimorum consensu fieret, in quo primum omnes testati sunt, se amplecti Nicænæ Synodi Symbolum. Deinde damnata sunt dogmata *Nestorii* & *Eutychis.*

II. MARTIANVS A.C. 452, edictum proposuit, quo mandavit, ne quis tentet aliquid scribere, dicere, edere contra Synodi Chalcedonensis decretum, neve scripta contraria quisquam apud se habeat. In *Codice Titul. de Hæreticis & Manichæis.*

III. *Admonitus à Leone* Pontifice, edictum misit ad Alexandrinos, ut Orthodoxam fidem amplecterentur, & sequerentur vestigia Theophili & Cyrilli, aut pœnam hæreticis dignam exspectarent. *Cod.*

CAP. III.

DE EGRESSV.

CVm annos sex, menses totidem, dieque 10 imperasset, sive ex morbo, sive veneno Asparis patricii nutu dato, apud Constantinopolin admodum senex occubuit. A. C. 407. *Zonaras in Marciano* §. 2. *Diacon.* & *Theod. Lector.*

LIV. IMPERATOR, LEO MAGNUS, ſive Primus.

CAPVT I.

DE ORTV.

LEo cognomento MAGNVS, Græcanici ſanguinis è familia Beſſica oriundus fuit.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

II. *ACTA OECONOMICA.*

VXOR ejus dicta fuit VERINA; è qua duas filias ſuſcepit, ARIADNAM & LEONTIAM: quarum *illam* primo *Aſparis filio*, deinde Aſpare interfecto *Zenoni* uxorem dedit: *hanc* vero *Martiano* patricio, Anthemii filio, qui Romæ imperavit. *Zonar. in Leone Magno §. 3.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Ante imperium.*

Fuerat LEO tribunus militum. Alii etiam Aſparis procuratorem fuiſſe tradunt, alii vectigalium publicorum Præfectum.

II. *Imperii occupatio.*

Promotus eſt ad imperium ASPARIS Patricii ſuffragiis ac factione. *Aſpar* enim etſi multum poterat, non tamen Imperator à populo Conſtantinopolitano creatus eſt, ob Arianæ ſectæ ſtudium. Quare ipſe *Leonem*, ſive ſuapte authoritate, ſive à populo accepta poteſtate, Imperatorem declarat, ſtipulatus, ut Ardaburium filium ſuum Cæſarem faceret: quod cum ille promiſiſſet, ad regium faſtigium eſt evectus A. C. 457. LEO autem primus è Græcis imperium Romanor. tenuit, & ille primus ab Epiſcopo Conſtantinopolitano Anatolio coronatus eſt. Nec vero coronatio ſeu Epiſcopus imperium dedit; ſed teſtis fuit, eum qui electus erat, Chriſtianum eſſe, & alienum à falſis dogmatibus: eamque ob cauſam profeſſio doctrinæ ante coronationem petebatur: ut poſtea in Anaſtaſii Imp. electione dicemus.

III. *Imperii adminiſtratio.*

1. *ACTA TOGATA.*

1. CLEMENS fuit & beneficus erga ſuos, præcipue autem erga egentes & inopes: Itaque ſæpe ſolitus eſt dicere: *Quemadmodum Sol, quibus affulſerit, iis calorem impertit: Ita Princeps Clementiam impertiat iis, quos aſpexerit. Cedrenus.*

II. *Doctos viros in pretio habuit*, eoſque ſtipendiis liberaliter fovit.

III. *Politica pacis* ita *ſtudioſus fuit*, ut aliquando dixerit: Vtinam is ſit temporum meorum ſtatus, ut mihi liceat ſtipendia militum in literarum Magiſtros conferre.

IV. *Aſparis filium Cæſarem creavit. Aſpari* namque promiſerat, ſe filium ipſius conſortem Imperii eſſe aſſumturum. Quod promiſſum, cum non ſtatim, poſtquam imperium adeptus, impleviſſet: *Aſpar* veſte illius apprehenſa dixit: *Imperatorem tali purpura amictum non decet mentiri.* Cui reſpondit ille: *Etiam cogi & inſtar mancipii trahi nefas eſt.* Sed cum tandem reſiſtere non poſſet, neceſſitati cedens, filium illius è patricio *Cæſarem* fecit. Id factum neque Senatui gratum fuit, populumque ad ſeditionem impulit. At ille tum & verbis & factis ſeditionem repreſſit. Nam cum non multo tempore poſt *Aſpar* ejuſque filius *Ardaburius* vitæ *Leonis* Imp. inſidiarentur, ac dicerent: *Φάγωμεν τὸν Λέοντα πρὶν αὐτὸν ἡμᾶς δειπνῆσαι*, (h.e. Devoremus nos Leonem prius, quam ipſe de nobis prandium inſtruat) juſſu Leonis occiſi ſunt.

V. LEONEM JVNIOREM è Zenone & Ariadna genitum infantem adhuc, Imperii conſortem fecit. A. C. 473. *Caſſ. Cedrenus, Zonaras.*

VI. MAJORANVM militiæ Magiſtrum fecit, eumque ad accipiendum imperium occidentale dimiſit; qui cum in Italiam veniſſet, prope Ravennam Imperator coronatus eſt: uti in hiſtoria ejus diximus.

II. *ACTA SAGATA.*

Bella geſſit per Duces, cum *Genſerico Vandalorum Rege*, & contra eum *Marcellinum*, *Heraclium*, & *Baſiliſcum* duces ſuos mittit. *Marcellinus* inſignis Dux Sardiniam recepit, Vandalos inde expulit, & in Siciliam tranſiit: ubi dum Duces *Leonis* fideliſſime adjuvat, ab ipſis fraude occiditur, circa menſem Auguſtum A. C. 468. Alter Dux *Heraclius* Tripolin recepit. *Baſiliſcus* vero Verinæ uxoris Leonis Imp. frater, cum magna claſſe contra Genſericum in Africam profectus, turpiſſime navali prælio victus eſt, & ipſe primus aufugit: ſive ignavia, ſive proditione hoſtibus victoriam concedens. Hac pugna Genſericus fere tota claſſe Leonis Imp. quæ è mille navibus conſtabat, potitus eſt. *Procopius, Nicephorus, Zonar.* Sequenti vero anno, nempe A.C. 470. Baſiliſcus, ut priſtinum decus militiæ

litiæ Romanæ recuperaret, iterum claſſe cum Genſerico prope Siciliam pugnavit, eumque glorioſe vicit. *Procopius.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. *Eccleſia tranquillitatem* & concordiam magno ſtudio quæſivit, & ad omnium provinciarum Epiſcopos ſcripſit, petiitque ut ſuam quiſque de Chalcedonenſi Concilio ſententiam perſcriberet, obteſtans, ut ita de controverſis rebus judicium facerent, ut qui Deo rationem eſſent reddituri. Illi vero uno omnes ſuffragio & ſenſu Chalcedonenſe Concilium probarunt.

II. *Alexandrini* audita morte *Martiani* Imp. *Proterium* Epiſcopum Catholicum A. C. 457, in hebdomade magna ante Paſcha in templo interficiunt, & *Timotheum* Ælurum Eutychianum Epiſcopum faciunt. Leo Papa certior factus, de hac re ſcribit ad Leonem Imp petitque alium dari Epiſcopum Catholicum. Timotheus igitur Eutychianus ſede ſua ejicitur A. C. 460, & in exilio arcta cuſtodia detinetur, aliuſque Epiſcopus eligitur eodem nomine TIMOTHEUS.

III. LEO, Pontifex Romanus, anno C. 461. moritur, cum ſediſſet annis fere 21. Cui ſuccedit HILARIUS.

IV. PETRUS FULLO, Eutychianus, Antiochiam profectus, ibi turbas cievit contra Epiſcopum, quem tandem ſede dejecit. Sed Petrus hic edicto LEONIS tandem in exilium ejicitur, pœnitentiam tamen ſimulans, intercedentibus aliis, ipſi permiſſum, ut Conſtantinopoli eſſe poſſet. *Onuphrius.*

V. *Gennadius* Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cum ſediſſet annis 13, menſ. 2, moritur A. C. 471, menſe Auguſto.

Res miræ, & prodigia.

I. *Imperante Leone* Antiochia urbs horrendo terræ motu fere tota concidit, & in agro Byzantico pluvia cineris, palmi altitudine decidit: ante vim illam pulveris decidentis nubes ignitæ conſpectæ ſunt. Quibus prodigiis perterritus Imperator, urbe relicta, longo tempore apud ſanctum Mamantem habitaſſe fertur. Poſtea Imperator ad urbis inſtaurationem præter vectigalia donavit ipſis mille auri talenta. *Euagrius, Nicephorus, Zonaras.*

II. A. C. 469. *ingens incendium Conſtantinopoli* exſtitit, à mari ad mare pervagatum. Ea flamma per quatuor dies urbem depaſta eſt, eamque fere totam conſumſit. *Faſti Siculi, Zonaras.*

III. *Conſtantinopoli & in Bithynia* vehementes pluviæ per quatriduum cœlitus delapſæ, montes in planum deduxerunt, & vici aquis involuti, in ſummo fuerunt periculo. Atque ubi antea paludes herbidæ exſtiterant, haud procul inde diſſita Nicomedia ex multis faſciculis, qui in illam comportabantur, Inſulæ effectæ ſunt. *Euagrius, Sigebertus.*

IV. *Per Tholoſam*, urbem Galliæ, tota die ſanguis largiſſimo rivo fluxit. *Theod. Lector.*

V. *Pictori* cuidam, aggreſſo Chriſtum forma Jovis pingere, manus exaruit. Eum facinus confeſſum Gennadius precibus ſuis ſanavit. *Cedrenus, Zonaras.*

VI. A. C. 468, cum oſſa Eliſæi Alexandriæ in Monaſterium Pauli leproſi tranſlata eſſent, illorum contactu à lepra ſanatus eſt. *Chronic Hed. fol* 229.

CAPUT III.

DE EGRESSU.

LEO ventris profluvio laboravit, quo adeo attenuatus, ut quaſi pelluceret: ideo paulo poſt vitam cum morte commutavit A. C. 474, cum annis 17 ſumma cum laude imperium adminiſtraſſet. Cadaver ejus Conſtantinopoli honeſte terræ mandatum eſt.

LEO II, *ſive Junior.*

Hic *Leo* junior ex Ariadna filia Leonis I, & *Zenone* genitus, & ab avo *Cæſar* appellatus, adhuc infans, A. C. 473. Anno vero ſequenti, avo mortuo, *Auguſtus* proclamatus eſt. Verum parentem ſuum *Zenonem* (quem *Leo* I. nequaquam idoneum regno judicavit, ob animum minime regium & formam Imperio indignam) ſtatim in Imperii conſortium aſſumſit, illi manibus ſuis diadema impoſuit, & paulo poſt, cum unum tantum annum Imperium tenuiſſet, morbo exſtinctus eſt. *Egnat. Diaconus, Pomponius Lætus.*

LV. IMPERATOR,
ZENO ISAURICUS.

CAPUT I.

DE ORTU.

ZENO ſic dictus eſt, quia ex Iſauris Ciliciæ humilibus parentibus natus, & ex obſcura & incognita villa oriundus fuit.

CA-

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙ'Α,

Natura & Mores.

FOrma & *animo* fœdiſſimus fuit. Corpore namque Pani ſimilis, facie hirſuta, pedibus piloſis, ſtatura inconcinna, moribus deformis, expers doctrinæ, & earum artium quæ in Imperatore requiruntur; quibus vel Imperia ſecure retinentur, vel tuto adminiſtrantur.

II. *ACTA OECONOMICA.*

VXOR ejus fuit ARIADNA, *Leonis Magni* Imp. filia.

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

A filio ſuo LEONE II. Imperii conſors electus eſt A. C. 474. Filio vero mortuo, qui brevi tempore in Imperio vixit, ſolus regnavit.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

1. *Tyranno quam Principi ſimilior fuit.* Nam multos illuſtres viros occidit, & neglectis Imperii curis turpiſſimis voluptatibus ſe dedidit. In aula ejus potentiſſimus fuit *Sebaſtianus* quidam, qui Zenonem, quo voluit, impulit, nec quidquam in aula confici iuvit ſine pretio & mercede. Magiſtratus enim omnes vendidit, pretio tum ſibi reſervato, tum Imperatori communicato. Quod ſi quis acceſſiſſet, qui paululum quiddam adjiceret, is præferebatur. In toto denique palatio nihil fuit rerum omnium, quod venale non eſſet. Hoc ſæpe fit in aulis, ut Principes habeant tales quoſdam Miniſtros, ad quorum nutum & voluntatem reguntur: Qui ſi ſalutares & boni ſunt, felicia ſunt imperia; ſin mali, magnorum malorum cauſam præbent.

II. Cum ZENO plerumque Chalcedone commoraretur, *Verina* Auguſta ſocrus ejus occaſione abſentiæ uſa, altero *Zenonis* Imperii anno, fratrem ſuum Baſiliſcum incitavit, ut bellum adverſus Zenonem moveret. *Baſiliſcus* igitur, ſororis conſilium ſecutus, è Thracia, (ubi vitam degebat) è Senatu quibuſdam graviter adjutantibus, *Zenoni* bellum intulit. Zeno cum eſſet homo timidus, & effœminatus, nec quicquam virile tentare auderet, cum uxore Ariadna ad Iſauros populares ſuos confugit. *Baſiliſcus* fuga illius lætatus, in urbem profectus, & in campo Imperator ſalutatus eſt. Quamobrem & uxorem ſuam Zenonidem corona Auguſtali ornavit, & *Marcum* filium Cæſarem appellavit. Fuit autem moribus *Zenone* nihilo melioribus, deque religione perperam ſenſit, ab uxore in Eutychis & Dioſcori ſectam impulſus, & orthodoxorum Eccleſias multis malis affecit. Chalcedonenſe Concilium edicto tyrannico abrogavit, & Acacium Patriarcham, ut ſanctionem ſuam, habito Concilio, comprobaret, cogere voluit. Sed urbana multitudo orthodoxorum in Eccleſia congreſſa, Baſiliſcum maledictis inſectata eſt, & Chalcedonenſe Concilium ſanctum appellavit. Cum igitur Senatui & populo inviſus eſſet *Baſiliſcus*, Duces ab eo contra Zenonem cum exercitu miſſi, hortatu Senatus, ex hoſtibus amici Zenonis facti, eum Conſtantinopolin ſecum reduxerunt, cum menſes 20 exulaſſet, & à Senatu populoque receptus eſt. *Baſiliſcus* autem poſt cladem acceptam in templum confugit; ſed inde ab Acacio Præſule ejectus, in caſtellum quoddam Cappadociæ miſſus eſt, ubi fame & frigore cum ſuis periit. Nam cum *Zeno* juſſiſſet illos hyemis tempore neque veſte, neque cibariis juvari: Baſiliſcus & uxor, mutuo ſe corporibus complexi, & collacrymantes interierunt. Ita Baſiliſcus perſecutionis in orthodoxos, & rapti Imperii pœnas dedit. *Euagrius*, *Procopius*, *Cedrenus*. Socrum autem Verinam Zenonem in exilium miſiſſe, *Zonaras* ſcribit.

II. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. Laudatur inprimis edictum *Zenonis*, quod ἑνωτικὸν, h. e. formula concordiæ directa ad componendum & tollendum omnia Eccleſiæ diſſidia atque certamina, appellatur apud *Euagrium lib. 2. c. 14.* Cui hæc adjecta eſt clauſula: Quicunque aliud ſenſerit, aut ſentit, vel in hoc, vel in ullo alio tempore, quam Chalcedone aut alia quacunque Synodo decretum eſt, eum damnamus.

II. Poſtea vero *Zeno* clanculum à Synodo Chalcedonenſi defecit, & ſubrogavit hæreticos Epiſcopos, olim propter Eutychianiſmum damnatos, jam vero pœnitentiam ſimulantes. *Baronius.*

III. BASILIVS Præfectus Romæ legem fert, ne Pontifex inſcio ſe ullus eligatur. *Sigonius.*

IV. *Tumultus* oritur Antiochiæ in templo, in quo Stephanus Epiſcopus cum multis aliis ab Eutychianis occiſus eſt. Alius igitur in locum ejus electus & ordinatus eſt Conſtantinopoli A. C. 479, qui Antiochiam mitteretur. *Decret.*

v. *Hunnericus* Vandalorum Rex edicit, A. C. 480, ut liberum religionis exercitium permittatur in Africa tam Catholicis quam Arianis: impetravit hoc intercessione sua Imp. Zenon & Placidia. *Cod.*

VI. Hinc factum, ut *Eugenius* Episcopus Orthodoxus Carthagine ordinaretur, & templa orthodoxorum, quæ jam annis 24 conclusa fuerant, aperirentur.

VII. *Vandali plurimi* in Africa, dum religio libera est, Orthodoxorum Episcoporum doctrinam sequuntur, unde Arianorum Episcopi invidia æstuantes, paulatim Hunnericum ad persequendos Orthodoxos instigant. Carnifices autem templis apponunt, ne Vandali una cum Afris Orthodoxorum templa ingrediantur. *Victor.*

VIII. *Zenon* Imperator intercedit pro Orthodoxis in Africa apud Hunnericum. Legatus ejus eo venit A. C. 484. die 20 Maii. Hunnericus edicit omnibus Catholicis, ut ad sequentem annum primo die Febr. Carthagine sint, ad disputationem, ibique suum Homousion ex sacris literis probent. *Idem.*

IX. A. C. 485. Calend. Februar. tandem Carthagine conveniunt & *Orthodoxi*, & *Ariani*. Vbi *Ariani* Orthodoxos obtundunt clamoribus, quod vocabulum *Homousion* in sacris literis ostendere non possent, & *Hunnericum* eo deducunt, ut Catholicos damnaret, & die 24 Febr. edictum promulgaret, quo omnia supplicia iis, qui ad Arianos non transiissent, constitueret. Eo tempore *Hunnericus* Ariana impietate totus infectus, parentisque sui Genserici vestigiis insistens, tam horribilem persecutionem in Africa adversus Christianos recte de sacrosancta Trinitate sentientes excitavit, ut vix ulla huic comparari possit: neque enim Ethnici majori crudelitate unquam in Christianos sævierunt, quanta Ariani in Africa immanitate Orthodoxos excarnificarunt. Et innumerabiles in hac persecutione martyrio coronati sunt. Inter alia *Hunnericus* multis manus & linguas præcidere jussit, quorum quidam postea recte & integre loqui potuerunt, Christo ipso, pro afflictione, eos hoc miraculo remunerante. Scribit *Victor lib.* 3. *Zenonem* quendam nomine *Reparatum* in aula habuisse, cui lingua in persecutione Africana fuerit præcisa, qui nihilominus tamen perfecte loqui potuerit, & ob id in magna apud Imperatorem veneratione fuerit.

Secuta est hanc persecutionem & *fames*, & *pestis* in Africa. Nam primum acciderunt ingentes siccitates, & quidem durabiles adeo, ut non modo fontium scaturigines, sed & magnorum fluminum exsiccarentur alvei. Vnde factum, ut terra humore ac rigatione destituta, hominum & reliquorum animantium generi sua dona ad vitæ conservationem proferre non posset. Quare cum temporis progressu paulatim absumerentur, quæ longo tempore ad ingruentem aliquam necessitatem recondita erant: nec terra vices redderet, *secuta est fames ingens*, quæ eo usque brevi crevit, ut jam homines animantibus ipsorum pabula inviderent, & propter tenerarum herbarum exiles radiculas cum iis certamina subire non detrectarent. Erant non pauci, viri etiam ingenui, & honesto loco nati, qui ultro sese servituti tradere optabant, tantum ne fame perirent: sed non erat, qui illos reciperet. Cumprimis autem *Vandali* (atrocissimi Orthodoxorum hostes) maxime premebantur: qui paulo ante spoliis multarum provinciarum, & præsertim Africæ occupatione, fuerant opulentissimi. *Hanc rerum* inopiam secuta est horrenda *pestis*: eaque tanta, ut passim semitæ cadaveribus repletæ conspicerentur: neque erant, qui mortuos sepelirent.

HUNNERICUS quoque, qui Christum de divinitatis suæ throno dejicere nitebatur, in medio furoris sui cursu ab eo, quem persequebatur, repressus est. Nam, ut author est *Victor*, putrefactione correptus, & vermibus scatens, magno cruciatu, & meritis suis digna morte extinctus est A. C. 485, cum regni dominationem annos fere 8. sceleratissime tenuisset.

Prodigia sub Zenone.

I. Eo tempore, quo *Basiliscus* Imperium arripuit, maximum incendium Constantinopoli exstitit, quo præstantissima pars urbis periit, etiam Bibliotheca, in qua centum viginti millia librorum reposita fuerunt: inter quos fuit opus Homeri, exuviis draconis, centum & viginti pedes longis, inscriptum aureis literis. *Cedrenus*, *Zonaras.*

II. Anno Christi 478. ingens terræ motus Antiochiæ & Constantinopoli fuit. Corruerunt multa templa, domus, rostraque funditus, & obruta est immensa hominum multitudo. Cecidit etiam globus columnæ fori, & statua Theodosii Magni, quæ columnæ Tauri imposita erat. *Cedrenus*, *Zonaras.*

CAPUT III.

DE EGRESSV.

DE interitu *Zenonis* sunt, qui vivum ab uxore inclusum sepulcro tradant, frustraque resipiscentem & opem quæritantem obiisse. De quo hæc habet *Zonaras:* Tradunt (inquit) quidam, *Zenonem* gulæ & ebrietati indulgentem, errore mentis affici solitum, & prolapsum à mortuo nihil destitisse.

Cum

Cum vero ipſi etiam conjugi *Ariadnæ* inviſus eſſet, ſic inebriatum, pro mortuo in monumentum imperatorium ab illa conjectum, lapide maximo, qui pro operculo eſſet, impoſito: factumque ſobrium, vociferatum quidem eſſe lamentabiliter; ſed nemine curante, miſere periiſſe. Alii dicunt, cum ægrotus acerbiſſimis doloribus urgeretur, pro mortuo habitum, & in ſepulcro poſitum, ſed in eo ad vitam rediiſſe, & ſub ſaxo miſere lamentaſſe: neminem vero ipſum liberaſſe, cum Ariadna uxor ſevere id prohibuiſſet: Ideo tandem fame (uti *Cedren.* & *Sturm.* referunt) mortuus eſt, cum ipſe lacertos ſuos devoraſſet. Imperavit autem annos 17, majore cum hominum odio, quam laude, &c.

LVI. IMPERATOR,

ANASTASIVS DICORVS.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

NATVS eſt in Macedonia, in urbe Dyrrachio, quæ antea dicta fuit *Epidamnus*, ad mare ſita, & nomen accepit ab Epidamno Barbarorum Rege.

PATER ejus ignoratur. MATER fuit *Manichæa.*

II. *Appellatio.*

I. NOMEN ejus fuit ANASTASIVS, quod idem eſt atque IOACHIMVS, ex Ebr. יהויקים *Iojakim*, vel *Ioachim*, h. e. reſurrectio Domini vel Iehovæ. Rad. קום, h. e. ſurrexit, erexit, conſtituit.

II. COGNOMEN. 1. *Græcum*, Δίοφθος, *phyſice* à naturæ vitio, i. e. à binis pupillis, diverſis coloribus præditis. Nam dextera pupilla nigrior, læva vero magis glauca ſive cærulea fuit. Κόρη enim pupillam notat. 2. *Latinum.* Sic *Silentarius* dictus eſt.

1. *Politice*, ab officio. Quia aulicus Secretarius, antequam ad Imperialem dignitatem evectus eſt, fuit. Aulici autem Conſiliarii dicti ſunt *Silentiarii*, à ſilentio; vel *Secretarii*, quod acta Regum ſuorum ſecreta habere debeant.

2. *Eccleſiaſtice.* Quia voluit, ut Concilium Chalcedonenſe ſilentio obrueretur: utj *Euagrius* teſtatur.

AXIOMA.

Regum arcana ſunt occultanda.

Hinc Angelus apud *Tobiam* inquit, *cap.* 12. *v.* 8. Arcana Regum bonum eſt occultare. Magnum hoc profecto eſt, arcanum Principis in ſcrinio pectoris habere repoſitum, verum verborum, quam rerum, potior nobis debet eſſe cuſtodia: ſicut pulchre inquit *Lucianus* in Epigrammate, quod exſtat *libro* 1. *Antilog. Tit.* 51.

Arcane dictum linguam obſignare memento.
Dictorum majus depoſitum eſt opibus.

Et *Sirac. c.* 19. *v.* 10, & 11. ita monet: Si quid audiſti, hoc abditum ſit, & tecum ſepeliatur, & habebis conſcientiam quietam: neque enim ideo tibi venter diſrumpetur. Stultus autem non aliter erumpit, atque maturus fœtus. Memoria æterna dignum eſt, quod *Q. Curtius lib.* 4. *Hiſtor.* ſcriptum reliquit: Perſas Regum arcana incredibili fide celare; non metum, non ſpem, elicere vocem qua occulta prodantur: Quia veteres Reges diſciplinam ſilentii vitæ periculo ſanxerunt, & linguam gravius caſtigarunt, quam ullum probrum. Inde conſilium dicitur à ſilendo; ſicut notat *Hippolytus de Collibus p.* 271. Et Conſiliarius יועץ venit à Chaldaica voce רזא ſecretum, myſterium. Vnde *Conſiliarius*, vi vocis, recte dicitur vir ſecreti, aut *Secretarius*, ſive *Silentiarius.*

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. Acta Oeconomica.

VXOR ejus fuit ARIADNA, Leonis Magni Imp. filia, & *Zenonis* vidua, cum qua die poſt tumulationem Zenonis quadrageſimo nuptias celebravit. *Euagrius l.* 3. *c.* 29.

II. Acta privata ante Imperium.

1. *Ethica.* 1. Fuit *pius* & devotus, Nam templum mane ante cantum galli intravit, nec ante finitam concionem exivit, atque jejuniis Deo fidem ſuam probavit. 2. Ab ineunte ætate fuit *manſuetus.* & 3. Erga pauperes *benignus*, ita ut eam ob cauſam à quolibet laudibus evectus ſit.

II. *Polemica.* Fuit miles, variiſque militaribus officiis ſumma cum laude functus eſt.

III. *Politica.* Ex militia venit in aulam, ubi Secretarius factus eſt: ſicut ſupra mentionem fecimus.

III. Acta in Imperio publica.

I. *Electio.*

Zenone mortuo, *Ariadna Auguſta* arte & ingenio, quæ Senatum & Legiones in ſuas partes traxerat, Vrbicio eunucho, cujus magna tum erat authoritas, ſuffragato, ad Imperium *Anaſtaſius* evectus eſt.

Huic electioni contradixerunt 1. LONGINVS, Zenonis Imperatoris frater; ſed nihil profecit, ac tandem ab Anaſtatio victus eſt: uti poſtea dicemus.

II. Cum coronandi Imperatoris jus ad regiarum tranſiiſſet urbium Epiſcopos, (quos Patriarchas, h. e. Patrum ſeu Epiſcoporum Principes vocabant, interdum & Archiepiſcopos) EVPHEMIVS Patriarcha *Anaſtaſium* diademate ornare noluit, quoad data ſyngrapha (fuit namque Eutychianus) polliceretur, ſe Chalcedonenſis Concilii decreta ſervaturum, & in dogmatibus Eccleſiaſticis nihil mutaturum eſſe. Quod cum *Anaſtaſius* affirmaſſet, & ſyngraphum nominis ſubſcriptione & ſigillo corroboraſſet, ab Euphemio coronatus eſt, illumque ſecundum à Patriarcha legimus coronatum.

Anaſtaſio autem, imperatorio habitu in circo ſedenti, populus uno ore acclamavit: *Sicut vixiſti, ita etiam impera.* Quippe nondum ſumto Imperio, ante galli cantum templum adire ſolebat, ibique dum concio dimitteretur, adſtabat Deum placans: frequenter jejunabat, & eleemoſynam pauperibus ac mendicis erogabat. *Cedrenus, Euagrius.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

Bona.

Initio fuit probus, & Rempubl. bene adminiſtravit; ſed poſtea degeneravit.

1. *Pacificus* fuit, & in id unice incubuit, ut pacem & concordiam tam in ſtatu Eccleſiaſtico, quam in politico conſervaret. *Euagrius l. 3. c. 30.*

II. *Non fuit ſanguinarius.* Nam cum aliquando ad Vicarium ſuum Phœniciæ ſcripſiſſet, ut inquietos quoſdam Epiſcopos loco moveret: ipſe reſcripſit, hoc abſque tumultu & cæde fieri non poſſe. Tum Anaſtaſius Imp. reſpondit, ut à propoſito abſtineret, addita hac ratione: Mea voluntas non eſt, ut eam ob cauſam tumultus inter cives exiſtat, multo minus gutta humani ſanguinis effundatur. *Euagrius lib. 3. cap. 34.*

III. *Juſtus fuit.* Nam

I. *Vectigal*, quod χρυσάργυρον, h. e. Aurargenteum dicebatur, & ſubditos premebat, *abolevit.* Hujuſmodi autem illud erat: Omnes mendici & pauperes, omnes meretrices, omnes liberti in agris & urbibus, annuum fiſco tributum expendere cogebantur. Exigebatur tributum de equis, mulis, bobus, & aſinis: De unoquoque homine nummus argenteus: de equo, mulo & bove tantundem: de aſino pholes (nummigenus eſt) ſex, & de cane totidem. Quo tributo attriti homines utrinque lamentabantur. Eo igitur abrogato, Anaſtaſius commentarios illos in Hippico, inſpectante populo, cremavit. *Zonaras.*

2 *Magiſtratus* & officia ſuburbana, prius venundari ſolita, non voluit eſſe venalia, ſed ea ſine precio conceſſit. *Idem.*

IV. *Beneficus* fuit. Poſtquam cum *Ariadna* nuptias celebraſſet, literas regias confecit, quibus ea, quæ ad id tempus fiſco à nonnullis deberentur, remiſit. *Zonaras.*

Acta mala.

Licet *Anaſtaſius* initio bonus fuerit, tamen poſtea degeneravit. Nam paulo ante obitum, cum multos de inſidiis ſuſpectos haberet, eos in carcerem conjecit, ut ſupplicio eos afficeret, inter quos etiam Juſtinus & Juſtinianus, qui poſtea rerum potiti ſunt, fuerunt: Sed deterritus eſt ſomnio. Nam apparuit ei in ſomnio ſpecies quædam terribilis: Tibi quidem, ô Imperator, inquiens, permiſſum eſt reliquos inſidiatores tollere; *Juſtino* autem & *Juſtiniano*, ne quid mali feceris: nam uterque ſuo tempore Deo inſerviet. Illos igitur Anaſtaſius dimiſit, & à crimine læſæ Majeſtatis eos abſolvit.

II. *ACTA SAGATA.*

Bella geſſit per Duces.

1. LONGINVS Zenonis Imp. frater ſeditionem movit adverſus *Anaſtaſium*, contra quem Duces cum exercitu miſit, qui ſæpius cum eo conflixerunt, & tandem vicerunt. Et quidem Longinus victus Conſtantinopoli in theatro circumductus, poſteaque Niceæ variis cruciatibus interfectus eſt. *Anaſtaſius* victoriæ ergo populo viritim pecuniam diſtribuit. *Martellinus.*

II. *Vitalianus*, Aquilonis Præfectus, contra *Anaſtaſium* ſeditionem movit. *Zonaras* de hoc bello ita ſcribit: *Vitalianum*, ait, Myſis & Scythis ſibi conciliatis ſeditionem moviſſe, nec ſolum ex agro Byzantio prædas egiſſe, ſed etiam claſſe Conſtantinopolim obſediſſe. Huic vero Imperatorem per Marianum præfectum reſtitiſſe. Commiſſa enim pugna navali, ex machina quadam facta à *Proclo* (qui tum in Philoſophia & mechanicis operibus florebat,

bat, neque Archimedis tantum cognorat omnia, ſed & ipſe nova quædam adinvenerat) claſſis hoſtium debellata eſt. Fabricaverat enim *Proclus* ſpecula ferrea cavea, ingentis magnitudinis, eaque de muro è regione ſuſpenderat, in quæ cum radii ſolares reflexi impegiſſent, ignis inde, fulguris inſtar erumpens, claſſiarios ipſaſque naves hoſtium combuſſit: quod olim *Archimedem* excogitaſſe, Romanis Syracuſas obſidentibus, *Dion* refert.

Nicephorus vero & *Pomponius* referunt, *Vitalianum* Anaſtaſium ad pacem petendam adegiſſe, nec ab urbe Conſtantinopoli diſceſſiſſe, priuſquam ab Imperatore 900 pondo auri accepiſſet.

III. *Anaſtaſius* bellum geſſit per Duces cum *Cabade* Perſarum Rege, quod tandem Juſtini Imp. tempore finitum eſt.

Huic *Cabadi*, (i.e. glorioſo) propter legem, qua uxores juſſerat eſſe communes, regnum ademtum, ipſeque vinctus in carcerem, qui λήθη, i.e. Oblivio, dicitur, conjectus, atque ejus loco Baldus frater Rex creatus fuerat. Cum autem ejus conjux aditum ad eum peteret, tandem cuſtos carceris ea conditione promiſit ſe aditum conceſſurum eſſe, ſi ſecum concumberet. Illa marito hoc ſignificat, qui ſpe liberationis jubet uxorem voluntati cuſtodis parere. Quod cum faceret, mulier poſtea familiariter intromiſſa, virum tandem liberavit, indutum muliebri veſte: qui cum evaſiſſet, adjutus ab amicis regnum recuperavit, & fratrem, qui biennio regnaverat, interfecit.

IV. *Bulgari*, gens ignota, ex Borealibus finibus progreſſa A. C. 499, Thraciam vaſtarunt, obvium Anaſtaſii exercitum conciderunt, ad quatuor millia Romanorum cum aliquot Comitibus trucidarunt. Sed donis poſtea ab *Anaſtaſio* mitigata, pauliſper receſſerunt.

V. *Getæ* Duce *Mundone* A.C. 505. Macedoniam & Theſſalonicam vaſtant, *Sabinianus* Conſul contra ipſos miſſus prælio ſuccumbit, & ingens accipitur clades. Pecunia igitur, cum ferro non poſſent, id quod Anaſtaſio familiare erat, amoventur. *Marcellinus.*

VI. ANASTASIVS A.C. 508. dum Theodoricus Galliam defendit, Duces mittit cum centum navibus, & octo millibus militum, qui Italiæ littora depopulentur, qui multa præda parta Conſtantinopolin reverſi ſunt.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Quia *Anaſtaſius* Imper. Eutychiana hæreſi infectus erat, longe lateque ea peſtis in Eccleſiis graſſata eſt, ipſeque variis modis contra Eccleſiam peccavit.

1. *Perfidia.* Licet enim chirographo ſuo, antequam coronaretur, promiſerat, idque jurejurando confirmaverat, ſe dum imperaret, nullum novum dogma in Eccleſiam introducturum, ſed decreta Chalcedonenſis Synodi rata habiturum; tamen his neglectis, auſus eſt Syngrapham ſuam ab Euphemio, & poſtea à Macedonio repoſcere.

II. *Perſecutione Religionis & Orthodoxorum tyrannica.*

1. EVPHEMIVM Conſtantinopolitanum Patriarcham, inſigni pietate & conſtantia clarum, exilio multavit: Vera cauſa erat, vindictæ cupiditas, quod aliquando (antequam Anaſtaſius imperium nactus eſſet) ab Euphemio excommunicatus fuerat: altera cauſa fuit, quod Euphemius illi chirographum reddere nolebat. Præterea *Euphemius* Synodum ex Epiſcopis collegerat, in qua damnati fuere ii, qui Concilium Chalcedonenſe abrogare conabantur. Prætextum autem alium hujus exilii obtendebat Imperator: videlicet Euphemium res novas in Eccleſia tentaſſe; & novorum tumultuum atque ſeditionum authorem exſtitiſſe; quorum nihil verum erat. Sed & Epiſcopis quibuſdam (adulationibus & figmentis ſuis) perſuaſit Anaſtaſius, ut Euphemium excommunicarent, & ab Epiſcopatu deponerent, cum ſediſſet annis 6, & menſes fere ſex. *Evagrius, Nicephorus.*

II. *Euphemio ſucceſſit Macedonius*, vir pius atque in doctrina conſtans, quem ſimiliter Anaſtaſius in exilium egit. Nam huic *Macedonio* chirographum Anaſtaſii (cujus ſupra mentionem fecimus) cuſtodiendum reliquerat *Euphemius.* Quod cum reſciviſſet Imperator, à Macedonio id poposcit. *Macedonio* vero id reddere recuſante, quomodo eum ab Epiſcopatu dejiceret, cogitavit *Anaſtaſius.* Subornavit igitur *Macedonio* 1, *Calumniatores*, qui ſtupri vel adulterii Macedonium accuſarent. *Macedonius* vero ſubducta tunica, viribus ſe carere oſtendens, eam calumniam facile & palam refutavit. 2. *Percuſſores* eidem ſubornavit, qui tamen à parricidio, pietate & beneficentia Macedonii abſterriti ſunt. 3. Ut autem Anaſtaſius animos piorum à Macedonio abalienaret, per Præfectum quendam *Celerem* in vulgus ſparſit, Macedonium damnaſſe Synodum Chalcedonenſem. Etſi autem & hoc abſurdum figmentum facile diluebat *Macedonius*, quia palam erat, quod *Anaſtaſius* antea ab eo poſtulaſſet, ut à Chalcedonenſis Synodi decretis ad Eutychianos deficeret, verum ille poſtulationi Anaſtaſii refragarit; nihilominus tamen CELER ille præfectus noctu ex urbe abreptum in exilium eum abduxit, cum quindecim annis ſediſſet. Et cum Sangræ in exilio degeret *Macedonius*, A-

naſtaſius miſſis interfectoribus eum trucidari juſſit.

In locum ejus ſubſtituit Imperator Epiſcopum *Timotheum*, Eutychianum hominem impurum, quem Conſtantinopolitani κόλωνα, Hurен-ſengſt/ appellabant. Ad hujuſmodi autem ſcelera Anaſtaſium impulit *Severus* Monachus, qui præſidio Judæorum uſus, ultra trecentos Syriæ Monachos interfecit, eorum cadavera avibus lanianda projecit, & Chriſtianorum templa ſpoliavit.

III. FLAVIANUS Antiochenus Epiſcopus, poſtquam multas inſidias & calumnias ab Eutychianis Epiſcopis perpreſſus eſſet, tandem cum Chalcedonenſe Concilium damnare nollet, ab Anaſtaſio exulare juſſus eſt, & petram quandam excelſam & præruptam in finibus Palæſtinæ incolere. Revocatus eſt autem ab exilio, idque haud dubie poſt mortem Anaſtaſii Imperatoris: nam illum acerrimum hoſtem habuit *Flavianus*. *Evagrius lib.* 2 *cap.* 31, & 32. *Nicephorus lib.* 17. *cap.* 9.

IV. *Anaſtaſius Severum* Monachum, luem totius Orientis, & Principem eorum qui Acephali dicti ſunt, quique omnibus artibus Orthodoxos in Oriente perſequebatur, Epiſcopum Antiochenum facit A.C. 513.

V. ANASTASIUS edicto ſanxit, ut hymno ſive carmini, quod τρισάγιον dicitur, adjicerentur hæc verba: *Qui crucifixus es pro nobis*. Hæc additio Eutychianæ hæreſeos pars erat, quaſi ipſa Trinitas fuiſſet crucifixa. Quod cum haud ferendum ſibi ducerent Orthodoxi, non modo reclamarunt, (quod probari poterat) ſed & in Eutychianos conviciantes convicia regeſſerunt, inſuper agreſtem quendam Monachum (quem hujus additionis authorem falſo putabant) *Anaſtaſio* admodum carum obtruncarunt, ejuſque caput haſtæ præfixum circumgeſtarunt, cum inſcriptione: Hic amicus fuit hoſti ſanctæ Trinitatis. Certatum eſt armis & igne, ita ut res Conſtantinopolitana in magno verſaretur periculo. Imperator igitur Anaſtaſius nihil remedii ſupereſſe videns, ſine corona ad Hippodromiam venit, & per præcones denunciat, ſe imperium depoſiturum. Populus igitur ea re à furore revocatus, & mitior factus, Imperatorem rogat, ut coronam retineat: & pacem atque tranquillitatem Imperatori promittit. Ita tandem ſedatus eſt periculoſiſſimus ille tumultus. *Evagrius lib.* 4. *cap.* 44. *Nicephorus lib* 16. *cap* 45. *Theod. Cedrenus*, *Marcellinus*.

VI. *Anaſtaſius* indicit Synodum Sidone celebrandam A. C. 512. Ubi conveniunt Eutychiani, damnant Neſtorianos, & qui Synodum Chalcedonenſem amplectebantur. *Marcellinus*.

III. *Superbia & pertinacia.*

Anaſtaſius nullas admonitiones curavit.

I. *Symmachus* Papa ſcripſit ad eum, ut caveret ſibi ab hæreticis; ſed literas eas ſprevit, & Orthodoxis vim afferre non deſiit. Quam ob rem à Symmacho excommunicatur: cujus excommunicationi reſpondet Imp., eamque nullam eſſe demonſtrat, & majoribus ſceleribus Papam obnoxium affirmat. Ideo Symmachus contra apologeticum edit. *Baronius*.

II. *Hormiſda*, Pontifex Romanus, legatos ad eum miſit, qui de hæreſi Eutychis relinquenda Imperatorem admonerent. Verum eos male accepit, & non ſatis auditos, per poſticum emiſit, & fragili navigio imponi juſſit in Italiam devehendos, cum mandatis, ne alicubi in Græcia in urbes diverterent, & ſcripſit ad Hormiſdam Romanum Pontificem: *Nos imperare volumus: nobis imperari nolumus*. Diaconus, Jornandes, Baronius.

III. *Digna* eſt memoria atque imitatione Epiſcopi *Oeniandi* libertas, qua ad Anaſtaſium uſus eſt. *Hunc* enim Imperator admodum diſertum, & qui ora omnibus de paſſa Deitate Chriſti aſſertoribus obturaret, cum ad ſe vocatum hortatus eſt, ut dogma ſuum amplecteretur, pollicens, eum, quicquid petiiſſet, illico acceperum. Cui Epiſcopus: *Tu*, inquit, potius ad Orthodoxos tranſi; ne, dum opiniones impiorum hominum, *Severi*, *Eutychis*, & *Dioſcori* amplecteris, æterno igni addicaris. Simulque apprehendens Imperatoris chlamydem: *Hæc*, ait, *veſtis nequaquam te poſt mortem ſequetur, ô Imperator: Sed ſola comitabitur te pietas, ac virtutum habitus. Miſſam fac Eccleſiam, quam Chriſtus ſuo redemit ſanguine. Indoctus es, & ratiocinandi ignarus, neque ullum Eccleſiæ decretum perfecte intelligis, tantum impoſturis & ſcurrilibus calumniis fatuos terres. Satis tibi ſit dignitatis, quod Imperator es: Antiſtites Eccleſiæ vexare noli*. Ad hæc Imperator pudore ſuffuſus, obmutuit. Tametſi autem pauperrimus fuit hic Epiſcopus: tamen ne obolum quidem accipere ab Imperatore voluit, majorem ſcilicet fidei & pietatis in Deum, quam ullius commodi ſui rationem habens. *Zonaras*, *Cedrenus*.

Alia Acta Eccleſiaſtica, ſub *Anaſtaſio* Imperatore facta.

I. ALAMANDYRUS Agarenorum Princeps, Euangelio Chriſti, quod à ſinceris Doctoribus audivit, credidit, & cum magna populi ſui parte ad Chriſtum converſus & baptizatus eſt: ad quem SEVERUS Epiſcopus Antiochenus Theopaſchita duos legatos miſit, ut eum ad ſuam hæreſin pertraheret.

heret. Qui cum docerent, duas Chriſti naturas in unam eſſe confuſas, unde colligeretur, etiam Deitatem Chriſti cum carne paſſam eſſe: ille convicturus eos, ut qui abſurda dicerent, hujuſmodi figmento mirabiliter eos arguit. Alamandurus enim ait ad eos: *Literas accepi hodie, quia Michaël Archangelus mortuus.* Illis vero dicentibus, hoc impoſſibile fore; ait *Princeps: Et quomodo Deus ſecundum vos nudus crucifixus, niſi duarum naturarum eſſet Chriſtus, quandoquidem nec Angelus mori poteſt?* Ex hoc dicto legati Severi, hominis acumen ingenii admirati, ſpe traducendi ejus in ſuam opinionem abjecta, diſceſſerunt. *P. Diaconus in Anaſtaſio §. 6. Zonaras §. 11.*

II. IMMIRENI populi Perſiæ, habitantes in extrema ora plagæ auſtralis, imperante Anaſtaſio, Euangelion Chriſti amplexi ſunt, & Epiſcopum ſibi dari petierunt. *Theod. lect. lib. 2. Niceph. lib. 16. c. 37.*

III. DEUTERIUS Epiſcopus Arianorum quendam nomine Barbam baptizans, auſus eſt contra inſtitutum Domini ſic dicere: *Baptizo te, Barba, in nomine Patris per Filium in Spiritu ſancto.* Ad quæ verba ſtatim aqua, quæ ad baptizandum fuerat allata, nuſquam comparuit. Quod aſpiciens qui baptizandus erat, confeſtim ad Catholicam Eccleſiam fugiens, juxta morem fidei baptiſmum Chriſti ſuſcepit, & omnibus notum fecit miraculum. *P. Diaconus §. 4. Zonaras §. 12.*

IV. OLYMPIUS quidam Arianorum antiſtes in Africa, cum in Elyanenſium balneo horrendas blaſphemias in ſacroſanctam Trinitatem evomuiſſet, tribus igneis fulmineis jaculis divinitus immiſſis miſere periit, & combuſtus eſt. *P. Diaconus § 4. Sabellicus Enneade 8. lib. 2.*

V. CABADIS Rex Perſarum, *Anaſtaſio* regnante, atrociter Chriſtianos perſecutus eſt: & quibuſdam ſermonis organa ademit: qui tamen nihilominus (ut refert *Nicephorus*) expedite & clare (etiam amiſſis inſtrumentis ſermonis) locuti ſunt: quoſdam poplite enervavit, qui tamen poſtea ambulaſſe ſcribuntur. Hinc *Prudentius περὶ στεφ. Hym. 14. v. 928* ita canit:

Chriſtum loquenti lingua nunquam defuit.
Ne verba quæras quo regantur organo,
Cum prædicatur ipſe verborum dator.

Aurea hæc ſententia eſt, & exemplis multis confirmata. Nam non ſolum ſub hoc *Cabade* talia contigerunt, ſed etiam in aliis perſecutionibus: & præcipue multos homines Chriſtianos (cujus in Hiſtoria *Zenonis* Imp. mentionem fecimus) quibus Vandali linguam exſciderant, recte & integre locutos eſſe Hiſtorici tradunt.

Tandem vero Cabades ſub fine Imperii Anaſtaſii in Chriſtianos mitior factus: hac occaſione. Erat inter Perſiam & Indiam oppidum: (quod alii Scriptores *Aſubdabar*, alii *Trundadaero* appellant) de quo *Cabades* Rex Perſicus audierat, quod in eo ingens theſaurus pecuniæ & precioſiſſimarum gemmarum reconditus eſſet: qui tamen à Dæmonibus cuſtodiretur, ut nemo eo theſauro potiri poſſet. Cum autem Rex adverſus dæmones illos Perſica, deinde etiam Judæorum Magia adhibita, nihil efficeret: tandem ad Chriſtianorum opem (quos audierat, eos adverſus Dæmones plurimum poſſe) confugit, & vocato ad ſe Chriſtianorum (qui in ipſius regno habitabant) *Epiſcopo*, ut voti ſui compos fiat, petit. Epiſcopus plurimos Chriſtianos convocat, atque conjunctis precibus à Deo impetrant, ut fugatis dæmonibus, Rex & oppido & theſauris potiretur. Ea res Regem in ſtuporem & admirationem rapuit, ita ut Chriſtianorum Epiſcopum in magno honore haberet, & non modo Chriſtianis nullam porro exhiberet moleſtiam, verum etiam omnibus ſuis ſubditis liberam poteſtatem amplectendi Chriſtianam religionem (quam antea extreme perſecutus fuerat) permitteret. *Theod Lector. lib. 2. & 16. Nicephorus lib. 16. cap. 36, & 37. P. Diaconus, Zonaras.*

Prodigia.

I. Temporibus Anaſtaſii terræ motus horrendi exſtiterunt.

1. *Byzantii* multis in locis ædificia corruerunt. *Zonaras.*

2. *Antiochia* pene tota collapſa eſt, civibus ruina oppreſſis. *Idem.*

3. In *Dardania* Anno Chriſti 518. 24 caſtella paucis horis collapſa ſunt, quædam plane abſorpta, quædam dimidia ſui parte ſubſederunt. *Marcellinus.*

II. *Mons Veſuvius* ruptus eſt in vertice, tantumque incendii evomuit, ut vicinos agros & regiones una cum fructibus exuſſerit. Itaque ſupplices facti Regi Longobardorum Theodorico, tributorum remiſſionem ad certum tempus impetrarunt. *Theodoricus Rex in Epiſtola ad Fauſtum Præpoſitum. Hiſtor. Magdeb. cent. 6. cap. 13. pag. 789.*

III. *In urbe Alexandria* multi viri, mulieres, & pueri à Dæmonibus obſeſſi, repente ut canes latrarunt. *P. Diaconus. Hiſt. Magdeb. cent. 6. cap. 13. pag. 791.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

I. *Viſionis prodigium. Zonaras* refert, Anaſtaſium in ſomnio vidiſſe virum terribilem, qui librum manu geſtans diceret: Ecce ob perverſitatem fidei tuæ annos 14 vitæ tuæ deleo.

II. *Vaticinium de genere mortis ejus.* Ex oraculo didicit, ſibi fatale eſſe, ut fulmine interiret. Ut autem hoc omen averteret, per Proclum Philoſophum Ethnicum, & Mechanicum, optimum ædificium quoddam, *Tholotum* dictum (concameratum, ſeu ex fornicibus fortibus factum, exſtrui curavit, in quo tutus à fulmine eſſet.

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Licet *Anaſtaſius* putaret) ſe in illo ædificio, à *Proclo* exſtructo, à fulmine tuto vivere poſſe; hoc tamen fruſtra fuit. Nam cum aliquando tonitrua horrendum in modum reſonarent, & fulgura multa eliderentur, atque ipſe è cœnaculo in cœnaculum deſcenderet, & alios atque alios thalamos ſubiret: in quodam regio cubiculo mortuus eſt inventus, cum vixiſſet annos 88, imperaſſet annos 27, menſes 3. *Zonaras in Anaſtaſio* §. 13.

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Mortuus ex tholoto exportatus, & in Templo Apoſtolorum ſepultus, juxta uxorem ſuam Ariadnam (quæ orthodoxa fuit) poſitus. *Cedrenus. Zonaras.*

ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ.

Creditur hic flammis mortuus eſſe Jovis.
Er herſchte als ein Ketzer mit betrug:
Darumb jhn zu letzt das wetter erſchlug.

LVII. IMPERATOR, JUSTINUS I, vel THRAX.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

HUmili & ignobili genere ortus, nempe patre armentario in Thracia.

II. *Appellatio.*

Nomen ejus fuit JVSTINVS. A quibuſdam vocatur *Flavius Anicius Juſtinus.* Item *Juſtinus Senior.*

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXORES habuit duas. PRIOR Vxor ejus dicta fuit LVPICIA, quam, (poſtquam ad Imperium pervenit) mutato ejus nomine in EVPHEMIAM, diademate ornavit, & Auguſtam appellavit. *Zonaras.*

POSTERIOR fuit THEODORA, quam, mortua Euphemia, A.C. 523. duxit, & coronavit. *Cedrenus.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Ante Imperium.*

A teneris annis ſubulcus, deinde bubulcus, poſt lignarii miniſter fuit. Anno ætatis 16 militare cœpit, promtus manu & hoſtem ferire doctus. Sed cum militiam ſectaretur, mutata ſorte altiores dignitatis gradus paulatim obtinuit, & primum Dux militiæ factus, deinde ad prætorii præfecturam evectus, poſt Comes factus, & inter Senatores Conſtantinopolitanos exceptus eſt.

II. *Electio ad imperium.*

Aſtutia ad imperium pervenit. Nam cum poſt *Anaſtaſii* mortem de Imperatore eligendo deliberaretur: *Amantius ſpado* Anaſtaſii ſupremus eunuchus, homo potens & ditiſſimus, *Theocritiano* tribuno, uni ex neceſſariis ſuis, imperium tradere cupiens, ingentem pecuniæ vim *Juſtino* attulit, pecuniam inter Duces ac milites diſtribueret, atque efficeret, ut *Theocritianum* Imperatorem eligerent. At *Juſtinus* pecuniam illam quidem accepit: ſed occulte militum ſuffragia ſibi ita coëmit, ut Imperator ipſe eligeretur. Quod ægre ferens *Amantius*, cum multis aliis inſidias novo Principi ſtruxit; ſed iis cognitis, è medio cum ſuis ſublatus eſt. Is eventus cum ſomnio *Amantii* congruit, qui eodem tempore, quo Anaſtaſius in ſomniis aliquot vitæ ſuæ annos ex libro deleri vidit, etiam ipſe ſomniarat, ſe coram Imperatore ſtantem, à magno quodam porco proſtratum devorari. *Theocritianum* vero, qui imperio inhiabat, comprehenſum, & cuſtodiis detentum, ac ſaxis cæſum, in mare Juſtinus projici juſſit, ut tam imperio, quam ſepultura privaretur. *P. Diaconus. Pomp. Latus. Egnatius. Euagrius lib. 4. cap. 1, 2.*

Primus *Juſtinus* à Johanne Epiſcopo Romano coronatus eſt, quem poſtea Rex Theodoricus occidit.

III.

III. *Acta in Imperio.*

I. *ACTA TOGATA.*

Fuit literarum ignarus: tamen bene imperium adminiſtravit, & omnem lapidem movit, ut ea quæ ab anteceſſore ſuo *Anaſtaſio* erant turbata, in tranquillum ſtatum reduceret. Nam,

I. Cum *Vitalianum* Comitem, magnæque authoritatis virum, qui Anaſtaſium in ordinem redegerat, metueret, eum ſibi conciliavit, & primum præfectum militiæ fecit, & in ſequentem annum (nempe A.C. 520.) cum Conſulem deſignavit. *Euagrius.*

II. *Vitalianus* Conſul, cum omnia videretur ita agere, ut *Iuſtinum* aliquando Imperio excuteret, quod & in *Anaſtaſium* auſus olim fuerat *Iuſtinus*, illum ſeptimo Conſulatus menſe obtruncari juſſit. *Euagrius.*

III. *Iuſtinianum*, qui poſt Imperator factus Vitaliano interfecto, Ducem & Conſulem fecit, qui tum magnifica edidit ſpectacula. Pecuniam enim publice diſtribuit, & in Circo viginti leones, triginta pardi, exceptis aliis feris, exhibiti ſunt.

IV. *Dyrrachium* & *Corinthum* urbes terræ motu everſas *Iuſtinus* reſtauravit anno Chriſti 521. *Cedr.*

V. *Cum* in omnibus fere Imperii urbibus nocturnæ cædes fierent, acriori cuſtodia eas muniri juſſit Imperator, & tumultuantes compeſci.

II. *ACTA SAGATA.*

Vnicum tantum bellum geſſit. De quo ita Hiſtorici ſcribunt; Moto inter *Perſas* & *Romanos* bello, *Iuſtinus*, miſſis legatis cum muneribus ad Regem Hunnorum *Zelichem*, ſocietatem ejus ambivit. Aſſenſus eſt Zeliches, ſed & *Cabadi* Perſarum Regi, petenti, operam ſuam obtulit, ad eumque cum exercitu profectus eſt, Romanos oppugnaturus. IVSTINVS igitur, miſſis de pace legatis, Perſarum Regem per literas monuit, ne *Hunnis* confideret, qui ſocietate cum Romanis jurejurando ſancita, magnaque pecunia accepta, illos belli tempore proditurі eſſent. CABADIS ſecreto accerſens ad ſe *Zelichem*, cum, interrogatus hic, munera ſe accepiſſe à Romanis confeſſus eſſet: iratus hominem ſuſtulit, & noctu exercitu miſſo, Hunnos fere omnes, paucis fuga elapſis, trucidavit, ſuſpicatus dolo eos ad ſe veniſſe. Cum Romanis vero pacem fecit, & filii ſui *Coſroë* natu minimi, cui regnum deſtinaverat, tutorem *Iuſtinum* conſtituit: verum tutelam Imperator recuſavit.

II. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. Religionis veræ ſtudioſiſſimus erat *Iuſtinus*, & mox initio Imperii Chalcedonenſem Synodum ſe amplecti oſtendit, & conſtanter in ea ſententia permanſit. Ideoque *Arianos*, *Neſtorianos* & *Eutychianos* Epiſcopos, qui errores contra receptas Synodos defendebant, remotos ab officiis in exilium expulit: Orthodoxos vero Epiſcopos, ab *Anaſtaſio* expulſos, ab exilio revocavit, & Arianorum hæreſin extinguere, eorumque Eccleſias Catholica religione conſecrare cœpit. Quod cum in Italia Rex *Theodoricus*, Ariana hæreſi totus infectus, cognoviſſet, IOANNEM *Papam Romanum*, *Theodorum Importunum* & *Agapetum* viros Conſulares, una cum *Agapeto* alio, patricio Romano, Conſtantinopolim mittit ad *Iuſtinum Imperatorem*, cum hac comminatione, niſi Arianis ſua templa redderet, eoſque perſequi deſiſteret, ſe Catholicos in Italia gladio exterminaturum. *Ioannes* Roman. Pontifex, ejuſque comites, Conſtantinopoli honorifice excepti, de ſua & tot millium hominum ſalute ſolliciti, multis fletibus ab *Imperatore Iuſtino* petunt, ut, quanquam injuſta eſſet legationis ſuæ cauſa, clementer tamen eam acciperet, & Italiæ perituræ conſuleret. Quorum lacrymis *Iuſtinus* permotus, id, quod Regis *Theodorici* nomine poſtulaverunt, conceſſit: Arianis ſua templa reliquit, eoſque perſequi deſiit. *Diacon. Iornand.*

Cum vero *Iohannes* Papa, una cum ſociis in itinere longinquo diutius, *Theodorici Regis* opinione, moraretur: ipſe interim à Satana ad crudelitatem ſtimulatus, *Symmachum* & *Boëthium*, exconſules, viros catholicos, gladio peremit, & reverſos Legatos in carcerem detruſit, eoſque ibi fame & ſiti necavit. Non tamen hanc crudelitatem *Theodoricus* Rex diu impune tulit. Poſt extinctos enim illos præſtantes viros, in animi mœrorem maximum incidit: oblatos in menſa piſces aſpiciens, imaginatus eſt, ſe interfectorum capita videre: certe 30 die à morte *Ioannis* Papæ ſubito ex hac vita diſceſſit, (non relicta maſcula ſobole:) ſunt qui apoplexia, alii profluvio ventris extinctum ſcribant. Non meliorem vitæ exitum ipſius *exercitus* habuit: Milites enim, qui in Arvernenſi urbe (regionem namque Arvernorum hoſtili & armata manu ingreſſus eſt *Rex Theodoricus*, eamque horribiliter vaſtavit) templum *Iuliani* Martyris ſpoliaverant, à dæmonibus obſeſſi, infeſtis dentibus propriis ſeſe morſibus lacerarunt *P. Diacon. Sabellicus l. 2. Enneade 8. Greg. Turon. l. 3. c. 11. & 12.*

II. HORMISDA. Papa legatos mittit Conſtantinopolim & ad Imperatorem & ad Epiſcopum, efficit,

efficitque, ut iterum Eccleſia Orientalis cum Romana in communionem redeat, & nomina Epiſcoporum hæreticorum Conſtantinopoli, ut & Imperatorum *Zenonis* & *Anaſtaſii*, ex tabulis ſacris deleantur. *Baron.*

III. A. C. 250. Synodus Conſtantinopoli acta contra Eutychianos: qui cum ubique damnarentur ab Orthodoxis, *Neſtoriani* etiam ſe viciſſe credentes, Neſtorii memoriam & aliorum celebrandam cenſent in Syria: ſed *Imperator* id fieri edicto prohibuit. *Idem.*

IV. *Dux Lazorum* (Perſici populi ſunt) nomine Zatus, regnante Cabade Perſarum Rege, à Perſis defecit: & ad Imp. *Iuſtinum* Byzantium profectus, ab eo petiit, ut, abjecto Paganiſmo, baptizaretur, & Chriſtianus fieret, ac ut Regis nomen atque dignitatem in ſuo populo acciperet. Hunc *Iuſtinus* humaniſſime tanquam filium excepit, & honorifice tractavit, eumque baptizari curavit, & Regem ſalutavit: eumque corona regia ornatum, & chlamyde alba Imperatoria donatum, à ſe dimiſit. Hoc medio ipſius ſubditi ad veram DEI agnitionem atque ad æternam animarum ſalutem pervenerunt. *Diacon. Zonaræ.*

II. Schiſmatici & Hæretici.

I. Fuit adhuc, *Iuſtino* imperante, in vivis *Severus* Epiſcopus Antiochenus hæreticus, cujus etiam ſupra mentio facta eſt: is cum non paſtorem, ſed lupum ageret, & Eccleſias Chriſti dogmate ſuo Eutychiano, & aliis ſuis malis artibus multipliciter perturbaret & affligeret, quippe qui diripiendis Eccleſiæ bonis ſuæ potius avaritiæ quam animarum ſaluti conſuleret: unde abominatio deſolationis, & peſtiferum monſtrum vocabatur: Epiſcopatu Antiocheno dejectus eſt, & Eccleſia prorſus ejectus A. C. 519. *Niceph. lib.* 17. *cap.* 2. *Caſp. Hed. lib.* 6. *cap.* 3. & 4. *Euagrius lib.* 4. *cap.* 4. refert, mandato *Iuſtini* Imperat. *Severo* linguam exſectam fuiſſe, eo quod Chalcedonenſi Concilio anathema indicere non deſiſteret.

II. PAVLVS Epiſcopus Antiochenus ob mores diſſolutos & vitæ turpitudinem, cum metueret accuſatores, ſponte Epiſcopatu abit A. C. 521. & paullo poſt moritur. *Euagrius.*

III. *Alexandrini* fere omnes ad Eutychianos defecerant ſub impiis Epiſcopis, ideo novus Epiſcopus orthodoxus eo mittitur ASTERIVS. *Idem.*

III. Viri celebres.

I. SYMMACHVS, & BOETHIVS Symmachi gener, à ſuis majoribus gentis nobilitatem adepti, inter Romanos & Senatorios viros Principes erant; & Conſulatus utrique dignitate perfuncti, Philoſophiæ ſupra cæteros ſtuduerant, & tam civium quam externorum inopiæ ſuccurrendo multis ſaluti fuere. Hi poſtquam ad ingentem gloriam evaſerunt, deterrimos quoſque in ſui invidiam concitarunt. Ab his delatoribus *Theodoricus* Rex perſuaſus, *Symmachum* & *Boëthium* perinde ac res novantes occidit, eorumque bona publicavit. Sed paucis diebus poſt Rex quoque extinctus eſt: uti ſupra diximus. *Procopius.*

II. PRISCIANVS & FESTVS tempore Iuſtini Conſtantinopoli floruerunt. *Caſſiodor.*

III. CASSIODORVS Eccleſiaſticus Scriptor, claris parentibus Ravennæ ortus, propter excellentem in Philoſophia eruditionem primum *Theodorico*, Gothorum & Italiæ Regi, Præceptor datus eſt, Ab eodem Rege deinde ab uno dignitatis gradu ad alium ſublatus eſt: ita, ut à Præceptoratu ad Cancellariatum evectus, inde Senator, & Sacri Palatii Quæſtor factus: poſtea Conſul ordinarius, præterea Officiorum Magiſter, ac poſtremo *Patricius Romanus* (quæ ſumma tum dignitas fuit) declaratus ſit. Cum autem & varios præſtantium virorum caſus, Gothorumque crudelitatem in bonos & innocentes viros conſideraret: dignitatibus prædictis renuncians, *Monachus* factus, Abbatiam Ravennatem ſuſcepit. Multos ibi libellos conſcripſit, quorum aliqui adhuc exſtant. Et quantum ex iis colligi poteſt, de ſacroſancta Trinitate, & de Perſona Chriſti, & aliis quibuſdam religionis Chriſtianæ articulis, recte ſenſit. *Nævos* autem habuit quoſdam: nec mirum, cum in Theologia non à juventute inſtitutus, ſed in ſtudiis Philoſophicis bonam ætatis partem, & majorem forte in politicis negotiis conſumſerit. De Iuſtificatione igitur male docuit, hominem martyrio, eleemoſynis, aliiſque bonis operibus remiſſionem peccatorum conſequi. Et Pœnitentiam ita deſcribit, ut nulla ibi fiat mentio de fide in Chriſtum. Sed & Scripturam interdum inepte allegat: verbi gratia, dum ex verbis Pſalmi tertii: *Tu autem Domine ſuſceptor meus*, &c. incarnationem Filii DEI docere voluit: Quia Filius DEI naturam humanam ſuſceperit. *Hiſtoria Magd. Cent.* 6. *cap.* 10. Et ipſius *Caſſiodori ſcripta.*

IV. EPIPHANIVS, Tyri Epiſcopus, epiſcopatum ſuum amittere maluit, quam in impiam piæ Synodi Chalcedonenſis condemnationem conſentire. *Niceph. lib.* 16. *cap.* 30. *Euagrius lib.* 3. *cap.* 33.

V. *Iuſtini* temporibus vixit *Germanus*, Eccleſiæ Capuanæ Epiſcopus, vir doctus atque pius.

Hic

Hic legatus miſſus eſt in Græciam ad *Iuſtinum* Imper. ut religio per Anaſtaſium depravata reſtauraretur. Suſceptus eſt ab Imperatore admodum benigne. Et dum *Germanus* ille in Græcia fuit, multos, qui Eutychianiſmo in dubium ducti fuerant, in fide vera confirmavit. Interdum enim ex aliis, & quidem longe diſſitis regionibus Eccleſiis per falſos Doctores perturbatis conſulendum eſt. *Diaconus. Hiſtor. Magd. Cent. 6. c. 10. pag. 690.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

QVia *Iuſtinus* ſenex erat, & tandem morbi ad ſenectam accedebant; *Iuſtinianum* ex ſorore nepotem, cum in feriis paſchatos inciperet ægrotare ex pede, quem ſagitta læſerat, ſocium Imperii aſſumſit, præſentibus *Epiphanio* Patriarcha, & præcipuis Senatoribus. Quarto abhinc menſe vitam cum morte commutavit Calend. Auguſti anno C. 527. Cum imperaſſet annos novem, dies 23. *Zonaras.*

Velius tale Epitaphium ipſi concinnavit:

Accipit imperium Thrax: *armentarius ante*
Iuſtinus *frugi Cæſar, obitque pius.*

Prodigia *ſub* Iuſtino.

1. A. C. 526, die 29 Maii, horrendus terræmotus Antiochiam tremefecit: in ipſo tempore prandii, cum ubique ad ignem coqueretur cibus, ortum eſt incendium: quo, quicquid à terræmotu ſuperfuit, conſumtum eſt. Perierunt hominum multa millia, & inter cæteros *Euphraſius* Antiochiæ Epiſcopus terræmotu obrutus obiit: Incendium ſex diebus duravit, omnes ædes templaque corruerunt: atque ita urbis hujus præſtantiſſimæ decor periit. Ab omni hominum memoria non exſtitit tanta iræ DEI in urbem aliquam graſſatio. *Iuſtinus* Imp. hac clade nunciata, graviſſime indoluit, abjectiſque diademate & purpura, ſacco indutus, & cinere conſperſus, per multos dies luxit: ad urbis quoque inſtaurationem pecunias, & opifices miſit. *Euagrius lib. 5. cap. 5. Iohannes Euncius l. 7. Comment. fol. 140. Marcellinus.*

11. A. C. 519. *Cometa* viſus eſt in Oriente ejus formæ, quam Pogoniam à barbæ ſimilitudine nominant, & radios verſus Occaſum miſit.

111. *Eodem* anno *Anabarza*, ſecundæ Ciliciæ Metropolis, terræ motu concidit. *Zonaras, in Iuſtino §. 14.*

1v. *Edeſſa* urbs illuſtris Oſroënæ provinciæ ſubmerſa eſt: cum Scirtus fluvius, qui eam mediam perfluit, ita exundaſſet, ut & urbis ædificia dejicerentur, & fluctibus abriperentur, & cives partim ruinis ædium, partim undis opprimerentur. *Ibidem.*

v. *Concidit* magna pars terræmotu *Pompeiopolis*, urbe media dehiſcente: atque in eo hiatu multi cives abſorpti, auxilium clamoribus implorarunt: ſed nemo illis opem ferre potuit. *Zonar. Hiſt. Magd. Cent. 6. c. 13. p. 791.*

v1. *Imperante Iuſtino, mulier* quædam è Cilicia inſtar gigantis fuit, cum proceritate corporis, tum aliorum membrorum proportione. Nam ſupra quoſvis proceros viros integrum cubitum eminebat, pectore & humeris ſupra modum latis, cum & cætera omnia, ut & mulier & facies, brachiorum & cubitorum firmitas ac magnitudo, & digitorum craſſitudo, & reliqua, longitudini & latitudini reſponderent. *Zonaras.*

PERIODVS III. A IVSTINIANO ad CAROLVM MAGNVM.

LVIII. IMPERATOR ROM. IVSTINIANVS M.

CAPVT I.

DE ORTV.

1. *Generatio.*

HVmili genere ex civitate Biderina Illyrica oriundus fuit. *Parentes* ejus propter generis ignobilitatem ab Hiſtoricis non nominantur, niſi quod ex *Iuſtini* ſenioris ſorore nepos fuerit.

11. *Appellatio.*

1. NOMEN. Dictus eſt IVSTINIANVS, tum nomine, tum re: quia patronus juſtitiæ fuit, & judicium ſevere exercuit.

11. COGNOMEN. Cognomine dictus eſt MAGNVS, propter rerum geſtarum magnitudinem. Tribuitur ipſi quoque cognomen *Flavius Anicius Iuſtinianus*, & præterea multos ſuſtinuit titulos honorarios, quod nempe Alanicus, Francicus, Gothicus, Alemannicus, Germanicus, Anticus, Vandalicus, Africanus, appellatus ſit, à regionibus quibus bello potitus eſt, inque ſuam poteſtatem redegit.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙ'Α, & ACTA JUVENTVTIS.

I. INsignes habuit corporis atque animi dotes. Nam ab ineunte ætate literis operam navavit, iisque egregie excultus fuit.

Iustinianum igitur nec jura, nec latinas literas novisse, & quovis ἀναλφαβήτῳ rudiorem fuisse & imperitiorem, imprudenter & impudenter scribit & nugatur, post *Suidam*, *Laurentius Valla l. 6. elegant. cap. 35. Alciatus lib. 4. dispunct. cap. 7* & *Antonius Faber præfat. Rational. 1. parte Digestor. Primum* enim ipse *Iustinianus in §. penult. Proœmii Institutionum* asserit: Institutiones hasce per compilatores sibi oblatas fuisse: quas ipsemet legerit, & recognoverit, & plenissimum robur eis accommodaverit. Deinde *Platina* gravissimus author, in *libro de vitis Pontificum Romanor. in Bonifacio secundo*, affirmat: JVSTINIANVM tanti ingenii, tantæque doctrinæ fuisse, ut non mirum sit, si leges Romanas dispersas & incompositas in ordinem redegerit: & addit, eum non solum jura condidisse; sed de Christi quoque Salvatoris nostri incarnatione libros quosdam scripsisse atque edidisse. *Idem*, post *Isiodorum*, adstruit *Giphanius in Commentario sive Orat. de Imp. Iustiniano*. Idemque *Antonium Sabellicum*, & *Procopium*, Scriptorem fidelissimum, de *Iustiniano* Imp. memoriæ tradidisse testatur *Hanonius disput. 1. controvers. 2.* & *Ortolphus Fomannus disp. 1. th. 27. sub lit. C.*

Et huc *Iustinianus* Imp. in principio suarum Institutionum Juris respexit, ubi sic orditur: Imperatoriam Majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus armatam esse oportet, ut utrumque tempus, & bellorum & pacis, recte possit gubernare: & Princeps Romanus non solum in hostilibus prœliis victor exsistat: sed etiam per legitimos tramites calumniantium calamitates expellat.

II. *Similiter* in exercitiis Equestribus excelluit Justinianus, & in aula usque ad 44 ætatis annum versatus, ad varios dignitatum gradus & honores evectus est, omnibusque amabilem se præstitit.

II. ACTA OECONOMICA.

VXOR ejus dicta fuit THEODORA, ex qua suscepit filiam, ex qua natus est JVSTINVS II. Fuit autem hæc *mulier*,

1. *Hæretica*, nempe *Eutychiana*.

2. *Hæreticos promovit*. Nam in locum Epiphanii Episcopi Constantinopolitani demortui promovit ANTHIMIVM Trapezuntinum Episcopum, qui cum Eutychianus esset, plurimum damni Ecclesiis intulit.

3. *Maritum*, qui initio orthodoxus erat, *ad* ἀπιστασίαν *pellexit*.

4. *Fuit avara*, & maritum avaritia (qui etiam, ut postea dicemus, hoc nomine culpatur) superavit. Nam ita de ea scribit *Zonaras*: Imperatrix (inquit) Imperatori sive licentia, sive quovis modo faciendæ pecuniæ solertia non cedebat, sed & maritum longo intervallo potentia superabat, & novos eosque varios quæstus ingeniosissime reperiebat. Hinc subditi gemino onere premebantur. Nam & annua tributa exaggerabantur, & nova excogitabantur. Alii, ut perperam de religione sentientes, mulctabantur: alii, ut immodeste & petulanter viventes, opibus privabantur, &c. *Zonaras in Iustiniano* §. 1.

AXIOMA.

In conjuge eligenda sollicitus sit Princeps, ne asciscat sibi talem, quæ hæreticis opinionibus sit pertinaciter dedita, nec semper participem consilii uxorem assumat.

Testantur enim Historiæ tum *Sacræ* tum *Profanæ*, ex gynæceo virus hæreticum in totam provinciam sæpius sparsam, & πολυπραγμοσύνην mulierum, immiscentium se negotiis Ecclesiasticis aut Politicis, ut plurimum fuisse infelicem, & Regna & Respubl. turbasse.

EXEMPLA I BIBLICA.

I. De SALOMONE Rege omnium sapientissimo memoratur, quod mulieres alienigenæ, Idololatricis cultibus addictæ, averterint cor ipsius, idque inclinarint, ut sequeretur DEOS alienos. 1 *Reg.* 11. *vers.* 6.

II. ACHAB impulsu Jesabelis uxoris, quæ fuit filia Ethbaal Regis Sidoniorum, servivit Baal, & adoravit eum. 1 *Reg.* 16. *v.* 31.

III. *Filia* ACHAB impulit JORAM filium Josaphat, ut coleret Idola Regum Israel.

IV. HERODES suasu conjugis Herodiadis *Iohannem Baptist.* aulicum suum concionatorem interfecit. *Matth.* 14. *v.* 10.

II. PROFANA.

I. CONSTANTIA *Licinii* vidua, soror *Constantini M.* Imper. imbuta Arii blasphemiis, persuasit

ſuaſit fratri Conſtantino, ut Arium ab exilio revocaret, retractaret decretum contra Arium, ejuſque cauſam cognoſci denuo curaret.

II. EVDOXIA Auguſta *Arcadii* uxor effecit, ut Chryſoſtomus in exilium pelleretur. vide *Hiſtoriam Arcadii cap.* 2.

III. BASILISCVS, qui, *Zenone* in exilium pulſo, imperium rapuerat, à conjuge incitatus, edicto propoſuit, quibus abolevit ſententias & decreta Synodi Chalcedonenſis.

IV. LVDOVICVS PIVS, *Caroli Magni* filius, Imperator, totus pependit à conſiliis uxoris: ab eaque perſuaſus, multa & injuſte & crudeliter fecit. Ea de cauſa incurrit in odium apud Proceres: qui incitatis contra eum filiis, prætextu occultarum molitionum novercæ, regno amotum carceri incluſerunt.

V. Ita quoque JVSTINIANVS, ab uxore perſuaſus, ab orthodoxa ſententia ad Eutychianos deſcivit: & præbuit cauſam magnis motibus & tumultibus in Eccleſia.

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

De electione ejus ad imperium ita ſcribit *Zonaras in Juſtino* §. 14. Cum (inquit) Principes *Juſtinum* Imper. aliquando orarent, ut *Juſtinianum* (cui poſt Vitaliani cædem Duci & Conſuli creato rerum omnium adminiſtratio incumbebat) collegam aſciſceret, purpura prehenſa: *Vobis*, inquit, *optandum eſt, ne hanc junior aliquis induat.* Ac tum quidem preces eorum ſic eluſit. Illi vero, parvo tempore interjecto, *Nobiliſſimi* titulum Juſtiniano decreverunt, & ab Imperatore impetrarunt, ut id decretum ſuis literis comprobaret. Nec multo poſt *Juſtinus* Imper. in morbum incidit ex vulnere cruris, eoque in ſpe vitæ dubia invaleſcente, Patriarcha Epiphanio & primoribus advocatis, *Juſtinianum* nepotem decernit, & ſuis manibus ejus capiti diadema imponit. Cumque populus in equeſtre theatrum conveniſſet, *Juſtinianus* coronatus ingreditur, & ab omnibus fauſtis acclamationibus exceptus, in regiam revertitur, annos eo tempore XLV. natus.

JVSTINIANVS autem, ejuſque uxor *Theodora*, ab *Euphemio* Epiſcopo Conſtantinopolitano ſolenniter coronati ſunt, & cum *Juſtino* quatuor menſibus regnavit: ipſo vero defuncto, ſolus imperium adminiſtravit.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

1. *Publicæ ſalutis ſtudioſiſſimus fuit*, & mox ut imperialia jura ſuſcepit, ad reparandum Reipubl. ſtatum animum intendit. Nam in *lib. 1 ſub fin. C. de cad. toll.* non minus pie quam prudenter inquit: *Quod communiter omnibus prodeſt, hoc rei privatæ noſtræque utilitati præferendum eſſe cenſemus: noſtrum eſſe proprium, ſubjectorum commodum, imperialiter exiſtimantes.* Florente enim Republica, etiam privatæ res florere, & contra corruente Republ. privatæ quoque res corruere ſolent.

Unde Spartana illa fœmina apud *Plutarchum* ob eximium erga patriam amorem magnam meruit laudem. Quæ cum quinque haberet liberos, in eo prælio, quo haud longe ab urbe pugnabatur, & venientem quendam inde interrogaret: Quo in ſtatu rerum ſumma verſaretur? reſpondente autem *ille*, filios ejus omnes interiiſſe: Mulier ad eum: Hæc à te non petii: ſed ut patriæ res ſe haberent, rogavi. Cum is ſubjunxiſſet: Pulchre omnia ſe habere: *Lugeant ergo miſera*, inquit; *Ego victrice Patria, beatam me eſſe judico.*

11. *Leges ſalutares atque utiles tulit.* Nam A.C. 529, cum ipſe Conſul ſecundo eſſet, univerſo imperio inſtaurando & emendando (quod domi hæreſes, foris hoſtes infeſtabant) totum ſe prorſus heroico animo dedit: tum vero maxime de juris civilis diſciplina conſtituenda atque illuſtranda ſæpenumero, & ſerio quidem, cogitavit. Etenim cum probe ſciret, Rempublicam non magis ſine bonis legibus, quam corpus ſine mente & animo temperari atque conſtare poſſe.

PRIMO igitur TRIBONIANO, Quæſtori ſuo, viro acutiſſimo, aliiſque juris prudentiæ laude & rerum uſu atque experientia præcellentibus viris injunxit, mandavitque, ut ex tribus Codicibus antiquis, *Gregoriano*, *Hermogeniano* & *Theodoſiano*, & legibus abs ſe, vel aliis Imperatoribus editis, unum *Codicem Conſtitutionum* conflarent. *Codicem* illum jam compoſitum A.C. 529, Imperii ſui 3, indictione ſeptima, Id. April. edendum curavit, & *Juſtinianæum* ſive *Juſtinianum Codicem* appellavit.

SECVNDO A.C. 530, menſ. Decembri, *Juſtinianus Triboniano*, cæteriſque Juriſconſultis, mandavit, ut veteri jure enucleato, *Digeſtarum* ſive *Pandectarum* volumen componerent, & in certos libros ac titulos totum jus antiquum, per 1400 pene annos confuſum, digererent. Proximo deinde anno, videlicet A.C. 531, & ſequenti, *Pandectæ à Tribeniano, Dorotheo, Theophilo*, eorumque Collegis, quos in tam arduo difficilique politico Opere conficiendo ſibi adjunxerant, ex innumeris veterum Juriſconſultorum reſponſis & voluminibus collectæ ſunt. Duo enim millia librorum erant, &

tricies centena millia verſuum (ut dicitur in Proœmio *Pandectar.* §. 1.) Per *verſus* autem *Imperator* intelligit membra orationis integra, vel Periodos ſive paragraphos.

NOTA.

Pandecta dicti ſunt à πᾶν, i.e. totum, & δέχομαι i.e. contineo: Quod omnia juris veteris generis complectantur. *Latino* vocabulo *Digeſta* dicuntur.

Hi *Pandectarum* libri A.C. 533. Indictione undecima ad exitum omnino perducti & abſoluti ſunt.

TERTIO, ut Methodus juris diſcendi certa & expedita exſtaret, *Inſtitutionum* quoque *opuſculum Juſtiniani* Imp. mandato ex variis Pandectarum, & prioris Codicis fragmentis, nec non multorum veterum Commentariis concinnatum, ut velut Epitome legitimæ ſcientiæ, & quaſi infantia quædam eſſet, foreſque quodammodo penetralia juris ingredi volentibus aperiret, in lucem conſpectumque hominum pervenit. Cæterum *Inſtitutiones* quidem ſerius, quam *Pandectæ*, compoſitæ ſunt & abſolutæ: paulo tamen priùs editæ. Nam *Inſtitutiones* 11 Kalend. Decembr. A.C. 533. Pandectæ vero Kalend. Januarii evulgatæ confirmatæque ſunt: nec tamen illæ in foro valere, ſuumque obtinere robur ſunt juſſæ, nili ex quo die & hi valerent.

Inſtitutiones autem ab *inſtituendo*, hoc eſt, erudiendo & docendo, non immerito derivantur. Sunt quippe præceptiones, quibus inſtituuntur & docentur ſive informantur homines, teſtibus *Valla lib.* 4. *elegant. cap.* 11. & *Auſonio Popma lib.* 3. *de differ. verbor.* in verbo, *Inſtitutiones*, &c. Et in his Inſtitutionibus ſimpliciſſimæ traduntur ea pleraque, quæ ad generalem totius juris civilis cognitionem pertinent: quibus tanquam elementis ac fundamentis juvenes imbuti atque ſuffulti, facilius poſſunt graviora & perfectiora legum ſcita ſuſtentare, *auctore Imperatore in d. l.* 2. §. *ſed cum proſpeximus.* 11. C. *de vet. jur. enucleand.* Quo ſpectat elegans hoc diſtichon *Philippi Melanchthonis*:

Continet hic *legum tenuis præcepta* libellus,
Primaque Romani ſemina juris habet.

QUARTO. Cum *Juſtinianus* animadverteret, ab eo tempore, quo ſuum *Codicem primum* ediderat, tot novas jam ſe cumulaſſe Conſtitutiones, ut *alterum* prope *Codicem* occupare poſſent: idcirco *ſuperiorem illum Codicem* recudit; quinquaginta novis Deciſionibus, multiſque aliis Conſtitutionibus, quas interea temporis condiderat, auxit ac limavit: & quæ *ἀνωφελῆ* aliquam habere videbantur, ſuſtulit & omiſit: eumque ſic recognitum, actum & interpolatum, Kalend. Decembr. A.C. 534. indictione 12, anno imperii Juſtiniani 8, denuo, *priore* abrogato, publicavit. Atque *novus* hic & ſecundo editus *Codex* (qui propterea *Codex* repetitæ prælectionis dicitur) hodie ſolus ſupereſt, eoque Juriſconſulti utuntur.

QUINTO. *Juſtinianus* denique anno Imperii ſui 9, Chriſti autem 535. indictione 13. & reliquis ſequentibus, uſque ad mortem fere, novis indies controverſiis ex negociorum varietate emergentibus, novas alias Conſtitutiones, quas modo *Novellas*, modo *Authenticas* vulgo nuncupant, edidit atque promulgavit.

Ita theſaurus juris Romani ingentis precii, ac immortalitatis memoria proſequendus, prodiit; quo nihil habet majus Imperium Romanum, nihil glorioſius, nihil ad tuendam pacem, & conſervanda civilia officia firmius atque ſtabilius. Gratiam igitur ſi non parem tanto merito, at pro ſuo tamen quiſque ſtudio, ſe debere memori mente profiteatur neceſſe eſt. Quia ipſe *Juſtinianus Imper.*, *Digeſtis*, ſive *Pandectis* & *Inſtitutionibus Juris* abſolutis, Deo gratias egit: *Omni*, inquit, *Romani juris diſpoſitione compoſita*, & *in tribus voluminibus*, hoc eſt, *Digeſtorum* ſeu *Pandectarum*, & *Inſtitutionum*, nec non *Conſtitutionum perfecta*, & *tribus annis conſummata, quæ primum neque toto decennio compleri poſſe ſperabatur, Omnipotenti Deo & hanc operam ad hominum ſuſtentationem piis obtulimus animis. Has autem leges vigorem ſuum obtinere ex* III. *noſtro feliciſſimo ſancimus Conſulatu præſentis* XII *indictionis*, 3 *Kalend. Januar., in omne ævum valituras, & una cum noſtris Conſtitutionibus pollentes. Data* 17 *Kalend. Januar. Conſtantinopoli Juſtiniano Auguſt.* III. *Coſ.*

EMBLEMA.

Exſtat *Numiſma*, in cujus una facie ſtat Imperator palliatus, accenſa face comburens libros. *A tergo* conſpiciuntur *duæ Statuæ* ſimiliter palliatæ, afferentes libros, in memoriam Juris à Juſtiniano conſtituti. Ante eas ſtatua mulieris conſiſtit ornata galea criſtata, tenens dextera globum, cui victoria alata inſiſtit. Siniſtra vero cornucopiæ imaginem habet, qualem Auguſtus olim quoque uſurpavit. Inſcriptio numiſmatis eſt: JURA & LEGES, DEPRAVATAS ANTEA, RESTITVI.

III. *Honeſtatis quoque cuſtos*, & *laſcivia vindex acerrimus fuit.* Nam cum deprehendiſſet Epiſcopos nonnullos maſculorum corruptores: eorum aliis virgam virilem amputari juſſit, aliis calamos acutos in meatus genitalium inſeri, eoſque in forum, quaſi in triumpho produci juſſit. Erant in eodem crimine *Civium* ac *Senatorum* multi, quos caſtratos, nudiſque corporibus in forum productos miſerabiliter perdendos curavit: ut documentum ani-

animadverſionis ſeveræ in impuros ſtatueret, & ad pudicitiæ cultum reliquos inflammaret.

IV. *Statuit quoque Juſtinianus*, ſi vir ad balneum extraneæ mulieris accederet, eum privari debere donatione propter nuptias: mulierem autem dote, ſi cum alio viro lavaret.

V. Cum *Juſtinianus* immunitatem *aſylorum* nimis latam & amplam Rebuſpubl. obeſſe videret, contraxit, §. *quod ſi delinquentes*. Authent. de mandat. Princip. Ubi excipit *homicidas* (voluntarios,) *adulteros* & *virginum raptores*, quos nullis aſylorum privilegiis frui permittit.

In jure Canonico tria hominum genera ab aſylorum immunitate excluduntur, *Latrones publici*, qui vias obſident, *nocturni graſſatores*, qui agros vaſtant; & *qui in templo* vel *cœmeterio enormia ſcelera committunt*, freti illa ſpe, quod ibi futuri ſint illæſi. l. immunitatem extra de immun. Eccleſ. *Hæreticos* etiam & *excommunicatos* noluit jure aſylorum frui, ſi ſc. propter ipſam hæreſin in periculum veniant. FRANCISCUS I, Galliarum Rex, conſtituit, ut delinquentes ad Eccleſias confugientes capiantur, ſalvo jure, ſi redintegrari debeant, ſique cognoſcatur, an immunitate Eccleſiæ gaudere debeant, vel minus. *Petr. Gregor. lib. 13. de Republ. cap. 23. num. 11.*

Congruit hac conſtitutio cum jure divino. Nam *Exod. 21. v. 14. Deus* ita præcipit: *Si quis per induſtriam proximum ſuum occiderit, ab altari meo avelles eum, ut moriatur.*

Et *Joabum* juſſu Regis Salomonis à *Benaja* circa altare occiſum eſſe legimus. *1 Reg. 2. v. 30.*

VITIA.

Licet hic *Imperator* initio eximiis virtutibus præditus fuerit, tamen eas progreſſu temporis ingentibus vitiis obſcuravit & fœdavit. Nam

I. AVARUS fuit. 1. *Stipendia* liberalium artium Magiſtris (dudum ab aliis conſtituta) detraxit, eaque in ærarium nimis exhauſtum ſumtuoſis ædificiis retulit: unde detrimentum ſcholæ ingens acceperunt, & ſtudia literarum imminuta ſunt.

2. Adeo pecuniæ factus eſt avidus, ut opulentos homines malis artibus doloſe pecunia emungeret, officia publica, adminiſtrandæ Reipublicæ neceſſaria, hominibus leviſſimis, opificibuſque illiberalibus, & tributorum collectoribus pro auro venderet. *P. Diaconus, Pomponius Lætus, Egnatius, Zonaras, Euagrius.*

II. JUSTITIÆ *adeo nullam amplius curam* geſſit, ut clara die, in media civitate Conſtantinopoli, prædationes, latrocinia, graſſationes, furta & homicidia impune à cinædis deſignarentur; quos non modo non ſuppliciis affecit, verum etiam in ſummo honore habuit. Eos vero, qui talium hominum injuſtam vim à ſe propulſare conabantur, ad capitale ſupplicium condemnavit. *Idem.*

III. JUSTINIANUS erroneam juramenti formulam Magiſtratibus novis præſcripſit, ut non modo per Deum omnipotentem & filium ejus unigenitum D N.I.C., ſed & per ſanctam & glorioſam Dei genitricem, & ſemper virginem Mariam, ac per ſanctos Archangelos Gabrielem & Michaëlem, jurarent. *Novell. 9.*

Sed cum juramentum ſit ſpecies cultus ſoli Deo debiti, quo gloria omniſcientiæ ac omnipotentiæ ipſi tribuitur, ideo Status Auguſtanæ Confeſſioni addicti has jurandi formulas non recipiunt: unde placuit in pacificatione religionis A. C. 1552. Paſſavii inita, ut in Camera Imperiali deinceps Aſſeſſoribus, vel cauſas ibidem agentibus aut defendentibus, liberum eſſet, utrum ſub hac formula, vel per Deum & Euangelium, jurare vellent. Monet autem *Weſenbecius* in paratit. de jurejur. num. 6. intelligendum hoc de Verbo hypoſtatico, h. e. de Filio Dei, non de litera Euangelii.

II. ACTA SAGATA.

Bella geſſit tum *Interna*, tum *Externa*, toti Chriſtiano orbi maxime commoda & ſalutaria. Et licet Juſtinianus ipſe bello nihil geſſerit, nec præliis interfuerit; tamen conſilio, virtute & felicitate ſuorum Ducum res magnas confecit.

Duces ejus fuere: 1. *Belliſarius*. II. *Narſes*. III. *Iohannes*. IV. *Mundus*. V. *Conſtantianus*. Horum autem inſigni fortitudine, prudentia, rei militaris ſcientia, & felicitate præ cæteris *tres priores* præditi fuere: ac inprimis virtus atque induſtria *Belliſarii* eminuit, adeo ut Imperator ipſe in monetarum ſuarum epigraphis decus Romanorum illum appellarit.

1. BELLA INTERNA.

1. Diximus ſupra, *Juſtianum* Imp. ad avaritiam cor ſuum inclinaſſe. Itaque, ob expilationes ſubditorum, gravis orta eſt *Conſtantinopoli ſeditio*, populuſque furens repudiato Juſtiniano Pompeium Probumque (Anaſtatii Imp. nepotes, qui de evertendo Juſtiniano conjurarunt) Imperatores depoſcit. Hanc autem ſeditionem *Juſtinianus* non ſine magno labore per Belliſarium repreſſit, & in ea amplius 40 millia hominum interierunt, multa præclara ædificia ſunt exuſta, & monumenta deſtructa. *Hypatius* vero Pſeudo-Auguſtus, ſeditionis author, interfectus eſt. Punit enim Dominus Principum avaritiam & rapacitatem ſeditionibus: ſe-

ditioſos vero cædibus & aliis gravibus ſuppliciis. *Zonar. Procopius.*

II. *Bellum Judaicum. Samaritani* & *Judæi* in Cæſarea Palæſtinæ ſeditionem moverunt, & quendam *Julianum* regia corona ornatum ſibi præfecerunt. Hi Chriſtianorum Eccleſias combuſſerunt, & plurimos interfecerunt. *Stephanum* ejus urbis Præfectum occiderunt, ejuſque bona præconis voce publicarunt. Hos *Juſtinianus* à Deo ſibi in manus traditos occidit, ac Juliano caput amputavit. *Zonaras, P. Diaconus.*

II. BELLA EXTERNA.

1. *Vandalicum* contra *Gilimerem.*

Circa hoc bellum cum GILIMERE notanda ſunt tria: 1. Τὰ προηγούμενα. 2. Τὰ πραχθέντα, & 3. Τὰ παρεπόμενα.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

I. *Juſtiniani ad Gilimerem legatio. Gilimer*, Genſerici quondam Regis Vandalorum nepos, rei militaris peritus, & aliena invadere promtus; ſed homo improbus, & Chriſtianorum perſecutor crudeliſſimus; Hilderichum Regem ut ignavum & inertem, apud Vandalos accuſavit, & hac calumnia oneravit, quod Vandalos ſimul cum tota ditione *Juſtiniano* prodere vellet. Quæ omnia Vandali facile credentes, *Gilimerem* conſtituunt Regem, & *Hilderichum* poſt ſeptem annos regni cum omnibus familiaribus ejus in vincula conjiciunt. Ideirco *Juſtinianus* Imp. legatos in Africam miſit, & à *Gilimere* petiit, ut tandem *Hilderichum* ejuſque cognatos carcere liberaret, ſibique mitteret, ſe ipſis proſpecturum, ut commode vivere poſſint.

II. *Gilimeri recuſatio*, & *Chriſtianorum perſecutio.* Legati Juſtiniani nihil obtinere potuerunt, ſed Gilimer Hilderichum arctius cuſtodivit, omneſque Chriſtianos in Libya opprimere tentavit.

III. JUSTINIANI *ad bellum præparatio. Juſtinianus*, Chriſtianorum intolerabilibus calamitatibus motus, pro eorum defenſione arma ſuſcipere decrevit, dixitque, ſe non conquieturum, niſi & injuſta vi oppreſſum *Hilderichum* vindicaſſet, & tyrannum ultus fuerit. Itaque tam exercitum quam claſſem ingentem, & victualia præparavit, & *Belliſario* belli ſummam commiſit.

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

I. *Belliſarii cum Gilimere pugna & victoria. Belliſarius*, menſe Aug. A.C. 533, cum claſſe in Siciliam venit, ubi *Amalaſſuntha* Athalarici mater dominabatur, quæ exercitui commeatum obtulit. Inde tertio menſe poſtquam Conſtantinopoli abierat, in Africam venit, & cum GILIMERE (qui cum audiviſſet *Juſtinianum* adverſus ſe bellum eſſe ſuſcepturum, *Hilderichum* cum cognatis, quos in cuſtodia tenebat, ſtatim occidi juſſit) prælium commiſit, fratrem ejus *Zazinem* in pugna trucidavit, *Gilimerem* fugavit, & in Numidiam uſque perſecutus eſt. Interim Carthaginem, 95 anno poſtquam à GENSERICO occupata fuerat, recepit, & antequam urbem ingreſſus, tali oratione ad milites uſus eſt: *Videte*, inquit, *Commilitones, quam proſpera facta ſint nobis, quomodo ſobrietatem erga Afros oſtenderimus: videte, & honeſtatem in Carthagine conſervate, & ne quis quenquam opprimat, nec quicquid ipſius, furripiat. Cum enim multa mala fuiſſent à Vandalis barbaris viris perpeſſi, Imperator noſter miſit nos eis ad libertatem dicandam.* P. Diaconus in Juſtiniano §. 4.

Sed his omiſſis, ad GILIMEREM redeamus. Hic (uti dictum) à *Belliſario* victus ad Mauruſios properavit: quem ille *Belliſarius* perſecutus, in parvo monte in noviſſimis Numidiæ circumcluſit. *Gilimer* cum trimeſtri ſpatio in illo monte obſideretur, omnibus neceſſariis deficientibus, petiit ab obſidentibus ſibi dari *Panem unum, Spongiam* & *Citharam*: ſignificans, ſe eo redactum eſſe, ut optet integrum panem videre & guſtare, quia non vidiſſet panem ex quo aſcendiſſet in montem: *Spongiam* ei neceſſariam eſſe ad abſtergendas lacrymas: *Citharam* vero, ut præſentem calamitatem flebilibus numeris leniret & demulceret.

II. *Gilimeris captura.* Tandem inopia victus Gilimer ſe Belliſario dedidit, qui ipſum & Duces Vandalorum in cuſtodia honorifice habuit, ut ad Imperatorem perducerentur. Atque ita Belliſarius, cum tribus menſibus pugnaſſet, nempe à Kalendis Septembribus uſque ad Kalend. Decembris, totam Libyam (quam Vandali 95 annis tenuerant) Imperio Juſtiniani ſubjecit. *P. Diacon. in Juſtiniano* §. 3.

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

TRIUMPHUS. Magnus *Belliſario* honos ob victoriam à *Gilimere* reportatam ab Impetatore habitus, & triumphus decretus, ludi quoque equeſtres in theatro acti, ipſo Imperatore, Senatu omnique populo præſente. *Gilimer* quoque vinctus catenis una cum uxore & regia familia in triumpho ductus. Qui cum *Imperatorem* in alto throno ſedentem vidiſſet, in hippodromo conſtitit, populum ex utraque parte aſtantem circumſpexit, ac demum ſe ipſum, in quod fatum perveniſſet, conſideravit: nec flevit, ſed pleno ore riſit, nihilque aliud dixit, quam illud *Salomonis Eccleſ.* 1. *v.* 2. *Vanitas vanitatum,*

tatum, & omnia vanitas! Cum itaque eum ingenti dolore perculſum mente captum eſſe putarent; ferunt illum dixiſſe: ſe ridere fortunæ humanæ viciſſitudines, ut qui modo Rex fuiſſet, jam ſerviret. *Imperator* autem Juſtinianus Gilimerem benigne habuit, & prædia aliqua amœna, unde vivere poſſet, ei contulit, illique cum ſuis cognatis incolere juſſit. Hæc hiſtoria deſcribitur à *Procopio lib* 3. *de bello Vandalico*, *P. Diacono*, *Zonara*, *Iornande*, *Agath.*

II. BELLA GOTHICA.

I. Contra *Theodatum.*

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

Occaſio hujus belli fuit Amalaſſuntha cædes. Athalaricus Rex Italiæ octavo regni anno exacto moritur. Mater ejus *Amalaſſuntha* THEODATVM Regem conſtituit: is accepti beneficii immemor, contra datam fidem *Amalaſſuntham* carceri incluſam & relegatam ſcelerate obtruncat. Ob quam cædem *Juſtinianus* ſe ad bellum paravit.

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

JVSTINIANVS Amalaſſunthæ necem armis ulturus, *Belliſarium* adverſus *Theodatum* miſit, ut Italiam à Gothica tyrannide liberaret. *Belliſarius* eo anno, nempe A. C. 535, quo adverſus Gothos profectus eſt, Siciliam à Gothis occupatam recepit, & *Juſtinianus* Duce *Mundo* eodem anno Dalmatiam eripuit. *De quo plura Procopius in Gothicis.*

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

THEODATI *trucidatio.* Gothi *Theodatum* ob ignaviam & *Amalaſſunthæ uxoris ſuæ* indignam cædem omnibus inviſum A.C. 536. interficiunt, & VITIGEM ſibi Regem conſtituunt. *Procopius*, *Marcellinus.*

II. Contra *Vitigem* Gothorum Regem.

Collectas contra *Theodatum* copias bellique vires *Belliſarius* in *Vitigem* ſucceſſorem convertit, & Romam exactis Gothis A. C. 536. die 10 Decemb. recuperavit, anno 60. poſtquam à Gothis occupata fuerat. Etſi autem ſequente anno à *Vitige* Gothorum Rege iterum obſeſſa eſt Roma, & concluſus in ea cum magna egeſtate *Belliſarius*: tamen irrita obſidione eam preſſit *Vitiges.* Nam virtus *Belliſarii* maxime eo tempore conſpecta eſt, & ſæpius irruptionem in *Vitigis* exercitum (qui è centum & quinquaginta millibus Gothorum conſtabat) fecit, unoque die triginta millia Gothorum perierunt. VITIGES tandem omiſſa obſidione, cum ſexagies ſepties ibi dimicatum eſſet, ducit exercitum ad oppugnationem Arimini. Poſtea obſidionum & deditionum variæ vices fuerunt. Mediolanum etiam à Gothis deletum eſt, magna ibi cæde facta. Tandem ad Ravennam *Belliſarius* acceſſit, ubi granaria conflagraverant. Ibi cum de pacis conditionibus ſæpe colloquia haberentur, tandem aſtute *Belliſarius* obtinuit, ut Ravenna dederetur, in qua erat *Vitiges*: quem captum cum uxore ipſius & theſauris omnibus Conſtantinopolim miſit. In eum tamen JVSTINIANVS Imp. nihil aſpere conſtituit, quia perfidia ſuorum captus erat. Ideo propter reverentiam regii nominis inter patricios relatum tuendies finibus adverſus Parthorum ſive Perſarum excurſiones præfecit: ibique *Vitiges* vitam finiit. *Procopius*, *Evagrius*, *Marcellinus*, *Iornandes*, *Diaconus.*

III. Contra *Totilam* Gothorum Regem.

ILDOBALDVS à Gothis Regi Vitigi ſufficitur, ſed is anno primo Regni in convivio obtruncatur. Huic ſucceſſit ALARICVS, qui eodem anno jugulatus eſt. Hinc Gothi TOTILAM Regem ſalutarunt. Is conſcripto undique exercitu totam Italiam invadit, & Romam recuperavit, anno Chriſti 546. Capitolium incendit, præcipua ædificia diruit, & mœnium tertiam partem evertit: incolis etiam alio tranſlatis urbem deformatam ac vacuam reliquit. Cum autem IVSTINIANVS intellexiſſet, Gothos rurſus ſuperiores eſſe in Italia, *Belliſarium* ſecundo in Italiam miſit: qui Romam recepit, cives hinc inde diſperſos revocavit, & mœnia deſtructa reparare & reſarcire cœpit. *Totilas* triennio poſt rurſus Romam cepit, eamque aliqua ex parte inſtauravit, & quantum antea ſtudii in ea deſolanda, tantum nunc in ea reparanda adhibuit ac oſtendit, ut inſaniam quam ſuperior deſolatio ipſi pepererat, novo beneficio, manſuetudine atque clementia aboleret. Quotquot etiam ad ſacras ædes confugerant, inviolatos eſſe juſſit.

Roma quoties capta ſit.

1. Tempore *Honorii*, *Alaricus Gothorum Rex* biennio Romam circumſeſſam cepit anno Chriſti 410. V. C. 1161.

11. Tempore *Martiani*, *Geneſericus Vandalorum Rex* Romam ſpoliavit, abducta inde Eudoxia,

quæ

quæ fuerat conjux Valentiniani Imp. A. C. 455. V. C. 1206.

III. Tempore IVSTINIANI, *Totilas* (uti ſupra dictum) urbem circiter biennium circumſeſſam (in qua obſeſſi tantam pertulerunt famem, ut canes, mures, ac cætera immunda animalia, herbas hortales, quas etiam pecudes non attingunt, devorarent) cepit A. C. 549. V. C. 1300. Anno poſt *Carthaginis* deſtructionem ſeptingenteſimo. Quod ideo adjungo, quia *Scipio* incendium Carthaginis adſpiciens ac lacrymans dixit: Se cogitare, ſimile fore aliquando excidium Romæ, juxta verſum:

Illa dies veniet, fato qua Roma peribit.

Deinde cum *Beliſarius*, qui Romam deſtructis muris receperat, diſceſſiſſet, triennio poſt deſtructionem *Totilas* rurſus eam cepit, & inſtauravit.

In illa expeditione autem Romanorum nonnulli elapſi, Conſtantinopolin properant, & Romam iterum à *Totila* captam IVSTINIANO exponunt. Qui ſtatim NARSETEN, eunuchum ſuum & egregium bellatorem, cum manu valida miſit, ut afflictis ſubveniret. Is ingreſſus Italiam magno cum Gothis prælio conflixit: quibus ad internecionem pene conſumtis TOTILAS interficitur, anno Tyrannidis decimo, illique *Benedictus* abbas hoc prædixerat. Nam inquit ad illum: *Multa mala facies, Romam ingredieris, novem annos regnabis, & decimo morieris.* Cujus dictis eventus reſpondit, ac *Benedicti* adhortatio *Totilam* flexiſſe dicitur, ut minus crudelis in victoriis fuerit. *Procopius, Sabellicus. Enneade 8. lib. 2. & 3. Blondus lib. 6. Decad. 1.*

IV. Contra *Tejam* Gothorum Regem.

Totilæ ſucceſſit *Tejas* poſtremus Rex Gothorum, qui ipſo anno, quo *Totilas* victus, (nempe A. C. 552.) cum *Narſete* ſtrenue ac fortiter dimicavit, & victus atque fugiens occiſus eſt. Hoc ultimo prælio, quo de ſumma rerum decertatum eſt, tanto animorum ardore Gothi pugnarunt, ut ne quidem occiſo Teja Rege ante pugnandi finem fecerint, quam *Narſes* per præconem iis veniam daret, quo arma ponerent. Finitum ita bellum *Gothicum*, quod octodecim annos duraverat, & Gothorum in Italia imperium concidit, quod à principio *Odoacri* duraverat annis 77, à regno *Theodorici Veronenſis*, uſque ad mortem *Tejæ* annos fere 50. *Iuſtinianus*, debellatis Gothis, Italiam tanquam Occidentalis Imperii provinciam *Narſeti* ordinandam ac gubernandam permiſit, qui tanquam *Proconſul* ſedecim annos Italiam rexit. Deinde *Longobardi* & *Exarchi* laceraverunt eam, donec *Caroli Magni* virtute & felicitate Italiæ pax utcunque reſtituta eſt.

III. BELLVM PERSICVM.

Imperante *Iuſtiniano*, COSROES Perſarum Rex, rupto pacis fœdere, Ciliciam, Syriam & Antiochiam populatus eſt; ſed *Iuſtinianus* cum exercitu adverſus eum miſit *Beliſarium*, qui COSROEM glorioſe devicit & repreſſit. Nam trans Euphratem Perſas abire coëgit; veteres firmavit limites, jura Imperii toto Orienti aſſeruit: cum victoria redeuntem, & aureo curru triumphantem, *Iuſtinianus* magna lætitia excepit. *Pomponius Lætus.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. IVSTINIANVS anno Imperii ſui tertio legem promulgavit, ut non eſſent Pagani, nec hæretici, niſi ſoli orthodoxi Chriſtiani, datis illis inducciis uſque ad menſes tres ad converſionem. *P. Diaconus in Iuſtiniano §. 2.*

II. Quia *Iuſtinianus* ante omnia religionis curam ſuſcipiebat, operamque dabat, ut quicquid eſſet reliquum contagii hæretici, id omne exſtirparet, ideo perſecutionem Græcæ religionis & omnium hæreſium inſtituit. Cumque multos procerum *labe Ariana* infectos deprehenderet, bonis eorum publicandis, & ſuppliciis irrogandis, magnum aliis terrorem incuſſit. Hac ſeveritate tantum effecit, ut exteri etiam multi, abjecta idolomania Ethnica, ultro fidem Chriſtianam amplexi ſint.

1. GETHES *Herulorum Rex*, cum propinquis, Conſiliariis, & populo magno Conſtantinopolin veniens, baptizatus eſt. *P. Diaconus in Iuſtiniano §. 1.*

2. ADADVS *Adumitarum Rex*, qui victoria ſingulari ad Chriſtum converſus, Epiſcopos ſibi à IVSTINIANO mitti petiit: à quibus baptizatus eſt, cum omni populo, & Chriſtianam fidem profiteri cœpit.

3. ABASGI populi Ethnicam impietatem abjecerunt, & Chriſtianam religionem ſunt amplexi: ad hos enim populos Iuſtinianus Euangelii Doctores miſerat, *Euagrius l. 4. c. 23.*

4. *Sarmatæ* ad Tanaim fluvium habitantes, ad Chriſtum converſi, Epiſcopum à Iuſtiniano petierunt. *Idem.*

5. GORDAS *Hunnorum Rex*, qui ſunt juxta Boſphorum, acceſſit ad Imperatorem, & factus eſt Chriſtianus, honorifice ſuſceptus eſt ab Imperatore, qui multis ei præſtitis donis, miſit eum in regionem ipſius ad cuſtodiendas Romanas res, & Boſphorum

rum civitatem, quæ pro eo quod Romanis per ſingulos annos boves pro pecuniis inferebat, Boſphorus appellata eſt. *P. Diaconus* §. 1.

6. *Juſtiniano* adhuc ſinceram religionem promovente, *vidua illuſtris* nomine *Boazer* ex Hunnis, qui dicuntur *Saber*, una cum centum millibus gentis ſuæ, (Juſtiniano adjuvante) fidem Chriſtianam & baptiſmum ſuſceperunt: quæ ſane magna fuit ad Chriſtum acceſſio. *P. Diaconus* §. 1. *Procopius l. 2. de bell. Goth. Euagrius l. 4. c. 20.*

III. *Synodum* etiam *Juſtinianus* anno Imperii ſui 24. A. C. 551. *Conſtantinopoli indixit*, quæ dicitur *Oecumenica V.* Convenerunt ad hanc Synodum Conſtantinopoli Epiſcopi circiter 155. & in ea confirmata ſunt decreta præcedentium Conciliorum univerſalium quatuor: cum orthodoxa fide vero pugnantia, utpote *Samoſateni*, *Arii*, *Neſtorii* & *Eutychis* dogmata damnata ſunt. *Origenis* quoque deliramenta juſſu *Juſtiniani* Imperatoris examinata, & communi calculo damnata ſunt. Cujuſmodi autem ea fuerint, commemorat *Nicephorus lib. 17. cap. 28.*

1. *Si quis dicit* aut ſentit, hominum animas veluti prius exſtantes intellectuales mentes ſive naturas, & ſanctas virtutes, præexiſtere, contemplatione vero divina exſatiatas, atque in deterius prolapſas, & quod in eis caritas Dei refrixerit, inde ψυχὰς, hoc eſt, animas, quaſi refrigeſcentes nominatas, & pœnæ gratia in corpora demiſſas eſſe, *anathema ſit.*

2. *Si quis dicit* aut ſentit, animam Domini præexiſtere, unitamque eſſe Dei Verbo ante incarnationem & nativitatem ex Virgine, *anathema ſit.*

3. *Si quis dicit* aut ſentit, prius formatum eſſe corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti in utero Virginis ſanctæ, & deinceps unitum eſſe ei Dei Verbum, atque animam, ut quæ prius exſtiterit, *anathema ſit.*

4. *Si quis dicit* aut ſentit, omnibus cœleſtibus ordinibus aſſimilatum eſſe Dei Verbum, ita ut ipſi Cherubin factus ſit Cherubin, & ipſi Seraphin factus Seraphin, omnibuſque adeo ſupernis virtutibus prorſus eſſe exæquatum, *anathema ſit.*

5. *Si quis dicit* aut ſentit, in reſurrectione rotundæ & orbicularis figuræ hominum corpora iri reſuſcitatum, neque confitetur, erectos nos excitatum iri, *anathema ſit.*

6. *Si quis dicit*, Cœlum & Solem, & Lunam, & Stellas, & aquas, quæ ſupra cœlos ſunt, animatas quaſdam eſſe & materiales virtutes, *anathema ſit.*

7. *Si quis dicit* aut ſentit, Dominum Chriſtum in ſeculo futuro pro Dæmonibus, quemadmodum & pro hominibus, crucifixum iri, *anathema ſit.*

8. *Si quis dicit* aut ſentit, virtutem Dei terminatam eſſe, eamque tantum in creatione condidiſſe, quantum complexa ſit, *anathema ſit.*

9. *Si quis dicit* aut ſentit, temporanea eſſe Dæmonum & impiorum hominum tormenta, finemque ea tempore aliquo habitura, ſive reſtitutionem dæmonum aut impiorum hominum futuram, *anathema ſit.*

Anathema ſit Origenes, qui & hæc promulgavit, una cum deteſtandis ejus & exſecrandis dogmatibus, & homines omnes, qui hæc ſentiunt, aut aſſerunt, aut aliqua ex parte, quocunque prorſus tempore, ea defendere audent: in Chriſto Jeſu Domino noſtro, cui gloria in ſecula ſeculorum. *Amen.*

APPENDIX.

1. *Quidam ſcribunt*, quod in eadem Synodo, quæ circiter biennium duravit, authoritate *Juſtiniani*, dies natalis Chriſti, & dies Purificationis Mariæ primum ſint inſtitutæ, ut ſolenniter quotannis celebrarentur. Verum melior eſt eorum ſententia, qui ſtatuunt, quod feſtum Purificationis Mariæ (quod Veteres ὑπαπαντὴν, h. e. Feſtum exceptionis, ab ἀπαντάω, h. e. *occurro*, *excipio*, alio nomine dixerunt) à Juſtiniano Imperatore A. C. 541. inſtitutum ſit. Ratio appellationis hæc eſt, quod nempe *Simeon* puerum Ieſum in templo Ieroſolymitano oblatum & præſentatum exceperit, inque ulnis ſuis cum δεξιολογίᾳ geſtarit: ſicut Lucas Euangeliſta cap. 2. ſcribit.

2. *Exſtat* & in Liturgia Græca precationis formula, quæ vel in ipſa Synodo, vel poſt eam compoſita eſt, in qua confeſſio eſt illuſtris contra multos errores. Verba hæc ſunt: *Vnigenite Fili & Verbum Dei, qui, cum immortalis ſis, aſſumſiſti humanam naturam propter noſtram ſalutem, ex ſancta Dei genitrice, & ſine mutatione naturarum. Homo factus & crucifixus es, Chriſte Deus, morte mortem proculcans, & ſimul glorificaris cum Patre & Spiritu ſancto. Salva nos.*

IV. *Templum* Σοφίας condidit *Juſtinianus* Imperator in honorem Chriſti, qui eſt ſapientia Dei Patris. Ei templo menſam ſacram dedicavit ad uſum Cœnæ Dominicæ, ſumtuoſiſſime exornatam gemmis & auro, cum hac inſcriptione: *Tua ex tuis tibi offerimus ſervi tui Juſtinianus & Theodora, quæ benigne accipias, Fili & Verbum Dei, qui incarnatus es, & crucifixus es pro nobis. Cuſtodi nos in fide Catho-*

lica, & hanc Rempubl. quam nobis commiſiſti, ad tuam gloriam.

Hoc templum crematum fuerat quondam à populo in ſeditione; ſed longe pulchrius Juſtinianus reſtituit, & Conſtantinopoli perfectum eſt. A. C. 557. Longitudo ejus fuit pedum 260. Altitulo pedum 180. Latitudo 115. Et cujuſvis fornicis latitudo fuit pedum 66. &c. *Euagrius.*

V. IVSTINIANVS A.C. 552. die 8. Febr. ſanxit, ut Iudæi ſacra Biblia non Ebraice, ſed uſitata lingua, ubi vivunt, legant, ut in Græcia Græce, in Italia Latine, atque in aliis locis: In Græcia tamen verſionem ſeptuaginta Interpretum retineant. *Cod.* Vnde videre eſt, ſacra Biblia etiam à Iudæis in omnibus linguis lecta fuiſſe, ut intelligerentur. Cur igitur à Pontificiis id Chriſtianis interdictum?

VI. IVSTINIANVS quoque poſt recuperatam Italiam noluit, quenquam creari Roman. Pontificem ſine ſua approbatione: idque ſervatum eſt uſque ad *Conſtantinum IV.* qui juri ſuorum prædeceſſorum (*nota vocem Juris*) in hac parte ceſſit. Hoc ipſum *Bellarminus lib. 4. de Eccleſ. cap.* 8. fatetur; & tamen idem ſpiritu vertiginis abreptus ſtatim ibidem §. ſequenti addit, *quod Impp. ſe miſcuerint electioni, id factum eſſe vel vi & quaſi Imperatorum, vel quia Pontifices id judicabant neceſſarium ad Eccleſiæ defenſionem.*

VII. *De vocatione* & ordinatione Epiſcoporum atque Clericorum ſine muneribus talem quoque legem tulit *Juſtinianus*: *Sancimus*, quoties opus fuerit Epiſcopum ordinari, Clericos & Primates civitatis, cujus futurus eſt Epiſcopus, mox in tribus Perſonis decreta facere, propoſitis eis ſacroſanctis Euangeliis, periculo ſuarum animarum dicentes in ipſis decretis, quia neque propter aliquam *donationem*, neque propter aliquam *promiſſionem*, aut *amicitiam*, aut *aliam* quamlibet cauſam, ſed ſcientes eos rectæ & catholicæ fidei & honeſtæ eſſe vitæ, & literas noſſe, hos elegerunt. *Nov.* 123. *c.* 1.

Similem legem tulerunt *Leo* & *Anthemius* Imp. l. Si quenquam. C. de Epiſcopis & Clericis: *Si quenquam* vel in hac urbe regia, vel in cæteris provinciis, quæ toto orbe diffuſæ ſunt, ad Epiſcopatus gradum provehi Deo authore contigerit, puris hominum mentibus, nuda electionis conſcientia, ſincero omnium judicio provehatur. Nemo gradum Sacerdotii venalitate precii mercetur: quantum quiſque meretur, non quantum dare ſufficit, æſtimetur. Profecto enim quis locus tutus, & quæ cauſa poterit eſſe excuſata, ſi veneranda Dei templa pecuniis expugnentur? Quem murum integritatis aut vallum fidei providebimus, ſi auri ſacra fames penetralia veneranda perrepat?

Convenit cum his Conſtitutionibus *dictum illud Petri* ad *Simonem* Magum, cum pecuniam offerret Apoſtolis, mercaturus ab illis poteſtatem conferendi Spiritum ſanctum; *Pecunia*, inquit Petrus, *tua tecum ſit in perditionem! Act.* 8. *v.* 20.

VIII. IVSTINIANVS circiter annum Chriſti 540. publicavit leges, quæ Patronis Eccleſiæ tribuunt denominationem & præſentationem Paſtorum, auth. de ſacroſ. Epiſc. cap. 18. & in Novel. 57. cap. 2. Leges illæ Imperatoriæ amplius 600 annis publicatæ ſunt ante compilatum per *Gratianum* jus Canonicum.

IX. *Leges quoque Ceremoniales tulit.* Nam *Novell.* 3. *cap.* 1. ſtatuit, ut determinatus ſit numerus Clericorum Conſtantinopolit. Eccleſiarum. *Cap.* 2. Ne liceat Clericis de minore Eccleſia in majorem per patrocinium tranſire. *Novell.* 6. decrevit, quomodo oporteat Epiſcopos & reliquos Clericos ad ordinationem adduci. *Novell.* 137. cap. 37. jubet Epiſcopos & Presbyteros non in ſecreto, ſed ea voce, quæ à fideliſſimo populo exaudiatur, divinam oblationem & precationem, quæ fit in S. Baptiſmo, facere, &c. Imitatus eſt hac in re,

1. MOSEN populi Iſraëlitici ducem, qui mandato divino non ſolum forenſes & judiciales, ſed etiam ceremoniales, ſive eccleſiaſticas leges tulit complures.

2. DAVIDEM, qui promulgavit legem de reducenda Dei arca, 1 *Paral.* 3. *v.* 5. diſtributione officiorum inter Levitas. 1 *Paral. c.* 23. *v.* 5.

3. IOSAPHATVM, qui Sacerdotibus certa præſcripſit mandata. 2 *Paral.* 19. *v.* 8. Indicit jejunium publicum tempore calamitatis publicæ. 2 *Paral.* 20. *v.* 3. quod & à *Ninivitarum Rege* factum. *Ion.* 3. *v.* 7.

X. *De legitima bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatione ſtatuit* IVSTINIANVS, *Novell.* 3. *c.* 3. Eccleſiarum reditus in pios actus & perſonas vere egentes per Patriarchas & Oeconomos erogandos.

Rectiſſime ab eo ſtatutum. Vt enim cultus divinus in populo vigeat, non ſolum requiritur miniſtrorum idoneorum vocatio, per quos ſc. populus de illius vera norma ac forma inſtruatur, ac legum Eccleſiaſticarum promulgatio, per quas externum ejuſdem exercitium ad τάξιν & εὐκοσμίαν dirigatur; ſed etiam bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatio, quibus de honeſta ſuſtentatione miniſtris proſpiciatur, eademque ad uſus convenientes ac Deo gratos applicentur.

XI. *Privilegia Presbyteris conceſſit.* Statuit namque, ut Presbyteri à muneribus perſonalibus, quæ obeuntur induſtria & opera adhibita, immunes eſſent:

eſſent: ſi enim ad illa aſtringerentur, fieri non poſſet, quin à ſuo munere abſtraherentur; ac confunderetur dignitas Sacerdotis, ut dicitur *l. nec honore. C. de Epiſcopis & Cleric. l. fin. C. de excuſ. mun.* Sic ergo Eccleſiæ miniſtri cogendi non ſunt, ut in acie verſentur, (niſi ſacrorum cauſa) ut vigilum munus una cum aliis ſubeant, &c. Ubi tamen quidam addunt limitationem, ſi patria in extremo verſetur diſcrimine, ac præſentiſſimum ſit periculum, ne in manus hoſtium veniat, tum Perſonas Eccleſiaſticas, ſi ſint numero plures & armorum peritæ, teneri ut Reipubl. perituræ opem ferant.

XII. *Clericos politicis legibus quoque ſubjecit Juſtinianus*; uti conſtat *l. omnes* 10. *de legib. & conſtitut. Princip.* Omnes ſecundum leges vivant, etiamſi ad divinam domum pertineant.

Idem fecit Valentinianus Imperat. uti apparet ex Epiſtola ejus ad Epiſcopos Aſiæ, quam refert *Theodor. lib.* 4. *Hiſtor. cap.* 7. Probos Epiſcopos non ſolum Dei, ſed etiam Regum legibus obtemperare debere.

XIII. *Opes Eccleſiaſticas Iudæis ablatas reſtituit, & Jeroſolymam in templum remiſit.* Cum enim *Beliſarius Gilimerem* Vandalorum Regem viciſſet, eum Conſtantinopolin captivum abduxit una cum ſpoliis ampliſſimis, à *Genſerico* Romanis quondam detractis: inter quæ etiam fuerunt Judæorum multæ res nobiles, quas Titus Veſpaſianus captis Jeroſolymis Romam tranſportaverat. Has autem opes *Juſtinianus* judicavit in Byzantium palatium minime inferri oportere: ideoque illas Jeroſolymam in Chriſtianorum templa remittendas mandavit.

XIV. JUSTINIANUS *l. 6. & 8. C. de Hæreticis, & lib. 6. C. de ſumma Trinitate, legem tulit*; ut hæreticorum ſcripta igni traderentur.

Sed hac conſtitutione poſtea quidam abuſi ſunt, & in optimos quoſque libros ſævierunt. Qua de re graviſſime olim *Arnobius* adverſus Gentes: Quod ſi haberet vos aliqua pro veſtris religionibus indignatio, has potius literas, hos debuiſtis exurere olim libros, iſtos demoliri. Nam noſtra quidem ſcripta cur ignibus meruerint dari, in quibus ſummus oratur Deus, pax cunctis & venia poſtulatur Magiſtratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis adhuc vitam degentibus, & reſolutis corporum vinctione, & quæ ibi ſequuntur plura.

XV. MONETA. JUSTINIANUS fidei ſuæ & orthodoxæ religionis monumentum erexit tale: In nummis ſuis aureis *imaginem Chriſti* cum cruce excudit, cum hac inſcriptione & veluti Symbolo: JESUS CHRISTUS REX REGNANTIUM. Quod & *Conſtantinum Magnum* ante eum feciſſe conſtat, qui Paulino illo Symbolo delectatus fuiſſe ſcribitur, ABSIT MIHI GLORIARI, NISI IN CRUCE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Suidas refert, *Juſtinianum* ſtatuam ſuam equeſtrem in columna poſuiſſe: quæ læva *globum* tenuit, cruce in eo defixa: quæ ſignificaret, cum ob fidem in crucem, terræ Dominum factum. *Globus* enim is terra eſt, ob rotundam ejus figuram: *Fides* autem eſt crux, ob incarnatum Deum illi affixum. *Dextram* porrexit verſus Orientem, ſeditionem Perſarum ſignificans: & extenſione ac repulſione manus clamitavit, ne Romanas provincias ingrederentur: *State, ne progredimini; neque enim id vobis expediet.*

XVI. JUSTINIANI APOSTASIA. In extrema tandem ſenecta *Juſtinianus* conjugis Theodoræ (quæ hæreſi Eutychianæ addicta fuit) illecebris & blandimentis perſuaſus, in hæreſin *Aphthardocitarum* incidit, A.C. 563. qui carnem Chriſti incorruptibilem, h. e. omnis infirmitatis, mutationis & alterationis expertem fuiſſe fingebant, non modo poſt, ſed etiam ante reſurrectionem. *Et hunc errorem* edicto propoſuit, & eum ab Epiſcopis approbari voluit *Hiſtor. Eccleſiaſt.* Etſi autem ſcribitur, quod *Juſtinianus* ab *Agapeto* Pontifice Romano coram Conſtantinopoli fuerit objurgatus, & in viam reductus: tamen ea *Juſtiniani* converſio non ſatis firmos aut conſonantes teſtes habet. Scribit quidem *P. Diaconus in Juſtiniano* §. 2. quod ante finem vitæ in viam redierit. *Juſtinianus* (inquit) tandem ex voluntate DEI monitis Agapeti acquieſcens, ad catholicæ fidei confeſſionem, pariter cum multis qui ſimul deſipiebant, reverſus eſt. Sed §. 15. contrarium habet: *Juſtinianus*, inquit, in Aphthardocitarum hæreſin prolapſus, edicto ubique alieno à pietate tranſmiſſo, DEO præoccupante, defunctus eſt.

Viri in Eccleſia celebres.

I. EVSTOCHIUS Epiſcopus Hieroſolymitanus, zelo DEI ardens, cum Origeniſtas expellere magno fervore conaretur: atque ea in re adverſarium haberet *Theodorum*, Origeniſtarum fautorem & Imperatori Juſtiniano acceptum, jubente Juſtiniano, ab Epiſcopatu injuſte dejectus eſt. *Euagrius lib.* 4. *cap.* 17, & 38.

II. EVTYCHIUS Epiſcopus *Conſtantinopolitanus.* Hunc *Juſtinianus* hæreſin ipſius impugnantem Epiſcopatu Conſtantinopolitano dejecit, & variis in locis detentum tandem Cœnobio incluſit A. C. 564, cum ſediſſet annos 12, menſes duos. *Niceph. Pat.*

III. Temporibus *Iuſtiniani* celebris fuit *Victor* Cemmenſis Eccleſiæ in Africa Epiſcopus. Hic hiſtoriam ab exordio mundi, uſque ad primum Juſtini Imp. annum pertexuit. In exilium autem ejectus eſt, quod tria quædam *Iuſtiniani* prava capitula (perverſa dogmata) impugnaret. Poſtea ab exilio revocatus, cum eadem capitula oppugnare non ceſſaret, Conſtantinopoli in Monaſterium detruſus obiit. *Iſiod. Honorius Auguſtodunenſis lib. 6.*

IV. ANASTASIVS Epiſcopus Antiochenus conſtanter & animoſe reſtitit *Imp. Iuſtiniano* Aphthardocitarum hæreſi addicto, & ut omnes ſacerdotes erroneæ ſuæ opinioni ſubſcriberent volenti. Hac autem in re Anaſtaſio, ipſos in veritate confirmante, Imperatori non ſunt obſecuti. *Iuſtinianus* igitur *Anaſtaſium* in exilium extrudere decrevit, ſed effectum mors Imperatoris impedivit. *Euagr. lib. 4. cap. 40, 41, 49. & lib. 5. cap. 5. lib. 6. c. 25. Diaconus.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

IUSTINIANVS Imp. cum annos XXXVIII, menſes VII, & dies XIII imperaſſet, mortuus eſt Anno C. 565. Idibus Novembris: anno ætatis circiter 84. Nam imperium adeptus eſt natus annos 45.

Euagr. lib. 4. cap. 41. & lib. 5. cap. 10. Niceph. lib. 17. cap. 31. & Zonaras Tomo III. ita de exitu *Iuſtiniani* ſcribunt: *Iuſtinianus* Imp. (inquiunt) Aphthardocitarum hæreſi addictus, cum errorem Eccleſiis publicis edictis obtruderet, & exilii, quo Anaſtaſium alioſque recte ſentientes Epiſcopos mulctare conſtituerat, librum dictaret, invisibili ictus plaga, vel, ut alii ſcribunt, furore mentis captus, ex hac vita exceſſit.

Prodigia *ſub* Juſtiniano.

I. A.C. 528, die 29 Novemb. *Antiochia*, biennio poſt ſuperiorem cladem, terræ motum paſſa eſt, quo & ædificia multa corruerunt, & 4780 homines ruinis oppreſſi perierunt. Cives itaque diſcalceati urbe exeuntes, & DEVM ſupplicationibus ac Litaniis placantes, cum crebris ejulatibus exclamarunt: Κύριε ἐλέησον Ibi vir quidam pius, viſione divina monitus, præcepit civibus, ut ſuperioribus ædium ſuarum poſtibus inſcriberent: CHRISTVS NOBISCVM STATE. Hoc facto ira DEI reſedit, ac terræ motus ſedatus eſt. Juſtinianus reparatam à ſe Antiochiam nuncupavit Theopolim. *Cedren. Diac. Euagr. Niceph. lib. 17.*

II. A.C. 538, *ingens* FAMES, quod agri inculti manſiſſent, Italiam invaſit. Qui in Æmylia habitabant, ſedibus ac bonis ſuis relictis, fame impulſi, in agrum Picenum profugiebant. Atque ibidem non minus quam quinquaginta millia hominum fame interierunt. Tandem, humanos affectus ſuperante fame, homines ab humanis carnibus non abſtinuerunt, matres liberos mactarunt, duæ fœminæ ſeptendecim viros interfecerunt & comederunt. Cumque homines fame exhauſti genibus in terram innixi, herbas quaſcunque evellere niterentur, deficientes viribus, in terram moribundi procubuerunt & exſpirarunt, neque erant qui eos ſepelirent. In diœceſi Mediolanenſi reperta eſt mulier, quæ defuncti filioli carnes comedit. Neque homines à muribus, canibus, & aliis rebus fœdis abſtinebant, quin talia, quaſi fame rabidi, devorarent. *Procop. de bello Gothico. Blondus Decad. 1.*

III. A.C. 542. PESTIS *Inguinaria*, orta in Æthiopia Orientem invaſit, & poſtea totum Orbem pervaſit, quæ quaſdam civitates plane exhauſit. Hæc horrenda lues (quæ non eodem modo ægrotantes affecit, nec ſemper contagione nocuit, ſed diverſimode omnes exagitavit) quinquaginta duos annos duravit. *Euagr. lib. 4. cap. 29. Procopius* ſcribit, hanc peſtem tam violentiſſime graſſatam, ut ad decem millia hominum ſingulis diebus Conſtantinopoli morerentur.

IV. A. C. 543. per univerſum terrarum orbem *Terræ motus* fuit, quo Cyzici urbs Icerum collapſa eſt, & dimidia abſorpta. *Cedrenus.*

V. *Sub imperio Iuſtiniani* A. C. 546, urbs Conſtantinopolis, & vicina loca, terræ motu per quadraginta continuos dies graviſſime quaſſata eſt. *P. Diaconus* §. 13.

VI. Anno 17 imperii *Iuſtiniani* apparuit quidam ex regione Italorum, per villas diſcurrens, nomine *Andreas*, habens ſecum canem ruffum & cæcum, qui juſſus ab eo faciebat miracula. Nam cum ad illum ſpectandum populus confluxiſſet, multi ſuos annulos in unum acervum congeſtos ante canem poſuerunt, quos, domini juſſu, cuique ſuum citra errorem ore attulit. Similiter & diverſorum Principum numiſmata mixta porrexit per nomina. *Idem* rogatus, quis ex iis qui adeſſent dives eſſet, quis pauper? quæ mulier meretrix, quæ vidua, quæ uxor? & id genus alia: ea quoque omnia abſque omni errore demonſtravit, veſte cujuſque ad quæſtionem ore prehenſa. *Zonaras in Iuſtiniano §. 6. P. Diaconus §. 12. Cedren. Chronicon Hedionis.*

VII. A. C. 548. *Cetus* piſcis ingens marinus, quem *Porphyrium* appellarunt, cum Byzantiis ultra quinquaginta annos moleſtus fuiſſet, & claſſi

Im-ge-

Imperatoriæ plurimum nocuiſſet, captus eſt. Non ille quidem ſemper apparuit, ſed ex intervallis. Cæterum quoties apparuit, cum multas naves demerſit, cum multis hominibus exitium attulit. *Qui* cum multis machinis peteretur, eæque omnes eſſent irritæ, tandem in perſequendis delphinis captus eſt: qui tum prope terram confugiſſent, ille impetum non inhibuit, donec proxime terram provectus, in uliginem & profundum lutum incidiſſet, unde emergere non potuit. Quo accolæ cognito, marinam illam belluam ſecuribus & bipennibus confecerunt, & funibus, qua craſſior erat, alligatum, boum jugis in terram pertraxerunt. Ejus longitudo fuit triginta cubitorum, latitudo decem. *Zonaras* in *Juſtiniano* §. 12.

VIII. A. C. 552. *Ingens terræ motus* in Græcia fuit, quo plurimæ urbes everſæ ſunt, & inter cæteras Naupactum, Petra, Corona, & aliæ. *Mare* quoque plurima loca in Græcia operuit, quod cum in ſuas ſedes receſſiſſet, omnis generis incognitos piſces in in terra reliquit. *Procopius.*

IX. A. C. 557. *Conſtantinopolis* iterum horribili terræ motu concuſſa eſt, duravitque plurimis diebus. *Juſtinianus* ea de cauſa coronam in Natalitio feſto depoſuit, & impenſas, quæ in ſpectaculis abſumebantur, egenis diſtribuit. *Agath.*

X. *Eodem anno* Romæ tantus hyeme terræ motus fuit, ut is urbem plus vaſtaverit, quam nulli hoſtes. *Idem.*

LIX. IMPERATOR,
IVSTINVS II,
cognomento CVROPALATES.
(alias Juſtinus junior.)

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

NAtione fuit *Illyricus*, ex ſorore *Juſtiniani* anteceſſoris ſui natus.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN. Dictus eſt JVSTINVS.

II. COGNOMEN. Cognomine dictus eſt 1. SECVNDVS, ſive JVNIOR, ad differentiam JVSTINI I. qui fuit Imperator in ordine LVII. 2. CVROPALATES. Quia fuit Præfectus prætorii, antequam ad imperium pervenit. *Zonaras* §. 1.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXOR ejus fuit SOPHIA. Ex qua nullos ſuſcepit liberos. Fuit autem SOPHIA

I. *Valde imperioſa & procax mulier.* Nam *Narſeti*, Italiam Ducis nomine obtinenti, per probrum objecit, quod eunuchus eſſet, eumque relicta Italia ad trahenda una cum puellis penſa in gynæceum redire juſſit. Ad quæ verba *Narſes* dicitur hæc reſponſa dediſſe: *Talem ſe telam* exordiri, quam ipſa nunquam pertextura ſit. Paulo poſt Longobardos in Italiam pertraxit. Nam animus generoſus contumeliæ eſt impatiens.

II. LIBERALIS fuit. Nam novo quodam exemplo fœneratoribus omnibus perquiſitis, & ære alieno, quod eis ſive ex ſyngraphis, ſive pignoribus poſitis deberetur, debita de ſuo diſſolvit, omniaque pro pignore tradita dominis veris reſtituit, cunctis chirographis deletis. *Zonaras in Juſtino* §. 8.

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

A JVSTINIANO vivente Imperator deſignatus, & poſtea cum conjuge *Sophia* ſolenniter ab *Eutychio* Patriarcha coronatus eſt. *P. Diaconus* §. 1. *Euagr. lib.* 5. *cap.* 1.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

I. JVSTITIÆ *ſtudioſiſſimus fuit.* Cum Juſtinus ſæpe morbo laboraret, neque frequenter prodiret in publicum, multi ad inferendas aliis injurias, etiam in ipſa urbe Conſtantinopoli, audaciores ſunt redditi: de quibus vindicandis cum cogitaret, quidam ei pollicitus eſt: Si Præfectus crearetur, & poteſtatem ad certum tempus in omnes acciperet, neminem inventum iri, cui injuria fieret. Ea pollicitatione delectatus Imperator, hominem Præfectum deſignavit. Is cum pro tribunali aliquando ſederet, & quidam ex illuſtrioribus Senatoribus accuſatus à quodam, ſemel atque iterum ad eum accerſitus, contemto apparitore, ſe non ſiſteret, quin potius ad Imperatoris convivium, ad quod invitatus erat, ſe conferret: Præfectus ille, vir juſtus & ſeverus, Regiam ipſam ingreſſus, quamvis convivio jam inchoato, ad *Imperatorem* ait: *Se illi promiſiſſe, intra tantum tempus relictorum neminem cui fieret injuria, idque omnino effecturum,*

ſturum, ſi poteſtatis Imperatoriæ auxilium atque authoritas ſibi ſuppeteret. Sin ipſe Imperator injurios foveret, eſque amicis & convivis uteretur: ſe nullum facturum operæ precium. Aut igitur illis licentiam non dandam eſſe, aut ſibi Magiſtratum abrogandum. Ad ea cum Imperator, *Si vel ipſe cuiquam injuriam feciſſet, ſecuturum ſe eſſe ad tribunal*, profiteretur; *Præfectus* reum è convivio in prætorium abduxit, auditaque utrinque cauſa, illum, cum ſontem inveniſſet, plagis affecit, & accuſatori damnum cum multiplici acceſſione penſare juſſit. *Ex eo* homines ſui emolumenti cum aliorum detrimento ſtudioſi, modeſtiores facti, & ad injuriam tardiores, cum iis quos læſerant, tranſegerunt. *Zonar. in Juſtino* §. 1.

II. *Tranquillitatis publicæ protector fuit.* Nam cum Ætherius & Avitus, ac medicus, qui cum ipſis erat, Imperatori inſidias ſtruerent, illis patefactis, juſſu Imperatoris interfecti ſunt. *P. Diaconus.*

III. *Manſuetus & humanus erga fratrem ſuum Biduarium fuit.* Adverſus fratrem ira incenſus *Juſtinus*, ipſum injuriis laceravit, & Cubiculariis, pugnis cæſum illum in conſpectu concilii Senatorum educere, præcepit. Erat enim Magiſter imperialium ſtabulorum. Quo comperto, *Sophia* contriſtata, & lamentata coram *Imperatore* eſt. Quem facti pœnituit, & deſcendens ad eum in ſtabulum, introivit ſubito cum præpoſito Cubiculariorum. *Biduarius* autem, viſo *Imperatore*, fugit à loco in locum per ſuperiora præſepis, præ timore *Imperatoris*. At Imperator clamabat: *Adjuro tibi per* DEVM, *frater mi, exſpecta me.* Et cum iterum fugeret, apprehendit eum, & amplexatus oſculatuſque eſt eum, dicens: *Peccavi tibi frater mi; ſed ſuſcipe me, ut fratrem tuum unicum & Imperatorem. Ex diabolica enim operatione hoc factum eſſe novi.* Qui cecidit ad pedes ejus, & flens ait: *Mi Domine & Frater, vere poteſtatem in me habes; veruntamen in præſentia Senatus deformaſti ſervum tuum: modo Domine his rationem redde:* & oſtendit ei equos. At vero Imperator rogavit eum ſecum manducare, & pacificati ſunt. *Paulus Diaconus* §. 2.

II. VITIA.

I. AVARITIA. Licet initio Juſtinus hominum animos largitionibus ſibi conciliaverit; tamen progreſſu temporis tanta avaritia correptus fuit, ut Senatores & opulentiores pecunia emungeret, ſub quocunque prætextu: ac ne pauperibus quidem & Eccleſiis pepercit, ſed res earum quæſtus gratia divendidit, & opes injuſte coactas in areas ferreas, quas multas confici curaverat, congeſſit. *Euagr. P. Diacon.* §. 3.

II. CRUDELITAS. Imperator Juſtinum cognatum ſuum, prudentia militari celebrem, quem ſuſpectum habebat, illum imperium affectare, jam militum Ductorem *Avaris* ad Iſtrum oppoſitum, blande revocavit, vinculis conſtrictum Alexandriam miſit, illumque una cum aliis occidi juſſit. *Euagrius.*

II. *ACTA SAGATA.*

I. Anno tertio imperii *Juſtini Longobardi* Italiam invaſerunt. Huic mutationi occaſionem præbuiſſe dicitur *Sophia*, *Juſtini* Imper. conjunx, quæ *Narſeti* ſcripſit, ut ad penſa, muliebre opus, rediret: eunuchus enim fuit, ut ſupra dictum. Qui iratus dixit, ſe telam talem exorſurum, quam illa nunquam eſſet abſoluta. Sollicitavit igitur Narſes Longobardos, qui tunc Pannoniam tenebant, ut Italiam occuparent. Non autem ſtatim *Longobardi* in Italiam ſunt profecti, ſed fere triennium exſpectarunt. Numerus *Longobardorum* fuit ducentorum millium. *Hi A. C.* 568. Italiam invaſerunt, ubique pulſis præſidiis Imperatoris Orientis; & *Longobardico* regno inſtituto, annis 206 (uſque ad annum Chriſti 744) eam tenuere: quo temporum intervallo Italiam omnem, præter Romam, in ditionem ſuam, ſub 24 Regibus redegere. Quorum primus Rex fuit *Alboinus*, qui, quum Italiam eſſet ingreſſurus cum exercitu, vovit, ſe omnes Chriſtianos deleturum: idque re ipſa perficere cœpit. Templa diripuit, ſacerdotes interemit, Monachos de arboribus ſuſpendit. Mediolanum urbem cum expugnaſſet, omnes cives, eo quod Chriſtiani eſſent, trucidavit. Hanc Italiæ vaſtationem multa prodigia denunciaverunt: Conſpectæ ſunt igneæ acies in aëre dimicantes: Sanguis ex terra & parietibus ſcaturiens, & alia multa, ut ſemper magnæ calamitates prodigiis denunciantur. *Diaconus. Onuphr. Pomp. Lat. Chron. Funccii fol.* 119.

Cum autem *Longobardi* Italiam invaderent, *Juſtinus* eodem miſit *Longinum*, qui primus *Exarchus*, h. e. Imperatoris vicarius fuit dictus, ſcilicet in ea parte, quæ nondum à Longobardis erat ſubacta.

Fuerunt autem Exarchi (Ertz-Hertzogen) Legati & Vicarii Imperatorum Græcorum, ejuſque provinciæ Rectores, quam *Longobardi* non poterant occupare. Fuitque arx eorum, ſeu aulæ domicilium Ravennæ. Fuerunt præterea *Exarchi* ea authoritate, ut Pontifex Romæ creatus, ab Exarchis confirmaretur. Sed paulatim extulit ſe potentia *Pontificum*, cum ad eos non modo urbs Roma, ſed tota vicinia reſpiceret. Etſi enim Pontifices nullam ſibi poteſtatem tum arrogabant in cives, quæ penes Senatum

natum urbis erat: tamen propter reverentiam ordinis ſacri, multa ad eos negotia, etiam politica, delata ſunt, quæ ſuis conſiliis moderarunt. Et quanquam initio non tam ſuæ, quam urbis Romæ potentiam reſtituere conati ſunt: tamen cum ad potentiam uſurpandam paulatim aſſuefierent, guſtata ejus dulcedine, id agere cœperunt, ut non tam urbis, quam ſuam potentiam augerent. Ac Pontifices quidem in Italia ea ſibi vendicarunt, quæ non procul ab urbe aberant. *Exarchi* & ipſi potentiam ſuam deſcripſerunt certis limitibus, circa *Ravennam*, forum Livium, Faventium, Regium Lepidi, Parmam, Placentiam, &c. Quæ vero ſunt extra has urbes, intra Padum, & Apenninum, ad occaſum & ſeptentrionem, ea univerſa ceſſerunt *Longobardis*. Defenderunt autem nonnunquam Pontifices *Exarchi*, nonnunquam & oppugnarunt; donec *Longobardi* urbibus illis, quas Exarchi reliquas tenuerant, potiti ſunt. Poſtea Pontifices pulſis *Exarchis*, (quibus tribuuntur anni 175) Francos attraxerunt: ex quibus Pipinus, ſuperato *Aſtulfo* Longobardorum *Rege*, Ravennam cum adjacentibus urbibus Romano Pontifici tribuit: quod *Carolus Magnus*, & *Ludovicus* Imp. comprobarunt, atque ea regionis Italicæ pars *Romandiola* poſtea dicta. *Onuphr. Chronic. Hed. Chron. Philip. Funccius lib.* 8.

Hæc duæ res (nempe initia regni *Longobardici* in Italia, & initia *Exarchatus* in Italia) in hujus *Imperatoris* gubernationem memoria & notatu digniſſimæ incidunt.

II. *Bella geſſit Juſtinus cum Perſis toto quadriennio* per Ducem *Martianum* patricium, qui prælium commiſit cum Perſis: & licet in eo magnæ clades utrinque acceptæ ſunt, tamen victoriam à Perſis reportavit. Cæterum *Rex Perſarum Hormisdas Ardamenum* cum ingentibus copiis miſit ad provincias Romanorum diripiendas: qui longe lateque pervagatus, maximaque præda rapta domum rediit, Martiano patricio ei obviam ire non auſo. Id Imperator ægerrime tulit, atque imperium *Martiano* abrogatum, in *Archelaum* contulit, & cum Perſarum Rege pacem fecit. *Zonar.* §. 2. *Euagrius.*

III. Cum *Bulgari* Thraciam infeſtarent, contra eos Juſtinus miſit *Tiberium*, & hoſtes trans Iſtrum removit, victorque Conſtantinopolin rediit. *Gerund.*

IV. *Iudeos in Chriſtianos ſævientes repreſſit.* Iudæus quidam *Dunaas* nomine, in Homeritarum regione Moyſen ſe eſſe mentitur, multos Iudæos in ſpem libertatis erexit. Collecto igitur ex ſuæ farinæ hominibus exercitu, magnam tyrannidem in ea regione exercuit, oppida multa vi cepit, & vaſtavit urbem Negram munitiſſimam, cum vi occupare non poſſet, fucata pace facta, in eam intromiſſus, omnes Chriſtianos crudeliter trucidavit, & urbem incendit. Contra hunc nebulonem Imperator *Juſtinus* Ducem *Æthiopum Elesbaan* cum exercitu miſit. *Is* pio atque Chriſtiano zelo Iudæorum exercitum animoſe aggreſſus, authorem ſeditionis vivum cepit, exercitumque Iudæorum proſtravit. Dunaam illum Pſeudo-Moyſen, exquiſitis prius tormentis excruciatum, interfici curavit. *Niceph. lib.* 17. *cap.* 6.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. *Hic Imperator à Juſtiniano* injuſte ejectos Epiſcopos revocavit, eiſque mandavit, ut in ſuum quiſque epiſcopatum reverteretur, in religione vero novi nihil moliretur: ut ſcribit *Euagrius lib.* 5. *cap.* 1.

II. IUSTINUS omnes ſubditos ſuos, propoſito edicto pie & erudite conſcripto, ad Chriſtianæ fidei veritatem amplectendam exhortatus eſt. *Euagrius lib.* 5. *cap.* 4.

III. Poſtea *Imperator* religione *orthodoxa* contemta, *Pelagiana* dogmata amplexus eſt.

IV. *Anaſtaſium* Epiſcopum Antiochenum in exilium ejecit, propter pecuniam ærarii Eccleſiaſtici ab ipſo conſumtam; quam abſque dubio in pauperes Anaſtaſius diſtribuit: & videtur Juſtinus iſti pecuniæ, quia totus avaritiæ deditus fuit, manus rapaces injicere voluiſſe. *Euagrius. Diaconus.*

CAPUT III.

DE EGRESSU.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΎΜΕΝΑ.

I. CUm *Juſtinus* Pelagii hæreſin ſectaretur, & recte ſentientes doctores & auditores premeret, juſta D E I ultione magnam Imperii Romani cladem à *Perſis* accepit: quam cum acerbe & immoderate ferret, in inſaniam & phrenelin delapſus eſt. *Sophia* igitur conjux, fœmina prudens, ſcripſit ad *Coſroëm Perſarum Regem*, eumque dehortatus eſt à vaſtatione Imperii, bellantem hac ratione contra fœminam viduam & ægrotum *Imperatorem*, cum ipſe ægrotus antea ex Romano Imperio Medicos acceperit. Per *legatum* igitur *Trajanum*, qui has literas attulerat, inducias impetravit annuas. Interim perſuaſit *Juſtino*, ut *Tiberium* Imperii ſucceſſorem declararet. Morbo igitur cum liberatus eſſet, adque ſaniorem mentem rediiſſet, *Tiberium* (quem

jam

jam antea Excubitorum Comitem adoptatum Cæsarem appellarat) accersito Patriarcha *Eutychio*, & senatu atque omni *Clero* Ecclesiæ convocato, *Imperatorem* appellavit.

II. *Oratio* προαγώνιος. TIBERIVM, Imperatoria corona & penula indutum, in aperto Imperialis aulæ Palatio, *Pontifice*, *Senatu*, *sacerdotibus* omnibus, *civibusque* præsentibus, ita allocutus est *Iustinus*: Ne, (inquiens) *Tiberi* optime, umbra hujus phantasiæ seu apparatus, & hujus vestis splendor te decipiat, quibus ego miser deceptus, meæ oblitus conditionis, extremis pœnis factus sum obnoxius. *Tu*, quæso, peccata mea corrige: id quod facies, si recte & benigne Rempubl. administraveris, nec omnino istis (Principes & Consiliarios demonstrans) parueris. Nam illi ipsi in eas, quas cernis, me conjecerunt ærumnas. Alia vero hujus generis plurima adjecit, quibus cunctos *Auditores* ad consternationem & copiosas lacrymas commovit. Postremo vero addit: *Honora*, *Tiberi*, DEVM, & ejus Ecclesiam, ut tu quoque ab iis honoreris: & olim quidem heram dominam (*Sophiam*,) nunc vero matrem tuam. Qui facultates habent, retineant; quibus eæ desunt, eis tribue: ut alios omnes, sic te ipsum, observa. *Memineris*, & quis antea fueris, & quis hodie factus sis; & non superbies, neque peccabis. Meum intuere exemplum, quis paullo ante fuerim, & quis nunc sim. Pauperes inprimis dilige, & eleemosynis eos juva. Hac oratione finita, *Episcopus* pro more preces recitavit: quibus cum omnes respondissent *Amen*; *Tiberius* ad pedes *Iustini* procidens, *Si*, inquit, *volueris*, *sum*: *Si nolueris*, *non sum*. *Iustinus* vero respondit: DEVS qui fecit cœlum & terram, omnia quæcunque dicere tibi oblitus sum, in animum tuum subjiciat; teque sanctissimo suo timore instituat, ut per ipsum tibi omnia recte, feliciter, prospereque eveniant. *P. Diaconus* §. 3. *Zonar.* §. 2. *Euagrius lib.* 5. *cap.* 13. *Niceph. l.* 17. *cap.* 40.

II. ΤΑ' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Iustinus non longo tempore post, quam *Tiberium* Imperatorem appellasset, regnique successorem declarasset, pie & placide in Domino obdormivit, cum imperasset annos 10. mens. 10, dies 20. *Euagr. l.* 5. *c.* 11. *Huttich. Onuphr.* vero & *Zonaras* annos XIII Imperio ejus attribuunt,

III. ΤΑ' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

Corpus ejus honorifice Constantinopoli terræ mandatum est, *Euagrius*.

ENCOMIVM.

Micillus quasi *Epitaphium* sequentes de eo versus composuit:

Ingenio *& pietate minor, non tempore tantum*,
Hic fuit: ast ingens cultor Avaritiæ.
Regna sub hoc Longi *ceperunt Itala* bardi:
Ipse pedum morbo, mentis egenus obit.

LX. IMPERATOR ROM.

TIBERIVS II.

I. ORTVS.

FVit natione *Thrax*. Parentes autem ejus ignorantur.

Appellatio.

Primo vocatur TIBERIVS II. deinde quoque appellatur TIBERIVS ANICIVS CONSTANTINVS.

II. PROGRESSVS.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙ'Α,

Natura & Mores.

Fuit statura procerus, forma venustus & decorus, ut nemo illius temporis hominum cum illo comparari potuerit: Ingenio summo, animo candido ingenuoque fuit præditus, ut omnium sibi favorem conciliarit.

I. *ACTA OECONOMICA.*

I. VXOR ejus dicta fuit *Anastasia*.

II. LIBERI. Duas ex *Anastasia* suscepit filias, CHARITONEM & CONSTANTINAM: quarum illam Duci GERMANO, hanc vero MAVRITIO, qui ipsi in Imperio successit, in matrimonium dedit. *Zonaras*.

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Quomodo *Tiberius* ad Imperium pervenerit, in historia *Justini cap.* 3. prolixius explicavimus: igitur non opus est hoc loco repetere.

II. *Imperii administratio.*

Principis boni & strenui officio functus est. Nam,

I. MVNIFICVS *erga subditos fuit*. Tributa enim nova quædam abolevit: & cum Longobardi

di ſub Papa Benedicto Italiam vaſtarent, gravique fame urbs affligeretur, vaſorum aliquot millia, quæ frumento eſſent onuſta, ex Ægypto navibus Romam perferri curavit, ſuaque munificentia & miſericordia afflictis ſuccurrit.

II. LIBERALIS fuit *erga* PAVPERES. Quicquid enim avaritia ſua JVSTINVS contraxerat, TIBERIVS pauperibus liberaliſſime diſtribuit. Hac de cauſa à SOPHIA, *Juſtini* uxore, (tunc relicta vidua) reprehenſus fuit, quod Remp. videretur ad paupertatem redacturus, dicente: Quod ego multis annis congregavi, tu intra exiguum tempus prodige diſpergis. Ad quæ *Tiberius* reſpondit: *Confido in Domino, quod non deerit pecunia fiſco noſtro, quam diu pauperes Eleemoſynam inde accepturi ſunt. Eſt enim is theſaurus ingens, de quo Dominus dixit* Matth. 6. v. 20. *Theſaurizate vobis theſauros in Cœlis, ubi neque erugo, neque tinea corrumpit; & ubi fures non effodiunt, neque furantur. Ergo de his quæ Dominus tribuit, congregemus theſauros in cœlo, & Dominus nobis augere dignabitur in hoc ſeculo.*

Neque *Imperatorem* hunc optimum & piiſſimum exſpectatio præmiorum Liberalitatis fefellit. *Cum* enim per palatium aliquando deambularet, vidit in pavimento domus tabulam marmoream, in qua aurea crux Chriſti erat ſculpta, & ait: *Cruce* Domini noſtri frontem noſtram & pectora munire debemus; & ecce eam ſub pedibus calcamus. *Et hoc*, dicto citius juſſit eandem tabulam auferri de foſſa. Qua levata atque erecta, inveniunt ſubter & aliam hoc ſignum habentem; quam & ipſam juſſit auferri. *Qua* amota, inveniunt & tertiam: juſſuque ejus cum hæc fuiſſet ablata; inveniunt ingentem theſaurum, habentem ſupra mille auri centenaria. Sublatumque aurum pauperibus multo abundantius, quam conſueverat, largitus eſt. Sed & *Narſetis* theſauros nactus eſt. *Hic* enim ipſi à ſene quodam, qui ſolus hujus ingentis theſauri, quem *Narſes* ſibi comparaverat, & ſub terra in ciſterna quadam occultaverat, conſcius erat, Narſete defuncto monſtratus eſt. *Tantum* ibi auri atque argenti repertum, ut per multos dies vix à deportantibus ciſterna evacuari poſſet. *P. Diaconus in Tiberio II. §. 2. Pompon. Læt. Egnatius.* Hæc autem pene omnia ſecundum ſuum morem erogatione largiflua egenis *Tiberius* diſtribuit; & quo plura erogavit, eo amplioribus à DEO ornatus fuit divitiis.

III. CLEMENS & MANSVETVS fuit. Cum enim auguſtalem Coronam accepturus eſſet, eumque juxta conſuetudinem ad ſpectaculum circi populus exſpectaret, inſidias ei ſtruxit *Sophia* Auguſta, ut *Juſtinianum* Juſtini nepotem ad dignitatem Imperatoriam eveheret. *Tiberius* per loca ſancta prius procedens, deinde vocato ad ſe Pontifice urbis cum Coſſ. ac Præfectis palatium ingreſſus, indutus purpura, diademate coronatus, throno imperiali impoſitus, cum immenſis laudibus in regni gloria confirmatus. Patres quoque clamarunt: *Anaſtaſia Auguſta, tu vincas: ſalva, Domine, quos imperare juſſiſti.* Quo audito, *Sophia* perculſa eſt animo. Volebat namque nubere *Tiberio*, & permanere Auguſta: & neſciebat, quod uxorem haberet. Procedente autem Imperatore ad villam, ut juxta ritum Imperialem triginta diebus vindemia ſe recrearet, *Sophia* clam vocato *Juſtiniano* illum ad regnum promovere voluit. Quo comperto, *Tiberius* curſu veloci Conſtantinopolin regreditur: apprehenſamque Auguſtam omnibus theſauris ſpoliavit, ſolum ei victum quotidiani alimenti relinquens: ſegregatiſque pueris ejus ab ea, alios de fidelibus ſuis ordinavit, qui ei parerent: ſerioque mandavit, ut nullus de prioribus (famulis) ad eam acceſſum haberet. *Juſtinianum* vero (nepotem *Juſtini*) verbis ſolummodo objurgatum, tanto in poſterum amore proſecutus eſt, ut filio ejus filiam promitteret ſuam, rurſumque filio ſuo filiam ejus expeteret. Sed hæc res (ob quam cauſam impedita ſit, ignoratur) in effectum non eſt perducta. *P. Diaconus* §. 1. & 3. O inſignem hujus Imperatoris clementiam & manſuetudinem! Si enim & Auguſtam *Sophiam* & *Juſtinianum* ſecundo jam per inſidias rebellantes è medio ſuſtuliſſet, nemo ei id vitio vertere potuiſſet.

II. *ACTA SAGATA.*

Bella geſſit per Duces cum Perſis duo.

1. Bellum geſſit per Ducem Juſtinianum. Tiberius ad Hormiſdam Perſarum Regem de pace renovanda legatos miſit: qui cum renovationem eam recuſaſſet, Tiberius ad bellum Perſicum ingentes copias conſcripſit, & Juſtinianum, (cujus ſupra mentionem fecimus) virum illuſtrem, Orientis Ducem creavit. Qui contra Perſas profectus, caſtris prope illos poſitis, iis perſuaſit, ut triennii pacem cum Romanis facerent. Tertio anno jam exeunte, Hormiſdas cum ſuis copiis Armeniam invadit: quæ res terrorem incuſſit Romanis legionibus: Sed, Juſtiniani Ducis ſui cohortationibus, animis receptis, pugnare cum Perſis non recuſarunt. Ac quamdiu Perſæ ſagittis utebantur, Romanis ſuperiores eſſe videbantur, qui ſe clypeis obſepiebant, nec contra ibant. Sed cum animadverterent, Perſas jam pharetras exhauſiſſe, denſatis clypeis, & clamore bellico ſublato, illos invaſerunt. Ibi hoſtes, nec ad exiguum tempus eorum impetu to-

lerato, in fugam verſi plærique cadunt. Accipiunt & interea Romani Perſarum ſupellectilem, & regium tabernaculum, totumque clariſſimum apparatum. Regis Perſici ſupellex & elephantes, quorum fuere multi, *Imperatori* ſelecti; cætera vero militibus conceſſa ſunt. *Iuſtinianus* cum exercitu victoriam perſequens, multas in Perſide urbes cepit, ac longe lateque prædas egit: pervenit etiam in Mediam Hyrcanici maris, & cum hyems adeſſet, in Perſide hybernavit.

II. *Bellum* geſſit *Tiberius* cum Perſis per Ducem *Mauritium*, circa quod tria ſunt notanda: 1. τὰ προηγούμενα, 2. τὰ πραχθέντα, & 3. τὰ παρεπόμενα.

I. ΤΑ' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

Occasio hujus belli hæc fuit. *Caganus Avarium* Dux à Tiberio fabros petiit, qui ſibi balneas ædificarent. Iis miſſis, pontem in Danubio ſtruere coëgit opifices, ut flumen citra periculum trajicere, & Romanas provincias populari poſſet. Quo cognito, *Imperator* exercitum XII millium robuſtorum juvenum ex gentibus collegit, quem à ſe *Tiberianum* vocavit. *Cedr. Diaconus.*

II. ΤΑ' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Imperator *Mauritium* Comitem Prætorianorum exercitui præpoſitum contra Perſas miſit, qui hoſtem aggreſſus prælio commiſſo victoriam ab eo reportavit, omnes præterea urbes, quas *Perſa* Impp. Romanis olim ademerant, recepit, poſtea Conſtantinopolim reverſus eſt, & multos Perſas ſecum captivos abduxit. *Cedrenus.*

III. ΤΑ' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

Mauritius reverſus de devictis Perſis triumphavit, ab Imperatore honorifice exceptus, & *Cæſar* appellatus eſt. *Captivos* autem Perſarum omnes honeſte veſtitos in patriam *Tiberius* remiſit; quos cognati præter ſpem conſpicati, magna cum admiratione *Imperatorem* collaudarunt. *P. Diaconus. Zonaras.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Hic *Imperator* in religione orthodoxus, valde pius & religioſiſſimus fuit; inque decretis Synodorum, quæ contra hæreticos tradita fuerunt, conſtanter perſeveravit. *Plura* de eo in Actis Eccleſ. notatu digna non invenio.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

I. ΤΑ' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

Tiberius Imperator, cum cucurbitas ſerotinas comediſſet, in tabem incidit. Cum igitur ſentiret, finem vitæ ſuæ non procul abeſſe, *Iohanne* Patriarcha, Patribuſque conſcriptis convocatis, in tribunal lectica eſt deportatus: & quia loqui non poterat, per anagnoſten, quæ rebus Romanorum erant utilia, manifeſta fecit populo, & MAVRITIVM generum ſuum Auguſtum declaravit. Quia autem in oratione *Tiberii*, ex ſcripto recitata, multa inſunt, quæ merito animis omnium Principum infixa eſſe debebant, partem illius adſcribere placuit: *Certaminum* (inquit) omnium multo maximum eſt, non ſolum pace belloque recte adminiſtrare imperium, ſed etiam ſe ipſum vincere in ſucceſſore deligendo: In quo multi decepti affectibus errant, cum certa Imperii pernicie: quin & optimum & pulcherrimum Epitaphium eſt, & monumentum præclariſſimum Principis decedentis, bonum relinquere ſucceſſorem. Tu ergo, Mauriti, mihi fac pulcherrimum Epitaphium, & ſepulcrum meum exornes virtutibus. Poteſtatis ſummæ licentiam fac frenes ratione & Philoſophicis artibus. Non fias diſſimilis tui propter imperium. Sapienter moderare ſtatum Imperii fluctuantem perpetuis belli periculis. Eſt quidem imperium res ſublimis & excelſa, quæ tollit in altum: ſed recte cogitata ſæpe excutit. Noli putare, quod plus ſapias cæteris; ſed alios audi; & quanquam tibi fortuna arriſerit, tamen non plus fidas tuæ ſapientiæ, & ſucceſſibus, quam conſiliis aliorum. Benevolentiam civium retine. Objurgationem magis ama, tanquam magiſtram, quam aſſentationem. Poteſtas quidem natura ſua res talis eſt, quæ reprehendi non patitur; ſed iracundiæ tuæ imperet humanitas, & miſericordiæ arrogantiæ autem timor. Imperii ſceptrum cogites non potentiam immoderatam, ſed ſplendidam ſervitutem eſſe, *&c.*

II. ΤΑ' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Tiberius non longo tempore poſt, cum Mauritium Imperatorem declaraſſet, ex hac mortali vita placide deceſſit: cum imperaſſet annis ſex, menſibus decem, diebus octo. *Cedren. Pompon. Lat. Victor. P. Diaconus* §. 5.

III. ΤΑ' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

Subditi hujus *Imperatoris* mortem graviter tulerunt.

lerunt. *Corpus* ejus Conſtantinopoli in templo Apoſtolorum honorificè terræ mandatum eſt. *Faſti Siculi.*

ENCOMIVM.

Micyllus tale de eo epigramma, quaſi *Epitaphium* concinnavit:

Aſt hic divitias regni elargitur egenis:
Erga alios facilis, nec gravis ipſe ſibi.
Devicit Perſas: & ſucceſſore creato,
Ipſe domi placida morte quietus obit.

LXI. IMPERATOR, MAURITIUS CAPPADOX.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

NAtus eſt in *Cappadocia*, regione Pontica, (ut ſcribit *Solinus*) quæ lævo latere utraſque Armenias, Comagenenque tangens, dextro multis Aſiæ populis circumfuſa, ad Tauri juga, & Solis ortus attollitur. Euphrates eam ab Armenia majore dividit. Appianus minoris Armeniæ partem, *Ptolemæus* vero minorem Armeniam eſſe ſcribit. Dicta *Cappadocia* à Cappadoce amne, ante *Leucoſyria* vocata. Unde Cappadoces, Leucoſyrii.

Evagrius ſcribit, ipſum è civitate Arabiſſo in Cappadocia ſita (ubi Majores ejus, qui è familia veterum Romanorum originem traxere, habitarunt) oriundum fuiſſe.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN. Dictus eſt MAVRITIVS.

II. COGNOMINE appellatus eſt CAPPADOX: quia in Cappadocia natus fuit. Cappadox enim ponitur pro eo, qui eſt è Cappadocia.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ, & *ACTA IVVENTVTIS.*

FOrma egregia, ſed vultu ſevero & corpore robuſto præditus fuit, magnamque aluit barbam. Ab ineunte ætate operam navavit literis, in quibus tantum profecit, ut vir doctus evaſerit: unde eloquentiam magni fecit, & in optimis quibuſque diſciplinis verſatos maximis honoribus affecit. Fuit præterea vir cordatus, inque rebus magnis gerendis admodum diligens; otium vero ut omnium vitiorum initium, & voluptatem ut peſtem & interitum hominis, cane & angue pejus odit.

II. *ACTA OECONOMICA.*

I. UXOR ejus dicta fuit CONSTANTINA, quæ fuit *Tiberii* Imp. filia: hanc *Tiberius*, cum diem mortis imminere ſentiret, regalibus ornamentis ornatam *Mauritio*, cum à Perſis victoriam reportaſſet, tradidit, dicens: Sit tibi imperium meum cum hac puella conceſſum: utere eo felix, memor ſemper, ut æquitate & juſtitia delecteris. *Paul. Diaconus.*

II. LIBERI. Ex uxore *Conſtantina* liberos ſuſcepit ſeptem, quatuor filios: 1. THEODOSIVM, quem Auguſtum appellavit, & collegam Imperii fecit; poſtea ei GERMANI filiam elocavit. 2. CONSTANTINVM. 3. TIBERIVM. 4. ADVOCATVM. Et tres filias, quarum unam nomine GORDIAM, PHILIPPICO Duci in Oriente in uxorem dedit. Alii dicunt, quod hæc *Gordia* Philippi uxor, fuerit *Mauritii* Imperat. ſoror.

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Ante Imperium.*

I. Quia à puero in ſtudiis omnibuſque exercitiis equeſtribus diligenter ſe exercuerat, in aulam aſcitus, & à *Juſtino* II. Imperat. *Secretarius* eſt conſtitutus.

II. Propter eximias virtutes & induſtriam conſilio *Sophiæ* Auguſtæ factus eſt *Comes prætorianorum.*

III. TIBERIVS eum præfecit exercitui, miſſo contra Perſas.

II. *Imperii occupatio.*

Cum *Mauritius* à Perſis victor Conſtantinopolin reverſus eſſet, à *Tiberio* Auguſtus eſt appellatus. *Tiberio* vero defuncto, indutus purpura, redimitus diademate, ad curiam proceſſit, & applauſu acclamationibuſque populi, primus ex Græcorum genere in Imperio confirmatus eſt. *P. Diaconus.*

III. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

In initio Imperii fuit glorioſus; ſed in egreſſu factus eſt calamitoſus.

Theodoſium filium ſuum Imperii ſocium & ſucceſſorem deſignavit; qui à Johanne Patriarcha in feſto Paſchatos Conſtantinopoli coronatus eſt. A. C. 591, ſed ad plenam Imperii adminiſtrationem

non pervenit : quia Phocas Imperium rapuit, & Mauritium una cum filiis occidit; ut poſtea dicemus.

VIRTUTES MAURITII.

Magnæ in eo fuerunt virtutes. Nam

I. *Publicæ ſalutis & pacis ſtudioſus fuit.* Anno primo Imperii *Mauritii*, *Caganus* Sirmio potitus, inſigni civitate Europæ, legatos miſit ad *Mauritium*, poſtulantes, ut octoginta millibus auri, quæ per annos ſingulos accipiebant à Romanis, adhuc viginti millia adderentur. *Imperator* pacis conſervandæ ſtudio non detrectavit. Poſtea etiam *Cagano* Elephantem petenti, quod ejuſmodi belluam nunquam vidiſſet : maximum eorum, quos habebat *Imperator*, miſit. Similiter & lectum aureum ſibi mitti petivit; ſed & hoc *Imperator* facete non recuſavit. *Zonaras. P. Diaconus.*

II. *Prudens & Magnanimus* fuit. Quo nomine laudat eum *Euagrius :* Fuit, inquit, vir prudens, in rebus gerendis diligens, & animo conſtans. Inſcitiam autem tanquam matrem audaciæ odit; & timiditatem, quæ ei vicina & finitima eſt, ſic à ſe depulit, ut in temeritate periculum, in cunctatione ſecuritatem eſſe cenſeret. *Euagr. l. 5. c. 19. & l. 6. c. 1.*

III. LIBERALIS fuit. Anno namque Imperii ſui ſecundo ingentem ſubditis ſuis & Conſt. Conſtantinopolitanis theſaurum donavit, unde PATREM PATRIÆ, & CONSULEM OPTIMVM eum appellarunt. *Suidas. Chron Hed. P. Diaconus §. 1.*

IV. CLEMENS, nec *ſanguinarius* fuit. Nam *Suidas* ita de eo ſcribit : Mauritius, inquit, duas res inter ſe contrarias conjunxit : ſummam animi magnitudinem, & clementiam, ab omni deſpicientia & ſupercilio alienam. Et *Euagrius* addit, *Imperatorem* operam dediſſe, ut nullius ſanguis, qui læſæ Majeſtatis reus fuit, funderetur. *Euagrius lib. 6. c. 1.*

V. *Fuit amator veritatis.* Autes namque ſupervacaneo ſermoni obturavit, non cera, ut eſt apud poëtam, ſed ratione; qua tanquam clave ſermonibus hominum autes, tum aperiret, tum occluderet. *Euagrius lib. 5. cap. 19.*

V. *Diligens fuit.* Quia de nocte conſilium capere ſolitus eſt. Prudenter ab eo factum : nam nox ob ſilentium, ſolitudinem, vacationem à labore, tranquillitatem, collectionem & contractionem animi, aptior eſt meditationi, & conſilium coctius provenire ſolet. Unde pulchre inquit *Homerus l. 2. Iliad.*

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
Ὧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

Hoc eſt,

Turpe Duci, ſomno totam traducere noctem,
Cui multi populi commiſſi, plurima cura.

VITIA.

I. AVARITIA & IRACUNDIA. Hunc excellentem & glorioſum *Imperatorem* avaritia tandem perdidit, eumque vita & Imperio exuit. Explendæ enim avaritiæ cauſa rapinas & cædes diſſimulavit, milites, contra Scythas, & quidem aſperrimo anni tempore, bellum gerentes, ſtipendiis defraudavit, & cum induciæ inter ipſum & *Caganum* Avarium Regem factæ eſſent, brevi poſt violatæ ſunt, Ducesque Mauritii trucidarunt triginta millia Avarium, Sclavorum & Gepidarum, & ceperunt tredecim millia hominum; quos *Mauritius* ad *Caganum* remiſit. Deinde *Caganus* Romanas provincias rurſus aggreſſus. Tunc *Imperator*, miſſo *Commentiolo* cum numeroſiſſimo exercitu, mandaſſe fertur, ut legiones, quibus ob ſeditiones quaſdam & tumultus infenſus erat, proderet hoſtibus. Itaque temere cum Barbaris congreſſus *Commentiolus*, ipſe cum ſuis fugam, cui ſe ante pararat, capeſſit, cæteris partim cæſis, partim captis, ad numerum duodecim millium. *Caganus*, peſtilentia exercitum ejus infeſtante, animo æger domum properans, *Mauritio* ſignificat, ſi captivos redimere velit, ut in ſingulos nummum unum pendat : quod cum Imperator facere nollet, omnes juſſu *Cagani* occiſi ſunt; de quo infra in act. ſag. & cap. 3. dicendum erit. *Zonaras in Mauricio §. 3. Chron. Funccii. P. Diaconus.*

II. ANIMI ἀνέξια. Hæc ſimul & vitium & pœna præcedentium fuit : & non tantum benevolentiam populi in adverſa fortuna amiſit, ſed etiam virtus languefacta eſt, & multi errores conſiliorum ſecuti ſunt, ſicut dicitur : *Æger animus ſemper errat.* Nam *Philippicum* Ducem, cui nupta erat filia (vel, ut alii volunt, ſoror) *Mauritii*, incluſit in carcerem, falſo ſuſpicans, eum regnum appetere. GERMANVM, cui nupta erat ſoror uxoris *Mauritii*, velut authorem ſuarum calamitatum incuſabat, & pœnas ei minabatur, qui, cum eum prehenſurus eſſet, fugit in templum : unde extrahi eum, imo etiam exire volentem, multitudo minime pati voluit. THEODOSIVS Imperatoris filius, cui *Germani* filia nupta erat, cæſus eſt fuſtibus : quia pater ſuſpicabatur, eum adjuvare conſilia ſoceri contra ipſum. *P. Diaconus.*

II. *ACTA SAGATA.*

Mortuo *Tiberio*, Imperatori *Mauritio* intulerunt bellum, ab Oriente Perſæ : ab Occidente in Europa Avares, qui ſociis Hunnis paulo ante ex Aſia effuſis occupaverant Ungariam, oppreſſis Gothis & Gepidis.

I. BELLVM IN ORIENTE GESTVM CONTRA PERSAS.

I. Sub *Juſtino* contra *Coſroëm*, Perſarum Regem.

1. *Coſroës* A.C.572, irruit in Armeniam. *Juſtinus* Imp miſit *Martinum* Ducem, copiis tamen non ſatis inſtructum: qui Meſopotamiam petiit, & Nifibim obſedit: ſed adeo contemtus eſt à Perſis, ut ne portas quidem clauderent. Cumque *Juſtinus* Imperat. *Martinum* ducem inſuper ab exercitu removeret, exercitus ipſe obſidionem ſolvit magno cum *Juſtini* dedecore. *Artabanus* igitur Perſarum Dux, cum nullus ipſi oppoſitus exercitus, Orientem crudeliſſime vaſtavit, Apameam, Heracleam, diripuit & incendit. Antiochiæ etiam muros dejecit. Cum autem *Juſtinus* Imp. deliquium mentis inde pateretur, *Sophia* conjux ejus ſcripſit ad Perſarum Regem *Coſroëm*, & ab Imperii vaſtatione eum dehortata eſt, ſiquidem contra fœminam viduam, & ægrotum Imperatorem bellum gereret: inducias igitur annuas ab eo impetravit.

11. Rex Perſarum *Coſroës* rupta pace bellum *Juſtino* intulit A.C.578. *Tiberius* (tunc temporis *Juſtini* Dux, verum jam *Cæſar* creatus) contra ingentem exercitum collegit ex tranſalpinis fere circa Rhenum incolentibus, item ex Mœſia, Illyrico & aliis: eumque Duce *Juſtiniano* miſit contra Perſas, qui Regi Perſarum perſuaſit, ut aliquandiu cum Romanis pacem faceret: interim *Juſtinus* moritur, & *Tiberius* ei in Imperio ſuccedit.

II. Sub *Tiberio* contra *Coſroëm*, ejuſque filium *Hormiſdam*.

1. Finito inducíarum tempore, *Juſtinianus* Dux *Tiberii* Perſas aggreſſus eſt, & prælio commiſſo, paululum abfuit, quin Rex Perſarum caperetur: caſtra & tentorium ejus capta ſunt, una cum omnibus theſauris. *Coſroës* igitur bello & animo fractus, mœrore confectus, legem tulit, ne unquam Perſarum Rex Romanis bellum inferat: quam legem cum magna Regni Perſici infamia tulit; ideo ſervata non eſt. JVSTINIANVS vero Dux in mediam Perſiam ingreſſus, A.C.579, iterum *Coſroëm* fugavit: quo caſu adeo exterritus eſt, ut moreretur, cum regnaſſet annos 48. Succeſſit ei filius *Hormiſdas*, qui bellum cum Romanis continuavit. *Euagr. Zonaras.*

11. A. C. 582. *Tiberius* cum exercitu contra Perſas miſit *Mauritium*, qui à Perſis egregiam reportavit victoriam, dum caſtra Hormiſdæ & ſupellectilem ejus cum elephantis cepit, quæ *Imperatori* tantum reſervata ſunt, reliqua militibus data, urbes quoque omnes atque munitiones, quas olim Perſæ Romanis ademerant, *Mauritius* recuperavit. Non multo poſt Imperator *Tiberius*, *Mauritio* ſucceſſore electo, vitam cum morte commutavit.

III. Sub *Mauritio* contra *Hormiſdam*.

1. A. C. 584. MAVRITIVS Ducem *Philippicum* cum manu validiſſima contra Perſas miſit: qui cum proxime Nifibim perveniſſet, atque inde in Perſiam irrupiſſet, multa præda abacta, in reditu impreſſionem in Mediam fecit, & oppidis vaſtatis, non minore præda ibi parta Conſtantinopolim rediit. *Cedrenus.*

11. A. C. 585. *Philippicus*, iterum Perſicos fines ingreſſus, rem æque proſpere geſſit; ſed propter morbum Martyropolim, atque inde Byzantium rediit.

111. *Philippicus* A. C. 587, denuo Perſas oppugnaturus, milites ſuos percontatus, an alacres eſſent ad pugnandum cum Perſis; iis vero etiam jurejurando alacritatem ſuam teſtantibus, hoſtes aggreſſus eſt. Qui, etſi ad tempus reſtiterunt; tamen, cum Dux equos illorum cædi juſſiſſet, & multi equi vulnerati cecidiſſent, Perſæ victi, magnaque clade accepta, fugam capeſſerunt. *Philippicus* vero illuſtrem victoriam conſecutus ad bina millia captivos Conſtantinopolim miſit. Poſtea iterum ad tria millia cepit, atque ita feliciter res geſſit. *Zonaras.*

IV. A.C.588. PRISCVS Dux *Philippici* loco in Perſiam miſſus, qui elato ſupercilio quoſvis contemſit: quapropter in odium venit, milites tentorium ejus diripuerunt, eumque Edeſſam uſque fugarunt. Cum vero repetitus ab exercitu redire nollet, exercitus ipſe ſibi Ducem elegit GERMANVM ex Phœnicia, (cujus ſupra mentio facta eſt) qui invitus tantum onus ſuſcepit. *Mauritius* contra *Philippicum* eo ablegavit, ſed nihil effecit. Perſæ igitur videntes, Romanum exercitum in ſeditione agi, fines Romanos invaſerunt; ſed à GERMANO Duce & militibus ſeditioſis ita excepti ſunt, ut ne unus quidem in Perſiam reverſus ſit. *Cedrenus, Euagrius.*

V. *Rex Perſarum* A. C. 589, captivos ſuos bello captos, in carcere, qui dicitur Lethe, concluſit. *Illi* autem occaſione data contra eos qui ſe cuſtodiebant inſurrexerunt, ſe vinculis exſolverunt, & occiſo *Maruſa*, caput ejus Byzantium attulere: quos *Imperator* cum magno gaudio ſuſcepit. Interim *Commentiolus* Dux in Perſiam miſſus eſt, qui multa

ſpolia *Imperatori* Conſtantinopolin miſit. *Hormiſda* igitur Rex Perſarum *Baram* Ducem cum magno exercitu ad Imperii Romani fines vaſtandos ablegavit. Quo comperto, Imp. *Mauritius* cum magna potentia contra eum miſit Ducem ROMANVM, qui cum *Bara* congreſſus glorioſe eum devicit, & fere omnes Barbari in eo prælio perierunt. Hoc audito, *Hormiſda*, *Bara*, imperio illi abrogato, ignominiæ cauſa veſtem muliebrem tranſmiſit, ac legato ejus per literas mandavit, ut eum occideret. Cæterum *Bara*, quantis in malis eſſet reputans, literas ab *Hormiſda* ad ſe miſſas eſſe comminiſcitur, quibus iracundiam ſuam adverſus omnem exercitum declaret: eaſque militibus convocatis, palam omnibus, recitari jubet, ac Hormiſdæ ſævitia & immanitate commemoranda eos incitat ad bellum ei inferendum. Subito igitur eum aggreſſi, captum in carcerem conjecerunt. At ille profeſſus, ſe conſilium eis de Perſarum imperio daturum, quod toti nationi bono futurum, monet, Ne filium ſuum *Coſroëm* Regem creent, hominem inexplebilem, injuſtum, inſolentem, atque intolerandi ſupercilii; ſed alium è ſuis filiis. Sed ei ſententiæ Procerum nonnullis refragatis, populares contra eum concitati, filium, cui regnum decreverat, & matrem in conſpectu illius ſtatim occiderunt: Ipſe oculis erutis, in carcerem compactus: *Coſroës* à tota gente Rex electus. Is ad tempus patrem bene tractavit, & quanquam è cuſtodia non eduxit, in ea tamen omnem ei cultum & obſequium præſtitit. Qui cum nihil, quod à filio proficiſceretur, gratum haberet, imo contumelias pro beneficiis reponeret: iratus *Coſroës*, patrem latera fuſtibus tundendo occidi juſſit. Id facinus odium Perſarum ei peperit. Suſcepta contra *Baram* expeditione, quoſdam ex proceribus ſuis illi ſtudere ſuſpicatus, ac militari ſeditione perterritus, cum paucis ad Romanos confugit. *P. Diaconus*, *Zonaras*.

VI. *Mauritius* cognito, Perſas *Coſroëm* regno pepuliſſe, illumque ad Romanos aufugiſſe, Prætori Commentiolo juſſit, apud Hierapolim Coſroëm ſuſcipere, & imperialibus obſequiis honorare. Mauritius itaque filium ſibi Coſroëm Regem Perſarum faciens, Narſetem cum legionibus auxilio miſit ad regnum recuperandum. Is cum Bara congreſſus, illuſtri victoria potitus eſt, Perſarum multis occiſis, & ad ſex millia captis, quos Coſroës ad ſe adductos jaculis omnes confecit. *Bara* ſuperatus, fuga ſalutem quæſivit. Porro exercitus Romanorum *Bare* tabernaculum & ſuppellectilem accipientes, cum elephantis ad Coſroën attulere. Itaque Coſroës magna victoria potitus, ſolium ſuum recepit. Verum Narſes rediturus ad propria, Coſroi dicebat: *Memor ſis Coſroës præſentis diei, quo Romani tibi regnum donant.* At ille fraudulentam occiſionem metuens, petiit à Mauritio mille Romanos in cuſtodiam ſui habendos. Imperator cum magno Coſroëm amore proſequeretur, petitioni ejus locum dedit, & fœdus cum eo inivit, quod duravit uſque ad initium imperii Phocæ. *Idem*.

II. BELLVM IN OCCIDENTE CVM CAGANO REGE AVARIVM.

I. CAGANI *inſolentia*. *Caganus*, poſtquam Sirmium nobile in Pannonia oppidum occupaſſet, miſſis ad *Mauritium* legatis, poſtulavit, ut LXXX millibus auri annui tributi adhuc viginti millia adderentur: quod Imperator pacis cauſa conceſſit. Inde elephantem ſibi à *Mauritio* voluit mitti: quod etiam Imperator fecit. Verum homo inſatiabilis, aut rumpendæ pacis cauſas quæritans, centenis illis alia vicena millia poſtulavit adjici. Quod cum *Imperator* recuſaret, ille bello Romanis illato, Sigidonem civitatem ſubvertit, & multas alias urbes Illyrico ſubjacentes ſubegit, minatus, ſe *longum murum* etiam everſurum. Itaque *Mauritius*, miſſis ad Barbarum legatis, pacem cum eo fecit. *Zonaras*.

II. Sed *Caganus*, ut inſatiabilis & perfidus, dolo Romanos aggreſſus, ipſe quievit. Sclavorum vero gentes quaſdam ad populandas provincias concitavit, quæ uſque ad *longum murum* ſunt progreſſæ. Quapropter Imperator *Commentiolo* Duce creato, Barbaros improviſo adventu Romanis finibus expulit, multis cæſis, & præda omni, captiviſque receptis. Verum *Caganus*, exercitu reparato, cum infinita multitudine Thraciam ingreſſus. Cum igitur *Cagani* potentiam magnam eſſe Dux Mauritii *Priſcus* videret, legatum ad illum miſit *Theodorum* Medicum, ſagacitate atque intelligentia ornatum. Hic legatus cum audiret *Caganum* alta ſpirantem, & cunctarum ſe gentium Dominum jactitantem, hac veteri hiſtoria recitata mitigare eum ſtuduit. Audi *Cagane*, inquit, utilem narrationem: *Seſoſtris* Rex Ægyptiorum illuſtris & felix, opibuſque clarus, plurimas nationes ſervituti ſubegit: Unde in ſuperbiam prolapſus, in curru ex auro & lapidibus pretioſis conſtructo vehi ſolitus eſt: jugo ſubegit quatuor ex Regibus à ſe ſuperatis, qui currum traherent. Id cum fieret in feſtivitate quadam inſigni, unus ex Regibus ſæpe oculos retrorſum vertebat, contemplatus volutationem rotarum. Hunc percontatus *Seſoſtris*, cur ita reſpectaret? Intuens rotæ volubilitatem, inquit ille, in qua ſumma cito fiunt ima, cogito fortunæ inſtabilitatem, alias excelſa humiliantem, alias humilia exaltantem,

tem. *Seſoſtris* parabolam intelligens, noluit currum à Regibus poſtea trahi. His auditis, *Caganus* ſubriſit, & ait, ſe pacem ſectari. *Priſcus* autem *Cagano* reddidit prædam pro tranſitu, exuviiſque omnibus ſumtis, ſine diſpendio amnem tranſivit. Porro *Caganus*, his ſuſceptis, magnifice lætabatur. *P. Diaconus.*

III. Cum jam alta pax eſſet in Oriente propter amicitiam cum Perſis junctam, & *Coſroës* reſtitutus eſſet; *Caganus* in Europa & Thracia tumultuatur. *Mauritius* Imp. ipſe, cum ver inciperet, præter voluntatem ſuorum in Thraciam contra hoſtes proficiſcitur. Exeunte autem eo, ad Septimium urbem Solis Eclipſis facta eſt: cumque eſſet apud Rhegium, multitudinem pecuniis animavit. Cum autem venatum pergeret, *ſus ſylveſtris* valde grandis impetum contra *Imperatorem* fecit. Equus ob terrorem miraculi ejicere eum nitebatur. Diutius ergo tumultuatus, *Imperatorem* jactare nequivit. Itaque *ſus* à nemine actus abſceſſit. In Perinthum præterea navigio iter faciens, ventis vehementibus, & pluvia facta, nautiſque deſperantibus, ſcapha *Imperatoris* aſportabatur, ita ut inopinate ſalvus ad locum, qui dicitur *Daonium*, vix veniret. Nocte vero illa, *mulierecula* pariebat, & voces miſerabiles emittebat: cumque mane factum fuiſſet, miſit *Imperator* videre, quod acciderat. Et invenerunt puerum natum, oculorum & palpebrarum exſortem, manibuſque carentem; à lumbo autem erat ei ut cauda piſcis naturaliter hærens. Quo viſo, *Imperator* præcepit, ut occideretur. Hac quoque die *Imperatoris* equus, qui aureo erat circumdatus ornatu, repente ſciſſus eſt cadens. *Imperator* ex his omnibus auguratus triſtis erat: nulla ideo re tentata, domum redibat. *P. Diaconus* §. 9.

IV. Cum *Caganus* vicina Sirmii & Sigidonem devaſtaret, Mauritius prætorem Europæ PRISCVM adverſus eum ire mandavit. *Priſcus* vero *Sylvianum*, Subprætorem factum, præcurrere juſſit: & contra Barbaros procedentes bellum inivere, & Romani ab iis victoriam reportavere. Quo audito *Caganus*, magno exercitu ſumto, *Sylviano* occurrere properabat. At *Sylvianus* vilis multitudinibus ſtupefactus, ad *Priſcum* ſe contulit. *Caganus* Romanorum receſſum comperiens, ad maritima ſe contulit, deinceps ad ſanctum *Alexandrum*, & hunc omnia devoranti igni tradidit, & occaſione capta *Priſcum* Ducem obſedit. His auditis, *Mauritius*, quid foret agendum, hæſitabat. Tum optimo inito conſilio armatur contra infinitum numerum Barbarorum, & uni excubitorum magnis donis atque promiſſionibus perſuadet, ut ſponte in Barbaros irruat; eique dat literas ad Priſcum, continentes hæc: Glorioſiſſimo Prætori Priſco. Noxium Barbarorum conatum ne formides: ad perditionem enim eorum factum eſt hoc. Scito enim, quia cum multa confuſione revertetur Caganus in regionem ſuam, quæ ſibi à Romanis deputata eſt. Propterea perſeveret gloria tua, penes Zurulum circumvagari faciens illos. Mittemus enim per mare naves, & captivabimus familias eorum; & cogetur ad propria, confuſione refertus atque jactura, remeare. *Caganus*, literis comprehenſis ac lectis, cum ſuis timeret, pacem cum *Priſco* fecit, pauciſque muneribus acceptis, in regionem ſuam regreſſus eſt. *P. Diaconus* §. 10. *Zonaras.*

V. CAGANVS aliquot annos poſt, nempe A. C. 599. fœdere diſſoluto, contractis copiis ſuis Dalmatiam invadit. PRISCVS Dux paucos quoſdam exploratum mittit, qui ex inſidiis *Caganum* aggreſſi, eum præda exuunt, & ſalvi ad Priſcum revertuntur. *Euagrius.*

VI. CAGANVS anno ſequenti in Mœſiam circa feſtum Paſchatis irruit, quo tempore exercitus Romanus inopia commeatuum laborabat. Id enim cum cognoviſſet Caganus, *Priſco* Prætori *Mauritii* nunciari juſſit, ut plauſtra ſibi mitteret, ad deportanda ipſis alimenta, quo feſtivitatem Paſchalem cum hilaritate celebrarent. Quadraginta ergo plauſtra plena commeatu Romanis miſit. Viciſſim & *Priſcus* ſpecies Indicas *Cagano* remiſit, piper videlicet, & folium Indicum, & coſtum, & caſiam, & alia aromata precioſa. Fuerunt igitur inducíæ inter utrumque exercitum, donec feſtum durabat. Poſtea præliis aliquoties concurrerunt: modo Romani, modo Barbari victi ſunt. Deinde *Mauritius* cum numeroſiſſimo exercitu contra *Caganum* miſit Ducem *Commentiolum*, cui clam in mandatis dedit, ut legiones, quibus ob ſeditiones quaſdam & tumultus infenſus erat, hoſtibus proderet. Temere ergo hic cum Barbaris congreſſus, ipſe cum ſuis fugam, cui ſe antea paraverat, capeſſit. Cæteri partim cæſi, partim capti ſunt, ad numerum duodecim millium. Ea victoria *Caganus* elatus in Thraciam deſcendit, & uſque ad longum murum proceſſit. Cumque *Commentiolus* venisſet Byzantium, maxima urbi turbatio & æſtus incubuit, ita ut timore detenti, conſilium caperent Europam deſerendi, & in Aſiam & Chalcedoniam migrandi. Quin & Imperator *Cagani* adventu ita turbatus, ut de relinquenda Conſtantinopoli cogitaret. Legatos igitur *Mauritius* miſit, qui pacem cum *Cagano* componerent: in cujus tractatione *Imperator* promiſit quinquaginta millia aureorum annua. Interim exercitum *Cagani* peſtis inguinaria infeſtavit, & *ſeptem filii* ejus uno die partim febri,

par-

partim peſte mortui ſunt: ingens præterea Barbarorum multitudo hac inguinaria peſte periit; ita ut poſt triumphale gaudium cum carminibus & canticis, lamentationes & lacrymæ, & luctus ſine conſolatione poſſideret Barbaros. CAGANVS igitur animo æger domum properans, & cum captivis in itinere impediretur, ſignificavit *Mauritio*, ſe illos redditurum, ſi pro ſingulis ſingula numiſmata redderet. Quod cum *Imperator* recuſaret, unum pro ſingulis nummum poſtulavit. Cum vero nec hunc, nec etiam ejus dimidium conſequi poſſet, *Caganus* furore concitus, iis omnibus obtruncatis, domum rediit. Hos igitur captivos non liberatos, martyres recte dicere poſſis. *Zonaras*, *P. Diaconus*, *Cedrenus*.

II. *ACTA ECCLESIASTICA.*

MAVRITIVS pius & religioſiſſimus *Imperator* fuit. Nam in pietate ac timore Deo ſervivit, veram religionem defendit, ſinceros verbi divini doctores promovit, & ſalutem Eccleſiæ ſummo ſtudio quæſivit.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

INgreſſus *Mauritii* fuit felix & glorioſus; ſed exitus tragicus & calamitoſus, quem multa præceſſerunt prodigia, & ſomnia.

1. Anno *Antiocheno* 637 ineunte, A. C. 588, urbs *Antiochia* ingenti terræ motu corruit. Perierunt ad 60000 hominum. *Euagrius*.

2. Cum in Ægypto *Menas* præfectus in Nilo amne iter faceret cum populo, in loco qui Δίλῳ dicitur, Sole oriente, in flumine viſa ſunt animalia, ſpecie hominis, mas & fœmina. *Mas* erat bene compoſitus, pectore amplo terribili aſpectu, fulvo crine, intermixtis canis, uſque ad lumbos nudus, cæteras partes aqua tegente. Hunc præfectus juramentis conſtrinxit, ne deſtrueret adſpectum, priuſquam omnes ſaturati hoc inopinato ſpectaculo. *Mulier* & mammas habebat, & levem faciem, ac demiſſos crines. Vſque ad horam nonam populus cum admiratione animalia ea ſpectavit, quæ hora nona in flumen demerſa ſunt. *Zonaras*, *Diaconus*.

3. Anno Imperii *Mauritii* 13, in ſuburbanis Byzantii duo pueri nati ſunt; quorum alter quadrupes, alter duos vertices habuit. *Diaconus* §. 12.

4. Conſpectus eſt *Cometa*, qui ab enſis ſpecie ξιφίας dicitur. *Diaconus*.

5. *Monachus* quidam ſtrictum circumferens gladium, per plateas exclamavit: brevi *Mauritium* gladio periturum. *Idem*.

6. *Herodianus* quidam Mauritio palam, quæ ipſi eventura eſſent, denunciavit. *Idem*.

7. *Mauritii confeſſio*, *ejuſque ſomnium*. Imperator tandem in ſe reverſus, & ſciens quod nihil Deum lateat, ſed omnibus reddat ſecundum opera ipſorum, & pœnitens facti de captivis non redemtis, quod ſic homicidii reus factus eſſet, exp:dire judicavit, in hac vita ſe recipere à peccato, & non in futura. Ad omnes igitur Eccleſias ſcripſit, culpam deprecatus, juſſitque pro ſe apud Deum intercedi, ut pœna divina mitigaretur. *Non multo* poſt nocte quadam in ſomnio vidit *imaginem Salvatoris* noſtri, in ſublimi cruce pendentem, & juxta cum ſtantem multitudinem trucidatorum, ipſum accuſantium. Viſum eſt igitur Mauritio, ſe à Chriſto vocari. Accedit igitur ad CHRISTVM, ſic interrogantem eum: *Mauriti*, utrum vis luere pœnam pro captivis his interfectis, in hac vita, an in altera? *Ille* ſupplex procumbit, rogat ut ſibi parceret in altera vita: ac in hac potius ſumeret pœnas. Tunc CHRISTVS: Ergo ſi vis in altera vita non puniri, in hac vita lues tuorum peccatorum pœnas: ideoque tradam te in poteſtatem *Phocæ*, ut interficiat te cum tota familia. Mane expergefactus *Mauritius*, ac nimium illo ſomnio perterritus, ad ſe vocavit *Philippicum*, quem ante ſuſpectum habuerat, dixitque ad eum: *Philippice*, ſæpe habui te ſuſpectum, quod affectares regnum meum: jam vero te omni ſuſpicione libero. Simulque ad pedes *Imperator* ſe projecit, dicens: Ignoſce mihi propter Dominum, quia peccavi tibi: modo enim certiſſime ſcio, quod nihil peccaveris in me. Nam hac nocte mihi revelatum eſt in ſomnio, me interficiendum eſſe à *Phoca*. Quærit igitur, qualis eſſet? Ibi *Philippicus* inquit: Nihil eſt quod verearis à *Phoca*: eſt enim homo timidus. Ibi ſtatim *Mauritius* ſubjecit: *Si timidus eſt, eſt homicida. Omnis enim timidus eſt homicida & crudelis.* Sicut in veteri proverbio dicitur: Πᾶς δειλὸς φονεύς. *Zonaras*, *Diaconus*.

8. *Magna populi ſeditio*, & *tumultuaria* PHOCÆ *electio*. Cauſa amiſſi Imperii & tragici exitus *Mauritii* fuit *avaritia* & *iracundia*. Nam

1. Ducem *Commentiolum* cum ingenti exercitu miſit contra *Caganum*, eique mandavit, ut milites, quibus infenſus erat, hoſti proderet: quod *Commentiolus* fecit, & ita ad duodecim millia Romanorum à Barbaris capti. Sed poſtea *Caganus Mauritio* oſtendit, ſe illos redditurum, ſi in ſingulos nummum unum penderet. Recuſante *Imperatore*, medium nummum poſtulavit: verum cum nec tanti milites redimere vellet, partim ex tenacitate, partim

tim militum odio, *Barbarus* iratus omnes interfici juſſit. Quare milites *Mauritii* de clade à *Cagano* accepta inter ſe diſceptarunt, & culpam ejus in *Commentiolum* contulerunt, qui exercitum prodidiſſet: & Recuperatores ad Imperatorem miſerunt, qui Commentiolum accuſarent; inter quos etiam fuit PHOCAS, qui poſt imperavit. Huic Imperator, cum cauſam exercitus liberius ageret, colaphos infligi & barbam evelli juſſit; & querimoniam populi adverſus *Commentiolum* non ſuſcepit, ſed hos re infecta dimiſit. Vnde in tantum odium venit, ut in die Natali Chriſti ingrediens templum, pene lapidibus obrutus ſit. *Cedrenus, Diaconus.*

11. Tum Duci mandarat Imperator, ut Iſtro cum copiis trajecto, inde per hyemem commeatum peteret. Id conſilium *Imperatoris* ab avaritia profectum erat, ut legionibus latrocinio ſe ſuſtentantibus, militaria ſtipendia lucraretur. Concitata ergo ſeditione, milites ſtatim *Phocam* Centurionem, ſuper clypeos elatum, Exarchum proclamarunt: qui propoſitum urgens, Conſtantinopolim totum exercitum duxit: & cum ad urbem perveniſſet, à factioſo populo intromiſſus, ſtatim diademate ornatus eſt à Patriarcha *Cyriaco*: qui à tyranno de Orthodoxa fide, & ut ſine perturbatione ſervaret Eccleſiam, profeſſionem extorſit. *Mauritius* Phocæ adventu cognito, orto etiam in urbe tumultu, media nocte exutus Imperatoria ſtola, & privata veſte amictus, cum uxore liberiſque fugam arripuit: filium autem *Theodoſium* ad *Coſroëm* Regem Perſarum miſit, ut recordaretur eorum, quæ ibi facta fuerant à ſe, & viciſſitudinem beneficii rependeret filio ſuo. *Zonaras, Diaconus.*

II. ΤᾺ ΠΡΑΧΘΈΝΤΑ.

Cum inter *Praſinos* & *Venetos* de ſtationibus controverſia orta eſſet, *Phocas* ſatellites quoſdam miſit, qui turbam compeſcerent; quorum unus cum tribunum Venetum per contumeliam pepuliſſet, *Veneti* indignati clamarunt: *Abi, cognoſce ſtatum rerum, diſce ordinem: Mauritius nondum eſt mortuus.* His auditis, *Phocas* in cædem *Mauritii* incitatus, miſſis militibus Chalcedonem, (quo ægrotus cum conjuge & parvis filiis & filiabus fugerat) eum ex fuga retraxit. Suntque ibidem in portu Eutropii, *Phoca* ſpectante, primum filii ejus necati: ex quibus cum infans quæreretur, dixit *Mauritius*, eum eſſe apud nutricem. Miſſum eſt ad illam, ut afferretur infans. Nutrix, miſericordia mota erga *Imperatoris* filium, ipſum abdidit in loco, & ſuum filium pro eo mactandum carnifici tradere voluit. Pater agnovit, ſuum non eſſe, nec voluit infantem alium pro ſuo interfici. Dixit igitur ad *Phocam*: Iſte non eſt mens: parcas alieno innocenti ſanguini, & jubeas adferri meum. Coacta eſt igitur nutrix adducere *Imperatoris* infantem; qui adductus, patre etiam intuente, eſt transfoſſus: & quidam referunt, quod eo occiſo, lac cum cruore effluxerit, ſic ut ſpectatores omnes lamentarentur. Deinde *tres filias*; poſt has mater CONSTANTINA, boni Principis *Tiberii* filia: (quanquam alii referunt, quod *Conſtantina* prius poſt mortem *Mauritii* cum tribus filiabus ſit occiſa.) Spectaverat *Mauritius* filiorum & filiarum neces mirando ſilentio; ſed cum videret, ſanctam conjugem etiam feriri, (uti expreſſe habet *Philippus in Chron. p.* 538. *Item in Locis Manl. p.* 118. Et *in Locis Theolog.* 457.) hanc edidit confeſſionem ſuorum delictorum: JVSTVS ES, DOMINE, & RECTVM JVDICIVM TVVM. *Pſal.* 119. *v.* 137. Tandem & ipſe ſecuri cervicem ſubjecit, & mortem ſubiit, repetito iterum hoc verſiculo *Pſalmi: Iuſtus es, Domine, & rectum judicium tuum.* Anno ætatis 63, Imperii 20. *Onuphrius.*

III. ΤᾺ ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ.

1. *Philippus in Chron.* ſcribit, cadavera in littora eſſe abjecta, & ex edicto *Phocæ*, multis diebus in campo jacuiſſe, donec fœterent; deinde autem ab eunucho quodam in templo ſepulta eſſe. *Zonaras vero* §. 4. in Mauritio refert, quod uxor *Mauritii* CONSTANTINA poſt mortem mariti cum tribus filiabus ſit occiſa, & in æde Divi Mamantis vicina mœnibus ſepulta, atque ejus ſepulcro hoc *Epitaphium* inſcriptum ab eunucho, ſive cubiculario *Iuſtiniani* Pharaſmane, qui ſepulturam curavit:

Hic ſita quæ Regum (dolor heu!) miſeranda duorum:
Vxor Mauritii, *filia* Tiberii.
Quæ, partu monſtrante meo, fœcunda probavi,
Multorum eſſe etiam poſſe bonum Imperium.
Militis hæc furor, & populi levis ira, maritum,
Me, ſobolemque meam ſanguinolenta tulit.
Heu mihi, quid gemitis Nioben? Ego mortua ſpiro,
Aſpera continuis ſaxa rigo lacrymis.
Cladibus haud Hecubæ certent Iocaſtaque noſtris,
Nam levior doloreſt: caſus uterque parens.
Sæve, quid infantes perimis, vitiique dolique
Ignaros? Ætas quid dedit illa mali?
Non tibi Roma meis jam præbeo frondibus umbras,
Turbine Threicio ſtirpitus interii.

11. THEODOSIVS *Mauritii* filius à patre ad COSROEM Regem Perſarum præmiſſus erat, auxilia contra Phocam petiturus. Hunc quoque ex

fuga retractum *Phocas* trucidari juſſit. Is ante mortem hanc precationem effudit: *Domine Ieſu Chriſte, tu ſcis, me nullum hominem injuria affeciſſe: nunc ergo mihi eveniat, ut jubet tua potentia.* Miſcell.

III. Cæſi quoque ſunt *Mauritii* amici & duces: PETRVS *Mauritii* frater, GERMANVS ſocer Theodoſii, & filia ejus, Theodoſii conjux, COMMENTIOLVS, & alii.

LXII. IMPERATOR, PHOCAS.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

EX obſcura familia in Thracia oriundus fuit. Parentes ejus ignorantur.

II. *Appellatio.*

PHOCAS appellatus eſt fœdo nomine atque omine, juxta verſum:

Conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis.

Nam Φώκη, Phoca eſt, bellua marina, valde vorax, corio & pilis tecta, per ſomnum mugiens. Vnde & *vitulus marinus* appellatur. Coit canum more, paritque in terra animalium ritu. Huc pertinet illud *Virg. l. 4. Georg.*

——*Et turpes paſcit ſub gurgite* Phocas.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙ'Α, *& Mores.*

CORpore *Phocas* ſcribitur deformis fuiſſe, aſpectu terribilis, capillis flammantibus: qui argumentum fuerunt naturæ aduſtæ. Mores tribuuntur ei immites & feri.

II. *ACTA OECONOMICA.*

VXOR ejus LEONTIA dicta fuit, ex qua unam ſuſcepit filiam, nomine DOMNENTIAM, quam *Priſco* patricio matrimonio junxit.

III. *ACTA POLITICA.*

Imperii occupatio.

Cum *Mauritius* ob avaritiam apud milites in odium incurriſſet, illi concitata ſeditione *Phocam*, Centurionem ſuper clypeos elatum, Exarchum proclamarunt. *Phocas* igitur cum exercitu Conſtantinopolin profectus; quo cum veniſſet, à ſeditioſo populo in urbem intromiſſus, ibique ab Epiſcopo & Senatu exceptus, & cum profeſſus eſſet, ſe recte ſentire in religione Chriſtiana, in templo D. Johannis Imperator proclamatus, menſe Novembr. A. C. 602. & à Patriarcha Cyriaco coronatus eſt; ubi duobus moratus diebus, tertia die introivit regalia, ſuper imperialem ſedens carrucam. Porro quinta die coronavit LEONTIAM uxorem ſuam Auguſtam. *P. Diaconus. Zonaras.*

I. INGRESSVS ejus fuit 1. FRAVDVLENTVS. Quia militum cor furatus eſt, cum ab iis Legatus miſſus ad *Mauritium*, inſolentius contra *Imperatorem* locutus eſt. Profeſſus quoque eſt, ſe recte ſentire de religione.

2. VIOLENTVS. Quia ſanguine *Mauritii*, ejuſque totius familiæ occiſæ, Imperium ſuum ſtabilivit.

II. PROGRESSVS fuit tyrannicus. Quia uti poteſtatem acquiſivit, ita uſurpavit; nempe crudelitate graſſatus eſt in Mauritium, ejuſque uxorem, liberos atque amicos, ſanguine eorum omnia complendo, adeo ut verius Tyrannus, quam Imperator fuerit.

III. EGRESSVS fuit tragicus: uti poſtea dicemus.

Regula I.

DEVS *Tyrannos dat in ira ſua.* Hoſeæ cap. 13. v. 11. *Exemplum* habemus in hoc *Imperatore*, quo Sol vix ullum vidit indigniorem & injuſtiorem. Nam *Cedrenus* ſcribit, quendam ex religioſis, *Phoca* imperante, DEVM ad diſceptationem provocare auſum, quæſiviſſe, Cur tam impium Chriſtianis impoſuiſſet Imperatorem? Poſtea eundem audiviſſe vocem, cum quidem neminem videret, ſibi dicentem: *Se deteriorem alium invenire potuiſſe neminem:* at hoc meruiſſe Conſtantinopolitanorum peccata.

Regula II.

Seditioſi conſumi ſolent à Tyrannis, quos ipſi elegerunt.

EXEMPLA.

1. *Sichemitæ Abimelechum* declararunt Regem: paullo poſt Duce quodam *Gahale* ab eo defecerunt. *Abimelechus* ira percitus urbem invadit, ſeditioſos opprimit, puberes omnes occidit, urbem amplam unum rogum facit, & in patriæ ruderibus ſalem ſeminat. *Iudic. cap. 9. v. 45.*

II. *Memorabile* eſt, quod *Cedrenus* refert, ſeditioſos illos milites, qui neglecto *Mauritio* Imp.

Phocam

Phocam ad tyrannidem evexerant, adeo fuiſſe ſub *Phoca* conſumtos, ut cum HERACLIVS creatus Imper. accuratam militum recenſionem ageret, de univerſa militum multitudine, quos à *Mauritio* conſcriptos *Phocas* acceperat, tantum duo ſuperfuerint. Tam felix eis fuit imperium *Phocæ*, quem illi coronaverant.

II. *Imperii adminiſtratio.*

1. *ACTA TOGATA.*

Initio bonam de ſe ſpem præbuit ſubditis, exſpectantibus per ipſum Romani imperii reſtaurationem: quia vir militaris erat, & ſæpe victoriam ab hoſte reportarat. *Sed ille*, poſtquam Imperatoriam dignitatem conſecutus fuerat, totum ſe vitiis dedidit, & Rempublicam minime curavit. Nam,

1. Fuit IGNAVUS. Quoniam cum aulicis ſuis Perſico more ſolitus eſt ſecreta omnia diſponere. Hi legatos audiverunt, judicia adminiſtrarunt, Magiſtratus damnarunt. Imo *deſidia* atque *ignavia* ejus hoſtes Romani imperii undiquaque potentiores facti. In occidente Germanias, Gallias, Hiſpanias, & bonam Italiæ partem, Pannonias item & Mœſiam magis magiſque abſtulerunt. In Oriente vero Perſæ Meſopotamiam, Syriam, Palæſtinam & Phœniciam ſubegerunt: in Armeniam, Cappadociam, Paphlagoniam & Galatiam incurſiones fecerunt. In Europa Avares Thraciam vaſtarunt. Ita quidem, ut quaſi umbra tantum quædam de imperio Romano reſtaret. *Diaconus. Pomp. Lætus.*

II. AVARVS fuit. Longe ſtudioſius enim *Mauritio* colligendæ undique pecuniæ incubuit, & avariſſime tributa exigenda mandavit: imo tantæ fuit avaritiæ, ut ſubditos, quibuſcunque poſſet modis, expilaret, & undiquaque opes corraderet: militibus quidem ſtipendia non omnino denegavit, ſed ea nimium parce præbuit. *Diacon. Pomp. Egnat.*

III. LIBIDINOSVS fuit, adeo ut raptas conjuges aliorum ſtupraret.

IV. CRVDELIS, PERFIDVS, & EBRIOSVS fuit. Nam 1. *Mauritium*, ejus conjugem, liberos, omneſque cognatos miſere trucidari juſſit: uti in hiſtoria præcedenti dictum. 2. NARSES ab eo defecerat, Edeſſa occupata, & acceptis à Coſroë Perſarum Rege auxiliis. Poſtea frater *Phocæ* ad eum miſſus eſt, qui jurejurando fidem ei firmavit, nihil eum mali paſſurum ab Imperatore, ſi rediret ad eum. At *Phocas* nulla fidei datæ ratione habita, vivum eum cremavit: quod magnum dolorem Romanis attulit. Sic enim formidoloſus *Narſes* fuerat Perſis, ut pueros quoque ſuos, nominando *Narſetem*, terrerent. *Zonaras. P. Diaconus.*

3. Cum *Phocas* Circenſes ludos edidiſſet, ac ſub veſperam vino ſe ingurgitaſſet, & tardius rediret, clamavit populus: *Expergiſcere Phoca!* Cumque non ſtatim ad ſpectaculum procederet, vociferati ſunt: *Rurſus vinum bibiſti, rurſus mentem amiſiſti.* Ob hoc convicium ira correptus, multis membra præcidit, multoſque viros nobiles & præſtantes occidit. *Zonaras. Diaconus.*

4. Cum prætoriani milites conviciis Imperatorem laceſſiviſſent, furore percitus multos occidit, multos truncavit; nonnullos in mari demerſit: plurimos præfecto ad ſupplicium in prætorio cuſtodiendos tradidit. *Prætoriani* contra prætorium & curiam cremarunt, & effregerunt carceres: quibus iratus Phocas omnes ſimul exauthoravit. *Zonaras. Miſcell.*

5. Anno imperii ſui quinto, filiam Domnentiam *Priſco* Patritio & Comiti excubitorum in uxorem dedit, & factis magnificis nuptiis in palatio Marniæ, juſſit fieri ludum equeſtrem; in quibus, quod imagines *Priſci* & *Domnentiæ* publice propoſitæ eſſent, à populo ambo Auguſti proclamati ſunt. Id vero *Phocas* moleſtiſſime tulit, & ſtatim eos, qui imagines propoſuerant, decollari juſſit, ac *Priſcum* generum odio habere cœpit: & inquiſitione facta, cum plurimi ſuſpecti eſſent novarum rerum, eoſdem in carcerem conjecit: qui cum anguſtior eſſet, plurimi in tanto fœtore defuncti ſunt. *Matrona* autem quædam proxime carcerem habitans, cum miſerias captivorum noſſet, ſponte ceſſit ædibus ſuis, eaſque Phocæ dedit ad ampliandum carcerem. *Zonaras. Miſcell. & Glicas.*

V. TIMIDVS fuit. Cum *Imperator Mauritius* ſomniaſſet, ſe tradi jugulandum ſuo militi *Phocæ*, ideoque *Philippicum* interrogaret, qualis eſſet *Phocas*, iſque reſpondiſſet, centurionem ambitioſum eſſe, ſed timidum: *Si timidus eſt*, inquit Imperator, *homicida eſt.* Hoc enim vetuſtas dixit, Πᾶν δειλὸν φονικόν.

Plutarch. in Artaxerxe Tit. 1. p. 1024. Timiditas in tyrannide funeſtiſſima eſt: Placidus, manſuetus, & ſuſpicione liber, animus fortis. Unde immites & maxime indomitæ feræ meticuloſæ ſunt pavidæque. Generoſæ ex audacia confidentiores, non declinant conſuetudinem, vel eorum attrectationem.

II. *ACTA SAGATA.*

Coſroës Perſarum Rex, certior factus de *Mauritio* Imperatore amico ſuo cæſo, arma *Phocæ* intulit, quinto menſe poſt occiſum *Mauritium*. Contra hunc *Phocas* miſit cum exercitu *Narſetem* & *Germanum*: cum his Coſroës prælio congreſſus,

eos vicit, & magna clade adfecit. *Cedren. Diacon. Nicephorus.*

Poſtea cum *Imperator* non haberet exercitum, quem hoſtibus opponeret, & rem militarem negligeret; hoſtes imperii Romani undiquaque potentiores facti: ita ut eo ventum ſit, ut tantum quaſi umbra quædam de imperio Romano reſtaret, & aut nomen imperii deleretur, aut Phocas occumberet. *Cedrenus, Zonaras, Diaconus.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. MAVRITIVS Imp. Conſtantinopolitanum Epiſcopum paſſus fuerat ſe nominare Oecumenicum, h.e. univerſalis Eccleſiæ Præſulem. Quam arrogantiam reprehendens *Gregorius* Pont. Roman. exclamat: *O tempora, ô mores! Ardet undique bellis orbis terrarum, trucidantur ab Idolorum cultoribus Chriſtiani, delentur à Barbaris urbes & templa: & tamen ſacerdotes, velut inſultantes calamitatibus, vanitatis nomina uſurpant, & titulis profanis ſeſe oſtentant.* Nomen tamen Oecumenici Romano Epiſcopo à Phoca conceſſum, *Bonifacius* III. Gregorii ſucceſſor cupide arripuit. Atque inde initium ſumtit Tyrannis Hierarchiæ Romanæ, cum ſedem Romanæ Eccleſiæ, rogante *Bonifacio*, *Phocas* ſtatuiſſet, caput eſſe omnium Eccleſiarum, & Romanum Epiſcopum juſſiſſet ſuperiorem eſſe Conſtantinopolitano & cæteris omnibus. Similiter *Bonifacius à Phoca* impetravit PANTHEON templum, ab Agrippa tempore AVGVSTI Imp. exſtructum, idque in honorem virginis Mariæ ROTVNDÆ, & omnium Martyrum conſecratum eſt. *Anaſtaſ.*

2. A.C. 609. ingens *Antiochiæ* ſeditio mota eſt, qua Judæi Chriſtianos crudeliſſime perſecuti ſunt, multos occiderunt, & *Anaſtaſium* Epiſcopum in foro combuſſerunt. *Phocas* exercitum miſit Antiochiam, juſſitque quæſtionem haberi. Multi Judæorum partim occiſi, partim mutilati, urbe ejecti ſunt. *Zonaras, Diaconus, Miſcell.*

Prodigia.

1. Imperante *Phoca*, orbem terrarum præcipue vero Italiam, graviſſima & intolerabilis fames preſſit. Tantus etiam fuit hyemis rigor, ut mare frigore congelatum, piſces poſtea mortuos ejiceret. *Chron. Funccii fol.* 121.

2. *Miraculum* quoddam refertur à *Sigeberto*, quod videlicet pauper quidam à nautis eleemoſynam petierit. Cui illudentes nautæ reſponderunt, ſe præter lapides nihil habere. *Mendicus* igitur iſtam impietatem nautarum exſecrans, inquit: Omnia ergo, quæcunque manducabilia ſunt in navi, vertantur in lapides; quod & factum eſt: lapidum enim duriciem omnia, quæ prius manducabilia fuerant, ſortita ſunt, licet color & forma ciborum priſtina manerent. Sive autem vere hoc factum, ſive ab aliquo confictum eſt; certe miſeri non ſunt irridendi, niſi DEI iram & vindictam ſeveram in nos provocare voluerimus. *Sigebertus in Chron. Hiſt. Magd. Cent. 7. cap. 13. pag. 560.*

3. *Merito* quoque magnum prodigium dici poteſt, quod imperium Roman. Monſtrum *Imperatoris*, nempe *Phocam*, habuerit; & quod Pontifex Roman. Epiſcopus Oecumenicus à *Phoca* conſtitutus ſit.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

CUm eo ventum eſſet, ut aut nomen imperii deleretur, aut Phocas occumberet: miſit Senatus & ipſe Dux Priſcus legatos ad *Heraclianum*, ejus *Heraclii* patrem, qui poſt imperio potitus eſt, Africæ & Libyæ Præfectum, orantes, ut ſe à tyrannide Phocæ vindicaret.

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Heraclianus igitur cum claſſe & magnis copiis militum filium Heraclium: GREGORAS patricius cum multis equitibus, & magno exercitu miſit *Nicetam*, ea conditione, ut uter prior urbem occupaſſet, & Tyrannum ſuſtuliſſet, is imperio potiretur. Antevertit autem HERACLIVS, & commiſſa ad portum pugna, ſuperior evaſit, adjuvante *Priſco*, qui præfecti honore fungebatur. Regiam vero cum multis militibus *Photius* occupavit, unus ex illuſtribus, cujus uxorem *Phocas* vi conſtupraverat. Cumque ſatellites deſperata ſalute regia ceſſiſſent, Tyrannum ſolio deturbavit, direptaque purpura, pullam ei veſtem induxit, & captivum Heraclio exhibuit. Qui cum dixiſſet: *Itane miſer Rempubl. adminiſtraſti?* Phocas ex deſperatione reſpondit: *Tu vero melius eam adminiſtrabis?* Ob quod dictum iratus Heraclius, calcibus in eum inſiliit, & caſtrari juſſit. Alii eum ſtatim occiſum, alii manibus & pedibus prius amputatis, & virilibus (ob laſciviam, & multorum conjuges adulterio contaminatas) exſectis, poſtremo obtruncatum eſſe tradunt. Atque ita Tyrannus imperium male partum, maleque adminiſtratum, male amiſit, cum per octennium imperio inſultaſſet. *Cedren. Zonar.*

III. ΤΑ ΠΑΡΕΠΟΜΕΝΑ.

1. Infelix Tyranni cadaver, quod ejus reliquum fuit,

fuit, in Bove (eſt loci nomen) crematum eſt, ubi caminus fuiſſe perhibetur æreus, forma bovis, Pergamo tranſlatus: unde & loco nomen factum.

II. Sunt & Tyranni *fratres*, aliique neceſſarii interfecti. *Zonaras, Cedren. Onuphr.*

AXIOMA.

Omnis fere Tyrannus tragicum habet exitum.

Id quod teſtantur exempla tum ſacra, tum profana.

I. SACRA.

I. PHARAONEM graviſſimas pœnas dediſſe legimus. Fluctibus enim maris Rubri obrutus eſt, totuſque exercitus cum eo: ſicut ſcriptum exſtat *Exod.* 14. *v.* 28.

II. ABSALOM propter tyrannidem, inceſtum & impietatem, aliaque ſcelera, quæ in fratrem *Amnon*, ſororem, ipſumque Parentem exercuerat, juſto DEI judicio, in fuga è quercu pendens capillitio, miſere transfoditur. 2 *Sam.* 18. *v.* 14.

III. ACHAB propter injuſte lapidatum Naboth, in prælio ſagitta ictus occumbit: eoque in loco, quo canes ſanguinem Naboth linxerant, lambunt etiam ipſius ſanguinem canes. 2 *Paralip.* 18. *v.* 34, 38. Juxta illud 1 *Reg.* 21. *v.* 21. 2 *Reg.* 6. *verſ.* 7.

IV. Idem teſtatur exemplum *Jezabelis*, 2 *Reg.* 9. *Antiochi Epiphanis*, 2 *Maccab.* 9.

V. HERODES *Aſcalonita* Chriſtum occidere tentans, plurimoſque pueros nec tradens, *Matth.* 2. *v.* 16. propter tyrannidem graviter punitur à DEO: ut legere eſt apud *Joſephum lib.* 17. *Antiquit. Judaicar. cap.* 7. Item *lib.* 1. *de bell. Judaic. cap.* 21.

VI. HERODES *Tetrarcha*, alias ANTIPAS dictus, qui Johannem Baptiſtam decollavit, in exilio miſere periit: teſte eodem *Joſepho lib.* 18. *Antiq. Judic. cap.* 14.

VI. HERODES AGRIPPA, qui Jacobum patruelem Domini interfecit, à vermibus eroſus animam efflavit: ut patet ex *Act. c.* 12. *v.* 22, 23.

II. PROFANA.

I. NERO primus autor perſecutionis in Chriſtianos, interfecit Octaviam uxorem: matrem præterea Agrippinam, cujus diſſecuit uterum, ut videret, quo in loco ipſe, antequam naſceretur, delituiſſet: etiam præceptorem Senecam, Apoſtolos item Petrum & Paulum ſuſtulit. Is violentas ſibi inferre manus tandem coactus eſt, *Eutropius lib.* 8.

II. DOMITIANUS perſecutor Johannis Euangeliſtæ, non ſine ſanguine occubuit. Nam in cubiculo à ſuis propriis miniſtris, conſcia etiam uxore *Domitia*, multis vulneribus trucidatus eſt. *Sueton. Eutrop.*

III. TRAJANUS horrenda paralyſi, & ſimul hydropiſi, exſtinctus eſt.

IV. DECIUS in voraginem abjectus, ab eadem abſorptus eſt.

V. GALERIUS & MAXIMINUS in eos inciderunt morbos, quos nulli medici ſanare, imo ne ferro quidem potuerunt. Unde divinam eſſe plagam ipſimet fateri coacti ſunt: ut exſtat apud *Euſebium lib.* 8. & 9.

VI. Ita quoque *tyrannus Phocas* miſerabili morte extinctus eſt. Nam (uti ſupra dictum) detruncata ſunt ei brachia & pedes: & ſic jacuit diu, ut duriter excruciaretur, nec cito mori poſſet.

LXIII. IMPERATOR HERACLIUS.

CAPUT I.

DE ORTU.

PATER ejus dictus HERACLIANUS, qui Africæ & Libyæ Præfectus fuit.

MATER ejus ignoratur.

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

I. *ACTA OECONOMICA.*

I. UXORES habuit *duas.*

PRIOR fuit FABIA, quam in coronatione (mutato ejus nomine) EUDOCIAM appellavit.

POSTERIOR dicta fuit MARTINA fratris ejus filia.

II. LIBERI.

Ex *priore* uxore ſuſcepit 1. filium HERACLIUM juniorem, quem A. C. 613. in autumno *Auguſtum* appellavit, mutato nomine *Heraclii* in CONSTANTINUM. 2. filiam EPIPHANIAM, quæ tamen ante *Heraclium* nata, & ſimiliter à patre A. C. 613. in vere *Auguſta* dicta eſt.

Ex *poſteriore* uxore ſuſcepit filios: FABIUM, quem & *Heracleonam* vocavit; & DAVIDEM. *Zonaras in Heraclio* §. 6. & 7. *Miſcell.*

II. *ACTA POLITICA.*

1. *Imperii occupatio.*

Occiſo *Phoca*, mox conſenſu Senatus & militum

tum Imperator electus, & à *Sergio* Patriarcha coronatus est. Eodem quoque die *Eudociam* sponsam diademate ornavit. Ita simul & Imperatorias & nuptiales coronas acceperunt: eodem die & Imperatores appellati. *Zonaras*, *Cedrenus*.

II. *Imperii administratio.*

I. *Initio* pie, juste & laudabiliter imperium administravit. Et quidem duabus rebus maxime insignis est ipsius gubernatio: quarum altera felix fuit, repressio *Cosroïs* Persici Regis; altera calamitosa universo generi humano, videlicet initia & secta regni Mahometici.

Palam autem hic Princeps fortissimus & victoriosissimus professus est, neminem sibi præter DEVM auxiliari posse: in quo vincere præclarum sit, ac decorum: quo volente, unus mille facile persequatur. Unde hoc Symbolo usus est: A DEO VICTORIA.

Sic & *Euripides* scribit in Supplicibus:

Ἀρετὰ δὲ θνητοῖσι φέρει
Βροτοῖσιν, εἰ μὴ τ' κρείσσονι ἴσχοι.

id est,

Nil fortitudo proderit mortalibus,
Si non opitulator DEVS *sit maximus.*

Quod cum in aliis rebus, tum maxime in bello & militia verissimum est: in qua præcipue non tam fortunæ, aut fortitudini militum, aut virium magnitudini confidendum est; quam virtuti, & bonitati divinæ, & justitiæ ipsius causæ. Testantur hoc ipsum tum S. Scripturæ *dicta*, tum *exempla*.

I. *Scripturæ dicta.*

I. *Psalm.* 20. *v.* 5, 6, 7, 8. Lætabimur in salutari tuo, & in nomine DEI vexillum nostrum erigemus: impleat Dominus omnes petitiones tuas. Nunc cognovi, quod Dominus salvabit unctum suum: exaudiet illum de cœlo sancto suo: dextera ejus salvat potenter. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem DOMINI DEI nostri recordabimur. Illi incurvati sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus.

II. *Psalm.* 33. *vers.* 16, 17. Non salvatur Rex per multam virtutem: gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem: in multitudine potentiæ non liberabit.

III. *Psalm.* 140. *v.* 7. Domine DEVS, virtus salutis meæ: texisti caput meum in die belli.

IV. Victoria à Domino est. 2 *Sam.* 1. *vers.* 21. 1 *Maccab.* 3. *v.* 18, 19.

V. Non copiæ, nec vires victoriam afferunt, sed auxilium DEI. 2 *Paral.* 14. *v.* 11.

VI. Apparatus & vires non sunt sufficiens causa victoriæ: sed auxilium DEI, celeritatem, magnitudinem animorum, & alia multa concurrere oportet. 1 *Reg.* 2..

VII. *Proverb. cap.* 21. *v.* 31. Paratur ad pugnæ diem equus: sed à DEO est victoria.

II. *Exempla.*

I. BIBLICA.

I. ABRAHAM habens in comitatu trecentos & octodecim servos, potentissimorum Regum exercitus vicit. *Genes.* 14. Quo facto nemini dubium reliquit, victoriam non in multitudine militum, sed in bellatorum alacritate consistere, & virtutem nulli numero succumbere.

II. GIDEON Dux populi Israëlitici, cum trecentis militibus, qui una manu tubas, altera testulas gestabant, innumerabiles Midianitarum copias superavit. Midianitæ in sua potentia sunt contusi: *Gideon* vero ejusque milites in nomine Domini, clamantes: *Gladius Domini & Gideonis.* Illi ceciderunt: hi vero steterunt. *Judic. cap.* 7.

III. PHILISTÆI tribus copiis, & bene armati in terram Israël sese infundunt anno Mundi 2960. Tot erant milites, quot arenæ maris. At *Israëlitarum* tantum sexcenti erant, non armati, sed duo tantum ex illis omnibus arma & gladios gerebant, videlicet *Saul & Jonathan*: alias hasta aut gladius in Israël non inveniebatur. Et tamen illi ceciderunt, hi steterunt. 1 *Sam.* 13. *v.* 20. 22.

IV. GOLIATH viribus & vastitate corporis confidens, nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli: Exercitum Israëliticum omnem, præ suo robore & mole contemnit, & ex eo provocat clamore fortissimum quemque mane & vesperi, dies totos quadraginta. Ad ejus conspectum trepidarunt universi, nec audebat quisquam, etiam præmiis amplissimis invitatus, cum eo congredi. Missus in castra David, ejus in DEVM maledicta impia non fert, & regio permissu certamen cum eo singulare suscipit. Itaque tiro adolescens, accedens ad virum militarem: ad armatum hasta & clypeo, instructus funda & lapillis, cum risu & convitio excipitur: sed nomine DEI sui invocato, David primo ictu, cassidem æneam perrumpit, frontem ejus parvo lapillo dividit, eumque gladio proprio obtruncat, & spolia opima corpori detrahit. 1 *Sam.* 17.

V. ABIA bellum cum Jerobeamo gessit: ille in aciem produxit bellicosissimorum virorum quadraginta millia. Hic vero exercitum habuit octingenta millia virorum, qui etiam electi erant, & ad bella fortissimi, in quibus confidebat, & *Abiam* ita cinge-

cingebat, ut locus evadendi non eſſet. *Abia* vero preſſus calamitate, & in anguſtias extremas compulſus, ſalutem à DEO expetit, dicens:

עמנו בראש האלהים:
Μεθ' ἡμῶν ἐν ἀρχῇ Κύριος.
DEVS *nobiſcum eſt in prima acie.*
Gott iſt mit vns an der ſpitzen. *Paral.* 13. *verſ.* 12.

Tantus igitur pavor hoſtibus injectus eſt, ut ad conſpectum eorum, quos circumvallaverant, trepidarent, inque fugam ſe conjicerent. Abia eos inſequens, quingenta millia gladio tollit. 1 *Paral.* 13. *verſ.* 17.

VI. ASA Rex in Iuda habuit in exercitu ſuo portantium ſcuta & haſtas, de *Iuda* trecenta millia: de *Benjamin* vero ſcutariorum & ſagittariorum ducenta octoginta millia, omneſque illi viri fortiſſimi. Egreſſus eſt autem contra eos *Zara* Æthiops cum exercitu ſuo, 1000000, & 300 curribus. (maximus hic fuit exercitus, cujus mentio fit in Bibliis.) *Zara* confidit in multitudine exercitus ſui: *Aſa* autem in Domino. Invocavit enim Dominum, & ait: *Domine, non eſt apud te ulla diſtantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus: adjuva nos Domine Deus noſter: In te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noſter tu es, non prævaleat contra te homo.* Exterruit itaque Dominus *Æthiopes* coram *Aſa* & Iuda: fugeruntque Æthiopes, & perſecutus eſt eos *Aſa*, & populus qui cum eo erat, & ruerunt Æthiopes uſque ad internecionem, quia Domino cædente contriti ſunt, & exercitu illius præliante. 2 *Paral.* 14. *v.* 11.

VII. Tradunt Ebræi, *Iudam Maccabæum* hoc Symbolum militibus ſuis dediſſe: DEI EST VICTORIA, 2 *Maccab.* 13. *v.* 15. eumque hac in Deum fiducia fretum hoſtes fortiſſimos & numeroſiſſimos parva manu proſtraviſſe, indeque eum dictum eſſe Hebraice מכבי Macchabi, h. e. *Maccabæus*, nimirum à literis Ebraicis, quæ ſunt initiales ſingularum dictionum hujus verſiculi, qui in Ebræo ſic habet: מי כמך באלים יהוה *mi camocha baelim lehova.* Si enim à prima dictione *mi* capias primam literam *m*, à ſecunda primam *ch*, à tertia primam *b*, à quarta *i*, eaſque conjungas, facies Machabi, i. e. *Machabæus.* Ita tradit *R. Iſaac ben Hole. Reuchlinus lib.* 3. Cabalæ. *Mercerus in abbrev. Ebraicis. Sixtus Senenſis lib.* 1. *biblioth.* & Genebrardus in Chronologia.

II. PROFANA.

1. XERXIS copiæ pene innumerabiles primum à trecentis Lacedæmoniis ad Thermopylas luxatæ, deinde à Themiſtocle in pugna Salaminia fractæ, tandem vero à Pauſania ad Platæas prorſus extinctæ ſunt. *Strigel.*

II. HENRICVS V. Imperator Sileſiam, quæ tunc Poloniæ parebat, cum exercitu ingreſſus, Libuſium oppidum limitaneum cepit, illudque donavit Archiepiſcopo Magdeburgenſi: Glogoviam fruſtra oppugnavit, & *Boleſlao* pacem dedit. Vbi cum forte *Cæſar* legatis ingentem auri & argenti theſaurum monſtraſſet, ſubindicans, paratos eſſe belli gerendi nervos: *Hic*, inquit, *Polonos perdomabit.* Vnus ex legatis Polonicis ſtultam Cæſaris jactantiam notans, annulum aureum digito detractum ad reliquum auri cumulum adjecit: addens hæc verba: *Iungatur aurum auro.* Quo ſcommate nihil offenſus eſt Cæſar, reſpondit Germanica lingua: Habdanck: quod eſt: *Ago gratias.* Inde manſit univerſæ familiæ nobile nomen, ut *Habdanckii* appellentur. Paullo poſt *Henricus* V. non procul à Vratislavia acerrimo prælio victus eſt à *Boleſlao* R. Polon. in campo Canino; cui nomen fecit concurſus canum poſt pugnam cadaver laniantium. *Crom. Curæus.*

III. VITIA.

Supra diximus, quod *Heraclius* inſignibus virtutibus præditus fuerit; tamen vitiis non prorſus caruit. Nam,

I. In *hæreſin Monotheletarum* lapſus eſt: de quo plenius in Actis Eccleſ. dicemus.

II. Ad *aruſpicinam* & incantationes converſus, totum ſeſe Satanicis præſtigiis & artibus faſcinandum tradidit.

III. *Cum ipſius* prima conjunx mortua eſſet, & funus ornatu regio per forum ad ſepulturam efferretur, puella quædam barbara per feneſtram exſpuens, elatum cadaver ſputo attigit. Nulla mora interpoſita, innocens illa puella Imperatoris juſſu comprehenſa, rogo impoſita viva cremata eſt; quæ ſane fuit immanis crudelitas. *Zonar. Pompon. Lat. Egnat.*

IV. Poſt mortem *Fabiæ* fratris ſui filiam *Martinam* in uxorem duxit (contra naturæ & DEI leges) captus formæ illius pulchritudine: atque ut crimen inceſtus palliaret, legem inſuper tulit, ut idem omnibus ejus ſubditis liceret. *Propter* iſtum inceſtum creditum eſt pœnam ei hanc contigiſſe, ut membro genitali per priapiſmum ſurſum ſemper arrecto, vultum ſuo lotio permingeret, niſi tabella imo ventri oppoſita prohiberet. *Niceph. Egnatius.*

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bella* cum *Cosroë* Perſarum Rege in Oriente geſta.

I. ΤᾺ ΠΡΟΗΓΟΎΜΕΝΑ.

I. Cum *Cosroes* omnes provincias Imperii Romani percurreret, eaſque crudeliter vaſtaret; Imperator *Heraclius* vero non haberet exercitum, quem hoſtibus opponeret, cum *Phocas* rem militarem neglexiſſet: (vix enim duos invenit milites, qui à *Mauritio* lecti erant) legatos ad *Cosroem* miſit, ab eo petentes ut tandem finem faciat fundendi ſanguinem humanum in Romano Imperio, cujus beneficio habeat, ut Rex à *Mauritio* ſcilicet ſit conſtitutus: ſed legati ſine reſponſo ſunt dimiſſi. *Zonar.* §. 6. *Cedrenus.*

II. *Cosroës* & Perſæ anno Chriſti 615, Imperii *Heraclii* quinto, Jordane occupato, Palæſtinam & urbem *Jeruſalem* vi expugnarunt, & per Iudæorum manus interfecerunt, ut fertur, ad 90 millia hominum. Nam Iudæi à Perſis Chriſtianos emtos necaverant; *Zachariam* Præſulem Hieroſolymitanum, & lignum crucis Chriſti, cum reliqua præda, in Perſidem abduxerunt. *Cedrenus*, *Diaconus.*

III. Anno Imperii *Heraclii* ſexto cepit *Cosroës* totam Ægyptum, & Alexandriam & Libyam uſque ad Æthiopiam, multaque præda accepta, & exuviis quamplurimis & pecuniis, ad propria remearunt. *Diaconus* §. 2.

IV. Anno ſeptimo Imperii *Heraclii*, caſtrametati ſunt Perſæ contra *Carthaginem*, quam & bello ceperunt. *Idem.*

V. *Heraclius* abhorrens à bello, anno Imperii ſui 8, anno Chriſti 618, iterum legatos miſit ad *Cosroëm*, qui admonerent eum, quantum deberet Romano Imperio, & ut tandem faceret modum ſuæ felicitatis, & pacem concederet: Verum *Cosroës*, cui animus erat perdendi omnia, his contemtis legatis, ſpretiſque pacis conditionibus, ſuperbe admodum & contumelioſe reſpondit, dicens: *Non paream vobis, donec crucifixum abnegetis, quem* DEUM *fatemini eſſe, & Solem adoretis.* Auxerant ſuperbiam *Cosrois* priores ſucceſſus Phocæ tempore. *Imperator* igitur pace deſperata, bello Perſas invadere conſtituit; cumque ærarium exhauſtum eſſet, quicquid auri & argenti in Eccleſiis reperit, id ſignavit, & ea moneta militem conduxit.

II. ΤᾺ ΠΡΑΧΘΈΝΤΑ.

Heraclii cum Ducibus *Cosrois pugna, ejuſque victoria.*

I. *Heraclius* anno Imperii ſui 12, A. C. 622, indictione decima, cum Paſcha celebraſſet, ſequenti die, feria ſecunda, veſperi, eduxit exercitum Conſtantinopoli contra *Perſas*: & quidem eo alacrius hoſti occurrit, quia non Imperii cauſa tantum, ſed multo magis propter defenſionem Eccleſiarum & Chriſtianæ doctrinæ dimicandum eſſe intelligebat. Porro filium ſuum urbi præſidio reliquit, ipſique tutorem conſtituit *Caganum*, cum quo firmam amicitiam pepigerat. *Saes* Dux à *Cosroë* miſſus totam Aſiam vaſtavit, Chalcedonem uſque pervenit, & cum *Heraclio* de pace egit: à qua *Heraclius* non averſus miſit legatos ad eum ſeptuaginta; qui perfidia pluſquam Punica in vincula conjecti, & ad *Cosroem* miſſi ſunt: qui ratus, quod *Saes* non ſimul *Heraclium* cepiſſet, eum revocavit, & vivo cutem detraxit. *Cedrenus.*

II. *Saes* occiſo, *Cosroës* alium miſit ducem nomine *Sarbaram.* Miſſus præterea à *Cosroe* Dux *Anaſtaſius*, ad vaſtandam Aſiam minorem & obſidendam Chalcedonem; ſed hic magno *Heraclii* bono, relicta ſuperſtitione gentili, à Perſis ad Chriſtianos confugit, Sacris Chriſtianis initiatus, & poſt aliquot annos a Perſis captus, adque *Cosroem* abductus, martyrio coronatus eſt.

III. *Heraclius*, aſſumtis copiis Turcorum, in itinere plures copias contraxit, eaſque ad pugnam exercuit. Nam diviſo dupliciter exercitu, acies & congreſſiones invicem ſine ſanguine fieri juſſit. Clamorem bellicum, & carmina & jubilum, & impetum in alterutrum ſurgendi habere hos docuit, ut reperti in bellis nil mirarentur, ſed fidenter impetum in hoſtem facerent. Cumque inveniſſet exercitum indetidia multa & formidine conſtitutum, & per multas terræ partes diſſeminatum, actum in unum collegit, talique oratione ad eos uſus eſt: *Videte, fratres & filii, quod inimici* DEI *conculcaverunt regionem noſtram, & urbes exterminaverunt, & altaria concremarunt, & menſas incruentorum ſacrificiorum ſanguinibus & homicidiis repleverunt: qua flagitia non admittunt, flagitioſiſſimis repleverunt voluptatibus.* Itaque rurſus cuneos ad bellicum exercitium armans, agmina duo armata ordinans, tubas quoque ac clypeorum phalanges efficiens, & populus thorace indutus aſtabat. Nam cum acies ſtatuiſſet cautius, congreſſiones agere invicem juſſit. Impulſiones autem vehementes, ac percuſſiones in alterutrum efficiebantur, & habitus belli oſtendebantur. Eratque horribile viſu

ſu ſpectaculum, ſine timore periculum, & ad ſtrages impetus ſine ſanguine, non niſi adveniente neceſſitate, quatenus unuſquiſque percepta occaſione cædis innocuæ permaneret tutior. Cum ita *Heraclius* milites ad pugnam inſtruxiſſet, omnibuſque armatis ab injuſticia penitus abſtinendum, & pietatem ſectandam præcepiſſet, relictis Perſarum Ducibus recta in Perſiam profectus eſt, ubi primum Perſarum equitatum vicit, inde copias in Perſide in hyberna collacavit, ibique in hyeme aliquot præliis Perſicum exercitum attrivit, & tandem vicit, mediaque hyeme anno Chriſti 622. Conſtantinopolim rediit. *Cedrenus. P. Diaconus* §. 3.

IV. *Heraclius* A. C. 623, Imperii ſui 13, à regia urbe profectus, celeriter in Armeniam properavit. *Coſroes* autem Rex Perſarum miſit Sarmanazarium cum exercitu, ad Romanorum fines vaſtandos. *Heraclius* ſcripſit ad *Coſroem*, ut aut pacem amplecteretur, & 70 Legatos ſuos reſtitueret, aut ſciret, ſe cum exercitu ſuo Perſidem ingreſſurum. Sed nihil reſponſi accepit: Ideo 20 Aprilis Perſidem ingreſſus eſt. Quo *Coſroes* comperto, Sarnabaram Ducem, quem in Aſiam minorem miſerat, ut & *Sarmanazarium* revocavit, & collectis ex tota Perſide militibus ſuis, *Sathin* Ducem illis præfecit, atque contra Imperatorem procedere juſſit. Sed *Heraclius* nihil territus, advocato exercitu ſuo, verbis exhortatoriis incitavit eos, dicens: *Viri fratres*, DEI *amorem in mente ſumamus, injuriam hujus requirere ſatagamus. Fortiter hoſtes noſtros aggrediamur, quia multa dira in Chriſtianos operati ſunt: revereamur Romanorum imperium, quod ſui ipſius eſt Domini, & non alterius, & ſtemus adverſus hoſtes impiis telis armatos. Induamus fidem, nec formidemus interemtionem, & interemtricem gentem: quia intra Perſarum regionem conſiſtimus, ingenſque fuga fert periculum. Viriliter agamus, & Dominus* DEUS *cooperabitur, & perdet inimicos noſtros.* Cumque *Imperator* his & aliis quam plurimis commonitionibus populum exhortatus eſſet, reſpondit ei unus pro omnibus: *Expandiſti anguſtiam cordis noſtri, Imperator, os tuum in admonitione dilatans. Acuerunt ſermones tui gladios noſtros, & hos animos, qui vinci nequeant, operati ſunt. Expeditos nos tuis verbis exhibuiſti: erubeſcimus in pugnis te aſpicientes procedere, & juſſiones tuas in omnibus ſequimur. Imperator* autem cum exercitu ad Perſidem interiorem acceſſit, urbes multas vaſtavit regias aliquot ſedes *Coſrois* cremavit, & multa millia captivorum ſecum traxit: qui cum ſibi oneri eſſent, quinquaginta eorum millia in libertatem reſtituit, & exercitum in hyberna diſtribuit. *Cedren. Diacon. in Heraclio* §. 5.

V. A. C. 624. *Coſroes Sarrablagan* Prætorem conſtituit, virum facinoroſum, & elatum: tradenſque ei exercitum, eos videlicet, qui dicuntur *Coſroegetæ* ac *Perozita*, in Albaniam eum direxit ad *Heraclium*. Cumque ingreſſi eſſent fines Albaniæ, non ſunt auſi cum *Heraclio* congredi. At *Imperator* mox ut ver acceſſit, ex Albania in Perſiam moturus, à Duce *Sarrablaga* obſeſſus eſt; qui bellum videbatur conficere poſſe, ſi *Sarbaras* alter Dux Perſarum cum exercitu acceſſiſſet. Pervenit igitur cum exercitu ſuo Sarbaras, quos omni virtute armavit *Coſroes*, & deſtinavit per Armeniam adverſus *Heraclium*. *Sarrablagas* vero ſecutus poſt tergum *Heraclii*, non eſt cum eo in conflictum congreſſus, exſpectans uniri Sarbaræ, & ita cum *Heraclio* prælium committere. Cognito autem Romani *Sarbaræ* impetu, metu correpti ſunt, ad pedes Imperatoris prociderunt cum lacrymis, ſcientes, quale ſit malum non cedere ſervum Domini voluntatibus, & pœnitentiam agentes ſuper inobedientia ſua, quam nequiter perpetraverant, dicentes: *Auxiliatricem manum, Domine, priuſquam pereamus, miſeris præbe. Cedimus enim tibi, in quibuſcunque præceperis.* Tunc *Imperator* acceleravit congredi cum *Sarrablaga*, priuſquam alter adveniret: prælio igitur commiſſo, Sarrablagam vicit. *Coſroes* Duces cum conveniſſent, iterum pugnarunt: ſed & tum victi ſunt. Advenit poſt tertius Dux *Sathin*, quo recreati *Heraclium* inſecuti ſunt; cujus auxiliares *Lazii* una cum Abaſgis, & alii, timore perculſi, Imperatorem deſeruerunt. Sathin hoc animadvertens, furore multo una cum Sarbara Heraclium perſecutus eſt. Aſt *Imperator* collecto exercitu, hos verbis exhortatus eſt: *Multitudo vos fratres, inimicorum non conturbet. Deo quippe volente unus perſequetur mille. Maſtemus ergo noſmetipſos pro ſalute fratrum noſtrorum, & ſumamus coronam Martyrii, quo & futurum tempus nos laudet, & Deus reddat mercedes.* His atque aliis verbis milites animoſos reddidit: interim vero caute & timide progreſſus eſt, reddiditque Perſas ſecuros. Inde noctu cum equitatu regreſſus, incautos hoſtes in caſtris invaſit, & plurimos occidit, inſignique præda potitus cum gaudio in Armenia intrepidus hyemavit. *Miſcell. Diaconus.*

VI. A. C. 625. Imperii ſui 15 *Heraclius* per Taurum montem primo vere ad Martyropolin & Amidam exercitum deduxit, ibique eum refecit. Inde Euphratem tranſiit menſe Martio, & tandem Samoſatam occupavit: ibi per totam æſtatem Perſas variis præliis attrivit, & tandem exercitum in hyberna diſtribuit. *Miſcell. Cedrenus*, & *Diaconus.*

VII. A.C. 626. *Cosroës* hac hyeme legatos misit ad Hunnos, Avares, & Sclavos, cum multis muneribus; eosque invitavit, ut secum Heraclio bellum inferre vellent, & Constantinopolim expugnare. Quo cognito, *Heraclius* exercitum suum tripliciter dividit: tertiam partem Constantinopolim, ut ibi præsidio esset, misit; quibusdam vero traditis *Theodoro* fratri suo, contra *Sathin* bellare præcepit. *Theodorus* primus ad hostem venit, & Sathin prælio vicit. Hoc comperto, *Cosroës* contra *Sathin* ira inflammatus est. Qui sibi ab illo metuens, mœrore animi mortuus est, quem salitum ad se deferri jussit *Cosroës*, & multis verberibus mulctatum in frusta discerpi jussit. HERACLIUS ipse humiliore parte exercitus accepta in Laziam profectus, & in ipsa degens, Turcas ab Oriente, quos *Cazaros* vocant, in auxilium evocavit; qui ruptis Caspiis portis, in Persiam irruerunt in regionem Adragiæ, una cum prætore *Zeibil*, qui dignitate secundus à *Cagano* erat: & in quæcunque loca peragrarunt, tam Persas deprædarunt, quam civitates & villas igni tradiderunt. Profectus vero *Imperator* his occurrit à Lazica. ZEIBIL hoc viso, accelerans collum ejus amplexus est, electisque 40 millibus virorum fortium Imperatori in auxilium dedit, ac deinde in regionem suam reversus est. His autem *Imperator* acceptis, Persiam longe lateque vastavit. At vero *Sarbaras* Dux Persarum Chalcedonem properans, *Avaresque* Thraci urbi appropinquantes hanc depopulari pararunt, multis machinis, adversus eam commotis: Et navium sculptarum ex Istro multitudine infinita seu innumerabili delata sinum maris repleverunt. Decem dies urbem obsidentes, bellum terra marique gerentes, *Domini* virtute superati sunt. Ideo *Avares* discesserunt, & ad loca sua reversi sunt: *Sarbaras* autem obsidionem Chalcedonis continuavit, & hyberna ibi ædificavit. *Miscell. Diaconus.*

VIII. A. C. 627. Imperii sui 17. *Heraclius* mense Sept. iterum Persiam ingressus cum Turcis, *Cosroëm* in angustias redegit; sed cum lacesseretur à Persis quotidie, & hybernum tempus ingrueret, *Turcæ* relicto Imperatore abierunt. At *Imperator* nihilominus perrexit, & allocutus est milites suos, dicens: *Scitote, fratres, quia nemo nobis vult auxiliari, nisi solus Deus, ut ostendat potentiam suam; Quoniam non in multitudine populorum seu armorum est salus; sed in eos, qui sperant super misericordiam ejus, mittit adjutorium suum.* COSROES vero cum magno exercitu *Razatem*, virum bellicosum ac fortissimum, contra *Heraclium* destinavit. *Imperator* Calend. Decemb. ad fluvium Zaban prope Niniven castra metatus est, & die 12 Decembr. acerrimo prælio cum Persis congressus; eos Duce præstantissimo cæso vicit, & arces ac regias *Cosroës* cepit, destruxit, & incendit. Interim *Cosroës* cum iis in locis nihil firmum videret, sumtis suis thesauris, & spoliatis arcibus, Ctesiphontem properavit: quam tamen non ingressus est, quod prædictum ei esset ingens periculum in ea urbe. Ideo Seleuciam abiit. *Heraclius* vero in palatiis *Cosroës* mansit, & Natalitia Christi, ac Epiphanias festum ibi celebravit, & septimo Ianuarii ex eo loco discessit. *Miscell. Diaconus.*

IX. HERACLIVS A. C. 628. novo anno ineunte *Cosroëm* ex omnibus suis palatiis fugavit, eaque destruxit. *Cosroës* contra, quod *Sarbaras* Dux, qui in Asia contra *Heraclium* bellum gerere debebat, nihil moveret, literas misit ad alium Ducem, nomine *Cartharigam*, cui mandavit, ut *Sarbaram* occidat, & exercitum in Persiam reducat; sed is qui literas detulit, circa Galatiam à Romanis comprehensus est. Qui comprehenso eo, nescientibus Persis, cum Byzantium deduxerunt, & Imperatoris filio tradiderunt. At Imperator (nempe Heraclii filius) cognita veritate, protinus Sarbaram accersivit, qui cum introisset, astitit Imperatori: Imperator autem huic epistolam, quam *Cosroës* ad Cartharigam miserat, tradidit, eique prælegit. At ille rei veritate comperta, statim fœdus cum filio Principis & Patriarcha fecit, aliamque epistolam confinxit, in qua addidit, etiam alios quadringentos satrapas & tribunos, & centuriones interimendos, eamque convocatis tribunis & centurionibus recitandam curavit. *Zonaras, Diaconus, Cedrenus.*

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

1. *Persarum in Cosroëm odium. Heraclius* adhuc in Persia cum exercitu commorans, scripsit ad *Cosroëm: Ego persequutionem patior, & pacem unice desidero. Non sponte Persiam vastavi, sed à te lacessitus. Quare arma deponentes pacem amplectamur: extinguamus ignem, prinsquam universa inflammet.* Cumque *Cosroës* hanc Heraclii admonitionem non admitteret, Persarum adversus se ingens odium excitavit. Quo accessit *stratagema* illud *Archisatrapæ Sarbaræ*. De cujus nece cum *Cosroës* ad *Cartharigam* comprætorem ejus literas misisset, eæque, nuncio intercepto, in manus Sarbaræ pervenissent, alteras ipse *Cosroës* nomine confinxit, quibus sua & multorum Præfectorum tribunorumque militarium cædes mandaretur: Hæ literæ cum palam recitatæ essent, omnes iracundia inflammati, communi consilio ad Romanorum Imperatorem se conferre statuerunt. *Diaconus, Zonaras.*

11. *Tragicus Coſrois exitus, ejuſque cauſa.* Poſt hæc etiam aliud acceſſit infortunium ad Coſrois interitum maturandum. Nam cum plures haberet filios, rejecto Siroë natu maximo, alteri nomine Mardaſæ regnum tradere conatus eſt. Quod cum cognoviſſet Siroës, conciliatis ſibi quibuſdam Satrapis, parentem *Coſroëm* invaſit, ferreis compedibus eum alligavit, & magnis ponderibus circa collum gravatum in tenebricoſum locum, ubi theſauros deponere Coſroës volebat, detruſit; parumque panis & aquæ ei porrigi juſſit, & hoc modo fame illum cruciavit, dicens: *Comedas aurum, quod incaſſum collegiſti; propter quod etiam multos fame necaſti, & Romanos contra Perſas concitaſti, ac cædibus mutuis cladibuſque graſſari coëgiſti.* Deinde *Mardaſam*, cui regnum ille deſtinarat, cæteroſque liberos in conſpectu illius trucidari mandavit. Poſtremo *Coſroëm* poſt 15 diem jam fame maceratum carcere eduxit, ipſumque, metæ loco collocatum, & telis Ducum Perſicorum confoſſum ſuſtulit, cum annos regnaſſet 25. Sic inter ſpicula nequiſſimam animam reddidit, qui conviciorum ac blaſphemiarum tela in Chriſtum crucifixum ejaculatus fuerat, & arma impia ei intulerat. *Cedrenus, Diaconus, Zonaras.*

USUS.

Pulerum pœnæ talionis exemplum habemus in Coſroë. Hic enim patrem ſuum Hormiſdam in carcerem conjecit, & deinde occidi juſſit. Idem ipſi contigit à filio Siroë. Nam juſſu filii primo in carcerem conjectus, & fame maceratus, poſtea vero ſagittis confectus eſt.

111. SIROES regno potitus ſcripſit ad *Heraclium*, ſcelerati *Coſrois* interitum ei annuncians, pacemque cum eo fecit firmiſſimam: & captivos omnes, quotquot in tota Perſide carceribus incluſi tenebantur, reddidit, una cum Hieroſolymitano Patriarcha *Zacharia*, & ligno S. Crucis, quod Perſæ ante annos 12 Hieroſolymis abſtulerant. Similiter qui à Romanis captivi tenebantur, domum redeundi poteſtas data eſt. Recepta eſt tum à Romanis Africa, Ægyptus, & quicquid terrarum fuerat ex Romano Imperio à Perſis occupatum, à Meſopotamia ad oram Syriæ, & ad mare Erythræum; Arabia tantum excepta, quam Mahometus ſua labe infecit, ſibique ſubjecit. Pax denique his conditionibus confirmata eſt, ut limes Perſici & Romani Imperii Tigris eſſet, atque Perſæ Meſopotamiam armis haud infeſtarent. *Cedrenus, Diaconus.*

1v. *Heraclii triumphus.* Hiſce *Heraclius* acceptis, cum ſex annis Perſidem oppugnaſſet, ſeptimo anno Conſtantinopolim reverſus eſt. Populus civitatis, audito adventu ipſius obviam illi cum Patriarcha & filio Conſtantino proceſſerunt, portantes ramos olivarum & lampades, laudantes eum cum gratulatione & lacrymis. Accedens autem filius Imperatoris, cecidit ad pedes ejus: & cum amplexatus eſſet eum, ambo lacrymas profuderunt. Quo viſo, populus Deo hymnos Euchariſticos cecinit, atque cum gaudio & acclamationibus Imperatorem exceperunt: Qui ingreſſus eſt urbem, ſedens in aureo curru, ſine ornamentis triumphalibus, tenens crucem in manibus pro lauro, ac publice gratias agens Chriſto pro victoria; cujus memoria ut poſteritati conſecraretur, Ferias exaltatæ crucis inſtituit. *Diaconus, Zonaras, Cedrenus, Miſcell.*

11. Bellum cum *Cagano*, Rege Avarium.

1. CAGANUS A. C. 619. Imperii *Heraclii* pono, bellum Imperatori intulit, & ad Thraciam vaſtandam exercitum eduxit. *Heraclius*, qui nec Perſis reſiſtere poterat, legatos ad *Caganum* de pace miſit, quæ fraudulenter promiſſa eſt: hac tamen conditione, Si *Imperator* ipſe præſens pacem confirmaret. *Imperator*, ne quid in ſe deſiderari pateretur, hoſti obviam profectus eſt cum omni obſequio regio, ac muneribus multis ad ſuſcipiendum *Caganum*, recepturus ab eo juramenta faciendi invicem ſponſiones pacificas. At *Barbarus*, ſpreto jurejurando & fœdere, ſubito tyrannice contra Imperatorem profectus eſt, eumque comprehendere ſtuduit. Stupefactus ergo Imperator ſuper inſperatæ rei molimine, fuga elapſus Conſtantinopolim reverſus eſt. *Barbarus* autem omne regium inſtrumentum & comitatum, pecuniam quoque, & multa millia captivorum, diripuit, atque impune domum rediit. *Zonaras, Diacon.*

11. Anno Imperii ſui decimo, *Heraclius* bellum contra Perſas moliens, primum omnium firmam pacem cum *Cagano* facere ſibi conſtituit. Legatis igitur ad *Caganum* miſſis, ſuper his quæ nequiter acta fuerant ab eo conqueſtus, & ad pacem adhortatus eſt. Qui ſe pœnituiſſe pollicitus, fœdus cum *Heraclio* inivit. *Zonaras, Diaconus.*

111. Cum *Heraclius* adhuc in bello Perſico occupatus eſſet, *Caganus* iterum fœdere rupto Byzantium agrum, dum Imperator abfuit, invaſit: verum illi, quos *Heraclius* diſcedens filii ſui curatores, & publicarum rerum adminiſtratores reliquerat, multos viros fortes in Barbaros, propter abſentiam exercituum ſecutos, ex improviſo immiſerunt, eorumque multa millia occiderunt; reliqui turpi fuga ſe in ſedes ſuas receperunt. *Miſcell.*

II. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. HERACLIVS, bello Perſico finito, A.C. 629, primo vere Conſtantinopoli Hieroſolymam profectus eſt, reportans eo S. crucis lignum à Perſis recuperatum, & actis Deo gratiis, votiſque perſolutis, Patriarcham Zachariam ſedi ſuæ reſtituit. Narrant autem, Heraclium ornatu regio voluiſſe humeris ſuis ſuſceptum crucis lignum importare in urbem; ſed prohibitum eſſe, porta ſponte ſua occluſa. Itaque admonitum haud ſcio Angeli ne, an *Zachariæ* Patriarchæ voce, ornatum regium depoſuiſſe, & pedibus nudis ingreſſum eſſe, iterum ſeſe aperiente porta abſque ulla hominum opera. Addunt etiam, Angelum dixiſſe: Cum Salvator mundi hanc portam ingrederetur, nullo ornatu regio incedebat. Quid igitur tu tibi vis?

II. HERACLIVS cum eſſet Hieroſolymis, omnes Judæos urbe ſancta expulit; adjuncto edicto, ne iis intra tertium milliare adire eam liceret. *Cedrenus*, *Diaconus*.

III. A.C. 629, in memoriam divini beneficii, & quod devicto *Coſroë* Perſarum Rege, crucem Domini à Perſis ablatam recepiſſet, atque Hieroſolymæ urbi reſtituiſſet, FESTVM EXALTATIONIS CRVCIS, 14 Septembris quotannis celebrandum, inſtituit.

IV. Hieroſolymis Edeſſam & Hierapolim profectus, ubique Eccleſias conſtituit. Cum Edeſſæ verſaretur, in colloquium deſcendit cum *Athanaſio* Jacobitarum Patriarcha, qui erat vir eloquens, callidus & dolis plenus, qui cum promitteret, ſe Synodum Chalcedonenſem recepturum, conſtituitur ab *Imperatore* Patriarcha Antiochenus. Inde quæſtionem movet, *an una vel duæ voluntates in Chriſto Deo & homine dicendæ eſſent*. *Imperator* cui hæc nova videbantur, conſulit *Syrum* Alexandriæ Epiſcopum, & *Sergium* Conſtantinopolitanum; quos cum videret conſentientes de una voluntate, ipſe etiam horum authoritate motus, hanc ſententiam amplectitur, & Eccleſia Orientis iterum miſere turbata eſt errore MONOTHELETARVM. Verum cum *Sophronius* tum Præſul Hieroſolymitanus, ſubjectis ſibi Sacerdotibus convocatis, per Concilii modum demonſtraſſet: *Qui unam in duabus Chriſti naturis voluntatem atque actionem affirmarent, eos palam unam quoque naturam ſtatuere*; eique JOHANNES Papa Romanus aſſenſus eſſet: *Imperator* edictum proponit: *neque unam, neque duplicem in Chriſto actionem aſſerendam eſſe*. Id edictum non modo orthodoxis, ſed Monotheletis ipſis quoque ridiculum viſum eſt. *Zonaras*, *Diaconus*, *Cedrenus*.

V. Imperante adhuc *Heraclio* in Oriente, Occidentales Saxones audierunt BERINVM, docentem de Chriſto Servatore. *Berinum* enim *Honorius* Papa ad ipſos miſerat. Atque hoc modo converſi ab Idolorum Ethnico cultu ad Chriſtum, una cum ſuo Rege *Cynegildo*, Baptiſmum acceperunt. Ita iis ipſis temporibus, quibus *Mahumeth* in Oriente cœpit opprimere religionem Chriſtianam, ea alia orbis parte emerſit. Chriſtus enim ſemper regnat & triumphat, & regnum ſuum ſalutiferum de gente ingrata aufert, & ad aliam gentem transfert, quæ cupide veritatem complectitur. *Beda lib. 2. cap. 16.*

VI. *Eduinus*, Anglorum Rex, à *Paulino* Epiſcopo baptizatus eſt, una cum ſuis nobilibus ac plebe plurima, A.C. 627, die Paſchatis, 12 Aprilis. *Beda lib. 2. cap. 14.*

VII. JVDÆI A.C. 616 ex Hiſpania in Gallias profugiunt odio religionis Chriſtianæ, quam recipere nolebant. Sed in Gallia eandem ſortem experiuntur, ut cogantur vel Chriſtiani fieri, vel facultates ſuas amittere. Cauſa, cur Judæi ad religionem Chriſtianam coacti ſunt, videtur fuiſſe, quod prædictum eſſet, religionem Chriſtianam à circumciſis everſum iri: quod creditum fuit de Judæis, cum Saraceni id poſtea tentarint.

VIII. MAHVMED Pſeudo-Propheta, Turcicæ impietatis & Tyrannidis author & propagator, cum venenum ſuum toto decennio occulte hominum animis infudiſſet, tandem collecto exercitu, armata manu, dogmata ſua propagare, & homines ad ea amplectenda vi cogere non dubitavit. Hic A.C. 622, metu inimicorum ſuorum ex urbe Mecha coactus eſt profugere: & ab hac fuga ordiuntur ſuam *Æram* ſive annos *Muhametani*, qui ſunt anni mere lunares duodecim menſium. Incipit autem hæc ÆRA ARABVM, ſive anni HEGIRÆ die 15 Julii, veſperi occidente Sole, Judæorum more, quando inchoatur feria ſexta. Novilunium Judaicum fuit die 14 Julii, feria quarta, horis 7, & ſcrupulis 182, poſt Solis occaſum. Quia autem HERACLIVS Arabibus Scenitis, qui ipſi egregie militaverant, ſtipendia diutius ſolvere recuſabat, quippe Præfectus *Heraclii* contumelioſe canes eos nominaſſet, illi irati cum *Mahumete* ſe conjunxerunt. Horum viribus auctus & potens factus *Mahumet*, progreſſu temporis multas provincias ſibi ſubjecit. Arabes enim freti multitudine & viribus ſuis, primum Damaſcum & Phœniciam occuparunt, & in Chriſtianos, patere ſeditioſis & aſſentiri falſis dogmatibus recuſantes, crudeliter ſævierunt, & aliquoties copias *Heraclii* profligantes, à Romano Imperio *Phœniciam*, *Syriam*, *Meſopota-*

potamiam, & *Ægyptum* avulſerunt. Perſas poſtea, regia ſtirpe exciſa funditus, ſibi ſubjecerunt, Eccleſias everterunt, & Chriſti nomen ſummis viribus delere conati ſunt: in quibus locis quotidie Chriſtiani, non aliter quam oves, magno agmine mactati ſunt. Ut autem facilius in officio ſubditos contineret *Mahumed*, cum animadverteret, ex diſputatione de religione maximas diſſenſiones in Imperiis oriri, *Alcoranum* condidit; quem tamen poſt ejus mortem primum rhythmis comprehenſum alii ediderunt. *P. Diaconus, Zonaras.*

Prodigia.

I. *Ingentes* terræ motus per 33 dies Palæſtinam, & per totum ferre annum Italiam concuſſerunt. *Sigebertus*, *P. Diaconus.*

II. Imperante *Heraclio*, Cometa forma gladii in cœlo apparuit à Meridie uſque ad Septentrionem ſeſe extendens. Quo prodigio augeſcentem Saracenorum potentiam ſignificatum fuiſſe putant. *Hiſt. Magd. cent. 7. cap. 13. p. 561. Annales.*

III. *Lues elephantina* in Italia graſſata eſt, quæ adeo deformavit ægrotos, ut, quando defuncti erant, agnoſci non poſſent. *Marian. Scot.*

CAPUT III.

DE EGRESSU.

CIrca finem Imperii *Heraclii*, Reſp. Chriſtiana ingentem cladem accepit. Scribitur enim, quod contra *Agarenos* (quos hodie Saracenos & Turcas appellamus) ſtultiſſimo conſilio ex portis Caſpiis copias de gente ſæviſſima (quam *Alexander M.* olim ſuper mare Caſpium propter eorum populorum immanitatem occluſiſſe dicitur) eduxerit, ut ejus gentis opera Saracenos profligaret. Deus igitur iratus per *Angelum* ſuum 50000 hominum in exercitu *Heraclii* occidiſſe ſcribitur. *Barbari* enim populi à Chriſtianis Principibus non ſunt in orbem Chriſtianum introducendi. Plus enim cladis & calamitatum tales adjutores dare ſolent, quam auxilii ſuo præſidio præſtant. Id quod *Saraceni* in Orientem evocati, ſuo exemplo docuerunt: quippe qui totum Orientale Imperium tandem devorarunt. Hac inſigni calamitate *Imperatoris* animus ita fractus & proſtratus eſt, ut ex animi ægritudine in morbum incideret, & accedente hydrope vitam cum morte commutaret, A.C. 641, menſe Martio, cum imperaſſet an. 30, menſes 10. Fuit hic primus *Imperator*, quem Conſtantinopolitanus Patriarcha confirmavit, & poſtremus, quem exercitus Romanus elegit. Poſt cum enim *Impp.* Romani Imperium, quaſi hæreditario jure, filiis ſuis reliquerunt. *Otho Friſigenſis lib. 5. cap. 9. Gotfridus Viterbienſis parte 16. Chronic. Hiſtor. Magdeb. cent. 7. cap. 13. p. 561. Cedrenus.*

LXIV. IMPERATOR,
CONSTANTINUS III.

I. ORTUS.

I. *Generatio.*

I. PATER ejus fuit HERACLIUS.
II. MATER fuit FABIA EUDOXIA.

Ex hiſce Parentibus *Conſtantinus* III. natus eſt: uti in hiſtoria *Heraclii* diximus.

II. *Appellatio.*

Dictus fuit 1. HERACLIUS CONSTANTINUS 2. *Conſtantinus tertius.* (Nam primus hujus nominis *Conſtantinus M.* fuit: Secundus, filius ejus natu maximus, CONSTANTINUS II.) Antea dictus fuit *Heraclius*, ſed in coronatione nomen ejus mutatum, & *Conſtantinus* appellatus eſt.

II. PROGRESSUS.

I. EDUCATIO.

Pater cum à teneris unguiculis diligenter educari curavit, tum in ſtudiis, tum in equeſtribus exercitiis, ita ut omnes magnam de eo ſpem conceperint.

Symbolum ejus:

INSANIA LÆTA VOLUPTAS.

Qui dulce malum voluptatem dixit, recte dixit: Omnia enim, quæ de voluptate dici poſſunt, uno quaſi verbo eſt complexus. Blanda ſiquidem res eſt voluptas, quæ pulcherrima ſpecie utilitatis & jucunditatis hominibus blanditur; ſed ea tamen perniciosa & turpis: quæ in maximam tandem moleſtiam & calamitatem, cum infamia & dedecore conjunctam, conjicit eos, quos ſemel amice complexa eſt. Ex quo recte *Plato*, teſte *Tullio*, *eſcam malorum* voluptatem appellat: cum ait: Δέλεαρ τῶν κακῶν ἡ ἡδονή. Sic nimirum ut *Princeps Lyricorum* ait:

——— *Virgo formoſa ſuperne,*
Deſinit in turpem piſcem maleſuada voluptas,
Vtilitaſque boni ſpecie fucata.

Nam eſt falſæ utilitatis & voluptatis omnino quidem virginea facies, cujuſmodi eſt Scyllæ, ac Sirenum: ſed quæ blandiſſimæ ſunt dominæ: nigra profecto,

fecto, & venenoſa cauda, quæut ſcorpius, incautos vulnerat.

Congruunt hæc cum adagio *Salomonis* : *Poſt riſum venit triſtitia, & gaudium occupat luctus.* Proverb. 14. v. 13.

Exemplum habemus in *Philiſtæis*. Horum enim voluptas quam derepente in luctuoſiſſimum deſiit exitium, cum ad captivum & excœcatum Simſonem illudendum conveniſſent ? *Judic. 16. verſ.* 23, 25, 30.

II. *ACTA OECONOMICA.*

1. Uxor ejus fuit GREGORIA, quæ & *Anaſtaſia* appellata, *Niceta* viri celeberrimi filia.

11. Ex ea ſuſcepit *filium*, nomine *Conſtantem*, qui poſtea Imperator factus eſt.

III. *ACTA POLITICA.*

Electio & coronatio. Puer adhuc unius anni coronatus eſt A. C. 613, patre Heraclio ſic volente. Quod Imperator ideo feciſſe videtur, quia bello gravi & periculoſo contra Perſas occupatus erat. Voluit igitur ſibi ſucceſſorem conſtituere, ne ex diſſidiis in eligendo Imperatore Reſpubl. Romana quateretur. Neque tamen conſultum fuiſſet, ſi tot annos à tutoribus Principis pueri regeretur. Sed Heraclius imperium in ſua familia hoc modo, ex affectu humano, retinere ſtuduit. *Chronicon Funccii.*

Narrat *Cedrenus*, eum à quibuſdam admonitum, quod corona Imperatoria cum patre ſepulta eſſet: ideo *Callinico* cubiculario mandaſſe, ut eam ſibi afferret. Is ſepulcro aperto, cadaver Heraclii inſtar aquæ diſſipatum reperit : coronam vero capiti adhæreſcentem, una cum crinibus revellens, cum lamentatione ad Conſtantinum adtulit, qui ſolvi atque æſtimari eam juſſit. Æſtimata autem eſt libris 70.

III. *EGRESSVS.*

Cauſa mortis ejus fuerunt *duæ.*

1. *Hæreticorum inſtigatio. Pyrrhus* enim hæreticus Patriarcha Conſtantinopolitanus, & complices ejus, cum viderent, *Conſtantinum* religioni orthodoxæ eſſe addictum, & ſinceræ religionis Doctoribus & Epiſcopis aſſentiri, eoſque promovere; novercam *Martinam* inſtigarunt, ut eum è medio tolleret.

11. *Novercæ ambitio. Heraclius* poſt mortem *Fabiæ Eudoxiæ*, matris hujus *Conſtantini*, duxit fratris filiam *Martinam*, ex qua natus eſt HERACLEONAS. Hunc ut faceret Imperatorem mater, veneno ſuſtulit *Conſtantinum*, ſexto menſe (alii quarto) poſtquam Patri *Heraclio* ſucceſſerat, & filium ſuum *Heracleonam* ſubſtituit. *Zonar. Chron. Funccii fol.* 123.

LXV. IMPERATOR, HERACLEONAS, cum matre MARTINA.

I. *ORTVS.*

HERACLEONAS ex inceſtu eſt natus. Nam ſecunda *Heraclii* uxor *Martina* fuit fratris ejus filia, ex qua *Heracleonas* genitus.

II. *PROGRESSVS.*

II. *Imperii occupatio.*

Per fraudulentiam & violentiam ad Imperium pervenit. Nam ſublato *Conſtantino*, Imperium ſibi & filio HERACLEONÆ vindicavit MARTINA.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

1. Vix decennis erat, cum ad Imperium perveniret *Heracleonas*. Ideoque male adminiſtratum fuit. Juxta illud *Eccleſiaſt.* 10. *verſ.* 16. Væ terræ, cujus Rex puer eſt !

2. *Coronam* ex ſepulcro patris ablatam templo Sophiæ dedicavit.

3. *Legatum* quoque Conſtantini, militibus viritim tria numiſmata diſtribuit. *Zonar.*

II. *ACTA SAGATA.*

Sub *Heracleona* A. C. 641. *Saraceni* Cæſaream Palæſtinæ, poſt ſeptennii obſidionem expugnarunt, & in ea ſeptem Chriſtianorum millia obtruncarunt. *P. Diaconus, Zonaras, Cedrenus.*

III. *EGRESSVS.*

1. Cum *Heracleonas* cum matre male Imperium adminiſtraret, in omnium odium incurrit. *Senatus* igitur juſſu capti, & primum *Martinæ* lingua præciſa eſt, ne oratione, qua plurimum valebat, populum commoveret : Puerum vero *Heracleonam* naſo mutilarunt, ne decor aut gratia in vultu ad commiſerationem populum flecteret : deinde ambo in *Cappadociam* relegati ; cum Imperium ſex menſes tenuiſſent, ibi in carcere mortui ſunt. *Cedrenus, Zonaras, Diaconus, Egnatius.*

2. PYRRHVS quoque, qui inſidiarum adverſus *Conſtantinum* conſcius fuit, exilio eſt mulctatus. Quidam referunt, quod ex fuga retractus, interfectus ſit, &c.

LXVI. IMPERATOR, CONSTANS II.

CAPUT I.

DE ORTU.

I. *Generatio.*

AVUS ejus fuit HERACLIUS Imp. Cujus nepos fuit hic *Conſtans* II.
PATER fuit Imp. *Conſtantinus junior.*
MATER fuit *Gregoria*, Nicetæ patritii filia.

II. *Appellatio.*

Dictus fuit CONSTANS, à bono omine. Quia parentes ejus putarunt, eum in pietate & Chriſtianis virtutibus conſtanter & perſeveranter victurum. Verum habuit quidem nomen, ſed non omen: ut ex dicendis patebit.

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

I. *ACTA JUVENTUTIS.*

AVUS *Heraclius* & pater in ſtudiis liberalibus omnibuſque exercitiis Equeſtribus cum informandum diligenter curarunt: in quibus etiam ita profecit, ut magnam de eo ſpem omnes conceperint.

II. *ACTA OECONOMICA.*

Vxor ejus quænam fuerit, ab Hiſtoricis non memoratur. Ex ea autem ſuſcepit filios tres, 1. CONSTANTINUM POGONATUM, qui ipſi in Imperio ſucceſſit. 2. TIBERIUM. 3. HERACLIUM.

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Pulſis in exilium *Heracleona* cum matre, à Senatu ſine ſuffragiis militum Imperator electus eſt A. C. 642. menſ. Febr.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

Patri diſſimillimus fuit: quia omnis generis vitiis ſe dedidit. Nam

I. CRUDELIS fuit. Fratrem *Theodoſium*, quem Imperii conſortem ferre noluit, Eccleſiæque manci-paverat, & Diaconum effecerat, tandem interfecit. Interfectus ipſi Conſtanti crebro per quietem viſus eſt habitu Diaconi, poculum ſanguine plenum porrigens, atque dicens: *Bibe, frater.* Ac ſi diceret: Inebriare fraterno ſanguine, quem fudiſti. Quare quaſi alter Cain cogitavit Conſtans fugere. Loca igitur frequenter mutavit, & alias atque alias in Imperio urbes adiit. *Cedrenus*, *Diaconus*, *Baronius.*

II. *Fuit libidinoſus*, adeo ut ſubditorum uxores & virgines ad ſtupra raperet. *Egnatius*, *Diaconus.*

III. *Fuit homo inexplebilis avaritiæ.* Nam A. C. 663. Romam venit: & quicquid æris inveniri potuit & in templis, & in tectis, ſecum abſtulit; adeoque pauciſſimos intra dies plus ornamentorum urbi detraxit, quam barbari infuſi per tot annos. Tegulas enim æreas, quibus tecta fuerat Baſilica Divæ Mariæ, quæ olim Pantheon dicta eſt, Conſtantinopolin remiſit. *Primo* Neapolin, inde in autumno Rhegium, & tandem in Siciliam, cum totam terram expilaſſet, abiit: ibi per aliquot annos hæſit, gravis moleſtuſque ſubditis: ſimiliter in vicinis inſulis atque provinciis, Calabria, Sardinia, Africa. *Cedrenus*, *Zonaras*, *Diaconus.*

II. *ACTA SAGATA.*

I. Imperante *Conſtante* Saracenorum (hodie Turcas vocamus) potentia indies crevit. *Muhavias* enim Dux Saracenorum cum ſcaphis 1700 inſulam Cyprum invaſit, urbem Conſtantiam cum tota inſula cepit, eamque horribiliter vaſtavit. *Imperator* igitur *Conſtans*, cum *Muhavias* magnos in rebus bellicis adverſus Chriſtianos haberet ſucceſſus, pacem (vel potius inducias) cum eo ad biennium fecit. *Chronicum Funccii fol.* 123.

II. A. C. 654. *Conſtans* cum *Muhavia* pugnavit, ſed infelici ſucceſſu: Muhavias, ut Conſtantinopolin aggrederetur regiam ſedem, ingentem claſſem ædificavit Tripoli: quæ cum jam fere fuit parata, fratres quidam buccinatoris filii, Chriſtiani profeſſione, aſtu carcerem ſolverunt, in quo plurimi captivi detinebantur; quorum auxilio fulti, omnem illum apparatum claſſis cremarunt. Sed nihilominus *Saraceni* claſſem aliam compararunt, cum *Conſtans* Imp. claſſe pugnaturus adventaret; qui ea nocte, quæ pugnam præceſſit, ſomnium habuit, in quo videbatur ſibi eſſe Theſſalonicæ, cum in Lycia eſſet. Expergefactus narravit ſomnium conjectori cuidam. Qui ait: O *Imperator*, utinam nec dormiviſſes, nec ſomnium aſpexiſſes! nam eſſe Theſſalonicæ, Θὶς ἀπὸ νίκλα, innuit, quod interpre-

pretatur, *Cede alteri victoriam*, id eſt, ad inimicum tuum victoria vertitur. Et ita factum eſt. Nam inito prælio *Conſtans* ſuccubuit, & mutata veſte in aliam navim tranſlatus vix evaſit. *Theophan. Miſcell. Diaconus.*

Tunc & Rhodum *Saraceni* ſpoliarunt. *Cedrenus.*

III. *Conſtans* Imp. cum in Imperio ita vagaretur, tandem exercitum collegit, & contra Longobardos in Italiam profectus eſt A. C. 663. Luceriam expugnavit, & alia multa oppida Longobardis eripuit, Beneventum etiam obſedit & oppugnavit. *Romoaldus* Dux Beneventi, qui filius erat Regis *Grimoaldi*, imploravit parentis auxilium, qui tamen ſtatim adeſſe non potuit: ideo *Romoaldus* aliquoties ex urbe in caſtra erupit, & feliciter cum *Imperatore* prælialus eſt. *Imperator*, audiens *Grimoaldum* cum exercitu adventare, obſidionem ſolvit, Neapolim ſe recepit, & paulo poſt magna pugna à Romoaldo victus eſt. *Diaconus.*

IV. SAPOR Præfectus Armeniæ rebellavit Imperatori *Conſtanti* A. C. 667. & legatos ad *Mahuviam* Saracenorum Principem miſit auxilia petitum, *Conſtans* Imp. eodem legatos amandavit. Sed *Saracenus* favit *Sapori*, ipſique auxilia miſit. Verum Sapor hic brevi ſpatio temporis dedit rebellionis pœnas. Cum enim equus in ipſis portis urbis exultaret & laſciviret, caput afflixit portæ, qua plaga defunctus eſt. *Cedrenus.*

V. MAHUVIAS eodem anno filium ſuum in Romaniam miſit, multoſque captivos abduxit, ac urbe Amatio in Phrygia potitus, quam firmavit quinque millium præſidio: ſed *Conſtans* hanc urbem recepit in hyeme, trucidato omni præſidio. *Idem.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. *Avi* ſui impietatem in ſectanda hæreſi *Monotheletarum* ſecutus, (inſtigante præſertim Conſtantinopolitano Epiſcopo *Paulo*,) acerrime omnes, qui ab illa hæreſi abhorrerent, aut contra docerent, perſecutus eſt.

1. Abbatem MAXIMVM in Africa virum doctiſſimum & ſanctiſſimum, una cum duobus Diſcipulis, lingua & manu truncari curavit, poſtea in Cherſonam relegavit. Cum triennium apud Alanos in exilio egiſſet, mortuus eſt A. C. 660. Cauſa fuit, quod hic *Maximus* in Synodo, cum *Martino* Pontifice, Monotheletarum errorem damnaverat. *Zonaras, Diaconus.*

2. MARTINVM Epiſcopum Romanum (qui Monotheletarum hæreſin in Synodo damnaverat) *Conſtans* Imp. per Exarchum *Theodorum Calliopam* capi, vinctumque Conſtantinopolim mitti juſſit, atque inde in Cherſoneſum eum relegavit, ubi & mortuus eſt. *Chron. Funccii p.* 123.

3. *Multi* præterea *pii Doctores* omnia adverſa propter ſinceræ doctrinæ profeſſionem & defenſionem contra hæreticos Monotheletas à *Conſtante* perpeſſi ſunt.

II. CONSTANS Imp., ſuaſu Pauli Epiſcopi Conſtantinopolitani Monotheletæ, & quod Epiſcopi in Africa, & aliis locis, ubi vel à Saracenis vel aliis hoſtibus vaſtabantur, Monotheletis vehementer contradicerent, nehi Epiſcopi in univerſum abalienarentur, proponit edictum A. C. 648. quod peculiari nomine *Typum* appellavit: in quo jubet utramque partem in controverſia de voluntate in Chriſto tacere. At vero cum hoc modo non liceret de voluntate Chriſti loqui, atque ita nec de duabus in Chriſto naturis, THEODORVS Papa Typum hunc, ut impium, convocato concilio damnat, & Paulum Epiſcopum, quod autor hujus typi eſſet, anathemate ferit.

Contra autem *Imperator* omnes Typo ſubſcribere voluit: illos vero qui recuſabant, & non approbabant, crudeliſſime exagitavit. *Anaſtaſius.*

III. *Conſtantinus* Patriarcha Conſtantinopolitanus mortuus A. C. 666, cum annum & aliquot menſes ſediſſet. Succeſſit ei THEODORVS homo verſutus & ſubdolus, qui Monotheletarum errorem, quantum potuit, promovit. *Nicephorus.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

CONſtans tandem inviſus omnibus propter ſævitiam & avaritiam, cum Syracuſis in balneo libidini vacaret, per inſidias inter lavandum occiſus eſt, ſitula, qua calida aqua profundi ſolebat, graviter ipſius capiti impacta, ab Andrea *Trocli* filio, cum imperaſſet annos XXVII. Cadaver ipſius ibidem magna cum ſolennitate à ſuis, ut decuit, terræ mandatum eſt. *Diaconus, Zonar. Anaſtaſ. Chron. Funccii fol.* 124.

LXVII IMPERATOR,
CONSTANTINVS IV.
cognomento POGONATVS.

CAPVT III.

I. *ORTVS.*

1. *Generatio.*

PATER ejus fuit CONSTANS II. cujus filius natu maximus fuit.

II. *Appel-*

II. *Appellatio.*

I. NOMEN. Dictus fuit HERACLIVS CONSTANTINVS IV.

II. *Cognomento* dictus POGONATVS. Cum enim Conſtantinopoli diſcederet, parva lanugo mentum circumdabat: reverſus eſt autem è Sicilia barbatus. Vnde *Pogonati* ſeu barbati nomen reportavit. *P. Diaconus.*

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

II. *ACTA OECONOMICA.*

VXOR fuit ANASTASIA, ex qua genuit JVSTINIANVM, qui poſtea Imperator factus eſt.

I. *ACTA POLITICA.*

II. *Imperii occupatio.*

Cum Conſtans Imp. pater ejus in Italiam proficiſci vellet, cum conſenſu & ſuffragio Senatus atque procerum ab eo in conſortium Imperii aſſumtus & coronatus eſt A. C. 663. Ita abſente Patre Imperium Orientis adminiſtravit in annum ſeptimum. Patre autem ejus trucidato, ad plenam regni adminiſtrationem pervenit A. C. 670, & ſolus regnavit ann. 17.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

Bene & laudabiliter Imperium adminiſtravit. Vnde LEO II. Papa eum in epiſtola ſua vocat Regem magnum à DEO coronatum, ſeque famulum ipſius dicit, & petram, ſuper quam fundata ſit Eccleſia, eſſe Chriſtum. Nondum enim plenam juriſdictionem Pontifices uſurpabant.

Tantum in hoc Imperatore reprehenditur, quod in fratres ſuos crudelitatem exercuerit. Cum enim duos fratres ſuos initio *Tiberium* & *Heraclium* conſortes Imperii recte tuliſſet, poſtea vel invidia motus, vel dominandi libidine percitus, vel quia filium ſuum ſucceſſorem procurare voluit, (jam enim Imperatores Romani ſibi Imperium hæreditarium facere cœperunt) utrumque fratrem naribus truncavit, ne poſthac Imperii dignitate frueretur. Populus enim tres illos Imperatores, quaſi in honorem Trinitatis, una veneratione honorabat; quod Conſtantino intolerabile videbatur. *Cedren. P. Diaconus, Chron. Funccii fol.* 125.

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum* contra *Mizizium.*

Conſtante Imperatore Syracuſis occiſo, Armenius quidam *Mizizius*, quem alii *Mezentium* vocant, vir audax, & proceritate ac pulchritudine inſignis, adeo ut forma nec pictæ fictæve imagini cederet, militum favore fretus, quod bello Perſico honeſtiſſimum ordinem duxerat, Imperium invadere conatus eſt. Sed res audacter magis quam feliciter mota eſt. A *Conſtantino* enim Imperatore claſſe victus & oppreſſus eſt, ſocii hujus facinoris in vincula conjecti, & una cum capite Tyranni Conſtantinopolim deportati ſunt. *Chron. Funccii fol.* 124. *Diaconus.*

II. *Bellum* in *Sicilia.*

Conſtantinus, audita patris morte, mox in Siciliam cum magna claſſe contendit, necem patris ulturus. Cumque, pubertatis annos tum primum egreſſus, imberbis Byzantio diſceſſiſſet, barbamque in expeditione ad parernam cædem vindicandam nutriviſſet, rediens vulgo à barba promiſſa Pogonatus ſive Barbatus dictus eſt. Non enim prius ſe quieturum oſtenderat, quam Tyrannum & cæteros paternæ cædis authores ultus eſſet, in quibus Juſtinianus Patricius capite truncatus. GERMANVS Patriarcha, etſi egreſſus eam ætatem, qua caſtratio fieri ſolet; eunuchus tamen fieri juſſus eſt, eo membro, quo vir erat, abſciſſo. *Diaconus, Egnatius.*

III. *Bellum* cum *Saracenis* ſive Agarenis.

I. *ORTVS.*

I. *Saraceni* A. C. 668. bellum Africæ intulerunt, & ad octoginta millia hominum captivos abduxerunt. *Cedrenus.*

II. A. C. 669. *Saraceni*, cum tanti motus eſſent in Sicilia, ipſi obſervantes diſſidia, eam quoque invaſerunt, & Syracuſas obſeſſas tandem ceperunt, editaque ingenti cæde, & præda atque ornatu omni, quem Conſtans Roma abſtulerat, & ex tota Italia convexerat, onuſti, Alexandriam reverſi ſunt. Idem hodie obſervat Turca, qui à Chriſtianorum concertationibus occaſiones captat & arripit regnum ſuum dilatandi.

III. *Saraceni* A. C. 671, vaſtarunt Lyciam & Ciliciam, & præpararunt ea, quæ neceſſaria futura erant ad oppugnandam Conſtantinopolin.

IV. *Saraceni* A. C. 672 ingenti classe Thraciam aggressi sunt, & Constantinopolin obsederunt tota æstate. Hinc *Constantinus* Imp. motus, *Saracenis* se opponere sibi proposuit, & classem ingentem paravit.

II. PROGRESSVS.

1. *Saraceni* cum Constantinopolin obsidione cinxissent, *Constantinus* Imp. classe animose se eis opposuit, A. C. 672; pugnavitque cum iis sæpissime usque ad autumnum Tunc Saraceni classem Cyzicum abduxerunt, ibique hyemarunt, sequenti vere Constantinopolin reversuri.

2. Cum *Saraceni* ad obsidionem Constantinopolis reversi essent, *Constantinus* per duces suos eos classe vicit, & ad 30000 eorum occidit, anno Christi 673.

Ferunt, quod tum *Gallinicus*, quidam artificiosus architectus, ad Heliopolin Syriæ ad Romanos profugerit. Is ignem in aqua ardentem (quem *Græcum ignem* vocant) invenit. Hoc mirabili & tunc temporis novo artificio usi sunt Romani, & Saracenorum naves (Barbaris illis nihil tale suspicantibus) exusserunt: pars quæ incendio superfuerat, scopulis illisa periit. *Cedrenus, Sigebertus, Zonaras, Chron. Funccii fol.* 125.

III. EGRESSVS.

Saraceni, hac clade accepta, spe dejecti, ac potius metuentes, ne à Romanis invaderentur, pacis ineundæ consilium iniverunt. *Mardaitæ* quoque Libanum ingressi occuparunt speculas Libani, A. C. 676. easque ita muniverunt, ut essent inexpugnabiles. Ad hosce transfugerunt servi, captivi, & indigenæ Saracenorum, & plurimis damnis Saracenos affecerunt: Qua re *Saraceni* adeo territi sunt, ut pacem cum Romanis facere accelerarent. MVHAVIE igitur petenti per legatos pacem *Constantinus* annuit, ac misso *Johanne* Patricio, cognomine *Pitzigandi*, viro facundo & prudenti, (quem Arabes summo honore exceperunt) cum *Saracenis* transegit, pace scriptis tabulis in annos 30 firmata, hac lege atque conditione, ut Arabes Romanis quotannis decem millia pondo auri, servos centum, & quinquaginta equos generosos tributi nomine penderent. Hæc pax Romano imperio honori fuit, & dicitur altera porta calamitatum Orientis. Nam pace ea cognita, cæteri hostes Romanorum ad Occidentem, pacem atque concordiam, missis legatis, ac muneribus, ab Imperatore petierunt & impetrarunt. *Cedren. Zonar. Chron. Funccii fol.* 125.

NOTA.

Agareni & *Saraceni* sunt iidem populi. Nam ex Mose notum est, posteros Ismaëlis, qui ex *Agar* natus est, tenuisse Arabiam. Inde Agra urbs nominata est ab Agar matre Ismaëlis, & gens *Agrai*, qui in 1 *lib. Paral.* 5. vocantur *Agareni*, incolæ Arabiæ. Nomen idem *Agareni* exstat *Psal.* 83. v. 6. in ea regione, in qua fuisse *Agarenos* certum est, collocat *Ptolemæus Saracenos:* quia *Turcæ* noluerunt se nominari *Agarenos* ab Ancilla Abrahæ, quæ dicta fuit *Agar*; sed *Saracenos*, à *Sara* conjuge Abrahæ, quæ fuit libera atque Domina. Verum graviter errant. Nam סרקין *Serakin*, h. e. *Saraceni*, Saracenen/ recte appellantur Turcæ, à radice סרק *Serik*, quæ in lingua Chaldaica idem est, atque vanus vel levis. Et סארק *Sarik*, in lingua Arabica idem est atque fur, vel latro (Sic *Genes.* 37. v. 25. Turma Ismaëlitarum appellatur in Targ. Ierosolym. Saracenorum. Luth. Ein hauffen Ismaeliter / das ist / Saracener. Et ita hodie *Arabes, Turcæ* atque *Tartari*, non à Sara Abrahæ conjuge, sed à levitate, furacitate, atque prædandi studio dicuntur.

IV. *Bellum* cum *Bulgaris*.

I. ORTVS.

Bulgari anno fere Christi 678. ex Sarmatiæ finibus egressi, Thraciam tumultuosius sunt adorti, omniaque terroribus compleverunt. His Romanas ultra Danubium provincias late vastantibus, *Constantinus* terra marique occurrere paravit, magna classe è mari in Danubium traducta.

II. PROGRESSVS.

Bulgari apparatu *Constantini* Imp. territi, munitione quadam occupata, quæ fluminibus & limo cingebatur, quieverunt. Sed nec Romani eos invaserunt. Itaque cum utrinque dies aliquot per otium transacti essent, *Barbari* Romanos esse ignavos rati, atque eventu quodam insperato confirmati, fiduciam novam animis receperunt. *Imperator* enim ingenti pedum cruciatu affectus cum quinque navibus discessit ab exercitu, balneis usurus, relictis Ducibus suis, quibus in mandatis dederat, ut velitationibus hostes ad pugnam elicerent. Verum rumore in castris Romanorum temere orto, *Imperatorem* metu hostium fugam cepisse, omnes turpiter fugerunt, nemine persequente. Id præter spem factum, adeo *Bulgaris* animos auxit, audaciamque acuit, ut tergis fugientium inhærentes, multos interficerent, neque pauciores caperent, & Danubio trajecto, tentoria in Romanorum terra figerent.

III. EGRESSVS.

Cum *Bulgari* ab eo tempore Romanas provincias vastare non desisterent, *Imperator* coactus, pacem

eem cum eis fecit, pacto tributo annuo, cum dedecore Romani Imperii; & conceſſa eis ad inhabitandum Myſia, quam ditionem Danubio proximam hodie quoque gens illa ferox obtinet. Unde & nomen eſt *Bulgaria*. Exiſtimantur autem *Bulgari* dicti eſſe à *Volga*, vel *Bulga* fluvio, cujus fontes non procul abſunt à Livonia, in paludibus Moſcoviæ. Is fluvius adeo creſcit, fluens verſus Orientem, ut 25 navigalibus oſtiis in mare influat. *Cedren. Egnat. Chron. Funccii fol.* 125. *Annales.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

CONSTANTINVS Imp. religioni orthodoxæ addictus fuit, ideo in religionis negotio pie & prudenter egit. Cum enim videret Eccleſias per Monotheletarum hæreſin miſere diſtractas, in hoc ſummo ſtudio incubuit, ut Eccleſiis pia pax reſtitueretur, & controverſiæ religionis legitime dirimerentur. Qua de cauſa ex omnibus nationibus doctiſſimos quoſque Theologos convocavit, & Conſtantinopoli Synodum *Oecumenicam* VI. celebravit A. C. 681. Convenerunt autem in ea Synodo Univerſali ex occidente & oriente Epiſcopi 150. alii numerant 170, alii 289. Hanc diverſitatem inde ortam puto, quod hæc Synodus non uno anno fuerit abſoluta. Itaque fieri potuit, ut initio quidem pauciores adeſſent, progreſſu vero temporis plures advolarent, aut fortaſſe ab *Imperatore* evocarentur. In hoc Concilio, præſente *Imperatore*, præſentibus etiam *Agathonis* Papæ Romani legatis, & *Georgio* Patriarcha Conſtantinopolitano, & *Theophane* Antiocheno, decretum factum: Duas in Chriſto voluntates, & duas operationes prædicandas & credendas eſſe. Cum igitur hæc *Synodus Monotheletarum* hæreſin (unam in Chriſto voluntatem ac operationem ponentium) condemnaſſet, Imperator eam hæreſin, una cum ipſius defenſoribus & propugnatoribus ex Eccleſiis penitus eliminavit. *P. Diaconus. Sigeb. Zonar. Palmer. Regino. Ado Viennenſis. Honorius in Chron.*

Prodigia.

I. A.C. 670. *Hyems* adeo vehemens & diuturna fuit, ut & homines & animalia plurima interirent. *Cedrenus.*

II. *Fere* eodem tempore peſtis admodum gravis per integrum annum Ticinum afflixit. Magno quoque terrore populorum menſe Majo A. C. 670. ignis in cœlo emicuit per decem dies. *P. Diaconus. Sigebert. Chron. Funccii fol.* 124.

III. A.C. 676. Cometa terribilis per tres menſes apparuit.

IV. A.C. 677. Locuſtæ magnis agminibus per Syriam & Meſopotamiam volitarunt. Et hoc flagellum DEI etiam Ethnici agnoverunt, atque IRAM DEORVM vocarunt. *P. Diaconus. Honorius in Chron. Funccii fol.* 125.

V. A.C. 680. *Ingens* terræ motus Meſopotamiam concuſſit, ita quidem, ut in urbe Edeſſa Baſilicæ aſcenſus & Trullus corruerit. *P. Diaconus.*

VI. A.C. 682. *Mons Veſuvius* exarſit, perque aliquot dies flammas & cineres copioſe ejecit, & omnia circumquaque virentia corrupit. *Idem.*

VII. Eodem tempore fames & peſtis Syriam & Libyam graviter afflixerunt. *Diaconus, Honorius.*

VIII. Adhuc imperante Conſtantino, in Anglia ſanguine pluit. *Hiſtor. Magdeb. Cent. 7. cap. 13. pag.* 564.

Exemplum memorabile de cane, indice homicidæ, *Cedrenus* narrat, circa hæc tempora accidiſſe. Nam cum quidam ſolus comitante cane iter faceret, interfectus eſt à latrone, quales itinera obſidere ſolent. Subducente autem ſe latrone, canis eo in loco permanſit, domini cadaver oſtendens. Forte alius quidam eo pergens ſupervenit, qui cadaver in viam projectum cernens, miſericordia motus, terra effoſſa id ſepeliit. Canis officium hoc pergratum habuit, ſeque ultro comitem ei ac ſervum adjunxit. Erat autem is homo conditione caupo, & ſolebat canis iis qui cauponam intrarent, aut exirent, adulari. Aliquanto tempore interjecto, is etiam latro, qui author cædis fuerat, in eam cauponam bibendi cauſa intravit: quem canis agnoſcens, mox allatravit, atque in faciem ejus inſiliit. Quod ſæpius factum DEI inſtinctu, apud multos ſuſpicionem excitavit: comprehenſuſque latro, & coram judice conſtitutus, cum facinus, ut à ſe perpetratum erat, confiteretur, divinæ vindictæ pœnas dedit.

CAP. III.

DE EGRESSV.

Conſtantinus inchoaturus annum decimum octavum imperii, menſe Septembr. A C. 685. facta pace in imperio Orientis & in Eccleſia, placide deceſſit, cum imperaſſet totos annos ſeptendecim. *Cedrenus.*

LXVIII. IMPERATOR,

JUSTINIANUS II.

HIc Juſtinianus, quia, cum jam annos decem imperaſſet, ab imperio fuit depoſitus, & poſtea rurſus ad imperium pervenit. Ejus hiſtoriam hoc modo explicabimus, ut conſideremus illum 1. ut

Imperatorem *Conſtitutum*. II. ut Imperatorem *Relegatum* & *Depoſitum*. III. ut Imperator. *Reſtitutum*. Et quoniam interea temporis, quo exulavit, Leontius & poſt eum Tiberius Abſimarus imperii gubernacula tenuerunt; de Juſtiniani Reſtitutione primum poſt hiſtoriam Tiberii dicturi ſumus.

I. Juſtinianus conſtitutus.

I. ORTVS.

I. *Generatio.*

I. PATER fuit CONSTANTINVS *Pogenatus*.

II. MATER fuit ANASTASIA.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN. Dictus eſt *Juſtinianus*, à futuro omine. Quia parentes ſpem de eo conceperunt, fore ut juſtitiam ſtudioſe coleret.

II. COGNOMEN, *Juſtinianus Secundus*: Sic dictus, quoniam ante eum fuit Imperat. *Juſtinianus* I, cognomento *Magnus*. Deinde cognomine dictus eſt Ῥινότμητος, RHINOTMETVS, à præciſo naſo. *Cedrenus*.

II. PROGRESSVS.

I. *ACTA OECONOMICA.*

Juſtinianus cum novem fere annos imperaſſet, à *Leontio* imperio pulſus eſt, ſed variis artibus imperii recuperationem quæſivit: ideo ad *Caganum* Avarium Principem ſe contulit, à quo honorifice exceptus, ſororem ejus in uxorem duxit, nomine THEODORAM; ex qua unum ſuſcepit filium nomine TIBERIVM, ſpe concepta, fore, ut ab affine novo in imperium reduceretur. Sed *Barbarus* à *Tiberio* Imperatore pecunia corruptus, duos ex ſuis familiaribus percuſſores ordinavit, qui hunc affinem & generum ſuum è medio tollerent: De quo ille prænonitus à Conjuge, quæ per ſervum iſtud conſilium cognoverat, duos illos (ſeortim utrumque) ad ſe accerſitos, ſuſpendit ambos, laqueo gula fracta. Ablegata deinceps uxore, & navicula conſcenſa, ad *Terbellin* ſive *Trebellium* Bulgarorum Principem confugit. *Chron. Hedion Hiſt. Magd Cent. 7. cap. 3. fol. 58.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Poſt obitum Patris, anno ætatis 16 Imperator electus, & à Patriarcha Callinico coronatus eſt, A. C. 686.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

Juſtinianus patri *Conſtantino* diſſimilimus, boni Principis filius peſſimus, imperium male adminiſtravit, & in ſubditos crudeliter ſæviit.

I. *Fuit nimis credulus.* Habuit namque in aula ſua duos aſſentatores. Quorum unus *Stephanus* eunuchus, Imperatoriæ pecuniæ quæſtor, & Sacellarius ab eo deſignatus, qui regebat conſilia de religione, genere barbarus, crudelitate vero & immanitate plus quam barbarus, gravis omnibus fuit, non tantum in rebus gerendis, ſed in pœnis etiam infligendis: idque tum in plebeios, tum in potentiſſimos quoſque: adeo ut matrem quoque Imperatoris flagellis in curru ceciderit, ut literatores pueros ſuos virgis cædere ſolent. Alter, *Theodoſius* quidam, fuit publicorum vectigalium quæſtor, qui quanquam Monachus prius fuerat, tamen logothetes generalis ab *Imperatore* conſtitutus eſt. Hi duo eorundem ſcelerum ſocii, Imperatorem ad majorem furorem incitarunt, eumque, cum multis malis Rempubl. afficerent, in omnium odia adduxerunt. *Diaconus, Sabellicus, Egnatius.*

II. *Fuit crudelis.* Nam cum A. C. 693 intentus eſſet Juſtinianus ædificando triclinio & mœnibus palatii, præfecit operi homines crudeles, qui non tantum operarios verberibus & flagris exceperunt, ſed etiam eoſdem fumo excruciaverunt, & alios illuſtres viros ſupplicio affecerunt, aut vivos combuſſerunt. *Cedrenus.* Infra crudelitatis ipſius rurſus mentionem faciam, cum de Juſtiniano reſtituto hiſtoria pertexenda eſt.

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum* cum *Saracenis.*

Juſtinianus ſtatim initio imperii ſui exercitum in Armeniam miſit, Saracenos inde pepulit, & eandem imperio Romano reſtituit. Quapropter *Abdelmelech* Saracenorum Calipha continenter de pace apud *Juſtinianum* ſollicitavit. Quæ A. C. 686 confirmata eſt his conditionibus: Ut ipſe *Juſtinianus* eos, qui Libanum inſederant, removeret. Fuerunt hæc præſidia Syrorum ad 12000: qui ejuſmodi munitionem conſtruxerant, ut eſſent inexpugnabiles, & imperii provincias tutabantur, & ex Saracenorum provinciis prædas agebant. Ipſe contra *Abdelmelech* Juſtiniano in ſingulos dies præſtaret mille nummos, ſervum unum & equum; & tributa Cypri, Armeniæ & Iberiæ æqualiter dividerentur. Sed remotis hiſce præſidiis, in Libano vicinæ regiones à Saracenis crudeliter vaſtatæ ſunt. *Miſcella.*

II. *Bel-*

II. *Bellum* cum *Bulgaris*.

Juſtinianus, poſtquam pacem cum Saracenis firmaſſet, eaque pactio certa videretur, rupit fœdus cum *Bulgaris*, quibus tributum pendere amplius noluit, Myſiamque à patre ipſis conceſſam cædibus ac incendiis vaſtavit A.C.687. Illi vero ſaltibus & locorum anguſtiis obſtructis, in eam neceſſitatem adegerunt Imperatorem, ut captivis cum omni præda reſtitutis, pacem ſibi precario redditam, ſuo ſuorumque ſacramento de novo ſancire coactus ſit.

III. *Bellum* rurſus cum *Saracenis* geſtum.

Juſtinianus Imperat. Saracenis, qui auream monetam, non cum Romano, ſed Arabico ſigno ſignatam, pro tributo attulerant, & alias pacem infide colebant, & provincias Romanas miſere depopulabantur, pacem renunciat A.C.690, multum deprecantibus Saracenis, & maſſas aureas pro tributo exhibentibus; atque ita non neceſſarium bellum movit.

II. *PROGRESSVS*.

Eodem anno *Juſtinianus* exercitum fortiſſimum triginta millium ex Sclavis collegit, & contra Saracenos eduxit. *Saraceni* non parati ad bellum per omnia ſacra bellum deprecati ſunt; ſed nihil impetrarunt, & inſuper primo prælio ſuccubuerunt: ideo ad fraudem converſi cum Sclavis egerunt, ut accepta pecunia, quantam Imperator numerabat, domum rediret; & ita 20000 averterunt, & Imperatorem turbatum hac re vicerunt.

III. *EGRESSVS*.

Imperator turpi fuga, cum paucis conſervatus, cum ad Leucaden perveniſſet, defectione Sclavorum irritatus, etiam reliquos *Sclavos*, qui remanſerant, occidi, & cadavera in mare projici juſſit. *Saraceni* ab eo tempore impune Roman. imperium invaſerunt, etiam Sabbatio Patricio Armeniæ prætore, poſt Imperatoris cladem, ad Saracenos ſe conferente, eiſque tradente Armeniam. *Cedren. Diaconus. Miſcella.*

II. Juſtinianus relegatus & depoſitus.

Juſtinianus A. C. 694, iratus Conſtantinopolitanis, Stephano Præfecto urbis mandavit, ut ſumta occaſione omnes cives Conſtantinopolitanos una nocte trucidari per milites curaret, facto initio à Gallinico Patriarcha. Habuit autem tum in carcere LEONTIVM patritium, quem eodem tempore carcere liberavit, eique præfecturam Græciæ mandavit. Hunc, dum in portu navigandi tempus exſpectat, hortantur amici, ut occaſionem ulciſcendæ injuriæ elabi non ſinat: aſtu igitur Prætorium occupat, & qui in carcere erant, liberat; & per eoſdem *Juſtinianum* imperio dejicit, cum annos novem vel decem regnaſſet; eum captum naſo truncat, & in Cherſoneſum relegat. *Cedren. P. Diacon. Sigebert. Hiſt. Magd. Cent. 7. fol. 58.*

LXIX. IMPERATOR,
LEONTIUS.

I. *ORTVS*.

1. PATER ejus fuit *Patritius* & Senator Conſtantinopolitanus.

2. NOMEN. Dictus fuit LEO, vel LEONTIVS.

II. *PROGRESSVS*.

ACTA POLITICA.

I. *Ante Imperium*.

1. Fuerat LEONTIVS unus ex Ducibus *Juſtiniani*, & Iberiam, Albaniam, & alias regiones ſub Imperatoris ditionem ſubegerat.

2. *Juſtinianus* cum de imperii affectatione ſuſpectum per biennium in vinculis habuit. Poſtea carcere emiſſum *Græciæ* Ducem fecit.

II. *Imperii occupatio*.

Per violentiam ad imperium pervenit. Nam (uti ſupra diximus) cum è carcere evaſiſſet, *Juſtinianum* violenta manu aggreſſus eſt, eumque imperio dejecit: ac ita, pulſo *Juſtiniano*, eodem die Imperator factus & à Patriarcha *Gallinico* coronatus eſt.

LEONTIVS quoque, occupato imperio, duos Sycophantas aulicos *Theodoſium* & *Stephanum* (quorum ſupra mentio facta eſt) comprehenſos funibus ad pedes alligatis per urbem trahi, & poſtea in foro comburi juſſit. Hic exitus Sycophantarum aulicorum non mitior fuit, quam Seiani apud *Tiberium*, & Plautiani apud *Severum*, & apud *Arcadium* Eutropii, quod terreret accedentes ad Imperatorem. *Cedrenus, Diacon. Chron. Funccii fol. 157.*

III. EGRESSUS.

I. Τὰ προηγούμενα.

Bellum contra Saracenos. LEONTIUS contra Saracenos in Africam infusos *Johannem* Patricium, virum strenuum, cum classe misit, qui Saracenos bello superatos inde expulit, rebusque suis gestis ad Imperatorem perscriptis, quid porro de ejus sententia sibi faciendum esset, certiorem se fieri postulavit. Sed redierunt *Saraceni* majori classe instructa ad provinciam amissam recuperandam: Quibus cum se imparem videret *Johannes* Patricius, portu relicto ad Imperatorem se contulit, ut copias majores impetraret.

II. Τὰ πραχθέντα.

Verum cum classiarii à Saracenis ex Africa ejecti, partim pudore afficerentur, quod hostibus cessissent, partim iracundiam *Leontii* metuerent, ne ad pœnam raperentur, *Absimarum*, (qui & *Tiberius* dictus) Imperatorem salutarunt. Is igitur cum classe Byzantium profectus, antequam *Leontius* exercitum pararet, acceptis à primoribus portæ clavibus, quæ eis sub fide jurisjurandi creditæ fuerant, in urbem intromissus, *Leontium* in potestatem redactum præciso naso in Dalmatia monasterio inclusit, cum annis tribus imperasset. *Zonaras. Chron. Funcii, fol.* 125. *Hist. Magd. Cent.* 7. *p.* 668.

III. Τὰ παρεπόμενα.

Annos septem post, quam *Leontius* ab *Absimaro* imperio pulsus, *Justinianus* restitutus est, hic *Leontium* è monasterio traxit, vinctum in pompa per urbem duxit, ejusque cervicem pedibus calcavit, inde capite eum truncari jussit. *Cedren. Diaconus, Zonaras.*

LXX. IMPERATOR, TIBERIUS III, cognomento ABSIMARUS.

I. INGRESSUS.

PEr seditionem ab exercitu Romano imperator proclamatus est, & statim ab eodem *Tiberius* appellatus.

II. PROGRESSUS.

1. Cum ab exercitu Imperator esset salutatus, improviso Constantinopolim occupavit, *Leontium* cepit, & præciso naso in monasterium detrusit.

11. *Philippicum* nobilitate præstantem virum, cujus caput aquila obumbrasse dicebatur, ob hanc causam Chersonam in exilium relegavit: verebatur enim, ne in imperio ipsi succederet; quod tamen nihilominus postea factum est.

111. *Absimarus* imperio potitus, mox fratrem suum *Heraclium* equestri & pedestri exercitu instructum contra Saracenos, qui Syriam & vicinas aliquot regiones occuparant, misit. Hic Syriam ingressus animose & feliciter, Samosatam usque progressus, cum hostibus conflixit, ad ducenta millia Saracenorum occidit, atque amplis spoliis hostium ditatus victor ex Syria rediit. *Zonaras, Diaconus.*

1v. *Heraclius Absimari* frater Armeniam quoque recepit: quam *Mahometus* tamen, qui tum Saracenorum Dux erat, iterum sibi parere coëgit, ac Principes Armeniorum propter defectionem vivos cremavit. *Idem.*

v. Tunc temporis Saraceni etiam Ciliciæ arma intulerunt, cum quibus *Heraclius* congressus majorem partem ferro confecit; cæteros captos atque vinctos ad Imperatorem fratrem misit. Sed Africam & Libyam supra Ægyptum Saraceni sine ullo impedimento sæpe devastatam, nunc demum retinuere, tertiam orbis partem diu habitam.

III. EGRESSUS.

A *Justiniano*, cum is imperium recepisset, occisus est, cum imperasset annos septem.

Mycillus tale de eo epigramma concinnavit:

Classicus Augustum creat hunc Exercitus, armis
Dum LEO *vi raptum continet imperium.*
Ergo & regnantem capit, atque in carcere servat,
Dum rediens exul Cæsar utrumque necat.

III. Justinianus restitutus.

Circa *Justiniani* restitutionem *tria* sunt notanda.

I. Τὰ προηγούμενα.

Justiniani ad Caganum fuga, & Cagani perfidia. *Justinianus* cum ab imperio dejectus esset, penes Chersonam exulabat, & interim de recuperando imperio consilia agitabat. *Chersonenses* autem incolæ, propter ipsius crudelitatem, quam, cum adhuc in imperio esset, exercuerat, de ipso vel interficiendo, vel certe capiendo consultabant. Sentiens hoc Justinianus, inde ad *Caganum*, Chazarorum Regem, aufugit. Hunc ut sibi firmiori vinculo sociaret, ejus sororem *Theodoram* uxorem duxit. Cum autem *Absimarus* Imp. *Caganum* multis muneribus sollicitaret, ut *Justinianum* vel captivum ipsi mitteret, vel interficeret, animadvertit *Justiniani* soceri *Cagani* insidias: itaque ad *Trebellium* Bulga-

Bulgarorum Ducem confugit, & Theodoram *Cagano* remisit. *Diaconus.*

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Iustinianus cum ad *Trebellium* confugisset, ipsius filiam in uxorem sibi petit & amplissimis muneribus promissis copias militares ab eo impetrat; cum quibus Thraciam invadit, & imperium recuperaturus Constantinopolim obsidet, ubi multis conviciis à civibus proscinditur: sed tertio die per aquæductum noctu ingressus urbem, ea potitur. A. C. 703. *Cedren. Sigebert. Chron. Funccii fol.* 126.

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

1. *Vxoris revocatio. Iustinianus*, recuperato imperio, uxorem *Theodoram*, quam prius repudiaverat, cum filio *Tiberio* Constantinopolin reducit, eamque una cum filio coronat. *Cedrenus*, *Chron. Funccii fol.* 126.

II. *Crudelitatis ejus in adversarios descriptio.*

1. *Abstimarum & Leontium* in vinculis per forum atque theatrum circumductos ludis Circensibus spectaculo exhibuit, cumque collis eorum ante se projectorum pedibus insultasset, demum capita illis præcidi jussit. *Cedrenus. Diaconus.*

2. HERACLIVM Abstimari fratrem cum pluribus circa mœnia suspendit.

3. GALLINICVM Patriarcham Constantinopolitanum, qui in Leontii partibus fuerat, deposuit, & excæcatum Romam relegavit A. C. 703. Cum sedisset annos 12, substituit ei Cyrum Monachum, qui regni recuperationem ei prædixerat. *Cedrenus. Zonaras.*

4. *Sævitiæ* ejus argumentum hoc traditur, quod quoties truncas nares emungeret, aut guttam rheumatis defluentem manu detergeret, toties unum ex eis, qui Leontio faverant, ad supplicium rapi jusserit. *Diaconus.*

III. BELLVM *contra* BVLGAROS. Diximus supra, *Iustinianum*, auxilio *Trebellii* Ducis Bulgarorum, imperium recuperasse: Verum malam gratiam *Bulgaris* retulit; Nam contra pacis pacta equestribus & navalibus copiis Bulgarorum regionem invasit. *Bulgari* perterriti inopinato malo, primo ad montes sese receperunt. Cum autem animadverterent, Romanos cupiditate prædæ passim sine ordine vagari, de improviso eos aggressi sunt, & magnam stragem fecerunt. *Imperator* re infeliciter gesta, in castellum munitum confugit, & paullo post equis plerisque, quos reliquos servarat, nervos incidit, ne hostibus usui essent: ac navibus conscensis magno cum dedecore Byzantium rediit. *Cedrenus, Zonaras, Diaconus.*

IV. BELLVM *contra* CHERSONENSES. *Iustinianus* recordatus, quod *Chersonenses* cives olim, cum apud eos exularet, de eo vel tradendo vel occidendo cogitassent, prorsus eos delere apud se constituit. Igitur Duces cum exercitu misit, A. C. 710, cum mandatis, ut quosvis trucidarent, masculos & fœminas, adultos & infantes. Hi captis *Chersonensium* castellis, crudelissime grassati sunt, adultos mactarunt, parvulis vero pepercerunt, quos *Iustinianus* Constantinopoli voluit occidi. *Tudunum*, Chersonesæ Principem *Zelum*, aliosque 40 viros ex primatibus una cum familiis suis, vinctum ad Imperatorem miserunt. Alios vero septem præstantes viros verubus ligneis affixos ad ignem assarunt: alios in profundum maris demersérunt. Qui his malis superfuerunt Chersonenses, eos ad se mitti jussit Imperator, haud dubie crudelissimis suppliciis excarnificaturus. Sed eos Dominus tolerabiliore mortis genere tyrannidi Iustiniani subtraxit: Oborta enim tempestate, circiter hominum septuaginta millia naufragio perierunt. *P. Diaconus. Zonaras. Cedrenus, & Miscella.*

IV. PHILIPPICI ELECTIO, & IVSTINIANI TRVCIDATIO. *Iustiniani* furore in Chersonenses nondum expleto, novum exercitum in Chersonam misit, mandans, ut omnes infantes occiderentur, & ut omnia ad solum usque everterentur. *Chersonenses* igitur, qui reliqui adhuc erant, à *Cagano* Rege auxilium petiverunt; à quo adjuti, classem *Iustiniani* repressérunt & vicerunt: quæ cum sciret, *Iustinianum* crudelissimum esse, & suppliciis exsatiari non posse, ad hostes defecit, & *Philippicum* Imperatorem salutavit *Philippicus* igitur auctus exercitu & classe, Constantinopolin navigat, urbem capit, & filium Iustiniani *Tiberium* puerum interfecturus, gulam ejus in conspectu aviæ paternæ *Anastasiæ* (*Theodora* enim mater jam diem suum obierat) discindit, Iustinianum ipsum capite truncat, cum imperasset ante depositionem an. 10, post reditum vero ann. 6. Atque demum in hoc Iustiniano juniore defecit *Heraclii* progenies, elapsis ab Heraclii principio annis centum. *Cedrenus, Diaconus, Zonaras.*

LXXI. IMPERATOR, PHILIPPICVS BARDANES.

I. ORTVS.

Imperii occupatio.

PEr *seditionem ad imperium pervenit.* Nam cum Iustiniani sævitia jam plane intolerabilis esset, exercitus ejus ab eo defecit, & *Philippicum* Imperatorem

ratorem ſalutavit; qui militum manu inſtructus Conſtantinopolin profectus eſt, urbem cepit, & Imperatorem *Iuſtinianum* cum ipſius progenie occidit.

II. PROGRESSVS.

Imperii adminiſtratio.

I. *ACTA POLITICA.*

I. Togata.

I. Gubernatio ejus infelix fuit. Licet enim in dicendo diſertiſſimus, & in inveniendo prudens fuerit: tamen ad res gerendas omnium fuit ineptiſſimus, & ingenio plane ſiniſtro: ut inquit *Zonaras*. *Aurelius Victor* hominem vocat, in quo multum eloquentiæ, ſapientiæ parum fuerit.

II. PRODIGVS *fuit*. Nam opes Imperii jampridem congeſtas exiguo tempore diſſipavit. *Diaconus*.

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Saraceni*, pro more ſuo, in omnes nocendi occaſiones intenti fuerunt. Ideo cum viderent Philippicum valde ignavum eſſe, Ciliciam ingreſſi ſunt, & multas ejus regionis urbes vi expugnarunt. Quanta ibi Chriſtiani mala à populo barbaro & ſævo perpeſſi ſint, facile æſtimari poteſt. *Diaconus*.

II. *Philippicus* quoque Thraciam à *Bulgaris* vaſtari paſſus eſt, qui ad auream uſque portam urbis Conſtantinopolitanæ pervenerunt, magnaque præda & captivis pene innumeris abductis, domum impune ſe receperunt. *Cedrenus*, *Chronicon Funccii fol.* 126.

III. Sed & ARABES, Myſiam pervagati, multos Chriſtianos odio religionis ſinceræ interfecerunt, & regionem illam cum caſtris plurimis occuparunt. Cum enim Dominus populum aliquem punire (propter peccata) decrevit, non modo hoſtes crudeles immittit; verum etiam ignavum dat Magiſtratum, qui hoſtes repellere non audet, nec ſubditos adverſus hoſtem tueri curat.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. *Hæreticus* (ut quidam tradunt) factus eſt, nempe *Monotheleta*. Ipſi enim prædictum fuerat à Monacho quodam Monotheleta, fore ut imperaret, ſi ſextam Synodum abrogaret: & Monachus ille *Philippicum* juramento obſtrinxerat, ut, ſi quando Imperium conſequeretur, Synodum illam univerſalem (in qua duæ in Chriſto voluntates & operationes aſſeruntur) abrogaret. Cum igitur *Philippicus* ad Imperium eſſet evectus, plurimos Epiſcopos Conſtantinopolin convocavit. Patres illius Pſeudoſynodi, cognita *Imperatoris* voluntate, & exſilium metuentes, Imperatori gratificati ſunt, & univerſalem illam legitimam & orthodoxam Synodum damnarunt. *P. Diaconus*, *Zonaras*, *Beda lib.* 2. *Concil.*

II. *Philippicus* ſtatim *Cyrum* Patriarcham in exilium ejecit, & Monotheletarum anteſignanum *Iohannem* conſtituit.

III. *Philippicus* conſenſu ſuorum Epiſcoporum audacior factus, ad Romanum Pontificem miſit ſuæ Synodi decreta: & ut ea approbaret, mandavit, & alibi etiam illa recipi ſevere præcepit. Verum *Pontifex Roman.* contra illam Conſtantinopolitanam hæreticam Synodum Romæ Concilium collegit; in quo *Philippicus* ut hæreticus excommunicatus eſt, una cum Monacho ſuo *Iohanne*, quem Patriarcham Conſtantinopolitanum fecerat. *Diaconus*, *Anaſtaſius*, *Sigebert*. *Beda*, *Platina*.

III. EGRESSVS.

I. *Cedrenus* ſcribit, quod Philippicus, cum prandiſſet foris apud quoſdam Proceres, reverſus domum ad ſomnum ſe compoſuerit, *Ruſus* vero Præfectus hac occaſione uſus, ipſi *Philippico*, nemine conſcio, oculos effoderit, rem ad *Artemium* detulerit, qui ſequenti die Pentecoſtes Imperator proclamatus ſit.

II. *Zonaras* ita tradit: Cum *Philippicus*, inquit, peracto equeſtri certamine publico, balneo Zeuxippi uſus, ad convivium Senatores quoſdam & victores ludi vocaſſet, Senatores ipſum diſcumbentem comprehenderunt, oculoſque ei effoderunt, pridie Pentecoſtes. Die Dominico Pentecoſtes Senatus & populus coacti Artemium Imperatorem elegerunt. Neque tamen tunc occiſus eſt *Philippicus*, verum in carcerem conjectus, cum biennium & aliquot menſes imperaſſet: in quo tandem periit.

III. *P. Diaconus* refert, quod *Artemius Philippicum* regno expulerit, cum annum unum & menſes ſex imperaſſet, oculiſque privarit per Theodorum Patricium, qui cum, ut ſecretiora ipſi quædam narraret, in oratorium abduxerit, luminibuſque privarit.

LXXII. IMPERATOR,

ARTEMIVS,

vel ANASTASIVS II.

I. *ORTVS.*

A Populo & Senatu Conſtantinopolitano, rejecto Philippico, Imperator eſt creatus; uti jam in *Hiſtoria Philippici* diximus.

II. *PROGRESSVS.*

I. *ACTA TOGATA.*

Hic quamdiu Imperio præfuit, bene illud adminiſtravit, & omni doctrinæ genere eruditus, & ad res gerendas verſutiſſimus fuit.

II. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. *Veram* religionem amplexus eſt, quæque ad eam promovendam pertinebant, optime inſtituit.

II. Sextæ Synodo univerſali conſenſit, id quod per literas Conſtantino Pontifici Romano oſtendit, ſe fautorem eſſe & fidei Catholicæ, & Synodi ſextæ. *Diaconus, Egnatius.*

III. Patriarcham Conſtantinopolitanum hæreticum removit, & priorem Patriarcham ab exilio revocatum reſtituit.

III. *ACTA POLITICA.*

Bellum cum *Saracenis.*

I. ΤΑ΄ ΠΡΟΗΓΟΥ΄ΜΕΝΑ.

Saraceni Romandiolam vaſtarunt, & cum multa præda domum redierunt, claſſem etiam ad Conſtantinopolim occupandam inſtruxerunt. His cognitis, Imp. Artemius & ipſe triremes, aliaſque cum igni Græco naves, ædificavit, civeſque commeatum habere in triennium juſſit. *Miſcell.*

II. ΤΑ΄ ΠΡΑΧΘΕ΄ΝΤΑ.

Artemius cum ſciret in Syria claſſem ædificari à Saracenis ad obſidendam Conſtantinopolim, inſtructa claſſe Duces miſit cum mandatis, ut Alexandriam in Ægypto, ſi detur occaſio, occuparent. Vbi autem renunciatum eſt, Alexandria naves Saracenorum diſceſſiſſe Phœnicen verſus, ad materiam pro navibus conſtruendis avehendam, juſſit claſſem ſuam in Rhodo convenire, junctaſque naves in hoſtes progredi. Erat copiarum navalium Dux JOHANNES, magnæ Eccleſiæ Diaconus, & tributorum ratiocinator generalis, cui milites jubenti, ut naves à Rhodo ſolverent, parere recuſarunt, eumque ſeditione orta interemerunt. Omiſſa autem expeditione cœpta, partim domum aliqui redierunt, partim Byzantium petierunt.

III. ΤΑ΄ ΠΑΡΕΠΟ΄ΜΕΝΑ.

Exercitus, ne ad Imperatorem iratum regredi cogeretur, conſilia inter ſe agitarunt de bello in *Artemium* convertendo. Cumque Adramyttium perveniſſent, *Theodoſium* quendam publicorum vectigalium exactorem, Imperatorem invitum ſalutarunt.

III. *EGRESSVS.*

I. *Artemius*, hoc cognito, *Theodoſium* ab exercitu Imperatorem eſſe declaratum, claſſem paravit, urbemque cuſtodia munivit. Verum *Theodoſius* cum claſſe Conſtantinopolin venit, & exercitum Artemii vicit, & Conſtantinopoli, poſtquam ſex menſibus eam obſediſſet, & terra marique aggreſſus eſſet, potitus eſt: *Artemium*, qui Nicæam fugerat, cepit, detondit, & habitu monaſtico indutum Theſſalonicam in exilium miſit; cum imperaſſet an. 1. menſ. 3. *Diaconus, Egnatius.*

II. Perſuaſus autem *Artemius*, poſt annos aliquot ſub LEONE III. à Magiſtro militiæ *Niceta*, rerum novarum ſtudioſo, ad Bulgaros ſe contulit, Iuſtiniani exemplo, ſi forte horum auxilio Imperio reſtitui poſſet. Magnis igitur cum copiis Bulgarorum Conſtantinopolin venit, ſperans ſe à populo benigne ſuſceptum iri. Sed cum res hæc ex ſententia non ſucceſſiſſet, *Bulgari*, pecunia à *Leone* corrupti, *Artemium* ei tradiderunt: à quo occiſus eſt, omnes quoque *Niceta* facultates, (poſtquam & ipſe juſſu *Leonis* eſſet interfectus) quæ magnæ fuerunt, publicatæ ſunt. Quotquot etiam *Artemii* conjurati inquiri potuerunt, *Leo* è medio tolli curavit, inter quos & ſummus Theſſalonicæ Sacerdos neci traditus eſt. Ita *Artemius*, qui ab Imperio deturbatus privatam vitam delegerat, dum ambitionis ſtimulo correptus, denuo ſe fluctibus ac procellis Imperii immergere ſtuduit, inſperato periit. juxta adagium: Κάμηλον ἐπιθυμήσασα κέρατα, καὶ τὰ ὦτα ἀπώλεσε.

LXXIII IMPERATOR.

THEODOSIVS III, *ſive* THEODOSIVS ADRAMYTTENVS.

I. *ORTVS.*

AN. Chriſti 716 milites Romani, ab Artemio contra Saracenos miſſi, hunc Theodoſium invitum Imperatorem elegerunt: idcirco cum claſſe Conſtantinopolin profectus, & Artemio capto, inque exilium miſſo, Imperium adeptus eſt.

II. *PROGRESSVS.*

Fuit Princeps bonus, ingenio facili & perbenigno præditus; & ob comitatem carus omnibus fuiſſe traditur. Ab hæreſibus abhorruit, & picturam ſex Synodorum, quam *Philippicus* deleverat, in gratiam Pontificis reſtituit. Tranquillitatis in Eccleſia & Politia ſtudioſus fuit, ad bella extera vero gerenda ignavus. *Diaconus, Zonaras.*

Symbolum ejus:

PATIENTIA REMEDIVM MALORVM. Quod Reuſnerus includit hiſce verſiculis:

Antidotum vitæ PATIENTIA: *ſola malorum*
Victrix: ſi bene vis vincere, diſce pati.

Item:

Qui patitur, ſe ſanat homo: Patientia ſanat,
Quod cruciat: victrix & levat omne malum.

III. *EGRESSVS.*

Theodoſius, cum audiviſſet, LEONEM Orientis Præfectum ab exercitu Auguſtum eſſe ſalutatum, à civilibus bellis abhorrens, ultro Imperium (quod invitus acceperat) depoſuit, & una cum filio Clericus factus A. C. 717, cum nondum annuo ſpatio (vel, ut *Zonaras* habet, biennio) imperaſſet, in eo vitæ genere diu & tranquille verſatus eſt. *Zonaras, Diaconus, Cedrenus, Egnatius.*

LXXIV IMPERATOR.

LEO III. ISAVRVS.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

LEo ignobili & obſcura familia in Iſauria oriundus fuit. Pater ejus ſutor ſive ſartor fuiſſe traditur.

II. *Appellatio.*

1. NOMEN. Dictus eſt 1. LEO, à futuro omine.

II. COGNOMENTO dicitur TERTIVS: quia duo ante ipſum LEONES dicti Imperio præfuere.

2. ISAVRVS, à patria Iſauria, quæ eſt regio Aſiæ minoris, proxima Ciliciæ ad Taurum montem, quam *Publius* cognomento *Iſauricus* ſubegit, & multas piratarum munitiones, quæ in ora maritima erant, vi cepit. *Strabo lib.* 12.

3. CONON dictus eſt: quia templis imagines ejecit, ignique tradidit. Vnde Græci eum εἰκονομάχον, id eſt, imaginum oppugnatorem appellarunt. *Cedrenus, Diaconus.*

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXOR ejus dicta fuit MARIA, vel MARINA: ex qua ſuſcepit filium anno Imperii ſui tertio, nomine CONSTANTINVM COPRONYMVM, quem A. C. 720. in Paſchate Imperatorem creavit. *Miſcell. Zonaras.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Hic LEO adeo obſcuri nominis fuit, ut ſedentariam artem opificis inſtar exercuerit: ſed cum in bello periculorum contemtor eſſet; & multa egregia facinora perpetraſſet, tandem ad Imperii faſtigium evectus eſt A. C. 717.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA SAGATA.*

1. OMAR Amiras *Saracenorum* Damaſci verſus tempore ingentem claſſem 400 navium miſit Conſtantinopolin A. C. 718. & paulo poſt itidem aliam 360 navium. Contra ambas *Leo* Imp. feliciter pugnavit. Bulgari inſuper ab *Imperatore* contra *Saracenos*, qui late regiones populabantur, evocati; qui eorum 22000 occiderunt. Duravit ea obſidio fere biennium. Sed divinitus repreſſi ſunt, Nam exercitus Saracenicus frigore, fame & peſtilentia periit. Tandem etiam igni è mari emergente Saracenica claſſis tota fere combuſta eſt, reliquæ naves prodigioſa grandine ſubmerſæ, ut vix quinque Damaſcum redierint. *Miſcella. Vincent. l.* 23. *c.* 147. *Chron. Funcii fol.* 127.

II. *Exer-*

II. *Exercitus* & copiæ Imperatoris, præſertim navales, tumultuantur contra Imperatorem, Duce *Agalliano* & *Stephano*, ac Conſtantinopolim adoriuntur, A.C. 727, ſed vincuntur die 18 Aprilis, & Græco igni naves cremantur, aut demerguntur. *Agallianus* ſe in mare præcipitat: capti vel in mare projiciuntur, vel capite plectuntur. *Miſcella.*

II. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. LEO A. C. 622 Judæos & Montanos vi coëgit, ut baptiſmum ſuſciperent. *Judæi* vero abluebant baptiſmum: & *Montani* domos religioni ſuæ deſtinatas ingreſſi, ſemet ipſos combuſſerunt. Stultum autem fuit inceptum Imper. *Leonis*: Dum enim animus hominis non informatus eſt ſana doctrina, ut veritati credat, fruſtra cogitur; & tales coacti non manent conſtantes. *Chronic. Funccii fol.* 127. *Diaconus.*

II. LEONI Imperat. A.C. 723. promittitur vita & Imperium, vel ad centum annos, ſi ſimulacra & imagines evertere velit: qua promiſſione inductus, conſilium init de demoliendis imaginibus. *Cedrenus.*

III. A.C. 725. LEO proponit Edictum de evertendis imaginibus, cui reſiſtit vulgus primum, & qui imagines dejiciebant, quoſdam occidit. GERMANVS etiam Epiſcopus rem magnopere diſſuadet, & *Gregorius* Papa Romanus prolixa Epiſtola Imperatorem dehortatur: ubi affirmat, Imperatoris non eſſe, pronunciare de fide, & novitate aliqua violare antiqua dogmata Eccleſiæ, quæ à ſanctis Patribus eſſent prædicata. *Miſcella.*

IV. GREGORIVS Papa A.C. 726. Imaginum cultum Idololatricum uſque adeo defendit, ut LEONI tributa, non tantum Romæ, ſed etiam paſſim in Italia exhiberi prohiberet. Iratus LEO mittit præcipuum quendam aulicum, Martinum, eique præcipit, ut *Gregorium* Papam aut veneno, aut alio modo tolleret, aut captum Conſtantinopolin adduceret. Sed nihil horum Imperatori ſucceſſit: Papa enim à ſuis ſtrenue defenſus fuit. *Chron. Funccii fol.* 127. *Anaſtaſius.*

V. LEO Imperator eodem anno perſequitur imaginum cultores, & inprimis Monachos, quorum aliquot cum ſuis libris & omni ſuppellectili in ſuo cœnobio combuſſit. Inde ſeditio Conſtantinopoli orta, & ſtatuæ Imperatoris everſæ ſunt: Unde factum ut multi occiderentur, inque exilium ejicerentur. Græci etiam claſſe Conſtantinopolin oppugnare incipiunt: ſed eorum naves Græco igni combuſtæ ſunt. *Cedrenus.*

VI. JOHANNES *Damaſcenus*, genere nobilis, & in aula Saracenica Damaſci in magna dignitate conſtitutus, pro imaginibus retinendis ſcripſit ad Epiſcopos Eccleſiæ. LEO Imperator hiſce literis edoctus, manum illius imitatus eſt, & ſcripſit ad Amiram, periculumque *Damaſceno* creavit. Quibus *Damaſcenus* motus ex aula receſſit, & Eccleſiæ ſe mancipavit. Dictus hic fuit alio nomine μελῳδὸς, ſive cantor, quod muſica & cantilenis fingendis delectaretur. *Cedrenus.*

VII. LEO circa annum Chriſti 730 Synodum Conſtantinopolin convocavit. In qua controverſia de imaginum cultu & veneratione, deque interceſſione Mariæ virginis ac ſanctorum, ac de mortuorum reliquiis, diſcutienda fuit propoſita. Diſputatum eſt in utramque partem inter Patres acriter. Tandem ex mutua ſententiarum collatione effulſit: Sanctorum interceſſionem eſſe fabulam: imaginum & reliquiarum cultum atque adorationem eſſe meram Idololatriam, verbo Dei contrariam. *Damnata* igitur ſunt à *Patribus*, ex regula verbi divini, cultus & veneratio imaginum. Huic decreto omnes, qui adfuere, ſubſcripſerunt. Verum his decretis reſtitit *Germanus* Conſtantinopolitanus Patriarcha, qui totus Pontificiis ſuperſtitionibus erat addictus. Cum igitur nihil plauſibile amplius pro ſua ſententia afferre poſſet, Patriarchatu Conſtantinopolitano ſeſe abdicavit: In cujus locum *Anaſtaſius* Presbyter ordinatus eſt. *Diaconus*, *Zonaras*, *Regino lib.* 1. *Chron. Bergomenſis lib.* 10.

VIII. *Imperator*, ad exſequenda decreta Synodi, imagines & ſtatuas in medio urbis congeſtas comburi juſſit, & picturas parietibus illitas albario obtexit. *Sabellic. Sigebert.*

IX. GREGORIVS Papa A. C. 732. Romæ Concilium celebrat in cauſa de imaginibus. Decernitur legatio à Pontifice ad Imperatorem. *Item*, Senatus regni Italici ſimiliter legatum mittunt Conſtantinopolin, deprecatum pro imaginibus; ſed fere annuo ſpatio detinentur, & ſine reſponſione legati dimittuntur. *Anaſtaſius.*

X. GREGORIVS Papa A. C. 733. iterum ſupplicat Imperatori cum aliis illuſtribus viris in Italia pro reſtituendis imaginibus, ſed fruſtra id fuit: legati detenti per 8 menſes re infecta redeunt. *Idem.*

XI. LEO Imp. A.C. 735 crudeliſſime graſſatur in Epiſcopos & Monachos, qui imaginum cultum defendebant: quibuſdam cutem in capite detraxit, & barbam pice liquenti illitam accendit, inde eoſdem jugulavit: quoſdam ad æternos carceres condemnavit. *Mend.*

XII. LEO Imp. A.C. 736 pergit in ejiciendis Epiſcopis, qui imagines defendebant. Oecumenicum quoque Profeſſorem cum 12 Collegis

in Schola Conſtantinopolitana (à Conſtantino inſtituta) in ædibus Regiis, noctu, ignibus ſubjectis combuſſit : Propterea quod nollet Profeſſor ille (cum ſuis Collegis) approbare ſententiam Leonis, de imaginibus delendis. *Sabellicus, Regino, Sigebertus, Diaconus.*

Prodigia.

I. A.C.717. *Hyems* vehementiſſima fuit, qua in Aſia terra centum diebus totis nive ita obducta fuit, ut pleræque animantes & feræ perirent. *Cedrenus.*

II. *Eodem anno Tyberis* Romæ ita exundavit, ut urbis muros in humilioribus locis tranſcenderet, domos everteret, agros vaſtaret, ſegeteſque perderet. *P. Diaconus, Sigebertus, Anaſtaſius.*

III. A.C.729. *bini Cometæ* exorti, (inquit *Beda*) quorum alter Solem Orientem præcedebat, alter Solem Occidentem ſequebatur ; unde *Beda* magnam cladem ominatus eſt futuram ex Oriente, & ex Hiſpania, vel Occidente.

IV. *Eodem* tempore, quo Conſtantinopolis à Saracenis obſeſſa eſt, peſte fameque circiter 300000 civium perierunt.

V. In Oriente circa finem Imperii *Leonis* gravi terræmotu Bithynia & Thracia concuſſæ, & muri Byzantini magna ex parte collapſi ſunt. Ad quorum refectionem cum *Leo* novum tributum ſubditis impoſuiſſet, reprehenditur, quod ad privatum quæſtum ſuum potius, quam ad publicum bonum intentus fuerit. Duravit autem tributum illud etiam in multas ſequentes ætates. *Chron. Funccii fol.* 128.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

LEo (vere *Leo*) cum diu Eccleſias intempeſtivo zelo in removendis imaginibus turbaſſet, quas multo commodioribus rationibus abolere, aut certe earum abuſum prohibere potuiſſet, ex morbo inteſtinorum mortuus eſt A.C.741, die 28 Junii, cum imperaſſet annos 20, menſes duos. *Miſcella, Chron. Funccii fol.* 128.

LXXV. IMPERATOR,
CONSTANTINUS COPRONYMUS.

CAPUT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

I. PATER ejus fuit LEO ISAVRVS *Iconomachus,*

II. MATER fuit MARIA. Ex hiſce Parentibus *Conſtantinus Copronymus* natus eſt. *Suidas* inquit : E LEONE nata eſt verſuta pardalis, de ſerpentino ſemine, aſpis, atrox & ſerpens volaticus, &c.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN. Dictus eſt CONSTANTINVS.

II. COGNOMEN. 1. Cognomento vocatur Conſtantinus QVINTVS : quia ante eum quatuor Impp. hujus nominis fuere.

2. COPRONYMVS dictus, quia infans cum baptizaretur, ſacri lavacri aquas ventris excrementis polluit.

Simile exemplum habemus in Imp. *Wenceſlao*, Caroli IV filio, qui aquam baptiſmi, cum baptizaretur, ſtercore egeſto fœdaſſe ſcribitur. Atque ita uterque recte *Copronymus* dici poteſt, quia hic in Occidente, ille in Oriente aquam baptiſmi conſpurcavit.

3. CABALLINVS à quibuſdam vocatus, ideo quod caballino ſtercore plurimum delectaretur.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXORES habuit *tres*, & filios *quatuor.*

PRIMA uxor fuit Cagani Scytharum Ducis filia, quam pater Leo III, cum eam in religione Chriſtiana inſtitui, & ſacra baptiſmatis aqua ablui curaſſet, HELENAM appellavit, eique in uxorem dedit : ex qua Conſtantinus unicum ſuſcepit filium LEONEM IV, in imperio ſucceſſorem.

SECVNDA fuit MARIA ARMENIA, ex qua nulli ipſi nati ſunt liberi : quia illa non multo poſt, quam eam in uxorem duxerat, vitam cum morte commutavit.

TERTIA dicta fuit EVDOXIA, ex qua tres ſuſcepit filios, CHRISTOPHORVM, NICEPHORVM & NICETAM, quos A.C.769 Cæſares fecit.

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Vivo parente *Auguſtus* appellatus, & à Patriarcha, cui nomen fuit GERMANVS, coronatus eſt A.C.720. Patri vero defuncto in imperio ſucceſſit A.C.741.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. Sub hoc Imperatore maximum detrimentum

cepit

cepit Reſpubl. plurimiſque rebus imperii jus dignitaſque imminuta eſt. *Hiſtorici* enim referunt, cum à Deo defeciſſe: magicis maleficiis, luxuriis, cruentis ſacrificiis, caballinis ſtercoribus & lotio delectatum, eoſque qui male olerent magnifeciſſe. Libidinibus & Dæmonum invocationibus gaviſum eſſe, & tyrannice & illegitime imperio abuſum, legumque à Patribus traditarum perſecutorem fuiſſe, &c. Eumque nec Chriſtianum, nec Judæum, nec Paganum, ſed colluviem quandam impietatis fuiſſe: inſtar Africanarum ferarum, quæ ex diverſi generis coitu multiformes, confuſaque ſpecie, & immanitate naſci perhibentur. *Diaconus, Zonaras, Sigebertus, Cedrenus, Chron. Funccii fol.* 127.

11. *Conſtantinus* Iros & Armenios evocatos in Thraciam deduxit, ut ibi habitarent; multos etiam cum ſuis familiis in ipſam urbem Conſtantinopolin recepit, ut urbs peſte evacuata iterum repleretur.

111. A. C. 766. *Conſtantinus* Imperat. legatos miſit ad *Pipinum* Franciæ Regem, cum muneribus. Illi attulerunt inter alia *Organum*, inſtrumentum muſicum, nunquam in iis regionibus viſum; ad cujus exemplum poſtea alia inſtrumenta efformata ſunt, & in templis uſurpata: unde poſtea noſtra Muſica, quæ in conſonantiis progreditur, inventa eſt. Voluit autem hac ratione Pipino perſuadere, ut & ipſe imagines demoliri velit. *Annales Franc. Avent.*

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum* contra *Saracenos.*

Conſtantinus Imperat. ſtatim cum ad imperium perveniſſet, contra Saracenos in Aſiam movit. Interim *Artabaſdus*, (alii *Artavaſtus*) qui affinis ejus erat, & LEONIS Iſaurici filiam uxorem habebat, imperium invaſit. Ideo *Conſtantinus*, etſi contra Saracenos res fortiter geſſerat, tamen in Aſia hybernare coactus eſt. Artavaſtus interim, ut vulgum ſibi conciliaret, imagines Conſtantinopoli reſtituit, & liberos *Conſtantini* captos in vinculis habuit. *Miſcella.*

II. *Bellum* contra *Artavaſtum*, affinem ſuum.

1. Filius *Artavaſti* (vel Artabaſti) exercitum eduxit contra Conſtantinum anno C. 742. menſe Auguſto, ſed turpiter victus eſt. *Miſcella.*

2. *Conſtantinus* Imp. & Artavaſtus de imperio diſceptantes, arbitrum fecerunt *Walid* Saracenum, & uterque ſibi ab ipſo auxilia petiit. *Walid* vero utrique infenſus, cum hoc modo imperium injuriis opportunum eſſet, Natoliam invaſit, & omnia crudeliter vaſtavit. *Miſcella.*

3. *Conſtantinus* Imp. A. C. 743. Chalcedonem venit; inde per Abydum in Thraciam acceſſit, & ad murum in conſpectum civium caſtra locavit. *Artabaſdus* autem urbe egreſſus, prælio cum eo diſceptavit, & victus in urbem fugatus eſt. Cum vero *Conſtantinus* claſſe omnem commeatum impediret, & jam Conſtantinopoli ingens eſſet fames, *Artavaſtus* à plebe pulſus, & *Conſtantinus* Conſtantinopoli vi potitus eſt, *Artavaſtum* Pſeudo-imperatorem cum duobus filiis captum oculis privavit, alios proceres & defectionis authores trucidavit. *Cedrenus, Miſcella, Chron. Funccii fol.* 128.

4. *Conſtantinus*, cum urbem per milites diripuiſſet, Patriarcham multis contumeliis affectum, & in urbe in aſino averſum ſedentem circumduxiſſet, tandem dignitati reſtituit. Et vocato legato Pontificis Romani, Divo Petro aliquot prædia donavit. *Anaſtaſius.*

III. *Bella* contra *Bulgaros.*

v. *Conſtantinus* contra Bulgaros exercitum eduxit A. C. 759, ſed infelici ſucceſſu. Victus enim & in acie multi præſtantiſſimi viri perierunt, & cum dedecore Conſtantinopolim rediit. *Miſcella.*

11. *Conſtantinus* A. C. 763, die 16 Junii, per Thraciam in Pontum Euxinum cum exercitu navigavit, & ad Anchialum caſtra metatus eſt: cui occurrit TELETIS Bulgarorum Rex magno exercitu, ultimo Junii, & prælio decertarunt. Sed Bulgari cum horis fere octo pugnaſſent, victi ſunt. Ideo *Bulgari* Regem ſuum, quod videbatur cum *Conſtantino* conſpiraſſe, aut alias infeliciter pugnaſſe, trucidarunt. Conſtantinus Conſtantinopolim rediens triumphavit. *Miſcella.*

111. *Conſtantinus* A. C. 764. Bulgaros in ſpem pacis conjecit, interea eos ferro & incendio vaſtavit. *Miſcella.*

1v. *Conſtantinus* A. C. 765, infida pace cum Bulgaris facta, iterum inopinato in Bulgariam irrupit, & tuguria multa Bulgarorum corrupit; re tamen infecta rediit.

v. A. C. 766, die 21 Januarii, movit contra *Bulgaros*, claſſe comparata ad Anchialon, quæ fere tota tempeſtatibus diſjecta eſt, & hominum multa millia perierunt. *Miſcella, Cedrenus, Chron. Funccii fol.* 129.

v1. Anno C. 774. Conſtantinus menſe Martio in Bulgariam expeditionem inſtituit, qua pax Bulgaris exorta eſt, quam tamen non ſancte ſervarunt: ideo Conſtantinus eos obruit, & 12000 eorum interfecit, ita ut ne unum ex ſuis amitteret. Inde

iterum pax conſtituta eſt, ne alter alterum læderet. *Cedrenus.*

VII. A.C.775, menſe Auguſto, *Conſtantinus* bellum contra Bulgaros movit, ſed ibi anthrace correptus, febribus mortuus eſt die 14 Septembris. *Miſcella.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. CONSTANTINUS A.C.754 decreta fecit contra imagines, ut omnes ſimul vocarentur Idola, ne quis imagines haberet: permiſit tamen omnibus, ut per crucem Chriſti jurarent. *Theoph.*

II. CONSTANTINUS A.C.755, occaſione controverſiæ de imaginibus tollendis, Synodum Conſtantinopolin convocavit, ex trecentis & triginta octo Epiſcopis, & in ea non ſolum imaginum cultus, ſed etiam ipſæ imagines à *Patribus* damnatæ, ac ne fierent prohibitæ ſunt. Verba decreti ſic habent: *Qui ab hoc die imaginem auſus fuerit ſibi parare, aut adorare, aut in Eccleſia aut in privata domo conſtituere, aut clam habere, ſi Epiſcopus fuerit aut Diaconus, deponitor: Si vero ſolitarius aut laicus, anathemate percellitor, imperialibuſque conſtitutionibus ſubjicitor, ut qui divinis decretis repugnet, & dogmata non obſervet.*

Hujus autem *Synodi* Decreta *Conſtantinus* Imperator crudeliſſime exſecutus eſt: & quidem ipſius mandata ſæviſſime exſequebantur præcipui Imper. officiarii & Præfecti, longe acerbius quam Chriſtiana modeſtia & manſuetudo requirebat. Etſi enim homines ſuperſtitioſi, qui imaginum cultum mordicus retinebant, graviter peccabant: tamen inſtituendi potius, quam affligendi & occidendi erant. Et *Imperator* non modo imaginum adorationem prohibuit, verum etiam Sanctorum reliquias igni tradidit, & titulum *Sancti*, neque Mariæ virgini, neque Apoſtolis, neque Martyribus tribui voluit. *Sacerdotes* & *Monachos*, adverſantes abrogationi imaginum, variis & atrocibus ſuppliciis è medio tollebat. *Andream* quendam Monachum, à quo reprehendebatur ob abrogatum imaginum cultum, flagris occidit. Alium quendam Monachum *Stephanum*, virum celebrem, ob ſimilem cauſam poſt multa tormenta interfecit, & in foſſam condemnatorum abjecit. Multos etiam Senatorii ordinis ob imaginum cultum extremo ſupplicio affecit. PETRUM *Stiliten* à Metra, nobilem virum, ab officio removit, in carcerem conjecit, poſtea tractum per plateas in locum ſupplicii projici juſſit. *Conſtantinum* Patriarcham in exilium miſit: eundem revocatum, alapis cædi, & aſino impoſitum, in ludis Circenſibus circumduci, conſpui, pulvere conſpergi, & tandem capite plecti juſſit. Multa millia hominum, qui in Synodum illam de abolendis imaginibus non conſentiebant, è medio ſuſtulit. Quoſdam oculis privavit, nares præcidit: quoſdam ſaccis inſutos, & lapidibus aggravatos in mare projecit: Multa monaſteria cremavit, vel in profanos uſus tranſtulit. *Diaconus, Zonaras, Sigebertus, Chron. Funccii fol.* 128.

III. A.C.771. *Conſtantinus* apud Epheſum Monachos coëgit, ut Monachas uxores ducerent. *Chron. Funccii fol.* 129.

IV. CONSTANTINUS Nicetam Epiſcopum Conſtantinopolitanum fecit, tantum eam ob cauſam, quod imagines pictas de parietibus abraderet, ligneas exureret, metallicas conflaret, & in alias formas refunderet. Fuit autem hic *Nicetas* natione Sclavus, ſervili genere ortus, eunuchus, in mulicbribus miniſteriis à puero verſatus; profanarum & ſacrarum literarum adeo rudis, ut vix legere noſſet. *Diaconus, Zonaras, Sigebertus.*

Prodigia.

I. A.C.746. magnus in Syria *terræ motus* fuit. Innumerabilia in urbibus perierunt hominum millia, corruerunt templa & monaſteria. *Cedrenus.*

II. Eodem anno *Peſtis* Siciliam, deinde ſenſim omnes maris inſulas, & totam denique Græciam invaſit. *Chron. Funccii fol.* 128.

III. *Tenebræ caliginoſæ* (inquit *Cedrenus*) fuerunt à die 10 Auguſti, uſque ad 15. A.C.746. *Miſcella* extendunt has tenebras uſque ad diem 25 Auguſti. *Anaſtaſius* has tenebras inchoat à die 4 Auguſti, eaſque extendit uſque ad diem 15 Octobris.

IV. A.C.747. *Peſtis* Conſtantinopolim graviter afflixit, & cruces Conſtantinopoli, quaſi oleo factæ, in veſtimentis hominum apparuerunt. Inde peſtis adeo invaluit, ut totæ domus occluderentur, & deeſſent qui defunctos ſepelirent. Jumentis igitur cadavera exportarunt, eaque ſepulta ſunt in propugnaculis, ſuburbiis, ciſternis: tandem horti quoque effoſſi, & vineæ, ut ſufficerent loca ſepeliendis defunctis. *Chronicon Funccii fol.* 128. *Cedrenus.*

V. A.C.750. *Terræ motus* prodigioſus in Meſopotamia & Syria fuit. Non enim ædificia (ut alias in terræ motibus fieri ſolent) corruerunt: ſed integræ urbes ex uno loco in alium, & quidem ultra milliare unum, tranſlatæ fuerunt. In *Meſopotamia* terra diſrupta fuit ad duo millia paſſuum, & ex ea voragine aſcendit alia terra alba, ſimulque animal prænuncians adventum peregrinæ gentis contra Saracenos. *Chron. Func. fol.* 128. *Annales Miſc.*

VI. A.C.756. iterum tanta fuit ſævitia peſtis in urbe

tirbe Conſtantinopoli, ut propemodum habitatoribus exhauriretur. Itaque ne *Imperator* vacuæ urbi imperaret, novos colonos undiquaque collegit, ac Conſtantinopolim traduxit. *Chron. Funccii fol.* 129.

VII. A.C. 764. menſe Febr. cum hyems deſæviiſſet, pontus per Boſphorum in Propontidem ingentia perpulit glaciei fragmenta, quibus plus quam triginta hominum inſiſtere poterant, & tuto in mari invehi: muros urbis Conſtantinopolitanæ hæc fragmenta alicubi everterunt. Sequente Martio menſe continuæ fuerunt trajectiones ſtellarum. *Miſc.*

VIII. A. C. 767. tanta *ſiccitas* in Thracia fuit, (cum nec pluvia nec ros de cœlo caderet) ut ciſternæ, thermæ, fontes & fluvii Conſtantinopoli deficerent. *Diaconus, Sigebertus, Chron. Funccii fol.* 129.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. ΤΑ' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

Conſtantini in Bulgaros expeditio. Supra diximus, quod Conſtantinus ſæpius adverſus Bulgaros bella ſuſceperit. Cum igitur poſtremum adverſus eos expeditionem ſuſcepiſſet, carbunculus eum invaſit.

II. ΤΑ' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Cum *Conſtantini* pedem carbunculus corripuiſſet, vehementes quoque & calidæ febres acceſſerunt, quæ eum ſic urebant, ut vociferaretur, ſe viventem in ignem conjectum eſſe, quo etiam morbo extinctus eſt A. C. 775, cum imperaſſet annos 34, menſes 2, & diu multumque non modo in cultores imaginum (qui doceri meliora, non interfici & jugulari debebant) ſed etiam in alios multos bonos viros, qui ipſius ſceleri improbabant, crudeliſſime ſæviiſſet.

Quidam *Hiſtorici* addunt, eum elephantico morbo fuiſſe correptum, & aduſti ſpumantiſque ſanguinis vitio putridam carnem, nervos & oſſa deſtituiſſe, eumque ulceribus repleviſſe.

III. ΤΑ' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

Poſt mortem ipſius, *Irene* cadaver *Copronymi* ſoceri refoſſum hortatu *Theodori* Epiſcopi publice cremari, & cinerem in mare jactari juſſit, quod imaginum cultum abrogaſſet. *Diaconus, Zonaras, Sigebert. Ivo in Chron. Sabellicus Ennead. 8. l. 8.*

LXXVI IMPERATOR,

LEO IV.

I. ORTVS.

I. *Generatio.*

I. PATER fuit CONSTANTINVS COPRONYMVS.

II. MATER fuit HELENA CHAZARA, pia & religioſa fœmina.

II. *Appellatio.*

Dictus eſt LEO IV, quia tres ante ipſum Imp. LEONES dicti fuere.

II. PROGRESSVS.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXOR ejus fuit IRENE, ex qua ſuſcepit filium nomine CONSTANTINVM, qui ipſi in Imperio ſucceſſit.

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Anno Chriſti 771. à patre *Auguſtus* appellatus, & à Patriarcha Conſtantinopolitano coronatus eſt. Patre vero defuncto, ſolus Imperium adminiſtravit.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

I. LEO Imperator dum Conſtantinopoli res Imperii ordinat, rogatur à proceribus Imperii, ut filium ſuum Conſtantinum velit creare Imperatorem; quod facturum ſe pollicetur LEO, ſi ſibi jurent omnes & ſinguli, ſe nullum alium imperare paſſuros, niſi filium Conſtantinum, poſt ſuum obitum. Iuratur in die Paraſceues ante Paſcha, & Dominica Paſchatis Conſtantinus creatur Imperator, A. C. 776, die 14 Aprilis.

II. Menſe Majo *Nicephorus* Cæſar, frater *Leonis*, conſilia init cum quibuſdam proceribus de dejiciendo fratre *Leone*: ſed eos *Leo* comprehendit, & majeſtatis reos attonderi, & captivos in Cherſoneſum mitti jubet. *Miſcella.*

II. *ACTA SAGATA.*

A. C. 779. *Leo* exercitum 100000 hominum in Syriam miſit: qui commiſſo prælio, quinque Amirades, & ſex Arabum millia conciderunt. *Chron. Funccii fol.* 130. *Miſcella.*

III.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. Ejuſdem cum patre fuit religionis. Nam imaginum adorationem prohibuit, & id edictum violantes, Jacobum Protoſpatharium, & Papiam, & Strateium, & Theophanem, cubicularios ſuos, & alios horum ſimiles, graviter punivit contumelia tonſuræ, & carcere.

II. *Leo* apud conjugem Irenen quaſdam imagines reperit; eas *Irene* negat, ſe conſcia, paratas eſſe: Suſpicatur igitur *Leo*, eas ab aulicis ſubminiſtratas fuiſſe: quapropter aulicos quoſdam (uti dictum) occidit, & à conjuge ſua poſtea ſe abſtinet. *Miſcella.*

III. TELERICVS Bulgarorum Rex, à ſuis pulſus, Conſtantinopolim fugit; ubi honorifice ſuſcipitur à *Leone*, inſtituitur in Chriſtiana religione, creatur Patritius, baptizatur, & accepit uxorem, *Irenes* Imperatricis conſobrinam.

III. *EGRESSVS.*

Leo coronam ex jaſpidibus & aliis gemmis conſertam, quam Imperator *Mauritius* (alius *Heraclius*) in honorem DEI erexerat, & in templo Sophiæ depoſuerat, captus gemmarum & auri ſplendore è templo abſtulit, dicens: Eum, cujus ſit templum, pauperiem & non gemmas probaſſe, & ſimul ſuo capiti diadema illud impoſuit. Verum hunc LEONIS Imp. ſarcaſmum DEVS ultus eſt, ut carbunculi in capite enaſcerentur, & accedente febre valida miſere vitam cum morte commutaret A. C. 780, die 6 Septemb., cum imperaſſet annos 5, & dies ſex. *Zonaras. Diaconus. Blondus Decad. 2. lib. 1. Chron. Funcii fol.* 130.

Micyllus, tale de eo, quaſi *Epitaphium*, epigramma compoſuit:

Æmulus hic patris, rapto diademate ſacro
Exornaſſe comas dicitur ipſe ſuas.
Ergo & ſacrilegam mox percutit ultio frontem,
Vſtus obit, facto tuberis igne caput.

LXXVII. IMPERATOR, CONSTANTINVS VI. cum Matre IRENE.

I. *ORTVS.*

I. ORtus Imperii fuit tranquillus, in quo *Irene*, marito ſuo LEONE IV. defuncto, cum filio 10 annis regnavit.

II. *Irene* una cum filio ambo Idolorum cultum de novo reſtituebant & tuebantur: duo enim Epiſcopi Conſtantinopolitani ſibi ſuccedentes, PAVLVS & poſtea TARASIVS, Idolorum cultum approbabant. Ideo A. C. 785. *Synodus* convocatur, & Epiſcopi ſive legati ipſorum conveniunt die 7 Auguſti, Conſtantinopoli in templo Apoſtolorum decretum facturi de reſtitutione imaginum & cultu ipſarum. Cum vero ii qui adorationem imaginum improbabant, minus audirentur, ſeditione plebis & militum Synodus diſturbatur, & Epiſcopi domum redeunt.

IRENE Imperatrix irata plebi & militibus, ut otioſum vulgus Conſtantinopoli ejiceret, in initio decimæ indictionis, indicit expeditionem, quaſi verſus Saracenos profectura: ſed cum in Thraciam veniſſet, populo arma ademit, & multos in naves impoſitos in inſulas paſſim miſit. *Diaconus, Miſcell.*

III. Cum IRENE eos, qui imaginum cultum in *Synodo Conſtantinopolitana* oppugnaverant, fraude armis privaſſet, in exilium ejeciſſet, ſeque exercitu muniviſſet, juxta conſilia Legatorum Romani Pontificis, indixit Synodum Niceæ A. C. 788, (aliis Anno 787) ad quam circiter 350 *Epiſcopi, Abbates* & *Monachi* convenerunt, referente *P. Diacono lib.* 23. *rer. Romanar.* ac *Sigeberto in Chron.* Vbi primum lectæ ſunt literæ Imp., Pontificis Romani, inde aliorum Epiſcoporum, recitata quoque fuit Epiſtola *Adriani* Pontificis ad *Taraſium* Patriarcham Conſtantinopolitanum, in qua eum hortatur, ut deinceps etiam venerandas imagines, primum juxta humanam figurationem Chriſti DEI & Hominis, ſecundum nos, & pro nobis & propter nos incarnati, deinde inviolatæ & veræ Deiparæ, poſtremo omnium Sanctorum ſuorum colere & adorare pergat. Hanc *Adriani* ſententiam ſeſe probare omnes iſtius Concilii Patres teſtati ſunt. Hanc Synodum Nicenam II. Græci vocant Oecumenicam VII. ſed p[illegible]lo poſt A. C. 794. CAROLVS MAGNVS Synodum *Francofurdianam* propter hæreſin Felicis (quod CHRISTVS ſit Filius DEI adoptivus ſecundum humanam naturam) convocavit: in ea Pontifex *Adrianus* petiit confirmari acta Synodi Nicenæ; quod Patres iſtius Francofurdianæ *Synodi* abſque legitimo examine facere recuſarunt. Inſtituta igitur diſquiſitione, & facta collatione decretorum utriuſque Synodi, tum illius, quæ ſub *Conſtantino Copronymo* prorſus damnaverat ac rejecerat Imagines, quaſi nec pingere nec habere eas liceret, tum hujus, quæ ſub *Irene* Imperatrice non modo habendas, ſed etiam adorandas & colendas aſſeveraverat, mediam ſententiam amplectuntur, ac ſtatuunt, quod imagines habere in templis & privatis locis per ſe non ſit impium vel illicitum,

ſed

ſed eas adorare & venerari ſit à fide Chriſtiana alienum, & cum ſuperſtitione gentilium congruat. Reprobant igitur Adriani Pontificis & Græcorum de cultu imaginum decreta. In hac Synodo convenerunt Epiſcopi, Sacerdotes, Abbates & Monachi ex Gallia, Italia & Germania. *Avent. l. 4. Annal. Regino l. 2. Blondus l. 1. decad. 2.*

IV. Anno Chriſti 780. Conſtantinopoli ſeditio oritur, ubi quidam *Nicephorum* fratrem *Leonis* carcere liberare & Imperatorem conſtituere conantur; ſed *Irene* Principibus revocat in mentem juramentum, quod dederant *Leoni*, & ſeditioſos aut in carcerem conjicit, aut in exilium pellit. Patruos vero omnes, *Nicephorum*, *Chriſtophorum*, & alios duos, ſacerdotes facit, cum eos attondiſſet. *Miſcell.*

V. A. C. 781. *Irene Helvidium* præfectum Siciliæ facit: qui tamen favebat clanculum *Nicephoro* fratri *Leonis*, eumque promotum cupiebat; ſed *Irene*, re comperta, ipſius uxorem & liberos carceri includit. Anno ſequenti exercitum contra *Helvidium* mittit, eumque aliquot præliis fractum Sicilia pellit, qui cum Nicephoro in Africam ad Saracenos fugit. *Miſcell.*

VI. *Irene* A. C. 781. mittit legatos ad *Carolum Magnum*, qui conciliarent nuptias inter filium ſuum Conſtantinum & *Rothrudin* filiam *Caroli*: additur legatis *Eliſæus* eunuchus, qui Rothrudin Græcam linguam & mores Græcorum doceret. Sed conjugium hoc poſtea impeditum fuit ab ipſa *Irene*: quæ verebatur, ne filius invaleſceret potentia plus quam ſibi uſui eſſet.

VII. *Irene* A. C. 784. cum filio *Conſtantino* in Thraciam excurrit, locum condendæ urbis electura.

VIII. *Irene* Ann. C. 788. filio ſuo Conſtantino uxorem dat Mariam Armeniam, patre quidem pio, ſed ignobili ortam, nuptiæ hæ apparantur menſe Novemb. invito tamen *Conſtantino*. *Miſcell.*

II. *PROGRESSUS.*

Progreſſus fuit turbatus. *Irenes* primo gubernatio fuit tranquillior, quamdiu ei paruit filius: ſimul ac vero ille Imperium ſuis conſiliis regere voluit, inter matrem & filium diſſenſus ortus eſt. Nam,

I. Cum *Conſtantinus* quoſdam matri addictos removeret, illaque ſentiret Principes quoſdam aulæ ſtudere filio, ut ſe remota ſolus Imperator fiat, eos intercepit, & detonſos in Siciliam ablegavit in exilium, & exercitum populumque coëgit, ut ſibi, neglecto filio, fidelitatem jurarent. Verum exercitus Conſtantinopolitanus Armenia evocatus, ut fidelitatem juraret Imperatrici *Irenæ*, pertæſus Imperii muliebris, & quia in *Conſtantini* verba prius juraſſent, *Conſtantinum* Imperatorem poposcerunt, quorum exemplum deinceps & cæteri omnes ſecuti ſunt: ideoque *Conſtantinus* matrem cepit, eique Imperium abrogavit A. C. 790. menſe Novembri.

II. *Conſtantinus* rogatus à matre & à quibuſdam optimatibus, matrem iterum in conſortium Imperii recepit A. C. 792. Ei jurarunt fidelitatem reliqui exercitus, præterquam qui erant in Armenia. Factum die 15 Januarii. *Miſcell.*

III. Cum *Conſtantinus* contra Bulgaros expeditionem ſuſciperet A. C. 792, & prælium non ſuccederet ex arbitratu; *Nicephoro* per ſeditionem militarem rerum ſumma commiſſa eſt: Quo audito, *Conſtantinus* patruum *Nicephorum* oculis privavit, & coortum tumultum magno periculo vix compreſſit; reliquis duobus, *Chriſtophoro* & *Nicetæ*, præter oculos effoſſos, etiam linguam abſcidit, idque factum ſuaſu matris, die Sabbati.

IV. *Conſtantinus* in odium venit propter crudelitatem in Patruos, ideo Armenii rebellarunt, contra quos exercitum miſit, multoſque cepit, partim interfecit, partim publicatis bonis relegavit. Armenii hac crudelitate magis exaſperati, propugnacula quædam *Saracenis* tradiderunt.

V. *Conſtantinus* Imper. ódio perſequens uxorem Mariam, finxit ſe veneno ab eo petitum, eamque repudiavit, & cœnobio incluſit. A. C. 795, ſuaſu matris, quæ filium populo inviſum reddere cupiebat. Eodem anno aliam conjugem duxit nomine *Theodoten* (aliis *Theodoram*) ex gynæceo: eam coronavit Auguſtam, exque ea ſuſcepit filium nomine LEONEM.

III. *ACTA SAGATA.*

I. Contra *Sclavos.*

A. C. 783. *Irene* exercitum miſit contra Sclavos, qui jam vaſtabant Theſſaliam ac Peloponneſum, eoſque Græcia feliciter ejecit, & multis ſpoliis potita eſt.

II. Contra *Carolum Magnum.*

Irene irata *Carolo*, quod Ducem *Beneventanum* clientem ſuum in ordinem redegerat, exercitum miſit cum *Adelgiſo* Rege olim Longobardorum, qui Longobardorum regnum reciperet. Sed Grimoaldus Dux Beneventanus cum Spoletano Duce & auxiliis *Caroli* Græcos in Calabria egregie vicerunt, & Italia pepulerunt.

III. Contra *Bulgaros.*

1. *Conſtantinus* Imperator A.C. 791. in Bulgariam movit, ſed infeliciter tentavit pugnam, & aliquot ſuorum amiſit: ideo Conſtantinopolin rediit.

2. A. C. 792. iterum exercitum eduxit magna ſpe victoriæ, atque ob id incautius egit: ideo magno prælio victus eſt, quo multi optimatum ceciderunt. Ipſe Conſtantinopolin refugit, & Bulgari caſtris etiam cum omni Imperatorio inſtrumento potiti ſunt.

3. Bulgarorum Rex *Cardames* A.C. 796. novum tributum poſtulavit à Conſtantino, qui ſe venturum pollicitus in Bulgariam, & tributum allaturum. Profectus igitur Conſtantinus, cum hoſtem nullum obviam haberet, Bulgariam longe lateque vaſtavit. *Miſcell.*

IV. Contra *Saracenos.*

1. *Conſtantinus* A. C. 791. autumno bellum movit contra Saracenos, abiitque in Ciliciam; ſed cum aquationis locum non inveniret, Conſtantinopolin rediit.

2. A. C. 797. menſe Martio iterum contra Saracenos exercitum eduxit, ſed proditione ſuorum motus Conſtantinopolin rediit.

III. EGRESSVS.

1. *Egreſſus fuit tragicus.* Mater namque filium de Imperio removendo conſultans, miſit certos homines, qui eum caperent. Hi capto, juſſu *Irenes*, oculos effoderunt tanta crudelitate, ut paucis diebus poſt moreretur A.C. 797, cum ſolus annis 10, cum matre vero an. 17 imperaſſet. Excæcatus autem eſt eadem die & hora, qua ante quinquennium patrui oculos effodiendos curaverat *Cedr.*

11. *Irene*, ſublato filio, iterum ſola imperavit: quæ ſtatim *Nicephorum* & *Chriſtophorum* mariti fratres Athenas relegavit, & ibidem eos occidi juſſit.

111. *Irene* cum metueret potentiam Caroli, qui aliquas urbes in Italia occuparat, & Siciliam invaſurus videbatur, legatos ad *Carolum* miſit de pace A. C. 802. nec *Carolus* abnuit, occaſionem ſibi oblatam ratus Siciliæ potiundæ abſque bello, ſi *Irenen* Imperatricem conjugem duceret, & Imperium orientis cum occidentali conjungeret: miſit igitur Conſtantinopolim legatos. *Miſcell. Cedr.*

1v. *Nicephorus* eodem anno, die ultima Octobris, adhuc ante mediam noctem, in præſentia legatorum *Caroli*, adjuvantibus aliis, *Irenen* Imperatricem, quæ jam annos 23 regnarat, Imperio depoſuit, & ſequenti die in cœnobio concluſit, inde menſe Novembr. eandem in Lesbum Inſulam relegavit, & ut à nemine conſpiceretur, cuſtodiri juſſit: ubi exulans mortua eſt. *Cedrenus.*

NICEPHORVS.

1. *Nicephorus*, cum *Irenen* Imperatricem Imperio depoſuiſſet, illud viciſſim arripuit A. C. 802. Fuit hic homo doloſus, perfidus, crudelis, rapacibus & viſcoſis manibus, & pecuniæ mancipium. Nec profuere tamen theſauri corrali contra Saracenos, quin crebris expeditionibus provinciis Romanis multas clades inferrent, totumque Orientem, uti Bulgari Occidentem, depopularentur.

11. *Nicephorus* cum annos 8, menſ. 9, Imperio male præfuiſſet, à Deo digna malitia ſua præmia accepit. Nam Bulgaris reſiſtendum ratus, exercitu comparato, primum ſecunda fortuna uſus, *Crumni* Regis aulam occupavit: at cum nullas pacis conditiones admitteret, Bulgari, in deſperationem converſi, noctu impetu in illius tabernaculum facto, cæſis comitibus & corporis cuſtodibus, *Nicephorum* obtruncarunt. Caput amputatum, crucique affixum, ſpectaculo & deſpicatui fuit: quod deinde *Crumnus* Bulgarorum Rex, cute dempta, argento incluſum, pro calice uſurpavit, infuſoque vino, ſodalibus ex eo propinavit. *Miſcell. Chron. Funccii fol.* 131. *Hiſtor. Magd. Cent. 9.*

PERIO-

PERIODUS IV IMPERATORUM Germanorum, in Occidente, à CAROLO MAGNO uſque ad RUDOLPHVM II.

DYNASTIA PRIMA,

FRANCORUM.

I. IMPERATOR GERM. CAROLUS MAGNUS.

CAPUT I.

DE ORTU.

I. *Generatio.*

1. PROAVUS fuit PIPINUS CRASSUS, Major domus in Francia. Majores domus autem fuerunt palatii Regis, ſive aulæ, præfecti. Hi anno Chriſti 665. primum cœperunt adhiberi ad gubernationem regni, cum Reges ipſi, otio & voluptatibus dediti, rebus præeſſe nollent.

II. AVUS fuit CAROLUS MARTELLUS. Fuerat ille ex pellice natus. Nam *Pipinus* pater vivente uxore PLECTRUDE concubinam ALBŒDAM ſeu ALPAIDAM duxit, ex qua genuit CAROLUM MARTELLUM, quem poſtea hæredem fecit omnium ſuorum bonorum, cum legitimi liberi fere exſtincti eſſent. Hic *Carolus Martellus*, invictæ virtutis vir, juſtitiæ ac æquitatis acerrimus propugnator fuit. Licet enim ipſe ex pellice prognatus, & à noverca *Plectrude* aliquandiu in vinculis detentus: tamen elapſus cuſtodia, variis bellis dignitatem paternam recuperavit, quam *Griomaldo* fratri, ejuſque filio *Theobaldo* ademtam *Childericus* II, Rex Galliæ, auxilio Ducis Friſiorum *Radbodi*, (qui jamjam baptizandus retracto pede maluit cum majoribus eſſe in inferno, quam in cœlo cum Chriſtianis) *Reginofredo* conceſſerat: Regem deinde à nutu ſuo penitus ſuſpendit, Saxones, Suevos & Bavaros compeſcuit, Friſios domitos fidem Chriſti profiteri coëgit, Saracenorum 385 millia, qui ex Hiſpania in Aquitaniam ab *Eudone* Aquitaniæ Duce evocati fuerant, uno prælio trucidavit, provinciaque Edonis occupata, tot tantiſque factis promeruit, ut Galliarum Pater diceretur. *Sigebertus*, *Regino*, *Marian. Æmylius*, & ſcriptores Gallici.

Mortuus eſt CAROLUS MARTELLUS A. C. 741, die 22 Octobr. & reliquit tres filios.

1. CAROLOMANNUM, qui A. C. 746, hujus mundi gloriam & bona caduca contemnens, Romam profectus & Monachus factus eſt, Pipino fratri ditiones ſuas relinquens.

2. PIPINUM Caroli Magni patrem.

3. GRIFONEM. *Franc. Annal.* & alii.

III. PATER fuit PIPINUS BREVIS, qui regiam dignitatem Galliæ in ſuam familiam tranſtulit. CHILDERICUS enim Francorum Rex à Pipino apud *Zachariam* Rom. Pontif. accuſabatur, quod ſolo Regis titulo contentus otioſam vitam degeret, & muneris ſui officiis neglectis curam omnem regni in ipſum *Pipinum* rejiceret. Itaque juſſu Zachariæ *Pipinus* appellatus eſt Rex Francorum A. C. 750, & *Childericus* Rex tonſo capite in monaſterium detruſus eſt, ubi & vitam finiit, ultimus primæ ſtirpis Francorum, qui ex eadem familia annis 331 à *Pharamundi* principio recta linea inter ſe ſucceſſerant. Nam Gallici Scriptores in Regum ſuorum familiis tres mutationes numerant. *Primam* à *Pharamundo* uſque ad *Pipinum* annorum 331. *Secundam* à *Pipino* uſque ad Hugonem Capetum Comitem Pariſienſem annorum 237. *Tertiam* ab *Hugone Capeto* uſque ad noſtra tempora. *Pipinus* autem à S. Bonifacio Archiepiſcopo, A. C. 750, (aliis 751,) in Regem Francorum unctus eſt, & A. C. 755 contra *Aiſtulphum* Longobardorum Regem bona Eccleſiæ Romanæ non reſtituentem exercitum in Italiam duxit, illumque pactis ſtare coëgit. S. Petro etiam Ravennam, aliaque Italiæ loca donavit. Hoc anno mortuus eſt AISTULPHUS, cui DESIDERIUS ultimus Longobardorum Rex ſubſtitutus: qui regnavit annos 18. Decimo enim octavo anno imperii ſui *Deſiderius* à *Carolo M.* captus in exilium miſſus eſt. Ita Longobardorum in Italia regnum ad Franciæ Reges tranſiit anno 206. poſtquam Longobardi Italiam primum intraverant. vide Hiſtor. *Juſtini Junioris* Imp. *cap.* 2. *in act. Sagatii*. Mortuus eſt PIPINUS Pariſiis A. C. 768, cum regnaſſet an. 18, ſuperſtitibus duobus filiis, *Carolo*, & *Carolomanno*, qui patre defuncto patria regna inter ſe diviſerunt, & *Carolus*, conceſſo *fratri* Auſtraſiæ regno, ſibi Franciam regendam ſum-

fit. *Sigebert. Schaff. Regino. Contract. Friſing. Marian.*

IV. MATER dicta fuit BERTHA. *Aventin. Annal. Bojoar. lib. 4. pag* 183.

Circa nativitatem autem *Caroli M.* duæ circumſtantiæ ſunt notandæ. 1. TEMPVS. 2. LOCVS.

1. Quod TEMPVS attinet, natus eſt A°C. 742, die 28 Januarii. Tradunt Hiſtorici, quod paulo ante nativitatem ejus *Stella* venuſta atque fulgida in cœlo conſpecta ſit, quam omnes cum admiratione ſumma adſpexerunt. Quæ præſagium fuit, hunc puerum magnum futurum *Monarcham*, qui præ cæteris in Principibus in Mundo velut hæc ſtella ſit fulſurus; Quod etiam eventu comprobatum fuit. *Abbas Spanheimenſis.*

2. LOCVM quod attinet, Hiſtorici hac in re diſſentiunt. Quidam enim referunt, *Carolum* natum eſſe in arce *Carlsburg*, tribus milliaribus ſupra Monacum. *Aventin. lib. 4.* Alii in villa *Ingelheim*, duobus millibus paſſuum à Moguntia diſtante. *Theodoricus Niem. in Comment.*

Fuit *Carolus Magnus* natione *Germanus*, quia ex Francia orientali fuit oriundus, & Francones (quos nonnulli Francos orientales appellant) Germani populi ſunt. *Francia* autem *duplex* eſt, *Orientalis* & *Occidentalis*. Ad *Orientalem* Franciam (quæ & *Franconia* dicitur, ab ortu terminatur Bohemia, à meridie Bojoaria & Suevia, ab occaſu Rheno fluvio, à Septentrione Haſſia, & Thuringia) pertinebant Thuringi, Saxones, Friſii, Bojoarii, Suevi, Lotharingi, & alii. Ad *Occidentalem* vero Gallia Belgica, Celtica, Lugdunenſis, & regna reliqua referebantur. De hac diviſione ſic ſcribit *Johannes Nauclerus generat. 27. Carolus Magnus* Rex Francorum dicebatur: quod idem erat ac ſi nominatus fuiſſet Rex Germaniæ & Galliæ. Nam clarum eſt, quod eo tempore omnis Gallia Tranſalpina, & etiam Germania à montibus Pyrenæis uſque in Pannonias, Francia dicebatur: *Illa*, id eſt, Germania, Francia Orientalis: hæc, id eſt, Gallia, Francia occidentalis. Inde etiam *συμφυεῖς, καὶ τοῖς πολιτεύμασι, καὶ συγγενεῖς ἀλλήλοις*, h.e. ſimiles moribus & politia, & cognati inter ſe, dicuntur apud *Strabonem* Germani & Galli.

In hanc ſententiam *D. Sebaſtianus Brand* tale epigramma concinnavit:

Tranſlato imperio à Græcis, Germana repente
Natio ſuſcepit regia ſceptra, & opus:
Germanus quoniam, noſtro quoque natus in orbe
CAROLVS, *& vero ſemine Teuto fuit.*
Nempe Orientalis Francus fuit. Unde recepit
Francia Gallorum, quod modo nomen habet.

Als Keyſerthumb von Griechen-landt
Wegen vnfleiß ward' abgewand't/
Kam's auff die Deutſche Nation:
CARL der Groſſe richtet es an/
Ein gebohrner Francke er war/
Machts frendig: gab ſich in gefahr/
Erlägte viel der Feinde hauf/
Richt das Keyſerthumb wieder auff.

GENEALOGIA CAROLI è P. Diacono.

Arnulphus. Major domus, poſt Epiſcopus Metenſis.

S. Clodolphus in eremum ſeceſſit, ac poſtea Archiepiſcopus Trevirenſis factus.

Anſegiſus Dux Brabantiæ, Marchio Antwerpienſis, Major domus Auſtraſiæ

Plectrudis —— *Pipinus Craſſus*, & Heriſtellus cognomento Alpais.

Grimoaldus, Major domus à Childerico cum filio Theobaldo dignitate exutus.

Carolus Martellus, cognomento Tutis, Major domus.

Carolomannus Rex Auſtraſiæ, poſt Monachus.

Grifo.

Pipinus Brevis, ſeu Nanus —— Bertha.

Milo Comes Angleriæ. -- *Berta*, *Rolandus.*

Carolus Magnus.

Carolomannus.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN. Dictus fuit CAROLVS, ſive CARL, quod derivant à radice Germanica Kârl/ quia factus fuit vir fortis & bellicoſus; quod etiam nunc frequentiſſimum eſt. Jul. Cæſ. Scaliger exercitat. 266. *Carl* priſca vox eſt, qua robuſti forteſque viri deſignabantur. Id enim eſt *Carlman*, quod *Andreas*. Alii à radice Ebræa deducunt, nempe à קרא, id eſt, invocavit, & אל, id eſt, DEVS, ut CAROLVS idem ſit, atque invocator vel cultor DEI.

II. COGNOMEN. Cognomento dictus eſt MAGNVS, à rerum geſtarum magnitudine, & gloria. Nam quantus felicitate heros fuerit, ipſius res geſtæ rerumque teſtimonia docent, ut verborum adminiculis opus eſſe non videatur. Sed *Magnum* illum DEVS *Carolum* fecit, per quem magna opera in gentibus efficere voluit. Ac, ſi ejus res geſtas tum domi tum foris inſpicias, vir bello paceque ſummus, juſtitiæ literarumque cultor eximius, atque omnium Impp. poſt *Conſtantinum Magnum*, quem ut cognomine, ſic virtute æquavit, ſine controverſia *Maximus* fuit, dicique meruit. *Sigon. lib. 4. Reg. Ital.* Merito igitur ſanctam *Caroli Magni* memoriam habent coluntque *Galli:* quod nobiliter eorum ampliavit regnum. Colunt & venerantur *Saxones:* quibus, quantumvis invitis, veram de DEO doctrinam, leges, judicia, certamque pacis rationem contulit, quibus beneficiis etiamnum poſteritas utitur, fruitur. Colunt *Itali*, quibus pacem & tranquillitatem, expulſis Longobardis, dedit. Totum adeo *Germanicum* imperium coluit, quia primus auctor fuit ſummæ dignitatis huic genti collatæ, primuſque Monarchiæ Romanæ ἀξίωμα attulit. Itaque non ſine ratione ſacra eſt magnarum virtutum memoria. *Senec. lib. 4. de benefic. c. 30.*

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ, & VITA PRIVATA.

I. *Dona corporis.*

Carolus Magnus dignam imperio formam habuit. Nam corpore præditus fuit robuſto, ſeptem pedes procero, capite rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naſo paulo majore, canicie pulchra, facie læta & hilari: unde formæ authoritas ac dignitas tam ſtanti quam ſedenti plurima inerat: Quanquam cervix obeſa & brevior, venterque projectior videretur, tamen hæc cæterorum membrorum celabat æqualitas: inceſſu firmo, totaque corporis habitudine virili: voce clara, ſed quæ minus corporis proceritati conveniret. *Crantzius lib. 2. Saxon. cap. 7. Aventin. lib. 4. Annal. Bojoar. p. 219.*

II. *Animi, ingeniique Dotes.*

I. Literarum tum divinarum, tum humanarum ſtudia.

Magna profecto *Caroli Magni* laus agnoſcitur, quod potiùs ſcientia rerum divinarum & humanarum, quam potentia excellere voluit, exemplo *Alexandri Magni*, qui recte cenſuit, nihil ſervile magis, quam inſervire deliciis, nec magis regium, quam labores ſuſcipere. Cumque *Carolus* ſatis ad naturam excellentem adjumenti, tum rerum cœleſtium cognitione, tum liberalium artium ſtudiis, tum denique crebris exercitationibus, miſcendo arti virtutem, & virtuti artem, ſibi comparaſſet, omnem præclariſſimæ rei uſum ad Reip. utilitatem tranſtulit.

II. Præceptores ejus.

1. Puer commendatus diſciplinæ *Petri Piſani Diaconi*, in bonis literis, pietatis exercitiis, cæteriſque ſtudiis adeo feliciter profecit, ut magnam de ſe ſpem virtutis & Parentibus, & aliis hominibus excitarit; nec eam ſpem & exſpectationem, egregia indole excitatam, fefellit jam vir factus.

2. *Alcuinus* Anglus Carolum in Dialecticis, Rhetoricis & Aſtronomicis inſtruit.

3. *Diaconum* de Britannia, Saxonici generis hominem, virum undecunque doctiſſimum, quoque Præceptorem *Carolus* habuit: apud quem & Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipue tamen Aſtronomiæ ediſcendæ plurimum temporis & laboris impendit. In Muſicis quoque ab eodem informatus, & pſallendi diſciplinam, ſive modum legendi harmonicum, *Carolus* exacte calluit, eundemque ipſe emendavit.

III. Φιλομάθεια atque Diligentia.

Carolus Magnus ad cervical pennam & encauſtum cum pergameno noctu reponebat, ut ſi quid in lecto cogitanti utile occurreret, ſignare poſſet, ne è memoria laberetur. Vicinus item erat lecto paries cera illitus, cui, ſi quid in tenebris occurriſſet, inſcriberet. *Egin. in vita Caroli M. Item* inter cœnandum, ſi quid argute & ſubtiliter dictum à convivis, notabat, aut hiſtorias & antiquorum res geſtas ſibi recitari curabat. *Crantz. Sax. lib. 2. cap. 9.*

Hiſtorici enim commendant Magnates diverſos, qui ἀκροάσεις ad menſam adhibebant, ut, dum corpus epulis paſceretur, animus etiam in honeſtarum atque utilium rerum cogitatione occuparetur Hoc ipſum *Carolus* fecit, apud quem nunquam ſine aliqua lectione cœnatum eſſe proditur, ut non minorem animo quam ventre delectationem perciperet.

IV. Eruditio.

I. *Carolus* in omni genere doctrinarum profecerat, ut & ipſe quædam in lucem ediderit.

1. Scripſit *Grammaticam* patrii ſermonis, conatus regulis ac præceptis cultiorem & elegantiorem, ad æmulationem Græcorum, Romanorumque, *linguam Teutonicam* reddere, barbarieque eximere. Namque pulchrum eſt, ſermonis Germanici rationem tenere, ut honor & gloria ſit in verbis compte pronunciatis à ſenſato homine.

2. *Univerſos* V. & N. Teſtamenti *libros*, librariorum imperitia; lectorum oſcitantia; interpretum inſcitia, & injuria temporum, depravatos, ad amuſſim & veritatem fontium correxit

3. Exſtat publicum CAROLI *decretum*, quo prohibet, in divinis lectionibus, templiſque, inter ſacra officia, inconditos ſolœciſmos barbariſmoſque inconcinnos obſtrepere. *Avent. lib.* 4. *Ann.*

II. *Carolus* tanta fuit facundia, ut non deeſſet ei copia & ſplendor in patrio & Latino ſermone. Græcos legatos Græce intellexit, ſed non reſpondit longo ſermone Græco.

III. In *Poëſi* quoque exercitatus fuit. Nam in obitum *Rolandi* ſororis filii tale epigramma concinnavit:

Tu patriam repetis, triſti nos orbe relinquis:
Te tenet aula nitens, nos lacrymoſa dies.
Sed qui luſtra geris octo & binos ſuper annos,
Ereptus terris, juſtus ad aſtra redis.

Valde delectatus fuit *Philippus Melanchthon* verſu illo, quem *Carolus* in mulierculam penſa trahentem, & cantu tædium ſolantem fecit:

Nentis fila Deus mentem quoque jungit Olympo.

IV. CAROLVS barbara & antiquiſſima carmina, quibus res geſtæ veterum continebantur, literis deſcribi mandavit.

V. Menſibus anni juxta Teutonicam linguam nomina impoſuit: & cum quatuor tantum venti Cardinales ſint, eos adjunctis collateralibus duodecim fecit. *Sigonius.*

V. Pietas.

Pietatis ſtudio *Carolus Magnus* adeo delectatus eſt, ut ipſe pſallendi legendique officia in Eccleſia diſcreverit, ipſe ſe choris pſallentium immiſcuerit: & coram ſe, ubicunque eſſet, divinum peragi religioſe curaverit officium ac miniſterium; ſermones Patrum, homilias Sanctorum, nec minus martyrologia diligenter conquiri & conſcribi juſſerit. *Crantz. 2. Sax. cap. 9.* Hæc quidem eſt vitæ humanæ imbecillitas, ut quemadmodum temporum vices, ſic morum vertantur. Sed *Carolus*, in pietatis ac virtutis ſtudio atque honeſtarum rerum meditatione & actione, ſui ſemper ſimilis permanſit; Cognovit enim, DEI munus eſſe egregios mores, qui hominem DEO proximum eſſe faciunt. Quippe probroſum plane eſt, ſi quis honeſta ſtudia, quæ in adoleſcentia ſecutus fuit, vir factus derelinquat, uti fecit NERO, & BASSIANVS CARACALLA, qui prioris inſtituti rationem cum magna ſui infamia mutarunt.

Præmia pietatis.

Salus Ducum, Principum ac Regum piorum non minus ac cor ipſorum in manu DEI eſt, qui eos regit ac cuſtodit. Sic 1. CAROLVS ab inſidiis Auſtraſianæ juventutis mirabiliter eſt ſervatus. 2. PIPINI nothi ſui perfidiam, qua ille, facta conſpiratione, patrem è medio tollere conſtituerat, detectis inſidiis, effugit. 3. Cum ejus *exercitus* in bello Saxonico triduana ſiti laboraret, & à deſtruendo fano Hermanſeſil deſiſtere ob aquæ penuriam cogitaret, DEVS per torrentem quendam prope montem ſubito largiſſimas aquas effudit, ad recreationem militum. *Æmyl. lib.* 2. *Regino lib.* 2. *Annal. Aimoin. lib.* 4. *cap.* 46.

VI. Studium poſteritatis.

Carolus Magnus, cum intelligeret, nullum impendii genus dignius eſſe, quam quod erogatur in poſteros, juſſit omnium nationum quæ illi ſubeſſent, memorabilia geſta, quæ ſcripta non erant, ſcribi & memoriæ mandari. Porro cum Bibliotheca animæ pharmacum ſeu medicamentum recte à *Diodoro Siculo lib.* 1. nominetur, *Carolus Magnus* eam inſtructiſſimam habuit Aquiſgrani in palatio ſuo, non quidem ut libri cœnationum eſſent ornamenta, ſed ut ſtudiorum eſſent inſtrumenta. Sic Bibliotheca recte elegantiæ, Regumque curæ egregium opus appellatur.

VII. Amor erga Literatos.

Carolus Magnus Doctos viros in ſummo honore habuit, cum iis quotidie converſatus eſt, colloquiaque tum in menſa tum alio tempore habuit.

AXIOMA.

Moniti ſint Magnates, *ut viros literatos ament, & in pretio habeant.* Vitis enim, tametſi arbor eſt omnium nobiliſſima, tamen arundinum, vallorum, arborumve infrugiferarum eget ſuſtentaculis: Ita potentes eruditorum, alias deſpectorum, opera. *Eraſmus in Apophthegmatis.*

Exempla.

1. Elegans exemplum hoc loco habemus in *Carolo M.* qui (uti jam diximus) Literatos in ſummo pretio habuiſſe ab Hiſtoricis commendatur.

2. Superiore etiam ſeculo FRANCISCVS Rex Galliæ magna cum laude idem fecit, quo nemo ſuo ſeculo artes liberales omnes vehementius amavit, aut liberalius proſecutus eſt: prandens ac cœnans loquebatur de literis; ſicut ſcribit *Sleidanus lib. 19.*

VIII. Temperantia.

Carolus pulcherrimum temperantiæ exemplum eſt. Nam cibi potuſque erat parciſſimus: in potu tamen temperantior, ut qui ebrietatem in quolibet, etiam infimæ conditionis, nedum in ſuis, abhorrebat. Maxime cœna quotidiana quaternis duntaxat ferculis, præter aſſam, qua maxime delectabatur, & quam venatores verubus inferre ſolebant, conſtabat: in cœna ter fere, neque temere interdiu, bibit. Lege quoque vetuit, ne quis alium ad bibendum provocaret, ebriumque in exercitu aquam in poſterum potare compulit. *Crantz. l. 2. Sax. cap. 8. Aventinus lib. 4. Annal. Bojar.*

IX. Cura valetudinis.

Carolus Magnus cum ſciret, ſanitatem rem eſſe pretioſiſſimam, ſed quæ cito mutetur, valetudinem ſuam continentia & frugalitate adjuvit, & corpus exercuit diligenter.

1. *Jejuniis* corpus ſuum ſæpius exercuit. *Mutius lib. 8.* Valetudo enim curatur auxilio temperantiæ, & animus ſenſuſque in corpore evacuato magis quam oppleto vigent. Quippe ſpiritus non multum occupatus vel diſtractus circa affluentiam ciborum, in profundum & latum trahentium, ſurſum fertur ac repit; corpore ob levitatem leviter & expedite aſſurgente. *Plutarchus in vita Lycurgi.*

2. *Carolus* animi laxandi & valetudinis cauſa etiam lavacris oblectabatur, ſæpius calidis utebatur, lavandoque crebro natatu ſe exercebat, adeo ut omnes nando ſuperaret. Ideo ad Aquiſgrancas, quas Aquiſgranum vocant, Regiam exſtruxit, ibique extremam ætatem egit. *Aventinus lib. 4. Ann. Bojar.*

3. *Exercebatur* aſſidue equitando & venando. Venationem enim tanquam rem ſaluberrimam etiam ſenex haud neglexit, neque ob hanc per nives vel calores, ſaltuſque aut montes percurrere, aut aliam quampiam tempeſtatem exhorruit graviorem. *Cuſpin.* His ergo moribus cum *Carolus* vitam inſtituiſſet, & aſſidue ſe equitando & venando exerceret, ſemper proſpera uſus fuit valetudine, uſque ad annum 70. *Crantz. lib. 2. Saxon. cap. 8.*

X. Modeſtia in veſtitu.

1. *Veſtitu*, calceatu, & cætero habitu patrio, hoc eſt, Teutonico, utebatur: at corpus camiſia linea, & fœminalibus lineis induebatur: deinde tunicam, quæ limbo ſerico ambiebatur, & tibialia, tum faſciolis crura, & pedes calceamentis, conſtringebat: & ex pellibus lutrinis thorace confecto, humeros ac pectus hyeme muniebat: Sago Veneto amictus, & gladio ſemper accinctus, cujus capulus ac balteus aut aureus aut argenteus erat. *Aventinus.*

11. *Carolus* nonnunquam cinctus gladio, diademate aureo atque gemmatis veſtibus prodibat: quod tamen nonniſi præcipuis ſolennitatibus, vel ſiquando exterarum gentium Legati veniſſent, faciebat. *Aventin. l. 4. pag. 219.*

111. *Peregrina* atque exotica veſtimenta, pretioſa licet, *Carolus* omnia contemnebat, nec unquam iis indui patiebatur: excepto, quod Romæ ſemel, *Adriano* Pontifice petente, & iterum *Leone* ſucceſſore ejus ſupplicante, longa tunica & chlamyde amictus, & calceis Romano more formatis, indueretur. In ſolennitatibus veſte auro texta, & calceamentis gemmatis, & fibula aurea ſagum adſtringente, diademate quoque ex auro & gemmis, ornatus incedebat: aliis autem diebus habitus ejus parum à communi ac plebeio abhorrebat. *Idem.* Probe enim novit *Carolus*, luxuriam veſtium & conviviorum ægræ mentis ac civitatis eſſe indicium. *Sen. ep. 114.*

1v. *Carolus*, cum *Franci*, inter Gallos militare ſoliti, eorum ſagis virgatis, brevibuſque uti jam cœpiſſent, viſa braccatorum turba, indignabundus exclamavit: En liberos Francos! qui eorum, quos vicere, veſtimenta inauſpicato uſurpant. Quid iſta pittaciola proſunt? totum non operiunt corpus, maxima ex parte nudum relinquunt, neque à pluviis ventiſque defendunt. Edixit ergo, ne amplius hujuſmodi veſtibus uterentur. *Aventin. lib. 4. Annal.* Quippe ſtulta eſt hæc æmulatio quorundam, qui novitate veſtium delectantur,

tur, & induti in publicum prodeunt, ut ſpectentur potius quam ſpectandi cauſa : ut *Socrates* ad *Xanthippen* dixit.

XI. Felicitas.

Cogitationibus & cœptis CAROLI M. fortuna & ſucceſſus adfuit proſperrimus. Eſt enim felicitas, & fortuna, adjutrix conſiliorum bonorum : Quibus qui non utitur, felix nullo pacto eſſe poteſt. Nam in perditis impiiſque conſiliis nulla poteſt eſſe felicitas. *Ammianus Marcell. lib.* 21. Sed enim niſi à Deo conſilia petantur, non recte procedunt. Siquidem ejus beneficio omnes res bene geſtæ merito acceptæ ferri debent. Itaque non inſcite TVLLVS Rex Rom. apud *Dionyſ. Halicarnaſſ. lib.* 3. *fol.* 255. de rebus à ſe geſtis diſſerit : Primum inquiens, Deorum beneficio, deinde vero Imperatoriis artibus, hæc comparavi, quæ non parum hoſtium terrorem & noſtrorum audaciam auxerunt.

XII. Conſtantia in adverſis.

Quanquam CAROLVS M. de omnibus publice & privatim bene meritus eſſet : tamen multis rebus adverſis, non ſua culpa contractis, ſed ex perfidia ſuorum hominum fuit uſus. Magna vero laus eſt, quam ei aſſcribit *Aventin. lib.* 4. *Annal.* Quod perpetuæ in adverſis juxta ac proſperis conſtantiæ fuerit. Nam in ſecundis rebus non inſoleſcebat, nec anguſtis perditiſque deſperabat : ſed æquo utramque ſortem animo compos mentis tolerabat.

XIII. Humanitas.

CAROLVS per omne vitæ tempus ita cum ſummo omnium amore atque favore & domi & foris converſatus eſt, ut nunquam ei vel minima injuſticiæ vel crudelitatis nota à quoquam fuerit objecta. Amabat peregrinos, & eorum ſuſcipiendorum magnam habebat curam, adeo ut eorum multitudo non ſolum palatio, verum etiam regno non immerito videretur oneroſa. Ipſe tamen pro magnitudine animi hujuſmodi pondere minime gravabatur : cum etiam ingentia incommoda laude liberalitatis, ac bonæ famæ mercede compenſaret. *Eginard.* Pietate namque plenum eſt, inquit *Caſſiodorus lib.* 5. *epiſt.* 9. peregrinam gentem publicis beneficiis obligare, & non tantum patriotas ad ſubſtantiæ lucra admittere, ſed ipſos quoque advenas invitare.

II. *ACTA OECONOMICA.*

I. *Vxores*, & *Liberi*, quos ex iis ſuſcepit.

CAROLVS *uxores* habuit *plures*.

Prima fuit HERMINGARDIS, *Deſiderii* Regis Longobardorum filia, quam ipſi adoleſcenti mater BERTHA collocavit : verum cum tantum anni ſpatio cum ea in conjugio vixiſſet, eam repudiavit. *Aventinus lib.* 4. *Annal.*

Secunda fuit HILDEGARDIS, nata ex nobili *Godefredi* Ducis Alemannorum familia. Fuit illa pia & religioſa fœmina, ex qua ſuſcepit *tres filios*, CAROLVM, PIPINVM, & LVDOVICVM, (qui ipſi in Imperio ſucceſſit :) & ſecundum quoſdam *quatuor*, ſecundum alios *octo* filias, quarum nomina hæc fuere : 1. ROTHRVDIS, quæ deſponſata fuit CONSTANTINO Leonis Imp. filio; ſed conjugium impeditum fuit ab *Irene* Imperatrice *Conſtantini* matre. 2. BERTHA. 3. GISELA. 4. HELDECARDIS. 5. ADELHEIDA. 6. BELLIXANDRA. 7. IMMA. 8. GERTRVDA. Morua eſt *Hildegardis* A. C. 783. Calend. Maji : poſtea die 12 Julii mater CAROLI *Bertha* diem quoque ſuum obiit. *Aventinus, Regino, & alii.*

Tertia fuit FASTRADA, Comitis Francorum filia, ex qua ſuſcepit tres filias, *Theodoram, Hildrudin*, & *Rothaidem*. Mortua eſt *Faſtrada* A. C. 794. & Moguntini ſepulta. *Aventinus.*

Quarta fuit LVITGARDIS Alemanna, ex qua nihil liberorum tulit. *Idem.*

II. *Concubinæ*, & *Liberi* ex iis ſuſcepti.

CAROLVS poſtrema uxore defuncta, nullas amplius ſibi matrimonio jungere voluit; concubinas igitur habuit diverſas, ex quibus & naturales ſuſcepit liberos.

Prima fuit GERSVINDA, fœmina nobilis, de Saxonum progenie oriunda, quæ peperit ei filiam nomine ADELDRVDIN. *Aventinus l.* 4. *Annal.*

Secunda fuit REGINOPYRHA, (alii REGINA) ex qua duos ſuſcepit filios, DRVCONEM, & HVGONEM. *Idem.*

Tertia dicta fuit ADELINDA, quæ filium nomine THEODORICVM progenuit. *Idem.*

Quarta fuit HIMMELTRVDA, ex qua natus PIPINVS gibboſus & claudus. Ab hoc pater tutus eſſe non poterat. Tantus in iſto regnandi amor fuit, ut ne toties quidem indulgentia patris piiſſimi remiſſa noxa, ab inſtituto nefario hominem regno indigniſſimum revocare potuerit, quin

ſubinde novas moliretur conſpirationes: ideo tandem eum in monaſterium conjecit. *Egnat. l. 5. c. 9. Pantaleon. Caſtritius l. 4. fol. 322, 323. Chron. Pomarii fol. 47, 48. Bruſchius in Germ. Mon.*

Educatio Liberorum.

Carolus maxima cura liberos educavit, eoſque ab ineunte ætate omnibus virtutum generibus inſtruxit: nunquam domi ſine ipſis cœnavit, nunquam iter fecit, quin filii adequitarent; *Filiæ*, vehiculo extremo agmine claudente, ſubſequerentur. *Mares*, ſimul ac per ætatem licuit, more Germanorum, equis, armis, venationibuſque exercuit: *fœminas* vero etiam lanificio, colo, fuſoque, ne otio torperent, adſuefecit. Atque hæ cum admodum pulchræ eſſent, nullam earum nuptum dedit uſque ad mortem: cauſabatur, ſe earum conſuetudine carere non poſſe. In hac re fortuna eum deſtituit. Nam filiæ probro impudicitiæ notatæ, male audierunt: ſed ea ſive crimina ſive maledicta patienter tulit. *Aventin lib. 4. Annal. Bojoar. Crantz. l. 2. Pantaleon parte 2. fol. 6.*

EGINARDVM *Carolo* familiarem fuiſſe, Sleidanus tradit. Erat enim Cancellarius Imperatoris. Ferunt ab IMMA, *Caroli* filia, adamatum: cumque amoris ardentioris & mutui adfectum exuere non poſſet, nec tamen aures virginis per internuncium appellare auderet, noviſſime projecta audacia ad puellæ conclave clam acceſſiſſe, ibidemque intromiſſum, quaſi ad eam mandata Regis ſecreta haberet, ſolum cum ſola egiſſe, datiſque amplexibus cupido ſatisfeciſſe amori: deprehendiſſe hoc *Imperatorem*, veſtigiis in nive obſervatis: licet elegantiſſima juvencula, quam audacem faciebat amor, tergo inſidentem, exceptumque, ad locum hoſpitio contiguum deportaſſet, ibique depoſita ſarcina per eadem veſtigia cautius obſervata rediiſſet. *Imperator* partim admiratione, partim dolore permotus, non tamen abſque divina diſpenſatione id fieri apud animum reputans, ſeſe repreſſit, & viſa interim ſilentio ſuppreſſit: rem tamen, ubi *Eginardum* ſe fuga ſubducturum animadvertit, ad *Senatum* detulit, & ſententias ſingulorum exquiſivit, ubi omnium ſuffragio ad acerbiſſima ſupplicia condemnatus eſt *Eginardus*. Tum *Imperator* & honori filiæ, & timori *Eginardi* conſulens, attonitis omnibus & conſternatis, *Eginardum* ex improviſo abſolvit, eique filiæ nuptias conciliavit. *Iacobus Curio l. 2. cent. 8. c. 8.*

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Regni occupatio.*

1. *Pipino* mortuo, *Carolus Magnus* & *Carolomannus* fratres regnum patris defuncti occupant, illudque inter ſe dividunt ſine ulla diſſenſione: & quidem *Carolomannus* regnum Galliæ, *Carolus M.* vero regnum Germaniæ obtinet, regnique ſedem conſtituit Wormatiæ, & deinde Aquiſgrani, loci amœnitate adductus, atque ut vicino loco bellum adverſus Saxones gerere & continuare poſſet. A. C. 768.

2. Accepto nuncio de *Carolomanno* fratre ſuo A. C. 771. 4. Decemb. extincto, ex hoc tempore ſolus regnare cœpit. *Schaff. Reginaldus.*

II. *Imperii Romani occupatio.*

CAROLVS M. ad culmen Imperii Romani evectus eſt triplici jure.

1. *Iure Belli.* Quia ipſe DESIDERIO Longobardorum Rege, qui tum in Italia regnabat, victo & fugato, regnum Italiæ virtute bellica occupavit, illudque jure victoriæ ſibi vindicavit.

2. *Iure Tranſactionis.* Quoniam IRENE Imperatrix Conſtantinopolitana, miſſis Legatis ad *Carolum Magnum* totum Occidentis Imperium ei conceſſit: uti *Albertus Crantzius* teſtatur.

3. *Iure vocationis & electionis.* Nam populus Romanus ἀξίωμα Imperii occidentalis, *Carolo M.* unanimi conſenſu & ſuffragio detulerunt: ſicut Hiſtorici ſcribunt.

1. *Sigebertus* de his ita ſcribit: Romani, inquit, qui ab Imperatore Conſtantinopolitano jamdiu animo deſciverant, nunc accepta occaſionis opportunitate, quia mulier, excæcato Imperatore Conſtantino, filio ſuo, eis imperabat, uno omnium conſenſu, *Carolo* Regi Imperatorias laudes acclamant, eumque per manum *Leonis* Papæ coronant, Cæſarem & Auguſtum appellant; Pipinum vero filium ejus Regem Italiæ ordinatum collaudant.

2. *Aventinus* electionem ejus ita deſcribit. Cum (inquit) mulier Conſtantinopoli imperaret, quod inauditum eſſe videbatur, putabant Romani, ſe poteſtatem habere & jus eligendi Cæſarem, quod Imperium ex ipſis eſſet & nominaretur. Tenebat autem *Carolus* omnes provincias, quæ ad urbem Romanam pertinebant. Itaque A. C. 801. LEO Papa, Senatus & populus Romanus, illum deſignabant Imperatorem.

3. *Marianus Scotus: Carolus*, inquit, à Romanis hoc tempore Auguſtus appellatus eſt.

4. *Onuphrius* ita refert: Cum *Carolus* (inquit) primum Imperator & Auguſtus renunciatus fuiſſet, à Romano Pontifice ungebatur, aureoque diademate coronabatur, tanquam Romani Imperii uno totius orbis primario Sacerdote: more accepto ab Imperatoribus orientalibus, qui à Patriar-

chis Conſtantinopolitanis primariis Græcanici Imperii Pontificibus conſecrati, aurea corona redimiebantur.

ΠΟΡΙΣΜΑ.

Vnde patet, figmentum Pontificiorum eſſe, quando dicunt, LEONEM III. Papam Imperium Occidentale à Græcis ad Germanos, vel ad Francos tranſtuliſſe: ſicut *Bellarminus in Chron. ſacr. part. 2. pag. 77.* ſcribit. Nam,

1. Quod quis non habet in ſua poteſtate, illud in alium transferre non poteſt: juxta *Axioma* Logicorum, Non entis nulla ſunt Accidentia.

Iam vero *Pont. Romanus* neque in Italiam, neque in urbem ipſam Romam imperium habuit. Maximam enim Italiæ partem tenebat *Deſiderius* Rex Longobardorum, ac *Leoni* in urbe vix fuiſſe locum, nec præſidii quicquam ad ſe tuendum habuiſſe conſtat, cum ad *Carolum M.* in Germaniam uſque profugit.

E. Pontifex Romanus poteſtatem Imperii Romani in *Carolum Magnum* transferre non potuit.

2. Diſtinguendum eſt inter Imperatoris *Conſtitutionem*, & *ſolennem* ejus *inaugurationem*. *Imperator* vel per ſucceſſionem, vel per electionem conſtituitur, ſed conſtitutus in ſolenni inauguratione Imperator declaratur. Et ſic *Carolus Magnus* partim per electionem populi Romani, partim jure belli, partim jure transactionis, legitime Imperator Romanus in Occidente eſt conſtitutus: Sed à *Leone III.* Pontifice Romano per ſolennem inaugurationem & coronationem publice Imperator eſt declaratus.

Huc pertinet, quod *Nauclerus volum. 2. Gener. 37.* ſcribit: Præhabita (inquit) matura deliberatione, *Carolum* Francorum Regem potentiſſimum, *populi Romani conſenſu*, à *Leone* Pontifice inter Miſſarum ſolennia, Imperatorem Romanorum *declaratum*, ac diademate coronatum fuiſſe, ter acclamante populo Romano; *Carolo* Auguſto à DEO coronato, magno & pacifico Imperatori, vita & victoria! eumque inunctum à Pontifice, cum Pipino filio, quem Italiæ Regem *ſolenni decreto pronunciaverat*. Hæc ille.

Vnde patet, quod LEO Pontifex Roman. non DOMINVS, ſed tantum *Miniſter* iſtius coronationis fuerit. Nam non propria authoritate ac voluntate, ſed juſſu ac decreto populi Romani, coronationem illam peregit.

Quod autem *Ieſuitæ* ex miniſtro coronationis *Caroli* Dominum faciunt, qui ipſi imperium occidentale contulerit, non minus ridiculum eſt, quam ſi quis Paſtorem Eccleſiæ dicat ſponſam dediſſe ſponſo, cum rogatus ille legitimæ copulationis miniſter & teſtis ſit.

AXIOMA POLITICVM.

Non neceſſario ad conſtitutionem Regis requiritur inauguratio, ſive Coronatio.

Nam ſicut verum ac legitimum conjugium eſt, etiamſi ſolennia nuptiarum nondum celebrata ſint: ſic Principatus & imperii poteſtas abſque inauguratione etiam eſſe poteſt.

RVDOLPHVS SECVNDVS legitimus Romanorum Imperator fuit, etiamſi coronatus nondum eſſet. *Barclaius lib. 3. de Reg. poteſt. cap. 2.* Quare breviter dicendum, quod *Coronatio* ſive inauguratio ad conſtitutionem Imperatoris non *αἰτιολογικῶς*, h. e. cauſaliter ſive *formaliter*, ſed *σημαντικῶς*, i. e. ſignificative referenda ſit. hoc eſt, *Coronatio* Imperatorem non conſtituit, ſed conſtitutum declarat, & oſtendit, hanc perſonam juſtam eſſe, & juſte Imperio potitam.

III. *Regni imperiique Romani adminiſtratio.*

1. *ACTA TOGATA.*

Supra diximus, quod CAROLVS M. regnum à patre relictum cum fratre ſuo CAROLOMANNO diviſerit: fratre autem defuncto, totum ad ipſum Imperii Gallici *ἀξίωμα* communi Procerum conſenſu delatum ſit. Atque ita *Carolus* ſumma cum laude regno præfuit, & bene illud adminiſtravit. Imperator quoque Occidentis electus tota mente in hanc curam incubuit, ut tranſlatum ad ſe divinitus Imperium (quod in *Auguſto* deſiit) rebus omnibus divinis & humanis ornaret, augeret & ſtabiliret: quod etiam factum eſt, ipſeque ex gente Germana natus, primus Imperator conſtitutus eſt, & genti ſuæ ejuſmodi decus attulit, quod uſque ad finem ſeculi perdurabit.

I. Authoritas.

CAROLVS omnibus exteris Regibus & gentibus terrori fuit: unde legationes ab omnibus pene gentibus ad eum miſſæ ſunt.

1. IRENE Imperatrix per Legatos ſuos fœdus cum eo renovavit, totum Occidentis imperium ei conceſſit, & inſuper conjugium etiam ipſi promiſit. *Crantzius.*

2. NICEPHORVS etiam Imp. per Legatos pacem fraternam atque perpetuam cum eo confirmavit,

mavit, ut ambo Imperatores & Auguſti appellarentur, ac frater alter alterum nominaret. *Aventinus.*

3. MICHAEL ſucceſſor *Nicephori* legatos ad *Carolum* de pace miſit. Legati Carolum Aquiſgrani convenerunt, titulum Imperatoris ipſi obtulerunt & confirmarunt, eumque Græca oratione celebrarunt. *Miſcella & Annales.*

4. *Rex Perſarum*, & Maurorum Princeps, expetiverunt amicitiam Caroli, miſſis Legatis, qui ab eo auditi eſſe ſcribuntur ad urbem Padebornam. Inter munera à Perſico Rege miſſa ſcribitur fuiſſe *horologium* ex aurichalco mira arte mechanica factum, in quo duodecim horarum curſus vertebatur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & caſu ſuo tympanum pulſabant, additis in eodem horologio duodecim equitibus, qui completis horis per 12 feneſtras exibant, & egreſſu totidem feneſtras, quæ apertæ fuerant, claudebant. *Regino*, *Peucerus*, *Chron. Carionis fol.* 317.

5. Ex *Africa* quoque Legatus advenit, qui inter alia munera etiam oſſa Sanctorum martyrum *Cypriani* & *Sperati*, item caput Pantaleonis, ad *Carolum* attulit.

6. *Zacharias* cum duobus Monachis à Patriarcha Hieroſolymitano miſſi tradiderunt *Carolo* claves ſancti ſepulcri, atque adeo urbis ipſius Hieroſolymæ cum vexillo: ut ſcribit *Regino*.

7. LEO Pontifex Roman. per legatos claves confeſſionis D. Petri cum vexillo urbis Romæ *Carolo* Regi miſit, ac præterea rogavit, ut is mitteret aliquem Romam, qui ſuo loco jusjurandum exigeret, & in fide Romanos firmaret: ut habet *Urſpergenſis*, *Sigebertus*, & *Regino*.

II. Liberalitas.

Carolus M. benignus & liberalis fuit erga mendicos. Siquidem hæc benignitas verbo Miſericordiæ in ſacra Scriptura denotatur *Oſea* 6. Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Ergo da pauperi; & Dominus, qui eſt omnium remunerator, ſuo tempore memor erit. *Eccleſ.* 11. *v.* 1. Et Chriſtum debitorem habere plus eſt, quam omnia poſſidere. *Nazianzenus.*

Carolus à quodam admonitus, nec cuilibet petenti, præſertim indignis, quidquam daret: Qua caritate, reſpondit, nos tulit Pater cœleſtis, ad cujus legem nos collati, ſumus ipſa impuritas & injuſtitia, latrones & fures? *Mutius lib.* 8.

III. Prudentia.

Carolus valde prudens fuit. Cum enim in Italia, illo præſente, pater & filius de homicidio rei arguerentur, factum autem uterque negaret, nec ullis tormentis fateri vellet: *Carolus M.*, veritatis eruendæ cauſa, utrumque ad ſuſpendium condemnavit: tum pater, amore filii commotus, ſe reum; filium culpæ expertem pronunciavit. Hujus rei elegans exemplum habemus in Bibliis 1 *Reg. c.* 3. *v.* 27.

IV. Juſtitia.

Carolus magnam juſtitiæ rationem habuit. Nam,

1. Cum *Comes* palatii ſententiam aliquam diceret, quæ ſine ejus juſſu definiri non poſſet, ſtatim *Carolus* litigantes introduci juſſit, & velut pro tribunali ſederet, lite cognita ſententiam dixit.

2. Cum Legatus *Caroli* pecunia corruptus Marcyllo Saracenorum Duci Francorum aciem, in qua Rolandus, & alii illuſtres viri perierunt, prodidiſſet, poſtea Aquiſgrani comprehenſus, manibus & pedibus alligatus, juſſu *Caroli* à quatuor equis diſtractus eſt. *Sabell.* 8. *lib. Annal.*

V. Leges & Conſtitutiones.

1. Exſtat *Caroli* conſtitutio, in qua mendicis palantibus atque vagabundis quidquam tribui vetuit, quamque regionem ſuos inopes alere, ſanos ac validos labore victum quærere, ac deſiderio ſufficere manus juſſit. Idcirco opes Eccleſiaſticas in locupletioribus templis in tres partes diviſit: duas egenis, tertiam ſacerdotibus attribuit. In ædibus anguſtioribus æqua lance inter egenos & ſacerdotes partitus eſt. *Aventinus lib.* 4. *Annal.*

Laudabile hoc fuit inſtitutum *Caroli*, quod mendicos validos circumcurſitare non permiſerit, imitatus in eo exemplum prædeceſſorum ſuorum, nempe Gratiani, Valentiniani & Theodoſii Impp. quorum lex inſerta eſt Codici Juſtiniani ſub titulo De mendicantibus validis.

2. *Carolus M.* lege vetuit, ne quis alium ad bibendum provocaret, ebriumque in exercitu aquam in poſterum potare compulit. *Aventinus.*

3. *Carolus* leges Longobardorum ex veterum conſtitutionibus & Eccleſiaſticis canonibus collectas & ordinatas recenſuit, & Mutinæ promulgavit A.C. 801. *Conſt. Imper.*

4. Sapientiſſime *Carolus* conſtituit, ut in primaria cujuſque regionis urbe Pontifex, & prætor, ter quotannis, menſe Aprili, Octobri, Januario, jus dicerent, reſponſa redderent, & inprimis pauperes, viduas, pupillos, (dato his prudentiſſimo patrono) diligentiſſime audirent, inimicos reconciliarent. Vetuit inſuper, ne ipſi lites in diem differrent, neve calumniis locum facerent. *Aventinus.*

4. Inter cætera inſtituta, & hoc ſolenne habuit *Carolus Magnus*, ut gladii ſui capulo, cui inſignia ipſius erant inſculpta, edicta, omneſque literas ſignaret, ejuſdem eſſe dicens & confirmare & defendere leges. *Ægid. Corraſ. de dict. memor.*

VI. Ædificia & propugnacula à Carolo exſtructa ac munita.

1. *Regias* duas, unam in *Ingelheim*, alteram *Neomagi* exſtruxit.

2. A.C.792. *Pontem* Moguntiæ exſtruxit, ut Rhœnus tranſiri poſſet: cujus longitudo fertur fuiſſe quingentorum paſſuum. *Regino.*

3. A.C.808. *Carolus* contra Bohemos caſtrum ædificavit *Dreſdam* ab Albim. *Regino.*

4. Eodem anno contra Sarabos Vandalos, ne Thuringiam vaſtarent, *Numburgum* ad Salam ædificavit. *Idem.*

5. A.C.809 *Carolus* urbem contra Danos munire juſſit *Hamburgum*, cujus fundamenta jacta die 13 Martii. *Idem.*

Exſtruxit & alia ædificia: ſed de iis in Actis ejus Eccleſiaſticis dicturi ſumus.

VII. Derivatio Danubii in Rhenum.

Carolus M. à quibuſdam fuit perſuaſus, hominum labore effici poſſe, ut è Danubio in Rhenum navigaretur, ſi inter Rheodoneſſum & Alemannum flumina Nariſcorum, (ut *Aventinus* memoriæ tradidit) ubi uligo paluſtris erat, foſſa ducerctur, quæ navium capax foret, in quam paluſtres aquæ ſubſidentes utrinque flumini committerentur. Nam Rheodoneſſus Bambergæ (inquit) Mæno, hicque Rheno Moguntiaco miſcetur. Alemannus vero millia paſſuum octo à patria mea in Danubium profluit, juxta oppidum Kelheim. Fit igitur juſſu Regis à maximo Bojorum, Francorum, Suevorumque numero foſſa lata trecentos pedes, longa duo millia paſſuum. Totum autumni tempus in tam præclarum opus utileque abſumtum eſt. Sed invidit fortuna labori, qui invito cœlo cœptus erat. Immenſi frumentorum acervi, & omnis generis granorum reperti in campis; quæ ſi pecus guſtaret, è veſtigio peribat: farina inde facta ſub manibus evaneſcebat. Noctibus auditæ ſunt voces mugientium & laſcivientium, confuſi ſtrepitus circum ſuperiorem foſſam. Accedebant continui imbres in loco alioqui paluſtri. Ideo, quicquid terræ interdiu egerebatur, noctu humo relabante ſubſidebat. *Avent. lib. 4. Ann. Aimoinus de rebus Franc.*

III. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum* contra *Longobardos.*

I. Τὰ προηγούμενα.

1. *Vidua Carolomanni apud Deſiderium Longobardorum Regem calumnia.* BERTHA *Carolomanni* vidua, relicta Francia, ad *Deſiderium* Longobardorum Regem ſe contulit, ſe filioſque ſuos in ejus clientelam dedit, ac CAROLVM M. ejus rei apud *Deſiderium* detulit, cujus ne cogitationem quidem omnino conceperat, quod ſcilicet nepotibus ex fratre regnum paternum eripere vellet: ſed eventus oſtendit integritatem ipſius animi.

II. DESIDERII *perfidia.* *Deſiderius* (qui eo tempore CAROLO propter repudiatam paulo ante filiam vehementer iratus erat) mulierem, filioſque ejus ſuſcepit, eoſque adverſus CAROLVM per novum Pontificem Romanum *Hadrianum* conſecrare Reges decrevit; Id ſi fieret, ſperabat, aut Francos ad hos à Carolo ſponte defecturos, aut bella inter utroſque inteſtina exoritura eſſe, quibus inter ſe colliſa frangeretur potentia Francica. Sed divina providentia ita gubernante, practica hæc non proceſſit, & conſilium maxime conſultori nocuit: & *Carolo Magno* illa *Deſiderii* machinatio, qua illum regno privaret, ſummi honoris conſequendi occaſio exſtitit. *Pontifex* enim Romanus *Deſiderii* poſtulationi non ſolum locum non dedit, ſed & cum levitas & perfidia ejus ſibi nota eſſet, reſpondit ſatis aſpere Legatis: Ego quidem pacem cum omnibus Chriſtianis habere, & cum Rege veſtro in ea concordia eſſe, quæ inter Romanos & Longobardos ſuperioribus annis eſt conſtituta, deſidero; ſed qui poſſim ei credere, qui deceſſori meo fidem jurejurando datam de jure ſuo Eccleſiæ tribuendo fefellit? An vos hunc hominem dignum exiſtimatis, quo cum pactio aliqua fœderis ſanciatur? quippe fluxa fide bonitatis verba imitari, major malitia eſt.

III. DESIDERII *violentia.* Cum ergo *Deſiderio* plenum perfidiæ conſilium non ſucceſſiſſet, adverſus CAROLVM rem aperto Marte tentandam cenſuit; ſed infelici ſucceſſu. Licet enim prædam magnam egerit, & agros Italiæ populatus fuerit fœde; nihil tamen efficere ejus rei potuit, quam animo conceperat ſuo, quin iis, ad quæ odio & dominandi cupiditate impellebatur, periculoſis conſiliis ſibi exitium præſens attraheret.

IV. *Injuria Pontifici Rom. à Deſiderio illata.* *Deſiderius*, cum eligeretur Hadrianus Papa A.C.772, urbes à *Pipino* Pontifici Romano datas, ad Exarchatum Ravennæ pertinentes, Faventiam, Ducatum Ferrariæ, & alias, duorum menſium ſpatio occupavit,

vit, & prope Ravennam in vicis & oppidis præſidia collocavit, miſit etiam qui Pontificem Romanum novum interciperent, & ad ſe perducerent. Sed *Pontifex* eoſdem Arimini cepit.

v. *Pontificis ad Carolum legatio.* Cum *Deſiderius* non deſiſteret ab injuriis, Papa *Hadrianus* indignitate rei commotus A. C. 773. legatos ad *Carolum* miſit, ab eoque auxilium petiit.

VI. CAROLI *ad* DESIDERIVM *legatio.* Quoniam ſapientis eſt, omnia conſilio prius quam armis experiri: *Carolus M. Deſiderium* legatione honorifica monuit, ut pacem ſecum coleret, & Pontifici Romano redderet, quæ PIPINVS pater S. PETRO tradiderat. Veruntamen, hac animi moderatione & amica ſua ſubmonitione *Carolus* apud *Deſiderium* nihil profecit.

VII. CAROLI *ad bellum præparatio*, ejuſque *prudentia. Carolus* cum nihil apud *Deſiderium* obtineret, armis eum cogendum recte conſtituit. Proinde Francorum concilium convocavit, atque ipſe ad eos de poſtulatis Pontificis & de tota re Longobardica retulit. In eo Concilio publico nemo omnium exſtitit, qui non inique *Deſiderium* perfideque feciſſe, ejuſque arrogantiam comprimendam, & Eccleſiæ primo quoque tempore opem ferendam eſſe, cenſeret. Quamobrem decreto bello ſtatim *Carolus* ingentes ubique delectus egit, atque arma inte ntiore, quam unquam antea, ſtudio expediri ſtatuit: ut facile omnibus appareret, Francos non ad Eccleſiam ſublevandam, ſed ad Longobardorum regnum evertendum ſeſe accingere. Copias deinde *Carolus* in duas partes diviſit: Unam *Bernhardo* patruo ſuo tradidit, eumque per montem Jovis procedere ad ſaltus Alpium occupandos juſſit: cum altera parte ipſe per Ciniſum montem eſt ſecutus. *Deſiderius* contra ad certum harum rerum nuncium excitus, ſubito cohortes aliquot ad eoſdem Alpium tranſitus inſidendos, eoſque validis munitionibus confirmandos miſit. Cum ergo *Carolus Magnus* cognoviſſet, *Deſiderium* Alpes obſediſſe, & impetum Gallici exercitus totius regni viribus excipere velle, ſubſtitit parumper, ut novo conſilio hoſtes frangeret.

VIII. *Altera Caroli ad Deſiderium legatio.* Cum *Carolus M.* aliquandiu ad Alpes conſtitiſſet, novos ad *Deſiderium* Legatos miſit, qui pecuniam ingentem ei offerrent, modo Pontifici ſua redderet, & judicum, h. e. hominum paulo honeſtiorum filios obſides traderet, exercitum inde ſubito deduceret; ſimulque, ut, dum liceret, ſibi ac ſuis rebus conſuleret, admonuit. Sed *Deſiderius* honeſtæ admonitioni necdum advertere, nec de ſua pertinacia quicquam remittere voluit: cum, ſi prudenti conſilio cedere voluiſſet & tempori ſervire, periculum impendens evitare potuiſſet. *Sigonius lib. 3. de Regno Italiæ.*

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

I. CAROLI *adverſus Deſiderium expeditio.* Cum cauſa ſuſcipiendi belli juſta, & ſeriis admonitionibus à *Deſiderio* locus datus non eſſet, conjunxit *Carolus* omnes ſuas copias, & expeditam militum cohortem per montes avios circumductam à tergo Deſiderium invadere imperavit.

II. *Turpis* DESIDERII *fuga*, & CAROLI *glorioſa victoria.* Cum *Carolus Magnus* diſpoſitione certa bellum hoc ſuſcepiſſet, initi conſilii felix ſecutus eſt eventus. Cum *Deſiderio* enim apud Vercellas congreſſus eſt, eumque prælio ſuperavit *Deſiderius* rebus ſuis diffidens, fuga ſalutem ſibi quæſivit, & deſperatis rebus omnibus, ſe urbis Papiæ muro concluſit. Adalgiſus vero ejus filius una cum *Bertha* Carolomanni vidua, ejuſque liberis, juſſu patris ſe in Veronam urbem munitiſſimam recepit. Quare cum CAROLVS *Deſiderium* ancipitem belli fortunam detrectare videret, Papiam obſidione cinxit, eamque Bernhardo commiſit, atque ipſe Veronam cum delecta militum manu ſeſe contulit. Ubi autem Verona premi cæpta eſt, Adalgiſus, ſe diu Caroli impetum ſuſtinere poſſe diffiſus, urbe evaſit, atque in Græciam, immo Conſtantinopolin, profugit; ubi tandem conſenuit. Eo diſcedente, Veronenſes ſubito Carolo deditionem fecerunt, qui, cum Veronam urbem, facta ſibi deditione, in ſuam fidem, & *Bertham* ac filios ejus in ſuam poteſtatem accepiſſet, nihil hoſtiliter in eos ſtatuit, ſed in Franciam remiſit, ac ſummo in honore habuit. Omnes igitur Tranſpadanas civitates CAROLVS, propter clementiæ & benignitatis famam, occupata Verona, non magno admodum labore in ſuam poteſtatem redegit. Interim *Deſiderius* incluſus muris Papiæ, omnia adverſa perpeti maluit, quam ſe hoſti dedere. Sed cum indies fames & peſtilentia in urbe augerentur, & tam milites quam oppidani luctu & mœrore confecti diutius obſidionem tolerare non poſſent, tandem, cum decem menſes urbem *Carolus* obſediſſet, Rex ſe, ſuam conjugem, liberos atque urbem in poteſtatem Caroli permiſit victoris, A. C. 774. *Carolus* theſauros *Deſiderii* univerſos exercitui diſtribuit, ipſum vero cum conjuge & liberis Leodium relegavit; ubi in exilio mortuus eſt. *Sigebertus, Regino, Annal. Fuld. Aventinus.*

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

I. *Devicto* igitur *Deſiderio*, regnum Italiæ poſt annos ducentos ſex, quibus Longobardi illud

tenuerant, ad CAROLVM M. pertinere cœpit jure belli, ejuſque potentia indies magis magiſque augeri: & quanto ſe ſubmiſſius pro ſua perſona gerebat, tanto ejus auctoritas, virtutis flos, creſcebat laudabilius.

II. CAROLVS M. cum magno triumpho in Franciam rediit. Reddidit tamen Pontifici omnia, quæ *Pipinus* Eccleſiæ conceſſerat; Longobardorum vero regnum ſibi retinuit.

III. PAVLVS *Diaconus* Hiſtoricus, *Deſiderio* Regi à ſecretis, ſimul captus, ſed libertate donatus in Galliam venerat: ibi accuſatus, quod *Deſiderio* fugiendi rationem clam monſtraſſet, dum manum ſive ſcripturam *Caroli* imitatus fuiſſet. Juſſit igitur CAROLVS ipſi præcidi manum; ſed ſtatim pœnitentia ductus pœnam ipſi hanc remiſit, & ſolum modo relegavit in Inſulam Diomedis: ex qua tamen effugit, in Italiam venit, & in cœnobium Caſſinenſe nomen dedit; ubi monachus vixit, multa ſcripſit in hiſtoria: item hiſtorias & lectiones de Sanctis juſſu *Caroli* conſcripſit. Carolus ipſe ſua manu ad hunc *Diaconum* ſcripſit. *Leo Oſt.*

IV. CAROLVS finito bello Longobardico, regni Italici inſignia Modoëtiæ, veteri inſtituto, *ferream* nempe *coronam*, per Archiepiſcopum Mediolanenſem accepit, atque ita, ut perpetuum poſteris ſolenne eſſet, inſtituit.

V. *Carolus* unanimi Pontificis Romani & omnium Procerum decreto Patricius Romanus appellatus eſt, dataque ei poteſtas, ut non ſolum Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates & alios inveſtiret, ſed etiam ut ſedem Apoſtolicam ordinaret. *Sigonius.*

VI. *Carolus M.*, devictis ſubjugatiſque Longobardis, Duces eorum non ſolum liberos eſſe juſſit, magna cum clementiæ laude, uno tantum regii feudi vinculo obligatos; ſed & pro meritis cuique ducatus & prædia ampliſſima aſſignavit. Ducatum ergo Beneventanum *Ragiſo*, *Deſiderii* Regis genero: Spoletanum *Hildebrando*, Forojulienſem *Rothgando* permiſit, antiquo feudi jure in ſe, quod erga Longobardorum Reges erat, conſervato. Item ſuis quoque militibus agros jure feudi dedit, & omnes ac ſingulos certa jurisjurandi formula obſtrinxit: *Juro* per hæc ſancta DEI Euangelia, me in poſterum fidelem ei futurum, ut vaſallum Domino, nec id, quod mihi ſub nomine fidelitatis commiſerit, enunciaturum in ejus detrimentum ſcientem. Hoc jusjurandum ſi fefelliſſet, feudum ad alienum transferebatur, eaque tranſlatio inveſtitura dicebatur.

VII. *Carolus* devictis hoſtibus ad totum Italiæ ſtatum rite ordinandum & conſtituendum ſuum adjecit animum; Arduum profecto aggreſſus opus, ſed magna cum laude & felicitate illud perfecit. Remp. enim ſic ordinavit, ut in pace tuta, ac legitimis judiciis inſtitutiſque felix eſſet. Populos ac civitates in regno ſitas ita gubernare inſtituit, ut regni limites atque oppida Comitibus adminiſtranda committeret, & iis omnem publicam & privatam juriſdictionem mandavit. Limites *Marchas* appellavit: Unde Præfecti limitum, Marcharum *Comites* ac *Marchiones* dicti ſunt. Extra ordinem autem quoſdam legatos in Regnum majore quam Comitis poteſtate miſit, quos *Miſſos* vocavit, ſi qua controverſia vel inter ipſos Principes incidiſſet, vel ſi in Republ. quid ordinandum amplius foret, ipſi aut Magiſtratus in ordines redigendi eſſent, id ſua illi prudentia efficerent. Et prudenter *Carolus* ſimul ea ordinavit, quæ ad bellum ſubito à finitimis populis excitatum ſuſtinendum & ſiſtendum conducerent; exercendo nempe cives, ut cum gloria & virtute, ſua quiſque fretus, in aciem prodire poſſent. Fines Imperii diligenter cuſtodiendos eſſe exiſtimabat recte, ut, iis integris ſervatis, cætera tranquilla, tuta & ſecura eſſent. Siquidem quæ in medio ſunt, tuta eſſe nequeunt, niſi fines recte cuſtoditi fuerint. Itaque Marchiones ſive judices limitum conſtituit.

VIII. *Carolus* tributa, & exactiones, pro temporis ratione nonnunquam remiſit. *Aventinus.*

IX. *Carolus M.* pacatam Italiam (ut ſupra diximus) ſua virtute effecerat: ſed ne hæc felicitas diuturna eſſet, impedimento fuere Longobardorum Duces, qui imperii ſummam Longobardico nomini ademtam, & ad Francos tranſlatam, indigne ferebant. Ac proinde veteri libidine dominandi accenſi, res moliri novas nunquam deliſtebant. Inprimis vero *Rothgandus* Forojulienſis Dux, proximis ſollicitatis ad defectionem civitatibus, magnos motus excivit. Hanc perfidiam mox armis vindicandam cenſuit *Carolus*, haud dubie intelligens, ſi res hæc impune *Rothgando* foret, brevi ſe totam Italiam, gliſcentibus indies defectionibus, amiſſurum; ſi fortiter inceptis occurreret, neminem non ultro in officio permanſurum. Cauſa ergo tanti ſceleris juſta fuit, ad quam tum ſubito prolapſus non eſt *Carolus*, ſed cum temperamento rationis & conſilii. Nihil tamen poſt rem deliberatam cunctandum cenſuit, ne forte res mali exempli mora vires acquireret, juxta illud Poëtæ:

Principiis obſta: ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Itaque quamprimum potuit *Carolus*, cum firmiſſimo exercitu Alpes ſuperavit, ac recta in Forum Julium ire perrexit: quo cum veniſſet, moram nullam interpoſuit, quin ſubito acie cum hoſte con-

ſlige-

ſligeret. Fuſo fugatoque exercitu, Rothgandus captus, & quod regnum affectaverat, capite damnatus eſt. Cæterum civitates, quæ defecerant, cum ſe dederent, facile veniam impetrarunt. Et *Carolus M.* hoc facto majorem indies ſibi auctoritatem acquiſivit. *Hildebrandus* ergo Dux Spoletanus, qui item mala conſilia animo conceperat, poſtquam certior factus eſt de his, quæ Rothgando contigiſſent, & quam clementer *Carolus* civitates in gratiam recepiſſet, non ſolum nefanda conſilia mutavit, ſed etiam *Carolum* extraordinariis honoribus colendum cenſuit, atque in Saxoniam ad eum venit, muneribuſque eximiis allatis ſe in ejus poteſtate futurum oſtendit. Gratiam invenit, & liberaliter tractatus & dimiſſus à *Carolo* diſceſſit. *Sigon. lib. 4. de reg. Ital.*

II. *Bellum Saxonicum.*

1. *Memorabile* inprimis cum Saxonibus bellum ſuſcepit *Carolus* A. C. 772. quo nullum vel atrocius, vel diuturnius, aut laborioſius à Francorum populo geſtum; quippe quod continuos 33 annos durarit: ita, ut maxima utrinque animoſitate dimicatum ſit, cæſis tam è Francorum quam Saxonum nobilitate plurimis. Non autem tam regni dilatandi cupiditate, quam Chriſtianæ religionis propagandæ ſtudio, hoc bellum *Carolus* ſuſcepit. Tanta enim fuit Saxonicæ gentis pertinacia, antequam cervicem jugo alienæ dominationis ſubjicere vellet, quantumvis honeſta cauſa belli prætenderetur, ut depoſita nempe Idolomania, retentaque Autonomia, verum DEVM agnoſceret, veramque religionem colere diſceret: Tamen libertatem cui adſueverant, *Saxones* retinere maluerunt. *Carolus M.* ut populum Saxonicum liberum, & minime conferendo tributo aſſuetum in officio pietatis retineret, tributa nulla ipſis impoſuit, præterquam, ut decimas Epiſcopis à ſe conſtitutis darent, ut ita Religionis prætextu jugum ferre diſcerent. Quanquam vero ſumma hac moderatione uſus eſt *Carolus*, nihil tamen movit duras Saxonum mentes. Bello igitur coërcendos eſſe ſtatuit, & cum armata manu Saxoniam ingreſſus, omnia longe lateque diripuit, præda inter ſuos diſtributa. Saxones vero vehementer ei reſtiterunt, ac Duce *Witekindo* multis præliis cum *Carolo* decertarunt; ſed victi ſæpius à fide data iterum defecerunt, donec non tam fortuna adverſa fracti (*Carolus* enim duobus præliis uno menſe commiſſis, altero ad Haſam fluvium, altero ad montem Aſneggi dictum, tantam à Saxonibus victoriam reportavit, ut amplius ei reſiſtere non valerent) quam lenitate & manſuetudine *Caroli* permoti, ſeſe dediderunt, baptiſmum ſuſceperunt, & in fide data perſeveratunt. *Crantz. 2. Sax. cap. 4. Annal. Franc. Regino.*

11. Anno C. 785. bellum *Saxonicum* finitum eſt, & Saxones apoſtaſiæ culpam deprecantes, à *Carolo M.* veniam & impunitatem impetrarunt, & una cum *Witekindo* Duce ſuo baptiſmum & Chriſtianiſmum ſuſceperunt. *Annal. Franc. Regino.*

111. Poſtquam *Carolus* Saxones viciſſet & domuiſſet, nihil prius habuit, quam ut *Saxoniam*, tum quoad religionis cultum, tum quoad rectam Reipubl. gubernandæ formam ornaret, & veluti communiret. Quæ religioni veræ inter Saxones conſtitutæ obſtare videbantur, Idololatriam nempe & ſuperſtitionem, ſuſtulit. Diſjecit ſtatuam Martis; quam illi *Irminſul* vocabant, Item in Harsberg / Idolum *Krodo* dictum; & in caſtello Magdeburg ſimulacrum Gratiarum contrivit. *Crantz. 2. Saxon. c. 9. & 12. Schaff. Annal. Franc.*

III. *Bellum* contra *Radbodum Friſiorum Regem.*

Carolus, cum *Radbodus* Friſiorum Rex à perſequendis Chriſtianis non abſtineret, querelæque ad *Carolum* deferrentur, magno exercitu Radbodum invaſit, gemina pugna eum vicit, & Friſia pepulit, cum plane à religione Chriſtiana abhorreret. *Annal. Friſ.*

IV. Contra *Hungaros.*

A. C. 791. in Hungariam movit, ubi ad Aniſum fluvium venit, indicto triduano jejunio exercitum luſtravit; inde aggreſſus Hungaros vicit, & uſque ad Rabam fluvium fugavit: inde Ratisbonum rediit. *Regino.*

V. Contra *Saracenos in Hiſpania.*

Carolus exercitum duxit in Hiſpaniam contra Saracenos, ſuperatiſque Pyrenæis montibus, Pampilonem urbem cepit, & dejectis muris deſtruxit. Auguſtam etiam obſedit, quæ dedita his conditionibus, ut Idnabalam Regulum reciperent, ipſi religionem Chriſtianam diſcerent, & Regulus concionibus ſacris ſemper intereſſet. In hanc rem obſides accepit, & in Franciam eſt reverſus. At ad ſaltus Pyrenæos cum Vaſcones ex inſidiis ultima impedimenta *Caroli* invaſiſſent, ea diripuerunt, & præſtantes ibi viros occiderunt. *Eginhartum*, regiæ menſæ miniſtrum, ANSHELMVM Comitem palatii, & fortiſſimum Ducem ROLANDVM (quem tamen plerique ſiti exſtinctum tradunt) Britannici littoris præfectum, Ca-

roli

roli magni ſororis filium. *Sabell. Regino. Sigeb. Annales. Diacon.*

VI. Contra *Hunnos* & *Avares.*

1. Expeditionem quoque ſuſcepit contra *Hunnos* & *Avares*: reque omni ex parte feliciter geſta, theſauros ingentes aſportavit. *Aventinus.*

11. Cum *Hunni*, qui ultra Rabam & Euram habitabant, iterum tumultuarentur, *Pipinus Caroli Magni* filius, copiis ſuis cum *Heinrici* Ducis Forijulii, conjunctis, eos invadit A. C. 796. *Iringum* & *Iugurium* Regulos eorum interficiunt, & Ringum caſtellum munitiſſimum, ubi theſauri regii erant, diripiunt, atque *Carolo* mittunt, arcemque ſolo æquant. Et Thudunus, Avarium Princeps, ſe & populum ſuum Carolo tradit, cum ſubditis ſuis baptizatur, atque in Hunniam, infra Araboniam remittitur. Verum non multo poſt fidem frangit, copiaſque colligit ad jugum excutiendum. Sed Pipinus & Boii, qui firmis præſidiis provinciam tenebant, eum ſtatim aggreſſi interficiunt. *Aventinus, Sigebert. Regino lib.* 2.

111. *Avares* poſt annos aliquot, iterum armis correptis, ſeſe in libertatem vindicare conati ſunt. *Pipinus* autem juſſu *Caroli* eos aggreſſus, & gentem illam propemodum delevit, fineſque Bojoariæ uſque ad Dravi flumen prorogavit. *Sigebertus, Aventinus.*

VII. Contra *Sclavos* & *Bohemos.*

Carolus M. Bohemos & Sclavos Chriſtianos perſequentes bello aggreſſus, victoſque, ſibi ſubjecit. *Hiſtor. Magdeb. cent. 9. c.* 3. *Annal. Fuld.*

VIII. Contra *Godefridum Regem Daniæ.*

A. C. 810. Godefridus Rex Daniæ Friſiam vaſtavit, exercitu domavit, & ſuo regno ſubjecit. *Carolus* ingenti exercitu congregato adverſus eum movit: interim *Godefridus* à ſatellite ſuo trucidatus eſt, & claſſis Danorum deſperata victoria domum rediit. *Carolus* vero perrexit, & Hamburgum recepit, quod Wilſii Vandali occupaverant, & tandem Aquisgranum rediit. Anno ſequenti, nempe A. C. 811. pacem fecit cum *Hemmingo* Danorum Rege, qui patruo *Godefrido* ſucceſſerat; *Hamburgum* reſtituit, & fundamenta jecit Epiſcopatus, quem ibi inſtituit. *Regino.*

APPENDIX.

1. *Carolus M.* quando cum Ducibus ſuis ad pugnam ſe paraſſet, & jam in procinctu eſſet, publice S. Synaxi uſus eſt; poſtea in nomine Jehovæ hoſtes fortiter aggreſſus, victoriam ſemper reportavit.

11. DISCIPLINA MILITARIS. *Carolus M.* edicto vetuit, & contra facientes graviter punivit, ne quidquam ex agris vicinorum, præter herbam, ligna, aquam, à militibus ſuis inter proficiſcendum attingeretur. *Aventin. lib.* 4. *Annal.* Huc pertinet oratio *Caroli*, quam habuiſſe ad milites fertur, cum exercitum, debellatis Saxonibus & Longobardis, dimitteret. Ite (inquit) milites mei: vos heroës vocabimini, ſocii Regum, judices criminum. Vivite poſthac laboris expertes: conſulite Regibus publico nomine, favete fœminis, juvate pupillos; conſilio circumdate Principes; ab his victum, veſtitum, ſtipendium petite: Si quis negaverit, inglorius infamiſque eſto. Si quis injuriam vobis intulerit, reum ſe Majeſtatis agnoſcat. *Vos* autem cavete, ne tantum decus, tantumque privilegium, juſto bellorum labore partum, aut ebrietatis, aut ſcurrilitatis, aut alio quovis vitio maculetis; ne, quod largimur vobis ad gloriam, redundet ad pœnam, quam de vobis ſumendam, ſi forſan exceſſeritis, nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanorum Regibus perpetuo reſervamus. Hinc apparet, quod pulchrum quidem ſit, vincere Reges, oppugnare regiones, caſtra & urbes: multo tamen pulchrius, propriis affectibus imperare, omniumque admirabiliſſimum; cum is, qui multos vicerit, ſe ipſum demum vincat.

111. Obiter quoque notandum, quod Carolus duos præſtantiſſimos Duces (nempe *Rolandum* & *Ænotherum*) habuerit, qui hoſtes Imperii ſingulari audacia aggreſſi ſunt, & profligarunt.

1. ROLANDVS filius Berthæ, ſororis *Caroli Magni*, egregiam in bellis Carolo operam navavit. Hujus felicitas & gloria potiſſimum lacertis conſtitit, adeoque robuſtus fuit, ut omnes ſui temporis viros fortitudine ſuperaverit. Profectus eſt cum avunculo ſuo Carolo in bellum, contra Saracenos in Hiſpania geſtum. Cum enim Saraceni Hiſpaniam occupaſſent, ſæpe etiam Galliam infeſtis armis tentaſſent: *Carolus M.* ingentem contra eos eduxit exercitum A. C. 778. & recepta Pompelone præcipua Vaſconum urbe, congreſſus cum Saracenis ingentem cladem perpeſſus eſt, qua amplius 40000 hominum perierunt. Poſt, reparato exercitu, denuo cum illis conflixit, eos vicit ac fugavit, totamque citeriorem Hiſpaniam uſque ad Betim fluvium recepit. Verum paullo poſt copiæ Francicæ, perfidia Vaſconum circumventæ, à Saracenis magnam acceperunt cladem: in qua Rolandus ſolus cum Mauſirio ſummo duce Saracenici exercitus conflixit, eum-

eumque ſua manu jugulavit; ipſe vero haſtis & lapidibus graviter afflictus vix evaſit. Inde in herba jacens, aquam ad reſtinguendam ſitim fruſtra deſideravit. Itaque vulneribus, languore, ſitique confectus, orationem ardentem & plenam fidei ac pietatis habuit, qua ſe DEO commendavit, animamque exſpiravit. Carolus hoc Epitaphium ei compoſuit:

Tu patriam repetis, triſti nos orbe relinquis:
Te tenet aula nitens, nos lacrymoſa dies.

Atque ut aliud item ſervandæ ejus memoriæ monumentum exſtaret, ſtatuam ipſi poſuit, & Saxonicis quibuſdam civitatibus hoc jus dedit, ut, quibus ſtatuam Rolandi in foro collocaſſet, αὐθεντίαν, plenam juriſdictionem, liberam Rempubl. atque omne Imperium habere intelligerentur. Prædictus Rolandus tam eximia temperatura gladium Durandinum vel Durandulum (quo Ferracutum gigantem Saracenicum 12 cubitos altum, & robore 40 viros æquantem, quique tantum in umbilico vulnerari poterat, transfolit) habuiſſe fertur, ut, cum, cæſis ſuis copiis, antequam ipſe labore & ſiti conficeretur, indurilſimis cautibus, ne hoſtes eo potirentur, illum frangere magnis viribus conatus fuiſſet, illæ potius aciei ipſius ceſſerint, quam gladius fractus ſit: ſicut Gyraldus tradit, eicitque, hunc gladium juſſu Caroli Magni in civitate Blajenſi ad Garronam in monaſterio S. Romani ad Rolandi ſepulcrum una cum ejus cornu appenſum fuiſſe. *Chronic. Philip. Sabell* 8. *Æn. Turpinus. Gyraldus lib.* 3. *hiſt. Franc. Camerarius.*

11. Sub *Carolo M.* militavit quoque gigas, nomine Ænotherus (ſic dictus quod exercitum æquipararet) heroica magnanimitate illuſtris, ex Durgia pago Sueviæ oriundus, qui hoſtes in modum fœni demetere, atque in modum avicularum haſta, veluti cuſpide fixos, humeris ſuſpendere ſolitus fuit. *Aventinus lib.* 4. *Annal.*

XIII. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Carolus M. pius & religioſus Imperator fuit, ſolumque in id incubuit, ut religionem Chriſtianam promoveret & propagaret. Idcirco 1. EPISCOPATUS. 2. ACADEMIAS. 3. CONCILIA & COMITIA inſtituit.

I. Epiſcopatus.

1. Anno C. 777. Salingſtadenſem ſive Oſtervvicenſem Epiſcopatum fundavit.

11. Anno fere Chriſti 778. Epiſcopatum Halberſtadenſem inſtituit.

111. Padebornenſis Epiſcopatus à Carolo inſtitutus eſt circa annum Chriſti 780.

1v. Oſnaburgenſis in Weſtphalia Epiſcopatus fundamenta jecit A. C. 780. cui ſeptem annos poſt Epiſcopum dedit.

v. Anno C. 785. fundamenta Epiſcopatus Mindenſis à Carolo jacta ſunt.

v1. Anno 788. in palatio Nemetenſi Imperator ſanxit, ut devicti Saxones ſint liberi, & Epiſcopatus Bremenſis inſtituatur, cui vicina Saxonum regio decimas ſolvat. Epiſcopatum illum primus adminiſtravit Wilhadus.

v11. Anno C. 791. Epiſcopatum Mimingerodenſem (qui hodie Monaſterienſis appellatur) Carolus inſtituit.

v111. Octavus Epiſcopatus à Carolo M. fundatus, commemoratur Hildesheimenſis.

1x. Nonus annotatur Bardovicenſis, qui hodie Verdenſis eſt, cujus primus Epiſcopus fuit Swibertus.

x. Decimus commemoratur *Schirenſis*, qui *Magdeburgum* poſtea tranſlatus eſt: ubi olim Veneris ſimulacrum cum tribus Gratiis cultum fuiſſe, indeque nomen urbi eſſe dicitur.

x1. *Carolus* A. C. 811. fundamenta Epiſcopatus *Hamburgenſis* jecit. *Regino.*

Conſtat etiam, *Leodicenſem* & *Trajectenſem* diœceſes magnis à *Carolo* patrimoniis & privilegiis eſſe dotatas, adeo optimus Princeps Eccleſiæ ornandæ operam dedit.

II. Academiæ & Scholæ.

CAROLUS M. magno cum ſui ſeculi hominum, totiuſque poſteritatis emolumento, ſcholas publicas, officinas omnis eruditionis, pietatis & doctrinæ aperuit, atque annonam & ſtipendia è fiſco Profeſſoribus dedit, iiſque procerum, pauperumque liberos commiſit. Ejus igitur auſpiciis felicibus factum eſt, ut Italia, Gallia, Germaniaque, terrarum magiſtra venerabilis, muſa cœleſtis, & camœna legatorum (ut de Carthagine refert *Suidas*) appellari poſſit.

1. Anno Chriſti 791. inſtituta eſt ACADEMIA PARISIENSIS à *Carolo*, quam tanta proventuum & poſſeſſionum amplitudine locupletavit, quantam vix omnes Galliæ & Germaniæ, quæ inde poſtea natæ ſunt Academiæ, poſſent æquare. *Crantzius.*

2. A. C. 805. *Oſnaburgi* à CAROLO Schola eſt inſtituta, & multis inſignibus privilegiis ornata, ut Græci & Latini authores ibi explicarentur. *Crantzius lib.* 1. *cap.* 2.

3. *Carolum Magnum* quoque *Bononiæ* & *Ticini* ſcholas publicas inſtituiſſe, ab Hiſtoricis annotatum eſt.

4. Secundum numerum alphabeti monaſteria condidit, ut in iis homines de DEO rectè inſtituerentur, & in bonis literis erudirentur, atque in ſingulis literam auream centum librarum Colonienſium collocavit. *Mutius lib.* 8.

Laudandum quoque in CAROLO, quod juventutem ad virtutem & diligentiam ipſe incitaverit, ac proinde ſæpius examina inſtituerit. Nam ita *Aventinus l.* 4. *Ann. Bojoar.* de eo ſcribit: Reverſus CAROLVS (inquit) ab expeditione bellica in Galliam, pueros ſui profectus ſpecimen epiſtolis, verſibus, carminibus, orationibus Panegyricis, aliiſque ſcriptis, exhibere juſſit. Vbi cum tenuiores propter ſpem profeciſſe, nobiles cultum animi neglexiſſe deprehendiſſet: *Illis* ad dextram ſegregatis: Vos quidem macti virtute eſtote, inquit, filii piiſſimi, qui veſtro officio gnaviter defuncti eſtis: veſtra erunt ſacerdotia locupletiſſima, & Pontificatus maximi; ego vos in aulam adſciſcam, ex vobis Senatores cooptabo, vos in album Prætorum & Patrum curiæ adlegam. *Deinde* ad nobilium liberos, quos à *læva* collocarat, vultu irato, nihil diſſimulans, ait, Vos comatuli & delicatuli, freti opibus, & ſplendore parentum, noſtram Majeſtatem ſpreviſtis; vitia, otia, luxum & inertiam bonis literis & virtuti, contemto decreto noſtro, prætuliſtis. DEVM vero immortalem teſtor, nihil penitus commodi honoriſque à me ad vos perventurum: quin imo edam in vos exempla, niſi reſipueritis, & negligentiam diligentia expiaveritis. *Aventinus lib.* 4.

III. Synodi & Comitia.

1. A.C. 770. Concilium *Wormatiæ* celebratum, in quo à populo & clericis à CAROLO impetratum, ne liceret clericis in bellum exire. *Baronius.*

II. A. C. 772. CAROLVS comitia egit *Wormatiæ*, ubi de regno rectè conſtituendo conſilia habita, & bellum Saxonibus inferendum eſt decretum. *Regino, & alii.*

III. A. C. 775. *Carolus duas Synodos* celebravit in *Villa Duria*: in quibus principaliter ſtatutum eſt, ut ſuffraganei ſuis Epiſcopis ſubſint. Vt Epiſcopi ordinentur in locis vacantibus. Vt Regulares & Monachi ſecundum regulam vivant. Vt Epiſcopis Presbyteri & Clerici pareant. Vt inceſtuoſi homines per Epiſcopos corrigantur. Vt nulli liceat alterius Clericum recipere, aut ordinare. Vt quiſque decimas fideliter largiatur, & ut recuſantes puniantur. Vt homicidæ aut cæteri rei, qui ſecundum leges mori debent, ſi ad Eccleſiam confugerint, non excuſentur, neque eis ibidem victus detur. *Regino lib.* 2. *Hiſt. Magdeb. cent.* 8. *cap.* 9. *pag.* 573.

IV. *Regino lib.* 2. annotat, CAROLVM in Saxonia ad fluvium Lippam celebraſſe Synodum anno Chriſti 780. ſed tractatum eſſe de rebus tantum politicis.

V. Anno C. 785. CAROLVS Padebornæ Synodum ſeu conventum habuit. *Regino l.* 2.

VI. CAROLVS A. C. 738. *Ingelheimii* congregavit *Synodum* ex Pontificibus majoribus, minoribus, Sacerdotibus, Regulis, Ducibus, tetrarchis, præfectis, civibus, oppidanis. In ea Synodo nihil fuit tractatum de religione: ſed CAROLVS accuſavit THESSALONVM, Bavariæ Principem, perfidiæ: & teſtibus crimen probavit. Pronunciatur ſententia, juxta legem Salicam, de capitali ſupplicio. *Theſſalonus* autem petit veniam, & cum filio in Monaſterium relegatur; & qui cum eo ſenſerant, in exilium abiguntur; & tota Bavaria Carolo ſubjicitur. *Aventinus lib.* 3. *Annal.*

VII. A.C. 792. CAROLVS M. Reginoburgi *Synodum* celebravit juxta Annales Francorum. Occaſionem præbuit ei nova hæreſis FELICIS Orgellorum Epiſcopi, qui voce & ſtylo aſſerebat, IESVM CHRISTVM in divina natura eſſe verum DEVM, in humana vero nuncupativum. Item in divina natura eſſe eum verum DEI Filium, in humana vero adoptivum: unam perſonam DEI & hominis dividens in duas perſonas, ſcilicet veri filii & adoptivi. *Sigebert. in Chron.* & *Aventinus lib.* 4. *An.* Convenerunt Epiſcopi ex omni Germania, Gallia & Italia. Felix damnatus Romam ad Papam *Adrianum* miſſus eſt, ubi errorem revocavit, & ad Eccleſiam ſuam remiſſus. *Aventinus lib.* 4. *Annal. Aimonius lib.* 4. *cap.* 83. *de Francorum geſtis.*

VIII. Anno C. 794. CAROLVS Concilium Francofurti ad Mœnum inſtituit. Occaſionem præbuit tum FELIX, qui ad hæreſin ſuam fuerat reverſus: tum Adrianus Pontifex, qui acta *Nicænæ* ſecundæ Synodi de imaginum adoratione miſerat approbanda. Conveniunt Epiſcopi, Sacerdotes, Abbates & Monachi, ex omnibus provinciis Caroli, nimirum ex Italia, Gallia, & Germania. *Adrianus* miſit etiam eo ſuos legatos, *Theophylactum* & *Stephanum:* cœtui Patrum etiam ipſe interfuit CAROLVS. Ac primo tractatum de FELICIS & ELIPANDI Epiſcopi Toletani opinione, qui contendebant, Chriſtum dici debere filium DEI adoptivum ſecundum humanam naturam. Communi autem Patrum ſententia ea hæreſis ſcripto libro refutata, & ſubſcriptione omnium Patrum damnata eſt; *Concluſum* videlicet, Chriſtum

ſtum ſecundum humanam naturam non eſſe Filium DEI adoptivum, ſed ſubſtantialem. *Ratio* hujus decreti hæc eſt: Chriſtus ſecundum humanam naturam aut eſt Filius DEI adoptivus, aut ſubſtantialis. At non eſt adoptivus. Alias enim ſequeretur, quod duo in Chriſto ſint Filii: nempe adoptivus ſecundum humanitatem: & ſubſtantialis, ſecundum divinitatem. At hoc eſt hæreticum, & Neſtorianum, ac S. Scripturæ è diametro contrarium. Nam Paulus *1 Cor. 8. v. 6.* inquit: UNUS DOMINUS JESUS CHRISTUS. Ergo ſecundum humanitatem eſt Filius DEI ſubſtantialis.

DUBIUM.

At ſi Chriſtus eſt Filius DEI ſubſtantialis ſecundum humanitatem, ſequitur, quod ab æterno à DEO Patre ſecundum humanitatem ſit genitus. Quod hoc *ſyllogiſmo* demonſtratur:

Quicunque eſt Filius DEI *ſubſtantialis, ille ab æterno à* DEO *Patre eſt genitus.*

Atqui Chriſtus ſecundum humanam naturam eſt Filius DEI *ſubſtantialis, ſecundum decretum Concilii Francofurtenſis:*

E. ſecundum humanam naturam ab æterno à DEO *Patre eſt genitus.*

Reſp. Propoſitio Major ita eſt limitanda: Quicunque eſt Filius DEI ſubſtantialis, & ſubſtantialiter, h. e. per ſubſtantialem generationem, ille ab æterno à DEO Patre eſt genitus.

Jam ſubſumo: Atqui Chriſtus ſecundum humanam naturam non eſt Filius DEI ſubſtantialis & ſubſtantialiter, h. e. per ſubſtantialem generationem, ſed perſonaliter, h. e. per & propter unionem perſonalem. Niſi enim hoc ſtatuatur, omnino dicendum foret, duos in Chriſto eſſe Filios; unum ſecundum Deitatem, alterum ſecundum humanitatem; illum ſubſtantialem, hunc vero adoptivum. Quod hæreticum. Ergo neceſſario inde ſequitur, quod Chriſtus ſecundum humanam naturam ſit Filius DEI ſubſtantialis, propter unitatem perſonæ.

Deinde in hac Synodo Francofurtenſi offeruntur acta *Synodi Nicenæ* II, quam *Adrianus* per ſuos vicarios rexerat, & poſtea etiam approbaverat, ut ſupra diximus: ac Pontificii Legati poſtulant ſubſcriptionem & comprobationem. Patres non ſtatim aſſentiuntur, ſed diſceptationem de iis, ut par erat, inſtituunt, & ſententiam illam de Imaginibus adorandis examinant, veritatemque deprehendunt ex collatione utriuſque Synodi: nimirum illius, quæ ſub *Conſtantino Copronymo* prorſus damnaverat & abjecerat imagines, quaſi nec eas liceat pingere, aut habere, ſive in templis, ſive in aliis locis: & hujus, quæ ſub IRENE Imperatrice non modo habendas, ſed etiam adorandas, & colendas veſtitu, ſuffitu, candelis, geſticulatione, *&c.* aſſeveraverat. Mediam autem ſententiam amplectuntur; quod, imagines habere in templis & aliis locis, impium quidem per ſe non ſit; ſed eas adorare & venerari, prorſus alienum à fide Chriſtiana, & cum ſuperſtitione gentilium congruat. Quare contra *Adriani* Pontificis & Legatorum ejus ſententiam decernunt: Imaginum cultum & adorationem eſſe impiam, & Synodum *Nicenam ſecundam* (quam ſeptimam Oecumenicam vocarant) eſſe abolendam. *Eginard. in vita Caroli M. Erphordienſis cap. 69. Regino lib. 2. Annales Francorum. Aimonius lib. 4. cap. 85. Blond. Decad. 2. lib. 1. Aventinus lib. 4. Mutius lib. 9. Hiſtor.* Porro argumenta, quibus cultum Imaginum Epiſcopi improbarunt, vide in *Centuriis Magdeb. Tomo octavo, c. 9. pag. 639.*

IX. A. C. 803. CAROLUS M., rebus in Hiſpania utcunque pacatis, *Compoſtellæ* (in Hiſpania) Synodum celebravit: in qua (poſt dedicationem Baſilicæ S. Jacobi, quæ facta eſt a Turpino in præſentia *Caroli Magni*) ſtatutum eſt, ut omnes Epiſcopi, præſideſque Hiſpani & Gallici, *Præſidem* Eccleſiæ Jacobi pro ſuo Primate agnoſcant. *Vincentius lib. 24. cap. 17. ex Turpino.*

X. CAROLUS ex Hiſpaniis reverſus, *Pariſiis* A. C. 803, inſtituta *Synodo*, ordinavit, ut omnes Reges Franciæ & Epiſcopi, præſentes & futuri, Epiſcopo ejus Eccleſiæ (Pariſienſi nimirum) ſubſint & pareant: nec ſine ejus conſenſu Reges coronentur, aut Epiſcopi ordinentur. *Vincent. lib. 24. c. 22. ex Turpino.*

XI. Tempore *Caroli M.* ob decimas, opeſque ſacras, inter Monachos Sacerdotes in Bojoaria litigatum eſt. *Juſſu* vero *Caroli* Salisburgi Concilium indictum, inque eo decretum eſt, donaria templorum, bona Eccleſiaſtica, in quatuor dividenda eſſe portiones: atque unam ſortiri Epiſcopos; alteram ſacrificulos, quorum quidem munus eſſet, accuratius paſcere oves: tertiam pauperum eſſe: quarta ſacras ædes refici, inſtaurarique oportere. *Aventinus lib. 4. Annal. Bojoar.*

XII. A. C. 803. *Carolus* in palatio *Saltz* conventum celebravit: in quo Saxones antiqua libertate donavit, omnique tributo liberavit, in eum finem, ut poſthac ad fidem Catholicam conſervandam ſuam operam præſtent; exceptis decimis, quas Sacerdotibus reddi juſſit. *Chronicon Quedelburgenſe.*

XIII. Anno C. 813 jubente *Carolo M.* congregatum eſt *Arelatenſe Concilium*: in quo Epiſcopi congregari conſignarunt aliqua capita, eaque *Carolo* obtulerunt, ut, ſi quid iis addendum cenſeret,

adderet : ſi quid emendandum putaret, corrigeret: ea vero, quæ ipſi probarentur, confirmaret. Hi Epiſcopi recte judicabant, pium & Chriſtianum Magiſtratum à gubernatione Eccleſiarum non eſſe excludendum. Decreta autem fecerunt, quorum quædam ad Eccleſiaſticam, quædam ad politicam gubernationem pertinent, & notatu quidem digniſſima ſunt, ſed brevitas compendii recenſere ejus verba non patitur : poſſunt autem peti ex *Cent.* 8. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 9. *fol.* 401.

XIV. A. C. 813. *Moguntiæ* juſſu Caroli Synodus eſt habita. Convenerunt Epiſcopi XXX, Abbates XXV, & plures Sacerdotes, Monachi, Comites & Judices. Occaſionem præbuerunt diſſoluti mores tum Eccleſiaſticorum, tum plebeiorum hominum, quos CAROLVS corrigi cupiebat, ut ex hac vita diſcedens bene conſtitutas Eccleſias ſucceſſori ſuo relinqueret. *Sigebertus in Chron.*

XV. Eodem anno, jubente CAROLO MAGNO, *Synodus* ex Epiſcopis & Abbatibus collecta eſt ex Gallia Lugdunenſi, *Cabilone*, ad emendationem ſtatus Eccleſiaſtici inſtituta. Fecerunt autem multa decreta, quorum quædam ad Eccleſiaſticam, quædam ad politicam gubernationem pertinent, & ad CAROLVM M. ut ea pro libitu confirmaret, miſſa ſunt. Quia autem decreta illa omnia recenſere nimis longum foret, pius Lector eorum prolixitate onerandus non eſt : ſed videat de his in *Cent. Magdeb. Tomo nono, c.* 9. *f.* 1387.

XVI. Anno quoque Chriſti 813. *Turoni* juſſu Caroli M. Synodus habita eſt, & ad diſciplinam Eccleſiaſticam promovendam, & collapſam reſtaurandam, aliquot capita conſignarunt, eaque Imperatori exhibuerunt ; quæ poſſunt peti ex *Hiſtor. Magdeburg. cont.* 9. *fol.* 378.

XV. *Alia* ACTA ECCLESIASTICA.

I. CAROLVS cum animadvertiſſet in Paſchate A. C. 787, ſuos aliter canere ac Romani ſolent, Antiphonarium petiit à Pontifice Romano, item Cantores & Organiſtas, qui ſuos artem organandi ; item Grammaticos, Arithmeticos, & qui computum docebant : quos omnes ſecum in Germaniam deduxit : inde in Galliis Scholas inſtituit, & juventutem in hiſce artibus inſtitui juſſit. *Regino. Annal. Fuldenſes.*

II. CAROLVS A. C. 789. leges promulgavit de diſciplina Eccleſiaſtica & ejus reformatione : Paulo poſt contra *Carolum* conjurarunt *Hardericus* & alii ; ſed ea conjuratione detecta, reus membris truncatus, & aliqui in exilium ejecti ſunt. *Sigonius.*

III. Certos homines in Ægyptum, Syriam & Africam, & in alias regiones cum ingenti auri vi miſit, qui pios, ſub imperio impiorum Regum vitam inopem agentes, ope ſublevarent & ſolarentur. *Crantz. lib.* 2. *cap.* 8.

IV. Ex Scholis, veluti ex officinis virtutum & diſciplinarum, idoneos viros ad Eccleſiæ & Reipubl. vocavit & ordinavit gubernationem. Nulli autem plures ducatus, præfecturaſque, aut ſacerdotia conceſſit : dictitans, ſibi & alios demerendos beneficiiſque oppignorandos. *Aventin. lib.* 4.

V. *Hildegardæ* Reginæ petenti pro ſacrificulo ſuo, item Proceribus aulæ pro eo rogantibus, ut ad Epiſcopatum proveheretur ; Idoneo, etſi pauperi, reſpondit *Carolus*, jam deſtinavi : Imperatorem mentiri aut fallere non decet, ut obtrudat DEO, cujus vitam, mores, ingenium ignorat, & nunquid tanto oneri par ſit, compertum non habet. *Idem.*

VI. CAROLVS M. quendam pridie feriarum D. Martini deſignatum Epiſcopum mox dignitate privabat, propterea quod is auctus tanta dignitate amicis cœnam exhibens, & uti fit, mero ſe nimium onerans, ſomno deinde oppreſſus noctu divinis rebus non interfuiſſet : ratus, intolerabilem hanc negligentiam eſſe, & venia indignam, quod primo honoris die ſibi non temperaſſet, ut ſui non compos DEVM ad iracundiam provocaret. *Idem.*

VII. Cum *Carolus Magnus* aliquem ad ſacerdotium promoviſſet, atque is ob adeptam dignitatem lætior, atque à ſolo in equum, abſque ſuppedaneo, uno impetu ſubſiliiſſet, revocavit eum, Vales, inquiens, (ut video) viribus, & eques non malus es: tua opera in bellis, ubi ea enitescat, indigeo. Proinde ignobili & imbecilli oves & gregem pecudum relinque. *Aventin. lib.* 4.

VIII. *Carolus* homicidas & alios facinoroſos, qui juxta leges capitali ſupplicio afficiendi eſſent, ſi ad Eccleſiam (templum) confugiſſent, vetabat excuſari & victu foveri. Sed inde trahi permiſit. Quod ſi quis Monachorum Pontifex, præfectuſve, illos reddere recuſaſſet, ſatisdationis onus illis impoſuit de damno infecto, & compenſatione facienda : atque ſi quiſquam illorum aufugiſſet, jurarent, id ſua opera factum non eſſe. *Aventinus lib.* 4. *Annal.*

IX. CAROLVS & LVDOVICVS de Epiſcoporum electione ita ſanxerunt : *Ut* DEI *nomine ſancta Eccleſia ſuo liberius potiatur honore, aſſenſum ordini Eccleſiaſtico præbemus, ut ſcil. Epiſcopi per electionem Cleri & populi ſecundum ſtatuta Canonum de propria Diœceſi*, (remota perſonarum & munerum acceptione) *ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo ſibi ſubjectis prodeſſe valeant.*

X. CA-

X. CAROLVS M. valde delectatus eſt libris D. Auguſtini de civitate DEI, quos ſibi legi, & hiſtorias alias, inter cœnandum curabat.

XI. CAROLVS ſanxit, ut Laici ter quotannis ad minimum pœnitentiam agerent, & ſacra Synaxi uterentur. *Crantzius.*

XII. CAROLVS M. nudum gladium ſemper præferri ſibi curavit, cui hæ literæ inſertæ fuerunt: D. P. C. C. A. D. C. h. e. Decem Præceptorum Cuſtos CAROLVS A DEO Coronatus. De hiſce tale ab incerto authore Epigramma concinnatum eſt:

Dura quidem pro te Germania viribus almis
Per mare, per terras, varia & per climata terra,
Cum duris dure populis, & maxima bella
Confeci: hinc proprio regnum mihi ſanguine partum eſt.
Arma viroſque graves per vincula tetra ligatos
Ducens, ad patrios redii ſine vulnere lares.
Cæſareum nomen tribuit mihi maxima virtus.

Huc pertinent venuſti *rhythmi*, qui de CAROLO in veteri quodam authore exſtant:

Ein Keyſer bin im Deutſchen land
Ich Karl der Groſſe wol bekant/
Von Gott erwählt/ daß Ich ſolt ſein/
Der heil'gen Zehn Gboten rein
Cuſtos; darnach Juſtitiam
Bey Land und Leuthen richten an/
Den armen als den reichen gleich;
Und ſol betracht'n das ewige Reich/
Das gute alzeit helffen ſchützen/
Das böſe ſtraff'n und gar außwürtzeln.
Das ſchwert Ich trag den frommen zur ehr/
Den böſen aber ſchneidt es ſehr.
Ich bin auff erden nur ein Knecht/
Gott allein ſchafft durch mich das Recht.

XIII. Lectiones, quas *Vincentius* Poſtillas vocat, per anni circulum, in Dominicales, Epiſtolas, & in Euangelia Dominicalia, ex Patrum ſcriptis excerptas à *Paulo Warnefrido*, juſſu *Caroli M.* in Eccleſiis recitandæ ſunt ordinatæ. *Chronic. Funcii fol.* 131. *Cruſius part.* 2. *lib.* 1. *fol.* 5.

Quidam tamen tradunt, diſtributionem illam pericoparum Euangelicarum & Epiſtolarum, quibus adhuc Eccleſia utitur, ab *Alcuino* Caroli Magni Præceptore, & *Paulo Diacono* Monacho Caſſienſi, juſſu Caroli eſſe factam. *Bucholtzer. Joach. à Beuſt, in Poſtilla ſua de feſtis fol.* 277. & *alii.*

V. Populi ſub Carolo converſi.

I. CHARAS Satrapes Avarium, impulſu *Caroli M* Religionem Chriſtianam amplexus eſt. *Lazius lib.* 2 *rerum Viennenſium. Hiſt. Magd. Cent.* 8. *c.* 16. *pag.* 932.

II. Eodem tempore CVSIDVS & CVBA filii Regis Hunnorum Chundi, ab Ethniciſmo ad Chriſtianiſmum ſunt converſi. *Bonfin. Decad.* 1, *lib.* 9. *Hiſtor. Magd. Cent.* 8. *cap.* 2. *p.* 28.

III. BOREALES *Saxones* & Tranſalpinos *Willehadus*, miſſus à Carolo, ad Chriſtum convertit A. C. 788. Septem annos ibi prædicaſſe dicitur, uſque ad annum rebellionis Saxonum 12.

IV. Supra diximus, CAROLVM per 33 annos cum Saxonibus bella geſſiſſe, eoſque bello adeo attriviſſe, ut reſiſtendi vires amiſerint. Itaque denuo fidem Chriſtianam amplecti (quam aliquoties jam abjecerant) coacti ſunt, uti & baptiſmum ſuſceperunt, & in fide data perſeverarunt. *Crantz. in Metrop. lib.* 1. *cap.* 2. *Regino lib.* 2 *Sigebert.*

V. Neque vero Saxones tantum CAROLI M. virtute & opera fidem Chriſti acceperunt, ſed inde in *Holſatiam* quoque, & ad *Ditmarſos*, quin ad *Vandalos* etiam doctrina Euangelii propagata eſt; & in ipſam quoque *Ungariam*. Qua de re *Bonfinius Decad.* 1. *lib.* 9. ita ſcribit:

Cum ad montes *Buda* obſeſſos Ungaros fames deditionem facere coëgiſſet, eos, qui fidem Chriſti amplexi eſſent, vita & libertate cum fortunis donatos à *Carolo*: qui vero in Scythica ſuperſtitione perſiſterent, bonis mulctatos fuiſſe, ſola vita conceſſa, & poſtea oppugnata Buda. Carolum cives per præconem hortatum eſſe, ut abjectis Idolis, Chriſtum agnoſcerent & colerent.

VI. In Hiſpania *Navarri* & *Pampilonenſes* A. C. 806, qui antea ad Saracenos defecerant, ad fidem Chriſti redierunt, & in gremium Eccleſiæ recepti ſunt. *Regino*, *Aimoinus.*

VII. Quin ad *Venetos* etiam, ad *Sclavos* & *Avares*, in Pannoniis habitantes, circa eadem tempora Euangelii præcones juſſu CAROLI M. miſſi venerunt. Unde quantus fuerit in optimo & potentiſſimo hoc Principe pietatis zelus, facile colligitur.

VIII. Anno fere Chriſti 814. BIORNVS Gothorum Sueconumque Rex Chriſtianæ Religionis doctrinam apud ſuos plantari deſiderans, viros doctos & ſacerdotes ad ſe tranſmitti à *Carolo Magno* petiit. Is miſſo Herberto aliiſque ſacerdotibus, petitioni ejus locum dedit. Unde per Gothorum & Sueconum terras feliciter Eccleſia propagata fuit. Hinc & alios ad Imperatorem Rex BIORNVS miſit, plures verbi divini Doctores petentes. Verum antequam mandata Legati eſſent exſecuti, Imperator moritur. Itaque ad ſucceſſorem ejus *Ludovicum* pergunt, eique petitionem Regis ſui declarant. Is Corbeienſem Monachum *Anſgarium*, virum imprimis doctum, eo amandavit, qui in

metropoli Pirea Chriſtianam fidem docuit A. C. 826. Tandem *Anſgarius* Hamburgenſis factus eſt Epiſcopus, & ex mandato *Ludovici Pii*, Danis & Sueeis doctrinam Chriſtianam nunciavit. Vide *Hiſtor. Magd. cent. 9. cap. 2.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

I. Prodigia.

CAROLI M. mortem multa præceſſerunt prodigia, quæ diligenter ab Eginardo, qui *Caroli Magni* vitam deſcripſit, & aliis Hiſtoricis recenſentur, ſequentia.

1. *Pons Moguntinus* quingentorum paſſuum longitudine (quem Carolus decennii ſpatio ædificaverat, mirabili opere, magniſque ſumtibus, & ita formaverat, ut perpetuo durare poſſe videretur) anno ante mortem ejus proximo tribus horis igne ita abſumtus eſt, ut ne haſtula quidem ex aquis eminneret. *Sigebert. Chron. Philipp. lib. 4. p. 331.*

II. Ante obitum CAROLI M. apparuit COMETA ſingularis, & terribilis: unde Imperator attonitus, cum *Eginardo* Philoſopho contulit, dicens: quod mutationem regni, mortemque Principis portenderet. Verum Philoſophis nolebat illum contriſtare, ſed locum Prophetæ adducens dixit; *A ſignis cæli nolite timere.* Jerem. 10. v. 1. At *Imperator devotus*, Non aliud, inquit, timere debemus, niſi illum, qui noſtri & ſideris illius creator eſt. Sed ejus clementiam laudare debemus, qui noſtram inertiam, cum peccatores ſimus, talibus dignatur admonere indiciis. *Lavat. in Catal. Comet.*

USVS.

Unde patet, quod locus *Jeremiæ* 10. *v.* 1. ita intelligendus ſit, ne, quemadmodum impii faciunt, toti à cauſis ſecundis pendeamus; ſed reſpiciamus ad eum, qui iſtis naturalibus rebus relationem & ſignificationem impoſuit.

II. Teſtamentum.

1. CAROLVS M. moriturus non tam ſollicitus fuit de ſua morte, (bonum enim cœleſtis gloriæ animo conceperat ſuo) quam de Eccleſiæ ac Reip. ſtatu. Sic extrema congruebant primis. Et pietatis, juſtitiæ ac fortitudinis fructum tulit optimum, placide dum moreretur. Sic vixit, ut omnium amore, & laude digniſſimus haberetur: ſic fato conceſſit, ut nihil timeret mortem; propitium quia DEVM in Chriſto habebat. Annis autem proximis ante mortem, crebris laboravit febribus: eumque ſe non diu ſuperſtitem fore ſentiret, teſtamentum condidit, in quo filiis præcipue curam Eccleſiarum commendavit. LVDOVICVM filium ad ſe ex Aquitania accerſitum Imperatorem Romanum creavit, & renunciavit. *Bernhardum*, ex *Pipino* nepotem, Regem Italiæ fecit A. C. 813.

II. *Carolus* quoque ante triennium, quam deceſſerat, fecit teſtamentum de rebus mobilibus ſuis poſt obitum diſtribuendis. Et principio omnia, quæcunque in theſauris vel alias habuit, diſtribuit in *tres partes*: & *duas* ex hiſce ſubdiviſit in partes viginti & unam, quot videlicet Epiſcopatus habebat, (quippe tot primariæ urbes, quas Græci Metropoles vocant, in Imperio *Caroli* erant) & ſingulis Epiſcopatibus legavit unam. Ita tamen, ut ſingulæ rurſus in tres partes dividantur, quarum unam ſumat Eccleſia; duas vero ejus ſuffraganei. *Tertiam* vero partem, quam ex primis integram hactenus ſervaverat, præcepit poſt obitum in tres partes dividi; quarum duas liberi retinerent, tertiam vero pauperibus erogarent.

Auream quoque menſam, & tres argenteas habuit; in quarum una *Nova Roma*, in altera *Vetus Roma*, in tertia *Orbis terrarum* deſcriptus erat: quas magno pretio comparavit, omneſque vendi, & precium pauperibus diſtribui juſſit. *Eginhard. in vita Caroli*, *Aventinus lib. 4. Annal.*

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Carolus M. Aquiſgrani, die viceſimo primo Januarii A. C. 814, febri correptus eſt, quam, ut conſueverat hactenus, abſtinentia curare voluit: ſed cum hoc modo laterum dolorem, quem vocant pleuritidem, ſibi attraxiſſet, die ſeptimo ab inſultu febrili, die videlicet 28 Januarii, hora tertia à Solis exortu, placide diem ſuum obiit, anno ætatis 72; cum regnaſſet annos 46, & menſes fere quatuor; in Occidente vero imperaſſet annos 13, menſem 1. *Eginhardus. Annal. Franc.*

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

1. *Mors* Caroli omnia luctu & mœrore ingenti complevit, & cadaver ipſius Aquiſgrani in templo D. Virginis (quod Carolus exſtruxerat, & quamplurimis donis collatis ornaverat) honorifice terræ mandatum eſt.

2. Poſt mortem ejus, per annos tres continuos, *Solis* & *Lunæ* defectiones fuerunt creberrimæ, ac in Sole macula quædam atri coloris ſeptem dierum ſpatio viſa eſt. Cometa etiam exarſit, & alia prodigia conſpecta & audita ſunt in terris. *Egin. de vita Caroli.*

II. IM-

II. IMPERATOR GERM.

LVDOVICVS I. PIVS.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

I. PATER fuit CAROLVS MAGNVS, II. MATER fuit HILDEGARDIS, secunda *Caroli Magni* uxor. Ex hisce piis & religiosissimis Parentibus natus est hic *Ludovicus* anno C. 778.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN. Dicitur LVDOVICVS PRIMVS, ad differentiam LVDOVICI II, quarti Imperatoris Germanorum.

II. COGNOMEN. Cognomine dictus est PIVS.

1. *Oeconomice.* Quod patrem pie semper coluit, ejusque virtutem & laudem imitari statuit. *Egnat. lib.* 5. *cap.* 4. Siquidem filius, verbum Patris custodiens, extra perditionem, & acceptus Altissimo erit. *Proverb.* 29. *v.* 27.

2. *Ethice.* Ob humanitatem, ac benignitatem. Nam Saxones Ludovici in se liberalitatem tam grato animo accepere, ut magis pro Francorum gloria ex eo tempore pugnaverint, quam antea pro libertate sua adversus eosdem decertassent: uti testantur *Annales Franc.*

3. *Ecclesiastice.* Ob insignem pietatem. Quia ab ineunte ætate mane à lecto surgens in genua procidit, veniam peccatorum postulavit, Deoque gratias egit pro nocturna sui custodia, & oravit, ut porro in sancta hac custodia pergeret. *Bodin. lib.* 3. *de. Mag. cap.* 1.

MONITVM.

Omnes pii homines ambulant 1. *Cum* DEO. 2. *Coram* DEO. 3. *Post* DEVM. Idque tum in *Vita*, tum in *Morte*.

I. In Vita.

1. *Cum* DEO. Sicut de Enoch dicitur *Genes.* 5. *v.* 24. quod ambulaverit *Cum* DEO. Sic pii *Cum* DEO ambulant in vera cordis fiducia, 1. qui omnes actiones & labores suos in nomine Iehovæ exordiuntur & peragunt. Græci dicunt σὺν Θεῷ agere. Sicut D. Paulus monet *Coloss.* 3. *v* 17. Quicquid egeritis sermone aut facto, *omnia in nomine Domini Iesu facite*, gratias agentes DEO & Patri per illum. Ita Petrus Apostolus in verbo Christi laxabat rete suum. *Luc.* 5. *v.* 5.

Omnibus in rebus feliciter omnia cedent,
Si statuas finem principiumque Deum.

Nam à Iehova nos sumus & exsistimus: Ergo merito quoque omnes actiones nostras in nomine ejus inchoare debemus: Sine ipsius enim Numine, nihil est in homine.

Θεοῦ οὐ διδόντος, οὐδὲν ἰσχύει πόνος.

Non adjuvante, nihil valet labor, DEO.

2. Deinde *Cum* DEO *ambulant*, qui juxta DEI verbum & voluntatem actiones suas instituunt, ut idem sit DEI & hominis velle & nolle. Quia qui Spiritu DEI aguntur, hi sunt filii DEI, *Rom.* 8. *v.* 14. D. Paulus *Galat.* 5. *v.* 25. vocat *Spiritu ambulare*, vel *incedere*. h. e. juxta ductum & præscriptum Spiritus sancti.

II. *Coram* DEO, tanquam *Patre* suo, ambulant pii *cum reverentia*, quando DEVM in conspectu suo ponunt, eumque tanquam Patrem timent, *Malach.* 2. *v.* 10. ne quidquam mali agant. sicut Filii oculos Parentum suorum intuentur: & servi oculos dominorum suorum, ut illorum mandata capessant, eaque expediant. *Psal.* 123. *v.* 2. Ita DEVS ad Abrahamum inquit, *Genes.* 17. *v.* 1. Ego Dominus omnipotens: *Ambula coram Me*, & esto perfectus. Quod DEI mandatum Abraham implevit. Vnde *Amator* DEI appellatur, 2 *Paral.* 20. *v.* 7. *Sir.* 47. *v.* 24 & *Amicus* DEI, *Iudith.* 8. *v.* 22. *Psal.* 16. *v.* 8. inquit Christus: Posui Dominum *in conspectu meo* semper. *Psal.* 26. *v.* 3. *Psal.* 18. *v.* 24. *Psal.* 119. *v.* 120, 137. Contra autem impii DEVM in conspectu suo non ponunt. *Psal.* 10. *v.* 11. *Psalm.* 36. *v.* 2. *Psal.* 54. *v.* 4.

Paranesis.

Quare omnes homines sint moniti, ne mala agant: quia ambulant *Coram* DEO, h. e. in conspectu DEI, qui omnia etiam absentia & abscondita videt.

Pulchre *Prudentius*:

Speculator adstat desuper,
Qui nos diebus omnibus
Actusque nostros prospicit.
A luce prima in vesperam
Hic intuetur quicquid est,
Humana quod mens concipit,
Hunc nemo fallit judicem.

Quod etiam comprehenditur hoc venusto *epigrammate*:

Quod cupis ut lateat, dicas faciasve caveto:
Quin neque volve animo, quod cupis ut lateat.

Si

Si lateant homines tua dictaque factaque cunctos,
Quaque animo volvis, si lateant homines,
Anne Deum lateant? Qui scit, qua mente volutas;
Audit, qua loqueris; quod facis, omne videt.

III. *Post* DEVM pii ambulant:

1. *Per fidelitatem veram* Sicut enim servus fidelis Dominum suum sequitur, ejusque mandata exsequitur. Ita etiam pii DEVM suum sequuntur.

2. *Per veram pœnitentiam.* Hoscæ II. v. 10. Sic Israëlitæ post DEVM ambulare dicuntur, quoniam relictis Idolis sceleribusque suis ad DEVM per veram pœnitentiam redeunt, & post eum ambulant. Contra autem impii & impœnitentes dicuntur à *facie Prophetarum abire.* Ibid. v. 2.

3. *Per novam obedientiam*, quoniam in præceptis ejus ambulant, ejusque vestigia sequuntur, h. e. ejus bonitatem, longanimitatem, misericordiam & justitiam imitantur, *Matth.* 5. *v.* 44. 45. *Luc.* 6. *vers.* 36.

Pii ambulant post DEVM, 1. in Luce. *Hoseæ* II. *v.* 12. 2. in Cruce. *Matth.* 16. *vers.* 24. *Apoc.* 14. *vers.* 4.

II. In Morte.

1. *Cum* DEO ambulant: quoniam à Domino dimittuntur. *Luc.* 2. & in Christo moriuntur. *Apoc.* 14. *v.* 4. & 13.

II. *Coram* DEO, quoniam Dominum oculis fidei intuentur.

III. *Post* DEVM, qui eos per umbrosam mortis vallem deducet in Regnum Cœlorum. *Psal.* 23. *v.* 4. *Actor.* 14: 22.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

II. *ACTA OECONOMICA.*

1. VXORES. *Ludovicus uxores* habuit *duas.* PRIOR dicta fuit IRMINGARDIS, quæ fuit filia *Ingrami* Ducis Saxoniæ. *Cuspinian. Chron. Hedionis.*

POSTERIOR fuit IVDITHA, filia *Guelphi*, primi Comitis Altorfiensis in Suevia, soror *Conradi & Rudolphi* Principum: Hanc propter formæ elegantiam impense amavit, & totus ab ejus pependit consiliis; verum inde multa mala exorta sunt: uti postea dicemus.

II. LIBERI. Ex PRIORE uxore tres suscepit filios: LOTHARIVM, PIPINVM, & LVDOVICVM.

Ex POSTERIORE unicus ipsi natus est Filius, nomine CAROLVS, cognomine *Calvus.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Ludovicus à *Patre* adhuc vivente Imperator proclamatus est A. C. 813. patre autem defuncto magno animorum consensu paterno in solio confirmatus, omniaque regna *Caroli* patris obtinuit, præter Longobardorum regnum, quod Pater *Bernhardo* nepoti concesserat. Coronatus est Rhemis in Gallia à Pontifice Romano *Stephano* V. Anno Christi 816. *Eginh.*

AXIOMA.

Post bellatores Deus pacificos & togatos Principes excitare ut plurimum solet.

EXEMPLA.

1. Post *Carolum M.* qui bella gessit difficillima, DEVS dedit LVDOVICVM PIVM pacis studiosissimum.

2. Post *Romulum*, qui regnum Romæ armis constituit, secutus est *Numa Pompilius*, qui totum se dedit religioni. Hic nulla bella gessit. Fuerunt ergo Romæ halcyonia, vivente *Numa* post tanta bella, per annos 40.

3. Post *Iulium Cæsarem* DEVS *Augustum* dedit.

4. Post *Trajanum*, *Adrianum.*

5. Post *Carolum* V. *Ferdinandum*, qui pacem in Germania constituit: & lata lege de sacra pace eandem promulgavit.

6. DAVID fuit bellator: qui debellatis & domitis vicinis gentibus comparavit successoribus insignem potentiam. Cui SALOMON successit, qui fuit gubernator sapiens, & ea curavit atque exsequutus est, quæ fuerunt opera propria pacis: & quidem illa ipsa, de quibus expressa mandata à Patre acceperat.

II. *Imperii administratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

1. *Ludovicus* justitiam bene administravit, patrem hac in re imitatus, omnium autem primum patris testamentum summa cura explere contendit, quod etiam fecit.

II. In pauperes pietatem, benignitatem, & liberalitatem exercuit: dum Ratisbonæ, Francofurtique ad Mœnum sacras ædes muro adhærentes, mœnibus solo æquatis, ampliari vellet, auri thesauros repertos egenis largitus est. Christianis item in Asia & Africa, opem ejus exposcentibus, denarios è singulis regiis prædiis exactos, ad inopiam sublevandam, misit. *Aventin. lib.* 4. *Ann.*

III.

III. Imperio potitus, exemplo patris filios suos Aquisgrani convocavit A. C. 817. & primogenitum Lotharium creavit Regem Franciæ, & socium Imperii: Pipinum vero Regem Aquitaniæ. Ludovicum minimum natu retinuit apud se, sed titulum Regis Italiæ ei tribuit. *Aventinus.*

IV. Nemini dignitatem contulit ob pecuniam, sed probe observavit, qui doctrina & bonis moribus essent ornati. *Regino lib.* 2.

V. *Præclare* & hoc in more positum habuit *Ludovicus*, quod nulli officium concesserit, cui non adjiceret parænesin hanc: VIDE QVID AGAS: non hominis, sed DEI maximi minister es, ejusdemque sacramento auctoratus. Et quæso sic agamus, ne quis populariũ nos accuset: quodcunque judicabis, facturusque es, in te redundabit: ita tecum agetur, quemadmodum cum alio ages. Itaque *Ludovicus* jussit apud se omnes proceres, maxime prætores, sacramentum dicere, ex æquo & bono se judicaturos, nihilque muneris accepturos. Similiter pauperum seu tenuioris fortunæ hominum Causas prætoribus suis commendavit, dicens: Honoratissimus ac maximus titulus, quem DEVS peculiariter sibi vendicat, est pauperum propugnator, pupillorum tutor, viduarum curator. *Aventin. lib.* 4. *Anne* Vetuit insuper, ne officiales populum extraordinariis tributis novisque exactionibus expilarent.

VI. Cum *Hispani* dira servitute premerentur à Saracenis, nec religio libera relinqueretur, multi amissis hoc modo suis bonis in Galliam Narbonensem aufugerunt; quos omnes jussit Ludovicus humaniter suscipi & foveri, dedit etiam ipsis privilegia, quæ exstant, data A. C. 815. Calend. Jan. *Pithœus.*

VII. *Ludovicus* Haraldo Danorum Regi contra filios Godefridi olim Regis, qui insidias struebant regno, auxiliatrices copias misit; nihilominus tamen postea Haraldus ab iisdem regno pulsus est, cui Ludovicus Frisiam incolendam dedit. *Ann. Puld. Abb. Stad.*

VIII. *Sclaomirus* Abroditarum Rex ad curiam Ludovici evocatus, de multis sceleribus accusatus est, ideoque in exilium ejectus, & regnum ejus *Cedeadrego* datum est, *Regino.*

IX. Compendii leges tulit *Ludovicus*, inter quas & hæc est, ut quilibet pagus suos mendicos alat. *Constitut. Imp.*

X. LOTHARIVS filius Imperatoris à parente in Italiam missus, ad inspiciendas res Longobardorum, & ad eas dijudicandas: quod cum celeriter feciſſet, rogatus à Pontifice Paschali, ut Romam visere velit: quo cum in Paschate A. C. 823. venisset, à Paschali Papa coronatus est Imperator & inauguratus. *Aimoin.*

XI. LVDOVICVS Imp. cum Aquisgrani in festo Paschatos A. C. 817. è templo domum rediret, porticus lignea, putrefactis fundamentis, per quam transibat, corruit. & Imperatorem & viginti optimates ruina operuit, & nemo fere incolumis evasit præter Imperatorem; cujus tamen aûris dextra vulnerata, fœmurque dextrum juxta genitalia trabe collisum, pars sinistra imi pectoris capulo gladii afflicta: sed cura Medicorum intra 20 dies curatus est. *Aventinus, lib.* 4. *Ano.*

Ex hisce agnoscimus, si homo in suis consiliis & actionibus DEVM (uti supra dictum) invocet, eum felicem esse. *Proverb.* 28. *v.* 5. Qui vero non habet cooperantem divinam dexteram, ei terram, & mare, aëremque adversari, omnia hæc illum tanquam fugitivum aliquem DEI & justitiæ violatorem efficaciter persequi.

II. *ACTA SAGATA.*

Ludovicus Bella gessit tum *externa*, tum *interna*.

I. *Bella externa.*

I. LVDOVICVS Imp. misit HARALDO Danorum Regi auxilia contra filios *Godefridi* olim Regis, & insuper Sclavos tumultuantes compescuit. *Annald. Fuld.*

II. Anno C. 318. *Ludovitus Normannum* Britonum præfectum, qui se Regem appellarat, per seditionem acie victum interfecit, & totam Britanniam citeriorem recepit. *Chron. Philippi.*

III. *Ludovicus* Dux Pannoniæ inferioris, res novas moliens, sed ab exercitu Imperatoris pulsus, in Dalmatiam abiit. Anno sequenti, nempe A. C. 819. *Borna* Dux *Ludovici* Imper. in Dalmatia bello *Ludovicum* rebellem persecutus est, & bellum vario Marte gestum. Anno C. 820. *Ludovicus* Imp. tres exercitus misit contra *Ludovicum* rebellem in Pannonia: unus eo transiit per Alpes, alter per Dravum fluvium, tertius per Carinthiam: qui omnium felicissime rem gessit, & Pannoniam crudelissime vastavit, cum *Ludovicus* se munitionibus teneret.

A. C. 822. *Ludovicus* iterum exercitum in Pannoniam misit, quorum metu *Ludovicus* rebellis ad Sarabos fugit, ubi civitatem quandam interfecto Duce occupavit; sed hoc non impune tulit, paullo post trucidatus. *Aimoin.*

IV. *Pipinus* Imperatoris filius jussu parentis in Vasconiam movit, seditiosos ibi compescuit, & provinciam pacatam reddidit.

v. *Ludovicus* A. C. 824. menſe Octobri tribus exercitibus Britones vaſtavit per Pipinum filium & Ludovicum 40 diebus, & acceptis obſidibus Rothomagum rediit die 17 Novembris. *Aimoin.*

vi. *Aizo*, Dux rebellis Imp. Ludovico, ad Saracenos in Hiſpaniam transfugerat: is accepit ab Abdiramine Rege Saracenorum exercitum, & Gerundenſium & Barſinonenſium agros crudeliſſime vaſtavit. Huic Ludovicus Imp. oppoſuit filium *Pipinum* Aquitaniæ Regem: ſed Duces mora ſua omnia corruperunt, & Saraceni ingenti præda domum redierunt. *Annal. Fuld.*

vii. Claſſis *Ludovici*, quæ Corſicæ præerat, in Africam incurſionem fecit A. C. 828, eamque longe lateque vaſtavit. Ideo *Saracenis* nihil laxamenti fuit ad plures copias in *Siciliam* mittendas, ac ita *Ludovicus* Saracenos Roma & Italia tota expulit. *Aimoin.*

II. *Bella interna.*

I. Cum *Bernhardo*, filio *Pipini*, nepote *Caroli Magni.*

I. ORTUS.

Bernhardi ambitio. Bernhardus Rex Italiæ, malis conſiliis ſuorum excitus, res novas moliebatur, regnique Franciæ *Ludovico* eripiendi cogitationem ſuſcepit, id ad ſe potius pertinere jampridem perſuaſus, quia *Pipino* majori natu *Caroli M.* filio eſſet natus, quam ad *Ludovicum* ipſum, qui *Pipino* ætatis jure concederet. Atque omnibus Italiæ civitatibus in ſua verba jurare juſſis, ſaltus Alpium idoneis impoſitis præſidiis firmavit. Iam enim *Ludovicus* Imperator erat creatus & declaratus, ut nullo pacto, nedum aliquo juris prætextu, axioma regni eripi poſſet ipſi. Ideoque cum *Bernhardus* ſupremo Magiſtratui ſuo reſiſtere vellet, ordinationi divinæ reſiſtere viſus eſt. *Rom.* 13. Idque tandem cum magno ſuo detrimento conjunctum fuit.

II. PROGRESSUS.

LUDOVICI Imper. contra *Bernhardum Patruelem expeditio, ejuſque cum facinoris conſciis captivatio. Ludovicus* Imper. ſtatim atque de conſiliis *Bernhardi* certior erat factus, magnum è Francia & Germania exercitum evocavit, ac ſubito expeditionem inſtituit A. C. 817. Claſtra Alpium aperuit, in Italiam profecturus. Poſtquam vero *Bernhardus* ſenſit molem belli in ſe transferri, metu perterritus ac imparatus, maxime quod ſe à ſuis quotidie deſeri cerneret, arma poſuit, atque pœnitens *Ludovico* Imperatori ultro ſe tradidit, cum conſciis facinoris: quorum multi fuerunt intimi Conſiliarii *Ludovici*, ut *Reginardus*, *Camerarius*, & alii: item Epiſcopi, *Anſelmus* Mediolanenſis, *Wolfoldus* Cremonenſis. & *Theodolphus* Aurelianenſis, quos comprehenſos in carcerem conjecit, ut ſiſterentur patribus Francicis, & in hiberna rediit.

III. EGRESSUS.

Paucis poſt Paſcha diebus A. C. 818. (expeditionem namque in hyeme ſuſceperat *Ludovicus*) *Ludovicus* convocavit Patres Franciæ, juſſitque eos cauſam rebellionis Patruelis ſui, & complicum, cognoſcere, & de pœna ſententiam ferre: Qui eos criminis læſæ Majeſtatis reos peregerunt, & capitis condemnarunt. Imperator tamen mitius decrevit, & Laicis quidem oculorum amiſſionem, Epiſcopis perpetuum carcerem definivit, ac *Bernhardum* luminibus orbari, inque monaſterium detrudi juſſit. *Bernhardus* autem tantam pœnam non ſuſtinens, triduo poſt defunctus: & Mediolani in æde D. Ambroſii ſepultus eſt, cujus mortem Imperator adeo moleſte tulit, ut publice de ea pœnitentiam ageret. *Aimoinus*, & alii.

II. Cum *filiis* ſuis, *Lothario*, *Pipino*, & *Ludovico.*

I. ΤΑ' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

I. LUDOVICI *in patruelem crudelitas. Ludovicus Pius* cum in modo aberraſſet, dum Patruelem (uti antea dictum) excœcari inque monaſterium detrudi curaſſet, qui paullo poſt mœrore exſtinctus eſt, eam ob cauſam apud Imperii proceres in odium venit. Nam adverſus eum conſilia inierunt ii potiſſimum, quibus in conſpiratione Bernhardina olim ignoverat. Quod ſentiens *Ludovicus*, amicorum prætidiis ſe munivit, & *Bernhardum* Hiſpaniæ Comitem ſibi fideliſſimum Cameræ ſuæ præfecit: qua re iſtos magis offendit.

II. IUDITHÆ *nimia dilectio. Ludovicus* Imp. cum conjugi *Iuditha* plurimum tribueret, in odium filiorum primi matrimonii incurrit. Noverca enim patrem contra privignos incitabat: unde civile bellum ortum eſt.

II. ΤΑ' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

I. *Filiorum adverſus patrem ſeditio, ejuſdemque repreſſio.* Aulici Imperatoris, qui conſpiraverant, *Pipinum* filium *Ludovici* ſibi adſciverunt, & *Bernhardum* Præfectum Cameræ adulterii cum *Iuditha* conjuge Imperatoris accuſarunt. PIPINUS nimium credulus moleſte tulit tantum ſcelus, & exer-

exercitum collegit contra Parentem. Imperator ut hiſce medelam afferret, *Bernhardum* illum amovit, & uxorem *Juditham* interim in monaſterio Laudini eſſe juſſit; quo facto *Pipinus* in ſpem venit, parentem etiam minis poſſe compelli, ut imperio ſe abdicet, & in monaſterium abeat: ideo *Juditham* ad ſe evocavit, eamque minis adegit, ut promitteret, ſe perſuaſuram *Ludovico*, ut ſecum monaſterium ingrederetur. Imperator *Ludovicus* uxorem quidem monaſterio includit, de ſe vero deliberavit. Deinde *Lotharius* alter filius ex Italia quoque advenit: qui *Pipino* quidem aſſenſus, nihil tamen violenter parenti inferri paſſus eſt. Non multo tempore poſt ſeditioſi comitia popoſcerunt: quæ *Ludovicus* Neomagi indixit: ubi congregatis ſuorum fidelibus ex Germania, & allecto filio *Lothario*, ſeditio iſta diſturbata, & ejus authores non quidem occiſi, ſed Laici in monachos attonſi, clerici vero in cœnobiis cuſtoditi ſunt, & *Judith* ex cœnobio in thalamum rediit, cum ſe legitimo modo purgaſſet.

II. *Seditionis renovatio*, & *Ludovici Imp. degradatio.* Filii Ludovici ſinguli ſuarum provinciarum Reges ſub imperio parentis amplius eſſe noluerunt, quod Epiſcopi etiam multi in imperio reprehenderunt, ideo ſeditionem renovarunt, de patre deponendo conſilia inierunt, & exercitum contra eum collegerunt, ut ſi ſponte in cœnobium nollet, eum vi cogerent. Pater & ipſe conſcripſit exercitum, & ad haſce turbas ſedandas Pontifex Roman. *Gregorius* evocatus eſt, qui parenti filios reconciliaret. Sed adveniens totus fuit à filiorum partibus contra *Ludovicum*, & minatus ei excommunicationem ab Eccleſia, niſi imperio ſe abdicaret. Tandem in feſto Johannis Baptiſtæ A. C. 833, in campo mendacii ‹Lügen-feld› (ſic dicto à perfidia filiorum Ludovici) prope Baſileam, cum parens fraude filiorum exercitu ſpoliatus, coactus eſt filiorum poteſtati ſe committere. Sed *Pater* cum in caſtra filiorum veniſſet, mox ipſi conjux *Judith* auferetur, & relegatur Dedonam, quæ eſt oppidum Italiæ, & ipſe in carcerem conjicitur: & coactus eſt indicta cauſa ante altare arma deponere, & imperio ſe abdicare, & juſſu multorum Epiſcoporum, quos *Lotharius* ex humili ſorte ad tantam potentiam evexerat, fateri ſe imperio indignum, eo quod multa in imperio negligenter egiſſet. His peractis, *Lotharius* omnes milites in ſua verba jurare fecit, & ipſe *Ludovicus* Imp. captivus, venale quaſi inimicorum ſuorum mancipium, ac fortunæ ludibrium, cum *Carolo* filio infante circumductus eſt. Tandem in Monaſterium Medardi Auguſtæ Sueſſonum in Galliis relegatus. Rurſus deinde pro animi libidine è monaſterio exceptus, & quo juſſiſſet *Lotharius*, in toto regno circumductus eſt. Sed tamen bonus Princeps hæc mala æquo animo pertulit, & ſua innocentia officiique ſibi publici demandati auctoritate ſe conſolatus eſt, fore, ut DEUS hæc ſua tolleret infortunia. Siquidem ejus mœror longus eſt; qui non vincit luctum patientia.

III. *Ludovici Imper. reſtitutio.* Tandem filii Imperatoris ac proceres Imperii inter ſe animi ac conſiliis diſſidere cœperunt. Ac primus *Drogo* Epiſcopus Mediomatricum auctor fuit *Pipino* ac *Ludovico* fratribus, ut patris ex carcere liberandi curam ſuſciperent. Deinde & Germani hanc ſuo Imperatori factam injuriam cum æquis animis ferre non poſſent, arma corripuerunt, & *Lotharium* coëgerunt, conjunctis viribus cum *Pipino*, Auguſtum patrem exercitui & fratribus reſtitueret. Sed quem præ pudore *Lotharius* reddere non potuit, reliquit reſtituendum. Ipſe interim in Burgundiam profectus, ut vires colligeret. Itaque *Ludovicus* ſolenni ritu expiationis peracto, imperio eſt reſtitutus A. C. 834, magna cum omnium exclamatione & lætitia. *Aventin. lib. 4. Annal. Sigon. lib. 4. de reg. Ital. Aimoin.*

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

I. LUDOVICI *erga filios, & cæteros rebelles Clementia.* Cum *Ludovicus* Imp. eſſet reſtitutus, *Ludovicus* & *Pipinus* (qui A. C. 838, relicto filio *Pipino*, mortuus eſt) filii ad parentem venerunt: quos pater ſingulari indulgentia leniter verbis caſtigatos in gratiam recepit; ſed inconſiderate magis, quam provide factum hoc fuiſſe, eventus docuit. Siquidem intempeſtiva miſericordia, & ipſi Imperatori pernicioſa, & Reipublicæ periculoſa fuit. Deinde adducta eſt *Ludovico* uxor ex Italia: interim tamen *Lotharius* parentem & ipſos fideles armis perſecutus eſt, & Cabillonem urbem, quæ ipſi portas clauſerat, occupavit: quem viciſſim parens armis petivit, & eo tandem redegit, ut ſupplex veniam peteret, qui tantum duriuſculis verbis acceptus à Patre in gratiam receptus, & in Italiam dimiſſus eſt. Parens tamen in Alpibus præſidium poſuit, ne ſe invito eas tranſcenderet. *Ludovicus* ignovit etiam aliis, tum Epiſcopis tum Laicis, qui malis conſiliis filios ejus corruperant. Proinde & *Theodulpho* Epiſcopo Aurelianenſi veniam dedit, qui Lothario auctor fuit perſequendi patris, & propterea in carcerem conjectus erat. Is Gandavi, cum feſto die Palmarum, quo ſupplicationes fiebant, hymnum à ſe compoſitum, GLORIA, LAUS ET HONOR TIBI SIT, REX CHRISTE REDEMTOR, ſuavi voce caneret,

[a] deo prætereuntem Imperatorem & plebem dulcedine carminis commovit, ut ſtatim eum liberandum cenſuerit Ludovicus. *Aimoin. Trith.*

II. JUDITHÆ *aſtutia, & Ludivici regni inter fratres diviſio, unde novum diſſidium ortum.* *Ludovicus* poſt tot labores & moleſtias exantlatas genio indulgere, liberiuſque vivere cœpit: interim *Juditha* conjux ejus ab exilio revocata, priſtinoque honori reſtituta, ſuum agere negotium cœpit, & conciliatis ſibi Palatinorum animis obtinuit, ut filio ſuo *Carolo* jure proprio Burgundia, Rhetia & Suevia cederent. Sed enim ne conſilii ratio manifeſta ſubito eſſet, *Juditha* precibus impetravit, ut in caſum mortis *Ludovici* filius ejus CAROLUS *Lothario* commendaretur, ut eum in ſui clintelam ſuſciperet; idque *Lotharius* ſanctæ ſe recepit facturum. *Juditha* enim cautio eo ſpectabat, ut ſine ullo impedimento filio ſuo auguſtalis dignitas conferri poſſet. Ideoque ſimulavit bonum affectum, & diſſimulavit offenſum animum. Illa quippe ſagaci ingenio mulier & ſapientiſſima fuit, quæ ſuis blanditiis oblimare potuit os *Lotharii*. Itaque *Juditha* non contenta priori conditione, ipſum prorſus imperium filio *Carolo* parare variis artibus inſtituit, obtinuitque apud *Ludovicum* maritum (qui nihil, quod petebat, ei denegavit) ut inter *Lotharium* & *Carolum* imperium divideretur, Alteram igitur partem à Moſa verſus Auſtrum *Lotharius*, alteram vero *Carolus* accepit, ac Bojoaria filio Imperatoris *Ludovico* relicta eſt. Sed hæc diviſio novas excitavit diſcordias. *Ludovicus* enim filius Imp. cum pati non poſſet, ſuum regnum adeo anguſtis limitibus à parente definitum, cum CAROLUS, qui tamen minimus fratrum erat, in ampliſſimum collocatus eſſet regnum, exercitum clam comparavit, & quæ cis Rhenum erant, ſuæ ditionis facere conatus eſt. *Parens* de his certior factus, quanquam & hyems erat, & catarrhis plurimis obnoxius ipſe decumberet, cum Paſcha peregiſſet Aquiſgrani A. C. 840, cum exercitu in Thuringiam properavit, & *Ludovicum* filium fugavit. Et hac occaſione ſimultates inter fratres exortæ ſunt, quæ diu perdurarunt, & familiæ auguſtæ, adeoque ipſi Reipubl. perniciem magnam attulerunt: de quibus infra dicturi ſumus.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. *Ludovicus* in cura propagandi Chriſtianiſmi valde ſollicitus fuit, optimi patris imitator: ut *Crantzius* teſtatur, in *libro* I. *Metropol.* Itaque inſtituit, nec ſervi DEI ulli humanæ ſervituti ſubjecti eſſent, & ut unaquaque Eccleſiæ ſuos proventus haberet, unde ſacerdotes viverent, ne ob inopiam rerum cultum divinum deſererent, neve ob neceſſitatem quæſtui ſeſe dederent.

II. A. C. 816. *Ludovicus* Comitia egit Aquiſgrani, in quibus reformationem Cleri, & inſtitutiones Canonicæ profeſſionis, ſeu regnlam Clericorum conſcripſit & ordinavit. *Hiſt. Magdeb. cent. 9. cap. 2.*

III. A. C. 817. *Ludovicus* Aquiſgrani iterum Comitia indixit: convocatis quibuſdam Abbatibus, 80 capita ordinavit, quibus Monachi in toto imperio quoad victum & cultum regerentur: quorum exemplaria deſcripta fuerunt, & in omnia monaſteria miſſa. *Annal. Francorum.*

IV. Anno C. 819. *Ludovicus* Imperat. in conventu Ingelheimenſi leges nomine Procerum promulgavit, tam de clericis, quam de laicis. *Conſtitut. Imper.*

V. Anno C. 822. *Ludovicus* Imperator Cœnobium Corbeiæ in Saxonia ad formam Corbeiæ in Gallia ædificavit, ibique bonas artes doceri juſſit; ex qua Schola multi viri docti prodierunt. *Aimon.*

VI. Adductus eſt ad Imperatorem *Ludovicum* Presbyter quidam, homo Græcus, *Georgius* nomine, qui, ſe *Organon* pneumaticum ad Græcorum rationem fabricare poſſe, profeſſus eſt: qui benigne à *Ludovico* ſuſceptus ſtipendium annuum accepit, & primum Organum Aquiſgrani inſtituit. *Idem.*

VII. A. C. 832. Hamburgi Archiepiſcopatus inſtitutus à Ludovico Imperat. cui ſubjecti Dani, Suevi, Sclavi: & primus Archiepiſcopus ordinatus eſt ANSGARIUS, in ſolenni conventu multorum Episcoporum. *1 Arch. Epiſc.*

VIII. Anno C. 834, Monaſterium Fraumenminſter ad ſiniſtram Limagi ſitum, ex illuſtribus Principum & Comitum familiis, à *Ludovico* Imp. fundatum eſt. *Annal.*

IX. A. C. 838, jubente *Ludovico* Imperatore, celebrata eſt Synodus: in qua renovati ſunt Canones, quales Epiſcopi & Presbyteri eſſe debeant. Deinde quæ illos ſcire & facere oporteat. Tertio quæ Epiſcopi & Abbates in gubernatione ſuorum agere debeant. Quarto quæ ad Imperatoriis officium pertineant, in juvanda gubernatione Eccleſiæ, & recte adminiſtranda Republica. *Hiſtor. Magd. cent. 9. cap. 9.*

CAPUT III.

DE EGRESSU.

ANte mortem *Ludovici Pii* cometæ, Eclipſes, & alia portenta contigerunt; & inter alia

Stella

Stella crinita in ſigno Virginis cum omnium admiratione effulſit : qua viſa *Ludovicus* exterritus, quod triſte ſibi vitæque ſuæ aliquid portendere judicabat, id ſacris precibus & piis largitionibus expiavit. Non multo poſt, Sole prodigioſe obſcurato, tantam ex ea re animo contraxit triſtitiam, ut in pernicioſum morbum inciderit. Qua re animadverſa, Wormatia, ubi conventum inſtituerat, ad Inſulam Moguntiæ proximam ſe devehi juſſit : ac cum morbus ingraveſceret, omnibus ſimul omnia condonavit, & teſtamentum fecit ; in quo regnum liberis ita diviſit, ut LOTHARIVS eſſet Imperator ; reliqui autem fratres, ut regnum feudi loco à *Lothario* haberent, & *Pipinus* nepos Neuſtriam occuparet ; ſed parente mortuo id abrogatum eſt. Cum itaque *Ludovicus* Imperat. ſe ac Rempubl. Deo commendaſſet, filiiſque concordiæ inter ſe colendæ auctor & ſuaſor fuiſſet, Kalend. Julii 840, ætatis 64, cum imperaſſet annos 26, menſ. 5, placide diem ſuum obiit, & in hac voce Germanica defecit, allß/ allß ! quaſi diceret, jam ex omnibus malis liberatus, quem fortuna tot caſibus exagitarat, æternam habiturus ſum requiem. Sepultus eſt in urbe Metenſi prope Hildegardin matrem. *Martian. Contract. Sigon. de reg. Ital. Mut. lib.* 10. *fol.* 88. *reb. Germ.* Recte Epictetus dixit : In morte eſſe ſecuritatem. Tunc enim pax DEI ſervis, tunc libera & tranquilla quies contingit, quando de iſtis mundi turbinibus extracti, ſedis & ſecuritatis æternæ portum petimus, quando extincta hac morte ad immortalitatem venimus. *Cypr. in tract. de morte.* &c.

Genealogia CAROLINGORVM uſque ad *Saxonum Imperium.*

Carolus Magnus —— uxor *Hildegardis.*

Carolus Rex Franciæ in Germania ante patrem defunctus.

Pipinus Rex Italiæ.
|
Bernhardus Rex Italiæ.

Ludovicus I, cognomento *Pius*, Imp. Hujus uxores fuere *Irmingardis*, & *Judith*a ex

IRMINGARDE nati ſunt

Lotharius I, Imper.
- *Ludovicus* II, primo Rex Italiæ, poſtea Imperator.
- *Lotharius*, Rex Lotharingiæ.
- *Carolus*, Rex Burgundiæ.

Pipinus, Rex Aquitaniæ.
- *Pipinus*, Rex Aquitaniæ.

Ludovic. Germanicus Rex Franconiæ & Bavariæ.
- *Coloman-nus*, Rex Bavar. & Italiæ.
  - *Arnulphus* Imper.
    - *Ludovicus* IV, Imperator.
    - *Arnulphus* cogn. *Malus*. Unde Duces Bavariæ & Palatini ad Rhenum deſcendunt.
- *Ludovicus*, Rex Germaniæ.
  - *Hugo*, Rex Italiæ.
- *Carolus* III. cogn. Craſſus Imper.

JVDITHA, natus *Carolus* III, cognomento Calvus, primo Rex Galliæ, poſt Imperator.
- *Ludovic.* III, cogn. Balbus, primo Rex Galliæ, poſt Imperator.
  - *Ludovicus*, Neuſtriæ Dominus.
  - *Coloman-nus*, Rex Galliæ.
    - *Ludovicus* inutilis Rex Galliæ.
  - *Carolus Simplex*, Rex Galliæ.
    - *Ludov. Tranſmarinus*, Rex Galliæ.
      - *Lotharius*, Rex Galliæ.
        - *Ludovicus*, qui mortuus eſt A. C. 987. Hic fuit ultimus Rex Galliæ ex Carolingorum progenie, quæ ab anno 751 regnum Galliæ tenuerat annis 237.
      - *Carolus* Dux Lotharingiæ.
- *Carolus*, Rex Aquitaniæ.
- *Caroloman-nus*, ferociſſimus monachus,

III. IMPERATOR GERM.

LOTHARIUS I.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

1. PATER fuit LVDOVICVS I, cognomento PIVS, cujus ille filius primogenitus fuit.

II. MATER dicta fuit IRMINGARDIS, quæ fuit prior conjux LVDOVICI PRIMI: ſicut in præcedenti hiſtoria diximus.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

1. VXOR ejus dicta fuit IRMINGARDIS, *Hugonis* Comitis filia, quam *Ludovicus Pius* pater, A. C 821, ei matrimonio junxit.

II. LIBERI. Ex hac uxore LOTHARIVS tres ſuſcepit filios: 1. LVDOVICVM, qui ipſi in imperio ſucceſſit; 2. LOTHARIVM: 3. CAROLVM. *Philipp. in Chron.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

1. A.C. 817. *Pater* eum fecit Regem Italiæ, & ſocium Imperii.

2. Poſtea anno fere Chriſti 823, à parente in Italiam miſſus, ad inſpiciendas res Longobardorum, & ad eas dijudicandas: quod cum celeriter feciſſet, rogatus à Pontifice *Paſchali*, ut Romam viſere vellet; quo cum in Paſchate veniſſet, Imperator ibi à Pontifice *Paſchali* coronatus & inauguratus eſt. *Aimoinus.*

3. Cum LVDOVICVS pater eſſet moriturus, teſtamentum fecit, in quo liberis regnum ita diviſit, ut LOTHARIVS PRIMVS, primogenitus filius, eſſet *Imperator*; reliqui autem fratres regnum ut feudum à *Lothario* haberent. LOTHARIVS igitur, patre extincto, imperium jure ſucceſſionis & nominationis occupavit. Sed diviſione parentis Ludovici non contentus *Lotharius*, regna omnia ſolus ſibi vendicavit: ex quo atrox bellum inter fratres natum eſt: & tandem poſt atrocia certamina inter eos convenit, ut LOTHARIVS cum imperatoria dignitate Italiam & Lotharingiam, ſic ab ejus nomine dictam, LVDOVICVS Germaniam, unde *Germanicus* dictus, & CAROLVS cognomento CALVVS Galliam regeret.

II. *Imperii adminiſtratio.*

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum internum cum fratribus.*

Extincto *Ludovico Pio*, inter filios ejus civile bellum exarſit, funeſtum admodum & cruentum; quo videtur tota concidiſſe Francorum potentia. Nam in primo conflictu ex utraque parte ultra centena millia virorum cecidiſſe perhibentur. Tria autem circa hoc bellum ſunt notanda: I. ORTVS. II. PROGRESSVS. III. EGRESSVS.

I. *ORTVS.*

1. *Lotharii ambitio.* *Lotharius* A.C. 841, *Ludovici Pii* patris morte in Italia nunciata, ſubito in Franciam ſe recepit, ac magno Procerum conſenſu regnum Franciæ, Imperiumque, ſolus inivit, & populorum rebus conſulere ſumma cura inſtituit. Quia autem maximus ſtirpis eſſet, Auguſtuſque à parente deſtinatus, ad ſe omnia revocabat, & fratres eo redire volebat, ut *Ludovicus* Bavaria, & *Carolus* Aquitania, beneficio ipſius & conceſſione, contenti, à reliquo imperio abſtinerent, & ipſi tanquam Imperatori parerent.

II. FRATRVM *indignatio.* Sed hæc *Lotharii* ſententia ac poſtulatio animos fratrum plane ab ipſo abalienavit. Ipſi namque indigne ferebant, ſe à juſta hæreditate excludi, & *Lotharium* ſolum omnia regna ſibi vendicare. Et quoniam nullum ſibi ſubſidium relinqui niſi in armis vident, bello rem decernere decreverunt, atque *Pipinum* defuncti Pipini filium in ſuas partes adducunt, multoſque alios ſibi ex media nobilitate Franciæ adſciſcunt, ſive facti æquitate, ſive rerum novarum cupiditate permotos. Nec minore ſtudio jus ſuum *Lotharius* tueri paravit.

II. *PROGRESSVS.*

PRIMA PVGNA. Cum *Lotharius* nullas concordiæ conditiones, ut vel tantillum de imperio cederet, accipere vellet, fratres conjunctis armis bellum ei intulerunt, & ad Fontanedum vicum Altiſſiodonenſem in Gallia Lugdunenſi prælio victum profligarunt, cæde miſerabili facta, & exercitu *Lotharii* pene ad internecionem cæſo. Pugnatum eſt A. C. 841, ſeptimo Kalend. Julii, & ultra centum hominum millia in hac pugna cecidiſſe Hiſtorici tradunt. Et quanquam victoria fuit penes *Ludovicum* & *Carolum*; tamen adeo vires Francorum con-

conciſæ ſunt, ut, qui aliis terrori fuerant, vix jam ſui regni fines tueri poſſent.

ALTERA PUGNA, A. C. 842. LOTHARIUS Imper. reparato exercitu iterum in Germaniam venit: cui fratres *Ludovicus* & *Carolus* cum exercitu occurrerunt, & ad Argentoratum prælio commiſſo, eum in fugam conjecerunt die 16 Martii, eoque fugato, Galliam & Germaniam ex conſilio Epiſcoporum, excluſo *Lothario*, inter ſe diviſerunt.

III. *EGRESSUS.*

PACIFICATIO. LOTHARIUS bis exercitu amiſſo, ac deſperatis rebus omnibus, amicis & proceribus intercedentibus, tandem criſtas demiſit, & conceſſit, ut diviſio Imperii inſtitueretur. Qua de re legatos ad fratres miſit qui peterent oblivionem offenſarum & pacem, & ſibi æquam hæreditatis portionem darent: *Fratres*, re deliberata, pacis & concordiæ cauſa nihil denegarunt. Certi ergo ſequeſtres pacis, numero centum & viginti, ex toto regno electi ſunt, & certa jurisjurandi forma obſtricti, ut Imperium æquis portionibus in tres æquales partes dividerent. Cum ergo Proceres Imperii regnum fratribus magis ſecundum genus, quam ſecundum Leges deberi exiſtimarent, diviſionem Imperii admiſerunt. Proinde *Carolo* à mari Britannico uſque ad Moſam conceſſa ſunt omnia. *Ludovico* quæcunque in Germania ultra Rhenum continebantur. *Lothario* Belgica, quæ Auſtraſia dicebatur, cum Burgundia, Italia item & titulus Imperatoris, relinquebatur. *Pipino* Aquitania dabatur. Et hanc diviſionem, fide jurisjurandi publica interpoſita, ratam firmamque fratres habuerunt, & exinde *Carolus* Regis Franciæ titulum ſibi adſcivit, *Ludovicus* Germaniæ, (qui primum ab eo eſt uſurpatus:) *Lotharius* Franciæ & Italiæ: *Pipinus* Aquitaniæ: & hiſce peractis, quiſque in regnum ſuum ſe contulit. Facta eſt diviſio Salfeldiæ, quod oppidum eſt prope Coloniam Agrippinam, quod *Philippus* Rex Galliæ donavit Epiſcopo Colonienſi, anno 1204. *Annal. Franc. Annal. Fuld. Aventin. lib. 4, Annal. Bojoar. Philippus in Chronic.*

II. *Bella externa.*

Diſtractis ad hunc modum & occupatis civili bello fratribus, peregrinæ gentes his occaſionibus uſæ, ſeſe rurſus ex omni parte commoverunt. Nam

1. In Saxonia ſervile bellum excitatum eſt.

2. *Normanni* claſſe littus Gallicum depopulari ſunt.

3. Nec *Bohemi*, *Sorabi*, & *Marcomanni* ab ortu & meridie ſibi in his occaſionibus defuerunt. Neque irruptionum & dilacerationum finis fuit uſque ad gubernationem Saxonum, ex qua gente rurſus excitavit DEUS præſtantes Principes ad inſtaurationem Imperii pene everſi. Et quia contra dictas gentes *Ludovicus* Rex Germaniæ, hujus *Lotharii* Imper. frater, bella geſſit, infra in Appendice modo citati Regis de his dicturi ſumus.

II. *ACTA TOGATA.*

1. LOTHARIUS, quod intellexiſſet, Romanos, incitantibus Pontificibus, ſeu tædio præſentis Imperii, ſeu libertatis ſtudio, propendere ad Imperatores Græcos, & conſilia clandeſtina agitare de reddenda illis urbe Roma cum Imperio, profectus eſt Romam A. C. 854: Et ſupplicio ſumto de authoribus hujus conſilii, mutavit Magiſtratus, & pacta vetera, de poteſtate Imperatoris in confirmando Pontifice Romano, renovata, majore ſeveritate aſtrinxit & ſancivit. *Philip. in Chronicis.*

2. LOTHARIUS ex Italia reverſus, quum regno novo Auſtraſiæ, quæ pars erat Franciæ, conſtituendo ſe tradidiſſet, atque eam pro Auſtraſia Lotharingiam à ſuo nomine appellaſſet, ne Italia interim ſine Rege eſſet. *Ludovicum* ſecundum, filium ſuum natu maximum, regem Italiæ conſtituit, atque Imperii ſibi conſortem (patrem avumque imitatus) adjunxit. *Annal. Franc.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

LOTHARIUS in religione orthodoxus fuiſſe ab Hiſtoricis traditur. Pauca acta, quæ ſub eo in Eccleſia contigerunt, ſubjiciemus.

1. GREGORIO IV. Pontifice Romano mortuo, in electione novi Pontificis ſchiſma ortum, & *Iohannes Diaconus* occupavit Lateranum; ſed relictus tandem à turba, deſtitit ab incepto, & electus anno Chriſti 844, die 10 Febr. SERGIUS II, qui ſedit annos 3. & menſ. 2. Profunda, inquit *Anaſtaſius*, nix cecidit electionis die. *Lotharius* Imperator hac Romanorum in electione Pontificis præcipitatione motus, miſit filium *Ludovicum* Romam, & ſimul *Drogonem* Patruum, Epiſcopum Metenſem, qui teſtarentur Pontifici, eum in omnibus Imperatori eſſe ſubjectum, nec abſque ejus conſenſu eligi, aut conſecrari poſſe; & proinde à Romanis, & Pontifice, fidelitatis juramentum exigant. Quo facto, Sergius in Pontificatu eſt confirmatus. Hic *Sergius* nobilis quidem Romanus fuit, ſed deteſtabili nomine appellatus *Os porci*. Itaque nomen mutavit, & SERGIUS II. dici voluit. Id exemplum poſteri ipſius imitati ſunt, licet

licet non æquam mutandi nominis rationem haberent; tamen ſponte multi ea nomina, quæ in baptiſmo acceperant, mutarunt: quem morem hodie Pontifices Romani ſervant. *Sigebert. Martin. Polonus, Platina.*

II. SERGIVS Papa cum ſediſſet annos tres & menſem unum, obiit A. C. 847, die 12 Aprii. Cui ſucceſſit eodem die LEO IV. hujus nominis, patria Romanus. Eum ſine conſenſu Imperatoris Romani conſecrare non auſi ſunt: Ideoque in menſem Iunium conſecratio dilata eſt. *Anaſtaſ.* Hic *Leo Lothario* Imper. ſcripſit in c. 9. diſt. 63. *De capitulis vel præceptis imperialibus veſtris, veſtrorumque Pontificum prædeceſſorum irrefragabiliter cuſtodiendis & conſervandis, quantum valuimus & valemus Chriſto propitio, nunc & in ævum nos conſervaturos modis omnibus profitemur.*

III. LOTHARIO imperante, LEONI IV. *Iohannem Octavum*, qui fœmina fuerit, ſucceſſiſſe, & duobus annis, & menſibus duobus ſediſſe ſcribitur. Hanc fœminam dicunt proprio nomine fuiſſe dictam GILBERTAM, natam ex matre ſcorto, & patre ſacrifico Moguntiæ, mentitamque ſexum maſculinum, cœnobio Fuldenſi nomen dediſſe, indeque ſe cum amatore ſuo ex Germania in Græciam Athenas contuliſſe, ad diſcendas bonas artes & Græcam linguam, indeque, cum ibi egregie in literis profeciſſet, jamque diſputando valeret, Romam veniſſe publice docuiſſe, & tandem, cum omnium benevolentiam ſibi conciliaſſet, ex cleri & plebis ſuffragio, Imperatoris etiam conſenſu, *Papam electam, & Iohannem VIII. nominatam eſſe.* Cum autem hæc GILBERTA (Iohannes Octavus appellata) occulte cum Cardinale quodam ſcortaretur, tandem imprægnata, uteri quidem onus, quantum potuit, celavit. Cum autem ex Vaticano in proceſſione ſolenni Lateranenſem Baſilicam inviſeret, inter Neronis Coloſſum, & Clementis fanum, obortis repente partus doloribus, puerum enixa, & eo loco defuncta eſt. Hæc meretrix Reges inauguravit, Epiſcopos & Abbates ordinavit, & alia Pontificia munera exſecuta eſt annis duobus & menſibus 2. *Marianus Scotus. Sigebert, Platina, Baleus, Radulphus, Volaterranus, Hiſtor. Magdeb. cent. 9. cap. 10. Martini Chronicon. Ph. Bergomas, Chron. Hirſav. & cæter.*

Prodigia.

I. A. C. 847. Ingens *terræmotus* Italiam concuſſit, maxime circa Beneventum: quo Iſernia urbs tota corruit, & ingens multitudo hominum periit, una cum Epiſcopo. *Chron. Caſſ.*

II. Anno C. 851. tanta fuit annonæ caritas & *fames* per totiam Germaniam, ut filii & parentes belluino quodam furore ſeſe mutuo devorarint. *Annal. Fuld. Chron. Funccii fol.* 133. *Vincent. lib.* 25. *cap.* 30.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

LOTHARIVS Imper. A. C. 855. hæreditarium filiorum diſſidium veritus, convocatis Optimatibus, regna ſua inter eos diviſit, ac *Ludovico* natu maximo cum Imperatoris dignitate, dedit regnum Longobardorum, una cum Provincia in Gallia: *Lothario* Lotharingiam, & reliquam partem Galliæ, quam poſſidebat: *Carolo* vero Burgundiam. Et quæ in hac partitione *Ludovico* attributa fuerunt, regnum Orientale: quæ *Carolo*, Occidentale regnum dicta fuerunt: Vt ab Imperio, quod *Lotharius* retinuit, diſcernerentur. Ea vero pars Germaniæ, quæ utrique regno interjecta, utrumque ceu limes dirimeret, à *Lotharii* nomine tum primum *Lotharingiæ* cognomen acquiſivit. *Annal. Fuld, Chron. Philip. Sigonius.*

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Cum hoc modo regna avita *Lotharius* inter filios diviſiſſet, mox attonſa coma, Imperio ſponte depoſito, (non quidem difficultate Imperii victus, ut quidem *Diocletianus* Imper. fecit, privatam qui vitam, Imperio depoſito, eligens, exemplo dictoque ſuo teſtatus eſt, nihil eſſe difficilius bono Principe: ſed conſcientia conſiliorum malorum actus) cœnobium Prumienſe apud Treviros eſt ingreſſus, & Monachus factus: ubi 3 Calend. Octob. A. C. 855 è vivis exceſſit, cum poſt mortem patris Imperio præfuiſſet annis 15. *Annal. Fuld. Chron. Philippi, Chron. Funccii fol.* 132.

AXIOMA.

Nunquam impietas *erga parentes impunita manſit: quos pœna non invenit in hac vita, eos tamen conſcientiæ ſtimulus male agitavit: alii vero pœnam luentes documento fuere hominibus, ſanctum eſſe parentis nomen, & jus obedientiæ erga illos minime violandum.*

Exemplum hoc loco habemus in *Lothario* Imper. qui dolore de patrato in patrem facinore, & ſenſu iræ divinæ, ut pœnitentiam poſſet agere, Monachus factus; quamvis Monachatus legitimum pœnitentiam agendi medium non ſit.

III.

III. ΤΑ' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

1. *Ludovicus* Lotharii Imper. filius natu maximus patri in Imperio ſucceſſit: de quo in hiſtoria ſequenti.

11. *Carolus* non diu poſt patrem ſuperſtes fuit. *Philipp. in Chronico.*

111. *Lotharius*, Rex Lotharingiæ, *Teutbergam* in uxorem duxit, ſororem *Hugoberti* Abbatis, quem ducatui ad montem Juram & Coccias alpes præfecit. Cum vero amore *Waldradæ* flagraret, perſuaſit *Guntharío* Archiepiſcopo Colonienſi, ſe pertæſum conjugis *Teutbergæ*: ſi ab ea ſeparari poſſet, ſe *Guntharii* ſororem uxorem ducturum. Ideo *Guntharius*, aſſumto Trevirenſi Epiſcopo, cauſam divortii finxerunt inceſtum, quaſi *Teutberga* cum fratre ſuo *Hugoberto* inceſtum commiſiſſet; & divortium approbarunt. Inde Synodum indixerunt Aquiſgrani A. C. 862. die 29 Aprilis, ubi *Lothario* permiſſum, ut aliam conjugem duceret, qui repudiata uxore, ſororem Guntharii *Waldradam* ſibi matrimonio junxit. *Teutberga* contra conqueſta eſt de hac re apud Pontificem Romanum: Ideo Legati Pontificis miſſi ſunt in Galliam, qui Synodo adeſſent, & *Waldradæ* cauſam dijudicarent. Quare anno ſequenti Synodus Metenſis celebrata eſt menſe Iunio in præſentia Legatorum Pontificis: ubi *Lotharius* profeſſus eſt, ſe nihil egiſſe, niſi ex præſcripto ſuorum Epiſcoporum. Epiſcopi etiam, quæ *Lotharius* egiſſet, recte facta eſſe aſſeruerunt; idque ſcripto defenderunt. Sed *Papa* improbavit hanc Synodum, & Archiepiſcopos, Colonienſem ac Trevirenſem, ab Epiſcopatu dejecit, & eos excommunicavit; reliquos Epiſcopos in gratiam recepit, cum pœnitentiam egiſſent. Tandem *Papa*, ut *Lotharii* Regis cauſam recte dijudicaret, A. C. 864. omnes Epiſcopos Galliæ Romam convocavit; ſed hi ſibi metuentes à Pontifice, cauſas, cur venire non poſſent, excogitarunt. Anno igitur ſequente *Arſenium* Epiſcopum in Galliam miſit in cauſa Regis *Lotharii*: qui Synodum convocavit, ubi præſens fuit *Lotharius*. Hic diſcutitur cauſa, & *Lotharium* injuſte egiſſe decernitur. Jubet igitur *Lotharium* alterutrum ex duobus eligere, aut recipere *Teutbergam* conjugem, aut *Waldradam* à ſe pellere. *Lotharius* in anguſtiis conſtitutus, *Teutbergam* quidem recepit; ſed non diu eam in matrimonio retinuit, illecebris *Waldradæ* ſeductus. Fratres *Teutbergæ* bellum intulerunt *Lothario*, ſed cæſi ſunt. Tandem *Lotharius* ſui purgandi cauſa Romam venit A. C. 868. menſe Iulio: ubi audita cauſa juravit, ſe, ex quo juſſus fuerat, *Waldradam* rejicere, & *Teutbergam* recipere, cum *Waldrada* commercium non habuiſſe, nec in poſterum habere velle: & ad teſtificandum & probandum factum, ſacra Synaxi uſus eſt, addita horribili exſecratione. Quid fit? Egreſſus urbe *Lotharius* die 8 Auguſti Placentiam venit: ubi hora diei nona peſte correptus eſt, & ſequenti die, hora ſecunda, exſpiravit. *Aulicorum* vero, qui una ſacra cœna uſi fuerant, nullus per dimidium annum in vita manſit. *Regino lib. 2. Sigebert. Cruſius part. 2. l. 2. Annal. Fuld.*

IV. IMPERATOR GERM. LVDOVICVS II.

I. ORTVS.

1. PATER fuit Imper. LOTHARIVS I.

11. MATER dicta fuit HIRMINGARDIS, quæ fuit Comitis Hugonis filia. Ex hiſce parentibus natus eſt Ludovicus anno Chriſti 829.

II. PROGRESSVS.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXOR ejus fuit LVITGARDA Eticonis Welphi filia, qui filius fuit Welphi primi Comitis, ſeu Ducis Sueviæ in Altorf, cujus frater Hinricus ab Imperatore impetravit partem Bavariæ. Ex hac filiam ſuſcepit Ludovicus Hermingardin, quam, ipſo defuncto, *Carolus Calvus* deſpondit Boſoni Duci, viro ſtrenuo, quem & ipſe Italiæ præfecit. Ex hac Hermingarde Boſonis ſuſcepit filium *Ludovicum* Regem Italiæ, quem Berengarius Veronæ excœcavit. *Philip. in Chron. Pantaleon.*

II. *ACTA POLITICA.*

1. *Regni occupatio.*

Supra diximus, quod *Ludovicus* à patre ſucceſſor in Imperio, & Rex Italiæ ſit deſignatus. Ipſe igitur ſtatim, poſtquam pater Imperio ſeſe abdicaverat, & monaſterio ſe incluſerat, (qui non multo tempore poſt vitam cum morte commutavit) Imperium ſuſcepit A. C. 855, & imperavit annos 19. & aliquot menſes.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

1. Hic *Imperator* imperium ſumma cum laude adminiſtravit. Siquidem pietate, comitate, ac be-

neficentia excellebat, ſimplicitatis candidæ amans erat, tum literis etiam apprime eruditus, divinis pariter & humanis, ingenii dexteritate, & conſiliorum celeritate valebat, nec quicquam abſque conſilio & ratione ſumma ſuſcipiebat.

II. Cum hic laudatiſſimus Princeps à patre cum magno exercitu mitteretur in Italiam, SERGIVS Papa adventu ejus territus, obviam ei proceſſit, illum conſueto honore excepit, exque eo quæſivit, cur tam valido exercitu ad urbem Romam accederet, defenſionis, an offenſionis ergo? Tunc *Ludovicus* hoc laudabile reſponſum dedit: *Officium ſe facturum boni Principis, & veſtigia majorum ſuorum ſecuturum. Henricus Mutius lib.* 11. *fol.* 89.

III. LVDOVICVS Imper. pacis ac juſtitiæ fuit amantiſſimus, qui ipſe præſens judiciis præſedit, & magna diligentia jus dicere ſolitus fuit. Ideoque in ſummis Reipublicæ perturbationibus, & à Saracenis, ſedes in Campania habentibus, divina proſperante gratia, tranquillum habuit Imperium.

IV. *Ludovicus* fuit αὐτάρκης, h. e. contentus ſua ſorte, ſe intra fines Imperii Italici continuit, patruis ſuis regna libere relinquens.

V. LOTHARII defuncti, (*Lotharii* I. Imperat.) filii Regis Lotharingiæ, ditiones *Ludovicus* Rex Germaniæ & *Carolus* Rex Franciæ diviſerunt, excluſo fratre Lotharii, *Ludovico II.* nempe Imper. Qui ſane ejus rei cauſa legatos, intercedente etiam Pontifice Romano, ad patruos miſit, ſed nihil æqui bonique obtinuit. Ius enim erat in manibus. Laudatur autem modeſtia *Ludovici Secundi*, quod hanc maximam injuriam æquo animo ferre maluit, quam inteſtinum bellum movere, cum pernicie totius Reipubl. Chriſtianæ; maxime cum Saraceni in Italia fœde graſſarentur.

VI. LVDOVICVS Imper. ſingulare exemplum *Clementiæ* poſteris admirandæ reliquit. *Adalgiſo* commiſerat ducatum Beneventanum. Is novas res molitus, ad Saracenorum Ducem ſe recepit, & tamen *Ludovicus* deprecanti non modo culpam remiſit, ſed etiam priſtinæ dignitati eum reſtituit. Verum *Adalgiſcus* à perfidiæ crimine quieſcere non potuit, & rurſus Imperator ab eo eſt circumventus: de quo ſtatim pluribus dicemus.

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum* contra *Saracenos.*

Varia bella *Ludovicus II.* cum Saracenis geſſit. Nam cum illi Italiam crudeliter vaſtarent, ingentes & validas undique peditatus, equitatuſque copias congregavit, & cum exercitu circa annum Chriſti 866. in Italiam deſcendit: Contra Saracenos fortiter ac feliciter pugnavit, eoſque, fratris ſui CAROLI auxilio, ex agro Beneventano expulit.

II. Contra *Normannos.*

Non tantum Saracenos expulit Italia *Ludovicus* ſed etiam Franciam à Normannorum direptionibus vindicavit, eamque contra eorum irruptiones præſidiis firmavit.

III. Contra *Adalgiſum* ſeditioſum.

Cum *Ludovicus II.* Imp. Saracenos ex agro Beneventano expuliſſet, ejuſque exercitus magna ex parte peſte & aliis morbis eſſet abſumtus, defenſionem Beneventi commendavit *Adalgiſo*, Longobardo, Salerni Principi, qui Imperatore abſente Græcorum promiſſis illectus, deſcivit ad Græcos cum omnibus Samnii, Campaniæ & Lucaniæ oppidis. Hanc perfidiam *Ludovicus* ulturus, cum valido exercitu in Italiam rediit, oppida, quæ defecerant, recepit: Capuam vero, quæ repugnabat, obſidione trium mentium ſpatio ad deditionem, ut & *Adalgiſum* manus dare, & in deditionem venire adegit. Sed aſtute ab eo circumventus eſt Imperator. Nam perſuaſit *Ludovico*, ut milites, ad ſalutandos penates, cum tranquilla eſſent omnia, dimitteret. Quibus dimiſſis *Ludovicum* coëgit jurare, ſe nunquam Beneventi fines intraturum, neque hujus injuriæ vindictam aliquando exacturum. Hanc rem indignam *Ludovicus II.* æquo quidem animo tulit, conſilium tamen Pontificis Romani ſuper ea re quæſivit: qui indicto Concilio, deliberationem, auditis Patrum ſententiis, inſtituit: An, quod metu mortis Imperator perterrefactus juraſſet, ratum habendum eſſet? & quas pœnas *Adalgiſus* luere deberet? In eam omnes ſententiam iverunt, ut, qui hoſtili & perfido animo adverſus Imperatorem egiſſet, hoſtis eſſet Imperii declarandus, & bello in ordinem redigendus. Sacramentum autem non eſſe, quod adverſus Rempubl. ſuſciperetur, nec *Ludovico* obeſſe debere, quod ſalutis conſervandæ cauſa juraſſet. Atque ita Ludovicus ſacramento, quo ſe obſtrinxerat, abſolutus eſt. Ideo *Adalgiſus* in Inſulam Corcyram ſe recepit, ibique delituit, donec ſequentis Pontificis interceſſione in gratiam receptus eſt. *Sigon. lib.* 5. *de Reg. Ital. Regino lib.* 20. *Zonar. Tom.* III. *Philipp. in Chronic.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. LVDOVICVS pius & religioſiſſimus Imperator fuit, & in propaganda vera religione valde ſollicitus. Nam in ea ab incunte ætate fideliter fuit inſti-

institutus; in qua etiam ad extremum usque vitæ halitum constans permansit.

II. LEO IV Imperatori *Ludovico* se subjecit, ab eo petiit judices, & eorum sententiæ se parituram promisit. c. Nos si. caus. 2. q. 7. *Nos si incompetenter aliquid egimus, & subditis justæ legis tramitem non conservavimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio. &c.* Excipit *Bellarm. lib. 2. de R. Pont. cap. 29. resp. 6. Leonem se subjecisse judicio Imperatoris discretivo, non coactivo.* Sed verba intelligenda sunt cum effectu. Quorsum enim Legatos ab Imperatore peteret, si cognitionem duntaxat, non autem definitionem & executionem illi tribueret? Adde, quod verba ista Leonis contrarium manifeste testentur. *Omnia*, inquit, *negotia ita eorum legitimo terminentur examine, quatenus in posterum nihil sit, quod ab eis indiscussum vel indefinitum remaneat.* Ubi discussionem & definitionem conjungit.

Populi conversi.

I. Scytharum sive Russorum classis ad Taurum montem Constantinopolim invasit A. C. 860. Sed tandem re infecta discedere coacta. At vero cum hoc modo multos transfugas & captivos secum abduceret, ex captivis postea religionem Christianam edocti sunt, & paucis post annis Russorum gens baptizata est. *Cedrenus.*

II. A. C. 865. Mirabili occasione Bulgares ad Christi agnitionem pervenerunt. Cum enim soror Principis Bulgariæ captiva detineretur Constantinopoli, erudienda in fide Christiana, doctoribus Ecclesiæ tradita, & baptizata est. Quæ cum ad fratrem suum, Principem Bulgariæ, rediisset, sæpe in colloquiis privatis commendavit fratri Religionem Christianam. Frater vero ipsius (sororis) dicta, tanquam aniles fabulas, contemsit: donec Dominus DEUS ejus ditionem graviter peste & flamma affligeret. Quibus malis, cum nullum remedium humanum inveniretur, tandem Princeps ille ad Christum (quem antea contemserat) confugit precibus: cumque levamen malorum sentiret, ad Christum conversus & baptizatus est. Vehementer autem illi restiterunt Sacerdotes & Magistri Religionis Ethnicæ, & vulgi seditionem adversus Principem Bulgarorum concitarunt. Princeps autem ille, auxilio DEI munitus, hostium impetus sustinet: iisque cæsis, victoriam reportat: & suis persuadet, ut Christi fidem recipiant. *Zonar. tom. 3. Vincent. Spec. cap. 38. Cent. 9. cap. 2.*

III. CAGANUS Hunnorum & Avarium Rex, infelici bello cum Bavaris implicitus, cum Bojorum copiis imparem se videret, deditionem cum suis facere coactus est: & institutus in religione Christiana, baptizatus, Theodorique nomen consecutus est. *Aventinus, Histor. Magdeburg. cent. 3. cap. 2.*

III. *EGRESSUS.*

Cum *Ludovicus* imperium bene, & summa cum laude annos 19, & menses 10 administrasset, nullo hærede masculo relicto, Mediolani diem suum obiit A. C. 875, & in æde Ambrosiana cum ingenti hominum luctu sepultus est. *Onuphr. Frising. Chron. Philippi.*

Prodigia.

I. A. C. 859. *sævissima hyems* fuit, adeo ut mare Adriaticum glacie concresceret, & pedibus Venetiis ingredi liceret. *Annales Fuld.*

II. A. C. 860, die 23 Maji in festo Ascensionis Christi terræ motus Constantinopolin ita afflixit, ut muri dejicerentur. *Cedrenus.*

III. A. C. 873. *Locustæ* Gallias depopulatæ sunt. Deformes fuerunt adspectu, sena alarum regimina habuerunt, pedes sex, dentes lapide duriores, ore lato, intestino distento: Duces suos præmittebant, loca visuros & metaturos venienti multitudini. Hæ unius diei & noctis spatio omnia viridia in herbis & arboribus vastarunt; cum pervenissent ad Britannicum mare, vento demersæ sunt. *Aimoin. Annal. Fuld. Chron. Funcii.*

IV. Paulo ante mortem *Ludovici Cometa* exarsit, quem omnes cum admiratione adspexerunt, & in Italia A. C. 874 *sanguine* de cœlo pluit. *Pantaleon. Chron. Funcii fol. 134.*

V. IMPERATOR GERM.
CAROLUS II,
Cognomento
CALVUS.

CAPUT I.
DE ORTU.

I. *Generatio.*

I. PATER fuit LUDOVICUS I, cognomento PIUS.

II. MATER fuit JUDITHA, posterior *Ludovici Pii* conjux; sicut in historia ipsius diximus.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN fuit CAROLUS.

II. COGNOMEN fuit CALVUS, à capitis calvitie sic dictus.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

1. UXORES. Duas habuit uxores.

PRIOR dicta HERMINTRVDIS: ſed unde fuerit oriunda, nulla ab Hiſtoricis ſit mentio.

POSTERIOR (quam aliqui priorem fuiſſe tradunt) fuit RICHILDIS, ſoror *Boſonis*, cui Carolus Calvus Hermingardin *Ludovici ſecundi* Imp. defuncti filiam in matrimonium collocavit, ac Provincia donatum Regem appellavit.

II. LIBERI.

I. Ex uxore *Hermintrude* quatuor ſuſcepit filios, quorum nomina hæc fuiſſe ab Hiſtoricis traduntur:

1. LVDOVICVS III, cognomento *Balbus*, qui titulum Imperatoris conſecutus eſt, opera & ſtudio *Joannis* Pontificis Romani: de quo in ſequenti hiſtoria dicturi ſumus.

2. LOTHARIVS, quem immatura mors præripuit, neque virtutibus neque vitiis nobilem.

3. CAROLVS, qui jam Rex Aquitaniæ erat deſtinatus. Sed hunc ferocem juvenem Albinus athleta in lucta humi proſtratum, ignarus quiſnam eſſet, ita afflixit, perfracto dorſo, ut mox exſpirarit.

4. CAROLOMANNVS. Huic pater ſacris initiato, ſacerdotiiſque locupletato, conjurationem in ſe facere conanti, ſacrorum gradu dejecto, veniam impertivit: jactantemque mox, ſe propterea ſacris amotum ut regni potens eſſet, tandem oculis privavit, & in vincula conjecit.

II. Ex uxore RICHILDE duos ſuſcepit liberos, qui non diu in vivis ſuperſtites fuere. Tradunt etiam Hiſtorici, *Carolum Calvum* quoque filiam habuiſſe nomine JVDITHAM: ſed an eam ex *Hermintrude*, an vero ex *Richilde* ſuſceperit, non exacte annotatum eſt. Hanc filiam *Carolus* II. Edelulfo Anglorum Regi nuptum dederat. Eam, mortuo marito, ad patrem revertentem *Balduinus* Arduennæ ſaltuarius intercepit, excellentiſque ac nobiliſſimæ formæ amore captus, & ipſe pulcherrimus, nec ignobilis, volentem an invitam, certe non conſulto CALVO, toro ſibi junxit. *Annal. Franc. Sigon. de reg. Ital. Chron. Philipp. Regino lib. 2. Sigebert.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Violenter & doloſe CALVVS imperium occupavit. Ludovico enim ſecundo ſine maſculo hærede defuncto, quam primum de Imperatoris Germanici fratris ſui obitu cognoviſſet, exercitu comparato tranſiit in Italiam, ut imperium Germanis ereptum transferret ad Francos. Qua re animadverſa, *Ludovicus* Germanicus, ne ſibi quoque defuiſſe videretur, *Carolum*, poſtea *Craſſum* dictum, & *Carolomannum*, filios ſuos, magno cum exercitu miſit, ut Italiæ aditu eum prohiberent: quibus *Carolus Calvus* obviam profectus humaniter eos excepit, plurimos theſauros ipſis obtulit, promiſitque ſe nihil amplius tentaturum, ſed omnia *Ludovici* judicio permiſſurum: atque ita filios *Ludovici* Regis Germaniæ eluſit: qui ad patrem redierunt. *Carolus Calvus* ergo Italiæ populos in ſua verba jurare fecit, Romamque progreſſus menſe Decembri, in Natalitiis Chriſti Imperator proclamatus eſt. *Sigon. lib. 5. de reg. Ital. Chron. Philippi.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

Nihil memoratu dignum tum in regno, tum in imperio geſſit *Carolus Calvus*. Ac avarus, crudelis, & ambitioſus, ſuperbus, & minax potius, quam fortis fuiſſe dicitur. Sequuntur igitur in ordine, 1. *Acta Sagata.* 2. *Acta Eccleſiaſtica.*

1. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum* contra *Britones.*

1. Cum *Britones* Ligerim tranſirent, & Francorum fines crudeliſſime ferro & igne vaſtarent, CAROLVS, ut eos compeſceret, magnum exercitum contraxit, & in ipſam Britanniam movit: ſed turpiſſime continuo biduo victus, & tertio die clam caſtris egreſſus, fuga ſalutem quæſivit. Britones, ſpoliatis caſtris, multa præda ditati ſunt. *Regino.*

II. CAROLVS (tunc temporis Rex Galliæ) cum Britones compeſcere non poſſet, ut eorum incurſiones coërceret, ROBERTVM Saxoniæ Principem, de regno Galliæ bene meritum, fecit Ducem regionum inter Ligerim & Sequanam: qui induſtria ſua illas terras feliciter defendit. *Idem.*

II. Contra *Pipinum* & *Carolum* Reges Aquitaniæ.

1. CAROLVS cum Aquitaniam ejuſque partem occupare conaretur, PIPINVS, etſi adoleſcens, fortiter ipſum repulit, & acie vicit: in quo prælio multi Abbates & nobiles ex parte Caroli ceciderunt. *Annal. Fuld.*

II. Tandem *Carolus* patrueles ſuos Reges Aquitaniæ Pipinum & Carolum, quod totum Galliæ regnum turbarent, per Duces ſuos cepit, & detonſos monaſterio inclusit; Pipinum Sueſſione, & Ca-

ro-

rolum Corbeiæ; & Aquitanos invitos ſibi ſubjecit *Annal. Fuld.*

III. Contra *Normannos.*

1. Ann. C. 845. NORMANNI in Galliæ regnum impetum fecerunt, & per Sequanam fluvium uſque ad Pariſios graſſati ſunt. CAROLUS Rex viribus impar, & à militibus imparatus, multa pecunia pacem redemit: qua re non tam averſa eſt Normannorum avaritia, quam allecta, cum viderent Regem & ſubditos imbelles, & regiones illas affluentes opibus. Jam averſi in Friſiam abeunt, & Hamburgum deſtruunt, & multum damni vicinis regionibus inferunt. *Annal. Fuld.*

II. A. C. 850. *Normanni* Duce Godefrido regnum Caroli iterum deprædantur, & Lutetiam uſque adſcendunt. *Carolus* Rex, impar tantis hoſtibus, petit à Lothario fratre auxilia; quæ cum morarentur, ſibi ipſi conſulit, & Normannos iſtos in regnum recipit, quæ regio poſtea Normannia dicta eſt. *Ibid.*

III. *Normanni* tandem A. C. 854, cum Galliam 20 fere annis vaſtaſſent, inteſtinis diſcordiis in Daniam revocati à ſuis, *Gallias* relinquunt: ubi ſe reliquorum diſſenſionibus immiſcentes, adeo ſeſe invicem attriverunt, ut de regia ſtirpe vix unicus puer ſuperſtes eſſet. *Ibidem.*

IV. A. C. 867. Normanni iterum in Gallias irruperunt, & fines Nannetum, Turonum, Pictonum populati ſunt. Quibus Dux Aquitaniæ Ranulphus, & Robertus fortiſſimus Procerum, Comes Andium, à proceribus Saxonum oriundus, Saxonum etiam à *Calvo* mercede conductorum auxiliis ſubnixus, obviam venerunt. Ejus virtus, nobilitaſque, & præclara facinora parum profuere. Collatis ſignis in prima acie pugnantes occubuere, cæteri amiſſis Ducibus ad internecionem deleti. Andegavum victores hoſtes occuparunt. Britannorum rex Salomon (qui patri Heriſpero ſucceſſerat) Francis Andegavumque obſidentibus auxilium contra hoſtes tulit. Clauſi dederunt *Calvo* ex præda ingentem vim auri: atque ita fide accepta, diſceſſere. Abeuntibus etiam forum rerum venalium datum, majora Francorum Rege animo concipiente. *Regino. Annal. Franc.*

V. A. C. 876, Rollo Danus cum Normannis ſuis in Galliam irruit, die 17 Novemb. & *Carolum* Imper. in tantas anguſtias redegit, ut ipſi Normanniam concederet, cum urbibus Rothomago & aliis. Hic Rollo poſtea baptizatus eſt, & *Robertus* appellatus. Ab hoc deſcendunt Reges Angliæ hodierni, ut *Rogerius* ſcribit.

IV. *Bellum* contra *Patrueles.*

A. C. 876. *Caroli* Imper. frater Ludovicus Rex Germaniæ vitam cum morte commutavit. *Carolus*, audita fratris morte, ut, excluſis filiis ejus, regnum Germanicum occuparet, primum Aquiſgranum occupavit. Ludovicus patruelis, qui ex tribus fratribus medius erat, & periculo proximus, deprecatus eſt Carolum ne pergeret, pacemque petivit. Callide Carolus, ſuſpendens reſponſionem de pace, ſtruebat inſidias Ludovico, quibus incautum opprimeret. Sed cum inſidiis proditis Ludovicus periculum cognoviſſet, cum eo congreſſus ad Andernacum, exigua militum manu magnum Caroli exercitum vicit, fugavit, & in caſtris *Caroli* omni ejus theſauro potitus eſt: fugientem inſecutus per Lotharingiam deſertam à Francis, recuperavit amiſſa. Ita pœnas dedit *Carolus* & injuſtæ avaritiæ atque ambitionis, & moti belli non neceſſarii. Dimicatum eſt inter eos 7 Octobris, anno, ut ſupra. Richildis uxor Caroli, quæ ſecuta erat maritum ad bellum, in fuga ex terrore peperit. Paulo poſt prælium advenerunt & reliqui fratres, qui gratulati ſunt fratri ob victoriam, & amicitiam fidelitatemque invicem contra hoſtes jurarunt. Statim *Carolomannus*, aſſumto fratre *Carolo*, cum exercitu Italiam invaſit; cui Imperator occurſurus, ad Veronam oppreſſus, & in fugam conjectus, ægre evaſit. *Annal. Fuld. Aimoin. Chron. Philippi.*

II. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. *Carolus Calvus* in religione orthodoxus, Princeps literarum amantiſſimus, & fautor eruditorum fuiſſe traditur.

II. *Carolus* Arabum libros curavit in linguam latinam transferri. *Aimoin.*

III. A. C. 845, in Gallia convocavit Synodum, in qua deliberatum eſt de Epiſcopo Rhemenſi ordinando, qui Epiſcopatus poſt depoſitum Ebbonem decennio vacaverat: & tandem electus eſt HINCMARUS, vir eruditus, & Carolo familiaris. *Froſſard.*

IV. A. C. 853. *Carolus* Sueſſione in Gallia Synodum celebrari juſſit, ubi multi convenerunt Epiſcopi. In hoc Concilio Carolus decrevit, ut legati mitterentur, qui inſpicerent res Eccleſiaſticas, & juberent inſtaurari loca ſacra, & cœnobia à Normannis everſa. *Tomi Concil.*

V. A. C. 855. Synodus celebrata Valentina à *Caroli Calvo*, in qua *Godeſcalci* Scoti errores de prædeſtinatione damnati ſunt, & prohibitæ monomachiæ, veritatis inquirendæ cauſa inter Francos olim inſtitutæ. *Tomi Concil.*

VI. A.C. 874. Normanni Andegavenſem urbem occupant, ſedeſque ibi figunt, & inde reliquam Galliam vaſtant. *Carolus* urbem diu obſedit; ſed tandem ſumta à Normannis pecunia obſidionem ſolvit, & ut Normanni religionem Chriſtianam diſcerent, perſuadet. *Aimoin.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

SUpra diximus, quod *Carolus Calvus* bellum moverit contra patrueles, ſed infeliciter pugnaverit. Cum igitur poſt cladem acceptam ad colloquium Pontificis, Ticini habitum, veniſſet, *Carolomannus* patruelis, ductis in Italiam copiis, illud perturbavit. Et *Carolus* haud confidens Italis, cum per Alpes regredi vellet in Galliam, repentina febris illum invaſit. Qua re permotus, SEDECHIAM Judæum, medicum (quem mire diligebat, cuique nimium fidei habebat) ſibi adhibuit, atque ex ejus ſententia præſentis remedii gratia pulverem quendam veneno infectum hauſit, & inde Cinifium montem adſcendere cœpit. Ubi vero locum, qui Brior dicitur, venit, ingraveſcente morbi magnitudine, & veneni ſævitie conflictatus, conjugem *Richildem*, quæ apud Mauriennam erat, accivit, atque in ejus complexu poſt undecimum diem, quo venenum hauſerat, die 6 Octobr. anno C. 877, animam efflavit, cum poſt parentem regnaſſet annos 37, imperaſſet annos duos. *Sigon. de reg. Ital. Onuphr. Contract. Regin. Marian. Schaff.*

USVS.

Cavendi ſunt *Judæi*. Quia ſunt Chriſtianorum hoſtes infenſiſſimi. Et mirum, quod cum talis perfidiæ Judaicæ aliquot exſtent exempla, nihilominus non modo homines plebeii, ſed etiam Principes & Reges Judæis (odio Chriſti & Chriſtianorum flagrantibus) vitam ſuam credant.

APPENDIX de LUDOVICO REGE GERMANIÆ.

QUia LVDOVICVS Rex Germaniæ LOTHARIO I. LVDOVICO II. & CAROLO CALVO Impp. fuit σύγχρονος, & multas res notatu digniſſimas geſſit, nos in unum quaſi faſciculum ejus hiſtoriam (quam alii Hiſtorici ſparſim tractant) redigemus, ut ἐκ τοῦ συνόψεως ejus res geſtæ cognoſci poſſint.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. PATER fuit LVDOVICVS I. Imper. cognomento PIVS.

II. MATER fuit IRMINGARDIS, filia *Ingrami* Ducis Saxoniæ, quæ fuit prior *Ludovici Pii* conjunx, & mortua eſt A.C. 818, die 3 Octobris.

Fratres *Ludovici* fuere, (nempe ex *Irmingarde*, nam *Ludovicus Pius* ſtatim ſequenti poſt ejus diſceſſum anno, ſibi matrimonio junxit JVDITHAM, ex qua natus *Carolus Calvus*) LOTHARIVS & PIPINVS, quorum ille fuit natu minimus.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXOR ejus dicta fuit HEMMA, natione Hiſpana, ex qua ſuſcepit filios tres; I. CAROLOMANNVM, 2. LVDOVICVM, 3. CAROLVM cognomento CRASSVM, qui poſtea Imperator factus, & unicam filiam, nomine LVDGARDAM, quæ vitam cœlibem egit in monaſterio virginum ad Chiminum lacum Noricorum. *Chron. Philippi.*

II. *ACTA POLITICA.*

1. *Regni occupatio.*

1. *Pater* cum fecit *Regem Bavariæ* anno Chriſti 817.

2. Cum *Lotharius* poſt mortem parentis occupato imperio jure ſucceſſionis & nominationis omnia ſolus ſibi vendicaret, & reliquos fratres eo adigere vellet, ut *Ludovicus* Bavaria, *Carolus* Aquitania, beneficio ſuo & conceſſione contenti, à reliquo imperio abſtinerent, ſibique tanquam Imperatori parerent: Fratres indigne ferentes, ſe à juſta hæreditate excludi, conjunctis armis bellum *Lothario* intulerunt, illumque duobus prœliis (uti ſupra dictum) vicerunt & profligarunt. Quare *Lotharius* bello fractus, pacis conditiones cum fratribus inire, regnumque cum iis æquali parte ſortiri coactus eſt. In illa diviſione *Ludovico* Germania (unde *Germanicus* dictus) ceſſit, cui annos circiter 33 præfuit.

II. *Re-*

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

I. LVDOVICVS Rex Germaniæ Erfurdiæ conventum habuit A. C. 851. in quo conſtituit, ne præfectus in ſua ipſius præfectura alterutri parti litigantium patrocinetur. *Annal. Fuld.*

II. Cum *Lotharius* Rex Lotharingiæ LOTHARII I. Imp. filius diem ſuum obiiſſet, *Carolus Calvus* morte *Lotharii* audita, hæreditatem ejus invaſit. Sed Ludovicus ſtatim de occupata Lotharingia Legatos ad *Carolum* fratrem miſit. *Carolus* qui tum potentiam fratris *Ludovici* metuebat, partem Lotharingiæ *Ludovico* permiſit. Quam ob cauſam convenerunt Flandersheimii in Belgio, regnumque Lotharingiæ inter ſe diviſerunt, & *Ludovico* acceſſit Trevirum, Vtrechtum, Strasburgum, Metis, &c. *Carolo* vero acceſſit Lugdunum & Friſiæ tertia pars. *Annal. Fuld. Conſt. Imper.*

III. LVDOVICVS *Carolomanno* filio primogenito propter induſtriam quædam ſeorſim tribuerat, ideo *Ludovicus* & *Carolus* fratres patri rebellant. Pater vero omni arte eos fovet, ne regnum inteſtinis diſcordiis labefactaretur. Ipſis igitur etiam quædam munuſcula tribuit. Biennium fere poſt Ludovicus Rex comitia agit Francofurti A. C. 873. die 26 Januarii: ibi *Carolus* minimus filius, cum ſtruxiſſet parenti inſidias, mente movetur, & adeo inſanire incipit, ut vix à ſex validis militibus teneri poſſet. Sanitati poſtea reſtitutus confeſſus eſt, quid conatus fuiſſet: hortatuſque eſt fratres, ne unquam tale quid in parentem audeant. *Annal. Fuld.*

II. Cum LVDOVICVS II, *Lotharii* primi Imp. filius, Imperii gubernacula ſuſcepiſſet, *Ludovicus* Rex Germaniæ coram Legatis Pontificis reſtituit ei Lotharingiæ partem, quæ ſibi obvenerat, & juſſit ſubditos ipſi (*Ludovico II.* Imp.) jurare fidelitatem. *Aimoin.*

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum* contra *Parentem.*

Supra in hiſtoria *Ludovici Pii* diximus, quod ille, poſtquam Imperio reſtitutus, regnum inter filios diviſerit, & quidem huic *Ludovico* Bavariam, reliquum regnum in duas partes diviſum *Lothario* & *Carolo* cog. *Calvo*, filiis, tradiderit. LVDOVICVS igitur cum pati non poſſet, ſuum regnum adeo angustis limitibus à parente definitum, cum CAROLVS (qui tamen minimus fratrum erat) ſibi præferretur, & in ampliſſimum regnum eſſet collocatus, exercitum comparavit, & quæ cis Rhenum ſunt, ſuo regno ſubjicere conatus eſt. Parens vero de his certior factus, exercitum in Thuringiam eduxit, & LVDOVICVM filium prælio victum fugavit, & non diu poſt vitam cum morte commutavit.

II. Contra *Vandalos.*

A. C. 844. LVDOVICVS Rex Germaniæ Abodritos Vandalos rebellantes vicit, Regem novum occidit, & totam regionem ſibi ſubjecit. Cum vero multis annis elapſis Vandali iterum ſe Regi *Ludovico* opponerent, Rex eorum vires adeo attrivit, ut omiſſo bello poſtea longo tempore paci ſtuduerint. *Annal. Fuld.*

III. Contra *Sorabos.*

Cum *Sorabi* A. C. 851. tumultuarentur, & Francorum finibus eſſent moleſti, *Ludovicus* Rex per Thuringiam in fines eorum cum exercitu profectus, multis eos damnis affecit, & fame magis quam ferro domavit. Et poſtea contra eos continenter bella geſſit Ludovicus, ſemperque felici victoria uſus eſt. *Ibid.*

IV. Contra *Bohemos.*

I. Anno C. 848. Ludovicus Rex contra Bohemos profectus eſt: quo bello ita eos afflixit, ut legatos de pace mitterent. *Annal. Fuldenſes.*

II. Cum Bohemi non multo poſt iterum tumultuarentur, Ludovicus Rex contra eos cum exercitu profectus A. C. 856, illos in deditionem accepit. *Ibidem.*

III. A. C. 872. *Ludovicus* Bohemis bellum intulit quatuor exercitibus. Sed primus exercitus, quod de Duce creando diſſentiret, fuſus fugatuſque eſt. Alter vero exercitus cladem regerit; & reliqui etiam exercitus rem ex ſententia geſſerunt. Cumque, non longo tempore interjecto, Bohemi Regi rurſus ſe opponerent, adeo vires eorum attrivit, ut poſtea diu pacem coluerint. *Annal. Fuld.*

V. Contra *Sclavos.*

I. A. C. 855. *Ludovicus* Rex contra Sclavos exercitum eduxit: & quidem Duces eorundem, cum ſe munitionibus tenerent, aggreſſus non eſt; magnas tamen ubique prædas egit, & in regnum rediit: Sclavi hiſce cladibus irritati, Danubium tranſgreſſi, cladem, quantum potuerunt, regerunt. *Annal. Fuld.*

II. A. C.

II. Anno Chriſti 858. Ludovicus Rex filium Carolomannum cum exercitu contra Sclavos miſit: qui cum feliciter rem geſſiſſet, domum rediit. *Ibid.*

III. A. C. 864. Ludovicus Rex iterum contra Sclavos profectus, ultra Danubium exercitum duxit, Regemque eorum *Raſticen* in eas anguſtias adegit, ut obſides daret: inde Ludovicus in Germaniam reverſus eſt. *Ibid.*

IV. A. C. 869. Sclavi Bavariam vaſtant multipliciter: quibus Ludovicus opponit præſidia: At illi inde deflectentes cum Sorabis Thuringiam aggrediuntur. Ludovicus igitur filium Carolomannum contra eos miſit, qui exercitu Sclavos invaſit, felici ſucceſſu contra eos pugnavit, ſpoliiſque dives cum exercitu reverſus eſt. *Aimoin.*

V. A. C. 870. *Carolomannus* iterum contra Sclavos perrexit, *Zuendeboldum* nepotem Raſtici Sclavi in deditionem accepit, eumque carceri inclusit. Sequenti tamen anno datis obſidibus in regnum remiſit. *Zuendeboldus* vero cum in regnum rediiſſet, fide rupta, ut ignominiam carceris ulciſceretur, exercitum *Carolomanni* ſecurum & inopinantem invaſit; Duces cepit, & milites fere omnes ad internecionem ceccidit. *Carolomannus*, ut ſuos liberaret, omnes Sclavorum obſides reddere coactus eſt. *Annal. Fuld.*

VI. A. C 874. *Sclavi* iterum *Ludovico* Regi bellum moverunt: quibus *Ludovicus* occurrens ingenti prælio eos fudit, eorumque vires adeo attrivit, ut longo tempore paci ſtuduerint. *Ibidem.*

VI. Contra *Carolum fratrem.*

Defuncto Ludovico II. Imp. contentio exorta inter Ludovicum Germanicum & Carolum Calvum de regno Italiæ occupando: ea ſpe tamen, ut qui armis Italiam occupaſſet, ea potiretur. Itaque *Carolus Calvus* Rex Franciæ, itineribus quam potuit celerrimis, copias ſuas in Italiam ducit, ne ſcilicet inutili cunctatione agendi tempora conſultando conſumeret. Contra *Ludovicus* Germanicus, ſerius de hiſce rebus certior factus, *Carolum*, poſtea *Craſſum* dictum, & *Carolomannum*, filios ſuos, magno cum exercitu ad intercludendum ei iter miſit. Sed hi blando à *Carolo* perſuaſi ſermone exercitum dimiſerunt, & ad patrem redierunt. *Ludovicus* igitur Rex, cum filii ita eſſent decepti, exercitu ingenti collecto Galliam invaſit, eamque ſibi ſubjecit. *Hincmarus* contra Epiſcopus Rhemenſis omnes Epiſcopos Galliæ exhortatus eſt, ut eſſent Carolo fideles. Nihilominus tamen magnam partem Galliæ *Ludovicus* occupavit. Verum cum poſtea à ſtatibus regni Gallici exoraretur, ut ſibi parceret, nec ſtultitiam fratris in ſubditis ulciſceretur, Ludovicus ex Gallia receſſit, & paucos poſt menſes diem ſuum obiit. *Aimoin.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. LVDOVICVS pius & religioſiſſimus Rex fuit, & veram religionem propagare ſummopere ſtuduit.

II. Sclavi à Ludovico Germaniæ Rege ad religionem Chriſtianam converſi ſunt A. C. 862, per Cyrillum & Merodium, qui Eccleſiarum Epiſcopatum erexerunt in oppido Vilegradenſi. Vnde vocati à Romano Pontifice, & correpti, cur ſacra celebrarent lingua Sclavonica, reſponderunt: Quia ſcriptum eſt: *Omnis Spiritus laudet Dominum.* Pſal. 150. v. ult. *Belcus. Chron. Funccii fol.* 134.

Vſus Elencticus.

Hinc patet graviſſime errare Pontificios, qui ſacra in lingua latina Laicis ignota peragunt, in lingua latina cantant, baptiſmum adminiſtrant, &c. Nam ſi omnis ſpiritus laudare debet Dominum, ergo in LINGVA SVA, h. e. *idiomate ſibi nativo* & proprio. Quia in lingua ignota nemo DEVM recte laudare poteſt. Alias namque daret ſine mente ſonum. Et ſimilis eſſet *æri ſonanti & cymbalo tinnienti.* uti *D. Paulus* ait 1 *Cor.* 13. Huc pertinet elegans locus ex Epiſt. 1. ad Cor. c. 14. v. 8. *Si incertam vocem tuba dederit, quis apparabitur ad bellum?* v. 9. *Sic & vos, per linguam niſi ſignificantem ſermonem dederitis, quomodo intelligetur, quod dicitur? Eritis enim in aërem loquentes.* v. 11. *Si neſciero vim vocis, ero ei, qui loquitur, barbarus: & qui loquitur, apud me barbarus.* v. 16. *Si benedixeris ſpiritu, is qui implet locum indocti, quomodo dicturus eſt Amen ad tuam gratiarum actionem? Quandoquidem quid dicas, neſcit.*

III. A. C. 866. *Bulgari* legatum miſerunt ad *Ludovicum* Regem Germaniæ de concionatoribus mittendis ad propagandam religionem Chriſtianam in Bulgaria: Ideo *Ludovicus* ſequenti anno in Bulgariam concionatores miſit; ſed ibi tum invenerunt Epiſcopos à Pontifice miſſos, ideo hi in Germaniam redierunt. *Annal. Fuld.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

ANno Chriſti 875, die 6 Iunii, *Cometa* apparuit, plus juſto ſcintillans, & longas comas projiciens, qui mortem Ludovici prætendiſſe videtur.

II. TA'

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Supra diximus, *Ludovicum* expeditionem ſuſcepiſſe in Galliam: Inde autem reverſus diem ſuum obiit Francofurti ad Mœnum, A. C. 876, die 28 Auguſti, anno ætatis 76, cum regnaſſet poſt patrem ann. 36. & 2. menſ. *Annal. Fuld. Philip. in Chron.*

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

I. *Sepultura.* LVDOVICVS Rex Laureaci in agro Vangionum à filio Ludovico ſepultus eſt. *Ibidem.*

II. *Filiorum in Imperio ſucceſſio.* Succeſſerunt in Imperio filii tres: *Carolomannus*, qui obtinuit Bavariam, Bohemiam, Moraviam, Auſtriam, Carinthiam: *Ludovicus*, qui obtinuit Belgium, Haſſiam, Saxoniam totam, Thuringiam, Sorabos: *Carolus Craſſus*, qui habuit Sueviam, Alſatiam, Lotharingiam. Jam quoque paucis ſubjungemus, quamdiu hi tres fratres poſt parentem regnaverint.

1. CAROLOMANNVS Anno C. 879. paralyſi correptus eſt, & uſum loquendi amiſit. Quapropter ipſe regnum ita depoſuit, ut *Carolo* fratri Italiam, & Imperium traderet; *Ludovico* vero alteri fratri Bavariam, & *Arnulpho* filio Auſtriam, & Carinthiam. Et cum per totum annum paralyticus jacuiſſet, mortuus eſt A. C. 880, die 22 Martii, cum regnaſſet annos tantum tres. *Annal. Fuld. Chron. Philippi.*

2. LVDOVICVS conjugem habuit LVDGARDAM, ex qua ſuſcepit filium *Hugonem*, qui cum pater Ludovicus A. C. 880, menſe Martio, Normannos ad Schaldim fluvium vinceret, 5000 occiſis, in eo prælio cecidit. Deceſſit autem *Ludovicus* A. C. 882, duodecimo Calend. Febr. cum triduo ante Cometa cum prolixa cauda exarſiſſet. Sepultus eſt Laureaci prope patrem, cum regnaſſet annos 6. *Sigebert. Philip. in Chron.*

3. Ad tertium *Ludovici* Germanici filium *Carolum* cognomento *Craſſum* poſt *Ludovicum Balbum* tandem Imperium pervenit; de quo infra pluribus dicturi ſumus.

VI. IMPERATOR GERM.
LVDOVICVS III. BALBVS.

CAPVT I.
DE ORTV.

Generatio.

I. PATER fuit CAROLVS CALVUS, Rex Galliæ, poſtea Imperator.

II. MATER fuit HERMINTRVDA.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN fuit LVDOVICVS, hujus nominis *tertius*.

II. *Cognomento* dictus fuit BALBVS, quod linguæ impeditioris & tardioris eſſet. *Cuſpinianus.*

CAPVT II.
DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXORES *habuit duas.*

PRIOR fuit ANSGARDA nobilis fœmina, ex qua duos ſuſcepit filios, LVDOVICVM & CAROLOMANNVM. Quia vero hanc inſcio patre matrimonio ſibi junxerat, tandem eam repudiare, & inſuper juramento confirmare à patre coactus eſt, quod eam nunquam in thalamum reducturus eſſet; uti teſtatur *Regino lib.* 2.

Poſterior dicta fuit ADELHEIDA, quam pater *Carolus Calvus* poſt repudiatam *Anigardam* illi deſpondit. Hanc Ludovicus, cum deceſſit, gravidam reliquit: quæ paulo poſt enixa peperit CAROLVM cognomento *Simplicem*, Regem Franciæ. *Philip. in Chron.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Ludovicus Balbus opera & ſtudio *Ioannis* Pontif. Romani titulum Imperii conſecutus eſt. Mortuo enim *Carolo Calvo*, & proceribus Romanis ad *Carolum* cognomento *Craſſum*, qui cum fratre *Carolomanno* Italiam receperat, inclinantibus, Pontifice *Ioanne* refragante, qui magis favebat Francis, Pontifex per ſeditionem captus eſt: Sed amicorum opera liberatus profugit in Franciam ad *Ludovicum* Regem: à quo cum eſſet humaniter exceptus, viciſſim eum Imperatoris titulo remuneratus eſt, A. C. 878. menſe Septembri, ſolenni jurejurando adactum, ſe Eccleſiam, dum viveret, ab hoſtium & maxime infidelium oppreſſionibus defenſurum. *Sigon. lib. de reg. Ital. Egnatius. Chron. Funccii fol.* 275. *Chron. Philippi.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

Quia dignitas arte confecta *Balbo* non fuit diuturna, (quippe tantum annum unum, & paucos menſes Imperio præfuit,) pauca ſunt, quæ in Imperio memoratu digna geſſit. *Celebratur* tamen ſimplicitatis, juſtitiæ, moderationis ac pietatis nomine

mine. Paci quoque ſic ſtuduit, ut ea nihil haberet prius aut potius. Idcirco patrueles ſuos *Ludovicum & Carolum Craſſum* ſibi conciliavit, & conveniens cum Ludovico apud Murſam A. C. 878. Calend. Novemb. pacem cum eis ita firmavit: *Sicut inter patrem meum* Carolum, *& patrem veſtrum* Ludovicum *regnum* Lotharii *diviſum fuit, volumus ut ita ratum ſit. De regno vero quod* Ludovicus *Imper. in Italia habuit, quia nondum ejus aliqua diviſio inita eſt, quocunque modo illud tenet, ita teneat, donec convenienter ex communi amicorum conſilio, quod æquius melius ve fuerit viſum, ſtatuamus. Interim amicitiam inter nos colamus, & contra Normannos* (qui tum incurſiones in Germaniam faciebant) *alter alteri ſit auxilio.* Aimoin. Sigon. lib. 5. de reg. Ital.

CAP. III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

1. ANte mortem *Ludovici Eclipſis Solis* accidit A. C. 878. die 29 Octob. hora diei nona, quæ tanta fuit, ut ſtellæ apparuerint. *Regino lib. 2. Sigebert. Caſtritius lib. 1. cap. 54.*

11. *Laudabile* fuit inſtitutum *Ludovici Balbi* Imper., quod paulo ante mortem, ut occaſionem diſcordiæ inter filios præcaveret, legatos cum corona, enſe & reliquo ornatu regio ad *Ludovicum* filium in Galliam miſerit, eumque Regem Franciæ creari juſſerit. *Sigonius.*

111. Cum *Ludovicus* in morbum lethalem incidiſſet, ac is quotidie ingraveſceret (veneno enim infectus dicebatur) & uxor *Adelheida* gravida eſſet, ſpe ventris tutorem reliquit *Odonem*, *Roberti* Andegavenſium Ducis filium. *P. Æmyl.*

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

LUDOVICUS hæc cum peregiſſet, & adornaret expeditionem contra *Bernhardum*, Marchionem Italiæ, *Compendii* A. C. 879. 10 Aprilis, in Paraſceve veſperi diem ſuum obiit, cum imperaſſet annum 1. menſ. 6. dies 5. *Chron. Philip. Schaff. Contract. Vrſp.*

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

1. Poſt multas Procerum diſſenſiones, varioſque tumultus, *Ludovicus & Carolomannus, Balbi* filii, Reges ab Epiſcopis conſecrati ſunt, regnumque adminiſtrarunt annos ſex: Qui & *Boſonem*, adſpirantem ad regnum, repreſſerunt, & *Normannos* ad Ligerim fluvium magno prælio vicerunt: ſed neuter diu ſuperſtes fuit. Nam

1. LUDOVICUS, in venatione ſe oblectaturus, caſu vulneratus eſt. Dum enim aprum interficere tentat, à ſatellite, qui auxilium ferre volebat, in tibia vulneratur, ex quo vulnere die ſeptimo moritur, A. C. 882. cum fere annos 4. regnaſſet. *P. Æmyl. Chron. Philip. Mutius lib. 11. fol. 96.*

2. CAROLOMANNUS in equo ludibundus, dum refugientem domum puellam inſequitur, impetu equi intra humile oſtium illatus, corporis compagem ſolvit A. C. 885, cum poſt parentem regnaſſet annos ſex. Succedit ipſi filius *Ludovicus*, qui, quod nihil ageret, nomen Ignavi accepit; Abduxit tamen hic monialem ex cœnobio, ſibique connubio junxit. Supererat adhuc frater *Carolomanni*, *Carolus Simplex*, puer ſex annorum, qui ſuam portionem regni habebat, cujus tutor à proceribus regni conſtituitur Otto Comes Andegavenſis Saxonicæ nationis. *Ibid. Aimoin.*

11. Eodem anno, quo *Ludovicus Balbus* deceſſit, Normanni memorabili prælio Saxones vicerunt. Illi enim poſt *Ludovicum* Germaniæ Regem defunctum (qui continenter contra eos bella geſſerat, quemque metuerant) expeditionem in Germaniam ſuſceperunt, quibus ſe oppoſuerunt (dum filii *Ludovici Balbi* in aliis rebus occupati eſſent) Saxonum Duces BRUNO & TANQUARDUS, aliique. Pugna accidit Calend. Auguſt. A. C. 879. prope Lunæburgum, ubi Saxones victi multitudine hoſtium, interneccione occiſi ſunt. Cum Ducibus perierunt ſimul 12 Comites, & 12 Epiſcopi. *Annal. Fuld.*

VII. IMPERATOR GERM.

CAROLUS III.
cognomento CRASSUS.

CAPUT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

1. PROAVUS fuit CAROLUS MAGNUS.

11. AVUS fuit LUDOVICUS I, cognomento PIUS.

111. PATER fuit LUDOVICUS, Rex Germaniæ.

IV. MATER fuit HEMMA, nobilibus parentibus ex Hiſpania oriunda, quæ pia multiſque virtutibus prædita fœmina fuit.

II. *Appellatio.*

1. NOMEN. Dictus fuit CAROLUS, hujus nominis TERTIUS.

11. Co-

II. COGNOMENTO dictus CRASSVS, à corporis ſcilicet habitudine.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ACTA OECONOMICA.

VXOR ejus fuit *Richardis*, *Scotorum Regis* filia; ex qua, cum eam intactam reliquit, nullos procreavit liberos. Hanc autem *Carolus Craſſus* ob conceptam falſo de adulterio ſuſpicionem repudiavit, cum per novennium eam in connubio habuiſſet. Illa deinde ſacrarum Virginum cœtui ſe dicavit, pieque in eo admodum, & diu vixit. *P. Æmyl. Sigon. Chron. Philipp.*

II. ACTA POLITICA.

I. *Imperii occupatio.*

Defuncto *Ludovico Balbo*, *Carolomannus*, *Ludovici* Regis Germaniæ filius, hæres erat imperii. Sed quia paralyſi correptus fuerat, & uſum loquendi amiſerat, CAROLO fratri Italiam & Imperium tradidit. CAROLVS igitur magnis itineribus in Italiam venit, regnumque occupavit. *Boſo* autem (quem *Carolus Calvus* Ducem provinciæ crearat) res novas moliri cœpit, Burgundiam occupavit, & contemtis præ ſe *Ludovici Balbi* filiis, regem Franciæ ſe creari fecit. Adverſus hunc *Boſonem Carolus Craſſus* ſub prætextu auxilii ferendi *Balbi* filiis copias ſuas in Franciam duxit, & devicto Boſone Gallos in ſua verba jurare fecit. Et mox in Italiam reverſus, à *Johanne* Pontifice Romano coronam imperii accepit A. C. 880, in feſto Nativitatis Chriſti, cum jam biennium fere Romano imperio præfuiſſet. Defuncto mox fratre ſuo *Ludovico* regno quoque Germaniæ potitus eſt. *Aimoin. Egnat. Chron. Funccii fol.* 135.

I. ACTA TOGATA.

II. *Imperii adminiſtratio.*

Carolus Craſſus initio bene imperium adminiſtravit, eique omnia proſpere ſucceſſerunt. Verum cum tot regnorum Dominus, quæſitis artibus, factus eſſet; interim non magnam tuendi imperii rationem habuit, nimium confiſus rebus ſecundis, ſuorumque conſiliis. Vnde ejus authoritas paulatim imminuta eſt, in Procerum odium incurrit, & tandem ab imperio dejectus eſt: ſicut in c. 3. dicemus.

II. ACTA SAGATA.

I. *Bellum* contra *Boſonem.*

A. C. 880. *Carolus Craſſus* exercitum contra Boſonem, qui ſe ipſum Regem creaverat, eduxit, illumque Italia expulit. *Aimoin.*

II. *Bellum* contra *Saracenos.*

Eodem tempore Carolus à Pontifice contra Saracenos omnia prædæ habentes, in Italiam evocatus eſt, qui eos tota Italia paucis diebus pepulit, illamque in deditionem ſuam accepit. *Aimoin. Chron. Philipp.*

III. *Bellum* contra *Normannos.*

Carolus Craſſus, pacata Italia in Galliam adverſus Normannos profectus, ſed non eadem felicitate res geſſit. *Normanni* enim, adjunctis Danis, Ambianorum, Attrebatum, Cameracenſium, Morinorum, Menaliorum, Brabantinorumque fines populati, Leodium, Trajectum, Tungros, Coloniam, Treviros, Aquiſgranum, aliaſque urbes diripuerunt, cædeque facta incendiis vaſtarunt. Cum latius vagarentur, in Mediomatricibus CRASSVS eis occurrit A. C. 882. Poſtquam autem ingentes ſubortæ eſſent tempeſtates, & grandine ingenti caſtra *Caroli* turbata eſſent, Normannis pacem obtulit, & ex hoſtibus non modo ſocios amicoſque, ſed & affines fecit, data *Godefrido* Regi in matrimonium *Lotharii* defuncti Regis Galliæ filia, adjuncta dotis loco Friſia. Sed ne tunc quidem ceſſantibus Normannis, verum *Rollone* Duce Neuſtriam antiquitus dictam invadentibus, *Carolus* tandem anno C. 887. ita cum hoſtibus pepigit, ut fœdere facto & ſocietate inita, tradiderit eis partem Neuſtriæ, quæ ab Epta flumine ad Britones terminatur, & oceano Gallico clauditur, cujus regni caput eſt Rotomagum. Ab his novis colonis Normannia dici cœpit, quæ antea dicta fuit Neuſtria. Tunc quidem Normanni quieverunt; ſed alii hac luculenta promotione illecti, finibus ſuis egreſſi, idem ſequentibus annis tentarunt. *Regino, Philip. in Chron.* & *alii.*

III. ACTA ECCLESIASTICA.

I. Laudatur in hoc Principe religionis ſtudium, & in literatos benevolentia, quos ad ſcribendum adhortari ſolitus eſt, inter quos Almannum, qui, ad imitationem Threnorum Jeremiæ, calamitatem Germaniæ & Galliæ, à Normannis illatam, ſcripto deploravit, & Vtilonem Mathematicum magnifecit. *Egnatius, Victor. P. Æmyl.*

II. *Memorabile* eſt & hoc inſtitutum *Caroli Craſſi*, quod primus ille annos Chriſti omnibus epiſtolis, libellis, & diplomatibus addi juſſerit. Et hanc ejus conſtitutionem poſteri uſu receperunt, & etiamnum nos ſequimur. *Aventinus.*

III. Cum Normanni numeroſo exercitu in Gallias eſſent progreſſi, *Carolus Craſſus* pacem eis obtulit hac conditione, ut Chriſtianam fidem colerent, & à vaſtationibus abſtinerent. Statim igitur *Godefridus* Rex Normannorum, & Rex Danorum Sigefridus, fidem Chriſti ſuſceperunt, & baptizati ſunt. *Annal. Fuld. Hiſtor. Magdeburg. cent. 9. c. 2.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

CAROLVS CRASSVS, cum ob adverſos in bello caſus, & iniquas cum hoſtibus pactiones, in odium, & contemtum apud Proceres veniſſet, morboque fractus, mente non conſtaret, nec corpore valeret, ipſi Imperium abrogarunt, & in ejus locum *Arnulphum* Ducem Auſtriæ & Carinthiæ ſurrogarunt A.C. 887. menſe Novembr. Quapropter ab omnibus deſertus, inops conſilii rerumque omnium, ad extremam egeſtatem redactus, ſtipemque ab *Arnulpho* petere coactus eſt. Tandem ex mœrore animi poſt ſex hebdomadas remotionis ab Imperio Ann. C. 888. idib. Januarii, in pago quodam Sueviæ diem ſuum obiit, anno imperii 8, menſ. 7. *Regino*, *Philippus in Chronicis.*

OBSERVATIONES.

In hac porro relatione ſunt advertenda *tria.*

I. *Trium Imperatorum βραχυβιότης*, ſive *vitæ brevitas.* Nam *tertium* hunc Imperatorem intra *annos quatuor* Occidentis imperium habuit. Quæ tam crebræ mutationes, præterquam quod hoſtium vicinorum, & *Pontificum* Romanorum audaciam & potentiam, vulgique licentiam confirmarunt, Imperium etiam ipſum ceu enervatum graviter afflixerunt, & commutatis animis, ſtudiis ac moribus vulgi, ſicut fieri in mutationibus ſolet, perturbationes ac diſtractiones pepererunt magnas. *Non* enim fiunt tales mutationes ſine magnis calamitatibus publicis & privatis, ſicut veriſſime dixit *Xenophon*: Πᾶσαι μεταβολαὶ πολιτειῶν θανατηφόροι. h. e. *Omnes mutationes mortiferæ ſunt rebus publicis.* Nec minus incommodi eſt in gubernatorum crebra mutatione, quam ſi formæ politiarum, legum & gubernationis innoventur, ſicut vulgo dicitur: *Novus Rex, nova lex.* quod non tam de ſcripta lege, quam de Principum moribus intelligatur, qui ſæpe efficacius movent animos ſubditorum, quam leges ipſæ. Sicut *Oſeæ 4. v. 9.* dicitur: *Qualis* populus, *talis* Sacerdos. & *Claudianus* inquit:

—— *Non ſic inflectere ſenſus*
Humanos edicta valent, ut vita regentum.

Proverb. 28. v. 2. Inter pœnas peccatorum generis humani recenſentur crebræ mutationes *Principum*, ut nulli diu regnent, vel, ut multi diſcordes regnent, & alii alios pellant. Propter delicta terræ cito alii poſt alios fiunt Principes, & propter virum prudentem & intelligentem durabilius eſt Imperium. Apud Pauſaniam extat dictum in eandem ſententiam: Μάλιστά που ἐπὶ πλείοσιν ἤδη μεγάλοις σφαλεῖσα τὴν ἡγεμόνα ὁ δαίμων.

II. AMICORVM INFIDELITAS, & CAROLI CRASSI CALAMITAS. Inconſtantiæ rerum humanarum exemplum CAROLVS CRASSVS præbuit evidentiſſimum. Nam ita de eo ſcribit *Regino*: *Carolus* (inquit) corpore & animo cœpit ægrotare: menſe itaque Novemb. A. C. 887. Tiburias venit, ibique conventum generalem convocat: cernentes *optimates* regni, non modo vires corporis, ſed etiam animi ſenſus ab eo diffugere, *Arnulphum* filium *Carolomanni*, ultro in regnum attrahunt, & ſubito facta conſpiratione ab Imperatore deficientes, ad prædictum virum certatim tranſeunt, ita ut tridui ſpatio vix aliquis remaneret, qui ei ſaltem officia humanitatis impenderet, adeo ut de victu etiam fere deſperaret, niſi *Luidwertus* Epiſcopus Tiburienſis (ubi in comitiis hæc fiebant) ipſi de victu proſpexiſſet, etiam *Arnulphus* etiam ejus aulam ſuppeditatis ſumtibus ſuſtentaſſet. Erat res ſpectaculo digna, & æſtimationis humanæ ſortis rerum varietate miranda. Hæc *Regino*. Agnoſcamus igitur in perſona *Caroli Craſſi*, *primum*, verum eſſe dictum *Menandri*: *Felicibus omnes ſunt cognati, ſed Nulla fides unquam miſeros elegit amicos. Deinde*, quod fortuna plerumque eos, quos multis beneficiis ornavit, ad duriorem quendam caſum reſervet. Nam *ſicut* antea *ſecunda fortuna*, rebus, ultra quam poſſet, affluentibus, tot tantaque Imperii regna, ſine laborum ſudoribus & certaminibus *Carolus Craſſus* attraxerat, omniumque regnorum avitorum Monarcha & Dominus factus, ita ut poſt *Carolum Magnum*, majeſtate, poteſtate, divitiis, nulli Regum Francorum videretur eſſe poſtponendus: *ita* nunc *adverſa*, veluti in oſtentatione fragilitatis humanæ deficiens, quæ fortuna cumulaverat, cuncta inhoneſte in momento abſtulit, quæ proſpero arridens ſucceſſu, quondam glorioſe attulerat. Itaque recte exclamat *Oedipus* apud *Senecam* in Tragœd.

Quiſ-

Quiſquam ne gaudet regno? ô fallax bonum,
Quantum malorum fronte quod blanda tegit!
Ut alia ventos ſemper excipiunt juga,
Rupemque ſaxis vaſta dirimentem freta,
Quamvis quieti verberant fluctus maris:
Imperia ſic excelſa fortunæ objacent.

Quo pertinet & illud *Pauſaniæ* latine relatum in Meſſenicis lib. 4. Hominum alacritatem plerumque in rebus gerendis nihilo vero minus fatum, quam calculos fluviorum limus, obruit. Recte ergo *Plautus* in Truculento ſcribit: Actutum fortunæ ſolent mutarier: varia vitâ eſt. Nos divitem eum meminimus, atque iſte pauperes nos. vertit ſeſe rota viciſſim.

Exempla hujus inconſtantiæ fortunæ, quod Reges è faſtigio rerum dejecti fuerint, præter hoc CRASSI exemplum exſtant varia.

I. *Dionyſius* Junior Rex Siciliæ, regno expulſus, Corinthi ludum aperuit; ibi multas variaſque vitæ viciſſitudines expertus, tandem ſtipem ab hominibus petiit, tympanaque pulſando & modulando vitam exegit. *Ælianus de var. hiſtor. lib. 9. Plut. in Dion.*

II. *Perſeus* ultimus Rex Macedoniæ A. C. 157, in pugna ad Pidnam captus ab Æmylio Paulo Imper., ab eoque in triumphum actus, vitam in carcere finiit. *Livius, Plut. in Paul. Æmyl.*

III. *Richardus* Angliæ Rex à Duce ſuo Principe Lanceſtriæ ſqualorem carceris perpeſſus, miſereque mortuus eſt.

IV. *Ludovicus*, Uladiſlai Jagellonis filius, Rex Ungariæ & Bohemiæ, copiis ſuis ad oppidum Mohatzium, medio loco poſitum inter Budam & Belgradum, à *Solymanni* exercitu fuſis & cæſis, fuga ſalutem quæſiturus, in vicinæ paludis lutulento gurgite depreſſus & ſuffocatus interiit, die decollationis Johannis Baptiſtæ Ann. C. 1526, 29 Auguſt. ætat. 20.

V. *Xerxes*, qui in Græciam duxerat exercitum decies centum millium hominum: poſt pugnam ad Salaminem parva cymba fugiens rediit in Aſiam: & aliquanto poſt ab Artabano interfectus eſt.

VI. *Pompeium Magnum* fortuna tam glorioſum, clarum & magnum in omni vita fecerat, in fine tam parvum & diminutum reddidit, ut una pugna Pharſalica, unaque hora omnem in univerſum gloriam, cum totius orbis Imperio, & ipſa vita, amiſerit: cum ipſi in Ægyptum fugienti, juſſu *Ptolemæi* Regis, ab Achilla perfide caput amputaretur: truncus vero marcidis ſcaphæ piſcatoriæ reliquiis, in littore, à *Philippo* liberto ſuo funeraretur; erecta pala cum hac inſcriptione: HIC SITVS EST POMPEIVS MAGNVS.

VII. *Joachim* & *Sedechias* Reges Judæorum à Babylonicis captivi abducti ſunt. Quorum ille, poſtquam per totos triginta annos captivus fuiſſet detentus, tandem in carcere miſere vitam finivit. Hic vero adſpexit quomodo liberi ſui è medio ſint ſublati, eique poſtea juſſu Nabuchdonoſoris Regis Babyloniæ oculi eruti ſunt, ut ſic ejus miſeria major facta ſit. *Joſeph. Antiq. Judaic. lib. 10. c.*

VIII. In hunc itidem catalogum recenſeri poſſunt, *Samſon*, *Jonathan*, *Holofernes*, *Hannibal*, *Cicero*, *Demoſthenes*, *Henricus* IV, *Carolus* V, *tam in morte humilis, quam in vita glorioſus*. Quos omnes hic referre nimis longum foret. Unicam *Regneri* Daniæ Regis hiſtoriam breviter attexemus. Nam integram qui volent cognoſcere, ex *Crantzio lib. 4. cap. 6, 7, 8, 9, 10.* Daniæ: & ex *Saxone lib. 9.* petant.

Hunc quidem innumeris beneficiorum gradibus, à prima origine, dum vitali modo aura frui incepit, nunquam interpellante infortunio, divina providentia affecit. *Thoram* Suconum Regis filiam pulcherrimam, ſuperatis & cæſis duobus horridis ſerpentibus, obtinuit. Norvegos ſibi ſubjecit, *Haraldum* profligavit. *Sorlum* Sueciæ Tyrannum occidit. Nec contentus tribus Regnis Aquilonaribus, Britanniam invaſit, & in poteſtatem ſuam redegit. Auſus præterea eſt *Carolo Magno* arma inferre. Inde ad Orientem pergens, Græciæ & Helleſponti Regibus ſuperatis, Biarmis & Finnis devictis, Oreadibus debellatis, longe lateque dominatus eſt. Tandem reflante Fortuna ab Helle Britannorum Rege, antea devicto, victus, captus, & ſerpentibus devorandus objectus eſt. In quo antro Epicedion ſibi ipſe, quo totius vitæ ſuæ curſum comprehendit, compoſuit & cecinit. Cui hujuſmodi Epilogum fecit: *Si ſuculæ* (tres filios ſuos intelligens) *veris ſupplicium ſcirent, haud dubie perrupta hara opem ferrent.*

Itaque recte DARIVS Rex Perſarum ſuo magno periculo edoctus dixit: Breves & mutabiles ſunt rerum humanarum vices, & fortuna nunquam ſimpliciter indulget. *Quint. Curt. de reb. geſt. Alexandri.*

His vero *exemplis* moniti magni Principes, cogitent eſſe DEVM, qui & procurat res humanas & imperia ſuſtentat: Nec retineri imperia, aut felicem eſſe ac ſalutarem ullam gubernationem, ſine præſentia & ope divina: Nec fiducia noſtrarum virium aut potentiæ quicquam tentandum aut moliendum eſſe; ſed cum invocatione DEI, & exſpectatione auxilii divini: quod ut peti exſpectarique firma fide poſſit, cauſas etiam bellorum, conſiliorum & actionum oportere eſſe pias, juſtas & honeſtas.

Scitum enim est ÆSOPI responsum, qui interrogatus, quid Jupiter in cœlo ageret? Excelsa, respondit, deponit, & depressa extollit. *Diogen Laërt.* Deinde vere dictum à Seneca advertamus in Thyeste:

Omne sub regno graviore regnum est.

Item:

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem,
Nemo confidat nimium secundis.

III. CAROLI CRASSI PATIENTIA. Id memorabile est de *Carolo*, quod suam calamitatem patienter tulit, omnem spem consiliumque suum divinæ dispensationi committens, (teste *Regino*) precibus ad DEVM fusis omnem fortunæ acerbitatem leniit. *Infelicitas* ergo sæpenumero prodest homini, eo, quod in rebus adversis docemur, quam incerta sit rerum humanarum conditio, & sola divini verbi consolatio vera & solida sit. Recte proinde scriptum accepimus; Multi, cum ratione futura prævidere non possint, patiendo res demum intelligunt. *Antonius serm.* 70.

VIII. IMPERATOR GERM.

ARNULPHUS.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. PATER. *Arnulphus* fuit CAROLOMANNI ex CARENTINA naturalis filius. *Chronic. Philippi. Pantal.*

II. AVUS fuit LVDOVICVS Rex Germaniæ.

III. PROAVUS fuit LVDOVICVS I, cognomento PIVS.

IV. ABAVUS fuit CAROLVS MAGNVS.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

DE posteritate hujus *Arnulphi* diversæ sunt authorum sententiæ. Plurimi scribunt, uxores eam habuisse duas. *Primam* AGNETAM filiam Imperatoris Græcorum in Oriente, quam duxerit cum adhuc Carinthiæ ac Savariæ Dux fuit. Et post *hanc* JVTTAM, quam alii LVDGARDAM appellant, filiam *Guelphi* Ducis Bavariæ. Ex AGNETE sustulisse eum prodiderunt duos filios, *Arnolphum* sive *Arnoldum*, cognomento *Malum*, (sic dictum, quod plane impius homo fuerit, ac Diabolo se mancipaverit; qui etiam in multorum conspectu vivum eum abstulit, ejusque cadaver in stagnum Schirense projecit, uti testantur *Munsterus in Cosmogr. fol.* 773. & *Bruschius*) & *Wernerum*, Comites in Schiern: quorum Arnulphus pater est Palatinorum ad Rhenum & Ducum Bavariæ. Ex *Jutta* vero *Ludovicum* quartum, in imperio successorem, & filiam *Lutgardam*.

Habuit & *Arnulphus* filios naturales plures: *Senebaldum* (quem alii *Zuendeboldum* vocant) ex *Helingarda* concubina, cui attribuit Lotharingiam, quæ, illo à regulis Lotharingiæ obtruncato, postea sæpe mutavit Dominos. Nam & Franci interdum armis, interdum beneficio & concessione Imperatorum eam obtinuerunt: & his amotis, successerunt alii, donec multiplici partitione in plures discerpta partes, plures est sortita dominos.

Habuit & *Rapoldum* filium conditorem stirpis Andechsianæ in Bavaria, ex qua nati Comites, qui postea diu tenuerunt ducatum Istriæ & Meraniæ, cum Voitlandia. Item filiam *Bertham*, quæ nupsit *Luthardo* Comiti Clivensi, ex qua natus *Balduinus*, hujus nominis secundus, in ordine undecimus Comes Clivensis. *Chron. Philipp. Pantal.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

I. Postquam *Carolus Crassus* è fastigio rerum deturbatus erat, successio imperii ad *Arnulphum* delata est. Etsi autem Arnulphus Carolomanni (ut supra dictum) filius fuit nothus, dignus tamen ob memoriam Carolomanni visus, qui Imperator eligeretur: ut verum agnoscamus illud *Sophoclis* apud *Stobæum serm.* 196. Ὁ δὲ νόθος τοῖς γνησίοις ἴσον σθένει. Ἅπαν γὰρ τὸ χρηστὸν γνησίαν ἔχει φύσιν. h. e. Nothus, seu naturalis, si probus est, æque ut legitime natus valet. Omne enim utile ingenuam habet naturam. Quocirca *Euripides in Androm.* non dubitavit asserere; Πολλάκις δὲ τοι ξηρὰ βαθείαν γῆν ἐνίκησε σπορά: Νόθοι τε πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες. h. e. *Sæpe* arida seminatio vincit pinguem terram: & multi nothi sunt præstantiores legitimis. Quod non eo fine dixerimus, quasi illegitimos concubitus probemus, imo eos velut rem omni jure divino & humano prohibitam damnamus. Sed divinæ gratiæ ac virtutis vim consideramus, quod abjectos & contemtibiles etiam DEVS respiciat, evehat & extollat, quicunque gratiam misericordiæ ejus implorant.

Simile exemplum habemus in *Jephtah*, qui fuit filius mulieris meretricis, attamen à Proceribus Gilead eligitur in Principem, ac fortiter & feliciter rem gerit. *Judic.* 11. *v.* 1. *& seqq.*

II. Cum

II. Cum *Arnulphus Guidonem* Pſeudo-Imperatorem viciſſet, Romamque vi occupaſſet, à Pontif. Roman. *Formoſo* honorifice exceptus, Imperator coronatus & inauguratus eſt A. C. 896, poſtquam novennium fere Imperio præfuiſſet.

II. *Imperii adminiſtratio.*

II. *ACTA TOGATA.*

I. *Arnulphus* conſenſit, ut *Otto* Roberti (qui Dux exercitus Francorum adverſus Normannos fuit, ſicut ſupra diximus) filius regnum Franciæ adminiſtraret nomine regio, uſque ad annos pubertatis *Caroli Simplicis*, *Ludovici Balbi* filii, *Caroli Calvi* nepotis. *Otto* enim, cum inter cæteros proceres regni virtute & auctoritate præcelleret, adminiſtrationem regni ſuſceperat, ne tamen quid contra voluntatem *Arnulphi*, contrave quam deceret præſtantem Heroëm, occupaſſe regnum videretur, ad *Arnulphum* ſe contulit, & honeſta oratione ſe excuſavit, ut ſcribit *Aventinus lib. 4. Annal.* Prohibeat me DEVS, inquiens, ne eorum incommodo, quibus prodeſſe debebat, meam comparem dignitatem. Non ſum tam præditus ambitione; majus eſt regnum faſtidire, ſi verum fateri volumus, quam accipere. Et paulo poſt: Si per te regnare licet, utar beneficio tuo, & dabo operam, ne ſim ingratus: Si aliud tibi placuerit, malo pace tua tranquillo otio procul à Republ. aulæque ſtrepitu perfrui, quam te invito regnum obtinere. Hac ſua modeſtia obtinuit, ut regnum Franciæ ſuæ fidei atque tutelæ committeretur. Verum ea res cauſam præbuit iis conſpirationibus, quibus poſtea prætextu juris hæreditarii *Carolus Simplex* à *Ruperto* fratre Ottonis (qui Anno Chriſti 898. in morbum prolapſus, ſuaſit Gallis, ut *Carolum*, ad quem regnum ordinario pertinebat, regem agnoſcerent, & mortuus eſt die 3 Ianuarii) oppugnatus eſt, eo uſque, donec Ruperti poſteritas regnum *Carolinæ* ſtirpi ademtum in ſe tranſtulit, ac ita ad alienos prorſus ac peregrinos pervenit; poſtquam id (regnum Franciæ) tenuiſſent poſteri *Caroli* annos ducentos triginta ſeptem. *Aventinus, Chron. Philip. Chronic. Belg.*

II. Modo diximus, quod *Otto* prorex in Gallia, ut eam pacifice haberet, fidelitatem *Arnulpho* juraverit. Idem fecit etiam *Rudolphus* & *Berengarius*, quibus Imperator, quæ ſibi ſumſerant, conceſſit, quod exercitum tum temporis (facta enim hæc ſunt ſtatim poſtquam ad Imperium perveneratat) non haberet. Atque ita regnum *Caroli Craſſi* in plurimas partes laceratum eſt.

III. ARNVLPHVS Imper. ut ſe amicitiis muniret, amico ſuo *Zuendebaldo* Duci Moraviæ, homini non ſatis bonæ fidei, A. C. 890. donavit regnum Bohemiæ: quo facto, infido huic amico potentiam auxit, & ad rebellionem vires addidit. *Sigebertus.*

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum* cum *æmulis Imperii.*

I. *ORTVS.*

ARNVLPHVS dum rerum potitus eſt, magni tumultus in Italia & Gallia excitati ſunt, ipſeque varios Imperii æmulos habuit. Nam

1. BERENGARIVS, è Longobardicorum Regum ſtirpe oriundus, Dux Veronenſis, qui Ducatum Forojulianum regebat, ſe Regem Italiæ fecit.

2. GVIDO filius *Lamberti*, Dux Spoletanus, ab Italiæ ordinibus Rex quoque deſignatus eſt.

3. RVDOLPHVS filius *Conradi* occupata Burgundia etiam ſe Regem appellavit, qui in Italia regnavit annis 50.

4. LAMBERTVS filius *Guidonis*, & LVDOVICVS filius BOSONIS in Gallia Galliam Belgicam & Provinciam ſub regio titulo occuparunt.

Atque exinde adeo triſtia fuiſſe tempora ſcribit *Sigonius l. 6. de regibus Italiæ*, ut nulla alia tetriora ac fœdiora fuiſſe, vel Principum nequitia, vel populorum infamia, in tota antiquitate reperiantur.

II. *PROGRESSVS.*

Quanquam ergo BERENGARIVS regnum Italiæ amicorum ope ſine certamine occupabat, & GVIDO ad regnum Franciæ capeſſendum proficiſcebatur: tamen & hic repulſus abſtinuit: & ille à confœderato ſuo (*Guidone*,) poſt aliquot acceptas clades, regno expulſus eſt. *Berengarius* igitur regno exutus, & exul ad Arnulphum in Germaniam profectus auxilia ſibi dari petiit, & acceptas ab Arnulpho copias, duce Suendebaldo *Arnulphi* filio, in Italiam adduxit; ſed juvenis imperitus auſpiciis infelicibus nihil rerum geſſit. Siquidem animo in periculis exercitato non fuit. Addunt etiam quidam, quod *Guido* data magna vi pecuniæ Suendeboldum corruperit, in ſuaſque partes traduxerit. Quare FORMOSVS Papa cum à Saracenis urgeretur, & *Arnulphus* in Italiam venire non poſſet, GVIDONEM Regem Italiæ *Imperatorem* creavit A. C. 891. atque

atque ita jam duo simul fuere Imperatores, alter creatura Pontificis *Guido*, alter à statibus Imperii electus *Arnulphus*. Hinc *Guido* tanta superbia elatus est, ut LAMBERTVM filium suum Cæsarem seu successorem sibi designari effecerit, eumque à *Formoso* Papa coronari siverit. Nec vero *Berengarius* destitit occasiones regni amissi recuperandi quærere. Rursus ergo ad *Arnulphum* A. C. 893. reversus, suam calamitatem exposuit, precibusque obtinuit, ut ipse Imp. in Italiam transcenderet. Movit *Arnulphum*, quod manentibus discordiis intestinis Italia potiri & Imperii titulum adversus *Guidonem* adipisci haud magno admodum negotio posset, eoque consilio Berengarius rem ursit. Itaque *Arnulphus*, (cum insuper *Formosus* Papa legationem ad eum miserat, ut in Italiam veniret, & Romam ex faucibus Guidonis, qui magnum præsidium Romanis imposuerat, eriperet) copiis collectis, venit in Italiam A. C. 894, & capta Bergamo, *Comitem* urbis exempli prodendi causa ad portam suspendio strangulari jussit: Et exinde terrore cæteris injecto, Mediolanenses, Papienses & Placentini confestim ei se, præmissis nunciis, tradiderunt, sic animum inducentes suum, convenire, si bene consultum velis, timere fortunam, ne quando incidat infortunium. Sic terrore universo populo Italiæ injecto, cum nec hostium paucitatem, nec suam multitudinem discernere posset, totam regionem occupavit. *Annal. Fuld. Sigon. Baron.*

III. EGRESSVS.

I. ARNVLPHVS Imp. recuperata Italia BERENGARIO regnum bona fide restituit. *Annal. Fuld. Sigon.* Quod notabile *exemplum modestiæ* est in Arnulpho, qui amico potius integra conscientia benefacere, quam suæ voluit utilitati consulere, recte secum reputans, quod pudore, modestia, & justitia civilis societas conservetur.

II. Deinde *Arnulphus* A. C. 896. primo vere Romam movit, quam *Agiltrudis* conjux *Guidonis* valido præsidio obtinebat. Ideo *Leoninam urbem* (quæ & civitas nova Roma vocabatur) obsidet, quam & capit hac occasione: Excitus è latebris clamore tumultuque militum lepus, urbem versus cursum arripuit. Hinc milites *Arnulphi* toto temere agmine concito insequi cum cœpissent, cursuque & clamore acrius deterrerent, *Romani milites* hujus rei ignari, Vrbem eo impetu petiveriti, cui se longe impares propter defendentium inopiam arbitrabantur, pari consensu desertis mœnibus, ad terram, qui in propugnaculis stabant, se submisere. *Milites* occasione freti, sellis equorum & veterinorum ad mœnia in cumulum aggestis, per eas, nullo reluctante, in mœnia evasere, Leoninamque Vrbem (primaria nunc est hæc urbis regio) nullo negotio ceperunt. Ideo Arnulphus à Pontifice *Formoso* toties è Germania evocatus honorifice excipitur, & Imperator coronatur. *Arnulphus* contra aliquot Romanorum Principes, qui *Formoso* molesti fuerant, capitis damnat, & civibus fidelitatem sibi jurare jubet, hac formula: quod nunquam vel *Lamberto* vel *Agiltrudæ* matri ejus, vel aperte, vel clam, eam tradere velint. GVIDO enim Pontificis Imperator, cum Arnulpho Imper. viribus impar esset, fuga sibi consuluerat, & in fuga vomitu sanguinis repentino oppressus interierat. *Sigebert. Gemblacensis in Chron. Sigon. lib. 16. de reg. Ital.*

III. ARNVLPHVS post occupatam urbem Leoninam Agiltrudem cum *Lamberto* obsedit Spoleti: à qua callide circumventus est: uti plenius infra in cap. 3. dicemus.

II. *Bellum* contra *Normannos.*

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

Normannorum in Gallias & Germaniam *irruptio*, & *Christianorum persecutio*. *Normanni* A. C. 891 in Gallias & Germaniam irruptionem fecerunt, & in Christianos horribiliter grassati sunt: in Castello ad sanctum *Loth* (quod expugnaverant) contra datam fidem Episcopum *Constantiensem* trucidarunt. Et Wormatiam usque progressi, eam in deditionem acceperunt, destruxerunt, omnesque cives in ea occiderunt: Inde Moguntinum Episcopum *Sundeboldum* cum plurimis aliis interfecerunt. *Sigebert. Regino l. 2. Mar. Scotus.*

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

ARNVLPHI *adversus Normannos expeditio, ejusque victoria.* Cum *Normanni* Christianos orthodoxos ita persequerentur, & Burgundiam Galliamque longe lateque vastarent, tandem A. C. 891, mense Septembri, *Arnulphus* ipse contra eos profectus, cum his in ripa Mosæ conflixit, illosque ita cecidit, ut ex innumerabili multitudine ipsorum vix unus evaserit, qui nuncium cladis acceptæ afferret. Bellum cœlitus administratum est, siquidem centum millibus paganorum prostratis in hac pugna, vix unus de Christianis (Arnulphi militibus) cecidisse repertus est. *Ann. Fuldens. Egnat. Appendix S. Aurel. Vict.*

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

SVENDEBOLDI *Regis Lotharingiæ declaratio.* *Arnulphus* post reportatam à *Normannis* victoriam, victor rediit in Lotharingiam, cui *Suendeboldum* naturalem filium præfecit. Inde Longobardiam

bardiam invaſit, eamque recuperavit: uti ſupra diximus. *Chron. Philippi.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. ARNVLPHVS Imp. primo Imperii ſui anno Synodum Moguntiæ convocat. In ea omnes tam Epiſcopi, quam Laici admonentur, ut emendatione vitæ pœnas divinas, quæ à paganis & malis Chriſtianis impendebant, avertant. Admonetur etiam ipſe *Imperator*, de ſuo officio recte adminiſtrando. Sacerdotum vexatores anathemate feriuntur. Exiguntur etiam in hac Synodo decimæ: & præterea nugæ Pontificiæ de Monachis & Monialibus repetuntur. *Regino. Sigebert.*

II. A.C.895. ARNVLPHVS Imp. Triburiæ Synodum indixit. Convenerunt (præter Abbates & Monachos) Epiſcopi duo & viginti, plærique Germani. In ea Synodo Bremenſis Epiſcopatus ademtus eſt Epiſcopo Hamburgenſi, & Colonienſi adjudicatus. Ac inter alia multa decretum, ut ſepulturam mortuorum nemo vendat, & ne quis laicus, uti vocant, in templo ſepeliatur. *Sigebert. Crant.*

III. Anno C. 896. STEPHANVS Pontifex Roman. mortuus eſt, poſt cujus obitum ſchiſma in eligendo Pontifice ortum. Nam Comitum Tuſculanorum factio primo *Sergium*: altera factio deinde *Formoſum*, Portuenſem Epiſcopum, Pontificem declaravit. *Formoſus*, ut ab injuriis Sergii tutus eſſet, *Arnulphum* ex Germania occultis literis evocavit, ſpe tituli Imperatorii conſequendi propoſita. Quapropter nulla interpoſita mora venit *Arnulphus* in Italiam, & Romam vi occupatam ingreſſus, *Sergium* urbe expulit, omneſque ejus factionis homines interfecit. Et dum *Formoſum* Pontificem confirmaſſet, ab eodem Imperii Coronam gratitudinis ergo accepit. *Sigon. lib. 6. de reg. Ital. Crantz. Mar. Scot.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. ΤΑ᾽ ΠΡΟΗΓΟΎΜΕΝΑ.

ARNVLPHI *adverſus Lambertum expeditio.* Supra diximus, Arnulphum totam Italiam recuperaſſe, Leoninam Vrbem in deditionem accepiſſe, *Guidonem* vero in fuga interiiſſe. Quare Imperator cum quindecim diebus Romæ fuiſſet, movit in LAMBERTVM *Guidonis* filium, quem pater Cæſarem creari curaverat, expugnatoque Spoleto, arcem Camerinam, quo cum matre aufugerat, obſidione cinxit. Sed mater *Lamberti Agiltrudis*, aſtuta fœmina, dum ſe filiumque ſuum viribus Imperatoris impares agnoſceret, ad alias artes adjecit animum. Corruptis enim *Arnulphi* miniſtris, poculum ei amatorium propinavit. Quo exhauſto Arnulphus in veternum incidit, atque profundo ſopitus ſomno ad tertium diem uſque ſtertiſſe ſcribitur. *Philipp. in Chron. Sigebert. Aventinus.*

II. *Arnulphi in Germaniam reverſio.* Tandem cum expergefacto paralyſis linguam ac partes inferiores reſolviſſet, videreturque non diu ſuperſtes fore, rem bene & fortiſſime cœptam relinquere Arnulphus coactus, in Germaniam reductus eſt, inſequente eum à tergo, & exercitum carpente *Lamberto.*

II. ΤΑ᾽ ΠΡΑΧΘΈΝΤΑ.

Mors ipſa. Cum ARNVLPHVS æger animo & corpore in Germaniam eſſet delatus, ac veneni vehementia totum corpus putrefactione incurabili infeciſſet, φθειριάσις etiam acceſſiſſet, A. C. 899, erumpentibus toto corpore, atque inteſtina erodentibus vermibus, miſere exſtinctus eſt, cum imperaſſet ann. 12. & aliquot dies. *Chron. Philip. Aventin. lib. 4. annal.* Hanc pœnam ipſi divinitus immiſſam quidam tradunt, quod Vngaris clauſtra Germaniæ aperuit, & cum poſſet, Moravos in ordinem non redegit.

Quippe accepimus hoc genus pœnæ abominandum divinitus ſceleratis Principibus imponi ſolere, ut, qui ſe indignos Majeſtate Imperii præbuiſſent, in ſummo dolore & fœtore vitam finirent. Sic *Antiochus Epiphanes*, 2 Macchab. c. 9. v. 9, 28. *Herodes Aſcalonita*, Joſeph. lib. 17. antiq. cap. 8. *Herodes Agrippa*, Actor. 12. v. 23. *Caſſander* Antipatri filius, qui Alexandri Magni matrem & filios interfecit, *Pauſan. in Bœot. Lucius Sylla*, erodente ſe ipſo corpore, & ſupplicia ſibi gignente periit, *Plin. 11. natur. hiſt. c.* 33. Sic *Maximinus* Imp. Chriſtianorum perſecutor putredine pediculorum ex auribus, ore, naribus ſcaturiente periit: uti in hiſtoria ejus diximus.

III. ΤΑ᾽ ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ.

I. *Sepultura.* Mortuus eſt *Arnulphus* Oetingæ in Bavaria, ſed inde cadaver Ratisbonam delatum eſt, ubi ſepulcrum ejus oſtenditur in templo ad D. Emeranum. *Chron Philip. Sabin. Aventin.*

Velius tale de eo Epigramma compoſuit:

Normannos vicit, ſed non animalia tetra,
A quibus, ut quondam Sylla, pereſſus obit.

II. *Filii Ludovici in Imperio ſucceſſio.* Poſt mortem *Arnulphi* filius ejus ſeptennis communi procerum conſenſu Imperator electus eſt: uti ſtatim dicturi ſumus.

IX. IMPERATOR GERM.

LVDOVICUS IV.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. PATER fuit ARNVLPHVS Imp.

II. MATER fuit IVTTA, filia *Guelphi*. Ex hiſce parentibus natus eſt *Ludovicus* IV. circa annum Chriſti 892.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXOR ejus dicta fuit MATHILDA, (quam alii LVDGARDAM vocant) filia LVDOLPHI, Ducis Saxoniæ, ſoror BRVNONIS & *Ottonis Magni*. Hanc *Ludovicus* IV. adhuc juvenis ſibi matrimonio junxit, verum nullam ex ea ſuſcepit ſobolem. Atque ita *Caroli M.* ſtirps in hoc *Ludovico*, qui ſextus à *Carolo* fuit, exſtincta eſt: de quo plenius in cap. 3. dicemus.

II. *ACTA POLITICA.*

1. *Imperii occupatio.*

Poſt mortem *Arnulphi* Optimates Franciæ convenerunt in oppido Forcheim, & Ludovicum IV, filium Arnulphi ſeptennem, Imperatorem deſignarunt, eique dederunt tutores, *Othonem* ducem Saxoniæ, & *Hattonem* Archiepiſcopum Moguntinum; Ducem vero militiæ generalem & cuſtodem pacis *Luitpoldum* Bavarum elegerunt. Romam autem *Ludovicus* non venit, & à Pontifice nunquam fuit coronatus; Nam & Italia bellis ardebat, & in Germania res perturbatæ Imperatoris abſentiam non ferebant. *Regino. Aventinus. Chron. Funccii.*

AXIOMA.

Magna certe ratio ſuadet, ut dum Principes ſunt impuberes, & , quod vident, & agunt, non intelligunt, tutores habeant, quorum fide & auctoritate regantur.

Vnde Lacedæmonii eos, qui alterius tutelam curamque ſuſcipiebant, ἀρίστους appellarunt, h. e. *patronos*, qui cauſam pro aliquo bona fide, & ſecundum juſtitiæ legem defendunt & dicunt. *Alex. ab Alex. lib. 6. gen. dier. c. 10.* Et tunc tutor loco domini, quantum ad providentiam pupillarem attinet, Iureconſultis eſſe dicitur.

I. *ACTA TOGATA.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. Hic *Ludovicus*, quia puer adhuc ad Imperii gubernacula adſcendit, propter ætatem non multa notatu digna ab eo geſta ſunt; nihilominus tamen quantum in eo fuit, magnam Reipubl. curam geſſit, ejuſque ſalutem quæſivit.

II. *Ludovicus*, Imp. Italiæ, Papiæ privilegia & ſtatuta Regum *Aiſtulfi*, *Deſiderii*, *Adalgiſi*, item *Caroli Magni*, *Ludovici Pii*, *Lotharii*, *Ludovici*, *Caroli Craſſi*, *Arnulphi*, *Guidonis* & *Lamberti*, data & conceſſa, anno Chriſti 901. die 1 Iulii confirmavit.

III. A. C. 906. *Ludovicus* Rotwilæ in Comitiis ritum manumiſſionis per excuſſionem denarii de manu illius juxta legem Salicam ſanxit.

II. *ACTA SAGATA.*

Hujus *Ludovici* IV. tempore omnia miſeriis & perturbationibus variis plena fuere. Diviſio regnorum ſub *Arnulpho* facta perduravit, atque inteſtinæ Principum diſcordiæ Saracenorum vires confirmarunt, & Vngaros in Italiam & Germaniam attraxerunt.

I. Diſſenſio in Germania.

Prima diſſenſio in Germania cœpit ex inſolentia *Zuendeboldi* (qui & *Senebaldus* vocatur) filii nothi Arnulphi Regis Lotharingiæ. Nam cum ille multa proterve, multaque effœminate atque injuſte faceret, fierique permitteret; ſubditorum in ſe odium concitavit omnium, omneſque ab ipſo ad *Ludovicum* IV. defecerunt. Atque dum hanc defectionem ulciſci cupivit, omnia inteſtinis malis completa ſunt; ſed tandem in bello adverſus ipſum ſuſcepto anno Chriſti 900, die 13 Auguſti, cæſus occubuit. *Regino.*

II. Diſſenſio in Francia Orientali.

Deinde in Francia Orientali ſeditio ex levi cauſa orta eſt maxima. Nam *Albertus*, & ejus fratres Adalbertus, & Henricus, Comites Bambergenſes, (alias Papenbergenſes) electo *Rudolpho* Epiſcopo Wurtzburgenſi litem moverunt de jure præcedendi, quaſi propter familiæ præſtantiam majus ſibi jus competeret. Epiſcopus ergo Wurtzburgenſis, nihil cedens de ſua magnificentia, fratres ſuos *Eberhardum* & *Gebhardum* in auxilium vocans, itemque *Conradum* Ducem Haſſiæ & Franconiæ ſibi adjungens, bello decertare, remque armis decernere voluit: in quo prælio *Henricus* periit, & *Adalbertus*, vivus,

vivus captus, jussu *Gebhardi* securi percussus est. Et *Eberhardus* ex altera parte inter cæsos vulneratus, cum esset repertus, domum delatus, non diu vixit. *Albertus* vero fuga sibi consuluit. Sed mox collectis copiis *Rudolphum* Episcopali dignitate privavit & ejecit, atque Eberhardi liberis omnes possessiones ademit, dissimulatione pervulgata, quod *Gebhardum* armis petere vellet. Sed occasione sumta *Conradum* ducem Hassiæ & Franconiæ improviso obruit & trucidavit A.C.905, die 27 Febr. Proinde cum hæc res mali exempli majores turbas dare posse videretur, *Ludovicus* IV, Imp. cognatus *Conradi*, iratus *Alberto*, eum citavit, mense Julio, ut rationem redderet de tot commissis facinoribus: cumque comparere nollet, in contumaciam adversus eum processum est, & *Ludovicus* Imp. collectis copiis Bambergam, arcem Alberti, obsidione cinxit. Sed cum diutius obsidionem toleraret, fraude & machinatione *Hattonis* Episcopi Moguntini hominis versutissimi Albertus in potestatem Ludovici pervenit. Siquidem *Hatto* sub fidem amicitiæ Bambergam venit, & se effecturum spopondit, si modo in colloquium Imperatoris venire vellet, ut salvus & incolumis Bambergam reduceretur. Hac oratione inescatus *Albertus*, fidem *Hattonis* secutus, ex arce sua discessit, recta ad castra Ludovici profecturus. Cum autem paululum ab arce secessissent, dixit *Hatto*; Satius mihi esse videtur, ut sumto primum jentaculo ad castra Imp. eamus. Quod cum utrique placuisset, in arcem reductus ALBERTVS ab Episcopo, laute & benigne eum tractavit. Profecti sunt deinde ad Imperatorem *Ludovicum* in castra: & mox *Albertus* jussu *Ludovici* in custodiam detrusus, & postridie, lata in eum sententia capitali, in conspectu totius exercitus, manibus post terga revinctis, ad locum supplicii deductus, securi percussus est: frustra fidem *Hattonis* implorans: omnesque ejus possessiones fisco adjudicatæ sunt. Quod cum iniquum judicaretur, & contra datam fidem feciſſe diceretur Episcopus: *sophistice* facinus excusavit, quasi promissum suum exsolvisset in hoc, quod Albertum in arcem suam incolumem reduxisset, cum ex itinere ad jentaculum sumendum eo rediisset, & quia semel tantum promiserat, eum se restituturum, frustra de fide violata queri. Hic *Hatto* tandem justas luit pœnas. Nam fulmine ictus, ejusque corpus in Ætnæ montis voragines à Diabolo delatum est, hac voce in aëre resonante: *Sic peccata lues, sicque ruendo rues. Regino. Aventin. lib. 4. Annal. Fulgos. l. 7. cap. 3. Crantzius lib. 2. Metrop. cap. 25. & lib. 3. cap. 4.*

III. Hungarorum in Italiam & Germaniam irruptio.

Hungari, imperante *Ludovico* IV, velut quidam ignis exundans, peragrarunt Germaniam & Italiam. Hanc audaciam huic genti attulit intestina Principum discordia. Illis quidem fortiter se opposuit *Ludovicus*, sed infelici successu pugnavit. Nam,

I. Cum Hungari A.C.901 in Bavariam impetum facerent, *Ludovicus* Imp. iis in Germania occurrit, eosque primo prælio vicit. Sed victor in insidias præcipitatus, & magna clade affectus est. Ideo Hungari Bavariam, Sueviam & Franciam longe lateque vastarunt. *Ursperg.*

II. A.C.902. *Hungari* ex Pannonia egressi Italiam ingenti clade affecerunt, Transpadanas nobilissimas civitates, cunctaque in Lombardia, cæde ac incendiis pessundarunt: vindices prædæ ad unum trucidati sunt, Episcopus Vercemensis in fuga deprehensus, ab Ungaris occisus, & thesauris, quibus abundabat, spoliatus est. *Regino.*

III. A.C.907. *Ludovicus* Imp., cum Hungari Bavariam vastando ac depopulando nullum finem facerent, ingenti exercitu contra eos profectus est, & ad Danubium in Bavaria prope oppidum *Ansburg* congressus cum illis, continuo trium dierum prælio certatum est, à quinto Iduum Augusti usque ad tertium Idus, tandemque victus & fugatus perdidit præcipuam & florentissimam partem nobilitatis Germanicæ. Cecidit in eo prælio præter alios præstantes Principes *Ludovicus* oriundus ex Caroli magni prosapia, pater Arnolphi & Bertoldi, ad quos referunt originem Ducum Bavariæ & Palatinorum ad Rhenum. Victores exinde Hungari, & hac victoria elati, nemine illis resistente, Germaniam fere totam peragrarunt & devastarunt. BVRCHARDVS Landgravius Thuringiæ, cum in Thuringiam quoque veniſſent, A.C.908, prælio cum ipsis congressus, prope Isenacum victus & trucidatus est. *Hungari* victoriam adepti, omnia incendiis & cædibus vastarunt, captivosque crudelissime tractarunt. THVRINGIA autem, cum BVRCHARDVS nullos reliquisset hæredes, à *Ludovico* data fuit *Ottoni* Saxonum Duci. *Schafnab. Chron. Philip. Aventin.*

IV. A.C.910. *Ludovicus* Imper. iterum contra Hungaros profectus est, sed infeliciter pugnavit. Ideo Principibus Hungarorum, extrema necessitate rerum pressus, magnos obtulit thesauros, ut pax fieret, & certo tributo annuo excursiones hæ, & vastationes, inhiberentur: quod tandem impetravit. *Ibidem.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

LUDOVICVS IV, Imperator, cum parum feliciter bellum cum Hungaris geſſiſſet, & propterea in contemtu viveret, ex animi ægritudine in morbum diuturnum prolapſus eſt, diemque ſuum obiit Ann. C. 912, decimo Kalendas Februarii, cum imperaſſet an. 12, & annos natus eſſet vix novendecim. *Sepultus* eſt Ratisbonæ in templo D. Emerani prope patrem. *Chron. Philip. Sigeb. Schaff. Urſperg. Aventin.*

NOTA.

In hoc *Ludovico* IV. defecit plane ſtirps *Carolina*, quæ annis CXI rebus præfuerat. *Appian. Regino. Onuphr. Sigebert. Chron. Philipp. Volaterranus.* Humana ergo omnia labuntur & fluunt: nec cujuſquam hominis res tam bene poſitæ ſunt & fundatæ, ut nihil illi procedente tempore timendum ſit. Quod poteſt eſſe documento, nulli rei fidendum eſſe, cum videamus tot varietates tam volubili orbe circumagi.

AXIOMA.

In multis familiis hoc accidit, ut tertius aut quartus hæres fuerit ultimus.

EXEMPLA.

I. *Imperium Germanicum* fuit penes has quatuor gentes, *Francos*, *Saxones*, *Suevos*, *Auſtriacos*. Poſt LVDOVICVM IV, Imp. *Arnulphi* filium, trinepotem *Caroli Magni*, Imperium, quod virtute ſua pepererat & ſtabilierat *Carolus*, de illa familia excidit, & ad Saxones tranſiit.

II. Saxonum gubernatio rurſus cum HENRICO CLAVDO, *Henrici Aucupis*, primi ex hac familia Imperatoris abnepote, ex *Henrico* filio, quem *Ottoni* III, ejuſdem *Aucupis* abnepoti ex *Ottone Magno*, conſentientibus ſuffragiis electum, ſurrogarant Imperii Principes: cum eo (inquam) gubernatio finita rediit ad *Conradum* Francum, cognomento *Saliquum*, filium Hermanni Ducis Francorum.

III. CONRADI *Saliqui* poſteri poſſeſſionem Imperii retinuerunt, & Majeſtatem hujus fortiter defenderunt, uſque ad *Henricum* V, abnepotem *Conradi*: Quo ſine liberis extincto, proſapia Francica intercidit: Suevica ad faſtigium Imperii evecta crevit.

IV. Ex hac gente *Conradus* III, filius *Friderici* Ducis Sueviæ, in Hohenſtauffen, primo Imperium adeptus, id in fratris filium, & ex hoc natos propagavit, terminaturque in *Alphonſo*.

V. Suevis de faſtigio dejectis, ſumma rerum devoluta eſt ad *Auſtriacos*, qui etiamnum ad Imperii gubernacula ſedent.

X. IMPERATOR GERM.
CONRADUS I.

CAPVT I.

DE ORTV.

VT nihil certi de CONRADI origine & familia affirmare habeam, facit Scriptorum diſcrepantia. Nam aliqui perhibent, Patrem ejus fuiſſe CONRADVM Comitem Franciæ natum patre Arnulpho Imp. ex eadem, qua *Ludovicus* IV Imp, matre. Negant id alii. Quibus non immerito & ego aſſentiri poſſum, ſiquidem plerique Hiſtorici teſtantur, quod ſtirps Carolina plane in *Ludovico* IV Imp. defierit.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXOREM habuit *Conradus Placentiam*, *Ludovici* Regis Germaniæ filiam, ex qua nullos ſuſcepit liberos. *Chron. Philippi.*

II. *ACTA POLITICA.*

1. *Imperii occupatio.*

Defuncto *Ludovico* IV Imper. Principes imperii convenerunt, omneſque *Ottonem* Ducem Saxoniæ, eo quod rebus geſtis, ſumma prudentia & ſanguine eſſet nobiliſſimus, Imperatorem ſibi exoptarunt. *Otto* vero cum ſenecta invalidus eſſet, excuſatione ætatis uſus, onus Imperii modeſte deprecatus eſt, & *Conradum* ducem Franciæ Orientalis, virum ſtrenuum, & multis bellis exercitatum, ut eligerent, ſuaſit & commendavit, dignum adſerens, qui Imperii habenas teneret. Principes igitur bono conſilio paruerunt, & CONRADO, quod virtute præſtaret, Imperium detulerunt. *Sigeb. Chron. Philip.* & alii.

II. *Imperii adminiſtratio.*

Hic *Imperator* fuit Princeps ſtrenuus, animique magnitudine ac robore, pietate & moderatione excelluit. Verum magna exercendæ virtutis ei occaſio cumulate oblata eſt. Nam tot undique adverſitates eum exceperunt, ut ſuo exemplo nos doceat, vere dixiſſe Diocletianum Imperatorem: Difficillimum eſſe recte imperare. Vt plane iſto voto opus non ſit; Materiamque tuis triſtem virtutibus opta. Nam,

I. *Proceres* Bavariæ crearunt ſibi Regem *Arnulphum*,

phum, qui ſocietatem inivit cum Hungaris, ſeque Imperatori *Conrado* oppoſuit. Sed Imperator bellum contra eum ſuſcepit, regno exutum in exilium pepulit, cæteroſque Principes in ordinem redegit. *Urſp.*

11. Deinde proceres Germaniæ fortiſſimi & potentiſſimi quique, inter quos fuere *Arnulphus* cognomento *Malus*, Dux Bavariæ, *Giſelbertus* Lotharingiæ, & *Burchardus* Sueviæ duces, relicto *Conrado*, *Carolum Poſthumum* ex Gallia accerſiverunt Regem. Sed eos omnes repreſſit *Conradus*, partim vi, partim conſilio atque prudentia. Et quidem fratres duos *Giſelberti* Ducis Lotharingiæ *Eringerum* & *Bartholdum* bello captos ſecuri percuſſit. Ac proinde magno hoc acerbitatis exemplo reliquos in officio continebat. *Aventin. Conſt. Imp. Chron. Philippi.*

111. Seditioſis quoque ſe adjunxit *Henricus Auceps* (qui poſtea Imperator factus) *Ottonis* Ducis Saxoniæ (cujus ſupra mentionem fecimus) filius. Atque eo res rediit, ut CONRADVS opera *Hattonis*, Archiepiſcopi Moguntini, hominis fraudulentiſſimi, Henrico vitæ inſidias ſtrueret, per torquem aureum, qui ſic adornabatur, ut & *Henricum* (ſi res ſucceſſiſſet, ipſeque non præmonitus fuiſſet) caperet, eumque occideret. Inde res inter *Conradum* & *Henricum* longe deteriore loco fuerunt, quam antea, & ortum eſt bellum funeſtiſſimum inter Saxones atque Francos: ita ut prope innumerabilis multitudo caderet. Cum enim *Conradus* Imp. *Henricum* Mersburgi obſideret, *Henricus* exercitu collecto obſidionem ſolvit, & *Eberhardum* fratrem, Ducemque Imperatoris, tanta clade vicit, ut de hac victoria proverbium factum ſit, (teſte *Aventino*) ubi tantus infernus inveniri poſſet, qui tot Francos cæſos caperet. Tandem vero *Conradus* animi ſententiam de *Henrico* prorſus immutavit, quod nempe ex inimico factus ejus amicus, imperiique ſucceſſorem elegerit: de quo in cap. 3. plenius dicemus. *Sigebertus*, *Naucleru*s, *Aventinus.*

1v. Cum omnia civilibus bellis arderent, *Hungari* A. C. 914 irruptionem in Bavariam fecere, non contenti annuo tributo, cum *Ludovico* IV, olim pacto. Quare *Conradus* Imp. contra eos exercitum eduxit, illoſque bis prælio vicit, ut recedere coacti ſint. *Hungari* igitur converterunt ſe in Italiam: ubi Berengarius Rex metuens ſævitiam & multitudinem eorum, ne progrederentur, prohibuit, non vi & armis, ſed muneribus, magna pecunia pacem mercatus. Regreſſi ergo *Hungari* ex Italia, & denuo A. C. 917 Germaniam adorti, primum Saxoniam, Thuringiam, & Franciam, deinde Rheno tranſmiſſo, Lotharingiam & Alſatiam, Baſilea everſa, horribili graſſatione percurrerunt, & *Conradum* ad pacem quibuſcunque conditionibus redimendam annua penſione adegerunt. *Chron. Philip. Aventinus.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

1. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

1. CONRADVS cum in morbum incidiſſet, diemque fatalem ſibi adeſſe præſentiret, vocatis ad ſe Principibus Imperii, auctor ſuaſorque fuit, ut HENRICVM *Aucupem* Ducem Saxoniæ publico bono Imperatorem eligerent: ſimul etiam Sceptrum, Coronam, & cætera ornamenta per fratrem *Eberhardum*, antequam deceſſit, ad *Henricum* miſit, adductus admiratione inſignis ſapientiæ, & fortitudinis Henrici: quod hunc unum erigere, afflictas peneque collapſas Imperii, & contra barbaras gentes patriam vindicare poſſe, ex iis conſiliis & conatibus didiciſſet, quos, cum hoſtem eum habuiſſet, fuerat expertus. *Regin. Sigebert. Schaff. Urſp.*

11. Deinde fratri ſuo *Eberhardo* perſuaſit *Conradus*, ut quantumvis copiis militaribus, & ſplendore honoris præſtaret: tamen uni *Henrico* cederet, eique præſens præſenti inſignia Imperii deferret, ſeque ei commendaret, teſtatus, quod reipub. gloria fato quodam ad Saxones commigraſſet. *Aventin. 4. ann.* Et *Eberhardus* conſilium fratris ſecutus, inſignia Imperii *Henrico* detulit. En ſapientiæ veræ haud vulgare exemplum in præclaro Duce! qui, abjecta imperandi cupiditate, hæc ſua vota abſolvit; ut, ſine curis improbis mediocria poſſidens, vitam abſque damno & omni malo ageret. Non cupio, inquit, imperium, nec opto; ſed liceat mihi paucis rebus contento, ſine omni malo vivere. *Gradus* enim regiminis dicitur grandis honor, ſed grave pondus eſt. Unde *Bernhardus*: Quid eſt honor, niſi onus? Quid eſt potentia, niſi calamitas? Quid ſublimitas, niſi naufragioſa tempeſtas? Quis poteſt eſſe in honore ſine dolore? Quis eſt in prælatione ſine tribulatione? Quis in dignitate ſine vanitate? Prout refert *Valerius in lib. 7.* de illo Rege ſubtilis ingenii & conſilii. Cui cum eſſet traditum diadema, priuſquam capiti imponeret, retinuit diu ipſum, & conſiderans ait: *O nobile ſertum magis, quam felix! quantis ſollicitudinibus, & periculis plenum es tu?* Hinc recte inquit *Auguſtinus*: Nihil laborioſius, nihil difficilius, & nihil periculoſius, quam præeſſe. Quare *Eberhardus* prudenter fecit, quod ſua ſorte contentus, dignitatem Im-

perii non affectarit, ſed eam Henrico Aucupi lubens conceſſerit. Sic *Valerius lib. 7.* de Cornelio Scipione refert, quod cum ei Hiſpania ſorte veniſſet, dixerit, ſe nolle illuc ire, adjecta cauſa, cum, quid recte faceret, neſciret. Non enim ſe reputavit virum luculentum & ſufficientem tanto honori & periculo.

USUS.

Commendandæ ſunt in CONRADO tres virtutes, quas ante exitum vitæ declaravit.

I. GRATITUDO erga OTTONEM. Cum enim *Conradus* plus apud ſe valere memoriam beneficii, ab *Ottone*, patre *Henrici*, accepti voluerit, quam ut ulla iniquitas ſeu injuria ejus virtutem vinceret, grata hujus exempli memoria nobis eſſe debet.

II. CLEMENTIA erga HENRICUM Ducem Saxoniæ. Magnum antiquæ ac ſingularis virtutis exemplum *Conradus* Imperat. poſteris admirandum reliquit, quod *Henrico* Duci Saxoniæ, non ſolum culpam conjurationis remiſit; ſed & illum ſucceſſorem ſibi elegit, & proceribus Imperii commendavit. Vere ergo clementiæ memoria diuturnior eſt, quam quæ ab armis venit gloria, majoremque benignitas morum parit ſecuritatem, quam quæ omnia miſcet vindictæ inconſulta cupiditas.

III. PRUDENTIA *in Succeſſore eligendo*, quod nempe ſalutem publicam privatæ præpoſuerit, (ſicut antea dictum eſt) idque juxta Axioma Politicorum:

SALUS REIPUBLICÆ SUPREMA LEX ESTO.

Nam pulchre inquit Ariſtoteles: Oportet, inquit, publicorum publice exercitationem fieri, & ſimul non debet quiſque civis ſe ſuum exiſtimare: ſed omnes civitatis. Particula enim civitatis unuſquiſque eſt. Cura autem ſingularum particularum Reipubl. nata eſt ad curam totius. *Petr. Greg. Tholoſ. lib. 3. de Republ. cap. 5. pag. 198.*

Exempla.

1. Elegans hoc loco habemus exemplum in CONRADO I, Imper., ejuſque fratre EBERHARDO, quorum uterque ſalutem publicam privatæ antepoſuit: uti ex dictis patet.

II. THEODOSIUS MAGNUS Imp., cum Arſenio viro doctiſſimo filios in diſciplinam tradidiſſet, ſempiterna memoria dignum, & vere imperiale illud verbum proloquutus eſt: Si tales ſe præbituri eſſent, ut mores vitamque ſuam ad diſciplinam & Leges DEI componerent, propenſum ſe fore, ut eis Imperium in manus tradat, ad civium & ſubditorum commodum & utilitatem accommodatum: Sin minus, conducibilius eſſe, ut ſic privati vitam agerent, quam doctrina nulla cum periculo imperarent. *Niceph. Caliſth. lib. 12. cap. 23. Hiſtor. Eccleſ.*

III. HADRIANUS Imper. in Senatu frequenter dicere ſolebat, ſe ſic geſturum Principatum, ut ſciret rem populi eſſe, non ſuam privatam. *Dion.*

IV. Q. FABIUS Conſul Roman. patri ad ſe in caſtra venienti, non modo non aſſurrexit, nec obviam profectus eſt: ſed & ex equo deſcendentem inclamavit, (intelligebat enim ſe Conſulem eſſe;) Quia *patriæ potiora ſunt jura, quam parentum.* Nam cum Magiſtratus & patriæ, & totius publicæ moderationis curam gerant; quis dubitet, vel ampliores illis, quam patribus, honores habendos eſſe? cum etiam ſacroſancti cenſeantur: & vitæ habeant neciſque arbitrium. *Johan. Jov. Fontan. lib. 5. de Obed. pag. 40.*

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

CONRADUS Imper. hiſce rebus conſtitutis, placide diem ſuum obiit A. C. 919, anno imperii 7. *Aventin. lib. 4. Annal. Schaff. Contract. Trith.*

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

I. SEPULTURA. Cadaver Conradi in monaſterio Fuldenſi honorifice ſepultum eſt.

II. HENRICI *in Imperio ſucceſſio.* Supra diximus, quod *Conradus* Imp. inſignia Imperii ante mortem *Henrico* Duci Saxonum per fratrem *Eberhardum* miſerit. Oblatum igitur Imperium *Henricus* acceptavit, & à Principibus in Imperio eſt confirmatus. Ita Imperium à *Francis* ad *Saxones* devolutum eſt, qui ceu ex afflatu divino receptis animis, dilapſa & aliquoties direptionibus exſpoliata, devaſtataque cædibus, rudera recollegerunt & inſtaurarunt. *Hæc* conſiderantes, cogitemus de perpetua DEI in imperiis præſentia, deque juſtitia ejus, & immenſa miſericordia ac bonitate. Punit DEUS juſto judicio totas gentes & Principes ipſos colliſionibus inter ſe regnorum, mutuis Principum cædibus, & terrarum devaſtationibus. Ruſus cum interitura regna videntur, producit aliquos præſtantes viros ordine, qui aut res labantes fulciant ac ſuſtentent, aut collapſa reſtituant, ut conſervetur ſocietas humana, Eccleſiæ cauſa: quales fuerunt; *Henricus Auceps*, *Otto* I, *Otto* II, *Otto* III, *Henricus Sanctus*, & *Conradus Salicus.*

Conſideremus & *cauſas mutationum.* Non caſu, ſed certo DEI conſilio, tranſlatio Imperii ad gentem Saxonicam facta eſt. Siquidem ille tranſfert

regna

regna non tantum de gente in gentem, ſed etiam de ſtirpe in ſtirpem, cum propter peccata hominum, aliaſque cauſas, tum ne ſomniemus, regna poſteris neceſſario deberi lege & jure ſucceſſionis. Ideo quod majorum virtute acquiſita primum, & ab iiſdem longa annorum ſerie poſſeſſa ſint & adminiſtrata. Hæc opinio multos impulit ad bella non neceſſaria, in quibus perierunt ſæpe totæ familiæ: Sicut & Reges Francici fruſtra cum Saxonibus de recuperatione Imperii contenderunt, & tandem amiſerunt utrumque, & tota eorum poſteritas deleta eſt.

De hac tranſlatione Imperii à Francis ad Saxones ROSVIDA, virgo monialis Cœnobii Gandersheimenſis eruditiſſima, (quæ tempore *Ottonis Magni* vixit) tale Epigramma compoſuit:

Poſtquam Rex regum, qui ſolus regnat in ævum,
Per ſe cunctorum tranſmutans tempora regum,
Juſſit Francorum transferri nobile regnum
Ad claram gentem Saxonum, nomen habentem
A Saxo per duriciem mentis bene firmam:
Filius Ottonis, *magni Ducis & venerandi,*
Scilicet Henricus *ſuſcepit regia prima*
Juſto pro populo moderamine ſceptra regendo.

DYNASTIA SECVNDA
SAXONVM.

XI. IMPERATOR GERM.
HENRICVS
cognomine AVCEPS.

CAPVT I.
DE ORTV.

I. *Generatio.*

I. PATER fuit OTTO, Dux Saxoniæ, cui Principes, *Ludovico* IV. Imper. defuncto, propter inſignem prudentiam, qua pollebat, regnum obtulerunt; ſed ille per gravem ætatem ſeſe excuſavit, Imperiumque ad CONRADVM I. Ducem Franciæ Orientalis, conſentientibus Francorum, Saxonum, & Germanorum procerum ſuffragiis, tranſtulit, & eodem anno, nempe A. C. 912, Imperii *Conradi* primo, vitam cum morte commutavit. *Sigebertus.*

II. MATER fuit LVDGARDA, filia *Arnulphi* Imp. Vnde patet, quod dicti Imperatoris nepos fuerit.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN eſt HENRICVS, hujus nominis *primus.*

II. *Cognomen* AVCEPS, ſic cognominatus, quod per totam vitam *aucupio* & *venatione* mirifice delectabatur, & eo ipſo tempore, cum ei à Duce *Eberhardo* fratre *Conradi* primi Imp. inſignia & ornamenta Imperii afferrentur, aucupio intentus erat. Huc pertinet pulchrum Epigramma *Sabini:*

Fallere quod volucres laqueis viſcoque ſolebat,
AVCVPIS *aucupii nomen ab arte tulit.*

CAPVT II.
DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

1. Vxores.

VXores HENRICVS Imp. habuit *duas.*

I. PRIOR dicta fuit HATBVRGA, Comitis Oldenburgenſis filia. Hæc poſt obitum prioris Mariti monialis facta eſt, ſed *Henricus Aucceps* eam è cœnobio eductam matrimonio ſibi junxit. Poſtea autem cum ea divortium fecit, perſuaſus à *Sigiſmundo Halberſtadenſi* Epiſcopo, quod non poſſet eam in conjugio retinere, quoniam DEO conſecrata eſſet. Quod ex ſuperſtitione Papiſtica ortum traxit. Nam in Papatu pro magno habetur peccato, Monialem in uxorem ducere.

II. POSTERIOR fuit MECHTILDIS, filia DIDERICI Comitis in Ringell cum, quæ formoſiſſima, piiſſima & religioſiſſima fœmina erat.

II. Liberi.

I. EX PRIORE uxore unicum tantum tulit filium, nomine *Danckwerdum.*

II. EX POSTERIORE conjuge octo ſuſcepit liberos, tam maſculos, quam fœmellas.

1. *Maſculi hi fuere.*

1. OTTO, qui patri in Imperio ſucceſſit.

2. HENRICVS, cognomine *Rixoſus*, cui Otto, poſt mortem *Bertoldi* fratris *Arnolphi*, tradidit ducatum Bavariæ, filiis *Arnolphi*, Hermanno & Arnolpho, excluſis à Ducatu, ſed donatis parte Bavariæ, titulo Comitum in Sdjern / qua contentos eſſe

eſſe oportuit uſque ad *Ottonem Witelsbachium*, conditorem, ex eadem proſapia, ſtirpis Comitum Palatinorum ad Rhenum, & Ducem Bavariæ.

3. BRVNO. Hunc *Otto* frater fecit Archiepiſcopum Colonienſem.

II. *Fœmellæ, fuere quinque.*

I. MECHTILDIS, quæ Abbatiſſa Quedlinburgenſis facta.

II. GERBERGA, quam Henricus pater Giſelberto Duci Lotharingiæ dedit in uxorem: quæ conjunctio effecit, ut Franci à Lotharingia abſtinerent, quam bello erant repetituri.

III. ADELHEIDA. Hanc pater deſpondit Hugoni Magno, Comiti Pariſiorum; Hæc *Hugonem Capetum* genuit.

IV. RIXA, *Rudolphi* Ducis Bavariæ, Arnolphi filii, Comitis Altorfii, Ravenſpergæ & Ambergæ, uxor, & Comitiſſa Eberſteinenſis.

V. *Quinta*, quæ ab Hiſtoricis non nominatur, nupta fuit *Comiti* de Eberſtein in Suevia. *Chron. Hedionis. Chronic. Saxon. Pomeran. Chron. Spangenb. Philipp. Schafnab.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Supra diximus, quod CONRADVS I. Imper. moriturus, Imperium occidentis, multis modis laceratum, & tot cædibus ac graſſationibus funeſtum & miſerabile, tradiderit *Henrico Aucupi*, adductus admiratione virtutis & ſapientiæ, qua *Henricus* excelluit, quod hunc ſolum collapſis rebus opem ferre, & imperium erigere ac fulcire poſſe confideret, ipſique per fratrem *Eberhardum* inſignia & Imperii ornamenta miſerit. *Henricus* ergo oblatum imperium acceptavit, & à Principibus *Germaniæ* & *Franciæ*, Friſiariæ, acclamante omni populo, in Imperio confirmatus eſt. Cum autem hunc honorem declinare non poſſet *Henricus*, *coronationem* tamen ab Epiſcopo non admiſit, cum ſe indignum tanto honore judicaret; *Satis eſt*, inquit, *me, divina annuente gratia, veſtraque pietate, Regem dici: tanto honore nos indignos arbitramur.* Sit penes eos unctio, qui meliores eſſe cupiunt: hac ſumus appellatione contenti. Atque his dictis, manus in cœlum elevavit, & DEO ſe commendavit. Inde ingens à populo excitatus eſt clamor. DEVS *te cuſtodiat:* DEVS *te juvet, tibique adſiſtat! Cuſp.* Siquidem unctio ſignum eſt extrinſecum, & publici honoris ſolenniter delati teſtimonium. Quem titulum ſeu honorem *Henricus* niſi rebus præclare geſtis titulo tenus ſuſcipere noluit. nam, Πᾶς λόγος ἐπὶ μείζοσι, ὁ μὴ πεπλεσμένος ἔργοις h. e. Omnis ſermo, omniſque adeo titulus inanis eſt, niſi opere perficiatur. *lib.* 11. *Epigr. Græc.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

II. *ACTA TOGATA.*

I. Hic *Imperator* inſignibus virtutibus, utpote animi magnitudine, moderatione, manſuetudine, humanitate, pietate, prudentia atque felicitate excelluit. *Inde* etiam ſumma cum laude imperium adminiſtravit, cum non ſolum collapſas res Germaniæ inſtauravit, ſed & imperium plurimarum regionum adjectione amplificavit, *Eccleſiamque* propagavit, & munivit, atque inſtruxit utrumque accurate, ut non ſit dubium, & vocatum eum eſſe divinitus ad Imperium, & gubernatum atque adjutum.

II. *Henricus* Imperator *Marchiones* inſtituit:

1. *Danorum* Rege *Gormone* devicto, huic genti *Marchiam Sleſvicenſem* in Cimbrica Cherſoneſo oppoſuit præſidio firmatam, quod ad arma revertentem cohiberet atque arceret. Hic *Marchionatus* tamen poſtea in Epiſcopatum mutatus eſt. *Crantz.*

2. *Henricus*, expugnata urbe *Brandeburgo*, ſive arce Brenni, Henetorum urbe primaria, conſtituit MARCHIAM BRANDEBVRGENSEM: quæ de re ita ſcribit *Crantz. Vandal. lib.* 3. *cap.* 6. In noſtris (inquit) annalibus nomen *Marchionum* non legitur ante primum *Henricum* Saxonem Romanorum Regem, qui primus, domitis Danis, ad oppidum Sleſvicum, cum eo tranſtuliſſet Saxonum Coloniam, impoſuit regioni *Præſidem*, quem appellavit *Marchionem*, & illi regendos tuendoſque regni limites provinciam impoſuit, quaſi Duci limitaneo. Inde quoque cum, ordinata per illum prudentiſſime Saxonia, conſtituiſſet, qui agros colere, qui ſequi tenerentur militiam, cum quintum quemque, quatuor in agris remanentes, ſumtibus & armis expedirent, illumque durante militia alere juberentur: vires, quas perinde in *Vngaros* comparaverat, primum in *Vandalos* ſtatuit exercere, tirocinium hoc reputans majoris militiæ, duxitque in Metropolim gentis *Brandeburgum*, eamque obſedit per brumam in glacie, & oppugnavit conſtantiſſime, & exhauſtis obſeſſorum viribus, conſumtiſque commeatibus, etiam expugnavit, collocavitque in ea primus *Marchionem*, qui provinciam tuertur armis quæſitam, & augeſcere contenderet in diem, & quam Romani, ſimili ex cauſa, dixere *Provinciam*, ille appellavit *Marchiam*.

MAR-

MARCHIAM vulgo vocant Saxones diſtrictum unius villicationis aut ditionis. Inde Feld-marcke nomen duxere: Vt tum *Marchiam* dicerent *Saxones* eam provinciam, quam ſui juris eſſe, per arma ſunt conſecuti. Inde *Præſidi* nomen inditum, ut *Marchio* diceretur, qui illis jus diceret. *Hæc ille. Marchiam* hanc *Brandeburgenſem*, quæ nunc ſeptem dierum itinere expedito patet in longitudine, primus gubernavit *Sigefridus*, *Theodorici* Comitis in Ringelheim F., inveſtitus anno Chriſti 927. ab *Henrico Aucupe* affine ſuo. Ab hoc numerantur uſque ad familiam Comitum Stadenſium decem *Marchiones*, è quibus quatuor *Electores* exſtiterunt, quorum ſecundus *Theodoricus* à *Miſtovæ*, Henetorum *Regulo*, Marchionatu exutus eſt.

3. *Henricus* Imper. contra Bohemos, Polonos, Sileſioſque condidit *Marchias*, *Miſnenſem* & *Luſaticam*. *Marchiam Miſnenſem* commendavit uni ex poſteris Widechindi Junioris, qui beneficio ejuſdem Henrici tenuerunt præfecturam Soraborum ad Salam, Eliſtrum, Pleuſam & Albim, titulo Dominorum Bithyniæ & Sorbeci. *Marchiam Luſatiæ* Imperator *Henricus* tradidit *Gereoni* Comiti Stadenſi, qui Sigefrido Brandeburgenſi ſucceſſit. *Chron. Philippi.*

4. Ex Annalibus quoque Auſtriæ conſtat, *Marchiam Orientalem*, iiſdem temporibus, regnante videlicet *Henrico*, in Auſtria exortam eſſe. Nam deficiente Carolorum ſtirpe, cum Rudigerus quidam occupaſſet ſuperiorem Pannoniam, quæ tum temporis ad Francorum regnum pertinebat, ac non ita multo poſt ille ſine virili prole exſtinctus eſſet, *Henricus Aucceps* hanc Provinciam, à regno Francorum, veluti membrum à corpore, divulſam, attribuit *Leopoldo*, Principi Sueviæ, ſororis ſuæ marito, eumque Marchionem Auſtriæ nominavit. *Cuſpinianus.*

5. Conſtat etiam, *Henricum* Imper. adverſus Sorabos *Marchiam Landsbergenſem* inſtituiſſe, quam pervetuſtam eſſe certum eſt. *Philip. in Chronic. Trithemius.*

III. A. C. 928. *Henricus* Imper. ſollicitus de incurſione Vandalorum, Sclavorum & Hungarorum, contra Sclavos ad Albim ædificavit *urbem*, quam à rivulo ibi decurrente in Albim MISNAM appellavit, eam munivit, & Marchionatum (uti jam dictum) ibi inſtituit. *Fabric.*

IV. A. C. 861. BRVNSVICVM Saxoniæ civitas à *Brunone* Ludolphi Saxoniæ Ducis filio conditum eſt. Nomen habet à *Brunone*, & à ſinu excurrentis fluminis, quem Saxones ſua lingua Wieck appellant, & pars urbis hodie etiam vocatur Der alte wieck. Arcem in ea condidit *Tanquardus* frater Brunonis, quæ Danquarrode vocatur. Civitatem hanc auxit *Henricus Aucceps*, & ea pars vocatur *civitas nova*. Quintam partem urbis, quæ à Sylva nomen habet, *Henricus Leo* addidit. Templum primum ibi conditum eſt à Brunone & Tanquardo, quod eſt ad D. Jacobum. *Crantzius.*

V. Sanxit etiam *Henricus* Imper. ut primogenitis, præ cæteris fratribus & ſororibus, extra ordinem tribuerentur arma & bellica inſtrumenta parentis, Das Heer-geräte. *Receſſ. Imper.*

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum* contra *Burchardum.*

Henricus Anceps Imper. mox accepto Imperio in id incubuit, ut motus ſedaret inteſtinos, & Germaniam pacaret. Quare cum *Burchardus* Dux Sueviæ, *Rudolphi* Burgundiæ Regis ſocer *Henricum* pro Imperatore agnoſcere nollet, fretus affinitate cum *Rudolpho*, *Henricus* exercitum contra eum eduxit. Quo audito *Burchardus*, criſtas dimiſit, & fidelitatem Imperatori juravit. *Schafnab.*

I. *Bellum* contra *Arnulphum.*

Arnulphus Dux Bavariæ, defuncto Conrado I. Imper. à quo Ducatu erat pulſus, è latebris prodiit, in Ducatum reverſus, & à Bavariæ Ducibus Rex ſalutatus eſt. Quare cum Ducatum ordinaſſet, & exercitum collegiſſet, de *Henrico* Imper. dejiciendo conſilia inivit. Quibus auditis, Henricus ſtatim adverſus *Arnulphum* arma ſuſcepit, prudenter tamen, ducto jam exercitu in Bavariam, omnia prius conſilio, quam armis, experiri voluit. Itaque cum utraque acies in conſpectu jam dimicatura ſtaret, *Henricus* caduceatorem cum mandatis præmiſit, qui denunciaret, intereſſe Reipubl. ut *Arnulphus* ſolus cum ſolo, publicæ ſalutis cauſa, de ſummis utriuſque rebus ſecreto colloqueretur. Cum in colloquium *Arnulphus* veniſſet: Non te tam barbarum, inquit *Henricus* Imper., aut imperitum religionis noſtræ exiſtimo, quin plane intelligas, Regem non à fortuna temere dari, nec à fatis imponi, ſed à ſupremo cœli Numine conſtitui: cujus mandata qui non facit, is haud dubie cœlo, naturæque repugnat. Conditiones deinde concordiæ ipſi proponit, ut, quas poſtulaſſet Arnulphus, provincias omnes retineret, iiſque uteretur & frueretur, cum omni jure & utilitate; ſaltem nomine ac titulo Regis abſtineret. Conditionem accepit *Arnulphus*, & exinde fœdus connubio liberorum confirmavit: & ſic abſque vulnere & armis diſceſſum eſt. *Aventin. 4. ann. Schafnab.*

III. *Bellum* contra *Carolum*, Regem Franciæ.

A. C. 921. *Henricus* Imper. bellum movit *Carolo* Francorum Regi de Lotharingia; Verum *Carolus Henrico* cum exercitu adventanti Lotharingiam conceſſit, & inſuper aliis præſtantibus muneribus eum donavit. *Frodoard.*

IV. *Bellum* I. contra *Hungaros.*

1. *Bellum* geſtum A. C. 922. Circa quod tria ſunt notanda:

I. ORTVS.

Hungarorum in Germaniam irruptio. Hungari, cum Imperator *Henricus* nollet tributum dare, quod olim *Ludovicus IV.* & *Conradus* Imper. pepigerant, magno cum exercitu in Germaniam irruperunt, & in Sueviam excurſionem fecerunt, deinde in Lotharingiam & Galliam tranſiverunt: revertentes inde ad Wormatiam, per Haſſiam & Thuringiam in Saxoniam venerunt, & Magdeburgum funditus devaſtarunt. Inde trans Albim tranſeuntes, Bremenſes obſederunt, expugnarunt, ignique tradiderunt.

II. PROGRESSVS.

HENRICI *in cohibendis Hungaris provida moderatio.* Imperator, cum eſſet Hungarorum viribus impar, eis ſtatim occurrere non potuit: nihilominus tamen omnibus belli artibus eos cohibere tentavit, & tandem eorum Duces aliquot cepit.

III. EGRESSVS.

Pacificatio. Cum hoſce captivos vinculis Hungari liberari vellent, promiſerunt Imperatori pacem per novem annos, ſi mitteret annua munera, & ſic ex Germania diſceſſerunt. *Spangenb.*

Bellum II. contra *Hungaros.*

1. *Bellum* geſtum A. C. 933. Circa quod itidem tria ſunt notanda:

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

1. *Henrici de bello contra Hungaros conſultatio.* A. C. 932. *Imperator* comitia egit, & cum Statibus Imperii conſultavit, cum novennales induciæ cum Hungaris eſſent finitæ, & ipſi procul dubio majus tributum poſtulaturi, quid agendum? Reſpondetur ipſi à Statibus, Bello ipſis reſiſtendum, cum DEI gratia Germania armis floreat, viriſque.

11. *Hungarorum poſtulatio, & contumelioſa tractatio.* Non multo poſt Hungarorum legati advenerunt, & poſtularunt non ſolum munera annua, ſed etiam peculiare tributum. Verum non tantum omnia ipſis negata, ſed etiam ludibrio habiti ſunt, oblato cane villatico, ſcabioſo & tonſo. Ideo bellum minati ſunt.

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Hungarorum in Germaniam expeditio, eorumque profligatio. Cum *Hungarorum* Legati tam contumelioſe ab *Henrico* Imper. eſſent excepti, A. C. 932. ingenti collecto exercitu in Germaniam profecti ſunt: auxilia inſuper Sclavorum aſſumſerunt, & omnia ferro flammiſque vaſtarunt, fœminas in captivitatem abduxerunt cum pueris, viroſque, quos capere potuerunt, occiderunt. Cum hoſtilis Hungarorum impreſſio & ſævitia nunciaretur, *Henricus* Imperator graviſſima valetudine detinebatur: nihil tamen abſterritus, validiſſimum quatriduo collegit exercitum; ipſeque, licet corpore invalido, animo tamen obfirmatus, equo conſcenſo hoſtibus obviam proceſſit ad *Merſpurgum*, votumque DEO faciens, ſe parta victoria, omnem hæreticorum blaſphemiam & ſimoniam radicitus è regno ſuo exſtirpaturum, magna clade immenſas hoſtium copias affecit, amplius quadraginta millibus eorum internecione deletis, reliquis, qui fuga evaſerant, Germania ejectis. In quo prælio inſignis fuit *Imperatoris* & pietas & fortitudo. Nam cum jam Hungaris ſe eſſet oppoſiturus, nunciatur ei, Hungaros immenſa ſtrage facta circa *Merſpurgum* conſediſſe, ingentem prædam congeſſiſſe, uxores & liberos Germanorum rapuiſſe, magna virorum multitudine trucidata. Sed ecce, *Imperator*, licet corpore tum ſatis firmo non eſſet, tamen nihil periculis motus, ipſemet in aciem progreſſus eſt, ſuos, ut pro aris & focis fortiter dimicarent, exhortatus, horribilique & barbaro clamore Hungaris irruentibus, cum ſuis *Kyrie eleeſon* cecinit, fretuſque præſentis Numinis auxilio glorioſam de hoſtibus victoriam reportavit, prædamque omnem recuperavit.

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

1. ELOGIVM. *Henricus* Imperator poſt tantam ab Hungaris reportatam victoriam, quod Germaniæ populos à tributis Hungarorum vindicaſſet, eaque tributa ad uſus divinos & pauperum convertiſſet, nominis celebritatem maximam adeptus, *Pater Patriæ* paſſim à cunctis appellatus eſt, & ab omnibus gentibus ac Regibus in honore habitus.

11. Mo-

II. MONVMENTVM. *Henricus* Imp. ob hanc insignem victoriam Principibus, à quibus summa fide adjutus erat, convivium splendidum Gottingæ in Saxonia apparavit: & in memoriam tantæ rei gestæ, A.C. 933, instituit ludos cataphractorum equitum in Germania. Hosque ludos sive torneamenta Imper. privilegiis & libertatibus confirmavit. Leges ludorum recenset Spangenbergius, ad quem Lectorem remitto. Prima ludorum solennitas Magdeburgi celebrata est, quibus *Henricus* Imperat. ipse interfuit, & ibi 974 galeæ repræsentatæ sunt. *Regino. Sigeb. Marian. Spangenb. Chron. Hedion. Crantz.*

V. *Bellum* contra *Vandalos.*

I. A.C. 925. *Henricus* Imper. exercitum eduxit contra Vandalos ad Suevum, Oderam, & Havelum fluvios, nec infeliciter res gessit, & in tantas angustias eos redegit, ut tandem in urbem Schörlitz/ quæ hodie *Brandeburgum* est, se conferrent, ubi sperabant se imperatori resistere posse. Sed Imperator factis castris ineunte hyeme, cum palustria illa loca glacie concreta transire posset, eos adeo afflixit, ut se dederent. Quo vero Vandalorum excursiones prohibere posset, Marchionem urbi præfecit Sigefridum Comitem Ringelheimensem, qui primus Marchio Brandeburgensis factus est. *Crantzius.*

II. A.C. 927. HENRICVS Imp., cum *Vandali* Sorabi quiescere non possent, expeditionem in eos suscepit, & vastatis illorum regionibus urbem Grünaw infra Ilenburgum obsedit tribus septimanis, & tandem vi cepit; ubi præter impuberes omnes occisi sunt, urbs direpta & excisa. *Idem.*

III. Non multo post Vandali, dum Henricus Imper. alibi fines tutaretur, Saxoniam vastarunt. Quare contra eosdem Duces suos, Bernhardum Ducem Luneburgensem & Comitem Witthinensem cum magno exercitu misit, qui Vandalorum ad mare Balthicum ad 120000 trucidarunt.

IV. Anno C. 934. *Vandali Obetriti*, dum Imp. Henricus è bello Hungarico reversus Gottingæ commoratur, conjurant inter se, & Præfectos Episcoposque suos trucidant. Ideo Imperator primo vere in eos movet. Vandali belli immemores, sponte se offerunt ad pœnam, si peccasse se demonstretur, & de cæde horum ita se excusant, ut Imperator juste eos cæsos pronunciaret. *Idem.*

VI. Contra *Danos*, *Sclavos*, *Dalmatas*, & *Bohemos.*

HENRICVS Imperat. expeditionem quoque suscepit contra *Danos*, & devicto eorum Rege GORMONE, Marchiam (de quo supra dictum) Slesvicensem condidit. *Sclavos* subegit, *Dalmatas* tributarios fecit. *Bohemos*, expugnata urbe Praga, & capto eorum Duce Wenceslao imperii legibus subjecit, sibique vectigales fecit.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. *Henricus Auceps* pius & religiosissimus Imperator fuit, nihilque prius habuit, quam ut DEO propitio pacem orbis terrarum ac veræ religionis cultum tueretur.

II. Domitis Henetis & Sorabis Ecclesias condidit, ut gens Heneta, quæ à religione Christiana erat aliena, recte de DEO erudiretur, & ad pietatis atque humanitatis cultum assuefieret. *Chron. Phil.*

III. Episcopatum Brandeburgi instituit. Primum item Episcopum in Holsatia collocavit, qui Catechismum ibi docuit. Præterea condidit Ecclesias, Misnensem, Brandeburgensem & Havelbergensem, sed plerasque ab ipso tantum inchoatas Otto primus filius absolvit. *Ibidem.*

IV. Regem *Obotritarum* ad Christianam fidem ab Henrico Imperatore conversum tradunt Historici: Unde & ipsius subditi ad Christi agnitionem salutarem pervenerunt. *Contract. Sigebert. Chron. Cass.*

CAP. III.

DE EGRESSV.

HEnricus Imper. pacata Germania, cum constituisset in Italiam proficisci, correptus est apoplexia, quæ in paralysin desiit. Ea recrudescente, cum OTTONEM filium natu maximum Imperatorem designasset, Memslebiæ in cœnobio, quod uxor ipsius exstruxerat, A. C. 936, die 2 Julii obiit, anno ætatis 60, imperii 17, mens. 6. Ingenti hominum luctu *Quedlinburgi* in cœnobio, (quod ipse fundaverat, ubi & filiam suam Mathildem Abbatissam fecerat) sepultus est. *Crantz. Luitp.* &c.

XII. IMPERATOR GERM.

OTTO I, cog. MAGNUS.

CAPVT I.

DE ORTV.

Generatio.

I. PATER fuit Imper. HENRICVS AVCEPS.

II. MATER fuit MECHTILDIS, quæ fuit Diderici Comitis Ringelheimenſis filia. Ex hiſce parentibus natus eſt *Otto* : uti in præcedenti hiſtoria diximus.

II. *Appellatio.*

1. NOMEN. Dictus fuit *Otto*, hujus nominis *primus*. OTTO ab Ebraica voce אב Pater. Chaldæis & Syris dicitur אבא. Arabibus Aba. Hinc *Atta* apud Feſtum, quæ vox eſt Theſſalica. Ab Abba vel Atta eſt *Otto* & *Ottilia*. Latini aſpirationem omiſerunt, pro *Hatto*. Unde patet, quod tres Imperat. *Ottones* debuiſſent *Hattones* appellari, juxta verſum:

HATTO, *poſt* HATTO, *regnavit tertius* HATTO.

Eſt autem OTTO idem quod Pater benevolus, propitius, juvans & auxilians: Nam אב Pater, dicitur à rad. אהה, voluit, affectum & propenſionem habuit. Et hoc nomen habuit omen, h. e. *Otto* I. illud reipſa implevit, ut ex cognomine ejus patebit.

II. COGNOMEN. OTTO I, cognomine dictus fuit MAGNVS, quod ei peperit rerum geſtarum amplitudo, quas pace belloque pacata Germania, & regnis externis, confirmato imperio, & Eccleſiis plurimis fundatis, feliciter confecit. Eſtque hic heros ille *magnus*, quo poſt Carolum Magnum Germania vix habuit præſtantiorem, cujus virtute admirabili imperium convulſum, & labefactatum, erectum, & inſtauratum eſt: cujus adventu Italia ex hoſtium faucibus erepta & pacata: cujus authoritate Pontificum perfidia repreſſa eſt: cujus præſidio Germania à tumultibus conquievit: cujus induſtria hoſtes exteri fracti ſunt, & domiti: cujus opera pax & libertas imperii reparata & aucta: cujus denique ſtudio & vigilantia religio Chriſtiana diſſeminata, & ad exteras gentes propagata eſt, totuſque Chriſtianus orbis reſpiravit. Idcirco nomen ejus *magnum*, inprimis DEO carum & acceptum, cunctiſque mortalibus admirabile eſt.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ.

OTTO inſignibus corporis & animi dotibus præditus, & tam lætæ indolis fuit, ut ab omnibus *Amor mundi* diceretur: & re ipſa poſtea ſe verum mundi amorem eſſe, in imperio evidenter demonſtravit. *Chronic. Hedion. Spangenb.*

II. *ACTA OECONOMICA.*

I. Uxores.

Uxores habuit *duas*.

PRIOR dicta fuit EDITHA, Edmundi Anglorum Regis filia. Hanc *Otto* primus ex conſilio parentis matrimonio ſibi junxit A.C 932. Mortua eſt A.C. 947, die 27 Januarii, & ſepulta Magdeburgi in cœnobio Johannis.

POSTERIOR fuit ADELHEIDA, filia *Rudolphi*, Regis Burgundorum, LOTHARII Regis Italiæ, (qui anno C. 950, peritus veneno, in phreneſin incidit, & mortuus eſt anno regni quarto) *vidua*, quam Otto in uxorem duxit A. C. 951.

II. Liberi.

Ex PRIORE conjuge ſuſcepit *duos filios*; LVDOLPHVM Sueviæ Ducem, & WILHELMVM Epiſcopum Moguntinum: & *duas filias*: LVDGARDAM, quam pater deſpondit CONRADO, Duci Francorum, viro bello paceque cognito; & MECHTILDIM, quæ Quedlinburgi Abbatiſſa facta eſt.

Ex POSTERIORE uxore *tres* ſuſcepit *filios*: 1. HENRICVM. 2. BRVNONEM. 3. OTTONEM ſecundum, qui patri in imperio ſucceſſit: & filiam ADELHEIDAM, quam in uxorem tradidit *Hugoni Capeto*, Comiti Pariſiorum, Regi Franciæ. *Chronic. Philippi & Hedionis. Spangenb. Chronic. Funccii, fol.* 138.

III. Vita Oeconomica.

Otto I. Imper. magnifice & ſplendide vixit. Nam ſingulis ſeptimanis in cibum aulicum 1000 porcis, 28 tauris, 1000 modiis frumenti, 8 plauſtris vini, 10 plauſtris cereviſiæ uſus eſt: exceptis oleribus, piſcibus, ovis, gallinis, carnibus ferinis, butyro, adipe, lardo & caſeo. *Erneſtus Brotuffius lib.* 2. *Chron. Magdeburg. cap.* 1.

IV. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

1. HENRICVS AVCEPS hunc OTTONEM I, filium natu maximum, moriturus ſucceſſorem in imperio declaravit, eumque hiſce verbis allocutus eſt: *En tibi Imperium, non à majoribus mihi relictum, ſed per memetipſum acquiſitum, & à* DEO *traditum*. Wittich. lib 2.

OTTO igitur patre defuncto à Principibus imperii confirmatus, & Aquiſgrani ab Epiſcopo Mo-

Moguntino coronatus eſt A. C. 936. Coronationem ejus Chronicon Hirſgavienſe, his verbis deſcribit: A. C. 936, indict. decima. OTTO primus per manus *Hildeberti* Archiepiſcopi Moguntini Aquiſgrani in Regem unctus eſt. Qui accedens ad altare, & ſumens inde *gladium* imperialem cum baltheo, converſuſque ad Regem, ante ſe genua flectentem, dixit: Accipe hunc *gladium*, in quo dejicias omnes Chriſti adverſarios, barbaros & malos Chriſtianos, tibi authoritate divina traditum, cum omni poteſtate totius Imperii Francorum, ad firmiſſimam pacem omnium Chriſtianorum. Amen. Deinde ſumtis *armillis* & *chlamyde* induit eum, dicens: His cornibus humerotenus demiſſis, moneris, quo zelo fidei fervere debeas, & in tuenda pace uſque in finem conſtans perſeveres. Exinde ſumto *ſceptro baculoque*, dixit: His ſignis monitus eſto, quatenus paterna caſtigatione ſubjectos corripias, primumque te DEI miniſtris, deinde etiam viduis, orphanis & pupillis protectorem ac defenſorem ſemper exhibeas, eiſque manum miſericordiæ clementer porrigas. Poſt hæc fuſo ſuper caput ejus *oleo* conſecrationis, ait: Unxit te Dominus in Regem ſuper populum ſuum, ut nunquam de capite tuo oleum miſerationis deficiat, quo hic & in futuro ſeculo miſericordiam ab ipſo creatore tuo conſequaris. Amen. Poſtremo impoſuit capiti ejus *regalem Coronam*, dicens: Coronavi te corona juſtitiæ, qua moneris, te miniſtrare juſtitiam debere ſubditis, ut hoc ornamento regali præmunitus, & tuis reverendus, & inimicis terribilis appareas, & poſt hujus vitæ terminum ſempiterno cum Angelis præmio coroneris. Amen.

II. Anno C. 962. *Otto* Romam venit, ubi honorifice exceptus, & acclamatione totius populi Romani & Cleri à *Johanne* XII. Papa coronatus, & Imperator atque Auguſtus appellatus. *Contract. Volaterranus.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

I. OTTO Imperium ſumma cum laude adminiſtravit, &, ut ſupra diximus, *Princeps* fuit, quo poſt *Carolum Magnum* Germania vix habuit præſtantiorem. Nam inſignibus excelluit virtutibus, utpote pietate, prudentia, fortitudine, moderatione, felicitate, juſtitia, liberalitate, beneficentia, humanitate & manſuetudine, cujus præclarum erga fratrem *Henricum* declaravit exemplum. Cum enim undique bella domeſtica in eum commoverentur tanta, ut videretur Europa in perniciem Imperatoris conſpiraſſe: *Henricus* quoque frater ſpe regni accenſus, ſeditioſa adverſus eum arma expedivit. Verum cum aliquot præliis victus, omnibus rebus ſe deſtitutum videret, aſſumtis aliquot Epiſcopis, de improviſo ad *Imperatoris* fratris ſui genua procidit, ſupplexque veniam ab eo petiit. Epiſcopi quoque pro virili quiſque ſua pro eo intercedunt. *Imperator* primum quaſi attonitus, aliquantiſper tacuit. Tandem in hæc verba erupit: Qua in re, frater, à me offenſus, animo adeo exaſperato funeſtum prorſus adverſus me bellum concitaſti? Implacabilis fuit hactenus furor tuus, nec ullum veniæ, quam ſæpe ultro tibi obtuli, locum dedit. Propter quam contumaciam tuam, licet nulla ſis venia dignus, attamen non quid tua mereantur facta, ſed quid fratrem & Regem deceat, ſpectabo, depoſitiſque inimicitiis, te ut fratrem amplectar. Hiſce dictis fratrem ſublevatum oſculatur. Poſtea eum aliquot Lotharingiæ civitatibus præfecit, ac tandem poſt mortem *Bertholdi* Ducis Bavariæ, qui A. C. 947 abſque liberis deceſſit, ei ducatum *Bavariæ* attribuit, omniaque amoris officia ſedulo cum ipſo coluit. *Henricus* contra per totam vitam gratum ſe erga Imperatorem præbuit. Hujus *Henrici* cognomento *Rixoſi*, nepos fuit *Henricus Sanctus* Imperator.

II. An. C. 939. MAGDEBVRGVM civitas Imperialis, in dotem data *Editha* conjugi, ab *Ottone* Imper. inſtaurata, & privilegiis & libertatibus donata eſt. Anno ſequenti fundatum eſt BERGENSE Monaſterium prope Magdeburgum. *Trithem. Eber. in Calendar. Sigebert.*

III. Eodem tempore *Jus Saxonicum* etiam conſtitutum eſt & confirmatum: in eo quæſtio deciſa, quod nepotes patris ſui defuncti loco hæreditatem avi ſui adire poſſent. *Crantzius.*

IV. *Ottonis Magni* Imper. induſtria multa monaſteria inſtaurata, ampliata & ædificata ſunt. *Sigeb. Friſing.*

V. Cum A. C. 946, animi gratia, Imperator feras ſectatus fuiſſet, lapſu periculoſiſſimum vulnus accepit, ideo de vita deſperans, communi ſuorum conſenſu honoris & laboris conſortem elegit LVDOLPHVM filium, eumque ſucceſſorem deſignavit: quod dum poſtea mutavit, magna bella ſuſcitata ſunt. *Luitpr. Dithmarus.*

VI. Cum Imper. in Italiam cum exercitu contra *Berengarium* eſſet profecturus, antequam iter ſuſciperet, filium *Ottonem* ſeptem annorum declaravit Regem, ſibique ſucceſſorem, ac juſſit ipſi tribui Aquiſgrani inſignia Imperii, eumque per abſentiam ſuam BRVNONI & GVILHELMO Archiepiſcopis commendavit.

NOTA.

BRVNO hujus *Ottonis* I. Imp. frater germanus fuit, qui quadrimus puer *Baldrico* Trajectenſi epiſcopo eruditus traditus eſt. In eo ſtudiorum exercitio in proſa & ligata oratione, tam in Græcis, quam Latinis literis, & non modo in Poëſi, verum etiam in Philoſophia & Theologia adeo excelluit, ut omnibus eſſet admirationi. Quare propter prudentiam, aliaſque virtutes, inprimis juſtitiam, in aulam (adhuc propemodum adoleſcens) vocatus eſt. Cum autem progreſſu temporis Epiſcopus *VVigfridus* rebus humanis exemtus eſſet, Reſpubl. Colonienſis deſtituta fideli paſtore, legatione ſplendida BRVNONEM ſibi præfici petiit. Aſſenſit Imper. *Otto*, eique non modo Colonienſem Archiepiſcopatum, verum etiam Lotharingiæ gubernationem commiſit, ita ut ſimul & Eccleſiæ, & adminiſtrationi Ducatus Lotharingiæ præeſſet. Tandem in Gallia in morbum incidit, ac moriturus Eccleſiæ Colonienſi bona ſua teſtamento legavit. Luxui infenſus fuit, habitum minime faſtuoſum uſurpavit, & exemplo ſuo Clericos ad humilitatem & modeſtiam invitavit. Monaſteria exſtruxit, templa ruinas minitantia reſtauravit. *Crantz. VVitichindus, Rogerius.*

VII. OTTO Imper. præcipuum quendam honorem habuit WENCESLAO Bohemorum Principi, adeo ut poteſtatem ei petendi concederet, quicquid petendum ſibi putaret à Cæſare. Exiſtimabat autem Cæſar, glorioſa eum & ambitioſa petiturum. At hic brachium D. Viti ex Gallia ſub *Ludovico Pio* Imper. Corbeiam in Saxoniam tranſlati, magnaque religione in Bohemia culti petivit: Deinde Sigiſmundi quoque Burgundiæ Regis, propterea, quod Vandalicæ nationis fuerat, reliquias ſibi dari poſtulavit. Ad quæ poſtulata *Imperator*, ſubridens: Feres tu, inquit, primo quoque à reditu noſtro in Saxoniam tempore, quas habere cupis reliquias: interim dona Imperatore digna à nobis accipe, regium inprimis decus, quo te ex dignitate tua merito decoramus: deinde tributo abſolvimus. Juſſit poſtremo & inſignia ſua *Wenceſlaum* ferre, fuſcam aquilam in clypeo candido. Facile hoc, & illud alterum de tributo amplexus eſt *Wenceſlaus*: ſed idem caput ſuum diademate cingi, ſeque Regem ipungi, aut Rex à ſuis appellari nullo modo ſuſtinuit; quanquam ab *Imperatore* atque aliis Regibus & Principibus Rex in epiſtolis ſalutaretur. *Dubravius lib. 5.*

NOTA.

In hoc exemplo dubitare quis poſſet, *clementiæ* ne major, an *modeſtiæ* laus in hoc certamine fuerit. Prudenter ſane Imper. ſuæ virtutis maximum & excellentiſſimum decus ac ornamentum poſteris admirandum exſtare voluit, recte cenſens, cætera ſua facta non æque æſtimari, quorum partem ſibi fortuna vendicat, & quæ cum multis aliis Ducibus ſunt communia. Deinde novum imperium inchoantibus utilis eſt *clementiæ* fama. *Corn. Tacit. 4. hiſtor.*

VVenceſlaus autem ſua *modeſtia*, & ſolidam invenit gloriam, & ſuæ familiæ acquiſivit regnum, eo ipſo virtutis præbens ſignificationem, quod rem invidioſam, nomen Regis, detrectavit, ne forte ſe accepto honore parum exhiberet dignum: quippe non in ſella ipſa faſtigium dignitatis, ſed in operibus ſitum eſt, quæ illam minime dedecorant, ait Pertinax Imper. apud *Herodian. lib. 2.*

II. *ACTA SAGATA.*

OTTO Imper. multis difficultatibus toto Imperii ſui curſu fuit objectus. Hoſtes enim habuit ab initio ſui imperii uſque ad finem. Inprimis autem initia gubernationis difficilia habuit & periculorum plena, ſiquidem tanta bella commota ſunt, ut videretur tota Europa in caput, perniciemque Ottonis conſpiraſſe. Nam conati ſunt eum de imperio dejicere: Liberi *Arnulphi* Ducis Bavariæ: TANQVARDVS frater ipſius ex priore *Henrici Aucupis* Imper. uxore, ſive, ut alii volunt, ex concubina natus: EBERHARDVS Franconiæ Dux: HENRICVS, hujus Ottonis frater: *Ludovicus Tranſmarinus*, *Caroli Simplicis* filius, Rex Franciæ: HVGO, Comes Pariſienſis, qui jactabat ſe à Carolo Magno genus ducere: CONRADVS, cognomento *Sapiens*, Imperatoris gener: & item *Ottonis* filius LVDOLPHVS, qui offenſus nuptiis parentis, quod Adelheidam *Lotharii* viduam, captivam liberaſſet, & in uxorem duxiſſet: BERENGARIVS, ejuſque filius ALBERTVS. Præter hos inimicos conjuratos, & (cum exercitibus) jugulum Imperatoris petentes, etiam *Hungari* cum ingenti exercitu in Germaniam irruptionem fecerunt, omniaque longe lateque vaſtarunt. Hos adverſarios ſuos OTTO Imper. armis compeſcere neceſſe habuit, omneſque mira felicitate ſuperavit. Tot autem modis laceſſitus, nihil ſevere crudeliterque ſtatuit; ſed victis, ſi modo veniam peterent, ipſique fidelitatem jurarent, clementer ignovit ac pepercit, deleta ex animo omni offenſionum memoria; quod inprimis magni & heroici animi argumentum fuit.

Στρεπτοὶ γὰρ φρένες ἐσθλῶν, inquit *Homerus.*

Et:

Quo quiſque eſt major, magis eſt placabilis ira,
Et faciles motus mens generoſa capit. Ovid.

1. *Bellum Germanicum*, contra *Tanquardum* & *Henricum* fratres, eorumque *Socios.*

1. Cum SIGEFRIDVS *Marchio Brandenburgenſis* A. C. 937, nullo relicto hærede deceſſiſſet, *Tanquardus Ottonis* Imper. frater ejus provinciam occupare conatus eſt, ſed *Otto* prætulit *Geronem* Comitem. Quare *Tanquardus* iratus fratri ob ereptum

ptum Marchionatum, fœdus inivit cum *Eberhardo Palatino* contra Imperatorem, & contracto exercitu ſimul cum eo *Bardevicum* urbem (ubi Imperatoris frater *Henricus* erat) expugnarunt & diripuerunt & Eberhardus Henricum captivum in Palatinatum abduxit: quibus injuriis Imperator commotus, movit in *Tanquardum*, in Saxoniam, & *Eresburgum*, vel (ut alii malunt) *Brandeburgum*, ubi erat *Tanquardus*, ſtatim in deditionem accepit. *Tanquardus* in templum, ſecuritatis cauſa, fugit; ſed à militibus iratis, inſcio *Ottone*, confoſſus, multi capti, & qui autores viti rebellionis, capitis damnati ſunt. *Eberhardus* his ſucceſſibus *Imperatoris* territus, *Henricum* ſpe regni incenſum dimiſit, & cum ad bellum imparatus eſſet, pro pace, hortatu Epiſcopi Moguntini, ſupplicavit apud Imperatorem, quam etiam impetravit: & quidem *Otto* aliquandiu eum captivum tenuit, ſed non multo poſt in priſtinam dignitatem & ſtatum reſtituit. Ita *Henricus* frater etiam in gratiam receptus eſt. *Luitp. Vrſp.*

II. EBERHARDUS Palatinus ſtatim anno ſequenti, (nempe A. C. 939) quo ab *Imperatore* in gratiam erat receptus, ad vomitum rediit, & fœdus contra Imperatorem fecit cum HENRICO fratre Imperatoris, aſſumto *Giſelberto* Lotharingo, & Epiſcopo Moguntino & Argentinenſi. Convenerunt Salfeldiæ, ubi omnia juramentis confirmata ſunt. *Imperator* igitur cum rebelles exercitum cogerent, adverſus eos proficiſcitur; rebelles vero trans Rhenum erant: eo tendit etiam *Imperator*: ſed paucæ tantum aderant naves, quibus tranſvecti fuerunt *Ottonis* milites fere 200. Hoſtes occaſione uſi hoſce invadunt, quibus jam ſubſidia mitti non poterant. *Otto* hæc, ſuos nempe in ipſa morte conſtitutos, videns, equo deſilit, cum exercitu ardentes preces DEO adhibet; quibus non minus quam armis ipſis hoſtes vicit & fregit. Nam milites in binas cohortes ſe diviſerunt, quarum altera à tergo in hoſtes irruit, atque adeo tantum exercitum terruerunt, ut fugam caperet. *Henricus* frater Mersburgum evaſit: ubi obſeſſus ab Imperatore, & urbe capta elapſus, cum triginta dierum inducias impetraſſet, A. C. 941, Rebelles Imp. *Ottonis* inſtaurarunt bellum in Lotharingia, magnumque exercitum contraxerunt. Ab his tum etiam *Ludovicus Tranſmarinus, Caroli Simplicis* filius, Rex Franciæ, in auxilium accitus ſpe recuperandæ Lotharingiæ Alſatiam invaſit. *Otto* ergo univerſas copias in Alſatiam duxit: ubi, cum ex caſtris Imperatoris Epiſcopi Moguntinus & Argentinenſis ad hoſtes transfugerent, eiſque omnia proderent, multi ab *Imperatore* defecerunt. Nec mora; *Eberhardus* & *Giſelbertus* prædas egerunt prope caſtra Imperatoris, & re bene geſta epulati ſunt; ſed prodebantur à ſpoliatis agricolis, ac XX tantum equites Imperatoris in illos irruerunt, *Eberhardumque* trucidarunt, & *Giſelbertus* fugiens in Rheno ſubmerſus eſt. *Rex Galliæ* pœnitens facti pacem ab *Ottone* petivit: cum quo Imperator tranſegit, atque ut pacta firmiora eſſent, dedit ei in uxorem ſororem ſuam *Gerbergam*, viduam *Giſelberti*, quæ peperit filios *Lotharium* Regem Franciæ, & *Carolum* (beneficio *Ottonis*) Ducem Lotharingiæ. *Henricus* autem frater Imperatoris, cum bello nihil efficere poſſet, fraude fratrem circumvenire aggreſſus eſt. Emiſit enim nonnullos, qui *Ottonem* A. C. 941. Quedlinburgi ipſo feſto Paſchatis nihil mali timentem, interficerent. Sed detecta fraude, in ſicarios inquiſitum eſt: qui etiam comprehenſi, & gladio percuſſi ſunt. *Henricus* igitur, rebus omnibus deſperatis, eodem anno ſpe veniæ impetrandæ Francofurtum venit, ubi *Imperator* natalitia Chriſti celebrabat, & mane fratri templum adeunti inermis & atratus occurrit, ſeque ad pedes ejus ſupplicem projecit, (de quo ſupra prolixius diximus) veniamque delicti, & una ducatum Bavariæ conſecutus eſt. Ab eo tempore fidus fuit fratri per totam vitam. Epiſcopi vero conjurationis ſocii monaſteriis incluſi ſunt. *Widich. Fabric. Chron. Philippi.*

II. *Bellum Bohemicum.*

Cum Imperator hiſce bellis eſſet occupatus, BOLESLAVS Dux in Bohemia, trucidato fratre *Wenceſlao*, quod ad Chriſtianos tranſiiſſet, arma expedivit in Imperatorem, & vicinos ſuos in Imperio incurſionibus vaſtavit. Hi vero, cum manu ſe vindicare non poſſent, *Ottonis* auxilium imploraverunt. Miſit ergo Imperator ad eos defendendos *Eſiconem* Aſcaniæ Comitem cum exercitu. Qui cum ad prælium eſt ventum, primum quidem *Bohemos* fugavit, & fudit: aſt paulo poſt incautus ab illis oppreſſus eſt, & cum omnibus ſuis copiis deletus. Sed *Imperator* ipſe non multo poſt expeditionem contra Bohemos ſuſcepit, magnam partem eorum cecidit, reliquos tributarios fecit A. C. 937, & in Germaniam victor reverſus eſt. Sed *Boleſlaus* ex prima Imperatori illata clade tantos ſpiritus concepit, ut bellum ſæpe renovatum produxerit in annum decimum quintum, (A. C. 952.) donec tandem diuturnitate fractus, *Imperatori* ſupplex factus in gratiam receptus eſt. *Chron. Philip. Fabric.*

III. *Bellum Hungaricum.*

1. A. C. 937. *Hungari* in Saxoniam irruerunt, & diviſis copiis undique eam vaſtarunt: ſed cives

jam

jam cum agricolis aſſuefacti armis, eos ita exceperunt, ut pauciſſimi in Hungariam redierint, cum ex omnibus pagis & oppidis armis appeterentur.

11. Tandem A. C. 955. *Hungaros* iterum Germaniam infeſtantes *Otto* Imper. cruento prælio ſuperavit, roburque eorum ita imminuit, ut redire non ſint auſi. Quam hiſtoriam paulo altius repetemus.

Graviſſimis & continentibus bellis *Hungari* rati potentiam *Ottonis* Imp. attritam, & Germaniæ vires exhauſtas eſſe, copiis denuo, quantis antea nunquam, per Bavariam in Germaniam irruperunt populabundi, fretique immenſa multitudine, inſolenter admodum, Aut Cœlum (inquiunt) cadens nos obruet, aut terra dehiſcens nos abſorbebit, alioqui nemo hoſtium nos multitudine ſuperabit. Contra hos *Imperator* ſubito coëgit exercitum ex Bavaris, Suevis, Saxonibus, Francis & Bohemis, cumque illis congreſſus victoriam reportavit, quantam nullus Imp. vel Regum intra ducentos annos obtinuerat. *Octo* namque *legiones* ex dictis gentibus conſcriptas in patentis campi planiciem prope *Auguſtam* Vindelicorum convocavit, quas in prælium educens, ut hoſtibus pugnam difficiliorem redderet, paſſim milites per montana, inter nemora & arbuſta abſcondit. Primi agminis decus Bavaris tribuitur, eo quod præliis Hungarorum aſſueti eſſent. *Henricus* frater Imperatoris, qui tum Ducatum Bavariæ tenebat, morbo detentus, prælio aberat, ejus autem vices Præfectis commiſſæ erant. In caſtra advenit Dux Francorum *Conradus* Imperatoris gener, vir ad bella natus, hoſti, ſive pedes ſive eques obvius veniret, formidabilis; nec in præliis ſolum audax, manuque promtus, ſed conſiliis etiam dandis fortiſſimus, unde & pacis & belli tempore pariter carus erat. *Is* ſuo adventu militum animos ſic erexit, ut nullum trepidationi locum dantes, unice in votis haberent, quam primum cum hoſte congredi. Itaque *Imperator* non tam in copiis militum, quam numinis præſentia ſpem victoriæ collocans, in caſtris jejunium indicit, poſteroque die, ut in armis hoſtem exſpectent, prælumque inire parati ſint, imperat, verbiſque graviſſimis milites hortatur, ne barbarum hoſtem, idoliſque totum deditum expaveſcant, alacrique animo ſe ad prælium accingant, in quo victores, patriam, parentes, conjuges, liberos conſervaturi ſint; ſin occumbant, æternæ vitæ præmium accepturi. Quibus verbis cum pugnæ avidos reddidiſſet milites, poſtero die, Sole vixdum orto, eos, cum ſe invicem prius ſalutaſſent, & Sacramento militari quiſque ſuo Duci denuo ſe obſtrinxiſſet, caſtris educit. *Prima, ſecunda, tertiaque* legio *Bavarorum* erat, quibus pugnæ initium (ut dictum) commiſſum fuerat. *Quarta* deinde ſequebatur legio Francorum, qui Duce CONRADO gaudebant. *Quinta* legioni, quæ & multitudine & robore militum reliquis præſtabat, præerat *Imperator* ipſe. *Sexta* legio *Suevorum* erat, quorum Dux erat HENRICVS, qui uxorem habebat Imperatoris ex fratre neptem. *Octava Bojemorum*, ſelectiſſimis quidem inſtructa viris, ſed fortuna parum propitia gaudens. *Huic* legioni, eo quod poſtremo loco poſita, ab hoſtium impreſſione maxime tuta videretur, omnium impedimentorum, machinarum bellicarum, theſaurorum, cuſtodia erat commendata. Verum plurimum eos fefellit opinio. Hoſtes enim tranſito celeriter fluvio Lyco; longo uſi ſunt circuitu, & à tergo hoſtem aggreſſi, in *legionem Bojemorum* primum faciunt impetum, hoſtibuſque partim cæſis, partim captis, aliis fugatis, theſauris omnibus & impedimentis potiuntur. Qua prima victoria elati, ſimili impetu *ſeptimam* & *ſextam* legionem aggrediuntur, quas retrocedere & fugam meditari compellunt. Quod ubi animadvertit Imperator, legionibus trepidantibus ſubſidio mittit Ducem CONRADVM cum *legione quarta*; qui adventu ſuo fugam ſociorum inhibet, hoſtium impetum refrænat, territos in fugam vertit, & prædam omnem inſigni victoria & gloria recuperat. Legioni huic reliquæ omnes gratulantur, tironumque virtutem veterani admirantur. Deinde *Imperator* in hunc modum milites alloquitur: *Videtis*, ſocii, hoſtem in conſpectu noſtro graſſantem, ſaluti noſtræ inhiare. Quare animo præſente jam opus eſt. Viri eſtis, iſtoque hoſte ſæpius hactenus fugato inclytam reportaſtis victoriam. Nullus unquam hoſtis vos terga dantes conſpexit: cujus virtutis veſtræ & gloriæ conſcii, hoſtem barbarum intrepido animo excipite, & quidem talem hoſtem, qui fuga ſola fretus prælium init. Quare ſic armis noſtris eos urgeamus, ut vel cæſi à nobis pereant, vel turpi fuga dare terga compellantur. His dictis, correpta ſacra lancea *primus* in hoſtem ruit. *Hungari* Chriſtianorum impetum aliquandiu quidem acriter pugnantes ſuſtinent: mox tamen laſſati, fuga ſalutem quærere ſatagunt, in qua plurimi trucidantur, multi capiuntur, reliqui turmatim in vicinos pagos & villas aufugiunt: quos milites *Ottonis* acriter inſequentes, flammis in caſas, quas occuparant, injectis, conſumunt. *Quidam* amnem Lycum tranare conati, ulteriorem ripam cum ſuperare non poſſent, aquis ſubmerguntur. Cecidere in hoc prælio ex parte Chriſtianorum multi præſtantes viri, & inter cæteros Dux CONRADVS gener *Imperatoris*, ſagitta trajectus

ctus, cum propter æſtum galea aperta reſpirationis cauſa faciem nudaſſet: cujus cadaver Wormatiam delatum eſt: Itemque BVRCHARDVS Dux Suevorum, gener *Henrici Bavari*, cum *Henricus* propter ægritudinem prælio intereſſe non poſſet, qui quidem eodem anno Calend. Novembri paulo poſt pugnam è vivis exceſſit. Porro eodem die caſtra recuperantur, captivi liberantur, hoſtes cæduntur & fugantur. Poſtero die agmina hoſtium, quæ paſſim oppida occuparant, ad cædem rapiuntur, relictis pauciſſimis, qui fuga elapſi triſtiſſimæ cladis apud ſuos nuncii fuere. Capti ſunt tres Hungarorum *Reguli*, qui miſſi ſunt ad *Henricum* Ducem Bavariæ; Ille hoſce captivos ſuſpendi juſſit. His ita geſtis, ſupplicationibus per omnia templa indictis, DEO gratiæ pro parta victoria agebantur, triumphanſque Imperator in Saxoniam rediit, qui, quod ab hoc terrore & periculo Germaniam liberaſſet, nominis celebritatem maximam adeptus, *pater patriæ* paſſim à cunctis appellatus eſt, & exinde magna ejus authoritas apud omnes gentes eſſe cæpit. *VVitichind. Chron. Spangeberg Philipp. Crantz. Aventin. 4. annal.*

IV. *Bellum Gallicum* contra *Hugonem.*

1. A. C. 945. LVDOVICVS Rex Galliæ, impulſu *Hugonis Capeti* Comitis Pariſienſis, captus à *Normannis*, & in cuſtodiam traditus eſt; filius vero ejus *Carolomannus* Rhotomagum abductus eſt, ubi etiam diem ſuum obiit. Cum igitur *Hugo* Comes capto Regi *Ludovico* regnum Franciæ conaretur eripere, & inſolenter minitaretur Germaniæ, quod ἀξίωμα Monarchiæ totis viribus repetiturus eſſet, OTTO Imp. magno è Saxonia conſcripto exercitu, ad liberandum affinem LVDOVICVM in Galliam tetendit. Quod ubi cognovit Hugo, Legatis ad Imperatorem miſſis, Saxonum ei mollitiem exprobrat, ſe vel terna eorum jacula, inſolenter glorians, unico hauſtu abſorpturum. Quare ſatius eſſe ait, ut ſuis rebus conſulens, in ſuo Imperio quieſcat: talibus enim tantiſque ſe inſtructum copiis ei occurſurum, quantas ipſe nunquam vidiſſet. *Imperator* riſu excipiens *Hugonis* vanitatem, renunciari ei jubet: Tantam ſibi ſtramineorum pileorum eſſe copiam, quantam *Hugo* nunquam vidiſſet; eaque omnia in Galliam adducere decretum eſſe. (Moris enim tum erat in Saxonia, ut pileis ex ſtramine contextis adverſus æſtum Solis æſtivali tempore tecti incederent) Juſſit itaque *Imperator*, ut omnes ſui milites ejus generis pileos galeis imponerent, rectaque via adverſus *Hugonem* pergerent. Venitque cum exercitu *Argentinam*, urbem occupavit, & *Straburgum* vocavit, & *Hugonem* ad pacem petendam, ſuamque inſolentiam deteſtari coëgit. *Ludovicum* vero in priſtinum regnum reſtituit, & inſuper etiam totam Lotharingiam occupavit. *Luitpr. Albert. Crantz.*

11. Cum HVGO Comes Pariſienſis A. C. 950. iterum LVDOVICVM Regem captivum haberet, OTTO Imp. cum ingenti exercitu in Galliam movit, & Pariſiis *Hugonem* obſedit: qui tanto impetu territus Regem dimiſit, cum *Ottone* de pace egit, & fœdus cum eo iniit. In hac expeditione Imperator *Coloniam* Agrippinam urbem Imperialem fecit, & Belgas ac Burgundos, Gallico regno detractos, Germaniæ adjecit. *Chronic. Spangeb. Philippi.*

V. *Bellum Danicum.*

A. C. 948. *Haraldus* Danorum Rex, qui patri Ottonis Henrico Aucupi fuerat tributarius, rejecto ſervitutis jugo, arma corripuit pro libertate. Et primo omnium arcem Sleſvicenſem evertit, & Marchionem (quem *Henricus I.* Imper. eo collocarat) cum omni præſidio, quod habebat, trucidavit, omnem Saxonum coloniam, quæ ibidem erat, exſtinguens. Quam injuriam *Otto* Imp. vindicaturus divino fretus auxilio Danis bellum intulit, eos magno prælio ad Sleſvicum vicit, Regem eorum *Haraldum* coëgit & fidem Chriſtianam accipere, & jugo Imperii ſeſe ſubdere. Locus pugnæ nomen *Ottonis* retinuit Otten-ſund. *Crantz. Chron. Philipp.*

VI. *Bellum Sclavonicum.*

1. Imperator ex Dania rediens vires in *Sclavos* convertit. Fuerunt autem in his terris vicini Sarmatæ & Heneti, ut olim in Aſia, & poſtea in Europæ aditu intra Tanaim & ſinum Veneticum, ubi Sarmatiæ duæ collocantur, Aſiatica & Europæa. *Pars* harum gentium ad meridiem converſa Græciæ magnam partem complevit: quarum adhuc tanta eſt potentia, ut his conſtet robur exercitus Turcici, & lingua Heneta in aula Turcica uſum linguæ patriæ pene obſcurarit. *Pars altera* ad occidentem maximam partem veteris Germaniæ, ubi *Vandalorum*, *Marcomannorum*, *Quadorum*, *Ligiorum*, *Elyſiorum*, *Bojorum*, *Suevorum*, & *Hermundurorum* ſedes fuerunt, partitis agminibus, & Ducibus, & nominibus mutatis, occupavit. Nam qui in terra Vandalorum veterum, & parte aliqua Marcomannorum ac Quadorum conſederunt, *Polonos*, ſeſe vel à camporum planitie, vel à Duce Lecho nominarunt. Qui vallē montibus Sudetis concluſam ſubegerunt, Boiis pulſis, conſuetudine obtinente, *Bojorū* cognomen conſervarunt: cumque

patria lingua *Zechi* vocentur, Bojemi dici maluerunt. Qui ad ortum inter Bojemos & Polonos Montana incoluerunt, *Moravi* nominati ſunt, vel depravata Marcomannorum appellatione, vel à flumine Morava. *Sileſiorum* appellatio, quæ inhæſit iis, qui poſt Moravos obtinuerunt loca ad Viadrum inter Bojemos & Polonos, eadem eſt cum nomine Sclavorum, voce exprimente ſignificatum Germanici vocabuli, *Quadi*, quod veterum colonorum fuit nomen.

Soraborum antiquiſſimum nomen à Sarmatis retinuerunt ii, qui in Hermunduris intra Sudetos montes & Albim ad Salam uſque habitarunt. *Windorum*, ſeu Venetorum, ſeu Henetorum appellatio tributa eſt illis, qui ad ſinum Veneticum & mare Balthicum, atque ad oſtia Albis uſque incoluerunt, quorum diſtinctæ fuerunt familiæ locis & appellationibus ut: Vagrii, Polabi, Obotriti, Pomerani, Caſſubii, Circipani. Qui inter Henetos & Sorabos medii ad Suevum amnem incoluerunt, *Luſatii* nominati ſunt, ab Elyſiis veteribus.

Ex hiſce poſtremis *Otto* Imp. nonnullos, præſertim Windos, Vagrios, Polabos & Obotritos, quod ad extremos limites, Saxones vicinos & Thuringos perpetuis deprædationibus carperent & infeſtarent, ſubegit, & ad ſuſcipiendum baptiſmum religionemque Chriſtianam traduxit. Verum cum poſtea in ordinanda Bavaria, quæ bello miſere afflicta erat, eſſet occupatus, *Slavi* iterum in Saxoniam irruerunt, & cum illis *Dithericus* Comes ſæpius non ſine aliqua ſua clade conflixit, tum etiam Hermannus Dux varia fortuna eoſdem oppugnavit. *Witich. Chron. Philip.*

II. Cum *Slavi* Saxoniam affligere nullum finem facerent, & multa millia in captivitatem abducerent, Imper. A.C. 956 iterum in eos movit, & glorioſe eos vicit, occiſi Principis caput haſtæ prælongæ affixit. Conſiliario primario, qui ſeditionis author fuit, oculos & linguam propter perfidiam erui, & ſeptuaginta alios gladio feriri, eorumque capita circum Principis caput in ſublimi ſpectanda exhiberi juſſit. *Imperator* tot victoriis celebris factus, plurimis muneribus à vicinis Regibus, & Principibus, etiam Saracenis, honoratus eſt. *Chron. Spangenb.*

III. A.C. 960. *Otto* Imper. rurſus expeditionem ſuſcepit contra Sclavos. Cum enim quieſcere nollent, Imperator vero ipſorum petulantiam amplius ferre non poſſet, eos ita atterere neceſſe habuit, ut poſthac nocere non poſſent. Quare pene ad internecionem deleti, eorumque bona militibus data ſunt; non quidem injuria; quod injuriam ſemper inferendo, ſibi tantas calamitates attraxerant. Hiſce rebus Sclavicis compoſitis, Imperator HERMANNVM Bilingum Luneburgenſem Ducem creavit, totique Saxoniæ præfecit. Erat vir juſtitiæ tenaciſſimus, qui cum villicos tantum ſeptem haberet, quando privatus erat, omnes propter furtum ſimul ſuſpendi juſſit. *Witichind.*

VII. *Bellum Italicum.*

A.C. 950. LOTHARIVS Rex Italiæ veneno petitus, in phrenefin incidit, & mortuus eſt anno regni quarto. Illo igitur defuncto, BERENGARIVS (fuit hic *Berengarius III.* primi, cujus in præcedentibus hiſtoriis mentio facta eſt, ex filia nepos) Veronæ Rex à populo acclamatus regnum Italiæ & Lombardiæ una cum ADELBERTO, majore natu filio cepit, idque quam liberaliſſime potuit, adminiſtrare inſtituit. Itaque eodem anno, cum eſſet Olonnæ, fœdus inter Venetos & Italicos renovavit, fineſque eorum inter ſe terminavit. Cæpit inde eum cupido Papienſis regiæ potiundæ. Neque enim Regem ſe eſſe arbitrabatur, niſi antiquam regni ſedem vetere inſtituto teneret. Hanc vero quia ADELHEIDA Lotharii vidua dotis nomine poſſidebat, Adelheidæ conjugium Adelberto filio Regi poposcit. Mulier ſive antiquo odio, propter injurias ſocero maritoque ſuo illatas impulſa, ſive honeſtiorum nuptiarum ſpe elata, eam conditionem repudiavit. Hac repulſa accepta, Berengarius uſque adeo ira inflammatus eſt, ut quod elicere amore non potuit, id per vim extorquendum ſibi eſſe cenſuerit. Itaque exercitu Papiam adducto, urbem haud magno certamine expugnavit: ac Reginam in poteſtatem adductam in caſtro Gardæ ad lacum Benacum diligenti cuſtodiæ tradidit, metuens ſcilicet, ne, ſi libera eſſet, externis nuptiis adverſi aliquid in Italia per tumultus excitaret, atque ita regnum à ſe ad alium vel invito transferret. Sed ADELHEIDA in magnum timorem adducta, Martini ſacerdotis ſui opera ex arce profugit, atque illo uno cum pediſſequa comitante, naviculam nacta ſilentio noctis ad ſylvam quandam acceſſit: ubi cum per aliquot dies maneret, neceſſitate adacta, victum per *Martinum* ſacerdotem, cæteris deſtituta ſubſidiis, corrogavit. Denique ad *Athonem* Comitem, commendatione Adelardi Epiſcopi Rhegienſium, pervenit, qui eam in ſuam arcem Canuſium omni cultu & officio, ut Reginam, excepit. Quod ubi comperit Berengarius, miſſo nuncio, eam ſibi tradi præcepit. Eo vero Imperium abnuente, continuo ingentes adverſus Athonem copias militum comparavit, ac Canuſium progreſſus, arcem magna vi obſidere inſtituit.

In his rerum anguſtiis Atho poſitus, cum ſuis viri-

viribus diffideret, ad *Ottonem* Imp. ex auctoritate Adelheidæ nuncium occulte miſit, per DEVM obteſtans, ut ad ſe & Adelheidam, obſidione Berengarii liberandam, accurreret: id ſi mature faceret, ipſum, cum rem Majeſtate regia & virtute ſua dignam facturum, tum Berengario expulſo *Adelheidam* uxorem ſibi conciliaturum, atque ſic illum totam Italiam in manu & poteſtate habiturum. Non reſpuit conditionem Imperator, & ſtatim filium *Ludolphum* cum exercitu Suevico miſit in Italiam A. C. 950. qui tamen, quod parum authoritatis apud Italos haberet, nihil dignum memoria geſſit. Quapropter Imperator ipſe anno ſequenti exercitum 50000 congregavit, aſſumtoque genero *Conrado*, Epiſcopo Moguntino, in Italiam iter inſtituit: ac ſuperatis Alpibus, ſubito Veronam oppidum recepit. Canuſio diu valide oppugnato paucos dies ſuſtinere ſe poſſe Atho videbatur, cum opportune nuncius ab Ottone Imp. remiſſus cum literis ad ipſum, & *Adelheidam*, Verona ſcriptis. Ibi, cum propter intentas diurnas nocturnaſque obſeſſorum cuſtodias, nulla in arcem ratione penetrare poſſet, ne quid intentatum relinqueret, epiſtolam ſagittæ, una cum annulo ab Ottone accepto alligavit, atque intento arcu in arcem tranſmiſit. Ejus epiſtolæ hæc erat ſumma: Bonum animum haberent; nam ſe trajectis Alpibus in Italiam cum exercitu incolumi deſcendiſſe, ac propediem, ubi *Ludolphus* filius, quem præmiſerat, Mediolanum, veniſſet, junctis copiis illis auxilio affuturum, atque in omnibus rebus conſilio & voluntati eorum obtemperaturum. Imperatoris adventum ſimul ac Berengarius ſenſit, raptim inde nullo tentaſo certamine caſtra movit, atque ad alia tuendi regni cauſa capeſſendo loca ipſe cum filiis ſuis Adelberto & Vidone ſe contulit. Imperator vero Canuſium profectus, ibi hybernavit, & *Adelheidam* uxorem duxit, ac ita regno Italiæ potitus eſt.

A. C. 952. *Otto* Imper. ineunte vere cum uxore in Germaniam rediit, & CONRADVM generum, qui reliquias belli adverſus Berengarium perſequeretur, reliquit. Profecto Ottone, *Conradus* continuato bello Berengarium ad conditiones pacis accipiendas, quas propoſuiſſet, coëgit. Itaque *Berengarius* auctore *Conrado* ad *Ottonem* in Saxoniam ad pacem petendam tendit, & in celebri conventu procerum Germaniæ, Moguntiæ, nexis cum *Adelberto* filio manibus, & cuncto inſpectante exercitu, regiæ ſe poteſtati & clementiæ permiſit. Quare *Otto* Berengario, ejuſque filio fidelitatem promittenti, reddidit inſignia regni Italici, hac conditione, ut annuatim penderet pondo auri centum & tringinta: Ademti tamen ipſi Veronenſis & Aquilejenſis Marchionatus; quos accepit frater Imp. *Henricus* Dux Bavariæ.

Cæterum has res præclare geſtas triſtis quædam domeſtica calamitas excepit. Nam CONRADVS gener & LVDOLPHVS filius adverſus patrem & ſocerum, quod Berengarium in gratiam recepiſſet, ipſique regnum Italiæ conceſſiſſet, conjurarunt. Hinc quidem *Ottoni* dolor exſtitit ingens; verum divina adſpirante gratia intra biennium omnes ſuos adverſarios vicit, & filio generoque deprecantibus indulgentiſſime veniam dedit: de quo infra plenius dicemus.

Interea temporis, dum his domeſticis malis conflictatur Imperator, in Italia BERENGARIVS novum excitat tumultum. Nam ab *Ottone* accepti beneficii immemor defecit, & regni propagandi cauſa exercitum ad Athonem ulciſcendum: Canuſium, atque inde Ravennam, atque in Exarchatum adduxit, & *Agapetum* Pontif. Romanum, Epiſcopos, Abbates, Comiteſque Italiæ, in ordinem redigere, vexare, atque omni injuriarum genere laceſſere inſtitit. Itaque à Pontifice cæteriſque regni ordinibus Imperator ſollicitatur, ut laborantibus opem ferret, & Italiam à tyrannide Berengarii liberaret. Ideo *Otto* filium *Ludolphum* cum valido exercitu in Italiam contra Berengarium miſit, qui multas res proſpere geſſit. Nam & *Berengarium* congreſſum prælio fudit, atque in Hortam Novarienſis lacus Inſulam compulit, & oppidis plurimis receptis, populos ad ſe pleroſque traduxit. Proximo vero anno, nempe A. C. 957. dum bellum magno ardore perſequitur, repentina febre corripitur, & moritur die 6 Septembr. Ejus cadaver Moguntiam tranſlatum frater Wilhelmus (quem pater Archiepiſcopum poſt Friderici obitum fecerat) in æde D. Albanæ ſepulturæ mandavit. A morte *Ludolphi*, cum Berengarius reſumto animo, ſævitiam exaſperaſſet, A. C. 961. iterum miſſa eſt ad Imperatorem legatio à Pontifice, petitumque totius Italiæ verbis, ut veniret, & tyrannidem Berengarii ſedaret. Simul *Valpertus* Mediolanenſis Archiepiſcopus, & *Valdo* Comenſis Epiſcopus, & Marchio Odbertus, à Berengario expulſi, ad eum profugerunt, quibus opem Imperator liberaliter promiſit. Conventum igitur Ratisbonæ egit, in quo filium ſuum *Ottonem*, ſeptem annorum puerum, cunctis imperii Ordinum ſuffragiis Cæſarem fecit, eumque per abſentiam ſuam *Brunoni*, & *Guilhelmo* Archiepiſcopis commendavit: indeque primo vere rebus omnibus præparatis, per Alpes Julias Veronam profectus, ubi multi ipſi occurrerunt gratulatum: inde cum *Berengarius* fugeret, & montem Leonis occuparet, ipſe Ticinum vi, cæte-

ras urbes deditione cepit; ubi (Ticini) cum ingenti gaudio ab omnibus exceptus, regiam ſedem à *Berengario* crematam inſtauravit, exules revocavit, civibus immunitates reddidit, ibique hyemavit.

Anno C. 962 *Otto* Imper. occupatis paſſim urbibus, Romam profectus eſt ad feſtum Chriſti Natalitium; ubi honorifice magno cum gaudio exceptus, & pater patriæ appellatus eſt, tum à Pontifice etiam *Iohanne* XII. coronatus. Quibus exactis, ſe Papiam recepit, ibique Paſcha celebravit. *Berengarius* interim montem Leonis munierat: uxor vero ejus Inſulam Julii occuparat. Hanc duobus menſibus obſedit & cepit, liberam tamen dimiſit, ut perſuaderet marito pacem: quæ ubi ad maritum venit, ne Imperatori ſe traderet, author ei fuit. *Adelbertus* etiam Corſicam occupavit, & Pontificem de fœdere ſecum ineundo contra *Ottonem* ſollicitavit.

Papa contra jusjurandum, quod dederat Imperatori, de hoſtibus imperii non adjuvandis, fœdus cum *Adelberto* fecit: Conſtantinopolim etiam miſit, qui auxilia accerſerent contra *Ottonem*, item ad Hungaros, ut in Germaniam irruerent. Sed *Otto*, quamvis Legatos cum literis intercepiſſet, tamen relicto Pontifice, quem, quod juvenis eſſet, ſperabat admonitionibus corrigi poſſe, contra Berengarium movit. Interim *Adelbertus* Romam ad Pontificem venit, ubi omnes, qui videbantur Imperatori favere, vel ejecti ſunt, vel interfecti. Hac Pontificis perfidia permotus Imperator, omiſſa obſidione Berengarii, Romam copias ſuas adduxit: & quia Pontifex cum *Adelberto* arreptis Eccleſiæ theſauris ad Saracenos confugerat, denuo urbem, religione juris jurandi obligatam, coëgit renovare promiſſionem renunciati jam olim juris in electione Pontificis, ſcilicet, non ſeſe ullum poſthac Pontificem creaturos, ſine conſenſu Imperatoris. Mox *Synodum* convocavit, Papamque profugum ad dicendam cauſam citavit. Qui cum ſiſtere ſeſe nollet, pontificatus ei abrogatus eſt, & ejus loco deſignatus LEO VIII. Sedatis motibus in urbe Imperator A. C. 964. die 10 Januarii, profectus eſt ad conſtituendos Principatus Spoletanum & Camerinum. Interea Romani corrupti ab *Adelberto* filio Berengarii, *Iohannem* revocarunt, *Leonem* urbe pepulerunt, & *Iohanni*, poſt reditum procaci libidine turpiter extincto, contra datam paulo ante juramento obſtrictam fidem, in Pontificatu ſurrogarunt alium, nomine *Benedictum*. Hac perfidia graviter offenſus Imperator, reducit exercitum ab urbem, atque ad defenſionem paratam obſidione cinxit. In obſidione Pontifex quidem ad acriter reſiſtendum Imperatori hortabatur: Sed urgente fame, deditio facta eſt. Urbe in deditionem accepta, civibus pepercit; ſed *Benedictum* Pontificem mulctarum exilio, Adaldago Hamburgenſi Epiſcopo tradidit cuſtodiendũ, apud quem mortuus eſt.

Inde *Otto* iterum Roma diſceſſit, ad obſidendum Berengarium: quem etiam cum uxore cepit, & Bambergam in exilium miſit; ubi ambo mortui ſunt. Imperator cum regnum Italiæ ordinaſſet, in Germaniam redire conſtituit. Sed reverſum ex Italia eum alia tempeſtas perfidiæ excepit. Longobardi enim nonnulli *Adelbertum* Berengarii filium Conſtantinopoli revocatum Italiæ Dominum poſuerunt. Contra hunc ergo Sueviæ Ducem Burchardum cum exercitu Imperator miſit, qui illum & fratrem ejus Guidonem delevit, victorque in Germaniam rediit, A. C. 965.

Vix autem eo reverſo in Germaniam, LEO VIII Pontifex exceſſit è vivis: in cujus locum Imperator per Epiſcopos Romam miſſos ſubſtituit JOHANNEM XIII. Hunc Romani Imperatoris odio in carcerem detruſerunt. Quo comperto Imperator, cum domi res Germanicas compoſuiſſet, ratus exemplo fore opus ad retundendam toties iteratam contumaciam, A. C. 966. Romam cum exercitu acceleravit. Etſi autem ante adventum Imperatoris ad urbem authores captivitatis metu dimiſſum Pontificem reſtituerant; nihilominus perrexit Imperator, & Romanos ad dicendam cauſam de ejecto Pontifice convocavit, ut authores nominatim ederent: quoſdam etiam quæſtionibus ſubjecit. Binos igitur Conſules publicatis bonis in exilium ejecit: *Prætorem* vero integro die crinibus ſuſpenſum, poſtea virgis cædi, & aſino impoſitum, ita ut faciem ad caudam ejus verteret, in urbe altero die circumduci juſſit, & tandem ſuſpendi. Ita etiam duodecim Senatores, quos compererat fuiſſe principes conſilii de Pontifice capiendo, ſuſpendio punivit. *Pacata* igitur Italia, *Otto* bene meritis, novo inſtituto, dignitates ac prædia dedit. Dignitatum nomina fuere Ducatus, Comitatus, Capitaneatus: Prædia erant vectigalia, telonia, portus, monetæ, piſcariæ, molendinæ, ſalinæ, fluminum uſus, & omnis ex illis proficiſcens proventus. *Luitp. Sigon. lib. 7. de reg. Ital. Chron. Funccii. Fabr. & Regin.*

VIII. *Bellum contra filium Ludolphum, & generum Conradum.*

Supra diximus, quod Imperator, poſt primam in Italiam contra *Berengarium* expeditionem, ADELPHEIDAM *Lotharii* Regis Italiæ viduam, à *Berengario* obſeſſam, liberarit, eamque ſibi matrimonio junxerit: *Berengarium* etiam ſupplicem ſi-

bi fa-

bi factum in gratiam receperit, inque regnum Lombardiæ reſtituerit. Inde mox novum bellum exſtitit. Nam LVDOLPHVS filius Imperatoris, & CONRADVS gener, adverſus patrem & ſocerum, quod *Adelheidam* in uxorem duxiſſet, & *Berengarium* in gratiam recepiſſet, ipſique regnum Italiæ conceſſiſſet, conjurarunt, aliis item in ſocietatem adductis. Præter cæteros Fridericus Moguntinus Archiepiſcopus hujus conſpirationis particeps fuit. Quare Imperator A.C. 953, reverſus ex Italia, exercitum filii & generi Moguntiæ obſedit, urbem oppugnavit duobus menſibus: ubi res ad colloquium venit. Sed colloquio exacerbati animi, & multi ab Imperatore defecerunt. *Ludolphus* ipſe clam abiit, & patrui ſui *Henrici* Ducatum, dum ipſe fratri Imp. auxiliares copias adduxiſſet, occupavit, auxiliis Hermanni & *Arnulphi*, Comitum Schirenſium, qui ſe hac occaſione Ducatum, quo erant exuti, recuperaturos ſperabant. *Arnulphus* Auguſtam urbem occupavit, & diripuit: LVDOLPHVS Ratisbonam expugnavit, eam militibus diripiendam permiſit, & potitus patrui theſauris, uxorem ejuſdem & liberos urbe ejecit. *Imperator* hiſce conturbatus, relicto præſidio ad Moguntiam, in Sueviam properavit: cui occurrit filius *Ludolphus* cum exercitu ad pugnam paratus: ſed Epiſcopus Auguſtanus Huldericus hortatus eſt *Ludolphum*, ne faceret, ſed potius parenti obſequeretur. Ita Ludolphus diſceſſit, & Pater Sueviam occupavit, eamq; dedit gubernandam Comiti *Burchardo* Helfenſteinio. Inde in Bavariam venit, & Ratisbonam obſedit tribus menſibus, & tandem relicto exercitu in obſidione, ipſe in Saxoniam, adventante hyeme, abiit, ne & ibi turbæ excitarentur.

Bav.

Anno C. 954, cum *Otto* in Saxoniam rediiſſet, *Ludolphus* cum Epiſcopo Saltzburgenſi Hungaros in auxilium evocavit: qui ſtatim ingenti cum exercitu in Bavariam venerunt. & oblata hac occaſione diſſenſionum in imperio, crudeliſſime omnia vaſtarunt, parum ſolliciti de ſociis, à quibus evocati fuerant: inde Francos Orientales invaſerunt die Palmarum, qui Wormatiæ, ut à vaſtatione ſe cohiberent, ingentem pecuniæ ſummam acceperunt: inde tranſgreſſo Rheno Lotharingiam petiverunt, inde Aquitaniam & Belgium. Imperator, cum *Hungari* imperii finibus ceſſiſſent, eodem anno, (ut ſupra) cum exercitu in Bavariam rediit. Sed *Bavari* vaſtationibus Hungarorum attriti, & metuentes, Imp. inducias petiverunt; quas impetrarunt. Moguntinus utcunque ſe excuſavit, & in gratiam eſt receptus. *Conradus* gener ſimiliter culpam deprecatus eſt: cui Imperator ignovit, ſed Ducatum Lotharingiæ amiſit, & paucis prædiis contentus eſſe coactus. *Ludolphus* filius ſe Imperatori ſubjicere noluit, ſed bellum perſequutus, prœlioq; congreſſus prope Ratisbonam, ibi victus, & Ratisbona obſeſſa eſt: ubi ſæpe eruptionibus pugnatum: ſed cum & armenta amiſiſſent, & fame urgerentur, *Ludolphus* cum Senatu pacem petiverunt, ſed non impetrarunt. Ideo iterum eruperunt, ſed magna clade repulſi ſunt. Cecidit Arnulphus Schirenſis, autor præcipuus rebellionis, cujus virtute urbs defenſa fuerat. LVDOLPHVS igitur ab omnibus derelictus, nudis pedibus & veſte ſordida ſeſe ad pedes patris in ſaltibus Lochenſibus proſtravit, multiſque lacrymis culpam deprecatus eſt. Quare pater indulgentiſſime filio veniam dedit, eumque in gratiam recepit die 17 Decembris. *VVittich.*

IX. *Bellum Græcum.*

1. Cum *Otto* Imp. liberata Italia tyrannide Berengarii, Romæ commoraretur, Nicephorus Conſtantinopolitanus Imperator, metuens potentiam *Ottonis*, miſit ad eum Legatos cum muneribus A. C. 967, renovaturus pacta vetera, quæ cum Imperatoribus Francicis majores fecerant. *Otto* viciſſim, confirmandæ amicitiæ cauſa, per legatos Nicephori privignam filio ſuo *Ottoni* uxorem petivit. Quam is non gravate deſpondit, & locum præſtituit in Calabria, quo venire *Ottonis* legatos ad accipiendam ſponſam oporteret. Eo cum partem exercitus, cum pleraque nobilitate, *Otto* miſiſſet, hi dum adventum ſponſæ operiuntur, contra fidem oppreſſi, & cum parati ſatis ad caput ſuum defendendum non eſſent, alii miſere trucidati, alii comprehenſi, Conſtantinopolim miſſi ſunt. Pauci evaſerunt, qui nuncium tantæ perfidiæ ad *Ottonem* referrent. Incenſus hoc immani facinore Imperator, duos Comites, Guntherum & Sigefridum fratres, cum copiis ſelectis in Calabriam miſit anno C. 969. qui ſuperbos Græcos fuderunt, plurimos ceperunt: quorum quoſdam mutilato naſo Conſtantinopolim remiſerunt, quoſdam vero, ut vitam redimerent, omni pecunia emunxerunt, & Calabriam, Apuliamque populati victores ad *Ottonem* reverſi ſunt.

2. *Græci* poſt acceptam cladem Conſtantinopolim reverſi, omnem ſuæ calamitatis cauſam in Nicephorum Imperatorem conjecerunt. Ille igitur cum in odio ſe eſſe cerneret, muros palatii altiores fecit, & claves ſemper ipſe ipſi ſumſit: nihilominus tamen ea ipſa nocte, quando hanc rationem ſuæ cuſtodiæ incipiebat, ejus uxor *Iohannem Zimiſcen* per murum attraxit, à quo in conclavi occiſus eſt, die 11 Decembris: & *Zimiſces* rurſus Imperator electus eſt. Hic igitur, ut oſtenderet

fraudem *Nicephori* ſibi diſplicere, A. C. 970. Germanos, quotquot captivi illic erant, dimiſit, & *Theophaniam* ſponſam cum comitatu & muneribus amplis in Italiam ad ſponſum Ottonem miſit, nuptiæque gaudio magno, & magnificentia inſigni Romæ celebratæ ſunt. *Otto* Imperator, nuptiis peractis, ex Italia, cum filio, nuruque, in Franciam, atque inde in Germaniam abiit, & reliquum vitæ tempus in quiete traduxit. *Sigon. Zonar. Luitpr. Witich.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. Cum imperia divinitus conſtituantur, & conſerventur præcipue, non propter otium & voluptates hominum, ſed propter Eccleſiam, ut ſint aliqua Eccleſiæ hoſpitia, ubi homines legibus & diſciplina excurati, excultique artibus ac doctrinis manſueſcant, atque ad humaniorem vivendi rationem traducantur, & muniti ac tecti Monarcharum potentia, DEVM recte agnoſcere diſcant & invocare: OTTO, intelligens, propagationem religionis, & Eccleſiæ, præcipue ad ſuum munus pertinere, bella, quæ geſſit, non tantum ad eum finem retulit, ut ampliatis finibus imperii, firmatiſque, dulcem ſuis tranquillitatem compararet; ſed etiam ut Eccleſias ante conſtitutas exornaret, & iis gentibus, quæ adhuc alienæ erant à profeſſione Chriſtiana, ad DEVM converſis, ceu proferret limites regni Chriſti in genere humano. Vnde multi ad veram religionem ſunt perducti. Nam,

1. Cum *Haraldus* Rex Danorum Marchionem Sleſvicenſem cum omnibus ſuis trucidaſſet, Otto Imper. A. C. 949 bellum ei intulit, illum prælio vicit, & ut religionem Chriſtianam reciperet coëgit, & *Haraldus* cum uxore ſua nomine Gunnild, & parvo filio ſuo, Baptiſmum ſuſcepit. Imperator filium Regis ex ſacro fonte levavit, eique nomen ſuum *Otto* impoſuit. Quanquam autem ſubditi tunc temporis à ſuperſtitione gentili deſiſtere noluerunt, tamen A. C. 966 per totum regnum vox verbi divini diffuſa eſt. Narrat *Sigebertus*, hoc anno virum religioſum *Popponem* miraculo ingenti Danos ad agnitionem, cultumque Chriſti convertiſſe. Cum enim à ſuperſtitione gentili homines deſiſtere nollent, & miraculo religionem Chriſtianam confirmari vellent: is confirmationis cauſa ferrum magni ponderis ignitum & candens, quouſque voluerunt, abſque ulla læſione portavit, eoque ſpectaculo ita multitudinem incendit, ut ſe ſub poteſtatem Chriſti ſubjunxerint, & Baptiſmum ſanctum expetiverint. Ab eo tempore Dania ſedes veræ Eccleſiæ Chriſti fuit, qui cum ea voce blanda locutus eſt, & bona ampliſſima ei impertivit. *Crantzius, Sigebert. Onuphr.*

2. Imperante *Ottone*, *Rex Suecorum* quoque ad Chriſtum converſus eſt. Populus exemplum Magiſtratus ſui ſecutus, etiam Religionem Chriſtianam amplexus eſt. Miſſi ſunt in id regnum Suecicum ex Bremenſi Epiſcopatu, qui converſos confirmarunt, & piam religionis reformationem inſtituerunt. *Hiſt Magdeb. cent. 10. cap. 2.*

3. OTTO Religionem Chriſtianam apud SLAVOS propagavit, iiſque condidit Epiſcopatus, à quibus regerentur in iis, quæ ad religionem pertinerent. *Helmoldus cap. 11. Chron. Carion.*

4. Tempore Ottonis religionem Chriſtianam ſuſceperunt *Norvegi, Livones, Eſcones, Curoni, Luſati. Hiſtor. Magdeburg. cent. 10. cap. 2. Martin. Polon.*

5. A. C. 960. HELENA, *Rugorum Regina*, Legatos ad Imp. Ottonem miſit, qui peterent pro ea gente Epiſcopos & Presbyteros ad tradendam Chriſtianam doctrinam. Imperator tam piæ petitioni annuit, & doctores Euangelii in eas orbis partes miſit: ita Rugii ad Chriſti ſalutarem agnitionem pervenerunt. *Schafnab.*

6. Sed & *Thuſcorum* Legati ad Imperatorem venerunt, petentes viros doctos & pios, qui ipſorum populo Religionem Chriſtianam traderent. Miſit itaque Imperator Adelbertum ex Monaſterio Corbeienſi, & haud dubie, præter hunc, etiam alios pios & eruditos viros, qui populo iſti viam veritatis commonſtrarent. Cum autem magna ex parte adhuc Ethnica impietate infectus eſſet, initio Adelbertus vix ipſorum manus effugit, donec firma pietatis fundamenta jeciſſet. *Chronic. Hirſavienſe.*

7. A. C. 965. in POLONIA Religio Chriſtiana inſtituta eſt, eorumque Princeps MIESLAVS primus Chriſtianus Gneſnæ Chriſtianiſmo per Baptiſmum una cum ſua gente initiatus, die 7 Martii. Dicitur factum Dominica Lætare. Ea Dominica ex mandato Regis, ſtatim Idola & ſimulacra Ethnicorum numinum confracta ubique, & ex templis ejecta ſunt: & quotannis deinde memoria hujus emendationis publico ritu celebrata. Hic mos poſtea in Sileſiam, Miſniam & alias regiones tranſlatus eſt. Rex autem MIESLAVS Epiſcopatum inſtituit CRACOVIENSEM & GNESNENSEM. Conjux *Mieſlai* fuit *Danbrovvka* filia BOLESLAI (cujus ſupra mentionem fecimus) Ducis Bohemorum, & Wenceſlai neptis ex fratre. Sub hoc Principe inolevit mos apud Polonos, ut Sacerdote verba Euangelii in templo ad aram pronunciaturo, viri nobiles è vagina gladios aliqua ex parte extraherent, & nudarent: ut hoc geſtu ſignificarent, ſe paratos eſſe ad Euangelii defenſionem, & ad ſubeundam pro religione Chriſtiana mortem; choro autem

autem accinente: Gloria tibi Domine! eoſdem reconderent. *Hiſtor. Polen.*

A.C. 969. HVNGARI, cum Rex Poloniæ quinto ſui regni anno ſororem ſuam GEISAM Hungarorum Regi uxorem dediſſet, religionem Chriſtianam recipere inceperunt. *Ibid.*

II. *Ottonis* Imperatoris beneficio Epiſcopatus BRANDEBVRGENSIS, HAVELBERGENSIS, MISNENSIS, ALDENBVRGENSIS, SLESVICENSIS, CIZENSIS, ſeu NAVMBVRGENSIS, MERSBVRGENSIS, & MAGDEBVRGENSIS fundati ſunt. Ex his Archiepiſcopatum Magdeburgenſem paulo ante mortem A.C. 972. inſtituit; & primus Archiepiſcopus Magdeburgi ordinatus ALBERTVS WISENBVRG, cui ſuffraganeos eſſe voluit Epiſcopum Miſnenſem, Cizenſem, Mersburgenſem. Inde Halberſtadienſi Epiſcopo ſuffraganeos eſſe voluit, Havelbergenſem, Brandeburgenſem & Poſnanienſem, qui antea paruerant Moguntino. Hamburgenſi autem ſubdidit Mechelburgenſem, Slesvicenſem, Ripenſem, & Altenburgenſem, ſive Stargardenſem. *Fabr. Helmoldus.*

III. A.C. 954. FRIDRICVS Epiſcopus Moguntinus mœrore animi mortuus eſt. Epiſcopatui rurſus *Otto* Imper. filium ſuum Wilhelmum præfecit; qui, cum ei præfuiſſet annos 13, vitam cum morte commutavit. Succeſſit ille HATTO Abbas Fuldenſis. *Hic*, cum A.C. 968 ingens frumenti eſſet inopia in tota Europa, plurimos pauperes in horreo congregatos, ea ſpe, quod eſcæ vel panis nonnihil ex Epiſcopi liberalitate accepturi eſſent, concremavit. Cumque illi horribiliter ejularent, clamarent, atque ululārent, Epiſcopus, Satanico ſarcaſmo, mures eſſe dixit. Quam tyrannidem DEVS protinus ultus eſt. Præcepit namque muribus, ut catervatim illum invaderent, ac dies noctesque affligerent, vivumque devorare feſtinarent. Itaque ille in turrim in medio Rheni juxta oppidum Bingium exſtructam, & ab hoc caſu Murium turrim vocatam, aufugit: ſed nec ibi à morſibus murium tutus eſſe potuit. Nam mures catervatim per Rhenum natantes in turrim conſcendere, juſtum DEI judicium executuri. Quod agnoſcens miſer horrenda morte inter mures periit. Ferunt, quod mures nomen quoque ejus delentes à parietibus & tapetibus abraſerint. *Coſmographia Munſteri lib. 2. Martinus in Chronic. Trithemius. Marian. Scotus. Schaffnab.*

IV. A.C. 963. Imper. *Synodum* Romæ convocavit, in qua accuſatus Papa Johannes XII. de multiplicibus ſceleribus, de homicidiis, perjuriis, ſacrilegiis, inceſtu, quod cum duabus ſororibus rem habuiſſet, quod in ludo aleæ Dæmonum auxilia imploraſſet, quod in amorem Diaboli vina bibiſſet. Ideo per Epiſcopos legitime citatus ad Synodum cum ſalvo conductu (ipſe namque Roma ad Saracenos, metu Imperatoris, quod inſidias ei ſtruxiſſet, aufugerat: de qua re ſupra in bello Italico prolixius diximus) ut ſe de objectis criminibus purgaret. Sed cum nollet comparere, poſt habitam deliberationem, concluſit Synodus, una cum Imperatore, Johannem Pontificem eſſe deponendum: & communibus ſuffragiis electus eſt LEO VIII, vir ſpectatæ fidei & probitatis, qui ſedit an. 1. menſ. 3. Hic LEO in eadem Synodo, facto decreto, Ottoni Imper. ſicut Adrianus antea CAROLO MAGNO, contulit jus & poteſtatem eligendi & conſecrandi Pontificem Romanum, & ordinandi ea, quæ ad ſedem Apoſtolicam pertinent: item Epiſcopos conſtituendi atque confirmandi. Fecit & declaravit irritam electionem omnem non approbatam conſenſu Imperatoris. Denique omnes, qui vel labefactarent decreti authoritatem, vel ſeſe ingererent non exſpectato aſſenſu Imperatoris, ejiciendos ex Eccleſia & anathemate feriendos cenſuit. Extat hoc decretum Diſtinct. 63.

V. A.C. 964. cum *Otto* Imper. Roma diſceſſiſſet, *Iohannes XII.* Pontificatum recuperavit, & cum adultera deprehenſus à marito ejus confoſſus eſt. Huic Romani ſubſtituerunt BENEDICTVM V, & LEONEM urbe ejecerunt. Qua re offenſus Imper. rurſus Romam profectus eſt, *Benedicto* Pontificatum abrogavit, & LEONEM VIII reſtituit. Benedictus Hamburgum ablegatus, ubi (teſte *Crantzio in Metrop.*) in exilio vitam finivit, & in templo cathedrali ſepultus eſt. Sepulcrum etiamnum ibi videtur. *Leo* Papa vitam cum morte commutavit, cum tantum ſediſſet menſem 1, dies 11. Ipſo defuncto Romani memores jurisjurandi, quod præſtiterant Imperatori Ottoni, ſe ipſo inſcio nunquam Papam electuros, Legatos in Germaniam ad Ottonem miſerunt, de novo Pontifice creando, qui per Epiſcopos miſſos creavit Epiſcopum Narnienſem JOHANNEM XIII. Pontificem, quem poſtea Romani in carcerem conjecerunt. Quæ res iterum cauſam dedit *Ottoni*, ut in Italiam properaret. Anno igitur Chriſti 966 Romam rediit, *Iohannem* Papam ex carcere eduxit, & in ſedem priſtinam reſtituit. *Luitp. Onuph. Fabr.* & *Regino.*

VI. A.C. 968. DITMARVS natione Saxo, patria Magdeburgenſis, ordinatus primus Epiſcopus Pragenſis, qui, quod Sclavonicæ linguæ uſum haberet, multos ad fidem Chriſtianam convertit & baptizavit. Sed tantum vixit in Epiſcopatu annum unum

unum, & paucos menſes. Ipſi ſubſtitutus à Boleſlao vir nobilis *VVogtieg*: qui miſſus ad *Ottonem* Imp. qui tum in Italia fuit Veronæ, ubi A. C. 968, die 2 Junii confirmatus eſt, & à Willigiſo præſule conſecratus die 11 Junii, nominatuſque ALBERTVS. *Coſmas.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. ΤΑ' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

OTTO Imperator A. C. 973. Comitia indixit Quedlinburgi die 23 Martii, in die Paſchatis: ubi convenerunt Legati plurimi Græcorum, Beneventanorum, Romanorum, aliorum item Italorum, Hungarorum, Danorum, Sclavorum, Bulgarorum, Ruſſorum; item Poloniæ & Bohemiæ Duces ipſi præſentes fuere. Cum legatos omnes dimiſiſſet, Imperator Mersburgum abiit, ubi feſtum Aſcenſionis celebravit. Inde Memslebiam adiit, cœnobium ad Unſtrutum, ad tempe, quæ aurea vocantur: ibi ſubitaneo morbo correptus eſt.

II. Τ'Α' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

OTTO tertia feria ante Pentecoſten veſpertinis laudibus interfuit. Peracto autem cantu Euangelii, æſtuare ac fatigari cœpit. Inclinantem autem caput, quaſi jam defeciſſet, refocillaverunt eum, petitoque Sacramento Dominico & accepto, A. C. 973, nonis Maii, anno Imperii 37, inter preces & gemitus, cum 7 Chriſti verba, quæ in ara Crucis protulit, expendiſſet, magna cum animi tranquillitate ſpiritum Domino reddidit. *Cuſpin. Crantz. 3. Metropol. cap.* 13.

VSVS.

Hoc exemplum *Ottonis Magni* Impp. omnes Chriſtiani imitentur, & ſeptem verbis Chriſti in agone mortis ſeſe erigant. Nam meditatio mortis ut eſt ſapientiæ plena: ſic animum ad cœleſtia conſideranda excitat, & deſiderium melioris ac æternæ vitæ adfert. Inprimis ſiquis ſeptem Chriſti verba, quæ in cruce pendens protulit, in promptu ſemper, & præcipue in agone mortis habeat.

I. Dixit Chriſtus; PATER, IGNOSCE ILLIS; *quia neſciunt, quid faciant.* Hinc cape exemplum, ut *inimicis ignoſcas tuis*, ne quid impedimenti livor afferat malus; Si vero tu quoſdam offendiſti, agnoſce culpam lubens, ut veniam impetres.

II. Cutam agamus eorum, qui nobis cari & amici fuere. In hunc modum dixit Chriſtus Mariæ: ECCE FILIVS TVVS! Deinde Johanni; ECCE MATER TVA! Amiciſſimos ergo eligamus uxori liberiſque tutores, qui fide certa & diligentia ipſis præſto ſint: Nec item obliviſcamur pauperum, quin munificentiam exerceamus erga eos, ut paternam noſtram proviſionem agnoſcere, & grata memoria celebrare poſſint.

III. Compoſitis jam rebus ad nos noſtroſque ſpectantibus, nihil antiquius aut prius habeamus, quam ut veritatis divinæ teſtimonia pectoribus noſtris quaſi inſculpta teneamus. Amen dico tibi, HODIE MECVM ERIS IN PARADISO. Hoc tibi à Chriſto dictum putes; ſi in humilitate ſpiritus animam vera contritione contuderis, & adſperſam ſanguine Chriſti DEO Patri precibus obtuleris, ſpeque ſalutis æternæ hoc dicto te erexeris, tam firmiter credens, quam noviſti DEVM ſuas promiſſiones ſervaſſe, & ſervare veriſſime.

IV. Quod ſi dolores animi & corporis ſenſeris, nihil hæſitando DEVM DEVM tuum eſſe perſuaſum habeas. Ac ſi magnitudo peccati ac inde nata anxietas te cogat exclamare, DEVS MEVS, DEVS MEVS, QVARE ME DERELIQVISTI? nihil minus, quam, te à DEO derelictum, exiſtimes. Nam in infirmis DEVS maxime exercet virtutem & potentiam ſuam. Et cum ſcias hanc vocem Chriſtum in ara crucis protuliſſe, qui peccatum, mortem & Satanam vicit; tu certe ejus vulneribus ſanatus, quod dubites, quod angaris, quod contriſteris animo, non habes.

V. Jam vero, ſi in angore cordis ac luctu fidei defatigatus, ſitim ſentias, ut quemadmodum cervus deſiderat fontes aquarum, ita tu fontem vitæ Chriſtum deſideres, ut liberatus ex hoc ergaſtulo, æterno perfruaris gaudio: dic paſtori tuo, SITIO; ut participatione corporis & ſanguinis Chriſti animum refocillare, & fidem tuam de æterna beatitudine confirmare poſſis.

VI. Poſtquam his epulis inſtructus es, & IN CHRISTO OMNIA CONSVMMATA; Scias, tuis operibus, quantumvis bona & proximo fuere utiliſſima, nihil tribuas: ſed omnia divinæ largiaris gratiæ, ut, modo tu corpore etiam exutus, innocentiæ ac meritorum Chriſti veſtibus indutus, in conſpectum patris, & ſanctorum Angelorum procedere poſſis, tunc plenitudine divinitatis ſuæ cohabitante, ſanctorumque Angelorum choro te comitante, felix in ſinum Abrahæ transſveharis.

VII. Singulis autem momentis vitæ tuæ ingemina hanc ultimam Chriſti vocem: PATER, IN MANVS TVAS COMMENDO SPIRITVM MEVM: ut ubi vox defecerit, cor interius hanc vocem nihilominus gemat, ut ſcilicet ibi eſſe poſſis, ubi eſt pater tuus, opifex mundi: ubi eſt frater tuus,

CHRI-

CHRISTVS: ubi eſt Spiritus ſanctus paracletus, qui ſæpenumero ſuaviſſimam animo tuo afflicto & dolenti ſumma cum refocillatione inſpiravit conſolationem: nec ſolicitus ſis de loco. Nam Domini manus quem tuetur, ille expers eſt omnis moleſtiæ; perfruiturque ſummo gaudio. Hoc eſt ſummum bonum, quod Philoſophi nec invenire, nec intelligere potuerunt.

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

1. *Sepultura.* Viſcera *Ottonis* Memslebii manſerunt. Cadavet vero filius *Otto*, qui patri in Imperio ſucceſſit, Magdeburgum deferri curavit, ubi cum ingenti omnium hominum luctu ſepultum eſt. Sarcophago ejus inſcripſiſſe feruntur hi verſus:

Tres luctus cauſa ſunt hoc ſub marmore clauſa,
Rex, decus Eccleſia, ſummus honor patria.

XIII IMPERATOR GERM.

OTTO II.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

I PATER fuit OTTO I. cognomento MAGNVS.

II. MATER fuit ADELHEIDA, *Lotharii* Regis Italiæ vidua relicta, Matrona pia & religioſiſſima. Ex hiſce parentibus natus eſt OTTO II. A. C. 955.

II. *Appellatio.*

1. NOMEN. Dictus fuit OTTO, à bono omine, ut Patris veſtigiis inſiſteret. Quod etiam eventu factum. Nam uti Patri in Imperio ſucceſſit, ſic etiam virtutum ejus fuit imitator.

II. COGNOMEN. Cognomine dictus 1. *Otto* RVFVS, à colore & crinibus rufis. 2. *Pallida mors Saracenorum*, quia Saracenos ad internecionem pene delevit. 3. *Sanguinarius*, ſic dictus, eo quod Romæ præcipuos cives ex equeſtri ordine convivio excepit, & introductis militibus, ſeditioſos trucidari juſſit.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXOREM *Otto II.* habuit *Theophaniam*, Nicephori Conſtantinopolitani Imperatoris privignam, quam pater ipſi per Legatos à Nicephoro petivit, qui fraudulenter eam deſpondit, unde bellum inter Ottonem Magnum & Nicephorum ortum. Occiſo autem à Græcis Nicephoro, Johannes Zimiſces, qui in Imperio ei ſucceſſerat, THEOPHANIAM ad *Ottonem*, qui tunc temporis Romæ commoratus, miſit, addita dote, quicquid Græci in Italia haberent.

Nuptiæ gaudio magno A. C. 972. Romæ peractæ ſunt; de qua in præcedenti hiſtoria cap. 2. de bell. Græc. prolixius diximus.

Ex hac OTTO II. ſuſcepit filios duos: 1. OTTONEM III. 2. HVGONEM, quem alii *Vlricum* nominant, Marchionem Saxoniæ: & *filias quinque*.

Narrant quoque Hiſtorici, cum *aliam* etiam habuiſſe conjugem, ex familia Marchionum Auſtriæ: ſed quæ fuerit illa, quibuſve ſit orta parentibus, non annotant. Tribuuntur ei & filiæ plures ex ea natæ, inter quas unam prodiderunt fuiſſe conjugem trium Regum, primo Boleſlai Bohemiæ, deinde Meſconis Poloniæ, poſtremo Hungariæ Regis: ſed hæc, quod certi & explorati nihil de eis reperiam, omitto. *Ckron. Spangenb. Chron. Carion. Chron. Pomarii. Trithemius.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

OTTO II. auctoritate Patris inſignia Imperii accepit. Nam puer ſexennis patri ſucceſſor declaratus Aquisgrani anno Chriſti 961. Et cum pater devicto Berengario Romæ ageret, filium eo evocatum renunciari Imperatorem curavit. Quare *Otto II.* Anno Chriſti 968, in Natalitiis Domini, præſente patre, à Pontifice JOHANNE XIII. Imperator coronatus eſt, & ita defuncto patre omnium Procerum Germaniæ conſenſu ei in Imperio ſucceſſit anno Chriſti 973.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

Otto II. quemadmodum patri in imperio ſucceſſit: ſic etiam paternæ virtutis æmulus fuit: nam imperium ſumma cum laude adminiſtravit, & Eccleſiæ, Reipublicæq; ſalutem ſummo ſtudio quæſivit. Unde *Sabinus* tale de eo Epigramma concinnavit:

Non fuit inferior Primo *virtute* Secundus,
Multa domi geſſit prælia, multa foris.

Exempla Actorum Togatorum ſpecialia.

1. *Manſuetudinis heroicæ*, quam oſtendit erga *Biſetiſlaum*, Udalrici Bohemorum Ducis filium, qui filiam ipſius Jutham rapuerat, ſibiq; connubio junxerat. Hoſce ſupplices ſibi factos in gratiam recepit, illiſque hoc facinus condonavit: ſicut ſtatim in Act. Sagatis plenius dicemus.

11. *Iuſtitiæ rigidæ.* Cum enim diſſidium inter *Geronem* Comitem & *VValdonem* miniſtrum nobilem Imperatoris ortum eſſet, & res componi non poſſet, obtulerunt ſe ad Monomachiam, in qua ambo mutuis vulneribus ceciderunt. Sed Imperator, quia Geronem ſontem judicabat, mortuum eum decollari, & ne cadaver terræ mandaretur, juſſit. Filia vero Geronis certior hac de re facta, ſupplicavit Imperatori pro ſepultura, promiſitque ſua bona Epiſcopatui Magdeburgenſi; & impetravit. *Fabritius.*

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum* contra *Vdalricum* Bohemiæ Ducem.

I. ORTVS.

Ottonis Imp. *filia* ab *Vdalrici* filio *abductio.* Rapuerat filiam Imperatoris IUTHAM, quæ Ratisbonæ in monaſterio educabatur, *Vdalrici* Bohemorum Ducis filius *Biſetiſlaus.* Nec pater facinus filii improbabat, ſed potius audaciam ejus miratus, nuptias cum rapta in Moravia celebrari juſſit, tanto præſtantiorem filium æſtimans, quanto nobilioribus nuptiis cohoneſtaretur.

II. PROGRESSVS.

Ottonis Imperatoris *indignatio*, & *in Bohemiam expeditio.* *Otto* iniquiſſimo ferens animo, tantam ſibi, Romanorum Imperatori, contumeliam & injuriam à Principe, qui ſit Imperio ſubjectus, illatam eſſe, magno exercitu conſcripto in Bohemiam profectus, obvia quæque ferro & igni depopulatus eſt. Contra etiam Vdalricus & filius caſtra moverunt. Jam duo exercitus intra jactum teli convenerant, cum Jutha, cauſa caputque belli hujus, crinibus ſparſis, ſciſſa unguibus facie, victo periculorum magnitudine pavore, auſa telis ſeſe inferre volantibus, inter primas acies proſiliens, patris alloquium, priuſquam furor arderet amplior, expoſcit.

III. EGRESSVS.

PACIFICATIO. *Iutha* impetrato alloquio patris, precibus ſuis & lacrymis ejus iracundiam omnem mitigavit, & ne paterna violentia matrimoniale vinculum diſſolveretur, effecit. Mox etiam coram Imperatore apparuit ipſe juvenis *Biſetiſlaus*, & proſtratus in genua, facinoris non tam ex malitia, quam amoris incendio admiſſi, veniam impetravit. *Crantius lib. 9. cap. 13. Coſmograph. Munſt. lib. 3.*

II. *Bellum* contra *Henricum* patruelem, Ducem Bavariæ.

Defuncto *Ottone Magno* Imper. HENRICVS Dux Bavariæ patruelis *Ottonis II*, invidens fratris filio imperium, ac immemor beneficii accepti, res novas molitus eſt, ſibique imperium deberi contendit. Ex ſua parte habuit Epiſcopos, Auguſtanum, Moguntinum, Magdeburgenſem. Ex politicis *Boleſlaum* Bohemorum, *Mieſconem* Polonorum, & *Haraldum* Cimbrorum Regem: ſed *Otto* data fide publica, *Henricum* ad cauſam dicendam evocavit: niſi veniret, eum videri contra Rempubl. feciſſe. *Henricus* igitur à Legatis Imper. perſuaſus, culpam apud *Ottonem* deprecatus eſt. Cum vero progreſſu temporis comparere nollet, Imperator contra eum movit, & prælio vicit. *Henricus*, etſi vires nullas habuit, & à ſociis deſertus fuit, tamen bellum reparavit, ſed ab *Ottone* Ducatu pulſus; qui datus *Ottoni* Duci Sueviæ, Ludolphi fratris filio. Henricus exul in Bohemiam abiit. Quo comperto, *Otto* Imp. eo exercitum miſit, qui Bohemiam longe lateque vaſtavit, omnia patientibus hoſtibus, ut tandem ſecuri fierent; quod & factum eſt. Ideo Henricus Bavarus improviſo in eos irruit, & multos occidit, & caſtra vix defenſa: inde exercitus poſtea retroceſſit. *Henricus* vero aſſumto Friſingenſi Epiſcopo Patavium in ripa Danubii ſitam occupavit, eam munivit, & arcem belli ſibi ibidem conſtituit. *Otto* Imp. autem priuſquam *Henricus* Patavium ſatis firmaſſet, eo duxit exercitum, & urbem obſidione cinxit. *Henricus* obſeſſus, cum nec commeatum haberet, nec militem, de pace egit, promiſitque ſe compariturum in judicio Imperii. Quare Imperator Comitia indixit: ad quæ evocatus *Henricus* ſtitit ſeſe, ubi communi Principum conſenſu exilio multatus ipſe & filius. Epiſcopi, Auguſtanus & Friſingenſis, ſponte ſolum mutaverunt. Moguntinus vero & Magdeburgenſis amicorum interceſſione dignitatem ſuam recuperarunt; Dux Bohemiæ etiam in gratiam receptus eſt. *Fabritius.*

III. *Bellum* contra *Haraldum* Danorum Regem.

A. C. 974. *Otto* Imper. contra *Haraldum* Danorum Regem movit, qui adhæſerat *Henrico* Bavaro, & vaſtarat Saxoniam, & aliquot ejus urbes cepit, eumque ita attrivit, ut pacem petiverit, munera ampla obtulerit, & tributum annuum promiſerit dato, fidei cauſa, obſide ſuo filio. *Fabricius.*

IV. *Bellum* contra *Lotharium* Francorum Regem.

A. C. 978. *Lotharius* Rex Francorum, & *Otto* Dux Burgundiæ conſobrini conjuraruntde fratre Lotharii *Carolo* ex Lotharingia expellendo, & non denunciatis inimicitiis Lotharingiam percurrerunt. Imperator tum Aquiſgrani fuit, & de improviſo hoſte adventante fere oppreſſus eſt; ubi niſi fuga evaſiſſet, in Francorum deveniſſet manus. Rex occupata urbe, prandium, quod Imperatori paratum fuit, abſumſit, & tribus diebus urbem ſpoliavit, vicinaſque regiones diripuit. *Eam* igitur injuriam ulturus *Otto* Imp. exercitum collegit, Rhemenſem & Lugdunenſem agrum vaſtavit, prædaſque egit uſque ad Pariſiorum ſuburbia. Inde cum peſtis ingruiſſet, domum reverſus Imp. reditu intercluſo, magna paſſus eſt detrimenta, inundatione fluminis Axonæ multis amiſſis, quos partim aquarum impetus abſorpſit, partim interfecerunt ii, qui noviſſimo agmini prædæ ſpe inhæſerunt: atque ita Imperator expeditionem hanc minus lætam circa finem Novembris confecit, & in Saxoniam rediit. LOTHARIVS autem, quia ſciebat, *Ottonem* non Francorum viribus, ſed fortuna adverſa tantum victum, metuit ne bellum perſequeretur; ideo de pace egit, & anno ſequenti convenerunt Rhemis: ubi Lotharingia *Ottoni* reſtituta, cujus pars CAROLO fratri Regis Lotharii iterum ab Imperatore gubernanda tradita eſt: partem ejus acceperunt Epiſcopi Leodienſis, Trevirenſis & Colonienſis. Ita Marchionatus Antvverpienſis, & Comitatus Lovanienſis Imperatori reſtituti ſunt. *Fabritius, Chron. Carion.*

V. *Bellum Italicum.*

1. Supra diximus, quod *Zimiſces* Imper. Conſtantinopolitanus *Theophania* dotis loco Calabriã & Apuliam dederit. Quare Zimiſce interfecto, Baſilius & Conſtantinus, qui ei ſucceſſerunt, fratres Theophaniæ, junctis ſibi Saracenis ac mercede conductis, Italiam invaſere, & Apuliam primum, deinde, nemine prohibente, Calabriam recepe-runt: quas regiones, ut diximus, Otto I. Imper. Romano Imperio adjecerat, & *Zimiſces* Theophaniæ dotis loco dederat. Imperator igitur, cum res Germaniæ compoſuiſſet, ingenti exercitu collecto per Bavariam in Italiam tranſiit A. C. 980, & Græcorum præſidia ex Dalmatia & Illyrico fugavit, & ante hyemem Romam venit, ubi copias Germanorum recenſuit, & urbibus certum numerum militum in Italia imperavit. Anno ſequenti Imp. Sueviæ Ducem Ottonem fratris ſui filium dimiſit ex portu Oſtienſi cum aliquot navibus, ut littora circumiret, exceptiſque hoſtibus exploraret hoſtium vires & conſilia. Cum eos magna multitudine conveniſſe vidit, & paratos ad pugnam, reverſus ſuaſit Imperatori, ut bellum illud aggrederetur, & urbem aliquam ſumeret oppugnandam: qui profectus *Tarentum*, urbem maritimam, quam obſeſſam primo menſe expugnavit, inde hoſtibus ad vicum quendam occurrit, quos acri congreſſu in fugam conjecit, & in campo quodam in anguſtiis fugientes adortus, plurimos eorum occidit; qua victoria lætus, cœpit optime ſperare de eventu, & exercitus inſolentior factus hoſtem contemſit, & multum de induſtria ſua remiſit.

2. A. C. 982. *Otto* Imp. cum multæ urbes in Apulia & Calabria præſidiis Græcorum tenerentur, ad ea ejicienda primo vere inſigni exercitu profectus. *Graci* aſſumtis ſuis auxiliis, ne tota Italia pellerentur, acie decernendum exiſtimarunt, nec detrectavit Imperator, & Italis poſcentibus primam aciem conceſſit: ſed hi vix primum impetum hoſtium tulerunt, & in fugam ſe conjecerunt, totumque exercitum turbarunt. Germani non fugere ſueti, acerrime ſe defenderunt: ſed proditi à ſociis, & tandem in arctum ab hoſtibus concluſi, & ipſi fugerunt: ubi ceciderunt viri præſtantiſſimi, Epiſcopi etiam aliquot & Comites. *Imperator*, cujus equus valde vulneratus fuit, ad mare pervenit, ubi ægre receptus. Sed non agnitus, cum abjectis ornamentis Imperatoriis & lorica pro mercatore ſe gereret, perſoluto lytro, & beneficio græcæ linguæ, quam didicerat, evaſit, novaque auxilia ex Germania juſſit adduci, qui Veronæ convenirent. Interim, cum à *Beneventanis* fugæ initium factum eſſet, Beneventum militibus prædæ dedit, & urbẽ cremavit, & deinde, cum & Romani *Principes & alii* in Italia proditionis ſuſpecti, eoſque è medio tollere vellet Imperator, conſilium crudele magis, quam laudabile inivit. Quippe magnifico ac ſplendido parato in Vaticano convivio Principes ac Legatos Civitatum omnes qui celebrandi ejus adventus gratia Romam de more convenerant, ac juſſi ab eo aderant, invitaverat. Vbi autem cuncti

accubuerunt, præconis voce, ne quis ad ea, quæ audiret, videretve, aut vocem emisisse, aut sedem suam movisse vellet, pœna capitis indicta, denunciatum est: Ac statim convivæ omnes, intromissis armatorum catervis, ex composito circumventi, trepidantibus ad tale spectaculum singulis, deinceps nomina eorum, qui seditionem moverant, aut proditionis conscii erant, recitata: ac tristibus de illis pronunciatis sententiis, inspectantibus cæteris, ultimum supplicium sumtum est. In reliquis convivium mira comitate ac liberali invitatione confectum est.

III. Imperator in tanto vitæ periculo servatus celeriter copias, quantas potuit, comparavit, & renovato bello A. C. 983. Saracenos tanta victoria vicit, ut *pallida mors Saracenorum* diceretur: attamen ipse Imperator in hac pugna sagitta venenata vulneratus fuit, quo vulnere non diu post obiit, sicut in cap. 3. dicemus. *Fabric. Sigon. lib. 7. de reg. Ital.*

VI. *Bellum Sclavonicum*, gestum à Saxonibus & Thuringis.

Cum *Otto* Imper. bellum contra Græcos gereret, *Sclavi* in Germaniam irruerunt, & cædibus crudelissime grassati sunt. Episcopatum Havelbergensem diripuerunt, Brandeburgum expugnarunt, & vicina loca vastarunt, inde assumtis Bohemis & aliis Sclavis, Episcopatum Cizensem & Mersburgensem crudelissime afflixerunt. His obviam venerunt Saxones & Thuringi, eorumque amplius triginta millia & septingentos deleverunt A. C. 983. multi tamen fuga evaserunt: & ita Saxonia tum liberata fuit. *Fabric.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. A. C. 974. *Otto* Imp. Memslebianum cœnobium magnificentius ædificavit, & moniales, quæ ibi fuere, traduxit Quedlinburgum, & Monachos introduxit. *Spangenberg. Sigon.*

II. A. C. 977. *Rokerto* Episcopo Moguntino animi mœrore exstincto, ei successorem dedit Imperator è suis sacerdotibus virum spectatissimum *VVilligisum*, patria Saxonem, in pago Schöningen patre rhedario natum. Hic quia *Ottonis* III. Præceptor fuit, in sequenti historia de ipsius vita plenius dicemus.

Res memorabiles.

I. A. C. 979. EDVARDVS Rex Angliæ, cum ann. 3, & menses 8, regnasset, & venatum exiisset, ac à novercæ suæ castro non procul abesset, eo solus venit, ut sitim levaret. Illa sitienti statim venenum præbuit, & misit adhuc, qui ipsum trucidarent. Successit ipsi frater EDELREDVS, qui regnavit annos 37, & à Danis undique bello afflictus est. In Baptismo hic aquam excrementis suis inquinaverat. *Malmesb.*

II. A. C. 980. HARALDVS Danorum Rex à filio suo Suenone vel Swend / quod diutius vivere videretur, quam par erat, bello petitur. Abnegaverat autem Sueno Christianam religionem, & se dediderat Ethnicorum superstitioni, quorum plurimi erant adhuc in regno, atque ille eos sibi socios belli fecit, & in pugna parentem vicit, qui etiam vulneratus est periculosissime, & paucis diebus post, in festo omnium Sanctorum, mortuus est, cum regnasset annos 50: sed hoc parricidium DEVS ita ultus est, ut filius paucos post annos regno ejiceretur, & totis annis 14 exularet. *Adam.*

Prodigia.

A. C. 979. ignitæ acies in cœlo visæ sunt Capuæ multæ domus, Beneventi 15 turres, Campanæ civitatis dimidia pars, & Ronsa fere tota, terræ motu conciderunt, & multi homines hiatu terræ absorpti sunt. Gravissima etiam fames ubique miseros mortales pressit.

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. TÀ ΠΡΟΗΓΟΎΜΕΝΑ.

I. MORBVS. Mortis ejus causæ complures fuere, inprimis vero telum veneno tinctum, quo in prælio Saracenico sauciatus erat: tum uxoris Theophaniæ, ex clade Italorum, victoria vero Græcorum, ἐπιχαιρεκακία, sive concepta lætitia. Ad quæ accessit diarrhœa, quæ fuit causa mortis immediata.

II. SVCCESSORIS DECLARATIO. Imperator, cum vulnus ingravesceret, seque non diu in vivis superstitem fore sentiret, *Ottonem* filium suum successorem in imperio declaravit, eique tutorem dedit *VVilligisum*, Episcopum Moguntinum.

III. TESTAMENTVM. Deinde Imperator *Testamentum* fecit, de rebus mobilibus suis post obitum distribuendis, & omnia, quæcunque in thesauris vel alias habuit, in quatuor partes distribuit: *Vnam* partem Ecclesiis: *Secundam* pauperibus: *Tertiam* matri, sororibus, & liberis: *Quartam* Consiliariis, Equitibus & servis, qui relicta patria cum ipso in Italiam profecti fuerant, ibique fideliter ei ministraverant, legavit.

IV CON-

IV. CONFESSIO. Hiſce rebus conſtitutis, animum à terrenis ad cœleſtia convertit, peccata ſua in præſentia omnium Aulicorum ſuorum confeſſus eſt, & ſacra Synaxi uſus, animamque ſuam in manus Domini commendavit.

II. ΤΟ' ΠΡΑΧΘΕ'Ν.

Tandem triſti animi ægritudine labefactatus, accedente diarrhœa, placide in Domino obdormivit A.C. 983, anno ætatis 29, imperii 10, menſe 7.

III. ΤΟ' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΟΝ.

Sepultura. Sepultus eſt Romæ in atrio templi D. Petri. Sepulcro impoſita fuit ſtatua Salvatoris benedicentis introëuntibus, aut exeuntibus. *Chron. Spangenb. Chron. Martini. Fabricius. Marian. Henr. Mutius. Aventin. Schaff. Platina. Sigeb.*

XIV IMPERATOR GERM.
OTTO III.

CAPUT I.

DE ORTU.

I. *Generatio.*

I. PATER fuit OTTO II. Imp.

II. MATER fuit THEOPHANIA, quæ fuit ROMANI Conſtantinopolitani Imp. filia. Ex hiſce parentibus natus eſt circa annum Chriſti 972. Mortua eſt *Theophania* A. C. 991: ejus funus filius Noviomagum duxit, & exequias honorifice celebravit. Erat in Græcia nata, in Italia *Ottoni* II deſponſata, & in Germania mortua & ſepulta eſt. *Fabric.*

II. *Appellatio.*

I. NOMEN. Dictus fuit *Otto*, à bono omine, ut patris avique veſtigiis inſiſteret; quod etiam factum.

II. COGNOMEN. Cognomine dictus

1. PUER, quia, cum pater ejus moreretur, vix 11 annos natus fuit; nihilominus tamen à Proceribus Germaniæ Imperator electus eſt Et quidem Itali, qui Imperatoriã dignitatem ipſi invidebant, ignominioſe eum appellarunt *Ottonem puerum.*

2. MIRABILIA MUNDI. Licet *Otto* puer erat, cum ad imperium eveheretur, tamen progreſſu temporis ſapientia ita crevit, ut propter admirandam ſapientiam, quæ ætatem ſuperabat, & res præclare in imperio geſtas, ipſi honoris cauſa hoc cognomen adderetur, ut *Mirabilia mundi* diceretur.

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙ'Α.
NATURA & MORES.

IN puero ſtatim coporis animique dotes exſpleduerunt magis magiſque Nam tam egregia forma præditus fuit, ut quilibet maxima cum jucunditate, imo cum admiratione eum aſpexerit. Inde etiam à pueritia tantis animi dotibus, utpote modeſtia, humanitate, ſapientia admiranda, memoria ſingulari, ac venuſtate in geſtibus, quibus facile quemlibet ſibi conciliabat, excelluit, ut omnes ſperarent, eum futurum Principem, qui Rempubl. ſumma cum laude eſſet adminiſtraturus. Et hanc de ſe concitatam exſpectationem poſtea implevit.

Informatio.

I. OTTO puer traditus in diſciplinam viri cujuſdam literatiſſimi, qui dictus fuit GILBERTUS, à quo in omni diſciplinarum genere diligenter informatus, adeo ut in literis multum profecerit, & poſtea in adminiſtratione Imperii prudentia ejus eximia fuerit ſpectata. Linguam Græcam à matre quaſi cum lacte materno hauſit, atque ita cum Germanica fortitudine Græcam prudentiam conjunxit.

II. Deinde OTTO educandus datus eſt *VVilligiſo* Epiſcopo Moguntino, à quo etiam ſtudioſe & diligenter inſtitutus eſt. Hic *VVilligiſus* Saxo fuit, humili genere, patre *rhedario*, in pago Saxoniæ Sdyöningen natus. Erat autem vir prudentia & virtute inſigni præditus. Itaque ab *Ottone* II in aulam ad Diaconatus officium vocatus, in eo tanta dexteritate functioni ſuæ præfuit, ut etiam ſecretiſſimis conſultationibus & conſiliis adhiberetur. Tandem ad Epiſcopatum Moguntinum ab *Ottone* II evectus, filium Imperatoris *Ottonem* III, erudiendum & educandum accepit: cui tandem etiam, ad gubernacula Reipubl. jam admoto, rector Conſiliorum à Principibus Imperii datus eſt: qui & dignitatem Electoralem in Imperio eſt conſecutus. Verum ut ſuæ conditionis, qua natus erat patre rhedario, memor eſſet, rotam multis in locis depictam, ſibi velut imaginem modeſtiæ probandæ propoſuit, cum hac inſcriptione, *VVilligiſe, VVilligiſe, recole unde veneris, & prioris tua fortuna memor, quis nunc ſis, conſidera.* Vnde etiamnum Archiepiſcopatus Moguntinenſis inſigne *Rota* perduravit. *Dreſſ. part. 2. millen. 6. Bruſchius de Epiſcopat. Nauclerus, Trithemius.*

II. *ACTA OECONOMICA.*

Conjugem habuit *Otto* III *Mariam*, Arragonum & Navarræ Regis filiam. Hæc autem, ut quidem nomen *Maria* interpretantur, non fuit *illuminatrix*, ſed potius (ut *Philo* explicat) *amarum mare* mariti ſui. Nam non ſolum fuit ſterilis, ut nullam ex ea ſuſceperit ſobolem, ſed etiam impudicæ & procacis libidinis fœmina, quæ juvenem muliebri habitu in gynæceo habebat, quo ad libidinem exſaturandam abuſa. Tandem ergo Imperator eam adulterii convictam ad Mutinam urbem vivam cremavit; de quo infra plenius dicemus. Illa è medio ſublata Imperator conjugium non repetivit, ideoque nullam poſt ſe prolem reliquit. *Coſmograph. Munſteri, Hedion. Chron. Saxon. Pantal. Honorius.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Otto à parente (ut ſupra diximus) in imperio ſucceſſor declaratus eſt. Cum verò patre defuncto per ætatem nondum idoneus eſſet ad Imperium, novæ de ſucceſſione contentiones exortæ ſunt. Nam Itali regnandi cupidi *Creſcentium* Coſ. Rom. Imperatorem depoſcebant. In Gallia Germanis bellum inferebat *Lotharius* de erepta ſibi ab *Ottone* II. Lotharingia, & de axiomate imperii. In Germania *Henricus Bavarus* denuo fiducia nonnullorum Ordinum ad imperium adſpirabat. Is ut prætextu tutelæ facilius imperium conſequeretur, patre mortuo, *Ottonem* puerum ad ſe tranſtulerat. Principes reliqui Germaniæ, quod fidelitatem Ottoni huic & parenti antea dediſſent, *Ottonem* ab *Henrico* repoſcebant, & ipſi ut hæredi legitimo Imperium deferebant. *Otto* ergo & ſuffragiis conſenſuque Procerum, & ſucceſſione adeptus Imperium, cum jam Aquiſgrani *argentea corona* eſſet inſignitus, ac Mediolani *ferream* accepiſſet *coronam*, pro more veteri, Romam profectus eſt, & in Pontificis demortui locum BRVNONEM Saxonem conſanguineum ſuum, *Gregorium* V. poſtea dictum, conſtituit Pontificem, & ab eo *auream coronam* accepit. *Chron. Carionis, Chron. Martini. Spangenb. Plat. Sigeb. Mutius.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

Licet *Otto* puer ad Imperialem dignitatem ſit evectus, tamen quamprimum ad ætatem maturam pervenit, Reipubl. conſuluit, eamque tanta laude adminiſtravit, ut omnes ſapientiam ejus, qua excellebat, admirarentur; ſiquidem (ut antea diximus) propter admirandam ſapientiam, & res præclare geſtas, *Mirabilia mundi* dictus eſt.

Exempla Actorum Togatorum ſpecialia.

I. PRVDENTIÆ. *Otto* Imper. cum ipſe deſtitueretur liberis, ad quos imperium transferre poſſet, multique eſſent, qui imperio inhiarent, ne deinceps confuſio & tumultus eſſet in imperio, cum Proceribus Germaniæ, conſentiente Pontifice Romano, Decretum fecit, ut in poſterum jus omne atque poteſtas eligendi Romanum Imperatorem eſſet apud ſolos Germanos, nec liceret Romano Pontifici quenquam proclamare Imperatorem, niſi quem proceres Germaniæ ad id faſtigium evexiſſent. Vtrum autem eo ipſo tempore *Electoralis dignitas ſeptemvirorum* in eligendo Imperatore inceperit, certis argumentis hiſtoriarum demonſtrari non poteſt, quia hac de re variæ ſunt ſcriptorum ſententiæ. Nemo tamen melius ea de re ſcripſit, quam *Heigius in illuſtr. q. 3. & ſeq.* ut aſſerit *Ruland. in tract. de Commiſſ. & Commiſſion. p. 2. lib. 5. c. 4. num. 18.* qui, enumeratis & refutatis multorum ſententiis, ita concludit: Ab initio Electores ſub *Ottone* III. conſtitutos, ut electionem deinceps de Imperatore habendam, veluti Principes ſenatus, moderarentur, & reliquorum auditis ſuffragiis, & collectis votis, id tandem ſtatuerent, quod è republ. eſſe cognoſcerent: donec attritis familiis præcellentioribus, & mota inteſtinis diſſenſionibus Germania, & hinc perperam elicitis à ſtudioſis factionum promiſcuis ſuffragiis, utiliſſimum viſum fuit, in ſtrictius Electorum conſilium rem totam revocare. Quod occultis primum initiis cœptum, & patientibus cæteris Principibus aliquot annos uſurpatum, demum Ludovici Bavari, aut certe *Caroli* IV. ſanctione promulgata ſic ſtabilitum, ut ab eo tempore pacatiora comitia, & ſuffragia circa Electiones pauciora, Imperium divina ſic diſpenſante providentia, habuerit.

II. CLEMENTIÆ. 1. Quod conjugi Mariæ, cum eam cum juvene quodam rem habuiſſe deprehendiſſet, ignoverit. 2. Quod *Henricum* Bavarum, qui Imperium affectarat, non ſolum in gratiam receperit, ſed etiam Ducatum Bavariæ, è quo ab *Ottone* II. pulſus erat, reſtituerit. *Chron. Funccii. Fabric. Sigon.*

III. MAGNIFICENTIÆ. 1. Imperator veſtem habuit, in qua tota Apocalypſis opere Phrygio, perquam eleganter & operoſe fuit intexta, auroque inſignita.

2. A. C. 999. in Poloniam profectus eſt, viſendi cauſa ſepulcrum S. *Adelberti*: ubi à *Boleſlao* Duce Po-

ce Polonorum honeſtiſſime liberaliſſimeque habitus eſt. Itaque ut gratiam ei referret, & amicitia, fœdereque magis devinctum haberet, ex Duce Regem fecit, Gneſnæ coronam ei impoſuit, & in Imperii fidem, amicitiamque recepit. Ab hoc *Boleſlao* reliqui ſunt Duces Sileſiæ, qui nunc Lignicium & Bregam tenent. Cœpit ergo beneficio *Ottonis* tertii Polonia regnum eſſe. Eodem tempore Vngaria regni titulum uſurpavit, quem poſt Ottonem confirmavit Henricus Sanctus. *Hiſtor. Polon. Chron. Carion.*

IV. BENEVOLENTIÆ erga SVBDITOS. *Otto* Imperator, ut ſubditorum benevolentiam ſibi conciliaret, non tantum in Saxonia aulæ ſuæ ſedem habere voluit; ſed & in Weſtphaliam eam tranſtulit, & alia in loca. Statum ſubditorum ſuorum & urbium diligenter inquiſivit, & ubique propter clementiam & ſapientiam bene audivit. *Fabricius.*

V. JVSTITIÆ. Exemplum *Juſtitiæ* in *Ottone III.* memoratu digniſſimum ab Hiſtoricis traditur: Vxorem habuit MARIAM, fœminam (ut ſupra diximus) impudicam, quæ ſecum muliebri habitu circumduxit juvenem, quo cum congrediebatur quotidie, quandoquidem eo pro cubicularia utebatur. Quod cum innotuiſſet Imperatori, juvenis, multis præſentibus, veſtibus eſt ſpoliatus, inventuſque pro fœmina maſculus, vivus deinde combuſtus eſt. Sed & Imperatrix, cum ſæpius viros peteret, quam peteretur, amatore ſuo extincto, cum ab Imperatore veniam impetraſſet, in Italia, circa Mutinam, Comitem quendam elegantis formæ, & virum optimum, cœpit deperire, multiſque blanditiis conata eſt eum in ſui amorem pellicere. Poſtquam libidini ſuæ reluctari vidit, coram *Ottone III.* eum accuſavit, quaſi ab illo de ſtupro interpellata eſſet: & ſpecioſo ſermone (ut eſt calumniator ſerpens occulte mordens. *Eccleſ.* 10. v. 11.) occupavit mariti animum, κακίσειεν ἐπάδουσι θυμὸν ἰοπλῆτι, h. e. moleſtis opprobriis animum inſtigavit, ut ſuæ injuriæ vindictam ſuſciperet. Ejus rei admonitus Comes Mutinenſis, totam rem, ut erat, conjugi ſuæ mulieri prudentiſſimæ patefecit, ſe millies citius moriturum quam tantum Imperatoris dedecus palam facturum. Proinde eam precibus omnibus obteſtari cœpit, ut forti ac imperterrito animo apud Imperatorem innocentiam ſuam, ſe jam mortuo, purgaret. Neque ita multo poſt Comes irati & credulî Imperatoris judicio condemnatus, pœnas capite dedit. Vxor vero Comitis conſcia innocentiæ mariti ſui, caput ejus abſciſſum deoſculata eſt, & ſecum ablatum diligenter recondidit. Conventu ergo populi ad Roncalias inſtituto, quo die jus viduis, more veteri ſolenni, dicebatur, mulier proceſſit, magno clamore & ejulatu petivit cauſam ſuam recte cognoſci, & legum auctoritate defendi. Sciſcitanti itaque Imperatori, à quonam læſa eſſet. Tu, inquit, ô Imperator, iſte es, à quo ſum læſa: ſimulque in medium projecit mariti ſui caput. Hunc maritum meum, exclamavit, contra jus & fas capite multaſti. Qua voce audita mirabundus Otto; At tu, quonam pacto, inquit, viri tui, quam jactas, innocentiam comprobabis? *Cui illa:* Candenti lamina, inquit. atque mox, inſpectantibus omnibus, ferrum ignitum, juſſu Ottonis allatum, ſine ulla offenſione apprehendit, & in locum conſtitutum detulit. Ibi Imperator, detecta rei veritate, graviter commotus, viduam multis muneribus & quatuor caſtris donavit, ſuam vero conjugem *Mariam* igne cremari juſſit. *Caſp. Hedion. in Hiſtor. Eccleſ. Coſmograph. Munſt. lib. 3. Sigon.*

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum Bohemicum.*

1. Supra diximus, quod *Ottone II.* defuncto, *Henricus* Dux Bavariæ *Ottonem III.* puerum per factionem abripuerit, arctiſſimæ cuſtodiæ manciparit, Imperatoris titulum uſurparit, Principes vero Germaniæ hæredem legitimum raptori extortum inaugurarint. *Henricus* Bavarus igitur ſtatim odio Ottonis Bohemos excitavit, ut in Miſniam irruerent. Exercitus igitur Imperatoris contra Bohemos, qui jam multas urbes ſpoliarant, ductus eſt, & Meiſconem eo adegit, ut ſupplex bellum deprecaretur. *Fabric.*

II. A. C. 986. OTTO Imp. cum Bohemis iterum bellum geſſit, & glorioſe eos vicit. Quare anno ſequenti *Meiſco* frater *Boleslai* Ducis Bohemiæ ad Imperatorem venit, cui obtulit camelum, tum temporis in Germania non viſum, & in gratiam receptus eſt. *Spangenb. Ditm.*

II. *Bellum Italicum.*

OTTONEM Imp. variæ ſeditionum procellæ exceperunt, tam in Italia, quam in Germania. Æmulos namque Imperii habuit Henricum Bavarum in Germania: Lotharium in Gallia: Creſcentium in Italia. Sed Henricus, ſupplex factus Francofurti in Comitiis, veniam conſecutus eſt; Lotharius ſponte ceſſit. Creſcentius vero plus negotii & moleſtiæ ei exhibuit. Hic enim Romæ ambitione quadam ductus, ut titulum Imperii Germanis adimeret, atque Italis adſereret, ſeditionem excitavit, multoſque Principes ac Duces in ſuam ſententiam pertraxit;

traxit; Sed tamen pontifex Romanus ejus ſententiæ ac voluntati accedere noluit, & Ottonem, ut propere in Italiam veniret, admonuit. Imperator igitur ad pacandam Italiam animum appulit. Hanc ubi ingreſſus eſt, allatus eſt opportune nuncius de morte Pontificis. Statim ergo decrevit ei ſucceſſorem *Brunonem* Saxonem agnatum ſuum, filium Ottonis Ducis Sueviæ, *Ludolphi* nepotem, qui nomine mutato GREGORIVS V. dictus. Nonnulli nepotem fuiſſe tradunt Conradi ſapientis. Præmiſit autem Imperator Pontificem Romam, ipſe cum exercitu ſecutus eſt; & intromiſſus in urbem, CRESCENTIO, à quo, cum viribus ſuis diffideret, honorifice acceptus & habitus, ignovit. Rebus Romanis ordinatis, in Germaniam redire conſtituit; ſed vix Imperatore in Germaniam reverſo, Creſcentius Romæ tumultuari iterum cœpit, Gregorium Pontificem de ſede dejecit, aliumque ſuffecit. Gregorius ergo ſecutus eſt Ottonem in Germaniam, ipſumque monuit, ut ſui diligentem curam ſuſciperet.

OTTO Gregorii precibus locum dedit, & cum firmiſſimo omnis generis copiarum robore rediit in Italiam. Adventu in Italiam Ottonis cognito, CRESCENTIVS mœnia urbis inſtauravit, & apparavit neceſſaria ad defenſionem, & ſi foret opus, etiam ad ferendam obſidionem. Re cognita, Imperator Romam quantis potuit itineribus properavit, eam circumſedit, & paucis diebus expugnavit. CRESCENTIVS vero cum ſuo Papa in ſuam arcem effugit; ſed ex fuga retractus, ad Imperatorem adductus eſt. In hunc ſic animadvertit: Vili jumento impoſitum averſa facie per urbem circumduci, tandemque longo cruciatu laceratum, ad portam cum 12 aliis ſeditionis ſociis ſuſpendi juſſit. Antipapa vero à vulgo virgis cæſus, oculis privatus, & demum confoſſus, priuſquam de eo Otto ſententiam tulit. Cæteros conſiliorum & molitionum Creſcentii conſcios Imperator exilio mulctavit, deportatos in Saxoniam, & Gregorium Papam decimo, poſtquam exactus fuerat, menſe, Sedi reſtituit, A.C. 998.

A. C. 1001. Imperator *tertio* in Italiam profectus eſt, & cum Romam veniſſet, utſit, ut diſciplina Eccleſiaſtica reſtitueretur. Peregrini enim, qui Romam veniebant, offendebantur licentia & ſceleribus Clericorum: Ita tulit quaſdam leges Politicas, quæ ad diſciplinam faciebant: qua re cives ſimul cum Clericis offenſi ſunt, cum dicerent Romam eſſe urbem liberam, quæ regere velit, non regi, & alias Germanorum imperium odiſſent, ideo à GREGORIO Principe urbis Imperator improviſo concluſus & obſeſſus eſt, ac in magno periculo fuit, cum militem non haberet. Audita hac ſeditione HVGO Marchio Thuſciæ, ut Imperatorem liberaret, Romam advolat, adducto ſecum Hentico, Bavarorum Duce, qui poſtea Ottoni in Imperio ſucceſſit. Ac quoniam pro certo habet, furentem impetum multitudinis nulla vi ſubito compeſci, neque Imperatorem diu obſidionem tolerare poſſe, præſertim militibus magna ex parte cæſis: ipſe urbem ingreditur ſine armata manu, ac fretus ſuis erga Rempubl. officiis, accedit ſenatum, eumque placida oratione commonefacit, hortatur, orat, ut cives ab armis revocet, pollicitus ſe interpoſiturum pacificationem, ſi de conditionibus pacis agi concedatur. Senatus etſi ſtatuerat, nullam admittere conditionem pacis, ſed vendicare ſe in libertatem, Imperatore vel occiſo, vel capto: tamen ne furore potius, quam juſto dolore exarſiſſe videretur, re cum civibus deliberata, per ſimulationem Hugoni & Hentico concedit, ut ambo tractationem pacis ſibi aſſumant. Nam de Ottone quaſi jam capto, actum eſſe credebatur.

Dum igitur in tractatione pacis verſantur, ac in pacificationibus liberum eſt, ſeorſim adire atque alloqui Imperatorem de conditionibus pacis, Hugo, intellecta Romanorum ſimulatione, *Ottonem* admonet, ut mutata veſte per occultos Capitolii cuniculos ſe ſubducat, & ad perficiendam hanc rem, quo major ſit opportunitas, ipſe ex Capitolio revertens, prolixam orationem ad populum habet: hoc nimirum conſilio, ut interim, dum populus oratione detinetur, Otto evadat. Extracto igitur tempore, & oratione in noctem perducta, ipſe, poſtquam ſuaſit reconciliationem faciendam, multiſque verbis teſtatus eſt, ſe eodem modo affectum eſſe erga Romanos, quo erga Imperatorem, fertur interrogaſſe populum, tanquam ſine ejus permiſſu nihil acturus, ergo deberet ne conſulere Ottoni id, quod utrique, tum illi, tum Reipub. Romanæ utiliſſimum fore judicaret? Populus vero reſpondiſſe: Imo, niſi hoc faceret, eum non eſſe virum bonum. Quo reſponſo lætus *Hugo* in Capitolium revertitur, ibiq; mutatis veſtibus cum Henrico per eoſdem cuniculos evadit, per quos Otto elapſus eſt. De qua re cum poſtea Romani indignarentur: per internuncium ipſis ſignificat, maxime hoc ex dignitate & utilitate Romanorũ fuiſſe, ut Imperator liberaretur, ne fortaſſis ipſi patricidæ Imperatoris facti, æternum opprobrium urbi attraxiſſent; & Germaniæ tantas vires eſſe, ut tantum ſcelus excidio urbis vindicaſſent. Imperator hoc modo liberatus, in Germaniam redire conſtituit, ut exercitum compararet, & hanc Romanorum injuriam ulciſceretur; ſed in itinere mortuus eſt: uti ſuo loco dice-

dicemus. *Chronicon Spanenb. Chron. Funccii. Fabric. Cuſp. Crantz. Sigon. lib. 7. de reg. Ital. Georg. Sabinus.*

III. *Bellum* contra *Danos*, geſtum à Saxonibus.

A. C. 988. Dani claſſe ingenti per Albim in Saxoniam irruerunt, Stadenſem urbem expugnarunt, eamque in deditionem acceperunt, una cum Marchione: Inde vindices etiam prædæ Saxones vicerunt, & plurimos nobiles ceperunt. *Marchio* ope piſcatoris evaſit: qua re Dani adeo exacerbati ſunt, ut reliquos captivos pedibus & manibus, aut naſo mutilarent, & ſic abjicerent. Cum vero alias prædam multam haberent, nec vias redeundi ſatis noviſſent, Herbartum quendam Saxonem coëgerunt, ut dux itineris eſſet: qui eos abduxit in loca paluſtria, & Saxonibus id ſignificavit, ubi Dani cæſi ad unum omnes 20000 hominum, & præda recuperata eſt. *Abb. Stadenſ.*

NOTA.

A. C. 986. LOTHARIVS, Rex Galliæ, (quem Otto Imp. æmulum Imperii habuit, ut ſupra diximus) deceſſit, cum regnaſſet ann. 31. Succeſſit ipſi filius LVDOVICVS, qui non diu poſt patrem ſuperſtes fuit. Nam circa finem anni poſt C. 987. veneno à conjuge ſua Blancha præbito Compendii adhuc juvenis mortuus eſt. Interiit & CAROLVS *Dux Lotharingiæ*, Lotharii frater: Dum is è Lotharingia regnum Francicum, tanquam ſibi debitum jure hæreditario, occupare conatur, ab Hugone Capeto oppreſſus & captus eſt: ita HVGO Comes Pariſiorum dudum affectatum regnum Franciæ tandem obtinuit, & anno Chriſti 988 cum filio Roberto Rhemis coronatus eſt, regnavitque annos novem. Prædictum fuerat Hugoni in ſomniis ante annos ſeptem, ſuam progeniem perpetuo regnum Galliæ poſſeſſuram: atque ita defecit regnum Carolinorum poſt annos 236. Ne autem HVGO de regno Franciæ cum Germanis dimicare cogeretur, citra controverſiam axioma Imperii Ottoni conceſſit, & Caroli filium Ottonem ab omni ſpe regni Francici excluſum, ſivit Lotharingiam beneficio Imperatoris poſſidere. Hic HVGO conditor eſt tertiæ ſtirpis Regum Franciæ, quæ & res magnas geſſit pro Republ. Chriſtiana in Europa, & in hodiernum uſque diem rerum potitur. Prima enim ſtirps numeratur à Pharamundo (qui anno Chriſti 419 primus Rex Francorum creatus eſt) uſque ad Pipinum Caroli Magni patrem. Secunda à Pipino uſque ad Hugonem Capetum per annos 236. Tertia ab Hugone uſque ad hanc ætatem. *Chron. Carion. Chron. Belgic. Ganguin.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

OTTO pius & religioſiſſimus Imper. fuit, religionem Chriſtianam, quoquo modo potuit, propagavit, doctos homines imprimis amavit, & ſcholas publicas condidit & renovavit. Nec enim bono publico rectius ſervire Princeps poteſt, quam ſi ſtudia literarum excitet & conſervet. Quippe ſtudia virtutum honeſtiorum profectu, & malitioſi cujuſque ſupplicio, augentur.

II. Cum anno Chriſti 996. *Pontifex Romanus* diem ſuum obiiſſet, *Otto* Imperator BRVNONEM Saxonem, agnatum ſuum, Papam elegit: nominavitque eum *Gregorium* V. Sed hunc CRESCENTIVS, qui Romæ ſibi imperium ſumſerat, Ottone abſente, Pontificatu dejecit, & Antipapam elegit. Quare Imperator anno Chriſti 998 Romam profectus eſt, Antipapam naſis & oculis privavit, & de Capitolio præcipitem dedit: uti ſupra prolixius diximus.

III. A. C. 988. die 20 Martii *Otto* Imp. *Adalgado* Archiepiſcopo Bremenſi dedit poteſtatem emendi, & vendendi vel mutandi mancipia: permiſit etiam, ut ipſi liceret temere agros, prædia, &c. quæ poſtea immunitatibus Eccleſiæ fruerentur. *Conſtit. Imperator.*

Hoc anno *Moſci* ab idolomania Ethnica primum converſi ſunt. Nam *Vladimirus* Ruſſorum Dux Annam Baſilii Imperatoris Conſtantinopolitani ſororem in uxorem duxit, & ſuſcepto Baptiſmo fidem Chriſti in Moſcoviam importavit.

IV. A. C. 997. BOLESLAVS Dux Bohemiæ cum jam diu Pragenſis Eccleſia viduata fuiſſet Epiſcopo, impetravit ab *Ottone* Imperatore novum Epiſcopum THEODATVM genere Saxonem, virum eruditum, religioſiſſimum & linguæ Bohemicæ gnarum, & ab Archiepiſcopo Moguntino Willigiſo conſecratus eſt. *Coſmograph. Trithemius. Cuſpinianus.*

Prodigia.

I. A. C. 986. Tantus *terræmotus* fuit, quo non ſolum muri & templa Conſtantinopoli corruerunt, ſed etiam tota Græcia eo terræmotu concuſſa eſt. *Cedrenus.*

II. A. C. 987. annona in Albania, & piſciculis in Saxonia pluit: piſciculorum tamen nullus fuit uſus, propter fœtorem. Sed & intempeſtivæ tempeſtates agrorum ſterilitatem, & graviſſimam famem multis terris adduxerunt. *Chron. Funccii, fol. 140. Trithemius. Sigebertus.*

III. A. C. 991. *ignis* in Rheno adſcendit, & villas proximas abſumſit. *Funcc. Schaff.*

IV. A. C. 994. *hyems ſaviſſima* ab initio Novembris ad Majum uſque duravit, frigidis peſtiferiſque ſimul flantibus ventis. Circa finem vero Julii in tantam duritiem, præ glaciei rigore, ſtagna ac flumina ſunt concreta, ut piſces in iis extinguerentur, & aqua ad uſus humanos non ſuppeteret.

Arbores, fruges, ac pascua quasi igni subjecto exaruerunt penitus. Denique fames, & pestilentia atrox, tam in homines, quam omnis generis animalia immanissime sæviit, ut multę domus suis habitatoribus destituerentur. *Chron. Spangenb. fol.* 155. *Chron. Saxon. fol.* 176.

v. A.C.1000. (qui est annus à coronatione *Caroli Magni* 200) multa prodigia sunt visa. *Terræmotus* factus est permaximus. Cometes apparuit 19 Calend. Januar. circa horam nonam, aperto cœlo, quasi facula ardens cum longo tractu, fulguris instar: illapsus est terris tanto splendore, ut non modo, qui in agris erant, sed etiam in tectis, lumine ferirentur: quia cœli scissura sensim evanescente, visa est figura quasi serpentis capite crescente, cum cœruleis pedibus. *Duos* præterea ex cœlo igneos delapsos esse globos, quorum alterum Magdeburgum exceperit, alter vero trans Albim exciderit, Scriptores affirmant. *Sigebert. Vincent. l.* 24. *c.* 107. *Chron. Saxon. Chron. Spangenb. Chron. Funccii, H. Mutius lib.* 14.

CAPVT III.

DE PROGRESSV.

I. ΤΑ᾽ ΠΡΟΗΓΟΎΜΕΝΑ.

SVpra diximus, quod *Otto* Imp., cum Romæ iterum tumultus varii excitati essent, ad eos sedandos A.C.1001 Romam profectus sit, sed ibi à conjuratis in Capitolio circumsessus in discrimen capitis venerit, ac tandem egregia Hugonis Brandeburgici, (quem Imp. Hetruriæ & Tusciæ præfecerat) & Henrici Ducis Bavariæ industria, conditionibus simulatis, evaserit. Imperator igitur iter in Germaniam apparavit, novum exercitum collecturus, ut atrocitatem tanti facinoris vindicaret. Verum vidua *Crescentii*, (quem Imp. rebellem suspendi curaverat) cum qua *Otto* familiariter conversari solebat, quæque se Imperatricem futuram sperabat, quod Imperatore in Germaniam reditum parante, videret, se spe conjugii excidisse, ipsi chirothecas affabre factas, sed veneno tinctas, misit.

II. ΤΑ᾽ ΠΡΑΧΘΈΝΤΑ.

Exitus Tragicus. Imperator cum hasce chirothecas veneno infectas accepisset, illarum usu & contactu infectus & exstinctus est A.C. 1002, die 28 Januarii, ad Paternum in Italia, anno ætatis 30, Imperii 19.

III. ΤΑ᾽ ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ.

Sepultura. Henricus Dux Bavariæ, successor in Imperio, cadaver *Ottonis* Imp. aromatibus refectum, & vestibus regiis ad occultandam mortem ornatum, in Germaniam deferri curavit: simulque ipsa Imperii insignia milites tulerunt, eaque, quamvis infestis Italorum incursionibus appetiti, acriter armis defensa, Germani tuto Augustam usque spe alacres deportarunt, sancte fidem vivo suo Domino datam, etiam mortuo servantes, ne qua injuria defunctus afficeretur. *Intestina* in templo Aræ Augustæ Vindelicorum condita sunt, quorum sepulcrum insigni marmoreo monumento ornavit *Fridericus* tertius Elector Saxoniæ. *Reliquum* corpus Aquisgranum delatum est. *Frising. Contract. Vrsp. Ditmar. Sigon.*

EPITAPHIVM.

Romani Imperii decus amplum tertius Otto,
Ossa in Aquis-Grani, hic viscera clausa tenet.

AXIOMA.

In multis familiis hoc accidit, ut secundus, tertius, aut quartus hæres fuerit ultimus.

EXEMPLA.

I. *Davidis* potentia floret cum Salomone filio: Quo mortuo fit laceratio Regni, amissis 10 tribubus: quæ peculiare Regnum condiderunt in Samaria, quod Regnum Israël dictum est. Ab eo tempore, Reges Juda & Israël in sacro codice distinguuntur.

II. CYRI Regnum post Cambysem filium transfertur in hæredem alium, non ortum à Cyro, nempe in Darium Hystaspis. Nam duæ tantum fuerunt familiæ Regum Persidis, à Cyro primo Persarum Rege, usque ad Darium Codomannum. In hoc namque & cum hoc ἀξίωμα Regni Persici extinctum est.

III. AMASIS Rex Ægypti Apryæ per seditionem Regnum eripuit, illudque tantum ad Psammenitum filium transtulit. Hic cum 6 menses regnasset, captus est à Cambyse Rege Persarum, & aliquanto post interfectus, quoniam Ægyptios ad rebellionem sollicitasset, Ægypti regno à Persis occupato.

IV. VESPASIANVS Imperator Titum & Domitianum filios successores habuit: Quo mortuo, ἀξίωμα Imperii Romani à familia *Vespasiani* in alios translatum est.

V. Post M. *Antoninum* Imper. successit *Commodus*, cum quo Majestas Imperii defecit.

VI. Similiter de *Ottone I.* Imp. usurpari potest versiculus ille vulgaris:

Aὐτὰς

Αὐτὸς ἐ παῖδες, ἐ παίδων οὐκ ἐπὶ παῖδες.
Ipſe, & te nati, & nulli deinde nepotes.
Vel:
Tu, Natique tui; ſed non ſtirps ulla nepotum.
Verſus eſt propemodum univerſalis: Nepotes tui, vel non regnabunt amplius; vel non pari virtute, felicitate, & ſucceſſibus.

XV IMPERATOR GERM.
HENRICVS II.
Cogn. CLAVDVS, *Item* SANCTVS.

CAP. I.
DE ORTV

I. *Generatio.*

I. PATER fuit dictus HENRICVS HEZELO, Dux Bavatiæ, *Henrici* cogn. *Rixoſi*, qui *Ottonis Magni* frater fuerat, nepos.

II. MATER dicta fuit BERTA, ſeu ut alii volunt, GISELA: quæ fuit Ducis Lotharingiæ filia, religioſiſſima & honeſtiſſima fœmina. *Chron. Philip. Pantal.*

II. *Appellatio.*

I. NOMEN. Dictus fuit HENRICVS, hujus nominis ſecundus.

II. COGNOMEN. Cognomento dictus 1. SANCTVS: quod propter eximiam pietatis laudem, & religioſam in fide Chriſtiana perſeverantiam adeptus eſt. Vnde etiam Hungarorum Apoſtolus eſt appellatus, quod author converſionis eorum ad fidem Chriſti exſtiterit.

2. CLAVDVS dictus eſt à luxato femore, quod in bello Italico, cum Papiæ in tumultu aliquandiu obſeſſus eſſet, de muro ſe præcipitarit, & crus fregerit: vel, ut alii ſcribunt, à Saracenis & Græcis captus, cuſtodes eluſerit, & è contignatione in qua detinebatur, proſiliens, pedem alterum fregerit. *Chron. Spangenb. Dreſſ. in Millen. fol. 308.*

Sed *Pontificii* aliam fingunt fabulam, quare HENRICVS ſit dictus CLAVDVS, quæ talis eſt:

Cum *Henricus* Imper. pro more nocturnis horis precandi gratia Templum D. Mariæ ſacrum ingreſſus fuiſſet, viſus eſt (ut fingunt Pontificii) Pontificalibus indutus procedere, Miſſam celebraturus, quem ſequebatur S. Laurentius, & loco Subdiaconi Vincentius: Poſt hos, Virgo DEI genitrix, cum multitudine Virginum & Angelorum: Dehinc Johannes Baptiſta, cum Patriarchis & Prophetis: Poſt hos Petrus & Johannes, cum cæteris Apoſtolis & Euangeliſtis: S. Stephanus cum Martyribus: S. Martinus cum Confeſſoribus: Angeli inceperunt introitum: Suſcepimus, DEVS, miſericordiam tuam: Et dum cantaretur: Dextera tua plena eſt juſtitia: omnes Chriſtum & beatam Virginem imitantes, extenderunt digitos in *Henricum*. Poſt Euangelium, indicibili jubilo Angelus librum, deoſculatum à Chriſto, præſentavit beatæ Mariæ, & poſt eam omnibus per ordinem deoſculandum. Demum innuit B. Virgo Angelo, ut portigeret librum etiam *Henrico*, ad oſculandum, dicens: Et cum præ nimio gaudio raptus, neſciret ad plenum intendere, Angelus ipſum in nervo tangens, dicit: Hoc tibi erit ſignum dilectionis DEI, propter tuam caſtitatem & juſtitiam. Et exinde *Henricus* uſque ad mortem claudicabat: ex quo eventu vocatus eſt *Henricus Claudus*. Hactenus Fabula Pontificia. Vides, pie Lector, quam petulanter Satan irrideat veram Biblicam Hiſtoriam, de Jacobo Patriarcha, luctante cum Angelo, Filio DEI, ex cujus contactu Jacob poſtea claudicavit. *Gen. 32. cap. Hiſt. Magd. Cent. 11, c. 13. Nauclerus lib. 2. Gener. 34.*

CAPVT II.
DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ, & EDVCATIO.

HENRICVS inſignes habuit corporis & animi dotes. Educatus atque inſtitutus eſt in doctrina ſacra, & optimarum artium ſtudiis, in collegio, quod eſt Hildesheimii: illud poſtea, perceptorum beneficiorum memor, locupletavit & amplificavit. *Cuſpinian.*

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXOREM habuit CVNIGVNDAM, caſtitatis laude celebrem fœminam, filiam SIGEFRIDI, Palatini ad Rhenum. Hæc Cunigunda ex Franconica ſtirpe fuit oriunda. Pater enim Sigefridus dicitur fuiſſe pronepos LVDOVICI Regis Franciæ, ex matre Cunigunda, & avia Hermendruda. Ex hac autem HENRICVS nullam ſuſcepit ſobolem, ſiquidem plurimi Hiſtorici teſtantur, quod cum ea perpetuo virginitatem ſervaverit. Vnde moriturus uxorem & propinquos ejus accivit, eoſque intuens: *Recipite*, inquit, *quam mihi tradidiſtis, virginem veſtram. Fulgoſius, lib. 4. cap. 3. Egnatius, lib. 4. cap. 3. Sigon. lib. 7. de reg. Ital.*

Addunt quidam, quod *Cunigunda*, poſtquam

adulterii inſimulata, in multorum Principum præſentia vomeres candentes pedibus abſque omni detrimento calcans, innocentiam & integritatem ſuam ſpectaculo admirabili probaverit. *Crantz. Cruſius. Chron. Sax. Hiſtor. Bambergenſis.*

Cunigunda Imperatrix fratres plures habuit: FRIDERICEM Ducem Lotharingiæ; ad Moſellam fluvium HENRICVM, cui Imperator dedit Ducatum Bavariæ; THEODORICVM Epiſcopum Metenſem; & ADALBERTVM, qui tunc ambiebat Epiſcopatum Trevirenſem. Ex his *Henricus* & *Theodoricus* conſpiratunt adverſus Imperatorem, quod dotem Cunigundæ ſororis, (qua ſo, illa mortua, ſperabant potituros) diſtribueret otioſis ſacrificulis, & adjuncto ſibi *Guelpho* Principe in parte Sueviæ bellum ei intulerunt, occupata primum Auguſta, & pulſo inde Brunone Imperatoris fratre. Sed Imperator acie victos disjecit ac diſſipavit, & Henricum Ducatu movit, quem paullo poſt in gratiam receptum reſtituit. Theodoricum, expugnata Metenſi urbe, ad deditionem coëgit. *Chron. Carion.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

OTTONE III. veneno extincto, cum diu diverſis ſententiis certatum eſſet, electus Rex Germaniæ & Imperator *Henricus* A.C. 1002, qui ſacram à *VVilligiſo* Archiepiſcopo Moguntino unctionem accepit. Cum vero A.C. 1014 Romam veniſſet una cum uxore Cunigunda, corona aurea, ſolenni cæremonia, à Pontifice Romano Benedicto decoratus eſt. *Onuphr. Friſing. Sigon. lib. 7. de reg. Ital.* Hic *Benedictus* VIII poſt mortem in ſolitudine Epiſcopo cuidam apparuiſſe dicitur nigro equo inſidens, rogatuſque, cur mortuus equo nigro veheretur, defoſſi à ſe theſauri locum monſtraſſe, rogaſſeque hominem, ut effoſſas eas pecunias pauperibus ſuo nomine erogaret. Nam quæ antea de ſuis facultatibus datæ eſſent eleemoſynæ, nihil ei profuiſſe, quia ex rapinis partæ eſſent. *Plat.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

HENRICVS fuit Princeps religione maximus, munificentia erga Eccleſias & pauperes, caſtitate, clementia, & rebus bello fortiter geſtis inſignis, & ab ejus ſalute, velut filo, pendebat ſtatus orbis terrarum, qui non ſolum ſuis recte præfuit, ſed etiam hoſtibus Imperii obfuit.

Exempla quædam ſpecialia.

I. PACIS STVDIVM. Hic *Pacis ſtudioſiſſimus fuit.* Nam ſtatim in ipſo Imperii initio in id unice incubuit, ut non modo præſentia, ſed & futura bella tolleret, quo unuſquiſque ſub vite & ficu ſua tranquille ſedere poſſet, juxta elegans & venuſtum *Sabini* epigramma:

Pace nihil melius, nil pace ſalubrius Orbi
Terrarum, cœli qui regit aſtra, dedit.
Pace ſuas Mercator opes, ſua rura colonus
Poſſidet: abſque metu carpit & hoſtis iter.

Imperator igitur Mersburgi in Comitiis talem promulgavit legem; Illum, qui pacem publicam turbaret, & ſeditionem moveret, abſque ullo perſonarum reſpectu, capitis ſupplicio afficiendum eſſe.

II. CLEMENTIA. 1. Erga *ſubditos Henricus* Imperator fuit inſtar clementis patris, quibus imperavit: nullum damno afficiens illicito modo, neque aliud dicens in multitudine, quod virtutis ac ſanctimoniæ laudem non redoleret. Itaque quod pius, ἀγαθὸς καὶ φοβερὸς, hoc eſt, bonus & veneratione dignus fuit, ejus in benedictione eſt memoria.

2. Imperator *Henricum*, uxoris Cunigundæ fratrem, qui ſeditionem contra eum moverat, non ſolum in gratiam recepit, ſed etiam Ducatu Bavariæ donavit.

III. LIBERALITAS. Exemplum liberalitatis in *Henrico* Imperat. inter alia hoc notatu dignum eſt: BERO *Baro* in Abenſperg/ex duabus legitimis uxoribus ſuſcepit filios 32, & filias 8. *Henricus* Imp. aliquando eum ſecum venatum proficiſci jubet, idque cum paucis. BERO, ſperans ſe tempus nactū, quo tantam ſobolem Principi maximo commendaret, juvenes jam puberes, ſcitos & elegantes, cultu quoque & arte ornat, unicuique miniſtrum adjungit: cum tali prolis globo venatum procedit ad Imp. Ille viſa tanta multitudine, *Baronem* accerſit, ſciſcitaturque, curnam cum paucis advenire juſſus, tot equites adduxerit? Reſpondet is, cum uno equite & famulo præſto ſum. Qui igitur alii ſunt? quærit Imperator. Reſpondet ille; Sunt etiam, Imperator, tui famuli, mei filii, quos tuæ Majeſtati exhibeo & committo: in pace decus, in bello præſidium, dono, dico, quos patriæ educavi. Sunt adoleſcentes ſolertes, ſpero te dignos & utiles Reip. futuros. Gratiſſimum munus tale fratrum examen Imperatori fuit, benigne ſingulos appellat, filios nuncupat, ſibi adſciſcit, ad amplas dignitates adhibet, & alia beneficia in eos confert. *Aventin. lib. 5. Hiſtor. Beat. Rhen.*

II. *ACTA SAGATA.*

1. HENRICVS multos imperii hoſtes habuit, qui per intervalla ad imperium vel aſpirantes vel alias hoſtiliter affecti, multum moleſtiarum ipſi exhibuerunt. Omnes tamen tandem & domeſticos & externos, divino numine cooperante, facile vicit, veniam petere coëgit, & in gratiam recepit. Oſtendit igitur *Henrici* exemplum, quod magna vis ſit in pietate vera, & quod DEVS benedicat conatibus pii hominis.

11. Laudabile *Henrici* Imper. inſtitutum fuit, quod exercitum ſuum antea non permiſerit acie decertare, quam Euchariſtia eſſet munitus: recte ſentiens, cum anima cœleſti cibo eſſet refocillata, tunc & corpori vigorem accedere: & illos mortem nequicquam timere, qui vivificum Chriſti corpus participaſſent: ut jam intrepida mente ſecum cogitare poſſint,

— tu namque ſerenum,
Tu requies tranquilla piis: te cernere, finis,
Principium, vector, dux, ſemita, terminus, idem.

Bonfin. lib. 2. rer. Vng. dec. 2. Boëth. de Conſolat. lib. 3. met. 9.

1. *Bellum* contra *æmulos Imperii.*

Cum HENRICVS adminiſtrationem imperii ſuſcepiſſet, primum eos compeſcuit, qui electioni adverſari, & ne conſequeretur imperium, impedire ſtuduerant: inter quos fuit ECHARDVS Marchio Saxoniæ, nepos Ludolphi Ducis Sueviæ ex *Ottone* filio, pronepos *Ottonis Magni.* Hunc interfecerunt Duces Saxoniæ *Lotharius*, & *Benno*, filii *Hermanni* primi Ducis. HENRICVM etiam Marchionem Auſtriæ, ex proſapia Comitum Schirenſium, res novas cum filio Erneſto molientem, ſpe recuperandæ Bavariæ, repreſſit. HERMANNVM Ducem Sueviæ, & BRVNONEM Epiſcopum Auguſtanum, germanum fratrem, qui imperium invidebant *Henrico*, ſapientia ejus eo adacti ſunt, ut culpam deprecarentur, & in gratiam reciperentur. Nec defuerunt hac in re fratres Cunigundæ, conjugis Imperatoris, quos Imperator acie victos ad pacem petendam adegit, iiſque clementer ignovit. *Sigeb. Aventin. Chron. Spangenb. Schaff.*

II. *Bellum Italicum.*

Rebus in Germania conſtitutis, Imperator ſuſcepit profectionem cum exercitu in Italiam. Hujus profectionis cauſæ fuerunt tres. *Prima*, ut poſſeſſionem Imperii in Italia occupata Germanis confirmaret. *Secunda*, ut *Arduinum* Marchionem Eporediæ, quem Epiſcopi & nobiles Italiæ Mediolani (ut Germanis ſplendidiſſimum Regiæ & Imperatoriæ dignitatis titulum, quem ultra 60 annos, continuata in eadem familia dignitate, tenuerant, eriperent, & ad Italos, ut eſt invidia aſſidua comes eminentis fortunæ, transferrent) Imperatorem declararant, opprimeret. *Tertia*, ut in Italia tumultuantes Græcos & Saracenos compeſceret ac depelleret. Ingreſſus in Italiam *Arduinum* Pſeudoimperatorem duobus magnis prœliis vicit, qui ex periculo magno vix Papiam evaſit. Ita recuperavit Italiæ regnum *Henricus*, & coronam ab Archiepiſcopo anno ſupra dicto Mediolani accepit. Deinde, cum Græci auxilio Saracenorum Italiam undique vaſtarent, Imperator verſus Apuliam & Calabriam directis aciebus Græcos pariter & Saracenos adortus eſt, & utroſque afflictos in Italia oppreſſit. Trojam poſtea urbem Apuliæ, quam Græci munierant, expugnatam evertit. Inde totam Apuliam & Calabriam occupavit, & quædam loca Normannis, qui ipſum ſecuti fuerant, tribuit, ut ea tuerentur contra Græcos & Saracenos. *Aventin Crantz. Cuſpinian. Chronic. Carion. Chron. Spangenb.*

III. Alia Bella.

Difficilia item bella geſſit *Henricus* Imperator. 1. contra *Polonos*: quos tandem divino numine cooperante vicit, ad pacem petendam adegit, & vectigales fecit. 2. BALDVINVM Comitem Flandriæ (qui *Ottone* Duce Lotharingiæ A. C. 1005. extincto, Lotharingiam ad ſe transferre conabatur) coërcuit, eumque in gratiam recepit. 3. *Henetos* (qui repudiata fide Chriſtiana, cui ſe ſub *Ottone primo* addixerant, ad priſtinam idololatriam redierant, & epiſcopatum Magdeburgenſem, Miſnenſem, & Merſpurgenſem diripuerant) domuit. 4. *Bohemos* & Moravos ſibi ſubjecit, illoſque tributarios fecit, *Rudolphum* Burgundiæ Regem à ſuis pulſum reſtituit. *Fabric. Crantz. Aventin. Sigeb. Chron. Spangenb.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. *Henricus* fuit Princeps religione maximus. Nam in vera religione propaganda multum laboravit, & Eccleſiaſticis admodum gratus Imperator fuit, quod plurima in ipſos beneficia cõferret. Nec præconium à Cuſpiniano deſcriptum ſilentio eſt prætereundum. *Henricus* II (inquit ille) non minus vitæ ſanctimonia, quã fortibus geſtis inſignis fuit: ut mirum ſit, hominem ita religioni deditum, potuiſſe imperii terminos & ab hoſtili incurſu reddere tutos, & regnum ſuum locupletare & augere. Quæ enim cæteri Reges gladiis, & humani ſangui-

nis effuſione, non ſine magna multorum calamitate, perfecerunt; hic pietate, religione ac bonis virtutibus peregit, & imperialem dignitatem decore, gloria ac majeſtate exornavit, & magis precibus apud DEVM quam armis triumphavit. *Hæc ille.*

II. *Henricus* Imp. cum hærede deſtitueretur, in Epiſcopatus immenſam pecuniæ vim, & ipſam inſuper dotem Cunigundæ uxoris effudit. Nam Epiſcopatus *Mersburgenſem, Miſnenſem, Magdeburgenſem, Hildesheimenſem, Argentinenſem,* & *Baſileenſem*, barbarorum armis dirutos ac devaſtatos inſtauravit, magnis reditibus locupletavit, & amplificavit. Præcipue vero Mersburgenſem locupletavit, cui attribuit maximam partem Comitatus Mersburgenſis, poſt mortem ESSICI Comitis, quod factum ſcribunt A.C. 1007. Eodem anno *Reinholdus* Comes Bambergenſis, qui filius *Henrici* Comitis fuit, ſine maſcula prole extinctus eſt, atque ita Comitatus ad Imperatorem devolutus, quem Epiſcopatui deſtinavit: cui inprimis magna privilegia, & propemodum decus imperiale conceſſit, ut nempe præcipui omnes Germaniæ Principes illius Epiſcopi vaſalli eſſent, & Electores imperii feuda, quæ Electorali nomine ac titulo habent, inde acciperent: & etiamnum hodie Electores Imperii vaſalli ſunt Epiſcopi Bambergenſis; & quæcunque illi Electorum nomine & titulo tenent, ab eodem iis, ut feuda, conferuntur. *Chron. Bamberg. Chron. Carion. Peuc. Bruſchius.*

III. Tanta fuit in hoc Imper. eximiæ pietatis laus, ut admiratione virtutis ejus Vngari, infeſtiſſimi Germanorum hoſtes, ultro ſe Imperio Romano ſubjecerint, & profeſſionem Chriſtianæ religionis ſuſceperint. Nam cum *Stephanus* Rex Vngariæ ſororem Henrici *Giſelam* ſibi uxorem peteret, Imperator illi ea conditione eam deſpondit, ſi, ſuſcepto baptiſmo accepturum ſe profeſſionem Chriſtianam & in hac perſeveraturum, promitteret. Ille igitur ultro ad ſanctum lavacrum acceſſit, ac gentem ſuam pulcherrima facti imitatione accendit, & ſic religionem Chriſtianam in Vngariam introductam, poſteri ſancte hucuſque retinuerunt. *Bonfin. lib. 2. Chron. Schedelii.*

IV. *Henricus* Imper. cum luxus Clericorum nimium creſceret, Synodum indixit Tremoniæ A.C. 1006, ubi Imperator ipſe adfuit. Objurgati ſunt Sacerdotes ob negligentiam, & exprobrata effuſio & luxuria ex bonis Eccleſiaſticis, quæ religioni & paupertati dicata eſſent, non luxuriæ, ideo quædam ademta prædia cœnobio Fuldano, & reliquis ſimilis pœna, niſi modeſte viverent, denunciata. *Fabr. Acta Metenſium.*

Res memorabiles.

I. A. C. 1013. BASILIVS Imp. Conſtantinopolitanus in Bulgariam expeditionem inſtituit, Bulgaros vicit, & eorum 15000 cepit, quos omnes oculis erutis excæcavit; centeno tamen quovis monoculo relicto, qui reliquos duceret. *Cedrenus.*

II. A. C. 1015, Dux Sueviæ *Erneſtus* die 30 Maii venatum abiit, & caſu infauſto ab Alberone Comite in feram telum torquente trajectus, cum vulnus lethale eſſet, uxorem juſſit ſalutari, & Alberoni ignoſci. Ipſe cum ſacerdos non adeſſet, ſuos advocavit, & præſentibus omnibus confeſſionem ſuorum peccatorum edidit, cum mallet coram multis erubeſcere, quam coram DEO reus apparere. *Annal. Suev.*

Prodigia.

I. A.C. 1004. *Papia*, urbs celebris & magnifica in Italia miſerabili incendio prope univerſa conſumta eſt. *Schaſnab.*

II. A. C. 1005. *Cometa* horribilis, huc illuc vibrans, conſpectus eſt in Auſtrali parte; quem magna fames ſecuta eſt. Poſt hanc famem intolerabilem, A. C. 1006, & ſequenti biennio, peſtis ſecuta; quæ adeo in Germania graſſata eſt, ut plures mortui, quam ſuperſtites ſint habiti: Pagi quidam & villæ plane deſerebantur, & armenta & pecudes libere vagabantur, nemine cuſtodiente. *Sigeb. Schaff. Chron. Spangenb.* Quam quidem calamitatem in Lotharingia fons ſalubertimæ aquæ indicavit in ſanguinem tum verſus, teſte Platina. Eodem hoc anno *gutta ſanguinis* hominum veſtimentis cœlitus illapſæ ſunt, & Sol præter morem rubuit. Non multo poſt funeſtiſſimum bellum inter Saracenos & Turcas exortum eſt, & Turcæ Hieroſolymam expugnarunt. *Chron. Magdeb. Lycoſthenes.*

III. A.C. 1013, ingens accidit terræmotus. Ventorum etiam occidentalium turbine Fuldæ ædificia multa proſtrata ſunt, arboreſque radicitus evulſæ. *Chron. Magdeburgenſe.*

IV. A.C. 1014. apud Flandros magna nubium moles, ex improviſo cœlitus delapſa, multa hominum millia ſuffocavit. Poſt biennium *grando* & fulmina, homines, arbores & ſegetem perdiderunt: graviter poſtea fame laboratum eſt. *Chron. Saxon. Trithem.*

V. A.C. 1017 *Cometa* ſolito major, in modum maximæ trabis, per quatuor menſes apparuit. Eodem anno in feſto Johannis in Gallia pluit ſanguine, qui, ſi in lapides aut carnem hominis cecidiſſet, elui non poterat: in veſtibus autem & lignis abluebatur. *Sigeb. Fuld. Epiſ.*

VI.

VI. A.C.1020. *frigore* hyberno enecti ſunt homines non pauci. Calend. Auguſti circulus Iridis inſtar, quatuor lineis tranſverſim diviſus, à tertia uſque ad ſextam horam conſpectus eſt circa Solem. Albis & Viſurgis redundantes damna multa intulerunt accolis. Secuta eſt peſtis, qua extinctorum corpora ſerpentibus plena, non ſine periculo & maxima moleſtia, terræ mandabantur. *Chron. Saxon. Spang. Sigeb.*

VII. A.C. 1022. tanta *ſiccitas* & aëris temperies exorta eſt, ut multi nimio ardore extinguerentur, & non pauca animalia interirent: interim tamen columnæ marmoreæ tanto manarunt ſudore, ut aqua eas perfuſas quis crederet. *Sigebertus.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

CVm *Henricus* Imp. A.C.1024. valetudine adverſa & periculoſa laborare inciperet, magis de Eccleſia & Republica, quam de ſe ipſo ſollicitus fuit. Nam conventum Alſtetæ habuit, ubi cum Principibus & Epiſcopis de ſucceſſore Imperii deliberavit, & ut CONRADVM Ducem Franconiæ, virum ſtrenuum, conſilio prudentem & Reipubl. peritum, ſucceſſorem ſibi eligerent, ſuaſor & auctor fuit. Deinde cum morbus ingraveſceret, teſtamentum fecit, uxorem Cunigundam & propinquos ejus accerſivit, coſque intuens: *Recipite*, inquit, *quam mihi tradidiſtis, virginem veſtram.* His actis, animum à terrenis ad cœleſtia convertit, Deoque ſe devovit.

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

A.C. 1024. tertio Idus Julii, Groningæ, prope Halberſtadium *Henricus* calculi doloribus correptus, placide diem ſuum obiit, anno ætatis 52, Imperii 23, menſe 5.

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

1. *Sepultura.* Corpus *Henrici* è Saxonia Papebergam tranſlatum, ibique in templo Petrino honorifice ſepultum eſt. *Philippus in Locis Manlii p.*45. ſcribit, *Henrici* ſepulcro inciſam fuiſſe Juſtitiam, libram in manu tenentem. Jam vero (inquit) libra ita eſt facta, ut lingula bilancis non ſit in trutina, ſed declinet paululum ad alteram partem. De hoc vetus apud ipſos ſermo ſpargitur: quando lingula in in trutinam redierit, tunc adfuturum eſſe exitium urbis. *Cuſpinian. Chron. Saxon. Spangenb. H. Mutius. Schaff. Sigebert.*

II. CONRADI *Ducis Saxoniæ ſucceſſio, Henrico* Sancto mortuo imperium occidentis apud ſtirpem Saxonicam eſſe deſiit, & ad Francos revolutum eſt. Tranſlatio vero illa, quanta & quam diuturna ac funeſta bella commoverit, poſtea dicemus, *&c.*

DYNASTIA TERTIA,

FRANCONUM.

XVI IMPERATOR GERM.

CONRADUS II.

Cognom. SALICVS.

CAPVT I.

DE ORTV.

Generatio.

DE ſtirpe hujus CONRADI diverſæ ſunt Hiſtoricorum ſententiæ. *Carion in Chronic.* ita de ſtemmate ejus ſcribit: 1. Quidam, inquit, originem referunt in Eberhardum, fratrem *Conradi* primi Imp. 2. *Nonnulli* in *Conradum Sapientem*, generum *Ottonis Magni*, qui in prælio contra Vngaros ad Auguſtam cecidit, ſed diſſimiliter. 1. Alii pronepotem faciunt *Conradi* Sapientis ex filio *Ottone*, nepote *Henrico* 4. Alii abnepotem ejuſdem ex *Ottone* filio, nepote *Cunone*, pronepote Hermanno: ſed quæ fuerit origo *Conradi* Sapientis, non annotant. Hæc ille. 5. Vera autem ſententia hæc eſt, quod PROAVUS hujus *Conradi* fuerit *Conradus Sapiens* Dux Franciæ & Lotharingiæ, qui uxorem habuit LVDGARDEN filiam *Ottonis Magni*. Ex hiſce parentibus natus eſt CVNO, Comes Franciæ. Cunoni filii tres fuerunt: *Sigefridus, Eberhardus, & Hermannus.* Conjux *Hermanni* fuit ADELHEIDA, è Francia Orientali (ut Cuſpinianus habet) orta. Ex *Hermanno* & *Adelheida* hic CONRADVS II. Imp. natus eſt.

GENEA-

GENEALOGIA igitur hæc traditur:

Otto Magnus Imp.

Conradus Dux Franc. & Loth. — *Ludgardis.*

Cuno Comes Franciæ.

Sigefrid. Eberhard. Hermann. — *Adelheidis* è *Clodoveis* orta.

Conradus II. Imp.

Henricus III. Imp.

Henricus IV. & *V.* Impp.

II. *Appellatio.*

1. NOMEN. Dictus fuit CONRADVS hujus nominis ſecundus.

II. *Cognomento* dictus SALICVS, à gente Francica, quæ Salica appellatur, & Franci ipſi Salii à flumine Sala, cujus accolæ aliquot è Francis fuerunt, dicuntur. A Francis Saliis vero ut authoribus profectum eſt nomen legis Salicæ, quam firmiſſimum Regni Gallici fundamentum appellat *Bodin. l. de Repub. c. 8. p. 139*, & privilegium coronæ *Mart. de juriſd. part. 1. c. 28. num. 31.* Leges autem Salicæ fuerunt latæ ſub *Pharamundo* filio Marcomiri, primo Francorum Rege, circa annum Domini 425, & fuerunt reſponſa quædam & judicia aulicorum, qui oriundi erant à Saliis Alpinis populis, ut cenſet *Balduin. in prolegomen. p. 101.* Quidam vero derivant haſce à terra Salica. Terram autem Salicam ipſum regnum Franciæ interpretantur; quia Salios Francorum gentem fuiſſe ſcribit *Paulus Æmylius lib. 8.* quod etiam ſupra docuimus. Quidam vero neque à Salæ, neque à Saliis, ſed ab ipſius auctoris Pharamundi Salici nomine (quem majores *Salicum* cognominarunt) Salicam hanc legem eſſe nuncupatam autumant. *Iohan. Ferar. Montan. in lib. 2. in princ. colum. 4. de reg. jur.* quem allegat *Carol. Molin. in conſuetud. Pariſ. tit. 1, §. 26. num. 2.* plura de hujus origine vide apud *Didac. Covarruv. practicar. qq. 1. num. 8.*

Lege Salica fœminæ & deſcendentes ex iis excluduntur omnino à terra Salica, hoc eſt, Fiſcali proprie, & Regia, quod patrimonium ſeu dominium ipſius coronæ & Majeſtatis Regiæ appellatur, exhæredes & perpetuo incapaces eſſe jubentur. *Molin.* & *Mart. allegat modo locis.* Alias etiam leges fundamentales regni Gallici recenſet *Bodin. 6. de Republ. c. 5 p. 1148. verſic. at mihi.*

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXOR ejus fuit GISELA, formoſa, pia & honeſta fœmina, Regina Burgundiæ, Lothatii Regis Franciæ filia, eamque decimo quarto gradu *Carolum Magnum* attigiſſe multi Hiſtorici affirmant. de quo hi verſus notandi:

Quando poſt decimam numeratur linea quarta,
De Carolo Magno proceſſit GISELA *prudens.*

Hæc *Giſela* tribus maritis ſupervixit. Nam primum nupta fuit *Brunoni*, Comiti Saxoniæ, cui filium *Ludolphum*: deinde *Erneſto* Duci Sueviæ, cui gemellos, Erneſtum ſcilicet ſeditioſum, & Hermannum peſte in Italia exſtinctum: *tertio* CONRADO, cui filium *Henricum III.* qui poſtea Imperator factus, peperit. *Conrado* Imp. *Giſela* ſupervixit annos quinque, mortua A. C. 1044, decimo ſexto Calend. Martii, & Spiræ prope maritum ſepulta eſt *Chronicon Spangenb. Chron. Carion. Bruſcius, Pantal.*

II. *ACTA POLITICA.*

1. *Imperii occupatio.*

1. *Imperium ad eum pervenit per tranſlationem. Henrico* enim Sancto Imper. abſque maſcula prole extincto, legitima electione imperium à Saxonibus, poſt annos 105, in hunc *Conradum* Salicum, ejuſque poſteros tranſlatum eſt, ut agnoſcamus, DEI conſilio & nutu dari poteſtatem, nihilque in rebus humanis eſſe perpetuum.

AXIOMA.

Mutationes Imperiorum ſunt fatales.

DEI enim miſericordia & juſtitia in Imperiorum conſervatione & everſione conſpicua ſit: ut ſciamus, imperia non rapi aut obtineri viribus; nec regi aut ſuſtineri humanis conſiliis, nec conſiſtere aut ruere caſu; ſed conſtitui & ſervari divinitus; & rurſus, creſcentibus gubernatorum ac ſubditorum vitiis & impunitate, vel deleri, vel mutari ac transferri divinitus, non tantum de gente in gentem, ſed & de ſtirpe in ſtirpem. Sicut ex *Daniele c. 5. v. 28.* diſcimus, quod ſolus Mundi Dominus ſit ille, cui hæc vox tribuenda ſit: MENE MENE, hoc eſt, *numeravit, numeravit*, hoc eſt, ille omnibus Regnis atque

atque imperiis in Mundo fatales initii, incrementi atque durationis præſcripſit terminos atque periodos, quibus evolutis, non ſecus ac fumus à vento diſſipatus, tranſeunt & evaneſcunt.

II. Defuncto *Henrico* Sancto Imp. magnæ propter electionem CONRADI diſſenſiones exſtitere; inprimis cum artes Pontificum Romanorum ſuæ potentiæ cauſa cuncta miſcentium acceſſiſſent. Quanquam autem multi in Germania & Italia electioni *Conradi* reſiſtebant, (utpote *Erneſtus* Dux Sueviæ, & *Welphus* Dux Bavariæ, *Guilelmus* Dux Aquitaniæ, & antiſtes Mediolanenſis, ægre ferentes à familia Saxonica hoc decus imperii transferri) tamen tandem poſt interregnum biennii fere diſcordantium inter ſe Principum ſententiæ in *Conradum*, ob virtutem & rei militaris ſcientiam, tum etiam propter *Henrici ſancti* Imp. teſtimonium atque authoritatem, qui judicio ſuo imperium ad eum detuliſſe ſcribitur, conſenſerunt. Quare electionem Principum Germaniæ ſecutus *Herbertus* Archiepiſcopus Mediolanenſis. Nam cum fruſtra ſe laborare in eligendo Italiæ Rege animadverteret, in Germaniam ſua ſponte ad *Conradum* acceſſit, eumque Regem propia auctoritate ſalutavit. Ob id *Conradus* Archiepiſcopum jure eo ſeu privilegio maximo donavit, ut, cum ante Mediolanenſis Antiſtes Epiſcopum Laudenſem, jure ab *Ottone Magno* accepto, ſacrare poſſet, ille eundem annulo & virga inveſtiret. Sed poſtea *Herbertus* ex levi cauſa offenſus hoſtis *Conrado* exſtitit, ipſis factis oſtendens, quam Duo parere neſciret. *Conradus* ubi cognovit, Herbertum adverſus ſe conſpiraſſe, ut dominatum Italiæ obtineret, dignitatem idcirco ei ademit, & armis perſequendum cenſuit. Nec vero Herbertus vel potentiam vel auctoritatem extimuit, ut contemto honore Majeſtatis in tranquillo ocio viveret. Itaque CONRADUS recte, ne vel jura Majeſtatis acquieſcendo malis conſiliis Herberti violaſſe, vel malitiæ cum Reipubl. detrimento exercendæ occaſionem dediſſe videretur, quanto ſtudio potuit, eum perſequutus eſt, eumque captum Patriarchæ Aquileienſi cuſtodiendum tradidit: ubi fuga elapſus cunctis viribus Imperatori bellum fecit. Quare Imperator ſtatim Mediolanum repetivit, urbem obſedit, agrum ejus vaſtavit, & ad deditionem coëgit, Herbertum in carcerem Placentiæ conjici juſſit, & tandem omni honore, & inprimis jure Epiſcopi Laudenſis inveſtiendi, privavit. *Sigon. lib. 8. de reg. Ital. Contractus. Chronicon Spangenb.*

III. CORONATIO. *Ter Conradus* coronatus eſt. *Primo*, cum in Italiam A.C. 1026. veniſſet inteſtinis Italiæ tumultibus coactus, regium diadema ab Archiepiſcopo Mediolanenſi ſuſcepit. *Deinde* Modoëtiæ, antiquo more Longobardorum iterum ſe coronari paſſus eſt: ejus exemplum poſt alii ſecuti ſunt. Et *tandem* tertio, Romæ, A.C. 1027, in ipſo die reſurrectionis dominicæ, à *Iohanne* XX. Pontifice coronam auream accepit: & Comites itineris habuit potentiſſimum Regem Canutum, Daniæ, Norwegiæ & Angliæ Dominum: & *Rudolphum* Regem Burgundiæ: in quorum præſentia ſummo cum honore omnia peracta ſunt. *Sigonius lib. 8. Conſt. Imp.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

1. *ACTA TOGATA.*

CONRADUS Rempubl. ſumma cum laude adminiſtravit: eique in *genere* hoc elogium tribuitur, quod fuerit vir præſtans, & Princeps ſalutaris: qui imperium virtute ac ſapientia ſtabilivit, ac reſtitutione Burgundiæ auxit: bellicæ item rei peritia, liberalitate, & cura Eccleſiæ & pauperum, inſignis: in conſiliis prudens, in rebus gerendis felix. Vnde vicinis Regibus formidabilis fuit, & cæteri Imperatorem, tanquam ſummum Monarcham orbis Chriſtiani, agnoverunt & venerati ſunt. *Antoninus Caſtrutius. H. Mutius. Chron. Carion.*

In *ſpecie* ei tribuitur

1. PRUDENTIA. Nam 1. cum varii tumultus in imperio eſſent exorti, ſtatim in initio imperii cum Principibus Germaniæ ſeverum mandatum promulgavit, illum, qui pacem publicam turbaret, capitis ſupplicio afficiendum eſſe. *Cuſpinian. H. Mutius. Faſc.*

2. Ne etiam filius ſuus *Henricus* negligeretur, eum Brunoni Epiſcopo Auguſtano erudiendum tradidit, à quo in vera religione, artibuſque liberalibus diligenter informatus eſt. Hunc filium ſuum vix annos natum XI, poſtquam *Henricus* Rex Bavariæ diem ſuum obierat, Regem Bavariæ declaravit, & inaugurari curavit. Biennium poſt anno Chriſti 1028 Comitia Aquisgrani indixit, ac omnium Principum conſenſu filium imperii conſortem fecit, & à Pilgrino Archiepiſcopo Colonienſi in hebdomade magna Paſchatis Aquisgrani coronari juſſit. *Spangenb. Pantal.*

II. IUSTITIA. *Conradus* Imp. juſtitiam laudabiliter adminiſtravit, & inter alia legem Ratisbonæ ſanxit de proprietate Sylvarum & venationis jure: item de bonis Eccleſiæ non abalienandis. *Conſt. Imp.*

III. CANDOR & INTEGRITAS. Memorabile eſt exemplum in Conrado fidei præſtitæ. Nam cum Imperator Polonis bellum inferret, Rex

Poloniæ Mieſciſlaus viribus *Conradi* ſe imparem videns ad *Vlricum* Regem Bohemiæ confugit, auxilia ejus imploraturus. Verum Vlricus hoſpitali fide ſpreta, Conrado per literas ſignificavit, ſe Mieſciſlaum ei oblaturum, ſi pacem ſibi eſſet conceſſurus. Imperator à ſcelere perfidiæ adeo abhorruit, ut ſtatim *Mieſciſlaum* periculi, in quo verſabatur, admonuerit. Præclare pronuncians & ſentiens, ſolere Germanos virtute cum hoſtibus, non fraudibus certare, nihilque acrius quam perfidiam ulciſci; ſceleribus, non nomini hoſtium iraſci; oportere armatum eſſe, quem oderint. Hac integritate Imperatoris Polonus ad Conradum profectus, ipſi ſupplex factus pacem ab eo petivit, quam etiam impetravit, & in gratiam receptus eſt. *Aventin. l. 4. Ann. Chron. Spangenb. Fulgoſius lib. 6. cap. 5.*

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum Italicum.*

In Italia multi ſeditionem moverunt contra Imperatorem, non paſſuri alium ſibi imperare, quam qui faciat, quod ipſis libeat. Multa ergo nefaria in Epiſcopum Landulphum, qui conſilia ſeditioſorum improbabat, moliti ſunt, & cunctis viribus ad reſiſtendum Conrado ſeſe compararunt. Hic tumultus in Italiam denuo attraxit Imperatorem. Quo cum perveniſſet, in rebelles graviter animadvertit, inter quos fuit Herbertus antiſtes Mediolanenſis, quem expugnata urbe Mediolano cepit, & in carcerem conjecit: de quo ſupra prolixius diximus. Hiſce peractis, in Germaniam rediit, & in eos qui conſpiratione renovata res patriæ ipſo abſente turbarant, bellum movit, ac ut quieſcerent, armis adegit. *Chron. Carion.*

II. *Bellum Hungaricum.*

Supra diximus, quod *Conradus* Imperator, *Henrico* Bavaro, fratre *Cunigundæ Henrici* Sancti Imperatoris uxoris, extincto, filium ſuum regem Bavariæ creaverit. Sed Rex Hungariæ Stephanus putans id regnum deberi ſuo filio, legatos de hac re ad Imperatorem miſit; cum vero repulſam ferret, Imperatori bellum indixit. Deinde cum exercitu in Bavariam ſibi, ut putabat ereptam, movit, eamq; vaſtavit. CONRADVS igitur exercitu fortiſſimo collecto in Hungariam profectus, eam longe lateque vaſtavit, ad Jaurinum uſq;, inde commeatuum inopia preſſus in Germaniam rediit. *Stephanus* vero cum videret ſe Conrado viribus nullo modo parem eſſe, & reſiſtere poſſe, inſuper quod filius Emericus, cui (ut putabat) Bavaria debebatur, mortuus eſſet, per *Henricum* filium Imperatoris pacem petivit & impetravit.

III. *Bellum* contra *Rudolphum* Regem *Burgundiæ.*

Rudolphus Rex Burgundiæ promiſerat *Henrico* II. Imperatori ſucceſſionem in regno: At cum *Henricus* mortuus eſſet, reſiliit. *Conradus* igitur *Baſileam*, quæ ad regnum Burgundorum pertinebat, occupavit, inde in Burgundiam tendens Regem eo adegit, ut promiſſionem ſervare promitteret. Defuncto vero *Rudolpho*, Odo filius ſororis *Rudolphi* illud regnum invaſit, & præcipua loca præſidiis munivit. Sed *Conradus* collecto exercitu in Burgundiam movit, urbes expugnavit, *Odonem* pepulit, Burgundiam omnem uſque ad Rhodanum fluvium occupavit, eamque rurſus cum Germania conjunxit, & Genevæ Rex Burgundiæ coronatus eſt. Ab eo tempore Imperatores Germanici jura & titulum regni Arelatenſis uſurparunt, quæ *Carolus* IV. alienavit. Deſiit ergo Burgundia regnum eſſe, cum decem Reges habuiſſet, & poſt mortem *Caroli Calvi* annis fere 144 ſtetiſſet. *Spangenb. Chron. Carion.*

IV. *Bellum* contra *Mieſconem* Vandalorum Principem.

A. C. 1032. Vandalorum Princeps *Mieſco* fratrem ſuum *Ottonem* regno ejecit, qui ad *Conradum* Imper. confugit. Sed *Mieſco* bellum perſecutus eſt, vaſtavitque regiones Imperatoris intra Salam & Albim, ultra centenos pagos vaſtavit, abduxitque ultra 9000 hominum in captivitatem. CONRADVS contra *Ottonem* in principatum ſuum reduxit, abſque ulla vaſtatione gentis. *Mieſco* in angustias redactus pacem petivit: quæ ipſi conceſſa eſt, cum pagos, homines abductos, & prædam reſtituiſſet. *Spangenb. Chronicon Saxon. Aventin. lib. 3.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

CONRADVS pius & religioſiſſimus Imperator fuit, religionem Chriſtianam promovit, multa templa renovavit, & reditibus locupletavit, uti etiam primos lapides trium maximorum templorum Spirenſium poſuit A. C. 1030, die 12 Julii. *Bruſchius. Crantz. Chron. Saxon. Chorog. Schopperi fol. 732.*

CA-

CAPVT III.

DE EGRESSV.

ANno Chriſti 1039. CONRADVS Princeps optimus, qui jam magnam de ſe omnium exſpectationem rebus præclare geſtis excitarat, in medio curſu vitæ, non ſine dolore publico, prope Trajectum Belgii urbem, die 4 Junii (alii Julii) in Pentecoſtes feſto ſubita morte extinctus eſt, cum imperaſſet annis 14, menſ. 10, diebus 22. Sepultus Spiræ Nemetum in templo S. Mariæ à ſe conſtructo, ubi ſic ſcriptum reperitur in Mauſoleo: CONRADVS II. Imper. *obiit anno Domini* 1039, *pridie Non. Julii.* Item hi verſus:

Filius *hic*, Pater *hic*, avus *hic*, Proavus *jacet iſthic*,
Hic proavi conjux, hic Henrici Senioris.

Chron. Spangenb. Carion. Contract.

XVII. IMPERATOR GERM.
HENRICUS III, cognom. NIGER.

CAPVT I.

DE ORTV.

I. PATER fuit CONRADVS II, Imp. cognom. *Salicus.*

II. MATER fuit GISELA. Ex quibus parentibus natus eſt A. C. 1017.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

VXores *Henricus* habuit duas.

PRIOR fuit CVNILDA, Canuti, Angliæ, Daniæ & Norvegiæ Regis filia, quam pater CONRADVS ei deſponſavit anno C. 1026. Nuptiæ autem prius Anno C. 1036. celebratæ ſunt, & biennium poſt Cunilda peſte, nulla prole relicta, extincta eſt. *Chron. Spangenb. fol.* 168, 170. *Chron. Saxon. fol.* 206.

POSTERIOR fuit AGNETA, Wilhelmi Pictavienſium Principis & Aquitaniæ Ducis filia. Ex hac ei nati *filii duo* HENRICVS IV, (cui pater nondum baptizato Saxones jurare coëgit, & biennium nondum nato Bavariam dedit, & cum quartum ætatis annum attigiſſet, eum Cæſarem deſignari fecit) & CONRADVS, qui non diu patri ſupervixit. *Filiæ tres*, quarum primam *Juditham* deſpondit Salomoni filio Andreæ Regis Ungariæ. Altera MATHILDIS nupſit *Rudolpho* Comiti in Reinfelden Suevorum Duci. *Tertia* LEOPOLDO quarto Marchioni Auſtriæ & Duci Sueviæ. *Chron. Spangenb. Pantaleon. Chron. Philip.*

II. *ACTA POLITICA.*

1. *Imperii occupatio.*

Pater Conradus Henricum puerum vix 11. annos natum imperii conſortem & ſucceſſorem deſignavit. Patre igitur defuncto, *Henricus* anno Chriſti 1039, omnium procerum Germaniæ conſenſu Imperator electus & confirmatus, & cum *Henricus* A. C. 1046, Romam veniſſet à Pontif. Romano CLEMENTE II, una cum conjuge Agneta menſe Decemb. coronatus eſt, multis Italiæ & Germaniæ Principibus præſentibus. *Contract. Spangenb. H. Mutius lib.* 14. *fol.* 125.

1. *Imperii adminiſtratio.*

1. *ACTA TOGATA.*

I. JVSTITIA *Henricus Niger* juſtitiæ fuit ſeverus adminiſtrator. Nam *Conradum* Bavariæ Ducem, quem ipſe in locum *Henrici* nepotis ex fratre Divæ Cunigundæ, in ulteriori Italia à Normannis in acie occiſi, inveſtierat, ob male & crudeliter adminiſtratam provinciam & juncta cum Hungaris fœdera, Ducatu movit: atque in ejus locum *Henricum* IV, filium ſuum adhuc infantem, Ducem Bavariæ conſtituit. Hæc magna eſt laus in *Henrico* juſtitiæ, quod ſine reſpectu perſonæ malum è medio tollere voluit, nihil vel ipſius Ducis Bavariæ odium, vel cognatorum ejus potentiam metuens.

II. AVTHORITAS. In magna apud omnes authoritate fuit, & quidem cum anno C. 1046. à Pontifice eſſet coronatus, confirmatum eſt ei jus Majeſtatis, ne poſthac ſine ipſius authoritate Pontifex Romanorum crearetur. Et hac poteſtate uſus eſt *Henricus*, ac mortuo *Clemente* II, Germanum quendam Popponem dictum, ſuum conſiliarium, Pontificem fecit, & Damaſum appellavit. Deinde Germanum Brunonem ad eam dignitatem, defuncto Damaſo, promovit, & *Leonem* IX appellavit. Deinde quendam *Gebhardum* Epiſcopum creavit Pontificem, & *Victorem* II. nominavit. Itaque ſumma *Henrici* III. fuit authoritas, in eoque laudabile inſtitutum fuit, quod majeſtatem imperii & jura contra Pontificum artes ac molitiones & defenderit acriter, & conſervaverit feliciter. *Sigebert. Blandus lib.* 11. *decad.* 2. *Aventin. lib.* 5. *Spangenb. Platina. Urſperg. Crantz.*

III. Inter cæteras virtutes *Henrici* III. Imp.

pietas, *liberalitas*, *clementia*, *heroica fortitudo*, & in rebus gerendis *induſtria* ſeu ſolertia maxime commendatur.

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum Bohemicum.*

I. ORTVS.

VRATISLAI *Ducis Bohemiæ inſolentia.* Poſtquam *Conradus* Imp. eſſet defunctus, & *Henricus* III. ei ſucceſſiſſet: *Vratiſlaus*, Imperatoris authoritate ſpreta, jugum imperii detrectare, & annua tributa dare, contumaciter recuſavit, inſuper etiam bellum Imperatori fecit, & omnes aditus Bohemiæ ſuccisis arboribus impedivit.

II. PROGRESSVS.

Henrici in Bohemiam expeditio. Imperator igitur bipartito exercitu, altero per Sileſiam, altero per Bavariam, (quem exercitum ipſe ducebat) in Bohemiam irrupit A.C.1040: ſed clade affectus, & alter exercitus, tantum vaſtata Bohemia, etiam receſſit. Anno vero ſequenti iterum felici eventu in Bohemiam movit. Vicit enim Ducem Bohemiæ, & diebus 42 Bohemiam vaſtavit, & Pragam obſidione cinxit.

III. EGRESSVS.

Pacificatio. Cum *Henricus* Imper. in Bohemia cuncta longe lateque vaſtaret, Leopoldus etiam Auſtriacus aliquot urbes Bohemis eriperet, Vratiſlaus pacem ultro opetivit, & quas Imperator dixiſſet conditiones, accipere coactus eſt. *Spangenberg. Coſm. Aventin. lib. 5.*

II. *Bellum Hungaricum.*

1. A.C.1038. *Stephanus* Rex Hungariæ mortuus eſt, cum annis 41 regnaſſet, & religionem plurimum propagaſſet. Succeſſit ipſi PETRVS cognomento *Alemanus*, ex ſorore nepos. Hic cum multa inſolentius atque crudelius egiſſet, de conſilio paucorum, ex quibus pendebat, ab Hungaris A.C.1041 regno pulſus, ad *Henricum* Imp. confugit, & opem ab eo adverſus Hungaros petivit. Interim vero Aba à proceribus regni Hungariæ Rex renunciatus eſt. Et hic quidem Rex, inſolens novo honore factus, miſſis Legatis ad *Henricum* III, ejus exploravit ſententiam, pacem ne, an bellum mallet? Certe, reſpondit *Henricus*, bello, niſi laceſſitus, certare nolo. Caute; ſiquidem bellum res eſt plena periculi. Miſitque pacis ſanciendæ cauſa legatos in Hungariam, ſed *Aba* eos contra jus gentium violavit. Itaque Imperator A.C.1042. cum exercitu in Hungariam movit, Hungarorum Regem bis prælio vicit: qui fœdus & amicitiam poſtulavit, & dato jurejurando omnia ſancte promiſit ſe facturum: ſed ſimulate & dubia fide. Verum enim vero cum *Aba* aperto marte confligeret cum *Henrico* Imp., copias ſuas quamvis maximas amiſit, & vix fuga ſalutem quærere potuit. At vero Henricus exiguo plane exercitu vicit hoſtem potentiſſimum, & DEI auxilio mirabilem A.C. 1044. ad urbem Jaurinum victoriam obtinuit. Nam obductæ cœlo nubes condidere Solem, mox ventus, excitato pulvere, oculos hoſtium opplevit. Deinde turbo cum ingenti fragore hoſtem in fugam conjecit, Hungarorum 26000 in acie ceciderunt: Ex Imperatoris vero exercitu tantum tria millia militum deliderata fuere. Facta hac victoria proceres regni victricibus armis *Henricum Albam* Regiam deduxerunt, Regemque ſolenniter ſalutarunt. Deinde *Henricus* Imp. PETRVM Regem Hungariæ declaravit, & ſuo eum beneficio regnare juſſit.

2. A.C.1046, dum *Henricus* Imp. in Italia morabatur, novi in Hungaria motus facti ſunt. Nam Hungari infenſi ſuo Regi Petro, cum de priſtina ſævitia nihil remitteret, nec repudiata Chriſtiana religione vellet redire ad veterem ſuæ gentis, cum in venatione ceperunt, oculos ei effoderunt, inque vincula conjecerunt, unde non multo poſt è vita exiit. Alium vero regem ſibi elegerunt ANDREAM, & omnes, quos ſtuduiſſe Petro ſciebant, interfecerunt: ita etiam trucidati ſunt Epiſcopi & Clerici. Sed enim hanc ſubditorum perfidiam ut *Henricus* ulciſci poſſet, expeditionem adverſus Hungaros paravit. Sed *Andreas* Rex, antequam *Henricus* fines Hungariæ attingeret, miſit legatos, & ſe purgavit, & promiſſo annuo tributo ſe in clientelam Imperatoris addixit, ſi modo ejus auctoritate regno Hungariæ potiri poſſet. Cum autem incerta fide agere videretur, & oblata occaſione copias conferre, & agros Bavariæ vaſtare inciperet, *Henricus* arma rurſus adverſus eum A.C. 1052 ſuſcepit, coëgitque vel ſola imperii auctoritate, ut auri ſummam quotannis daret, & partem Hungariæ Imperatori cederet; & ſuo periculo certas copias *Henrico*, quoties opus haberet, promte mitteret. *Spangenb. Contract. Aventin. Schaffnab.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Tempore *Henrici* III. Romæ ſchiſma magnum erat; tres ſimul Pontifices, *Benedictus* IX, *Sylveſter* III, & *Gregorius* IV, fuere à diverſæ factionis hominibus electi. Hanc contentionem Imperator diremturus, & contumacem audaciam ac ſcelera, qui-

quibus certatim alter alterum depulerat, ulturus, Italiam adiit A.C. 1046, dejectiſque ſententia Synodi, quam authoritate Imperatoria Sutrii in Italia celebravit, & ſacro ordine motis univerſis, alium conſtituit, nempe Suidigerum Epiſcopum Bambergenſem, & *Clementem* II. appellavit.

Eodem tempore alia ſtatuit ad Imperii tranquillitatem neceſſaria: tum etiam vetus interdictum de non creando Pontifice ſine Imperatoris aſſenſu denuo ſancivit, cujus abrogandi cauſa nihil non moverunt Pontifices. Hiſce motibus ſedatis, Imperator in Germaniam redire perrexit. Sed nondum eo reverſo, *Clemens* II. veneno interiit, cum tenuiſſet ſedem Papalem menſes 9. In ejus locum *Henricus* ſubſtituit *Popponem* Bavarum, Epiſcopum Brixienſem, (ſeu, ut alii volunt, Aquileienſem) & *Damaſum* appellavit. Sed hic tantum ſedit diebus 23, & veneno à *Benedicto* IX, invaſore ſceleſtiſſimo, ſublatus eſt. Alium igitur Pontificem *Henricus* Imp. conſtituit A.C. 1049, *Brunonem* Comitem, & Epiſcopum Tullenſem, eumque *Leonem* IX. appellavit. Hic cum annos fere quinque ſediſſet, è vita deceſſit. Romani igitur cum abſque conſenſu Imperatoris Papam eligere non auderent, Legatum ad eum de Pontifice eligendo miſerunt, qui *Gebhardum* Epiſcopum Eychſtatenſem, ex familia Comitum Calvenſium, Pontificem creavit, & *Victorem* II, nominavit. Itaque ſumma *Henrici* III. Imp. fuit authoritas, & in eo laudabile fuit inſtitutum, quod regali auctoritate jus Majeſtatis Imperatoriæ integrum conſervavit. *Contract. Onuphr. Sigeb. Schaffn Platina. Avent. Chron. Spangenb. Crantz. Chron. Carion.*

Res memorabiles.

1. HENRICVS III. Imp. magnum *periculum evaſit*, cum A.C. 1045. in Hungaria, ſecundo Danubio veheretur, & *à Richilda* vidua *Adalberti Edesborgii* magnifice hoſpitio & convivio exciperetur. Dum enim Imperatorem ea ſupplex orat, ut *Boſenburgum*, & prædia nonnulla, quæ maritus ipſius poſſederat, *Welphoni* tertio nepoti ſuo ex fratre tradat; & *Henricus* extenſa dextera poſtulatis annuiſſet, repente contignatio collabitur. Imperator in alveum ſolii balnearii illæſus cecidit. Verum *Bruno* Wurceburgenſis Epiſcopus, cognatus Imperatoris, qui poſtea in numerum Divorum relatus eſt, *Alemannus* præſes Ebersgenſis, & Richalda, margini tabelliſque labri graviter alliti, paucis poſt diebus extinguuntur, teſte *Aventino*, *Annal. Bojoar. lib.* 5. qui etiam recenſet, quale ſpectrum ſub imagine atri Æthiopis, paulo ante in ſaxo eminentiori apparuerit, & quomodo *Brunonem* cum *Henrico* navigantem compellaverit. *Aventin. lib.* 5. *cent.* 11. *cap.* 13.

AXIOMA.

Magni & heroici Viri ſæpenumero ab inſidiis & periculis conſervantur divinitus.

1. Exemplum hoc loco habemus in *Henrico* III, Imp. uti etiam in filio ejus *Henrico* IV. Imp. de quo infra dicemus.

11. Refert Lambertus Herveldenſis, Ludimagiſtrum quendam Halberſtadienſem, ab Epiſcopo Meginhero ad decimas ſolvendas compulſum, ac proinde ad Chriſti tribunal appellantem, ſubito exſpiraſſe, atque hunc mox illum inſecutum.

111. A.C. 1045. *venefica* quædam apud Anglos à Diabolo viva per aërem avecta eſt: cujus mulieris ejulatus, ad quatuor illius regionis milliaria, per aliquot horas auditus eſt. *Vincent. lib.* 25. *cap.* 26. *Chron. Schedelii. Lycoſthenes.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

A.C. 1056. HENRICVS Imp. exercitum contra Sclavos Luſatios miſit, qui magna clade affectus, & totus fere cum Ducibus periit. Quam jacturam cum graviter tuliſſet, non ita multo poſt ægritudine correptus, Burdfeldiæ Saxoniæ oppido diem ſuum obiit, buccella panis grandiore, ut nonnulli tradunt, ſuffocatus, die 5 Octobr. an. ætat. 39, imperii 17, menſe 7. Corpus ejus Spiram Nemetum tranſlatum, ibique magna ſolennitate ſepultum, die Simonis & Judæ, quo etiam natus fuerat.

Inſcriptio Mauſolei Spirenſis: Anno Dom. incarnationis MLVI HENRICVS Imp. Non. Octob. obiit. *Chron. Span. Chron. Carion. Hedion. Pantal. Contratti appendix*, & *Friſing.*

NOTA.

HENRICVS III, *ultimus* fuit, qui tyrannidem Pontificiorum compeſcuit, & Majeſtatem Imperii contra illorum tyrannidem illibatum conſervavit.

XVIII. IMPER GERM.

HENRICUS IV.

CAPVT I.

DE ORTV.

1. PATER fuit HENRICVS III, Imperator.

11. MATER fuit AGNETA, *Wilhelmi* Pictavienſium Principis & Aquitaniæ Ducis filia, religioſiſſima ac prudentiſſima fœmina, omnibuſque virtutibus decorata. Ex hiſce parentibus natus

eſt *Henricus* IV, ut *Sigebertus* habet A. C. 1050, die 11 Novemb. ſecundum *Schaffnaburgenſem* vero A.C. 1051. 3. id. Novemb.

CAPVT II.

DE PROGRESSV.

I. ACTA OECONOMICA.

I. Vxores.

Vxores Henricus habuit *duas*.

PRIOR fuit BERTA, *Ottonis* Marchionis Italiæ filia, quam Henricus juvenis admodum A.C. 1066 uxorem duxit. Defuncta eſt illa A. C. 1087, & Moguntiæ primum, deinde Spiræ ſepulta.

POSTERIOR dicta fuit PRAXEDIS, vidua *Vdonis* Marchionis Brandeburgenſis, filia Regis Ruſſorum, cum qua nuptias celebravit Coloniæ A.C. 1088.

II. Liberi.

1. Ex *priore* uxore *Berta* Henricus ſuſcepit, I. FILIOS *duos*: CONRADVM, & HENRICVM, *Conradus*, cum à patre conſtitutus eſſet gubernator Italiæ, perſuaſu Pontificis, ducta filia Rogerii Normanni, Regem ſe Italiæ nominavit, Pontifice proclamante. Quapropter pater *Henricus* eum in Comitiis quæ A.C. 1099. Coloniæ indixerat, exhæredavit. *Conradus* quoque non diu poſt juſtas perfidiæ pœnas dedit, & A.C. 1101 ſubita morte extinctus eſt. HENRICVM, *Conrado* præterito, pater Regem fecit A.C. 1099. quæ res, ſi *Conradus* viviſſet, civile bellum paritura fuiſſet.

2. FILIAS *tres*: I. AGNETAM, quam pater deſpondit FRIDERICO Comiti de Hohenſtauffen: cui, Rudolpho affine cæſo, Sueviam attribuit. Defuncto *Friderico*, frater *Agnetæ Henricus* V. qui poſtea Imperator factus, eam LEOPOLDO Marchioni Auſtriæ junxit. Ex *Friderico Agneta* CONRADVM III, Imperatorem: ex *Leopoldo* vero 18 liberos ſuſcepit, quos inter fuere HENRICVS Comes: CONRADVS Archiepiſcopus Saltzburgenſis, & OTTO Epiſcopus Friſingenſis, Hiſtoricus clariſſimus.

2. BERTHAM, quæ nupta fuit Marquardo ſeniori Duci Carinthiæ, & Marchioni Stiriæ.

3. SOPHIAM, quam *Salomon* Rex Hungariæ ſibi matrimonio junxit.

II. Ex *poſteriore* uxore an ſobolem ſuſceperit, non conſtat. *Aventin. Onuphr. Pantaleon. Chron. Philip.*

NOTA.

HENRICVS IV. Imper. Ann. C. 1059. ex juvenili fervore (erat enim tum adoleſcens octodecim annorum) cum Archiepiſco Moguntino egit, de dimittenda uxore *Bertha*, quam ante biennium duxerat: ſe ipſi cohabitare non poſſe, & virginem eam adhuc eſſe, & virginem etiam dimiſſurum. Moguntinus omnia ſe effecturum promittit, modo *Henricus* ſua authoritate efficiat, ut Thuringi decimas ſibi ſolverent. Archiepiſcopus igitur rem proponit, & eo deducit, ut Imperatrix in cœnobium *Lorch* mittatur, & de hac re Synodus inſtituatur: interim ipſe abit in Thuringiam ad exigendas decimas, quas dandas eſſe diſſuadet Theodoricus Marchio, vitricus & tutor Eccardi. Ideo armis agitur, & Imper. arcem Beichlingianam capit, urbem arci ſubjectam exſcindit, & Theodoricum fere Thuringia pellit. Interim dies dicta Synodo advenit, & Pontifex Roman. miſit legatum ſuum *Petrum Damianum*, qui *Henricum* cogeret, ut repudiatam ſuam uxorem reciperet: & quidem ſerio id inculcatum eſt *Henrico*. Principes quoque amplexi conſilium & authoritatem Papæ, Imperatori pariter hortatores fuere omnes, ut à conſiliis divortii deſiſteret, animumque ad reginam adjungeret. Objecerunt ei atque exaggerarunt potiſſimum hanc politicam cauſam, qua ipſius animum percelli omnium maxime ſciebant: Cavendum eſſe, ne iſto divortio parentibus reginæ cauſa defectionis præberetur, graviſſimumque incendium ſeditionis ac funeſti belli exoriretur. His recte monitis paruit *Henricus*, & conjugem honorifice ad ſe recepit, & ſequenti tempore jucunde ipſi cohabitavit, exque ea quinque ſupra dictos liberos ſuſcepit. Quanquam enim difficile eſt, in maxima licentia moderari ſibi, & ſuis cupiditatibus quaſi frænos imponere: tamen laudabile illud *Henrici* inſtitutum fuit, quod licentiam omnium rerum corruptricem exterminandam cenſuit, & ad imperii negotia curanda & promovenda deinceps animum adjecit. *Schaffnaburgenſis. Chron. Spangenb. fol.* 183, 184. *Cent.* 11. *fol.* 481.

II. ACTA POLITICA.

I. *Imperii occupatio.*

I. HENRICVM IV, cum annum ætatis ageret quintum, (vel, ut alii volunt, quartum) pater *Henricus* III communia procerum Germaniæ conſenſu Cæſarem deſignavit, illumque Aquiſgrani A.C. 1054, ab Hermanno Archiepiſcopo Colonienſi inaugurari curavit.

Obſervatio.

Hi in prima ætate delati honores *Henrico* exitio magis, quam præſidio fuere. Quanquam vero in eo fuit egregia animi indoles, quam rebus poſtea geſtis mirabili eventu declaravit; tamen ejus exemplum documento eſt, quod puerum laudare, res ſit difficilis: non enim res laudanda, ſed ſpes eſt, ut ex Cicer. *Servius* refert, 6. *Æneid.* Itaque recte monet *Tacitus lib.* 4. *annal.* Mobiles adoleſcentum animi non ſunt præmaturis honoribus ad ſuperbiam extollendi, negliſcat in malum inſolentia. *Væ terræ, cujus Rex puer eſt!* inquit *Eccleſ. cap.* 10. *verſ.*

vers.16. & inter cæteras comminationes divinas apud Prophetam eſt: *Dabo pueros Principes eorum.* Id, ſi ulla alia terra, certe Germania ſub Principatu *Henrici* IV. experta eſt: uti ex ſequentibus patebit.

11. A. C. 1084. Cum *Henricus* Romam expugnaſſet, ſeditioſum Papam Hildebrandum depoſuiſſet, aliumque ſubſtituiſſet, qui CLEMENS III. dictus, ab eodem in feſto Paſchatis, una cum uxore Bertha, magna pompa & ſolennitate coronatus eſt. *Chronicon Spangenb. Chronic. Philippi. Dreſſerus.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

Henricus IV. egit annum ætatis ſextum, cum pater vivis exceſſit: qui moriturus tutelam filii & gubernacula imperii matri; curam & educationem ejuſdem *Conrado* cuidam nobili Suevo commendavit. AGNETA igitur mater Henrici IV, prudentiſſima fœmina, tutelam filii ſibi commiſſam geſſit magna cum fide & diligentia, &, de conſilio Henrici Auguſtani Epiſcopi, per quinque annos in imperio pacem & tranquillitatem magna cum juſtitiæ & prudentiæ laude conſervavit. Et quidem hoc exemplum prudentiam ſingularem arguit in Agneta, quod Andreæ Regis Hungariæ, nuptias filiæ ejus ſuo filio Salomoni petentis, precibus locum dedit, & ſic ex hoſte infeſtiſſimo ſibi amicum fecit fideliſſimum. Caute Agneta conſideravit, quod ex levibus cauſis & eventibus ſæpe in bellis maximi momenti res mutari ſoleant. Deinde ut affinitate firmatam amicitiam & cum aliis Principibus haberet; alteram filiam *Iuditham* Regi Poloniæ nuptum collocavit: & tertiam impuberem Rudolpho de Reinfeld / quem Ducem Sueviæ ſimul fecit, deſtinavit deſponſam. *Avent. l. 5. Annal.*

Cum autem Status imperii moleſte ferrent, ſibi imperare fœminam, ex ſua & Epiſcopi Auguſtani ſententia: Ideo A. C. 1062. *Otto* Regulus Bavariæ, Hanno Archiepiſcopus Colonienſis, & Egbertus Dux Saxoniæ, patruelis *Henrici*, & alii, conveniunt, communicatiſque inter ſe conſiliis id agunt, & machinatione quadam perficiunt, ut *Agneta* matri tutelam filii, adeoque ipſam adminiſtrationem imperii eriperent. Matrem Agnetam cum filio hi proceres Germaniæ invitant, ut propius Auguſtam Nemetum veniat, interim navim in Rheno exornant, & puero *Henrico* IV, ut eam perluſtret, perſuadent, ingreſſum adducunt Colonias. Henricus, cum ſe videret abpuci, vim metuens, in Rhenum ex navi deſilit; & ſic periiſſet, niſi Egbertus Marchio ſimul in Rhenum deſiliiſſet, & in maximo periculo ſe & puerum ſervaſſet. Mater conturbata hac re quam caſus obtulit, cum nihil contra auderet, in ſapientiam convertit, ac ſe in monaſterium contulit; ne amplius vitæ humanæ fraudes oculis perſpiceret, (nam ex obtutu in intima viſcera, penetratio ardorque naſcitur,) ſeque odio procerum, ſuam rem agentium, liberaret. Tandem Romam profecta, vitam egit privatam, ſuam ſortem æquo animo ferens, ibi diem extremum clauſit, & in templo S. Petronellæ honorifice ſepulta eſt. *Chron. Hed. Schaffnab.*

I. *ACTA TOGATA.*

Acta Henrici in Imperio.

1. Cum matri *Henrici* Agnetæ (poſtquam per quinquennium, ut diximus, imperium ſumma cum laude adminiſtraſſet) à proceribus imperium abrogatum eſſet, HENRICVM fata ruentis imperii, annum agentem XIII, extruſerunt ad gubernacula, objectum crudeliſſimis ſuorum odiis, perfidioſiſſimiſque Pontificum machinationibus, & callidiſſime ſtructis inſidiis, difficillimis bellis externis ac domeſticis, quibus patria conflagravit, per ætatem tamen nulla re parem iis avertendis aut amoliendis, quæ undique parabantur & intentabantur vi & fraude in Reipubl. perniciem. Ex domeſtica matris diſciplina protinus in aciem productum velut ex umbra in lucem contra fortiſſimos hoſtes, & dimicando fortunam belli experiri, priuſquam arma aut geſtare poſſet, aut tractare didiciſſet, & Imperatoris obire, præſtareque munus oportuit, priuſquam, quæ militem decerent, cognoviſſet. Ei namque adoleſcenti nullum rectum ingenii cultum, ut mater inſtituerat, adhibuerunt: ſed ut pro animi libidine, ac ſuo arbitrio viveret, permiſerunt. Et ſic corrupta Henrici adoleſcentia multis ſe vitiis polluit. Proceres etiam imperii neminem ad Henricum admittebant, niſi de ſua voluntate acceſſiſſet, nec ipſi licebat, quos vellet, ad ſe admittere; ſatis haberet, quod venatione, & gaudiis ac voluptatibus corporis frueretur. Interim omnes pro lubitu graſſati ſunt, & tota Reipubl. compago conquaſſati viſa eſt, tum quod illi imperii Adminiſtratores ſuam magis, quam publicam rem curaſſe videbantur: tum quod illi morbi graviſſimi eſſe ſolent, qui à Capite defluunt; quibus illi fomenta præſtiterant.

11. Vbi autem *Henricus* adolevit, & ad maturam ætatem pervenit, omnia ſua conſilia ad imperii tranquillitatem direxit, uti etiam eximiæ in eo virtutes excelluerunt. Quæ ſequentes ſunt.

1. AV-

I. AUTHORITAS. 1. Cum inter Boleſlaum Poloniæ regem, & Vratiſlaum Bohemiæ Ducem, diſſidium atrox exſtitiſſet, jamque ad arma deventum eſſet, & detrimenti multum utrinque datum; Henricus authoritatem ſuam interpoſuit, & conventum indixit Miſnæ anno Chriſti 1071. ubi utrumque à diſſidio & maleficio juſſit deſiſtere, eique ſe ſocium contra alterum profeſſus eſt, qui primus arma ſumturus eſſet. Ejus compoſitionis forma publice in templo Miſnenſi recitata eſt. *Fabricius.*

II. MAGNIFICENTIA. Anno Chriſti 1083 *Henricus* VRATISLAO Bohemorum Duci Moguntiæ in conventu Principum attribuit titulum dignitatemque regiam, Moravorum regno in Bohemiam tranſlato. *Æn. Sylv.* Plerique tradunt, Vratiſlaum Regem coronatum eſſe Pragæ ab Engelberto Archiepiſcopo Trevirenſi, die 16 Maii, A. C. 1087.

III. MANSVETVDO. In *Henrico* manſuetudinis exemplum inſigne inter alia tale eſt: RVDOLPHVS SVEVUS Dux Saxoniæ, qui à Pontifice Gregorio VII. contra Henricum electus fuit Imperator, cum infeliciter contra Henricum pugnaſſet, non diu poſt exſpiravit, & regio ritu Merſburgi ſepultus eſt. Eo loci forte venit etiam Henricus Imperator, viditque ſepulcrum adverſarii ſplendidum: quod cum ægre ferrent quidam, & dicerent, non decere hoſtem Imperatoris ita honorari mortuum: reſpondit Imperator: *Iaceat ille, & eo quidem modo, quo voluit jacere; me vero ſplendor iſte tantum abeſt ut offendat, ut optem & cupiam omnes meos hoſtes etiam ſplendidius ſepultos jacere.* Otto Friſing.

Imo animi moderationem, & inauditam in ſupplices manſuetudinem *Henrici*, etiam hoſtis ejus Dodechinus laudare coactus eſt: quod ſicarios, in ipſo facto deprehenſos, impunitos abire juſſerit; quodque Principes perduellionis reos in gratiam receperit.

IV. LIBERALITAS. Ab Henrico Imp. agmina pauperum ſuſtentata fuiſſe traditur: qui eum domi in cubilibus; campis, in caſtris ſequebantur. Nam & liberaliter eis proſpexit, & in demortuorum locum mox alios ſubſtituit, ac in prædiis ſuis erogari eleemoſynas largas præcepit. *Theat. Zuing. fol.* 2425.

V. JVSTITIA. Juſtitiam ſevere adminiſtravit. Nam legem ſanxit, ut jus omnibus æqualiter adminiſtraretur. *Conſtit. Imper.* exemplum à *Fabricio* & *Spangenb.* tale recenſetur: FRIDERICVS Palatinus Saxoniæ, frater Epiſcopi Bremenſis, Weiſſenburgi prope Friburgum, ubi hodie cœnobium & diviſiſſ eſt, habitabat: Is proditione conjugis ſuæ illectus, à Landgravio Ludovico, quiin ditione Friderici venabatur, interficitur A. C. 1063. menſe Ianuar. Et poſt triennium Friderici conjux nubit Ludovico, ex quo etiam liberos habuit. Sed Epiſcopus Bremenſis defert hoc facinus ad Imperatorem: qui Ludovico diem dicit: quo tamen noluit comparere: ideo aliis artibus capitur, & in Gebhardi judicii turri biennium detinetur: ex qua tandem in Salam præcipitem ſe demittit, unde à ſaltu nomen retulit, dictus der Springer. Inde abſolutionem petit à Pontifice Romano, & templum Hulderici Sangerhuſiæ ædificat: poſt ſecundo & tertio ab Imperatore captus ſemper mirabiliter evadit, & tandem fit Monachus in Reinhards-brun/ & reditus cœnobii *Oldislebienſis* multum auget.

Omnino *Conradus Urſbergenſis* tale Henrico IV Imp. tribuit elogium: *Pluribus*, inquit, *teſtibus, confirmare poterimus, quod nemo noſtris temporibus malus, ingenio, fortitudine & audacia, ſtatura etiam, totaque corporis elegantia viſus fuerit faſcibus Imperialibus illo aptior.*

I. *ACTA SAGATA.*

HENRICVS IV anno regni ſui 9, ætat. 14 gladio accinctus eſt, bella gerere cœpit; ipſeque bellicoſiſſimus Princeps fuit, patriæ amantiſſimus, Majeſtatis imperii vindex acerrimus. Nemo collatis ſignis pluries cum hoſte conflixit, adeo ut M. Marcellum & Cæſarem Dictatorem ſupergreſſus, *bis & ſexagies pugnarit*, ſemper victor exſtiterit, ac divinitus protectus nunquam vulnus lethale acceperit. Sed jam fatali quadam neceſſitate rerum converſiones & mutationes imminebant, ut humana quadam prudentia, quæ in fatis erant, mutari poſſe non viderentur. Quare è levibus cauſis belli diſcordiæque civilis cœperunt exordia.

I. HVNGARI, ſpreto Rege Andrea, ejus fratrem BELAM crearunt ſibi Regem. Andreas igitur miſit uxorem & filium Salomonem in Germaniam ad Imperatorem, eumque muneribus multis ad ferendum ſibi auxilium invitaviti. Imperator itaque genuinum exercitum miſit, quorum alteri Wilhelmus Thuringiæ Marchio, alteri Epiſcopus Citenſis præfuit. Sed cæſus eſt uterque. Nam Hungari, collectis omnibus copiis, Marchionem obſederunt. Ideo cruptione, cum commeatu interclusus eſſet, pugnandum fuit: ubi *Andreas* Rex unguli equorum contritus, Epiſcopus trucidatus cum toto exercitu, Marchio in tumulo ſeſe fortiſſime defendit, tandem ſe dedidit: qui ob virtutem ſalvus ab Hungaris dimiſſus, & legatus pro pace, ab Imperato-

re

ratore impetranda, missus est. Bela itaque rerum potitus regnum obtinuit. Andreæ filius Salomon, affinis Henrici, patriis sedibus exutus, opem ejus imploravit: qui eum in Franciam cum conjuge deductam honeste ac regiis sumtibus aluit. BELA autem cum triennium fere regno præfuisset, mortuus est: cujus filius GEISA sibi metuens ab Imper. sponte cessit regno, advocavitque Patruelem Salomonem, qui eo cum exercitu ab Imperatore missus, & regno inauguratus est. Ille ad annos tredecim pacem in regno authoritate Henrici IV Imper. cujus gener erat, conservavit. Anno autem Christi 1074 Geisa Belæ filius Salomonem ter in acie superavit. Salomon evocat Imperatorem, promittitque, si restitutus fuerit ab ipso in integrum, se regnum imperio tributarium facturum, & quinque ipsi urbes traditurum: quibus promissionibus motus Imperator, ipse in Hungariam movit. Sed Geisa omnem commeatum in munitas urbes avexerat: ideo Imperator re infecta recedere coactus est, ac ita Geisa regnum obtinuit; Salomon vero, frustra quæsitis hinc inde auxiliis, in solitudinem monachus factus sese abdidit. *Mechovius. Schaffnab. Bonfin. Chronic. Spangenb.*

11. *Henricus III* Imper. promiserat Bertholdo Duci Zaringiæ Ducatum Carinthiorum; sed *Henricus IV* filius Ludolphum quendam cognatum suum Carinthiis Ducem dedit: qua injuria Bertholdus graviter offensus cœpit de ultione cogitare, interque cæteros conjuratos magnas Henrico turbas fecit: & fuit hæc præteritio seu exclusio Bertholdi non minima sequentium turbarum causa. *Chronic. Philippi.*

111. A.C. 1069. *Henricus* Imper. contra Lusatios Vandalos movit, illorum regionem longe lateque vastavit, multas urbes & arces expugnavit, diripuit, ignique tradidit, atque ita brevi tempore eos sibi subjecit, & ut pacem colerent, adegit. *Sigbertus.*

IV. *Henricum* è bello Sclavonico feliciter confecto revertentem exceperunt seditiosæ conspirationes Saxonum, quarum author & Dux fuit *Otto* frater Guilhelmi Marchionis Thuringiæ ex ignobili concubina satus, quem paulo ante Imperator ablegarat in Italiam, ut obligatam jurisjurandi religione Italiam confirmaret in fide erga Imperatorem, & tributa usitata exigeret. In eo itinere, quod familiarius se insinuasset Principibus Italicis Otto, venit in suspicionem affectati imperii: nec temere. Socios primos conspirationis habuit Episcopos Magdeburgensem & Halberstadensem, *Magnum* & *Hermannum* Saxoniæ Duces, Vdonem primum Marchionem Brandeburgensem, Ecbertum Marchionem Saxoniæ, & alios. Hos cum primo occursu fudisset Imperator ad Onestrum Thuringiæ fluvium, A.C. 1075, auxiliis Rudolphi Suevi, Welphi Bavari, Godefridi Lotharingici, Ernesti Marchionis Austriæ, & aliorum: Rudolphus bellum diremturus sese interposuit, & Saxonibus, si positis armis deditionem facerent, persuasurum se Imperatori promisit, ne quid in illos durius statueret. Id cum non obtinuisset, Principibus ditione captis, & in vincula conjectis, sed è custodia rursus elapsis, animi vehementius incanduerunt, & odia magis sunt exacerbata. *Otto* Bavarus, etsi prælio non interfuit, convictus tamen de insidiis vitæ Imperatoris structis, publicatis omnibus ejus bonis, per legem Salicam, qua capitale est in Principem conjurare, damnatus est. Ducatum Bavariæ Ottoni ademtum dedit Henricus Imperator Guelfo Azonis Ferrariensis filio, genero Ottonis; ea tamen lege, ut conjugem & socerum jurisjurandi religione abdicaret, aliamque uxorem duceret. Ex Guelfi istius progenie cœpit etiamnum florentissimum stemma Luneburgensium & Brunsvicensium Ducum.

OTTO vero dignitate bonisque privatus, in Saxoniam profectus, tumultus excitavit, & quanquam in gratiam receptus esset ab Imperatore; tamen nulla beneficii ratio vincere ejus animum potuit, quin Imperatori omnia faceret adversa. SAXONES ergo OTTO incitavit, ut jugum plane imperii excuterent: qui missis legatis causam rebellionis honestam prætexebant. Saxonum populus nulli nationi armis & fide secundus deprecatur, inquiunt Legati, ut jura avita & veterem libertatem sibi restituas. Respondit Imperator: *Injuria affectos defendam, & nemo opem meam frustra implorabit, modo innocens sit: sed qui inopes & pupillos defendo, pacem servari jubeo, latrocinia prohibeo, in eo officio meo satisfacio: & pietas est, id fecisse, non injuria. A* DEO *enim Princeps constitutus sum, & ensem fero, ut sceleſtos puniam, & bonos ac concordiæ amantes defendam.* Confer Rom. 13. v. 4.

Nihil vero hic sermo commovit animos Saxonum, quippe bello rem dirimendam censuerunt: Sed cum aliquando dubio Marte certassent, tandem manus dare coacti sunt. Nam Henricus Imperator hostes suos divina ope & singulari virtute vicit, & conditiones pacis petere coegit; sed & veniam delicti petentibus dedit. Verum tanta in omnibus fere, quibus culpam Henricus ignovit, fuit ingratitudo, ut quanto majoribus beneficiis ab eo fuerant affecti, tanto majori odio adversus eum persequendum oblata occasione processerint. *Schaffnab. Vesp. Aventin. lib. 5.*

v. Jus majeſtatis Imperatoriæ huc uſque integrum conſervatum eſt. Sed cum A. C. 1073. Hildebrandus Monachus (militi turbulento magis, quam paſtori ſimilis, & infauſto veluti ſydere natus) Pontifex Romanus electus & GREGORIVS VII appellatus eſſet, jura Majeſtatis contemni cœperunt, quaſi ejus Principis, qui vitiis quibuſdam ſuam juventutem polluerat, auctoritas nulla eſſet, nec in Pontifice creando neceſſaria. Et quoniam non decet eos diu deliberare, qui injuriam patiuntur: HENRICVS IV, Imperator, collectis copiis, bello inſtituit jus imperii & majeſtatis tueri: & forte rem integram ſervaſſet, ſi fides fuiſſet in iis Principibus, in quibus eſſe debebat, & niſi tam inopinata & periculoſa conſpiratio in ipſum facta fuiſſet. Interim Gregorius VII ſe opibus *Matildis* opulentiſſimæ fœminæ, & potentia Normannorum muniit, atque id magno ſtudio egit, ut Saxonum animos jam ſatis exacerbatos incitaret vehementius. Sed artes hæ fraudibus plenæ haud felicem habuere exitum, & res ipſa docuit, quod parva integritas & exigua fides exſpectetur ab iis, qui fraude & artibus creverunt. Et cum GREGORIVS VII directo ſui inſtituti rationes in opus producere non poſſet, per obliquum, opera eorum uſus, quos maxime Imperatori adverſari ſciebat, id efficere conatus eſt. *Saxones* ergo ad civile bellum incipiendum ac perficiendum concitavit. Sed quantumvis maximis collectis copiis arma Saxones adverſus Imperatorem ſumſerant, Duce *Ottone*, quondam Bavariæ regulo, qui neglecta jurisjurandi religione Dominum ſuum perſequi inſtituit; tamen divina adjuvante providentia *Henricus* Imper. eos vicit, & ad conditiones pacis accipiendas coëgit, magnaque ſtrages hominum tunc A. C. 1075. 7. Idus Junii facta ſcribitur ab *Aventino lib.* 5. *Annal.*

Saxones hac clade accepta, Imperatorem multorum ſcelerum apud Pontificem Romanum accuſarunt: qua anſa arrepta GREGORIVS Papa, cum res iis artibus, quas præſumſerat exercere, non ſucceſſiſſet, jam ſeſe ex dominio Imperatoris liberare, & contra eum ſibi ſubjicere conatus eſt. *Henricum* igitur, ut reſpondeat accuſationi Saxonum, & quod ſumta pecunia Epiſcopos feciſſet, citat ut Romæ die præfinito ſe ſiſtat: ni pareat, anathema minatur. Quare Imperator legatos mittit, qui ſe excuſent. Sed hi in vincula conjiciuntur, ſiti, fame, frigore excruciantur, & tandem ignominiæ cauſa circumducuntur, & urbe ejiciuntur. Papa quoque Henricum excommunicavit, & hac formula excommunicationem edidit: *Toto regno Germaniæ atque Italiæ ei interdico, & omnes Chriſtianos vinculo Sacramenti, quo ſe illi obſtrinxerunt, exſolvo, & ne quiſquam ei, ut Regi, obtemperet, veto.* Imperator vero ubi hæc audiſſet, indignatus Synodum convocat Wormatiæ, conqueritur de hiſce injuriis: & cum forte adveniret Cardinalis, cui notæ erant Pontificis artes, ſcelera Pontificis recenſet, & veneficia, atque propterea eum indignum Pontificatu cenſet. Huic decreto ſubſcribunt 26 Epiſcopi. Quo pacto crabrones excitavit. Nam *Gregorius VII* Papa fraude potius quam violentia nocuit Henrico, quoſque fideles in Germania novit eſſe *Henrico*, ſpe præmiorum ac dignitatum propoſita, ab eo abalienavit: aliorum vero animos largitionibus ſibi conciliavit. Mille enim talenta quindecies, ut ſcribit *Aventin. lib.* 5, viritim Clero populoque Romano diſtribuit. Et hanc pecuniæ vim Normanni hoſtes imperii, & *Matildis* Pontificis amica, contulerant. Itaque & *Rudolphus* Sueviæ Dux miſere artibus Pontificiis deceptus, Princeps alias prudens & ſenectute venerabilis, eximia laude fortitudinis & integritatis in univerſo imperio præſtans, cujuſque fides ante perſpecta erat Imperatori in prælio contra Saxones ad Oneſtrum, à ſuo affine & Domino diſſentire cœpit, & diverſas partes ſequi. Nam etſi alienum à boni civis officio videbatur, Principis, cui fidem dediſſet, Majeſtatem lædere, & talis Principis à quo affectus eſſet maximis beneficiis; perſuaſus tamen Epiſcoporum argumentis, quæ in ſpeciem plena pietatis erant, non ſervandam eſſe fidem excommunicato, cum quo nulla juris aut officii ſocietas eſſe debeat; ne judicaretur contra religionem facere, ſi non obtemperaret Pontifici, ſuſcepit Cæſaris titulum, & Moguntiæ coronatus, mox imperium invaſit, fretus & ſua potentia, & ſtudiis atque auxiliis Saxonum. Contulerunt ſe ad eum plures alii, aut veteribus aut novis injuriis Imperatoris irritati; ut, *Bertholdus* Zaryngiæ Dux; Welphus immemor acceptæ ab Henrico Imper. paulo ante Bavariæ. Et præter hos Epiſcoporum magna colluvies, inter quos præcipui fuerunt Moguntinus, Colonienſis, Salisburgenſis, Wirtzburgenſis, Magdeburgenſis & Halberſtadenſis. Unde maximum civile bellum adverſus *Henricum* exarſit: Ac ſic Germani ſuo magno malo conſtabiliverunt dominatum Pontificis Romani. Cum autem *Henricus IV* tantæ conjuratorum potentiæ reſiſtere poſſe diffideret, & ut ſapientem decet, quævis potius conſilio experiri, quam armis certare vellet, in Italiam iter ſuſcepit, ut bonis conditionibus cum Pontifice hoſte ſibi infenſiſſimo in gratiam rediret. Venit Canuſium A. C. 1077, quæ arx erat *Matildis*: & quidem omni cultu regio abjecto, inediam, magnaque tempeſtatum incommoda perferens, exſpectavit reſponſum.

ſum. Gregorius Pontifex Canuſii reſidens, per integrum triduum Imperatorem laneis indutum, nudis pedibus ſuper glaciem cruda hyeme ad portas ſtare ſivit: nec niſi precibus *Matildis* exoratus admittere eum voluit: tandem ad pedes projectum & miſericordiam implorantem anathemate liberavit, ſub duriſſimis conditionibus, ut in controverſia cum Saxonibus & aliis Papam arbitrum acciperet, ne quid interim pro imperio ageret; ut omnes ſubditos à juramento, quo ſibi obſtricti, abſolveret; & tandem, ut in omnibus Pontifici cederet & obediret, ſuoſque Conſiliarios omnes dimitteret.

Quanquam autem *Henricus* IV. exiſtimavit, ſe bona fide cum Pontifice in gratiam rediiſſe, & propterea diutius in Italia commorabatur: tamen fraudem ſibi factam re ipſa comperit. Nam Gregorius miſſis interim legatis, Saxones ad rebellionem incitarat, & Rudolphum Imperatorem electum ſua auctoritate confirmarat, eique novo & inuſitato exemplo auream coronam miſerat, cum hac inſcriptinne:

Petra *dedit* Petro, Petrus *diadema Rudolpho.*

Petra, h. e. Chriſtus, dedit Petro, id eſt, Epiſcopo, eam poteſtatem imperii: & *Petrus*, id eſt, Romanus Pontifex, dat tibi Rudolpho diadema, h. e. coronam Imperii:

Stadenſis hunc verſum ita allegat:

Petra dedit Romam Petro: tibi Papa coronam.

His rebus cognitis, *Henricus* clam ex Italia in Germaniam rediit, & nulla vel excommunicationis vel abſolutionis habita ratione inſignia imperii recepit. Quapropter mox ſe adverſus iſtum novum Imperatorem, omneſque conjuratos, collectis copiis inſtruxit, & mira quadam felicitate, & præſenti divino auxilio omnes ſuos adverſarios bello ſuperavit. Conflixit cum Saxonibus novem juſtis præliis. *Quarto* Rudolphus profligatus ad Elyſtrum fluvium A. C. 1080, idib. Octobr. eique à *Godefrido Bilioneo* circa ilia lethale vulnus inflictum; aliis etiam accurrentibus dextra manus abſciſſa eſt, & ambitione ejus clades maxima accepta à Germanis. Cum autem *Rudolpho* morituro dextera præciſa afferretur, ad aſtantes Epiſcopos dixiſſe fertur: condignam ego perjurii accipio mercedem. Ecce hæc eſt manus, qua Domino meo HENRICO fidem ſanctiſſime juravi: Vos Epiſcopi videte, in quod me veſtra monita ſequentem collocaſtis ſolium! Ego quidem ex hac vita diſcedo, ſed vobis rationes DEO reddendæ erunt. His dictis paullo poſt mortem oppetiit, & Mersburgi regia prorſus pompa ſepultus eſt. *Vrſp. Schaffnab. Avent. Chron. Spangenb. fol.* 204, 205. *Marian. Scotus. Sabellicus. Blond. Helmold. in hiſt. Sclav, c.* 29. *Bonfin. lib.* 3. *dec.* 1.

VI. HENRICVS Imp, cæſo Rudolpho anno C. 1081, totam belli molem è Germania convertit in Pontificem, repetiturus occupata ab illo Cæſarum jura, & labefactatam authoritatem eorundem vindicaturus: & omnia quidem ſibi feliciſſime ſubjecit, ac quicunque in itinere imperium detrectarent, attrivit; ſed Papa Romam præſidiis & commeatu munierat; ideo eam veſpera Pentecoſtes obſedit, & in æſtivis caloribus exercitum in proxima urbis loca diſtribuit, quibus præfecit Guibertum Epiſcopum Ravennatem, (quem *Henricus*, depoſito *Gregorio* VII, conſenſu Epiſcoporum Brixiæ in Norico convocatorum Papam fecit, eumque *Clementem* III vocavit) qui vaſtando urbi plurimum nocuit.

Papa *Gregorius* ſcripſit ad ſtatus Teutonicos, ut circumſpecte agerent in Imperatore novo eligendo, & ut caverent inprimis fidelis ſit Pontifici Romano. Ideo præſcripſit verba, in quæ juraret eligendus Imperator, (in locum videlicet Rudolphi) quæ ſunt: *Ab hac hora & deinceps fidelis ero per rectam fidem beato Petro Apoſtolo, ejuſque Vicario beato Gregorio: & quodcunque ipſe mihi præceperit, ſub his verbis*, per veram obedientiam, fideliter, ſicut oportet Chriſtianum, *obſervabo, &c.*

Saxones igitur & alii Principes convenerunt Bambergæ, & elegerunt HERMANNVM Ducem Luzelburgenſem. At reliqui Principes, ne inteſtino bello Germania conflictaretur, electioni reſtiterunt; nihilominus tamen Saxones perrexerunt, & ſuum novum Imperatorem per Epiſcopum Moguntinum coronarunt die 26 Decembr. Hic *Hermannus* ſtatim Franciam Orientalem diripuit, & ſedem aulæ inſtituit Iſlebiæ, ubi tum temporis magnus proventus fuerat allii. Ideo dictus eſt Rex alliorum, Knoblauchs König.

A. C. 1082. Tandem *Henricus* Imper. urbem Leoninam poſt Paſcha in poteſtatem ſuam redegit: inde veteris urbis oppugnationem aggreſſus, multa per æſtatem Romanis incommoda intulit, urbemque ex parte incendit, ut in eo tumultu eam capere poſſet; ſed id fruſtra fuit. Quapropter iterum ab oppugnatione receſſit, exercitu per vicina loca diviſo. Anno vero ſequenti, cum hactenus circa Romam fere biennii ſpacio per Duces ſuos omnia vaſtaſſet, ad obſidionem urbis rediit, illam novo, eoque multo quam ante graviore conatu oppugnare inſtituit. Quo terrore perculſus Gregorius, Lateranum reliquit, ac *Ruſtico* nepote ad ſeptem ſolia demiſſo, ipſe cum Cardinalibus in arcem adſcendit; ac Robertum, qui Alexio Imp. Orientis bellum in Græcia faciebat, ad ſui auxilium advocavit. Cum irrita oppugnatione Vrbs de integro acri diligentia obſideretur, tandem 3 Non. Junias

eus expugnandæ fortuna oblata : Nobilis quidam Germanus, muros in meridie ſupergreſſus, cum omnia Romanorum negligentia cuſtodiis vacua animadverteret, ne clamore ſe ipſum proderet, manu contubernales accivit, ab iiſque, cum & ipſi ſocios accerſiſſent ſuos, mœnia capta. *Henricus* ingreſſus Capitolium occupavit, atque ibi ſe præſidiis & munitionibus confirmavit. Inde Ruſtico ad deditionem compulſo, ad Pontificem oppugnandum ſe contulit, atque omnibus obſtructis exitibus arcem arci obſidionem admovit. Verum *Gregorius* præſentiæ ſe ejus, qui tot religionibus obſtrictus, atque regno abdicatus eſſet, committere non auſus, ac ſimul à *Roberto*, quem tacitis Deſiderii nunciis ad ſui auxilium adventare audiverat, maturam opem exſpectans, colloquium recuſavit. Quod ubi Romani cognoverunt, continuo à Gregorio defecerunt. Reſiſtentibus Romanis, Robertus Urbem oppugnare parans, ab amicis *Gregorii* porta Flaminia eſt introductus: ingreſſus autem cum non reciperetur, regiones Urbis proximas, illato ædificiis ad terrorem incendio, devaſtavit, ac multis (ut res tulit) præliis cum Romanis editis, tandem pervenit in Capitolium. Inde compulſis ad deditionem Romanis, ad arcem progreſſus, munitionum repagula, quæ exitus intercludendi cauſa ab *Henrico* fuerant objecta, refregit, ac *Gregorium* arce eductum incolumem Laterano reſtituit.

Eo profecto, Romani collectis ex magno pavore animis, *Henricum Senis* revocarunt, atque ultro cum Clemente advenienti portas Urbis aperuerunt, A. C. 1084, Kalend. Aprilis: qui urbem, porta Lateranenſi, ingenti cum gloria bidue ante diem Palmarum ingreſſus, in Lateranum divertit, & Papam in arce S. Angeli obſedit: unde tamen ille Salernam ad Normannos aufugit, ubi etiam anno C. 1085. mortuus eſt. Inde Imperator, concione advocata, crimina ad ſe de *Gregorio* delata, & adventus ſui rationem expoſuit, ac triginta è factione ſua Epiſcopis ad Concilium adhibitis, *Gregorio* rurſus damnato, CLEMENTEM ex eorum auctoritate ſuffecit, ac poſtridie in die ipſo Palmarum per Mutinenſem, Bononienſem & Cremonenſem Epiſcopos conſecravit. Ab eodem Imperator eſt renunciatus in feſto Paſchatis, cum uxore *Bertha*. Sed qui ſucceſſerunt *Gregorio*, quanquam pulſi urbe & exules, tamen telam ſcelerum & malorum ab illo inchoatam præclare pertexuerunt: omnibus enim perfidiæ & ſævitiæ modis Imperatorem oppugnarunt. In ea expeditione Henricus quoque caſtigavit Normannos, qui Pontifici adhærebant. *Chron. Spangenb. Trith. Sigebertus. Chron. Thuring. Chron. Hedion. H. Murius lib.* 15. *fol.* 134, 135. *Chron. Funccii.*

VII. Abſente Imperatore, *Welphus* Auguſtam occuparat; quam mox, ubi rediit *Henricus*, recepit, Saxones reparatis à Rudolphi interitu viribus, Imperatorem (ut ſupra dictum) Pontificis juſſu fecerant *Hermannum*, Luceiburgicæ Principem, Iſlebii ad Hercyniam: qui A. C. 1086 *Henrico* ad Wurtzeburgum ſuperato urbe potitus, ſed mox inde repulſus, cum recepiſſet ſe in Saxoniam, inſtauraturus bellum, deſertus eſt à ſociis. Is tandem in oppugnatione vel lapide è muro præcipitato, vel, ut alii malunt, ruina portæ, cum multis aliis oppreſſus, miſerabiliter interiit A. C. 1087. Hujus exemplo nil territus Ecbertus Marchio Saxoniæ, imperium arripuit: ſed cum A.C. 1090, in molendino Eyſenbüttel/ in ſylvula prope Numburgum, cum paucis divertiſſet, Cæſariani equites, itinera explorantes, ex molitore audiverunt, Ecbertum ibi eſſe: & velociter eum obtuerunt, ac fortiſſime dimicantem trucidarunt. Imperator hoc hoſte ſublato, Miſniam dedit THYMONI Marchioni in Landsberg/ cujus poſteritas hoc ipſo tempore rerum potitur feliciter. *Thymo* tamen hic, cum operam ſuam Imperatori probare vellet in oppugnatione arcis cujuſdam, cecidit; & ejus filii ad poſſeſſionem provinciæ admiſſi non ſunt, niſi poſt annos 36, cum Lotharius imperaret. *Chronic. Spangenberg. cent.* 11. *fol* 741. *Sigebert. Chron. Thuring. Chron. Philip. Ursb.*

Quod igitur DEVS humilibus ſibi confidentibus gratiam dare ſoleat, exemplo *Henrici* Imp comprobatur evidentiſſime, qui omnes ſuos adverſarios bis & ſexagies in acie pugnando vicit, ipſumque adeo *Gregorium* VII in ordinem redegit, Roma ejecit, alio à ſe Pontifice ſua auctoritate conſtituto: & ſic divina ope ſuam Imperatoriam dignitatem illibatam vindicavit & conſervavit. Victoriæ autem, quibus adverſus hoſtes uſus eſt, divinæ præſentiæ curæque de Imperio argumentum præbent. Nec enim numero hominum, ſed divino beneficio conceditur victoria: ut ſcribit *Appian. lib. de Hiſp. bell.* ſoletque æquitati & juſtitiæ jungi. *Ammian. Marcell. lib.* 23.

Domeſtica mala.

Cum autem DEI beneficio ſuis ab hoſtibus liberatus eſſet *Henricus* IV Imper., domeſtica mala eum affligere cœperunt, iiſdem Pontificiis artibus excitata. Nam proprii ejus filii perſecutionem adverſus ſuum patrem & genitorem ſuſceperunt: quæ mala tanto eum gravius exercuerunt, quanto domeſticæ curæ dolor interior eſſe ſolet, quantove difficilius eſt cum ſuiſmet affectibus pugnare.

1. CONRADVS primogenitus jam Cæſar deſi-

deſignatus, ab *Vrbano* II Pontifice contra patrem inſtigatur; ex cujus (Vrbani) auctoritate regnum adverſus patrem ſuſcepit, ac per Mediolanenſem Epiſcopum *Anſelmum* Regem coronari ſe paſſus eſt. Pater igitur *Henricus* Comitia celebravit, & filium rebellem abdicavit & proſcripſit. *Conradus* autem aliquanto poſt inopina morte abreptus extinguitur A. C. 1101, anno defectionis nono. Sepultus Florentiæ. *Sigebertus.*

II. HENRICVM minorem natu filium Imperator *Henricus*, ſpe melioris frugis, filio *Conrado* abdicato, ſucceſſorem ſibi elegerat, & in ſua verba jurare fecerat, nunquam eum a patre defecturum. Verum *Paſchalis II* Pontificis Romani (qui Vrbano II ſucceſſit) miris artibus ſeductus adoleſcens, & aperta vi & fraude patrem tanto triſtius perſequi cœpit, quanto majores imperii vires patris auctoritate acceperat. Non hic jura ſanguinis, non cura pietatis, non pudor retardare eum, aut deterrere ab armis impiis adverſus patrem potuit. Omnia namque conſilia adverſus patrem direxit, & acta *Gregorii VII* firma rata habuit, cauſamque Pontificis tutandam ſuſcepit, Saxonibus ejus partes ſequentibus, & plærisque Imperatorem deſerentibus, ut habet Proverb. *Plures orientem quam occidentem ſolem colunt*; juveni magis adhærere, quam ſeni ſolent. Patrem igitur Moguntiæ obſidere conatus eſt. Sed inde digrediens Norimbergam cepit poſt obſidionem duorum menſium, cujus muros dejecit, inde Ratisbonam venit. Pater cum exercitu filium ſequutus, eumque favore populi Ratisbona ejecit. Prælium cum filio committere voluit, & congreſſi fuiſſent, niſi Principes ſe interpoſuiſſent: ante prælium tamen dicitur oraſſe milites, ut parcerent filio, ne in peccatis ſuis interficeretur. Conſilio eorundem Principum Imperator ſcripſit ad Paſchalem Papam, ut cavere vellet, ne ſanguis Chriſtianorum perfide funderetur, ſe, ſi ſibi imperium cum dignitate avita reſervaretur, omnia facturum, quæ obedientem filium Eccleſiæ decerent: ſed nihil reſponſi accepit. Interim filius ſuaſu amicorum in gratiam cum patre, qui ad confluentem Moſellæ fugerat, redire ſe velle ſimulans, habitu, quam poſſet, miſerabili aſſumto, erroris veniam petivit. Et quoniam benigni patris ira in filium nulla eſt, teſte *Menandro*, veniam ab indulgentiſſimo patre facile impetravit, dato rurſus jurejurando ſe in patris poteſtate futurum; agnoſcens recte, patre ſuperiorem filium eſſe velle, turpe eſſe. Deinde rogat patrem, ut, quas ſecum haberet copias, dimitteret: ſiquidem jam in gratiam rediiſſent. Pater, ut erat rogatus, dimiſit ſuum exercitum, & è confluente Moſellæ atque Rheni paucis comitatus, una cum filio ad conventum Moguntiæ habendum proficiſcitur. Verum cum ad urbem Bingium perveniſſet, Imperatori annunciatum eſt, ingentes copias adverſariorum adeſſe: filius patrem blande affatur; Pauliſper tibi in urbem ſecedendum eſt, pater, donec illos tibi placem, & vos in gratiam redigam. & jurejurando ſua dicta confirmat. Pater credidit filio juranti, ſed ſuo exemplo teſtatus illud *Ovid. 3. de arte amandi:*

Non cito crediderís; quantum cito credere lædat.

Poſtquam ergo pater Bingium urbem intravit, portæ urbis clauduntur, & miniſtri Imperatoris oppido excluſi diffugiunt, & juſſu filii cuſtodes patri adhibentur, ne fugâ elabi poſſet. Deinde poſt, celebratis Moguntiæ comitiis, *Henricus* filius legatum ad patrem mittit, qui denunciaret ex decreto Concilii, ſiquidem ſalvus eſſe vellet, inſignia Imperii ſibi traderet. Paruit igitur neceſſitati, & quædam tradidit, quædam vero ſibi retinuit: captivus deinde Ingelheimum deductus eſt. Atque cum ſeipſum omni honore Imperii privare nollet, & propterea inſignia quædam retinuiſſet, miſſi ſunt tres Epiſcopi: *Moguntinus*, *Colonienſis*, & *Wormatienſis*, qui ipſi invito inſignia auferrent. Cum autem cauſam ab iis requireret tam ſevere in ſe inauditum à Concilio prolatæ ſententiæ: *Quia tu*, dixerunt, *Epiſcopatus*, *Abbatias*, *omneſque dignitates Eccleſiaſticas venales habuiſti: quia nihil legitimi in legendis Epiſcopis obſervaſti: ob has res Pontifici*, *Principibuſque Germaniæ placuit*, *te non ſolum piorum communione*, *ſed regni etiam poſſeſſione deturbare.* Tum Imp.: *Quoniam me Eccleſiæ dignitates vendidiſſe arguitis*, inquit, *dic Moguntine*, *dic Colonienſis*, *per nomen æterni* DEI, *quam à vobis mercedem exegi*, *cum vos veſtris Eccleſiis præpoſui*, *quæ omnium ampliſſimas eſſe ac fructuoſiſſimas conſtat?* Reſponderunt: *Nihil.* Et Imperator, *Gloria* DEO *in excelſis*, dixit, *quod in hac parte fidelis inventus ſum. Cur igitur*, *ſi officium erga vos retinui*, *aut me hujus criminis incuſatis*, *aut vos duces ſocioſve eorum præbetis*, *qui fidem ac juſjurandum Regi datum fefellerunt? Suſtinete parumper*, *& naturalem ætatis meæ jam exactæ terminum*, *qui longe abeſſe non poteſt*, *exſpectate; aut ſi regno me ſpoliare conſtituiſtis*, *præſtituite mihi diem*, *in quo manibus meis inſignia mihi detraham*, *eaque filio meo ultro imponam.* Repugnantibus illis, & ſe negotium, de quo miſſi fuerant, acriter, ſi reſiſteret, confecturos minantibus, *Henricus* paulum ab eis receſſit, & cum paucis, qui aderant, amicis conſilium contulit: atque ex eorum ſententia, quod ſe ab armatis circumventum ſecus facere non poſſe cerneret, afferri ad ſe inſignia ac veſtem regiam juſſit: atque iis ornatus

natus in ſellam adſcendit, atque ita verba fecit: *Hæc regia Majeſtatis inſignia, æterni Regis pietas, & Principum regni conſors voluntas mihi tribuit, quæ vi nulla tueri paratus ſum: nam inteſtinum malum, ut ſuſpectum nunquam habui, ſic neque etiam cavi. Quis enim tantum aut in amicis furoris, aut in filiis impietatis hærere poſſe exiſtimaret? Verum unius* DEI *ope, & veſtro pudore defendam. Quod ſi vos neque* DEI, *neque honoris veſtri rationem habebitis, vim patiar, quam propulſare non poſſum.* Hæſitantibus autem ſuper his verbis cæteris, tum Moguntinus: *Quid dubitamus*, inquit, *ô ſocii? Nonne officii noſtri eſt, Regem conſecrare, & conſecratum induere? Cur igitur, quem induimus, non merito exuamus?* Statimque impetu facto *Henricum* adorti, coronam ei de capite detraxerunt, ac de ſede remotum purpura cæteriſque inſignibus ſpoliarunt. *Tum* Imperator novitate rei pene attonitus: *Videat* DEVS, inquit, *quam inique adverſus me agatis: ego quidem delicta juventutis meæ apud juſtum judicem huc, nempe ignominiam patiens nulli ante Regum illatam: neque vos tamen noxiæ expertis eſtis, qui contra Regem veſtrum inſurrexiſtis, & ſacramentum fefelliſtis, quod ſemel juraſtis. Vlciſcatur vos* DEVS, *quemadmodum ultus eſt eum, qui prodidit Chriſtum Dominum ſuum.* Illi vero his ſpretis ad filium cum inſignibus perrexerunt, eumque condecoratunt. Ita *Henricus* V, ab univerſis Principibus Rex iterum declaratus, atque ab Apoſtolicis Legatis per manuum impoſitionem confirmatus. Luxit hoc ipſo tempore Cometa Dominica I. jejunii, uſque ad Dominicam VI. Quo abſque dubio ſignificatum eſt, cœlum ipſum facinus tam nefarium horrere, & vindictam divinam minari.

Cum autem *Henricus* V. in Alſatiam proficiſceretur, ut jurejurando addictos incolas in ſuam fidem reciperet, populi iſtius terræ, ob inauditum facinus, quod adverſus ſuum patrem perpetrarat, imperium ejus detrectarunt, & cæſo exercitu ejus in ſeditione ipſum in fugam converterunt. *Henricus* V, hanc cladem fraude patris factam exiſtimans, gravius in eum animadvertere voluit. Sed pater ab amicis, qui ejus rebus ſtudebant, admonitus, fuga ſibi conſuluit, & Leodium ad *Henricum* Ducem Lotharingiæ pervenit, qui ejus vices miſeratus, eum tutandum recepit. Ibi Imperator tragœdiam ſuarum calamitatum ſcripſit ad Philippum Regem Franciæ, monuitque omnes Principes Germaniæ, ut ſibi à fraudibus Romanæ Eccleſiæ caverent, niſi ſacerdotum intolerabile jugum ſubire mallent.

Poſtquam vero *Henricus* V. cognovit patrem Leodii eſſe, adductis copiis eo properat. Parens deprecatur vim, &, ut à ſui perſecutione deſiſtat, orat. Filius contra per vim Leodium ingredi conatur, ſed magna cæde repellitur. Hinc Coloniam feſtino itinere regreditur, ſed non recipitur: Ideo convocato exercitu eam obſidet, ſed nullo ſuo emolumento, cum obſeſſo, quam obſidenti, propter frequentes eruptiones, ſimilior eſſet. Cum obſidio ſolveretur, iterum parens deprecatur vim: ſed ipſi indicitur conventus Aquiſgrani, ubi ſe ſiſtat. Cum vero nec ſalvus conductus daretur, nec temporis ratione cum amicis adeſſe poſſet, nihil agitur. Interim ipſe Leodii mortuus eſt: uti ſuo loco dicemus. *Vrſperg. Spangenb. Pantal. Chron. Hedion. Coſmogr. Munſteri, fol.* 594. 595.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. A.C. 1059, Romæ ſub NICOLAO II, Papæ Concilium LATERANENSE celebratum eſt, in quo BERENGARIVS Turonenſis ſuam ſententiam de Euchariſtia revocavit ea verborum forma, quæ exſtat in *Decret. Diſt. 2. de Conſecrat.* *Ego* BERENGARIVS Eccleſiæ Andegavenſis Diaconus anathematizo hæreſin, de qua infamatus ſum, quæ adſtruere conatur, panem & vinum in altari poſt conſecrationem ſolummodo ſacramentum, & non verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe, & non poſſe ſenſualiter, niſi in ſolo Sacramento, manibus Sacerdotum tractari vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Conſentio autem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedi, & ore atque corde profiteor, de Sacramentis Dominicæ menſæ eandem fidem me tenere, quam Dominus & Venerabilis Papa Nicolaus, & hæc ſancta Synodus, autoritate Euangelica & Apoſtolica tenendam tradidit, mihique firmavit, ſcilicet *panem* & *vinum* quæ *in* altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolum ſacramentum, ſed etiam *verum corpus* & *ſanguinem Chriſti*, & ſenſualiter non ſolum Sacramentum, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri, &c.

Hanc confeſſionem Berengarii Romæ coram 114 Epiſcopis editam miſit Papa Nicolaus per urbes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & ad alia loca, ut Eccleſiæ, quæ prius doluerant de averſo atque perverſo, poſtea gauderent de reverſo atque converſo. *Hactenus Decret.*

USVS.

Hoc Concilium Romanum, in quo Berengarius ſuam ſententiam revocavit, allegat *Bellarm. lib. 3. cap. 24. de Euchariſt.* pro transſubſtantiatione probanda.

Verum

Verum gloſſa illi capitulo (in quo palinodia Berengarii continetur) aſcripſit, *niſi ſane intelligas verba Berengarii, in majorem incides hæreſin, quam ipſe foverit.* Verba hujus palinodiæ ab Huberto quodam Germano ſunt deſcripta, homine inerudito & inſulſo. Dicitur in illo capitulo, *ipſum verum corpus Chriſti tractari & frangi manibus Sacerdotum, & fidelium dentibus atteri*; quod Bellarm. interpretatur, *non nudum ſignum, ſed ſignum habens realiter conjunctum Chriſti corpus, ibi præſens exiſtens, frangi & teri: non tamen in ſe, ſed in ſigno.* At verba Concilii plus videntur dicere, ideo Roſſenſis lib. 2. contra Oecolamp. dicit, *quia Berengarius in alterum latus nimis exorbitaſſet, ideo Concilium plus æquo in alterum nunc trahi.* Quidam verba Capituli ſic explicant, quod conferantur τὸ *ſenſualiter*, & τὸ *in veritate*. τὸ *ſenſualiter* referri ad Sacramentale ſymbolum panem, τὸ *in veritate* pertinere ad Chriſti corpus: dici autem in veritate corpus Chriſti tractari, frangi, teri, non κατ' αὐτὸ κρίνεως, ſed ἱπορθόως καὶ μυσικῶς, prout unitum eſt benedicto pani, ſicut in veritate deſcendit Spiritus S. quatenus columbæ deſcendenti peculiariter fuit unitus. Hanc explicationem an verba decreti ferant, in medio relinquimus, illud ſolum monentes, quod *Bellarminus* ex ipſis Concilii verbis non poſſit transſubſtantiationem probare: ideo confugit ad ſcripta eorum, qui tum temporis floruerunt, *Lanfranci, Guilmundi*, & *Anſhelmi.* At ſi vel maxime illi docerent tranſſubſtantiationem, nihil tamen aliud, quam ſuam proponerent ſententiam. Bellarmino autem propoſitum erat, oſtendere, quod ſub fulmine anathematis in Conciliis definita ſit tranſſubſtantiatio.

II. NICOLAO II mortuo, Cardinales Romæ ſubſtituerunt Epiſcopum Lucenſem Anſhelmum, patria Mediolanenſem, & legationem miſerunt ad Imperatorem, petiveruntque eum confirmari. Imperator, cum ſe inſcio hunc elegiſſent contra juramentum, eum confirmandum negavit. Sed Cardinales perrexerunt, & Anſhelmum conſecrarunt menſe Octobri A. C. 1061. qui ſe nominavit ALEXANDRVM II. Cum autem ann. 11. & menſ. 6. ſediſſet, mortuus eſt A. C. 1073. Succeſſit ei GREGORIVS VII, ante *Hildebrandus* (rectius *Hellebrandus*) dictus. Hic patria Senenſis, Bonicii cujuſdam fabri filius, initio Monachus Cluniacenſis fuit; ſed clauſtri anguſtias non ferens, Romam profugit: ibi ſæpe Pontificatum affectavit: tandem *Alexandro II.* mortuo, & adhuc pene calente, eadem hora veſpere Hildebrandus à ſuis militibus, ſine aſſenſu Cleri ac populi, eſt inthronizatus; & ſic papatum rapuit. Unde non immerito *Henricus* Imperator in Epiſtola quadam inter cætera ſic ſcribit: Dominus noſter Jeſus Chriſtus nos ad Regnum, te autem non vocavit ad Sacerdotium. Tu enim his gradibus adſcendiſti, ſcilicet aſtutia pecuniam, pecunia favorem, favore ferrum, ferro ſedem pacis adiiſti, & de ſede ſedem pacis turbaſti. Hactenus Imp. verba. Vicarius ille Satanæ Hildebrandus adverſatus eſt *Henrico IV.* Imper. quem bis excommunicavit, ejuſque crebro meminit Venericus Epiſcopus *Vercellenſis* (qui hoc tempore floruit) in libro de unitate Eccleſiæ & ſchiſmate inter *Henricum IV.* Imp. & *Gregorium VII.* Papam. *Primus* hic *Gregorius VII.* fuit, qui majeſtatis Imperatoriæ jus convellere, & diris Imperatorem devovere auſus fuit: ſiquidem nullum ſcelus intentatum reliquit. Nam humanas traditiones auxit: Matrimonium Sacerdotum damnavit: Omnibus Pontificiis ſuperſtitionibus fuit deditus: Magiſtratum contemſit: Cardinales, ſi qui boni viri erant, abjecit. MAGIAM exquiſite didicit, & exercuit: pacem Germaniæ horribiliter turbavit, ut multum innocentis ſanguinis funderetur, ſicut ex præcedentibus patet: privatim etiam crudelis fuit: proditiones multiplices exercuit: perjuriis fuit infamis. Scelera ejus omnia literis comprehendi non poſſunt. Tandem Roma ab Imp. ejectus, Salernum in exilium abiit; ubi & vitam finiit A. C. 1085. Quo anno *Henricus* Imp. conventum celebravit Moguntiæ, in quo præſentibus & conſentientibus Epiſcopis Italis, Gallis & Germanis, acta Hildebrandi adverſus Cæſarem reprobata, contraque Cæſaris approbata: omnes item Epiſcopi, qui ſeditioſis ſe aggregarant, dignitate privati ſunt. *Benno Cardinalis in vita hujus Pontific. Vrſper. Schafnab. Sigebert. Marian. Scot. Lambertus.*

III. A. C. 1088. VRBANVS II. Pontifex Romanus, *Otto* prius vocatus, natione Gallus, ex oppido Galliæ Caſtilio oriundus, *Matildæ* & *Roberti* Normanni ope, qui anteceſſorem (VICTOREM III.) in Romanam collocaverant cathedram, quinto à morte Victoris menſe, Pontifex Roman. electus, *Clementi III*, qui adhuc erat in vivis, oppoſitus, ac *Vrbanus II.* appellatus eſt. Hic veſtigiis *Gregorii VII.* inſiſtens, confirmavit quæcunque ille egerat, licet paulo poſt excluſus Roma diu oberravit. Dum autem vagatus eſt, tum in Italia, tum in Gallia, Synodos celebravit, quibus Clementem & ipſum etiam Imperatorem excommunicavit; & ipſe viciſſim à Clemente excommunicatus eſt: Imo in Moguntina Synodo, præſentibus Epiſcopis pluribus, & ipſius *Clementis III* Legatis, ſacrilegii & irreligioſitatis accuſatus & convictus in impiorum numero computatus eſt. *Avent. Platina. Sigeb.*

Sigeb. Onuphr. Naucler. Crantz. Vincentius. Hic *Vrbanus Conradum* filium Imp. *Henrici* inſtigavit, ut patri rebellaret, regnumque in Italia ſibi ſumeret: per quem, cum biennio jam Roma pulſus fuiſſet, Romam reductus eſt. Vrbanus igitur reſtitutus multas Synodos ad conſtabiliendum Antichriſti regnum celebravit, interque alias, cum A. C. 1095 in Gallias veniſſet, ad Clarum montem Synodum convocavit, in qua adfuerunt Archiepiſcopi 12, & Epiſcopi & Abbates ad 300, ubi pronunciavit Eccleſiam ab omni ſervitute Regum liberam, ac proinde inveſtituram à Laicis recipiendam non eſſe: præcepit jejunium Quadrageſimale incipiendum à Laicis in die Cinerum, à Clericis autem ipſa Dominica Quinquageſimæ. Inde aliquot prolixas Orationes habuit, quibus ſuaſit expeditionem ad Terram ſanctam recuperandam: dimiſit etiam Epiſcopos & Abbates ad adhortandam plebem. Cumque res eſſet magni momenti, ſanxit, ut quotidie preces ad S. Mariam Virginem à Clericis funderentur, & ſalutatio Angelica multis vicibus recitaretur, quas ut numerare poſſent, juſſit Clericos globulos ligneos in funiculo habere: id quod poſtea ad plebem pervenit, & funiculi cum globulis dicti ſunt *Pater noſter*, quod Oratio Dominica etiam aliquot vicibus ad hoſce globulos recitaretur. *Baron.*

Cum igitur anno ſequenti in Galliis conveniſſent, qui expeditionem ſanctam in Palæſtinam ſuſcipere volebant, Papa eos juſſit ex rubra lana crucem facere & humeris affigere. Tanto enim numero Chriſtiani mare tranſierunt, ut Occidens univerſus demigrare viſus ſit in Orientem. Fuerunt enim 600000 peditum, & 100000 equitum, quorum alii terreſtri itinere in Thraciam, alii maritimo per Venetorum ditionem profecti ſunt. Sed de hoc toto numero poſt triennium vix 400000 fuere reliqua. Appellatur *bellum ſacrum*, eſtque pio zelo ſuſceptum, ſed piorum ſanguine multo geſtum. Dux præcipuus fuit *Godefridus Bilionæus Lotharingus*, cum fratribus *Euſtachio & Balduino*. Reliqui duces erant Hugo Magnus Philippi Gallorum regis frater: Rogerii Apuliæ Ducis frater Boamundus: Robertus Normanniæ Dux, (qui Ducatum ſuum vendidit Wilhelmo fratri ſuo Regi Angliæ 10000 libris) & Robertus Comes Flandriæ. Primus conflictus Chriſtianorum cum Saracenis, ubi victores exſtitere, 9 Calend. Mart. anno Chriſti 1097 factus eſt. Eodem anno Nicæa urbs, Synodi Nicenæ memoria celebris, à noſtris expugnata eſt: feliciterque repulſo exercitu *Solimanni Sultani* Turcorum, qui digreſſus ab urbe incubuerat, reliquas Aſiæ provincias, Lycaoniam, Ciliciam, Meſopotamiam, Comagenam, quatuor annorum ſpatio, pene omnibus cæſis, partim fugatis inde Turcis, perdomuerunt.

A. C. 1098 ANTIOCHIAM ad Orontem fluvium, novem mentium difficili obſidione fatigatam, tandem Chriſtiani expugnarunt die 3 Junii, (al 31 Maii) cæſis Saracenorum 100000.

A. C. 1099 HIEROSOLYMA capta, & Saracenis erepta eſt à Chriſtianis 15 Julii, die Divitionis Apoſtolorum, feria 6, hora qua Chriſtus mortuus eſt, die 39 obſidionis. Robertus Monachus ſcribit, Tantum ibi humani ſanguinis fuſum, ut cæſorum corpora unda ſanguinis impellente natarint ac fluitarint.

Hac victoria parta *Godefridus Bilionæus*, Princeps Lotharingiæ, qui, obſtupentibus omnibus, primus conſcenſis & ſuperatis mœnibus in urbem Hieroſolymam irruperat, communi omnium conſenſu primus Rex *Hieroſolymorum* creatus eſt: ſed regni titulum & inſignia ideo ſe recipere nolle dixit, quod indecens duceret, Diadema aureum hominem peccatorem geſtare ea in urbe, in qua Salvator Mundi, æternus Rex, *ſpineam coronam* ſuo ſacratiſſimo ſanguine madentem geſtaſſet. Vnde tale Epigramma:

Laurea non hominem geſtare, nec aurea Regem
Fas, ubi Rex Divum ſpinea ſerta tulit.

Tradunt itaque Coronam ſpineam ei eſſe impoſitam, flexis genibus ad ſepulcrum Dominicum procumbenti, forte ut teſtaretur, ſe Chriſto caput & vitam ſuam donare, & ad illius exemplum in hac vita ſpineum diadema ſe non aſpernari, dum modo poſt mortem, vitæ æternæ gloria, ſpinis Chriſti parta & acquiſita, ornandus & coronandus ſit. Et quidem anno ſequenti, qui eſt A. C. 1100, 18 Julii, ad DEVM commigravit, eique ſucceſſit frater ejus *Balduinus*, qui regnavit ann. 18.

Tertia fuit hæc expugnatio urbis Ieroſolymæ ab excidio ejus ſub Veſpaſiano. Primum enim A. C 165, imperante Heraclio, expugnata eſt à Perſis, qui per Iudæorum manus ad 90 millia hominum interfecerunt. Nam Chriſtianos Iudæi à Perſis emtos necaverant. Deinde à Saracenis capta eſt A. C. 636. Tertio hoc anno Chriſtiani eam recuperarunt, multaſque præterea circumquaque urbes ac regiones ſubegerunt. Regnum Hieroſolymæ tantum 8 Chriſtiani Reges tenuere annis 88, uſque ad annum Chriſti 1187. quo, Chriſtianis inter ſe diſſidentibus, in Saracenorum poteſtatem rediit. tam brevis temporis ſpatio regnum hoc conſtituit multo Chriſtianorum ſanguine, multis regnis pretioſiore. *Fucherius Guilelmus. Blondus.* & alii rerum Gallicarum, Germanicarumque Scriptores.

IV. Eo-

IV. Eodem anno, quo Hieroſolyma capta eſt, auctor ejus VRBANVS II. Papa, qui debitum hujus tam proſperæ rei fructum ferre non potuit, mortem oppetiit. Succeſſit PASCHALIS II. Hic Pontifex non à legitimo Magiſtratu *Henrico IV.* Imp., ſed ab illius filio ſeditioſo, CONRADO, approbatus eſt, ac telam ſcelerum & malorum, ab anteceſſoribus GREGORIO VII & VRBANO II inchoatam, præclare pertexuit. Romæ Concilium indixit, ad quod *Henricum* citavit: qui cum ad diem dictum comparere recuſaret, Papa eum excommunicavit. Porro filium HENRICVM V contra patrem ſuum excitavit, ut eum perſequeretur, & imperio dejiceret, uti ſupra dictum. Mortuum *Henricum IV.* è ſepulcro ejiciendum curavit. Militum turmas conſcripſit, & aurum à Rogerio, Siciliæ Comite, mutuo accepit, ut Antipapas tres, qui in ipſius locum ſucceſſivis temporibus à Romanis electi fuerant, compeſceret, & quidem ipſe aliquandiu rebus ſuis fuga conſulere neceſſe habuit. *Aventinus. Baleus. Otto Friſing. Platina, Vrſp. Blond. Crantz. Nauclerus. Marian.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

Paterni amoris erga filium impium declaratio. HENRICVS IV paulo ante mortem in argumentum datæ veniæ atque in pignus amoris paterni filio HENRICO V annulum & enſem ſuum miſit, monuitque, ne ſuis adverſariis nimium confideret, niſi forte eos ipſos ſibi maxime adverſantes experiri vellet.

Et hic *Henricus* IV ſuo exemplo teſtatus eſt, nullum eſſe affectum in homine, qui vincat paternum affectum. Quocirca *Quintilianus declam.* 322 recte ſcribit, affectus paterni nunquam ita minuuntur odio, ut non ad naturam ſuam revertantur. Et ſane ſi admonitioni patris ſui *Henricus V.* attendiſſet, haud in tantas, quæ eum poſtea manſerunt, calamitates incidiſſet. Viris ſane ſapientibus facile quis perſuaſerit, tria verba ubi dixerit: ſed quos cupiditas agit, & fata premunt, aliorum dicta non facile admittunt.

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

A. C. 1106. HENRICVS IV, curis & ærumnis exhauſtus & tot injuriis fractus, Leodii diem clauſit extremum, ætatis 56, imperii anno 50, inchoatis, à morte patris 49. *Vrſpergenſis.*

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

Cadaver *Henrici* ut homines excommunicati, toto quinquennio, ſarcophago lapideo incluſum, extra templum Spirenſe ſtetit, Pontifice Paſchali id ſepeliri vetante. Demum an. Chr. MCXI *Henricus V patrem* excommunicationis vinculo ſolutum Spiræ inſigni pompa funebri terræ mandari curavit. *Vrſp. Aventinus. Chronicon Spangenb. Chron. Philippi.*

VSVS.

I. HENRICVS fuit ſpeculum humanæ calamitatis & miſeriæ. Nam *Sigon. lib 9. de regno Ital.* & *Helmoldus* tecitant, illum eo miſeriarum redactum, ut ab Epiſcopo Spirenſi ſibi victum dari apud Spiram in æde D. Mariæ à ſe conſtructa petierit, ſe haud inutilem Clericum fore, quod literas calleret, & choro inſervire egregie poſſet. Nequo tamen id ipſum ab ingrato Epiſcopo obtinere potuit. Suſpirans igitur Imperator, & multis effuſis lacrymis ad circumſtantes converſus inquit: *Miſeremini mei, vos ſaltem amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Et paulo poſt mœrore confectum *miſeram exhalaſſe animam.*

II. Etſi autem vicerunt magnanimitatem & fortunam Henrici IV. Imper. adverſa fata publica; oſtendit tamen DEVS illuſtribus & tragicis ſummorum Principum exemplis, adeſſe ſe Ordini politico & legitimis magiſtratibus, hoſque tegere ac tueri, & injuſtas ac ſeditioſas molitiones elidere ac peſſundare, juxta dictum: qui gladium acceperit, gladio peribit. Dederunt enim pœnas quotquot ſeditioſorum conſiliorum fuerunt authores & ſocii, ex ordine utroque, Eccleſiaſtico & Politico. Nam & in authores Pontifices atque Epiſcopos ſcelera redierunt ſua; plurimi enim ex his in acie interfecti ſunt, & veteribus Principum in Saxonia familiis exſtinctis devenerunt Principatus ad alienos.

Ceciderunt in bellis Henrici Imperatoris: 1. OTTO Dux terrarum ad Viſurgim cum filiis, Conrado patre, ſtirpis Comitum Bichlingenſium in Thuringia, & Henrico Craſſo Northemio, qui à Friſiis ex inſidiis trucidatus eſt. 2. Ecberto Marchione Saxoniæ jugulato, concidit poſteritas Henrici Aucupis. 3. Ducum Saxoniæ ſtirps defecit in Magno Duce Saxoniæ, quem ſqualor & ſordes carceris conſumſerunt. 4. VDONE Marchione à Pribislao Obotritorum Regulo pulſo, & poſteritate ejus exſtincta, ceſſit Marchia Brandeburgenſis Alberto Vrſo Comiti Aſcaniæ. 5. Interfectus eſt & Gebhardus Lotharii Cæſaris pater. 6. Dedone Mar-

chione Miſniæ exſtincto, Henricus IV. Imperator excluſa tota ejus familia, Marchiam Miſniæ donavit Thymoni Magno, cujus filius Conradus totam à Bohemis recuperavit, & exſtincto Wiperto Groicenſi, ampliavit. Hinc Marchiones Miſniæ Landgravii Thuringiæ, Duces & Electores Saxon. derivantur in hunc uſque diem. *Chronicon Cariomis.*

Viri in Eccleſia & Literatura celebres.

I. LAMBERTVS, patria Schaffnaburgenſis, Hiſtoriam de Germanorum rebus olim geſtis, itemque rerum aliarum, fere memoratu dignißimarum, perbrevem & admodum jucundam commemorationem, ab exordio mundi, uſque ad annum Domini 1077. repetitam, admiranda diligentia & dexteritate (præſertim de turbulento imperii ſtatu) ſub Henrico IV. compoſuit.

II. Tempore Henrici IV. vixit *Marianus Scotus*, Monachus Fuldenſis, qui ſcripſit libros tres Chronicorum, ab initio mundi uſque ad annum Domini 1083.

III. VENERICVS natione Teutonicus A.C. 1075. ex Clerico Trevirenſi factus eſt Epiſcopus Vercellenſis: vir omnium doctrinarum genere inſignis, ad Gregorium VII. Papam ſcripſit librum, in quo eum reverenter monuit, cum de aliis, tum de iis maxime, quæ contra fas & æquum adverſus Henricum IV. fecit. Libellus titulum habuit de diſcordiis regni & Sacerdotii. *Trithemius.*

IV. HENRICI IV. tempore JOHANNES XIPHILINVS Patriarcha Byzantinus, qui Dionis hiſtoriam in Epitomen redegit: & GEORGIVS CEDRENVS Hiſtoricus Græcus, qui compendium hiſtoriarum ab orbe condito uſque ad annum Chriſti 1057 (quod opus exſtat Græce & Latine) ſcripſit, floruerunt.

V. Hoc tempore quoque vixit SIGEBERTVS natione Gallus, Monachus Gemblacenſis, vir eruditiſſimus. Carmine & proſa oratione multa ſcripſit. Edidit libellos pro Henrico IV. contra Hildebrandum & Paſchalem Pontifices Romanos, aſſerens, Papam non habere utrumque gladium, neque juris aliquid contra Imperatorem obtinere: & deteſtabilem eſſe hæreſin in Papa, politicorum Dominorum ſubditos à juramentis abſolvere. Idem etiam commemorat horrenda Paparum & Cleri facinorum exempla. Tituli librorum, quos conſcripſit, exſtant. *Baleus; Trithemius; Chronicon Hirſaugienſe.*

VI. OTTO Epiſcopus Friſingenſis, Luitpoldi III. Marchionis Orientalis filius, & Agnetis Henrici IV. Imper. filiæ, ab ineunte ætate ſtudiis & religioſæ vitæ deditus fuit. Initio Monachus Ciſtercienſis, ac paulo poſt Abbas Morimundenſis, deinde Epiſcopus Friſingenſis, deſignatus. Hiſtoricum opus cum laude contexuit, quod hodie exſtat. *Sylvius. Aventinus.*

Prodigia.

Henrici IV. calamitatem & mortem in imperio multa antecеſſerunt prodigia; quorum quædam adſcribere placet.

I. A. C. 1059. in finibus Tornaci colubrorum agmina, prodigioſo prælio inter ſe concurrerunt. Multis vero utrinque cadentibus, pars victa in cavam arborem ſe proripit: quam victrix ſibilando circumſtrepit, donec circumjecto ab hominibus igne concremarentur. Pecora & homines peſte graſſante obierunt. Et hyemis ſtupenda aſperitas, diuturnitaſque, parum commodi viribus frumentoque attulit: Unde fames peſtiſque ſecuta eſt. *Sigebert. Chron. Saxon. Contract.*

II. A. C. 1086. aquarum inundatio multis in locis Italiæ & Flandriæ tanta fuit, ut ſaxa, quibus ædificia innitebantur, eruerit, unde ædificia conciderunt. Gallinæ etiam, anſeres, pavones, aliæque aves domeſticæ, relictis hominum conſortiis, in ſylvas commigrarunt. *Sigebertus. Iohannes Major.*

III. A. C. 1091. in Normannia fons ſanguinis per triduum ebulliit. Cœlum ardere viſum eſt. Impetus ventorum, potiſſimum Londini, multas ædes proſtravit. Terræmotus in Græcia tantus fuit, ut templa & porticus concideren, & multos mortales opprimerent. Incendia multa Conſtantinopoli exorta plurimum damni dederunt. Imber ibidem maximus ædificia dejecit, valleſque aquis (quaſi mare quoddam) complens, multos homines atque pecora ſuffocavit. Ventus ibidem ſtatuam grandem atque pulcherrimam, columnæ inſiſtentem, dejecit, multos homines occidit, & ipſa confracta eſt. Locuſtæ tantis agminibus volitarunt, ut ſolem obſcurarent: ex quarum putridis cadaveribus anno ſequenti peſtis ſecuta eſt admodum horribilis. Sed & multa & magna bella poſt hæc prodigia geſta ſunt. *Polydorus, Zonaras, Crantzius.*

IV. Anno Chriſti 1093. peſtis apud Gallos Germanoſque ſæviit: cui & fames conjuncta fuit, qua tenuioris fortunæ homines adacti, graviter ditiores furtis incendiiſque vexarunt. In Namurenſis comitatu, panis ſubcinericius, quaſi ſanguine infectus, apparuit. Stellæ cœlo delabi circa meridiem viſæ: inter

inter quas cum Francus quidam unam obſervaſſet, notatoque, ubi cecidiſſet, loco, aquam infudiſſet, fumus cum fervoris ſono inde exiit. Terræ motu, cum valido ventorum turbine, nocte media, diverſa loca ſunt concuſſa. *Chron. Caſſin. Sigebert.*

v. A.C. 1099, multa & horrenda prodigia apparuerunt. Atſit *Cometa* aliquot menſes, fulſere igneæ acies, exauditi ſunt ſtrepitus conſligentium exercituum, viſa arma in cœlo cruenta, & obſeſſæ civitates, faces ardentes, jacula ignita, monſtroſi partus editi, loquuti infantes in utero materno, panes fracti fluxere ſanguine: muſcarum ignotarum maximi exercitus multis in regionibus in aëre volitarunt, igneus draco ore quaſi flammas evomens per medium cœlum volare viſus: Sol & Luna obſcurata, ſtellæque de Cœlo delapſæ ſunt. *Avent. Chronic. Spangeb. Funccii, Philip.*

XIX. IMPERATOR GERM.
HENRICUS V.

CAPUT I.

DE ORTU.

I. PATER fuit HENRICUS IV.

II. MATER dicta fuit BERTA, quæ fuit prior Henrici quarti uxor, & Ottonis Marchionis Italiæ filia.

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

1. *ACTA OECONOMICA.*

UXorem habuit MATHILDIN, Henrici Regis Angliæ filiam, cum qua anno C. 1115 nuptias celebravit Moguntiæ, cujus dotem Henricus Rex corraſit ex tributo jugeribus ſubditorum impoſito. Ex hac autem Imperator nullam maſculam ſobolem ſuſcepit, ſed tantum unicam filiam, nomine *Chriſtinam*, quæ nupſit Vladiſlao II, Regi Poloniæ: quem incitavit, ut inteſtinum cum fratribus bellum gereret: à quibus cum ex inſidiis eſſet oppreſſus, inops in Germaniam profugit, à Conrado III Imp. auxilium petiturus. Uxor vero Chriſtina cum liberis parvis regni finibus ejecta eſt. Hæc author fuerat tragicæ calamitatis *Petri Dani*, Comitis Serinnenſis, qui Regi admodum familiaris erat. Cum hoc venatum forte Vladiſlaus in remotas ſylvas ierat, ubi totum diem inveſtigandis & perſequendis feris defatigati, circa veſperam, ad focum conſtructa è cæſpite menſa, cum ſe pane & aqua fontana utcunque refeciſſent, jamque humi ſtratis penulis cubituri eſſent, Vladiſlaus domeſticarum lautitiarum & mollium ſtratorum recordatus, joco Petrum appellans: Mollius, inquit, nunc uxor tua cum Abbate Serinnenſi cubat, quam nos: Petrus contra, ut jocum joco retunderet, Fortaſſe, inquit, & tua cum Dobeſſo: Erat autem Dobeſſus juvenis ex Equeſtri ordine non inelegans, quo familiarius Chriſtina uxor Vladiſlai utebatur. Tetigit id dictum Regis animum, & ſermonibus quidem jociſque tunc finem fecit: vultu vero ne poſtea quidem ſatis diſſimulavit ſive dolorem, ſive ſollicitudinem: incertum liberiori ne dicto Petri offenſus, an de crimine uxoris, ex verbis Petri & ſuperioris temporis conjecturis, quas non tam ſcrupuloſe ad eam notarat diem, ſuſpiciones colligens. Chriſtina ubi triſtiorem cogitabundumque præter morem maritum reverſum animadvertit, ſciſcitatur cauſam: diſſimulat aliquandiu Vladiſlaus; ad extremum victus blanditiis uxoris, detegit ei vulnus animi ſui. Mulier furibunda omnem occaſionem ulciſcendi quærebat: Subornat tandem Dobeſſum, partim probri infamia irritatum, partim pollicitatione bonorum Petri illectum, ut eum quovis modo vel caperet, vel è medio tolleret. Nec eſt auſus tamen Dobeſſus eum apertavi aggredi; ſed tempus obſervabat, quo per fraudem eum incautum opprimeret. Forte Petrus nuptias filiæ, quam Jaxæ Serborum Duci in matrimonium collocaverat, Vratiſlaviæ inſigni pompa ac celebritate apparabat. Eo ſe Dobeſſus quoque magno comitatu confert, ſecurumque & nil ejuſmodi ſuſpicantem Petrum ſolum forte conſpicatus, dum miniſtri circa apparandas nuptias & hoſpites comiter accipiendos ſatagunt, correptum celeriter paratis & ad hoc diſpoſitis equis aſportat, & ad Regem adducit. Diu, quid cum eo faceret Vladiſlaus, animi dubius fuit, reverebatur hominis dignitatem gratiamque popularem: reminiſcebatur, quo is honore apud Patrem ſuum fuiſſet: Contra inſtabat Chriſtina & urgebat, ſuggerebatque, ſi incolumis Petrus dimitteretur, acerbiorem cum capitalioremque fore hoſtem Regi injuria illa exacerbatum. Ubi maritum cunctari videt, minatur ſe ab eo diſceſſuram, ubi impune probro proſtitutæ pudicitiæ afficeretur. Vicit tandem, perfecitque ut indicta cauſa Petro lingua præcideretur, & oculi effoderentur. Qui poſt illam calamitatem quinquennium ſupervixit, tandem Vratiſlaviæ mortuus, ibique honorifice ſepultus eſt. *Martinus Cromerus lib. 6. & ex eo Neugebaverus lib. 3. hiſtor. Polon.*

AXIOMA.

Cum Principibus jocari, præſertim aſperius, valde periculoſum.

Exemplum memorabile hoc loco habemus in *Petro Dano*, qui joco ſuo Regem non ſolum, ſed etiam reginam ita offendit, ut linguam ei oculoſque exſecari juſſerit, & exulare coëgerit.

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Henricus per violentiam ad Imperium pervenit, ipſeque alter Abſalon fuit. Nam quemadmodum Abſalon patrem ſuum Davidem perſecutus eſt, illumque è regno expulit: Ita quoque Henricus V, parentem ſuum de ſolio imperii dejecit, atque vi imperium rapuit. Similiter de Alphonſo Magno Rege Hiſpaniæ legimus, quod à filio Garſia (imperante Ludovico IV. Imperatore) coactus ſit regno ſe abdicare, cum ei præfuiſſet annis 48. Dictus hic fuit Magnus ob frequentes de Saracenis reportatas victorias; Major tamen, quod filiis (fuit namque ei quoque filius nomine Ordonius, qui Galliam occupavit) cedere maluit, quam bello inteſtino regnum turbare, & injuriis Saracenorum objicere.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *Bellum* contra *Parentem.*

I. *ACTA SAGATA.*

Primo *Henricus* bellum adverſus patrem geſſit: de quo in præcedenti hiſtoria prolixius diximus. Verum toto imperii tempore cum adverſa fortuna conflictatus, pœnas dedit violati patris. Illos enim omnes, quos antea adverſus patrem inſtigatores habuerat, ſibique fideles fore putarat, infeſtiſſimos hoſtes invenit, ipſeque non diu ſuperſtes fuit, pro veritate quarti Præcepti: ut, quod apud Eurípidem in Electra Chorus ad Clytæmneſtram, dum clamans interficeretur ab Oreſte, accinit, idem quoque Henrico V, variis Pontificum Romanorum artibus eluſo, atque in bellis gerendis infeliciſſimo, occini poſſit: Dira quidem paſſus es, enormia quoque deſignaſti miſer in patrem tuum.

II. *Bellum Polonicum.*

A. C. 1109. Henricus V. Imp. SILESIAM, quæ tunc POLONIÆ parebat, cum exercitu ingreſſus, Libuſium oppidum limitaneum cepit, illudque donavit Archiepiſcopo Magdeburgenſi: deinde Glogoviam arcte obſedit & oppugnavit, ſed expugnare non potuit. BOLESLAVS Rex Poloniæ legatos miſit ad Imperatorem de pace, qui pacis conditiones propoſuit duras, quas ſi Legati accipere nollent, oſtendit eis vim auri & argenti ingentem: *Hic*, inquit, *Polonos perdomabit.* Unus ex Legatis Polonicis nomine SCARBICVS, Baro, ſtultam Imperatoris jactantiam notans, annulum aureum digito detractum ad reliquum auri cumulum adjecit: addens hæc verba: *Jungatur aurum auro.* Quo ſcommate nihil offenſus Cæſar, reſpondit Germanica lingua: Hab danck: quod eſt: *Ago gratias.* Inde manſit univerſæ familiæ nobile nomen, ut HABDANCKII appellarentur: Imperator vero ſibi infamiam eo ipſo attraxit. Paulo poſt acerrimum inter Imperatorem & Polonos factum eſt prælium, miliari uno ab Vratiſlavia, in quo victi ſunt Germani, & inſepulti relicti: Campus is à carnibus, qui ibi relicti fuerant, aut alias ad cadaverum paſtum accurrerant, dictus eſt *Campus caninus*, das Hundes feld. *Crom. Cureus. Hiſtor. Polon.*

III. *Bellum Saxonicum.*

A. C. 1115. contra Saxones tumultuantes cum copiis Henricus Imper. profectus eſt, qui mortuo Ulrico, ducatum ad Sigefridum Ducem, tanquam ad legitimum hæredem transferebant. Cæſar vero ad imperium pertinere hæreditatem ejus contendebat. Prælium magnum eſt commiſſum, in quo Dux Sigefridus occubuit, multi Saxones capti; & ita hunc tumultum Imperator ſedavit. Sed non multo poſt iidem Saxones iterum rebellionem fecerunt: in quos cum populabundus exercitum duceret Imperator, occurrit ei LOTHARIVS Saxonum Dux (qui poſt Henricum imperavit) cum exercitu in Welphsholt/ & 11 Febr. commiſſum prælium illud memorabile, quo Saxones victores attriverunt copias Cæſaris, & deſiderata ſunt ex utraque acie 45 millia hominum. Helmoldus ait, copias Cæſaris multo majores fuiſſe Saxonicis, atque vix tres Saxones quinque Cæſarianis fuiſſe in pugna oppoſitos. *Crantzius Saxon. lib. 5. c. 36. Trithem. Spangenb. Fabric.* &c.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. *Schiſma inter Imp. & Paſchalem* II, *Pontif. Romanum.* Circa quod *tria* ſunt notanda. 1. *Ortus.* 2. *Progreſſus.* 3. *Egreſſus.*

I. *ORTVS.*

1. *Paſchalis* II. *Pontific. inſolentia.* Anno Chriſti

ſti 107 Pontifex Paſchalis II Trecæ in Gallia Concilium convocavit, in quo liberas electiones Paſtorum eſſe oportere aſſeruit: Coërcendas ſimiliter Laicorum in Eccleſiaſticas dignitates præſumtiones ſtatuit, & juxta anteceſſorum ſuorum morem, eadem mandata promulgavit, & anathemate communivit.

2. HENRICI *ad Papam legatio.* Henricus Imp., ſuperbis iſtis Pontificis molitionibus perceptis, cum Epiſcopis & Optimatibus conſilio inito, Legatos ad Papam miſit, qui tam ipſi, quam toti Synodo in memoriam revocarent, POTESTATEM conſtituendorum Epiſcoporum à Carolo Magno Imperatore conceſſam. Rogavit, ne in alieno regno, cujus nunc ſceptra teneret Henricus, quicquam in ſuum præjudicium immutaret. Papa in Gallia peregrinus Imperatori inducias conceſſit, ut de hac re cogitaret annuo ſpacio, donec ipſe Romam veniret.

3. *Papa fraudulenta actio, ejuſque in Epiſcopos ſibi non obſequentes ſævitia.* Quanquam Paſchalis Papa Imper. Henrico poſtulanti, ad quæſtionem de inveſtitura Clericorum ventilandam, anni unius inducias conceſſerit: nihilominus tamen ſtatuit Papa, ne hoc tempore induciarum quiſquam inveſtituram alicujus beneficii aut Eccleſiaſticæ dignitatis à manu Laica acciperet, donec ea quæſtio inter Cæſarem & Papam determinaretur. Et ut ſuam iram adverſus Prælatos, ſibi minus in hac parte obſequentes, demonſtraret, Patriarcham Aquileienſem, Leodienſem, Cameracenſem, Epiſcopos, anathematizavit. Mindenſis & Halberſtadienſis bonis privati ſunt. Colonienſis cum ſuffraganeis ſuſpenſus: quia Concilio abfuerant. Moguntinus & Conſtantienſis etiam ſuſpenſi; quia contra Canones Pontificiales aliquos electos conſecraverant. Papa etiam Imperatorem de creandis Pontificibus in diſquiſitionem vocavit: ipſum Pontificialibus Comitiis excluſit. Aſſeruit etiam, Sacerdotiorum adminiſtrationem ad Pontificem Maximum, armorum ad Cæſarem pertinere. A ſingulis Epiſcopis jusjurandum exegit, futuros in poteſtate Romani Pontificis.

4. HENRICI *Imper. indignatio.* Iratus Imperator Pontifici & Concilio Trecenſi, longa & nervoſa oratione acriter contradixit: in qua inter cætera hæc ſunt verba; *Pontifices Romanos orbis imperium cogitare, regnum Chriſtiani populi affectare: non quieturos, donec oppreſſo Cæſare, omnibus jugum ſervitutis, quod ipſi excuſſere, imponant*, &c. *Se pene impuberem, imperitum omnium rerum, ab illis egregiis Paſtoribus, dolo circumventum, in patrem cariſſimum concitatum eſſe, armaque horum conſilio ſumſiſſe. Nunc genitore oppreſſo, adverſus ſe conſpiraſſe: neque modum ambitioni ponere, niſi alios omnes dignitate & honore exſpolient*, &c. Hujuſmodi Epiſtolis ultro citroque miſſis Pontifex Paſchalis cum Imperatore quidem conſenſit, ſed omnia apud eum ſimulata fuere.

II. *PROGRESSUS.*

HENRICI *in Italiam expeditio.* Henricus Imper., cum Pontifex omnia ſimulate ageret, magno exercitu collecto A. C. 1110, in Italiam profectus eſt, & omnes urbes, quas attigit, occupavit. His cognitis, Paſchalis in Campaniam egreſſus, Ducem ac Principem, omneſque Apuliæ Comites evocavit, eoſque, ut pro ſe contra Henricum arma caperent, incitavit, ac repetita urbe Romanos proceres ſimili ſacramento obſtrinxit. Sed nihil profecit. Henricus enim robore Germanico (ejus namque exercitus è 3000 armatis viris conſtabat) perrupit, Romamque pervenit. Atque cum à Pontifice multa iniqua poſtulata eſſent, & in dilatione periculum fore perſpiceret Imperator, fraudum Romanorum non ignarus, innuit armatis ſuis, ut Pontificem ejuſque complices cingerent, nec paterentur eos dilabi. Romani, his rebus cognitis, dolore correpti ſeditionem in urbe excitarunt, omneſque Germanos, qui vel Religionis, vel aliorum negotiorum cauſa Romam venerant, miſere trucidarunt: & Imperator fere ipſe oppreſſus fuiſſet, niſi fortiſſime ſe ſua manu defendiſſet: Sed exercitu ſuo vincente, multa Romanorum millia aut ferro deleti, aut Tiberis undis ſubmerſi, aut vivi in poteſtatem adducti ſunt.

Imperator ab illis latronibus diſcedens extra urbem in ſua caſtra, Pontificem ſecum captivum retinuit aliquot ſeptimanas. Tandem ſeditioſis Pontificiorum turbis & machinationibus oppreſſis, & facta tranſactione, Paſchalis Papa, (reverſus cum Cæſare in urbem) conſentientibus ac præſentibus Cardinalibus, Epiſcopis ac Principibus, non ſolum inſignia imperii A. C. MCXI, ſolenni ritu Henrico V contulit; ſed etiam *jure jurando ſe obſtrinxit, jus inveſtitura Sacerdotum cum annulo & baculo* HENRICO *& ejus ſucceſſoribus integrum eſſe debere*; atque in teſtimonium veritatis fideique ſervandæ vinculum, hoſtiam conſecratam in duas partes fregit, & unam ipſe comedit, alteram *Henrico* dedit, his verbis: Sicuti pars hæc vivifici corporis diviſa eſt: ita diviſus ſit à regno Chriſti Domini noſtri, qui pactum hoc violare tentaverit. Hoc anathemate pronunciato, omnes ſubjunxere: Amen.

III. EGRESSVS.

PASCHALIS *Papa revocatio.* Vbi Imper. Henricus in Germaniam rediiſſet, in Laterano Concilium convocavit è 120 Epiſcopis & Abbatibus, in quo privilegium de inveſtitura Epiſcoporum, antea traditum Henrico, revocavit, damnavit, & abrogavit, ut per vim ſibi in caſtris extortum, illudque nominavit *Pravilegium*: præterea etiam anathemate Imperatorem percuſſit. Hac Pontificis perfidia Henricus irritatus in Italiam maximis ſumtibus profectus, ſupplicium de perfidis ſumturus, & Imperii Majeſtatem in priſtinam dignitatem reſtituturus. Verum priuſquam Imp. Romam venit, Paſchalis perfidus, DEI & hominum irriſor, impiam efflavit animam. Imperator igitur in Germaniam reverſus eſt. *Sigebert. Vrſperg. Vincent. Antoninus, Erfordienſis, Martinus, Helmoldus, Crantzius.*

II. HENRICVS Imp. in defuncti PASCHALIS II. Pontificis locum ſua auctoritate conſtituit *Mauritium Bracherenſem* olim Epiſcopum: alio interim à Clero conſtituto Pontifice GELASIO II. Cum vero poſt mortem Gelaſii CALIXTVS II. Pontifex ſeverius rem urgeret, ut collationi ſacerdotum officii renunciaret, neceſſitate extrema coactus jus omne Imperii à ſe in Pontificem transferre conſtituit. Itaque A. C. 1122. 16 Kalend. Octobris Wormatiæ in Comitiis publicis Apoſtolicæ ſedi reconciliatus eſt, reſignans atque cedens ei omne jus inveſtituræ Eccleſiaſticæ: id eſt, poteſtatem Epiſcopos inveſtiendi, conſecrandi & confirmandi, Epiſcopatus & Abbatias ac Prælaturas conferendi, quæ antehac penes Imper. ſive Laicos fuerat. Pontifex vero CALIXTVS II viciſſim conceſſit Electionem Epiſcoporum & Abbatum in præſentia Imperatoris fieri, ſine violentia, ita ut etiam electus regalia ab Imperat. reciperet. Hoc modo pax inter Papam & Imperatorem, ſed magno imperii detrimento, conſtituta eſt: Sicque Henricus Pontificibus pœnas dedit impietatis adverſus patrem. *Vrſperg. Cuſpin. Sigebert. Friſing. lib. 7. cap. 16.*

Alia ACTA ECCLESIASTICA, *facta ſub Henrico* V.

I. Anno C. 1118. *Ordo Templariorum* ſive militiæ templi inſtitutus eſt. Nam cum latrones plurimi peregrinis inſidiarentur, alios ſpoliarent, & alios trucidarent, quidam commiſeratione & pietate moti obtulerunt ſuam operam Patriarchæ Hieroſolymitano in coërcendis illis latronibus. Autor hujus rei primus fuit HVGO de Paganis, & Godifridus de S. Almaro. Prima eorum profeſſio fuit, ut viverent caſte & pie, more Canonicorum, & pro conſequenda remiſſione peccatorum itinera tutarentur à latronibus, in ſecuritatem peregrinantium. Exiguo ita ab initio orti, brevi tempore munificentia Chriſtianorum ad immenſas divitias pervenerunt, ut cuivis Regi in alendis exercitibus pares eſſent. Vide *Tyrium lib. 12. cap. 7.* & *Æmylium lib. 5.*

II. A. C. 1124. DEDO Marchio Landsbergi inchoavit D. Petri templum, in Lauterbergo prope Halam Saxoniæ, quod frater ejus Conradus poſtea perfecit & abſolvit. Hodie dicitur Petersberg. *Fabric.*

III. Eodem anno OTTO Epiſcopus BAMBERGENSIS, Pomeranos, & quaſdam terræ Lutetiæ urbes, ab errore & idololatria gentili revocatas ad Chriſti fidem (quam antea bis ſuſceperant, bis abjecerant) perduxit, iiſque baptizatis templa in urbibus conſtituxit: de quo lege apud Vrſpergenſem ſcriptum ipſius Ottonis Epiſcopi, Pomeranorum Apoſtoli. Hujus rei meminit *Helmoldus* his verbis: *His diebus*, inquit, *claruit vir inſignis ſanctitate Otto Bavenbergenſis Epiſcopus, qui invitante pariter, & adjuvante Boleſlao Polonorum Rege*, DEO *placitam adiit peregrinationem ad gentem Sclavorum, qui dicuntur Pomerani, & habitant inter Oderam & Poloniam: predicavitque illis verbum* DEI, DEO *cooperante, & ſermonem confirmante ſubſequentibus ſignis: omnemque gentem illam cum Principe eorum Werzeſlavo convertit ad Dominum.* Vide *Vandaliam Crantzii lib. 7. cap. 17.* & *lib. 3 cap. 28. Saxon. lib. 5. c. 44. Chron. Bamberg. Chron. Philippi.*

CAPVT III.

DE EGRESSV.

CVm Henricus Imp. A. C. 1125 in Belgio imperii negotia expediret, morbo dracunculi, quo tentari ſolebat, vehementius affici cœpit. Itaque ad Pentecoſten Vltrajecti peragendam tranſgreſſus, haud ita multo poſt die 23 Maji (alii 23 Julii) morbo ingraveſcente deceſſit ſine liberis: imperii ann. 19, ſepultus Spiræ.

NOTA.

Dracunculus ulcus eſt: ſic dictus, quod in motu nervorum ſecedit ad ulcus, & occultatur in eo, & vermem veluti dracunculum producit: cujus vitu invaleſcente homo tandem exſtinguitur. *Otto Brunfeld. in Onomaſt. Medicin. in verbo Dracunc.*

Pro-

Prodigia & Miracula.

I. A. C. 1114. tantus universam Syriam terræmotus concussit, ut multas urbes dirueret funditus, maxime autem circa Ciliciam, Isauriam & Cœlesyriam. Nam in Cilicia Mamistram, cum multis oppidis, solotenus prostravit: Maresiamque dejecit, cum suburbanis suis, ita ut quarundam urbium vix etiam restarent vestigia. Quatiebantur turres & mœnia: majoribus ædificiis periculosius ruentibus, fiebat strages populorum infinita: & civitates amplissimæ, quasi agger lapidum constitutæ, tumulus erant oppressorum, & contritis habitatoribus vicem præstabant sepulcri. Fugiebat plebs, mente consternata, habitationem urbium. Nec erat hoc tam ingens in una tantum Regione periculum, sed usque ad extremos Orientis fines hæc calamitas late grassabatur. *Tyrius lib. 11. histor. Magdeb. cent. 12. c. 13.*

Hoc anno in Belgio die 23 Aprilis tanta nix cecidit, ut & arbores quibusdam in locis frangerentur. *Chronic. Belg.*

II. A. C. 1115, in suburbio Antiochiæ, hiatus terræ nocturnis horis accidit, quo turres plurimæ, & vicinæ domus complures, sunt absorptæ. *Sigeberti Continuator. Antoninus.*

III. A. C. 1117. tertio Nonas Januarii, ingens terræmotus factus, qui duravit 40 dies: in Lombardia impetu ejus mœnia, templa, turresque urbium passim cum ingenti mortalium strage procubuerunt: fontes turbati, templorum lampades nullo impellente ventorum flatu per aërem latæ: præcipue Parmæ nova Basilica. Veronæ ædificiorum pars maxima corruit. Infans locutus tristia ac portentosa quædam enunciavit. Quinetiam 3 Kalend. Februar. tremenda tonitrua ac fulgura, quæ nulla hominum meminerat ætas, creberrima immissa grandine mortalium auribus, oculisque objecta, rem in eam religionem adduxerunt, ut diræ aliquid calamitatis impendere homines suspensis mentibus pertimescerent, quodque pavorem animis incuticbat, eadem prodigia, ac multo majora, ex Germania nunciabantur. *Sigon. lib. 10. de reg. Ital. Baron.*

IV. A. C. 1124. *pestis* maxima, & fames tanta Germaniam simul afflixere, ut tertia pars hominum interiisse credatur: & vix, qui cadavera sepelirent, superstites fuerint. *Cuspinian. Chronic. Carionis.*

XX. IMPERATOR GERM.

LOTHARIUS II. SAXO.

CAPUT I.

DE ORTU.

I. *Generatio.*

I. LOTHARIUS natus *patre* GEBHARDO, Comite in Supplenburg & Arnsberg, ex antiqua stirpe Comitum Quernfurdi ad Hercyniam.

II. MATER dicta fuit HEDWIGIS, quæ fuit filia *Friderici* Bavari, Bruggravii Noribergensis. Ex hisce parentibus Lotharius circa annum Christi 1070, in Lutterstoh in regione Lunæburgensi non procul ab urbe Cellensi sita, natus est. *Quernf. Chronic. fol.* 145, 159.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN. A Latinis vocatur LOTHARIUS, hujus nominis secundus: à Germanis vero LUDERUS, sive Ludher/ hoc est, Dominus populi, & hominum.

II. *Cognomento* dicitur SAXO, quia in Saxonia natus, eamque, antequam ad Imperium pervenit, ab Henrico V. Imper. ob fideles operas in bello ipsi præstitas, concessam rexerat.

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

I. *ACTA OECONOMICA.*

UXOREM Lotharius habuit RIXAM natam Henrico, Comite Northemii. Ex hac nati ei filius LOTHARIUS, qui annos pubertatis non attigit: filiæ duæ: GERTRUDIS, quam pater dedit Henrico Duci Bavariæ, qui Superbus cognominatus est, eique dotis loco addidit Ducatum Saxoniæ, cum filios non haberet: & HEDWIGIS, quam Ludovico Barbato matrimonio collocavit, illumque Landgravium Thuringiæ fecit. *Chronic. Philip. Chronic. Spangenb. Trith.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Scitum quidem est illud Silii Italici de fide:

Ante Jovem genita decus divumque hominumque:
Qua sine non tellus pacem, non sydera norunt.
Justitia consors, tantumque in pectore nomen!

Sed LOTHARIUS SAXO suo exemplo testatus est,

eſt illud vice proverbii uſurpatum dictum: Quo ſe fortuna, eo quoque ſe inclinat favor hominum. Item,

Non facile invenies multis è millibus unum,
Quin cum fortuna ſtetque cadatque fides.

Quamdiu ergo Henricus V patrem ſuum perſecutus eſt, bonam ipſi Lotharius operam præſtitit, qui exinde in præmium fortitudinis Ducatum Saxoniæ Electoratuſq; dignitatem adeptus. Poſtquam vero Henricus V jus imperii ſeu inveſtituræ ſacerdotum integrum tueri vellet, & ex eo multorum odia in ſe concitaret, Lotharius ab eo defecit, & Dux belli factus eſt adverſus Henricum à Saxonibus ſuſcepti & geſti, de quo in præcedenti hiſtoria diximus. Cum igitur inter quatuor ſummos imperii Germaniæ Principes, Lotharium, Conradum Ducem Sueviæ, ejuſque fratrem Fridericum, natos ex ſorore Henrici V, (qui imperium quodam juris titulo propter matrem ſibi vendicabant,) & Leopoldum Marchionem Orientalem, de imperio contentio eſſet, favore Pontificis Romani *Honorii II* primus tulit Lotharius Saxo, ſucceſſor Henrici V factus: Quare Lotharius non modo ceſſionem juris Inveſtituræ ab Henrico V factam confirmavit, ſed & hoc jus Pontificibus indulſit, ut, quos illi vellent, ſua auctoritate aut rejicerent, aut amoverent. Ideoque in ejus rei memoriam pictura coronationis (quæ facta ab *Innocentio II* Papa A.C. 1133.) Lotharii Romæ in Laterano adhuc exſtat, cum hac inſcriptione:

Rex venit ante fores, jurans prius Vrbis honores:
Poſt homo fit Papæ ſumit quo dante coronam.

[Homo Papæ, hoc eſt, Vaſallus ligius, ἀνθρωποδον.]

O ſecula! ô mores! quanta hæc eſt rerum converſio!

Domini rerum ſerviunt, & Sacerdotes dominantur, contra quam id fieri debere, ipſa veritas Chriſtus dixit, *Luc.22.v.25.*

CONRADVS quidem Dux Sueviæ jam in Italiam erat ingreſſus, Coronam Regni Italici Modoëtiæ acceperat, atque civitates (Italiæ) ad ſe pleraſque omnes traduxerat, Sed nihil hæc fortunæ felicitas ipſi profuit, cum Pontifex Romanus Lotharium majori honore proſequeretur. Conradus itaque perculſus fulmine excommunicationis ab Honorio Pontifice A.C.1128, cum ignominia ex Italia diſcedere, & regnum jam fere partum Lothario Saxoni dare, & reconciliante eos Divo Bernhardo, Clarevalenſi, qui illa ætate floruit, conditiones pacis accipere coactus eſt.

Quoniam porro Lotharius omnia in gratiam Pontificis fecit, magnis propterea laudibus evehitur, quod cæcorum baculus, eſurientium cibus, miſerorum ſpes, lugentium conſolatio fuerit, atque ita in ſingulis eminuerit virtutibus, ut omnes perfecte habuerit. Sed recte inquit *Claud. in Panegyr. ad Theodoſ.*

Nulla viris laus eſſe poteſt, quæ crimina purget.

Chronic. Spangenb. Sigon. lib.11. de regn. Ital. Aventinus, Chronic. Funccii, fol.147 Chron. Saxon. Chron. Caſſinenſ. Chron. Philip H. Mutius, l.17.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

1. *Lotharius Imperator* ob tres potiſſimum virtutes commendari poteſt, quibus maxime excelluit, & laudis ſempiternam memoriam conſecutus eſt. Nam

1. *Fuit fautor ſtudioſorum ſummus.* Primo: Cum circa annum Chriſti 1135, occaſione ſuſceptæ in Italiam contra Rogerium Siciliæ Regem expeditionis, leges Romanas Latino ſermone ſcriptas inveniret in Apulia, eas Piſanis donavit, qui in palatio Mediceo repoſuerunt Florentiæ, ubi nunc etiam aſſervantur. Et quoniam tunc obliteratæ erant, nec abſque interprete intelligi poterant, per IRNERIVM JCTVM, Cancellarium ſuum, in Scholas & tribunalia eas revocavit, jubens in Scholis eas explicari, & coram tribunalibus jus ex illis dici, referente *Chytræo in Chronolog. p.309. Coraſ. in l.2. fin d.* O.I. Barbari enim tam literarum quam legum etiam Romanarum lucem & uſum omnem in Imperio aboleverant.

DVBIVM.

At dicunt quidam, quod Juris Civilis conſtitutio *Theodoſio* Imperatori, alii, quod *Juſtiniano Magno* Imp. tribuenda ſit. Quomodo igitur *Lothario* II. Imp. tribui poteſt?

Reſp. Hæ ſententiæ non ſunt ſibi contrariæ, ſed diverſo reſpectu optime inter ſe congruunt. Nam accurate diſtinguendum eſt inter Juris civilis *Ortum, Progreſſum & Egreſſum.*

1. ORTVM ſive primævam juris civilis inſtitutionem (vel introductionem in Scholas & Academias) quod attinet, hæc facta à *Theodoſio juniore* Imperatore, qui Jurisconſultis ſuis, eruditione, fide ac prudentia præſtantibus, negotium dedit, ut omnes Principum conſtitutiones à Conſtantino uſque, inutilibus prætermiſſis, in unum corpus redigerent, atque ſententiæ in controverſiis ex iis dicerentur. Id opus publicatum eſt A.C.435. die 25 Febr. & *Codex Theodoſianus* appellatum.

11. Quod

II. Quoad PROGRESSUM: Sic *Juſtinianus Magnus* Imp. Jus civile ordinavit, ſive in ordinem redegit A. C. 529, illudque poſtea publicavit. Sicut celeberrimus Juriſconſultus Dn. D. *Johan. Harprechtus*, *ὁ νῦν ἐν ἀγίοις*, in inſigni Comment. ſuo de Juſtitia & jure pag. 14, 15. præclare docet, & nos in Hiſtoria *Juſtiniani Magni* luculenter demonſtravimus.

III. Quoad EGRESSUM: *Lotharius* Imp. A. C. 1135 (alii 37) per Juriſconſultum IRNERIUM (ſive Wernerum, vel Guarnerium) jus civile, quod per aliquot ſecula in Italia in tenebris quaſi delituerat, & poſt Juſtinianum diu ceſſarat, ſingulari DEI conſilio à tineis & blattis liberatum, in lucem revocavit: qui Irnerius primus legibus gloſſas appoſuit, & ſuo exemplo cæteris illuminandi juris exemplum dedit. Unde LUCERNA JURIS dictus fuit, & inſtaurator legum Romanarum cognominatus. Bononiæ jus civile profiteri cœpit. Poſtea ex hujus Schola prodierunt viri doctiſſimi, qui juris profeſſionem in Italia conſervarunt, & in Galliam tranſportarunt. Antea enim homines jure incerto utebantur, jure nempe Romanorum corrupto, jure item Longobardico, & lege Salica. Irnerius itaque auctor ſuaſorque fuit *Lothario*, ut eadem vox legum congruens rationi & juſtitiæ conformis in omnibus judiciis ſonaret & promulgaretur; & judices ex Romano jure de cauſis decernerent & pronunciarent.

Secundo: *Lotharius* Imp. ut profeſſioni iſti Legum debitus honor adderetur, *gradum Doctoratus & Magiſterii* (formam promotionis eodem Irnerio præſcribente) in Academias introduxit. Unde factum, ut Bononiæ, ubi jus civile publice tradi & explicari Imperator conſtituerat, ejuſdem mandato & authoritate primi Interpretes Latini juris, BULGARUS ſcilicet HUGOLINUS, MARTINUS, PILEUS, & alii in Doctores juris ſolenniter tunc fuerint promoti. A Jureconſultis morem creandorum Doctorum poſtea etiam Theologi ſunt mutuati; Unde à Bononienſibus ad PARISIENSES ritus promotionis in Theologia Doctoralis tranſlatus eſt, apud quos *Petrus Lombardus* primus Theologiæ Doctor creatus dicitur. Et hac honorum eſca illecti bonæ mentis & famæ candidati, tanto diligentiæ impetu in ſtudio Academico poſtea decurrerunt, ut in ſola Witeberga intra 100 annos, tantum à Philoſophico collegio, lauru Magiſterii donati ſint 4435 ſtudioſi. *Præmia nimirum & pœna nervi ſunt omnium vitæ humanæ ſtatuum.*

II. *Lotharius ſapientiſſimus fuit & juſtiſſimus*, uti ex ſymbolo ejus patet, quod fuit tale: AUDI ALTERAM PARTEM. *D. Reuſnerus* ita reddit:

Dimidium facti loquitur, non omne virunus
Factum: ſed partem *præſtat* utramque loqui.

Vetus enim verbum eſt: Unus vir, nullus vir. Sic *unius oratio nulla, aut ſaltem dimidia eſt oratio: itaque audiatur pars altera.* Quod Lotharii emblema fuiſſe perhibetur; ſumtum ex veteri lege Attica, quæ præcipit, *ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι*, h. e. æqualiter utramque partem audire. Quod & Heſiodus monet hoc verſu:

Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.
Judicium non ante feras, quam audiveris ambos.

Nam, ut Plato ſcribit, Quo pacto quiſpiam aut jus recte dicere, aut homines decenter judicare poſſet, qui non utrumque litigatorem audierit? Sermones enim, ut purpura, & aurum, melius dijudicantur, ſi invicem conferas. Nam quam ob cauſam aliam vel dicendi tempus utrique conceditur adverſario: aut cur judex utrumque ſe ſimiliter auditurum jurat: niſi exiſtimaret legiſlator, cauſas hoc modo juſtius, & melius à judice diſceptari poſſe?

Ex quo *Alexander Magnus*, cum in cauſis, præſertim capitalibus, ſederet judex, ſiniſtra manu aurem dexteram occludebat: ſignificans hoc geſtu, ſe alteram quidem aurem præbere actori: alteram vero integram conſervare reo. Siquidem, ut Publius Mimus dixit: Difficilem oportet aurem habere ad crimina. Pertinet huc ſapientiſſimum illud præceptum *M. Tullii Ciceronis in Oratione pro Cluentio*: Eſt ſapientis judicis, meminiſſe ſe hominem: cogitare ſibi tantum permiſſum eſſe, quantum commiſſum ſit, & creditum: & non ſolum ſibi ſoli poteſtatem eſſe datam, verum etiam fidem habitam eſſe: meminiſſe poſſe, quem oderit, abſolvere; quem non oderit, condemnare: & ſemper, non quæ velit ipſe, ſed quid lex & religio cogat, cogitare; de quo reo cognoſcat; quæ res in quæſtione verſetur. Cum hæc omnia ſunt videnda, tum illud eſt hominis, magni judicis, atque ſapientis; habere in conſilio legem, fidem, religionem, æquitatem; libidinem autem, invidiam, metum, cupiditates omnes amovere; maximi æſtimare conſcientiam mentis ſuæ, quam à Diis immortalibus accepimus, quæ à nobis divelli non poteſt.

USUS.

Hoc exemplum Lotharii imitatus eſt *Ludovicus* XI Rex Galliæ, cognomento *Divus*, rigidiſſimus ille juſtitiæ adminiſtrator, qui ad ſententiæ cujuſdam latæ retractationem permotus eſt hac occaſione. Cum Rex prædictus quodam tempore ex Pſalmis Davidis preces ad DEUM funderet, & forte fortuna alius, qui pro reo quodam capitalis criminis gratiam peteret, interveniſſet, & Rex quaſi

aliud agens annuiſſet, mox vero incidiſſet in verſum tertium Pſalmi 106, *Beati, qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam omni tempore:* protinus revocari juſſit eum, cui gratiam conceſſerat, eamque irritam fecit, memorabili illa ſententia: Principem, qui punire poteſt crimen, nec punit, coram Deo æque reum eſſe, quam ſi id ipſe perpetraſſet. Pietatis eſſe opus, non ſævitiæ, juſtitiam facere.

Obſervatio.

In lingua ſancta una eademque vox eſt, quæ notat tum aures, tum ſtateram ſive bilancem. Nam אזן ſignificat aurem. *Hinc duale* אזנים aures. Et מאזנים notat ſtateram vel bilancem. Quia omnia verba, quæ ab aliis proferuntur, auribus tanquam duabus ſtateris librari debent. Monentur quoque hac voce judices officii ſui, & requirit ab illis Spiritus S. incorruptum aurium judicium. Inter aures enim eſt, veluti inter duas lances, media trutina rationis & judicii, quod in capite peculiari ratione reſidet propter internos ſenſus rationi & judicio miniſtrantes. Ergo duæ aures judici ſunt datæ, quod ea, quæ audit, diligenti mentis trutina expendere debeat: Id quod tum facit, quando non unam partem litigantium, ſed utramque audit. Id quod Alexander M. probe obſervavit: ſicut antea diximus.

III. *Lotharius fuit Imperator valde pacificus.* Nam eo vivente felix & tranquilla Reip. gubernatio fuit. Memorabile ergo eſt Urſpergenſis elogium de Lothario ſcriptum: Erat ſtrenuus belli ductor, præcipuus in armis, providus in Conſilio, quo vivente, totum Romanum imperium turbari non potuit. Sed tamen in confinio tantarum virtutum vitia non abfuere. Siquidem Lotharius omnia in gratiam Pontificum fecit, ac non modo ceſſionem juris inveſtituræ ab *Henrico* V factam comprobavit, ſed & hoc jus Pontificibus indulſit, ut, quos illi vellent, Imperatores admitterent, quos illi nollent, ſua auctoritate aut rejicerent, aut amoverent. Hæc enim humana eſt infirmitas, & metam terminumque non habet. nec ſui potens eſt, ſed efferens ſeſe modo in ſuperſtitionem & vanitatem, modo in neglectum rerum divinarum & contemtum, incaute pleraque agit. *Plutarchus in Camil.* Itaque in homine dicitur, quod eſt: at in re, quod optimum eſt, quæritur; ait *Cic. de opt. gen. Oratoris.*

II. *ACTA SAGATA.*

LOTHARIUS, quia pacis ſtudioſiſſimus fuit, ideo in imperio non tam difficilia, ut ab anteceſſoribus geſta ſunt bella, ſed potius in id unicè incubuit, ut imperium tranquillum redderet: ipſeque de Germania & Italia præclariſſime meritus eſt. Nam & pacem utrique, quantum in ipſo fuit, reddidit, (etſi diuturnam eſſe non ſiverunt Pontifices) & eandem ceu munivit præſidio legum, revocatis in lucem, & ad uſum veteribus legibus Romanis. Unde *Conradus Urſpergenſis* ei tale elogium tribuit: Lotharius (inquit) quamdiu vixit, totum Imperium Romanum, quod ejus cuſtodiæ deputatum erat, titubare non potuit. Item *Helmoldus* ita de eo ſcribit. Hujus (Lotharii) inquit, temporibus lux oriri nova cœpit: nec tam in finibus Saxoniæ, quam in univerſo imperio tranquillitas temporum, abundantia rerum, pax inter regnum & ſacerdotium.

Contra æmulos imperii Fridericum Suevum & *Conradum* Francum Lotharius quidem bella gerere coactus fuit; ſed eos ſic repreſſit, ut non multum incommodi inde ad imperium redundaret. Adverſus Bohemos expeditionem tentavit: at re inconſulto cœpta plurimos ex ſuis amiſit, & pax utrinque deſiderata, utrinque etiam accepta eſt. BIS in Italiam profectus eſt, primum ad compeſcendos motus contra *Innocentium* II propter novi Pontificis electionem Romæ coortos: deinde contra Rogerium, Campaniam & Apuliam injuſte poſſidentem, quem Italia expulit. His rebus compoſitis, in Germaniam redire conſtituit, ſed in itinere mortuus eſt: uti ſuo loco dicemus. *Urſpergenſis. Otto Friſing. Aventin. Chron. Spangenb. Chron. Saxon.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. Defuncto CALIXTO II *Papa* in ejus locum electus eſt HONORIUS II. qui *Johannem Cremerſem* Cardinalem in Angliam miſit, ut Concilium celebraret: quod actum eſt menſe Sept. A. C. 1125. In eo promulgavit, cœlibatum ſacerdotibus obſervandum: ubi inter cætera dixit, turpiſſimum eſſe, à latere ſcorti ſurgere ad conficiendum corpus Domini; ſed ea ipſa nocte quæ promulgationem ſecuta eſt, ipſe apud ſcortum in lecto deprehenſus eſt. *Rogerius, & alii.*

II. Poſt *Honorii* II mortem *Gregorius* quidam Diaconus, Cardinalis S. Angeli, patria Romanus, obſcuro genere natus, ad Pontificatus culmen conſcendit, & *Innocentius* II appellari voluit. Dum autem contra Rogerium Regem Siciliæ (Roma abſens) bellum gereret, interim Romani *Petrum* quendam, *Petri Leonis* potentiſſimi apud Romanos filium, Papam elegerunt, eumque nominarunt *Anacletum* II: qui etiam largitionibus tantum apud Romanos effecit, ut *Innocentio* II Romam redi-

redire non liceret. Vagatus eſt igitur *Innocentius* per Galliam, & collectis aliquot Conciliis, ab univerſis Galliæ Germaniæque Epiſcopis in Pontificatu confirmatus eſt. Legatos etiam ad Lotharium Imp. miſit, qui colloquium peterent, quod conſtitutum *Leodii*. Ibi convenerunt A. C. 1131, die 22 Martii, & Papa *Innocentius Lotharium* ad ſe, Eccleſiamque tuendam, honeſto *Ottonis Magni* & poſterorum exemplo, hortatus eſt. *Lotharius* ſe nullo ei tempore defuturum reſpondit, ſi ipſe ſibi antiquum jus inveſtituræ Epiſcoporum & Abbatum redderet. Sed Pontifice, ne id tentaret, deprecante, ceſſit Imperator inſtinctu S. Bernhardi, Clarevallenſis Abbatis, quem ſecum adduxerat. Plurimum autem Eccleſiæ & Reipubl. hæc conceſſio nocuit. Nam vere patefecit feneſtram illis ad omne nequitiæ & crudelitatis genus impune exercendum.

Licet autem Pontifex poſtulatis Imper. annuere noluit, nihilominus tamen *Lotharius* ei auxilium promiſit, illumque biennium fere poſt armata militum manu Romam reduxit, ac ab eodem coronatus eſt A. C. 1133, die 3 Junii: ut ſupra diximus.

Hic *Innocentius* Papa in Concilio quodam, anno C. 1131, in Gallis Rhemis celebrato, hiſce verbis à D. *Bernhardo* Clarevallenſi (præſente Pontifice) deſcriptus fuit: *Pluſquam Moiſes hic*: Moiſi commiſſa fuit una plebs Iſraëlitica, huic univerſa Eccleſia: pluſquam Angelus hic: cui enim Angelorum dixit DEUS? Quæcunque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis. Secundum officium dico, non ſecundum meritum: præter DEUM non eſt ſimilis ei, nec in cœlo, nec in terra, &c. *Gemblac. Gaguinus. Nauclerus. Platina. Onuphr. Urſperg. Friſing. Cuſp. Sigon. lib. 11. de reg. Italiæ.*

III. A. C. 1135 *Lotharius* Imp. Moniales ex cœnobio Luthern expulit, & Benedicti Ordinis Monachos introduxit, illud inſtauravit, & appellavit Königs Luthern.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

LOtharius Imper. cum jam alteram in Italiam ſuſcepiſſet expeditionem, & Rogerium Siciliæ Regem Apulia & Campania expuliſſet, reverti volens in Germaniam, in valle Tridentina inter OEnum & Lycum morbo correptus, in pago ignobili diem ſuum obiit A. C. 1137, die 6 Decemb. cum ſeſquiannuo ſpacio in Italia fuiſſet, anno ætat. 67, anno Imp. 13. *Cadaver* ejus ab *Henrico* Superbo, genero ipſius, in Germaniam eſt delatum, ac prope Brunſvicum in monaſterio, quod inſtaurarat, Königs Luthern / ſepultum. Fabricius *Epitaphium* recitat à ſe repertum, quod hoc poſtremo diſticho clauditur:

Exuitur membris, heu, trina luce Decembris:
Eccleſiæ gemitus illius eſt obitus.

Viri celebres.

I. Tempore *Lotharii* Imper. clarus habebatur RUPERTUS *Tuitienſis* Cœnobii prope Coloniam Abbas, qui Commentarios ſcripſit fere in omnes V. T. libros: quin etiam in aliqua Novi Teſtamenti ſcripta commentatus. Præterea & alia opuſcula edidit. *Trith. Chron. Hirſavienſ.*

II. HILDEBERTUS, (ab Honorio II Pontif. Archiepiſcopus Turonenſis fuit conſtitutus) vir admodum doctus, ſcripſit multa verſibus & ſoluta oratione. De Urbe Roma hos verſus conſcripſit:

Urbs felix, ſi vel Dominis urbs illa careret,
Vel Dominis eſſet turpe, carere fide.

Quibus verſibus reprehendit dominium & tyrannidem Pontificum Romanorum: & eorundem perfidiam accuſavit: ob hujuſmodi dicendi libertatem gratia Pontificis excidiſſe creditur: ſpoliatus enim ſuis bonis ac veſtibus, in carcerem fuit conjectus. *Trith. Bergomenſis. Vincentius.*

III. Floruit & hoc tempore IRNERIUS, juriſprudentiæ inſtaurator: de quo ſupra jam dictum eſt.

Res memorabiles.

I. JOHANNES de TEMPORIBUS, qui *Caroli Magni* armiger fuerat, attigeratque annum ætatis trecenteſimum ſexageſimum primum, A. C. 1128 ſcribitur mortuus, à Nauclero, Martino Cromero, Vincentio, & aliis.

II. *Tres* Reges (in Anglia & Scandia) imperante *Lotharío*, uno anno occiſi ſunt: unus (Ericus) in acie occubuit A. C. 1132: reliqui duo (Canutus & Nicolaus) per inſidias ſunt trucidati.

Prodigia.

I. A. C. 1128, circa Solem Padebornæ duo circuli conſpecti ſunt, quorum interior templi, exterior urbis complexus eſt latitudinem. His evaneſcentibus, urbs Padeborna pene tota cum templo conflagravit, verſaque eſt lux meridiana in tenebras nocturnas. *Crantz. Chron. Saxoniæ.*

II. A. C. 1135. tantus fuit *æſtus*, ut frugibus univerſis exſiccatis, valida fames inde orta ſit. Amnes ſiccati ſunt, montes & ſylvæ arſerunt; quicquid igni concipiendo aptum, in terram delapſum, ſtatim ignem in quibuſdam locis concepiſſe ſcribitur.

bitur. Rhenus ita exſiccatus eſt, ut ſine omni periculo ubivis locorum tranſiri potuerit. *Aventinus. Bergomenſis.*

III. A. C. 1137, iterum immenſa *ſiccitas* fuit, qualis hominum memoria non fuerat. In multis enim regionibus flumina, quæ naves ferebant, ita ſunt exſiccata, ut pedibus tranſiri poſſent. Fontes quoque & putei per Galliam plane ſunt exſiccati, ut plurimi homines aquæ penuria laborantes, ſiti perirent. Multæ etiam urbes propter æſtatem ferventiſſimam exuſtæ ſunt, & inprimis Moguntia, Spira, Goſlaria fere eodem die. *Trith. Chron. Saxon. Vincent. Martin. Polonus.*

Hoc anno quoque Oldiſlebiæ in Thuringia *lapis de cælo* cecidit in forma & magnitudine capitis humani, qui longo tempore ibi conſervatus, & hominibus pro miraculo oſtenſus fuit. *Chronic. Spangenb.*

DYNASTIA QUARTA.
SUEVORUM & BRUNSVICENSIUM.

XXI IMPERATOR GERM.
CONRADUS III.

CAPUT I.
DE ORTV.

I. PATER fuit FRIDERICUS, Dux Sueviæ.

II. MATER dicta fuit AGNETA, quæ fuit filia *Henrici* IV, & ſoror *Henrici* V, Impp.

CAPUT II.
DE PROGRESSV.

I *ACTA OECONOMICA.*

UXOREM habuit GERTRUDIM, Comitis Sultzbachii filiam, ex qua nati *filii duo*, *Henricus* & *Fridericus*: & *una filia* nomine *Juditha*, quam in uxorem dedit *Ludovico* Landgravio Thuringiæ. *Henricum* filium ante expeditionem Hieroſolymitanam pene puerum conſortem imperii fecit. Hic ante reditum patris è vita commigravit; *Fridericum* moriturus *Friderico Barbaroſſæ* commendavit. Is, cum militaret in Italia, peſte periit una cum multis aliis in obſidione urbis Romæ. *Chron. Philip. Chron. Saxon. Spangenb. Chronicon Iſanacenſe & Thuringicum.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Lothario mortuo, imperium certo ſibi deſponderat *Henricus Superbus* Dux Bavariæ, ejus gener, confiſus ſtudiis & favore Saxonum, propter ſocerum Lotharium, & magnitudinem potentiæ. Saxoniam enim Bavariæ connubio copularat. Ea opinione inſignia Imperii, quæ à ſocero acceperat, apud ſe vi retinuerat, & oſtenderat ſe non paſſurum, ut his præter ipſum alius ornaretur. Quod ergo & faſtum & inſolentiam ejus odiſſent cæteri, & formidarent potentiam, ac judicarent, ſuperbiam potentia inſtructam non eſſe publica authoritate armandam, Comitiis, quæ indicta fuerant Moguntiæ, Confluentiam tranſlatis, ibi omnium Procerum Germaniæ conſenſu imperii dignitas ad CONRADUM Ducem Sueviæ delata, qui Imper. coronatus eſt anno C. 1138, circa mediam quadrageſimam. *Chron. Philip. Chronic. Spangenb. cent.* 12. *cap.* 16. *Funccius lib.* 10. *Com. fol.* 214.

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

1. *Conradus* Imper. ſumma cum laude imperium adminiſtravit, eximiæque *virtutes* in eo excelluerunt, ex quibus *prudentia* ejus maxime commendanda eſt. 1. Quod tempori ceſſerit, *cum Lothario* II rerum potiunte, repulſam paſſus eſſet. Nam recte inquit *Plut. in Q. Sertor.* Intolerabilis vis eſt perennitas, qua omnes in ſequens tempus evertit & conficit vires, placideque adſiſtit iis, qui conſilio ejus opperiuntur opportunitatem: at intempeſtive urgentibus eſt inimiciſſimum. 2. Quod majorem tranquillitatis publicæ, quam ſuæ dignitatis rationem habuerit, id ſummam ejus laudem continet. In omni enim communi patriæ periculo non modo ſunt inutiles, verum etiam noxiæ, & magnorum malorum cauſæ, civium vel ſociorum inter ſe contentiones de primatu.

II. *Conradus* Imperator celebres quaſdam urbes Germaniæ, Noribergam & Lubecam, Ulmam & Hartzburgum inſtauravit & exornavit, iiſque gradum ſtruxit ad eam Majeſtatem, quam hodie præ ſe ferunt.

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum* contra *Henricum Superbum Imperii æmulum.*

Quanquam *Henricus Superbus* Dux Bavariæ & Saxoniæ, confisus sua potentia, & pro jure affinitatis spem sibi fecerat accipiendi imperii, & cum statim voti compos non fieret, bello *Conradum* persequi cœperat; tamen & spe imperii decidit, & utroque Ducatu per proscriptionis atrocitatem privatus est, cum duce ira præceps, ideoque periculosum affectati regni consilium iniisset. Atque cum ad insidias struendas præceps prorusset, remedio præcipiti repressus est. Et *Conradus* victo *Henrico*, ejusque exercitu fugato, Saxoniam *Alberto Vrso*, Marchioni Brandenburgensi: & Bavariam *Leopoldo* Austriaco fratri uterino concessit. Itaque *Henricus* paulo post, desperatis rebus omnibus, mœrore animi confectus, A.C. 1139. diem suum obiit, relicto filio *Henrico Leone*. *Antonin. Chron. Spangenb. Chron. Philippi.*

II. *Bellum* contra *Guelfum*, Henrici Superbi fratrem.

I. ORTVS.

I. GUELFI *invidia & æmulatio.* Defuncto suo æmulo, *Conradus* Imp. res Germaniæ componere statuit: sed bellum incidit difficillimum pariter & gravissimum. Nam *Henrici Superbi* frater *Guelfus*, videns, patrueli suo, vel nepoti ex fratre, *Henrico Leoni*, tunc puero, ereptum esse paternum regnum, & in aliam familiam translatum, ingentes animo iras concepit.

II. *Guelfi cum Rogerio confœderatio.* Cum hanc rem bello dirimendam censeret *Guelfus*, in societatem belli vocavit Rogerium, tunc potentissimum Siciliæ Regem & Ducem Capuanum, qui suppetias libenter in milite & pecunia misit *Guelfo*, in sua intentus commoda, ne scilicet *Conradus* domestica seditione aliquando perfunctus, Italiam ad coronam accipiendam adiret, seque, Germanicis atque Italicis copiis junctis, iterum veteri Italiæ possessione dejiceret.

II. PROGRESSVS.

I. *Guelfi adversus Conradum expeditio.* Cum itaque *Guelfus* suis ac externis auxiliis munitus esset, quanta vi potuit, arma adversus *Conradum* Imper. sumsit.

II. *Conradi victoriæ, & Guelfi fuga.* Cum per annos aliquot vario fortunæ eventu in Sueviæ Bavariaque belligeratum esset, & ancipiti sæpe Marte pugnatum, accidit, ut bellum consisteret ad oppidum *Winsberg*, cui amœna vineta nomen dederunt, in quem locum *Guelfus* vires suas contulerat, vallo ac mœnibus, si acie vinceretur, sese tutaturus. Fusus itaque fugatusque, & intra urbem compulsus est.

III. EGRESSVS.

I. GUELFI *deditio.* Cum in arce Winsberg *Guelfus* obsidionem aliquandiu pertulisset, tandem post multas difficilesque oppugnationes armis & fame expugnatus, coactus est & sese, & suos, victori quibuscunque conditionibus dedere. Ibi Imperator præcepit, ut *Guelfus*, cæterique Equestris ordinis viri victi in custodiam traderentur, oppidumque à militibus diriperetur.

II. *Mulierum astutia*, & CONRADI *clementia.* Cum autem metueretur, ne Imperator in *Guelfum* ejusque cives jure belli propter rebellionem graviter animadversurus esset, fœminæ ejus oppidi, antequam portæ aperirentur, periverunt, ut sibi liceret cum suis rebus, quas humeris gestare possent, discedere. Quod cum à clementi victore & optimo Principe facile impetrarent, & hostes aurum, gemmas, mundumque muliebrem eas elaturas crederent, matronæ illæ, omni supellectile neglecta, militibusque prædæ relicta, maritos suos humeris exceptos ex oppido, cunctis spectantibus, & industriam admirantibus, asportarunt. Quo pietatis spectaculo commotus est, & ingeniosa mulierum *φιλοστοργία* delectatus *Conradus*, quibus iratus erat, clementer omnibus noxam remisit, & convivio regali omnes excepit. Ducibus vero indignantibus & frementibus ob leges deditionis isto dolo violatas respondit Imperator: *Non decere verbum regium immutari*, subindicans, malle se clementia, quam severitate delinquere.

III. *Conradi humanitas erga Rogerium.* Victor jam *Conradus* infesta iterum arma adversus *Rogerium* Siciliæ Regem conferre potuisset; sed placabilitate mira, & ipsi ignovit, atque ex inimico amicum sibi fecit fidelissimum. Nam is in Asiam proficiscentem *Conradum* fideliter omnibus rebus juvit & instruxit. *Chronic. Philipp. Trith. Hirsgav. Urst.* & alii.

III. *Bellum* in *Palæstinam* susceptum.

Nutare jam & labi cœperant res Christianæ in Asia, præsidiario milite destitutæ, quas reliquiæ adhuc utcunque sustentabant Armeniorum auxiliis, qui religionis societate nostris conjuncti, Turcis agros Christianorum infestantibus, à tergo

assidue inhærebant. Nec solos Turcos jam, sed & Saracenos Ægyptios nostri habebant hostes. His, ut subveniretur, priusquam penitus conciderent, *Conradus* Imp. suasu S. *Bernhardi* contracto exercitu ducentorum millium, in quo ad septuaginta millia fuere equitum cataphractorum, una cum *Ludovico* Rege Galliæ A. C. 1147. postridie Ascensionis Domini, in Palæstinam profectus est: Sed infelici eventu; tum quod superstitione temporum magis quam Reipubl. utilitate expeditionem istam suscepit, tum quod de rebus omnibus satis recte sibi non providit. Venit Constantinopolin ad *Manuelem Comnenum* Imperatorem, cui suæ uxoris sororem matrimonio collocarat die 7 Septemb. Huic affini suo *Conradus* sane multum tribuit, sed ejus perfidia magnam cladem accepit. Sic enim *Nicetas* Græcus scriptor in vita ejus lib. 1. affirmat: Nullum malum (inquit) non machinatus est *Manuel*, vel machinandi autor fuit in eos, qui cum *Conrado* in Palæstinam profecti sunt: calcem farinæ admisceri voluit, & ex improbo argento monetam cudi, quæ vendituris aliquid Germanis daretur, & ubicunque potuit, eos pecunia spoliavit, multos etiam ex insidiis interfecit. Forum rerum venalium ita præbuit, ut cives urbes clauderent, & de mœnibus in corbibus pecuniam attraherent, darentque postea summa cum injuria, vel nihil, vel quantum liberet. Inde *Manuel* prodidit Turcis omnia *Conradi* consilia, addidit *Conrado* Duces, qui ipsum in avia loca, & insidiis opportuna deducerent, & mense Novembri prope Iconium nostri ingentem cladem acceperunt, ita ut vix decima pars inde Constantinopolin reverteretur: & Turci ingenti præda potiti sunt. Hanc autem perfidiam Manuelis ulturus Siciliæ Rex Rogerius, bellum ei intulit, multum damni dedit, & pene imperio eum omni exuit.

A. C. 1148. *Conradus* Imp. & *Ludovicus* Rex Galliæ, cum viderent se terra in Palæstinam venire non posse, classes compararunt, & *Ludovicus* ex sinu Attalico profectus cum suis, media quadragesima Antiochiam venit, Dominica Palmarum Hierosolymis fuit: eo venit etiam *Conradus*. Ibi cum Rege & Patriarcha de amplificando regno Hierosolymitano consilia agitarunt, & conclusum est, Damascum regno adjiciendum. Ad eam obsidendam profecti sunt mense Majo, quo tempore advenerunt etiam *Theodoricus* Comes Flandriæ, & alii. Dum obsident *Damascum*, priusquam caperetur, disputatur, cui accedere deberet Damascus, si caperetur. *Conradi*, *Ludovici*, & aliorum, qui recens advenerant, sententia erat, eam dandam *Theodorico* Comiti Flandriæ, cum Imper. & Rex in Europam sint reversuri. Sed veterani in Syria eam potius non capi volebant, quam capta carere. Qua discordia intellecta, obsessi veteranos pecunia corrumpunt; qui postea exercitum ab ea urbis parte, ubi capi poterat, abducunt ad aliam partem, ubi urbs firmissima erat, & obsidentes multum lædi poterant. Hoc videntes Imperator & Rex, & alii, obsidionem solvunt, & infectis rebus in Germaniam redeunt. *Ludovicus* Rex dum redit, in Græcorum naves incidit, à quibus capitur, & recta Constantinopolim ad *Manuelem* Imper. ducitur. Forte fortuna eo loci vagatur classis *Rogerii* Regis Siciliæ, quæ suburbia Constantinopolis deprædata fuerat: cujus Dux *Gregorius* Græcos invadit, & devictis Græcis Regem invenit, liberat, & secum in Siciliam abducit, unde Romam, & inde in regnum rediit. *Nicetas. Tyrius lib. 16. cap. 18. lib. 17. cap. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7. 8. Crantz. lib. 6. cap. 14. Chron. Belg.*

De hac expeditione *Conradi* in Palæstinam Micyllus tale epigramma compossuit:

Pace domi facta, Solymas hic tendit in oras,
Ut sacra Barbarico solveret ora jugo.
Sed mox insidiis Thracum, gypsataque farra,
Ingentes animos comminuere Viri.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

CONradus Imp. cum domi novos exercitus collegisset, ad pacandam Italiam domesticis insidiis liberarum civitatum turbatam, quæ inter se armis de libertate decernebant, morte præreptus expeditionem non absolvit. Nam repentino morbo oppressus, non sine veneni suspicione, per medicos Italos præbiti, quos accersiverat authore Rogerio Siciliæ rege, qui sibi à *Conrado* metuebat, A. Christi 1152. decimo quinto Kalend. Martii, Bambergæ diem suum obiit, anno Imperii 14, cum paulo ante fratris filio *Friderico* insignia Imperii tradidisset, & filium parvulum ei commendasset. Intestina ejus in basilica Bambergensi condita sunt prope *Henricum* Sanctum. Cadaver Laureacum (quod Eboracum aliqui nominant) delatum est. *Chron. Spangenb. Chron. Philip. Sigon.*

Viri celebres.

I. HONORIUS Augustodiensis presbyter usque ad annum Christi 1138. perduxit Chronicon suum.

II. HUGO de S. Victore Canonicus Parisiensis, cujus scripta extant, anno Christi 1140. mortuus est.

III.

III. Eodem anno OTHO Episcopus Bambergensis, Comes de Andechs / Ecclesiarum Pomeranicarum οἰκιστὴρ, atque parens, Bambergæ obiit septuagenarius, 3. Septembri. *Trith.* & *Append. Sig. Marian.* &c.

IV. OTHO Frisingensis Episcopus (cujus supra etiam mentionem fecimus) Chronicon suum terminat A. C. 1146. Scripsit quoque librum de rebus gestis *Friderici I.* Imp.

V. Anno Christi 1148. RICHARDUS de S. Victore, monachus Parisiensis, qui scriptis nomen suum nobilitavit, mortuus est. *Chronicon Norib. majus.*

VI. GRATIANUS Monachus, post Ivonem Carnutensem, DECRETORUM OPUS, ex veterum statutis, sanctionibus & scriptis composuit; quo Juris Canonici studiosi hodie utuntur. Hoc opus EUGENIUS Pontifex approbavit, & in Academia publice proponi mandavit. *Martin. Polon. Trith.*

Res memorabiles.

I. Temporibus ferme *Conradi* Imp. natâ sunt factiosa & feralia nomina GUELFORUM & GIBELLINORUM: de quibus consule integras aliorum historias, &c.

II. Sub FULCONE Rege Hierosolymorum (qui A. C. 1142. mortuus est, eique successit filius *Balduinus*) initium sumsisse dicitur ORDO HOSPITALIS S. JOHANNIS Baptistæ in Jerusalem, sive Teutonicorum Militum *D. Johannis*: ad cujus Ordinis societatem multi præstantes viri, tum etiam Magister Ordinis in Sonnenberg / & Commendator in Logau pertinent.

XXII IMPER. GERM.

FRIDERICUS I.

Cognom. BARBAROSSA.

CAPUT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

FRIDERICUS fuit *Conradi III.* Imp. ex fratre nepos.

PATER fuit FRIDERICUS, cognomento *Cocles*, Dux Sueviæ.

MATER dicta fuit JUDITHA, filia *Henrici Nigri*, Ducis Bavariæ. Ex hisce parentibus natus est A. C. 1121. *D. Johannes Adelphus. Crusius part. 2. fol. 328. Otto Frising.*

II. *Appellatio.*

I. NOMEN. Dictus fuit FRIDERICUS ejus nominis *primus*.

II. COGNOMENTO BARBAROSSA, sive OENOBARBUS, à ruffa barba per contumeliam ab Italis sic dictus.

USUS.

In communi adagio dicitur: Rot bart / nie gut ward. Sed hoc in *Fridericum* Barbarossam non quadrat. Ipse namque bonæ indolis & optimus Princeps fuit, in quo magnitudo animi atque consilii, fides, constantia, moderatio, pietas adeo excelluerunt, ut nulla ei virtus magno viro & optimo Principe digna defuisse videatur. Id quod testatur Abbas Urspergensis; cum ita scribit: *Fridericus* (inquit) fuit Princeps armis strenuus, acer animo, exercitatus in bellis, in negotiis peragendis virilis, affabilis, mansuetus, superbis resistens, memoria excellentissimus, *&c.*

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. NATURA, EDUCATIO, & ACTA JUVENTUTIS.

QUanquam interdum & heroum filii noxæ & catharmata esse solent, neque hæreditaria semper est virtus: tamen plerumque fit, ut fortes creentur fortibus & bonis, ac in natos transeat patrum cum semine virtus. Ita ergo & Friderico heroici impetus à majoribus ingenerati sunt, quibus ad res maximas gerendas divinitus exstimulabatur, quod in progressu ætatis apparuit. Multum enim valuerunt in ejus animo exempla domestica. Verissime enim dictum est à *Virgilio*:

Te pater Æneas *& avunculus excitet* Hector.

Cæterum quantumlibet sit excellens naturæ vis & bonitas, tamen nisi cultura & institutio atque educatio bona accesserit, non aliter quam arbores aut vites non putatæ, aut segetes incultæ, etiam naturæ semina silvescunt atque efferantur: ut, quemadmodum in agris per segnitiem colonorum pro frugibus lætis

Infelix lolium & steriles dominantur avenæ:
& *Neglectis urenda filix innascitur agris:*

sic etiam in ingeniis pro virtute vitium & improbitas enascatur, quæ semina bonæ indolis quasi in herbis enecent & extinguant. Contra bonæ ac laudabilis educationis & assuefactionis ea vis est: ut naturæ defectum sæpe suppleat, & vitia corrigat, ex bona

bona meliorem, ex mala bonam, aut certe minus malam faciat. Sic igitur & Fridericus, cum bene natus eſſet, bene quoque educatus fuit, & ut tam ſplendida familia dignum erat, regiis artibus ab ineunte ſtatim pueritia inſtitutus atque imbutus. Neque ſolum militari diſciplina inſtructus eſt, ſed & literarum colorem duxit, maximeque Latinæ linguæ ſibi peritiam comparavit. Et cum hiſtoria vere regia poſſeſſio ſit, in hujus ſtudium cum primis incubuit in ſua adoleſcentia Fridericus, ut hic velut in ſpeculum intuens in aliorum conſilia, facta, eventa, quod honeſtum & laudabile, ac ſectatoribus felix & ſalutare fuiſſe comperiſſet, imitaretur, fugeret autem quod factu fœdum, turpe ac flagitioſum, ſuiſque patratoribus exitio fuiſſe animadvertiſſet.

Perinde enim ut olim Romæ nobiles adoleſcentes juriſprudentiam potius ex conſuetudine ſeniorum, in quorum ſe familiaritatem contuliſſent, quam ex libris ſcholiſve diſcere ſolebant: Ita Fridericus bene imperandi facultatem ex vivo quodam & domeſtico exemplo, quod in patruo ſuo Conrado cernebat, ſibi comparavit. Hic enim cum majore natu filio orbatus, alterum vero puerum haberet, Fridericum prope filii loco dilexit, ſecumque habuit, & omnium conſiliorum, omnium ſuarum actionum, omnium ſermonum & arcanorum, conſcium atque participem eum fecit. In hujus contubernio, quid non facili negotio diſceret Fridericus?

II. *ACTA OECONOMICA.*

Uxores habuit *duas*. PRIMA dicta fuit ADELHEIDA, ſive Adelheidis, filia Diepoldi Marchionis Bavarici in Hochburg / ſeu Voburg / quam dimiſit ob ſanguinitatem nimis propinquam, de ſententia Concilii Conſtantienſis.

ALTERA fuit BEATRIX, filia Reginaldi Comitis Veſontionis in Burgundia. Ex hac nati ei filii quinque. 1. HENRICUS in Imperio ſucceſſor. 2. FRIDERICUS, Dux Sueviæ. 3. OTTO, Comes Burgundiæ, hæres maternæ dotis. 4. CONRADUS, Dux Franciæ, & poſt fratris Friderici mortem, etiam Dux Sueviæ. 5. PHILIPPUS, Dux Hetruriæ & Thuſciæ, qui poſt Henricum VI fratrem imperavit. Ex eadem natæ ei quoque filiæ duæ: 1. SOPHIA, (quam *Ludgardin* alii vocant, alii *Juttam*) conjux Conradi Marchionis Miſniæ. 11. BEATRIX, quæ facta eſt Abbatiſſa Quedlinburgi. *Chron. Hedionis. Chronic. Philippi. H. Mutius lib.* 10. *fol.* 168. *D. Johan. Adolph.*

III. *ACTA POLITICA.*

1. *Imperii occupatio.*

1. CONRADUS III Imper. cum decumberet, cum Principibus præſentibus deliberavit de futuro ſucceſſore, & præterito filio ſuo Friderico, ſuaſit, ut fratris ſui filium Fridericum Barbaroſſam eligerent. Proceres igitur Germaniæ Fridericum, (quia & bonis literis ac militiæ laboribus eſſet inſtructus, tum domi bonæ indolis, tum foris in expeditione ſacra fortitudinis bellicæ præclarum ſpecimen edidiſſet, omniumque favorem ſibi conciliaſſet) concordibus animis, ut ætate, ſic virtute ad famam hominum efflorescentem, Francofurti Imperatorem elegerunt Non. Martii, A. C. 1152. Et mox Aquas deductum Dominica Lætare per Arnoldum Archiepiſcopum Colonienſem conſecrarunt. Hujus autem tam unanimis in hanc perſonam ſuffragii ratio hæc fuit. Duæ in Romano orbe apud Galliæ vel Germaniæ fines, famoſæ & in Imperio potentiſſimæ familiæ hactenus fuere, una Henricorum de Gueibelinga, alia Guelforum de Altdorfio: altera Imperatores, altera magnos Duces producere ſolita. Iſtæ, ut inter viros magnos gloriæque avidos aſſolet fieri, frequenter ſeſe invicem æmulantes, Reipubl. quietem multoties perturbarant. Authores ſunt qui affirmant, gentes illas Gibellinorum & Guelphorum ſemper odiis capitalibus inter ſe diſſenſiſſe, etiam ante Imperatorum & Pontificum diſſenſiones, illis Imperatori adhærentibus, his adverſantibus, & utraſque tandem velut colonias Suevorum temporibus in Italiam traductas eſſe, ibidemque veterum diſcordiarum ſemina ſparſiſſe & aluiſſe, iis, qui Gibellinorum nomen profiterentur, Imperatorias, Guelphis Pontificias partes bello paceque acriter tuentibus. Nutu vero DEI, ut creditur, paci populi ſui in poſterum providentis, ſub Henrico V factum eſt, ut Fridericus Dux, pater hujus, qui de altera, hoc eſt, de Regum familia deſcenderat; de altera, Henrici ſcilicet Noricorum Ducis, filiam in uxorem acceperat, eaque Fridericum, qui inpræſentiarum regnat, generaret. Ex Gibellina itaque ſtirpe paternam, ex Guelphorum vero maternam originem Fridericus duxit. Principes ergo non ſolum induſtriam ac virtutem, jam ſæpe dicti juvenis, ſed etiam hoc, quod utriuſque ſanguinis conſors, tanquam angularis lapis, diſſidium eorum diuturnum (quod inter eos ad annos 400 fuit) componere poſſet, conſiderantes, caput Regni eum conſtituere adjudicaverunt: plurimum Reipublicæ profuturum præcogitantes, ſi tam gravis & diutina inter maximos Impe-

imperii viros, ob privatum emolumentum simultas, hac demum occasione, DEO cooperante, sopiretur.

11. A. C. 1155. Fridericus in Italiam iter suscepit, ut Romæ de more coronaretur. Itaque in Urbevetum, ubi tunc Pontifex *Hadrianus* IV propter civiles civium discordias sedem aulæ collocarat, profectus, Bambergensi Episcopo perorante, Pontificem salutavit, seque ipsi commendavit ut corona Imperatoria coronaretur. Observantiæ causa Fridericus Pontifici ex equo descendenti stapedem tenebat sinistrum, non dextrum. Id in suam contumeliam factum interpretans Pontifex, dixit: In minimo commissa negligentia facit argumentum de maximis. Rex stomachanti similis, risum solvit, dicens: Parum operæ dedi strepis apprehendendis; tu primus es, pater, cui tali officio deservimus. Atque si officii hoc genus ex beneplacito est, quis causabit negligentiam in spontaneo; si ex debito, parum interesse putamus, quo latere accessit, qui venerabundus accessit. Convenit tamen eatenus inter Cæsarem & Pontificem, ut una ambo cum aliqua exercitus parte urbem ingrederentur. Inde 6 Calend. Junii, more solenni, Fridericus coronam Imperii auream à Pontifice Hadriano accepit, non ut hæc dignitas, merces rei præclare gestæ, sed signum permansuræ ad multum tempus rei esset. *Otto Frising. lib. 2. cap. 4. de gest. Friderici. Chronicon Spangenb. D. Johan. Adelphus. Crantz. lib. 6. cap. 16.*

II. *Imperii administratio.*

1. *ACTA TOGATA.*

Supra in Appellatione in genere virtutes Friderici deprædicavimus; hic vero in specie quasdam recensebimus, quæ sunt sequentes.

1. FRIDERICI *de Republ. cura.* Fridericus cum accepisset Imperium, ut fuit patriæ amantissimus, nihil prius habuit, quam ut domi pacem sine publico motu, & consilio potius quam armis constitueret. Pace enim & quiete opus esse intelligebat concussæ Germaniæ ad sananda & solidanda vulnera, quæ priora bella Henricorum inflixerant, recentia successorum refricarant. Nec odia cessatura esse prospiciebat, nisi controversiis moderata quadam damnorum exæquatione diremtis, & sancita ἀμνηστία perficeretur, ut Principum animi vera inter se mutuaque benevolentia coalescerent. Imo Fridericum magnam Reipubl. curam gessisse, apparet ex oratione quam de suo officio fecit, cum ita exorditur: *Cumque Imperialis Majestatis officium esse hoc non ignoramus, ut studio vigilantiæ, ac pœnarum metu improbi & inquieti coërceantur: boni subleventur, atque in pacis tranquillitate foveantur,* &c. *Radevic.*

11. PRUDENTIA. Fridericum singulari prudentia præditum fuisse apparet: 1. *Ex dictis.* 2. *Ex Factis.*

1. Ex dictis.

Ex multis unicum adferam; nempe Symbolum ejus, unde prudentia ejus effulget, quod tale est: QUI NESCIT DISSIMULARE, NESCIT IMPERARE.

Quo significare voluit, non licere cuiquam omnia pro suo jure agere, sed multa in omni vita dissimulari oportere; maxime autem in imperio, in quo oportet aliquando secundum Thucydidem, καιρῷ δηλεύειν τοὺς δοκοῦντας ἄρχειν: ut verum sit, quod Fridericus Imperator dixit: Qui nescit dissimulare, nescit imperare. Fit enim, ut multa plerumque Princeps aut simulare invitus, aut dissimulare cum dolore cogatur, ne aut videat ea, quæ videt, aut ne audiat ea, quæ audit; sed in multis volens nolens conniveat, nisi frustra niti, & nullo suo cum fructu, aliorum odium quærere malit; quod extremæ dementiæ esse scribit Salustius. Sed hoc tamen minime ita intelligendum, quasi non liceat Principi tueri candorem, atque veritatem simplicem, & ab omni mendacio, injuria, fallacia abhorrentem; (nam quod verum, simplex, sincerumque est, id naturæ hominis & Imperio est aptissimum) sed potius, ne, si multa sibi quandoque adversari intelligat in Imperio, per vim is multa agat aut faciat: quorum ipsum fortassis postea vel pudeat, vel pœniteat. Nihil enim violentum diuturnum; teste Demosthene: & regere vi patriam, importunum est, secundum Salustium: neque ulla vis Imperii tanta est, quæ, premente metu, possit esse diuturna; auctore Tullio. Quo autem quis potentior, eo æquior debet esse erga alios. Nam & in regno administrando justitia, & potestas eget æquitate quadam, & patientia, quæ tanto premi debet interius (ut Gregorius vult) quanto eminet exterius. Et secundum Isiodorum, plerumque Princeps justus malorum errores dissimulare novit: non quod iniquitati eorum consentiat, sed quod aptum correctionis tempus exspectet, quando eorum vitia emendare, vel punire valeat. Quod enim differtur, non aufertur. Moderatione itaque animi vel maxime opus est Imperio, ut Princeps aut Rex prius, quam aliis imperet, sibi imperare discat, h. e. animum regere, & iracundiam cohibere, & cupiditatem moderari. Neque enim recte dominatur aliis, qui ipse servit affectibus; neque regere alios

alios poteſt, niſi quem ratio rexerit, Non omnis igitur ſimulatio, aut diſſimulatio, mala & vitioſa: ſed eſt quædam bona & honeſta, eaque cum in reliqua vita omni, tum vero maxime in imperio utilis & neceſſaria. Cum hoc Friderici Imper. Symbolo convenit etiam dictum Sigiſmundi Imper. qui dixiſſe memoratur, Ignarum eſſe regnandi, qui neſciret diſſimulare. Innuit autem præcipuam Principum virtutem eſſe clementiam, qua docet, ea interdum eſſe diſſimulanda, quæ non magni ſunt momenti, commodi majoris gratia. *Æn. Sylv. l. 1. Comment. in res geſtas Alphonſi.*

II. Ex factis.

2. Apparet prudentia ſingularis Friderici ex FACTIS. Nam,

1. Contendebant inter ſe de Bavariæ principatu vitricus Henricus Auſtriacus, & privignus Henricus Leo Saxo; hoc queritante, injuſte ſibi Bavariam ereptam eſſe. Hanc litem, ne in bellum exiret, ita diremit, ut Auſtriaco, apud quem plus valebat, perſuaſerit de ſuo ut jure concedere potius, ac regredi, quam progredi vellet, pacis publicæ cauſa. Et ut jacturam hanc facilius ferret, tranſtulit familiam Auſtriacam in Ordinem ſuperiorem, decreto ei tributoque titulo Ducis, & amplificavit fines ditionis parte Bavariæ ad Auſtriam adjecta. Welphum, ut quieſceret impoſterum, Thuſcia & Spoletano agro Sardiniæque Principatu donavit. Conradum ex alia matre fratrem Palatinum Rheni conſtituit. In hac pacificatione nec prudentiam ei defuiſſe in conciliandis Principum animis, nec gravitatem, nec ſucceſſum, qui confertur divinitus, declaravit eventus. Suſtulit enim maximorum bellorum cauſas & occaſiones. Germaniæque tranquillitatem peperit. *Chronic. Philip. Chronicon Spangenb. Urſp. Caſtr. lib. 1. fol. 90.*

11. Compoſuit & controverſias Fridericus inter Suenonem, Canutum & Woldemarum Reges Danicos, Mersburgum evocatos A. C. 1152, qui de regno inter ſe dimicarant aliquot annos magno cum detrimento vicinarum terrarum, quæ erant Imperii. *Ibidem.*

Magnum profecto hoc decus eſt & prudentiæ proprium, conciliare ſibi animos hominum, & ad uſus ſuos non ſolum adjungere poſſe, ſed etiam decore ſuæ potentiæ & auctoritatis aliis gratificari. *Cicero l. 2. de Officiis.*

III. AUTHORITAS. Quoniam dignitatis non magna eſt æſtimatio, niſi auctoritatem quis habeat, ſeu quandam eminentiam, qua cæteris prævaleat, & velut in admiratione ſit, Fridericus jus Majeſtatis Imperatoriæ, qua licebat ratione, tueri conatus eſt. Nam 1. Non attento facto prædeceſſorum ſuorum Henrici V & Lotharii Saxonis, jus inveſtituræ ſeu collationis beneficiorum Eccleſiaſticorum ſibi pro antiqua conſuetudine uſurpare cœpit, & Archiepiſcopum Magdeburgenſem Wichmannum inveſtivit, ipſique regalia tradidit. Et ſcitum eſt dictum Friderici; qui conquerentibus Pontificiis, quod formulam à Lothario præſcriptam ſequi nollet, reſpondit, ſe veterem in eo conſuetudinem retuliſſe, Epiſcopos autem regalia dimittere, & quæ Cæſaris ſunt, Cæſari tribuere debere.

2. Cum occulta quædam ſemina offenſionis jacta eſſent in eo, quod Fridericus de jure Imperii cedere nollet; quo ſe adverſus violentiam Pontificum rectius muniret, non ſolum Ordinem Electorum (ab Ottone III, ut vulgo putatur, inſtitutum) confirmavit, ſed iiſdem ampliores etiam dignitates aſſignavit.

3. Tradunt ſcriptores, magno conſenſu Ducem Bohemiæ Ladiſlaum ob egregiam in bello navatam operam apud hunc Fridericum regiam dignitatem promeruiſſe, cum quidem etiam antea Vratiſlaus Rex Bohemiæ appellatus fuiſſet ab Henrico IV, ſed ejus ſucceſſores regio titulo abſtinuerant, Ducis appellatione contenti.

4. Franciæ Orientalis Ducatum, cum jure gladii tribuit Fridericus Epiſcopo Herbipolenſi, omnibuſque ejus ſucceſſoribus, quæ jura hodieque ejus urbis Epiſcopus retinet. *Eber.* Et conſentaneum eſt, voluiſſe Fridericum illorum Principum, quos recentibus beneficiis ſibi ſuiſque devinxerat, augere dignitatem ac potentiam, qua muniti eſſent contra tyrannicas & ſeditioſas Pontificum machinationes, ne poſſent illi, ut cœperant, quando vellent, aut reſcindere decreta, aut inſtitutas de electione deliberationes turbare.

IV. JUSTITIA. Fridericus Imper. juſtitiam ſevere adminiſtravit. Nam,

1. Jus feudale prius diſperſum ac vagum primus ſcripto complecti & ordinare inſtituit. De jure fiſci, ſive quæ ſunt regalia: de pace tenenda & ejus violatoribus, ſive de Treuga & pace, in qua etiam furum ſupplicium hodie uſitatiſſimum confirmatur, ut laqueo ſuſpendantur. Ejuſdem eſt una & altera conſtitutio de jure [illegible]. Ejuſdem eſt & Friderici nobiliſſima illa conſtitutio de pace Conſtantiæ, quæ vinculum ac nervus, imo & murus aheneus Imperii non male appellari poteſt. Vocatur vulgo ab hiſtoricis Breviarium pacis, Friedbrief und Land-brief. Ejuſdem Imper. eſt illa nobilis Authentica, Sacramenta puberum, c. Si adverſus venditionem; qua jusjurandum à pubere ultrò præſtitum, de contractibus rerum ſuarum

non

non retractandis inviolabiliter cuſtodiri: metu vero & vi extortum ipſo jure nullum eſſe jubetur.

2. Laudabile fuit & hoc Friderici inſtitutum, quod pro more majorum Roncaliis aliquot diebus continuo juri dicendo operam dedit, divitum juxta pauperumque querelas audiens. Hæc enim virtus Principis recte numinis divini afflatus, pro jure & æquitate digladians, appellatur à *Plutarcho in vita Catonis Majoris*. Et idcirco Reges apud Homerum & apud Judæos alioſque populos ſunt JUDICES nominati. Siquidem imperium nihil aliud eſt, quam cura alienæ ſalutis; uti *Amm. Marcell. lib. 9.* pulchre ait. Et laudatur *Auguſtus*, quod tam aſſidue jus dixit, ut etiam æger in lectica Judicem egerit. *Suetonius in ejus vita.*

3. Præterea Fridericus omnes controverſias ex auctoritate ſeniorum quatuor Juriſperitorum, qui in Gymnaſio Bononienſi jus profitebantur, Bulgari, Martini, Jacobi & Hugonis, judicare cœpit. Atque ut jus ex æquo & bono ubique in tota Italia adminiſtraretur, judices conſtituit, non ex ipſa Diœceſi, ne gratia aut odio corrumperetur judicium, ſed aut ex conventu, aut qui ex aliis civitatibus eſſent nati, *textus in lib. 3. ff. de officiis adſeſſ.* eiſque ſummum de omnibus rebus ſtatuendi arbitrium dedit.

4. His rebus rite compoſitis, Fridericus, ut certa auctoritate & cuncta conſtituiſſe, & Imperium accepiſſe videretur, de jure regni Italiæ cognoſcendo, quatenus ad ſe ſpectaret, Jureconſultis negotium dedit, & prudenter ſane rem controverſam ſacerdotibus Juris, ut æquum ab iniquo diſcernerent, commiſit. Peritis enim in ſua arte credendum eſt, qui pro ſua fide atque induſtria neque fallunt, neque falluntur. *l. 2. C. de ponder. lib. 10.*

Ab his judicatum eſt, Italiam Imperatori, jure à Carolo Magno tradito, regalia item univerſa deberi. Fuerunt autem regalia, Ducatus Marchiæ, Comitatus, conſulatus, monetæ, telonia, fodium, portus, pedatica, molendina, piſcatiæ, omnis utilitas ex decurſu fluminum proficiſcens. *&c. t. t. quæ ſint regalia, in uſibus feudorum.* Inter quæ etiam armaticæ referuntur, h. e. fabricæ & publica armamentaria, quæ ſibi ſemper Principes vindicarunt. *Novell. 85.* Hæc omnia Principes ac civitates Italiæ dimiſerunt Friderico, & jure beneficii rurſus quædam ab eo acceperunt. Prudens certe inſtitutum Friderici agnoſcimus, quod integrum jus majeſtatis conſervavit, omneſque reditus coacervare voluit: factumque eſt exinde, ut ad 20000 talenta in fiſcum annuo vectigali fuerint redacta. *Sigon. lib. 12. de regn. Ital.*

5. Fridericus Imp. Principibus ſerio mandavit, ut ſecundum pacta filiis Vladiſlai patrimonium redderent. Anno igitur Chriſti 1163 SILESIA accepit primos ſuos Principes, cum poſt bellum Barbaroſſæ divideretur inter tres filios Vladiſlai. BOLESLAUS procerus, primus PRINCEPS SILESIÆ, vir bellicoſus & juſtus, adeptus eſt Sileſiæ ditionem mediam, quæ eſt velut umbilicus SILESIÆ, nempe VRATISLAVIAM & LIGNICIUM: MIESLAUS factus eſt dominus Sileſiæ ſuperioris: CONRADO adoleſcenti valetudinario data eſt Sileſia inferior, h. e. GLOGOVIA, CROSNA, & SAGANUM: ita tunc quaſi eſt conſtitutus DUCATUS GLOGOVIENSIS. Ab hac igitur Regia Polonorum ſtirpe deſcendunt illuſtriſſ. PRINCIPES SILESIÆ, hodie ſuperſtites: & Sileſia prius afflicta, perpetuiſque vaſtationibus bellicis exhauſta, hoc tempore reſpirare & coli cœpit. *Chronic. Polon.*

6. Fridericus Imper. cum A. C. 1155 expeditionem in Italiam ſuſcepiſſet, illo abſente diſſidiis privatis, inter Arnoldum Moguntinum (quem Imper. Vicarium Imperii conſtituerat) & Hermannum Palatinum coortis, Germania ad Rhenum turbata eſt. Quod ubi cognovit Imp. ex Italia reverſus hanc rem mali exempli vindicandam cenſuit, & Moguntino quidem propter ætatem & ordinem, & quod author rixæ & tumultus non fuiſſet, pepercit. Sed Hermannum Palatinum coëgit vivum canem poſterioribus pedibus ad humeros alligatum Spiræ Nemetum in ſpectaculis publicis circumferre. *Otto Friſing. Peucer. 4. Chronic.* Tali enim cenſura notabantur, qui ex ſummis Ordinibus petulanter pacem publicam turbaſſent. Bono quippe juſtitiæ proxima eſſe debet ſeveritas. *Pub. Mim.* & quicquid prodeſſe poteſt ſeveritate, nunquam nocuit exitio. Quinimo magna exempla, quo ſunt conſpectiora, eo cæteros à maleficio deterrent & abſtinent vehementius. *Quintil. declam. 7.*

Hac de re, quod nempe olim inſignis infamiæ indicium fuerit, ſi canem, vel circa caſtra, vel ad locum certum rebellis, vel aliorum criminum reus, in humeris portare coactus eſſet, talis exſtat deſcriptio apud *Guntherum lib. 5.*

Quippe vetus mos eſt, ut ſi quis Rege remoto,
Sanguine, vel flamma, vel ſeditionis aperta
Turbine, ſeu crebris regnum vexare rapinis
Audeat: ante gravem quam ſuſo ſanguine pœnam
Excipiat, ſi liber erit, de more vetuſto,
Impoſitum ſcapulis ad contigui comitatus
Cogatur per rura Canem *confinia ferre.*
Sin alius, Sellam. *Cujus diſpendia pœnæ*
Ille Palatina cuſtos celeberrimus aula

Non potuit vitare Comes, cunctiſque videndus
Portavit ſcapulis paſſus plus mille latrantem.
Hanc quoque tunc alii ſimili pro crimine pœnam
Suſtinuere decem Comites, totidemque coacti
Fœda tulere canes generoſo pondera collo, &c.

NOTA.

Quidam Critici ſtatuunt *ſelem*, h. e. catum, pro *Sella* legendum eſſe. Nonnulli vero per *Sellam*, ſellularios & ſedentarios tanquam ignavos & viles homines notatos fuiſſe exiſtimant. *Sellam* enim fuiſſe ignaviæ ſymbolum, ut canis contumaciæ & impudentiæ.

V. CLEMENTIA. Memorabilis eſt ad omnem poſteritatem clementia Friderici, quam Mediolanenſibus toties rebellibus & perjuris exhibuit. Cum enim ſupplices eſſent facti Mediolanenſes, eum dixiſſe accepimus; Se lætari, quod tam claram civitatem DEUS admoniſſet, ut aliquando clementiam, quam vim ſuam experiri mallet; & licet aſperius in ſe conſulendi cauſam Mediolanenſes dediſſent, ſe tamen eo animo eſſe, ut volentibus quam coactis mallet imperare. *Sigon. lib. 12. de regn. Ital.*

VI. BENEFICENTIA. Fridericus Imp. beneficus & liberalis erat, & beneficia non differebat, ne coacta viderentur. Beneficia namque coacta gratiam amittunt. *Dio lib. 64.* de Galba refert: Quem cum Prætoriani Neronis urgerent, ut ſe in eodem militiæ gradu retineret, Galba autem adſenſum ſuſpenderet, tumultuantibus Prætorianis ob id, exercitu contra eos miſſo, ſeptem millibus cæſis in reliquos decimatione ſæviit. quo loco Hiſtoricus: *Galba videlicet, licet ætate & morbo confectus eſſet, tamen mente vigebat & conſilio, putabatque indignum eſſe, Imperatorem coactum aliquid facere: quod pluribus exemplis docuit.* Cum enim iidem poſtea pecuniam peterent Prætoriani, negavit pure, cum his verbis: *Legere ſoleo militem, non emere.* Cumque populus vehementer poſtularet, non conceſſit: quos fortaſſe, ſi ab eo poſtulatum non fuiſſet, interfici juſſiſſet. Fridericus Barbaroſſa Imper. apud *Gunth. lib. 6.* plane cum Galba ſenſit, cum ita inquit:

Ergo pudet, populo quaſi debita cogar avaro
Solvere, cui magni ſolvunt indebita reges.

II. *ACTA SAGATA.*

Matthias Caſtrutius lib. 2. de Principibus German. fol. 134. hunc Fridericum nominat Principem bellicoſiſſimum omnium bellicoſorum Principum. Quod etiam ex rebus ejus præclare geſtis patet. Nam ſex expeditiones in Italiam ſuſcepit, (quarum præcipuas enarrabimus) & ſemper victor domum reverſus eſt: Ita ut à quibuſdam *malleus Italiæ* dictus, qui ſeditioſos percuſſit atque contrivit, eoſque in officio manere coëgit: idcirco Itali eum vocarunt Imper. bellicoſum, non pacis ſtudioſum; Germanice Krieg-reich / nicht Frid-reich. Quod autem ſemper ab hoſtibus victoriam reportaverit Fridericus, pietati ejus adſcribendum eſt. Nam primo omnium in DEO ſpem ſuam ponens, adſcitis religioſis & ſanctitate probatis viris, tanquam divinum oraculum eos conſultabat, ut iturus ad bellum ſpiritualibus armis ante muniret animam, & corpus ante cœleſtibus diſciplinis præſtrueret, quam ad pugnam iturum militem militaribus inſtrueret præceptis. *Radevic. lib. 4. cap. 14.*

I. *Bellum Italicum.*

Expeditio prima.

1. A. C. 1154 FRIDERICUS, compoſitis rebus domeſticis & Germanicis, iter in Italiam ſuſcepit, tum ut, ſedatis motibus inteſtinis, quos civitates quædam cupiditate Imperii concitarant, imperii coronam pro more acciperet: tum ut Rogerio Apuliam & Calabriam extorqueret. Itaque Comitiis Conſtantiæ habitis, copias collegit maximas. Venerunt autem eo Laudenſes ex Italia, ac fœdo & miſerabili habitu aſſumto, cruces ſupplicantium more geſtantes, ad tribunal Imperatoris adſtiterunt, ſuæ patriæ calamitatem exponentes, quas illa ſub impotenti & ſuperbo Mediolanenſium imperio per annos amplius 40 perferret. Fridericus, auditis eorum querelis, bonum eos juſſit habere animum, ſeque propediem maturum auxilium ipſis allaturum promiſit. Sed Mediolanenſes, quamvis literas monitorias à Friderico acceperint, ut Laudenſes priſtinæ libertati reſtituerent: tamen pro concepta ex ſecundis rebus ſuperbia, non ſolum mandata regia deſpexerunt; ſed etiam legatis Imperatoriis manus intulerunt. Quo facto Mediolanenſes ulciſcendos ratus Fridericus, cum jam Italiam cum exercitu ingreſſus fuerat, equitatum ad urbem admovit: ad cujus conſpectum juventus Mediolanenſium urbe armata exiit, prœliumque commiſit, verum in fugam acta, ac magna ex parte deleta, in urbem ſe recepit. Fridericus inde Mediolanenſium ſuperbiam ſatis, ut in præſens, caſtigatam arbitratus, reliquas Lombardiæ partes perluſtrare perrexit. Derthonenſes exinde, quoniam à partibus Mediolanenſium ſtabant, arctiſſima obſidione preſſit: qui ingentibus malis preſſi, atque ad ſummam inopiam cibariorum adducti, idib. Aprilis, A. C. 1155, ſe dediderunt. Imperator ſolis hominibus ſalute data & conceſſa, urbem direptioni

reptioni militum expoſuit, eamque ſolo æquavit. Hæc agentem *Papienſes* adierunt, eumque ad urbem ſuam Derthonenſi triumpho cohoneſtandam rogarunt: æquum enim eſſe, ut & Rex tam nobili parta victoria meritum triumphum ageret, & urbs, ipſius quondam regni ſedes, hunc à Rege ſuo honorem acciperet. Fecit haud gravate Fridericus, ut, quorum cauſa bellum ſuſceperat, apud eos gratulationem victoriæ celebraret. Inde fauſtis acclamationibus ab omnibus REX ac DOMINUS ſalutatus, atque in ædem S. Michaëlis, ad quam olim regia fuerat Longobardorum, deductus, coronam ferream capite, manu ſceptrum, honoris cauſa geſtavit, gratiaſque DEO de tanta victoria egit.

Hiſce peractis, Imperator Romam verſus iter inſtituit, ut ibi à Pontifice coronam Imperii auream more ſolenni acciperet. Cum autem tranſcenſo Apennino Romam appulſiſſet, ei occurrit Senatus Romani LEGATUS: de Senatus erga Imperatorem voluntate & benevolentia ſumma referens: Si more ſolito ipſe ingrederetur, nempe in curru aureo, purpuratus: hoſtibus, quoſcunque haberet, domitis, currumque præcedentibus: & denique, ſi injuſtum à ſe clericorum dominatum depelleret, ac Senatui quinquies mille argenti libras daret: Quod niſi præſtiterit, nullum ei in urbem patere ingreſſum. Sed cum pro tempore hæc poſtulatio plena inteſtinæ diſſenſionis eſſet, ei Fridericus locum non dedit, ſed reſpondit: Grata quidem eſt veſtra promiſſio, ſed cara nimis licitatio. Romanis autem forte magis conſultum foret, amicitiæ potius noſtræ, quam armorum experimentum capere. Pontifice igitur ad ſe evocato, coronationem ab eo petiit. Papa expoſtulavit cum Imperatore, quod ipſum excipiendo in caſtris, forte ſiniſtra ſtrepam Pontificis tenuiſſet, cum debuiſſet dextram admovere. Poſtulavit & alia Pontifex ab Imperatore, quæ tum præſtari non potuerunt. Convenit tamen eatenus inter eos, ut una ambo, cum aliqua parte exercitus, noctu, honeſto dolo urbem ingreſſi ſint. Pontifex Fridericum in æde S. Petri coronavit 6 Kalend. Julii: circumquaque Cæſarianis militibus templum cingentibus.

Conſecratione peracta, Imperator mox urbe exceſſit, prandium in pratis Neronianis ſumſit. Romani ubi audiverunt, Fridericum ſine authoritate ac præſentia ſua à Pontifice coronatum, prope in furorem adducti, magno impetu Tyberim trajecerunt, atque ad ædem S. Petri progreſſi, paucos ſtatores, qui ibi remanſerant, interfecerunt, & Cardinales aliquot ſpoliarunt. Urbano tumultu in caſtris audito, Fridericus Pontificem & Cardinales à Romanis oppreſſos ſuſpicans, militem, qui corpora curare, atque ex æſtu ſe recreare parabat, ſubito armari juſſit, eoque adverſus Romanos adducto, prœlium duplex inivit, unum prope arcem cum Romanis, alterum juxta piſcinam cum Tranſtiberinis. Ubi per aliquot horas incerto eventu pugnatum eſt. Romani cum vim Germanorum ſuſtinere non poſſent, terga verterunt: prœlium à decima diei hora cœptum nox ipſa diremit: cæſi, aut in Tiberim merſi, ex Romanis prope 1000. capti ferme 200. vulnerati innumeri, reliqui fuſi & fugati in urbem ſe receperunt. Fridericus victor cum ſuis in caſtra rediit, ac quieti cum exercitu ſe tradidit. Deinde iter ſuum verſus Germaniam inſtituit. In reditu multos infidos & rebelles Italos domuit. Spoletum totum evertit, tantum pueris & fœminis parcens. Moris erat veteris, ut Imperatori in Italiam trajicienti, aut ex Italia abeunti, Veronenſes pontem in Atheſi, quo commodius ac facilius traduceret exercitum, compararent. Tanto vero tum odio adverſus Fridericum ardebant, quem de jure ſuo nihil conceſſurum eſſe cernebant, ut non ſolum fraudem in ponte conſtruendo commiſerint, quo ipſum una cum exercitu perderent; ſed ubi dolus non ſucceſſit, inſidias eidem nonnulli in faucibus Alpium coacta militum manu pararint. Quibus ille evitatis, ac eorum exercitu cæſo & fugato, Dueibuſque captis, (quorum undecim ſuſpendi juſſit,) incolumis in Germaniam evaſit. *Chron. Urſp. Spangenb. Otto Friſing. lib. 2. cap. 21, 22, 23. Helmoldus. Crantzius.*

Expeditio II, in Italiam ſuſcepta ob Mediolanenſium rebellionem.

A.C. 1158, Fridericus Imper. ſecundam expeditionem in Italiam ſuſcepit ob Mediolanenſium rebellionem, qui Papiam & Novariam diripuerant, Derthonam vero antea ab eo deſtructam repararant, & Italiam armis compleverant. Hos igitur ita adortus eſt, ut obſeſſos dedere ſe cogeret, & ſupplices factos in fidem reciperet. Sed hæc pax nec ſeptem menſibus duravit, cum Mediolanenſes, cupiditate imperii in tota Lombardia occupandi, multa inſolenter facerent, proxima oppida alia injuſte premerent; alia ad ſervitutem adigerent, nec mandatis Imperatoris obtemperarent. Fridericus igitur recte exiſtimans dignitatem imperii impunitis rebellibus ſalvam eſſe non poſſe, internecino bello eos perſequi conſtituit. Quanquam vero diutius Mediolanenſes obſidionem, quam ſpes erat, ferebant; tamen cum neceſſitas famis ingraveſceret, & contra naturam pugnare non poſſent, recte à Guidone Comite Blandrati admoniti ſunt, ut

tempori cederent, ac potentiori & armis præpollenti obedirent, ſpe propoſita, quod ſervitutis ignominiam imperantis dignitas conſolatura eſſet, & facile eos clementiam impetraturos, ſi non ad extremum arma retinerent. Miſſis ergo legatis, & uſi interceſſione regis Bohemiæ, & Ducis Auſtriæ, certis conditionibus pacem impetrarunt: Conſules ſtrictos ſub collo ferentes gladios, & cruces in pectore, ſupplices veniam petebant, & in has conditiones jurabant: Quod Comum & Laudem urbes priſtinæ libertati reſtituere, novem millia marcarum auri pro reſarciendis injuriis pendere: Conſules deinde ab Imperatoris auctoritate creare, eique omnia regalia cedere vellent. Fridericus cum ſupplices eſſent facti Mediolanenſes, dixiſſe fertur, ſe lætari, quod tam claram civitatem DEUS admoniſſet, ut aliquando clementiam, quam vim ſuam experiri mallet; & licet aſperius in ſe conſulendi cauſam Mediolanenſes dediſſent, ſe tamen eo animo eſſe, ut volentibus, quam coactis, mallet imperare. *Sigonius lib. 12. de reg. Ital. Radevic.*

Expeditio III in Italiam.

Cum Mediolanenſes jugum ſervitutis amiſſa dominatione ægre ferrent, novaſque res adſcito Pontifice Romano in ſuas partes moliri cœpiſſent, & eorum exemplum aliæ item civitates ſecutæ, majeſtatem Friderici revereri nollent: Imperator acriter ſane Mediolanenſium urbem oppugnandam decrevit, ſed tamen omnia conſilio prius experiri quam armis voluit: & proinde Mediolanenſes judicio prudentum ad dicendam cauſam evocavit Bononiam. Sed cum contumaces eſſent, & tacite majeſtatem ejus contemnerent, de ſententia Juriſconſultorum eos condemnavit, ac res direptioni, perſonas ſervituti addixit. Struxerant quidem Friderico Mediolanenſes variis modis inſidias, ſed divino auxilio ſervatus eſt. Proinde Imp. A. C. 1161. 4 Kalend. Junii, adductis ſibi è Germania copiis urbem Mediolanum obſedit, ratus, dum ea urbs incolumis ſtaret, ſe haudquaquam quietam Italiam habiturum. Clauſam igitur undique, omnium rerum pretiis auctis, magna civitatem caritas primum, deinde impedita cibariorum invectione, inopia cœpit; nec abfuit civilis quædam inter cives diſſenſio. Itaque extrema neceſſitate compulſi Mediolanenſes ſe poteſtati Friderici permiſerunt, & urbis deditio A. C. 1162. pridie Miſericordias Domini, 5 Non. Martii, hac ratione facta eſt: Conſules Mediolanenſes ex auctoritate Concilii Laudem ad Fridericum profecti, ſtrictos gladios tenentes, libere omnia, quæcunque ille imperaſſet, facturos, atque eodem quoque cives ſuos omnes ſacramento obligaturos jurarunt, & poſt biduum trecentos equites totius civitatis nomine, 36 vexilla, & claves urbis, detulerunt, & præceptis ejus ſe parituros jurarunt. Fridericus ergo mox muros dejici, omneſque domos everti curavit, & per ruinas murorum urbem ingreſſus ſolis templis pepercit. Cæterum per medium urbis aratrum in crucis modum traxit, & ſalem adſperſit. Sic enim civitates mori dicuntur, ſi nempe aratrum in eas inducatur. Sic legimus *Judic. 9. verſ. 45.* quod Abimelech civitates Sichem, & Thebez, expugnatas dirui & ſale conſpergi juſſerit. Nam olim Duces bellici, ſi quæ oppida expugnaſſent, quæ nunquam inſtaurari, ſed in perpetua vaſtatione relicta volebant, illorum areas ſale conſpergebant.

In hac expeditione Fridericus Cremenſibus quoque, quod Mediolanenſibus auxilium tuliſſent, bellum intulit, & Crema urbs munitiſſima poſt 7 menſium obſidionem ſe dedidit Imper. hac conditione, ut vita civibus indulta cum conjugibus ac liberis quovis ire liceret, de rebus ſuis quantum quiſque humeris ferre poſſet, ſecum exportantibus. Crema igitur, egreſſis inde circiter 20 millibus hominum, flammis tradita, & militum direptioni permiſſa eſt.

His rebus confectis, reliquæ civitates gravi & utili exemplo, alienis malis admonitæ & doctæ, officium fecere ſuum, ac miſſis legatis majeſtatem imperii *Friderici* agnoverunt. *Sigon. lib. 12. de regn. Ital. Radevicus. Annal. Suev. H. Mutius. lib. 18. fol. 167. 168.*

II. *Bellum Polonicum.*

A. C. 1187. *Fridericus* Imp. in Poloniam movit. *Ladiſlaus* olim Rex Poloniæ, gener *Henrici V.* Imper. pulſus jamdudum erat à fratribus: hunc in Poloniam recipi volebat Imper. & annuum tributum ſolvi: cum neutrum fieret, eo proficiſcitur comitante *Wenceſlao* Bohemo. Quamvis autem Polonus ſuam ditionem ipſe vaſtaverat, ne Imperator commeatum haberet, tamen perventum eſt in mediam Poloniam, & omnia crudeliſſime vaſtata ſunt, donec ſupplicanti Polono & omnia promittenti, mulctamque ſolventi, pax daretur. *Spangenb. Radevic. D. Johan. Adelph.*

III. *Bellum Saxonicum.*

Cum *Fridericus* Imp. A. C. 1174. iterum expeditionem in Italiam ob ſeditiones ab *Alexandro* Papa excitatas (de quo infra in Actis Eccleſ. dicemus) ſuſcepiſſet, in ea expeditione turpiter proditus & deſertus ab *Henrico Leone* Duce Saxoniæ & Bava-

Bavariæ, in tantum venit diſcrimen, ut ex equo ſit deturbatus, & diu deſideratus. Hanc perfidiam *Henrici* ut puniret, ſumma rerum in Italia ducibus *Ottoni Witelbachio* & *Bernhardo Anhaltino* commendata, clam profectus in Germaniam, Bambergæ in frequenti Principum Senatu accuſatum eum proditionis & criminis læſæ Majeſtatis proſcripſit, & deinde ad exercitum rediit. Cum vero Imp. in Italiam eſſet reverſus, *Henricus* multa crudeliter egit; ideo cum in Comitiis, A. C. 1179. Wormatiæ inſtitutis, omnes vicini de violentia & injuria ejus conquererentur, ad proxima Comitia citatus eſt, ſed non comparuit. Anno igitur ſequenti *Henricus* cum aliquoties citatus non comparuiſſet, à Statibus condemnatus criminis læſæ Majeſtatis, privatus omnibus bonis, & ex imperio proſcriptus. Bavariæ Ducatus datus *Ottoni Witelbachio*. Hujus majores olim ab *Henrico* primo Imper. Bavaria ejecti fuerant. Saxoniæ vero Ducatus datus eſt *Bernhardo Anhaldino*, qui donatus urbibus Witeberga & aliis, inſignia ſertæ rutaceæ accepit, ut diſcrimine aliquo à fratribus diſtingueretur.

Henricus proſcriptus, animoſe Principibus & Epiſcopis, qui regiones ipſius ab Imperatore conceſſas occupare volebant, reſtitit, Colonienſem (qui Ducatum Weſtphaliæ & Angriæ acceperat) aperto prœlio vicit: *Halberſtadium* expugnavit, ignique tradidit, Epiſcopum captivum abduxit. Northuſium itidem expugnavit, & Mulhuſium. Item Landgravium & novum Ducem Bernhardum bello invaſit, ambos vicit, & Landgravium cepit, & præda dives Brunsvicum rediit.

Fridericus Imp., cum *Henricus* undique victoriam exerceret, ne imperii decreta vana eſſent, A. C. 1182. cum exercitu contra eum profectus eſt, totaque Saxonia eum expulit, urbes ejus & arces occupavit, & tandem *Lubecam*, valido præſidio ab *Henrico* firmatam, obſedit: quæ cum obſidionem tuliſſet ad aliquod tempus, impetravit ab Imperatore, ut liceret ſibi in ſuis anguſtiis Ducem *Henricum* conſulere: qui ſuaſit, ut ſe dederent: quæ fides adeo placuit Imperatori, ut Lubecam deditam privilegiis augeret, & pro inſignibus urbis Aquilam geminam daret. Exque eo tempore Lubeca cœpit eſſe libera imperii civitas. Et jus municipale, quod ex confirmatione *Friderici* accepit, adhuc retinet; paucis tantum mutatis in libro edito anno Chriſti 1586. Retinet & jus Majeſtatis ac Imperii; quod reliquæ civitates ejus ſupremum tribunal appellando & ſupplicando agnoſcere cogantur; quod tamen alii in vim conſilii fieri exiſtimant.

Henricus pulſus Danum pro auxiliis imploravit: ſed & hoc fruſtra fuit. Ideo tandem comparuit coram Imperatore, & miſericordiam ejus imploravit; qui ſuaſit ei, ut Imperio per triennium cederet, & ſibi Ducatum Brunsvicenſem & Lunæburgenſem retineret. Atque ita in Angliam abiit, ubi in Normannia ſumtibus Regis Angliæ ſuſtentatus fuit. Cum autem Imperator A. C. 1189. expeditionem in Palæſtinam (in qua etiam periit) ſuſcepiſſet, *Henricus* ſua recuperare conatus eſt, Hamburgum & Holſatiam ſtatim recepit. *Bardevicum* obſidione cinxit, & tandem vi expugnavit, & plane excidit, ut etiam adhuc deſtructa jacet: ex cujus ruderibus Lunæburgum crevit. Inde Lubecam venit, & eam etiam deditione cepit. *Chronicon Spangenb. Fabr. Annal. Suev. Chronic. Philip. Crantz. lib. 7. Saxon. cap. 41.*

IV. *Bellum ſacrum.*

1. TA' ΠΡΟΗΓΟΎΜΕΝΑ.

I. Cum SALADINUS Ægypti Sultanus A. C. 1187. contracta ingenti copia militum, in Palæſtinam irruiſſet, ac recepta Hieroſolyma, & tota fere Syria in deditionem accepta, jam Armeniam invaſiſſet, multoſque Chriſtianorum exercitus incredibili ſucceſſu diverſis in locis concidiſſet, videreturque, niſi reprimeretur, tota Aſia potiturus; *Fridericus* Imp. intellexit ſui officii eſſe, tam crudele latrocinium hoſtium tam immanium, ubicumque poſſet, à Chriſtianis depellere; & turpe eſſe exiſtimavit deſerere & prodere hoſtibus pugnantes pro ſalute publica Chriſtianos, quæque majorum ſanguine parta eſſent, per ignaviam ſinere perire. Idcirco A. C. 1188. Moguntiæ Comitia egit, in quibus cum ſuo filio *Friderico* & multis aliis Principibus & Comitibus Dominica Lætare *Peregrinationem ſacram* vovit, & ſtatim præmiſit Epiſcopum Moguntinum, qui commeatum expediret per Hungariam Conſtantinopolim uſque. Miſit etiam Imperator legatum ad *Saladinum Henricum* Comitem Dicenſem, qui Saladino, niſi terram ſanctam reſtitueret, bellum indicaret: cui Saladinus animoſe reſpondit in literis, quæ exſtant apud Pariſienſem, & Baronium, datæque ſunt anno *Heg.* 548.

II. *Fridericus*, antequam in Aſiam expeditionem ſuſciperet, omnia, quæ ad Reipubl. ſalutem & adminiſtrationem rectam pertinerent ſanxit & conſtituit, & facto pariter & ſermone eleganti virtutis vim expreſſit. Nam facta pace cum fœderatis Lombardicis civitatibus, iis clementer ignovit: *ut eſt text. in c. unic. de pace Conſtantiæ in uſib. feud. lib. 5.*

III. *Fridericus* ingentem exercitum collegit, (qui è centum & quinquaginta millium armatis viris

ris constabat) & in societatem belli sacri *Richardum* Regem Angliæ, & *Philippum* Regem Galliæ adscivit, ut conjunctis eorum viribus Saladini potentiam sustinere rectius & infringere celerius posset: πλειόνων γὰρ τὸ ἔργον ἄμεινον, h. e. multorum opus est magis expeditum: ait Ajax apud *Homer. Iliad.* 1. si fœderis certa est fides.

Sed tamen auxiliis externis non ita credendum esse, quin Princeps plus sui roboris, suarumque prope virium habeat, *Liv. lib.* 28. hæc historia singulariter arguit. Nam in suis spes melior.

IV. Cum Imperator A. C. 1189. die 9 April. iter ingressus fuisset, & in Burgundiam venisset, inde præmisit legatos Constantinopolim: qui in carcerem conjecti sunt, & *Isaacius* Constantinopolitanus Imperator *Friderico* nunciari jussit, se transitum concessurum, si ibi homagium & subjectionem jurare vellet, obsides daret, & dimidiam partem Palæstinæ; alias iter impediturum. Sed *Fridericus* progressus die 25 Aug. *Philippopolin* cepit, unde cives omnes profugerant. Inde cum *Isaacius* omnes vias concædibus muniret, & exercitum opponeret, *Fridericus* 600 Græcorum occidit, & vias patefecit. Quapropter *Isaacius* legatos, quos in carcerem conjecerat, liberavit, & *Friderico* remisit: tandem Adrianopolim pervenit Imperator, die 22 Novembris: ubi commeatum in multos menses invenit.

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

FRIDERICUS cum in mediam Asiam cum suis copiis jam ingressus fuisset, Turcæ ei occurrerunt die 7 Maii A. C. 1190. & magno prœlio certatum; victi Turcæ, & ceciderunt ad 6 millia: non amplius accedere ausi, è longinquo nostros observarunt. Cum ibi nostrorum quidam, ut equum relevaret tanto pondere, ex equo descenderet, & pedes equum duceret, solus accurrit quidam Turca: sed noster uno ictu equo Turcico anteriores pedes ambos abscidit, & iterato ictu, Turcam adhuc residentem in equo per caput medium dissecuit, ita ut & sella scinderetur, & equus etiam in tergo vulneraretur: ut *Nicetas* habet. Die 13 Maii, die Pentecostes iterum copia ingenti Turcæ *Friderico* occurrerunt: sed iterum fugati, & eorum ad 10 millia ceciderunt, nullus nostrorum vulneratus, nisi quod filius Imperatoris *Fridericus* in facie lapide percussus, & bini ipsi dentes excussi sint. Die 19 Maii iterum pugnarunt cum hostibus, & Iconium Lycaoniæ urbem ceperunt, ubi præter commeatum, quo hactenus destituti fuerant, etiam thesauros pecuniæ invenerunt. Hi successus tam subitam pepererunt inclinationem rerum in Asia, tantumque incusserunt *Saladino* terrorem, ut rebus desperatis munitarum urbium dejiceret propugnacula, & demoliretur arces, deque Asia relinquenda consilium caperet. *Fridericus* enim victricibus armis progressus Ciliciam ei eripuit, exercitibus Saracenis deletis. Alibi ad litus Rex Angliæ multas Saladino urbes ademit. Ita cum ipso victoriarum cursu Saladinus repressus esset, Asia servitutis metu liberata est.

III. TA' ΠΑΡΕΠΟ'ΜΕΝΑ.

Potuissent tunc penitus extingui, aut certe ex Syria & Ægypto expelli Saraceni & Turcæ. Sed casus inopinati miscuerunt hæc omnia misere. Nam *Guilhelmus* Siciliæ Rex, qui maria custodienda, commeatusque Christiano exercitui suppeditandos susceperat, alienissimo plane tempore diem suum obiit: & ipse *Fridericus*, Princeps ille maximus & splendidissimus, & tum corporis, tum animi summis dotibus clarus, quoque subita morte, proh dolor! extinctus est: de quo suo loco plenius dicemus. Exercitus vero fame, morbis & armis compressus, cladem ingentem accepit. Tum simultate etiam inter *Philippum* & *Richardum* orta, dissipatæ sunt copiæ; & Rege Galliæ domum redeunte frustra fortunam tentavit rex Angliæ. *Urspер. Naucler. Chron. Spangenb. Chron. Philip. D. Johan. Adelph. Baptista Egnatius. Pantaleon.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. Magnum in FRIDERICO Imp. fuisse studium religionis, ostendunt plurima ejus monumenta. Multa enim Collegia Regularium (ut vocant) instituit, ut in illis colerentur studia doctrinæ Christianæ, quæ videbat negligi in collegiis & monasteriis opulentioribus propter opes & luxum. *Chron. Philippi.*

II. Facta est & NOVA CONSTITUTIO *Friderici* pro scholasticis. *Cod. 4. tit. 13. lib. 5.* cujus hoc est initium: Decernimus, ut nullus de cætero tam audax inveniatur, qui aliquam Scholaribus injuriam inferre præsumat, *&c.*

III. A. C. 1152. Mens. Sept. Magdeburgi dissensio orta est in Electione Archiepiscopi: utraque pars provocavit ad Imperatorem. Imperator, qui præsens adfuit, cum difficilis esset inter hosce duos electio, propter æqualitatem votorum, suasit ut Episcopum Cizensem virum nobilem eligerent; & obtinuit: Ea de causa *Eugenius* Papa (cum quo paulo ante *Fridericus* fœdus inierat, quod vellet Romanos seditiosos compescere: contra Papa promiserat, se *Fridericum* coronaturum, & auxilia ad Græcos Italia pellendos missurum) vehementer iratus fuit Im-

Imperatori, ſed anno ſequenti extinctus eſt. Succeſſit ei *Anaſtaſius* IV, qui tantum annum unum, & 4 menſ. ſedit. *Baronius*.

IV. Cum *Anaſtaſius* IV Papa diem ſuum obiiſſet A. C. 1154, in ejus locum electus eſt *Nicolaus* natione Anglus, qui aliquot annis in Suecia docuerat, & dictus fuit *Hadrianus* IV. Inter hunc Papam & Imperatorem perpetua fuit diſſenſio. Circa quam tria ſunt notanda:

I. ORTVS.

Ortus hujus diſſenſionis fuit *Juris Majeſtatis aſſertio*. Nam, 1. FRIDERICUS Imp. non attento facto prædeceſſorum ſuorum *Henrici* V & *Lotharii* Saxonis, jus inveſtituræ ſeu collationis beneficiorum Eccleſiaſticorum ſibi pro antiqua conſuetudine uſurpare cœpit.

2. Romani affirmare ſoliti, imperium urbis & regnum Longobardorum donatione Pontificum Imperatores habere, atque ideo *Lotharium* Imperatorem pinxerant Pontifices in palatio Lateranenſi Romæ, ſubſcriptis hiſce verſiculis:

Rex venit ante fores jurans prius urbis honores.

Poſt homo fit Papæ: *ſumit quo dante coronam.*

Homò fit Papæ, h. e. fit Vaſallus Papæ, ut jam loquimur. Hanc picturam deleri voluit *Fridericus*.

II. PROGRESSVS.

1. PAPÆ ad *Imp. legatio*. Cum *Fridericus* Imp. de jure Imperii nihil cedere vellet, nec formulam à *Lothario* præſcriptam ſequi; *Hadrianus* Papa Legatos ad Imp. miſit cum literis, & inter alia poſuit hæc verba, quod Imperator cogitare deberet, Papam inſigne Imperialis coronæ Imperatori contuliſſe, nec pœnitentia moveri, etiamſi majora beneficia ipſi conceſſiſſet.

II. *Friderici indignatio*. *Fridericus* autem penitus rem conſiderando ægre tulit, ſuam dignitatem beneficii Pontificii jure cenſeri debere: Dixit ergo Legatis, ſe ſoli DEO & Principibus Germaniæ acceptum ferre imperium. Deinde miſſis per totam Germaniam literis Principes rogavit, ne tanti Imperii Majeſtatem, à majoribus ſuorum ingenti cum nominis ſui gloria partam, imminui ſua negligentia paterentur. Datis etiam ad Hadrianum Pontificem literis, ob hujus rei indignitatem expoſtulavit. Olim ingens imperium Eccleſiam extulit, ſcribens, nunc Eccleſia deprimit imperium. Cœptum eſt à *pictura*, inde ventum eſt ad *ſcripturam*; nunc *ſcriptura auctoritas* completur. Non patiar, imo ante coronam deponam, quam de Imperii auctoritate detrahi quicquam ulla ratione permittam: *pictura* deleatur, *ſcriptura* revocetur, ne inter regnum & ſacerdotium alterna ſimultatum monumenta ſuperſint. Ideo etiam iter in Italiam accelleravit.

III. *Reconciliatio*. Cum *Fridericus* magno exercitu Italiam ſuiſſet ingreſſus, Papa ſibi metuens, legatos ipſi obviam miſit, ſcripſitque: ſe, quæ *de beneficio* collato dixerit, *beneficii* nomen non de *feudo*, ut uſitatum alias eſt, accipere, ſed tantum de *benefacto*: nec ſe hæc velle, ut ignominiæ ſint Imperio, & ſe petere reconciliationem: ideo pax facta.

IV. *Nova diſſenſio*. Cum autem *Fridericus* Imperator in Italia moraretur, de jure illius regni cognoſcendo, quatenus ad ſe ſpectaret, Jureconſultis negotium dedit; (de quo ſupra etiam mentio facta eſt) & prudenter ſane rem controverſam ſacerdotibus Juris, ut æquum ab iniquo diſcernerent, commiſit. Ab his judicatum eſt, Italiam Imperatori, jure à *Carolo Magno* tradito, regalia item univerſa, deberi. Item: Prætores, Conſules, cæteroſque Magiſtratus in ſingulis urbibus aſſenſu populi per Imperatorem creari oportere, qui ſacramentum ei dicerent, ac jus civium regnumque tueri ſcirent. Sed hoc *Friderici* inſtitutum Pontifici *Hadriano* non placuit, qui exiſtimabat, integra Imperii Majeſtate vindicata, ſuam Majeſtatem & auctoritatem imminutum iri. Ideoque *Hadrianus* miſſis nunciis ſubmonuit Imperatorem, ne poſthac nuncios Romam ipſo Pontifice inſcio mitteret, neve à populis Pontificiæ ditioni ſubjectis, niſi ſuſcipiendi coronæ tempore, fodium exigeret: nec Epiſcopos Italiæ homagio ſibi obſtringeret. Inde Imperator ipſi reſcripſit more antiquo, & ſuum nomen præpoſuit, Papamque in ſingulari numero appellavit. *Papa* exprobravit hoc Imp. his verbis, *In literis*, inquit, *ad nos miſſis, nomen tuum noſtro praponis. In quo inſolentia, ne dicam arrogantia nomen incurris. Ab Epiſcopis homagium requiris, fidelitatem exigis, Cardinalibus noſtris miſſis non ſolum Eccleſias, ſed & civitates regni tui claudis. Reſipiſce.* Cui reſpondit Fridericus: *Quicquid*, inquit, *Papatus veſter habet, id ex largitione Principum obtinet: unde cum Romano Pontifici ſcribimus, jure antiquo nomen noſtrum præponimus: revolvite annales, & ſi legere neglexiſtis, quod aſſerimus, illic invenitur. Ab Epiſcopis autem, qui regalia noſtra tenent, cur homagium & ſacramenta non exigamus? Aut igitur regalia noſtra vobis dimittant; aut ſi hæc utilia judicaverint, quæ* DEI DEO, *quæ Cæſaris Cæſari perſolvant. Cardinalibus veſtris clauſæ ſunt Eccleſiæ, nec patent civitates. Quia non videmus eos prædicato-*

res, ſed prædatores; non pacis corroboratores, ſed pecuniæ raptores: non orbis reparatores, ſed auri inſatiabiles corraſores. Cum autem viderimus eos, quales requirit Eccleſia, portantes pacem, illuminantes patriam, aſſiſtentes equitati, neceſſariis ſtipendiis & commeatibus eos ſuſtentare non differemus, &c.

III. EGRESSVS.

Hiſce literis Imper. exacerbatus Papa *Hadrianus* ſcripſit ad quaſdam civitates Lombardiæ, ut Imperatori rebellarent, fulmenque anathematis meditatus eſt in *Fridericum*: ſed non multo poſt acceptas ab Imperatore literas, muſcæ involatu in os, ſub hauſtum aquæ ſuffocatus eſt A. C. 1159, die 31 Auguſti, cum ſediſſet an. 4. menſ. 9.

v. Exſtincto *Hadriano* Pontifice, ſchiſma Romæ ortum eſt, & duo Pontifices creati: unum legitime creatum *Victorem* II confirmavit *Fridericus*, alterum *Alexandrum* III rejecit, & anathemate percuſſit. Sed enim cum hanc potentiam *Friderici* & ſummam auctoritatem Itali Romanæ Eccleſiæ addicti multum regno Pontificio detrahere poſſe viderent, Pontificis *Alexandri* III in Gallia commorantis partes ſequi, civitates item fœdere inter ſe facto ſuas vires adverſus Imp. conjungere cœperunt. *Fridericus*, cum *Alexander* Papa percurſa Gallia, Hiſpania, Anglia in Italiam reverſus, Venetos denuo inflammaſſet, ingenti cum exercitu in Italiam profectus eſt A. C. 1174, ac Genua expugnata Romam contendit, quam *Alexander* munire inſtituerat. Romani cognito ejus adventu audacter, ſed infeliciter occurrerunt ad Tuſculum. Nam prœlio commiſſo, Imperator, trucidatis Romanorum civium duodecim millibus, urbem primo impetu cepit, & Papam Paſchalem reſtituit. *Alexander* habitu nautico deceptis cuſtodibus Venetias evaſit. Poſt eam victoriam exercitum peſtis corripuit, quæ abſumſit multos præſtantes viros, atque inter alios *Fridericum Conradi* III Imperatoris filium, & Welphum juniorem. Fugientem Pontificem proſecutus eſt *Otto* Imper. filius ſeptuaginta quinque navibus: cum quo ad Saliorum promontorium in Peruſenſi tractu ad oram Iſtriæ conflixit Venetæ claſſis ductor Cianus, & 48 navibus captis, *Ottonem* interceptum Venetias abduxit. Urbem cum triumpho ingreſſo Pontifex annulum aureum porrexit; quo, ſe authore, in mare projecto, id ſibi deſponderet, ritu prorſus ethnico; & inſtituit, ut ſucceſſores quotannis idem ſtatuto die, nempe Adſcenſionis Domini, facerent: quod ſervatum deinceps in hunc uſque diem.

Quod ergo nec pertinacem ambitionem Pontificum ſi.cti aut infringi, nec immanem ſævitiam reſtingui aut expleri ullis cladibus publicis, ullove tot miſerorum & innocentum hominum ſanguine poſſe animadverteret *Fridericus* Imper. ſatius eſſe exiſtimavit, de ſuo jure aliquid cedere, quam dum civilibus armis omnia perturbarentur, ipſam Rempubl. prodere. Et quidem Saladinus Sultanus mira felicitate uſus, Chriſtianos tota fere Aſia Syriaque (de quo ſupra) ejecerat. Itaque re ipſa monente, Reipubl. ſalutem omni privatæ ſimultati & offenſioni anteponendam eſſe, recte *Fridericus* Imperii tranquillitatem vindictæ ſui doloris præferebat, & quicquid publice ſalutare non eſſet, privatim alienum exiſtimabat. Quare qui ſummis erat præditus virtutibus, ſe ipſum vicit, & Venetiis in colloquium cum *Alexandro* III Pontifice venit A. C. 1177, (cum ſchiſma inter eos 18 annos duraſſet) & ſupplex ei factus in veſtibulo S. Marci pacem ſe ſanctione quadam civitatibus Italiæ conſtituturum promiſit. Modeſtia *Friderici* abuſus eſt Papa, qui pedem collo Imperatoris impoſuit, & juſſit à præcone acclamari: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis.* Sed & cum *Fridericus* indignitate rei commotus dixiſſet; *Non tibi, ſed Petro*: reſpondit Pontifex, impreſſa fortius planta: *& mihi, & Petro.* O inauditam tyrannidem & ſuperbiam! Spectator fuit hujus tyrannidis pontificiæ quidam Miſniæ Marchio Theodorus; qui zelo exardeſcens, propere ad erigendum Imperatorem accurrit, & vultu ipſo juſtam indignationem in Papam oſtendit. Quare territus ille nonnihil amplexus eſt Imperatorem, ad altare duxit, & data acceptaque ſalute, fœdus pacis cum eo iniit a. 1177. De hoc facto Meibomius Profeſſor olim in Academia Helmſtad. venuſtiſſimos hoſce conſcripſit verſiculos, in quibus Imperatorem ita loquentem introducit:

Cur nomen de pace tuli, ſi prœlia nuſquam,
Nuſquam implacati pectoris hoſtis abeſt?
Inferior nulli, tibi ceſſi, Roma: timoris
Cauſa tamen pietas, non Papa, non Veneti.

Huc quoque pertinet triſtis Imperatoris querela de Papis, quæ exſtat apud *Guntherum l. 6. Ligurin.*

Ecce paterna fides, & magni Præſulis alma
Integritas, humiliſque Petri veſtigia ſectans.
Jam non ferre crucem Domini, ſed tradere regna
Gaudet, & Auguſtus mavult quam Petrus haberi, &c.
Ergo quid ad ſummum, dî regni jure, quid, oro,
Pontificem ſpectat? nullum caput iſta ſuper ſe
Adſpicit, excepto Cœlorum Rege, poteſtas.
Eccleſiam regat ille ſuam, divinaque jura
Tamperet, imperium nobis faſcaſque relinquat, &c.

Cogi-

Cogitet antiquos primæui temporis annos,
Prætereitoſque dies, & ſecula priſca revolvat,
Num Petrus, aut Clemens, aut cætera turba piorum
Sceptra Latina dabat? Romanus tempore priſco
Pauper erat Præſul, Regali munere crevit, &c.

Deteſtandam quoque *Alexandri* III Papæ erga Imperatorem perfidiam (quam commode ſupra inſerere non potuimus) huc aſſcribere placuit. Cum FRIDERICUS Imp. adverſus Agarenos, & Soldanum Ægypti Regem, bellum magna virtute & gloria gereret: Pontifex Alexander faciem ejus à pictore coloribus expreſſam ad Soldanum per ſecretum nuncium miſit, literiſque ipſum monuit, ut, ſi quietus vivere vellet, illum per inſidias necaret. Soldanus, acceptis literis cum expreſſa boni Imperatoris imagine, ſtuduit maligno huic monſtro gratificari, & ſe ulciſci de adverſario. Sed occaſio in caſtris aut conflictu nunquam obtulit ſeſe ad explendam proditionem Pontificiam. Cum vero potitus Hieroſolyma exercitum reduceret Imperator, ſecurus partiebatur copias in ſuos ordines, ut eo commodius emenſum iter remetiri poſſent. In Armenia autem cum ſemel ex calore Solis atque itineris difficultate æſtuaret, nihil eſſe periculi in ea nemorum ſolitudine ratus, cum paucis equitibus & ſuo ſacellano ab exercitu diſceſſit. Non admodum procul equo deſcendit, & ut ipſe cum ſacellano in amne lavaret, ad reſtinguendum corporis æſtum, equites juſſit ab amne recedere. Ibique ſtatim benignus Imper. equitibus ignorantibus, cum ſuo ſacellano, ab inſidiatoribus capiebatur, ac per nemora abducebatur ad Sultanum. Ad quem perductus Imperator ſimulavit ſe Imperatoris eſſe oſtiarium. Soldanus de facie, ex imagine à Pontifice accepta, cognoſcens eundem illum eſſe, juſſit ſimulacrum ejus proferri, ac literas à Pontifice miſſas coram eo legi. Imperator ad iſtam proditionem obſtupefactus, videnſque negationi non eſſe locum, fatebatur verum, & ſupplex miſericordiam petiit. Soldanus (quem inſigni clementia erga Chriſtianos uſum fuiſſe tradunt) poſtquam de rebus multis cum Imp. collocutus eſſet, atque intelligeret ex ejus dictis & factis, virum eſſe optimum, in quo nullam virtutem deſideraret bono Principe dignam, & cujus prudentiam, candorem, fidem & integritatem admiraretur: cogitavit ſe ejus dimiſſione plurimum ſibi gloriæ & honoris comparaturum. Itaque conditiones ei pacis propoſuit, atque ut numerata mulcta obſides daret, humaniter obtulit: Illumque tandem ea lege dimiſit, ut ſecum fœdera perpetuæ pacis ſanciret, ac numeraret millies centum ducatos, relinqueretque obſidis loco ſuum illic ſacellanum, uſque ad ſolutionem. Vide *Hiſtor. Eccleſ. Caſpar. Hedionis lib.* 10. *cap.* 8. Variant circa hanc Hiſtoriam authores. Vide *Funccii Chronologiam lib.* 4. *Chron. Philippi.*

CAPUT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΥ'ΜΕΝΑ.

QUemadmodum DEUS magnorum virorum mortem aliquo notabili ſigno mortalibus prænunciare ſolet: Ita neque *Friderici* mors tali ſigno caruit. Nam terræ motus, qui paulo ante intempeſtæ noctis ſilentio coortus fuerat, ab omnibus pro præſagio habitus eſt, fore, ut Imperatori humanitus aliquid contingeret: cui etiam eventus reſpondit, ſicut ex ſequentibus patebit.

II. TA' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Supra diximus, quod *Fridericus* A. C. 1119 expeditionem ſacram in Palæſtinam ſuſceperit, tantoque Saracenis & Turcis terrori fuerit, ut totis horum caſtris trepidaretur. Nec dubium, quin ejus auſpiciis & ductu partis victoriis conſtabiliri per Aſiam res Chriſtianæ potuiſſent, niſi aliter divinæ providentiæ fuiſſet viſum. Jam *Fridericus* minorem Aſiam ceperat, & victor imminebat Syriæ, exercitu & impedimentis per Taurum in Ciliciam traductis: quo in loco, cum, more Germanis uſitato, cum paucis in amne quodam Serra ab accolis dicto per æſtum lavare, & natando ſe refrigerare vellet, vorticoſus amnis eum abripuit atque abſorpſit: quem quidem eodem die non ſine periculo etiam eques trajecerat. Reliquiæ tamen exanimes recuperatæ ſunt. *Naucleri. Chron. Urſperg.*

Alii ſcribunt, Imperatorem, cum in Armeniam infauſto itinere tranſiiſſet, caſtris ad Serram amnem poſitis, refrigerandi ſui cauſa per æſtum in flumen deſcendiſſe, ac redeunti ex aqua hepar male affectum fuiſſe, intraque paucos dies hepatis morbo in Seleucia Syriæ exſtinctum die 10 Junii, A. C. 1190, cum imperaſſet annos 38.

Verba ejus *ἀναγώνια* hæc fuiſſe traduntur: O DEUS omnipotens, qui in primo mundi ingreſſu me miſerum peccatorem per aquam regeneraſti; quia nunc ſub exitum vitæ meæ, per aquam me trahere, eaque quaſi altera vice purgare tibi placuit, quæſo in æternam me deducas vitam. *O Domine Jeſu*, ſuſcipe ſpiritum meum. Et his dictis placide in Domino obdormivit. *Chron. Spangenb. fol.* 277, 278. Sic in ipſo curſu rerum gerendarum præſtantiſſimus heros periit, exemplum humanæ fragilitatis relinquens.

III. TÀ ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ.

SEPULTURA. Filius Imperatoris *Fridericus* (qui etiam paullo poſt ad Ptolemaïdem peſte exſtinctus eſt) comes itineris, cadaver cariſſimi parentis loculo inditum ſecum Tyrum duxit, qua in urbe (quod non de antiqua intelligendum: illa enim nunquam reædificari debuit, *Ezech.* 26. 14. ſed de nova. Illa enim everſa eſt à *Nabuchdonoſore*: Hæc vero ab *Alexandro Magno*; pereuntibus in obſidione 7000 hominum, 2000 ſuſpenſis, & multis millibus venditis. Hinc verſus: Delet *Alexander* flammis ultricibus urbem) eximio funere & publico omnium luctu ſepulturæ traditum eſt. Tantus enim ob ejus mortem luctus & mœror apud omnes excitatus eſt, ut vix fidem capiat, ulli unquam Principum plus lacrymarum datum fuiſſe. *Urſp. Siff. Crantz. Sax. lib. 7. cap. 1.*

NOTA.

Quemadmodum FRIDERICUS pientiſſimus & religioſiſſimus Princeps fuit: Ita quoque in variis caſibus & periculis divinitus protectus eſt. Nam,

I. Cum A. C. 1156 ex Italia in Germaniam eſſet reverſurus, Veronenſes tanto odio adverſus eum ardebant, ut non ſolum in ponte conſtruendo fraudem commiſerint, quo ipſum una cum exercitu in tranſgreſſu perderent; ſed ubi dolus non ſucceſſit, inſidias eidem nonnulli in faucibus Alpium coacta militum manu parârint. Quibus ille evitatis, incolumis in Germaniam evaſit. *D. Johan. Adelph.*

II. Cum *Fridericus* A. C. 1158 in Italiam contra Mediolanenſes expeditionem ſuſcepiſſet, exercitum eorum, qui ipſi occurrit, memorabili prœlio vicit. Itaque Mediolanenſes ad deſperationem converſi (ut Radevicus ſcriptor Germanus prodit) de nece *Friderici* cogitarunt, atque hominem, qui per fraudem illum interimeret, Laudem miſerunt. Is profectus, cum ſtultitia ſimulata caſtra Imperatoris ad Adduam ſita intraſſet, quodam die ſummo mane ſolum egredientem *Fridericum* de tentorio conſpicatus, accurrit: & quoniam immani corpore, & robuſtiſſimis viribus erat, medium corripuit, ut in Adduam de rupe dejiceret: Verum dum Imperator reniititur, funibus tentorii prœpeditus, procumbit: ac cubicularîis ad vocem clamantis *Friderici* advolantibus, comprehenditur, & ex eodem loco præcipitatur.

Hoc ubi non proceſſit, Arabs quidam magicis artibus inſtructus, ſocios pene viginti ſecum abducens, conductus eſt, ut venenis *Fridericum* perimeret. Siquidem pretioſa munuſcula afferebat, annulos, gemmas, frena, calcaria venenis circumlita adeo præſentibus, ut ſolo tactu inficere Imperatorem, atque infectum perdere minimo momento poſſent: ſicam etiam latentem geſtabat, ut, ſi quo impedimento venenum non profeciſſet, ferro negotium cogitatum conficeret. Hunc, cum in caſtra veniſſet, *Fridericus* de adventu hominis multo ante certior factus, è veſtigio comprehendi, ac diligenter aſſervari juſſit & cujus hortatu ad tantum facinus eſſet impulſus, quæſivit: ſi vera dixiſſet, impunitatem promittens: ſi falſa, ſupplicia omnia intentans. Homini omnia conſtanter inficianti tormenta admota ſunt. Quæ ille deridens, denunciavit, ſe, ſi necaretur, ſecum etiam Imperatorem eſſe tracturum. *Fridericus* autem vanis ejus terriculamentis contemtis, cum de ſociis ejus nullum communicati ſceleris indicium poſſet elicere, hominem extremo crucis ſupplicio interemit. *D. Johan. Adelphus in hiſt. Frid. 1. cap. 4. & 5.*

III. Cum *Fridericus* Imper. A. C. 1184 Erfurdiæ in Thuringia Comitia haberet, infelici caſu aula, ubi convenerant, corruit. Imperator vix ad cancellos feneſtræ ferratos adhæſit, ſalvus tamen permanſit: perierunt plurimi, & inter cæteros ſex Comites, qui, corruente ædificio, in latrina fœde perierunt: inter quos etiam fuit Henricus Schwartzburgenſis, qui exitus ſui præſagium quoddam ferebat in proverbio: Si, inquit, hoc fecero, mergar in latrina. *Crantz. lib. 6. cap. 45. de reb. Saxon. Spangenberg. Chron. Thuring.*

Viri celebres.

I. EBERHARDUS Epiſcopus Saltzburgenſis, vir doctus, religioſus, liberalis, benignus in pauperes, ex clariſſimis Principibus de Hippolſtein oriundus, Romanos ſacerdotes, Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos literis monuit, ut *Hadrianum* IV Pontificem ad pacem hortarentur. Et Eccleſiaſticorum ſimul ſuperbiam atque faſtum inſectatus; denique etiam inexplebilem avaritiam, perfidiam, ejuſque generis flagitia, quibus facultates pauperum expilarent, prorſuſque exhaurirent, ac imperium conturbarent, ipſis exprobravit. *Otto Friſing. Aventin.*

II. BERNHARDUS Monachus Clarevallenſis (cujus etiam in præcedentibus hiſtoriis mentionem fecimus) A. C. 1153, menſe Aug. mortuus eſt. Fuit Monaſteriorum amplius quam 160 pater. *Vide Pet. de Natal. lib. 7. c. 84. Hiſtor. Lombar. c. 115.*

III. BENNO Epiſcopus Suerinenſis A. C. 1160, à Vandalis & aliis Idololatris, multa & magna pericula ſubiit: dum & Vandalos ab Idololatria convertere, & Idola Rugianorum deſtruere conatus eſt. Nam & hoc tempore apud quoſdam Rugianos & Vandalos, Ethnica religio nondum tota fuit extincta. *Helmold. Crantz.*

IV. RADEVICI Canonici Friſingenſis appendix hiſtoriam *Friderici* hoc anno terminat.

V. A. C. 1168 HENRICUS Epiſcopus Lubecenſis, qui Abbas Brunſwicenſis fuerat, cum HENRICO LEONE Duce Saxoniæ, in terram Sanctam, inde Conſtantinopolim profectus, in præſentia Græci Imperatoris, & ſui Ducis *Henrici*, erudite & ſolide contra Theologos Conſtantinopolitanos, de proceſſione Spiritus Sancti à Patre & Filio, diſputavit, & palmam, etiam quorundam adverſariorum teſtimonio, reportavit. Commendatur à vigiliis, abſtinentia, eleemoſynarum largitionibus. Templum S. Johannis Lubecæ fundavit, *Crantzius. Continuator Helmoldi.*

VI. Tem-

VI. Tempore *Friderici* Imper. floruerunt: Petrus COMESTOR, (ſic dictus, quod Biblica dicta ita memoriter proferret, quaſi ea in ventrem memoriæ ſui condidiſſet) *Petrus Bleſenſis*: *Petrus Abelardus*: Euſtathius Theſſalonicenſis Epiſcopus, qui in libros Homeri ſcripſit Commentarios: Abbas item Joachim, Calaber Propheta, cujus hodie exſtat in Hieremiam interpretatio. Ab hoc ferme tempore Philoſophia ſecularis, ut loquitur Trithemius, S. Theologiam ſua curioſitate inutili fœdare cœpit: quæ Theologia Scholaſtica poſtea diverſas Scholaſticorum Doctorum ſectas genuit ac diſſeminavit.

Res memorabiles.

I. Circa annum Chriſti 1152. FRIDERICUS Imp. templum exſtruxit in Carinthia. Das groſſe Thum-ſtift bey Igingen im Wuſterthal genant: illud variis picturis & ſtatuis exornavit. Inter illas reperta eſt imago ſaxea, quæ habuit formam Monachi vertice raſo; corpus ejus ſune circumdatum, & ſupra caput hæc majuſculis literis ſcripta ſunt, LUTHERUS. Refert *Theophr. Paracelſ. in deſcript. Carinthiæ*, Argentorati impreſſa.

II. Anno Chriſti 1159. poſt obitum Ottonis Friſingenſis Chronographi, exactis menſibus 6, diebus 13, triſti incendio abſumta eſt *urbs Friſingenſis* cum univerſis Templis, tam majoribus quam minoribus, Sacerdotumque domiciliis. *Radevic.*

III. A. C 1165. Dominica Sexageſimæ, mare, terminos egreſſum, per tres continuos dies exceſcendo, in Sicilia duodecim fere hominum millia ſuffocavit, ut habet *Chron. Belg.*

IV. Anno C. 1169. *Cathana* urbs Siciliæ terræmotu die 4 Febr. tota everſa eſt, ita ut ne unica quidem domus ſalva permaneret. Perierunt ad 15000 hominum, cum Epiſcopo, Clericis & Monachis. *Baron.*

V. In expeditione ſacra, quam FRIDERICUS in Aſiam, de qua ſupra dictum, ſuſcepit, duo maxime mirabilia viſa ſunt. *Unum*, quod exercitui Turcico, qui 40 millia equitum habuit, auſus fuerit Frideric. opponere tantum ſexcentos equites. Tot enim reliquos ei fecerat fames viarumque aſperitas, quæ plurimos & viros, & equos abſumſerat: iique pene viribus exhauſti erant, cum ſæpe in defectu annonæ equinis carnibus veſcerentur. Et tamen tam parva manus tantas hoſtium turmas in fugam convertit. *Alterum* non minus memorabile eſt, quod confeſſi ſint poſtea ipſi hoſtes, ſe in acie Chriſtianorum vidiſſe quoſdam candidis equis vectos humana ſpecie auguſtiores, amictos candidis veſtibus, qui pro Chriſtianis pugnaſſent, horum ſe vultum ſuſtinere non potuiſſe. Itaque terrore perculſos fugam arripuiſſe: idem ſibi quoque non ſemel viſum juramento *Friderico* Imperatori confirmavit Comes Helfenſteinius Ludovicus. *Cruſ. annal. part. 2. lib. 11. fol. 475.*

VII. Memorabilis quoque & horrenda hiſtoria eſt, quam Cruſius ibidem recenſet de tribus ingratis erga Præceptorem diſcipulis. Cum *Fridericus I* Imp. monaſterium Adelbergenſe rurſus inſtauraſſet, ſcholamque ibi inſtituiſſet, tres pueros nobilibus parentibus ortos in eo educari curavit, iiſque Præceptorem dedit Monachum quendam eruditione & virtute celebrem, ut in pietate illos informaret, ac literis boniſque moribus imbueret. Hic munus ſuum diligentiſſime adminiſtrabat, diſcipuloſque fidei ſuæ commiſſos fideliter & accurate inſtituebat; ſed parum grato illi hoc agnoſcebant animo. Nam cum laxas Præceptor ipſis haud daret habenas, metuque animadverſionis contineret, ei vitæ inſidias ſtruunt, deque occidendo illo cogitant. Cum igitur aliquando deambulatum iviſſet, clam illum inſequentes de improviſo invadunt, verberibus bene excipiunt, capilloſque ipſi evellunt, mox in terram projecto oculos pugione effodiunt, tandem vita privant, cædeque peracta, fuga ſalutem ſibi quærunt. Sed *Fridericus* Imp. ſtatim illos comprehendi, inque durum carcerem conjici mandavit; & cum diu fame ſitique illos cruciaſſet, capitis ſupplicio afficere voluit; ſed cum multi pro iis intercederent, è carcere dimiſſos ex aula ſua ejecit, exilioque mulctavit.

XXIII IMPER. GERM.

HENRICUS VI.

Cognomento ASPER.

CAPUT I.

DE ORTU.

I. *Generatio.*

PATER ejus fuit FRIDERICUS BARBAROSSA. MATER BEATRIX, Reginaldi Comitis in Burgundia filia. Ex hiſce parentibus natus eſt apud Noviomagum A. C. 1165.

II. *Appellatio.*

Nomen HENRICI impoſitum ei à parentibus. Cognomento dictus VI, quia quinque hujus nominis ante ipſum imperarunt. Poſtea ASPER cognominatus eſt, ob ſeveritatem & crudelitatem, quam in Apulos Siculoſque exercuit. Hos enim, cum defectionem molirentur, multis præliis com-

peſcuit, & in authores ſeditionis exquiſitis ſupplicĭis animadvertit, quibuſdam excoriatis, aliis veru ad ignem aſſatis, nonnullis culeo inſutis in mare præcipitatis, quibuſdam excœcatis ac in palos actis, aliis qui regnum affectarant, corona ferrea candenti redimitis, & claviculis in capite affixis. *Urſp. Chronic. Spangenb. Chronic. Hedionis. Chron. Philipp. Baptiſta Egnatius.*

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙ'Α, & EDUCATIO.

HENRICUS moribus quidem amabilis fuit & eloquens, ſed Friderico patri diſſimilis ingenio, virtute & felicitate. Ab ineunte ætate venatui & libidini totus deditus fuit. Præceptorem habuit *Gothefridum Viterbienſem*, qui ei librum carminum inſcripſit, regulaſque vitæ in eo præſcripſit, & ab hiſce verſibus laudatoriis, ex quibus natura atque indoles ejus cognoſci poteſt, incipit:

O juvenis juvenum, flos mundi, gloria Regum,
Urbis & Orbis honor, cui plaudunt tempora rerum.
Suſcipe conſilium quod mea metra ferunt.
Sordibus implicitos, pravoſque cavebis amicos:
Omnibus æquus eris, ſed caſtigabis iniquos,
Proſpice quicquid agas, te tibi noſce magis. &c.

II. *ACTA OECONOMICA.*

UXOR ejus dicta fuit CONSTANTIA, Rogerii Siciliæ Regis filia, cum qua nuptias ſplendidiſſimas celebravit Mediolani die 27 Januarii A. Chriſti 1186, cum annos haberet 21, & cum ea dotis loco accepit regnum Siciliæ. Conſtantia etſi putaretur nunquam paritura eſſe, quod 50 annum attigiſſet; tamen gravida facta, & A. C. 1193. ſeptimo Kalend. Januarii Panormi enixa eſt filium Fridericum (qui poſtea Imperator factus) in ſacello publico, quod, ut ſpectari poſſet, exſtrui Henricus Imper. curarat, ne exiſtimaretur eſſe ſuppoſititius. *Chronic. Philip. Sigon. lib. 15. de regn. Ital. Chronic. Spangenb.*

QUÆSTIO.

An mulier quinquagenaria parere poſſit?

Reſpond. Plinius quidem *lib. 7. nat. hiſt. cap. 14.* ſcribit, mulierem poſt quinquageſimum annum non parere. Et Jureconſultus mulierem 50 annis majorem ſterilem appellat, *in l. 21. in princ. ff. de act. emt.* & *l. Julia Papia* fœminis quinquagenariis nuptias interdici, *Ulpianus in fragment. tit. 16.* tradit. Verum nos reſpondemus, quod hoc exemplum arguat, hujuſmodi caſum evenire poſſe, ut quinquagenaria etiam mulier pariat: quemadmodum & Juſtinianus Imperator reſcripſit, in *l. ſi major. Codic de legit. hæredit.* nihil eorum, quæ probabiliter noſcuntur à natura producta, reſpuendum eſſe.

Vita Henrici privata.

Illud memorabile de *Henrico VI* accepimus, cum ſero caperet cibum, & ab amicis moneretur cavendum eſſe, ne ea re valetudinem ſuam læderet, reſpondit: Homini privato quodvis tempus ad cibum capiendum idoneum eſt; Principi vero nonniſi cum vacat à publicis negotiis. Juvat enim cibus poſt opus, inquit *Quintil. declam.* 298. O exemplum temperantiæ hoc corrupto ſeculo memorabile! Et ſane diverſitatem intelligendi affert victus ratio. Nam quanquam organa ſint natura bene diſpoſita, tamen exteriora quædam accidentia ea obtenebrant. Quippe ſpiritus non multum diſtrictus vel occupatus, circa affluentiam ciborum in profundum & latum trahentium, in longum fertur, ac ſurſum repit, corpore ob levitatem leviter & expedite aſſurgente. *Plut. in vit. Lyc.*

III. *ACTA POLITICA.*

1. *Imperii occupatio.*

I. FRIDERICUS I Imper. filium *Henricum* puerum quinque annorum Aquiſgrani coronavit A. C. 1169. die 15 Auguſti, & poſtea cum expeditionem in Aſiam eſſet ſuſcepturus, ne vel ſe abſente Europa ſine rectore eſſet, vel mortuo ſe diſputatio de ſucceſſore novas contentiones pareret, conſenſu procerum cum imperio præfecit A. C. 1186. data ei in uxorem Conſtantia, de qua jam dictum. Defuncto igitur patre, HENRICUS ſtatim imperium adiit A. C. 1190. quod impedituri Colonienſis & Leodienſis Epiſcopi, & quidam alii Principes, ſeditionem moverunt adjuti Burgundicis auxiliis. Verum poſtquam Leodienſem Epiſcopum cæteris truculentius ſe gerentem de medio ſublatum viderunt, ſtatim inceptum omiſerunt, & venia petita ad Henricum ſe contulerunt.

II. A. C. 1191. HENRICUS in Italiam profectus eſt, ut coronaretur à Papa; qui tum mortuus fuerat; & Cœleſtinus electus ob id diſtulit conſecrationem, ut ægre faceret *Henrico* præſtolanti. Tandem cum Pontifex die Paſchatis eſſet inauguratus, Imperator die 15 April. poſtridie Paſchatos coronatus eſt: *Cui adoranti Papa, cum antea coro-*

nam

nam capiti impoſuiſſet, pede elevato coronam decuſſit: quo facto ſignificavit, in ſua poteſtate eſſe dare & auferre Imperatoribus Imperium, quando voluerit. Baronius, Pontificem recte & ordinate hoc feciſſe, putat; ut Beſtiæ patrocinetur. *Urſp. Chron. Hedion. Chron. Philippi. Martin. Polonus. Volaterranus*, & alii.

II. *Imperii adminiſtratio.*

1. *ACTA TOGATA.*

I. HENRICUS quidem pacem & tranquillitatem in Imperio conſervare ſtuduit, ſed multum diſſimilis fuit patri moribus & ingenio: magis fuit addictus voluptatibus, quam Reipublicæ; privatim in libidinem proclivior, & publice in vindicandis injuriis aſperior. *Chron. Spangenb. Chronicon Philippi.*

II. Cum ultimus *Welphorum* Dux diem ſuum obiiſſet Spoleti A. C. 1191, die 15 Decembr. HENRICUS Imperat. ſtatim ejus ditionem occupavit. *Annal. Suev.*

III. Cum LEOPOLDUS Auſtriacus, qui cum *Friderico Barbaroſſa* expeditionem in Palæſtinam ſuſceperat, domum eſſet reverſurus, præmiſit Joppen, qui ſibi hoſpitium præpararet, & ſignum ſuum hoſpitio affigeret; quod & factum eſt. Sed *Normannus* quidam nobilis, ſe potius ibi hoſpitium habere contendens, obtinuit à Richardo Rege Angliæ (quem *Fridericus* I Imp. ad ſocietatem belli ſacri evocarat) ut ſignum Auſtriaci avelleretur, quod ipſe poſtea in cloacam projecit, atque ita Auſtriacus omnibus deridendus propinaretur. Auſtriacus ira offenſus repetiit Germaniam. Richardus nihilominus fortiter ſe Ægypti Sultano Saladino oppoſuit: ſed cum ab exercitu Galliæ relinqueretur, pecunia etiam inciperet deficere & commeatus, & inſuper peſtis exercitum invaderet, audiret præterea ſeditiones quaſdam in regno ſuo excitatas, quorum nullum ignotum fuit Saladino, inducias cum eo facere coactus eſt, indeque in Angliam per Germaniam iter facere conſtituit. Quod ubi Leopoldus Auſtriacus cognovit, ignominiam ſibi illatam ulturus, omnes ipſi vias obſepſit, & eum tandem cepit prope Viennam in caſa ruſtica anno C. 1192, die 20 Decembris, eumque ita captum ſequenti anno menſe Martio miſit ad Imper. *Henricum*, qui ipſum diligenter cuſtodivit, nec ante dimittere à ſe voluit, quam magna vi auri ſibi data, & velut pretio ſuæ redemtionis perſoluto. *Rogerius. Sigon. l. 15. de regn. Ital. Pariſ.* & alii. Hæc res magnam *Henrico* attulit invidiam: & proinde publico omnium odio, graviſſimum quod eſt malum, laborare cœpit.

IV. A. C. 1196 *Henricus* Imperator Comitia celebravit: in quibus legem ſanxit de creando Imperatore, ne amplius diſſenſiones fierent, ut Imperator inpoſterum fieret ex ſola ſanguinis ſucceſſione, ita ut fieret hæreditarium, cujus initium ipſe tum fecit, dum filium ſuum creavit ſucceſſorem, & regna ſua, Siciliæ, Apuliæ, Calabriæ, principatum Capuæ & Spoleti, & alia univit Imperio, ut quicunque eſſet Imperator, hæc regna ſimul haberet. Conſenſit in hanc rem *Papa, & Principes Germaniæ quinquaginta duo*, qui Imperatorem eligere conſueverant; quorum Sigilla literis de hac re confectis appenſa ſunt. Hæc *in Chron. Belg. ex Johanne Monacho.* Sed hæc lex una cum *Henrico* exſpiravit, ut hiſtoriæ oſtendunt.

V. HENRICUS Imperat. eodem anno *Philippo* fratri, qui ante annum *Iſaaci* Angeli filiam duxerat Irenen, contulit Ducatum Sueviæ. Conradus enim, qui eum habuerat, abſque liberis defunctus fuerat. *append. Urſp.*

II. *ACTA SAGATA.*

1. *Bellum* contra *Tancredum* Siciliæ Regem.

1. *ORTUS.*

1. *Henrici de regno Siciliæ excluſio.* Poſtquam *Fridericus Barbaroſſa* pacem cum *Wilhelmo* Rege Siciliæ fecerat, huic *Henrico* filio uxorem duxit *Conſtantiam Wilhelmi* ſororem: ut ſupra diximus. Hæc enim *Wilhelmo* moriente ſine prole, regnum erat Siciliæ ſecum adductura: illam autem ſpem, quam *Henricus* de Sicilia occupanda conceperat, Wilhelmi nothus Tancredus eluſit, Rex creatus. Wilhelmus quidem Rex, cum anno Chriſti 1189 eſſet moriturus, HENRICUM juſſit proclamari ſucceſſorem; ſed proceres regni, rejecto Henrico cum CONSTANTIA, *Tancredum* elegerunt; quem etiam Papa confirmavit.

II. *Henrici ad bellum præparatio. Henricus* igitur quantas potuit copias maximas conſcripſit, ut regnum armis vindicaret. Dum autem ad eam rem omnes cogitationes dirigit, reſque neceſſarias parat, ſeditio quorundam Principum Germaniæ moram quandam injecit, qui poſtquam de Friderici Imp. morte certiores eſſent facti, ei regnum adimere voluerunt. Sed cum Leodienſem Epiſcopum truculentius præ cæteris ſe gerentem de medio ſuſtuliſſet, alii inceptum omiſerunt, & venia petita ſe ad Henricum contulerunt.

II. PRO-

II. PROGRESSVS.

1. *Henrici in Italiam expeditio.* Proinde rebus in Germania compoſitis, Henricus Imperator inſtructis copiis in Italiam expeditionem ſuſcepit A. C. 1191. & magnum hoſtibus ſuo inopinato adventu terrorem incuſſit, coronam Imperii Romæ à Cœleſtino III Pontifice accepit, & progreſſus in Campaniam, omnes urbes, præterquam Neapolin, in ſuam poteſtatem redegit.

II. *Impedimenta.* Sed enim hæc expeditio miris artibus Pontificis Romani impediri cœpit. Nam cum Henricus Imper. ſuam conjugem Conſtantiam ex caſtris Salernum miſiſſet, à Salernianis prodita, in manus *Tancredi* pervenit, & in cuſtodia regia detenta nullis conditionibus liberari potuit. Præterea peſtis in caſtris Henrici graſſari cœpit. Itaque tot malis oneratus, relicto quodam Duce, nomine Diopoldo, in Campania, ipſe in Germaniam rediit.

III. *Belli reſtauratio.* Henricus cum in Germania majores copias conſcriberet, Papa Cœleſtinus Conſtantiam Imperatricem ex Sicilia à *Tancredo* impetravit, eamque ad Henricum Imper. miſit: interea mortuus eſt *Rogerius Tancredi* filius, & paulo poſt ipſe *Tancredus*, relicto filio Wilhelmo cum matre. Quare cum Henricus A. C. 1193. comparatis rebus neceſſariis, rurſus in Italiam veniſſet, adjutus maxime copiis Piſanorum & Genuenſium, totam Campaniam, Siciliam, Apuliamque in ſuam redegit poteſtatem.

III. EGRESSVS.

1. *Henrici erga Genuenſes ingratitudo.* Henricus Imper. rerum potitus re ipſa oſtendit, quam non ſua ſponte, ſed temporis cauſa bonus exſtitiſſet. Nam Genuenſibus, per quos regnum Siciliæ magna ex parte erat adeptus, non modo promiſſa non præſtitit, ſed etiam eos beneficiis à patre tributis nudavit.

II. *Ejuſdem erga ſuſpectos deteſtanda crudelitas.* Henricus cum jam rerum eſſet potitus, tantum abfuit, ut clementiæ laudem tueretur, ut etiam conſpirationes adverſus ſe compertas eſſe ſuſpicatus, crudelitatis excrcendæ materiam quæſierit. Nam Sibyllam viduam *Tancredi*, & Archiepiſcopum Siciliæ perpetuo carceri deſtinavit, qui tamen ei nocere non potuerunt: ſed ſui doloris vindicta id fecit. *Wilhelmo Tancredi* filio, (quem Henricus Comitem Tarenti fecerat) cum Imperatori rebellaſſet, & totam Apuliam concitaſſet, oculos effodi juſſit, eumque ita oculis privatum in Teutoniam miſit. Et poſtquam Siculi & Apuli rebellarant, novumque Regem elegerant, Imperator A.C. 1196. cum exercitu 60 millium Italiam ingreſſus eſt, & huic regi capto coronam ignitam imponi, & claviculis in capite affigi juſſit: reliquos etiam rebelles crudeliſſime tractavit. Quonam autem tormentorum genere eos interemerit, ſupra jam dictum eſt: propter hanc ſuppliciorum atrocitatem *Aſper* cognominatus eſt. *Sigon. lib. 5. de reg. Ital. Urſp. Nauclerus. Cranz. Aventinus. Funccius.*

II. *Tranſactio Henrici Imp.* cum *Alexio* Imper. in Oriente.

Cum ISAACI *Comneni* Imper. Conſtantinopolitani exercitus infeliciter contra Walachos pugnaſſet, ipſe A. C. 1195. ineunte vere contra eos profectus eſt: ubi quendam Eremitam acceſſit, qui futura prædicere ſolebat. Is nihil ipſi reſpondit, ſed imagini ejus, quæ forte aderat, oculos effodit: Id quod factum eſt paucis diebus poſt, die videlicet 10 Aprilis, cum ab *Alexio Comneno* fratre ſuo & Imperio exueretur, & oculis privaretur. Alexius frater cum coronaretur, equus eum ſeſſorem capere noluit. Cum tandem Imperator in eum inſiluiſſet, adeo ferocivit, ut coronam ejus dejiceret primum, & deinde ipſum Imperatorem. Corona ita fracta Imperatori repoſita, & alius equus adductus eſt. HENRICUS vero Imper. cum in Sicilia eſſet, & turbas has Conſtantinopolitanas audiſſet, legatos ad Alexium miſit, juſſitque, ut annuum tributum ſibi ſolveret, aut bellum exſpectaret, pro injuriis CONRADO & parenti *Friderico*, in Palæſtinam tranſeuntibus, illatis. Alexius imparatus ad bellum, cum nullam pecuniam nec à ſubditis, nec ex templis habere poſſet; ſepulcra Imperatorum Græcorum aperuit, ex quibus ad 70 talenta conflavit. Hic Alexius tandem juſtas perfidiæ, quam erga fratrem declaravit, pœnas dedit: nam à proprio filio *Iſaacio* rurſus Imperio exutus vitaque privatus eſt, juxta illud Suidæ:

Si quis, qua fecit, patitur, juſtiſſima lex eſt.

III. *Bellum ſacrum* affectum, ſed non perfectum.

Cum *Henricus*, mortuo Saladino Ægypti Sultano, magnas de recuperatione Aſiæ ſpes concepiſſet, hortatu Pontificis inſtituit expeditionem in Aſiam, delectis ad eam rem ſociis, quos cum inſtructiſſimo exercitu præmiſit, Conrado Epiſcopo Moguntino, Conrado Wurceburgico, (quo Cancellario uſus eſt) Henrico Leone, Ludolpho Auſtriaco, Hermanno Landgravio Thuringiæ, & aliis qui-

quibuſdam. Hi feliciter in Palæſtinam appulerunt, ubi Saraceni Joppen expugnarant, & ad viginti millia Chriſtianorum occiderant; ſed Saracenos iterum prœlio vicerunt, Berythum, Sidonem & alias urbes ceperunt, & cætera oppida Chriſtianorum firmiore præſidio inſtruxerunt, fuiſſentque perrecturi, niſi præmatura mors Henrici inchoatum opus interrupiſſet. Nam cum audiſſent, Henricum Imper. eſſe defunctum, & exercitui neceſſaria non mitterentur, dilapſi in Europam redierunt. *Chron. Spangenb. Chron. Philippi. Blondus. Platina.*

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

HENRICUS Imper. ex Germania in Siciliam reverſus, dum claſſem cogit, & armat ſecuturos ſocios, Meſſanæ in febrim ardentem ex veneni potu (quod propter adulteria conjugem propinaſſe ferunt: ſeu, ut alii volunt, ex venationis labore, incidit, &, cum fratri Philippo filium ſuum commendaſſet, in feſto S. Michaëlis diem ſuum obiit A. C. 1198, anno ætatis 32, Imperii 7. Sepultus eſt Panormi in templo maximo. *Chronic. Spangenb. Chron. Philippi. Chronic. Hedion. Chronic. Saxon. Urſperg.*

Res memorabiles.

1. A. C. 1193 die 16 Febr. deceſſit domitor ille Orientis, ac noſtrorum terror, SALADINUS Ægypti Sultanus, relictis novem filiis, quos omnes SAPHADINUS patruus, præter unum, amicorum virtute tectum, libidine regnandi necavit. *Meyer. Saladinus* moriens, humanæ conditionis ac miſeriæ memor, condito Teſtamento omnem funeris pompam abdicavit, juſſitque tantum in lancea præferri atri coloris obſoletam tunicam, præcinente ad populum ſacrificulo hujus ſententiæ carmen, quod à *Bocario* proditum eſt:

Vixi divitiis, regno, tumidiſque trophæis,
Sed pannum heu nigrum nil niſi morte tuli.

Fuit hic *Saladinus* author ſectæ Mamalucorum, qui regnum Ægypti annos circiter ducentos tenuerunt. Sunt autem *Mamaluci* Syriaca lingua iidem, qui miniſtri ſeu ſtipendiarii. Hi ex Chriſtianis fiebant Mahometani, & quia ad belli adminiſtrationem præter cæteros inſtructi erant, etiam Sultani ex iis eligebantur. Sunt autem victi & deleti à Selimo Turcarum Imperatore A. C. 1517.

11. A. C. 1195 ALBERTUS Marchio Miſnenſis, fœdo morbo correptus, in caſa ruſtica mortuus, & Cellæ ſepultus eſt, cum eodem anno *Cœnobium Cellæ* ſpoliaſſet.

111. Hoc anno *Richardus* Rex Angliæ bis prœlio cum Gallo congreſſus eſt, victoriamque reportavit. *In ultimo prœlio cepit Epiſcopum Bellovacenſem: pro quo Cœleſtinus Papa ad Regem ſcripſit, ut filius ſuus libere dimittatur. Rex exuit Epiſcopo loricam & alia arma, miſitque ea ad Pontificem, quæſitum, An hac filii ſui tunica eſſet?* Pariſ.

IV. Eodem anno nempe à Chriſto nato 1195 ABEN JOSEPHUS Rex de Maroch, aſſumtis Aphris, Numidis, Mauris, & aliis, cum 600000 hominum in Hiſpaniam tranſiit, eamque cædibus & rapinis crudeliſſime vaſtavit: vicit etiam Alphonſum Regem Caſtellæ, occiſis quinquaginta millibus hominum, & Beticam omnem occupavit, quam Mauri uſque ad CAROLI V avum Ferdinandum annis trecentis obtinuerunt. *Zacuth. & alii.*

XXIV IMPERATOR GERM.

PHILIPPUS

Dux Sueviæ & Hetruriæ.

I. ORTVS.

HIC PHILIPPUS fuit HENRICI VI Imper. germanus frater. Pater ejus fuit FRIDERICUS BARBAROSSA; Mater BEATRIX: ſicut ex præcedentibus patet.

II. PROGRESSVS.

I. ACTA OECONOMICA.

Uxorem habuit IRENEM, filiam ALEXII Imp. Conſtantinopolitani, cum qua nuptias celebravit Auguſtæ Vindelicorum anno C. 1197, & ex ea natæ ſunt ei filiæ quatuor: 1. CUNIGUNDA, quam *Wenceſlao Ottocari* Bohemiæ Regis filio: 2. ETHISSA, quam *Henrico* Duci Brabantiæ, poſtea ad regiam in Hiſpania dignitatem evecto, in uxorem dedit, 3. MARIA, *Innocentii* Papæ ex fratre nepoti, *Richardo* Comiti Thuſciæ: & 4. BEATRIX *Ottoni* Saxonum Principi, qui poſt *Philippum* imperavit, elocata. *Chron. Philip. Spangenb. Aventin. Caſtrutius l. 3. fol. 232.*

II. ACTA POLITICA.

1. *Imperii occupatio.*

HENRICUS VI moriturus imperium & filium ſuum *Fridericum* adhuc minorennem, h. e. quinque annorum puerum, fidei *Philippi* fratris commendavit. Hi fratres mutuo ſe invicem amore ac fide proſequebantur: ergo recte *Henricus Philip-*

po fratri, quam potuit ſummam dignitatem contulit, (ipſum namque Ducem Hetruriæ & Thuſciæ fecit, & defuncto fratre *Conrado*, ei quoque Ducatum Sueviæ conceſſit) & *Philippus* viciſſim jus Majeſtatis ejus diligentiſſime tutatus eſt. Quæ enim amicitia poteſt eſſe tam felix, quæ imitetur fraternitatem, quæ nihil aliud eſt, quam diviſus ſpiritus? teſte *Quintil. declam.* 321. Poſt mortem autem *Henrici* Imper. de ſucceſſione magna contentio orta eſt. Nam

I. PHILIPPUS, ſtatim atque juſta fratri perſolviſſet, ejus cadavere Panormi in Sicilia ſepulto: adducto ſecum teſtamento *Henrici*, & FRIDERICO nepote ſuo ex fratre, in Germaniam profectus eſt, atque Procores Imperii ſuæ promiſſionis admonuit, ſibique interim, dum puer adoleviſſet, ut erat teſtamento diſpoſitum, adminiſtrationem Imperii concederent: & juſta poſtulanti Principes Germaniæ aſſenſum præbuerunt. Deliberata hæc & tractata ſunt Haganoæ, conſilia gubernante Epiſcopo Argentinenſi.

II. Pontifex Romanus Innocentius III. poſtquam hanc rem ſuboleviſſet, inveterato quodam odio & invidiæ œſtro percitus adverſus *Friderici* familiam, (quod nempe velut metis ipſi circumdatis in Italia, reſtituerat immoderatam ejus potentiam, & uſurpata gubernatoris authoritate molitiones injuſtas ac tyrannicas repreſſerat) miſſis in Germaniam legatis, omnia turbare cœpit, vetuit Principibus, ne Philippum eligerent; illum apud eos falſis criminationibus inique & calumnioſe prægravavit, ſeque Pontificiam dignitatem potius, vel cum clade & ruina Italiæ in diſcrimen poſiturum, quam huic imperium conceſſurum, ſuperbe interminatus eſt. Moti tyrannica Pontificis voce Principes aliqui, quod proſpicerent, quo evaſura res eſſet, ſi tyrannico illius poſtulato adverſarentur, ſententias à Philippo inflexerunt in BERTOLDUM Zaringiæ Ducem, Principem prædivitem, ſed ſordide avarum & flagitioſum; eumque die 1 Martii A. C 1198 Moguntiæ Imperatorem declararunt. Philippus contra eos qui ſibi ſtudebant, (videlicet Saxoniæ Ducem Bernhardum, Albertum Marchionem Miſniæ, Bohemiæ Regem, & Ludovicum Bavarum) juſſit convenire Mulhuſii in Thuringia die 8 Martii, ubi etiam Imperator electus eſt, & *Zaringenſis* cum ſe imparem fore Philippo, ſi ad arma deventum eſſet, intelligeret, ſua ſponte imperium oblatum repudiavit, ad Philippum venit, eique fidelitatem juravit, recte ſentiens, cuncta mortalium incerta, quantoque plus honoris quis adeptus eſt, tanto magis in lubrico eſſe.

III. Poſtquam Pontifex *Innocentius* ſe delusum videret, impulit Colonienſem Archiepiſcopum & Palatinum, ut transferrent imperium in *Ottonem* Henrici Leonis filium, cui coronam promiſerat. Deinde Philippum, ut adhærentes ab ipſo diſtraheret, anathemate percuſſit, ut, quod Pontifex inſtituerat, facilius perficere poſſet. Defecerunt igitur ex conſilio Pontificis plerique Principes à Philippo, Bohemus, Thuringus, & Argentinenſis Epiſcopus, qui primo Philippi partes foverant, & *Otto* IV Imperator electus, & Aquiſgrani ab Archiepiſcopo Colonienſi coronatus eſt. Philippus contra Moguntiam venit, & coronatus ab Epiſcopo Tarentino: Moguntinus enim aberat in Palæſtina. Bellum exinde ortum eſt atrociſſimum, quod eum habuit finem, ut deſerto *Ottone* à ſuis, *Philippus* regnum obtinuerit. *Urſp. Crantz. l. 7. c. 24. Antoninus. Chron. Carion. Chronic. Spangenb. Dreſſerus.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

PHILIPPUS decem annis imperium ſumma cum laude adminiſtravit, & pacata Germania imperium domi exornaturus legibus, ac juſtitia; foris amplificaturus bellis externis fuiſſet, ſi vita ſuppeditaſſet. Fuit enim natura bonus, ſapiens, moderatus, acer & magnanimus Princeps, non indignus tanto honore: quod oſtendit in Italiæ gubernatione, quam in metu & officio continuit, & in civilibus bellis, quorum aſperitatem bonitate & lenitate ſua moderatus eſt ac mitigavit, & acceſſit ad naturæ dotes rerum multiplex uſus atque exercitatio longa in militaribus negotiis & politicis. Nec ſane Philippus dubitavit, vi amoris fraterni, graviſſimum etiam Pontificis Romani odium pro conſervando jure Majeſtatis ſuſtinere; ſatius exiſtimans, quævis rerum diſcrimina perpeti, quam incerta ſeu fluxa fide Imperii negotia agere. *Chron. Philip. Sigon. l. 15. de regn. Ital.*

II. *ACTA SAGATA.*

Bellum contra *Ottonem*, Henrici Leonis Ducis Saxoniæ filium, ejuſque Confœderatos.

Cum OTTO filius *Henrici Leonis*, Imperator à quibuſdam Principibus Germaniæ electus, & Philippus contra à Pontifice eſſet excommunicatus; Philippus, nihil territus adverſatione Pontificis & defectione ſociorum, ad arma ſe convertit, & comparato exercitu multas civitates in ſuperiori Germania occupavit, utque ſibi fidelitatem jurarent, adegit. Tandem Hermanno Thuringiæ Landgravio,

Otto-

Ottocaro Rege Bohemiæ, & Henrico Palatino ad Rhenum, qui à partibus Ottonis ſtantes Philippum Erfurdiæ obſederant, profligatis & in gratiam receptis, Ottone vero ad Coloniam fuſo, controverſia omnis diremta eſt; ac inter Philippum quidem & Pontificem ſic convenit, ut Philippus nepoti Pontificis ex fratre *Richardo* filiam ſuam uxorem, dotiſque loco Spoletanum Comitatum, cum Thuſcia & Marchia Anconitana daret. Cum *Ottone* vero ita tranſactum, ut *Philippus* ei alteram filiam deſponderet, Imperii faſces ipſe retineret, quoad viveret; poſt mortem vero ſuam *Otto* imperaret.

Hoc bello, quod novennium fere duravit, *Andernacum* ad Moſellam direptum, *Brunſviga*, ubi ſeſe *Otto* & *Henricus* continebant, obſidione preſſa eſt: & fere capta fuiſſet, niſi oſtentis deterritus Imper. inducias feciſſet. Incendio etiam vaſtatæ ſunt *Helmſtadium* & *Warberga*, nec non *Goſlaria* & *Sommersburga* direptæ. *Aventinus. Cranz. Urſp. Chron. Philip. Chron. Spangenb.*

III. EGRESSVS.

Philippus Imp. motibus civilibus ſedatis, & pace in Germania conſtituta, externos hoſtes aggredi conſtituit, ut Canutum Regem Daniæ, qui Hamburgum & Lubecam ambas urbes imperiales in hiſce motibus interceperat. Sed A. C. 1208, die 22 Julii, cum in arce Bambergenſi forte quieſceret in lectulo poſt venæ ſectionem, paucos tantum familiares admittens, OTTO Comes Palatinus de Wittelsbach (cui olim Imperator filiam deſponderat, ſed, quod *Otto* familiarem quendam Ducis Bavariæ præter cauſam occidiſſet, atque ita homicidii reus & perfidia notatus eſſet, ipſum repudiarat) familiariter ingreſſus cubile, ferro in jugulum Imperatoris adacto, & cubiculario, fruſtra caput Domini protegente, ſauciato, vita eum privavit, atque ſic optimus Imperator: cum annos decem imperaſſet, perfide occiſus, diem clauſit extremum. Corpus primum Bambergæ ſepultum, poſtea Spiram tranſlatum eſt.

Et *Otto* parricida non multo poſt ab Henrico Palatino Philippi Mareſcalco interemtus facinoris ſui præmium tulit. *Urſp. Mon. Colon. Sigon. lib.* 15. *Chron. Philippi. Cruſius* tale *Philippo* Epitaphium concinnat:

Inclytus hic primi FRIDERICI *natus humatur*
Illuſtri Rex Romanus virtute Philippus.
Cujus Bamberga ſcelerata cede peremti
Corpus Spira tegit, mens aurea poſſidet aſtra.

XXV IMPER. GERM.

OTTO IV, Dux Saxoniæ.

CAPUT I.

DE ORTV.

OTTO patre fuit natus HENRICO LEONE, Duce quondam Bavariæ & Saxoniæ; unde is gloriari ſolebat, totam regionem, quam late pateret inter Albim & Rhenum, ſuæ ditioni eſſe ſubjectam: poſtea vero Duce Brunſvicenſi & Lunæburgenſi. MATRE *Mechtilde*, *Henrici* Regis Angliæ filia, ſorore *Richardi*, qui cum *Friderico Barbaroſſa* Imper. expeditionem ſacram in Palæſtinam ſuſceperat.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. ACTA OECONOMICA.

UXORES habuit duas: Primam MARIAM, Ducis Brabantiæ filiam, quam ob conſanguinitatem repudiare coactus, ex ea nullam prolem ſuſcepit. Alteram BEATRICEM filiam *Philippi* Imperatoris, cum qua A. C. 1212. nuptias celebravit *Northuſii*, & illa quarta à nuptiis die morbo correpta, paulo poſt vivere deſiit. Sepulta eſt *Brunſviga* in templo S. Blaſii & Johan. Baptiſtæ, ac ſepulcro ejus aureis literis hæc verba inſculpta ſunt: FILIA FORMOSA, JAM CINIS, ANTE ROSA. *Chronic. Saxon. Chronic. Spangenb. Chronic. Philippi. Cruſius parte* 2. *fol.* 573. Nullam etiam ex hac UXORE prolem ſuſcepit, ſed ἄτεκνος fuit.

II. ACTA POLITICA.

1. *Imperii occupatio.*

Otto IV ex pacto, quod *Philippus* Imp. & Status imperii cum eo fecerant, in locum *Philippi* occiſi, à Principibus Germaniæ electus A. C. 1208, & Romæ ab *Innocentio* III Pontif. Auguſtus ſalutatus & inauguratus eſt, menſe Octobr. A. C. 1209. *Trith. Onuphr.*

II. *Imperii adminiſtratio*, in qua Acta ejus Togata & Sagata breviter explicantur.

1. *Otto* Imper. poſtquam ad dignitatem imperialem eſſet evectus, ut in imperio pacem & tranquillitatem ſervaret, ſtuduit, nec quicquam temere aut inconſulto fecit, ſed adhibitis prudentiſſimis

viris Jureconſultis, à quibus jura regni diligenter inquiri juſſit: *Sigon. lib.* 16. & quod de Republ. videbatur, conſilium ſecutus eſt.

11. Anno Chriſti 1208 indixit Comitia Francofurti: ubi lex de eligendo Imperatore, ab *Henrico* ſancita, antiquata, & nova ſancita eſt his fere verbis: *Imperatorem nullus hæreditariam dignitatem ſibi vindicato. Principes ſex, ſacri ordinis tres*, Moguntinus, Trevirenſis & Colonienſis: *Profani totidem*; Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ (qui tum fuit Brunſvicenſis) & Marchio Brandeburgenſis, *eum eligunto*. Hi ſi *diſcordes fuerint, Bohemiæ Regem cooptanto*. Factum hoc decretum cum conſenſu Principum in præſentia Legatorum Papæ, qui fuere Hugolinus Oſtienſis, & LEO Sabinenſis Cardinales. *Conſtitution. Imp.*

Hanc legem ſequentibus temporibus obſervatam fuiſſe, teſtatur ALBERTUS *Abbas Stadenſis* in ſuo Chronico, quod ſcripſit anno Chriſti 1256, quando ſic incipit: *Ex prætaxatione Principum & conſenſu Imperatorem eligunt Trevirenſis, Moguntinus, & Colonienſis. Trevirenſis enim, licet de Alemania non ſit, ratione antiquitatis, eligit. Palatinus eligit, quia Dapifer eſt: Dux Saxoniæ, quia Marſchallus: Marchio Brandeburgenſis, quia Camerarius: Rex vero Bohemiæ, quia Pincerna eſt, non eligit, quia non eſt Teutonicus.*

111. Anno Chriſti 1209 *Otto* expeditionem exornavit in Italiam ſplendidam: & cum Romam veniſſet, Pontificem *Innocentium* 111 initio quidem & facilem expertus eſt in impetranda coronatione, & officioſum; ſed mox eundem poſt coronationem habuit infenſiſſimum, cum *Otto* ademtas Imperio provincias aſſerere rurſus vellet. Pontifex enim tumultu ſubito in urbe excitato, Imperatorem in præſens vitæ periculum conjecit: quo multa civium cæde depulſo, Imperator diffiſus Pontificum molitionibus, ſe ex urbe in Italiam recepit, ibique ulturus ignominiam & cædem ſuorum, qui in ſeditione Romana interfecti, non ſolum quæ ad Imperium pertinebant, occupavit, ſed etiam omnia, quæ ad bellum Pontifici inferendum faciebant, collegit, arces Pontificis occupavit, & frumentum convexit. Papa per Legatos eum dehortatus, ſed nihil cum efficeret, cum excommunicavit. Quo nihil territus *Otto*, præter Romandiolam, Thuſciam ac Marchiam Anconitanam, occupavit etiam Apuliam & Calabriam; quod eæ regiones ad Imperium pertinuiſſent, & à Rogerio Rege Siciliæ olim per vim occupatæ fuiſſent. Miſit etiam in Germaniam, qui *Friderici* Suevi Regis Siciliæ Ducatum vaſtarent. Inde cogitavit proficiſci in Galliam, quod Rex Galliæ Normanniam occupaſſet: quæ tamen eſſet Regis Angliæ. Sed *Papa iterum excommunicavit Ottonem, & formulam excommunicationis miſit in Germaniam ad Sigefridum Epiſcopum Moguntinum*, qui eam publicavit, & Principes, ut Imperium excommunicato abrogarent, impulit. Cui cum adverſarentur *Henricus* Palatinus ad Rhenum, & Dux Brabantinus cum aliis quibuſdam, novum bellum conflatum eſt; in quo pulſus Moguntinus confugit ad Hermannum Thuringiæ Landgravium. His motibus *Otto* ex Italia retractus, conventum egit Noribergæ in Paſchate anno Chriſti 1212: ubi ſtatibus Imperii expoſuit cauſas diſſenſionis inter ſe & Papam, & ſe nihil commiſiſſe, niſi quod Imperio utile & Germanis honorificum eſſet: ſerioque Principes admonuit, ne paterentur Pontificem pro arbitrio ſuo Cæſares de culmine Imperii deturbare, eoſque ſuo exuere jure; innuens præcavendum imprimis eſſe, ne alienæ cupiditatis arbitrio ſacrum jus Imperii corrumperetur. Honeſta hæc fuit *Ottonis* oratio, cui cum non parerent Principes, ſe quaſi ſervitio Pontifici obſtrinxerunt. Nam præcipui & potentiſſimi Principes Germaniæ, Rex Bohemiæ, Bavarus, Saxoniæ Dux, & alii, FRIDERICUM II, *Henrici* VI Imperatoris filium, è Sicilia evocatum, Francofurti ad Mœnum coëuntes A. C. 1212, ex auctoritate Pontificis Regem deſignarunt. Munivit quidem ſe *Otto* fœdere cum *Johanne* Angliæ Rege, *Rainaldo* Poloniæ, & *Ferdinando* Flandriæ Ducibus; ſed contra eum *Fridericus* cum Gallorum Rege *Philippo* ſe conjunxit: inde orto prælio acerrimo inter *Gallum* & *Ottonem* ad pagum *Bovinas* A. C. 1214, *Otto* ſuccubuit cum fœderato Rege Angliæ, & *Philippus* Rex Galliæ inſignem reportavit victoriam, multis occiſis, & captis, quos inter fuere quatuor Comites, videlicet Flandriæ, Poloniæ, Hollandiæ, & frater Regis Angliæ. OTTO igitur à ſuis derelictus, & belli ſumtibus exhauſtus, deſtitit ab Imperio ſponte, quarto poſtquam id ſuſcepiſſet anno. *Pariſ. Trithem. Chron. Saxon. Chron. Philipp. Chron. Spangenb. Vincen. lib.* 30. *cap.* 1. *Chron. Belgic.*

ACTA ECCLESIASTICA.

Natæ ſunt hoc ſeculo in Eccleſia plures ac diverſæ Monachorum familiæ, veræ pietatis, doctrinæ Chriſtianæ, & diſciplinarum ac liberalium artium peſtes publicæ, utpote *Franciſcani*, *Dominicani*, *Carmelitæ*, & *Auguſtiniani*. De quibus plura vide in *lib.* 4. *Chron. Carion.*

CAPUT III.

DE EGRESSV.

CUm OTTO Imperio ſe abdicaſſet, privatam aliquamdiu vitam ſummo cum animi dolore Brunſvigæ egit, & ibidem A. C. 1218. 5 Kalend. Maii, fluxu alvi dyſenterico rebus humanis exemtus eſt. *Urſperg. Meyer. Chron. Philipp. Vincent.* Moriturus ſui facti pœnitentiam egit, ut eam deſcribit *Crantz. lib. 6. Saxon. cap. 36.* quod humanis conſiliis & viribus nimium tribuiſſet: proinde in ſolius gratiæ divinæ fiducia vitam cum morte commutavit; & recte. Nam qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, miſericordiam conſequetur. *Prov. 15. v. 13.*

Micyllus hoſce de eo verſus compoſuit:

Hic Papæ inſtinctu cum regnum fraude pararet,
Sæpe dedit turpem, non ſine clade, fugam.
Mox verus Cæſar, cum Sceptrum lege teneret,
Propretio diras retulit Auſonias.

XXVI IMPERATOR GERM.

FRIDERICUS II, Rex Siciliæ.

CAPUT I.

DE ORTV.

I. PATER fuit HENRICUS VI Imp.

II. MATER dicta fuit CONSTANTIA, quæ fuit filia Regis Siciliæ. Ex hiſce parentibus natus eſt *Fridericus* ejus nominis ſecundus, Panormi in Sicilia anno C. 1193. ſeptimo Kalend. Januarii.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ.

FRIDERICUS II, egregiis corporis animique dotibus præditus fuit. Nam avo ſimillimus, animo fuit magno atque excelſo, inque periculis intrepido, in utraque fortuna conſtans & moderatus, acer in prœliis ac providus, manu pariter & conſilio promtus, munificus, à crudelitate alieniſſimus. Cum enim non deſinerent Pontificii & vi manifeſta & fraude atque inſidiis vitam ejus ac jugulum petere, repreſſit tamen indignationem, & vindictæ cupiditatem, quantum potuit, victor devictis mitigavit. Ingenio præterea tanto fuit, ut omnes ſui ſeculi homines ſapientia & prudentia ſuperarit; & Græcam, Latinam, Italicam, Gallicam & Saracenicam linguas, præter Germanicam non ſolum intellexerit, ſed etiam diſerte locutus ſit. Optimus ergo Princeps fuit, modo iniquitas temporum egregiis ejus conatibus non obſtitiſſet. Quandoquidem igitur conatus optimi Imperatoris à fortuna vacui caſſique fuere, ejus præclaræ virtuti ac gloriæ rerum geſtarum nihil detrahendum cenſemus: & nobis curæ ſit vera ſapientia, quæ vitam conſiderans varietati fortunæ expoſitam, non ſinit eos præſentibus bonis animos tollere, neque ullius ſuſpicere felicitatem viciſſitudini temporis opportunam.

II. *ACTA OECONOMICA.*

I. UXORES, & LIBERI ex iis ſuſcepti.

FRIDERICUS uxores habuit *ſex.*

Prima dicta fuit CONSTANTIA, Arragoniæ Regina: è qua natus eſt HENRICUS SENIOR, quem pater decem annorum puerum Sueviæ Ducem & Regem Romanorum fecit: ſed cum is pietatem patri debitam non agnoſceret, ipſoque abſente Imperium affectaret, nec quidem ſemel impetrata erranti venia à propoſito malo, Pontificis artibus incitatus, deſiſteret, de ſententia procerum Germaniæ ad perpetuos carceres eſt damnatus, & Marturanum Calabriæ oppidum deductus, in carcere miſere vitam finiit.

Altera fuit JOLE, ſive JOLANTA, filia unica Regis Hieroſolymitani *Johannis de Bregna*, quæ dotis loco *Friderico* & ejus poſteris, Regibus Siciliæ & Neapolitanæ, titulum Regis Hieruſalem attulit. Ex hac natus CONRADUS A. C. 1228. & mater in partu mortua eſt.

Tertia, AGNES, Marchionis Meraniæ *Ottonis* filia, quam repudiatam ab Imperatore duxit *Ulricus* Carinthiæ Dux.

Quarta RUTINA, filia *Ottonis* Comitis Bavarici in Wolfershauſen.

Quinta ISABELLA, filia *Ludovici Bavarici*, cæſi in Kelheim. Ex hac nata ei filia AGNES, ſive, ut alii volunt, MARGARETA, nupta *Alberto* Landgravio *Thuringiæ*: qui ex ea duos ſuſtulit filios FRIDERICUM avo ὁμώνυμον. Marchionem Miſniæ, & DIETMANNUM. Poſtea tamen nihilominus Landgravius cœpit amare aliam, & non ſolum factus eſt adulter, ſed etiam inſidiatus eſt vitæ Conjugis ſuæ, Imperatoris filiæ. Itaque paciſcitur cum illo mulione, qui quotidie vehebat aquam in arcem Iſenacenſem, ut eam interficeret. Ille

promiſit quidem hac in re ſuam operam Landgravio, interim cuſtodi ac conſiliario Dominæ rem omnem detexit, ſimulque excuſavit ſuam promiſſionem, dicens: ſi negaſſem, interfeciſſet me; nunc vos cogitate, quid vobis ſit faciendum. Ibi Præfectus Prætorio conſuluit, ut aufugeret Domina. Illa igitur clam ſe per funem demiſit ex feneſtra non admodum alta in ſubjectum ſcopulum, unde occulte aufugere poſſet. Delata in Francofurdium, ibi in Monaſterio Virginum in luctu & precatione vitam agens, poſt paucos annos mortua eſt. Illa nocte autem, cum eſſet diſceſſura, aſſedit ad lectulos filiorum *Friderici* & *Dietmanni*, calamitatem ſuam deplorans, tandemque iis valedictura, *Fridericum* natu majorem, lacrymis & ejulatu materni doloris magnitudinem oſtendens, complexa eſt, ſæpe figens oſcula in genis & in pectore filii. Poſtremo mirabili animi motu dentibus momordit genam filii, ita ut puer alta voce clamaret. Ibi præfectus, Quid facis, inquit? putans matrem interfecturam eſſe infantem præ dolore. Ah, reſpondit mater, putas me adeo ferream, ut à pulcherrimis & cariſſimis filiis ſine ingenti dolore in exilium abire poſſim? Nullum vitæ periculum eſt meo filio ex hoc vulnere, ſed ipſi notam mei ſummi doloris impreſſi, ut in omni vita memor ſit & mei erga ipſum amoris, & calamitatis meæ. Filii iſti cum adoleviſſent, pater eos per ſeditionem ex Miſnia ejicere voluit: ſed patrem filii mutata fortuna expulerunt. Sic expulſus Erphordiam pervenit, ubi in ſumma miſeria & paupertate mortuus eſt. *Philip. Melanch. Tom.* 3. *Declam.*

Sexta fuit MECHTILDIS, (quam nonnulli ISABELLAM nominant) filia JOHANNIS Regis Angliæ, cum qua A. C. 1235. Wormatiæ magna ſolennitate nuptias celebravit: exque ea ſuſcepit filium *Henricum Juniorem*, cui pater teſtamento Siciliam decreverat, ſi perveniſſet ad juſtam ætatem: & gnatam *Conſtantiam*, conjugem *Ludovici* Landgravii Haſſiæ.

II. Concubinæ.

FRIDERICUS quoque multas habuit concubinas, inter quas fuit BLANCA Marchioniſſa Montisferrati. Ex qua tres ſuſtulit filios. I. MANFREDUM Tarenti principem, qui patrem plurimoſque fratres veneno ſuſtulit; uti infra dicemus. II. HEINSIUM Sardiniæ Regem, qui dum Mutinenſibus auxilium ferret, à Bononienſibus cum multis aliis captus, quorum 300 ſuſpendio necati fuerunt, ipſe captivitate liberari non potuit, quicquid etiam vel ipſe, vel parens offerret: regio tamen more habitus fuit, & cum detentus fuiſſet annis 22. menſ. 9. diebus 16. mortuus eſt. III. FRIDERICUM Antiochiæ Principem. *Chron. Carion. Chron. Funccii. Chron. Spangenb. Cent.* 13. *fol.* 1325. *Cuſpinian. Pantaleon. Sigon. lib.* 17.

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

I. Cum OTTO IV Imper. apud Pontificem Romanum in odium incurriſſet, eo quod pontificias ditiones invaſiſſet, & ad totius Italiæ imperium aſpiraſſet, Papa *Innocentius III* Principes Germaniæ incitavit per Moguntinum, qui præcipuus in Germania adminiſter tyrannidis pontificiæ & decretorum injuſtorum exſequutor fuit, ut rejecto *Ottone* FRIDERICUM Regem Siciliæ ad imperium accerſerent, cui puero ante *Philippum* & *Ottonem* ad preces patris *Henrici VI* Imp. imperium deſponderant & confirmarant. *Fridericus* ergo evocatus ad Imperium ex Sicilia, quanquam repugnantibus uxore, & Siculi regni proceribus, tamen aſſenſus eſt, & Legatos, qui miſſi erant, ut ipſum adducerent, ſecutus per Tridentinam vallem & Rheticas alpes, pervenit in Germaniam A. C. 1212. Ibi à ſuis exceptus & juſtis copiis inſtructus, mox recepto Briſaco, & Haganoa expugnata, Moguntiæ comitia egit, ubi juramentum fidelitatis ipſi multi dederunt. Inde *Ottone* procul in Saxoniam pulſo, omnem ad Rhenum Germaniam magna celeritate occupavit, cumque Aquiſgrani coronatus eſſet, quo minus metueret, munivit ſeſe fœdere & ſocietate vicini Regis Franciæ *Philippi*. Etſi autem OTTO paulo poſt Belgicum aggreſſus eſt, & Aquiſgranum obſidione cinxit, tamen cum Francicis armis eſſet depulſus, & à Principibus Germaniæ deſertus, rerumque difficultate victus, imperio ſeſe abdicavit, & reliquum vitæ tempus privatus tranſegit: ſicuti in ejus hiſtoria dictum.

II. A. C. 1220. FRIDERICUS in Italiam proficiſci conſtituit, ut inſignia Imperii acciperet, præmiſſo legato Conrado Epiſcopo Spirenſi Cancellario ſuo, qui fide jurisjurandi omnes civitates & populos Italiæ obſtringeret, viamque ſibi ad ſummum dignitatis faſtigium præpararet. Et ut famam clementiæ & benignitatis aſſequi & conſervare poſſet, & ipſe multis privilegia dedit & confirmavit, & Legato ſuo idem faciendi poteſtatem liberam conceſſit. Mox ergo legatum ſuum ſubſecutus promtiſſimis omnium ſtudiis ac officiis in Italia ſuſceptus eſt. Sed Mediolanenſes, acceptæ ab avo ejus *Friderico* Barbaroſſa injuriæ memores, poſtulationi *Friderici* de corona ſibi conferenda locum dare noluerunt. *Fridericus* hanc ſibi factam

injuriam diſſimulatione prudenti pertulit, & recta Romam profectus inſignia Imperii 10 Calend. Decembris de manu Honorii Pontificis ſumſit. Sed cum conditiones haſce, ut omnes nempe provincias Eccleſiæ Romanæ, quocunque etiam titulo eas accepiſſet, relinqueret, & deinde ut ad terminum ſibi à Pontifice præfigendum expeditionem ſacram ſuſciperet, quaſi contrarias Majeſtati Imperatoriæ accipere nollet, odium Pontificis ſibi conciliavit maximum: Unde à tribus Pontificibus ex omni parte adeo coanguſtatus eſt, ut, qui ſingulari ingenii excellentia & animi ac corporis robore, nec non literarum ſcientia præſtabat, nihil tamen rerum, præterquam quod factis cum Sultano induciis tranquillitatem Aſiaticis peperit, & tumultus Lombardiæ ſuſtulit, gerere potuit. *Urſp. Chronicon Carion. Trith. Sigon. lib. 17. de reg. Ital. Cranz. 7. Vandal. cap. 20.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

1. *ACTA TOGATA.*

I. FRIDERICUS fuit Imperator ſapiens, fortis, felix, & ut pacem & concordiam in Imperio conſervaret ſummopere ſtuduit, multaque ſapienter conſtituit, cum de uſibus feudorum, tum alia, quæ undecim capitibus diſſecta, ac Codici Juſtiniani ſunt inſerta. Et inter alia exſtat egregia conſtitutio inſerta uſibus feudorum. De Statutis & conſuetud. contra libertatem Eccleſ. quæ conſpicitur etiam in Codice Juſtiniani ſub *tit. qua res pignor. obligar. poſſ.* cujus hæc ſunt verba: Agri cultores & circa ruſticitatem occupati, dum villis inſident, & agros colunt, ſecuri ſint, quacunque parte terrarum, ita ut nullus inveniatur tam audax, qui perſonas vel boves, agrorum inſtrumenta, aut ſi quid aliud ſit, quod ad operam ruſticalem pertinet, invadere, capere aut violenter auferre præſumat. Si quis autem hujuſmodi ſtatutum auſu temerario violare præſumſerit: in quadruplum ablata reſtituat, infamiam ipſo jure incurrat, imperiali animadverſione nihilominus puniendus, *&c. Pantaleon. Gaguinus. Aventin. lib. 7.*

II. *Fridericus* Imperator fuit literarum linguarumque complurium gnarus. Idcirco etiam Viros doctos in honore & pretio habuit, cum iis libenter converſatus eſt, dequecorum conſiliis atque ſententiis inſtituit, adminiſtravit, & in controverſiis pronunciavit in tempore pacis pleraque. *Chron. Carion.*

III. *Fridericus* multis regionibus & civitatibus magnifica privilegia conceſſit, eaque bulla aurea confirmavit, quarum duæ in archivo inclytæ Reipubl. Lubecenſis adhuc aſſervantur: *una* ille avi ſui *Friderici I.* cognomento Barbaroſſæ privilegia, ubi Lubecæ A. C. 1188. conceſſa, confirmat: *altera* eam liberam Imperii Urbem pronunciat, & novis inſuper beneficiis cumulat. In harum antica parte viſitur effigies Imperatoris in ſolio ſedentis & tenentis dextra ſceptrum, ſiniſtra globum cruciferum, cum hac inſcriptione: FRIDERICUS DEI GRATIA ROMANORUM IMP. SEMPER AUGUSTUS, REX JERUSALEM ET SICILIÆ. In parte poſtica caſtrum turritum, cum hac inſcriptione: ROMA CAPUT MUNDI REGIT ORBIS FRENA ROTUNDI.

IV. A. C. 1237. *Fridericus* Spiræ Nemetum Comitia habuit, ubi conventus annuos, qui Moguntiæ antea habiti, Francofurti ad Mœnum inſtituit: qui conventus poſtea *Miſſa S. Bartholomæi* vocatus eſt, atque ita *nundinæ* propter conventum inſtitutæ. *Conſtitut. Imp.*

V. A. C. 1245. *Fridericus* Ducibus Auſtriæ regiam dignitatem tribuit, atque ob id titulum *Archiducum* ſibi ſumſerunt. *Cuſpin.*

VI. Cum *Fridericus* Imper. A. C. 1247. urbem *Parmam*, quam Papa ipſi eripuerat, obſidione cinxiſſet, & in obſidione pecunia deſtitueretur, de *corio monetam* finxit, quam poſtea aureis ſingulis, ſive ducatis redemit.

VII. Cum *Fridericus* multiplici à Papa injuria afficeretur, convocatis Principibus Germaniæ injurias Pontificis expoſuit, conatus ejus in evertendo Imperio Romano, & in ſe transferendo, demonſtravit, & ex ipſorum conſilio filium ſuum *Henricum* puerum 9 annorum Imperatorem Aquisgrani anno Chriſti 1222. die 8 Maii coronavit: qui cum patre novem annis in Germania imperavit, ſed tandem eidem rebellavit. Cum enim *Fridericus* in Italia bellum gereret, *Henricus* Bavariam invaſit, & Ducem cum tota Bavaria in deditionem accepit. Hac victoria elatus, patri rebellare incepit, ſocios ſibi quoſcunque adſcivit; nec paucos invenit, qui fidem & auxilium ad hanc rem pollicebantur. Et cum ſenſiſſet Marchionem Badenſem id patri in Italia renunciaſſe, bellum Marchioni intulit: nullo tamen cum ſuo emolumento. Inde metuens ſibi à patre, fœdus inivit cum civitatibus in Alſatia, & obſides accepit: ſed præſente patre oblitus belli, culpam deprecatus eſt. Cum vero nihilominus quaſdam munitiones ſibi contra patris voluntatem retinere vellet, ab eo in Siciliam miſſus, ibique quinquennium poſt mortuus eſt. *Annal. Suev. Trith.*

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bella interna.*

Graviſſima omnium fuerunt bella, quibus impulſu Romanorum Pontificum *Fridericus* implicitus fuit. Longæ ſunt ambages, injuriæ vero acerbiſſimæ: inquit Dreſſerus.

Acta Friderici Imper. cum Pontifice Romano Honorio.

1. A. C. 1220. *Fridericus*, rebus patriæ pacatis, in Italiam profectus eſt, ut à Pontifice Imperator declararetur; & ab Honorio Romæ Imperialem coronam accepit: ut igitur coronationis beneficium Imperator remuneraret, *Fuldenſem Comitatum* Eccleſiæ Romanæ perpetuo jure poſſidendum contulit & donavit: hæc pax tamen inter Imperatorem & Pontificem diuturna non fuit. Nam proceres aliquot & Epiſcopos Papa inſtigavit, ut deſerta ac prodita fide erga Imperatorem invaderent, quæ & Imperii erant, & hæreditaria *Friderici*, atque ex his quædam occuparent, alia deprædarentur & vaſtarent. Irritatus igitur injuria perfidioſa ſuorum Imperator, ad arma ſe contulit, proſpereque debellatis hoſtibus, Epiſcopos ſacro ordine motos dejecit epiſcopatibus, aliis in locum eorum ſuo conſilio ſurrogatis. Cæteros, qui elapſi confugerant ad Pontificem ſeditionis authorem, exutos dignitate boniſque, condemnavit ad perpetua exilia, inter quos duo Comites Thuſciæ fuere. Hos cum in integrum reſtitui Pontifex poſtulaſſet, Imperator vero generoſa & gravi oratione recuſaſſet, illum excommunicavit, quod eſſet hoſtis Eccleſiæ, & diſcipulus Mahometi: quo exciti in Sicilia Saraceni concurrerunt ad arma, Imperium excommunicati Regis abjecturi. Relicta ergo Italia, in Siciliam *Fridericus* trajecit, ac ſeditione repreſſa mox in Germaniam ſe recepit: ubi cum conſenſu Procerum filium *Henricum* Imperii conſortem feciſſet, rurſus cum exercitu in Italiam contra Pontificem profectus eſt. Sed tum *Johannes de Bregna* Rex Hieroſolymitanus in Italiam venit, & expoſitis publicis Palæſtinæ malis, diſſidia hæc inter Imperatorem & Pontificem pauliſper ſedavit: cujus filiam Jolen *Fridericus* in uxorem duxit, eique titulus Regis Hieruſalem dotis loco attributus, (à quo tempore Reges Siciliæ & Apuliæ titulum ejus regni habuerunt) & conventum eſt, ut peractis nuptiis *Fridericus* expeditionem ſacram ſuſciperet: quod etiam factum eſt, uti infra dicemus. Sed enim hæc nova affinitas attulit quidem Imperatori titulum Regis Hieruſalem, verum poſtea tandem exitio fuit. Nam eventus docuit, quam inimica fuerit magnis conſiliis benevolentiæ Pontificis ſimulatio, qui poſtea *Johannem de Bregna* adverſus Imperatorem concitavit, & dum aliis intentus eſſet artibus, quibus eum exagitare poſſet, animam exſpiravit. *Urſp. Trith. Annal. Suev. Chron. Carion.*

Acta Friderici cum Papa Gregorio IX.

II. *Honorio* Pontifice extincto, ei ſucceſſit GREGORIUS IX. Hugolinus antea dictus. Hic nullo odio adverſus Imperatorem, nullo machinationis genere inferior fuit anteceſſoribus ſuis. Nam præter adjumenta veſanæ ambitionis & nefandæ malitiæ, nomen etiam ad Pontificatum attulit fatale Eccleſiæ & Imperio Romano: à *Gregoriis* enim (quinto excepto) illata ſunt præcipua & Eccleſiæ Chriſti & Imperio detrimenta, inde uſque à *Gregorio Magno*. Quam primum enim *Gregorius IX* ad papalem dignitatem A. C. 1227. evectus eſt, *Fridericum* Imp. accuſare cœpit, quod voto ſuo de expeditione in terram ſanctam non ſatisfaceret: eamque ob cauſam eum nec auditum, nec convictum anathematis fulmine percuſſit. Quanquam ergo expeditionem ſacram *Fridericus* ſuſcepit, nihilo tamen magis gratiam Pontificis invenire potuit. Nam Pontifex juſſit militibus, ut Imperatorem deſererent, deditque ad Sultanum literas, ne *Friderico* terram ſanctam redderet. His ergo rebus impeditus, *Fridericus* inducias cum *Sultano* fecit, & cum Pontifice in gratiam redire conſtituit. Cum igitur ex Palæſtina rediiſſet, auxilio Ducis Spoletani & aliorum, ſocerum ſuum *Johannem de Bregna* ab Honorio & *Gregorio IX* Pontificibus ad bellum ſuſcipiendum incitatum, vicit, & ſpatio quindecim dierum omnia recuperavit. Inde quoſdam Principes ex Germania evocavit, iiſdem Papæ perfidiam demonſtraturus, & eoſdem de pace inter ſe & Pontificem conſulturus. Sed qui ſe interpoſuerunt, Germaniæ Epiſcopi & Principes, *Leopoldus* Auſtriæ, *Otto* Meraniæ, *Bernhardus* Carinthiæ Duces, integri anni ſollicita tractatione ac pene ſupplici deprecatione in juſtiſſima cauſa pertinacem ſuperbiam Pontificis vincere non potuerunt. Ceſſit tamen tandem ille, mulctæ loco indictis centum viginti millibus unciarum auri, quibus diras Imperator redemit, ſeque anathemate exſolvit, rem conficientibus *Hermanno* ordinis Teutonici Magiſtro, & Archiepiſcopo Meſſanenſi, anno Chriſti 1230. menſe Auguſto. Verum hæc pactio auro facta, non pax nec libertas, ſed ſervi-

ſervitutis pactio fuit. Poſtquam enim jure Majeſtatis cedere nollet *Fridericus*, firmam Pontificis gratiam adipiſci vel retinere non potuit. Nam Papa civitates Lombardiæ jam antea rebelles compulit, ut arctiſſimo fœdere inter ſe facto armis *Fridericum* perſequerentur. Quippe turbato Reipublicæ ſtatu & ſuam auctoritatem tueri ſeſe, & in occupando regno Neapolitano voti compotem futurum ſperavit: nec eum opinio fefellit: tandem ergo res in nervum prorupit.

Fridericus enim, cum ſe plane contemni ludibrioque haberi, & aut pereundum ſibi, aut ſeditioſam conſpirationem Italiæ, cujus autor erat Pontifex, reprimendam eſſe videret, ex dolore juſto diuque diſſimulato ac preſſo, in iram ingentem tandem exarduit, ut ſunt in heroicis naturis iracundiæ tardæ initio ac lentæ, ſed acres & vehementes, ſi nimium provocatæ, ſerio ſeſe impetu commoverint. Quare commendatis copiis Italicis filio *Heinſio*, quem, præterito Manfredo filio notho ſuo, regem Sardiniæ fecerat, & aſſumtis Germanis, quorum proceribus filium *Conradum*, ut ſibi ſucceſſor eſſet, commendarat, quanta vi potuit Italiam ingreſſus, infeſta adverſaque omnia oppreſſit, evertit, disjecit, obtrivit pene citius quam advolare ſit animadverſus. Urbes Longobardiæ, Æmyliæ, Hetruriæ, Umbriæ, pleraſque, partim deditione ſpontanea cepit, enixe rem adjuvantibus proceribus nobilitatis Italicæ, peculiari erga Imperatorem affectione & ſtudio, odioque ſuperbæ tyrannidis Pontificum, partim vi expugnavit, ac direptionibus & incendiis deformavit.

Ob hoſce felices ſucceſſus & crebras victorias Papa rurſus Imperatorem excommunicavit: Imperator vero ſeſcripto excuſavit: ſcripſit etiam ad cives Romanos & Cardinales. Epiſcopi Germaniæ huic excommunicationi contradixerunt, & HELIAS, quidam Monachus ordinis Minorum, Imperatorem editis libris defendit contra Papam. Imperator, menſibus aliquot peractis, recta Romam contra Pontificem cum exercitu profectus: unde ingens trepidatio Romæ orta. *Papa in anguſtias redactus, crucem contra Fridericum prædicari juſſit, & omnibus ſeſe Romano Imperatori opponentibus promiſit liberationem ex purgatorio & vitam æternam.* atque ita non exiguum collegit exercitum. Sed *Fridericus* hunc ſacratum exercitum vicit, & orco mactavit.

Anno ſequenti Imperator, cum Ravennam ſe recepiſſet, & Senenſes etiam ad deditionem coëgiſſet, iterum exercitum contra Romanos duxit. *Papa proceſſionibus inſtitutis, in quibus nudus pedibus capita Petri & Pauli circumgeſtavit*, copias ſuas *Friderico* immiſit, quæ tamen turpiter fuſæ ſunt. Inde Papa in anguſtias redactus, & à pleriſque Cardinalibus deſertus, inducias fecit cum Imperatore uſque ad Concilium generale. Sed cum paulo poſt videret, magnam pecuniæ ſummam, quæ ex iis collecta erat, qui cruce ſignati contra Saracenos abire noluerant, à ſuis legatis afferri, ruptis induciis bellum continuavit, & Concilium convocavit; ſed eos Epiſcopos, qui publici hoſtes erant Imperatoris. Ideo Imperator omnibus interdixit, ne ad Concilium hoc venirent, cum Faventiam obſideret: quam (poſtquam obſidionem integrum annum continuaſſet) tandem deditione cepit A.C. 1241. Septem exercitibus ſe tum Imperator defendit: uno, cui ipſe præfuit; ſecundo navali ad Genuam; tertio terreſtri: quartum in Germania contra Tartaros, Duce filio, collegerat: quintum apud Tervisium in Italia habebat: ſextum in Marchia Anconæ & Spoleti: ſeptimum in Palæſtina.

Cum vero jam Epiſcopi Romam ad Concilium properarent, Imperator edixit, ſe ſalvum conductum iis daturum, ſi terra Romam proficiſci vellent; ſi vero mari pergerent, ſe eos pro hoſtibus habiturum. Sed Epiſcopi hi pararunt claſſem viginti ſex navium, cum Imperator tantum viginti & unam naves haberet. Imperatoris itaque filius iis occurrit, & Prælatos vicit, captis viginti navibus, & tribus ſubmerſis. Prælatos hoſce captos Imperator nequaquam Pontifici *Gregorio* IX reſtituere voluit, ſed potius ejus urbes invaſit cepitque: quæ res tantum dolorem Papæ attulit, ut ex animi ægritudine moreretur. *Chron. Philipp. Spangenb. Urſp. Annal. Suev. Pariſ. Onuph. & alii.*

Acta Friderici cum Papa Innocentio IV.

III. Defuncto *Gregorio* Papa, ei ſucceſſit Gaufridus, qui Cœleſtinus IV appellari voluit. Hic neque boni, neque mali quid *Friderico* facere potuit, quia tantum dies XVIII ſedit: illo mortuo, vacavit ſedes Papalis menſes 21, quia ex Cardinalibus quidam captivi ab Imperatore detinebantur: quibus dimiſſis, Cardinales convenerunt, & *Innocentium* IV patria Genuenſem, prius Inibaldum appellatum, ſummum Pontificem crearunt. Hic ante Pontificatum amiciſſimus *Friderico* fuit; ſed quam primum Papa electus, acerrimus ejus hoſtis factus eſt. Gratulantibus igitur amicis, quod Pontifice uſurus eſſet, cum quo diuturna conſuetudo ipſi fuiſſet, triſtius reſponſum dedit: *Dolendum potius ſibi quam lætandum, amico Cardinali cum inimico Pontifice commutato.* Et *Ubertus Foliet.* Imperatorem de *Innocentio*

tio Papa hiſce verbis conquerentem introducit: *Innocentium* ante Pontificatum adeptum, in familiari conſuetudine, latrunculis mecum ludentem, ad eam neceſſitatem ſemper adigebam, ut aut illius regem captivum facerem, aut reginam adimerem; nunc eodem Pontifice ad eandem ludi fortunam à me adacto, Genuenſes ex tranſverſo venientes, abaco everſo, ſpes meas fruſtrati ſunt.

Nam *Innocentius* Papa ſententiam excommunicationis in Imperatorem à *Gregorio* latam confirmavit, & inſtitutam ab eodem adverſus *Fridericum* telam ſeditioſarum molitionum tam præclare pertexuit & abſolvit, ut quæri opus non ſit, quo illum impietatis, crudelitatis, fraudis, perfidiæ genere, ſed quo ſemet ipſum ſuperarit. Quare Imperator A. C. 1244 legatos miſit ad Papam de reconciliatione: ſed is clam fugit Genuam, quaſi ab Imperatore pelleretur, ut ita odium conciliaret *Friderico*: & cum aliquot menſibus Genuæ deſediſſet, evocavit Cardinales, & cum iiſdem abiit in Gallias: quo cum veniſſet, Lugduni generale Concilium congregavit, in quo *Imperatorem*, conſictis criminibus, abſentem accuſavit, excommunicavit, Imperio indignum judicavit & abdicavit: Principes ab homagio abſolvit, utque alium ejus loco eligerent, hortatus eſt. Deinde effecit, ut Principes *Henricum* Thuringiæ Landgravium Regem Romanorum deſignarent. Sed contra eum *Conradus* Cæſaris filius exercitum duxit, copiaſque illius fudit. Ex quo contemni *Henricus* à pleriſque cœpit, & Pontificis Rex appellatus eſt. Hoc extincto anno 1247 Pontificis juſſu electus eſt contra *Fridericum Wilhelmus* Hollandiæ Comes, qui annis novem regnavit.

FRIDERICUS Imperat. à Pontifice depoſitus ſtatim Italiam invaſit, & Mediolanenſes graviter afflixit; Papam etiam in eas anguſtias redegit, ut pœniteret eum excommunicationis. Exortæ ſunt hinc graviſſimæ diſſenſiones in Italia. Siquidem factio fatali quadam calamitate recruduit GIBELLINORUM & GUELFORUM: Illi Imperatoris; hi Pontificis partes ſequebantur, & per multos continuos annos Italiam univerſam miſere afflixerunt, & internecino odio ac bello multæ ampliſſimæ civitates Italiæ funditus perierunt.

Conſtituerat deinde Imperator *Fridericus* cum exercitu Lugdunum abire, & jam ad Taurinates uſque acceſſerat: ſed cum de furioſis *Innocentii* atque implacabilibus molitionibus, denique clandeſtina ac perfidioſa Sanſeverinorum Principum ac nonnullorum aliorum ex Pontificis inſtinctu in necem ſuam conſpiratione, & de crudeli cæde ab exulibus Parmenſibus Welphis in Gibellinos ipſi addictos patrata, atque urbe recepta, cognoviſſet, mutato conſilio, rediit in Italiam, atque accerſitis ex Apulia & Calabria recentibus copiis ſexaginta millium *Parmam* obſidione cinxit anno Chriſti 1247 die 2 Auguſti. Atque ut majori commoditate in cœpta obſidione perſiſtere poſſet, brevi temporis ſpatio ex adverſo aliam ligneam urbem condidit, quam *Victoriam* appellavit, templum quoque ſub S. Victoris titulo in ea conſtruxit: nummum etiam nota ejuſdem Divi percuſſum *Victoriatum* nuncupavit. Sultanorum Orientis ſimul Africæque Regum ſocius amicuſque, miſſis ad ſe Elephantis ac omni genere ferarum, quæ florente re Romana, & jura Orbi terrarum dante notæ fuerant, ſed tunc inuſitatæ erant oculis hominum, ſpectacula edidit, muneraque antiquitati comparanda. Ludos fecit, produxit homines inauditis linguis loquentes, gentibuſque ignotis, ac novo habitu: Cæſarum autem veterum magnificentiam & ſplendorem, ſed alieno tempore, æquare conatus, ad penuriam pecuniæ recidit. Victoriatos, qui antea aurei cudebantur, jam ſcorteos facere cœpit, cum perparva ejus argentea effigie, propoſito edicto, ut hi nummo aureo cenſerentur, fiſcum ſuum tantidem illos æſtimaturum accepturumque. Sed & mox ferro victus eſt. Cum enim aliquando ex morbo, quo compluribus diebus laboraverat, pauliſper convaleſcens, ut falconibus & aucupiis ſe recrearet, quinquaginta comitatus Equitibus, Victoria ſua exiviſſet, quod factum die 18 Februarii A. C. 1248, & reliquus exercitus, cum ob abſentiam Imperatoris, tum nimia confidentia hoſtiumque contemtu, licentioſius ageret: Parmenſes, occaſione arrepta, cum quibus licuit viribus egreſſi Victoriam aggreſſi ſunt, & fruſtra atque in vanum reſiſtentibus Cæſareanis, cum nec reverſus ſubito *Fridericus* opem ferre poſſet, dirutis atque deſtructis munitionibus ac vallis expugnarunt, adeoque Victoriam vicerunt, Imperatoris domum, omniaque pretioſa ornamenta obtinuerunt, urbem ad extremum incenderunt, repleverunt foſſas, & in editum quendam atque conſpicuum locum hos verſus affixerunt:

Per te, Rex alme, ceſſit Victoria Parma.
Antiphraſi dicta ceſſit Victoria victa.

Cumque in eadem expugnatione Carrucæ Cremonenſium potentes facti eſſent, in contemtum aſinis per urbem trahendam curarunt, appoſitis his verſibus:

Carroccii flet damna ſui miſeranda Cremona:
Imperii, Friderice, tui fugis abſque corona.

Hæc clades etſi gravis fuit, tamen non ita langueſecit Imperatorem, ut ſe Pontifici ſubjiceret: ſed reparatis copiis, ipſe ex una parte obſeſſos ad deditionem compulit, ex altera parte, duce *Heinſio*

filio,

filio, oppugnavit Bononiam. Umbria enim & tota fere Hetruria Imperatoris partes ſequebantur. Sed tandem Imperator non ſolum ab ipſis amicis deſertus, & inſidiæ ipſi ſtructæ ſunt; ſed ab ipſa etiam fortuna, quæ hactenus ei faverat, deſtitutus eſt. Multis ſane & magnis in Rempubl. cujus bono natus fuit, meritis *Fridericus* devinctum ſibi habuit *Petrum de Vinea* Apulum, virum ſingulari eruditione & prudentia, cujus opera in ſcribendis epiſtolis utebatur. Sed & eum, inſtigatione Pontificis, ambitio & ſuperſtitio, quæ magnus eſt animi morbus, corrupit. Imperator gravi morbo detentus, hortatu Petri ſalutare ſe poculum hauſturum dixit. Verum de occultæ fraudis conſilio ab amicis admonitus, Petro & Medico cum poculo advenientibus ſubjecit: Amici, confido in vobis, quare cavete, quæſo, ne mihi venenum pro medicamento ſufficiatis. Cui Petrus, ô Domine, inquit, ſæpius hic medicus ſalutarem vobis præbuit potionem, cur hoc demum tempore formidatis? Ille vero medico poculum porrigenti, acribus in eum intentis oculis, dixit: Propina mihi. Tum medicus, qui Petri impulſu vere venenum diluerat, metu exanimatus, lapſum lubrica pedis offenſione ſimulavit, ac poculum majori ex parte profudit. Quare ſtatim à cuſtodibus *Friderici* una cum Petro ipſo correptus eſt. *Fridericus* deinde, reliquum quod erat in poculo, quibuſdam morte damnatis præberi juſſit: quo epoto, repente extincti ſunt. Quare dolo detecto Medicum ſuſpendi, & Petro oculos erui juſſit.

Cum autem *Fridericus* omnia ſua ſecreta nihilominus cum Petro, qui eorum explicatam notionem habebat, communicaret; & conquirendæ pecuniæ diſquireret rationem: conſilium ab hoſte & vitæ ſuæ inſidiatore poſtulavit ſibi dari. Is ergo ſimulatione amoris inſidioſe animum ejus tractavit, conſuluitque, vires Eccleſiæ ſuiſmet opibus conterendas, & conflanda eſſe ad uſum belli omnia Eccleſiæ ornamenta, vaſa aurea & argentea. Paruit conſilio ejus *Fridericus*, cujus jam ante perfidiam expertus fuerat, infeliciter plane, & ſpoliis templorum ſibi comparavit copias. Tum Petrus voti compos factus, Imperator, inquit, injuriam mihi abs te injuſte illatam ſatis ultus ſum; tu tibi hominum odia comparaſti, ego tibi DEUM ex ſacrilegio addidi inimicum. Sic callido ille commento doloris ſui vindictam ſumſit, ut publico omnium odio Imperator laborare cœperit, quod ad perniciem præceps eſt, ad utilitatem ſuæ defenſionis incautum.

Cognita porro fraude conſilii *Friderici*, & comperta ſuo magno malo proverbii veritate; *Ab inimico dicta, ne unquam amica duxeris.* Petrum Piſanis ejus inimicis necandum tradere voluit: ſed Petrus certior de ea re factus caput ad columnam, ad quam alligatus erat, tanto annixu illiſit, ut ipſum cerebrum exuſſerit. Qua re cognita, *Fridericus* uberrime flere cœpit ac dicere: Væ mihi, contra quem ſævire coactus ſum; Petrus, dimidium animæ meæ, capitales mihi inſidias comparavit: in quo impoſterum confidam? in quo quieſcam?

Tentavit deinde multa quidem *Fridericus*, ſed varias (ut diximus) vices fortunæ expertus eſt, & ab amicis deſertus, relictis rebus Italiæ, ſe in Siciliam contulit, ibique diem ſuum clauſit extremum, ſicut in capite 3 dicemus. *Ouuphr. Pariſ. Chron. Leodienſ. Chron. Philipp. Chron. Spangenb. Trith. Annal. Suev. Crantz. Sigon. lib.* 18. *de regn. Ital.* & alii.

II. *Bella externa.*

Extra Imperium FRIDERICUS Imp. bella geſſit cum Saracenis, ac quidem A. C. 1227 (quo anno ex univerſa Europa expeditio in Palæſtinam ſuſcepta eſt, & quidem ex ſola Anglia ad 60 millia hominum præter mulieres itineri ſe commiſerunt ducibus duobus Epiſcopis) copias ſuas Brunduſii convenire juſſit. Quo cum ipſe venire propter valetudinis infirmitatem præfinito tempore non poſſet, in Apulia commoratus exercitus ejus, detrimenti multum à lue peſtilentiæ accepit. Tandem vero iter ingreſſus, ſubito, omiſſa expeditione revertitur. At ſequente anno gradu pleno in Palæſtinam cum exercitu perrexit, & die 7 Septembris, A. C. 1228, Ptolemaïdem venit, ubi cum exercitum ordinaſſet, Joppen munivit. Interim Papa *Gregorius* exercitum miſit in Apuliam, & terras Imperatoris ſibi ſubjecit, miſitque literas ad omnes in Palæſtina, ut Imperatorem deſererent, & ne quis cum illo communicaret. Portus etiam maris omnes ita munivit, ne nuncius ex Palæſtina de rebus geſtis *Friderici* in Europam venire poſſet, imo ut Imperatorem, ſi forte rediret, caperet & in vinculis haberet: Scripſit etiam ad *Sultanum*, ne *Friderico* quicquam crederet, aut aliquid ipſi concederet. Haſce literas *Sultanus* ipſe ad *Fridericum* miſit. Legatum præterea Papa in Germaniam ablegavit, qui nunciaret obitum Imp. & *Ottonem* Ducem Lunæburgenſem ad Imperium invitaret; ſed legatus hic Cardinalis nullibi in Germania benigne auditus fuit. Hiſce multifariis Papæ inſidiis eo tempore nihil Imperator impeditus fuit, ſed felicem in Palæſtina progreſſum habuit, & cum jam immineret Hieroſolymis, ac *Sultanus* domeſtico bello eſſet occupatus, ſponte obtulit *Friderico* regnum Hieroſolymitanum totum, crucem, & quie-

quid *Saladinus* Chriſtianis eripuerat; tantum Saracenis conceſſum, ut etiam templum Hieroſolymis haberent, ubi inermes adorarent, & extra urbem hoſpitia ſua haberent. Pax hæc fuit decennalis, & inita die 18 Februar. A. C. 1229, Hieroſolymam cum copiis ſuis ingreſſus Imperator die 17 Martii, & ſequenti die Dominica Lætare Hieroſolymis regio diademate coronatus: omniaque ſolenniter facta, præterquam quod ſacra non ſunt celebrata propter excommunicatum Imperatorem. (Ipſum namque Papa, ut in præcedentibus dictum, antequam itineri ſe commiſit, excommunicavit.) Inde cum Imperator vellet in Jordane lavare eo loco, ubi Chriſtus baptizatus eſt, Templarii id ſignificarunt Sultano, ut ibi Imperatorem interciperet. Sed Sultanus perfidis iſtis Templaris longe melior, literas eas ad *Fridericum* miſit. Imperator igitur, cum REINHOLDUM Bavariæ Ducem, addito exercitu & claſſe, Præſidem Palæſtinæ feciſſet, & maximum bellum ſine ſanguine confeciſſet, in Apuliam in æſtate reverſus eſt. Etſi autem ſub his induciis inter *Fridericum* & *Sultanum* factis Chriſtiani paululum reſpirarunt, tamen furor Saracenicus partim fato, partim negligentia, ſocordia & diſcordia Chriſtianorum indies auctus eſt, nec quievit, donec Chriſtianos terra ſancta expuliſſet, quod factum eſt A. C. 1289, quo reliquiæ Chriſtianorum miſere terra ſancta ejectæ in Cretam fugerunt, ſed in fuga naufragio perierunt. *Urſp. Trith. Monach. Colon. Pariſ. & alii.*

ACTA ECCLESIASTICA.

I. FRIDERICUS Imper. A. C. 1237, Academiam VIENNENSEM in Auſtria fundavit. *Annal. Suev.*

II. Anno C. 1239, Academiam Neapolitanam inſtituit, eamque privilegiis exornavit. Auxit etiam immunitates & dignitates ordinis Scholaſtici, latis de his & ſancitis legibus publicis. *Pariſ. Sigon. Chron. Carion.*

III. FRIDERICUS præter alia multa ingenii & virtutis præclara monumenta, quæ poſteris reliquit, magnam etiam Syntaxin Ptolemæi, & multa alia ex Ariſtotele, Galeno, Avicenna & aliis, ex Græco & Arabico ſermone per interpretes doctiſſ. in Latinam linguam vertenda curavit, & Academiis legenda diſtribuit. Omnia quippe in tenebris jacerent, niſi ille lumen literarum accendiſſet. Et ſane unius *Friderici ſecundi* beneficio phyſica, medica, & mathematica ſtudia in Occidente revixerunt, quæ inde ab irruptionibus Gothicis & Vandalicis neglecta jacuerant. *Aventin. 7. Annal. Chron. Carion.*

IV. Quam perpetua diſſidia inter Imperatorem & Pontifices Romanos fuerint, ſupra prolixius diximus. Quinquies enim Imperator à Pontificibus eſt excommunicatus, & ab iis per totam vitam ita exagitatus, ut ſcribat recte *Micyllus*:

Principe in hoc patuit Romani injuria Papæ,
Et quantum ſceleris curia tota tegat.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

I. ΤΑ᾽ ΠΡΟΗΓΟΎΜΕΝΑ.

FRIDERICUS Imperator cum in morbum incidiſſet, animum à terrenis ad cœleſtia convertit, ſeque ad beatæ mortis horam totum præparavit, veræ pietatis ſigna præ ſe ferens; ut *Menardus* Imolienſis Epiſcopus ſcripſerit, credi poſſe, *Fridericum* II, hominem fuiſſe à DEO electum. Injurias omnibus remiſit, ſed ſubditorum rebellionem juſtitiæ ſeveritati commiſit. Multa millia unciarum auri reliquit, quæ legavit *Templariis*, *Hoſpitalariis & Hieroſolymitanis*: Item ingentem pecuniæ ſummam reliquit ad recuperandam Terram ſanctam.

II. ΤΑ᾽ ΠΡΑΧΘΈΝΤΑ.

Prædictum fuerat FRIDERICO Imper. eum in caſtro quodam *Florentino* moriturum, *Florentiam* urbem ſemper vitavit, ſed A. C. 1250 venit in arcem quandam in Apulia, quæ *Florentina* vocabatur: ubi morbo correptus eſt. Cum autem à morbo reconvaleſcere poſſe videretur, *Manfredus* filius ejus nothus, jam Tarentini Ducatus honore decoratus, vel odio patris, quod *Heinſium* filium ſibi prætuliſſet, vel à Pontificiis ſpe regni propoſita perſuaſus, injecto in os patris decumbentis pulvino ipſum ſuffocavit. Sic optimus ille Princeps, ſummis illis omnium temporum heroibus annumerandus, qui cum virtute & gloria bellica excellentem in omni doctrinarum genere eruditionem conjunxerunt, filii manu interfectus anno Imp. XXXVIII, ætat. 57, ea die, qua olim Imperator erat deſignatus, fato conceſſit.

III. ΤΑ᾽ ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ.

Cadaver Friderici Panormum tranſtulit Archiepiſcopus Panormitanus, & ſepulcro ibidem porphyretico condidit: etſi id aliqui Manfredum, à ſe ſuſpicionis amovendæ cauſa, feciſſe referunt. Verſus Panormi ſepulcro inſcriptos recitat *Melanchthon.*

Si probitas, ſenſus, virtutis gloria, cenſus,
Nobilitas orti, poſſent obſiſtere morti:

Non

Non foret exſtinctus FRIDERICUS, *qui jacet intus.*

Blondus. Balæus. Pantaleon. Cuſpinianus. Sigon. lib. 18. de regn. Ital. in fin. Pandulfus Collenitius 4. de regn. Neapol.

Viri celebres.

Hoc ſeculo celebres fuerunt:

I. VINCENTIUS Cadluccus, qui Chronicon Polonorum ſcripſit. *Mechov.*

II. PETRUS de Vineis, *Friderici* Imp. Magiſter Epiſtolarum & Cancellarius, cujus Epiſtolæ hodie exſtant.

III. HUGO Barcinonenſis Cardinalis, qui commentarios ſcripſit in tota Biblia: dicitur etiam author eſſe Concordantiarum Biblicarum. Ex eorum numero fuit, qui Antichriſti impietatem aliquo modo animadverterunt & redarguerunt. *Trithemius. Mart. Polonus.*

IV. ALEXANDER Exceſtrienſis, Canonicus Anglus, Theologus, Philoſophus, Rhetor & Poëta inſignis, uſque adeo celebris fuit, ut ingenii miraculum diceretur, non ab Anglis modo, ſed etiam Gallis & Italis. Ordinis fuit S. Auguſtini: electus eſt in Abbatem Exceſtrienſem. Scripſit admodum multa in proſa & ligata oratione, in profanis & ſacris, multoſque Biblicos libros commentariis explicuit. *Balæus.*

V. EBERHARDUS Salisburgenſis Epiſcopus. Unus eorum fuit hic Epiſcopus, qui *Fridericum II.* cum Papa *Gregorio IX.* in gratiam redegit. Albertum legatum Romani Pontificis, in Epiſtola quadam ad *Ottonem* Bavariæ Regulum, vocat nebulonem peſtilentiſſimum, bipedum nequiſſimum, Bavariæ perniciem, Chriſtianæ pietatis perturbatorem; utque eum finibus ſuis ejiciat, monet Bavariæ Regulum, quod DEO nil gratius, & Imperatori acceptius fieri poſſit, niſi data opera ſerpentem in ſinu, & in bulga murem, alere velit. Gravi etiam Oratione, in conventu quodam Ratisbonenſi, in Romanenſium ſcelera invectus eſt, atque omnes eos, quotquot ibi aderant, hortatur, ut ſe FRIDERICO II ſubmittant, legatumque Pontificium Albertum Bavaria profligent. *Aventinus.*

VI. GUILHELMUS Epiſcopus Pariſienſis, vir doctus & pius, ſcripſit libellum de collatione beneficiorum, in quo acerrime in avaritiam & alia vitia Cleri ſui temporis invehitur. Præterea in aliquot libros Veteris & N. T. commentatus eſt, & plures tractatus Theologicos edidit. *Trith. Johan. Tilius. Chronic. Flandria.*

VII. GERHARDUS Sagatellus, natione Italus, Doctor Pariſienſis, ſcripſit librum contra Minoritas Monachos: hic dicitur Parmæ eſſe combuſtus. *Balæus.*

VIII. ACCURSIUS Florentinus, primus univerſi juris gloſſator ſub *Friderico II.* Imp. floruit, ut ipſe teſtatur *in l. penultima de accuſationibus. Foſter.*

IX. ALBERTUS Magnus natus ex nobili Bolſtatenſium familia Suevica, patre carpentario, ſive Lavingano, Monachus ordinis Prædicatorum, in Theologia & Philoſophia eruditiſſimus. Hic lectionum adeo appetens fuit, ut Ratisbonenſi Epiſcopatu in Bavaria (cui ætat. 66. præfectus fuerat) ſe abdicarit, & privatim Coloniæ vivens publicis prælectionibus tantum vacarit. Res certe rariſſimi exempli: præferri docendi labores Epiſcopatibus. Merito igitur *Albertus* cognomentum *Magni* tulit, etiam hoc nomine. Reliquit diſcipulos multos, quorum præcipuus & eminentiſſimus fuit THOMAS AQUINAS.

Res memorabiles, & prodigia.

I. A. C. 1214. *duo Cometæ*, adſpectu terribiles, menſe Martio viſi ſunt, quorum alter præcedebat, alter ſequebatur Solem. *Boëthius. Chronic. Hirſavienſe.*

II. A. C. 1216. in cœlo multa ſunt oſtenta viſa, ut *cruces candidæ*, *cœrulei Cometæ*, Solis & Lunæ deliquium. *Nicetas in annalib. Balduini.*

III. A. C. 1220. *Peſtis* in Damiata urbe Ægypti ita graſſata eſt, ut deeſſent qui mortuos efferrent: viæ, vici, domus impletæ cadaveribus. Itaque Latini urbem, quæ tum a Saracenis tenebatur, alias inexpugnabilem, ſine negotio occuparunt. Ex 70 millibus virorum, qui in Syriam contra Saracenos profecti fuerant, tantum tria millia fuerunt reliqua. *Blondus, Æmylius, Bonfinius, Polydorus.*

IV. A. C. 1222. *Terræmotus* ingens fuit tam in Germania, quam alibi. Plurima ædificia Coloniæ corruerunt. In Cypro duæ urbes everſæ, multis hominibus exſtinctis. In Italia nemo in urbibus metu ruinarum nocte permanſit. Domus & templa collapſa plurimos oppreſſerunt. Nam in Italia per duas hebdomadas quotidie bis terra tremuit. *Brixia* quoque civitas fere tota cum populo ſubverſa eſt. Rupes de monte avulſa caſtella disjecit, & multa hominum millia interemit. Romæ terra, ſanguine mixta, pluit. *Trith. Chronic. Hirſav.*

V. A. C. 1223. *nube* rupta & decidente, Iſlebiæ plurimi homines aqua ſuffocati ſunt. Peſtis etiam integrum triennium in Hungaria, Germania & Galliis, inter pecudes ſæviens, vix tertiam partem ſuperſtitem reliquit. *Trith.*

VI. A. C. 1224. Multæ pluviæ & tonitrua fuerunt; grandines quadrangulares, ovorum magnitudine, arbores, vineas & ſegetes vaſtarunt: homines etiam contriverunt. Aves per aëra volitantes, carbones ignitos roſtris deferre & domos incendere videbantur. In Anglia venti impetuoſi ædificia diruebant: arbores eradicabant, & naves ſubmergebant. *Matthias Pariſ. Balæus.*

VII. A. C. 1226. nix in Syria cecidit, & mox in ſanguinem verſa eſt. Romæ diebus tribus ſanguine pluit. *Chronic. Fuldenſe. Chron. Germaniæ. Balæus.*

VIII. A. Chriſti 1227. terræmotu in montibus Salviis ex ædificiorum ruinis circiter quinque millia hominum perierunt. *Sabellicus.*

IX. In expeditione illa, quam *Fridericus II* Imperator A. C. 1227. in Palæſtinam ſuſcepit, Comes quidam Gleichenſis in Thuringia, extrema neceſſitate adactus, bigamus eſt factus. Cum enim prædictus Comes, à Saracenico quodam Comite captus crudeliter tractaretur, Saracenici cujuſdam Baronis filia eum adamare, illiuſque matrimonium ſub promiſſione libertatis affectare cœpit. Quid fit? Comes quidem legitimam conjugem ſe domi reliquiſſe haud ignorans, cupiditate tamen recuperandæ libertatis victus, ſe eam in uxorem ducturum promiſit, præſertim vero cum alia expediendæ ſalutis ratio non ſupereſſet. Mox igitur puella elabendi occaſionem oſtendit, & cum novo ſponſo iter ingreditur. Ventum eſt Romam, & à Pontifice impetrata abſolutio à bigamiæ peccato. Domum ubi rediit Comes, ſolus primum ad conjugem ingreditur, ſalutat, & amanter ab ea excipitur. Non multo poſt, quomodo ſe res habeat, exponit, alteramque ſe adducere conjugem narrat, cujus beneficio ſalutem & vitam retinuerit. Quodſi vivum ſe libenter ferat, ut Saracenicam uxorem, per quam ſervatus ſit, una tolerare velit. Hæc libenter ſe facturam indicat. Statim igitur Saracenica mulier introducitur, ſicque poſtmodum ambæ uxores marito uni, lecto uno, concordia ſuavi cohabitarunt. Forma antecellebat Saracenica, ſed fœcunditas Thuringicæ pulchritudinem penſabat. Erat enim poſterior conjux ſterilis: Itaque ſobolem ex conſorte thori conceptam æque diligebat, ac fovebat, ac ſi propria eſſet. Hujus rei monumentum exſtat Erfurdiæ in templo D. Petri, ubi Comes bigamus cum utrinque collocatis uxoribus in lapide inciſus eſt. *Chron. Thuring. Dreſſerus in Iſagoge Hiſtorica Mill. 6. pag. 545.*

DYNASTIA QVINTA,

E diverſis Nationibus & Familiis.

XXVII IMPER. GERM.

CONRADUS IV.

I. ORTVS.

I. PATER fuit FRIDERICUS II Imp.

II. MATER dicta fuit JOLA, filia Regis Jeroſolymitani Johannis de Bregna, quam Fridericus ea lege matrimonio ſibi junxit, ut jus regni Jeroſolymitani & hæreditatem acquireret. Inde fieri inquit Nauclerus, ut hodie etiam Siciliæ Reges titulum regni Jeroſolymitani uſurpent. Ex hiſce parentibus natus eſt *Conradus* A. C. 1228.

II. PROGRESSVS.

I. ACTA OECONOMICA.

Uxorem habuit ELISABETHAM, filiam *Ottonis* Ducis Bavariæ, ex qua unicum ſuſcepit filium nomine CONRADINUM: de cujus excidio infra dicturi ſumus.

II. ACTA POLITICA.

ſive *Imperii occupatio*, ejuſdemque *Adminiſtratio.*

FRIDERICUS II. Imper. poſt mortem filii primogeniti *Henrici* (quem cunctis ſuffragiis Regem Romanorum elegerat) animos Principum conciliavit filio *Conrado*, eumque A. Chriſti 1235. Wormatiæ omnium Germaniæ Principum conſenſu imperii conſortem ſibique ſucceſſorem fecit. Nihilominus tamen Papa *Innocentius IV.* ex invidia adverſus Imp. *Fridericum*, in Concilio Lugdunenſi A. C. 1245. habito, rem eo deduxit, ut patri & filio pariter de imperio dejectis oppoſitus ſit *Henricus* Landgravius Thuringiæ, quod quidem impedire *Conradus* conatus fuit, & pro jure ſucceſſionis à Principibus Germaniæ ſibi dato, ſceptra imperii ſuſcipere voluit, ſed fruſtra. Cum autem *Henricus* in obſidione Ulmæ vulnus accepiſſet, exque eo Iſenaci A. C. 1248. mortuus fuiſſet, *Conradus* iter in Italiam ſuſcepit. Sed enim poteſtas niſi à DEO detur, & ſecundum DEUM virtutis honore con-

conſervetur, diuturna eſſe non ſolet. Itaque *Conradus* male ſibi ſuæque familiæ conſuluit, quod de conſilio fratris Manfredi, vi potius, quam benevolentia, regnum ſtabiliendum cenſuit, & deinde quod initia Imperii ſuſcepti ſcelere parricidii, ſublatis è medio filiis fratris ſui *Henrici Senioris*, polluit. In Italia opera Icelini multa crudelitatis exempla edidit, & ipſe adjutus à Tancredo civitates, quæ ad Pontificem defecerant, recuperavit: Capuam & Neapolin funditus evertit. Sed tandem ſuo exemplo poſteris teſtatus eſt, quod tyrannis fundus ſit quidem præclarus, ſed exitum non habeat alium, niſi pulcrum ſepulturæ ornamentum. *Caſtrut. l. 2. fol. 155, 157, 158. Chron. Spangenb. H. Mutius, l. 21. Chronic. Carion.*

III. EGRESSVS.

Cum *Conradus* in Italia urbes, quæ à morte patris ad Pontificem *Innocentium* deſciverant, recepiſſet, in Germaniam rediit. Sed cum adverſa ſibi atque infeſta offendiſſet omnia, commendato Principi Bavariæ, ſpe ſucceſſionis, filio, repetiit Italiam, ut regna iſtic recuperata hæredi conſervaret. Hæc agentem *Manfredus* frater veneno peremit, qui cum regnis Apuliæ & Siciliæ multo ante inhiaſſet, patre ſublato, abſentem impuberem *Conradinum* facile à ſucceſſione excludi ac prohiberi poſſe confidebat.

Deceſſit *Conradus*, conſumtus vi veneni, & fluxione dyſenterica, quam eroſis inteſtinis pharmacum irritarat A. C. 1254. vigilia *Adſcenſionis*, die 21 Maii, anno 19 ab electione, à morte patris quarto. *Pariſ. H. Mutius. Chronic. Philippi.*

MANFREDUS.

MANFREDUS *Friderici II.* Imp. filius nothus fuit, ex nobili pellice Blanca natus. Hic, defuncto fratre *Conrado*, ejus filii *Conradini* in Bavaria degentis tutelam ſuſcepit, ut ſub eo prætextu regnum Siciliæ ac Italiæ occupare poſſet: ſed cum multiformis ejus perfidia manifeſtaretur, ſimul & ſpe regni decidit, & miſere vitam amiſit. Nam uſurpato ſibi regio nomine, & ducta Arragonum Regis filia, poſtquam Pontifici ſubjectionis fidem dediſſet, & ſimulatione quadam fefelliſſet, miſit in Germaniam percuſſores, qui Conradinum interficerent: & nondum perpetrata cæde eam cum magno ſuo exitio, ac ſi vere mortuus Conradinus eſſet, divulgavit, & quaſi ad ſe jure ſucceſſionis pertineret, regnum vi, & exteris Saracenorum auxiliis occupavit, ſed pœnas mox dedit;

—— Nec enim lex juſtior ulla eſt,
Quam necis artifices arte perire ſua.
Ergo & perjuros merito perjuria fallunt.

Ovid. 1. de arte amandi. & regna parricidiis aſſute acquiſita amiſit. Quare hiſce conſiliis pravis *Manfredi* commotus Pontifex *Urbanus IV* CAROLUM Comitem Andegavenſem, fratrem *Ludovici* Regis Galliæ, adverſus *Manfredum* anathemate percuſſum evocavit: & CAROLUS in Italiam veniens A. C. 1265. Romæ magno honore exceptus, Senator creatus, & Rex Jeroſolymorum ac Siciliæ proclamatus eſt. Anno ſequenti prope Beneventum *Manfredum* prœlio vicit, & interfecit per proditionem, opera JOHANNIS ROTÆ, Comitis Caſertæ, cujus conjugem *Manfredus* ſtuprarat; illumque inſepultum abjecit: atque ita *Manfredus* eſca canum & volatilium factus. Quippe DEI occulto & mirabili judicio ſepulcri honore indignus fuit, qui nihil DEUM ipſamque adeo pietatem veritus, genitori ſuo vitam ademit. Namque ipſa natura & terra mater omnium abhorret ejuſmodi homines nefarios. Cum Damaſcius Syrus, Simplicius, & alii docti viri, ex Sicilia in Perſiam ad videndum Coſroën Regem Perſarum irent, invenerunt in agro cadaver inhumatum: deteſtati Perſarum inhumanitatem illum ſepeliunt noctu. Unus ex eo comitatu obverſari ſibi vidit ſpeciem hominis ſenis & venerandi, dicentis: Noli inhumatum corpus humare; permitte canibus lacerandum: terra univerſorum mater matris corruptorem hominem non ſuſcipit. Ille expergefactus, aliis ſomnium expoſuit. Itaque viam mane regreſſi viderunt corpus nudum in campi ſuperficie jacere. *Agath. 2. Epigram. Græc. Martinus. Pariſ. Annal. Suev. Trith. Chronic. Philippi.*

Manfredo ad flumen Viride tale *Epitaphium* fuit erectum:

Hic jaceo Caroli Manfredus morte ſubactus:
Cæſaris hæredi non fuit urbe locus.
Sum patris ex odiis auſus confligere Petro:
Mors dedit hic mortem, mors mihi cuncta tulit.

Cruſius part. 2. Annal. fol. 108.

AXIOMA.

Spurii ex adulteriis, aut damnato coitu prognati, plerumque ſunt mali, inquieti & turbulenti. Et horum exitus plerumque eſt tragicus; poſteritas quoque talium non eſt diuturna, ſed ſtatim poſt ipſos deficit.

Exemplum hoc loco habemus in *Manfredo*, qui varios in Imperio tumultus excitavit, & patrem, injecto in os ejus pulvino, ſuffocavit. Deinde fratri

Con-

Conrado author fuit, ut multa crudeliter ageret, quo ipſum apud ſubditos inviſum redderet; tandem & eum veneno ſuſtulit, ejuſque filio *Conradino* Regnum paternum eripuit, & vitæ ejus inſidias ſtruxit. Sed tandem juſtas ſuæ impietatis pœnas dedit *Manfredus*. Uxor quoque ejus ac liberi ex ea ſuſcepti poſtea in carcere miſere perierunt.

Hiſtoria excidii *Conradini*, & ſtirpis Sueviæ.

CONRADINUS filius fuit *Conradi IV* Imperatoris, poſtremus ex *Friderici Barbaroſſæ* familia: hæres regnorum Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ: qui *Manſredo* è medio ſublato, magnis in Germania collectis copiis, & ſecum ducto *Friderico* Duce Auſtriæ venit in Italiam ad repetenda avita regna; ſed per *Clementem* Papam & *Carolum* cum contumelia repulſus eſt. Quare Conradinus bello rem cum regnorum invaſore *Carolo* Andegavenſium Duce decernere conſtituit, cumque eo anno Chriſti 1268. die 22 Auguſti (al. 28 Novembris) ad lacum Fuſcinum congreſſus, magnaque clade victus & captus cum *Friderico* Auſtriaco. Evaſerat quidem, ſed ex annulo agnitus, ex fuga eſt retractus. His ad ſe adductis, *Carolus* victor non contentus gloria victoriæ, quod magni & generoſi fuiſſet animi, ſuperbe inſuper & contumelioſe illudit. Mox etiam immani & flagitioſæ ſævitiæ Pontificis *Clementis IV* (qui de tractatione captivorum interrogatus, reſpondit: *Vita Conradini mors Caroli: Mors Conradini vita Caroli*) morem gerens & miniſtrum ſe præbens, utrique, novo ac nomine regio indigno exemplo, caput ſecuri amputari juſſit. *Robertus* Flandriæ Comes quidem vehementiſſime obſtiterat, Carolumque admonuerat, victorem generoſum decere moderatum & clementem eſſe; ſed nihil effecit. Vicit enim cruenta vox Pontificis, vicit impotens animi cupiditas. Nam ita fert natura rerum, ut omnis victor inſatiabili rerum ſecundarum deſiderio efferatur, neque finem ullum cupiditati ſtatuat: & ad quem æmulatio acceſſit, ejus mentem ſic obruit, ut eam plane feram & inconſultam efficiat. Quare Comes Flandriæ cum id impedire (ne videlicet *Conradinus* ac *Fridericus* occiderentur) non potuiſſet, protonotarium *Robertum Barium*, qui è cathedra capitalem ſententiam tenuiſſimæ conditionis homo pronunciaverat, tanquam vita indignum, enſe confodit: ne gloriari poſſet, ſe tantæ excellentiæ Principes morte damnaſſe. Carnificem quoque poſt peractam cædem ſtatim interfici juſſit: ne gloriari poſſet, à ſe tam nobilem ſanguinem effuſum.

Carolus cæde nefaria Principum virorum ſuam cupiditatem explere non potuit, quin & Epitaphio acerbo mortuis inſultaret: quod nec pium, nec Chriſtianæ caritati conſentaneum eſt. Tale autem interfectis Heroibus monumentum memoriæ poſuit:

Aſturis ungue Leo pullum rapiens Aquilinum,
Hic deplumavit acephalumque dedit.

Chronic. Carion. Pandulphus. Paduanus.

Petrus Rex Arragoniæ literas miſit ad *Carolum*, inque iis ob horrendum illud facinus eum hiſce verbis increpavit: *Tu Nerone Neronior, & Saracenis crudelior es.* Nauclerus.

Tandem etiam *Carolus Fridericum* filium nothum *Friderici II* Imper. Ducem Antiochenum perſecutus, captum oculis privavit, & ſuſpendi juſſit. Tota proinde *Friderici II* poſteritas deleta, & veteſtiſſima nobiliſſimaque ſtirps Ducum Sueviæ Imperio & rebus, domi foriſque, pace ac bello ſapienter & fortiter geſtis clariſſima, artibus Pontificum extincta eſt, cum imperaſſet annos 115. regnaque Siculum ac Neapolitanum tenuiſſet annos 76. *Chron. Carion. Siffridus. Hirſav.*

Sed enim *Carolus*, quibus artibus ille hoſtes vicit, iiſdem & ipſe tandem periit. Cum enim omnem Siciliæ utriuſque ditionem cepiſſet, Magiſtratus ex popularibus ſuis Gallis ubique conſtituebat, qui jura dicerent ac provinciæ præeſſent: quod officium illi ita obibant, ut faſtu, luxuria, crudelitate implerent omnia, inſolita vectigalia imponerent, intolerabilia tributa exigerent, fœminas nobiles & opulentas ad matrimonia adigerent, nuptas adulterarent, ſub prætextu laniorum ſubſtragulorum, quæ Judæi ac cæteri pro viribus facultatum *militibus* & miniſtris regiis curiæ juſſu exhibere tenebantur, domos ingreſſi ſupellectilem omnem excuterent, mulieres impudice tangerent, in cives non aliam ob cauſam, niſi quia lautioris fortunæ eſſent, proſcriptionibus, relegationibus, bonorum publicationibus infremerent. Verum Siculi XVII annorum tyrannidem compoſito animo inter murmura tamen tacita perpeſſi, ſimul ac illos zelotypiæ ſenſus inceſſit, tum quoque indignari, exandeſcere, concurrere, conſilia, arma, bona & ſanguinem in Gallorum excidium conferre cœperunt. Inprimis ad *Nicolaum III* Pontificem mittunt legatos, qui eum (teſte *P. Æmylio lib. 7.*) tali exordio affati: *Qui tollis peccata mundi, miſerere noſtri.* iterum: *Qui tollis peccata mundi, miſerere noſtri.* tertium: *Qui tollis peccata mundi, miſerere noſtri, filia noſtra male à Dæmonio vexatur.* Ad Gallorum feritatem & tyrannidem compeſcendam longa ſerie recitatis criminibus excitant. Inde vero

Johan-

Johannem Prochytam (cujus uxorem ſupra dictus *Carolus* ſtupraverat) etiam Palæologum Imperatorem Conſtantinopolitanum, & *Petrum* Arragoniæ Regem, (cui promiſit legatus nomine Siculorum, ſi res proſpere ſuccederet, eum ad regni Siciliæ moderamen unanimi procerum conſenſu vocatum iri: cum præſertim ejus conjux *Conſtantia*, ſoror Regis *Manfredi*, hæres legitima & non proximior adeſſet) ſibi contra *Carolum* conciliant, & denique communibus ſuffragiis conjurant, de omnibus Gallis in tota Sicilia nullo ſexus, ætatis, conditionis diſcrimine habito, uno eodemque tempore, cum primum circa veſperam campanæ ſignum auditum fuerit, improviſo occidendis. Anno igitur Chriſti 1282 Cal. April. feria 3 Paſchatos dato ſigno campanæ, ut convenerat, ad veſpertinas preces, Siculi in Gallos nil tale unquam veritos ſumma violentia, & uno quaſi impetu derepente inſurgunt, omnibus, qui quidem arma ferre poterant, monachis quoque punctim cæſimque rem agentibus. Quare ultionis ardori ſic indulgebant, ut etiam prægnantes exenterarint, & parvulos, (ne quid Gallicæ ſtirpis ſupereſſet) ſaxis illiſerint; bihorii tantum ſpatio octo Gallorum millibus interfectis. Hæc licentiæ diu exercitæ fuit remuneratio: hæc *Dæmonii* filiam exagitantis fuit profligatio. Hinc factum eſt vulgo proverbium: VESPER SICULUS. Cæde confecta *Petrus* Arragonius, qui ad *Hipponem* Africæ eventum Siculæ conſpirationis præſtolabatur, accerſitus, Inſulam deditione procerum occupavit, ſeque regem Apuliæ & Siciliæ coronari juſſit. Etſi autem *Petrus* quarto anno ab occupatione deceſſit, defenſam tamen Arragonii retinuerunt, donec infelici & calamitoſa *Caroli* poſteritate exſtincta, iidem invitati à *Johanna* vidua poſt longa & difficilia bella regnum Neapolitanum etiam obtinuerunt, Gallis à ſucceſſione excluſis. Poſſeſſionem illorum regnorum *Ferdinandus* Arragonius decedens ſine hærede maſculo reliquit *Carolo* V. Imperatori, nepoti ex filia.

Cum autem *Carolus* Andegavenſium Comes nuncium de cæde ſuorum Romæ agens accepiſſet, fertur dixiſſe: *Quando fortunam mihi adverſam eſſe vis*, DEUS, facito, ut ſenſim amittam, quæ brevi temporis ſpatio parta ſunt. Fruſtra ergo, cum ſæpe multumque tentaſſet Siciliæ recuperationem, omnique ſpe decidiſſet, tandem mœrore animi exſtinctus eſt A. C. 1285 die 7 Januar. cum Siciliam & Apuliam obtinuiſſet annis fere 17; ejuſque filius, etiam *Carolus* dictus, à *Petro* Arragonio captus & in carcerem conjectus miſere vitam finiit. *Aventin. l. 7. Pandulphus Collen. l. 5. hiſt. Neapol. c. 4. num. 5. Balæus lib. 6. Paulus Æmylius lib. 7. Francor. Caſtrutius lib. 2. fol. 160. 161. lib. 5. fol. 37. Fulgoſius lib. 6. cap. 11.*

XXVIII IMPERATOR GERM.

WILHELMUS

Comes HOLLANDIÆ.

I. ORTUS.

I. PATER fuit FLORENTIUS, Comes Hollandiæ. Hic ex inſidiis eſt occiſus. Cum enim A. C. 1235. *Claremontenſis* Comes inſtituiſſet *haſtiludium*, ad illud evocavit vicinos Comites & Principes. Eo igitur *Florentius* Comes Hollandiæ, & Comes Cliviæ advenere. Claremontenſis in haſtiludio occidit *Florentium* Comitem: & quia data opera id feciſſe viſum eſt, Comes Cliviæ cum viciſſim obtruncavit, & ita ex ludo factum lugubre prœlium. Præfuerat comitatui *Florentius* annis 12. Succeſſit ei hic WILHELMUS filius. Et quia eo tempore adhuc puer fuit, tutor ei datus eſt Epiſcopus Trajectenſis.

II. MATER dicta fuit MECHTILDIS, filia *Henrici* Ducis Brabantiæ, & ſoror *Andreæ* Regis Ungariæ, qui pater fuit S. Eliſabethæ. *Chronic. Belgic.*

Soror hujus *Wilhelmi*, *Florentii* & *Mechtildis* filia, fuit Comitiſſa illa Hennebergenſis, *Margareta* dicta, quæ anno ſal. 1276, ætat. vero ſuæ 40 Hagæ Comitis in Hollandia, in die Paraſceves uno partu infantes vivos trecentos ſexaginta quinque, maſculos & fœminas, magnitudine pullorum gallinarum peperit, quot ſcilicet ſunt dies in anno: qui, poſtquam per venerabilem Epiſcopum ſuffraganeum Trajectenſem Guidonem, præſentibus nonnullis proceribus & magnatibus, in pelvi quadam baptiſmi ſacramentum percepiſſent, & maſculis *Johannis*, fœmellis vero nomen *Eliſabeth* impoſitum fuiſſet, una cum matre omnes eodem die deceſſerunt, & in Monialium ordinis S. Bernhardi monaſterio, Loſduno, non procul ab Haga ſito, tumulati ſunt. Occaſio autem & cauſa rei geſtæ hæc fuit: *Mendica quædam, quæ gemellos pepererat, ab hac Comitiſſa ſtipem petiit.* Illa autem non ſolum eam inanem à ſe dimiſit, ſed tanquam adulteram inſimulavit: negabat enim, poſſe fieri, ut ex uno viro gemellos ſuſciperet, ideoque hoc ſuo partu detectum eſſe, quod ſeſe aliis viris impudice proſtituiſſet. Innocens mendica hac exprobratione & ignominioſa repulſa commota, precibus ſuis à DEO flagitavit, ut, ſi ſe caſtam & puram ſciret, daret Comitiſſæ ex marito ſuo tot fœtus uno conceptu, quot ſunt dies in anno. Quod etiam ita evc-

evenit; ſicut *Ludovicus Guicciardinus*, *Eraſmus Roterodamus*, *Ludov. Vives*, & *Camerarius in Hor. ſubciſ. cent. 2. cap. 66. teſtantur.*

II. PROGRESSVS.

I. ACTA OECONOMICA.

Uxorem habuit ELISABETHAM, filiam *Ottonis* Ducis Brunſvicenſis: ex qua unicum ſuſcepit filium FLORENTIUM, qui patri in Comitatu Hollandiæ ſucceſſit, illumque adminiſtravit an. 30: & filiam BEATRICEM, quæ nupta fuit *Ferdinando* III. Regi Caſtellæ.

II. ACTA POLITICA.

I. *Imperii occupatio.*

Cum *Henricus* Thuringiæ Landgravius ex vulnere ad Ulmam accepto obiiſſet, Principes Electores, nihil remittentibus Pontificum odiis adverſus *Fridericum* II, detulerunt ſummam rerum ad *Wilhelmum* Comitem Hollandiæ. Electio facta eſt anno C. 1247. (al. 1248) poſtridie Michaëlis. Coronari tum non potuit, quod Aquiſgranenſes ipſi claüderent portas: ideo eos obſedit, & inundationibus aquarum, ſimulque adjutus à ſocero *Ottone* Brunſvicenſi, præpotente illo tempore Principe, & opulento, eo redegit, ut ſe dederent; & ſolenni ritu inauguratus eſt die omnium Sanctorum. *Pariſ. Chron. Carion.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. ACTA TOGATA.

De *Wilhelmo*, quod vel vitio æmulationis & non felicibus auſpiciis conſtitutus eſſet Imperator: vel quod nihil animi, induſtriæ & nervorum ad res gerendas haberet, nihil memorabile accepimus, quam quod ipſi locus inter Imperatores tribuitur. Cum ergo *Wilhelmus* nullam Reipublicæ tot inteſtinis diſſidiis, bellis & tumultibus conquaſſatæ, curam gereret: Principes quidam Germaniæ, cum omnia ſubverſa peſſum ire viderent, ſepoſitis publicæ tranquillitatis cauſa ſimultatibus privatis, fœdere certo ſui ſuorumque defenſionem ſuſceperunt, hoc unicum communis ſalutis conſervandæ præſidium eſſe rati, ſi concordes eſſent. Nam omnis novatio rerum non caret perturbatione: quinimo novitas adjicit calamitatibus pondus. Ideo ne ſibi improviſum quid eſſet, recte ac prudenter ſui ordinis honorem, & adeo totam Rempublicam conſilio & armis, prout temporis ratio poſtulare videbatur, conſervarunt, memores præcepti *Senecæ epiſt. 91:* Cogitanda ſunt omnia, & tota ante oculos conditio ſortis humanæ poni debet, ſi nolumus opprimi, nec ullis inuſitatis, velut novis obſtupefieri. Sed tamen hæc conjunctio Principum non fuit diuturna.

II. ACTA SAGATA.

I. Cum Aquiſgranenſes *Wilhelmum* in urbem, ut coronaretur, admittere nollent, & adhuc in fide & obedientia erga *Fridericum* perſiſterent, *Wilhelmus* urbem obſedit, eamque ad deditionem adegit.

II. Cum *Wilhelmus* coronatus eſſet Aquiſgrani, CONRADUS IV filius Imp. *Friderici* II. collecto exercitu *Wilhelmum* aggreſſus eſt, eumque vicit: ideo *Wilhelmus* viribus impar, in inferiori Germania delituit. *Pariſ.*

III. A. C. 1254 *Wilhelmus* adverſus Friſios, ſuæ ditionis ut tueretur fines, bellum ſuſcepit, & in eo periit; ſicut ſtatim dicemus.

III. EGRESSVS.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

Cum *Wilhelmus* jam Imperator electus in Italia commoraretur, Friſii, occaſione capta, Hollandiam invaſerunt, eamque ſpoliarunt. *Wilhelmus* igitur ut ſuæ ditionis fines tueretur, collecto exercitu contra Friſios profectus eſt, & feliciter rem geſſit.

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

WILHELMUS cum debellata Friſia ac ſubacta, victor ea egrederetur, à quibuſdam *fugitivis*, ſecus viam in arundineto latitantibus, cuſpidibus transfigitur. Equitabat enim *Wilhelmus* cum paucis, victoriam explorans, ut exercitum reduceret; delatus in glaciem cecidit: Friſones, qui latitabant, erumpunt, & priuſquam ei ſubveniretur, cæſus partim, partim galea ſuffocatus, periit, A. C. 1256, cum Hollandiam rexiſſet annis 21, & Imperator fuiſſet an. 9.

III. ΤΑ ΠΑΡΕΠΟΜΕΝΑ.

I. Friſii occiſum *Wilhelmum*, ne fierent Majeſtatis rei, clam in loco ignobili ſepeliverunt, & convocatis finitimis Hollandos expulerunt & trucidarunt.

II. FLORENTIUS ejus nominis V, filius *Wilhelmi*, poſtquam adolevit, (nam cum pater periret, tantum anniculus fuit) ut mortem parentis ulciſceretur, difficilia bella cum Friſiis geſſit, & cum eos A. C. 1283 magno prælio viciſſet, ut oſſa parentis

rentis legitimo ſepulcro inferret, ea ex Friſia deduxit in Selandiam Mittelburgum, ac in monaſterio monialium Præmonſtratenſis ordinis, à filia ejus fundato, & cenſibus aucto, ſepelivit A. C. 1283, ubi & uxor *Wilhelmi Elizabetha* ſepulta jacet. Inde cum A. C. 1287 FRISIA die 14 Decemb. tota inundaretur mari, *Florentius* Comes Hollandiæ, hac occaſione uſus, claſſem adaptavit, & ex tota Friſia obſides ubique accepit: atque ita hac re Friſiam abſque armis in ſervitutem redegit. Statim enim refluentibus aquis effrenem iſtius populi rebellionem edomavit. *Cuſpinian. Chronic. Traject. Coſmograph. Munſter. Henric. Mutius. Chronic. Hedionis.*

XXIX & XXX IMPERAT.
RICHARDUS, Comes Cornubiæ, & ALPHONSUS.

I. RICHARDUS.

I. ORTUS.

I. PATER fuit JOHANNES, Rex Angliæ.

II. MATER dicta fuit ELISABETHA. Mortuus eſt pater *Richardi* anno C. 1216, cum regnaſſet an. 18, menſes 5, eique ſucceſſit frater *Richardi Henricus* III, quia primogenitus fuit, & regnavit annis 57. *Pariſ. Polydor. Virg.*

II. PROGRESSUS.

Imperii occupatio, ejuſdemque *adminiſtratio.*

Defuncto *Wilhelmo*, plerique Germanorum Principes *Richardum* Imperatorem elegerunt, miſſuſque in Angliam ad *Richardum* evocandum Epiſcopus Colonienſis, qui eo venit A. C. 1257, die 13 Januarii. Paulo poſt Paſcha *Richardus* in Germaniam tranſiturus, vento detentus aliiſque incommodis. Coronatus Aquiſgrani in feſto Aſcenſ. die 17 Maii. Sed alii Principes diſſentientes ab electione, convenerunt Francofurti, & *Alphonſum* X Regem Caſtellæ Hiſpanum Imperatorem crearunt. *Richardus* vero cum multa non neceſſaria, nec Imperatore ſatis digna geſſiſſet, perſequendo eos, qui in ejus electionem non conſenſerant, armorum præſidio magis, quam procerum benevolentia ſe tutum fore exiſtimans, omnium odio gravatus, ac facultatibus, quas, dum urbes imperii ab aliis oppignoratas redimeret, & in obſequium traheret, perdidit, exhauſtus, deſperatione quadam in patriam ad *Henricum* fratrem Regem Angliæ rediit. *Urſperg. Chron. Colon. Chron. Hedion. Chron. Philipp. Matth. Pariſ.*

III. EGRESSUS.

RICHARDUS cum A. C. 1259 in Angliam rediiſſet, cum fratre *Henrico* contra ſubditos bellum gerente ſocia arma induit, & in obſidione cujuſdam urbis ſagitta percuſſus mortuus eſt A. Chriſti 1271, die 2 Aprilis. Filius quoque ejus HENRICUS eodem anno menſe Octobri, Viterbii in Italia, ab exule Anglo interfectus eſt. *Append. Pariſ. Peucer. lib. 5. Chron.*

II. ALPHONSUS *cogn.* SAPIENS, Rex Caſtellæ in Hiſpania.

I. ORTUS.

I. PATER fuit FERDINANDUS III, potentiſſimus Rex Hiſpaniæ, qui totam fere Hiſpaniam ſub ſuam poteſtatem redegit, excepta *Betica*, ſive *Granatia*, quo Saracenos (contra quos feliciter bella geſſit) ceu in angulum confugere adegit, ſibique tributarios fecit. Mortuus eſt A. C. 1252, cum in Caſtella regnaſſet annis XXXV, & Legione XXIII. Succeſſit ei ſtatim filius *Alphonſus*.

II. MATER dicta fuit BEATRIX. *Coſmograph. Munſteri fol.* 33. *Mariana.*

Hic *Alphonſus* cognomento dictus fuit *Sapiens*. Quia rerum tum divinarum tum humanarum peritiſſimus fuit: Et revera. *Sapiens* exſtitit, quando non alienis, ſed ſuis conſiliis uſus eſt.

II. PROGRESSUS.

I. *ACTA OECONOMICA.*

UXOREM habuit VIOLANTAM filiam JACOBI Regis Arragoniæ, quæ tres ei peperit filios: FERDINANDUM, SANCTIUM & JOHANNEM; ac unicam filiam dictam BERENGUELLAM. *Coſmograph. Munſteri, fol.* 83.

II. *ACTA POLITICA.*

Imperii occupatio, ejuſdemque *adminiſtratio.*

ALPHONSUS eodem anno, quo *Richardus*, Comes Cornubiæ, Imperator electus eſt, qui fuit annus Chriſti 1257. Nam cum *Richardus* ab Epiſcopo Moguntino, Colonienſi & Palatino ad Rhenum (quorum ſuffragia emerat) imperium accepiſſet, à reliquis Electoribus, Trevirenſi, Bohemo,

Saxone & Brandeburgenſi electus eſt Alphonſus. Hic oblatum ab Electoribus imperium modeſte deprecatus eſt, ſapientiæ ſuæ vim eo ipſo teſtatus. Poſtquam vero perſuaſionibus Pontificis *Alexandri* aures dedit, qui ſui commodi & imperii locupletandi cauſâ eum inſtigavit, ut oblatum imperii axioma à Germanis acciperet, & quem recuſarat titulum, uſurparet, ac Pontifici datis duabus civitatibus Imperii, Tamino & Altria, gratificatus eſſet; multas magnaſque moleſtias domi foriſque in pœnam imprudentiæ expertus eſt, & præter nudum titulum non quicquam obtinuit. Nam cum à ſuæ factionis hominibus vocatus mature in Germaniam non veniſſet, & imperium foris, & regnum domi amiſit: quippe Principes Germaniæ, qui eum elegerant, cum res diutius moram pati non poſſet, novis uſi ſunt conſiliis. Et cum dejectus eſſet ſpe conſequendi imperium in Germania, à filio Sanctio paterno regno item domi exutus eſt.

Quamvis vero hæc ipſi infelicitas alieno conſilio contigerat, nequicquam tamen propterea animum deſpondit, ſed cum meliora in votis eſſent, deteriora ipſi in exſpectatione fuere: & ſic omnia conſilio & æquanimitate moderatus, priſtinos honores regios tandem recuperavit. *Chron. Carion. Sigon. lib.* 20. *de reg. Ital. Chron. Hedion.* En quo miſeros homines ducit ambitio, inſtabilis quæ plane res eſt, quia incipit ſemper à fine, *Sen. epiſt.* 73. prava & inſcia veræ majeſtatis! Ambitioſi igitur nec ſalutis ſuæ, nec virtutis rationem habent, dummodo magnis titulis, & quæſitis nominibus ornari poſſint. Sed enim quod ſolido fundamento virtute & ſapientia caret, nequaquam vel ſtabile, vel perpetuum eſſe ſolet.

I. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. ALPHONSUS Rex pius & religioſiſſimus fuit. Nam Biblia cum Commentariis decies quater perlegiſſe fertur. Ex iis quoque multas hiſtorias & dicta memoriter recitare potuit. *Panormitanus lib.* 2.

II. Fuit fautor & promotor liberalium artium. Nam in diſciplinarum mathematicarum & doctrinæ medicæ inſtaurationem ingentem pecuniæ vim inſumſit. Has artes enim fere extinctas in Occidente revocavit in lucem, conductis & inſtructis artificibus, cum videret rem tantam perfici non poſſe, niſi & multi conjungerent operas, & à Repub. ſumptibus juvarentur. Ab eo nomen acceperunt TABULÆ ALPHONSINÆ, eo quod ejus authoritate & mandato ſint conditæ. Siquidem in hanc rem ad quater centena millia aureorum contuliſſe ſcribunt. Opus illud Aſtronomicum *Alphonſinum* fixum eſt A. C. 1252, die 1 Junii. Tempus ita deſcribit, ut dicat effluxiſſe uſque ad meridiem hujus diei primi Junii, feriæ ſeptimæ, anni 1252, annos *Nabonaſſareos* 1999, & dies 230: annos *Philippi & mortis Alexandri* 1575, & dies 230: annos *Alexandreos* 1562, & menſes octo: annos *Æræ Hiſpan.* 1289, menſes 5: *Dioclerianos* 967, menſes 9, dies 31: annos *Hegiræ* 649, dies 123. Præter Aſtronomiæ ſtudium *Alphonſus* etiam ſacra BIBLIA in Hiſpanicam linguam traduci curavit. Scribitur etiam, *Alphonſum* ſæpe ingreſſum ſcholas in docentes pariter ac diſcentes inquiſiviſſe, ut quemadmodum unuſquiſque in officio ſeſe gereret, cognoſcere poſſet. Quodſi quem deprehendit minus commode aut perſpicue rudiores erudientem, ſchola eum exire juſſit. *Mariana. Fulgoſ. lib.* 8. *c.* 7. *Cuſpinian. Munſterus in Coſmograph.* Beatus igitur prædicandus eſſet *Alphonſus*, ſi & regno ſplendido, & ampliſſima laude illa contentus, non affectaſſet imperium alienum, irrita & pernicioſa ſibi cupiditate.

III. *EGRESSUS.*

Alphonſus cum de ſpe conſequendi Imperium dejectus priſtinos honores regios recuperaſſet, tandem animo ſe ipſum excrucians, quod aliena potius conſilia, quam ſui animi intentionem ſecutus fuiſſet, *Hiſpali* diem obiit. *Cuſpin.* Nam cum *Gregorio* Pontifici Lugduno diſcedenti obviam ſe tuliſſet, graviſſime quidem conqueſtus eſt, quod cauſa ſua nondum diſcuſſa *Rudolphum* deſignari Cæſarem permiſiſſet: at Pontifex, infirmitate cauſæ ejus demonſtrata, ipſum ſe regni titulo abdicare, ac *Rudolpho* animo æquiſſimo cedere juſſit. *Sigon. lib.* 20. *de reg. Ital.* Alphonſus, pœnitentia facti conſiliique adductus, vitam cum morte commutavit.

De Interregno.

Licet *Richardus* & *Alphonſus* à Septemviris Imperii Imperatores ſint electi; tamen, quia res Imperii non adeo curarunt, tituloque tenus regnarunt, anarchia vel interregnum verius quam imperium totis annis 17 fuit. Interea ſtatus Reipubl. penitus erat perturbatus, divulſus ac diſtractus, facieſque miſerabilis, atque vix ullo tempore ſacri Romani Imperii Majeſtas magis periclitata fuerat. Bella ibi civilia, bella extera ſurſum deorſum vaſtare omnia: quæ univerſam Imperii compagem violento impetu dirutura atque everſura videbantur. Italia (quæ tum ad Imperium adhuc magnam partem pertinebat) flagrabat inteſtinis diſſidiis ac ſeditionibus. Germania bellorum aſſiduis incendiis in tam diuturna anarchia, ubi nullum erat certum Imperii caput,

caput, tota ardebat, pene nullus uſpiam angulus ob funeſtas diſſidiorum furias erat tranquillus, omniaque ad interitum ſpectabant. Hos motus tandem ſedavit divina providentia, cum divino inſtinctu rerum ſumma ad *Rudolphum Habsburgenſem* Principem laudatiſſimum delata fuit, cujus virtute & ſapientia miſere afflicto Romano Imperio pax reddita eſt: quod ſane magnum felicitatis argumentum fuit, ex perturbato rerum ſtatu intra paucos annos recuperari felicitatem priſtinam,

DYNASTIA SEXTA,

Conſtans ex

FAMILIA AUSTRIACA, ALIISQUE.

XXXI IMPERATOR GERM. RUDOLPHUS I, HABSBURGENSIS.

CAPUT I.

DE ORTU.

1. PATER fuit ALBERTUS, Comes Habsburgenſis & Landgravius Alſatiæ, vir ſapiens & fortiſſimus, qui cum *Friderico Barbaroſſa* Imp. expeditionem in terram ſanctam ſuſcepit, in qua poſt multas res fortiter geſtas ad urbem *Ascaronem* in Palæſtina ſitam diem ſuum clauſit extremum, ibique ſepultus eſt.

II. MATER dicta fuit ITHA, Comitiſſa in *Bregentz*. Ex hiſce parentibus natus eſt *Rudolphus* A. C. 1218. die 27 Aprilis. *Sponſor baptiſmi* fuit *Fridericus II.* Imp. *Chron. Gaſſ. Caſtrutius lib. 1. fol. 60. Pantaleon. Cuſp.*

Quidam *ſtirpem Habsburgicam* altius ordiuntur à veterum Auſtriæ Regum ſanguine, nuſquam interrupta ſobolis ſerie: eo quod ea loca, è quibus Comites Habsburgenſes prodierunt, Francici ſanguinis Principes poſſederint, proſapia Burgundiæ Regum exſtincta. Verum nos hanc conjecturam ſuo loco relinquimus. Alii ſtemma à *Guntrano* Aldenburgenſi Comite ordiuntur, circiter annum nongenteſimum quinquageſimum, cujus nepos *Rapoto* arcem Habsburgenſem in agro Tigurino primus exſtruxit circa annum Chriſti 1070. Unde nomine mutato pro Aldenburgenſibus Habsburgenſes dici poſtea cœperunt.

Sextus ab hoc Rapotone *Albertus* pater *Rudolphi* Imp. comitatui Habsburgenſi Comitatum provincialem Alſatiæ conjunxit, vel potius *Rudolphus* ipſe ante Imperium, qui poſtea multis acceſſionibus & ornamentis familiæ decus extulit; in quam primus ſummum orbis Chriſtiani axioma adduxit, ampliſſimo imperio ducatuum Auſtriæ, Sueviæ, & Stiriæ locupletatam, ut ſuſtinere onus ac molem tantæ dignitatis poſſet. *Chron. Carion. Coſmograph. Munſteri.*

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

I. Uxores.

DUas *Rudolphus* habuit *uxores.*

PRIOR fuit ANNA, filia *Bernhardi* Comitis Hohebergenſis, cum qua nuptias celebravit A. Chriſti 1240. Hæc A.C. 1281. Vicennæ in morbum incidit, ibique diem ſuum clauſit extremum. Imperator corpus Baſileam deferri curavit, ubi die 19 Martii, in templo maximo honorifice ſepulta eſt.

POSTERIOR dicta fuit AGNES Burgundiaca, Regis Galliæ neptis. Hanc Imperator, cum jam annorum eſſet 69. duxit uxorem A.C. 1287. die 2 Februar. Domin. Septuag. puellam 14 annorum; quam cum Epiſcopus Spirenſis procacius oſcularetur, exulare ab Imp. juſſus eſt. *Chorograph. Schopperi. fol. 733. Pantaleon. fol. 361.*

II. Liberi.

Rudolphus ex priore conjuge *Anna ſeptem* ſuſcepit *filios*, totidemque *filias*.

I. FILII *fuere ſequentes.*

1. Dictus fuit RUDOLPHUS, qui anno ætatis ſuæ duodecimo obiit. 2. HARTMANNUS. 3. FRIDERICUS, qui in florida ætate deceſſit. 4. *Rudolphus* junior, Dux Sueviæ; cui ex *Agnete*, *Ottocari* Bohemiæ Regis filia, natus *Johannes* Sueviæ Dux, qui patruum *Albertum* Imperat. interfecit. 5. ALBERTUS; cui pater devicto Bohemiæ Rege *Ottocaro* Auſtriæ ducatum dedit. Et hoc modo ducatus Auſtriæ ad Comites Habsburgicos,

gicos translatus est: unde Archiduces Austriæ descendunt. 6. HERMANNUS Comes provincialis Alsatiæ, qui ante confectas cum filia Regis Angliæ nuptias per Rhenum navigaturus cum aliis eversa navi submersus est. 7. CAROLUS, qui in pueritia mortuus est.

II. FILIÆ.

1. JUTTA nupta *Wenceslao* Bohemo, *Ottocari* filio. Nuptiæ celebratæ sunt *Egræ* A. C. 1285. ubi *Wenceslaus* coronatus Rex Bohemiæ. Huic *Rudolphus* Imper. postea A. C. 1290. die 26 Septemb. assensit, & confirmavit officium *Pincernatus* in Imperio, & dignitatem Electoralem. 2. CLEMENTIA Carolo Neapolitano & Pannoniæ Regi: 3. MECHTILDIS Ludovico Palatino Rheni: 4. AGNES Alberto Electori Saxoniæ. 5. HEDVIGIS Ottoni Marchioni Brandeburgico. 6. CATHARINA Ottoni Bavariæ Duci, qui etiam aliquandiu regnum Hungariæ tenuit, collocatæ fuerunt. 7. EUPHEMIA vitam cœlibem egit in monasterio Turnensi. *Chron. Carion. Chron. Spangenb. Cuspin. Castrut. lib. 4. fol.* 324.

II. *ACTA POLITICA.*

1. *Imperii occupatio.*

Functo fatis *Richardo*, & *Gregorio X.* post triennes Cardinalium altercationes, in Papalem thronum evecto, respirare cœpit à calamitatibus suis Germania, quibus durante interregno misere conflictabatur. Nam querimoniis afflictorum motus *Gregorius*, consilio inito mandavit Principibus & Electoribus, ut de more Imperatorem crearent: ni maturarent, vacanti Imperio semet prospecturum. Convenerunt itaque Francofurti A. C. 1273. die 8 Octobr. Omnes interfuerunt, præter *Henricum* Ducem Bavariæ, qui solennes legatos miserat, & per ratihabitionem suam Electoribus præbuit consensum. Ubi primum *Ottocaro Regi Bohemiæ* imperium solenniter est delatum: sed is stulto consilio, dum putabat, se longe potentiorem esse Imperatore Romano, imperium repudiavit. Itaque, cum *Wernerus* Moguntinus magnanimitatem prædicasset & prudentiam *Rudolphi*, qui tutum ei, Romam pergenti, iter ad Alpes usque præstiterat, atque in *æstimando principe, divitiis potentiaque egregias animi dotes differuisset longe præferendas:* inducti in eandem sententiam Trevir & Colonensis: Mox & Bavarus, cum Saxone & Brandeburgico, filiarum sibi *Rudolphi* matrimonia stipulantes. Burggravius urbis Noricæ, *Rudolphi* consobrinus, *Basileam* oppugnanti ei contra Episcopos & Pfittacos Principes ad reducendos Stelliferos urbe pulsos, electionis nuncium attulit, suæque tenuitatis conscio, vix fecit jurejurando fidem. Pace statim Basilienses data, Aquisgrani ornatus diademate *Rudolphus*, cumque eo *Anna* conjunx.

Italiam autem ingressus non est, neque Imperialem coronam Romæ de more majorum accepit, solitus Æsopi fabulam recitare de vulpecula, quæ leonis ægrotantis legato respondit: Optare se, ut *Leo* convalescat, idque oraturam Superos: cæterum minime visuram leonem; terreri enim se vestigiis, omnibus leonis antro adversis, & nullis aversis. Idque indicium esse, multa quidem animalium introivisse, sed exivisse nullum. Ad eundem modum apud se reputabat *Rudolphus*, majores suos sæpe magnis copiis ingressos Italiam, sed male acceptos plerumque rediisse. *Albert. Argent. Chron. Philip. Chron. Spangenb. Chron. Hedion. Urspp. Avent. lib. 7. Histor. Suevorum lib. 1. cap.* 13.

II. *Imperii administratio.*

1. *ACTA TOGATA.*

I. SAPIENTIA, quæ effulget tum ex *dictis* tum ex *factis*.

1. *Dicta Rudolphus* protulit *sapientia*. ut patet ex symbolo ejus, quod fuit tale: *Melius, bene imperare, quam imperium ampliare.* Siquidem Principis boni est, videre illud: Non quam late, sed quam bene imperet. Itaque non tam vi & potestate, quam prudentia & sapientia opus est in imperio. Et prudentia gubernantur regna: Quorum fines potentia nonnunquam proferuntur latius aut propagantur; quod optimum & sapientissimum *Principem Rudolphum* frequenter dixisse ferunt. Nam, auctore Tullio, ad Rempubl. plurima veniunt commoda, si moderatrix omnium rerum præsto sit sapientia: hinc adipsos, qui eam adepti sunt, laus, honor, & dignitas confluit.

Similiter *Rudolphus* Imper. interrogatus, Qui fieret, ut homines eas, quas non didicerunt artes, omnes recusarent, imperii autem gubernationem oblatam nemo? Non mirum, inquit: stultos enim putant, qui regnare nesciunt; stultum autem nemo se judicat. *Æneas Sylvius.*

2. Singulari prudentia *Rudolphum* præditum fuisse, patet quoque ex *factis*. Nam collocatus in Imperium inauguratione solenni, totus in hanc curam incubuit, ut latrociniis, seditionibus, tumultibus, bellis, quibus ardebat Germania, ubique locorum sublatis, patriæ pacem redderet ac tranquillitatem. Huic conatui cum aliæ obstabant difficultates, tum vero hæc inprimis, quod de hæreditaribus

bus earum regionum, quarum Domini intercideránt, bello inter ſe contenderunt vicini, alio alias ſibi vendicante & armis deferente arbitrio privato, ſine authoritate & conſenſu Senatusconſulti publici. Hæc igitur diſſidia cum ad Imperium pertinerent, cujus & poteſtatem & vires reſtitui, poſtquam eſſent labefactatæ, non attenuari magis atque diminui oportebat, ſi conſervatum id, non prorſus enervatum vellent, recte cenſuit *Rudolphus*, oportere ante omnia poſſeſſores de occupatis privata poteſtate & cedere, & cognitionem atque ſententiam permittere Imperatori ac Senatui Principum, ut quicquid hi conſtituiſſent, id ratum haberetur. Qua in re etſi ſua etiam fortaſſe ſpectavit atque conſideravit commoda; tamen è dignitate ac Majeſtate Imperii & ad reſtitutionem concordiæ publicæ perneceſſarium id fuit. Anno itaque ab electione proximo Comitia indixit, convocatis Principibus Noribergam. Eo cum cæteri frequentes conveniſſent, non acceſſerunt *Ottocarus* Rex Bohemiæ, & *Henricus* Dux Bavariæ, uterque contemtu Imperatoris infimi ac pauperis, quo Bohemus non ita multo ante magiſtro Curiæ in aula ſua mercede fuerat uſus. Detrectarunt authoritatem novi Imperatoris Badenſis etiam & Wirtenbergenſis, cum pluribus aliis, ſimili de cauſa fœdere inito, ut contra Imperatorem occupata tuerentur. *Rudolphus* ne vim prius, quam omnia moderato & tuto conſilio experiretur, quanquam contumeliis affectus, tamen per legatos inſuper repetivit ab *Ottocaro* Auſtriam, ab aliis alia. Hæc juſta poſtulata, cum illi ſuperbe & contumaciter recuſarent, arma arripuit, eoſque ad obedientiam redegit: ſicut infra dicemus. *Chron. Carion.*

II. AUTHORITAS. Tanta in *Rudolpho* fuit authoritas, ut cum adoleſcens adhuc ad Imperatorem *Fridericum* ſecundum accederet, ordines militares ad honorandum eum conſurgerent. Inprimis vero ab Aſtrologo Imperatoris cultus eſt: à quo cum quæreret *Fridericus* Imp. cur tantopere Comitem pauperem veneraretur? reſpondit; Quia video illum fore Imperatorem, deficiente tua prole. Etſi autem, ut diximus, Bohemus, Bavarus, Badenſis, Wirtenbergicus, & alii, *Rudolpho* Imp. electo authoritatem detrectarint, tamen Imperator mox armis omnes adeo attrivit, ut pacem peterent, ipſique ſupplices fierent.

III. JUSTITIA. Cum quidam ad *Rudolphum* Imp. veniſſet, qui *Ottocarum* Bohemiæ Regem, atrocem hoſtem, in venatione ſe occiſurum promitteret, ſi facto præmium eſſet: *Rudolphus*, Etſi noſter hoſtis eſt *Ottocarus*, inquit, non tamen id efficiet, ut juſtitiæ & moderationis fines tranſeamus. *Æneas Sylv.* Imo tam ſevere juſtitiam adminiſtravit *Rudolphus*, ut apud *Matthiam Caſtrutium lib.* 1. *fol.* 86. *rigidus juſtitiæ exſecutor* vocetur. Verum ut in communi proverbio dicitur: *Atrocium delictorum atroces ſunt pœnæ.* Et recte inquit Seneca: *Pectora magis obſeſſa malis Non ſunt ictu ferienda levi.*

IV. CLEMENTIA. *Rudolphus* Imp. cum poſt morum mutationem clementior ſuis fuiſſet, quam ab initio Imperii; objurgatus ob id, Severum, inquit, & immitem fuiſſe me aliquando pœnituit; lenem & placabilem, nunquam. *Æneas Sylvius.*

V. HUMANITAS. Siffridus ſcribit, *Rudolphum* Imp. ſuis ſatellitibus præcepiſſe, ne quenquam pauperum acceſſu & colloquio ſuo arcerent: *Date obſecro*, inquit, *hominibus ad me accedendi locum & facultatem. Non enim ideo ad Imperium evectus ſum, ut hominibus in arca præcludar.*

VI. ABSTINENTIA. *Rudolphus* Imperator cum in bello adverſus *Ottocarum* geſto potu laboraret cum toto exercitu, ferunt ruſtico (qui meſſoribus potum ferret) ablatam hydriam ſicera plenam, atque Imperatori oblatam. Quam cum ille vidiſſet, Reddite, inquit, homini vaſculum ſuum: nam ego exercitui, non mihi, ſitiebam. Sicque ſua abſtinentia partim exercitum eo potu refocillavit, partim ad ſitis patientiam invitavit ſuo exemplo. *Æneas Sylvius.*

Idem *Rudolphus* milites ſuos rapis pro pane veſci docuit. Nam cum aliquando in obſidione urbis cujuſdam milites penuria panis laborarent, Imperator contulit ſe in agros rapis conſitos; earum quaſdam evulſit, & comedit, dicens: *O mei* commilitones, donec hiſce rapis participes fieri poſſimus, fame non peribimus, iiſque, quoad panis afferatur, nos ſuſtentare poterimus. *Caſtrut. lib.* 3. *fol.* 221. *Chron. Hedion. fol.* 565.

VII. MODESTIA *in* VESTITU. Studio fuit *Rudolpho* veſtium contemnere ſplendorem, & ſuperbas pomparum præſtigias. Eam conſuetudinem adverſus *Ottocarum* curioſius tenuit, inſolentiam hominis ſuo exemplo caſtigaturus: uti in Actis Sagatis plenius dicemus. *Æneas Sylvius.*

VIII. GRATITUDO. *Rudolphus* Imperator ante imperium ſummam coluit amicitiam cum *Friderico* Eitel, Friderici I. filio Comite à Zollern, qui illo tempore, quo *Rudolphus* Francofurti Imperator Romanus deſignatus erat, Baſileam cum eo obſedit. Cujus rei fama cum ad *Fridericum* emanaſſet omnium primo, non, ut ante, ſtatim *Rudolphum* adiit, ſed per internuncium ſe admitti poſtulavit.

lavit. Hoc *Rudolphus* demiratus, cum alienationis in se alicujus ſuſpicionem colligeret, fauſtum ab eo Imperii delati nuncium accipit. Quapropter cum & ante fidem *Friderici* ſæpe perſpexiſſet ac probaſſet, & hac comitate mirifice delectaretur, ita eum remuneratur, ut, extincta Burggraviorum Noribergenſium proſapia Marchionum Voburgicorum, cui eam dignitatem contuliſſet *Conradus III* Imp. ex *Henrici* familia, Burggravium ipſum crearit A. C. 1273. quem Burggraviatum poſtea, *Henrico* Burggravio mortuo, circiter A. C. 1289. poſſedit. Nec deinde *Fridericus* de ſuo in Cæſarem ſtudio quicquam remiſit, ſed potius id vehementer auxit: quippe qui & contra *Ottocarum* Bohemiæ Regem egregie militavit.

Quemadmodum autem nulla humana ſapientia eſt, quæ non erret aut impingat alicubi: ſic quoque *Rudolphus* Imp. ſua errata habuit. Nam præter neglectionem Italiæ in eo etiam culpatur πλεονεξία, cum propter Imperii jura vendita civitatibus Italicis, (inter quas fuit etiam Florentia, quæ perſoluto Imperatori pretio ſex millium ducatorum ſe in libertatem vindicavit,) tum quod exemplo *Leonis Æſopici* prædam, id eſt, provincias Germaniæ hæredibus orbatas, partiretur, ſed opimiores & potiores ſibi vendicaret. *Chronicon Carionis. Trithem. H. Mutius.*

Si ergo ſolam avaritiam in *Rudolpho* non accuſes, cætera non reprehendas.

II. *ACTA SAGATA.*

RUDOLPHUS fuit Princeps magnanimus, bello & armis ſtrenuus, ejuſque ſapientia, virtus & felicitas, prope reſtinctis bellis civilibus ac ſublatis odiis, effecit, ut rediret Germania ad ſeſe, in ſtatum ex longa perturbatione tranquilliorem repoſita; in quo poſtea conſtitit ac floruit paucis admodum ſuis partibus immutata. Geſſit autem *Rudolphus* bella *ante Imperium, & in Imperio.*

I. *Ante Imperium.*

Antequam ad Imperium pervenit, ut ſubditos, coſque qui illum protectorem ſuſceperant, ab incurſionibus hoſtium defenderet, ſex bella geſſit, ſemperque victor evaſit. Reportavit enim victoriam.

I. Ab Abbate S. Galli, & fratre ejus Epiſcopo Curienſi: quorum hunc occidit, illum in vincula conjectum, ut pacem peteret, ſibique fidelitatem juraret, coëgit.

II. A Comite Toccenburgenſi, quem ſeditiones quaſdam molientem, ut quieſceret, armis adegit.

III. Ab *Udalrico*, Domino Regenſpergæ, quem in eas anguſtias redegit, ut privatus Tiguri vivere cogeretur.

IV. Ab *Ottone* patruo Comite de Laufenberg: quo prœlio, Cuburgo, quo *Otto Rudolphum* excludere volebat, recepto, Dominus de Tanfenſtein, qui *Ottoni* operam fortem navabat, cecidit.

V. Ab Epiſcopo Argentinenſi, qui præ nimia trepidatione reliquias cariſſimas diſperſit.

VI. Ab Epiſcopo Baſilienſi, homine pertinaciſſimo, qui ditiones *Rudolphi* ferro & igne longe lateque vaſtavit. *Rudolphus* vix decennali bello ad pacem petendam adegit. Baſileam ter obſedit, & poſtremo eam expugnaſſet, niſi eo tempore Imperator fuiſſet declaratus. Quare pacem cum Epiſcopo, qui ad compenſanda detrimenta 900 marcas argenti perſolvit, compoſuit. *Lazius. Munſterus in Coſmograph. Pantaleon.*

II. *Bella* in Imperio geſta.

In Imperio pari fortuna & proſperitate bella geſſit *Rudolphus.*

I. Adverſus Marchionem Badenſem, & huic conſœderatos in Suevia, Alſatia, & vicinis aliquot terris. Hos non magno negotio diſſipatos & contuſos coëgit ſupplices pacem petere, relictis quæ occuparant.

II. Comites XVI Sueviæ conjurarunt, ſe vel ex inſidiis *Rudolphum* interfecturos, vel aperto bello illum aggreſſuros. Sed *Rudolphus* hoc comperto illos antevertit, ac multis direptis arcibus eos in ordinem redegit.

III. Cum oppida quædam Alſatiæ, Brisgoiæ, Ergoiæ, & Turgoiæ fœdus contra *Rudolphum* iniviſſent, Imperator & illa armis ſubegit. In hoc bello multæ arces & oppida ab eo ſunt vaſtata.

IV. Cum *Henricus* Dux Bavariæ (cui *Ottocarus* calcar addebat) fœdere cum aliis facto contra *Rudolphum* inſurgeret, & ludibria ſpiraret, Imperator bello eum aggreſſus ad deditionem & pacem petendam adegit.

V. *Rudolphus* Imperator *Ottocarum* Bohemiæ Regem duplici prœlio fuſum, repetita acie interfecit.

Quia autem hoc bellum præ cæteris notatu dignißimum, illud aliquanto prolixius explicabimus.

Bellum primum. Circa quod tria ſunt notanda.

I. *ORTUS.*

OTTOCARI *inſolentia. Ottocarus* Rex Bohemiæ

miæ *Rudolpho*, Magiſtro Curiæ in aula ſua mercede fuerat uſus. Qua de cauſa cum *Rudolphus* Imperator eſſet declaratus, illum contemnens *Ottocarus*, ei parere recuſavit, Auſtriamque cum finitimis regionibus occupatam ad ſe rapuit. Imperator miſſis Legatis ea, quæ Imperii erant propria, repoſcit. Sed *Ottocarus* eos contemtui habuit & violavit, nonnullis ad portas ſuſpenſis.

II. PROGRESSVS.

Armorum correptio. Cum igitur *Ottocarus* minime Imperatori cedere vellet, Imperator bello eum aggreſſus eſt, ac Auſtriam invaſit, & Viennam poſt unius menſis obſidionem in deditionem accepit. *Ottocarus* cum exercitu advenit; ſed cum impar eſſet viribus, & Viennenſes inſuper excurſionibus Bohemiam vaſtarent, ipſi fiducia non fuit impetum ſuſtinendi Teutonum.

III. EGRESSVS.

Pacificatio. Ottocarus, cum viribus *Rudolphi* ſe imparem eſſe videret, conſilio ſuorum petivit, ut in gratiam reciperetur. *Rudolphus* igitur Regem ad ſe vocavit, fidem ab eo accepturus. Ille venit cum magno & ſplendido comitatu: viri, & equi, auro, gemmis & ſerico nitebant. Dictum *Rudolpho*, adventare *Ottocarum*, pararet ſe mox cultu & veſte Imperatoria. Talem Regem admiſſurus *Rudolphus* renidens; Imo rex Bohemiæ, inquit, griſeam meam veſtem ſæpe deriſit, nunc ipſum veſtis mea griſea deridebit. At vos equos & arma expedite, & accincti inſtructique ut ad pugnam ſtate. Decus Teutonicorum armorum, non veſtium, advenis iſtis oſtendite. Hoc me vobiſque dignum eſt. Dixit *Rudolphus*; neque aliter fecit. *Ottocarus* illi vili cultui ſe & aurum ſuum ſubmiſit, & ad genua quondam miniſtri ſui acceſſit, non ſine ludibrio etiam: cum Imperator juſſiſſet tentorium, in quo res gerebatur, ſubito pandi & revelari, ut ab omnibus geniculans *Ottocarus* conſpici poſſet. Atque ita *Ottocarus* in gratiam receptus impetravit feuda regni Bohemici & Moraviæ, ſi ab Auſtria, Stiria & Carinthia abſtineret, & filio *Wenceſlao* nuptias filiæ *Rudolphi* promitteret.

Bellum ſecundum cum *Ottocaro*.

Ottocarus Rex Bohemiæ haud diu in fide perſtitit, inſtigante præſertim Kunigunde Cumana ſeu Ruſſica conjuge, quam abdicata Margareta præter leges duxerat, & indignum dicente, magnificum Regem pauperculo Cæſari genua flectere. Filia igitur Bohemi Imp. filio *Alberto* deſponſata monaſterio ſacrata eſt, & Rex ipſe violato fœdere & ſacramento, quod Imperatori præſtiterat, cum magno exercitu A. C. 1277 (cum prius anno præcedenti pacem cum *Rudolpho* fecerat) in Auſtriam venit: cui copias Imperator oppoſuit: & Moravia ac Auſtria tota hyeme incendiis & rapinis eſt vaſtata. Cum vero *Rudolphus* ipſe ad exercitum veniſſet, amicitiam junxit cum *Ladiſlao* Hungaro, & eum contra Bohemum defendit. Inde A. C. 1278 die 26 Auguſti ad Viennam prœlio congreſſus cum *Ottocaro*, & licet impari exercitu, jamque dejectus equo, vicit tamen perfidum Regem. *Ottocarus* ab ignobili quodam captus, dum ad Cæſarem ducitur, inſequentis cujuſdam militis manu, cujus quondam fratrem interfecerat, cadit. Imperator itaque Auſtriam recuperavit, filio tamen *Ottocari Wenceſlao* regnum Bohemiæ reliquit, data ei in uxorem Jutta, quam antea ex pacto ei deſponderat. Cuſpinianus ſcribit, in hoc prœlio in *Ottocari* exercitu deſiderata fuiſſe 14 millia hominum præter captivos: & hac occaſione Auſtriam ad Comites de Habsburg devolutam eſſe. *Hiſt. Auſtr. Æneas Sylv. Hiſt. Boh. c. 27. Chron. Carion. Munſterus in Coſmograph. Albert. Argentinenſis.*

VI. *Rudolphus* Comitem Wirtzburgenſem, qui ter ab Imp. deſciverat, armis adeo attrivit, ut ſupplex veniam petierit.

VII. Cum Imperator rebellantem ſibi Columbariam obſideret, quidam nomine TILO COLUP ſenex & veterator aſtutus finxit ſe *Fridericum* II Imp. (qui jam ante annos XXXIV diem ſuum obierat) eſſe, & in Palæſtina hactenus captivum detentum. Qui Rhenanas aliquot urbes pervagatus, eas ad defectionem à *Rudolpho* ſollicitavit: ſed à multis non eſt receptus. Noveſienſes vero & alii cum eum recepiſſent, tantæ fuit audaciæ, ut *Rudolpho* Imp. mandaret, ut Imperium deponeret, & privatus ad ſe veniret, & homagium præſtaret. Quare Imperator, admiſſis ad pacem Columbarienſibus, deſcendit ad inferiora Rheni, fingenſque obſequium erga Imperatorem novum, cum in *Cattis* ad *Wetzlariam* cepit. *Pſeudo-Fridericus* igitur faſſus eſt, ſe olim in aula *Friderici* fuiſſe, & hinc tanta ſibi indicia. Sed juſſu *Rudolphi* Imp. cum duobus ejus conſiliariis, qui hujus fraudis fuerant participes, igne crematus eſt. *Chron. Spang. fol.* 313. *Chron. Saxon. fol.* 348. *Chron. Hedion. fol.* 565.

VIII. *Rudolphus* Comitem Sabaudum & Helvetios ſibi parere coëgit. Similiter Comitem Burgundiæ, qui Gallorum auxiliis fretus multas ſeditiones moverat, domuit, & Imperio tributarium fecit.

IX. In Thuringia 60 munitas arces latrociniis infames ope & adminiculo Erfurdienſium evertit

ac delevit, ſupplicio ſumto de novem & viginti latronibus, quos in Ilmena ceperat. Auſtriæ etiam Carinthiam, Carniam, Carniolam & Marcam, cum multis oppidis beneficiariis adjunxit. Omnino hic laudatiſſimus & bellicoſiſſimus Princeps decies quater cum hoſtibus prœlio conflixit, ſemperque priores retulit. Unde magnam authoritatem conſecutus, & cognomento VICTORIOSI inſignitus eſt. *Coſm. Munſteri. Chron. Carion. Chron. Hedion. Cuſpin. Urſp. & alii.*

CAPUT III.

DE EGRESSV.

RUdolphus Imp. poſtquam finem vitæ ſenſit adventare, Principes Electores convocavit Francofurtum, ut filium ſuum *Albertum* Regem Romanorum crearent, ſed id non obtinuit: paulo poſt Erfordiam venit, ubi graviſſime ægrotare incepit. Inſtituit igitur iter properabundus Spiram verſus, dicens, ſibi multos ibi conveniendos eſſe Reges: innuens, ſe ibi ſepeliri velle. Jamque vicinus urbi, ſuperatus magnitudine morbi, deceſſit in oppido Germersheim / ſito ad ripam Rheni, die 15 Julii, die diviſionis Apoſtolorum, ut Trith. habet, die 18 Auguſt. habent alii, alii denique die 30 Septembris A. C. 1291, cum viriſſet ann. 73, menſes 5, & imperaſſet annis 17, menſ. 9, diebus 16. Sepultus Spiræ prope *Philippum* Suevum. *Siffrid. Cuſp. Chronic. Carion. Chron. Spangenb.*

Viri celebres.

Hoc ſeculo floruerunt:

I. THOMAS AQUINAS, Scholaſticus Theologus, à ſuperſtitioſis hominibus Doctor Angelicus appellatus. Singulari diligentia ab ineunte ætate literis incubuit. Dominicanorum, hoc eſt, Prædicatorum ordini ſe aſſociavit. Præceptore uſus *Alberto Magno*; in Scholaſtica Theologia tantum profecit, ut vix ſimilem habere videretur. Libros quamplurimos conſcripſit, partim Theologicos, partim Philoſophicos. Mortuus eſt A. C. 1274, die 7 Mart. ætat. a. 50. Hic ad extremum Euchariſtiam ſumturus, Dominum Jeſum flendo rogitavit, ut, ſi minus recta fuiſſent ea, quæ de ipſius myſteriis, deque univerſa Eccleſia Spiritu ſancto inſtigante ſcripſiſſet, veniam tribueret: eaque omnia Eccleſiæ judicio ſacroſancto permiſit. *Trith. Volaterran. Blondus. Paralip. Urſp.*

II. BONAVENTURA Ordinis Minoritarum, unus ex præcipuis Scholaſticis Theologis fuit, qui Theologiam per Philoſophiam Ariſtotelicam corruperunt. Pariſiis Magiſtrum Sententiarum, cum admiratione, publice profeſſus eſt, cum nondum annum ætatis 30 egreſſus eſſet. Minoritarum Generalis Magiſter creatus; poſtea Albanenſis Epiſcopus, & Cardinalis Romanæ Curiæ factus eſt. Libros multos in Theologia conſcripſit. Mortuus eſt A. C. 1274, ætat. 53, in Concilio Lugdunenſi. *Platina. Trith. Volaterranus. Bergomenſ.*

III. GUILHELMUS DURANUS, vulgo appellatus Speculator, vir exercitationis forenſis peritiſſimus, & ideo pater practicæ vocatus, condidit eximium opus, quod Speculum Juris inſcribitur: Eſtque autor libri, qui inſcribitur *Rationale divinorum.*

IV. PTOLEMÆUS LUCENSIS, qui Pontificum vitas deſcripſit.

V. JACOBUS de VORAGINE, Epiſcopus Januenſis, hiſtoriæ Lombardicæ, de Sanctis, autor.

VI. MARTINUS POLONUS Epiſcopus Conſentinus, cujus Chronicon deſinit A. C. 1278. Appendix ab alio addita pertingit uſque ad annum Chriſti 1320.

Eodem anno terminatur accuratiſſime ſcriptum Chronicon JACOBI MEYERI de rebus Flandriæ.

VII. PROBUS, Franciſcanus, Epiſcopus Tullenſis, Tubingæ natus in Suevia, Theologus doctus & eloquens, circa annum Chriſti 1286 floruit. *Is* in frequenti conventu Epiſcoporum Herbipoli Romaniſtarum avaritiam, luxum, ſuperbiam accuſavit: nebulones, Satanæ atque Antichriſti Satrapas, faces bellorum in Germania, Galliis, Hiſpania, &c. appellavit. *Nauclerus. Aventinus.*

VIII. NICOLAUS de Bibera, Erfordienſis Abbas, Germanus, Theologus, Philoſophus & Poëta: claruit Erfordiæ, ſcripſit opuſcula oratione proſa & ligata. Unus eorum fuit, qui Romaniſtarum nequitiam vidit, & reprehendit. *Trith.*

Res memorabiles.

I. A. C. 1277 inchoata eſt exſtructio turris ARGENTINENSIS, & perducta per quatuor cochleas, quæ, ut Germaniæ ſpectaculum & ornamentum eximium, ſeptem Mundi Miraculis annumerari poſſit. Poſt annos 28, anno 1305, reliqua perfecta ſunt uſque ad coronam: ſed finis operi impoſitus eſt anno Chriſti 1449. *Albert. Argent. Winſelingus. Bruſchius.*

II. A. C. 1278 *puella* quædam in Suevia, anno ætatis octavo, puerum peperit, ut habent *Annales Suevici.*

III. Eodem anno ſtrangulati fuere in Anglia 248 *Judæi*, quod aureos nummos furtim minuiſſent. *Ranulphus. Balæus.*

IV. A. C. 1282 *piscis*, qui leonis effigiem habuit, apud Centumcellas Febr. mense in mari captus est. Pellis erat pilosa, pedes breves, caput, cauda, aures, os, dentes, lingua, omnia leonina. Ubi ex aquis traheretur, ululatum & planctum hominis instar edidit. *Bergomensis. Chronic. Martin. Fascic. Temp.*

V. A. C. 1283, ex Martini Pontificis concubina natus est *puerulus villosus*, ungues instar ursi habens: eam ob causam Pontifex omnes ursorum imagines ex palatio & domibus suis abolevit. *Bergomensis.*

VI. A. C. 1284 *clades Hamelensium* ad Visurgin accidit die Petri Pauli, sive 29 Jun. Dum enim cives sacram concionem audiunt, Magus, qui conducta opera mures & rattos fistulæ cantu ejecerat, nec satis pecuniæ acceperat, iisdem nefandis artibus pueros centum triginta urbe educit in vallem Koppenbergiam; ubi monte obruuntur. *Histor. Hamel.*

VII. A. C. 1286 in æstate novum *genus vermium* Borussiam infestavit, qui caudis cancrorum præditi, intra tertium diem necavere, quoscunque suo aculeo pupugissent.

VIII. A. C. 1287, in festo S. Nicasii, *quindecim* Insulæ in Selandia ex maris inundatione submersæ sunt, atque cum his una, utriusque sexus, circiter quindecies mille homines perierunt. *Fasciculus temporum. Chronic. Hirsav.*

IX. In diœcesi Leodiensi, in villa Erkel/ puella quædam sine cibo & potu, annis plus quam triginta vixit. *Nauclerus. & alii.*

XXXII IMPER. GERM.

ADOLPHUS NASSOVIENSIS.

CAPUT I.

DE ORTV.

HIc *Adolphus* è veteri & clarissima familia Nassovicorum Comitum oriundus fuit. Quæ gens, in bellis Italicis rebus pro Imperio fortiter gestis, HENRICORUM seculo inclaruit, & ab exiguis initiis eo potentiæ progressa est, ut non tantum vicinos inter Comites ultra citraque Abnobios montes, qui Cattos ab Angrivariis & Westphalis dividunt, principem sit consecuta locum: sed etiam ad fastigium Ducum conscenderit, & ditioni Augustæ multas alias ampliores adjecerit. *Adolphi* majores in agro Norico possessiones, in urbe ipsa sedes suas habuisse, monumenta familiæ, quæ supersunt, & annotata historiarum testantur. PATER *Adolphus* apud *Rudolphum* Imper. egit Præfectum Prætorii, qui nunc est judex Cameræ, fuitque vir sapiens, magnæque authoritatis. *Pantal. Peucerus lib. 5. fol. 105.*

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. ACTA OECONOMICA.

UXOR ejus dicta fuit IMAGINA, ex qua tres suscepit filios. I. Dictus fuit ADOLPHUS, cui desponsata fuit Bohemiæ Regis filia, sed sponsus & sponsa ante celebratas nuptias in vivis esse desierunt. II. HENRICUS, qui uxorem duxit Burggravii Noribergensis filiam. *Tertius* (qui est ἀνώνυμος) matrimonio sibi junxit filiam Palatini. Ex eadem ei quoque nata filia *Mechtildis Rudolpho* Comiti Palatino nupta, quæ ei peperit *Adolphum*, *Rudolphum* & *Robertum*, Comites Palatinos ad Rhenum. *Pantaleon fol. 365.*

II. ACTA POLITICA.

sive *Imperii administratio.*

Rudolpho rebus humanis exemto, ELECTORES Imperii convenerunt Francofurti, electuri Imperatorem: ubi Moguntinus, qui *Adolpho* Nassoviensi consanguineo suo multum officii debebat, fefellit Electores, ita ut unanimiter (excepto *Ludovico* Palatino, qui inclinabat ad *Albertum* Austriacum *Rudolphi* Imp. filium) Moguntino concederent potestatem eligendi, quem vellet: qui præter omnium spem & opinionem *Adolphum* renunciavit Imperatorem A. C. 1292, in die Epiphaniæ. Inde Aquisgranum deductus, ibique cum uxore Imagina ab Archiepiscopo Coloniensi unctus & coronatus est mense sexto à morte *Rudolphi* Imper. A Pontifice vero Romano non est coronatus, cujus inaugurationem respuit, à *Rudolpho* edoctus, nugas istas esse comtemnendas, ut splendidam miseriam. Is enim (sicut antea diximus) ut Italiæ se committeret, quo à Papa coronaretur, persuaderi non potuit. Solitus ad mentionem itineris Italici recitare illos *Horatii* ex apologo *Æsopico* desumtos versus:

—— Sed me vestigia terrent
Omnia te antrorsum spectantia, nulla retrorsum.

Cuspinianus. Chronic. Spangenb. Pantaleon. Peucerus lib. 5. fol. 96.

II. *Imperii administratio.*

1. *ACTA TOGATA, & SAGATA.*

ADOLPHUS præclara fortitudinis bellicæ ſpecimina *ante Imperium* edidit: Ducem Brabantiæ numero ſuperiorem, quinque prœliis ordine vicit, & occiſis quinque belli Ducibus, ſpolia opima reportavit. Quamobrem ſibi magnam virtutis opinionem, famamque conciliavit non modicam; nec ſolum proſperis, verum etiam adverſis rebus invictus. Cum enim ſexto prœlio adverſus Brabantos captus eſſet, & interrogatus, ecquis eſſet? maſcule reſpondit: Sum Comes Naſſoviæ, non quidem ditionibus potens, ſed rebus magnis gerendis natus; mirorque, quod gladii mei mucronem effugere potueris, ut noris hoſtem numero imparem non eſſe contemnendum. Hoc audaci reſponſo delectatus Dux Brabantiæ, honeſte habitum, & donis oneratum, facta pace dimiſit. *Cuſpin. Caſtrutius lib. 5. fol. 361. 362. Pantaleon. fol. 363.*

Imperator vero electus *Adolphus* nihil fere tanto nomine dignum geſſit. *Eduardo* Regi Angliæ bellum cum *Philippo* Pulchro rege Galliæ, è ſpoliatis quibuſdam Anglorum navibus, ac cæde nautarum, erat ortum. Vaſtabantur Normannia Aquitaniaque, provinciæ in Gallia Anglorum. Guido Flander, cum filia, quam Anglo deſponderat, evocatus, vix è cuſtodia erat dimiſſus Francorum. *Adolphus* ergo cum Guidone Flandro ſtipendiariam pollicitus militiam *Eduardo*, centum millia aureorum ab Anglo accepit. Imperator accepta pecunia Principes conſuluit, ſed cum nec Principes ſtipendiarii vellent fieri Regi Angliæ, & prohiberent, ne Imperator fieret, *Adolphus* auxilia mittere non potuit. *Albertus* Auſtriacus, *Rudolphi* Imper. filius, ſi Dominus, inquit, meus ſtipendiarium ſe Anglo facit, quid ni ego me Franco? Ita *Adolphus* cœpit in odio eſſe, & à multis contemni. Cum *Alberti* filiam ſuo ambiret filio, repulſam tulit, addito cavillo: Si Comes eſſet Auſtriacus, velle & ſuam filiam Principem facere. Inde ſimultas inter Naſſoviam Auſtriacamque domum firmata, quæ deinceps magis magiſque exaſperata, tandem in apertum ſeſe bellum effudit; in quo *Adolphus*, ut dicetur, concidit.

ALBERTUS Landgravius Thuringiæ, ut filiis *Friderico* & *Dithmanno* ex *Margarita Friderici* II Imper. filia ſuſceptis, (quam hiſtoriam, quomodo *Albertus* vitæ conjugis inſidias ſtruxerit, ipſaque exulare coacta, & tandem *Albertus* ipſe à filiis rurſus in exilium ejectus ſit, in hiſtoria *Friderici* II recitavimus) ægre faceret, *Adolpho* Imperatori argento Anglico inſtructo vendidit totam Thuringiam, (excepta arce Wartburgenſi, quam ſibi retinuit ad vitam) duodecim millibus marcarum auri, ſive 94000 florenis. Cum vero Thuringi ipſi homagium facere nollent, niſi ſolverentur juramento à ſuis Principibus *Friderico* & *Dithmanno*, vi eos cogendos adegit. Quare Thuringiam & Miſniam armis & ferro adortus expilavit, diripuit, vaſtavit, moniales & virgines ſtuprandas militibus conceſſit, immanitate & crudelitate Turcos ipſos ſuperans. Nec Marchiones *Friderieus* & *Dithmannus* ſuis rebus defuere, collectoque ingenti exercitu varia fortuna cum *Adolpho* dimicarunt. Imperator primum in Oſterlandia Friburgum & Numburgum, poſtea Creutzburgum, cum ei ignem injeciſſet, in deditionem accepit. Inde in Miſnia FRIBERGAM urbem metallicam, quam 16 menſibus obſederat, per proditionem cepit; arcem vero cum multis nobilibus, paucis diebus poſt deditionem, hac conditione, ut liberi cum armis decederent: quam conditionem Punica fide *Adolphus* ſervavit. Sexaginta enim ex eis cives ſecuri percuſſit, reliquis pro redemtione magnam pecuniæ ſummam impoſuit. Hos ut liberaret *Fridericus* Marchio Miſniæ, *Alberti* filius, tres urbes, Grimmam, Rochlitium & Leiſnicum Imperatori tradere coactus fuit: dedidit ſe ſponte Imperatori Miſena urbs, quod Epiſcopus *Adolpho* faveret. *Fridericus* ita tota fere ditione pulſus, exules & amicos collegit, & noctu Rochlitium recepit, & paulo poſt ex inſidiis *Philippum Naſſovienſem* fratris *Adolphi* filium intercepit, qui ut liberalius in captivitate haberetur, *Friderico* Geitam, Dobelam & Bornam reddidit. Quod vero hoc bello privati tantum commodi cauſa diſtentus rem Imperii negligeret *Adolphus*, indignaque adeo & nefaria multa in ſe admitteret, Imperii principibus indignus ſceptro judicatus eſt.

Idem Moguntinus, qui antea author Principibus ad eum eligendum exſtiterat, imputata ipſi ingratitudine, Eccleſiarum vaſtatione, diminutione Imperii, ſtupratione virginum, mercenaria militia, ut ab iiſdem dejiceretur imperio, effecit. Itaque congregatis Principibus Moguntiæ A. C. 1298, die 24 Junii imperio exutus eſt, & in locum ejus *Albertus* Auſtriacus, *Rudolphi* Imp. filius ſurrogatus. *Polydor. Chron. Spangenb. Fabr. Trith. Peucerus. Sigfrid. Cuſpin. Coſmograph. Munſteri.*

CAPUT III.

DE EGRESSV.

CUm *Adolphus Alberto*, à Principibus Germaniæ Imperatori electo, cedere imperio nollet,

let, armatis copiis contra eum profectus est *Albertus*. Cui ut occurreret *Adolphus*, rediit ad Rhenum, atque ex Alsatia descendenti, instructus *Rudolphi* Palatini generi & *Ottonis* Bavariæ Ducis auxiliis, obviam factus est ad Spiram; ubi acerrime pro corona certatum est. Ad extremum *Adolphus*, quod esset animi vehementior, equitatum suum rapit in Austriacos, haud exspectato, ut prudentissime monebatur, peditum exercitu. *Albertus*, qui id operam dederat, ut adversum haberent Solem hostes, armis eos æstuque devicit. *Adolphum* ipsum in prœlio vulneravit secus oculum. Prostratus in terram, cum galeam armiger levasset, modico in collo vulnere inflicto obiit, cum imperasset ann. 6. & sex mensibus. *Otto Bavarus*, *Rudolphus* Palatinus, & alii, *Adolphi* partes sequuti, fuga periculum declinarunt. Plurimi tamen Comites cæsi sunt, & filius *Adolphi* Imper cum multis aliis Comitibus captus est. Prœlium factum in agro Spirensi A. Christi 1298. die 2 Junii, cum jam Anglus Francusque fœdere inter se & affinitate juncti, bellum deposuissent, & *Albertum* juvandum, adversus perfidum *Adolphum*, ducerent, quod à Rege ad Regem auro corruptus defecisset, fidemque minime præstitisset.

Corpus occisi *Adolphi* Imp. in monasterio Rosenthal fuit humatum usque ad tempora *Henrici* Regis de Lützburg / cujus mandato Spiram cum honore delatum in sepulcris Regum locatum est. *Albert. Argent. Chronic. Martin. Poloni in append. P. Æmylius lib.* 8. *Chronic. Spangenb.*

Quanquam autem deliderari multa in *Adolpho* potuerunt: tamen quia unctus fuit Domini, omnes, qui in ejus necem cum interfectore conspirarant, Comites simul, Archiepiscopi & Episcopi, mala morte, divina ulciscente gratia injuriam ejus, perierunt. Nam ALBERTUS ipse regni usurpator à Johanne fratris filio fuit occisus. Comes *Albertus* de Hasgerloch / in itinere, à Duce *Ottone* de Bavaria genero Regis occisus est. Comes de Ochsenstein / vulneratus, in conflictu obiit. *Gerhardus* Eppensteinius Archiepiscopus inventus est mortuus, sedens in sella seu cathedra. Comes de Zweybrück / in ripa Glesæ dicta, fuit submersus. Comes de Leiningen / phreneticus & variis calamitatibus miser factus est. *Conradus* Episcopus Argentinensis, ante Friburgum à quodam rustico gladio interemtus. Cæterique pene omnes simili interitu perierunt. *Trithemius. Hirsav. Nauclerus part.* 2. *Generat.* 44.

XXXIII IMPER. GERM.

ALBERTUS I, AUSTRIACUS.

CAPUT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

1. PATER fuit RUDOLPHUS I Imp.

II. MATER dicta fuit ANNA, filia *Bernhardi*, Comitis Hohenburgensis: sicut supra diximus.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN. Dictus fuit ALBERTUS, h. e. omni laude dignus. Vel Albrecht / h. e. omnis æqui & justitiæ studiosus. Quod nomen ipsi fuit omen. Fuit namque Princeps pius, justus, in consiliis prudens, castus, verax, osor simulationum, erga obedientes clemens & beneficus, erga delinquentes vero severus, erga pauperes liberalis, in rebus adversis patiens & constans, alienus à sævitia, nec in vindictam præceps, iisque, à quibus erat læsus, si modo delictorum veniam peterent, clementer ignovit, juxta illud *Ovidii*:

Quo quisque est major, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.

Merito igitur cum quibuscunque laude dignis Principibus esset comparandus, si modo regnis opibusque alienis, quo liberis suis magnos thesauros relinqueret, non inhiasset. Quod ipsi improbat *Henricus Mutius*, cum *lib.* 22. *fol.* 227. ita de eo scribit: *Fuit prorsus ad rem attentus, studium illi fuit insanum pene, ut quam plurimos thesauros & possessiones liberis relinqueret.*

II. COGNOMENTO dictus I. AUSTRIACUS. Cum enim Austria legitimo hærede destitueretur, & Imperio aperiretur, *Rudolphus* I. Imp. eam huic *Alberto* filio sub titulo Archiducatus contulit, per quam tota illa amplissima Archiducum familia propagata, in qua per ducentos fere annos imperii sceptra & Aquilæ floruerunt sine continuationis interruptione. Nam *Alberto* Austriaco (non tamen huic Imper. *Alberto*) successit *Fridericus III.* Friderico *Maximilianus I.* Maximiliano *Carolus V.* Carolo *Ferdinandus I.* deinde *Maximilianus II*, illi *Rudolphus II.* Rudolpho *Matthias*, cui *Ferdinandus II.* & tandem *Ferdinandus III.* qui etiamnum ad Imperii gubernacula sedet.

III. MONOCULUS cognominatus est: quia artibus Episcopi Salisburgensis venenum ipsi

fuit propinatum: quod quidem medicorum ope evomuit, sed tamen tanta ejus vis fuit, ut alterum oculum amiserit: unde Rex *Monoculus* fuit dictus. *Cuſp. Pantaleon. Dreſſerus.*

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

UXOREM habuit ELISABETHAM, *Meinhardi* Ducis Carinthiæ, Comitis Tyrolis & Goriciæ filiam, ſororem uterinam *Conradini*, mulierem piam, magnique & perſpicacis ingenii, quæ fontes ſalis prope Gmundum in Auſtria ſuperiore reperiſſe, & coquendi rationem oſtendiſſe ſcribitur. Unde omnibus cœnobiis in Auſtria ſale proſpexit, & inſuper maximos inde proventus habuit. Hæc *Eliſabetha Albertum* patrem fecit liberorum viginti & unius. Verum ex iis undecim tantum ad juſtam ætatem pervenerunt, qui omnes ad ſummam dignitatem ſunt evecti, filii ſex, & quinque filiæ.

I. FILII *fuere ſequentes.*

I. RUDOLPHUS, cognomento *Mitis*, qui in uxorem duxit *Blancam*, ſororem Regis Galliæ: & poſt illius mortem *Calliſiam* Bohemicam: ſed ex neutra conjuge liberos ſuſtulit. Hunc pater *Albertus* A. C. 1307. ineunte vere duxit in Bohemiam, ut Wenceſlao (qui, cum expeditionem inſtituiſſet in Poloniam, ut regnum illud paternum ſibi acquireret, Olmutii meridiano tempore in cubiculo quieſcens, occiſus eſt, anno regni primo) ſuccederet: quod & factum eſt, ſed non integro anno regnavit; dyſenteria enim mortuus eſt adventante hyeme.

II. FRIDERICUS cognomento *Pulcher*, Dux Auſtriæ, poſt Imperator.

III. LEOPOLDUS cognomento Gloria militum, Dux Auſtriæ, Stiriæ, & Carinthiæ. Hic mortuus eſt A. C. 1326. & in monaſterio, in loco qui Königs-feld/ h. e. campus regius nominatur, à matre *Eliſabetha* exſtructo, ſepultus eſt.

IV. HENRICUS Dux, qui matrimonio ſibi junxit filiam Comitis de Virneberg/ & mortuus eſt A. C. 1344.

V. ALBERTUS, cognomento *Sapiens*, qui diu poſt patris obitum præfuit gubernationi, & ducta in uxorem filia *Udalrici* ultimi Comitis Phyretarum, Comitatum Auſtriæ conjunxit.

VI. OTTO Dux Auſtriæ, qui connubio ſibi junxit Ducis Bavariæ filiam, diemque ſuum obiit A. C. 1344.

II. FILIÆ.

I. AGNES nupta *Andreæ* Regi Hungariæ.

II. ELISABETHA *Friderico* Duci Lotharingiæ collocata.

III. ANNA Marchioni Brandeburgenſi juncta.

IV. CATHARINA, quæ deſponſata fuit *Henrico* VII. Lutzelburgenſi Imper. qui cum jam nuptias eſſet cum ea celebraturus, veneno exſtinctus eſt. Nupſit ergo *Catharina* Regi Apuliæ, & Duci Calabriæ.

V. GUTTHA maritata *Ulrico* Comiti Ottingenſi.

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Cum *Adolphus* Imper. diu bellum contra *Alberti* Landgravii Thuringiæ filios, *Fridericum* & *Dithmannum*, privati tantum commodi cauſa geſſiſſet, Imperii vero curam nullam haberet; Moguntinus & alii Principes Moguntiæ convenerunt, & *Adolphum* indignum Imperio pronunciarunt, & deponendum: & hunc ALBERTUM Imperatorem deſignarunt, qui poſt partam ab *Adolpho* victoriam, confirmandi ſui cauſa, ne quis priorem electionem vitioſam eſſe diceret, Imperiumque invadere videretur, omnes Principes convenire, & ſolenniter creari *Cæſar* petiit, quod factum die 25 Julii A. C. 1298. Aquiſgrani, ubi coronatus eſt, in tanto hominum concurſu, ut ab infuſa hominum multitudine Dux Saxoniæ & multi alii ſint oppreſſi. Menſe Novembri etiam uxor ipſius *Eliſabetha* coronata eſt.

Inde *Albertus* à Papa *Bonifacio VIII* ſolennem renunciationem petivit: quam ille furens ambitione, inſano ſtolidoque faſtu gladio femur accinctus, & corona redimitus caput, ac ſe *Imperatorem* ſimul ac *Pontificem* barbarica jactantia profeſſus, initio denegavit. Cum autem aliquanto poſt graviſſimum eſſet natum diſſidium inter ipſum & *Philippum* Pulchrum, Galliæ regem, approbavit electionem *Alberti*, in ejuſque familiæ laudem multa dixit. *Cuſpinian. Peucerus lib. 5. fol. 106, 107. H. Mutius lib. 22.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

I. ALBERTUS licet egregiis virtutibus præditus fuerit, tamen has omnes nefanda avaritia, dum alienas opes ad ditandos ſuos quærebat, obſcuravit,

ravit, & plane in gubernatione infelix fuit. Ideo non multa de eo notatu digna ab Hiſtoricis prodita ſunt.

II. A. C. 1298. *Albertus* Imp. menſ. Novembri Comitia more majorum Noribergæ habuit. Frequentes eo convenere Germaniæ Principes, Reges Cimbrorum, Bohemiæ, Apuliæ, Epiſcopi quinquaginta, prælides atque præfecti trecenti, Equitum quinque millia. Extra mœnia urbis, ſepta, circus temporarius ex tabulis, ſubſellia, ac ſedilia, ubi cæteri ſedendo, turres, orcheſtra, prætoria lignea, ubi ſummi Principes prandendo ſpectarent, exſtructa. In cavea, atque arena, Tirocinia equeſtria, munera militaria exhibita ſunt. Solus *Wichveldus* Agrippinenſis Pontifex hæc ſpectacula contemſit. Moguntinus dextrum Imperatoris latus, quod ſui officii eſſe dictitabat, texerat. Tumultum quoque Vangionum, atque Aichſtatenſis, Epiſcopi, concitarunt, atque de conſeſſu atque ordine ſubſelliorum litigarunt. In hoc conventu *Eliſabetha* uxor *Alberti Auguſta* appellata: *Conradus* Archiepiſcopus Salisburgenſis in amicorum numerum receptus. *Rudolphus* primogenitus Imperatoris filius Auſtriæ regulus declaratus. *Albertus* interceſſione conjugis rediit in gratiam cum *Ottone* Bavarorum Duce, qui avunculum illius Comitem de Hastia interfecerat: ſed nec ſtabilis nec diuturna fuit hæc reconciliatio. Imperator peracto conventu, cum archimyſtis tribus, *Gebhardo* Moguntino, *Bojomundo* Trevirorum, *Wichveldo* Agrippinenſi, Tullum Leucorum urbem petiit, atque cum *Philippo Pulchro* Rege Galliæ de ſummis utriuſque Imperii rebus collocutus eſt. Illius filiam Blancam in Auſtriam deduci imperavit. Ubi ipſa non multo poſt celebratas nuptias cum Imperatoris *Alberti* filio *Rudolpho* abſque liberis deceſſit. *Aventinus lib. 7. Peucer. lib. 5. Hiſtor. Auſtr.*

III. *Albertus* etſi Italiam ingreſſus non eſt, gubernandam tamen patris & *Adolphi* exemplo vicariis ducibus commendavit. *Peucerus lib. 5.*

II. *ACTA SAGATA.*

ALBERTUS multa bella geſſit, domi potius, quam foris, ac duodecies acie conflixiſſe dicitur, non pari tamen fortuna. Nam magis privati quam publici commodi cauſa ea ſuſcepit, nec cauſas bellorum ſemper juſtas habuit.

I. Bellum geſſit contra *Adolphum* Imper. quem prœlio victum manu ſua trucidavit: de quo antea diximus.

II. Phyretarum Comitem Theobaldum rebellem armis compeſcuit, & ab *Ulrico* Comite Wirtenbergenſi placatus eum in gratiam recepit.

III. Bellum geſſit contra tres Archiepiſcopos, Moguntinum, Colonienſem, Trevirenſem, & *Rudolphum* Palatinum, qui ſocietatem contra Imperatorem iniverant. Sed *Albertus* brevi eos in ordinem redegit, & imperata facere coëgit.

IV. Bellum geſſit cum *Ottone* Duce Bavariæ, cui *Conradus* Salisburgenſis Epiſcopus aditum parare voluit ad regnum Hungariæ. Quod licet interruptum ſit nonnunquam induciis, ſopitum tamen nunquam eſt, & utrique magna damna dedit. Pugnatum tradunt inter hos non armis tantum, ſed & venenis, novo & inaudito, ac Germanico nomine indigno, auſu & exemplo. *Alberto* enim venenum propinatum eſſe conſtat, artibus, ut ferunt Epiſcopi Salisburgenſis, cujus etſi partem aliquam medicorum induſtria vomitu expulit, quanquam difficili conatu, reliquiæ tamen ita eum afflixerunt, ut & vires ejus langueſecerint, & alterum oculum corruperint, & fœda macie palloreque corpus deformarint.

V. *Albertus* Imp. *Friderico* & *Dithmanno* Marchionibus Miſniæ amicitiam, fidem & defenſionem promiſerat. Sed victus cupiditate opulentæ ac cultæ regionis Myſorum, & ad Bohemiæ regnum, cum acquirendum, tum retinendum opportunæ, bellum eis fecit, ſed infelici ſucceſſu, vincente juſta cauſa Marchionum Miſniæ. Cum enim *Albertus* Imp. cum filio *Rudolpho* iter in Bohemiam ſuſcepiſſet, ut ipſi regnum Bohemiæ acquireret, quod etiam obtinuit, ex Bohemia miſit Ducem cum milite Suevico, qui *Philippo Naſſovio*, patruo *Adolphi* Imper. conjunctus, Marchiones Miſnia pelleret; qui *Luccam* expugnandam ſibi ſumſit. Marchiones fratres auxilia impetrarunt à Brunſvicenſi affine 300 equites, alium militem ex ſubditis conſcripſerunt: & habitis ſupplicationibus magna alacritate contra hoſtes profecti, eoſque tanta clade vicerunt, ut proverbium inde ortum in illis regionibus, ſi cui res infeliciter procedit, ut dicatur, *Evenit tibi, ut Suevis ad Luccam.* Victis hoſtibus fratres Miſniam totam præter Friburgum recuperarunt. *Dithmannus* Abbatem Pegavienſem qui hoſtes commeatu juverat, male mulctavit, & ditione pepulit. *Albertus* Imperator ad hanc cladem vindicandam, & repetendam ab *Henrico* Carinthiæ Duce Bohemiam, dum bellum in utroque loco reparat, interficitur: de quo ſuo loco plenius dicemus. *Fabricius. Peucer. lib. 5. Albert. Argent. Coſmograph. Munſteri.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. *Cœleſtino V* Pontifici Romano ſucceſſit *Benedictus* Cardinalis, qui *Bonifacius VIII* appellari voluit.

voluit. Fuit homo avariſſimus, fraudulentus, virulentus, ſuperbus & violentus, & denique plane impius.

1. *Avarus* fuit. Quia ex avaritia, quod nulli unquam in mentem venerat, revocaturus morem Imperatorum, qui ſingulis centenis annis annum ſecularem inſtituerant, annum JUBILÆUM agendum inſtituit, in quo pleniſſimam omnium peccatorum indulgentiam Romam venientibus, quam etiam aliis temporibus, ſed minutatim, largiebatur, tum apertis miſericordiæ ſuæ horreis, nullius menſuræ parcitate cohibitam, omnibus publice, ſed non omnino gratis, omnium peccatorum condonationem effunderet. Et eandem indulgentiam ſtatuit in poſterum omni anno centeſimo repetendam: eo anno tanta undique hominum multitudo Romam confluxit, ut vix incedere per urbem amplam & vaſtam liceret. Cum autem ſequentes Pontifices viderent, hujuſmodi Jubilæo magnum afferri Pontificio fiſco fructum, tum non ſolum ad 50 annos, ſed tandem ad annos 25 Jubilæum reduxerunt.

2. *Fraudulentus* fuit. Quia *Cœleſtinum* anteceſſorem ſuum fraude circumvenit, voce tanquam cœlitus miſſa longa arundine per parietem ei quieſcenti acclamavit, *Cede Cœleſtine, cede: Niſi papatum dimittes, animam amittes.* Quo ſcilicet miraculo ſimplex Papa perterritus, Bonifacio locum ceſſit.

3. *Virulentus* fuit. Quia *Albertum* Imper. coronare recuſavit, pronuncians eum indignum eſſe, qui Imperio potiretur, quanquam bis à Germaniæ Principibus eſſet electus.

4. *Superbus* fuit. Quia omnia regna Mundi feuda Pontificis eſſe contendit, & Reges hoc negantes, excommunicandos & deponendos judicavit. Unde anno Chriſti 1301 Bullam miſit ad Regem Galliæ *Philippum*, in qua ſe prædicavit Dominum Mundi in ſpiritualibus & temporalibus: & ea cauſa juſſit, ut Galliæ Rex ſe pro feudi Domino agnoſceret. Hanc bullam *Philippus* publice combuſſit, & ſtatus regni convocavit, qui ſtatuerunt, Pontifici nullum jus eſſe in regnum Galliæ.

5. *Violentus* fuit. Nam hac de cauſa iratus Papa fulmen excommunicationis miſit in regnum Franciæ, præſertim quod Cardinales de Columna à Rege foverentur. Sed nemo excommunicationem hanc in Gallis præter Epiſcopum Burdegalenſem ratam habuit.

6 Denique *plane impius* fuit, uti ex Jubilæo ab ipſo inſtituto liquet. Etenim in illo plenam (ut diximus) delictorum omnium indulgentiam & remiſſionem præſtabat viſitantibus Romæ limina Apoſtolorum Petri & Pauli. *Platina. Crantzius. Martin. Polon. Heinz. Mon. Saxon. lib. 8. cap. 36.* Hic Papa in primo Jubilæi die in habitu Pontificali proceſſit, populoque benedictionem impertivit. Altero vero die proceſſit indutus habitu Imperatorio, & ſceptrum ſibi præferri gladiumque curavit, cum hac inſcriptione: *Ecce duo gladii hic ſunt. Crantz.* & *Urſp.* commemorant. Quibus inſignibus cœleſte atque terreſtre Imperium ſuperbiſſime ſibi arrogavit.

Hoc igitur monſtrum hominis, primum Jubilæum Papalem inſtituit, de quo in annalibus tale exſtat Epigramma:

Intravit ut Vulpes, regnavit ut Leo, mortuus eſt ut Canis.

NOTA.

Notatu dignum eſt tempus, quo Jubilæum Romanum eſt inſtitutum, ſcilicet anno Chriſti milleſimo trecenteſimo, quo Imperium Oſmanidarum, quos alii Ottomanos vocant, & *Cæſares Turcicos*, in Oriente cœpit. Initium quidem *Algiera*, ſive æræ Turcicæ incidit in annum Chriſti 622. Unde Saraceni, vel potius Agarei, (neque enim à Sara, ſed ab Agar ancilla ortum ducunt) annos *Algiera*, h. e. peregrinationis vel expeditionis primæ *Mahumeti* computant, ſed *Regnum Oſmanidarum* anno demum 1300 cœpit. Ergo eodem anno Papa in Occidente, & Turca in Oriente, regnum quiſque ſibi aperte uſurparunt. Uterque Antichriſtus & hoſtis Eccleſiæ infenſiſſimus, ille Occidentalis, hic Orientalis: uterque alieni regni invaſor impudentiſſimus, uterque malæ fidei poſſeſſor injuſtiſſimus.

11. A. C. 1303 Synodus Pariſiis fuit celebrata, in qua decretum, *Bonifacium* octavum eſſe Simoniacum, homicidam, hæreticum, Epicureum, qui Saracenos allexerit ad invadendam Siciliam. *Conſtitut. Imper.* Inde *Philippus* Rex, ad domandam beſtiæ illius arrogantiam & malitiam, (quoniam *Albertum* Imper. cum Gallis committere ſtudebat) extrema neceſſitate coactus, clam ducentos veteranos, Sarra Columna Romano, & *Wilhelmo Nogareto* Tholoſate Ducibus, in Italia conduxit, qui Pontificem, cum recenſeret ſuos theſauros, quos in anno Jubilæo corraſerat, Anagniæ in regno Neapolitano in domo paterna die 7 Septembris ceperunt refractis valvis, & ita captivum Romam perduxerunt: ubi poſt dies 24. (al. 35.) mœrore animi *mortuus eſt, ut canis* ad rabiem redactus, Pontificatus ſui anno 8. menſe 9. d. 17. Hoc modo *Bonifacius* ille mortuus eſt, qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus, populiſque, terrorem potius, quam religionem injicere conabatur: quippe dare regna & auferre, pellere homines ac reducere pro arbitrio animi conabatur, aurum undique conquiſitum, plus quam dici poteſt, ſitiens. *Platina.* Ejus Epitaphium eſt:

Hic jacet ecce Nero, Laicis mors, vipera Clero.

III.

III. *Bonifacio VIII* extincto succeſſit in Pontificatu quidam *Nicolaus*, qui ſe voluit appellari BENEDICTUM XI: qui ſedit tantum menſes 8, dies 6.

IV. Cum ſedes Pontificum poſt *Benedictum* XI menſibus II vacaret, (propter diſſenſionem enim Cardinalium nullus Papa eligi potuit) abſens electus eſt Bertrandus de Gotto Vaſco Epiſc. Burdegalenſis, qui vocatus eſt *Clemens V.* Hic eſt author Clementinarum. Die 15 Julii A.C. 1305 coronatus eſt Lugduni. Ejus coronationi interfuit *Philippus* Rex Franciæ, *Carolus* frater ejus, *Johannes* Dux Britanniæ, & quicquid nobilitatis Gallia tunc habebat. Dum vero pompa ejus celebritatis ex more per urbem duceretur, pinna muri preſſura populi incubantis impulſa corruit, cujus caſu Dux Britanniæ, multique ignotiores oppreſſi interiere. Ipſe Pontifex ex albo caballo deturbatus, carbunculum ex tiara amiſit precio 6000 aureorum; ipſe *Philippus* etiam non modicum ex hac ruina oppreſſus fuit. Hic CLEMENS V, quod Vaſco eſſet, Sedem Romanam tranſtulit AVENNIONEM in Gallias, quam tenuit ipſe & ejus ſucceſſores an. 71. uſque ad tempora *Gregorii XI*, qui Sedem Pontificiam ex Galliis Romam reduxit. *Plat. Onuphr.*

Viri celebres.

Floruere ſub *Alberto* Imperatore *Theologi*: *Albertus* Paduanus, Ubertinus de Caſalio, *Gerhardus* Teutonicus, *Johannes* de S. Geminiano, & Alanus. *Jureconſulti*: *Richardus* de Senis, *Dinus*, & *Petrus* de Belapertica, *Jacobus* de Arena, *Nicolaus* Neapolitanus, *Jacobus* Ravennas Lotharingus, (qui omnium primus ea, quæ à majoribus perſpicue & ſimpliciter tradita erant, ad Dialecticum arguendi diſputandive modum deduxit, quem & reliqui omnes fere JC. ſecuti & imitati ſunt) *Martinus Phanenſis*, *Franciſcus Accurſius*. *Medici* & *Philoſophi*: *Dionyſius* de Garbo, qui ſcripſit ſuper *Hippocratem*, *Galenum* & *Avicennam*; & *Petrus* de Dania *Aſtronomus* clariſſimus.

Eodem tempore quidam *Richardus Alcoranum Mahometicum* refutavit: quod opus *D. Lutherus* tanti fecit, ut anno C. 1542 in Germanicam linguam verteret.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

SUpra diximus, quod *Albertus* Imperator filio ſuo primogenito *Rudolpho* regnum Bohemiæ acquiſiverit, ſed non integro anno ei præfuerit. Cum igitur ſine prole *Rudolphus* periiſſet, *Henricus* Dux Carinthiæ, quem Barones ante *Rudolphum* inconſulto Imperatore Regem deſignaverant, regnum ſibi iterum vindicabat. *Albertus* contra ſuis id aſſerere molitus, & ingreſſurus Bohemiam, exercitum trium millium equitum, & quinquaginta millium peditum adduxit. Sed cum Rhenum trajicere vellet, inter Riſum Arulamque amnes, conſilio & opera Baronum quorundam, interfectus eſt à fratris filio *Johanne*, cui tanquam prodigo adminiſtrationem Sueviæ ademerat. Initium cædis fecit *Johannes* Dux, qui freno arrepto equum ſtitit, & pugione in collum adacto, conjurationis ſocios cohortatus eſt, qui caput diſſecuerunt medium, & confoderunt pectus. Sed & parricidæ profugi ſua tulerunt præmia, divinitus retracti ad pœnas. Hunc exitum habuit *Albertus* Calend. Maii A. C. 1308, cum imperaſſet annis fere decem. Maritum conjunx exſtructo monaſterio in loco parricidii, quod Königsfeld / h. e. campus regius nominatur, ſplendido cohoneſtavit monumento, ſed inde anno ſequente exuviæ Spiram traductæ, & prope patrem conditæ ſunt, IV. Calend. Septembris, ut oſtendit inſcriptio tumuli. *Chronic. Philip. lib. 5. Cuſp. Coſmogr. Munſteri. Albert. Argentinenſ. Æneas Sylv. Hiſtor. Bohem. cap. 30.*

Monitum.

Referatur hoc exemplum ad regulam juſtitiæ divinæ de pœna talionis: *Ἐι τις πάθοι ἀ ἔρεξε, δίκη ἰθεῖα γένοιτο.* Qui gladium acceperit: gladio peribit. Item non eſſe movenda civilia bella rapiendæ dominationis cauſa, ſine ordine legum: & DEUM velle, ut legitimos Magiſtratus veneremur, ſimus cuſtodes pacis, non inflati appetamus gradus ſublimiores ſine vocatione, ſed amemus humilia. Nec impellamur ad injuſtos conatus cupiditate dominationis, aut rei alienæ: *Μέγα δ' ἰφόλιον εἰς πολιτείαν ἡ αὐτάρκεια. Chron. Philip. lib. 5.*

XXXIV. IMPER. GERM.

HENRICUS VII. LUTZELBURGIUS.

CAPUT I.

DE ORTV.

HIc *Henricus* è familia Comitum Lutzelburgenſium oriundus fuit.

PATER ejus dictus eſt HENRICUS.

MATER BEATRIX, Comitiſſa de Hennegau.

Fratres ejus fuere *Walramus*, qui patre defuncto (quia fuit πρωτογενὴς) Comitatum obtinuit: & *Balduinus*, qui Epiſcopus Trevirenſis factus eſt. Eſt autem Lutzelburgenſis Comitatus Trevirorum portio, & Ducatus Moſellani in Arduennæ Sylvæ termino ſitus.

Genealogia Lutzelburgiorum hæc eſt:

Lotharius Rex Auſtraſiæ & Lotharingiæ, *Lotharii I.* Imp. filius, ex concubina Balrada, ſorore Guntheri Epiſcopi Colonienſis, ſuſcepit

Lotharium. *Hugonem* Ducem Lotharingiæ.

Giſelbertus, cujus pronepos eſt *Conradus* Lutzelburgenſis.

Henricus I. II. III.

Walramus.

Henricus IV. Comes Lutzelb.

Walramus. Balduinus. Henricus. in ordine Comitum Lutzelburgenſium quintus, Imperatorum vero VII.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. ACTA OECONOMICA.

UXorem habuit MARGARETAM, Ducis Brabantiæ filiam, quæ, quod valde liberalis erga pauperes fuit, *Eleemoſynaria* cognominata eſt. Ex hac *Henricus* unicum filium nomine JOHANNEM, & tres filias ſuſcepit. Imperator, cum à Statibus Bohemiæ eſſet ſollicitatus, ut regnum Bohemiæ in feudum concederet *Eliſabethæ* relictæ filiæ regis Bohemiæ; conſilio habito, *Eliſabetham* filio ſuo connubio junxit, eumq; Regem Bohemiæ creavit A.C. 1310; qui ſequenti anno in Bohemiam venit, & Rex Bohemiæ coronatus eſt die 2 Februarii, cum antea Pragam obſeſſam per proditionem cepiſſet, & *Henricum* Ducem Carinthiæ, qui Bohemiæ Regnum per triennium occuparat, Bohemia expuliſſet. Regnavit autem annos 35. *Filiarum Henricus* Imp. natu maximam BEATRICEM *Carolo* Regi Hungariæ; alteram MARIAM *Carolo* Pulchro Franciæ Regi, quæ in primo partu deceſſit; tertiam AGNETEM *Rudolpho* Palatino ad Rhenum, ex qua nata eſt Agnes *Caroli IV.* Imp. conjunx, elocavit. *Chron. Philip. lib. 5. Trith. H. Mutius.*

II. ACTA POLITICA.

I. *Imperii occupatio.*

Interfecto *Alberto* Imper. ſecutum eſt interregnum menſium fere 6, quia Proceres Germaniæ contrariis ſtudiis ſcindebantur. *Philippus Pulcher*, ejuſque frater *Carolus Valeſius*, Auguſtam poteſtatem à Germanis ad Gallos transferre conabantur: Et jam *Carolus Valeſius* de ſententia fratris exercitum comparabat, ut vel invito Pontifici Imperium extorqueret. Pontifex, etſi à ſuo Rege non eſſet alienus; tamen, quia mutationem hanc proſpiciebat fore exitioſam Italiæ, & hierarchiæ Romanæ, eam fieri nolebat: ut autem Gallorum conatus antevetteret, clam de his monuit Germaniæ Principes, cohortatus eoſdem ad electionem ſolennem maturandam. Itaque Electores convenerunt Francofurti, & poſt longam deliberationem HENRICUM Comitem Lutzelburgenſem Imperatorem elegerunt die Catharinæ 25 Novembris A.C. 1308: Anno ſequenti die 6 Januarii Aquisgrani ab Archiepiſcopo Colonienſi coronatus eſt. In Italiam profectus Mediolani coronam ferream, una cum conjuge, accepit. Deinde cum A.C. 1312 Romam veniſſet, Dominica poſt feſtum Petri & Pauli, juſſu Clementis Pontificis abſentis, à tribus Cardinalibus diadema aureum ſuſcepit. *Chronic. Philip. Trith. Albert. Argentinenſ. Antonin.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

Henricus bene & laudabiliter Imperium adminiſtravit, ſiquidem eximiis virtutibus præditus fuit. Fuit namque Princeps Catholicus, prudens, naturæ generoſæ, animi excelſi, in omni vita moderatus, juſtus, amans pacis, humilis, erga pauperes liberalis, nunquam elatus proſperitate, nec dejectus adverſitate. Omnino nulla in eo virtus deſiderata fuit: qua de cauſa electorum ſuffragiis, ne uno quidem repugnante, Romani regni ſceptra ei delata ſunt; quæ ipſe tanta laude tenuit, ut *pater patriæ*, & *Italiæ ſervator* dictus ſit. *Peucerus lib. 5. fol. 112. Pantaleon fol. 375, 382. Cuſpin.*

Exempla Virtutum ejus quædam ſpecialia.

1. PIETATIS. De *Henrico* accepimus, quod in eo eximia pietas, & religio erga DEUM eminuerit: Nam omnia, quæ ad cultum divinum pertinent, diligenter pertractavit, & tanquam relegit: neque

neque ſolum ſacris & rebus divinis ſtudioſe vacavit, ſed & adeo devotus fuit, ut totas noctes oraret & fleret, atque Euchariſtiam (quam *Panem vitæ* & *Calicem* ſalutis eſſe dixit) quotidie ſumeret: qua occaſione etiam periit; ut in capite 3 plenius dicemus.

II. MANSUETUDINIS. Cum à Monacho quodam *Bernhardino* porrecto veneno in pane Euchariſtiæ nefarie necaretur, ipſe vim veneni ſentiens, & mortem adeſſe animadvertens, completa Miſſa ad Monachum dixit: ô Domine, recedas: Nam ſi percipient noſtri devoti malum, quod nobis feciſti, morte miſerabili morieris: DEUS *tibi ignoſcat. Nauclerus.*

III. JUSTITIÆ. Nam Imperator electus ſummo ſtudio in id incubuit, ut interfectores *Alberti* anteceſſoris comprehenderet, & ſupplicio parricidis digno afficeret. Quare cum *Johannem* Ducem Carinthiæ cædis authorem tandem in Italia comprehendiſſet, habitu Eremitarum, ceu quodam reatus ſigno, quod geſtabat, circumdatum, ad perpetuos carceres in Piſano Eremitarum cœnobio eum condemnavit. Reliquos patratæ cædis conſcientia aut in ſolitudines extruſit, in quibus vitam exegerunt pene ferarum ritu inter magnas calamitates; aut ad ſupplicia exquiſita adegit. *In Chron. Philipp. lib. 5. pag. 563.*

IV. AUTHORITATIS contra *Papam. Henricus* Imp. legem tulit, Imperatorem Romanum Pontifici Rom. juramentum præſtare non debere: cum ſit res inuſitatiſſimi exempli & novi, Principem & Dominum orbis terrarum ſervo ſervorum fidelitatis juramento obſtringi. *Conſtitut. Imp.*

Unum ejus atro carbone notandum eſt vitium, nempe ἀλαζονίαν ſive *arrogantia*, quod ſibi imaginatus fuit, quaſi ipſe omnium rerum atque bonorum, etiam privatorum Dominus eſſet. Cum enim ipſe non procul à Bononia, nobilis cujuſdam arcem illuſtrem præteriret, quæſtio incidit, *An ea arx etiam Imperatoris eſſet?* duo Juriſconſulti inter ſe diſceptabant; quorum alter recte dici affirmabat, *omnia*, etiam proprias facultates privatorum, Imperatoris eſſe; alter negativam tuebatur ſententiam, videlicet quemque ſuarum facultatum eſſe dominum. In hoc certamine cum convenire inter ipſos non poſſet, arbitrum faciunt ipſum Imperatorem, hac dicta utrimque lege, ut equo donaretur victor, cujus precium ſolveret victus. Imperator ſententiam fert, recte dici, *omnia eſſe Imperatoris*, ut ſæpe judices ſibi ipſis blandiuntur. Datus eſt igitur victori equus. Sed quid fit? Faceti homines haud obſcure iniquitatem ſententiæ latæ agnoſcentes, vulgo hunc jocum ſparſerunt: *Alter reſpondit æquum, ſed alter tulit equum.* Et hic mos etiamnum in mundo viget, ut quidam injuſti judices contra jus & æquum ſententias pronuncient. In quam ſententiam quidam Pſeudo-politicus tale Epigramma concinnavit:

Non ideo calcabis equum, quia feceris Æquum:
Æquum qui faciunt, his male currit equus.
Æqui hoſtes vectantur equis, pedes ambulat Æquus:
Ergo ſperne Æquum, ne tibi deſit equus.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

Verum ſi hæc controverſia decidenda eſt, ita reſpondendum: Omnia quidem eſſe Imperatoris, poteſtate nimirum & imperio; ſed hoc non obſtare, quo minus ſingulorum quædam ſint proprietate & dominio. Quare *Achabus* Rex Iſraël cum per vim *Nabothi* vineam occupaſſet, graviter à DEO punitus eſt. 1 *Reg.* 21.

II. *ACTA SAGATA.*

Henricus bella geſſit in Italia, cujus ſtatus tum erat miſerrimus. Nam inde à morte *Friderici* II Imp. per annos circiter 57 ab Imperatoribus ejus cura neglecta fuit. Quod ergo fidem & auxilium Imperatoris Italia (quæ ſuo aſſidue reſpergebatur ſanguine, cædibus ac direptionibus exhauſta, & ſub tyrannos redacta; jam ſervitutem pro libertate, quam intempeſtive affectarat, ſerviebat duram ac triſtem) imploraret: ille ſtatim initio Imperii ſui, ne qua ſemina bellorum aut diſſidiorum domi relinqueret, ſe ad res Germanicas componendas convertit, iiſque pacatis ingenti cum exercitu Italiam ingreſſus eſt anno imperii ſui ſecundo. In eo itinere primum delatus ad *Taurinates* & *Aſtenſes*, utriſque in deditionem acceptis veteri more præſides vicarios impoſuit. Poſtea Mediolanum ſe recepit, ubi una cum Auguſta redimitus eſt corona ferrea, ibique *Matthæum* Vicecomitem conſtituit. Inde, cum Imperator Cremonæ civitatis muros & caſtella dejeciſſet, eoſque grandi pecuniæ ſumma mulctaſſet, Brixiam obſedit, ubi eruptione ab hoſtibus facta, frater Imperatoris Balduinus Epiſcopus cum multis aliis cecidit. Sed tandem Imperator obſidionibus fatigatos ac fractos ad deditionem Brixianos coëgit: & quanquam cæde fratris graviter irritatus eſſet, tamen victus interceſſione Legatorum Pontificis, cum veniam ſuppliciter rogarent, eos in gratiam recepit, ſed mulctatos magna pecunia 20 millium aureorum, & demolitione murorum ac portarum urbis. Vicinarum igitur urbium incolæ, Mantuani, Veronenſes, Vicentini, Patavini, Tarviſini, Veneti, Placentini, &c. horum

calamitatibus moti ſe dediderunt, quibus Imperator mulctam impoſuit, ſexaginta obſides iis imperavit, & adventante hyeme Genuam ſe recepit, ibique hyemavit A. C. 1311.

Anno ſequenti ad diem quartum Kalend. Martii, *Henricus* Genua profectus claſſe triremium triginta, Piſas deductus eſt, ubi iterum coronatus; Inde poſt duos fere menſes abiit Romam. Ubi Senatus populuſque Romanus omne jus ſuum in Imperatorem contulit: ut eſt in Receſſibus. Non potuit autem Imperator per portam Petri ingredi, ubi ipſi Urſini obſtabant, & *Johannes* frater *Roberti* regis Apuliæ; ſed ingreſſus eſt per portam molarum, & coronatus à quibuſdam Cardinalibus: quoniam Pontifex Romanus, *Clemens* V, urbe relicta migraverat in Galliam, & Avennione habitabat. Quia autem Romæ variæ ſeditiones ab Urſinis motæ, Imperator non diu ibi commoratus; & cum *Tyburi* cum *Friderico* Siculo fœdus feciſſet, per Sabinorum, Umbrorum & Peruſinorum fines Aretium profectus eſt. Inde occupatis Arni caſtellis, Florentinos obſidere cœpit, quos ad deditionem venturos ſperabat. Nec fefelliſſet eum opinio, ſi vixiſſet. Nullam enim Florentini niſi in *Roberto* Apuliæ & Campaniæ rege ſpem defenſionis habebant, quem Imperator ad dicendam cauſam citavit, atque imperium recuſantem, regnis ſententia prolata privavit. Sed dum id exſequi properaret, quod in Robertum ſancitum, veneno exſtinctus eſt: de quo ſuo loco plenius dicemus. *Blondus. Platina. Chron. Philippi. Ptolemæus Lucenſis. Cuſpin. Polon.* Tam cita & indigna morte, tam præſtantem Imperatorem, & tanta ſucceſſuum ac victoriarum proſperitate ad ſumma contendentem, peremtum eſſe, dolendum. Prudentiæ enim, virtutis bellicæ & felicitatis etiam tantum attulit, quantum ad rem tantam perficiendam & explicandam ſeditionibus Italiam, atque in tranquillum ſtatum reſtituendam ſatis fuiſſet, ſi vita ſuppeditaſſet, & ſi ambitio factioſæ gentis, quæ non veram libertatem, ſed licentiam barbaricam captabat, juſta, moderata, tuta, & ſalutaria imperia non reſpuiſſet. Sed quietem Italiæ fata inviderunt, & DEO viſum fuit, hoc modo, & his cladibus aſſiduis punire ſcelera Pontificum, & multiplicia peccata nobilitatis, ac plebis, Epicuream profanitatem, libidines, parricidia mutua, ut fatali quadam cæcitate conſiliorum & pervicaci obſtinacia odiorum in ſuas ipſi furenter clades irruentes, nec cæde mutua ſatiarentur, nec vaſtitate moverentur, qua efficiebatur, velut à ſtirpe exciſis præcipuæ nobilitatis familiis, ut hoc interitu poſteritatis ſuæ, his immanium cædium & devaſtationum ſpectaculis, non afficerentur. In *Chron. Philippi lib.* 5.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Sub *Henrico* VII Imp. Concilium VIENNENSE celebratum eſt: in quo toto biennio nihil aliud actum, niſi quod ineptæ quædam ceremoniæ Eccleſiæ obtruſæ ſunt cum *Clementinis*, præterquam quod de Græca & Ebræa lingua addiſcenda conſtitutio edita, & confirmati gradus Academici, *Clemente* V Pontifice ſanciente; qui etiam in hac Synodo ORDINEM TEMPLARIORUM, qui annis ferme 188 ſteterat, & ab *Henrico* Papa A. 1124 confirmatus fuerat, condemnavit. Uno itaque die per univerſum orbem hic ordo deletus & exſtirpatus eſt. Cauſa hujus condemnationis fuit opulentia Templariorum, & theſauri quos illi poſſidebant. Nam Trithemius refert, Templarios, petente *Philippo* Rege Franciæ, exſtinctos eſſe, illumque crimen hæreſeos ipſis impoſuiſſe, quo poſſeſſiones eorum in Galliis ſibi acquireret. In aliis locis eorum bona & reditus Hoſpitalariis *D. Johannis*, qui tunc vocabantur equites *Rhodii*, eamque Inſulam paulo ante occupaverant, Papa attribuit. Scribuntur conſilia hæc cruenta toto anno agitata, & tam miro ſilentio compreſſa fuiſſe, ut ad nullius Templarii aures pervenirent. Ferunt, Burdegalæ in Vaſconibus, equitem quendam, cum ad ſupplicium raperetur, Chriſtum judicem appellaſſe, & tam Regem quam Pontificem ad tribunal ejus invitaſſe. Deriſus eſt affatim: ſed Pontifex eodem die exſpiravit, & Rex paulo poſt ex lapſu in venatione obiit. *Polon. Paralip. Urſp. & alii.*

CAPUT III.

DE EGRESSV.

HENRICUS Imp. ſuſcipiens iter verſus Apuliam, quo illud, quod in *Robertum* ſancitum erat, (de quo antea diximus) exſequeretur, venit in caſtrum, quod dicitur Bonconventum, A. C. 1312, in vigilia aſſumtionis MARIÆ, 15 Auguſti, ubi propter feſti ſolennitatem illa die quievit. Diſpoſuerat autem ſecum per aliquot dies, jejunio, ac bonis operibus intendens, ſacra Synaxi in feſto uti. Ea autem die forte Epiſcopus Tridentinus confeſſor ejus, & Vice-Cancellarius aberat, miſſus ad *Clementem* V Pontificem. Unde quidam Jacobinus, vel, ut alii volunt, Bernhardinus Monachus ordinis Prædicatorum, (ſubornatus, ut aiunt, præmiis & ſollicitationibus, nec ſine ſuſpicione, Florentinorum) qui tum coram Imperatore Miſſam celebrabat, venenum ei ſub ſpecie Sacramenti dedit, vertens calicem vitæ in calicem mortis. Senſit mox Imperator mortem adeſſe, fertur tamen dixiſſe, com-

completa Miſſa: O Domine, recedas: nam ſi percipient noſtri devoti malum, quod nobis feciſti, morte miſerabili morieris. DEUS tibi ignoſcat. Superante autem morbo eodem in loco è vita migravit die Bartholomæi 24 Auguſti, anno ætat. 51, menſ. 1, die 7, anno imperii 4, menſe 8, ejuſque corpus magno ſuorum luctu Piſas delatum, ibique in tumba argentea exſiſtit ſepultum cum obſequiis regalibus, cujus ex hac inſcriptione monumentum agnoſcitur: *Hoc in ſarcophago* Henrici, *olim Lucelburgenſis Comitis, & poſt ſeptimi hujus nominis Romanorum Imperatoris, oſſa continentur, quæ ſecundo poſt ejus fatum anno*, videlicet M CCCXV, die vero Calendarum Sextilis, Piſas tranſlata, ſummo cum honore ac funere hoc in fano ad hunc uſque diem collocata permanſere.

Quanquam autem Monachum abire Imperator præcepit, tamen poſtea captus vivus excoriatus eſt. *Nauclerus Geneal. 44. fol. 246. Onuphr. Append. Urſp. Chron. Carion.*

Interregnum.

Defuncto *Henrico* VII Imper. ſecutum interregnum menſium quatuordecim.

Viri celebres.

I. JOHANNES Duns Franciſcanus SCOTUS, Doctor ſubtilis dictus, mortuus eſt Coloniæ 8 Novembr. anno Chriſti 1308, à morte Thomæ Aquinatis 34. *Trith.* Hujus ſectatores dicti ſunt Scotiſtæ.

II. FRANCISCUS PETRARCHA Philoſophus, Rhetor & Poëta celeberrimus, qui literas humanitatis, poſt longa ſilentia mortuas, ab inferis revocavit. *Volaterran. Palmer.* Hic *Franciſcus*, tempore *Ludovici* Imper. A. C. 1338, Romæ in Capitolio corona poëtica ob eloquentiam donatus eſt. *Platin.*

III. BARTOLUS de Saxoferrato, Cyni diſcipulus, Juriſconſultus celeberrimus, natus eſt A. C. 1309. Hic tanta ingenii vi præditus fuit, ut anno ætat. 14 ſe ad Juris civilis ſtudium Peruſii contulerit, Bononiæ ſolennia inſignia Doctoratus anno ætat. 21 conſecutus fuerit: & poſtea ætat. 25 Piſas ad Juris profeſſionem accerſitus celebrem illam repetit. Leges, ſi quis pro emtore ff. de Uſucap. ediderit. Hæc *Mantua. Patavinus* & *Fichard.*

Res memorabiles.

Eodem anno, quo *Henricus* Lutzelburgenſis ad imperialem dignitatem evectus eſt, Templini in Marchia Brandeburgica obiit Princeps bellicoſus, dictus OTTO *cum telo*, quod ſagitta ictus, telum ferreum integro anno capiti infixum retinuerit. *Manuſcript. Chron.*

Mirabile quoque eſt, quod uno anno, videlicet M. CCC. XIV, IMPERIUM, SEDES ROMANA, & REGNUM GALLIÆ vacarint. Nam anno ſuperiore *Henrico* VII mortuo, erat interregnum, ut diximus, annum 1, uſque ad Octobr. hujus anni. Deinde hoc anno obiit *Clemens* V, die 20 Aprilis, & poſt ejus obitum vacavit ſedes biennio, & quatuor menſibus. Poſtremo hoc anno 29 Novembr. obiit *Philippus* Rex Franciæ.

XXXV. IMPER. GERM.

LUDOVICUS BAVARUS, & FRIDERICUS AUSTRIACUS cognom. PULCHER, ALBERTI I Imperatoris filius, ANTICÆSAR.

CAPUT I.

DE ORTU.

I. *Generatio.*

I. PATER ejus *Ludovici* fuit LUDOVICUS. Comes Palatinus & Elector, atque Dux Bavariæ, qui plures habuit conjuges; ſed ex tertia MECHTILDE, *Rudolphi* Habſp. Imperat. filia, hic *Ludovicus*, & *Rudolphus* Palatinus ad Rhenum nati ſunt.

II. *Appellatio.*

I. NOMEN. Dictus eſt LUDOVICUS ejus nominis V, quia inter Impp. qui *Ludovici* dicti, quintus in ordine fuit. Sed ab aliis vocatur *Ludovicus* IV. Quæ ita concilianda. *Ludovicus* V vocatur, quando LUDOVICUS Balbus, qui Gallus natione fuit, Imperatoribus annumeratur. Quando autem ſoli Imperatores Germani enumerantur, tum *Ludovicus* in ordine eſt IV. Sed prior ſententia, quæ communior, poſteriori eſt præferenda.

II. COGNOMENTO appellatus eſt BAVARUS, quia Dux Bavariæ, in eaque natus & educatus fuit. Bavarorum nomen ſunt qui exiſtimant eſſe ex *Boiis* & *Avaris*, quos *Carolus Magnus*, devictis ac depulſis Hunnis, regioni Bojorum adjecit. Tenuit autem Bavariam poſteritas *Caroli M.* uſque ad *Ottonem* I, qui eam fratri *Henrico* tradidit, cujus *Henrici* nepos fuit *Henricus* Sanctus, qui, cum ſobole careret, conjugis Cunigundæ fratrem *Henricum Bavariæ* impoſuit: quo extincto, rediit Bavaria ad *Henricum* III Imperat. à quo ejuſque poſteris

ſtirps Bavarica oppreſſa, atque in anguſtiam redacta, tandem Suevis imperantibus vires recepit. Nam *Fridericus Barbaroſſa* Bavariam cum Palatinatu ad Rhenum *Ottoni Witelsbachio* Comiti, (cujus frater, ut ſupra diximus, Imp. *Philippum* dolo interfecit) oriundo à Comitibus de Schiren/ & Palatinis Rheni, contulit.

Electores Palatini.

1. *Otto* Elector.
2. *Ludovicus*.
3. *Ludovicus*.
4. *Otto*.
5. *Ludovicus* totum Palatin. cum tota Bavaria tenuit.

Ludovicus Imp. 6. *Rudolphus*.

7. *Adolphus* ſimplex. 8. *Rudolphus* II Elector. Hos exceperunt tres *Roberti*, quorum tertius Imperatoriam dignitatem adeptus eſt; ut poſtea dicemus.

CAPUT. II.

DE PROGRESSV.

I. ACTA OECONOMICA.

LUdovicus Imp. Uxores habuit tres.

PRIMA fuit *Comitiſſa* valde dives, ſed paulo poſt celebratas nuptias ἀτεκνος vel improlis deceſſit; uti teſtatur *H. Mutius l. 24. fol. 249.*

SECUNDA dicta fuit BEATRIX, Regis Poloniæ filia, quæ ei duos peperit filios: 1. LUDOVICUM Marchionem Brandeburgenſem: 2. STEPHANUM cognomento FIBULATUM, Ducem Bavariæ in Landeshut.

TERTIA fuit MARGARETA, *Wilhelmi* tertii, Comitis Hollandiæ, Selandiæ & Friſiæ filia: ex hac nati 4 filii, & unica filia.

I. FILII.

1. ALBERTUS Dux Bavariæ Strubingenſis.
2. OTTO Dux Bavariæ, & Marchio Brandeburgenſis.
3. WILHELMUS Comes Hollandiæ, Selandiæ & Friſiæ.
4. LUDOVICUS cognom. ROMANUS, quia Romæ in lucem editus fuit matre coronata A. C. 1328, Marchio Brandeburgenſis.

II. FILIA.

Ex eadem ei quoque nata filia ELISABETHA, Ulrico Comiti Wirtemberg. nupta, quæ mater *Eberhardi* Comitis, qui cognomento *Pacificus* dictus eſt.

Patre autem Margaretæ Auguſtæ, ejuſque fratre *Wilhelmo* (qui cum expeditionem A. C. 1345, in Friſiam ſuſcepiſſet, infeliciter res geſſit, & ab hoſtibus immiſſis aquis ſuffocatus eſt, die 26 Septembris) è vita ſublatis, cum maſculus hæres nullus eſſet ſuperſtes, Margareta, ut vicinior hæres, Comitatum Hollandiæ, Selandiæ, Hannoniæ & Friſiæ adtulit domui Bavaricæ: quos obtinuit hæc familia annis fere octuaginta, donec iidem Comitatus ad domum Burgundicam pervenirent. *Trith. Chronicon Carion. Pantal. part. 2. fol. 402, 403.*

II. ACTA POLITICA.

I. *Imperii occupatio.*

Defuncto *Henrico* VII Imper. Electores imperii tandem, cum imperium in menſem decimumquartum vacaſſet, convenerunt Francofurti anno Chriſti 1314, ubi electio incidit difficilis & periculoſa inter duos competitores & conſobrinos, *Fridericum* Pulchrum (qui ab eleganti & procera ſtatura ſic cognominatus eſt) Auſtriæ Ducem *Alberti* Imp. filium, & *Ludovicum* Bavarum. Hunc elegerunt Moguntinus & Trevirenſis Archiepiſcopi, *Johannes* Rex Bohemiæ, & *Woldemarus* Marchio Brandeburgenſis. Cæteri, Colonienſis, *Rudolphus* Palatinus ad Rhenum, qui frater erat *Ludovici*, & *Rudolphus* Dux Saxoniæ, oppoſuerunt *Fridericum*. Ille ut ſuffragiis ſuperior mox poſt electionem coronatus eſt ulitato in loco Aquiſgrani ab Epiſcopo Moguntino: hic vero comitatu minore Bonnæ coronam accepit à Colonienſi. Hinc Germania in factiones diſtracta, bellumque inteſtinum ortum, quod annis octo fortuna varia, eventuque ancipiti geſtum eſt; ut poſtea dicemus. Bavarus tandem imperii æmulo ſublato, cum exercitu Italiam ingreſſus, Imperatorem ſe ſpreto Pontificis conſenſu appellavit. Diadema primo ferreum Mediolani ab Archiepiſcopo ſumſit: deinde cum Romam veniſſet, coronatus eſt cum conjuge *Margareta* A. Chriſti 1328, die 6. Januarii per Cardinalem Stephanum Columnam, conſentiente Senatu, clericis, populoque Romano, Papa vero (qui tum in Galliis commorabatur) reclamante. *Peucerus lib. 5. H. Mutius lib. 24. Volaterran.*

II. *Imperii administratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

LUDOVICUS ut optimus Princeps fuit: ita ei quoque omnia initio feliciter cesserunt, sed postremis annis multis modis & nominibus infelix fuit, nec vel in Italia vel in Germania quidquam memoria dignum gessit, utrobique impeditus adversis & insidiosis molitionibus Pontificum, quorum instinctu plurimi ab eo defecerunt. Hisce igitur miris Pontificum exagitationibus turbabatur, & distrahebatur animo. Animi ægritudo ad consilia eum ducebat aberrantia. Et errores in consiliis, ut fit, mutabant fortunam; Imperio tamen annos triginta tres inter maximas adversitates ita præfuit in gubernatione justus, ut suorum defensor nequaquam lentus fuerit, & quod mirum est in viro magnanimo, cum tantis contumeliis irritaretur, nemini tamen unquam bellum intulit, sed inferentes armis depulit.

II. *ACTA SAGATA.*

1. *Ludovicus* coactus fuit bella gerere adversus *Fridericum* Austriacum, qui contra ipsum electus erat. Abiit quidem biennium post electionem sine dimicatione, sed A. C. 1316. *Fridericus* magnum exercitum ad oppidum Sueviæ Eslingam adduxit; quæ, ut aliæ urbes infra Ulmam, *Ludovico* studebat: hic ut obsidionem solveret, accessit instructus copiis vicinorum Principum & auxiliis Bohemicis. Ibi cum utrique ad Neccarum accederent fluvium, prælium subita occasione commissum, quod extractum est in atram noctem, tanta utrinque clade accepta, ut neuter victoriam sibi arrogaret. Inde tumultuatum est in Germania, varioque marte dimicatum usque ad annum Christi 1323, quo *Fridericus* exercitum 10000 Hungarorum, & 20000 Austriacorum in Bavariam duxit, eamque graviter afflixit, diripuit, exussit, & in turbam inermem virorum & mulierum horrendum in modum sæviit. Bavarus igitur, quanta potuit celeritate, auxilia vicina contraxit, suosque armavit. Accesserunt ad eum *Iohannes* Rex Bohemiæ, *Henricus* Dux Bavariæ, *Bernhardus* Dux Silesiæ, & *Fridericus* Burggravius Noribergensis, cum magnis equitum copiis ex vicina Francia collectis. Convenerunt ambo Imperatores ad oppidum Mulldorf / prope pagum Ampfingen / ubi *Fridericus* Austriacus castra in colle tutissime locaverat, & fratrem *Leopoldum* expectabat, adducentem Rhetos & Suevos; Sed *Ludovicus* Hungaricis legionibus (quibus Austriacus confidebat) opposuit Bohemicas; & equitibus Hungaricis *Fridericum* Burggravium, & *Henricum* Bavariæ ducem, cum Francis & Rhenanis equitibus. Magna cædes utrinque facta est, donec Hungari pulsi & dissipati sunt. Postea equites Austriaci aliquantisper defenderunt *Fridericum*: qui & ipse fortissime pugnavit: milites quinquaginta, & amplius, sua manu confodisse fertur: sed tandem, cum & labore prælii defatigatus, & ex equo dejectus, fuga dispersis turmis suorum equitum, prælium frustra instauraret, captus est, cum fratre *Henrico*, virtute cujusdam nobilis è comitatu Burggravii. *Sigfridus* Schweppermann à partibus *Ludovici* Dux, Bohemos jam fere victos & in fugam aversos reduxit, prœliumque restituit: atque ita *Ludovicus* ipsius opera victoriam obtinuit, ideoque eo ipso die in cœna binis ovis ab Imperatore donatus, cum ob inopiam commeatus, & paucitatem ovorum reliqui cum Imperatore vix singulis vescerentur. Verba Imperatoris fuerunt: Dem Man ein ey / aber dem frommen Schweppermann zwey. Quæ verba sepulcro ipsius inscripta sunt.

Prælium factum est A. C. 1323 die Michaëlis, anno 50 post quam avus amborum *Rudolphus* Habsb. electus est in Regem Romanorum eodem die. *Leopoldus* frater *Friderici* ex hoc casu semper tristis, Badensi Marchione & civitatibus aliquot subnixus, nihil non liberandi causa fratris tentavit. Egit & cum mago, ut *Fridericum* custodia educeret, eique, postquam promisit, se fratrem *Fridericum* è custodia liberaturum, curaturumque, ut intra horæ spatium salvus in Austriam deduceretur, ingentia munera pollicitus est. Constituta itaque nocte, uterque circulum, incantationibus magicis designatum, ingressus est. Magus per suas adjurationes spiritum accersit, qui in peregrini hominis specie apparens, mandatum adducendi *Fridericum* accipit, aitque, se quidem facile & liberaturum & adducturum Ducem *Fridericum*, quatenus ille sequi non recusaturus sit. Protinus itaque noctu spiritus captivum Principem convenit, Frater (inquiens) tuus *Leopoldus* me huc misit, ut te è custodia liberem. Quare propere surge, & equo huic insside, teque è vestigio ad fratrem tuum abducam. Ad quæ respondit Dux *Fridericus*: Quis es tu? Ne quæras quis sim, ait spiritus, sed citra aliquam dilationem equum conscende, quatenus ex hac custodia liberari desideras. Sed *precibus se* DEO *commendavit Princeps egregius, atque tam fœdi liberatoris gratiam est aspernatus.* Quare spiritus evanuit, & ad Magum vacuus reversus est. Tandem *Fridericus*, cum triennio in custodia retentus esset, in arce vicina oppido celebri ad Nabum fluvium Naburg. dimissus

miſſus eſt, his conditionibus, ut nomen quidem & titulum, ſed neque jus neque poteſtatem Imperatoris uſurparet. Sic reſtituta fuiſſet pax Reipubl. niſi & *Leopoldus*, & Bohemiæ Rex *Iohannes*, partium ſtudia armis fovere perſeveraſſent.

Henricus frater *Friderici* captivitate ſeſe exemit, reſtitutione aliquot opidorum & arcium in Moravia, quæ hoc bello Auſtriaci Bohemis ademerant.

Leopoldus varie debacchatus per Alſatiam Helvetiamque, inſania denique correptus, ſine pœnitentia obiit; *Fridericus* vero philtro potatus eſt: unde corpus extabuit, & dyſenteriæ morbo reſolutus, vitam cum morte commutavit die 13 Januarii A.C. 1330, cum A. C. 1325, die 23 Aprilis, è carcere fuiſſet liberatus. *Pencer. lib.* 5. *Aventin. Cuſpin. Albert. Argent.* Maximum bonum & longe optimum hominibus eſt, finem, exitumque vitæ bonum ſortiri. Quod dictum, Symboli inſtar, familiare fuit huic *Friderico* Auſtriaco, cogn. Pulcro: qui *ſummum hominis bonum* eſſe dixit, *bonum ex hac vita exitum*: ſignificans nimirum illud, morte beata nihil eſſe beatius: quod & ſacræ literæ teſtantur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. *Apocal.* 14. *v.* 13. Nam dies iſte, quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis eſt. Sic nimirum bona mors eſt, ut *Bernhardus* ſcribit, quæ vitam non aufert, ſed transfert in melius. Juſti & pii hominis mors eſt bona propter requiem: melior propter novitatem: optima propter ſecuritatem, vel potius ſalutem æternam. Sicut dicitur *Pſal.* 116. *v.* 15. Pretioſa mors ſanctorum in facie Domini.

II. *Ludovicus* Imp. nolens volens fratri *Rudolpho* Palatino bellum intulit, quod à partibus *Friderici* Auſtriaci contra fratrem ſtabat: illum ditione ſua *Ludovicus* pepulit A. C. 1316: qui etiam in exilio mortuus eſt in Anglia. *H. Mutius. Chronic. Hedion.*

III. A.C. 1327 in Italiam *Ludovicus* cum exercitu profectus eſt, ubi *Galeacium* Vice-Comitem Mediolanenſem ad majorem dignitatem evexit, & *Guelfos* Gibellinis ſubjecit. *Robertus* Rex Siciliæ adventu & felici ſucceſſu ejus ita perterritus eſt, ut theſauros ſuos pretioſos in loca tutiora transmitteret, & è regno aufugere decerneret. Quare ſi *Ludovicus* ſtatim in Apuliam moviſſet, eam *Roberto*, Pontificis tuenti partes, Guelfoſque inſtruenti & adjuvanti, adimere potuiſſet. Sed moram trahendo in urbe Roma, & muniendi ſui ſpatium hoſti præbuit, & civibus oneri fuit. In Thuſciam igitur diſcedere coactus, dum Florentinos obſidere parat, morte impeditur *Caſtrutii* Ducis Lucenſis. Inde *Ludovicus* vacillantem veritus Italicorum fidem, cum diceret, *Cæſares multos veneno, paucos eſſe ab Italia abactos*, revertitur in Germaniam, re omni, quam ſuſceperat, infecta, niſi quod Procuratores civitatum conſtituerit, Vicarios nomine, re vero terratum Dominos. In regreſſu arcem, in qua *Conradinus* filius *Conradi IX* Imper. ultimus ex auguſta familia Ducum Sueviæ, cum *Friderico* Duce Auſtriæ, & Marchione Badenſi, ex ſententia Pontificis *Clementis IV* (potius Inclementis) obtruncatus fuerat, funditus delevit, militibus omnibus præſidiariis interfectis, ne monumentum tam fœdi facinoris extaret. *Cuſpinianus*, *& alii.*

IV. *Bella* quoque geſſit *Ludovicus* cum *Carolo* regis Bohemiæ filio, qui poſtea ad Imperium pervenit. Hunc filius Imp. *Ludovicus* Tyrolenſi Comitatu expulit, & Tridentum uſque fugavit. *H. Mutius. Pencerus.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. Cum defuncto Papa *Clemente V* ſedes Apoſtolica vacaſſet annis 2, & menſibus aliquot, tandem anno C. 1316 electus eſt die 15 Auguſti *Iacobus* de Oſſa, vel ut Imperator eum nominat, de Baburco, Epiſcopus Portuenſis Gallus, vocatuſque JOHANNES XXII. Hic Papa miris modis *Ludovicum* Imperatorem exagitavit. Cum enim *Ludovicus* & *Fridericus* Auſtriacus vario Marte dimicarent, & honeſti omnes dolerent, Principes cognatos ſitire ſanguinem cognatum, & cæteros pollui innumerabilibus parricidiis; pacificationes tentatæ ſunt his conditionibus, ut veteri more collegæ eſſent pari authoritate, & uterque nomen haberet Imperatoris, & omnia edicta, omnes literæ ederentur cum approbatione, & inſcriptione utriuſque; ſicut *M. Antoninus* & *L. Verus* collegæ fuerunt, & deinde *Valentinianus* & *Valens*, & mox *Gratianus* & *Theodoſius*, & multi *alii*. Sed furiæ Pontificiæ omnia pia conſilia impedierunt. Pontifex contendit ſe judicem eſſe hujus controverſiæ; ut Luna à Sole lumen accipit, ita ordinatam eſſe hominum gubernationem, ut à ſummo ſacerdote Imperator authoritatem accipiat. Velle DEUM, caput eſſe ſummum in terris *Petri* ſucceſſorem, cui dictum eſt: Tibi dabo claves regni cœlorum. Item: Paſce oves meas. Hæc cum Pontificii Oratores in Regum & Principum conciliis Periclea eloquentia impudenter detonarent, utrique tamen aſſentando, & honorem atque dignitatem à Pontifice parem utrique deferendo, alebant diſſidia, & acuebant odia. Tandem cum *Ludovicus Fridericum Auſtriacum* viciſſet, Papa *Iohannes*, qui antea utrumque Imperatorem ſimulato ſtudio coluerat, decretum fecit, in quo *Ludovico* præcepit, ut deponeret dignitatem.

Id

Id vero niſi faceret, & ipſum & omnes ei obtemperantes ſe ejecturum ex Eccleſia minatus eſt. Initio objecit Pontifex *Ludovico* hæc duo crimina. Primum, quia Galeacio Mediolanenſi Vicecomiti opem tulerit contra Pontificios, miſſo in ſubſidium equitatu forti & ſplendido, cujus virtute ille Guelphos tota pene Longobardia ejecit. Secundum, quod nondum confirmatus à Pontifice, auſus fuerit facere officia Imperatoris. Reſpondit initio moderate *Ludovicus*, ſe in electione juraſſe, defenſorem ſe fore juſtitiæ. Ideo Galeacium in cauſa juſta à ſe defenſum eſſe. Deinde eodem juramento ſe obligari, ut electus faciat officia Imperatoris. Ideo enim fieri electionem, ut certus ſit defenſor juſtitiæ & cuſtos pacis in omnibus regionibus, quarum defenſio Imperatori commendata eſt, & cogi mandato divino quamlibet poteſtatem, ſuo loco facere ea, quæ ſint ſui officii. Nec poteſtatem gerendi gladii à Pontifice, ſed à DEO dari, juxta dictum: Reges gentium dominentur; vos non ſic. Ideo affirmat, ſe nec poſſe, nec velle Imperium à DEO datum deponere, donec cum in hac militia ſervire velit. Hac reſponſione edita crevit contentio, his tantis diſputationibus motis: Unde ſint imperia, & quæ ſit authoritas Epiſcoporum: quæ ſit vis confirmationis Pontificiæ. Pontifex impudenter ſcribebat, Petro datam eſſe ſummam authoritatem, non ſolum in miniſterio Evangelii, ſed etiam in politica gubernatione. Quare nemo poſſit eſſe Imperator, niſi confirmatus à Romano Pontifice.

Refutavit *Ludovicus* ſententiam Pontificis, & convulſit authoritatem graviſſimis argumentis & rationibus,

Exſtant ſcripta pro Imperatore *Wilhelmi Occam* Angli, è familia Franciſcanorum, qui, quod quædam adverſus Papam ſcripſiſſet, hæreſeos damnatus à Papa, ad *Ludovicum* Imp. in Germaniam venit, illique dixit: *O Imperator, tu me gladio defende à Papa injuriis: & ego te verbis ac ſcriptis defendam.* De quo tale exſtat Epigramma:

Me defende tuis juſtiſſime Cæſar in armis,
Tunc volo te verbis rite juvare meis.
Si tu me gladio Cæſar defendis acuto,
Tunc ego defendam teque tuos calamo.

Item Marſilius Patavinus integrum librum ſcripſit anno C. 1324, pro defenſione *Ludovici Bavari* Imper. contra Papam, cujus titulus; *Defenſor pacis.* Inde cum Imperator anno C. 1328 Romam veniſſet, conſenſu quorundam Cardinalium & Epiſcoporum creavit Pontificem *Petrum* de Corbaria, ex familia Columnenſium, natum in agro Rheatino. Hunc è cœnobio *Franciſcanæ* familiæ eductum, Pontificiaque tiara exornatum, NICOLAUM V appellavit, contra deſertorem ſedis Romanæ, & turpiter profugum *Johannem* XXII, qui conſcius ſibi injuſtæ ac ſceleratæ tyrannidis, relicta urbe Avennionem ſeceſſerat, ubi *Ludovicum* Imper. A. C. 1329, die 28 Januarii publice proclamavit eſſe excommunicatum, hæreticum & ſchiſmaticum, juſſitque hoc in omnibus Eccleſiis pronunciari ſingulis diebus feſtis, & diebus Dominicis. Sed Imperator excommunicationem riſit, dicens: *Chariſſimum ſibi hoc eſſe.* Nam hinc ſe intelligere poſſe, quod membrum Chriſti eſſet, quia ab Antichriſto eſſet damnatus. Probe enim noverat *Ludovicus*, quod DEUS ad Abrahamum dixit *Geneſ. cap.* 12. Ego benedicentibus te benedicam, & maledicentibus maledicam. Item quod dicitur *Pſalm.* 109. *v.* 28. Maledicant illi, & tu benedices: qui inſurgunt in me, confundantur, ſervus autem tuus lætabitur.

Poſtquam autem *Ludovicus* in Germaniam rediiſſet, Papa *Iohannes* rurſus ſe in Italiam recepit, & *Nicolaum*, quem *Ludovicus* Romæ Pontificem creaverat, cepit; qui Avennionem in Gallias miſſus, miſere in carcere vitam finiit. Et Papa *Iohannes* monſtrum illud hominis haud diu poſt, anno nempe Chriſti 1334, die 4 Decembr. etiam mortuus eſt, cum vixiſſet annos 90, & ſediſſet annos 18. menſ. 4. Reliquit inæſtimabilem auri theſaurum, videlicet ducentas & quinquaginta auri tonnas. Aperte dixit, animam cum corpore mori uſque ad tempus reſurrectionis. *Peucerus lib.* 5. *Aventinus. Trithem. Chron. Bohem. Onuphr. Platina.*

11. *Johanni* XXII Pontifici ſucceſſit BENEDICTUS XIII, qui ſententiam anteceſſoris de excommunicato *Ludovico* continuavit: & cum hoc modo Imperator per excommunicationem depoſitus, nec alius electus eſſet, ſe *Vicarium Imperii* eſſe contendit, & proinde Vicarios in urbes Imperii in Italia miſit. Imperator cum per ſolennes legatos ad Pontificem Avenione miſſos excommunicatione ſolvi petiviſſet, (quia nihil peccaſſet, & eſſet religionis veræ cultor) ſed nihil obtinuiſſet, provocavit ad generale Concilium: & in Comitiis Renſenſibus omnes Electores imperii ſcripſerunt ad Papam *Benedictum*, Sibi conſtare ex proceſſibus *Johannis* Papæ, quod ſententias excommunicationis non de jure, ſed de facto contra DEUM & juſtitiam & juris ordinem fulminarit. Inde convenerunt Francofurti ad Mœnum: ubi acta *Johannis* XXII contra Cæſarem abrogarunt, & decreverunt, ſolennitates Pontificis in coronando Imperatore eſſe adventitias, nomina ſine re, & ab alio quovis Epiſcopo adminiſtrari poſſe; & falſiſ-

simum esse, quod, vacante Imperio, potentia ad Papam revolvatur. Imo in Palatino & Saxone eam remanere. Decretum factum & publicatum est Francofurti, assentientibus Episcopis & Prælatis, anno C. 1339: additum aliis Comitiis, si quis deinceps *Ludovicum* (hæreseos enim Imp. à Papa damnatus erat) in impiorum numero haberet, aut ob sententias Papales à divinis cessaret officiis, proscriptorum pœnis fore obnoxium.

Inde cum *Ludovicus* cum rege Franciæ fœdus contra Angliæ regem iniisset, promissa est ei reconciliatio cum Pontifice, Franci ope conficienda. Verum sæpius missi Oratores re infecta redierunt, variis occasionibus dilato negotio, adeo *ut Franeus crederetur, quod noluisset, simulasse se velle, Benedictus, quod voluisset, simulasse se nolle.* Hanc enim *Ludovici* Francique confœderationem novam Pontifex, suis utilitatibus intentus, ægre tulit, qui & inter illas moras vita migravit A. C. 1341, die 25 Aprilis, cum sedisset annos 7, menses 4. *Platina. Trithem. Marsilius Patavinus in defensore pacis. Annales Henrici Rebdorfii.*

III. Mortuo *Benedicto VIII* successit *Clemens VI*, qui longe fuit omnium violentissimus, & cum *Ludovicus* Imper. subinde instaret, ut tandem solveretur excommunicatione, quod & pro eo faciebat *Philippus* Francorum rex, sex hasce conditiones Imperatori præscripsit: ut primum *Wilhelmum Occam* Pontifici dederet, acta contra Pontificem rescinderet, edicto sanciret, Imperium esse beneficium Papæ, omnes errores & hæreses objectas confiteretur, Imperium deponeret, nec nisi ex voluntate Papæ resumeret, & se ipsum, liberos, & omnes ditiones in manus Pontificis traderet. Adjecit nonnulla alia ad Imperii statum pertinentia. Imperator Francofurti conventum habuit anno 1343, in quo conditiones à Papa sibi præscriptas ad Principes atque Imperii Ordines retulit, eorumque consilia exquisivit. Hi igitur statuerunt, Pontificis postulata esse prava, inepta, antiquata, argutiora denique, quam ut simplicitati Christianæ convenirent. Itaque irrita & vana declarata sunt, cum Papa putet sibi licitum, quod libeat. Huic decreto & *Carolus* Bohemiæ rex subscripsit, & legati missi, qui hæc Pontifici exprobrarent. Inde Pontifex magis magisque exacerbatus, *Ludovicum* Imperatorem anno Christi 1346 in die Cœnæ Dominicæ atrocissime exsecratus est, cum hæreticum ac schismaticum pronunciavit, & ad Electores scripsit, ut alium Imperatorem intra certum tempus eligerent: alioqui Sedem Apostolicam provisuram esse, ut Ecclesia idoneum advocatum sive Imperatorem haberet. His minis compulsus Archiepiscopus Moguntinus, Principes Imperii convocavit in oppidum Rensdiœcesis Trevirensis, qui elegerunt *Carolum* Bohemiæ Regis filium. Contra vero *Ludovicus* evocavit status Imperii Spiram: ubi de electione *Caroli* sententiæ exquisitæ, & decretum, eam nullo jure factam, & proinde CAROLUM pro Imperatore non habendum. Jurarunt igitur de novo fidelitatem *Ludovico*, qui anno sequenti diem suum obiit, ut mox plenius dicemus. *Constant. Imper. Cuspin. Trithem.*

Sub hoc Imperatore DECRETALIUM *liber septimus* à *Clemente V* Papa collectus, unde CLEMENTINÆ vocantur leges, publicatus est à *Iohanne* Papa A. C. 1317, mense Novembri. A *Clemente* enim, cum morte præveniretur, publicari non potuerunt. *Polon. Chronic. Belg.*

CAPUT. III.

DE EGRESSV.

LUdovicus Imper. fertur veneno intoxicatus à vidua *Alberti Austriaci*, quacum familiarius conversari consueverat; quod cum ejicere vomitu non posset, ut corpus roboraret, venatum abiit: ubi, dum ursum ingentem impetit, maximo impetu de equo præcipitatur, & paulo post A. C. 1347 die 11 Octobris, postquam recollecto spiritu animam CHRISTO commendasset, moritur, anno Imperii 32, mense 11, die 24. Sepultus Monaci in Bavaria. *Aventin. Chron. Carion. Onuph.*

Res memorabiles.

1. Meminit *Hermannus*, se vidisse mulierem Weiblingæ, quæ anno Christi 1314 *Leonem* partu ediderit.

II. Cum A. C. 1315 post Calendas Maias usque ad finem anni continenter plueret, nec frumenta ad maturitatem pervenire possent, ingens facta est annonæ caritas, ut multi fame morerentur: ad hoc tempus definiendum, assumtum est vocabulum *Cucullum*, in quo annus æræ Christianæ notatur in hoc versu:

Ut lateat nullum tempus famis, ecce CUCULLUM.

Hæc *fames* anno sequenti in Thuringia adhuc adeo grassata est, ut intra mœnia Erfordiana ad 80 millia hominum fame perierint, qui carpentis evecti sunt, ne pestis inde oriretur. In hujus famis memoriam adhuc etiam panes coquuntur, quorum unus sex nummis tum emtus est, quorum hodie vel decem uno nummo emuntur. *Fabr.* Polonici quoque scriptores commemorant, tam horrendam famem & pestem in POLONIA & SILESIA his

his temporibus graſſatam eſſe, ut parentes à propriis filiis & cadaveribus, immundiſſimiſque cibis, non abſtinuerint.

III. A. C. 1340 turris VIENNENSIS ad S. Stephanum inchoata ab *Alberto* Auſtriæ Duce, & abſoluta eſt anno 1400, à filio *Alberti*, 60 annorum ſpatio, ita ut altitudo tota ſit pedum 480. Superatur tamen ab Argentinenſi pedibus fere viginti. *Cuſpin.*

IV. Circa annum Chriſti 1348 peſtis, quæ hactenus graſſata fuerat in Aſia, tandem venit in Europam; violentiſſima fuit, & totum mundum ſex annorum ſpatio pervaſit. Europam ita vaſtavit, ut nec tertia pars generis humani ſupereſſet. Florentiæ in Italia ad 60 millia hominum abſumta ſunt. Lubecæ in Saxonia nonaginta millia, ita ut 24 horarum ſpatio 1500 homines perirent. Jumenta in agris nemine cuſtodiente vagabantur, cum nemo in aliquot pagis ſupereſſet. In univerſum hæc peſtis 1244434 nudipedes Monachos abſumſit. *Chronic. Belg. & alii.*

XXXVI IMPER. GERM.

CAROLUS IV.

I. *Generatio.*

I. PATER ejus dictus fuit JOHANNES Rex Bohemiæ, filius Imp. *Henrici* VII, Lutzelburgenſis.

II. MATER fuit ELISABETHA Wenceſlai Bohemiæ Regis filia, nata ex JUTTA *Rudolphi* Habſpurg Imp. filia. Ex hiſce parentibus *Carolus* in lucem editus eſt Pragæ A. C. 1316, die 14 Maii, hora prima dici.

Pater *Johannes* Rex in prælio, quod inter *Eduardum* Regem Angliæ, & *Philippum* Franciæ Regem A. C. 1346, die 26 Auguſti ad ſylvam Creſſiacam commiſſum eſt, ſagitta vulneratus occubuit: qui, (ut refert *Crantzius*) etſi eſſet cæcus, tamen pugnavit inter hoſtes. Cumque audiret fortunam ſuæ partis inclinare, ductorem ſuum interpellavit, ut ſe eo loci deduceret, ubi confertiſſimi hoſtes pugnarent: ibi fortiter prælians cecidit. In hoc conflictu periit flos nobilitatis Gallicæ. Juſſu Regis Angliæ, (teſte Froſſardo) numerata ſunt capita Gallorum, qui ſuccubuerant in prælio. Inventi igitur undecim Principes: 80 Barones: 1200 equites, & plus minus triginta millia militum. *Bohemi*, quod uterque Rex, & Ottocarus (qui à *Rudolpho* I Imper. prælio victus & trucidatus, ut ſupra diximus) & *Johannes*, die 26 Auguſti, die B. Ruſſi, ceciderint, eam diem atram habent. *Chron. Bohem.*

II. *Appellatio.*

In baptiſmo nomen *Wenceſlai* ei fuit datum; ſed quoniam in aula Regis Francorum *Caroli* fuit educatus, Rex ei in Confirmatione nomen ſuum impoſuit, Carolumque appellavit. Et quia ante ipſum tres hujus nominis Imperatores fuerunt, ipſe CAROLUS IV vocatus eſt.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. EDUCATIO.

ADoleſcens in Gallia educatus eſt apud *Carolum* Regem Francorum: ubi moribus Gallicis imbutus, deinceps multis in rebus leges inſtitutaque & conſuetudines regni Gallici, præſertim in extollendis & augendis civitatibus, quarum opes & robur didicerat eſſe opes & robur regni, inde in Germaniam tranſtulit. Prima etiam militiæ tirocinia in Gallia fecit: ſed quamprimum ætas cœpiſſet eſſe militaris, miſſus eſt à patre *Iohanne* in Italiam, ad præſidia, quæ occupatis urbibus impoſuerat, ubi fortiter pleraſque tutatus eſt. *Chronic. Carion.*

II. *ACTA OECONOMICA.*

Quatuor habuit conjuges.

PRIMA dicta fuit BLANCA, Comitiſſa Valeſiæ, filia *Caroli Valeſii*, ſoror *Philippi Valeſii*, qui poſt in Francia regnavit, quam *Carolus* Rex Francorum vix ſeptennem ei in aula verſanti deſpondit. Ex hac ipſi natæ ſunt duæ filiæ: 1. *Margareta*, *Ludovico* Hungariæ & Poloniæ regi: 2. *Eliſabetha*, *Iohanni* Galeacio Vicecomiti Mediolanenſi nupta.

SECUNDA fuit ANNA, (quam alii Agnetem vocant) filia *Rudolphi* Junioris Palatini ad Rhenum, quæ improlis deceſſit.

TERTIA quoque dicta fuit ANNA, filia Bulconis Ducis Suidnicenſis, quæ ad eum dotis loco Sileſiæ partem conterminam montibus Bohemicis attulit.

QUARTA fuit ELISABETHA, filia Bugiſlai ducis Stetinenſium, conſobrina *Ludovici* Regis Hungariæ, neptis *Caſimiri* Regis Poloniæ, quacum celebravit ſplendidiſſimas & magnificentiſſimas nuptias Cracoviæ, cohoneſtantibus publicos ac ſolennes ritus Regibus, Poloniæ Caſimiro, Hungariæ Ludovico, Daniæ Woldemaro, Cypri Petro. Anno C. 1363.

Ex hiſce duabus poſtremis plures ſuſtulit libros.

I. FILII.

I. WENCESLAUS, qui patri in Imperio ſucceſſit.

II. SIGISMUNDUS. Cui quinquenni puero Marchiam Brandeburgenſem Pater dedit. Et hic poſtea etiam Imperator factus eſt.

III. JOHANNES. Huic pater Gorlicium Luſatiæ, adjunctis aliquot vicinis urbibus, aſſignavit.

II. FILIÆ.

1. *Catharina*, *Rudolpho* quarto Auſtriæ Duci, 2. *Eliſabetha* fratri *Rudolphi Alberto* Duci, 3. *Margareta* Marchioni Brandeburgenſi, 4. *Anna Ottoni* Duci Bavariæ, 5. *Helena* regi Angliæ, collocatæ fuerunt. *Chron. Carion. Chronic. Caſp. Hedion. fol.* 588. *Pantaleon. Chronic. Saxon.*

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

1. A. C. 1346 Electores Imperii, Trevirenſis, Colonienſis, *Iohannes* Rex Bohemiæ, & Saxoniæ Dux, à Pontifice *Clemente* VI, infeſtiſſimo *Ludovici* Imper. hoſte exciti, & (ut Nauclerus ait) mercede conducti, convenerunt in villa Rens prope Trevirum ibique *Carolum* elegerunt, qui tum aberat in Gallia. Aquiſgranenſes ad ſolennem inaugurationem cum Electorum comitatu advenientem *Carolum* in urbem intromittere noluerunt: Quare Bonnæ tandem coronatus eſt menſe Novembri. Nihil tamen pro imperio egit, quamdiu *Ludovicus* vixit. Ejus enim magna adhuc fuit authoritas, & civitatum benevolentia erga eum tanta, ut *Carolus* nihil nec auderet, nec poſſet.

II. Anno ſequenti *Ludovico* defuncto Principes Imperii Francofurti Comitia egerunt: in quibus electionem priorem irritam declararunt, quod non debito loco, nempe Francofurti, electus eſſet; nec Aquiſgrani coronatus; nec aperte, ſed latenter; nec vacante Imperio; nec ſervato juris proceſſu; nulla cauſa urgente; non ob Reipubl. commodum, ſed ob privatam cupiditatem. Ideo elegerunt *Eduardum* Regem Angliæ, florentem gloria rerum geſtarum. Verum is metuens Pontificum rapacitatem, quam explere non poſſet, & inextricabiles moleſtias in Italia refractaria ſubeundas, contentus honorifica de ſe Principum opinione, dignitatem non accepit. Renovata itaque deliberatione conſenſerunt iidem Principes in *Fridericium* Landgravium Thuringiæ & Marchionem Miſniæ, qui viſus electioni conſentire. Sed *Carolus*, ſi renueret, obtulit ei honorarium decem millium marcarum argenti. *Fridericus* igitur, cum & alias metueret vaſtationem *Caroli*, ne ſuæ ditiones à Bohemis vaſtarentur, ſeſe Electoribus excuſavit. Sed tamen ne ita quidem *Carolus* admiſſus eſt. Electores enim GUNTHERUM Comitem Suartzburgenſem virum induſtrium & bellicoſum elegerunt Imperatorem, qui A. C. 1349, die 16 Februarii, Francofurtum venit, ubi publice Imperator proclamatus eſt. Sed *Carolus* non multo poſt ſubornavit medicum nomine *Freidancum*, pecunia corruptum, qui *Guntheri* leviter ægrotanti portiunculam attulit: quam Imperator ſuſpicatus eſt veneno eſſe mixtam, atque ita juſſit medicum dimidium ejus exhaurire; quod & fecit, & triduo poſt mortuus eſt. Imperator vero etſi magnam partem veneni vomitu ejecerat; reliquiis tamen ita enervatus fuit ac debilitatus, ut ad res gerendas evaſerit prorſus inhabilis. Deſperata itaque vita *Guntheri*, interpoſuerunt ſeſe *Rudolphus* Palatinus & *Ludovicus* Marchio Brandeburgenſis, quos arte à *Gunthero Carolus* avulſerat: remque eo deduxerunt, ut *Carolus*, pro imperio *Guntheri*, hæredibus numeraret 22 millia marc. argenti, in compenſationem impenſarum, additis duobus in Thuringia oppidis; & Francofurdienſibus redderet emporii ac publici mercatus jus, quod tranſtulerat Moguntiam. Tribus menſibus à tranſactione (ab electione vero ſex) peractis, *Guntherus* diem ſuum clauſit extremum, ac regio apparatu regioque monumento Francofurti in æde D. Bartholomæi ſepultus eſt. Atque ita *Carolus* imperio multis largitionibus & pecunia multa ſoluta tandem eſt potitus A. Chriſti 1350, & poſtea Italiam ingreſſus Mediolani A. C. 1354 corona ferrea inſignitus, annoque ſequenti die Paſchatos 5 Aprilis à Legato Pontificis *Innocentii* VI (qui in Galliis erat) aureo diademate redimitus eſt. *Trith. Cuſpinianus. Chronic. Carion. Blondus. Chronic. Funccii.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

1. *ACTA TOGATA.* Quæ ſunt duplicia: 1. *Bona.* 2. *Mala.*

1. Bona.

1. CAROLUS Imperator conventum egit Principum celeberrimum & frequentiſſimum in urbe Metenſi, in quo, re ſapienter & multum deliberata ac diſputata, cum præcipuis Ordinibus imperii, de contractis in unum atque digeſtis in ordinem inſtitutus ac moribus antiquis & recentibus ad Imperii decus ac majeſtatem, & ſingulorum pertinentibus, condidit legem Carolinam, *Aurea Bulla* nomine notam ac celebrem, comprehendentem leges rituſque ſervandos in electione Imperatoris, ac conſulentem atque caventem poteſtati, autho-

authoritati ac dignitati Ordinum omnium, ſuo ſingulis loco, pro ratione circumſtantiarum. Quod operum ejus præcipuum eſt, ingenteſque meretur laudes: quia res ipſa teſtatur, quantam hæc ordinatio utilitatem attulerit. Nam ea nixa erexit ſeſe viciſſim utcunque, atque communivit Majeſtas Imperii: hæc amputavit contentionum ac diſſenſionum occaſiones in electione, quarum fructum cum ipſe expertus eſſet, conſentaneum eſt voluiſſe cum hac conſtitutione amoliri & avertere: hæc ſingulis ceu metas ſuas circumdedit, & inter ſeſe Imperatorem & Principes ad eum modum devinxit, ut in Reipublicæ, patriæ, Imperatoris, vicinorum detrimentum aut perniciem nemini movere molitive quicquam impune liceret. Et hac ratione proſpectum eſt Imperio, quo minus inſidioſæ & clandeſtinæ conſpirationes Papæ cum Italis aut Gallis ſucceſſerint, qui à Germanis Imperii ἀξίωμα alio conati ſunt ſæpenumero transferre. Promulgatam hanc & ſancitam eſſe deinceps ferunt Noribergæ. De tempore conſentiunt omnes, qui fuit annus 1356, dies 10 Januarii, coronationis *Caroli* in urbe Roma annus primus: regnorum vero ejus 10. Librum illum *Aureæ Bullæ* his verbis deſcribit *Pilæus* Cardinalis, ut refert *Marqu. Freher. in not. ad P. de Andlo, lib. 2. cap. 5. in verb. Bulla.* Prædictus liber erat ſcriptus in Pergameno, in XXIV foliis, cum coopertura groſſa, in quo erant ſcripta diverſa negotia ſacrum Imperium & ejuſdem Electores tangentia: qui quidem liber transfixus erat cum filis ſericis glauci & rubei coloris involutis, cum bulla ſeu ſigillo aureo rotundo Imperiali appenſo, in cujus uno latere apparebat figura Imperialis in majeſtate ſedens, cum corona Imperiali in capite, habens in manu dextra ſceptrum, & in ſiniſtra manu pomum cum cruce deſuper, modo Imperiali, & à latere dextero clypeum cum Aquila, & ſiniſtro clypeum cum forma Leonis. In circumferentia vero legebantur hæc verba: CAROLUS QUARTUS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS, ET BOHEMIÆ REX. Ab alio vero latere, caſtrum magnum cum duabus turribus, habens portam inferius in medio, cum literis: AUREA ROMA. In circumferentia vero legebantur hæc verba: ROMA, CAPUT MUNDI, REGIT ORBIS FRENA ROTUNDI. Hæc ille.

II. *Carolus* IV. Imper. quemadmodum excelluit ingenio & doctrina, multarumque linguarum peritia: Ita etiam doctos in precio habuit, eorumque conſuetudine plurimum delectatus fuit. In ſcholam Pragenſem aliquando ingreſſus, cum diſputantes liberalium artium Magiſtros per horas quatuor audiviſſet, idque purpurati moleſte ferrent, ac cœnæ tempus adeſſe dicerent; Mihi, inquit, tempus eſt minime: nam cœna mea hæc eſt. Prætulit autem Imperator Philoſophicas diſputationes conviviis etiam delicatiſſimis. *Æneas Sylvius & Chronic. Philip. lib. 5.*

III. *Carolus* Juſtitiam ſevere adminiſtravit. Illo enim pro tribunali ſedente, ſacerdos quiſpiam utroque oculo à viro quodam nobili patrono ſuo privatus, propterea quod illum erroris in religione arguiſſet, injuriam querebatur ſuam. Non ibat inficias Zachora: id Nobili huic cognomen erat: ſed per animi impetum, quem tunc in poteſtate non habuiſſet, facinus admiſſum excuſabat, offerebatque pecuniam pro ſatisfactione, arbitrio judicum æſtimandam. Interpellavit dicentem *Carolus*, atque hanc tulit ſententiam: Non poſſe in hoc caſu ſatisfactionem abſque talione ſibi conſtare, quando cæco in integrum reſtitui oculi nequeant, ſed oportere Zachoram pariter atque Sacerdotem perdere oculos ſuos: neque enim aliter jus eſſe æquabile. *Johan. Dubravius.* Epiſc. Olmucenſis in *hiſtor. Bohem. lib. 22.*

IV. *Carolus* Imper. JOHANNI & ALBERTO Henetorum Principibus, nova dignitate ornatis, tribuit locum inter Duces Imperii. Hinc itaque Principes MEGALOBURGENSES Duces appellati ſunt, cum antea Vandalorum Domini dicerentur. *Chronic. Saxon.*

V. A. C. 1355, Magdeburgenſibus privilegia ab anteceſſoribus ſuis data confirmavit.

II. Acta Caroli Imper. mala.

Carolus Imperator ſex enormia admiſit delicta.

I. Quod nimis Italiæ & Pontifici privilegiis indulſerit. Nam anno C. 1354 Italiam, invitatus crebris multorum literis, inter quas exſtant *Franciſci* Petrarchæ, ad vindicandam urbis Romæ libertatem, & ſopienda bella, quibus tota paſſim flagrabat, adiit: ubi ſimiliter pleraque indulgendo & largiendo Principibus, multa ab Imperio venditionibus alienavit. Inde Romam progreſſus, poſtquam ibi conſecutus eſſet, ut ſolenni coronatione declararetur Imperator, hac peracta, non diu moratus in urbe, in Germaniam rediit. Subitanei reditus cauſas fuiſſe aiunt, & promiſſum factum ante coronationem Cardinalibus, *Innocentii* VI Papæ mandato, quo recepit, ſe mox urbe ceſſurum, non turbata aut impedita poſſeſſione tyrannidis, quam illi timebant, & metum inquietæ plebis, longis ſeditionibus efferatæ. *Chron. Carion.*

II. Quod Abbatibus parem Principibus in Imperio attribuerit locum.

III. Quod Delphinatum, qui pars erat Imperii, Galliæ regi vendiderit; eo tamen pacto, ut maximus natu Galliæ regis filius eum teneret, & feudum à Cæsare atque Imperio acciperet. *Cosmograph. Munst.*

IV. Quod Silesia, Lusatia, & aliis regionibus Bohemiæ adjunctis, Imperium labefactaverit. *Henricus Mutius. Dresserus.*

V. Quod filium suum *Wenceslaum*, minime ad imperium gerendum aptum, successorem Imperio obtruserit, promissis unicuique Electorum 100000 flor. pro consensu.

VI. Cum pecuniam pro electione *Wenceslai* F. promissam solvere non posset, quod Electoribus publica Imperii vectigalia oppignoraverit, sedecim Sueviæ urbes vicinis Principibus vendiderit, & ita plurimum de patrimonio Imperii detraxerit: unde imperium fere in nihilum redactum est, nec caput iterum attollere potuit. *Cosmogr. fol.* 305, 336. *Æneas Sylv. & alii.*

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Carolus* Imp. bellum suscepit adversus *Guntherum* Comitem Suartzburgensem ab Electoribus Francofurti Imper. electum, non ausus tamen Francofurtum oppugnare. *Chron. Hedion. Chron. Spangenb.*

II. Castrum Elsterbergam, quod 13 milliaribus distat ab Erfordio, demolitus est.

III. Reussum Plavensem bello aggressus est, eique arces quasdam vi eripuit. *Chron. Spangenb.*

IV. Eslinganos per *Eberhardum* Wittenbergicum domitos 7000 florenis mulctavit. *Chron. Hedion. Crusius part. 3. fol.* 286.

V. Anglos fugitivos, qui ingentem prædam ex Alsatia egerant, persecutus est.

VI. *Eberhardum* Comitem Wirtenbergicum, (cujus opera antea contra Eslinganos usus fuerat) seditiones quasdam molientem, bello persecutus est, eique multas civitates & arces, auxilio quorundam civitatum Sueviæ, & *Ruperti* Ducis Bavariæ, (qui postea ad imperialem dignitatem evectus est) eripuit, & tandem imperata facere coëgit. *Mutius lib. 25. fol.* 283, 284. *Crusius fol.* 267.

VII. In Italia à Florentinis 100000 coronatos accepit, & Gibellinos exulantes reduxit, A.C. 1354. *Volaterranus, & alii.*

VIII. A.C. 1368, rogatu Pontificis, alteram expeditionem in Italiam suscepisse, Lucanos & Miniatas vicisse, *Blondus*, *Platina*, & alii testantur.

IX. A.C. 1373, *Ottoni Bavaro* Marchiam ademit, eamque armata manu occupatam filio suo *Sigismundo*, qui postea Imp. factus est, dedit. *Chron. Spangenb.*

X. Tigurinos frustra obsedit. *Mutius fol.* 280. *Cosmograph. fol.* 448.

XI. *Carolus* Imper. difficile bellum gessit contra *Philippum* Ducem Austriæ. Et cum aliquando agmina ad prælium educerentur, vidit Imperator longe hostem superare multitudine suas copias. Quare rem astu aggressus est, memor præcepti illius: Assuendam esse pellem vulpinam, ubi leonina desit. Tres enim agminum ductores ex Ducis *Philippi* exercitu clam per amicos ad se evocatos magnis muneribus promissis impulit, ut Duci Austriaco, qua possent arte, timorem injicerent, eumque ad fugam capessendam hortarentur. Accipiunt illi conditionem, & in castra sua reversi apud Ducem suum simulant, se clam hostium castra obiisse, eorumque copias explorasse, quas triplo majores suis copiis esse offendissent: quod si prælio decernendum sit, sibi omnibus, inquiunt, internecinam cladem imminere. Dux, perfidiæ eorum ignarus, Si nullam, inquit, in nostris armis spem habetis, nec alia, nisi quam fuga monstrat, nobis salutis sese exhibet ratio; agite, fugæ occationem, quæ se commodissima offert, arripiamus, aliamque belli feliciorem fortunam exspectemus. Nec enim dedecorosa judicari poterit fuga, qua longe potentiori cedimus. Ergo collectis armis noctu *Philippus* fugit, nemine persequente, & in sua se securus recipit. Brevi tamen post, hoc bellum intercessione duorum Episcoporum compositum est, & *Philippus* sub certis conditionibus cum Imperatore in gratiam rediit. Cum vero tres illi proditores promissa munera ab Imperatore peterent, proviserat Imper. adulterinam aureorum monetam, quæ in valore vicesimam non haberet; eam jussit numerari. Quibus illi acceptis, nec fuco intellecto, læti discessere. Et jam expendere conati, deceptos se esse animadvertunt. Reversi itaque ad Imperatorem, quæstorem & monetarium, quorum fraude monetam accepissent adulterinam, incusant. Quos Imperator aversatus, vultu ad gravem indignationem composito: Apagite, inquit, hinc proditores sceleratissimi, merita proditionis, nisi statim ex oculis evanescatis, accepturi præmia. Nec enim alio auro quam adulterino vestra digna est perfidia. Quibus verbis confusi proditores, ex omnium oculis in latibula abierunt. *Albert. Crantz. lib. 9. cap.* 37. *H. Mutius fol.* 285. *Ziglerus.*

AXIOMA.

Principibus & Regibus proditio quidem grata, ſed proditores exoſi eſſe ſolent.

I. Elegans exemplum hoc loco habemus in *Carolo IV* Imp.

II. Cum in convivio Rhymitacles Thracum Rex, qui ab Antonio ad AUGUSTUM defecerat, inſolentius jactaret ſua erga Cæſarem merita, ac, ſine fine exprobrans belli ſocietatem, moleſtus eſſet: Cæſar, diſſimulata illius petulantia, alteri cuidam Regum propinans dixit: *Proditionem amo, proditores non laudo. Vid. Hiſtoriam Auguſtanam.*

III. Hoc quoque, ſed adjuncta crudelitate, imitatus eſt Imperator SEVERUS. Scribit enim de eo *Herodianus lib.* 3, quod multos Duces *Nigri*, æmuli Imperii, per filios ad prodendas ejus res impulerit: deinde poſtquam eorum opera abuſus eſſet, ſuaque ex ſententia compoſuiſſet; ipſos, liberoſque necaverit.

IV. Sic *Maximinus* Imp. Macedonio, qui Tycum æmulum Imperii occiderat, primo gratias egit; poſtea ut proditorem odio habuit & occidit *Herodian. & Iul. Capitolin.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. A. C. 1360 *Academia Pragenſis* à *Carolo IV* Imp. conſtituta eſt, (quam *Innocentius VI* Papa confirmavit) & Epiſcopus Pragenſis exaltatus in Archiepiſcopum, ne ſubeſſet Moguntino. Caſtrum etiam Angelheim mutavit in Cœnobium, ita ut Bohemi in id tantum reciperentur. Impetravit etiam à Pontifice, ut FESTUM lanceæ & clavorum Chriſti inſtitueretur, quotannis celebrandum, feria ſexta poſt Dominicam Quaſimodo geniti. *Trithem.*

II. Anno Chriſti 1350 JUBILÆUS *ſecundus* à *Clemente VI* Pontifice celebratus. Hic namque cum locupletiſſimum hujus piſcaturæ proventum ſentiret, Jubilæi tempus à centeſimo anno ad quinquageſimum traduxit, prætendens, quod ætas hominum tanta non eſſet, ut centeſimum annum attingeret. In hoc autem Jubilæo ſingulis diebus ad 5000 peregrinorum Romam veniſſe, & Roma diſceſſiſſe, tradunt hiſtorici *Platina* & *Trith.* In *Bullis*, quibus Jubilæum indixit, revera Antichriſtum ſe oſtentavit, qui idem habeat Conſiſtorium cum DEO, & idem tribunal cum Chriſto, ſicut Canoniſtæ de Pontifice Romano gloriantur. Nam magnifice promiſit, quaſi vitæ neciſque Dominus eſſet, ſe nullo modo commiſſurum, ut quiſquam peregrinans Romam pereat, & SS. Angelis in cœlo præcepit, ut ejus (peregrinantis) animam à Purgatorio penitus abſolutam confeſtim in cœlum transferant. Dedit etiam poteſtatem illis, qui peregre Romam Jubilæi gratia venerant, ut ſinguli tres vel quatuor animas, quas vellent, ſeligerent: eas enim protinus propter ſuas indulgentias & eorum meritum in cœlum ſubvolaturas. Quæ craſſiſſima Paradoxa tum temporis *Facultas Theologica Pariſienſis* publico ſcripto erroris & impietatis damnavit, ſicut *Veſelus* & *Agrippa* tradunt. Multi homines, pro remiſſione peccatorum impetranda, hac vice ſe Romam contulerunt, qui mortem corporis reportarunt, cum vix decem ex millenis reverterentur. Adeo peſtis graſſabatur. *Platin. Trithem.*

Hoc autem Jubilæum poſtea motus graviſſimi in Regno Antichriſti ſunt ſequuti. Nam anno Chriſti 1369 *Johannes Wiclefus* Anglus multa contra receptas ſeculi ſui opiniones ſcripſit, & Papatum falſitatis arguit: Ideo poſtea anno Chriſti 1375, tanquam hæreſiarcha, condemnatus in Academia Oxonienſi. Ex hujus perſecutione, qua diſcipuli ejus Anglia pellebantur, cum libri ejus in Bohemiam venirent, *Johannes Huſs* inde edoceretur aliquo modo de veritate Chriſtianæ religionis.

Anno Chriſti 1377 tota Italia à Papa deficit, ſed ipſe *Gregorius XI*, (qui *Urbano V* anno Chriſti 1370 ſucceſſerat) hortatu Catharinæ Senenſis, (quæ poſtea adoranda fuit) & Baldi Perufini, Præceptoris ſui, cum XXII triremibus Avenione ſolvens Romam redit, eamque 13 Januarii ingreditur, cum ſedes Pontificia in Galliis (quo à *Clemente V* tranſlata) annis fere 72 fuiſſet. Anno 1378 *Gregorius XI* moritur, & in locum ejus à Cardinalibus (præſertim Italis) eligitur *Urbanus VI*, 9 April. & 18 ejuſdem menſis coronatur. Galli vero, cum ſe à plebe coactos eſſe dicerent, ut Pontificem crearent, & infenſi eſſent novo Pontifici, Fundos abeunt, ibique creant Papam *Robertum* Gebennenſem, qui *Clemens VII* appellatus eſt. Et hic Avenione Galliarum, ſedem ſuam Papalem more Anteceſſorum habuit. Unde ingens ſchiſma (idque XXVII) eſt ortum, & quidem omnium graviſſimum, duravitque annis XL. Itali Germani, & Angli *Urbanum* ſequuti ſunt: Galli & Scoti Clementem prætulerunt: Hiſpani neutrum probarunt. Et *Sedes Papalis* biceps Romæ, & Avenione, per XXX annos fuit.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

Carolus IV. Imp. A. C. 1378 Pragæ Bohemorum, cum plurimum id regnum amplificiſſet, mortuus eſt in Vigilia S. Andreæ, hora quaſi ſecunda noctis, cum imperaſſet an. 32. Poſt ſolennes exſequias Pragæ habitas die 16 à morte ipſius, ſepultus eſt in templo Pragenſi. *Naucl. Cuſp. Aventin. Mechov. Chron. manuſcript.*

Symbolum Caroli IV. Imp.

OPTIMUM ALIENA INSANIA FRUI.

Qui ſapit alterius damno, ſapientior ille:
Nam ſtultus damno vix ſapit inde ſuo.

Carolus IV Imper. admonitus à principibus Imperii, ut expeditionem ſuſciperet in Turcas: reſpondit, Poſſe quidem ſe copias in eos ducere: verum quam non fieri hoc poſſit citra maximam Chriſtiani ſanguinis effuſionem, ſatis ex avorum hiſtoriis ſe compertum habere. Proinde *optimum eſt*, (inquit) *aliena inſania frui.*

Res memorabiles.

I. Imperante *Carolo* peſtis cujus in hiſtor. *Ludovici* Imper. mentionem fecimus, adhuc atrociter graſſata eſt. Sunt qui tertiam partem hominum (alii dimidiam) extinctam eſſe affirmant. In Cœnobio quodam (*teſte Spangenbergio*) inventus catalogus monachorum Carthuſianorum hac peſte extinctorum, 124434.

II. A. C. 1374 menſe Julio, factio plebis congregata fuit virorum & mulierum, choreas agentium, quorum ventres interdum adeo intumuerunt, ut periculum eſſet ne diſrumperentur, quapropter & mappa fortiſſime ligabantur. Pervagata eſt fere totum Belgium per quadriennium. Contra in ſuperiori Germania manica paſſio quædam homines invaſit, ita ut ſaltarent, tam viri, quam fœminæ. Cadebant primum in terram, ſpumabantque; inde ſurgentes quaſi mentis inopes ſaltabant, donec vires deficerent. Medicina unica fuit, ut à ſuis fortiſſime funibus conſtringerentur manus pedeſque. Morbus fuit appellatus Der Veits-tanz.

III. A. C. 1377 die 20 Julii, hora tertia poſt ortum Solis, ULMÆ fundamenta templi jacta, quo nec longius, nec latius, nec etiam altius invenitur in tota Germania, ſed abſoluta tandem poſt annos centum & undecim. *Annal. Suev.*

XXXVII IMPER. GERM.

WENCESLAUS.

CAPUT I.

DE ORTV.

I. *Generatio.*

I. PATER fuit CAROLUS IV. Imp.

II. MATER dicta fuit ANNA, filia *Bulconis* Ducis Suidnicenſis. Natus eſt *Wenceſlaus* A. C. 1361, die 28 Septembris, Noribergæ. Ea enim urbe delectatum ferunt *Carolum*: quod monumenta oſtendunt, inter quæ præcipuum eſt urbs ipſa à *Carolo* reſtituta in tranquillum, ex ſeditionibus longis, quibus pene funditus fuit perdita. Mater ejus in puerperio mortua eſt. *Dubrav. Chron. Carion.*

II. *Appellatio.*

Dictis fuit *monſtrum hominis, Sardanapalus, Margites, Therſites, aſinus ad lyram, porcus ſpurcus*: quia cum baptizaretur, aquam baptiſmi, & cum bimus jam cingeretur diademate regio, aram cœno ſuo conſpurcavit; & dum aqua adhibenda baptiſmo calefit, Paſtoralem Domum ad *D. Sebaldum* incendio periiſſe fama eſt. Quod ſapientes ita ſunt interpretati, futurum eum ſtolidum, ignavum, voluptuarium, ſordidum, luxurioſum, Imperio dedecori & exitio. *Chron. Carion. Chron. Hedion. Dreſſerus.*

NOTA.

Duo Imperatores baptiſinum ſtercore fœdarunt: Unus in Oriente, nempe *Conſtantinus Copronymus*; alter vero in Occidente, nempe prædictus *Wenceſlaus.*

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. *ACTA OECONOMICA.*

DUas *Wenceſlaus* habuit Uxores.

PRIOR fuit JOHANNA, filia *Alberti* Ducis Bavariæ, Comitis Hollandiæ, Hannoniæ & Selandiæ, quæ ſexto anno poſt nuptias obiit, conſumta dolore propter mariti flagitioſos ac perditos mores.

POSTERIOR dicta fuit SOPHIA, *Johannis* Ducis Bavariæ inferioris filia, quæ forma egregia & ſingulari prudentia prædita fuit, & A. C. 1428 in Hungaria improlis deceſſit, ibidemque in templo S. Martini ſepulta eſt. *Chronic. Carion. Chron. Pomarii.*

II. *ACTA*

II. ACTA POLITICA.

I. *Imperii occupatio.*

A. C. 1376, biennio ante obitum patris, annos natus 15 deſignatus Romanorum Imperator, coëmtis multo pretio, (ut antea diximus) imo pene extortis, non liberis ſuffragiis. Sexto ab electione die Aquisgrani coronatus eſt. *Chron. Carion. Æneas Sylv. & alii.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

Wenceſlaus plane monſtrum hominis fuit, qui plurimis, iiſque graviſſimis vitiis atque flagitiis laboravit.

Nam 1. fuit *Ignavus*. Nam adminiſtrationem & curam regni paterni & Imperii, tanquam ad ſe non pertineret, ita neglexit, ut latrociniis infeſta redderentur itinera, & graſſatoribus impleretur Bohemia; paſſim vero in civitatibus ſeditiones exorirentur, inſurgente adverſus Magiſtratum inſana plebe. Unde *Franciſcus Petrarcha* ridicule in hunc modum de eo ſcribit: *Wenceſlaus*, inquit, *Caroli* filius, vivente patre electus eſt Imp. & adhuc regnat. Hic juvenis robuſtus venator, quid acturus ſit ignoro; tamen minatur ſe venturum ad Italiam, ſed non venias, precamur te, ſi non vincis laude patrem tuum; quanquam aliud de te ſperamus. Nam præſentia primi Cæſaris Julii vix ſufficeret ad compeſcenda mala, quibus miſera laceſſitur Italia temporibus tuis. Sic Imperium orbis cœlum verſat, ut illud, quondam potens ac venerandum gentibus & Regibus Romanum Imperium, præfiguratum in tibiis ferreis, cui nihil olim defuit, niſi modicum Orientis, nunc (proh dolor!) nil poſſidet, niſi modicum Occidentis.

II. *Voluptuoſus & crudelis* fuit. *Wenceſlaus* plane Imperii cura neglecta nihil aliud egit, quam ut volutaret ſe porcorum ritu in cœno vitæ flagitioſiſſimæ. Et turpitudini addidit crudelitatem, ut metum injiceret iis, quos ipſe metuebat, & amoliretur inſidias, quas ſtrui ſibi initio ſuſpicatus, deinde re ipſa expertus eſt. Nec ſatis illi fuit ſupplicio affeciſſe, quos metuebat, ſed ſua manu vel ad menſam jugulavit multos, quaſi per ludum & jocum, præſidium ratus Principi firmius barbarorum ſtipatorum, quam benevolentiam civium. *Chronic. Carion.*

III. *Temerarius* fuit. Nam 1. abſque conſenſu Principum Electorum Genuam Regi Franciæ vendidit.

2. *Johannem Galeacium* Vice-Comitem Mediolanenſem novo honoris titulo cohoneſtavit, & primum Mediolani Ducem, ſceptro pileoque, ejus dignitatis inſignibus, per legatos transmiſſis, appellavit, urbe ditioneque 100000 fl. vendita, in fraudem ac detrimentum Imperii, additaque poteſtate, ut in hæredes transferre poſſet; cum ante *Johannem* vicarios præſides egiſſent majores ejus, beneficio Imperatorum; quibus eam dignitatem & adminiſtrationem tribuere, quibus vellent, liberum erat. *Arniſ. de jur. Majeſt. lib. 1. c. 5.*

1. Noribergentibus immunitates quaſdam quatuor plauſtris vini Rhenani vendidit. Quare Hiſtorici fide digni annotant, *Wenceſlaum* ejuſque patrem *Carolum* totum Imperium vendituros fuiſſe, ſi emtores habuiſſent.

4. Præterea membranas perplures nudas raſaſque, ſuæ tamen Majeſtatis ſigillo munitas amicis pecunia vendidit: in quibus cum illis, tum aliis, in quorum manus iſtiuſmodi membranæ venerunt, ſub regio ſigillo, quod ſcribere vellent, licuit. Qua ex re, ob ſacri Romani Imperii jurium & emolumentorum damnoſam diminutionem, & diſſipationem, graves querelæ ſubortæ ſunt.

IV. *Wenceſlaus Magicis quoque artibus delectatus fuit.* De quo Dubravius Epiſcopus Olmucenſis in *hiſt. Bohem. l. 23.* ita ſcribit: Cum *Wenceſlaus* (inquit) filiam Ducis Bavariæ Sophiam uxorem duxiſſet: novus ſocer, ubi generum ludicris ſpectaculis & magicis præſtigiis delectari cognovit, plenum præſtigiatorum plauſtrum ſecum Pragam advexit. Ibi dum præſtantiſſimus artificum ludibria artis ad permulcendos oculos explicat: adeſt inter ſpectatores *Zyto*, *Wenceſlai* magus, ore uſque ad aures dehiſcente, accedenſque propius artificem illum Palatini, cum omni apparatu ſubito devorat, ſolos duntaxat calceos, quia luto obliti videbantur, exſpuens, ſeceſſumque inde petens, ventrem inſolita eſca gravem, in dolium aqua plenum exonerat, præſtigiatoremque adhuc madidum præſtigiatoribus reſtituit, paſſim deridendum, adeo ut cæteri ejus quoque ſocii à ludo deſiſterent. Et paulo poſt, ubi alias multas ludificationes & præſtigias ejus recenſuit, ita concludit: Cæterum *Zyto* impoſtor, ad extremum à cacodæmone, ſuperſtes, cum corpore & anima de medio hominum ſublatus fuit, injecitque *Wenceſlao* curam de religioſis deinceps ac magis ſeriis rebus cogitandi.

Cum igitur *Wenceſlaus* non ſolum totus in obſcœnis ac turpibus crapularum, helluationum & libidinum voluptatibus volutabatur, ſed etiam tyrannice cum plurimis agebat, Pragenſes & proceres regni eum aliquoties captivum habuerunt, & primum quidem eum carcere publico & tetro detinuerunt 4 menſibus: tandem vix multis Regum ac Prin-

cipum interceſſionibus impetravit, ut ſemel ei ad ſqualorem & ſordes corporis abluendas balneum ingredi concederetur: ex quo opera balneatricis nudæ ipſe nudus evaſit, & in arcem ſuam penetravit. Sed nihilo melior factus, poſtea iterum captus. Sed & hac vice elapſus. Tandem à *Sigiſmundo* fratre per *Albertum* Auſtriæ Ducem captus, clam Viennam Auſtriæ deductus eſt, omnibus fere ignorantibus ubi eſſet: ibi etiam evaſit, adjutus opera & conſilio piſcatoris cujuſdam, & Pragam habitu mendici reverſus regnum recuperavit: quo recepto, nihilo melior, aut mitior, aut excitatior factus, quod uſus ejus in gubernatione nullus eſſet: quare Electores Imperii A. C. 1400 Francofurti convenerunt, illumque ab Imperio unanimi conſenſu removerunt: quod quidem recuperare conatus eſt, ſed fruſtra. *Chron. Carion. Dubrav. Trithem.*

ACTA ECCLESIASTICA.

1. Sub *Wenceſlao* tertius jubilæus à *Bonifacio IX* Papa habitus eſt. Hic Jubilæus ab *Urbano VI*, qui in ſella Apoſtolica Romæ ſedebat, indictus eſt poſtremo Pontificatus ſui anno. Nam A. C. 1389, 11 Aprilis, promulgata Bulla indixit, ut annus quivis XXXIII (qui eſt annorum Chriſti numerus) jubilæus celebraretur, ut vult *Jod. Lorich.* in Lex. anno 1609 Friburgi Briſgoiæ impreſſo p. 1220. contra vero alii volunt, quod jubilæum reduxerit ad annum 30, ſecundum ætatem Chriſti, qui triginta annorum baptizatus prædicare incepit; ut hac ratione annus ſequens 1390 eſſet jubilæus. Verum morte præventus, illum non vidit: ſicque *Bonifacio IX* ſucceſſori demetendum feracem hunc agrum reliquit. Vide Theodorum à *Niem. lib. 1. cap. 68, & 69.*

Hic ergo *Bonifacius IX*, antea *Petrus Tomacellus* dictus, adeo felix (ſcilicet) fuit, ut argentariam meſſem in binis jubilæis bis faceret. Statim namque ſententiam *Urbani* de jubilæo quovis 30 anno celebrando mutavit, ut anno 1400 iterum celebraretur. Cum autem anno prædicto (1390) jubilæum celebraſſet, ſed meſſem argenteam, non ita divitem, ut ſperarat, feciſſet: Ideo anno 1391 civitati *Colonienſi* concedit poteſtatem diſtribuendi *Indulgentias*, & ſequenti anno eandem poteſtatem concedit etiam *Magdeburgenſibus*; hac tamen conditione, ut theſaurarius Pontificis ſemper adeſſet: Unde & literis Indulgentiarum ſemper addebatur, eas ratas fore porrigentibus Eccleſiæ Romanæ manus adjutrices. *Chron. Belgic.*

11. Idem *Bonifacius* anno 1400 ſecunda vice annum jubilæum per Bullas papales indixit & celebravit, (fuit jubilæus quartus) in quo ab innumerabili hominum multitudine Romam confluente incredibilem quæſtum fecit. Hujus *Bonifacii* rapinam & rapacitatem non tantum *Platina*, ſed & *Crantzius*, uterque Pontificius, & quidem hic in *Metropolit. lib. 11. cap. 10. & 12.* graphicis verbis depingit. Crebræ, inquit, ſub Pontificatu illius fiebant indulgentiarum collationes, uſque ad faſtidium cordatorum virorum, gratias & indulgentias fecit inauditas, & quam facile dedit, tam facile revocavit, fabulas excitans in orbe Chriſtiano, quod auro expleri non poſſet.

111. Imperatore *Wenceſlao* LITHUANI Chriſtianiſmum induerunt, gentilium idololatria depoſita, & *Vladiſlaus* Rex in Vilna inſtituit Eccleſiam Cathedralem & Epiſcopatum. *Mechov.*

CAPUT III.

DE EGRESSV.

Wenceſlaus ab Imperio depoſitus, reliquum ætatis exegit in regno ſuo (Bohemia) iis moribus, quibus conſueverat. Interiit correptus apoplexia ex conſternatione & excandeſcentia, cum prandenti nunciatum eſſet, Huſſitas cum aſſeclis ſuis Pragæ ſeditionem moviſſe, & obtruncato Senatu ad arcem etiam accurrere, & prægustator ſe illius rei non ignarum eſſe oſtendiſſet. Factum anno C. 1418, an. ætat. 57, cum poſt patrem regnaſſet annos 41 in Bohemia, 22 in Imperio. *Chron. Carion. Æneas Sylv. Crantz. Coſmograph.*

Res memorabiles.

Sub Imperio *Wenceſlai*, circa annum fere Chriſti 1380, BOMBARDÆ ad hominum perniciem inventæ ſunt & excogitatæ à *Bertholdo* Nigro, Chymiſta, & ut quidam volunt, Monacho natione Germano: de quo ſic *Polydorus Virgilius de invent. l. 2. cap. 11.* Fertur *Bertholdus*, homo ad exitium humanum natus, ſervaſſe aliquando domi in mortario pulverem ſulphureum, cujuſdam medicinæ faciendæ cauſa, illudque texiſſe lapide, ac inde contigiſſe, ut dum ignem ex ſilice prope excuteret, ſcintilla intro ceciderit, ſubitoque flamma eruperit, atque lapidem in altum tulerit; & ille ejus rei caſu doctus, poſtea facta ferrea fiſtula, & pulvere confecto machinam reperiſſe, ac ejus uſum Venetis in illo bello primum oſtendiſſe, quod ad foſſam Clodiam eſt cum Genuenſibus geſtum, qui fuit annus ſalutis humanæ 1380. In inventorem tale exſtat Epigramma:

Dum parat humano generi chymiſta medelam,
Sulphura Mulciberis dum ſale miſta coquit:

Mul-

Mulciber oſtendit mortalibus acre venenum,
Quo nullum letho corpora plura dedit.
Qua latuere alios, Munſterus nomina ponit,
Bertholdumque vocat nomine, reque Nigrum.

II. Anno 1386 maxima vini copia annotatur, adeo ut vehes vini venderetur unico floreno. *Trith.*

III. A. C. 1390 NOVI ORBIS pars Borealis, quæ maxime verſus Europam, Groenlandiam, Iſlandiam & Friſlandiam Inſulas extenditur, & ESTOTILANDIA nominatur, à quibuſdam Friſlandiæ piſcatoribus, tempeſtate ad hujus littora appulſis, inventa eſt. Olim quidem etiam cognita fuit, ſed oblivioni tradita, atque hoc anno iterum coli cœpit. *Abr. Ortel. in Theatr. Orbis.*

IV. A. C. 1393, die 28 Januarii, quinque nobiles Lutetiæ ſtupa pice illita veſtiti, ut Sylveſtres homines vel Satyri viderentur, media nocte *choreas agunt*, aſſumuntque in hanc ſocietatem Regem, eodem modo veſtitum; quibus *Aurelianus* Patruus regis joci cauſa facem admovet, ſed hoc modo quatuor nobiles plane ſunt cremati, Rex vix ſervari potuit. Nomina eorum in Annalibus exſtant. Factum in ædibus reginæ, in ſuburbana *D. Marcelli*. *Annal. Eland.*

V. Cum *Bajazetes* Turcorum Imperator (contra quem *Sigiſmundus*, antequam ad imperium pervenit, etiam bella geſſit; de quo in ejus hiſtoria dicendum) omnia crudeliſſime vaſtaret, urbem Conſtantinopolim obſidione cingeret, & præ oculis hominum nullum auxilium vel liberatio adeſſet, DEUS contra eum excitavit Tamerlanem regem Tartarorum, qui infinita armatorum multitudine in regionem ejus irruit A. C. 1398, & multa loca vaſtavit. Initio *Bajazetes* filium ſuum cum magno exercitu ei obviam miſit in regionem Cappadociam: ibi pugnam inſtruxerunt, ſed Turci victi ſunt, & filius *Bajazetis* à Tartaris captus, ſtatimque morti traditus eſt. Ceteri milites etiam plerique interfecti ſunt. Quare *Bajazetes* obſidionem ſolvit, & ipſe aſſumtis omnibus copiis, Tamerlani obviam in Aſiam profectus eſt. Habuit in exercitu 300000 equitum, & 200000 peditum. Caſtra metatus eſt eo in loco, ubi olim Pompeius Magnus Mithridatem vicerat, nempe ad Stellam montem in Galatiæ Bithyniæque confinibus. Hoc loco atrox prælium commiſſum eſt, in quo ex utraque parte plus quam 300000 hominum ceciderunt; *Bajazetes* ipſe captus, & ad Tamerlanem deductus, humaniter initio habitus eſt. Dum vero animum victoris acerbiorem reddit, reſponſione inſolentiore, qua dixit, Se, ſi Tamerlanem ita cepiſſet, cavea ferrea incluſurum; ipſe aureis compedibus vinctus caveæ includitur, quem ita Tamerlanes per Aſiam in ſpectaculum ſecum circumduxit, eoque, quoties equum adſcendit, proſcabello uſus eſt. Qualis inſolentia etiam legitur de *Sapore* Rege Perſarum, qui ſimili modo *Valerianum* Imp. Roman. tractavit. Cum autem aliquando deprecatio fieret, ut Tamerlanes excellentiæ illius vellet parcere, reſpondit: Non punio eum ut Regem clarum, ſed ſicut tyrannicum latronem. *Bajazetes* ita in hac miſeria mortuus eſt. Nam in cavea habitus, cum Tamerlani, quoties equum conſcenderet, ſcabelli loco fuiſſet, & vinctis poſt tergum manibus, oſſa & micas cum canibus ſub menſa Tamerlanis vorantibus roſiſſet: uxori etiam contumeliæ innumeræ illatæ eſſent, quæ fere ſeminuda aliis miniſtrare coacta. Ille non amplius ferens ignominiam & miſerias, ac omni ſpe libertatis à Tamerlane impetrandæ amiſſa, mœrore ad deſperationem veluti adactus, mortem ſibimet ipſi conſcivit, & caput caveæ ferreæ, qua tenebatur incluſus, tamdiu alliſit, donec perfracto cerebro fremens ac frendens exſpiraret, anno captivitatis quarto. TAMERLANES iſte humili genere ortus, adeo excelluit inter ſuos mentis vi & agilitate, ut mille ducentos equites in aula ſua aleret, & brevi temporis ſpatio multarum gentium Dux fieret. Nam feliciſſimo rerum ſucceſſu Mediam & Scythiam Perſiamque, rege earum trucidato, armis ſubegit: Meſopotamiam invaſit & Armeniam, tranſitoque Euphrate cum 400000 equitum, & 600000 peditum, minorem Aſiam obtrivit. In obſidionibus urbium, prima die albo tentorio uſus: ſecunda rubeo: tertia nigro. Qui ſe dedebant in albo ſedenti, ſalutem conſequebantur: Rubeus color moriendum patribus familias indicabat: Niger civitatis excidium & omnia in cinerem convertenda. Interrogatus aliquando ab homine Genuenſi, qui ei familiaris erat, cur tanta crudelitate uteretur? commotus ac veluti furens, diſtorta facie ac ſpirantibus ignem oculis reſpondit; Tu me hominem eſſe arbitraris? falleris, ira DEI ego ſum, & orbis vaſtitas: caveto, ne poſthac mihi occurras, niſi velis interrogationis tuæ pœnas dare! Curriculum ejus non admodum fuit longum, ſed hoc brevi ſpatio tamen vim terroremque terrarum orbi magnum injecit. Obiit A. C. 1404, relictis duobus filiis, tanti imperii ſucceſſoribus, & tot regnorum & provinciarum hæredibus; qui, cum odiis & bello inteſtino digladiarentur, eadem facilitate tot regna amiſerunt, qua pater ea ſibi acquiſiverat, adque priores ſuos dominos redierunt: Et ut Tamerlanes terrori mortalibus fuit vivus; ita terroribus umbrarum & fremitibus horrendis ſepulcrum ejus circumſonuit. *Annal. Turcic. Laonicus. Æneas Sylvius.*

XXXVIII IMPER. GERM.
RUPERTUS Palatinus.

I. ORTUS.

RUPERTUS patre natus fuit RUPERTO, Duce Bavariæ & Palatino ad Rhenum, avo *Adolphi*, qui nepos erat *Rudolphi* fratris *Ludovici* Bavari: matre BEATRICE, filia *Friderici* Regis Siciliæ. *Chron. Carion.*

II. PROGRESSUS.

I. ACTA OECONOMICA.

Rupertus uxores habuit *duas*.

Ex *priore*, cujus nomen & familiam non annotant Hiſtorici, natum perhibent *Rupertum* cognomento *Fipam*, qui ſub *Sigiſmundi* ſignis cum *Johanne* Burgundiæ Duce à Turcis captus, poſt liberationem vitam exegit Ambergæ, ibique ἄπαις obiit.

Altera uxor dicta fuit ELISABETHA, filia *Friderici* Burggravii Noribergenſis, ex qua *quinque* ſuſcepit *filios*, & *tres filias*.

I. FILII *fuere ſequentes.*

I. FRIDERICUS, qui in pueritia deceſſit.

II. LUDOVICUS, cognom. CANIS, qui propagavit proſapiam Palatinorum ad Rhenum Electorum, uſque ad *Ottonem Henricum*.

III. JOHANNES. Ex illo natus Chriſtophorus, accerſitus ad regna Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ; cum quo ſtirps deſiit.

IV. STEPHANUS. Hic uxorem duxit *Annam*, filiam Comitis Veldentiæ. Ex qua duas diſtinctas ſtirpes produxit: ex filio *Friderico*, Simmerenſem ſeu Spanheimenſem: ex *Ludovico* Nigro, Bipontinam. Illa peperit *Fridericum* Palatinum, qui ante paucos annos, poſteritate *Ludovici Caci* in *Ottone Henrico*, poſt annos 148 à *Ruperti* morte, exſtincta, dignitatem & ornamenta Palatini ad Rhenum hæreditaria ſucceſſione adeptus eſt.

V. OTTO Mosbacenſes Principes genuit; ſed poſteritas in ipſius filiis defecit.

II. FILIÆ.

I. MARGARETA, *Carolo* Duci Lotharingiæ nupta.

II. ELISABETHA, *Friderico* Auſtriæ Duci collocata.

III. AGNES, *Adolpho* Clivenſi maritata. *Chron. Carion. Chron. Hedion. fol.* 604.

II. ACTA POLITICA.

I. *Imperii occupatio.*

Cum Electores Imperii *Wenceſlao* A.C. 1400 Francofurti Imperium abrogaſſent, in ejus locum elegerunt die 25 Maii *Fridericum* Ducem Brunſvicenſem, natum Magno Juniore & *Catharina* filia *Woldemari* Marchionis Brandeburgenſis, poſtremi ex ſtirpe Aſcania, Principem bellicoſum & prudentem. Hunc oderat Epiſcopus Moguntinus, & ipſi in alta pace in reditu à Comitiis inſidias poſuit prope Fritzlariam per Comitem Waldecenſem, qui eum trucidavit. Ex quo motus & tumultus magni in Imperio orti ſunt, & pervulgari etiam illud cœpit, quod Moguntiæ in limine baſilicæ cathedralis inventum eſt lapidi cuidam inciſum: *Moguntia ab antiquo nequam.* Electores vero eodem anno iterum convenerunt Bopardiæ, & unanimi conſenſu ſummam rerum detulerunt ad collegam ipſorum RUPERTUM Bavariæ Ducem, & Rheni *Palatinum*. Coronatus eſt anno ſequenti Coloniæ die 6 Januar., cum Aquiſgranenſes eum recipere nollent. *Peucer. lib.* 5. *H. Mutius lib.* 26. *fol.* 299. *Cuſpin. Trith.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

1. *ACTA TOGATA.*

Rupertus fuit Princeps ingenio acris, corpore parvus; ſed magnus animo, majeſtatis Imperii ac rerum publicarum perquam amans ac ſtudioſus, juſtorum patronus, malignorum ſeverus ultor, & magnum Chriſtiani Magiſtratus exemplum. Odia gliſcentia & ſimultates inter civitatem Vangionum & Epiſcopum compoſuit, & Appelcellanos cum *Abbate* S. Galli reconciliavit. *Chronic. Carion. Chron. Bernhard. fol.* 242.

2. *ACTA SAGATA.*

Rupertus bella nonniſi coactus geſſit. 1. Cum ab Aquiſgranenſibus ad coronationem non admiſſus eſſet, poſt coronationem Coloniæ factam illos publice proſcripſit, eiſque damnum intulit, donec res poſt ſex annos tandem compoſita eſt. 2. Marchionem Badenſem ad officium redegit. 3. Per Marchionem Miſniæ *Wilhelmum*, & Landgravium Thuringiæ *Fridericum*, bellum intulit *Wenceſlao*, (qui nolebat civitatibus Imperii juramentum ſibi factum remittere, ideo eædem civitates *Ruperto* jurare non poterant) eumque obſeſſa Praga ſe plane Imperio abdicare, & ordines Imperii juramento fidelitatis ſolvere coëgit. 4. Florentinorum & Pon-

Pontificis Romani literis assidue sollicitatus, ad Galeacii Vicecomitis Mediolanensis (qui tumultuabatur, regnumque affectabat) deprimendam potentiam, in Italiam venit *Rupertus* anno C. 1403. Et quidem Galeacii conatus nefarios comprimere summa nitebatur ope; sed obsistebat ei præsul Moguntinus, ut nihil efficere posset. Itaque cum Galeacio congressus, ab eo in agro Brixiano ad lacum Benacum non levi clade affectus, inque fugam conjectus est. Quare cum desertus & pene proditus fuisset ab iis, quibus maxime fidebat, & nec Florentinorum, nec Pontificis auxilia acciperet, re infecta in Germaniam rediit, omnemque Italiæ curam deposuit, quæ post intestinis malis gravius etiam labefactata fuit. Domi vero Rempublicam bene feliciterque gessit. 5. Bellum suscepit adversus *Iohannem* Episcopum Moguntinum, ut de eo pœnas latrocinii infidelitatisque sumeret; sed morte præventus illud perficere non potuit. *Chron. Hedion. Chron. Funccii. Trith. Cuspin. Platina. Palmerius. Peucerus. H. Mutius.*

III. EGRESSUS.

Rupertus Imp. Oppenhemii subito in morbum incidit, quo extinctus est A. C. 1410, 18 Maii, anno Imperii 9, mense 9. Sepultus Heidelbergæ (ubi ædem S. Spiritus fundavit, & ubere proventu dotavit) cum hoc vero elogio:

RUPERTUS *Dux Bavariæ, Comes Rheni Palatinus, Romanorum Rex, justus, pacis & religionis amator, dignus* DEO *visus, qui pro justitia pateretur, hujus sacræ ædis & collegii institutor, hic cum castissima conjuge* Elisabetha, *Norici montis Burggravia, quiescit, vita functus anno Christi* M. CCCC. X.

Cuspin. Peucerus lib. 5. Pantaleon.

XXXIX IMPER. GERM.
JODOCUS, Marchio Moraviæ.

I. ORTUS, sive *Imperii occupatio.*

FAtis functo *Ruperto*, seu ut alii volunt, abdicato *Wenceslao*, JODOCUM Marchionem Moraviæ, natum patre *Iohanne Henrico*, *Caroli* IV fratre, electum ferunt, non cunctis suffragiis; Palatinus enim & Saxo accedere recusarunt: sed à solis Episcopis & *Sigismundo* patruele, qui per legatum Burggravium Noribergensem suffragium tulit. Coronatus non est. *Peucer.*

II. PROGRESSUS, sive *Imperii administratio.*

JODOCUS, ut Æneas Sylvius habet, plane ad res gerendas ineptus fuit, neque edidit aliquid memorabile toto vitæ tempore. Exstat ejus constitutio, quæ est: *Quod status Imperii Imperatori ipsi resistere possint, si contra ordinationem Imperii fecerit, absque ullo crimine rebellionis & infidelitatis. Goldast.*

JODOCUS, cum mox ab electione *Wenceslaum* Bohemiæ Regem patruelem visitatum venisset, abduxit eum Rex in penitiorem ædium partem, atque in hunc modum allocutus est: Etsi scio, non esse è dignitate mea, quod Electores me regno abdicarunt: solatio tamen est, quod familia nostra hac dignitate non est privata. Ego te libens volensque successorem mihi datum accipio. Cumque *Iodocus* his verbis territus ad Regis genua procubuisset, ac sibi nihil imputandum diceret, quod earum rerum omnium ignarus esset; Pone metum, inquit. Nam neque Imperium invitus deposui; neque si retinere illud cupiam, jura sanguinis violare ausim. Bono itaque animo esto, Imperiumque tibi demandatum suscipe: mihi mea satis est Bohemia. Viribus, armis, opibus regni mei, tanquam tuis, ut libet, utere. Lætumque & magnis muneribus donatum nepotem à se dimisit. Quod sane in *Wenceslao* laudandum, cujus alias fere nullum factum laude dignum exstat, siquidem omnis generis vitiis (uti in historia *Wenceslai* diximus) contaminatus fuit.

III. EGRESSUS.

JODOCUS cum tantum sex mensibus Imperio præfuisset, diem suum obiit, & Brunnæ in Moravia sepultus est. *Peucer. Æneas Sylv.*

XL IMPERATOR GERM.
SIGISMUNDUS.

CAPUT I.
DE ORTU.

SIGISMUNDUS frater fuit *Wenceslai*, filius *Caroli* IV Imper. Mater ejus dicta fuit ELISABETHA, filia *Bugislai* Ducis Stetinensium. Ex hisce parentibus natus est *Sigismundus* A. C. 1368, die 28 Junii, eique pater, cum esset quinquennis, tradidit Marchiam Brandeburgensem: deinde Rex Hungariæ adhuc puer à *Ludovico* adoptatus propter generosæ indolis conspicua signa, quæ spem de illo eximiam concitabant, post Rex Bohemiæ factus & Imperator.

CAPUT II.
DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ,
Educatio & Mores.

SIGISMUNDUS egregia corporis forma animique dotibus præditus fuit. Nam mira in facie pulchritudo apparuit, in ſermone venuſtas conjuncta cum gravitate. Criſpos capillos & promiſſam aluit barbam. Ab incunte ætate in vera religione, artibuſque liberalibus diligenter informatus eſt, in quibus etiam multum profecit. Ingenio fuit excellenti, & animo magno atque heroico; omneſque ſui ſeculi Principes indolis præſtantia, pietate, ſapientia, induſtria, patientia laborum, munificentia, candore, aliiſque egregiis virtutibus ſuperavit.

II. *ACTA OECONOMICA.*

UXORES habuit *duas.*

PRIOR fuit MARIA, *Ludovici* Regis Hungariæ filia, quæ cum dote regnum Hungariæ ei acquiſivit, & primo à nuptiis anno vitam cum morte commutavit.

Altera dicta fuit BARBARA, Hermanni Comitis Ciliæ filia, quæ ei unicam peperit filiam, nomine ELISABETHAM, hæredem regni, quam deſpondit *Alberto* Auſtriaco. Hæc autem Barbara profligatiſſimæ pudicitiæ & laſciviæ procaciſſimæ mulier erat: cum Epicuro ſummum bonum in voluptate ponebat: ſimiliter atque Sadducæi, de immortalitate animæ nihil plane credebat, ſed tam ſuperos, quam inferos ridebat. Hanc igitur ob cauſam, & propter conſpirationes cum proceribus Bohemicis de regno invadendo, deque ſecundis nuptiis, factas, eam *Sigiſmundus* ad perpetuos carceres condemnavit; ſed à mariti morte dimiſſa, *Gretii* in Bohemia in vita turpi & fœdis libidinibus infami conſenuit: cumque ei diceret aliquis, imitandum turturis exemplum, quæ, mortuo marito, perpetuam caſtitatem ſervaret: Si me, inquit, ratione carentes imitari volucres jubes; cur non columbas potius, paſſereſque proponis? Tandem lue peſtilentiali extincta eſt. *Chron. Carion. Dubrav. lib. 28. Coſmograph. H. Mutius lib. 27. fol. 318.*

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Poſt mortem *Jodoci* Marchionis Moraviæ, Imperii Electores convenerunt, & de novo Imperatore eligendo deliberarunt: ubi una mente, unaque voce *Sigiſmundum* Imperatorem elegerunt A. Chriſti 1411, die 20 Martii. Quia vero eo tempore Pontifices tres inter ſe digladiabantur mutuis condemnationibus & execrationibus & diverſarum ſtudiis, *Sigiſmundus* primum poſt annos 22 Romæ à Pontifice Eugenio A. C. 1432, in feſto Pentecoſtes coronatus eſt. *Cuſpin. Chron. Belgic. Anton. Sylv. Chron. Funccii.*

II. *Imperii adminiſtratio.*

1. *ACTA TOGATA.*

Sigiſmundus Imper. æquaturus erat *Carolos* & *Ottones*, ſi ad pacis artes parem bellandi felicitatem addidiſſet, ſiquidem egregiis excelluit virtutibus: quales fuerunt:

I. SAPIENTIA. *Sigiſmundus* Imp. ſingulari ſapientia præditus fuit; uti oſtendunt ejus apophthegmata.

1. Aſſentatores ſe veluti peſtes odiſſe, cum diceret, Brunenius Neronenſis reſpondit, tamen nullum genus hominum magis amas, quam adulatores. Tum *Sigiſmundus*: Vincis ſane, inquit. Ita enim natura comparatum eſt, ut cum vitandos eſſe adulatores dicimus, tum maxime illis adhæreamus. Nam nec tu mecum tandiu fuiſſes, niſi meis moribus blandiri aſſueviſſes. *Æneas Sylvius.*

Similiter cum à quodam ſupra modum laudaretur in faciem, & Diis prædicaretur ſimilis, illi colaphum impegit; dicentique: Cur me cædis, Imperator? Cur me, inquit *Sigiſmundus*, mordes, adulator? *Idem.*

2. *Sigiſmundus* Imp. Reges ac Principes in terris beatos eſſe aiebat, ſi, excluſis ſuperbis à gubernatione, manſuetudinis humanitatiſque cultores in curiam adſciſcerent. *Idem.*

3. De gubernatione ſolitus eſt dicere: Mirum eſſe, cum omnes recuſent exercere artes, quas non didicerint, imperare nemo recuſet, quæ ſit ars omnium difficillima. *Chron. Carion.*

4. Cum accuſarent apud eum purpurati maledicentiam Germanicæ multitudinis, quæ ſuo Principi paſſim obloqueretur, ſubridens reſpondit: An vobis grave videtur, illos male loqui, cum nos male agamus? Quo indicavit, in nobiſmet ipſis ſitum eſſe, quod bene vel male audiamus. *Ibidem.*

5. Cum ignavus ac ocioſus homo fœneratores eo nomine plurimum laudaſſet; quod dormientes etiam pararent ex rebus lucrum: At tu, inquit Imperator, vigilando omnia conſumis. *Æneas Sylvius.*

6. *Sigiſmundus* rogatus; Quem virum regno dignum aptumque exiſtimaret? Eum, inquit, quem neque

neque ſecundæ res extollerent, neque adverſæ deprimerent. *Idem.*

7. Coram *Sigiſmundo* cum gloriabundus quidam eques *Urbanos* Magiſtratus parvi faceret, tribunoſque militum laudibus in cœlum tolleret: Tace, inquit Imperator, nulla nobis, ô Thraſo, militia opus eſſet, ſi ſuas quique civitatis prætores, cæterique Magiſtratus moderate juſteque gubernarent. Senſit autem, ubique terrarum pacem tum fore, ſi Magiſtratus leges defenderent, & omni loco ac tempore diligenter ſuum expedirent officium. *Idem.*

8. Imperator interrogatus, cur apud liberas civitates peculatus crimen adeo frequens inveniretur? Idcirco, reſpondit, quod nudos honores civibus commendant, populus autem ad lucrum inhiat. Indicat autem, Magiſtratum ipſum in cauſa eſſe, quod peculatus crimine inſimuletur. Cum enim tam varia reipubl. ſint officia, ſingulis certa & ſufficientia ſtipendia deberent aſſignata eſſe, quo hi, qui ad hujuſmodi honores & officia vocantur, haberent unde viverent, ſine ulla vel furti vel peculatus ſuſpicione. Verum cum deſunt hæc ſtipendia, vel nimis ſunt tenuia, fit ut plerique ex publico theſauro ſibi per nefas proſpiciant, & pauperes primum ad ampliſſimas opes veniant. *Idem.*

9. *Sigiſmundus* Imp. objurgatus, cur fugatos hoſtes non inſequeretur, & comprehenſos occideret? Satis, inquit, vicit, qui hoſtes fugavit. Utinam & hujus exemplo Monarchis noſtræ ætatis perſuaderi poſſit, magno cruore partam victoriam, non exiſtimari victoriam. *Idem.*

II. CLEMENTIA. *Sigiſmundus* Imperator prima quidem ætate vehementior fuit, & in vindicando aſperior, quod ipſi vitio vertitur: Sed hanc aſperitatem paulatim ætas leniit, & uſus rerum. Ideo *Laurentio* Hungariæ Palatino expoſtulanti cum eo, quod victis hoſtibus non ſolum vitam & opes relinqueret, ſed etiam eos inter amicos reciperet, extolleretque; Tibi, inquit *Sigiſmundus*, videtur utile inimicum occidere; neque enim mortuus bellum excitat: At ego inimicum occido, dum parco; & amicum facio, dum extollo. Oſtendit autem, pulchrius eſſe, beneficiendo, quam potentia, amicos vincere. *Chron. Carion.*

Dixiſſe item memoratur *Sigiſmundus*, ignarum eſſe regnandi, qui ſimulare neſciret. Innuit autem, præcipuam Regum ac Principum virtutem eſſe *clementiam*, quæ docet, ſimulanda interdum eſſe ea, quæ non magni ſunt momenti, commodi majoris gratia. *Æneas Sylvius.*

III. MUNIFICENTIA. Fuit in *Sigiſmundo* tanta liberalitas ac munificentia, quanta in nullo antea Principum. Exempla enim munificentiæ ejus commemorantur aliquot illuſtria feſtivis condita jocis, in quibus lucet ingenii ejus acumen pariter, & feſtivitas.

1. Veterano militi exigenti promiſſa, cum diceret; At immoderata fuit tua petitio: reſpondit miles: Poteras negare cum peterem; non autem ſine turpitudine, quod promiſſum eſt, reſcindere poteris. Tum *Sigiſmundus*: Si ex duobus alterum me ferre oportet, levius rerum, inquit, quam famæ jacturam ſubibo. *Æneas Sylvius.*

2. Cum quodam tempore *Sigiſmundo* flumen tranſeunte equus, quo vehebatur, urinam mitteret, prope equitans unus ex aulicis miniſtris, probatæ fidei homo, & qui diu ſervierat: Equus, inquit, domini ſimilis eſt. Imperator has voces audiens, cauſam quærit. Reſpondit miniſter: Equum projicere urinam in locum antea abundantem aquis: Sic Imperatorem effundere beneficentiam in eos, qui affluant opibus: negligere cæteros, qui egeant. Intelligens Imperator, ſe feſtive accuſari, quod miniſtri bene meriti rationem habuerit nullam, reſpondet: Voluntatem benefaciendi ipſi nunquam ſibi defuiſſe; ſed ita fieri plerumque, ut fructus beneficentiæ publicæ Regum ac Principum redeat non tam ad eos, quibus ex merito, quam quibus ex deſtinato fato quodam debeatur; idque ſe illi declaraturum re ipſa. Non ita multo poſt otium nactus, duas pyxides magnitudine pares implet, unam auro, alteram plumbo, ut & pondere fierent æquales, has miniſtro proponit, & ut eligat utram vellet, jubet. Miniſter plumbeam arripit. Viſo plumbo, inquit Imperator: Agnoſcis ergo, mihi non benefaciendi voluntatem, ſed tibi fortunam defuiſſe; ſapienter monens, bona non ſola vel dexteritate judicii, vel diligentia humana acquiri, ſed & diſtribui atque conferri divinitus, & ad ea conſequenda & percipienda homines flecti etiam, ducique divinitus, & à DEO tanquam authore præcipuo peti atque exſpectari debere, juxta verſum:

Omnia contingunt nobis bonitate ſuprema:
A Domino, quicquid poſſidet, omnis habet.

Chron. Carion. lib. 5. fol. 217. Leonhardus Aretinus. Manlius fol. 350.

IV. GRATITUDO. *Sigiſmundus* Imperator illos, qui in bello egregiam ipſi operam, ut alias fidelitatem præſtiterant, magnifice remuneratus eſt. Nam

1. Niconi Gario, viduæ iſtius filio, cujus opera è carcere, in quod ab Hungaris conjectus (de quo infra paucis dicturi ſumus) evaſerat, uxoris ſuæ ſororem in uxorem dedit, eumque Palatinum fecit. Fratrem quoque ejus *Johannem* Archiepiſcopum

ſum Granenſem ſummumque regni ſui præſidem creavit. *Pantaleon lib. 2. fol. 456.*

2. Socerum ſuum *Hermannum* à Cilia è Barone Comitem fecit, multiſque privilegiis donavit.

3. In Synodo Conſtantienſi *Adolphum* ſecundum Cliviæ & Amadæum Sabaudiæ Comites, inſignitos ornamentis novis ac donatos juribus amplioribus, traduxit in ordinem ſublimiorem Ducum Imperii. *Chron. Carion. Cuſpin.*

4. Marchiam Brandeburgenſem cum dignitate Septemvirali vendidit *Friderico* Burggravio Noribergenſi, ſpectatæ prudentiæ, magnanimitatis, fidei & authoritatis Principi, deque Imperatore & Republ. præclare merito, quater centenis millibus aureorum, hac conditione, ut ſi ſibi Imperatori filius naſceretur, utraque dignitas redimeretur; ſin minus, utramque retineret. In hac autem venditione non tam precium ſpectatum eſt, quam remuneratio virtutis ac meritorum *Friderici*, qui pro *Sigiſmundo* contra Hungaros & Bohemos ſapienter plurima conſuluerat, & magna pericula fortiter adierat. Ex hujus *Friderici* vita cum alia referuntur memoratu digna, tum hoc inprimis, quod cum teſtamentum conditurus, advocaſſet ad ſe filios quatuor, *Johannem*, *Fridericum*, *Albertum* & *Fridericum* alterum, natu maximum *Johannem* in hunc ferme modum allocutus ſit: Primus ego dignitatem Septemviralem acquiſivi, cum eſſem *Sigiſmundo* Imperatori admodum familiaris. Nunc cum ex hac vita evocer, curæ mihi eſt ne decus tantum in familia noſtra vileſcat. Tibi, ut video, quietis & tranquillitatis unicum ſtudium eſt; in munere Septemvirali præter ſollicitudines & labores aſſiduos nihil invenies. Eam ob cauſam, ſi tua voluntate poſſum, munus hoc teſtamento concedam *Friderico*, qui tibi ætate proximus eſt, & te excitatior: atque ad labores firmior eſſe videtur. Cui *Johannes*; Exiſtimavi ante hoc tempus cariorem tibi multo *Fridericum* quam me eſſe, cum illi ſæpius blandirere, neque id non ægre ferre potui. Nunc ſententiam muto, & te pater amo coloque, qui mihi ocium, illi negocium ſuprema voluntate dimittis. Exemplum illuſtre in patre *Friderico*, non affectus paterni, ſed ſapientiæ, conſulentis rebus publicis ac privatis: in filio vero *Johanne* modeſtiæ & obedientiæ, cedentis judicio patris de ſucceſſione citra moroſitatem aut recuſationem. *Chronic. Carion. Chron. Saxon. Hiſtor. Brandeb.*

5. Cum *Albertus* Saxoniæ Dux & Elector animi cauſa venatum abiiſſet, in ſaltus *Lochavios*, inque caſam ruſticam diverteret, orto incendio nocturno vix nudus evaſit, morboque ex terrore contracto, paucos poſt dies mortuus eſt A. C. 1422. poſtremus ex *Bernhardi* poſteritate, qui ducis Saxoniæ munus ac dignitatem primus apud *Fridericum* Barbaroſſam virtute promeruit.

Hac occaſione uſus *Fridericus* Elector Brandeburgicus, nomine Imperatoris ditionem Ducum Saxoniæ Electorum, cujus caput eſt *Witeberga*, occupavit, impoſitoque præſidio munivit, ut eſſet & maneret in fide & patrocinio Imperatoris, qui ſucceſſionem *Alberti* negabat patrueli Erico Lauenburgenſi, propter quædam in ipſum contumaciter admiſſa delicta.

Eam ditionem cum dignitate Electoratus *Sigiſmundus* Imper. A. C. 1423. die 6 Januarii contulit *Friderico*, cognomento Strenuo, Marchioni Miſniæ, excellenti inter cæteros prudentia, virtute, & potentia Principi, pro navata hactenus, & deinceps præſtanda opera in bellis Bohemicis: hac tamen conditione, ut Brandeburgico pro ſumtibus ab eo in occupandam Imperatoris nomine regionem inſumtis, ſolveret 28000 marcarum argenti. Literæ datæ ſunt Budæ in Hungaria: ad Electores etiam ſcripſit Imperator, ut hunc *Fridericum* in Electorum collegium reciperent.

Hic eſt *Fridericus*, qui ex ruina ſcholæ Pragenſis condidit Academiam *Lipſienſem*. Invaleſcente enim Huſſitica doctrina Pragæ apud Bohemos, reliquæ nationes Pontifici Romano addictæ Praga diſceſſerunt magno numero A. C. 1409. Ita factum, ut multi etiam confluerent Lipſiam, quos FRIDERICUS hoſpitio excepit, & ſtatim animum ad erigendam *Academiam* adjecit, cui privilegia impetravit à nuper creato Pontifice *Alexandro V*, atque ita præſente *Friderico* & fratre ejus *Wilhelmo* introducta eſt dicto anno die 12 Novembris. Mortuus eſt *Fridericus* A. C. 1428, cum ſuæ ditioni poſt parentem annis 48 præfuiſſet, Electoratus vero dignitatem quinquennio obtinuiſſet. Sepultus Aldenburgi. Succeſſit ipſi filius *Fridericus*, cognomine Placidus, qui præfuit annis 36. *Chron. Carion. Fabr. Crantz. & alii.*

Genea-

Genealogia Electorum Saxoniæ.

FRIDERICUS

Marchio Miſniæ & Landgravius Thuringiæ, primus Elector Saxoniæ, creatus à *Sigiſmundo* Imper. uti jam dixmus.

FRIDERICUS II ELECTOR.

ERNESTUS, Elector.

ALBERTUS, Dux Saxoniæ.

FRIDERICUS III cogn. *Sapiens* Elector, fundator Academiæ Witebergenſis.

JOHANNES, Elector.

GEORGIUS.

HENRICUS.

JOHANNES FRIDERICUS.

MAURITIUS Elector Saxoniæ, ſucceſſit *Johan. Friderico* anno 1547.

AUGUSTUS Elector ſucceſſit fratri.

Johannes Fridericus.

JOHAN. WILHELMUS.

Chriſtianus I. Elector.

Chriſtianus II. Elector.

Fratres *Johan. Georgius* Elector.

Auguſtus.

v. AMOR LITERARUM. *Sigiſmundus* Imperator illo præcipue nomine quoque ſummis laudibus ornandus eſt, quod ut ipſe linguarum ac literarum peritiam amavit, ita viros eruditione præſtantes ſemper ornare ac provehere ſtuduit, eoſque tanti fecit, ut nobili loco natis etiam antepoſuerit. Interrogatus enim aliquando à Principibus, qui literas oderant, cur homines obſcuro genere natos ob literarum commendationem tanti faceret? reſpondit: Merito & optimo jure ſe illos venerari, qui cæteris ſingulari dono divino antecellerent. Se quidem dignitatem equeſtrem, nobilitatem, alioſque honorum titulos conferre poſſe, doctos vero à ſolo DEO creari. Cumque præſtantiſſimum illum Jureconſultum D. GEORGIUM FISCELLINUM Equeſtri Ordinis inſignibus donaſſet, & ille Baſileæ in celebri Ordinum conventu animi dubius hæreret, utrum Equitibus vel Jureconſultis ſeſe conjungeret, tandemque ad Equites velut honorificentiores concederet: *Stulte agis*, inquit Imper., *quod literis militiam præfers. Nam ego mille Equites uno die creavi; Doctorem vero unum mille annis non feceram.* Germani plurimum tribuunt generis nobilitati: at vir prudens intellexit, in eruditis eſſe quiddam ſtemmate præſtantius. Illi habent ædium parietes clypeis & imaginibus depictos, hi animum optimis diſciplinis exornatum. Porro, ut natura animus præſtantior eſt corpore, ita ornamenta ingenii longe pulcriora ſunt externæ nobilitatis inſignibus. Qui nihil aliud habet, quam majorum imagines, opinione nobilis eſt verius, quam re. At qui virtute eſt præditus, unde manat etiam illa vulgaris nobilitas, germanam ac nativam habet nobilitatem. *Eraſmus Apophth. Æn. Sylvius lib. 4. de rebus Alphonſi. Dubravius lib. 25. Hiſtor. Bohem. pag. 209.*

VI. *Sigiſmundus Imper. fuit contemptor divitiarum.* Cum enim aliquando ex Hungaria 40000 aureorum ei allata eſſent, eaque læto animo accepiſſet, in cubiculum veniens, (ubi in thalamo regio theſaurus iſte reconditus fuit) dum cogitat, in quemnam uſum pecuniam eam convertat, ſomnus eum deſtituit. Tum ille excitatis cubicularius: Ite (inquit) ocius, Conſiliarios, Duceſque omnes militum huc accerſite. Vocati Proceres media nocte trepidi, (timebant enim, ne quid adverſi accidiſſet) Imperatorem celeriter adeunt, & quæ cauſa ſit tam repentinæ vocationis, inquirunt. Videte (inquit) carnifices meos (loculos aurum continentes demonſtrans) qui mihi ſomnum eripiunt: accipite eos, & inter vos dividite. Liberatus ab hac pecuniæ cura, Nunc receſſit à me, inquit, tortor ille, qui me flagellavit: melius deinde quieſcam. *Æn. Sylvius lib. 4. Comment. in res geſtas Alphonſi.*

II. ACTA SAGATA.

Sigiſmundus pace bonus Princeps, ſed in prœliis fere infelix fuit. Antequam enim ad Imperialem dignitatem evectus eſt, infeliciter pugnavit contra Turcas & Hungaros: in Imperio longa & difficilia bella geſſit contra Huſſitas; ſed quia fidem *Johanni Huſſo* datam (ut infra ſuo loco dicemus) fregit, ne ſemel quidem victoriam reportavit. Quia autem bella ante Imperium geſta notatu digna, ea breviter ſubjiciemus.

I. *Bellum Turcicum.*

1. *Bajazetes* Rex Turcicus habebat *Emanuelem Palæologum*, Imperatorem Conſtantinopolitanum, pro ſuo quaſi ſervo: niſi omnia daret & faceret, quæ vellet, ſtatim hoſtis ipſius fiebat, & urbem obſidebat. *Sigiſmundus* ergo multis obteſtationibus accitus à *Palæologo* adverſus *Bajazetem*, validas copias ex ſuis regnis (Hungaria & Bohemia) finitimiſque Germanis contraxit, quibus cum *Johannes*, *Philippi Audacis* Burgundi filius, *Caroli VI* patruelis impulſu, junxiſſet lectiſſimas equitum cataphractorum turmas, quas multi præſtantes viri ex proceribus Suevicis, Bavaricis & Auſtriacis auxerunt & ornarunt, in Thraciam profecti ſunt, perveneruntque Nicopolin, Myſiæ urbem. *Bajazetes*, audito eorum adventu, obſidione Conſtantinopolis ſoluta, ipſis obviam proficiſcitur, cum ingenti exercitu, (qui conſtabat è 60000 equitum, ducentis vero & 40 millibus peditum; cum *Ludovicus* tantum haberet circiter 20000 equitum, & 60 millia peditum.) Ibi *Johannes* Burgundus ſumit ſibi regendam primam aciem, invito *Sigiſmundo*; qui eam dederat Walachiæ Principi. Turcæ igitur in prima acie ſimulant fugam, quos Burgundus cupide inſequitur. Sed Turcæ palos fixerant poſt rubetum quoddam, qui cerni non poterant à noſtris. Cum ergo noſtri eo perveniſſent, nec pergere poſſent, & à ſequentibus urgerentur, trucidantur à Turcis. *Johannes* Burgundus inter primos cum multis nobilibus. Cui projecto ad pedes & ſalutem ſuppliciter deprecanti, reſpondit *Bajazetes*: Se vitam ei libenter conceſſurum, ob id, quod juvenis & regio ſanguine editus eſſet: ſed reliquos captivos ad unum omnes, præter quinque proceres, carceris comites, in conſpectu ipſius trucidavit. *Sigiſmundus*, parva navicula Conſtantinopolin delatus, incidit in claſſem Venetam, qua reductus in Italiam ſe recepit. Accidit clades A. C. 1396, die 28 Septembris, veſpera Michaëlis. Ex Chriſtianis viginti millia, ex Turcis ſexaginta millia occiſa fuiſſe traduntur. *Annal. Turc. & alii.*

11. *Sigiſmundus* hac clade accepta, recollecto exercitu iterum Turcis arma intulit; ſed iterati conatus non fuerunt proſperiores prioribus. Etli enim devictus captuſque à *Tamerlane* Rege Scytharum *Bajazetes*, (ſicuti in *Wenceſlai* hiſtoria diximus) ſummas attulit occaſiones ad res gerendas bene feliciterque, adverſus attritas ac laceratas Turcarum in Europa vires, & ad gentem barbaram nominique Chriſtiano infeſtiſſimam radicitus exſcindendam; & *Sigiſmundus*, ne occaſionibus prope cœlo dimiſſis defuiſſe ſua ignavia videretur, permonuit Ungaros & Bohemos, ne ſtudio tuendæ religionis ac libertatis, pia ac neceſſaria arma induere recuſarent: tamen *Celebino Bajazetu* filio, qui è prœlio elapſus transmiſſo ad Seſtum & Abydum Helleſponto, opera nautarum pecunia corruptorum, in Europam cum aliquibus fractarum copiarum reliquiis evaſerat, iiſque utcunque refectis, jamdiu Triballos, Bulgaros & Macedonas afflixerat; huic ergo cum ſerius occurriſſet, non clementiore fortuna cum eo, quam antea cum patre dimicavit. Magna enim clade anno Chriſti 1409 à Turcis affectus ad Columbacium, Servianorum oppidum, Triballis vicinum, juxta Senderoviam ad ripas Danubii, ipſe ultra Danubium vix ſalvus evaſit. *Chronicon Carion. Cuſpin. Coſmograph. Munſteri fol.* 1067. *Paulus Jovius.*

II. *Bellum Hungaricum.*

Ludovicus Rex *Ungariæ Sigiſmundum* adhuc puerum admodum in filium adoptavit, promiſſis ei filiæ nuptiis & regno in dotem. Sed deceſſit *Ludovicus*, priuſquam annos pubertatis *Sigiſmundus* attigiſſet. Quod autem vidua *Ludovici* à mariti morte diutius imperaret ſubditis, Proceres inita *conſpiratione*, evocarunt ex Apulia ad regnum *Carolum Dyrrachianum*. Hunc magno applauſu ac ſtudio ab Hungaris exceptum, vidua *Ludovici* interimi veneno curavit, genero futuro regnum ut traderet ſine certamine. Sed necem *Caroli* ultus *Johannes Horvatius Banus*, reginam in aquam demerſam ſuffocavit. Hujus facinoris fama cum perterrebuiſſet, *Sigiſmundus*, qui annum jam agebat vicesimum, Hungariam, ne regnum amitteret, cum exercitu ingreſſus, anno Chriſti 1387, ſuſceptiſque inſignibus & ornamentis regiis, ac nuptiis celebratis, *Horvatium*, qui reginam occiderat, bello perſecutus eſt, & tandem in Bohemia deprehenſum, per cruciatum, cum aliis triginta duobus Baronibus, qui cum illo de abrogando ſponſæ ſuæ regno conſenſerant, occidit. Hac ſeveritate irritati Hungari *Sigiſmundum* captum cuſtodiendum tradiderunt fœminæ viduæ, anno Chriſti 1401, (cujus maritum

ritum è nobili familia Garenorum inter factioſos ſupplicio affecerat) ut ſervaretur, donec Ordines regni de ejus ſupplicio ſtatuerent. Sed *Sigiſmundus* ex ea cuſtodia liberatus divinitus, cum promiſſis ampliſſimis iratum viduæ animum placaſſet. Elapſus igitur in Germaniam properavit, ibique collectis copiis, inſequenti tempore, Hungariam recuperavit: qua recepta, præſidiiſque firmata, authorem captivitatis *Stephanum Vaivodam* ſecuri percuſſit. Exemplo territi reliqui quieverunt. *Chronic. Carionis. Dubrav. Mechov. Æneas Sylvius.*

III. *Bellum Huſſiticum.*

In Imperio bella geſſit *Sigiſmundus* cum Bohemis, ſed infelici ſucceſſu, violati jurisjurandi pœnas luens. Circa hoc bellum autem tria ſunt notanda: 1. *Ortus.* 2. *Progreſſus.* 3. *Egreſſus.*

I. ORTVS.

Origo hujus belli fuit *injuſta* JOHANNIS HUSSI & HIERONYMI PRAGENSIS *damnatio. Iohannes Huſſus* Bohemus, acerrime in Romani Pontificis & ſacrificulorum tyrannidem & fornicationem, tam ſpiritualem, quam carnalem, invehens, impudentiamque & vanitatem atque impoſturam Pontificiorum demonſtrans, ſtuduit populum, liberatum à tyrannide ſuperſtitionum, revocare ad fontes ſacros, & normam fidei veriorem ac ſaniorem traditam inſcriptis Propheticis & Apoſtolicis. Ad Concilium itaque Conſtantienſe, dato ſalvo conductu, una cum *Hieronymo Pragenſi* citatur: ubi variis oneratus calumniis, violata fide publica, qua ab Imperatore præmunitus acceſſerat, ad rogum una cum *Hieronymo* condemnatur. Injuſto *Huſſi* ſupplicio, illi, qui ipſi addicti fuere, inflammati, omnes ſacrificulorum ac monachorum ordines, horumque patronos ac defenſores, A. C. 1417, ferro primum invaſerunt, comprehenſos raptarunt ad ſupplicia, fugientes in exilia pepulere, monaſteria igni tradiderunt, è templis & ſtatuas ejecerunt, & idololatrias exturbarunt, quas reprehenderat *Huſſus.* Cum vero à Magiſtratu prohiberentur, furentes petiere prætorium. Inde Senatores 11 elapſi ſunt fuga, ſeptem & cum his Judex urbis Pragæ, atque alii nonnulli cives, raptim intercepti, ex altiſſimis feneſtris præcipitati, lanceis irati populi ſunt excepti. Porro JOHANNES Troſnovienſis, qui & ZISCA, h. e. Cæcus appellatus, quod fortiter olim pugnans oculum amiſerat, vir ſtrenuus, & rei militaris peritus, nobili loco ortus, & in aula regia educatus, poſt mortem Regis *Wenceſlai*, fratris *Sigiſmundi* Dux ab *Huſſitis* electus anno C. 1419, collectis *Huſſitarum* copiis, in Eccleſias reliquas impetum fecit; ſimulacra ſanctorum & imagines confregit, monachos, utpote inutiles populo, ſicuti aſſerebat, & veluti ſues in hara ſaginatos, alio migrare juſſit. Etſi autem aliquoties inter ſe juſta acie utrique conflixerunt, *Huſſita* tamen, *Ziſca* Duce, ſemper victoriam reportarunt.

II. PROGRESSVS.

Infelices Sigiſmundi cum Huſſitis congreſſus. Ingraveſcentibus indies magis magiſque motibus Bohemicis, urgentibuſque Pontificiis, quorum partes laborabant, *Sigiſmundus* Imp., ut has turbas componeret, iter Bohemiam verſus ſuſcepit, primumque A. C. 1419, ad feſtum nativitatis Dominicæ, Brunnam Moraviæ oppidum petiit. Ibi Pragenſibus veniam petentibus ea lege pepercit, ut catenas & repagula tota ex urbe deponerent, ſuoſque Magiſtratus acciperent. Paruit attonita civitas, cum primores regni, elevatis in cœlum manibus, adventum novi regis gratulabundi expoſcerent: ejuſque Rectores ſine controverſia reliquæ urbes admitterent. Nec dubium videbatur, quin ex tota Bohemia turba Huſſitarum exceſſiſſet, ſi ex Brunna *Sigiſmundus* recta via ſe Pragam contuliſſet. Sed divertit ille, ut fortaſſe fati ſui erat, Vratiſlaviamque Sileſiæ Metropolin acceſſit. Quo in loco populus urbanus non diu ante, Senatum, à *Wenceſlao* fratre ſuo conſtitutum, per ſeditionem è turri præcipitatum obtruncaverat, totumque dominatum rapuerat: cujus ſeditionis authores ſecuri percuſſit *Sigiſmundus*, civeſque diſtractos in priſtinam concordiam reduxit. Quod ubi Pragæ renunciatum eſt, diffiſi de venia cives, exemplum Vratiſlavienſium veriti, manifeſto deſciverunt, & allecto præmiis Cenchone, qui arci Pragenſi præerat, in totum regnum literas dedere, ne quiſpiam *Sigiſmundo* aditum præberet, qui Dalmaticæ linguæ hoſtis eſſet, nec cura alia teneretur, quam regni perdendi: qui antequam Prutenorum civitatem Ordini jure pignoris obligaſſet, Brandeburgenſes à corona Bohemica alienaſſet, *Johannem* ac *Hieronymum* in Conſtantienſi Concilio cremari non ſolum permiſiſſet, verum etiam procuraſſet; dogmata quæ ipſi ſequerentur, totis conatibus impugnaret. Hinc *Huſſita* vires nacti, & ZISCA Ducem *Sigiſmundi Nicolaum*, qui mille equites habuit, vicit: in quo prœlio ſingulari ſtrategemate uſus eſt, cum ab adverſariis pene oppreſſus eſſet. Dimicandum ei erat cum equitibus, ipſe vero pedeſtres copias habebat. Allicit igitur hoſtem in loca aſpera, rubis ſentibuſque plena, ubi non niſi pedeſtre prœlium poterat

iniri. Ideo hoſtes etiam, cum propter loci iniquitatem in equis pugnare non poſſent, ex illis deſcenderunt. Sed *Ziſca* juſſit mulieres, quæ de more exercitum ſequebantur, pepla inter hoſtes projicere: quibus equites per calcaria ita implicabantur, ut prius extinguerentur, quam pedes expedire valerent. Inde *Sigiſmundus* oppidum THABOR à *Ziſca* paulo ante exſtructum obſedit; ſed & inde repulſus eſt. Quare cum Pragam occupare non poſſet, arcem ingreſſus eſt: regiam illic coronam accepit de *Conradi* Archiepiſcopi manu A. C. 1420, die 30 Julii, & adverſitate fortunæ territus Bohemia exceſſit.

II. Anno C. 1421 FRIDERICUS & WILHELMUS Marchiones Miſniæ validum exercitum in Bohemiam duxerunt, & congreſſione facta ante Brixiam 2000 Huſſitarum interfecerunt, cum vix quinquaginta ex ſuis caderent: qua victoria ingentem gratiam apud *Sigiſmundum* inierunt. Nihilominus tamen ZISCA perrexit, & in obſidione oppidi RABI alterum quoque oculum, quo uno cœli lumen videbat, ſagitta ictus amiſit. Inde Pragam ad Medicos vectus, quamvis ex vulnere curatus vitam retinuit, lucem tamen haudquaquam recuperavit. Nec propterea caſtrenſem laborem, aut rei militaris curam dimiſit: ſed cæcus etiam multas victorias obtinuit.

Interea *Martinus* V Pontifex, per Cardinalem Vintonienſem Anglum, totam in Bohemos incenderat & concitarat Germaniam, confectumque fuit, ut tripartito exercitu Bohemia peteretur: quorum unum ex Saxonibus conflatum ducebat Dux Saxoniæ Elector; alterum ex Franconibus Marchio Brandeburgenſis; tertium ex Rhenanis, Bavaris & Suevis, Archiepiſcopus Trevirenſis *Otto*. Ingreſſi ſunt Bohemiam tribus itineribus: at ubi ſylvam penetraſſent, vires conjunxerunt omnes, numero 200000, & Saaz oppidum obſederunt; ubi inopinato ſeu Panico terrore perculſi, nondum viſo hoſte diffugerunt. *Pipo Florentinus*, qui equites in eam expeditionem 15000 ex Hungaria duxerat, per glaciem iter habuit: quæ multitudinis pondere diſſoluta, multos mortales in profundum rapuit. Machinis bellicis impedimentiſque omnibus potiti Bohemi, divitem exercitum reduxere. Inde *Sigiſmundus* cum omnia ex ſententia ZISCÆ cedere conſpicaretur, gubernationem totius regni, & militiæ præfecturam, cum ingenti vi auri, ei obtulit, ſi in verba ſua jurare adigeret civitates. Sed *Ziſcam* conventa impleturum peſtis extinxit circa annum Chriſti 1424. Ferunt illum morituram juſſiſſe cadaveri ſuo pellem detrahi, & ex ea tympanum fieri: fugituros enim hoſtes, quam primum tympanum illud ſonaret. Eo mortuo, diviſi *Huſſitæ*, quidam orphanos ſe ob amiſſum Ducem dixere: alii Procopium aſſumſere ductorem. Sileſiam, Moraviamque aſſidue populabantur. Retium Auſtriæ captum diripuere. Nemo impetum eorum ſuſtinebat.

III. A. C. 1428 Electores imperii cum magno exercitu, quem ſatis validum ad frangendum hoſtes putabant, iterum Bohemiam ingreſſi ſunt, & oppidum Mies obſederunt: ſed cum audirent HUSSITAS cum exercitu advenire, obſidionem ſolvendam cenſuerunt; quod dum fecere, & ab urbe receſſere, Germani reliqui putarunt eos fugere: ideo & ipſi fugam capeſſerunt, & ita apparatus iſte ingens in fumum abiit. Ceciderunt inſuper ad 10000 Germanorum, & caſtra omni opulentia referta hoſti prædanda reliquerunt.

IV. Nihil tamen remiſit Pontifex de cruentis conſiliis, etſi his reluctari fata experiretur; ſed miſit *Julianum* Cardinalem in Germaniam, qui Principes inſtigaret ab bellum; quod & fecit ſtrenue. Conſtat congregata fuiſſe præter peditatum validiſſimum ſupra quadraginta millia equitum. Ingreſſi Bohemiam anno C. 1431, eam crudeliter vaſtarunt. Sed orto vano rumore de magno exercitu Bohemorum, mentes hominum quaſi Panicus terror invaſit, totiſque caſtris trepidatum eſt; & priuſquam hoſtis ullus in conſpectum daretur, fœdiſſima fuga cœpta eſt, relictis duodecim millibus fere curruum, commeatu & inſtrumentis bellicis refertorum: perierunt inſuper in iſto tumultu ad undecim millia armatorum. Ex hiſce igitur patet, dubiumque non eſt, pro pio grege amplexo ſinceram doctrinam Filii DEI, pugnaſſe ſanctos Angelos, qui hoſtes conterritos palantesque ac trepidantes ſola conſternatione animorum tota exegerunt Bohemia.

III. EGRESSUS.

Pacificatio. Bohemi, bellorum pertæſi, tandem A. C. 1436 ad *Sigiſmundum* legationem miſerunt, eique regnum Bohemicum tradere promiſerunt, ſi ſibi Euchariſtia in utraque ſpecie concedatur, & excommunicatione ſolvantur. Utrumque promiſit ipſis *Sigiſmundus*, & Pragæ ſummis honoribus exceptus, ibique coronatus eſt die 24 Auguſti. Et dum poſtea ſententiam mutare, & monachos reducere cœpit *Sigiſmundus*, *Rochezane* Archiepiſcopo Pragenſi, & ſociis denno bilem accendit: ſed majores turbas morte interrupit. *Æneas Sylvius. Chronic. Spangenb. Crantz. Chronic. Sebaſt. Franckem. Baptiſt. Fulgoſ. lib. 3. Fabr. Dubrav.*

III.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. *Sigiſmundus* Imperator, quamprimum imperium iniiſſet, curam omnem cogitationemque intendit in eos tumultus ſedandos, quibus orbem Chriſtianum perturbarat, & jam annos aliquot concuſſerat ſchiſma Eccleſiæ Romanæ. Tres enim Pontifices elegerant Cardinales in contraria ſtudia diviſi, *Johannem* XXIII Romæ, *Gregorium* XII *Arimini* apud *Malateſtas*, & *Benedictum* XIII in Hiſpaniis.

Hi digladiabantur mutuis condemnationibus & exſecrationibus, & diverſarum gentium ſtudiis. Dimicabant autem non de gloria Filii DEI, aut emendatione corruptæ doctrinæ, ac depravatorum morum; ſed de principatu, magnoque novorum (ut inquit *Lucanus*) proventu ſcelerum quærebant, uter imperaret urbi. *Gregorius Arimini*, *Benedictus Avenione*, *Johannes Bononiæ* agebat.

Hæc igitur mala, cum rectius Synodo quam armis tolli poſſe cerneret *Sigiſmundus*, percurſis Italia, Hiſpania, Gallia, & Anglia, inexſpectata celeritate & admirabili laborum difficillimorum tolerantia perfecit, ut Regum conſenſu Synodus cogeretur. Convenerunt igitur Prælati & Principes atque Magnates magno numero *Conſtantiæ*, urbe Germaniæ ad Acronium lacum ſita, anno Chriſti 1414. Præter Imperatorem adfuere multorum Regum Legati, tres Electores Imperii, Ludovicus Palatinus, Rudolphus Saxo, Fridericus Brandeburgicus: cæterorum vero Principum ingens numerus: Patriarchæ tres, Aquileenſis, Antiochenus, Conſtantinopolitanus: Cardinales 28, Epiſcopi 155, Theologi & Juriſperiti complures. Imperator, ut omnia ordine gererentur, totum Concilium diſtribuit in quinque nationes, in Italos, Gallos, Anglos, Hiſpanos, & Germanos: quæ ſingulæ elegerunt ſuum Prælatum, qui negotia Concilii tractaret; id quod Papæ & Cardinalibus adeo diſplicuit, ut de deferendo Concilio cogitarent. Et Papa *Johannes*, cum Pontificatum deponere, quemadmodum ab eo poſtulabatur, nollet, vim metuit: quare egit cum *Friderico* Auſtriaco, ut ſe ex Concilio ſubducere velit; id quod factum A. Chriſti 1415, die 20 Martii. Sed Imperator, confluentibus ſubito copiis, coëgit *Fridericum* ſemet & Papam ſiſtere. Retractus è fuga *Johannes*, cum non haberet, quod teſtibus opponeret, in carcerem traditur, & convictus graviſſimorum ſcelerum, (quæ adſcribere, cum plura ſint quam LIV, operoſum foret) abrogato ei de Concilii ſententia Pontificatu, ad Ludovicum Bavariæ Ducem mittitur, apud quem fuit per quadriennium in cuſtodia, cuſtodientibus Germanis, ut commercium ſermonis abeſſet: tandem ſe redimere triginta millibus ducatorum coactus eſt.

GREGORIUS, ne idem ſibi accideret, *Carolum Malateſtam* miſit, cum liberis mandatis, ut ei facultas, juſque cedendi Pontificatu daretur. Is inſignia Pontificis indutus, in auguſtiſſima ſella conſedit, ac velut *Gregorii* perſonam gerens, depoſitis inſignibus, relictaque ſella, ſe abire Pontificatu effatus eſt. *Gregorio* jus pilei redditum, Legatione Piceni & principatu Cardinalium attributo. Sed non diu ſuperfuit, dolore (ut aiunt) animi, propter ſubitam abrogationem, (nam in mora ſpem poſuerat) abſumtus. Sublatis duobus Pontificibus, reſtabat tertius *Benedictus*, qui & Petrus de Luna dictus, animi pervicacior. Quare Sigiſmundus cum totius Concilii legatis ad Franciæ & Angliæ Reges ivit, hortatus, ut in abdicatione *Benedicti* ſuam ſequerentur ſententiam. Perpenniani cum *Benedicto* & Arragonum rege *Ferdinando* in colloquium venit. Nihil impetratum à *Benedicto*: quapropter fedus iniit Imperator cum *Ferdinando*, de uno Pontifice ſimul habendo; & *Benedictus* etiam à *Ferdinando* publice Pontificatu indignus pronunciatur. Inde, cum Imperator *Conſtantiam* rediiſſet, *Benedictus* publice citatus ad Concilium, cum non compareret, ut pertinax hæreſiarcha, perjurus, & inobediens Eccleſiæ DEI, publico decreto, & voce, Papali dignitate dejectus & excommunicatus eſt. Atque ita tres Papæ in hoc Concilio depoſiti ſunt, & caruit Eccleſia capite viſibili, Pontifice Romano, quadriennio; ut ſcribit *Platina*.

Pendente ſic lite Pontificia, cauſa fidei adducta eſt in quæſtionem. *Sigiſmundus* Imp. ad Concilium vocavit *Johannem Huſſum*, & miſſis literis menſe Octobri, anno Salutis 1414, publica fide cavit. Itaque comitatus nonnullis ex nobilitate, qui deducerent, *Conſtantiam* venit *Huſſus* die Sabbati poſt omnium Sanctorum 3 Novemb. Etſi autem nihil tam in optatis ei erat, quam ut à Concilio audiretur, tamen impetrare id minime potuit, ſed ad Cardinales tantum ductus eſt, & ab armatis undique ſeptus, tum contra datam fidem cuſtodiæ traditus. Scripſit in carcere aliquot opuſcula de decem præceptis, de caritate & cognitione DEI, de conjugio, de pœnitentia, de Oratione Dominica, & Sacramento cœnæ ſanctæ. Literas quoque ad amicos complures ſcripſit, quibus eos in doctrina confirmavit. *Sigiſmundus*, qui tum forte aberat, ubi comperit *J. Huſſum* ita tractari, captivumque detineri, graviter tulit, rurſumque Conſtantiam ſe recepit. Sed cum Pontificii dicerent, *non eſſe fidem ſervandam hæreticis*: non modo re-

miſit offenſionem, licet Bohemi frequenter intercederent, & fidem ſervari peterent; ſed etiam primus omnium acerbe in eum pronunciavit. Quam ob cauſam ſucceſſum & felicitatem ab eo poſtea abfuiſſe animadverſum eſt. Tandem *Huſſus* cum nollet à vera religione recedere, menſe Julio ſequentis anni illum nondum auditum nec hæreſeos convictum, tanquam hæreticum & ſeditioſum Synodus damnavit, libros etiam ab eo ſcriptos juſſit comburi. Ille vero damnatus, nullum conſternati aut abjecti animi documentum dedit, ſed ante omnia pro hoſtibus ſuis oravit. Sententiam damnatoriam Epiſcopus Concordienſis juſſu Concilii de ſuggeſtu legit: quam lectionem *Huſſus* interlocutionibus ſæpius interrumpebat, ſeque in multis contra falſas accuſationes & fictas rationes defendebat. Poſt hæc veſte ſacerdotali indutus, iterum ea ſpoliatus eſt, ut privatus omni poteſtate ſacra videretur. Eodem modo *Magiſterii* & *Baccalaureatus* in Theologia gradu exutus eſt, & corona papyracea ſatis longa capiti ejus impoſita, in qua tres Diaboli, horrenda figura picti, & literis magnis vox HÆRESIARCHA inſcripta erat. Poſtea carnifici traditus, qui eum vinctum, præeuntibus & ſequentibus duobus lictoribus, & plus quam 2000 armatis comitantibus, ad ſupplicii locum (qui erat amplus ſatis in prato inter urbem & arcem) deduxit. Quo cum *Huſſus* perveniſſet, voce contenta precatus eſt: *O Domine Jeſu Chriſte*, hoc ſupplicium libenter ſufferam propter ſanctum tuum Euangelium, & propter prædicationem verbi tui. Tu vero veniam da omnibus hoſtibus meis. Id ex animo te precor. Deinde circumductus à carnifice circumſtantes rogabat, ut ne erroris ullius cauſa ipſum eſſe captum crederent. Ad rogum deductus, ter cecidit in genua, alta voce clamans: *O Domine, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Tu redemiſti me.* Pſalm. 31. v. 6. Poſtea catena caput palo alligatum: rogo jam incenſo, magna voce exclamavit: *O Chriſte fili* DEI *viventis, qui paſſus es pro nobis, miſerere mei.* Tunc Symbolum Nicenum cecinit, & flamma fumoque cito extinctus eſt. Cum autem cor adhuc integrum ſub inteſtinis latere animadverterent, carnifices illud ex flamma eripuerunt, fuſtibuſque miſerandum in modum percuſſum, perticæ impoſuerunt, & poſtea igne concremarunt. Paulo ante mortem Spiritu Prophetico dixit: Hodie *anſerem* uritis; (Huſs enim lingua Bohemica ſignificat anſerem) ſed poſt centum annos ex meis cineribus naſcetur *cygnus*, quem non poteritis aſſare. Ad quod vaticinium ipſe *Lutherus Tom. 6. Witteb. p. 169. tom. 5. Ien. Germ. f.* 301. reſpicit, ſcribens: Der ſälige Joannes Huß hat von mir geweiſſaget/ da er auß dem gefängnüß in Böhmerland ſchrieb: Sie werden ietzt eine Gans braten/ aber über hondert jahren werden ſie einen Schwan ſingen hören/ den ſollen ſie leiden: da ſols auch bey bleiben/ ob Gott will. Poſt *Iohannem Huſſum* timili ſupplicio vitam finiit ipſius auditor atque diſcipulus *Hieronymus Pragenſis*, Huſſiticæ doctrinæ propagator fidelis. Hic fide publica ad Concilium Conſtantienſe evocatus in fundo turris fœtidæ atque obſcuræ trecentis quadraginta diebus habitus eſt, ubi ne videndi quidem facultas erat. Eo temporis ſpatio tot Eccleſiaſticos Doctores in ſententiam ſuam pertraxit, quaſi ſummo in otio interim ſtudiis operam dediſſet. Crematus eſt die Sabbati poſt feſtum Adſcenſionis Domini, id eſt, 30 Maii A. C. 1416. Cum lictor ignem poſt tergum injicere vellet; Huc, inquit, accede, & in conſpectu accende ignem; *Si enim illum timuiſſem, nunquam ad hunc locum, quem effugiendi facultas erat, acceſſiſſem.* Cecinit Symbolum, & Davidicum illud: *Circumdederunt me viri mendaces.* Alligatus palo, devotis ſuſpiriis ingemuit: *Salve feſta dies, toto venerabilis orbe.* Abſoluta ad populum admonitione pia, & recitata cauſa mortis, rogus incenſus eſt; quod obſervans, exclamavit: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.* Tandem uſque ad extremum vitæ halitum gemitibus & ſuſpiriis DEUM adorans, Chriſto, quem confeſſus erat, animam reddidit. Cum jam rogo eſſet imponendus, hæ quoque voces ex eo ſunt auditæ: *Poſt centum annos reſpondebitis* DEO, *& mihi*; referente Poggio ſupplicii ſpectatore, in Epiſtola ad Leonem Aretinum: quæ verba Bohemi *poſtea* in moneta quadam ad effigiem *Iohannis Huſſi* procudi & *imprimi* curarunt. Vaticinii fidem comprobavit eventus. Interceſſerunt enim inter finem Synodi Conſtantienſis (finitæ anno 1418, circa menſem Maium) & initia diſputationum *Martini Lutheri* anni centum.

De utriuſque ſupplicio *Æneas Sylvius* in hunc modum ſcribit: *Iohannes*, inquit, combuſtus eſt prior: *Hieronymus* poſtea in vinculis habitus, cum reſipiſcere nollet, pari ſupplicio affectus. Pertulerunt animo conſtanti & excelſo necem, & quaſi ad convivium invitati ad incendium properarunt: nullam emittentes vocem, quæ miſeri animi poſſet facere indicium. Ubi ardere cœperunt, hymnum cecinere, cujus initium: Ave vivens hoſtia, veritas, & vita, &c. cujus ſonitum vix flamma & fragor ignis intercipere potuit. Nemo Philoſophorum tam forti animo mortem pertuliſſe traditur. Cineres exuſtorum, ne raperentur à Bohemis, in lacum projecti. Sed Bohemi terram, ſuper qua combuſti ſunt, effoderunt, eamque in patriam ſecum aſportarunt, tanquam

quam rem ſacram, utrumque in martyrum numerum retulerunt, memoriaque illorum tunc conſecrata quotannis celebratur. *Hæc ille.*

Cauſæ condemnationis *Iohannis Huſſi*, & *Hieronymi*, his fere capitibus duobus continentur, ut articuli oſtendunt, *Quod* Pontifici, Cardinalibus, Epiſcopis & toti colluviei ſacrificulorum ac monachorum detraxerint Eccleſiæ titulum & authoritatem: quod derogarint iiſdem poteſtatem omnem, quam ſibi in Eccleſia Chriſti arrogant, prætextu authoritatis divinæ, in abolendis, mutandis, condendis articulis fidei, ritibus, ceremoniis, legibus Eccleſiaſticis: quod ademerint iiſdem omnem politicam poteſtatem, opes, ſplendorem, potentiam Monarchis parem. *Deinde*, quod reddendum populo cenſuerint ſacramentum integrum ex inſtituto Chriſti: quod commentum tranſubſtantiationis repudiarint: quod nonnulla alia requiſiverint congrua Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, & teſtimoniis Catholicæ Eccleſiæ Chriſti purioris, ac ſalutaria piis conſcientiis, ſed diſſona decretis & legibus Romanæ curiæ, & huic adverſa & pernicioſa. *Chron. Carion.*

D. Lutherus Iohannem Huſſium, ut virum DEI magnum, ingenti ſpiritu, excellentibus dotibus ornatum, prædicans: Si, inquit, hæreticus is cenſendus eſt, qui adverſus tot immaniſſimorum leonum & urſorum fremitum, & ſævitiam, Chriſtum Redemtorem ſuum confitetur, imo animo magno & triumphante, in ipſius mortis anguſtiis, Chriſtum DEI Filium, pro nobis paſſum, invocare poteſt. Si, inquam, is hæreticus eſt, nemo ſalvus fuerit. Chriſtus autem *Matth.* 10. *v.* 32. ait: Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & Ego illum coram Patre meo, qui eſt in cœlis. Papa multos in Sanctorum catalogum refert, qui forte in ima detruſi ſunt tartara; *Iohannem Huſſium* damnatum Satanæ tradidit, quem cœli beatum eſſe incolam nemo dubitaverit, niſi qui Chriſtum veracem eſſe negaverit. Abſit, ô Papa, me tibi Sanctum judicari; te Satanæ ſanctum eſſe facile patior.

Exſtant *Iohannis Huſſi* Epiſtolæ doctrina & conſolatione pleniſſimæ, quas è cuſtodia ſua ſcripſit: ex illis ultimam ad Bohemos ſcriptam, ex qua tanti Viri conſtantia conſpici poteſt, hic ſubnectere operæ precium viſum eſt.

Epiſtola quarta, à *Iohanne Huſſo* Conſtantiæ in carcere ad Bohemos ſcripta.

DEUS vobiſcum! Multæ cauſæ, cariſſimi, & in DEO dilecti amici, in eam me opinionem adduxerant, ut literas quas proxime ad vos dedi, poſtremas eſſe putarem, propter inſtantem meam mortem. Nunc autem cognita ejus dilatione, ducens loco oblectationis, quod liceat mihi vobiſcum per literas colloqui, iterum vobis ſcribo, ut ſic ſaltem meam erga vos oſtenderem gratitudinem. Quod autem ad mortem attinet, DEUS novit, cur differat & meam, & mei cariſſimi fratris, Magiſtri *Hieronymi*, quem ſpero ſancte & ſine culpa moriturum, ſcioque, nunc etiam magis ſtrenue eum agere & pati, quam me miſerum peccatorem. Conceſſit nobis DEUS longum tempus, ut melius peccata noſtra nobis in memoriam reduceremus, & ageremus fortiori animo pœnitentiam. Conceſſit nobis tempus, ut longa & magna tentatio deleret gravia peccata, & afferret conſolationem. Conceſſit nobis tempus, in quo recoleremus noſtri Regis Domini DEI *Ieſu Chriſti* miſericordis horrenda opprobria, & penſitaremus crudelem mortem, ſicque æquiore animo mala perferremus: præterea, ut in memoria teneremus, non dari immediate gaudia vitæ futuræ, poſt gaudia hujus mundi. Sed quod per multas tribulationes Sancti intraverunt in regnum cœleſte. Quidam enim eorum ſunt fruſtatim conciſi, quidam terebrati, alii cocti, nonnulli aſſati; alii vivi excoriati, vivi terra obruti, lapidati, cruci affixi, triti inter molares lapides, huc & illuc tracti uſque ad necem, in aquis ſubmerſi, combuſti, laqueo ſuffocati, particulatim diſcerpti, & ante mortem probris affecti, macerati in carceribus & vinculis. Et quis poteſt omnia omnium Sanctorum tormenta ac ſupplicia deſcribere, quæ ſub Veteri & Novo Teſtamento propter veritatem DEI pertulerunt, præcipue qui Sacerdotum malitiam exprobraverunt, & contra illam ſunt concionati? Mirumque erit, ſi quis etiam nunc impune feret, fortiter reſiſtendo perverſitati, præſertim Sacerdotum, quæ non patitur reprehenſionem. Et gaudeo, quod jam libros meos coacti ſint legere, in quibus malitia eorum utcunque depicta eſt. Scioque, quod eos perlegerint accuratius, quam ſacrum Evangelium, volentes invenire errores. Data die Jovis, ante vigiliam Divi Petri. *Amen.*

Ut jam ad Concilium Conſtantienſe redeamus, in eo quoque doctrina *Wicleſi*, (qui A. C. 1387, propter profeſſionem doctrinæ in exilium miſſus, in Anglia diem ſuum obierat 31 Decembris) Præceptoris *Iohannis Huſſi*, fuit damnata, & factum decretum, ut illius corpus exhumatum publice in Anglia cremaretur; quod factum A. C. 1428 ab obitu ejus anno 41. Præterea auſa fuit hæc Synodus horribili furore, & temeritate irreligioſa, inſtitutionem Cœnæ Dominicæ Sacroſanctam evertere, Seſſione 13, ubi ſic definivit: *Licet Chriſtus venerabile Sacramentum ſub utraque ſpecie inſtituerit, & Eccleſia*

ita

ita longo tempore obſervarit: *tamen* HOC NON OBSTANTE, *alterius tantummodo ſpeciei uſus placet pro Laicis*. Hactenus verba Concilii. Unde non injuria *Lutherus* Concilium Conſtantienſe vocavit OBSTANTIENSE.

Sancitum porro, ne ſervetur fides hæreticis aut ſuſpectis de hæreſi, licet fide publica Imperatoris ad Synodum venerint, cognitionis cauſa. Poſtremo, cum jam cathedra Papalis Romæ quadriennium vacaſſet, actum de electione Pontificis, & ex quavis natione ſeni, atque ita triginta numero, cum Cardinalibus, undecimo Novembris A. C. 1417, elegerunt *Ottonem de Columna* Cardinalem, qui, quod electio in Martini celebritate facta fuiſſet, voluit ſe nominari MARTINUM V. Priuſquam vero eligeretur, decretum eſt à Synodo, ſeſſione 40, ut futurus Pontifex, cum ſacro Concilio, vel deputandis, per ſingulas nationes reformaret Eccleſiam, tam in capite, quam in membris, & Curiam Romanam ſecundum æquitatem & bonum regimen Eccleſiæ. Verum ubi Pontifex creatus eſſet, & ſolio impoſitus, non habita eſt ulla amplius ratio reformationis promiſſæ. At diligentiſſime interim inſtruxit *Martinus* inquiſitores, quomodo Evangelicæ doctrinæ cupidos (quos hæreticos & Huſſitas appellarunt vulgo) divexare ac perſequi, adque Romanæ ſedis obedientiam reducere poſſet. Inde Papa invito *Sigiſmundo* Conſtantia diſceſſit, quapropter Concilium finitum A. C. 1418 die 22 Aprilis. *Platina. Æneas Sylv. Chron. Carion. Chron. Belgic. P. Æmyl.*

11. In Concilio Conſtantienſi, ſeſſione 39, conſtitutum, ut ab hujus exitu anno quinto aliud, & iterum aliud poſt exactos inde annos ſeptem, & deinceps quolibet decennio generale concilium congregaretur. Ex hac igitur conſtitutione Papienſis Synodus convocata A. C. 1422: ſed cum nemo fere ibi adeſſet, & peſtis inſuper ingrueret, Senas inde fuit tranſlata. Hanc cum diſſolviſſet Papa *Martinus V* metu *Alphonſi* regis Arragonum, qui odio *Martini Petrum Lunenſem* Pontificatu Conſtantiæ abdicatum reſtituere conabatur, Baſileam futuræ poſt ſeptennium Synodo deſignavit, & *Iulianum* S. Angeli Diac. Cardinalem legatum miſit in Germaniam, qui Concilium cogeret.

Secuta eſt igitur Baſileënſis Synodus anno 1431. Inita die 7 Decembris, *Eugenii IV.* Pontificatus (qui *Martino V* ſucceſſit) anno primo. Huic Concilio Imperator ipſe interfuit, eoque Bohemos, oblato omnibus & à ſe & Concilio ſalvo conductu, invitavit. Bohemi igitur legatos ſuos *Wilhelmum Coſtam*, Procopium, & *Iohannem Rochezanam* inter trecentos equites Baſileam miſerunt, qui rationem fidei ſuæ redderent. Diſputatum eſt in Synodo fere 50 diebus: nec aliud Huſſitis quam communio ſub utraque ſpecie ſub certis conditionibus permiſſa eſt. *Sigiſmundus* Imperator poſtea ipſe, & *Philibertus* Conſtantienſis Epiſcopus legatus Concilii Baſileënſis in Latina, Germanica, Bohemica & Hungarica lingua publice promulgarunt, Bohemos communicantes ſub duplici ſpecie, panis ſcilicet & vini, eſſe legitimos & Germanicos Catholicæ Eccleſiæ filios. Hæc promulgatio ad perpetuum hujus rei monumentum tabulæ marmoreæ aureis literis inſcripta eſt, in æde corporis Chriſti; ut habet *Hiſtoria Bohemica*.

Certatum præterea acerrime in Concilio Baſileënſi de authoritate ac poteſtate Pontificia; tandemque decretum, Synodi authoritatem majorem eſſe quam Pontificum: poſſe Synodorum judiciis Pontifices à gubernaculis removeri: tribuenda eſſe ſuffragia non ſolis Epiſcopis, ſed etiam cæteris doctis & piis. De quo articulo cum eſſet magna contentione diſputatum, vicit tamen hæc ſententia propter locum in Actis Apoſtolorum, ubi memorantur adhibiti in dijudicanda controverſia de circumciſione, non ſoli Apoſtoli, ſed etiam cæteri Seniores. *Actor.* 15. Hos articulos, etſi leviores erant, tamen quod Papa *Eugenius IV* videret labefactaturos eſſe Pontificum potentiam, & exiſtimaret, nulla in re, quamvis levi, exemplum violandæ authoritatis pontificiæ concedendum eſſe, Synodos enim paulatim plus libertatis ſibi ſumturas eſſe; præcepit Synodum transferri Bononiam. Quod cum graviter ferrent *Sigiſmundus* Imper. & cæteri qui convenerant, citarentque *Eugenium* Baſileam, & ſi non compareret, minitarentur ei diras atque exſecrationes, abdicationemque à Pontificatu, territus *Eugenius* confirmavit acta Synodi. Non multo poſt tamen tempore, pœnitentia ductus, Baſileënſe Concilium in frequenti Conſiſtorio Ferrariam transfert. Prætexebat, Græcos, qui eum ſibi locum delegiſſent, Alpes tranſire nolle, ergo Ferrariæ ſe velle cum Græcis agere, & ipſos in ſinum matris Eccleſiæ Romanæ recipere.

Inter hæc moritur *Sigiſmundus* Imperator, & in locum ejus eligitur *Albertus* Auſtriacus. A morte Imperatoris multum authoritatis Concilio Baſileënſi deceſſit, paulatimque imminui cœpit. Nam, etſi, dum in vivis eſſet *Sigiſmundus*, acriter reſtiterunt patres Synodi Baſileënſis conatibus *Eugenii*, & Græcos, ſi de conſenſu Eccleſiarum deliberari quid atque conſtitui vellent, Baſileam ut accederent, hortati ſunt; vicerunt tamen artificia *Eugenii*, *Sigiſmundo* mortuo; & Ferrariæ Anti-concilium celebratum A. C. 1438. Venit eo & Imperator Conſtantino-

tinopol. *Johannes Palæologus*, cum Patriarcha Conſtantinopolitano, cum multis Epiſcopis, Abbatibus, & Prælatis, ac univerſa pene totius Græciæ nobilitate: ut diſcordia, quæ inter Græcam & Latinam Eccleſiam erat, ſedaretur, & in corpus unum utraque redigeretur. Diſputatum fuit de controverſis articulis, & proceſſione Spiritus S., & de aliis, ſeſſioneſque habitæ ſedecim, donec peſtis ingrueret, & abſque periculo nemo eſſe poſſet. Ferraria igitur omnes iverunt Florentiam, ubi Papa *Eugenius* Græcis perſuaſit, ut ſententiam Romanæ Eccleſiæ de proceſſione Spiritus Sancti amplecterentur, ut recepturos ſe in ſuas Eccleſias uſum panis azymi promitterent, ut fabellis de purgatorio aſſentirentur. Præterea conſenſu Græcorum facta ſunt hæc decreta. 1. Eccleſiam Romanam habere principatum, Pontificemque Romanum eſſe Petri principis Apoſtolorum ſucceſſorem, & verum Chriſti vicarium, & totius Eccleſiæ caput, & Chriſtianorum omnium patrem atque doctorem: ipſique traditam eſſe à Chriſto plenam poteſtatem paſcendi & gubernandi univerſam Eccleſiam. 2. Corpus Chriſti veraciter confici in azymo & fermentato pane, prout ferat Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis conſuetudo. 3. Animas in purgatorio levari Miſſarum ſacrificiis, orationibus, eleemoſynis, aliiſque officiis pietatis, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverint. Sed quæ Imperator Conſtantinopolitanus & Patriarcha coram approbaverant & amplexi erant, ea cæteræ Eccleſiæ Græciæ domi repudiarunt, ac refutarunt tanta vehementia, ut, quotquot conſenſiſſent, iis negarint officia Chriſtianæ ſepulturæ. Nec multo poſt, nempe 1453, Mahumetes Turcarum Imperator Conſtantinopolin cepit, & vetuſtiſſimum Græciæ Imperium una cum Imperatore Conſtantino ſeptimo Palæologi fratre obtrivit atque exſtinxit; à quo tempore REGES Turcici IMPERATORIS titulo uti cœperunt. *Eugenius* Papa Baſileënſe Concilium multis artibus & vi aperta evertere ſtuduit: verum illud ſe diſturbari, & loco moveri paſſum non eſt; ſed authoritate ſua uſum, *Eugenium* Pontificatu privavit, damnavitque tanquam contumacem, & præceptis Eccleſiæ univerſalis inobedientem, in aperta rebellione perſiſtentem, pacis & unitatis Eccleſiæ DEI perturbatorem notorium, univerſalem Eccleſiæ ſcandalizatorem, inſignem ſimoniacum, perjurum, incorrigibilem, ſchiſmaticum, à fide devium, pertinacem hæreticum, dilapidatorem jurium & bonorum Eccleſiæ, inutilem & damnoſum in adminiſtratione Romani Pontificatus. Prohibuit præterea Synodus omnibus ſub pœnis ſchiſmatis & hæreſis obedire aut favere Pontifici notorio ſchiſmatico, perjuro & hæretico. Totidem enim verba leguntur in Seſſ. 34. in literis datis 7 Calend. Julii, A. C. 1434. Pronunciavit denique Synodus, Omnes ejus conſtitutiones, & alia ejus inſtituta, prorſus irrita eſſe habenda. Poſt hanc condemnationem Synodus alium creavit Pontificem AMADÆUM Sabaudiæ Ducem, qui Eremitarum vitam cum aliis nobilibus ad Ripaliam ducebat, & FELICEM V nuncuparunt. Hinc magnæ ſeditiones ortæ, cum Eccleſia trifariam diviſa, aut *Felicem* aut *Eugenium* ſequeretur, eſſentque qui *Neutrales* vocarentur, quod neutri obtemperarent. *Eugenius* adeo iratus fuit Arelatenſi Epiſcopo, qui author præcipuus fuerat ſententiæ in *Eugenium*, ut 600 millia coronatorum promitteret ei, qui Arelatenſem captivum adduceret. Tandem hoc ſchiſma morte *Eugenii* diremtum ac ſopitum eſt, cedente ſponte ſua Pontificatu Felice V. *Chronicon Carion. Chron. Belgic. Æneas Sylvius. Annal. Suev. Laonicus. Plat. Chalcond. Urſpergenſis.*

CAPUT III.

DE EGRESSV.

Sigiſmundus Imperator è Concilio Baſileënſi in Hungariam ſe contulit, ubi aliquandiu commoratus. Poſtea Bohemiam repetivit, quæ aliquanto quietior erat, Bohemis ſententia Synodi Baſileënſis nonnihil placatis, ac Dominum ſuum deſiderantibus. Ibi cum ſanatis utcunque vulneribus publicis imperraſſet à proceribus, ut *Alberto* Auſtriaco genero, egregio Principi, & pleroſque ſui temporis præclariſſimis generoſæ indolis dotibus antecellenti, ſucceſſionem in regno ſe mortuo promitterent, Znoymam Moraviæ urbem ad filiam deferri voluit; ſeu ut in ſinu & oſculis atque complexibus filiæ, quam impenſe dilexit, moreretur, quæ ibi hærebat; ſeu quod diffideret genti Bohemicæ. In ea urbe tandem, extremo virium defectu ceu exſolutus, vitam finiit, A. C. 1437 die 8 (alii 9) Decembris, ætatis 70, anno Regni Hungarici 51, Bohemici 17, Rom. 27, coronationis Romanæ 5. Deceſſit ſine hærede maſculo. Cadaver regio apparatu Varadinum transportatum, ibique honorifice ſepultum eſt. *Chron. Carion. Bonfin. Cuſpin. Chron. Spangenberg. fol. 378.*

DYNASTIA SEPTIMA.

Ex SOLIS AUSTRIACIS.

XLI IMPER. GERM.

ALBERTUS II.

I. ORTUS.

1. PATER ejus fuit ALBERTUS, ejus nominis quartus, Archidux Austriæ, vir pius & religiosissimus. Unde à quibusdam propter religionis studium ex invidia Monachus dictus est.

II. MATER dicta fuit JOHANNA, filia *Alberti* senioris ducis Bavariæ.

II. PROGRESSUS.

1. EDUCATIO & INDOLES.

Albertus puer educandus traditus est *Andreæ Blanco*, Garsiæ Pastori, & clarissimo equiti *Ramperto de Walsehe*: quorum alter in vera religione, alter in civilitate, egregiis virtutibus, studiisque equestribus bene & diligenter eum informavit. Indolis fuit eximiæ, multisque corporis & animi dotibus ornatus: vix ex ephebis excesserat, cum jam omnes æquales corporis proceritate superaret: cui etiam robur accessit. Et quemadmodum ipse probe omni literatura imbutus fuit: ita etiam doctos in pretio habuit, cumque iis libenter conversatus est.

1. *ACTA OECONOMICA.*

Uxorem habuit ELISABETHAM, *Sigismundi* Imp. filiam, cum qua nuptias celebravit anno ætatis 22, & ex ea duas suscepit filias, ANNAM, *Wilhelmo* Saxoniæ Duci, & ELISABETHAM, Casimiro Poloniæ Regi nuptam; & LADISLAUM posthumum. Hic *Ladislaus* post mortem patris natus est in arce Comara A. C. 1440, tempore incuntis quadragesimæ 22 Februar. & die Pentecostes, cum nondum quartum implevisset mensem, coronatus in Regem Hungariæ: postea à matre in Austriam cum Corona Hungarica ad *Fridericum III* Imper., ut ad consanguineum, nutriendus & conservandus missus est. Interim VLADISLAUS Polonus Jagellonis filius etiam coronatus Rex Hungariæ, 17 Julii, in Alba Regali: & quod Æneas Sylvius annotat, Dionysius Episcopus Strigonienſis utrique Regi diadema imposuit: *Ladislao* volens, *Vladislao* coactus. Sed *Vladislaus* paullo post A. C. 1445 in bello contra Turcas gesto periit, & ita regni alieni usurpati pœnas dedit, & dum *Ladislaum* regno paterno spoliare quæsivit, suum amisit. *Cæca est cupiditas hominum, qui non contenti civitatibus dominari, provincias quærunt, post regnum, neque etiam sic expleti, regnis regna cumulare nituntur, nescientes, quod parva res vitam eripiat homini, & omnibus pompis ac dominiis nudum in monumento reddat. Corpuscula nostra, ubi spiritus evolavit, modico sarcophago contenta sunt.* Quodsi *Vladislaus* animadvertisset, quietus in regno suo (nam satis divitiarum possidebat) nunquam Hungariam attigisset.

Exstinctus *Vladislaus* (ætatis suæ, ut refert Leonclav. a. 25.) locum in regno Hungariæ fecit *Ladislao Alberti* posthumo, quintum ætatis annum agenti, quem Hungari, utpote antea quoq; coronatum, post varias longasque deliberationes & concertationes, Regem sibi adsciverunt. Cum autem regno immaturus esset, de Gubernatore Hungariæ eligendo agitatum est. Ideoque Hungarorum consensu JOHANNES HUNNIADES, natione Semidacus seu *Walachus*, Comes Bistricienſis, ingenio dextro, animo magno & excelso præditus, ac virtutis amator, tradita Reipubl. summa, Hungariæ Gubernator aut Prorex pronunciatus est, quod anno 1445 festis diebus Pentecostes factum esse prodit Bonfinius. Hic *Iohannes* Ducum omnium, qui cum Turcis arma contulerunt, illo tempore clarissimus, solers ac sagax in prospiciendis, patiens in exspectandis, celer in arripiendis, acer in persequendis rerum occasionibus, atque in rebus ipsis urgendis pertinax, conficiendis felix ac fortunatus fuit. Adversus duos enim audacissimos ac felicissimos Turcicos Tyrannos *Amurathem* & *Muhamedem* divina ope Pannoniam defendit: estque propterea appellatus fulmineus terror Turcarum. Fuit enim non modo, ut de *Achille Homerus* inquit, Achivorum, sed totius reliquæ Europæ murus; cujus unius virtus & felicitas tyrannorum impetus repressit, velut objecta moles exundans flumen. Nec quisquam Regum aut Ducum res majores & Europæ utiliores adversus Turcas gessit. Interim *Ladislaus* adolevit & A. C. 1452, ætat. 13, à *Friderico* Imp., sub cujus tutela hactenus fuerat, dimissus est, annoque sequenti Pragæ iterum coronatus Rex Bohemiæ, die Simonis & Judæ. Peracta coronatione, permissum est cuilibet, ut suo arbitrio, vel sub una vel sub utraque specie communicaret. Ipse tamen *Ladislaus* persuaderi nunquam potuit, ut templa Hussitarum intraret, vel sacris eorum interesset. Regni curam cum susce-

ſuſcepiſſet *Ladiſlaus*, totum ſe dedit *Ulrico* Ciliæ Comiti ſuo propinquo, ita ut niſi de ipſius conſilio & voluntate decerneret & faceret nihil. Quare cum *Muhamed* A. C. 1456 in Hungariam cum exercitu centum & quinquaginta millium tranſiiſſet, & *Belgraaum*, quam Albam Græcam vocant, tam terra quam mari obſidione cinctam oppugnare cœpiſſet, *Ladiſlaus* Turcis, ſuaſu Ciliæ Comitis *Ulrici*, ſe opponere non fuit auſus. Sed *Hunniades* prorex, & *Capiſtranus* Minorita legatus Pontificius, exercitu collecto urbem intrarunt: & Hunniades claſſem Muhamedis in fluvio naves ducentas cepit, reliquas, ne uſui eſſent Hungaris, Muhamed ipſe cremavit. Inde ad urbem pugnatum eſt toto die, & perierunt ad quadraginta millia Turcarum. Factum 6 Auguſti: ipſe Muhamed, cum oculus ejus haſta eſſet trajectus, ſequenti nocte incenſis caſtris cum exercitu fugit, præda ea tantum relicta, quæ igne abſumi non potuit. *Hunniades*, feliciſſimus Hungariæ defenſor, (cujus nomen, ut tradit Sylvius, tam terrificum fuit Turcis, ut parentes liberis plorantibus ſilentium non aliter imperarent, quam Hunniadis præſentiam minitando) mortuus eſt die 10 Septembr. non ſine veneni ſuſpicione, à Comite Ciliæ propinati. Anno ſequenti *Ladiſlaus* rex Belgradum excurrit, viſurus monumenta victoriæ Hunniadis. Ibi Ciliæ Comes *Ulricus* infenſiſſimus hoſtis Hunniadis, calumniatus eſt filios Hunniadis de conſpiratione in necem Regis facta. Major filius *Ladiſlaus* urget Comitem, ut vel probet, vel revocet mendacia. Comes prior gladium ſtringit. *Ladiſlaus* vero ferociter Comitem obtruncat, tertioque die poſt, juſſu regis, cum Budam abductus fuiſſet, non ſatis cognita cauſa, capite truncatus eſt. In illo autem innocentiæ teſtimonium DEUS mirando exemplo tribuit. *Ladiſlaus* enim egregio corpore adoleſcens, flavis de more crinibus ſuper humeros ſparſis, revinctis poſt tergum manibus, talari atque aurea veſte indutus, quam ipſi paulo ante Rex donaverat, in publicum productus, dum inter vota ad DEUM, procumbens in genua, forti animo cervice erecta ictum exſpectat, ter à lictore percuſſus, atque ex ictu prolapſus in terram, ſuopte annixu, quanquam ligatus & vulneratus eſſet, ſeſe rurſus à terra extollit, & clara voce DEUM invocans, eum teſtem ſuæ innocentiæ fecit. Quarto demum ictu capite præfecto vitam profudit. MATTHIAS alter Hunniadis filius, in Bohemiam miſſus, ibique in vinculis retentus eſt: ſed ante latam de capite ejus ſententiam, *Ladiſlaus* Rex Hungariæ juvenis octodecim annorum, in ipſo apparatu nuptiarum, quas celebraturus erat cum *Margareta Caroli* VII regis Galliæ filia, ad quam adducendam legati miſſi erant, mortuus eſt Pragæ, ubi ſponſam exſpectabat die 21 Novembr. anno 1457, non ſine veneni ſuſpicione. MATTHIAS filius Hunniadis, annos tredecim natus, ex cuſtodia *Georgii Podiebracii* Gubernatoris Bohemiæ 50000 florenis liberatus, anno ſequenti die 22 Januarii Rex Hungariæ declaratus eſt. Attende hic miram rerum converſionem. LADISLAUS rex *exſpectabat ſponſam, & defertur mortuus ad tumulum.* MATTHIAS *metuebat mortem trepidus, & ex carcere vocatur ad Regnum.* Regnavit *Matthias* annos 32, & menſes tres. Anno 1490, die ſexto Aprilis, Viennæ apoplexia mortuus eſt. Eodem die quoque Leones, quos ille in arce Budenſi alere ſolebat, exſtincti ſunt. *Mechov. Chron. Hung. Æneas Sylvius. Bonfinius.*

II. *ACTA POLITICA.*

Imperii occupatio, ejuſdemque *adminiſtratio.*

Defuncto *Sigiſmundo* Imp. ALBERTUS Dux Auſtriæ ab Electoribus imperii unanimi conſenſu Imperator electus A. C. 1438, in medio quadrageſimæ die 20 Martii. Ter coronatus eſt hoc anno. 1. Cal. Januar. impoſita eſt ei corona regni Hungariæ. 2. Pragæ 6 Maii renunciatus eſt Rex Bohemiæ. 3. Die 20 Maii coronatus eſt Imperator Romanorum. Fuit autem *Albertus* Princeps liberalitate ac eximia animi magnitudine clarus, quique cæteris rebus ſtudium religionis longe antepoſuit. Nemo unquam majore ſpe ad Imperium venit, & ſane conceptam animis hominum opinionem haud fruſtratus eſſet: ſiquidem toto biennio quo præfuit, Moravos ac Sarmatas, qui hodie Poloni ſunt, rebelles compeſcuit, quo motu 400 pagi exuſti ſunt. Auſtriam adverſus Huſſitarum impreſſiones utcunque defendit. Sileſiam, & inprimis Vratiſlaviam, perdomuit. Turcas longe à finibus Hungariæ in Græciam repulſos removit. *Baptiſta Egnatius. Pantal. Fabr. Cuſpin. Lazius.*

III. *EGRESSVS.*

Albertus Imp. cum Synderoviam Serviæ civitatem à Turcis obſidione cinctam vellet ſecundare, (quam prius amiſſam vidit, quam ad locum perveniſſet) exercitus dyſenteria affligitur, & ipſe inſolito calore vexatus, peponum nimio eſu in ventris ſolutionem incidit, Viennamque repetiturus, deceſſit prope Strigonium urbem Hungariæ, (cui confluens Iſtri & Grani coactis in vocem unam dictionibus geminis nomen dedit) A. C. 1439, die 27 Octob., cum imperaſſet annum unum, menſ. 8.

& dies 27. Reliquit uxorem gravidam, quæ peperit ſequenti anno die 22 Febr. (alias 21) filiolum *Ladiſlaum poſthumum*: de quo ſupra diximus. *Albertus* in Alba Regali ad latus ſoceri ſui *Sigiſmundi* ſumtuoſiſſime ſepultus eſt. *Cuſpin. Lazius. Volaterranus lib.* 23. *Chron. Cruſii part.* 3. *lib.* 7. *f.* 370.

H. Mutius lib. 28. *fol.* 320. tale encomium *Alberto* Imp. tribuit: *Illi omnia erant, quæ ad bonum Imperatorem pertinent. Animus erga Rempubl. bonus: Peritia multarum rerum: Facultas qua poterat, & Fortitudo animi & corporis, qua audebat, exſequi negotia Reipubl. neceſſaria.*

XLII IMPER. GERM.

FRIDERICUS III.

CAPUT I.

DE ORTV.

FRIDERICUS è clariſſima Ducum Auſtriæ familia oriundus fuit, patre natus *Erneſto*, matre *Cunegunda* filia Ducis Naſſoviæ, in Lithuania, anno C. 1415, die Matthæi, (21 Septembr.) Anno ætatis ſeptimo *Fridericus* patrem amiſit.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. ACTA OECONOMICA.

UXorem habuit *Eleonoram*, Regis Portugalliæ *Alphonſi* ſororem. Cum qua ſplendidiſſimas nuptias celebravit Neapoli anno C. 1452, circa feſtum Paſchatos, cum antea die 19 Martii à Pontifice *Nicolao* V coronati eſſent. Ex ea autem ſuſcepit tres filios: MAXIMILIANUM in Imperio ſucceſſorem, CHRISTOPHORUM, & JOHANNEM. Item *duas* filias, HELENAM, quæ in pueritia mortua eſt, & CUNEGUNDAM, quam *Sigiſmundus* Dux Auſtriæ patruelis, Imperatore inſcio atque invito, collocavit in uxorem *Alberto Bavaro*. *Pantaleon fol.* 521, 523. *Coſmograph. fol.* 361, 363. *H. Mutius. lib.* 29. *fol.* 330.

II. ACTA POLITICA.

1. *Imperii occupatio.*

Fatis functo *Alberto* II Imper., FRIDERICO filio ejus anno Chriſti 1440, menſe Martio, Francofurti ab Electoribus omnium conſenſu Imperium traditum eſt. Inde die 17 Junii Aquiſgrani de manu Ditherici Archiepiſcopi Colonienſis coronam argenteam pro more accepit. Poſtea anno Chriſti 1452 Italiam ingreſſus, & Romæ à *Nicolao* Pontifice cum maxima ſolennitate inunctus, & Longobardorum Rex atque *Auguſtus* & Imperator ſalutatus eſt, die 17 Martii. *Cuſpin. Pantal. fol.* 521. *H. Mutius lib.* 29. *fol.* 330, 331.

II. *Imperii adminiſtratio.*

II. ACTA TOGATA.

FRIDERICUS Imp. Imperio annis 53 ſumma cum laude præfuit. Unde *Sylvius* in Europa ſua, cap. 22, cum his verbis prædicat: *Multa ſunt in hoc Cæſare*, inquit, *quæ laudare poſſis. Corpus egregium, & ſpecies Imperatore digna, animus ſedatus & tranquillus, ingenium perſpicax, & memoria tenacior, religionis ardens zelus, ingens cupiditas pacis & otii. Singularem virtutem in quovis homine diligit, dignamque præmio ducit: in rebus gerendis tardior ac remiſſior eſt. Tenacem plerique accuſaverunt, & ad rem nimis attentum.*

Porro *Fridericum* Imp. præclara quadam generoſi ingenii indole, prudentiaque matura & circumſpecta præditum fuiſſe, varia ejus apophthegmata, ex quibus virtutes eximiæ ſimul eluceſcunt, oſtendunt. Nam,

I. Cum *Ladiſlaum* filium *Alberti* Imper. Hungariæ ac Bohemiæ regem educaret, non defuerunt, qui perdendum ſuaderent puerum, cujus vita ingentes moleſtias Cæſari, mors vero regna & opes maximas allatura eſſet. Ad quos ille: Ergo me, opulentum magis Regem, quam pium, quam *juſtum* cupitis? At ego *Juſtitiam* bonumque nomen divitiis cunctiſque rebus antepono. *Æneas Sylv.*

II. *Fridericus* Imp. tum demum ſalvam Rempubl. fore dicebat, ſi Senatores de rebus conſulturi, in veſtibulo curiæ ſimulationem ac diſſimulationem deponerent. Sic enim & ipſi recte conſulere, & judici inter conſilia dijudicare non difficile eſſet. *Idem.*

III. Idem Imp. interrogatus, quinam ſibi cariſſimi eſſent? Qui, inquit, me non magis quam DEUM ipſum timent. Deprompta ſane ex Chriſtiano pectore ſententia. Inprimis enim timendus DEUS, Rex Regum, & Dominus dominantium. *Idem.*

IV. Imperator interrogatus, an moriones in convivium admitti vellet: Neque ſtultis, ait, delector; neque ſuperbis amicus eſſe poſſum. *Idem.*

V. Cum in urbe quadam præfectum, ſenem admodum, & ætate jam imbecillem, *Fridericus* Imp. dediſſet, non defuerunt adoleſcentes, qui ſibi præfecturam loci committi peterent. Cum igitur ſenem amovendum dicerent, *Fridericus* dixiſſe fertur: Senem amicum oppido, non amico oppidum commen-

mendamus; ſentiens, dignum eſſe, ut ſenex jam à civibus ad mortem uſque foveretur. *Idem.*

VII. Cum audiret quendam dicentem, abiturum ſe aliquando in ea loca, in quibus nulli plane hypocritæ eſſent, reſpondit: Ultra Sauromatas ergo & glacialem Oceanum tibi eundum eſt. Sed cum eo veneris, non omnino carebit hypocriſi locus; ſi modo & tu homo, non DEUS es. Inter mortales enim nemo eſt, qui non ex aliqua parte fictus, fucatuſque ſit.

VIII. Cum nonnulli dicta probroſa jactaſſent in Imperatorem, referentibus aulicis: An neſcitis, inquit *Fridericus*, Principes quaſi ſignum ad ſagittam expoſitos eſſe? Turres quidem fulmina prærltas feriunt, humilia tecta prætereunt: at nobiſcum bene agitur, ſi verbis tantum impetimur: Innuens, eum, qui convitia, velut dicta, quibus nihil levius, formidat, vix toleraturum popularium impetum. *Æneas Sylvius lib. 1. Comment. de reb. geſt. Alphonſi.*

VIII. FRIDERICUS, victis in Hungaria Guintzienſibus, ſuos Germanos milites ita allocutus eſt: Magnum actum eſt opus. Nunc autem majus reſtat, ut ſcilicet vincamus noſmet ipſos, atque avaritiæ & ulciſcendi cupiditati finem imponamus. *Æneas Sylvius lib. 2. Comment. de reb. geſt. Alphonſi.*

IX. *Fridericus* iis Principibus, qui immites & crudeles erga ſuos fuiſſent, mortem nimis extimeſcendam eſſe dicebat. Nam quales ſe, dum vixerunt, aliis præſtitere, tales, cum moriuntur, in ſe judices inventuros eſſe. Oſtendere autem voluit, iis mortem eſſe amaram, qui mala anteactæ vitæ conſcientia premuntur. *Ibid.*

X. In Auſtria cum obiiſſet unus ex primoribus, annos natus tres & nonaginta, qui vitam inter voluptates illecebraſque nulla unquam valetudine offenſam duxiſſet, ignotaque ipſi omnis calamitas, omnis mœſtitia fuiſſet, idque *Friderico* Imperat. narraretur: Et hinc, inquit ille, immortales animas cenſere licet. Namque, ſi DEUS eſt, qui hunc mundum gubernat, (ut Philoſophi & Theologi docent) eumque juſtum eſſe nemo negat: profecto alia loca ſunt, ad quæ poſt mortem animæ migrant, ibique pro factis aut mercedem aut pœnam accipiunt. Nam hic nec bonis ſua præmia, neque malis ſua ſupplicia reddi videmus. *Æneas Sylvius.*

XI. *Iacobus* de Sirk / Epiſcopus Trevirenſis, Princeps Elector, vir induſtrius, ac magni conſilii, ſed multum cupidus, & ad extollendam Eccleſiæ ſuæ potentiam nimis attentus, *Fridericum* Imperat. apud novam civitatem cum adiiſſet, & alia atque alia petens impetraſſet, ſed plura tamen petendo inſtaret: Si non facis, inquit Imperator, petendi finem, ego certe indulgendi finem facile inveniam. Quo dicto perquam lepido improbum petitorem compeſcuit. *Idem.*

II. *ACTA SAGATA.*

Nulla à *Friderico* Imper. bella notatu digna geſta eſſe accepimus. Nam etſi præclara quadam generoſi ingenii indole, prudentiaque matura ac circumſpecta, ſeſe nunquam deſtitueret; abhorrebat tamen à bellis, cum natura, tum ob iniquitatem fortunæ, quam adverſam experiebatur: & eam ob cauſam animo erat fractiore, opportunaque & aſtuta calliditate fulciebat, ac quaſi ſupplebat, debilitatem potentiæ, atque alienis armis, ſumtibus & periculis potius, quam ſuis, vel res magnas gerebat, vel conſtitutus in diſcrimine, defendebatur aut eripiebatur: & quos compeſcere ſua authoritate nequibat ſibi adverſantes, eos, incitatis aliis, involvebat ac diſtrahebat bellis domeſticis. Unde Fabio cunctatori recte confertur. Et Mycillus tali diſticho eum proſequitur:

Otia quam bellum per totum maluit ævum.
Conveniens factis hinc quoque nomen habet.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. *Fridericus* Imper. perfecit, ut FELIX, abdicato Pontificatu, cederet NICOLAO V, ſucceſſori *Eugenii* IV. Hic Pontifex *Nicolaus*, quod Pontificatum non appetivit, ſed delatum invitus ſuſcepit, & à liberalitate & bonarum literarum inſtauratione perpetuam laudem meruit. Tot enim à doctiſſimis viris ei inſcripta eſſe volumina, quot neque ſuorum anteceſſorum, neque Imperatorum cujuſpiam nomini dicata comperimus. Bibliothecam Vaticanam Romæ auxit, veteribus ac novis codicibus ornatiſſimam, in qua circiter tria millia librorum volumina condidit. *Æn. Sylv. Platina, & Volaterranus.*

II. A. C. 1450 *Nicolaus* V Papa Jubilæum celebravit Romæ, ubi in ponte Tyberino, (vel S. Angeli) cum templum ingrederentur, & ex eo egrederentur, (Platina teſte) 200 homines vel calcatione & preſſura perierunt, vel in flumen detruſi & præcipitati ſunt, qui indulgentiarum cauſa è templo ad caſtrum S. Angeli accurrerant. Alii dicunt, 500 homines periiſſe, & ſimul obtritos equos tres & mulam.

III. Defuncto *Calixto* III Papa (qui *Nicolao* V ſucceſſerat) ÆNEAS SYLVIUS in locum ejus electus eſt A. C. 1458, & dictus PIUS II. Hic quibus gradibus ad honores adſcenderit, ipſe recenſet Epiſtola 201. Fuit initio Scriba in Con-

cilio Basileënsi: postea *Friderici* III Imper. Secretarius: inde Episcopus: post Cardinalis, & tandem Pontifex. Hic *Æn. Sylvius*, cum quædam suppressisset ac damnasset Pontifex, quæ privatus scripserat, hoc scommate à quodam notatus est: *Quod Æneas probavit, Pius damnavit.* Author dicitur esse distichi, quod in multorum ore est:

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis monachus, plenaque fraudis anus.

Sedit annos 5, menses 11, dies 27. Successit ei PAULUS II Papa. *Platina.*

IV. A. C. 1471 *Paulus* II Papa obiit: cujus morte etiam historiæ PLATINÆ terminantur. Successit SIXTUS quartus, qui Jubilæum à 50 anno ad 25 reduxit, ac celebravit A. C. 1475, ut antecessor *Paulus* II, hostis literarum & virtutis infensissimus, (qui humanitatis studia ita oderat, ut ejus studiosos uno nomine appellaret hæreticos) decreverat. Præterea *Sixtus* Papa festum visitationis Mariæ quotannis adversus Christiani nominis hostes ordinavit. *Platina.*

V. A. C. 1456, GRYPHISWALDIANA *Academia condita ab Vratislao Pomeraniæ Duce, introducta sequenti anno die* 18 *Octobr.* Chytræus.

VI. A. C. 1460, BASILEENSIS *Academia à Pio* II *Pontifice, &* FRIBURGENSIS *etiam in Brisgoia ab Alberto Archiduce Austriæ instituta.*

VII. A. C. 1477, Academia TUBINGENSIS constituta ab EBERHARDO Duce Wirtebergensi: *cujus primus Rector fuit* JOHANNES NAUCLERUS. *Annal. Suev.*

CAPUT. III.

DE EGRESSV.

FRidericus Imper. cum gravi morbo Linzii laborare cœpisset, quem nimio melonum esu auctum esse nonnulli prodidere; alterum ei crus sphacelo affectum, per eosdem dies ex Medicorum consilio resectum erat. Id cum inspexisset, quæsivisse ferunt, quid inter Cæsarem & quemvis rusticum interesset? Mox vero subjecisse, Rusticum sanum ægroto Cæsare longe esse feliciorem. Non multo post, rebus ex ultima voluntate constitutis, obiit A. C. 1493, die Lunæ post festum assumtionis Mariæ, 19 Augusti, quo etiam Cæsar Augustus ante annos 1478 obierat) anno ætatis octavo & septuagesimo, post susceptam Imperii curam tertio & quinquagesimo, mense 4, quo Cæsarum post Augustum nemo diutius imperavit. Fuit enim duobus annis major Augusto, & ab eodem tribus in imperio annis superatus. Sepultus est Viennæ in æde D. Stephani. *Cuspin. Laz. Cosmograph. Munsteri. Pantaleon.* &c.

Viri celebres.

I. FLAVIUS BLONDUS, patria Forolivensis, historicus celebris, & multorum Pontificum Romanorum Secretarius, tempore *Friderici* Imperat. floruit. Scripsit historiam Romanam, in qua multa Ecclesiastica continentur ab anno Dom. 407 usque ad annum 1400. Mortuus est Romæ A. C. 1463, 4 Jun. anno 75.

II. LEONHARDUS ARETINUS, qui multa in Aristotele, Plutarcho, & in reliquis authoribus Græcis Latine vertit, mortuus est Florentiæ A. C. 1443, die 9. Martii, ætatis 74. *Trithemius.*

III. MATTHÆUS PALMERIUS, qui continuavit Eusebii Chronicon ab anno 449 usque ad annum 1449. Tradit Trithemius, illum, cum de Angelis perverse sentiret, apud Cornam civitatem esse exustum. Hujus *Matthæi* Chronicon ab anno 1450, usque ad 1481, continuavit *Matthias Palmerius*, qui eodem seculo vixit.

IV. JOHANNES *Capnio*, sive *Reuchlinus*, natus est A. C. 1455, die 28 Decembris. Hic primus fere literas Ebraicas & Græcas in Germaniam importavit.

V. BAPTISTA SPAGNOLUS Mantuanus, Ordinis Carmelitarum Prior generalis, Poëta fuit doctus, & multa carmina scripsit in laudes Sanctorum. Natus est A. C. 1444, 12 Aprilis, quod monstrat sequens distichon:

NasCItVr In terras MonaChVs BaptIsta, fVsqVe
VatICInaVersVs à genItrICe bIbIt.

Schader. in monum. Italiæ.

VI. JOHANNES GEILER Keiserspergius, Theologus & Doctor Ecclesiæ Argentinensis, cujus eruditionem ac pietatem testantur scripta illius, sub Friderico floruit.

VII. NICOLAUS de Cusa, natione Germanus, suo seculo ob literarum cognitionem propemodum pro miraculo mundi est habitus. Multa ejus scripta exstant. Primum fuit Decanus sancti Florini, deinde Episcopus Brixiensis, denique Cardinalis à *Nicolao* V Papa creatus. Obiit A. C. 1464, ætatis 63.

VIII. A. C. 1453 HERMOLAUS BARBARUS Venetus natus est. Hic ab anno ætatis 18 scribere cœpit: cujus hodie exstant varia nobilis ingenii doctrinæque ipsius monumenta. Themistium latino sermone donavit, ejusque opera & auxilio Latio pulsus est barbarismus. In Patriarcham Aquileiensem evectus est. Obiit anno ætatis 41.

De

De laudibus Hermolai vide *Eraſmum Chil. 1. cap. 4. adag. 39.*

IX. Anno Chriſti 1453 JACOBUS ALVAROTTUS Juriſconſultus, ex celebri ALVAROTTORUM apud Patavinos familia oriundus, cujus exſtant utiliſſimi Commentarii ad jus feudale, obiit an. ætatis 68.

X. ANGELUS POLITIANUS Philoſophus, Poëta, & Orator, qui Herodianum Latine interpretatus eſt, & cujus Epiſtolæ exſtant, circa annum Chriſti 1480 floruit. Item *Conradus Celtes*, primus Germaniæ Poëta Laureatus. Et *Marſilius Ficinus*, qui *Platonem* vertit.

XI. A. C. 1465 DESIDERIUS *Eraſmus* natus eſt Roterodami in Hollandia, in exigua domuncula ad Cœmeterium. Rudimenta Linguæ Latinæ & Græcæ didicit Daventriæ in Schola *Alexandri Hegii*: quſcum aliquando *Rudolpho Agricolæ* Scholaſticorum ſcripta monſtraſſet, prætulit *Rudolphus Eraſmicum* ſcriptum cæteris, propter inventionis acumen, orationis puritatem, & figuras apte ceu floſculos interſperſos, eoque adeo delectatus eſt, ut accerſito ad ſe *Eraſmo* dixerit: *Tu eris olim magnus*: vel, ut alius quidam reddidit: *Tu, niſi me fallant omnia, magnus eris.*

XII. Eodem anno JOHANNES AVENTINUS cognom. Turmairius, hiſtoricus diligentiſſimus, & rerum antiquarum ſagaciſſimus indagator, Abuſinæ Bavariæ oppido natus eſt. Obiit Ratisbonæ anno ætatis 68.

XIII. A. C. 1471 DIONYSIUS RIKEL Carthuſianus, natione Belga, cujus exſtant ſcholia in textum Bibliorum, obiit. Tot ac tanta ſcripſit, ut numero opuſculorum apud Latinos parem habuerit neminem. *Trithem.*

XIV. Circa hoc tempus POMPONIUS LÆTUS in Italia floruit, qui adeo ſtuduit latinitati, ut Græca attingere non auderet. Tantus fuit admirator Romanæ vetuſtatis, ut Chriſtiano Petri nomine rejecto, ſe dixerit Pomponium: diem natalem Romanæ urbis ſacrum habuit, & Romulum coluit, ſeque Dictatorem nominavit. *Ludovicus Vives.*

XV. A. C. 1479 THEODORUS GAZA Theſſalonicenſis, Græce Latineque doctiſſimus, qui lib. Ariſtotelis de animalib. magna cum laude vertit, obiit Romæ. Detulit hic *Theodorus Sixto IV* Pontifici nobiliſſimas lucubrationes in membranis accurate perſcriptas. Is vero pecuniam vix librarii præmio dignam reddidit. Indignatus itaque Gaza; Aufugere hinc lubet, inquit, poſtquam optimæ ſegetes in olfactu pinguibus aliis ſordeſcunt.

Eodem anno JOHANNES WESSELIUS Groningenſis, Concionator Wormatienſis, damnatus hæreſeos Moguntiæ, quod de indulgentiis, jejunio, aliiſque articulis, quædam à communi Pontificiorum opinione aliena docuiſſet. *Urſpergenſis.*

XVI. Anno C. 1480 floruit RUDOLPHUS AGRICOLA Groningenſis, natione Friſius, *Johannis Dalbrugii* Epiſcopi Wormatienſis Præceptor, quo anno abſolvit Rhetoricam & Dialecticam libros lectu digniſſimos. JOVIUS hunc *Rudolphum* ita celebrat: Hauſiſti *Rudolphe* Ebraicas Græcaſque literas adeo ſtupenda celeritate, ut nequaquam Groningæ in Friſia, ſed Jeroſolymis ac Athenis natus & educatus credaris: Latina vero tanta felicitate didiciſti ac docuiſti, ut exacta puritas ac nobilis illa eloquentiæ Romanæ ubertas in Oceani litore quærenda videatur. Vivent profecto in admirantium manibus tua illa in Dialecticis & Rhetoricis præcepta, & divini ingenii carmina, *&c.*

Obiit A. C. 1485 ſepultus Heidelbergæ apud Franciſcanos, cui Hermolaus Barbarus hoc ſcripſit Epitaphium:

Invida clauſerunt hoc marmore fata Rudolphum
Agricolam, *Friſii ſpemque decuſque ſoli.*
Scilicet hoc uno meruit Germania, quicquid
Laudis habet Latium, Gracia quicquid habet.

XVII. A. C. 1481 FRANCISCUS PHILELPHUS Eques auratus & Poëta Laureatus Italus, qui multa ex græco in latinam linguam vertit, mortuus eſt Bononiæ nonagenarius, ſed adeo pauper, ut ad funus efferendum, & cubiculi, & culinæ inſtrumenta venierint. *Trithemius.*

Eodem anno *Bartholomæus* PLATINA, patria Cremonenſis, peſte Romæ exſtinctus eſt. Scripſit librum de vitis Pontificum. Item librum de naturis, & libros decem de honeſta voluptate, & valetudine, & epiſtolas ad diverſos.

XVIII. A. C. 1484 JULIUS CÆSAR SCALIGER, *Benedicti Scaligeri* viri & bellatoris fortiſſimi, ex antiquiſſima & nobiliſſima Scaligerorum, Principum quondam Veronenſium familia oriundi, filius, JOSEPHI pater, in caſtro Ripa, ad lacus caput Benaci, loco ditionis Scaligerorum, natus eſt. Fuit hic Criticus Grammaticus acerrimus, Poëta excellens, Philoſophus eruditiſſimus, & alter in Medicina Æſculapius, cujus nomen ſcripta ab eodem edita ad omnem poſteritatem immortale reddiderunt. Obiit anno ætatis 74.

XIX. Eodem anno JOACHIMUS *Vadianus*, Medicus, Poëta, & Geographus celebris, qui ſcriptis ſuis

ſuis doctiſſimis utilem Reipublicæ literariæ operam navavit, natus eſt. Vixit annis 66.

XX. A.C. 1486 JOHANNES TRAPEZONTIUS, vir doctiſſimus, cujus ſcripta exſtant, Romæ nonagenarius, qui in ſenecta literarum omnium oblitus dicitur, diem ſuum obiit.

XXI. Anno Chriſti 1489 SEBASTIANUS *Munſterus* in oppido Ingelheim natus eſt: cujus exſtat verſio Bibliorum, Grammatica Ebræa, Coſmographia, variaque monumenta. Obiit Baſileæ (ubi Profeſſor fuit Ebraicæ linguæ) anno ætatis 63.

Res memorabiles.

I. Sub *Friderico* Imper. ARS TYPOGRAPHICA, novum per typos ſcribendi genus, inventa & excogitata eſt à *Johanne Guttenbergio* Argentinenſi, genere ingenioque nobili. De quo ſic Wimpfelingus cap. 65. Circa annum Chriſti 1440 magnum quoddam ac pene divinum beneficium collatum eſt univerſo terrarum orbi, à JOHANNE GUTTENBERG Argent. novo ſcribendi genere reperto. Is enim primus artem impreſſoriam vel excuſoriam in urbe Argent. invenit. Inde Moguntiam veniens eandem feliciter (ſed magnis ſumtibus) complevit. Poſtea auxit eam JOHANNES MENTS Argentinæ, item SIXTUS RUSINGER Argentinenſis, qui eandem traduxit Neapolim in Italiam. Eodem fere tempore *Udalricus* Hahn Germanus eandem Romæ exercuit, quem multi putaverunt ex Gallia oriundum eſſe, cum ſe in cognomine ſcriberet Gallum.

De uſu artis typographicæ Poëta Italicus tale Epigramma concinnavit:

O felix noſtris memoranda impreſſio ſeclis,
Inventore nitet utraque lingua tuo.
Deſierat quaſi jam totum quod fundis in orbe,
Nunc parvo doctus quilibet eſſe poteſt.
Omnes te ſummis igitur nunc laudibus ornent,
Te duce quando ars hæc mira reperta fuit.

Item Poëta ejus ſeculi Teutonicus:

Nuper ab ingenio Rhenana gentis & arte
Librorum emerſit copia larga nimis.
Et qui è divitibus vix Regi obvenerat olim,
Nunc liber in tenui cernitur eſſe caſa.
Qua doctos latuit Græcos, Italoſque peritos,
Ars nova, Germano venit ab ingenio.

Et alius:

Cum calcographia bombardam, ætate ſenecta,
Orbis habet, quarum hæc quam mala, tam illa bona eſt.

Et Aprutinus Epiſcopus:

Imprimit ille die, quantum non ſcribitur anno.

II. A. C. 1444 accidit CLADES VARNENSIS, omnium celeberrima & Chriſtianis luctuoſiſſima, cujus cauſa abſque ulla dubitatione fuit icti fœderis violatio, quæ impulſu *Juliani* Cardinalis facta eſt. JOHANNES enim HUNNIADES (cujus ſupra in hiſtoria *Alberti* II. Imperat. mentionem fecimus) ſecundis aliquot prœliis Turcas ſuperaverat, & *Amurathem* II. Turcarum Regem VII ita terruerat, ut pacem ultro poſceret, & Chriſtianis decennii inducias offerret: quas cum Hungari non recuſarent, præſtitum eſt ab utraque parte juramentum; Chriſtianis quidem libro Euangeliorum, Turcis vero codici Alcorani digitos inter jurandum imponentibus. Factum A.C. 1443. die 13 Junii. Sed pacis leges, cum vix Amurathes ex Europa in Aſiam trajeciſſet, violavit *Vladiſlaus* Rex Hungariæ, juvenis alacer & ferox, incertæque belli gloriæ, quam ſecuræ pacis, avidior. Rupit autem fœdera *Juliani* Cardinalis inſanis & exitialibus conſiliis, cui proſequenda victoria videbatur: præſertim cum *Eugenius* IV Papa *Juliano* ſcripſiſſet, nullum valere fœdus, quod ſe inconſulto cum hoſtibus Eccleſiæ percuſſum eſſet. *Vladiſlaus* itaque per Julianum à juramento abſolutus, coactis ex Hungaria copiis, atque auxiliis undique accerſitis, Turcarum agros invadere ſtatuit. Sic Duce *Iohanne Huniade* (qui tum ſummo cum imperio toti exercitui erat præfectus, quem nonnulli XL millibus conſtitiſſe ſcribunt) in Turcas itum eſt. *Julianus* Cardinalis milites Cruce ſignatos non paucos ſecum duxit, qui vix ulli alii uſui erant, quam turbandis ordinibus, &, ſi res bene ſucceſſiſſet, dividundis ſpoliis. Iter per Walachiam ſuſceptum, deinde trajecto Danubio in Myſiam ventum. *Amurathes* præter opinionem laceſſitus, in Aſia minori exercitum ad centum armatorum millia propere coëgit, quanquam ſunt, qui LX millia tantum fuiſſe ſcribant. Unum *Amurathi* erat impedimento, quod Boſphorus ſeu Helleſpontus erat trajiciendus: ad quem uſum Turcicæ nequaquam ſufficiebant naves. Sed aderant Genuenſium aliquam multæ triremes, qui accepto in ſingula capita aurei nummi naulo totum exercitum tranſportarunt, claſſe Italica, ſeu flagitioſa timiditate, ſeu ſcelerata perfidia, ocioſe ſpectante; ſcilicet ut quadam quaſi eventuum conſpiratione in hoc etiam tam acerbo ac funeſto caſu palam fieret, quæ ſit & fuerit ſatellitii pontificii in periculis Chriſtianæ Reipublicæ, & quidem Pontificum arte commotis atque accerſitis, conſtantia, magnanimitas & fortitudo, & quæ Ligurum fides.

Amurathes, cum Aſiaticas copias inter Europæas non procul ab Iſthmo Cherſoneſi Thracici diſtri-

diſtribuiſſet, promotis inde caſtris verſus Adrianopolin, incredibili celeritate contra *Vladiſlaum*, qui ad Varnam Bulgariæ oppidum (quæ antiquitus Dionyſiopolis vocata eſt) ſubſiſtebat, morbo detentus, caſtra poſuit. Tam ſubitus tamque inopinatus Chriſtianis fuit hic Turcarum adventus, ut prius eos conſpexerint, quam trajeciſſe Boſphorum audiiſſent. Quamvis autem ad tantam multitudinem, quam fama quoque, ut fit, ſupra verum augebat, pene obſtupeſcerent; nequaquam tamen vel latum unguem cedendum, ſed cum hoſte omnibus viribus confligendum cenſuerunt: ipſe Rex inprimis, qui præ cæteris incredibilem alacritatem præ ſe ferebat. Deventum eſt ad pugnam, ad quam eductæ ſunt acies utrinque in profeſto Martini, die videlicet decimo Novembris. Chriſtianam ſtruxit Hunniades maturo deliberatoque conſilio, ut latus unum ad paludem quandam, alterum ad currus valli inſtar aut muri concatenatos, tergum exercitus ad montes converteret. Certatum eſt totos dies noctesque tres, diu fortuna ancipiti, ſed tanto animorum ardore utrinque, tantoque impetu, ut cæſorum ſanguine campi ſtagnarint. Primum in Hungarorum exercitum impetum fecerunt XV Turcarum equitum millia: qui ita excepti fuerunt, ut iis partim cæſis, partim in fugam actis, *Amurathes* magno metu percelleretur, fugiſſetque protinus prodito exercitu, niſi circumſtantes Baſſæ, comprehenſo ejus equi freno, ignaviam illius increpaſſent, mortemque, ſi ſuos deſereret, comminati fuiſſent. Retractus ergo in ſtatione manſit, & cruce Chriſti in Chriſtianorum acie conſpecta, Vindica, inquit, Chriſte, ſi DEUS es, hanc tuorum Chriſtianorum perfidiam. Mox reſtituta, quantum fieri poterat, acie, multo majorem equitum numerum in Hungarorum exercitum immittit; quos illi non minus acriter exceperunt. Sed cum in ſingulas fere horas novus hoſtis ſuccederet, & ſauciorum Turcarum loca recentes & viribus integri milites occuparent, Hungari non tam virtute, quam numero ſuperati, paulum retroceſſerunt, ex quo tota acies inclinare cœpit. Jam Rex ipſe *Vladiſlaus* in confertiſſimo hoſtium agmine diu fortiter pugnans, ex equo lethaliter ſauciato prolapſus, multiſque vulneribus confoſſus fuerat: cujus abſciſſum caput Turcæ deinde per totam Græciam & Aſiam minorem, tanquam trophæum, haſtæ infixum, circumtulerunt. Hunniades, cum ex pugna nullam ſalutem ſperaret, una cum aliquot millibus Hungarorum & Walachorum ex acie evaſit, è quibus multi, partim paludibus ac lacubus abſorpti, partim fame, frigore, vigiliis enecti, in ſylvis miſerabiliter interierunt. *Julianus* Cardinalis, rumpendi fœderis author, ex hoſtium manibus jam elapſus, Hungarorum perfidiam effugere non potuit: nam potum equo dantem apud ſtagnum duo latrunculi quidam agnoverunt, & ſpe pecuniæ apud eum inveniendæ equo dejectum necaverunt; ablatiſque veſtimentis nudum cadaver feris, volucribus ac canibus laniandum dimiſere.

Hoc in prœlio multi Epiſcopi aliique Eccleſiaſtici ordinis homines, quos in templis & in ſcholis, quam in acie, conſpici ſatius fuerat, occubuerunt. De cæſorum numero non idem ſcribunt Hiſtorici: in eo tamen plerique conveniunt, è Chriſtianorum exercitu vix ſalva parte tertia, circiter quinque millia cecidiſſe, præter eos qui paludibus ſubmerſi & in fuga perierunt. E Turcis ad XXX millia deſiderata ſcribuntur: eoque *Amurathem* poſt victoriam vix ullum lætitiæ ſignum præ ſe tuliſſe; cauſamque rogantibus, idem quod olim Pyrrhum aiunt, reſpondiſſe: Amici, victi ſumus, ſi iterum ſic vincamus; aut, ut alii ſcribunt: Sibi non placere victoriam tanto ſanguine partam. *Annal. Turc. Chronicon Philippi. Bucholtz.* Vide *Æneam Sylvium in Europæ deſcriptione cap.* 5. Et *ejuſdem Epiſtolas* 52, 81, 87.

Vladiſlao tale EPITAPHIUM poſitum:

Romulida Cannas, ego Varnam clade notavi,
Diſcite mortales, non temerare fidem.
Me niſi Pontifices juſſiſſent rumpere fœdus,
Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.

Nam hoc modo *Vladiſlaus* rebus Chriſtianis detrimentum ſummum, hoſtibus ad acquirendum & ſtabiliendum Orientis Imperium opportunitatem ſummam attulit; ſiquidem tota Chriſtiana Reſpublica Turcis poſtmodum quaſi præda fuit. Adeo conſenſu experientiæ perpetuæ certum eſt, nulla fuiſſe unquam felicia & ſalutaria vel fœdera cum Pontificibus facta, vel bella de horum conſilio ſuſcepta & adminiſtrata: præſertim ubi cauſæ fuerunt aliqua religionis ſpecie veſtitæ, aut cum fuit ſpectata & quæſita dignitatis aut potentiæ Pontificiæ amplificatio.

III. Anno Chriſti 1453 Conſtantinopolis, Orientalis Imperii caput & ſedes, omniumque in genere humano regina, poſt paucorum dierum obſidionem expugnata & capta eſt à Mahumete, cognomento Magno, Turcarum Rege VIII, *Amurathis* (de quo in præcedenti hiſtoria dictum) filio: quo uno toti Chriſtianæ Reipublicæ nihil accidere poterat calamitoſius, nihil triſtius. Ex hoc enim fonte omnia profluxerunt mala, ſub quibus etiamnum gemit Chriſtianorum imperium. Licet enim domeſticis & externis bellis interdum quaſſata eſt Conſtantinopolis, & principes habuit diſſimi-

les: manſit tamen & arx Imperii Orientis, & præcipua doctrinarum ſedes, & hoſpitium Eccleſiæ, ſed alias magis, alias minus puræ. Nunc deletis Eccleſiis, bibliothecis & ſtudiis doctrinarum, ſublatis ordinum gradibus, Senatu & Magiſtratibus, & exſtinctis vel oppreſſis nobilibus familiis, arx eſt blaſphemiæ Mahometicæ, & ſtabulum Turcorum; quos non tyrannos, ſed immanes beſtias potius poſſis appellare, qui doctrinas, honeſtam diſciplinam, leges, conjugiorum fœdus, caſtitatis decus furenter contemnunt, & nulla civilia ornamenta magnifaciunt. Tantum ardent infinita cupiditate dominandi, & infringendi Chriſtianorum poteſtatem.

Mahumedem ad Conſtantinopolitanam urbem tradunt ſeſe accinxiſſe anno regni ſui tertio, die 5 Aprilis, & intra mœnia præter urbanam multitudinem vix 10 millia militum fuiſſe. Contra Turca adduxerat ingentem exercitum (ut in quo quater centies millia armatorum fuiſſe dicuntur) collectum ex Græcia, Illyrico, Walachia, Myſia, Cilicia, Servia, Galatia, Bithynia, Lydia: & inſuper ducenta ac quinquaginta navigia. His copiis urbem terra marique cinxit, oppugnavit, & omni crudelitate vexavit. Duravit obſidio 54 diebus. Triduo antequam eam expugnaret, indixit Mahumedes triduanum jejunium, & promiſit primo adſcendenti murum, provinciam amplam, quam vellet in Europa; exercitui totidireptionem urbis per triduum. Servatum igitur tota die ad noctem uſque jejunium: poſtea vero cœlo ſereno convivia paſſim ſunt habita, ad quæ alii alios invitarunt, & ad hilaritatem invitati ſunt, tum amplexibus etiam & oſculis, quaſi nunquam ſe deinceps viſuri, exceperunt. Poſtquam vero illuxit dies, dato ſigno, oppugnari urbs undique cœpta eſt. Mahumed ſpectator ſtetit in vicino colle, & hortatus eſt ſuos, ut fortiter muros conſcenderent, & vociferatus horribili ululatu, ſicubi repelli eos aut interfici vidit; minitatus etiam cedentibus, quos à cohortibus triariis jugulandos curavit. Contra rebus ſuis non defuit Chriſtianus Imperator *Conſtantinus*, qui etiam tam cives quam milites acriter hortatus eſt ad pugnandum pro Chriſtiana doctrina, & ſua propria vita conſervanda. Exercitus autem urbis erat conſtitutus inter ambos muros (nam duplici muro cincta fuit) ne ullus in urbem fugere poſſet. Sic igitur Turcæ poſt primam aggreſſionem mane factam fortiter repulſi ſunt. Die autem ſequenti, cum prœlium redintegratum eſt, & magis magiſque crevit, tandem Chriſtiani non amplius tam fortiter reſtiterunt, ita ut etiam Turcæ tranſierint foſſam, & uſque ad murum externum pervenerint. Fuit autem quidam Dux Chriſtianorum, nomine *Johannes Juſtinianus* Genuenſis, qui fortiter impetus irrumpentium hoſtium ſuſtinuit atque eliſit, ita, ut omnes milites illius exemplo ad animoſitatem inſtigati ſint. In hoc prœlii fervore, etſi ſpes victoriæ animum & robur defenſoribus addidit, præſertim ubi cæſorum multitudine exercitus Turcicos animadverterent nonnihil turbari: tamen rurſus converſa eſt prœlii fortuna, *Juſtiniano Genuenſi* vulnerato: qui, etſi obteſtaretur eum Imperator Conſtantinus, ne ex ſua turri (in qua tanquam ſpecula urbis erat collocatus) fugeret, cum vulnus non eſſet lethale, tamen deſeruit ſtationem, fractus animo potius, quam vulnere. Cum autem ille ex prœlio ſe ſubduxiſſet, fervor pugnandi apud Chriſtianos etiam imminutus eſt. Hinc Turcæ præſtiterunt ſe fortiores: donec tandem Chriſtiani repulſi ſunt, & illi externum murum occuparunt, qui ante in eo loco ab illis dirutus fuerat. Cum autem porta interna aperta eſt, ſtatim inter milites confuſio facta: & exteriores putarunt, cæteros in urbem aufugere, quare & illi fugæ ſe dederunt, & in ſumma confuſione ad portam accelerarunt. Quo animadverſo, Turcæ Chriſtianos acrius perſecuti ſunt. Tantus autem terror Chriſtianos invaſit, ut ſumma cum feſtinatione ad portam ſe receperint; intrare cupientes. Sed cum alter alteri prævenire vellet, in ipſis portæ anguſtiis octingenti, & inter hos etiam *Conſtantinus* Imperator, vel conculcati vel trucidati ſunt. Caput ejus abſciſſum & ad Mahumedem allatum eſt: qui illud lancea ſuffixum per urbem circumferri voluit, in contumeliam Chriſtianorum. Turcæ victores tantam in urbe crudelitatem exercuerunt, ut nulla id queat oratione explicari: non dignitas, non ſexus quenquam protegebat: nihil illicitum toto triduo in urbe fuit. Senes, matronæ, virgines, puberes & impuberes, crudeliſſime trucidabantur. Rapiebantur matronæ nobiles & virgines ad ſtupra: quærebatur præda in omnium ædibus ac templis, quam Mahumedes, ſi urbs caperetur, conceſſerat. Finito triduo, Mahumedes ipſe ingreſſus urbem, proceres, quotquot reliqui erant, adductos ad ſe diſſecari juſſit; Imaginem quoque Chriſti crucifixi erigi in urbe, & ſuperinſcribi: *Is Chriſtianorum* DEUS *eſt:* Præcepit autem eam ſtercoribus projectis, ignominiæ cauſa, conſpurcari. *Cæſaris* conjux & filiæ una cum aliis honeſtioribus matronis in convivium pertractæ ſunt, atque ibi primum conſtupratæ, poſtea fruſtulatim conciſæ. In hac expugnatione cæſa referuntur quadraginta millia hominum. Hic exitus eſt, hic finis luctuoſiſſimus Conſtantinopolitani Chriſtianorum Imperii! *Chronic. Philip. Dreſſerus mill. lenar. VI. Mechov. Leonclavius. Sabellicus Ennead. 10. lib. 6.*

Non

Non immerito autem hic admirandum eſt, quod nomina Imperatorum, quibus Chriſtianorum in Oriente Imperium cœpit & deſiit, Patriarcharum item & matrum, congruant. Nam CONSTANTINUS HELENÆ filius Conſtantinopolin condidit & ampliavit: CONSTANTINUS HELENÆ filius eam perdidit, eique vaſtationem & deſolationem intulit. Sic primus Patriarcha, ſub quo hæc urbs extructa eſt, authoritateque crevit, dictus fuit GREGORIUS: poſtremus, ſub quo rurſus deſtructa, & à ſummo gradu ad infimum decidit, nomine GREGORII quoque inſignitus fuit. Accidit itaque urbi idem, quod Macedonibus oraculi verſu ſignificatum fuit, nomen videlicet *Philippi* ipſis fore ἀγαθὸν καὶ πῆμα. Sic primi *Conſtantini* (Magni) nomen Græcis fuit honeſtum & utile, ſub quo nimirum Urbs Conſtantinopolis honore, bonis & magnificentia crevit: poſtremi autem *Conſtantini* (Palæologi) nomen ipſis fuit inhoneſtum, moleſtum & perniciosum, utpote ſub quo devaſtata eadem Urbs, inque Turcorum poteſtatem redacta; ſicque reſectum eſt Aquilæ Romanorum bicipiti alterum caput, quod Orientem conſpiciebat: atque ab hoc tempore REGES Turcici IMPERATORIS titulo uti cœperunt.

Fuit autem Conſtantinopoli ſedes Orientalis Imperii à *Conſtantino Magno* uſque ad *Conſtantinum Palæologum* ultimum Imperatorem an. 1122.

IV. Anno C. 1456 Turca ad Belgradum (quod Albam Græcam vocant) à paucis Chriſtianis Duce *Johanne Hunniade* caſtris exutus eſt, inſigni victoria: Ita nimirum res mortalium temperatæ ſunt à DEO, ut poſt flagella conſolationem immittat. De hoc bello ſupra in hiſtoria *Alberti* II Imper. diximus.

XLIII IMPER. GERM.
MAXIMILIANUS I.

CAPUT I.
DE ORTV.

MAXIMILIANUS natus eſt Neapoli Auſtriæ, patre FRIDERICO III Imperat., matre LEONORA, A. C. 1459, die Cœnæ Domini 22 Martii, baptizatus die Paſchatis 25 Martii.

CAPUT II.
DE PROGRESSV.

I. ΠΡΟΣΩΠΟΓΡΑΦΙΑ.
Natura & Educatio.

Maximilianus inſignibus corporis & animi dotibus præditus fuit. Nam *Cuſpinianus* illum hiſce verbis deſcribit: *Hic* (inquit) *Imperator ſtatura fuit quadrata, in qua Cæſarea Majeſtas reſplenduit.* Nemo non hunc Imperatorem, etiam externus, inter triginta maximos Principes, antea non viſum, cognoviſſet, tanta erat oris probitas. Eadem obſervavit, & in ſuam hiſtoriam inſeruit *Gerardus de Roo.* Erat (inquit) in eo eximia quædam magnitudo, quam in rebus proſperis moderatio, in adverſis conſtantia & fortunæ contemptus ſequebatur. In congreſſu comis erat & affabilis: ſermonem, inter familiares, doctis ſalibus condiebat ipſe, neque aliorum in dicendo libertatem ægre ferebat. Honeſtatis, gravitatis, non ſimulatæ ſanctimoniæ, temperantiæ, ſobrietatis & caſtitatis ubique exempla præbebat: quas virtutes in eo commendatiores faciebat, inſigne oris decus, formæque ac ſtaturæ modus tantæ Majeſtati conveniens.

Parentes Maximiliani filium bonis literis inſtituendum curarunt, ut qui in ſpem multorum regnorum aleretur. Verum is ab infantia tanta difficultate verba pronunciabat, non ſine matris dolore, ut pleriſque mutus fere judicaretur. Sed quantopere difficultas illa loquendi in pueritia fuit pleriſque moleſta, ita in perfecta ejus ætate facundia omnibus etiam exteris fuit admirabilis, qui præter vernaculam linguam, Latine, Gallice & Italice eleganter loquebatur. *Præceptore* uſus eſt primum infelice, *Petro Engelberto*, homine indocto, ſpinoſique ingenii, ut magis adoleſcentes literas odiſſe, quam amare cœperint. Nihilominus tamen *Maximilianus* vivaci ingenio & tenaci memoria contendit, ut eruditione, ardenti pietatis ſtudio, ſolertia & alacritate cunctos ſuæ ætatis in orbe Chriſtiano Reges facile ſuperaret. Addit *Julius Scaliger: Si eum dixero omnibus numeris præſtitiſſe reliquis Principibus, minus forſan dixero, quam verum eſt.* Tradunt hiſtorici, *Maximilianum* de ſuo indocto Præceptore conqueri ſolitum fuiſſe; Si hodie, inquiens, præceptor meus viveret, quanquam multa præceptoribus debeamus, efficerem, ut ipſum inſtitutionis ſuæ pœniteret.

II. *ACTA OECONOMICA.*

Uxores habuit *duas.*

PRIMA dicta fuit MARIA, *Caroli* Burgundiæ Ducis bellicoſi filia. Cum hac *Maximilianus* anno ætatis ſuæ 18, anno 1477, in fine menſis Julii, nuptias celebravit. *Maria* A. C. 1482, venandi ſtudio egreſſa, ex equo ferociente dejecta: & cum fracto fœmore omnem tractationem loci affecti per verecundiam refugeret, poſt aliquot dies obiit, cum poſt triſtem patris *Caroli* interitum Belgio annis quinque præfuiſſet.

Liberos ex ea ſuſcepit *quatuor*. I. PHILIPPUM, qui, ducta in uxorem *Johanna* Regis *Ferdinandi* filia, univerſam acquiſivit Hiſpaniam. Deceſſit anno C. 1506, ætatis 28, menſe 3, die 3, Granatæ prope Burgos, relictis ex conjuge filiis duobus *Carolo* & *Ferdinando*, (qui poſtea ad Imperialem dignitatem evecti ſunt) & filiabus quatuor. II. FRANCISCUM. III. GEORGIUM, qui in pubertatis annis vitam cum morte commutarunt. IV. Filiam MARGARETAM connubiis infelicem. Ea enim *Carolo* VIII Galliarum Regi deſponſata, & in aula Francica educata fuit: ſed *Carolus* hanc ſponſam ſuam, ubi adoleviſſet, repudiavit, & propter jus ſucceſſionis *Annam Franciſci* citerioris Britanniæ Ducis unicam filiam hæredem, *Maximiliano* una cum ducatu deſponſatam, legatis *Maximiliani* eam deducentibus eripuit, ſibique matrimonio junxit. Poſt *Carolum* *Margareta* Arragoniæ Principi, & hoc ante nuptias mortuo, poſtea *Philiberto Sabaudiæ* Duci non meliore fortuna nupſit.

ALTERA conjunx dicta fuit BLANCA MARIA, Galeacii Vicecomitis Mediolanenſis filia, *Johannis* Galeacii ſoror; ex qua ſoboles nulla ei eſt nata. *Chron. Carion. Cuſpin. H. Mutius. Chron. Hedion. Coſmograph. Munſt.*

II. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

I. ELECTIO. *Maximilianum* pater *Fridericus* cunctis Septemvirorum ſuffragiis conſortem imperii fecit A. C. 1486, die 16 Februarii. Adfuerunt præſentes Electores omnes; ſed duorum ſumma fuit authoritas, *Erneſti* Saxonis & *Alberti* Brandeburgici, qui in ipſis Comitiis Francofurti vitam finiit, anno ætatis 72, relicto ſucceſſore filio *Johanne* Electore IV.

Obiter hic inſeremus, quod de hoc ALBERTO, dicto ACHILLE Germanico, *Æneas Sylvius* in Europa ſua commemorat cap. 39. *Albertus* à pueritia (inquit) educatus in armis, pluribus interfuit prœliis, quam alii ſui temporis Duces. Militavit in *Polonia*, *Sileſia*, *Pruſſia*, *Bohemia*: nullus in Germania terræ angulus, quem non calcarit armatus: duxit exercitus innumerabiles, proſtravit ferociſſimos hoſtes, expugnavit munitiſſimas urbes. In congreſſibus pugnam prior iniit, victor à prœlio exceſſit ultimus, in oppugnationibus urbium ſæpe murum primus adſcendit. Singulari certamine nunquam non ſtravit hoſtem. In militaribus ludis nunquam equo dejectus, cum ipſe omnes in ſe currentes equo deturbaverit. Quibus ex rebus non injuria Teutonicus ACHILLES appellatus eſt: in quo non ſolum militares artes & Imperatoriæ virtutes ſingulari quadam gratia reluxere. Sed nobilitas quoque generis, proceritas corporis & venuſtas, ac virium robur, ac facundia linguæ, admirabilem cum ac penitus divinum reddidere. *Hæc ille.*

II. CORONATIO. *Maximilianus* eodem anno, quo Francofurti in Imperatorem Romanorum electus, ſecundum morem Aquiſgrani coronatus eſt die 10 Aprilis. A Pontifice autem coronari noluit. Coram Ordinibus enim Imperii publice profeſſus eſt, imperialem coronam à Pontifice Romano accipere minime ſibi neceſſarium videri; cum Imperii majeſtatem in ipſis Ordinibus ineſſe intelligeret: ut teſtatur *Bodin. de Republ. l. 2. c. 6. p. 225.*

Viſum quidem fuit *Hadriano* Pontifici, coronationem Pontificiam Imper. eſſe neceſſariam, cum in epiſtola ad *Fridericum* I, cogn. Barbaroſſam, ita ſcribit: Romanum Imperium à Græcis tranſlatum eſt ad Alemannos, ut Rex Teutonicorum non antequam à Vicario Apoſtolico coronaretur, Imperator vocaretur. Ante conſecrationem enim vocatur Rex, poſt Imperator: unde igitur habet Imperium, niſi à nobis? ex electione Principum ſuorum habet nomen Regis: ex conſecratione noſtra habet nomen Imperatoris, & Auguſti, & Cæſaris. Ergo per nos imperat. Recolite antiqua. *Zachariæ* promovit *Carolum*, fecit ei grande nomen, ut eſſet Imperator, & Advocatus ſedis Apoſtolicæ, ut Romano Epiſcopo Apulia, per eum pacata, eſſet ſubjecta, quæ noſtra cum urbe Romana eſt, non Imperatoris. Romæ noſtra ſedes eſt; Imperatoris eſt Aquis in Arduenna, quæ eſt ſylva Galliæ. Imperator quod habet, totum habet à nobis. Sicut tranſtulit imperium à Græcis ad Teutonicos: *ita* nos poſſumus ab Alemannis transferre ad Græcos. Ecce in poteſtate noſtra eſt, ut demus illud, cui volumus. Propterea à DEO conſtituti ſuper gentes & regna, ut deſtruamus & evellamus, & ædificemus & plantemus. *Aventin. lib. 3. & 4. Annal.* Et quidem merito hanc poteſtatem ſibi tribuere videtur, cum à DEO ſuper regna & Reges ſit conſtitutus. *C. omnes Principes. de major. & obed. c. 1. extravag. commun. de conſuet.*

Qui oraclo vocis mundi moderatur habenas:
Et merito in terris dicitur eſſe DEUS.

Eſtque hæc opinio communis, ait *Felin. in cap. 13. n. 13. de Judic. Innocent. in c. venerabilem. de elect.* ABBAS *in c. 1. n. 3. de probat. gl. in l. bene à Zenone. verb. inſulas. C. de quadr. præſcript. Baron. tom. 10. annal. Eccleſ. de an. Chriſti 871. §. 4. & 888. §. 3. Bellarm. lib. 1. de tranſlat. Imper. lit. 4. c. 6. Onuph. de Comit. Imp. p. 365.* Alii, qui volunt,

Electo-

Electo, ante Pontificiam coronationem tantum Regis Romanorum, non Imperatoris titulum tribui; idque constitutum fuisse à *Gregor.* V, ait *Naucler. gener.* 34. *p.* 742. *Platina in Gregor.* V. *Crantz. lib.* 4. *Saxon. c.* 25. Verum utut sit, communis hæc opinio nullo modo est amplectenda. Sicuti enim verum est ac legitimum conjugium, etiamsi solennia nuptiarum nondum sint celebrata. *arg. l.* 30. *de Reg. jur.* ita Imper. quoque absque coronatione esse potest. *Keck. disput. pract.* 29. *q.* 16. Etenim coronatio olim ad ostentationem, non vero necessitatem fiebat. *Zuinger. in Theatr. lib.* 2. *vol.* 28. Quis Roman. Pontifex coronavit Impp. Constantinopol.? Quis ante *Constantinum* consecravit Impp. Ethnicos? Quis ante *Carolum M.* Impp. Christianos? Unde *Henricus* I, cognomento *Auceps*, invitatus à Pontifice ad coronam Imperii suscipiendam, respondit, *Sufficere sibi, quod* DEI *gratia sit Rex Romanus, & quod Germaniam ab infidelium incursione defendat.* ut testatur *Archidiac. Undum. lib.* 3. *Belg. annal.*

2. *Rudolphus* I, Habspurgensis nunquam Italiam vidit, nedum Romæ coronatus; causamque cur ad Pontificis *Nicolai* instantiam Romam ingredi recusaret, respondit: *Me vestigia terrent, Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.*

3. *Maximilianus* (ut supra diximus) coronam à Pontifice accipere minime sibi necessarium videri, coram Ordinibus Imperii publice professus est.

4. Denique hoc ipso facto satis probarunt *Ferdinandus* I, *Maximil.* II, *Rudolphus* II, & *Matthias*, qui etsi Romæ nunquam fuerunt coronati, Imperatores tamen fuerunt: ut vanum hucusque eorum augurium non fuisse appareat, qui cum in coronatione Pontificia *Caroli* V Imperatoris Bononiæ celebrata, pons ingens, super quem ingrediebantur, corrueret, rem in omen vertentes ex confracto ponte, nullum deinceps alium Imperatorem in Italia coronatum iri, vaticinari ausi fuerunt; ut refert *Arum. in discurs. juris publ.* 3. *ex Cornel. Agripp. de Coronat. Augustal. Caroli V.*

II. *Imperii administratio.*

1. *ACTA TOGATA.*

1. Virtutes.

In *Maximiliano* Imper. eximiæ splenduerunt Virtutes; quarum exempla quædam specialia adducemus.

1. SAPIENTIA. Laudantur non immerito Reges & Principes, quibus administratio regnorum commissa est, quando non ab aliorum nutu & consiliis plane pendent, omniaque in suos familiares rejiciunt, ipsi plane desides, & ad imperium inutiles: sed ipsimet industrii sunt in rebus ad salutem & incolumitatem subditorum suorum spectantibus. Hoc sane observavit *Maximilianus* I Imper. Ideoque cum dicere solitum fuisse, scribit *Iovius* in vita *Hadriani* VI, Pontif. Romani: Turpe quidem esse magno Principi, nescire literas, sed longe turpissimum, his cum moribus atque virtutibus omnino caruisse, quæ populis & gentibus imperantem, cum eximia pietatis atque excellentiæ laude, contra superbiam atque libidinem, & reliquas immoderati animi cupiditates, invictum penitus & incorruptum præstarent.

2. Idem Imperator crebro in ore solitus est habere: *Mensuram tene, & respice finem.* Quod poëta ita reddidit:

Mensuram sapiens tene, & una respice finem:
Finis ut in rebus, sic modus esse solet.

Etenim in omnibus actionibus humanis tria sese offerunt, quæ diligentissime ponderanda sunt; Finis, objectum, & media. Quorum finis, ut ultimus est in executione: ita primus est in intentione. Quandoquidem ad hunc omnia nostra consilia, omniaque studia & conatus omnes dirigere nos oportet, ὅπως μὴ ματαίως πίλητε. h. e. ne actiones nostræ temere & sine certo fine susceptæ videantur: uti *Pythagoras in aureis carminibus* loquitur. Et quemadmodum labyrinthos non oportet ingredi sine filo: ita non est suscipiendum negocium, nisi prius perspecta ratione, qua te possis inde rursus explicare. *Erasm. in Simil.*

3. *Maximilianus* Imperator sæpe dicere solitus fuit, longe facilius esse vincere & domare gentem, quam in officio retinere. Ubi enim jam acquisitum auctumque est Imperium, superest, ut conservetur, subditorum animos continendo, ut libenter, aut etiam inviti maneant; quorum istud vi perficitur; illud, si optime eos tractaveris, aut melius quam alii, aut saltem si melius, quam alii, tractare videberis. Quibus si accedat gravitas quædam Magistratus, quæ in subditis timorem quendam cum admiratione & reverentia efficiat, nihil erit quod subditorum animos æque devinctos, ceu catena quadam continere possit. Nam nihil est quod hominum animos ita terreat atque fascinet, ut admiratio: sicut recte scribit *Franciscus Patricius in dialogo* 6. *de historia.*

II. JUSTITIA. *Maximilianus* Imp. justitiæ conservandæ fuit studiosissimus. Memorabile enim est, quod de illo referunt historici, ipsum loca, destinata ad supplicia sontium, venerabundum

cum hac voce, SALVE SANCTA JUSTITIA! præterire ſolitum. Eodem modo *Balduinus* JC. furcas ſeu patibula ſacroſanéta eſſe debere ſtatuit; quoniam per illa fiat juſtitia.'

2. In vindicanda avaritia militum acerrimus fuit. In bello Veneto, cum capta Vincentia quidam injuſſu ejus in aliquot civium ædes prædandi cauſa impetum feciſſent, ſtatim illam totam cohortem oppreſſit, & plures ducentis ſecuri percuti juſſit: ut eo exemplo oſtenderet, non omnia victoribus in victos licere *Philip. in loc. Manl. p. 275.*

III. HUMANITAS. Cum impudens quidam mendicus *Maximilianum* I Imper. fratris nomine de ſtipe compellaret, alludens ad locum illum Malachiæ cap 2. verſ. 10. *Numquid non Pater unus omnium noſtrum? Maximilianus* hac ejus proterva non offenſus, ſtipem ei dari juſſit. Mendico vero ea non contentus, mendicando inſtante, dictitans, Tantillum dare, Imperatorium non eſſe: humaniter ei reſpondit Imperator: Si omnes fratres tui tantundem tibi darent, quantum ego tibi dedi, utique divitiis me ſuperares.

NOTA.

Verum diligenter notandum eſt, hoc dicto (*Malach. 2. v. 10.*) nequaquam condemnari nobilitatem aut gradus dignitatum in muneribus publicis, *Syr. 33. v. 21, 22.* ut impudens iſte mendicus cenſebat, qui *Maximilianum* fratris nomine de ſtipe compellabat, quandoquidem uterque ab Adamo deſcenderet: ſed illorum tantum ſuperbiam notari, qui ob externum generis ſplendorem reliquos inferiores præ ſe contemnunt, (*Rom. 14. v. 10.*) & inſolenter aſpernantur, quemadmodum ipſius Prophetæ contextus monſtrat.

III. MODESTIA & HUMILITAS. *Maximilianus* Imp. Oenipontum ingreſſus, cum videret hæc in curia lapidi inciſa carmina:

Da Adam hackt/ und Eva ſpann/
Wo war alda ein Edelmann?

Tantum aberat, ut hoc ſe verſu contemtum putaret, ut etiam agricolis ſe ſimilem profeſſus, omnem nobilitatem, qua nemini ſecundus erat, ſoli DEO acceptam ferret. Nam hunc in modum ſubjecit:

Ich bin ein Mann/ wie ein ander Mann;
Allein daß mir Gott die Ehre gann.

Quod latine ſic reddi poteſt:

Par ego ſum reliquis, niſi quod mihi nomina magni
Cæſaris, & ſceptrum, contulit ipſe DEUS.

V. MANSUETUDO. 1. *Maximilianus* Imper. quando oppugnaturus erat poſtridie civitatem in Belgio, invitavit pridie Capitaneos ſuos ad cœnam: inter quos erat Comes quidam, qui, cum reliqui convivæ ſe hilares præberent, ipſe ſolus triſtis in menſa ſedit. Interrogatus ergo à *Maximiliano*: Domine Comes, quare tu triſtaris, cum eras tibi pugnandum ſit? Reſpondit, ſe, ſi verum fateatur, triſtem eſſe. *Maximilianus* dicit ei: Indica mihi cauſam tuæ triſtitiæ; ſi mea majeſtas poterit tibi opitulari, faciet. Poteſt, inquit Comes. Tandem Imperator ab eo requirit, quam ob cauſam adeo triſtis ſit? Comes reſpondit: Quoniam mihi cras præliandum eſt: & eventus belli ſunt incerti: de animæ meæ ſalute quoque ſollicitus ſum. Præcipue autem doleo (inquit) quod debeam tria millia aureorum, quos expoſui in multiplices uſus rei militaris, de quibus Majeſtati tuæ rationem reddere non poſſum. Quare oro, ut Majeſtas tua hanc ingentem pecuniæ ſummam clementer mihi remittere velit. Imperator primum admiratus illam magnam pecuniæ ſummam, tandem dixit, ſe libenter ei remittere debitum, modo craſtino die ſe fortem & ſtrenuum virum in prœlio præberet. Comes, ut eſſet certus de remiſſo debito, dixit: Domine Imperator, Majeſtas tua mihi præbibat, ut ſim certior de clementi illa remiſſione hujus debiti. At Imperator, Age, ne de mea erga te benevolentia dubites, & me ex animo tibi remittere ſcias, præbibo tibi bonum hauſtum: & ſic eum abſolvit. Deinde Comes fuit hilaris, & poſtero die ſe fortiter geſſit. *Philip. in Poſtil. per Pezel. edit. part. 3. pag. 473.*

2. Uſitatum eſt, ut Cæſari, in potentiores facti Romani imperii civitates ingredienti, munera quædam à delectis ex Senatu earum urbium bene ominandi gratia, & honoris cauſa, offerantur. Hæc autem ſolent eſſe plerumque aurea pocula, vel vaſa materia & arte exquiſita, interdum repleta aureis, qui ſub notis earundem civitatum, *jus cudendi* monetam habentium, conflati ſunt. Accidit igitur, ut Noribergæ ejuſmodi xeniola vel honoraria *Maximiliano* I Imp. in præſentia nonnullorum familiarium ſuorum intimorum offerrentur, quæ, ſicut tradita eſſent, in cubiculo Cæſareo coram Imperatore in tabula relinquebantur. Exhibebantur enim tunc forte quædam ſpectacula publica in honorem Cæſaris, ita, ut aulici illis inſpiciendis dediti eſſent, eamque ob cauſam ſinguli locum commodum in feneſtris occupaverant. Cum autem unus ex familiaribus Cæſaris exiſtimaret, & Cæſarem & omnes accurate obſervare, quid foris publice ageretur, quaſi alii honoris cauſa è ſuo loco præoccupato cedens, mox ſeſe ſubduxit, & velut remotis arbitris, ex poculo illo donato tot aureos ſurripuit, quot apprehendere in illa feſtinatione potuit, raptimque in loculos ſuos appenſos conjecit, ratus neminem hoc ſuum furtum conſpexiſſe. Verum Cæſar, etſi putabatur videndis

fendis ludicris rebus ſolummodo intentus, obſervabat nihilominus alia. Habebat enim annulum in digito cum gemma, cui nomen Phengites, quæ demonſtrabat id, quod à tergo accideret. Hancque diſſimulanter cum inſpiceret; eum non fugiebat, quid fieret. Peractis igitur actionibus illis theatricis, & aulicis juſſa Cæſarea præſtolantibus, nec non ex munificentia ejus de illis aureis oblatis ſingulis portiunculam exſpectantibus, tandem vocatus à Cæſare ille, qui prius magnam partem pecuniæ, nemine inſpiciente, ut ſibi perſuaſerat, ſurripuerat, juſſus eſt tantundem accipere, quantum apprehendere manu poſſet. Ille neſciens, quorſum iſta munificentia tenderet, ſed conſcientia ſtimulante trepidus, perpaucos aureos ex poculo apprehendit. Mox juſſit Cæſar illum eos numerare. Exſpectantibus autem reliquis, quare hoc fieret, & exiſtimantibus, inter ipſos donum hoc paulatim diviſum iri, tandem ſubridens Imperator; Deprome nunc, inquit, & reliquos aureos de loculis, quos antea ſurreptos ex hoc poculo furtim iis injeciſti, ut ſciam, utrum nunc, vel antea cordatior in accipiendo fueris. Hac inopinata re confuſus ille, & velut ſorex ſuo proprio indicio deprehenſus, neſcio quas excuſationes mixtis deprecationibus muſſitans, coactus fuit in conſpectu omnium ſubtractos aureos proferre, & eos numerare. Cum autem horum multo major ſumma eſſet, quam illorum, quos antea abripuerat, Tollas utramque ſummam, ait Cæſar, habeaſque loco viatici: verum cave, ne poſthac in conſpectum meum venias. Ita cum ignominia dimiſſus eſt. *Phil. Camer. Cent.* 1. *cap.* 65. *p.* 294.

VI. AMOR LITERATORUM. *Maximilianus* I Imperator fuit ingens fautor literatorum, & conſuetudo familiarior vitæ domeſticæ conſumta illi eſt cum viris doctis, quibuſcum de doctrina Eccleſiæ, de omnibus Philoſophiæ partibus, ſed de arte medica præcipue, & matheſi, deque hiſtoriis omnium temporum, ſuaviſſime collocutus, illos evexit, præmiaque digna eis largitus eſt. Porro de eo accepimus, quod non modo Viennenſem Academiam, ſed & Heidelbergenſem, ſua præſentia & auſcultatione cohoneſtaverit. Cum itaque literas tantopere adamaret, factum eſt, ut tandem ejus conſilio hortatuque, ac ſpe præmiorum ampliſſimorum, linguæ Ebraica, Græca ac Latina, & elegantiores diſciplinæ, ac liberales artes, cum ſublimioribus facultatibus, in Germania primum exortæ fuerint, ac paulatim ſuccreverint; donec tandem ea vi, & impetu, ut hodie videmus, paſſim eruperint. Nec ſolum *Maximilianus* Imperator cum viris doctis contulit, eorumque ſententiam audiens, multarum rerum cognitionem paulatim acquiſivit, verum etiam animum ad ſcribendum appulit: atque poëticum opus de diverſis ſuis periculis edidit: In quo Invidiam & Curioſitatem comicas perſonas fingebat, quas Ratione & Prudentia vicerit atque proſtraverit. Deinde egregium opus finxit, quod Portam honoris appellavit, virtutibus & picturis venuſtatum. Primus etiam inter Germaniæ Principes Heroum genealogias indagavit, miſſis per Italiam, Galliam & Hiſpaniam nunciis, qui omnia cœnobia, omnes Bibliothecas, omnia Principum archiva diſquirerent ac perſcrutarentur. Atque ob id annales provinciarum, qui ſitu deliteſcebant, atque ſqualore & tineis abſumebantur, ejus opera revixerunt, & in lucem redierunt, ita ut ante eum patriam vix quiſquam verioribus ornamentis privatim aut publice illuſtrarit ac condecorarit. Hinc etiam factum, ut omnes Germaniæ literati viri undique abditas hiſtorias eruerent, atque ſchedas ſemotas perluſtrarent, eaque re cognoſcerent, quæ diu ante avos noſtros latebant. Exemplo Imperatoris invitati & confirmati Principes reliqui, non minori deſiderio & cura cognitionem hiſtoriarum expetiverunt. Et Electores duo, *Fridericus* Saxo, cognomento Sapiens, & *Ioachimus* Brandeburgicus, cum recte judicarent, veriora, & majora communis vitæ ornamenta eſſe literarum & artium propagationem, leges, diſciplinam, in ſuis ipſi quoque ditionibus ſcholas inſtituerunt. *Fridericus* Wittebergæ ad Albim A. C. 1502, *Ioachimus* Francofurti ad Viadrum A. C. 1506, Academiam inſtituit. *Peucer. lib.* 5. *fol.* 308, 309. *Cuſpinianus. Pantaleon. Chron. Hedion. fol.* 681.

VII. TEMPERANTIA. *Maximilianus* Imperator cum optime ſciret, temperantia valetudinem conſervari, inter prandia raro bibebat, in cœna ut plurimum ter; atque ideo valetudo illi uſque ad periodum vitæ proſperrima ſemper fuit. *Cuſpinianus.*

VIII. MAGNANIMITAS. *Maximilianus* cum à Brugenſibus captivus detineretur, & indignis modis tractaretur; in hac rerum adverſitate, inquit *Heuterus Delfius lib.* 3. *in vita Maximiliani & Philippi*, & ſolitudine, & ſummo vitæ periculo, nunquam ab animi magnitudine diſceſſit, nec quicquam ſe indignum fecit, nec locutus eſt. Horrebant ejus vultum hoſtes infeſtiſſimi, reverebatur præſentem populus ſeditioſus, eaque de cauſa hoſtes arctiſſime concluſum, ad populi conſpectum raro admittebant. Emergebat enim ex ejus vultu ac oculis Majeſtas magno Principe digna, rebellium conſcientiam non ficte commovens ac concutiens; inerat gravitas debitam authoritatem vel refractariis extorquens; univerſa adeo corporis lineamenta Impera-

peratoriam, Regalemque dignitatem referebant, habitus, inceſſus decens, motus temperatus, verba pondus habentia, affectus hominum quolibet trahebant. Pertinet huc Symbolum ejus, quod conſtabat ex quinque vocalibus, A, E, I, O, V. *Aquila Electa Juſte Omnia Vincit*; quo denotabat magnam Imperialis Majeſtatis potentiam & juſtitiam. Legitimo enim Magiſtratu, id eſt, legitime electo, nihil eſt ſanctius, magnificentius, nihil ad victoriam & felicitatem in bello & pace conſequendum præſtantius. Nam inſigne Imperii Aquila, eſt regina, & miniſtra fulminis.

Acta alia.

I. *Maximilianus* Imp. A.C. 1495 prima Comitia celebravit Wormatiæ, ubi fidelitatem ipſi juraruntStatus Imperii. Deinde Imperator *Eberhardum* Comitem Wirtenbergenſem inſignibus & honoribus auctum, ſolenni & publica feſtivitate omnium approbatione provexit in ordinem Ducum. Decretum etiam fuit omnium ſuffragiis, ut Electores in ſua quiſque ditione, publicis ſcholis, vel *Academiis*, ſedem figerent. *Aventinus. & alii.*

II. Eodem anno ſupremum CAMERÆ IMPERIALIS judicium SPIRENSE (vulgo das Camer-gericht zu Speyr) à *Maximiliano I.* Imper. inſtitutum eſt Francofurti ad Mœnum, die 31 Octobris, in qua mox die 3 Novembris ejuſdem anni prima audientia (quam vocant) habita: & die 26 Februarii anni ſequentis 1496 prima ſententia Banni Imperialis pronunciata eſt.

III. A.C. 1511 Comitia Imperii Treviris habita ſunt, ubi inter cætera, quæ acta ſunt, Imperium Romanum in decem provincias ſeu circulos diſtributum, in *Auſtriacum, Bavaricum, Suevicum, Francicum, Rhenanum, Electoralem Palatinatus, Burgundicum, Weſtphalico-Belgicum* uſque ad Moſam, *Saxonicum* inferiorem, *Saxonicum* ſuperiorem. *D. Chytraus l. 5. Chron. Guicciard. l. 11.*

IV. A.C. 1518 *Maximilianus* Imperator poſtrema Comitia celebravit Auguſtæ, quibus univerſi Electores interfuerunt; & in his de bello Turcico, quod Selimus minabatur Europæ, & de *Lutheri* negotio ante omnia actum eſt. Commendavit & nepotem *Carolum* Principibus, ut ſe mortuo ejus in electione rationem haberent. *Sleidan. Chronicon Carion.*

II. Vitia.

I. PRODIGALITAS. Cum in juvene Principe nimia liberalitas magis quam avaritia ſit vituperanda; plerique *Maximilianum* Imper. fere nullo alio, quam hoc nomine reprehendendum duxerunt. Cujus rei ſpecimen vel in prima juventute edidit. Miſerat enim *Fridericus* Imperator ad filium *Maximilianum* initio novi anni legatos, per quos ipſi precatus erat felix & fauſtum auſpicium novi anni: ſimulque miſit patinam plenam pulcherrimorum pomorum, additis aureis Rhenenſibus XX. *Maximilianus* modeſte reſpondens legatis, ſumma cum reverentia donum illud accepit, gratias agens Domino patri, & viciſſim felicem fauſtumque curſum anni ipſi optans. Deinde diligenter miniſtris ac ſodalibus ſuis mandavit, dicens: Non attingatis vos mihi hæc poma, quia mea ſunt, & mihi volo reſervari: ſed aureos projecit inter ſocios. Poſtea cum legati rediiſſent domum, interrogati à patre Imperatore; quomodo ſeſe geſſiſſet filius, (quia volunt ingenium filii conſpicere) reſponderunt: Ipſum poma cuſtodienda miniſtris tradidiſſe, pecuniam vero inter commilitones abjeciſſe, ut ipſi eam inter ſe partirentur. Tunc *Fridericus* Imper. dixit; ſatis ſcio, Er wirdt ein Streum-gütlein werden. *Melander in locoſer. l. 1. num. 238. Philippus in loc. Mand. pag. 221.* Quod non vanum augurium fuit. *Maximilianus* enim ob penuriam rei pecuniariæ res magnas proſpere inchoatas deſerere coactus fuit. *Hedio in Chron. Germ.*

II. CURIOSITAS. Porro *Maximilianus I* ob id in reprehenſionem incurrit, quod in Genealogia ſua indaganda nimis curioſus fuerit; qua de re jucundam & elegantem hiſtoriam recenſet *Calvinus in Iſaiam pag.* 188. hiſce verbis: Accepi, inquit, ab hominibus fide dignis lepidam hiſtoriam de *Maximiliano I* Imperatore, cui, cum eſſet generis ſui inveſtigandi admodum curioſus, ineptus quidam nugator perſuaſit, ſe originem ejus ex ipſa Arca Noæ inveniſſe. Quæ res tam vehementer ipſum affecit, ut negotiis omnibus prætermiſſis, huic uni inveſtigationi aſſidue intentus eſſet, nec ab ullo ſe interpellari ſineret, ne à Legatis quidem, qui de rebus magnis cum ipſo tractaturi venerant. Cum hanc vanitatem mirarentur omnes, & tacite reprehenderent, nemo autem mederi vel poſſet, vel auderet; tandem coquus illius, quem etiam pro morione habebat, & cujus dictis ſæpe oblectabatur, petita loquendi venia, ut Imperatoriæ dignitatis ſtudioſus, *hoc ſtudium inveſtiganda originis, nec utile, nec honorificum ei fore dixit. Nunc enim tuam Majeſtatem colo*, inquit, *& tenus* DEUM *aliquem veneror. Quodſi ad arcam Noæ veniendum eſt, illis futuri ſumus cognati: Nam illinc deſcendimus omnes.* Hoc *morionis* dicto ſic commotus eſt *Maximilianus*, ut eum puduerit inſtituti; cum antea neque amici, neque conſiliarii, neque negotia eum revocare potuiſſent. Senſit enim fore, ut nomen ſuum, quod

quod Atavorum inveſtigatione illuſtrius reddi volebat, omnino vileſceret, ſi ad primam uſque ſtirpem veniretur, à qua Principes & plebeii, nobiles & ignobiles originem duxerunt.

II. ACTA SAGATA.

I. Bellum Belgicum.

Cum *Carolus* Burgundus in bello contra Renatum Lotharingum miſere periiſſet, *Ludovicus* Rex Galliæ Burgundiam tanquam ad ſe revolutam invaſit, nec utraque contentus, ulteriores ditiones *Caroli* ſibi ſubjicere conatus eſt; ideo *Maria* filia *Caroli* (ut ſupra diximus) nuptit *Maximiliano*, qui altero à nuptiis anno, uxoris hortatu, prima belli auſpicia orſus, *Ludovicum* Regem bello aggreſſus, atque fortunam proſperam ex ſua parte ſenſit. Nam ad Terbonam uno die ad 20000 Francorum cum exiguo exercitu fudit, & cum caſtra prælio amiſiſſet, forti manu ea recuperavit, hoſtemque caſtris exuit anno 1478. Paucos etiam ante menſes totam Geldriam in ditionem ſuam redegerat. Ea victoria parta *Ludovici* Regis filio *Carolo Margaretam* filiam ſuam deſpondit, atque vicinum hoſtem ſibi amicum reddidit. Uxore Maria mortua fortuna quoque *Maximiliani* mutata fuit, ita ut in plurimas adverſitates inciderit, quas tamen forti animo conſtanter pertulit. Nam duo filii, *Franciſcus* & *Georgius* immatura morte abrepti ſunt Tertium vero *Philippum* ejus primogenitum Flandrenſes in Belgio, invito patre, in ſuam tutelam acceperunt. Cum autem ipſe filii tutorem agere inſtituiſſet, omnes fere provinciæ, quas in dotem cum uxore acceperat, ab eo abalienatæ ſunt, Regis Galliæ ſubſidio fretæ. Hanc injuriam cum *Maximilianus* ulciſci vellet, Brugis à ſubditis ſuis captus A. C. 1488, atque in domo cujuſdam aromatarii per novem menſes cuſtoditus fuit. Nobiliores vero ejus aulici, in ejus conſpectu à furente plebe capite truncati ſunt. Interea vero dum *Maximilianus* captivus detentus fuit, milites ejus, qui evaſerant, circa urbem ferro & igne omnia vaſtarunt, atque *Friderico* patri, ut res ſeſe habebat, illico ſignificarunt. Imperator itaque, Principes Imperii ſtatim ejus rei admonens, expeditionem contra Flandros ſuſcepit, atque 32000 Germanorum armavit. Inter eos in re bellica exercitatiſſimus, & acerrimus Dux Saxoniæ *Albertus* naviter ſuam Imperatori operam præſtitit. Itaque primum Gandavum ſex hebdomadibus obſedit, atque Brugenſes proſligatos eo redegit, ut filium liberum patri poſt 9 menſium captivitatem reſtituerent. *Maximilianus* igitur, recuperatis provinciis, denuo à ſubditis homagium accepit, ac *Philippi* filii tutorem agens, poſtmodum omnes regiones fortiori freno feliciter gubernavit. *Maximilianus Alberto* Saxoni Friſiam, in præmium confecti belli & ſumtuum compenſationem, procerum Imperii conſenſu, attribuit propriam. *Peucerus lib.* 5. *fol.* 309. *Crantzius in Saxon. lib.* 13. *cap.* 27. *Trithemius. Cuſpin.*

II. Bellum Hungaricum.

A morte *Matthiæ* Regis Hungariæ *Maximilianus* totum ſe contulit ad bellum *Hungaricum*, & traducto anno 1490 in Pannonias exercitu, quo multarum gentium difficillimis prœliis victor, tot pene victoriis, quot paſſibus itinera illa, virorum fortium virtute & dextera undique obvallata, tantiſque armorum ſtudiis paſſim flagrantia, pervaſit, atque citerioris Pannoniæ avitum patriumque principatum, patri ejus per ſuorum inſidias à gentium illo terrore *Matthia* rege ademtum, majori gloria, quam alii poſſederant, recuperavit. Nec magno negotio *Maximilianus* tunc totum perdomuiſſet regnum, præcipuis urbibus jam ad ſpontaneam deditionem paratis, niſi ex pacto, *Vladiſlao Matthiæ* ſucceſſori Procerum ſuffragiis expetito, id concedere viſum fuiſſet ſatius, retento ſolo jure ſucceſſionis, ut deficiente maſcula ſobole *Vladiſlai* in ſuos id poſteros devolveretur. *Peucerus l.* 5. *fol.* 310. *Pantaleon part.* 3. *fol.* 5. *Cuſpin.*

III. Bellum Helveticum.

A. C. 1499 *Maximilianus* Imperator Helvetiis, quod cum Auſtriis & Suevis fœdus inire nollent, bellum intulit: quod tandem transactione compoſitum eſt Baſileæ anno eodem, cum octies dimicatum eſſet, majori *Maximiliani* quam hoſtium clade. In hoc bello quanquam non copiis totis pugnatum eſt, cæſi tamen ſunt diverſis in locis 20000 homines, qui, cum in locis ſylveſtribus non ſepelirentur, à lupis devorabantur: unde tanta voluptas humanæ carnis vorandæ in lupis orta eſt, ut tam diurno quam nocturno tempore pagos invaderent, & homines lacerarent. Ad eos exſcindendos mandatum fuit, ut lupo apparente campanæ ſignum daretur, ut communibus armis interficerentur. *Annal. Chron. Hedion. fol.* 652.

IV. Bellum Bavaricum.

Compoſito bello Helvetico, ad Bavaricum bellum deventum eſt, quod uno anno cœptum & confectum, anno ſcilicet 1504. Ortum autem eſt è *Georgii* Divitis, Bavariæ Ducis, teſtamento. Is enim *Ruperto* genero ſuo *Philippi* Electoris Palati-

ni filio, omnem addixerat Bavariam, exhæredatis patruelibus, *Alberto*, cui *Maximiliani* Imper. soror nupserat, & *Wolfgango*. *Maximilianus* hoc testamentum, quod in Imperii leges & jura feudorum peccaret, non voluit ratum esse; sed ad componendam controversiam æquas conditiones proposuit, ut videlicet, quod ex hæreditate provenerat, *Rupertus* tertiam partem reliquis Bavaris redderet, duas ipse ad vitam retineret. Sed cum obstinate reluctaretur, fidens auxiliis Regis Galliæ & Bohemorum, ab Imperatore proscribitur. Insurgunt ergo cum Cæsare & Bavaris *Fridericus* Brandeburgicus, *Guilielmus Hassorum* Landgravius, *Ulricus* Wirtembergicus. Sæpius ambiguo marte concurrerunt, Bohemis Palatinum adjuvantibus. Sed vicerunt tandem partes *Alberti* Ducis Bavariæ. Imperator bis mille Bohemorum uno congressu occidit. Subacta sunt Palatinarum ditionum pleraque; è quibus Maulbronnam, Lauensteinum, Wirtembergicus; Altorfium Noribergenses, alii alia discerpsere. *Rupertus* morbo ex ea infelicitate contracto moritur, mox & conjux ejus *Elisabetha*. Imperator vero moderans sibi in victoria, & putans Palatinum satis punitum, omnibus aliis arma inhibet, & *Ruperti* liberis ex hæreditate materna quædam oppida concedit, ut Neuburgum, Laugingam, & alia, quæ Ducatus Neuburgensis titulo comprehenduntur. Interim *Philippus* Elector Palatinus, quomodo Imperatori reconciliari posset, cum subditis deliberat. Cum igitur anno sequenti *Maximilianus* Imper. Coloniæ comitia ageret, in iisdem *Fridericus* Elector Saxoniæ ausus est collegam suum olim *Philippum* ad Imperatorem adducere, ut supplex pacem ab eo peteret; quam etiam impetravit, una cum ditionibus quæ adhuc supersunt. *Chytræus lib.* 4. *Chronic. Hedion. fol.* 655, 656. *D. Pantaleon part.* 3. *fol.* 7.

1. *ACTA ECCLESIASTICA.*

1. Sub *Maximiliano* I Imp. *B. Lutherus* in reformanda religione initium fecit. Quare de admirabili via, qua DEUS clementiss. *eum* duxit in opere reformationis inchoando, continuando, & feliciter consummando, breviter, & quasi summatim dicemus, siquidem in sequenti historia acta ejus prolixius explicanda veniunt. LUTHERUS initio non Theologiæ, sed Jurisprudentiæ operam dedit: sed quodam tempore fulmine territus & consternatus, voto suscipiendi monachatus se obstrinxit. Itaque agens annum 22 ætatis, invito & reclamante parente, ingressus est monasterium Augustinianorum Erfurdiæ 17 Julii anno 1505: sicut testatur *Buchholtz. in indice Chronol. pag.* 465. Postea vero anno 1517, cum LEO X Papa, missis per omnia regna literis, *Indulgentias*, sive omnium delictorum expiationem polliceretur, interventu pecuniæ, & præcones indulgentiarum impie agerent, adeo, ut unicuique absolutionem à scelere quovis, & redemtionem animæ, pro qua decem solidos solveret, promitterent, *Lutherus* in Vigilia omnium Sanctorum, 31 Octobris, Wittebergæ publice foribus templi propositiones 95 contra *indulgentias* affixit, cui *Joh. Tezelius*, præco monachus Dom., sycophanta impudentissimus, alias Theses 106, à Conr. Wimpina Francofurtensi ad Oderam factas opposuit, & contra *Lutherum* Francofurti præsentibus Monachis trecentis disputavit. Atque hæc disputatio præter omnium hominum opinionem initium reformationi præbuit. Nam *Albertus Crantzius, SS. Theolog. & Decretor. D. Eccles. Hamburgens. Canonicus & lector, Historicus celeberrimus*, lectis hisce *Lutheri* de indulgentiis propositionibus, dixisse fertur: *Frater, vade in cellam, & dic: Miserere mei* DEUS! significans, conatum tantæ rei irritum futurum. Imo ipse *Lutherus* nihil minus cogitavit, quam integrum Papatum reformare. Initio enim Papam adhuc pro capite Ecclesiæ agnovit, ejusque censuræ scripta sua reverenter submisit, tantum emendationem disciplinæ Ecclesiasticæ, cujus deformes quidam abusus non parum male habebant bonos omnes, petebat. Verum quid fit? *Lutherus à Leone X, Pontifice Romano*, A.C. 1520, tanquam hæreticus excommunicatur: sicut non tantum *Sleidanus lib.* 1. *Com. p.* 1, 2, 3. *seqq.* sed etiam ipse *Polydor. Verg. lib.* 8. *cap.* 4. & *Laurent. Surius Carthusianus* testantur. Ibi *Lutherus*, aura afflatus divina, ansaque non tam ultro arrepta, quam vel nihil aliud cogitanti ab ipso Pontificiorum grege propemodum obtrusa, opus reformationis pientissimo zelo animose aggreditur, & adspirante, prorsusque incredibiles largiente successus, divina providentia feliciter confecit, atque orthodoxam religionem, per totum terrarum orbem toto mundo frendente & fremente, sine ulla vi externa, solo calamo à Spiritu S. ducto, mirabiliter propagavit, secundum vulgatos versiculos:

Lutherus *decimum confecit strage Leonem*,
De clava noli quærere: PENNA *fuit*.

Item:

Vir sine vi ferri, vi verbi, & inermibus armis
Totius immensas contudit orbis opes.

Quo nomine ei tanquam Pontificatus Romani domitori, hoc trophæum præclarum à Poëta quodam est erectum:

Roma Orbem domuit, Romam sibi Papa subegit:
Viribus illa suis: fraudibus iste suis.

Quan-

Quanto iſto major Lutherus, *major & illa*,
Iſtum, illamque, uno qui domuit calamo!
I nunc, Alciden memorato, Gracia mendax;
Lutheri *ad calamum ferrea clava nihil.*

Item aliud:

Sceptrum, Bulla, Schola, Regis, Papæ, Monachorum,
Uni Luthero *nil, ſociata, nocent.*

Apud *Homer. in Odyſſ. Cyclops* ait: prædictam ſibi fuiſſe oculi amiſſionem, ſed exſpectaſſe quendam *Ulyſſem*, qui procero corpore eſſet, & ore admodum ſpectabilis: cum tamen hoc malum ſibi à parvo & imbecillo allatum ſit. Idem quoque de Papa dici poſſet. Sed non novum eſt, ut David tiro ingentem Promachum fundat & confundat. Mirabilis nempe eſt DEUS in ſanctis ſuis. Nemo enim, ne vel hoſtium quidem, inficiari poteſt, quin digitus DEI in *Luthero* noſtro operatus ſit. Talia namque ille auſus fuit, quæ totus miratur orbis; & tot gentibus adverſus ipſum conſpirantibus unum ſe oppoſuit. Et quod memorabile eſt, hanc futuram religionis reformationem vel ipſi Abbates, licet inſcii, quoque præfigurarunt, quando *Carolo* V Imperatori, anno 1500 Gandavi nato, ad Baptiſterium dono obtulerunt Vetus & Novum Teſtamentum cum hac inſcriptione: *Scrutamini ſcripturas.* En vias DEI mirabiles!

In hac mutatione præcipue conſilium DEI omnipotentis conſideremus, qui Eccleſiam non authoritate, potentia, aut ſapientia humana, ſed ex ore infantium ac lactentium miniſterio verbi ſui, quod eſt potentia DEI ad ſalutem omni credenti, colligit, condit ac regit. Nec armis aut præſidiis Regum, ſed umbraculo alarum ſuarum protegit, ſervat ac tuetur, ut plantet cœlos.

Beneficium reſtitutæ lucis divinæ reverenter agnoſcamus, & pro eo, DEO noſtro devote gratias agamus, quod ejici monaſticæ doctrinæ venena ex Euangelicis fontibus voluerit. Nec cogitemus, minus miraculum fuiſſe, Eccleſiæ à pontificia tyrannide aſſertionem protectionemque adverſus immania odia, minas & vim regum totius Europæ, quam fuit populi Iſraëlitici liberatio ex ſervitute Ægyptiaca: aut reſtitutionem doctrinæ purioris ex tanta caligine humanarum opinionum, & ſuperſtitione tam inveterata, quam fuit traductio populi per mare rubrum, & per vaſtas ſolitudines deſerti in terram patribus ſanctis promiſſam, etſi illa magis incurrunt in oculos.

II. Anno C. 1502 Academia WITTEBERGENSIS (cujus primus Rector fuit MARTINUS Pollichius Mellerſtadius, Artium & Medicinæ Doctor) à FRIDERICO III, Electore Saxoniæ, conſtituta, & ſolenni ritu introducta die Lucæ 18 Octobr. è qua velut ex equo Trojano innumeri Eccleſiæ Chriſti Duces & Anteſignani prodierunt, qui Beſtiæ & Pſeudoprophetæ, totiuſque Papatus impetum non ſuſtinuerunt ſolum, verum etiam repreſſerunt & profligarunt. Id in inauguratione Academiæ prædixiſſe fertur D. Fleck / non temere ex etymo ominatus, Wittebergam fore montem, ex qua fontes ſapientiæ ſcaturientes in totum terrarum orbem derivarentur. Ibidem *Lutherus*, poſtquam Erfurdiæ in Magiſtrum promotus, cœnobium ingreſſus eſſet anno 1505, ætatis 22; ann. 25 Wittebergam ad Ariſtotelicam profeſſionem accerſitus, Licentiam Doctoris Theologiæ adeptus eſt, ſub Decano D. *Andrea* Bodenſteinio Carolſtadio Archidiacono Collegii. Ibidem paulo poſt anno 1512, die 19 Octobr., ætatis 29, Doctor Theologiæ publice renunciatus, eodem D. *Andrea* Carolſtadio promotore.

III. A. Chriſti 1506 JOACHIMUS Elector Brandeburgenſis cum fratre ALBERTO Academiam Francofurtenſem ad Oderam inſtituit, quæ introducta eſt ſolenni ritu 26 Aprilis. Profeſſores plerique ex Academia Lipſienſi accerſiti ſunt. Primus Rector fuit *Conradus Wimpina* Francus Theologiæ Profeſſor. Ab hoc ſtatuta & leges Academiæ præſcriptæ ſunt. *Chytræus.*

IV. A. C. 1510 ortum eſt bellum literarium inter REUCHLINUM & COLONIENSES quoſdam Monachos, de libris Judæorum; cujus rei multa fit mentio in Reuchlini Epiſtolis. Mandaverat *Maximilianus* Imperator Reuchlino, ut, quid de cremandis Judæorum libris ſentiret, in modum conſilii referret, & ſcriptum Archiepiſcopo Moguntino tranſmitteret Cæſari reddendum. Ille in partem benigniorem propenſior, judicavit, ſcripta quædam Judaica conſervanda, quædam vero blaſphema exurenda. Fuerat autem Coloniæ Judæus quidam baptizatus, cognomento Pfefferkorn / qui & anno 1514, ob panis conſecrati violationem, in Salinis Saxoniæ candentibus forcipibus diſcerptus & crematus eſt. Hic author ejus conſilii fuerat, ut de Cæſaris mandato ſinguli Ebræorum libri, præter nudum Bibliorum textum, comburerentur, vel tantum, ut quidam ſuſpicati ſunt, igni adjudicarentur, ut ante executionem Judæi grandi ære libros ſuos ab incendio redimerent: quod ſi fieret, conſilii illius author auri partem acciperet. Quem conatum ſuum cum Judæus Reuchlini conſilio eludi cerneret, ſparſis libellis famoſis, eum apud multos in odium & invidiam vocavit. Librum vero Reuchlini Colonienſes flammis tradiderunt: quæ res miris factionibus inter doctos

agitata est, aliis *Capnionem*, aliis *Colonienses* tuentibus. Tandem orto *Lutherano* incendio (de quo supra jam dictum) fumilinum (ut quidam tum appellarunt) certamen in fumum abiit. Vide *Sleidanum lib.* 2. sub anno Christi 1520.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

I. TA' ΠΡΟΗΓΟΎΜΕΝΑ.

1. *Reparatio.* *Maximilianus* Imp. integro ante mortem biennio, (al. quinquennio) quocunque proficisceretur, *Arcam ligneam*, ad mensuram corporis humani fabrefactam, circumvectavit. Quo ipso perpetuam mortis memoriam ante oculos sibi præferri voluit: quo vitam actionesque suas ita instituerent, ut aliquando immortali DEO rationem reddendam sciret; insigne ac memorabile successoribus pietatis atque timoris DEI, quo erga Numinis Majestatem affici debemus, exemplum relinquens.

II. *Mortis præsagium.* Anno 1518, in Junio, Eclipsis Solis horrenda accidit, quæ genesin *Maximiliani* valde obfuscavit, eique periculosa & lethalis fuit. Obitum ejus ex hac eclipsi prædixit Mathematicus insignis *Georgius Tranſtetter.*

II. TA' ΠΡΑΧΘΈΝΤΑ.

Mors ipsa. Cum *Maximilianus* Imper. conventum frequentia Principum celeberrimum egisset Augustæ, inde profectus Oenipontum febre correptus est: cumque se Welsam Austriæ superioris oppidum transferri curasset, accedente ex virium resolutione alvi profluvio, exspiravit A. C. 1519, die 12 Januarii, anno ætatis 59, mense 9, die 19, & cum imperasset cum patre annis 7, solus ann. 25, mensibus fere quinque.

Decumbens passionis Domini JESU historiam identidem relegi mandavit, & sub illa verba, quibus tradidisse spiritum narratur Servator, suum & ipse spiritum dimisit.

III. TA' ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ.

1. *Sepultura.* Cadaver *Maximiliani* ex testamento Neapolin locum natalem translatum, ibique regio more & communi omnium luctu sub altari S. Georgii conditum fuit. *Cuspinianus*, *Pantaleon*, *Sleidanus*, *& alii.*

II. *Mala mortem secuta.* Post mortem *Maximiliani* Imper. tam crudelis, tam sæva, tam stupenda biennio post orta pestis, quæ oppida integra depasta est ac deserta fecit, adeo, ut frumenta in agris non secta manerent, à nemineque colligerentur; nullam arcem, nullum castrum, nullum oppidum, villam, vicum absque tabe relinqueret. Æstimatur tertia pars hominum in Austria hac peste esse sublata. *Johan. Cuspin. in vita Maximil. p.* 613.

Viri celebres.

I. Anno C. 1491 MARTINUS BUCERUS Theologus, Sletstadii, Alsatiæ oppido, natus est. *Luthero* Wormatiæ in comitiis familiaris factus, in purioris doctrinæ studium tota mente incubuit. Anno 1548, cum novam religionis formulam, quam *Carolus Cæsar* obtrudebat, amplecti nollet, in Angliam profectus est, in Academia Cantabrigensi Professor una cum Fagio designatus, & uterque Theologiam tradidit, vitaque sancta, sobria & simplici professionem ornavit. Mortuus est ibi Bucerus A. C. 1551, ætatis 60.

II. A. C. 1494, GEORGIUS Agricola excellens Philosophus & Medicus, cujus eruditissima de rebus metallicis exstant scripta, in oppido Misniæ Glaucha natus est. Vixit annos 61.

III. A. C. 1496 natus est BERNHARDUS Ziglerus, Theologus nobilis, & Ebraicæ linguæ peritissimus. Obiit Lipsiæ anno ætatis 56.

IV. Anno C. 1497 PHILIPPUS MELANCHTHON natus est, die Jovis post Dominicam invocavit, 16 Febr. in oppido Palatinatus Bretta. Vir de suis scriptis notissimus, literarum artium restitutor, scholarum multarum parens, & Theologiæ purioris cum *Luthero* instauratorae propugnator, humanitatis, concordiæ, & conjunctionis veræ conciliator. Confecto annorum 63 curriculo laborioso, & curarum molestiarumque pleno, tandem febri correptus Wittebergæ A. C. 1560, *die 19* Aprilis diem suum clausit extremum, & authoritatis, prudentiæ & humanitatis suæ triste bonis omnibus reliquit desiderium. Fuit annus ab adventu ejus in Academiam Wittebergensem 42, à Confessione Augustana, quam ille scripsit, 30. Hoc anno etiam gener ejus *Georgius Sabinus* Poëta clarissimus Francofurti ad Viadrum diem suum obiit.

V. Anno C. 1498 HIERONYMUS SAVONAROLA, patria Ferrariensis, celebris concionator Florentiæ, quod è suggestu magna dicendi libertate in Pontificem *Alexandrum* VI invectus esset, die 9 Aprilis, jussu Pontificis exquisitis tormentorum cruciatibus excarnificatus, una cum duobus sociis, Sylvestro Florentino, & Dominico de Pisis, Ordinis Prædicatorum, Florentiæ laqueo suffocatus & crematus est anno ætatis 46. Scripsit in carcere meditationes in *Psal.* 31. *&* 51. & alia. *Marianus.*

Circa

Circa hoc tempus floruerunt:

1. *Antonius Bonfinius*, qui ſcripſit hiſtoriam Hungaricam.

2. *Petrus Crinitus*, qui de Poëtarum ætatibus ſcripſit, Politiani diſcipulus.

3. *Marcus Antonius Coccius Sabellicus*, vir valde eruditus, cujus multa ſcripta exſtant.

4. *Johannes Nauclerus*, Præpoſitus Tubingenſis. Scripſit ingens Chronicum, continens res memorabiles ab initio mundi uſque ad annum Chriſti milleſimum quingenteſimum.

5. *Albertus Crantzius* Bambergenſis, vir admodum diligens in hiſtoriis conſcribendis. Scripſit Metropolin, quæ continet hiſtoriam Eccleſiaſticam. Item hiſtoriam Saxonicam & Vandalicam, & Chronicum aliarum Septentrionalium regionum.

6. *Baptiſta Mantuanus*, Monachus & Poëta inſignis. Hic Romanæ Eccleſiæ corruptelas, & Pontificum impietatem & ſcelera graviter & libere taxavit atque inſectatus eſt. Inter cætera de Pontificum Simonia atque avaritia hæc ſcripſit:

Venalia nobis
Templa, Sacerdotes, altaria, ſacra, corona,
Ignis, thura, preces, cœlum eſt venale, Deuſque.

7. *Jacobus Bergomenſis*, qui ſupplementum Chronicorum ſcripſit, & uſque ad annum 1486 deduxit.

8. Doctor *Andreas Proles*, Lipſienſis, Auguſtinianus Provincialis, quem *Lutherus* admodum juvenis Magdeburgi vidit & audivit, in docendo ſæpius uſurpavit hanc vocem: O fratres, res Chriſtiana opus habet magna & forti reformatione, quam quidem jam prope inſtare video. Hic cum admoneretur, ut ipſe curam emendandi Eccleſiam ſuſciperet, reſpondit: Ego jam ætate affecta ſum, nec tantum habeo roboris atque præſidii, quantum reformationis tantæ opus poſtulat. Alium vero excitabit Deus Heroëm, quem ad omnia ſummum atque excellens ingenium armabit. Is reformationem aggredietur; errores extirpabit; pericula animo infracto deſpiciet, perrumpet, & ad exitum illum, quem omnes pii exoptant, rem adducet. *Matthæus Dreſſ. in mill. vi. pag.* 40.

9. *Johannes Trithemius*, natione Germanus, Abbas Spanheimenſis, Ordinis S. Benedicti, cujus opera plurima, ex quibus notiora ſunt hiſtorica, quæ ſimul edita Francofurti anno 1600, exſtant.

10. *Sebaſtianus Brand*, qui Germanica lingua vulgavit libellum, quem appellavit navem Narragoniæ, aut potius Navem ſtultorum, in quo cauſam & radicem omnis ſtultitiæ eleganter exprimit, mores hominum carpit, & ſalutaria remedia vitiorum tradit.

11. *Raphael Volaterranus*: *Gaguinus* hiſtoricus: *Ambroſius Calepinus*, Epiſcopus Bergomenſis, *&c.*

VI. Anno 1499, natus eſt *Johannes Brentius* Theologus & Ducum Wirtembergicorum Conſiliarius, cujus plurima Theologica ſcripta exſtant. Deceſſit anno ætatis 71, menſe 2, ex fluxu (ut putatur) hepatico, miniſterii anno 50, Stutgardiæ.

VII. Anno C. 1500, *Joachimus Camerarius* Papebergenſis, de bonis literis præclariſſime meritus, cujus ſolidam & multiplicem eruditionem ſcripta ejus commendant, natus eſt Bambergæ. Obiit ætatis anno 74, ſepultus Lipſiæ. Hujus filius fuit *Joachimus Camerarius*, inclytæ Noribergenſium Reipubl. Medicus, vir doctiſſimus, & ſcriptis editis clariſſimus.

VIII. A. C. 1502, *Georgius Major* Theologiæ Doctor natus eſt Noribergæ. Vitam cum morte commutavit Wittebergæ ann. ætatis ſuæ 73, non ſatis in religione conſtans. Author enim novi dogmatis, quod motus magnos fecit, extitit; nempe, Bona opera ad ſalutem eſſe neceſſaria: Neminem unquam ſine bonis operibus ſalvatum: impoſſibile eſſe ſine bonis operibus ſalvari. Sunt tamen qui ſcribant, quod ipſe hanc propoſitionem ita ſit interpretatus, ut neque meritum, neque cauſam ſalutis ullam, bonis operibus tribuat.

IX. Anno Chriſti 1506, *Johannes Sleidanus*, ſcriptor hiſtoriarum noſtri temporis, natus eſt. Hiſtoria ejus terminatur anno 1555, quo etiam in lucem prodiit.

X. A. C. 1511 natus eſt Salfeldiæ in Thuringia *Eraſmus Reinholdus*, Mathematicus excellens, & tabularum Prutenicarum author. Obiit in patria anno ætatis 42.

XI. Anno 1512 natus eſt *Gerhardus Mercator* Rupelmondæ in finibus Comitatus Flandriæ, *Guilielmi* patris, & *Johannis Guilielmi* filii, Juliacenſium & Clivienſium Ducum, Coſmographus exercitatiſſimus, & Mathematicus excellentiſſimus, qui globis artificioſis, radio dimenſis, cœlum ac terram interius & exterius, qua licuit, demonſtravit, & editione Chronologiæ utiliſſimam rei literariæ operam præſtitit. vixit annis fere 83. *Bucholtz.*

XII. Anno Chriſti 1514 *Wolfgangus Lazius* Viennæ Auſtriæ natus eſt, rerum Romanarum & Germanicarum ſcriptor celeberrimus, & totius antiquitatis indagator fideliſſimus. Obiit anno ætatis 50. *Idem.*

XIII. Anno C. 1515, *Conradus Lycoſthenes*, vir inſignis eruditionis & induſtriæ, cujus opera exſtant, Rubeaci in Alſatia natus eſt. Vixit annos fere 43. *Idem.*

Natus eſt & hoc anno *Petrus Ramus* in pago Veromanduorum. Fuit Profeſſor Regius in Academia Pariſienſi, Orator & Philoſophus excellens. anno ætatis 57 interfectus eſt Lutetiæ in Collegio Prælео à ſicariis: cum quidem, accepta ab ipſo prius pecunia, ſecuritatem illi promiſiſſent. Noviſſima Rami audita ſunt verba: Tibi ſoli ô Deus peccavi: judicia tua veritas & juſtitia. Miſerere mei, & interfectoribus ignoſce, neſcientibus quid faciant. *Theophilus Banoſius.* Qui necem procuravit Ramo Carpentarii filius, anno 97 ſupplicio affectus eſt, quod reus eſſet proditionum Hiſpanicarum. *Idem.*

XIV. Anno 1516 *Conradus Geſnerus* Tiguri natus eſt, Medicus & Polyhiſtor doctiſſimus, & omnis animantium ac plantarum hiſtoriæ perſcrutator diligentiſſimus. Exſtinctus eſt peſte in loco natali, anno ætatis 49, ut habet *Beza* in Iconibus.

Eodem anno natus eſt Chemnici *Georgius Fabricius* poëta excellens, & omnis antiquitatis ſtudioſiſſimus. Rexit Scholam illuſtrem Miſnenſem annos 26 fideli & felici inſtitutione. Obiit Miſnæ, cum vixiſſet annos 55, & aliquot menſes. Vivus de ſe ipſo:

Fabricius ſtuduit bene de pietate mereri:
Sed quicquid potuit, gloria, Chriſte, tua eſt.
Σοὶ χάρις εἰδὼς Θεὸς ἀπολάυσον ὃς μ' ἐδίδαξας
Ἐν βιότῳ πιστὸν, εὐθανάτῳ ζ βίον.

Bucholtz.

XV. Anno 1518 *Johannes Funccius* natus eſt Werdæ prope Noribergam, Theologus & Concionator in aula Ducis Pruſſiæ, autor laudatiſſimæ Chronologiæ. Hic cum alienis & politicis negotiis imprudenter & male ſeſe admiſcuiſſet, una cum aliis duobus Conſiliariis Illuſtriſſ. *Alberti* Ducis Boruſſiæ, Marchionis Brandeburgici, Horſtio & Schnellio, accuſatus apud Regem Poloniæ, capitis damnatus & decollatus eſt Regiomonti, ann. 1566. die 28 Octobr. ætatis 40. Ante finem vitæ pronunciaſſe dicitur hoc diſtichon:

Diſce meo exemplo mandato munere fungi,
Et fuge ceu peſtem τλὼ πολυπραγμοσύνω.

Anno 1518 natus eſt etiam *Caſparus Bruſchius* Egræ Poëta Laur., vir doctiſſ. & antiquitatis eruendæ ſtudioſiſſimus, C. S. E. Interiit trajectus ſclopeto, inſidiis quorundam in Silva Sclingenbacenſi inter Rotenburgum & Winshemium, anno ætatis 41. *Cruſius.*

Res memorabiles.

I. Anno 1500 tempeſtas ingens Romæ exorta, qua pars conclavis Pontificii, procidentis tubi pondere, corruit, & tres miniſtros, qui coram Pontifice *Alexandro* VI ſtabant, obruit; & Pontifex ipſe tandem inter rudera inventus eſt vix adhuc ſpirans; qui tamen tandem convaluit. Sed triennio poſt per miniſtri incuriam epoto veneno, quod furtim juſſerat dari *Adriano* Cardinali familiari ſuo, in cujus hortis cœnabat, obiit anno 1503, die 18 Auguſti; cum per omnem ætatem flagitioſiſſime vixiſſet. Nam *Alexander* VI filio ſuo *Cæſari Borgia* cædibus ac rapinis regnum parabat; ideoque convivium ſplendidum inſtruxerat, ut quoſdam præcipuos viros invitatos venenato pulviſculo in vinum inſperſo tolleret, eorumque exuviis filium ditaret. Factum eſt autem divinitus, ut miniſtro lagenas errore quodam commutante, *Alexander* & filius venenum haurirent: alii purum vinum. Ita *Alexander* ſibi, non aliis, exitium ſtruxit. Filius Borgias incluſus mulæ recens exenteratæ utero, venenum aliquo modo diſſipavit; ſed cum convaluiſſet, parata ei fuit mors cruenta, quam & prædicere ſibi viſus eſt. Nam ejus Apophthegma hoc fuit: O CÆSAR, ô NULLO. id eſt: *Aut Cæſar, aut nullus.* Tandem nihil factus eſt, cum propter nefarias technas trucidaretur. Papa hic habuit filiam, nomine *Lucretiam*, profligatæ libidinis fœminam. Cum ea concubuit ipſius frater, *Alexandri* ſpurius, *Cæſar* dictus, quin & ipſe pater *Alexander* eam ſubagitavit: Unde tale carmen, authore *Jacobo Actio Sanazario*, ſcriptum exſtat:

Hoc jacet in tumulo Lucretia *nomine, ſed re*
Thais, Alexandri *filia, ſponſa, nurus.*

Adeo autem *Alexander* horrendis libidinibus delectatus, ut *Petro Mendoza* Cardinali concederet, ut cum notho ſuo Sodomiam exerceret. *Marianus. Platinæ* appendix. *Nauclerus. Balæus. & alii.*

II. Anno C. 1503 *Iohannes Fridericus* Elector Saxoniæ in lucem editus 30 Junii. Naſcenti ei crux aureo colore fulgens in dorſo apparuit. Quam ubi conſpexit, à matronis aulicis accerſitus Sacerdos, vir pius & admodum ſenex, pro omine hoc arripiens: *Hic puer* (inquit) *crucem geſtabit toti orbi conſpicuam, cujus indicium tam manifeſtum in ipſius ortu ſeſe exſerit.* Hoc præſagium eventus manifeſto declaravit & comprobavit. *Fabr.*

III. Anno 1506 *Ladiſlao* Hungariæ & Bohemiæ Regi natus eſt filiolus LUDOVICUS: qui immaturo partu editus eſt, ideo medici ipſi arte cutem fieri curarunt: immatura ætate barbatus fuit, anno videlicet 14: immature uxorem duxit, anno ſcilicet 15: immaturus regno fuit, cum Patri in regno ſuccederet anno ætatis 10: immature obiit, anno ætatis 21, à Turcis cæſus: perierunt cum ipſo ad 15 millia Chriſtianorum. *Chytr.*

IV. Anno 1508 grando frumenta, vineta & pleraſ-

pleraſque terræ fruges (præcipue in Ducatu Wirtembergico, & in ditione Hohenbergenſi) graviter læſit. Et quidem in oppido Rotenburg ad Neccarum ſito, tanta grandinis vehementia & magnitudo fuit, ut non modo feneſtras comminueret, verum etiam tegulas in tectis domorum confringeret. *Baſilius.*

Similiter hic annus habuit horrendos terræmotus, per Italiam & Germaniam. Sed & Stutgardiæ, exorta tempeſtate, tanta vis aquarum ex imbribus urbem implevit, ut peritura videretur. Aliquot homines & jumenta ſunt ſubmerſa: urbis muri aliquot locis everſa: cellæ aquis repletæ. *Idem.*

v. Anno 1509 Conſtantinopoli DEUS impietatem Turcicam graviter ultus eſt terræmotu horribili. Tempeſtate enim exorta, cum grandine, fulguribus, tonitruis, fulminibus & ventorum turbine, tantus acceſſit terræmotus, ut circa oram maris, muri, turres & ædificia primaria, præſertim à Turcis conſtructa, & domus, funditus corruerent. Arx quoque Imperatoris Turcici ita quaſſata eſt hoc terræmotu, ut quinque turres ſumtuoſiſſime exſtructæ, in quibus theſauri Turcæ aſſervabantur, corruerint. Templum Sophiæ, quod Turcæ in templum Mahometicum converterunt, habuit (ſub Chriſtianis Imperatoribus) picturam totius paſſionis Domini noſtri *Jeſu Chriſti.* Has picturas Turcæ injecto cæmento oblinierant: In hoc autem terræmotu cæmentum dejectum eſt, ita quidem ut totius paſſionis Dominicæ hiſtoria clariſſime appareret: *Templa Chriſtianorum manſerunt integra*: perierunt hominum 13 millia: ipſe *Bajazetes* Imperator Turcicus monachi monitu in hortos conceſſit. Duravit hic terræmotus dies 40. Ut collapſa reſtituerentur, *Bajazetes* ex Anatolia, Romania, aliiſque locis opifices cæmentarios & lignarios collegit ad octuaginta millia. *Bizar. Baſilius.*

VI. Cum *Maximilianus* Imperator anno 1511 Comitia Treviri (al. Auguſtæ) ageret, ad Imperatorem ductus eſt homo quidam barbarus, ex regionibus Septentrionalibus, moribus incompoſitis, ſtaturæ proceræ, qui pro una refectione vitulum, muronem vel ovem devorabat: & nihilominus ſe adhuc eſurire proteſtabatur; teſte *Baſilio.*

VII. Anno 1512 Ravennæ monſtrum eſt natum, quod in capite habebat cornu: pro brachiis erant alæ: in mento oculus: pes alter erat armatus unguibus, quales gerunt aves prædæ inhiantes. In pectore videbatur Yſilon, & figura crucis: pudenda erant utriuſque ſexus. Secuta ſunt paulo poſt in Italia admodum cruenta bella, quorum cauſa præcipua fuit Romani Pontificis Julii II ſuperbia, avaritia & crudelitas. *Platina appendix. Chronic. Hedionis.*

Hoc anno Selimus, patre *Bajazete* (qui Chriſtianos omni ex parte afflixit, & plurima illis eripuit, Methonem, Naupactum, & alias urbes, regioneſque multas) veneno necato per Judæum medicum, interfectiſque duobus fratribus, & ſeptem ex iis prognatis nepotibus, Imperator factus eſt. Interfectori parentis, præmii loco, caput præcidi juſſit, ipſeque anno 1520 ultricibus furiis eodem in loco, quo patrem ſuſtulerat, carbunculo peſtilenti exſtinctus eſt. *Annal. Turc.*

VIII. Anno 1514 Tornaci peſtis ita ſæviſſe ſcribitur, ut triginta quatuor millia hominum abſumſerit. *Urſperg. Hedion.*

IX. Anno 1515 tanta fuit in Germania fluviorum inundatio, ut plurimum paſſim damni darent, & Germania quaſi Inſulæ formam haberet. *Chron. Germ.*

X. Nec ſilentio prætereunda memorabilis hiſtoria de *Maximiliano I* Imperatore, quomodo in ſummo periculo mirabiliter à DEO ſit conſervatus. Cum *Maximilianus* per ſalebroſas montium cautes, per aſpera ſaxa, per altas ac præcipites valles, atque per amœniſſimas Oenoponticas vias, imperito prorſus ardore, juvenilique nimia audacia, capreas inſectando eo loci evaſiſſet, unde nec referre pedem, nec ulterius progredi poſſet, niſi in præcipitium: ſtabat attonitus in abrupto loco infelix ille Princeps, temeritatem ſuam culpans ipſe, famis diræ longa rabie, vel morte violenta vitam ibidem finiturus. Stupebat animus: horror & tremor artus occuparant; & obverſabatur ubique triſtiſſima mortis imago. Si altum reſpicit, nivoſa cacumina & ſcopulorum ingentes minæ capiti imminent, &, ut Silii Poëtæ verbis dicam,

—— Caligat in altis
Obtutus ſaxis: abeuntque in nubila montes.

Sub pedibus occurrit tartareus veluti abyſſus,

—— & regni pallentis hiatus
Ad manes imos, atque atra ſtagna paludis.

A tergo & lateribus Marpeſiæ cautes, non ferro, non flammis, non aceto Punico domandæ, viarum acceſſus occludebant. Nec funes aliave inſtrumenta, quibus extraheretur è periculo, ad ipſum alicunde protendi poterant, nec ſemita quæpiam lapicidarum labore menſtruo parari. Stabant gregatim hinc inde Comites ac miniſtri, conſilii prorſus inopes; Dominumque ſuum miſerum à longe non ſine lacrymis proſpectant, quem juvare non poterant. Ipſe autem cum jam noctes atque dies integros duos in tam afflicto ſtatu continue permaneret, nec ullâ ſalutis ſpes reſidua eſſe videretur, mortalis hujus vi-

tæ

tæ cupidinem pius Princeps abjicere, & qua ratione tutius beatioris vitæ cœleſtem in locum tranſire poſſet, cogitare cœpit. Appellat magna voce ſuos, jubetque, ut quam primum Sacerdotes ſacroſanctam Dominici corporis euchariſtiam adferrent, & è viciniore, quo poſſent, loco ſibi monſtrarent; ut, quando corpus mortali cibo reficere non daretur, ſaltem oculos à longe mentemque immortali viatico, quantum concederetur, nonnihil muniret, Deumque Servatorem ſuum præſentem adoratione poſtrema reconciliare ſibi poſſet. Satisfactum tam pio Principis deſiderio quam diligentiſſime. Sed luctus interea magnus per univerſam provinciam ſpargitur, fama tam acerbi caſus divulgata. Deplorabant parentes dilecti ac unici filii ſortem infelicem, & infauſtam orbitatem deteſtabantur. Curia, Senatus ac Ordines univerſi, crudeli fato ſpei optimæ Principem adoleſcentem ſibi ſublatum mœrebant. Populus omnis publice, vota pro Principis ſui ſalute ſuſcipiebat: in urbibus oppidiſque ſingulis templa atque ædes ſacras, magna utriuſque ſexus frequentia ſupplex circuibat, iram divini numinis deprecando. Flectere cœleſtium iram mortalia vota, preceſque pias, veluti miraculo quodam tum innotuit. Cum enim jam ope deſtitutus humana *Maximilianus* in ſcopulo, cura fragilis vitæ prorſus abjecta, nil ageret aliud, quam immortalitatis, denique ſervatoris ſui contemplatione ſemet occuparet, audit non procul à ſe ſtrepitum, circumſpicienſque videt arreptare per rupis coſtam juvenem quendam ignotum, habitu ruſticum, dimovere ingentia ſaxa, & collem parare. Qui, cum ad ipſum acceſſiſſet, porrecta dextera, Macte, inquit, animo virtuteque tua princeps: vivit & adeſt, qui te ſervare poteſt, depone metum inanem, & me ſequere; actutum te in tutiora loca traducam. Uti Sol per denſas nubes clarior emergit: ita mox anxii pectoris angore deterſo, ſerenior rediit animus, confidenterque ducem ſequitur. Et paulo poſt in patentiore via poſitus, ſemet ex Orci faucibus ereptum videt, liberatoriſque ſui induſtriam non ſatis admirari poteſt. Ad deſcendentem deinde fit magnus Comitum miniſtrorumque nobilium concurſus: ubi inter congratulantium turbas ducem ſuum perdidit. Pallidus & inedia languidus excipitur equo, domumque cum ſumma lætitia à ſuis reducitur, luctu publico confeſtim in gaudium maximum converſo. Poſtero die cum, læti patris edicto promulgato, dux ille ubique terrarum quæreretur, quo præmio merito poſſit honorari; nec diu quæſitus inveniretur, cognitum pariter & creditum eſt, Euangelum cuſtodem bonumve Genium à DEO fuiſſe miſſum, ut adoleſcentem Principem ad maxima Reipublicæ Chriſtianæ commoda, & ad Auſtriacæ domus incrementum grande, ab immatura morte ſervaret. Quam opinionem poſtea res ab ipſo præclare geſtæ plurimum confirmarunt. Ad rei memoriam pius Princeps ſemitam lapicidarum labore muniri, & in eodem periculi ſui loco, crucifixi Servatoris noſtri imaginem conſpicuam è via poni curavit, uti peregrinantes, divini auxilii gratiam ubique piis eſſe paratam in ſummis periculis, inde cognoſcerent. Hanc *Maximiliani Cæſaris* fortunam Germanus Poëta quidam non indocte ſic attigit in Hodœporico ſive Itinerario ſuo:

Poſtera rore levi virides Tithonia campos
Sparſerat: ad ſcopulum curſu pervenimus altum:
Hic ubi, ſectatus ter maximus Æmylianus
Alta in rupe capras ſimiſſet turpiter ævum:
Ni DEUS *ad majora virum ſervaſſet, opemque*
Auxilio agricolæ pene ipſa in morte tuliſſet.

Meminit hujus miraculi etiam *Georgius Sabinus*, gener *Philippi Melanchthonis*, itineris Italici in *Hodœporico* ſuo his verſibus:

Iamque tenebamus, qua ſpumifer æſtuat Oenus,
Ardua carpentes ſub juga montis iter.
Cujus in abrupto per noctes vertice Cæſar,
Dive, tuus quondam, Carole, ſedit avus:
Sylveſtres quando capreas, damaſque bicornes
Auſus in aëreas figere rupe fuit:
Culmen & adſcendit juvenis temerarius: unde,
Cum vellet, potuit non revocare gradum.

Hactenus Georgius Braunius in quinto Urbium theatri Tomo, ſub deſcriptione vallis Oenopontanæ, fol. 59. &c.

XLIV IMPERATOR GERM.
CAROLUS V.

CAPUT I.
DE ORTV.

1. *Generatio.*

CAROLUS V ex Imperatoria & regia ſtirpe oriundus fuit. Nam,

1. *Avus paternus* fuit MAXIMILIANUS I Imper. filius *Friderici III.* Imper. de quo in præcedenti hiſtoria dictum.

Avia paterna dicta fuit MARIA, filia *Caroli* Burgundi. Cum hac *Maximilianus Cæſar* nuptias celebravit anno 1477, cumque ea regnum Bur-

Burgundiæ (cujus illa hæres unica fuit) dotis loco accepit. Maria quinquennio à nuptiis elapſo, ex equo ferociente dejecta, & cum dolorem diſſimularet, & medicinam negligeret, ne *Maximiliano* mœrore afficeretur, vitam cum morte commutavit.

II. *Avus maternus* fuit FERDINANDUS Rex Hiſpaniæ, ultimus in familia ARRAGONIORUM. Hic Ebræos univerſos, quorum ingens erat numerus, Hiſpaniæ finibus excedere juſſit, & Saracenos expulit, ſuperſtitionem omnem abolevit, & Chriſtianam religionem invexit. Inquiſitionis quoque officium inſtituit, ut ad omne tempus hæretici extirparentur. Inde *Catholici nomen obtinuit* anno 1496, à Pontifice *Alexandro VI*; qui ad exitium Italiæ (ut ait *Onuphrius*) natus; de quo verſus:

Vendit ALEXANDER *divos, altaria, Chriſtum:*
Emerat ille prius, vendere jure poteſt.
Sextus Tarquinius, ſextus Nero, ſextus & iſte:
Semper ſub ſextis perdita Roma fuit.

Obiit autem rex *Ferdinandus* A. C. 1516 die 16 Januarii, alii 22) ætatis 66, cum regnaſſet annos 41, regnaque ſua Arragonium & Caſtellæ auxiſſet regno Neapolitano, Navarreno, Oranto in Africa, Hiſpaniola & America in orbe novo, à *Chriſtophoro Columbo* & *Americo Veſputio reperta*. Cum enim *Ferdinandus* Rex partem BETICÆ, quam GRANATAM vocant, à Mauris ſeptingentos octoginta novem annos (alii 878) occupatam recepiſſet & recuperaſſet, pulſiſque Saracenis & Mahometica ſuperſtitione abolita, templa Chriſtianæ religioni condidiſſet, anno ſequenti, ſcilicet 1492, CHRISTOPHORUM COLUMBUM Genuenſem tribus navibus inſtruxit, qui Cal. Septembris ab ipſis litoribus ſolvit; qua navigatione Solem Occidentem per tres & triginta dies ſecutus, multas Regiones & Inſulas orbis, hactenus incognitas, invenit: quas poſtea Rex Hiſpaniæ coli & frequentari juſſit. Ea de re ita *Bembus hiſtor. Venet. lib. 6.* Columbus homo Ligur, ingenio peracri, qui multas emenſus regiones, multum maris & Oceani perluſtraverat, tribus cum navibus Inſulas fortunatas, quas Canarias appellant, profectus, atque ab iis tres & triginta totos dies Occidentem ſecutus Solem, ſex numero Inſulas reperit, quarum ſunt duæ ingentis magnitudinis, quibus in Inſulis Luſciniæ Novembri menſe canerent, homines nudi, ingenio miti, lintribus ex uno ligno factis uterentur. Animalium quadrupedum genera habent perpauca: avium vero longe plurima. Cum uno harum duarum Inſularum Rege fœdere inito *Columbus* 38 ex ſuis apud illum relictis (qui mores & ſermonem gentis addiſcerent, ſeque brevi rediturum exſpectarent) decem ex Inſularibus ſecum ducens, in Hiſpaniam rediit. Hæc illorum itinerum origo, inſtitutæque ad incognitas orbis terrarum oras navigationis hoc initium fuit. Anno autem inſequente, ut pollicitus fuerat *Columbus*, cum navibus 17 & militibus, & fabris, & commeatu omnis generis juſſu Regum eodem rediens, propter ſoli bonitatem, magnitudinemque Inſulæ, oppidum opportuno loco condere, ac terram colere cœpit. Arbores frondibus nullo anni tempore ſpoliabantur, una aut altera exceptis, quarum Hiſpani, præter pinum palmamque, nobis cognitam viderunt nullam. Inſulares à ſuis Diis, quos Zemes appellant, ejuſmodi reſponſa accepiſſe conſtat: Venturam eo indutam veſtibus gentem, quæ regionem ſubigeret, & ipſorum DEOS aboleret. *Hæc ille.*

Poſtea anno 1497 *Ferdinandus* Rex Hiſpaniæ AMERICUM VESPUTIUM nobilem Ducem cum quatuor navibus ad novas terras inquirendas miſit, qui hoc anno invenit novum illum orbem; ſed eam tantum partem, quæ verſus Septentrionem eſt, quæ *America* (cujus latitudo 515, longitudo vero 750, milliaria Germanica complectitur) à Duce nominata fuit, & ſequenti anno in Hiſpaniam rediit. Propter magnitudinem appellatur quarta pars orbis, quæ hodie tota circumnavigata eſt, præter eum tractum, qui Septentrionem adſpicit, cujus litora nondum perluſtrata ſunt. Hujus pars quæ ſeptentrionalior eſt, NOVAM HISPANIAM, MEXICANAM provinciam, TERRAM FLORIDAM & TERRAM NOVAM comprehendit. Meridionalior vero (quæ TERRA FIRMA Hiſpanis vocatur) PERUVIAM & BRASILIAM. Hæc, quia notatu digna ſunt, obiter hic inſerere placuit.

Avia materna Caroli, uxor *Ferdinandi* Regis, fuit ISABELLA (quæ etiam à quibuſdam ELISABETHA vocatur) filia *Johannis* Regis Caſtellæ, ſoror *Henrici* ejus nominis IV, qui, patre anno 1454 defuncto, ei in regno ſucceſſit. Mortua eſt *Iſabella* anno 1504, die 26 Novembris.

III. PATER fuit PHILIPPUS, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, & Rex Caſtellæ totiuſque Hiſpaniæ: qui *Philippus I* dictus eſt; anno 1478, die 23 Junii, in hanc lucem editus, parente *Maximiliano I* & *Maria Caroli* Burgundi nata. Diem ille ſuum clauſit extremum Granatæ prope Burgos anno 1506, die 25 Septembris, ætatis 28, menſe 3, die 3.

IV. MATER dicta fuit JOHANNA, filia *Ferdinandi* Regis Hiſpaniæ inter tres media, fœmi-

na doctiſſima. Nam (teſte *Ludovico Vive*) ex tempore Latinis orationibus, quæ de more apud novos Principes oppidatim ſunt habitæ, Latine reſpondit. Idem præſtitit ſoror ejus primogenita ELISABETHA (quam alii *Iſabellam* nominant matri ἀμώμητον) nupta *Emanuëli* Regi Portugalliæ, & CATHARINA, *Henrici* VII Angliæ Regis uxor.

Locus & tempus nativitatis *Caroli*.

Natus eſt CAROLUS Gandavi Flandriæ metropoli, anno poſt Chriſtum natum 1500, die 24 Februarii, tertia poſt mediam noctem hora, anno à nato *Alexandro Magno* 1854. *Jul. Cæſ.* 1598. *Auguſto* 1561. *Conſtantino Magno* 1228. *Carolo Magno* 758, poſt *Carolum Magnum* Romæ coronatum 700.

Etſi autem Heroica virtus & felicitas non à ſiderum naſcenti fulgentium poſitu, ſed à DEO bonorum omnium fonte præcipue donatur: tamen ut alioqui magna in *Cæſare Auguſto* & *Carolo*, ingenii, morum, conſiliorum, rerum geſtarum & varietatis eventuum ſimilitudo fuit: ſic uterque Capricornum ὡροσκοποῦντα habuit. Quæ de cauſa moneram *Auguſtus Capricorni* nota (ſicut in hiſtoria ejus dictum) percuſſit, & utrique Saturnus cum Marte in Tauro conjunctus fuit. *Caroli* etiam geneſis inſignem Solis, Jovis, Veneris & Mercurii in cuſpide ſecunda conjunctionem, præſtantis ingenii, fortunæ & gloriæ ſignificatricem habuit. Sed relictis aſtris, DEUM naſcenti *Carolo* propitium affulliſſe, & Heroici ingenii, virtutis & fortunæ dona ſingularia plurimis gentibus Imperio ipſius ſubjectis profutura, tribuiſſe ſtatuamus. Baptizatus eſt *Carolus* die 13 à nativitate, 7 Martii, & baptiſmi Teſtes ei fuere, duo Dynaſtæ *Carolus* à Croia & Bergenſis, & duæ Reginæ viduæ, *Margarita* Britannica, *Eduardi IV* Angliæ Regis ſoror: & *Margarita* amita, *Johannis*, filii Caſtellæ & Arragoniæ regis, vidua. ZENOCARUS ſcribit, *Carolo* infanti apud baptiſterium ſeptem munera donata fuiſſe. 1. PHILIPPUS pater ei donavit Ducatum Lutzenburgenſem. 2. CAROLUS à CROIA Symaicus Satrapa, argenteam galeam aureo phœnice inſignitam, & affabre elaboratam. 3. BERGENSIS Dynaſta aureum gladium. 4. MARGARETA Britannica, *Caroli Valeſii* Burgundiæ Ducis vidua, infantem ulnis ſuis bajulans, poculum aureum lapillis preciosis plenum. 5. MARGARETA *Maximiliani* Cæſaris filia *Philippi* Hiſpaniæ Regis ſoror, infantis amita, pateram auream *Margaritis* & unionibus refertiſſimam. 6. GANDAVUM urbs natalitia navim argenteam. 7. ABBATES, Vetus & Novum Teſtamentum, cum hac inſcriptione: *Scrutamini ſcripturas*. ZENOCARUS in his more ſuo philoſophatur, & ſignificationes de futura infantis fortuna conſiderans; *Primum* munus interpretatur de dignitate Cæſarea puero attribuenda, eo quod ex domo Lutzenburgica celebertimi Cæſares prodiiſſent, *Carolus IV*, *Sigiſmundus*, &c. *Secundum* exponit, præſtantiam ejus fore omnibus admirabilem, ut phœnicis, avis rariſſimæ. *Tertium*, gladium Juſtitiæ vindicem Imperatori convenientem. *Quartum* & *Quintum*, ampliſſimas provincias auri & margaritarum feraciſſimas puero obventuras. *Sextum*, navigationes proſperas in novi Orbis Inſulas argento & auro abundantes. *Septimum*, curam religionis ac fidei tuendæ *Carolo* demandatam eſſe. *Bucholtz*.

II. *Appellatio*.

1. NOMEN. Dictus fuit CAROLUS, quod nomen ei impoſitum à bono omine, ipſum fortem & bellicoſum Principem futurum. CAROLUS enim ſive CARL ſignificat virum fortem & bellicoſum, & ſic derivatur à radice Germanica Kerl. Sunt etiam qui derivant à radice Latina, quod etiamnum frequentiſſimum eſt. J. C. Scalig. Ex. 266. *Carl* priſca vox eſt, qua robuſti, forteſque viri deſignabantur. Id enim eſt Karlman/ quod *Andreas*. Alii à radice Ebræa deducunt, nempe à קרא, id eſt, invocavit, & יה h.e. DEUS, ut *Carolus* idem ſit, atque invocator vel cultor DEI.

II. COGNOMENTO dictus *Carolus* QUINTUS: quia quatuor ejus nominis Imperatores (videlicet *Carolus M.*, *Carolus Calvus*, *Carolus Craſſus* & *Carolus IV* Rex Bohemiæ, author aureæ Bullæ) ante ipſum Imperii Romani ſceptra tenuerunt. Propter res autem præclare ab eo geſtas alii alia cognomina ei impoſuerunt. Vocarunt enim eum *Germani* Carolum Magnum, *Galli* Herculem, *Itali* Davidem, *Siculi* Scipionem Africanum, *Hiſpani* Alexandrum Magnum, *Turcæ* Julium Cæſarem, *Africani* Hannibalem. *Pantaleon*, *Baptiſtæ Mantuanus*. Unde Sabinus illum hoc Epigrammate celebravit:

Dive quibus cœlo te Carole *laudibus æquem?*
Carole, *non ipſo, quem regis, orbe minor.*
Cæſare, quo major validiſque potentior armis,
Nullus ab Auguſti tempore ſceptra tulit.

CA-

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. EDUCATIO, INGENIUM, & MORES.

CArolus puer admodum à Patre *Philippo* & avo *Ferdinando*, non magis regnorum, quam ſummarum difficultatum hæres, relictus eſt, neque ſpes erat, à puero tantam & tam confuſam rerum molem poſſe ſuſtineri. Ergo proſpiciens animo pater, Curatoris ſapientis & fidi egere filium, illius educationem ac curam *Ludovici* XII Galliarum Regis fidei commiſit, cujus integritatem pridem expertus erat. Ille, etſi hæc procuratio proferendæ ditionis materiam non difficilem præbebat; cum tamen ei tanta utilitate fides antiquior eſſet, eam ſincere adminiſtravit. *Caroli* enim pueritiæ rectorem appoſuit Caprenſem, Virum nobilem, egregium virtute ac fide, cujus conſiliis præceptiſque diligenter inſtitutus. Præter hanc Caprenſis inſtitutionem acceſſit etiam educationis & diſciplinæ ſanctitas, & naturæ, ultro pietati deditæ, ad religionis & omnium virtutum officia aſſuefactio accurata, & literarum etiam cultura aliqua ſub Præceptore *Adriano* Florentino Ultrajectino, viro gravi & eximio Theologo, & ſub *Wilhelmo* à Croia, quem Ceurum, vulgo den von Schifferi / nominabant, primo Areſcoti Marchione, aulæ & morum Magiſtro. Quod autem de heroica Herculis indole Ovidius dixit, id verius de *Carolo* dici poteſt:

Ingenium cæleſte ſuis velocius annis
Surgit, & ingratæ fert mala damna moræ.

Statim enim in prima pueritia ingens donorum varietas in natura & ingenio *Caroli* emicuit: quod humanum, mite, prudens, grave, magnanimum, placabile, moderatum, verax, juſtum, ſemper ſibi conſtans, & tranquillum ac ſerenum: triſte tamen magis & taciturnum, quam hilare & lætum; cunctabundum magis quam præceps: (ubi tamen tuendæ dignitatis decus aut neceſſitas poſtulabat, expeditum, acre, & flagrans:) denique nativa bonitate, & indole vere heroica, adque omnia ſummo Rege digna, prævalente excellens: arma tamen magis quam libros amans, ut armis potius, quam literis natum fuit. De quo non intempeſtivum fortaſſe fuerit hoc loco recenſere, quod poſt hæc in caſtris ad Wittebergam Lucas pictor, ſenex, *Carolo* ſciſcitanti narravit, cum ex urbe in tentorium evocato *Carolus* expoſuiſſet, ſibi à Duce Saxoniæ, *Johanne Friderico*, nuper à ſe capto, tabulam egregiam, à Luca pictam, in conventu Spirenſi dono datam fuiſſe, cujus adſpectu aliquoties delectatus picturas ipſius magni fecerit. Eſt autem, inquit, Mechliniæ in conclavi meo tabella, in qua effigiem meam, cum puer eſſem, depinxiſti. Scire igitur ex te volo, quæ fuerit tunc ætas mea? Reſpondit Lucas, octo annorum ætas erat tua, cum Imperator *Maximilianus* te dextra circumducens, juberet Belgicam nobilitatem & civitates juramento promittere obedientiam. Cum autem picturam ordirer, Majeſtas tua ſæpe ad diverſa loca reſpiciebat; ut ſolent pueri. Ibi Præceptor, qui tuam naturam norat, dicebat, te mirifice delectari adſpectione teli, juſſitque ad parietem adverſum collocari egregie fabrefactum telum; cumque tu ab eo non deflecteres oculos, ego feliciter abſolvi picturam. Cæſar hac narratione valde delectatus, blande Lucam compellavit, ornatumque munere in urbem remiſit.

II. *ACTA OECONOMICA.*

Uxorem habuit *Carolus* ISABELLAM (quæ à nonnullis ELISABETHA vocatur) *Emanuelis* Portugalliæ Regis filiam. Cum hac nuptias ſplendidiſſimas celebravit Siviliæ anno 1526, die 10 Januarii. Tredecim autem à nuptiis exactis annis Iſabella in partu exſtincta eſt anno 1539, die 1 Maii, ætatis 40. In cujus obitum hoc Epicedium concinnatum eſt:

Carole, *cur deſles* Iſabellam, *curve requiris?*
Vivit; *non obiit*: *reddita ſponſa* DEI.

Ex *Iſabella* ſuſcepit quatuor liberos.

I. PHILIPPUM II, regnorum ſuorum hæredem. Natus eſt hic in Valle Doleti anno 1527, die 21 Maii, hora 4 poſt meridiem, obiitque anno 1598, die 13 Septembr. ætatis 71, in monaſterio Eſcuriali, vulgo Divi Laurentii. Succeſſit ei in regno Hiſpaniæ & Indiarum unicus filius PHILIPPUS III, cui pater vivus adhuc regium diadema imponi curaverat.

II. FERDINANDUM. In illius partu mater extincta eſt, cui & ille (*Ferdinandus*) non diu ſupervixit.

III. MARIAM *Maximiliani* II Imp. conjugem, *Rudolphi* II Imp. Romani matrem.

IV. JOHANNAM, *Johanni*, Portugalliæ Regis *Johannis* III (qui anno 1557 obiit, & *primus inquiſitionem Hiſpanicam in regnum una cum Jeſuitis recepit*) filio, ante patrem extincto, nuptam, ex qua natus *Sebaſtianus*, qui avo *Johanne* tertio defuncto Rex Portugalliæ declaratus eſt, cum eſſet puer trium annorum. Hic anno ætatis 24, cum jam annos 21 regnaſſet, trajecit in Mauritaniam, Mahumedem Mauritaniæ Regem in regnum reducturus,

ſturus, qui à patruo Abdelmelecho auxiliis Turcicis pulſus erat: prælium atrox eſt commiſſum, in quo *Sebaſtianus* cum tota nobilitate cæſus. Abdelmelech in ipſo prælio mortuus, etiamſi victoriam obtineret. Mahumed vero in paludibus merſus fuit: atque ita tres Reges in uno prælio perierunt. *Chytræus.*

Ante matrimonium *Carolus* Imp. ex contubernio ſuſcepit MARGARETAM, quæ *Alexandro* Medici primum, deinde *Octavio Farneſio* Parmæ & Placentiæ Duci nupſit, exque eo ſuſcepit filium *Alexandrum*: qui poſtquam Belgii molem annis 14 ſuſtinuiſſet, & res magnas in Gallia, Brabantia, Flandria, Frilia, Geldria, & in Archiepiſcopatu Colonienſi geſſiſſet, & jam in Galliam ad reprimendos Regis Navarræi conatus expeditionem ſuſcepturus eſſet, Atrebati in Cœnobio Vedaſtino diem ſuum clauſit extremum anno 1592, ætatis circa 46, cum ante ſexennium ejus pater & mater uno anno, videlicet 1586, mortui eſſent; Octavius menſe Septembri, & Margareta menſe Februario.

Cum etiam *Carolus* Imp. uxorem diu ante mortem amiſiſſet, poſtremo ex fœmina Ratiſponenſi ſuſcepit JOHANNEM Auſtriacum. Qua in re tanta verecundia uſus eſt, ut non niſi à familiaribus matris *Margaritæ* nomen cognitum fuerit, de *Johanne* vero nunquam niſi paucis ante mortem diebus locutus ſit, cum eum per amicos *Philippo* filio Regi Hiſpaniæ & Indiarum commendavit: memorabili inprimis Principibus documento, quorum vita ſuis pro exemplo eſt, ut, ſi quid peccent, clam & in occulto peccent. *Johannes* autem ille Auſtriacus Princeps bellicoſus fuit, & inſigni illa ac memorabili victoria, prælio navali in Ægeo mari ad Echinadas de Turcis parta, nobilitatus. Percuſſo enim, inter *Pium* V Pontificem Rom., PHILIPPUM II, Hiſpaniarum Regem, *Caroli* V Imp. filium, & SENATUM VENETUM, fœdere, claſſis inſtructiſſima ex Venetis, Hiſpanis & Italis conflata, (cujus Dux ſupremus JOHANNES Auſtriacus *Caroli* nothus deſignatus fuerat) contra Turcas emiſſa eſt anno 1571, quæ prælio ad ſinum Corinthiacum ad Echinadas Inſulas, die 7 Octobris commiſſo, claſſem Turcicam feliciter profligavit, & victoriam multis ſeculis inauditam obtinuit. Turcarum cæſi ad triginta millia, decem millia in poteſtatem redacti, triremes 180 captæ, 11 demerſæ, & quindecim millia Chriſtianorum è ſervitute liberati. Inter præcipuos ALIS Baſſa cæſus occubuit. PERTAVUS vero Baſſa navigio fugiens ad terram evaſit: & præterea claſſis hoſtilis univerſa cum tormentis aliiſque ſpoliis ampliſſimis in Chriſtianorum poteſtatem pervenit: triginta tantum circiter triremibus & navigiis exceptis, quibus ULUZALIS mari aufugit: teſte *Leonclavio*.

Domeſtica & interior Caroli vita.

Interior & domeſtica *Caroli* vita honeſtiſſimarum virtutum exemplis plena fuit, quæ ſunt ſequentes.

I. PIETAS. de *Carolo* Imp. accepimus, quod nunquam jurare auditus ſit, niſi cum regnis inauguraretur, aut fœdera inita confirmaret. Mane priuſquam veſtiretur, longa talari, ſubuculæ injecta, genibus incumbens orabat: deinde cubiculariis admiſſis, preces Canonicas legebat, quas ut à pueritia aſſueverat, nunquam intermittebat; ita, ut familiares precum illius aſſiduitatem & prolixitatem cernentes, *Carolum*, alioquin taciturnum, ſæpius cum DEO, quam cum hominibus, loqui dicerent. Finitis precibus, Reipubl. negotia tractabat. Hinc ad Dei verbum audiendum, quod nullo die negligere, etiam in itineribus, ſolebat, acceſſit.

II. TEMPERANTIA & FRUGALITAS. *Carolus* à ſacris recta ad menſam acceſſit; in qua fere ſemper ſolus & taciturnus ſedens, convivia ſua fine conviva, moderata & frugalia, in publico fere, ut omnibus ea ſpectare liceret, peregit. Ab ebrietate, & omni conviviorum, & veſtitus luxu, & voluptatibus cæteris, non minus in adoleſcentia, quam virili & ſenili ætate, alieniſſimus ſemper fuit.

III. AFFABILITAS & HUMANITAS. Sublata menſa, cunctis omnium ordinum infimæ etiam fortunæ hominibus adire eum, & alloqui, & ſupplices libellos exhibere ei licebat. Familiam ſuam omnem præcipue caram habebat, & paterna fide & benignitate complectebatur: *improbis* ac morum turpitudine fœdis ex contubernio *illius* excluſis.

IV. CONTINENTIA. *Carolus* caſti pudoris decus, fidem conjugalem conſtante matrimonio, cum Iſabella Luſitanica religioſe ſervavit, ac adulteria & libidinum turpitudines totus execratus eſt. Cumque in bello Germanico Farneſium Pontificiarum copiarum Ducem ingenuas aliquot matres-familias per vim ſtupraſſe intellexiſſet, ingenti zelo exardeſcens, prehenſo gladii capulo, Si, inquit, impurus ille adeſſet, manu mea eum confoderem. Nec vocem iracundiorem unquam ex *Carolo* auditam ferunt: qui ſtatim Farneſium ex caſtris, quæ tum bello nondum confecto ad Brentam fluvium hærebant, diſcedere & in Italiam redire juſſit. *Carolo* per Galliam iter facienti, & ubique regis juſſu ſplendide excepto, in arce quadam, formoſiſſima puella nobilis adducta erat. Quam gementem & trementem veſperi in lecto inventens

inter-

interrogat, quæ ſit, & qua occaſione illuc pervenerit. Cum vero ipſam invitam à parentibus invitis, & plorantibus, juſſu Regis Galliæ abſtractam eſſe cognoſceret, intactam parentibus remiſit, ac quadriennio poſt in bello arcem illam deſtruxit: ſicut teſtatur *Guilh. Zenocarus in vita Caroli* V.

v. LIBERALITAS. *Carolus* in elargiendis eleemoſynis, ad redimendos ab hoſtibus captivos, ad noſodochia, gerontotrophia, inopum puellarum matrimonia, ad exules bonis ſuis injuſte ſpoliatos, benigne ſublevandos, omnium Regum ac Principum liberaliſſimus ſine ulla oſtentatione fuit. Cum Anno C. 1536 veniſſet Romam, pridie Paraſceves 13 April. poſtmeridiano tempore, duodecim egentium pedes abluit, atque linteo deterſit, cum iis cœnavit, & omnem argenti abacum menſæ illatum à cœna inter eos dilargitus eſt, referente *Guicciardino*.

II. *ACTA POLITICA.*

1. *Regni Hiſpanici occupatio.*

Hic brevem mentionem faciemus, qua occaſione *Carolus*, ejuſque pater *Philippus*, ad regnum Hiſpaniæ pervenerint. Anno 1496 PHILIPPUS Archidux Auſtriæ *Maximiliani* I Imper. filius uxorem duxit JOHANNAM *Ferdinandi M.* Caſtellæ & Arragoniæ Regis Catholici filiam, inter tres mediam. Primogenitam autem *Eliſabetham* (quam alii *Iſabellam* nominant) *Emanuel* Rex Portugalliæ ſibi matrimonio junxerat, cum ipſo nuptiarum tempore *Johannes*, *Johannæ* matris *Caroli V* frater, *Ferdinandi* Regis filius unicus (in cujus matrimonio *Margareta*, *Philippi* Archiducis ſoror vivebat) adoleſcens diem ſuum obiiſſet, relicta conjuge gravida: quæ cum paulo poſt abortiiſſet, *Emanuel* cum conjuge *Eliſabetha*, in Caſtellam vocati, velut legitimi regnorum hæredes, fidem à populis acceperunt.

Cæſarauguſtæ, Arragoniæ metropoli, dum commorantur Reges, & de conditionibus fidei à Cæſarauguſtanis dandæ aliquot menſes cum illis diſceptant: *Eliſabetha* junior filium *Michaëlem*, ſumma cum avi *Ferdinandi*, & parentum lætitia, & totius Hiſpaniæ applauſu peperit, quem infantem univerſa Hiſpania & Portugallia Regem, ſumma conſenſione, fide ipſi jurata ſtatim declararunt. Sed DEUS æternus & ſummus Rex, qui imperia & regna in terris ipſe conſtituit & transfert, &, cui ipſe vult, tribuit, non Portugalliæ, ſed Auſtriacæ; non *Emanueli* aut *Michaëli*, ſed *Philippo* & *Carolo* ampliſſima Hiſpaniarum regna deſtinarat. Matre enim *Michaëlis* in partu extincta, & infante vix bimo ex his terris evocato, ſucceſſionis jus omne ad materteram ipſius *Johannam*, *Philippi* Archiducis Auſtriæ & Ducis Burgundiæ conjugem, devolutum eſt. Statim igitur *Philippus* cum conjuge ex Belgio (cui ante annos aliquot puer admodum præfectus fuerat) in Hiſpaniam evocatus, ut hæreditariæ regnorum ſucceſſioni, ab Hiſpaniæ populis, præſtito illis fidei & obedientiæ debitæ juramento, inaugurarentur. Id iter, exeunte anno 1501, per medias Gallias ſuſceptum, ſplendidiſſimo panegyrico *Eraſmus* poſtea celebravit. *Philippus* accepta in Hiſpaniis populorum fide, ineunte anno 1503 rurſum per Galliam, cujus Rex *Ludovicus* cum ſocero *Ferdinando* apertum bellum in regno Neapolitano, & ad Pyrenæorum radices gerebat, multum diſſuadente ſoeru, quæ Hiſpanicæ gentis animos & mores diuturniore conſuetudine cognoſcendos, nec hoſti familiæ Auſtriacæ & Hiſpanicæ, Gallo, fidendum eſſe monebat; redire in Flandriam inſtituit, relicta in Hiſpaniis conjuge gravida. Quæ cum *Ferdinandum* filium *Caroli* fratrem enixa eſſet, maritum in Belgium ſecuta eſt. Interea febri continua & lenta Regina *Iſabella* (quam alii *Eliſabetham* nominant) *Caroli* avia, exeunte anno 1504, die 26 Novembris extinguitur. Hæc teſtamentum fecerat, in quo filiam *Johannam*, *Philippi* uxorem, cum nepote *Carolo* hæredem ex aſſe ſcripſerat, & maritum ſuum patrem *Johannæ* adminiſtratorem regni conſtituerat, donec *Carolus* viceſimum ætatis annum attigiſſet, nec *Philippi* generi mentionem fecerat. Verum Caſtellani proceres quidam Arragoniis infenſi, & Belgæ prædæ inhiantes, apud *Philippum* inſtabant, ut gubernationem regnorum Caſtellæ quam primum ſuſciperet, & *Ferdinandus* ſocer Caſtellæ regnis omnino exiret. Cum igitur *Philippus* tandem anno 1506, menſe Junio, in Hiſpaniam veniſſet, *Ferdinandus* ſocer ejus ab adminiſtratione regni remotus eſt; qui deteſtatus perfidiæ levitatem ſuorum in regnum Neapolitanum, quod *Conſalvus* Dux ejus magna felicitate Gallis eripuerat, & ad Arragonios tranſtulerat, diſceſſit. Sed *Philippus* ex indulgentiore victu ſub novi cœli inſueta temperie ſæva febre correptus, cum alias firmæ eſſet valetudinis, diem ſuum obiit anno ætatis 28. Extincto igitur *Philippo*, *Ferdinandus* à filia *Iohanna*, & Archiepiſcopo Toletano, *Franciſco Ximenio*, gubernatore, ad regni Caſtellani adminiſtrationem revocatus eſt, quam retinuit uſque ad annum 1516: cujus ineuntis die 16 Januarii, ex his terris deceſſit. CAROLUS nepos, Ante annos animumque gerens, curaſque viriles, & provincias Belgicas (quibus anno ætatis 15 præfectus) jam gubernans, cognita avi materni

morte, Regis Caſtellæ & Hiſpaniæ titulum ſtatim aſſumſit, ſed iter in Hiſpaniam amplius ſeſquianno diſtulit. Interea *Franciſcus Ximenius* Cardinalis ſenex, ſummo ingenio, prudentia, integritate, induſtria, authoritate, potentia, & longo Reipubl. gerendæ uſu excellens, rigidi ſervator honeſti, nihil cujuſquam gratiæ aut potentiæ tribuens, nec ullis terroribus cedens, ac omnino Catoni illi Cenſorio apud Livium celebrato ſimilis, ſummæ rerum in Hiſpania, *Carolo* abſente, præerat, qui ex Regis & Reipubl. majeſtate & commodis omnia adminiſtrabat, & inſtitutis militum in ſingulis urbibus dilectibus, quos præſidia Reipubl. nominabat, mandata Regis, & Senatus ac judicum ſevere exſequebatur. *Carolus* in Hiſpaniam anno 1517, exeunte Septembri, appellens, ſalutata Turdeſillis matre ægra, *Pinciam*, quæ nunc *Vallidoletum* nominatur, ad indicta Procerum & urbium Comitia venit: in quibus ſequentis anni initio, Hiſpaniæ regnis, ſummo cum populorum applauſu, inauguratus. Cum itaque *Carolus* id omne, quicquid olim habuerat Dux Burgundiæ, (ampliſſimas certe ditiones) quicquid poſſidebat Rex Hiſpaniæ, (non unum tantum regnum) ex hæreditate accepit, potentiorem Imperatorem aliquot ſeculis Germania non habuit. *Marian. Chytr.*

II. *Imperii Romani occupatio.*

1. ELECTIO. Defuncto *Maximiliano* I Imp. Electores Imperii convenerunt Francofurti ad Mœnum, anno 1519, menſe Junio, ad eligendum novum Imperatorem. Antequam autem ventum eſt ad ſolennem *Caroli* electionem, omnes Electores juraverunt, ſe non proceſſuros ad ſolennem electionem, priuſquam conſenſiſſent in unum, (& fuit hoc Ducis Saxoniæ *Friderici* conſilium, quia illa magna difficultate agebantur) &, priuſquam irent ad ultimam ſuffragationem, ſinguli darent literas ſuas ſuffraganei. Ita *Carolus* in Hiſpaniis abſens, communi Electorum conſenſu Imperator Romanus renunciatus eſt die 28 Junii. Ad *Fridericum* Saxoniæ Ducem Electorem cognomento Sapientem pridie ejus diei fuerat delatum Imperium, ſed is ingenti animo recuſavit, ſuoque ſuffragio *Carolum* deſignavit. Qua de re ita *Eraſmus* in Epiſtolis *l.* 13. *Epiſt.* 4. Dux Saxoniæ *Fridericus* delatum ſibi ab omnibus Imperium ingenti animo recuſavit; idque pridie, quam *Carolus* eligeretur. Mox rogatus, quem igitur cenſeret eligendum, negavit ſibi quenquam alium videri tanto oneri ſuſtinendo parem, quam *Carolum*. Ob hunc inſignem animum à noſtris (*Caroli* legatis, qui fuere *Matthæus* Cardinalis Salisburgenſis, *Erardus* Epiſcopus Leodinus, *Bernhardus* Epiſcopus Tridentinus, *Fridericus* Palatinus, *Caſimirus* Brandeburgicus, *Henricus* Comes Naſſovius, *Maximilianus* Sibeburgius, & alii quidam Conſiliarii) oblata 30 millia florenorum conſtantiſſime rejecit. Cumque urgeretur, ut tantum 10 millia pateretur dari famulis: Accipiant, *inquit*, ſi velint; attamen nemo in aula mea manebit, qui vel aureum unum acceperit: ac poſtridie conſcenſis equis ſubduxit ſeſe, ne pergerent eſſe moleſti. Hoc mihi ut compertiſſimum retulit Epiſcopus Leodienſis, qui Comitiis Imperialibus interfuit. *Hæc Eraſmus*. Cum quo confer *Sleidanum*. Hiſtoriam electionis CAROLI V, & Electorum de ea diſceptationem, pete ex libello *Georgii Sabini*.

II. CORONATIO. 1. *Carolus*, cum in Hiſpaniis abſens Imperator Roman. eſſet deſignatus, anno ſequenti in Germaniam venit, & Aquiſgrani die 23 Octobr. anno 1520, ætatis 20, ab Electoribus principibus, ſolennibus ac conſuetis ceremoniis coronatus & inauguratus eſt: eas ceremonias, ſi libet, in *Sleidani* hiſtoria accurate deſcriptas reperias.

2. Anno 1530, *Bononiæ*, Rex LONGOBARDORUM coronatus eſt die 22 Februarii. Deinde die ſuo natali, hoc eſt 24 Febr., maximo cum apparatu & ſplendore à Pontifice *Clemente* VII. cum verbis conceptis juraſſet, pontificiæ dignitatis perpetuum ſe futurum eſſe defenſorem, Imperiali corona coronatus eſt: in qua coronatione pons ingens, ſuper quem ingrediebantur, Bononiæ corruit: quam rem in omen quidam vertentes ex confracto ponte nullum deinceps alium Imperatorem coronatum iri prædixerunt; ut refert *D. Arumæus* in Academia Jenenſi Profeſſor quondam celeberrimus *in diſcurſ. Juris publici* 3. *ex Corvel. Agripp. de coronat. Auguſtal. Caroli V.*

III. *Imperii adminiſtratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

1. SAPIENTIA, quæ effulget 1. ex ejus *Dictis*. 2. *Factis*.

1. Dicta.

Multa exſtant ſapienter à *Carolo* dicta, de quibus ſequentia notanda ſunt.

1. *De eximia Gallorum laude*. Anno 1540 ineunte, per Gallias in Belgium contendens, Lutetiam Pariſiorum ingreſſus, gravi & celebri oratione exceptus, exquiſitas omnium virtutum ſummi Imperatoris laudes ei tribuente. Oratori paucis verbis reſpondens *Carolus* dixit; Gratam ſibi eſſe Regis affinis

affinis erga ſe benevolentiam, ſed laudes illas ſibi tributas arbitrari tot eſſe commonefactiones qualis eſſe deberet. *D. Chytraus oratione de Carolo V* Imp. Addit *Eraſmus in Chiliad. Carolo* Lutetiam ingreſſo ſic acclamatum fuiſſe:

Alituum ut princeps Aquila *eſt, ſic altera* Gallo
Gloria: vos alia nil niſi vulgus aves.

2. *De Franciſci Regis Gallia tergiverſatione.* Rex Galliæ Franciſcus, cum propinquis caſtris pugnam ſemper detrectaret, dixit *Carolus*; Optare ſe Gallo vel plus audaciæ & felicitatis, vel minus verborum & odiorum ineſſe.

3. *De exercitus inſtructione.* Cum de Principe quodam bellum moturo audiret; Ignorat adhuc, inquit *Carolus*, quid ad bellum requiratur. Igitur ipſe cenſuit, tres potiſſimum belli nervos eſſe: *Commeatum: pecuniam: militem.* Ex his ſi aliquo carendum eſſet, *militem veteranum* ſe potiſſimum electurum, cujus promtitudine reliqua duo ſe ex hoſte comparaturum confideret. *Zenocarus lib. 5. de vita Caroli.* Item in comparando exercitu aiebat; ſe *caput* ſumere ab Italis, *brachia & manus* ab Hiſpanis, *pectus* à Germanis, (quorum fidem & robur maxime probabat,) *ventrem & pedes* ex reliqua gentium colluvie. *Chytr. in Orat. de Carolo V.*

4. *De bellorum fine. Carolus Antonio Leva* aliiſque ducibus, *Julii Cæſaris* & *Alexandri* exempla laudantibus; neque uti ſcire *Carolum* ſuis victoriis ad potentiæ & magnitudinis incrementum adferentibus & querentibus; graviſſime in hæc verba reſpondit: *Alexandro & Julio ſolum honorem & gloriam fuiſſe propoſitam pro ſcopo: Sibi vero & omnibus Chriſtianis Principibus ad honorem ſic reſpiciendum & gloriam, ne dum illam aucupentur, animæ ſalutem deperdant.*

5. *De prohibenda Germanorum ebrietate.* Admonitus aliquando in caſtris, ut Germanis militibus de vitanda ebrietate leges ferret, reſpondit, perinde fore, ac ſi Hiſpanis interdiceret, ne furarentur. Huc obiter poteſt referri jucundum certamen inter Italum & Germanum aliquando initum, quo *Italus* Germanum ita adortus eſt:

Germani cunctos poſſunt perferre labores:
O utinam poſſent tam bene ferre ſitim!

Rurſum *Germanus* Italo in hunc modum reſpondit:

Ut nos dulce merum, ſic vos Venus improba vexat.
Lex poſita eſt Veneri Julia; nulla mero.

6. *De Hiſpanorum crudelitate.* In caſtris ad Wittebergam, cum de Hiſpanorum crudelitate & libidinibus enormia quædam ipſi ſignificata eſſent: Profecto, inquit, ſi quod aliquando mihi accidet infortunium, propter iſtorum nebulonum ſcelera accidet.

7. *De Germanorum Principum belligerandi ratione.* Cum ad vicinos Ingolſtadio montes, Germanorum Principum & civitatum fœderatarum caſtra, longiſſimo ſpatio extenta, *Carolus* videret: Suntne iſti omnes Germani? quærit; &, Bene eſt, inquit; cito eis deerit conſilium, & pecunia, & concordia.

De Conciliorum Pontificiorum variatione. Cum à Pontificibus Romanis concilia variis in locis, Mantuæ, Vincentiæ, Tridenti indici, nec tamen quicquam agi *Carolus* animadverteret: Concilium, ait, conſilium eſt DEI.

9. *De Comitiorum Germanicorum infructuoſitate.* De Comitiis Germanicis, in quibus religionis & Turcici belli negotium ſæpe fruſtra tractaverat: Diæta diætam parit, inquit, & partus ſuffocat matrem.

10. *De luminaribus in cœli firmamento.* Delectatus eſt *Carolus* toto vitæ tempore imaginibus virtutum regiarum à Sole & Luna, motibuſque ſyderum ſumtis. I. Ut Sol in ſummo faſtigio tardiſſime movetur, nec alius inopi, quam locupleti ſplendet: ſic Auſtriacos Principes, in ſummum Imperii faſtigium evectos, non præcipitare conſilia, ſed circumſpecte & cunctanter agere, & lucem juſtitiæ, ac clementiæ ſuæ, ſummis ac infimis pariter præbere decet.

II. Ut Solis deliquia futuras mutationes & calamitates publicas portendunt: ſic Regum errores, etiam parvi, magnam in rebus humanis perturbationem pariunt.

III. Ut Luna, quia terris propior eſt, efficacius in hoc elementari Orbe vim ſuam exercet; ita Regum præſentia & vicinitas plurimum in motibus bellicis, ac togata Reipubl. adminiſtratione, momenti habet. Sapienter hoc dixit *Carolus*. Cum cujus effato congruit Axioma Politicorum: *Principis in bello præſentia milites animat, vireſque duplicat. Bodin. lib. 5. de Republ. cap. 5. pag. 894.* juxta illud Virgilii:

—— *Urget præſentia Turni.*

Pulchrum ejus rei exemplum habemus in *Macedonibus*. Cum enim *Philippus Priſcus* Macedonum Rex, qui ex magnis atavis *Alexandri* fuit, immatura morte diſcederet, EUROPUM vix anniculum filium unicum, quem habebat, regni ſucceſſorem reliquit. Illyrici vero populi, eo tempore ferociſſimi, in re bellica ſtrenui, contemta infantis Regis ætate, Macedonas bello aggreſſi ſunt, quos primo

mo prœlio ſuperatos, compluribus cæſis in fugam converterunt. At quum anxio animo, quid agerent, Macedones eſſent; moniti ſunt à peritis rerum divinarum, eos idcirco ſuccumbere, quoniam Regis auſpiciis carerent. Tunc vero inſtaurato bello Regem ſuum puſillum (ut erat) ante aciem ſtatuerunt, & conſerto rurſus prœlio, quaſi regio ductu, magna virtute & felicitate pugnam iniverunt, & Illyricos, plurima ſtrage edita, in turpem fugam converterunt: & qui modo victi de propriis mœnibus tuendis cogitabant, victores magna cum gloria evaſerunt, planeque docuerunt, Regem, non virtutem, eis in ſuperiori prœlio defuiſſe. *Franciſcus Patritius de Republ. l. 9. tit. 2. pag.* 570.

IV. Ut fulmen, cera & lana illæſa, æs & ferrum liquefacit; Sic Regum magnorum potentia, Supplicibus parcens, cædit ſternitque rebelles.

V. Ut Lunæ lumen ſingulis menſibus accreſcit & decreſcit: nec ſemper ver aut æſtas eſt: Sic perpetua viciſſitudine rerum humanarum conſilia & actiones variantur, Et certam præſens vix habet hora fidem. Has ſimilitudines, à rebus cœleſtibus petitas, cum alioqui præcipuam ex aſtrorum & motus ſiderum contemplatione voluptatem caperet, *Carolus* creberrime uſurpabat.

11. *De Conjugio. Carolus V* Imperator vitam conjugalem *protervia domitricem* vocitavit. Cum enim alicujus actibus offenderetur, qui præter cauſam petulantiores protervioreſve cenſerentur: Si juvenis & cælebs erat, dicere ſolebat; Utinam ille uxorem haberet! innuens in matrimonio tantam eſſe rerum omnium & actionum ſervitutem, ut proterve ille facile ſe ipſum noſſe, & in gyrum rationis deduci poſſet. Vexatio enim dat intellectum.

12. *De Imperii depoſitione.* Cum de Imperio deponendo deliberantem *Carolum* conſiliarii hortarentur, ut per alios negotia regni adminiſtraret, ipſe nomen & authoritatem retineret: Ah, inquit, me præſente res ita adminiſtratis, ut omnes de vobis conquerantur: quid fieret, ſi conſiliis & rebus gerendis ipſe non intereſſem? Hæc aliaque *Caroli* apophthegmata recitat Zenocarus in ejus vita.

II. Facta.

Carolum inſigni ſapientia præditum fuiſſe, effulget quoque ex factis ejus.

1. *Ex mira in Conſiliis cunctatione.* Antequam enim quicquam aggrederetur, diu multumque prius deliberabat, in publicum non prodibat, neminem ad ſe intromittebat, quinetiam ſæpe morbum ſimulabat. Quo ipſe effecit, ut non prius ejus conſilia deprehenderentur, quam in opus deducta eſſent. *Zwing. in Theat. vitæ.* Nam caput conſilii non eſt in acumine aut ſermonum rationumque copia, ſed in directa quadam judicii norma: ſitque ut plurimum, ut, ſicut celeritas prudentiæ, ita mora occaſioni nocumento ſit. Quod præclare, ut omnia, intelligens *Carolus V*, Cunctationem animam conſilii dicebat, Celeritatem exſequutionis, utramque ſimul junctam quintam eſſentiam eſſe boni Principis. *Machiavell. 1. Hiſt. Flor. pag.* 84.

Huc quoque pertinet Symbolum AUGUSTI Cæſaris, quod fuit tale: Σπεῦδε βραδέως: *Feſtina lente.* Quibus duobus verbis contrariis ſignificare voluit, in rebus agendis neque nimium eſſe feſtinandum, neque nimium cunctandum, ſed medium tenendum. Plura de his vid. ſupra *in hiſt. Aug. Cæſ. cap.* 2.

2. *Ex Conſiliariorum diſcretione. Carolus* tria potiſſimum in Conſiliario requirebat: PROBITATEM, BENEVOLENTIAM, & PRUDENTIAM. *Probitatem* ideo, ut bonum ſequatur, malum fugiat: *Benevolentiam*, ut, quæ utilia ſunt Principi & Principatui, ea curet ſuadeatque, Principi dico, & Principatui: Utrique enim conjunctim Conſiliarius bene velle debet: ut docet nos *Ariſtoteles* 3. *Polit. c. ult.* & *Alexander* de Hephæſtione & Parmenione dixit, alterum *Alexandri*, alterum Regis amicum eſſe. *Prudentiam* requirebat, ut, quæ bene Principi vellet ac Principatui, ſciret exſequi. Recte igitur de *Carolo* judicavit *Nicolaus*, Epiſcopus Capuanus, Cardinalis, natus ex familia nobili gentis *Myſorum* Schonbergiorum, Vir excellens. Hic fuit miſſus legatus à Paulo Pontifice ad Reges: ad Regem *Galliæ*, *Angliæ*, & *Hiſpaniæ*, ad *Carolum* adoleſcentem. Reverſum cum Paulus Pontifex audiſſet; poſtea cum Cardinalis Salviati interrogavit, ut paucis exponeret, quas vidiſſet res maxime dignas admiratione. Ille, ut erat vir ſapiens, paucis reſpondit: Vidiſſe ſe in regno Galliæ Regnum pulchrum, ut eſt, & fuit, florentiſſimum, optimeque conſtitutum legibus, judiciis, & diſciplina, aliiſque vinculis pertinentibus ad diſciplinam. In Anglia vidiſſe ſe pulchrum Regem: quia *Henricus* fuit pulcher corpore, ſed deformis moribus; quia fuit beſtia, adeoque monſtrum. In Hiſpania vidiſſe ſe ſapiens conſilium Regis. Nam, ut veriſſime ait *Siracides*, *cap.* 10. *v.* 4, 5. in manu DEI eſſe gubernationem terræ, qui utroſque, & Principes bonos ac ſalutares, & conſiliarios prudentes ac fideles, tribuat: ita *Caroli* adoleſcentis gubernationi præſtantiſſimi ſapientia & virtute, fideliſſimique συμφόρους divinitus adjuncti ſunt, quorum conſilio, ductu & felicitate, ac ſucceſſibus, res tantas in diſſitis Orbis terra-

terrarum partibus adminiſtravit. Conſiliarii primarii ejus fuere ſequentes.

1. Cum *Carolo* anno ætat. XV Belgii, & decimo ſeptimo regnorum Hiſpaniæ, adminiſtratio eſſet demandata, uſus eſt *Johanne Sylvagio* Cancellario, & *Wilhelmo* Ceurio aulæ Magiſtro, à quo ſic aſſuefactus & inſtitutus eſt *Carolus*, ut, etiamſi annos ætatis XV nondum exceſſiſſet, tamen, ex quibuſcunque provinciis afferrentur literæ, vel nocte intempeſta, omnes ipſi redderentur, ex quibus ad conſilium ipſe referret. Cumque Gallicus legatus, apud Ceurium cœnans, ſe mirari diceret, quod adoleſcentis Principis ingenio, tantum laboris, quo eum facile levare poſſet, imponeret: Ego, inquit Ceurius, curator & tutor ſum datus *Carolo*, quem, me mortuo, ſui juris eſſe velim. Quodſi negotiorum, & rerum ſuarum ignarus ſit: novo curatore illi opus erit, & ſic ex aliena tantum diligentia & fide pendebit. Idem Ceurius, dum vixit, pacis & amicitiæ cum Rege Gallico, & omnibus vicinis ſervandæ, *Carolo* autor exſtitiſſet. Qua ſtatim poſt illius obitum ſublata, bellum inter *Carolum* & Gallos ſucceſſit; quod brevibus ſubinde induciis interceptum, totos fere quadraginta annos duravit.

II. Poſt *Sylvagii* (cujus juſſu querelam pacis *Eraſmus* ſcripſit, & cui de inſtitutione Principis libellum vere aureum, *Carolo* dicatum, inſcripſit) obitum, Cancellarium ſibi elegit *Carolus Mercurinum* Gattinariam, virum admodum celebrem laude ſapientiæ; qui fuit *Carolo* autor moderationis, eumque flexit ad conſilia moderata: in quibus perſtitit uſque ad extremum vitæ ſpiritum.

III. Poſt Mercurinum præfuit *Nicolaus Perenottus* Granvellanus Veſuntinus, quem *Carolus* Mercurini veſtigiis inſiſtentem maximi fecit, & repulit à ſe *Heldum*, qui erat æmulus Granvellani, & conabatur inducere *Carolum* in alia conſilia violenta & improba. Obiit Granvellanus iſte Auguſtæ Vind. anno 1550, quo tempore *Carolus* ibi comitia celebrabat. In cujus locum ſuffectus eſt *Antonius Perenottus Granvellanus* filius, Epiſcopus Atrebatenſis. Cum igitur tam præſtantiſſimos & fideliſſimos Conſiliarios *Carolus* habuit, tota ejus guberpatio Imperii & regnorum fuit laudatiſſima. Nam nulla ſane major peſtis, quam mali Conſiliarii: & contra: Nullum majus boni Imperii inſtrumentum, quam boni Conſiliarii. Magnum ornamentum Principi, corona ſenum & cordatorum Conſiliariorum cinctum eſſe: eſtque idem non ſolum ornamento, verum etiam felicem actionum ſucceſſum præbet, & adverſariis metum incutit, & ſubditi libentius parent.

3. *Ex ſubditorum ſuorum diſtinctione.* Nam optime & ſapienter *Carolus* ſubditos ſuos diſcernere ſolitus fuit: *In Germania Regibus*, ait, *in cæteris vero meis regnis, ſervis me imperare novi.* Quo dicto Principum Germaniæ potentiam, & quo eos loco habuerit, ſignificare voluit. Tenemur quidem omnes Imperii Romano-Germanici legibus parere, ſed ita, ut liberam ſuarum ditionum adminiſtrationem noſtri ſuperiores retineant, & ſuis legibus, ſua libertate, utantur, fruantur. Nulli profecto mortalium armis aut fide ante Germanos ſunt, (ſicut *Corn. Tacit. lib. 13. annal.* affirmat) noſtraque Germania tantum nervorum & potentiæ habet, ut externum hoſtem nullum metuat, imo ſola, ſi junctis viribus res agatur, habet, quod immaniſſimo Turcarum tyranno opponat, quippe pecunia, populo, munitionibus aliiſque adminiculis ſat valida & inſtructa eſt per DEI gratiam.

II. MANSUETUDO. Nullus *Cæſar* vixit, adverſus quem tam mirabiles conſpirationes factæ ſunt quam adverſus *Carolum*: Eum tamen nunquam iracundia peccaſſe accepimus. Quare cum Legatum Venetum quidam detuliſſet, quod tarditatem & lenitatem ipſius culparet: *Carolus* nihil offenſus; Nunquam mundum à bellis quieturum & reſpiraturum eſſe dixit, ſi ea celeritate, quam res & cauſa plerumque poſtulant, bella ſtatim moveret. *Chytræus Orat. de Carolo V Imper.*

III. CLEMENTIA. Cum nihil tam ornet Principatum, quam clementia & manſuetudo; teſte *Spinæo lib. 3. pag. 136. de tranquill. animi*: prudenter *Carolus V* Imperator non affectibus ſuis indulſit, ſed omnia clementia & manſuetudine peregit. Quare Gandavorum defectiones & injurias ſuis majoribus illatas uno ultus eſt & eodem judicio: non tam crudeliter, quam prudenter. Cum enim ſua edicta publice lacerare Prætorem urbanum cives coëgiſſent, & legatos ad *Franciſcum I* Regem Francorum miſiſſent, ut patrocinium urbis reciperet, eoque recuſante cæteros ad defectionem invitarent: Senatus Hiſpanorum urbem ſolo æquari oportere decreverat, civium bona in fiſcum cogi. Imperator tamen patriæ, ac urbi, in qua natus ac educatus fuerat, pepercit. Triginta defectionis authores capite punit; jura corporum & collegiorum omnium ſuſtulit; civitatem agri publici parte ac beneficiis omnibus privavit; arcem denique munitiſſimam pecunia civium conſtrui, ac præſidiis militum firmari juſſit.

Non ita multo poſt *Franciſcus* ipſe, qui Gandavorum patrocinium repudiarat, Rupellanos ob ſalarium vectigal rebellantes, orationis majeſtate perterruit, ac pecunia mulctavit: Supplicio tamen affecit neminem, qui etiam integra li-

bertatis & collegiorum jura civitati reliquit: teſtatus illud, non minorem ſui vindicandi occaſionem habuiſſe, quam *Carolum V*; ſuas tamen laudes civium ſalute, quam exitio, & clementia, quam crudelitate, cumulare voluiſſe.

Similiter *Carolus V* Imper. ſumma clementia in omnes ordines Hiſpanorum uſus eſt, cum non modo à ſe defeciſſent, verum etiam Calabriæ Ducem Regem creaviſſent, qui beneficium illud tam pernicioſum repudiavit. *Carolus* neminem ex tanta multitudine puniendum putavit. Prudenter ille quidem; quippe univerſa Reipublicæ membra ſecare debuiſſet. *Johan. Bodinus l. 3. de Republica c. 7.*

Nam ut *Plato* ait *lib. 1. de leg.* Ea omnium victoriarum eſt tum prima, tum optima, νικῶσι τ' ἂν πρῶτα καὶ ἑαυτούς. Hoc ipſum Juliani Flandri deſignare voluerunt, inſcriptione ſua in arcu triumphali, cum iſthac tranſiret *Philippus* Rex Hiſpaniæ, ſicut à Claveto in Itinerario ejus deſcribitur. Ea fuit talis; ſub imagine *Caroli V Cæſaris*:

Quis te victorem dicat, qui vinceris ipſo
Invictus victo Cæſar ab hoſte tua?
Si veniam victus petit hoſtis, protinus illi
Parcis, & errati te meminiſſe piget.
Non te hoſtis Cæſar, ſed te clementia vincit,
Et ratio; cum ſis victor & ipſe tui.
Vincere laus ingens hoſtes, & parcere victis
Gloria, ſed ſeſe vincere major erit.

IV. HUMILITAS & MODESTIA. *Carolus V* Imper. inſigne humilitatis & modeſtiæ exemplum poſteris reliquit, juxta dictum illud Siracidæ (quod *Carolus* ſæpe in ore habuit) cap. 3. verſ. 20. Quo quiſque eſt major, eo gerat ſe ſubmiſſius. Nam hiſtorici affirmant, quod nemo in aula *Caroli* ſimplicius veſtiri ſolitus, quam ipſe, ſtatimque à prima adoleſcentia compertus ſit natura inimicus eſſe glorioſis & inſolentioribus. Hinc cum *Ferdinandus* Toletanus Dux Albanus ex mera arrogantia ſtatuam æneam in Caſtello Antwerpienſi erigi juſſiſſet, cum hac inſcriptione:

FERDINANDO ALVAREZ A TOLEDO, ALBÆ DVCI, PHILIPPI II. HISPANIARVM REGIS APVD BELGAS PRÆFECTO: QVOD EXTINCTA SEDITIONE, REBELLIBVS PVLSIS, RELIGIONE PROCVRATA, JVSTITIA CVLTA, PROVINCIA PACEM FIRMARIT: REGIS OPTIMI MINISTRO FIDELISS. POSITVM.

Incidit in odium *Caroli V* ejuſque filii *Philippi II*, Regis Hiſpaniæ: ut teſtatur *Hieronymus Conneſtagius lib. 9. de Conjunct. Portugall. & Caſtellæ*; & addit inſigne Epiphonema: *Ideo* (inquit) *neque Carolus V, neque Philippus II, valde amabant Albanum, quod nimis præclare ſibi de ipſis meritus videbatur: Principes enim non amare ſolent eos, aut certe minus, qui bene de ipſis meriti ſunt, quam eos, quos ipſi beneficiis ſibi devinxerunt. Itaque ſtatuæ illorum juſſu paulo poſt dejectæ fuit.*

Idem *Carolus V* Imperator, cum *Franciſcum* Regem Galliæ ad Ticinum cepiſſet, annunciata ei victoria ab eis, qui à partibus Gallorum fuerant, ut gratularentur ipſi de victoria, dicitur ex arce, in qua fuerat, ſeceſſiſſe ſolus in monaſterium quoddam, donec illi abirent. Prohibuit etiam, ne quis ad ipſum admitteretur, inquiens: Non decere inſtitui triumphum capto Rege, præſertim cum ipſe nihil mali fecerit: memorem enim ſe eſſe dicebat humanæ fortunæ, quod ipſe quoque in manus hoſtium venire poſſit. Et *Franciſcus* poſtea, cum adhuc à *Carolo* captivus teneretur, videretque in pariete Symbolum Imperatoris, PLUS ULTRA: veluti *Carolum* de inconſtantia fortunæ admoniturus, aſſcripſit: HODIE MIHI, CRAS TIBI. Quibus verbis adeo nihil offenſus eſt Imperator, ut iis conſpectis ſubſcripſerit: FATEOR ME ESSE HOMINEM. *Manlius in Locis, pag.* 172, 173, & 175.

V. Αὐτάρκεια. *Carolus V* Imperator, quo tempore cum Galliarum Rege *Franciſco* bellum gerebat, ſæpius dixiſſe perhibetur: Si totum Galliæ regnum debellaſſem, redderem totum Regi: modo quæ mea eſſe contendo, mihi relinqueret. Unde patet, *Cornelium Tacitum* graviter erraſſe, quando ſcribit: *Sua retinere ad privatos pertinet: de alienis certare, regia laus eſt.* Ethnicum enim id eſt: Chriſtianus Princeps, quicquid ditionis habet, citra aliorum divexationem conſervat & exornat.

VI. URBANITAS. *Carolus V* Imper. valde urbanus fuit, uti patet ex ejus dictis.

1. *De importuna Hiſpanorum aulicorum poſtulatione.* Hiſpanis quibuſdam aulicis aliquando *Carolum* rogantibus, ut Germanos ſatellites & alios ex aula dimitteret; idque ſine modo urgentibus, ipſe convocari Germanos jubet. His vultu ad ſeveritatem compoſito indicat Hiſpanorum petitionem. Et venite, inquit; Ego etiam ſum Germanus; abeamus ex aula, ne deinceps illis moleſti ſimus: & abire ſe oſtendit. Germani ſatellites læti & alacres ſequuntur. Sed Hiſpanis ad pedes *Caroli* abjectis, ac ut maneret, & veniam ſtultitiæ ſuæ daret, ſuppliciter petentibus, reſtitit & ignovit. *Manl. in Loc. pag.* 624, 625.

2. *Ex reſponſo, Gallico Legato dato.* *Carolus V* Imperator Gallico Legato, poſt mortem *Franciſci Sfortiæ* Ducatum Mediolanenſem Regis ſui nomi-

ne

ne petenti, admodum argute reſpondebat: *Quod frater meus Rex Gallia vult, idem & ego volo.* Quibus verbis Legatus (ut quæ optamus, libenter credimus) *Carolum* aſſentire putavit, idque ad Regem ſuum ſtatim perſcripſit. At *Carolus* Ducatum Mediolanenſem ſibi non minus, quam Gallo placere, ideoque à ſe non minori ſtudio retinendum, quam à Gallo expeteretur, ſentiebat.

AXIOMA.

Propter meum & tuum *omnis diſcordia eſt in mundo.*

Hinc pulchre inquit Seneca *lib.* 3. *de ira cap.* 34. Quod vinculum amoris eſſe debebat, ſeditionis atque odii cauſa eſt, IDEM VELLE. Et idem in Prov. ait: Propter MEUM & TUUM, primum eſt principium diſcordiæ. Nam,

Si duo de noſtris tollas pronomina rebus:
Prælia ceſſarent, pax ſine lite foret.

Plato de legib. 5. *Polit.* 2. ait, felicem ac beatam fore civitatem, in qua non audirentur hæc verba, *meum, & non meum.*

Pertinet hoc venuſtum *P. Fagii* adagium, crebris ſermonibus olim ab eo uſurpatum: *Quatuor ſunt*, inquit, *conditiones ſeu proprietates hominum. Qui dicit:* quod meum eſt, tuum eſt; & quod tuum eſt, meum eſt; *hic idiota eſt. Qui vero dicit:* quod meum eſt, meum eſt, & quod tuum eſt, tuum eſt; *hæc eſt conditio mediocris. Qui dicit:* quod meum eſt, tuum eſt, & quod tuum eſt, tuum ſit; *hic pius eſt. Qui vero dicit:* quod tuum eſt, meum eſt, & quod meum eſt, meum ſit; *talis impius eſt.*

Elegans de proprietate Bonorum παιγνιον:

Quadruplici inter ſe graviter pugnare videmus
Proprietate homines, quotquot hic orbis habet.

Eſt, *bene qui faciat* REDDENTI, RUSTICUS: *Huic vox:*

Quæ mea *ſunt*, tua *ſunt*; *Quæ* tua *ſunt*, mea *ſunt.*

Eſt, *bene qui faciat* NULLI, SODOMITICUS: *Huic vox:*

Quæ mea *ſunt*, mea *ſunt*; *Quæ* tua *ſunt*, tua *ſunt:*

Eſt, *bene qui faciat* CUNCTIS, *vir* OPTIMUS: *Huic vox:*

Quæ mea *ſunt*, tua *ſunt*; *Quæ* tua *ſunt*, tua *ſunt.*

Eſt, *male qui faciat* CUNCTIS, *vir* PESSIMUS: *Huic vox:*

Quæ tua *ſunt*, mea *ſunt*; *Quæ* mea *ſunt*, mea *ſunt.*

3. *De arcibus in montibus poſitis. Carolus* trajiciens aliquando Rhenum, quærit ex Principe, qui aulam ipſius tum ſequebatur, cur majores noſtri arces & præſidia in excelſis montibus exſtruxiſſent? cum reſponderet Princeps, munitiores illis arces in editis locis viſas fuiſſe. Cenſuit Cæſar rectius eas in planitie collocari, propter aquationis & invehendi commeatus, & tormentorum & aggerum commoditatem. Sed nunc, inquit, ſub terra quidam munitiones ædificant, ut inferno ſint propiores. *D. Chytræus orat. de Carolo* V *Imper.*

4. *Ex dicterio de nefanda Angli cujuſdam cæde.* In Anglia. cum nobiliſſimum juvenem, ſententia Cardinalis Eboracenſis, qui judicio præerat, damnatum interfici *Carolus* audiret: Indignum eſt, inquit, à cane lanii tam pulchram damam devorari. Nam Cardinalis ille lanii filius erat. *Idem.*

VII. JUSTITIA. *Carolus* V Imper. juſtitiam ſevere adminiſtravit, dicens: Quemadmodum Sol non alius eſt inopi, alius locupleti, ſed omnibus æquus & communis: ita Reges perſonam ſpectare haud debent, ſed rem: Juſtitiaque & benevolentia eorum omnibus civibus patere debet. *Zenocarus in Caroli vita.* Leges etiam optimas tulit, inter quas & hæ ſunt:

1. *De Bigamia*, quod non licitum ſit cuiquam in Romano Imperio duas ſimul uxores habere. Defendit quidem bigamiam *Bernhardus Ochinus Photinianus* in Dialogis à Caſtalione latine converſis. Et *Valentinianus* Imp. legem tulit, qua cuivis duas ſimul uxores ducere licebat, apud *Nicephorum lib.* 11. *cap.* 33. Verum hoc ipſum non ſolum juri divino repugnat, ſed etiam Imperatores ſacratiſſimi bigamiam ex animo deteſtati ſunt. Ita enim *Diocletianus & Maximinianus* Imperatores reſcripſerunt; Neminem, qui ſub ditione ſit Romani nominis, binas uxores habere poſſe, vulgo patet *L.* 2. *C. de inceſtuoſis nuptiis.* Et ex edicto prætoris duas uxores habens infamia notatur. *l. eum qui. C. ad l. Jul. De adult. & l.* 2. *D. De his qui notant. infam.* Similiter ex conſtitutione *Caroli* V, bigamus ultimo afficitur ſupplicio; uti videre eſt In der peinlichen Halſgerichts-Ordnung/ *cap.* 121.

2. *De furibus ſuſpendendis. Carolus* V Imper. omneſque Status Imperii, ſuadentibus Conſiliariis, & juris ſacerdotibus æquiſſimis, de furibus in furcam tollendis legem conſtituerunt; ut patet ex *Conſtitut. Carol.* In der peinlichen Halſgerichts-Ordnung/ art. 160. Item l. Capitalium 28. §. Graſſatores. ff. de pœnis. *Graſſatores, qui prædæ cauſa id faciunt, proximi latronibus habentur, & ſi cum ferro aggredi & ſpoliare inſtituerunt, capite puniuntur, utique ſæpius atque in itineribus hoc ad-*

miſerunt, cæteri in metallum damnantur, vel in Inſulas relegantur.

VIII. *Amor literarum & literatorum. Carolus V* Imper. fuit magnus fautor literarum & literatorum: & quamvis tanta gubernatione Imperii & regnorum eſſet occupatus, tamen literarum ſtudioſiſſimus fuit: inprimiſque Mathematicis adeo delectatus fuit, ut nec in ipſis caſtris ſtudium hoc negligeret. Teſtatum amicis *Petrum Appianum* legimus, ſe, in bello Germanico, Ingolſtadio (ubi *Petrus* vivebat) ad *Carolum* in caſtra urbi vicina evocatum fuiſſe, ut in machina certis rotulis orbes circumducentibus repræſentante Planetarum motus proprios adſpicienti certius & accuratius ſingula monſtraret: cujus ejuſdem belli tempore, ut ardorem erga hæc ſtudia magis vulgaret, familiariſſime ſecum habuit Turrianum Cremonenſem magni nominis Mathematicum.

Porro *Carolus*, cum eſſet obnoxius multis calamitatibus ſeu morbis, plurimum legit Thucydidem, qui admodum difficilis eſt intellectu: bene etiam patris ſui *Philippi* hiſtoriam novit, fuitque conſuetudo cubiculariorum ejus, ut finita (juxta conſuetudinem) maturina precatione, ſinguli aliquid legerent, donec Imperator ſurgeret: alius Thucydidem, alius Herodotum, alius Livium, alius Gallicam hiſtoriam, alius aliud. Poſtquam Imperator ſurrexerat, recitatis precibus, interrogavit, quid ſinguli legiſſent, ut ſic Imperatorem ad hilaritatem excitarent. Imperator etiam ipſe legit Thucydidem, lectiſque aliquot pagellis, ſumſit ſibi tempus de iis rebus meditandi. *Granvellanus* Cancellarius Imperatoris afferens ei Thucydidem, primo Gallice verſum, dixit: Hunc librum Tuæ Majeſtati dono; ſed ea conditione, ut ea promittat mihi, quod velit illum perlegere. Evolutis vero in eo libro ab Imperatore aliquot pagellis, ita placuit, ut tertio perlegeret.

Ut igitur *Carolus V* Imperator excellenti bonarum artium cognitione excultus fuit, ita etiam viros doctos in magno precio habuit, & erga eos valde liberalis fuit. Quare cum Poëta quidam carmen lingua Italica de navigatione Africana compoſuiſſet, donavit illi mille coronatos. Alius quidam in Gallia Pſalterium carminibus Gallicis expreſſit, quod opus ob facundiam ipſius inſignem celebratur. Oblato hoc Pſalterio Imperatori, dixit Imperator: Exiguum tibi munus dabo: dedit tamen quadraginta coronatos. *Manlius in Loc. pag.* 550. & 551.

Contra autem *Carolus* literarum rudes haud magni fecit; ſicuti patet ex hiſtoria, quæ continetur in *Emblem. Altorff. pag.* 80. hiſce verbis: Quædam Germaniæ civitas ad *Carolum V* Imper. legatum miſerat, adjuncto comite adoleſcente pulcherrimo, primarii ejus civitatis viri filio. Cumque Legatus Imperatori ſuæ Reipublicæ negotium expoſuiſſet, interrogat eum Imperator de comite adoleſcente, cujas eſſet, & cujus filius? Reſpondit legatus, eſſe eum cujuſdam primarii in ſua Republ. viri filium; & una ſecum miſſum, *ut* quædam digna memoria & videret & audiret. Imperator igitur hoc audiens, adoleſcentem colloquio dignatur, eumque de quibuſdam rebus interrogat, quas ingenuum adoleſcentem ſcire oportet, ut domum is reverſus gloriari poſſet, ſe cum Imperatore eſſe collocutum. Sed cum adoleſcens piſce magis mutus eſſet, nec Imperatori ad interrogatoria quicquam reſpondere poſſet; Imperator Legato, Tuus, inquit, comes pulchra eſt ſtatua. Significans, pulchritudinem corporis & nobilitatem generis ſine doctrina & virtute parum prodeſſe hominibus, juxta illud Emblema: NOBILITATIS VIRTUS, NON STEMMA, CHARACTER. Id eſt, Magis virtus, quam genus nobilitatem efficit; vel potius, Sola virtus, non majorum ſanguis, veræ nobilitatis firmum eſt argumentum.

IX. GRATITUDO. *Carolus V* Imper. Officiales ſuos, eoſque qui ſibi egregiam & fidelem in bello aliaſque operam navaverant, magnifice remuneratus eſt. Inprimis gratiſſimus exſtitit erga Præceptorem ſuum Hadrianum Trajectenſem, pauperrimis parentibus ortum. Cum enim *Carolus Hadrianum* avo ſuo *Ferdinando* Catholico Hiſpaniæ Regi commendaſſet, Epiſcopus Dertuſenſis deſignatus fuit. Poſt *Ferdinandi* mortem, intercеſſione *Caroli* ejuſque avi paterni *Maximiliani I Imper.*, à *Leone* X Cardinalis titulo Pammachii SS. Johannis & Pauli creatus eſt. Inde *Maximiliano* mortuo, cum *Carolo* in Germaniam ad capeſſendum imperium eundum eſſet, quem in abſentia Hiſpaniæ Gubernatorem conſtitueret, neminem ſuo Præceptori *Hadriano* præferendum cenſuit. *Leone* tandem X mortuo, non acquievit *Carolus*, priuſquam ad ſummum in terris faſtigium eundem proveheret, uſus ad eam rem fideli opera Pompeii Columnæ & Julii Medices Cardinalium nobiliſſimorum & illuſtriſſimorum; qui, poſt multas contentiones, XXXVII Cardinalibus in ſuam ſententiam pertractis, Romæ ignotum, à tot Candidatis longiſſimo intervallo ſejunctum, externum atque Germanum, inter tot Senatores Italos tandem Papam renunciarunt anno Salutis 1521, die 9 Januarii. Quod grati animi ſtudium erga Præceptorem facile inter maximas *Caroli V* Imper. laudes ſuum quoque locum, & nequaquam poſtremum tueri poteſt: cujus

cujus etiam exemplo Principes incensi de suis in juventute formatoribus morumque præfectis ac Præceptoribus præclare mereri discant. *Chronic. Hedion. fol. 686. Pantaleon. Dresserus.*

X. MAGNANIMITAS. *Carolus* V Imp. animi excelsi atque invicti, in periculis impavidus & mortis contemtor fuit, adeo, ut in castris sæpe, & in ipso juventutis flore, recitatis Pauli verbis, ostenderet, se alterius vitæ & consuetudinis cum Christo esse cupidum. Ita se ad omnia pericula impavidum offerebat, ut nusquam ad bombardarum ictus caput inclinaret, nusquam pedem moveret, nusquam expallesceret. Quando armabatur lamminis thoracibusque ferreis, initio inter armandum horrebat corpus, ac toto vultu albescebat quasi pavescens: Sed cum armatus, loricatus, & galeatus erat, jam nullus leo illo fortior erat aut animosior, minusque aliquid expaveſcebat. Eandem quoque in rebus secundis & adversis vultus constantiam & tranquillitatem retinuit, ut in eodem cubiculo quotidie cum ipso versantes, nunquam læta vel tristia ad *Carolum* allata, ex ejus vultu deprehendere possent. Nunquam enim regius ipsius animus, nutante, vel acriter etiam urgente fortuna, abjecte se demisit: vel prospero & secundissimo flatu aspirante, insolentius se efferre aut jactare solitus est. *Chytræus in Orat. de Carolo V Imper.*

XI. AMOR *Salutis publicæ.* Politici habent hoc Axioma: *Salus publica suprema lex esto.* Hoc semper sibi *Carolus* V Imper. ob oculos posuit, illudque re ipsa expressit. Cum enim non multo post, quam ad Imperialem dignitatem esset evectus, Wormatiæ, de regno Navarræ à Gallis occupato, de Belgii populationibus, & Hispaniæ tumultibus, nuncios accepisset: palam testatus est, se invitum & repugnantem ad arma trahi; ac dolere se, Turcis, qui in Hungaria Belgradum oppugnaturi essent, intestinis bellis, viam in Germaniam sterni: Orare autem DEUM, ut sibi Reipubl. orbis Christiani tranquillam & florentem perpetuo manere cupienti opem ferat, & in causa justa adjutor, custos & vindex adsit. Has preces pluribus verbis à se conceptas quotidie recitare solitus est. Unde cum finitis Comitiis Augustanis Archiepiscopus Moguntinus & Palatinus Ludovicus Moguntiæ cum Carolo de Germaniæ pace colloquerentur: & *Heldus* Vicecancellarius, Cæsaris astantis nomine, durius respondisset: Cæsarem, qui alia etiam regna haberet, decretum contra Ecclesias nostras factum in Comitiis, etiamsi vastanda esset Germania, exsequi decrevisse; *Cæsar* hunc interpellans dixisse scribitur: HÆC NON JUSSI TE DICERE. Nolo enim vastari Germaniam, quia & patria est, & summum ab ea Imperii decus accepi; & Imperator saluti Orbis terrarum, quantum potest, DEO juvante, consulere debet. *Idem.*

XII. VERECUNDIA. *Carolus* V Imper, (ut supra diximus) adulteria libidinumque turpitudines totus aversatus est. Quare, cum post electionem Antverpiam ingressus esset, Senatus urbis, ut lætari se adventu Cæsaris, ipsique gratificari videretur, ludos & spectacula in plateis, per quas transeundum erat Imperatori, exhibuit: inter quæ, pro more ludorum, pulcherrimæ ac venustissimæ erant virgines, toto propemodum corpore nudæ, nisi quod tenuissimo tantum, & pellucido velamento circumdatæ essent: *Cæsar* urbem ingressus, & ad eum locum, in quo exhibebantur, delatus, (cum tamen ab aliis undique magnus fieret concursus) ne quidem respexit ad virgines. Hanc historiam Durerus pictor, civis Noribergensis, qui una cum Cæsare urbem est ingressus, *Philippo Melanchthoni* narravit, addiditque, se quam libentissime accessisse, cum ut agnosceret quid ageretur, tum ut perfectionem pulcherrimarum virginum rectius considerares, dicens: Ego, qui eram pictor, aliquantulum inverecundius circumspexi. *Philipp. in Loc. Mmnl. pag. 345.*

Denique tanta in *Carolo* omnium optimi maximi Principis virtutum præstantia fuit, ut miraculum naturæ sui temporis, à sapientibus & bonis quibusdam viris, familiaritate ipsius interiore fruentibus, perhiberetur.

VITIA.

I. CURIOSITAS. De *Carolo* V Imper. affirmant, quod Spitæ ex curiositate quadam ingressus sit in cryptam, in qua asservantur cadavera Imperatorum: inter quæ etiam fuit cadaver *Rudolphi Cæsaris*, Comitis de Habspurg, à cujus posteritate, nusquam interrupta soboles ferè, etiamnum hodie Archiduces Austriæ descendunt. Inde reversus *Carolus* obstupuisse dicitur, & mandasse, ne cuiquam deinceps monumenta illa aperirentur: Et hoc malo proprio doctus, cautior factus est. Nam cum anno C. 1547 victor Wittebergam urbem ingrederetur, & quæ inibi publica essent ædificia, fulminaret avide, urgebant eum duæ Eumenides infernales, Ferdinandus Albanus, & Episcopus Atrebatensis, ut Lutheri sepulchrum dirui, demortuique cadaver publice cremari juberet, non solum illorum petitio ipsi displicuit, verum etiam severe atque vitæ etiam capitisque periculo sanxit, inviolatum *Lutheri* sepulcrum ut esset.

II. IMPRUDENTIA. 1. *Axioma Politicorum* est; *In rebus arduis & gravioribus media consilia*

periculoſa. Contra hoc monitum noſtro & patrum noſtrorum ſeculo multoties peccatum eſt, & optimi quique Politici in hunc ſolœciſmum Politicum impingunt, quoque *Carolus* V Imper. famoſiſſimus, qui, cum hoſtem ſuum Franciſcum Galliæ Regem in ſua poteſtate captivum haberet, *Heraunii Ponti* conſilio neglecto, medium conſilium ſequutus eſt. Nam regie illum tractari juſſit, & tamen ultra anni ſpatium eum captivum detinuit, neque ſemel in carcere viſitare voluit, donec rex mœrore animi confectus in gravem morbum incideret, adeo ut multi de vita ejus deſperarent. Quare *Carolus* data ei in uxorem ſorore ſua, tandem ſub duris conditionibus illum dimiſit. Cum ſatius fuiſſet alterutrum extremum ſequi, & vel ita atterere eum, ut nocere non ultra potuiſſet; vel beneficiis illum devincire, quibus permotus noluiſſet ei nocere. Tractatio illa regia & ſororis matrimonium neque annuum carcerem, neque iniquiores conditiones libertati additas ex animo generoſi Regis delere potuere. Unde non exiguis moleſtiis *Carolum* poſtea nec ſemel affecit. *Johan. Werner. Gebhard.* in Fürſtlichen Tiſch-reden/ *lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 18, 19.

2. Quis neſcit *Carolum* V Imp. omnium fere, quæ uſquam gererentur ab aliis Principibus, aut conſortem, aut ſaltem conſcium fuiſſe! At eam conjurationem, quam *Mauritius* & *Albertus* Brandeburgicus, familiares ac domeſtici Cæſaris, ſuſceperant, quamque ad exitum perduxerunt an. 1552, ne ſuſpicatus quidem eſt.

1. *ACTA SAGATA.*

Tota vita *Caroli* nihil aliud fuit quam belligeratio perpetua. Geſſit namque multa bella, ex quibus præcipua, qua poſſumus brevitate, recenſebimus.

1. *Bellum Gallicum.*

Omnium notatu digniſſima ſunt bella ejus adverſus *Franciſcum* I Regem Galliæ geſta, quæ duraruntannis propemodum 38, ſub induciis dubiis, parumque conſtantibus. In tria membra illa dividemus.

Membrum I.

In membro primo notanda ſunt tria: 1. *Ortus.* 2. *Progreſſus.* 3. *Egreſſus.*

1. ORTUS.

1. Ortus. Præcipue inter *Carolum* V Imp. & Franciſcum Regem Galliæ de regni Neapolitani Mediolanique poſſeſſione certatum eſt. Nam imperante Maximiliano I, Ludovicus XII, Rex Galliæ, Mediolanenſem Ducatum occuparat, & in ſua verba jurare ſubditos coëgerat: cujus rei certior factus Cæſar Maximilianus non ita multo poſt Mediolanum ope Helvetiorum recepit, & ut Imperii beneficium, procul ab omni ambitione & avaritia exiſtens, Maximiliano Sfortiæ Duci reſtituit. Verum poſtea anno tertio, Ludovico rege Galliæ extincto anno 1515, ſucceſſit ei gener ipſius FRANCISCUS I Valeſius, qui ſtatim anno regni ſui primo ingentem exercitum contraxit ad recuperandum Mediolanenſem principatum, & Helvetios, Maximilianum Sfortiam acerrime propugnantes, ingenti, ſed cruento & periculoſo, bidui prœlio debellavit ad Mediolanum, adjuvantibus Venetis, ita ut de viginti quinque millibus vix pars dimidia evaſerit. Parmamque ac Placentiam Pontifici ablatas ad vetus Inſubrum Imperium reduxit, captoque, à deditione arcis Mediolanenſis, & tranſmiſſo in Galliam Maximiliano Sfortia, poſſeſſionem principatus ſtabilivit. Ex hoc ſucceſſu Franciſcum majora animo agitantem inceſſit libido invadendi regni Neapolitani. Qua de cauſa evocatum Roma Leonem X Pontificem Bononiæ conveniſſe exiſtimatur. Sed id molientem retraxit ex Italia Cæſar Maximilianus, impulſis Helvetiis jam ante vindictæ cupidis, & Henrico Anglo ſollicitato. Inde cum irrito conatu Mediolanum obſediſſet, cum Gallo pacem fecit, Gallo valde æquam, cum *Carolus* nepos amicitia Gallorum in occupanda Hiſpania indigeret. Confecta eſt pax in has conditiones, ut Carolus Regnum Navarræ Johanni filio, qui inde expulſus erat, reſtitueret, ſi id judicibus, qui conſtituendi eſſent, videretur ex æquo & jure. Item centum millia aureorum nummum quotannis Gallo ut penderet ex regno Neapolitano, ad confirmandum jus, quod in illo regno ſibi arrogabat. Cumque ad Venetos etiam & res Mediolanenſes Franciſcus reſpiceret, Venetis etiam Veronam reddi, Brixiam enim paulo ante receperant, poſtulavit, ea lege, ut redemtionis nomine 200000 aureorum nummum Cæſari duabus penſionibus perſolverentur. His conditionibus Maximilianus, jam ſenex & bellorum pertæſus, non refragatus eſt; ſed non fore aut ratam aut diuturnam compoſitionem facile intellexit, quod *Carolo* impubere à nutricio facta eſſet. Nec ita multo poſt, *Carolo* V ad imperium ſuffragiis Electorum expetito, cum Franciſcus per coëmtos ſuffragatores idem fruſtra ambiens de ſpe ſua decidiſſet, renovatis ex repulſæ dolore veteribus erga æmulum competitorem odiis, noviſque excitatis, bellum inter utrumque exarſit; & Franciſcus non tantum Italicos Principes contra

Caro-

Carolum inſtigavit, ſed ſubditos etiam & ſocios in Belgio, Hiſpania, & alibi.

II. PROGRESSVS.

Cum (ut ſupra diximus) privatæ quædam offenſiones inter Carolum Galliæque regem intercederent, Carolo ad Imperium evecto, ventum eſt ad arma, & primo quidem in Hiſpaniæ finibus, inque Belgio. Et quia Galli Parmam & Placentiam tenebant, id permoleſte graviterque Leo Pontifex ferebat: cumque nuper etiam tentaſſet Regium Lepidi, prorſus animum ab illis avertit, & fœdus cum Cæſare fecit, cujus hæc erant capita præcipua: Ut Eccleſiæ Romanæ dignitas defendatur, ut quæ Galli nuper illi ademerant, recuperentur: ut Sfortia, tum exſul, in paternum ſolium reſtituatur, & principatum Mediolanenſem. Conjunctis ergo viribus Parmam & placentiam Gallis eripiunt, Mediolanum capiunt, hoſtem ex Inſubria, quam totos jam ſex annos ille tenebat, depellunt, & Sfortiam deinde reſtituunt, adminiſtrantibus bellum Proſpero Columna, Ferdinando Davalo Piſcario. Rex vero Galliæ ut amiſſa recuperaret, per Italiam omne robur eo convertit: & cum *Carolus* in Hiſpaniam ad motus à ſeditioſis quibuſdam excitatos abiiſſet ſedandos, totum Navarræ regnum recepit, & per Inſubriam pleriſque locis occupatis, ipſa etiam urbe Mediolano capta, anno 1524, ſub hyemem obſidione cinxit Papiam, ad Ticinum fluvium, oppidum. At cum in obſidione ſecurius, quam decebat, ageret, à Ducibus CAROLI V anno 1525, die 24 Febr. (die Matthiæ) in prœlio ad Ticinum (amiſſis ultra 8000 militum, & 20 proceribus Galliæ cæſis) captus, & apud Mantuam Carpetanorum in Hiſpania (ubi tum Imperator commorabatur) in cuſtodiam datus, eo ex Italia triremibus tranſvectus.

III. EGRESSVS.

Cum Rex Galliæ diuturnioris carceris impatiens in morbum incidiſſet, Imperator, convocato Senatu; quo pacto ſe erga captivum Regem gerere deberet, ad conſilium retulit. Variorum ſententiis auditis, quas *Guicciardinus lib.* 16. prolixe deſcribit; Cæſar ſolebat in deliberationibus audire ſolummodo Conſiliariorum dicta, nihil autem illis præſentibus, ſed ſuo judicio ſolus poſtea, quid facturus eſſet, conſtituere: tunc quoque differentes attente audivit, nec tamen, quid ſecum decreviſſet, declaravit. Poſtea vero menſe Febr. anno 1526 FRANCISCUM, cum promitteret Burgundiæ reſtitutionem, & renunciaret juribus in regnum Neapolitanum, in Ducatum Mediolanum, Genuam, Aſtam, Tornacum, &c. & Eleonoram, Cæſaris ſororem, Emanuelis Luſitani regis viduam, in uxorem duceret, & duos filios obſides daret, in libertatem reſtituit. *Chytræus. Jovius lib.* 20, 22. *Guicciard. Ital. hiſtor. lib.* 14. & 16. *Zenocarus lib.* 1. *Sleidanus.*

Membrum II.

In hoc membro etiam tria ſunt notanda: 1. Τὰ προηγούμενα. 2. Τὰ πραχθέντα. 3. Τὰ παρεπόμενα.

I. ΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

Franciſcus Rex Galliæ ſtatim, poſtquam ex cuſtodia eſſet dimiſſus, negavit promiſſionibus ſe teneri, quas Cæſar ultima carceris neceſſitate expreſſiſſet; atque ita cum Pontifice & Venetis fœdus, quod *Sanctam ligam* nominabant, pro Italica libertate contra Cæſarem iniit. *Carolus* viciſſim nominis Pontificii auctoritate per omnem Hiſpaniam abolevit; exemplo ab Hiſpanis ipſis poſteritati relicto, poſſe Eccleſiaſticam diſciplinam citra nominis Pontificii auctoritatem ad tempus conſervari. Inſuper teſtatus eſt, ſe invitum & coactum ad arma retrahi, Deumque innocentiæ ſuæ & juſtæ cauſæ vindicem fore confidens, inter hos Chriſtiani Orbis inteſtinos motus & bella civilia, magnæ ſibi conſolationi eſſe dixit, quod interea innumeræ novi orbis gentes Chriſtianam religionem cupide amplecterentur.

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Cum igitur Rex Galliæ fœdus cum Pontifice pro libertate Italica iniviſſet; ad hæc conſilia turbanda nihil prius habuit *Carolus* Imperator, quam exercitum in Italiam quamprimum mittere, qui cunctis minaretur. Quare jubetur *Georgius Fronſpergius* Eques auratus Germanus, Dux militiæ celeberrimus, (qui Cæſaris ſemper partibus addictus; præcipue fractis fœderatorum contra *Carolum* V Imperatorem in Italia conſiliis, Imperii decus ſua virtute, DEO dante, tutatus eſt, quique multa potius egregiæ laudis, quam bellici quæſtus decora domum retulit) copias conſcribere; quas ille ocius contractas in Italiam duxit, & exercitum Italicum, cui *Johannes Medices* præerat, in agro Mantuano die 24 Novembris anno 1526 feliciter fudit & profligavit, Mediolanumque recepit. Statim adfuere cum aliquot millibus Hiſpanorum *Carolus* Borboniorum

niorum Princeps, qui superioribus annis à Galliæ rege defecerat, at Princeps Arausiensis, Burgundiorum manu comitatus. Sed & Conradinus Lepontinus cum quatuor vexillis Germanorum militum, qui Cremonæ præsidium Cæsareum agitaverant, sese conjunxit. Paulo post Italorum phalanx accessit, quos ducebat Mutius à Columna.

Inde Carolus Borbonius, cui summa totius exercitus præfectura tradita erat, cum aliquot copiis ad defensionem Neapolis profecturus, urbem Romam, ex itinere, postridie quam eo venisset, oppugnatione cepit ac diripuit, die 6 Maii anno 1527. Urbs vastata est cæde & rapinis, & nemo servatus, nisi qui vitam & libertatem universa re familiari redemisset. Templa fere omnia, multis necatis aut excruciatis sacerdotibus, direpta. Pontifex, qui in Adriani molem cum Cardinalibus & reliquis proceribus profugerat, fame subactus sese dedidit die 6 Junii, omnesque ejus arces & urbes in *Caroli* Imper. potentiam redactæ sunt. Qui optata hac occasione, veterem Romani Imper. sedem, potentiam & Majestatem à Pontifice hactenus usurpatam, in Italia recuperare & stabilire potuisset: Sed reverentia loci Apostolici, & quadam religionis opinione, quæ in animo bene instituto plurimum valet, & Hispanorum Antistitum ac Principum superstitiosa in Pontificem observantia, non solum publicæ lætitiæ signa, quæ tum nato Imperatoris filio Philippo edebantur, inhiberi jussit: verum etiam post octo menses, Clementem VII, pecunia tantum, & jure patronatus, in regni Neapolitani episcopatibus mulctatum, in pristinam amplitudinem & potentiam integre restituit.

Interea Galliæ Rex, ubi de capta Roma cognovit, inito fœdere cum Angliæ rege, validum misit in Italiam exercitum, Duce Odetto Fuxio Lautrechio. Is cum in Insubriam venisset, adjutus à Venetis, Alexandriam, deinde Papiam, partim compositione, partim vi cepit; & furente milite propter captum ibi Regem, post ingentem oppidanorum stragem, diripuit anno 1527 die 27 Julii. Inde Bononiam profectus ibi in hybernis subsitit, & sub primum ver progressus, Duces Cæsareanos in regno Neapolitano prælio vicit: ideo *Neapolin* mense Aprili gravissime obsedit, quæ obsessio duravit usque in Augustum mensem, quo Auster tam memorabilem in castris Gallorum concitavit pestem, ut intra dies octodecim, ex 8000 Gallis, vix 1700 superstites manserint. Ita Deus inscrutabiliter Cæsarianis pepercit, Gallosque ultus est. Non multo post, cum Neapolin obsidione solverent, horrendâ tempestate reliquiæ miserabiliter sunt afflictæ. Ita non solum venti, sed etiam æther pro Cæsare pugnavit.

III. TA PAREPOMENA.

Cum igitur Carolus ubique divinitus protegeretur, ipsique ab hostibus victorias insignes reportaret; Galliæ vero Rex, cum & liberorum suorum, quos in Hispaniam miserat obsides, curis afficeretur; & per Italiam infeliciter bellum gereret; amisso nuper exercitu atque Duce Lautrechio, quem pestis in obsidione Neapolis absumserat; amisso etiam Andrea Aurea Genuate, rei maritimæ scientia clarissimo Duce, qui sub idem fere tempus, quo Lautrechius mortem obiit, ad Cæsarem defecerat; restituta patriæ libertate, ad pacem animum adjecit: quæ Cameraci, oppido Belgii, facta est anno 1529, die 5 Augusti: ubi FRANCISCUS cessit Flandria, Artesia & Tornaco, atque ita septendecim provinciæ unitæ sunt, utque filii obsides liberarentur, vicies centena millia aureorum *Carolo* persolvit. Jam antea die 26 Junii pax inter Pontificem & Cæsarem Barcinone facta erat, pactos inter alia, ut *Margaretam* filiam notham Cæsaris Alexander Medices filius nothus *Laurentii* Medices (qui patrem habuit *Petrum*, quem Florentia ejectum, & in ostio Liris fluctibus obrutum interiisse tradunt) in uxorem duceret, atque in avitum Florentiæ dominatum restitueretur.

Exemplo Pontificis & Regis Galliæ mox Veneti & *Franciscus Sfortia* (qui Pontifici Galliæque regi confœderatus ante fuerat) supplices pacem a *Carolo* Imp. petiverunt & impetrarunt. *Guicciard. Chyr. P. Jovius. Sleid.*

Membrum III.

Possumus & in hoc tertio & ultimo membro progredi secundum *Ortum*, *Progressum* & *Egressum*.

I. ORTUS.

Cum *Franciscus* Sfortia Dux Mediolanensis anno 1535, mense Octobri, absque hæredibus defunctus esset, *Carolus* Imperator ut Dominus feudi eum Ducatum sibi per *Antonium Levam*, quem, navigaturus in Africam, legatum & custodem ibi reliquerat, adjudicavit. Rex Galliæ contra illum ad se suosque liberos pertinere contendit, propter Valentiam, *Philippi* Vice-comitis, postremi Mediolani Principis ex ea familia, sororem, proaviam suam. (quanquam superioribus annis de re tota transegerat.) Quare misso ad *Carolum* legato (cui quam argute *Carolus* responderit, supra diximus) Insubriam sibi restitui postulabat, addita commminatione, nisi impetraret: simulque eodem tempore, conductis undique copiis transcendit Alpes, & Sabaudiæ Ducem, avun-

avunculum ſuum, Imperii Principem, aggreſſus eſt, eo videlicet conſilio, ut illa patefacta via & ſubjugata provincia, longius progrederetur. Itaque Cæſar, ut regionem illam defenderet, neceſſe habuit & ipſe conſcribere exercitum; quem, maxima celeritate per Germaniam aliiſque in locis contractum, in Italiam evocavit: Et cum Neapoli Romam veniſſet anno 1536, menſe Aprili, aliquot poſt diebus Senatum ſibi dari petiit, & in frequenti cœtu Cardinalium, præſente Pontifice, & exterorum Regum legatis, orationem habuit gravem ac vehementem in Galliæ Regem, qui rupto fœdere & inveterato quodam odio pulcherrimos ipſius & ſanctiſſimos conatus impediret ac everteret, clareque teſtatus eſt, ſe invitum in id bellum, quod tum contra Regem Galliæ de Mediolanenſi Imperio parabat, trahi, in quo multæ gentes nihil mali meritæ & inſontes, ipſorum Principum iracundia atque obſtinatione, cladem eſſent ſubituræ. Propterea pietate Chriſtiana tacto ſatius ſibi videri, & Reipubl. quidem utilius, ut & ipſe & *Franciſcus* ad ſingulare certamen deſcenderent, enſeque & pugione dimicantes controverſiam finirent. *Jovius l.* 35. *Hiſt.* Sed & per præconem Gallum provocavit, ſeptem conditionibus oblatis, ut in mari, vel terra, vel flumine, equo vel pedibus, colle vel planicie, de Galliæ Ciſalpinæ & Burgundiæ jure inter ſe certarent, DEUM judicem futurum, ſine publicæ ſalutis detrimento, 40 dierum ad deliberandum conceſſis induciis, ter conteſtatus, ſe *pacem, pacem, pacem* Chriſtianorum, non bellum flagitare & expoſcere. *Gulielmus Zenocarus in vita Caroli.* In ſuperioribus bellis, anno videlicet 1528, Rex Galliæ *Carolo* & *Carolus* viciſſim Gallo monomachiam obtulit: de quo vide *lib.* VI *Sleidani.*

Quanquam vero Cæſar non ſolum inde ab initio, ſed poſt etiam, cum jam ſui muniendi atque tuendi cauſa maximos feciſſet ſumtus, pacem vehementer expetivit, neque detrectavit, quo minus Inſubriam ille certis conditionibus acciperet: & cum Gallo ſingulari certamine dimicare voluit, quo videlicet alterutrius privato potius, quam publico totius Orbis incommodo, belli finis aliquando fieret: Gallus tamen, iis omnibus repudiatis, in ſententia permanſit.

II. PROGRESSUS.

Collectis jam viribus, & per mediam Italiam facto itinere, cum exercitu *Carolus* Imperator provinciam Galliam invaſit anno 1536. Rex ad Avenionem caſtra poſuit, inter Rhodanum & Druentiam flumina, & devaſtatis agris, (qua parte Cæſarem eſſe deſcenſurum videbat) cum pugnandi poteſtatem non faceret, in ſummas illum difficultates conjecit. Nam inopia rerum omnium Cæſar adductus, & multis hominum millibus ex inedia & contagione deſideratis, diſcedere coactus eſt. Inde iter in Hiſpaniam inſtituit, relicto exercitu, cui Duces præclaros præfecit, qui bellum contra Gallum continuarunt, donec anno 1538 Cæſar & Galliæ rex Niceam, rogatu potiſſimum Pontificis Pauli, convenirent, & induciæ in annos decem inter eos fierent.

Anno inde 1542 FRANCISCUS Rex Galliæ atrociſſimis verbis bellum Cæſari denunciat, & edito libello ſuis liberum facit, ut quacunque ratione poſſint, terra marique provincias illius devaſtent. Rex ipſe quinque ſimul locis *Caroli* terras invadit, ſed parum felici ſucceſſu. *Sparſis enim viribus, quas ſatius fuiſſet unitas habere, quæ occupaverat loca, facile amiſit.* Cæſar cum in Hiſpaniis filium ſuum *Philippum*, data ei in uxorem Maria, *Iohannis* Luſitaniæ regis filia, regem conſtituiſſet, & *Wilhelmus* Cliviæ Dux ferociter Ducatum Geldriæ retineret, exercitumque Mariæ profligaſſet anno 1543, menſe Aug. in Juliacenſem Ducatum venit, oppidoque *Dura* expugnato & incenſo, Juliaco & Ruræmonda ad deditionem compulſis, *Wilhelmum* adegit ſupplicem ſibi fieri, ereptaque ei Geldria, tres Ducatus, Juliacenſem, Clivenſem & Bergenſem, fruendos reliquit. Viciſſim Galli Landreſium & Luceburgum occuparunt, & Cæſareanos, Duce Fr. *Borbonio* Angiano, ad Carignanum Pedemontii, magna ſtrage fuderunt. Quare Cæſar viribus Imperii Germanici ſuccinctus, bellum in Galliam transfert, menſ. Octobri, & oppidum *Landreſium*, interfectis militibus Italicis & Gallicis, occupat. Anno ſequenti *Lucenburgum* recuperat, multa expugnat Gallorum oppida, nulloque reſiſtente ferme, Lutetiam uſque progreditur.

III. EGRESSUS.

Cum igitur Cæſar tam felicem in Galliis progreſſum haberet, *Franciſcus* Rex impar viribus miſit Legatos, qui cum *Carolo* de pace agerent; & obtinuit, exercituſque dimiſſus eſt. Facta eſt pax ſub æquis conditionibus die 24 Septembris ad 1544, in qua comprehenſi, Pontifex, *Ferdinandus* Rex Hungariæ frater *Caroli*, *Luſitanus*, *Polonus*, *Danus*, *Veneti*, *Helvetii*, *Sabaudus*, *Lotharingus*, *Genua*, *Florentia*, *Ducatus Ferrarienſis*, *Mantuanus*, *Urbinas*, *Lucæ*, *Senæ*, Principes Electores ac ordines omnes Imperii, Cæſari obſequentes. Inde *Carolus* dimiſſis copiis ex Galliis domum rediit. *Franciſcus* vero Rex triennium fere poſt in vivis eſſe deſiit, cum paulo ante in Chriſtianos *Waldenſes*, quod

reformatam potius, quam Pontificiam religionem amplecterentur, crudeliter sæviisset, magnamque eorundem multitudinem, nulla sexus aut ætatis ratione habita, trucidari jussisset. Successit ei HENRICUS II, adversus quem *Carolus* Imperator aliquot post annis bellum gessit, quo Terovanam cepit, multaque castella condidit, imposuitque præsidia, inprimis Cameraco & Gandavo. *Onuph, Sleid. Chytr. Martinus Bellajus, & alii.*

II. *Bella Germanica.*

I. Contra Protestantes.

I. ORTUS.

Postquam *Carolus* V Imperator cum suis hostibus pacem constituisset, ipsis adhuc durantibus *Comitiis Augustanis*, *de Religione Lutherana* removenda & exstirpanda cogitavit, conscriptitque milites & ad arma se præparavit. Cum vero Protestantes audivissent, Cæsarem occulte moliri bellum, interrogarunt, cur militem conscriberet? Responsum acceperunt, Imperatorem non religionis nec civitatum causa bellum parare, sed tantum punire velle aliquos Principes Majestatis reos. Sed Saxo & Landgravius, quia nemini obscurum erat, illos peti, magno studio copias & ipsi conscripserunt, ad socios datis literis, ut idem facerent, neque callidis quorundam consiliis sese divelli paterentur, monuerunt; ac dilutis, quæ objectabantur à Cæsare, criminibus, nihil in se culpæ esse, nisi prætextum hæreseos, demonstrarunt: eamque belli causam à Pontifice diserte enunciari. Nihilominus sociorum fœderis Smalcaldici non pauci Cæsaris sequebantur castra, traductique in ejus partes erant, *Mauritius* Dux Saxoniæ Electoris patruelis, *Johannes* Marchio Brandeburg., *Philippus* Dux Brunsvicensis, *Ericus* & *Georgius* Brunsvicenses, *Johannes* item, *Albertus* & *Georgius* fratres Megalopolitani adolescentes. Contra fœderatis Protestantibus non tam copiæ defuere, quam consilium concors & pecunia. Bellum inde Cæsari indixerunt Elector atque Landgravius, quos ille publicis literis antea proscripserat.

II. PROGRESSUS.

Saxo & Landgravius juncti Suevis & Alemannis, Erebergum, impositam Alpibus arcem, Dilingam & Donawerdam jam tenentibus, tardius Cæsarem, tum quidem imparatum, adorti sunt. Mox ille Pontificiis, Hispanicis, Germanicisque instructus copiis, castra sua locavit prope Ingolstadium, ubi levioribus prœliis cum Protestantibus conflixit, usque in mensem Novembr. anni 1546, donec *Mauritius* Dux Saxoniæ, cum *Ferdinando* fratre *Caroli*, ditiones Electoris invaderet, *Cygneam* & *Torgam*, aliasque urbes occuparet. Decretum ergo, transferendas in Saxoniam copias Protestantium, relicto apud Suevos præsidio. Landgravius suos abduxit domum, religioni habens in generum pugnare. Sic facile Cæsari Suevos & Noricos vincere fuit. *Fridericus* Palatinus, qui aliquantum Protestantibus subsidii ministrasset, deprecatione id luit. Ulmenses etiam auro, & tormentis, simul præsidium alere coacti. *Ulldaricus* Wirtembergicus humillimis conditionibus transegit. Memmingenses, Bibracenses, Ravensburgenses, Campodunenses, & Isnenses Legati, delusi à Navio, qui satis cautum eis diplomate Cæsareano de religione diceret; itaque supplices facti. Francofurtenses maturius deditionem fecerunt, territi adventu *Maximiliani* Burensis, ductoris Belgarum, à quo etiam hanc ob causam irrisi sunt, missisque ad Cæsarem legatis, in gratiam recepti sunt, depensis aureorum millibus octoginta.

Elector vero Saxoniæ, ubi ad suos fines cum exercitu pervenit, mense Decembri *Vinariam* recuperavit, *Heldrungam* deditione cepit, & *Halam*. Ineunte anno 1547, die 13 Januarii, *Lipsiam* obsidione cinxit, sed oppidanis fortissime sese defendentibus, re infecta discessit sub ejus mensis exitum, cum crebris tormentorum globis velut grandine quadam, Lipsiam obruisset, laceraſſet & deformasset. Inde Marchionem Brandeburgensem *Albertum* cepit Rochlicii. *Misnam* urbem ad deditionem coëgit, die 5 Aprilis. Inde, cum die 19 Aprilis de Cæsaris adventu cognovisset, exercitum ultra Albim transtulit, & Misnæ pontem sublicium incendit, ne Hispani transeuntes ipsum assequerentur. In itinere, cum Mulbergo relicto Wittebergam contenderet, Cæsareanis vadum in Albi flumine monstratur, per quod equitatus transit: pedestres vero copiæ ponte ex navigiis constructo transportantur. Cæsar in Saxonem incidit ad Sylvam Lochanam, tribus trans Albim milliaribus, ibique prœlii fit initium: in quo ELECTOR pulso equitatu & peditatu, dum acriter pro salute sua pugnat, & per sinistram maxillam adversum vulnus accipit, capitur, die 24 Aprilis. Non vero ulli Hispanorum aut Hussarorum se dedere voluit: sed Germano homini Tiloni à Trot. Ad *Albanum* adductus antequam Cæsari sisteretur, inter eundum oculis in cœlum sublatis, & ex imo corde ductis suspiriis voce miserabili sic DEUM alloquitur: *Miserere mei, Domine, nos sumus jam hic.* Postea cum in Cæsaris aspe-

adſpectum veniſſet', *Clementiſſime Cæſar*, inquit, *me tibi captivum ſtatuo, & ſupplex oro, ut Cæſar. V. Majeſtas me dignetur cuſtodia digna Principe.* Reſpondit Cæſar: *Tractaberis pro merito; ſcio quid me deceat.* Deinde Albano redditus, frequenti cuſtodia in caſtra ducitur. Captus cum eo fuit ERNESTUS Dux Brunſvicenſis, Dynaſta Grubenhagenſis, *Philippi* filius. Sol ſudo cœlo pallidus quatriduo lamentari viſus calamitatem afflictæ veritatis. MISENÆ cum Canonici cantum Auguſtini TE DEUM LAUDAMUS de capto Electore cecinisſent, fulmen hora 5 poſt meridiem ædem illam incendit, tres turres dejicit, tectum, organum, campanas, igne conſumſit, cum nullum aliud tonitru vel præceſſiſſet, vel ſecutum eſſet.

III. EGRESSVS.

Imperator Electorem die 7 Maii ob inobedientiam, quam prætendebat, capitalis ſupplicii reum peregit, qui vitam abdicatione Septemviratus redemit, renunciavit fœderi Smalcaldico, Wittebergam & Gotham Cæſari tradidit, *Henricum* Brunſvicenſem, & *Albertum* Brandeburgenſem abſolvit cuſtodia. Sed ut in deciſiones & determinationes certaminum Religionis, quas Cæſar & Concilium ſit daturus, conſentiret, nullo vel mortis metu adigi potuit. Bona illius publicata, *Ferdinando*que & *Mauritio* aſſignata ſunt, relictis, unde aleretur, cenſibus.

Quanquam igitur ad Dracenburgum Mansfeldiis & Hamburgenſibus egregia eſſet de Erico Brunſvicenſi & Cæſarianis victoria parta, tamen *Johannis Friderici* Electoris Saxoniæ calamitas fœderatos perculſos reddidit. *Philippus* Landgravius Haſſiæ à *Mauritio* genero & Brandeburgico, aliiſque, qui putabant ſe veniam ab Imperatore impetraſſe, perſuaſus, cum Halæ Saxonum Cæſari ſupplex factus eſſet, præter opinionem captivus detinetur. Repertum vocabulum, quod leviſſima mutatione pro nulla captivitate perpetuam ſonaret. Cæſar ad quingentas machinas tormentarias è Germania in ſuas provincias avexit, à Proteſtantibus decies ſexies centena aureorum millia exegit. *Ferdinandus* ſimiliter Bohemos, quod Electoris ditiones tueri, quam invadere maluiſſent, duriter excepit. *Mauritio* Duci Saxoniæ, quod fidelem Cæſari operam navaſſet, dignitas ELECTORIS SAXONICI publico & ſolenni ritu à *Carolo* collata eſt 24 Februarii, die Matthiæ, inſpectante *Johanne Friderico* captivo.

II. *Bellum Magdeburgicum.*

I. ORTVS.

Cum Magdeburgenſes Interreligionem Cæſaris conſtanter improbarent; Cæſar publice eos proſcripſit, & vicinos Principes ac Ordines graviter monuit, ut bellum eis facerent, & quacunque ratione poſſent, nocerent: plerique non recuſarunt, modo reliqui etiam, non Saxoniæ tantum, ſed Imperii ordines idem quoque facerent: qui cum auxilia Imperatori promiſiſſent, eum orarunt, ſi forte huic bello præeſſe non poſſet, ut aliquem ſummæ rerum præficeret. Sic ergo *Mauritius* Elector publico nomine belli ſummæ præfectus eſt ab Imperatore, deditque ipſi in ſingulos menſes 60 millia aureorum.

II. PROGRESSVS.

Mauritius rei ſummæ præfectus, magnis viribus rem egit, & conſtructis aliquot caſtellis, ut in iis milites hyemarent, ſub exitum Novembris anni 1550, urbem aggreſſus eſt. Verum Magdeburgenſes non ſolum fortiter ipſi reſtiterunt, ſed etiam erumpentes hoſtes ſuos in pago Otterſleben obruerunt, pluſquam ducentos nobiles ceperunt, & *Georgium* Megapolitanum, inquieti ingenii Principem. *Heideccius* Comes, & alii, adducturi Magdeburgenſibus auxiliares copias, exercitum conſcripſerunt. *Mauritius* ergo menſe Decembri cum parte exercitus illis occurrit, & Werdæ eos obſedit. Cum itaque erumpere non poſſent, nec etiam obſidionem tolerare, quod commeatu deſtituerentur, paciſcuntur cum *Mauritio*, qui ita eos dimiſit, ut ſtatim quinque ſigna ſibi conduceret, ut & ipſum Ducem Comitem *Heideccium*: ubi primum ſe ita aperuit MAURITIUS, ut diceret, ſe non pugnare in perniciem Magdeburgenſium, ſed illorum urbem, libertates, munitionem & religionem cupere ſalvas.

III. EGRESSUS.

Cum igitur *Mauritius* Magdeburgicis bene cuperet & occulte bellum pro libertate Germanica coqueret contra Cæſarem, obſidionem lente continuavit uſque in menſem Novembrem anni 1551, quo, cum Magdeburgenſes amplius non poſſe tolerare obſidionem viderentur, pax facta, qua multam Cæſari grandem perſolverunt, ſalva religionis & majorum libertate. Ad hunc modum liberati, præter multorum exſpectationem, ſummam nominis gloriam adepti apud exteras nationes, quod

prope ſoli per omnem Germaniam ſuo exemplo docuiſſent, quid poſſit conſtantia.

III. *Bellum Mauritii* contra Imperatorem.

I. ΤᾺ ΠΡΟΗΓΟΎΜΕΝΑ.

Mauritius, durante bello Magdeburgico, quod fuit annuum, cum copias haberet in ſua manu, rationem inire cœpit liberandi *Philippi* Landgravii ſoceri ſui, cum couſque Cæſarem hac de re fruſtra non ſemel interpellaſſet. Chattis igitur ditionis Haſſicæ populis, ante annum tertium Landgravio captivo ſententia Cæſaris ademtis, de voluntate filiorum Landgravii per jusjurandum in ſuam fidem adactis, & facta pace cum Magdeburgicis, & OEnipontem miſſa de Landgravii liberatione Legatione, Galliæ regem *Henricum* II, *Franciſci* I. ſucceſſorem, fœdere ſibi conjungit, & datis obſidibus utrimque cavetur, &, editis ſcriptis belli cauſam explicandam eſſe, placet, ut ſibi multorum animos adjungerent. *Albertus* etiam Brandeburgicus, clam in Galliam profectus ad Regem, huic negocio totum ſe dabat. Interea milites, tam ii, qui Magdeburgum propugnaverant, quam qui eam circumſederant Mulhuſii, viciniſque in locis hyemaverant, multum damni dederant Northuſianis & Erfurdenſibus. Ejus rei cauſam cum ex *Mauritio* Cæſar perquireret, reſponſum dedit, ob non ſoluta ſtipendia tumultum fieri, ſeque brevi eum convenire velle. Inde *Mauritius*, qui diſſimulanter agebat omnia, anno 1552, Kalend. Martii, conventus agit ordinum ſuæ ditionis, & inter alia proponit, quia citetur à Landgravii filiis, ut ſe ſiſtat, non ſibi licere tergiverſari diutius, aut illorum exſpectationem fallere: diſceſſurum igitur ad illos fidei ſervandæ cauſa.

II. ΤᾺ ΠΡΑΧΘΈΝΤΑ.

Mauritius cum domi res conſtituiſſet, & *Albertus* Marchio Brandeburgicus cum ſuis tum equitum, tum peditum copiis, ex hybernis adveniſſet, movit contra *Carolum* Imp. anno 1552, & quacunque tranſiit, ſuam in poteſtatem redegit oppidanos, & iis, quos antea Cæſar delegerat, abrogatis, novum inſtituit Magiſtratum: ſimul pecuniam illis imperavit atque tormenta. Auguſtam triduo obſeſſam occupavit 4 Aprilis. Imperator priuſquam de motibus Mauritii aliquid audiret, accipit per fecialem belli literas. Imparatus igitur, noctu maxima celeritate tumultuarie diſcedens OEniponte, cum *Ferdinando* fratre, qui perſuadendæ pacis cauſa nuper eo venerat, & per Alpes, qua Tridentum itur, ad lævam deflectens, Villacum, quod eſt in Garnis oppidum, ad Dravum flumen, ſeſe recipit die 20 Maii, cum pridie ejus diei Electorem Saxoniæ *Johannem Fridericum* poſt quinquennii captivitatem dimiſiſſet, ne videlicet hoſtis ad ſuam gloriam id referret; qui liber factus nihilominus Cæſarem, quocunque iret, comitatur. *Mauritius* cum Clauſam fortiſſimum in Alpibus propugnaculum cepiſſet, OEnipontem venit 22 Maii: ubi *Ferdinandus* frater *Caroli* pro pace intercedit, & amicam tranſactionem promittit: quare induciæ factæ.

III. ΤᾺ ΠΑΡΕΠΌΜΕΝΑ.

Tandem, poſt variam diſceptationem, *Tranſactio Paſſavienſis* perficitur die 2 Auguſti. Dimittitur è Belgico carcere Landgravius, Proteſtantium religioni liberum datur & perpetuum in Germania exercitium, proſcriptiones abolentur, &c. Rex Galliæ, qui in hiſce motibus nequaquam quieverat, Metim urbem deditione ceperat, & præſidiis firmarat; ſed cum moneretur, captivos Principes, quorum cauſa bellum cœptum erat, captivitate ſolvi, in regnum redit. *Chytr. Saxon. lib.* 12. & *ſeqq. Sleid.*

De bello Germanico plura qui deſiderat, conſulat *Lambertum Hortenſium lib.* 2. *Schardium Tom.* 2. *Thuanum lib.* 2, 3, 4, 5. *Hiſtor. Sleidan. lib.* 21, 22. *& ſequentes.*

Geſſit & præter hæc *Carolus* Imper. multa alia bella. Primum geſſit anno ætatis 18, adverſus Maranos rebelles: quorum 40000 occiſis vexilla erepta avo *Ferdinando* dono miſit, eadem fortuna adverſus Hiſpanos ſeditioſos uſus. Turcam terrore, adventus ſui Viennæ obſidionem deſerere coëgit, amiſſis 80000 ex innumerabili exercitu. *Anno* 1535 cum exercitu trajecit in Africam, & capta urbe Tuneto, atque arce Goleta Barbaroſſam Turcarum Ducem cum copiis ſuis profligavit, & regem ejus loci *Muleaſſanem* Mahumetanæ religionis, quem Turcæ regno expulerant, reſtituit, ſibique vectigalem fecit. Sexennio inde elapſo, iterum expeditionem in Africam ſuſcepit, ſed infeliciſſimo eventu, naufragio abſorptis 130 navibus. Poſt Tranſactionem Paſſavienſem Metim obſidione cinxit, ſed fruſtra. Inde bellum ei fuit cum *Henrico* rege Franciæ, quo *Carolus* Terovennam & Heſdinum Gallicana oppida diruit. *Henricus* contra Corſicam Genuenſium Inſulam, auxiliantibus Turcis, occupavit, ditioneſque *Caroli* ferro ac rapinis exhauſit. Poſtremo *Carolus* Imp. apud Antipodes in novo Orbe per *Ferdinandum Corteſium* & *Franciſcum Pizarrum* 28 prœliis 28 Reges & regna devicit.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. Cum LUTHERUS Anno C. 1520 Librum *de Libertate Chriſtiana*, quo declarabat, ſibi nihil aliud cordi eſſe, quam veritatem verbi divini indagare, ad Pontificem *Leonem* X miſiſſet, brevi poſt Pontifex eum ut hæreticum damnavit & proſcripſit, ſacris ei interdixit, & mandavit omnibus, ut aditum ipſius atque ſermonem fugerent, nec ullam rem cum eo communicarent. *Lutherus* contra publicat aſſertionem omnium articulorum doctrinæ ſuæ, à *Leone* damnatorum, & provocat à Papa ad Concilium. Sed Pontificii libros *Lutheri* publice cremant, & inſtant apud *Fridericum* Electorem, ut *Lutherum* vel capite plectat, vel captum Pontifici mittat. Ad quæ Elector ornatis verbis reſpondit; negans ſe hoc facere poſſe, cum *Luthero* ab omnibus detur honeſtum teſtimonium, & *Lutherus* ipſe petat, ut ſibi ſui errores demonſtrentur. *Lutherus* igitur cum hactenus Papæ authoritatem nequaquam violare voluiſſet, arbitratus, ipſo inſcio, quæſtores indulgentiarios abuti ſacra poteſtate, poſtquam ſe anathemate ab eo peti, libroſque ſuos exuri intellexit, tanto zelo eſt inflammatus, ut *Leonem* prædicaret eſſe Antichriſtum, ac diploma ejus, juſque ipſum Pontificium Wittebergæ die 10 Decembr. projiceret in flammas, addens illud dictum Samſonis heroïcum: *Quemadmodum fecerunt mihi: ita feci eis.* Facti ſui rationes publice ſcripto edit. Scribit etiam librum *de captivitate Babylonica*, & paulo poſt duos ſuperſtitionis Pontificiæ nervos incidit, *Vota Monaſtica*, & *Miſſas privatas*: & curſum illuſtrandæ veræ Evangelii doctrinæ, inter potentiſſimorum Europæ Monacharum adverſationes, conſtanti & ingenti animo & felicitate miranda perpetuo urget & tuetur. *Iohan. Matheſius de vita Lutheri Hom. 2. Luth. Tomo 2. Ienenſi Lat. Chytr.*

II. Anno 1521 CAROLUS Imper. prima ſua COMITIA celebravit Wormatiæ, in quibus comparuit *Lutherus*, cum ſub ſalvo conductu evocatus eſſet, & maxima animi conſtantia, toto mundo frendente & fremente, publice coram Imperatore, omnibuſque totius Romani Imperii Proceribus, rationem fidei ſuæ reddidit, uti ex actis Comitiorum Wormatienſium conſtat, adeo ut hic Papatus domitor *ante Comitia* Heros fuerit, *in Comitiis* Heroëm ſe geſſerit, *poſt Comitia* Heros permanſerit.

I *Ante Comitia* Heros fuit. Cum enim anno 1521, die 6 Martii, à *Carolo* V per Caduceatorem Witteberga Wormatiam evocaretur, *Lutherus* ſtatim, literis acceptis, imperterritus Wormatiam petiit, *Juſto Iona* Præpoſito, *Hieronymo Scurfio*, & *Amſdorffio* Theologo comitatus. Cumque jam propius accederet, & in vicino oppido Oppenheim conſiſteret, plerique à propoſita profectione eum dehortabantur, eo quod ipſius nuper erant combuſti libri: quo quidem præjudicio ipſum eſſe damnatum, & in ſummo futurum diſcrimine dicebant; illata mentione, quid acciditſſet ætate ſuperiore *Johanni Huſſo*: ipſe magno quodam animi robore periculum omne contemſit, in hæc verba erumpens: Mihi vero, qui vocatus ſum, decretum & certum eſt ingredi urbem, in nomine Domini Jeſu Chriſti, etiamſi ſcirem tot Diabolos mihi oppoſitos, quot ſunt tegulæ in omnibus totius urbis tectis, &c. *vide Luther. Tom. 2. Latin. Witteberg.*

II. Similiter IN COMITIIS Heroëm ſe geſſit. Cum enim per *Eccium* Cæſareæ Majeſtatis oratorem & JCtum, officialemque Epiſcopi Trevirenſis generalem, duæ ipſi quæſtiones proponerentur: 1. An libros in medio poſitos, à ſe conſcriptos eſſe fateatur, & pro ſuis agnoſcat? II. An retractare quicquam in iis, an vero quæ ſcripta ſunt, tueri velit? Prius categorice affirmavit: ad poſterius diſtincte reſpondit: videlicet libros à ſe ſcriptos non ejuſdem generis & argumenti eſſe omnes. *Primo* enim quoſdam eſſe didacticos & paræneticos de fidei & pietatis doctrina ſcriptos. *Secundo*, quoſdam eſſe polemicos generales, contra Papatum & doctrinam Papiſtarum exaratos. *Tertio*, quoſdam eſſe polemicos ſpeciales, privatim contra perſonas ſingulares, Romanam nequitiam defendere volentes, editos. Sed in nullis horum ſe quicquam mutare velle, admiranda animi conſtantia aſſeruit. Et licet ſine intermiſſione, inſtinctu Papiſtarum, à multis ſollicitatus fuerit, ut à propoſito deſiſteret; tamen nil quicquam obtinuerunt, ſed potius oleum & operam perdiderunt. In ſingulis enim conflictibus talem ſeſe geſſit, ut nil quicquam in conſtantia ipſius deſiderari potuerit, adeo ut Archiepiſcopo Trevirenſi reſponderet: Se potius vitam & caput amiſſurum, quam tam clarum DEI verbum deſerturum. Denique hiſce ita geſtis, cum *Lutherus* ne latum quidem unguem à vera religione diſcedere vellet, ſed tanquam Marpeſia rupes immobilis maneret, à *Carolo* V proſcriptus fuit. Quo audito *Lutherus* modeſtiſſime reſpondit: Sicuti Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.

III. Denique *Lutherus* noſter, non minus POST COMITIA Heros permanſit. Cum enim à *Carolo V* proſcriptus eſſet, *Fridericus* Elector è nobilitate nonnullis, de quorum fide compertum habebat, negotium dedit, ut in locum quendam ſecretiorem

tiorem, & ab hominum frequentia remotum deducerent *Lutherum*, vitandi cauſa periculi, quod quidem ſumma diligentia & taciturnitate fuit adminiſtratum, abductuſque *Lutherus* in arcem Wartburgum prope Iſenacum, quam Patmum ſeu eremum ſuam nominavit. In hac ſua ſolitudine & ſolicitudine tantum abeſt ut animum abjecerit, ut etiam majori cum confidentia & conſtantia ad fortitudinem & conſtantiam quam plurimos hortatus fuerit: ut teſtatur *Sleidanus lib. 3. pag. 67.*

NOTA.

Patet ex hiſtoria *Sigiſmundi* Imp. quamvis *Ladiſlao* Bohemiæ Regi fidem dediſſet, *Johannem Huſſum* & *Hieronymum Pragenſem* ſalvos & incolumes domum reverſuros, quod nihilo tamen minus Concilium Conſtantienſe hæreſeos ipſos damnaverit, ignique adjudicaverit. Imperator quidem *nec fidem Regi datam, nec publicam ſecuritatem violari ſas eſſe judicabat.* Sed hunc ſcrupulum exemerunt *Nicolaus Abbas* Panormitanus, & *Ludovicus* Romanus Canoniſtæ. Inde Jeſuitæ *Trevirenſes in lib. de Concret. Eccleſ. anno 1583. edit. pag. 45. Sigiſmundum* Roman. Imperatorem, qui fidem datam *Johanni Huſſo* non ſervaverat, ſic excuſant: *Huſſius ſecuritatem ab Imp. Sigiſmundo petiit: Imperator obſignavit; ſed Chriſtianus orbis* (Concilii Conſtantienſis Patres) *major Cæſare reſignavit.*

At non ita fecit *Carolus* V Imp. cum enim à quibuſdam Pontificiis flabellis ac furiis, in Comitiis Wormatienſibus inſtigaretur, ut ne fidem *Luthero* datam ſervaret, propterea quod ſecundum decretum Concilii Conſtantienſis, Hæretico non ſit ſervanda fides; animoſe reſpondit: *Fidem rerum promiſſarum, etiamſi toto mundo exulet, apud Imperatorem tamen conſiſtere oportere. referente Zenotaro in ipſius vita.* Recte tum dixit, tum fecit *Carolus* Imp. Nam *Verba Regum debent eſſe regia.* Prov. 8. v. 6. *Principes ea, quæ digna ſunt Principe, cogitabunt, iisque inſiſtent.* Eſa. 32. v. 8. h. e. Principum cogitationes, & verba, non debent eſſe AQUEA, (h. e. fluxa & mutabilia) ſed AUREA & ARGENTEA, h. e. conſtantia & immutabilia.

III. Supra diximus, quod *Johannes Fridericus* Elector Saxoniæ *Lutherum*, poſtquam à *Carolo* V, in Comitiis Wormatienſibus eſſet proſcriptus, ex itinere abducendum curaverit in arcem Wartburg: Ibi *Lutherus* delituit menſes decem circiter. Interim *Leo* Papa iterum eum excommunicavit die Cœnæ Domini, 28 Martii, an. 1521, & *Henricus* VIII, Rex Angliæ, librum ſcripſit & edidit adverſus *Lutherum*; quo nomine à Pontifice & ampliſſimo Cardinalium Senatu Catholicæ fidei defenſor appellatus eſt. Præcipue autem impugnavit *Lutheri* librum de Captivitate Babylonica.

Eodem anno LEO X Papa non ſine veneni ſuſpicione mortuus eſt Kalend Decembr. ætat. 46. In cujus locum poſt longas & maximas Cardinalium diſſenſiones ADRIANUS natione Belga, Trajectenſis, pauperrimis parentibus ortus, Præceptor *Caroli* V Imp., ſequenti anno die 9 Januarii Pontifex electus eſt: qui nomen ſuum non mutavit, ſed vocatus eſt *Adrianus* VI. *Onuphr.* Nomen ſuum primus mutaſſe ſcribitur *Sergius* II. cui, cum Os porci, Sau-rüſſel / diceretur, ob obſcœnam nominis vocem tollendam, perſuaſum eſt, ut aliud ſibi nomen adoptaret. Poſtea ſi quis maleficus antea fuiſſet, *Bonifacius* appellari volebat: ſi timidus, *Leo*; ſi ruſticus, *Urbanus*; ſi ferox *Clemens*; &c. *Polyd. Verg. de invent. lib. 4. cap. 10. in vit. Pont.*

IV. Anno 1522 *Lutherus*, propter tumultus Caroloſtadianos Wittebergæ excitatos, dum imagines templo ejicit, & ſtudia bonarum artium improbat, inconſulto *Friderico* Electore, apud quem tamen ſe poſtea excuſat, ex Patmo revertitur Wittebergam, Caroloſtadii conatus infringit, & *Henrico* Regi Angliæ reſpondet calamo aſperiore: cujus ſcripti vehementiam non omnes amici *Lutheri* probarunt. Inde NOVUM TESTAMENTUM germanice redditum publicavit circa finem Septembris.

Hoc anno Ordines Imperii Comitia inſtituerunt Noribergæ, in quibus cum *Adrianus* Pontifex per legatum Germanis non ſolum de Eccleſiarum emendatione, ſed etiam de Curiæ Romanæ reformatione, aliquanto liberius fuiſſet pollicitus, Proceres Imperii è conventu Norico Romam miſerunt *centum gravamina*, (quæ vide in *Tom. Hölf.* à fol. 202, ad 228) quibus Germaniam nimium exhauriri, & intolerabili ſervitutis jugo premi ſignificarunt. Et feſtivum eſt, quod, cum Pontificis legatus malorum omnium remedia non ſimul eſſe tentanda, ſed pedetentim eſſe procedendum dixerat, *Lutherus* id ſic accipiendum eſſe cenſeret, ut ſinguli pedes atque paſſus intervallum habeant aliquot ſeculorum.

Norici vero conventus exitus *hic* fuit, quod Principes anno 1523, die 6 Martii, decretum ediderunt in eam ſententiam, in quam & *Adriano* ſcripſerant: viam ineundæ concordiæ in religione eſſe omnium rectiſſimam, ſi primo quoque tempore Concilium univerſale atque liberum in Germania celebretur, & hujus decreto controverſiæ dirimantur: & interim Lutherani à novorum librorum editione abſtineant, & Concionatores per univerſam Germaniam ea reticentes, quæ turbis ciendis faciant, ſanctum DEI Evangelium pure ſecundum doctrinam ab Eccleſia approbatam pro concione doceant, &c. Hoc Imperii decretum cum alii aliter acciperent, plerique etiam contemnerent, *Lutherus* datis ad Principes literis illud pro ſe interpretatus eſt. *Sleidan. lib. 4.*

V. Anno 1523 Formula Miſſæ, & Communionis, ex *Lutheri* præſcripto Wittebergæ eſt edita: &

abolito

abolito Canone Miſſæ Cœna Domini celebrata. Rationem etiam textus Euangeliorum & Epiſtolarum legendi præſcripſit *Lutherus*. Inde quinque libros Moſis in Germanicam linguam tranſlatos primum edidit Wittebergæ, ſcripſitque libros de dignitate & officio Magiſtratus Politici.

Hoc anno *Adrianus* Papa non ſine veneni ſuſpicione extinctus eſt die 13 Septembris. Hic cum Lovanii collegium magnifico ſumtu conſtruxiſſet, veſtibulo aureis literis hæc verba inſcribi mandavit:

Trajectum plantavit. Ibi enim natus erat.
Lovanium rigavit. Ibi literas didicerat.
Cæſar incrementum dedit. Ab hoc enim (ut ſupra dictum) ex Præceptore Cardinalis creatus erat.

Hujus hominis vanitatem redarguit alius, ſubſcribens: *Hic ergo* DEUS *nihil fecit.*

Succeſſit *Adriano* JULIUS Florentinus, è familia Medices, qui nominari ſe voluit CLEMENTEM VII. *Onuf.*

VI. Cum anno 1524 Conventus Principum denuo haberetur, *Clemens VII* Papa eo legatum mittit *Laur. Campegium S. Anaſtaſiæ* Cardinalem, qui tanquam re integra procederet, nec quicquam, quod *Adrianus* egiſſet, attenderet. Hic eſt ille Campegius, qui multo eſſe gravius peccatum dixit, ſi ſacerdotes fiant mariti, quam ſi plurimas domi alant meretrices; ut teſtatur *Sleidanus l.* 4. *Comm.* Tandem igitur conjugii & veritatis ſanctæ oſor edictum Wormatienſe contra *Lutherum* urget. Cleri per Germaniam reformationem pollicetur; ſed de Curiæ Romanæ abuſibus corrigendis, deque gravaminibus abolendis, quæ hactenus ab Eccleſiaſtico ordine Germania ſuſtinuerat, altum premit ſilentium. Ideoque *Novum decretum Conventus Noribergici* ad 18 diem Aprilis factum eſt, ut Pontifex primo quoque tempore de aſſenſu Cæſaris liberum Concilium in Germania indicat, ut viri pii & docti, qui colligant, quæ diſputanda ſint in Collegio, congregentur, ut Magiſtratus curent Euangelium juxta doctrinam Scriptorum probatorum prædicari, ut picturæ ignominioſæ & libelli in opprobrium Curiæ R. facti prohibeantur, ut denique ad x1 Novembris Spiræ conveniant ordines, deliberaturi, quid ſequi oporteat interim, dum Concilii fiat initium.

Diſcedentibus à Conventu Noribergico Principibus, Campegio ſollicitante, *Ferdinandus* frater *Caroli*, Salisburgenſis, Bavari frater, Tridentinus, Ratisbonenſis Epiſcopus, item Bambergici, Spirenſis, Argentinenſis, Auguſtani, Conſtantienſis, Baſilienſis, Fritingenſis, Paſſavienſis, Brixienſis Epiſcoporum legati Ratisbonæ conveniunt, & edictum Wormatienſe executioni mandari, in Miſſæ celebratione nihil immutari, Monachos Ordinis deſertores ſevere puniri, & Campegii conſtitutionem, de reformatione Cleri Germanici, deque leviculis quibuſdam ceremoniis, 38 capitibus comprehenſam, recipi jubent. Etſi autem Principes ægre ferebant, Legatum Pontificium, paucorum interventu, id quod ad omnes pertinet, decreviſſe, & neglectis iis, quæ maximi eſſent momenti, de leviſſimis quibuſque emendandis cogitaſſe; tamen Cæſar accepto Noribergenſium Ordinum decreto vehementer commotus, literis ex Hiſpania miſſis graviter Principes increpat, quod ſe inconſulto, tantam rem egiſſent, & Conventum Spirenſem, quem decreverant, omnino inhibet, quin potius Edicto Wormatienſi omnes pareant, ſevere imperat. *Sleid. l.* 5. *Comm.*

Hoc anno Lutherus *Pſalterium Davidis* Germanice edidit: Item librum contra ſeditioſos: Et epiſtolam ad Principes Saxoniæ Fridericum & Johannem adverſus Iconomachos & Enthuſiaſtas, jactantes ſuas illuminationes & colloquia cum DEO.

VII. Anno 1525 *Lutherus*, cum hactenus ex *ſacris literis* doctrinam de *ſtatu matrimoniali* ſatis explicaſſet, *Virginem nobilem Catharinam de Bore, monacham monaſterii*, quod Nympſch dicebatur, quæ ante duos annos è vita monaſtica per civem quendam Torgenſem LEONHARTUM Köppen/ una cum octo ſuis ſororibus, liberata erat, in uxorem duxit, (ætatis 42) quæ ipſi, præſentibus honoratis perſonis, in ædibus *Amſdorfianis*, ad dextram Portæ arcis proxime ſitis, ſolenniter copulata eſt. Inſtauravit etiam & in Eccleſiam reduxit *formam Ordinationis miniſtrorum*, & omnium primus ad hanc formam ordinatus eſt *Georgius Rorarius*. Porro *libellum Cantionum Eccleſiaſticarum*, in quo ſummam doctrinæ Chriſtianæ, partes Catechiſmi, feſtorum hiſtorias, preces, gratiarum actiones, conſolationes, & alia pietatis exercitia nervoſis rhythmis complexus fuerat, & convenientiſſima harmonia exornaverat, edidit; ut & alia de abominatione Miſſæ. Scripſit etiam contra ruſticos ſeditioſos. Hoc enim anno magnam Europæ partem horrenda ſeditio pervagata eſt, paſſim in pagis, oppidis & civitatibus, plebe & civibus adverſus Magiſtratum civilem & Eccleſiaſticum inſurgentibus. In quibus tumultibus multæ arces munitiſſimæ, monaſteria complura, pagi, oppida, caſtella diruta, & in favillas redacta ſunt. Paſſim videre erat, ſacri ordinis homines miſere jugulari, viros nobiles ex ædibus præcipitari, alios laqueo

Fran-

ſtrangulari, aut alio quovis modo erudeliter interfici. Ita ut recte *Cruſius* de ipſorum furore ſcribit:

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Agricolarum omnes poſſem numerare furores.

Hæc ſeditio immanis aliquandiu, ex permiſſu DEI, Magiſtratui in officio minus ſtrenuo interminantis, ſæviit, donec tandem, mutata fortuna, hinc inde trucidarentur ruſtici, comburerentur, vel ad prunas aſſarentur, aliiſque ſuppliciorum generibus è medio tollerentur. Cæſi ad Tabernas 20000, ad Lupſtenium 40000, in Thuringia ſine numero, nec dubium eſt, vel centum ruſticorum millia per Germaniam in iſto tumultu paſſim interiiſſe. *Thomas Muntzerus* concionator Alſtetenſis, qui ruſticos ſeditioſos ad arma adverſus Magiſtratum ſumenda concitavit, Frankenhuſii in lecto jacens, & morbum ſimulans, captus, capite pœnas dedit, victoribuſque Electore Saxoniæ, (qui eodem anno deceſſit) Philippo Landgravio, & Henrico Brunſvicenſi, ſeditio exſtincta eſt: nec poſtea tale quid in Germania auditum. *Sleidanus.*

VIII. Anno 1526 CONVENTUS ordinum Imperii habitus eſt SPIRÆ: in quo cum res ad tumultum & civilis belli metum ſpectaret, pleriſque Principibus edictum Wormatienſe de perſequendis Lutheranis urgentibus, Ferdinandus frater & legatus Cæſaris decreti rigorem ſic attemperavit, ut interea, donec nationale vel Oecumenicum Concilium haberetur, omnes Principes & Magiſtratus ita ſeſe gererent in ſua quiſque provincia & ditione, ut DEO & Cæſari facti ſui rationem reddere poſſent.

Tunc autem temporis Proteſtantes certiores facti, eo ipſo anno Imperatorem, conditionibus ſibi valde utilibus, paulo ante cum Rege Franciſco, ſuo tunc jure belli captivo, pacem iniiſſe, iſtoſque potentiſſimos Monarchas una armis Religionem Proteſtantium debellare conſtituiſſe: ſtatim hoc conventu ſoluto, *initium fœderis fecerunt*, ut, ſi quem Euangelii cauſa periclitari contingeret, mutua ſubminiſtrarentur conſilia.

IX. Anno 1527 LUTHERUS edidit librum, quo defendit ῥητὸν verborum Cœnæ Domini adverſus Zwinglium & Oecolampadium. Hoc anno Senatus Brunſvicenſis petentibus civibus conceſſit, ut reformatio religionis exemplo Magdeburgenſium inſtitueretur; & ſequenti anno *Bugenhagius* paſtor Wittebergenſis evocatus, qui cum *Levino ab Emden* ordinem miniſterio præſcripſit, & ne diſſenſiones invicem orirentur, eos ſingulis quatuordecim diebus convenire juſſit, ad amicam collationem de ſingulis Articulis fidei, & ſingulis menſibus conviviolo excipiendos. *Chytræus.*

X. Anno 1529 propter diſſidium *Lutheri* & *Zwinglii* ſuper Cœna Domini, colloquium inſtitutum fuit Marpurgi Heſſorum, in quo, præſentibus multis gravibus & eruditis viris, *Lutherus* atque *Zwinglius* cauſam diſceptarunt: ſed tantum per triduum duravit, & diremtum eſt lue ingruente. Poſt hanc diſceptationem *Lutherus* fidei ſuæ plenam & claram confeſſionem edidit, in qua ad extremum uſque ſpiritum, divino adjutus auxilio, conſtanter permanſit.

Eodem anno alius Conventus SPIRENSIS celebratus. In eo conſtitutum, ut ex Edicto Imperatoris Wormatiæ, facto ante annos octo, nihil omnino immutaretur, eoſque qui hactenus edictum illud Wormatienſe obſervaſſent, ad Concilium uſque obſervare pergerent: qui vero religionem mutaſſent, à qua jam abſque ſeditionis metu diſcedere non poſſent, in poſterum ſibi temperarent, nec aliquid præterea ad Concilium uſque innovarent. Miſſam omnibus locis reſtituendam, & dogmata de S. Cœna doctrinæ Eccleſiæ repugnantia non recipienda. Huic Decreto ſeſe oppoſuerunt Johannes Elector Saxoniæ, Georgius Brandeburgicus, Erneſtus & Franciſcus Luneburgici, Landgravius & Anhaldinus, quibus XIV civitates ſeſe conjunxerunt, palamque teſtati ſunt, ſe ei minime parituros, & à Spirenſi hoc decreto ad Cæſarem, ad futurum Concilium, ſive generale, ſive nationale, ad omnes denique non ſuſpectos judices provocarunt, & novum illud decretum, legatis etiam in Italiam miſſis, deprecati ſunt. Et ſic denique nomen PROTESTANTIUM enatum eſt. Vide *Sleidanum lib.* 6. *Comm. Chytræus in Saxon. Oſiandrum cent.* 16. *& alios.*

XI. *Carolus* V Imperator interea, dum Ordines Imperii conventum habuerunt Spiræ, ex Hiſpaniis in Italiam anno 1529 exeunte reverſus, Bononiæ totos IV menſes ſubſtitit, & coronam Imperii à Pontifice ſuſcepit, qui omnibus nervis hoc agere viſus eſt, ut Cæſarem à Concilio indicendo averteret: Eſſe enim longe optimum factuque facillimum, ſerio edicto, abſolutoque Imperio hos turbarum fluctus componere, & ad vim atque arma potius decurrere, quam licentiæ populari, magnatum ambitioni, atque hæreſiarcharum contumaciæ, frænum laxare. Etſi autem multis gravium verborum ponderibus hanc crudelitatem ſenex juveni perſuadere voluit; ille tamen, ut obtineret Concilium, tam prudenter, tamque animoſe omnes ejus rationes, oratione extemporanea confutavit, ut raram in homine prudentiam in nobili illo Cæſaris pectore nemo

mo non miraretur: ut videre eſt in *hiſt. Aug. Conf. Chytræi.* Qui vero ab initio in Concilii cogendi negotio a ſua ſententia dimoveri ſe non paſſus eſt, tandem tamen promiſit, ſe primum leviſſimis mediis cum Lutheranis acturum, ut omnia in integrum reſtituerentur: quod ſi nollent, tum ſe armis rem peracturum. Publico igitur diplomate ad VIII Aprilis anni 1530. *auguſtiſſima Auguſtæ Vindel. Comitia* indixit, cum diffidii in religionis negotio componendi gratia, tum propter Turcicam expeditionem procurandam. In his Comitiis *Carolo* V. Imp. exhibita eſt AUGUSTANA CONFESSIO. Quæ conſiderari poteſt:

I. NOMINALITER. Hæc Confeſſio dicta eſt *Auguſtana*, a loco *exhibitionis* & *promulgationis*, qui fuit urbs præclara *Auguſta Vindelicorum*: Sicut Concilium Nicenum dicitur à Nicea, Chalcedonenſe, à Chalcedone; Conſtantinopolitanum, à Conſtantinopoli; Epheſinum, ab Epheſo, *&c.*

II. REALITER. Idque quintupliciter:

1. *Originaliter.* Sic cauſæ efficientes vel Authores Auguſtanæ Confeſſionis fuerunt: 1. *Primarii*, Ordines quidam Imperii; nempe, *Johannes Dux Saxoniæ Elector*, *Georgius Marchio Brandeburgenſis*, *Erneſtus Dux Lunaburgenſis*, *Philippus Landgravius Haſſorum*, *Johannes Fridericus Dux Saxoniæ*, *Franciſcus Dux Lunaburgenſis*, *Wolfgangus Princeps ab Anhalt*, *& Magiſtratus duarum civitatum imperialium*, *Norimbergenſis & Reutlingenſis*; quos omnes *Proteſtantes* vocant, eo quod fuiſſent proteſtati contra decretum in conventu Spirenſi anno 1529. factum: de quo ſupra dictum.

2. *Secundarii* Authores Auguſt. Confeſſ. fuere Principum Proteſtantium Theologi, inprimis autem *D. Martinus Lutherus*, & *Philippus Melanchthon.*

II. *Materialiter.* Ratione Conſtitutionis conſtat Auguſt. Confeſſio ex Articulis. 1. *Doctrinalibus.* 2. *Ceremonialibus.*

Articuli *Doctrinales* continent priores viginti & unum. Primus eſt de DEO, ejuſque tum eſſentiâ, tum perſonis. 2. De peccato originis. 3. De Chriſti perſona & officio. 4. De juſtificatione. 5. De miniſterio Eccleſiæ. 6. De bonis operibus. 7. De Eccleſia. 8. De mixtura bonorum & malorum in Eccleſia. 9. De Baptiſmo. 10. De Cœna Dominica. 11. De Confeſſione. 12. De Pœnitentia. 13. De uſu Sacramentorum. 14. De ordine Eccleſiaſtico. 15. De ritibus ſeu Ceremoniis Eccleſiaſticis. 16. De ordine Politico. 17. De extremo judicio. 18. De hominis Arbitrio. 19. De cauſa peccati. 20. Collatio doctrinæ Evangelicæ & Pontificiæ de fide & bonis operibus. 21. De cultu ſanctorum.

Articuli *Ceremoniales*, qui de *abuſibus* in Eccleſiam invectis agunt, continent ſeptem poſteriores. 1. De utraque ſpecie in ſacra Cœna. 2. De conjugio ſacerdotum. 3. Miſſa. 4. De Confeſſione. 5. De diſcrimine ciborum. 6. De votis monaſticis. 7. De poteſtate Eccleſiaſtica.

III. *Formaliter.* Forma Auguſt. Confeſſionis eſt duplex.

1. INTERNA conſiſtit in Ordine Articulorum tum doctrinalium, tum ceremonialium; quorum illi in parte prima, hi vero in parte ſecunda Auguſtanæ Confeſſionis continentur, uti jam dictum eſt.

2. EXTERNA conſiſtit: 1. In *delineatione.* Cum *Johannes Elector Saxoniæ* datis Torgavia nomine reliquorum ad Theologos Wittebergenſes literis (die Lunæ proximo poſt *Domin. Reminiſcere* anno 1530.) ſerio mandaret, ut *certam*, & cum *Sacris literis*, *per omnia congruentem*, pro ut hactenus in Ducatibus, ditionibus & urbibus Proteſtantium fuerat tradita, *fidei confeſſionem conſcriberent*, eamque propter inſtantia Comitia Auguſtana perficerent ante *Domin. Oculi*, ipſique eo tempore eam perferrent Torgaviam: juſſu & authoritate *Collegii Theologici D. Lutherus ευαγγελικα doctrina Chriſtiana ſeptendecim articulis* (qui exſtant Tomo 5. Germanico Jenenſi, fol. 14, 15, 16.) *comprehenſam delineavit.*

II. In *Conſcriptione. Philippus Melanchthon* poſtea ex 17 illis articulis à *Luthero* delineatis Confeſſionem Auguſtanam concinnavit ita quidem, ut in pleriſque eundem obſervaverit ordinem, neque ſenſum ſolum *Lutheri* expreſſerit, verum ipſa etiam verba & phraſes ſæpiſſime retinuerit, quemadmodum collatio oſtendit. Ut autem *Electori* reliquiſque conſtaret de firmitudine & certitudine illius: Elector tum temporis in arce Coburgenſi ſubſiſtens, eo quod locus iſte erat Auguſtæ vicinior, per celeres eam *Luthero* perlegendam, revidendam & cenſendam tradidit, ut præmiſſo calculo, præcognita cenſura & approbatione tanti viri, tandem in *Imperatoris* & *Procerum* auguſtiſſimum veniret conſpectum.

III. *In ſubſcriptione.* Poſtquam *Lutherus* confeſſionem gravi judicio penſitaſſet, & approbaſſet, *Proteſtantium communi ſuffragio & judicio* recepta, ſubſcriptionibuſque illuſtribus firmata & confirmata eſt.

IV. *In exhibitione.* Poſtea Latine & Germanice conſcripta, & Principum & Legatorum civitatum ſupra dictorum manu ſubſignata, per Doctorem Pontanum Seniorem, Cancellarium Electoralem oblata fuit Alexandro Ewerſij / Secretario

Imperatoris, ut illam traderet Electori Moguntino Imperii Cancellario: Sed ipſe Cæſar ſua manu eam apprehendit, & Latinum exemplar ad ſe recepit.

v. *In prælectione.* Porro die 25 Junii, qui fuit dies Sabbati, proxime ſequens diem Johannis Baptiſtæ, circiter horam tertiam pomeridianam, in palatio Cæſaris, in cœtu Principum & omnium Ordinum, auſcultante *Cæſare*, lecta fuit Auguſtana Confeſſio ſonora admodum & gravi voce à *D. Chriſtiano Beyero*, Electoris Saxonici Cancellario, ita ut in palatio, & in area aulæ Epiſcopi Auguſtani audiri poſſet.

VI. *In tranſlatione.* Auguſtana Confeſſio ſtatim in ipſis Comitiis tranſlata fuit in varias linguas, *Hiſpanicam, Italicam, Gallicam, Danicam, Belgicam, Anglicam*, & alias, Papæ, aliiſque Regibus & Principibus tranſmiſſa: qua ratione fama ejus in toto orbe pererebuit. Illud ipſum vero exemplar, quod à Proteſtantibus ordinibus ſubſcriptum, & ipſi Imperatori fuit exhibitum, adhuc in Archivis Imperii exſtat.

NOTA.

Hic duo imprimis ſunt notanda: I. *Confeſſorum primariorum fortitudo & conſtantia* nempe Electoris Saxoniæ, & Marchionis Brandeburgici, & aliorum: quorum medius ad ipſum Imperatorem vultu imperterrito dixit; *Caput abſcindendum Carnifici ceram Majeſtate tua prius porrigam, quam* DEUM *& Evangelium ejus abnegem.* Vide Tom. 5. Jenenſi, fol. 27. & orationem hiſtoricam Selnecceri de initiis, cauſis, & progreſſu Confeſſionis Auguſtanæ, fol. 40, edit Jenenſi, anno 1552.

II. *Admiranda* DEI *providentia.* Nam Comitia Auguſtana inſtituta erant, ut doctrina Evangelii opprimeretur; ſed mirabili DEI providentia factum, ut per Confeſſionem coram Proceribus Imperii publice factam, ejuſdemque in varias linguas tranſlationem, longe lateque propagaretur. Eo reſpicit *Lutherus*, quando ſic ſcribit: *Tanta eſt verbi* DEI *efficacia & virtus, ut quo plus perſecutionis habet, eo plus floreat accreſcat. Conſiderate Comitia Auguſtana, qua vere ſunt ultima tuba ante extremum diem; quam æſtuabat tunc totus mundus contra verbum* DEI; *quam nobis orandum erat, ut Chriſtus ipſe in cuiis tutus eſſet à Pontificiis. Tandem noſtra doctrina & fides ita prodiit in lucem per Confeſſionem noſtram, ut breviſſimo tempore, mandato etiam Cæſaris ad omnes Reges & Principes mitteretur.* Ubi multa clariſſima ingenia in aulis fuerunt, quæ hanc doctrinam ceu fomes ignem apprehenderunt.

IV. *Finaliter.* Finis ſcriptæ & exhibitæ Confeſſionis duplex annotatur; unus *principalis*, & maxime proprius, alter *ſecundarius.*

Principalis eſt, ut Eccleſiæ Proteſtantes fidei ſuæ rationem redderent publice, & oſtenderent doctrinam ſuam conſentire cum ſcriptura Prophetica & Apoſtolica.

Secundarius eſt, ut ſeſe purgarent Imperatori, & reliquis Imperii ordinibus, à ſuſpicione hæreſium, & rumoribus de falſo ſparſis; quaſi faverent furoribus fanaticorum hominum; & inprimis Anabaptiſtarum; qui non ſolum perverſiſſima dogmata paſſim ſpargebant; ſed etiam ante paucos annos exſtiterant auctores ſeditionis, concitata adverſus magiſtratum plebe. *Sleidan. lib.* 5. Unde bellum exortum fuerat funeſtum & exitioſum, in quo prope ad 100000 hominum perierunt. *Sleidan. lib.* 7. de quo ſupra ſub anno 1525 diximus.

V. *Eventualiter.* Ubi præſtantiſſimorum virorum de Conf. Auguſt. judicia ſunt notanda. 1. *Alphonſus Cæſaris Cancellarius Hiſpanicus*, Auguſtæ in Comitiis ad Melanchthonem: *Longe aliter*, inquit, *Philippe, in Hiſpania de vobis fama tulit, quam ex Confeſſione veſtra intelligimus: Multi nobis perſuaſerunt, vos negare Trinitatem, de Chriſto & Maria impie loqui, Sacramenta corrumpere, cœnam Dominicam convivii profani more adminiſtrare, Magiſtratum contemnere, libidines ſtabilire*, &c.

2. Memorabile eſt, quod ſcribit *D. Lutherus* in præfatione articulorum Smalcaldicorum, de Doctore quodam ex Galliis miſſo: *Palam*, inquit, *nobis indicabat ille, Regi ſuo certo certius perſuaſum eſſe, apud nos nullam eſſe Eccleſiam, nullum Magiſtratum, nullum conjugium; ſed promiſcue omnes pecudum more vivere pro arbitrio.* Unde patet, quantis fuerit Eccleſiarum proteſtantium doctrina onerata calumniis apud adverſarios, quas repelli neceſſe fuit. Hactenus brevis explicatio deſcriptionis Auguſtanæ Confeſſionis. Vide *Sleidanum lib. Comm. Tomum* 5. *Lutheri Ienenſem, fol. 27. & ſeqq. & hiſtoriam Auguſtana Confeſſionis D. Chytræi, & alteram contextam à Theologis eam ad rem deputatis; itemque orationem D. Selneccri de Auguſt. Confeſſione.*

XII. Cum *Auguſtana Confeſſio* modo in Comitiis de 25 eſſet prælecta, Pontificii eam demoliri allaboraverunt, ubi præcipuos ejus articulos in adornata confutatione, quam Imperator die 3 Auguſti recitari curavit, rejecerunt, damnaverunt, & præſentibus Ordinibus Imperii ſuſpectam reddiderunt. Imperator etiam ipſe iſtam *Confutationem* ut reciperent, illique per omnia aſſentirentur, à Proteſtantibus poſtulavit; quod, cum ſine offenſione conſcientiæ facere non poſſent, recuſarunt. Per Philippum igitur Melanchthonem *conſcribunt pro Confeſſione* APOLOGIAM: eaque Cæſari finitis fere Comitiis offertur, ſed non accipitur. Interea *delecti ſunt utrinque ſeptemi, deinde terni*, qui de controverſiis conferentes Concordiæ rationes inirent: inter

quos

quos ex parte Pontificiorum præcipuus fuit *Eccius*, ex noſtratium *Philippus*. Sed nihil effectum eſt, cum Pontificii omnia ſibi concedi vellent. Quare Imperator, cum Proteſtantes, quos cum privatim, tum publice per interhuncios ad abdicandas ſuas in religione opiniones ſollicitarat, in ſententia perſeverare, nec ullis artibus ab incepto dimoveri cerneret, *decretum Auguſtanum* fieri curavit, quo omnes pontificii ritus & omnia dogmata ſtabiliebantur, imo imperabantur, ejecti Monachi recipi & in integrum reſtitui jubebantur, & Confeſſio Proteſtantium ſolide ex ſcripturæ teſtimoniis confutata eſſe dicebatur. Sollicitum hoc habuit Electorem Saxoniæ, præſertim cum minæ adderentur, & ſollicitationes de Religionis pace fruſtraneæ eſſent: ideoque rem totam DEO commiſit, & cum duobus Principibus Lunæburgenſibus & Theologis ſuis Auguſta diſceſſit, Legatos aliquot ibi relinquens, qui finem Comitiorum exſpectarent. *Sleidan. lib. 7. Comm. Chytr.*

LUTHERUS hujus Conventus tempore fuit in arce Coburgenſi, (qui locus etiam Lutheri Patmus & Eremus dicitur) ad Franconiæ fines, mandato Electoris, ut tanto vicinior eſſet Auguſtæ, ſi qua forte res ipſius conſilium poſtularet. Ut autem abſens etiam aliquid in commune conferret, librum ad Epiſcopos alioſque Proceres in eo conventu conſcripſit, & cujuſmodi fuerit ſub Pontificatu Romano ſtatus Eccleſiæ, quam denſæ tenebræ, quam impia dogmata, quam fœdi errores, demonſtravit, & ipſos officii commonefecit graviſſimis verbis, & crudelitatem animumque ſanguinarium exprobravit; & ne jam ſanandi mali prætermitterent occaſionem, hortatus eſt: ſuamque doctrinam eſſe Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis conſentaneam oſtendit, & adverſus DEUM fruſtra iniri omnia conſilia, docuit. Et cum in his Comitiis ex multiplici Pontificiorum potentiſſimorumque Principum inſultatione, gravibuſque minis, nonnihil turbarentur expaveſcerentque Proteſtantium Theologi: *Lutherus* miſſis literis eos animavit, & magna virtute conſolatus eſt, docens, cum ſolius DEI omnipotentia agatur cauſa, decere ipſos, ut animo ſint magno, nec inanibus ſe curis macerent; ſed DEO rem omnem commendent, qui exitum nequaquam triſtiſſimum hiſce turbis largiturus ſit. *Pſalm.* 55. Quid mundum, inquit, timetis, cum Chriſtus eum vicerit? Sæviant quotquot ſunt in mundo Tyranni & Principes: Qui habitat in Cœlis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. *Pſal.* 2. Quare cum omnia jam metu & terrore miſcerentur, certamque Pontificii victoriam ſibi pollicerentur, Proteſtantes & victos jam & oppreſſos irriderent, Lutherus Pſalmum 46, huc accommodans, compoſuit, Firma nobis eſt, inquiens, arx & propugnaculum DEUS, *&c.* Et quidem æternus miſericors Pater ſic omnia diſpoſuit, ut ſancta ejus Eccleſia commodiore fruatur pace, quam ſatanas omneſque ejus complices ſperaſſent.

XIII. Eodem anno, nempe 1530, menſe Decembri *Proteſtantes*, quorum jam erant VII Principes, & XXIV Civitates, ad vim hoſtilem, ſi qua inferretur, propulſandam, *fœdus iniverunt* SMALCALDIÆ. *Sleidanus lib. 7. Comment.*

XIV. Anno 1532, Solymanno ſe præparante ad magnam Auſtriæ vim inferendam, coacto magno & copioſo exercitu, animadvertit *Carolus* V Imperator, neceſſario conciliandam eſſe Germaniæ pacem, ut tam immani & feroci hoſti poſſet obſiſtere. Quare coram interceſſoribus, Archiepiſcopo Moguntino ALBERTO, & Palatino LUDOVICO, *prima Pacis religioſæ fundamenta* jacta ſunt Suinfurti, ut inter Cæſarem, omneſque Imperii Ordines Eccleſiaſticos & ſeculares, pax publica ſanciretur, ne liceret cuiquam propter religionem litem movere, uſque ad generale, liberum & Chriſtianum Concilium, cujus convocationem primo quoque tempore ſe maturaturum promiſit Cæſar. *Et hac pax deinde 23 Julii Norimbergæ promulgata*, omneſque actiones forenſes religionis cauſa jam intentatæ ſuſpenſæ ſunt. *Sleidan. lib. 8. Comm. p. 227. Chytræus.*

XV. Anno 1534 BIBLIA GERMANICA à *Luthero* tranſlata & in unum Corpus redacta, excudi cœperunt typis Wittebergæ. Privilegium de hac re dedit Elector Saxoniæ Johannes Fridericus die 6 Auguſti *Torgæ*.

Hoc anno ANGLIÆ Rex *Henricus* VIII, quod Catharinam uxorem repudiaſſet, & aliam Annam Boleniam duxiſſet, à Pontifice Clemente excommunicatus & regno depoſitus eſt: Rex contra decretum fecit, quo ſe per Angliam Eccleſiæ Caput proximum à Chriſto pronunciavit, & capitis pœnam conſtituit, ſi quis Epiſcopo Romano ſupremam poteſtatem aſſcriberet: Omnes etiam Pontificis Rom. præfectos, qui *Denarium ſancti Petri* colligere ſolebant, Anglia ejecit, Denarium illum ſibi retinuit, & fœdus fecit cum aliis, qui à Pontifice diſceſſerant. *Chytræus.* Non multo poſt Clemens Papa ex hac vita migravit, eique ſucceſſit *Alexander Farneſius* Romanus, qui tum annum ætatis agebat 66, & voluit ſe appellari PAULUM III. De eo ſcribit Vergerius, *quod matrem & ſororem interfici curarit, quo hæreditatem totam ad ſe derivaret, atque hac ratione ad Papatum aſſurgeret.*

XVI. Anno 1535. *Lutherus* incepit enarrare GENESIN, quam abſolvit tandem poſt decennium.

Hoc anno JESUITARUM Societas initium ſumſit, autore potiſſimum IGNATIO *Lojola*, nobili Hiſpano: approbata eſt à Paulo III P. P. anno 1540.

XVII. Anno 1536 Pontifex Paulus III, die 2 Junii, *Concilium univerſale, Mantuæ* in Italia celebrandum, impulſu & conſenſu Imperatoris Romani *Caroli* indicebat, ut ad 23 Maii anni ſequentis Mantuam veniant omnes, quo Concilii tunc fiat initium. At huic indictioni Proteſtantes Angliæque Rex contradixerunt, ſuaſque recuſationum cauſas, quibus aſſerebant hoc Concilium ſuſpectum, & in loco ſuſpecto indictum, quo nec tutus, nec liber acceſſus ipſis pateret, ſcripto publicari curaverunt. Interea authoritate *Principum Proteſtantium*, primarii totius Germaniæ Theologi, Auguſtanæ Confeſſionis ſocii conſtantes, SMALCALDIÆ convenerunt anno 1537, die 7 Febr. ut maturo conſilio deliberarent, quid in Religionis negotio recipere vel concedere poſſent, & quid non. Mandato autem Principum & voluntate Theologorum, *Lutherus* ARTICULOS SMALCALDICOS, in futuro Concilio proponendos & defendendos, conſcripſit. Hos articulos non minoris ponderis, quam ipſam Confeſſionem Auguſtanam eſſe, Eccleſia judicavit, ideoque eos quoque Concordiæ libro inſeruit.

Percommode autem Pontifici accidit, quod Mantuæ Dux Fredericus, & præſidium urbi ſuæ, durante Concilio, tuendæ, & ſumtus in eam rem poſtularet, nec juriſdictionem Pontifici cedere vellet. Sic enim optata ſubminiſtrabatur occaſio odioſum Concilium prorogandi. Alium tamen locum Papa ſe Concilio inventurum ſimulans, tandem *Vincentiam* (quæ Venetorum ditionis eſt urbs ampla & copioſa) deſignavit. Sed mox ſolitudinem cauſatus, Concilii diem denuo prorogavit. *Sleidanus, Chytræus.*

XVIII. Anno 1538 SCHOLA ARGENTINENSIS inſtituta eſt, authore potiſſimum JACOBO *Sturmio* Senatore primario: & brevi tempore ſic offloruit diligentia Doctorum, ut non ſolum extremi Germani, ſed exteræ quoque nationes eo confluerent. Inſtituendæ autem juventutis rationem primus ibidem oſtendit *Johannes Sturmius*, & edito libro accurate explicavit. *Sleidan. lib.* 12. *Comm. pag.* 233.

XIX. Anno 1539 in MARCHIA BRANDEBURGENSI inſtituta fuit religionis reformatio, & prima viſitatio Eccleſiarum, mandata *Joachimi* II Electoris, per Jacobum Stratnerum, quem Georgius Marchio *Onolzbacenſis* Berlinum ad docendum Evangelium miſerat, facta eſt. Inde ſubditi Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, ut ipſis exercitium religionis concederetur, flagitarunt. ALBERTUS Moguntinus tum indiguit pecunia, ideo hac occaſione uſus, ingentem poſtulavit pecuniæ ſummam, quam obtinuit, cum religionem conceſſiſſet, atque ita JUSTUS JONAS ætatis circiter 50, Halam vocatus eſt. *Chytræus.* Eodem anno Cœnam Domini ſub utraque ſpecie Berlini in templo Cathedrali primus adminiſtravit Matthias Epiſcopus Brandeburgenſis.

XX. Anno 1540, Wormatiæ, Francofurti & Haganoæ Conventus habiti ſunt: de quibus conſule *Sleidanum*. Anno 1541 ineunte, Wormatiæ ECCIUS & MELANCHTHON, aliique Theologi, de peccato originis colloquuti ſunt. Sed colloquium illud interruptum, & Ratisbonam tranſlatum eſt: ibi quoque poſt varias deliberationes ex ſententia legati Pontificii tractatio religionis in futurum Concilium dilata eſt. Cæſar, qui ipſe huic conventui interfuit, à Proteſtantibus petiit, ut interim nihil tentarent, præter ea, quæ à Theologis eſſent conciliata: deinde monuit Epiſcopos & proceres Eccleſiaſticos, ut rationem inirent, qua Eccleſiam quiſque ſuam reformaret, quo videlicet aditus fieret ad publicam emendationem. *Sleidan. lib.* 13. & 14. *Comment.*

XXI. Anno 1543 tres LUDI illuſtres in Miſnia aperti à Mauritio Duce Saxoniæ, *Miſnia, Porta* ad Salam, & *Mersburgi*: Qui etiam ſingulis locis certum numerum attribuit adoleſcentum, quibus omnibus victum præbuit atque veſtitum, Magiſtris etiam annua ſtipendia ſolvit. *Sleidanus lib.* 15.

XXII. Anno 1544 Comitia celebrata ſunt Spiræ, quibus Imperator ipſe, ejuſque frater Ferdinandus, Electores omnes, & plerique omnes Principes interfuere. In iis *Carolo* contra Regem Galliæ, qui ſocietatem cum Turca junxerat contra Imperium, auxilia & pecunia ab ordinibus Imperii decreta ſunt. Actum præterea de pace in Germania, quæ rejecta eſt ad proximum conventum. Interea Cæſar negotium ſe daturum ait viris bonis atque doctis, qui piam aliquam emendationis formulam conſcribant: ut idem quoque Principes faciant, hortatur, quo poſt in futuris comitiis, facta collatione, de communi conſenſu ſtatuatur aliquid, quod ad publicum Orbis Concilium uſque ſervetur, in Germania peragendum, aut ad conventum uſque nationis Germanicæ: pacem interim colant omnes, neque turbæ quicquam ob diverſam religionem

gionem excitetur, & Eccleſiæ, cujuſcunque ſint religionis, utrobique facultates ſuas obtineant, ex iiſque bonis decidatur Eccleſiæ miniſtris, ſcholis & egeſtate preſſis: edictum Auguſtanum, & lites omnes motæ proteſtantibus doctrinæ profeſſionis cauſa, ſuſpenſæ maneant ad proxime futuram uſque tranſactionem: Magiſtratus tamen viros doctos atque pios adhibeat, qui commonſtrato errore ad ſanitatem ipſos revocent. *Sleidanus lib. 15. Comment.*

Cum autem hoc modo *Carolus* Imper. de diſſidiis Religionis, Colloquia & Conventus inſtitueret, Concilium promitteret, ac pacem Eccleſiæ laboraret reddere, graviter hoc nomine à *Paulo* III Pontifice fuit reprehenſus, qui poſt Comitia Spirenſia, quæ finita ſunt die 10 Junii anno 1544, literas ad ipſum dedit octavo Kalend. Septembris, in quibus inter cætera ſic ſcribit: Cum de Concilio generali, tanquam de remedio omnium oportuniſſimo afflictis Eccleſiæ rebus, & ipſius Germaniæ, mentionem facis, vel de nationali, vel de futuro ad proximum autumnum Imperiali conventu, in quo de religione, cæteriſque rebus, quæ ad illam pertinent, tractare promittis, ita agis, ita ſtatuis, ut ſupprimas ejus nomen ubique, cui divina & humana jura, approbante tot ſeculorum conſenſu, ſupremam tum cogendi Concilia, tum ſtatuendi de his & ordinandi, quæ ad Eccleſiæ unitatem utilitatemque ſpectant, authoritatem dederunt. *Poſtea comparat inſtitutum Imperatoris facto Uſæ, arcæ ruinam minanti manum admoventis*; ſeditioni Core, Dathan & Abiram, *adverſus Moſen & Aaronem*; temeritati Uſiæ, *incenſum in altari adolentis, & addit*: Annon putas, incenſum hoc eſſe coram DEO, leges de religione ſancire? Eſt quidem incenſum, idque omnium DEO gratiſſimum: ſed non eſt tuum munus illud, Imperator; eſt Sacerdotum Domini, eſt noſtrum imprimis, quibus DEUS poteſtatem ligandi & ſolvendi dedit. *Nec* te excuſat, (*inquit*) quod ſanctum ſit factum, vel quod non perpetuum, ſed ad tempus, hoc eſt, uſque ad futurum Concilium duraturas leges laturum te eſſe dicas: ut enim id per ſe pium ſit; tamen in eo, cui DEUS hoc miniſterium non dedit, maxime eſt impium. Sumis enim tibi jam perſonam, quæ propria eſt DEI, cui ſolum de Sacerdotibus judicium relinquitur, quam ne ad tempus quidem cuiquam ſumere licet. *Et poſtea*: Si pluribus diſſuaſimus, ne in diſceptationes ſuper his, quæ ad religionem pertinent, componendas jus tibi vel authoritatem ſumeres, non ob id ſcripſimus, quod diſceptationes componi non maxime optaremus, ſed ut exemplis tum ex divina ſcriptura, tum ex Eccleſiaſticis hiſtoriis citatis te admoneremus, ne quod ad tuum miniſterium non pertinet, ipſe tibi arrogares, & pro tua & Imperatoria dignitate juberes, &c. *Quod* præ te fers ſtudium & deſiderium, ut componantur controverſiæ in religione, & ut aliqua diſciplina morum in univerſa Eccleſia renovetur, te in hoc quidem magnopere laudamus, & abs te petimus, ut in hoc operam tuam præbeas ei, cui DEUS curam hujus miniſterii commiſit. Ut enim te tanquam caput in rebus hujuſmodi tractandis minime ferendum cenſemus; Ita tanquam brachii accommodatiſſimi tuam inprimis opem deſideramus. *Concludit tandem*: Obtemperabis DEI monitis, ſi ita animum inducas, nullum ut in iis, quæ ad religionem pertinent, tibi jus & authoritatem vindices, ſi divinam inſtitutionem, & Eccleſiæ conſuetudinem ſequens, ab ipſis conventibus Imperialibus, à quibus abſunt, qui authoritatem de ejuſmodi rebus cognoſcendi habent, omnes de Sacerdotibus ac de religione diſputationes prorſus excludas, & ad eorum proprium tribunal rejicias, ſi de bonis Eccleſiaſticis nihil ſtatuas. *Videatur integra Epiſtola*, apud *Wolfium, Tomo 2. lect. memorab. pag.* 539.

XXIII. Supra diximus, quod Papa *Paulus* III Concilium Mantuæ inde Vincentiæ indixerit, ſed ſolitudinem hujus urbis cauſatus, Concilii diem produxerit ad Paſcha anni 1539. Verum cum ne tunc quidem ulli venirent, ille, literis vulgatis, Concilium quidem non amplius produxit, ſed ad ſuum atque Senatus Cardinalium arbitrium ſuſpendit. Inde anno 1541 Vincentiam iterum Concilio adjudicavit: Veneti vero eam huic rei non conceſſerunt. Placuit igitur Papæ TRIDENTUM, & anno 1542 bullam promulgandam curavit, qua Concilium indicebat Tridenti ad Kalend. Novembr. Comparuerunt ad dictam diem duo Oratores Cæſaris, Mendoza & Granvellanus, & tres legati Pontificis cum pauculis Epiſcopis. Sed cum bellum Gallicum ingrueret, quod eo anno & ſequentibus duobus geſtum eſt. Concilium celebrari non potuit, ſed in aliud tempus dilatum eſt. Cum autem Pontifex à Concilio Tridenti habendo non deſiſteret, poſt multas altercationes, & dieiperendinationes, tandem inchoatum eſt à PAULO III, menſe Decembri, anno 1545, & prima ſeſſio celebrata eſt ſecundum quoſdam die 13 Decembr., ſecundum alios die 13 Januarii anno 1546. Sub *Julio* III continuatum, & ſub PIO IV conſummatum eſt anno 1563, die 4 Decembr. uti inſcriptio libri *ἀνιτυπώσεως* de Concilio Tridentino editi habet.

Hoc autem *Concilium Tridentinum* tot tantiſque erroribus ſcatet, ut illud vere cum Davide cœ-

tum malignantium vocare poſſimus. Ut autem innumerabiles ejuſdem errores demonſtremus, illud ſecundum omnia Concilii legitimi κανόνα ac requiſita examinabimus.

In omni Concilio conſideranda veniunt *octo*. 1. *Convocans*, vel *Indicens*. 2. *Præſidens*, iſque *ſummus*, vel *ſubordinatus*. 3. *Judicantes*. 4. *Litigantes*. 5. *Locus*. 6. *Norma*. 7. *Forma*. 8. *Finis*. In omnia hæc requiſita Concilium Tridentinum impegit: id quod ordine demonſtrabimus.

PRIMO. Concilium *indici* ſive *convocari* debet vel à *Magiſtratu Politico*; uti factum videmus in Veteri Teſtamento. 1 *Reg.* 18. 19, 20. maxime ſi ſit fidelis. *Joſ.* 23, & 24. 1 *Paralip.* 23. 28, & 29. 2 *Paralip.* 29. 43. vel *ab ipſis Epiſcopis* ſive *Paſtoribus*, ſi *Magiſtratus* ſit infidelis aut Religionis Chriſtianæ curam plane nullam habeat. *Actor.* 15. 2. Quid? Quod etiam in *Novo Teſtamento* Imperatores & Principes poteſtatem habeant Epiſcopos convocandi, & Synodos generales congregandi, id quod inductione octo OEcumenicorum Conciliorum poſt Nativitatem Chriſti celebratorum demonſtrari poteſt.

Primum Concilium convocatum fuit anno Chriſti 328, Niceam, à *Conſtantino Magno*, quod duravit triennium & aliquanto diutius. *Ruffin. lib.* 1. *cap.* 1. *Sozom. lib.* 1. *c.* 16. *Epiphan. Tom.* 2. *lib.* 2. *Socrates lib.* 1. *cap.* 6. *Euſeb. lib.* 6. *de Vit. Conſtant. cap.* 6.

Secundum à Theodoſio Magno convocatum fuit Conſtantinopolin contra Macedonium anno 385. *Nicephor. lib.* 12. *cap.* 10. *Socrat. lib.* 5. *cap.* 8. de quo Synodus ipſa ad *Theodoſium* ſcribit: συνελθόντες εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν μετὰ τὸ γενέσθαι τὸν τῆς ἐκκλησίας.

Tertium convocatum fuit à *Theodoſio Juniore* Epheſum contra Neſtorium anno C. 433. *Evagr. lib.* 1. *cap.* 2. *Socrat. lib.* 7. *cap.* 33. *Niceph. lib.* 14. *cap.* 34.

Quartum à Martiano convocatum fuit Chalcedonem adverſus Eutychen anno C. 458. *Evagr. lib.* 1. *cap.* 3.

Quintum à Juſtiniano, A. C. 552. Conſtantinopolin convocatum fuit.

Sextum à Conſtantino Pogonato Byzantii inſtitutum fuit anno C. 681.

Septimum ab Irene Leonis IV Imperatoris uxore habitum fuit Niceæ, cum ipſa cum Conſtantino adoleſcente adhuc Imperio præeſſet, anno Chriſti 788.

Octavum Conſtantinopolin convocatum fuit ab Imperatore Baſilio anno C. 860. Unde jam ἐκκλησιαστικὸς apparet, quod non Pontifices, ſed Imperatores Concilia OEcumenica convocandi poteſtatem obtineant. Id quod etiam *Cuſanus lib.* 3. *de Concil. c.* 16. conſitetur, ubi inquit: Sciendum eſt, quod in univerſalibus octo Conciliis ſemper invenio Imperatores & Judices ſuos cum Senatu primatum habuiſſe.

At *Concilium Tridentinum* non ab Imperatore aut Principe convocatum fuit, ſed à *Paulo III.* Pontifice Romano, qui (ut diximus) anno 1542, menſe Junio, Bullam promulgandam curavit, qua Concilium hoc indicebat Tridenti, die dicta ad Kalend. Novembr. Sed hoc illegitimum factum. Quia Pontifex neque jure Divino, neque Humano talem poteſtatem habet Concilia convocandi. Quomodo enim ille Proteſtantes Germaniæ Principes jure citare poteſt, qui poteſtatem in eos habet nullam, & cui nulla juriſdictio aut ſuperioritas in eos, vel in exſecutione præcipiendi vel prohibendi competit? Ergo hoc Concilium ratione Indicentis ſive Convocantis illegetimum fuit.

SECUNDO. *Præſes* Concilii eſt duplex, *Summus*, & *ſubordinatus*. *Præſes ſummus* eſt Chriſtus, vel Spiritus ſanctus, in cujus nomine Concilium congregari debet, quique ſupremus controverſiarum dirimendarum eſt judex; ut ex *Act.* 15. *cap.* patet. *Præſes ſubordinatus* eſt duplex: *Politicus*, & *Eccleſiaſticus*. *Politicus*, eſt Imperator, Rex, aut Princeps, qui Concilium convocavit, aut ejus nomine legati ipſius. Sic præſedit in Concilio Niceno Conſtantinus Magnus. *Euſebius lib.* 5. *cap.* 12. *Theod. lib.* 5. *cap.* 9. *Hiſtor. Trip. lib.* 2. *cap* 5. Unde *Euſebius de vita Conſt. lib.* 3. *cap.* 10. & *ſeqq.* teſtatur, quod *Conſtantinus* ſe Epiſcoporum conſervum & comminiſtrum appellarit. *Eccleſiaſticus Præſes eſt*, qui totam Concilii actionem moderatur, ordinat & dirigit. Unde etiam *Director Concilii* appellatur.

At in Concilio Tridentino Præſes fuit Papa Romanus, qui jus præſidendi per fas nefaſque ſibi rapuit: cum tamen ipſi plane non competat. Siquidem 1. nullum tale privilegium Pontifici Romano à Chriſto datum eſt. 2. Quia antea evidentiſſimis exemplis oſtendimus, ipſum in octo Conciliis OEcumenicis jus præſidendi haud habuiſſe. At dicit Papa: Petrum in Concilio Hieroſolymitano *Act.* 15. præſidem Concilii fuiſſe. Ergo etiam ſibi jus præſidendi competere.

Reſponſio. Præterquam quod hypotheſis illa falſa eſt, (liquidem non Petrus, ſed Jacobus in Concilio Hieroſolymitano præſes fuit) dicimus: A Petro ad Papam concludere, eſſe argumentari à baculo ad angulum. Et ſane ſi Papa vult, ut univerſaliter attributa Petri de ſe enuncientur, nonne ſequi-

tur,

tur, *Papam* esse *satanam*, vel diabolum? quia Petrus ita à Christo vocatus fuit. *Matth.* 16. sed hoc Epitheton Papæ non placet. ô argutum Papæ capitulum!

TERTIO. Ratione *Judicantium* illegitimum fuit. Etenim 1. *Judex* fuit capitalis rei hostis. Et jam sæpe illum ut hæreticum condemnaverat, proscripserat, ejus libros exusserat. Et hæc omnia in dicta causa. At jus Canonicum diserte docet: Inimicos, & suspectos, Judices esse non posse. 3. Q. 5. C. *quod suspecti sunt.* 2. Concilium hoc constabat tantum ex unius, videlicet Pontificiæ factionis, Episcopis & Theologis: iique maxima ex parte Itali & Hispani erant, omnesque sua beneficia à Papa obtinebant: Cum tamen Judex è domo sua neque testem neque accusatorem emittere debeat. 4. Q. 4. C. *Contra.* Quid? Quod in omnibus Conciliis Papalibus Episcopi & Theologi tam arcto juramento Pontifici Romano obstringantur, ut etiam vera dicere sit contra ipsorum obligationem & juramentum, sicut *Æneas Sylvius* (*Pius* II. postea dictus) fatetur in Epistola quadam ad Capitulum Moguntinum, teste Appendice Urspergensis. 3. Omnes legati in hoc Concilio, *Johannes Marias Montanus*, *Marcellus Cervinus*, *Reginaldus Polus* Britannus, Cardinales, alteram partem suis scriptis oppugnaverunt: alteram vero iisdem defenderunt: ob eamque causam ab eadem maxima beneficia exspectabant. At pro viris bonis non habentur illi, qui utriusque partis causam defendendam suscipiunt; ut quotidiana praxis comprobat. 4. In hoc Concilio tantum fuerunt Episcopi, & quidam Theologi: reliqui Ecclesiæ ministri plane excluſi fuerunt. Id quod pugnat cum praxi Apostolorum; ut in Concilio Apostolico Hierosolymis habito videre est. *Act.* 15. Item cum praxi primitivæ Ecclesiæ; uti patet ex Concilio Niceno, ubi Paphnutius, qui erat Episcopus in Ægyptiaca Thebe, omnibus Episcopis se opposuit, qui conjugium Sacerdotibus interdicere volebant. 5. Denique etiam Laici ab hoc Concilio excluſi fuerunt: id quod similiter est contra praxin primitivæ Ecclesiæ. Laicos enim in Concilio Niceno admissos esse, testatur *Histor. Tripart. l.* 2. *c.* 3. Item *Tom.* 1. *Concil. Colon. excuſ. pag.* 334. In Concilio Basilienſi anno 1431. *Sess.* 4. Hussitis Bohemis datur libera potestas una in Concilio disponendi, concludendi, terminandi. Sic enim expressa verba sonant; (Unde Panormitanus de electione Capit. *Significasti.* Sicut etiam Gerson disputat:) In Concilio potius esse credendum simplici Laico Scripturam proferenti, quam toti Concilio ea destituto.

QUARTO. Fuit illegitimum, ratione *Litigantium.* Partes Litigantes sunt duæ, Accusator & Reus. *Accusator* erat Papa. *Rei* erant Principes Protestantes. At hic reatus duplex commissus est à Papa. 1. *Papa* fuit *Accusator.* At idem fuit judex & testis: cum tamen Fabianus diserte dicat; Neminem simul accusatorem, judicem & testem esse posse. 4. Q. 4. C. *Nullus.* In omni judicio quatuor distinctæ personæ esse debent: Judex, Accusator, Testis, Reus. 2. *Rei*, videlicet *Protestantes* Principes, ad audientiam in hoc Concilio admissi non sunt: neque potuerunt impetrare, ut sententiam suam in Concilio proponerent; multo minus, ut eam legitima disputatione assererent. *Sleid. l.* 23. Sed contra eos absentes sententia lata est; quod negamus jure factum, quia *in nullis, ac multo minus in Ecclesiasticis judiciis, in absentes sententia ferenda est*: id quod affirmat ELEUTHERIUS Papa in epistola ad Episcopos Galliæ: *Caveant* (inquit) *Judices Ecclesiæ, ne absente eo, cujus causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit.* Citatur in Jure Canonico, causa tertia, quæstione nona, capitulo *Caveant.*

QUINTO. Fuit illegitimum ratione LOCI. Siquidem non fuit institutum in Germania: quod tamen Protestantes petiverunt, & Status Imperii decreverunt Noribergæ anno 1524. Augustæ & Spiræ anno 1526, 1529. Ratisbonæ 1541, & 1542. Iterum Spiræ anno 1542. Denuo Noribergæ anno 1543. Et postremo Spiræ 1544. Id quod etiam juxta ipsius Juris Canonici statuta æquum fuisset. Omnis enim Controversia in ea provincia ut finiatur & terminetur æquum est, ubi primum exorta est, (siquidem Actor dicitur rei forum sequi. 3. Q. 6. C. *Neminem*) ut ibi paretur remedium, ubi morbus habuit exordium: quod primitivæ Ecclesiæ exempla comprobant. Et reus extra provinciam producendus non est. 3. Q. 6. C. *Ibi.* Diserte enim *Fabianus* Papa dicit: Ibi causam agendam esse, ubi crimen commissum est. Deinde idem *Fabianus* statuit. Ut ultra provinciam accusandi licentia non progrediatur: sed omnis accusatio intra provinciam audiatur, & à provincialibus terminetur. *c. Ultra. c. Peregrina. c. Leges. c. Ubi crimen. c. qui crimen eadem.* 3. Q. 9. c. *Nec extra.*

At crimen, cujus rei agebantur Protestantes, in Germania commissum est. Siquidem *Lutherus* primum in Germania docuit: & simul Protestantes, quos Papa accusabat, quod hæresi Lutheranæ subscripsissent, in Germania erant. Ergo in Germania Concilium convocari debuit. At Papa (cujus emblema est: Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas) hisce omnibus posthabitis, in Italia illud instituit, & quidem Tridenti, ubi nativa, communis usita-

uſitatiſſimaque eſt lingua Italica, repertis pauciſſimis, qui Germanicam linguam callent, eſtque oppidum inſtar carceris alicujus, quod Cardinali Pontifici Romano devinctiſſimo ſubjectum: ad quod tam periculoſæ ſunt viæ & anguſtiæ, ut tres aut quatuor latrunculi ex inſidiis poſſent quemvis Magnatem, licet multis comitibus ſtipatum, jugulare & miſerabiliter opprimere.

SEXTO. In omni Concilio legitimo unica & ſola *norma* ſit *Scriptura ſacra*. Siquidem vox DEI ſonat in Scriptura Prophetica & Apoſtolica, quæ tum in Conciliis omnibus, tum in ſingulis etiam & privatis eſt Magiſtra fidei ſecundum DEUM: Cui Scripturæ judicio publico ſi ſubſcribat Concilium, ipſum recte judicat. *Vide Hiſt. Trip. lib. 2. c. 5. & 7.* Id quod etiam ipſe *Conſtantinus Magnus* Imperator laudatiſſimus exemplo ſuo comprobavit, quando in Concilio Niceno Biblia in medium poſuit, hiſce verbis patres in Concilio congregatos affatus: Evangelici & Apoſtolici libri & antiquorum Prophetarum Oracula plane inſtituunt nos, quid de rebus divinis ſentiendum ſit. Proinde hoſtili ſepoſita diſcordia, ex dictis divinitus inſpiratis ſumamus quæſtionum explicationes. Idem comprobat teſtimonio ſuo *Evagrius lib. 2. cap. 16.* de Epheſina & Chalcedonenſi Synodo ſcribens, atque *Johannis Antiocheni* ſententiam à *Cyrillo* approbatam recenſens. Ex Evangelicis, inquit, & Apoſtolicis de Domino vocibus ſcimus Viros divinos conſtituiſſe, *&c.* Et *Cuſanus* ſcribit: Formam veterum univerſalium Synodorum fuiſſe, ut ſacra Evangelia in medium ponerentur. *Confer. Auguſtin. Epiſt. 163. & contra Maximum l. 3. c. 14. & in Pſalm. 95.* Item *Chryſoſtom. in cap. 24. Matth. hom. 40.* At in Concilio Tridentino non fuit adhibita pro norma Scriptura ſacra, ſed patrum ſcripta, Eccleſiæ traditiones, Conciliorum Canones & deciſiones: imo ſola vox Pontificis Romani: de quo ſcribit *Johannes de Turre Cremata, in ſumma de Eccleſia l. 3. c. 64.* quod omnia jura divina & humana in ſcrinio ſui pectoris habeat, etiamſi idiota ſit, ac proinde ſola ipſius ſententia ſtandum eſſe.

SEPTIMO. Ratione *Formæ* illegitimum fuit multis modis. Quod ut melius intelligatur, notandum eſt: Concilhorum formam tribus actibus abſolvi. 1. *Congregatione.* 2. *Cauſarum propoſitarum cognitione*; & 3. *Deciſione.*

Primo. Concilium verum & legitimum *in nomine Chriſti*, *Matth. 18. 20.* hoc eſt, quando in vero timore & invocatione DEI, Chriſti doctrina & gloria unice quæritur, *congregari* debet. At Concilium Tridentinum non item Siquidem 1. mox in *ipſo ingreſſu* Concilii in Litania ne uno quidem verbulo facta fuit mentio intercelſionis Chriſti, pro unico Mediatore noſtro. Papæ Legati, omnes Angelos & Sanctos, Mediatores, Patronos & Interceſſores ſubſtituerunt. 2. Statim ſubſecutus eſt *Ambroſius Catharinus*, qui, in oratione in exordio Concilii habita, Chriſti Matrem ſociam ejus appellat, quæ ſcilicet Throno ejus aſſideat, ut gratiam nobis impetret ac donet. 3. Alius quidam in oratione ſua voces Evangelicas, quæ ſoli Filio DEI competunt, ad Romanum Pontificem ſcelerate detorquens exclamavit: *Papa lux venit in mundum.* Quis ex hiſce concludi firmiſſime non videt, Concilium hoc Tridentinum non in nomine Chriſti, ſed Antichriſti fuiſſe congregatum?

Secundo. Neque *cognitio* cauſæ in hoc Concilio potuit eſſe vera. Siquidem PAULUS III Papa prohibuit, ne Epiſcopi noſtratium Theologorum libros legerent. Similiter exſtat non modo *Leonis* X diploma aut Bulla edita 17 Calend. Junii, ſed etiam JULII III ſucceſſoris Pauli, qui nec Epiſcopos nec Cardinales excepit, imo nominatim comprehendit, quibus graviſſima pœna interdixit, ne noſtrorum libros legerent. *Johanni Morono* Cardinali Tituli *S. Laurentii* in Lucina Mutinenſium Epiſcopo, Concilii Legato, criminis loco inter alia accuſationis capita objectum fuit, quod *libros Lutheranos legerit.* Merito igitur hoc Concilium dicitur Cæcum, quia omne judicium præſupponit cognitionem. Atqui anne Proteſtantes cauſam juſtam, an vero injuſtam haberent, Epiſcopi cognoviſſe haud potuerunt. Quia lectiones noſtrorum librorum illis interdictæ fuerunt. Ergo neque judicium ab illis fieri potuit accurratum.

Tertio. Neque *deciſio* in hoc Concilio *juſta*, ſed multis modis injuſta fuit. Et quidem *1. Tyrannica.* Siquidem Epiſcopi coacti fuerunt de cauſa incognita judicare, & quidem juxta placitum Pontificis Romani: Hunc enim morem obſervat Pontifex Romanus, ut, cum in Concilio congregantur Epiſcopi, ab initio ſtatim per legatum Papalem jurare cogantur, nihil ſe decreturos, quod contra Eccleſiam Romanam & Pontificis Romani dignitatem faciat. Idem quoque in Concilio Tridentino obſervarum fuit. Nam *Marcellus Cervinus*, Cardinalis, cum à Pontifice ad Concilium mitteretur, mandatum ab ipſo accepit, *ne quid omnino pateretur in Concilio conſtitui*, quod *contra majeſtatem Romanæ ſedis eſſet*, *verum exſtirparet potius ejuſmodi perſonas, quæ tale quid ſuaderent.*

2. Concilium hoc fuit *Servile.* Siquidem nullum decretum, nullus canon fuit in ſeſſionibus Concilii Tridentini lectus, niſi qui prius Romæ à Papa in Collegio Cardinalium cuſus, & Roma Triden-

dentum miſſus fuerat, adeo ut in proverbium abierit: *Roma Spiritum ſanctum per Bullam mittit Tridentum.* Cogebantur vero miſerrimæ illæ creaturæ, mox ubi iſta decreta (quæ Romæ à Papa cuſa, & per Bullam Tridentum miſſa erant) audiiſſent recitari, annuere capite mitrato, & demiſſe pronunciare: PLACET, tametſi ſentirent vulnerari ſuam conſcientiam, vel quod aliquando non intelligerent, quid id eſſet, quod approbarent; (nam plerique eorum erant valde rudes & indocti, ut vix poſſent tria verba Latina pronunciare;) vel quod ignorarent eſſe contra verbum DEI, ſaltem aliqui. *Imo* ne libera quidem vox in hoc Concilio ferri potuit. Etenim *Dominicus Wilhelmus Venetus* Ordinis S. Dominici, cum diceret, in Concilio Baſilienſi decretum eſſe: *Concilium eſſe ſupra Papam*, *Cervinus* Cardinalis Pontificis Legatus, eum continuo ex Concilio excedere juſſit. *Balæus fol.* 423. Quin & *Petrus Paulus Vergerius* Epiſcopus Juſtinopolitanus ex eo Concilio pulſus, nullam aliam ob cauſam, quam poſt quidam ſuſpicabantur, eum non ſatis arcrem fore in Lutheranos: ſicut ipſe teſtatur *in Epiſtola ad Regem Poloniæ pag.* 119. *hiſce verbis*: Ego nullam aliam ob cauſam fui ex illa Synagoga rejectus; niſi quia, cum in Germania duorum Paparum internuncius aliquandiu fuiſſem, & cauſam hanc utcunque intelligerem, ſuſpicio erat, me rem totam probe noſſe, & ejus ingenii eſſe, ut facile ſinerem mihi à nonnullis Epiſcopis perſuaderi, ut contra Papam voce præirem, & veluti viam ſternerem: ac duntaxat propter iſtam ſuſpicionem ejiciebar, &c. Ejiciebatur poſt me alius quoque, nempe *Jacobus Nachiantes* Foſſæ Clodiæ ſive Clugienſis Epiſcopus. Cum enim legeretur decretum tertiæ ſeſſionis, pie & ſumma modeſtia dixit, ſibi dura videri verba, mutuata ſcilicet *ex cap. Eccleſiaſticarum diſtinct.* 11. in quibus dicebatur: Eodem pietatis affectu ac reverentia ſuſcipiendas ac venerandas eſſe eas, quas Papiſtæ vocant, *traditiones*, qua ipſum Evangelium: nihil enim eſſe quod cum Evangelio conferri ullo modo poſſit; ac duntaxat propter hoc juſſus eſt à Legatis Tridento diſcedere & Romam petere, ſi forte Papa vellet illi ignoſcere, quod tam fuiſſet temerarius, quod decreto ab ipſomet Papa Romæ condito auſus fuiſſet contradicere. *Ibidem p.* 122. *Vide Balæum fol.* 423, 424. Quid? Quod *quidam Epiſcopus* diceret, ſibi abſurdum videri, DEUM vocari Sanctum, Papam vero vocari Sanctiſſimum: vocatus eſt à Papa Romam, & Epiſcopatu privatus, ideo quod Sanctiſſimæ illius Beatitudini conviciatus fuerat. *Balæus fol.* 423.

3. *Decreta* in hoc Concilio fecit Papa *impia*, & ſub *Anathemate* promulgavit obſervanda. Nam ut ex multis unum recenſeam; Decretum Concilii Conſtantienſis impium anno Chriſti 1414 fabricatum renonavit & confirmavit. In quo Anathematis gladius ſtrictus fuit in omnes: *Qui dixerint, ex inſtitutione omnes fideles utramque ſpeciem ſumere debere. Seſſ.* 5. *die* 16 *Julii anno* 1562. *cap.* 1. *Can.* 1.

4. *Decreta* fuerunt Concilii Tridentini Patres *ridicula*, quando vulgatam verſionem barbaram veluti Canonicam Eccleſiæ obtrudere, fontibuſque Græcis & Ebraicis præferre: anathematis quoque fulmen, brutum tamen, in Orthodoxos aliter ſentientes vibrare non dubitarunt. At quis non ridebit, qui barbariſimos illos Grammaticales vel legit, vel audit? quales ſunt: Scopare. *Pſalm.* 77. *v.* 7. Minare, 2 *Sam.* 6. *v.* 3. Viare. 1 *Sam.* 24. *v.* 4. Adaquare. *Geneſ.* 24. *v.* 46. Odire. *Pſal.* 69. *v.* 10. & 101. *v.* 3. Anguſtiari. 2 *Cor.* 4. *v.* 8. Aporiari. 2 *Cor.* 4. *v.* 8. Complacitior. *Pſal.* 77. *v.* 8. Solicitior. 2 *Corinth.* 8. *v.* 17. & 22. Potentates. *Pſal.* 90. *v.* 10. Interitiones. *Pſal.* 107. *verſ.* 20. Domates. *Eſdræ* 8. *v.* 16. Quis non videt decreta hæc eſſe ridicula, imo in ipſam Sacram Scripturam ignominioſa, quæ à Fratribus iſtis Ignorantiæ (ita enim quidam Ordo inter Papiſtas nominatur) à ſtyli ſui ſublimitate ad Barbariſmos detrahitur, & multis vitiis conſpurcatur? Et memorabile eſt, quod *Seſſ.* 4. in qua decretum de libris Canonicis promulgatum eſt, quaſi res ludicra ageretur, pauci numero Epiſcopi interfuerunt. Sed annon deteſtandum eſt, in Principio Religionis Chriſtianæ tractando adeo eſſe ſomnolentum?

5. *Decreta* feceruut *muta*. Quia decreta poſuerunt nuda, rationibus nullis ſtipata, authoritateque prætoria toti orbi Chriſtiano promulgata: & contradicentibus, imo ſaltem inquirentibus ferrum & flammam *mox mox* propoſituri videntur. Sed nos merito cum *Tertulliano* dicimus: Lex, quæ probari ſe non vult, merito ſuſpecta eſt; & ſi non diſcuſſa & probata dominetur, improbata eſt, cum nulla Lex ſibi ſoli conſcientiam ſuæ juſtitiæ debeat, ſed eis, à quibus obſequium ſpectat.

6. *Decreta* fecerunt *injuſta*. Siquidem in hoc Concilio ſententia lata eſt adverſario non audito & non præſente. Cum enim quidam Principes, & Civitates Tridentum ſuos Theologos mittere, ac præter ſalvum conductum, formulam normæ judicii in Baſilienſi Synodo comprobatam, ſibi promitti, ac in diſputando in Synodo ſervari vellent, impetrare id non potuerunt, (vide *Sleid. lib.* 23.) & tamen damnati ſunt. At hoc & Juri Divino & Humano adverſatur. In utroque enim jure prohibetur, quenquam damnari, quin prius ſui legitimam

defendendi potestatem habuerit. *Marcellus* & *Damasus* decernunt; neminem damnandum vel judicandum esse, antequam accusatores canonice examinatos præsentes habeat, locumque defendendi accipiat. 3. Q. 9. C. *Non oportet.* C. *Et habetur eadem.*

OCTAVO. Fuit quoque hoc Concilium illegitimum ratione *Finis*. Siquidem finis Conciliorum esse debet veræ doctrinæ confirmatio, & falsæ exstirpatio. At in hoc Concilio rerum invertitur ordo. Siquidem eo fine Papa hoc Concilium coëgit, ut Protestantes Germaniæ Principes veram Evangelii doctrinam vere & recte cognitam deserent, atque ad Papatum (quem vocant Ecclesiæ gremium) tanquam filii dilectissimi (scilicet!) redirent. Contra vero multa dogmata in Concilio Tridentino sunt promulgata, quæ olim ab orthodoxa Ecclesia sunt pro erroribus habita.

ULTIMO, ex abundanti quoque illegitimum hoc Concilium fuisse, probamus ex *Eventu*. Illud enim Reges Angliæ, Reges Galliæ, Parlamenta Galliæ, & alii quidam Reges, & Principes, & Provinciæ, & Theologi Religionis Papisticæ improbarunt.

Reges *Angliæ*, videlicet *Henricus* VIII, ejusque filius *Eduardus* VI. Cum enim Papa Tridenti Concilium indixisset, huic indictioni contradixit *Henricus*, & cum eo Protestantes; suasque recusationum causas, quibus asserrebant hoc Concilium suspectum, & in loco suspecto indictum, quo nec tutus nec liber accessus ipsis pateret, scripto publicari curaverunt. Sed ad hæc addebat Rex Angliæ *Henricus*, nullam esse convocandi Concilii potestatem penes Pontificem: hoc Imperatoris esse & Regum munus: Se Bullas ejus, Decreta & Constitutiones nihil facere & aspernari: & pro irritis habere quotquot Concilia à Pontificibus citra Imperatorum & Regum Christianorum consensum convocata fuerint. Episcopos certe & Præsules regni sui ad Concilium, quod legitime indictum fuerit, alia quam Pontificis authoritate, missurum se pollicebitur. *Sleidanus.*

Reges Galliæ aliquot continue Concilium Tridentinum improbaverunt. 1. FRANCISCUS II. 2. CAROLUS IX. (qui in protestatione sua contra hoc Concilium sic loquitur: Quanquam Patres sanctissimi vestra omnium religio vita & eruditio magnæ semper fuit & erit apud nos authoritatis, cum tamen nihil à vobis, sed omnia magis Romæ quam Tridenti agantur, & quæ hic publicantur magis *Pii* IV placita, quam Concilii decreta jure æstimentur, denuncianus & protestamur: Quæcunque in hoc conventu, *hoc est*, solo Pii nutu & voluntate decernuntur, & publicantur, ea nec Regem Christianissimum probaturum, nec Ecclesiam Gallicanam pro decreto Oecumenici Concilii habituram.) 3. HENRICUS III. 4. HENRICUS IV. Hi Christianissimi & Primogeniti sive natu maximi Ecclesiæ Romanæ filii, de sententia Concilii Tridentini judicarunt: & jure merito semper recusarunt Concilii illius publicationem in Gallia. *Vide Sleidan. lib.* 22. *pag.* 711.

Parlamenta Galliæ idem fecerunt. Et licet Pontifices Romani indesinenter efflagitarint, ut illud reciperent: nunquam tamen voti sui compotes facti sunt.

Hanc quoque praxin secuti sunt *Theologi Religionis Papisticæ*. Etenim *Benedictus Arias Montanus* in opere Biblico Regio, in Novi Testamenti titulo, etiam post Concilium Tridentinum ait: Accesserunt & huic Editioni Libri Græce scripti, (loquitur autem de libro Tobiæ, Judith, &c.) quos Ecclesia orthodoxa, Ebræorum Canonem secuta, inter Apocryphos recenset. Similiter *Sixtus Senensis* additamenta libri Esther à Canone Biblico rejecit. *lib.* 1. & 8. *bibliothecæ Sanctæ.* Sicut ipse *Bellarminus* fatetur *lib.* 1. *de Verbo* DEI *cap.* 7.

Quamobrem cum in hoc Concilio tot & tanta errata, peccata, imo scelera sint commissa, ante ingressum, in ingressu, in progressu, & in egressu: Ante *ingressum* illegitime illud indicendo: *In ingressu* Christum Mediatorem aspernando: Sanctos Angelos ut Mediatores invocando: Mariam Christo exæquando: & denique titulos Christi, vere & mere divinos, Antichristo Vejovi Romano applicando: *In progressu*, vera dogmata reprobando: & falsa dogmata toties ab Ecclesia reprobata approbando, confirmando atque canonizando: *Denique in egressu* Principes Protestantes, & omnes Christianos indicta causa damnando: Concludimus, uti Concilia nulla: ita multo minus hoc Tridentinum summum in fide & Religione Controversiarum judicem esse posse.

XXIV. Anno 1546 LUTHERUS, cum evocatus esset Witeberga à Comitibus Mansfeldicis Islebiam, ad controversias quasdam componendas, quæ inter ipsos erant de finibus & hæreditate, in itinere ipso sub exitum Januarii valetudine tenuiori uti cœpit, absque tamen vitæ periculo; & cum magis magisque vires labefactarentur morbo, ad sacram Synaxin magna cum devotione accessit. Decimo septimo vero Februarii die cœpit ægrotare gravius ex pectore. Inter cœnandum eodem die de variis & gravibus quibusdam rebus in præsentia multorum, & ipsius *Justi Ionæ* Hallensis Ecclesiæ ministri, disseruit. A cœna cum divertisset precandi

causa,

cauſa ſicut conſuevit, cœpit augeri dolor pectoris. Ibi monitu quorundam uſus eſt cornu monocerotis ex vino; poſt in minore quodam lectulo hypocauſti per unam & alteram horam ſuaviter dormivit. Deinde aſſurgens, cubiculum ingreſſus, genibus flexis oravit: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum: redemiſti me, DEUS veritatis, &c. Cum horam mortis imminere animadverteret, ſe totum Chriſto Redemtori ſuo commiſit, ejus auxilium imploravit, & confeſſionem ſuam ſub forma precationis edidit, dicens: Pater mi cœleſtis, DEUS & pater Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, DEUS omnis conſolationis, ago tibi gratias, quod filium tuum *Ieſum Chriſtum* mihi revelaſti, cui credidi, quem ſum profeſſus, quem amavi, quem celebravi; quem Pontifex, Romanus & reliqua impiorum turba perſequitur & afficit contumelia: Rogo te, mi *Domine Ieſu Chriſte*, ſuſcipe animulam meam: mi pater cœleſtis, etiamſi migrabo ex hac vita, certo tamen ſcio, me tecum permanſurum eſſe in ſempiternum, neque poſſe me tuis ex manibus à quoquam avelli. Non multo poſt eam precationem, ubi ſpiritum ſuum in manus DEI ſemel & iterum commendaſſet, tanquam dormiturus, ſine magno cruciatu in complexu *Martini* & *Pauli* filiorum, propinquorum & piorum complurium, placide obdormivit 18. Febr. die *Concordiæ* atque *Conſtantiæ*, mane hora tertia, ætatis 63. Ultimam ſuam concionem habuit Iſlebiæ 14 Februar. quatriduo ante mortem. Mandato *Electoris* Wittebergam delatus, & præmiſſa concione funebri à *D. Bugenhagio*, & oratione *Philippi Melanchthonis* in *Templo arcûs* die Petri, 23 Febr. honorificentiſſime humatus eſt. *Sleidan. lib. 16. Comment. pag. 487, & 488. Hondorff. in Theatro Hiſtorico pag. 284. & 285.*

Mortem *B. Lutheri* belli motus ſunt ſecuti. Cum enim eo tempore, quo Concilium Pontificium Tridenti celebrari cœpit, Papa hanc fœderis rationem cum Cæſare iniiſſe diceretur, ut qui Concilium repudiaturi eſſent, copiis ex Italia & Germania conſcriptis ad Curiæ Romanæ obedientiam retraherentur, Proteſtantes, & inprimis *Elector Saxoniæ* atque *Landgravius exercitum* validum comparaverunt. Sed Cæſar ſub ſpecie vindicandæ rebellionis utrumque eorum proſcripſerat, & bellum religionis cauſa à ſe ſuſcipi diſſimulabat, atque ob id nonnullorum Proteſtantium armis juvabatur. Et Saxo atque Landgravius, authoritate pares, cum ob æmulationem ſibi invicem non cederent, belliſſimas rei gerendæ occaſiones è manibus amiſerunt, & Bohemis, Hungaris, ipſoque *Mauritio* Duce Saxoniæ, Saxoniam & Haſſiam invadentibus, in ditiones ſuas recedere ſunt coacti. Cæſar igitur, campo victoriæ ſibi aperto, largam à civitatibus pecuniæ ſummam & tormenta bellica accepit, ipſumque *Iohannem Fredericum* Electorem prope Mulbergum bello; Landgravium vero *Philippum* deditione captum, cuſtodiæ tradidit: qui tandem, cum *Mauritius*, armis in Cæſarem converſis, eum Oeniponte Villacum profugaſſet, dimiſſi ſunt; & in tranſactione PASSAVIENSI amplectentibus Confeſſionem Auguſtanam pax data; de quo ſupra prolixius dictum.

XXV. Anno 1548 *Liber* INTERIM ſive Formula religionis uſque ad Concilii finem ſervanda conſcriptus, & die 15 Maji (anno à prima mutatione doctrinæ per *Lutherum* 31, à Confeſſione Auguſtana exhibita 18) promulgatus eſt. Circa hunc librum *Interimiſticum* conſideranda ſunt quinque. 1. *Origo*. 2. *Occaſio*. 3. *Conſtitutio*. 4. *Approbatio*. 5. *Reprobatio*.

I. *Origo*. Conſcriptus fuit hic liber mandato *Caroli* V Imperatoris à JULIO PFLUGIO, Epiſcopo Naumburgico: MICHAELE SIDONIO Papiſta acerrimo, qui poſtea Epiſcopatum Merſeburgicum eſt conſecutus: & JOHANNE AGRICOLA ISLEBIO, qui Electori Brandenburgico à concionibus erat, & ante annos duodeviginti Saxonicæ doctrinæ Confeſſionem defenderat; ſed ſpe præmii, quod & ſplendidum & liberale, Cæſareum nimirum atque regium, poſtmodum adeptus eſt, à vera religione defecit: teſte *Sleidano lib. 20. & 21.*

II. *Occaſio*. Cum in bellis inteſtinis victor exiſteret Imperator, religionis quandam in Germaniæ conciliationem meditabatur, ut hoc pacto Pontificis Romani poſtulatis creberrimis, & interpellationibus impudentiſſimis quodammodo ſatisfaceret, atque animos ob religionem diſſidentium conglutinaret, lites componeret, nec non progreſſu temporis, uti ſperabat, omnes diſſenſionum fibras penitus elideret, & radices funditus exſtirparet.

III. *Conſtitutio*. Conſtabat ille liber ex capitibus doctrinæ mixtis, partim Orthodoxis, partim Papiſticis. Admittit enim liber ille, nos ſalvari per ſolum Chriſtum, & non per opera noſtra. Nihilominus tamen opera noſtra ad ſalutem neceſſaria eſſe contendit. Concedit nos per ſolum Chriſtum juſtificari fide, ſed formata. Plura capita ejuſdem vide apud *Sleid. l. 20.*

IV. *Approbatio*. A multis hic liber magno cum gaudio & tripudio acceptabatur. *Carolus* V, Cæſar accepto & excepto hoc fœtu lepido, ut omnes Imperii Ordines in illam Religionis formulam conſentirent, & ſecundum eam *interim* pacifice viverent, donec cocto Concilio cognoſceretur, quid

de obortis controverſiis ſtatuendum ſit, ſevere præcepit, &c. *Sleid. l. 20. pag. mihi 629.* Acceptavit quoque eundem *Albertus* Elector Brandeburgicus. *p. 625. 630. Moguntinus, 629. Palatinus, p. 630. Dux Wirtembergicus, 631.*

v. *Reprobatio.* Licet autem Cæſar ſeveriſſime mandaſſet, ut ab omnibus Ordinibus liber iſte reciperetur: nec quiſquam quicquam contra ſcriberet aut moliretur: tamen ab omnibus vere Chriſtianis reprobatus fuit. *Johannes Fridericus* Elector Saxoniæ captivus, etiam promiſſa liberatione in illum conſentire noluit, ut etiam filii ejus, tum temporis adoleſcentes, à Cæſare ſollicitati, pietate ingenua juxta & valde memorabili prorſus eum rejecerunt. *Sleidanus l. 20. p. 632.* Neque eum probarunt *Johannes Brandeburgicus* Electoris frater, *Sleid. p 630. Wolffgangus Bipontinus. Ibidem.* Similiter & *Theologi* vere orthodoxi omnes eum damnarunt. *Brentius, Sleid. ibidem pag. 631. Bucerus, 625. Snepfius, 632. Aquila* Eccleſiæ Salveldenſis Miniſter in Thuringia, calamum adverſus eum ſtrinxerunt. *Sleid. l. 21. p. 640.* Brevi temporis exacto ſpacio, tantum in contemtum adducebatur partus iſte infelix & monſtroſus, ut à vulgo etiam, & plebeiis, proverbii loco uſurparentur hæc verba:

Das Buch INTERIM
Hat den Schalck hinter jhm.

Quin & apud Pontificios ipſos Libellus iſte reprehenſionem incurrebat; ita quidem, ut publicis etiam ſcriptis oppugnaretur. In *Gallia Robertus* Abrincenſis Epiſcopus contra eum ſcripſit. Item *Romanus* Dominicani Ordinis Generalis publico ſcripto Romæ illum exagitavit. *Sleid. p. 640.* Sic igitur utrobique taxabatur partus infeliciſſimus, & ab omnibus etiamnum exploditur & exibilatur.

XXVI. Anno 1548. *Eduardus* VI Rex Angliæ, filius *Henrici* VIII, (qui contra *Lutherum* ſcripſit) puer decem annorum, profligata doctrina Pontificia, & abrogata Miſſa, religionem mutavit, cujus occaſione etiam in Scotia religio orthodoxa plantata eſt. *Chytr. Sleidanus lib. 20.*

Horribilis hiſtoria de *Franciſci Spieræ* apoſtaſia, ejuſque deſperatione.

Incidit in hunc annum *Franciſci Spieræ* apoſtaſia & deſperatio. Eſt in agro Patavino, Venetorum ditionis oppidum, Citadella; hujus civis erat FRANCISCUS SPIERA, vir in jure valde exercitatus, annos natus quinquaginta, honeſta conjuge felix, undecimque liberorum parens, aliiſque fortunæ bonis, honoribus & dignitatibus inſigniter clarus. Is incredibili quodam ardore cœpit complecti puriorem doctrinam, & ex Spiritus ſancti gratia JESUM CHRISTUM, unicum humani generis Redemtorem agnovit, paſſimque apud omnes magna animi conſtantia prædicavit, docens, per hunc unicum Servatorem juſtitiam & ſalutem partam eſſe, nec ullius hominis meritis, aut operibus innitendum. Quæ res ab hoſtibus veritatis, apud Legatum Pontificium, *Johannem Caſum*, Archiepiſcopum Beneventanum, qui tum erat Venetiis, ipſi data eſt crimini: à quo citatus, miniſque & increpationibus ita fuit exceptus, ut mortis formidine, bonorumque, quæ ipſi erant ampliſſima, jactura territus, agnitam veritatem abnegaret, & abjuraret; adeoque promitteret, ſe, ſimulac domum reverſurus eſſet, publice hanc ſuam abnegationem confirmaturum, & ante dicta revocaturum. His ita peractis, à Legato Pontificio dimiſſus eſt. E veſtigio autem gravis animi perturbatio eum obruit, & diu multumque ſecum ipſe in itinere diſputavit, utrum potius ad ſuos reverteretur, & veritatem quam antea palam docuerat, abnegaret, an vero relictis omnibus cum Chriſto ſe reconciliaret. Conſcientia quidem adeoque Spiritus ſanctus jubebat; ut ſpreta omni hujus mundi vanitate, caducis opibus contemtis, brevique interituris dignitatibus poſthabitis, Chriſtum ſequeretur; nec peccatum, quo conſcientiam jam aggravaſſet, longe graviore cumularet. Ipſemet quoque in graviſſima afflictione poſt ſæpe confeſſus eſt, ſibi in itinere à Spiritu DEI hujuſcemodi fere verba inculcata fuiſſe: *Abſit procul à te, mi Franciſce, ut literas, quibus ſcribendis manus tuas poluiſti, corde etiam tuo obſignes: liber adhuc es, cave ne deficias: reſipiſce, in agnita veritate perſevera: & licet imbecillitas carnis te vicerit, ei tamen cave porro indulgeas.* In gravi hac lucta, caro tandem, externorumque bonorum & honorum ſplendor, captivum eum detinuit, & vicit. Pridie ejus diei, quo palinodia ipſi canenda erat, formulam retractationis, qua publice coram populo priorem doctrinam damnaret, Pontificius quidam Sacerdos ei ſub veſperam præſcripſit, totamque noctem miſere hic perditus *Franciſcus* duxit inſomnem. Mane deinde, in die Dominica; celebratione Miſſæ peracta, præſentibus ejus amicis, civitatiſque Proceribus, in frequentia totius populi (erant autem una circiter duo millia) doctrinam veritatis, quam antea palam docuerat, publice damnatam revocat; ſtatimque mulcta ipſi irrogata, triginta aureos numerare juſſus eſt. Nec mora: horrendum DEI judicium in corde ſuo perſenſit, omnibus Spiritus ſancti donis privatus eſt, Chriſtus ab ipſo diſceſſit: omnis conſolatio, fides, caritas prorſus in eo evanuere. His furiis jam per ſex menſes agitatus,

Pata-

Patavium ſe una cum conjuge & liberis contulit. Sed indies ejus miſeria deterior & immanior facta eſt. Lecto affixus jacuit morbi omnis expers, ſuæque rationis & intellectus compos, toto corpore contabuit, omniaque ejus membra præter ſolam linguam elanguerunt. Cibo omni abſtinuit, & ſi per vim liquida in os ipſi ingerentur, ea, quantum potuit, reſpuit. Quicunque ipſum inviſerent, eos placide admiſit, & prudenter admodum cum ipſis verba commutavit. Subinde teſtatus, ſe juſto DEI judicio damnatum, in inferis jam morari, indeſinentibuſque confici doloribus: Se enim in Spiritum ſanctum peccaſſe, quod peccatum in æternum ſibi condonari nequeat: Chriſti meritum, Deique miſericordiam in æternum ſibi negatam; & horrendum adeo vitæ ſuæ exitum ſibi ex juſto DEI judicio ideo irrogatum, ut abnegationis ſuæ cauſa omnibus electis ſit exemplo.

Hæc & ſimilia deſperationis extremæ verba fecit, donec plurimi iique doctiſſimi viri ad ipſum convenirent. Inter quos fuit Epiſcopus Vergerius, qui omnes vias & rationes, quibus eum conſolaretur, iniit. *D. Matthæus Gribaldus* Jureconſultus Patavinus (qui & rem omnem, quam ipſe coram vidit & audivit, ſcripto complexus, in lucem edidit) gravibus verbis eum conſolatus eſt, ſerioque hortatus, ut ad miſericordiam DEI confugeret: Si totius, aiebat, mundi peccata homini incumberent, nullo tamen modo ineffabili miſericordiæ DEI comparanda eſſent: multaque ex Spiritus ſancti oraculis dicta & exempla in medium protulit. Ad quæ ille conſtanti animo reſpondens ait: Hæc ut credam, nunquam adduci poſſum. Ibi præclaris admodum verbis denuo Vergerius eum conſolari cœpit: & tandem; Non ergo deſideras, inquit, ut DEUS tui miſereatur? Ad quæ ille: Quicquid ſane aſſertis, id credo, quod & diaboli credunt, & contremiſcunt: Sed inde nulla mihi ſpes ſalutis exſiſtit. Nequaquam enim peccatum meum veniale eſt. Quid magis mihi in votis eſſe queat, quam DEUM experiri benignum & miſericordem? Sed talem ſe mihi exhibere renuit; tum omnis fidei vis mihi ademta eſt. Omnia quidem audire paratus ſum, verbis etiam iiſdem, quibus vos præitis, ſubſequi: Interim cor meum odio, exſecratione & blaſphemia adverſus DEUM abundat. Nam re ipſa ſentio, in quantum averſetur me. His ab eo prolatis, urgebat Vergerius, ut una cum adſtantibus Orationem Dominicam proferret. Quod eo faciebat ardore, geſtibuſque ad religionem ſic compoſitis, ut omnibus eſſet admirationi: Precatione finita, Lingua quidem, ait, oravi; ſed procul inde fuit animus remotus. Omnem ſuam gratiam DEUS mihi eripuit.

Poſtridie rurſus cum acceſſere, & ſalutatione præmiſſa, ex ipſo quærivere; num aliquam ex tam multiplici conſolatione, qua ipſius animum erigere conati fuerint, ſpem concepiſſet? Ad quæ ille: Nullam prorſus. Imo, ait, indies deterius mecum agi, meamque miſeriam magis magiſque augeri ſentio. Ibi de variis rebus cum interrogarunt: inprimis autem, quomodo vermis iſte conſcientiam ejus infeſtare & rodere cœperit? Ad omnia ille præſenti animo reſpondens, indicat; Quomodo ab eo die, quo veritatis agnitæ doctrinam revocarit, cordi ſuo vermis ille rodens, & ignis inextinguibilis à DEO immiſſus ſit, ut jam longe deterior ſua ſit conditio, quam vel Caini, vel Judæ: & quidem malle ſe jam mortuum & damnatum eſſe, quam in hac vita talibus premi anguſtiis: ad hæc ipſis ſignificavit, quam horrenda oculis ſuis crebro obverſarentur ſpectra.

Cum ego rurſus quiſque pro ſua virili eum conſolati eſſent, hortati ſunt ipſum ut Orationis Dominicæ verbis DEUM invocaret, quod ille, large profuſis lacrymis, iis cum gemitibus, tanta cum devotione animi præſtitit; ut nemo ex adſtantibus ſibi à lacrymis temperare poſſet. Viſis lacrymis, Doctor *Gribaldus*, eas pœnitentiæ ſignum eſſe ratus, *Mi Franciſce*, inquit gratulabundus, hæ lacrymæ indicant, te à DEO non omnino reprobatum & abjectum eſſe: quin & alii omnes optimam de eo ſpem animis concepere. Ad quæ *Franciſcus*: Non equidem harum rerum ſum neſcius: Sed fides talis, & fiducia quam vos quæritis, donum DEI eſt. Eo autem ego deſtituor. O ſi hoc unico dono me dignaretur DEUS, ut vel modicum ſpei de miſericordia ejus in corde meo perciperem! Sed id fieri tam non eſt poſſibile, quam impoſſibile, cochleari vaſtum mare exhaurire & ebibere. Hoc exploratum habeo, neminem unquam in terris fuiſſe mortalium, qui iram DEI manifeſtius, quam ego, ſenſerit. Interim non intermittebant, qui aderant, firmiſſimis conſolationibus ipſum erigere, ſed omnis fruſtra inſumebatur opera. Cum autem cibo prorſus abſtineret, ne ex inedia vitam ſibi abrumperet, vi magna manibus ipſi vinctis, oreque fracto, juſculum infundebant, quod licet lingua, quantum poterat, retunderet & revomeret, aliquid tamen in ventriculum uſque deferebatur. Sed nihil unquam per inferiora egeſſit. *Unicum ejus & aſſiduum votum erat, mori, & ad inferna deferri.*

Tertio abhinc die, & ſuperiores illi viri docti, & complures ſtudioſi, eum rurſus viſitarunt, cumque ipſis Sacerdos quidam Citadellenſis, vir ætate venerandus. Qui propius accedens: Num agnoſcis me, inquit, Franciſce? *Antonius Fontanina* ego

ſum, qui cum Venetias verſus iter ſuſciperes, tecum fui. Quibus ille auditis, gemitus & querelas reiterans, O exſecrandum, inquit, diem! ô diem deteſtabilem! utinam Venetias nunquam vidiſſem, vel protinus, cum eo me conferre animum inducerem, morte exſtinctus eſſem! Rurſus ergo conſolationibus variis confirmabatur, ipſique merita & beneficia CHRISTI commendabantur. Tum ille nunquam Chriſti beneficia vere ſe agnoviſſe ait, iis ſe abuſum, carnalique ſuæ fidei nimium tribuiſſe: converſuſque ad ſtudioſos adoleſcentes, O mei filii, inquit, nihil Evangelio derogatum volo; agnoſco enim, quod ipſa ſit Veritas: verum cavete, ne nimium fidei tribuentes, fide digna & Chriſtiana opera negligatis: id fides à nobis exigit, ne tantum oretenus Chriſtiani ſimus. Fidem mihi habete, tanquam ei, qui rem ipſam vere expertus ſit. Hæc dicens, divi Petri Epiſtolam, qua fideles ad pietatem, caſtitatem, & ſanctitatem admonet, ſubinde laudabat. Quæ verba aſtantibus cauſam præbuere, multa pie admodum ex verbo DEI diſputandi. Quæ cum attente aſcultaret, interrogatur tandem: Num quid conſolationis ex pia hac collatione perciperet? Reſpondit ille: Ad mortem æternam ego damnatus ſum, nec ulla redemtionis ſpes mihi poteſt eſſe reliqua. O ſi vel minimam in miſericordia DEI fiduciam vel ſpem collocare poſſem! & haud grave mihi futurum ſit, per multas annorum myriadas (dummodo aliqua liberationis ſpes ſuperſit) in inferorum barathro torqueri! Ad quæ Doctor Gribaldus; Non omnem, inquit, ô Franciſce, de liberatione tua ſpem abjicio: forte DEO ita viſum eſt, in hac vita iræ ſuæ tibi ſenſum immittere, & tandem in ſecutura vita ſuam erga te exercere miſericordiam. Ad quæ ille, Me reprobum eſſe, certo ſcio. Rurſus ex eo Gribaldus quærit, Quidnam facturus eſſet, ſi ipſi cultri daretur copia, num etiam ſibi ipſi, cum mortem ardentibus adeo votis deſideret, manus allaturus eſſet? Reſpondit ille: Cedo cultrum, & quid facturus ſim, videbitis. Non ita, inquit Gribaldus; ſed animum tuum Franciſce penitus quæſo nobis declara. Ipſemet, reſpondet ille, ignoro, quæ mei ſit animi vel voluntatis ratio. Epiſcopus Vergerius multam, ſed inanem, in eo conſolando ſumebat operam, difficulterque cum adducere poterat, ut Orationis Dominicæ verbis cœleſtem Patrem invocaret. Et licet Epiſcopo tandem obſequeretur, nequaquam tamen eo fervore, quo antehac uſus fuerat, utebatur: ſed confeſſus animum ſuum à DEO ſic alienatum eſſe, ut eum Patrem appellare haud poſſit, omnes qui aderant, hortabatur, ne in ſe conſolando poſthæc ſuam perderent operam: adeo enim omnem conſequendæ fidei miſericordiæque DEI ſpem præciſam eſſe, ut facilius ſit grano milii mundum impleri, quam fide & gratia DEI ſe donari. Per quæ verba, qui adſtabant, vehementer ſunt territi.

Cum ergo amici & cognati conſtituiſſent ipſum in patriam Citadellam reducere, monebantur ab his, qui conſolandi gratia Franciſcum accedebant, ut aſſidue viros ipſi pios & doctos adjungerent, Deique gratiam & miſericordiam ſedulo implorarent. Mane cum indutum eum lecticæ impoſituri eſſent, oculos ipſe furibundo intuitu circumvolvens, cultellum forte conſpicatus eſt: quo protinus arrepto ſibi ipſi vitam finiiſſet, niſi duo ejus filii, qui præſto erant, magna illum vi è manibus ipſi extorſiſſent. Citadellam hinc deportatus fuit, atque ibi paucis diebus poſt miſere in eo ſtatu atque deſperatione vitam finiit. Horrenda eſt hæc hiſtoria, quæ certe Pontificiorum animos ad veritatis agnitionem pellicere potuiſſet, niſi animi eorum, quemadmodum Pharaonis, indurati eſſent. Nec clam hæc acta, ſed vel ſexcentis literis Patavio in alias civitates & regiones tranſmiſſis, paſſim omnibus manifeſtata. Pleniorem hujus hiſtoriæ deſcriptionem pete ex *tertia parte Lud. Rabi de Martyribus.*

Hiſtoria de mirabili *Petri Pauli Vergerii* converſione.

Anno eodem, nempe 1548, PETRUS PAULUS VERGERIUS Epiſcopus Juſtinopoli, quæ eſt in Iſtria Venetorum ditionis oppidum, à Pontificatu Romano mirabili quadam occaſione (forſan permotus exemplo Spieræ, cujus tentationum ipſe Patavii ſpectator fuerat; ſicut *in præcedenti* hiſtoria dictum) defecit; ſicut *Sleidan. l. 21. Com. p. mihi 650.* graphicis verbis deſcribit. Clemens VII & Paulus III Pontifices Romani per multos annos opera *Petri Pauli Vergerii* uſi ſunt adverſus Lutheranos, dum illum ad Ferdinandum Regem & alios Principes Evangelicos & Pontificios, in Germaniam ſæpe ablegarunt. Itaque cum à colloquio Wormatienſi, quod fuit anno 1541, Romam vocatus rediiſſet, Pontifex creaturus novos Cardinales, ipſum quoque deſignabat inter alios. Erant autem qui clanculum inſuſurrarent, illum jam multa conſuetudine Germanorum factum eſſe Lutheranum. Hoc ubi *Vergerius* ex Cardinali Ginucio, cui Pontifex id dixerat, audiviſſet, valde fuit attonitus, & ut ſeſe purgaret, in patriam ſecedit, atque librum orditur, cui titulum dedit: *Adverſus Apoſtatas Germaniæ.* Dum autem confutandi cauſa libros Adverſariorum diligenter excutit, & ante conſiderat argumenta, captum ſe victum-

ctumque ſentit, & abjecta ſpe Cardinalatus, ad fratrem germanum *Johan. Baptiſtam*, Polæ civitatis Epiſcopum, abit, & re tota commemorata conſilium exquirit. Frater initio territus, conditionem hominis deplorat: ſed cum illius precibus inductus ad ſcripturæ perveſtigationem ſeſe applicaſſet, inprimis autem illud doctrinæ caput, quod eſt de *juſtificatione*, diligenter expendiſſet, facta ſententiarum collatione cedit, & falſam eſſe doctrinam Pontificiam judicat. Imo mutuo ſibi gratulantes, quod proprium eſt Epiſcoporum munus, populum erudire cœperunt per Iſtriam, & Chriſti beneficium humano generi collatum diligenter inculcant, & cujuſmodi opera DEUS à nobis requirat, oſtendunt, ut ad purum DEI cultum homines revocarent. *Hæc Sleidanus.* Ita impletum videmus illud *Davidis* præſagium *Pſalm.* 9. Illaqueatus eſt impius in opere manuum ſuarum: rem meditandam! *Lutherus reddidit*: Der Gottloſe iſt verſtrickt im Wercke ſeiner Hände durchs Wort: meditatione ſcilic. verbi, per quod nos illaqueare volebat: vel, uti *Debora* inquit, *Judic.* 5. 12. captivatus eſt captivare volens nos, non ſecus ac Saulus ſpirans minas ac cædem adverſus Chriſtianos, mirabiliter converſus eſt. *Actor.* 9. 13. En mirabiles DEI vias!

Hic Vergerius, anno 1565, Evangelicæ veritatis amore in exilio mortuus eſt, die 4 Octobr. Tubingæ, quo à Wirtembergico Principe Chriſtophoro accerſitus fuerat, cum antea poſt converſionem apud Rhætos, atque etiam in valle Telina, quæ proxime ſpectat Italiam, aliquot annis Evangelium prædicaſſet. Antequam vero Tubingam ſe contulit, frater ejus Epiſcopus Polæ jam diem ſuum obierat, ſuſpicioque fuit, veneno ſublatum eſſe. *Sleidan. l.* 21. *pag.* 652.

XXVII. Anno 1549 PAULUS III Papa è vita diſceſſit die 10 Decembris, cum vixiſſet annis 82, & ſediſſet annis 15. In ejus locum poſt longas Cardinalium (quorum tum erant quinquaginta quatuor) diſſenſiones electus eſt die 8 Februarii JULIUS III, antea Johannes Maria de Monte dictus. Hic biduo poſt coronationem 24 Febr. malleo aureo portam auream aperiens Jubilæum celebravit, & ad *Caroli* V Imper. voluntatem Concilium Tridentinum continuavit. *Onuph.*

Balæus (*de actis Rom. Pont. lib.* 7. *in Jul.* III) ſcribit de Julio III Papa. Hic cum in prandio pavonem vidiſſet, quem non attigerat: Serva (inquit ad coquum) mihi hunc frigidum in cœna, & para mihi in horto: Nam habiturus ſum convivas aliquot. Cum ergo in cœna alios pavones calentes vidiſſet appoſitos, frigidum pavonem, quem juſſerat reſervari, non vidiſſet, vehementer exæandeſcens, atrociſſimam in DEUM evomuit blaſphemiam. Tunc ex Cardinalibus quiſpiam, qui una accumbebat: Ne tantopere commoveatur, inquit, Sanctitas veſtra ob rem tantillam: Tum *Julius*: *Si voluit* DEUS *uſque adeo propter unum pomum iraſci, ut ejecerit primos parentes ex Paradiſo: cur non liceat mihi, qui ſum ejus Vicarius, iraſci propter pavonem? Cum multo major res ſit pavo, quam pomum.*

XXVIII. Anno 1551 MAURITIUS Elector Saxoniæ juſſit conſcribi CONFESSIONEM Saxonicarum Eccleſiarum à *Philippo Melanchthone*, ut offerretur Synodo Tridentinæ. Eo confecto libro, cum ad octavum Julii diem Lipſiæ convenîſſent omnes Theologi & Eccleſiæ miniſtri, juſſu Principis ſcriptum fuit recitatum, omniumque aſſenſu comprobatum. *Chriſtophorus* quoque Dux Wirtembergicus peculiarem confeſſionem ſcribi juſſit, quam per Brentium (à quo etiam Confeſſio conſcripta) Concilio Tridentino exhibuit. *Sleidanus.*

XXIX. Anno 1554 JOHANNES FRIDERICUS Elector Saxoniæ pie in Domino obdormivit 3 Martii, ætat. 51, cum non multo ante, die videlicet 21 Febr., uxor ejus *Sibylla* Clivenſis diem ſuum quoque obiiſſet. Elector, cum captivus eſſet, eique (anno 1548, ut ſupra diximus) offerretur reſtitutio dignitatis amiſſæ, ſi aſſentiretur doctrinæ Interimiſticæ, ſpreta conditione, ſuam religionem abjicere noluit. Ob hanc conſtantiſſimam recuſationem inter ſuos CONSTANTIS nomen ac laudem meruit. Reſponſionem ejus Granvellano Atrebatenſi Epiſcopo, qui à *Carolo* V Imper. ad eum in captivitate miſſi, ut doctrinæ Interimiſticæ aſſentiretur, datam, vide apud *Sleidan. Lb.* 10. Sepulcro *Iohan Friderici* hic titulus adſcriptus fuit: JOHANNES FRIDERICUS, *Dei gratia electus martyr* JESU CHRISTI, *Dux afflictorum, Princeps Confeſſorum fidei, Comes veritatis, ſignifer ſanctæ crucis, exemplum patientiæ & conſtantiæ, hæres vitæ æternæ, moritur menſe Martio.*

Hoc epitaphium *Fridericus Taubmannus* ſequenti epigrammate expreſſit.

Gemmarum radiis ſtellata monilia Reges
Exornare ſolent. Tua Jan Friderice *cicatrix,*
Quam geris adverſa, Fidei pro dogmate, mala,
Te decorat plus quam baccata monilia Regum.
Si quid in hoc eſſet Lyſippi aut Mentoris urgue,
Hæc tumulo ipſius legerent inſculpta nepotes:
Heic Jan. Fridericus *ſitus ille eſt: Martyr* Jeſu,
Dux afflictorum: Conſtantiæ gloria palma:
Spectamen fidei: Chriſtianæ ſortis imago.

XXX. An-

XXX. Anno 1555 *Julius* III Papa, cum febri tentatus eſſet, obiit die 23 Martii. Succeſſit ipſi MARCELLUS, ejus nominis ſecundus. Hic legatus fuit in Concilio Tridentino: ipſeque, Onuphrio teſte, aſſeruit, non poſſe ſalvari, qui locum Pontificis altiſſimum tenerent: Et fuit, ſi quiſquam alius, pontificiæ reipubl. neceſſarius pontifex, qui ſcripto edito, cum adhuc Cardinalis eſſet, conſuluit, expeditionem in Lutheranos potius, quam in Turcas adornari debere. Sed tantum ſedit dies XXII. Tandem Cardinales poſt longam diſceptationem Pontificem proclamarunt Johannem Petrum Neapolitanum, annum ſeptuageſimum nonum agentem, Cardinalem Theatinum, è familia Caraffica natum. Hic mutato nomine PAULUM IV ſeſe appellavit.

Anno eodem *Conventus* AUGUSTÆ inſtitutus eſt, qui initio anni inchoatus, duravit uſque ad Septembrim: in quo tandem decretum factum eſt, ne ulli Principi, Comiti, aut civitati Imperiali bellum inferretur propter doctrinam religionis. Eſtque hic annus 35, ab anno 1521, quo primum edictum à *Carolo* V editum fuit contra doctrinam Lutheri, menſe Majo. *Bucholtz.*

XXXI. Anno 1557 WORMATIÆ colloquium Theologicum inſtitutum eſt Catholicorum & Proteſtantium. Eſtque initio erudite diſputatum de norma Judicii in Eccleſia. Conſtituebant Catholici normam perpetuum Eccleſiæ conſenſum: Evangelici, judicii normam affirmarunt eſſe Prophetica & Apoſtolica ſcripta & ſymbola, &c. Sed quomodo hoc colloquium diremtum ſit aſtu per Catholicos, in aliis authoribus legi poteſt.

Anno 1558 ineunte, *Carolus* V Imper., cum comitia Francofurti ad Mœnum celebrarentur, miſſis ex Hiſpania Legatis, Imperium in manus Electorum reſignavit. Quare ad caput tertium progrediendum erit.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

1. TA' ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

Carolus V Imperator cum bellum Germanicum proſpere minus ſucceſſiſſet, & Metam quoque urbem à Gallo occupatam fruſtra tentaſſet, ipſum ſæpenumero doluiſſe & pœnituiſſe ferunt, quod ſe inſtigari & exacerbari adverſus laudatiſſimum Electorem paſſus fuerit. Quare curis & laboribus fractus, novo & inuſitato exemplo in Romana hiſtoria poſt Diocletianum & Lotharium, Imperio & regno ſe abdicavit, anno 1555, ſub finem menſis Octobris, & Imperii quidem gubernationem fratri FERDINANDO commendavit; filio vero PHILIPPO regna contulit. *Chytræus, Pantaleon. fol.* 446.

Anno 1556, CAROLUS cum ſororibus LEONORA ac MARIA in Hiſpaniam navigavit, & in monaſterium D. Juſti, in finibus Caſtiliæ ſitum, religioni vacaturus conceſſit: ubi reliquum vitæ tempus tranſegit, omneſque res ſuas geſtas, quarum viginti aut plures fuiſſe referunt, in mappis depingi, eaſque in Monaſterii parietibus affigi curavit. In iſtum circuitum Monaſterii illius ſæpe deportari ſe juſſit, ibidemque coram mappis pictis ſedit; ſecum ipſe recolens, quid in expeditionibus, obſeſſionibus, aciebus & alibi acciderit, quos Duces belli, quos Centuriones & Equitum Magiſtros habuerit, qua uſus ſit fortuna, quibus ſucceſſibus & infortuniis. *Vbi devenit ad eas mappas, in quibus Smalcaldenſe bellum, & captivitas Electoris Saxonici depicta erant, ingemiſcens ac ſuſpirans dixit:* HUNC SI RELIQUISSEM, QUALIS FUERAT; MANSISSEM ET EGO, QUALIS ERAM. *Thomas Stybarus in Hiſtor. relat. de vita Johan. Frider. & Henr. Merckel. in relat. de Obſid. Magdeb.*

Fertur de *Carolo* V Imp. in oratione funebri ejus Suevica eum anno quinto ante mortis periodum inter maxima regni ſui negotia ſarcophagum ſibi confici curaſſe, cum omni ſupellectile, quæ eo mortuo ad ſepeliendum neceſſaria eſſet: idque clanculum, ne ad hominum oſtentationem aut ſimulatam religionem factum videretur: quem apparatum habuit apud ſe quinque annis ubicunque locorum eſſet, ſecretiſſime, etiam dum Mediolanum contra Gallos proficiſceretur; eumque diligentiſſime ſingulis noctibus ſemper conſervavit ac reponi juſſit. Arbitrabantur autem quidam homines etiam, quibus rerum magnarum demandata erat cura, theſaurum aliquem illic detineri ac conſervari; alii nonnihil librorum, quibus hiſtoriæ veteres continerentur, alii aliud quidpiam magni. Cæſar vero ſibi conſcius, in quem uſum ſecum deferret, ſubridendo, in rei cujuſdam ſibi omnium cariſſimæ uſum, id ſecum deferri, dicebat. Sic aſſiduo mortem ſibi ante oculos poſuit, ſibique ſemper ſepulcrum adeſſe voluit, ut perpetua mortis recordatio eximeret ex corde vanum hujus mundi faſtum, ſanctas autem actiones agendas eſſe, dum viveret, admoneret. *Theoſan. de Republ. lib. 6. cap.* 3.

Similiter *Carolus* toto biennio, quod mortem præceſſit, in Hieronymianorum fratrum ſodalitio familiarem habuit Doctorem Conſtantinum, virum gravem, pium, & eruditum, qui à confeſſionibus ipſi fuerat. Is inter quotidiana & aſſidua precum & laudum divinarum à *Carolo* ſuſcepta exercitia,

citia. ad ſcriptorum B. Bernhardi lectionem, citatis in conſolatione ſententiis quibusdam inſignibus, eum invitarat. Cum enim ſubinde *Carolus* peccata ſua lamentans, nullum toto vitæ ſuæ tempore diem ſe DEI ſervitio digne, & ut par erat, impendiſſe quereretur: Bernhardi verba ei recitavit: Fateor, non ſum dignus ego, nec propriis poſſum meritis regnum obtinere cœlorum. Cæterum duplici jure illud obtinens Dominus meus, hæreditate ſcilicet Patris, & merito paſſionis: altero ipſe contentus: alterum mihi donat, ex cujus dono, jure mihi illud vendicans non confundor. *Item*: Ante omnia fides quærenda eſt, de qua legitur: Fide mundans corda eorum. Crede ergo te DEO: nam tibi quidem ipſi & ſuis meritis fidere, non fides, ſed perfidia eſt. Et Concione tertia de Annunciatione Mariæ; Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam, quia in te ſperavi. Neque enim oleum miſericordiæ, niſi in vaſe fiduciæ ponis. Hæc vero hominis fiducia eſt, à ſe deficientis, & innitentis Domino ſuo. Inprimis vero auream illam in Annunciatione beatæ Mariæ concionem ipſi commendavit, in qua conſilium de Redemtione, mirando juſtitiæ & miſericordiæ divinæ temperamento, in arcano divinitatis conſilio decretum, exponit: ac inter cætera his verbis doctrinam de juſtificatione diſerte explicantibus utitur. Neceſſe eſt primo omnium credere, quod remiſſionem peccatorum habere non poſſis, niſi per indulgentiam DEI. Deinde, quod nihil prorſus habere queas boni operis, niſi & hoc dederit ipſe. Poſtremo, quod æternam vitam nullis operibus poſſis promereri, ſed quod gratis detur & illa. Quis enim poteſt mundum facere de immundo conceptum ſemine, niſi qui ſolus eſt mundus? &c. Ideoque ſi credis peccata tua non poſſe deleri, niſi ab eo, cui ſoli peccaſti, & in quem peccatum non cadit, bene facis: ſed adde adhuc, ut & hoc credas, quia per ipſum tibi peccata condonantur.

Hoc eſt teſtimonium, quod perhibet in corde noſtro Spiritus S. dicens: Dimiſſa ſunt tibi peccata tua. Sic enim inquit Apoſtolus: Gratis juſtificari hominem per fidem. His Bernhardi dictis ſe mirifice delectari & recreari *Carolus* oſtendit, deficientibuſque corporis viribus, cum anno 1558 Francofurti ad Mœnum Comitia celebrarentur, eo per Legatos inſignia Imperii, ſceptrum & coronam miſit, & plane Imperio reſignavit. *D. Chytraus in orat. de vita Caroli V Imper. Buch.*

II. ΤΑ' ΠΡΑΧΘΕ'ΝΤΑ.

Carolus cum biennium fere in monaſterio D. Juſti cum ſumma devotione (ut diximus) degiſſet, & Imperium plane reſignaſſet, tandem ad lentam tabem acuta febris acceſſit. Quare in unico Redemtore & Servatore noſtro JESU CHRISTO ejuſque merito ſe omnem ſalutis ſuæ ſpem collocare declaravit, & ſumta denuo Euchariſtia ſub utraque ſpecie, juxta inſtitutionem *Chriſti*, *In me mane*, inquit, *dulciſſime Domine Jeſu, ut ego in te maneam.* Inter has voces, & veræ pietatis & fidei in Chriſto acquieſcentis ſignificationes illuſtres, ex hac vita diſceſſit anno 1558, die 21 Septembr., cum vixiſſet annos fere 59, regna vero hæreditaria annos 40, Imperium Romanum annos 38, menſes ſeptem tenuiſſet.

III. ΤΑ' ΠΑΡΗΠΟ'ΜΕΝΑ.

Philippus II Rex Hiſpaniæ *Carolo* parenti, non ſolum de ſe, ſed etiam de tota Republ. Chriſtiana optime merito, magna pompa Bruxellis juſta fecit anno 1559. A Poëta quodam Cæſari tale Epitaphium fuit concinnatum:

Carolus *ut victo diſceſſit victor ab Orbe,*
ULTERIUS *tendens regna beata tenet.*

Quo alluſiſſe videtur ad Symbolum *Caroli* Imperatoris; PLUS ULTRA. Quod quadrupliciter conſiderari poteſt.

I. *Academice.* De quo Plutarchus in libro de profectu morum eleganter admodum & ſapienter monet: ἐν τῇ φιλοσοφεῖν οὐκ εἶναι δεῖν λήγοντος ἀφαίμαγμα ἀεννάου πηγῆς, ἢ δι' ὑπερβολήν. id eſt, in Philoſophando nullam eſſe debere ceſſationem, aut perpetui quaſi progreſſus intermiſſionem. Unde recte dixit, quicunque dixit: Multi perveniſſent ad aliquam eruditionem, niſi putaſſent, ſe dudum eo perveniſſe.

II. *Ethice.* Sic in via virtutis progredi decet: non autem regredi. Nam qui nullam temporis particulam ſinit effluere quod non pertineat ad progreſſum aliquem virtutis, aut rei melius gerendæ occaſionem: is profecto indies ſe ipſo evadit melior, & ſe ipſum tandem hoc pacto vincit, quæ omnium victoriarum pulcherrima atque honeſtiſſima merito habetur, authore Platone. Contra autem, qui in via virtutis regreditur potius, quam progreditur: is ſe ipſo quotidie fit deterior, & ſe hoc modo à ſe ipſo ignave admodum, & malitioſe vinci patitur: quo nihil eſſe poteſt turpius, aut abjectius: teſte eodem *Platone.*

III. *Polemice.* Sic nimirum *Carolus V* Imperator tot rebus maximis ac maxima laude dignis, feliciter tam bello, quam pace geſtis, nullo unquam tempore regreſſus, ſed progreſſus ſemper ulterius. Cujus exemplum ſimile multa ſecula non habuerunt: certe parem in belli progreſſu & fortu-

na neminem habuit. Ipſius fortuna fuit formidabilis, cum aliis Regibus, tum ipſi Solymanno Tyranno Turcico, qui fortunæ Caroli ceſſit, reducto exercitu in Pannoniam, cum ei proceſſiſſet, obviam. Et ſcribunt, Turcicum Baſſam, virum ſapientem, Legato Gallico interroganti, cur Solymannus ceſſiſſet, reſpondiſſe: Non fuiſſe conſulendum Imperatori tanto, ut periclitaretur fortunam iſtius juvenis, ut res & Imperium totius Aſiæ committeret prælio unus diei. Et revera felicem ſemper progreſſum *Carolus* habuit: propterea Italici pictores pinxerunt eum ſedentem in ſella & dormientem, dum ejus Duces acquirunt victorias: & Fortunam dormienti aſtantem & pellentem muſcas, ne quietem turbarent, volentes ſignificare: *quod valde fortunatus fuerit.*

PLUS ULTRA *Herculeas, Calpen Abilamque, columnas.*
CAROLE, *victoris nobile nomen habes.*

Cum, his ipſis columnis Herculeis ſuperatis, (quibus Hercules ille NON PLUS ULTRA contendendum eſſe inſcripſerat; unde etiam limes orbis hic vulgo dictus fuit) novas Indias, & fortunatas Inſulas Orbi *Carolus* aperuerit, monumentum certæ laudis & virtutis ejus perpetuum futuras, De quo Poëta quidam ſic ceciuit:

Struxit in extremo quas æquoris orbe columnas,
Qui ſatis Alcmena de genitrice fuit:
Has virtute tua ſuperaſti CAROLE *Cæſar:*
PLUS ULTRA *rebus forte favente tuis.*

IV. *Myſtice.* Sic Chriſtiani in Chriſtianiſmo ſuo non debent eſſe *ſtatores*, ſed *ambulatores*. Quia beati dicuntur illi, qui in VIA Domini non ſtant, ſed *ambulant*. *Pſal.* 119. *verſ.* 1. & *v.* 32. ait David: Viam mandatorum tuorum cucurri. Etenim ſtare in via Domini eſt retrogradi: Non ergo te deleclet in curſu pietatis ſtare: ſed ſtudeas ſemper ambulare. Vide *Pſalm.* 1. *verſ.* 1, 2. Non enim ulla merces melior ea, quam quæ habet pietatis munera. Ut igitur Apelles pictor queri ſolitus, periiſſe ſibi diem, in quo non duxiſſet lineam: ita Chriſtianus dolebit, in quo die non evaſit ſe ipſo in pietate melior. *Eraſm. in Apoph.*

Quamobrem cum in via Domini aut proficiamus aut deficiamus: ſingulis diebus vitam tuam examina, an in ſtudio pietatis profeceris aut defeceris. *Mane* DEO primitias cordis ac vocis offer. *Pſal.* 5. *v.* 3. Veſperi totius acta diei mente revolve more Pythagoreorum. Huc pertinet elegans epigramma Dn. *M. Guilielmi Alardi* amici mei, dum viveret, conjunctiſſimi:

Noſſe viam nihil eſt; niſi quis, quam novit, eundo
Continuet, tandem perficiatque viam.
Sic nihil eſt noviſſe viam, qua ducit ad aſtra:
Hanc niſi continues, perficiaſque viam.

De Perſecutionibus Eccleſiæ, *ſeu* Martyribus.

Cum *Carolo* V Imperatore atrociſſima perſecutio Chriſtianorum ob religionis veræ profeſſionem paſſim in Gallia, Anglia, Germania, aliiſque locis mota eſt. Et certum eſt, quod anno Chriſti 1518, & ſequentibus 30, diverſis in locis ex inquiſitione Papiſtica 1500000 *Chriſtiani* variis tormentorum generibus ac ſuppliciis trucidati ſint: refert *Paulus Vergerius* Epiſcopus Juſtinopolitanus; (de cujus converſione ad Evangelion ſupra dictum:) quem aliquoties Pontifex Romanus miſit in Germaniam, ut *Lutheranam* doctrinam refutaret. *Eckardus in Papa Phariſ. p.* 394.

Inter ſtrenuos Chriſti confeſſores celebrantur etiam ſequentes.

1. Anno 1523 Bruxellis duo Monachi Auguſtiniani, HENRICUS & JOANNES, ſub Inquiſitore Jacobo Hogoſtrato Dominicano combuſti ſunt; gratias in ipſis flammis agentes DEO, & canticis Chriſtum celebrantes, donec flamma vocem intercluderet: Hi primi inter Lutheranos, propter religionis doctrinam, vitam profuderunt, eoſque Lutherus ob confeſſionis conſtantiam Cantico, quod in multorum eſt ore, celebravit, & ut ſui temporis primos Martyres canonizavit. *Sleidan. lib.* 4. *Bucholtz.*

II. HENRICUS *Zutphanienſis*, Prior Auguſtinianorum Antwerpiæ, & Lutheri auditor, cum Evangelium Bremæ docuiſſet biennium, ad *Dithmarſos* in oppidum Mildapolin, Meldorf, ut Plantaret in Evangelicam doctrinam, vocatur. Ubi cum ſuæ vocationi ſedulo incumberet, Monachorum adverſus ſe concitavit odia, qui gravibus admodum uſi criminationibus, apud quadraginta octo regionis ejus Judices eum accuſarunt, eoque rem deduxerunt, ut decerneretur, noctu eum clam apprehendendum eſſe, & nulla interpoſita mora, antequam latius ad alios rumor permanaret, comburendum. Protinus ergo horrendi facinoris duces aliquot & anteſignani conſtituuntur, qui circa veſperam convocatis ruſticis, quos ad facinus quodvis ex inſana audacia ultro paratos agnoſcerent, in multam noctem ritu barbarico, poculis indulgentes, vino ſe onerant, deinde & furiarum ſtimulis acti oppidum Meldorf petunt: hora noctis duodecima magno cum

tum impetu more inſanientium in ædes parochiales irrumpunt, *Henricum* è lecto nudum raptant, vinculis conſtringunt, verberibus onerant, ictibus punctim laceſſunt, nudum & diſcalceatum, vinctis poſt tergum manibus ad campeſtria uſque abducunt, cellæ in domo ſacrificuli includunt: ubi inſani & temulenti ruſtici per noctem eum aſſervantes, inhoneſtis ludebant ſcommatibus. Mane circa horam octavam una in forum, de exitu Tragœdiæ conſultaturi prodeunt; ſed ibi præter inconcinnas vociferationes inſanientium ruſticorum, ut ad ignem properetur, efflagitantium, nihil audiebatur. Hæc ſola ferendorum ſuffragiorum erat ratio, nec alius definitivæ ſententiæ modus. Nec deerant funigeri Monachi, oleum camino addentes, frigidamque ſuffundentes, qui generoſam hanc ruſticorum magnitudinem divino zelo & impetu ferri clamabant. Protinus ergo collo, manibus pedibuſque ſancti Martyris vincula injiciuntur. Quibus viſis, pia quædam & honeſta matrona accedit, mille florenos ultro inſanienti turbæ offert, ea conditione, ut rejecta præcipiti ſententia, ad proximum uſque lunæ diem in carcere vinctus ſervus ille DEI aſſervaretur, ut liberis totius populi ſuffragiis res tanta dijudicari poſſet. Verum & in hanc matronam ruſticorum inſania vertitur, quam terræ alliſam pedibus inhumano more conculcant, & in Chriſti Martyrem magis magiſque ſæviunt, certatimque alius pugione, alius pugnis, alius alio telo indefinenter omnia corporis membra pungunt, diverberant, lacerant: crebi interim plauſus & gratulantium Carnificum vociferationes in turba audiuntur. Complures etiam incendendo rogo occupati ſunt; qui quantumcunque laborarent, flammam tamen concipere ligna detrectabant. Interea beatus Martyr adſtans, mentem oculoſque cœlum verſus ad DEUM convertit, & per integræ horæ ſpacium, dum fruſtra rogum incendit carnifex, inſanientis turbæ ictus & verbera ſuſtinet. Tandem arctiſſimis eum vinculis ſupra ſcalas colligant, ſic, ut ex ore & naribus ſanguis exprimeretur. Cumque preces ad DEUM ſuum funderet, quidam ex aſtantibus faciem ejus verberans, Ubi, inquit, combuſtus fueris, ora. Deinde haſtis ſcalas ſubjicientes, eas in ſublime tollunt: ibi unius haſta, radium ſcalarum ſtringens, per corpus beati Martyris tranſiit. Corpus itaque exanime prunis injiciunt: ubi per dici iſtius ſpacium corpus toſtum quidem fuit, ſed tamen integrum permanſit. Poſtridie (tertia hæc erat Dominica Adventus) nondum ſatiati tot carnificinis, manus pedeſque, à reliquo corpore reſectos, flammis abſumunt, corpus ipſum ſepeliunt, & ſepulcrum, quaſi re feliciter geſta, partoque inſigni triumpho, choreis luſtrant. Actum 10 Decembris anno 1524. *Sleidan. Chytr.* Vide *Martyrologium Foxi part. 2. lib. 2.*

III. JOHANNES BECKUS, ex civitate Hollandiæ Wourden oriundus, in tenera ſua ætate invitus Pontificiorum religionem, urgente patre, ſuſcepit, eorumque ſacris initiatus eſt. Quam vitæ rationem non ſine ſuſpiriis aſſidue deplorans, tandem ea relicta, ad ſacrum matrimonii ſtatum animum adjecit: cumque in Papæ indulgentias, quæ tum in oppido illo venales erant, acriter invectus, veritatem confiteretur, protinus in vincula conjicitur, graviter ab Inquiſitoribus vexatur: crimini ipſi datur, quod *Lutheri* doctrinam amplecteretur, & matrimoniali nexu conſtrictus eſſet. Ob quæ flagitia ad ignem condemnatus eſt. Cum ejus collo vinculum injiceret carnifex, læta voce exclamavit, O inferne, ubi nunc gloriatio tua? O Mors, ubi nunc victoria tua? Mors abſumta eſt in victoria Domini *Jeſu Chriſti*. Et hæc dicens, ipſemet funem collo adaptavit, denuo exclamans, O *Jeſu Chriſte*, Fili DEI, memento mei! Hæc effatus, laqueo collum obſtringente, ad Chriſtum animam ſuam tranſmiſit, anno C. 1525. Prolixe admodum deſcripta eſt hæc hiſtoria, in tertia parte *Martyrologii Ludovici Rabi.*

IV. LEONHARDUS cogn: *Cæſar*, ex Bavaria oriundus, relicta Sacerdotali dignitate, qua apud Pontificios ornatus erat, ſtudio ſinceriorem Evangelii doctrinam diſcendi Wittebergam ſe confert: ubi aliquamdiu moratus, in patriam propter adverſam parentum ſuorum valetudinem revertitur, puram Evangelii doctrinam confitetur, & contra diabolicas Papæ fraudes deregit. Qua de cauſa à Pontificiis apud Epiſcopum Paſſavienſem accuſatus, comprehenſuſque in vincula conjicitur, & Epiſcopi voce pro hæretico damnatur. Et licet multi magni nominis viri, & inter eos Princeps Elector Johannes Fridericus, pro ipſo intercederent; attamen hoſtium furor nonniſi exſtincto Martyre ſedari potuit. Nam die 16 Auguſti, anno 1527, ignis ſupplicio affectus eſt, jubente Principe Guilielmo in Bavaria, cujus juriſdictioni traditus fuit à condemnatione. Epiſcopus enim, ne ſacra ſcilicet polluerent, vel profanus, &, ut ajunt, irregularis fieret, de vita illius atque ſanguine non pronunciabat. *D. Martin. Luth. Tom. 6. Jenenſi.*

V. GEORGIUS *Scharerus* Salveldenſis, Radſtadii apud Bojos Antichriſti regnum aliquandiu impugnavit. Quam ob cauſam in vincula conjectus eſt, ſententiaque lata, ut vivus cremaretur. Aliorum tamen interceſſione effectum, ut gladio percuſſus vitam finiret, in corpus exanime ſævire-

tur, idque flammis conſumeretur. Cum ad locum ſupplicii perveniſſet, alacri ſpiritu preces ſuas ad DEUM fudit, ſuamque, omnibus audientibus, fidem teſtatus eſt: Quam certus ſum, inquiens, me ut verum Chriſtianum mori: ſic etiam certo, poſt mortem, ſigno meam innocentiam fideique ſinceritatem teſtabor. Cum decollatus eſſet, corpus humi in ventrem procubuit, & aliquandiu immotum jacuit. Deinde poſt duo ferme horæ minuta ſua ſponte, non citra omnium admirationem & ſtuporem, inverſum eſt, ſupinumque jacens dextrum pedem ſiniſtro injecit. Quo viſo, corpus exanime à flammis vindicantes terræ mandarunt. Actum anno 1528. *L. Rab. in ſecunda parte Martyrol. lib. 4.*

VI. Anno 1545 PETRUS BRULIUS propter Evangelii doctrinam in Galliis Tornaci exuſtus eſt die 29 Februar. Supplicii genus hoc fuit. Igni non magno fuit crematus, ut tanto major eſſet cruciatus: doctrinam ſuam conſtanter ad extremum uſque ſpiritum profitebatur, & diſcipulos, qui paſſim in catenas erant conjecti, per literas conſolatus è vinculis, ad conſtantiam hortatus eſt. *Sleid.*

Sic hoc anno ſæviſſima perſecutio Waldenſes Chriſtianos excepit. Sunt in Provincia Gallia, qui dicuntur WALDENSES: Hi vetuſta conſuetudine neque Pontificem Romanum agnoſcunt, & aliquanto puriorem habuere ſemper doctrinam; & poſtquam Lutherus innotuit, ampliorem cognitionem avide ſibi compararunt. Quam ob cauſam *Franciſcus* Rex Galliæ, Duce *Johanne Minerio*, Senatus Aquenſis præſide, eos in aliquot Galliæ Narbonenſis Provinciæque vicis & oppidis menſe Aprili bello petiit, &, cum oppidorum & vicorum vaſtatione, magnam eorundem multitudinem, nulla ſexûs aut ætatis ratione habita, trucidari juſſit: partim flammis, partim inedia exſtincti ſunt: qui gravidæ mulieres caſtæque virgines inhumaniter admodum tractatæ vitam finierunt. Nec Tragœdorum ulla grandiloquentia verbis conſequi aut exprimere poterit, quot & quanta mala ab impio Antichriſti ſatellite Minerio Waldenſes hi perpeſſi ſint. Conſule *Sleidan. l. 16.*

VII. Anno 1546 accidit memoranda hiſtoria de JOHANNE DIAZIO, quem frater ejus per famulum crudeliter ob Evangelicæ doctrinæ profeſſionem ex inſidiis obtruncavit. *Johannes Diazius* Hiſpanus, & pietate & eruditione eximia præditus, cum relicta Lutetia, ubi 13 annos dederat operam literis & Theologiæ Sorbonicæ, primo Genevam, hinc Argentinam, pertæſus Sorbonicæ Theologiæ, & ſincerioris doctrinæ amore flagrans, ſe contuliſſet, Bucero, ob magnam eruditionem & indefeſſum ſtudium, ad colloquium Ratisbonenſe ituro, comes ſociuſque laboris à Senatu Argentinenſi additus eſt. Inde cum Neoburgum profectus eſſet, quod eſt oppidum ad Danubium, duodecim ſupra Ratisbonam milliaribus, ut cujuſdam libri, quem typographo Neoburgenſi miſerat excudendum *Martinus Bucerus*, emendationi præeſſet: interim frater ejus *Alphonſus Diazius* Juriſconſultus, in judicio Rotæ aſſeſſor, de fratris ſui religione certior factus, celeri curſu primum Auguſtam, deinde Ratisbonam venit: & ubi, quibus locis *Diazius* eſſet, cognovit, eo contendit, & admiranti, cauſam adventus tam ſubiti tamque inſperati commemorat: variis deinde argumentis & precibus eum hortatus eſt, ut Lutheranorum relicta hæreſi ad Romanam reverteretur Eccleſiam. Cum autem fruſtra eam ſumeret operam, pollicetur annuos cenſus, modo ſecum proficiſcatur Romam: cum ne id quidem ſuccederet, interpoſitis aliquot diebus victum ſe fatetur, & amare doctrinam Evangelii ſimulat, illumque hortatur, ut relicta Germania, quæ viris doctis abundet, & ipſius opera non indigeat, ſecum in Italiam proficiſcatur: fore enim, ut in Italia multos Evangelica doctrina Chriſto lucrifaciat, & hac ratione pura doctrina etiam in Hiſpaniam penetret. *Johannes* magna perfuſus lætitia, tum ſibi, tum illi gratulatur, & miſſis Ratisbonam literis ad Bucerum, & alios, conſilium illorum exquirit: ii reſcribunt, &, ne comitetur fratrem Alphonſum, monent. Alphonſus ergo dejectus ea ſpe rogat, ut ſaltem Auguſtam Vindelicorum ſecum eat. Dum hoc agitur, venit Neoburgum Bucerus, & ne pedem illinc efferat, hortatur: neque prius ille diſcedit, quam Alphonſus abiiſſet; quod fuit die 25 Martii. Sed pridie quam abiret Alphonſus, *fratrem* humaniſſime compellat, hortatur ad *conſtantiam*, & ſe beatum eſſe prædicat, qui paucis *diebus* ex ipſius colloquio tantum profecerit in vera DEI cognitione; rogat, ut ſubinde ſibi ſcribat: benevolentiam omnem promittit, & recuſanti XIV aureos obtrudit: atque profuſis lacrymis crocodilinis, à fratre diſcedit, & curru vectus Auguſtam venit, ſex à Neoburgo milliaribus. Poſtridie deinde idem iter, unde venerat, ingreditur, & in itinere comparata ſecuri, quam à fabro lignario forte emerat, die 27 Martii prima luce Neoburgum venit, & equis ante portam relictis apud nuncium Auguſtanum, quem ſecum adduxerat, in oppidum ingreditur, famulo ſicario (quem publicum fuiſſe carnificem perhibent) comitatus, & ad diverſorium fratris accedit: diverſabatur autem apud concionatorem ejus oppidi. Famulus, ne ſtatim agnoſceretur, tabellarii veſtem pileumque ſumſerat, & præcedens oſtium pulſat; deque *Johanne Diazio* rogat, ad

quem

quem literas habeat: intromiſſus adſcendit. *Alphonſus* autem ad infimos gradus manet, obſervans, ne quis conatum impediret. *Diazius* expergefactus, cum à fratre nuncius adeſſe diceretur, proſilit è cubili, & pallio ſolo tectus atque pileo nocturno, in proximum cœnaculum egreditur: literas ſicarius reddit, quum vix illuxerat. Literarum hæc erat ſumma: Valde ſe ſollicitum eſſe de ipſius periculo: Caveat ſibi diligenter à *Petro Malvenda*, & id genus aliis hoſtibus Evangelii. Dum iſta legit *Diazius*, carnifex à tergo ſtans, occultatam ſub veſte ſecurim totis viribus illi in capitis partem dextram infligit uſque ad manubrium, ſic, ut ille, ſubito perruptis omnibus organis cerebri, nullam ederet vocem. Percuſſor ſecurim in vulnere defixam relinquit, & illico deſcendens cum hero parricida ex oppido properat. Ibi conſcenſis equis ante portam, incredibili celeritate Bothmæum veniunt, quod eſt inter Neoburgum & Auguſtam, medio fere itinere, oppidulum. Hujus tam horrendi ſceleris & inauditi fama ſtatim Neoburgi divulgata fuit, & ex aulicis miniſtris nonnulli, qui *Johannem Diazium* amaverant, arreptis equis illos inſequuntur: & cum Auguſtam veniſſent, neque eos reperirent, domum redire ſtatuerunt, re deſperata: ſed ex ipſis quidam ætate viribuſque præſtantior, *Michaël Herfferus*, maxima celeritate petgit, & OEniponti eos comprehenſos, cædis atque parricidii accuſat, & ad Principem ſuum *Ottonem Henricum*, datis literis, omnia perſcribit. Princeps ea re cognita, duos è ſuis conſiliariis Neoburgo jubet OEnipontem ire, qui eos ad ſupplicium poſtulent. Verum illi nihil potuerunt impetrare; & parricidæ in gratiam Pontificis liberi dimiſſi ſunt. En hi ſunt fructus ſanctimoniæ Papalis! Divinum autem judicium nequaquam parricida iſte *Alphonſus* effugit. Nam poſt ſexennium in Concilio Tridentino deſperabundus laqueo ſibi ipſi mortem conſcivit, inventus à collo mulæ ſuæ dependens, anno 1551, menſe Octobri. *Sleidan. lib.* 17. *Comm. pag.* 490. *& ſeqq.* Confer *Lud. Rab. part.* 2. *de Martyribus.*

VIII. DRYANDER Hiſpanus, qui *Johannem Diazium* in Chriſtiana doctrina informarat, Romam profectus, aliquandiu in gratiam parentum & cognatorum ſuorum ibi moratus eſt, donec in Germaniam à fratre ſuo Franciſco evocaretur. Cum ergo conſtituiſſet in Germania fidelium Eccleſiæ ſe adjungere ab amicis domeſticis proditus, & in vincula conjectus, ſæpius à Cardinalibus, Epiſcopis & Prælatis fidei ſui nomine examinatus eſt. Verum ille nihil nutans, Evangelii veritatem conſtanti animo confeſſus eſt, omnemque Romani Antichriſti impietatem, blaſphemiam, & frandes libero ore damnavit. Quare morti adjudicatus, Romæ combuſtus eſt, brevi poſt mortem *Johannis Diazii*: de quo modo diximus. *Lud. Rab. 6. part. Martyrum.*

VIII. A. C. 1551, & 1552, horrenda perſecutio Flandriam infeſtavit, & præſertim ſub Comite Lalanio. Inter alios Chriſti Martyres inſignes fuerunt: Gilotus Viverius textor, & ſocer ejus *Jacobus Faber* ſexagenarius, cum filio 19 annorum *Michaële Fabro*, qui in religionis confeſſione conſtantes combuſti ſunt. *Giloti* uxor, *Jacobi Fabri* filia, in puerperio tum detinebatur; eaque de cauſa impii hypocritæ ipſi parcebant. Exacto autem puerperii tempore, cum à veritate fidei nihil deflecteret, ſed eandem cum marito ſuo, parente, & fratre Martyrii coronam ardentibus votis peteret, capta, & non ſine omnium admiratione & ſtupore cremata, ærumnis hujus vitæ valedixit.

IX. Anno Chriſti 1553, & quod excurrit, acerbiſſima perſecutio in Anglia, imperante Regina *Maria*, *Henrici* VIII filia, *Chriſtianos* excepit: ubi non modo *Viros*, ſed etiam *Mulieres*, *Adoleſcentes*, *Pueros* & *Decrepitos* variis cruciatibus Pontificii excarnificaverunt. Duobus plus minus annis ultra 800 ob confeſſionem veræ religionis Martyrii coronam conſecuti ſunt: magna eorum turba è manibus cruentis tyrannorum effugerunt, inque Daniam & Germaniam ſe contulerunt. Sunt, qui referunt, defuiſſe carceres tot hominum capaces, & templa captivis incluſis fuiſſe pro carceribus. Exuſti ſunt multi Theologi: inter quos præcipui fuerunt: *Nicolaus Ridlaus* Epiſcopus Londinenſis: & HUGO Latimerus, octuagenarius, Epiſcopus Wolceſtrenſis: JOHANNES HOPPERUS, Epiſcopus Gloceſtrenſis: & ROBERTUS FERRORUS S. Davidis apud Vallos Epiſcopus, *&c.* Alius circiter 2000 martyrum in Anglia numerat. *Dreſſerus. Conſule lib.* 15. *&* 10. *Sleidan.*

Si quis pleniorem de Perſecutionibus Eccleſiæ ſeu Martyribus cognitionem deſideraverit, evolvat librum *Ludovici Rabi*, de ſanctis Chriſti Confeſſoribus: Item magnum Martyrologium Gallicum à *D. Crocio* Germanice verſum: vel compendium inde à Nathane Chytræo excerptum.

De Pœna perſecutorum.

Nec impune tamen tulere carnifices ſeu judices Tyrannici, aut proditores ſeu accuſatores Martyrum. Inter alia exempla hæc notari ſunt digna:

1. Anno 1522 EMSERUS, quem Caprum nominant, eo ipſo die, quo Alexium Croſnerum puram Evangelii doctrinam Dreſdæ publice ac fideliter proponentem mandato Ducis Georgii ex urbe excedere, & importunis imprecationibus cum familia

familia in exilium ire compulisset, subitanea morte miserandis & tristibus gestibus exstinctus est. *Selnecc. in Orat. de init. & prog. Augustan. Confess. pag.* 29.

II. Anno 1524 Noribergæ subita apoplexia exstinctus est *Cancellarius Trevirensis*, qui biduo ante mortem in convivio gloriatus fuerat, *ante festum Martini abolendum esse Evangelium ferro*. Refert *Lutherus tom.* 2. *Epistolarum Epist. ad Hausmannum pag.* 184.

III. Anno 1527, *Doctor Halensis Crau*s in desperationem propter abnegatam Evangelii doctrinam incidit, hisce horribilibus usus verbis: *Ego negavi Christum; ideo jam stat coram Patre, & accusat me*. Illam cogitationem præstigiis diaboli captus tam fortiter conceperat, ut nulla adhortatione aut consolatione, nullis divinis promissionibus pateretur eam sibi excuti, atque ita desperavit, & se ipsum misere occidit. *Lutherus in comm. cap.* 3. *Galat. tom.* 4. *Jenens. Lat. pag.* 63.

IV. Anno eodem *Thomas Elaverus* Regis Scotorum Consiliarius summus, author persecutionis adversus Doctores Evangelicos susceptæ, cum horam mortis jam ingruere intelligeret, se damnatum & perditum esse assidue clamavit. Cumque Monachi lecto assisterent, eumque consolari vellent, Apagite, inquit, cum vestris ineptiis! Nunquam enim adduci potui, ut crederem, DEUM esse, vel satanam, infernum, vel cœlum, & in pari pretio eam vestram, quam Evangelicorum doctrinam habui. Solam spectavi in meis consiliis pecuniam. Et ejus rei gratia Episcoporum causam egi, Regique suasor fui, ut vestros adversarios ejiceret: idcirco nihil proderunt mihi vestræ vel Missæ vel vigiliæ: sum enim damnatus, & satanas jam constrictum me tenet, ut in abyssum inferorum me abripiat. In hac desperatione misere est exstinctus. Referunt *Alex. Alesius Scotus. Hondorffius in Theatro Historico pag.* 127. *Wolfius Cent.* 16. *memorab. p.* 293.

V. Anno 1530, in Comitiis Augustanis, *sex Comites ac Barones* datis mutuo dextris stipulati fuerant, sese omnes vires ac facultates collaturos esse ad tollendos è medio Lutheranos, uti vocabant: ex quibus FELIX (sed re ipsa infelix) Comes à Wartenburg, magnus Bellator, & olim *Maximiliani* I Imp. Dux belli affirmaverat, *si bellum adversus Protestantes susciperetur, se sine stipendio propriis sumtibus adversus eos militaturum, & adhuc ante mortem usque ad calcaria in eorum* (Lutheranorum) *sanguine equitaturum*. Hic ad cœnam vocaverat Abbatem Monasterii dicti ad vineam vel hortum vinarium, zum Weingarten / ac superiores minas repetiverat. Peracta cœna, cum jam Abbas in hospitium abiisset, discessit & ipse cubitum, eademque nocte divinitus percussus, proprio sanguine suffocatus est: sicque ante mortem usque ad guttur & fauces in proprio sanguine equitavit. Referunt *Georg. Spalatinus in Historiis Augustæ gestis anno* 30. *quæ exstant tom.* 5. *Jenens. Germanic. p.* 37. *Johan. Rosinus in vita Johannis Electoris Saxonici lit. K.* 3.

VI. *Hosmannus*, Papisticæ religionis acerrimus propugnator, Ratisbonam versus tendens, ut colloquio ibi religionis nomine instituto interesset, ut hostis veritatis dira desperatione agitatus, in itinere non procul ab Ulma inter horrendos mugitus impiam efflavit animam anno C. 1541. *Henr. Pantaleon lib.* 8. *rerum in Ecclesia gestarum*. Ubi addit, *Monachum quendam Ordinis Dominicani*, cum acerrime in cœnobio suo in Evangelicæ veritatis doctrinam inveheretur, in ipsa concione fulmine percussum subito periisse: *& Comitem quendam magni nominis virum*, cum audivisset cantari cantilenam illam Ecclesiasticam, Ein feste Burg ist unser Gott / &c. ac dixisset, Ich will helffen die Burg zerschiessen / oder will nicht leben; tertio post die sine confessione & invocatione DEI esse exstinctum.

VII. Anno 1545 horribili morte obiit *Johannes Minerius*, summus Judicii & Senatus Aquensis in Gallia Præfectus, Waldensium persecutor crudelissimus: sicut antea diximus. De hoc *Minerio* Pantaleon in Historia rerum in Ecclesia gestarum scribit, quod ex internis viscerum flammis misere perierit, ut Medici eum non sanare, imo nec aspicere possent, quodque horrendas in Christum blasphemias evomens animam efflaverit.

VIII. Anno 1548, in Comitiis *Augustanis*, *Johannes* VI, *Constantiensis Episcopus*, *Nobilis à Weza*, sive Vesalius, juratus Evangelii hostis, qui in bello *Smalcaldico* adversæ partis molitiones non parum promoverat, atque ob id Cardinalitium galerum exspectabat, subitanea morte ex hac vita ad tremendum DEI judicium evocatus est: idque factum noctu, cum paucis horis prius inter cœnandum horribilia, urbi Constantiensi & Lutheranis in Diœcesi sua habitantibus, interminatus esset, hac voce usus, Ich will sie putzen; oder die Hand Gottes soll mich rühren! *Tractabo eos egregie; aut manus Domini me tangat!* Hæc vero cum ita tetigit, ut mortuus in lecto inveniretur postero die à cubiculariis, qui horribilia se quædam ea nocte audivisse fassi sunt. *Cass. Bruschius in annalib. Episcoporum Constantiensium. Sleidan. lib.* 21. *p.* 641. & *Wolf. Cent.* 16. *pag.* 574.

Anno eodem *Franciscus Spiera* Patavii in Italia agni-

agnitam veritatem abnegans, in horrendam deſperationem incidit, interque graviſſimos terrores exſtinctus eſt; ſicut antea in *cap.* 2. diximus.

IX. Anno 1552, die 25 Martii, CRESCENTIUS Pontificis legatus, in Concilio Tridentino ſcribendis literis ad Pontificem valde occupatus, laborem ad noctem uſque continuavit. Ibi ſurgens ut ſeſe reficeret, ecce viſus eſt illi canis quidam ater, inuſitata magnitudine, flammantibus oculis, auribus ad terram prope demiſſis ingredi, & ad ipſum recta contendere, deinde ſub menſam dilabi. Perculſus & obſtupefactus, ubi demum ſe collegit, famulos inclamat, qui erant in anteriori cubiculo: jubet afferri lumen, & inveſtigari canem. Cum autem nuſquam appareret, ne in vicino quidem conclavi, gravem concepit cogitationem, & in morbum incidens, Veronæ deceſſit. Moribundus etiam ſubinde ſuis acclamaſſe fertur, ut canem, qui lectum conſcenderet, arcerent. *Sleidanus lib.* 28. *Comment.*

X. Anno 1556 JACOBUS LATOMUS, hæreticæ pravitatis Inquiſitor, Chriſtique fidelium perſecutor immaniſſimus, in horrendam deſperationem incidit. Nam cum ex ambitione contra conſcientiam veritatem Evangelii atrociter impugnaſſet: corpore vegeto & ſano, ſubita trepidatione & terroribus ita perculſus eſt, ut, quos ex amicis noverat doctiſſimos, ad ſe accerſeret, ſuamque impietatem in extrema conſtitutus deſperatione ultro fateretur, Grave eſt, inquiens, peccatum meum, qui prudens ſciensque in verbo DEI perſequendo & opprimendo aliis meam locavi operam. Quare adverſus Spiritum ſanctum peccavi, nec ulla vel in hac vita, vel in æterna, peccati mei condonatio mihi ſperanda eſt; ſed diaboli, & corpore & anima, æternum ſum mancipium, adeoque jam in regnum ejus incorporatus. Quinimo haud porro Latomum ut hominem intuemini, ſed ut ipſum diabolum: & ſi aperirentur vobis oculi, manus pedeſque meos teteris unguibus deformes, & formidabiles eſſe deprehenderetis. Per hæc ejus verba, qui aderant viri docti, ſupra modum territi ſunt. Inter quos quidam Doctor Theologiæ, amicus ejus intimus, conſolari eum cœpit, & docere, nullum peccatum adeo grave eſſe, quin per miſericordiam DEI condonetur. Ad quæ reſpondit Latomus: Sibi non ignotas eſſe plurimas ex ſacris literis depromtas ſententias, quæ præclaræ admodum ſint, & conſolationis pleniſſimæ; ſed deeſſe ſibi fidem & fiduciam in DEUM. Et ne vobis dubium ſit, certa eſſe quæ de mea damnatione locutus ſum, videbitis quod lecto jam affixus moriar. Sim autem vobis exemplo, eaque de cauſa vos accerſiri juſſi, ut per me moniti reſipiſcatis. Hæc & plura cum diciſſet, inter horrendos mugitus mortuus eſt, eaque oris ejus totiuſque corporis apparuit fœditas, ut omnibus eſſet terrori. *Joh. Fincel. lib.* 3. *de Miraculis. Wolffius Cent.* 16. *memorab. pag.* 667.

XI. Anno 1557, pridie ejus diei, quo CHRISTUS in cruce paſſus eſt, Forchemii, quæ civitas eſt in Epiſcopatus Bambergenſis diœceſi, ſacerdos quidam decrepitæ ætatis, qui baculis innitens difficulter ſe movebat, à duobus diaconis in ſuggeſtum deductus, verba divi Pauli ex prioris Epiſtolæ ad *Corinthios c.* 11. de cœna Domini enarrabat, anxieque errores Papiſticos & Miſſæ Idololatriam defendens inter alia proclamabat: *Paule, Paule, ſi tua doctrina veritati conſentanea eſt, uſuſque Sacramenti ſub una ſpecie impius; precor, ut arreptum me diabolus hinc auferat.* Hinc ad populum converſus, vociferabatur: *Si Papæ doctrina vera non eſt, ſatanæ eſſe mancipium, meamque ipſi animam oppignorare haudquaquam verebor.* Has & plures ejus blaſphemias non ſine ſtupore & trepidatione Auditores percepere. Nec mora, tantus in templo ſtrepitus & fragor auditus eſt, ut omnia inter ſe collidi, ruinamque minari viderentur: tum vir proceræ ſtaturæ, atro colore formidabilis, in templo apparuit, ante quem venti vehementis flamina per totum templum reſonantia ferebantur. Is impium ſacerdotem arreptum ſecum abſtulit, nec ulli, quorſum ille abductus ſit, in hodiernum uſque diem conſtat. Refert *Joh. Fincelius lib.* 3. *de Miraculis.*

Res memorabiles.

I. Anno 1520 FERDINANDUS *Magellanus* Luſitanus auſpiciis *Caroli* V Imper. ab Oriente verſus Occidentem, via compendioſa ad Inſulas Moluccas navigaturus, FRETUM, quod de ſuo nomine MAGELLANICUM nuncupavit, auſu plane Herculeo menſe Septembri aperuit. Una ex illius navibus, (quam poſtea Victoriam appellarunt) ex Hiſpania ſolvens, & per fretum Magellanicum inſulas adiens, Bonæ Spei promontorio ſuperato in Hiſpaniam rediens, prima omnium navium & ætatum à Noachi diluvio, totum terrarum orbem circumnavigavit, atque ita prima hac navigatione de univerſo Oceano ſola inter tot ſecula victoriam obtinuit. Eadem ſecundo ex Hiſpania ad S. Dominici civitatem domum rediit: ex qua tertio in eandem Inſulam navigavit: at dum ex ea redire conatur, in itinere evanuit: neque de ea quid actum fuerit, unquam reſcitum. De hac nave in Theatro Orbis terrarum ABRAHAMI *Ortelii*, Regis Hiſpaniarum Coſmographi, ſequens exſtat epigramma:

Prima

Prima ego velivolis ambivi curſibus orbem,
Magellane, Novo, te duce ducta, freto.
Ambivi, meritoque vocor Victoria: *ſunt mi*
Vela ala, pretium gloria, pugna mare.
Bucholtz, in Judice Chronologico.

11. Huc quoque jucunda relatio de Comœdia muta, *Carolo* V Imp. in Comitiis Auguſtanis anno 1530 exhibita, referri poteſt. Cum *Carolus* ejuſque frater *Ferdinandus* Auguſtæ ad menſam pranſum conſoliſſent, obtulerunt ſe quidam fabulam acturi, eaque cibum ipſis condituri. Admiſſi ſunt facile. Primum igitur ſe infert perſona larva contecta habitu Doctorali, ferens à tergo nomen *Johannis Capnionis*, ſive *Reuchlini*, ſchedæ inſcriptum: portabat hic ſtruem partim rectorum, partim lignorum curvorum, projiciebatque in medium atrium, nullo ordine: quo facto recedebat. Digreſſo eo, ſuccedebat alia perſona itidem velata, habens *Eraſmi Roterodami* nomen, habitu tanto viro convenienti: hic conabatur curva rectis exæquare lignis, quod cum fruſtra diu multo labore egiſſet, tandem quaſſans caput, animo inde recedebat commoto. Sequitur ecce *Monachus*, *Lutheri* nomen præferens, in arula ferens ignem & prunas, hic diſtorta illa ligna ſuccendens, ut altum flamma volaret, in cineres redigere laborabat; videnſque flammam concepiſſe, ſubduxit ſeſe. Inde prodit quidam habitu *Imperatorio*, qui, cum ignem depaſci diſtorta illa ligna videret, ſtricto gladio vim à lignis averterè conabatur: quo magis autem gladio ligna fodicabat, aut feriebat, eo magis invaleſcebat flamma: itaque & ipſe iratus ac furibundo ſimilis receſſit. Tandem Papaſe intulit *Leonis* X titulo à tergo inſignis, & complosis ex terrore manibus, circumſpicit malo remedia, quibus videlicet ignem ſopiat: quod dum facit curioſius, videt eminus ſtare duas amphoras, alteram oleo, alteram aqua plenas: quibus conſpectis, irruit velut amens in amphoram oleo plenam, eamque igni affundit: unde flamma vires ſumſit, & latius ſe diffundit, ſic, ut ejus violentia coactus, fugere propere cogeretur. *Qua actione innuebant Actores, Johannem Reuchlinum* primum Artes & Linguas, veterumque dogmata in Germaniam intuliſſe, ex illis alia recta, hoc eſt, orthodoxa fuiſſe, alia curva & diſtorta, hoc eſt, minime fidei analoga, & mera hominum ſomnia & Idololatrica commenta. Huic ſuccelliſſe *Eraſmum Roterodamum*, hominem pacis publicæ & tranquillitatis ſtudioſum, qui ſtudioſe id operam dederit, ut conciliarentur recta diſtortis, & ſic utraque ſtarent, verum fruſtra fuiſſe, & utrinque vapulaſſe. Succeſſiſſe vero *Martinum Lutherum*, hominem ſpiritu Eliæ donatum, qui commenta iſta & ſtipulas igne verbi Dei in cineres redegerit; fruſtra prohibente *Imperatore* vi armata & ferro; *Pontifice* vero ſuis bannis, exſecrationibus & excommunicationibus non plus efficiente, quam ſolent illi, qui oleum camino ardenti ſolent addere. Peracta fabula, & nemine ultra comparente: juſſere Auguſti inquiri de auctoribus, ſed *illi* mature ſatis ſe in pedes conjecerant, parum vel de gratia vel de præmio ſolliciti, poſtquam Cæſari id quod res erat, ob oculos poſuiſſent, & quid contra veritatem molimina poſſent hominum, edocuiſſent. *Jacobus Beinhart in præfat. libri, quem inſcripſit*, Hertzenſchatz / *fol.* 45.

111. Anno 1529 Uratislaviæ faſtigium turris *Eliſabethanæ* altum cubitos 119 corruit, in Vigilia *Matthiæ* Apoſtoli, hora ſecunda noctis. Hiſtoria illius ruinæ, qua nemo præter felem læſus fuit, ad *D. Eliſabethæ* depicta eſt, cum hac inſcriptione:

Mirabilis in altis Dominus.

Collapſa eſt turris Silœ madefacta cruore,
Pyramide hac noſtra nemo cadente perit.
Non juſſa Domini exceptam, cui gloria ſoli,
Angelica molem depoſuere manus.
Bucholtz.

Eodem anno novum morbi genus, quod ſudorem Anglicum, vel Anglicam peſtem ſudatoriam dixere, multa loca Germaniæ invaſit. Sudore peſtifero correpti homines, intra vigeſimam quartam horam, aut exhalabant animam; aut, ſi virus exſudaſſent, valetudinem paulatim recuperabant, & prius, quam de remedio conſtaret, *multa* perierunt millia. Malum hoc inde ab Oceano omnem prope Germaniam pervaſit, breviſſimoque temporis ſpatio, & incredibili celeritate, veluti incendium aliquod, longe lateque depaſcebat omnia. Antwerpiæ triduit ſpacio 400 aut 500 homines morbus ille exſtinxit. *Sleidanus lib. 6. pag.* 175. *Eraſm. Epiſt. lib. 26. Ep. 56. Chron. Funcii.*

IV. Johannes Stoſſerus Juſtingenſis Suevus, Mathematicus excellens, & vir integerrimus, certo die ſibi periculum ruinæ imminere præviderat: & quia ædes ſuas ſatis firmas noverat, convocat in muſeum ſuum viros eruditos, quorum conſuetudine & ſermonibus recrearetur. Orta inter ſobria pocula diſputatio: ad controverſiam explicandam è ſuperiori loco librum depromit: ſed laxato clavo aſſer, in quo ſtabant libri, in caput ejus decidit, & inſigne vulnus infelici ſenì inſigit, ex quo mortuus eſt Tubingæ die 16 Februarii, anno 1531, ætatis circiter octuageſimo.

v. Iber-

v. *Ibrahim* Baſſa intimus fuit & gener *Solymanni* Imperatoris Turcici: (cujus pater, cum an. 1520, relicta Conſtantinopoli, Adrianopolin proficiſceretur, in itinere peſte interfectus, *& mortuus* eſt, eodem in loco, *ubi ante novem annos cum patre prælio congreſſus fuerat*) huic promiſerat Solymannus, nunquam eum interfectum iri, ſed in gratia perpetua fore: at vero cum *Ibrahim* jam potentia invaleſceret, floreretque authoritate & opibus, evocatus ad *Solymannum*; ut ſecum cœnaret, ibi noctu, cum dormiret, interfectus eſt anno 1536, die 16 Martii, ejuſque opes fiſco adjudicatæ ſunt. Habuit hic *Solymannus* quatuor filios, ex quibus unum nomine *Muſtapham* Imperio deſtinavit. At is anno 1548, immatura regnandi cupiditate incenſus, Ægyptios & Perſas contra parentem incitavit. Idcirco ſtrangulatus eſt à patre; poſtquam favore & clamore exercitus eum excipi animadvertit, jubens præconem ita prædicare: *Vnus eſt* DEUS *in cœlo: unus ergo ſit etiam Solymannus in terris Imperator neceſſe eſt.* Ingemuit tam horrendo fratris interitu minor natu filius. Mox ergo hunc etiam crudelis pater veneno necavit. Tertium, qui confugerat metu ad Perſarum regem, retraxit, & ſecuri percuſſit. Reliquus erat unus Selimus, cui etiam extrema minatus eſt, niſi ſolus ſupereſſet. *Amal. Turc.*

Hoc anno Francofurti ad Oderam puella quædam dæmoniaca & furore correpta, numiſmata, undiquaque ex veſtibus aut menſis arrepta, devoravit cum multo dentium ſtrepitu, & nummuli illi ex manibus ejus ſubito ſæpe extorti ſunt, qui adhuc ab aliquibus aſſervantur: qua de re *Andreas Ebertus* Eccleſiaſtes Francofurdianus ad *Lutherum* ſcripſit, petens ejus conſilium: quod ille ei impertivit, adhortans eum ad precum pro puella aſſiduitatem. Refert *Bucholzerus in Indice Chronologico pag.* 547; & addit, hanc hiſtoriam eſſe veram & certam, literiſque à Doctore *Jodoco Willichio*, *D. Chriſtophoro Stymmelio*, *Georgio Sabino*, & aliis qui tum Francofurti vixerunt, mandatam: ſeque nominare poſſe, qui tam puellam, quam monetam viderunt.

VI. Anno 1539, die 2 Julii, ingens Conſtantinopoli incendium exortum eſt. Statim in initio publicus carcer conflagravit cum 700 hominibus ei incluſis. Publicani rei, ne comburerentur, à populo & Baſſis dimiſſi ſunt. Duravit incendium duobus fere diebus: infinitæ merces conſumtæ perierunt. *Amal. Turc.*

VII. Anno 1542, die 14 Junii, Budæ horrenda admodum tempeſtas ſæviens, ſuo impetu faſtigium turris ad *S. Stephanum* ſolutum, in campum *Herculis*, ubi commiſſo inter Regem *Ludovicum* & *Turcas* acri prælio plurimi interierant Chriſtiani, horrendo cum fragore dejecit. Quam cum præſtigioſus ſacrificulus compeſcere ſibi propoſuiſſet, caputque ovis ſuperſtitioſo ritu ante ſe portans, ad Miſſam in templo celebrandam feſtinaret, turbo vehemens eum una cum ovis capite in ſublime arreptum, è conſpectu omnium abſtulit, ut nunquam ſuorum oculis poſtea fuerit redditus. *Fincel. lib.* 8. *de Miraculis.*

VIII. Anno 1544, die 24 Januarii, ſtupenda fuit eclipſis Solis: præterea tres eclipſes Lunæ plenæ, res nimirum prodigioſa, & quam à *Caroli Magni* tempore non accidiſſe Aſtronomi dicunt. *Sleidan. lib.* 15. *Comm.*

IX. Anno 1545, Rotwilæ per urbem ſatanas vagatus eſt, ſæpe leporis, ſæpe etiam anſeris, interdum quoque muſtelæ aſſumta forma, claraque & diſerta voce minatus eſt, ſe urbem incenſurum. Quæ res non parum terroris hominibus incuſſit. *Idem lib.* 1.

X. Anno 1547, die 22 Aprilis (alii 24.) quo Elector *Johannes Fridericus* captus fuit, & aliquot poſt diebus Solis adſpectus valde fuit triſtis, obſcurus, pallidus & velut caligine quadam circumdatus, ita quidem, ut plerique à Saxonia longiſſime remoti, & ignari quid ageretur, judicarent magni aliquid portendi: nec enim in Germania ſolum, ſed per Galliam etiam & Britanniam id fuit obſervatum, *Sleidan. lib.* 19. *comm. pag.* 577. Inde cum die 27 Aprilis ob cladem & captivitatem Electoris *Canonici Miſnenſes* in templo cathedrali ſupra modum jubilarent, & hoc nomine *Te* DEUM *laudamus* decantarent, tum DEUS (ſicut etiam ſuperius in Act. Sagat. diximus) in malignorum & perverſorum illorum hominum ἐπιχειρήσεων exemplum ſtatuit, manifeſtoque ſigno ſe abominari pravorum gaudia declaravit. Actutum enim templum illud de cœlo fulmine tactum & incendio correptum, ac deſuper omnia ædificia in cinerem redacta ſunt, campanæ & organa Muſicalia liqueſcentia perierunt, & incendium illud à quarta pomeridiana ad ſextam matutinam alterius diei horam continuo duravit. *Thomas Stibarus in Hiſtor. narrat. de vita Johan. Friderici. Roſinus in vita Johan. Friderici. lit. Ee.* 3. *D. Polandus Superint. Miſn. in præf. Conc. de Muſ. inſtrumen.*

XI. Anno 1551 quidam quinque liberorum parens triſte hoc & horrendum in prole ſua vidit ſpectaculum: Tres ex liberis ejus, puella 13 annorum Barbara, puer 9 annorum, & rurſus puella 7 annorum, inuſitato prorſuſque mirando more ita furere cœperunt, ut ſingulis diebus per ſeptem vel octo horas continuas jam recto, jam obliquo curſu,

mox per transversum directo, per omnes ædium angulos, per omnia conclavia mirandis gestibus subsultarent, seque ipsos in gyrum agentes adeo delassatos, adeo viribus exhaustos redderent, ut jamjam animam efflaturi viderentur, & tandem humi prostrati se circumagerent, capitibusque in terram statutis, novam quasi saltationem inchoarent, deinde velut exanimes per horas aliquot dormirent. Expergefacti cibum nonnunquam petebant, quo sumto saltationes citra remissionem continuarunt: sæpe etiam noctu, si furor iste eos invaderet, eodem gestu & anhelitu subsilientes se delassarunt. Parum, vel nihil loquebantur; interim sæpe omnes simul effuse ridebant. Conatus quidem est verbi divini quidam minister eorum morbo medicari, novemque dies eos secum detinuit, sed labor ejus fuit irritus. *Joh. Fincel. lib.* 1.

Eodem anno horrendum facinus quinque ebriosorum hominum in finibus Bohemicis accidit: hi postridie dici Dominicæ vespertinas horas cyclopica potatione, impiisque execrationibus profanarunt. Diabolus in pariete depictus erat, cui subinde ex impia vecordia pocula propinabant. Verum ad pocula eo modo diabolus respondit, ut postridie mane quinque isti mortui reperti sint, cervicibus sic contritis & fractis, ac si rota carnificis fuissent contusæ. Concretus intra fauces hærebat cruor, ex ore, naribus, imo & auribus, sanguis emanarat. Qua de causa elapso prius triduo Magistratus cadavera auferri præcepit, ut omnibus interim spectaculo, terrori & exemplo essent. *Ibidem.*

XII. Est oppidum Alsatiæ, tribus ab Argentina milliaribus, Obernæa: oppidi ejus quidam vinitor, propter angustiam rei familiaris, cum abesset uxor anno 1556, die 10 Aprilis tres liberos suos interfecit: puellam annorum septem, puerum quadrimum, & infantem in cunis, non plene semestrem. *Sleid. l.* 26. *Comm.*

XLV IMPERATOR GERM.
FERDINANDUS I.

CAPUT I.
DE ORTU.

FERDINANDUS fuit frater *Caroli* V Imperatoris.

PATER ejus fuit PHILIPPUS I. Rex Hispaniæ, Archidux Austriæ, & Dux Burgundiæ. MATER dicta JOHANNA, filia *Ferdinandi*, Regis Hispaniæ & Castiliæ. Ex hisce parentibus natus est *Ferdinandus* Medinæ in regno Castiliæ anno 1503, die 10 Martii, hora nona post meridiem. De Majoribus ejus in præcedenti historia dictum: ad quam Lectorem remittimus.

CAPUT II.
DE PROGRESSU.

I. ACTA OECONOMICA.

ANno 1515 *Maximilianus I* Imperator, *Vladislaus* Ungariæ Bohemiæque, & *Sigismundus* Poloniæ reges Viennæ convenerunt. Inter hos sublatis è medio simultatibus omnibus, vetera pacta renovata, & novis additionibus aucta, novaque comprobatione, & nuptiis inter liberos nepotesque contractis, sancita sunt, ut: *Maria Maximiliani* neptis, soror *Caroli V*, LUDOVICO Regi Ungariæ *Vladislai* filio, *Anna* filia *Vladislai* alterutri ex nepotibus nuberet, certa cum spe successionis in regno Ungariæ, si absque hærede masculo *Ludovicus* discederet.

Cum igitur *Carolus V Isabellam*, Portugalliæ Regis filiam, uxorem duxisset, *Ferdinandus* ubi adolevit, juxta avi sui *Maximiliani* voluntatem & promissionem *Annam* Regis Ungariæ filiam sibi matrimonio junxit anno 1521; ejusque conjugium singulari benedictione DEUS ornavit. Nam ex conjuge suscepit *quatuor filios*: *Maximilianum* natum anno 1527, qui paternis vestigiis insistens rarâ prudentiâ & æquitatis laude Imperium post patris obitum administravit: *Ferdinandum* anno 1529, *Johannem* 1538, *Carolum* 1540: & *undecim filias*, *Elisabetham* 1526, *Annam* 1528, *Mariam* 1531, *Magdalenam* 1532, *Catharinam* 1533, *Leonoram* 1534, *Margaretam* 1536, *Barbaram* 1539, *Vrsulam* 1541, *Helenam* 1543, & *Johannam* 1547, in cujus patru mater exstincta est die 27 Januarii, ætat. 44. Ex his *Elisabetha*, ac deinde *Catharina* *Sigismundo* Augusto Poloniæ Regi elocatæ sunt: cæteræ singulis fere Germaniæ & Italiæ Principibus nupserunt. *Richardus. Perusinus. Chronic. Hedion. Pantaleon. Mattheſius in concione funebri Ferdinandi. & alii.*

II. VITA DOMESTICA.

Tota *Ferdinandi* vita interior honestissimis temperantiæ, frugalitatis, & continentiæ exemplis plena fuit. Nam casti pudoris decus, in conjugio, pietatis, concordiæ & suavissimi amoris mutui pleno ac fœcundo, sancte & religiose servavit. Aliquoties compellatus à suis, qui putebant minus recte fieri, quod reginam conjugem & gynæceum ad Imperii conventus secum duceret, propter sumtum

tium magnitudinem; Illis *Ferdinandus* pie & prudenter respondit: *Officium honesti Principis esse in conjugio casto vivere: à multis plura profunde in libidines vetitas, quam insumtus honesta vita conjugalis.* Distribuebat necessarias operas diei in certas horas, quas servabat accuratissime, & in tanta corporis imbecillitate sustinebat labores, qui etiam futuri intolerabiles videbantur: Sed alebat vires mentis & corporis *temperantia & sobrietate* plane inusitata in hac nostræ ætatis ingluvie: ita ut constanter referatur, *Ferdinandum* nunquam fuisse vino superatum. Unde cum quorundam Germaniæ Principum Legati ad Comitia missi multa convivia instituerent, totosque dies & noctes perpotarent, eos ad se vocatos hisce verbis objurgatoriis allocutus est: Sciatis, vos non helluandi, sed publica imperii negotia tractandi causa huc missos esse; Quare vestrum est, ut ebrietatem maledictam, quæ simul corpori & animæ nocet, ceu pestem fugiatis, & ea, quæ vobis commissa sunt, summa cum diligentia perficiatis.

Porro *Ferdinandus* sæpe solus prandebat, & quidem sine longa ferculorum pompa, ut cognitioni causarum & deliberationibus justum tempus tribuere posset.

III. *ACTA POLITICA.*

I. *Imperii occupatio.*

Ferdinandus fratrio *Ludovico* extincto anno 1527, renunciatus est Rex Bohemiæ, & coronatus Pragæ die Matthiæ 24 Februarii: mense Novembri ejusdem anni, cum *Johannem Vayvodam* Transsylvanum ex Hungaria profligasset, coronam regni Hungarici una cum uxore *Anna* accepit Budæ, regnumque traduxit in suam potestatem. Inde Rex Romanorum renunciatus est Coloniæ anno 1531, die 5 Januarii, & coronatus die 11 ejusdem. Quanquam autem in hanc electionem, ut vitiosam & Aureæ Bullæ contrariam Elector Saxoniæ, Dux Lunæburgensis, Landgravius, Princeps Anhaltinus, & Comites Mansfeldenses consentire noluerint; tamen *Carolus* V Imp. ab Imperii proceribus obtinuit, ut communi suffragio eligeretur, dicens; se nullum alium novisse, qui magis sit idoneus ad eam provinciam fratre suo *Ferdinando*, Bohemiæ, Hungariæque Rege: hujus etiam fines atque regna jam esse veluti murum aliquem pro salute totius Germaniæ oppositum immanitati Turcicæ. *Vide Sleidanum lib. 8. Comm. Ferdinandus* itaque cum fratre gubernationem suscepit, ejusque vices per multos annos prudenter in Comitiis gessit, donec anno 1558 *Carolus*, cum Francofurti ad Mœnum Comitia celebrarentur, per Legatos plene imperio renunciaret. Ibi *Ferdinandus* unanimi Electorum suffragio Imperator electus & solenniter inauguratus est die 18 Martii. Ut autem *Ferdinandus* antequam erga sedem Romanam officio consueto observantiam testaretur, *Martinum Guzmannum* supremum Majestatis Camerarium Romam ad *Paulum* IV Pontificem misit, de diademate imperiali petendo. Sed ecce Antichristianum Christi Vicarium! *Guzmannus* integris tribus mensibus non admittitur, curia Romana disputante, nemini nisi sedi pontificiæ, nec *Ferdinando* sine consensu Pontificis à *Carolo* imperialem dignitatem cedi potuisse, ipsumque *Ferdinandum* eminentiæ tantæ capacem non esse, ut qui *Maximilianum* filium male educaret, hæreses gladio non exstirparet, *Lutheranos* cum Pontificiis promiscue conversari permitteret, colloquium Wormatiense sine consensu Papæ aperuisset, in acta Comitiorum præteritorum jurasset, Imperatoris nomen propria authoritate suscepisset, decretum Pontificiale contra communicantes sub utraque specie suspendisset. Quid quæso est, inique innocentem gravare, si hoc non est? Tandem *Guzmannus* elusione quadam deliberata ac frustratoria dimittitur, nec de diademate fert Cæsari responsum. Ille igitur exemplo *Rudolphi* Habsburgensis legitima Germaniæ Principum electione contentus, quod *Paulus* denegaverat, animo excelso respuit. Nec ita multo post, anno videlicet 1559, *Paulo* IV exstincto, successor ejus *Pius* IV Imperatoriam dignitatem à *Carolo* in fratrem *Ferdinandum* translatam ratam habuit, & ejus tanquam legitimi Imperatoris Legatos honorifice excepit.

II. *Imperii administratio.*

I. *ACTA TOGATA.*

Acta *Ferdinandi* Togata continent speculum virtutum ejus; ex quibus præcipuas, quæ in ipso enituerunt, breviter enarrabimus.

1. PIETAS. Fulsit in *Ferdinando* ardens zelus erga DEUM, quem vera fide, misericordiam ejus intuente, invocabat: publice etiam quotidie preces fundebat: quibus ecclesiæ & Imperiorum salutem commendabat DEO. Nomen ecclesiæ maxime veneratus est, & cum motæ essent controversiæ de multis doctrinæ articulis, ipse Ecclesias emendatas non oppressit, sed legitimam in pia Synodo multarum gentium fieri voluit cognitionem: eaque, quod non conveniret, aut insidiose turbaretur, acerbe indoluit. In variis morbis, præsertim in extremo, non desiit laborare, quo-

modo Eccleſiis diſtractis pia poſſet afferri concordia.

II. JUSTITIA. Fuit præterea *Ferdinandus* legum & Ordinis politici cuſtos diligentiſſimus: æquale jus dixit potenti & inopi. Unde Symboli loco uſus eſt hoc dicto: FIAT JUSTITIA, ET PEREAT MUNDUS. Sentiens nimirum, juſtitia ſola vitam humanam conſervari; quæ gloriæ, & famæ omnium Regum ac Principum, quibus Reſpublica commiſſa eſt, fundamentum ſit firmiſſimum; cujus tanta vis eſt, ut ſine illa nulla hominum ſocietas ſubſiſtere, nulla reſpubl. incolumis permanere, nulla jura vigere poſſint. Ex quo *Plato* eam ſulcrum civitatum; *Pythagoras* ornamentum virtutum: *Cicero* Rerumpubl. bene conſtitutarum animam, civitatum normam, legum condendarum regulam: *Cyprianus* pacem populorum, tutamen patriæ, immunitatem plebis, munimentum gentis, curam languorum, gaudium hominum, temperiem aëris, ſerenitatem maris, fœcunditatem terræ, ſolatium pauperum, hæreditatem DEI filiorum, recte appellat. Etenim quod ſol eſt in cœlo; cor in humano corpore, in grege paſtor; in exercitu Imperator; in navi gubernator: illud ſola in amœniſſimo virtutum hortulo eſt juſtitia. Ut enim ſole obſcurato, tenebræ in mundum indicuntur: corde mortuo, vita tollitur: paſtore ſublato, grex diſpergitur: Imperatore remoto, exercitus conturbatur: Gubernatore excuſſo, navis in ſcopulos illiditur: Ita ſi tollitur juſtitia, tollitur Rerumpubl. anima; civitatum norma; legum condendarum regula: Imo uno eodemque impetu jura, leges, & ſocietates tollentur omnes.

III. PRUDENTIA. *Ferdinandus* fluctus civilium bellorum ſingulari prudentia ſedavit. Nam quanta fuerint, & adhuc ſint in Imperio religionum diſſidia, & deinde ſecutæ Principum diſtractiones, diffidentiæ, odia, quæ in aperta bella civilia aliquoties eruperunt, ſinguli meminimus. In his etſi ad ſævitiam & aſperiora conſilia miris artibus ſæpe incitabatur, tamen moderatione & prudentia ſingulari ita verſatus eſt, ut ſæpe civiles diſſenſiones ſine civili ſanguine compoſuerit. Tandem etiam ſua authoritate *Carolum* fratrem flexit, & pacem ſalutarem Germaniæ reddidit: quæ tamen ſemel motis armis inteſtinis non videbatur, etiam ex ſapientum judicio, niſi everſo imperio, conquietura. Id vere eſt, ut in Tragœdia de excellenti Imperatore dicitur: Conſulere patriæ, parcere civibus, fera cæde abſtinere, mores regere; reddere orbi quietem, ſeculo pacem ſuo. Hæc ſumma virtus; petitur hac cœlum via.

IV. CLEMENTIA. *Ferdinandus* Imp. ſupplicibus pepercit, & multis graves pœnas meritis clementer ignovit. Cum enim quidam gratia ipſius excidiſſet, mandavit ut oculi ipſi offoderentur: Sed ſtatim animum mutavit, ſententiamque revocavit, dicens: Qui nimis eſt præceps, non eſt bonus venator. Ego juſtum & æquum eſſe non duco, ut adimam cuidam aliquid, quod poſtea, ſi emendetur, ei reddere non poſſim. Quando aliquem de facultatibus & poſſeſſionibus ſuis dejicio, ſi reſipiſcat & ad frugem redeat, non ſolum eas reſtituere, verum etiam augere poſſum: Sed viſu aliquem privare, eumque reſtituere; morti aliquem tradere, & rurſus ad vitam revocare, non in mea, ſed ſolius DEI poteſtate ſitum eſt.

V. HUMANITAS. *Ferdinandus* Imp. omnes cujuſcunque ordinis & conditionis homines, etiam humillimos, alloqui eum volentes, quotidie fere certa hora patefacto omnibus aditu, ipſe placidiſſime audivit, & ſine ullo faſtu, moroſitate aut faſtidio, humaniſſime reſpondit. Unde cubicularium ab ipſo acriter fuiſſe objurgatum narratur, qui tenuioris fortunæ mulierem noluerat ad Ferdinandi colloquium admittere: & addidit Imperator; *Si nos* excludimus inopes à conſpectu noſtro, quid nobis ipſis ad tribunal DEI eveniet?

VI. CONSTANTIA *in promiſſis*. Veritatem & fidem in promiſſis & pactis conſtanter & religioſe *Ferdinandus* coluit, eamque præcipuum munimentum, & præſidium totius politicæ adminiſtrationis & humanæ ſocietatis eſſe judicavit. Quare & ſubditis privilegia & libertates, ad quas tuendas ſe initio gubernationis obligarat, nulla in parte poſtea labefecit, & hoſtibus quoque datam fidem & pacta cum iis inita fideliſſime ſervavit: adeo, ut maximi momenti arces hoſtiles, *induciarum tempore* ſibi à præfectis per traditionem *oblatas*, conſtanter repudiarit: Quæ virtus etiam infenſiſſimi hoſtis Solymanni Turcarum Imper. oratione, paulo ante mortem, honorifice celebrata eſſe dicitur. Nec vero literis tantum & ſigillis, ſed etiam nudis verbis promiſſa inviolate præſtitit: ita ut exigenti promiſſa militi veterano, etſi initio immoderatam fuiſſe petitionem militis dicebat, tamen cum opponeret miles, potuiſſe Imp. tunc negare eum peteret, at nunc ſine turpitudine, quod pollicitus eſſet, reſcindere non poſſe: ſtatim reſponderit: Si ex duobus alterum me ferre oportet, levius rerum, quam famæ jacturam ſubibo: ac ſtatim illi, quod petebat, præberi juſſit.

VII. LIBERALITAS & BENEFICENTIA. *Ferdinandus* Imper. bene meritis de ſe Ducibus, & aliis miniſtris, quorum ipſi fides, & erga ſe benevolentia, cum mediocribus etiam officiis conjuncta

juncta prædicabantur, eximia & regia liberalitate gratiam retulit, & multos, quorum virtutem & induſtriam probabat, ex humili & abjecto loco, ad magnas dignitates, potentiam & opes evexit. Etſi autem multi ab eo evecti & ornati beneficiorum immemores, & ingrati & perfidi poſtea exſtiterunt: tamen nihilo pigrius dandum aliis, & benefaciendum cenſebat, exemplo DEI, qui Solem benignitatis ſuæ gratis ſplendere ſinit.

VIII. *Amor Literarum & Literatorum. Ferdinandus* Imper. excellenti bonarum artium cognitione excultus fuit, doctoſque viros in magno precio habuit. In menſa familiariter audivit eruditorum virorum diſputationis de natura rerum aut alia parte utilis doctrinæ. Ipſe non modo multa prudenter ſciſcitabatur, ſed etiam erudite ſuam ſententiam proferebat: & ſingulari clementia & munificentia doctos ornabat, ac (ut Sylla,) etiam malis poëtis carmina ſua ipſi exhibentibus, præmia dabat hac conditione, ne quid poſtea ſcriberent. Ita neminem, in quo ſimulacrum aliquod doctrinæ appareret, à facie ſua triſtem diſcedere Ferdinandus Imper. patiebatur.

II. *ACTA SAGATA.*

Ferdinandus ut Princeps pacificus fuit, ſic etiam non multa bella geſſit, niſi quæ ſumma neceſſitate adactus ad defendendum regnum Hungariæ contra immanitatem Turcicam ſuſcepit. Cum enim, poſt ſoceri *Ludovici* Regis Hungariæ mortem, (qui anno 1526 poſtquam cum Turcis infeliciter in campo oppidi Mohaß conflixiſſet, & ad 15 millia Chriſtianorum ex exercitu amiſiſſet, in fuga ab equo recidente in palude oppreſſus eſt) ad ditiones Auſtriacas Bohemia etiam, & Hungaria acceſſiſſent, & diſtracto in factiones Hungariæ regno, multi *Johannis Vayvoda* Tranſylvani partes, Turcici Tyranni patrocinio & auxiliis innixi, ſequerentur: plurima & fere continua bella adverſus Turcas gerere coactus eſt, donec tandem circa annum Chriſti 1560, induciæ in octo annos inter Solymannum Turcarum Imp. & Ferdinandum factæ. Fuit quidem Ferdinandus præliator non tam felix, atque Carolus frater: tamen in illis difficillimis fluctibus bellorum, & in tanta armorum imparitate, manifeſte conſpecta eſt dextra DEI, quæ Ferdinandum, Hungariam, Bohemiam, Auſtriam, Sileſiam & alias provincias adverſus potentiam Turcicam clementer defendit. Et quamvis Hungariæ præcipuos tractus videamus amiſſos, tamen Turcæ mirifica DEI ope repreſſi ſunt, ſæpiuſque parva manu territi, ne progrederentur ulterius, & vicinas regiones abſorberent. Quaternis expeditionibus terribilibus ipſe Solymannus tanquam horribile fulmen Ferdinandum invaſit, & quidem ſpe ſua totam Germaniam devorarat. Sed divina ope, magna parte Turcici exercitus amiſſa, repulſus eſt, & hactenus ita repreſſus, ut in vicinam Germaniam penetrare non potuerit. Tota igitur Germania gratiam ſempiternam Ferdinando debet, quem DEUS murum patriæ contra immaniſſimorum hoſtium irruptiones eſſe voluit. Cætera pacificam & tranquillam vitam Ferdinandus egit, & continuos illos ſex annos, quibus à morte Caroli fratris Imperio ſolus præfuit, pax quoque continua in omnibus Imperio ſubjectis ditionibus viguit: nec minus Ferdinandus pace, quam Carolus bello floruit, maxime cum eundem ſtatum, ab initio ad finem Imperii ſui, & mortem uſque, deduxerit.

AXIOMA.

Poſt bellatores DEUS *pacificos & togatos Principes excitare ſolet, qui ornamenta pacis recte ordinent, & nervos gubernationis confirment.*

Sic DEUS poſt Davidem bellatorem, qui debellatis & domitis vicinis gentibus comparavit ſucceſſoribus inſignem potentiam, dedit *Salomonem*, qui fuit gubernator pacificus, & ea curavit atque executus eſt, quæ fuere opera propria pacis; & quidem illa ipſa, de quibus expreſſa mandata à patre acceperat.

Sic poſt *Julium Cæſarem* DEUS *dedit Auguſtum*: Poſt *Carolum Magnum*, qui bella geſſit difficillima, *Ludovicum Pium*: poſt *Trajanum, Adrianum*: poſt *Carolum* V, *Ferdinandum*, qui pacem in Germania conſtituit, & lata lege de ſacra pace eandem confirmavit.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Quantus pietatis zelus in *Ferdinando* Imperat. fulſerit, omnes ejus actiones oſtendunt. Semper enim eum in id toto pectore, tum publice per comitia & conventus, tum privatim per ſuos incubuiſſe conſtat, ut latius quotidie ſerpentes religionis controverſiæ, quoad licuit, exſtinguerentur. Quamobrem Ferdinandum ſæpius in hæc verba erupiſſe, *Crato à Craftheim* (*in Epiſtola prælimin. Hiſtor Bohem. Dubravii*) refert: *Inter ſumma, quæ* DEUS *in gubernatione Imperii mihi conceſſit, primum atque maximum vero animi judicio hoc duco, quod ad ſedandas diſcordias publicas animum adjeci, & pacificationis in religione formulam* DEUS *mihi in mentem dedit.* Ejus namque authoritate & conatu tranſactio Paſſavienſis obtenta eſt, in qua

Pax Auguſtanam Confeſſionem amplectentibus conceditur. Hæc tranſactio Cocilium Tridentinum diſſipavit, religionem ſinceriorem ab oppreſſione Pontificia liberavit, eique pacem dedit perpetuam, captivis Principibus Electori & Landgravio libertatem reddidit, & libro INTERIM finem adtulit. Hanc anno 1555 ſecutum eſt decretum pernobile, ne ulli Principi, Comiti aut Civitati Imperiali bellum inferretur, aut quocunque modo vis adhiberetur ſive noceretur propter Auguſtanæ Confeſſionis doctrinam, religionem atque fidem. Et poſtea anno 1559, in comitiis Auguſtæ celebratis, quibus ipſe *Ferdinandus* Imp. multique Principes interfuere, pax religioni data in perpetuum confirmata eſt: teſte *D. Chytræo* aliiſque.

Hic liber ſubjicere *Ferdinandi* Imper. epiſtolas ad *D. Lutherum*, & *Georgium Caſſandrum* ſcriptas, ex quibus, quantam religionis curam habuerit, totiuſque Eccleſiæ pacem quæſiverit, luculenter patet.

1. *Epiſtola* D. FERDINANDI, REGIS *Romanorum, de veritate doctrinæ Evangelicæ per* D. Martinum *in lucem denuo productæ, prout ea habetur apud* D. Polycarpum Lyſerum, *concionatorem Electoralem Saxonicum aulicum, in libello contra* Gretzerum *Jeſuitam: & apud Heinſfeldium*, Tomo I, Reichsſatzung *folio* 174.

FERDINANDUS, DEI GRATIA Romanorum, itemque Ungariæ & Bohemiæ Rex. Quanquam, vir honeſte, docte atque devote, antehac, cum in Germaniam veniremus, & primum Principalem, mox etiam, Divina clementia ſic diſponente, Regiam capeſſeremus gubernationem, ſcripta, quæ iſthòc & proxime inſequenti tempore edebas, doctrinaque tua, minime nobis probarentur, ſed potius concionatorum ac confeſſionariorum quorundam noſtrorum aſſertione perſuaſi, iſtæc ceu hæretica perverſaque, ac Romanæ Eccleſiæ decretis ſtatutiſque adverſa minimeque congrua damnaremus; non ſuperſedimus tamen per annos duos proximos adhinc libellis quibuſdam tuis, præſertim vero expoſitionibus Pſalmorum, eorum maxime, qui de regio ac principali regimine tractant, legendis tantum, quantum cæteris noſtris graviſſimis negociis ſuccidere licuit, temporis impendere. Cui inſuper acceſſit, quod non ita pridem unus è confeſſionariis noſtris, ordinis Parviſiorum, quem ex Hiſpaniis nobiſcum adduximus, fatis pie defunctus, paulo ante obitum ſuum nobis ad ſe vocatis confeſſus eſt, quomodo nos hucuſque ſeduxerit, neque veram ad æternam ſalutem viam oſtenderit, orans & obſecrans, ut noxam hanc ipſi clementer condonaremus, atque deinceps una cum regnis noſtris principatibus atque provinciis ſalvificam S. S. Evangelii doctrinam, quod per te fideliter doceatur, atque in lucem proferatur, abſque mora recipiamus, nec non cariſſimo Domino noſtro ac fratri Romanorum Cæſari, Ducem nos atque authorem, idem ut Majeſtas ipſius atque fraternitas faciat, præbeamus: hoc enim pacto tanto lætius ſeſe atque lubentius ſeculo huic valedicturum.

Præterea cognovimus quoque è conſiliariis noſtris, Regnique noſtri fidelibus, Generoſis atque Nobilibus *Johanne Offlingio*, Cancellario Bohemico, & *Andrea Vngnad*, utriſque Baronibus, qui precedenti autumno Torgæ & concioni tuæ interfuere, & tecum coram collocuti, quod tum temporis dignum Chriſtiano homine ſermonem habueris, præſertim de bonis operibus, facto inter hæc diſcrimine ſatis bono, nec non quo cætera doctrinæ tuæ, & quibus ea nitatur argumentis, ſcitam iis rationem reddideris. Hiſce igitur & aliis de cauſis profeſſioni Chriſtianæ convenientibus, maxime vero, quod Papam & Clerum ejus, quorum Ordinem, doctrinam, & vitam (quantum nonnihil è ſcriptis tuis cognovi) multis modis graviter taxas, adeo puſillanimes & (quod omnino fatendum) imparatos firmaque defenſione deſtitutos deprehendimus; animus noſter, quo antea in te fuimus ſatis infenſo, clementior nunc erga te factus, atque (pro quo æternas DEO gratias agimus) eo nunc converſus, ut jam doctrinam tuam, dummodo ſcripturis Biblicis atque Divinis conſtanter inhæreas, neque ſeditioſi quid, aut quod contra CHRISTUM ſit, eidem admiſceas, bene ferre ac tolerare queamus. Siquidem nunc demum (proh dolor) ſatis deprehendimus, Papam *ejuſque* aſſeclas hucuſque ſuo tantum commodo ſtuduiſſe, & ſiliquas nobis pro frugibus diſtribuiſſe ac venditaſſe. Quamobrem animum induximus, hujus, ut & aliorum quorundam permagni momenti negociorum cauſa, paucos intra dies ad præmemoratam Cæſaream Majeſtatem, Dominum fratremque noſtrum longe dilectiſſimum, legationem inſignem, quæ S. S. Evangelicæ doctrinæ bene faveat, in Hiſpaniam mittere, atque cum iſta de rebus hiſce, pro prædicti confeſſionarii noſtri, piæ memoriæ, narratione precibuſque, & propria noſtra ex libris tuis hauſta iſtarum notitia, diligenter agere, ſedulaque cohortatione conniti, quo dilectionem ipſius, ita uti minime dubitamus, in eandem adducamus nobiſcum ſententiam. Sin vero à Majeſtate ejus id impetrare haud licuerit, decrevimus nihilominus tanquam Romanorum Rex (parum morantes illud,

lud, quod Papa meditatur, Concilium) comitia Imperii univerſalia opportuno quodam in loco conſcribere, ac cum Ordinibus civitatibuſque, te atque aliis ſacrarum literarum peritis in conſilium adhibitis, eniti, quo fidei ac religionis articuli ad normam divinæ veritatis in unanimem denuo rediganturconſonantiam. Hæc ſunt, quæ per clementi animo ſcire te voluimus, quo interim in veritate tanto ſtrenue magis operari, cœptaque perficere pergas. Dabantur in Comitatu noſtro Tiroli, in oppido noſtro OEniponte, primo Februarii, anno 1537. Regnorum noſtrorum Romani 7, reliquorum 12.

FERDINANDUS.

Inſcriptio epiſtolæ.

Honeſto doctoque ac devoto noſtro, ac ſacri Imperii fideli dilecto Domino Martino Luthero, *ſacrarum literarum Doctori Witteberga.*

Sequuntur literæ *Ferdinandi* Imper. ad *Georgium Caſſandrum.*

EPISTOLA I.

FERDINANDUS, Divina favente clementia electus Romanorum Imperator: ſemper Auſtus, *&c. Docte, fidelis, dilecte.* Cum nobis eximia tua eruditio, ac ſingularis pietas, ardentiſſimumque juvandæ Eccleſiæ Catholicæ ſtudium magnis laudibus commendatum fuerit; in certam ſpem venimus, tuam præſentiam & operam nobis in quodam magni momenti negocio, ad gloriam DEI Opt. Maximi, ac ſalutem & beneficium Regnorum & Dominiorum noſtrorum, atque univerſæ Germaniæ, pertinente, quod modo præ manibus habemus, haud vulgari uſui futuram.

Ideoque abs te clementer poſtulamus, ut quamprimum tibi præſentes literas reddentur, diſpoſitis mox rebus tuis privatis, non graveris huc ad nos venire: quo ad duos, aut tres menſes, prudentia, conſilio & induſtria tua uti queamus. Viaticum acceptorus es 300 florenorum, cura & opera Johannis Lang / Commiſſarii noſtri, Spiræ exiſtentis. Et, ſi fieri poterit, aliquot libros etiam Theologicos, ad hoc ſeculum noſtrum accommodatos, tecum adferas. Feceris enim in his rem virtute tua dignam, & nobis ſingulariter gratam, omni erga te benignitate Cæſarea recognoſcendam. Datum in civitate noſtra Vienna, die 22 Maii, anno Domini 1564. Regnorum noſtrorum: Romanorum 34, Aliorum 37.

FERDINANDUS.

Inſcriptio Literarum.

Docto, noſtro & Sacri Imperii Fideli, dilecto, Georgio Callandro, *Theologo.*

EPISTOLA II.

FERDINANDUS Divina favente clementia electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, *&c.* Honorabilis, fidelis, nobis dilecte; Accepimus tuas literas Dusburgi die 28 Junii datas, quibus te excuſas, quod propter adverſam valetudinem, qua te majorem anni partem in lecto detineri oſtendis, non poſſis, ſicut nos ſummopere cupiebamus, hoc tempore ad nos venire. Id quod nobis valde moleſtum accidit, cum propter magnitudinem negocii, in quo tua decrevimus uti opera, tum etiam, quod pro ea benignitate, qua te complectimur, dolemus, te, uti virum, cujus pietas, doctrina, & ardentiſſimum juvandæ Reipub. ſtudium nobis ſummopere commendatum eſt, morbo impediri, quo minus deſiderio tuo juvandæ & pacificandæ Eccleſiæ valeas in hac parte ſatisfacere. Itaque haud gravatim acquieſcimus in humili & nimis neceſſaria excuſatione tua, qua utique vellemus tibi non fuiſſe opus. Cum vero nobis in hac re abſens quoque poſſis & velis inſervire vel ſcribendo, vel cum aliquo erudito & pio viro, qui ea ad nos referat, conferendo, nos id ipſum benigno abs te animo ſuſcipiemus: ſiquidem illud etiam futurum nobis eſt gratum, ſi quod hic fieri volebamus, domi tuæ conficias, licet fortaſſis præſentia tua ad rem bene gerendam plurimum momenti allatura fuiſſet. Eſt autem illud, quod à te requirimus, ejuſmodi:

Recordamur nimirum, ſuper Articulis Auguſtanæ Confeſſionis, quæ à nonnullis Sacri Romani Imperii Electoribus, Principibus & Statibus, Divo fratri noſtro, præclariſſimæ memoriæ, Imperatori CAROLO V, anno 1530 exhibita fuit, una cum Apologia ejuſdem Confeſſionis, concordiæ & unitatis ſarciendæ gratia, antehac in Sacro Romano Imperio diverſis locis & temporibus ſæpius Conventus, Colloquia & Tractatus inſtitutos fuiſſe: & utcunque tales Conventus & Tractatus non omnino ſint ſortiti plenum & optatum effectum, interdum tamen inter colloquentes, ſeu diſputantes, de nonnullis Articulis non poſtremis quadantenus conveniſſe; reliquorum vero, qui adhuc ſunt in controverſia, non uſque adeo magnum eſſe numerum: nobiſque à multis piis, doctis, Catholicis & modeſtis viris, non exiguam ſpem factam fuiſſe recuperandæ unitatis & concordiæ in Eccleſia, nec non conciliandorum animorum, qui nunc perniciotiſſima

ſima diffidentia & ſimultate ob Religionis differentiam diſtracti ſunt, *ſi manifeſti illi abuſus, qui hiſce noviſſimis & calamitoſis temporibus in Eccleſiam Catholicam irrepſerunt, expurgarentur, & è medio tollerentur, & quædam, quæ magis ſunt poſitivi Juris, quam Divini, concederentur*: ac præterea quædam diſputationes nimis ſubtiles & abſtruſæ, quarum cognitio, cum excedat captum rudis populi, non videtur uſque adeo illi ad ſalutem eſſe neceſſaria, ad alia feliciora tempora rejicerentur; & illa, quæ ad fidem & mores ac intellectum & uſum Sacramentorum & ceremoniarum pertinent, probe inſtituerentur.

Cum igitur nobis ut Imperatori Catholico, pro ratione divinitus nobis commiſſi muneris incumbat, ſedulo curare, ut fideles ſubditi noſtri ex errorum & hæreſium laqueis, quibus miſerrimum in modum ſunt irretiti, divina benignitate eripiantur, noſque cenſeamus, omnem nobis movendum eſſe lapidem, ut tandem hujuſce pii voti noſtri compotes reddamur:

Cupimus proinde abs te, compilari primo quoque tempore SUMMARIUM quoddam doctrinæ Catholicæ, in quo, præter antiqua & indubitata dogmata fidei Catholicæ, in Confeſſione Auguſtana comprehenſa, quæ ſemper fuerunt extra controverſiam poſita, inprimis explicentur illi omnes Articuli dictæ Auguſtanæ Confeſſionis, qui vel hinc inde inter eruditos utriuſque partis ad concordiam ſunt deducti, vel pro conſtituenda unitate & quiete adhuc poſſunt ſalva veritate Catholica concedi & indulgeri: adductis præterea rationibus brevibus & ſubſtantialibus, cur in reliquis, qui forte ſupererunt, Eccleſia Catholica cedere non poſſit.

Deinde colligantur illi quoque Articuli, qui nunc quidem ab iis, qui Auguſtanam Confeſſionem profitentur, contra Religionem Catholicam vocantur in controverſiam, quibus tamen ipſa Confeſſio Auguſtana ſaltem expreſſe non contradicit, vel quos etiam ex parte approbat.

Poſtremo recitentur etiam ſuccinctæ aliæ quædam opiniones, partim reprobatæ, partim etiam fanaticæ: quarum nonnullæ quidem anteeditam Auguſtanam Confeſſionem, multo major vero pars ab eo tempore orbem Chriſtianum invaſere, quæ nec ipſi Confeſſioni Auguſtanæ, multo minus Catholicæ Religioni congruunt. Ita ut tale Summarium ſit quaſi Methodus quædam, ad quam Parochi & Concionatores in Regnis atque Provinciis noſtris exiſtentes, doctrinam ſuam, tanquam ad regulam dirigant atque accommodent, adeoque probatam & ſanam doctrinam ab adulterina & pernicioſa internoſcere atque diſtinguere, & quid ipſis tam in prædicatione ad populum DEI, quam in adminiſtratione Sacramentorum, ac reliquis ceremoniis Eccleſiaſticis, tenendum vel fugiendum ſit, clare diſcernere poſſint. Quæ Methodus quo plauſibilior erit, & quo longius fuerit à contentione remota, eo gratiorem & utiliorem quoque futuram, diffidendum non eſt.

Deſideramus autem, ut hoc opus abſque omni mora in DEI nomine aggrediaris, & perfectum illico ad nos tranſmittas. Ita namque extrema poſtulat Regnorum ac Dominiorum noſtrorum neceſſitas: neque dubites, hunc tam inſignem laborem DEO, cujus res agitur, acceptum fore, quem nos ſane erga te Cæſerea noſtra beneficentia recognoſcemus. Nunc vero juſſimus tibi à Commiſſario noſtro Spiræ exiſtente, *Georgio* Lang / numerari centum florenos, quos ab eo accipies, gratiam noſtram de cætero quoque exſpectaturus. Datum in Civitate noſtra Vienna, die 15 Julii, anno 1564, regnorum noſtrorum, Romani 34, aliorum vero 38.

FERDINANDUS.

Ad mandatum Sacr. Cæſar. Majeſt. proprium.

V. Johan. Bapt. Weber.
M. Singkmoſer.

Inſcriptio epiſtolæ.

Honorabili, Docto, noſtro & Sacri Imperii Fideli Dilecto, Georgio Caſſandro, *Theologo.*

CAPUT III.

DE EGRESSV.

FErdinandus Imperator, mortalitatis *ſuæ memor*, quotidie ad mortem ſe præparabat, dicens: Ego mortem minime formido, quando in illius recordationem incido, ſeu alios de ea verba facere audio. Non ſum ignarus, & mihi à DEO mortem eſſe conſtitutam: tantum oro, ut DEUS beatiſſimum ex hac vita exitum mihi largiatur. Hæc & ſimilia pietatis ſuæ in DEUM, invocationis, ſpei & patientiæ teſtimonia ſæpiſſime edidit. Proinde corporis viribus propter ſenectam deficientibus, apud Electores Imperii inſtitit, facileque obtinuit, ut ſuus natu major filius Maximilianus Rex Romanorum renunciaretur Francofurti, exeunte anno 1562. Inde teſtamentum ſuum fecit, in quo ordinavit, quaſnam quilibet filius provincias poſſidere, quodque modo dictus Maximilianus in Imperio ſibi ſuccedere deberet. Poſthæc Viennam ſe contulit, ubi in morbum catarrhalem, quem ex aſſiduitate laborum & curarum contraxerat, incidit, cui ſta-

tim

ſim tabes acceſſit, qua plane conſumtus & enervatus eſt. Cum igitur ſentiret, extremum vitæ ſuæ diem inſtare, poſtquam peccata ſua eſſet confeſſus, ſacra Synaxi in utraque ſpecie ſecundum Chriſti inſtitutionem uſus eſt ſumma cum lætitia & devotione, fuſiſque ſine intermiſſione ad DEUM precibus ei ſe totum commendavit: nec ita multo poſt in vera invocatione Filii DEI placidiſſime deceſſit paulo ante ſeptimam veſpertinam, die Jacobi Majoris 25 Julii, anno 1564, cum vixiſſet annos 61, menſ. 4, dies 14, hor. 20, & Imperio Romano poſt Carolum fratrem præfuiſſet annis ſex, menſ. 4, diebus 7. *Matheſius in concione funebri Ferdinandi, P. Jovius, Wolfgangius Lazius, Crucius.*

B. Mencius tale de *Ferdinando* epitaphium compoſuit:

Pax mihi pra bello placuit: placidiſſima ſemper
Principis ingenium pax ſapientis habet.
Pacificus vitam germana morte peregi.
Quæ poſt fata venit, gloria digna venit, &c.

De perſecutionibus Eccleſiæ ſub Ferdinando Imper.

1. Anno 1559 in regnis Hiſpaniæ atrociſſima perſecutio Chriſtianorum ob religionis veræ profeſſionem mota eſt, eaque per univerſam Belgii ſcenam immani & furibundo impetu pervagata eſt. Nam complures & ſummo & infimo loco nati paſſim ab Inquiſitoribus Lutheranæ hæreſeos inſimulati ſunt, qui capti in urbem Valledoletim abducti ſunt, menſe Majo, dieſque ipſis poſtridie dictus, ubi peculiares, ut major reliquos terror invaderet, ceremoniæ inſtitutæ fuere. In medio foro locus editior conſtructus fuit, ubi Judex, Inquiſitores, & Prælati, magno cum faſtu & ſplendore conſidebant. Ex adverſo alia quoque tabulata, in quibus *Philippi* Regis Hiſpaniæ ſoror & filius, & regni proceres conſiderent, judicii ſpectatores futuri, conſtructa erant. Præterea ingens ubique multitudo confluxit, Tragœdiam hanc novam & atrocem ſpectatura. Capivorum erant triginta. His accedebat matronæ cujuſdam, quam fama Lutheranæ doctrinæ addictam fuiſſe ferebant, corpus exanime, quod è ſepulcro effoderant, ut cum reliquis cremaretur. Qui adducti, certoque ordine ſedere juſſi, iniquorum Judicum ſententiam de capite ſuo ferendam exſpectabant. Primam ſatis prolixam concionem Dominicani Ordinis Monachus habuit. Deinde Epiſcopus Sevilienſis Regem aliosque Principes, & regni Proceres, in altero loco ex adverſo ſedentes, acceſſit, petens, ut Regia Majeſtas Eccleſiaſticum judicium, & jus inquiſitionis clementer confirmare & tueri dignetur, omneſque ſubditos cogat, ut Romanæ Eccleſiæ ejuſque mandatis & decretis obtemperent. Hinc jurejurando utrinque zelum ſuum in tollendis hæreticis confirmant, impoſitis digitis imagini Chriſti crucifixi, & libro Miſſis celebrandis deſtinato. Lata deinde ſententia, quatuordecim ex captivis, aſinis impoſiti, & ex urbe ad locum ſupplicii educti; Ubi quatuordecim (inter quos fuere *D. Auguſtinus Cacalla*, qui olim *Carolo* V à concionibus fuerat in Germania: item *Franciſcus Bivetus Cacalla* frater, antea ſacrificus: *Antonius Pereſius* itidem antea ſacrificus Valentiæ: *Chriſtophorus del Campe* Zamorenſis: *Chriſtophorus de Padilla*, civis Samorienſis: *Antonius Heſvellus*, Torenſis, &c.) columnis in terram ibi defoſſis alligati, & laqueo ipſis gutture obſtricto, combuſti ſunt. Reliqui ſedecim partim ad perpetuos damnati ſunt carceres; partim ea notati ſunt ignominia, ut per aliquot annos gilvo amictu induti, aliis eſſent deſpicatui. Hiſtoria hæc in tertio libro Fincelii prolixe deſcribitur. Conſule *Inquiſit. Hiſpan. ab Urſino editam.*

11. Anno 1560, in Gallia, Chriſtianorum horrenda & atrox exorta perſecutio omnem verborum ſuperat vim & grandiloquentiam. Lutetiæ Pariſiorum, aliiſque in locis, in Chriſtianos, gladio, laqueo, rota, flagris, igne, & aliis tormentis exquiſitiſſimis ſæviebatur, nullus in iis torquendis, jugulandis, perimendis, erat modus: adeoque nullus oriebatur dies, qui non atrociſſima Chriſtianorum tormenta intueretur & deploraret, nec ullius dignitati, vel ætati, vel ſexui parcebatur. Sed undique citra diſcrimen, partim per indicium, partim per ſuſpicionem, ad immaniſſima rapiebantur tormenta & ſupplicia: adeoque ſævitia & barbaries longe quam Turcorum atrocior in nobiles matronas & virgines exercebatur. Nam turbulenta plebs & ſcurræ capitis velamenta veſteſque ipſis deripientes, capillis eas fœde raptabant, conſpurcabant, oculos dilacerabant, tum ſtercore lapidibuſque eas petentes, nihil ſævitiæ, qua miſeras inſectarentur, relinquebant. Qua tragœdia ab inſaniente plebe peracta, ad ignem abductæ ſunt: ibi citra omnem commiſerationem veſtibus nudatæ, flagriſque cæſæ, deinde in flammas conjectæ, & in cinerem redactæ ſunt. Nec tamen generoſæ illæ Martyres per tot furores & tormenta abduci à veritatis confeſſione potuerunt; ſed Chriſtum læta mente confeſſæ ſunt, hymniſque ſpiritualibus celebrarunt. Quæ res ad eam inſaniam tyrannos adegit, ut multis ligno per tranſverſum ori ingeſto loquendi facultatem adimi,

multis etiam linguas præcidi mandarent, & deinde cum exprobratione iis inſultarent, Eia, clamantes, quin Lutheri veſtri fidem & Evangelium confitemini? Audiamus cantilenam veſtram, cujus initium: NUNC IMPLORAMUS SPIRITUM SANCTUM. Eia, audiamus cantilenam veſtram: FIRMUM NOBIS PRÆSIDIUM DEUS NOSTER. *Jobus Fincelinus lib. 3. de Miraculis.*

Hanc tyrannidem in plurimos homines innocentes DEUS in Rege *Henrico* II, ejuſque Cancellario Oliverio, graviter etiam in hac vita ultus eſt. Rex enim comminatus fuerat, *ſe ex Lutheranorum cineribus montem maximæ altitudinis & latitudinis confecturum, cui vix ſimilis in Galliis exſtaret.* Cum autem Filio DEI *Jeſu Chriſto* videretur hic Rex menſuram crudelitatis ſuæ impleviſſe: apprehendit ſceptrum ferreum, & hunc perſecutorem, tanquam vas figuli proſtravit & comminuit. Cui enim Pariſiis, anno 1559, nuptiæ *Philippi* Regis Hiſpani celebrarentur, & in ludis equeſtribus GABRIELEM Comitem Mongomerium porrecta haſta ad certamen equeſtre invitaret, & invitum cogeret, *Mongomerius* cum Rege concurrens haſtam quidem eleganter ſuper Regis thoracem ferreum fregit, ſed galea Regis non ſatis clauſa admiſit tenuiſſima quædam fragmenta haſtæ Mongomerianæ, quæ ſupra oculum Regis per cranium in cerebrum penetrarunt, ex quo vulnere cum graviſſimos cruciatus novem dies toleraſſet, die 10 Julii intra duodecimam & primam diei horam exſpiravit, qua ipſa hora 10 Junii Senatores Pariſienſes Lutheraniſmi accuſatos Mongomerio (qui poſtea anno 1574 Lutetiæ in publica platea ſecuri percuſſus eſt, crimine perduellionis ei afficto) captivandos & cuſtodiendos mandaverat, cui poſtea in ludo equeſtri propria manu haſtam, qua occiſus fuit, in manus tradiderat. *Bucholtzerus, Chytræus, Nigrinus, & alii.*

Memorabile quoque eſt, quod de miſerabili *Henrici* Regis Cancellario OLIVERIO *Henricus Petri* & *Beutherus* referunt. Is cum triſtem in pios viros, qui Cabreriis & Merindolii Provinciæ oppidis puram religionem exercerent, ſententiam latam ſuffragio ſuo contra conſcientiæ judicium approbaſſet: ac poſtea veritatis cognitione imbutus, ſæpenumero faſſus eſſet cum lacrymis, ſe merito ob id à DEO rejectum: tamen in tumultu Amboſiano præcipuus inter eos judices ſedit, qui multos pios ac ſtrenuos viros, tyrannico peregrinorum jugo & Regem ipſum & populum Galliæ liberare fortius quam felicius molitos, velut perduelles, reluctante conſcientia, damnarunt. In iis cum Petrus Campagnacus, literatus adoleſcens, ad cauſam dicendam productus eſſet: Cancellarius, eo neque audito, neque interrogato, *ſuſpendite*, inquit, *ſuſpendite hunc hominem.* Quid? ſuſpendite, ait Campagnacus: Facile quidem tibi id dictu eſt. At ſi tu, ex quo id factis promeritus, ſuſpenſus eſſes, jam ante 30 annos paviles corvos, nec tot ſcelerum miniſter fuiſſes. Recordare mecum quid admiſeris, cum Pictavii juri civili operam dares. Num te eo tempore unum è contubernalibus tuis ſcelerate interfeciſſe meminiſti: atque inde in tantum patris odium veniſſe, ut ex eo tum conſpectum ſuum venire vetuerit? Ac re ipſa quidam Arquinvillerius quidam, *Oliverii* tum ſocius, perditus nebulo, propter hoc facinus Lutetiæ ſuſpenſus fuerat. Ad hæc verba adeo perculſum memoria facinoris *Oliverium* fuiſſe conſtat, ut, obruto mœrore & inſania animo, & inde gravi morbo implicitus, horribiliter adverſus DEUM fremeret. Tanta interea ægritudinis & horroris vehementia acceſſit, ut, quanquam defecto corpore & aſſiduis morbis debilitato, phreneticitamen inſtar aut robuſti alicujus adoleſcentis, totum cubile concuteret. Ita ægrotantem viſit Cardinalis Lotharingus: ſed *Oliverius*, cum ſuos ejus adventu cruciatus augeri ſentiret, faceſſere propere cubiculo jubens, ne ipſius quidem conſpectum pati potuit. Ut vero paulo longius ſemotum animadvertit, tum altius ingemiſcens, in has voces erupit: *O Cardinalis Lotharingiæ, tu in cauſa es, ut omnes in æternum damnemur.* Tum accedere ad ægrum Cardinalis, & conſolando ultro ſpiritus ejus mitigare: Eum videlicet tentari; inquiens, ab immundo ſpiritu, ſed in fide perſtandum eſſe. Egregie, inquit Cancellarius; egregie: quaſi tu hæc credas! Inde adſpectum ejus averſatus, & nihil elocutus ultra, paulo poſt in miſerabili deſperatione *mortuus* eſt anno 1560, cum Annæ Burgii JCti *Galli* mortem præcipue defleret. Hic eſt *Annas* Burgius ille, qui Henricum II Regem ſupplicia adverſus pios ſpirantem à perſecutione animoſe dehortatus fuerat in Parlamento: qua libertate Rex offenſus eum in vincula conjici mandavit, &, ſe oculis viſurum, quomodo cremaretur, dixerat. Sed Rex, cum *Annas Burgius* adhuc captivus detineretur, in haſtiludio (ut ſupra dictum) vulneratus miſerabili morte exſtinctus eſt. *Burgius* autem in carcere multos articulos conſcripſit, in quibus pleroſque Pontificiorum errores, & falſos cultus rejecit & damnavit, magna animi & alacritate & παῤῥησίᾳ. At poſtea ab amicis & cognatis perſuaſus, ut vitæ ac fortunis ſuis conſuleret, aliud ſcriptum adornavit, in quo ad Pontificiam religionem redire videbatur. Admonitus autem ab Evangelico Eccleſiæ Miniſtro, ne pro conſervanda temporali vita

æternam

æternam rejiceret, in viam rediens, revocationem, quam conſcripſerat, abolevit, & priorem Papatus damnationem confirmavit. Quare nulla habita ratione vel eruditionis, vel dignitatis ejus, A.C. 1559, die 21 Decembr. ætat. 37, primum Lutetiæ ſtrangulatus & poſtea crematus eſt, cum paulo ante obitum prolixis verbis ad pœnitentiam & colendum Chriſtum populum exhortatus eſſet.

III. A. C. 1561 Pontifex Romanus *Pius* IV immaniſſimam adverſus Evangelicos perſecutionem exercuit. Curavit enim, ut in Montalo civitate Regni Neapolitani Evangelicæ veritatis Confeſſores in una domo includerentur, & hoc modo mactarentur. Ingreſſus eſt carnifex domum illam, & ordine ſingulos eductos lanienæ tradidit, oculos eorum circumligato linteo velamine texit: hinc in campi planitie, quæ domui, in qua martyres conſtricti tenebantur, vicina erat, in genua procumbere juſſit, cultroque fauces diſſecuit, manibus linteum velamen cruentatum, ore cultrum ſanguine ſtillantem mordicus tenens. Denuo ingreſſus alios produxit, quos ſimili modo ut pecudes aut porcos mactavit, donec cruentati iſtius cultri aciem 88 eſſent experti: qui poſtea in quatuor partes diſſecti, fruſtatim ſuſpenſi ſunt. Equidem grandioris inter eos ætatis junioribus cordatiores erant. Hiſce, quos diximus, è medio ſublatis, centum & quinquaginta deinde feminæ productæ ſunt, ibidem pari modo excarnificandæ. Præterea ſacerdotes ſeptem, poſt peractam prædictarum lanienam, comburendi. Per totam quoque *Calabriam* perſecutio hæc graſſata eſt, in qua ultra 1600 præter ruſticorum turbam (quorum multi ex pœnæ formidine abjecta veritate Pontificiorum impietatem rurſus amplexi ſunt) propter Evangelii confeſſionem in vincula fuere conjecti, & miſerrime excarnificati. *Johus Fincelius lib. 3. de Miraculis.*

XLVI. IMPER. GER.

MAXIMILIANUS II.

CAPUT I.

DE ORTU.

I. PATER ejus fuit FERDINANDUS I Imperator.

II. MATER dicta fuit ANNA, *Ladiſlai* Bohemiæ Hungariæ Regis (qui A.C. 1516. vitam cum cum morte commutavit) filia, quæ pietatis & liberalitatis ſuæ erga pauperes monumentum illuſtre poſteritati reliquit; dum hoſpitale amplum Viennæ condidit, illudque munificentiſſime dotavit.

Ex hiſce parentibus *Maximilianus* prognatus eſt anno 1527, die 1 Auguſti, inter 11 & 12 horam noctis.

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

I. ACTA OECONOMICA.

CONjugem habuit MARIAM, patrui ſui *Caroli* V filiam, h. e. patruelem. Fuit autem conjugium *Maximiliani* caſtum, dulce & fœcundum, ex quo 16 ſuſcepit liberos: quorum octo intra pueritiæ annos mortui ſunt, reliquos ſuperſtites reliquit, videlicet ſex filios, & duas filias.

I. FILII I.

I. RUDOLPHUS, qui fuit primogenitus, & patri in imperio ſucceſſit.

II. ERNESTUS, Princeps benignus, clemens & pacificus fuit. Obiit Bruxellæ, celebri Brabantiæ urbe, A. C. 1595, cum præcedenti anno gubernator Provinciarum in Belgio à Rege Hiſpaniæ eſſet conſtitutus, & 42 annum ætatis attigiſſet.

III. MATTHIAS anno 1557 natus. Huic anno ætatis ſuæ vigeſimo adminiſtratio Belgii unanimi Ordinum conſenſu oblata eſt. Quam ipſe ſtatim in Belgium profectus ſuſcepit; ſed quadriennio poſt gubernatione ſe abdicavit, iterumque in Germaniam ſe recepit: poſtea, bello inter fratrem ejus *Rudolphum* & Turcarum Imp. exorto, ſumma animi alacritate ſe Turcis oppoſuit, & inſignes ab iiſdem victorias reportavit. Tandem A. C. 1612, fratri in imperio ſucceſſit, illudque per ſeptennium laudabiliter adminiſtravit.

IV. MAXIMILIANUS, A. C. 1558. Neoſtadii Auſtriæ in hanc lucem editus. Hic, Rege Poloniæ *Stephano Bathoreo* defuncto anno 1587, à nonnullis regni Proceribus Polonorum Rex dictus eſt: reliqui elegerunt *Sigiſmundum*, filium *Johannis* III, Regis Suecorum. *Maximilianus* cum in Poloniam veniſſet, & non reciperetur, Cracoviam obſedit. Aſt à *Johanne Zamoiſcio* Archicancellario, ſummoque Regni exercituum Duce, (qui à *Sigiſmundi*, qui paulo ante *Maximilianum* advenerat, partibus ſtabat) victus rejectuſque in fines Sileſiæ receſſit. *Zamoiſcius* autem *Maximilianum* cum exercitu ſuo celeri curſu inſecutus, prælio tentato victoriam obtinuit, & *Maximilianum* Archiducem, Procereſque Polonos ipſi faventes, deditionem facere coëgit. *Sigiſmundus* interea receptus & coronatus, accepto de *Maximiliano* captivitate nuncio, eundem, quem antea vultum gravem & tranquillum, nulla lætitiæ geſtientis ſignificatione

edita, retinens, reverenter & honorifice haberi, nec Cracoviæ, tot populorum & gentium hominibus, veluti in theatro, oſtentari, ſed recta in Ruſſiæ arcem Craſniſtavam, non procul à Lublino, cum præſidio ablegari mandavit. *Maximiliano* itaque hunc in modum in cuſtodiam miſſo, multi fortunam ejus doluerunt, & *Rudolphus* Imper. nec non Pontifex Romanus, alii que Principes, ſuos in Poloniam legatos miſerunt, ut pacem inter *Sigiſmundum* & *Maximilianum* conciliarent, eundemque captivitate ſua liberarent: & inter eos tandem anno C. 1589 tranſactum eſt: Ut præteritarum offenſionum ἀμνηστία, pax & amicitia ſit: *Maximilianus* abſque λύτρῳ liber ex Polonia diſcedat, titulo Regis Poloniæ & omni jure deinceps abſtineat: Libloam Cepuſii arcem cum oppidis & pagis adhærentibus reſtituat: Pacta & fœdera antiqua, inter Poloniæ, Hungariæ & Bohemiæ Regna totamque domum Auſtriacam utrinque renovata inſtaurentur: *Maximilianus* liber, cum Cæſareas ditiones attigerit, tranſactionem pacis juramento & literis firmet: nec auxilia Moſchis contra Polonos Auſtriaci ferant. Damna & injuriæ utrinque acceptæ mutuo compenſentur. Jurarunt hoc *Rudolphus*, & alii; Sed *Maximilianus*, cum dimiſſus in finibus Sileſiæ fortioribus copiis, quam Polonicæ eſſent, exciperetur, juramento, quæ acta fuerant, confirmare noluit. *Thuan. hiſt. lib.* 88. *& alii.*

V. ALBERTUS. Hic anno 1559, Neoſtadii in Auſtria natus, in Hiſpania educatus, in Pontificia Theologia inſtitutus, Archiepiſcopus Toletanus, ac poſtea Cardinalis factus: tandem, fratre *Erneſto* defuncto, Gubernator Belgii conſtitutus eſt à *Philippo* II. Hiſpaniarum Rege, cujus ipſe filiam *Iſabellam Claram Eugeniam*, anno 1598, indultu Pontificis ſibi matrimonio junxit; pompa nuptialis Ferrariæ tridui ſpacio plurimorum ſpectaculorum varietate ſplendidiſſime & magnificentiſſime peracta & celebrata.

VI. WENCESLAUS, anno Chriſti 1561, die 9. Martii, Neoſtadii in Auſtria natus, denatus in Hiſpania anno 1578, ætatis 17, biennio poſt Divi parentis obitum.

II. FILIÆ.

1. ANNA MARIA, quam *Maximilianus* pater *Philippo* Hiſpaniarum Regi deſponſavit, eamque A. C. 1570, poſt mutuos datos amplexus, & extremum vale dictum, *Johanni* ab Hoya Monaſterienſi Epiſcopo & ordinis Boruſſiæ Præfecto, in Belgium deducendam tradidit: qui incunte ſextili Rheno ſecundo cum Noviomagum appuliſſent, eam ſolenni ritu in Albani manus tradiderunt: Ille vero Reginam, duobus fratribus junioribus *Alberto* & *Wenceſlao* eam comitantibus, Antwerpiam deduxit. Inde Vliſſingam profecta: mox ibi claſſem conſcendit, & vento ſecundo uſa, ſub exitium Septembris fanum *Andreæ* incolumis appulit, & inde Burgis & Pinciæ, quo ei obviam prodiere *Rudolphus* & *Erneſtus* fratres, Regali cultu excepta eſt: Poſtremo ad *Philippum* Regem venit, ubi ſumma lætitia ac magnificentiſſima pompa nuptiæ celebratæ ſunt: mirantibus tamen, imo indignantibus pleriſque, *Philippum* nulla neceſſitate urgente, nullo manifeſto pacis bono, aut ſpe inde propaganda Imperii, inductum, ſororis filiæ matrimonium expetiviſſe, ex quo nullum emolumentum, multum invidiæ in caput ejus redundaret. Suſcepit autem ex prædicta *Maria* Cæſaris filia *Philippus* quatuor filios, videlicet, *Carolum*, *Laurentium*, *Jacobum*, & *Philippum*, qui ſolummodo ad juſtam ætatem pervenit, patrique in imperio ſucceſſit.

II. ELISABETHA. Hujus ſponſalia cum *Carolo* IX Gallorum Rege pater *Maximilianus* 10 Kalend. Novembr. menſe ſecundo poſt elocatam *Mariam* celebravit. *Ferdinando* Cæſaris fratre ad id à Rege, cum mandato ampliſſimo, & *Carolo* altero itidem fratre auſpice conſtituto, qui Regem repræſentaret: Peractæ à *Daniele Brendelo* Archiepiſcopo & Septemviro Moguntino ceremoniæ, & pridie non. Novembr. in Galliam mox miſſa. Atque ita *Maximilianus* Imperator duas filias duobus potentiſſimis Chriſtiani orbis Regibus uno eodemque anno elocavit: quod inter rara ſummæque felicitatis exempla non immerito commemorandum.

Carolo IX, Gallorum Rege, ſanguinis profluvio inter longos & graves dolores anno 1574 extincto, conjunx ejus *Eliſabetha* Cæſaris filia Viennam profecta, ibi ædificato noſodochio, octodecim adhuc annos poſt mariti obitum vixit, & ut turtur à compare relicta, in ſolitudine & mœſtitia recreationem & voluptatem præcipuam ex lectione & meditatione verbi divini quæſivit, veræque ac ſanctæ viduæ, ſperantis in DEO, & permanentis in precibus, & aſſidua lectione & auſcultatione verbi divini & conſolationum divinarum, ſe ſuſtentantis, ſpecimen ac exemplum fuit.

III. ACTA POLITICA.

1. *Imperii occupatio.*

Maximilianus brevi temporis ſpatio faſtigium omnium dignitatum attigit. Bohemiæ enim Rex electus eſt Pragæ die 20 Septembr. A. C. 1562. Deinde Romanorum Rex renunciatus, & Francofurti coro-

coronatus est, die 30 Novembris ejusdem anni. Hungariæ inde Rex die 8 Septembr. anno 1563 electus est. Denique A. C. 1564, Divo parenti *Ferdinando* defuncto, ad imperium, publicis omnium hominum precibus & votis, promtissimisque cunctorum Principum suffragiis, evectus est, cum mirifica heroicæ bonitatis, sapientiæ, moderationis, affabilitatis, & cæterarum virtutum suavitas & pulchritudo in omnium animis oculisque fulgens, omnium corda sibi devinxisset, nec ulla crudelitatis aut injuriæ suspicio de illo in illius animo hæreret.

II. *Imperii administratio.*

1. ACTA TOGATA.

Maximilianus fuit Princeps religiosissimus, multarum linguarum notitia, exquisito judicio, tenaci memoria ornatus, justitiæ custos, moderatus, paterno animo de publica salute & pace perpetuo sollicitus, avaritiæ censor acerrimus, diligens & assiduus, literarum studia Ecclesiæ necessaria fovens, denique singulari clementia, lenitate, beneficentia, mansuetudine & comitate paterna erga omnes præditus. Has autem optimi Principis virtutes in æternum prædicandas, si exemplis illustrare vellemus, nimis prolixi essemus: quod non est nostri instituti. Quare studiosi legant *D. Johannis Cratonis* Archiatri Cæsarei orationem, laudes *Maximiliani* sapienter & docte recitantem: in qua oratione multum est canæ scientiæ, arcanæ sapientiæ, senilis prudentiæ, & eruditæ eloquentiæ: adeo ut oratio, recitans laudes Imperatoris, non taceat laudes Oratoris.

2. ACTA SAGATA.

1. Cum *Johannes Sigismundus Transsylvaniæ* Princeps, *Solymanni* Turcici Imp. clientela fretus, expugnato Zatmaro Regem Hungariæ se fecisset; *Maximilianus* statim, postquam Imperator esset renunciatus, ei opposuit *Lazarum Svvendium* Nobilem Suevum, (quem postea Imperator ob merita in Remp. Baronem Altæ Landisbergæ fecit) consilio, vigilantia, fortitudine, celebritate & disciplina militari inclytum, qui Transsylvanum in eas angustias redegit, ut *Solymannum* in auxilium evocaret, multasque arces & dominia amplissima, videlicet Tockaium, Zatmarum, Zerencium, Erdeudam, Kuvaram, Bathoram, Wibaniam, Senderaviam, aliaque insignia loca prospero victoriæ cursu expugnavit, & *Maximiliani* II imperio subjecit. Quoniam autem *Solymannus* tunc temporis insulam Melitam ducentarum & quinquaginta navium classe oppugnabat, tardius Transsylvano auxilia supperebant. Melita insigni Christianorum fortitudine defensa est, & Turca, cum quatuor menses hoc bello absumsisset, & hyems appropinquaret, re infecta, & magna clade accepta, amissis scilicet suorum 25 millibus, discessit. Ex Melitensibus 240 equites, militum tria millia cæsi sunt. *Leoncla. Levinus. Chron. Saxon.*

11. Cum *Solymannus* anno sequenti tum fere octogenarius à Transsylvaniæ Principe exoratus expeditionem in Hungariam suscepisset, eam totam rapinis vastaret, & ad Zigetum (quod eo tempore fortissimum Christianorum contra Turcas erat propugnaculum) excidendum & everrendum tantas adhiberet copias, ut aliquot milliaria in longitudinem complerent: *Maximilianus* Imperator cum numerosissimo expeditissimoque Christianorum exercitu ex omni pene Germania collecto in regnum Hungariæ, post prima imperii sui comitia, A. C. 1566 Augustæ habita, descendit, ut hostium vim reprimeret, eosque ab Imperii finibus arceret. Castra igitur sua mense Junio ad Jaurinum posuit, ubi usque ad hyemem commoratus non solum Hungariæ, sed etiam totius Christianismi propugnacula contra hostiles incursiones juvenili ferocia tutatus est. Dux ejus Lazarus Suendius contra Tartaros, qui à *Solymanno* exciti, per superiores Hungariæ partes late discurrebant, prædas abigebant, omniaque flammis vastabant, multis hominibus omnis ætatis & sexus partim cæsis, partim in perpetuam servitutem abductis, fortiter pugnabat, eorum ad 10 millia superabat, cædebat, ac finibus ejiciebat, atque multas arces & munitiones expugnabat. Licet interim Zigetum à Comite Serinio acerrime contra Turcas, ducentis armatorum millibus illud obsidentes, defenderetur, tandem tamen decima quarta oppugnatione expugnatum est. In illius autem expugnatione singulare specimen fortitudinis suæ *Nicolaus Serinius* edidit. Cum enim per totum mensem obsidionem ingenti animo toleraſſet, ad extremum fame, siti, omniumque rerum inopia & miserabili tot mulierum & infantium ejulatu pressus, ac omni alio auxilio destitutus, ultima experiri voluit: ante eruptionem igitur pretiosa vestimenta promi jussit, eaque pro lorica induit; galeæ item loco galerum sumsit ex villoso serico, pala, in qua magni pretii adamas inclusus erat, & ex qua pennarum ardeatinarum fasciculus cristæ instar assurgebat, insigni; gladios præterea quatuor ex armamentario produci imperavit, quorum unius acie tentata eum sibi delegit, reliquos inter amicos distribuit; hæc arma sufficere ei dictitans, qui expeditius pugnare, quam diutius cum morte certa luctari mallet: tum claves à cubiculario allatas

tas in tunicam interiorem inſui mandavit, & una 100 aureos, ejus, qui ſe interfecto potitus eſſet, præmium: & ita ducibus, & militibus omnibus in aciem inſtructis, & maſcula oratione confirmatis, poſt nomen JESU ter inclamatum, portis arcis apertis, ſtricto gladio ante ſuos intrepide exivit, ac generoſiſſime inter conſertiſſimos hoſtes pugnando in ipſa porta vitam amiſit cum inſigni nobilium Hungarorum ſtrenuorumque militum numero. Caput toties nominato Serinio à Turcis (quorum ad XXX millia deſiderata fuere) amputatum, ſpectaculi cauſa circumgeſtatum, tandemque ad *Maximilianum* Imper. miſſum eſt, (ad cujus patrem *Ferdinandum* idem *Serinius* caput Carzianeri à ſe obtruncati ſerico involutum attulerat) & Chriſtiani, quotquot Martis vis reliquos fecerat, crudeliter interemti ſunt: exceptis paucis, qui Turcicis pileis tecti, cum mulieribus & infantibus in ſervitutem miſeram abducti. Expugnati autem *Zigeti Solymannus* lætitiam non ſenſit. Siquidem triduo ante die 4 Septembr. in caſtris dyſenteria mortuus: cui paucis poſt diebus ſubſtitutus eſt filius ejus *Selimus* II: qui cum ob imminentis hyemis aſperitatem Conſtantinopolim rediret, etiam *Maximilianus* Imper. exeunte Octobri Viennam reverſus eſt, relicto cum exercitu in Hungaria Lazaro Suendio. Licet enim Turcarum Tyrannus diſceſſerat; tamen *Johannes* Tranſſylvaniæ Princeps, ad cujus auxilium Pertavus Baſſa cum magnis Turcarum, Walachorum, Tartarorumque copiis erat relictus, bellum continuabat, & *Tokaium* anno ſuperiore ſibi ereptum acri obſidione premebat, ſed eam ſolvere coactus eſt ob periculum Tranſſylvaniæ, quam Tartari, Turcæ, Walachi auxiliarii populabantur, & inaudita crudelitate paſſim in fortunas & miſeros homines graſſabantur. Hos dum Tranſſylvanus ejicere conatur, Suendii virtute & induſtria Zatuarum A. C. 1567, medio menſe Januario, & ſequenti Februario Muncazium, arces in Tranſſylvaniæ finibus munitiſſimæ, expugnatæ ſunt. Quo facto nec parum *Maximiliani* finibus dilatatis, tandem ſub finem anni 1568, *pax Oſtennalis* inter *Maximilianum* & *Selimum* conſtituta eſt, qua etiam Tranſſylvanus comprehendebatur. Ejus leges multæ erant, quarum præcipua, ut quiſque quod cepiſſet bello, retineret. *Leonclav. Chron. Saxon. fol.* 734, 735. *Thuan. hiſt. lib.* 39.

II. *Bellum Grumbachianum*, ſeu *Saxonicum*,

Cum *Maximilianus* A. C. 1566 prima imperii ſui Comitia Auguſtæ Vindelicorum celebraret, in iis *Wilhelmus Grumbachius* cum ſociis (qui Herbipolenſem Epiſcopum interfecerant, urbem ipſam poſtea interceperant & hoſtiliter diripuerant, pacem publicam in Franconia turbantes) jam antea à Cæſare proſcripti, nova proſcriptione omnium Imperii ordinum conſenſu aggravati ſunt: & Dux Saxoniæ *Johannes Fridericus* junior, captivi Electoris piæ memoriæ filius, quod Grumbachium proſcriptum alioſque pertinaciter foveret, proſcriptionis telum ipſe quoque perſenſit. Executio hujus proſcriptionis demandata fuit ab Imperatore Electori Saxoniæ Auguſto, qui ſubditos à fide & obedientia *Johannis Friderici* avocavit. Illi vero hujus admonitioni nullo modo parebant, quin potius ad defenſionem Ducis ſui ſeſe parabant. Auguſtus itaque cum exercitu urbem Gotham & adjacentem arcem Grimmenſtein, in qua *Johannes Fridericus* Saxo, Grumbachius & alii erant, obſidione cingit, & acriter oppugnat. Tandem urbs cum arce, poſt quatuor menſium obſidionem, Commiſſariis Imperii & Electori Auguſto tradita eſt die 13 Aprilis anno 1567, die Dominico, qui dicitur Miſericordias Domini, & Arx, invito & multum deprecante *Johanne Wilhelmo*, fratre *Johannis Friderici*, in perpetuam rei memoriam ſolo æquata. *Grumbachius*, & *D. Chriſtianus Bruck* Cancellarius homo ſuperbus, ambo vivi in quatuor partes diſſecti ſunt: alii quidam, inter quos *David Baumgartnerus* & *Hieronymus à Bredenſtein* fuere, decollati. Dux *Johannes* Viennam, inde Poſonium, & tandem Neapolin Auſtriæ captivus abductus eſt, ibique ad mortem uſque permanſit per aliquot annos. Hic fuit tragicus eorum exitus, qui conſilia de mutando Republicæ Imperii Romani ſtatu tractaſſe dicebantur. Sumtus hujus *belli ad* 55630 florenorum Principes Imperii Auguſto Electori reſtituerunt. *Chytr. Chron. lib.* 23. *Beutherus. Dreſſerus.*

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

Maximilianus II, pietatis ſuæ memoriam honeſtam & optimo Imperatore digniſſimam reliquit. Ad Auguſtum enim Electorem Saxoniæ dixiſſe conſtat: *Frater, tua ego ſum fidei & doctrinæ; ſed age quæſo, viam oſtende extricandi me è labyrinthis, quibus involutus hæreo.* Et cum *D. Selneccerus* juſſu Electoris offerret ei Pſalterium ſuum, audiit eum clementiſſime, & præſente *Zaſio* Vice-Cancellario inter cætera dixit: *Quod moneor de Conſtantini, Theodoſii & Martiani exemplis imitandis, agnoſco pietatem; ſed quis ego ſum, aut quid & quantum ego poſſum? Orate pro miſero, qui in doctrina veſtra per* DEI *gratiam vivam & moriar.*

Quum-

Quamobrem aliquandiu aluit Evangelicum Concionatorem, quem poſtea (bona tamen cum gratia) numerato annuatim honeſto ſtipendio dimiſit. Paſſavienſem quoque pacificationem non minori ſtudio & cura, quam pater *Ferdinandus*, honorificentiſſimæ memoriæ, adjuvit, tuitus eſt & cuſtodivit: tum ſubditis ſuis, qui vellent, permiſit, ut propriis ſumtibus alerent Evangelicos Miniſtros, exercitiumque Religionis ſecundum formam Auguſtanæ Confeſſionis inſtituerent. Certe in eo ſummopere laudandus, cum liber debeat eſſe fidei modus, & cujus quisque extremo die rationem DEO judici redditurus eſt, ejus in terris optio libera eſſe debeat. Sed hanc Evangelicorum libertatem ab Imperatore conceſſam quidam malevoli ex Pontificiis ægris oculis introſpiciebant: hæc feros illos ſpiritus inexpiabili odio excruciabat. Quare Imperatorem adeunt, eumque ad profundendum Lutheranum ſanguinem inſtigant; quibus hic Clementiſſimus & nunquam ſatis laudatus Princeps magno animo reſpondit: *Nullum peccatum gravius eſt, quam conſcientiis dominari velle: DEO enim ipſi ſe opponunt, qui conſcientiis in cauſa religionis dominari volunt. Crato in orat. funebr.* in literis ad *Lazarum Suendium* ſupra ſæpius nominatum ſic loquitur: Es iſt in der Warheit nichts anders / als ihr vernünfftiglich ſchreibet / daß Religions-ſachen nicht wollen mit dem Swert gehandelt und gerichtet werden: kein ehrbarer Gotts-fürchtiger und Friedliebender wird es auch anders ſagen. Et *in Epiſt. de ſedit. Belgic.* in hunc modum ſcribit: *Eorum actiones, qui ſupplicium crudelitate, ſectionibus & uſtionibus hanc rem confici poſſe defendunt, mihi minime placent; nec unquam adducar, ut eas laudem, niſi forte, quod tamen ſerio deprecabor ne fiat, DEUS permittat ut in furorem & inſaniam prolabar.*

Hac in re Chriſtianiſſimus Imperator præclare æmulatus eſt *Davidem, Salomonem, Nabuchodonoſorem, Cyrum & Darium.* Nam,

DAVID non Iſraëlitis modo in Religione ὁμοψύχους, ſed & *Philiſtæis, Moabitis, Ammonitis, Syris, Damaſcenis* diverſiſſimarum religionum populis imperaſſe, & in regno quidem Juda purioris religionis cultum aſſeruiſſe: reliquos vero populos ad eandem amplexandam bello armisque coëgiſſe, vel in ipſorum conſcientias quicquam ſibi dominii arrogaſſe, nuſpiam legitur. 2 *Sam.* 8. *v.* 1. *& ſeq.*

SALOMON Regum omnium ſapientiſſimus & potentiſſimus regnaſſe legitur a flumine terræ *Philiſtæorum* uſque ad terminum Ægypti: in horum autem fidem & religionem vi armisque ſæviiſſe, vel hoc nomine fœdera & pacta cum illis inita rupiſſe, nuſpiam legitur: quin Scriptura potius teſtis eſt, ipſum tributis contentum & pentionibus, quas in ſignum ſubjectionis numerare cogebantur, libertatem ipſis ſuæ religionis exercendæ conceſſiſſe. 1 *Reg.* 4. *v.* 21.

Sic NABUCHDONOSOR Rex & Monarcha I. Babylonius, converſus ad DEUM Iſraëlis, non ſtatim omnes ſubjectas provincias ad eam fidem externa vi adegit: ſed hoc proclamari mandavit, ut ne cuiquam fas eſſet, DEUM Iſraëlis blaſphemia afficere. Sic enim habet Edicti formula. *A me poſitum eſt hoc decretum, ut omnis populus, tribus & lingua, quæcunque locuta fuerit blaſphemiam contra DEUM Sadrach, Meſach & Abednego, diſpereat, & domus ejus vaſtetur. Dan.* 3. *verſ.* 29.

CYRUS primus Perſarum Monarcha Judæis libertatem religionis ſuæ exercendæ permiſit, licet ipſe Judæorum fidei non eſſet addictus. *Eſdræ* 1, 2. *& ſeqq.* Quam permiſſionem ratam etiam habuit Rex Perſarum DARIUS HYSTASPIS, *Eſdræ* 6. *v.* 6. ita ut, licet *Artaxerxes* (h. e. *Cambyſes*) quorundam aulicorum conſiliis circumventus de ſupprimenda Judæorum religione mandatum promulgaſſet, *Eſdræ* 4. *v.* 6, 21. *Darius* tamen de prima illa ſanctione Cyri edoctus, ratam omnino eam haberi voluerit, graviſſima hac comminatione adjecta: *Quicunque legem hanc mutaverit, tollatur lignum de domo ejus, & erigatur & configatur in eo; domus autem illius publicetur. Eſdræ* 6. *v.* 6, & 11.

Optime autem Reges & Monarchæ præmemorati noverunt, violentis mediis animos ſubditorum ab illa religione, ad quam coguntur, magis abalienari & irritari, ſeditionibus ac cædibus occaſionem dari & Reſp. turbari: quod exempla Gallorum & Belgarum, quæ ſub *Maximiliano II* contigere, ſatis teſtantur: quibus edoctus *Navarreus*, in literis ad Nobiles Aquitaniæ apud *Dinothum l.* 6. *Hiſtor. Gallic. fol.* 488, ita, & quidem recte, ſcribit: *Non gladio, ſed perſuaſione, Religio in cordibus hominum plantatur, & honeſta vitæ exemplo confirmatur.* Hinc *Tertullianus ad Scapul. cap.* 2. *pag.* 88: *Religionis non eſt cogere ad religionem; quæ ſponte ſuſcipi debet, non vi. Qui fidem aſperitatibus propagare volunt, ſuas, non DEI cauſas, probantur attendere,* inquit *D. Gregorius.* Et *Lactant. lib.* 5. *inſtit. divin. cap.* 4: Nihil tam voluntarium eſt quam Religio, in qua ſi animus averſus eſt, jam nulla eſt. Et quis unquam imponat mihi neceſſitatem credendi, quod nolim, vel, quod velim, non credendi? Vitam mihi quis, non rectam voluntatem, non veritatis amorem, poſſit eripere? Et *cap.* 19: Non eſt

opus

opus vi & injuria, quia religio cogi non poteſt, verbis potius quam verberibus res agenda eſt, ut ſit voluntas, &c. Longe diverſa ſunt carnificina, & pietas. Non poteſt pietas cum vi, aut juſtitia cum crudelitate conjungi. Defendenda eſt religio non occidendo, ſed moriendo, non ſævitia, ſed patientia; non ferro, ſed fide. Illa enim malorum ſunt, hæc bonorum. Et neceſſe bonum in religione verſari; non malum. Nam ſi ſanguine, ſi malo defendere velis religionem, jam non defendetur illa, ſed polluetur atque violabitur.

Incrementa religionis ſub Maximiliano II.

Illo imperante, purioris Chriſtianiſmi doctrina longius ſe diffudit. Nam per Galliam, Angliam, Scotiam, Pannoniam, Poloniam, Belgium, roborata, diœceſes quoque Epiſcopales Magdeburgicam, Halberſtadenſem, Verdenſem in Saxonia, illuſtremque Brunſvicenſium ducatum pervaſit. *Joachimus Fridericus* Marchio ditionem Magdeburgicam, Canonici Halberſtadenſes poſtulato præſule *Henrico Julio* Halberſtadenſem, *Eberhardus* ab Holle Verdenſem diœceſin renovato Evangelio imbuerunt. Extincto *Henrico* patre, *Julius* Brunſvicenſium Dux avitis terris exoptatum melioris Chriſtianiſmi exercitium indulſit, adjuncta Academia, felici pietatis & bonarum artium officina. *Chytr. Chronicon lib.* 21. & 22.

Perſecutio Evangelii in Belgio & Gallia.

1. Anno Chriſti 1567 *Margaretta* Auſtriaca, *Caroli* V filia, Duciſſa Parmentis, & Gubernatrix Belgii mandatum fratris ſui Hiſpaniarum Regis de Inquiſitione & Concilii Tridentini executione publicavit. Quod cum libero populo acerbum & intolerabile videretur, eripi ſibi libertatem colendi Deum, prout cuique ſua conſcientia ſecundum verbi divini præſcriptum ſuadebat: anno ſequenti conjuncti Nobiles, amplius 400, gravi & juſta querela aures Gubernatricis implebant, ne intolerabile jugum inquiſitionis imponeret, ſed libertatem in religione concederet. Eodem quoque tempore per libellum ſupplicem rogarunt *Maximilianum* Imperatorem, ut authoritate & intercеſſione ſua Inquiſitionem impediret, & in Comitiis negotium religionis tractaret, ne tantum innocentis ſanguinis profunderetur. Interceſſerunt quoque nonnulli Evangelici Germaniæ Principes, qui per legatos ſuos Gubernatricem orabant, ut ſupplicantibus libertas conſcientiarum, erratorumque venia concederetur. Illa vero, ſi quid peterent, regiam Majeſtatem compellandam eſſe docebat. Quare, cum omnia miſeris, ſub tam atroci tyrannide merito ſuſpirantibus, tentare animus erat, Marchionem Bergenſem & Ducem Montignium ad Regem Hiſpaniæ ablegarunt: qui illi ſupplicarunt, & demiſſe petierunt, ut leniret atrocia edicta de inquiſitione lata. Sed nullis precibus obſtinatum Regis animum flectere potuerunt: & poſtquam eos Rex diu, ut ſæpe ante, ludificaſſet, tandem eos contra jus gentium, tanquam Majeſtatis reos, occidi juſſit. Mittit deinde *Ferdinandum* Albæ Ducem (quo nemo unquam infeſtior Belgarum hoſtis exſtitit) cum ingenti exercitu in Belgium. Ille, quo inſaturabilem Hiſpanorum avaritiam ſaginaret, eorumque cupiditates ſanguine miſerrimæ gentis expleret, violenter decimas vicefimaſque petebat, & crudeliſſima Hiſpanica tyrannide, per horrendum Inquiſitionis inſtitutum à Granvellano Cardinali excogitatum, ac (teſte *Thuano lib.* 23.) ipſis quoque Romanis exoſum, infinita hominum millia flammis, aquis, omnibuſque pœnarum exemplis perdebat, urbes in deditionem acceptas prædæ exponebat eaſque cædibus exterminabat. Imo talem prorſus ſe gerebat, ut nullum ſocietatis humanæ commercium cum hominibus huic importuno prodigio intercedere videretur. Nimirum nec Comitum ille aut Principum familiis parcebat, ſiquidem Comites Egmondæ & Hornæ, plurimoſque nobiles, carnifici occidendos tradebat, ſæviebatque tum, in amicos æque ac inimicos, dummodo, qui Babylonicam meretricem adorare nollent, è medio tollerentur: ad pœnas trahebat inauditas non ſolum eos, *quia* Romana religione defeciſſent, ſed etiam, *qui negligentiores* ſaltem in perſequendis iiſdem *opprimendiſque* fuiſſent. Tyrannus ille ſtolide jactatus eſt, ſupra XVIII millia Belgarum ſe carnifici tantum paucis illis annis, quibus Belgio præfuit, tradidiſſe trucidandos, nec tamen iſto rigore patribus Inquiſitionis ſatisfeciſſe. At quem fructum hæc crudelitas habuit? Hunc videlicet, ut pleræque Belgicæ Provinciæ ad extrema redactæ, Regem ſuum ceu Tyrannum immanem omni Imperio indignum judicantes, arma contra eum animoſiſſime ſuſciperent, *Wilhelmum* Principem Uraniæ Heroëm & bellatorem fortiſſimum rebus ſuis præfiecerent, ſeque ſuo Marte in libertatem vindicarent. Deus autem arma illorum pro patria & libertate juſte ſuſcepta tam manifeſto favore & admirandis ſucceſſibus proſequutus eſt, ut non ſolum omnia feliciter recuperarent, quæ Dux de Alba ejuſque ſucceſſores armis velut inundante diluvio obruerant, ſed tandem etiam potentiſſimum

ſimum hoſtem invitum adigerent, ut ab eodem omnino liberæ pronunciarentur. Et ita provinciæ ſeparatæ ſunt, ut quædam in poteſtate Regis Hiſpaniæ manſerint: reliquæ autem juriſdictione Hiſpanica deciderunt, quæ uſque ad hoc tempus armis ſe defenderunt, nec ulla Hiſpano eas recuperandi ſpes reliqua eſt; jamque cum ſuis olim ſubditis æquo paciſci jure non aſpernatur. *Chronic. Belgic.*

11. Anno 1512 *Johanna Albretana Antonii Borbonii* Regis Navarræi (qui anno 1562 ad Pontificios à Reformatis defectionem fecit, & primus exercitum contra fratrem ſuum *Ludovicum Borbonium*, Principem Condæum, & alios reformatæ religionis ipſi adhærentes, eduxit: Verum cum Rocomagum urbem obſeſſam graviter oppugnaret, globo tormentario ictus occubuit die 17 Novemb.) relicta vidua, dum filio *Henrico Borbonio* tum temporis Navarræ, & poſt etiam (*Henrico* III, interfecto) Galliæ Regi, nuptias cum *Margareta Valeſia Caroli* IX Regis Gallorum ſorore Lutetiæ Pariſiorum celebrandas adornat, pleuritide extinguitur, ut affirmant, qui commiſſum facinus tegunt. Alii vero aſſerunt, hanc piiſſimam matronam & Evangelicæ veritatis ſtudioſiſſimam veneno eſſe interfectam, quo chirothecæ elegantiſſimæ tinctæ fuerant, quas ex aula Gallica dono acceperat.

Ut autem *Carolus* Rex Reformatæ religionis Principes in una velut muſcipula, ut ipſe loqui ſolebat, caperet, ad prædictas nuptias cunctos cum conjugibus, liberis, & reliquis civibus evocavit, quos uno eodemque die, qui erat illuceſcens Divi Bartholomæi, perfidia & immanitate pluſquam Turcica trucidari juſſit. Initium cædis factum à vulnere *Caſparis Colinii*, Thalaſſiarchi, herois incomparabilis, qui, cum nihil hoſtile metueret, interdiu vulneratus à *Morevellio Guiſica* factionis ſicario, noctu à furente plebe multis vulneribus confectus per feneſtram in aream præcipitatus eſt. Cum ita exanimatus jaceret, contumelioſe calcibus eum impetunt, cadaver miris modis injurioſe fœdatum in ſtabulum proximum abjiciunt; quod Pontificiorum Dux Guiſius ipſe inſpicere voluit, non prius Colinium mortuum eſſe credens, quam vita privatum videret. Faciem igitur ejus ſanguine deturpatam linteo abſterſit, ut penitus cognoſceret, tum in mortui faciem pedem impegit. Poſtremo, capite amputato, quod Romam uſque perlatum eſt, pudendis item & manibus truncatis, per vicos ad Sequanæ ripam ſanguinaria factio traxit: cumque in eo eſſet, ut in profluentem à pueris mergeretur, inde retractum ad Monfalconias, quæ ſunt damnatorum furcæ, cruribus in ultum ſublatis, & propendente corpore, ferreis catenis ſuſpendit; igne præterea ſubjecto, quo tantum uſtulavit, non etiam conſumſit, ut ita omnium elementorum carnificinam experiretur. In terra enim occiſus, aquis merſus, in aëre pendulus factus, & denique igne ambuſtus eſt. Fuit hic Colinius in religione ſua adeo conſtans, ut ſæpius dixerit, malle ſe mortem oppetere millies, quam religionis cauſam deſerere. Unde compoſiti ſunt verſus, quibus pietas & animi ejus robur invictum exprimitur: Sic *Pietas* & *Colinius* Galliæ *Admiralius* colloquuntur:

P. *Ille* DEI *miles jacet Admiralius armis,*
Omnibus invictus victus ab inſidiis.
Sic ego te video, dolor, ô dolor! ergo jacentem?
A. *Sic jaceo, non me, vera, jacente, jacent.*
P. *At quis erit, ſanctum qui nunc propugnet ovile?*
A. *Ipſe ſuum tutum Paſtor ovile dabit.*

Porro in hac laniena nulli parcebatur: ſed quotquot reformatorum deprehenſi, nulla ſexus, ætatis & conditionis ratione habita, immiſericorditer trucidabantur, luctuoſiſſimo utique ſpectaculo, cum tenelli infantes in ſinu matrum ab ubere pendentes, patres filios complexi, fratres, amici, ſe ad conſtantiam invicem hortantes, pecudum in morem, inter ululatus, clamores horrendos & miſeros, qui tota urbe perſonabant, mactarentur, fœtuſque, ex utero materno protracti, lapidibus & parietibus illiderentur, ac ægrotantes è lectis in plateas crudelem in modum abjicerentur. Plateæ occiſis tumebant, tantaque ſanguinis effuſi copia erat, ut per urbem inſtar rivorum difflueret, & conſtitit, XXX hominum millia inaudita barbarie miſere trium dierum ſpatio Lutetiæ exſtincta eſſe. Fuitque inter conjuratos illos Cruciarius quidam aurifaber, qui ſæpe poſtea cum horrore bonorum viſus & auditus eſt veſana confidentia jactare, cum nudum exſereret brachium, iſto ſe 400 amplius homines in illa laniena mactaviſſe. Non autem Pariſiis tantum in fidei Confeſſores ita ſævitum eſt, ſed ea rabies omnes regni provincias pervaſit, non in urbes ſolum, ſed etiam in agros virus effundens: & magnæ utrinque cædes factæ, cumprimis *Auguſtobonæ Tricaſſium*, *Andegavi*, *Aurelia*: *Meldis*, *Avarici Biturigum*, *Valentia Cavarum*, *Romanii*, *Toloſæ*, *Charitæ*, *Rotomagi*, *Burdigalæ*, & multo crudeliſſima ſtrages edita eſt *Lugduni*. Huc cum *Petrus Antiſſiodorenſis* fiſci procurator, homo ingenita pravitate & libidinibus probroſis infamis, per equos celeres advolaſſet, & ſine ullis literis, quaſi in ipſius dignitate ſatis ponderis ac fidei eſſet, ac *Franciſco Mandelotæ* urbis præfecto hanc eſſe Regi, atque Reginæ volun-

voluntatem confirmaſſet, ut Proteſtantes, qui comprehenſi eſſent & comprehendi poſſent, ad unum omnes quamprimum, nec exſpectato alio mandato, delerentur; continuo Mandelotus, à circumfuſa multitudine ſeditioſa, ſanguinis ſitientiſſima, inſtante victus, dat manus, & ad horrendæ ſententiæ nuncium converſus: *Idem tibi*, (inquit) *Petre, quod Petro olim Chriſtus edico*; *Quicquid ligaveris, ligatum*; *quicquid ſolveris, ſolutum eſto.* Hac publicata licentia, confeſtim nefarii quique, & ad omne flagitium promti, ad cædes & rapinas diſcurrebant. Verum cum illi carnificis urbici opera in illa re patranda uti vellent, ille omnino recuſabat, & legitimi Magiſtratus ſententiæ ſe quidem parere paratum oſtendebat, atqui promiſcuis cœdibus fatigari aut immiſcere ſe nolle. Cumque id ipſum prætidiariis arcis poſtea mandaretur, illi pariter ultra modum commoti, non carnifices ſe eſſe (exemplo Obſtetricum Ægyptiacarum *Exod.* 1. 17. nec non ſervorum Saulis Sacerdotes innocentes interficere nolentium 1 *Samuel.* 22. *verſ.* 17. itemque militum Juliani Apoſtatæ, in cujus hiſtoria benevolus Lector hæc plenius explicata inveniet) indignabunde reſpondebant; nullam à miſeris hominibus ſibi illatam injuriam, dictitantes. Itaque è macello & fæce plebis purgamenta, & poſtremi denique mortalium conducuntur. Et ſic quod carnifices, quod exteri homines conſtanter à ſe rejecerant, illud cives alacriter ſuſceperunt in cives ſuos, eorumque multa millia variis & portentoſis carnificinis ſuſtulerunt, liberis parentes, nepotibus avos ſuos, ſororibus fratres, maritis uxores, uxoribus maritos, fratribus fratres prodentibus. Quid multis? tantum immanitatis habuit hæc ipſa laniena, ut verbis exprimi non poſſit, tantumque ſanguinis miſeræ gentis effuſum eſt, ut publica & nobiliſſima flumina repleta cadaveribus & atrata ſanguine conſpecta ſint. Unde oppidani & accolæ etiam longe diſſiti graviſſimo conflictati ſunt incommodo, cum uſus aquæ ad potum, aliaſque res neceſſarias, nec non & uſus piſcium humana carne ſaginatorum, magna cum execratione crudelitatis & inauditæ carnificinæ, aliquantiſper eis exoſus eſſet. Menſtruo autem ſpatio per totum Galliæ regnum plures quam 100000 homines religionis cauſa immenſo facinore è medio ſublati ſunt, ut ſcribit *Reuſnerus in Iſagog. Hiſtor.* Idem affirmat *Wolfgangus Prisbachus in Orat. habita apud Helvetios*, inquiens: Traginta hominum millia interfecta, centum millia honeſtiſſimarum familiarum, triduo in Gallia, latrociniis & rapinis oppreſſa fuerunt; viduis ac pueris orbis innumerabilibus ad ſummam vel mendicitatem vel inopiam redactis. Imo Rex *Carolus* ipſe gloriatus eſt in literis ad Pontificem *Gregorium* XIII de numero cæſorum hæreticorum, quod eorum LXX millia occidiſſet, teſte Onuphrio. *D. Saccus in Poſtilla Dom.* 8. *Trinit. fol.* 399, aliique fide digni Hiſtorici referunt, intra 30 annos, ab anno Chriſti 1550, uſque ad 1580, Pontificiorum tyrannide nongenties centena *millia* hominum miſere interfecta eſſe in Gallia, Italia, Hiſpania, Anglia, & Belgio. Inter ea numerantur 39 Principes, 148 Comites, 235 Barones, 147518 Nobiles, 700060 ex vulgo. Quis ad numeri illius pene innumeri immenſitatem, & ad feralem tot Chriſtianorum cruciatibus & homicidiis tam brevi temporis ſpatio ſublatorum memoriam non cohorreſceret? De Pariſienſi laniena vide *Thuanum lib.* 52. *Chytr. in Chron. Saxon. Camer. part.* 1. *hiſtor. ſuceiſ. cap.* 83. *Sleidan. contin. lib.* 8. *Martyrologium Crocii lib.* 8.

Carolus Rex in memoriam victoriæ varios nummos argenteos & aureos cum talibus glorioſis inſcriptionibus conflari curavit: *Virtus in Rebelles*: *Pietas excitavit juſtitiam*: *Carolus* IX *Rebellium domitor.* Sed vana hæc fuit gloriatio. Nam licet debellati jam viderentur hæretici, tamen ex parvis initiis, præter omnium ſpem & opinionem, & abſque ullius externi Principis auxilio, & poſt tantam direptionem pecunia ubique deficiente, *proteſtantium* res, bellum neceſſitate potius quam conſilio denuo ſuſcipientium, fuerunt reſtitutæ, & tum Rupella in Gallia idem fere præſtitit quod tempore *Caroli* V Magdeburgum in Germania. Siquidem Rupellani exercitum regium vi magna ſuſtinuerunt, donec pax ea conditione concederetur, ut Rupella Montalbanum, & Nemauſum, religionis *ſuæ liberum* exercitium non pro ſe ſolum, ſed *pro omnibus*, qui aliunde ad eos venire vellent, *haberent*. Et tandem in Guiſios, Ducem Pontificiorum, & Cardinalem, fratres, (qui tragœdiæ iſtius primarii fuere authores, inque Proteſtantium excidium & exitium conjuravere) clades illa juſtiſſimo D. I. judicio converſa eſt. Siquidem ambo juſſu Regis *Henrici* III, anno 1578, interfecti ſunt, propterea quod non ſolum regnum turbarent, illudque occupare conarentur, verum etiam in vitam Regis manifeſto conſpirarent. Henricus Guiſius pugionibus eſt confoſſus, & mirum quod adeo ultima nocte, quæ cædem ejus anteceſſit, fuerit ſecurus, (cum tamen ab amicis moneretur de ipſius capite in Comitiis Blæſenſibus potiſſimum agi) ut furtivæ Veneri cum quadam gynæcei matrona, quam perdite deperiebat, indulſerit. Poſt occiſum Henricum frater ejus Ludovicus Cardinalis quoque ſtrangulatus eſt: Cadavera eorum poſtea igne cremata, cine-

cineres vero in aërem Ligerimque dispersi sunt. *Theod. hist. lib. 53. & 93.*

CAPUT III.

DE EGRESSV.

MAximilianus Imp., sive curis confectus, sive longa corporis ægritudine debilitatus, optime meritam de Republica Christiana animam, in Comitiis, & quasi inter Ordinum Imperii manus, DEO reddidit anno C. 1576, die 12 Octobris, ætatis anno 49. mens. 2, die 12, Imperii vero an. 12. mens. 3. In agone mortis constitutus, historiam de scala cœli Jacobæa sibi prælegi mandavit. Et dictum Christi: Nemo adscendit in cœlum nisi qui de cœlo descendit: Filius hominis, qui in cœlo est, *Johan. 3. v. 13.* Ipse vero addebat: Et omnes qui in eum credunt, h. e. vera fide ei adhæserunt, post eum adscendent. Et cum ad ipsum Episcopus Neapolitanus *D. Lambertus Gruterus* accederet, noluit eum ad se intromitti, nisi prius polliceretur, *se de nulla alia re verba facturum, quam de Christi merito, & sanguineo ejus sudore.* Præstitit illud Episcopus, ac de Christi beneficiis plenam consolationis orationem habuit. Cumque Imperator interrogaretur: *An in hac fide ex hac vita discedere vellet?* respondit: *Non aliter faciam.* Crato in orat. ejus funebr. *Chytr. Chronic. Saxon.*

Epitaphium ab *Adamo Siberio* ei tale est erectum:

Maximus Æmylius, Romanus in Orbe Monarcha,
Hic moriens posuit corporis exuvias.
Nominis illius Cæsar fuit ille secundus:
Sed nulli meritis ille secundus erat.
Cæsare descendens proavo, patruoque Monarcha,
Cæsare progenitus, Cæsar & ipse fuit.
Insuper Imperii quoque nato sceptra reliquit,
Quo nullum majus gessit in orbe decus.

ALIUD, *Johan. Copracii.*

ALta qVIes praLVstra CapVt, qVoD praesVIt OrbI,
SVbrVIt: eXCeLLens VIX tegIt Vrna DeCVs.

XLVII IMPER. GERM.

RUDOLPHUS II.

CAPUT I.

DE ORTV.

PATER natus est MAXIMILIANO II, *Matre* vero MARIA *Caroli* V Imp. filia, Viennæ in Austria A. C. 1552, die 18 Julii. Multos habuit fratres & sorores; quorum nomina in præcedenti historia cap. 2. recensuimus.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. *Imperii occupatio.*

ANno C. 1572 *Rudolphus* Rex Hungariæ declaratus, & solenni pompa Presburgi coronatus est. Anno 1575 Rex Bohemiæ coronatus, nec non unanimi omnium Romani Imperii Principum consensu in Comitiis Ratisbonensibus in Regem Romanum electus est, annoque sequenti divo parenti ex hoc terreno & mortali Imperio ad æternum & cœleste regnum evocato in tota Imperii gubernatione successit, cui annos 36 summa cum laude præfuit.

II. *Imperii administratio.*

1. ACTA TOGATA.

Rudolphus fuit Imperator omni laude dignissimus, in quem unum omnia, quæ in tota inclyta *Imperatorum Austriaca familia decuria*, majestatis, virtutis, sobrietatis, sapientiæ, sagacitatis, justitiæ, clementiæ, doctrinæ, atque incredibilis erga literas & literatos munificentiæ exstitere exempla, ceu in nativam suam ac hæreditariam sedem, tacita quadam naturæ conspiratione, confluxerunt. Et quemadmodum Imperium pacatum & tranquillum ab Augustissimo patre *Maximiliano* II in filium est transmissum: ita ab Augustissimo filio pari fide, industria, sapientia, justitia, auctoritate est conservatum, ac per totos triginta sex annos administratum, cum æterna nominis sui gloria & honore, ac Reipubl. salute, subditisque omnibus tutissimum pacis præsidium præstitit. Ipse enim oculo circumspectæ & incredibilis prudentiæ singulis exacte perlustratis ad æquilibrium pacis omnia, quantum modo salva pietate & Reip. incolumitate fieri poterat, moderatione admirabili temperavit, & res Germaniæ Principum ac privatorum in eam amplitudinem, opes, concordiam, & potentiam perduxit, ut ultra trecentos fere annos tam exoptatus Imperii Romani status sub uno Imperatore non fuerit. Unde pater patriæ Germaniæ, pulcherrimum pacis ornamentum, subsidium belli firmissimum, speculum virtutis lucidissimum, idéa spectatæ sapientiæ ad imitationem omnis posteritatis decantandæ, omnium gentium, omnis denique memoriæ exemplum incomparabile, jure appellari

poteſt. Quod etiam hoc venuſto & eleganti Epigrammate *D. Nicodemus Friſchlinus* expreſſit:

Hic hic è magno grege murus & orbis aſylum;
Heros præſignis, Davidis alter, & alter
Ævo huic Adriades; verum Orbi & numen amicum,
Pax pugna, crux tarda reo. Vox cætera dura.

Imo quantam Imperii curam geſſerit *Rudolphus*, vel inde videre eſt, quod multa Comitia celebraverit, inque iis cum Principibus, de rebus ad ſalutem Imperii & ſubditorum ſpectantibus, conſultaverit. Nam,

I. Comitia inſtituit Auguſtæ Vindelicorum anno Chriſti 1582. Eo advenit die 27 Junii, & honorificentiſſime ab Electoribus Romani Imperii exceptus eſt.

II. A. C. 1594, ſecunda Imperii Comitia Ratisbonæ celebravit, quibus & ipſe interfuit, inque iis Erneſto Archiepiſcopo & Electori Colonienſi & Friderico IV, Electori Palatino ad Rhenum, feuda more ſolenni & uſitato contulit. Decreta quoque ſunt Imperatori ab Ordinibus Imperii auxilia ad bellum contra Turcas continuandum, & inſuper ſumtus promiſerunt maximos, videlicet 64000 aureorum in menſes octoginta ſingulos.

III. Tertia Imperii Comitia iterum *Rudolphus* Ratisbonæ celebravit anno C. 1608, præſide *Ferdinando* Archiduce Auſtriæ, cum pax religionis ante omnia peteretur: ſed rebus infectis ſunt diſſoluta.

II. *ACTA SAGATA.*

I. *Bellum* contra *Turcas geſtum.*

Circa hoc bellum ſunt notanda tria: 1. *Ortus*, 2. *Progreſſus*. 3. *Egreſſus*.

I. ORTUS.

1. *Induciarum inter Rudolphum & Amuratem* III, *Turcarum Imp. prolongatio, & Turcarum perfidia.* Anno C. 1584 inter Romanum & Turcicum Imperatorem induciæ prorogatæ ſunt à Kal. Januar. uſque ad annum Chriſti 1593, quæ ſcilicet octo annos durare deberent. Nihilominus tamen Turcæ Carniolæ fines ingreſſi graviſſimam impreſſionem fecerunt, plurima oppida, vicos & pagos exuſſerunt, & cum præda opima multos utriuſque ſexus incolas captos ſecum in ſervitutem abduxerunt. Hos Chriſtiani nulla interpoſita mora maximis itineribus inſequuti ſunt, eoſque ad Slunum Croatiæ oppidum invaſerunt, profligarunt, captivos liberarunt, prædamque receperunt. Perierunt Turcarum circiter 4000. Amurates de hac clade certior factus, cum intellexiſſet, à ſuis injuriæ factum initium, jure cæſos pronunciavit, affirmans, ſe nolle quidquam à ſuis contra leges induciarum ad turbandam pacem in Hungariæ limitibus attentari, jubenſque *Rudolphi* II Oratori ad utrumque Baſſam Hungariæ, Budenſem ac Temeſvarienſem, literarum exemplar exhiberi, quibus ſevere mandabat, ut milites ſuos in officio continerent. Idem ut à noſtris quoque præſtaretur, imperari viciſſim petiit.

II. *Turcarum in Hungariam irruptio.* A. C. 1588, Sinanis Baſſæ Budenſis mandato, aliquot Begi & Sangiaci Turcici, cum copiis, in quibus fuere circiter 11000 hominum, Hungariæ ſuperioris fines ingreſſi irruptionem fecerunt. Cujus hæc occaſio fuiſſe perhibetur, quod *Zikzo*, oppidum Hungariæ tributarium, Turcis jam multis annis tributum non penſitarat. Eo enim tributo aliquot pedites alere ſolitus erat Budenſis Baſſa. Ideo autem penſitatum non erat, quod annonæ caritas ingens, & egeſtas ſumma, compluribus annis obſtitiſſet. Quare precibus primum & obſecratione humili cives ejus mitigationem aliquam à Baſſa petierunt. Sed cum nihil impetrare poſſent, ſæpiuſque literas à Baſſa ad ſolutionem debitorum ſolidam & integram ſollicitarentur, preces tandem in iram verterunt, & imperium Turcarum plane abjecerunt, vallo, aggeribus & caſtello oppidum ſuum munientes. Baſſa igitur (ut ſupra dictum) Ducem cum exercitu contra Zikzovienſes miſit, qui non illos tantum, ſed omnem illam regionem quocunque venire poſſet, diriperet ac vaſtaret. Sed Turcæ à prætidiariis *Rudolphi*, quorum 1070 ſe illis oppoſuerunt prælio victi ac fugati, juſtas violati fœderis pœnas dederunt. In fuga propter inſequentes *Chriſtianos* alius alium conculcavit, multi *etiam in flumen* Sajum præcipites acti perierunt. Inventa ſunt in loco prælii circiter 1300 cadavera Turcarum: totidem vivi ſunt capti, nec pauci in nemoribus ac ſylvis latentes à ruſticis occiſi ſunt. Ex Chriſtianis deſiderati 370. Sub haſta venditi ſunt captivi Turcæ 279, adque *Rudolphum* Imper. etiam miſſi aliquot captivi cum ſignis militaribus, ac aliis rebus precioſis ab hoſte acceptis. Sinan vero Baſſa Budenſis ob acceptam cladem & amiſſa caſtra honoribus ad dignitate exutus, fortuniſque ſpoliatus omnibus, vinctus Conſtantinopolim adductus; & alius Baſſa in locum ejus ſuffectus, miſſus eſt Budam. Et quanquam Turcæ minas & cruces Chriſtianis minitarentur, tamen cognita rei veritate furor Imperatoris illorum conquievit, nec ita multo poſt miſſi ab Imperatore *Rudolpho* legati annuum tributum Conſtantinopolim attulere.

Hanc

Hanc Turcarum cladem denunciaſſe videtur prodigium illud, quod anno præcedenti in finibus Croatiæ accidit. Ad Wihitzium enim oppidum quaſi nubes quædam anatum & anſerum aliquot myriadum advolavit, ſeque in ſtagnum proximum demiſit, ubi noctu ſtrepitus ingens pugnantium inter ſe volucrum in tota vicinia, ſeque mutuis confidentium vulneribus, auditus fuit. Unde poſtridie egreſſi milites, cives & agricolæ, ejus loci maximam anatum & anſerum copiam repererunt. Tandem è prato quodam latiſſimo ſuperſtites alis avolarunt; teſte *Leonclav. in Pan. Turc.*

111. *Turcarum in Croatiam irruptio.* Anno Chriſti 1591, Turcicus Imp. cum Polono, Tartaro & Perſa fecit pacem, quæ bellum Hungaricum inſtauravit & accendit. Nam anno ſequenti Turcicus Imp. extremum furorem in Hungaros effuſurus, ingentem contra eos miſit exercitum, qui extremum Croatiæ oppidum & arcem Wihitzium, quæ annos 150 jam propugnaculum Chriſtianæ Reip. adverſus Turcas exſtitiſſet, cum aliis caſtellis & urbibus occupavit, multa hominum millia ſine diſcrimine ſexus, ordinis & conditionis trucidavit, reliquam multitudinem in ſervitutem abduxit.

1v. *Chriſtianorum conſternatio, ingenſque trepidatio.* Hæc repentina & violenta Turcarum in Chriſtianorum partes impreſſio contra omnium ſpem accidit; ſiquidem induciarum tempus nondum erat finitum. Et quia Turcæ Chriſtianorum hoſtes ſunt infenſiſſimi & jurati, ac quacunque inſiſtunt aut ingrediuntur, longe lateque omnia depopulantur, tanquam eluvies homines pecudeſque abripiunt, domos incendunt, agros vaſtant, & nihil incorruptum aut inviolatum relinquunt, & in triſtem morteque ipſa acerbiorem ſervitutem abducunt: Omnibus Chriſtianis Croatiam inhabitantibus, itemque finitimis gentibus Auſtriacis, adeoque toti Germaniæ ingentem terrorem hac inſperata impreſſione incuſſerunt. Panicus quidam terror Labacum, Carniolæ metropolin, ita concuſſit, nunciato, quantumvis falſo, de celeri ingentis Turcarum exercitûs adventu, rumore, ut repente tota urbe trepidatum fuerit, & ad vaſa conclamatum: feſtinantibus omnibus ſua quiſque arripere, quæ duceret precioſiora: equos, currus, vehicula, qui haberent, conſcendebant: cæteri pedites ſibi de fuga proſpiciebant: matres à liberorum amplexu & oculis, quaſi nunquam eos viſuræ, avelli vix poterant: incondita turba tumultuabatur: clamor ad cœlum tollebatur: ululatus, planctus, voceſque miſerabiles omnibus in viis audiebantur: denique lacrymabile ſpectaculum ubique cernebatur. Tandem cum Turcam ad portas jam appropinquaſſe ſibi quiſque perſuaderet, in tuta avolare loca pro ſe quiſque nitebatur: in cæco iſto tumultuoſoque impetu multi pedibus hominum atque equorum obterebantur pueri, nonnullæ etiam mulieres exanimabantur. Qua ex re tanta trepidatio animique conſternatio omnes invaſerat, ut vix triduo, quanquam veri indices, alii ſuper alios adventantes, rem periculo carere, hoſtem viginti & eo amplius milliaribus ab urbe abeſſe nunciarent, domum quiſquam redire auderet.

11. *PROGRESSVS.*

Armorum à Rudolpho Imper. contra Turcas correptio. Rudolphus Imper., Turcarum irruptione in Croatiam intellecta, ſtatim omnes cogitationes vireſque eo convertit, ut ſubditos ſuos contra furorem Turcicum defenderet, depelleretque ferrum & flammam ab aris & focis regni Hungariæ, imperiique Romani. Ut enim exardeſcente flamma, niſi in tempore reſiſtatur, conflagrare oppidum aut vicus totus ſolet: ſic etiam hic laudatiſſimus Imperator videbat, niſi inſatiabili cupiditati ac furori hujus immaniſſimi & potentiſſimi tyranni mature occurratur; nullam partem regnorum ſuorum ac totius Imperii Romani è faucibus illius eripi ac ſervari poſſe. Quocirca, quanta potuit celeritate, ingentes ex Stiria, Carinthia, Auſtria, Hungaria & ſuperiore Germania copias collegit, eaſque Turcis oppoſuit, & varia fortuna bellum per Erneſtum & Matthiam fratres, alioſque præſtantiſſimos Duces continuavit: & quamvis Turca Siſeccum, Veſprinium, Palatam, Rabam, Papam, Caniſiam, partim vi, partim dolo expugnarit; tamen haud minori Cæſariani uſi fortuna, Fillecum, Noviogradum, Strigonium, Hatuanum, Albam Regalem, Peſtum, aliaſque urbes & caſtella munitiſſima, receperunt: atque ita Hungaria intus foriſque bello penitus arſit, miſereque dilacerata eſt.

111. *EGRESSVS.*

Pacificatio. Cum variis ſucceſſibus dubiaque fortuna hoc bellum per annos 14, abſque induciarum interruptione, geſtum eſſet, tandem A. C. 1606 die 14 Septembr. pax inter Imper. *Rudolphum* & *Mahumetem* in annos 30 ſancita eſt. Maxime autem bellum iſtud Turcicum virtutem & Imperii felicitatem *Rudolphi* illuſtrat. Etenim Barbarica illa rabies, quamvis incredibili immanitate omni Europæ reſiduæ minitaretur exſidium; voluntate tamen DEI, & divi *Rudolphi* auſpicio, repreſſa eſt taliter, ut ne pedem quidem in Germaniam Monſtrum illud inferre omni robore ſuo valuerit, & ſubditi ſub umbra alarum invictiſſimi hujus Im-

peratoris in quieto otio citra devaſtationem patriæ, citra rapinam fortunarum, citra populationem agrorum, citra violentiam uxorum & liberorum perpetuo viverent. Ita votum & propoſitum Chriſtianum Rudolphi impletum videmus, quod in Enchiridio *B. Menzii fol.* 89. exſtat:

Exæquabo patris (faveant modo Numina) laudes,
Inque meas dotes ingenioſus ero.
Quodque gero nomen, virtute fideque tuebor,
Atque meis populis otia tuta dabo.
Sic tranquillus ero, tam re, quam nomine, Cæſar,
Parva nec iſta ſacra laurea pacis erit.
Palatos hoſtes Germania læta videbit,
Et per victrices fœdera juncta manus.
Di, faxint, pater ut poſt ſecula tradat habenas,
Vtque ſenex orbem cum ſenibre regam.

II. *Bellum* contra fratrem *Matthiam* affectum, ſed non perfectum.

Anno C. 1608 *Matthias* Archidux Auſtriæ, frater *Rudolphi* II Imper., Vienna cum exercitu (qui conſtabat è viginti millibus equitum peditumque) in Moraviam diſceſſit, tanquam contra Heiduccos profecturus: Sed ſubitam verſus Bohemiam expeditionem ſuſcepit. Ideo *Rudolphus* Imp. ſibi proſpicere coactus fuit, militeſque collegit, atque ad alios de auxiliis perſcripſit. Inde *Matthias* Pragam verſus profectus eſt, & prope ad urbem caſtra poſuit. Status vero Bohomici vitam & fortunas ſuas pro ſalute Imperatori obtulerunt, ſi modo liberum religionis exercitium ſibi concedere vellet. Sed id dilatum uſque ad Comitia: interim poſt diuturnas deliberationes tandem pax inter fratres conciliata eſt, & Imperator Hungaria & Auſtria *Matthiæ* ceſſit, regni Hungarici corona in aperto campo ei tradita: tributus eidem titulus DESIGNATI Regis Bohemiæ aſſenſu Ordinum. Atque ita *Matthias* cum exercitu ſuo in Auſtriam rediit, indeque iter in Hungariam ſuſcepit, ac ſub finem anni currentis 1608 ſolenni ritu Rex Hungariæ coronatus eſt.

III. *ACTA ECCLESIASTICA.*

I. *Rudolphus* fuit pius & religioſus Imperator, quod, ut ex omnibus ejus actionibus, ita etiam ex ejus Symbolo patet: OMNIA EX VOLUNTATE DEI. Quo totum ſe bonitati & clementiæ divinæ hic ſacratiſſimus Princeps tradidit, & ad voluntatem DEI omnia conſilia, omneſque actiones & cogitationes ſuas conformavit, in eaque omnem ſpem fiduciæ & ſalutis ſuæ collocavit. Unde, quia hoc ſymbolum multa in ſe continet, quæ omnibus Chriſtianis inſervire poſſunt ad informationem, quomodo videlicet ad DEI voluntatem ſuam per omnia conformare debeant, in *cap.* 3. prolixiorem illius explicationem dabimus.

II. *Rudolphus* valde benignum & favorabilem ſeſe erga Principes Proteſtantes, omneſque Auguſtanæ Confeſſioni addictos geſſit, neque ullo modo à Pontificiis eo flecti potuit, ut bellum adverſus eos moveret, gladioque, quod dies noctesque apud eum urgebant, eos exſtirparet. Conſtat enim, Jeſuitam quendam, cum Imperator A.C. 1581, Comitia Auguſtæ Vindelicorum celebraret, hos ſanguinolentos verſos publice affixiſſe:

Qua ratione queat Germanis ſalva manere:
Suſcipe conſilium, Lector amice, meum.
Vtere jure tuo, Cæſar, ſervoſque Lutheri
Enſe, rota, ponto, funibus, igne neca.

Sed tantum abeſt, ut Imperator ad maledici hujus Jeſuitæ aliorumque ſuggeſtiones virulentas aures aperuerit, ut etiam Hungaris, anno C. 1606, liberum religionis exercitium conceſſerit. Quod Cleſelius Epiſcopus, ne videlicet Hungari puram, Evangelicam, Propheticam & Apoſtolicam doctrinam in Templis Scholiſque publice docerent, impedire ſummopere ſtuduit. Sed *D. Polycarpus*, tunc temporis Ducis Saxoniæ Concionator aulicus, rogatu Hungarorum, Cleſelium Epiſcopum Viennenſem & Adminiſtratorem Electoratus Neoburgenſis tam ſolide refutavit, ut parum profecerit; atque ita Hungari in ſuo propoſito Chriſtiano. Imperator vero in juſta promiſſione confirmati ſunt; quemadmodum è Duello Cleſeliano A. C. 1608 Lipſiæ impreſſo videre eſt, & fundamenta à Cleſelio & Polycarpo in medium allata *breviter evidenterque* demonſtrant.

Anno quoque C. 1609 *Rudolphus* Bohemis, Sileſiis & Moravis literas Majeſtaticas, quas ſic vocant, impertivit, quibus illis libertatem concedebat, exercitium Religionis in Templis Scholiſque publice docendi, imo nova templa ac ſcholas exſtruendi, quo tam ſenes quam juvenes in vera religione erudiri poſſent. Et ſub pœna omnibus Ducibus, Capitaneis, cæteriſque Officiariis ſeveriſſime mandavit, ne ullam Auguſtanæ Confeſſioni addictis vim inferrent, eorumque religionis exercitium impedirent.

III. Anno C. 1580 publicatus eſt *Liber Chriſtianæ* CONCORDIÆ. Cujus notanda:

1. *Occaſio.* Cum poſt obitum *B. Lutheri* Eccleſiæ Lutheranæ inteſtinis quibuſdam diſſidiis eſſent turbatæ, ob diſſenſiones, quæ de quibuſdam articulis Chriſtianæ doctrinæ in Auguſtana Confeſſione

ſione comprehenſis inciderant, videlicet de libero arbitrio, de Juſtificatione, de Evangelii definitione, de præſentia Chriſti in S. Synaxi; putarentque nonnulli Theologi, ab Auguſtana Confeſſione in his capitibus nonnihil receſſum eſſe: judicarunt, illis ſubinde magis magiſque creſcentibus diſſidiis rectius occurri non poſſe, quam ſi controverſi Articuli ex verbo D n i ſolide declararentur & explicarentur; falſæ autem opiniones refutarentur, & rejicerentur.

2. *Delineatio.* Principio igitur Wittebergenſes Theologi de controverſis articulis diu multumque inter ſe contulerunt, & ex immotis verbi divini teſtimoniis rationem collegerunt, quomodo diſſidia illa cum offenſione Eccleſiarum conjuncta, abſque ulla veritatis Evangelicæ jactura ſopiri, & è medio tolli poſſent. Poſtremo articulos controverſos accurate & religioſe perpenderunt, eorumque explicationem in volumen redegerunt, in quo affirmativa propoſitio vera ſacris literis, teſtimoniis ex Auguſtana Confeſſione, & Apologia ejuſdem, item utroque Lutheri Catechiſmo atque ex Smalcaldicis articulis, petitis, confirmabatur; falſa vero doctrina rejiciebatur, atque condemnabatur.

Quod (volumen) cum Principibus orthodoxis exhibuiſſent, non modo clementiſſime acceptum, ſed etiam unanimi conſenſu approbatum eſt, diligenterque deliberatum, ut divini Numinis auxilio pax Eccleſiis miſerrime afflictis reſtitueretur. Auguſtus itaque Elector, Dux Saxoniæ, unanimi conſilio & voluntate quorundam Electorum & Principum Auguſtanam Confeſſionem amplectentium, ad promovendum pium illud inter Doctores Eccleſiæ Concordiæ inſtitutum, nonnullos ſpectatæ fidei, pietatis, doctrinæ, integritatis & experientiæ Theologos, (videlicet Jacobum Andream, Andream Muſculum, Chriſtophorum Cornerum, Nicolaum Selneccerum, Davidem Chytræum, & Martinum Chemnitium) A. C. 1576 Torgam convocavit, eiſque ſcriptum à ſupradictis Theologis adornatum inſpiciendum tradidit. Hi totam in eo doctrinam comprehenſam per omnia approbant: Sed quia nimis conciſum videbatur, quam magnitudo negocii poſtularet, novum, copioſum & admodum nervoſum ſcriptum adornant, in quo plures Articuli vel jam controverſi, vel quia brevi in controverſiam venire poterant, tractabantur, & omnia enucleatius exponebantur, falſaque dogmata copioſius refutabantur. Id poſtea Electoribus, Principibus, Ordinibuſque Imperii, qui ſe invariatæ Auguſtanæ Confeſſionis religionem ſequi profiterentur, miſſum eſt, & à ſingulis petitum, ut adhibitis præſtantiſſimis & doctiſſimis Theologis illud diligenter perlegerent, accurate examinarent, & ſi quid porro emendandum, detrahendum vel addendum eſſet, libere admonerent. Poſtquam autem ex diverſis locis judicia ad Electorem Saxonem miſſa eſſent, quibus oſtendebatur, qua ratione veritas adverſus omnis generis corruptelas inviolata conſervari poſſet; Auguſtus rurſus evocavit priores Theologos A. C. 1577, quibus plures collegas adjunxit, eiſque judicia Eccleſiarum propoſuit, ſimul eos hortatus, ut quoad ejus ſalva veritate fieri poſſet, admonitionum illarum, quæ in judiciis tranſmiſſis continebantur, rationem haberent, & Librum *Concordiæ* ſic adornarent, ut maximo cum fructu in lucem prodiret. Factum eſt hoc à deputatis Theologis ſtudioſiſſime.

3. *Subſcriptio & approbatio.* Poſt librum Concordiæ ſic adornatum, Electores Saxo & Brandeburgicus curarunt per quoſdam Germaniæ Principes, ut liber ille à Theologis & Ludimoderatoribus ſubſcriberetur. Igitur non modo ultra octo millia Theologorum *Concordiæ* librum pro genuina & orthodoxa Auguſtanæ Confeſſionis interpretatione acceperunt, re probe deliberata, approbarunt, eidemque ſubſcripſerunt: verum etiam ipſi Electores, Principes, Comites, Barones, & Imperialium civitatum Conſules, Auguſtanæ Confeſſioni addicti.

4. *Impreſſio.* A. C. 1580, editus eſt in lucem ſingulari bonitate divina liber Concordiæ, Dreſdæ & Tubingæ impreſſus.

5. *Oppugnatio & defenſio.* Anno ſequenti poſt typis evulgatum librum Concordiæ prodierunt in lucem ſcripta, quibus pia doctrina libro Concordiæ comprehenſa acriter oppugnabatur. Electores igitur qui Auguſtanam amplectebantur Confeſſionem, & conſcriptionem adjuverant miſſis Theologis, videlicet Kirchnero, Selneccero & Chemnitio, ad conventum quendam, conſcribi curarunt Apologiam, qua liber Concordiæ defendebatur, & à calumniis ſolide vindicabatur. Hæc poſt triennium, cum à reliquis examinata eſſet, publicè edita eſt, hodieque in lingua Germanica exſtat.

IV. A. C. 1580 *Aquiſgrani* Evangelium prædicari cœptum eſt, confluentibus eo multis è Belgio propter Hiſpanicæ tyrannidis aſperitatem. Sed cum cives quidam reformatæ Religioni addicti non ſolum publicum religionis ſuæ exercitium, frementibus Catholicis, indies adhuc retinerent, verum etiam in Senatum recipi & Conſules ſuæ religioni addictos creari poſtularent: Pontificius Senatus neque ullum eorum ad honores admittere voluit. Ipſi igitur Conſules Religionis, adverſante veteri Senatu, conſtituerunt. Inde tumultus & motus varii & diuturni exſtiterunt. Hos cum Imperator comprimere conſilio & prudentia conaretur, ſæpius literis

eo miſſis Rempublicam Aquiſgranenſem in antiquum ſtatum reſtituere ſtuduit, idque, cum Pontificii accuſationem novorum Conſulum & reformatæ religionis civium coram ipſo inſtituiſſent, ſeveriſſime mandavit. Cum autem novi Conſules & Senatores pacem religionis in Imperio prætexerent, cæterorumque Auguſtanæ Confeſſionis Principum & Ordinum interceſſione uterentur: Cæſar in Comitiis Auguſtanis, de conſilio Ordinum Imperii, Archiepiſcopum Trevirenſem & Electorem Saxoniæ Commiſſarios conſtituit. Quorum ſubdelegati Aquiſgranum profecti utramque audierunt partem, & principali cauſa indeciſa, relationem ſuam & acta omnia ad Imperatorem remiſerunt. Is in judicio aulico controverſia cognita, tandem anno Chriſti 1593, ſententiam admodum ſeveram adverſus accuſatos pronunciavit; Non licuiſſe ſcilicet iis, nec debuiſſe, in Cæſaris urbe & Regia ſede Aquiſgrano, vel in Religione aliquid novare, vel Magiſtratum & gubernationem urbis de facto invadere. Ideoque quæ ab ipſis hactenus in eo ſuſcepta ſint, caſſari & aboleri, omniaque in veterem ſtatum reſtitui, & actores in priſtinum locum reponi debere. Inſuper omnis litis expenſas actoribus refundere, & pro damnis ſatisfacere accuſati jubentur, reſervata nihilominus Cæſareæ Majeſtati pœna, & ſalva Duci Juliacenſi & auctoribus poteſtate, reliqua etiam ſua jura, querelas & poſtulationes adverſus eos perſequendi. Hujus graviſſimæ ſententiæ promulgationem paulo poſt ſecutum eſt mandatum, quo ſub pœna proſcriptionis intra ſex hebdomadas parere, & omnes latæ ſententiæ partes exſequi, & documentum paritionis ſufficiens intra certum diem exhibere jubentur. Evangelici igitur Conſules ac cives Aquiſgranenſes damnati, plurimiſque injuriis jactati, opem Principum & civitatum præcipuarum Auguſtanæ Confeſſionis implorarunt, qui Cæſarem literis & legationibus ſollicitarunt, ne vim eis afferri pateretur. Executio igitur ſuſpenſa, ſed obtineri libertas prædicandi Evangelium nulla potuit. Itaque ne nunc quidem illic libera eſt in templis publicis illius profeſſio. *Chytr. in Chronic. Saxon.*

v. Anno C. 1581 Inclytus *Senatus Noribergenſis* ex *Schola Altorfina* (quæ anno 1575 erat aperta) Academiam conſtituit, eamque *Rudolphus* Imper. privilegiis ornavit, ac introductio ſolennis die Petri & Pauli, quæ Scholæ antea natalis fuit, facta eſt. In hac ego per quinquennium primarium Theologiæ Profeſſorem egi, & Collegas habui *D. Georgium Kölling / Dn. M. Georgium Ritterum, Dn. M. Johannem Saubertum*, Theologos eruditione & pietate præſtantiſſimos.

vi. Anno Salutis 1538 Theologi Brunſvicenſes Tilemannus Heshuſius, ejuſque collegæ ab eo ſeducti, doctrinam de Majeſtate Chriſti, (Ubiquitatem ipſi vocant) libro Concordiæ è Lutheri ſcriptis inſertam, impugnabant. Quo igitur novum ſchiſma in Eccleſiis caveretur, de voluntate Electorum & Ducis Brunſvicenſis Quedlinburgi in Saxonia convenerunt Theologi ad Colloquium, ut de Majeſtate Chriſti amice inter ſe conferrent. Sed cum Heshuſius & Collegæ ejus pertinaciter ſententiæ ſuæ inſiſterent, ſine ullo fructu colloquium diſſolutum eſt. Interfuit ei *Timotheus Kirchnerus*, cui ex Theologis Electorum præcipuæ partes demandatæ erant, ex Brunſvicenſibus vero ſupra dicto Heſhuſio.

vii. Anno eodem Coloniæ civium pars ferme tertia liberum religionis exercitium à Senatu petiit: qui eos ad *Gebhardum* Archiepiſcopum & Electorem remiſit, quaſi huic ſoli incumberet, negotio Religionem concernenti proſpicere. Cives igitur Electorem adeuntes, non tantum facile, ut in tribus templis puram doctrinam publice profiteri liceret, ſed & inſuper mandatum, ne Senatus eos impediret, obtinuerunt. At Senatus, qui nunquam illos quicquam obtenturos putarat, ſpe fruſtratus, rem ad Imperatorem & Capitulum prius referendam eſſe prætexuit, multoſque cives audientes conciones Evangelii in carcerem conjecit, atque pecunia mulctavit. Quare cives ſeſe eludi perſpicientes, rurſus Auguſtanæ Confeſſionis Principibus ſupplicarunt. Interim Gebhardus declarationem ſuæ voluntatis de doctrina Evangelii & adminiſtratione Sacramentorum, cum verbo Dei & confeſſione Principum ac ſtatuum Auguſtæ Vindelicorum *Carolo* V exhibita congruente, ſubditis ſuis eam expetentibus permittenda, & libero exercitio utriuſque Religionis, Pontificiæ & Confeſſionis Auguſtanæ, juxta pacem Religioni in Imperio datam, defendendo, publicavit. Illico igitur Pontifex, Imperator, & alii Principes Pontificii, Senatuſque Colonienſis ipſe, apud Capitulum de alio eligendo inſtiterunt. Archiepiſcopus in cauſa pia præſidium à Principibus Auguſtanæ Confeſſionis petiit. Hi igitur Coloniæ apud Capitulum & Ordines interceſſerunt, per literas & legatos ſuos eos hortantes, ne quid per vim molirentur, neve innocentem damnarent, aut in exilium ejicerent. Sed cum Legati Principum vix ægre admiſſi audirentur, re infecta domum redierunt. Cæſar vero per ſuos Legatos Archiepiſcopum hortabatur, ut vel religionem pontificiam retineret, vel bonis Eccleſiaſticis cederet. Tum etiam *Gregorius* Pontifex eum per literas ab inſtituto ſuo avocavit. Sed cognito,

Gebhar-

Gebhardum non ita pridem Bonnam occupatam præſidio firmaſſe, ſolennem nuptiarum diem ibi cum *Agnete Georgii* Comitis Mansfeldii filia, contra pontificiæ Eccleſiæ decreta celebraſſe, Germanorum Principum aliquot, ad priſtinam ſuam dignitatem ſtabiliendam, opem & auxilia imploraſſe: omiſſa jam ſalutatione & benedictione Apoſtolica, quibus *Gebhardum* ſuperioribus literis dignatus erat, ipſum tanquam hæreticum, perjurum, & omnibus ſceleribus inquinatum & contaminatum hominem, ab omni auctoritate & dignitate publicis ſuis literis removit. *Gebhardus* igitur Coloniæ una cum quatuor Canonicis (uti antea Romæ quoque factum erat) per duos Epiſcopos Italicos ut hæretici dignitate privati, eorumque imagines à pueris per civitatem tractæ, in Rhenum provolutæ ſunt. Paulo poſt *Erneſtus Bavarus*, *Alberti Bavariæ* Ducis filius, Pontifice, Imperatore, aliisque procurantibus, in Archiepiſcopum electus eſt: cui paucis poſt interjectis diebus totum Capitulum fidelitatem juravit. *Gebhardus* vero, armata manu ſe defendere volens, milites conſcripſit, eique ſubſidio venit *Johannes Caſimirus*, Comes Palatinus: *Bavarus* vero Hiſpanicum præſidium evocavit. Ab utraque igitur parte aliqua capta millia, & amiſſa. Cum autem Caſimirus pecunia deſtitueretur, & Archiepiſcopus exercitum alere non poſſet, ob non numerata ſtipendia res eorum in anguſtias redactæ ſunt. In his difficultatibus intervenit nuncius ſatis tempeſtive, *Caſimiri* fratrem è vita diſceſſiſſe. *Caſimirus* igitur exercitum dimiſit, inque Electoratum Palatinum (cujus Adminiſtrator teſtamento fratris conſtitutus erat) contendit, & ſic novus Archiepiſcopus reliqua oppida facile expugnavit & in deditionem accepit. *Gebhardus* autem cum copiolæ ſuæ maxima ex parte eſſent diſſipatæ, deſperata ditionum, quas *Erneſtus* nondum occupaverat, defenſione, in Hollandiam ad Auraicum Principem confugit, qui Hagæ Comitis aliquantiſper domicilium exuli cum uxore attribuit. *Chytr. Chron. Saxon. Beutherus. Dreſſ. Mill. 6. p. 515. & ſeqq.*

VIII. Anno Chriſti 1586 Illuſtr. *Friderici* Principis Wirtembergici conſenſu inſtitutum eſt colloquium Mompelgarti, pro quo Galli exules, quibus Mompelgarti hoſpitium erat conceſſum, apud prædictum Principem ſupplicarunt. Hi enim magnam ſpem conceperant, ſi colloquium inter Theologos Lutheranos & Reformatos inſtitueretur, fore, ut in Articulis controverſis pia iniretur concordia, atque hoc modo Gallicæ aliæque exteræ Eccleſiæ cum Lutheranis melius coaleſcerent. Huic colloquio ab initio uſque ad finem Princeps *Fridericus* ipſe interfuit, multaque quæ ab adverſa parte dicebantur, annotavit. Actum autem eſt de Cœna Domini, Perſona Chriſti, Baptiſmo, Prædeſtinatione, de quibus ſolis inter partes convenit, & de quatuor reliquis articulis conſenſus fieri non potuit, niſi in paucis capitibus, de quibus jam inde ab origine iſtarum controverſiarum nulla fuit inter utramque partem diſceptatio. Collocutores fuere *D. Jacobus Andreas* & *Theodorus Beza*, qui colloquium mature abrupit, cum dextram fraternitatis fruſtra *D. Jacobo* obtuliſſet, qui eam accipere noluit propterea, quod *Beza* in ſuis opinionibus permaneret, multoſque craſſos errores defenderet. Fructus tamen colloquii ſalutaris & uberrimus fuit. Siquidem Princeps *Fridericus* in vera ſententia, de qua publice teſtatus, abunde confirmatus eſt, & acta hujus Colloquii Tubingæ typis deſcribenda curavit, eiſque Præfationem ſub ſuæ Celſitudinis nomine præfixit, in qua rationes conſilii ſui & colloquii inſtituti expoſuit.

IX. Anno 1590 *Jacobus*, Marchio Badenſis, cum ad Pontificios defeciſſet, omnibus Evangelicis Miniſtris mandavit, ut intra paucos dies è ſua ditione deſcederent. Sed priuſquam conſtitutus ille dies adveniret, ſubitanea morte dyſenteria correptus die 7 Auguſti extinctus eſt. Atque ita Evangelii doctrina in illa parte Marchionatûs divinitûs conſervata eſt: ſiquidem tutor pupilli *Erneſtus Fridericus*, Princeps pius & pacificus, *Caroli* Marchionis Badenſis A. C. 1577 defuncti filius, omnia in integrum reſtituit, Pontificiis dimiſſis. *Chytr. Chron. Saxon.*

X. Anno 1593 *Guilielmus Fridericus* Adminiſtrator Saxoniæ juramentum fidelitatis à ſubditis ſuis accepit, datiſque die 15 Martii ad Profeſſores Wittebergenſes literis, decretum ſibi eſſe ſignificavit, Nullius Religionis, quam quæ Prophetici & Apoſtolici ſcriptis & Auguſtanæ Confeſſioni *Carolo* V in Comitiis Auguſtanis exhibitæ, per omnia conſentiat, inque libris *Lutheri* comprehenſa, & in Formula Concordiæ repetita ſit, exercitium in ditionibus & regionibus ad Electoratum pertinentibus inpoſterum ferre nolle; ſe autem neminem velle in conſcientia ſua turbare, ſed monere omnes aliam ab hac doctrina religionem amplectentes, ne ad fidelitatis juramentum præſtandum compareant, ſed officiis ſuis ſeſe his ipſis deſtitutos literis perſuaſum ſibi quam certiſſime habeant. Nec ita multo poſt viſitationem Academiarum Wittebergenſis & Lipſienſis, Eccleſiarumque, in Saxonia & Miſnia inſtituit, exhibitis Theologis, (inter quos primarii fuere *Ægidius Hunnius* & *Georgius Mylius*, Doctores) certis articulis de Perſona Chriſti, de Baptiſmo, de Cœna Domini, & de Prædeſtinatione;

ne; ex quibus omnes tam in templis quam in Scholis etiam docentes cujuſcunque facultatis & Profeſſionis ſunt examinati. Viſitatione peracta, qui articulis ſubſcribere noluerunt, officiis ſuis ſunt deſtituti, & ita prior ſtatus religionis in Electoratu mutatus eſt.

XI. Cum inter *Maximilianum* Palatinum Rheni, Ducem Bavariæ, & *Philippum Ludovicum* Comitem Palatinum conveniſſet, colloquium de Religione eſſe inſtituendum inter utriuſque Principis Theologos: tandem A. C. 1601, prædicti Principes eorumque Theologi Ratisbonæ convenerunt, & unicum hoc thema tantum tractarunt, An ſola ſcriptura ſacra ſit norma fidei in religione & controverſiarum Judex; an vero quid aliud? Super hac unica quæſtione 14 Seſſiones ſunt habitæ, tandemque Bavarici Theologi (inter quos primarias partes ſuſtinuere *D. Hungarus* & *D. Greſerus* Jeſuitæ) colloquium abruperunt, cum Theologi Palatini, Saxonici, (inter quos non poſtremi fuere *D. Ægidius Hunnius*, & *D. David Rungius*) Brandeburgici item & Wurtembergici ad colloquium evocati, Romano Pontifici authoritatem & officium judicis derogarent, eum Antichriſtum eſſe, multiſque erroribus in Religione accuſatum & jamdudum convictum, affirmarent. Protocollum hujus colloquii ab utriuſque partis Theologis & Politicis, tam Pontificiis, quam Auguſtanæ Confeſſioni addictis, ſubſcriptum & publicatum, & poſtea Lavingæ impreſſum eſt. *Chytræus.*

Eodem anno Reformati Synodum Vappincii in Delphinatu Galliæ celebrarunt, qui Confeſſionem fidei Eccleſiæ Gallicanæ repetiverunt, eique hanc inſeruerunt aſſertionem: *Romanum Pontificem eſſe ipſiſſimum Antichriſtum. Bucholtz.*

XII. A. C. 1605 *Mauritius* Landgravius, cum mortuo *Ludovico* patruo Marpurgenſem Academiam ſortiretur, Theologos, qui doctrinæ Reformatorum de Perſona Chriſti, & mutationi præceptorum Decalogi, & fractioni panis in Euchariſtia conſentire nolebant, dimiſit, novoſque Theologos evocavit. Unde magnus excitatus eſt tumultus, ſed ſtatim per *Mauritium* fuit ſopitus. *Idem.*

XIII. Anno 1611 Jeſuitæ in Parlamento Pariſienſi peſſime habiti ab Univerſitatis Advocato, Martillerio, & Regio, Servino: qui demonſtrarunt, illos eſſe homines ſceleratiſſimos, cruentis manibus & immani avaritia præditos, nocentiſſimos ac ſuperbiſſimos, quibus fides, decus, pietas, poſtremo honeſta & inhoneſta omnia quæſtui ſint: ad excogitandum acutiſſimos & audendum impudentiſſimos, ad efficiendum acerrimos, qui Regi juramentum fidelitatis præſtare nolint, ac quorum doctrina & hortatu atque impulſu bella excitata, exſos Reges, *&c.* illis igitur ſalvis, Pariſienſem Rempublicam ſalvam nequaquam eſſe poſſe. Quare cauſa ceciderunt, & interdictum iplis, ne amplius docerent. Cum autem ſe recipi in corpus Univerſitatis peterent: ſe idem docturos, quod Sorobona docet: Senatus cauſa ad Conſilium rejecta, pronunciavit, intra præſcriptum tempus ſcripto ſubſignato declararent, quod hodie ore profitentur, ſe doctrinam Sorobonæ amplecti: Papam non debere imperare regibus, nec habere poteſtatem privandi Reges regno, eique non licere eos excommunicare; nec ſacramento ſubditos ſolvere: Concilium eſſe ſupra Papam: Clericos judicari debere à Politico Magiſtratu: Quæ in confeſſione auriculari cognoſcuntur, ſi vitam Regis & Rempubl. concernant, omnino deferenda eſſe. *Idem.*

CAPUT III.

DE EGRESSV.

1. TA' ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑ.

1. PRodigium ominoſum. Paulo ante mortem Imperatoris *leo*, nec non *aquila* duæ, quæ in aula ejus Pragæ nutriebantur, ſubitanea morte extinctæ ſunt, quæ mortem *Rudolphi* portendere nonnulli affirmarunt; cui etiam eventus mox reſpondit. Unde hæc ſequentia diſticha J. M. à W. compoſuit:

Bina aquilæ, *vaſtuſque* leo, *quos nutriit aula*,
Tempore non modico, *dive* Rudolphe, *tua*,
Exceſſum paulo ante tuum, *mirabile dictu*,
Clauſere extremum, *triga beata*, *diem.*
Scilicet haud aliter, *quam ponderis omine*, *tanti*
Fas erat oſtendi fata, Rudolphe, *tua.*
Cœlum aquilæ: leo *tellurem deſignat*: & *iſte*
Magnanimum Alcidem: *hæque Jovem referunt.*
Alcidæ ſimilem vitam tibi fata dedere,
Cuncta tua impleſti gloria, *ut ille ſua.*
Reſtabat cœlum, *Jovis hoc tibi ſuggerit ales*;
Sed qua te ferres, *non fuit una ſatis.*
Bina igitur ſimul, *ingenti comitante leone*,
Induperatorem in cœlica tecta vehunt.

Sic etiam de *Matthia* Hungariæ Regis leonibus, quos in arce Budenſi alere ſolebat, eodem die, quo Rex Viennæ apoplexia mortuus eſt, anno 1490, ſexto Aprilis, ſubito exſtinctos eſſe legimus. Superiori tempore paulo ante obitum *Johannis Caſimiri* Comitis Palatini Rheni, (qui A. C. 1592, rebus humanis exemptus eſt) *leo* itidem, quem diligen-

gentes

genter nutriri curabat, interiit: quod ipſemet ut inſtantis mortis præſagium interpretatus eſt.

Paulo ante cladem Varnenſem, in qua *Ludovicus* Hungariæ Rex anno Chriſti 1444 periit, equus ejus ſubitanea morte concidit. *Stephani Batorii* Poloniæ Regis fratre in Tranſſylvania ex hac vita erepto, ſimiliter equus ejus ſubito mortuus concidit.

11. Vox θαυμαστὸν. Cum *Rudolphus* Imperator ſub initium menſis Decemb. anni 1611, morbo eſſet correptus, ipſeque ſentiret, non longe ſupremam vitæ ſuæ metam abeſſe, inter alios piiſſimos & dulciſſimos ſermones ad Conſiliarios, cæteroſque, qui aderant, habitos, hæc quoque ſuſpiria emiſit: Mei cariſſimi, inquiebat, cum in juventute mea à divo parente meo ex Hiſpania in hanc patriam meam tranſitoriam per Legatum revocarer, tanto gaudio perfundebar, ut ſequentem noctem totam inſomnem traducerem. Quanto magis mihi nunc lætandum, quia pater meus cœleſtis in æternam patriam me brevi avocaturus eſt; ubi nulla eſt temporis viciſſitudo aut mutatio, & ubi calamitas & adverſitas nulla eſt. Unde patet, quod Chriſtianiſſimus hic Imper. COELESTIS PATRIÆ recordatione ſeſe erexerit atque conſolatus ſit. Omnium hoc namque piorum Chriſtianorum officium eſt, ut terrenis hiſce relictis ad cœleſtia ſuſpirent, inque æternam & beatam DEI & Eccleſiæ cœleſtis conſuetudinem transferri cum *Rudolpho* optent. Unde eleganter canit Mantuanus:

Terra domus animis non eſt accommoda noſtris,
Altius it noſtra conditionis honos.
Qui nimium terras amat, & mortalia tecta,
Fallitur: eſt alio PATRIA *noſtra loco.*
Hic ſumus extorres, alienaque regna tenemus,
Sub gravis exilii, ſevitiæque jugo.

Quod Imperator *Carolus Magnus* conſiderans, tale epitaphium *Rulando* nepoti ſuo erexit:

Tu patrium repetis, triſti nos orbe relinquis:
Te tenet aula nitens, nos lacrymoſa dies.

Du fährſt in 's rechte Vater-land;
Wir bleiben im elenden Stand.

II. ΤΑ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Mors ipſa. Rudolphus cum recreationem animæ ſuæ præcipuam ex verbo DEI petiviſſet, eamque Chriſto Redemtori ſuo commendaſſet, tandem inter vota & ardentes preces, quas toto morbi tempore ad DEUM fudit, placide in Domino obdormivit, A. C. 1612, die 10 Januarii S. V., anno ætatis 59, imperii vero 36. Quæ meta vitæ huic optimo Imperatori, amore & ſtudio veræ pietatis, juſtitia, veritate, clementia, ſapientia, fide, adeoque omnibus virtutibus Principi convenientibus, excellenti, à DEO conſtituta fuit. Nam quæcunque mortem nobis aut noſtris cauſæ & occaſiones afferant, ut in veteri verſu græco, *Alium alia via ducere ad lamentabile letum*, dicitur: *tamen non caſu, nec cauſis ſecundis tantum, ſed* DEO *ſciente & volente, aut certo conſilio permittente, nos & alios ex hac vita demigrare non dubitemus.* In qua ſententia quoque *Rudolphum* fuiſſe Symbolo ſuo atteſtari voluit, cum omnia ex voluntate DEI fieri peteret.

III. ΤΑ ΠΑΡΗΠΟΜΕΝΑ.

Sepultura. Matthias Archidux Auſtriæ, qui tunc Viennæ, ubi nuptias menſe Decembr. anno Chriſti 1611 celebravit, commorabatur, cognita fratris morte ſtatim Pragam cum nova nupta aliisque Nobilibus ſe recepit, ſummamque ex obitu fratris ſui cariſſimi dolorem ſuſcepit. Poſtea cum jam à Principibus ac Electoribus XXVII. Francofurti die 3 Junii Imperator eſſet renunciatus, die 3 Octobris magno ſplendore & magnificentia juſta *Rudolpho* fecit, ejuſque cadaver in templo arcis, S. Vito dicato, tumulari curavit. De eo ſequens exſtat epitaphium Chronologicum:

DVX *aC* LVX *gentIs* FabIanI *heV* LVCe *Ro-*
DoLphVs
CaſarIo genItVs ſang VIne Caſar ObIt.

Symbolum Rudolphi.

OMNIA EX VOLUNTATE DEI.

Quod Reuſnerus ita reddidit:

Quæ fiunt fieri OMNIA *ex benigna*
VOLUNTATE DEI, *pium atque fas eſt:*
Qui, quod vult, facit omne, proſperatque
Rex ceu Maximus, optimuſque Regum.

Ex eo autem videre eſt, ſacratiſſimum hunc Principem iſtas cogitationes, quas Chriſtianum hominem veræ pietatis fundamento inſiſtentem de DEI voluntate habere par eſt, ſæpe ſuſcepiſſe, eique hoc ratum firmum & fixum fuiſſe, nihil unquam eveniſſe, nihil unquam eventurum, quod non Dominus ille cœli & terræ voluerit. Cum omnia ex voluntate DEI fieri optaret, alium ſe longe ſuperiorem eſſe, qui res humanas gubernet, & in cujus manu omnia ſint, qui ſibi has in Chriſtiana Republ partes dediſſet, aſſimabat. Hujus igitur imperio & voluntati, non ſuæ, obſequendum, hunc auctorem hæreditarium omnis felicitatis, & ab eo rectum conſilium & auxilium flagitandum ſtatuebat. Eſt namque divina voluntas nihil aliud, niſi liberrimum, & ſapientiſſimum, & juſtiſſimum DEI de-

cretum, ſecundum quod, quicquid eſt, ac quicquid futurum eſt, gubernatur. Preces noſtræ nihil aliud ſunt quam ſupplicationes, ut quicquid cogitamus vel conſultamus, vel agimus, bene feliciterque, hoc eſt, ad divinam voluntatem, eveniat. Hinc ergo *Rudolphus* Imp. nunquam DEUM ad facti ſui rationem quaſi reddendam traxit; nunquam in illius voluntatem, etiamſi eventus minime eſſet optatus, inquiſivit, juſtiſſimum atque rectiſſimum ducens, quod DEO viſum fuerat.

Regula vitæ.

Ex hoc *Rudolphi* ſymbolo omnes homines, adeoque Reges & Principes diſcant, quomodo voluntatem ſuam ſemper divinæ voluntati ſubjicere debeant. 1. *In Fide.* 2. *In toto vitæ ſuæ curriculo.* 3. *In Oratione.* 4. *In Cruce, & denique* 5. *in ipſa morte.*

I. *In Fide.*

Ut fidem & religionem ſuam, juxta DEI voluntatem & verbum conforment. Jam vero DEUS de bonis æternis ſeu ſpiritualibus voluntatem expreſſit ſuam, quod velit remittere peccata, & certo donare juſtitiam & vitam æternam omnibus fide ea petentibus. Non vult DEUS, ut peccatis oppreſſi ruamus in æternum exitium, ideo ſine ulla dubitatione ſtatuamus, DEUM certo nobis remittere peccata, recipere nos per & propter filium ſuum Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, & per eum ex abyſſo inferorum & æterno exitio nos liberare, & donare nobis juſtitiam & vitam æternam. Hæc *fide* nos oportet ita accipere, ac certo ſtatuere, ſicuti Servator noſter ait, *Joh.* 6. 40. Hæc eſt voluntas ejus, qui miſit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et, *v.* 29. Hoc eſt opus DEI (h.e. ſeria ejus voluntas, & cultus ipſi gratiſſimus) ut credatis in eum, quem miſit ille. Quare nos viam ad vitam æternam non juxta noſtram voluntatem & beneplacitum eligamus, ſed oportet nos ſequi ordinem, à DEO nobis præſcriptum, ut nempe per fidem in Chriſtum ſalvemur. Fides enim obedientiam exigit, non curioſitatem, & quando DEUS præcipit, morem oportet nos gerere, inquit *Chryſoſtomus in Orat.* Deteſtandus eſt igitur error Mahumetis, qui in Alcorano ſuo (quem Arabes in lingua ſua Alfurcan nominant) *Azoara* 2. ita ſcribit: *Sciendum eſt generaliter, quia omnis recte vivens, Judæus, ſeu Chriſtianus, ſeu lege ſua relicta in aliam tendens, omnis ſcilicet* DEUM *adorans, indubitanter amorem* DEI *aſſequetur.*

II. *In toto vitæ curriculo.*

Ut pie, ſancte, & inculpate ad præſcriptum voluntatis divinæ, in verbo nobis revelatæ, vitam noſtram inſtituamus, omneſque animi & corporis vires eo intendamus, ut mandata divina *ipſo actu* impleantur. Sicuti enim macularum *adſpectus* in ſpeculo nihil juvat, ſi eas non abſtergamus: ita quoque nihil proderit, ut voluntatem DEI ſciamus, ſi non opere ipſo eam declaremus, & juxta eam vitam noſtram inſtituamus. Unde Chriſtus inquit, *Matth.* 7. 21. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui fecerit *voluntatem* patris mei, qui in cœlis eſt. Et, 1 *Joh.* 2. Qui facit voluntatem DEI, manet in æternum. Quare quemadmodum ſervi Dominis ſuis obedire debent (Proprium namque officium ſervorum in obedientia conſiſtit; ſiquidem ſervi à ſerviendo nuncupantur:) ita nos Chriſtiani ſumus DEI ſervi: Ergo ipſi ut Domino noſtro ſervire debemus in juſtitia & ſanctitate cunctis diebus vitæ noſtræ. Uti etiam pulchre monet Auguſtinus: *Adjungite fidei rectæ vitam rectam, & verbis vera dicendo, & factis bene vivendo.* Hoc enim ſi fecerimus, in nullo pene aberrabimus, ſed voluntatem DEI recte ſpectabimus.

III. *In oratione.*

Ut DEUM videlicet invocemus ſecundum voluntatem ejus. 1 *Joh.* 5. *v.* 2, & 14. Eſt autem hæc voluntas DEI, ut in nomine Chriſti petamus. *Joh.* 16. In nomine Chriſti autem petimus, quando non in noſtra juſtitia & operibus, ſed in merito & juſtitia Chriſti confidimus, & ob hæc miſericordiam DEI ex fide petimus. Omnia autem à DEO *ſunt petenda*, quæ ſaluti ſunt neceſſaria. *Quicquid* enim à DEO flagitamus adverſus utilitatem ſalutis, non petimus in nomine Servatoris, inquit *Auguſtinus tract.* 73. & iterum, *epiſt.* 121. Non petimus in nomine Magiſtri, quicquid petimus præter regulam ipſius Magiſtri, qui ſecundum voluntatem DEI nos orare docet. *Matth.* 6. 10. In omni ergo oratione noſtra diſtinguere debemus inter bona ſpiritualia & corporalia. Illa ſimpliciter abſque conditione ulla ſunt petenda: hæc vero cum conditione hac: Si DEUS velit: Si ad gloriam DEI & noſtram ſalutem vergant. Haud raro petimus divitias, ſed ſpinæ ſunt: honorem, ſed lapſus occaſio eſt: liberos, ſed noxæ ſunt. In divina ergo voluntate acquieſcamus. Exaudiet nos certo vel juxta noſtrum beneplacitum in ſui honorem, vel juxta ſuum beneplacitum in noſtram utilitatem. Non ei tempus vel modum præſcribamus; *Ipſe faciet.*

Imi-

Imitemur exemplum 1. CHRISTI, qui calicem deprecabatur, non autem ſecundum ſuam, ſed Patris ſui cœleſtis voluntatem. *Matth.* 26. *v.* 39. 2. DAVIDIS, qui expulſus regno cum conditione petiit, ut reſtitueretur, ſi ita DEO bonum videretur. 1 *Samuel.* 15. *v.* 26. 3. JUDITHÆ, quæ indignum judicabat, DEO tempus præſcribere, quando juvare debeat. *Judith.* 8. *verſ.* 13. 4. JUDÆ *Maccabæi.* Hic in acie milites ſuos confirmans, Præſtat, inquit, nos in pugna mori, quam noſtræ gentis ſacrorumque videre calamitatem. Cæterum is, qui in cœlo eſt, faciet, ut ei viſum fuerit. 1 *Macc.* 3. *v.* 59, 60, 5. LEPROSI, conditionate orantis: Domine, ſi vis, potes me mundare. *Matth.* 8. *v.* 2. 6. PAULI Apoſtoli, 2 *Cor.* 12. *v.* 8, 9. Quando ita orationem noſtram ad DEUM fundimus, tunc ipſe dabit illud, quod in ſuam gloriam noſtramque utilitatem vergat.

IV. *In Cruce.*

Experientia Ethnicos DEI ignaros docuit, plus eſſe in vita humana amaritudinis quam dulcedinis, in qua, ſi unica guttula lætitiæ cuipiam contigerit, è diverſo tres acerbiſſimos dolores infundi. Ignorant autem, omnia divina providentia fieri, conſilio & voluntate DEI gubernari, nec fortuito fieri quicquam. Et hæc eſt noſtra illa ſapientia, qua illos anteimus, & firmiter confidimus, ne pilum quidem capitis noſtri eſſe, quin notus DEO ſit & numeretur, adeoque ei curæ eſſe, ne quid ei noxii accidat, niſi DEO volente. Quare cum ſciamus, DEUM nobis imponere crucem propter noſtram ſalutem, illius voluntati reverenter nos ſubjicere debemus, ſicut filios convenit parentibus ſuis obedire. Quodcunque enim DEUS decrevit & ordinavit, hominibuſque imponit, illud obedienter & patienter eſt ferendum. Quia DEO in omnibus eſt obtemperandum, tam in adverſis, quam in proſperis. 1 *Petri* 5. *v.* 6. Jam vero DEUS omnibus hominibus crucem ab æterno decrevit, & ordinavit, eamque in tempore illis imponit. Nam in Paradiſo dixit ad hominem: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. *Geneſ.* 3. *verſ.* 19. Ubi per *Sudorem* omnis generis crux & calamitas intelligitur. Ergo omnes Chriſtiani, quando acerbiſſimorum morborum atque afflictionum mole premuntur, voluntatem DEI, quæ ſemper ſalutaris, juſta & bona eſt, ſapienter diſcernere, ac patienter ei ſeſe ſubmittere diſcant, dicentes: Si DEUS vult & decrevit, ut imagini Chriſti Filii ſui conformis fiam, *Rom.* 8. ecce fiat Domini voluntas, crucem à DEO impoſitam patienter feram. Unde *Seneca*, licet paganus, elegantер inquit: Optimum eſt pati, quod emendare non potes, & DEUM, quo authore cuncta eveniunt, ſine murmure comitari.

Hoc perpendens *Anna Sophia* Alberti primi Ducis Boruſſiæ filia, *Johannis Alberti* Ducis Megapolitani (qui A. C. 1576 à DEO in cœleſtem patriam evocatus eſt) vidua, inſigne omnibuſque Chriſtianis imitandum patientiæ exemplum edidit. Hæc piiſſima matrona curſum viduitatis ſuæ multis ægritudinibus & morbis languefacta confecit: ſiquidem multis annis laboravit ex defluxionibus aſſiduis, anhelitus & reſpirationis difficultate, quæ tandem ingraveſcens, perpetuam ferme decumbendi, aut ſedendi, neceſſitatem ei attulit. Sed toto morbi tempore nullam indignationis aut impatientiæ fremen-tis adverſus DEUM ſignificationem oſtendens, animo placido & tranquillo, qualis in reliqua vita eſſe ſolebat, DEI ſe voluntati commendavit. *Scio*, inquit, *quacunque hunc morbum cauſa vel occaſiones mihi attraxerint, tamen non caſu me, nec cauſis ſecundis tantummodo, ſed* DEO *ſciente & volente, aut certo conſilio permittente, ægrotare. Sicut Chriſtus ipſe, ne capillum quidem à capite noſtro ſine voluntate Patris noſtri in cœlis decidere affirmat. Cumque quotidie precata ſim, ut* DEI *voluntas fiat, reverenter me voluntati divinæ ſubjiciam, & ſub manu ipſius potenti me humiliabo. Scio enim* DEUM *mihi patrem propitium eſſe, ut in quotidiana invocatione eum compello, & me credere in* DEUM *patrem omnipotentem profiteor. Sicut enim pater filiorum, ita Dominus timentium eum miſeretur. Ac ut ego non poſſum obliviſci filiorum, quos ſub corde meo geſtavi: ita* DEUS *ſe piorum, ipſum invocantium, nunquam obliturum teſtatur. Quare me quoque indignam filiam ſuam ſanguine filii ſui redemtam paterna benevolentia & fide complectitur, & morbis hiſce caſtigat, non ut perdat, ſed ut agnitionem peccatorum meorum, pœnitentiam veram, ac fidem in miſericordia* DEI *acquieſcentem, & veram invocationem, ad* DEUM *veluti ad patrem φιλόστοργον confugientem, & ſpem vitæ ac ſalutis æternæ, cæteraſque virtutes in corde meo accendat, probet, augeat, & ardentiores ac firmiores reddat. Quæ in valetudine proſpera & rebus ſecundis ſæpe remittunt, ac frigidiores atque ſegniores fiunt, & paulatim prorſus exſtinguuntur. O beatam igitur me ancillam, cujus emendationi Dominus inſtat, cui dignatur iraſci, quam admonendi diſſimulatione non fruſtratur! O beatam diem illam, cum ex his aſſidue peccandi periculis in non peccandi ſecuritatem conſtituar! Vitæ cœleſtis ac æternæ deſiderium ardens & ſerium ut in nobis, nimio amore hujus mundi dementatis,* DEUS *accendat, & tædium aliquod ac odium præſentis*

vita, assidue peccantis & omnibus miseriis obnoxia, adferat: tot morbis aliisque erumnis hanc mortalem vitam onerat & affligit. Ut autem Christus ipse per cruciatus & mortem in gloriam suam ingressus est: ita nos quoque cum omnibus sanctis, hac in parte, conformes fieri imaginis Filii DEI *oportet, & per multas miserias in* DEI *regnum ingredi*, &c. Tales illustrissimæ hujus Principis toto morbi tempore sermones & colloquia cum ministro Ecclesiæ & domesticis fuere, quibus preces ad DEUM ardentes addidit, inter quas tandem ex domicilio corporis debili ac ruinoso anima sancta Deoque cara placidissime in æternam patriam emigravit anno Christi 1591. *D. Chyt. in Orat. ejus funebri.*

V. *In morte.*

Paulus ad *Roman.* 14. *vers.* 7, & 8. inquit: Nemo nostrum sibi vivit, nemo sibi moritur; sed sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. &; DEUS est, *qui definivit dies cujusque hominis, qui statuit numerum mensium ejus. Job.* 14. *v.* 5. *Psal.* 39. *v.* 5. Unde *Chrysostomus* inquit: *Nec morimur ante diem, nec transire possumus diem.* Nequaquam igitur casu morimur, sed paterna DEI per mortem ad se nos evocantis tanquam summi Imperatoris *voluntate*; is certum cuique statuit vitæ terminum, quem ubi adventare intelligimus, DEO vocanti promte obediamus, quemadmodum sancti DEI viri, & pii Christiani suo exemplo nobis præluxerunt.

EXEMPLA I BIBLICA.

I. Cum *Patriarcha Abrahamus* filium suum unicum & dulcissimum *Isaacum*, de quo amplissimas promissiones divinas acceperat, ab ipso DEO sua manu mactare jussus esset, non restitit, non rationem consuluit, non rogavit pro filio, non planxit mortem ejus, non de mandati sensu disputavit; sed simpliciter & humiliter obedire, recte ac pie judicavit. Quare statim post acceptum mandatum ad filii immolationem, tanquam ad exquisitarum epularum convivium invitatus, properavit, & cum ad montem, in quo *Isaac* esset mactandus, venisset, aram exstruit, filium ligat, imponit cum lignis, evaginat ferrum ad filium occidendum, cumque jam jugulum ejus peteret, voce cœlitus audita à cæde retractus est. *Gen.* 22. Scribit etiam *Josephus lib.* 1. *antiq. cap.* 14. *Abrahamum* filio persuasisse, quod, sicut ex voluntate DEI ingressus fuerit mundum mirabiliter; ita etiam ex voluntate DEI necessario cum egredi oporteat mirabiliter, ut quem Dominus judicarit dignum, non ægritudine, non bello, non aliqua passione, humanum finire vitam, sed cum orationibus & sacrificiis animam ejus ad se vocare, & suscitare eum ob implendas promissiones. Quamobrem *Isaacus* cervicem obedienter patri porrexit, minimeque ob mortem turbatus fuit. O admirandum obedientiæ exemplum! Merito igitur *Chrysostomus* exclamat: Utrum admirer & obstupescam justius, fortemne spiritum Patriarchæ, an pueri obedientiam, quod neque reluctatus sit, neque mortem ægre tulerit?

II. *Moses*, cum DEUS mortem ei annunciasset, *Num.* 27. *v.* 12. non expostulavit cum DEO, nec mortem deprecatus est, paratum se potius ostendit, arbitrio jussuque supremi Imperatoris statione sua & vita excedere, cum voluntario obsequio morti occurreret, montem Nebo, quem Dominus ei nominaverat, adscendens, ubi *juxta* sermonem Jehovæ placide exspiravit. *Deuter.* 34. *vers.* 1, 5.

III. *Job*, cum omnes ejus liberi ruina domus una die essent oppressi, idcirco non indignatus est DEO, nec supra illos vanis lacrymis se torsit & maceravit; sed quod DEO placuit, ipsi quoque placuit, mortemque suorum æquo animo tulit, dicens: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. *Job.* 1. *v.* 22.

IV. *Tres juvenes, Sadrach, Mesach & Abednego*, cum statuam auream à *Nabuchdonosore* erectam adorare nollent, Rex ira & furore percitus, in ignis ardentis fornacem eos conjicere minitatus est: Sed illi animose Regi responderunt: Ecce, DEUS noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, deque manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod *si noluerit*, notum sit tibi, Rex, quia *DEOS* tuos non colimus, & statuam auream, *quam* erexisti, non adoramus. Intrepide igitur fornacem ingressi sunt, ex qua mirabiliter DEUS eos liberavit. *Daniel.* 3.

V. *Mater Maccabæorum* ob mortem septem filiorum lacrymis & luctui se non tradit, nullamque ingenerosam vocem emisit; sed DEO egit gratias, quod secundum voluntatem suam illos igne, ferro, aliisque suppliciis ab hac carne dissolvisset: tandem & ipsa læto animo mortem subivit. 2 *Maccab.* 7.

VI. CHRISTUS Redemtor & Servator noster huic uni curæ incubuit, ut patri obedientiam præstaret, & opus compleret, ad quod efficiendum missus erat. Unde *D. Bernhardus* inquit: Mementote, fratres, Christi, qui, ne perderet obedientiam, voluit perdere vitam; quod etiam passim Scriptura S. de eo testatur. Nam *Psal.* 40. inquit David in Persona Christi: Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, DEUS meus,

meus. *Joh.* 4. ipſe Chriſtus inquit: Meus cibus eſt, ut faciam, voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus. Et *c. ſeq.* Non quæro voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me: *Joh.* 6. Deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me. Quod etiam initio paſſionis repetito vocabulo dixit. *Matth.* 26. Si calix non poteſt à me tranſire, niſi ut bibam illum, fiat voluntas tua. Cujus orationis ſenſus eſt: Pater, appetitus meus, & voluntas ipſa naturali motu mortem recuſat, & licet appetitus non moveatur in me ſine rationis conſenſu, ego volo, ut eam nunc recuſet, velitque mortem evadere, & dolorem ejus leniri. Nihilominus tamen oro, ut hæc voluntas mea non fiat, ſed tua æterna, qua me mori ſumma triſtitia, & dolore, decreviſti. Quare poſt preces factas, & perſpectam patris æterni voluntatem, magno & confirmato animo occurrit, obviamque procedit feſtinanti Judæorum turmæ, ut ſe vinciendum conſtringendumque dedat.

VII. *Simeon* puerulum JESUM in ulnis tum corporis tum animæ tenens, præ gaudio hoc cygneum canticum cantabat: Nunc dimittis ſervum tuum Domine in pace; innuens, Se, quia Chriſtum in carne vidiſſet, jam paratum eſſe ſpiritum ſuum DEO reddere, ſi illum ad ſe recipere ei placeret.

VIII. *Stephanus Protomartyr* N. T. cum à Judæis lapidaretur, tantum abeſt, ut ullum ſignum triſtitiæ ederet, & contra DEUM murmuraret, ut etiam in ipſa morte tripudiaret, quemadmodum de illo vetus verſus teſtatur:

Ibat ovans animis, & ſpe ſua damna levabat. Et huc pertinent omnia martyrum exempla, qui martyrium ob veram religionem conſtanti animo pertulerunt, ſuamque voluntatem per omnia divinæ voluntati reverenter ſubjecerunt.

IX. *Actorum* 12. legimus, Agabum Prophetam Paulo prædixiſſe, quod Jeroſolymis à Judæis eſſet occidendus. Quod cum audiſſent comites ejus, ac reliqui pii viri aſtantes, vehementer rogabant Paulum, ne Jeroſolymam adſcenderet. At Paulus reſpondens, dixit: Ego non ſolum vinciri, ſed & mori paratus ſum Hieroſolymis, pro nomine *Domini Jeſu.* Hinc igitur, Diſcipuli ejus, cum ipſum exorare non poſſent, ne iter Jeroſolymam verſus inſtitueret, dixerunt: *Domini voluntas fiat.*

II. ECCLESIASTICA.

I. *Martinus Epiſcopus*, (qui per triennium Juliani Apoſtatæ immaniſſimi illius nominis Chriſtiani hoſtis caſtra in Gallia ſecutus eſt) cum febri perículoſa correptus graviter decumberet, dicebat: *Domine* ſi adhuc populo tuo inſervire poſſum, non recuſo laborem: *fiat voluntas tua.* Sed non multo poſt, nullo mortis adventantis metu, nullaque morbi aſperitate fractus, placide ad eum, quem unum ſperaverat, ex hac miſeriarum valle evolavit, circa annum Chriſti 397, ætat. 81, cum Eccleſiam Turonenſem 26 annis concionibus ſacris, legitimaque Sacramentorum adminiſtratione paviſſet.

II. *Polycarpus* Johannis Apoſtoli Diſcipulus & Epiſcopus Smyrnenſis, cum à perſecutoribus ſuis inquireretur, ut eum interficerent, dicebat: *Fiat voluntas Domini. Euſeb. lib.* 4.

III. *Auguſtinus* Epiſcopus Hipponenſis (qui ſub Theodoſio Juniore Imper. floruit) inquiebat: Quamdiu mihi ſit utile vivere, neſcio, tibi Domine hoc committo.

IV. *Eudoxia Imperatrix*, cum filius ejus graviter decumberet, ajebat: Si DEUS voluerit, vivet; ſi eum auferre conſtituit, fiat voluntas ejus.

V. Cum *D. Lutherus* calculo, tuſſi, gravedine, aliiſque corporis doloribus diu eſſet conflictatus, ita orationem inſtituebat: O Domine, vitam mihi prorogare velis oro propter dilectos tuos: ſin autem hora mortis appropinquavit, *fiat tua, Chriſte, voluntas.*

Idem, cum A. C. 1527 letaliter decumberet, uxori ejus hoc ſummum attulit dolorem; mox tamen relicta triſtitia ad ſe rediens hiſce verbis maritum ſuum longe dilectiſſimum affabatur: Mi Domine Doctor, ego optarem, ut DEUS vinculum noſtrum conjugale nondum ſcindat, neque ex hiſce terris eripiat: attamen, *ſi hoc* DEO non conſultum videatur, & multo magis ei placuerit, te ex mortali hacce in immortalem ac æternam vitam transferre; ego malo, ut apud DEUM æterna fruaris lætitia, quam diutius in hac miſeriarum valle apud me vitam tranſigas. *Divinæ* igitur *ejus voluntati te commendo.*

VI. Cum *Principi Condenſi* à Galliarum Rege *Carolo* IX daretur optio, ut aut Miſſam audiret, aut mortem, aut perpetuum carcerem eligeret: imperterritus ille heros animoſe reſpondit: Se, DEO juvante, primum nunquam facturum: duo reliqua regis arbitrio relinquere: DEUM *tamen hæc omnia providentia ſua gubernaturum.*

VII. Cum *B. Lutherus* aliquando ſtudioſum quendam (qui Wittebergæ literis operam dabat) in agone mortis conſtitutum inviſeret, exque eo quæreret, An diſſolvi & cum Chriſto ſuo eſſe cuperet? ipſe reſpondit: Ego voluntati DEI me trado? quicquid ille dabit, libenter, imo & hilari fronte

fronte accipiam. Vivere me vult? Volo. Mori? Non recuſo.

Ex hac explicatione jam apparet, quantum ex hoc piiſſimo *Rudolphi* Imp. ſymbolo uſum habeamus. Chriſtus autem in ſecula vivens, imo qui ipſa eſt vita & Dux vitæ, det nobis ex gratia, ut in omnibus actionibus noſtris non noſtram, ſed benignam DEI voluntatem reſpiciamus, eandemque promti ſequamur, ad ejus gloriam & noſtram ſalutem, & quando ipſi placuerit ex hac vita nos evocare, ex morte tranſeamus in vitam, ex terra miſeriæ veniamus in cœleſtem patriam, ubi erit vita ſine morte, ſanitas ſine morbo, jubilus ſine luctu; ubi erit mera jucunditas, jucunda felicitas, ac felix æternitas.

APPENDIX.

COronidis loco, *Pontifices Romanos*, qui ſub *Rudolpho* Pontificatum geſſerunt, nec non Viros celebres, qui ſub eo claruerunt, & prodigia ac res aliquot memorabiles, quæ ſub eo contigerunt, ſubjungemus.

1. Pontifices.

Series Pontificum, qui ſub *Rudolpho* Imp. in ſede Pontificia collocati fuere, hæc eſt:

1. GREGORIUS XIII, antea *Hugo Boncampagnus* dictus, juris utriuſque doctrina clariſſimus, & Profeſſor Bononienſis. Hic *Pio* V defuncto Pontificatum obtinuit anno C. 1572, qui eſt annus lanienæ Pariſienſis Chriſtianis luctuoſiſſimæ, de qua Papa *Gregorius* certior factus, quod feliciter eſſet peracta, ſtatim cum Cardinalibus ad templum Marci conceſſit, D. O. M. pro tanto beneficio ſedi Romanæ collato gratias ritu ſolenni egit, Jubilæum toto Chriſtiano orbe publicavit, in Hadriani mole publicæ lætitiæ ſignum tormentorum diſplosione dedit, totam rei bene geſtæ hiſtoriam in parietibus artifici penicillo illivit; nihilque eorum, quæ in cunctis ac maximis quibuſque pro Eccleſiæ Romanæ victoriis fieri ſolent, prætermiſit: & Cardinalis Lotharingus tam optatum afferenti Evangelium mille aureorum Evangelia numeravit. *Thuan. hiſtor. lib.* 53.

A. C. 1582 idem *Papa Gregorius* Calendarium novum (quod ab ipſius nomine vulgo *Gregorianum* appellatur) emendatum (in quo, quoad omnia feſta immobilia, nos integro decennio antevertunt Pontificii) publico diplomate recipiendum in toto orbe Chriſtiano mandavit, illudque Auguſtam Vindelicorum circa excitum Comitiorum ad *Rudolphum* Imperat. miſit, ut in Germanico Imperio illud promulgaret; ſicut cæteri orbis Chriſtiani reges in Italia, Gallia, Belgio, & Polonia ſe facturos promiſerant. Verba Bullæ Pontificialis circa finem ita habent: *Pro data nobis à Domino auctoritate hortamur, & rogamus Cariſſimum in Chriſto filium noſtrum* Rudolphum II, *Romanorum Regem, illuſtrem Imperatorem electum, cæteroſque Reges, Principes & Reſpublicas, iiſdemque mandamus, ut noſtrum hoc Calendarium & ipſi ſuſcipiant, & à cunctis ſibi ſubjectis populis religioſe ſuſcipiendum, inviolateque obſervandum curent. Nulli omnino hominum liceat contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis* DEI, *ac B. B. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.*

Verum intolerabilis hic eſt faſtus Pontificis, quod ipſe citra conſenſum Imperatoris, Electorum, Ordinumque totius Romani Imperii hanc authoritatem & poteſtatem ſibi arrogarit, ut auſus fuerit Calendarium à ſe correctum ſub anathematis fulmine Imperatori, Regibus, Principibus, omnibuſque Chriſtianis obſervandum mandare. Nam,

1. THEOLOGICE hæc Papæ poteſtas eſt illegitima. 1. *Ratione Tituli.* Quia non eſt à DEO, ſed à diabolo, videlicet per operationem ſatanæ. 2 *Theſſal.* 2. Draco enim illi dedit virtutem ſuam, & thronum, & poteſtatem magnam. *Apoc.* 13. *v.* 2. 2. *Ratione Exercitii.* Quia illegitima hac poteſtate ſua abutitur in re tali, quæ libertati Chriſtianæ ſubjecta, nullius hominis conſcientiam obligare poteſt aut debet: ideoque non eſt ferenda in orbe Chriſtiano. *Galat.* 4. Quare Principes Auguſtanæ Confeſſionis recte fecerunt, quod prædictum Calendarium, licet Pontifex, ejuſque aſſeclæ, ſæpe eis illud obtrudere voluerint, ſemper repudiarint, & in hodiernum uſque diem recipere noluerint: idque juxta Regulam D. Pauli, *Coloſſ.* 2. Nemo vos judicet in cibo & potu, aut parte diei feſti. Et ut *Galat.* 2. idem Apoſtolus inquit: Ne ad horam quidem cedendum eſt hoſtibus, ne veritas Evangelii labefactetur.

2. POLITICE. Sic poteſtas feriarum conſtituendarum, & mutandi vel reſtituendi Calendarii, non ad Papam, ſed ad Imper. & poteſtatem ſecularem ſpectat: quia videlicet hoc eſt negotium Politicum. Nam *Julius Cæſar* opera Soſigenis celeberrimi Mathematici eam ad rem uſus Calendarium confecit, quod poſtea Auguſtus correxit. *Conſtantinus Magnus* tempus Paſchatos in Concilio Niceno conſtituit. *Carolus Magnus* Calendarium ipſum & nomina menſium Germanica Teutonicis dedit. Merito igitur ipſorum in Imperio Romano ſucceſſoribus hoc fuiſſet relinquendum; ſiquidem Calendarium

darium illud novum non ſolum confuſionem temporis & feriarum, ſed etiam confuſionem divinæ ordinationis, & Magiſtratus violationem inducit: quod ipſum innuit reſponſio Electoris Saxoniæ Auguſti. Cum enim illius conſilium *Rudolphus* Imperator de eo exquiriviſſet, is prolixa oratione oſtendit, non ſolum difficultates & confuſiones, in judiciis, in hiſtoriis, in literis contractuum, aliarumque obligationum, in nundinis, navigationibus, ſolutione cenſuum, agricultura, in omnibus negociis civilibus, celebratione feſtorum Eccleſiaſtica, ex diſſimilitudine Calendarii ſecuturas: ſed inprimis Cæſareæ Majeſtatis & ſacri Romani Imperii auctoritatem, reputationem & ſuperioritatem, à Pontifice non imminuendam, in hoc negotio conſiderari debere. Quare nec à Cæſare id receptum teſtatur Andreas Gail, JC. excellens. Indeque in Cameræ judicio veterem & uſitatam Calendarii formam retineri eo tempore voluit. *Auctor. deciſ. ſeu præjud. Cameral. verb. Calendarium.*

3. ASTRONOMICE. Sic Gregorius Papa in publicationis edicto gloriari non erubuit, ſe Calendarium novum exactiſſimum pro veteri ſubſtituere. Sed quam vana hæc ſit gloriatio, omnique ex parte illud Calendarium perfectum non ſit, excellentiſſimi hactenus oſtenderunt Aſtronomi. Et quamvis Calendarium Julianum non omni errore careat: id quod, tacente etiam Pontifice, noſtrates Theologi & Mathematici jamdudum obſervarunt; non tamen Solœciſmus ille Aſtronomicus tanti eſt momenti, ut ſine totius Romani Imperii conſilio & conſenſu res tanta à Pontifice ſuſcipiatur, ac novum aliquod Calendarium, abrogatis per omnia veteribus & vulgo receptis Ephemeridibus, cudatur, illudque obſervandum Eccleſiæ DEI ſub anathematis fulmine obtrudatur.

Mortuus eſt hic *Gregorius* A. C. 1585, & quidem ſubito, nullo morbo præcedente. Medici dixerunt eſſe anginam, qua intra duarum horarum ſpatium ſuffocatus eſt, cum ſedilſet annis 13, & 80 ætatis annum compleviſſet.

11. *Gregorio* XIII in dignitate Pontificia ſucceſſit *Sixtus* V, *Felix Perenottus* antea dictus, Cardinalis de monte alto, Ordinis *D. Franciſci*, in exiguo pago Marchionatus Anconatenſis pauperrimis parentibus ortus, quod & ipſe gloriabatur, cum ſe *illuſtri domo* natum diceret, quippe quæ fuiſſet lacera & diſcooperta, & à Solis radiis omni ex parte illuſtrata. In adminiſtranda politia & quiete publica procuranda rigorem adhibuit, inque innocentes etiam deſæviit, & ſupremam ſe in omnes Reges ac Principes univerſæ terræ, cunctoſque populos, gentes & nationes, non humana, ſed divina inſtitutione ſibi traditam poteſtatem obtinere, publice aſſerere non erubuit. Unde

1. In ipſis Cæſaris provinciis ſpretæ Majeſtatis exemplum ſtatuit; cum ipſius juſſu Antonius Maria Salviatus Cardinalis in *Johannem Pepulum Comitem*, pietate & probitate juxta & nobilitate clarum, animadverteret. Habebat Pepulus aliquas ditiones Cæſarum gratia antiquitus conceſſas in Gallia Tranſpadana, extra Pontificiam ditionem; in quas quod nobiles aliquot exules receptum habere dicerentur, interpellatus à Cardinali legato, ut eos dederet. Cum ſe privilegii Cæſarei præſcriptione tueretur, & tantum jurisdictioni ſuæ præjudicium factum deprecaretur; Salviatus noctu Pepulum in ædibus ſuis, nihil tale veritum, comprehendi, & tanquam perduellem in Palatium ductum, ſtatim introducto ſacerdote, cui mori certus peccata ſua confiteretur, ſtrangulari juſſit. *Thuan. H. l.* 82.

2. *Henricum* Navarræ Regem & *Henricum* Principem Condæum tanquam hæreticos excommunicavit A. C. 1585, & inhabiles ad ſucceſſionem Coronæ Gallicæ declaravit, omniaque eorum regna, ditiones, aliaque bona prædæ expoſuit, ſubditos eorum ab obedientiæ vinculo liberavit, poteſtatem jaciendi & immittendi in eos injurias cuivis fecit, & Galliæ Regi *Henrico* III, cæteriſque confœderatis executionem mandavit. Imperatori præterea ſcripſit, ut provideret, ne Germaniæ Principes hiſce excommunicatis opem ferant. Cauſa autem hæc fuit, quod ſupradicti Principes à Pontificia religione plane abhorrerent, & tutelam omnium fœderatorum reformatorum ſuſciperent: & quia *Henricus* III, ex omni Regia Valeſiorum ſtirpe ſolus ſine ulla ſpe prolis, ſupererat, ipſeque hæredem regni nullum ſuſcipiebat, conjurati Pontificii metuebant, ne, eo mortuo, Navarræ Rex præcipuus regii ſanguinis Princeps, in locum ejus ſuccederet. Itaque fœdere cum *Henrico* III inito, bellum movent, & publico ſcripto conſilii & facti ſui cauſas commemorant. Inter quas præcipua erat: Non deberi in Gallia tolerari Regem, qui non ſit Catholicæ religioni addictus. Cum igitur Evangelici è regno Galliæ exire juberentur, Navarræus ſcripto publico ſignificavit, ſe neceſſitate ſumma cogi, ut defenſionem patriæ ſuſciperet. A Regina vero Angliæ confœderata pecuniam, à Germanis equites petivit. Idcirco Papa (ut dictum) anathematis fulmine eum percuſſit. Navarræus è contra ſcriptum Romæ affigi curavit, quo ſe injuſte à Papa damnari conqueſtus, Pontificem pro Antichriſto habiturum ſeſe teſtabatur, donec, quæ ſibi impingeret, probaſſet. *Chronicon Chyr. Euch. Contin. Sleidani lib.* 26.

3. Anno Chriſti 1588 SIXTUS V, miſſo in Belgium *Gulielmo Alano* Cardinali, excommunicationis bullam contra Reginam Angliæ *Eliſabetham* (quæ ante triennium Belgarum patrocinium contra Hiſpanum palam ſuſceperat, iiſdemque circiter x. millia Anglorum auxilio miſerat) divulgavit, qua ſententiam, à duobus prædeceſſoribus ſuis, *Clemente* ſcil. VIII & *Paulo* III, in eam latam, confirmavit, regia eam dignitate privavit, omneſque ejus ſubditos à juramento & obedientia eidem debita abſolvit, regnum Angliæ Hiſpano donavit, &, dignum de ea ſumatur ſupplicium, omnes anniti juſſit.

Recte igitur Pontifex Romanus diaboli ſimia dici poteſt. Sicut enim diabolus ad Chriſtum inquit, *Luc.* 4. *verſ.* 6. Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum (regnorum) nam mihi tradita eſt, &, cuicunque voluero, do eam: Ita etiam Papa Romanus poteſtatem ſibi in omnia Regna mundi arrogat, & cuicunque vult, illa dare præſumit. Quæ deteſtanda eſt ſuperbia & arrogantia.

Mortuus eſt *Sixtus* V, anno 1590, die 17 Auguſti, cum paucis ante diebus converſionem Jacobi Marchionis Badenſis ab Evangelica religione ad Pontificiam gratiis actis & gratulationibus habitis Romæ celebraſſet. Marchio Badenſis quoque eodem menſe, videlicet die 7 Auguſti diem ſuum clauſit extremum, quod abſque dubio non ſine ſingulari fato divino accidit: Apoſtaſiam autem ejus ſupra in Act. Eccleſ. attigimus.

Vivo adhuc *Sixto* V, Romani ſtatuam, ob quietem publicam, compreſſa ſicariorum licentia, reſtitutam, annonæ inopiam ſublevatam, urbemque ædificiis plurimis & aquæductu illuſtratam, in Capitolio erexerant. Cum vero, eo defuncto, homines quidam temerarii, in Capitolium irruentes, ſtatuam ejus demoliri non dubitaſſent: Senatuſconſultum Romæ, de non erigenda inpoſterum ulli Pontifici ſtatua, factum, & marmori in atrio Capitoli inſculptum eſt, pœna infamiæ ei, qui de collocanda vivo Pontifici ſtatua mentionem facere auderet, denunciata. *Contin. Sleidan. lib.* 36. *part.* 2.

III. In *Sixti* V locum ſurrogatus eſt URBANUS VII. antea *Iohannes Baptiſta* de Caſtanea dictus. Hic ſecundo ſtatim poſt electionem die morbo correptus, quo decimo quarto Pontificatus ſui die exſtinctus eſt, anno ætatis 70.

De amborum iſtorum ſummorum Præſulem ſubitaneo & inopinato obitu, *Petrus Lindebergius* tale epigramma, ad Cardinales poſthumos, typis publicis expreſſum, divulgavit:

Pontificum properata volunt quid funera bina?
Vult certe his aliquid ſignificare DEUS.
Vix magnæ matri SIXTUS *ſua tradidit oſſa,*
Mox eſt URBANUS *contumulatus humo.*
Ille, ubi compleſſet, clarus diademate, luſtrum:
Hic, ubi regnaſſet quinque novemque dies.
Vera loquar; veniam da, lector, vera fatenti.
Non odium, ut dicam, nec facit illud amor.
Si mihi tam ſubito mors vellet demere vitam,
Eſſem qui nunc ſum, non cuperem eſſe Papa.
Vos, ô Cardinei Patres, hinc diſcite, quid ſit
Pontificis ſummi & totius orbis honor.
Orbis honor vanus plane eſt, atque omnia vana:
Omnibus at vanis vanior unus homo.

IV. De novo Pontifice eligendo Cardinales convenire inter ſe non potuerunt, inque varias opiniones ſunt diſtracti: tandem, poſtquam ſedes papalis menſes duos vacaſſet, elegerunt *Nicolaum Sfondratam*, patria Mediolanenſem, Cardinalem Cremonenſem, qui ſe GREGORIUM XIV appellari voluit. Hic non totum annum ſedit, eoque temporis ſpatio ingentem theſaurum, quem *Sixtus* V ſua parſimonia & avaritia corraſerat, cujuſque ſumma fuit ad 5000000 coronatorum, conſumſit. Ita avaro ſucceſſit prodigus, juxta proverbium Germanorum: Nach dem Sparer komm't ein guter Zehrer. Maximam autem partem in bellum Francicum impendit. Nam aliquot millia militum conſcribi curavit, eoſque contra Galliæ Regem *Henricum* IV, Navarræ quondam Regem, miſit: Sed cum armis ſecularibus nihil contra eum efficere poſſet, ſpiritualibus eum oppugnavit, miſſo in Galliam Marſilio Landriano Bulligerulo, qui excommunicationis bullam contra eum divulgaret, qua Principes & alios Regni Galliæ Proceres & nobiles, Regis cauſam probantes, nec non civitates, populos, cives & incolas omnes exhortatur, ne Regi hæretico inque hæreſin relapſo, & coronæ Regni geſtandæ inhabili & incapaci, ulterius adhæreant, vel quoquo modo faveant. Archiepiſcopis vero & cæteris Eccleſiaſticis Prælatis ac Collegiis, ſub pœna privationis & dignitatum & bonorum, majoriſque excommunicationis, mandavit, ut intra quindecim dies, à Rege & illius fautoribus, Principibus & Proceribus, aliiſque illi adhærentibus omnino recedant, eoſque prorſus deſerant ac derelinquant.

Hæc Pontificis audacia eum intoleranda ac neceſſario retundenda, Catholicis etiam regni Proceribus, dignitatem & ſalutem patriæ amantibus, videretur; Publica Parlamenti Thuronenſis auctoritate diploma Pontificis irritum, ſeditioſum, impietatis

pietatis ac impoſturarum plenum, Verbo DEI, Gallicarumque Eccleſiarum juri, immunitati ac liberatibus contrarium, ideoque per carnificem comburendum eſſe, declaratum eſt. Prælatis & Parochis omnibus, nec quis eam promulget, cæteris, ne quis iis pareat, aut penes ſe retineat, ſub læſæ Majeſtatis criminis pœna, interdictum. Nuncius vero Apoſtolicus Marſilius injecta manu comprehendi & puniri juſſus. Hoc Senatuſconſultum cum literis Regiis ad Archiepiſcopos & provinciarum præfectos, ad publicandum & exequendum, poſtea miſſum eſt. Simile ſuprema Curia Catalani reſidens paulo poſt promulgavit, & Bullas Pontificis publice per carnificem cremari juſſit. Hinc Rex Archiepiſcopos, Epiſcopos, & cæteros pontificiæ religionis Ordines convocat: petitque, ut tantæ Romani Pontificis audaciæ & petulantiæ, qua Regis ac regni Galliæ dignitatem ac tranquillitatem prorſus convellere ac labefactare; Regem ac regnum, pro ſua libidine in ordinem redigere moliatur, magnis animis obſiſtant, & ex ſuo ordine Patriarcham eligant, qui ſupremam in Gallicanis Eccleſiis juriſdictionem adminiſtret, & annatas, cenſus & pecunias pro impetrando pallio, vel quibuſque aliis prætextibus extortas hactenus pecunias retineant, & communem Galliæ libertatem & ſalutem una ſecum fideliter tueri pergant. *Contin. Sleidan. lib. 31. part. 3.*

Gregorius Papa non multo tempore poſt, quam Bullas ſuas in Galliam miſiſſet, in acutiſſimam febrim, cum tuſſi, continuo fluxu & phreneſi conjunctam, die 22 Septembris incidit, & decimo quinto die m. Octobris vita defunctus eſt, anno 1591 Pontificatus ſui m. 10, die 10.

V. In hujus locum eodem menſe *Johannes Antonius Facchinettus*, patria Bononienſis, Cardinalis, & Neocaſtrenſis in Calabria Epiſcopus, INNOCENTII IX nomine aſſumto, Cardinalium ſuffragiis ſuffectus eſt. Sed ille brevi temporis ſpatio hac dignitate gaviſus eſt: ſiquidem viceſimo tertio die menſis Decembris in graviſſimam febrim incidit, qua mox exhauſtis viribus 29 ejuſdem exſtinctus eſt anno ætatis 71, cum ſediſſet menſes duos.

VI. *Innocentio* defuncto ſucceſſit CLEMENS VIII, *Patricius Florentinus*, antea *Hippolytus Aldobrandinus* dictus. Hic Regem Galliæ, & qui eum ſequebantur A. C. 1593, denuo excommunicavit, poteſtatemque Regem alium Catholicum eligendi confœderatis Pontificiis fecit, miſſis ad *Philippum* Cardinalem Placentinum, ſuum in Galliis legatum, ea de re literis, quas ipſe ſtatim publicari juſſerat. Sed Rex, periculorum ingentium mole ac diuturnitate, & Nobilitatis, quæ ſumma fide hactenus ei adhæſerat, at, niſi ad Pontificiam religionem rediret, ab ipſo defecturæ, precibus, querimoniis & pollicitationibus victus: quod aliter bellis civilibus finis imponi non poſſet, quum Galli omnes ipſimet imperare vellent, & Gallia ex Hiſpani faucibus eripi nulla ratione poſſe videretur: tandem, cum per an. 23 Catholicos acerrime perſecutus fuiſſet, & plurima adverſus eoſdem bella geſſiſſet, ſibi perſuaderi paſſus eſt, ut, deſerta religione reformata, quam hactenus coluerat, pontificiæ ſe iterum adjungeret. Quapropter idibus Julii, die ſibi natali, nudis pedibus cum candela templum *D. Dionyſii* ingreſſus, Miſſam Pontificiam audivit, & ab Archiepiſcopo Burgenſi abſolutus eſt. Legatos etiam, Ducem nempe Niverſium, alioſque ſummos viros, ad *Clementem* VIII Pontificem Romanum deſtinavit, qui converſionem ſuam & cum Eccleſia Romano-Catholica novam conjunctionem approbari & confirmari petant, obedientiamque, ſuo nomine, Pontifici promittant. Pontifex quidem legatum Niverſium clementer & placide aliquoties audivit, ſed tandem re infecta dimiſit, Navarræo non ſimpliciter abſolutionem negans, ſed donec illuſtriora pœnitentiæ ſigna cerneret, duntaxat differens. Verum nihilominus *Henricus*, poſt Legati in Galliam reditum, à ſuis plenario ritu *Carnuti* Rex Galliæ & Navarræ coronatus eſt, & edicto Parlamenti ita renunciatus, eum videlicet pro Rege & ſupremo Domino à Principibus, Prælatis, Nobilibus, urbibus, Rebuſpublicis & privatis hominibus, eſſe recipiendum & agnoſcendum, etiamſi Pontifex ipſum in Eccleſiam recipere nollet. Sed ille tandem Regi credere & fidere cœpit, quod Romanam religionem amplecteretur. Idcirco abſolutionem ab excommunicatione Pontificia, ante biennium per Niverſium petitam, Pontifex Regi Galliæ A. C. 1595 conceſſit, eumque in gremium Romanæ Eccleſiæ recepit. Ad cujus rei memoriam poſtmodum A. 1596 die 3 Maji Romæ Columna marmorea ad ædem S. Antonii erecta eſt. *Chytr. Chronic. Saxon. Contin. Sleidani part. 2. lib. 23, & 24.*

Anno C. 1600 *Clemens* VIII, Jubilæum celebrans, portam gratiæ ter malleo aureo pulſatam aperuit prid. Kalend. Januarii, eamque toto anno apertam habuit, uſque ad vigilias Nat. Chriſti. Confluxerunt autem Romam multa millia ſtultorum hominum, indulgentiarum redimendarum cauſa.

VII. Cum *Clemens* VIII, anno 1605, vita eſſet defunctus, in ejus locum Papa factus eſt LEO XI Florentinus, antea *Alexander Medices* dictus. Sed honos iſte ei nequaquam diuturnus fuit:

ſiquidem, cum tantum 26 dies in pontificatu ſediſſet, hac mortali vita ereptus eſt.

VIII. Mortuo *Leoni* ſucceſſit in dignitate Pontificia PAULUS V, qui antea dictus fuit *Camillus Borgeſius*, è familia Senenſium oriundus, ſeditque uſque ad annum Chriſti 1613. Hic Papa anno pontificatus ſui primo Venetos excommunicavit, propterea quod edixiſſent, ne bona immobilia in perſonas Eccleſiaſticas alienarentur; ne Venetiis nova monaſteria, Xenodochia, templa, aliaque ædificia ſacra ſine Ducis & Senatus conſenſu erigerentur, & Eccleſiaſtici in aliquo maleficio deprehenſi, à judicio & animadverſione Ducis & Senatus haud eſſent immunes, ſed pro merito punirentur. Veneti vero excommunicationem Pontificis injuſtam & irritam pronunciarunt, multiſque ſcriptis per orbem diſſipatis excuſſerunt Papatus vires, & hanc imperandi vanitatem deriſerunt. Pontificis cauſam ſtrenue egerunt Bellarminus, Baronius, & Columna, Cardinales, quorum ſcripta adhuc exſtant. Quin ita tunc exenterarunt Paulum animoſa Venetorum conſilia, ut plumbeis ſuis minis, & apud cordatos Patres nil profecturis excommunicationum fulminibus diffiſus, patrocinium Hiſpaniarum Regis anxie ambiverit: atque negocio ibi in cunctatrice aula parum ex ſententia ſuccedente, mox iterum miſſo per curſorem Brevi, & exaggerata periculi magnitudine animum Regis, ut dubiis rebus ſuppetias ferret, tentarit fortius: additis ſingularibus literis ad Lermæ Ducem, cui Pontifex cauſam ſuam commendabat quam diligentiſſime. Sed cum nihil proficere poſſet contra Venetos, tandem Regis Galliæ interventu eoſdem ab anathemate abſolvit. *Bucholtz. Barclaius in Sat. part. 2.*

II. Viri celebres.

Literis adeo effloruit *Rudolphi* II Imperium, ut haud ſciam, an multis ſeculis Germania fuerit doctior, & eruditorum in omnibus Ordinibus meſſis unquam copioſior exſtiterit. Ex iis autem celebrantur ſequentes.

I. *Theologi.*

I. *Henricus Victor*, ſacræ Theologiæ interpres fideliſſimus, & Profeſſor in illuſtri Academia Marpurgenſi. Obiit A. C. 1580.

II. *Emanuel Tremellius*, Ferrariæ patre Ebræo natus, linguæ Ebrææ peritiſſimus, qui, cum *Lucam* cum *Petro Martyre Vermilio* & aliis Proteſtantium doctrinæ addictis conceſſiſſet: poſtremo Italia omnino relicta, cum ipſo *Vermilio* ac ſociis in Germaniam venit, ac Argentinæ primum domicilium fixit: deinde in Angliam, potiente rerum *Eduardo* VI tranſmiſit, ibique linguæ ſanctæ Profeſſor factus eſt. Mortuo Rege *Eduardo*, Germaniam repetiit, & in ſchola Hornbacenſi, ſub *Wolfgango* Duce Bipontino, aliquandiu docuit: Unde Heidelbergam ad linguæ Ebrææ profeſſionem evocatus eſt. Relicta poſtremo Heidelberga *Diviodurum* Mediomatricum (ubi olim ex Italia veniens uxorem duxerat) ſe recepit: unde Sedanum Bullionii Principum ſedem evocatus, ut in nova Academia linguam ſanctam profiteretur, ſeptuagenario proximus deceſſit A. C. 1580.

III. *Andreas Muſculus* D. præſtantiſſimus Theologus, & Superintendens Generalis Marchiæ, vitam cum morte commutavit Francofurti ad Viadrum anno C. 1581, ætatis ſuæ 67.

IV. *Johannes Gigas* Northuſanus primum Eccleſiæ Wittebergenſis, poſtea Suidnicenſis in Sileſia, Antiſtes vigilantiſſimus. Mortuus eſt. A. C. 1581, multis Theologicis ſcriptis & poëmatibus jucundis clarus.

V. *Petrus Boquinus*, Theologus Reformatus, cum Lauſannæ mane & à prandio concionem Catecheticam habuiſſet, veſperi alterius concioni interfuiſſet, in cœna hilaris fuiſſet, eaque finita deambulando ſe recreaſſet, domum regreſſus, dum familiarem quendam ægrotantem conſolaretur, ἰχάνως ἴχειν cœpit: & cum dixiſſet, *Domine ſuſcipe Spiritum*; & ad ſervum accurrentem: *Ora!* placide exſpiravit anno 1582. *Bucholtz.*

VI. *Johannes Marbachius* D. Lindavienſis, vir eruditione, confeſſione purioris doctrinæ, & zelo pio præclarus & excellens. Cum Eccleſiam Argentinenſem per annos 36 ſumma cum fide, diligentia & felicitate gubernaſſet, in cœleſtem Eccleſiam evocatus eſt anno C. 1582.

VII. *Zacharias Vrſinus*, Uratiſlavienſis, Profeſſor in Schola Neapol. Nemetum, cujus multa Theologica ſcripta exſtant, mortuus eſt anno C. 1583.

VIII. *Abraham Bucholtzerus*, Theologus, & Chronologus celeberrimus. Fuit Aulicus Concionator Croſnenſis, & deinde Paſtoratu functus eſt Preuſtadii in Sileſia, ubi etiam diem ſuum clauſit extremum anno 1584, cum ante annos 55, in ditione Electoris Saxonici, in pago Schönau prope Damam, (quæ 6 milliaribus Witteberga diſtat) in hanc lucem editus eſſet.

IX. *Franciſcus Turrianus* è Societate Jeſu, primum docuit Ingolſtadii, & poſtea Romæ; ubi paulo minor octogenario deceſſit A. C. 1584.

X. *Fridericus Widebramus*, Theologus & Poëta celebris. Defunctus eſt Heidelbergæ anno 1585.

XI. *Simon Sulcerus* D. Helvetius propugnator dogmatis Lutheri fideliſſimus. Paſtoratu functus primum

mum apud Bernenſes, poſtea apud Baſileenſes. Ex his terris pie & placide emigravit, Baſileæ an. 1585, cum per annos 33 Evangelium ibi prædicaſſet.

XII. *Rudolphus Gualtherus* Paſtor Eccleſiæ Tigurinæ, cujus Homiliæ in libros fere omnes Prophetico & Apoſtolicos, Evangelicoſque exſtant, ex hac vita diceſſit Tiguri anno 1586, ætatis 67.

XIII. *Martinus Chemnitius* D. Theologus Brunſvicenſis: qui puriorem Evangelii doctrinam tam viva voce, quam ſcriptis eruditiſſimis in lucem emiſſis multum propagavit, deque Eccleſiis Chriſti in his terris optime meritus eſt. Anno 1586, ætatis ſuæ 64, miniſterii vero 33, ad cœleſtis Eccleſiæ ſocietatem evocatus eſt.

XIV. *Theodoricus Snepfius* D., (*Erhardi Snepfii* Superintendentis Jenenſis A. 1588 pie defuncti filius) Profeſſor Theologiæ fuit in Academia Tubingenſi, & ibidem Paſtor; commentariis in nonnullos Prophetas, aliiſque ſcriptis de rebus Theologicis editis, clarus. Fatis conceſſit menſe octavo à morte Chemnitii ſupradicti, Theologorum in Germania tunc temporis Coryphæi.

XV. *Timotheus Kirchnerus* D. Paſtor Jenenſis: poſt aulicus concionator Brunſvicenſis, inde Helmſtadium vocatus, Academiæ fundamenta prima docendo jecit. Vinariæ è vivorum conſortio ſublatus eſt anno 1587, cum ibi per annos aliquot Superintendentis munere functus eſſet.

XVI. *Johannes Wigandus* D. vir magnæ & excellentis eruditionis, ac acerrimus veritatis cœleſtis propugnator; uti ex innumeris ab eo ſcriptis editis videre eſt. Unus ille eſt ex ſcriptoribus Centuriarum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Magdeburgenſium. Multis functus eſt muneribus. Primo in Schola Noribergenſi functionem nactus, ſed Wittebergam (ubi literis operam navaverat, ibique *Lutherum*, *Melanchthonem*, alioſque viros eruditiſſimos Præceptores habuerat) reverſus eſt, interruptum ſtudiorum curſum continuaturus; cumque Magiſterii gradum eſſet aſſecutus, Mansfeldiam in patriam evocatus, Evangelium aliquandiu ibi docuit. Mansfeldia Magdeburgum accitus, Paſtoris & Superintendentis munus ſuſcepit. Hinc in Academiam Jenenſem tunc primum fundatam vocatus, ſed inde à *Stoſſelio* apoſtata ejectus, Wiſmarienſis Eccleſiæ Paſtor factus, & Superintendentiæ vices ei commendatæ ſunt. Denique cum iterum Jenam vocatus, iterumque inde pulſus fuiſſet, in Boruſſiam iter ſuſcepit, ac Regiomonti primum docuit doctrinam divinitus patefactam, poſtea Epiſcopus Pomeranienſis conſtitutus eſt, & A. C. 1587 placide & pie ad Dominum emigravit, magno auditoribus eruditiſque hominibus ſui deſiderio relicto.

XVII. *Chriſtophorus Stymmelius*, Theologus & Poëta doctiſſimus, Paſtoris primum Croſſenæ, deinde Superintendentis Eccleſiæ Stetinenſis munus fideliter atque utiliter obiit. Morte felici ac beata vitam ſuam in his terris clauſit Stetini anno Chriſti 1588, ætatis ſuæ 63.

XVIII. *Henricus Mollerus*, Profeſſor Wittebergenſis, ſed inde ob Calviniſmum cum eſſet ejectus, Hamburgum in patriam ſe recepit, & ibi A. Chriſti 1589, ætatis 59, vivere deſiit.

XIX. *Martinus Cromerus*, vir divino ingenio præclaraque eruditione & doctrina præditus, Warmienſis in Boruſſia Epiſcopus fuit, & Polonorum Regum hiſtoriam ad Sigiſmundum I uſque continuatam conſcripſit. Obiit A. C. 1589.

XX. *Hieronymus Zanchius*, natione Italus, Theologiæ in Academia Argentinenſi, poſtea Heidelbergenſi, & tandem in Schola Neapolitana Nemetum Profeſſor. Multa ſcripta emiſit, quæ hodie in doctorum hominum manibus ſunt. Finem vitæ fecit Heidelbergæ A. C. 1590, ætatis 75.

XXI. *Hieronymus Menzelius*, Suidnicenſis, Superintendens in Comitatu Mansfeldenſi, ex mortali hacce in vitam immortalem deceſſit A. C. 1590, cum per triginta totos annos Eccleſias pie & feliciter gubernaſſet.

XXII. *Jacobus Andreas* D. Præpoſitus Eccleſiæ Tubingenſis, & Academiæ ejuſdem Cancellarius, patre natus eſt fabro ferrario in oppido Weiblinga Ducatus Wyrtemburgici, unde ab adverſariis Schmidlinus ſeu Fabricius vocatus. Fuit Latine, Græce, & Ebraice doctiſſimus, in Philoſophia, Theologia, cæteriſque artibus ita exercitatus, ut diſputando nulli cederet: multis colloquiis interfuit, & acerrima certamina cum Pontificiis aliiſque ſuſtinuit: multorum Principum & civitatum Eccleſias pie reformavit, ac Concordiæ negocium magno ſtudio & felici ſucceſſu inter Lutheranos promovit. Tandem multis exantlatis laboribus anno 1590, die 7 Febr., ætatis 61, miniſterii 34, in cœleſtem vitam ex hoc ſeculo emigravit, magnumque omnibus piis & doctis hominibus ſui deſiderium reliquit.

XXIII. *Johannes Avenarius* D. aliquot ſcriptis, ac inprimis libello piarum precationum, & Lexico Ebræo, quod originem & cognitionem linguarum ex Ebræo fonte deductarum erudite monſtrat, clarus. Ex hac vita in æternam beatitudinem ſenex evocatus eſt menſibus aliquot poſt Jacobi Andreæ ſummi illius Theologi obitum.

XXIV. *Antonius Sadeel* nobilis Theologus, ex illuſtri Baronum Chandæorum familia oriundus, febri hectica exſtinctus eſt Genevæ, anno 1591,

cum in munere Eccleſiaſtico tam docendo quam ſcribendo annos 36 conſumſiſſet.

XXV. *Simon Pauli* D. Theologus Roſtochienſis, vir doctus & pio DEI zelo præditus; uti exſcriptis ejus didacticis, ab eo de rebus Theologicis in lucem emiſſis, videre eſt. Placidiſſima morte ad DEUM migravit anno 1591.

XXVI. *Nicolaus Selneccerus* D. vir optimus & egregie doctus, Lipſienſis Eccleſiæ miniſter fideliſſimus, multis lucubrationibus, præſertim homiliis in omnes Pſalmos editis, celeberrimus. Beatam animam DEO Servatori, ut ſanctum depoſitum, tradidit A. C. 1592, ætatis 60.

XXVII. *Martinus Mirus* D. Electoris Saxoniæ Concionator aulicus placide obdormivit A. Chriſti 1593, cum in his terris annos 61 vixiſſet.

XXVIII. *Chriſtophorus Cornerus* D. vir fuit doctiſſimus, & doctrinæ, *D. Lutheri* miniſterio illuſtratæ, cuſtos fideliſſimus, cujus non ſolum ſcripta Theologica, ſed etiam Philoſophica erudita, doctorum manibus teruntur. Fuit Profeſſor in Academia Francofurtana, & Generalis Marchiæ totius Superintendens. Ex vita hac mortali & miſera in immortalem ac cœleſtem illam beatitudinem emigravit anno C. 1594. Docere cœpit in ſupradicta Academia anno à nato Chriſto 1540, ibique quinquaginta quatuor annos integros profitendi munus, ſumma cum dexteritate & emolumento diſcentium, pie ac laudabiliter ad extremum uſque ſpiritum continuavit. Succeſſit ei in munere *Chriſtophorus Pelargus* D. Suidnicenſis Sileſius, Commentario in Pentateuchum, Matthæum, Schola fidei, aliiſque ſcriptis Theologicis clarus.

XXIX. *Jacobus Rungius* D. Profeſſor in Academia Grypſwaldenſi celeberrimus, & Pomeraniæ citerioris Superintendens. Rebus humanis exemtus eſt anno 1595, ætatis 76, duobus poſt ſe relictis filiis; *Friderico*, qui patriis inſiſtens veſtigiis, ei quoque in officio Superintendentis ſucceſſit; & *Davide* Profeſſore primum Grypſwaldenſi, ac poſtea Wittebergenſi, qui egregiis ſcriptis Eccleſiæ ſe commendavit. Obiit anno 1604.

XXX. *Joſua Lœnerus*, D. Superintendentis munere functus Meiningæ & Arnſtadii, poſtea Concionatorem aulicum egit Vinariæ. Obiit an. 1595. Pater ejus fuit *Caſparus Lœnerus* M., unus ex illis, qui miniſterium purioris doctrinæ in Voitlandia inchoarunt. Poſtea Evangelium pure & incorrupte apud Noribergenſes, & tandem apud Nordlingenſes docuit.

XXXI. *Lambertus Danæus* natione Gallus, multis ſcriptis clarus, vitam finivit *Orthoſii* in Gallia A. C. 1596.

XXXII. *Jacobus Ximedoncius* è Belgio oriundus, ductor & Doctor in Academia & Eccleſia Heidelbergenſi. Peſte extinctus eſt Heidelbergæ anno 1596.

XXXIII. *Sigfridum Saccum* D. primum Magdeburgi in collegiata Eccleſia Lutheranum Paſtorem idem annus è vivorum conſortio ſuſtulit. Homiliis ſupra Evangelia & Epiſtolas Dominicales, aliiſque ſcriptis Theologicis, poſteritati nomen ſuum commendavit.

XXXIV. *Jodocus Nahumus*, Reformatus, Scholæ Herbornenſis Profeſſor, & Eccleſiæ ibidem Paſtor, hujus lucis uſuram amiſit Hanoviæ an. 1597.

XXXV. *Benedictus Arias* Montanus Hiſpalenſis, vir doctiſſimus ac linguarum multarum cognitione inſtructiſſimus, Autor editionis Bibliorum Antwerpienſium, quæ ſumtibus & auſpiciis *Philippi II*, Hiſpaniarum Regis, anno 1572, Ebraice, Chaldaice, Græce, Syriace, & Latine emiſit. Obiit in patria ſua A. C. 1598, ætatis 70.

XXXVI. Eodem anno die 12 Decembr. in Chriſto Servatore ſuo obdormivit *Leonardus Crantzheimius*, Superintendens primum Eccleſiarum in Ducatu Lignicenſi, & poſtea Eccleſiæ Fraunſtadianæ in Polonia Paſtor. Extat inſigne ejus opus Chronologicum.

XXXVII. *Nicolaus Hemmingius*, Profeſſor in Academia Hafnienſi, non doctrina ſolum excellens, ſed vera etiam pietate, morum modeſtia, ac humanitate mira, pariter exornatus, anno 1600, ætatis 87, ad æternam DEI & cœleſtis Academiæ conſuetudinem emigravit, commentario in omnes Apoſtolorum Epiſtolas, tractatu de conjugio, aliiſque ſcriptis eruditis clarus.

XXXVIII. *Iacobus Herbrandus* D., Profeſſor ſacrarum literarum in illuſtri *Academia* Tubingenſi, compendio Theologico celebris. In æternam ac beatam vitam deceſſit octogenarius anno 1600, cum per annos 41 Eccleſiam DEI informaſſet.

XXXIX. Idem annus fatalis fuit D. *David Chytræo* Theologo ſincero, Poëtæ inſigni, & Hiſtorico, viro de Eccleſia Chriſtiana præclariſſime merito, cujus nomen ſcripta præſtantiſſima ab eodem edita, quæ quaſi penu ſunt, & refertiſſimum omnis divinæ & humanæ ſapientiæ promtuarium, ad omnem poſteritatem immortale reddiderunt. Inter cætera inſigne ejus opus Chronologicum exſtat, in quo hiſtoriam Saxoniæ & Arctoarum gentium accurate & erudite recenſuit.

XL. *Daniel Toſſanus*, Theologus Heidelbergenſis famoſiſſimus, per triduum catarrho & febri laborans anno 1602 extinctus eſt, cum paucis ante mor-

te mortem diebus Theologicam profeſſionem reſignaſſet.

XLI. *Franciſcus Junius*, è Gallia oriundus, Profeſſor in Academia Lugdunenſi primarius. Fuit Ebrææ linguæ peritiſſimus, & Biblia cum *Emanuele Tremellio* è lingua ſancta in latinum ſermonem vertit, brevibuſque ſcholiis illuſtravit. Vita defunctus eſt anno Chriſti 1602, die 13 Octobris, ætatis 57.

XLII. *Ægidius Humius* D. Winendanus Wirtembergicus, humilibus parentibus ortus, ſed ob eruditionem toto orbe Chriſtiano inprimis notus, cujus ſolidam & multiplicem eruditionem ſcripta ejus, quibus acriter veritatem adverſus hæreticos defendit, commendant. Ex miſera hacce lacrymarum valle ad beatorum conſortium anno 1603, ætatis ſuæ 53 evocatus eſt, poſtquam in Academia & Eccleſia Wittebergenſi multos per annos magna cum utilitate docuiſſet.

XLIII. *Chriſtophorus Pezelius* D. Theologus Bremenſis, libro, quem vocat Mellificium hiſtoricum, clarus; quod opus inchoatum *Lampadius* ad *Matthiam* uſque Imper. continuavit. Obiit Bremæ anno 1604, die 25 Febr. ætatis 65.

XLIV. *Cyriacus Spangenberg*, Theologus & Chronologus eruditus, Eccleſiæ Mansfeldenſis Paſtor; ſed cum in Flacii caſtra tranſiiſſet, exulatum abiit, & Argentinæ diem ſuum clauſit extremum anno 1604, ætat. 76. Inter alia ſcripta ab eo edita exſtant Tabulæ in Pentateuchum, & reliquos V. T. libros uſque ad Jobum.

XLV. *Lucas Oſiander* D. Bavarus (*Andreæ Oſiandri*, qui novam illam de Juſtificatione doctrinam ſparſit, filius) concionatorem aulicum egit in aula Witebergenſi, poſtea Paſtoratu apud Eſſingenſes functus. In beatum & cœleſte regnum conceſſit anno 1604, die 17 Septembr., ex Scholiis in univerſa Biblia notus.

XLVI. Eodem hocce anno exſtinctus eſt *Conradus Beccerus D. Chriſti* ac veritatis miniſter fidelis. Evangelium primum Antwerpiæ, poſtea Lipſiæ docuit. Elegans ejus verſio Pſalmorum Davidis in vernaculos rhythmos exſtat.

XLVII. *Theodorus Beza* è Gallia nobilibus parentibus ortus, Genevenſis Eccleſiæ miniſter. Ad exitum vitæ vocatus eſt anno 1605, ætatis 87.

XLVIII. *Cæſar Baronius*, acerrimus Pontificis propugnator, & Annalium Eccleſiaſticorum author. Romæ è vita migrat anno C. 1607, menſe Junio.

XLIX. *Georgius Mylius* D. Auguſtæ Vindelicorum patre fabro natus A. C. 1548, Auguſtanæ Confeſſionis propugnator ac vindex acerrimus. Superintendens Generalis fuit in patria: & cum Senatus Auguſtanus Evangelicis Calendarium Gregorianum obtrudere vellet, ipſeque cum reliquis Eccleſiæ miniſtris acriter reſiſteret, ac illud acceptare nollet, à Pontificiis comprehenſus eſt, curruique impoſitus extra urbem educendus erat. Aſt à civibus Auguſtanam Confeſſionem amplectentibus (quorum tunc multo major pars quam Pontificiorum in urbe erat) armata manu liberatus eſt, poſteaque Ulmam exulatum abiit. Inde Wittebergam evocatus, ibique tam docendo quam ſcribendo reliquum vitæ tempus conſumſit, donec A. C. 1607 anima ſancta & DEO cara placidiſſime in æternam DEI ac Eccleſiæ cœleſtis conſuetudinem emigravit ætatis 59.

L. *Philippus Nicolai* D. Waldeceæ in Haſſia anno 1556 natus, anno Chriſti 1608 denatus. Fuit divinarum humanarumque cognitione vir incomparabilis, & eruditiſſimus exercitatiſſimuſque Theologus, tum religionis etiam orthodoxæ & propagator & propugnator acerrimus. Paſtoris in Eccleſia Hamburgenſi munus ad finem uſque vitæ fideliter geſſit, ſcriptiſque ſuis (quæ Dedekindus in certos Tomos redegit) de Eccleſia optime eſt promeritus.

LI. *Pantaleon Candidus* Auſtriacus, Theologus Bipontinus, qui ſubſcriptionem formulæ Concordiæ revocavit, & *Johanni Palatino* Duci ad deferendum *Lutheri* dogma author fuit. Anno 1608 ſpiritum edidit Biponti, ætatis 68, miniſterii 33.

LII. *Jacobus Arminius* D. (à quo Arminiani in Hollandia denominantur) Profeſſor in Academia Leidenſi. Obiit anno 1609, ætatis 49. Mirabili occaſione lux veritatis in Articulo de Prædeſtinatione illi paulo ante obitum affulgere cœpit, ſicut *Petrus Bertius in Orat. de vita & obitu D. Arminii Diſputationibus ejuſdem præfixa* commemorat. *Res ita ſe habet.* Circumferebatur, inquit, quorundam piorum manibus libellus à quibuſdam Fratribus in Eccleſia Delfenſi ſcriptus adverſus Bezam hoc titulo: *Reſponſio ad argumenta quædam Bezæ & Calvini ex tract. de prædeſt. in cap. 9. ad Roman.* Eum libellum *D. Martin. Lydius*, qui antea Paſtorem egerat in Eccleſia Amſtelædamenſi, tunc vero Profeſſorem agebat in nova Friſiorum Academia, tranſmiſerat *D. Arminium*, rogaveratque, ut adverſus Delfenſes patrocinium ſuſciperet Bezæ. Non erat omnino ab hoc inſtituto Arminius alienus. Recens enim ex Schola Genevenſi veniens auribus circumferebat ſonum Lectionum & argumentationum Bezæ. Accingit ſe operi. Sed dum molitur refutationem, dum argumenta utrinque expendit.

pendit, dum conſert Scripturas, dum ſe torquet ac fatigat, vero victus primo ſecutus eſt *ſententiam illam quam oppugnabat*. Poſtea in eam divina virgula & Spiritus S. ductu delatus eſt, quam ad finem uſque vitæ conſtanter aſſeruit: decretum ſc. DEI æternum in prædeſtinatione non eſſe, eligere præciſe & abſolute ad ſalutem quoſdam, quos nondum decreviſſet creare, quod voluit Beza; neque vero poſito decreto creationis, & præviſo lapſu, quoſdam citra antecedentem rationem *Jeſu Chriſti*, quod volebant Delfenſes, ſed ex creatis & lapſis eos, qui vocanti DEO vera obedientia fidei reſponſuri eſſent, quod à *Melanchthone* & *Hemmingio*, & aliis permultis aſſertum eſt. *Hæc P. Bertius.*

LIII. *Johannes Pappus* D. Lindavii natus, Theologus Argentinenſis, qui ſtrenuum ſe præſtitit in bello ſpirituali pro Eccleſia militem & agonotheram invictum. Ex hac vita ad Chriſtum commigravit anno 1610, ætat. 61, ex Epitome hiſtoriæ Eccleſiaſticæ aliiſque ſcriptis notus.

LIV. *Polycarpus Lyſerus* D. vir pietate, doctrina, variiſque ſcriptis in lucem editis clariſſimus. Profeſſoris munus in Academia Wittebergenſi ſummo cum fructu & utilitate diſcentium obiit. Poſtea generalis Superintendens in ducatu Saxoniæ electorali conſtitutus eſt. In beatam cum DEO cœleſtiſque eccleſiæ conſuetudinem tranſlatus A. C. 1610, die 22 Februar. ætat. 58. relictis duobus filiis: quorum unus patri ὁμώνυμος ſacrarum literarum Profeſſor fuit in Academia Lipſienſi: alter vero *Wilhelmus Lyſerus Balthaſaro Meiſnero* D. (qui Philoſophiam ſobriam edidit) A. C. 1628 pie defuncto Wittebergæ ſucceſſit.

LV. *Johannes Winkelmannus* D. & *Balthaſar Mentzerus* D. ob ſingularem eruditionem omnibus bonis commendatiſſimi, & Præceptores mei fideliſſimi. Profeſſores fuerunt ſacrarum literarum in Academia Marpurgenſi clariſſimi, ſed deformante eam *Mauritio* Haſſiæ Landgravio A. C. 1605. Gieſſam profecti, & ab Illuſtriſſimo Dn. LUDOVICO Landgravio Darmſtatenſi recepti ſunt; qui poſtea A. C. 1607 Academiam Gieſſenſem fundavit, privilegia à *Rudolpho* Imperatore impetravit, eaque die 8 Octobris promulgavit. In hac nova Academia prædicti Theologi admirabili & maxima cum utilitate docuerunt, & operam Eccleſiæ ſalutarem præſtiterunt: quos ego per ſexennium quibus Gieſſæ optimarum artium ſtudiis operam dedi, docentes & diſputantes, magno cum ſtudiorum meorum fructu, audivi.

Vixerunt quoque in prædicta Academia tunc temporis Dn. D. *Caſparius Finckius*, Dn. D. *Chriſtophorus Helvicus* Chronologus & Ebræus inſignis, Dn. D. *Conradus Dietericus*, Dn. D. *Johannes Stumpfius*, &c. viri maximæ eruditionis, & Theologi præſtantiſſimi, qui nunc omnes in cœleſtem Academiam migrarunt.

II. *Iuris-conſulti, Medici, Philoſophi, & Philologi.*

I. *Johannes Baptiſta Hadrianus*, A. C. 1511 Florentiæ in Italia natus, inſignis Hiſtoricus, qui *Guicciardini* hiſtoriam accurata diligentia eſt perſecutus, & ex quo multa ſe ſumſiſſe, atque adeo plura quam ex quovis alio in opus ſuum Hiſtoricum tranſtuliſſe, profitetur Thuanus, miratus, eum minore inter Italos, quam par ſit, in pretio haberi. Obiit anno Imperii *Rudolphi* II tertio.

II. *Hieronymus Wolfius OEtingenſis*, exacta linguæ Græcæ cognitione clarus, qui perluſtratis in flore adoleſcentiæ Galliæ & Italiæ Academiis, cum ſe Auguſtam Vindelicorum contuliſſet, tanquam in tutiſſimum ſtudiorum nidum, ea quoque maxime ſcriptis & induſtria ſua illuſtravit. Fuggerorum liberalitate ſublevatus, quorum munificentia Zonaram, Nicetam, Gregoriam, primarios hiſtoriæ Conſtantinopolitanæ Scriptores, abillo ſumma fide latinitate donati ſunt, nec non literas Græcas ibi in Annæa ſchola magno auditorum concurſu profeſſus eſt, tandemque anno Chriſti 1580 die 7 Octobris, ætatis 64, quos in cælibatu tranſegit, ex dolore calculi extinctus eſt: cui Haizelii fratres, *Johannis Baptiſtæ* filii, Patricii Auguſtani, egregio monumento parentarunt.

III. *Hieronymus Surita*, vir omni doctrina inſtructiſſimus, elegantiaque clarus, qui *patriam hiſtoriam* prolixe admodum, ſumma *puritate*, prudentia & acumine deſcripſit. Mortuus eſt Cæſarauguſtæ in Hiſpania, quæ ipſi patria erat, A. 1580, ætatis 67.

IV. *Johannes Fichardus*, JC. magni nominis, ac Reipubl. Francofurtenſis ad Mœnum per quadraginta quatuor annos Syndicus prudentiſſimus, placida morte ad DEUM migravit anno 1581. ætatis 70.

V. *Georgius Buchananus Scotus*, vir ingenii felicitate & ſcribendi facultate incomparabilis, quod ejus ſcripta ad omnem poſteritatem victura teſtantur. Inter cætera Pſalmos Davidis vario carminis genere felicitſſime expreſſit: & hiſtoriam patriæ, eximium opus, bono, publico vulgavit. Diem ſuum obiit anno Chriſti 1582, ætatis 76. Quem mortuum veris laudibus extulit *Joſephus Scaliger* hoc epitaphio:

Poſt-

Poſtquam laude tua patriam, meritiſque beaſti,
Buchmane, tuis ſolis utrumque latus:
Contemtis opibus, ſpretis popularibus auris,
Ventoſaque fugax ambitionis; obis,
Pramia quina quater Piſea functus oliva,
Et linquens animi pignora rara tui:
In quibus haud tibi ſe anteferant, quos Itala vates
Terra dedit; nec quos Gallia mater alit,
Æquabunt genium felicis carminis; & qua
Orbis habet fama conſcia ſigna tua.
Namque ad ſupremum perducta Poëtica culmen
In te ſtat, nec, quo progrediatur, habet.
Imperii fuerat Romani, Scotia limes,
Romani eloquii Scotia finis erit.

VI. *Jacobus Pelletarius* Cœnomannus, non ſolum Medicus experientiſſimus, ſed & Poëtica & Mathematicarum artium (quas editis plerisque ſcriptis illuſtravit) exquiſita ſcientia præcipue clarus, Lutetiæ, ubi, vita per longinquas peregrinationes extra patriam acta, ſenectuti, tot laboribus fractæ, ſedem fixerat, anno 1582, menſe Auguſto, deceſſit.

VII. *Johannes Bauhinus* D. cum omnium diſciplinarum, tum præcipue Medicinæ laudibus ornatiſſimus, & Chirurgus clariſſimus, qui poſtquam Medicinam & Chirurgiam primo in Gallia, deinde in Anglia & Belgio aliquot annis, tandem vero Baſileæ totis 40 annis feliciter exercuiſſet, ſeptuagenario major fatis conceſſit anno à reparata ſalute 1582.

VIII. Idem annus fatalis fuit *Lucæ Loſſio*, qui, poſtquam annos amplius quinquaginta in Schola Lunæburgenſi pubem literariam pie ac fideliter erudierat, ſcriptiſque ſuis eruditiſſimis etiam alia Germaniæ Gymnaſia utiliter inſtituerat, anno ætatis 71 in cœleſtem Scholam evocatus eſt, ſequenti epitaphio, uno ante mortem anno à ſe ipſo ſcripto, poſt ſe relicto.

Hac placide Lucas requieſcit Loſſius urna,
Parte cinis terræ, qua levis ille fuit,
Pars melior vivens cœli mens incolit arcem,
Inter qui multos erudiere viros.
Qui pubi decies quinos, atque amplius annos
Tradidit hic artes, cum pietate, bonas.
Edidit & faciles qui ſimplicitate libellos
Non paucos Chriſti Pieridumque ſcholis.
Finibus Haſſiacis nemoroſis natus & agris,
Vahalim qua prater, clare Viſurge, fluis.
Hæc ubi cogneris, quo te via ducit euntem,
Lector abi, & felix vive, valeque diu.

IX. *Hubertus Goltzius*, Venloæ in ducatu Juliacenſi natus, ob doctiſſima ſcripta de rebus Romanis in lucem emiſſa, in ordinem civium Romanorum lectus eſt, fuitque antiquitatis indagator diligentiſſimus, & Hiſtoricus celeberrimus. Deceſſit Brugis Flandrorum A. C. 1583, ætatis 56.

X. *Carolus Sigonius* Mutinenſis, magna cum eruditionis ac eloquentiæ, tum prudentiæ & ingenii laude clariſſimus, nec non Hiſtoricus excellentiſſimus. Vitam cum morte commutavit in Italia anno 1584.

XI. *Iohannes Sambucus* D. *Maximiliani II*, & *Rudolphi II* Imperatoris Conſiliarius & Hiſtoricus, profeſſione autem Medicus, cujus in veteribus libris colligendis diligentia, ac in publicandis liberalitas ſummopere laudanda, ſiquidem *Nonnus* ſcriptor Dionyſiacon, Ariſtænetus, Eunapius, Heſychius, aliique complures ejus beneficio editi ſunt. Apoplexia exſtinctus eſt Viennæ anno 1584, ætatis 53.

XII. *Iohannes Crato à Craffiheim* D. vir magnæ & excellentis eruditionis, Medicus præſtantiſſimus, & trium Imperatorum, *Ferdinandi I*, *Maximiliani II*, & *Rudolphi II* Conſiliarius & δεχιατρος. E vita exceſſit Uratislaviæ anno Chriſti 1585, ætatis 67.

XIII. *Iohannes Bodinus* Andegavenſis, qui multis eruditiſſimis ſcriptis nomen ſuum nobilitavit, eumque Rex Galliæ *Henricus III* unice dilexit, ac ob raram eruditionem, multamque variarum rerum experientiam, dum cibum caperet, libenter audivit. Obiit Laoduni Veromanduorum anno 1585, die 10 Martii ætatis 68.

XIV. Menſe tertio poſt obitum *Bodini Marcus Antonius Muretus* J. C. omni ſcientiarum genere & eloquentiæ laude clarus Romæ debitum naturæ perſolvit anno ætatis 60, cum ibidem docuiſſet per annos 21.

XV. *Petrus Ronſardus* Vindomienſis, nobili familia oriundus, omnium poſt Auguſti exceſſum Poëtarum Gallorum præſtantiſſimus. Extremum vitæ ſpiritum edidit Lutetiæ anno 1585, die 27 Decembris.

XVI. *Matthæus Weſembecius* Antwerpienſis, Jure-conſultus nobiliſſimus, qui *Paratitlis* ſuis in quinquaginta Pandectarum libros univerſum Jus civile artificioſa methodo in eruditiſſimam artis formam redegit, & multis præclariſſimis aliis lucubrationibus illuſtravit. Jenæ etiam ac Witebergæ Jus ſumma cum laude ac ſedulitate interpretatus eſt. Vita defunctus eſt Witebergæ A. C. 1586, die 5 Junii, anno ætatis ſuæ 55.

XVII. *Rombertus Dodonæus* Machlin. D. *Ma-*

ximiliani II, & *Rudolphi* Imperatorum Medicus & Conſiliarius, & poſtea apud Batavos in Academia Lugdunenſi Medicinæ Profeſſor publicus, cujus in re Aſtronom., Herb., Medic., eruditio ſcriptis inclaruit. Rebus humanis exemtus eſt anno 1586, ætatis ſuæ 68.

XVIII. *Andreas Gail* J C. vir exquiſitæ doctrinæ acrisque judicii, fuit Cameræ Imperialis Aſſeſſor, deinde Cæſ. Majeſt. Conſiliarius, ac tandem Electoris Archiepiſcopi Colonienſis Cancellarius. Naturæ conceſſit Coloniæ Agrippinæ in patria ſua anno 1587. ætatis 62. Ex ſcriptis in lucem emiſſis, quæ in ſummo pretio habentur, notiſſimus.

XIX. *Jacobus Schegkius* Medicinæ D. & Philoſophus inſignis, cum in Academia Tubingen. Medicinam & Philoſophiam, totis annis 44, magna famæ celebritate docuiſſet, inque iis omnibus eam fidem, induſtriam & aſſiduitatem præſtitiſſet, à qua vir bonus pietatis ac virtutis amans jure meritoque commendatur, anno 1587, die 9 Maii placidiſſima morte ad DEUM migravit, an. ætat. 75.

XX. *Michaël Beutherus* LL. Doctor, Hiſtoricus celeberrimus, & Profeſſor hiſtoriarum in inclyta Academia Argentinenſi, Compendium hiſtoriarum univerſalium ab origine mundi uſque ad annum 1585, aliaque eruditiſſima ſcripta, edidit. Exſpiravit Argentinæ A. C. 1587, die 8 Novembris, ætatis 65.

XXI. *Theodorus Zwingerus* Baſilienſis, Medicus, Philoſophus & Hiſtoricus præſtantiſſimus, autor *Vitæ Humanæ*, aliisque ſcriptis, in omni literarum genere editis, clariſſimus. Baſileæ obiit anno Chriſti 1588, die 10 Martii, anno ætatis 55.

XXII. *Andreas Dudithius* SSS. MMM. *Maximiliani*, *Ferdinandi*, *Rudolphi* Imperatorum Conſiliarius ac Orator, vir nobilitate generis, eruditione, ſcientia variarum linguarum, Philoſophiæ totius, Mathematum & Aſtrologiæ, Medicinæ, Juris civilis, omnis generis hiſtoriarum cognitione, maximarumque rerum uſu vere illuſtris & præclarus, ſummis honoribus tum ſacris tum profanis, & legationibus ampliſſimis apud exteros Reges & Principes præclare perfunctus. *Dionyſii Halicarnaſſei* judicium de hiſtoria Thucydidis (qui, teſte Cicerone, rerum geſtarum pronunciator ſincerus & grandis eſt, & poſt Herodotum omnes dicendi artificio facile vincit: quem & propter rerum magnitudinem & gravitatem, maximi fecit *Carolus V.* Imperator, ejusque hiſtoriam, in Gallicam linguam feliciter traductam, cupide legit, relegitque, quod hac iterata ſapientiſſimi ſcriptoris cognitione, ſe multum in gubernatione Reipub. juvari, & quaſi inſtrui & armari ſentiret) utilem ſane librum & theſaurum quendam ex abditis tenebris erutum, latine loquentem edidit, & Reipublicæ communicavit. Alios quoque ejusdem ſcriptoris libros de arte Rhetorica: tum & Longinum ac Demetrium *Περὶ ἑρμηνείας*, ac tres poſtremos Diodori Siculi & *Appiani* Alexandrini libros convertit. Reginaldi *Poli* Cardinalis vitam quoque deſcripſit, & Venetiis edidit. Mortem ipſum præſagiiſſe & prædixiſſe ferunt, præſentibus magnificis viris, hiſce verbis: *Finis meus appropinquat.* Ac ante finem in convivium Philoſophicum ab illis attractum, de rebus ſacris & politicis pie & ſapienter diſſeruiſſe. Tandem, ubi terminum appropinquare ſenſit, hæc verba tribus vicibus effatum: *Ah Domine Jeſu Chriſte, ſerva me:* & ſic manibus bene compoſitis, placidiſſime abſque ulla commotione exſpiraſſe, anno 1589, *die* 23 Februarii, cum annum ætatis fere 57 compleviſſet. *Quirinus Reuterus Theol. Palatinus in vita ejus.*

XXIII. *Johannes Sturmius* Orator clariſſimus, & Argentinenſis Academiæ Rector, de plurimorum ſtudiis, & tota adeo Republica literaria optime meritus. Mortuus eſt anno 1589, die 3 Martii, cum in his terris annos 81 vixiſſet, & Argentinæ docuiſſet annos 51.

XXIV. *Jacobus Zabarella*, Comes Patavinus, Philoſophus eximius, cujus varia nobilis ingenii doctrinæque monumenta exſtant. Patavii mortem oppetiit anno 1589, die 25 Octobris.

XXV. *Franciſcus Hotomannus* J C. ex antiqua & nobili *Hotomannorum* apud Silefios familia oriundus, magna excellentique Jurisperitia ſolidaque eruditione celeberrimus, ac multis egregiis operibus de vera Jurisprudentia præclare meritus. E corporis vinculis evolavit Baſileæ anno 1590, die 12 Februar. ætatis 65.

XXVI. *Jacobus Cujacius* Tholoſanus, JCtus præſtantiſſimus, ac per omnem Europam celeberrimus, cujus egregia monumenta etiamnum, non ſolum in Gallia, verum etiam in Germania typis deſcripta, ab omnibus legum ſtudioſis diurna nocturnaque manu verſantur, atque adeo lectione teruntur. Diem ſuum obiit Biturigibus Avaricum anno 1590, die 3 Octobris.

XXVII. *Barnabas Briſſonius*, haud obſcuræ famæ JCtus, Conſiliarius Regius, & Præſes Senatus Pariſienſis, homo cum eruditione, tum virtute, & prudentia, denique rerum uſu clariſſimus. Cum A. C. 1590. *Henricus IV.* Navarræus Lutetiam duriſſima obſidione cinxiſſet, Briſſonius nullum aliud ob delictum, quam quod à fide erga Regem deſciſcere, ac ſeditioſis adjungere ſe nollet, à Ligiſta-

giſtarum ſedecim viris apprehenſus in carcere ſtrangulatus, ac publice poſtea ſuſpentus eſt. Urbe autem abhinc quadriennio *Henrico* Regi reddita, Senatui facinus hoc vehementer diſplicuit, adeo ut carnifex ipſe, apparitor & à Confeſſionibus Preſbyter, quod Briſſonio è medio tollendo operam ſuam locaſſent, eodem patibulo, eadem hora, juſſu Senatus fuerint ſuſpenſi.

XXVIII. *Nicodemus Friſchlinus*, vir ingenioſiſſimus totoque orbe notiſſimus, Philoſophus & Medicus doctiſſimus, & poëta feſtiviſſimus, cujus nomen ſcripta ab eodem edita ad omnem poſteritatem immortale reddiderunt. Cum ob leviuſculam cauſam anno 1590, in arce Hohen-Auracenſi captivus detineretur, inde effugere conatus eſt; ruptoque funiculo in aliam atque aliam petram ſubjectam præcipitatus, partibus corporis miſerabiliter confractis, interiit, die 24 Novembr. anno ætatis 44.

XXIX. *Hugo Donellus* Gallus, JC. Profeſſor primum fuit Avarici Biturigum in Gallia: ſed cum ibi A. C. 1572. acris perſecutio contra Evangelicos inſtitueretur, & inſtar pecudum homines mactarentur, ille cum *Franciſco Hotomanno* diſcipulorum ſuorum ac præcipue Germanorum ope præſenti periculo ereptus, in Germaniam ſe recepit, & Profeſſor in Academia Norica conſtitutus eſt. Obiit Altorfii anno 1591, ætatis 68.

XXX. *Johannes Poſſelius* M. vir excellenter doctus, Philoſophus peritiſſimus, & Græcæ linguæ ſcientia plane ſingularis. In inclyta Academia Roſtochiana fuit Profeſſor, ejuſque ſcripta hodie leguntur. Cœleſtem in Academiam evocatus eſt anno C. 1591, die 15 Auguſti.

XXXI. *Johannes Schröterus*, Medicus & Philoſophus inſignis, primarius in Academia Ienenſi Profeſſor, de ſtudio medico optime eſt promeritus. Octogenarius fatis conceſſit Ienæ anno 1592.

XXXII. *Johannes Leonclavius* Amelburnus, nobilis Angrivarus Weſtphalus, qui Xenophontem, Zoſimum, alioſque Græcos authores in latinum ſermonem vertit, & cui, legationis à *Rudolpho* Imper. ad Oſmanicam Portam miſſæ occaſione, veram Turcicorum annalium, atque adeo recentis Orientalis hiſtoriæ (quam luculentis ſcriptis illuſtravit, eamque uſque ad annum 1588 deduxit) cognitionem debemus. Deceſſit Viennæ ann. Chriſti 1593.

XXXIII. *Paulus Lutherus* Medicinæ Doctor, & Auguſti Electoris Saxoniæ Ἰατρός. Filius fuit *B. Lutheri*: qui quanta animoſitate, quantoque ſpiritu Pontificiæ abominationi contradixerit, eamque ſine ullo armorum ſtrepitu contra omnem humanam potentiam & celſitudinem fulmine veritatis Evangelicæ ſolo DEO excelſo fretus non tantum oppugnarit, ſed etiam in magna orbis Chriſtiani parte expugnarit, res ipſa loquitur. Cumque ipſe doctrinam medicam amaret, & remedia familiaria ac ſalutaria multa noſſet; filio Paulo autor fuit, ut poſt religioſæ pietatis ſtudium, ad hanc doctrinam, tanquam nobiliſſimam, animum applicaret: quod & præclare eccidit. Nam ita felices in cognitione & uſu artis medicæ progreſſus ille fecit, ut inter præcipuos Germaniæ medicos nomen ejus celebre ſit, & ſua medendi opera, principibus, aliiſque omnium ordinum hominibus, plurimum profuerit. In cœleſtem vitam ex hoc ſeculo emigravit A. C. 1593 à morte D. parentis 47.

XXXIV. *Iohannes Lauterbachius*, Poëta coronatus, cujus poëmata antiquam poëtarum gravitatem & ſublimitatem ſpirant. Anno 1593, die 11 menſis Octobris in cœleſtium vatum collegium receptus eſt, poſtquam Heilbronnæ optimarum artium ſtudia multos annos optime rexiſſet. Scripſit præterea alia opuſcula diverſimoda, Epigrammatum libros, à *Johanne Poſthio* Germersheimio, Archiatro Wirtzeburgico, v. c L. ſequenti elogio condecoratos:

Heroum laudes, & Cæſaris inclyta facta,
Dum celebras numeris, culte Poëta, tuis:
Te ſimul attollens magnis Heroibus aquas,
Et niveis tecum Muſa triumphat equis.
Donec & Heroum laudes, & Cæſaris acta
Vivent, vivet honos nominis ille tui.

Inſignia vero Lauterbachiana idem ille Poſthius tali metro illuſtravit:

Carmina dum Phœbo, dum carmina Cæſare magno
Digna canis variis, docte poëta, modis:
Laurea ſerta tibi Phœbus dat, maxima Cæſar
Ornamenta, tuum nobilitatque genus.
Ter felix, quemcunque probat cum Cæſare Phœbus:
Illius æternum fama ſuperſtes erit.

XXXV. Idem quoque annus emortualis exſtitit Orlando de Laſſo, Bergæ Hannoniæ urbe nato, qui Muſicus fuit excellentiſſimus, & per totum terrarum orbem inprimis Chriſtianum celeberrimus, eumque Muſices ſtudio *Carolus* IX, Rex Galliæ, paulo ante mortem è Norico evocavit, cum poſt infeliciſſimam lanienam Pariſienſem ex horroribus nocturnis damna ſomni ſentiret terribilia, quem interruptum adhibiti ſymphoniaci pueri expergefacto reparabant, teſte *Thuano hiſt. l.* 57. Rege anno 1574 extincto, Orlandus rurſus in Germaniam ſe recepit, & tandem anno ætatis 73 Monaci in Bavaria vitam finivit.

XXXVI. *Andreas Mylius*, vir latinæ & græcæ linguæ cognitione, & pure ac eleganter latine ſcribendi ſolutam & ligatam orationem facultate ornatiſſimus ac præſtantiſſimus, Illuſtriſſimi Principis Megapolitani *Iohannis Alberti* ab initio ſtudiorum moderator, poſt illius ejuſque filiorum conſiliarius fidiſſimus. Mortuus eſt A. C. 1594.

XXXVII. *Iohannes Borcholt* J C. magnus & practicus inſignis, cujus ſcripta in ſummo pretio habentur. Profeſſorem egit in inclyta Academia Helmſtadienſi, diemque ſuum obiit anno 1524, ætatis 57. Succeſſit ei *Valentinus Forſterus*, qui merito inter laudatiſſimos, & ingenio, doctrina, prudentia, & dexteritate præſtantiſſimos Jurisconſultos numeratur.

XXXVIII. *Henricus Pantaleon* Medicus, Philoſophus & Hiſtoricus, Profeſſor in Academia Baſilienſi, in qua cum per annos 40 maximo cum auditorum fructu docuiſſet, è vita migravit A. C. 1595, ætatis 73.

XXXIX. *Reinerus Reineccius*, Hiſtoriarum Profeſſor in Academia Julia. Inter alia ejus erudita ſcripta extat liber, in quo methodum legendi cognoſcendique hiſtorias accuratiſſimam monſtrat. Extremum ſpiritum exhalavit Helmſtadii anno 1595, die 14 Aprilis.

XL. *Michaël Neander*, vir in omni diſciplinarum genere doctiſſimus, qui optimarum artium ſtudia in inclyta ſchola Ilfeldenſi ad annos 45 magna cum laude rexit, deque Republica literaria optime eſt meritus. Extremum vitæ diem clauſit Ilfeldiæ anno Chriſti 1595, die 26 Aprilis, anno ætatis 70.

XLI. *Johannes Poſthius* Germersheimenſis Palatinus, Medicus, Poëta & Polyhiſtor doctiſſimus, ac primum Epiſcopi Wirtzburgenſis, poſtea *Friderici IV.* Electoris Palatini Archiater. Debitum naturæ perſolvit A. C. 1597, ætatis 60.

XLII. *Joachimus à Beuſt* in Planitz J C, vir eruditione ſcriptiſque editis celeberrimus, ac quatuor Electorum Saxoniæ Conſiliarius intimus. Morte felici ac beata vitam ſuam in his terris clauſit anno 1597, ætatis 75.

XLIII. *Aldus Manutius*, Italus, Pauli (qui antiquitatis inquiſitor & indagator diligentiſſimus fuit) filius, vir eruditiſſimus, quique nulli parcens ſumtui rem literariam ſua diligentia multum promovit; editis ſumma characterum elegantia innumeris veterum ac recentium monumentis. Deceſſit Romæ ſub finem menſis Octobris anno 1597, à morte patris 23.

XLIV. *Abrahamus Ortelius*, *Philippi II.* Hiſpaniarum Regis Coſmographus excellentiſſimus, & immortalis illius operis Theatri orbis terrarum author. Mortuus eſt Antwerpiæ anno 1598, ætatis ſuæ 71.

XLV. *Nathan Chytraus*, *Davidis Chytrei* D. ſummi illius Theologi & Hiſtorici celeberrimi frater, Profeſſoratu primum functus in Academia Roſtochiana, poſtea magna cum eruditionis, fidei & dexteritatis laude in Schola Bremenſi pubem literariam docuit. Obiit Bremæ A. C. 1598, die 27 Febr., anno ætatis 55.

XLVI. *Ioachimus Camerarius* patri A. C. 1574 pie defuncto ἰατρόμαθος, Philoſophus & Polyhiſtor doctiſſimus, & inclytæ Noribergenſium Reipubl. Medicus, & aliquot Principum Archiater. Defunctus eſt A. C. 1598, ætatis 64, Noribergæ, ubi etiam frater ejus *Philippus* J C. inſignis per complures annos Conſiliarium egit.

XLVII. *Samuel Grynæus*, *Simonis* (cujus utiliſſimis ſcriptis etiamnum fruimur) filius, vir ingenio, eruditione & uſu excellens, & incorruptæ veritatis in Jure amantiſſimus, Collegii Juriſconſultorum in Academia Baſilienſi Anteceſſor & Profeſſor, ac Reip. ibid. Syndicus fuit, quo Promotore Doctores & Licentiati Jurium creati fuerunt circiter 360. anno 1599, ætatis 60, aſthmate & hydrope extinctus eſt Baſileæ, ubi & pater ejus A. C. 1541 peſte extinctus eſt.

XLVIII. *Tycho Brahe*, *Eques Danus*, Mathematicus & Aſtronomus longe celeberrimus, qui quantum in Mathematicis diſciplinis atque Aſtronomia excelluerit, & quid ad poſteritatem in iis effecerit, ſcripta ejus oſtendunt: quæ exteri quoque homines doctrina politiſſimi ob ſingularem eruditionem, & variarum utiliſſimarumque rerum explicationem *diſertam* ac perſpicuam magni faciunt, & *admirantur*. Mortuus eſt Pragæ in aula Cæſarea *anno* 1601, cum anno 1546 (quo *B. Lutherus*, per quem DEUS puram & ſinceram Evangelii doctrinam, tenebris pluſquam Cimmeriis involutam ſub impii Papatus obſcura nocte, puritati & nitori ſuo reſtituit, in cœleſtem patriam migravit) Knudſtorpii prope Lundum in Scania in hanc lucem editus eſſet.

XLIX. *Caſparus Peucerus*, Medicus & Philoſophus, eloquentia, literis, & experientia vir maximus, & Conſiliarius Principum Anhaltinorum, *Iohannis Carionis* Mathematici excellentiſſimi Chronicon, ab eo, Germanico idiomate contextum, ab Hermanno Bonno Paſtore Lubecenſi primum latinitate donatum, & à *Philippo Melanchthone* (cujus filiam ipſe in matrimonio habuit) emendatum, ad ſua uſque tempora feliciter continuavit. Vitam cum morte commutavit anno 1602, die 25 Septembris, anno ætatis ſuæ 78.

L. Pe-

I. *Petrus Weſembecius* J C. & in inclyta Academia Altorfina Juris Profeſſor primarius, eruditionis, pietatis & humanitatis laude clariſſimus. Obiit anno C. 1603, ætatis 57, anno à fratris ſui *Matthæi* (ingenii acumine & monumentorum celeberrimorum fama ad veterum laudatiſſimorum Juris-conſultorum laudem quam proxime accedentis) morte decimo ſeptimo.

II. *Melchior Junius* Witebergenſis, vir optimus & Orator eloquens, qui ſcriptis ſuis diſcentium ſtudia quam plurimum promovit. *Johannis Sturmii* diſcipulus fuit, eique ab officio remoto in ſtudii eloquentiæ profeſſione & gubernatione Scholæ Argentinenſis ſucceſſit. In cœleſtem Academiam evocatus A. C. 1604, die 26 Januarii, ætatis 59.

III. *Juſtus Lipſius* è Belgio oriundus, Philologus ſummus, Orator magnus, ſi non maximus, & Hiſtoricus denique præſtantiſſimus. Obiit Lovanii, (ubi Profeſſor fuit) A. C. 1606, ætatis 59. Monumenta reliquit in omni diſciplinarum genere præclara, quibus nunc plurimæ gentes tanquam divini ingenii fructibus ſalutaribus perfruuntur.

IIII. *Nicolaus Taurellus*, Medicus & Philoſophus celebris, qui, cum medicam artem fideliter docuiſſet & feliciter exercuiſſet in inclyta Altorfina Acad. Noricorum annos multos, diem ſuum clauſit extremùm A. C. 1606, ætatis. 59.

IIII. *Hieronymus Treutlerus* J. U. D. Conſiliarius Cæſareus, & Profeſſor in Academia Marpurgenſi celeberrimus, qui præclaram famam, & ſolidæ in legibus ſcientiæ, accuratiſſimæque legum interpretandarum facultatis exiſtimationem apud exteros quoque obtinuit. Exſtant diſputationes ejus ad jus civile *Juſtinianeum Pandectis* comprehenſum eruditiſſima methodo conſcriptæ. Mortuus eſt Budiſſenæ Luſatiorum, anno 1607, ætatis 42.

V. *Martinus Cruſius*, Græcæ linguæ & Oratoriæ in Academia Tubingenſi Profeſſor celebris, & Annalium Suevicorum author. Tubingæ octogenario major fatis conceſſit anno 1607.

VI. Idem hic annus fatalis fuit *Matthæo Dreſſero*, Hiſtoriarum & Oratoriæ facultatis in Academia Lipſienſi Profeſſori. Homo fuit literatus, & valde pius, & plenus conſilii, uſu denique rerum ſingulari, experientiaque multiplici præditus. Exſtat Iſagoge ejus Hiſtorica, in qua per ſex mundi millenarios acta in Eccleſiis & Politia exacte recenſuit.

VII. *Nicolaus Crellius* J. U. D. intimus quondam Chriſtiani Electoris Saxoniæ Conſiliarius, ſed anno Chriſti 1607 Dreſdæ, poſtquam totis quatuordecim annis captivus fuiſſet, decollatus, de cauſis (ut plerique affirmant) politicis, tanquam perturbator pacis publicæ, & patriæ hoſtis, & criminis reus læſæ Majeſtatis, ſententiam pronuncian-tibus Conſiliariis Cæſareæ Majeſtatis eam ad rem delectis.

VIII. *Bartholomæus Keckermannus*, Gymnaſii Dantiſcani Rector, excellentis ingenii ſolidæque eruditionis laude clariſſimus, & ex ſcriptis variis notiſſimus. Finem vitæ habuit Dantiſci in patria anno 1609, ætatis 37.

IX. *Joſephus Juſtus Scaliger*, *Julii Cæſaris* A. C. 1558 defuncti filius, vir ingenioſiſſimus, variarum linguarum cognitione inſtructiſſimus, omnique doctrinarum genere excultiſſimus, magni illius de emendatione temporum operis author. De eo ita *P. Scriverius*.

> ——— *eruditione*
> *Idumæus, Arabs, Syruſque & Indus,*
> *Chaldæus ſimul, Æthiopſque civis,*
> *Quemque Achæmenii ſuum vocarent,*
> *Pelaſgus ſimul, & ſimul Latinus,*
> *Et Graius vetus, & quotidianus;*
> *Et Thuſcus ſimul, & ſimul Britannus;*
> *Et quod altera ſecula obſtupeſcant,*
> *Hiſpanus ſimul, & ſimul Batavus.*

Obiit Lugduni Batavorum anno 1609, menſe Februario, anno ætatis 68. Cum uberioribus lacrymis deploraſſet nimiam vivacitatem ſuam, quod ad ea uſque tempora duraſſet, quibus in dubium vocaretur meritum & ſatisfactio Servatoris noſtri *Jeſu Chriſti*, quem ſe propediem viſurum eſſe confidebat, ſedentem ad dextram Patris omnipotentis. *Baudius in oratione ejus funebri.*

X. *Gregorius Berſmannus*, Annæbergæ in Miſnia natus, Philoſophus & Poëta clariſſimus, & illuſtris Gymnaſii Serveſtiani Rector. Deo & naturæ conceſſit Serveſtæ anno 1611, ætatis 74.

XI. *Caſparus Bauhinus*, *Johannis* filius, Medic. D. Anatom. & Herbariæ in Academia Baſilienſi Profeſſor celeberrimus & diligentiſſimus, ac Illuſtriſſimi Ducis Wirtembergici Archiater. In Botanicis & Anatomicis eruditiſſima ejus ſcripta exſtant.

XII. *Andreas Bacherus* Poperinganus Flandrus, Medicinæ D. clariſſimus, & Ducum Brunsvicenſium & Lunæburgenſium per 43 annos Archiater.

XIII. *Elias Reuſnerus*, Sileſius Medicus, & Hiſtoricus inſignis, & Poëta optimus, Profeſſor in Academia Ienenſi, cujus inſigne opus Genealogicum inter alia ejus ſcripta exſtat. Frater ejus *Nicolaus Reuſnerus* J C. Orator, Philoſophus & Poëta fuit præſtantiſſimus, Conſiliarius Ducum Saxo-

niæ, nec non Profeſſor in Academia Ienenſi, multis ingenii monumentis celeberrimus.

LXIV. *Dionyſius Gothofredus*, Pariſienſis, J C. acris judicii, & in praxi dexteritatis ſingularis: Profeſſor fuit in inclyta Academia Argentinenſi, & legum interpres acutiſſimus.

LXV. *Hermannus Kirchnerus* J. U. D. Orator & Poëta Cæſareus C. ac Profeſſor in inclyta Academia Marpurgenſi, multis lucubrationibus celeberrimus.

LXVI. *Jacobus Chriſtmannus*, multarum linguarum gnarus, & Philoſophiæ Profeſſor in Academia Heidelbergenſi, cujus ſcripta extant.

LXVII. *Iſaacus Caſaubonus*, undiquaque eruditiſſimus Philologus, ac Græcæ & Latinæ linguæ felix propagator. Baronii XII annalium tomos, Centuriis Magdeburgenſibus oppoſitos, (quos *Abraham Bzovius* continuavit, *Henricus* autem *Spondanus* & *Biſciola* in epitomen redegerunt) in XVII exercitationibus egregie refutavit. Idem fecit *Goldaſtus* in Rationali.

LXVIII. *Fridericus Taubmannus* Francus, Profeſſor in inclyta Academia Wittebergenſi, vir doctiſſimus, & poëta præſtantiſſimus & feſtiviſſimus, cujus jucunda & erudita extant poëmata.

LXIX. *Rudolphus Goclenius*, Haſſus, Philoſophus inſignis, & in Academia Marpurgenſi Profeſſor, cujus ſingularis & excellens eruditio doctis omnibus nota eſt ob multas lucubrationes, quibus veræ Philoſophiæ ſtudia illuſtravit.

LXX. *Jacobus Auguſtus Thuanus* Gallus, genere, ingenio & literis vir vere magnus & nobilis, qui libris CXXX ſuæ ætatis Hiſtoriam ſummo judicio & fide prudentiſſime conſcripſit; opus & ſtyli elegantia, & graviſſimarum rerum copia ac majeſtate cum quibusvis ſive veterum ſive recentium in eo genere ſcriptis conferendum.

III. *Prodigia.*

I. Anno 1577. Cometa ſtupendæ & inſolitæ magnitudinis viſus eſt menſe Novembri. *Beutherus* ſcribit, ſe talem per omnem ſuam vitam nunquam vidiſſe, cum quoad longitudinem & latitudinem caudæ, tum quoad atrocitatem incendii; habuiſſeque formam gladii Turcici. Tales autem Cometæ aut novæ ſtellæ apparentes non ſine cauſa novi aliquid nunciare, ſi non apportare, putantur. Unde Camerarius de Cometis ſcribit: Οὐδὲὶς Κομήτης ἔστι ἀγαθὸν φάσμα. & Peucerus inquit: Cometæ quoties exardeſcunt, mutationes, clades & calamitates portendunt. Et hoc omnium temporum hiſtoriæ teſtantur.

II. A. C 1579. horrendæ tempeſtates in Haſſia, quibuſdam etiam locis in Thuringia, plurimum damni dederunt. Nam & grando magnitudine ovorum ſegetem & vineta proſtravit, & aquarum eluviones fundis, hominibus & jumentis multum nocuerunt.

III. A. C. 1580. Cometa fulſit in *Boruſſia*, Noribergæ, Gorlicii, &c. duravitque per tres menſes, ſcil. ab Octobri uſque in menſem Januarium anni ſequentis.

Ex hujus Cometæ inflammatione, nec non ex aëris corruptione, exortum eſſe putant Aſtrologi & Medici morbum epidemicum, qui hoc anno totum fere terrarum orbem peragravit, & ex oriente ac meridie ad occaſum & ſeptentrionem contendit. Nam menſe Junio Siciliam: Julio Romam, & vicina Italiæ loca: Auguſto Venetias & Conſtantinopolim: Septembri Hungariam, ſuperiorem Germaniam, Bohemiam (ubi *Cæſar Rudolphus II* ipſe hanc luem cum domeſticis aulicis expertus eſt) & Saxoniam: Octobri littoris Balthici urbes: Novembri & Decembri Daniam, Sueciam & Poloniam (ubi *Stephanus* Rex, qui tunc bellum contra Moſcovitas gerebat, multique alii, tam equites quam pedites, hac tabe infecti fuere) magna celeritate infeſtavit, ita ut omnes fere homines febri diaria aut tuſſi ex catarrhis ad pectus delabentibus paſſim ſint correpti, multi etiam, qui affectos ante pulmones habebant, extincti. Romæ in fine Julii uno tempore 40000 homines juſſu Pontificis *Gregorii* XIII numerati ſunt, qui hoc morbo infecti fuere. Lubecæ menſe Octobri, ſub ipſa incenſione Cometæ, 8000, nec minori numero Hamburgi hoc malo infecti fuere: ſic Bremæ, & Brunſvigæ atque Lunæburgi infinitus numerus, inque omnibus regionibus & civitatibus in ſingulis domibus uno tempore, nemine fere excepto, omnes decubuere. Alius autem alio gravius laboravit, pro naturarum diverſitate, & commoda aut mala diæta adhibita. Hi autem, qui nulla medicina uſi ſunt, citius ac felicius cæteris convaluerunt: unde multi in eam opinionem ſunt perducti, ut ſtatuerent, medicinam ſine favore cœleſti non ſolum irritam, ſed ſæpe etiam noxiam eſſe: in qua opinione *Hippocratem* & *Galenum* etiam fuiſſe conſtat.

IV. A. C. 1582. ſævæ & horrendæ ventorum procellæ exortæ ſunt, quæ magnum navigantibus damnum dederunt, inprimis in Hollandia & Selandia. *Chytraus*, *Beutherus*.

V. A. C. 1587. Belgæ ingenti peſte & fame conflictati ſunt. In Flandria paſſim municipia & pagi, habitatoribus vel bello necatis, vel peſte abſumtis, vel fame mortuis, vacui, meram ſolitudinem præferebant, adeo ut in domibus feræ beſtiæ & lupi ſtabu-

ſtabularentur: qui ad eum aucti fuerunt numerum, ut non tantum pecora, verum etiam pueros, imo viros & mulieres invaſerint, ex matrum ſinu & complexu infantes abripientes & dilaniantes. In agro Gandavenſi urbi vicino, ultra centum homines à lupis devoratos, memoriæ proditum eſt, prævalente adverſus incolarum paucitatem ferarum multitudine: Canes fame & rabie efferati per agros paſſim oberrabant, & obvias quaſque beſtias, quinetiam ſe ipſos mutua laniena conficiebant, tantaque erat agrorum vaſtitas, ut neque campi à ſylvis, neque foſſæ & aggeres à viis altioribus diſcerni, neque areæ, dirutis ædibus, à poſſeſſoribus dignoſci poſſent, adeo vaſtata, & arbuſtis, dumetis ſpinetiſque obſita erant omnia. Famis quidem tanta vis fuit, ut Antwerpiæ, Bruxellis, Brugis, Gandavi, & alibi, honeſti & ſplendide amicti homines veſpere incogniti panem oſtiatim quæſierint; vulgus vero è quiſquiliis & ſordium colluvionibus, oſſa, putamina & alia conquiſiverint. In Hollandia, Selandia, & aliis confœderatis provinciis tolerabilius aliquanto erat annonæ precium, utpote quæ navigatione libera & aperta uterentur, ac è piſcatu & negotiatione maritima magnum quæſtum facerent. Quo factum eſt, ut ingens eo hominum multitudo aliis è locis commigrarit, ſic ut multis in oppidis, ædibus hominum multitudini non ſufficientibus, ampliora pomœria deſcribere neceſſe fuerit. *Contin. Sleidan. part. 2. lib. 27.*

VI. A. C. 1588. varia portenta ſunt conſpecta. Nam in Ditmarſia (cui nos ortum debemus) quinque ſoles eodem mente viſi. In quodam vico Apenradio, una leuca à Meldorpio diſtante, mulier quinque dierum intervallo gemellos enixa eſt. Gryphiswaldiæ, celebri Pomeraniæ urbe, xiphias ſeu piſcis gladius variis literis & characteribus, utpote crucibus, gladiis, vexillis, ligone, pugionibus, equorum capitibus & navibus inſignitus, die 22 Maii captus eſt. Ad 26 vero diem Junii ſol, aëre ſereno exiſtente, repente obſcuratus, toto die illo cum gladii ſtricti figura in ore quaſi viſus eſt. Rupes Culmerbergenſis prope Salfeldiam, prodigioſe ſeſe aperiens, diſrupta eſt. Panes ab Euclione quodam tenaciſſimo prope Rhodopolim in furnum miſſi, palaque rurſum extracti ſanguinem miraculoſe ſudantes, paulatim in cineres reſoluti ſunt. Et alia id genus multa acciderunt. *Idem l. 28.*

VII. A. C. 1590, ingens ſiccitas fuit per totum fere annum. Itaque ſeges rara, frumentum tenue, fœnum paucum, olerum vero & leguminum copia exigua, vinumque modicum ubique provenit. Incendia quoque excitata ſunt multa. In Thuringia pagi & oppida exuſta ſunt. Arſere complu-ribus locis ſylvæ, in montibus præſertim Bohemicis. Fœnum in curru vectum infra Viennam ſolis ardore conflagravit die 30 Julii. Horribilis quoque terræmotus eadem die, qua Pontifex ſummus *Urbanus VII.* ad dignitatem iſtam eligebatur, ſcil. 15. Septembr., Viennam Auſtriæ & multa Bohemiæ & Moraviæ loca concuſſit. Viennæ ædes quamplurimæ labefactatæ: turris D. Stephani ita conquaſſata, ut ruina illius metueretur, & de faſtigio deſtruendo conſilium capi neceſſe fuerit. Templum cœnobii Scotorum, & hoſpitium ad ſolem aureum, patrona & familia illius diverſorii una cum hoſpitibus aliquot oppreſſis, concidit. Caſtellum Caniſianum in finibus Hungaricis media ex parte, magna militum ſtrage facta, corruit. Praga quoque haud parum contremuiſſe fertur. Haud procul à Vienna Auſtriæ agri mephitim exhalarunt, & ſolum, pluribus locis, atris locuſtis conſtratum fuit; quæ pedibus conculcatæ, teterrimum fœtorem efflarunt. *Dreſſerus milenar. VI. pag. 522.*

VIII. Anno 1591 peſtis ingens in Livonia graſſata eſt, quæ in una urbe Revalia ad 5000 hominum abſumſit.

Eodem anno univerſam Italiam dira fames preſſit, tantaque fuit annonæ caritas, & frumenti inopia, ut modius tritici triginta quatuor coronatis venderetur. Initio igitur Cardinales, Epiſcopi, aliique prælati, populum ſuum expenſis alere cœperant: & ipſe quidem Pontifex *Gregor. XIV.* ingentem pauperum numerum ſuſtentavit. Poſtea vero cum fames & penuria indies major fieret, decretum eſt, ut Judæis, meretricibus, exteris multis, aliiſque inutilibus hominibus urbe ejectis, in ſingula capita octo tantum panis unciæ quotidie diſtribuerentur; armis, priuſquam hæc à Pontifice promulgarentur, populo, ne ſeditio & tumultus in urbe exoriretur, ablatis. Holſatia, Dania, & Hanſeaticæ Vandalorum civitates, atque Belgium, Italis in communi totius provinciæ neceſſitate ſuppetias promte tulerunt: & quod inauditum hactenus fuerat, multas naves annona oneratas, circumnavigata Gallia & Hiſpania, per anguſtias freti Herculei in mare Mediterraneum & Liguſticum, & in ipſos Italiæ portus cum gratulatione pauperum deduxerunt; atque ita Danorum, Hollandorum & Germanorum Hanſeaticorum beneficio factum fuit, ut frumentum, quod triginta quatuor antea vendebatur, & vix haberi amplius poterat, mox viginti, & paulo poſt quatuordecim coronatis, annona indies magis magiſque levata, emeretur. Pontifex curſorem, qui nuncium adventantium navium primus attulerat, mille ducatorum honorario donavit. *Janſon. in Merc. Gallo-Belg. tom. 1. lib. 4.*

IX. A. C.

IX. A. C. 1592, die 20 Decembris, viſæ ſunt paraſelinæ circa Lunam naturalem, varii coloris radios in orbem de ſe ſpargentes, una cum alba cruce per paraſelinas extenſa.

X. Anno 1595, in Hollandia, Geldria, tractu Rhenano, Auſtria, Bohemia, Saxonia, Miſnia, Luſatia, Sileſia, aliiſque Germaniæ locis, ſtupenda & inſolita extitit aquarum inundatio: quæ non ſolum pagos plurimos deſtruxit; verum etiam miſerabilem ſtragem tam hominum quam pecorum edidit. *Bucholtz.*

XI. A. C. 1568, Romæ tanta tamque inſolita exſtitit fluvii Tyberis eluvies & inundatio, ut pleraſque ædes in ipſius urbis meditullio ſitas ad medietatem uſque eluerit, & fundamenta illarum ita convulſerit, ut nulla fere urbis, alias ampliſſimæ, pars reperta fuerit, quam tignis ac tibicinibus ſuffulciri & ſuſtentari non oportuerit; multis ædibus jam collapſis, reliquis caſum & ruinam in horas minitantibus. In hac eluvione, præter magnam pecorum in campis hinc inde ſuffocatorum multitudinem, 1500 circiter homines perierunt. Damnum vero urbi illatum, multis aureorum myriadibus æſtimatum fuit. *Idem.*

XII. A. C. 1599 in Lisbona & Hiſpania ultra 70000 hominum peſte extincta ſunt. *Chytraus.* Peſte autem DEUS & impios ferit, ut juſte affligat: & pios exercet, ut aut corrigat, aut punita mundi ingratitudine ad meliorem vitam traducat.

XIII. A. C. 1600 Terræmotus horribilis Norſiæ, & in urbe Florentia, aliquot ædificia evertit. *Theodorus Meurer.*

IV. *Res aliquot memorabiles.*

1. Anno 1576, die 4 Novembris, Hiſpani, qui in caſtello Antwerpienſi in præſidio collocati erant, cum animadverterent, ſeſe civibus admodum eſſe exoſos, adjunctis ſibi Germanis militibus, tormentis bellicis & globis igneis, atque armata manu, maximo numero urbem invadunt; quibus initio cives fortiter reſtiterunt. At Hiſpani, cum potentia eis prævalerent, urbem in ſuam poteſtatem redegerunt, & obvios quoſque trucidarunt, nihilque contumeliæ & petulantiæ omiſerunt. Multi è civibus, dum aquis inſilientes ſalutem naviculis quærunt, ſuffocati ſunt: inter milites fugientes Overſteinius Comes in aquam delapſus, & armorum pondere depreſſus, periit. Trucidati & ſubmerſi ex oppidanis & civibus ad ſeptem millia. Hiſpani vero deſiderarunt è ſuorum numero circiter 200, & urbe potita ingens incendium excitarunt, quo miſerabilem in modum opulentiſſima totius urbis pars, in qua ampliſſimæ erant tabernæ omnis generis pretioſiſſimis refertæ mercibus, deſolata fuit. Sequentibus diebus nullum crudelitatis genus milites ad extorquendam civibus pecuniam prætermiſere: neque enim ulli vel ordini vel ætati pepercerunt: inprimis vero Valones, quoſcunque deprehenderant, ſicis & pugionibus interfecere. Patresfamilias ſeſe, liberos, familiam ac ſupellectilem omnem, quanta volebant victores, pecunia redimere cogebantur. Qui vero aut non poterant, aut tantum dare recuſabant, fidiculis, flagellis, aliiſque cruciatuum generibus, ſine ulla miſericordia, ad necem uſque torquebantur. Pecunia ab Hiſpanis collecta & extorta ad vicies centena millia coronatorum æſtimata fuit; in ea ſumma minime comprehenſis gemmis & pretioſis cimeliis, aureis vaſis & argenteis; nec etiam incendii damno, quod non fuit minoris. Milites autem pecuniam partam nequiter dilapidarunt. Mox enim in ipſa Burſa menſæ in aleæ luſum publice collocatæ ſunt, in quibus plerique ex gregariis etiam militibus uno die adverſa alea ad *decem Coronatorum* millia perdiderunt. Prudentiores vero, cum periculoſum duceret, tantam prædam extra urbem deferre; gladiorum pugionumque capulos, loricas item, ſcuta & alia arma ex auroſolido ſibi confici, atroque colore tingi curarunt, ne colore dignoſcerentur: qua in re tamen aurificum aſtu decepti ſunt, qui, cupri & æris media parte auro admiſta, direptionis partem ab ignaris prædonibus callide recuperarunt. Nec tamen ſic abiit pecuniaria negotiatio ex iſta urbe; ſed & in ipſis mediis Martis furoribus ad miraculum floruit poſtea. *Chytraus in Chronic. Saxon. Beutherus. Eman. Meteranus in hiſtor. Belg. lib. 6. Thuan. hiſt. lib. 61.*

At eodem hocce anno Hiſpani non ita fortes ſeſe geſſerunt in Africa. Siquidem ea tota expulſi ſunt ignavia *Petri Carrera*, qui Guletæ arci longe munitiſſimæ præerat, & prius quam Turcica claſſis, Duce *Sinane Baſſa*, viro aſtuto reique militaris peritiſſimo, appuliſſet, quingentos milites veteranos Italos admittere noluit, quod minime conceſſurum diceret, ut in ejus gloriæ partem venirent Itali, quam Hiſpani Guleta defendenda conſecuturi eſſent. Sed vana prorſus hæc gloria fuit. *Sinan* enim *Baſſa* brevi tempore *Carrera* faſtuoſum pectus exarmavit, Guletam ipſam expugnavit, ibique præter aliam prædam potitus eſt *quingentis machinis bellicis*, cum ingenti tormentarii pulveris aliarumque bello neceſſariarum rerum & annonæ copia, adeoque mira virtutis & fortunæ ſibi famulantium gratia eum tenuit victoriæ curſum, *ut Hiſpani prorſus ejecti fuerint ex Africa inter trigeſimum & ſextum diem*;

diem, amiſſis per ſummam ignaviam iis locis, quæ *Carolus V.* Imper. in poteſtatem optimo conſilio redegerat, ut ſecuritati Siciliæ, Regni Neapolitani, totiuſque tum Italiæ tum Hiſpaniæ conſuleret. Equidem apud ipſos Turcas ex fide dignis hominibus accepit teſtis locupletiſſimus *Iohannes Leonclavius*, Carreram virum fuiſſe prorſus ignavum & formidoloſum, qui pulveris tormentarii nidorem ferre non poſſet, nec fulmina diſploſarum machinarum; quæ ſane quoties in hoſtem exonerabantur, ipſe ſubterraneis ſe teſtudinibus concameratiſque locis abdebat, bombaceque ſuas obturabat aures. Ubi vero de hoc proſpero Africanæ Turcarum expeditionis ſucceſſu Romam allatum eſt, ſtatim dicterium Paſquilli nomine ſparſum, quo Guletæ & regni Tunetani amiſſi culpa in podagram Ducis Sueſſani, in Cardinalis Granvellani Neapolitani Vicarii ſubligar, hoc eſt, libidines, in *Iohannis Auſtrii Spharisterium*, hoc eſt, negligentiam, rejiciebatur. *Leonclav. in Suppl. Ann. Turc. Thuan. hiſtor. lib.* 58.

II. A. C. 1577. *Martinus Forbiſſerus* Anglus navigationem inſtituit in ſeptentrionales regiones: ubi ſuperatis multis difficultatibus reperit auri in quadam Inſula tantam copiam, ut eo ducenta dolia ſeu tonnas repleverit, quibus navem & duo aphracta oneravit, & in Angliam reverſus eſt die 17 Septembris. Inſula illa tota nivibus obruta fere eſt, ejuſque incolæ ab omni civili cultu alieni ſunt: veſtiuntur pellibus ferarum venatione captarum: herbas etiam crudas beſtiarum in morem devorant. Tentoria eorum pellibus balænarum teguntur: perpetuæ propemodum ibi nives & frigus aſperrimum. Canibus, qui lupos noſtros ſpecie referunt, ſub jugum miſſis, utuntur ad res neceſſarias ſuper glaciem advehendas. Nulla ibi ligna: cervi multi. Et ſicut regio ſterilis eſt: ita homines ſtupidi, bardi, & ſine omni ingenio. Terram non colunt, contenti rebus quas ſponte producit: potus illis ſanguis ferarum, aut aqua glaciei. *Hiſtor. ext. Bucholtz. Beutherus.*

III. A. C. 1578. Centurio quidam Hiſpanus juxta Inſulas, (quæ potens & populoſa Belgii civitas) in cauſidici cujuſdam domo exceptus, hoſpitis filiæ inſigniter formoſæ vim in arcano parabat: ſed ea inter luctandum pugione correpto, ipſum in lumbos aggreſſoris tam violento ictu adegit, ut hoſte ſtrato, pudicitiam fortiter defenderit. Saucius Hiſpanus, & morti ex vulnere proximus, cum crimen ſacerdoti confeſſus eſſet, factique ultra modum pœnitentia duceretur; juvenculam ubique inveſtigatam, coram ſiſti juſſit, hiſce verbis eam affatus: *Morituro mihi expetendum fuerat, ut injuria tibi à me illata remitteretur: ſed ad expiandam culpam haud ſatis confeſſio ac venia petitio viſa eſt, niſi ſcelus intentatum decora ſatisfactione emerem. Me igitur tibi virum addico, & quia crimine meo & virtute tua effectum eſt, ut me frui non poſſis; habe nomen uxoris, titulos, inſignia, & bonorum meorum hæres eſto: ut, qui te conatu violatam meminerint, ſciant te conjugium tentata virginitatis, quam tam ſtrenue defendiſti, honeſtiſſimum præmium retuliſſe.* Quibus dictis, & ſacerdote verba præeunte, cum, patre conſentiente, matrimonium contractum eſſet, Hiſpanus ſtatim exſpiravit; ambiguo relicto, uter generoſius, hic culpam emendaſſet, an illa pudori conſuluiſſet. *Thuan. hiſtor. lib. 66. Meteran. hiſtor. Belg. lib.* 8.

Memorabile quoque facinus, hoc anno, à ruſtici cujuſdam filia in Belgio commiſſum eſt. Tribunus quidam Gallus, Pontius nomine, qui *Franciſci Alenconii* (qui Belgis operam & opes deferens, teſtatus ſe Belgarum rogatu bellum adverſus Hiſpaniæ tyrannidem ſuſcipere; verum poſtea præcipua Belgii loca intercipere conatus, ſed ſine ſucceſſu) militiam in Belgio ſequebatur, ad Beccirtium pagum hoſpitium ſibi ſumſerat in domo *Johan. Milleti* probi & ditis agricolæ, cui tres filiæ eximia forma erant. Harum major natu, Maria dicta, ſedecim vel amplius annorum, & cæteris formoſior, ut placato hoſpite uteretur, ſedulo omnia domus miniſteria obibat. In eam, quia præſtantioris, quam quæ in ruſtica quærebatur, formæ erat, tribunus oculos conjecerat, occaſionemque libidinis explendæ quærens, patrem cum filia menſæ accumbere jubet, & libidine inter pocula incaleſcente, per ludibrium rogat, an ſibi filiam uxorem dare vellet. Agricola, qui imparem ſuam prætexebat conditionem, ſe modeſte excuſante, tribunus ſtatim irarum fulminibus debaechabatur, & protinus cœnaculo patrem faceſſere pulſatum jubet: quem filia pone ſequens à militibus vi retenta, moxque à furente tribuno inter lamenta & ejulatus compreſſa, ac poſtea temulentis ſociis pariter ad ſtuprum expoſita eſt. Inde poſtquam ad menſam reditum fuit, ipſa juvencula, magnos ſupraque ſortem & ætatem generoſos ſpiritus gerens, ſedere juxta tribunum juſſa, paruit, &, compoſito ad dolorem diſſimulandum vultu, poſt crebras injectas per laſciviam contumelias, tempus nacta, Pontium, dum cum altero quopiam commilitone ſuo colloqueretur, cultro in eor ejus violenter adacto, conficit, diſjectiſque ſubito menſis, dum reliqui milites ad tribunum accurrunt, illa per poſticum elabitur, & ad patrem in proximo diverſantem properat, reque expoſita, ut fugam mature capeſſat, monet. Ipſa poſt ereptam virginitatem vivere non ſuſtinens, cum vitare

periculum potuiſſet, graſſatores intrepide exſpectat: à quibus illico comprehenſa & arbori alligata, ut ſclopetorum ictibus conficeretur, poſt commendatam DEO animam, *Feri*, inquit, *miles, & certis ictibus mortem ei optatam accelera, quam vi illata indignam effeciſti, qua viveret: haud utique injuriam, quam jam in duce veſtro inultam non ſivit* DEUS, *diu impune laturus.* Nec verbis augurium defuit. Nam pater, ubi filiam à militibus crudeliſſime collimatis ictibus interfectam eſſe reſcivit, geminata injuria efferatus, ruſticos, tumultuario opere ex vicinia iſta convocatos, ad vindictam tam atrocis Gallorum facinoris exhortatur; qui ſimiliter deteſtanda iſta injuria exacerbati, milites facti complices, cumque iis quatuor alias cohortes circumventas, ad unum omnes trucidarunt. *Idem ibidem.*

IV. A. C. 1578. *Sebaſtianus* Luſitaniæ Rex ætate & prudentia fere puer temerariam in Africam ſuſcepit expeditionem, qua Mahumetem Mauritaniæ Regem reducere conabatur. Hic enim à patruo ſuo *Abdelmelecho* auxiliis Turcicis regnis ſuis pulſus, ſuperiori anno ad *Sebaſtianum* Luſitaniæ Regem juvenem 24 annorum confugit, ejuſque opem & auxilium adverſus patruum ſuum imploravit. Re in conſilio agitata, licet non deeſſent, qui à periculoſo bello eum abſterrerent, inſtigantibus tamen aliquibus aulica aſſentatione propendentem in contrarias partes Regis animum, auxilium ei bello ferendum decretum eſt, ea tamen conditione, ut *Philippus* Rex Hiſpaniæ in belli ſocietatem admitteretur. Miſſi igitur ad *Philippum* legati. Qui quidem expeditionem iſtam minime diſſuaſit, verum ne ipſe *Sebaſtianus* ad eam proficiſceretur, ſed rem per legatos gereret, admodum rogavit. Cum vero à propoſito iſto præcipitem juvenem dimovere non poſſet, tandem de bello in Africa gerendo ita inter eos convenit, ut 15000 peditum ex Italis, Germanis & Hiſpanis conſcriberentur, quorum 10000 *Sebaſtiani*, quinque vero millia *Philippi* ſtipendio militarent. His ita peractis, de belli ſumtibus deliberatum eſt: & quidem deficiente in Luſitania pecunia, nova vectigalia, ſatis quidem gravia, excogitata, & non ſolum plebi, ſed & reliquis ordinibus impoſita fuere, ita ut ſoli Eccleſiaſtici, quamvis ab initio frementes, 150000 aureorum ſibi imperari paterentur. Plebs autem iſti militiæ deſtinata crebro quidem Ulyſſipona, quaſi ad pugnam inſtruenda, fuit educta, ſed ridiçula prorſus ratione; quippe nullo campi ductore aut tribuno belli experto, ſed *Johanne* quodam *Gama* iis præeunte, qui eremitæ habitu tirones, ipſemet belli rudis, arma tractare, agmina ordinare, & concurrere edocebat; *Sebaſtiano* Rege non ſolum inter ſclopetorum diſploſiones plerumque haud citra diſcrimen verſante, aut diſcurrente; verum etiam mari ſæpe ſe committente, maxime cœlo procelloſo, (nam ſereno ignavi eſſe ducebat) ita, ut pericula, quæ ſapientes vitanda cenſent, quæreret, & in exitium ſponte ruere cunctis videretur. Tandem *Sebaſtianus*, ſalutaribus *Philippi* Hiſpaniæ Regis avunculi ſui conſiliis (quibus eum à temerario propoſito avocare conabatur) ſpretis, profectionem decrevit. Tum vero Luſitani de armis ſecuri, tantumque de magnifico cultu ſolliciti, veſtes ſumtuoſiſſimas ſibi comparabant, quaſi non ad bellum, ſed ad nuptias & pompas proficiſcerentur; etiam patrio veſtitu abjecto Caſtellenſem aſſumebant, & quaſi jam victoria parta *de* triumpho adornando cogitabant. Itaque videre erat veſtes, equos, tentoria, lectos, ac cætera impedimenta holoſerico & auro argentoque, interdum & gemmis ad exquiſitum luxum exornata, ut potius haſtiludii, quam ſerii certaminis apparatus rerum peritioribus viderentur, qui cum occulto doloris morſu infauſta ex eo omnia præſagiebant. Cum dies profectioni dictus adveniſſet, Rex ipſe prætoriam navim conſcendit, tam certa regnorum iſtorum potiundorum fiducia, ut in eam rem Regia etiam inſignia ſecum aſportaret. Sic igitur ventum opportunum nactus poſtridie *Johannus Baptiſta* tota cum claſſe ſolvit, navigatione verſus Africam directa, regno autem pecunia exhauſto, Nobilitate vacuo, ſine hærede, nec ſatis æquis ejus adminiſtratoribus relicto. Mœſta claſſis in diſceſſu ubique facies fuit, & nemo ridere viſus, cunctis triſti ſilentio defixis, cum vulgo contra evenire ſoleat, ut, qui ad ejuſmodi expeditiones ducuntur, per laſciviam lætos clamores ingeminent. Cum *Melicus* Mauritaniæ Rex de adventu Luſitanorum cognovit, ingentibus copiis iis obviam *ivit*: & licet ægrotus in lectica veheretur, mortique jam propinquus eſſet, ſuos nihilominus intrepido animo compellavit, & pro religione patria, uxoribus, liberis, pro aris & focis certamen propoſitum oſtendit, & de eventu ejus, cum numero vincant, cauſique potiores ſint, minime dubitare eos debere, admonuit. Non longe poſt pugna tentatur, & Luſitani à Mauris undique circumventi, quaſi pecudes miſerando omnino ſpectaculo inter carros, equos, ſuorum occurſus, æſtu, labore & ictibus pereuntes, promiſcue cæduntur: & non ſolum in iſto conflictu ad 15 millia hominum occubuerunt, verum etiam tres Reges perierunt. Nam *Sebaſtianus* à Mauris captus, enſe erepto galeaque ablata primo exarmatus, poſtea à centurione repetitis vulneribus confoſſus eſt. Cujus cadaver cum quidam

Mau-

Maurus vili equo impoſitum ad Hametem Mauritaniæ Regis fratrem adferret, ipſe inſigne rerum humanarum inconſtantiæ exemplum intuitus, à lacrymis ſibi temperare non potuit. *Melicus*, qui gravi febri jactatus cum ſuos retrocedere indignaretur, lectica egreſſus, ut præſentia ſua, injecto pudore, fugam ſuorum ſiſteret, vix precibus à familiaribus revocatus, & præ ira compreſſo ſpiritu pene ex equo titubans cecidit, indeque in lecticam denuo illatus, & adductis repagulis, ac prius monitis qui circa eum erant, ut mortem ſuam celarent, admoto ori digito animam efflavit. Finita pugna Hametes, fratris mortis ignarus, protinus ad lecticam accurrit, ei de victoria gratulaturus: cognita autem ejus morte, in cadaver involat, lacrymiſque ſuper defuncti corpus ubertim profuſis, de Imperii inſignibus ſumendis mox cogitare cœpit, & à præfectis & militibus in caſtris Rex declaratus & electus eſt. *Mahomes* in fuga cœnoſis Lariſſæ aquis nimia feſtinatione ſubmerſus periit, cui ex aquis extracto Hametes pellem detrahi, eamque deinde ſalitam paleiſque impletam per utramque Mauritaniam in ludibrium circumduci mandavit. Regnum Luſitanicum ad *Henricum* Cardinalem *Sebaſtiani* trucidati patruum tranſlatum eſt: qui cum tantum annum unum & menſes quinque regnaſſet, anno Chriſti 1580, prid. Kalend. Febr. hora & momento à ſe prædictis in deliquium animi incidit: cum eodem tempore Luna deliquium pati inciperet, quo deliquio Lunæ deſinente, & ipſe in vivis eſſe deſiit: unde diſſenſiones magnæ ortæ in regno Portugalliæ, & cædes ac bella ſecuta. Quidam enim elegerunt *Antonium*, quem *Ludovicus*, frater *Henrici*, cælebs procreaverat: reliqui elegerunt Hiſpaniarum regem *Philippum*, *Henrici* ſorore genitum: qui exercitum miſit in Portugalliam Duce Albano: qui ſtatim *Antonium* fugavit, plane exercitu deſtitutum; & in hoſtium poteſtatem veniſſet, niſi aureos & aliam pecuniam in via ſparſiſſet, quam dum Albani colligebant, auſugit, & Hiſpanus Portugalliam occupavit. *Thuan. lib. 65. & 78. H. Coneſtag. de Portugall. & Caſtil. conjunctione paſſim. Chytr. Chron. Saxon. lib. 24. & 25. Onuphr. Cont. Sleid. part. 2. lib. 18.*

v. Anno C. 1582. contigit res miranda & ſtupenda. Nam *Mahumetes* III (qui, cum patri defuncto Selimo anno 1574 in regno ſucceſſiſſet, quinque fratres occidit) filium ſuum Mahumetem adoleſcentem fere 16 annorum circumcidit. Feſtum inaudita magnificentiæ pompa, ceremoniarum ſolennitate & ſpectaculorum varietate 40 dierum intervallo peractum eſt, & ad illud ſpectaculum invitati fuere Reges & Principes prope totius Orbis, qui Legatos ſuos Conſtantinopolin miſerunt. *Leonclav. in Annal. Turc.*

VI. A. C. 1582 *Wilhelmus* Princeps Auraicus, vir tum ſuæ, tum alienæ, ac Batavorum imprimis, quibus præfectus fuit, libertatis amans, conſiliis præpollens, animo fortis, rerumque geſtarum gloria maximus, à *Johanne Jauregio Cantabro* ictu ſclopeti per utramque maxillam trajectus eſt. Auraicus ictu attonitus (quemadmodum ipſe poſtea teſtatus eſt) primo corruere aliquam contignationem ædium exiſtimavit, mox in deliquium incidens, à circumſtantibus ne caderet ſublevatus eſt: eumque paulatim ad ſe rediiſſet, ſtrepitum & confuſas voces audiens, rogare cœpit, ne percuſſorem interficerent; qui tamen à nobilibus, primum iræ impetum non cohibentibus, transfixus, & à ſtipatoribus & ſatellitibus plane jam interfectus fuerat: cujus corpus *Mauritius* Auraici filius (ex *Mauritii Electoris* Saxoniæ filia paulo ante mortem natus, adhuc quidem puer, ſed prudentia ſupra annos innata præditus) diligenter inveſtigavit, ſclopetumque primo, mox ſchedulas quaſdam & faſciculum literarum reperit, quæ, cum Hiſpanica lingua ſcriptæ eſſent, Gallos à ſuſpicione de ipſis concepta abſolverunt: ſiquidem factum illud totum eis imputabatur, cum cives putarent, lanienam Gallicam apparari: nec quieviſſent, niſi Uranius ipſe eos placaviſſet, & autores facinoris deprehenſi rem ordine narraviſſent, aſtuque mercatoris cujuſdam hæc facta demonſtraſſent. Vulnus autem per aliquot dies continuato remedio ſanatum, præter omnium ſpem & exſpectationem, & *Wilhelmus* priſtinæ ſuæ ſanitati reſtitutus eſt. Toto illo tempore, ex quo vulneratus fuerat, ſumma in urbe (Antwerpia) mœſtitia & oppidanorum conſternatio (*Catharina* potiſſimum ejus ſorore, & Swartzemburgici Comitis conjuge, nullum officii genus circa ægrotum fratrem prætermittente) viſa eſt. *Carola* autem Mompenſeria, *Ludovici* Ducis Mompenſerii in Gallia filia, uxor ejus, cum inopinato mariti caſu jam ab initio pereulſa eſſet, accedente ad pavorem vigiliarum quotidianarum incommodo, in graviſſimum morbum incidit, ex eoque tandem 13 Kalend. Maii, ingenti non ſolum marito, ſed omnibus aliis deſiderio ſui relicto, deceſſit. At violentam mortem *Wilhelmus* heros & bellator ille fortiſſimus evadere non potuit. Nam A. C. 1584, perfide tribus globis à ſicario quodam Delphis in hoſpitio ſuo, monaſterio *D. Agathæ* ſacro, trajectus die x Julii, vita privatus eſt, cum vixiſſet annos 51. m. 2. d. 25. Sicarius Nobilis Burgundus fuit, *Balthaſarus Seraeus* dictus, qui ante aliquot menſes in Principis famulitium, ſingula-

gularem induſtriam, & ingenii dexteritatem præ ſe ferens, ſeſe inſinuaverat, & à Principe legatis ad *Franciſcum Alenconium* Galliæ Regis *Henrici* III fratrem, quem Belgæ Gubernatorem & hæredem Belgii denuo expetebant, comes adjunctus erat. *Alenconius* autem cum præſentibus Auraici legatis in Caſtello *S. Theodori* in Gallia, anno ætatis 30, non ſine veneni ſuſpicione mortuus eſſet, Seracum hunc, ut Principi notum, & nunc per aliquot menſes in aula ejus commoratum, legati ad Auraicum cum literis remittunt; quibus obitum Alenconii Auraico ſignificant, & an Rex Galliæ, vel alius ad protectionem Belgii requirendus ſit, ſciſcitantur. Hic proditor, cum humaniter à Principe exceptus & perbenigne auditus fuiſſet: tandem ſurgentem Principem inſecutus, & denuo ſe cum illo loqui, & ſecreta referre velle ſimulans, tribus plumbeis globulis venenatis, è parva bombarda emiſſis, medium trajecit, ita ut ſtatim moriens conciderit. Quemadmodum etiam conſtat, ante aliquot annos fratres ejus *Henricum*, *Adolphum* & *Ludovicum* Naſſovium in præliis Belgicis interfectos eſſe, quos multi etiam opinantur bombarda trajectos eſſe. *Michael Eitzingerus* refert, *Philippum Melanchthonem*, cum *Guilhelmus* Naſſovius Auraici pater filiorum genituras ei protuliſſet, & de ſingulis judicium illius exquirens, eam, quæ eſt Auraici, perveſtigaſſet, dixiſſe: multa cum molliturum ac magna, ſed mortem fore violentam. Quod etiam eventus comprobavit. Percuſſor tanti Principis vivus comprehenſus, &, non à Gallo vel Hiſpanis ſeſe conductum, ſed proprio conſilio egregium ac præclarum κατόρθωμα, & cultum DEO gratum ſe præſtitiſſe, profeſſus, ſummo cruciatu ac ſupplicio, proditori debito, necatus eſt. Ferunt tamen, in quæſtionibus parricidam confeſſum eſſe, ſe conſilium ſuum *Alexandro Farneſio* Parmæ & Placentiæ Duci (qui à Rege Hiſpaniæ, *Johanne Auſtriaco* anno Chriſti 1578 peſte extincto, belli Belgici præfectus conſtitutus eſt) ſcripto indicaſſe, ac juſſu illius Aſſonlevillam Conſiliarium ejus cum eo egiſſe, eumque in propoſito confirmaſſe, & de mercede non tantum in tabulis proſcriptionis expreſſa, verum etiam multo ampliore ei caviſſe. Ordines autem Belgici morte Auraici, alieno adeo tempore ſibi erepti, ſummopere indoluerunt, ejus prudentiam, conſtantiam, magnanimitatem, æquitatem, patientiam & moderationem neceſſariis temporibus experti, eique ut dolorem meritis honoribus delatis teſtarentur, ingenti & regia prope pompa parentarunt. Celebratæ autem fuere exequiæ die 11 Auguſt. Delphis, & in majore urbis templo conditus eſt, ubi ejus *Mauſoleum* ſtructura ſuperbum ac ſplendidum cum hac inſcriptione videtur:

D. O. M.

Et æternæ Memoriæ

GVILIELMI NASSOVI, SVPREMI ARAVSIONENSIVM PRINC. PATRIS PATRIÆ, QVI BELGII FORTVNAS SVIS POSTHABVIT, ET SVORVM: VALIDISSIMOS EXERCITVS AREPLVRIMVM PRIVATO BIS CONSCRIPSIT, BIS INDVXIT ORDINVM AVSPICIIS: HISPANIÆ TYRANNIDEM PROPVLIT: VERÆ RELIGIONIS CVLTVM, AVITAS PATRIÆ LEGES REVOCAVIT, RESTITVIT: IPSAM DENIQVE LIBERTATEM TANTVM NON ASSERTAM, MAVRITIO PRINCIPI PATERNÆ VIRTVTIS HÆREDI FILIO STABILIENDAM RELIQVIT; HEROIS VERE PII, PRVDENTIS, INVICTI: QVEM PHILIPPVS II, HISPAN. REX ILLE EVROPÆ TIMORTIMVIT, NON DOMVIT, NON TERRVIT, SED EMTO PERCVSSORI FRAVDE NEFANDA SVSTVLIT. FOEDERAT. BELG. PROVINC. PERENNI MERITO. MONVM. P.C.C.

Funere & exequiis Auraici apud Delphos peractis, *Mauritius*, illuſtriſſimi Principis *Wilhelmi* filius, annorum tum temporis 19 adoleſcens, ab Ordinibus Belgii confœderatis, Hollandiæ, Selandiæ, Friſiæ & Ultrajecti Gubernator, ac ſummus maris præfectus conſtitutus fuit: qui totus genitorem ſuum ſpirans, maximarumque ejus virtutum veſtigia gnaviter premens, auſpiciis D. D. Ordinum, ductu ſuo, reliqui operis gloriam conſummavit.

VII. A. C. 1587 *Maria* Scotiæ Regina, *Jacobi* V mater, poſt XX annorum carcerem, à Proceribus Angliæ ad mortem fuit condemnata. Quam ſententiam etſi juſtitiæ conſentaneam eſſe diceret *Eliſabetha* Angliæ Regina, diu tamen adduci non potuit, ut ſubſcriptione ſua eam confirmaret: tandem tamen importunis Parlamenti, novas quotidie machinationes & pericula nunciantis, precibus fatigata, acta & libellum, quibus capitalis contra Reginam Scotiæ ſententia & ſupplicii ratio continebatur, ſubſignavit, & à Cancellario magno regni Anglici ſigillo muniri juſſit. Die igitur octavo menſis Februarii in arce Northamptoniæ Foteringhamo *Mariæ* ſecuri percuſſa eſt. Quæ, cum magno animo ſententiam mortis in ſe latam audiviſſet, Anglorum

glorum immanitatem hiſce verbis perſtrinxit: *Angli in ſuos Reges ſubinde cadibus ſævierunt, ut neutiquam novum nunc ſit, ſi etiam in me ex eorum ſanguine natam ſævierint.* Angli enim ex Regibus 40. civili conſpiratione 12, atque annis 36, quibus bella civilia *Philippi* Cominæi ætate geſta ſunt, regiæ ſtirpis homines amplius 80 interfecerunt; teſte *Bodino in Meth. Hiſt. cap. 5. & 6. de rep. lib. 2. cap. 5. lib. 4. cap. 7.*

VIII. Fœderati Pontificii in Gallia in Regem ſuum *Henricum* III & Evangelicos conſpirantes, non quieſcendum ſibi arbitrati ſunt, priuſquam eum è medio ſuſtuliſſent. Quare *Iacobum Clementem*, Monachum ordinis Prædicatorum, conduxerunt, ut Regem interficeret: priùs autem illum ampliſſimis præmiorum, divitiarum, Infulæ Epiſcopalis, galeri Cardinalitii, & prærogativæ in Paradiſo ſuper aliorum beatorum conditionem eminentis, promiſſionibus ad facinus parricidiale audaciſmè perpetrandum animaverunt. Ille igitur cultrum ſibi ancipitem acutiſſimum fieri curat, & pridie Calend. Aug. A. C. 1589, manè Lutetiâ egreditur, rectaque ad *S. Clodovæi* fanum, ubi Rex caſtra locaverat, Pariſios obſidere in animo habens, pergit. In caſtra (quæ erant duobus Gallicis milliaribus à Lutetia) cum veniſſet, ad generalem Procuratorem ductus eſt: cui affirmavit, ſeſe varias habere literas, inter alias etiam Harlæi Parlamenti Præſidis, ad Regem deferendas, aliaque arcana quædam, quæ literis credi non potuerint, ei dicenda, quæ ſcire maximè Regis intereſſet. Procurator hæc ad Regem defert: qui Procuratori mandat, ut eâ nocte monachum in ſuo hoſpitio excipiat, & uſque in poſterum diem humaniter habeat. Vix autem ulli hominum generi facilior ad Regem acceſſus fuerat. Quare poſtridie ad Regem, qui modo è lectulo ſuo ſurrexerat, nondum toto corpore veſtitum in conclave admiſſus eſt. Intromiſſus igitur monachus amoveri petit nobiles, ut ſolus cum ſolo colloquatur: quibus remotis, mox literas à præmemorato Harlæo Regi legendas exhibet, eaſque dum legit, cultrum veneno infectum in ventrem Regis manubrio tenus adigit, adactumque in vulnere relinquit. Rex vulneratum ſeſe ſentiens ſuos inclamat, & cultro è vulnere extracto, ſicarium bino ictu viciſſim fauciat. Interim regii miniſtri, clamore audito, accurrunt, in monachum involant, eumque confoſſum trucidant, cujus cadaver poſtea equis in quatuor partes diſtractum, & à carnifice combuſtum eſt. Inde Rex, etſi vulnus non lethale primo à medicis judicatum fuit, tamen poſtridie mortem ſibi inſtare intelligens, præcipuos regni Principes, in caſtra convocatos, ad concordiam & conſtantiam adhortatus eſt, & *Henricum* Navarræ Regem ſororium ſuum hæredem ac ſucceſſorem Coronæ legitimum deſignavit, cui ſtatim Proceres & Principes totumque exercitum jurare juſſit. Hoc facto, horâ, ab illato ictu, vigeſima ſecunda, anno ætatis 37, regni 15, diem ſuum obiit. Perculſus erat Rex ante aliquot annos, cum jam Liga (quam Rex ſuo aſſenſu formaverat, omnibuſque viribus in ſuam propriam & communem Reipubl. perniciem imprudentiſſime armaverat) paſſim in regno gliſceret, memorabili ſomnio. Nam viſus ſibi fuit per ſomnum à leonibus laniari; quod ille de leonibus, quos more inter reges uſurpato in area, Luparæ ſubjecta, alebat, interpretatus, ſtatim eos à ſtationariis, ſuppreſſo nihilominus ſomnio, ſclopetorum ictibus interfici juſſit. Id mirati initio plerique, cauſam ignorantes, ubi ex amicis in arcano reſciverunt, ſomnium longe aliter ac verius interpretati ſunt, cum, Regem, à miſeris leonibus, quos caveis concluſos tenebat, ſecurum; in factionis jam adultæ duces, qui jam tum Regis lanienæ multorum judicio fatis deſtinabantur, inſpicere potius debuiſſe, palam dicerent.

Claudius Sanctius abominabile hoc regicidium nefario ſcripto probavit. *Autor de jure belli Belgici* teſtatur, quod Jeſuitæ Clementem illum (minime omnium clementem) Regicidam, alterum Ehud regis Moabitici interfectorem nominarint, & horribile illud ſcelus ictum ſpecioſum de cœlo datum appellarint. Rebelles Regis hoſtes parricidæ confoſſi ædes imagine decorarunt, eundem in Martyrum & Sanctorum numerum recenſitum ſuperſtitioſe coluerunt: omnes quoque affines ejus & qui ſanguine ipſi juncti erant, publica pecunia & ſtipe liberaliter ditati, & è pulvere & ſordibus educti ad honores Cardinalitios provecti ſunt. *Mariana in libro de Rege & Regis inſtitutione edito Anno 1605. pag. 60.* poſt recitatum factum *Iacobi Clementis*, qui *Henricum* III è medio ſuſtulit, ſubjungit: Præclare cum rebus humanis ageretur, ſi multi homines tam forti pectore invenirentur pro libertate patriæ, vitæ contemtores & ſalutis. *Et pag. 74.* Si hujuſmodi (ſicarii) poſt deſignatum facinus evaſerint, inſtar heroum in omni vita ſuſpiciuntur. Si ſecus accidat, grata ſuperis, grata hominibus hoſtia cadunt, nobili conatu ad omnem poſteritatis memoriam illuſtrati. Imo Pontifex ipſe *Sixtus* V. cum de Regis Dominicani Monachi venenata ſica ex inſidiis obtruncati nuncium Romam eſſet allatum, in purpuratorum Senatu in oratione, die 2 Septembr. habita, facinus illud horrendum laudibus in cœlum, aut etiam ſupra cœlum extulit, omnibus heroum ab omni ævo rebus præclare geſtis

prætulit, tandemque cum adorando incarnationis myſterio contulit. *Bucholtzer. in Indice Chron. Chytr. in Chron. Saxon. lib.* 28. *Contin. Sleidan. part.* 2. *lib.* 28, & 29. *Thuanus lib.* 78, 90, 91, 92, 93, 94, 95, 96.

Paucos ante *Henrici* III mortem menſes, die ſcil. 5 Januarii, mater ejus *Catharina*, *Laurentii* Medicis Urbini Ducis filia, mœrore animi (vel, ut nonnulli volunt, veneno) extincta eſt, poſtquam *Carolo* filio autrix fuiſſet, ut ſanguinem innocentem tam copioſum profunderet. Mulier namque vafra & ad fundendum ſanguinem quaſi nata fuit, Galliamque bellis, iiſque funeſtiſſimis, toto imperii ſui tempore commovit, variiſque cladibus affecit, & nunc à Guiſiis & Pontificiis, nunc vero à Navarræo & Reformatis clam ſtetit. Vetitas artes cognoſcendi curioſa admodum fuit, & hujuſmodi præſtigiatoribus non raro perfamiliariter uſa, tantum exſecrandis hariolorum prædictionibus tribuit, ut etiam de filiorum fortuna & eorum ſucceſſoribus, ab illis edoceri voluerit: magiſtro quodam profanæ artis ei ſpeculum, quod aulam ſive auguſtum conclave referebat, exhibente, in quo Reginæ filiorum quilibet toties circumambulabat, quot annos regno eſſet præfuturus: cumque *Henricus* III ſuas periodos abſolviſſet, Dux Guiſius, quaſi fulgur ſpeculum percurrit; & poſtea etiam Navarræ Princeps bis ſupra vicies (ille namque 22 annos Galliæ regno præfuit) ſeſe oſtendens, confeſtim diſparuit. Unde *Catharina* quarta nonnullis Francorum Furia dicta: quod poëta quidam ſuo ſuppreſſo nomine verſibus expreſſit:

Tres Erebi Furias ne poſthac credite vates:
Addita nam quarta eſt nunc Catharina *tribus.*
Quodſi tres Furias à ſe dimitteret Orcus:
Hæc Catharina *foret pro tribus una ſatis.*

Etſi autem ſæpius nominata *Catharina* per totam fere vitam, vel potius illo tempore, quo univerſum Galliæ regnum ſuis conſiliis rexit, nihil laudatu dignum geſſit, vox tamen ejus ἀπαγόρευτος laudanda eſt. Cum enim in extremis eſſet, Regem filium ad ſe vocaſſe, expoſitoque regni ſtatu dixiſſe fertur: *Dubium non eſſe, quin ira* DEI *in regnum Galliæ vehementer eſſet commota. Hanc autem iram & Populum & Principes ſibi ipſis concitaſſe, & adhuc concitare, eo quod bellum quam pacem mallent, nec ſanis quietiſque Navarræi & aliorum Regii ſanguinis principum conſiliis acquieverint, ſed Guiſios ſub prætextu Religionis Romano-Catholicæ promovendæ, Reformatæque extirpandæ, Regi inſidias ſtruentes, regnumque affectantes, ſequerentur, & promotos cuperent. Sperare tamen ſe, eoſdem principes, omneſque ſubditos, ad ſaniorem mentem redituros, præſertim cum non propria perfidia, ſed interfectorum Guiſiorum perſuaſionibus, à Rege defeciſſent. Interim ſe jam ingraveſcente morbo pene oppreſſam, mortique vicinam, hæc ultima Regi monita relinquere. Primo, Regem Navarræum, omneſque Regii ſanguinis Principes, vere Gallos & indigenas, cujuſcunque religionis ii ſint, accerſat, & ad ſe attrahat, ut perpetuo cum Rege ſint, eumque conſiliis & auxiliis ſuis adjuvent: eos enim nunquam non fore fideles, qui tot bellis à Rege, propter religionem, laceſſiti, nunquam tamen à fide, qua Regi obſtricti erant, defecerint. Deinde, cum jampridem in Germania aliiſque locis compertum eſſet, inteſtina bella, propter religionem mota, componi non poſſe, niſi cuique ſua religio libera permittatur; monere ſe Regem, ut idem faciat, quo pacem hoc modo & tranquillitatem Regno reſtituat. Hoc ſi à primo pacis edicto obſervatum fuiſſet, feliciorem nunc fore ſtatum Reipublicæ. Quodſi tandem aliquando* (mi fili, inquit) *hoſtibus tuis victoriam exturqueas, pacem cole. Principes tibi ſanguine propinquos alioſque ſubditos, qui tam dura hactenus paſſi ſunt, tuere, & omnem in regno abuſum tolle.* His dictis Regi Reformatos, quos bello ſemper acerrime perſecuta fuerat, commendaſſe, & pacem, quam ipſa nunquam vivens coluerat, moriens perſuaſiſſe dicitur. *Contin. Sleid. part* 2. *lib.* 29. *Thuan. hiſt. l.* 53, & 57. *P. Matth. in hiſt. mort. H.* 4.

IX. A. C. 1588 Hiſpanica claſſis invincibilis & ſtupenda à Britannis victa eſt. Conſtabat ea in univerſum 120 navibus admirandæ magnitudinis & roboris, quarum ſimiles Septentrio nunquam antea viderat. His vehebantur nautarum x millia, claſſiariorum vero ſupra xx millia, præter nobiles & voluntarios, qui ſumtibus ſuis operam & fidem inſigni aliquo facinore Regi probare volebant. Tormentorum ex ære fuſili erant 1600, è ferro 1000, plus minus, globorum 120000, reliquorum apparatuum bellicorum vis immenſa. In navibus quoque erant altaria, celebrabantur Miſſæ, aderat magna monachorum multitudo, quæ convertere debebat Anglos ad fidem Pontificiam. In maxima navi picta erat imago D. Virginis Mariæ, additis hiſce verbis: *Vindica cauſam filii tui.* Cæterum omnium animi ſuſpenſi hærebant, quo ſe tantus apparatus converſurus eſſet: alii enim contra Belgas, alii contra Anglos, nonnulli ad educendas ex India venturas naves, claſſem iſtam paratam dicebant. Verum Regina Angliæ *Eliſabetha* à Galliarum Rege præmonita, ſibi ſuiſque diligentiſſime proſpiciebat, militem conſcribendo, exercitum luſtrando, caſtra obequitando, naves inſtruendo, utramque Tamiſis ripam propugnaculis muniendo, omnia

omnia denique ſtrenuæ bellatricis munia obeundo. Interim in Belgio quoque ad rumorem tanti monſtri marini adventantis undique trepidabatur, eoque magis, quod *Alexander Farneſius*, Parmenſis, (qui *Iohanne Auſtriaco* defuncto belli Belgici molem adminiſtravit) terra marique ſolito majores copias conſcriberet.

Tandem claſſis illa (quam Rex Hiſpaniæ diverſis in locis totum ferme triennium apparaverat, tanta hominum rerumque omnium abundantia, ut alter quidam orbis navigare videretur) die 30 Maii ex portu Ulyſſiponenſi ſolvit, *Hieronymo* Vida *ἐπινίκιον* ante victoriam accinente:

Tu, quæ Romanas voluiſti ſpernere leges,
Hiſpano diſcas ſubdere colla jugo.

Sed quid fit? Moles iſta, cum vix è conſpectu Hiſpaniæ in mare perveniſſet, tempeſtate exagitata, quatuor actuarias triremes, & quaſdam è minoribus naves fluctibus abſorptas deſideravit. Accidit quoque, ut Anglus quidam remex, *David* Guinus nomine, effracta catena, & ſociis aliquot mancipiis, Gallis & Turcis liberatis, præfectos militeſque omnes in ſua triremi occideret, eaque potitus, duas alias decumanis fluctibus graviter afflictas debellaret, & Bajonam in Galliæ portum pertraheret; audacia ne an meliori fortuna, incertum.

Rex Hiſpaniæ intelligens claſſem nondum inſigni clade eſſe affectam, denuo eam exire, & conjunctam Belgicæ claſſi Parmenſis, milite in continentem expoſito, univerſum Angliæ regnum occupare jubet. Belgica claſſis, quæ cum Hiſpanica conjungenda erat, conſtabat trecentis navibus. At Belgæ Parmenſem in Flandriæ littoribus ita obſidebant, ut ne is unam quidem navem in mare ſubducere auſus fuerit. Britanni, quanquam omni alia re inferiores, quia tamen animis, virtute & promtitudine præſtabant, intrepide hoſtilem claſſem (quæ ſibi de Angliæ regno omnibuſque vicinis Inſulis victoriam certam ſpoponderat) aggrediebantur, navibuſque ſuis, equorum inſtar, ſumma agilitate circumrotatis, venti prærogativam præripiebant ſemper: atque momento fere nunc dextrum nunc ſiniſtrum latus elibrandis commodiſſime tormentis in hoſtem dirigentes, tantum damni Hiſpanis inferebant, ut ſe non defendere amplius, nedum offendere alios potuerint. Hoc modo per multos dies & diverſis in locis ad Caletum uſque claſſis Hiſpanica velitationibus, prœliiſque excepta fuit, multis navibus cum magno dediticiorum numero, cum magna pecuniarum, vaſorum argenteorum, cimeliorum, & variæ nauticæ ſupellectilis multitudine captis, multis ſubmerſis, multis ad colles arenarios ejectis. Cum autem Angli Hiſpanos de ſtatione Caletenſi vi pellere non poſſent, ſtrategemate illud tentarunt. Nam *Franciſcus Dracus* Eques Anglus, & Anglicæ claſſis inferior Amiralius, octo naves viliores pulvere, pice, ſulphure, aliiſque rebus ad concipiendum & alendum ignem idoneis complens, eas incenſas die 7 Auguſti hora ſecunda poſt noctis medium, vento & æſtu ſecundis, contra hoſtilem claſſem emiſit: ad quarum conſpectum tanta inter Hiſpanos orta eſt trepidatio, ut anchoris ſublatis, vel reſciſſis, veliſque expanſis, pro ſe quiſque effugere, & in apertum Oceanum ſeſe recipere laborarint. Sic igitur claſſis Septentrionem verſus navigans, & totam Britanniam Hiberniamque circumvecta, atque novo naufragio miſere mactata eſt: tandemque *Ludovicus Pereſius Guſmannus*, Medinæ Sidoniæ Dux, ſupremus Hiſpanicæ claſſis præfectus, navibus, quæ reſtabant, maxima parte laceris, in Hiſpaniam reverſus eſt. Magnum autem clades iſta luctum pleriſque omnibus in Hiſpania familiarum nobiliſſimis attulit: è quibus paucæ erant, quæ non aliquem gentilem, affinem aut cognatum, vel naufragio amiſſum, aut in pugna cæſum, vel denique ab hoſte captum luxerint. In Anglia vice verſa Regina, curru triumphali è palatio per urbem Londinenſem ad primarium templum, *D. Paulo* Apoſtolo in ſuburbio Weſtmonaſterienſi ſacrum, vecta, equo devictorum Hiſpanorum inſignia & vexilla propendentia ferente, magnificentiſſime triumphavit feſtoque ad diem 29 Novembr. indicto, (quod etiam in Belgio confœderatorum Ordinum juſſu factum eſt,) DEO pro reportata ab hoſte victoria ſolenniter gratias egit: & ſuæ claſſis navi primæ inſcribi juſſit hoc epigramma, Hiſpanorum ſupra citato contrarium:

Tu, qui divinas voluiſti ſpernere leges,
Fœmineo diſces ſubdere colla jugo.

Selandi autem tantæ victoriæ memoriam apud poſteritatem per monumentum quoddam depoſituri, nummum argenteum & æneum percuſſerunt, qui in una facie referret Selandiæ arma, cum hac inſcriptione: SOLI DEO GLORIA; & in altera magnas aliquot naves, cum his verbis: CLASSIS HISPANICA; ſuperadditis in circumferentia iſtis: VENIT, IVIT, FUIT. *Thuanus lib. 89. Chytr. Chron. Saxon. lib. 28. Contin. Sleid. part. 2. lib. 28. Camd. in Annal. Angl. Meter. Belgic. Hiſtor. lib. 89.*

Theodorus Beza, alias Theologus magis quam poëta, in victoriam hanc navalem, quam Angliæ Regina ex Hiſpanis reportavit, tale epigramma concinnavit:

Straverat immumeris Hiſpanus navibus æquor,
Regnis junfturus ſceptra Britanna ſuis.

Tanti

Tanti hujus rogitas qua motus cauſa? Superbos
Impulit Ambitio; vexit Avaritia.
Quam bene te Ambitio merſit vaniſſima, ventos
Et tumidos tumida vos ſuperaſtis aqua!
Quam bene totius raptores orbis avaros
Hauſit inexhauſti juſta vorago maris!
At tu, cui venti, cui totum militat aquor,
Regina, ô mundi totius una decus,
Sic regnare DEO *perge, ambitione remota,*
Prodiga ſic opibus perge juvare pios:
Ut te Angli longum, longum Anglis ipſa fruaris,
Quam dilecta bonis, tam metuenda malis.

x. Cum Pariſienſes *Henrici* Navarræi Regis ſui imperium agnoſcere nollent, interque eos communi conſenſu decretum factum fuiſſet, omnes mori malle, quam Regi non Catholico parere: Rex ſæpius per literas & legatos ad obedientiam eos hortatus eſt, ſed nihil proficere potuit. Ille igitur poſt inſignem de *Carolo* Duce Mænio & conſœderatis in prœlio ad Druidum urbem reportatam victoriam, anno 1590, menſe Aprili, duriſſima obſidione Lutetiam cinxit. At non ſolum cives & præſidiarii milites alacri animo defenſionem ſuſceperunt, ſed etiam Eccleſiaſtici omnes, qui in urbe erant, diſtributis inter eos armis, ſua in defendenda urbe munia obire juſſi ſunt. Illorum præfecti conſtituti ſunt Epiſcopus Sylvanectenſis, & Prior Carthuſianorum. Loco vexillorum præferebatur illis imago Chriſti in cruce pendentis, & alia Mariæ Virginis ſtatua. Profeſſionis ſuæ veſtes non abjiciebant; ſed galeas, loricas, thoraces ferreos ſuperinduebant. Rex autem commeatus importatione intercluſa ad famem extremam Pariſienſes adegit. Nam in familia legatorum tam Pontificis quam Hiſpaniarum Regis, quin & in aliorum utriuſque ſexus Principum familiis, ſex tantum unciarum panis perſonis nobilibus quotidie diſtribuebatur: communis vero plebs ſumma premebatur inedia. Bis mille equi mactati & abſumti, ſimiliter & octingenti muli & aſini: canum vero, felium, gliriumque non erat numerus. His enim pauperes, crudiſque herbis, iiſque ſine panis uſu, victitare coacti ſunt. Præpoſitus monaſterii Franciſcanorum teſtatus, integro octiduo panem in ſuo monaſterio viſum non fuiſſe; fratres vero herbis tantum & avenaria pulte ſe ſuſtentaſſe. Quibus non fuit facultas tam vilem cibum ſibi comparandi, in plateis inedia mortui ſunt, adeo ut una nocte ſæpe 200 vitam finirent, quorum cadavera mane in plateis tanta copia inventa, ut eorum qui fame trimeſtri ſpatio interierant, ad XIII millia computatus poſtmodo numerus fuerit. Poſthæc equorum, mulorum, aſinorum tergora cocta vendi cœperunt, quæ tanto cum appetitu tantaque cum voluptate comedebantur, quanta olim optima edulia, dapeſque lautiſſimæ conſueverant: libra butyri *duobus* vel tribus coronatis vendebatur, ovum 12 denariis Gallicis conſtabat: Pauperes in plateis canes mortuos jacentes crudos & incoctos comedebant: ſed & inteſtina quorumvis animalium à delicatioribus abjecta, mures item gliresque inedia mortuos, oſſa canum aliorumque animalium contuſa, in cibum aſſumebantur. Erant qui XXII infantes occiſos, coctos, & inaudito à captis Hieroſolymis exemplo, abſumtos eſſe dicerent. Similis & lignorum erat inopia, malumque tantum morbi adhuc innumeri augebant, tanto ægrotantium numero, ut univerſa urbs Pariſienſium quaſi noſocomium aliquod videretur.

Sæpius autem populus in urbe tumultuari cœpit, & pacem vel duntaxat panem miſerabili non minus quam horribili poſtulavit voce, ſed hac una ſpe à Cajetano legato pontificio & Mendoza Hiſpano ſuſtentatus, fore ſcil. ut brevi adveniente præſidio Hiſpanico liberetur. Quod etiam accidit. Nam *Alexander Farneſius* Dux Parmenſis cum ſelectis Hiſpanorum, Italorum & Belgarum militibus veteranis, circiter XV millibus ab Hiſpaniarum Rege miſſus, ſub initium menſis Septembris contra *Henrici* Regis ac plerorumque opinionem in Galliam venit. Rex igitur obſidionem, quam totos quinque menſes continuaverat, ſolvere fuit coactus, & Parmenſi, pugnandi cupiditate inceníus, ad aliquot milliaria, exercitu non magno quidem, ſed valido & acri, occurrit. Hujus aciem ubi Parmenſis vidit, tametſi militum numero *multo* erat ſuperior, tamen confligere cum eo recuſavit. Itaque paludibus ſeſe, tum vallo etiam & foſſa, munivit. Rex vero in acie compluribus diebus commoratus, miſſoque ad Parmenſem & Mænium feciali, prælii copiam eis aliquoties fecit, collatiſque ſignis de ſumma rerum eos ſecum pugnare expetiit. Ubi nihil impetravit ex locis, quæ prælii obtinendi ſpe ultro hoſti conceſſerat, iterum ejecit. Parmenſis, Ligniaco oppidulo & Corbelio ad Sequanam ſito non ſine ſuorum clade expugnato, ingentem omnis generis commeatus in urbem Lutetiam transferri curavit: quam ipſe poſtea die 15 Septembris cum lectiſſima Principum nobiliumque manu ingreſſus, incredibili cum lætitia, honore & triumpho, tanquam liberator & conſervator urbis à civibus exceptus eſt. Quibus peractis, in Belgium rediit, majori parte exercitus amiſſa; reliquis vero inedia, mor-

morbis & laboribus ita confectis, ut pauci evaſerint. Poſt diſceſſum ejus Rex Navarræus paucis diebus ſine ſanguine omnia recuperavit quæ ille multo labore & tempore ceperat. *Chytr. Chron. Saxon. lib. 29. Thuanus lib. 99, 100. Contin. Sleid. part. 2. lib. 30.*

XI. A.C. 1591 Jeſuitæ nonnulli, ex ſeminario Hiſpanico emiſſi, vario & diſſimulato habitu Angliam ingreſſi ſunt; quorum duo comprehenſi, juſſuque Reginæ extremo ſupplicio affecti ſunt: edicto ſimul adverſus Jeſuitas publicato, quo, non dubitare ſe quidem, ait, quin DEUS omnes hoſtium ſuorum machinationes irritas facturus ſit; ſui tamen quoque officii eſſe media omnia adverſus eos adhibere, quæ ſibi à DEO conceſſa ſint. Mandare ſe igitur ſeveriſſime omnibus & ſingulis, cujuſcunque generis, ſtatus, ſexus, conditionis & dignitatis ſint, ne Jeſuitas, qui jam venerint, aut porro à Pontifice miſſi in Regnum venturi ſint, hoſpitio foveant, ſuſcipiantque, ſed quocunque modo latentes detegant. Semper etenim *Eliſabetha* Regina timuit & exhorruit ingenia Jeſuitarum; quos non ſolum ſuis ditionibus ejecit, pœna læſæ Majeſt. in eos, qui manſerint, aut deinceps redierint, ſancita; ſed ut & alibi pellerentur, operam dedit. Et cum inaudiſſet Regis Galliarum commendatione factum eſſe, ut illis Turcarum Imperator Peræ, qui locus eſt Conſtantinopoli vicinus, habitandi facultatem conceſſerit, omnem movit lapidem, ut benevolentiam Turcici Imperatoris erga illos potentibus perſuaſionibus rurſus corrumperet. *Camden. Annal. Angl. A. C. 1585. P. Matth. Hiſtor. l. 6. narr. 2. Contin. Sleidan. part. 2. lib. 21. & 31.*

XII. A. C. 1592 mors *Iohannis Manderſcidii* Argentinenſis Epiſcopi non exiguos in Germania motus excitavit. Eo enim die 22 Aprilis, anno Epiſcopatus 23, defuncto, *Iohannes Georgius* Marchio Brandeburgicus à Canonicis Reformatam religionem amplectentibus, conſentiente Senatu, in locum ejus electus eſt. Verum Canonici religionis Pontificiæ *Carolum* Lotharingum Cardinalem & Epiſcopum Metenſem, Argentinenſem deſignabant Epiſcopum. Cum autem alter alteri cedere nollet, bellum inde ortum eſt, quod vario Marte inter *Iohannem Georgium* & *Carolum* in nonum uſque menſem geſtum, ſub initium anni 1593 à Commiſſariis Imperatoris *Rudolphi* ſedatum, & arma depoſita, mileſque dimiſſus eſt. *Chytr. Chronic. Saxon. lib. ult.*

XIII. A. C. 1594 *Henricum* IV Galliæ & Navarræ Regem (qui hoc anno, poſtquam ad Pontificios defeciſſet, menſe Febr. coronatus eſt, ſicuti ſupra in hiſtoria Papæ *Clementis* VIII diximus) Jeſuita quidam interficere voluit Lutetiæ die 27 Decembris. Rex de intentato ſibi parricidio ad Senatum & cives Lugdunenſes literas ſcripſit: Altera hora (inquit) nec amplius effluxerat poſt reditum meum ab expeditione è Picardia, & circumſtabant mihi ſobrini mei, Princeps Condæus, ut Comites Sueſſionis & *S. Pauli*, cum triginta aut quadraginta præcipuorum magnatum, & hujus aulæ nobilium, qui me adhuc non ſalutaverant, exciperem; cum adoleſcens quidam *Iohannes Caſtellius* vocatus, corpore brevis, ætate annorum 18 aut 19, qui cum turba in aulam irrepſerat, à nullo fere obſervatus, ſubito irrumpit, ut me cultro, quem manu geſtabat, transfigeret, ſed ictus (quia corpus demittebam, ut prædictos nobiles ſalutandi cauſa inclinatos, ſublevarem) in faciem tantum ad labii ſuperioris latus dextrum illatus fuit, & una cum vulnere dentem unum confregit. Perditus ille ſubito comprehenſus fuit, & cum aliquantulum prima fronte factum abnuiſſet, tandem nulla vi cogente, ſcelus faſſus eſt. Nihil tamen extorquere potuimus, præterquam ipſum in Collegio Jeſuitarum triennio educatum fuiſſe, in quo creditur præclaram illam doctrinam hauſiſſe. Quod prius occurrit, agendum fuit, ut pro tanto & tam peculiari in me collato beneficio DEO gratias redderemus, qui me ab hoc homicidio tutatus eſſet. Quapropter ſubito TE DEUM LAUDAMUS, &c. in omnibus urbis templis cantatum fuit: cives quoque ignes, ſigna lætitiæ in omnibus compitis excitarunt. Vulnus, DEI beneficio, tam leve eſt, ut propterea in lectum maturius ituri non ſimus, & ſperamus nos opportunitatem non prætermiſſuros, cujus cauſa reditum noſtrum acceleravimus, ut ſcilicet feſtum & ceremonias ordinis S. Spiritus celebraremus. Diutius autem exſpectare nolui, quin vos de hiſce certiores facerem, ne vos, reliquique mei fideles, nuncio forſan aliunde citius percepto, in ſolicitudinem incideretis: inprimis vero, ut publice DEO gratias agere jubeatis, & precibus veſtris petatis, ut me ab ejuſmodi parricidis, ſub ſancta ſua clientela, ſemper tueri velit, ad quæ cum hoſtes noſtri tam ſæpe confugiant, manifeſto perfidiam & ſceleratam ſuam mentem declarant, & ſeſe à divino favore deſertos animadvertentes, perquam execranda conſilia amplectuntur, quæ à DEO, ut ſperamus, in ipſorum ruinam convertentur.

Iohannes ille *Caſtellius* fuit lanifici cujuſdam Pariſienſis filius, Collegii Claræmontani Jeſuitarum ibidem alumnus, qui, cum ſuper hoc facto examinatus eſſet, talem ſententiam à Parlamento tulit: Teneri eum & convictum eſſe læſæ Majeſtatis tam divinæ quam humanæ, ob ſceleratum illud & deteſta-

teſtabile parricidium in Regem intentatum: pro cujus criminis expiatione & ſupplicio Curia eum ad pœnam ſequentem damnavit. Initio ſtet ante valvas primarii templi Pariſienſis nudus, ſola interula indutus, & ardentem cereum duarum librarum manu teneat, procidenſque in genua confiteatur & dicat, ſe turpiter & proditorie inhumanum & abominabile hoc parricidium committere voluiſſe, Regemque cultro in vultu vulneraſſe: dicat idem ſe falſis & damnandis inſtructionibus perſuaſionibuſque ad hoc inductum eſſe, ut crederet ſibi permiſſum Reges interficere, & *Henricum IV* modo regnantem non eſſe membrum Eccleſiæ, priuſquam à Pontifice maximo approbatus fuerit. Factum hoc in ſe deteſtetur, DEUM, Regem & Juſtitiam oret ut ſibi ignoſcant. His peractis, in curru obſcœno vehatur ad locum ſuppliciis deſtinatum: ibi forcipibus ignitis ſive candentibus brachia & pedes ejus lacerentur; dextra vero, qua cultrum, quo facinus perpetravit, tenuerat, amputetur: tandem quatuor equis alligatum corpus in totidem partes diſcerpatur: partes in ignem conjiciantur, & in cineres redigantur, qui in ventum projecti diſpergantur, bonis ejus omnibus fiſco Regio adjudicatis. Antequam autem hæc executio fiat, prædictus Caſtellius ordinariis & extraordinariis quæſtionibus ſubjiciatur, ut ſciatur, quinam ejus fuerint complices, & ut interrogetur de aliis quibuſdam inde dependentibus. Conſtituit inſuper Senatus Curiæ ſupremæ Pariſienſis, ut JESUITÆ Claræmontani, & cæteri, quod ex eorum ſchola percuſſor prodiiſſet, tanquam corruptores juventutis, perturbatores publicæ tranquillitatis, inimici Regis ac Regni, intra triduum ex Collegiis ſuis exeant, & poſt quindecim dies toto Regno Galliæ excedant. Quod niſi fecerint, & poſt præſcriptum tempus uſquam inventi fuerint, tanquam læſæ Majeſtatis rei puniantur; illorum autem mobilia & immobilia bona in alia pia opera vertantur: & eorum diſtributio fiat ſecundum arbitrium & decretum curiæ. Divulgata igitur hac ſententia, *Caſtellius* in publicum productus, & juxta præſcriptum modum ſupplicio digno affectus eſt: Quo mortuo, patris ejus ædes ſolo æquatæ ſunt, in earundem vero area pyramis, cum monumento iſtius facinoris erecta eſt. Jeſuitæ quoque quamprimum Regno ſibi interdicto exceſſerunt. *Contin. Sleidani part. 2. lib. extremo. Thuanus l. 112.*

XIV. A. C. 1595 *Amurathus III*, Turcarum Rex 14, & *ſextus* Imp. Orientis, ex his terris ereptus eſt, anno æt. 47, regni vero 21. Succeſſit ei *Mahumetes III*, filiorum natu maximus, (qui, ut ſupra dictum, anno 1582. circumciſus eſt) & regnum pro more Turcicorum Imperatorum 18 fratrum cæde ex diverſis concubinis progenitorum auſpicatus eſt, eoſdemque cum patre in idem monumentum condi curavit; ſorores vero 17 in Seraglio vivere permiſit. Hujus conjux, fœmina ambitioſa, cum ex Imperatore & Aſtrologo ſciſcitaretur: An non filius in regno ſucceſſurus eſſet? Mahumetes exiſtimans, eam velle ſe maritum veneno necare, ex ſola ſuſpicione & zelo neci damnavit, ipſamque in aquis ſuffocari, & filium ſtrangulari, quoſdam etiam ex famulitio utriuſque ſexus ad 30 mortis ſocios fieri juſſit. *Calviſ. in Chronol.*

XV. A. C. 1596 Angliæ Regina, intelligens, quod Hiſpaniæ Rex Angliam invadere in animo haberet, antevertendum illud malum rata, inſtructiſſimam & bene armatam claſſem, *Roberto Eſſexia* Comite & *Carolo Howardo* ſupremo Amiralio Ducibus, contra Hiſpanos emiſit: quæ ad *Gades in* Hiſpanicam claſſem incidit, eique magnum damnum attulit. Et cum Angli hoſtilem claſſem, quam jam in ſua habebant poteſtate, redimi pro pecunia permittere vellent. Hiſpanicæ Claſſis Gubernator jacturam potius navium facere, quam eas ab Anglis pecunia redimere voluit: cujus claſſis precium multis tonnis auri æſtimata fuit. Hiſpani vero, ulturi hoc ab Anglis acceptum damnum, liberaliter ſuo Regi magnos ſumtus ſponte contribuerunt, ad novam claſſem parandam. Ea ubi bene parata & inſtructa fuit, & mari commiſſa, in Galliciæ littoribus noctu in fundum & ſcopulos impegit, ibique circiter 30 naves perierunt.

Hoc anno quoque Fœderati Belgæ, ut ſe contra *Albertum* Archiducem Auſtriæ, fratrem *Rudolphi II.* Imp. (qui Vice-Rex Portugalliæ & gubernator Belgii Hiſpanici à Rege *Philippo* conſtitutus, *feliciter* hactenus res geſſerat) tutari poſſent, *fœdus* cum Rege Galliæ *Henrico* (qui anno *præcedenti* Hiſpaniarum Regi bellum indixerat) & *Eliſabetha* Angliæ Regina contra Hiſpanum inierunt. *Chytr.*

XVI. A. C. 1597 *Mauritius* Princeps Auraicus, nemini veterum ducum animi magnitudine, conſilii ſolertia, bellicis virtutibus, ac rerum geſtarum gloria ſecundus, feliciſſimo victoriarum curſu contra Hiſpanos uſus eſt; ſiquidem *Alberti* Auſtriaci copias die 24 Januarii prope Tornhoutum in Campania ad Sylvam Thyllenſem aggreſſus, oppreſſit, fugavit, atque diſſipavit, & cæſis, cum Comite Varaxio, copiarum duce ſupremo, circiter 2000 militibus, ducentis vero captis, XXXVIII peditum vexilla, duo equitum, cum prædà ingenti abſtulit, victoriamque conſecutus eſt. Poſtea magno impetu & celeritate varias urbes & caſtella Hiſpanis eripuit, & in poteſtatem Ordinum fœderati Belgii rede-

redegit; videlicet Bergam ad Rhenum vel Rhenobergam, oppidum *Moers* & arcem, *Craulium* præcipuum munimentum Comitatus Zutphaniæ, Alpenam, Bredefortum, Eſchedam, Oldenſilam, Gotam, & tandem etiam Lingam, quod prædonum erat domicilium, fortiſſimeque ab Hiſpanis defendebatur, *Chytr. in Chron. Saxon. Bucholtz. Thuanus hiſt. lib.* 118, & 119.

XVII. Flagrante ſic inter Hiſpanos ac Belgas, eiſque fœderatos Anglos Francoſque, bello, præcipui Europæ Principes ad conciliandam pacem ſuas partes interpoſuerunt. Cum igitur anno C. 1598 atrox aliquamdiu inter Hiſpanorum Regem *Philippum* & *Henricum* Gallorum Regem bellum geſtum eſſet, utrumque Principem, & varia fortuna exercitos, & Pontificis Principumque intercеſſione impulſos, tam gravis belli ſatietas cepit. Itaque ſerio actum eſt de pace aut induciis ineundis. Conventus utriuſque Regis legatorum Vervinii, quæ Burgundiæ civitas, eſt inſtitutus: ibi, poſt longas multorum menſium diſputationes, tandem publica pax die 2 Maii ſancita, & poſtea menſe Junio in Gallia, Hiſpania & Belgio, magna cum ſolennitate, & incredibili pene omnium lætitia, promulgata eſt. Philippus Ardeam, Caletum, Dorlanium, Capellam, Caſtellum, Blavetum Gallis: *Henricus Carolotenſem* principatum Hiſpanis reſtituit. In illam vero pacem Regina Angliæ & Fœderati Belgii Provinciæ non conſenſerunt, bellumque contra Hiſpanum fortiſſime & feliciſſime continuarunt. *Thuan. hiſt. lib.* 120. *Chytr. Bucholtz.*

At *Philippus* Hiſpaniæ Rex non diu iſta pace gaviſus eſt. Nam eodem anno menſe Septembri infelicem animam, quæ multis exitio fuerat, 72 vitæ anno exhalavit. In agone mortis conſtitutus filium *Philippum* III, (qui ei in regno ſucceſſit) ac filiam *Iſabellam Claram Eugeniam*, (quæ anno ſequenti cum *Alberto* Archiduce Auſtriæ ab ipſo Pontifice Romano ſumma ceremoniarum feſtivitate conjuncta & copulata eſt) præclare admonuit, ut reputarent animo rerum humanarum inſtabilitatem, ac miſerrimam vitæ conditionem. Cum ejus enim accitu adſtarent ægro, *En*, inquit, *adſpicite in afflictiſſimo hoc corpuſculo, quam tenui filo pendeat pompa & ſplendor magnitudinis terrenæ! De vita mortali actum quidem eſt ilicet: ſola ſepulcri cura reſtat, & ſupremus honor exequiarum:* de quo multa ſigillatim & curioſe præcepit, ita ut de ſuo ex hoc mundo egreſſu, non aliter quam de magnificentiſſimo & triumphali in primariam Hiſpanici imperii urbem ingreſſu, atque de ſepultura veluti de regia inauguratione, diſſereret. Et ut aſſidua mortis commentatione firmaret ſeſe adverſus imminentem metum, juſſit feretrum, quo componi corpus defuncti oportebat, in conſpectu ſuo collocari, coronamque, regium capitis decus, una cum mortui calvaria ſuperimponi; non abſimili ritu, quam quo veteres Romani triumphantibus adjungere ſolebant carnificem miniſtrum publicum, qui eodem curru triumphali vectus identidem inculcaret: HOMO ES, HOMINEM TE ESSE MEMINERIS.

Sic apud Ægyptios notum eſt hunc fuiſſe morem, ut in ipſorum conviviis σκιάθρον, h. e. *mortis ſimulacrum* circumferretur, & convivæ admonerentur, ut inter edendum & bibendum illud quoque intuerentur. Hoc quoque *Philippus* Rex Macedoniæ probe conſideravit; qui puerum conſtituit, cui hoc officium demandavit, ut ſingulis diebus hæc verba mane & veſperi ei acclamaret: *Philippe, memento te eſſe hominem.*

Conſtantinopolitani Imperatores peculiaria ſigna mortis futuræ commonefactoria contra ſuperbiam & faſtum habuerunt. Scribit enim *Iſidorus*, quod Conſtantinopoli moris fuerit, ut, quo die Imperator coronam Cæſaream ſuſciperet, eum ſedentem in ſublimi throno accederet cæmentarius, proponens illi lapidum aliquot genera, ut ex hiſce omnibus unum eligeret, ex quo ſibi tumulum fabricari vellet. Verbis autem (ſicut è Græco tranſlata ſunt) talibus uſus fuit:

Elige ab his ſaxis: ex quo, Auguſtiſſime Cæſar,
Ipſe tibi tumulum me fabricare velis.

In Romanorum Pontificum inauguratione, dum interea, de more, ſacellum *D. Gregorii* declaratus prætergreditur, ipſum præit ceremoniarum Magiſter, geſtans arundines ſive cannas duas, quarum alteri ſurſum candela ardens appoſita eſt, quam alteri cannæ, cui ſtuppæ ſuperpoſitæ ſunt, adhibet incenditque, dicens: PATER SANCTE, SIC TRANSIT GLORIA MUNDI. Quid autem aliud id fuit, quam fragilitatis humanæ & certiſſimæ mortis admonitio?

Ita Saladinus Ægypti Syriæque Tyrannus, humanæ conditionis ac mortis memor, aliquot annos ſepulchrum argenteum ſecum circumduxit, condito teſtamento omnem funeris pompam abdicavit, juſſitque tantum in lancea ſibi præferri atri coloris obſoletam tunicam, præcinente ad populum ſacrificiculo hujus ſententiæ carmen, quod à *Bocatio* memoriæ proditum eſt:

Vixi, divitiis, Regno, tumiduſque tropheis;
Sed pannum, heu! nigrum nil niſi morte tuli.

Idem quoque *Maximilianus* I hujus nominis, Cæſar optimus, obſervavit: Nam integro ante mortem biennio, quocunque proficiſceretur, *arcam*

ligneam ad menſuram corporis humani fabrefactam, circumvectari (ſicut in ejus hiſtoria cap. 3. diximus) mandavit. Quo ipſo perpetuam mortis memoriam ante oculos ſibi præferri voluit.

Ob hanc rem non minus pie quàm prudenter faciunt, qui potentiam & opes terrenas tam inſtabiles, quam ipſas etiam undas à vento agitatas, eſſe conſiderant, mortiſque memoriam nunquam deponunt; ſiquidem (ut pulchre *Auguſtinus* ſcribit) vita hæc eſt vita dubia, vita cæca, vita ærumnoſa, quam humores onerant, dolores extenuant, ardores exſiccant, eſcæ inflant, jejunia macerant, joci diſſolvunt, triſtitiæ conſumunt, ſolicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, divitiæ jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, ſenectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit, & poſt hæc omnia MORS INTERIMIT, UNIVERSISQUE GAUDIIS FINEM IMPONIT: ITA CUM ESSE DESIERIT, NE FUISSE QUIDEM PUTETUR.

Ut jam ad *Philippum* Hiſpaniæ Regem redeamus: ille ſæviſſimos morbos tulit, horribilique mortis genere periit, φθειριάσει videlicet, erumpentibus toto corpore vermibus, de quo ita *D. Baudius*;

—— Rex ille Philippus,
Tot populis terriſque potens lateque tyrannus,
Occidit à fœdo roſus grege vermiculorum,
Carnifexque ſuos miſerando corpore pavit
Vivens atque videns, & propria funera planxit.

D. Baud. in Hero. Ep. 5. & in Funerib. Cervera de Turre de exceſſu Philippi II. Hiſp. Regis. Thuan. hiſtor. lib. 120.

Quanquam autem abominandum illud mortis genus ad cauſas naturales à Medicis referri ſolet: tamen conſtat, illud pœnæ genus divinitus ſceleratis Principibus imponi ſolere, ut in ſummo dolore vitam ſuam finirent; & de nullo fere excelſæ dignitatis Principe legimus, quod tali mortis genere interierit, niſi qui vel ſæviendo, vel divinos honores affectando, humanitatem exuiſſet. Sic Antiochus Epiphanes, 2. *Macab. c. 9.* Herodes Aſcalonita, apud *Joſephum lib. 17. antiq. c. 8.* Herodes Antipas, *Actor. c. 12.* Caſſander Antipatri filius, teſte *Pauſan. in Bœot.* Sic Lucius Sylla, ut ſcribit *Plin. 11. natural. hiſtor. c. 33.* Item Galerius Maximinus infenſiſſimus Chriſtianorum hoſtis, & Arnulphus Imperator, (uti ſupra in illorum vita *cap. 3.* diximus) miſere φθειριάσει extincti ſcribuntur.

XVIII. A.C. 1600 menſe Aprili perfida fœmina Lutetiæ combuſta eſt, quæ Regem veneno tollere moliebatur; & Monachus quidam circa idem tempus vitæ Regis inſidias ſtruxit, ſed deprehenſo ſcelerato ejus conatu, impii ſui propoſiti pœnas dedit. *Theodor. Meurer. Bucholtz.*

Eodem anno *Jacobus* Scotiæ Rex (qui non tantum poſtquam natus eſt; ſed etiam antequam naſceretur, atque in ipſo matris utero vix ullo tempore ab inſidiis & ſicariis fuit tutus) inſidiis *Alexandri Ruveni* ejuſque fratris *Johannis*, Comitum Goureæ, penè fuit oppreſſus. Cum enim Rex Perthum ire ab *Alexandro* conſutis dolis perſuaſus eſſet, facta ſpe theſauri, quem nuper invenifſet, illi exhibendi: prandio ſumpto, inermis per aliquot conclavia circumductus, tandem in muſæum perducitur, locum lanienæ deſtinatum: in quo homo pugione armatus parricidii adjutor erat ſolus. Ibi *Alexander*, occluſa prius janua, pileoque in caput ſuperbe injecto, ſtatim armato pugionem eripit, & Regis pectori admovet, ultimaque *minis* & factis intentat. Rex autem, qui eloquentiæ ſuæ viribus & majeſtatis veneratione armatum illum continebat, *Alexandrum* tandiu inermis ſuſtinuit, donec acciti clamore quatuor ex aulæ familiaribus intervenirent, qui numero & armis impares licet, conjurantes tamen vel interfecerunt, vel male multatos in fugam egerunt: Rex vero in medio ſuorum in genua ſtatim ſuppliciter procubuit, Deoque pro liberatione tam miraculoſa, & victoria tam inſperata, gratias prolixe egit; & poſtea *Johannem Ramſey*, cujus potiſſimum dextera vindex fuit Regis in nefanda illa conjuratione, titulo & honore *Vicecomitis Hadingtoniæ* ob fidem donatum, inter regni Scotiæ proceres cooptavit. *A. Spondanus in Auctario Annal. Baronii. Jacob. Rex in Oratione quadam. Ens. Epiſcop. Annal. tom. 5. lib. 3. P. Matth. in hiſtor. Henr. IV. lib. 3.*

XIX. A. C. 1602 Proceres quidam *Galliæ* in Regem & *Mariam Mediceam* Reginam, quam Rex ſibi matrimonio junxit A.C. 1600, m. Decembri, repudiata ſorore *Caroli* IX. *Margareta Valeſia*, (cum qua Anno 1572 celebrarat nuptias, in quibus, ut ſupra diximus, plus ſanguinis quam vini effuſum) conſpirarunt, ſed ab uno conjuratorum detecta eſt Regi tota conjuratio: unde *Carolus Bironius* Mareſchallus, & Comes de Arvernia, capti, & res ad judicandum Parlamento delata eſt; quod ſtatuit, ſcelus hoc pœna capitali vindicandum: atque ita Bironius pœnas capite exſolvit, Comes vero de Arvernia dimiſſus eſt non propter innocentiam, ſed Regis clementiam. Omnes autem, qui rerum Gallicarum noſtri temporis hiſtoriam ſcripſerunt, uno quaſi ore teſtantur, *Bironium* inexpletæ ambitionis hominem, ac Aſtrologis harioliſque vel Magis potius, valde fuiſſe deditum. Ex his fa-

ta ſua

ta ſua ſciſcitanti quidam ambiguis verbis reſponderunt, eum ſummis Europæ Ducibus palmas è manibus excuſſurum, quin etiam ad regni faſtigium evectum iri, niſi unius gladii ictu impediatur. Idem *Bironius* jam captivus aiebat, à neſcio quo ceream imaginem ſibi oſtenſam, Latina hæc verba, *Rex impie peribis*, aperte pronunciantem. O aſtutum deluſorem! Putabat miſer, in Regem ac Dominum ſuum hæc dicta eſſe, quæ tamen in ipſum, utpote imaginarium Regem, jam dicta erant. Sæpius ille nominatus *Bironius* quoque *Broſſium* quendam famoſum Aſtrologum adiit, perſonam ſuam nuncii habitu diſſimulans; eique thema Nativitatis ſuæ ab alio Genethliaco confectum oſtendit, heri ſui eſſe dictitans, vitæ ſuæ fata ſcire cupientis. Ibi ille, Video ſane, inquit. Nobilis iſte eſt homo, & omnino ejuſdem, cujus tu, ætatis. *Bironius*, *Amplius*, inquit, *tibi nihil dixero: tu illud tantum explicato, quanam fortuna & quibus ſucceſſibus homo ille in omni ſua vita uſurus ſit.* Tum Aſtrologus pauliſper in muſæum ſuum ſecedens, reverſus, Bene habet, inquit, mi fili. Is qui ſic natus eſt, ut thema hoc demonſtrat, induſtria ſua & militari virtute maximos conſequetur honores: quin etiam prope abeſt, ut Rex futurus ſit. Sed obſtat caput *Algol*. *Quid ſibi vult hoc verbum?* inquit, *Bironius*. *Aliud dicere*, ait Broſſius, *nec volo, nec poſſum*. Poſt multas ultro citroque conteſtationes, *Broſſius* rogantis victus pertinacia, nullo verborum uſus circuitu, Homo iſte, ait, eò uſque progredietur, ut capitis ſubiturus ſit ſupplicium. Quam injuriam, uti exiſtimabat, minime ferens, Aſtrologum miſerum ita depexuit, ut ſemimortuum reliquerit: idque facinus deinde apud multos ipſe jactavit. Poterant hæc ab iis, quos poſtea ſuſcepit, conatibus retrahere *Bironium*, niſi Diabolus mentem ejus ita excæcaſſet, ut, quæ ipſi magnitudinem, vera, quæ exitium portenderent, falſa credidiſſet.

Idem alium quendam Lutetiæ, Cæſarem nomine, qui vulgo pro mago & necromantico habebatur, conſuluerat: qui ſimiliter reſpondit, Regno potiturum, caveret ſibi tantum ab ictu cujuſdam Burgundi. Captivus poſtea, prædictionis hujus memor, an Carnifex Pariſienſis natione Burgundus eſſet, inquiri juſſit. Affirmantibus, Ergo, inquit, de vita mea actum eſt. Nec multò poſt à Burgundo illo capite fuit multatus, cumque vita ejus incredibiles ſpes & conatus in fumum abierunt.

XX. A. C. 1603. *Eliſabetha*, Angliæ Regina, mortua eſt. Filia fuit *Henrici* VIII. qui conjuges ſex habuit: *primam*, Catharinam Arragoniam, (*Ferdinandi* Catholici Hiſpaniarum Regis filiam) & *quartam*, Annam Juliacenſem, repudiavit: *ſecundam*, Annam videlicet Boleniam, (ex qua *Eliſabetha* nata) & *quintam*, Catharinam Havardam, adulterii prætextu ſecuri percuſſit: *tertiam*, Johannam Semeriam in partu perdidit; *ſextam*, Catharinam Pariam, Anno 1547 decedens, ſuperſtitem reliquit. Succeſſit ei in regno filius ex *Johanna Semeria*, *Eduardus* VI, natus annos 9. qui, cum ſex annos regnaſſet, lento veneno à *Johanne Dudleo* Northumbriæ Duce ſublatus eſt. Poſt eum Regina ſalutata *Maria*, ejuſdem *Henrici* VIII ex *Catharina* Arragonia filia, quæ atrocem adverſus Euangelicos perſecutionem movit, nupſitque *Philippo* Hiſpaniarum Regi. Anno autem Chriſti 1558 mortua *Maria*, *Eliſabetha* ſoror ejus, ex *Anna Bolenia*, virgo 25 annorum ad regnum evecta, Pontificiam religionem iterum abolevit, & reformatam in totum regnum introduxit. Hæc præter multas corporis dotes, ſupra ſexum prudens, multiſque literis expolita, Græce & Hiſpanice mediocriter, Latine vero, Gallice & Italice ad miraculum docta fuit; quæ uno & eodem die tribus maximorum Regum Legatis, Latine uni, alteri Gallice, tertio Italice, audita eſt: & totos XLV annos ita ſceptrum tractavit, ut illam ſubditi amaverint, ut matrem benigniſſimam: vicini Principes coluerint, ut Reginam ſapientiſſimam: hoſtes metuerint, ut ultricem juſtiſſimam: & totius Chriſtianus Orbis cum admiratione ſuſpexerit, ut pacis & tranquillitatis publicæ conſervatricem. Morti vicina *Jacobum* VI Scotiæ Regem à primo Ferguſio centeſimum octavum, *Mariæ* & *Henrici Stuarti* filium, ſucceſſorem ſuum declaravit. Hæc Reginæ declaratio effecit, ut poſt ejus obitum regnum pacatum & tranquillum maneret. Eo enim ipſo die (ſcil. 24. anni 1603.) quo Regina exſpiravit, omnes Angliæ Proceres unanimi conſenſu *Jacobum* Regem ſuum proclamarunt, qui Scoticum regnum cum Anglico conjunxit, & *magnæ Britanniæ Regis* nomen aſſumſit, hac maxime de cauſa, ut animos Scotorum & Anglorum invicem abalienatos communi nomine ſociaret, & ſimul Scotos demulceret; aliter torvum viſuros, ſi ille in titulis Angliam Scotiæ anteponeret.

XXI. A.C. 1604 *Oſtenda* urbs maritima Flandriæ poſt triennalem, & quod excurrit, obſidionem, ab *Ambroſio Spinola* Genuenſi die 21 Septembr. deditione capta eſt his conditionibus, ut milites cum ſuis armis diſcederent. Galliæ Admiralius M. de Chaſtillon dicere ſolitus: *Diuturna magnarum urbium obſidiones ſunt magnorum caſtrorum cœmeteria & ſepulturæ.* Hoc quam verum ſit, ex *obſidione Oſtendana* videre eſt; in qua intra annos tres, menſes duos & quindecim dies, ſupra *centum*

tum quinquaginta mortalium *millia*, utrinque, varia ignis, ferri, morborumque peſte, ceciderunt. Numerus à parte Hiſpani 78124, obſeſſorum autem 72900 refertur. Integris quorundam libris obſidio Oſtendana (cui nulla noſtro aut patrum ævo par exſtat) narrata eſt, ejuſque meminit *Emanuel Meteran. lib. 22, 23, 24. Thuan. lib.* 130. *Henricus Spondanus in Auctario. Mercur. Gallo-Belgicus. Gothard. Mireus in vita Alberti Auſtriaci.*

Eodem hoc anno, altero poſt occupatam *Oſtendam* menſe, die ſcil. 20 Auguſti, *Mauritius* Princeps Auraicus *Sluſam* munitiſſimam urbem, menſe tertio, poſtquam eam obſidione cinxerat, inedia ad deditionem compulit. Præfectus illius *Matthæus Serranus* dictus, natione Hiſpanus, Marchioni Spinolæ, an ab annona & omni neceſſario inſtrumento ſatis Sluſæ ſit proſpectum, interroganti, Hiſpanica confidentia reſpondebat: Domine Marchio, ad tuam *obſidionem Oſtendanam* abi: quid mei officii ſit, & quid pro Sluſæ conſervatione facere debeam, ſine monitore novi optime: Si hoſtis ſecum 50000 diabolorum huc oppugnatum ducat, non ejiciet me tamen. Sed faſtus ille & ſtolida Serrani confidentia Sluſam perdidit. *P. Matth. in Hiſtor. H. IV. l. 7. n. 2.*

XXII. Anno C. *1606* atrociſſima conſpiratio, (qua nulla unquam crudelior ſuſcepta legitur) mirabiliter in Anglia detecta eſt. *Robertus* enim *Catesbius*, *Thomas Percius*, *Winterus*, aliique nobiles, ſubtiliſſimam rationem novi *Siſyphi* vel *Autolyci* excogitarunt, quo Regem ſuum optimum & clementiſſimum, *Iacobum* VI, Reginam, Principem *Henricum*, cum fratre *Eboracenſi* Duce, item cunctos regni proceres, cunctos Epiſcopos, cum ipſo flore cæteri Ordinis Eccleſiaſtici, Magiſtratus præterea majores omnes, minores pleroſque omnes, nec non aliam populi multitudinem infinitam, uno impetu è medio tollere in animo habebant. Conſceleratorum unus monuerat literis occultis Montaquilium, ne intereſſet comitiis, quæ improviſum ictum ſenſura, nec viſura percuſſorem eſſent. Id ſuſpicionem Regi movit, ut ſubeſſe crederet periculum. Scrutati cellam Curiæ (in quam Rex ad Parlamentum habendum cum ſupradictis conventurus eſſet) ſubterraneam, inveniunt 36 dolia pulveris pyrii plena. Injectæ manus Guidoni Fauxio, qui ocreatus forte ad januam aſſiſtebat: Is excuſſus, cum funes cannabinos celare non poſſet, ſtatim crimen prodidit. A conſiliariis poſtea cum examinaretur, fiduciam & conſtantiam plane antiquam præ ſe tulit. Nam neque ſceleris aut immanitate, aut conſcientia, nec graviſſimi conſilii audientia, nec quæſtionum numero vel aſſiduitate confuſus, vultum dejecit; ſed potius renidens ultro ludificari, ad omnia expedite reſpondere, & ſi quid alienum aut ineptum quæreretur, ſubſannare; Regem nec Dominum ſuum, nec DEI unctum, ut qui eſſet hæreticus, agnoſcere; factum non negare, verum fruſtra ſuſceptum dolere: *Poſtremo* DEUM *non detexiſſe, ſed Diabolum, truculenta voce teſtatus eſt.* Et è conjuratis alius, *Iohannes Grant*, jamjam ad ſupplicium ducendus, in ſuſcepto negotio adeo nihil fuiſſe delicti contendit; ut è contrario conſideret, *generoſi incepti id eſſe meritum, quod pro ſatisfactione omnium ſuorum in vita omni peccatorum abunde ſufficeret.* Reliqui conjurati partim in fuga cæſi, partim ſupplicio affecti ſunt: & Rex Jeſuitas, (quos ille non aliter quam hoſtes ſuos & communes omnium Principum proditores ac parricidas habuit) Monachos item, & Pontificiæ religionis miniſtros, omnes ſub capitalis *ſupplicii* pœna toto regno excedere juſſit. *Thuan. lib.* 135. *Spondanus in Auctario. Meteranus lib.* 25. *Caſaubon. in Epiſt. ad Fron. Ducæum.*

XXIII. Anno Chriſti *1607* Jeſuita quidam in Anglia, qui clam populum docere, & extra jus Regis in Eccleſias multa imprudenter dicere, ſubditoſque à Regis fidelitate abalienare deprehenſus, in quatuor partes diſſectus eſt: & Rex periculis adductus frequentibus, novo ſubditos ſacramento obſtrinxit; quo quiſque profitebatur, *nullam eſſe Romano Pontifici Regis exautorandi poteſtatem*, ſeque nullo talis cenſuræ prætextu à fide & obedientia receſſurum. Dictum etiam à Pontificiis jusjurandum illud, Papa nequicquam reclamante. *Thuanus lib.* 138.

XXIV. Anno C. 1608 *Bartholomæus Burgeſius*, quod ſe *Pauli* V Pontificis Romani *filium ex* concubina quadam natum conſtanter *profeſſus* eſſet, juſſu Papæ à Parlamento *ad ſupplicium* damnatus, in crucem actus, & poſtea flammis conſumtus eſt. *Bucholtz.*

XXV. Cum Hiſpani in Belgio Batavis inducias non ſolum ſæpius obtuliſſent, ſed Rex eoſdem ceu omnino liberos pronunciaſſet; Ordines Confœderati inducias abnuere non potuerunt. Tandem igitur anno 1609, in duodecennales inducias conventum eſt: quæ die 14 Aprilis publica præconis voce & tubarum clangore promulgatæ ſunt. *Meteranus lib.* 28.

XXVI. *Henricus* IV Galliæ Rex quomodo à ſinceriore religione propter regnum ad Papatum redierit an. C. 1594 ſupra in hiſtoria *Clementis* VIII Papæ) diximus: quia tamen Evangelicos patrocinio dignari videbatur, ſæpius inſidiis fuit petitus; quæ ſemper ſingulari DEI beneficio detectæ in con-

conjuratorum capita reciderunt. Tandem A. C. 1610. *Franciſcus Ravaillacus*, extremæ dementiæ & impietatis homo, cum Regem hæreticorum fautorem morteque dignum audiſſet prædicari, ejus interficiendi conſilium cœpit. Illum igitur in rheda nactus, Pariſios obambulantem contemplandi cauſa apparatus, quo reginam pridie coronatam exciperet, nefaria & clandeſtina molitione interfecit, ictu gemino ſub quintam coſtam illato. Factum die Veneris, qui fuit 14 menſis Maii ſt. vet., cum Rex (qui inter LXIII Galliarum Regum maximus, ob rerum geſtarum magnitudinem *Henrici Magni* nomen meruit) vixiſſet annos 57, & regnaſſet annos 22. Die Sabbati corpus Regis præſentibus 14 Medicis & 11 Chirurgis apertum fuit, in eoque omnes partes tam ſanæ inventæ, ut ſine parricidiali hoc ictu Rex diu procul dubio adhuc fuiſſet ſuperſtes futurus. Illud quoque facile patuit, ſi totum corpus fuiſſet quaſi diaphanum & omnino perſpicuum, ictum hunc lethalem certius dirigi non potuiſſe. Vidit tum Gallia uno octiduo duos Reges, per ſummum ſcelus cultro interfectos, ſepulcris inferri, *Henricum* ſcil. III, cujus cadaver hactenus Compendii inſepultum fuit, & *Henrici IV*, ex cujus morte acerbiſſimum Galli conceperunt luctum: quidam, ceu tonitru cujuſdam fragore ſubito & vehemente edito, repente conciderunt; nonnulli ſtatim exſpirarunt, vel in morbos inciderunt, quibus mox ſunt exſtincti. Porro omnis ætas, ſexus, conditio, dignitas, ſimul ac de Regis morte palam factum eſt, parenti communi, & pio quodam in ſtygium parricidam furore, parentavit. Quilibet ingenium exercuit, in excogitandis novis carnificinæ & torturæ inſtrumentis, nemo non *Ravaillaci* corpus & animam Diabolo adjudicavit; *multis indignantibus, perditiſſimo illi homini* (qui vix ullum idoneæ pœnitentiæ ſignum edebat) *remiſſionem peccatorum à ſacrifico annunciari.* Imo Pontifex ipſe *Paulus V* magnum præ ſe tulit dolorem, adeoque juvenes aliquot, qui velut patria à magno hoſte liberata, exultaverant, & hujus parricidæ, ſuum liberatorem eum appellantes, in convivio ſanitati vina libarant, ad remos damnavit.

Fuerunt, qui pro certo affirmârunt, *Henrico IV* ab initio regni, biduo poſt *Henrici III* obitum, (cujus corpus Compendii adhuc feretro impoſitum ſtabat) prædictum fuiſſe, & LVII ætatis anno, & quidem inter publica lætitiæ ſigna & cæremonias, interfectum iri. Idem ille Aſtrologus, qui Guiſio conventus Blæſenſis eventum prædixit, prædixiſſe dicitur, *Henricum* tunc Navarræ Regem A.C. 1610 morte violenta periturum.

Fervente ad Reginæ coronationem apparatu, Mathematicus quidam Reginæ dixit, feſtos hos dies non ſic abituros, ſed in mœſtiſſimum caſum deſituros. Eum cum Regina è fano S. Dionyſii poſt coronationem vidiſſet, vocatum ad ſe, Jam, inquit, cauſam nullam habes, ut male augureris, aut ſiniſtri quid timeas, cum feliciter omnia ſint peracta. At ille; Nondum dies abiit. Quodſi falſum dixiſſe deprehendar, è veſtigio libros meos omnes concremabo. Diu ante ab alio fuerat præmonita de ingenti malo, quod menſis Maius anni 1610 ipſi eſſet apportaturus: ſed quia nonnemo Aſtrologus falſo prædixerat, in puerperio ſecundæ filiæ morituram, facile hoc & alia contemſit.

Paucis ante obitum Regis ei exhibitum fuit vaticinium ex Hiſpania allatum, quo prædicebatur, menſe Maio magnum Regem, qui in juventute captivus fuiſſet, moriturum. Riſit Rex, & hæc artibus Hiſpanorum fieri dixit; ſed nihil melius eſſe, quam ut par pari referatur, eiſque ſimiles nugæ mittantur. Ipſe quoque Rex ſuum ſibi prædixiſſe malum videtur. Nam

1. Familiari quodam ſermone Sullio Duci ultro faſſus eſt, habere ſe circa cor aliquid, quod omne gaudium à ſe abigat. Animum neſcio quid mali ſibi præſagire. Quin etiam nonnullis dicere auditus eſt, *Non diu fore ſe ſuperſtitem.*

2. Cum Rex admoneretur, continuo pluviis Lutetiæ plateas totas quaſi cœno obductas, ac ſi non purgentur, Reginæ introitum minus fore ſplendidum, adeoque illis præſertim, qui ad ſtipandum reginæ currum deſignati ſint, valde incommodum: *Nihil ad me*, ait, *hoc attinet. Ego enim iſta forte non videro.*

3. Arbor, quæ pro more Calendis Maii ante regiam in Lupara defigi ſolet, ſine ulla externa vi ſponte ſua ceciderat. Hoc videns Baſſumpetra, qui non procul inde cum Guiſio colloquebatur, ait, In Italia & Germania ſi caſus hic accidiſſet, ſiniſtri ominis loco acceptum iri. Rex prope adſtans, cum eos de aliis rebus loqui arbitraretur, propius accedens, auditis his, Jam, inquit, totos viginti annos præſagia ejuſmodi & admoniſiones aures meas circumſonuerunt. Sed ſcio nihil futurum, niſi quod Deo placuerit.

4. Die Sabbati, qui erat 8 Maii, Rex de improviſo Reginæ ad menſam ſupervenit, rogat, num coronatio ſequenti die Martis futura ſit. Tacente illa, quod ad reſpondendum nihil certi haberet, Rex, Quid tu? ne verbum quidem? Ibi illa: Vellem, ut eras fieret: ſed Sancerranus dicit, ante diem Jovis fieri non poſſe. Rex, vocato Sancerrano, non ſine ſtomacho de dilationibus iſtis conqueritur, non tanti faciens bis centies millium ſcutatorum, quos

mora

mora abſumtura eſſet, quam temporis & occaſionum jacturam. Mox ad Reginam: Hoc ſcias velim, ait, niſi die proximo *Jovis fiat, te poſtero die me non amplius viſuram.* Subridens Regina, Atqui illud tamen à te impetrari fines, ut introitus mei pompam videas. *Non*, ait Rex; *Die Veneris ultimum vale tibi dicam.*

5. Eodem die, quo interfectus eſt, finito prandio, Rex cubiculum Reginæ ingreſſus, quamvis animo non læto; nam in vultu ejus triſtitiæ quædam indicia apparebant, nec reſpondebat animus verbis. Uno loco tenere ſe nequibat, multo minus animum fluctuantem regere; in cujus diverſa agitatione Reginæ dixit, Vix reperire ſe quid facere debeat. Armamentarium ſibi viſere quodammodo neceſſe eſſe, ſed ſcire moleſtum fore: ut qui, rebus non ita, ut vellet, paratis, non ſine indignatione inde eſſet diſceſſurus. E Reginæ cubiculo egreſſus, in ſuo aliquantiſper hæſit, ſcriptis aliquot lineis, & dato ad edictum quoddam reſponſo. Inde ad feneſtram accedens, manu fronti admota: *Mi Deus*, inquit, *hic quidem intus latet aliquid, quod me vehementer turbat.* Inde cubiculo ſuo egreſſus, in cubiculum Reginæ rediit, ubi de rebus magnis cum Cancellario collocuturus, tandem eum ad Curiam abeuntem amplexus, *Abi*, inquit, *ego itidem abeo conjugi valedicturus.* Cum vero neſcio quid ridiculum, quod poſtridie in fano S. Dionyſii accidiſſet, narraretur, pleriſque omnibus in riſum effuſis, *Ne*, inquit, *die Veneris* (ſeu feria ſexta) *nimis rideamus, ne ſequenti Dominica plangamus.* Poſtea filios ſuos Duces Aurelianenſem & Andegavenſem paterne amplexus, inter blanditias celare non potuit, animum ſibi non recte conſtare, adeo ut ad ipſam Reginam diceret: *Neſcio quid mihi ſit. Diſcedere equidem hinc non poſſum.*

6. E rheda aliquando deſcendens, Condæo Principi, & Baroni Chaumontio dixit, prædictum ſibi, fore ut morte violenta, & quidem in rheda moriatur. Cum deinde Monceaugio revertens, per fanum S. Mauri, ut Delphinum filium, qui ibi educabatur, videret, iter faceret, ac poſt cœnam Lutetiam pergere vellet, monitus à quibuſdam, periculoſum eſſe noctu in rheda iter facere: melius facturum, ſi equo veheretur: *Si quiſquam*, ait, *ego certe à rhedis cavere mihi debeam, ut cui prædictum ſit in rheda moriturum.*

7. Cum Rex jam Lupara exire in urbem ſtatuiſſet, & è feneſtra Reginæ cubiculi è domeſticis quæreret, an rheda præſto eſſet, execrabilis ille parricida, auditis his verbis (uti poſtea faſſus eſt) intra dentes murmurans dixit, *Teneo te; Periiſti.* Antequam autem Rex digrederetur, conjugi tertio amplexu & oſculo valedixit. Et notatum eſt à nonnullis, moram illam quæ ad egreſſum varias ob cauſas interponebatur (quamvis contra animi ſententiam Regina etiam ipſum retinere valde cupiente) moleſte admodum tuliſſe: corporis cuſtodes ſequi noluiſſe: cuſtodiarum Præfectum in Curiam ablegaſſe: hujus Legatum ægrum tum decubuiſſe: vexilliferum ad ſupremum Curiæ Præſidem negocii cauſa iviſſe: rhedæ velamenta undique reducta & aperta: pallium à Rege depoſitum: pediſſequos aliam inſtitiſſe viam, nec rhedam comitatos: plateam, ubi trucidatus fuit, duobus curribus, quorum unus vino, alter fœno onuſtus erat, quaſi obſtructam, eoque obſtaculo regium vehiculum paſſim quaſi ſuſtiminatum, & tandem omnino retentum fuiſſe. Quæ omnia ſceleſto parricidæ & animum & modum facilius occidendi Regis dederunt.

Nec illud ſilentio prætereundum eſt, Reginam non diu ante Regis mortem duo habuiſſe ſomnia, quæ poſtea vera præſagia deprehenſa ſunt. Dum enim gemmarii regiam apparant coronam, ſomniavit illa majuſculos adamantes, & lectiſſimas gemmarum, quas ille è ſuo mundo contribuerat, in margaritas ſeu uniones (quos ſomniorum interpretes pro lacrymis accipiunt) converſos eſſe. Altero ſomnio ita fuit perterrita, ut Rex excitatus, quid rei eſſet, percontaretur. Illa, ſomniaſſe ſe neſcio quid, dicit: ſed ſomniis ſcire nullam habendam eſſe fidem. Tecum ſentio, inquit Rex. Sed quid ſomniaſti? Cum tergiverſari amplius non poſſet, ait, Somniaſſe ſe, ipſi (Regi) cultro grande vulnus inflictum. Laus Deo, ait Rex, quod ſomnium tantum ſit: ſtatimque rurſus obdormivit. *Hæc Caſparus Ens lib. IV, quem inſcribit Pauſilypum, ex Gallicarum rerum ſcriptoribus refert.*

EPILOGUS.

Atque hic Monarchiarum noſtrarum finis eſto. Reliquum eſt, ut Deo T. O. M. omnium bonorum authori, conſervatori & gubernatori, gratias ex intimis cordis penetralibus agamus.

Tibi ergo, ô Pater benigniſſime, & fons omnis miſericordiæ, qui es ante omnia, poſt omnia, totus unus ipſe: Tibi, inquam, gratias agimus, quod vitam prorogaſti, & ope tua cœleſti huc uſque provexiſti. Tu benignus nobis eſto, ô Pater benigniſſime! Da, referamus ad te, quod conſecuti ſumus à te. Tibi laus & honor in infinita ſecula.

AMEN.

CONTINUATIO HISTORIÆ DE QUARTA MONARCHIA.

Rudolphi II. vitam reſque ſub eo geſtas ultimo auctor explicuit: nos ad quartam Imperatorum Germanicorum periodum ſupplendam, reliquos quinque, quorum ultimus hoc tempore rerum potitur, ſubjiciemus.

XLVIII. IMPER. GERM. MATTHIAS.

Caput Primum. DE ORTV.

RUDOLPHUM frater excipit Matthias, natus Viennæ, celeberrima in Auſtriæ urbe, ineunte die 24 Februarii A. C. 1557. Patrem habuit Maximilianum II. matrem vero Mariam, Caroli V. Imper. filiam Vide *ſupra de Rud.* II. *cap.* 1.

Caput II. DE PROGRESSV.

1. *Imperii occupatio.*

ANno C. 1572 die 13 Junii Matthias Electorum (præterquam Brandeburgici) unanimi conſenſu Imperator Romanorum Francofurti creatus, ſtatim Auguſtalia ſumſit, redimita ſimul diademate Anna Tirolenſi, conjuge & conſobrina ſua, religionis majorum perquam ſtudioſa: coronatus enim eſt ibidem die 24 Junii.

II. *Imperii adminiſtratio.*

ACTA TOGATA.

Matthias fuit Imperator omni prudentiæ & conſilii laude cumulatiſſimus; cum aulam Cæſar Pragâ Viennam tranſtuliſſet, indixit Ratisbonæ comitia, quibus ipſe interfuit, memor quam parum proximis per Ferdinandum Archiducem Rudolphus effeciſſet, ubi de duobus præcipue negotiis relatum accepimus.

1. Illic quippe Proteſtantium, ut vocant, plerique omnes, ſi ab Electore Saxonum, Juliacenſium terrarum poſſeſſionibus excluſo, & Ludovico Haſſo, à Mauritio, patruele præfectura Marpurgenſi exuto, diſcedas, (propterea enim alieniores ſe à fervidis reliquorum conſiliis gerebant) multis modis onerari Evangelicos querentes, rationes edicentes, quod ſummi tribunalis judices, ſeu Spiræ, ſeu in aula Cæſaris proſcriptionis aliasve pœnas in eos facile decernerent, quarum exequendi diverſæ religionis Principibus provincia demandabatur, poſtulant inſtantius, ne deinceps numero valerent vota, ſed ut jus decidendi æquabile ſit penes utriusque partis ſuffragatores. Sed fuit hoc vere pomum Eridos, quum parum aut nihil impetrantibus, ſeque à conſultatione publica, quoad querelis eſſet ſatisfactum, pervicacius ſubducentibus, crevit diſcordia Procerum.

II. Plurium arbitrio decreta eſt ſymbola ad propulſandum bellum, quod Turca Achmetes Tranſſylvaniæ inferebat. Quare Bethlemus Gabor, fiduciarius Dacorum Princeps cum à Turca conſtitutus eſſet, profligato Batorio, qui Saxonum in Dacia reliquias crudeliter habebat, Lippam aliasque munitiones Turcæ tradidit: Cæſari vero obſequii fidem dedit, ut utrumque placaret.

Anno 1615 cum Cæſare Matthia vicennales Turca renovat inducias, alio enim mentem vertere coactus fuit, haud levi Coſaccorum agitatus injuria. Hi enim Turcarum in ponto Euxino 24 triremes cremaverunt, Thraciam ipſam incurſionibus infeſtarunt, pene uſque ad mœnia Byzantina prædabundi Najagenſium Tartarorum terras diripuerunt, Bithyniam vaſtarunt & Paphlagoniam,

Trapezuntem cum portu, armamentario & triremibus everterunt. Armis itaque Polonos petere parabat, ni Persarum Regis in Asia felicitate præpeditus esset, qui defectione quorundam Sultani purpuratorum usus, late Turcicas populabatur provincias.

Acta Politico-Ecclesiastica.

Ita semper animum Matthias Imperator comparatum habuit, ut cæremoniarum religionisque, quam à majoribus accepisset, tuendæ perquam studiosus esset, ut Aquisgrani, Coloniæ, Francofurti, Vormatiæ 1614, & in Bojohemis 1618 vidimus, alios enim proscripsit, alios vero supplicio belloque affecit.

1. Aquisgrani, postquam Senatus è Pontificiis suppletus esset, protestantes coëgisset Magistratu abire, omnique sacrorum eis exercitio interdixisset, id cives insuetam servitutem interpretati, Jesuitas foras proturbant, atque ex urbe ejiciunt. Intercedunt Juliacensium terrarum possessores, & Legati Francici. Cæsar itaque cum legibus ab iis propositis protestantes teneri nolle videret, proscriptionis fulmen iis intentavit, Alberto fratri sententiæ adversus eos latæ executionem mandavit, & dum Elector Brandeburgicus ejusmodi proscriptiones, quasi præter leges imperii evulgatas, rescindi postulat, Spinola Aquisgranum occupat, & restituit, quamobrem fuga saluti suæ consulere compelluntur Evangelici, & qui remanserant puniuntur.

11. Similiter Coloniæ multi sacris suis prohibiti, Mulheimum, quod tum muniebatur sub Juliacensium auspiciis, quod altero ab urbe lapide distat, secesserant. At frequentia novæ civitatis, æmulationem Ubiis accenderant, privilegiis cautum præ se ferentibus, ne in tanta vicinia urbs ad Rhenum conderetur. Re ergo literis plurimum disceptata, interdicitur & Principibus, Brandeburgico inquam & Neoburgio ædificatio Mulheimi, & civibus destructio ab Cæsare Matthia imperatur: Cunctantibus vero plurimis, Spinola illuc movit, & urbem solo æquavit. Neque mirum, cum discordia duorum cognatorum Principum, Neoburgici & Brandeburgici, res maxima dilapsa sit, alter enim, nomine Wolfgangus Guilelmus, ducta Magdalena Bavara, ad pontificios animum applicat, alter dictus Guilelmus Georgius Marchio, Reformatorum sequebatur dogmata, præterquam quod super possessione harum regionum animis dissiderent. Spinola, ut Cæsari & Wolfgango gratum faceret, Vesaliam aliaque Clivensis juris loca pro Neoburgico subegit. Vicissim Mauritius à Brandeburgensi evocatus, Emericum, Retzum & Marcani Comitatus pleraque. Secundo Neoburgicus, exstincto patre Ludovico Philippo, Romanensium suis in regionibus instaurat cultum; Brandeburgensis in suis Reformatorum placita doceri jubet: unde ob ritus Lutherani immutationem Berolinenses fere ad seditionem prosilierunt.

111. Seditiones etiam Francofurti & Vormatiæ ob Judæos ortæ. Constat autem motum Francofurti factum altero multum atrociorem fuisse & quia cum manifesto Cæsaris contemtu conjungeretur, Fermilchi aliorumque capitibus stetisse.

1v. Vormatiæ vero, quæ ob eandem rationem seditio concitata est, mitior fuit, ad tristem tamen exitum spectabat, si non Frederici Septemviri vigilantia sopita, atque quorundam exilio finita esset, Judæis, quos cives ob immanes usuras exegerant, urbe abstinere jussis. Francofurtum pompose sunt reducti.

Bohemicum bellum.

Ortus.

v. Interjecto deinde tempore consequutum est omnium ore decantatum illud bellum Bohemicum, cujus origo paulo altius repetenda. Quum enim in Pannonia & Bohemia libertas religioni Protestantium data esset, per Ecclesiasticos Romanensibus addictos templa quædam ab Evangelicis structa Brunoviæ & Closterbrabis aut occlusa erant, aut æquata solo. Id proceres, qui à Romanorum fide discesserant, adversari legibus à Rudolpho & Matthia latis, contendebant. Contra ea præsul Pragensis & Brunovensis, nullum aliis ædificandi suo in territorio jus esse, ac proinde recte *punitos* ditionis suæ Protestantes. Cæsar *appellatus* non obscure Præsulibus favebat. Qui cum per id tempus Viennam abiisset, magnates Protestantium comitia indicunt, de conservatione acturi religionis suæ. Quare diversarum partium Proceres, Cæsarem inducunt, ut misso diplomate, adversum suam majestatem hæc agi conventicula extemploque dissolvenda pronunciet, pœna abnuentibus indicta. Asperatis per hæc Procerum Protestantium animis, conscensa arce Guileburg Slabatam, & Jarislaum Bazilam, cum scriba Philippo Blattero corripiunt statim, deque fenestra in subjacentem præcipitant aream, quibus tamen vitam incolumem divina servavit benignitas. Mox Pragensium oppida accipiunt fidem, & Jesuitas, ut qui tubæ dissidiorum essent, Bohemia exigunt, neque segnius exaratæ ad Cæsarem literæ, editæque in vulgus, quibus hæc uti jure facta prædicabantur. Cæsar contra seditiosum

ditioſum dicere facinus, exhortari Principes, ne qui auxilio eant, ſi deſiſtant vim parare Bohemi, ſe quoque milites non ſcripturum. Ni pareant, non defore copias, contumaciæ pœnam exacturas. Cum & illi ſe in officio fore promitterent, nec Cæſar à pacis rationibus videretur alienus, audaculi tamen homines tota mente arma meditabantur. Tantam eſſe veſaniam hominum, qui ſibi invicem metuunt, ut facinore admiſſo, ad ſanitatem redire nolint, ſed ad bellum potius pertum prorumpant.

De Progreſſu.

Imperator itaque Matthias, Tampirio & Bucquojo ducibus, exercitum conſcribit mittitque copias. Interim Bohemi Sileſios, Luſatoſque in ſuas partes ſollicitant; Budviſam, Cæſaris ſtudioſum oppidum, circumdant milite; Crumaviam imperata facere compellunt. Nec pigrior Tampirius Biſtricium intercipit, ſeque ſtatim in finibus Bohemiæ munit; Neuhuſio repulſus, ſuburbium devaſtat; deditione occupat Pilgronium. Mox Saſſaviam uſque progreſſus majori cum exercitu Bucquojus Comes, ubi concurſum eſt ancipiti prælio. Pilſnam Erneſtus Mansfeldius in Bohemorum redegit poteſtatem; cum quibus Bucquojus fortiter prœliatus Budoviſam recipit, & Crumaviam intercipit grandi Bohemorum malo. Fuit & Tampirius præda gravis, at cum Viennam repeteret, à comite Slickio argento & pecudibus exuitur. Inter fœdos hoſce tumultus Elector Saxonicus inducias urget, quibus Egræ de pace ageretur, ſed fruſtra, non enim eas fideliter à Cæſarianis ſervari Bohemi prætexunt. Interea etiam Viennæ Carolus Gonzaga Nivernius, Razivilius, Althemius, aliique duces in novum conjurarunt ordinem militiæ adverſum hæreticos exercendæ. Adeo fuit hic annus eis in locis pœnis iræ divinæ & ſuppliciis inſignis.

Illo anno ingens luxit cometa in ſcorpionis ſigno, toto propemodum orbe ſpectabilis. Quin & illo ipſo anno rupes altiſſima, die XXV Auguſti veſperaſcente anno Chriſti 1618. Pluram oppidum vel vicum Rhetiæ, templis & palatiis ornatum egregie, repentino motu convulſa uno momento, cum mille quingentis hominibus obruit; nec oppiduli vola aut veſtigio relicto. Ejus loco apparere dicitur lacus, ſeſqui milliari Italico longus.

1. *RES ECCLESIASTICÆ.*

Imperante Matthia Cæſare, A. C. 1612. *Val. Weigelius* in Miſnia portentoſa docuit. *Epiſcopi* Scotiam turbant. Anno hujus ævi 14 *perſecutio* Evangelicorum *in Bohemia* contigit. In annum 17. *Jubilæus* B. *Lutheri* incidit. Anno 18. habita *Synodus Dordracena.*

Viri Celebres.

Cum rerum in Germania potiretur Matthias vixere viri celebres multi. P. Merula. Douza. Dom. Baudius. Junius. Sixt. Amama, Th. Erpenius. Scip. Gentilis. Conradus Rittershuſius. Joh. Meurſius. Ob. Giffanius. Jacob. Thuanus. Marq. Freherus. Dion Gothofredus. Janus Gruterus. Sethus Calviſius. Phil. Scherbius. Corn. Martini. Piccartus. Opitius. Oſiander.

VARIA.

An. 1616. Sub initium Martii terræmotus in Helvetiis accidit. A. C. 1617. Tangermundum veteris Marchiæ civitas, ad Albim ſita, tota pene deflagravit. A. 1618. Gliſcunt diſſidia inter eos, quibus Arminii hæreſis, & Gomari doctrina placebat. Viſus eſt eadem fere tempeſtate mane ante ortum in cœlo cometa, prolixa admodum cauda conſpicuus, in ſigno ſcorpii prope lancem, qui inde progreſſus verſus Borrholybicum Boöten fere totum perluſtravit orbem.

De Exitu.

Bellum Bohemicum necdum finitum imperante Matthia, ſed longe ultra ſeculi hujus annum quadrageſimum multum gaudente Turca protractum eſt.

CAPUT III.

DE EGRESSV.

Fato functus eſt Matthias, continua ægritudine confectus die 10 Martii. A. C. 1619. intra 8 & 9 matutinam, cum annos 62, & dies 15 viviſſet: imperaſſet annos 7. Spei majoris, quam gloriæ Auguſtus. Filium ex ſe hæredem reliquit nullum; conjux enim tribus ante menſibus ſterilis deceſſerat.

XLIX. IMPER. GERM.

FERDINANDUS II.

CAPUT I.

DE ORTV.

FERDINANDUS II. in vitam eſt ingreſſus in Stiria anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo

octavo, die 9 Julii. Patrem habuit Carolum, Archiducem Auſtriæ, Ferdinandi I. Imperatoris filium: Matrem vero Mariam Bavariæ Ducem.

CAPUT II.

DE PROGRESSV.

I. ACTA OECONOMICA.

Uxores ſibi matrimonio junxit duas, Mariam Annam, Wilhelmi Ducis Bavariæ filiam, An. Ch. 1600, mortuo jam dudum patre, quam amiſit ante Imperium. Deinde ſexto viduitatis anno, ac jam Cæſar, Eleonoram Mantuæ Ducem ſecundis nuptiis duxit.

I. FILII.

1. Ex prima conjuge ſex liberos ſuſtulit, mares tres, & totidem filias feminas. Filiorum *primus* eſt natus ei Johannes Carolus, anno 1605. *Secundus* Ferdinandus poſtea Cæſar, 1608, *Tertius* Leopoldus Wilhelmus, qui pro Hiſpaniarum Rege in Belgio fuit cum Imperio.

II. FILIÆ.

Harum *primam* in lucem natura extulit Chriſtianam, anno 1604. menſe Majo, *Secundam*, quæ Maria Anna, fuit Maximiliani Bavariæ Electoris uxor, anno 1610. *Tertiam* denique A. C. 1611. Fuit autem illa Cæcilia Renata, Uladiſlao Polonorum Regi nupta,

II. ACTA POLITICA.

I. Imperii occupatio.

Cum finiiſſet jam Matthias Cæſar, res ad interregnum redierat, Imperii adminiſtrationem Palatino & Saxoniæ Electoribus tantiſper ſuſcipientibus. Moguntinus vero Elector ad 10. die Julii, A. 1619. Electores Imperii ad novum Imperatorem creandum Francofurtum vocavit. Quocirca ad tempus dictum ingreſſi ſunt inſigni cum comitatu & pompa, 10. Julii Elector Moguntinus, & circa veſperam Electoris Saxoniæ Legati, 11. Electoris Palatini, 12. Brandeburgici, 13. Archiepiſcopus & Elector Colonienſis, 15. Elector Trevirenſis: Octavo vero decimo Rex Ferdinandus. Venerunt quidem ad iſta Comitia Bohemorum quoque Legati, ſed intra urbem non admiſſi Hanoviæ ſubſiſtere coacti ſunt. Petentes, electionem ſuſpendi, vel Ordines ſuos ad eam vocandos, rejiciuntur. Nunciis interea ad Palatinum & Saxonem Principes Electores miſſis, tandem electioni *dies Auguſti octavus decimus* perficiendæ deſtinatur. Illo mane ad pulſum majoris campanæ Electores cum Rege in curiam curribus delati, indeque hora quaſi octava habitu Electorali induti ad templum D. Bartholomæi equis vecti ſunt, ubi peractis ſacris Ferdinandum Regem elegerunt, electum produxerunt, inque ſupremum chori altare omnibus ſpectandum collocarunt. Unde ad theatrum, ad introitum chori, in templo excitatum perductus, à populo Imperator ſalutatus eſt. Atque exinde 30. Auguſti die, poſtquam ejus diei Legati Norimbergenſes cum diademate, ſceptro, & ornamentis reliquis Francofurtum advenerant, Romanorum Imperator ſolemniter, in æde D. Bartholomæo ſacra, coronatus eſt.

II. Imperii adminiſtratio.

I. *Bellum Bojohemicum.*

Ferdinandus II. Matthia è vivis ſublato, inter flagrantiſſimas turbas regnorum adminiſtrationem arripuit, primo diplomate ſuo, Magiſtratibus à Matthia conſtitutis, ſed per Bojohemorum Proceres abdicatis, poteſtatem prorogavit. Id Bojohemis de continuatione belli interpretantibus pacificationis negotium Egræ indictum expiravit.

TA ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ.

Hoſtes igitur cùm incolas arma capere juſſerunt, Bucquojus è diverſo, crebris à Budverſa & Crumavia eruptionibus, terrore Bohemiam implebat. Mox Turrenſis in Moraviam irrumpit, eamque adigit cum Bojohemis ſentire: & Albertus Wallenſteinius, Dux Fridlandiæ, cum manu valida Ungariam verſus tendit, ut auxilia inde *Ferdinando* compararet. Inde Turrenſis Auſtriam pervagatus Viennæ oſtentat arma, & occupato ſubarbio, dies aliquot illic, inſpectante Rege, ſtativa habet, ſed celeriter in Bohemiam reverti compulſus fuit, Bucquojo Mansfeldium ad Nadlitiam acri certamine profligante. Victori Thlinium, Wittingavia, Frombergа, Roſenberga, aliaque loca munita dederunt manus, qui ſpoliis onuſtus, ingemiſcentibus Bohemis, Budviſam ovans intrat. Chiuſcius interea cum mille equitibus & 500 Sclopetariis Poluam ſeſe conferens incidit in 400 Heiduccos, quos plerosque trucidavit, & inſignem prædam obtinuit. Poſtea ex interceptis cognoſcens 400 alios equites diripiendis Suanbergenſis bonis operam dare, jamque 30 currus, pabulo aliiſque bonis onuſtos ſecum agere, progreſſus ſtrenue in patenti campo, eos eſt adortus: at illi in pagum proximum confugerunt,

& ex

& ex occupatis ædificiis, fortiter ad 3. horas ſe defenderunt. Tandem Joh. Georgio Solmenſe Comite cum Sclopetariorum manu adveniente, domo una atque altera incenſis, cæſis nonnullis reliquos in poteſtatem Bojohemorum redegerunt, propiuſque tandem ad Budviſam moverunt. At Bucquojus XVII. ductans bellatorum millia, Gretſam, Veitrachium aliaque oppida cepit deditione, Tampirio adverſum Moravos miſſo. Contra ea Bohemi, cæſis in Moravia Tampirianis, ejectiſque ſimiliter è Sileſia, & Ungaria Jeſuitis, recepto ſimul Theinio, poſtridie quam Cæſar creatus eſſet Ferdinandus, regnum ei Pragæ abrogant, Fredericumque Palatinum ſubſtituunt, qui, in prava conſilia deductus à ſuis, arripit diadema Pragæ. Viciſſim Bucquojus irritatior Piſſecam corona capit, oppidanos omnes trucidans: renovante etiam Cæſare in Mansfeldium proſcriptionem, qui circumferens paſſim arma, perniciofior, quam Frederico ſuo utilior fuit. Geſta ſunt hæc anno 1619 in bello, quod diximus, Bohemico, quod quanquam ceſſavit nondum, oleum ei adfundente Frederico Palatino, tamen ut diſpoſite illud deformemus, ſeparatim de eodem Palatino dicemus.

II. Bellum cum Palatino.

De Ortu.

Fredericus V. Elector Palatinus, cum Regem ſe Bohemiæ Pragæ appellari paſſus eſſet, & regiis ornamentis anno ſuperiore, 4. Novemb. Epochæ Gregorianæ, condecorari, actum hunc ſolennem triduo poſt coronatio Reginæ ſubſequuta eſt. Cæſar igitur evulgatis diplomatis, nihili eſſe Palatini coronationem, declarabat, quod nec ab iis facta eſſet, qui creandi regis poteſtatem haberent, nec vacante regno: Imo quod nec Palatino conveniret ejus diadema uſurpandi, quem legitimum agnoviſſet Bohemiæ regem, & Cæſarem cum reliquis Septemviris elegiſſet, contendens inſuper hæreditarium Auſtriacis jus eſſe in Bohemiam, quod Bohemi libris editis prolixe pernegarunt. Unde ad arma perventum eſt utrinque.

De Progreſſu.

Dum Moravos, Sileſios, Luſatos in ſua verba adigit Fredericus, novas in Bohemiam Balthaſar Maradas à Cæſare copias ducit, Meſolinum occupat; Bucquojus Mansfeldianos, quia videbat ſtipendiorum cauſa parum eſſe morigeros, invadit noctu, magnaque multat ſtrage: quem tamen Chriſtianus Anhaldinus, Bohemici exercitus prætor, Cremſam recedere cogit. Is vero Baronem Felſium, Coſaccos audacius perſequentem, magna clade adfecit. Hos motus cum magna mala Germaniæ importaturos eſſe viderent, Electores cæteri Palatinum flectere ad pœnitentiam ſtudent, ſed irrito conatu: is enim cauſæ Bohemicæ cognitionem, neque penes paucos Electores eſſe, neque penes Archiducem Auſtriæ Ferdinandum dixit. Quamobrem Cæſar à regibus Hiſpaniæ & Poloniæ militum, à Pontifice pecuniarum impetratis ſubſidiis, ſumma ope vindicare id familiæ ſuæ illatum probrum annititur. Quare Bavarus in Auſtrios, Bohemorum ſocios, movet, & viribus Cæſaris accedere cogit. Elector autem Saxonicus, collegæ, quia fruſtra nuper ad pacis conſilia hortatus eſſet, offenſus, in Luſatiam ducit; Budiſſam vi tormentorum fœdiſſime laceratum ad deditionem trahit; utramque Luſatiam valido & lento Marte preſſam ſubjugat Cæſari. Ea res Bohemorum vires diſtraxit, & maximum Cæſari ad victoriam momentum attulit. Bavarus enim pacata Auſtria univerſas vires Bucquojo Comiti junxerat. Cum expugnarent vi oppida, Pragoditzum, Piſſecum, aliaque: Palatinus interea poſtquam Roconizæ velitationibus aliquamdiu pugnatum erat, copias Pragam reduxerat, is Albo monte tumultuario opere Caſtra muniens, ut conſerturus cum hoſte manum. Dum hæc aguntur admaturat Comes Tillius cum Bavarico exercitu & Cæſariano iter, pleroſque in fugam conjiciens, & Ungarorum undecim quaſi millia, Turrenſi legione & Hollaſiana cæſis. Dies erat VIII. Novembris, A. C. 1620. cum belli ſumma penes Cæſarianos foret: & IX. cum victores Pragam intrarent triumphabundi.

De Exitu.

Fredericus fuga ſibi conſulens, in Hollandiam ſequenti anno appulit: illicque cum uxore & liberis reliquum vitæ tempus privatim traduxit. Bohemia vero, maximam partem, poſt illam Palatini cladem ad fidem Imperatoris, cum adjunctis provinciis rediit.

III. Bellum cum Gabriele Bethlemo.

Maximum Ferdinandi rebus damnum attulit Gabriel Bethlemus, patrio idiomate, Bethlehem Gabor dictus, Tranſylvaniæ princeps, qui cum Bohemis conſpirans, Ungaricæ inhians Dominationi, coronam ejus, quæ ſummæ apud Pannonas venerationis, titulo Principis rapuit, poſtquam Caſſoviam A. C. 1619, 5 Septembris poteſtatis ſuæ feciſſet, & Poſonium, urbem qua diadema, reliquaque regni

insignia adservabantur, Octobri mense deditionem cepisset. Nec segnior sequenti anno fuit: actis enim Neosolii suorum Comitiis, Rex appellatus, Austriam incursat, Bohemis auxilia mittit, & Tampirium Cæsarianum, Posonium occupare tentantem, tormenti ictu occidit: magna patraturus, ni socii Frederici res in Bohemia uno prælio corruissent: quod paulo ante exposuimus. Interjecto deinde tempore, dum feliciter ei prima proveniunt, Bucquojus Comes, domitis Moravis, in Hungariam proficiscitur, & Gaborem à coronatione callide abstinentem, Presburgo, Posonio, Altemburgo, Thirna aliisque oppidis spoliat; Setscin Georgium ab eo disjungit, qui clam reconciliatus Cæsari, Gaborem Turcica præstolantem auxilia gravibus damnis affecit, Neusolo submissa auxilia interfecit. Jamque in arcto erat Bethlemica militia, dum Bucquojus Neusolum obsidet, audaciusque in erumpentes prævectus, sexdecim vulneribus confoditur, ineunte Julio, A. 1621. Quo exstincto Gabor multa loca recuperavit. Denique exeunte anno, Niclasburgi concordia quædam sancitur inter ipsum & Cæsarem: diadema ejus Ungaricum Ferdinando; ac Cassovium, & aliæ quædam urbes Gabori permittuntur, Cæsareo nomine gubernandæ. Adduntur Oppelia, & Ratiboria Silesiorum ditionis, & Principis Imperii titulus.

Eventus.

Postea iterum in Moraviam profectus erat, comitemque de Monte Nigro Ducem Cæsaris ad magnas redegerat angustias: tamen quia Turcæ ejus imperium abnuerent, neque advenirent Germanorum auxilia, compulsus est ad inducias, Cæsarque ei postea Principis imperii titulum abrogavit, adeoque anno ævi hujus quarto Ungaria Bethleëmus dejectus est: & sequentis anni mense Majo pax renovata inter Cæsarem & Transylvanum, Oppelia vero & Ratiboria Carolo Cæsaris fratri datæ.

IV. Bellum Brunsvicense.

Origo.

Quum Palatinus à Cæsare relegatus Segebergam adiisset Danorum Regem, & Saxonum aliquot Principes auxilia rogatum, solus Christianus Brunsvicus Halberstadiensium Præsul conscripsit exercitum, quanquam repugnantibus aliis, evulgata Cæsaris edicta, quibus paci & libertati fraudem sefacturum negaverat.

Progressus.

Ergo, A. 1621. collecta manu militum, & agmine primo dissipato, per Westphaliam & Hassiam, in ditionem Moguntinam duxit, Palatino jam in Bataviam digresso. Deinde sequenti anno Lippam, Susatum, Paterbornam, aliaque Westphaliæ oppida subigit. Ab Anhaldino Barone attritus, pergit infestare Pontificios, magnas undique pecunias facit, etiam statuis sanctorum in nummos conflatis. E Westphalia progressus in Eisfeldiam, pessime in incolas animadvertit, perque Wetteraviam populabundus Urselias, ac mox Hochstam, ditionis Moguntinæ oppidum arcemque occupat. Dum autem se Mansfeldius Brunsvico jungere cogitat, à Tillio infectante Manheimum recurrere cogitur. Quare Tillius, Dynasta Cordubensis, Anhaldinus, & Thomas Caracciolus, Cosaccorum etiam manu firmati, famosissimum Brunsvici exercitum tormentis vacuum nacti, ad Mænum fluvium ejus copias in fugam agunt. Dumque ducem ponte transeuntem effusius sequuntur milites, disruptis ordinibus tanto impetu festinant iter, ut scisso ponte amnis vorticibus absorberentur multi, & reliquæ cohortes desertæ, gladiis ac glandibus Cæsarianorum conciderent: præter suppressos enim tria millia interiere, & Hochsta statim recuperata. Quibus in rebus Brunsvicus & Mansfeldius junxere copias, & per Galliam irruperunt in Hannoniam, & acri cum Consalvo Cordubensi conserto prælio, brachium in eo Brunsvici laceratum est, at postea refectum à chirurgis: atque ista ratione, aditum sibi Bredam Brabantiæ vi aperuerunt. Haud dubie victoriam Brunsvicus obtinuisset, nisi Mansfeldii quædam turmæ pugnam, stipendia sibi depostulantes, detrectassent. Atrocior itaque tempestas è Belgio in Frisiam, & Visurgis ripas incubuerat, Christiano Brunsvico & Mansfeldio signiferis. Transgressos Visurgim Brunsvicenses insequitur Tillius, eorumque extrema agmina prope Stratloam in ericeto Duvendica, invadit, occultata vicinis in arbustis & paludibus forti manu. Commisso certamine, undique cinctæ Brunsvici cohortes sternuntur, numerosus exercitus à quinque millibus in fugam agitur, Christianus ipse, cum expeditis equitum turmis, assequitur, Brevordam, sed amissis machinis, impedimentis, commeatu, longeque maxima copiarum parte (è quibus occæsi, multique illustres capti sunt) Meppena Tillio invaditur. Quæ gesta sunt anno hujus ævi XXIII. Vires jam Christiani fractæ erant & debilitatæ, sed tamen nullam sibi occasionem ratus amittendam,

in

in Grubenhagienſem principatum impreſſionem facit, quod Georgius Lunæburgicus ejus poſſeſſor provinciæ, ſcribendis pro Cæſare copiis abeſſet, impoſitoque locis præſidio, legiones in Cattis Georgianas disjicit. Tillius è contrario Mundam, clavem Brunoniæ, A. C. 1626 exeunte Majo, vi capit & cives fortiſſime dimicantes, dum poterant, occidione cædit. Pauci admodum in cryptis aut faſtigiis domuum abditi, expleta Cæſarianorum ſævitia, vitam ſibi auro exorarunt.

Quæ bellum conſecuta ſunt.

Paulo poſt Chriſtianus Brunſvicus, Wolferbyti, die 6 Junii, haud ſine veneni ſuſpicione exſtinctus eſt, ſequuta XIX. Quintilis matre Eliſabetha.

V. Bellum Daniæ.

Cauſæ & initia.

Ferdinandus II. geſſit etiam bellum cum Chriſtiano IV. Danorum Rege, quod etiam vocatur Saxonicum, quia propter eam præcipue regionem arma pars utraque ſumſit. Scilicet Johannes Tillius Comes validis Cattorum terras copiis inſederat, ex cujus exercitu Ritbergicus, Scaumburgicam cum Barone Anhaldino infeſtabat ditionem, Huxarienſem cis Viſurgim plane diripiens. Fatigabatur etiam Saxonica Viſurgis ripa annonæ & pecuniarum exactionibus, quanquam nec ſolum ibi Cæſaris, nec Bavari eſſet. Brunſvicus enim exercitus ſui reliquias exautoráverat, & migraverat in Daniam. Cum itaque querimoniæ è Saxonia increbeſcerent, proximi incendium parietis ad regem quoque pertinere viſum eſt. Alia adhuc cauſa accedebat, quod Erwittus, tribunus exercitus Bavarici, Sicanam aream & præfecturam, quam rex Danus oppignoratam ſibi tenebat, præſidio impoſito exhauriebat. Rogatur ergo Cæſar, ut importunis præſidiis Saxonicos fines levet: qui calumnia uſus calamitatis è Saxonum regione metuendæ, Bavarum Electorem eas copias dimittere poſſe negabat; debere tamen locis regi ſubjectis excedere. Tillii vero centuriones, cum ad Comitem Danus mitteret, reſpondiſſe ferunt, haud volare in aëre milites poſſe, in terra iis locum dandum. Id teli inſtar regium pectus perculit: qui propterea vicinum periculum haud ſuſque deque habendum eſſe exiſtimavit. Igitur A. C. 1625, finiente Martio, Lauenburgi conveniunt Saxoniæ inferioris Principes: Rex Daniæ ut Dux Holſatus, Adminiſtrator Magdeburgicus, Præſul Bremenſis, Dux Brunſvicus, Megapolitani, decernunt augendas eſſe copias, bellumque Cæſari inferendum, ne quid detrimenti Reſp. capiat. Imperator ejus militiæ Rex Danus conſtituitur, quam quomodo, geſſerit, jam nunc accipiemus.

Res eo bello geſtæ.

Cæſar propterea Tillium & Albertum Fridlandum duces juſſit inferiorem Saxoniam invadere: cum Rex Daniæ, viginti quinque admodum armatorum millia ad Viſurgim produxiſſet. Uſque decimum Julii 1625. nihil utrinque tentatum hoſtile. Primus impetus à Tillianis fuit factus, quum munitionem Saxonicam apud Huxariam occuparent. Decimo vero poſt die Hamelienſes Rex excubias luſtraturus, dum incurioſius obequitat, ignarus ibi foveas latere adſervandæ rei tormentariæ, equus præcipitem ſecum regem 29. pedum ſpatio in ſubjectam foſſam rapit. Suffocato fere equo, Rex poſt duas demum horas compertus vivere. Quare caſtra verſus Diœceſin Verdanam retrahuntur, quod toto triduo inter morientes haberetur. Interim in Brunſvicenſes Tillius irrumpit, Hamelias, Mindam aliaque ad Viſurgim oppida munit præſidiis. Poſtulatur ab Rege, Cæſaris nomine, ut militem de Saxoniæ finibus deduceret: Niemburgum obſidione premitur violenta, quod oppidum tam ſtrenue tuebatur Rex Daniæ, ut Tillius amiſſis quatuor millibus, re infecta diſcederet. Cæterum per hæc Fridlandus Dux in Magdeburgicam irruerat diœceſin, à quo Halla Saxonum occupata eſt, mileſque in Halberſtadienſes terras infuſus. Quare ne tanta belli peſtis latius manaret, cœptum eſt Brunſvigæ, Octobri menſe, anno 1626. de pace agi: ſed Minda & Huxaria cedere Tillius noluit, aut præſtare confirmationem acquiſiti Juris Saxonicorum Ordinum, in Eccleſiaſticis præſertim ditionibus. Unde infecta pace diſceſſum eſt, & bellum majori deinceps conatu & clade geſtum eſt. Illo itaque tempore Mansfeldius, qui à parte erat Dani Regis, impetum fecit in munitionem Fridlandi, ad Albim prope Veſſaviam, ſed VIII. millia XXX. millibus objecta. Hinc fuſæ ſunt Mansfeldii copiæ: adeo ut eo prælio Mansfeldianorum cæſi fuerint mille quingenti, & triginta Vexilla capta. Tillio poſthæc Gottinga deditur: Northeimi vero vim regiam non ſuſtinuit, viris illic plus 600, & aliquot amiſſis vexillis. Fugaverat ille quidem Tillium, ſed paulo poſt Tillius illum apud Lutteram. Primi quidem regis ordines validum adeo impetum fecerunt, ut ad tormenta penetraretur Tilliana. Sed cum Tillius petopportunis Georgii Lunæburgici

gici auxiliis eſſet ſublevatus, regius equitatus, cauſam inferens delati ſtipendii, pugnam detrectaret, cœſus miſere Regis eſt exercitus. Reperti qui occubuerant 1500, interque eos præclari Duces: capti milites 1800 & vexilla amiſſa 28. Vix impetratum ajunt ab rege magnanimo, ut ſe periculo eriperet. Certatum eſt octavo decimo Auguſti. Rex eadem veſpera Wolferbytum ſe recepit, quod præſidio ſuo firmavit: ubi nec eum victor adoriri auſus fuit, cum opinionem acciperet, Regem inſtaurare vires. Nam ſtrato pontibus Albi, prope Lauenburgum & Blekedam exercitus recollegit exequias, donec firmior à copiis, Tillianis obviam ire poſſet. Cæterum Chriſtianus grandes jam pecuniarum ſummas impenderat, licet eo bello non tam Daniæ quam Saxonicarum civitatum defenſio agitaretur. A Belgis igitur miſſo ſubſidio, A. C. 1627. ſtructis ad Viſurgim molitionibus, Tillianos crebris repellit cladibus: Lunæburgico ei contrario Brandeburgum vi capiente, cui Plaumerdorfius ei adverſaturus templum Dominicum Havelbergæ occupavit, & 4. Cæſariorum millia cecidit. Interea apud Tillianos commeatu laboratur: unde Comes aperiendum quovis modo iter ratus, verſus Albim movet, Stoltzenavia & Wolpa in deditionem redactis, tandem extremo Julio, Manipulum militum rate antelucano tempore tranſportat, & dum nemo ſeſe moveret, alterum agmen addit, & regis alibi Comitia habentis exercitu in fugam acto, univerſum traducit copias. Ita in omnem eis Albim Germaniam irrupit prædonum juxta militumque horribilis multitudo, ingens fundi cujuſque calamitas. Exeunte Auguſto Fridlando & Lunæburgico junctus in Stormariam maximis copiis penetrat, & Pinnebergam, Stormariæ arcem, tormento pene ad necem ictus Tillius, ſubegit nihilominus. Solæ in Stormaria Tychopolis, Crempa, & Bredenberga aliquid obſidionis pati poterant, & in Holſatia Rendesburgum. Ergo cum & multitudine, & omni alia re impares Cæſarianis eſſent, aut dediti Comiti Selickio, aut diſſipati aut in naves rejecti ſunt, plurimas hoc anno clades paſſi, & pleraſque Cæſari civitates tradentes. Quam ob cauſam Danus, anno 1628 & navale bellum, & pedeſtria prælia periclitari voluit. Femariam enim, Balthici maris inſulam, recuperat prædivitem. Wagriam tentat & Chiloniam, Eklenfirdiam diripit. Denholmum Henricus Holkius, auxiliis Danorum præfectus, diu defendens, fortiter ab urbe depulit, Fridlandi Cæſariani ducis militem, munitionibus coëgit excedere, eaſque occupavit. Fridlandus vero XXII. Auguſti toto exercitu obruit regios, & occidit 400 Scanos, præſertim milites fortiter dimicantes. Straleſunda, nihil ad Fridlandi adventum perculſa, etiam tertio anno obſidionem toleravit. Nec ſegnior fuit Tychopolis. Stora vero, quamvis annum & menſem vires Cæſarianorum ſuſtinuiſſet, eam tamen IV. Novembris Alefeldius Fridlando tradidit. Etiam Itzehoæ, cum horribili ſtrepitu, & clamore nocturno, porta cœnobii, à Cæſarianis occupati, revellitur, boveſque prædatiui, circumactis cervicibus ſtrangulantur, defixis etiam alte in terram cornibus reliquiſque armentis paſſim diſſipatis.

Finis belli Danici.

Sic annus attingitur nonus & viceſimus, quo ineunte Lubecæ, de bello honeſtis conditionibus deponendo, diſceptatur. Redduntur ergo Regi Cimbria, Sleſvigia, Holſatia, aliis vero Saxonum civitatibus renunciare cogitur.

VI. Bellum cum Rege Sueciæ.

Ortus.

Quocunque noſtri animi intentionem vertimus, aliud ex alio imperante Ferdinando II. intelligimus naſci bellum. Ut enim propter Saxonum ditiones Cæſar arma ſumſit contra Danum, ita Sueeus propter Straleſundam, quæ cum Sueeorum præſidium A. C. 1629. primo accepiſſet bello Danico, invitata liberalitate Guſtavi Adolphi: Ferdinandus deinceps etiam Regi Poloniæ, ex gemino ſororis ſuæ conjugio, valde cupiens, ſuppetias miſit adverſus Sueeos.

Progreſſus.

His aliisque rebus irritatis utrimque animis, anno à natalibus Chriſti 1630, Guſtavus Adolphus, menſe Julio Rugiam inſulam ingreditur, & Wolgaſtum, pulſis Cæſarianis, expugnat. Inde Stetinum, Pomeraniæ alteram metropolim, aliasque multas urbes occupat, ac omnia armorum ſuorum terrore implet. Anno ſequenti menſe Majo Magdeburgum etiam à Tillio Duce Cæſariano expugnatur, expilatur, & incenditur, adeo ut paucæ ex tam eximia & magna urbe domus integræ remanſerint. Miſeranda facies erat, opus ab Othone I. magno ſextingentorum circiter annorum una fere die collapſum eſt: tanto magis, quod ipſos ſibi oculos Germania mater videretur effodere. Guſtavus deinde Rex Sueciæ inita cum Electore Saxoniæ ſocietate, Cæſarianos ad Lipſiam menſe Septembri ſuperat; ubi ultra ſex millia eorum occubuiſſe ferun-

feruntur. Poſt quæ proſpere ei omnia ſuccedunt, & plurimas urbes & provincias imperii Germanici occupat. Nec infelicius res ejus ſucceſſerunt, A. C. 1632. menſe enim Novembri, Sueci ad Lutzenam prælio decertarunt & inſignem victoriam obtinuerunt: quam Rex nondum quadragenarius ſuo interitu funeſtavit. Victori tamen exercitui, contra quam accidere conſuevit, non ceciderunt ex capitis ſui jactura: quin ad ultionem acrius exarſere animi. Dux etenim Vinarienſis equitatu Saxonico & Lunæburgico confirmatus Chemnitzium oppidum ad deditionem adegit. Ipſoque Chriſti natali Zuiccavia victas præbuit manus. Et ſub anni ſequentis auſpicium Vinarienſis in Brandeburgicam profectus diœceſin, (Cronacum, Hochſtadium, Auracum ſubegit,) Duce Bavaro in Suevia Gunsburgum, Kaufbeuram, Landsbergam redomante. Guſtavi vero Adolphi funus regie adornatum, in Sueciam mititur, avito ſepulchro inferendum. Neque omittendum eſt, quam pernicioſa in Imperatorem ſuum, An. C. 1634 conſilia molitus fuerit. Fridlandiæ Dux Wallenſteinius, exercitus Cæſariani Legatus, Suecis quippe ſe adjungere & Bohemiæ regnum occupare velle compertus eſt; quamobrem Egræ juſſu Ferdinandi in menſa occiſus traditur. Denique anno 1636 vires Suecorum haud parum debilitatæ ſunt, quod pax inter Cæſarem & Electorem Saxoniæ redintegrata Pragæ eſt, & ſic Elector Suecorum, aliorumque fœderatorum Principum partes deſeruit. His ita conſtitutis (præterquam quod ad Nordlingam Suedi nunquam alias toto bello fœdiorem cladem Septembri menſe acceperant) poſtquam Viennæ & per Bohemiam Saxoniamque pax Pragenſis publicari cœpta eſt, variæ mox urbes ejectis Suedicis præſidiis ad obſequium Cæſaris redierunt. Cæterum opportune illis accidit, ut per idem tempus Galliarum Rex Ludovicus, denunciata palam hoſtilitate in Cæſarem ac Hiſpanum Regem diverſis exercitibus Hiſpaniam, Germaniam, Italiam & Belgium peteret. Quod bellum quo deinceps ardore, & quanto rei Romanæ in Germania detrimento geſtum ſit, poſtea narrabitur. Inter hæc Cæſar per pacificationem Pragenſem pacata utcunque Germania, ingraveſcente indies valetudine, ſimul curis & ætate frangi cœpit.

Exitus.

Votis ad invidiam felicibus Germani fruerentur, ſi finis Cæſaris, bellum quoque finiiſſet, aſt magnis ipſorum incommodis ad annum uſque ævi hujus XLVIII. productum eſt, ut deinceps videbimus.

VII. Bellum Gallicum.

Origo.

Tandem etiam Ferdinandus II. Imperator Romanus bello petiit Ludovicum XIII. Galliarum regem. Cujus hæ erant præcipuæ cauſæ, quod Ludovicus contra nuperam belli Gallici pacificationem cum Cæſaris & Imperii hoſtibus colluderet; quod Regem Sueciæ & Duces ipſius armis, pecunia, militibus, commeatuque juvaret; quod urbes imperii aut invaderet ipſe, aut ab hoſtibus auro redemtas confirmaret ſuis præſidiis.

Progreſſus.

Ea propter Rex Ungariæ Ferdinandus cumpotiſſima Imperii exercitus parte Rheno ac Moſella ſuperatis, variis locis, ac diverſis ducibus Galliam aggreditur. Et ſane per idem tempus Dux Vinarienſis Gallicis auxiliis ſuffultus, Tabernas Alſaticas, Princeps Condæus Dolam in Burgundia premebat. Ex altera Gallica parte, qua Belgium ſpectat, Ferdinandus Cardinalis, ac Gubernator Belgarum, infuſo in Picardiam exercitu, ad ipſam prope Pariſiorum metropolin, Verdano Duce, copias ac terrorem protulit. Contra ea Rex Galliarum, evocata omni prope nobilitate in Picardiam progreſſus, Corbejam & alia nonnulla oppida recuperat, & Cæſarianos, Duce Gallaſio, iterum in Germaniam trans Rhenum compulit, redactis ad tantam paucitatem legionibus, ut juſto prælio majorem cladem accipere non potuerint.

Exitus.

Hæc fere geſta ſunt bello Gallico, imperante Ferdinando II. Bellum tamen ipſum non prius eſt exſtinctum ac depoſitum, quam Suecicum anno nimirum à nato Chriſto 1648.

RES ECCLESIASTICÆ.

Anno hujus ſeculi 20 Synodus *Rupellana* coacta fuit. *Anno* 21 Gregorius XV. Pont. R. creatur: *Acad. Rintelenſis* erigitur. Anno 22 *Bibliotheca Heidelbergenſis* Romam tranſlata. Anno 23 Acad. *Sorana & Altdorfienſis* aperitur; & Urbanus VIII. fit Pont. R. Anno 24 conventus celebratur *Theol. Saxon.* Anno 25 Acad. *Dorpienſis* in Livonia inſtituitur. Anno 28 *Jubil.* Rom. fuit. Anno 31 colloquium Lipſienſe: Gymnaſium *Amſtelodamenſe* & *Daventrienſe* aperitur.

Viri Celebres.

Rob. Bellarminus 17 die Sept. anni 1621, mortuus in Jeſuitarum templo ſitus. Mart. Becanus. Jac. Gretſerus. Wilhelmus Perkinſius. Dan. Toſſanus. Scultetus. Th. Mortonus. Joh. Hall. Jac. Uſherius. Rainoldus Buxtorf. Camero. Ameſius. Jameſius. Amyraldus. Mornæus. Molinæus. Paræus.

Varia.

Anno 1621 Oſmanes cum quadringentis Turcarum millibus in Poloniam irrupit, ſed fruſtra oppugnatis per menſem Polonorum caſtris, pacem flagitavit, & receſſum inglorium. Sequenti anno à Jannizaris fuit occiſus. Quo etiam mortuus eſt Paulus V Pontifex, & Philippus III Hiſpaniæ. Cui ſucceſſit Gregorius XV. Sed & hoc biennio poſt mortuo ſucceſſor datus Urbanus VIII.

A. C. 1632 Uladiſlai IV Polon. R. electio facta mortuo Sigismundo patre. Anno 33 mortua eſt Iſabella Belgii Domina.

Anno 1635 in Boruſſia juvenis cultrum in fauces demittit: Medici tamen Regiomontani medicinam homini fecerunt. Eodem anno Sicambri munimentum Schenckii intercipiunt.

CAPUT III.

DE EXITU FERDINANDI II.

INitio anni trigeſimi die 25 Febr. Cæſar Ferdinandus II. (poſtquam Ratisbona ad Viennam verſus redire cœpiſſet, & jam pridem debilitate, ac corporis valetudine adfligi) integris ſenſibus ex hac vita exceſſit; anno ætatis quinquageſimo nono. Imperavit annos XVII.

Quæ finem Cæſaris conſecuta ſunt.

Mortuo Cæſari per omne imperium, & vicina Regna Conſtantinopoli quoque permiſſu Amurathis, ab Oratoribus Principum Chriſtianorum regio apparatu parentatum eſt. Porro mors optatiſſimi Principis, etſi in eo imperii ſtatu, flagrantibus adhuc bellis, bonis omnibus funeſtiſſima accidit, tamen publicum dolorem magna parte abſterſit ſucceſſor parentis Ferdinandus III, non patriarum modo ditionum, ſed virtutum etiam & gloriæ hæres, quarum præſidio quoque poſtea onus imperii & curarum ſuſtentavit.

IMPERATOR I. GERMAN.

FERDINANDUS III.

CAPUT I.

DE ORTU.

FERDINANDUS III. Ferdinando II. natus die 13 Jul. A. C. 1608. ex Maria Anna, Wilhelmi Bavariæ Ducis filia, Alberti nepti, Wilhelmi itidem pronepti. Fratres autem habuit duos, & ſorores tres, qui omnes ſupra ſcripti ſunt. V. Ferdin. II. c. 2. *acta œconom.*

CAPUT II.

DE PROGRESSU.

1. *ACTA OECONOMICA.*

Uxores & Liberi.

Tria Ferdinandus ejus nominis tertius matrimonia iniit. Prima illi conjux fuit *Maria*, Philippi III. Hiſpaniarum Regis filia, Philippi II. neptis, Caroli V. proneptis. Ex hoc matrimonio nati *Ferdinandus Franciſcus*, die 8 Sept. A. C. 1633. *Philippus Auguſtinus*, die 15 Julii, A. C. 1637. *Maximilianus Thomas*, die 20 Decembr. A. C. 1638. LEOPOLDUS IGNATIUS, die 9 Junii A. C. 1640. *Maria Anna*, die 22 Decembr. A. C. 1635. quæ deſponſata, die 23 Auguſti, A. C. 1646. Philippo V. Hiſpaniarum Principi, hoc ipſo ante nuptias defuncto, nupſit Philippo IV. Regi Hiſpaniarum, die 8 Novembr. A. C. 1649. *Poſtremum* Maria, uxor Imperatoris, *filiam adhuc* peperit unicam Mariam, A. C. 1646 eodem decedentem anno, quo ipſa filiorum quatuor, duarumque filiarum mater ſupremum diem (13 Maii, A. C. 1646) explevit. Pari conditione ex maribus Philippus & Maximilianus præmatura morte intercepti ſunt.

Dein Ferdinandi III. matrimonium tenuit *Maria Leopoldina*, Leopoldi Archiducis, in Insbruck filia, quam ei nuptum dedit die 2 Julii, A. C. 1648. Hæc vero fatali partu *Carolum Joſephum* edens die 7 Aug. 1649. nonnullarum negligentia, quæ habere rationem puerperæ debebant, mortua eſt repentine, die 9 Aug. anno eod. haud ſine magno & acerbo dolore, quem ubique commoverat. In Carolo Joſepho fulſiſſe tradiderunt altam animi indolem, naturamque pulcherrimam.

Proceſſu temporum Imperator *Eleonoram Gonzagam*, Caroli II. Ducis Mantuæ filiam, ſecum matri-

matrimonio junxit, die 30 April, A.C. 1651. ex qua progignebantur *Teresia Maria Josepha*, die 26 Mart. 1652. morte iterum exstincta mense Majo insequentis anni, cum instaret electio Ferdinandi IV. de qua inferius. Itemque *Eleonora Maria*, die 21 Maj. 1653. *Maria Anna Josepha*, die 2 Dec. 1654. & *Ferdinandus Aloysius Josephus*, ante Kalend. Februarias, A. C. 1657. Sed *Ferdinandus Aloysius Josephus* pro mortali conditione brevioris vitæ immortalitatem est consecutus die 30 Junii, A.C. 1658. Adeo in universum Ferdinando III. Imperatori sacratissimo liberi liberæque fuerunt undecim.

ACTA POLITICA.

1. *ACTA SAGATA.*

1. *Imperii occupatio.*

1. ELECTIO. Vivus adhuc pater Ferdinandus II. Creando regi Romanorum comitia Ratisbonam indici jussit, quo Electores omnes, si à Trevirensi, qui in custodia habebatur, discedas, convenerunt. Aderant præterea Anglicani, Poloni, Tartarici aliorumque Principum legati. Causam istius conventus Cæsar prolixe coram legatis exposuit. Summa orationis erat, *Provectam jam senectutem suam, agro se & corpore fatigari, & confici curis imperii, adesseque finem, & spes novas, Deum immortalem filium sibi dedisse, jam Ungariæ & Bohemiæ Regem, maturum annis & spectatum bello, cecidisse quippe apud Nordlingam Suedorum copias, qua victoria tota pene Germania, ad obsequium redierit. Proinde cupere atque optare, ut Electores sibi de socio laborum, de Rege Romanorum provideant.*

Post hæc insequenti luce summo mane omnes Electorali habitu induti ad ædem, quam Cathedralem vocant, profecti sunt. Mox sacro missæ officio celebrato, in vicinum sacellum procedunt, ubi paribus omnium suffragiis Ferdinandus III. Rex Ungariæ Bohemiæque, Romanorum Rex eligitur. Dies erat XXI. Sept. A. C. 1636.

II. CORONATIO. Trigesimo ejusdem mensis, quem paulo ante scripsi, die coronatur, Archiepiscopo Moguntino inter legitimas sacrificii cæremonias solemniter inaugurante. Quibus omnibus magnifico apparatu absolutis, ne quid ad tantæ dignitatis complementum deesset, in Romanorum Reginam coronata est sub initium sequentis anni Maria Hispana, novo Regi conjux. Utraque inauguratio divino apparatu convivii excepta, ac triumphalium ignium.

11. *Imperii administratio.*

Ferdinandus III. ad hanc dignationem evectus omnia militaris scientiæ documenta edidit, non tantum postquam in Wallensteinii locum suffectus esset ceu legionum omnium præfectus, sed etiam postquam Imper. appellatus esset. Nam & tum jura paterna contra Suedos voluit defendere, & onus Imperii humeris suis deinceps sustentavit. Primo in Pomerania, A.C. 1638. fortuna belli tentata, ubi Glitzingius Brandeburgicus Tribunus, stans à parte Cæsaris, Garcinum, commodum ob Oderæ trajectum oppidum, subita vi ac corona invasit, cæsis insuper ducentis, quos Bannerius subsidio miserat. Idem munimento ad Warnemundam accidit. Id in ostio Rostochiano haud procul littore situm ductu Vicethumii Saxonici Tribuni expugnatum est, cadente inter primos ipso Vicethumio. Interea commeatus Cæsarianos defecerat in regione tot exercitibus pressa, quos non flagitia sua, sed omnium rerum penuria, non ignavia, sed temporum iniquitas brevi Pomerania ejecit, dum Bannerius expeditis libero mari commeatibus non sustentandi modo sui, sed Cæsariani etiam militis annonam corrumpendi facultatem habuit. Circa eadem hæc tempora Palatinis Meppenam in Westphalia urbem, magnis jam ante à Suedis operibus firmatam, belli sedem destinantibus, Vehlenius copiarum Ferdinandi per eam regionem præfectus, astu oppidum intercipere instituit. Qui superatis fossis valloque modicum primo certamen inire, dein paulo acrius apud munimentum Gustavianum, quoad vi irrumpentium fusi Palatini victas manus dederunt, & Horneccius, præsidio præfectus, vivus venit in potestatem hostium. Meppenam amissam recuperaturi Lengoviam obsident: sed pari conditione ab Hatzfeldio, Duce Cæsaris profligantur. Cæsa enim duo admodum millia, capta impedimenta, & inter ea insigne perisCelidis Britannicæ, jam pridem Palatinis à Rege Angliæ collatum. Rupertus Palatinus, cui Rex Carolus avunculus erat, vivus venit in victorum manus, & dein ad Cæsarem Viennam missus est. Cæterum Bernardus Dux Vinariensis Principio anni ejusdem per fines Basileensium, qui mediarum partium, exercitum produxit, & aliquot armatorum millia Rhenum trajecit. Cæsarianos adfecit quatuor cladibus, & Brisacum ad Rhenum urbem munitissimam, quam diu obsessam tenuerat fame sub anni finem ad deditionem coëgit. Fama est, non parcitum ibi fuisse humanis carnibus, canes, mures, feles, coria & ejusmodi alia in deliciis fuisse. Triginta ferme ibi fuerant detenti captivi Gal-

li, hi omnes inedia per ergaſtula miſere perierunt, ex quibus ſeptem à ſemivivis adhuc ſociis in cibum abſumti erant. Cæterum Briſaci amiſſio res Gallicas in imperio plurimum ſtabilivit, eo majore Gallorum, gaudio quod ejus liberatio tot conatibus tentata, unius Ducis vigilantia & fortitudine in nihilum recidiſſet. Sed poſſeſſio Briſaci occulto inter ſe diſſidio Regem Galliæ & Ducem Vinarienſem cœpit colludere, dum uterque urbem potentiſſimam atque adeo clavem Germaniæ ad ſe pertrahere nititur, ille quia aurum & milites, hic quod laborem, conſilia, & pericula commodaſſet, cum tamen Neoburgi, febri correptus, A. C. 1639 diem ſuum obiiſſet exercitus ejus, auro delinitus, Regi Galliarum ſacramentum dixit. Collapſas igitur in imperio paululum res Suedicas Bannerius, vere novo cœpit reſtituere, dum in ipſos Franconiæ fines minitabundus ducit, & in Marchia Brandeburgica varia loca recuperat. In Miſniam vero progreſſus, diverſam fortunam expertus cum Fredbergam, Saxonicorum Ducum monumentis claram urbem, obſidere conatus, reſiſtentibus intra Saxonicis, cum non modica ſuorum clade ſtrenue repellitur. Poſtea per Bohemiam graſſatus ne latius progrederetur, ingruens hyems, & Comes Hatzfeldius objectis Cæſariis legionibus impedivit. Ferunt inter hæc Bannerium pacis conditiones Ferdinando obtuliſſe, qui magis ſollicitus, quomodo ingruentes hoſtes paulatim ejiceret, quicquid prope & procul auxiliorum fuit, conquiſivit, & collectas undique copias in Bohemiam propere convenire jubet, quibus novum Ducem impoſuit, fratrem ſuum Leopoldum Archiducem.

Geſta A. C. 1640.

Archidux Leopoldus in Bohemiam hoc anno profectus, Reginogradecium opportunam urbem, & paulo ante à Suecis captam ſubita vi recuperat, ac reliqua etiam Bohemia Succos expulit, Banneriumque in Miſniam, unde ante profugerat, ſe recipere coëgit. Mox inde etiam ab Leopoldo repulſum in Thuringiam, ac fugientem Dux Longevillanus cum Gallicis & Vinarienſibus copiis in tutum recepere. Archidux autem Leopoldus apud Salam fluvium conſedit, caſtris opportuno loco conſtitutis, quem Piccolominæus delegerat, cujus conſilio monituque bellum adminiſtrabat. Illuc quoque Bannerius recreato exercitu acceſſit, ſed prior inopia commeatuum diſceſſit. Jamque præceps æſtas erat, cum elici Bannerius non poterat, ut æquo prælio decernendi poteſtatem faceret. Ita annus ſine magno fructu exactus eſt, hyberna autem Suecі, quia circumſpicienda erant, in agro Brunſvicenſi habuerunt, Cæſariani in amicis ac ſociis provinciis.

Geſta A. C. 1641.

Anno hujus ſeculi 41. incunte, *poſtquam* paucis menſibus exercitum in agro Brunſvicenſi refeciſſent Suecі, irrumpunt in Palatinatum ſuperiorem, & ad ipſa Ratisbonæ mœnia, ubi Cæſar ac Proceres imperii comitia tum temporis habebant, belli paciſque conſilia agitabant, ſigna pertulit. Opinio erat potuiſſe Ratisbonam capi, ſi Bannerius omiſſis in Franconia & Suevia populationibus, univerſi exercitus vires uni urbi impendiſſet. Mox, ut omnium rerum, ita & fortunæ bellicæ viciſſitudo eſt, Schlangius cum flore equitatus Suedici apud Neoburgum, haud procul Hercynia ſylva, ſedens à Piccolominæo circumventus eſt, ita *ut nulla* eſſet erumpendi copia. Quare cum omnibus ſuis, quatuor enim millia erant, in poteſtatem Cæſarianorum venit. Quibus amiſſis, Bannerius Chamum, quod inſedebat cum aliqua exercitus parte, relinquens, & in Bohemiam Miſniamque ſe propipiens in fuga morbum ſibi contraxit, cujus vi quotidie augeſcente, ad Halberſtadium delatus XIII Junii exſtinguitur, Dorſtenſohnium, qui in Suecia erat, ſucceſſorem exercitui ſuo commendans, cujus & judicium ratum habuere Senatores Regni Suedici. Hohentweila hoc anno fruſtra quidem à Cæſarianis tentata, Gorlicium tamen in Luſatia inferiore, & Dorſtenam in Weſtphalia, in fidem ac poteſtatem acceperunt: alteram enim Elector Saxoniæ, alteram Melchior Hatzfeldius ſubegere. Wolfenbeutelium contra, urbem *validiſſimam*, & copioſo apparatu inſtructam Dux Lunæburgicus, Haſſique diu jam obſederant; cum *ad extremum* acceſſere Vinarienſes, nihil *intermiſſum* prorſus eſt, quod ingenioſa crudelitas ad expugnandum urbem invenire potuit. Tandem cum nihil proficeretur, alveus fluvii urbem interfluens, & interne obſtructus, curſum ſuum intermiſit, & omnis aquæ vis circa atque intra urbem coacta, urbem periculo liberavit.

Geſta A. C. 1642.

Annus vero hujus ævi quadrageſimus & alter, Cæſari & Romanorum Principum partibus infauſtus accidit. Nam initio ejus Comes Gebrianus Vinarienſium & Eberſteinius Cattorum Duces, impetrato ab ſeptem Civitatum fœderatis Ordinibus tranſitu, apud Veſaliam Rhenum tranſmittunt, atque in agrum Colonienſem irrumpunt. Elector igitur Colonienſis Hatzfeldium

ex

ex ſuperiore Germania, è Belgio Lambojum cum ſuis copiis evocaverat. Horum poſtremus in agrum Kempenſem caſtra produxit, ubi eum Vinarienſes Cattique cunctatione omni amputata aggredi conſtituunt. Ea re ordinata Gebrianus cum paucis peditum turmis, & 200 ſelectis equitibus in ejus munitiones impreſſionem fecit: ſed quoniam Lambojani numero præſtabant, facile rejectus eſt, interim tota acies appropinquabat, quare Gebrianus dato ſigno, vi ac multitudine ſuorum Lambojum loco ſuo depulit, & aggeres ejus limitaneos, duplici inſuper foſſa munitos, diſturbavit, foſſiſque completis viam equitatui complanavit, exercitu, quia per tentoria diſtributus erat, cæſo quaſi manipulos. Cecidere ad duo fere millia, & Lambojus ipſe, quanquam nullo ſtrenui Ducis officio intermiſſo in manus hoſtium venit. Poſt hæc Vinarienſium prætor Roſa duo millia ad Hatzfeldium properantia, haud procul Juliaco profligat. Ita Lambojani duplici infortunio multati, & Vinarienſes perſequendæ victoriæ intenti Noveſio victorem exercitum admovent; quæ vix unius diei perfunctoriam quaſi oppugnationem perpeſſa eſt: & Keppena, poſtquam octiduum hoſtes ſuſtinuiſſet, in eorum poteſtatem conceſſit. Sed vero apud Lochenium hæſit impetus victorum, quod ignobile quidem oppidum, ſed validum ac firmum ab præſidio, hebdomades aliquot acrem hoſtium oppugnationem pertulit, quoad poſtremum adventu Cæſarii Bavarici exercitus liberatur, & Haſſi & Vinarienſes in ſua caſtra apud Ordingam compellerentur. Eodem quoque anno Leonardus Torſtenſohnius in locum Bannerii præpoſitus Suecorum copiis repente decurſa Saxonia, & Luſatia in Sileſiam perrupit, & Glogoviam cum toto exercitu circumſedit & feliciter expugnavit. Tantam vim oppugnantium fuiſſe, ut uno atque eodem die caperetur, & urbs ipſa hoſtilem in modum diriperetur. Fudit præterea Cæſarianos apud Sueidniciam, & iterum apud Lipſiam, eodem prope loco, quo ante decennium Rex Guſtavus cum Tillio conflixerat, acri prælio & pari fortuna. Nam Cæſariani magna vi ac virtute coorti, cum aliquoties Suecos loco pepuliſſent, ſad poſtremum victi ipſi & loco pulſi victoriam hoſtibus ceſſere.

Geſta A. C. 1643.

Dum in Germania de pace, ac Stocholmiæ etiam de eadem deliberabatur, bellum interim ſtrenue progrediebatur, Torſtenſohnius enim magna ubique præda in Sileſia potitus, ad ipſa Vratiſlaviæ ſuburbia movens ea expilat incenditque, quod cives commeatum pro exercitu poſtulanti negaverant: Coningsmarchio interim Halberſtadium aliaque loca redigente in ſuam poteſtatem. Nihilominus adverſa fortuna Vinarienſes uſi ſunt, licet novo ex Gallia ſupplemento confirmati. Dux etenim eorum Gebrianus minori apud Rotweilam machinamento petitus, brachium, & non ita diu poſt menſe Novembri vitam amiſit, ſed non ita inſigne tamen hoc incommodum fuiſſet, ni mortem Ducis inopinata exercitus clades ſecuta fuiſſet, nam hoſtes ſecuri, repente ſupervenientibus Cæſarianis, Bavaricique & Lotharingicis copiis, quæ ſummo ſilentio, & magna celeritate conjunxerant ſigna, ſine ullo prælio oppreſſi & intercepti ſunt. Dutlingæ autem cum primaria ſtatio Vinarienſium, & bellicum inſtrumentum omne, haud procul inde depoſitum eſſet, Cæſariani præmiſſo Duce Verdano (is enim ex Gallica captivitate cum Guſtavo Hornio permutatus, apud Sonſan in caſtra magno militum gaudio reverſus erat) Dutlingam cum maxima exercitus parte, tanto ſilentio derepente circumveniunt, ut jam copiis omnibus ante urbem conſiſterent, priuſquam de adventu eorum hoſtes quicquam reſciviſſent. Atque inde repulſo & in fugam conjecto Roſa facile Dutlinga potiti, & pecunia cum apparatu bellico ingenti ſine ſanguine.

Geſta A. C. 1644.

Hic annus vires ambarum partium diſtraxit, dum Sueci cum Dano Rege, Cæſar cum Tranſylvano Principe contenderet: quare pauca ſunt, quæ de hoc tempore memoranda veniant. Tantum dicam, flagrante bello in Dania, Cæſari otium fuiſſe recuperandi ſua per Moraviam Sileſiamque, quæ Torſtenſohnius ſuperiore anno occupaverat. Et cæteræ quidem urbes, quia minores, facilius receptæ ſunt: Olomicium vero metropolis Moraviæ & Glogavia, quia valido præſidio communita erant, ad reditum Torſtenſohnii obſidionem toleraverunt. Incidit & prælium Gallorum cum Bavaris, ſed de eo ſeorſum poſtea.

Geſta A. C. 1645.

Animum nunc pauliſper oportet intendere Bohemiæ, ubi magnum malum Torſtenſohnius Cæſarianis inflixit. Eſt illic minimus vicus, Fanckovio cui nomen eſt, diſtans Tabore tribus fere millium paſſibus, ubi Sueci conſederant, dum Cæſar cum fratre Leopoldo, ac purpuratis omnibus Pragam profectus, omnes copias in Bohemiam convenire jubet, cujus Hatzfeldius juſſus hoſti cum-

omnibus copiis obviam progreditur. Neque Torſtenſohnius, quanquam podagra laborans certamen abnuit. Quamobrem menſe Februario acerrimo prælio concurſum eſt. Gotzius, qui primam aciem Cæſarianorum ducebat, in ipſa aggreſſione fortiſſime dimicans cecidit, neque tamen commilitonum animos conterruit, quominus ſtrenue pugnaretur. Cæterum inclinante poſt meridiem ſole, cum toto die fortiter præliati eſſent, Cæſarianos fortuna deſtituit. Cæſi fugatique magna clade. Hartzfeldius una cum primoribus tribunorum in poteſtatem victorum pervenit, capta manipularium fere IV. millia, cum tormentis XXVI. & apparatu bellico univerſo. Cæſar audita clade Viennam conceſſit, ut repararet inde exercitum: Torſtenſohnius contra tranſcurſa raptim Moravia, Iglaviam primo, dein Cremſium, Steinam aliaque loca, nemine jam reſiſtente, facile in poteſtatem redigit; Olmicium obſidione Wallenſteinii liberat; ac denique Brinnam, totius Moraviæ fortiſſimum propugnaculum, cum toto exercitu aggreditur: at ſatis conſtat, plus ibi militum quam in juſta acie depugnatum foret, Torſtenſohnio periiſſe. Interea ſpacium Cæſari datum reparandi vires, & conſcribendi novos milites.

Geſta A. C. 1646.

Cæterum Torſtenſohnius, hoc anno, ſe ſuprema militiæ præfectura abdicat, præfatus imparem ſe tantæ moli, ingraveſcente indies valetudine: unde ſucceſſor datus eſt Guſtavus Carolus Vrangelius, qui Viſurgim initio veris trajectis copiis poſt Hæxteram, Paderbornam, Lemgoviam, Statbergam, munitiſſimum alias locum occupavit. Interim Archidux Leopoldus cum ſuis caſtra apud Ilmenſtadium haud procul Nidda fluvio poſuit. Quorum adventu cognito, Suedi, reducto ex Weſtphalia exercitu, & ſimulata in agrum Moguntinum irruptione, ſubito in Franconiam divertunt, & Rainam tranſito Danubio octo dierum ſpacio expugnant. Inde ad Auguſtam Vindelicorum converti, obſidionem ejus moliuntur, verum Cæſariani mox Auguſtæ immittunt præſidium, & ne Suedi in Bavariam progrederentur, collatis contra caſtris, abunde proviſum. Ita Auguſta diſcrimini exemta eſt: & Comites Bucheimius Cremſium, aliaque ad Danubium loca, quæ ante annum ceperat Torſtenſohnius, pari felicitate recuperavit. Melander præterea, quem Cæſar Ordinum Weſtphalicorum Ductorem conſtituerat Sonſam obſidione liberavit, medio fere intervallo inter Coloniam & Noveſium ſitam.

Geſta A. C. 1647.

Vrangelius occupatis faucibus Brigantinis, dein, Menavia Inſula in Lacu Acronio, mox quoque ad oppugnandam Lindaviam animum adjecit. Urbs ipſa ignitorum miſſilium lapidumque injectu noctu & interdiu graviter impugnabatur. Quia tamen Maximilianus Wilibaldus, qui præerat urbi, & ſtrenui Ducis, & minime ignavi militis officio functus eſt; poſt duorum tandem menſium obſidionem, hoſtibus ſponte recedentibus conſervata eſt. Inde, quod ſecundum eſſe diximus, cum Bavaro atque Electore Colonienſi inducias armorum pactus eſt, XIV. die Mart. quas variis tum hominum ſermonibus dilatas accepimus, & Bavarum XIV. die Septembris Vrangelio renunciaſſe, quod inter cæteras cauſas nihil ad pacis negotium acceleramdum conducere intelligeret, Vrangelius in Bohemiam movit, atque in ipſo conſpectu Cæſariani militis Egram difficili certe, & cruenta obſidione, in poteſtatem redegit. Ubi Melander, Gallaſio defuncto in ſumma belli præfectura ſubſtitutus à Cæſare, Suedici exercitus vires egregia virtute ſuſtentavit. Acceſſit tertio alia res, qua nulla opportunior per id tempus Cæſari accidere poterat, ſeditio Vinarienſium. Quæ defectu ſtipendiorum orta, eo uſque prorupit, ut ſpreto palam obſequio à ſignis Gallicis diſcederent: crevitque contumacia poſtquam Turenius, Dux eorum, deſperata ſecedentium reconciliatione, reliquam exercitus partem in refractarios immiſit. Sed illi contra vim ſe probe muniverant, tum vero cognito Gallorum conſilio, transfugium in partes Cæſaris minati, à Coningsmarkio tandem bimeſtri ſtipendio placati & excepti ſunt.

Geſta A. C. 1648.

Vrangelius, refectis per hyemem militibus, nondum incunte vere, per Haſſiam ac Palatinatum contendens, trajecto apud Lavingam Danubio, Cæſarianorum agmen profligavit, haud procul Auguſta. Quid? quod Dux Melander duobus vulneribus confoſſus, eodem adhuc ſit exſtinctus die. Poſt quæ totius intra Oenum Bavariæ potitus eſt. Vim tamen hoſtium Octavius Piccolominæus, in Melandri locum ſurrogatus, brevi ſua virtute ac vigilantia compeſcuit. Interea etiam ſuæ de ſe virtutis ſpecimina edidit Lambojus in Weſtphalia, ubi Erneſtum Haſſiæ Imperatorem commiſſo modico prælio cecidit, & Bredenbergam poſt VII. hebdomadum ſpacium ad deditionem compulit, arce, ne receptaculum hoſtium eſſet, diruta, & muris diſjectis. Adeo cum variis locis pugnare-

gnaretur, etiam in Bohemia, unde ortum bellum, ad ultimum, divina quadam fatorum prudentia, ſubſedit, & profligatum apud eandem urbem, quæ defectione ſua cauſa belli prima exſtiterat; Pragam intelligo caput Bojohemorum. Etenim cum potiſſimas Cæſaris vires in Bavariam demiſſas eſſe, cognoviſſet Coningsmarkius, capiundæ urbis eum cupido inceſſit, quam aſtu expugnare aggreſſus, arcem regiam, XXVI. die Julii, præter omnium opinionem, adortus eſt, & priuſquam præſidiarii ad arma concurrerent, occupatis ſtationibus in poteſtatem redigit. Capti multi nobiles & quidam, quod reſtitiſſent initio, interfecti. Urbs militi præter paucas domos in prædam conceſſa, & omnia turbata, donec ſub veſperam Comes Bucheimius cum ſuis copiis, laborantibus ſuccurrit: tum omnes ſtationes novo milite confirmantur, civibus & juventuti, quæ armis ferendis erat idonea, ſua loca adſignata ſunt, quæ adverſus hoſtem tuerentur. In quibus defendendis tanta omnium alacritas exſtitit, ut ad initium menſis Novembris tolerata obſidione, hoſtium inſultus irritos reddiderint. Quanquam enim magnis viribus Coningſmarkii, Wittenbergi, Caroli Guſtavi oppugnarentur, & perpetua tormentorum verberatione muri major pars ad paſſus fere 600. disjecta eſſet, crebroque cuniculi & aggreſſiones fierent, omne tamen intra obſeſſorum virtutem periculum fuit. Reliquitque incertum fortuna, an virtus oppidanorum pertinaciæ tandem oppugnantium ceſſiſſet, ſi non obſidio ſoluta nuncio fuiſſet ſtatutæ inter bellantes pacis.

II. *Finis belli Germano-Suedici.*

Ortum eſt bellum Germanos inter & Suedos anno Chriſti 1630. Finiſque ei impoſitus, A. C. 1648. Duravit enim annos duodeviginti. Pars enim Bojohemorum belli eſt, quod & ipſum inchoatum eſt anno hujus ſeculi duode-vigeſimo.

II. Bellum Gallicum.

Origo.

Anno Chriſti 1644. Friburgum in Briſgoja Duce Franciſco Mercio intercipiunt Bavari: ſed hic dum confident magna Gallorum vi ac virtute oppugnantur. Nunquam alias majore pertinacia certatum. Dux Anguienſis & Comes Turenius 22000. hominum exercitum ad vindicandam cladem Dutlingenſem (de qua v. A. Ch. 1643. in bello Suedico) è Galliis adduxerunt. Itaque Anguienſis depellendi hoſtis inde percupidus caſtra Bavarorum invadi jubet. Semel atque iterum & tertio cum totius exercitus viribus tentata eſt expugnatio, ſed tanta ſemper Gallorum ſtrage, ut niſi numero militum abundaſſent, haud dubie ſummæ totius ſibi diſcrimen accerſiviſſent: Sex fere millia Gallorum his inſultibus ceciderunt: Bavaricos tamen inopia commeatuum & pabulationis, locum relinquere coëgit. Galli luſtrato confirmatoque exercitu Grumersheimium, Wormatiam, Spiram, Moguntiam, atque ipſum Philippiburgum capiunt, cujus omnium maxima jactura fuit, arcis quippe ad Rhenum munitiſſimæ. An. Chr. 1645. cæſi ſemel Galli ſunt, & ſemel ceciderunt Bavaros. Primo enim cum Mercius Bavaricarum copiarum Dux Feuchtwangam omnes copias convenire juſſiſſet: tertio Maji motis[e]ſtris ſummo ſilentio in hoſtem duxit, eumque apud Mergentheimium deprehenſum, in fugam conjecit, primariis Ordinum captis. Deinde vero cum novum Duci Anguienſi è Gallia ſupplementum adveniſſet, ei cœpit intendere, ut acceptam paulo ante cladem expiaret. Itaque apud pagum Allersheimium facta pugnandi poteſtate, menſe Julio, atrox & cruentum prælium committitur. Sed cum Mercius prima aggreſſione ceciditſſet, ejus quoque acies paulatim inclinari cœpit. Qua re animadverſa Anguienſis cohortatus ſuos novo impetu omnium copiarum, fugam eos capeſſere coëgit, ipſe duobus vulneribus in brachio ac femore ſaucius. Nihil autem magis Bavari, quam Mercii Ducis ſui mortem ob claritudinem facinorum & militarem gloriam deplorarunt.

Finis belli Gallici.

Eodem plane hoc, quo Suedorum bellum, tempore compoſitum eſt, cum celebris illa pax ſtatuta eſt anno C. 1648. quam ad acta togata referre cogitavimus.

ACTA TOGATA.

I. Pax Germanica.

Cum miſera Germania ſanguine nataret, & bellum annis triginta ſe ipſum (dicente Livio) aleret; Imperii *Cuſtos, Conſervator, & Propugnator*, Ferdinandus III. cognomento vero PACIFICUS, concordiæ & compoſitionis Oſnabrugenſis in Weſtphalia auctor eſſe non deſtitit; Pacificatum Legati ejus venerunt, poſteritatis otio conſulturi: proſpere ſuccedentibus, compoſitis mox rebus Germanis, Oſnabrugæ die 14. Octob. 1648. pax facta,

facta, & *executio* ejus impetrata fuit Noribergæ, die 16. Junii, Dominica I. poſt Trinitat. Anno Chriſti 1650, ringente inter hæc, & (ſi poſſet) nocente Innocentio X. Pontifice: is enim pacem Germaniæ bulla (velut ampulla quadam projecta) Romæ die 3. Jan. A. C. 1651, abrogare, demoliri, deturbare quidem ſuſtinuit ſed evertere non potuit.

II. Electio Ferdinandi IV.

Ferdinandus III. eodem animo *Ferdinandi Franciſci* pater, quo erat omnium, filium hunc (quem non parum feliciter genuerat) in partem curarum vocavit, præfatus, *experiendo ſe didiciſſe, quam arduum quam ſubjectum fortunæ, regendi cuncta onus. Proinde in imperio pluribus inſiſtente munimentis, duos facilius munia imperii ſociatis laboribus executuros.* Quo factum etiam eſt, ut Romanorum Rex electus, ſit, & unico tantum *Ferdinandi* IV. nomine appellatus, Auguſtæ Vindelic. die 24. Maji, A. C. 1653. & coronatus in Comitiis Ratisbon. die 8. (18.) Junii, A. C. 1653. Qui ante Rex *Bohemiæ*, die 8. Septemb. A. C. 1646. *Hungariæ*, vero die 16. Jun. A. C. 1647. creatus fuerat. At vero immani Fatorum neceſſitate, eorundem munus implevit & naturæ debitum mature reddidit Viennæ, die 9. Jul. An. Chriſt. 1654. vivo adhuc patre.

CAPUT III.

DE EXITV

FERDINANDI III.

Tandem & ipſe optimus ac mitiſſimus pater, charus omnibus ac deſiderandus obiit Viennæ, die 2 Aprilis, A. C. 1657, anno ætatis 48 & plus quam dimidio; imperii 20 menſ. 3. die 10. Id vero memorabile putavit poſteritas, quod & è tribus ſingulis uxoribus tres quoque reliquerit filios; LEOPOLDUM è Maria: CAROLUM è Maria Leopoldina: & FERDINAND. ALOYS. JOS. ex Eleonora, qui mox (ceu in *Actis Oeconomicis* monuimus) poſt obitum patris memoriæ pientiſſimæ, vitæ ſortem dereliquit, anno Chriſt. 1658.

RES ECCLESIASTICÆ.

Anno hujus ſeculi 38 Synodus habita Glagoviæ contra Scotiæ Epiſc. A. C. 1640 *C. Janſenii* de gratia liber editur: damnatur vero bullis Ann. 41, & 53. A. C. 1644. *Innocentius* X. Pont. R. elig. A. C. 1645. Colloquium Toronienſe inſtituitur. A. 1646. Gymnaſium Bredanum. 1648. Acad. Harvicena inauguratur. A. C. 1651. Jubil. Romæ celebratur. A. 1652. Acad. Heidelbergenſis reſtaurata fundatur. A. C. 1654. Anonymus de Præadamitis in lucem prodit; & Innocent. X. Pontifex moritur. A. C. 1655. Alexand. VII. Pontifex R. creatur, cum per tres menſes ſedes vacaſſet: & Chriſtina Regina Pontificiam religion. ſectatur. A. C. 1656. Iſaacus Peyrerius libri de Præadamitis auctor, Bruxellis in carcerem conjicitur, ejurat errorem, & fit Pontificius.

VIRI CELEBRES.

Dion. Petavius. Sirmondus. Joh. Seldenus. H. Grotius. Jer. Joh. Voſſius. Cl. Salmaſius. Dan. Heinſius. Sam. Petitus. Petr. Scriverius. M. Zu. Boxhornius. Georg. Calixtus. Conr. Hornejus. Wormius. Liceetus. Tomaſinus. Ferrarius. Caſper Barthius. Hofmannus. Sennertus. Jacchæus. Schalius. Schikardus. Beſoldus. Freinshemius. Berneggerus. Renatus des Cartes, Nobilis Gallus. & Philoſophus. Caſper Gevartius. Albertus Rubenius. Thom. Reinſius, Germanorum doctiſſimus. Vincentius Fabricius, Poëtarum in Germania hujus tempeſtatis Princeps. Prætereo plurimos eruditione præſtantes viros.

VARIA.

A. C. 1640 Phil. IV. Hiſp. Rex fit. 41 Portugallia deficit. 44 Prælium Sueco-Dan. 45 Bellum Turco-Venetum accidit. 46 Canea *capitur.* 47 Motus Neapolitani & Siculi *facti.* 48 Freder. III. Dan. Rex conſtituitur: & Joh. Caſimir, Pol. Eodem anno motus Angli orti; & pax Hiſpano-Belgica ſancita Monaſterii. 49 Carolus I. Angliæ Rex ſecuri percuſſus; & motus Gallici coorti. 50 Pax Noribergenſis firmata. 51 Maxim. Bavarus mortuus. 52 Ludov. XVI. Gall. R. creatur & cometa per 14 dies apparuit. 53 Bellum Anglo-Britann. ortum. 54 Bellum Tartar. in Sina: & pax Anglo-Brittann. Accidit etiam inſignis eclipſis ſolaris & Chriſtina coronam deponit. 55 Car. Guſtavus R. Suec. coronatur & ortum bellum inter hunc & Polonos. A. 55 & 56 Motus Helvetii fuere. 56 Joh. Georg. I. Elect. Sax. mortuus. Afflixit eodem tempore incendium Aquisgranenſes; ac peſtis Neapolitanos, & inſequenti anno Genuenſes.

IMPE-

IMPER. LI. GERMAN.

LEOPOLDUS

CAPUT I.

DE ORTU.

LEOPOLDUS Ignatius 51 Romanorum Germanorumque Imperator, patre prognatus eſt Ferdinando III. ter feliciac beato, & matre Maria, Philippi tertii Hiſpaniarum Regis filia, die 9 Julii, A. C. 1640. Fratrem etiam habuit Germanum Ferdinand. IV. ante ſe cum patre ſuo Imperatorem, plurimoſque alios, uti ſupra ſignificavimus. Convenit autem (quod ad præſens caput referre liceat) in manum viri Imperatoris, Philippi IV. Hiſpaniarum Regis filia junior.

GESTA SUB LEOPOLDO.

A. C. 1658 imperante jam Leopoldo die 3 Septemb. in Anglia Cromwellius, febri tertiana in palatio ſuo extinctus eſt: inventi poſt obitum ejus codicilli, qui filium ejus natu majorem Richardum ſucceſſorem patri declarabant. Sed verum eſſe non diu poſt rebus is comprobavit vulgatum illud:

De male quæſitis non gaudet tertius hæres.

Eodem anno Sueci navali prælio ſuperantur à Batavis.

A. C. 1660 Carolus Guſtavus Rex Sueciæ moritur; & die 18 Martii pax Gallos inter & Hiſpanos Antverpiæ promulgatur, Principe Hiſpana Ludovico Regi in matrimonium tradita. Menſe Junio Anglica reſp. eſſe deſiit, & Carolus II. in regnum revocatur: & Dano Regi circa eadem tempora cum Suecis convenit. Galliarum Rex Arauſionenſium Principi urbem ſuam eripit, relicto tantum principatus titulo, fide tamen data, reſtituturum ſe ſimul adoleviſſet. Berga caput Norvegiæ, orto ex liquidæ picis aheno incendio mediam partem comburitur, altera parte, latiori portu inde ſeparata, manente integra. Pari fortuna aut deteriore uſa eſt Thraciæ urbs Conſtantinopolis. Victoria à Gallicis Venetorum auxiliis deportata exultans, inter publica gaudia pene tota deflagravit, ut vix tertia pars ſupereſſet.

A. C. 1661 *Veneti* feliciter cum Turcis apud inſulam Milonem congreſſi ſunt, tres Turcarum triremes in littora actæ, tres aliæ ſuppreſſæ, quatuor & cum iis mille & octingenta Chriſtianorum mancipia victoribus ceſſere, inſula ipſa à Venetis expugnata. *Principis Arauſſionenſis*, uxor variolis extincta Londini, & *Dux Gloceſtriæ* ejus frater. Matrimonio juncti *Britanniæ Rex*, & *Luſitani Regis filia*: dos fuere duæ in Africa urbes. Alterum Tingi eſt, nunc Tanger, pervetuſtum in littore oppidum.

A. 1662 Londini *Bojohemorum regina* decedit. Pax inter fœderatarum ſeptem civitatum *Ordines*, & *Mahometem* Palchan Tunetanorum Regem ſancita eſt, ea lege, ut alterutrius partis navibus ad littora facientibus naufragium tam homines, quam bona libertati reſtituerentur; neve Batavorum rebus propoſitis tribunali ejus regni ſiſti poſſet. Fœdus quoque inter *Gallos Batavosque* percutitur. *Hiſpani* à Luſitanis, & *Turcarum claſſis*, Conſtantinopoli in Ægyptum navigans, cæditur à Venetis.

A. C. 1663 *Chinenſis* pirata Formoſam inſulam occupavit, referentibus quatuor, quæ in Angliam & octo quæ in Hollandiam appulerant navibus. Duodecim vero noſtratium ad Seras miſſæ inſulas Amoi & Quemai in ſuam poteſtatem redegere. Inter *Sabaudos* & *Pedemontanos* proteſtantes orta contentio in bellum eruperat. *Romæ* ortum incendium. *Neoheuſelium* à Turcis obſeſſum, deditionem fecit menſe Septembri.

Sub finem præcedentis anni, & initio præſentis 1664 *ſidus* ingens *crinitum* cœlo caput exeruit longam & fulgentem trahens caudam. Viam duxit à ſigno Virginis, trans Corvi, per Navis apluſtria & Galli, Leporis, Hydræ, Eridani, & Cetı ſigna. Menſe Aprili tertio aut idem, aut aliud apparuit; dubium fauſta, an adverſa telluri promitteret utrumque. *Poloni*, inſigne malum Ruſſorum finibus intulere, Vronkovam, Bariispolam ceperunt: & Boryſthene trajecto, Monaſtricem & Naſaukam occuparunt. Interea etiam Piſæ in ora Italiæ amicitia inter *Galliarum Regem*, & *Pontificem* ſancita eſt; mirum quanta omnium lætitia hæc pax accepta eſt, præcipue imminente tanto à Turcis omni Chriſtiano nomini diſcrimine. Miles jam à Rege in Italiam miſſus, protinus conſcenſis navibus avehitur: equites Imperatori adverſus Turcas militaturi mittuntur.

A. C. 1665 Hiſpaniarum Rex *Philippus* IV. ſexagenarius vitam cum morte commutavit, die 17 Septembr. Monaſterienſis Epiſcopus eodem menſe Tubantum fines invaſit, detectis ante inſidiis, quibus Arnhemium, & Doesburga, duo Sicambrorum oppida petebantur: ſed brevi coactus eſt pace obnoxia ſaluti ſuæ conſulere.

Bellum Britannicum & Batavum.

Anno 1665 bellum inter Anglos & Batavos cruentum, & ſævum, mutuisque cladibus & victoriis inſigne ortum eſt. Primo prælio, quod geſtum eſt die 18 Junii, fuſi ſunt Batavi, prætoria navis cum nonnullis aliis ſuppreſſa & nonnullæ captæ ſunt.

Sequente anno Batavi expiarunt cladem ſuperioris anni inſigni victoria poſt atrox quatridui prælium. Capta navis prætoria cum ipſo legato, aliæque naves inſignes Batavis ceſſerunt. Rurſuſque eodem anno tentata fortuna ancipiti victoria. Anno vero 1667 Batavi Tameſin obſedere Chapeiam inſulam, ſitumque in ea caſtellum expugnarunt, maximam prætoriam navem occuparunt, tredecim alias bellicas magnas cremarunt & deleverunt. Inde pax Bredæ convenit 10 Junii, æquis utrinque legibus. Hoc anno Gallus quoque invaſit Belgium & captis Duaco, Tornaco, Inſulis, aliiſque munitiſſimis locis Hiſpanorum res fere ad incitas redegit. Sequente anno 1668 hyberno ſydere magna vi in comitatum Burgundiæ irrumpit & ſedecim dierum ſpatio, expugnata Dola aliiſque urbibus totum comitatum ſuæ ſubjecit ditioni.

F I N I S.

Index Continuationis.

A.

ACademia Altorfina, Dorpienſis, Hardervicena, Heidelbergenſis, Rintelienſis, Sorana. 9. b. & 16. b.
Althemius. 3. a.
Angliæ Rex ſecuri percutitur. 16. b. Cum Cromwellio Reſp. exſpiravit, & Rex revocatur. 17. a.
Aquiſgranum ob religionis diſſidia à Spinola captum. 2. a.
Auguſtam Vindel. Sueci tentant. 14. a.

B.

BAnnerius Garcinum capit. 11. b. Obit. 12. b.
Batavorum Anglorumque prælia & pax. 18.
Bathorius Tranſſylvania ejicitur. 1. b.
Bellum Bohemicum Matthiæ. 2. b. Ferdinandi II. 4. b. Cum Palatino. 5. a. Cum Gabore. 5. b. Brunſvicenſi. 6. a. Dano. 7. a. Sueco. 8. b. Germanicum, vide German. Danicum. 13. b. Gallicum. 15. a. Britannicum. 18. a.
Berga Norveg. incendium patitur. 17. a.
Berlini ſeditio ob religionis mutationem. 2. b.
Bethlem Gabor Turcæ fiduciarius. 1. b. infeſtus. 5. b. placatur. 6. a.
Bithynia vaſtatur. 1. b.
Bohemici motus. 2. b. Belli initium. 3. a.
Brandenburgenſis Eccleſias reformat. 2. b.
Briſacum capitur a Vinarienſi. 11. b.
Brunſvicus armatus. 6. a. Vincit Cordubenſem. 6. b.
Bucquojus. 3. a. Vincit Mansfeldium. 4. b. Gretzam capit. 5. a. Ab Anhaldino repulſus. 5. a. Fellium fugat. 5. b. Gabori oppida eripit. 6. a. Perit. 6. a.

C.

COmeta. 3. a. 17. b.
Coningſmarck capit Halberſtad. 13. b. Pragam. 15. a.
Coſacci in Thraciam effunduntur. 1. b.

D.

DAnus Dux belli. 7. b. Vincit Tillium. 7. b. Ab eo vincitur. 8. a. Vincit. 8. a. Suecis reſiſtit. 13. b. 16. b. 17. a.

E.

EBerſteinius in Colonienſem movet. 12. b.
Evangelici irritantur in Bohemia. 2. b.

F.

FErdinandus II. eligitur. 4. a. b. Palatinum ejicit. 5. a. adverſus Bethlehem Gabor. 5. b. Brunvicenſem. 6. a. Danum. 7. a. Gallum. 9. a. obit. 10. a. Suecum. 8.
Ferdinand. III 10. Vivo patre electus. 11. a. Bellum continuat. 11. b. Pacem init. 15. b.
Ferdinandus IV. Imperii paterni ſocius, non hæres. 16. a.
Fridlandus Mansfeldium fugat. 7. b. Hollatiam petit. 8. a. Occiditur. 9. a.
Francofurtum Judæos ejicit & recipit. 2. b.

G.

GAllus Cæſaris hoſtis. 9. Capit urbes. 15. b.
Germanicum bellum. 6. ad 14. Ejus exitus. 15. a.

H.

HAtzfeldius Lambojum cædit. 13. a. Capitur. 14. a.

I.

JUdæi ejiciuntur Vormatia & Francofurto. 2. b.

L.

LAmbojus Hatzfeldio inferior. 13. a. Haſſo ſuperior. 14. b.
Leopoldus Imp. 17. a. Turcæ reſiſtit. 17. b.
Lindavia à Sueco tentatur. 14. b.
Lipſienſe prælium primum. 8 b. Secundum. 13. a.

M.

MAgdeburgum à Tillio captum diripitur. 8. b.
Mansfeldius capit Pilſnam. 3. a. Vincitur. 4. b. 7. b.
Monaſterienſis Epiſc. armatus in Batavos pacem eligit. 17. b.
Mulheimum munitum. 2. a. à Spinola ſolo æquatur. ibid.

N.

NEoburgicus ad Pontif. religionem tranſit. 2. a.

P.

PAlatinus Rex Bohemiæ. 5. a. à Tillio victus regno exutus in Belgium confugit. 5. b. Frater capitur. 11. b.
Pax Germaniæ contingit. 15. b.
Piccolominæus. 12. a. Suecos carpit. 12. b.
Plura comburitur. 3. a.
Poloni Ruſſos invadunt. 17. b.
Pragæ pars capta pacem promovet. 15. a.
Proteſtantium querelæ in Comitiis. 1. b.

S.

SAxo Budiſſam expugnat. 5. b. Sueci ſocius. 8. b. Hoſtis. 9. a.
Saxonicum bellum. 7. a.
Schenckium munimentum capitur. 10. a.
Spinola capit Aquiſgranum & Mülheimum dejicit. 2. b.
Spirenſe tribunal arguitur. 1. b.
Stralſunda Cæſarianorum impetum retundit. 8. b.
Succus adverſus Cæſarem. 8. b. Inter victorias perit. 9. a. Ad Nordlingam cæſus. 12. a. carpitur. 12. b. vincit. 14. a. Auguſtam Vind. tentat. 14. a. Et Lindaviam. 14. b. Regina Suec. degenerat à paterna laude. 16. b.
Synodus Dordracena. 3. b. Glagoviæ. 16. a.

T.

TAmpirius. 3. a. Moraviâ & Sileſiâ ejectus. 5. a. Perit. 6. a.
Tangermunda conflagrat. 3. b.
Terræmotus. 3. a. b.
Tillius fugat Palatinum. 5. b. Brunſvicenſem. 6. b. Nienburgum obſidet à Dano repulſus. 7. b. In Brunvicenſes movet. 7. b. A Dano pulſus. 7. b. Danum pellit. 8. a. In Hollatiam trajicit. 8. a. Magdeburgum incendit. 8. b.
Torſtenſohnius Bannerio ſubſtitutus. 12. b. Glogoviam capit. 13. a. Cæſarianos disjicit. 13. b. 14. a.
Trapezuntem Coſacci diripiunt. 2. a.
Turcæ pacem ineunt. 1. b. Poloniam infeſtant. 10. a. Mari ejiciuntur à Venetis. 17. b. capiunt Neuheuſelium. 17. b.
Tychopolis Cæſarianos repellit. 8. b.

V.

VIcethumius occupando Varnemundam perit. 11. b.
Vinarienſis capit Briſacum. 11. b. Obit. 12. Seditio. 14. b.
Viri celebres. 3. b. 10. a. 16. b.
Vormatia ejicit Judæos. 2. b.
Vrangelius Weſtphaliam concutit. 14. a. Egram capit. 14. b.

W.

WAllenſteinius, vide Fridlandus.
Weigelius. 3. a.
Wolfenbeutelii obſidio ſolvitur. 12. b.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google